Libri ex quibus annotationes fuerunt excerptæ.

Ang.	Angelonus
Aug.	Augustinus.
Au. Auel.	Auellana.
B.	Benedictina.
Bas.	Basilicanus.
Beda.	
Cal.	Caldea.
Cer.	Ceruinus.
Compl.	Complutensis.
Chrisost.	
f. a.	forte alij.
Frob.	
G.	Græca.
Greg.	Gregorius.
gl.	glossa.
H.	Hebræa.
Hier.	Hieronymus.
Hesich.	
Lan.	Langobardus.
Luc.	Lucbensis.
L. o.	Libri omnes.
Louan.	
Ms.	Manuscriptus.
Nic. Lir.	Nicolaus Lirensis.
O. an.	Omnes antiqui.
P.	Paulina.
S.P.	S. Pagninus.
Phil.	
Rab.	Rabanus.
Rot.	S.tæ Mariæ Rotundæ.
Theod.	Theodoretus.
Vat.	Vaticana.

2, 3, 4, 5, 6 an. antiqui.


BIBLIOTECA
NAZIONALE
CENTRALE V. E. II
ROMA
36
11
F
3

BIBLIOTHECAE
HOMILIARVM
ET SERMONVM
PRISCORVM ECCLESIÆ PATRVM

Coll. Romani Soc. Jesu TOMVS QVARTVS, cam. l. inscrip.



IN QVO EVANGELIORVM, QVAE TOTO ANNI decursu proprijs quorundam Sanctorum Missis assignantur, vel in communi ipsorum Sanctorum officio annotantur, vt in Missali Romano ex decreto Concilij Tridentini restituto habentur expositiones, plurimiq́; ijsdem Diuis conuenientes sermones continentur:

LAVRENTII CVM-DII Itali primùm opera collectus, & post eius obitum à Fr. GERARDO MOSANO Dominicano Germano ad finem vsque perductus.

ACCESSERE ETIAM IISDEM AVCTORIBVS BREVIA in margine scholia, quibus vel hæreses nostri temporis à Priscis illis Patribus iugulata ostenduntur, vel si quid ijsdem Patribus excidit, quod minus communi Ecclesiæ consensu receptum est, modestè corrigitur.



LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTARVM.
M. D. LXXXVIII.
Cum priuilegiis Cæsareæ Maiestatis, ac Christianissimi Gallorum Regis.

TYPOGRAPHVS LECTORI.



Abes in hoc tomo, amice lector, expositiones in omnia Euangelia, quæ toto anni tempore in quorumlibet Sanctorum festiuitatibus in Ecclesia legi consueuerunt, vt si te in aliquo horum Sanctorum festo die, ad populum sermonem habere contingat: hinc maximè veram solidamq; doctrinam, ex qua sanctos omnes possis collaudare, desumere valeas. Hæc enim est non fucata & adumbrata sed vera & solida Sanctorum laus, cùm ipsi Euangelicis præceptis & consilijs, quæ in eorum Euangelijs leguntur, paruisse sanctissime demonstrantur. Cæterùm sicut in Sanctorum festiuitatibus, omnem concionem de ipsorum laudibus haberi non probo: ita omnia de Euangelio in concione tractari, nihil verò de Sanctis agi, neque rationi, neque pietati consentaneum iudico. Quare cum in librum Didaci Stellæ de modo concionandi incidissem, & rationem, qua ille conciones de Sanctis instituendas esse docet, perlegissem, eam tecum verbis paulo elegantioribus in tomi huius initio decreui communicandam vt ex optimi concionatoris libro perdisceres, si fortè nescis, qua te ratione in concionibus Sanctorum gerere debeas. Vale.

CONCIONES DE SANCTIS QVOMODO SINT CONFICIENDAE, EX CAP. XXXVIII. LIB. DE MODO CONCIONANDI DIDACI STELLAE.



Ationi maximè consentaneum est, & Deo hominibúsque pergratum, Diuorum laudes & merita publicare, eáque verbis efferre & prædicare, & ipsorum virtutes supra humanam conditionem, coronásque, & gloriosa trophæa enunciare, & pangere. Quod quidem præclara religionis nostræ lumina, sancti Patres, priscíque doctores sæpe factitarunt. Nam D. Chrysost. tom. 5. suorum operũ Hom 5. patiẽtiam cæterásque virtutes viri innocẽtissimi & cõstantissimi. Iobi prædicat, Hom. itẽ 6. ardẽtissimum veræ religionis propugnatorem Heliam prophetam laudibus ad cælum effert. Hom. 7. robur fortitudinémque Machabæorum laudat, Hom. 8. tres illos regios pueros, qui in fornace ardentissima, Dei laudes suauiter cecinerunt, & omnes res creatas ad Deum laudandum decenti ordine prouocarunt, ludibundíque in medio incendio tripudiarunt, gloriosè extollit, & Hom. 9. pudicitiæ coniugalis præclarum exemplar, castámque Susannam valde commendat. Idem D. D. Augustini, Ambrosij, Gregorij Magni, Basilij & alij quàm plurimi sæpe fecerunt, qui, quod Ecclesiasticus dicit, *laudemus viros gloriosos in generatione sua*, non segniter Eccl. 44.
exequi voluerũt. Quid, quod Christus Dominus noster suum sanctum Præcursorem D. Ioannem Baptistam, & suorum item Apostolorum primum D. Petrum, Mariam quoque Magdalenam, & nonnullos alios ore suo sanctissimo celebrare voluit: nónne id nos ad Diuorum laudes qualicunque nostra oratione prædicandas debet inflammare? Matth. 11. Matth. 16. Luc. 7. & 10. Quamuis enim ex nostris prædicationibus & laudibus & celebritatibus, quibus sanctos colimus & veneramur, nihil emolumenti eis adueniret, neque gloriæ accresceret, quoniam tamen ipsorum laudibus ad virtutes eorum sectandas Christiani incitantur, & ad eos colendos magis magísque impelluntur, certè nos concionatores ab eorum laudibus non debemus desistere. Paulus profectò ad Galatas scribens, sic de se loquitur, *in me clarificabant Deum*: & ad Hæbreos ait, *Mementote præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis*, &c. Gal. 1. Heb. 13.

Cùm igitur constet sanctos laudibus esse celebrandos, duo in hoc opere sunt concionatori maximè obseruanda. Primùm est, vt in sancti laudatione non sit nimius, sed hoc breuiter tantùm, & in fine concionis faciat. Nec dubia, vel vana de eis prædicet, quæ possint sapientum aures offendere. Siquidem quamuis Apostolus se dicat multa in nomine Iesu patrasse prodigia, Lucas tamen, qui in Actibus Apostolorum eius narrat historiam, non recenset ipsius multa miracula. Rom 2. Cor. Simili modo concionator de Sancto pauca referre sit contentus, & quæ vera & explorata habeantur, sintque huiusmodi, quæ populi instructioni conducant, & fidem maximè eius doctrinæ augeant, non autem minuant.

Alterum est, modus quo Sanctum laudare conuenit: is autem est duplex. Primus est, vt trita quædam & vulgaria de aliquo Sancto non proferat, sed peculiaria quædam & propria ipsius merita, quæque in eo maximè excelluerunt, & eum præ reliquis clarum & admirabilem reddiderunt, in medium adducat. Quamuis enim Sancti omnibus fuerint virtutibus in-

signiti,

signiti, singuli tamen in aliqua virtute adeò excellentes & præstanges apparuerunt, vt in ea quasi principatum quemdam tenere visi sint. Itaque singulis Sanctis hoc Sapientis elo-
Eccli. 44. gium mater Ecclesia accommodat: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Quapropter ingeniosus concionator, cùm de aliquo sancto sermonem habere instituit, peculiare aliquod eius excogitet encomium, in quo eum reliquis omnibus præferat. Sic omnium concionatorum perfectissimum exemplar Christus Dominus noster Ioannem Bapti-
Matth. 11. stam hoc ornauit elogio, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, & Cen-
Matth. 8. turionem ita prædicauit: *Non inueni, dicens, tantam fidem in Israel.* Magdalenam item, ad-
Luc. 10. uersus sororem tutatus est. Quapropter si tibi sermonem de S. Ioanno Euãgelista habere con-
Ioan. 13. tingat, dicito eũ Christo fuisse dilectissimum, & in cœna super pectus in Christi amoris præ-
Luc. 1. cipui signũ recubuisse. Si de Ioanne Baptista, eum in ventre matris rationis vsu præditum, &
Act. 9. Spiritu sancto fuisse repletum. Si de S. Paulo, vas electionis eum inter omnes Apostolos designatum, in prædicationis munere primas tenuisse. Si de D. Iacobo, eum Hispaniæ quoddam
Act. 12. præclarum iubar, primúmque inter Apostolos martyrio fuisse coronatum. Si de D. Francisco, in eo post Apostolos maximũ mundi contemptũ eminuisse. Si de D. Antonio, eum virtutibus signísque mirabilibus clarum præ reliquis extitisse. Si de D. Catherina, eam præ reliquis virginibus, post vnam Dei matrem laureolam triplicem martyris, virginis, & doctricis obtinuisse. Si de D. Magdalena, eam inter cæteras maximos doloris sensus ob Deum à se turpiter offensum habuisse. Sic igitur vnusquisque concionator omissis communibus poterit peculiare aliquid in eo Diuo, de quo sermonem habet, prædicare. Quod dum fit, opus non est, ipsius integram vitam enarrare, neque quibus ortus parentibus, & itinerum eius varietates, & cætera huiusmodi exponere. Sufficit enim id quod diximus de eo dicere, & si ad hoc probandum ex vita ipsius aliquid desumendum est, id breuiter succinctéque facere, reliqua vero prætermittere. Quod sanè etiam est intelligendum, dum concio in ea æde sacra habetur, quæ ipsius Diui nomini dedicata est. Neque enim necesse est verbi gratia, in die festo D. Bartholomæi, si in sacra D. Francisci æde concio habeatur, aliquam de D. Bartholomæi vita mentionem facere: sed si in æde D. Bartholomæo sacra concio fiat, tunc demum in fine concionis nonnihil ex vita ipsius ob eius honorem, & ad populi augendam pietatem congruum est delibare.

Alter laudandorum Sanctorum modus est, prius eos laudare, quibus ipsi anteponuntur. Sic Homerus, qui in Iliade Achillem laudandum susceperat, Hectorem qui ab eo superatus est, plurimum reliquis omnibus Græcis Troianísque anteposuit. Sic Apostolus Christi gratiam, & Euangelij prædicationem propbetarum & legis veteris doctrinæ præferre cupiens, prius prophetarũ oracula cõmendat ad Hebrços scribẽs, *Multifariam multisq; modis olim Deus loquẽs*
Heb. 1. *patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Itaq; si verbi gratia, in die D. Petri, sit de eius laudibus babenda concio, prius de omnium Apostolorũ dignitate sermo fiat, vt quòd sint quasi Seraphim militãtis Ecclesiæ, id est, primũ in ea ordinẽ teneãt, quod quicquid [illegible]xerint scripserintue, id pro vero Dei verbo habeatur, & sic de aliis eorũ prærogatiuis agendum est: postquam verò hæc communia fueris persecutus, tunc ad Petri laudes te cõuertens dicito: Audistis quãta sit Apostolorum dignitas & excellentia, nũc quantæ sint ipsius D. Petri (qui caput & princeps Apostolorum fuit) prærogatiuæ attendite. Sic profectò D. Petrum [illegible]gis commendabis, quàm si ipsius cum Simone Mago conflictus, vel miracula toto orbe g[illegible] recitares. Ita si D. Matthiam laudandum susceperis, prius Iosephum illum, qui cogno[illegible]us est Iustus, commendato, & postea ad S. Matthiæ, qui indicio S. Spiritus & Apostolorum suffragio ei est antelatus, laudes referendas te conuertito. Hæc duo exempla concionatori sufficiant, vt ipse deinde suo Marte possit iuxta hanc formulam maxima cum breuitate Sanctorum laudes & merita in eorum solemnitate & ecclesiis, magna cum populi vtilitate [illegible]dicare. Hæc ille.



EVANGELIORVM,

QVÆ TOTO ANNI DECVRSV IN PROPRIIS SANCTORVM FESTIS EORVMQVE VIGILIIS IN *proprio ipsorum Missæ officio leguntur,* *expositiones:*

Variique ad eosdem sanctos pertinentes veterum Ecclesiæ Patrum Sermones.

IN VIGILIA S. ANDREAE APOSTOLI.



IOAN 1.

a Immobilis in culmine perfectionis. b Firmiter eius adhærentes magisterio.



IN illo tempore: [a] stabat Ioannes, & ex discipulis eius [b] duo, &

c Ex dilectione. d In carne venientem. e Discipulis ostendendo. f Quid me sequimini? Illum sequimini, qui est agnus Dei, pretium mundi.

[c] respiciens Iesum [d] ambulantem, [e] dixit: Ecce [f] agnus Dei.

g Intellexerunt. h Sequentes Euangelium legem amiserunt, vitentes eius testimonio, imperio magistri.

Et [g] audierunt eum duo discipuli loquentem & [h] sequuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, videns eos sequentes se dicit eis:

i Dat fiduciam interrogandi magistrum. k Quæcunque vellent. l Hoc nomine fidem suam indicant iam sequitur et magistrum m Latine.

[i] Quid quæritis? Qui [k] dixerunt ei [l] Rabbi (quod dicitur [m] interpretatum

n Nolunt eum transitorie vi, sed certe locum, quo frequenter veniat & secreto instrui.

magister) vbi [n] habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt

o Non est nox vbi est lumen Christus, ad quem postquam venitur, ibi est manendum.

maneret, & apud eum [o] manserunt illo die. Hora autem erat quasi decima. Erat

p Virilis quia constans & fortis. q Obediens.

autem [p] Andreas frater Symonis [q] Petri, vnus ex duobus qui audierãt à Ioanne, & sequuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suum Symonem, & di-

r Hoc verbo innuit, quod diu eum quæsierit. s Hebraicè. t Latinè. v Non dedignatur maior se vel minor [illegible]

cit ei: [r] Inuenimus [s] Messiam, quod est [t] interpretatum Christus. Et [v] [illegible]

x Secreto ordine quo cognita maior nomen [illegible] y Per spiritum obedientiæ. z Id est, columba, scilicet S. Spiritus, ex quo [illegible]

eum ad Iesum. [x] Intuitus autẽ eum Iesus dixit: Tu es [y] Symon filius [z] Ioh[illegible]

a Non nomen ponit nomen sed præfignat. b Id est, post resurrectionem ad gentes. c A Iudæa vbi erat Ioanne [illegible]

tu [a] vocaberis [b] Cæphas, quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit [c] exi-

d Os lampadis.

re in Galilæam, & inuenit [d] Philippum. Et dicit ei Iesus: sequere me. Erat autem

e Venationis domus. f Fratrem suum.

Philippus à [e] Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit [f] Philippus Nathanael & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum

filium

g Et hoc nomen à Prophetis, vt & Maria, quæ non ignorans se virginem dixit: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te, id est, de semine Dauid. h Patriam ponit, vt noscet cum de quo propheta. N. azaræus vocabitur. i Virgultum.

filium g Ioseph à h Nazareth. Et dixit ei i Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit ei Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus

k Id est, sub arbore fici, id est, sub legis litera. l Elegi te. m Ecce eadem vox Nathanaelis & Petri: vnde & Petrus meruit vocari.

vocaret, cùm esses sub k ficu, l vidi te. Respódit ei Nathanael & ait: m Rabbi tu

n Cuius ego miles. o Quòd sub arbore fici venisti ad fidem.

es filius Dei, tu es n Rex Israel. Respondit ei Iesus, & dixit ei: Quia dixi o tibi, vidi

p Quia per illud parum venisti ad fidem, venies ad maiora.

te sub ficu credis, p maius his videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis: vi-

q Hominis.

debitis cælum apertum & angelos Dei descendentes & ascendentes super q filium hominis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.



TABAT *Ioannes, &c.* Typicè. Stat Ioannes, cessat lex, tamen testimonium perhibens Christo ambulat Iesus, id est, gratia hinc inde colligens.
Matth.4. *Sequuti sunt Iesum.* Sequuti sunt, vt eum iam potiùs quam Ioannem audirent: non tamen adhuc ei penitus adhærentes: sed vt videant vbi habitet, vt assiduè ad eum veniant, & ab eo erudiantur. Et postea perfectè sunt secuti, quando eos de naui vocauit. Duo sequuntur: quia qui sequuntur gemina charitate debent accendi. *Conuersus autē Iesus.* Quasi à tergo videtant, sed quasi faciem præbuit illis, dùm de maiestate descendit, vt posset videri: dùm pro vmbra legis, euangelij lucem exhibuit. *Quid quæritis?* Interrogat non ignorans, sed vt mercedem habeant respondentes, quid rem, non personam: quid non quem, ne se videatur ostendere. Illi personam respondent. *Vbi habitas?* Mysticè. Volunt ostendi sibi, in quibus Christus habitet, vt se illis assimilent, vel qui incarnationem vident: piè quærunt ostendi sibi æternam mansionē, quomodo sit apud patrē. *Venite & videte.* Quasi dicat, sermone non potest explicari, sed opere demonstratur? Venite credendo, & operando intelligetis. Venite testimonio Ioannis, & à lege recedite & gratiam recipietis. *Die illo.* Ostendit nouum testamentum, siue præsentem vitam. *Hora autem erat quasi decima.* Quia ex lege veniebant, decalogus ad Christum misit. Hora decima quærunt ab eo doceri: quia non alius docet legem, nisi qui dedit eam. Docet autem cum misericordia, & implentur quæ impleri non poterant. Vel hora decima vesperam mundi indicat. *Frater Symonis Petri.* Frater minor natu prior credit, non enim est ordo fidei inanis. Fortè ad dignitatem Andreas dicitur esse frater Petri, super quem, id est, super cuius fidem fundanda erat ecclesia. *Inuenit hic primum fratrem suum.* Vera pietas, statim inuentum thesaurum, nunciat fratri, vt sicut sanguine, sic & germanus sit in fide. *Inuenimus Messiā.* Christus Græcè, Messias Hebraicè, vnctus Latinè. Verè enim vnctus est a spiritu sancto specialiter, à
Gen.35. qua vnctione Christiani appellamur. Quod Iacob erexit lapidem, post visionē in titulum, quem oleo superfuso vnxit; iam diuinitus per illam petram, futuram petram, scilicet Christum spiritu sancto vngendum figuraliter intellexit: in qua petra sic linita fundari ecclesiam præfigurabat. *Tu es Symon.* Prius dicit nomen quod habet à parentibus, vt significetur mutatio, dùm de Symone Petrum facit. In mutatione autem notatur viuacitas mysterij: sed nec priùs nomen caret virtute. Est enim Symon obediēs filius gratiæ vel columba, dum venit ad Iesum, sequens fratrem: vnde à petra Christo dicitur Petrus, firmus in illo, in figura ecclesiæ, quæ in petra fundatur. *Filius Iohanna*, Iona dicitur & Iohanna indifferenter. Iona columba: Iohanna gratia interpretatur. *In Galilæam.* Galilæa dicitur transmigratio, vel reuelatio. Transmigrat enim homo de vitiis ad virtutes, & post de virtute ad virtutem: & sic fit ei reuelatio, vt videatur Deus deorum in Syon. Vocatn tus ergo di- Psal.83.
scipulum ad sequendum, id est, ad imitandum: exit in Galilæam, ipso loco innuens, vt sicut ipse proficiebat sapientia, & sicut per passiones intrauit in gloriam sic & sequaces. *A Bethsaida.* Non frustra nominatur ciuitas, nec frustra dicitur Philippi, Petri & Andreę. Sonat enim domus venatorum: in quo notatur animus, & officium futurum. Sunt enim venatores in capiendis animabus: vnde Philippus, antequam fieret Apostolus, vocat Nathanaelem. *Inuenit Philippus.* Nathanael peritus in scripturis, intelligit, quod non alij: scilicet à Nazareth singularem exire Nazaræum. Quia autem doctus, non est in Apostolum electus. Omnes enim Apostoli, primum de idiotis electi, vt confundantur sapientes. *Quem scripsit Moyses.* Vt cautus venator, multis rationibus veritatem fratri astruit, scilicet quod Iesus est, qui prænunciatur in lege, & prophetis filius Ioseph, qui est de domo Dauid. *Et dixit ei Nathanael.* Vel dubitando interrogat, vel vt legisperitus affirmat, a ciuitate tanti nominis, posse esse aliquem bonum, vel eximium doctorem, vel summum saluatorem. Dicitur enim Nazareth flos vel germen, munditia, vel sanctitas. Vtrique autem pronunciationi, congruè subditur: Veni & vide. *Ecce verè Israelita.* Dolus, id est, simulatio. Si enim habet peccata confitetur. Nō ergo negat peccatorem, sed in eo laudat confessionē. Pharisæi autem sunt dolosi, qui se bonos prædicant cum sint mali. *Vnde me nosti?* Cognoscens dominum loqui, de sua conscientia, non ex indignatione quærit, sed admirando: vnde & ex qua virtute. *Sub ficu.* Mysticè. Nathanael, id est, donum Dei, est verus populus Israel donum Dei, Genes.3.
qui erat sub ficu abditus, id est, subditus sub consuetudi

ſuetudine peccandi,& vmbra mortis;vt primi parentes ſub fici foliis ſe texerant. Vbi prius viſus eſſet à domino & quæſitus, quam dominum videret & quæreret, & antequam etiam per Apoſtolos vocaret. *Rabbi tu es filius Dei*: Quia cognouit Nathanael, Chriſtum abſentem, quæ ipſe in alio loco geſſerat, id eſt, quomodo & vbi vocatus eſſet à Philippo; quod eſt indicium deitatis; fatetur non ſolùm magiſtrum, ſed & Dei filium, & regem Iſrael, id eſt, Chriſtum, in quo probatur eſſe Iſraelita, vt dicitur, id eſt, videns Deum. *Videbitis cælum.* Nathanael Iſraelita, dicitur viſurus apertum cælum, & angelos Dei deſcendentes & aſcendentes, vt olim patriarcha Iacob, vidit ſcalam, & angelos Dei deſcendentes & aſcendentes, qui per benedictionem vocatus eſt Iſrael. Auguſt. Quod dictum eſt Nathanaeli, modo impletur in Chriſtianis: quia poſtquam homo Deus aſcendit, credentibus in eum aperitur aditus cæli. Et vident angelos, id eſt, prædicatores, ſuper eum aſcendentes, dùm arcana deitatis conſiderant & prædicãt: & deſcendentes, dùm infimis ſe contemperant, & humana de eo prædicant. Et maius eſt cælum aperiri, & vtranque in eo cognoſcere naturam, per angelos, quam viſos, id eſt, præſcitos eſſe, dum eſſent ſub vmbra mortis: Si enim ibi maneret quid profuiſſet ibi videri? *Angelos Dei.* Sæpe hoc miraculum apparuit, quod angeli aſcenderint & deſcenderint ſuper Chriſtum. *Super filium hominis.* Chriſtus ſe dicit eſſe filium hominis, affirmans quod minus eſt, ſcilicet humanitatem: Nathanael & Petrus, filium Dei, quod maius eſt, affirmantes diuinitatem. Ecce confirmatio vtriuſq; naturæ in Chriſto. Iſti confitentes deitatem, merentur aſcendere: ille aſſerens humanitatem, teſtatur ſe ad redimendum veniſſe. Super filium hominis. Confirmat ſe eſſe hominem, ne aliqui errarent, credentes ipſum tantum eſſe Deum; vt etiam Petrus, cum dixit: Abſit à te domine.

Geneſ.28.

Matth.16.

CATENA AVREA
in idem Euang.

STabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantẽ, dixit: Ecce agnus Dei. Chryſ. Quia multis his quæ à principio Ioannes dicebat non attendebant, ſecunda rurſus eos excitat voce. vnde dicitur: *Altera die iterum ſt. Ioan. &c.* Bed. Stabat quidem Ioannes, quia illam virtutum arcem conſcenderat à qua nullis tentationum poſſet improbationibus deijci. Stabant cum illo diſcipuli, quia magiſterium illius corde ſequebantur immobili. Chryſ. Sed quare non totum mundum circuiuit in omni loco Iudææ prædicans eũ, ſed ſtabat circa flumen expectans eum venire & oſtẽdere venientem? quia, ſcilicet per opera Chriſti hoc fieri volebat: vide etiam qualiter hoc maioris ædificationis fuit: quia enim paruam immiſit ſcintillam, repente flamma in altum eleuata eſt. Alter autem etſi circuiens hoc dixiſſet, videretur ex ſtudio quodam humano fieri quæ fiebant, & ſuſpicione plenum eſſe eius præconium: igitur prophetæ quidẽ & Apoſtoli omnes abſentem Chriſtum prædicauerunt: hic quidem ante præſentiam ſecundum carnem, illi verò poſt aſſumptionem. vnde vt oſtendatur quòd non voce ſolum, ſed & oculis eum oſtendebat, ſubditur: *Et reſ. Ieſ. amb. di. Ecce ag. Dei.* Theoph. Reſpiciens (inquit) quaſi oculis innuens gratiam & admirationem quam habebat in Chriſto. Auguſt. Ioannes quidem amicus ſponſi erat; non quærebat gloriam ſuam, ſed teſtimonium perhibebat veritati. Non enim voluit apud ſe remanere diſcipulus ſuos, vt non ſequerentur dominum, ſed magis oſtendit quem ſequerentur dicens: *Ecce agnus Dei.* Chryſoſt. Non longum facit ſermonem, quoniam vnum ſolum in ſtudio habebat, adducere eos & coniungere Chriſto, ſciebat enim quoniam de reliquo non indigerent eo teſtante. Non autem ſingulariter diſcipulis loquitur de his Ioannes, ſed eis publicè cum omnibus: quia ex communi doctrina ſuſcipientes ſequelam Chriſti, firmi de reliquo permanſerunt, nõ propter gratiam Chriſti ſequentes, ſed propter ſuum lucrum: & non facit ſermonem ſuum deprecatiuum, ſed admiratur ſolum præſentem, & demonſtrat eis precationem propter quam venit: & modum præparationis. Agnus enim vtrunque inſinuat: & dicit agnus cum articuli adiectione, excellentiam eius oſtendens. Auguſt. Iſte enim ſingulariter dicitur agnus ſolus ſine macula, ſine peccato, non cuius maculæ abſterſæ ſunt, ſed cuius macula nulla fuerit. Singulariter hic eſt agnus Dei, quia ſingulariter huius agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt. Hic eſt agnus quem lupi timent, qui leonem occiſus occidit. Bed. Ideo etiam agnum vocat, quia dona ſui velleris ſponte largiturum, ex quo veſtem nobis nuptialem facere poſſumus, id eſt, exẽpla viuendi nobis relicturũ prævidit, quibus in dilectione calefieri debe'emus. Alcuinus. Myſticè autem, ſtat Ioannes, ceſſat lex, & venit Ieſus, id eſt gratia euangelij, cui ipſa lex perhibet teſtimonium. Ambulabat Ieſus diſcipulos collecturus. Bed. Ambulatio etiam Ieſu diſpenſationem incarnationis, qua ad nos venire ac nobis exempla viuendi præbere dignatus eſt, inſinuat. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum, &c.* Alcuinus. Ioanne perhibente teſtimoniũ quia Ieſus eſſet agnus Dei, diſcipuli qui priùs erant cum Ioanne, magiſtri imperium implentes, ſecuti ſunt Ieſum. vnde dicitur: *Et audierunt eum duo, &c.* Chryſoſt. Conſidera autem quia quando dixit, Poſt me veniens ante me eſt: & quoniam non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, nullum cepit. Sed quando de diſpenſatione locutus & ad humilius ſermonem duxit, dicens, Ecce agnus Dei: tunc ſecuti ſunt eum diſcipuli. Multi enim non ita adducũtur, cum aliquid magnum & excelſum de Deo dicatur, ſicut cum benignum & amicum hominem audiunt, & aliquid ad ſalutem hominum pertinens. Conſiderandum autem quod Ioannes dicit. Ecce agnus Dei: & Chriſtus nihil loquitur. Nam & ſponſus cum ſilentio adeſt, alij eum inducunt & ſponſam in manu eius ponunt, quam cum acceperit de ea diſponit: ita Chriſtus venit copulaturus ſibi eccleſiam nihil ipſe dixit, ſed acceſſit ſolũ amicus eius Ioannes dexteram ei ſponſæ impoſuit per ſermones ſuos, animas hominum in manus ei ponens: quos accipiens ita diſpoſuit vt vltra ad Ioannem non redirent. Sed aliud hic obſeruandum eſt: ſicut enim in nuptiis non puella ad ſponſum vadit, ſed ipſe ad eam feſtinat, ita hîc cõtingit. Non enim in cælum aſcendit hominum natura, ſed ad eam filius Dei acceſſit, & ad domum duxit paternam.

Geneſ.3.

Et quidem alij discipuli Ioannis erant, qui non solùm non secuti sunt, sed & zalotypè ad Christum dispositi erant: qui autem meliores erant, simul audierunt, & secuti sunt: non quasi magistrum priorem contemnentes, sed ab eo persuasi promittente quòd baptizaret in spiritu sancto Christus: & vide discipulorum studium cum verecundia fieri. Neque enim mox ascendentes interrogauerũt Iesum de necessarijs & maximis rebus, neq; publicè, sed singulariter ei loqui studuerũt. Vnde sequitur: *Conuersus autẽ Iesus & videns eos sequentes, dicit eis: quid quæritis?* Hinc erudimur quia cùm nos bene velle incœperimus, tunc Deus dat nobis multas salutis occasiones. Interrogat autem non vt discat, sed vt per interrogationem magis eos familiares faciat, & ampliorem fiduciam det, vt ostendat eos auditione dignos. Theo. Vide autem quod sequentibus se Dominus conuertit faciem, & respexit: quia nisi per bonam operationem ipsum secutus fueris, ad visionem faciei eius nũquam pertinges, neque ad domum eius poteris peruenire. Alcu. Ergo illi discipuli tergum ipsius sequebantur vt viderent, & faciem Domini videre non poterãt: ideo conuertit se, & quodammodo de sua maiestate descendit, vt possint faciem discipuli illius contemplari. Orig. Fortè autem non frustra post sextum testimonium desinit Ioannes eos contestari, & Iesus secundum septimum dicit. *Quid quæritis.* Chry. Sed illi non solùm sequendo, sed interrogando amorem suum, & Christum manifestauerunt: vnde sequitur: *Qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur interpretatum magister) vbi habitas?* Nondum ab eo aliquid discentes, magistrum eum vocant ad discipulatum se impellentes, & causam ostendentes propter quid sequebantur. Orig. Congrua verò prouectis ex Ioannis testimonio prolatio, depromens Christum doctorem, ac exprimens desiderare habitaculum filij Dei contueri. Alcu. Nolunt enim transitoriè vti eius magisterio, sed inquirunt vbi maneat: vt & tunc in secreto verbis illius imbui, & exinde sæpiùs possent eum visitare, & pleniùs instrui. Mysticè autem volunt sibi ostendi in quibus Christus habitet, vt eorũ exemplo se tales exhibeant in quibus velit habitare: vel quòd Iesum ambulantem vident & statim vbi maneat, quærunt, nos monet vt cum incarnationem eius ad mentem reducimus, sollicito corde eum rogemus, vt mansionem æternæ habitaculi nobis ostendat: vnde quia videt bene petentes, liberè eis sua reserat arcana: vnde sequitur: *Dicit eis, venite & videte,* quasi dicat, habitaculũ meum explicari non potest sermone, sed opere demonstratur: venite ergo credendo & operando, & videte intelligendo. Orig. Vel per hoc quod dicit, Venite, ad actionem inuitat: per hoc autem quòd dicit, Videte, ad contemplationem. Chryso. Christus autem non dicit eis signa domus neque locum, sed attrahit eos ad sequendum. Non dixit, Non est tempus nunc, audietis cras, si quid vultis dicere: sed vt ad amicos & familiares loquitur, qualiter alibi ait; Filius hominis non habet vbi caput reclinet: hic autem dicit; Venite & videte vbi habito. Sed per hoc quod dixit; Non habet vbi caput suum reclinet, demonstrauit quòd habitaculum proprium non habebat, non quod in domo non maneret: sequitur enim: *Venerunt & vide. &c.* Cuius autem gratia manserunt, non adiungit euangelista: quia manifestum erat quod propter doctrinam. Aug. Quàm beatum autem diem duxerunt, quam beatam noctem? Ædificemus ergo & nosmetipsi in corde nostro & faciamus domum, quò veniat ille & doceat nos. Theo. Non frustra autem & tempus notauit euãgelista, cum subdit: Hora autem erat quasi decima: vt tam doctores quàm discipulos erudiret, quod doctrina propter tempus non est prætermittenda. Chrys. Multum enim studium demonstrabant ad audiendum in eo, quia neque ab hora auersi sunt, cum sol esset ad occasum: & multis quidem carni seruientibus tempus quod est post escas, non est aptum ad quippiam necessariorum, eo quòd corpus escis grauatur, Ioannes verò, cuius isti erant discipuli non erat talis: sed cum multò maiori sobrietate vespere degens, quàm nos mane. Aug. Numerus etiam iste legem significat, quia in decem præceptis data est lex. Venerat autem tempus vt impleretur lex per dilectionem, quæ à Iudæis impleri non poterat per timorem: vnde & decima hora Dominus audiuit, Rabbi. Magister enim legis non est nisi dator legis. Sequitur: *Erat autem Andreas, &c.* Chry. Cuius autem gratia alterius nomen non ponitur? quidam dicunt propterea quia hic qui scribit, est qui secutus est eum. Quidam verò dicunt quòd ille alius non insignis erat: quæ igitur vtilitas fuit didicere nos nomen illius? neque enim septuaginta duorum discipulorum nomina euangelista posuit. Alcu. Vel duo discipuli qui secuti sunt Iesum, fuint Andreas & Philippus. *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus.* Chrys. Andreas quæ à Iesu didicit, non detinuit apud seipsum, sed festinat & currit citò ad fratrem, traditurus ei bona quæ susceperat: vnde sequitur: Inuenit hic primum fra. suum Simonem, &c. Be. Hoc est enim verè Dominum inuenire, vera illius dilectione feruere, fraternæ quoque salutis curam gerere. Chrysost. Et quidem non dixerat euangelista quæ Christus fuerat sequentibus se locutus: sed ex his quæ hic dicuntur licet addiscere. Quæcunque enim Andreas didicit, in breui ostendit magistri virtutem, quæ persuaserat eis, & eorum desiderium quod priùs habuerant repræsentans: hoc enim verbum, inuenimus, est parturientis pressuram propter absentiam, & exultantis, postquam apparuit quod expectabatur. Aug. Messias autẽ Hebraicè, & Græcè Christus, Latinè vnctus dicitur. Chrisma enim vnctio est: ille autem singulariter vnctus est: vnde omnes Christiani vngũtur, secundũ quòd in psalmo dicitur: Vnxit te Deus tuus oleo exultationis Psal. 44.
per participibus tuis. Participes enim eius sunt omnes sancti: sed ille est singulariter sanctus & singulariter vnctus. Chry. Et ideo non dixit Messiam simpliciter, sed cum adiectione articuli, Considera verò ex ipso principio obedientem Petri mentem: confestim enim eucurrit nihil tardans: vnde sequitur: *Et adduxit eum ad Iesum.* Sed nullus facilitatem ei imponat, si non prius multa perquirens ita sermonem suscepit. Conueniens enim est & fratrem diligentiùs ei dixisse hoc, & per longa verba: sed euangelistæ vbique multa intermittunt, breuiloquij curam habentes. Aliter autem namque dictum est, quoniam credidit simpliciter, sed quoniã duxit eum ad Iesum, illum ei de

de quo diu erat traditurus, vt omnia ab illo disceat. Ipse autem Dominus incipit reuelare ea quæ deitatis sunt, & paulatim ea aperire prædicationibus. Non enim minus quàm signa prophetiæ adducunt, hoc enim est maximè opus Dei: quod neque imitari dæmones possunt. Nam in miraculis quidem & phātasia fit vtrique. Futura autem prædicere cum certitudine, illius solius incorruptibilis est naturæ: vnde sequitur: *Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Ioanna. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Beda. Intuitus autem est eum non exterioribus oculis solùm, sed & æterno diuinitatis intuitu vidit cordis eius simplicitatem, animi sublimitatem, cuius merito cunctæ esset præferendus ecclesiæ. Neque autem in Petri vocabulo quasi Hebræo vel Syrio aliam interpretationem quærere oportet: quia idem est Græcè & Latinè Petrus, quod Syriacè Cęphas, & in vtraque lingua nomen à petra deriuatur. Vocatur autem Petrus ob infirmitatem fidei, qua illi petræ adhæsit, de qua Apostol. ait: Petra autem erat Christus, qui sperātes in se ab hostis insidiis reddit tutos, & spiritualium charismatum fluenta ministrat. Aug. Non est autem magnum, quia Dominus dixit cuius esset iste: omnia enim sanctorum suorum sciebat, quos autem constitutionem mundi prædestinauit. Illud autem magnum, quia mutauit ei nomē & fecit de Simone Petrum, Petrus autem à petra, petra verò ecclesia, ergo in Petri nomine figurata est ecclesia. Et quis securus est nisi, qui ædificat supra petram? Interim autem te fecit Dominus: nam si antea Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ, & putares casu eū sic vocari, nō prouidētia Dei. Ideo eum voluit aliud priùs vocari, vt ea ipsa commutatione nominis, sacramenti viuacitas commendaretur. Chrys. Ideo etiam nomen mutauit, vt ostendat quia ipse est qui vetus testamentum dedit, & nomina trāsmutauit, quia Abram, Abraham vocauit, & Sarai, Saram, & Iacob, Israëlem. Igitur multis quidem & à natiuitate nomina imposuit, & Isaac & Samson: aliis autem post eam quæ à progenitoribus est nuncupationem, vt Petro & filiis Zebedæi: nam quibus quidem à prima ætate debebat virtus clarescere, ex tunc nomina susceperunt: quibus autem posteà debebat augeri, posteà nuncupatio posita est. August. de concor. euang. Non autem parua repugnantia potest putari, si iuxta Iordanem antequam Iesus isset in Galilæam, ad testimonium Ioannis Baptistæ secuti sunt eum duo, quorum vnus erat Andreas qui fratrem suum Simonem adduxit ad Iesum, quando & nomen, vt Petrus nominaretur accepit, cum ab aliis Euangelistis dicatur, quòd eos in Galilæa piscantes inuenerit, atque ad discipulatum vocauerit: nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse Dominum iuxta Iordanem, vt ei iam inseparabilem inhærerent, sed tantū cognouisse quis esset, eúmque miratos ad propria remeasse. Non autem quis arbitretur quòd tunc Petrus nomen accepit, vbi ait illi Dominus: tu es
Matth. 16. Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: sed vbi commemoratur ei dictum esse; Tu vocaberis Cæphas, quod interpretatur Petrus. Alcui. Vel aliter. Nondum imponit ei nomen, sed præsignat quod posteà fuit ei impositum, quando dixit ei Iesus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Mutaturus autem nomen Christus, voluit ostendere etiam nomen illud, quod à parētibus datum erat, non carere virtutis significatione: Simon enim obediēs interpretatur: Iohāna, gratia: Iona, columba, quasi dicat. Tu es obediens, filius gratiæ, vel filius columbæ, id est, spiritus sancti, quia humilitatem de spiritu sancto accepisti, vt vocante Andrea videre me desiderares. Non enim dedignatus est maior minorem sequi, quia non est ordo ætatis, vbi est meritum fidei. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus, Sequere me, &c.* Chrys. Postquam accepit Christus hos discipulos venit de reliquo ad alios conuertendum, scilicet Philippum & Nathanaëlem: vnde dicitur, In crastinum autē voluit exire in Galilæam. Alcui. A Iudæa, scilicet vbi erat Ioannes baptizans, deferens honorem Baptistæ, ne videatur magisterium eius minuere, dum adhuc statum habet. Vocaturus etiam discipulum ad sequendum voluit exire in Galilæam, id est, transmigrationem factam vel reuelationē: vt sicut ipse proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines, & sicut passus est & resurrexit, & ita intrauit in gloriam suam: sic etiam suos sequaces ostenderet & exire & proficere in virtutibus, & per passiones ad gaudia trāsmigrare debere. Vnde sequitur: *Et inuenit Philippum, &c.* Sequitur qui imitatur humilitatem & passionem eius, vt sit socius resurrectionis & ascensionis. Chrys. Et vide quòd antequam aliquis ei adhæreret, nullū vocauit: nam si quidem nullo iam sponte adueniente attraxisset, fortassis resiliissent, nunc autem à seipsis eligentes sequi dominum, firmi de reliquo permanserunt. Philippum autē vocat magis notum ei existentem, quia in Galilæa nutritus erat. Sed vnde Philippus secutus est Christum? Nam Andreas quidem audiens à Ioanne Baptista, Petrus autem ab Andrea: hic autem à nullo aliquid discens, solum dicente Christo ad eum sequere me, confestim persuasus est. Conueniens est autem Philippum à Ioanne audientem sequi Christum, vel etiam vocem Christi hoc operatā esse. Theop. Non enim simpliciter omnibus vox Christi dicebatur, sed fideliū interiora ad eius inflammabat amorem: deinde quia in corde Philippi de Christo cogitatio inerat, & in libris Moysi assidua lectio, vt expectaret Christum, statim cùm vidit credidit. Fortè autem ab Andrea & Petro de Christo aliquid didicit, quia ex eadem patria erant: quod Euangelista videtur innuere per hoc quod subdit: *Erat autem Philippus, &c.* Chrysost. Christus etiā hinc suam virtutem ostendit, quòd à terra nullum ferente fructum (nam à Galilæa Propheta non surgit) inclytos discipulorum elegit. Alcui. Bethsaida etiam domus venatorum interpretatur, quo nomine ciuitatis curauit Euāgelista ostendere, quales tunc iam animo erant Philippus, Petrus, Andreas: & quales officio erāt futuri, id est, capiendis ad vitam animabus intenti. Chrys. Non solùm autem Philippus à Christo persuasus est, sed præco aliis fit. Vnde sequitur: *Inuenit: Philippus Nathanaël, & dicit: Quem scripsit Moyses in lege, &c.* Vide qualiter solicitam mentem habebat, & continuè meditabatur quæ sunt Moysi, & expectabat aduentum Christi, & quidē quòd Christus debebat venire nouerat priùs: quoniam autem hic Christus erat ignorabat. Dicit autē: Quem scripsit Moyses & Prophetæ, cre-

dibilem faciens suam prædicationem: & ex hinc persuadens auditorem quòd circa legem & prophetas solicitus erat, & omnia perscrutans cum veritate, vt & Christus testatus est. Si verò dicit filium Ioseph, ne turberis: eius enim filius æstimabatur esse. Aug. Cui scilicet desponsata erat mater eius: nam quòd ea intacta conceptus & natus sit, benè nouerunt ex Euangelio omnes Christiani: addit autem & locum, *A Nazareth*. Theop. Non quia ïu eo natus erat, sed nutritus. Generatio enim eius multis erat incognita, sed quòd in Nazareth esset nutritus, cognitum erat. *Et dixit ei Nathanaël, à Nazareth potest aliquid boni esse?* Aug. Ambas pronunciationes potest consequens vox Philippi sequi: siue sic pronuncies, tanquam confirmans. A Nazareth potest aliquid boni esse? & ille dicat; Veni & vide: siue sicut dubitans & totum interrogans. A Nazareth potest aliquid boni esse? Veni & vide. Cùm verò siue illo modo siue isto pronuncietur, non repugnant verba sequentia. Nostrum est quærere quid potiùs intelligamus in his verbis: Nathanaël enim doctissimus legis eùm audisset Philippum dicentem; Inuenimus Iesum audito à Nazareth, erectus est in spem, & dixit; A Nazareth potest aliquid boni esse? Scrutatus enim erat scripturas, & sciebat quòd non facile alij Scribæ & Pharisæi nouerāt, quia inde erat expectandus saluator. Alcui. Qui singulariter sanctus erit, innocens, impollutus, de
Esa. 9. quo Propheta: Exibit virga de radice Iesse, & Nazaræus, id est, flos de radice eius ascendet: vel potest hic versiculus sub dubitatione interrogatiuè proferri. Audierat enim Nathanaël à scripturis quòd à Bethlehem oporteret Christum venire,
Matth. 5. secundum illud, Et tu Bethlehem terra Iuda, ex te exibit dux qui regat populum meum Israel. Cùm igitur audiuit, à Nazareth, dubitauit, non inueniens conuenire enunciationem Philippi cū prophetica prædicatione. Nazaræum autem vocant Prophetæ ab educatione & conuersatione. Considera verò eius inquirendo prudentiam & mansuetudinē: Non enim dixit, Decipis me Philippe, sed interrogat, dicens: A Nazareth potest aliquid boni esse? Valde autem & Philippus prudens erat. Non enim interrogatus frangitur, sed immoratur, virum volens ducere ad Christum. Vnde sequitur: *Dicit ei Philippus, veni & vide.* Trahit quidem eum ad Christum, sciens de reliquo eum non contradicturum, si verba & doctrinam illius gustauerit. *Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Chrys. Nathanaël non suscipiendo ex Nazareth Christum, eam quæ illi erat circa scripturas diligentiam ostēdit. In non respuendo verò eum qui annūciauerat, multum desiderium quod habebat circa Christi præsentiam monstrauit. Sciebat enim quòd poterat Philippus circa locū falli. Vnde sequitur: *Vidit Iesus Nathanaël, &c.* Nequaquam enim eum accusare oportebat, licet verba non credentis protulerit, magis inuestigans prophetias quàm Philippus. Dicit autem verè Israëlita in quo dolus non est, quia nihil ad gratiā vel odium loquebatur. August. Vel aliter: Quid est in quo dolus non est? fortè non habebat peccatum, fortè illi medicus non erat necessarius? Absit. Nemo sic natus est, vt medico illo non egeret. Dolus enim est cum aliud agitur, & aliud fingitur. Quomodo ergo in illo dolus non erat si peccator est? fatetur se peccatorem. Si enim peccator est, & iustum se dicit, dolus est in ore ipsius: ergo in Nathanaële confessionem peccati laudauit non indicauit non esse peccatorem. Theoph. Sed Nathanaël laudatus non acquieuit extemplò, sed expectauit, adhuc volens aliquid manifestiùs dicere, & interrogat. Sequitur enim: *Dicit ei Nathanaël: vnde me nosti?* Chrys. Ipse quidem igitur vt homo inuestigat, Iesus autem vt Deus respondebat. Sequitur enim: *Respondit Iesus, & dixit ei; Priusquam te, &c.* Non vt homo eum intuens, sed vt Deus desuper cognoscens. Vidi inquit te, id est, morum tuorum mansuetudinem. Dicit autem: *Cum esses sub ficu*, quoniam nullus ibi erat, sed solus Philippus & Nathanaël singulariter loquebantur, & propter hoc dictum est quòd vidēs eum à longè dixit: Ecce verè Israëlita: vt scires quoniam antequam appropinquaret Philippus, hæc loquebatur Christus, & insuspicabile fiat Christi testimonium. Noluit autem Christus dicere, Non sum ex Nazareth, vt annunciauit tibi Philippus, sed ex Bethlehem, vt non faceret altercabilem sermonem, neque per hoc dedisset argumentum sufficiens quòd ipse esset Christus, sed ostendit se Christum per hoc quod præsens erat loquentibus illis. August. Quærendum est enim an aliquid significet arbor fici. Inuenimus arborem fici maledictā, quia sola folia habuit & fructu caruit. In origine humani generis Adam & Eua cum peccauissent, de foliis ficus succinctoria sibi fecerunt. Folia ergo ficulneæ intelliguntur peccata. Erat autem Nathanaël sub arbore fici, tanquam sub vmbra mortis: ac si dominus ei dicat: O Israel siue dolo quisquis es. O popule, Iudæus ex fide, antequam te per Apostolos meos vocarem, & cum esses sub vmbra mortis, & me non videres, ego te vidi. Greg. 18. moral. vel cum esses sub ficu vidi, id est, positum in sub vmbra legis elegi. Aug. de verb. dom. Recordatus est autem Nathanaël se fuisse sub ficu: vbi non erat Iesus præsentia corporali, sed scientia spiritali: & quia sciebat se solum fuisse sub ficu agnouit in illo diuinitatem. Chrys. Sic ergo ab hac prædicatione, & ab eo quod mentem scrutatus est eius, & quia cum aduersus eum dicere videretur non culpauit, sed laudauit, cognouit quoniam verè est Christus. Vnde sequitur: *Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, Tu es filius Dei, &c.* Quasi dicat: Tu es qui expectabaris, tu es qui quærebaris: quia enim argumentum inalterabile suscepit, venit ad confessionem, & in mora priori diligentiā ostendens, & in posteriori confessione deuotionem. Multi autem legentium sermonem hunc anxiantur. Petrus enim qui post miracula & doctrinā est confessus: quoniam filius est Dei beatificatur, vt à patre reuelationem iam suscipiens: Nathanaël autem ante signa & doctrinam, hoc dicens, nihil tale audiuit. Est igitur huius causa: quoniam verba quidem eadem locutus est Petrus & Nathanaël, non autem eadem mente: sed Petrus quidem confessus est filium Dei, vt verum Deum, hic autem hominem nudum, dicens ei: Tu es filius Dei: induxit, Tu es rex Israel. Dei autem filius nō Israëlitis est rex solùm, sed & orbis terrarum vniuersi. Psal. 2.
Hoc etiam manifestum est ex his quæ consequūtur: nam Petro nihil posteà addidit Christus, sed quasi perfecta eius existente fide ecclesiam se dixit in confessione illius fabricaturum esse. Nathanaël

naël autem quasi mulla parte & maioris confessionis deficiente ad maiora reducitur: nam sequitur: *Et dixit ei, quia dixi tibi, &c.* quasi dicat, Magnum tibi visum est hoc esse quod dixi, & propterea me regem Israelis confessus es: quid igitur dices eum maius videbis? & quid sit istud maius ostendit subdens, & dicit eis: *Amen dico vo. videbitis aper. & angel. Dei ascen. & descen. super filium hominis.* Vide qualiter paulatim eum à terra abducit, & facit quod non vltra æstimet Christum esse hominem solùm: cui enim angeli ministrant, qualiter hic homo purus esset: per hoc igitur suadet angelorum se esse dominatorem. Sicut enim in proprium regis filium descenderunt & ascenderunt in eum ministri regales: hoc quidem in tempore crucis, hoc verò in tempore resurrectionis & ascensionis: sed & ante hoc quando accesserunt & ministrabant ei, & quando euangelizabant eius natiuitatem. Futurum verò à præterito probauit: qui enim in præteritis virtutem eius agnouerat, & de futuris audiens faciliùs suscepit. Aug. de ver. Do. Recolamus autem veterem historiam quando Iacob in somnis vidit scalam à terra pertingentem vsque in cælum, & Dominus incumbebat super eam, & angeli ascendebant & descendebant per eam. Denique ipse Iacob quia intellexit quid viderit, posuit lapidem & fudit oleum, dùm vnxit lapidem Iacob, nunquid idolum fecit? significat, non adorauit: agnoscitis chrisma agnoscite & Christum. Ipse est lapis quem reprobauerunt ædificantes: si ergo Iacob vidit scalam qui est Israel appellatus, & Nathanaël iste verè Israelita erat, conuenienter somnium Iacob Dominus dixit ei, quasi dicat, cuius nomine te appellaui, ipsius somnium in te apparuit. Videbis enim cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis: Si autem ad illum descendunt & ad illum ascendunt, & sursum est & hic est sursum in se, deorsum in suis. Aug. super Ioan. Sunt angeli Dei boni prædicatores prædicantes Christum hoc est super filium hominis ascendũt: sicut Paulus qui ascenderat vsque ad tertium cælum, descendit vsque ad lac potum paruulis dandum. Dixit autem, *Maius his videbis*: quia plus est quòd nos Dominus vocatos iustificauit, quam quod vidit iacẽtes sub vmbra mortis. Quid enim nobis proderat si ibi mansissemus: vbi nos vidit? Quæritur autem quare Nathanaël cui tantum testimonium perhibuit filius Dei: inter 12. apostolos non inuenitur? Intelligere autem debemus ipsum eruditum fuisse & peritum legis, propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere: quia idiotas elegit, vnde confunderet mundum. Volens enim superborum frangere ceruices, non quæsiuit per orationem piscatorem, sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed priùs Petrus piscator, per quem postea crederet non tantùm orator sed etiam imperator.

Psal.117.

2.Cor.12.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantinop. in idem Euang. Homil. 1.

Est Hom. 17. in Ioan. Matth.3.

STabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c. Pigra quodammodo humana vita est & ad perditionem procliuis, nõ propter naturæ suæ opificium sed propter voluntatis desidiam. Quamobrem sæpius admonendum: Vnde Paulus, hæc scribere mihi quidem non graue, vobis antè tutum. Terra enim semel accepto semine mox profert fructus, neque indiget altera satione. In anima nostra ita vsu venit, sed frequenter & summa cum diligentia in ea serendum est, vt semel saltem fructum accipiat: primùm enim non facilè incidunt, & imprimuntur animo verba Dei: quoniam multa sequitur difficultas: multis obruitur spinis anima, multi adsunt insidiatores semina diripientes. Deinde cùm germinãt, & radices agunt semina, iterum indigent diligentia, vt ad maturitatem perueniant: & cùm peruenerint, vt integra perstent, & à nemine lædantur. In seminibus enim quum è vagina spica erumpit, & rubiginem, & cætera noxia facilè contemnit. In doctrina autem perfectum opus nonnũquam aliqua incumbens tempestas & fluctus perdidit, idque & rerum difficultate, & hominũ qui sciunt & volunt lædere fraudibus, variisque aliis tentationibus penitus labefactatur. Hęc autem non temerè vobis dicta sunt, sed vt quoties idem Ioannem repetentem audieris, nolis tanquam nugatorem contemnere, neq; superfluum, & molestum arbitrari. Voluit enim semel audiri, sed cùm nõ multi eius verbis à principio nimio somno oscitantes vacauerint, iterum eos excitat. Considera autem eius verba, inquit enim; Qui post me venit, ante me factus est. Et item: Non sum dignus soluere eius corrigiam calceamenti, & iterum: Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igne. Quódque spiritus visus est descendens, quasi columba super eum: & quòd testimonium perhibuit, quoniam hic est filius Dei: nemo verbis attendit, nemo rogauit eum, pro quo, & qua ratione id diceret. Dixit pręterea: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: neq; hoc vlla eos admiratione affecit, idcirco repetere cogitur, tanquam duram quandam, & immitem terram nouali frequenter molliens & sermone tanquam aratro subactam mentem excitans hoc pacto semina altè deiicit. Propterea non longiori vsus est oratione, quoniam vnum tantum curabat, vt Christo omnium animos coniungeret. Norat enim si hoc reciperent, non amplius testimonio alicuius indigere, vt factum est. Nam si Samaritani audito Christi sermone dicunt mulieri. Non iam propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè saluator mundi: longe magis discipuli id fecissent effeceruntque. Nam cum abeuntes vno tantum vespero Christum audissent, non amplius reuersi sunt vt & Ioanni ministrarent, & eius audirent prædicationem. Inuenit enim hic primùm, inquit, fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Intuere hoc etiam loco, quod neque cùm dixit: Post me venturus est, qui ante me factus est: neque cùm dixit Non sum dignus soluere eius corrigiam calceamenti, quenquam lucratus est. Verùm cùm de Christi generatione verba habere, & in humiliorem sermonem descendere cœpit, tũc secuti sunt discipuli. Vnde animaduertendum est, quod non tam multi ad Christum sectandum adducuntur, quando magnum aliquid, & altum de Deo dicitur, sicut quum ad humiliora, & ad auditorum salutem accommodatiora descenditur.

Heb.6.

Ioan.4.

Messias.

Audierunt igitur à Ioanne quòd tollit peccata mundi,& è veſtigio ad eum properarunt. Nam ſi peccata abluere, & ſine labore noſtro his nos liberare poteſt,cur tantam rejicimus gratiam? Audiant catechumeni,& qui ad vltimum vſque ſpiritum propriam contemnunt ſalutem. Iterum inſtat Ioannes:Ecce agnus Dei. Nihil Chriſtus, ſed ille omnia loquitur:ita & ſponſus,nihil ad ſponſam primò loquitur, ſed ſilet. Alij ipſum oſtendunt,alij ſponſam accipiunt, cui tantum mõſtratur, neque à ſeipſo eam, ſed alio tradente accipit ſponſus:cùm verò traditam acceperit, ita ei afficitur, vt minimè amplius deſpondentium reminiſcatur. Ita Chriſtus venit, vt eccleſiam componeret, nullum ipſe verbum fecit, tantum præſto fuit amicus eius Ioannes, dexteram impoſuit ſponſæ, ipſe verba habuit, & hominum animas Chriſto tradidit,quibus acceptis ita formauit, vt non amplius ad Ioannem eſſet redeundum. Aliud præterea animaduertendum eſt, quod quemadmodum in nuptiis, non ſponſa ſpõſum petit,ſed contrà, etiam ſi regis filius vilem ancillam duceret:Ita nunc non in cælum humana aſcendit natura, ſed ipſe Deus ad hanc deſcendit, quamuis humilem,quamuis contemptam. Re autem perfecta non permiſit eam amplius hic immorari, ſed ad patriam domum ſuſtulit. Sed quanam gratia non ſeorſum ſuis conuocatis diſcipulis Ioannes hæc cũ his loquitur, & ita eos Chriſto commendabat, ſed omnibus præſentibus inquit ad eos; Ecce agnus Dei? Ne videretur id ex compoſito feciſſe. Nam ſi ipſius hortatu, & tanquam gratiam ei haberent, Chriſtum petiiſſent, reſiliſſent fortaſſe: nunc autem ex communi doctrina eum ſecuti, firmique perſtiterunt diſcipuli, non magiſtri gratiam, ſed propriam tantum ſpectantes vtilitatẽ. Prophetæ & Apoſtoli omnes abſentem Chriſtum prędicauerunt,illi quidem antè, hi verò poſt acceptam carnem, Ioannes autem ſolus præſentem. Quare amicum ipſum ſponſi appellat? Affuit enim ſolus nuptiis,omnia fecit,omnia ad finem perduxit; ipſe rem orſus eſt, & viſo Ieſu ambulante inquit: Ecce agnus Dei. Neque voce tantùm, ſed & oculis Chriſtum teſtatus eſt, & admiratus,& incredibili gaudio exultauit. Neque tam exhortatur,ſed admiratur,& obſtupeſcit præſentem, & Dei donum, quod annunciaturus venerat,& purgationis modũ manifeſtat. Agnus enim vtrunque ſignificat. Neque dixit,qui tollet aut tulit,ſed tollit peccata mundi, vt quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cùm paſſus eſt, ſolùm noſtra abſtulit peccata, ſed ex illo hactenus tollit. Non ſemper crucifigitur. Vnum nanque pro peccatis noſtris tulit ſacrificium, ſed ſemper per illud nos purgat. Quemadmodũ igitur cùm verbum dixit,& filium,vtrunque præ cęteris eximium intellexit:ita & agnus,& propheta, & lux vera, & paſtor bonus, & alia quæ ab eo articuli adiectione dicta ſunt, præcipuum quiddam, & cæteris præſtantius demonſtrant. Etenim & agni,& prophetæ,& filij multi ſunt,ſed hic longè præſtat. Neque articulo ſolo, ſed vnigeniti quoque adiectione hoc confirmat. Nihil enim cum creatura communicat. Quod ſi cui non idoneo tempore, hora videlicet decima, hæc dicta viderentur(hora enim,inquit,quaſi decima erat)multum mea ſententia fallitur. Mundi nanq; hominibus, carniſque voluptatibus deditis, ad tempus

Sacrificium Chriſti cruẽtum vnicum, ſed per illud nos purgat ſemper.

non admodum commodum eſt ad aliquid ſeriò peragendum, eò quod mens cibo ingraueſcit: Ioannes autem etiam veſperi tam ſobrius erat, quàm nos ſub aurora,imò longè magis. Nam ſæpenumero veſpertini cibi reliquiæ animi ſolertiam mane etiam hebetant: ille autem nullo huiuſmodi onere premebatur. Non igitur immeritò ſub veſperum hunc ſermonem habuit. Propterea in deſerto conuerſabatur iuxta Iordanem, quò omnes ſummo feruore ad baptiſma concurrebant parum ſecularia curantes, & vt Chriſtum ſectarentur, triduò cibis omnibus abſtinebant. Hoc enim ſtudioſi præconis,& diligentis agricolæ officium eſt, vt non prius ab opere deſiſtant, quàm quod intendunt, effecerint. Sed quid tandem non vniuerſam Iudæam Chriſtum annunciando peragrauit? Quid iuxta Iordanem tantum immoratus venientem expectauit, quem oſtenderet? Quoniam per opera id fieri volebat, id curabat, vt Chriſtus naſceretur, & perſuaderet, vt vitam æternam audirent. Illi maius, operum ſcilicet, reliquit teſtimonium, quemadmodum ipſe inquit. Ego ab homine non accipio teſtimonium opera quæ dedit mihi pater, hæc ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Vide quanto hoc clarius ſit. Cùm enim ſcintillam paruam excitaſſet, repentè flamma ad ſummũ euaſit. Nam qui prius Ioannis verbis minimè mouebã.ur, poſtmodum dicunt quæcunque Ioannes dixerit vera eſſe. Accedit ad hoc, quod ſi his annunciandis orbem peragraſſet, humano quodam ſtudio id feciſſe videretur, & non parua auditorum animis orta eſſet ſuſpicio. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Atqui & alij erant Ioanni diſcipuli, qui non modo nõ ſecuti ſunt,ſed ei æmulabantur,dicebant enim: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Et iterum videntur eum accuſare: Quare nos ieiunamus,& diſcipuli tui non ieiunant? Sed meliores nullo alio affectu perturbati, audito Ioanne è veſtigio ſecuti ſunt Ieſum, non quòd magiſtrum deſpicerent,ſed quòd etiam fidem eius adhiberent teſtimonio. Maximum autem argumentum eſt,recta eos mente ſecutos, quod nullo hortatu (ſuſpicioſum enim fuiſſet) ſed ſolo auditu, quod in ſpiritu ſancto eſſet baptizaturus, ſecuti ſunt: neque magiſtrum reliquerunt, ſed quid ille amplius quàm Ioannes ferret,ediſcere voluerunt. Et animaduerte verecundam diligentiam. Nõ enim quam primum de magnis,& neceſſariis rebus Ieſum percontantur,neque de publicis ſimpliciter, ſed propriis. Norant enim non vilia & abiecta:ſed vera eſſe magiſtri verba. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum.* Qua gratia alterius non meminit? Sunt qui dicunt quoniam ipſe ſit Euangeliſta, qui ſecutus eſt: alij quod obſcurus eſſet neque præter neceſſaria ſibi dicenda ducit. Nulla enim vtilitas eius nominis cognoſcendi. Neque ſeptuaginta duo ſuis quiſque nominibus cognoſcũtur. Ita & Paulus; Miſimus, inquit, cum eo fratrẽ in multis ſæpe ſtudioſum, cuius laus in euãgelio. Andreæ autem meminit vel hãc ob cauſam, vt quum audieris ipſi & Simoni Chriſtum dicentem; Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum, tam admirabilem promiſſionem intelligas, non dubitaret & fratrem iam fidei feciſſe funda

Infr. 5.

Ibid. 3.

Matth. 9.

Mar. 2.

2. Cor. 8.

Matth. 4.

fundamenta. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes, dicit eis: Quid quæritis?* Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non præuenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse: sed cùm nos prompto, paratóque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones. Quid quæritis? Quid sibi vult hæc interrogatio? Qui humanorũ cordium scrutator est, qui cogitationes nostras apertè intuetur, is interrogat, non vt sciat (scit enim) sed vt rogando eos sibi conciliet, & familiares reddat atque audentiores, séque suo eos dignari colloquio ostendat. Credibile enim erat eos subuereri, & formidare, cùm se rudes intelligerẽt, & tantum de illo magistri accepissent testimonium. Amouendæ igitur verecundiæ & timoris gratia rogat, neque domum vsque silentio sinit peruenire. Atqui idem eo tacente euenisset, si secuti essent. Cur igitur rogat? Vt eos, vt dixi, bona spe confirmaret, ne erubescerent, hæsitaréntque. Nec ea sequentibus tantùm, sed ea interrogatione eorum ostendit desiderium. Siquidem quum nihil adhuc magnum neque vidissent, neque audissent, ab eo magistrum appellant, se discipulis annumerant, & cur sequantur ostendunt, vt videlicet aliquid vtile decerperẽt. Animaduerte quæso horum prudentiam. Non dixerunt; Doceas quid sequamur, quid necessariò faciendum: sed, Rabbi inquiunt, vbi habitas? In otio enim vt dixi, & rogare, & audire aliquid ab eo volebant, idcirco neque tempus distulerunt, neque se postridie publicè disputantem audituros dixerunt, sed vehemens audiendi desiderium præ se ferunt, ne horam quidem dimittentes. Et animaduerte animi ardorem. O memorabilem illorum sapientiam, ô diligẽtiam, ô in magistrum fidem. Etenim iam sol ad occasum properabat (hora enim erat quasi decima) & propterea etiam Christus domum non docet, sed allicit sequentes, ostendens tam in suos accepisse. Non dixit igitur intempestiuum esse, vt ad se proficiscerentur: sed, venite, inquit, & videte vbi habitem. Non dicit, audietis cras si quid vultis, neque tunc missos fecit, sed tanquam amicos, longa deuinctos consuetudine alloquitur. Quo igitur pacto, inquit filius hominis non habet, vbi caput inclinet? quoniam nullum habuit proprium diuersorium. Ita ea intelligenda est parabola. Non quod domum non habitaret, hoc autem dixit euangelista, quia apud eum ea die moram traxerunt. Sed cur non id addidit, tanquam manifestum esset? Neque enim alia ratione secuti sunt, neque Christus eos alleait, quàm vt erudiret: quod tam largiter, & promptè vna nocte acceperunt, vt mox vterque alios allicerent. Hinc facilè admonemur omnia præter diuinarum rerum doctrinam, & vana & superflua æstimanda: ad eam autem nullum tempus esse intempestiuum, quamuis aliena domus ingredienda sit, & magnus vir & clarus etiam ab obscuro petendus, & intempestiuè nunquam huius doctrinæ occasio contemnenda est. Cibus enim, & balnea, & cœnæ, & reliqua secularia statutum tempus habent: supernæ autem sapientiæ nullo tempore circunscribitur, sed omne ei tempus accõmodatum est. (2. Tim. 4.) Opportunè, inquit, importunè, argue, obsecra, increpa. Et propheta: In lege eius meditabitur die ac nocte. (Psal. 1.) Moses hoc Iudæis semper præcipit: secularia enim, hoc est balnea, cœnæ, quæ necessaria sunt & frequenter petimus: corpus imbecillius reddunt, animæ autem doctrina quanto magis imbuimur, tanto fortior anima efficitur. Verùm enimuero in deliramentis, & nugis inutiliter vniuersum tempus consumimus, & aurora, crepusculo, meridie, vespere, frustra desidemus, locum ad hæc constituimus: diuinum autem pabulum si semel, bisve ad summum, audimus, tanquam saturi nauseamus. Quænam horum causa? Parua animi affectio. Cõcupiscentiam circa hæc & appetitum dissoluimus, & idcirco spiritalem cibum fastidimus. Magnum autem & hoc præter alia ægritudinis indicium, quod neque esurimus, neque sitimus: sed vtrunque nobis inimicum est. Nam si in corporibus, id est grauissimi morbi signũ, longè magis in anima. Quonam igitur pacto oscitantem eam & dissolutam * quibus operibus, quibus verbis sancire poterimus? Si diuinos sermones, propheticos, apostolicos, euangelicos, & alios omnes familiares habuerimus, tunc longè hos meliores gustatu cibos quam seculi immundos cognoscemus. Hoc nanque nomine intempestiuas nugas, & sodalitates appellare libet. Quid enim, quæso, melius de forensibúsne iudicialibúsque negotiis: an de cælestibus, & quæ post nostram hinc migrationem expectamus, disputare? Quid satius, proximi res & alienas diligenter curare: an angelicas plurimùm nobis cõferentes inquirere? Res vicini non omnino tuę, sed cęlestes tuę sunt. Sed licet, inquit, qui omnino hæc dicit omnia impleat. Quid autem de quibus temere disputatis non intelligitis, sed omnem vitam in hoc consumentes, nullum adhuc disputationi finẽ inuenitis? Neque adhuc grauiora dico. Humaniores enim hæc inuicem disputant, pigri autem & negligentes de mimis, saltatoribus, aurigis sermonem faciunt, ita & auditum simul & animam coinquinant, naturam his confabulationibus in omne vitiorum genus præcipitem agentes: simul ac enim saltatoris nomen lingua protulit, animus eius sibi faciem, comam, mollem vestem, & his illum longè molliorem effingit. Alius ex fornicariæ mulieris sermone, verbis, forma, limis atque lasciuis oculis, delicato aspectu, capillorum in orbem flexibus, fuco pictis genis flammam fouet: nónne quęso, in pręsentia his verbis toto animo commouemini? Verùm non pudet, neque erubescitis? naturali enim necessitate hi motus exoriũtur. Quod si in ecclesia & ab illis procul irritamentis, nostris tamen sermonibus nonnihil incalescitis: considerate quales esse par est eorum affectus, qui in ipso sedent spectaculo, quibus plurima licentia est, & extra hunc honestum reuerẽdúmque consessum, abiecto pudore & vident illa, & audiunt. Et quid tandem, aliquis fortasse impudentior dicet, si naturæ necessitas animum ita afficit nos, nónne illam arguis? Quoniam quod auditor moueatur, naturale quidem est, fateor: quod autem audiat, voluntarium. Siquidem necessarium est, vt qui igni appropinquat, exuratur, & hoc humanæ naturæ imbecillitas exigit: non tamen nos natura igni admouet, hoc enim prauę & peruersæ voluntatis est. Admonendum igitur censeo, ne sponte nostra nosipsos præcipites in ignem demus, néve in profundum malitiæ pelagus demergamur, ne paratæ diabolo flammæ obnoxij, cum illo in perpetuum damnemur supplicium: à quo vtinam liberi

* intellige affectionem.

beri in ipsos Abrahæ sinus recipiamur, gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

Est Hom. 18. in Euāg. Ioan.

INuenit hic prior fratrem suum Simonem & dixit ei: Inuenimus Messiam, &c. Cùm à principio Deus hominem fingeret, noluit solum esse, sed ei dedit mulieris auxilium, & vt vna cohabitarent instituit. *Genes. 2.* Norat enim hac mutua consuetudine multum vtrique emolumenti prouenturum: Quid si non vt decuit, mulier tāto vsa est beneficio? Nam si rei ipsius natura considerabitur magna profectò in hac coniunctione deprehenderur vtilitas: modo aliquid sapiamus, neque in vxore duntaxat & viro, sed & fratribus, si tanto ipsi munere frui voluerint. *Psal. 132.* Vnde propheta: Ecce quàm bonum, inquit, & quàm iocūdum, habitare fratres in vnum. Et Paulus, ne eorum congregationem dimitteremus, admonuit; Hæc est inter nos & bestias differentia. Hac gratia ciuitates, fora, domos excogitauimus, vt simul viueremus, non mutua tantum consuetudine, sed charitatis vinculo. Cùm enim indigna nobis natura ab opifice Deo tributa sit, neque sibiipsi sufficiens vtilitati nostræ prospectum est, vt scilicet indigentia nostra mutua consuetudine iuuaretur. Itaque quod alteri deest, alterius auxilio suppleretur. Non aliter hac mortali successione diutinam immortalitatem seruamus. Longum explicatu esset in præsentia, quantum hac inuicem intima & syncera coniunctione vtilitatis proueniat. Sed aliud intendimus, cuius gratia hæc nobis dicta sunt. Andreas autē cùm apud Iesum multa didicisset, non abscōdit thesaurum, sed ad fratrem festinauit, accepta bona quamprimum communicaturus. Sed qua gratia Ioannes, quem Christus sermonem habuerit, non enarrauit? Vnde cognoscere possumus, quòd ideo apud Christum manserint? Paulò ante id nobis ostensum est, & ex hodierna concione etiam cognoscere licebit. Quid enim fratri Andreas dicit: Inuenimus Messiam, quod interpretatur Christus? Vides quàm citò didicit simul, & persuadentis magistri sapientiam, & eorum in discendo incredibilem a principio diligentiam ostendit? Hoc enim verbum inuenimus, animæ est maximè eius aduentum desiderantis, & cælitus veniam expectantis, cuius aduentu exultans alios euangelij gestiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris, synceri est affectus officium, vt in spiritualibus quàm diligentissimam curam adhibeamus, inuicem opitulemur. audi Andream quàm asserriuè articuli adiectione dicat; Inuenimus Messiam. Vnum quendam Christum expectabant, nihil cum aliis communicantem. Considera ab ipso principio fidelem & beneuolum Petri animum. Cucurrit è vestigio, nihil moratus. Adduxit, inquit, eum ad Iesum: sed nemo eius damnet nimiam in credēdo facilitatem, nisi priùs rem ipsam diligenter intueatur. Siquidem credibile est Andream plura persuasioni maximè accommodata narrasse; verùm Euangelistæ nonnunquam multa breuiatis gratia prætermittunt. Præterea non dicit ei statim persuasisse, sed tantum adduxisse ad Iesum, vt inde totum disceret, aderat enim alter discipulus doctrinæ particeps. Nam si Ioannes Baptista quum inquit, Ecce agnus Dei, & qui in spiritu baptizat, certiorem doctrinam magistro edocendam reliquit, & inde hauriri hortatus est: longè magis Andream quum suum non esset officium, neque ad tanti luminis narrationem sufficeret, ad ipsum fontem fratrem adducere oportuit, tanto studio & alacritate, vt nihil eum auerteret aut moraretur. Intuitus autem Iesus dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Incipit iam reuelare diuinitatis mysteria, eámque paulatim per prophetias aperire: hoc pacto & cum Nathanaēl egit, & cum muliere Samaritana. Non enim minus quàm signa, prophetiæ mouent, neque vllum præ se ferunt fastum. Nam miracula apud stultam plebem nonnunquam calumnia notantur. In Beelzebub enim, inquit, ejicit dæmonia. *Matth. 12. Luc. 11.* Prophetia autem nulli crimini est obnoxia. In Simone enim, atque Nathanael hac doctrinæ via vsus est, non autem in Andrea & Philippo. Quid tandem? Quoniam ille Ioannis habuit testimonium non parui ad fidem momenti: Philippus verò conspectis qui aderant, facilè persuasus est. *Tu es Simon filius Iona.* Ex præsenti futurum credit. Qui enim patrem nominat, constat eum futurum præuidere: & honorificè de eo prædicit, non adulatione, sed veri prædictione: quod vel ex Samaritana constat, quam vehementer reprehendit, præterita eius opera commemorans. Quinque enim viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir. *Inf. 4. Genes. 4.* Sic & pater eius multa prædicit idolorum arguens opinionem. Annuncient quæ vobis ventura sunt. Et iterum: Annunciaui & saluos feci, & non erat in vobis alienus, & in tota prophetia hoc meminit. Hoc enim vel maximè Dei opus est, quod neque dæmones imitari possunt, quamuis maiorem in modum admitantur. In miraculis enim sæpe sub veritatis vmbra accipi possumus, prædictio futurum immortalis Dei duntaxat opus est: quod si quando dæmones aliquid prædixerunt, stultum & incautum vulgus deceperunt: eorum nanque vaticinia passim falsa deprehenduntur. Atqui Petrus nihil ad Christi verba respondit. Nondum enim quicquam videtat manifestè, sed primò didicit. Animaduertendum autem quod non omnia quæ euentura ei erant, hoc primo congressu prædixit: non enim appellauit eum Petrum, non dixit: Super eam petram ædificaturam ecclesiam, sed dixit: Tu vocaberis Cephas. Illud enim maioris erat & potestatis, necnon etiam authoritatis. Ea enim Christus nunc conticuit, humilius à principio loquitur: quum verò diuinitatem suam demonstrauit, maiora narrauit inquiens: Et ego dico tibi, tu es Simon, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. *Nominum impositio. Matth. 16. Marc. 3.* Hunc, Petrum appellauit: Ioannem verò filium tonitrui. Quamobrem? vt ostendat se eundem esse, qui vetus dedit testamentum. Ipse est qui nomina aptè imponit: qui Abram Abraham, & Sarai Saram, Iacob Israel vocauit. *Genes. 17. Ibidem. Ibid. 32. & 35.* Multis à natiuitate nomina imposuit; vt Isaac Samson, vt iis quorum meminit Esaias & Osee. *Genes. 21. Iud. 13.* Quibusdam autequam à parentibus acceperunt appellationem mutauit, vt in prædictis, & Iesu. *Num. 13. Luc. 1.* Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina

imponi

imponi, quod & Helias fecit: hoc autem non temerè fit, sed vt ea appellatio imponatur, quæ sit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur. Ita & Ioanni cælitus nomen imposuit. Qui enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, eis tunc indita sunt nomina: qui verò in ætatis progressu profecturi erant, postmodum. Sed tunc quidem varia ac differentia singuli nomina acceperũt: nunc autem vno omnes appellamur, Christiano scilicet omnium maximo atque præstantissimo, cum quo & filij Dei, & amici, & corpus dicti sumus. Qua appellatione cæteris omnibus vehementius excitari, & promptiores ad virtutem complectendam fieri, nec ea quicquam indignum facere conari debemus: quum eodem, quo Christus, nomine vocamur, vt Paulus testatur, cuius excellentiam nos intelligere oportet: quod si is qui principis cuiuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, quum id audit, tumet atque superbit, & magnæ id sibi gloriæ arbitratur eiúsque authoritatem pro viribus seruare adnititur: quid nobis faciendum est, qui non principis, non terrenæ alicuius potestatis, non angeli, non archangeli, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus? Nónne ita animam nostram instituemus, vt non afficiatur iniuria qui tanto nos honore prosecutus est? An ignoratis quanto cohortes regiæ, & scutati, & hastati, eius latus stipantes honore habeantur? Ita & nos proximi facti Deo, eò magis quàm quos nunc diximus, quò corpus propinquiùs est capiti quàm illi regibus, totis viribus contendamus, vt Christi simus imitatores, qui inquit: Vulpes cubilia habent, & volatilia cæli nidos struunt, filius autem hominis non habet, vbi inclinet caput. *Matth. 8. Luc. 9.* Hoc ego à vobis exigere possem: graue fortasse & onerosum multis videbitur, quare hanc perfectionem propter imbecillitatem nostram omittamus. Arbitror autem vos non inhiare pecuniis, sed quemadmodum summam illam virtutem propter multorum imbecillitatem omitto, ita vobis à summa malitia abstinendum est, ac etiam longè magis. Non accuso qui domos habent, agros, pecunias, mancipia, modò his bene vtantur ad frugalitatem, & vt decet, hoc est tanquam dominus, non tanquam seruus: vt ea posideat, non ab his possideantur: vt vtatur, non abutatur. *χρήματα.* χρήματα enim hoc est pecuniæ ἀπὸ τοῦ χράομαι, quod est vtor, dicuntur: ea videlicet ratione vt his in necessitatibus vtamur, non vt seruemus. Hoc serui est, illud domini, & ius super id habentis. Non propterea diuitias accepisti, vt terræ defodias, sed distribuas liberaliter: quas si Deus seruari voluisset, non sanè homini dedisset, sed terræ eas dimisisset: verùm quum velit expendi eas, nobis largitus est, vt his inuicem communicaremus. Qui pecunias seruat, non est earum dominus. Quod si vt augeantur seruas, ea profectò optima augendi ratio, vt in omnes distribuantur. Neque enim sine sumptu lucrum, neque diuitiæ sine larga effusione proueniunt. Cuius rei argumentum in secularibus rebus videre licet. Siquidem mercator, & agricola: ille pecunias, hic semina profundit. Mercator nauigando pecunias in multos impendit, vt deinde lucretur: agricola semina in terram iaciens, assiduo diei labore exercet, vt plus inde accipiat: hic autem non tanto opus est labore, non nauis fabricanda est, non iũgendi boues, non terra aranda, non tempestates, non aëris intemperies, non vis grandinis timenda: nulli fluctus, nulli scopuli offendendi. Hæc nauigatio, hæc satio, vna duntaxat re indiget, vt dispergantur diuitiæ, reliqua omnia agricola ille perficiet, de quo, inquit Christus: Pater meus agricola est. *Inf. 15.* Quæ igitur temeritas, quæ insania, vbi omnia sine labore, sine periculo assequi possumus, supinos & oscitantes persistere: vbi autem sudores innumeri, nauigandi pericula, labores, curæ, & quod grauius est, incertum votum, tantopere inuigilare? Nolite, quæso, nolite ergo propriam salutem tantopere despicere: sed tot periculis contemptis, ad faciliora, & lucrosiora curramus, vt futura bona consequi possimus, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 3.

Ex Hom. 19. in Euan. Ioan.

IN *crastinum autem voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, &c.* Tritum prouerbiũ est, homini diligenti semper aliquid superesse. Et Christus: Qui quærit, inquit, inuenit. *Matth. 7.* Quare nulla iam me admiratio tenet, Cur Philippus Christum secutus sit. Andreas enim audito Ioanne, Andrea Petrus, hic nemine, sed tantum Christo dicente: Sequere me, quamprimum credidit, & secutus, alij factus est prædicator. Cucurrit enim ad Nathanael: Quem scripsit, inquit Moses in lege, & prophetæ, inuenimus. Vides viri diligentiam, vt scripturæ meminerit, vt Christi aduentum expectauerit? Inuenire enim quærentis est. In crastinum exiuit in Galilæam priusquam quisquam ipsum sequeretur, neminem vocat quod non temerè fecit, sed summa sapiẽtia: nam si nemine sua sponte prosequente ipse aliquos vocasset, de eorum perseuerantia potuisset dubitari: verumtamen vltrò sequi elegissent minimè. Philippum autem sibi notiorem vocat, vt pote qui in Galilæa & natus erat, & educatus. Acceptis igitur discipulis, alios iam venatur, & in primis Philippum & Nathanaël. Sed de hoc non tam mirum fuit, quandoquidem nomen Iesu in vniuersam Syriam diffusum erat: illud admiratione dignum, quo pacto Petrus, Iacobus, Philippus potuerunt tam breui persuaderi: non tantum ratione quòd ante signa, sed quòd Galilæi erant, vnde neque propheta surrexit, neque quicquam boni. Rusticiori enim quodammodo, & crassiori erant ingenio. Vnde in hoc etiam Christus suam demonstrauit virtutem, quum ex sterili terra tales sibi discipulos comparauit. Credibile quidem est Philippum, & qui eum Petro erant, viso & audito Ioannis de Christo testimonium eum secutos, & & Christi sermonem nõ parum in illis operatum. Nouerat enim qui idonei futuri essent discipuli. Euangelista autem hæc omnia omittit. Quoniam igitur veturus erat Christus, credidit: quod Christus esset, ignorabat, quod vel à Petro, vel à Ioanne audierat. Meminit autem eius patriæ Euangelista, vt intelligas, quod infirma mũdi elegit Deus. *1. Cor. 1.* *Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, Quem scripsit Moses in lege, &c.* Per Mosen & prophetas dignum fide

fide sermonem suum facere, & auditori persuadere adnititur. Nam eum Nathanael esset in perscrutanda veritate diligentissimus, vt & suis verbis, & Christi testimonio videre licet, meritò ipsum ad Mosen, & prophetas Philippus relegauit, vt crederet. Quòd autem Ioseph filium appellat, noli perturbari, eiusmodi adhuc erat opinio. Et vnde constat Philippe, quòd ille sit? quod das nobis signum? neque enim satis est quod is sit affirmare. Quod inquam signum, quod miraculum affers? Non est de tantis rebus temere credendum, & periculosum est: die quid certi habes? quod & Andreas, inquit, Siquidem ille eùm suarum virium non esse intelligeret, quem thesaurum, quas diuitias inuenerit, ostendere, ad fratrem quem inuenerat ducit: ita Philippus quomodo ille hic sit Christus, & quomodo prophetæ eum prædixerint non dicit: sed ducit ad Iesum quem adhuc ibidem conspicabatur, vt inde doceretur. *Et dixit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse? &c.* Laudat Iesus & admiratur: & dixit, A Nazareth potest aliquid boni esse? Quid laudat? nónne potiùs accusare oportuit? Minimè. Non enim quod non crederet, ita locutus est: neque accusari, sed laudari meruit. Quánam ratione prophetarum verba diligentiùs, quam Philippus consetebat? Audierat ex Bethlehem, & ex patria Dauid Christum venturum. Hoc Iudæi credebāt, hoc propheta iampridem his verbis prædixerat:

Mich. 5. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima

Matth. 2. es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui

Ioan 7. regat populum meum Israel. Huius prophetiæ memor Nathanael audiēs eum Nazarænum, perturbatur & dubitat, ne secundum prophetæ sermonem Philippus falleretur. Intuere, quæso, hominis prudentiam, intuere mansuetudinem. Non dixit se deceptum, neque falsā sibi narrari, neque quod à Propheta non ex Nazareth, sed ex Bethlehem Christum venturum didicerit: sed contrà quàm Philippus dixerit, persuasus obuiam tamen venit, ostendit igitur & scripturarum cognitionem, & morum simplicitatem, nec non vehemēs Christi aduentus desiderium, eùm Philippi verba non contempserit. Norat enim Philippum in patria commemorandа falli potuisse. Et vide quàm verecundè interrogando non credendum innuit: non dixit, nihil boni fert Nazareth, sed à Nazareth potest aliquid boni esse? Necnon & Philippus prudenter quidem non indignatur, non ægrè fert, vtpote parùm creditus, sed expectat virum, vt ad Christum adducat, & ab ipso principio apostolum egit, ideo Christus inquit: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Est enim & mendax Israelita, sed non hic, quippe cuius incorruptum est iudicium, nec ad gratiam, nec ad odium quicquam

Matth. 2. loquitur. Atqui Iudæi rogati vbi Christus nasceretur, in Bethlehem dicebant, prophetæ testimonium afferentes: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Verùm illi antequam Christū viderent de eo testati sunt,

Infra 7. quo viso inuidia destiterunt, dicentes: Hunc nescimus vnde est, Nathanael autem in eadem perstitit sententia, quod non esset à Nazareth. Quomodo ergo prophetæ eum Nazarænum vocant? Eo quod illic educatus est & conuersatus. Nec se Nazarenum negauit, ne qua suspicio oriretur: neque si id persuasisset, non propterea se Christum esse ostendisset. Quid enim prohibebat non esse Christum, quamuis à Bethlehem natum? Hoc igitur omisit, id autem in medium attulit, quod maximum erat ad credendum augmentum, se videlicet, præsentem eorum sermoni fuisse. Nam cùm ille diceret: Vnde me nosti? Respondit, priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, vidi te. Animaduerte hominis constantiam. Nam quum dixisset Christus: Ecce verè Israelita, non intumuit laudibus, neque his obuiam factus est, sed perscrutatur, vt de eo certi aliquid intelligat, & adhuc tanquam hominem alloquitur. Iesus tanquam Deus respondet. Non enim è loco aliquo æditiori ipsum & eius mores, & mansuetudinem vidisse, non è specula aliqua more hominis eum sub ficu obseruasse dicit: nemo enim illic aderat, sed soli Philippus & Nathanael secreto in loco iuuicem sermonē habuerant. Idcirco, inquit Euangelista, quòd quum videret à longe venientem ad se, dixit: Ecce verè Israelita. Vt intelligatur priusquam appropinquaret Philippus, ita Christum locutum. Et ne quisquam posset suspicari quare, & temporis meminit, & loci, & arboris. Ne ab ipso missum Philippum quisquam opinaretur, si tantum eius ad Nathanael profectionis meminisset. Verùm eùm dixisset, vbi eum conuenit Philippus, & tempus certissimum, & prophetā ostendit: neque hoc tantùm, sed etiam quæ inuicem locuti essent in memoriam reduxit: hoc est à Nazareth potest aliquid boni esse? Ex quo maximè eum sibi conciliauit, eum ex eo non reprehendit, sed laudibus prosecutus est. Et admirans his verbis Nathanael verè Christū esse cognouit, à prophetia scilicet, & prouidentia, & à certissima ipsius mentis perscrutatione. Demōstrarat enim animi eius cogitationes, planè intellexisse, præsertim cùm quæ ægrè ferenda videbantur, ea non reprehendit, sed laudat: dixit enim à Philippo vocatum, non autem quem inuicem sermonem habuerint, neque quod affuerit: relinquit hæc eius conscientiæ examinanda, eum noluit ipse carguere. Quid igitur? priusquam à Christo vocaretur, eum dumtaxat vidit, nónne anteà etiam in somni oculo viderat? Viderat sanè nō modo inficias iret, sed ita opus fuit dicto. Quid igitur ille eùm certissimum de Christi prouidentia argumētum accepisset, confessus est, & primò se diligentem, deinde consensu fidelem ostendit: respondit enim, *Tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Vides gratam repente, & Iesum amplexantem animam? Tu, inquit, ille es quem expectamus, quem quærimus. Vides hominem stuporis, admirationis, lætitiæ plenum? Is nobis sequendus est, quibus Deus filij sui cognitionem dare dignatus est: exultandum nobis est, non animo tantùm, sed re ipsa. Quod autem exultantium officium est? Credere ei quem cognoueris, credentium verò cogniti parere voluntati: nam si operibus nostris Deum in iram prouocabimus, quonam pacto poterimus exultare? Nónne videtis eùm amicum domi quispiam accipit, quam præ se ferat lætitiam, quanta alacritate paratus sit nulli rei parcere, dùm hospiti rem gratam faciat? Quod si quis ei non obsequeretur, neque ad eum reficiendum omnia faceret, & si milies eius præsentia se lætari diceret, non vtique crederetur: & meritò sanè. Re ipsa, non verbotenus ostendenda lętitia est. Venit ad nos Christus, ostendamus eius aduentu lætitiam, nihil quod eum perturbet faciamus, ornemus quam ingreditur

ditur domum, hoc lætantium est: prandium apponamus eius gustui suauissimum, hoc exultantium est. Quale autem prādium? ipse inquit: Meus (Infra 4.) cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit. Pascamus ipsum esurientem, potum demus sitienti: etiam frigidam aquam abs te accipit, quippe qui amat. Amicus enim, & si parua accipit, magna sibi videtur. Tu modo læto vultu impendas duos obolos, non recusat, sed tanquam magna dederis gratè accipit. Nam cùm nullius indigeat, neque necessaria ci sint munera tua, meritò non munerum magnitudinem, sed donantis voluntatem reputat. Ostende igitur duntaxat, te aduenientem diligere, omnia eius gratia moliri, aduentu lætari. Cōsidera qualis erga te fuerit, quod pro te animam posuerit, neque post tanta in te (1.Cor.5.) beneficia rogare te recusat. Pro Christo enim precamur, inquit, tanquam Deo obsecrante pro nobis. Et quisnam adeo insanit, vt dominū suum non amet? Hoc ego dico, nec ignoro neminem vestrum neque verbis, neque animo aliter sensurum. Verùm non verbis tantum, sed & re ostendi vult amicus, quid sentiat. Nam si lingua duntaxat amici exhibemus officium, sanè ridiculum est, non modo apud Deum, sed apud homines nec stultum modo, sed damnosum. Verbis ergo opera consentiant, operibus confirmemur, vt ipse nos suos profiteatur, ineffabili gratia & benignitate, qui cum patre, & spiritu sancto viuit & regnat, in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM *Euang. Homil. 4.*

(Ex Hom. 20. in Euāg. Ioā.) *Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel, &c.* Primùm nobis curandum est, dilectissimi, & omni studio inuigilandum, vt sacrarum scripturarum profundum inspicere possimus, quarum sensus oscitantes nunquam deprehendemus. Est igitur quàm diligentissimè inuestigandum & assiduis precibus insistendum, vt vel aliqua ex parte diuina mysteria assequi valeamus. Ecce hodierna die non paruæ nobis, sed multæ perscrutationis quæstio proponitur. Nam (Matth.16.) cum Nathanael dixisset, Tu es filius Dei, respondit Christus, Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Quid hîc quæsitu dignum? cur Petrus post tot tantáque miracula, post talem doctrinam acceptam, Christum Dei filium confessus, ac si reuelationem à Patre acceperit, laudatur: Nathanael verò ante signa; ante doctrinam idem quod Petrus asserens minimè: sed tanquam nihil Christo dignum dixerit, maiorum spe rnalitur? Quidnam hoc? quoniam & si iisdem verbis & Petrus, & Nathanael vsi sint, non tamen idem ambo senserunt: sed Petrus filium Dei tanquam verum Deum. Nathanael tāquam hominem tantum confessus est, quod ex sequentibus constat. (Psal.23.) Addit enim: Tu es rex Israel. Filius autem Dei non modo Israel: sed vniuersi orbis terrarum rex est. Quod etiam inde ostenditur, quod Petro nihil ampliùs addidit Christus, sed tanquam perfecto in fide ecclesiam suam eius testimonio ædificaturum pollicitus est: Nathanael tanquam potiori in parte deficienti subdidit: *Amen amen dico vobis, amodo videbitis cælū apertū, &c.* Animaduertis, quomodo eum à terra paulatim erigit? quomodo animum excitat, ne ampliùs simplicē hominē coniectetur? Cui enim angeli ministrant, & super quem ascendunt & descendunt, quonam pacto hominem esse existimabitur? Præterea cùm maiora visurum diceret, angelorum ministerium addidit: ac si diceret, hoc tibi magnum, Nathanael, visum est, propterea me regem confessus es: quid autem dices cùm angelos super me ascendentes & descendētes videtis? Quibus verbis suadet, vt ipsum angelorum dominum cōfiteatur: tanquam enim super dilectissimum regis filium, regij ministri & ascenderunt, & descenderunt: hoc quidem passionis tempore, illud resurrectionis & ascensionis: necnon & antè cùm accesserunt, & ministrabant ei, cùm natum annunciarunt, laudarunt, dicentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, quando ad Mariam venerunt, quando ad Ioseph. (Luc.2.) Facit autem quod sæpe aliàs: duo prædicit: alterum iam præteritum indicat, alterum ex hoc confirmat futurum. Illud nanque manifestum erat, quod ante Philippi vocationem esset sub ficu: ascensus autem & descensus angelorum partim fuerant, partim erant futuri, apud crucem, videlicet in resurrectione, in ascensione, qui etsi nondum euenerint ex præteritis tamen facit, vt credantur. Qui enim eius virtutem iam viderat, faciliùs quæ futura audit, credit. Quid igitur Nathanael? nihil respondit. Christus autem hactenus locutus secum, ea verba reputaturum dimisit: noluit enim omnia simul, sed iacto in terram fertilē semine, finit vt germinet, vt alio in loco inquit, Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen, cùm autem dormiret, venit (Matth.13.) inimicus eius, & superseminauit zizaniam in medio tritici, & abijt.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hippon. in idem Euangelium expositio.*

Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Vtique singulariter iste agnus, nam & discipuli dicti (Ex tract. 7. in Ioan.) sunt agni, Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Dicti sunt & ipsi lumen; Vos estis (Matth.10.) lumen mundi. Sed aliter ille de quo dictum est, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum. Sic & agnus (Matth.5.) singulariter, solus sine macula, sine peccato: non cuius maculę abstersæ sint, sed cuius macula nulla fuerit. Quid enim quia dicebat Ioannes de domino, Ecce agnus Dei? Ipse Ioannes non erat agnus? Non erat vir sanctus? Non erat amicus sponsi? Ergo singulariter ille, hic est agnus Dei: quia singulariter huius agni sanguine solo homines redimi potuerunt. Fratres mei, si agnuscimus precium nostrum quia sanguis est agni, qui sunt illi qui hodie celebrant festiuitatem sanguinis, nescio cuius mulieris? Et quàm ingrati sunt? Raptum est aurum, dicunt de aure mulieris, & cucurrit sanguis, positum est aurum in trutina vel in statera, & præponderauit multum de sanguine. Si pondus ad inclinādum aurum habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum sanguis agni, per quem factus est mundus? Et quidē ille spiritus nescio quis, vt premeret pondus, placatus est sanguine. Immundi spiri-

tus nouerant venturum Iesum Christum, audierant ab angelis, audierant ex Prophetis, & sperabant eum venturum. Nam si non sperabant, vnde clamauerunt; *Marc. 1.* Quid nobis & tibi est? Venisti ante tempus perdere nos? scimus quia sis sanctus Dei. Venturum sciebant, sed tempus ignorabant. *Psal. 101.* Sed quid audistis in psalmo de Hierusalem? Quoniam beneplacitum habuerunt serui tui in lapides eius, & pulueris eius miserebuntur. Tu exurgens, inquit, misereberis Sion, quoniã venit tempus vt miserearis eius. Quando venit tempus vt misereretur Deus? Venit agnus. Qualis agnus est? *1. Pet. 5.* Quem lupi timent. Qualis agnus est? Qui leonem occisus occidit. Dictus est enim diabolus leo circumiens & rugiens, quærens quẽ deuoret: sanguine agni victus est leo, ecce spectacula Christianorum. Et quid est amplius? Illi oculis carnis vident vanitatem, nos cordis oculis veritatem. Ne putetis fratres, quod sine spectaculis nos dimisit Dominus Deus noster: nam si nulla sunt spectacula, cur hodie cõuenistis? Ecce quod diximus, vidistis & exclamastis: non exclamaretis nisi vidissetis. Et magnum est hoc spectare per totũ orbem terrarum, victum leonem sanguine agni, educta de dentibus leonum membra Christi, & adiuncta corpori Christi. Ergo nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, vt sanguine simulachrum suum emi vellet, quia nouerat precioso sanguine quandocunque redimendum esse genus humanum. Fingunt enim spiritus mali vmbras quasdam honoris sibimetipsis, vt sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Vsque adeo fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi: *Christi nominis superstitiosa inuocatio ab incantatoribus.* quia iam non possunt seducere Christianos vt dent venenum, addunt mellis aliquantum, vt per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem: vsqueadeo vt ego nouerim aliquo tempore illius paleati * sacerdotem solere dicere, & ipse paleatus * Christianus est. ** aliàs pileati.* ** aliàs pileatus.* Vt quid hoc fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani? Ne quæratis ergo alibi Christum, quàm vbi se vobis voluit prædicari Christus. Et quomodo vobis voluit prædicari, sic illum tenete, sic in cordibus vestris scribite. Murus est aduersus omnes impetus, & aduersus omnes insidias inimici. Nolite timere, nec tentat ille nisi permissus fuerit: constat illum nihil facere, nisi permissus fuerit aut missus. Mittitur tanquam angelus malus à potestate dominante: permittitur quando aliquid petit: & hoc fratres non fit, nisi vt probentur iusti, puniantur iniusti. Quid ergo times? Ambula in domino Deo tuo, certus esto, quod te non vult pati, non pateris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur? Fratres mei, si recusaret quisquam puer colaphis aut flagellis cædi à patre suo, quomodo diceretur superbus, desperatus, ingratus paternæ disciplinæ? Et vt quid erudit pater homo filium hominem, vt possit nõ perdere temporalia, quæ illi acquisiuit, quæ illi collegit, quæ non vult eum perdere, quæ ipse qui relinquit, nõ potuit in sempiternum tenere: non docet filium eum quo possideat, sed qui post eum possideat. Fratres mei, si filium docet pater successorem, & quem docet & ipsum similiter per omnia transiturum, quà & ille qui monebat transiturus est: quomodo vult se erudiat nos pater noster, cui non successuri, sed ad quem accessuri sumus, & eum quo in æternum mansuri in hæreditate, quæ non marcescit, nec moritur, nec grandinem nouit? Et ipse hæreditas & ipse pater est: hũc possidebimus, & erudiri non debemus? Sufferamus ergo eruditionem patris, non quando nobis dolet caput curramus ad præcantatores, ad sortilegos & remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam, quotidie inuenio ista, & quid faciam? *In incantatore sortilego non consulendo.* Nondum persuadeo Christianis in Christo spem esse ponendam: Ecce si cui factum est remedium, moriatur. Quàm multi enim cum remediis mortui sunt, & quam multi sine remediis vixerunt. Qua fronte exit anima ad Deum? Perdidit signũ Christi, accepit signum diaboli. An forte dicet, non perdidi signum Christi? Ergo signum Christi cum signo diaboli habuisti. Non vult Christus cõmunionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit vt solus possideat, tu facis ei cõsortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in corde suo partem *Eccle. 2.* faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus quia fit ibi pars diabolo, discedit, & totum diabolus possidebit. Non frustra itaque Apostolus dicit, Neque detis locum diabolo. *Ephes. 4.* Cognoscamus ergo agnum, fratres, cognoscamus precium nostrum. *Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.* Ecce duo de discipulis Ioannis, quia talis erat Ioannes amicus sponsi, non quærebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati: nunquid voluit apud se remanere discipulos suos, vt non sequerentur Dominum? Magis ipse ostendit discipulis suis quem sequerentur: habebãt enim illum tanquam agnum, & ille. Quid me attenditis? Ego non sum agnus: Ecce agnus Dei. De quo & superius dixerat, Ecce agnus Dei. Et quid nobis prodest agnus Dei? Ecce ait, qui tollit peccata mundi: secuti sunt illum hoc audito duo qui erãt cum Ioanne. Videamus sequentia, Ecce agnus Dei, hoc Ioannes. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum, &c.* Non sic illum sequebantur, quasi iam inhærerẽt illi: nam manifestum est quando illi inhæserunt, quia de naui eos vocauit. In his enim duobus erat Andreas, sicut modo audistis. Andreas autem frater Petri erat. Et nouimus in Euãgelio quod Petrum & Andream Dominus de naui vocauit, dicens; Venite post *Matth. 4.* me, & faciam vos piscatores hominum. Et ex illo iam inhæserunt illi vt non recederent. Modo ergo quod illum sequuntur isti duo, non quasi non recessuri sequuntur, sed videre voluerunt vbi habitaret, & facerent quod scriptũ est; Limen ostiorum eius exterat pes tuus, surge ad illum venire *Eccle. 6.* assiduè & erudire præceptis eius. Ostendit eis ille vbi maneret, & venerunt & fuerunt cum illo. Quàm beatum diem duxerunt, quàm beatam noctem. Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi à Domino? Ædificemus nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum quò veniat ille & doceat nos, colloquatur nobis. Quid quæritis? Dixerunt ei, Rabbi, quod interpretatum dicitur magister, vbi habitas? Dicit eis, Venite & videte. Et venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. *Hora autem erat quasi decima.* Nihil ne arbitramur pertinuisse ad Euangelistam, dicere nobis quota hora erat? Potest

fieri

fieri vt nihil ibi non animaduertere, nihil quærere voluerit? Decima erat hora. Numerus iste legem significat, quia in decem præceptis data est lex, Venerat autem tempus, vt impleretur lex per dilectionem, quia à Iudæis non poterat impleri per timorem. Vnde Dominus dicit; Matth. 5. Non veni soluere legem, sed implere. Meritò ergo decima hora eum secuti sunt ad testimonium amici sponsi duo isti: & decima hora audiuit; Rabbi, quod interpretatur magister. Si decima hora Rabbi dominus audiuit, & decimus numerus ad legem pertinet, magister legis non est nisi dator legis, quia filius Dei dedit legem: nemo dicat quia alius dedit legem, & alius docet legem. Ipse illam docet qui illam dedit: ipse est magister legis suę, & docet illam; Et misericordia est in lingua ipsius, ideo misericorditer docet legem, sicut dictum est de sapientia; Legem autem & misericordiam in lingua portat. Noli timere, ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam. Si multũ est ad te legem implere, vtere pacto illo & chirographo, vtere precibus quas tibi cõstituit & composuit iurisperitus cælestis: qui enim habent causam & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem scholasticum iurisperitum, à quo sibi preces componantur, ne forte si aliter petierint quàm oportet, non solùm non impetrent quod petunt, sed & pœnam pro beneficio consequantur. Cùm ergo quærerent supplicare Apostoli, & Luc. 11. non inuenirent quo modo adirent imperatorem Deum dixerunt Christo; Domine, doce nos orare: hoc est, iurisperite noster, assessor Dei, imò consessor, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro iuris cælestis, docuit quomodo orarent, & in ipso quod docuit, posuit quandam conditionem; Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris. Si non secundum legem petieris, reus eris. Contremiscis imperatorem factus reus, offer sacrificium humilitatis, offer sacrificium misericordiæ, dic in precibus; Dimitte mihi quoniam & ego dimitto: sed si dicis, fac. Quid enim facturus es, quò iturus es, si mentitus fueris in precibus? Non quomodo dicitur in foro, carebis beneficio rescripti, sed nec rescriptum impetrabis. Iuris enim forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetrauit. Sed hoc inter homines, quia potest falli homo: potuit falli imperator quando preces misisti: dixisti enim quod voluisti, & cui dixisti: nescit an verum sit: dimisit te aduersario tuo conuincendum, vt si ante iudicem conuictus fueris de mendacio, quia non potuit ille nisi præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi carebis ipso beneficio rescripti, quo perduxisti rescriptum. Deus autem quia nouit vtrum mentiaris, an verum dicas, non facit vt in iudicio tibi non prosit, sed nec impetrare te permittit, quia ausus es mentiri veritati. Quid ergo facturus es? dic mihi. Implete legem ex omni parte, ita vt in nullo offendas, difficile est. Reatus ergo certus est, remedio vti non vis? Ecce fratres mei, quale remediũ posuit Deus contra ægritudines animæ. Quid ergo? Cùm caput tibi dolet, laudamus si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum iactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi vt sibi euangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Euangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur, vt quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur vt sanetur à peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, sanetur cor, bonum est. Bonum est vt de salute corporis non satagas, nisi vt à Deo illam petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam tibi: si non tibi dederit, non tibi proderit habere illam. Quam multi ægrotant in lecto innocentes, & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda, Quàm multis obest sanitas? Latro qui procedit ad faucẽ occidere hominem, quantò meliùs illi erat vt ægrotaret? Qui nocte surgit ad effodiendum parietem alienum, quantò illi meliùs si febribus iactaretur? innocẽtiùs ægrotaret, sceleratè sanus est. Nouit ergo Deus quid nobis expediat, id agamus tãtum vt cor nostrum sanum sit à peccatis. Et quando fortè flagellamur in corpore, ipsum deprecemur. Rogauit eum Paulus Apostolus, 2. Cor. 12. vt auferret ab eo stimulum carnis & noluit auferre: nũquid perturbatus est, & nunquid contristatus dixit se desertum? Magis se dixit non desertum, quia non ablatum est quod volebat auferri, vt illa infirmitas sanaretur: hoc enim inuenit in voce medici, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Vnde ergo scisti quòd non vult te sanare Deus, adhuc tibi expedit flagellari? Vnde scis quam putre est quod secat medicus, agens ferrum per putrida? Nunne nouit modum quid faciat, quousque faciat? Nunquid vlulatus eius qui secatur, retrahit manus medici artificiosè secantis? Ille clamat, ille secat. Crudelis qui nõ audit clamantem, an potiùs misericors, quia vulnus persequitur vt sanet ægrotum? Hęc fratres mei ideo dixi, ne quis quęrat aliquid pręter auxilium Dei. Quando fortè in aliqua correptione Domini sumus, videte ne pereatis, videte ne ab agno recedatis, & à leone deuoremini. Diximus ergo, quare hora decima, sequentia videamus. *Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus de duobus qui audierant ab Ioanne, & secuti fuerant eum.* Messias Hebraicè, Latinè vnctus, Græce Christus est: ab vnctione enim dicitur Christus Chrisma vnctio est Græcè, ergo Christus vnctus. Ille singulariter vnctus, pręcipuè vnctus, vnde omnes Christiani vnguntur. Ille præcipuè quomodo in Psalmo dicit audi; Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis. Participes enim eius omnes sancti: sed ille singulariter sanctus sanctorum, singulariter Christus, singulariter vnctus. *Et duxit * ad Iesum.* Andreas fratrem suum Simonem. * al. adduxit. *Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ioannis, * tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* * al. Iohlna. Non magnũ quia Dominus dixit, cuius filius esset iste. Quid magnum Domino? Omnia nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinauit: & miraris, quia dixit, vni homini, tu es filius illius, & tu vocaberis illud? Magnum, quia mutauit ei nomẽ, & fecit de Simone Petrum Petrus autem à petra, petra vero Ecclesia. Ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Et qui securus, nisi qui ędificat supra petram? Et quid ait ipse Dominus; Matth. 7. Qui audit verba mea hæc & facit ea, similabo eum viro prudenti ædificanti supra petram, non cedit tentationibus: descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & impegerũt in

domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Qui audit verba mea, & non facit ea, iam vnusquisque nostrum timeat & caueat, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna. Quid prodest quia intrat Ecclesiam qui vult super arenam ædificare. Audiendo enim & non faciendo, ædificat quidem, sed super arenam. Si enim nihil audit, nihil ædificat: si audit, ædificat. Si quærimus vbi, si enim audit & facit, supra petram: si audit & non facit, super arenam. Duo sunt genera ædificantium, aut supra petram, aut supra arenam, Quid ergo illi qui non audiunt? Securi sunt: Securos eos dicis, quia nihil ædificant. Nudi sunt sub pluuia ante ventos, sanè flumina cum venerint ista, ante illos tollunt, quàm domus deijciant. Ergo vana est securitas, & ędificare, & supra petram non ædificare. Si audire vis & non facere, ædificas, sed ruinam ædificas: cùm autem venerit tentatio, deijcit domum, & cum ipsa ruina tua te tollet. Si autem non audis, nudus es, & illis tentationibus tuipse trahetis. Audi ergo & fac. Vnum est remedium. Quanti furiè hodie audiendo & non faciendo rapti sunt fluuio celebritatis huius? Audiendo enim & non faciendo, venit fluuius ipsa celebritas anniuersaria, impletus est torrens, transiturus est & siccaturus: sed vę illi quem tulerit. Illud vero nouerit charitas vestra, quia nisi quis & audiat & faciat, non ædificat supra petram, & non pertinet ad nomen tam magnum quod sic commendauit Dominus. Intentũ enim te fecit: nam si hoc antè Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ, & putares casu eum sic vocari, non prouidentia Dei. Ideo voluit eũ aliud prius vocari, vt ex ipsa commutatione nominis, sacramenti viuacitas commendaretur. *Et in crastinum voluit dominus Iesus exire in Galilæam, & inuenit philippum, Dicit ei, Sequere me, &c.* Eius filius dicebatur, cui desponsata erat mater eius. Nã quòd ea intacta conceptus, & natus sit, benè nouerũt omnes Christiani ex Euangelio. Hoc Philippus dixit Nathanaëli, addidit & locum, A Nazareth. *Et dixit ei Nathanael, A Nazaret potest aliquid boni esse?* Quid intelligitur fratres, non quomodo aliqui pronunciant: nam & sic solet pronunciari, A Nazareth potest aliquid boni esse? Sequitur enim vox Philippi. *Et dixit, Veni & vide.* Ambas autem pronũciationes potest ista vox sequi, siue sic pronuncies tanquam confirmans, à Nazareth potest aliquid boni esse? & ille, Veni & vide: siue sic dubitans, & totum interrogans, à Nazareth potest aliquid boni esse? Veni & vide. Cum ergo siue illo modo, siue isto pronuncietur, non repugnant verba sequentia: nostrum est quærere quid potiùs intelligamus in his verbis: qualis fuerit Nathanaël iste, in sequentibus probamus. Audite qualis fuerit, Dominus ipse perhibet testimonium. Magnus Dominus cognitus est testimonio Ioannis, beatus Nathanaël cognitus testimonio veritatis: quia Dominus & si testimonio Ioannis non commendaretur, ipse sibi perhibuit testimonium, quia sufficit sibi ad testimonium suum veritas: sed quia veritatem non poterant capere homines, per lucernam quærebant veritatem, & ideo Ioannes per quem Dominus ostenderetur missus est. Audi Dominum Nathanaëli testimonium perhibentem. Et dixit ei Nathanaël, A Nazaret potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus; Veni & vide. *Et vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo. Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Magnum testimonium: hoc nec Andreæ dictũ, nec Petro dictũ, nec Philippo, quod dictũ est de Nathanaële; Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quid ergo facimus fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis, & nõ solùm primus non inuenitur in Apostolis, sed nec medius nec vltimus inter duodecim Nathanaël, cui tantum testimonium perhibuit filius Dei, dicens; Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Quæritur causa, quantum dominus intimat, probabiliter inuenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaëlem eruditum & peritum legis fuisse: propterea noluit illum dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit, vnde confunderet mundum: audi Apostolum dicentem ita, Videte, inquit, vo- 1.Cor.1. cationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus: & ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt, euacuentur. Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina eius meruit eligi. Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quẽ posteà crederet non solum orator, sed & Imperator. Nullus nobilis primò electus est, nullus doctus, quia infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Erat autem iste magnus & sine dolo, hoc solo non electus, ne eum quam videretur dominus doctos elegisse: & ex ipsa doctrina legis veniebat, quod cùm audisset à Nazareth: scrutatus enim erat scripturas, & sciebat quia inde erat expectandus saluator, quod non facile alij Scribæ & Pharisæi nouerant. Iste ergo doctissimus legis, cùm audisset Philippum dicentem; Inuenimus Iesum quem scripsit Moses in lege & Prophetæ, a Nazareth filium Ioseph: Ille qui optimè scripturas nouerat, audito nomine Nazareth, erectus est in spem, & dixit: A Nazareth potest aliquid boni esse. Iam cętera de ipso videamus. Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Quid est in quo dolus non est? Forte non habebat peccatum? forte non erat æger? forte illi medicus non erat necessarius? Absit. Nemo sic natus est vt illo medico non egeret. Quid sibi ergo vult, in quo dolus non est? Aliquanto intentiùs quæramus, apparebit modo in nomine domini. Dolum dicit dominus, & omnis qui verba Latina intelligit, scit quia dolus est Dolus quid, cùm aliud agitur & aliud fingitur. Intendat charitas vestra, non dolus dolor est: propterea dico, quia multi fratres imperitiores latinitatis loquũtur sic, vt dicant, dolus illum torquet, pro eo quod est dolor. Dolus fraus est, simulatio est: quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tanquam duo corda habet: vnũ quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem: & alterum sinum, vbi concipit mendacium: & vt noueritis hunc esse dolum, dictum est in psalmis, labia dolosa. Quid est labia dolosa? Sequitur; In corde, Psal.11. & corde locuti sunt mala. Quid est in corde, & corde: nisi, duplici corde? Si ergo dolus in isto non erat,

erat, ſanabilem illum medicus iudicauit, non ſanum. Aliud eſt enim ſanus, aliud ſanabilis, aliud inſanabilis. Qui ægrotat cum ſpe, ſanabilis dicitur: qui ægrotat cum deſperatione, inſanabilis: qui autem iam ſanus eſt, non eget medico. Medicus ergo qui venerat ſanare, vidit iſtum ſanabilem, quia dolus in illo non erat. Quomodo dolus in illo nõ erat? Si peccator eſt, fateretur ſe peccatorem. Si enim peccator eſt, & iuſtum ſe dicit, dolus eſt in ore ipſius: ergo in Nathanaële confeſſionem peccati laudauit, non iudicauit non eſſe peccatorem. Propterea cùm Phariſæi qui ſibi videbantur iuſti, reprehenderent dominum quia miſcebatur ægrotis medicus, & dicerent; Ecce cum quibus

Matth. 9. manducat, cum Publicanis & peccatoribus: Reſpondit medicus phreneticis: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus: non veni vocare iuſtos, ſed peccatores: hoc erat dicere; Quia vos iuſtos dicitis, cum ſitis peccatores, ſanos vos iudicatis cùm langueatis, medicinam repellitis, non ſanitatem tenetis. Vnde ille Phariſæus qui vocauerat dominum ad prandium, ſanus ſibi videbatur: ægrota autem illa mulier irrupit in domum, quò non erat inuitata, & deſiderio ſalutis facta impudens acceſſit, non ad caput domini noſtri, non ad manus, ſed ad pedes: lauit eos lachrymis, terſit capillis ſuis, oſculata eſt eos, & vnxit vnguento, pacem fecit cum veſtigiis domini peccatrix. Reprehendit ille tanquam ſanus medicum. Ille Phariſæus qui illic diſcumbebat, & ait apud

Luc. 7. ſe: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret quæ mulier eius pedes tetigiſſet. Ideo autem ſuſpicatus erat eum ignoraſſe, quia nõ illam repulit, quaſi ne immundis manibus tangeretur. Nouerat autem ille, permiſit ſe tangi, vt tactus ipſe ſanaret. Dominus videns cor Phariſæi, propoſuit ſimilitudinẽ. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus ei debebat quinquaginta denarios, alter quingentos. Cùm non haberent vnde redderẽt, donauit ambobus, quis eum plus dilexit? Et ille, credo domine, cui plus donauit. Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni; Vides iſtam mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis nõ dediſti, illa autem lachrymis lauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, illa autem non deſtitit pedes meos oſculari. Oleum mihi non dediſti, illa autem vnxit pedes meos vnguento. Propterea dico tibi; Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem modicum dimittitur, modicum diligit: hoc eſt dicere, Plus ægrotas, ſed ſanum te putas: modicum putas tibi dimitti, cum plus debitor ſis. Benè iſta, quia dolus in illa non erat, meruit medicinam. Quid eſt, dolus in illa nõ erat? Confitebatur peccata. Hoc & laudat in Nathanaële, quòd dolus in illo non erat: quia multi Phariſæi qui abundabant peccatis, iuſtos ſe dicebant, & dolum afferebant, per quem ſanari non poterant. Vidit ergo iam iuſtum in quo dolus non erat, & ait, Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt. *Dicit ei Nathanaël Vnde me noſti?* Aliud magnum potuit Nathanaël iſte intelligere, in eo quod dictum eſt, Cùm eſſes ſub fici arbore vidi te, priuſquam te Philippus vocaret. Nam talem vocem protulit, tu es filius Dei, tu es rex Iſraël, qualem tanto pòſt Petrus, quando ei dominus ait; Beatus

Matth. 16. es Simon Bar-Iona, quia non tibi reuelauit caro & ſanguis, ſed pater meus qui eſt in cælo. Et ibi nominauit petram, & laudauit firmamentum eccleſiæ in iſta fide. Hic iam dicit; Tu es filius Dei, tu es rex Iſraël. Vnde? Quia dictum eſt ei; Antequam te Philippus vocaret cum eſſes ſub arbore fici, vidi te. Quærendum eſt, an aliquid ſignificet iſta arbor fici. Audite enim fratres mei; Inuenimus arborem fici maledictam, quia ſola folia habuit, & fructum non habuit. In origine humani

Geneſ. 3. generis Adam & Eua cum peccaſſent, de foliis ficulneis ſuccinctoria ſibi fecerunt. Folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autem Nathanaël ſub arbore fici, tanquam ſub vmbra mortis.

Eſai. 9. Vidit eum dominus, de quo dictum eſt; Qui ſedebant in vmbra mortis, lumen ortum eſt eis. Quid ergo dictum eſt Nathanaëli. Dicis mihi ô Nathanaël, vnde me noſti? Modo iam loqueris mecum, quia vocauit te Philippus. Iam quem vocauit per Apoſtolum, ad Eccleſiam ſuam vidit pertinere. O tu Eccleſia, ô tu Iſraël, in quo dolus non eſt: Si es populus Iſraël in quo dolus non eſt, modo iam cognouiſti Chriſtum per Apoſtolos. quomodo Nathanael cognouit Chriſtum per Philippum. Sed miſericordia ſua ante te vidit, quàm tu eum cognoſceres, cùm ſub peccato iaceres. Nunquid enim nos prius quæſiuimus Chriſtum, & non ille nos quæſiuit? Nunquid nos venimus ægroti ad medicum, & non medicus ad ægrotos? Nonne

Luc. 15. ouis illa perierat, & relictis nonaginta nouem paſtor quæſiuit illam, & inuenit, quam lætus in humeris reportauit? Nónne perierat drachma illa, & accendit mulier lucernam, & quæſiuit in tota domo ſua donec inueniret? Et cum inueniſſet, collætamini mihi, ait vicinis ſuis, quoniam inueni drachmam quam perdideram: ſic & nos ſicut ouis perieramus, & ſicut drachma perieramus: & ſic paſtor inuenit ouem, ſed quæſiuit ouem: mulier inuenit drachmam, ſed quæſiuit drachmam. Quæ

Pſal. 131. eſt mulier? Caro Chriſti. Quæ eſt lucerna? Paraui lucernam Chriſto meo. Ergo quæſiti ſumus vt inueniremur, inuenti loquimur. Non ſuperbiamus, quia antequam inueniremur perieramus, ſi non quæreremur. Non ergo nobis dicant quos amamus & volumus lucrari paci eccleſiæ catholicæ: Quid nos vultis? quid nos quæritis, ſi peccatores ſumus? Ideo vos quærimus, ne pereatis: quærimus, quia quæſiti ſumus: inuenire vos volumus, quia inuenti ſumus. Itaque Nathanael cùm dixiſſet; Vnde me noſti? Ait illi dominus, Priuſquam te vocaret Philippus, cum eſſes ſub ficu vidi te. O tu Iſraëlita ſine dolo quiſquis es, ô popule viuens ex fide, antequam te per Apoſtolos meos vocarem, aut cùm eſſes ſub vmbra mortis, & tu me non videres, ego te vidi. *Dominus deinde dicit ei: Quia dixi tibi, vidi te ſub arbore fici, credis, maius his videbis.* Quid hoc maius his? *Et dixit eis. Amẽ amen dico vobis, videbitis cælos apertos, & angelos aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Fratres, neſcio quid maius dixit quàm eſt, cùm eſſes ſub arbore fici vidi te. Plus enim eſt quòd nos dominus vocatos iuſtificauit, quàm quòd vidit iacentes ſub vmbra mortis. Quid enim nobis prodeſſet ſi ibi remanſiſſemus, vbi nos vidit? Nunquid non iaceremus? Quid hoc eſt maius, quando vidimus angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis? Iam aliquando de his aſcendentibus & deſcendentibus angelis dixeram. Sed ne obliti fueritis, breuiter dico tanquam commemorans, pluribus enim dicerem ſi non commemorarem, ſed modo

Geneſ. 28. inſinuabo. Scalas vidit Iacob per ſomnium, & in

ipſis ſcalis vidit angelos aſcendentes & deſcen-
dentes, & lapidem quem ſibi poſuerat ad caput,
vnxit, &c. Audiſtis quia meſſias Chriſtus eſt, audi
ſtis quia vnctus Chriſtus eſt. Non enim ſic poſuit
lapidem vnctum vt veniret & adoraret, alioquin
idololatria eſſet non ſignificatio Chriſti. Facta eſt
ergo ſignificatio, quouſque oportuit fieri ſignifi-
cationem, & ſignificatus eſt Chriſtus lapis vn-
ctus, ſed non in idolo. Lapis vnctus, lapis quare?
Eſai. 28. Ecce pono in Sion lapidem electum precioſum,
Rom. 9. & qui crediderit in illum non confundetur. Qua-
re vnctus? Quia Chriſtus à chriſmate. Quid autem
vidit tunc in ſcalis? Aſcendentes & deſcendentes
angelos, Sic eſt & in eccleſia. Angeli Dei, boni
prædicatores prædicantes Chriſtum: hoc eſt, ſu-
per filium hominis aſcendūt & deſcendunt. Quo-
modo aſcendunt, & quomodo deſcendunt? Ex
vno habemus exemplum. Audi Apoſtolum Pau-
lum, quod in ipſo inuenerimus, hoc de cęteris ve-
2. Cor. 12. ritatis prædicatoribus credamus. Vide Paulum
aſcendentem: Scio hominem in Chriſto ante an-
nos quatuordecim raptū fuiſſe vſque ad tertium
cælum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio,
Deus ſcit, & audiuit ineffabilia verba, quę non li-
1. Cor. 3. cet homini loqui. Aſcendentem audiſtis, deſcen-
dentem audite. Non potui loqui vobis quaſi ſpi-
ritalibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi paruulis in
Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Ecce
deſcendit qui aſcenderat. Quære quò aſcenderat?
Vſque ad tertium cælum. Quære quò deſcende-
rit? Vſque ad lac paruulis dandum. Audi quia deſ-
1. Theſ. 2. cendit. Factus ſum paruulus, inquit, in medio fra-
trum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Vide-
mus enim & nutrices & matres deſcendere ad
paruulos, & ſi norunt Latina verba dicere, decur-
tant & illa quaſſant quodāmodo linguam ſuam,
vt poſſint de lingua diſerta fieri blandimēta pue-
rilia, quia ſi ſic dicant, non audit infans, ſed nec
proficit infans. Et diſertus aliquis pater, ſi ſit tan-
tus orator, vt lingua illius fora concrepent, & tri-
bunalia cōcutiantur, ſi habeat paruulum filium,
cùm ad domum redierit, ſeponit forenſem elo-
quentiam quo aſcenderat, & in lingua puerili
deſcendit ad paruulum. Audi vno loco ipſum
Apoſtolum aſcendentem & deſcendentem in vna
ſententia. Siue enim mente exceſſimus Deo, ſiue
temperantes ſumus vobis. Quid eſt, mente exceſ-
2. Cor. 5. ſimus Deo? vt illa videamus quæ non licet homi-
ni loqui. Quid eſt, temperātes ſumus vobis? Nun-
1. Cor. 2. quid iudicaui me aliquid ſcire inter vos, niſi Ie-
ſum Chriſtum & hunc crucifixum? Si ipſe domi-
nus aſcendit & deſcendit, manifeſtum eſt, quia &
prædicatores ipſius aſcēdunt imitatione, deſcen-
dunt prædicatione. Et ſi aliquanto vos diutiùs
* aliàs importunè. tenuimus, conſilij fuit vt opportunè * horæ tran-
ſirent. Arbitramur iam illos peregiſſe vanitatem
ſuam. Nos autem fratres, quoniam paſti ſumus
epulis ſalutaribus, quæ reſtant agamus, vt diem
dominicum ſolenniter impleamus in gaudijs ſpi-
ritalibus, & comparemus gaudia veritatis cum
gaudijs vanitatis: Et ſi horremus, dolea-
mus: ſi dolemus, oremus: ſi oramus,
exaudimur: ſi exaudimur, &
illos lucramur.

* * *

S. CYRIL. EPISCOPI

Alexandr. ſuper totius Euang. expoſitio.

STabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, &c. Oſten- Ex lib. 2. in Ioan.
ſum ſæpius antea eum, & filium Dei veræ ac pro-
priè adiecto etiam articuli appellauit: nunc quoque
iterum diſcipulis ſuis ipſum monſtrat, & agnum
Dei nominans, eum eſſe affirmat, qui tollit pec-
cata mundi: ad memoriam eos illius prophetici
reuocans. Ego ego, inquam, ſum, qui deleo ini- Eſa. 43.
quitates tuas. Ita eadem ſæpiùs de ſaluatore præ-
dicans, optimi doctoris officio fungitur. Opus
enim certè docentis eſt: quod adhuc non rectè in-
tellexerunt auditores, diligenter repetere. Pro- Philip. 3.
pterea beatus quoque Paulus ſcribit: Eadem vo-
bis dicere, tum mihi moleſtum non eſt, tum vo-
bis tutum. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem,
& ſequuti ſunt eum.* Vides quàm cito a doctrina
Baptiſtæ fructus ſequutus eſt: vides quàm ma-
gnum auditoribus emolumentum iteratio ſer-
monis attulit. Diſcat igitur ex iſtis, cui docendi
opus creditum eſt, non laudari ſilentium in pa-
ſtore, nec talentū domini, ſicut infœcundæ terræ
taciturnitati commendandum: ſed nummularijs Matth. 25.
eſſe diſpartiendum, vt inde cum fœnore ſaluator
illud exigat, quaſi fertile ſemen in terra fœcunda
viuificans. Horum omnium cōfirmationem, Ba-
ptiſtæ didiciſti exemplo: quem non piguit iterum
atque iterum oſtendere dominum, qui hac itera-
tione doctrinæ tantum diſcipulis ſuis contulit, vt
quibuſdam iam perſuaſerit: ſequuti enim duo di-
ſcipuli eius illicò Dominum ſunt. *Conuerſus autem
Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæri-
tis?* Conuerſus opportunè ad ſequentes eū Do-
minus, & vt re ipſa verum eſſe diſcas, quod cani-
mus: Quæſiui Dominum, & exaudiuit me. Donec Pſal. 33.
enim nec fide recta, nec probis moribus dominū
quærimus, poſt eum quodammodo eſſe compe-
rimur: quum verò diuina eius mandata ſcientes,
præcipuam iuſtitiæ viam ſcrutamur, ſtatim con-
uerſus viſitat clamans: Conuertimini ad me, & Zachar. 1.
conuertar ad vos. Interrogauit autem quid quæ-
rerent: non quia ignoraret, qui vniuerſa nouit, vt
Deus, ſed vt colloquendi principium interroga-
tio fieret. *Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur inter-
pretatum magiſter) vbi habitas?* Doctè ad interro-
gata reſpondentes, primò magiſtrum eum appel-
lauerunt, à quo diſcere cupiebant: deinde vbi ha-
bitet rogant, quaſi opportuniùs domi reliqua di-
cturi, non enim vbique res grandes oportere di-
cere arbitrabantur: quod factum ſuum quaſi per-
utili nobis in exemplo ſemper propoſitum ſit.
Dicit eis: Venite & videte. Non docuit vbi habita-
ret, quamuis hoc ipſum ab eo peteretur, ſed illi-
cò illò ire ipſos hortatur. Primum vt doceret, nul-
lam eſſe in quærendis bonis moram laudandam,
quum vtilitatis retardatio detrimentum afferat
ſemper: deinde vt oſtenderet non ſufficere, ſi quis
vbi Chriſti domus, id eſt eccleſia fundata ſit, di-
dicerit: ſed ſi per fidem in eam venerit, & quæ
myſticè in ipſa peraguntur, feruenti animo vide-
rit. *Venerunt & viderunt vbi maneret, & manſerunt
apud eum die illo, &c.* Diuinorum diſcipuli myſte-
riorum cognitionē, congruè nimium doceban-
tur. Non enim conuenit, vt citò ſatiati, à diuina
doctrina recedamus: ſed per totum vitæ tempus
integrum

integrum habere feruorem oportet. Id enim designari arbitror, quando dicitur; quia manserunt apud eum die illo. Horam autem dicit quasi decimam fuisse, vt nos moneret, non incipientibus seculis, sed post magnum iam eorú progressum, saluatoris nostri mysterium factum fuisse. In nouissimis enim diebus (vt scriptum est) dociles Dei omnes effecti sumus. Et ad hæc, decima hora diuertisse, & mansisse apud eum illos ait: vt discant qui Christo per fidem adhærent, nec peccato, nec incredulitate ab eo alienari oportere. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, &c.* Quum accepissent discipuli Ioannis talentum, statim multiplicatum illud Domino reddunt. Huiusmodi certe affectus, docilisque animus est: vt non longa egeat oratione, nec post multos annos, aut menses fructum doctrinæ pareat: sed simul quum audiuerit, & sibi profuit, & aliis vtilis esse conatur. Sapienti enim da causam, inquit, & erit sapientior: doce iustum, & proficiet. Fratrem igitur Petrum Andreas breuiter, atque in summa tanta re significata seruauit: inuenimus enim, inquit, Messiam: vt reconditum in agro thesaurum, vel maximi gemmam pretij, iuxta ipsius Euangelij parabolas. *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, &c.* Respicit, vt Deum decet, qui corda & renes scrutatur: vidétque qui nihil ignorat, ad quantam & fidem, & virtutem discipulus peruenturus sit: & anteaquam aliquid de eo quæsiuisset, tam ipsum quàm patrē eius nomine appellat: & hac re discipulum instruit, eum se esse qui cuncta etiam antequā fiant nouit: nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quod in eo, tanquam in petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. *In crastinum autem voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei: Sequere me, &c.* Probi (vt superiores) Philippus etiam fuerat animi, & valde ad sequendum Christum propensus: cuius futuram fidem atque virtutem non ignorans, vnico verbo illum vocauit: quo quidem verbo quanta in eo fuit gratia, significatur: vita enim profecto illius probatur, qui ad sequendum Christum iubetur: non enim elegisset eum, nisi probus fuisset. *Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Velociter nimium, vt superiorum affinis Philippus etiam fructum reddidit. Nathanaël enim non casu reperit, sed multo quæsitum studio inuenit. Studiosissimum enim scripturarum virum, diligentissimumq; cognouerat, atque ideo illum tanquam legis, & omnis prophetiæ peritum alloquitur, dicens inuenisse iam se Christū, qui ab omni scriptura venturus prædicatur. Erat autem opinio de saluatore nostro apud Iudæos, quod Nazarenus esset, quamuis scriptura ipsum Bethlehemitam appellet, dicēs: Et tu Bethlehem domus Euphrata, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exibit dux, qui reget populum meum Israel, & egressus eius de diebus æternitatis. In Nazareth enim enutritum fuisse scriptura testatur. Et venerunt, inquit Euangelista, in Nazareth, vbi nutritus fuit. Vulgatem igitur opinionem Philippus est sequutus: inuenimus, inquit, eum qui scripturis prænunciatus expectabatur, filiū Ioseph a Nazareth. *Dicit ei Nathanael, à Nazareth potest aliquid boni esse?* Non potest facilè sentire Nathanaël, magnum quid atque præcipuum esse, quod à Nazareth ortum habeat. Id legis & totius prophetiæ perito fidem non faciebat, quum (vt diximus) non à Nazareth, sed à Bethlehem venturum prophetæ Christum prædixerunt. Si videris solummodo dicit, si sermonem cum eo conferas, facillimè mihi assentires, ipsum proculdubio esse, qui expectatur. Credere autem nos oportet ineffabilem quandam gratiā in sermone, ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum animi magna iocunditate allicerentur. Scribitur enim, quia omnes admirabantur de verbis gratiæ, quæ exibant de ore eius. Nam quēadmodum ad facienda signa, diuina verbis suis inerat virtus, sic etiam ad persuadendum magnas vires habebat. *Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & ait: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Antequam signorum miraculo ad fidem homines traheret, alio quodammodo, nec minus mirabili, natura se Deum esse ostendit, qui humana forma propter salutem hominum venerit. Quis vero ille modus fuit? occultarum rerum cognitio, quæ soli Deo attribuitur. Non ergo adulatiunculis Nathanaëli blanditur, sed ea quorum ille conscius erat exponens, corda se hominum (quod solius Dei est) cognoscere confirmat. *Dicit ei Nathanaël: Vnde me nosti.* Miratur Nathanaël, & ad fidem motus discere quærit, vnde ipsum Christus nouerat. Studiosus enim, prudénsque animus exactam exquisitámque rerum doctrinam desiderat. Suspicatus autem forsan fuerat, à Philippo ista Domino prænarrata fuisse. *Respondit Iesus & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, noui te.* Omnem eius suspicionem saluator excussit, quum antequam de se cum illo Philippus colloqueretur, sub ficu ipsum vidisse asserat, quamuis corpore longe abesset. Vtiliter autem valde per ficum certiùs ipse locus describitur: vt qui conscius sibi fuerat, grauis apud seipsum testis veritatis, ad firmiorem iam fidem inniteretur. *Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es filius Dei: tu es rex Israel.* Nouerat probè Nathanaël, soli Deo corda hominum patēre, ac illud Psalmistæ infixum animo tenebat: Scrutans corda, & renes Deus. Nulli namque alij, sed diuinæ solummodo naturæ hoc propheta attribuit. Id quum inesse domino perspexisset, & magistrum & filium Dei, & regem Israel profitetur. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu credis, maiora his videbis.* Feruentior ad fidem futurus es, inquit, quum maiora his videris. Nam si vno signo inductus ad fidem es, quomodo non eris melior, quando mirabiliora conspicies? *Et dixit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Aspice, Nathanaëlis fide posita, ad omnes communiter vertit sermonem: angelos autem sursum atque deorsum ad filium hominis venturos annunciat, mandatis videlicet suis ad salutem credentium ministratores, quādo maximè filius Dei esse (nam meritò) credetur. Non enim alterutris, sed Deo virtutes cælorum seruiunt. Nam etsi alij aliis ordine quodam subijciuntur, non est tamen huiusmodi subiectio seruitus. De filio autem Dei scribitur: quia venerunt angeli, & ministrabant ei.

Hierem. 31. Ioan. 6. Prouerb. 9. Matth. 13. Psal. 7. Matth. 16. Mich. 5. Luc. 4. Luc. 4. Psal. 7. Matth. 4.

S. BERNARDI ABBAtis Clareuallensis in Vigilia S. Andreæ Apostoli, Sermo.

SAnctorum festa præcipua patrum sanxit auctoritas variis præueniendā ieiuniis. Vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si affuerit qui aduertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes: nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximéque eas quæ maximæ sunt, nisi priùs abstinentiæ purificatione præmissa, quò & digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim iustus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi à propria reprehensione laudes incipit alienas. Quòd si etiam iustus trepidat solicitus præuenire eum qui ipsas quoque paratus est iustitias iudicare: quid agimus nos, quorum interim iudicata non
Psal.31. fuerint & tecta peccata? Timendum valde est ne fortè manifesta inueniantur præcedentia ad iudicium. Si nec iustus sine modestia & verecundia quadam ad sanctorum præsumit accedere laudes: quanto magis peccator in cuius ore non est laus
Psal.49. speciosa, timeat semper necesse est vocem illam:
Matth.22. Quare tu enarras iustitias meas? siue illam: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Beati proinde qui stolam suam, dico autem gloriam conscientiæ suæ, solliciti sunt omni tempore conseruare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt qui sic omni custodia seruent cor suum, pauciores autem (si tamen vel pauciores) qui in omni sanctimonia conseruent illud, necesse est frequenti abstinentia maculas diluere subintrantes, præcipuè cū præcipua quælibet solēnitas aduenerit celebranda. Nō
modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem obseruatio præmissa ieiunij, est & ad-
SS.Sterum solemnitati quæ ieiunijs præmuniuntur. monitio quædam eruditióque non parua. Discimus ex hoc ipso quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid est enim quòd ieiuniis solennia
Act.14. pię ieiunimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solennū lętitia est, qui statutam vigilię abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus iure censeris requie & exultatione festiua. Est autem vniuersum pręsentis pœnitentię tempus, vigilia quædam solennitatis magni & æterni sabbati quod pręstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si ęternitatem festiuitatis attendas. Licet enim habere pręparationem soleant solennia diurna diurnam: illa cum ęterna sit, non exigit tamen ętetnam. Sed quò nos rapit iucundior illius memoria felicitatis? Hoc enim nomine & sępius & fortè dignius nominatur illa festiuitas. Redeundum nobis est ad id quod præ manibus est. Hodierni itaque ieiunij & eius quam præstolamur solennitatis & lętitię causa est beata passio Andreæ apostoli. Dignum est enim vt si cum eo perdere non possumus, cum eo vel ieiunemus. Nam & ipsum, cū biduo penderet in cruce, etiam ieiunasse quis dubitet? Inueniamur ergo vel in exiguo communicantes passioni eius, etsi non simul affixi patibulo, simul afflicti ieiunio: vt miserante Deo etiam coronę participes simus, & in pręsenti quoque spiritualium socij gaudiorum. Quomodo enim non exultemus in memoria triumphi eius quem in ipsa sui præsentia supplicij tam vehementer nouimus exultasse? An non erit lęta festiuitas, vbi & crux ipsa plena est gaudio? Siquidem & festiuum solemus nominare quod lætum est, & crux a cruciatu vtique dicitur, aut certe cruciatus a cruce. Quanta proinde exultatione vniuersæ terræ celebrandum tantę nouitatis miraculum, tam magnificum opus diuinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito a seculis gaudio tripudiabat cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset. O crux (inquit) diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudij? Ita (inquit) vt & tu exultans. Ergóne tanta est exultatio vt exultet & ipsa crux, nec lætitiæ quicquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minus, contra consuetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum exultare quam crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit, huic si quid præualet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorē. Amator, ait, tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens: & si lingua, certe ignea est. Carbones sunt ignis illius quem de excelso Christus miserat in ossibus meis. Atque vtinam desolatorij nobis sint, consumentes & exurentes quicquid in nobis est carnalis affectionis. Quales enim scintillæ sunt istæ, aut a quanto interiori incendio micant? Planè beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quę tam insperatum vbi teri cœpit, cœpit ex se proferre feruorem. Quid si paulo amplius tereretur? Quis feruorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Dùm enim minus minaretur Egeas, adhuc granum sinapis despicabile videbatur. Integrum erat, nesciebamus quid intus lateret. Dominus, inquit, me misit ad istam prouinciam, in qua non paruum ei populum acquisiui. Accedat commotionis pistillum, longè iam acrius sapiet, constantiusque loquetur. Terrendum eum putat Egeas crucis supplicium minitans: sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, & liberè clamat: Ego si patibulum crucis expauescerem, crucis gloriam non prædicarem. At vbi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc iam planè totus ignescens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ suæ, officiosissime salutabat, deuotissimè suscipiebat, magnificè attollebat eā, & in ipsius præconio gloriabatur, clamans magis affectione quàm voce: Salue crux preciosa, quæ decorem & pulchritudinem de membris dominicis accepisti. Salue crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. Meritò proinde crucis amatorem venerantur quicunque sunt serui crucis: sed ab his ampliorem iure deuotionem exigit, qui specialiùs proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hoc & de vobis dico fratres mei, qui non surda aure audistis illam euangelicam tubam: Qui non Luc.14.
baiulat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Parati estote, totam animi diligentiá huic adhibere solennitati, & corde magno celebrare eam: quia magnus omnino cōsolationis pariter & exhortationis thesaurus vobis repositus est in ea, si fuerit qui fodiat & scrutetur.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang. expositio.

STabat Ioannes, *& ex discipulis eius duo.* Stabat Ioannes, quia credebat in domino, & duo de discipulis eius. Statim enim crediderunt, & secuti sunt ambulantem. Debemus singula scripturarum verba tractare, quare Ioannes stans, & dominus ambulans dicitur. *Et aspiciens Iesum ambulantem dicit. Ecce agnus Dei.* Agnus immaculatus, Exod. 12. agnus anniculus, agnus qui tollit peccata mūdi, agnus qui exterminatorem Ægypti, populum Israël percutere non sinit. Ecce agnus Dei, & audierunt eum discipuli: quare voluit dicere, ecce? Quando dicitur ecce, quodāmodo ille qui ostenditur, digito demonstratur. Dicit ergo ad discipulos suos, Quid me sequimini? quid me putatis magistrum habere? Ecce agnus Dei: illum sequimini: illum oportet crescere, me autem minui. Nemo prudentum eum qui minuitur, sequitur, & relinquit eum qui crescit. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem.* Magistri imperium sunt secuti. Testimonium Ioannis, fides est discipulorum. *Et secuti sunt Iesum.* Sequentes Iesum, reliquerunt Ioannem: sequentes euangelium, legem amiserunt. Sic tamen secuti sunt Euangelium, vt testimonio vterentur è lege. *Conuersus autem Iesus, & videns eos.* Discipuli Ioannis comminus & coram & antecessu Iesum videre non poterant, sed tergum illius sequebantur, vt viderent. Ergo illi discipuli faciem Domini videre non poterāt. Conuertit se, & quodammodo de sua maiestate descendit, vt possent discipuli contemplari faciem illius. Conuertit se, vt ex lege à discipulis cerneretur. Conuersus autem, & videns eos sequentes se dixit; *Quid quæritis?* Non quasi ignorans interrogat, sed interrogat vt mercedē habeant respondentes. Quid quæritis? non dixit, quem quæritis? ne se videretur ostendere: sed, quid quæritis? Rem interrogat, vt illi personā significent. Quid quæritis? *Qui dixerunt ei, Rabbi.* Ipsa appellatio responsionis, indicium est fidei. Quando enim dicunt Rabbi, quod intelligitur magister, & sequuntur eum, vtique magistrum sequuntur, & dicunt. *Vbi habitas: Dicit eis, Venite, & videte.* Volunt habitaculum nosse Iesu, volunt sibi ostendi qualem habitationem habeat saluator: vt cùm ille ostenderit in quibus Christus habitet, tales se exhibeant, in quibus possit Dominus habitare, & dixit eis; *Venite, & videte.* Vultis videre habitaculum meum? Sermone explicari non potest, opere demonstratur. Venite, & videte. Isti quidem testimonio legis venerant, quia statim in ipso nomine confitentur, & dicunt Rabbi, quod interpretatur magister. Iesus autem respondens eis dixit, Vos autem, qui discipuli estis Ioannis, qui ex ipso nomine confessionem vestram demonstratis, & dicitis Rabbi, Venite, & videte vbi maneo. *Venerunt, & viderūt vbi maneret, &c.* Quia credebant, non in nocte manserunt, sed in die. Nox Luc. 14. illa tenebras non habebat, vbi erat fides veri luminis, & apud eum manserunt die illo. *Hora autem erat quasi decima.* Ex lege veniebant ad euangelium, ad fidem Christi mittebat illos legis decalogus. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, &c.* In fide non est ordo. Vbicunque fidelis est anima, ibi annorum multitudo non quæritur, nec paucitas. Andreas minor erat Simone Petro, & tamen non quæritur ætatis modo, sed fidei, Iesum primus inuenit. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus. Nisi fortè & hæc dignitas est Andreæ, quia Petri appellatur frater, super quam erat posteà fundanda ecclesia. *Qui audierant ab Ioanne, &c.* O vera pietas. Statim vt inuenit Iesum, statim vt inuenit margaritam, statim vt inuenit thesaurum, fratri nunciat, fratrem suum Simonem vocat, fratrem non tam sanguine, quàm spiritu. Quem fratrem habebat germanitate & sanguine, voluit habere & fide germanum: & dicit ei, *Inuenimus Messiam.* Nemo inuenit nisi qui quærit. Iste qui inuenisse dicit, ostendit quia diu quæsierit. *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus.* Diu quæsiuimus Christum in Moyse, in omnibus prophetis: & quem inuenire cupiebamus, ipse nos inuenit: & inuenti inuenimus. *Et adduxit eum ad Iesum.* Non dedignatur maior minorem sequi, quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritum fidei. *Intuitus autem eum Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona, &c.* Necdum aliquid Petrus fecerat, & iam nomen meruit mutare. Nunquid plus crediderat Andrea? Quid maius fecit, vt à fratre plus acciperet? Quid maius fecerat? Minorem fratrem secutus est: & quem habebat discipulum, non dedignatus est habere magistrum. Tu es Simon, filius Iona. Iona lingua nostra dicitur columba. Tu es ergo filius Iona, tu es filius Spiritussancti. Filius ergo dicitur spiritus, quia humilitatem de Spiritusancto acceperat. *In crastinum voluit exire in Galilæam, &c.* Iam patet ex superioribus vnde voluerit Iesus exire in Galilæam, videlicet à Iudæa, vbi erat Ioannes baptizans, & testimonium illi perhibens, quòd esset agnus Dei: duos ex discipulis suis ad eum sequendum prouocauit: è quibus vnus Andreas ad illum etiam fratrem suum Petrum adduxit. Patet iuxta sensum spiritalem, & crebra expositione vestræ fraternitati iam cognitum est, qui sit qui dominum sequitur. Sequitur nanque Dominum, qui imitatur. Sequitur Dominum, qui quātum fragilitas humana patitur, ea quæ in homine monstrauit filius Dei humilitatis exempla non deserit. Qui socius passionum existendo, ad consortium resurrectionis eius & ascensionis pertingere sedulus exoptat. Sed non sine certi ratione mysterij refertur, quod dicturus Philippo Iesus, Sequere me, voluit exire in Galilæam. Galilæa nanque transmigratio facta, vel reuelatio interpretatur. In eo quippe quòd transmigratio facta dicitur, profectum fidelium designat, quo vel de vitiis ad virtutum celsitudinem transmigrare, vel in ipsis virtutibus paulò proficere, ac de minoribus ad maiora quotidie subire contendunt, quousque de hac conualle lachrymarum ad arcem lætitiæ cælestis Domino auxiliante perueniant. In eo autem quòd reuelationem sonat, ipsam vitæ æternæ beatitudinem, pro qua in præsenti sancti laborant, insinuat. Cuius vtranque interpretationem nominis psalmista vno versiculo comprehendit, vbi ait; Ambulabunt de virtute in vir- Psal. 83. tutem: videbitur Deus deorum in Sion. Hæc est nanque visio de qua dicit apostolus: Nos autem reuelata facie gloriam domini speculātes, in eam- 2 Cor. 3. dem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Bene ergo vocatu

caturus ad sequendum discipulum Iesus, voluit exire in Galilæam, id est, in transmigrationem factam, siue reuelationem: vt videlicet sicut ipse teste euangelio proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines, sicut passus est, & resurrexit, & ita intrauit in gloriam suã: sic etiam suos sequaces ostenderet proficere virtutibus, ac per passiones transitorias ad æternorum dona gaudiorum transmigrare debere. *Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.* Non est putandus euangelista fortuitò & absque ratione mystica nomen ciuitatis de qua esset Philippus, & quòd eadem Andreæ quoque & Petri esset, voluisse monstrare: sed per nomen ciuitatis, typicè, qualis tunc iam animo Philippus, qualis officio esset futurus, quales etiam Petrus & Andreas, ostendere curasse. Bethsaida quippe domus venatorum dicitur: & venatores vtique erant, qui audiebant à Domino; Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Venator & ille, qui antequam ad prædicationis officium ordinaretur à Domino, quantum capiẽdis ad vitam animabus esset intentus, mox sponte prædicando monstrauit. *Inuenit enim Nathanael, & dicit ei, Quem scripsit Moyses in lege, &c.* Quãtum rete fidei, quam capacibus deuotæ prædicationis vinculis intextum inuento fratri circundat, quem ad æternam cupit prouidus captare salutem? Illum dicit inuentum, quem Moyses & prophetæ venturum suis scriptis signauerunt: vt eò cunctis sequentibus intelligatur quòd ipse sit cuius aduẽtui præconizando vniuersa veterum scripta seruierint. Iesum nuncupat: quod nomen Christi futurum, prophetarum oracula concinebant. Filium Ioseph appellat, non vt hunc ex coniunctione maris & fœminæ natum asseueret, quem de virgine nasciturum, in prophetis didicerat: sed vt de domo ac familia Dauid, vnde Ioseph ortum nouerat, secundum vaticinia prophetarum eum venisse doceret. Neque enim mirandum si Philippus eum filium Ioseph vocet, cum & ipsa genitrix illius intemerata semper virgo Maria, quæ virum non nouerat, consuetudinem vulgi sequens sic

Luc. 2. locuta legatur. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Addit & patriam; A Nazareth, vt ipsum esse signaret, de quo legerant in prophetis, Quoniam Nazaræus vocabitur. Non ergo mirum si mox ad con-

Matth. 2. sensum credendi ac veniendi ad Christum capiauit Philippus Nathanael, cui tantos vndique veritatis casses prætendit. *Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, &c.* Neque immerito à Bethsaida, id est, domo venatorum oriundus asseritur, qui tantam Deo dilectæ venationis curam pariter & gratiam accepisse monstratur. Nam sequitur, *Et dixit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse.* Nazareth, munditiæ, siue flos eius, aut separata interpretatur. Annuens ergo verbis euangelizantis sibi Philippi Nathanael, A Nazaret, inquit, potest aliquid boni esse? Ac si aperiè dicat, Potest fieri vt à ciuitate tanti nominis aliquid summæ gratię nobis oriatur: vel ipse videlicet mundi saluator Dominus, qui singulariter sanctus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatis: quique

Cantic. 2. loquitur in Canticis Canticorum; Ego flos campi,

Esa. 11. & lilium conuallium. Et de quo propheta; exibit, inquit, virga de radice Iessæ, & Nazareus, id est flos de radice eius ascendet. Vel certè aliquis doctor eximius, qui florem nobis virtutum, mũditiámque sanctitatis prædicare sit missus. Possumus hunc locũ & ita recte intelligere, quòd dicente Philippo, Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, sequitur, *Dicit ei Nathanael. Vnde me nosti, &c.* Quia cognouit Nathanael vidisse & nosse Dominum quæ alio in loco gererentur, id est, quomodo & vbi vocatus sit à Philippo, cùm ipse ibi corporaliter non esset, diuinæ hîc maiestatis intuitum considerans, protinus eum non solum Rabbi, id est, magistrũ, sed & filium Dei, ac regem Israel, id est Christum confessus est. Et libet intueri quam prudens laudanti Domino confessio respondeat serui. Ille hunc verum Israelitam, id est virum qui Deũ videre posset, eò quòd dolum minimè haberet, adstruxit. Iste eum non magistrum tantummodo, qui vtilia præciperet, verumetiam filium Dei, qui cælestia dona tribueret: & regem Israel, id est, populi Deum vidẽtis, religiosa deuotione fatetur: vt hac confessione suumquoq; hunc regem, & se eius regni militem significet. Potest autem hæc Domini sententia qua dixit se Nathanaël priusquam vocaretur à Philippo, cum esset sub ficu, vidisse, super electione spiritualis Israel, id est, populi Christiani, mysticè intelligi: quem Dominus necdum se vidẽtem, necdum per Apostolos eius ad fidei gratiam vocatum, sed sub tegmine adhuc peccati prementis abditum, misericorditer videre dignatus est, Paulo attestante, qui ait: Qui benedixit nos in omni benedictio- Ephes. 1.

ne spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Et quidem fici arbor aliquando in scripturis dulcedinem dilectionis supernæ insinuat, vnde scriptum est: Qui seruat ficum, co- Prou. 27.

medit fructum eius: & qui custos est domini sui, glorificabitur. Sed quia primi parentes nostri reatu præuaricationis confusi, de fici sibi folus succinctoria fecerunt, potest hæc arbor fici non incongruè malè dulcorata generi humano consue- Genes. 3.

tudinem peccãdi signare: sub qua positos adhuc electos suos, sed necdum electionis suæ gratiam cognoscentes, quasi sub ficu constitutum, nec se iam videntem dominus videt Nathanael. Nouit enim dominus qui sunt eius. Quorum saluatio- 2. Tim. 2.

ni, ipsum quoque nomen Nathanael aptissime conuenit. Nathanael namque donum Dei interpretatur: & nisi dono Dei quisque vocatus nunquam reatum primæ transgressionis, nunquam malè blandientia angescentium quotidie peccatorum vmbracula euadit, nunquam saluandus venire meretur ad Christum. Vnde dicit Apo- Ephes. 2.

stolus; Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: donum Dei est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Sequitur; *Respondit Iesus, & dixit ei; Quia dixi tibi, &c.* De quo dicat, ipse subsequenter aperit, futuram credentibus spondendo apertionem regni cælestis, & prædicandam mundo vtranque vnius suæ naturam personæ: quod tenera multò excellentius est arcanum, quàm quòd nos in peccati adhuc vmbra positos, à se illuminandos præuidit. Maius est enim, quod nos saluator gratia suæ cognitionis imbuit, quòd cæli nobis gaudia pandit, quod prædicatores suę fidei in mundum dispersit, quàm quòd nos saluandos potentia suæ maiestatis ante secula præsciuit. *Amen, amen dico vobis, Videbitis cælum apertum, &c.*

Iam

Iam completum cernimus promissi huius effectum. Videmus etenim cælum apertum, quia postquàm cælum Deus homo penetrauit, etiam nobis in eũ credentibus supernæ patriæ patefactũ cognoscimus ingressum. Videmus angelos Dei ascẽdentes & descẽdentes supra filium hominis, quia prędicatores suos nouimus sublimitatẽ diuinitatis Christi, simul & humanitatis eius infirma nunciare. Ascendunt super filium hominis angeli, quum docent prædicatores quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Descendunt super filium hominis angeli, quum adiungunt idem, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Neque immeritò prædicatores sancti typicè angeli vocantur, quibus consuetè deriuatum ab angelis nomen euangelistarum conceditur: vt sicut hi nuncij, ita & illi propter idem summæ prædicationis officium boni nuncij cognominentur. Et notandum quòd dominus seipsum filium hominis nuncupat, Nathanael eundem filium Dei prædicat. Cui simile est quod apud alios Euangelistas ipse discipulos interrogat, quem dicunt filium hominis esse? Respondit[illegible]us, Tu es Christus, filius Dei viui. Et quidem iustæ dispensationis moderamine actum est, vt cum vtraque eiusdem mediatoris Dei & domini nostri vel ab ipso domino vel ab homine puro esset commemoranda substãtia, Deus homo fragilitatem assumptę à se humanitatis, purus homo virtutem æternæ in eo diuinitatis adstrueret, ipse suam humilitatem, ille eius fateretur altitudinem. Notandum quippe quòd dominus qui beatum Nathanael vere Israelitam nuncupat, in hoc verbo quod ait, Videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes supra filium hominis, visionem Iacob Patriarchæ, qui per benedictionẽ vocatus est Israel, ad memoriam reducit. Is nanque cum volens in quodam loco requiescere, lapidem capiti suo supposuisset, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque domini ascendentes & descendentes super eam: & dominum innixum scalæ, dicentem sibi, Ego sum Deus Abraham patris tui: & Deus Isaac. Surgénsque mane, & debito cum pauore laudes Deo reddens, tolit ipsum lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Huius ergo loci dominus facit mentionem, & de se ac suis fidelibus figuratum manifestissime testatur.

Matth. 16. Marc. 8. Genes. 28.

EIVSDEM IN EODEM
Homilia.

S*Tabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c.* Tanta sacralis est diuinæ scripturæ sublimitas, vt non solùm verba, quę à sanctis vel ab ipso domino dicta referuntur, sed etiam circũstantia rerum, quæ simpliciter posita videntur, spiritalibus sit plena mysterijs. Ecce enim narrante Euangelista, fratres charissimi, audiuimus, Quia stabat Ioannes, & discipuli eius duo, & respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce agnus Dei, statimq; cognouimus, imò iam notum ad memoriã reuocauimus, quare Iesum præcursor suus agnum Dei vocauerit: quia videlicet eum pręcæteris mortalibus singulariter innocentem, hoc est, ab omni peccato mundum nouit: quia nos sanguine suo redempturum (quia dona sui velleris sponte largiturum, ex quo vestem nobis nuptialẽ facere possimus, id est, exempla viuendi nobis relicturum præuidit, quibus in dilectione calefieri deberemus. Hoc est ergo testimonium præcursoris domini, quia facile patet fidelibus cùm amoris intimi fomitem audiẽtium cordibus infundit. Sed non est putandum, quia sine certi ratione mysterij hoc relaturus Euangelista præmiserit, stetisse Ioannem cum discipulis, Iesum vero ambulasse, & illo vtique ambulasse vbi sequentibus se discipulis Ioannis mansionem in qua habitabat ostẽderet, cæteraq; huiusmodi, quæ sequentia lectionis euangelicæ commemorant, si enucleatiùs discutiantur, inueniemus cælestibus redundare mysterijs. Stabat enim Ioannes, & respexit Iesum, quia in magno iam culmine perfectionis animi gressum fixerat, vnde iure celsitudinem diuinæ maiestatis mereretur intueri. Stabat, quia illam virtutum arcem conscenderat, à qua nullis tentationum posset improbitatibus deijci. Stabant cum illo & discipuli, quia magisterium eius corde sequebantur immobili. *Et respiciens, inquit, Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.* Ambulatio Iesu dispensationem incarnationis, qua ad nos venire ac nobis exempla viuendi præbere dignatus est, insinuat, sicut mansio eius æternitatem diuinitatis, in qua semper est patri æqualis, aptissimè designat. Respiciens ergo Iesum ambulantem Ioannes dicit: Ecce agnus Dei, quia videns eum inter homines conuersantẽ profectúmque illis vitæ cælestis & factis demõstrantem, & verbis apertè pronunciabat, quia nõ ipse vt putabant, sed ille esset, qui ad redemptionem generis humani à Deo Patre missus esset in mundum, ille qui formam innocentiæ & patientiæ in se credentibus esset daturus, de quo in carne venturo præcinens propheta dicebat: Sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & sicut agnus coram tondente se sine voce sic obmutescet. Et iterum: Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & liuore eius sanati sumus. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.* Testimonium perhibente Ioanne, quia Iesus esset agnus Dei, secuti sunt illum duo discipuli, magis desiderantes ab ipso Iesu, quam à præcursore illius verbum gratiæ percipere, quo & ipsi mererentur in agnorum Dei sorte computari. Benè autem duo discipuli sunt inuenti, qui dominum primi sequerentur, vt etiam mysticè designarent, omnes qui illum perfectè sequerentur, gemina dilectione deuotos esse debere, hoc est, & eiusdem sui redemptoris & fratrum simul amore flagrantes. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis?* Non potuit ignorare dominus, quid sequentes se discipuli Ioannis quærerent, sed in eo quòd ad illos se sequentes cõuertitur, quòd ipse prior quid quærerent interrogat, quòd dat eis fiduciam quęque vellent rogandi, manifeste innotuit quantum bonis nostris studiis delectetur, quam libenter iter veritatis inchoantibus ipse auxilium laturus occurrat. *Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum, magister, vbi habitas?* Nolebant transitoriè magisterio veritatis perfrui, sed mansionem potiùs, in qua habitaret, inquirebant: quatenus & tunc liberiùs in secreto verbis illius imbui, & exinde sæpiùs eũ possent visitare pleniùs instruendi. Vnde & ipse, quia illos bene petentes, quęrentes,

Esa. 53.

res, pulsantes vidit, libens eis secretarium sui teseravit arcani, eósq; introducens veritatis Euangelicæ, rudimentis quæ desiderabant, illustrauit. Nam sequitur. *Dicit eis: Venite, & videte.* Statimque subiungitur: *Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Quod si altiore sensu libet inspicere, quid nobis agendum insinuent discipuli in eo quòd ad dominum quidem ambulantem venerunt, sed locum continuo vbi habitaret inquirebant, admonent vtique nos, vt quoties incarnationis eius transitum ad mentem reducimus, solicito semper eum corde rogemos, vt habitationem nobis æternæ suæ mansionis, quæ est apud patrem, ostendere dignetur, dicétes cum Moyse: Domine, ostende nobis gloriam tuam. Exod. 33. Quia autem ipse discipulos venire & vbi maneret videre præcipit, virtutum profecto studium, quibus ad æterna gaudia perueniamus, subeundum nobis ostendit: Venire etenim post Iesum est, vt mãsionem eius videre possimus bonis operibus, quæ ipse præmonstrauit insistere horúmq; quotidianis profectibus ad celsitudinem diuinæ visionis attingere. *Venerunt*, inquit, *& viderunt vbi* Exod. 20 *maneret, &c.* Quia lex in decem præceptis data est, solet in denario numero perfectio legis indicari. Bene ergo decima hora venerũt discipuli, vt mansionem Iesu viderent: quia nimirum necesse est, vt qui Deum videre desiderat, Dei se mandatis humiliter subdat: quique luce diuinæ contemplationis postmodum frui appetit prius adiuuante domino decalogum legis per opera lucis quasi decem horas diei sole illustrante compleat. Et illi quidem die illo manentes apud dominum, felicissima veritatis speculatione vesperam expectabant. At vero omnes electi post operum bonorum perfectionem, post impleta legis Dei pręcepta perpetuum & nulli fini obnoxium diem sunt cum illo acturi, illum videlicet quem videre desiderans propheta cantabat: quia melior Psal. 83. est dies vna in atriis super millia. *Erat autem Andreas frater Symonis Petri, vnus ex duobus qui audierant ab Ioanne, & secuti fuerant eum, &c.* Andreas Dominum quem inuenit, etiam fratri Simoni sequendum euangelizat, quia hoc est verè Dominum inuenire, vera illius dilectione feruere, fraternæ quoque salutis curam gerere. Ille enim perfectè conditoris sui ducatum sequitur, qui etiam proximi quantum valet habere comitatum nititur. Inuenimus, inquit, Messiam, quod est interpretatum Christus. Messias idem est, quod Christus. Sed messias Hebræo sermone, Christus dicitur Græco, Latinè autem vnctus interpretatur. Vnde & chrisma Græcè, Latinè vnctio dicitur. Christus autẽ, id est, vnctus appellatur Dominus, quia sicut Petrus ait: Act. 10. Vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute. Vnde etiam Psalmista in eius laude loquitur: Psal. 44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ prę consortibus tuis. Consortes autem eius nos vocat, qui ad accipiendam spiritus sancti gratiam in baptismo etiam chrismate visibili perungimur, & à Christi nomine christiani vocamur. Sed ille Ioan. 3. præ consortibus vnctus est, cui sicut Ioannes Baptista testatur, non ad mensuram dat Deus spiritum, sed omnia dedit in manu eius. Nam de consortibus eiusdem vnctionis dicit Apostolus: Ephes. 4. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Vocabantur au- Exod. 30. Leuit. 8. tem Christi, & sacerdotes in lege & reges, in figuram nimirum eiusdem viri regis & pontificis magni, Domini ac saluatoris, in cuius typo etiam materiali liniebantur oleo. Non solum autem illi sed & nostri temporis fideles, vt à Christo Christiani, ita etiam ab ipsa sacri chrismatis vnctione, & ab ipsa spiritus sancti gratia, qua consecrantur, Christi rectè nuncupantur propheta teste qui ait: Abac. 3. Existi in salutem populi tui, vt saluos facias Christos tuos. Exiit quippe in salutem populi sui, vt saluos faciat Christos suos, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est, vt spiritali gratia perũctos ac sanatos sui sancti nominis donaret esse participes. Sequitur: *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna.* Intuitus est Simonem Iesus, nõ exterioribus solum oculis, sed & interno diuinitatis intuitu, iuxta illud beati Samuelis: 1. Reg. 16. Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem cuius merito cunctæ esset pręferendus ecclesię. Vidit quia vocãte Andrea feruente ad se amore peruolauerit: ideóque venientem mox familiari affatur eloquio, tu es, inquiens, Simon filius Ioanna. Nec magnum est Domino vocabulum cuiuslibet hominis vel patris eius dicere, qui omnium sanctorum nomina scripta tenet in cælo, sed positurus discipulo nomen meriti sublimioris daturus vocabulo, quod totius ecclesiæ præsuli congrueret, primo voluit ostendere, quia quod à parentibus acceperat nomen, etiam ipsum significatione virtutis nõ careret. Simõ ergo obediens, Ioanna dicitur Domini gratia. Tu es Simon filius Ioanna. id es obediens filius gratiæ Dei. Et merito ille obediẽtis nomine censetur, qui & prius inuitante Andrea mox Dominũ videre curauit, & postmodũ cum ipse Dominus eum ad discipulatum vocaret, statim cum eodem Andrea, quem pariter vocauit, relictis retibus quorum vsu viuebat eum sequi non distulit. Vnde & Andreæ quoque nomen veram meritis eius imaginẽ pręfert. Andreas namque Græce, Latine dicitur virilis. Et illi libenter Dominũ vel ad prædicationem Ioannis, vel ad ipsius Domini iussionẽ sequendo ad coetũ se fortẽ pertinere docet, qui tẽporalia quę possidẽt, fortiter æternorũ amore contemnũt, qui credẽtes videre bona Domini in terra viuẽtiũ, donec hæc percipiãt expectare Dominũ cũ psalmista, Psal. 26. & viriliter agere ac cor suum confortare contendunt. Quòd autem Simon filius fuit Ioanna, Ibidem. id est, gratiæ Dei, apertè demonstrat, quia quicquid deuotæ obeditionis domino impẽdit, quicquid merito obedientiæ præmij perennis à domino recepit, totum hoc nimirum præueniente se gratia supernæ pietatis vt habere posset accepit. Ecce audistis, fratres charissimi, quare primus Apostolorum prius Simon dictus, quo mysterio filius sit Ioãna: restat perscrutari, quid arcani contineat nomen, quo eum denuo saluator appellauit. *Tu, inquit, vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Neque vero Petri vocabulo quasi Hebræo vel Syro aliam interpretationẽ quærere oportet, sed pro certo nosce, quia idem Græcè & Latinè Petrus, quod Syriacè Cephas significat, & in vtraque lingua nomen à petra deriuatum est. Vocatur autem Petrus ob firmitatem fidei, vocatur Petrus ob inuincibile robur mentis, vocatur Petrus quia illi solidissimæ Petræ, de qua Apostolus ait; 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus, vnica deuotione adhæsit,

sit. Hinc est enim, quòd eadem petra, videlicet Christus, cum interrogaret discipulos suos, quem eum dicerent esse, ac Petrus responderet, dicens; *Matth.16.* Tu es Christus filius Dei viui; continuo puram eius cófessionem iuxta vtriusque nominis significantiam digna remuneratione donauit, sed & ipsa Petri appellatio quid in se sacramenti gestaret aperuit. *Ibid.16.* Primo nanque ait de Simone: Beatus es Simon Bar iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Ac deinde subiunxit de Petro: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã: Tu es, inquit, Petrus, & super hãc petrã, ædificabo ecclesiã meã: Tu es Petrus, & super hãc petrã, à qua tu nomen accepisti, hoc est, super meipsum ędificabo ecclesiã meã, Super hãc fidei perfectionem, quam tu confessus es, ædificabo ecclesiam meam, à cuius societate cófessionis quisque deuiauerit, quamuis sibi magna videatur agere, ad ædificium ecclesiæ meæ non pertinet. Petrus igitur à firma petra, videlicet Christo, quem ardenter amauit, nomen accepit. Christus etenim vocatur petra, quia inexpugnabile ad se confugientibus præsidium tribuit: quoniam sperantes in se ab antiqui hostis insidiis munitos reddit & tutos. Nec prætereundum est, quòd ob hoc quoque dominus petra vocatur, quia spiritalium nobis charismatum fluenta ministrat, quia sacrosancta nos sui sanguinis communione purificat. Quod faciliùs intelligitur, & iucundiùs forte retinebitur, si ad memoriam reuocetur, quæ sit iuxta historiam petra, de qua Apostolus mysticè, *1.Cor.10.* quia Christum significaret exponit. Liberatus nanque *Exod.16.* Ægyptia seruitute populus, per mare rubrum venit in desertum, in quo per annos 40. donec ad terram repromissionis veniret, iter agebat. Qui quodam tempore fame ac siti fatigatus, in eremo *Ibidem.* clamauit ad Moysen. At dominus orante Moyse, *Psal.77.* *Exod.17.* sicut scriptum est, pluit illis manna, manducare panem cæli dedit eis. Rursus quoque præcepit Moysi, vt percuteret virga petram. Quod dum *Psal.77.* faceret, exiit aqua, & bibit populus. Vnde dicitur in Psalm. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ. Nos ergo, fratres charissimi, nos sumus populus Dei, qui Ægyptię seruitutis iugum per mare rubrum liberati euasimus, quia per aquam baptismi remissionem peccatorum, quę nos premebant accepimus, nos qui inter ærũnas vitæ præsentis, quasi in siccitate eremi promissum nobis patriæ cælestis expectamus ingressum. In qua videlicet eremo siti periclitamur, & fame spiritali deficimus, si non redemptoris nostri nos dona confirment, si non incarnationis eius sacramenta renouet. Ipse est enim manna, quæ nos victu cælesti, ne in huius seculi itinere deficiamus, recreat: ipse petra quæ spiritalibus nos donis inebriat, quæ ligno crucis percussa poculum nobis *Ioan.6.* vitæ suo de latere manauit. Vnde dicit in Euangelio: Ego sum panis vitę qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, nó sitiet vnquam. Et congruenti satis figurarum ordine primo populos per mare saluatus est, ac sic ad cibum mannæ atque ad petram mystici potus peruenit: quia primum quidem aqua nos regenerationis abluit, ac deinde ad participationé sacri altaris, vbi redemptoris nostri carni ac sanguini communicemus transmittit. Hęc de mysterio petræ spiritalis, à qua & primus pastor ecclesiæ nomen accepit, & in qua totius sanctæ ecclesiæ fabrica immobilis & inconcussa persistit, & per quam ipsa ecclesia nascitur ac nutritur, latiùs exponendo dicere libuit: quia solent arctiùs multò & aliquando dulciùs inhærere cordibus audientium ea quæ figuratum antiquitate præmissa sic demum noua spiritaliter explanatione dilucidantur, quam, quæ sine vllis figurarum exemplis simplici tantum narratione credenda vel agenda monentur. Curemus autem fratres charissimi, vt huius petræ præsidio semper adhærentes nulla labentium rerum contrarietate terrente, nulla blandiente serenitate à fidei firmitate diuellamur. Neglectis delitiis temporalibus sola nos in præsenti redemptoris nostri dona cælestia delectent, sola inter ærumnas seculi spes visionis illius consoletur. Recolamus seduli egregium Dauid prophetæ & regis exemplum, qui cùm in tantis regni affluentiis, honoribus ac diuitiis nullum animæ suæ solatium posset inuenire, tandem ad superna desideria erecto mentis intuitu memor fuit Dei, & delectatus est. *Psal.76.* Vtque ad eandem eius visionem peruenire mereamur, obstacula vitiorum, quæ hanc impedire solent, satagamus à nostro & corpore, & mente excludere. Neque enim ad eum nisi rectis operum gressibus peruenitur, neque facies eius munda nisi à mundis corde videtur. *Matth.5.* Beati autẽ mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui promittere dignatus est Iesus Christus Deus & dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti per omnia secula seculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emissent superioris Euang. expositio.

IN exordio huius euangelij magna nobis quæstio oritur. Dicit enim euangelista, quia altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, Et respiciens Iesum ambulantem, dixit, Ecce agnus Dei. In crastinum aut ab hac die voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei, Sequere me. Tertia autem die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Hęc igitur dies nuptiarum, quæ tertia est ab ea de qua modò diximus, quarta videtur esse ab illa die in qua dominus baptizatus est. Lege paulò superiùs, & diligenter attende quæ dicuntur. Dicit enim euangelista, quia miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum si esset Christus, si esset Elias, si esset propheta. Quibus beatus Ioannes se non esse respondit. Altera autem die post hanc responsionem, vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et tunc quidem baptizauit eum. Altera autem die iterum de qua modò in principio huius euangelij dicitur, stabat Ioannes & ex discipulis eius duo, & vidit Iesum venientem, & similiter ait; Ecce agnus Dei. In *Ioan.2.* crastinum autem inuenit Philippum, & dicit ei, Sequere me. Tertia verò die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Sed quomodo verum esse potest vt dies nuptiarũ quarta sit à die baptismi, quum alij euangelistæ dicant quia statim vt baptizatus est, in desertum ductus est à spiritu? *Matth.4.* Si enim à die baptismi quadraginta diebus & noctibus in deserto dominus ieiunauit, nequaquam fieri potest,

vt quarta die ad nuptias inuitatus cum discipulis manducasset. Illud quoque quomodo verum esse potest quod dicitur, quia viso vini miraculo, crediderunt in eum discipuli eius, cùm Apostoli ibi non essent, neque adhuc vocati vel electi essent? Nullum enim nisi Philippum solum adhuc dominus vocauerat, cui modò dixit, Sequere me. Denique & illud quomodo verum est, quod tota ecclesia verum esse credit, vt vna eadémque die hæc tria miracula facta fuerint, quum non eadem, sed quarta die ad nuptias dominus venerit? Hæc est igitur quæstio, ad cuius solutionem intentos (Math.2.) modò vos esse volo. Eadem nanque die qua Magi ad dominum venerunt, id est, tertia decima die postquam natus est; eadem (inquam) iam tricesimo anno incipiente, veniens ad Iordanem, baptizatus est. Vnde & euangelista ait; Erat autem (Luc.3.) Iesus incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph: ab hac autem die qua baptizatus est, iam penè toto anno euoluto, quum tres solummodo adhuc dies restarent, venit iterum vbi erat Ioannes. Hoc est autem illa altera dies, de qua modò in principio huius euangelij audiuimus, quia altera iterum die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & vidit Iesum venientem, & ait; Ecce agnus Dei. Altera autem hoc in loco non ad hesternam refertur, sed pro alia ponitur: propriè enim de duobus dicitur altera. Ab hac autem altera die, tertia die veniente, nuptiæ factę (Ioan.2.) sunt in Cana Galilææ. Quæ videlicet dies nuptiarum anniuersaria erat, in qua in præterito anno dominus baptizatus fuerat: & ea in qua Magi cũ muneribus ad eum venerant. Sic igitur tria ista miracula vna eadémque die facta sunt, quoniam eadem die qua Magi venerunt ad Iesum, ipsa eadem in tricesimo anno incipiente baptizatus est. Quo videlicet trigesimo anno euoluto, eadẽ ipsa die ad nuptias dominus venit. Dies igitur nuptiarum non quarta, sed potius anniuersaria est à die baptismi. Constat itaque dominum & saluatorem nostrum eo anno quo baptizatus est, neque publicè prædicasse, neque miracula fecisse. Quo completo venit ad nuptias, ibique primum miraculum fecit. Deinde verò eius nominis fama totam subitò terram repleuit. Quod autem ait, *Et crediderunt in eum discipuli eius*, non de Apostolis, quos nondum habebat, sed de illis discipulis intelligendum est, qui eo tempore cum illo erant. Habebat enim aliquãtos discipulos, sicut & Ioannes, qui eum sequebantur & audiebant. Nunc autem ad euangelij verba redeamus. *Altera* (inquit) *die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c.* Crediderunt enim magistro loquenti, & Christo domino testimonium perhibenti, & sequuti sunt Iesum, gaudentes se tandem illum inuenisse de quo toties Ioannem loquentem audierant. Et relinquentes Ioannem sequuti sunt eum, quem ipsius Ioannis testimonio cognouerunt esse magistrum ipsius quoque Ioannis. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis. Quid quæritis? &c.* Quid autem significet Rabbi, euangelista exponit, dicens; *Quod dicitur interpretatum magister.* Quòd enim ad eos dominus conuertitur, eósque respicit, & cum eis loquitur, clementiæ & bonæ voluntatis indicium est. Sciebat enim quales erant, & quales postea futuri erant, & quo affectu eum sequebantur. Omnes enim diligit Iesus qui eum sequuntur, neminem ad se venientem repellit. Vnde & istis interrogantibus; Vbi habitas, respondit; *Venite & videte.* Non dixit, in illo vel in illo loco: quod si dixisset prius locum ostendere, quàm eos inuitare videretur. *Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo*, cunctis diebus mansit cum illo. *Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant ab Ioanne, & sequuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiam.* Quid sit autem Messias, ait Euangelista, quod est interpretatum Christus. Expectabant enim Iudæi Messiam, & adhuc quidem expectant, sed frustra. Vnde & Dominus ait; Ego veni in nomine patris mei, (Ioan.5.) & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis. Et adduxit eum ad Iesum. Boni fratres, qui sic desiderant videre Iesum. *Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas.* Et hoc Euangelista exponit, dicẽs; *Quod interpretatur Petrus.* Tu es (inquit) Simon, quod obediens dicitur: quem genuit Ioannes, id est, gratia Dei: tu vocaberis Cephas, id est Petrus, à petra denominatus, à Christo corroboratus, quod tamen agnoscens interpretatur. Ipse enim præ cæteris Deum agnoscens, ait: Tu es Christus (Math 16.) filius Dei viui. Cui dominus, Et ego dico tibi quia tu es Petrus, benè respondens & bene agnoscens. Non est autem intelligendum, vt Petrum & Andream tunc temporis Dominus elegisset: quos (sicut alij Euangelistæ scribunt) de piscatione Christus vocauit. Vnde & hic dicitur quia mãserunt apud illum die illo. Postquam enim eos elegit, non vno die, sed omnibus cum eo manserunt. *In crastinum autem voluit exire in Galilaam, &c.* Secundum enim hæc dicta beati Ioannis, primus omnium Apostolorũ Philippus videtur esse vocatus. Et meritò quidem primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur: quatenus & ipse, & cæteri post ipsum intelligant, ad quale officium eligantur. Tale nanque os tunc omnes receperũt, (Act.1.) quando in linguis igneis spiritus sanctus super eos descendit. Legimus enim quando Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, Matthæus euangelista vocati sunt: de cæteris tamen non legimus. Habebat tamen iam tunc aliquantos discipulos Iesus, cum quibus (vt in sequentibus legitur) ad nuptias vocatus est. Sed qui illi fuerint, nescimus. *Inuenit Philippus Nathanael & dixit ei, Quem scripsit Moyses in lege, &c.* Rudis adhuc erat Philippus: prædicare volebat, sed nesciebat. Dicit se inuenisse Iesum, de quo & Moyses scribit, & cæteri prophetæ. Verum quidem dicit: sed quod addit. Filium Ioseph, verum non dicit. *Et dicit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ac si dicat, Bonum quidem aliquod potest esse à Nazareth, sed Christus Iesus nasciturus est in Bethlehem. *Dicit ei Philippus, Veni & vide.* Veni (inquit) & vide, loquere cum eo, audi verba ipsius, vt quis & qualis sit intelligere valeas. *Credidit ei Nathanael, & sequutus est eum.* Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & ait de eo, Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Magnus vir iste Nathanael, cui ipse Dominus tale perhibet testimonium. Magnus vtique est ille, in quo dolus non est. Sed quare Israëlita vocatur, nisi quia iam Deum videre & in eum credere incipiebat? Israëlita nanque videns Deum interpretatur. *Et dicit ei Nathanael, Vnde me nosti? &c.* Hoc autem quamuis ad literam intelligatur, vt re

vera

vera sub ficu esset Nathanael quando eum Philippus vocauit, potest tamen aliotì sensu intelligi. Primi nanque parentes nostri, postquam peccauerunt, cognoscentes se esse nudos, consuerunt folia ficus, & facientes sibi perizomata, illas corporis partes operuerunt in quibus generatio fit, & ex quibus totum genus hominum exiuit. Ibi igitur simul cum alijs erat Nathanael. Et hoc est fortasse quod ait: Cùm esses sub ficu (id est, sub folijs ficus) vidi te. Vidit enim Dominus Nathanael etiam tunc, qui omnia cognoscit & videt antè quàm fiant. *Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Vnde enim tam cito Nathanael eum cognoscere potuit, nisi quia spiritus sanctus (qui vbi vult spirat) eius mentem illuminauit? *Respondit Iesus, & dixit ei, Quia dixi, vidi te sub ficu, credis, &c.* Quia (inquit) sub vno prophetiæ verbo diuinitus illuminatus credidisti, multa maiora videbis ad tuæ fidei corroborationem. *Et dicit eis Iesus, Amen amen dico vobis, videbis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Hæc autem manifesta sunt, si ad illum diem referantur, quo in suæ maiestatis sede ad iudiciú dominus veniet, & omnes angeli cum eo. Tunc enim cælum apertum, & angelos ascendentes & descendentes sancti videbunt. Tunc & Nathanael, qui tam facile credidit, maiora videbit, quando in sua maiestate Christus dominus apparebit.

Genes. 3. — Ioan. 3.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangel. expositio.

STabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c. Propter audientium ignauiam cogitur Ioannes eadem dicere, vt vel crebro testimoniú efficiat aliquid: neque falsus est. Christo enim statim duos discipulos obtulit. Nam quum reuera pronubus esset, omnia faciebat, & ita humanam naturam sponso adducebat. Ideo & Christus quidem tacet, vt sponsus: pronubus autem omnia loquitur. Et Dominus sicut sponsus venit ad multitudinem. In nuptiis enim non sponsa ad sponsum, sed sponsus ad illam abit, etiamsi regis filius sit. Ideo & Dominus naturam nostram desponsaturus, descendit ad eam in terram, & factis nuptiis, assumptus ipse tulit eam in domum Patris. Itaque quum intuitus esset Iesum Ioannes, hoc est etiam corporalibus oculis præ se tulisset gaudiú, quòd habebat in Christo & miraculo: Vide, inquit, agnus ille. At discipuli crebris testimonijs demulsi, sequuti sunt Iesum: non quidem contemnentes Ioannem, sed magis obedientes ei, testanti de Christo meliora. *Conuersus autem Iesus, & conspicatus eos sequentes se, dicit eis. Quid quæritis? &c.* Matthæus quidem quum de baptismate narrasset, statim subduxit illum in montem tentandum. At præsens Euangelista relictis his, quę ab illo dicta sunt, refert ea quæ post descensum de monte. Igitur postquam de monte vbi tentatus fuit, sequitur discipulorum comitatio & accessus ad Christum. Opinor quod sermo demonstret, quod non debeat aliquis constitui doctor, nisi priùs ad fastigium conscenderit virtutum (hoc enim mós significat) & omnem deuicerit tentationem, triumphum de tentatore referens. Sequuntur igitur primùm discipuli, & tunc interrogant eum vbi maneat. Non enim publice multis præsentibus, sed seorsum oportebat colloqui, quasi de rebus quibusdam necessarijs. Imo illi non priores interrogant, sed Christus ipsos inducit ad interrogandum. Dicit enim eis, quid quæritis? non tãquam ignorans: quomodo enim ignoraret, qui sciebat corda hominum? sed vt per interrogationem prouocaret eos ad dicendum quid vellent. Verisimile enim est eos erubuisse, & reueritos illum, cui Ioannes testimonium plus quam de homine dederat. Te autem velim admirari bonam illorum affectionem erga Christum. Non enim solùm sequuti sunt, sed & Rabbi salutant, hoc est, magister, idque cùm nihil adhuc de illo audissent. Volentes itaque seorsim aliquid ab eo discere, interrogant vbi maneat. In quiete enim commodiùs & discitur & auditur. Dominus vero non dicit eis signum domus: sed venite, inquit & videte. Hoc autem facit, tum vt magis alliciat eos ad sequendum se, tum vt probet eorum desiderium, num grauentur ex itinere. Nam si frigida mente accessissent, nequaquam ad domum fuissent sequuti; Quomodo autẽ Christus alibi dicit, quod filius hominis non habeat vbi caput reclinet, hoc autem loco videtur habere domum: Non hæc inter se dissident. Etenim quando dicit quod non habeat vbi caput reclinet: non dicit, quod nullum omnino habeat diuersorium, sed quod non habeat proprium. Si igitur habitasset in domo, non propriam inhabitasset, sed alienam. Non frustra autem Euangelista assignat tempus, quod fuerit hora quasi decima, sed vt doceat & doctores, & discipulos, quod propter nullum tempus sua differre debeant, neque doctor prætexat aliquid, & dicat quod vespere sit: & discipulus sciat omne tempus esse doctrinæ, nec differendum auditum in crastinum. Hinc autem discimus, quod discipuli habebant ventrem minimè ornatum, sed ieiunijs assuetum, eo quod tempus, quod alij impendunt in quietem corporis cibis grauati, & non valentes serio operi intendere, hoc illi insumebant in doctrinam. Ita erãt discipuli Ioannis ieiunijs clari. Vide autem obsecro, quod Christus conuertit se ad sequentes, & ostendit eis faciem suam. Nisi enim per bonam operationem sequutus fueris Iesum, non peruenies ad contemplationẽ faciei Domini, neque ibis ad habitationem, hoc est, non peruenies ad illuminationem diuinæ scientiæ. Lucem enim, inquit, habitat inaccessam. Propterea nisi quis seipsum purificauerit, & purificationem sequutus fuerit, quomodo sciẽtia illustrabitur? *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, &c.* Andreę quidé nomen profert nobis, sed nõ alterius. Quidam autem dicunt illum esse Ioannem, qui hæc scribit. Nonnulli autem aiunt, quod non fuerit ex nobilioribus aliquis. Præterea nulla vtilitas fuerat etiam scire nomen. Cæterum Andreæ mentionem facit, quia & insignior erat, & adducebat suum fratrem. Vide autem obsecro, quantum amauerit fratrem, & quomodo non occultauerit ab eo bonum: sed communicarit ei thesaurum, emiseritque iucunditatis vocem: Inuenimus, dicens. Et verisimile est, quod multo tempore desiderati, & meditati fuerint quærere illum. Neque simpliciter dicit, Messiam: sed, Messiam illum: cum articulo, illum ipsum qui propriè est Christus. Vnus enim erat

Matth. 4. — Luca 9. — 1. Tim. 7.

qui ab eis expectabatur, quamuis multi essent Christi, qui & filij Dei appellabantur. Adduxit autem illum ad Iesum, non quod iam leuibus esset motibus, & ad omnem sermonem circumferretur, sed quod feruenti & bono animo susceperat sermones, quos ei dixerat frater de Christo. Verisimile enim est, quod Andreas plura dixerit ei, & manifeste annunciauerit de Christo: vtpote edoctus secreciora quædam, eo quòd manserat apud Christum. Quod si perseuerat quis arguendo facilitatem Petri, discat & hoc non esse scriptum quod crediderit statim Andreæ, sed quod Andreas duxerit illum ad Iesum: id quod magis solidæ mentis fuerit, & non quouis vento circumactæ. Non enim simpliciter recepit sermonem Andreæ, sed voluit videre & Christum: vt si quidem inueniret quid dignum fide, sequeretur, sin minus, resiliret: & ita duci ad Iesum, non leuis, sed studiosæ mentis indicium erat. Quid igitur Dominus? Prophetando de illo, illis se manifestare incipit. Nam qui prophetæ non sunt minimum signorum, imo plurimum hominibus persuadent, prædicit de Petro. Tu enim, inquit, es Simon filius Iona: deinde, & quod futurum. Tu vocaberis Cephas. Nam quum quod præsens est dicitur, etiam futurum credibile fit. Non dixit autem, ego te vocabo Petre, sed vocaberis. Nolebat enim ab initio authoritatem suam indicare, eo quòd nondum firmam in illum fidem haberent. Quamobrem autem agnominat hunc quidem Petrum, illos autem, filios inquam Zebedæi,
Marc.3. Gen.17. filios tonitrui? Vt ostendat quod ipse sit, qui & olim nomina indiderit, sicut & nunc, ita etiam tunc mutauerit nomen Abram in Abraham, & Sarra in Saram. Scias autem quod Symon interpretatur obedientia: Ionas vero columba. Igitur mansuetudinis filia quæ per columbam significatur, est obedientia, & qui habet obedientiam, etiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiens, vt firmetur in bono. *Postero die voluit Iesus exire in Galilæam, & reperit Philippum, &c.* Andreas quidem præcursore audito, & Petrus Andrea, secuti sunt Iesum. At Philippus videtur nullum audiuisse, & statim secutus esse Dominum, dicentem sibi: Sequere me. Vnde hoc igitur, quòd ille tam statim crediderit? Videtur igitur primum, vox Domini animam illius stimulo quodam charitatis tetigisse. Non enim simpliciter saluatoris vox dicebatur, sed dignos statim flagrare faciebat intrinsecus ad amandum ipsum: sicut & Cleophas dicit. Nonne cor nostrum ardens erat, quum loqueretur nobis in via? Quia autem Philippus, eo quòd solicitum cor habebat, & multum meditabatur scripta Mosis, expectabatque semper Chri-
Luc.24. stum: statim simol atque vidit, credidit, propterea etiam dicit: Inuenimus Iesum; quo ostendit, quod semper quæsiuerit. Fortassis autem & à Petro & Andrea de Christo didicit. Etenim verisimile & colloquutos illos ei, qui ex eadem patria erat, & narrasse de Christo, id quod & Euangelista videtur insinuare per hoc quod dicit: Erat autem Philippus à ciuitate Andreæ & Petri. Parua autem fuit ista ciuitas, quæ pagus rectiùs diceretur: vnde & digna miraculo Christi virtus, quod ab his qui nullum afferebant fructum, præcipuos discipulos elegerit. Igitur neque Philippus apud se bonum hoc retinet, sed communicat & Nathanaeli: & quia legisperitus erat Nathanael, ad legem & prophetas ipsum mittit Philippus, quia diligenter legem meditabatur. Porro filium dicit Ioseph Dominum, quia eius filius nominabatur: & Nazarenum illum appellat, quamuis propter a Bethleem situm, in qua natus, sed in Nazareth educatus fuit. At quoniam natiuitas eius multis incognita erat, manifesta autem educatio, à Nazareth eum nominat, vtpote illic enutritum. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? &c.* Philippus quidem Iesum Nazarenum dicebat. Nathanael autem, vtpote in lege diligentior, cognoscebat ex scripturis, quod a Bethleem oportebat venire Christum, & propterea dicit: A Nazareth potest esse aliquid boni? Philippus vero inquit, veni, & vide: sciens quod si gustaret verba Christi, non esset discessurus. Porro laudatur à Christo Nathanaël: vt pote verus Israelita: non enim ad gratiam neque ad odium loquebatur. Nó enim verba illa sunt incredulæ, sed diligentis, & in lege versatæ mētis, quæ sciebat quod Christus non à Nazareth, sed Bethleem veniret. Quid igitur Nathanael: num laudibus remissior fit? Minime, sed vrget manifestiùs & euidentiùs quiddam discere volens. Ideo & interrogat: Vnde me nosti? At Christus dicendo ei, quæ nullus alius sciebat præterquā ipse & Philippus, quod solus & incertus esset & fecisset, detegit & suā deitatem. Nam Philippus solus & nullo præsente sub ficu locutus erat Nathanaeli, quæ sanè omnia Christus etiam absens cognoscebat. Proinde & dicit. Quū esses sub ficu, vidi te. Priusquam autem appropiaret Philippus, dixit Dominus de Nathanaele. Vide Israelitam, vt neque quis suspicetur quod Philippus Christo dixerit de ficu, & alijs, quæ locutus sit cùm Nathanaele. Vnde Nathanael agnito Domino, fatetur eum filium Dei audi enim quid dicat. *Respondit Nathanael, & ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, &c.* Maximè potens est prophetia, & efficacior miraculis ad alliciendum quosdam ad fidem. Dæmones enim etiam possunt miracula simulare & apparenter facere: præscientiam autem futurorum, & prædictionem euidentem nullus habet, neque angelus, & quanto minus dæmones? Ideo & Nathanaelem Dominus attraxit: dicens ei locum, & quod loquutus esset ei Philippus, & quod verè esset Israelita. Nathanael igitur auditis illis, sentire cœpit magnitudinem Domini, quantum tunc possibile erat, & fatetur illum filium Dei. Veruntamen quamuis filium Dei fateatur, non tamen sicut Petrus. Nam Petrus quidem confessus est filium Dei, ideo & beatus prædicatur, & Ecclesia ei concreditur. Nathanaël Matth.16.
vero vt hominem nudum quidem eum fatetur, gratia autem propter virtutem adoptatum in filium Dei, & hoc manifestum ex eo quod subditur: Tu es ille rex Israel? Vides quod nondum venerat ad perfectam cognitionem veræ deitatis vnigeniti. Etenim quasi amicum Dei, & quasi regem Israel, eū credit esse: quod si verè eum Deum esset confessus, nó dixisset eū regem Israel, sed regem vniuersi. Vnde non prædicatur beatus, sicut Petrus & Dominus corrigens eum: & inducens ad cognoscēdum quiddam dignum sua deitate. Videbitis inquit angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Ne enim, inquit suspiceris nudum hominem: sed dominum angelorum cui enim angeli ministrant vtique non fuerit purus homo, sed verus Deus. Porro hæc

hæc in cruce & ascensione euenerunt. Nam & ante tempus passionis angelus de cælo confortauit eum, & in sepulchro visi sunt angeli, & in assumptione, sicut Lucas prodit. (Luc. 22. Matth. 28. Act. 1.) Sunt qui per ficum legem intellexerunt, quasi fructum habentem ad tempus dulcem, asperitate autem legalium obseruationum, & difficultate mandatorum, quasi foliis obtectam. Dicunt igitur, quòd Nathanaëlem Dominus viderit, & intellectum eius illustrarit, quamuis adhuc sub lege esset. Tu & hoc scies, si quid & hæc arrident, quod Nathanaelem Dominus vidit adhuc sub lege existentem, hoc est intra legem, & profunda legis scrutantem. Nam si non esset scrutatus profunda legis, neutiquam vidisset eum Dominus. Scias autem & hoc, quod Galilæa interpretetur deuolubilis. Exiuit igitur dominus in deuolubilem huius mundi regionem, vel etiam humanam naturam & nos sub ficu sumus, hoc est peccato dulci, cui etiam non paruum amaritudinis adest: propter pœnitudinem & iudicia sequutura. Sicut misericors videt, ac eligit eos qui fatentur ipsum filium Dei, & regem eius Israel, qui videt Deum. Et si quidem studium adhibuerimus, & maioribus nos dignabitur spectaculis, & videbimus angelos ascẽdentes quidem ad summitatem cognitionis Dei: descendentes vero iterum, incognoscibilem eius substantiam deprehendere non valentes. Vel aliter: Ascendit quis, quando versatur in sermonibus de deitate vnigeniti: descendit autem, quando tractare gaudet sermones de incarnatione & descensu in infernum.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

STabat Ioannes & ex discipulis eius duo, &c. Non vulgari modo, neque casu hæc de ipso loquitur: sed quia nondum Iudæorum insensibilitatem attigerat: nemo enim quicquam de ipso interrogauerat, rursum hæc de ipso dicere cogitur, mentémque eorũ iteratis vocibus expergefacere quasi dormientem. Et quemadmodum sponsus nihil interim sponsæ loquitur, nec eam per seipsum accipit, sed dux sponsæ omnia differt, eámque illi tradit: vbi verò hãc ipse acceperit, ita eam immutat, vt illa priorum omnium obliuiscatur. Ita & nunc Christus adhuc tacet, Ioannes verò cuncta operatur, ideo etiam amicus sponsi vocatus est, (Ioan. 3.) tanquam qui nuptiis præest, omniáque administrat quæ ad sponsum pertinent. Vbi vero accepit desponsatam sibi Ecclesiam, ita eam sibi copulauit, vt illa continuo omnium obliuisceretur. Et sicut sponsa nequaquam ad sponsum accedit, sed hic ad illam, etiam si fuerit ipse regis filius, illa verò omnium abiectissima: ita & hic accidit: iste quum tantus esset, ad eam quæ despectissima erat accessit, & coniunctus non permisit, vt hic deinceps remaneret, sed susceptam in paternam deduxit domum, hoc est, in cælum. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, ac sequuti sunt Iesum.* Inter multos auditores hi soli audisse dicuntur, auribus videlicet animæ, quum alij vtique audissent auribus corporis. Ex discipulis namque Ioãnis soli hi duo tunc animo præsentes erãt, quum tamen alij multi adstarent. Sequuti sunt autem eum, cupientes eius habere notitiam. *Conuersus Iesus quum vidisset ipsos sequentes, ait illis, Quid quæritis?* Non tanquam ignorãs, qui hominum penetrat cogitationes, sed vt interrogando familiares sibi redderet, ac fiduciam daret. Verisimile est enim quòd erubescebant, & quasi ignoti formidabant. *At illi dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur, si quis interpretetur, Magister, vbi habitas?* Quum nondum ab eo quicquam audissent, magistrum siue præceptorem eum appellant: atque hinc causam cur sequerẽtur manifestãt, videlicet vt quæ forent vtilia audirent, vtque sese in discipulos ingererent. Dicunt autem, Vbi habitas? volentes diutiùs & in quiete cum eo conuersari. *Dicit eis, Venite & videte.* Non dat habitationis signa, volens vt illi sequerentur, quo maiorem haberent fiduciam. *Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. Hora autem erat ferme decima.* Horam significat, & in his innuẽs discipulorum desiderium, & in illo humanitatem, quod neque propter tempus auersi sunt, quum iam sol ad occasum declinaret: neque tempus, aut aliud quippiam causati sunt. Quod si alibi dicit se non habere vbi caput suum reclinaret, non hoc simpliciter de domo dixit, sed de propria domo: neque enim propriam habebat, sed alienis vtebatur. (Matth. 8.) Dicit itaque Euãgelista manisisse ipsos apud eum die illo: quòd autem instructi sint, tanquam manifestum reliquit intelligendum. Tantum enim vna nocte profecerunt, vt ad aliorum venationem sequenti die procederent. Oportet igitur & nos ob nullum tergiuersari tempus ab audiendis his quæ diuina sunt, sed omnia his posteriora ducere. Alia siquidem mundana vniuersa tempus habent: ad hæc vero omne tempus est conueniens. *Andreas frater Simonis Petri erat vnus è duobus.* Alterius siluit vocabulum, siue quia insignis non erat vel cognitus: siue ipse qui hæc scribit erat, vt quidam dicũt. *Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & ait illi Inuenimus Messiam, † quod est, si interpreteris, Christus.* † Sermo est admodum lætantis: Inuenimus quem quærebamus, quem venturum sperabamus, quem scripturæ annunciauerunt: nam ab his hunc esse cognouit, à quibus ad sacra introductus est. Considera vero, quod hi etiam quum piscatores essent scripturis animum aduertebant: nos autem qui de eis colloquimur, in eísque versamur, nequaquam tamen adeò animum attendimus.

† Messias ab Hebræo משיח Maschah, quod est vngere ducitur, quo nomine à prophetis cùm reges alij, tũ Dominus noster dictus est, quia à Deo in regem summum, sacerdotémue est specialiter destinatus. Psal. 2 & 109. †

Et duxit eum ad Iesum. Postquam videlicet dixerat, quæ ab eo audierat: Siquidem hoc germanæ fraternitatis est, hoc synceræ amicitiæ, vt boni participem assumat & fratrem. Fortassis autem non retulit quæ ab eo mysteria audierat, sed tantum vbi dixisset, inuenimus Messiam, duxit eum ad Iesum, id solum studens, vt ipsum duceret, Christóque traderet, sciens quòd ille doceret eum vniuersa. *Intuitus autem illum Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona. Tu vocaberis Cephas, † quod est, si quis interpretetur, Petrus.* † Quæ diuinitatis sunt deinceps à vaticinio aperire incipit. Siquidem non minus alliciunt homines prophetiæ aut futurorum annunciatio, quàm signa. Præterea minus etiam patent inuidiæ: nam signa calumniabantur insipientes.

† כפא Cepha, Syriacè vt Hier. interpretatur in cap. 2. ad Galat. Petram significat, & res certissima est. Nam vbicunque in textu Hebræo est סלע Salah, id est, Petra, in Syriaco est Cepha.

Luc. 11. In beelzebul, inquiunt, ejicit dæmonia. De prophetis vero nihil tale dixisse leguntur. Et circa Simonem quidem & Nathanael hoc vsus est modo. De Andrea autem & Philippo nihil vaticinatus est. Siquidem Andreas Ioannis testimonio attractus est. Philippus vero videns illos, qui ipsum sequebantur, ad fidem & ipse adductus est. De Petro quidem prophetauit, cuius esset filius, & quo vocandus esset nomine. Quære præterea ad perfectiorem intelligentiam tertio iuxta Matthæum capite dicti illius enarrationem. Math. 4. Marc. 3. Ambulans Iesus circa mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andreã fratrem eius, mittentes rete in mare. Ad hæc octauo iuxta Marcum capite verbi illius interpretationem, Et imposuit Simoni nomen Petrus. Sed & loci illius explanationem decimo capite euangelij secundum Lucam, Luc. 5. Piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia. Omnia enim conferunt ad ea quæ hic ponuntur. Hunc itaque nominauit Petrum, sicut Iacobum & Ioãnem filios tonitrui: ostendens se eum esse qui in veteri quoque testamento nomina adaptauerat, Gen. 17. Gen. 32. 4. Abram vocãs Abraham, Sara † vero Sarram, & Iacob Israel. Nã quibusdam ab ortu nomina imponebat, quibusdam autem postmodum. Quorum enim virtus à primo, quod aiũt, capillo fulgebit, his ab initio nomẽ imponit: quorum autem postea, his etiam postea.

† *Euthymius Græcus auctor septuaginta interpretationem secutus, refert Abrahæ vxorem prius Saram nominatam, adiectione vnius litteræ Sarram esse dictam. Sed veritas Hebraica cum consensu Targhum Chaldaicum, & nostra vulgata editio, habet, eam quæ prius Sarai dicebatur ablatione litteræ* י *Iod Saram esse nominatam.*

Postero die voluit Iesus exire, & reperit Philippum, ac dicit illi: sequere me, &c. Postero sane die voluit exire, at non postero die reperit Philippum, sed postmodum postquam Petrum & Andream, Iacobum ac Ioannem attraxerat, quemadmodum ab aliis euangelistis licet colligere. Sed quãobrem non meminit quomodo eos attraxerit ambulans circa mare Galilææ? Math. 4. Marc. 1. Quia Matthæus & Marcus hoc tradiderunt, sed quia illi prætermiserant quæ circa Philippum acciderant, hæc nũc iste manifestat. Ait autem illi Iesus; sequere me. Sciens quidem & hunc iam animo sequutum, quum de eo audisset ab his qui sequebantur, sed reuerentia detineri, soluit eum metu. Dicit autem Euangelista, qua sit Philippus ciuitate oriundus, puta à Bethsaida vili ac ignobili: vt scias quod ignobilia 1. Cor. 1. mundi elegerit Deus. *Reperit Philippus Nathanael.* Postquàm videlicet Christum sequutus erat. *Et ait illi, Quem scripsit Moses & prophetæ in lege inuenimus.* Sumpto de ipso experimento, statim prædicator efficitur: sciẽsque Nathanael in legis ac prophetarum scripturis diligentissimum: siquidem erat in eis maximè versatus, quemadmodum & ipse Christus attestatur, & res ipsa demonstrauit: ad Mosem ac prophetas eum remittit, cõfirmans inde suum de Christo testimoniũ esse fide dignum. *Iesum filium Ioseph.* Adhuc enim filius eius esse putabatur. *A Nazareth.* A Nazareth, ideo dicebatur, quòd ibi nutritus esset. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?* Quum prophetam audiret dicentem, Mich. 5. Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es inter principatus Iuda: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel, è Bethlehem Christum expectabat: nunc autem audiens eum Nazarenum esse, turbatus est & admirabatur, non inueniens Philippi verbum conuenire prophetiæ, ideóque opinatus hunc circa locum esse lapsum, benignã fingit obiectionem, innuens non ita ipsum inuẽtum esse, sed eum esse à Nazareth, planè quodammodo per modum interrogationis repellit, suam ostendens circa scripturas diligentiam, & infallibilitatem figurarum. Est autem simile ac si diceret; Verum fieri potest, vt à Nazareth adeò exigua & abiecta sit quippiã boni? Nam Galilæa à Iudæis male audiebat: porro Nazareth Galilææ ciuitas erat. Dicebat autẽ hoc certissimus, quòd nõ à Nazareth, sed à Bethlehem expectaretur Christus. *Dicit ei Philippus, Veni & vide.* Modum quo hoc dixerat ignorans, putánsque illum simpliciter ciuitati Nazareth detrahere, ducit ipsum ad Christum tanquam statim crediturum, si modo doctrinam ac conuersationem eius gustasset. *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo, Ecce verè Israelita.* Laudauit ipsum quasi intelligentem quæ legerat: id enim est verè Israelitæ. Nam pontifices & scribæ, quique illos contingebant, non attendentes ea quæ legebant, falsò nomine Israelitæ dicebantur: *In quo dolus non est.* Dolum vocat, veritatis contectionem vel obscurationem à malitia. *Dicit ei Nathanael, Vnde me nosti?* Non est laudibus inflatus, sed rogat vnde eũ talem esse cognosceret, qualem dicebat. *Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu videbam te.* Ille quidem tanquam hominem adhuc rogabat, ipse verò quasi Deus illi respõdet: nã se vidisse dicit quod nullus vidit. Priusquam autẽ occurrisset ei Philippus, erat sub ficu, nullo præsente aut ipsum vidẽte. Dedit itaque signum quòd cognosceret ac videret quæ hominibus visa non forẽt: ideóque & tempus dixit, & locum, ac arborem. Simul etiam indicauit se omnino audisse quæ dixisset, vtrum à Nazareth posset quippiam esse boni: & ex hoc magis intellexit ipsum esse Christum. Cogitabat enim quòd aliter non eum laudasset, sed potius repulisset. Cæterum & à prophetia, & a laude ipsum esse credidit. Prophetia vero nõ de futuris tãtum est, verum etiam de præteritis: sicut Moses de mundi constitutione: Gen. 1. & de præsentibus, vt quum dixit Christus quæ Matt. 9. & 12. sint in corde hominum. *Respondit Nathanael, & ait illi: Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Vides animã præ nimia lætitia exultãtem, hisque verbis ipsum amplectentem: Tu inquit, ille ipse es qui expectabatur. Sed quare Petrus qui post tanta miracula, Math. 16. tantámque doctrinam cõfessus est ipsum esse Dei filium, beatus dictus est: Nathanael vero qui & ante miracula, & ante doctrinam hoc ipsum fecit, non est dictus beatus? Quia licet hoc ipsum locutus est, non tamen eadem mente. Nam Petrus cum natura Dei filiũ esse confessus est: Nathanael vero Dei filium adoptione: & ille quidem propriè Deum, hic autem per gratiam, quod manifestum est, ex eo quod subditur, Tu es rex Israel. Qui enim natura Dei filius est, non Israelitarum solum, sed & omnium rex est. Neque hinc solum manifestum est, verum etiam ab his quæ respondit Christus, ad perfectiorem confessionem hunc inducens ac ducens, ne sibi quasi puro homini auscultaret. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Videbam te sub ficu, credis? &c.* Vt perfectius credas. Nam quum parua adhuc audisset, parùm credebat. *Et dixit ei: Amen amen dico vobis, &c.*

Nota qua sit inter Petri & Nathanaelis cõfessionẽ differentia.

Super

† † *Super filium hominis.* Siquidem tanquam super legitimum Dei filium ascendebant & descendebant angeli Dei ad eum, ministrantes illi: hoc quidem circa tempus passionis, illud autem tempore resurrectionis & assumptionis. Cui autem in modum seruorum ministrant angeli, hic non simpliciter homo est, sed & Deus ac Dominus. Amen amen dico vobis fidelibus, Posthac videbitis, post ingenuam veràmque fidem. Hæc autem sunt maiora illa, de quibus dixerat; Maiora his videbis. Visionem verò, intellige etiam cognitionem. Hæc enim omnes discipuli cognouerunt: hi quidem videntes, illi autem ab his qui viderant audientes. Quod ergo in aliis, hoc etiam nunc facit. Siquidem duo vaticinia protulit: vnum certum dicens, Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, videbam te: aliud verò ambiguum, puta quòd visuri essent cælos apertos & cætera, & à certo confirmat ambiguum. Ideo etiam Nathanael tacuit, Christus verò substitit, ac siluit, expectans verbum eius, sinens vt dicta apud se reuolueret. Vbi enim semen in terram bonam seminasset, reliquit: vt per ocium postmodum nasceretur.

Christus Deus est.

† *Primum dixit Ascendentes, significans quod vsque tunc cum eo præsentes fuerant, eique ministrauerant.* †



IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI.

MATTH. 4.

[a] Ante hæc prædicta, & ideo non apponit tunc vel deinde vel fortasse. Post hæc prædicta. [b] Quod idem dicitur stagnum Genezareth, mare Tiberiadis, Lacus salinarum.



IN illo tempore: [a] Ambulans Iesus iuxta [b] mare Galilææ, vidit duos

[c] Quia vnitatem fraternæ dilectionis probauit, sine qua nullus in ordinem prædicatorum admittitur. [d] Qui interpretatur obediens, qui vocatus est, quando Andreas duxit eum ad Iesum. [e] Agnoscens. [f] Virilem.

[c] fratres, [d] Simonem, qui vocatur [e] Petrus, & [f] Andream fratrem

[f] Intentos lucris vitæ præsentis. [f] Mundum. [g] Electi ad spiritualem piscationem secundum gratiæ electionem. [h] Non tam pedibus quàm imitatione & affectu.

eius, mittentes rete in mare. Erant enim [g] piscatores: & ait illis: [h] Venite post me

[i] Aliter frustra laborat doctor, nisi Deus faciat, vt proficiat. [k] Vbi magis pensatur affectus, quàm census. [l] Pedum incessu, sed magis obedientia & affectu, amplius ad propria non reuersi.

& [i] faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò [k] relictis retibus, [l] sequuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi,

[m] Ostendit personas non esse accipiendas. [n] Reparantes ad lucrum. [o] Concupiscentiarum.

& Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo [m] patre eorum, [n] reficiētes [o] retia sua: & vocauit eos. [p] Illi autē statim relictis retibus, & patre, sequuti sunt eum.

[p] Perfecta est conuersio, vbi cum cupiditate rerum, carnalis quoque rumpitur dilectio.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euangelium.*



QVi vo. Pe. Vel quando primum Andreas adduxit eum, hoc nomen inditum est ei, dum dicitur: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: quanquam hic videtur de futuro promittere. Vel quando confessus est, Tu es Christus filius Dei viui: dictum est ei: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Bed. Petrus, agnoscens. Andreas, virilis: quod doctoribus conuenit: quia hi soli magisterio sunt apti, qui sapientiæ luce illustrantur, & præceptis Dei obediunt, & aliis viriliter suggerunt. Bene primum Petrum qui vocatur obediens, & Andream qui vocatur fortis, ponit: quia sine obedientia nullus intrat, sine fortitudine nullus perseuerat, & hæ germanæ sunt virtutes. Quis verò primus homo inobediens exiuit, secūdus obediens ingressus est. Rab. Matthæus dicit post habitationem Capharnaum discipulos vocasse. Ioānes dicit, quòd post aquam in vinum conuersam venit Iesus Capharnaum & mater eius & fratres & discipuli. Sed incertum est vtrū illi iam adhæsissent, vt hic recapitulādo dicatur quasi prius factum, an descēdisse cū eo dicantur discipuli, nō quòd tūc discipuli, sed quia futuri erant. Ante autē quā veniret Iesus in Cana Galilææ, Andreas Petrū adduxit, sed nondū discipuli erāt. *Mitten. re.* Quia quos sæpe terrenis lucris inhiare considerat, cælestibus desideriis aduocat, & per eos retibus euangelij alios de profundo iniquitatis eripit: vnde subdit: *Venite post me. fa. vos fie. pis. ho.* Matthæus, & Marcus & Lucas dicunt Petrū & Andreā de piscatione vocatos in Galilæa, Ioannes iuxta Iordanem ad testimonium Ioannis Baptistæ primò Andream sequutum esse eum alio cuius nomen tacetur, deinde Petrum, tertiò Philippum. Sed tunc iuxta Iordanem viso domino, non

Ioan. 1.

Infrà 16.

Ioan. 2.

Ioan. 1.

non ei inſeparabiliter adhæſerunt. Sed cognito quis eſſet, eum mirati ad propria ſunt reuerſi. *Piſcatores.* Piſcaturus per piſcatoria vadit loca. Myſticè. Dum incarnatus carnem ſuſcepit, diuinitus vidit in mari mundi ſpirituales piſcatores: & aliis quid eſſent oſtendit, quos ab æterno præuidit. *Continuo.* Perfecta obedientia eſt ſua imperfecta relinquere. *Relictis retibus*: quia & ſi poſtea reſumunt, non cupiditate & proprietatis amore. In his datur forma volentibus ſequi. Mutatur intentio non piſcatio: mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum: fit mare ſeculum, nauis Eccleſia, piſces boni & mali homines. *Vidit alios duos.* Ecce in his quatuor numerus euangeliſtarum præfiguratur, qui animas à mundo extrahunt de quatuor partibus mundi. Bini & bini vocantur, quia charitas non niſi inter duos eſt. Vocatio dicitur: Vel ſecundum electionem gratiæ. vnde dicitur, Quos & vocauit, &c. Vel ſecundum illud: Multi ſunt vocati. Quæritur quomodo Matthæus, & Marcus dicant binos vocaſſe Ieſum: Primò Petrum & Andream, poſtea Iacobum & Ioannem: cùm Lucas dicat in magna captura piſcium Petri & Andreæ ſocios Iacobum & Ioannem fuiſſe vocatos, cum retia trahere nõ poſſent, & Ieſum Petro ſ ádem dixiſſe: Noli timere: ex hoc enim iam homines eris capiens, ſimul eos tamen ſubductis ad terram nauibus ſequutos fuiſſe. Sed quod Lucas dicit, prius factum eſt, nec tunc ſunt à Domino vocati: ſed tantum prædictum eſt Petro, quòd homines caperet, non vt poſtea piſces non eſſet capturus. Vnde & dicit: Subductis ad terram nauibus, quaſi redeundi cura. Poſtea verò (vt Matthæus & Marcus dicũt) bini vocati ſunt & iuſſi ſequi. Ideo autem piſcatores illiteratos miſit prædicare, vt fides in virtute Dei, non eloquentia hominum putetur. *Zebedæi Iacobum & Ioannem.* Zebedæus, fugitiuus, id eſt diabolus Iacobus, ſupplantator qui adiuuatur à Ioanne, id eſt, à gratia Dei. *Et vocauit eos, illi autem.* Vocauit & alios, ſed ſufficit nominare iſtos.

Perfecta obedientia quæ ſit. — *Rom. 8.* — *Matth. 20.* — *Concordatur Euangeliſta.* — *Luc. 5.*

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

A*mbulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, &c.* Chr. ſuper Matth. Antequam Chriſtus aliquid dicat vel faciat, vocat apoſtolos, vt nihil illos lateat, nec verborum Chriſti, nec operum: vt poſtmodũ fiducialiter dicere poſſint: Non poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui. Hinc eſt quod dicitur: *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ.* Raba. Mare Galilææ idem eſt quod ſtagnum Geneſaret, mare Tyberiadis & lacus Salinarum Glo. Decenter autem per piſcatoria vadit loca, piſcatores piſcaturus. vnde ſequitur: *Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Remigius: Vidit autem nõ tam corporaliter, quam ſpiritualiter, ad corda eorum reſpiciens. Chryſoſtomus in homilia: In mediis autem operationibus exiſtẽtes eos vocauit, monſtrans quòd omnibus occupationibus ſequelam ſuam præponere oportet. vnde ſequitur: *Mittentes retia in mare,* quod quidem eorum officio cõgruebat, propter quod ſequitur: *Erant enim piſcatores.* Auguſt. in ſerm. de calen. Ianuar. Non enim elegit reges aut ſenatores, aut Philoſophos, aut oratores: imò elegit plebeios, pauperes, & indoctos piſcatores. Augu. ſuper Ioſuem. Si enim doctus eligeretur, fortaſſis ideo ſe diceret electum, quia doctrina eius eligi meruit. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem, piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed priùs Petrus piſcator. Chryſoſtomus ſuper Matthæum. Futuræ etiam dignitatis gratiam artificij opere prophetabant: nam ſicut qui retia iactat in aquam, neſcit quos piſces comprehenſurus eſt: ſic & doctor quando diuini ſermonis retia ſuper populum iactat, neſcit qui ſunt acceſſuri ad Deum. Sed quoſcunque Deus excitauerit, illi adhærẽt eius doctrinæ. Remigius. De his autem piſcatoribus loquitur Dominus per Hieremiam, dicens: Mittam in vos piſcatores meos, & piſcabuntur vos. vnde & hic ſubditur: *Venite poſt me.* Gloſſa. Non tam pedibus, quàm affectu & imitatione. *Et faciam vos fieri piſcatores hominum.* Chryſoſtomus ſuper Matthæum. Id eſt, doctores: vt cum reti verbi Dei comprehendatis homines de mundo tempeſtuoſo, & periculoſo, vbi homines non ambulant, ſed feruntur: quia diabolus cum delectatione compellit eos in mala, vbi homines alterutrum ſe comedunt, ſicut piſces fortiores deuorant iuniores, vt tranſlati viuant in terra corporis Chriſti membra facti. Gregorius in hom. Nulla autem Petrus, & Andreas Chriſtum miracula facere viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis, audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum hoc, quod poſſidere videbantur obliti ſunt. vnde ſequitur: *At illi continuò relictis reti. ſecu. ſunt eum.* In quo affectum debemus potius penſare, quàm cenſum. Multum enim reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multũ dimiſit, qui cum re poſſeſſa & concupiſcentiis renuntiauit. A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus cõcupiſci potuerũt. Exteriora enim noſtra domino, quantumlibet parua, ſufficiunt: nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Aeſtimationem quippe pretij regnum Dei non habet, ſed tantùm valet, quantum habes. Chry. ſuper Matth. Non autem prædicti diſcipuli ſecuti ſunt Chriſtum, doctoris cupientes honorem, ſed operis lucrũ. Sciebant enim quàm pretioſa eſt anima hominis, quàm grata eſt apud Deum ſalus ipſius, & quanta eſt merces. Chry. in ho. Tantæ igitur promiſſioni crediderũt, & per ſermones, quibus ſunt capti, crediderunt ſe alios poſſe piſcari. Chry. ſuper Matth. Hæc igitur cupientes ſecuti ſunt eũ, omnibus relictis: in quo nos docuerunt, quia nemo poteſt terrena poſſidere, & perfectè ad cæleſtia peruenire. Gloſ. In his ergo datum eſt exemplum illis, qui cenſum deſerunt pro Chriſti amore. Subditur autem exemplum eorum, qui etiam carnales affectus pro Deo poſtponunt. vnde dicitur: *Et procedens inde, vidit alios duos.* Nota quia vocat binos, & binos, ſicut alibi legitur, quòd miſit eos binos & binos ad prædicandum. Greg. in ho. Quatenus hic nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet. Duo enim ſunt præcepta charitatis: & minus quàm inter duos charitas haberi nõ poteſt. Chry. ſuper Matth. Super charitatem etiam fraternitatis Eccleſiæ rectè poſuit fundamenta, vt ex radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcen

Act. 4. — *Chriſtus per piſcatorẽ lucratus eſt imperatorem.* — *Hier. 16.* — *Abdicatio rerum qualis eſſe debeat.* — *Luc. 10.*

ascendat in ramis, & hoc super naturalem charitatem vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam, ipsa charitas firmior habeatur. vnde dicit: Fratres, sic enim facit Deus & in veteri testamento super Moysen & Aaron fratres, ponens ædificationis initium. Quoniam autem abundantior est gratia noui testamenti, quàm veteris, ideo primum populum ædificauit super vnam fraternitatem, hunc autem super duas. *Iacobum*, inquit, *Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua*, quòd est maximæ paupertatis indicium: vetera enim reficiebant, qui noua vnde emerent, non habebant. Et quod ad maiorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo succurrebãt, vt secũ eum baiularent in naui: non vt ille istos adiuuaret in opere, sed vt isti illum consolarentur sua præsentia. Chr. in ho. Non parua autem est hic demonstratio virtutis, inopiam facilè ferre, ex iustis nutriri laboribus, colligari inuicem amoris virtute, patrem habere secum & curare. Chry. super Mat. Æstimare autem primos velociores ad prędicandum, quia retia mittebant: istos autem quasi pigriores, quia adhuc retia componebant, non sumus ausi, quia differentiam eorum cognoscere solius est Christi. Fortè verò illi propter Petrum dicti sunt mittentes retia, qui prædicauit euangelium, sed nõ composuit. Isti autem propter Ioannem componentes, qui euangelium composuit. Sequitur: *Et vocauit eos.* Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis coniuncti pietate. Ideo simul vocauit eos, ne tot bonis coniunctos dissimilis vocatio separaret. Chry. in hom. Vocando autem nihil eis promisit sicut prioribus: obedientia enim eorum, qui præuenerant, viam eis præparauerãt. Sed & multa de ipso audierant, scilicet tanquam familiares & consanguinitate coniuncti. Sequitur: *Illi autem relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.* Chrys. super Matth. Tria enim sunt quæ relinquere debet qui venit ad Christum, actus carnales, qui per retia piscationis signantur: substantiam mundialem, quæ per nauem: & parentes, qui per patrem. Reliquerunt ergo nauem vt fierent ecclesiasticæ nauis gubernatores. Reliquerunt retia, vt non pisces afferrent ad ciuitatem terrenam, sed homines ad cælestem. Reliquerunt vnum patrem vt spirituales patres omnium fierent. Hi. Ets igitur artem & patriam domum relinquentibus docemur Christum secuturi & secularis vitæ solicitudine, & paternæ domus consuetudine non teneri. Rem. Mysticè autem per mare designatur iste mũdus, propter amaritudinem & fluctuationem: Galilęa autem interpretatur, volubilis siue rota, & significat mundi volubilitatem. Ambulauit igitur Iesus iuxta mare, dum ad nos per incarnationẽ venit, quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati suscepit ex virgine. Per duos fratres, duo populi designantur, qui ab vno Deo patre creati sunt, quos vidit quando eos misericorditer respexit. Per Petrum qui interpretatur agnoscens, & dicitur Simon, id est, obediens, designatur Iudaicus populus, qui per legem Deum agnouit, & præceptis eius obediuit. Per Andream qui interpretatur virilis siue decorus, intelligitur gentilis populus, qui post agnitionem Dei viriliter in fide permansit. Nos populum vocauit, quando prædicatores in mundum misit, dicens: *Venite post me*, id est relinquite deceptorem, & sequimini creatorem. De vtroque etiam populo facti sunt hominum piscatores, id est prædicatores. *Relictis autem nauibus*, id est carnalibus desideriis: *Et retibus*, id est mundi cupiditatibus, *secuti sunt Christum.* Per Iacobum etiam intelligitur Iudaicus populus, qui per cognitionem Dei diabolum supplantauit: Per Ioannem gentilis populus, qui sola gratia saluatus est. Zebedæus autem quem relinquunt, & interpretatur fugitiuus siue habẽs, significat mundum qui transit, & diabolum qui de cælis lapsus est. Per Petrum & Andream mittẽtes retia in mare, designantur illi qui in prima ætate, non de naui corporis sui mittentes retia carnalis concupiscentiæ in mare huius seculi, vocantur à domino. Per Iacobum & Ioannem reficientes retia, designãtur illi qui post peccata ante aduersitates veniunt ad Christum, recuperãtes quæ perdiderunt. Rab. Duæ naues duas ecclesias figurant, eam quæ ex circuncisione, & eam quæ ex præputio vocata est. Quilibet etiam fidelis fit Simõ Deo obediendo, Petrus peccatum suum agnoscendo, Andreas viriliter labores patiendo, Iacobus vitia supplantando. Glo. Et Ioannes vt totum gratiæ Dei ascribat, & ideo quarta tantum vocatio ponitur, per quos prædicatores Dei à quatuor mundi partibus vocatos signetur. Hil. Vel in hoc futurorum euangelistarum numerus figuratus. Rem. Per hoc etiam quatuor virtutes principales designantur: prudentia enim refertur ad Petrum propter diuinam cognitionem: iustitia ad Andream propter operum vtilitatem: fortitudo ad Iacobum propter diaboli supplantationem: temperantia ad Ioannem propter diuinæ gratiæ effectum. Aug. de con. euan. Sanè mouere potest quomodo Ioãnes dicat non in Galilæa sed iuxta Iordanem Andream secutum esse dominum cum alio, cuius nomen tacetur, deinde Petrum ab illo nomen accepisse. Cæteri autem tres euangelistæ de piscatione vocatos eos dicunt, satis inter se cõuenienter, maximè Matthęus & Marcus: nam Lucas Andream non nominat, qui tamen intelligitur in eadem naui fuisse. Hoc etiã videtur distare, quòd tantùm Petro à domino dictum esse commemorat Lucas: Ex hoc iam homines eris capiẽs, quod Matthæus & Marcus ambobus dixisse narrat, sed potuit priùs Petro dici secundum Lucam, & ambobus posteà secundum alios duos. Sed quod de Ioanne diximus, diligenter considerandum est, cum & locorum plurimum intersit & temporis & ipsius vocationis. Sed intelligẽdum est Petrum & Andream non sic vidisse dominum iuxta Iordanem, vt ei iam inseparabiliter inhærerent, sed tantum cognouisse quis esset, & eum miratos ad propria remeasse. Fortè autem quod prætermiserat recapitulat: quia sine vlla consequentis temporis differentia dicit: Ambulans autẽ iuxta mare. Quæri etiam potest, quomodo binos & binos seorsum eos vocauerit sicut narrat Matthæus & Marcus, cum Lucas dicat Iacobum & Ioannem tanquã socios Petri ad adiuuandum vocatos fuisse, & simul subductis ad terram nauibus Christum secutos? vnde intelligendum est hoc primo esse factum quod Lucas insinuat, & eos ad capturam piscium ex more remeasse. Non enim erat dictum Petro quòd pisces nunquam esset capturus, cùm post resurrectionem hoc fecerit: sed quòd homines esset capturus, postea hoc factum

est

est quod Matthæus & Marcus narrant. Non enim subductis ad terram nauibus tanquam cura redeundi secuti sunt eum, sed tanquam iubentem vt sequerentur.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

VEnite post me, &c. Isti primi vocati sunt, vt dominum sequerentur. Piscatores & illiterati mittuntur ad prędicandum, ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina fieri putaretur.

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. super eius Euang. Homil.

Ex Hom. 14. in Matth. AMbulans iuxta mare Galilææ, vidit Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, &c. Et Ioannes quidem aliter dixit eos vocatos: vnde manifestum est, secundam hanc vocationem fuisse, idque ex multis rebus ostenditur. Nam ibi quidem dicit, quòd ad Christum, antequam Ioannes in carcerem duceretur, accesserint, hîc verò, postquam ille inciderit in vincula. Et ibi quidem, quòd Andreas Petrum, hîc verò, quod Iesus ambos vocet. Et Ioannes quidem ait, quòd Iesus venientem ad se Petrum videns, dicit:
Ioan 1. Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Matthæus verò asserit, quod isto iam nomine vocaretur. Videns, inquit, Simonem, qui dicitur Petrus. Sed à loco etiam, quo vocati sunt, aliisque multis id scire possibile est, & ab eo quòd facilè obedierunt vocanti, suáque omnia reliquerunt. Erant quippe sufficienter iam antè prædocti, & ibi quidem Andreas in domum veniens, multáque à Christo audiens, inuenitur: hîc verò vnum audientes, nudúmque verbum, confestim sequuntur. Videtur quippe fuisse consequens, vt prius quidem & audierint, & sequuti sint: posteà verò quum & Ioannem in carcere ligatum, & ipsum secessisse vidissent, reliquisse eos magistrum, atque ad artem propriam reuertisse. Sic denique piscantes eos rursus inuenit. Ipse autem neque prius eos, quum vellent, abire prohibuit, neque, quia discesserant, in finem reliquit: sed concedens eis, cùm resilire voluerunt, ad eosdem iterum capiẽdos venit, qui certè est optimus spiritualis quoque piscationis modus. Perpende verò & fidem, & obedientiam vocatorum, & cognosces quàm dulcis sit piscatio: siquidem in medio ipsius operis constituti, quum illum audissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt: non dixerunt, reuertemur domum, loquemur propinquis: sed cuncta illico relinquentes, fecerunt quod Helisæus quoque sub Helia legitur implesse. Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium vrgere videatur. Propter quod & aliũ quendam accedentem ad se, & rogantem, vt ad sepeliendum patrem rediret: ne id quidem facere permisit ostendens quia Christus cunctis sit etiam necessitudinibus præferendus. Sed dicas forsitan, maxima fuisse promissa: & hoc est, propter quod illos maximè admiror: quia, quum nondum signum aliquod factum fuisse vidissent, tam firmiter promissionis magnitudinem crediderunt, vt etiam Christum sequi rebus omnibus anteferrẽt. Ex illis quippe ipsi, quibus capti fuerant, verbis facilè crediderunt alios quoque per eadem à se capiendos. Istis igitur hoc promisit, Iacobo verò, & Ioanni nihil tale pollicitus est. Siquidem obedientia præcedentium his quoque ad credẽdum iter parauit. Sed, vt multa iam de illo antè audierant prædicari. Vide autem quàm etiam diligenter inopiam eorum Euangelista signauerit. Inuenit, inquit, eos reficientes retia sua. Tanta erat egestatis magnitudo, vt vetera contexerent: quia emere noua nequibant. Nec sanè parua hæc sunt documenta virtutis facilè omnem tolerare paupertatem, de iustis laboribus viuere, mutua sibi charitate connecti, secum habere inopem patrem, atque in eius obsequio laborare.

AVTHORIS DICTI IMperf. in Matth. in idem Euang. expositio.

AMbulans autem Iesus secus mare, vidit duos fratres, Simonem & Andream. Priusquam aliquid dicat, aut faciat, vocat Apostolos, vt nihil eos lateat, nec verborũ Christi, nec operum, vt postmodum fiducialiter dicere possint. Non possumus enim nos, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui. Vidit eos non corporaliter, sed spiritualiter: non ad facies eorum, sed ad corda respiciens. Et elegit eos, non quasi Apostolos, sed quia Apostoli poterant fieri. Sicut artifex, si viderit gemmas preciosas, & non dolatas, eligit illas non quod sunt, sed quod fieri possunt: habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit. Sic & dominus videns illos, opera eorum non elegit, sed corda. Mittentes retia, & futuræ dignitatis gratiam artificij sui opere prophetantes. Vt intelligamus quia non solum ista secunda piscatio spiritualis à Deo eis donata, sed etiam prima illa corporalis Dei prouidentia in eis fuerat ordinata. Nam, sicut qui retia iactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos Deus ei transmiserit, illi intrant in retia: sic & doctor quando diuini sermonis retia super populum iactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscunque Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ. Ergo sicut in piscatione labor solus requiritur piscandi, Deus autem transmittit captiuam: sic & in doctore nihil requiritur, nisi instantia doctrinæ. Populum non corrigit homo, sed Deus. Sic enim dicit dominus per prophetam: Dic hoc ad Iesum filiũ Iosedech sacerdotem magnum, si bene custodieris aulam meam, dabo tibi, qui habitent in eam. Et ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Id est, faciam vos doctores, vt cum reti verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, & fluctuabũdo, & tempestuoso & instabili, & perfido, & semper periculoso, & nemini vnquam tuto, vbi homines non ambulant, sed feruntur inuiti quasi nolentes. Violentia enim diaboli concupiscentias multas inoperans eis, mentitur se facturam eorum voluntatem, quia cum delectatione compellit in mala opera, vt homines alterutrum se comedant, sicut pisces fortiores semper deuotantes

Homil. 7 in Matth.

Act. 4.

rantes infirmiores: ne translati viuant in terra fructifera corporis Christi, facti mēbra corporis eius in terra fructifera, terra dulci & semper trāquilla: vbi nō est tēpestas ad euersionē, si forte ad tentationem fidei, & patientiæ fructificationē. Vt homines ambulent, non ferantur: vt se alterum non comedant habitantes, sed foueant: ecce do vobis euangelium in manibus nouum, & alterum rete diuersarum sententiarum, & obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum, & multiformium doctrinarum, narrationibus crebris quasi fluctibus huc & illuc discurrentibus, textum minis iudiciorum, & promissionibus beatitudinum quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, præscientiis & occultarum cogitationum cogitationibus, dæmonum confessionibus, & resurrectionibus mortuorum, nimis confirmatum: ita vt in sinu suo tutissimo diligenter possit rationabilium hominū continere capturam, vt non det eis ex aliqua potestate * exeundi occasionem, quasi per aperturam aliquam neglectam à spiritu sancto qui texuit eam. Et hoc dicit aliquis intra se, Non sine causa sequuti sunt Iesum talia promittentem. Quid enim? Tibi minora repromittit? Num non, si bene conuersatus fueris regnum cæleste tibi promittit? num nō vitam æternam? num non angelicam naturam? num non hæreditatem secum? Et quare non sequeris eum? Sed illi sequuti sunt eum, quia cælestium bonorum amatores erant, non terrenorum. Tu autem eum non sequeris, quia non cælestium sed terrenorum amatores. Homo enim carnalis nullum bonum credit esse bonum, nisi carnale: & nusquam credit esse iocunditatem, nisi quæ est super terram. Non ergo illi doctorium cupierunt honorem, sed doctorij operis luctum, sicut exitus contestatus est. Si enim apostoli facti honoribus apostolatus sui fruiti sunt, sine dubio apostolicum cupierunt honorem. Si autem non solum apostolatus sui honoribus fruiti non sunt humilitatis causa, sed etiā propter hominum salutem, & gloriam Christi passi sunt diuersa supplicia: manifestum est quod tunc non apostolicum cupierunt honorem, sed quæstum apostolici operis, & laboris. Sciebant enim quàm preciosa est anima hominis, quàm grata est apud Deum salus ipsius, quanta merces est hominem ædificare secundum Deum, Concupierunt, & sequuti sunt, Tu autem non concupiscis talia hæc. Quomodo enim desideres alium posse saluari, qui teipsum saluare non curas? *Et relictis retibus, sequuti sunt eum.* Ne aliquis Christianus dicat, Nunquid non possum diuitias diligere, & Christo placere? ideo relinquentes retia sua apostoli nos docuerunt, quia nemo potest terrena possidere, & perfectè ad cælestia peruenire. Considera quomodo inter cælum: & terram aër medius constitutus separat creaturam vtranque, vt ostendat, quia inter cælestia, & terrena nulla potest esse commixtio. Cælestia enim spiritualia sunt, & leuia, & naturaliter semper sursum petentia. Terrena autem ponderosa sunt, & semper deorsum deponentia. Si igitur spiritualia tenueris, sursum te ducunt: si terrena, deorsum te deponunt. Igitur reliquerunt retia, ne magis facerent eis impedimentum laboris, quàm adiuamentum vtilitatis. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi. & Ioannem fratrem eius componentes retia, & similiter vocauit eos.* Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti, ideo sic vocauit & istos, ne tot bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret. Gratiosè aliquis de hac duplici fratrum vtilitate locutus est, quoniam omnis ecclesia præcipuè in charitate fuerat construenda, sicut ipse dicit: Hoc est autem mandatum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Et iterum: In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, si charitatem habueritis inter vos. Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem cæmento mediante constringitur: sic in ædificio ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante connectitur. Ideo super fraternitatem charitatis ecclesiæ composuit fundamēta, vt radicibus charitatis exuberans quasi humor ascēdat in ramos. Et hoc super naturalem charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturā ipsa charitas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri testamento, ædificaturus enim populum illum per legem, supra Mosen, & Aaron fratres posuit ædificationis initium. Quoniam autem abundantior gratia futura noui testamenti quàm veteris, ideo populum illum quidem ædificauit secūdum vnam fraternitatem, hunc autem secundum duas. *Componentes retia.* Quod est maximæ paupertatis indicium. Vetera componebant, quia noua vnde emerent non habebant. Et quod ad maiorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo occurrebant, vt secum eum baiularent in naui, non vt ille, istos adiuuaret in opere: sed vt isti, illum consolarentur sua præsentia. Quoniam autem illi quidem referuntur mittentes retia sua, per omnes euangelistas: isti autem componentes, sine ratione esse non credo, maximè quum poterant dicere sine damno aliquo intellectus: & ibi vidit illum & illum, & non dicere: Componentes retia sua. Item æstimare illos quidem quasi velociores ad prædicandum, quia iam mittentes erant retia sua, istos autem pigriores, quia adhuc cōponentes erant retia, nō sumus ausi: quia differentiā illorū taliū cognoscere est solius Dei. Ne fortè ergo propter Petrū illi dicti sunt mittētes retia sua, isti autem propter Ioannem componentes, quia Petrus prædicauit tantum euangelium, & non composuit, sed Marcus ab eo prædicata composuit. Ioannes autem & prædicauit euangelium, & ipse composuit. Et non solum cōposuit, sed etiam omnium euangelistarum retia ipse composuit. Nam, quū omnes humana Christi penè sola composuissent, iste cōmiscuit eis etiam diuina ipsius, vt nullam relinqueret spiritus sanctus scandali aperturam in eis, vnde pisces egrederentur. Et vt nunc dicamus quod supra in textura retis omisimus: quia circumposuit ei quasi plumbea grauia, id est, inextinguibilium flammarum & immortalium vermium supplicia ponderosa, vt possit facile humanorum cordium penetrare profundum. *At illi relicto patre, & naui, secuti sunt eum.* Vide quia Petrus quidem & Andreas dicuntur reliquisse retia: Iacobus autem & Ioannes, patrem & nauim. Tria enim sunt generaliter omnia, quæ relinquere debet omnis qui venit ad Christum: actus carnales, substantiam mundialem, parentes carnales. Per retia enim piscationis, actus carnales relinquendi significantur: per nauim autem substantia: per patrem verò, omnes parentes. Et vide quia prius retia relicta significantur, postea nauis: in

tertio

* pario.

Ioan.13.
Ibidem.

tertio loco pater:quia prius conuenit actus mundiales relinquere. Ipsi sunt enim, qui præcipuè nocent ad spiritualia. Secundo substantia, quia non tantù nocet aliquid habere in mundo,quantum agere aliquem actum, tamen hoc ipsum habere nocet. In nouissimo parentes, quòd & ipsi quidem nocent, tamen minus nocent,quàm diuitiæ & actus huius seculi. Reliquerunt ergo nauem, vt fierent ecclesiasticæ nauis gubernatores. Reliquerunt retia, vt iam non pisces apportarent ad ciuitatem terrenam,sed homines ad ciuitatem cælestem. Reliquerunt vnum patrem, vt fierent omnium spiritualium genitores.

EIVSDEM IN IDEM *Euang. expositio.*

Ex homil. 4. in Marcum. *AMbulans Iesus iuxta mare Galileæ vidit Simonem & Andream fratrem eius,mittentes retia in mare.* Simon necdum Petrus, necdum enim secutus fuerat petram,vt appellaretur Petrus. Simon igitur & Andreas frater eius,cum essent iuxta mare, & mitterent retia in mare. Scriptura non dicit, quia miserunt & ceperunt pisces, vidit, inquit, Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores. Refert enim euangelium, quod retia mitterentur,tamen non dicit, quia aliquid ceperint. Igitur ante passionem dicitur quod scilicet miserint ratia: tamen non scribitur, quod prædiderint. Post passionem verò mittunt sete & prendunt, & tantum prendunt,vt retia rumpantur. Mittentes retia in mare, erant enim piscatores. *Et dixit eis Iesus, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Fœlix piscationis mutatio. Piscatur eos Iesus, vt ipsi piscentur alios piscatores. Ipsi primum pisces efficiuntur, vt piscentur à Christo, posteà ipsi alios piscatori. Et dicit Iesus:Venite post me,& faciam vos piscatores hominum. *Et protinus relictis retibus,secuti sunt eum.* Et protinus,Vera fides non habet interuallum:statim audit,statim credit,statim sequitur,statim piscator efficitur. Et protinus relictis retibus. Ego puto,quod in retibus, vitia seculi reliquerint. *Et secuti sunt eum*, Neque enim fieri poterat, vt sequentes Iesum haberent retia. *Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius: & ipsos in naui componentes retia.* Vbi dicitur, componentes: ostenditur, quod scissa fuerant. Mittebant enim retia in mare: sed quoniam scissa erant retia, pisces prendere non poterant. Componebant retia in mari:sedebant in mari:sedebant in nauicula: sedebant cum patre Zebedæo: & legis retia componebant. Hoc interim diximus secundum intelligentiam spiritualem. Et ipsos in naui componentes retia & ipsos qui in naui erant. In naui erát non in littore, non in statione solida: sed in naui hinc inde fluctibus collidebantur. *Et statim vocauit illos,&c.* Dicat aliquis,temeraria fides est. Etenim quid signi viderant,quid maiestatis aspexerant,vt vocarentur,& statim sequerentur eum?Sanè hic ostenditur nobis, quod oculi quoque ipsius Iesu & vultus,diuinum quiddam spirabant,& ad se contuentium oculos facilè conuertebant. Alioqui nunquam dicente Iesu, sequimini me secuti fuissent eum. Hoc enim si fecisset eum sine causa,non tam fides erat, quàm temeritas. Nunc si sedenti mihi quiuis præteriens dicat, Veni sequere me:& sequar,nunquid fides est?Hoc totum quare dico? quia sermo ipse domini operatorius erat:& quodcunque dicebat, opere efficiebat. Si enim ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: certe idem ipséque vocauit, ideo secuti sunt. Et statim vocauit illos & statim relicto patre suo Zebedæo, & cætera. Audi filia & vide & Inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum. Et relicto patre suo Zebedæo in naui. Audi monache,imitare apostolos:audi vocem saluatoris,ignora carnalem patrem. Vide verum patrem & animæ & spiritus,relinque patrem corporeum. Relinquunt patrem apostoli, relinquunt nauem; relinquunt totas in momento diuitias:relinquunt mundum, & infinitas diuitias. Totum enim quod habebant: dimiserunt, Deus non magnitudinem diuitiarum con.siderat, sed animum dimittentis. Qui parua dimiserunt,vtique & magna similiter dimisissent. Relicto patre Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum.Hoc quod paulo ante in ænigmate diximus de Apostolis,quod legis retia componebant,iam enim scissa fuerant, prendere non poterant, iam salsugine maris exesa fuerant, iam non poterant instaurari, nisi venisset sanguis Iesu,& innouasset ea. Relinquút ergo patrem Zebedæú:relinquunt legem, quæ verè eos genesauerat: & relinquunt in naui,in mediis maris fluctibus constitutum.Et videte aliud, quid sequatur. Relinquunt, inquit, patrem hoc est legem eum mercenariis. Omnia enim quæ faciunt Iudæi, propter præsentem vitam faciunt:propterea mercenarij sunt.Qui enim fecerit legem,viuet in ea. Non dixit, viuit in ea, hoc est, & ex lege viuat in cælo: sed, viuet in ea, hoc est,quòd facit in præsenti, recipit. Denique scriptum est in Exechiele:Dedi,inquit,eis præcepta non bona,& mandata nó optima,quę facientes, viuent in eis. Viuunt in eis Iudæi, nil aliud quærunt, nisi habere filios, diuitias possidere, se sanos esse:omnia terrena quærunt, nihil de cælestibus cogitant. Propterea mercenarij sunt. Vultis scire quia Iudæi mercenarij sunt? Filius ille, qui substantiam suam consumpserat,& interpretatur in gentibus, dicit: Quanti mercenarij sunt In domo patris mei? Relicto patre in naui cum mercenariis,secuti sunt eum. Dimiserút patrem, hoc est legem cum mercenariis in naui: vsque hodie Iudæi nauigant,& in lege nauigant & sunt in mari, & ad portum peruenire non possunt. Non crediderunt in portum, propterea non veniunt ad portum: qui vt omnibus nobis contingat,gratia faciat,& benignitas domini nostri Iesu Christi: cui cùm patre & spiritu sancto gloria, imperium & honor sit, nunc & semper, & in secula seculorum,Amen.

Psal. 32.

Psal 44.

Leuit.18. Roma.10.

Luc.15.

EIVSDEM ENCOMION *in sanctum Apostolum Andream.*

VAlidum est Apostolicæ piscationis rete, admirabilis Andreæ memoria,& eius retis cómemoratio,quo ad capiendas,& ad Christianam fidem attrahendas gentes vsus est. Sagena enim, qua immortales illi mortui vsi sunt, nulla temporis obliuione potest intercipi. Non veterascút tempore

Nota quòd sanctis Apostolis immortales mortui sunt, non verè dici possunt emortui,vt eos appellant moderni hæretici.

tempore illa venationis instrumenta, quæ non humana arte, sed diuina gratia effecta sunt. Quãuis enim piscatores ipsi a nobis excesserint, nullo tamen tempore instrumenta, quibus illi vsi sunt, aut sagena, qua mũdum ipsum comprehenderunt, inueterata est. Qui cùm rete iaciunt, & extrahunt, non videntur, & tamen illorum retia plena conspiciuntur. Non arundinem illam possederunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquam demiserunt, quod vetustate putrescit. Non hamum fabricarũt, quem rubigo consumit. Non escam in hamo posuerunt, qua pisces caperent. Non in petra consederunt, quæ vndis quatitur. Non in scapha nauigarunt, quam dissoluit tempestas. Non pisces, hoc est naturam rationis expertem, expiscati sunt. Sed quemadmodum ars illa, qua vsi sunt, admirabilis, ita & illorũ instrumenta noua, atque inusitata extiterunt. Nam pro arundine prædicatione vtũtur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cælis, ex quibus huiusmodi piscationem exercent; pro scapha habent altare; pro piscibus Reges etiã ipsos capiunt; pro sagena Euangelium expandunt; pro arte diuinam gratiã adhibent; pro mari vitam humanam tractant; pro retibus cruce, velut sagena quadam, vti solent. Quis vnquam vidit à mortuis piscatoribus viuẽtes homines, tanquam pisces, capi? O magnam crucifixi potentiam, ô diuinæ dignitatis præstantiam, ô Apostolorum summa beneficia. Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium. Multa certè vidit humana vita valde admirabilia, & opinionem superãtia. Vidit enim sanguinem effusum clamantẽ, & cædem sine lingua vociferantem, ac naturam propter inuidiam contra se diuisam, fratrem germano fratri mortẽ inferentem, ac propter inuidiæ liuorem mortis ianuam patefactam. Vidit illam Noë arcam in mundi naufragio positam, & naturæ humanæ interitum. Vidit senem contra propria viscera, hoc est filium, fide armatum, & tanquam victimam eum offerri, qui cæsus non est. Vidit benedictiones furto conciliatas, & formatoris Dei, ac serui palæstram. Vidit inuidiam inter fratres exortam, & seruitutem regni cõciliatricem. Vidit somniis paratum solium: & fratris insidiatores fame attractos. Vidit virgam miraculorum effectricem, & rubum igne, tanquam rore, circunfusum. Vidit legumlatorem Moysen elementis imperantem. Vidit vndas ipsas, tãquam lapides, solidas factas, profundum mare denudatũ, viam repente structam, & columnam nubis in die, ac ignis in nocte populorum multitudini ducem ostensam. Vidit virgam sine terra germinantem. Vidit è cælo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione solem, tanquam freno quodam, sisti; & sterilis precibus impetratum, vt ipsa Prophetam conciperet. Vidit farinæ pugillum frugibus copiosiorem, & lecythum olei fontibus abundantiorem. Vidit currum in aëre agitari, & Prophetam assumi. Vidit denique mortui ossa vitæ remediũ fieri. Multa talia magna, & admirabilia vidit hominum vita. Sed illa tanquam fœnum præterierũt, & extincta sunt, vt lucerna, exorto sole. Nihil tale vnquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cùm Dei verbi essent ministri, attrectarũt incarnatum illum, qui, vt Deus, figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui vbique præsens est. Discubuerunt vnà cum illo, qui nullo loco circunscribitur. Eius vocem audiuerunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquam sagena quadam, concluserunt. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarũ. Errores, vt zizania, eradicarunt. Aras, vt spinas quasdam, amputarũt. Idola, tanquam feras, interfecerunt. Dæmones, vt lupos, profugarunt. Ecclesiã, vt gregem quendam, collegerũt. Orthodoxos, tanquam frumentum, congregarunt. Hæreses, vt paleas, proiecerunt. Iudaismum, tanquam fœnum, arefecerunt. Græcorum sectam, tanquam stipulas quasdam, igne combusserunt. Humanam naturam cruce ipsa, tanquã aratro quodam, excoluerunt, & verbum Dei, vt sementem quandam, sparserunt. Ad summam omnia illorum facta, tanquam sidera quædam effulserunt. Quamobrèm clara voce illis dicebat Dominus: Vos estis lux mundi. Si quidem Orientem habet Christianus homo illum, qui è Virgine natus est; diluculum habet eum, qui baptismatis parens fuit; splendorem habet Christi crucifixi gratiam; radios, admirabiles illas linguas; diem, futurum illud seculum, meridiem, tempus, quo in cruce ipsa mãsit Dominus; Occidentem, sepulchri habitationem; vesperam, breuem illam mortem; Solis fulgorem, resurrectionem à mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, & illorum splendorem obstupesce. Idcirco Andreas hodierno die cùm, tanquam luminis thesaurum quendam, cõmunem Dominum inuenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: Inuenimus Messiam. O fraternæ charitatis exuperantiam, ô inuersum ordinem. Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad Euangelium allexit, & tanquam venatus est. Inuenimus (inquit) Messiam. Ex gaudio profecta est hæc oratio, lætum inuentæ rei Euangeliũ hoc fuit. Inuenimus (inquit) thesaurum illum. Fuge, Petre, circuncisionis paupertatem; exue te laceris pannis legis; abijce iugũ literæ; hæc omnia contemne, vt parua quædam; vt somnia, despice præsentia; ac Bethsaidem, vt vilem, & abiectum quendam locum, aspernare; relinque rete, vt paupertatis instrumentum, scapham, vt naufragij thalamum; piscandi artem maritimæ fluctuationi expositam; pisces, vt ventris negotiationem; gentem Iudaicam, vt rabiem contra Deum; Caypham, vt praui consessus parentem. Inuenimus Messiam, quem pronunciarunt Prophetæ, quem lex præconio suo, tanquam tuba quadam, nobis prædicauit. Inuenimus legis thesaurum. Fuge, Petre, famem literæ. Inuenimus Messiam, quem olim adumbrarunt signa, quem vidit Michæas in throno gloriæ, quem Esaias cõtemplatus est super Cherubin, quem Ezechiel vidit super Seraphim, quem Daniel spectauit super nubes, quem Nabuchodonosor vidit in fornacè illa, quem Abraham accepit in tugurio, quem Iacob non dimisit, nisi priùs ab illo benedictus esset, cuius posteriora vidit Moses super petram. Hunc nos inuenimus sine principio genitum, & in vltimis diebus visum. O thesaurum ingentem, cuius copia exhauriri non potest. Diuitiæ enim sunt non materiei subiectæ, quarum essentia originis est expers, & inuentio ipsa recens. Inuenimus Messiam, qui interpretatur Christus. Multi quidem fuerunt Christi, sed omnes morti subiecti. Abraham Christus fuit, sed in sepulchro cor-

ruptus est. Isaac quoq; fuit ille quidem Christus, sed eius ossa in monumento iacent. Fuit & Iacob Christus, sed morti subiectus. Moses etiam fuit Christus, sed quo loco sepultus sit nescimus. Dauid similiter fuit Christus, sed omnes mortis spolia, omnes fuere mortis captiui. Vnus verè fuit Christus, natura quidem Deus, sed propter eius misericordiam homo; qui virginalem ventrem suo exitu, tanquam sigillo quodam, signauit; & piscatores illos suos curationum fontes effecit; cuius est imperium, regnum, gloria, & adoratio cum immaculato, consubstantiali, & eiusdem potentiæ patre, & sanctissimo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponensis in eodem festo Sermo.

Est Serm. 11. de verbis Domini. *Matth. 11.* MIrum quibusdam videtur fratres charissimi cùm audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est: & considerant eos, qui iugum ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocari videantur, cùm & Apostolus dicat: *2. Tim. 3.* Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur. Ait ergo aliquis: Quomodo iugum leue est, & sarcina leuis, quandoquidem iugum illud & sarcinam ferre, nihil aliud est, quàm piè viuere in Christo? Et quomodo dicitur: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: ac non potiùs dicitur: *Matth. 20.* Venite qui vacatis, vt laboretis? Nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leni & sarcina leui audimus Apostolum dicere: *2. Cor. 6.* In omnibus commendantes nosmetipsos tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, &c. *2. Cor. 11.* Et alio loco in eadem epistola: A Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui? Et cætera, quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari nisi spiritu sancto iuuante non possunt. Omnia ergo illa, quæ commemorauit grauia & aspera, frequentiùs & abůdantiùs sustinebat. *Aspera & molestia omnia vt facilè tolerentur.* Sed profectò aderat ei spiritussanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali, in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, vt omnia illa, quæ superiùs enumerata dura & immania homines audientes horrescit, leuem tribulationem *1. Cor. 4.* diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda sit futura vita: non pati æternos labores impiorum, & sine vlla solicitudine perfrui æterna fœlicitate iustorů. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores nō æterni, sed aliquantò diuturnioris vlceris, redimantur dolorum precio redimantur. Pro languida & incerta vacatione breuissimæ atque vltimę vitæ, immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sæuitiæ terræ & maris imponůt se mercatores, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis sunt necessariæ. Quanquàm & si aper ceruúsque capiatur, magis fit suaue venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorū ætas subditur; quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresq́ue vanitatis, vt numeros & literas & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant eadem grauia patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pati videtur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs & facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantů potuit cupiditas fecit? *Vis charitatis eximia.* Quàm facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit: Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. *Rom. 8.* Ecce vnde iugum illud suaue est, & sarcina leuis. Etsi angusta est via paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. *Psal. 16.* Sed quæ durę sunt laborantibus, eędem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita diuinę pietatis dispensatione actum est, vt interior homo, qui renouatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum quod erat reuerà graue iugum, sed durę ceruici conuenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonę spei, & sanctę charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leue fieret. Nihil enim tam facilè est bonę voluntati, quam ipsa sibi, & hęc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sęuiat iste mundus, verissimè angeli, nato in carne Domino, clamauerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis: *Luc. 2.* quia qui natus erat, suaue iugū eius est, & sarcina leuis, & sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra id quod possumus ferre, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possimus sustinere. *1. Cor. 10.*

***

PETRI

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauen. in S. Andream Apostolum Sermo.

Ser. 133. BEatus Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex vtero, sed conceptu fidei, martyrij partu, cælestem nascitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula suscepere vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt: quando non infirmum lactis pastum genetricis trahit ex pectore, sed pro Rege suo deuotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Viuit, quia mortem cælestis militiæ bellator occidit. Sequitur hic moriendo dominum æstuans, & anhelans, ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hærere vestigiis, ne eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad vnam vocem domini sicut ille patrem, patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefessè germani societate donauit: solùm est, quòd tempore dominicæ passionis fugit, sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, nō est grauius fugere, quàm negare: sed tacenda sunt alia; æquauit fratres venia, quos sic discreuerat culpa. Et * secutus vt deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam crucem, quam refugerant, postea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt, vnde reatum sumpserant, inde conscenderent cælum, inde præmium sumerent, & coronam. Petrus nanque crucem, arborem conscendit Andreas: vt, qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram, formámque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster, & si cedit ordini, præmio tamen non cedit, & labori.

* legi., sequentes.

S. GREGORII PAPAE

in superius Euang.

Homilia.

Est Hom. 5. in Euang. AVdistis, fratres charissimi, quia ad vnius iussionis vocem Petrus & Andreas, relictis retibus, secuti sunt redemptorem. Nulla verò adhuc eum facere miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur: & tamen sequi vocantem contemnimus? In cælo iam sedet, qui de conuersione nos admonet. Iam iugo fidei colla gentium subdidit, iam mundi gloriam strauit, iam ruinis eius crebrescentibus, districti iudicij sui diem propinquantem denuntiat, & tamen superba mens nostra non vult hoc spontè deserere, quod quotidiè perdit inuita. Quid ergo, fratres charissimi, quid in eius iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis seculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? Sed fortasse aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicam vterque iste piscator quid, aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? Sed in hac re, fratres charissimi, affectum debemus pēsare potiùs, quàm censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quamlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea, quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando vterque etiam concupiscentiis renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam cùm quosdam conspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat: Imitari mundi huius contemptores volo, sed quod relinquam, non habeo. Multum, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. Exteriora enim nostra Domino quamlibet parua sufficiunt. Cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negociatores nostri perpetuam angelorum vitam datis retibus & naui mercati sunt. Æstimationem quippe precij non habet, sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zachæo dimidium substantiæ quia dimidium aliud ad hoc, quod iniustè abstulit, restituendum in quadruplum reseruauit. Valuit Petro, & Andreæ, dimissis retibus, & naui. Valuit & viduæ duobus minutis. Valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, vt diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur, fratres, quid vilius, cùm emitur, quid cariùs, cùm possidetur? Sed fortassis nec calix aquæ frigidæ supperit, qui indigenti præbeatur. Etiam tūc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore etenim nato, cæli ciues ostensi sunt, qui clamarent; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volūtatis. Ante Dei namque oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit; In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Ac si apertè dicat; Et si exteriùs offerenda munera nō habeo, intra memetipsum tamē inuenio, quod in ara tuæ laudis impono: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis meliùs placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate. Voluntas autem bona est, sic aduersa alterius sicut nostra pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari: aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare: amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicum etiam amando tolerare: nulli, quod pati non vis, facere, nulli, quod tibi iustè impendi desideras, negare: necessitati proximi non solùm iuxta vires cōcurrere, sed prodesse etiam vltra vires velle. Quid ergo isto holocausto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat, in ara cordis anima semetipsam mactat? Sed hoc bonæ voluntatis sacrificium Deo nunquam plenè persoluitur, nisi mūdi huius cupiditas perfectè deseratur. Nam quicquid in eo concupiscimus, hoc proculdubiò proximis inuidemus. Videtur enim quia nobis hoc desit, quod alter assequitur. Et quia semper inuidia à bona volūtate discordat, mox vt hæc mentem ceperit, illa descēdit. Vnde prædicatores sancti vt possent proximos perfectè diligere, studuerunt in hoc seculo nihil amare, nihil vnquam appetere, nihil vel sine appetitu possidere. Quos benè Esaias in-

Margin notes (right column, in order): Luc. 19. — Luc. 21. — Matth. 10. — Luc. 2. — Psal. 55. — Esai. 60.

tuens, ait; Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas: Vidit quippe eos terrena despicere, mente cælestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare: & quos à terrenis contagiis sancta prædicatio, & sublimis vita suspenderat, hos volantes pariter, & nubes appellat. Fenestræ autem nostri sunt oculi, quia per ipsos anima respicit, quod exteriùs concupiscit. Columba verò simplex est animal, atque à malitia fellis alienum. Quasi columbæ ergo ad fenestras suas sunt, qui nihil in hoc mũdo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, & in iis, quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur. At contrà milvus, & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis considerat, rapinæ desiderio anhelat. Quia ergo, fratres charissimi, beati Andreæ apostoli natalitia celebramus, debemus imitari, quod colimus. Ostendat nostræ obsequiũ deuotionis, immutatæ solennitas mentis. Despiciamus quæ terrena sunt: relictis temporalibus, mercemur æterna. Si autem necdum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena. Si necdum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frenum timoris, vt profectus sui passibus vegetata, dũ ab alienorum appetitu compescitur, quãdoque ad propria contemnenda perducatur.

S. BERNARDI ABBAtis *Claraeuallensis in die sancti Andreæ, Sermo 1.*

CElebrantes hodie gloriosum beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius, exultauimus & delectati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitiæ, vbi tam vehementer lætabatur & ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultantem. Alioquin & nobis ipse non incongruè dicere poterat, quod saluator crucem baiulans sequentibus se & lugentibus ait: Filiæ
Luc. 23. Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Denique cùm duceretur ipse beatus Andreas ad crucem: populus qui sanctum & iustum dolebat iniustè damnari, prohibere voluit ne puniretur: sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imò ne non pateretur. Desiderabat siquidem dissolui, & cum Christo esse, sed in cruce quam semper amauerat.
Philip. 10. Desiderabat regnum intrare, sed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ suæ? Per te, inquit, me recipiat, qui per te me redemit. Ergo si diligimus eum, congaudemus ei, non solùm quia coronatus, sed & quia crucifixus: quia desiderium animæ eius tribuit ei dominus, & posuit in capite eius coronam de lapide precioso. Veruntamen dùm congratulamur ei quòd diu desideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde est si nõ ipsum eius miramur gaudium cui cõgratulamur. Dùm enim noctis huius vigilias celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis qui secum cogitaret & diceret: Quid sibi vult hoc, aut vnde iam noua lætitia? Certe & crux preciosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem. Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est siluestris arbor, lignum vitæ *Crucis dominica laudes.*
est apprehendẽtibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est: alioquin quomodo dominicam occuparet terram? Illam dico preciosissimam glebam, cui clauorum est infixa radicibus. Si nõ esset hęc preciosior cunctis, fructuosior vninetsis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Deinde quid mirum si cruci suauitatẽ dedit, qui dedit & igni? Aut quomodo crux iudicatur insipida, vbi dulce sapit & flamma? Quid enim sapiebat Laurẽtio ignis cùm irrideret carnifices, iudicem subsannaret? Quid nos ad ista dicemus fratres, quòd non sapit etiam nobis quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus & nos manna absconditum? Sic enim victus esset omnino diabolus, nec haberet penitùs quod afferret. Sufficeret nobis hoc vnum aduersus duplicem malitiam inimici. Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet & iacula: vtpote callidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cuiuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam eorum quæ in terra repunt, aut volitant iuxta eum. Sit ergo gaudium in tribulatione, & iam non habet malignus vnde illiciat, non habet *Psal. 90.*
vnde deiiciat: liberati sumus à laqueo venantium, *Psal. 90.*
pariter & à verbo aspero. Nihil enim proficiet inimicus in eo quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animũ eius quamlibet immittere tentauerit amaritudinem. Non curat delicias qui ieiunio pascitur: multo minus murmurare pro eo potest, in quo etiam delectatur. Planè altissimum posuit refugium suum: vbi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta, imò verò mundus piscis est, squamas pariter & pennulas habens. Porrò sicut frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, sic frustra iacitur telum in squamas loricarum. Huius- *Prouer. 1.*
modi siquidẽ pisces mũdos esse legalis sanctio iudicat, qui & pennis leuantur, & proteguntur squamis: siue illi in mari sint, siue in flumine, siue in stagno. Habet etiã mare hoc magnum & spaciosum pisces mundos, & dominica dignos mẽsa: quia ex his qui in seculi latitudine habitu actúque versantur, reliquit sibi multa milia quos Apostolica sagena trahit, vt cũ educta fuerit, segregentur à malis.
Vbi sanè sedebit & hic noster piscator hominum, *Matth. 13.*
qui totam nunc post se Achaiam trahit. Habet & flumen pisces mundos, quicunque inter dispensatores fideles inueniuntur. Fluuius quippe est prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se & currens, vt diuersas irriget terras. Sunt & in stagno mundi pisces, qui in claustro Deo seruiunt in spiritu & virtute. Meritò siquidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habeant libertatem, quò videlicet parati sint semper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se: Quãdo veniet qui me deferat? Cũctis diebus qui- *Iob. 14.*
bus nũc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Porrò vt de lege supra meminimus, siue in mari, siue in flumine, siue in stagno, illi mũdi sunt pisces qui squamas & pennulas habent. Sunt autem squamæ multæ, sed vna ex eis quodammodo lori-

lorica contexitur: quia vna est patientię virtus, licet singulis tribulationibus exhibere singulas videamur. Iam verò sicut squamax ad patientiam, sic pennulas quoque ad hilaritatem arbitrur non incongruè posse referri. Hilaritas quippe leuat & subleuat, vt saltus quosdam in altú dare videatur quisquis exhilaratur. Sanè vt duas habeamus pẽnulas, duplex nobis hilaritas quærenda est. Et forte propterea docet Apostolus (ille enim vere pennas habebat, quibus & in tertium vsque cæ- 2.Cor.12. lum raptus est, & volauit etiam in Paradisum) non solum gloriari in spe, sed etiam gloriari in tribulationibus. Prorsus sublimè volat quisquis ille est, quem non modò futurorum expectatio bonorum, sed præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita vt in eo etiam glorietur. Talem inuenimux hunc beatú Apostolum, talem miramur, talẽ meritò prædicamus. Vnde & triplicem hîc licet considerare gradũ, incipientiũ, proficientium, perfectorum. Initium sapientiæ timor Eccl.1. Domini: mediú, spes: charitas, plenitudo. Denique Apostolum audi; quia plenitudo legis est chari- Rom.13. tas. Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter: qui proficit in spe, portat libenter: qui verò consummatur in charitate, amplectitur iam ardenter. Solus etenim iste est qui dicere possit, quia amator tuus semper fui & desideraui amplecti te. Longè est vox ista ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino, si posset, non venisse in hanc horam. Denique (si non videur temera- Matth.26. rius) longè est ab ea voce: Pater, si fieri potest, trãseat à me calix iste. Quid enim? Certe super asellum ascenderat, vt ne hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco planè in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis. Considero charitatem, stupeo miserationem, expauesco dignationem. Misericors Domi- Matth.9. nus, non beati Andreæ robustum sibi suscepit affectum, quia non est sanis opus medico, sed male habentibus. Si quem forte dignatio scandali- Matth.10. zat, plane meretur audire: Nónne oculus tuus nequam est, quia ego bonus? Huic enim odor vitæ in mortem est. Quid magnum fuerat domine Iesu si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos viuificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætus, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatus: Lego quidem in Lazari resur- Ioan.11. rectione quia infremuit spiritu: & turbauit seipsum. Sed esto interim: quia se ipse turbauit, non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid iam ampliùs audio. Vsque adeo siquidem præualuit ea quæ fortis est vt mors dilectio, vt Christum angelus Dei confortaueri. Quis, quem? Euangelistam audi. Luc.22. Apparuit, inquit, angelus cõfortans eum. Quem eum? Planè eum cui nascituro clausus patuit virginis vterus, cuius nutu in vinum aqua mutata Ioan.2. est, cuius tactu lepra fugata, sub cuius plantis so- Matth.8. lidum mare stetit, ad cuius vocẽ mortui surrexe- Matth.14. runt. Denique eum qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia, per quem vniuersa subsistunt, etiam & angelus ipse. Et quid dicam? quem eum? Minus enim morarer, si non penitùs esset indicibilis. Confortans eum. Quem eum? Cuius ne ipse quidem confortator suus capere poterat maiestatem. Rogo te angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset ad quem consolandum veniebas? Certe consolator est, certè paracletus est. Alioquin non diceret alium paracletum à patre mittendum Apostolis, si non esset & ipse paracletus. Denique agnosco & in hoc ipso paracletum maximum, agnosco paracletum benignissimum, qui propè sit his qui tribulato sunt corde. Non despero iam Domine etiamsi molesta mihi videatur tribulatio quam patior, etiamsi pusillanimis sum, etiam si desidero vt transferatur calix à me. Non despero inquam, dummodo audiam ipse: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Didici etiam ex hoc ipso non ad carnalem siue caducam recurrere consolationem, sed ad angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cælestem. Ita planè, dùmmodo non murmurem: id enim penitùs separaret à te, si non citiùs resipiscerem: nõ renuo etiam si opus habeo consolari. Quid enim? Agnosco vocem meam in saluatore: & de salute desperem? Planè in patiẽtia mea possidebo animam meam. Veruntamen proficere volo si possum, nec statim adepta salute esse contentus. Qui timet Deum Sapien.15. (ait sapiens) faciet bona: sed parum est. Scriptum est enim: Declina à malo, & fac bonum: inquire Psal.36. pacem, & persequere eam. Noli esse salute contentus, quære pacem, ne tibi sit in periculo etiam salus ipsa. Audi ergo angelum nato eo qui factus est pax nostra, exultantem atque canentem: Pax in terra hominibux bonæ voluntatis. Quæ autem Luc.2. bona, nisi ordinata voluntas? Quænam est illa; inquis. Profectò quæ rationi consentanea est, dicent: Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in Rom.8. nobis. Hoc si iam sentire cœpisti, haud dubium Psal.118. quin libenter feras crucem domini, & dicas: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiã mandata tua. Attamen si vis perfectus esse, vnum adhuc tibi est necessarium. Quid illud? inquis. Profecto gaudium in spiritu sancto. Siquidem & is qui timore coërcetur & patiens est, & qui ratione spei ducitur, & beneuolus est: nisi etiam fuerit feruens spiritu, facilè labi potest. Porrò quæ per spiritum diffunditur charitas, & patiens & benigna est, & quod est amplius, nunquam excidit. In primo denique mandato quod parentibus nostris datum est, si diligenter consideres, & Eua patiens, & Adam beneuolus fuisse videntur: quia tamen vterque cecidit, liquet quòd stabili non erat ille vel illa gradu. Vidit mulier lignum (ait Gen.3. scriptura) quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Non tibi videtur vix continere manum? Sic & vbi à serpente interrogata est, vide si non manifestè sonát verba eius molestum ei fuisse mandatum. Ex omni (inquit) ligno paradisi comedimus, de ligno autem scientię boni & mali dixit nobis ne comedamus. Non dicit: Sic est voluntas creatoris, quare sic, ipse nouit: nobix sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate eius. Itaq; facilè seducta est mulier & promissioni credere, & acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est, sed subuersus mulieris amore. Optaret enim semper seruare mandatum quod

ſibi vtile mouetat, ſi non mulier ei aliud ſuaderet.
Nec aliquam in ſeruando mandato viſus eſt pati
difficultatem, ſed quę bona voluntas erat, nō ha-
huit fortitudinem, quia non habuit feruorem.
Cant.8. Fortis quippe eſt vt mors, non patientia aut ſpes:
ſed dilectio. Non timor aut ratio, ſed ſpiritus for-
titudinis eſt. Dicit patientia, ſic oportet fieri: quia
timore vrgetur. Dicit voluntas bona, ſic expedit,
& ſic agendum eſt: quia ſpei attrahitur ratione.
Charitas verò quæ inflammatur à ſpiritu, neque
ſic oportet dicit, neque ſic expedit: ſed ſic volo
(inquit) ſic cupio, ſic deſidero vehementer. Vide-
tis quanta ſublimitas, videris quanta ſecuritas
quantáque ſuauitas charitatis; Fœlix anima, quæ
ad hunc charitatis peruenerit ſtatū. Nec ſanè de-
ſperandum nobis, quandoquidem eius qui ad
hunc peruenit gradum, ob hoc maxime memoria
celebratur, vt ipſius & inuocemus auxilium, &
prouocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nō-
nullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis
beatum Andream Apoſtolum eſſe, nec poſſe te,
qui puſillus es, eius ſequi veſtigia: pudeat vel eos
qui tecum ſunt non imitari. Nemo repente fit
ſummus: aſcendendo non volando apprehendi-
tur ſummitas ſcalæ. Aſcēdamus igitur velut duo-
bus quibuſdam pedibus, meditatione & oratio-
ne. Meditatio ſiquidem docet quid deſit, oratio
ne deſit obtinet. Illa viam oſtendit, iſta deducit.
Meditatione denique agnoſcimus imminentia
nobis pericula, oratione euadimus, pręſtante do-
mino noſtro Ieſu Chriſto.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Sermo 2.*

BEati Andreæ Apoſtoli ſolennitas hodie cele-
bratur: quam ſi pia ſollicitudine perſcrute-
mur, multa inueniemus in ea quæ ædificent ani-
mas noſtras. In ipſo ſiquidem conuerſionis ſuæ
initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præ-
ſtat exemplum. Quod quidem chriſtianis omni-
bus neceſſarium, nobis tamen eſt charius ample-
ctendum, qui nimirum ſpecialiter ex ipſa profeſ-
ſione noſtra tenemur obedientiæ debitores. Sa-
piens nummularius eſt, imò ipſa ſapiētia, cui ne-
ceſſe habemus reddere hunc obedientiæ num-
mum: nec ſuſcipiet eum niſi & integer inuenia-
tur, & ſine aliqua falſitate. Nam ſi diſcutimus, ſi
diiudicamus, & in hoc quidem præcepto non
obedimus, ſed in illo fractus eſt nummus: non ſu-
ſcipiet eum Chriſtus, à quo nimirum tenemur
nummi integri debitores. Omnes enim obedien-
tiam ſimpliciter & ſine vlla exceptione promiſi-
mus. Quòd ſi quis obediat quidem, ſed ſimula-
toriè & ad oculum, murmuret autem in abſcon-
dito, falſus eſt nummus eius: plumbum habet nō
argentum, & iniquitas ſedet ſuper talentum
plumbi. Doloſè agit, ſed in conſpectu Dei, quo-
niam Deus non irridetur. Vis audire perfectæ
Matth.4. obedientiæ formam? Vidit Dominus (ait euange-
liſta) Petrum & Andream mittentes rete in mare,
& ait illis: Venite poſt me, faciam vos fieri piſca-
tores hominum. Faciam (inquit) de piſcatoribus
piſcatores: imò prædicatores. At illi continuo ni-
hil diiudicantes aut hæſitantes, non ſolliciti vn-
de viuerent, non conſiderantes quonam modo
rudes homines & ſine literis prædicatores fieri
poſſent, nihil denique interrogantes, ſine omni
mora relictis retibus & naui ſecuti ſunt eū. Agno
ſcite fratres quoniam propter vos ſcripta ſunt
hæc, propter vos ſingulis annis in Eccleſia reci-
tantur: vt diſcentes veræ obedientiæ formam, ca-
ſtigetis corda veſtra in obedientia charitatis. Hęc
nimirum eſt quæ ſola commendat obedientiæ
nummum, hoc illius argentum eſt probatum at-
que purgatum. Sola eſt charitas quæ obediētiam
gratam facit & acceptabilem Deo. Hilarem quip- 2.Cor.9.
pe datorem diligit Deus. Et item: Si tradidero (in- 1.Cor.13.
quit) corpus meum ita vt ardeam, charitatem au-
tem non habeam: nihil mihi prodeſt. Vultis vt de
ipſa quoque beati huius Apoſtoli paſſione, quam
nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid
ad laudem Chriſti, & ædificationem veſtram? Au-
diſtis certè cùm perueniſſet beatus Andreas ad
locum vbi crux parata erat, quomodo conforta-
tus ſit in Domino, & per ſpiritum quem vnà cum
cæteris Apoſtolis in igneis linguis acceperat, ver-
ba verè ignea loqueretur. Videns ergo paratam
eminus crucem, nequaquam (vt exigere videtur
mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequa-
quam ſanguis eius gelatus eſt, non ſtetere comæ,
aut vox faucibus hæſit: non contremuit corpus,
nec mens turbata eſt, non receſſit, vt aſſolet, in-
tellectus. Ex abundantia cordis os locutum eſt,
& charitas quæ feruebat in corde, quaſi ſcintillas
quaſdam ardentiſſimas emittebat in voce. Quid
enim beatus Andreas cum ſibi paratam (vt dixi)
crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux,
inquit, diu deſiderata, & iam concupiſcenti ani-
mo præparata: ſecurus & gaudēs venio ad te, ita
vt & tu exultās ſuſcipias me diſcipulum eius qui
pependit in te, quia amator tuus ſemper fui, &
deſideraui amplecti te. Obſecro, fratres, homo eſt
qui loquitur hęc, an non eſt homo, ſed angelus,
aut noua aliqua creatura? Homo planè ſimilis
nobis paſſibilis. Nam paſſibilem eum paſſio ipſa
teſtatur, qua appropinquante tam lętabundus
exultat. Vnde ergo in homine noua hęc exulta-
tio, & lętitia hactenus inaudita? Vnde in tanta
fragilitate tanta conſtantia? Vnde in homine tam
ſpiritualis mens, tam feruens charitas, animus
tam robuſtus? Abſit vt à ſeipſo tantam ei creda-
mus ineſſe virtutem. Donum perfectum eſt, de-
ſcendens à patre luminum, ab eo vtique qui fa-
cit mirabilia magna ſolus. Planè ſpiritus erat, di-
lectiſſimi, qui adiuuabat infirmitatem, per quem
diffundebatur in corde ipſius fortis charitas vt
mors, imò & fortior morte. Cuius ó ſi & nos par-
ticipes inueniamur. Ecce enim moleſtus eſt nobis
pœnitentiæ labor, corporis afflictio grauis, abſti-
nentia onerosa: in vigiliis dormitat anima noſtra
præ tædio, non ob aliud ſanè quàm propter ino-
piam ſpiritus. Ipſe enim ſi adeſſet, adiuuaret ſine
dubio infirmitatem noſtram. Et ſicut beato An-
dreæ crucem & mortem ipſam, ſic nobis quoque
laborem & pœnitentiam noſtram facere non ſo-
lùm nō moleſtam, ſed etiam deſiderabilem atque
omnino delectabilem eſſe. Spiritus enim meus
(ait dominus) ſuper mel dulcis: ita vt ne ipſa qui- Eccl.24.
dem dulcedini eius prævalere queat amatiſſima
licet mortis amaritudo. Quid nō temperabit illa
dulcedo, quæ mortem quoque facit eſſe dulciſſi-
mam? Quæ reſiſtere poſſit aſperitas vnctioni illi,
quæ mortem quoque facit ſuauiſſimam? Cum Pſal.126.
dederit (ait) dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas
domini.

domini. Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortē quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum fratres, tota sollicitudine operam demus vt mereamur habere hunc spiritum, imò vt quem iam habemus, abundantiùs habeamus. Quicunque enim spiritum
Rom. 8. Christi nō habet, hic non est eius. Nos autem non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Testimonium præsentiæ eius præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi spiritus qui viuificat, spiritus saluatoris adesset. Quæramus igitur vt dona sua multiplicet Deus in nobis, & spiritum suum augeat, qui iam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentiæ eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit:
Eccl. 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient: Sed fortasse multorum nobis conscientiæ iam respondent: Desideramus quidem hunc spiritum qui sic adiuuet infirmitatem nostram, sed inuenire non possumus. Et ego dico, propterea non inuenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis & non accipitis, eo quod negligenter petatis. Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi vt sedulè & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes prouocat & hortatur vt petant? Si
Matth. 7. vos (inquit) cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Petite ergo charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione: in omnibus operibus vestris dulcissimi semper huius ac suauissimi spiritus præsentiam & auxilium inuocate. Et nos enim fratres cum beato Andrea necesse habemus tollere crucem nostram, imò cum eo quem & ipse secutus est Domino saluatore. Inde enim sic lætabatur, inde sic exultabat, quòd non solū pro eo, sed etiam cum eo mori videretur, & complantari similitudini mortis eius, vt compatiens etiam conregnaret. Cum quo vt simul crucifigamur & nos, attentiùs auribus cordis audiamus vocem dicentis:
Luc. 9. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ac si dicat, Qui me desiderat, se despiciat: qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam. Sed continuo bella insurgunt, armantur protinus aduersum nos inimici. Et nos armemur contra, imitemur arma regis nostri, vt tollamus & nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi enim quid Psalmista promiserit, imò
Psal. 90. spiritus sanctus per os eius. Scuto (inquit) circundabit te veritas eius: haud dubium quin altissimi. De eo siquidem loquebatur, sicut manifeste indicant ipsius psalmi præcedentia verba. Ad quid fratres scuto circundamur, nisi quia nos vndique bella circundant? Denique quid causæ sit vt te scuto circunder, attende. Scuto (inquit) circundabit te veritas eius. Ad quid enim? Non timebis (inquit) à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Vidésne quàm necesse sit vt scuto circūdet te veritas, quem sic hostium tela circundant? Ab inferiore enim parte timor nocturnus insurgit, à sinistris sagitta volat in die, à dextris perambulat negociū tenebrosum: & vt nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianū insurgit. Nos autem miseri & miserabiles vicinis tot serpētibus, & igneis telis vndiq; volantibus, insurgentibus inimicis, nihilo minus perniciosa securitate & negligentia dormitamus: torpemus otio: vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si iam pax sit & securitas, & nō sit militia vita hominis super terram. Hoc est (dico vobis charissimi) Iob. 7.
quod me vehemētiùs terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio trāsuerberat animā meam: quòd inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quàm necesse sit solliciti videamur. Siquidem vnū e duobus hæc ipsa negligētia nostra probat, aut omnino traditus nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc cōseruamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimirū inueniri. Quantū vtrumque quid periculi habeat, satis manifestū est. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostiū malitia peruigil: & instantia eorū maligna, qui tam seduli, tā solliciti sunt in nostrā perditionē, nos quoq; sollicitos faciat & circunspectos, vt in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Ecce enim in cruce salus nostra, tantùm, vt ei viriliter inhæreamus. Verbū crucis (ait 1. Cor. 1.
Apostolus) pereuntibus quidem stultitia, his autē qui salui fiūt, id est nobis, virtus Dei est. Ipsa est scutum quo circundamur, vt eius quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id est aduersus pusillanimitatē quæ de carnis afflictione procedit, vt id quod sub nobis est corpus castigare viriliter studeamus, ac subijcere seruituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominus cornu crucis excipienda. Quòd si adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tanquam iustum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Iudas est, osculo me prodit: & dextero cornu crucis negotium perambulans in tenebris necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirum in splēdore maiori virtutum acriùs insurgere solet. Hæc autem quàm perniciosa sit, sæpiùs vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati & causa totius perditionis superbia est. Propterea quisquis es qui salutem tuam operari studes, aduersus hanc super caput tuum cornu crucis habere memento, vt non eleueris in Psal. 13.
superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis neque in mirabilibus super te: sed tela ea quæ de sublimi veniunt, supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sanè hoc solùm est cui salutis pariter & regni titulus inscribitur: quia so- Luc. 14.
lus qui se humiliat, saluari & exaltari meretur. Iam vt breuiter repetā, quatuor hæc cornua sunt, continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur & triumphat, tantùm vt perseueret in ea, & nullis valeat tentationibus deijci. Oret igitur quisquis in hac cruce est, oret cum beato Andrea dominum & magistrum suum ne patiatur eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præsumat impius attentare? Quod Egeæ manibus de discipulo, hoc Iudæorum linguis facere cogitauerat & de magistro. In vtroque tamen fera

pœnitentia ductus, victus & confusus abcessit. Vtinam abeat similiter & à nobis, eo vincente qui & in se & in discipulo triumphauit. Faciat ipse vt mereamur & nos in hac nostra qualicunque crucе pœnitentiæ, quam pro ipsius nomine tulimus, feliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

EIVSDEM BERNARDI *in eodem festo, Sermo 3.*

Attribuitur D. Bernardo eius sermo 4; tamē sit vere pius & doctissimus est.

ET quietum studium & attentum silentium, & tanta tanti viri solennitas mouent, imò compellunt aliquid dicere ad ostendendum gloriam deitatis, gratiam apostolicæ dignitatis, confessionis virtutem. Demus gloriam laudi eius quem laudant omnes gentes, qui ministros & laudat & laudabiles facit: ipse est cui adsistunt angeli ad audiendum vocem sermonum eius, qui stellas vocat & dicunt, assumus: cuius manus extendit cælos, qui fundauit terram super stabilitatem suam, qui graditur super fluctus maris, qui fecit mirabilia solus, in quem desiderant angeli prospicere: ipse qui fecit omnia, quæcunque voluit fecit. Huic seruire regnare est, qui seruiuit pro nobis dura & graui necessitate, & purpuram suæ diuinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem nostrā. Nunquid nō ludus vobis videtur Iudæi, pagani, hæretici, & omnis illa subsannantium, imò insanientium turba, cùm dicimus filium Dei carnē, mortem, clauos & lanceam tolerasse? Ludus profectò, vnde sic nobis luditur, vt vobis illudatur. Vnicus ille sapiens huius mysterij non ignarus, ludum istum elegantì sermone prælusit: Delectabar, inquit, per singulos dies, ludens coram eo in orbe terrarum. Lusit quippe coram Deo cum carnem ex eius præcepto suscepit, & in orbem terrarum, quia ad terminum orbis terrarum delectatus per singulos dies in singulis Apostolis iucundatus, dùm vni tradit regnum cælorum, alteri de pectore suo reclinatorium facit. Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Putabam ego domine Iesu quòd deliciæ tuæ essent esse non cum filiis hominum, sed cum choris angelorum, vbi diuinitatis gloria thronis & potestatibus admirandos superiorum oculos reuerberas naturalī, ibi lucem inhabitas inaccessibilem: & circunstantiam clarissimorum luminum, tui luminis obtegis maiestate. Sed illa clementissima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias suas dicit esse cum filiis hominum. Isti sunt filij hominum qui sperauerunt sub regmine alarum tuarum, quos elegisti de plebe, quorum lauisti pedes, quibus tuum spiritum infudisti, qui fidem tui nominis quadrigis euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt. Nota tamen quòd dicit non cum hominibus, sed cum filiis hominum. Ego puto homines ad veterem hominem, filios hominum ad filium hominis pertinere, iuxta quam intelligentiam puer citharista sic intonat: Quid est homo quòd memor es eius: aut filius hominis quoniam visitas eum? Vidésne quia Deum hominis esse memorem, filium verò hominis se visitare confirmat? Præsumimus & suspiramus, quia fecit nobis misericordiam suam in conspectu filiorum hominum, si interim protegat nos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum.

Prouerb. 8.

Ibidem 8.

1. Timoth. 6.

Psal. 8.

Igitur & dominus noster cuius schola est in terris, & cathedra in cælo, ex his omnibus quos elegit & prælegit; Andream elegit Apostolum, cuius solennitatem & vocibus & cordibus aclamamus. Dulcis Apostolus & primitiua vocatio domini saluatoris, qui in ipsum apostolicum chorum tanti prioratus insignitur fastigio, non subterfugit vos, quia quodammodo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium: cuius passio tanta spiritus deuotione distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt vobis, & ministri fuere sermonis. Vocatio eius, vita eius & passio cognita sunt vobis, & nunc quid superest vt à me ampliùs expectetis? Veruntamen monet me lectio apostolica, vt aliquantisper de ea vestræ reuerentiæ colloquamur. Ait enim: Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in ipsum non confundetur. Tria proponūtur hîc, & corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, & in illum credere, in quem qui crediderit non confundetur. Solùm cor hominis capax est rationis, & susceptibile mysteriorū Dei, quod purgatūm atque politum ipsam diuinitatis substantiam considerat: & si non comprehendit, tamen cor est in peccatore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide. Et hoc est puto quod dicit Apostolus, habitare Christum per fidem in in cordibus nostris. Hoc igitur in meracissimam eliquatum est puritatem, cùm omnia mysteria Christianæ fidei, fide percipis inconcussa, nihil est quod tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc est consummata iustitia, perfecta veritas, & vera perfectio, si tamen oris confessio subsequatur. Fides enim cordis sine oris fide, aut nulla est, aut parua, saluatore dicente: Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, &c. Et Propheta: Periit fides & ablata est de ore eorum. Non dixit de corde, sed de ore: quia nihil valet fides cordis sine fide oris, nec fides oris sine fide cordis, cùm ista iustitiam, illa docet salutem: quia salus à iustitia vel iustitia à salute separari non possunt. Crede ergo & confitere, nihilominus cōfitere & crede: quia fides ad iustitiam, confessio fit ad salutem. Et quandoquidem in hæc deuenimus loca, & occasio confessionis se obtulit: reddendum est quod alibi promisimus, rotúmque conferendum quod de confessione sentimus. Patientes autem estote, & si fortè protensiùs sermonem extendero, vos intendite quæ dicuntur: quia vestræ vtilitati proferuntur. Via enim est sine qua nemo venit ad patrem: quam qui perdidit, perdidit Deum. Cùm enim de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipuè sit refugium tuum, cui tua anima commissa est, quem imposuit Deus super caput tuum. Nec te moueat si illiteratus sit vel indiscretus, quia hoc ipsum signū humilitatis est, quę generat confessionem. Memento quia non est potestas nisi à Deo. Super cathedram, inquit, Moysi, sedent Scribæ & Pharisæi. Et attende non sedentem, sed sedem: cathedram non personam. Quid si fortè vel licentia eius ad alium transfugere permittatur? Tu tamen priùs ei reueles tui cordis arcanum, quia non est plena salus si ille fugitur aut contēnitur, cui adhærere & honorare debueras. Quid si minus

Rom. 10.

Ephes. 3.

Luc. 9.

Psal. 14.

Matth. 23.

ſi minus ſufficiens tibi videtur eius inſtructio? patet ad libertatem via: vt coram alio literato atq; diſcreto effundas cor tuum: reſeruato illi priuilegio ſuo, cui tu tuam animam commendaſti. Nec tibi blandiaris ſi grauiter peccanti, leuior pœnitentia vel à neſciente vel à diſſimulante dictatur, *Purgatorij & confeſſionis munia.* cùm purgatorius ignis perficere debeat quicquid hic minus feceris, quia dignos fructus pœnitentiæ quærit altiſſimus. Licet autem non euaſerit manus omnipotentis, qui tibi non plenè conſuluit: tibi tamen ratio in gratia præſidet, quæ te doceat tantum à licitis abſtinere, quantum te memineris illicita perpetraſſe. A veſtibulo igitur huius ſacratiſſimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad confeſſionem vel timor cogit, quia extorta confeſſio non eſt confeſſio: vel aliorum accuſatio trahit, quia non eſt confeſſio, ſed offenſio: vel ſui excuſatio ducit, quia non eſt confeſſio, ſed defenſio: vel iactantia inanis rapit, quia *Cõfeſſio qualis.* non eſt confeſſio, ſed illuſio: & ſi quæ aliæ ſunt ſpecies, quæ obumbratorio velamine tanti ſacramenti ſimulent ſanctitatem. Cor in ſemetipſo & *Pſal.50.* ex ſemetipſo contritum & humiliatum, ad huius purificationis poteſt aſcendere puritatem. Oſtendam tibi vnum iuſtorum iuſtiſſimè confitentem. *Pſal.31.* Quæris quiſnam ſit? Pſaltes domini eſt. Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino. Dixi, hoc eſt, in corde propoſui, non coactus, non compulſus, ſed ſpontaneus. Iniuſtitiam meam, ait, non alienam, aduerſum me arguens & accuſans. Vides quia non timore alterius, vel ad alium accuſandum, ſed ſeipſum ſanctus domino confitetur. Pro huiuſmodi confeſſione remittes tu domine impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Hæc præmium in corde germinat ad iuſtitiam, poſt hæc in ore naſcitur ad ſalutem. Primus eius gradus eſt cognitio peccati. In hac cognitione videndum eſt quid egeris, quantis cõtumeliis affeceris corpus tuum, ambulans in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum, poſſidens vas tuum in immunditia & vilitate, non in ſan- *1.Cor.4.* ctificatione & honore. Conſiderandum eſt etiam quem merueris ignem, ſcilicet illum qui paratus eſt diabolo & angelis eius, & omnia genera pœnarum quæ in illis pœnalibus locis cumulantur & creſcunt. Inſpiciendum verò quid amiſeris, bona videlicet illa quæ oculus nõ vidit, & auris non *1.Cor.2.* audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Horum igitur omnium conſideratione perterritus tranſi ad pœnitentiam vltricem vitiorum, altricem virtutum. Pœniteat te quòd tot & tantis flagitiis inuolutus, in luto fæcis & miſeriæ diutius iacuiſti. Pœnitentiam agens, corpus tuum conteras, & furibundo carnis aſello incentiuorũ ſemina ſubtrahens, pœnitenda ampliùs non admittas, ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas oſſa animæ tuæ, quæ cuſtodit in iuſtis dominus, vnum ex his inquam non conteretur. Nam hæc duo ita ſibi inuicem coniuncta ſunt, vt ſe cognoſcere nemo poſſit, niſi pœniteat: & pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens, tranſuola ad tertium gradum dolorem cordis, & iam plantata erit iuſtitia plantatione illa quam plantauit pater tuus cæleſtis. Dole igitur quia creatorem offendiſti, cuius legem cæleſtia & terreſtria præter te indefeſſa ſtatione conſeruant: & in tanta republica Dei tu ſolus peregrinus es, & imperatoriæ maieſtatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quòd cum creatore etiam patrem offenderis, & illum patrem qui tibi miniſtrat ſiderum curſus, fœcunditatẽ terræ, fructuum vbertatem. Accedat & acerrimus qui pertranſeat animam tuam, quòd tantum benefactorem contempſeris, qui dolorem crucis ſuſtinuit, ne dolores inferni ampliùs ſuſtineres. Sic igitur in interiori homine iuſtitia germinante, ſurculus erumpat in arborem, & loquatur lingua quod ſcientia loquebatur. Quartus itaque gradus eſt confeſſio oris. Hæc purè facienda eſt, quia non eſt pars vna peccatorum dicenda, & altera reticenda, neque leuia confitenda, & grauia diffitenda. Nec alter accuſandus, & ipſe excuſandus, ſed cum iuſto dicendum eſt: Nõ declines cor meum in verba ma- *Pſal.140.* litiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hæc enim ſunt verba malitiæ, & grauis malitiæ qua grauior vix poſſit eſſe. Confitendum eſt & humiliter, vt idẽ ſit in corde, quod ſonabit in ore. Sunt enim nonnulli qui narrare in confeſſionibus ſolent quæ vel arguitè literatorio & fortiter gladiatorio geſſere conflictu, proh dolor ſub humilitatis pallio ſuperbiam induentes, & putantes ſe poſſe vitare oculos iudicis cũcta cernentis. Nónne vtique reges Saul & Dauid redarguti à prophetis Samuële & Nathan, dixerunt, Peccaui: & tamen Saul audiuit, tranſtulit dominus regnum à te, & dabit illud æmulo tuo: & Dauid: Tranſtulit dominus peccatum tuum, & non morieris? Quid eſt hoc, niſi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde: & humilitas quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit? Dicendum eſt & fideliter, vt in fide eccleſiæ credat ſibi peccata dimitti, quia Cain & Iudas purè & humiliter confeſſi ſunt, ſed nequaquam fideliter, quia alter eorum deſperans ad laqueum cucurrit, alter illud *Matth.27. Geneſ.4.* grande ſcelus euomuit, Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. Mentiris latro, quia maior eſt pietas Dei quam quæuis iniquitas: quia *Pſal.144.* miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Sequitur quintus gradus, maceratio carnis, quæ ieiuniis & vigiliis attenuanda eſt, ne noua prurigine voluptuoſam reuoluat prauitatem. Hæc autem facienda eſt licentiosè: quia quod ſine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Occultè, *Matth.5.* vt neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Diſcretè propter debilitatem corporis, & multimodas infirmitates. Plurimóſque videmus in principio conuerſionis ita diſcretionis infregiſſe repagula, vt laudum ſolenniis inhabiles redderentur, & apparatu lautiori diuturnis fouerentur temporibus. Iam ſic illuminatus procedat ad ſextũ, qui eſt correctio operis. Prohibe ergo linguam tuam à malo, operare quod bonum eſt, & ſenſuales motus tuos continentiæ frænis infræna, & ſic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro perſona quam habes: & te præſente iuſtitiam non ſinas ſepeliri. Veni ad ſeptimum gradum: & hic eſt perſeuerantia bonitatis. Et in hoc ſeptimo vocabit te dominus cum Moyſe de medio caliginis: & in ipſam diuinitatis ſubſtantiam interiores oculos infiget. Perſeuerantiam autem faciunt expectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ ſpiritus & donum cæleſte, de quibus loquitur apoſtolus, quod nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia eſt enim illi, & nõ poteſt intel-

ligere

ligere quæ sunt spiritus Dei. Audite & breuiter quem oporteat ordinari ad dispensationem my- *Confessoris qualitas.* sterij huius. Oportet eum esse non minus literatum quàm religiosum, vt zelum Dei habeat, & secundum scientiam, cùm indiscreta religio magis obesse soleat quàm prodesse. Literatum ideo, vt sciat quid iniungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter *Confessionis signaculum.* intercedat. Videat ne vnquam de his quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquã faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caueat etiam ne vilescat in conspectu eius qui ei suam vilitatem ostendit, nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quod si fortuitò de his quæ in confessione suscepit, causa coram eo fuerit ventilata, non tanquam conscius in partem decliuet, sed quasi nescius iudiciarium ordinem permittat exerceri. Habeat in voluntate compati & liberare eum, & nitatur aliquid detrahere seueritati, imitans dulcedinem domini *Psal. 34.* sui, de quo dicit sanctus: Quoniã fecisti iudicium meum, & intendisti causam meam. Sed proh dolor temporibus nostris per vniuersum mundum pestilentialis morbus excreuit, vt præficiantur ecclesiis, quos nec scientia nec vita commendet, cæci duces cæcorum, & præcipitati ad præcipitium perducẽtes. Audiuimus de confitente, & de confessionem suscipiente, audiamus nunc quæ impediant cõfessionem. Quantum colligere possum, quatuor præcipuè occurrunt, pudor, timor, *Impedimenta vera cõfessionis.* spes, & desperatio. Nihil fortiùs ad expugnãdum gratiam Dei quàm pudor humanus: quia dùm erubescimus confiteri quæ commisimus, Deum minus quàm homines ueneremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Opponamus ei considerationem rationis, reuerentiam intuentis Dei, comparationem maioris confusionis. Vt enim confiteamur, ratio monet, Deus cogit qui vidit. Et si confundimur hîc dicere, quid erit in illa magna confusione, vbi omnibus omnia patebunt? Timor plerósque opprimit, ne graui pœnitentia percellantur, & perferre non possint. Verè qui timet pruinam, irruet super eum nix. Hîc considerandum quàm grauis sit pœna gehennæ, quàm longa, quàm infructuosa. Econtrario autem pœnitentia præsens, leuis, breuis & fructuosa. Spes autem multos obruit, qui dum bona præsentium cupiunt, aperire conscientias suas nolunt: ne si quales sint hominibus appareant, ad nulla præsentis vitæ bona conscendant. Quibus inculcandum est, quia bona huius seculi parua sunt, incerta & momentanea, & illa illius vitæ maxima, certissima & æterna. Plurimos desperatio interficit, qui hoc solùm metuunt, ne possint continere. *Prouer. 18.* Verum est quia peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hanc obtinere debemus vigore cõfessionis, gratia humilitatis, & compassione illius cui aperimus conscientiã nostram. Sciendum autem, quia alia est confessio quæ peccatum plãgit, alia quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Sequitur: Qui credit in illum, non confundetur. Credere Deo, est verbis eius fidẽ adhibere. Credere Deum est confiteri vbique esse. Credere in Deum est omnem spem suam in illum dirigere. Deum & Deo credunt dæmones, sed in illũ non credunt (in quẽ qui credit, non confundetur) quia spem suam non ponunt in illum. Ecce quantum potui, etsi non quantum volui, de cõfessionis disserui sacramento. Sed qui sermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, & in se credere, sponsus Ecclesiæ filius Mariæ: qui est Deus benedictus in secula, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expositio.

ISti primi vocati sunt vt dominum sequerentur. *Hier. in Mat. cap. 4.* Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non in virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina putaretur. Quæri autem potest, quomodo binos vocauerit de nauiculis piscatores: primò Petrum & Andream, deinde progressus paululũ alios duos filios Zebedęi, sicut narrãt Matthęus & Marcus, cum Lucas dicat ambas eorũ nauiculas impletas magna illa captura piscium, sociósque Petri cõmemoret Iacobum & Ioannem filios Zebedęi vocatos ad adiuuandum, cum retia plena extrahere non possent, simúlque miratos tantam multitudinem piscium quæ capta erat, & cum Petro tantum dixisse: noli timere, ex hoc iam homines eris capiens, simul eum tamen *Luc. 5.* subductis ad terram nauibus, secutos fuisse. Vnde & intelligẽdum est, hoc primo esse factum quod Lucas insinuat, nec tunc eos à domino vocatos, sed tantum Petro fuisse prædictum, quòd homines esset capturus. Quod non ita dictum est, quasi iam pisces nunquam esset capturus. Nam & post resurrectionem domini legimus esse piscatos. Dictum est ergo, quod deinceps capturus *Ioan. 21.* esset homines: non dictum est, quod iam non esset capturus pisces. Vnde datur secundum Lucam intelligi eos ad capturam piscium ex more remeasse, vt postea fieret quod Matthæus & Marcus narrant, quando eos binos vocauit, & ipse iussit vt eum sequerentur, primo duobus Petro & Andreæ, deinde duobus Zebedæi filiis. Tunc enim subductis ad terram nauibus, tanquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt tanquam vocantem ac iubentem vt sequerentur.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 2.

A*Mbulans Iesus, &c.* In omnibus operibus suis, quæ dominus Iesus Christus nobis ad imitandum ostendit, hoc declarare dignatus est, quia si virtutes animæ volumus accipere prius tentationum stimulos debemus superare. Deniq; prædicaturus mundo euangelium, prius à Ioanne baptizatus successit in desertum, ibique quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunans, trinam tentationem diaboli superauit, ac inde egressus ambulans iuxta mare Galilæę, vt pręsens *Matth. 4.* lectio narrat, discipulos elegit. Nos nimirum in hoc facto instruens: quia si volumus bonum accipere, prius à malo debemus declinare. Est enim *Psal. 33.* ordo rectè viuendi, vt prius vitia superet, qui virtutes vult accipere, quia superato diabolo, Dominus

minus discipulos eligere voluit, vt ostenderet nobis tunc virtutum culmen posse ascendere, quando tẽtationes diaboli fortiter superauimus. *Rom. 5.* Quoniam sicut ait Apostolns: Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit. Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed de vocatione Apostolorum locuturi, primum de situ loci in quo hæc facta fuisse memorantur, aliqua commemoranda sunt. Hoc enim mare, quod nũc Galilææ dicitnr, propter varietates adiacentium locorum, variis cẽsetur nominibus. Dicitur enim mare Galilææ, propter adiacentem prouinciam Galilæam. Dicitur & mare Tyberiadis, à Tyberiade ciuitate. Dicitur & stagnum Genezareth, eo quod flantibus ventis crispantibus vndis, auram ex se generare videatur. Dicitur & lacus Genezareth, propter eandem ciuitatem sibi adiacẽtem. Et à quibusdam mare Asphaliũ propter inoportunitatem portus vocatur. Extẽditur autem in longitudine cxl. stadia, in latitudine. xl. Nec propterea mare dicitur, eo quod amaræ sint aquæ eius, sunt enim dulces ad potandum, habiléque ad piscandum, sed idioma linguæ Hebrææ est, omnes congregationes aquarum vocare mare, sicut Genesi scriptum est. *Gen. 1.* Cõgregationes aquarum appellauit maria. Sed vt hęc spiritaliter consideremus, non abs reputãdum est, quod Euangelista dominum non sedisse, nec stetisse, sed deambulasse iuxta mare Galilęę descripsit. Ipsa enim motio dominici corporis, à mysterio vacua non est putanda. Mare ergo in hoc loco, mundum significat. Et pulchrè, quia sicut mare immobile esse non potest, sed semper accedit, & recedit, sic mũdus diuersis perturbationibus & fluctuationibus commouetur. *Psal 59.* Hinc per Psalmistam dicitur. Commouisti domine terram. Vnde mare à meando dicitur, eo quod semper accedat, & recedat, significat, vt dictum est, mundum, qui crescit nascendo, decrescit moriendo, eleuatur in prosperis, deijcitur in aduersis. Ad hoc ergo mare dominus venit quando per incarnationis suæ mysterium *Phil. 2.* mundo visibilis apparuit, quando vt ait Apostolus, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum. Non autem stetisse, vel sedisse, sed perambulasse dicitur, quia non sicut cæteri mortales in mundo cum esset natus, vt cæteri homines permansit, sed post doctrinam sancti euangelij, post ostẽsionem miraculorum, post suam factam passionem resurgens à mortuis, victor ad cælum rediit, sicut ipse *Ioan. 16.* ait: Exiui à patre & reliqua hoc significauit deambulatio eius. De cuius motione vel transitu per Petrum dicitur. Qui Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Neque illud absque cõsideratione prætermittendum est quod dominus discipulos electurus iuxta mare ambulauit, qui posteà coram illis super fluctus maris ambulasse narratur. Vt enim diximus, mare mundum significat. Discipulis ergo in mari piscantibus, dominus secus mare ambulauit, quia & si venit in mundum per naturam, alienus fuit *1. Pet. 2.* tamen à mundo per culpam. Quoniam sicut Petrus veracissime testatur: Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed fortè quærit aliquis, quare dominus discipulos primum à Galilæa eligere voluit, & non à Iudæa vel cæteris regionibus, quæ nobiliores putabantur? Ad quod qui curiosus est, respondere potest quia quamuis gloriosa domini natiuitas prius in Iudæa sit celebrata, tamen eius sancta conceptio primum in Galilæa ab angelo virgini est annunciata. Luca euangelista teste, qui ait: *Luc. 1.* Eodem tempore missus est Gabriel angelus à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Et post pusillum adiecit. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum; ecce concipies, & paries filium. Dignũ enim erat, vt vbi caput nascendi sumpserat exordium, inde membra horum acciperẽt incrementum, & vbi ortum primum sol iustitiæ dederat, inde stellę fulgentes mundo appererẽt, & vbi virgo audierat: Ecce concipies, ibi piscatores audirent. Venire post me. Siue ideo à Galilæa dominus discipulos eligere voluit, quia per virtutem miraculorum, per manifestationem suã, primum in Galilæa mundo innotuit. Primum enim miraculum in Chana Galilææ fecisse legitur, *Ioan. 2.* quando ex aqua vinum fecit, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Et Petrus. Vos scitis verbum, quod factũ est in vniuersam Iudæam post baptismum quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, incipiens à Galilæa. *Act. 10.* Nos autem dicimus primum discipulos à Galilęa eligere voluisse, propter sacramentum ipsius nominis. Galilæa namque transmigratio facta, siue reuelatio perpetrata interpretatur, & cùm Dominus discipulos à Galilæa elegit, nos instruxit, vt si eius discipulatui adhęrere volumus, primum de viciis ad virtutes transmigrare debemus, & de mundi amore ad amorem Dei, dicentes iuxta prophetam. *Psal. 30.* Quoniã aduenæ & peregrini sumus apud te, sicut omnes patres nostri, vt in Galilæa, id est, in reuelatione æterna faciem Domini contemplantes, dicamus cum Apostolo: *1. Cor. 13.* Nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplantes, transformamur à claritate in claritatem tãquam à spiritu Dei. *Vidit duos fratres Simonem, qui vacatur Petrus, &c.* Videre Dei, eligere est, sicut nescire, reprobare. Sicut enim illos nescit quos reprobat, vnde in finem reprobis dicturus est. *Matth. 25.* Nescio vos vnde sitis, sic videre eos dicitur, quos in æterna præsentia elegit: sicut cuidam dictum est. *Ioan. 1.* Cum esses sub ficu vidi te. Vidit ergo Dominus Petrum & Andream, quos per pręuenientem gratiam in sorte Apostolatus dignos elegit. Sed nec illud prætermittendum est quod in prima sua vocatione carnales fratres elegit. Petrus enim & Andreas fratres erant, non solùm spiritu, sed etiam carne, germani. Cùm ergo carnis fratres elegit, ostendit, qui eius discipulatui volumus adhęrere, fratres esse debemus, non carne, sed spiritu, non genealogia, sed charitate. Omnes quoque, qui in Christo regenerati sumus, vnum patrẽ habemus Deũ, cui quotidie in oratione dicimus: *Matth. 6.* Pater noster qui es in cœlis, de quo ipse ait in Euangelio. *Ibid. 23.* Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est pater vester, qui in cęlis est. Huius filios nos esse gloriemur, dicentes cum Apostolo: Filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Mater vero nostra sancta ecclesia est quę nos per fidem, & sacramentum baptismatis quotidie spiritaliter generat. Quibus ergo vnus est pater Deus & vna mater ecclesia, consequens est, vt fratres sint,

id

id est, vt vnum sentiant, idipsum sapiant: non dissideant, non discordent, vt in eorum numero computentur, quibus saluator ait. Omnes enim vos fratres estis. Hos enim spirituales fratres
Psal. 130. admirabatur propheta, cum dicebat: Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in in vnum. Notandum autem, quod duos fratres elegit vt ostenderet, quia suos discipulos geminā volt habere charitatem, dilectionem scilicet Dei & proximi. Væ enim soli, ait scriptura. Quia cum ceciderit, non habet subleuantem. Cuius rei gratia dominus binos elegit, binos ad prædicandum postea misit vt ostenderet, quia prædicationis officium non debet suscipere, nisi qui dilectionem Dei & proximi habet in peccatore. Vel certè binos elegit ad confirmandam authoritatem, qui duorum testamentorum doctores fierent, vt im-
Matth. 13. pleretur in eis quod ipse alibi ait. Omnis scriba doctus in regno cælorū similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. *Erant enim piscatores.* Piscatores & illiterati à Domino eliguntur, ne fides credentium, quæ per eorum doctrinam & prædicationem instruenda erat, in eloquentia verborum, & non in virtute Dei fieri putaretur. Magister humilitatis, qui veniens in
Matth. 11. mundum, ait. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Humilitatis exemplum, quod in omnibus operibus suis ostenderet etiā in vocatione Apostolorum seruare voluit. Non enim elegit matrē potentissimam, sed quantum sanctissimam, tantum pauperrimam, intantum, vt non inueniret
Luc. 2. agnum, quem pro filio offerret. Nec natus est in domibus cedrinis laqueatis, & vario picturæ colore decoratis, sed reclinatus est in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Neque inuolutus est vestibus purpureis, auro & margaritis resplendentibus: sed sicut scriptum est. Pannis eum inuoluit. Hanc ergo humilitatem, quam in his, & his similibus seruauerat, in vocatione duorum non deseruit, quia non elegit potentes vel filios regum, non philosophos vel sapientes mundi: sed pauperes simplices, qui quotidianum victum arte piscandi quærerent, per quorum tamen doctrinam & prædicationem, potentes mundi & sa-
1. Cor. 1. pientes, ad suam fidem vocauit. Quia sicut Apostolus ait: Mundus non cognouit per sapientiam Deum. Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et iterum. Nam sermo noster & prædicatio, non fuit in humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute, vt non euacuetur crux Christi. Quia non multi potentes non multi nobiles sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobiliora, & contemptibiliora mundi elegit, vt confundat sapientes, & ea
1. Cor. 1. quæ non sunt, vt ea quę sunt destrueret. Sed quid de talibus Dominus dicat videamus. *Et ait illis. Venite post me.* Beos quidem Petrum & Andream vidisse dicitur, ac postmodum ad sequendum vocasse, quia omnes electos prius exterius Dei præsentia ad sequendum vocat, dicitúrque eis. *Venite post me.* Quid est dicere venite post me nisi me sequimini, meis præceptis & non vestris voluptatibus obedite? Ire enim post Dominum, est eius
Matth. 16. vestigia imitari, sicut ipse ait: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Et iterum: Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non est me dignus. Vnde in lege præcipitur. Post Dominum Deum tuum ambulabis. Quid autem in promissione dicat, audiamus: Ait enim. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Non dicit piscatores piscium, sed piscatores hominum, nomen mutauit, officium non abstulit. Nam post resurrectionem legimus eos fuisse piscatum. Et congruè de piscatoribus piscium, piscatores hominum facere voluit, quia sicut officiū est piscatoris nauem ascendere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere: sic isti in gremio Ecclesiæ recepti nauem fidei ascendentes, retia prædicationis in verbo & opere habētes de amarissimis & tenebrosis mundi gurgitibus ad multos homines ad veram lucem traxerunt quæ ait.
Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambu- Ioan. 8.
lat in tenebris, impleta Prophetia, quæ dicit. Po- Esa. 9.
pulus qui ambulat in tenebris, &c. Vide Petrum Hierosolymis retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritualiter de profundis gurgitibus capientem. Legimus enim ad eius prædicationem, vna die quinque millia, altera tria millia hominum credidisse. Vide beatum Andream, cuius hodie festiuitatem colimus, in Achaia retia in manibus tenētem, & multos pisces spiritaliter capientem. Non solùm enim ad eius prædicationem tota ciuitas, sed etiam tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait: Christus me misit ad istam prouinciam, vbi non paruum populum acquisiui. Istos piscatores pollicebatur Ecclesiæ dominus, cum per Prophetā dicebat. Mittā piscatores meos, & Hierem. 6.
piscabuntur eos, venatores meos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle. Sed libet suauiter intueri, quod Dominus, qui Petrum & Andream de arte piscandi elegit, Paulum quoque qui nō minoris gratiæ fuit de arte schœnofactoria ad prædicationis officiū vocauit. Sicut enim isti conuenienter de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, sic decenter ille, qui erat tabernaculorum corporalium ædificator, ad spiritualia tabernacula constructa translatus est. Ædificauit ergo spiritualia tabernacula, cum sua prædicatione ab humanis mentibus culturam dæmonum expulit, vt habitaret Christus per fidem in cordibus eorum. Ædificauit etiam spiritalitet Christo tabernacula, quando ab Hierusalem vsque Illyricum repleuit euangelio Christi, vt qui corporalia tabernacula mortuis hominibus ædificabat, postmodum inciperet spiritalia Deo, vt diximus, construere in animabus in sempiternum victuris. Ædificabat tabernacula Deo,
quando prædicabat, reddite omnibus debitum, Rom. 13.
cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, & cætera. Vel quando præcipiebat, qualiter viri erga mulieres, & mulieres erga viros deberent esse, qualiterque parentes erga liberos, & filij erga parentes, qualiter serui erga dominos, & domini erga seruos. Quarum pulchritudinem tabernaculorū admirabatur Propheta, cum dicitur. Quā pulchra tabernacula Iacob, & tentoria tua ô Is- Num. 24.
rael. Et Psalmista. Quam dilecta tabernacula tua
domine virtutum, &c. Domini iussionem obe- Psal. 83.
dientia secuta est Apostolorum. Nam sequitur. *At illi continuo, relictis retibus & naui, secuti sunt illum.* In quorum opere nostra superbia confunditur, nostra duritia redarguitur, quotidie flagellis atterimur, & minis terremur, signis prouocamur, promissionibus subleuamur & tamen vocantem sequi contemnimus. At vero illi non hunc mira-

cula

cula facientem viderant, non eius promissionibus subleuati fuerant, & tamen ad vnius iussionem relictis omnibus secuti sunt illum. Sequamur ergo & nos eos, quos in Christo patronos habere meruimus, vt eorum exemplo incitati, saltem post multas admonitiones & promissiones *Matth. 5.* sponte relinquamus quod quotidie amittimus, vt impleatur promissio Domini dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Ille enim in cælo sedet, qui adhuc in terris de conuersione nostra monet. Sed solent hi, qui proprias voluntates abrenunciare nolũt, paupertatis occasione in sua excusatione prętendere, dicentes. Imitari contemptores mundi volumus, sed quod relinquamus nõ habemus. Quibus nos respondemus, quia Deus omnipotens in abrenunciatione mundi non censum, sed votum pensat, nec perpendit quod habeas in arca, sed qualem habeas conscientiã. Vnde si habeas temporalem rem, vende: si autem non habes, sed de magno opere liberatus es. Tanto ergo liberiùs Christum sequi potes, quanto minus diuitiarum funibus fueris illigatus. Considerare etiam tales monemus, quod & quantum nostri sancti patres *Matth. 19.* reliquerunt. Nónne retia & nauem? Et tamen postea Domino promittente audire meruerunt. Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem, & matrem, vxorem & filios, fratres & sorores propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidet. Petrus in persona omniũ libere respondit. Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis? Et ille qui, vt *Ibidem.* diximus, non censum, sed votum pensat, ait: Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Parùm videtur Petrus & Andreas reliquisse in retibus & naui, & magnam gratiam, & præmium à domino accepisse. Sed tamen multum reliquerunt, qui voluntatem habendi abnegauerunt. Tantum enim à sequentibus relinquitur, quantum à non sequentibus concupisci potest. Quoniam regnum Dei, quantum habes tantum valet. Valuit Zachęo dimidium substantiæ, valuit Petro & Andreæ nauem & retia, sicut cùm omnia relinquerent, nihil profuit Hermogeni & Socrati quia Christum non fuerunt imitati. Valet etiam calicem aquæ frigidæ, & si hæc omnia defuerint, *Luc. 2.* sola bona voluntate comparari potest, Quia domino nato, cæli ciues in terris visi sunt, qui clamarent. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Benè autem postquam dixit *relictis omnibus* adiunxit *secuti sunt eum.* Quoniã in vacuum omnia sua relinquit, qui Christum nõ sequitur, id est, imitatur. Sed inter hęc omnia considerandum est, qualis artifex sit Spiritus sanctus, qui sine mora mentem, quam tangit, non solùm immutat, sed etiam habet & docet. Tetigit puerum citharœdum & Psalmistam fecit. Tetigit armentarium sycomoros vellicantem, & prophetam fecit. Tetigit abstinentem iuuenem, & iudicem senum fecit. Tetigit publicanum, & euangelistam fecit. Tetigit persecutorem, & doctorem gentium constituit. Tetigit Petrum & Andream, & piscatores piscium Apostolos statuit. Rogandus est ergo à nobis artifex, & deuotissimis precibus supplicandus, vt mentes nostras tangere dignetur, cuius solum modo tetigisse docuisse est. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, &c.* Geminata in binis vocatio superiorem narrationem confirmat. Nun solùm enim semel, sed & iterum bini vocati sunt discipuli quia duo sunt, quæ erga charitatem proximis solicitè seruare oportet. Primò, vt nullum lædamus, secundò, vt bonum, quod possumus impendamus, quoniam qui dixit: Quod tibi non vis fieri; alteri *Matth. 7.* ne feceris, ipse alibi ait. Quod vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Zebedæus interpretatur dealbatio, significat diabolum. Cui ideo rectè nomen dealbationis conuenit, quia cũ sit & merito tenebrosus, vt ait Apostolus, transfigurat se in angelum lucis. Filij ergo Zebedæi isti *Eph. 2.* discipuli, qui à domino vocati sunt, fuisse memorantur, quia vt ait Apost. Omnes irę filij fuimus, antequam redimeremur, non conditionis naturæ, sed imitatione, & primi parentis præuaricatione. Nauis Zebedæi, infidelitatem significat, cu- *Gal. 5.* ius nauis instrumenta vitia sunt & peccata. Qualia Paulus Apostolus enumerat, dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, auaritiæ, idolorum seruitus, veneficia, & his similia. Sicut autem isti discipuli vocati à domino, relicto patre, secuti fuerunt, & vltra ad patrem non dicuntur reuersi, sic & nos qui de potestate diaboli per diuinam gratiam liberati ad cæleste regnum sumus vocati, nec propter amorem parentum, nec cuiuscũque *Luc. 9.* cupiditatis obtentu, vlterius ad eum debemus redire, propter illud quod dominus dicat. Quia nemo mittens manum in aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei, sed infatigabiliter vsque in *Matth. 24.* finem in bono opere perseuerare. Quia sicut ait saluator. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vnde cuidam dicenti. Domine sequar te quocunque ieris, sed dimitte me priùs sepelire patrem meum, respondit. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem sequere Christum. Sed his de vocatione discipulorum breuiter dictis, libet intueri quod non frustra dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos elegit. Quaternatius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionem significat. Diuiditur nanque in vnum, duos, & tres. Vnum ergo, quod est prima pars eius, perfectionem significat. Quia vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus *Eph. 4.* Deus & pater omnium. Duo quod est alia pars eius, ad perfectionem pertinent, propter duo testamenta, vel propter geminam dilectionem: Tres vero, propter indiuidua Trinitatem, & propter tria tempora ante legem, sub lege, & sub gratia, vel quia homo interior ex tribus rebus constat, memoria, sensu, & volũtate. Quaternatius autem numerus perfectus est, propter quatuor euangelia, vel quatuor tempora anni, siue propter quatuor elementa, ex quibus constamus in exteriore homine, aëre, igne, terra, & aqua, frigida calida, sicca, & humida, seu propter quatuor flumina, quæ egrediuntur de paradiso, vel certè, propter quatuor principales virtutes, nempe prudentiam temperantiam, fortitudinem, & iustitiam. Has etiam virtutes non solum in numero, sed etiam in nominibus isti discipuli significãt. Petrus enim quia quibusdam agnoscens interpretatur, prudentiam significat, cuius virtutis prima pars est,

Psal.13. Deum eiusque voluntatem cognoscere. Quia sicut insipiens est, qui dicit in corde suo, non est Deus, ita prudens qui cognoscit Deum. Hanc virtutem in se habuit, qui corde, hominem videns, Deum cognouit, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Andreas qui virilis interpretatur, fortitudinem significat. Quam virtutem non solum in nomine, sed etiam in opere habuit, quia in fide recta, vsque ad passionem viriliter perseuerauit, in tantum, vt etiam, cum duceretur ad crucifigendú videns crucem, cum gaudio diceret. Salue crux preciosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata es, gaudens & exultans venio ad te, vt suscipias me ab hominibus, & reddas me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Per Iacobum, qui interpretatur supplantator, iustitia designatur, quæ iniquitatem supplantare & æquitatem nouit diligere. Quam in omnibus actibus nostris habere debemus, sicut Propheta dicit. Indicabo tibi homo. Et Ioannes, qui interpretatur gratia Dei, vel in quo est gratia, temperantiam designat, quæ alio nomine desiderio vocatur, & est mater omnium virtutum. Hanc virtutem habebat ille qui dicebat. Angelus noster es, an aduersariorum? vt enim homo prudens, fortis, & temperatus sit, non à se habet sed per diuinam gratiam accepit. Cùm ergo dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos suos elegit in ipso numero nobis innotuit, quia si eius discipuli esse volumus, has quatuor virtutes habere debemus vt simus Petrus, bonum agnoscendo, vt videamus præterita,
Matth.10. præsentia, & futura propter illud quod dominus
1.Petr.5. admonet, dicens: Estote prudẽtes, sicut serpentes. Et ipse Petrus, Estote prudẽtes: & vigilate in orationibus. Andreas: viriliter, quod bonum cognoscimus per fortitudinem tenendo, sicut angelus admonet Ioannem in Apocalypsi, dicens. Estote fortes in bello & pugnate cum antiquo serpente,
Tit.2. & reliqua Iacobus vitia cum iustitia supplãdo,
Sap.1. vt in omnibus actibus iustitiam teneamus, sicut ait Apostolus. Iustè & pie viuamus. Et Salomon. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Ioannes, gratiam Dei adipiscendo. Et eum ipsa discretionem habeamus, vt inter bonum malúmque discernentes, bonum teneamus, & malum relinquamus, propter illud Apostoli. Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Quod cum fuerimus, habebimus in quadriga Cherubin faciem hominis, per prudentiam, leonis, per fortitudinem, vituli, per iustitiam aquilę per discretionem. Allegoricè autem per hos quatuor discipulos, vt quidam dicunt, duo populi figurantur. Petrus enim, qui interpretatur agnoscens, populum Iudæorum significat, qui in cæremoniis obseruandis Deum cognouit. Id idem significat Iacobus qui gentilem fratrem suum priùs credendo supplantauit. Andreas, qui interpretatur virilis populum gentium significat, qui postquam Deum credidit: viriliter in fide permansit. Eundem significat Ioannes, qui interpretatur gratia Dei, quia gentilis populus, gratia Dei subueniente, saluari meruit, non suis meritis, sed sicut Paolus dicit. Gratia Dei saluæ factæ sunt gentes. Imitemur ergo hos Dei Apostolos, vt per gratiã ipsius mereamur saluari, quemadmodum & illi. Quod ipse præstare dignetur, qui sine fine viuit & regnat.

INCERTI AVTHORIS,

sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioru Euang. expositio.

AMbulans dominus Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, &c. Narrat superiùs euangelista, quia dominus & sal- Matth.4.
uator noster quum audisset quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim: vt adimpleretur, quod dictum est per Esaiam prophetam: Terra Zabulon & Nephthalim, via maris Esa.9.
trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui sedebat in tenebris, lucem magnam vidit: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Manifestum est igitur, quia non alicuius rei timore secessit dominus in Galilæam, relicta ciuitate sua Nazareth: sed vt prophetia compleretur, quæ in fines Zabulon & Nephthalim eum venturum esse prędixerat. Sic enim ait Esaias. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Ibidem.
Nephthalim. Sed quarè primo tempore? Quia statim in suæ prædicationis initio, & antequàm apostolos elegisset, veniens illuc, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem de piscatione vocauit, & eis vt post se venirent imperauit. Sic igitur primo tempore, suorum põdere peccatorum terra Zabulon & terra Nephthalim alleuiata est. Quę ideò & via maris quidẽ dicitur, quia portuosa erat & nauigiis dedita. Vnde & Iacob in bene- Gen.49.
dictionibus ait: Zabulon in litore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem. Sed quare in Galilæam secessisse dicitur, cùm Lucas euangelista Nazareth in Galilæa Luc.1.
esse dicat? Missus est Gabriel angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, quæ vocatur Nazareth. In hoc Matth.12.
quoque euangelio superiùs legitur, quòd Ioseph admonitus in somnis, venit in partes Galilææ, & habitauit in ciuitate Nazareth. Per quod datur intelligi, quòd Nazareth non in plena prouincia Galilææ, sed in extremis finibus sita est. Secessit igitur in Galilæam, id est, in ipsius prouinciæ plenitudinem. Gentium autem illarum populus, qui ibi in tenebris sedebat, & veritatis nuncium non habebat, quia legem spiritualiter non intelligebat, tunc vidit lucem magnam. Ipsa est enim, quæ Ioan.1.
illuminat omnem hominem venientem in hunc Ioan.8.
mundum: quam qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Illi enim sub vmbra mortis sedent, qui vitæ arborem ignorant. Mala vmbra, quæ sic refrigerat vt occidat, sic obscurat, vt penitùs lumen tollat. His igitur nisi lux ista illuxisset, vita pariter & lumine caruissent: quoniam & vmbra lumen eis tollebat, & mors vitam eis auferebat. Venit igitur lux, venit dominus Iesus, qui simul eos & illuminauit & sanauit. Vnde & subditur: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* His enim verbis saluator noster suos auditores & illuminat & sanat. Christi enim prædicatio, & lumen & vita est. Sed vbi est necessarium accendere lumen, nisi in tenebris? Quibus necessarium est dare medicinam, nisi infirmis? At verò anima, quæ in peccatis est, & infirma & sine lumine est. Huic igitur pœnitentia datur, cuius medicamine

camine sanatur & illuminatur. Sic ergo populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis, & sanitas data. Fugerunt tenebræ veniente luce, & mors ipsa perit veniente vita. Christus enim Iesus, & lux & vita est. Benè autem à pœnitentia prædicare dominus inchoat, qui mentes hominum infirmas & errorum nebulis excæcatas, hoc vno singulari medicamine sanare & illuminare venerat. Idipsum enim prædicationis exor-

Matth. 3. dium Ioannes quoq; Baptista suscepit. Nisi enim hæc medicina præcesserit, nullum aliud remedium est, quod infirmis mentibus valeat subuenire. Nam & si paruuli pœnitere nesciant, fides tamen & pœnitentia eos offerentium, pro eis suscipitur. *Ambulans autem iuxta mare Galilææ, &c.* Ecce primos discipulos suos de mari dominus vocat, quoniam multos alios per eos de huius mundi fluctuosa amaritudine ad fidem vocare disposuerat: vt quia de mari à domino vocantur, ipsi quoque periclitantiũ animas de mundi huius naufragio & de vitiorum insurgentibus procellis liberare discant. Et sicut ipsi secundùm carnem fratres erant, ita & cæteros & fide & dilectione fratres esse doceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex vna matre ecclesia geniti, & vnius patris filij sumus. Vnde & simul omnes dicimus: Pater

Matth. 6. noster qui es in cælis. Quia enim communis pater est omnium, communiter inuocatur ab omnibus. Vocat autem dominus piscatores, quoniam tales ei necessarij erant, qui aquis assueti, & piscandi & baptizandi essent periti. Ideóque non artem mutare eis præcepit, sed longè melioris piscationis & alterius generis piscium eos piscatores fore promittit, dicens: *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum.* Nisi enim homines pisces essent, piscatores hominum apostoli fieri non possent. Tales enim pisces digni sunt conuiuio Dei, tales pisces in baptismatis fluuio natant, tales pisces hamo fidei & sanctæ prædicationis retibus capiuntur. De mari igitur in mare transferuntur, quoniam de mari Galilææ in hoc magnum

Psal. 103. & spatiosum mittuntur, vbi sunt reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla & magna, per quæ omnia genera hominum significantur. Sed quid est dicere, *Venite post me?* Post Christum namque ire, est eius vestigia sequi, eius opera imitari, eiúsque patientiam & humilitatem tenere. Neq; enim sufficit nobis pedibus tantùm ire post Iesum, nisi & mente & dilectione eum sequamur. Operæpretium autem est considerare, quanta fuerit horum beatorum fratrum obedientia, *qui statim relictis retibus, secuti sunt eum.* Vnde non immeritò Simon obediens, Andreas verò respondens vel decorus interpretatur. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, &c.* Non minor autem in his, quàm in illis alijs obedientia inuenitur: qui ad vnius iussionis vocem, non solùm retia, sed & patrem relinquentes, Christum dominum secuti sunt. Et isti quidem, sicut & illi, non solùm piscatores, verùm etiam fratres erant. O felix militia, quæ ex fratribus colligitur, quibus est cor vnum & ani-

Psal. 132. ma vna. De quibus etiam per prophetam dictum fuerat: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quid est autem retia reficere, nisi sanctarum scripturarum sententias, hæreticorum violentia conscissas & deprauatas, sana intelligentia exponere & restaurare? Hæc enim quatuor euangelia quasi quatuor piscandi retia sunt. Similiter autem & quinque libri Moysi, omnésque prophetarum libri. Denique tot sunt retia, quot & volumina. His autem retibus Christiani capiuntur, his omnes fideles in ecclesiam colliguntur. Ite (inquit dominus) in vniuersum Marc. 16.
mundum, prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vides igitur piscatores, quibus dicitur, Ite in vniuersum mundum. Vides & retia, id est, euangelium: de quo dicitur, Prædicate euangelium omni creaturæ. Vides & flumina, in quibus pisces capiuntur, id est, baptismum. Vides & ipsos pisces, eos videlicet, qui baptizantur & credunt.

ERICI IN SVPERIVS
Euang. expositio.

A*Mbulans Iesus iuxta mare Galilææ, &c.* Cunctis notissimum est, quòd mare Galilææ propter diuersa loca sibi adiacentia, diuersis etiam appellationibus nuncupatur. Idem est enim mare Galilææ, quod mare Tiberiadis, quod stagnum Ge- Vide Bedã in cap. 5. Luc.
nesar, quod lacus Cenereth, quod etiam lacus Salinarum. Vocatur nanque mare Galilææ, ab adiacente sibi prouincia Galilæa. Appellatur & mare Tiberiadis, à proxima sibi ciuitate, quæ priùs vocabatur Cenereth, sed ab Herode tetrarcha instaurata, Tiberias est appellata in honorem Tiberij Cæsaris. Nuncupatur quoque & alio nomine stagnum Genesar siue Genesareth, eò quòd stans ibi aqua generet sibi auram. Agitante nanque vento aquas, de ipso auram sibi excitare perhibetur. Nec putandum hoc mare simile esse mari magno, aut mari mortuo, vel Oceano: sed est lacus quidam, per cuius medium fluuius transiens Iordanis, suis eum replet copiosissimis aquis. Extenditur verò in longitudine sui centum quadraginta stadiis, hoc est, decem & septem millibus passuum & semis: faciunt leucas Gallicas vndecim, & partes duas duodecimæ. Nam milliarius vnus octo in se continet stadia. Stadium autem centum viginti quinque passibus constat. In latitudine autem dilatatur ipse lacus stadiis quadraginta, hoc est, quinque millibus passuum, qui conficiunt leucas tres ac passus quingentos. Sed cùm sit ipsum stagnum haustu dulce & ad potandum habile, quærendum quare mare vocetur, cum mare ab amaritudine nomen acceperit. Ad quod dicendũ, consuetudinem esse Hebrææ linguæ, omnem congregationem aquarum, siue sit dulcis, siue amara, mare nuncupare, iuxta quod in Genesi legitur: Congregationes aquarum appellauit maria. Oriuntur nanque duo fontes ad radices Libani montis, quorum vnus vocatur Ior, & alter Dan, qui simul iuncti, faciunt vnum fluuium, qui vocatur Iordanis, ex Ior & Dan compositum nomen habens: Qui more cæterorum fluuiorum decurrens, maximum facit sinum, quem suis replens abundantissimis aquis, transit per medium eius, & peruenit vsque ad mare mortuum, ibiq; amittit laudabiles suas aquas. Hoc ergo mare siue stagnum quia delectabiles aquas habebat ad bibendum, & copia piscium redundabat: ideò multitudinem incolarum circa se continebat. Quod dominus idcircò frequenter transnauigabat, sicut in

euangelio legimus, vt populis circumiacentibus miracula sua ostenderet, atque verbo suæ prædicationis eos ad vitam salutis inuitaret. Secus hoc mare ergo redemptor noster ambulās, vidit duos fratres piscatores, mittentes retia in mare. Sed meritò quæritur, cur ad noui testamenti gratiam in mundo prædicandam, non filij regum, non scribæ primò vocantur, sed piscatores eliguntur. Nimirùm ideo, quia quæ infima sunt apud homines, fortia sunt apud Deum. Piscatores enim vocantur, & non nobiles, ne potentes seculi istius superbirent, & dicerēt, quia Christus fidem suam non nisi per illos inducere mundo potuerit. Illiterati ad prædicandum mittuntur, vt materia superbiendi huius seculi sapientibus amputetur, dum vident euangelium non per eloquentes, sed per simplices prædicatores vsque ad fines terræ dilatatum. Bini autem ideò vocantur, quia geminam dilectionem prædicaturi, geminum etiam testamentum mundo erant tradituri. Spiritualiter verò, quòd ambulans Dominus secus mare Galilææ, vidit Petrum & Andream retia mittentes in mare, significat quia incarnatus Dei filius in mari istius mundi spirituales piscatores vidit, quos ante mundi constitutionem ad opus prædicationis aptos esse præsciuit. *Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Congruè piscatores piscium promittuntur esse futuri piscatores hominum, vt artis similitudine delectati, discipulatui saluatoris libentiùs colla submitterent. *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Forsitan dicat aliquis: Quid vel quantum isti dimiserunt, qui penè nihil habuerunt? Sed pensandum est quòd multum reliquerunt, qui voluntatem habendi deseruerunt. Multum dimiserunt, qui omnia quæ habebant, vel habere poterant aut concupiscere, dimiserunt. Si enim habuissent amplas diuitias, & latas possessiones huius seculi, omnia pro Christi amore reliquerunt, sicut unum & retia reliquerunt. Tanta enim ab Apostolis dominum sequentibus dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Affectus ergo illorum magis pensandus est, quàm substantia. Arguit sanè Porphyrius & Iulianus Augustus atque apostata, vel imperitiam historici mentientis: vel stultitiam apostolorum, qui ad primam iussionis vocem secuti sunt saluatorem, tanquam hominem quemlibet irrationabiliter vocantem, cùm scriptum sit: Ne sis facilis ad credendum. Sed si dominus huiusmodi creaturas condidit, quæ alias ad se attrahere præualeant creaturas: verbi gratia, sicut in magnete lapide & succinis cernimus, quibus tanta vis inesse dicitur atque potentia, vt ferrum vel stipulam ad se attrahant, & sibi cohærere faciant: multò magis ipse omnium creaturarum conditor ad se sequendum attrahere poterat quos volebat. Verùm beato Hieronymo referente compertum habetur, quòd tantus splendor & maiestas occultę diuinitatis in humana facie Christi relucebat, vt ex primo suo aspectu ad se venientes facillimè attraheret. *Et procedēs inde, vidit alios duos fratres, &c.* Hos apostolos vidit dominus, quemadmodum & superiores, hoc est, misertus est eorum. Videre enim illius, misereri est. Vocauit illos, vocauit & istos. Illuminauit illos mente, illuminauit & istos corde. Dimiserunt & isti omnia, sicut & illi. Secuti sunt dominum, quemadmodùm & illi. Sed quæri potest, quomodo primum duos vocauerit, Petrum & Andream, & post paululum alios duos, Iacobum & Ioannem, sicut Matthæus & Marcus narrant, cùm Lucas dicat Petri socios fuisse filios Zebedæi, & impletis nauiculis multitudine piscium, ad extrahenda retia ab eodem Petro fuisse vocatos. Vbi etiam cùm dixisset dominus Petro, Ex hoc iam eris homines capiens, scribitur adductis ad terram nauibus, Dominum pariter fuisse secutos. Sed intelligēdum est, hoc primò quidem factum esse quod Lucas narrat, nec tunc eos dominum vocasse vt sequerentur: sed tantùm Petro prædixisse, quòd homines esset capturus, & posteà, sicut Matthæus describit, binos & binos eos vocasse vt se sequerentur. Sciendum præterea, vt Ioannes euangelista refert, quod Andreas adhuc discipulus Ioannis Baptistæ, ipsum de Christo Ioannem audiuit dicentem: Ecce agnus Dei. Qua illicò exhortatus sententia, voluntate propria simul cum alio Ioannis discipulo (cuius nomen tacet scriptura) secutus est Dominum, apud quem, vt idem euangelista narrat, vno manentes die, protinùs ad prædictum magistrum suum, videlicet Ioannem reuertuntur Baptistam, eiúsque magisterio inseruiunt, quousq; idem Andreas à Domino postmodum, sicut Matthæus in hoc describit euangelio, simul cum Petro ad discipulatum vocatus est. Et notandum, quod isti discipuli dominum secuturi, reliquisse dicuntur retia, & patrem suum Zebedæum. Zebedæus namque interpretatur fugitiuus, & significat diabolum. Retia autem implicamenta huius mundi significant. Quisquis ergo Dominū fideliter sequi cupit, necesse est vt primò ab impedimentis humanarum rerum, à curis videlicet vitæ præsentis pedem excutiat, & sic diabolum tota virtute fugere satagat. Allegoricè isti quatuor discipuli à Domino de mari vocati, duos significant populos, de solicitudinibus & in quiete huius seculi ad soliditatem spiritualis studij per gratiam Dei vocatos. Nam Simō Petrus, qui interpretatur obediēs, siue agnoscens, & Iacobus, qui supplantator dicitur populum Iudaicum significant, qui prior per legislationem creatorem suum agnoscens, obediuit preceptis eius promisit, dicens ad Moysen: Omnia quæ locutus est nobis Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Qui etiam gentilem populum supplantauit, idola contemnendo, & Deum colēdo. Andreas verò, qui virilis dicitur, & Ioannes, qui gratia Dei interpretatur, gentilem populum designant, qui postquàm ad fidem venit, in præceptis Dei viriliter ambulare studuit: & quicquid boni egit, non suis meritis, sed totum gratiæ saluatoris attribuit. Moraliter quoque quatuor nomina ista in se vnusquisque fidelium valet recognoscere, si illorum interpretationes in quatuor principalibus virtutibus studuerit obseruare. Est enim vnusquisque fidelis Simon Petrus, cùm per prudentiam agnoscit propria peccata, & his deletis, mandatis diuinis fortem exhibet obedientiam. Est Andreas, cùm viriliter per temperantiam sustinet tentationes sibi illatas. Iacobus quoque non indebitè dicitur, si per fortitudinem mentis vitia supplantare probatur. Conuenienter etiam Ioannes nominari potest, si per iustitiam mandata creatoris adimplens, nihil sibi deputat, sed cūcta bonorum omniū largitori assignat. Quisquis ergo ad patriam cælestem venire desiderat, studeat

Marginal notes: Hiero. in c.9. Matth. — Eccles.6. — Ibidem. — Marc.1. — Luc.5. — Ioan.1. — Ibidem. — Exod.24.

deat necesse est, cum Simone Petro, qui interpretatur agnoscens siue obediens, præceptis obedire diuinis, & propria recognoscere peccata, dicēs cum propheta: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. *Psal. 50.* Curet etiam cum Andrea virili tentationibus diaboli viriliter resistere, & cum Iacobo supplantatore, omni fortitudine vitia supplantare. Satagat quoque de bonis suis actibus, bonorum omnium largitori actiones gratiarum cum Ioanne, qui interpretatur gratia Dei, rependere, vt bonum quod agit, non sibi, sed Deo per omnia deputans, ab ipso in futuro remunerari mereatur, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

AMbulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres. Diuersa videntur euangelistæ de vocatione ista scribere, sed intelligentibus non sunt contrarij: Primitus factum est quod Ioannes scribit: quia beatus Andreas audiuit à Ioanne de Christo testimonium, & venit ad eum & mansit cum illo: & post adduxit fratrem suum Simonem, & cognouerunt eum: sed iterum abierūt ad opera sua. Iterum factum est quod Lucas refert. Qualiter ascendit Iesus nauim Petri: & prædicauit de ipsa: & post prædicationem iussit relaxare retia in capturam: & dixit ad Petrum. Ex hoc iam homines eris capiens. Sed tunc duxit Petrus nauim ad littus, & secutus est illum aliquo tempore: & iterum reuersus est ad nauim. Nam ideo eam ad littus duxerat. Nunc vero retibus relictis & naui, secuti sunt eum, vt semper cum illo essent. Similiter intelligendum de Iacobo, & Ioanne quòd ante crediderunt in eum, quando de aqua vinum fecit: sed non sunt secuti continue, nisi modo. Et dicunt magistri ecclesiæ: quòd aliquid diuinitatis tunc resplenduit in facie eius, quod eos ad illum attraxit, vt continue iam sequerentur illum. Tradunt autem, quia tribus vicibus resplenduit ipsa diuinitas in facie eius in hac carne. Vnum, quando discipulos vocauit. Alio, quando ementes, & vendentes de templo eiecit. Tertio, quando trāsfiguratus est in monte. Sed tunc tanta fuit ipsa maiestas, vt non possent discipuli eam ferre. Vnde scriptum est, ceciderūt in facies suas. Quid mare sit Galilææ in sequentibus dicemus: similiter de apostolis, cum de alijs dixerimus in catalogo eorum dicemus & de his. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Conueniens est prædicatio piscationi, quia sicut rete multas maculas habet, similiter prædicatio multa testimonia. Sicut illa capit paruos & magnos: ita ista sapientes & insipientes. Mare seculum istud in quo homines semper se persequuntur. Sicut cepit pisces Petrus: sic postea homines cum verbo. Ab isto Zebedæo illi duo discipuli Zebedæi vocati sunt. Zebedæus dicitur, donatus, siue fluens. Iste digno eloquio sic vocatus, quia fluxit, & recessit à prędicatione Domini: pro qua re à filijs suis relictus est. *Reficientes retia sua:* id est reparantes: quia vetus erat. *Relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Nunc apparet: quomodo cum tota diffinitione secuti sunt eum. Hoc non dixit in alijs apparitionibus.

HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superiorū Euang. Homilia.

AMbulans Iesus iuxta mare Galilææ. Hoc mare propter adiacentes regiones diuersis nominibus nuncupatur. *Matth. 4.* Dicitur mare Galilææ ab adiacente regione, quæ Galilæa appellatur. Dicitur mare Tyberiadis propter Tyberiadem ciuitatem, quę in littore eius sita est. Dicitur & stagnum Genesareth, eò quòd generet sibi auram. Dicitur & mare Cynezereth, à proxima ciuitate quæ huic mari adiacet. Mare dicitur, eò quòd amarum sit. Et quare appellatur mare istud stagnum, cùm non sit amarum, sed habile ad potandum? Proprietas Hebraicę linguę seruatur ibi, Proprietas Hebraica est, vt omnes aquæ siue amaræ, siue dulces maria appellentur, vt est illud in Ge. libro Congregationes aq. appel. maria. *Gen. 1.* Omnes piscationes quas legimus in euangelio factas, in isto mari fuerunt factæ, & copiam piscium præstat vicinis suis. In longitudine extenditur centum quadraginta stadiis, in latitudine quadraginta influento Iordane per medium, & vadit ipse Iordanis fluuius in mare mortuum, & ibi terminat cursum suum. *Vidit duos fratres Petrum & Andream.* Dominus Iesus Christus vsque ad tricesimum suæ ætatis annum secundum carnem, non habuit discipulos, tricesimo autem anno baptizatus à Ioanne in Iordane, cœpit predicare primùm in Galilæa, in tribu Zabulon & Neptalim. Vndè est illud prophetæ Esa. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Neptalim. *Esa. 9.* Cum autem cœpisset prædicare, dicens: Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres Petrum & Andream.* Vidit & oculis corporeis & intuitu diuinitatis suæ quia quos vocauit exteriùs vt sequerentur, interiùs illuminauit corda eorum, vt crederent illum verum Deum esse. *Et vocauit eos: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Quasi diceret: Sicut hactenus cepistis pisces retibus & traxistis de profundis gurgitibus, ita deinceps capietis homines per prædicationem vestram, & trahetis de profunditate infidelitatis ad fidē, & tenebris ignorātiæ ad lucē. *Illi autem relictis retibus & naui, sequuti sunt eū.* Quærendū nobis est, hæc illa vocatio est quam Matthæus & Marcus narrant *Marc. 3.* an illa quam Lucas narrat vbi dicit: Cum *Luc. 5.* turbæ multæ irruerent ad Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnū Genesareth, vbi ad solum sermonem Domini dicentis: Laxate retia vestra in capturā, impleta sunt retia multitudine piscium, ita vt penè mergerentur: vnde & Petrus annuit sociis suis Iacobo & Ioanni, qui erant in alia naui vt venirent & adiuuarent eos, vbi & Dominus dixit Petro: Ex hoc iam homines eris capiēs, vbi etiam ad extremum Euangelij subinfertur. Et subductis ad terram nauibus sequuti sunt eum. Ecce proposita est quæstio vtrum hæc vocatio quam Matthæus & Marcus dicunt, aut illa sit quam Lucas dicit. Ad quod respōdendum est, quia vocatio quam Lucas narrat, anteà fuit quam ista. In illa vocatione audierant prædicationem ex ore Domini, & viderant miraculum ab eo factum. In hoc quòd ad solum eius sermonem impleta sunt retia multitudine

 piscium,

piscium. Et quod dicit: Subductis ad terram nauibus sequuti sunt eum, subauditur causa reuertendi ad propria, quia tunc ita eum sequuti sunt, vt iterum reuerterentur ad propria, sicut & fecerunt. Ista autem vocatio in qua bini, & bini vocati sunt, post illam fuit quam Lucas narrat. In ista vocatione ita sequuti sunt Dominum vt nullo modo iam reuerterentur ad propria sicut nec fecerunt. Iulianus apostata & Porphyrius reprehendunt Apostolos quare ad vnius iussionis vocem sequuti sunt hominem incognitum quem antea non cognouerant, nec miraculum fieri ab eo viderant. Quibus beatus Hieronymus respondet, quia quando dominus discipulos vocauit, claritate diuinitatis suæ in vultu piguit. Quam claritatem illi contuentes, continuo crediderunt eum esse verum Deum, & sequuti sunt eum. Non est mirum, si creator omnium potuit facere, vt ad vnam iussionem sequerentur se piscatores, cùm tanta vis sit creaturæ, vt creaturam ad se trahat. Fertur magnes lapis tantam vim habere, vt non solùm stipulam, sed etiam ferrum ad se trahere possit. Vnde & in quibusdam regionibus suspendunt fœminæ illum lapidem in locis vbi consuunt & texunt, & vbi perdiderunt acus aut aliquod ferrum non requirant in terra, sed in magnete lapide qui sursum est suspensus. Quærendum etiam nobis est, quare nō vocauit Dominus Scribas & Pharisæos, aut philosophos, aut reges, aut diuites, sed pauperes & idiotas. Quia si vocasset Scribas & Pharisæos, dicerent illi Pharisæi: Sapientes nos inuenit, ideo nos vocauit, vt per nostram sapientiam totum mundum suo subiugaret imperio. Si autem vocasset reges, dicerent illi reges propter nostram potentia vocati sumus à Christo. Si vocasset diuites, dicerent illi diuites, propter nostras diuitias vocauit nos Christus. Ideo nō vocauit eos Dominus, nec philosophos, nec reges, nec diuites, sed solummodo piscatores & illiteratos, vt demōstraret quia prædicatio Euangelij, non in sapientia humana, nec in nobilitate generis, nec in diuitiis terrenis, sed in virtute Dei 1.Cor.1. consistit. Vnde dicit beatus Paulus Apostolus: Infirma mundi & contemptibilia elegit Deus, vt confundat fortia. *Illi autem relictis retibus sequuti sunt eum.* Forsitan aliquis diceret: Quid reliquerūt illi, qui penè nihil habuerunt? Ad hoc respondendum est. Quia multum reliquerunt qui ipsam voluntatem habendi reliquerunt, tanta enim relicta sunt à sequentibus, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Reuertamur ad caput Euangelij, & dicamus aliquid de morali sensu. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ.* Spiritualiter mare designat præsens seculum. Quia sicut fluctus maris vsque ad cælum ascendunt, & descendunt vsque ad abyssum, ita & homines eriguntur sospitate aliquando, & aliquando deprimuntur mœrore. Tunc enim ambulauit Dominus Iesus iuxta mare, quando homo factus est inter homines iuxta quod Ioannes Euangelista dicit: Ver- Ioan.1. bum caro factum est, & habitauit in nobis; ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, id est, incarnatus in mundo, elegit prædicatores, qui apti essent ad prædicandum per totum orbem. Qui rectè bini vocati sunt, propter duo testamenta, vetus & nouum vel propter geminam dilectionem Dei & proximi, seu propter doctrinam & operationem. Qui enim officium prædicationis in ecclesia suscepit, vtroque testamento debet esse imbutus, & dilectione Dei & proximi, simúlque doctrina & operatione ornatus. Si vno horum caruerit, ministeriū prædicationis nullatenus habere debet. Per binos discipulos Domini Petrum & Andreā, Iacobum & Ioannem, possumus intelligere duos populos Iudaicum & Gentilem. Per Petrum qui interpretatur agnoscens, & Simonem qui interpretatur obediens, & Iacobum qui interpretatur supplantator intelligitur Iudaicus populus, qui agnouit peccatum suum & humiliter confessus est, & Dei præceptis obediuit in Patriarchis & Prophetis, qui etiam fuit supplantator vitiorum. Per Andream qui interpretatur virilis, & Ioannem, qui interpretatur gratia Dei, intelligitur populus gentilis, qui virilis & fortis fuit in martyribus ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sufferenda. Antè enim potuerunt crucifigi martyres Christi sicut beatus Petrus & Andreas, cuius hodie festiuitas celebratur, & antè poterant lapidari, sicut beatus Stephanus, & decollari, sicut beatus Paulus, & vstulari, sicut beatus Laurentius, quàm à Christi nomine separari. Vnde dicit egregius prædicator beatus Paulus: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribula- Rom.8. tio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Subauditur nulla tribulatio separabit nos à dilectione Dei. Ipsi enim designantur per Ioannem, qui omne bonum quod fecerunt aut habuerunt, a domino accepisse crediderunt. Et hoc non suis meritis, sed Dei gratiæ deputauerunt, iuxta quod Paulus dicit: Gratia Dei salui Ephes.2. facti estis per fidem, & hoc nō ex vobis: Dei enim donum est. Potest enim & vnusquisque nostrum spiritualiter nomine Petri censeri qui agnouerit creatorem suum, & humiliter confessus fuerit iuxta quod Apostolus Iacobus dicit: Confitemini Iacobi 5. alterutrū peccata vestra & orate pro inuicem vt saluemini. Potest & Simonis nomine censeri, si Dei præceptis obediens extiterit in quantum præualuerit, & Andreæ si virilis fuerit ad prospera istius seculi & aduersa perferenda, vt nec prospera eum eleuent, nec aduersa deijciant. Potest Iacobi nomine censeri, si fortiter supplantauerit vitia, vt non dominentur ei peccata. Et Ioannis, si omne bonum quod egerit, Dei gratiæ & non sibi attribuerit. Cùm omnia ista quę diximus fecerit, quid restat? Debet relinquere Zebedæum, id est, diabolum, quia diabolus interpretatur labens vel fugitiuus. Et diabolus rectè dicitur labens, quia de supernis lapsus est ad infernum & qui antea erat angelus, factus est diabolus, id est, criminator vel sursum ruēs. Ipse etiam rectè dicitur fugitiuus, quia semper fugit præcepta Dei. Debet etiā quisquis ille est qui Dominum vult sequi relinquere nauim, id est, concupiscentias carnales: & retia, id est, implicamenta mundana. Et sic debet Dominum sequi, id est, imitari, iuxta quod ipse dicit: Qui mihi ministrat me sequatur, id est, me Ioan.12. imitetur. Quid restat? Si hæc omnia (Deo adiuuante) adimplere satagent, ad societatem & gloriam Apostolorum in cælis peruenire merebitur. Ad quam gloriam ipsi nos intromittant, per intercessiones suas, & adiuuante Domino nostro qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

* * *

THEO

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangel. expositio.

V*Idit duos fratres.* Hi fuerunt discipuli Ioannis, viuente autem adhuc Ioanne, accesserunt ad Christum. Porro, vbi Ioannem viderunt vinctum, reuersi sunt ad piscatoriam, & sic veniens Christus piscatur eos, dicens, Venite post me. Videte obedientia homines, statim sequuti sunt. Vnde manifestum, quòd hęc secũda vocatio sit. Antea enim docti erant à Christo, deinde reliquerũt eum: nunc autem, viso ipso, statim sequuti sunt. *Cum Zebedæo patre suo.* Summa virtus est pascere patrem senem, idque instè patris sumptibus. *Sarcientes retia sua.* Pauperes fuerunt, & quia non poterant emere noua, reparauerunt vetera. *At illi protinus relicta naui, & patre suo, secuti sunt eum.* Apparet Zebedęum non credidisse, & propterea reliquerunt eum. Vide quando oportet relinquere patrem, nempe quando obstat virtuti, & pietati: hi autem, vt viderunt priores sequẽtes Christum, meritò sequuti sunt, imitantes illos.

Quando sit pater relinquendus.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

† A*Mbulans autẽ circa mare Galilaæ, vidit duos † fratres, &c.* Mathęus quidem in hoc loco dicit, postquam traditus est Ioãnes, hos esse Christum sequutos: Euangelista vero Ioannes, quòd potius antequam traderetur. Pręterea Matthæus asserit simul vtrumque vocasse Iesum: Ioannes autem, quòd Andream quidem Iesus, Petrum vero Andreas vocauerit. Vnde manifestum est, hanc secũdam fuisse vocationem. Etenim, quum eum sequuti fuissent ante Ioannis traditionem, rursum ad patriam reuersi sunt, artemque priorem exercuerunt: vtpote vidẽtes Ioannem quidem traditum esse, Iesum vero secessisse. Postmodum igitur Christus, primum eis factum ignoscens, venit vt rursum eos recuperet: iubétque vt se sequantur, & pro retibus, quæ possidebant, sumant ab eo sationalem sagenam: & in mare seculi mittentes, pro piscibus homines capiant. Et vide quomodo statim, iis, quæ possidebant, relictis, ubedierunt, nihil tergiuersantes. Ita nempe vult Christus, vt cuiuis necessitati suus præponatur discipulatus. Dixit autem; *Venite post me*, hoc est, sequimini me.

Ioan. 1.

† † *Fratres fuerunt, qui primum à Christo docente vocati sunt: tum quia hunc conuenit fraterno modo gubernare: tum quia fraterno modo sapere oporteat eos, qui ab ipso docentur.*

Et progressus inde, vidit alios duos fratres, &c. Horum quoque fidem intuere, qua patrem etiam despexerunt. Necesse enim est, parentibus quoq; præponere Christum. Neque parua virtutis ipsorum demonstratio est: quòd paupertatem adeo facile tulerint, ac propriis manibus victum quæsierint: & mutuo inter se amore colligati fuerint: patrem quoque vnà secum habuerint, illique inseruierint. Verisimile est autem, audisse eos à Petro, & Andrea, promisisse Christum, quòd sequẽtes se, redderet hominum piscatores.

PETRI DAMIANI

de S. Andrea Apost. Serm. 1.

H*Odie, fratres charissimi, beati Andreæ nobis* festiuitas votiua resplẽduit, quæ inter ipsam glacialis brumæ caliginem, iucundã nostris mentibus induxit lætitię serenitatem; & dum aëria inclementia extrinsecus obrigescit, tanti præliatoris audita victoria, pia corda ad procinctum spiritualis certaminis incitat, & insignes bellatorum Christi animos igne diuini amoris inflammat. Inter cuncta sanè martyrij genera illud nobilius, illud non immeritò iudicatur esse præcipuum, quod in ipso Redemptore nostro, capite videlicet martyrum, cognoscitur dedicatum. Vnde cùm diuina dispensatio Petrum, & Andream consummari per crucis supplicium voluit, inter cæteros Apostolos (licet omnes vnius * potestatis, & dignitatis forent) quodammodo egregios, atque conspicuos fecit. Crux enim, quæ Regem præmisit ad sceptrum, eadem vtrunque militẽ consequenter euexit ad præmium. O beata germanitas, quam sicut mundo vna consanguinitas ædidit, sic eadem triũphalis mors victores ad astra transmisit; & quos in hac vita vnius generis protulit natura consortes, in illam beatitudinem sempiternam crux parturiuit æquales. Eiusdem nobilitatis in terra, eiusdem prosapiæ celsitudinem sortiuntur in cælo. Qui enim hic sunt filij Ioannis, illic sunt filij crucis. Istique sunt filij Chore, qui in quorundam psalmorum titulis prænotantur. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ subtraxit, cœlesti Hierusalem renascentes cum triumphali gloria nouos ciues inuexit. Et Andreas quidem in Apostolici senatus catalogo secundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, iuxta Euãgelicam fidem, primus inuenitur. Dicit enim Ioannes Euangelista: Quia cùm staret Ioannes, & ex discipulis eius duo, respiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei. Et audientes eum duo discipuli loquentem, secuti sunt Iesum. Et paulò post; Erat autem, inquit, Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Deinde sequitur: Inuenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatũ Christus: & adduxit eum ad Iesum. Ecce Andreas inter ipsa noui tyrocinij sui rudimenta fructificat, & veritatis prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus discipulus factus nõ est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet aliis prodere, furtum deputat illum sine consortibus possidere. Fausta denique, & præclara futuræ indolis signa nouus tyro prætendit, & in ipso nutitiæ conuersionis exordio mox quod didicerat docuit, quod acceperat, fideliter erogauit. Magnum nuncium, noua, & admiranda relatio, illum promittere visibiliter ostendendum, quem tot Prophetarum oracula prænuntiauerant affuturum. Magni certè mysterij baiulus Andreas exitit fratri, qui nitorum eum se reperisse testatus est, quem ab origine mundi omnes sancti magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerũt. Non hoc præstitum est Patriarchæ Iacob, qui dicebat: Salutare tuum expectabo, Domine. Non Abrahæ, cui diuina

** Intellige quòd quatenus Apostoli, omnes erant æquales, quatenus oues, nõ item, sed Petrus pastor omnium.*

sponsio facta est, quòd in semine suo hæreditaret omnes gentes. O quanti hoc pretij æstimasset insignis ille Propheta Esaias, si ei ad hoc spectaculum aspirare licuisset, nimirum cùm tanti desiderij amore succensus flagitaret Mediatoris aduentum, & tanquam morosæ dilationis impatiens, æstuans proclamaret: Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, atque arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Quàm terribilis, ac vehemens tuba, vox hæc in Petri corde personuit, & tanquam repentinum fulmẽ inopinatò coruscans attonitum fecit. Inuenimus, inquit, Messiam, qui dicitur Christus. Ad præliandum planè Rex gloriæ solus aduenerat, & ideò ad procinctum belli paulatim sibi milites acquirebat. Venerat nanque vt fortem armatum superueniens vinceret, & vniuersa arma, in quibus confidebat, auferret. Venerat, vt captiuum hominem, qui sub diabolicæ tyrannidis iugo premebatur, eriperet, & ad ingenuitatis antiquæ titulos reuocaret. Venerat, vt suum Israël de vinculo vetusti Pharaonis absolueret, & in manu forti, atque robusta, terræ, lacte, & melle mananti præuius ductor inferret. Non tamen eligebat in adiutoriũ sibi triumphalibus titulis claros, non strenuos bellatores, non frementium ascẽsores equorum, nõ denique Philosophos, & eloquentes, sed retiũ nectores, ac perexilis nauiculæ remiges, vt victoria soli diuinæ potentiæ, non humanis viribus ascribatur.

Desunt aliqua.

Ecce beati Apostoli Petrus, & Andreas ad vnũ Domini iubentis imperium, non dubitauerunt, quæ possidebant, cuncta relinquere, vt terrenis mererentur cœlestia permutare. Dimittunt quæ præ oculis sunt, vt inuisibilia bona recipiãt. Postponunt habita, vt ad sperata pertingant. Ad tegnum per supplicium transeunt. Ad æternæ vitæ gaudia per momentaneum crucis patibulũ pronehuntur. Nihil sibi in peregrinatione reseruant. vt peruenientes ad patriã omnia simul inueniant. Vnde cum illis per immutationẽ dexteræ excelsi hoc factum est, vt qui tunc abiecti videbantur, & humiles, nunc animarum iudices, & cœlestis sint curiæ senatores. Tunc vilũ possessores retiũ, nunc in regnis cœlestibus obtinent gloriæ principatum. Et quos in terra positos ipsa terrenarum rerum copia destituerat, nunc & totius orbis monarchiam tenent, & in illa cælesti Hierusalem iudiciariæ potestatis solijs pręsident. Quiq; es tremi penè fuerãt hominũ, nunc cõciues sunt, & participes Angelorum. Boni siquidem magistri, & grati remuneratoris adhærere vestigiis, qui eis aurum pro cœno, cuncta pro nihilo, pro tenebris lucem, pro somnio reddidit veritatem. Quibus nimirum & in cælo ipse fit præmium, & in terris quoque omnium subijcit iura regnorum. Per hanc ergo viã, fratres mei, qua nos præcessere, sequamur, si illuc, vbi sunt, pertingere volumus. Post hos itaque recta via gradientes, sic relinquamus Hiericho eorum obsidione submersam, atque destructam, vt nequaquam de eius anathemate aliquid vsurpemus. Prohibet nempè Iesus ille Naue, ne de facultatibus Hieri co aliquis concupiscat. Vetat & noster Iesus, verus vtique Saluator, vt nemo ea, quæ mundi sunt, diligat. Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in

Compensatio diuina. pro vita huius laboribus.

terra: & per Apostolum suum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Non ergo ad exemplum infelicis Achan, de anathemate Hierico aliquid defraudemus, vt videlicet nihil es dissolutis mundanæ conuersationis moribus, disciplinis ecclesiasticis inseramus. Non auferamus pallium, vt post indumentum fidei, cultum conuersationum secularium nullatenus induamus. Non argenti siclos, vt qui æternum thesaurum in cęlo recondimus, nullam temporalem pecuniam per ambitionem in sudario reponamus. Nõ denique regulam auream, vt in ecclesia Christi non accurata introducamus hæreticorum dogmata, non trutinata Philosophorum acutè disputantium studia, vel Poëtarũ elaborata figmenta. Hæc est enim aurea illa regula, limato videlicet, atque polito sermone directa, & velut aureo luculentæ facundiæ nitore vestita. Hãc autem regulã furati sunt Arrius, Marciõ, & Apelles, al. eque peruersorum hominum pestes qui dum Philosophorum sectas in ecclesiam conati sunt introducere, iram Dei quodãmodo super castra Israël visi sunt prouocare. Sed ij obruti sunt cum Achã sub aceruo lapidum, quia oppressi sunt immanissimo pondere peccatorum. Nos autem fratres charissimi, quia philosophia nostra Christus est, & hic crucifixus, atque ideo magistros habemus, nõ oratores, sed piscatores, non versutos, & eloquentes, sed mites, ac simplices, despiciamus sapientiam, quæ cæcat, appetamus stultitiam, quæ discentes illuminat. Quia enim (vt Apostolus ait) non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Teneamus igitur Apostolicam in sua puritate doctrinam, & rectæ fidei adhibeamus operis efficaciam. Euitemus procellosum mundanæ perturbationis fluctum. Includi libeat tantorum retibus piscatorum. Incalescat cor nostrum ad iam promptæ obedientiæ, tam feruentissimæ deuotionis exemplum, & quod doctores nostros nouimus tunc fecisse, ipsi etiam, diuina opitulante clementia, studeamus implere. Ecce beatos fratres, Petrum videlicet, & Andream, nunquam post conuersionem legimus carnali quadam necessitudine sibimet inuicẽ familiariùs adhæsisse, quàm cæteris, non arctiùs inter se mutuo confœderatos affectu, non easdem prouincias prædicationis gratia consortitos; & vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus; nec zelo ductus est, quòd Petrus, qui eius ducatu posterior crediderit, cuiusque ad fidem ipse præuius fuit, prioratus tamen inter omnes Apostolos iura suscepit. Hanc nempe mortificationis regulam oculis nostris supernus Magister apposuit, hanc nobis veræ humilitatis normam, per quam illum recta via sequeremur, exhibuit. In illis namque primis Discipulis, quos & mundi doctores instituit, omnium virtutum formam signauit expressit, vt vsque ad consummationem seculi vnusquisque fidelium ad eos imitationis oculos dirigat, & per eorum tramitem neutroliber exorbitaturus incedat, quatenus tenendo vitales affluentię riuos, perueniamus ad fontem, sequendo milites, recto itinere perducatur ad Regem, Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Fides cũ operibus necessaria; sine illis namque mortua.

Ecce hoc clarissimè Petro prioratus super alios, quem non ęgrè tulit Andreas.

EIVSDEM

EIVSDEM DE EODEM
Sermo 2.

Nota festiuitatis Andreæ Apostoli.

ET quietum studium,& attentum silentium,& tanta tanti viri festiuitas monent,immò compellunt, aliquid dicere ad ostendendam gloriam Deitatis,gratiam Apostolicæ dignitatis, cõfessionis virtutem. Demus gloriam laudi eius, quem laudant omnes gentes,qui ministros suos & laudat,& laudabiles facit. Ipse est, cui assistunt Angeli ad audiendam vocem sermonũ eius, qui stellas vocat,& dicunt,Adsumus,cuius manus extendit cælos, qui fundauit terram super stabilitatem suam; qui graditur super fluctus maris; qui fecit mirabilia solus; in quem desiderant Angeli prospicere. Ipse est, qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quæcunque voluit fecit. Huic seruire regnare est,qui seruiuit pro nobis sub dura,& graui necessitate,& purpuram suæ diuinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens,pauper,& mendicus venit in regionem nostram. Nunquid non ludus vobis videtur,Iudæi,Pagani, Hæretici, & omnis illa subsannantium, immò insanientium turba, cùm dicimus Filium Dei carnem, crucem, mortem,clauos,& lanceam tolerasse?Ludus profectò est,vnde sic nobis luditur,vt vobis illudatur. Vnicus ille sapiens huius mysterij nõ ignarus, ludum istum eleganti sermone prælusit. Delectabar(inquit)per singulos dies,ludens coram eo in orbem terrarum. Lusit quippe coram Deo, cùm carnem ex eius præcepto suscepit; & in orbem terrarum, quia ad redemptionem orbis terrarum; delectatus per singulos dies,in singulis Apostolis iucundatus,dum vni tradidit Regnum cælorum, alteri de pectore suo reclinatorium fecit.Et deliciæ meę esse cum filiis hominum. Putabam ego, Domine Iesu, quòd deliciæ tuæ essent non cum filiis hominum,sed cum choris Angelorum,vbi diuinitatis gloria Thronis, & Potestatibus admirandus, superiorum oculos reuerberas naturarum. Ibi lucem habitans inaccessibilem, & circunstantiam clarissimorum luminum tui luminis obtegis maiestate. Sed illa elementissima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias suas dicit esse cum filiis hominum. Isti sunt filij hominum, qui sperauerunt sub tegmine alarum tuarum, quos elegisti de plebe,quorum lauisti pedes,quibus tuum Spiritum infudisti, qui fidem tui nominis quadrigis Euãgelicis per orbem quadrifidum portauerunt. Nota tamen quòd dicit,non cum hominibus,sed cum filiis hominum. Ego puto homines ad veterem hominem, filios verò hominum ad Filium hominis pertinere,iuxta quam intelligentiã puer citharista sic intonat: Quid est homo, quòd memor es eius,aut Filius hominis, quoniam visitas eum?Vides ne, quia Deum hominis esse memorem, Filium verò hominis se confirmat visitare? Præsumimus,& suspiramus,quia faciet nobis misericordiam suam in conspectu filiorum hominum, si interim protegat nos in abscondito suæ faciei à conturbatione hominum. Magister,& dominus noster, cuius schola est in terris, & cathedra est in cælo, ex his omnibus, quos elegit, & prælegit Andream Apostolum, cuius solennitatem & vocibus, & cordibus inclamamus. O dulcis Apostolus,& primitiua vocatio Saluatoris, qui in ipsum Apostolicum chorum tanti prioratus insignitur fastigio. Non subterfugit nos, quia quodam modo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium, cuius passio tanta spiritus deuotione distillat, vt mentes audientium adipe, & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis. Vocatio eius,vita,& passio cognita sunt vobis,& nunc quid superest, vt à me amplius expectetis? Veruntamen monet me lectio Apostolica,vt aliquantisper de ea vestrę reuerentiæ colloquamur; ait enim: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; dicit enim scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Tria proponũtur hic,& corde credere ad iustitiam,& ore confiteri ad salutem,& in illum credere, in quem qui crediderit, non confundetur. Solum cor hominis capax est rationis, & susceptibile mysteriorum Dei, quod purgatum, atque politum, ipsam diuinitatis substantiam, & si non comprehendit,apprehendit tamen. Cor est in pectore,anima in corde,mens in anima,fides in mente,Christus in fide;& hoc esse puto,quod dicit Apostolus: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Hoc igitur in meracissimam eliquatum est puritatem,cùm omnia mysteria Christianæ fidei fide percipis inconcussa,nihilque tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc est consummata iustitia, perfecta veritas, & vera perfectio, si tamen oris confessio subsequatur. Fides enim cordis sine fide oris, aut nulla est, aut parua; Saluatore dicente: Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet corã Angelis Dei. Et Propheta: Periit fides, ablata est de ore eorum. Non dixit de corde, sed de ore, quia nihil valet fides cordis sine fide oris, nec fides oris sine fide cordis, cùm ista iustitiam, illa donet salutem, quia salus à iustitia, vel iustitia à salute separari non possunt. Crede ergo,& confitere, nihilominus confitere, & crede, quia fides ad iustitiam, confessio fit ad salutem. Verùm quoniam in hæc deuenimus loca, & occasio confessionis se obtulit, reddendum nunc est, quod alibi promisimus, totúmque proferendum, quod de confessione sentimus. Patientes autem estote, & si fortè protensiùs sermonem extẽdero, vos attendite iis, quæ dicuntur, quia vestræ proferuntur vtilitati. Via enim est, sine qua nemo venit ad Patrem, quam qui perdidit, perdidit Deum. Cùm igitur de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipuè sit refugium tuum, cui anima tua commissa est, quem imposuit Deus super caput tuum. Nec te moueat si illiteratus sit, vel indiscretus, quia hoc ipsum signum humilitatis est, quæ generat confessionem. Memento quia non est potestas, nisi à Deo. Super cathedram, inquit, Moysi sederũt scribæ,& pharisæi. Et tu attẽde non* sedẽtẽ, sed sedem, cathedram, non personã. Quòd si fortè vel licentia eius ad alium tibi fugere permittatur, tu tamẽ priùs ei reueles tui cordis arcanum, quia non est plena salus, si ille fugitur, aut contemnitur, cui adhærere, & quem honorare debueras. Quòd si minus tibi sufficiens videtur eius instructio, patet ad libertatem via, vt coram alio literato, atque discreto effundas cor tuum, reseruato illi priuilegio suo, cui tu tuam animam commendasti. Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia, vel à nesciente, vel à dissimulãte dicatur

Vnde qualitatem auctoritatem præstet passioni S. Andreæ scriptã esse à Presbyteris Achaiæ.

* *Si doctrinã hanc rectam, & veram nostri temporis hæretici secuti essent, non tot iniuria in prælatos Ecclesiæ misera effudissent.*

Ecce quòd mandatè sanctis hoc tibi Purgatorii ostendat.

dictatur, cùm in purgatoriis ignibus perficiendum sit quicquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licet autem non euaserit manus Dei viuentis, qui tibi plene non consuluit, tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantùm à licitis abstinere, quantùm te memineris illicita perpetrasse. A vestibulo igitur huius sacratissimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad confessionem vel timor cogit, quia extorta confessio non est confessio, sed confusio; vel aliorum accusatio trahit, quæ non est confessio, sed offensio; vel sui excusatio ducit, quæ non est confessio, sed defensio; vel inanis iactantia rapit, quæ non est confessio, sed illusio, & si quæ aliæ pestes sunt, quæ obumbratorio velamine tanti sacramenti simulēt sanctitatē. Cor in semetipso, & ex semetipso contritum, & humiliatum, ad huius purificationis potest ascendere puritatem. Ostendam tibi vnum iustum instissimè confitentem. Quæris quisnam sit? Psaltes domini est. Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino. Dixi, hoc est, in corde meo proposui, non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. Iniustitiam meam, ait, non alienam; aduersum me, me arguens, & accusans. Vides, quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, vel excusandum se ipsum, Sanctus domini confitetur? Pro huiusmodi confessione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati scilicet. Et pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Hoc primùm in corde germinat ad iustitiam, postea in ore nascitur ad salutem. Primus eius gradus est cognitio peccati. Initium salutis (ait quidam) notitia peccati. In hac cognitione videndum est quid egeris, quantis contumeliis affeceris corpus tuum, ambulans in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum, possidens vas tuum in immunditia, & vilitate, non in sanctificatione, & honore. Considerandum etiam, quid merueris, ignem illum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, & omnia pœnarum genera, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur, & crescunt. Inspiciendum verò, quid amiseris, bona videlicet illa, quæ oculus non vidit. Horum igitur omnium consideratione perterritus, transi ad pœnitentiam. Pœniteat te, qui tot, & tantis flagitiis inuolutus, in luto fæcis, & miseriæ diutius iacuisti. Pœnitentiam age, corpus conterens, & subdendo carnis asello incentiuorum semina præsumenti, pœnitenda ampliùs non admittas, ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas ossa animæ tuæ, quæ custodit dominus in iustis. Vnum, inquit, ex his non conteretur. Est autem notandum, quòd hæc duo ita sibi adinuicem coniuncta sunt, vt cognoscere quis non possit, nisi pœniteat, & pœnitere non possit, nisi se cognoscat. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens, transuola ad tertium gradum, dolorem videlicet cordis, & iam plantata erit iustitia plantatione illa, quam plantauit Pater tuus cælestis. Dole* igitur, quia Creatorem offendisti, cuius legem cælestia, & terrestria, præter te, indefessa statione conseruant, & in tanta Republica Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoriæ maiestatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quòd tuum Creatorem, & Patrem offenderis, & illum Patrem, qui tibi ministrat siderum cursus, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatem. Accedat & acerrimus dolor, qui pertranseat animam tuam, quòd tantum benefactorem contempseris, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolores inferni ampliùs sustineres. Sic igitur in interiori homine iustitia germinante, surculus erumpat in arborem, & loquatur lingua, quod scientia loquebatur. Quartus itaque gradus est confessio oris. Hæc purè facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera retinenda, neque lenia confitenda, & grauia diffitenda, nec alter accusandus, & ipse excusandus, sed cum iusto dicendum: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Hæc enim sunt verba malitiæ, & grauis malitiæ, qua grauior, vel peior esse vix possit. Confitendum est & humiliter, vt idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nonnulli, qui narrare in confessionibus solēt, quæ vel argutè literatorio, vel fortiter gladiatorio gessere conflictu (proh dolor) sub humilitatis pallio superbiam induentes, & putātes se posse vitare oculos iudicis cuncta cernentis. Nónne vtriq; Reges Saul, & Dauid redarguti à Prophetis Samuele, & Nathan dixerunt: Peccaui & tamen Saul audiuit, Transtulit regnum Dominus à te, & dabit illud æmulo tuo; & Dauid, Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris? Quid est, nisi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde, & humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit? Dicendum est & fideliter, vt in fide ecclesiæ credat sibi peccata dimitti, quia Cain, & Iudas purè, & humiliter confessi sunt, sed nequaquam fideliter, nam alter eorum desperans ad laqueum cucurrit, alter illud grande scelus euomuit: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Mentiris, latro, quia maior est pietas Dei, quàm quæuis iniquitas, quia miserationes eius super omnia opera eius. Sequitur quintus gradus, maceratio carnis, quæ ieiuniis, & vigiliis attenuanda est, ne noua prurigine ad voluptuosam reuolet prauitatem. Hæc autem facienda est cum licentia, quia quod sine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi; occultè, vt nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; discretè propter debilitatem corporis, & multimodas infirmitates. Pleró sque enim vidimus in principio conuersionis ita discretionis infregisse repagula, vt laudum solenniis inhabiles redderentur, & apparatu deinceps lautiori diuturnis foueri temporibus indigerent. Iā sic illuminatus procedat ad sextū, qui est correctio operis. Prohibe ergo linguam tuam à malo, operare quod bonum, & sensuales motus tuos continentiæ frenis infrena, & sic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro persona, quam habes, &, te præsente, institiam non sinas sepeliri. Veni ad septimum gradum, qui est perseuerantia bonitatis, & in hoc septimo vocauit te Dominus cum Moyse de medio caliginis, & in ipsam diuinitatis substantiam interiores oculos infiges. Perseuerantiam autem faciunt expectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ spiritus, & donum cæleste; de quibus loquitur Apostolus, quòd nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur. Audite & breuiter, quem oporteat ordinari ad dispensationem ministerij huius; oportet enim non minus literatum, quàm religiosum, vt zelum Dei habeat, & secun

Ecce sacramentali confessionem, quæ fit sacerdoti.

Vide quomodo requiritur etiā operis satisfactio ad integram pœnitentiam.

** Vides quòd in vera pœnitentia requiritur dolor de peccatis commissis, nec sufficit dūtaxat noua vita, vt garriunt hæretici.*

& secundùm scientiam, cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideo, vt sciat quod iniungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne vnquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caueat etiam, ne vilescat in conspectu eius, qui ei suam vilitatem ostendit, nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quòd si fortuitò de his, quæ in confessione suscepit, causa coram eo fuerit ventilata, non tanquam conscius in partem declinet, sed quasi nescius indiciarium ordinem permittat excurrere. Habeat autem in voluntate compati, & eum liberare, & nitatur aliquid detrahere seueritati, imitans dulcedinem Domini mei, de quo dicit Sanctus: Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam. Sed (proh dolor) temporibus nostris per vniuersum mundum pestilentialis morbus excreuit, vt præsentarent ecclesiis, quos nec scientia, nec vita commendat, ceu duces cæcorum, & præcipitati, & in præcipitium perducentes. Audiuimus de confitente, de confessionem suscipiente, audiamus nunc quæ sunt, quæ impediant confessionem. Quantùm colligere possum, quatuor præcipuè occurrunt, pudor, timor, spes, & desperatio. Nihil fortius ad expugnádum gratiam Dei, quàm timor humanus, quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, Deum minus, quàm homines reueremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Opponamus ergo ei considerationem rationis, reuerentiam intuentes Dei, comparationem maioris confusionis. Vt enim confiteamur, ratio mouet; Deus cogit, qui videt; etsi confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confusione, vbi omnia omnibus patebunt? Timor autem plerosque opprimit, ne grauis pœnitentia parcellantur, & perferre non possint. Verè qui timet pruinam, irruet super eum nix. Hic considerandum, quàm grauis sit pœna gehennæ, quàm longa, quàm infructuosa. E contrario autem pœnitentia præsens, leuis, breuis, & fructuosa. Spes autem multos obruit, qui dum bona presentia cupiunt, aperire conscientias suas nolunt, ne si quales sunt, hominibus appareant, ad nulla præsentis vitæ bona conscendant. Quibus inculcandum est, quia bona huius seculi parua sunt, incerta, & momẽtanea, & illa illius vitæ maxima, certissima & æterna. Plurimos desperatio interficit, qui hoc solũ metuũt, ne possint cõtinere. Verũ nanque est, quia peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hanc obterere debemus vigore confessionis; gratia humilitatis, & compassione illius, cui aperimus conscientiam nostram. Sciendum autem, quia alia est confessio, quæ peccatum plangit, alia, quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Sequitur. Qui crediderit in illum non confundetur. Credere Deo, est verbis eius fidem adhibere. Credere Deum, est cõfiteri vbique Deum esse. Credere in Deum, est omnem spem suam in illum dirigere. Deum, & Deo credunt dæmones; sed in illum non credunt, in quem qui crediderit, non confundetur, quia spem suam non ponunt in illum. Ecce quantùm potui, etsi non quantùm volui de confessionis differui sacramento Sed quia sermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, & in se credere, Sponsus ecclesiæ, Filius Mariæ, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Euangelium, Homo quidam peregrè proficiscens. Matth. 25.

Require explicationem infra eodem Tom. in communi Confessorum Pontificum.

S. BERNARDI ABBAtis Clarauallensis in festo sancti Nicolai episcopi, Sermo.



NICOLAVS iste meus, imò & vester: electus ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, senum reuerentia, sacerdotum honor, pontificum splendor, reuerentia sua nostram lætificat festiuitatem. Hic est Nicolaus, cuius miracula per totam mundi latitudinem diffundũtur: quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo. Tot enim & tanta miracula coruscantur, vt omnes literatorum argutiæ vix ad scribendum sufficiant: nos ad legendum. Et licet scholarium numerus in tacude rhetorica sub Quintiliani vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extendat: superat tamen gloria confessoris vocem & mentem, linguam & conscientiam. Crebrescunt enim quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei ad memoriam militis sui sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra: in omnibus periculis inuocatur. Denique qui descendunt mare in nauibus,

Psal. 106. uibus, facientes operationes in aquis multis, ipsi viderũt opera Domini, & Nicolai per Dominum mirabilia in profundo. Nónne post memoriam virginis singularis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obseruatur, vt in die tribulationis nomen Nicolai teneatur in ore, requiescat in corde? Si coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus à supernis vindicta procedit, Nicolaus in patronũ adsumitur, Nicolaus dulciter inuocatur. Si tempestas sæuiens & crudelitas maris nauigantibus intentátur, Niculaus flebiliter exoratur vt audiat, suppliciter inuocatur vt veniat, vt eruat misericorditer acclamatur. Si pulsamur incommodis, vel offendiculis indolemus, statim sancti confessoris nomen prosilit in os nostrum: Nicolaus ingeminatur, patrocinium quæritur Nicolai. Ne putetis autem inde declamatoriè loqui, vel venustate rhetorica, verborum aggregare splendorem: cùm omnis mundus beneficia sentiat confessoris, nec sit qui ab amore eius se abscondat. In testimonium sunt peregrinationes ad sanctum illius corpus à finibus terræ susceptæ: vt videantur quæ per eũ fiant miracula. Non solùm autem Christianis, sed & paganis in tantam reuerentiam sancti nominis aduolauit auctoritas, vt certatim confluant ad laudandum & glorificandum nomen sanctum eius. Præcipuè sanctorum sacerdotum & clericorum turba tanta deuotione circa cultum eius adficitur, vt in toto orbe terrarum vndique conuadant & concurrant ad obsequendum tantæ solennitati. Lætantur pueri, iuuenes congratulantur, ornantur virgines, senes exhilarantur: & omnis ætas personaliter alludit. Vnusquisque autem habet materiam gaudiorũ, vt laudent pueri puerum ieiunantem, iuuenes iuuenem liberantem, virgines virginum infamiam propulsantem, senes
Psal. 148. senis inopiam redimentem. Iuuenes & virgines senes cum iunioribus laudant nomen eius. Et nunc post actus eius Græcorum excellentibus linguis insigniter diffamatos, quid audeat sermo pauperculus balbutire? Verumtamen ne tergiuersationes inducere videar excusatorias, recurro ad euangelicam lectionem: & quod de communi accepi, profero in commune. Ait enim: Ho-
Luc. 19. mo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Et ait seruis suis: Negociamini dum venio. Non paruum mihi fiduciç robur præstat, quòd ille summus imperator negociator meus factus, & negocium meum sine ocio egit quandiu fuit in terris, & preciosarum mercium sarcinas portans ad patrem, ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vnde redemit, ostendit. Tu ergo illo negocioso ociosus esse disponis, & illo laborante quiescere? Ipse venit negociari in regionem longinquam: & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundum istum: & vide quàm frequentes ibi nundinç, quantç ibi germinent & regerminét vanitates. Prorsus dissimilitudinis, quia regionem similitudinis vbi ad similitudinem Dei facti sumus, amisisse nos constat. Nunquid non magna dissimilitudo de paradiso ad infernum, de angelo ad iumentum, de Deo ad diabolum? Vade per forenses tumultus, & hincinde decertantes circunspice: & quantum colligo, in tribus causis vacat omnis voluptas: alij diuitiis, alij honoribus, alij gloriæ innituntur. Curris ad Indiam, Æthiophiam circuis, transis maria: & altum orbem tibi aperis nauigando, vt diuitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, diuelleris ab vxore: & omnium necessitudinum oblitus, quçris vt acquiras: acquiris vt perdas, perdis vt doleas. Ascendis mõtes niue obsessos, & horribilem eorum altitudinem tanquam plana quæque perambulas: faciem abyssi latentis non reputas: latronum gladios, & vias insidiarum quasi planas pertransis: oblitusque humanitatis tuæ, nec fulminantem cæli faciem, nec æstus vel frigora magnipendis: thesaurizas, & ignoras cui congreges ea. Nec deest plerunque potentia fortioris, qui detecta fronte capiat vel rapiat: & vna hora pauperem & humilem te faciat, quem diuitem & sublimem longa ætas prouexerat. Audi & breuiter de honoribus. Ducem te constituere, & data est tibi facultas vt miser sis, & ampliùs non quiescas. Cumulatur materia sollicitudinũ, & inter ęrumnas cor ipsum exedentes, necesse est vultum inducere gaudiorum. Nunquid in honore sine dolore, in præla- *Obserua.*
tione sine turbatione, in sublimitate sine vanitate quis esse potest? Miseri iuxta philosophum mercedem miseriarum amamus, & ipsas execramur. Audi & de gloria. Si quæris gloriam: omnibus inuidiæ semina præbuisti. Inflatus es, & in ventilatorio pleniùs disrumperis, nec attendis quot te sequantur: sed quot præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt, & argutissimus es, si vel manum vel linguam inuidorum possis euadere. Ecce vnde gloriosus esse volebas, ingloriosus esse conuinceris. Nullum enim inexorabiliùs persequitur multitudo, quàm illum qui sibi multitudinis arrogat principatum. Decursa igitur hac regione, & (quod preciosiùs est) inde sublatus: transi ad secundam quæ est paradisus claustralis. Verè claustrum est paradisus. Hîc prata virentia scripturarum: pręterfluens lachrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hîc sunt arbores erectissimæ chori sanctorum, nulláque est quæ non multa gaudeat fructus vbertate. Hîc est sublimis illa mensa, in qua Deus est & cibans & cibus, munerans & mu- *Solitaria vi-*
nus, offerens & oblatum, conuiuans & conuiuiũ. *ta commodi-*
Hîc aggestæ sunt optionis diuitiæ: hîc refusa est *tates.*
gloria angelorũ. Putásne vllas hîc esse nundinas, & otiari illos qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc sacris lectionibus intendentem: illum incubantem orationibus: hunc pro suis excessibus lacrymantem: illum in Dei laudibus exultantem: hunc vigilantem, ieiunantem illum: & officia pietatis sibi inuicem inuidere. Nocte consurgunt ad confitendum ei, vespere & manè & meridiè narrant & annunciant laudem eius: & omnis illorum sedulitas, & in orbem diuini rotatur obsequij. Relicto mundo, & modo viuendi suspenso, transi ad tertiam, quæ est regio expiationis. In hac benignus pater examinat filios rubiginosos sicut examinatur argentum: ducit per ignem & aquam, vt educat in refrigerium. Tria loca sunt, scilicet cælum & terra & infernus: & habent suos singula habitatores. Pro his qui in cælo sunt, non est orandum: quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces: quibus clausa est ianua misericordiæ, & totius spes interclusa salutis. Pro

illis

illis tantùm vigilādum est in orationibus, & subueniendum sacrificio singulari, qui in locis purgatoriis emundantur: vt benignus pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, in glorificationem cito conuertat. Quarta est regio gehennalis: regio dura & extimescenda, terra afflictionis & miseriarum: terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis: terra maledictionis & mortalitatis, terra sitis & famis, terra cōbustionis & frigoris: in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis qui non succenditur, vermis qui non moritur: frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis ex corporibus damnatorum exoritur: percutientes mallei resonant incessanter: obfuscę tenebræ cumulatius indensantur: ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternātia mala impios sine pietate discerpunt. Quinta regio est paradisus supercælestis: regio beata & gloriosa, plena voluptatis & gratiæ, suauitatis & lætitiæ, benignitatis & gloriæ: ibi requies à labore, iucunditas de nouitate, de ęternitate securitas. Illic omnes viuunt, nullus moritur, omnes exultant in voce exultationis, quam nobis cōcedat dominus noster Iesus Christus qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI
de S. Nicolao episcopo, Sermo.

Nicolaus iste meus, immò & vester, electus ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, senectus senum, sacerdotum honor, splendor pontificum, conuentum nostrum sua lætificat festiuitate. Hic est Nicolaus, cuius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo; Tot enim, & tanta miracula cumulantur, vt omnes literatorum argutiæ vix ad scribendum sufficiant, nos ad legendum. & licet scholarium numerus in incude Rhetorica sub Quintiliani, vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extēdat, superat tamen gloria confessoris vocem, mētem, linguam, & conscientiam. Crebescunt enim quotidie, id est, mirabilia, nec requiescit spiritus Dei, ad memoriam militis sui sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis inuocatur. Deniq; descēdunt mare in nauibus, facientes operationē in aquis multis, ipsi viderūt opera domini & mirabilia eius in profundo; ipsi viderunt opera domini & Nicolai per Deum miracula in profundo: Nónne post memoriam virginis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obuersatur, vt in die tribulationis Nicolai nomen teneatur in ore, requiescat in corde? si coruscationes fulgurant, & procellis detonātibus à superuis vindicta procedit: Nicolaus in patronū assumitur, Nicolaus dulciter inclamatur, si tēpestas sæuiens, & crudelitas maris nauigantibus mortem intentant, Nicolaus flebiliter exoratus vt audiat, suppliciter inuocatur vt veniat, vt eruat misericorditer acclamatur. Si pulsamur incōmodis, vel offendiculis indole-

Sanctorũ patrocinium.

mus, statim sanctum nomē prosilit in os nostrum. Nicolaus ingeminatur, patrocinium quæritur Nicolai. Ne putetis autem me declamatorie loqui, vel venustate Rhetorica verborum aggerare splendorem, cum totus mundus beneficia sentiat confessoris; nec sit, qui se abscōdat ab amore eius. In testimoniū sunt, peregrinationes ad sanctū illius corpus à finibus terræ susceptæ, vt videantur quæ per eum fiūt mirabilia: Nō solum autē Christianis, sed & paganis in tantā reuerentiam sancti nominis aduolauit auctoritas, vt certatim cōfluāt ad laudandum, & glorificandum nomen sanctum eius. Præcipuè sacerdotum, & clericorum turba tanta deuotione circa cultum eius afficitur, vt in toto terrarum orbe quicunque vndecunque se contradant ad obsequendum tantæ solennitati. Lætantur pueri, iuuenes gratulantur, ornantur virgines, senes exhilarantur, & omnis ætas personanter alludit. Vnusquisque autem habet materiam gaudiorum, vt laudent pueri puerum ieiunantem, iuuenes iuuenem iuuenes liberantem, virgines virginum infamiam redimentem, senes senis inopiam miserantem. Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudant nomē domini huius. Sed nunc post actus eius Græcorum linguis excellentibus insigniter diffamatos, quid audeat sermo pauperculus balbutire? Verūtamen ne videar excusatorias tergiuersationes inducere, recurro ad Euangelicam lectionem, & quod de cōmuni accepi, profero in commune. Ait enim: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, & ait seruis suis: Negociamini, dum venio. Securè negociabor, præcipiente Domino meo, nec timebo Psalmistam dicentem: Quia non cognoui negociationem, introibo in potentias Domini. Non enim paruum mihi fiduciæ robur prę-stat, quòd ille summus imperator factus est negociator meus, & negocium meum sine otio egit, quandiu fuit in terris, & pretiosarum mercium sarcinulas portans ad Patrem, ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vnde redemerit, ostendit. Tu ergo, illo negotioso, otiosus esse disponis? illo laborante, quiescere? Ipse venit negociari in regionem longinquam, & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere, & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundum istum, & vide quàm frequētes ibi nundinæ, quantæ germinent, & regerminent vanitates; prorsus dissimilitudinis, quia regionem similitudinis, vbi ad similitudinem Dei facti nos fuimus, amisisse nos constat. Nunquid non magna dissimilitudo, de Paradiso ad infernum, de Angelo ad iumentum, ad diabolum de Deo? Vade ergo per forenses tumultus, & hic decertantes circunspice. Quantùm verò colligo, in tribus causis orat omnis voluntas. Alij diuitiis, alij honoribus, alij gloriæ inniteuntur. Curris ad Indiam, Æthiopiam circuis, maria transis, & alium orbem tibi aperis nauigando, vt diuitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, diuelleris ab vxore, & & omnium necessitudinum oblitus quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas, thesaurizas, & ignoras cui. Filij hominum, vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et hoc quidem pro diuitiis. Audi & breuiter de honoribus. Duce te constituerunt, & data est tibi facultas, vt miser sis, &

Nota peregrinationes susceptas ad loca sacra.

ampliùs non quiescas. Cumulatur materia sollicitudinum, & inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est vultum induere gaudiorum. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Miseri, iuxta Philosophum, mercedem miseriarum amamus, ipsas execramur. Regum nobis animos induimus, & quicquid nobis ex voluntate non respondet, statim euocat iram, nec communis recogitatur humanitas, & tamen est vermis arrodens, qui conscientiam iugiter torqueat, timor potentiæ superioris. Hæc est iustissima lex, vt sic viuas cum inferiori, quemadmodum superiorem vis viuere tecū. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus inuidiæ semina præbuisti. Inflatus es, & ventilatorio spiritu plenus disrumperis, nec attendis quot te sequantur, sed quot præcedant. Conglomerātur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt, & argutissimus es, si vel linguam, vel manum inuidorum possis euadere. Ecce vnde gloriosus esse volebas, inglorius esse conuinceris. Nullū enim inexorabilius persequitur multitudo, quàm illum qui sibi multitudinis arrogat principatum. Iunge his tribus potentiam, & voluptatem, quæ & ipsa tenui, & perfusorio gaudio rapiuntur, & videbis quia copia pauper est, honor humilis, vilis gratia, potentia debilis, & laboriosa voluptas, vt iuxta Apostolum omnem intellectum in Christi obsequium redigamus. Relege maximum illum Latinorum Philosophorum, & in illius verbis meam inuenies esse sententiam. Contemne igitur hæc omnia, quia omnia contemnenda, & de his omnibus fac sarcinam tuam, contemptum mundi. Decursa verò hac regione, & quod pretiosius est inde sublato, transi ad secundam, quæ est Paradisus claustralis. Verè claustrum est Paradisus. Hîc prata virentia scripturarum, præterfluens lachrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hîc sunt arbores erectissimæ, chori sanctorum, nullaque est, quæ non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est, & cibans, & cibum, & munerans & munus, offerēs & oblatum, conuiua & conuiuium. Hic aggestæ sunt Omnipotentis diuitiæ, hic refusa est gloria Angelorum. Putásne nullas hic esse nūdinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hūc sacris [a] lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lachrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, ieiunantem illum, & officia pietatis sibi adinuicem inuidere. Nocte consurgunt ad confitendum Deo, vespere, manè & meridiè narrant, & annunciant laudem eius, & omnis illorum sedulitas in orbem diuini rotatur obsequij. Curre ergo per omnes, curre per singulos, & de vniuersis, & singulis fac sarcinam tuam, formam viuendi. Relicto ergo mundo, & modo viuendi suscepto, transi ad tertiam, quę est regio expiationis. In hac regione benignus Pater examinat filios rubiginosos, sicut examinatur argentum, ducit per ignem, & aquam, vt inducat in refrigerium. Trinæ sunt distinctiones locorū, quas pro diuersitate meritorum animæ sortiuntur. [b] Ad cælum nanque statim euolant, qui domicilio corporis vsi sunt, tanquam carcere, qui defæcatam, puramque substantiam vtriusque hominis seruauerunt. E contrario qui fecerunt vsq; ad mortem, quæ digna sunt morte, locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui verò neutrum sunt, sed sunt inter vtrunque, qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt pœnitentiam non explentes, indigni vt statim gaudeant, nec digni vt semper ardeant, loca [c] purgatoria sortiuntur, in quibus flagellantur, sed non ad insipientiam sibi, vt extorti transferantur ad Regnum. Pro his, qui in cælo sunt, non orandum, quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est misericordiæ ianua, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantùm vigilandum est in [d] orationibus, subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, satisfactionem in glorificationem citò conuertat. Curre iterum per istos intuitu pietatis, & fac sarcinam tuam, affectum compatiendi. Quarta regio, est regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra obliuionis, terra miseriarū, terra tenebrarum, terra turbinis, & caliginis, terra maledictionis, & mortis, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo, atq; horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis, qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obscuræ tenebræ cumulatius indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum sertilis multitudo. Ibi fletus, & stridor dentium, planctus, & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria, & recordatio vulnerum Domini mei, qui sterit ante iudicem, qui alapas accepit, qui flagellatus est, consputus, qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est, qui mortuus in Cruce, qui lancea percussus, qui sepultus, qui resurrexit, qui ascendit ad cælos, qui fecit nos Regnum, & sacerdotes Deo, & Patri. Curre per has tumultuantes nundinas, vt viuens descendas in infernum, & fac sarcinam tuam, odium peccati. Quinta regio est Paradisus supercælestis, regio beata, & gloriosa, plena voluptatis, & gloriæ, suauitatis, & lætitiæ, gratiæ, & benignitatis. Ibi requies à labore, iucunditas de nouitate, de æternitate securitas. Ibi est ciuitas Regis magni, cuius plateæ constratæ sunt auro purissimo, quæ fœcundatæ est in saphiris, in qua iaspidis propugnacula præuirescunt, & per ordinem lapides internuntur. Nam lapides pretiosi omnes muri eius. Illic omnes viuunt, nullus moritur, omnes exultant in voce exultationis. Intrauerat Dauid in sanctuarium eius, & mente excesserat Deo, nec tamen aliquid aliud potuit asportare, nisi, Quia gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei: & illud, Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Nescio quid magnum promittitur, videre Deum, & laudare. Lætatus sum & ego in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Iam stamus in atriis Hierusa

[a] Attēde sanctorum monachorum exercitia.

[b] Ecce quomodo sancti statim post mortē euolant ad cælum.

[c] Vide rursus potentissimum locū pro Purgatorio.

[d] Nota viuorum suffragia animabus defunctorū prodesse. Nota etiam requiri satisfactionē pro peccatis.

Hierusalem,iam è vestibulo magnæ ciuitatis gaudia somniamus. Curre igitur & per regionem istam,'& fac sarcinam tuam, amorem Dei. Negociamini ergo, donec veniat homo ille nobilis, qui abiit in longinquam regionem accipere sibi regnum, & reuerti. Reuertetur planè, & tunc cum vsuris exiget pecuniam, quam tradidit nobis. Nihil perdit, nihil obliuiscitur, nihil impunitum relinquit. Supplicemus igitur Confessori vt Redemptori nostro, amico suo pro nobis hodie supplicare dignetur, qui est Deus benedictus in secula,Amen.



IN FESTO S. AMBROSII

MEDIOL. EPISCOPI ET CONFESSORIS, ET DOCTORIS ECCLESIÆ,

Euangel. Matth. 5. Vos estis sal terræ.

Require explicationem in communi Doctorum, Tom. 4.

IN SOLENNITATE CONCEPTIONIS B. MARIAE

VIRGINIS,

Euangelium cum sua expositione require infra eodem Tomo, in festo Natiuitatis eiusdem.

IN FESTO S. THOMÆ

APOSTOLI,

Euangelium, Ioan. 20. Thomas vnus,&c.

Expositionem huius Euang. inuenies supra Tomo 3. in octauis Paschæ, siue Dominica in Albis.

IN FESTO S. ANTHONII ABBATIS,

Euangelium, Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti.

Require in communi vnius Confessoris non Pontificis infra eodem Tomo.

IN FESTO CATHEDRÆ
S. PETRI QVA ROMAE
primum sedit,

Euangel. Matth. 16. Venit Iesus in partes.

Euangelij huius explicationem videbis infra eodem Tomo, in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

IN FESTO SANCTORVM
MARTYRVM FABIANI
ET SEBASTIANI.

Euangel. Matth. 24. Sedente Iesu super montem Oliueti.

Explicationem videbis infra eodem Tomo in communi plurimorum Martyrum.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponens. in Natali sanctorum martyrum Fabiani, & Sebastiani, Homilia.*

Est Sermo 300 de diuersis, 10. 9. libro 7.



LLA Euangelica tuba quando ait Dominus, Qui amat animam suam, perdet illam: & qui perdiderit illam propter me, inueniet eam: accensi sunt martyres, & vicerunt: quia non de se, sed de Domino præsumpserunt. Qui amat animam suam, perdet illam: Duobus modis intelligi potest, quod dictum est, Qui amat animam suam, perdet illam. Si amas illam, perdis eam. Et alio modo. Noli amare, ne perdas. Prior modus istum habet sensum. Si amas, perde illam. Si amas ergo illam, si amas; perde illam. Hic semina illam, & in cælo metes illam. Agricola triticum si non perdit in semine, non amat in messe. Alius modus sic habet. Noli amare illam, ne perdas illam. Videntur * sibi amare animas suas, qui timent mori. Animas suas martyres si sic amassent, sine dubio perdidissent. Quid enim prodesset tenere animam in hac vita, & perdere in futura? Quid prodesset tenere animam in terra, & perdere in cælo? Et quid est ipsam tenere? Quandiu tenere? Quod tenes perit à te: si perdis, inuenis in te. Ecce tenuerunt animas suas martyres. Et quomodo essent martyres, si semper tenuissent? Sed ecce si tenuissent, nunquid vsque in hodiernum vixissent; Si negando Christum suas in hac vita animas tenuissent, nónne olim ex hac transissent, & animas vtique perdidissent. Sed quia Christum non negauerunt: transierunt de hoc mundo ad patrem. Quæsierunt Christum, confitendo: tenuerunt, moriendo. Magno lucro perdiderunt animas suas: fœnum perdentes, coronam promerentes. Coronam inquam promerentes, & vitam sine fine tenentes. Fit denique, Imò factum est in eis, quod Dominus subsequenter adiunxit, Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Qui perdiderit, inquit, propter me. Tota causa ibi est. Qui perdiderit non quomodocunque, nó qualibet causa, sed propter me. Illi enim in prophetia iam dixerunt martyres: Propter te mortificamur tota die. Propterea martyrem non facit pœna, sed causa. Quando Dominus passus est, tres cruces causa discreuit. Inter duos latrones crucifixus erat. Hinc & inde facinorosi confixi, in medio ipse. Et tanquam illud tribunal esset, insultantem damnauit, confitentem coronauit. Quid faciet iudicaturus, si hoc potuit iudicatus? Iam ergo discernebat cruces. Iam si pœna interrogaretur: similis erat Christus latronibus. Sed si interroget quis crucem, quare crucifixus est Christus, respondet nobis, propter nos. Dicant ergo illi & martyres, Et nos mortui sumus propter te: Ipse propter nos, nos autem propter illum. Sed ipse propter nos, vt conferret nobis beneficium: nos autem propter illum, non ad impartiendum illi beneficium: proinde nobis in vtroque consultum est. Et quod manat ex illo venit ad nos: & quod fit propter illum redit ad nos. Ipse est enim de quo dicit anima quæ lætatur in Domino: Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Quid est enim bonorum meorum? nisi à te datorum? Et quomodo eget aliquo bono, à quo datur omne bonum? Dedit nobis naturam, vt essemus: dedit animam, vt viueremus. Dedit mentem, vt intelligeremus: dedit alimenta, vt mortalem vitam sustineremus: Dedit lucem de cælo, dedit fontes de terra. Sed hæc omnia communia dona sunt, bonorum & malorum. Si hæc dedit & malis: nihil ergo proprium seruat bonis? Seruat planè. Et quid est illud quod seruat bonis? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis erat. Ideo in cor hominis ascendit, quia

* al. igitur.

Psal. 43.

Psal. 15.

1. Cor. 2. 9.

supra

supra illud est cor quo ascendit. Quod seruat bonis, cor illuc ascendit. Non quod ascendit in cor tuum: sed quo ascendit cor tuum, hoc tibi seruat Deus. Nuli surdus audire, Sursum cor. Quod ergo oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: oculus non vidit, quia non est color: auris non audiuit, quia non est sonus: nec in cor ascendit, quia non est terrena cogitatio. Sic intelligite; Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Adhuc quid hoc sit quęris à me? Illum interrogare, qui cœpit in vobis habitare. Dico tamen & ego, quod inde sentio. Hoc enim vos quæritis quid Deus proprium seruat bonis: si tanta largitur malis & bonis. Et cùm dicerem; Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non desunt qui dicant, putas quid est? Ecce quid est quod seruat Deus solis bonis, quos tamen ipse fecerit bonos, ecce quid est. Breuiter præmium nostrum diffinitum est per prophetam; Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs. Ero illorum Deus. Pręmium *Leuit. 26. 2. Cor. 6.* nobis seipsum promisit. Quære aliud si inueneris melius. Si dicerem promisit aurum, gauderes: Se promisit, & tristis es? Si diues Deum non habet, quid habet? Nolite aliquid à Deo quærere, nisi Deum. Gratis amare, se solum ab illo desiderare. Nolite timere inopiam. Dat seipsum nobis, & sufficit nobis. Det seipsum nobis, & sufficiat nobis. Philippum Apostolum audite in Euangelio: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Quid ergo miramini, fratres, si amatores Dei martyres tanta pertulerũt, vt acquirerent Deum. Amatores auri videte quanta patiantur? Hyemalibus asperitatibus se nauigando committunt. Sic seruet auaritia, vt nulla formident frigora. Iactantur ventis, suspenduntur & deprimuntur fluctibus. Ineffabilibus periculis vsque ad mortem agitantur. Dicant & ipsi auro: propter te mortificamur tota die. Dicant martyres Christo: Propter te mortificamur tota die. Vox quidem est similis: sed causa est valde dissimilis. Ecce vtrique dixerunt, isti Christo, illi auro, propter te mortificamur tota die. Respondeat Christus suis martyribus: Si moriemini pro me: & vos inuenietis & me. Respõdeat autem aurum auaris: Si naufragaueritis pro me, & vos perdetis & me. Amãtes ergo, & imitãtes, nõ inaniter amantes, sed amantes & imitantes, dies martyrum celebremus, & æstus istos nostros gaudiorum refrigerio mitigemus. Cum illis enim sine fine regnabimus; si eos fideliter, & non inaniter diligamos.



IN FESTO S. AGNETIS

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Euangelium, Matth. 25. Dixit Iesus discipulis suis Parabolam, Simile est regnum cælorum decem virginibus.

Vide infra eodem Tomo in communi virginum.

S. AMBROSIVS EPISC.

Mediolanen. de laude D. Agnetis virginis, & martyrio eiusdem.

Ex lib. 1. de virg. Tomo 5.



QVONIAM hodie natalis est virginis, de virginibus est loquendum. Natalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnetis, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem est vacuum luce laudis? Fuit deuotio supra ætatem, virtus supra naturam, vt mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quæ indicauit quid esset futura. Habeo tamen vnde mihi subsidium comparetur. Nomen virginis titulus est pudoris. Appellabo martyrem. Prędicaui satis, prolixa laudatio est quæ non quæritur, sed tenetur. Facessant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox vna præconium est. Hanc senes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones qui martyrem prædicant dum loquuntur. Hęc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas quæ nec minusculæ pepercit ætati. Imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ toruos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris: nũc ferraris colla manúsque ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus. Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis impleuit, quę pręiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum, læta suc-

cessu, gradu festina virgo processit, non intorto 1.Tim.1. crine, caput compta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quod tam facilè vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere vniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse nō posset. Effecit denique vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod vltra naturam est, de autbore naturæ est. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blanditiis vt suaderet, quantorum vota vt sibi ad nuptias prouenirer. At illa: Et hæc sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet: quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo. Habetis igitur in vna hostia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo permansit, & martyrium obtinuit. Inuitat nunc integritatis amor, & tu soror sancta vel mutis tacita moribus, vt aliquid de virginitate dicamus, ne veluti transitu quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Quis antè humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti quod supra vsum naturæ sit? E cælo accersiuit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è cælo, quæ sponsum sibi inuenit in cælo. Hæc nubes aëra, angelos sideráque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum cùm inuenerit relinquat boni? Vnguentum enim exinanitum Cant.1. est nomen tuum. Propterea adolescentulæ Matth.22. dilexerunt te & attraxerunt te. Postremò non meū est illud, quoniam quæ non nubūt neque nubentur, erunt sicut angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur si angelis comparentur, quę angelorum domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cęlo, quam nō facilè inuenimus in terris? Nisi postquam Deus in hęc terreni corporis membra descendit: tunc in vtero virgo concepit, Ioan.1. & verbum caro factum est: vt quod caro factum 4.Reg.2. est, caro fieret Dei. Dicet aliquis: Sed etiam Helias Exod.15. nullis corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur: Ideo ergo curru raptus ad cælum, ideo cum domino apparet in gloria, ideo dominici venturus est præcursor aduentus. Et Maria sumens tympanum pudore virgineo choros duxit. Sed considerate cuius illa speciem tunc gerebat. Nónne ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus qui carmina diuina concinerent, immaculato virgo spiritu copulauit? Nam etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed 1.Cor.10. quid Apostolus dicit: Hæc autem in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum. Figura enim in paucis est, vita in pluribus. At verò posteaquam dominus in corpus hoc veniens, contuberniūm diuinitatis & corporis sine vlla concretę confusionis labe sociauit, tunc toto orbe diffusus corporibus humanis vitę cælestia vsus inoleuit. Hoc illud est quod ministrantes in terris angeli decantarunt futurum genus, quod ministerium Domino immaculati corporis obsequiis exhiberet. Hęc est cælestis illa militia, quam lau- Luca 2. dātium exercitus angelorum promittebat in terris. Habemus ergo authoritatem vetustatis à seculo, plenitudinem professionis à Christo. Certè non est hoc mihi commune cum gentibus, non populare cum Barbaris, nō cum cæteris animantibus vsitatum, cum quibus & si vnum eundémque vitalem aëris huius carpimus spiritum, vulgarem terreni corporis participamus statum, generandi quoque non discrepamus vsu: hoc solo tamen naturæ parilis conuitia declinamus, quòd virginitas affectatur à gentibus: sed consecrata violatur, incursatur à Barbaris, nescitur à reliquis. Quis mihi prætendit Vestæ virgines & Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia sed annorum, quæ nō perpetuitate, sed ætate pręscribitur? Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati. Ipsi docent virgines suas non debere perseuerare nec posse, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa religio, vbi pudicę adolescentes iubentur esse, impudicæ anus? Sed nec illa pudica est quæ lege tenetur, & illa impudica quę lege dimittitur. O mysteria, ô mores, vbi necessitas imponitur castitati, autboritas libidini datur. Itaque nec casta est, quę metu cogitur, nec honesta quæ mercede conducitur, nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expositus conuitio flagitiosis aspectibus verberatur. Conferuntur immunitates, offeruntur precia, quasi non hoc maximum petulantiæ sit indicium, castitatem vēdere. Quod precio promittitur, precio addicitur, & precio remuneratur. Nescit redimere castitatem quæ vendere solet. Quid de sacris Phrygiis loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atque vtinam sexus fragilioris? Quid de Orgiis Liberi, vbi religionis mysterium est incentiuum libidinis? Qualis igitur potest ibi vita esse sacerdotū, vbi colitur stuprum deorum? Non habent igitur sacram virginem. Videamus ne fortè aliquam vel philosophiæ præcepta formauerint, quæ magisterium sibi omnium solent vendicare virtutum. Pythagoræa quædam vna ex virginibus celebratur fabulis: quæ cum à tyranno cogeretur secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse fertur, atque in tyranni faciem despuisse: vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, sed tumenti vtero, exemplum taciturnitatis, & profluuium castitatis, victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequiuit. Igitur quæ mentis potuit tegere secretum, corporis non texit opprobrium. Vicit naturam, sed non tenuit disciplinam. Quàm vellet in voce munimentum sui pudoris existere? eò fortasse erudierat illam pœnitentia, vt culpam negaret. Non igitur inuicta vndique. Nam & tyrannus licet non potuerit inuenire quod interrogabat, tamē quod non interrogabat inuenit. Quanto nostræ virgines fortiores, quæ vincunt etiam quas non vident potestates: quibus non tantum de carne & sanguine, sed etiā de ipso mundi principe seculíque rectore victoria est. Ætate vtique Agnes minor, sed virtute maior, triumpho numerosior, constantia confidentior, non sibi linguam propter metum abstulit, sed propter trophæum reseruauit. Nihil enim habuit quod prodi timeret,

ret, cuius non erat criminosa sed religiosa confessio. Itaque illa secretum tantummodo celauit, hæc probauit Deum: quem quia ætas nondum poterat confiteri, natura confessa est.

EIVSDEM D. AMBROSIJ *Mediolan. Episcopi in festo sanctæ Agnetæ, Sermo.*

Est Serm. 90. tom. 5.

SEruus Christi Ambrosius virginibus sacris. Diem festũ sacratissimæ virginis celebremus. Hinc Psalmi resonẽt, inde concrepent lectiones. Hinc populorum turbę lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, & ad ædificationem virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortẽ perdidit, & vitam inuenit: quia solùm vitæ dilexit authorem. Infantia quidem cõputabatur in annis: sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuuencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide, & elegantior castitate. Dùm à scholis reuertitur, à præfecti vrbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisisset, & inuenisset, cœpit offerre plurima, & plura promittere. Denique detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ à beata Agnete veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo: & putans eam meliora velle accipere ornamenta, omnium lapidum pretiosorum secum detulit gloriam: & per seipsum, & per amicos, & notos, & affines, cœpit aures virginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias, atque omnes huius mundi diuitias repromittere, si consensum suum eius coniugio non negaret. Ad hæc beata Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarauit me, longè te nobilior & genere & dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum si ei perseuerauero, repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, & illum derelinquere cum quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius suscepi. Iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est, cuius pater fœminam nescit. Cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius odore reuiuiscunt mortui, cuius tactu sonentur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt, cuiúsque diuitiæ non decrescunt. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione comitto. Quem cùm amauero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, virgo sum. Nec deerunt nuptiis filij, vbi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur. Audiens hæc insanus iuuenis, amore capitur cæco, & inter angustias animi anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor medicis aperitur. Fiunt nota patri quæ fuerunt inuenta à medicis, & eadem paterna voce quę fuerant iam dicta à filio, ad petitionem virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera violare: Cúmque pater diceret in fascibus præfecturæ se agere, & idcirco non sibi quemuis illustrissimum virum etiá posse præferri, cœpit tamen vehementissimè inquirere quis esset sponsus de cuius se Agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat Christum suum sponsum. Audiens hæc præfectus lætus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu suis eã tribunalibus præcipit sisti. Et primo quidem blãdis eam sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur, sed eodem vultu, eodẽ animo perseuerat, & terrentem similiter sicut blandientem animu deridebat. Videns itaq; Symphronius præfectus tantam in puella constãtiam, parentes eius alloquitur. Et quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequenti namque die Agnem sibi præsentari iubet. Et iterum iterúmque repetens, replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. Cúmque omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterũ suis tribunalibus iussit. Cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum te magicis artibus iactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insanias abijcere pectoris, neque æquissimis consiliis præbere consensum. Vnde te ad venerandam deam Vestam properare necesse est, vt si perseuerantia virginitatis placet, eius die noctúque sacrificiis reuerendis insistas. Ad hæc beata Agnes dixit: Si filium tuum, quamuis iniquo amore vexatum, tamen viuentem hominem recusaui: hominem vtique qui est rationis capax, qui & audire & videre, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cum bonis frui: si ergo hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere, quomodo possum idola muta & surda, & sine sensu, & sine anima, colere, & ad iniuriam summi Dei ceruicem meam vanis lapidibus inclinare? Audiens hæc præfectus Symphronius dixit: Cupio consultum infantiæ tuæ, & adhuc te deos blasphemantem idcirco differo, quia annus tuos infra sensum aspicio. Noli ergo temetipsam ita despicere, vt motus deorum incurras. Beata Agnes dixit: Noli infantiam corporalem ita in me despicere, vt putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus inuenitur. Et Deus omnipotẽs mentes magis comprobat quàm ætates. Deos autem tuos, quorum motus me incurrere non vis, ipsos irasci permitte, ipsi loquantur, ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi iubeant se coli, ipsi iubeant se adorari. Verum quoniam ad hoc video te tendere quod impetrare nõ poteris, quicquid tibi videtur, exerce. Sym-

phronius præfectus dixit: Vnum tibi è duobus elige, aut cum virginibus deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanari. Et longè erunt à te Christiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, vt hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Vnde vt dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad laudem generis tui, aut ad ignominiam natalium tuorum, eris publicæ abiectionis scortum. Tunc beata Agnes cum ingenti constantia dixit: Si scires quis est Deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Vnde ego quia noui virtutem Domini mei Iesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quòd neque sacrificem idolis tuis, neque polluar sordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelũ Domini. Nam vnigenitus Dei filius quem ignoras, murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est nunquam dormiens, & defensor mihi est nunquam deficiens. Dij autem tui aut ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsus hominum: aut lapidei, ex quibus sternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, sed in cælis. Non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem & similes tui nisi ab istorum cultu recesseritis, simul vos pœnæ concludent. Sicut enim illi igne conflati sunt vt funderẽtur, sic colentes eos perpetuo incendio conflabuntur: non vt fundantur, sed vt confundantur in æternum, & pereant. Ad hæc insanus iudex iussit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci, sub voce præconis dicentis Agnem sacrilegam virginem, dijs blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam. Statim autem vt expoliata est, crine resoluto tãtam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur fimbrijs eorum, quàm vestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum, angelum Domini ita præparatum inuenit, vt circundaret eam immenso lumine, ita vt nullus posset eam præ splendore respicere. Fulgebat enim tota cellula illa quasi radiãs sol in virtute sua: & quãto quis curiosior oculis esse voluisset, tanto sibi visus aciem obtundebat. Cúmque se in orationem Domino prostrauisset, apparuit ante oculos eius stola candidissima, & apprehendens eam induit se, & dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conspicuum, vt nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo omnis qui fuisset ingressus, adoraret & veneraretur, dans honorem immenso lumini, & mundior egrederetur foras, quàm fuerat intus ingressus. Cúmque hæc agerentur, præfecti filius qui author erat huius sceleris, venit ad locum cum sodalibus suis iuuenculis insultaturus puellæ, cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibrium exercere. Et ingressos ante se furentes pueros & turpiter sæuientes, cum omni veneratione & ingenti admiratione egressos cœpit impotentes arguere, atque vanos & molles ac miseros iudicare. Et irridens locum in quo virgo orabat, audacter ingressus est. Et videns tantum lumen circa eam, non dedit honorẽ Deo, sed irruens in ipsum lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à diabolo expirauit. Videntes autem socij eius quod moras intus faceret, putabant obscœnis eum operibus occupari. Et ingressus est vnus ex iuuenibus qui ei familiarior erat, vt cõgratularetur insultationi eius, & mortuum eum inueniens, exclamauit voce magna, dicens: Pijssimi Romani succurrite, magicis artibus ista meretrix præfecti filium interfecit. Fit repente concursus populorum ad theatrum, & varia furentia populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocentem, alij sacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium suum interisse, cum ingenti tumulto venit ad theatrum. Et ingressus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat: Crudelissima omnium fœminarum, ad filium meum voluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare? Et cum talia atque alia huiuscemodi verba repeteret, & causas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille cuius voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt, sani sunt? Quia vniuersi dederunt honorem Deo, qui misit angelum suum, & induit me hoc indumento misericordiæ, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est, & oblatum. Videntes ergo splendorem angelicum adorabant omnes, & discẽdebant illæsi. Hic autem impudens statim vt ingressus est, sæuire cœpit & fremere. Cúmque manum suam ad me contingendum aptaret, dedit eum angelus Domini in reprobam quam conspicis mortem. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum angelum vt restituat mihi filium meum sanum. Cui beata Agnes dixit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur à Domino, tamen quia tempus est vt virtus Domini mei Iesu Christi manifestetur, egredimini omnes, vt solitam ei orationem offeram. Cúmque vniuersi fuissent egressi, prosternens se in faciem suam, rogare cœpit Dominum vt iuuenem suscitaret. Orante autem illa apparuit angelus Domini, qui eleuauit eam flentem, & confortans animum eius, iuuenem suscitauit. Qui egressus foras cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus Deus in cœlo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum. Nam omnia templa vana sunt. Dij qui coluntur, omnes vani sunt, & penitus nec sibi possunt nec alijs aliquod auxilium exhibere. Ad hanc vocem omnes aruspices, & templorũ pontifices conturbabantur, & fit per eos vehemẽtior quam fuerat seditio populorum, atq; omnes vna voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit. Sed verens proscriptionem si contra templorum pontifices ageret, & Agnem contra suam sententiam defensaret, vicarium ad seditionem populi iudicem dereliquit: ipse autem tristis abscessit, quòd eam non potuit post resurrectionem filij sui liberare. Tunc vicarius, Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medium eam præcepit iactari flammarum. Quòd cum fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flammæ, & hinc atque illinc seditiosos populos exurebant, ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium. Eo magis

non

non hoc virtutibus diuinis, sed maleficiis reputantes, dabant fremitus inter populi, & infinitos clamores ad cælos. Tunc beata Agnes expandens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum. Omnipotens, adorande, colende, tremende pater Domini nostri Iesu Christi benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euasi manus hominum impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transiui. Ecce & nunc rore cælesti perfusus per Spiritum sanctum focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi video: quod speraui, iam teneo: quod concupiui, complector. Te confiteor labiis & corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio viuum & verum Deum, qui cum Domino nostro Iesu Christo filio tuo, & cum Spiritu sancto viuis & regnas in cuncta secula seculorum, Amen. Cúmq; compleset orationem, ita omnis ignis extinctus est, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aspasius vrbis Romę vicarius populi seditionem non ferens, in guttur eius gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit. Parentes verò eius nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus eius, & posuerunt illud in prædiolo suo, non longè ab vrbe, in via quæ dicitur Numentana. Vbi cum omnis turba Christianorum concurreret, insidias a Paganis perpessi sunt: & videntes populum infidelium super se venientem armatum, omnes fugerunt. Aliquanti tamen lapidum ictibus læsi euaserunt. Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, virgo sanctissima, licet catechumena, constanter intrepida stabat immobilis, & his verbis exprobrabat eis: Superflui, miseri, caduci, atque atrocissimi, Deum omnipotentem colentem occidistis, & percussione lapidum homines innocentes iugulastis. Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans iuxta sepulchrum Agnes beatissimæ emisit spiritum. Non dubiũ est quòd in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitiæ dum confiteretur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique hora fit terræ motus vehementissimus, & cum nimia esset cæli serenitas, tantæ coruscationes, tantáque fulgura & tonitrua extiterunt, vt pars maxima insani populi expiraret. Vnde factum est vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret: venientes autem parentes beatę Agnes cum sacerdotibus nocte abstulerunt corpus sanctæ Emerentianæ virginis, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ virginis Agnes. Igitur dum parentes beatæ Agnes assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine prætereibãt. Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum vident parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines paulumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransijt. Hæc visio publicè ab omnibus qui viderant quotidie vulgabatur. Vnde factum est vt post aliquantos annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis venit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur. Et vidit per visum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentẽ: Constanter age Cõstantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Saluatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum quę in corpore tuo pateris sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, vt nec signũ in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militaribus atque priuatis, & vniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat vt basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausoleũ collocari pręcepit. Curtis hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent, sanabantur quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsq; in hodiernũ diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multæ virgines & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multæ virgines Romanæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integræ perseuerant, credentes sine dubio quòd perseuerantes perpetuæ victorię palmam acquirant. Hæc ego Ambrosius seruus Christi dum in voluminibus diuinis inuenissem, scripta non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorẽ igitur tantę martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi, & ad ędificationem vestram, o virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritus sancti, vt labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponen. in Natali sanctorum Fructuosi Episcopi, Augurij & Eulogij diaconorum, & Agnes virginis, Serm.

DOminus Iesus martyres suos non solùm instruxit præcepto: sed & firmauit exemplo. Vt enim quod sequerẽtur haberent passuri: prior ille passus est pro eis. Iter ostẽdit, & viã fecit. Mors aut animę est, aut corporis. Sed anima nõ potest mori, & potest mori. Mori non potest, quia sensus eius nunquam

Est Ser. 101. de diuersis To. 9. lib. 7.

nunquam perit:mori autem poteſt, ſi Deum perdit. Sicut enim eſt ipſa anima ſui corporis vita:ſic Deus eſt ipſius animæ vita. Quomodo ergo corpus moritur, quando illud dimiſerit anima, id eſt, vita ipſius:ſic anima moritur, quando illam dimiſerit Deus. Vt autem animam non dimittat Deus, ſit ſemper in fide, vt nõ timeat mortem pro Deo, & nõ moritur dimiſſa à Deo. Reſtat ergo vt mors, quæ timetur, corpori timeatur. Sed etiam inde Dominus Chriſtus ſecuros martyres ſuos fecit. Quomodo enim incerti eſſent de integritate membrorum, qui ſecuritatem acceperant de numero capillorũ? Capilli, inquit, capitis veſtri omnes numerati ſunt. Alio autem loco apertius dicit: Dico, enim vobis, quia capillus capitis veſtri non peribit. Dicit veritas, trepidat infirmitas? Beati ſancti: in quorum memoriis celebramus diem paſſionis illorum. Illi acceperũt pro temporali ſalute æternam coronam, ſiue fine immortalitatem: nobis dimiſerunt in iſtis ſolẽnitatibus exhortationem. Quando audiuimus quomodo paſſi ſunt martyres, gaudemus & glorificamus in illis Deum: nec dolemus quia mortui ſunt. Etenim ſi mortui pro Chriſto non eſſent, nunquid vſque hodie viuerẽ.? Quare non faceret confeſſio, quod factura fuerat ægritudo? Auditis perſequentium interrogationes, auditis confitentium reſponſiones, cùm ſanctorum paſſio legeretur. Inter cætera quale erat illud beati Fructuoſi Epiſcopi? Cùm ei diceret quidam, & peteret, vt eum in mente haberet, & oraret pro illo, reſpondit, Me orare neceſſe eſt pro eccleſia catholica, ab Oriente vſque ad occidentem diffuſa. Quis enim oret pro ſingulis? Sed neminẽ ſingulorũ prætermittit, qui orat pro vniuerſis. Ab eo nullum membrum prætermittitur, cuius oratio pro toto corpore funditur. Quid ergo vobis videtur admonuiſſe iſtum Chriſti beatũ confeſſorem, à quo rogabatur vt oraret pro eo? Quid putatis? Sine dubio intelligitis. Commemoramini & à nobis. Rogabat ille, vt oraret pro illo. Et ego, inquit, oro pro eccleſia Catholica, ab Oriente vſque ad Occidentem diffuſa. Tu ſi vis vt pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro. Quale eſt etiam illud Sancti Diaconi, qui cum Epiſcopo ſuo paſſus, & coronatus eſt? Ait illi iudex: Nũquid & tu Fructuoſum colis? Et ille, Ego non colo Fructuoſum: ſed eum colo, quem colit & Fructuoſus. Quo modo nos admonuit, vt martyres honoremus, & cũ martyribus Deum colamus. Neque enim tales eſſe debemus, quales paganos dolemus. Et quidem illi mortuos homines colunt. Illi quippe omnes, quorum nomina auditis, quibus templa conſtructa ſunt, homines fuerunt, & in rebus humanis habuerunt plerique eorum & penè omnes regiam poteſtatem. Auditis Iouem, auditis Herculem, auditis Neptunum, auditis Plutonem, Mercurium, Liberum, & cæteros. Homines fuerunt. Non iſta fabulis ſolùm poëtarũ, ſed etiam in hiſtoria gentium declarantur. Qui legerunt, nouerunt: Qui non legerunt, credant eis qui legerunt. Illi ergo homines beneficiis quibuſdã temporalibus res humanas ſibi conciliauerunt, & ab hominibus vanis, & vana ſectantibus ita coli cœperunt, vt dij vocarentur, dij haberẽtur, tanquam diis templa ædificarentur, tanquam diis ſupplicaretur, tanquam diis aræ conſtruerentur, tanquam diis ſacerdotes ordinarentur, tanquam diis victimæ immolarentur. Templum autem ſolus verus

Matth. 10. Luc. 12. Luc. 21.

Deus habere debet: ſacrificiũ ſoli Deo vero offerri debet. Iſta ergo, quę debentur ritè & integrè vni vero Deo, exhibebant miſeri decepti multis falſis diis. Hinc humanam miſeriam peruerſus error obſedit. Hinc omnium proſtratis mentibus diabolus incubabat. At vero gratia ſaluatoris, & miſericordia Dei tandem reſpexit indignos: impletum eſt quod prophetice dictum eſt in Cantico Canticorum; Exurge Aquilo, & veni Auſter: & perfla hortum meum, & fluent aromata. Tãquam dictum eſt; Exurge Aquilo. Aquilonia enim pars mundi frigida eſt. Sub diabolo tanquã ſub Aquilone animæ friguerũt, & charitatis calore perdito gelauerunt. Sed quid dicitur? Exurge Aquilo. Sufficit quod incubuiſti, ſufficit quod poſſediſti, ſufficit quod ſuper proſtratos recubuiſti. Exurge: veni Auſter, ventus de parte lucis, ardor feruoris: & perfla hortum meum, & fluent aromata. Iſta paulò antè aromata legebantur. Quæ ſunt iſta aromata? De quibus dicit ipſa dominica ſponſa; poſt odorem vnguentorum tuorum curremus. Cuius odoris memor beatus Apoſtolus Paulus dicit: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco: & in bis qui ſalui fiunt, & in his qui pereũt. Magnũ ſacramentum. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Quibuſdam quidẽ odor vitæ in vitã: quibuſdam odor mortis ad mortẽ. Et ad hæc intelligẽ ſa quis idoneus? Quomodo bonus odor alios vegetat, alios necat. Bonus odor, nõ malus. Non enim ait: bonus odor bonos vegetat: & malus malos necat. Non ait alis quidem ſumus odor bonus ad vitã, aliis odor malus ad mortem. Nõ hoc ait: Sed Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Væh miſeris, quos bonus odor occidit. Si ergo bonus odor eſtis ò Paule, quare iſte odor alios occidit, alios vegetat? Quod alios vegetat, audio, intelligo. Quod alios occidit, difficilè aſſequor: maximè quia dixiſti: Et ad hæc quis idoneus? Non eſt mirum quia non ſumus idonei. Faciat nos idoneos, cuius odor erat de quo loquimur. Cito enim mihi reſpondet Apoſtolus; Intellige, Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & in his qui ſalui fiũt, & in his qui pereunt. Nos tamen bonus odor: aliis odor vitæ, ad vitã: aliis odor mortis, ad mortem. Odor iſte vegetat diligentes, necat inuidentes. Si enim non eſſet claritudo ſanctorum: inuidia nõ ſurgeret impiorum. Cœpit perſecutionem pati odor ſanctorum. Sed quomodo ampullæ vnguentorum quanto magis frangebantur, tanto amplius odor * effundebatur. Beati quorum paſſio recitata eſt. Beata Agnes ſancta, cuius paſſionis hodiernus eſt dies. Virgo quæ, quod vocabatur, erat. Agnes Latinè Agnam ſignificat, Græcè caſtam. Erat quod vocabatur: merito coronabatur. Quid ergo, fratres mei, quid vobis dicam de hominibus illis quos pagani pro diis coluerunt: quibus templa, ſacerdotia, altaria, ſacrificia exhibuerunt: quid vobis dicam nõ illos eſſe comparandos Martyribus noſtris? Etiam hoc ipſum iniuria eſt, quia vel dico: Quibuſcunque qualibuſcunque Chriſtianis, licet adhuc carnalibus & lacte alendis, non cibo: abſit vt illi ſacrilegi comparentur. Contra vnum infirmum, & trementẽ omnibus membris ſenem Chriſtianum, quid valet Hercules? vicit Hercules Leonẽ, vicit Hercules canem Cerberum: vicit Fructuoſus totũ mundum. Compara virum viro. Agnes puella tredecim annorũ, vicit diabolum. Eum puella iſta vicit, qui de

Cant. 4.

*al. diffundebatur.

Her

Hercule multos decepit. Et tamen chariſſimi nos martyres noſtros quibus illi nulla ex parte ſunt conferẽdi, pro diis nõ habemus, non tanquã deos colimus. Nõ eis templa, non eis altaria, nõ ſacrificia exhibemus: nõ eis ſacerdotes offerunt. Abſit: Deo præſtantur. Imò Deo iſta offerũtur, à quo nobis cũcta præſtantur, etiã apud memorias ſanctorum Martyrum. Quando imus ad memorias ſanctorum Martyrum, cui offerimus? Nõnne Deo? Habent honorabilem locum Martyres ſancti. Aduertite: In recitatione ad altare Chriſti loco meliore recitantur: non tamen pro Chriſto adorantur. Quando audiſtis dici apud memoriam ſancti Theogenis, offero tibi Petre, aut offero tibi Paule? Nunquam audiſtis. Non fit: non licet. Et ſi dicatur tibi, nunquid tu Petrum colis? reſponde quod de Fructuoſo reſpondit Eulogius: Ego non colo Petrum, ſed colo eum quem colit & Petrus. Tunc te amat. Nam ſi volueris pro Deo habere Petrum, offendis petram, & vide ne pedem frangas, offendendo in petram. Vt noueritis verum eſſe quod dico: audite, admoneo vos. In Actibus Apoſtolorum cùm magnum miraculum feciſſet Apoſtolus Paulus in Lycaonia, ciues eiuſdem ciuitatis ſiue prouinciæ putauerunt deos deſcendiſſe ad homines: & crediderunt eſſe Barnabam Iouem, Paulum autem Mercurium, quia ipſe erat in ſermone promptiſſimus. Hoc credentes attulerunt vittas & victimas: & voluerunt illis offerre ſacrificium. Illi continuò non irriſerunt, ſed expauerunt, veſtimenta ſua conſciderunt, & dixerunt eis: Fratres, quid facitis? Et nos ſicut vos homines ſumus, paſſibiles: ſed annuntiamus vobis Deum verum. Conuertimini ab his vanis. Videtis quomodo ſancti horruerunt coli ſe pro diis. Item beatus Ioãnes Euangeliſta, qui ſcripſit Apocalypſim, cùm illa mira quæ ſibi oſtendebantur ſtuperet, expauefecus quodam loco cecidit ad pedes angeli, à quo ſibi omnia monſtrabantur. Et ait illi angelus, cui nullus eſt homo comparãdus, Surge, quid facis? Deũ adora. Nam ego conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum. Oderunt Martyres lagenas veſtras, oderunt Martyres ſartagines veſtras, oderunt Martyres ebrietates veſtras: ſine iniuria eorum dico qui tales nõ ſunt: illi ad ſe referant, qui talia faciunt: oderunt iſta Martyres, non amant talia facientes. Sed multo plus oderunt, ſi colãtur. Ideo chariſſimi exultate in diebus ſanctorum martyrum: orate vt ſequamini veſtigia martyrum. Non enim homines eſtis, & illi homines non fuerunt: nõ enim nati eſtis, & illi aliunde nati ſunt: non enim alterius generis carnem portauerunt quàm vos portatis. Ex Adam omnes ſumus: in Chriſto omnes eſſe conamur. Ipſe dominus noſter, ipſum caput Eccleſiæ, vnigenitus filius Dei, Verbum patris per quod facta ſunt omnia: non alterius generis carnem habuit quàm nos. Ideo voluit de virgine hominem ſuſcipere, de vna ex genere humano carne naſci. Nam ſi aliunde faceret ſibi corpus, quis crederet quia carnem portabat, quam portamus & nos? Sed tamen ille ſim litudinem carnis peccati: nos carnem peccati. Nõ enim ex virili ſemine, aut ex maſculi & feminæ concupiſcentia: Sed quid? Nuntio patris. Et tamen cum ſit mirabiliter natus, mortalis naſci dignatus eſt, & mori pro nobis, & ſanguine ſuo redimere nos: ſecundum quod homo eſt. Videte quod dico fratres. Ipſe Chriſtus cùm ſit Deus, cum ſit cum patre vnus Deus, cùm ſit verbum patris, vnigenitus, æqualis patri & coæternus: tamen in quantum homo eſſe dignatus eſt, maluit ſacerdos dici, quàm ſibi exigere ſacerdotem. Maluit ſacrificium eſſe, quam poſcere: in quantum homo eſt. Nam in quantum Deus eſt, totum quod patri debetur, & vnigenito filio debetur. Ideo chariſſimi veneramini martyres, laudate, amate, prædicate, honorate. Deum martyrum colite: Conuerſi ad Dominum, &c.

S. MAXIMI EPISCOPI
in natali S. Agnetis, Homilia.

CVm in toto mundo virgineus flos Mariæ immarceſſibiles coronas innectat, & ſceptrigeram pudoris aulam immaculato conſeruet affectu, conſque integritas perſeuerauit ad palmam, vt in puellis trophæum ſanctitatis arriperet, & per veſtigia matris virginis ad cæleſtem thalamum perueniret. Hinc eſt quòd annulos fidei Agnes ſe aſſerit ſubarratam, & clamat ſe amore ſponſi conſtrictam. O quam imitabile virginibus, virgo, tu amoris tradidiſti exemplum? ò quã ſanctum pectoribus dudum virgineis tribuiſti reſponſum, contemnendo mundi diuitias, exerando carnis concupiſcentias, & ſolam Chriſti pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & diſcite in annis infantiæ quales in pectore ſuo circa amorem Chriſti flammas accendit. Dicit ſe amatori ſuo ſeruare fidem, & eius corpus concupiſcere ſolùm, qui pro amore hominum mortis non recuſauit interitum. Diſcite virgines Chriſti amorem in puella feruentem, & omnes mũdi diuitias velut ſtercora recuſantem. Ideò enim ſanctorum per literas tradũtur exempla, vt vnuſquiſq; pro qualitate ſexus, & pro ætate annorum, modum ſui propoſiti teneat, & ſicut per virginem virgines, ita per coniugem coniuges vincere ſeculum pro Chriſti amore ſtudeant, ac repugnatione animi, mundi dulcia recuſantes & eius non recuſantes auſtera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes, non vituperamus coniugum caſta commercia, ſed virginum perſeuerãtiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus ſuperponenda eſt, ſed eſt rebus optimis præferenda. Quæ enim mundis mundior, & ſanctis eſt ſanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque ſancta coniugia patriarcharum, coniuges in religione poſitæ, ac diuinis literis informatæ, Saram, Rebeccam, Rachelẽ, Annam, Suſannam, Sephoram imitentur vxores: Chriſti verò virgines ſolam virginem, matrem luminis ſubſequantur. Huius pediſſequa Agnes beatiſſima, magnum de ſe pudicitiæ excitauit exemplum cùm virginitatem prætulit vitæ, omnemque à ſe amorem ſceleſtum expellens, trophæum crucis Chriſti arripuit, & tàm contrà libidines, quàm etiam contra ſupplicia vniuerſa, fide potiùs armata quàm ferro fortiter dimicauit, & vicit. Aſpicit denique blandientem, & renuit: minantem incendium attẽdit, & ridet. Neſcit amare aliquid quod tranſit, & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec ſupplicia, nec carnifices metuit: poſtremò nec gladium furentis percuſſoris expauit. Compellitur virgo ornamé-

ta ſu

ta suscipere corporis, sed renuit: quoniam iam susceperat mentis. Et quia non de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de fœditate animæ Domino displicere, dabat iuri per fidem suæ menti candorem, pulchritudinem excolebat animę, & quantùm sitiebat vt animam suam pulchram faceret, tantum in corpore erubescebat se esse formosam: tanto studens displicere carnalibus in carnis aspectu, quanto instruit Christo & eius angelis complacere. Turbatur iuuenis à puella contemptus, & se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas, congeminas vestes, prædia preciosa conuectat. Sed quia Christi charitas pecuniarum nó habet precium, virginitas sacratissima in suo gradu vsque in sanguinis effusionem permansit, quoniam suo illam sanguine subarrauerat Christus. Ad concupiscentem igitur reuertitur census, & inconcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite virgines Christi, normam puellaris exempli, & oblata sub specie pietatis virorum munuscula, tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non receperis, quo timeas Deum, non accipias quo diligas mundum. Accipe virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescunque ab homine consecuta fueris censum, sic accipe, vt te sponsam Christi cognoscas. Videt ille intùs in mente quid facias, & quàm experiẽter eius virgines comiteris, attendit. Videte ergo quomodo Agnes sequitur Mariam per opprobria. Nullum potuit penitùs formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudinis, locus orationis efficitur: & vbi ei diabolus corruptionis præparauerat ignominiã, illic eam percipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis & palmam. Hoc est in suis sedibus hostes vincere, captiuam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum regem à virgine, quam captiuauerat, victum, & victum cum virginis triumpho exire. Nam qui tenuerat, tentus est: qui traxerat, tractus est: qui occidere se putabat, occisus est. Deniq; vt probemus diabolum à virgine ista tunc fuisse victum, illius iuuenis factum ad animum reuocemus: quem contra Agnetis infantiam sic armauerat inimicus, vt nudam faceret trahi per vulgus ad lupanar, sub voce præconantis ducis, populum ad libidinem inuitãtis. Hunc ergo ducem fuisse diaboli nemo qui dubitet, & victo duce populum superatum esse, omnibus notum est: superatis autem cum duce suo populis, tyrannum teneri captiuum omnibus patet. Constat ergo diabolum superatum, quoties contra virginem arma arripuit. Nam expoliata virgo tegitur crinibus & nudata ab hominibus malis, vestitur ab angelis bonis: & damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium angelorum, locus qui perditarum fuerat animarum: & vbi semper naufragauerat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos quos præco ad libidinem inuitauerat, virgo ad castitatem obtinuit: & quos ad eam diabolus inquinatos induxit, illa à se mũdos eiecit. Omnes nanque singulatim ingressi, vnus alterum sustinebat ingressum. Quem egressum dum non crederet mũdum, se exhibebat immundum. Sed ingressus ad libidinem, ad adorandum Dominum meritis virginis tenebatur: & exibat inde Dei seruus, qui seruus diaboli intùs fuerat ingressus: & tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus virginis se putauerat inuenisse corruptores. Remãsit igitur iuuenis, qui author huius extiterat probationis, qui se putabat defensorem virginis superare. Hic dum splendori cælesti non cessit dans honorem, vitam quam habere videbatur amisit, & morté quam quærebat inuenit. Ridentibus lachrymæ succedunt, & insultantibus finem lamentationes imponunt. Attendit virgo lugentem iudicem, & quem minantem antè contempserat, nunc deprecantem exaudit. Illicò igitur vt cœpit orare pro mortuo, & à mortuis excitat saluum, qui morti fuerat deputatus: & ad gaudium euocat, qui fuerat præcipitatus ad luctum. Nam qui incestus fuerat mortuus, exurgit castus: & fit prædicator castimoniæ, qui persecutor extiterat castitatis. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, & Christum hæc mirabilia facienté contremiscunt. Excitãt seditiones ignobilis vulgi, vt ratio quæ suadebat fidem, seditionum clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum inuenire non posset. Pater verò suscitato filio tristis abcessit, & vt legitur, tribus furentibus vicarium dereliquit. Virgineo itaque corpori stridentes præparantur flammę, sed corpus quod incendia libidinum superauerat, refrigerium in mediis flammis inuenit: & quę ad hoc focus ingressa fuerat vt arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere, vt disceret virginitas sibi flammas & incendia penitùs dominari non posse. Nec illos perisse æstimes, quos pro nomine Christi consumpsit incendium. Nanq; cùm legis Eliam ignibus raptum, & tres pueros in mediis flammis nulla ratione cõsumptos, aut dum Laurentium in craticula assatum recolis, atq; Agnem sicut Teclam flammarum globos euasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse. Vna etenim fides sanctos Dei in passione exercuit, & diuerso genere gloriarum reddidit vtrosque vi- Dan.6. & 14. ctores. Nam qui consumptus est, martyr exultat: & qui euasit, victor exultat. Et Esaias sectus, martyrem se fecit: & Daniel leonum rabiem morsúsq; contemnens, probatissimum Dei confessorem expressit. Quo facto vtrosque Christus diaboli ostendit esse victores. Vnus enim moritur & triumphat, alius euadit & regnat. Veni iam virgo ad thalamum quem quæsisti, & pro amore sponsi gladium percussoris admitte: vt sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi, & martyrem confessio probata consignet. Fœlix caterua virginum, quibus studium est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecum coronam in cælo, quæ tecum superauerunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia prosequenti, participatio æternę remunerationis apparuit: ita eis te imitantibus, æterna credimus gaudia non neganda. Itaque ó splendida Christo, Dei filio, & omnibus angelis, atq; archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, vt nobis ille tribuat indulgentiam, tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum Patre & Spiritu sancto quia ipsi est honor, laus, gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

* * *

IN FESTO S. VINCENTII MARTYRIS.



Euangelium, secundum Missale Romanum, vide in communi Martyrum, eodem Tomo.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponens. in eodem festo, Sermo 1.*

Sermo 12. de sanctis num. 10. IN passione quæ nobis hodie recitata est, fratres charissimi euidenter ostenditur iudex ferox, tortor cruentus, martyr inuictus: In cuius corpore pœnis variis exarato iam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Tot conuicta miraculis persistebat impietas, tot vexata suppliciis non cedebat infirmitas. Agnoscatur ergo operata diuinitas. Quando enim corruptibilis pulueris cótra tam immania torméta duraret, nisi in eo Christus habitaret? In his enim omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est qui & in prima vocatione dedit fidê, & in suprema passione virtutem. Vultis nosse quia vtrunque donatum est?
Philip. 1. Audite Apostolum Paulum, Vobis, inquit, datum est, pro Christo non solùm vt credatis in eum, verumetiam vt patiamini pro eo. Acceperat vtraque hæc Beatus Vincentius leuita, acceperat & habebat. Si enim nó accepisset, quid haberet? Habebat in sermone fiduciam, habebat in passione tolerantiam. Nemo ergo de suo corde præsumat, quádo profert sermonem, nemo de suis viribus confidat quando suffert tentationem: quia vt & bona prudenter loquamur, ab illo est, nó nostra sapientia: & vt mala fortiter perferamus ab illo est, non nostra est patientia. Recolite dominum Christum suos in Euangelio discipulos admonentem. Recolite martyrum regem cohortes suas armis spiritalibus instruentem, bella monstrantem, adiutoria ministrantem, præmia pollicétem, quia cùm
Ioan. 16. dixisset discipulis suis; In hoc mundo pressuram habebitis: mox vnde territos consolaretur, adiunxit dicens. Sed confidite, quia vici mundum. Quid ergo miramur, charissimi, si in illo Vincentius vicit, à quo victus est mundus? In hoc, inquit mundo pressuram habebitis, vt si premit non opprimat, si oppugnat non expugnet. Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur vt decipiat, terret vt frangat. Nó nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Ad vtrosque aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus. Si consideretur in ista passione humana patientia, incipit esse incredibilis: si agnoscatur diuina potentia, desinit esse mirabilis. Tanta grassabatur crudelitas in martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce, tantáque pœnarum asperitas sæuiebat in membris, vt miro modo putaremus Vincentio patiente alium loquentem non torqueri. Et verè, fratres charissimi, ita erat. Prorsus ita erat. Alius loquebatur. Promisit enim & hoc testibus suis Christus in Euangelio, quos ad huiusmodi certamina præparabat. Sic enim ait. Matth. 10.
Nolite præmeditari quo modo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Caro ergo patiebatur, & spiritus loquebatur. Et loquente spiritu non solùm conuincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas. Clariorem nobis martyrem tot torméta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confossus non deserebat pugnam, sed actiùs iterabat. Putares quòd eum dura Psal. 21.
ret flamma, non vreret, & tanquã figuli fornax lutum molle suscipiens, duram redderet testam. Poterat martyr noster dicere Daciano; Iam non vret ignis tuus carnem meam, quia exaruit sicut testa virtus mea, & quomodo scriptum est veraciter, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos ten- Eccles. 27.
tatio tribulationis. Probatus atque decoctus ille igne Vincentius, Dacianus vero arsit & crepuit. Si enim non ardebat, vnde cremabat? Quid enim erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo martyri nostro refrigerium in corde haberi, flammas extrinsecus admouebat, sed ipse facibus furoris accensus, tanquam clibanus totus ardebat, & habitatorem suum diabolum cócremabat. Per furiosas enim Daciani voces, per truces oculos, & minaces vultus, & totius corporis motus ille habitator eius interior mouebatur, & per hæc signa visibilia tanquam per signa sui vasculi, quod impleuerat crepantis rimula prouidebatur. Nó tantum martyré cruciabant plurima torméta, quantum illum vastabat insania. Sed iam fratres illa omnia transierunt, & ira Daciani, & pœna Vincentij. Nunc autem pœna Daciano, corona vero manet Vincentio. Denique his præmissis futuræ videlicet retributionis finibus, etiam in hoc mũdo martyrum gloriam demonstremus. Quę hodie regio quæve prouincia vlla quousque vel Romanum imperium, vel Christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentij diaconi? Quis autem hodie vel nomen Daciani audisset, nisi Vincentij passionem legisset? Quod vero tanta cura seruauit dominus martyris corpus, quid aliud demóstrauit, nisi gubernasse se viuentem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum viuens Vincentius, vicit & mortuus. Viuens tormenta calcauit, mortuus maria transnatauit. Sed ipse inter vndas gubernauit cadauer extin

extinctum, qui inter vngulas animum donauit inuictum. Non flexit flamma torroris cor eius, Pſal. 115. non merſit aqua maris corpus eius. Sed in his & huiuſmodi nihil eſt aliud, niſi precioſa in conſpectu domini ſemper mors ſanctorum eius, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Sermo 2.*

ſermo 15. de Sanctis to. 10. CVnctorum licet dilectiſſimi glorioſas martyrum paſſiones, quos diſtincta regionibus loca meruerunt, vna fides faciat omnibus indiſcreto honore venerabiles: propriam tamen ſibi in hoc venerationis obſequio vendicãt dignitatem, qui eccleſiam Dei & documentis præ cęteris exercerunt, & patrociniis adiuuerunt. Inter quos iuſte beatum leuitam Vincentium, cuius confeſſione & morte Chriſtum incredulis prædicatum incunctanter agnoſcimus, catholicis ſtudiis celebramus. Qui vt fidelium deuotionẽ Deo ſtudioſiùs commendaret, altiori charitatis flammeſcens affectu, morti ſeſe tandem fideliter obtulit, quo videlicet robur fidei in ſolidiſſima petra Chriſto fundatum, ſequacibus imitandum daretur: necnon & ſemen Apoſtolicæ prædicationis per eum pluribus diſſeminatum ope ſuę interceſſionis tutum ac perfectæ conſummationis fruge refertũ in cæleſtibus demum horreis conderetur. Nunc ergo ampliùs propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur, quatenus eis ſe largiorem exhibeat in beneficiis, quibus ſe amabiliorem cognoſcet in gaudiis, ſiátque in eius ſolennitate vberior lætitiæ ambitus, de qua fidei creuit effectus. Huius denique ſpiritus tanto virtutum munere claruit, vt ſacri miniſterij fultus officio, qui filiũ Dei dominum noſtrum ſecuturus eſſet in paſſione, eiuſdem Chriſti calicem credentibus prius miniſtraret in ſalutem. Cuius hauſtu fœliciter mente inebriatus, rabidi hoſtis atque in Chriſtũ ſæuientis inſaniam interritus adiit, modeſtus ſuſtinuit, ſecutus irriſit, ſciens paratus eſſe vt reſiſteret, neſciens elatus eſſe quo vinceret: quia cuius amore ſpiritalibus armis præmunitus reſiſtebat, eius adiutorio quicquid pœnarum in illum ferientis ita excogitabat, inſuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo non hunc laminæ ignitæ ſartaginis, non equulei, non vngulæ ferreæque manus, non vires pauendæ ardentium, nec dolor ſciſſorum membrorum, non foci fragor, & ſtrepentis in patientis viſceribus ſalis iniectio, Daciani quiuerunt aliquatenus ſubdere iuſſioni, ſed dum intantum eius vecordiæ tumor excreſceret, vt tantis paſſionis ſubactum doloribus aut viciſſe aut interemiſſe ſe lætabundus extolleret, ſuſcepta ſpe fruſtratus, vnde victor viſus eſt apparere, inde victus compulſus eſt erubeſcere, quoniam quo Dei martyr duriori vrgebatur pœna, eò ampliori confeſſionis exultabat conſtantia. Vnde ipſius paſſionis vel vltima præuidere, ſeu mortem fratres euidentiùs placet, quatenus animaduertat ſanctitas veſtra, quò diabolus ſuum perduxerit dolis miniſtrum, vel quomodo Chriſtus ſuum in finem vſquequaque ſeruauerit famulum. Ex quo illud ſanè erat mirabile, quia quantum iſte extrinſecùs multiplici pœnarum genere cõtritus arctabatur, tantum intrinſecus exultante interiori homine dilatabatur: quantúmque ille exteriùs iactantia temporalis potentiæ inflabatur, tantum interius deſpici ſe perpendens interiori vexatus homine præfocabatur. Contemni igitur ſe videns ſæuiebat, nec in quem iam vindictam inferret inueniebat. Videbat nanque deſæuientium manus carnificum plus in eo inuenire vulneris quam corporis, ſolúmque ingentem ſpiritum ei ſtultitiam exprobrare ſuam quod prouocabat veritatis normam. Quapropter credens quòd cauſam confuſionis auerteret, ſi perſonam quæ ſe ſpreuerat abſentaret, minúſque Dacianus erubeſceret, ſi Vincentium populus non videret, iuſſit eum à publico remoueri, ſed nec ſic quidem caret ſupplicio. Contuſa quò iacebat teſta ſubſternitur, vt vis acuminis conciſam molẽ ſuperiecti corporis plus diſcinderet, atque reddita tormentis membra quę ſecarent obuia ſuſciperent fragmenta. Fallitur tamen vincendi opinione cæca crudelitas: Nam diuina bonitas dilectum ſuum ampliùs in confeſſione comitata infert nouam tenebris lucem, & tabernaculum ſplendidum obſcurum reddit ergaſtulum. Fouebat laceros artus medica Dei manus, & venuſtiori priſtinæ ſanitatis augmẽto foſſi lateris dãna ſupplebat. Inſolita igitur huius luminis claritate perculſi obſtupuere cuſtodes, quin & voces angelis hymnum Deo concinentibus, mens pallidi ianitoris expauit. Currit exanimis miniſter ad præſidem, quem grauius relatio nũcij quàm ictus percuſſit gladij: & cum non poſſet ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor iudicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat: & ne in pœnis Vincentius vincens gloriam martyrij obtineret: Citius, inquit, Dacianus, producatur è carcere, ne dum inſiſtimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo teterrimi carceris baratro, cæleſti quidem gratia pulchrior, & ſi adhuc eſſet paſſurus, robuſtior. Sed vbi deſiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum, vel mortis genere frangendum intelligit, iubet inuida mens lenioris ſtrati fulcra ſubſterni, ac blandiori cum requie conſoueri, ſcilicet vt ſi amoto paululum carnifice animã quietus exhalaret, diceretur non eſſe occiſus, ſed mortuus: quaſi non eum pœna peremerit, cũ quo & pœna ſimul perierit. Interea beatum Vincẽtium cæleſtis aula ſuſcepit, ac beatæ fœlicitatis munere donat. Ad cuius ingreſſum angelici lætantur ſpiritus, omnéſque ſimul conciues gratulantur ſancti. Nóſque tibi gratias agimus domine Ieſu, quòd anima tuo digna conſortio quæ pertinax tulit ſupplicium, mendax fugit obſequium: & quæ fuit contenta perſecutor quo fureret, ſit dedignata quòd parceret. Cognito igitur ſancto eius abſceſſu, iudex inſanus, & quia Chriſtus viciſſet in Vincentio neſcius, Dacianus illius ſibi promittit cadaueris expoſitione vindictam, cuius gemit ex virtute victoriam. Feris nanque & canibus decepta furoris ſuperbia abſumendum proiici mandat lictoribus, vt tali paſtu eorum impleret ventrem, quorum ipſe gerebat mentem. Sed vt diuinis excreſcentibus beneficiis maioris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur coruus auis inimica cadaueribus, expoſitas corporis dapes ſeruatura ieiuna. Hinc fratres dilectiſſimi, hinc aduertite diſtincta meritorum obſequia. Helias quõdam impias Achab 3. Reg. 17.
vel Iezabelis manus cautè declinans, in deſerto cor

to cor

to coruis ministrantibus pascitur: assertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur consumendus, sed coruo famulante seruatur illæsus. Obtinuit ergo Helias diuino nutu coruis præstantibus quo aleretur, præstitum est Vincentio obsequente quoque coruo ne comederetur. Qui vt cælitùs se custodem designatum ostenderet, aduentantes reliquas aues eminus nō segni impetu perturbabat, inter quas immanem quoque lupum propiùs accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia * attaminare præsumeret, pennis & alis deuerberans procul abegit. Sed ille quod non tam ad inferendam venisset iniuriam, quam ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta vesania! Coruus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere. Vnde ad occulendam martyris laudem non iam secretum, sed profundum elegit, credens sibi ad delitescendam eius gloriam non claustra fidem seruatura, sed maria, quasi non idem clemens dominus esset, per quem dudum ei carceris abdita cælesti fulgore radiata micuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus, vt ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defecisset. Enauigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus proiectum inter sorbentes vndas præpotens est Dei dextera consecuta, & quæ spiritum intulerat in cælum, corpus mox retulit ad sepulchrum. Sic prædicator veritatis charissimi nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrosi carceris superatur angustiis. Non bestiis dilaniatur, non profundo celatur, sed littori redditur, præconio diffamatur, vt qui verè confessus fuerat nomen deitatis, veritatis sibi adesse experirentur diuinæ suffragia bonitatis. Cuius gloriosam virtute vitam ita pretiosæ mortis gratia decorauit, vt quod viuendo docuit, moriendo constanter astrueret: eâque consequens quatenus ad eius visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conuersione semper attestatus fuisset, sciens quòd de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ, præstante domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat, &c.

* alias contaminare.

EIVSDEM DE S. VINcentio martyre in Basilica restituta, & de corpore spiritali post resurrectionem, Homil.

Est sermo 102. tom. 9. lib. 7.

OCulis fidei certantem exspectauimus martyrem Vincentium, & amauimus totum, inuisibiliter pulchrum. Qualis enim decoris habebat spiritum, cuius sui & cadauer inuictum? Dominum confessus est viuus; inimicum superauit & mortuus. Quid putamus * fratres? Quod istum honorem prouidentia & consilium omnipotentis creatoris cùm etiam defuncto corpori detulit, martyri aliquid præstitit? Quid enim si non sepeliretur: ignorabat ille vnde suscitaretur? illi & in victoria corona, & in resurrectione seruata est vita æterna: Sed de corpore eius, Ecclesiæ præstita est consolationis memoria. Sic plerunque Deus de seruis suis præstat seruis suis * quadam dignatione, * donans quæ magis prosit ei, cui donatur, quàm ei de quo datur. Sic Heliam sanctum Deus per auem pascebat: Non autem misericordia Dei, & omnipotentia defecerat, vt semper sic pasceret. Mittitur tamen pascendus ad viduam: non quia non erat, quomodo Dei seruus aleretur: sed vt fidelis vidua benedictionem mereretur. Præstitit ergo sanctorum martyrum corpora Ecclesijs suis ad memorias orationum, non ad glorias martyrum. Illi enim habent integram gloriam suam apud creatorem suum. Nec ipsi corpori aliquid timent, quoniam non est quod timeant. Magis si parcant corpori, nocent & corpori. Si autem per fidem non parcant corpori, præstant & corpori. Ecce hoc attendite, & fidem vestram interrogate. Sanctus Vincentius si formidine tormentorum negaret Christum, videretur corpori pepercisse. Quadam autem conditione mortali, corpore solueretur. Quid ageret in resurrectione, cùm in æternum ignem præcipitaretur? Negans Christum, negatur à Christo; Qui negauerit me, inquit, coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui est in cælis. Ecce negaret, quiescerent illi tortores, & vulnerato animo sanum esset corpus: imò occiso animo, viueret corpus. Quid prodesset in æternum mortuo breuis corporis vita? Veniet dies, quam commemorat Dominus, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent: Sed cum magna differentia. Omnes procedent: sed non omnes ad eandem rem procedent. Omnes surrecturi, sed non omnes immutandi. Qui enim benefecerunt, inquit, in resurrectionem vitæ: qui autem malè, in resurrectionem iudicij. Cùm dicit, omnes qui in monumentis sunt, proculdubio manifestat corporum resurrectionem. Iudicium autem cùm audis, ne tibi tanquam de temporali iudicio blandiaris, ponitur iudicium pro pœna æterna. Secundum hoc dictum est: Qui autem non credit, iam iudicatus est. Hæc ergo differentia separatura est iustos ab iniustis, fideles ab infidelibus, confessores à negatoribus, amatores vitæ peritura ab amatoribus vitæ æternæ. Separatura est illa discretio: Et ibunt iusti in vitam æternam, impij verò in ignem æternum. Ibi cum corpore torquebuntur, qui corpori pepercerunt. Timendo enim tormenta corporis, corpori pepercerunt: & parcendo corpori Christum negauerunt: & negando Christum * pœnas æternas etiam corpori distulerunt: Si distulerunt, nunquid abstulerunt? Ergo prudentes martyres Christi, non sua corpora contempserunt peruersa est ista, & mundana philosophia eorum, qui non credunt corporum resurrectionem. Videntur enim sibi quasi magni corporis contemptores: quia ipsa corpora quasi pro carceribus se habere arbitrantur: quò detrusas putant animas, quòd alibi antè peccauerunt. Deus autem noster & corpus fecit, & Spiritum, & vtriusque creator est, vtriusque recreator: vtriusque institutor, vtriusque etiam restitutor. Non ergo carnem tanquam inimicam vel contempserunt, vel persecuti sunt martyres. nemo.n. vnquam carnem suam odio habuit, magis ei consuluerunt quando eam negligere videbantur, quando in ea fideliter persistentes, temporalia tormenta tolerabant, æternam etiam ipsi carni gloriam

* al. fratres quod quia istum honorē.

* al. quandā dignationem.

* al. donans vt magis prosit, &c.

Luc. 12.

Ioan. 5.

Ioan. 3.

Matth. 25.

* alibi pœnis æternis etiam corpora distulerunt.

gloriam comparabant. Quæ sit autem futura in resurrectione gloria carnis huius quis explicet verbis? Nemo adhuc nostrum habendo expertus est. Nunc carnem onerosam portamus, quia indigam, quia infirmam, quia mortalem, quia corruptibilem; corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. *Sap. 9.* Sed noli hoc in resurrectione timere. Oportet vt corruptibile hoc induat incorruptionē, & mortale hoc induat immortalitatem. *1. Cor. 15.* Quod nunc est onus, erit honor: quod nunc sarcina, tunc leuamen. Non enim habebit pondus, vt corpus habere te sentias. Videte, charissimi, quando sanum est corpus nostrum etiam hoc fragile atque mortale, quando suarum partium temperamento moderatum est, quando in eo nihil eius aduersus aliud rixatur, non calor superat & vrget algorem, non copia frigoris feruor extinguitur, & dum luctatur affligit, non humorem siccitas sorbet, non inundat humor & premit: sed omnia quibus constat concordi inter se iunctura librata sunt, quę sanitas dicitur? Est autem vt breuiter dicam sanitas corporis, eorum concordia quibus constat. Hæc ergo sanitas, id est membrorum humorumque concordia in re corruptibili, in re egena & infirma, in re quæ adhuc esurire & sitire potest, stando lassari, sedendo refici, rursus sedendo lassari, esuriendo deficere, vescendo refici: non succurrere defectionibus præteritis nisi alijs inchoatis: quicquid enim aliud ad refectionem ceperis lassus, initium est alterius lassitudinis: quia in re quam sumpsisti vt succurreres, si perseueres, & inde fatigaberis: in hoc ergo infirmo & corruptibili corpore, quid est ipsa sanitas qualiscunque? Neque enim hæc, quæ in carne mortali, & corruptibili dicitur sanitas, vllo modo angelorum sanitati comparanda est, quorum nobis æqualitas in resurrectione promittitur. Hæc tamen sanitas, vt dixi, qualiscunque quid habet delectationis, quàm exoptabile bonum est omnibus? Quantam rem habet pauper, cum hanc solam habet; quantum non habet diues, cùm hanc solam non habet? Quid se iactat copiosum? Febris lectum non formidat argenteum: Non timet pompam diuitis, non timet iacula bellatoris. Quid ergo sanitas hæc ipsa, quam rectè martyres contempserunt: quia in ipsa carne aliam sperauerunt? Tamen quia illam nondum experti sumus: ex ista quam nouimus, illam vtcunque conijciamus. Quid est sanitas? Si dicas mihi, quid est videre, quantum ad corpus attinet respondebo tibi fortasse formas coloresque sentire. Si dicas mihi, quid est audire, respōdebo sonos sentire. Si dicas, quid est olfacere, respōdebo odores sentire. Quid est tāgere, dura vel mollia, calida vel frigida, aspera & lenia, grauia vel leuia sentire. Quid est sanitas? * nihil sentire. ** al. sentire nihil aduersum.* Sed & hæc ipsa in nobis modo aliorum comparatione vilescunt. Acutè vides, acutius te forsitan aquila: Acute audis, sunt bestiolæ quæ audiunt acutius. Acute olfacis, carnem sagacem non vincis. Acute sapores gustādo diiudicas, sunt animalia quæ inexpertas herbas discernunt, & quod est noxium non attingunt. Nam tu quamlibet acutè discernas cibum; imprudens irruis in venenum. Acutè sentis tangendo, quàm multæ aues æstatem futuram præsentiunt, & loca demutant: hyemem imminere præsentiunt, ad loca calidiora demigrant. Quod tu cùm venerit sentis: antequam veniat * illa præsentit. ** al. illa præsentiunt.* Et hoc ipsum quod in sanitate laudaui, nihil sentit lapis, nihil arbor, nihil cadauer. Nam præses ille Dacianus in corde nihil sentiebat, quando in nihil sentiens carnem sæuiebat. Quid enim iam faciebat nihil sentienti, qui potuit & à sentiente superari? Fecit tamen quicquid potuit, fecit iratus. Sed qui iam nihil * in palam patiebatur, in occulto coronabatur. ** al. à palam sentiente patiebatur.* Tenebat enim sententiam domini sui. Qui cum vellet nos securos facere de his qui corpus occidunt; Nolite, inquit, timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant. *Matth. 10.* Quomodo postea non habent quid faciāt, quando insanus ille de Vincentij corpore tanta fecit? Sed Vincentio quid fecit, qui etiam * sentiens nihil fecit? ** al. non sentientem.* Ergo non sit non sentire, vt nō sentit lapis, vt non sentit arbor, vt non sentit cadauer: sed viuere in corpore, & nihil ex eius onere sentire, hoc est sanum esse. Et tamen quantumlibet sit homo in hac vita sanus, sentit etiam sani corporis pondus. Aggrauat animam etiam sanum corpus quod corrumpitur, id est corruptibile. *Sap. 9.* Aggrauat animam, id est non obtemperat animæ ad nutum omnis voluntatis. Obtemperat in multis. Mouet manus ad operandum, pedes ad ambulandum, linguam ad loquendum, oculos ad videndum, ad sentiendas voces intendit auditum. In his omnibus corpus obsequitur. Mutandi loci cupiditas sentit onus, sentit pondus. Non tanta facilitate mouetur corpus ad perueniendum, quò desiderat. Desiderat aliquis amicum videre in corpore constitutus in corpore constitutum. Illum nouit esse in longinquo, multæ mansiones interiacent. Animo iam præcessit: corpore quando peruenit, tunc sentit quale onus portet. Non potuit ad celeritatem præsumptam obedire voluntati pondus carnis: non potuit ea celeritate rapi qua voluit, qua eam portat animus. Tardū & onerosum est. Putamus ne habet aliquid ipsum corpus, vnde probetur velocitas corporis? Pedes dicemus? Quid tardius? Ipsi sunt qui perueniunt, & desideria via sequuntur, & molimenta moliendo perueniunt: Sed fac quemquam ita velocem vt sunt quædam animalia, quibus nec comparanda est velocitas nostra: Fac quemquam ita velocem, vt sunt aues: non eo ictu peruenit quo voluerit. Diu volant aues migrando, & aliquando fessæ insidunt arboribus nauium. Ergo si etiam sicut aues volare possemus, præ desiderio perueniendi tardi essemus. Cùm verò fuerit corpus spiritale, de quo dictum est, Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale: *1. Cor. 15.* quanta ibi facilitas, quanta celeritas, quāta obediētia volentis? In nullo pondus, in nullo egestas, in nullo lassitudo, in nullo ex alia parte renitentia & reluctatio. Quale illud corpus erat, quod Dominus per claustra traiecit? Intendite obsecro, si possim adiuuante Domino qualibuscumque verbis expectationi vestræ aut satisfacere, aut non multum deesse. Nata nobis occasio est de corpore spiritali aliquid disputādi ex passione Martyris, à quo sic vidimus & mirati sumus corpus inter tormēta contemni. Diximus enim quia non parcēdo corpori, eidē etiam corpori consulebat: ne fortè fugiēdo tēporales pœnas, & Christum negando, idem ipsum corpus pœnis sempiternis & atrocissimis supplicijs destinaret. Hinc ergo hortari vos cupiēs, & meipsum ad præsentia contemnenda, futura speranda: etenim in hoc habitaculo ingemiscimus grauati, & tamen mori

mori nolumus, & exui pondere formidamus: 2.Cor.5. nolumus enim spoliari, sed supetuestiri, vt absorbeatur mortale à vita. Hac ergo occasione de spiritali corpore suscepi aliquid loqui vobis, & primitus commendandam putaui hanc ipsam huius fragilis, & corruptibilis corporis sanitatem vt ex ipsa magnum aliquid inueniamus. In ipsa sanitate nihil sentire: etenim multa habemus intus in visceribus nostris. Quis ea nostrum sciret, nisi in corporibus laniatis videret? Viscera nostra, interiora nostra, quæ dicuntur intestina, vnde nouimus? Et tunc est bonum quando illa non sentimus. Quando enim illa non sentimus, tunc sani sumus. Dicis alicui: Obserua stomachum. Respondet tibi. Quid est stomachus? Felix ignorantia: Nescit vbi habeat, quod semper sanum habet. Si sanum non esset, sentiret, si sentiret: non bono suo sciret. Sed quamuis laudata corporis sanitate venimus ad celeritatem motus: & inuenimus nos plumbeos quodammodo. Quanta est celeritas cælestium corporum? Vis nosse quãta sit? Intueris Solem, & tibi videtur quasi nõ moueatur, & tamen mouetur. Fortè dicis: Mouetur, sed tardius. Vis nosse quãta celeritate moueatur? vis ratione colligere, quod non sentis aspectu? Si recta via ab Oriente vsque in Occidentem in hac terra veredis quisque curreret, per quot dies perueniret, qualibet equorũ velocitate ferretur, quot mansiones ageret? Spatium itineris ab initio Orientis vsque ad finem Occidentis Sol qui tibi videtur stare vno die conficit: & vna nocte ad ortum redit. Nolo dicere, quia obscurum est, & ad persuadendum difficile, vel fortassis incertum, quàm sint spatia cælestia multo quàm terrestria latiora. Cùm ergo videamus tantam celeritatem cælestium corporum quæ nobis videntur cùm attenduntur non moueri: cui celeritati comparare possumus corpus angelicum? Affuerunt etiam & quando voluerunt se conspicuos tangendósque præbuerunt. Lauit Angelis pedes Abraham. Non solùm lauit illa corpora: verumetiam contrecta-Gen.18. uit. Apparuerunt, vt voluerunt, quando voluerunt, quibus voluerunt. Nihil difficultatis, nihil omnino tarditatis sentiunt. Sed non eos videmus currentes, non eos videmus de loco in locum migrantes: vt nossemus ab oculis hominum discedentes, quando voluerunt peruenerunt. Non est ergo vnde etiam de istis euidentissimum celeritatis huius præbeamus exemplum. Omittamus incognita, & de inexpertis nihil temerè præsumere audeamus. In hoc ipso corpore quod gestamus inuenio aliquid cuius ineffabilem miror celeritatem. Quid est hoc? Radius oculi nostri, quo tangimus quicquid cernimus. Quod enim vides, oculi tui radio contingis. Si velis videre longius, & interponatur aliquod corpus, irruit radius in corpus obiectum, & transire non permittit ad id quod videre desideras, & dicis impedienti. Exi, obstas mihi. Columnam vis videre, homo in medio stat, impedit aciem tuã. Radius tuus emissus est, sed peruenit vsque ad hominẽ, vsque ad columnam peruenire non finitur. Incurrit in aliud aliquid: non permittitur. Ecce qui tibi obstabat, discessit è medio, peruenit acies quo volebat. Modo discute, & si potes inueni atque responde, vtrum acies ista, radius iste oculi tui citius peruenit ad proximum, tardius ad longinquum. Vidisti hominem in proximo constitutum, tanta mora illum vidisti, tanta mora ad eum radium oculi tui tetendisti, tanta mora ad eum oculi tui radio peruenisti: quanta mora peruenis & ad illam columnam quam volebas videre, & quia interpositus erat non poteras. Non ad ipsum citius, & ad illam tardius. Ecce ipse in proximo erat, & illa longius. Si ambulare velles, citius ad hominem quam ad columnam peruenires. Quia videre voluisti, tam citò ad hominem, quam ad columnam peruenisti. Nihil est hoc de columna & de homine. Iace adhuc oculos. Vides longe parietem. Mitte longius, peruenis ad Solem. Quantum est inter te & solem? Quis illa interualla metiatur? Quis vllo acumine cogitationis æstimet quantum à te longe sit Sol? Et tamen mox vt oculum aperueris: ecce tu hic es, radius tuus vbi est? Mox vt videre voluisti, videndo peruenisti. Non quæsisti machinas quibus niteteris non scalas quibus ascenderes, non funes quibus leuareris, non pennas quibus volares. Oculum aperuisse, hoc est peruenisse. Quid est ergo ista celeritas? Quanta est? Quid sibi vult. Corporis nostri est, de carne nostra emittitur. Radios nos habemus, & non miramur. Videndo vtimur, considerando expauescimus. Non inuenis aliquid quod huic compares celeritati: quantum attinet ad corporis celeritatem. Merito huic celeritati Apostolus Paulus facilitatem resurrectionis comparauit dicens: In ictu 1.Cor.15. oculi. Ictus oculi est, non in palpebris claudendis & aperiendis. Nam hoc tardius agitur, quàm videtur. Tardius palpebram leuas, quàm dirigis radiũ. Citius radius tuus peruenit ad cęlum, quàm palpebra leuata ad supercilium. Videtis quid sit ictus oculi: Videtis quam facilitatem Apostolus resurrectioni corporum dederit. Quàm tarde ista creata atque formata sunt. Recolamus moras conceptus, & in ipsis vteris matrum coalescentium semina paruulorum; per tempororum numerum membra formata, diebus certis, mensibus multis, quousque illud quod intus creatũ atque formatum est proferatur in lucem. Deinde quanta mora crescit, quanta mora succedit adolescentia pueritiæ, iuuentus adolescentiæ, senectus iuuentuti, mors omnibus. Accedit etiam alia mora. Videtur integrum, recens cadauer in putredinem soluitur: & ad ipsam resolutionem necessaria sunt tempora, donec in tabẽ defluat, siccetur in cinere. Et ab ipsis primordiis vteri vsque ad cinerem extremũ sepulchri quanta interiacet mora? Quot dies, quæ temporũ spacia? Venit ad resurgendum: in ictu oculi reparatur. Attendite ergo fratres, & comparate quæ comparanda sunt, rebus quibus comparanda sunt. Celerius mouetur ista caro in ambulando, quàm formata est, quàm nutrita est, quàm creuit, quàm ad habitũ iuuenilẽ peruenit, integrámque ætatem & staturam percepit. Celerius mouetur in ambulãdo, quàm hoc in illa fiat. Porro autem resurrectio fiet in ictu oculi. Quanta erit celeritas mouendi, si tanta potuit resurgendi? Laniata sunt corpora à sæuientibus. Toto licet mundo dissipentur membra mortuorum, per totam terram cineres dispergantur: de toto tam grandi sinu totum quod sparsum est in ictu oculi reparatur. Miramur radiorum nostrorum qui funduntur ex oculis nimiam quandam & nisi experiremur incredibilem celeritatem: mirabilior est in corpore, quod futurum est, spiritalis facilitas. In ictu quidem oculi resurget. Sed dominus no-

iter quod radius oculi nostri non potest, corpus etiam per claustra traiecit. Post resurrectionem in loco vno constitutis discipulis suis, subitò apparuit ostiis clausis. Qua nos videre non possumus, (Ioan.20.) ille potuit & intrare. Nemo dicat: Hoc quidē potuit, sed domini corpus. Nunquid continuo etiam meum poterit? Et hinc accipe à Spiritu qui de Apostolo loquebatur plenam securitatem. De (Philip.3.) ipso quippe domino dictum est: Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. De isto ergo tali corpore, de huius corporis tanta facilitate, tanta celeritate, tanta sanitate, nihil temerè ac præsumenter definire audeat humana fragilitas. Quales erimus, sciemus cum fuerimus. Antequam simus, temerarij non simus, ne illud non simus. Quærit aliquando humana curiositas, & dicit sibi: Putásne per illud spiritale corpus videbimus Deum? Citò quidem responderi potest. In loco non videtur Deus, per partes non videtur Deus: spaciis diffusis, interuallisq; separatus, non videtur Deus: Quamuis impleat cælum & terram, non ideo tamen dimidius est in cælo, dimidius in terra. Nam aër iste si implet cælum & terram: pars eius quæ in cælo est non est in terra. Et quicquid aqua implet, implet quidem spacium quo capitur: sed dimidia est in dimidio spacio: dimidia in alio dimidio, tota in toto. Non est tale aliquid Deus. Hoc omnino noli dubitare: quoniam non est corpus Deus. Per spacia diffundi, locis capi, habere partes dimidias, tertias, quartas, totas: corporum proprium est. Nihil tale Deus: quia vbique totus Deus. Non alibi dimidius, & alibi alio dimidio constitutus: sed vbique totus. Implet cælum & terram: sed totus est in cælo, totus in terra. In principio erat (Ioan.1.) verbum. Vt etiam de ipso filio hoc idem audias, quia & filius cum patre vnus est Deus: non æquales mole, sed diuinitate. In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Et paulò pòst: Et lux luxit in tenebris. Iste vnigenitus totus manens apud patrem, totus lucet in tenebris, totus in cælo, totus in terra: totus in virgine, totus in infante, non alternis temporibus tanquam de loco ad locum migrando. Nam & totus es in domo tua, & totus in ecclesia. Sed quando in ecclesia, non in domo tua: quando in domo tua, non in ecclesia. Non ergo ille sic totus in cælo, totus in terra, totus in virgine, totus in infante: vt aliud nihil commemorem quasi migrando de cælo in terram, de terra in virginem, de virgine in infantem, sed vbique simul totus. Non enim quasi aqua refunditur, aut quasi terra molimine separatur atque transfertur. Quando totus in terra est, cælum non deserit. Sed & cùm (Sap.8.) cælum implet, à terra non recedit. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Si ergo substantiam quæ non videtur in loco, poterunt vel tunc corporales oculi videre cum fuerit corpus spiritale, si poterunt aliqua vi occulta, aliqua vi incaperta & prorsus incognita, nec vlla æstimatione percepta, si poterunt, possint. Oculis enim videmus, non nostris oculis inuidemus. Tantum non conemur Deum perducere ad locum, non conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spacia locorum quasi aliqua mole diffundere, nō audeamus hoc, non cogitemus. Maneat substantia diuinitatis in sua & propria dignitate. Nos certè quam possumus in melius mittemus, non Deum in deterius commutemus. Maximè quia definitum aliquid inde in scriptura non inuenimus, aut nondum inuenimus. Nam neque hoc audeo præsumere, non in ea esse quod valeat inueniri. Aut non est, aut latet, aut me latet. Si quid in alterutram partem potuerit ab aliquo inueniri, libenter accipio, & me instructum, nisi gratias egero non homini dicenti, sed ei qui per hominem docet, ingratus ero. Absit autem vt dator gratiæ, me esse permittat ingratum. Hoc tantum dico, quia oculi qui per interualla locorum vident quod vident, id est, vt spacium sit inter videntem, & illud quod videtur, aliter enim isti oculi non vident, nam si ab eis aliquid multum in longinquo remoueris, ideo non vident, quia radij ad longè posita non perueniūt, si autem ad eos aliquid propinquius admoueris, nisi sit interuallum aliquod inter oculos videntis, & corpus quod videtur, videri omnino non potest, nam si propius admouendo oculos ipsos quibus aliquid videtur contingas, perdito spacio amittitur visio. Hoc ergo dico, quoniā tales oculi qui nō nisi per interualla & spacia locorū vident quicquid vident: nec nunc possunt videre Deum, nec tunc poterunt, quia ille non est in loco. Aut ergo aliud erit quòd videre possint, & quod in loco videri non potest: aut si manebit in eis nō posse videre nisi in loco: non videbunt eum qui non est in loco. Hoc autem donec de spiritali corpore diligentius requiratur, quod aut intelligatur aut rectè credatur, teneamus corpus resurrecturum, teneamus formam corporis nostri hanc futuram quam vel Christus exhibuit, vel in occulto promisit. Teneamus corpus spiritale futurum non animale, sicut nunc est. Euidenter enim expressum est, & contradici non potest. Seminatur cor- (1.Cor.15.) pus animale, resurget corpus spiritale. Teneamus patrem & filium & spiritum sanctum natura propria: substantia propria, pariter & æqualiter esse inuisibilem, pariter & æqualiter credamus immortalē: pariter & æqualiter credamus incorruptibilem. Vno autem loco, simul hæc posuit Apostolus, Regi autem seculorum, immortali, inuisibili, incorruptibili, soli Deo, honor & gloria in (1.Tim.1.) secula seculorum, Amen. Deus solus, pater & filius & spiritus sanctus, immortalis, inuisibilis, incorruptibilis: non modò inuisibilis, & postea visibilis: quia non modò incorruptibilis, & postea corruptibilis. Sicut immortalis semper, sicut incorruptibilis semper, ita & inuisibilis semper. Si mutatur inuisibilitas: metuendum est, ne mutetur immortalitas. Puto propterea ipse Apostolus inuisibilem in medio posuit, inter immortalem & incorruptibilem. De quo ambigi poterat, ne posset euerti, ea vtroque latere communiuit. Teneamus istam indeclinabilem confessionem. Non est simile offendere in creaturam, & offendere in creatorem. Certè qualitates creaturarum disserendo quæramus, & si in aliquo fallimur, in quod peruenimus in eo ambulemus. Tunc enim si quid aliter sapimus: & hoc nobis Deus reuelabit, vnde hesterno die diutius disputauimus. Beati mundi (Matth.5.) corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Nos mundandis cordibus modis omnibus instemus, omni conatu inuigilemus: omni prece quantum possumus impetremus, vt cor mundemus. Et si de his

quæ

quæ forinsecus sunt cogitamus: Mundate, ait, quæ
Luc.11. intus sunt: & quæ foris sunt mundata erunt. For-
tassis alicui videatur tam clarũ esse testimonium
Luc.3. de carne quam de corde: quia scriptum est: Vide-
bit omnis caro salutare Dei. Habemus de corde
Matth.5. euidentissimum testimonium, Beati mundi cor-
de, quoniam ipsi Deum videbunt. Habemus &
de carne: Videbit omnis caro salutare Dei. Iam
quis dubitaret visionem Dei carni esse promis-
sam; nisi moueret, quid est salutare Dei? Imò quia
non mouet, non enim dubij sumus, salutare Dei
Christus dominus est. Dominus itaque noster Ie-
sus Christus si in sola diuinitate videretur, nemo
dubitaret carnem visuram esse substantiam Dei,
quia videbit omnis caro salutare Dei. Quia verò
Dominus noster Iesus Christus, & oculis cordis,
mundis, perfectis, Deo plenis videri potest quan-
tum attinet ad eius diuinitatem, visus est autem
& in corpore, secundum quod scriptum est, Post
Baruch 3. hæc in terris visus est, & cum hominibus conuer-
satus est, vnde scio quomodo dictum sit, videbit
omnis caro salutare Dei, quia videbit Christum
dictum est, nemo dubitet. Sed vtrum in corpore
Dominum Christum, an sicut erat in principio
verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat
verbum, hinc ambigitur, hoc quæritur. Noli me
vrgere vno testimonio. Citò confiteor, videbit
omnis caro salutare Dei. Dicunt hoc esse, videbit
omnis caro Christum Dei. Sed visus est Christus,
& in carne, non quidem carne mortali, si adhuc
illa spiritalis mutatio caro dicẽda est; quia & ipse
post resurrectionem sic dixit videntibus & tan-
gentibus, Palpate & videte, quia spiritus carnem
Luc.24. & ossa non habent, sicut me videtis habere. Vide-
batur & sic. Non solùm visus est, sed & videbitur.
Et fortè tunc perfectius implebitur quod dictum
Matth.25. est omnis caro. Modo enim vidit eum caro: sed
non omnis caro: Tunc verò in iudicio venientem
cum angelis suis ad iudicãdos viuos, & mortuos,
Ioan.5. cùm audierint vocem eius omnes qui in monu-
mentis sunt, & processerint alij ad resurrectio-
nem vitæ, alij ad resurrectionem iudicij: ipsam
formam videbunt, quam pro nobis suscipere di-
Zach.12. gnatus est, non solùm iusti, sed etiam iniqui, alij
Ioan.19. ad dexteram, alij ad sinistram: quia & qui occide-
runt, videbunt in quem pupugerunt. Videbit er-
go omnis caro salutare Dei. Corpus per corpus:
quia in vero corpore veniet iudicaturus. Sed ad
dexteram positis, & in regnum cælorum missis,
sic se demonstraturus est quomodo iam in cor-
pore videbatur: & tamen dicebat, Qui diligit me,
Ioan. 14. diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & ma-
nifestabo meipsum illi. Hoc Iudæus impius non
Esa.26. videbit. Tollitur enim impius, ne videat clarita-
tem Dei. Simeon iustus vidit eum & corde, quia
cognouit infantem: & oculis vidit, quia portauit
infantem. Vtroque modo videns eum agnoscens
Dei filium, & amplectens de virgine procreatum,
Nunc dimittis, inquit, Domine seruum tuum in
pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.
Videte quid dixerit. Tenebatur enim quousque,
& oculis videret, quem fide cernebat. Corpus
paruulum accepit, corpus amplexus est: corpus
videndo, id est, dominum in carne cernendo ait:
Viderunt oculi mei salutare tuum. Vnde scis, ne
sic videat omnis caro salutare Dei? Ne autem
desperemus eum in ea forma venturum ad iu-
dicium quam pro nobis accepit, non in qua
semper æqualis patri permansit: audiamus &
hinc vocem angelorum. Ante oculos discipulo-
rum suorum cum ferretur in cælum, & illi atten-
derent, eumque corde desiderantium aspectu dedu-
cerent, audierunt ab angelis: Viri Galilæi quid Act.1.
statis aspiciẽtes in cælum? Hic Iesus qui acceptus
est à vobis: sic veniet quomodo vidistis eum eun-
tem in cælum. Sic ergo sic veniet quomodo ab-
scessit in cęlum. Visibilis veniet ad iudicium: quia
visibilis abscessit in cælum. Nam si visibilis ab-
scessit & inuisibilis veniet: quomodo sic veniet?
Si autem sic veniet, visibilis ergo veniet: & vide-
bit omnis caro salutare Dei. Non hoc ideo dixi,
meminerite quantum potestis vt ea dicamus, vs-
quequo inueniremus, quę nondũ nouimus. Quod
autem nouimus, non opus est vt discamus: sed
Domino adiuuante, doceamus. Nõ ergo hoc ideo
dixi, quia carnem visuram negaui: sed quia quęrẽ-
da sunt testimonia clariora si forte poterunt inue-
niri. Nam hoc quod prolatũ est, videtis quale sit.
Pro nobis enim magis faciet, vel pro ipsa veritate,
vel pro his qui quasi certo contendunt, carnem
non visuram omnino vllo modo Deum; nec in re-
surrectione mortuorum. Nos hinc non contendi-
mus, sed repetendo acutos commemoramus, tar-
dis inculcamus. Licet multis tædiosi simus, dici-
mus tamen. Deus non videtur in loco, quia non
est corpus: quia vbique totus est, quia non in par-
te minor, & in parte maior est. Hoc firmissimè te-
neamus. Si autem caro illa tandem acceperit imi-
tationem, vt possit per eam videri quod non vide-
tur in loco: omnino ita sit. Sed quærendum est,
vnde doceatur. Et si non docetur, nondum nege-
tur, sed certè vel dubitetur. Ita tamen vt carnem
resurrecturam non dubitetur: spiritale corpus fu-
turũ ex animali nõ dubitetur, corruptibile hoc, &
mortale hoc, induere immortalitatẽ, & incorru-
ptionem non dubitetur: vt in quod peruenimus
in eo ambulemus. Certè si nimis inquirendo in
aliquo fortè deuiamus, saltem in creaturam non
in creatorem deuiemus. Conetur vnusquisque
quantum potuerit corpus conuertere in Spiri-
tum: dum tamen in corpus non conuertat Deum.
Conuersi ad Dominum Deum patrem omnipo-
tentem, puro corde ei quantum potest paruitas
nostra, maximas atq; vberes gratias agamus, pre-
cantes toto animo singularem mansuetudinem
eius, vt preces nostras in beneplacito, &c.



IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI APOSTOLI.



Euangel. Matth. 19. Ecce nos reliquimus, &c.

Vide in comm. Confess. non Pont.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponens. in eodem festo, Homilia.*

Sermo 14. de sanctis. HODIE de Actibus Apostolorum lectio hæc prænunciata est, vbi Paulus Apostolus ex persecutore Christianorum, annunciator factus est Christianorum. Percutiens eum Christus & sanans, occidens & viuificans, occisus agnus à lupis, & faciens agnum de lupis. Ita enim erat, vt ait præclara prophetia, cum Iacob patriarcha benediceret filiis suis, præsentia tangēs, futura prospiciens.
Philip. 3 Prædictum enim erat quod in Paulo cōtigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testatur de tribu Beniamin. Cum autem Iacob benedicens filios suos, venisset ad benedicendum Beniamin ait de illo, Beniamin lupus rapax. Quid ergo? Lupus rapax semper est? Absit, sed qui mane rapit prædam, ad vesperas diuidit escas. Hoc in Apostolo Paulo impletum est, quia & de illo dictum erat. Iam si placet, audiamus illum mane rapientem, ad vesperas escas diuidētem. Mane, & vespere positę sunt pro eo, ac si diceret, Prius rapiet, postea diuidet escas.
Act. 9. Attendite raptorem, Saulus, inquit, acceptis epu-
* epistolis. lis * à principibus sacerdotum ibat, vbicunque inueniret Christianos ad sacerdotes attraheret, &
Act. 7. adduceret vtique puniendos. Ibat spirans, & anhelans cædes: hoc est, mane rapiēs. Nam & quando lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, euidentius aderat & Saulus, & sic aderat lapidantibus vt non ei sufficeret si tantum suis manibus lapidaret. Vt enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta seruabat, magis sæuiens omnes adiuuando, quàm suis manibus lapidando. Audiuimus, mane rapiet: audiamus ad vesperam qualiter diuidat escas. Voce Christi prostratus de cęlo, & accipiens desuper interdictum iam sæuiendi, cecidit in faciem suam, prius prosternendus, postea sanandus. Non enim in illo postea Christus viueret, nisi occideretur in eo quod male ante vixisset.
Act. 9. Quid ergo prostratus audit? Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et ille, Quis es, domine? Et vox desuper: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Membris adhuc positis in terra, caput clamabat in cælo, & non dicebat quid persequeris fideles meos: sed, quid me persequeris? Ille, Quid me iubes facere? Iam parat se ad obediendum, qui prius sæuiebat ad persequendum. Iam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis, ex hoste miles. Ouis audiat quid facere debeat. Cæcus sanè factus, vt interiore luce fulgeret cor eius. Exterior lux ad tēpus subtracta est persecutori, vt interior redderetur prædicatori: & tamen in eo tempore quo cætera non videbat, Iesum videbat, ita & ipsa cæcitas eius informabatur ad mysterium credentium, Quisquis in Christū credidit, ipsum intueri debet. Cætera creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat. Videamus ergo. Adductus est ad Ananiam, & Ananias interpretatur ouis. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequēdam, non rapien(d)am: & ne rapientem ouis expauesceret lupum, ipse pastor de cęlo, qui omnia faciebat, nunciauit lupum venturum oui, sed non sæuiturum, & tamen tam immanis fama lupum illum pręcesserat, vt non posset ouis audito eius nomine non conturbari. Nam cum dominus Iesus eidem Ananiæ nunciasset Saulum venisse, iam vt crederet ad eum Ananias ire se debere, ait Ananias, Domine, audiui à multis de viro hoc, quòd multa mala in sanctis tuis operatus est, & nunc literas accepit à principibus sacerdotum, vt, vbicunque inueniret tui nominis sectatores, pertrahat. Dominus autē ad illum, Sine, ego illi ostendā quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Mira, & magna res geritur. Lupo sæuitia interdicitur. Lupus ad ouem captiuus ducitur. Tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, vt eius nomine audito, timeret ouis etiam sub manu pastoris. Confortatur ne iam putet sæuientem, ne timeat timentem. Ab agno pro ouibus mortuo, fit ouis secura de lupo. † Ego, inquit, illi ostendam, quanta illum oporteat pati †
pro nomine meo. Vbi terror? Vbi salus? Quod faciebat contra nomen pastoris, patitur pro nomine pastoris. O sæuitia, ô misericordia! Vides illum pręparare ferrum, secaturus est, non perempturus. Curaturus, & nō occisurus. Christus dicebat, Ego illi ostendam quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Sed quo fine? Ipsum qui patiebatur audite, Non sunt condignæ passiones huius tempo- Rom. 8.
ris ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ac si dicat, Sæuiat mundus, fremat mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quod potest faciat, quid faciet rei quam accepturi sumus? Appendo quod patior contra id, quod spero. Hoc nunc sentio, illud credo, & tamen plus est quod credo quā quod sentio. Quicquid est quod sæuit pro nomine Christi, si potest vincere, tolerabile est, si non potest vincere, migrare hinc facit. Non extinguit,

sed

sed accelerat ipsum præmiū, ipsam dulcedinem, Quæ cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Nam & operarius deficeret in via, nisi attenderet quod accepturus esset. Cum enim attenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tanto illo labore. Vita nostra Christus est, Christum attendite. Pati venit, sed glorificari: contemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere. Ista cogitantes, fratres charissimi, nō desperemus,
Matth. 9. quia etsi peccatores sumus, magnum medicum habemus, ipsum medicum audite, Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Vtilitas autem rei gestæ huius hæc est. Apostolus ipse commemorat in epistolis suis. Dicit enim ad hoc sibi veniam datam peccatorum suorum, vt nemo de se desperet, qui fuerit magnis peccatis innolutus, & in magnis sceleribus irretitus, quasi veniam non sit accepturus, si conuersus fuerit ad eum, qui pendens in cruce pro persecutoribus
Luc. 23. orauit dicens, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Factus est ille ex persecutore prædicator, & doctor gentium. Qui prius, inquit, fui
1. Tim. 1. blasphemus & persecutor & iniuriosus. Vides quod meritum pro pœna cōsequitur. Gratia enim salui efficimur de peccatis nostris, largiente ipso domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

† *Hic sermo in veteribus finit à versiculo, Ab agno pro ouibus & cætera, hoc modo.*

Ab agno pro ouibus mortuo, fit ouis secura de lupo. Deinde ille, cui præcedente dominico can-
Psal. 34. tauimus, Deus quis similis tibi, ne sileas, neque
Matth. 11. mitescas Deus, qui tamen dicit, venite ad me, & & discite à me quoniā mitis sum, & humilis corde: videamus quemadmodum vtrunque exhibeat: & in se ostendat sua eloquia consonare. Mitis est, & humilis corde, quia sicut ouis ad immo-
Esai. 53. landum ductus est, & sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic non aperuit os suum. Ligno suspensus, pertulit odiorum flammas, sustinuit ministras pessimi cordis linguas. Quibus linguis illi percusserunt immaculatum, crucifixerunt iustum. De quorum linguis prędictum erat, Filij ho-
Psal. 56. minum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Et quid fecit lingua? Gladius acutus quid fecit? Occidit. Quē occidit? Occidit vitā mors, vt à vita occideretur mors. Quid ergo? Quid fecit lingua corū gladius acutus? Audi quid fecit. Vide quod sequitur, Exaltare super cælos Deus: & super omnem terram gloria tua. Ecce quid fecit gladius acutus. Exaltatum super cælos nouimus dominum: non videndo sed credendo. Super omnem autem terram gloriam eius: legendo, videndo, credēdo. Vide ergo mitem, & humilem corde: vt ad istam gloriam trophæum mortificatæ carnis adderet. Vide illum mitem. Pen-
Luc. 23. dens dicebat, Pater, ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt. Et discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde. Discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde. Vbi magis apparere vel debuit, vel potuit dignius, quàm in ipsa cruce. Cum ligno membra penderent, cum clauis cōfixæ manus, & pedes essent, cum illi adhuc sæuirent linguis, cum se fuso sanguine non satiarent, cum ægrotantes medicum non agnoscerent, pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tanquam diceret, Ego veni ægros curare. Quod me non agnoscunt, febris immanitas facit. Mitis ergo & humilis corde dicit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quid ergo, ne sileas neque mitescas Deus? Impleat & hoc. Ecce non silnit. Clamauit de cælo, Saule, Saule, quid me perse-
quenis? Fecit non sileas, exhibuit non sileas, exhibeat & non mitescas. Primò, quia nō pepercit errori eius, quia nō pepercit sæuitiæ: quia anhelantem cædes voce prostrauit, sæuienti lumē eripuit, captiuum sicut diximus ad Ananiam, quem persequens quærebat adduxit. Ecce non mitis, ecce sæuiens, non in hominem sed in errorem. Parum est hoc: adhuc non sileat neque mitescat. Ananiæ timenti & trementi audito illius lupi famosi nomine, ego, inquit, ostendam illi, ego illi ostendam. Vide minaorem, vide adhuc sæuientem. Ego illi ostendam. Ne sileas neque mitescas Deus. Ostende persecutori nō solum bonitatem, verum etiam seueritatem tuam. Ostende, patiatur quod fecit: discat & pati qui faciebat: sentiat & ipse quod alius infestabat. Ego, inquit, illi ostendā quæ illum oporteat pati. Sed tanquā sæuiens dicit, & implet quod dictū est, Ne sileas neque mitescas Deus. Nō inde recedat. Discite a me qm mitis sum, & humilis corde. Ego illi ostendā, quę illum oporteat pati pro nomine meo. Ostendisti terrorem, subueni ne patiatur, & pareat quem fecisti, quem inuenisti. Minax est, non silet, non mitescit, minatur. Ego illi ostendam, quæ illum oporteat pati pro nomine meo. Vbi terror, ibi salus. Qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O sæuitia misericors, vides illum præparare ferrum, securus est non peremptorus. Curaturus est, non occisurus: Christus dicebat, Ego illi ostendam, quæ illum oporteat pati pro nomine meo. Sed quo fine? Ipsum, qui patiebatur, audi, Non sunt cōdignæ passiones huius temporis. Ipse dicit, qui patiebatur, pro quo nomine patiebatur, & quo fructu patiebatur. Non sunt condignæ passiones
huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sæuiat mundus, fremat mundus, increpet linguis, cornscet armis, quicquid potest, faciat. Quid faciet, ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior, contra id quod spero. Hoc sentio, illud credo. Et tamen plus valet quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est, quod sæuit pro nomine Christi, si potest viui, tolerabile est. Si non potest viui, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium ipsam dulcedinem, quæ cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Iste ergo fratres, iste vas electionis, primo Saulus à Saule. Recordamini enim qui nostis literas Dei, quis erat Saul. Rex pessimus, persecutor sancti serui Dei Dauid. Et ipse si meministis, de tribu Beniamin. Inde iste Saulus, ducto secū tramite sæuiendi, sed in sæuitia non permansurus. Postea si Saulus à Saule, Paulus vnde? Saulus à rege sæuo, cum superbus, cum sæuiens, cum cædes anhelans. Paulus autem vnde, Paulus quia modicus. Paulus humilitatis nomē est. Paulus, posteaquam adductus est ad magistrum qui ait, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Inde Paulus. Vsum Latinæ locutionis aduertite. Quia paulū modicum dicitur. Paulopost videbo te, paululum hic expecta. Id est post modicum videbo te, modicum hic expecta. Audi ergo Paulum, Ego sum, inquit, minimus

Margin notes (right column): Act. 9. (beside "quenis? Fecit non sileas…"); Rom. 8. (beside "huius temporis ad futuram gloriam")

nimus Apostolorum. Prorsus ego sum minimus
1.Cor.4. Apostolorum. Et alio loco, Ego sum nouissimus Apostolorum. Et minimus, & nouissimus tanquam fimbria de vestimento domini. Quid tam exiguum,quid tam nouissimū quam fimbria? Hac tamen tacta mulier à fluxu sanguinis sanata est. In modico isto erat magnus, in minimo grandis habitabat,& tanto minus à se magnum excludebat, quanto magis minor erat. Quid miramur magnum habitare in angusto? magis in minimis
Esa.66. habitat. Audi illum dicentem, Super quem requiescet spiritus meus? super humilem, & quietum,& trementem verba mea. Ideo altus habitat
Iosu.1. in humili, vt humilem exaltet. Excelsus enim est Dominus & humilia respicit: excelsa autē à lon-
Rom.10. ge cognoscit. Humilia te, & propinquabit tibi: extolle te & recedet à te. Minimus ergò iste quid dicit quod audiuimus hodie, Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutē. Multi credunt corde,& erubescunt confiteri ore. Sciatis fratres,prope iam neminem esse paganorum, qui non apud seipsum miretur,& sentiat impleri prophetias de Christo, exaltatum super cælos: quia vident super omnem terram gloriam eius. Sed, eum se inuicem timent, sibi inuicem erubescunt, faciunt à se longè salutem, quia ore confessio fit ad salutem. Quid prodest credidisse ad iustitiam, si os dubitat proferre, quod corde cōceptum est? intus fidem Deus videt: sed parum est, ne confitearis humilem, times superbos, & ei præponis superbos qui pro te displicuit superbis. Humilem times confiteri filium Dei. Magnum verbum Dei, virtutem Dei, sapientiam Dei non erubescis con-
1.Cor.1. fiteri, Natum, crucifixum, mortuū erubescis confiteri. Altus, excelsus, & æqualis patri, per quem
Ioan.1. facta sunt omnia: per quem factus es tu, factus est quod tu: factus est propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Ægrote,quo modo sanaberis,qui de medicamēto tuo erubescis? Elige tempus, Nunc est tempus postea contemptus ille veniet admirandus: iudicatus ille, veniet iudicaturus: occisus ille,veniet excitaturus, exhonoratus ille,veniet honoraturus modo & postea: modo in fide res est, postea in manifestatione erit. Elige hoc tempore quam partem teneas in futuro. De Christi nomine erubescis modo hominibus. Ex eo quod erubescis modo, habes erubescere cū venerit in gloria sua redditurus quod promisit bonis, quod minatus est malis, vbi eris tu? Quid facies, si te attendat ille excelsus, & dicat tibi, erubuisti de humilitate mea, non eris in claritate mea? Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est: sed tamen fratres extorsi mihi vt hoc dicerem, nec timerem prorsus. Nolo enim erubescamus de Christi nomine. Insultetur nobis quòd credimus in crucifixū, occisum: planè in occisum. Sed de quo nisi sanguis manaret, chirographum peccatorum nostrorum adhuc maneret: Prorsus in occisum credidi, sed hoc in eo occisū est quod sumpsit de me, non vnde fecit me. Prorsus in occisum credo, sed in quem occisum? Qui venit
Philip.2. aliquid, & accepit aliquid. Quis venit? qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ecce quis venit, quid accepit? sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus: ille factor factus, ille creator creatus: sed in quo factus est & creatus? in forma serui, accipiendo formam serui non amittendo formam domini. In hac ergo forma serui in eo quòd à nobis pro nobis accepit,& natus est,& passus est,& resurrexit, & ascendit in cœlum. Quatuor res dixi: natus est, mortuus est, resurrexit,& ascendit in cœlum. Duo prima, duo nouissima: Duo prima: natus est, mortuus est: Duo nouissima: resurrexit, ascendit in cœlum; in duobus primis conditionem tuam tibi ostendit, in duobus nouissimis mercedis exemplum præbuit: nasci & mori noueras. Plena est his duobus regio mortalium. Quid hic abundat in omni carne, nisi nasci, & mori? hoc homo cum pecore habet: hac ergo vitam cum pecoribus communē ducimus. Nati sumus, morituri sumus: istud nondum noueras, resurgere & in cælum ascendere: duo noueras, duo non noueras, patere quod suscepit, spera quod ostendit. Quid enim? & si nolis mori, non es moriturus? Quid times, quod vitare nō potes? Times quod etsi nolis erit, & non times quod & si nolis non erit. Quid est quod dixi? omnibus hominibus natis constituit Deus mortem, per quam de isto seculo emigrent. Exceptus eris à morte, si exceptus fueris à genere humano. Quid facis? nunquid tibi modo dicitur, elige vtrū velis esse homo. Iam homo es, venisti. Quo modo hinc exeas cogita: natus es, moriturus es. Fuge, caue, repelle, redime: mortem potes differre, non auferre. Veniet & si nolis, veniet quando nescis. Quid ergo times, quod & si nolueris, erit, time potius, quod si nolueris, non erit. Quid est hoc? impiis, infidelibus, blasphemis, periuris, iniquis, & omnibus malis gehennæ ignes ardentis, & æternas flammas minatus est Deus. Primo compara hæc duo mortem ad momentum, & pœnas in æternum. Times mortem ad momentum, veniet,& si nolis: time pœnas in æternum, non venient, si nolueris. Multo maius est, quod timere debes, & in potestate habes ne veniat tibi, quod times: & maius est,& longe maius, incomparabiliter maius, quod timere debes, & in potestate habes, ne veniat tibi: etenim, si bene vixeris, si male vixeris, moriturus es. Non effugies vt non moriaris, seu viuendo bene, seu viuendo male. At vero si elegeris hic bene viuere, in æternas pœnas non mitteris: quia vero eligere non potes hic ne moriaris, elige cum viuis ne in æternum moriaris. Hæc est fides, hoc Christus ostendit moriendo & resurgendo. Moriendo ostendit, quod velis nolis passurus es: Resurgendo ostēdit, quod Rom.10.
si bene vixeris accepturus es: hic corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Sed times confiteri ne insultent tibi homines, non qui crediderunt. Nam & ipsi intus credunt, sed ne insultent tibi qui confiteri erubescūt. Audi quod sequitur. Dicit enim scriptura. Omnis, qui credideritin eum, non confundetur: hæc meditare, in his esto: hæc est esca non ventris, sed mentis. Ille, qui mane rapiebat ipsas escas, ad vesperum diuidebat.

EIVSDEM DE EODEM *festo, Sermo 2.*

Est fragmentum Hom. 17. lib. 50. Hom. hom. 10.

APostolus dicit, Misericordiā consecutus sum. O confessio, Non ait, misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram: sed, vt fidelis essem 1.Tim.1.
mise

misericordiam cõſecutus ſum. Veniamus ad eius primordia; Videamus Saulum ſæuientem, ſpectemus furentem, ſpectemus odia anhelantem, ſanguinémque ſitientem. *Act. 7.* Spectemus fratres eum, *Act. 8.* magnum ſpectaculum. Ecce poſt Stephani necem, poſt effuſum teſtis Dei lapidibus ſanguinem *Act. 9.* vbi veſtimenta ſeruabat lapidantium, vt in eorum etiam manibus lapidaret, tunc diſperſi ſunt fratres qui erant Hieroſolymis congregati, & ille ſęuiens *De verbis Apoſtoli. ſerm. 9.* cui parum erat vidiſſe & fudiſſe ſanguinem Stephani, accepit literas à principibus ſacerdotum vt iret Damaſcum, & quoſcunque ibi inueniret Chriſtianos vinctos adduceret. Et ibat. Hæc Pauli via erat, cuius via nondum erat Chriſtus, adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quid habebat in corde, Quid niſi malum? Date mihi merita eius, Si merita quęris, damnationis ſunt non liberationis. Ibat ergo ſæuire in membra Chriſti, ibat ſanguinem fundere, ibat lupus paſtor futurus. Sitiebat. Non enim poterat aliter ire ad illa propter quæ ibat. Et cùm ſic ambulabat, cogitabat, anhelabat cędes, conducit pedes eius ita, mouet membra odium, dùm pergit & ambulat, obtemperat *Act. 9.* mancipium crudelitati: & ecce vox de cælo, Saule *1. Tim. 1.* Saule, quid me perſequeris? Ecce quare dixit, Miſericordiam conſecutus ſum: Vt fidelis eſſem. Erat infidelis, parum eſt, erat in ipſa infidelitate crudelis, ſed miſericordiam conſecutus eſt vt fidelis eſſet. Quis dicturus eſt Deo dicẽti, hoc volo: Ergo Domine ille qui tanta fecit, tanta mala in ſanctos tuos facere cupiebat, tali eũ miſericordia dignum exiſtimas? Hoc volo. An oculus tuus *Matt. 20.* nequam eſt, quia ego bonus ſum? Habere fidem, ſed vt habeatis fidem, orate fide. Sed orare fide non poteſtis, niſi fidem habeatis. Non enim orat niſi fides. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine *Rom. 10.* prædicante? Aut quomodo prædicabunt ſi non mittantur? Ideo loquimur, quia miſſi ſumus. Audite nos, audite illum per nos: Ergo ait aliquis; *De gratia & lib. ar. cap. 30.* Inuocamus Deum, vt det nobis perſeruare in his bonis quæ habemus, & addere bona quę non habemus. Præceſſit ergo fides quæ rogat. Certè totum dat Deus. Vt enim daret mihi rogaui, vt rogarem priùs credidi. Ergo mihi dedit quod credidi, & Deus dedit quod credens oraui. Soluatur quæſtio. Non enim parua eſt. Hoc te video loqui, quia tu prior dediſti aliquid Deo, vt cætera daret tibi. Dediſti quippe illi fidem tuã & orationem tuam, & vbi eſt quod ait Apoſtolus: Quis *Rom. 11.* enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit ei, & retributor illi? Ecce qualis vis eſſe? Ergo prior dediſti Deo, & hoc dediſti quod tibi non dedit Deus? Inueniſti vnde dares? Homo mendice vnde habuiſti? *1. Cor. 4.* Ergo vnde dares aliquid habuiſti? Quid enim habes quod non accepiſti? Ergo de Dei das Deo: Ex eo quod tibi dedit, à te accepit? Nam mẽdicitas tua niſi prior, dediſſet, inaniſſima remaneret. Audite vnde hoc euidentius probetis, Ecce vos quia credidiſtis & accepiſtis. Quid dicimus de his qui nondum crediderunt quales erãt? Saulus qui nondum crediderat, aut accepit vt crederet, poſteà quam credidit Chriſto, tunc cœpit inuocare Chriſtum. Ab illo accepit vt crederet & credendo inuocaret, inuocando cætera acciperet. Quid putamus fratres? Saulus antequã crederet, orabant pro illo qui crediderant an non orabant? Dicatur mihi, ſi non pro illo orabant, quare dixit Stephanus: Domine ne ſtatuas illis hoc delictum? Orabatur & pro illo, & pro aliis infidelibus vt crederent. Ecce nondum habebant fidem, & orationibus fidelium accipiebant fidem. Nondum habebant quod Deo offerrent, quia nondum erant miſericordiam cõſecuti vt fideles eſſent. Denique poſteaquàm Saulus iſte conuerſus eſt, vna voce eliſus & leuatus eſt. Eliſus perſecutor, leuatus prædicator. Poſteaquàm *Gala. 1. De verbis domini ſer. 18.* cœpit euangelizare fidem quam aliquando vaſtabat, quid de ſe dixit? Eram autem ignotus facie eccleſiis Iudææ quæ ſunt in Chriſto, tantum autẽ audiebant quia is qui aliquando nos perſequebatur, nunc euangelizat fidem quam aliquando vaſtabat, & in me magnificabant Deum. Nũquid dixit; Et in me magnificabant me? & in me qui euangelizabam fidem quam aliquando vaſtabam, non me magnificauerunt ſed Deum. Ergo ipſe fecit vt Saulus depoſita tunica veteris peccati pannoſa, cędibus ſanguinea, vt depoſita iſta tunica, acciperet tunicam humilitatis, & fieret de *1. Cor. 15.* Saulo Paulus. Quid eſt Paulus? Minimus. *Paulus, Minimus, modicus.* Ego enim ſum minimus Apoſtolorum. Ecce quid eſt Paulus. Paulum enim Latine modicum eſt. Sic loquimur, quando dicimus, Poſt paulum video te: Paulo poſt facio illud. Quid eſt Paulo poſt? Modico poſt. Poſt paulum, poſt modicum. Quid eſt Paulus? Quia modicus: modicus, quia nouiſſimus. Ego enim ſum, inquit, nouiſſimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, *De gratia & lib. ar. c. 13. & 15.* quia perſecutus ſum eccleſiã Dei. Bene dicis, vnde debuiſti damnari, ab eo accepiſti vnde debeas coronari. *1. Cor. 15.* A quo accepit, vultis audire? Nolite me ipſum audire: Nõ ſum, inquit, dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum eccleſiam Dei. Sed gratia Dei ſum id quod ſum. Ergo quod eras, iniquitate tua eras: quod es, gratia Dei es. Et gratia eius, inquit, in me vacua non fuit. *Gala. 1.* Ecce euangelizat fidem quam aliquando vaſtabat, nec gratia *1. Cor. 15.* ipſa vacat in illo qui ait: In me vacua non fuit, ſed *1. Cor. 4.* plus omnibus illis laboraui, Obſerua, erigere te cœpiſti. Vbi es Paule? Certe modicus eras. Plus omnibus illis laboraui. Dic vnde? Quid enim habes quod non accepiſti? Statim reſpexit. Et cùm dixiſſet; Plus omnibus illis laboraui: quaſi expauit ad verba ſua, & mox ſubiecit ſe humilem Paulum. *1. Cor. 15.* Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Ergo fratres mei, vt noueritis etiã fidem à Domino Deo eſſe nobis, orate pro illis qui nõdum crediderunt, Si quis habet fortè amicum infidelem: moneo illum vt oret pro illo. Vere opus eſt vt ego illum moneam. Maritus Chriſtianus eſt, vxor infidelis eſt, non orat pro vxore ſua vt credat? Vxor eſt Chriſtiana, maritus infidelis eſt, non orat mulier religioſa pro marito ſuo vt credat? Quãdo hoc orat qui orat, quid orat, niſi vt Deus det illi fidẽ? Ergo donum Dei eſt fides. Nemo ſe extollat, nemo ſibi arroget, quaſi ſibi aliquid dederit, *2. Cor. 1.* Qui gloriatur, in Domino glorietur.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo 3.

Eſt ſermo 9. de verbis Apoſtoli, tomo 10.

QVod lectum eſt modo de ſancto Euangelio, hoc & Paulus apoſtolos dicit, Cuius verba

iſta

iſta ſunt, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus: Ipſe ægrotus genus humanum eſt. Sed non omnium eſt fides. Nouit *1. Theſ. 5.* dominus qui ſunt eius. Superbiebant Iudæi, extollebant ſe, alta ſapiebant, iuſtos ſe putabant, & dominum colligentem peccatores inſuper accuſabant. Qui ergo ſuperbiebant, & alta ſapiebant, relicti ſunt in montibus, ad nonagintanouem pertinent. Quid eſt relicti ſunt in montibus? Re- *Matth. 18.* licti ſunt in tumore terreno. Quid eſt ad nonagintanouem pertinent? In ſiniſtra ſunt, non in dextera. Nonaginta enim & nouem in ſiniſtra numeratur, vnum adde, ad dexteram tranſitur. Venit ergo, vt ipſe alio loco dicit, Venit filius ho- *Luc. 19.* minis quærere & ſaluare quod perierat. Totum enim perierat, ex quo peccauit vnus. Vbi erat totum, perierat totum, ſed venit vnus ſine peccato, qui ſaluos faceret à peccato. Iſti autem ſuperbiendo quod eſt peius, & ægrotabant & ſanos ſe eſſe credebant. Periculoſius ægrotant, qui mentem febribus perdiderunt. Illi rident, & ſani plorant, Ridet enim phreneticus, ſed non eſt ſanus. Porrò autem qui mentis eſt ſanæ, plorat phreneticum ridentem. Primum, ſi duo iſta propunas, quid eſt melius, ridere an plorare? quis non ſibi eligat ridere? Denique propter dolorem ſalubrem pœnitentiæ, in fletu dominus poſuit officium, in riſu beneficium. Quo modo? Quando ait in Euange- *Luc. 6.* lio, Beati qui plorant, quia ridebunt. Ergo in ploratu officium eſt, in riſu præmium ſapientiæ. Riſum enim pro gaudio poſuit, non cachinnationem, ſed exultationem. Ergo ſi duo iſta proponas, & quæras quid horum ſit melius, ridere an plorare, omnis homo plorare non vult, & ridere vult. Porrò ſi addas perſonas ad iſtos affectus, & ita proponas cum perſonis, quid eſt melius ridere phreneticum, an plorare ſanum? eligit ſibi homo fletum cum ſanitate, quàm riſum cum amentia. Tantum valet mentis ſanitas, vt etiam cum planctu eligatur. Iſti enim qui ſanos ſe putabant, multo periculoſius & deſperatius ægrotabant, & ipſa ægritudine qua mentes perdiderant, etiam medicum cædebant. Parũ eſt cędebãt, dicã totũ, nõ ſolum cædebant, ſed etiam occidebant. Ille autem etiam cum occideretur medicus erat, vapulabat & curabat: patiebatur phreneticum, nec deſerebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, harundine plagas accipiebat, irridebatur, inſultabatur ei, poſtremo audiebatur, damnabatur, ligno ſuſpendebatur, vndique cir- *Luca 23.* cumfremebatur, & medicus erat. Agnoſcis phreneticos agnoſce & medicum. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Illi perdita mente ſæuiebant, & medici ſanguinem ſæuiendo fundebant, ille autem etiam de ipſo ſanguine ſuo ęgrotis medicamenta faciebat. Non enim vere fruſtra dixit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Orat Chriſtianus, & exauditur, orat Chriſtus & non exauditur? Nam qui exaudit cum patre quia Deus eſt, quomodo non exauditur homo quod pro nobis factus eſt? Prorſus exaudita eſt. Ibi erant, ibi ſæuiebant, de his erant qui reprehendebant eum, & dicebant. Ecce cum publi- *Luca 5.* canis & peccatoribus conueſcitur. Erant in ipſo populo à quo ipſe medicus occidebatur, & in eius ſanguine etiam ipſis antidotum parabatur. Cum enim dominus non ſolum ſanguinem funderet, verumetiam ipſam ſuam mortem ad medicamenti confectionem impenderet reſurrexit ad demonſtrandum reſurrectionis exemplum. Patientia ſua paſſus eſt, vt doceret patientiam noſtram, & in reſurrectione ſua præmium patientiæ demonſtrauit. Item, vt noſtis, & omnes confitemur, Aſcendit in cælum, deinde ab eo ſpiritus ſanctus eſt miſſus, ante promiſſus. Dixerat enim *Luc. 24.* diſcipulis ſuis, Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Venit ergo & promiſſio ipſius, venit ſpiritus ſanctus, impleuit diſcipulos, cœperunt loqui linguis omnium gentium, ſignum in illis procedebat vnitatis. Loquebatur enim tunc *Act. 2.* vnus homo omnibus linguis, quia locutura erat vnitas Eccleſiæ in omnibus linguis. Expauerunt qui audiebant. Nouerant enim homines idiotas fuiſſe, vnius tantum linguę: & mirabantur ac ſtupebant, quòd vnius linguæ homines vel vt multum duarum, linguis omnium gentium loquerentur: ſuſpenſi ſunt ſtupore, perdiderunt elationem, de monte facti ſunt valles, Iam ſi humilea ſunt, valles ſunt, quod infuderis capiunt, non dimittunt. Si venerit aqua ſuper altitudinem decurrit & defluit: ſi venerit aqua ad concauum & humilem locum, & capitur & ſtat. Tales iam illi erant, ſtupebant, mirabantur, perdiderunt ſæuitiam. Denique loquente ſibi Petro, compuncti ſunt, & factum eſt in illis quod Pſalmus prædixerat, Conuerſus ſum in ærumna, cum confige- *Pſal. 31.* retur ſpina. Quid eſt ſpina? Compunctio pœnitentiæ. Sic habes & verba ipſa ſcripturæ in Actibus Apoſtolorum, Compuncti ſunt corde, & di- *Act. 2.* xerunt ad Apoſtolos, Quid faciemus? Quare dixerunt, quid faciemus? Nouimus quid fecimus. Quid faciemus? Quantum ad noſtrum factum pertinet, deſperatio eſt ſalutis: ſit ergo in veſtro conſilio, ſi fieri poteſt, ſpes aliqua ſanitatis. Nouimus quid fecerimus, dicite quid faciamus. Quid eſt quod fecimus? Non enim quemcunque *Ioan. 18.* hominem occidimus, & multum mali feciſſemus ſi quemcunque hominem innocentem occidiſſemus. Latronem elegimus, innocentem occidimus, mortuum elegimus, medicum occidimus, *Act. 2.* dicite quid faciemus? Et Petrus, Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: vt * tranſeatis de nonagintanouem ad centum: quia cum nonaginta & nouem eſſetis, pœnitentiam vobis neceſſariam non putabatis & domino colligente peccatores, & volente eos facere pœnitentes, inſuper inſultabatis: Modo ergo compuncti, quia cognouiſtis peccatum veſtrum, agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti: baptizetur in eius nomine quem occidiſtis ſine crimine, & remittuntur vobis peccata veſtra, Reducti ſunt in ſpe, doluerunt, gemuerunt, conuerſi ſunt, ſanati ſunt. Ipſi erant illi, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Vnuſquiſque ergo fratres *Luc. 23.* chariſſimi, quando audit dominum Ieſum Chriſtum non veniſſe propter iuſtos ſed propter peccatores, non amet eſſe peccator: Ne forte dicat in corde ſuo, Si iuſtus fuero non me amat Chriſtus: ſi pec-

** alibi, nomine domini noſtri Ieſu Chriſti &c.*

si peccator fuero amat me, quia propter peccatores descendit, non propter iustos. Respondit enim tibi, Si medicum agnouisti, febrem quare non timuisti? Vtique medicus ad ægrotum venit, constat, sed ideo venit medicus ad ægrotum, ne ille sit semper ægrotus. Quid ergo dicimus? Quid pronunciamus? Quid dicimus? Ægrotum amat medicus, an sanum? Quod vult facere amat, non quod inuenit. Ad ægrotum quidem venit, ad sanum non venit. Noli attendere quia ad illum venit, ad illum non venit. Plus enim amat sanum quàm ægrotum, Nam, vt noueritis, quia plus *1. Timo. 1.* amat sanum quàm ægrotum, nunquid faceret quod odisset? Ergo Paulum Apostolum attende, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundū peccatores saluos facere, quorū primus ego sum. Dixit, quorū prim⁹ ego sum, quomodo erat primus? Ante illū nō fuerūt peccatores, ot Iudæi? Ante illū nō fuerūt peccatores in genere humano? Ante illū in omnibus hominibus nō peccatu tenebatur Adā? Non ante illum fuit qui primus peccauit, & nos omnes in *Matth. 4.* mortem præcipitauit? Quid est, quorum primus ego sum? Ad quos venit, primus ego sum. Sed nec hoc verum est. Primus electus est Petrus, primus Andreas, primi alij Apostoli, tu Apostolus ea nouissimus, quomodo dicis quorum primus ego *Matt. 16.* sum? Ego Apostolus nouissimus, primus peccator. Et hoc quomodo primus peccator? Ante te peccauit Petrus, quando ipsum dominum ter negauit. Nolo dicere, quia & ipse nisi peccator inuentus esset, de sinistra ad dexteram non transisset. Quid est ergo, quorum primus ego sum? Quia omnibus peior sum. Ergo peiorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicunque vult ædificare quid dicit? Quis est hic primus structor? Quis est primus faber? Aut si curari vult, quis est hic primus medicus? Non vtique interrogat quis prior sit ætate, aut quis prior sit professione, sed quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulum, & inuenietis. Attenditis Pau- *Act. 7.* lum, & obliti estis Saulum: Attenditis ad pastorem, obliti estis lupum. Nónne ille est cui ad lapidandum Stephanum manus vna non suffi- *Act. 9.* ciebat, & aliorum vestimenta seruabat? Nónne ipse est, qui Ecclesiam vbique persequebatur? Nónne ipse est qui literas acceperat a principibus sacerdotum, quia parum illi erat persequi Christianos qui erant in Hierusalem, sed volebat ad alia loca venire vbi eos inueniret, & ligaret, & puniendos adduceret? Nónne cum iter agens spirat & anhelat ad cædes, de cælo percussus est, & vocem domini audiuit ad salutem fulminatus? Dum ambulat prosternitur, vt videat excæcatur. Ipse est ergo qui primus erat persecutor, illo peior non fuit. Audite vnde plus intelligatis. Ananiæ loquebatur ipse dominus Christus, tam illo prostrato, iam erecto, & dicebat ei, Vade ad virum illum, ibi inuenies Saulum a Tarso Ciliciæ, loquere ei, Quoniam videt virum Ananiam intrantem ad se, & baptizantem se. Ille audiuit nomen Sauli, & inter manus ipsius medici tremuit. Quid est autem dulcius? Saulus vnde vocaretur, credo quia recolitis, & propter eos qui non reco- *2. Reg. 18.* lunt, commemorem: Saul erat ille persecutor Dauid. In Dauid Christus erat, in Dauid Christus præfigurabatur, in Saule Saulus præfigurabatur, tanquam à Dauid Sauli dictum est de cælo, Saule *Act. 9.* Saule, quid me persequeris? Ananias ouis interpretatur. Loquebatur oui pastor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis, nec inter manus pastoris. Et dominus ad illum, quasi ad ouem trementem. Ille enim cum audisset hoc dixit: Domine, audiui de isto homine quanta mala fecit sanctis tuis in Hierusalem, & quomodo dicitur epistolas accepisse à principibus sacerdotum, vt quoscunque tenuerit, alligatos ducat: Quò me mittis? Ouem ad lupum? Sed ille non audiuit hanc *Matth. 10.* excusationem. Iam enim dixerat paucis ouiculis suis, Ecce mitto vos sicut oues in medio luporum. Si missæ sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire Anania ad eum qui iam non est lupus? Lupum timebas, sed respondet tibi dominus *1. Timo. 1.* Deus tuus, De lupo ouem feci, facio de oue pastorem. Quomodo ergo ipse Saulus postea Paulus gratulatur se ad Dei peruenisse misericordiam quia primus, hoc est, excellens in peccatis inuentus est? Et tamen misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, propter eos qui credituri sunt illi in vitam æternam: vt dicant sibi omnes, Si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si tātō medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur vulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus nō festinabo? Vt hoc dicerēt homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus: quia quò venit medicus, quærit aliquē ibi desperatum, & ipsum sanat, & si pauperrimum inueniat, tamen desperatum inuenit, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Dicam ergo quod cœperam. Quomodo ergo Saulus tum gratulabatur se à Christo quia peccator erat, assumptum atque sanatum nec dixit, Maneam in peccato, quia propter me venit Christus, non propter iustum: ita & tu quia audieras, quia Christus propter peccatores venit, noli tibi dormire in dulci stratu, sed audi ipsum Paulum dicentem, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, *Ephes. 5.* Noli amare stratum peccati, totum stratum eius vertisti in infirmitate eius. Dictum est antea, fuge, sanus esto, sanitatem ama, & noli rursus per superbiam de dextera ire ad sinistram, de valle ad montem, de humilitate ad tumorem. Cum factus fueris sanus, id est, cum iuste cœperis viuere, Deo tribue, non tibi, Non enim laudando te saluus factus es, sed contra te pronunciando. Nam si te *Luc. 18.* laudaueris per superbiam, grauius ægrotabis. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo 4.

DE diuinis lectionibus quod dominus admonere dignatur, intente audite fratres, illo dante, me ministrante. Primam lectionem audiuimus Apostoli, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem suam ad informationem eorum qui credi- *Ex ordine 10: de verbis Apostoli Tom. 10. 1. Tim. 1.*

crediturі ſunt illi in vitam æternam. Hoc de apoſtolica lectione percepimus. Deinde cantauimus Pſalmum exhortantes nos inuicem vna voce, vno
Pſal. 94. corde dicẽtes, Venite adoremus & proſternamur ei, & fleamus coram domino qui fecit nos, & ibi præueniamus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei. Poſt hæc euangelica lectio, decem leproſos mundatos nobis oſten-
Luc. 17. dit, & vnum ex eis alienigenam gratias agentem mundatori ſuo. Has tres lectiones quantum pro tempore poſſumus pertractemus, dicentes pauca de ſingulis, & quantum conari poſſumus, adiuuante domino, non in aliqua earum ſic immorantes vt aliis duabus impedimentum afferamus. Proponit nobis Apoſtolus ſcientiam gratiarum actionis. Mementote quid vltima euangelica lectio reſonet, quomodo Ieſus dominus laudat gratias agentem, ingratos improbat mundatos in cute, leproſos in corde. Quid ergo Apoſtolus? Fidelis, inquit, ſermo, & omni acceptione dignus. Quid eſt iſte ſermo? Quia Chriſtus Ieſus venit in mundum. Vt quid? Peccatores ſaluos facere. Quid tu? Quorum primus ego ſum. Qui dicit, vel non ſum peccator, vel non fui, ingratus eſt ſaluatori. Nullus hominum in iſta quæ ex Adam defluit maſſa mortalium, nullus omnino hominũ non ægrotus, nullus ſine gratia Chriſti ſanatus. Quid de paruulis pueris, ſi ex Adam ægroti? Nam & ipſi portantur ad eccleſiam, & ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt vt ſanentur: accommodat illis mater Eccleſia aliorum pedes vt veniant, aliorum cor vt credant, aliorũ linguam vt fateantur, vt quoniam quòd ægri ſunt alio peccante prægrauantur, ſic cum hi ſani ſunt alio pro eis confitente ſaluentur. Nemo ergo vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc à maiorum fide percepit, hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit. Quoniam non eſt opus ſanis
Matth. 9. medicus, ſed ægrotantibus. Quid neceſſarium ergo habuit infans Chriſtum ſi non ægrotat? Si ſanus eſt, quare per eos qui eum diligunt medicum quærit? Si quando portantur infantes dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, & veniunt ad Chriſtum, cur non eis dicitur in eccleſia qui eos portant, auferte hinc innocentes iſtos: Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus: Non venit Chriſtus vocare iuſtos, ſed peccatores? Nũquam dictum eſt, ſed nec aliquando dicetur. Quiſque ergo quod poteſt fratres loquatur pro eo qui loqui pro ſe non poteſt. Pro magno commendãtur epiſcopis patrimonia pupillorum, quanto magis gratia paruulorum? Pupillum metuit epiſcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur: Clamet plus pro paruulo, cui timet ne à parentibus occidatur, clamet cum Apoſtolo, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum, nullam aliam ob cauſam, niſi peccatores ſaluos facere. Qui venit ad Chriſtum, habet quod in eo ſanetur, qui non habet, non eſt cauſa quare medico offeratur. Eligant parentes vnum de duobus, aut cõfiteantur in paruulis ſuis ſanari peccatum, aut eos medico offerre deſinant. Hoc nihil eſt aliud quàm velle medico ſanum offerre. Quid offers baptizandum? Quem? Infantem. Cui offers? Chriſto: Ei certe qui venit in mundum. Ita, inquit. Quare venit in mundum? Peccatores ſaluos facere. Ergo quem offers, habet quod in illo ſaluum fiat? Si dixeris, habet, confitendo deles: ſi dixeris, non habet, negando tenes. Peccatores, inquit, ſaluos facere quorum primus ego ſum. Ante Paulum non erant peccatores? Certe vel ipſe *Gene. 3.*
Adam ante omnes, & plena peccatoribus terra *Gene. 7.*
deleta diluuio, & deinceps quam multi: Vnde verum eſt, ego primus ſum? Primum ſe dixit, non peccatorum ordine, ſed peccati magnitudine. Magnitudine peccati ſui, vnde ſe primum dixit peccatorum: quomodo dicuntur inter aduocatos verbi gratia, primi: primus eſt iſte non quia plures annos habet ex quo cauſas agit, ſed quia ex quo cœpit cæteros ſuperauit. Dicat ergo Apoſtolus alio loco, vnde primus ſit peccatorum, Ego, in- *1. Cor. 15.*
quit, ſum nouiſſimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum eccleſiam Dei. Nemo acrior inter perſecutores, *1. Timo. 1.*
ergo nemo prior inter peccatores. Sed miſericordiam, inquit, conſecutus ſum. Et quare ſit miſericordiam conſecutus, exponit cauſam, Vt in me, inquit, oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Chriſtus, inquit, daturus veniam conuerſis ad ſe peccatoribus vſque ad inimicos ſuos, me primo elegit atrociorem inimicum, quem cum ſanaret, nemo in cæteris deſperaret. Faciunt hoc medici quando ad ea loca veniunt vbi ignoti ſunt, quos curent primitus eligunt deſperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnuſquiſque in illo loco dicat proximo ſuo, Vnde ad illum medicum, ſecurus eſto, ſanat te. Et ille, Me ſanat? Non vides quid patiar? Ego noui quid ſimile, Tu quod pateris, & ego quidem paſſus ſum. Sic dicit Paulus vnicuiq; ægroto, & de ſe volenti deſperare, Qui curauit me miſit me ad te, & dixit mihi: Illi deſperanti vade, & dic quid habuiſti, quid in te ſanaui, quàm cito ſanaui. De cælo vo- *Act. 9.*
caui, vna voce percuſſi & deieci, alia erexi & elegi, tertia impleui & miſi, quarta liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama deſperatis, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere. Quid timetis? Quid trepidatis? Quorum primus *1. Timo. 1.*
ego ſum. Ego, inquit, vobis loquor, ſanus ægrotantibus, ſtans iacentibus, ſecurus deſperantibus, Ideo enim miſericordiam conſecutus ſum, vt in me oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit & ſic abſtulit, tanquam bonus medicus phreneticum patienter tolerauit, ſuſtinuit me ferientem ſe, donauit mihi feriri pro ſe. Omnem, inquit, longanimitatem oſtendit in me, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Nolite ergo deſperare. Ægroti eſtis, accedite ad eum & ſanamini: Cæci eſtis, accedite ad eum & illuminamini: & qui ſani eſtis ei gratias agite, & qui ægrotatis, ad eum ſanandi currite: dicite omnes, Veni- *Pſal. 94.*
te adoremus, & proſternamur ei, & ploremus coram domino qui fecit nos & homines & ſaluos. Nam ſi ille nos fecit homines, nos autem ipſi nos fecimus ſaluos, aliquid illo melius fecimus. Melior eſt enim ſaluus homo quàm quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, & tu te feciſti bonum hominem, quod tu feciſti melius eſt. Noli te extollere ſuper Deum, ſubde te, Deum adora, proſternere, confitere illi qui fecit te, quia nemo recreat,

creat, nisi qui creat, nemo reficit, nisi qui fecit: hoc *Psal.99.* & in alio Psalmo, Ipse fecit nos & non ipsi nos. Sanè quando te fecit, quod tu faceres non habebas. Quando autem iam es, habes & tu ipse quid facias, ad medicum curras, medicum implores, qui vbique est. Et vt implorares excitauit cor *Philip.2.* tuum, & posse implorare donauit tibi. Deus est enim, inquit, qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate, quia vt haberes bo- *Psal.58.* nam voluntatem, illius vocatio præcessit. Clama, Deus meus, misericordia eius præueniet me. Vt esses, vt sentires, vt audires, vt consentires, præuenit te misericordia eius. Præuenit te in omnibus, præueni & tu in aliquo iram eius. In quo, inquis, in quo? Confitere ista omnia à Deo te habere quicquid boni habes, à te quicquid mali. Ne in bonis tuis illum contemnas, te laudes, ne in malis tuis illum accuses, te excuses, ipsa est vera confessio. Ille qui in tantis bonis præuenit te, venturus est ad te, & inspecturus dona sua & mala tua, quomodo bono eius vsus fueris inspicit te. Ergo quia in omnibus istis donis præuenit te, vide in quo tu præuenias faciem ven- *Psal.94.* turi: audi Psalmum, Præueniamus faciem eius in cōfessione. Præueniamus faciem eius. Antequam veniat propicietur, antequam assit placetur. Habes enim sacerdotem per quem possis placare Deum tuum, & ipse cum patre Deus est ad te, qui homo est propter te. Ita iubilabis in Psalmis, præueniens faciem eius in confessione. Iubila in Psalmo, præueniens faciem eius in confessione: Accusare, iubilans in Psalmo. Lauda illum accusando te, & laudando eum qui fecit te: Veniet qui mortuus est pro te, & viuificabit te. Hæc tenete, in hoc persistite. Nemo varius, nemo leprosus sit. Doctrina inconstans, non habēs vnum colorem, mentis lepram significat, & istam Chri- *Luca 17.* stus mundat. Forte in aliquo variasti & inspexisti, & in melius sententiam commutasti, & quod varium erat vnius coloris effectum est. Noli tibi retribuere, ne sis inter nouem qui gratias non egerunt. Vnus egit gratias: Cæteri Iudæi erant. Ille alienigena erat, gentes alienigenas significabat, numerus ille Christo decimas dedit. Illi ergo debemus quod sumus, quod viuimus, quod intelligimus, quod homines sumus, quod bene viximus, quod recte intelligimus, illi debemus. Nostrum nihil nisi peccatum quod habemus. Quid enim habes quod non accepisti? Vos *1. Cor.17.* ergo, maxime qui scitis quid sudiatis, curatum ab ægritudine, mundatum à varietate sursum cor ponite, & Deo gratias agite.

S. BERNARDI ABBAtis Claraeuallensis in Conuersione sancti Pauli, Sermo 1.

MEritò quidem dilectissimi conuersio Doctoris gentium ab vniuersitate gentium festiuis gaudiis hodie celebratur. Multos enim ab hac radice ramos prodiisse videmus. Conuersus Paulus, conuersionis minister factus est vniuerso mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, sed non iam secundum carnem ambulans; prædicationis officio conuertit ad Deum, nunc quoque in ipso feliciùs viuens: & apud ipsum ne adhuc quidem cessat ab hominum conuersione: dico autem exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique conuersionis eius memoria frequentatur, quòd & ipsa quoque memorantibus vtilia inueniatur. In hac enim memoria & peccator spem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet, perfectæ conuersionis accipit formam. Quis desperet vltrà pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: Assurgere iam ad studia meliora non valeo: quando in ipso itinere quo sanguinem sitiēs Christianorum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repentè mutatus est prædicatorem? Magnificè siquidem in hac vna conuersione & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. Subitò, ait Lucas, circumfulsit eum lux de cæ- *Act.9.* lo. O verè inæstimabilis diuinæ dignatio pietatis. Illustrat cælesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem. Qui necdum infundi poterat, diuina saltem circumfunditur claritate. Et vox facta est. Lucis & vocis testimonia credibilia facta sunt nimis: nec dubitare est de veritate quæ sese ingerit per vtrasque, oculorum scilicet, auriúmque fenestras. Sic nimirū, sic in Ior- *Matth.3.* dane quoque supra caput Domini & columba apparuit, & vox sonuit: sic & in monte quando transfiguratus est coram discipulis, & claritas visa est, & vox nihilominus patris audita. Saule, *Ibidem.17.* Saule quid me persequeris? Verè deprehensus est Saulus: non est dissimulandi locus, non est facultas vlla negandi. In manibus sunt epistolę crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Quid me persequeris? inquit. An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An verò persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis affixere patibulo, & non persequebatur eum, qui aduersus corpus eius quod est ecclesia (est enim corpus eius etiam ipsa) odio furebat iniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum nō tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scādali occasione, auertit ab eo animas quas redemit, quàm à Iudæo qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi & expauescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitùs sacrilegium quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt. Videbatur iam cessasse persecutionis tempus, sed vt palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc quod grauius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo vtique Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi aduersum te appropinquauerunt & steterunt. Coniurasse videtur contra te vniuersitas populi Christiani à minimo vsque ad maximum: à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas vlla. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum: non est iam dicere, vt populus, sic sacerdos: quia nec sic populus, vt sacerdos. Heu heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatū diligere, gerere principatū, Arcem Sion

occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiue tradunt incendio ciuitatem. Misera eorũ conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est. Atque vtinam sola hac parte nocerent. Esset fortè qui Dominica præmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam ipsorum non exempla imitari, sed

Matth. 23. obseruare præcepta, iuxta illud: Quæ dicunt facite, & ad opera eorum nolite respicere. Nunc autem dati sunt facti gradus in occasionem turpis lu-

1. Tim. 6. cri, & quæstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidem pietatis inueniuntur in suscipiẽda (imò accipienda magis) animarum cura, sed hæc apud eos cura minor, & de animarum salute nouissima cogitatio est. An verò saluatori animarum grauior vlla esse poterat persecutio? Inique agunt & cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus Antichristi. Meritò tamen & crudeliorem eam esset persecutionem pro acceptis beneficiis, & grauiorem sentit pro potestate, quam propriis sustinet à ministris: licet alij quoque multi contra proximorum salutẽ multiphariè multisque modis & variis occasionibus agere videantur. Hæc videt Christus & silet, hæc saluator patitur & dissimulat. Propterea dissimulemus nos quoque necesse est, & sileamus interim, maximéque de prælatis nostris magistris ecclesiarum. Sic nimirum, sic placet & ipsis vt euadant nunc humana iudi-

Sap. 6. cia, veniátque semel iudicium graue his qui præsunt, & potentes patiantur tormẽta potenter. Vereor dilectissimi ne quis forte sit & in nobis domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi saluatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ

Rom. 1. venenũ? Meritò detractores Deo odibiles describuntur, tanquam persecutores. Quid & is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros prouocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua & murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat spiritum Dei qui in eis est, scandalizans vnum de minimis istis credentibus in eum: Nónne & hic manifestè persequitur Christum? Vt ergo persecutorum & nomen & crimen longè sit semper a nobis, obsecro vos dilectissimi, benignos semper & mites exhibeamus nos, inuicem supportantes in omni patientia, & ad id quod melius & perfectius est, alterutrum prouocantes. Quis enim seruus sufficere sibi putat non persequi dominum, sed nec obsequi domino? Quã habiturus est gratiam, si vt non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeò pusillanimis est, vt satis sibi reputet nec persecutorem esse nec coadiutorem Dei, au-

Matth. 12. diat quid ipse loquatur: Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Saule, Saule, quid me persequeris? Et ille: Quis es domine? Hinc profectò datur intelligi quia verè circunfusa erat illi claritas, non infusa. Audiebat

Rom. 10. Paulus vocem domini, sed faciem domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem: & vt ipse postea docuit, fides ex auditu est. Quis es inquit. Ignotum enim persequebatur, & ideo consequutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc fratres iustum iudicem Deum, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat, considerate: & cauete deinceps ne quis parua reputet, quamlibet parua sciẽter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo, Leuia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimísque peccatis. Hęc est enim dilectissimi impœnitentia: hæc blasphemia in spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in spiritum sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate, non in spiritum sanctũ blasphemans: ideo consequutus est misericordiam. Quis es domine? Et dominus ad eũ: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Ego sum saluator, quem tu persequendo petis. Ego sum de quo in lege tua legis prædictum quod nescis impletum, quia Nazare-

nus vocabitur. Et ille: domine quid me vis facere? *Matth. 2.*

Hæc planè fratres perfectæ conuersionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum *Psal. 56.*

cor meum. Paratus sum & non sum turbatus, vt *Psal. 118.*

custodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere? O verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignũ omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientię forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipsi, sed quid dominus velit, omni hora requirant dicentes sine intermissione: domine quid me vis fa-

cere: Et illud Samuelis: loquere domine, quia au- *1. Reg. 3*

dit seruus tuus. Heu plures habemus euangelici

illius cæci, quam noui apostoli imitatores. Quid *Matth. 2*

vis (ait dominus ad cæcum illum) vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua domine, quanta dignatio tua? Siccine dominus quærit vt serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit: Absit hoc domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis fratres, quia verè necessaria erat hoc in loco cõuersio? Sic profectò, sic multorum vsque hodie pusillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat, Quid vis vt faciam tibi? nõ ipsi quærant: Domine quid me vis facere? Considerate necesse habent ministri & vicarij Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obediẽtia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum qui non suam sed patris venit facere voluntatem. Discernũt & diiudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Huiusmodi itaque & si tolerari se videant, & cõdescendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant obsecro, pudeátque semper paruulos inueniri: ne quando fortè audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia & benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis, cumulus iustæ damnationis. Domine quid me vis facere? Et dominus ad illum: Surge & ingredere ciuitatem, ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. O sapientia suauiter verè vniuersa disponẽs. Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt socialis vitæ commẽdetur vtilitas, & edoctus per hominem, discat & ipse secũdum datam sibi gratiam hominibus subuenire. Ingredere ciuitatem. Videtis fratres non sine diuino consilio factum esse, vt hanc ciuitatem domini virtutum ingrederemini, diuinam discere voluntatem? Planè qui te salubri terrerruit, & conuertit cor tuum ad desi-

detandum

derandam voluntatem suam, ipse tibi dixit, Surge, & ingredere ciuitatem. Sed audi quàm manifestè in his quæ sequuntur, voluntaria simplicitas & Christiana commendatur mansuetudo. Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum. Felix cæcitas, qua malè quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione oculi salubriter excæcantur. Sanè quòd triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui nouiter seculo abrenunciantes, needum in cælesti consolatione respirant. Sustineant ergo & ipsi dominum in omni patientia, orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes: quia exaudiet eos pater cælestis in tempore opportuno. Non obliuiscetur eorum in finem, veniet & non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habens quod manduces, confide quia miserator & misericors dominus ieiunum te non dimittet. Exinde iubetur Ananias manus imponere Saulo: sed tanquam bene eruditus non continuo acquiescit. Vide enim si non etiam Paulus ipse doctrinam hanc deinde tradidit discipulo: Nemini,
[1. Tim. 5.] inquiens, cito manus imponas. Vidit (ait dominus) virum imponentem sibi manus vt visum recipiat. Fratres, Paulus hoc cum vidisset, non continuò illuminatus est. Nunquid non expectauit Ananiæ manum, quia venturum eum fortè in somniis præuidit? Hæc dico charissimi, quia vereor ne quis forte sit inter vos qui solo sese somnio præsumat illuminatum esse: nec iam æquanimiter patiatur ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum. Cui enim necdum administrationis cura iniuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui necdum præceptum vt videat & prouideat his qui apertos oculos habentes nihil vident: quid hoc præsumere tentat, nisi quia meditatur inania, & quasi somnia vana sectatur? Caueamus ab hoc vitio fratres: semper, quod in nobis est, abiecti eligamus esse, & ad manus trahi, mansuetudinem & humilitatem discentes à Christo domino: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 2.*

Conuersus est hodie Paulus, imò Saulus conuersus versus est in Paulum. Siquidem factus
[Matth. 18.] est tanquam euangelicus ille paruulus, de quo dominus ait: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Fortè enim seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus dominus & laudabilis nimis, ipse paruulus qui datus est nobis. Nec tamē magnus interim sed paruulus exhibetur, vt seipsum faciat gratū & efficax necessariæ paruitatis exemplum. Ad paruulū ergo sit conuersio tua, vt discas paruulus esse: tu quoque cùm conuerteris, paruulus fias. Enimuero audi quàm euidenter ipsum tibi (in quo constituit formam cōuersionis) paruulum manifestat, signanter ea quæ sunt paruuli in seipso imitanda proponens. Discite à me, inquit,
[Matth. 11.] quia mitis sum, & humilis corde. Gemina paruitas, humilitas & mansuetudo. Et illa interior, ista exterior paruitas: vtraque tamen non parua virtus est: nempe quam paruulus ille tam magnus vnicum magisterium profitetur. Hodie ergo conuersus est Paulus, hodie desijt esse Saulus. Hodie factus est humilis, & mitis corde. Probat oris cō-
[Act. 9.] fessio cordis humiliationem, dùm clamat: Domine quid me vis facere? Magis autem probat ipsa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, nisi multum humili, data non fuit. Cæterum mansuetudo quoniam exterior quædam (vt diximus) paruitas, & ob hoc manifestior est, tripliciter nobis in cōuersione hac commendatur. Triplici quidem velut ariete mansuetudo nostra pulsatur, verborum iniurijs, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur cōcutere potuisse. Considerate libet quemadmodum Paulus super his omnibus in ipsa statim sua conuersione tentatus, verè iam Paulus inuentus sit, in hac parte verè mitis & patiēs. Saule Saule, quid me persequeris: Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Durum equidem verbum, verbum increpatorium, plenū comminatione. Sanè quod ad corpus pertinuit, concussus est & prostratus in terram. An verò & damno quoque probatus est: Et valde. Siquidē ipsum ei lumē ademptum est oculorum, & apertis, vt scriptum est, oculis nihil vi-
[Ibidem.] debat. Expetita est in his tribus & exercitata patientia Iob, quem in hac virtute opinatissimum Deus exemplar dedit. Sed vestræ hoc industriç relinquimus inuestigādū. Sufficit nos monere formam veræ conuersionis magna ex parte in hac mansuetudine constitutam, vt pudeat eos qui cōuersi esse debuerant vel in corporum læsione, vel in damno rerum, vel (quod magis indignum est) in verborum iniuriis, inueniri peruersos penitus & auersos.



IN PVRIFICATIONE

BEATAE MARIAE.



LVC. 2.



a Mariæ vel domini.
IN illo tempore: Postquàm impleti sunt dies purgationis [a] eius se-
b Offerrent & consecrarent.
cundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, [b] vt sisterent
eum domino, sicut scriptum est in lege domini. Quia omne mascu-
c Ex consueto natiuitatis more loquitur, non quòd dominus ventris hospitium ingrediens vel egrediens deuirginasset.
linum [c] ad aperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Et vt darent hostiam,
d Turtur, castitatem: columba, simplicitatem significat: & casta & simplex iustorum conuersatio gratum Deo offert sacrificium.
secundum quod dictum est in lege domini, par [d] turturum, aut duos pullos co-
lumbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Symeon: & homo
iste iustus & timoratus expectans consolationem Israel, & spiritussanctus erat
e Mente. f Experturum. g Carnis.
in eo. Et responsum [e] acceperat à spiritusancto, non [f] visurum se [g] mortem, ni-
h Oculis carnis, alias cordis. i Messiam, Messias Hebraicè, Christus Græcè, Vnctus Latinè. k Bed. Eadem gratia qua venturum præuonerat venientem cognouit.
si prius [h] videret [i] Christum domini. Et [k] venit in spiritu in templum. Et cum
inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem
l Bed. Magna humilitas saluatoris, qui in eo non capitur, grandæui hominis vlnis gestatur. m Viso redemptore.
legis pro eo: & ipse accepit eum in [l] vlnas suas, & benedixit Deum, & [m] dixit:
n Quasi dicat, Dimitte. Ad mortem carnis. o Quia responsum acceperat à spiritusancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. p In sinu Abrahæ requieturum.
Nunc [n] dimittis seruum tuum domine, secundum [o] verbum tuum in [p] pace.
q Beati qui vident quod Symeon vidit. Beati qui non viderunt & crediderunt. r Et carnis hominem, & cordis Deum. ¶ Christum. Quem postmodum omnibus populis quærendum dilectione, & conspiciendum fide præuidi, iam carnis & mentis oculis saluatorem contemplor.
Quia [q] viderũt [r] oculi mei salutare tuum, [s] Quod parasti ante faciem omnium
t Ipse saluator, ipse lux illuminans. v Ad gloriam fidei.
populorum. [t] Lumen ad reuelationem gentium, & [v] gloriam plebis tuæ Israel.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.



TVLERVNT *illum*. Paruuli qui de toto regno Iudæorum ad templum portabantur, si erant de tribu Leui, in ministerium domus perpetuo detinebãtur. Si de alia tribu, precio dato à parentibus primogeniti redimebantur ad propria referendi. *Sicut scri.* Beda Scriptum est in lege: Mulier quæ suscepto semine, pe. mas. immũda erit sep. diebus. Ad distinctionem illius, quæ virgo peperit. Non ergo filius, non mater hostiis indigebat purgari, sed vt nos saluaremur à timore legis. Decretum autem erat puerum post tricesimumtertium circuncisionis diem ad tẽplum deferri, & pro eo hostiam dari, primogenitum sanctum domino fieri. Per quod significatur, nullum nisi circuncisis vitiis dignum esse conspectu domini: nullum nisi mortalitatis nexibus absolutum, supernæ ciuitatis gaudia subiturum. Vera enim circuncisione purgatus templũ Hierusalem cum muneribus ingreditur, qui gloria resurrectionis ab omni labe excoctus, cum bonorum operum fructibus supernæ beatitudinis gaudia subit. *Omne mascu.* Bed. Omne, tam hominis quàm pecoris, quod Deo sanctificari & sacerdotis esse iubebatur, vt sacerdos primogenitum hominis redimi faceret, sic & omne animal immundum. Quæ primogenita illum significant, qui vnigenitus Dei, dignatus est fieri primogenitus omnis creaturæ, qui verè est sanctus domino, quia sine peccato. Qui ad generandos sibi populos secretum genitale sanctæ ecclesiæ sibi aperuit. Vel moraliter. Primogenita, significant bona initia nostræ actionis, quæ quasi corde gerimus: quæ Dei gratiæ deputare debemus. Malè gesta redimere fructibus pœnitentiæ iubemur. *Par tur.* Bed. Hæc oblatio pauperum erat, qui non sufficerent offerre agnum, vt per omnia humilitas domini pateat. Moraliter. Siue quis fortia opera quæ masculi nomine, siue infirma, quæ fœminæ significantur, creauerit: vt hæc domino legitimæ consecrentur, necesse est, vt lachrymas compunctionis offerat, quæ per gemitum illarum auium significantur: quia lachrymis etiam in bo-

Leuit. 12.

nis

nis indigemus, quia quo fine consummandi sumus, nescimus. Qui non inuenit agnum, id est, diuitias innocuæ vitæ ad lachrymas recurrat. Sunt autem duo genera compunctionis: Dum vel malorum recolêtes supplicia timemus. Vel dum desiderio cælestium ardêtes de dilatione gemimus. Vnde duo pulli offerri iubentur, vnus in holocaustum, quâdo amore cælestium inflammamur. Alter pro peccato: dum de malis perpetratis gemimus. Bed. Ambros. Columba, quæ in grege conuersatur, actiuam, turtur soliuagus contemplatiuam vitam significat, quæ paucorum. Et quia vtraque hostia accepta est Deo, consultè vtraque auis oblata est pro domino. Qui clauso ostio patrem orat in abscondito, torturem offert. Qui compares operis quærit, colûbam ad altare portat. Turtur in desertis habitat, non multis diuulgatur: pullos nocte pascit, morticinio non pascitur. Sic ecclesia deserta est à peccatis, nec Christus in multis locis diuulgatur, nisi in fide trinitatis & vnitatis. In nocte mundi sanctos pascit, hæresim non suscipit. Beda. Puer primò circunciditur, & post interpositis diebus, cum hostiis Hierusalem defertur, quia & ipse iuuenis resurgendo corruptionem carnis calcauit, & interpositis diebus cum carne, quam hostiam fecerat, ad cælum ascendit. Sic & nos prius in baptismo circuncidimur à peccatis, & proficiente gratia ad altare ingredimur, consecrandi hostia corporis & sanguinis domini nostri. Sed in fine omnis ecclesia corruptionem exuet, & cum victimis bonorum operum in æternam Hierusalem transferetur. *Et ecce homo.* Non solum angeli, sed omnis ætas & sexus testimonium nato reddunt puero. Et sicut ab omnium seculorum fidelibus præsagiebatur, ita veniens omnium sanctorum laude prædicatur. *Iustus & timoratus.* Difficile iustitia sine timore custoditur: Non pœnali, sed qui permanet in seculum seculi, quo iustus quanto plus Deum diligit, tanto solertius offendere cauet. Et bene iustus qui non suam, sed populi gratiam quærebat, cupiens ipse dissolui: sed expectans videre promissum autorem salutis, vt qui ab Herode pressi fuerant, aduentu Saluatoris liberati acciperent consolationem. *Puerum.* Cum pueritia post septem annos infantiæ incipiat, Iesus frequenter puer dicitur, non tam pro ætate, quam pro seruitio. vnde propheta: Ecce puer meus: quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; *Et ipse*
Esa.62. *acce.* Bed. Moraliter. Veter anus accipit infantem,
Matth.20. docens vt exuentes veterem hominem qui cor-
Coloss.3. rumpitur, induamur eum qui secundum Deum creatus est. Iustos secundum legem accipit puerum in vlnas, vt innoat: iustitiam legis gratia euangelicæ fidei mutandam. Accipit etiam senior mundus innocentiam christianæ infantiæ, vt renouetur sicut aquila. Bed. Quod Symeon & Anna prouecti Iesum excipiunt, & laudant, significat fidelem synagogam, quæ post longam expectationem promissionum fide non ficta eum recepit qui prænunciabatur. *Nunc dimittis seruum*
Philip.3. *tuum &c.* Ambr. Qui vult dimitti, veniat in Hierosalem, conuersationem habens in cælestibus: veniat in templum: imitetur exempla illorum, in quibus Deus habitat. Expectet dominum, accipiat in manibus verbû Dei. brachiis fidei, spei, & charitatis amplectatur, tûc dimittetur, vt non vi-
Luc.10. deat mortê, quia viderat vitâ, *Quia viderût ocu. &c.* Sciebat quod beati oculi, qui Christum essent visuri: & ideo donec illum videret. nolebat morte dissolui, quem tamen vt vidit mox optauit in pace dimitti. *Quod parasti, &c.* Et in primo aduentu Christus ante faciem populorum à Deo paratur, vt credant & diligant: & in secundo aduentu parabitur, vt videat eum omnis populus, & reddat vnicuique secûdum opera sua. *Ad reuelationê gent.* Roma.2.
Vt reueletur cæcis oculis gentilium nulla spe dominici aduentus erectorum: & vt ipse Israel glorietur, excipiês suum promissum, & desideratum, & præferiur reuelatio gentium gloriæ Israel. Quia cum plenitudo gentium intrauerit tunc Roma.11.
omnis Israel saluus erit.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ET postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, &c. Cyril. Post circuncisionem rursus expectatur purgationis têpus, vnde dicitur. *Et postquam impleti, &c.* Beda, Si legis ipsius verba diligentius inspexeris, profecto reperies quod ipsa Dei genitrix sicut à commixtione virili, sic & legali sit iure immunis. Non enim omnis mulier pariens, sed ea quæ suscepto semine peperit designatur immunda: ritúque legis ducetur esse mundanda, ad distinctionem scilicet illius quæ virgo concepit & peperit. Sed vt nos à legis vinculo solueremur sicut Christus: ita & beata Maria legi est sponte subiecta. Titus: Vnde eleganter euangelista protulit quod completi sunt dies purgationis eius secundum legem. Nam reuera non incumbebat necessitas virgini sacræ, vt dies purgationis eius expectaretur, quæ cùm ea spiritu sancto concepisset caruit contagio. Sequitur: *Tulerunt illum in Hierusalem vt sisterent eum domino.* Athana. Sed quando à paternis aspectibus latuit dominus? aut quis locus excipitur ab eius imperio: vt ibi existendo semotus à patre sit, nisi afferatur Hierosolymam, & introducatur in templum. Sed fortè causa nostri huiusmodi scripta sunt. Sicut enim non gratia sui homo factus est, circuncisus in carne, sed vt nos per gratiam faceret Deos, & vt spiritualiter circuncidamur, sic propter nos sistitur domino, vt discamus Deo præsentare nosipsos. Beda, Post tricesimum autem & tertium circuncisionis diem domino sistitur: mysticè autem insinuans neminem nisi circuncisum vitiis, dominicis dignum esse conspectibus: neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum, supernæ ciuitatis gaudia posse perfectè subire. sequitur: *Sicut scriptum est in lege domini.* Orig. Vbi sunt qui Deum legis negant à Christo fuisse in euangelio prædicatum? An putandum est quod filiû suum bonus Deus sub lege inimici fecit, quam ipse non dederat? In lege enim Moysi scriptum est quod sequitur, *Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domini vocabitur.* Bed. Quod dicit adaperiens vuluam, & hominis & pecoris primogenitû significat: quod vtrunque domino vocari, atque ideo sacerdotis esse præceptum est, ita duntaxat vt pro hominis primogenito precium acciperet, & omne animal immundum redimi faceret. Greg. Nise. Hoc autem legis decretum in solo incarnato Deo singulariter, & ab aliis differenter impleri videtur. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac in-

comprehensibiliter editus virginalem vterũ aperuit, non ante à connubio reseratum, seruans & post partum inuiolabile inuiolabiliter signaculum castitatis. Amb. Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen, inuiolabili vtero spiritus sanctus infudit. Qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur propheta: hic est qui aperuit matri suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Beda. Quod ergo ait, Adaperiens vuluam consuetę nationalis more loquitur, non quod dominus sacri ventris hospitium quod ingressus sanctificaret, egressus deuirginasse credendus sit. Gre. Nise. Solus autem hic partus masculinus spiritualiter esse conspicitur, qui nil de fœmineitate culpæ portauit, vnde reuera sanctus vocatus est: vnde & Gabriel, quasi hoc decretum, ad ipsum solum pertinere memorans, dicebat: Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Et in cæteris quidem primogenitis sanctos illos vocari euangelica solertia statuit, tanquam oblatione diuina sortitos huiusmodi nomen: at in tottius primogenito creaturæ quod nascitur sanctum pronuntiat angelus, quasi propriè sanctum existens. Amb. Solus enim per omnia in natis de fœmina sanctus dominus Iesus; qui terrenę contagia corruptelę immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit, nam si literam sequimur, quomodo sanctus omnis masculus cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? sed ille sanctus per quem figuram futuri mysterij legis diuinæ præscripta signabant: eo quòd solus sanctus ecclesiæ virginis ad generandos populos aperiret geniale secretum. Cyril. O profunditas scientiarum sapientiæ & scientiæ Dei, offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum patre, figuras legis custodit veritas: qui legis est conditor sicut Deus, legem custodiuit vt homo. vnde sequitur: *Et vt darent hostiam secundum quòd dictum erat in lege domini: Par turturum aut duos pullos columbarum.* Beda. in ho. Hostia autem hæc pauperum erat: præcepit quippe dominus in lege, vt qui possent agnum pro filio aut filia, simul & turturem siue columbam offerrent. Qui verò non sufficiebant ad offerendum agnum, duos iam turtures vel duos pullos columbæ offerrent. ergo dominus cum diues esset, pauper fieri dignatus est, vt nos sua paupertate diuitiarum suarum donaret esse participes. Cyril. Videndum autem quid hæc oblata insinuant? Nimirum loquacissimus est turtur in auibus, at columba est animal mansuetum. Talis autem factus est erga nos saluator, mansuetudinem perfectè colens, & vt turtur orbem allexit, replés ortum suum proprijs melodijs. Occidebatur ergo turtur aut columba, vt ipse per figuras nobis pandatur passurus in carne pro vita mundi. Bed. in ho. Vel columba simplicitatem, turtur indicat castitatem: quia & columba simplicitatis, & castitatis amator est turtur: ita vt si coniugem casu perdiderit, non vltrà aliam quærere curet. Merito ergo turtur & columba domino offeruntur in hostiam, quia simplex & pudica fidelium conuersatio est illi iustitiæ sacrificium gratũ. Athana. Ideo verò bina iussit offerri, quia homine consistente ex anima & corpore, duplum à nobis poscit Deus: castitatem & mansuetudinem non solum corporis sed etiam animæ: alioquin erit homo fictor & hypocrita, gerens in tegumentũ occultæ malitiæ innocentiam apparentem. Beda. in ho. Cùm verò vtraque auis propter consuetudinem gemendi præsentes sanctorum luctus designat: in hoc tamen differunt, quod turtur soliuagus, columba autem gregatim volare consueuit: & ob id iste secretas orationum lachrymas, illa publicos ecclesiæ conuentus insinuat. Beda super Lucam: Vel columba, quæ gregatim volat, actiuæ vitæ frequentiam demonstrat. Turtur, qui singularitate gaudet, speculatiuæ vitæ culmina denuntiat. Et quia æquè vtraque conditori accepta est hostia, consultè Lucas vtrum turtures an pulli columbarum pro domino sint oblati non dixit: ne vnum alteri viuendi ordinem præferret, sed vtrunque sequendum doceret. *Et ecce, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste iustus, &c.* Ambr. Non solum ab angelis & prophetis, a pastoribus & a parentibus: sed etiam à senioribus & iustis, generatio domini accepit testimonium, vnde dicitur, *Et ecce ho. erat in Hierusalem, cui nomen Simeon: & homo iste iustus & timoratus.* Bed. Quia difficulter iustitia sine timore custoditur: non illum dico timorem qui temporalia sibi bona subtrahi perhorrescit, quem perfecta dilectio foras mittit: sed timorem domini sanctum qui manet in secula, quo iustus Deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet. Ambr. Et bene iustus, qui non suam sed populi gratiam requirebat, vnde sequitur: *Expectans consolationem Israel.* Gregor. Nise. Non vtique mundanam fœlicitatem in consolationem Israel prudens Simeon expectabat: sed veram trãslationem ad veritatis decorem per separationem à legis vmbra: habuerat nãque per oracula quòd visurus esset Christum Domini priusquam de seculo præsenti transmigraret: vnde sequitur: *Et spiritus sanctus erat in eo* à quo scilicet iustificabatur. *Et respon. ac. à spiritu sancto, &c.* Amb. Cupiebat ipse quidem corporeæ vinculis fragilitatis absolui, sed expectabat videre promissum: sciebat enim quia beati oculi qui viderent. Gre. 18. Moral. In quo etiam discimus quanto desiderio ex plebe Israelitica sancti viri incarnationis eius mysteriũ videre cupierunt. Bed. Videre autem mortem, experiri eam significat: multúmque fœlix mortem videbit carnis, quicũque Christum Domini prius oculis carnis videre satagerit, conuersationem habendo in cælesti Hierusalem, templi Dei limina frequentando: hoc est sanctorum in quibus Deus habitat exempla sectando. Eadem auté spiritus gratia qua olim venturum præcognouerat, & nunc venientem cognouit: vnde sequitur: Et venit in spiritu in templum. Orig. Et tu, si vis tenere Iesum & amplexari manibus omni labore nitere, vt ducem habeas spiritum, veniasque ad templum Dei. sequitur enim: *Et cum inducerẽt puerum Iesum parentes eius,* scilicet Maria mater, & Ioseph, qui putabatur pater: *Vt facerẽt secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas.* Greg. Nise. Quàm beatus ille sacer ad sacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturauit. Beatę manus quę verbum vitæ palpauerunt, & vlnæ quoque quas ad susceptionem parauit. Bed. Accepit autem iustus secundum legem puerum Iesum in vlnas suas, vt significet iustitiam operum, quæ ex lege erat per manus & brachia figuratorum, humili quidem sed salutari fidei euangelicę gratiæ imitandum. Accepit senior infantem

fantem Christum, vt insinuet hoc seculum quasi senio iam defessum ad infantiam & innocentiam Christianæ conuersationis rediturum. *Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.* Orig. Si autem ad tactum fimbriæ vestimenti mulier sanata est, quid putandum est de Simeone, qui in suas vlnas accepit infantem, & gaudebat videns paruulum a se gestari? qui venerat ad vinctos resoluendos, sciens neminem eum posse de claustro corporis emittere cum spe futuræ vitæ, nisi is quem in brachiis continebat: vnde dicitur: *Et benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Tho. Quòd dicit Domine, confitentis est, quòd ipse mortis est & vitæ Dominus: & sic puerum quem suscepit Deum confitetur. Orig. Quasi dicat, quandiu Christum non tenebam, clausus eram, & de vinculis exire non poteram. Basi. Si autem voces istorum inquiras, omnes super hoc mundo, & eius flebili mora ingemiscunt. Heu mihi, dicit Dauid, quia incolatus meus prolongatus est. Amb. Vidit ergo iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo: sed qui vult dimitti veniat in templum, veniat in Hierusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus verbum Dei, & complectatur velut quibusdam fidei suæ brachijs: tunc dimittetur, vt non videat mortem qui viderit vitam. Græcus, Simeon autem benedicebat Deum inter cætera, quòd promissa sibi facta sortita erant efficaciæ veritatem: nam consolationem Israel oculis perspicere meruit, & manibus portare: & ideo dicit, secundum verbum tuum, id est, cùm finem obtinuerim promissorum: at vbi visibiliter sensi quod desiderabam, nunc soluis tuum seruum, nec gustu mortis attonitum, nec hæsitationis cogitationibus conturbatum. Et ideo subditur, *In pace.* Greg. Nis. Quia postquam Christus culpam hostilem destruxit, nos quoque patri reconciliauit, facta est translatio sanctorum in pace. Orige. Quis est autem qui de seculo isto recedit in pace, nisi is qui intelligit quòd Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? nihilque habet inimicum Deo, sed omnem pacem bonis in se operibus assumpsit. Græcus, Fuerat autem sibi repromissum, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini: & ideo hoc impletum ostendens subdit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Gre. Nise. Beati oculi tui, tam animæ quam corporis: hi quidem visibiliter Deum suscipientes, illi verò non solùm quæ visa sunt attendentes, imò illuminati fulgore spiritus Domini verbum in carne cognoscentes, salutare namque quod tuis oculis percepisti, ipse Iesus est, quo nomine salus declaratur. Cyril. Fuerat autem Christi mysterium, quod paruit in vltimis temporibus seculi præparatum ante mundi originem: vnde sequitur: *Quod parasti ante faciem, &c.* Athana. Scilicet confectam toti mundo per Christum salutem: qualiter ergo supra dictum est, quod expectabat Israel consolationem: eo quòd scilicet tunc futuram esse consolationem Israel agnouit in spiritu, cum & in omnibus populis paratũ est salutare. Græcus, Attende etiam sagacitatem digni & venerãdi senis: antequam dignus videretur beatæ visionis, præstolabatur solamen Israel. Vt autem quod superabat obtinuit, exclamat se vidisse salutem omniũ populorum, adeò enim infantis ineffabile iubar illustrauit eum, vt processu temporis secutura mox sibi fierent nota. Theo. Signanter autem dicit, *Ante faciem:* vt scilicet omnibus eius incarnatio appareret: hoc autẽ salutare dicit esse gentium lumen, & gloriam Israel. vnde sequitur, *Lumen ad reuelationem gentium.* Athanas. Gentes enim ante Christi aduentum in vltimis tenebris erant constitutæ cognitione diuina priuatæ. Cyril. Sed Christus adueniens factus est lux tenebrosis & erraticis, quos diabolica manus pressit. Vocati sunt autem à Deo patre ad notitiam filij, qui est lux vera. Athan. Israel autem licet tenuiter lege illuminabatur. & ideo non dicit quod lumen illis protulerit, sed subdit, *Et glo. ple. tuæ Israel.* Memorans antiquam historiam: quod sicut olim Moyses Dominum alloquendo gloriosam retulit faciem, sic & ipsi diuinam humanitatis lucem pertingentes, vetus abijcientes velamen, in eandem imaginem transformarentur de gloria in gloriam. Cyril. Nam etsi quidam eorum inobedientes fuerint, tamen reliquiæ saluæ factæ sunt, & per Christum peruenerunt ad gloriam. Harum primitiæ fuere diui apostoli, quorum fulgores vniuersum orbem illuminant: fuit etiam Christus singulariter Israel gloria, quia secundum carnem ex eis processit: quamuis cunctis, vt Deus, præesset per secula benedictus. Greg. Nis. Et ideo signanter dixit, *Plebis tuæ:* quia non ab eis tantùm est adoratus, sed insuper ex eis est secundum carnem natus. Bed. Et bene reuelatio gentium Israelis gloriæ præfertur, quia cùm plenitudo gentiũ introierit, tunc omnis Israel saluus erit.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia 1.

Cum iam impleti essent dies purgationis eorum secundum legem Moysi, duxerunt eum Hierosolymam. Propter purgationem (inquit) eorum. Quorum eorum? Si scriptum esset propter purgationem eius, id est Mariæ quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur, & audacter diceremus Mariam quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum. Nunc vero in eo quòd ait, *dies purgationis eorum*, non videtur vnum significare, sed alterum siue plures. Ergo Iesus purgatione indiguit, & immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed scripturarum autoritate commotus. Vide quid in Iob scriptum est, Nemo mundus à sorde, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius. Non dixit nemo mundus à peccato, sed nemo mundus à sorde. Neque enim id ipsum significant sordes atque peccata. Et vt scias aliud sordem, aliud sonare peccatum: Esaias manifeste docet dicens. Lauabit dominus sordem filiorum & filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio eorum. Spiritu iudicij sordem, & spiritu combostionis sanguinem. Omnis anima quæ humano corpore fuerit induta, habet sordes suas. Vt autem scias Iesum quoque sordidatum sentiendum secundum ignominiam crucis, non secundum ipsam quam assumpsit sanctam carnem, de qua apostolus ait in similitudine carnis peccati fuisse propria voluntate, quia pro salute nostra humanum corpus assumpserat, Zachariam prophetam ausculta dicentem, Iesus erat indutus vestibus sordidis. Quod quidem & aduersus eos facit,

Ex Hom. 14. in Lucam.

Cauet lege. nã videtur, in tere. B. Mariã post partũ indiguisse purgatione c. ... Christo ... ...

cit, qui negant dominum nostrum humanum habuisse corpus, sed cælestibus & spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cælestibus, & vt illi falso asserunt, de syderibus & alia quadam sublimiori spiritalique natura corpus eius fuerit: respondeant quare potuerit spiritale corpus esse sordidum, aut quomodo hoc interpretetur quod posuimus, Iesus erat indutus vestibus sordidis. Si autem fuerint necessitate compulsi vt suscipiant spiritale corpus sordidum intelligi vestimentum, debent consequenter dicere, quòd illud quod in repromissionibus ponitur completum sit: id est, Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale: vel quòd polluti & sordidi resurgamus, quod etiam cogitare piaculum est, maximè cum qui scit scriptum esse, Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in fortitudine: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Oportet ergo, vt pro domino & saluatore nostro qui sordidis vestimentis fuerat indutus, & terrenum corpus assumpserat, ea offerrentur quæ purgare sordes ea lege consueuerant. Quod frequenter inter fratres quæritur, loci occasione commota retracto. Paruuli baptizabantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccauerunt? aut quomodo potest vlla lauacri in paruulis ratio subsistere, nisi iuxta illum sensum de quo paulo ante diximus, Nullus mundus à sorde, nec si vnius diei quidem fuerit vita eius super terram? Et quia per baptismi sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & & paruuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum cœlorum. *Cum (inquit) expleti essent dies purgationis eorum.* Explentur dies & iustitiæ. Neque enim statim vt nata fuerit anima purgatur, nec potest perfectam in ipso ortu consequi puritatem: sed sicut scriptum est in lege, si masculum pepererit, septem diebus sedebit mater in sanguine immundo, ac deinde trigintatribus in sanguine puro, & ad extremum & ipse infans sedebit in sanguine purissimo: sic quia lex spiritalis est, & vmbram habet futurorum bonorum, possumus intelligere purgationem veram nobis euenire post tempus. Ego puto quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante: nemo enim absque sordibus resurgere poterit, nec vllam posse animam reperiri quæ vniuersis statim vitijs careat. Vnde in regeneratione baptismi assumitur sacramentum, vt quomodo Iesus secundum dispensationem carnis oblatione purgatus est: ita etiam nos spiritali regeneratione purgemur. *Duxerunt illum secundum legem Moysi in Hierosolymam, offerre ante conspectum domini.* Vbi sunt qui Deum legis negant, qui aiunt non istum, sed alium à Christo fuisse in euangelio prædicatum? Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ergo putandum est, vt filium suum bonus Deus sub lege fecerit creatoris, & sub inimici iure, quod ipse dederat? Quin potius ideo sub lege factus est, vt redimeret eos qui sub lege erant, & alij legi subijceret, de qua dudum lectum est, Attendite popule meus legem meam, & reliqua. Adduxerunt ergo eum, & statuerunt ante conspectum domini. Cuius scripturæ præcepta complentes; Nempe illius. Sicut scriptum

Si per sordes intelligit aliud a peccato, cum illo ego sentio.

Cautè lege, nam reuoluitur ad suum dogma de inferni pœnis aliquando finiendis.

est (inquit) in lege Moysi, quia omne masculinum quod aperit vuluam, sanctum domino vocabitur: & ter per annum apparebit omne masculinum in cōspectu domini Dei. Masculina quæ ex eo quod vuluam matris aperuerunt sancta erant, offerebantur āte altare domini. Omne (inquit) masculinum quod aperit vuluam. Sacratum quippiam sonat. Quęcunque enim de vtero effusum marem dixeris, non sic aperit vuluam matris suæ, vt dominus Iesus: quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vuluam reserat. Matris vero domini eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus, quia sanctum vterum & omni dignatione venerationis venerandū ante natiuitatē Christi masculus omnino nō tetigit. Audeo quid loqui, quod & in eo quod scriptū est, Spiritus Dei veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit te, principium seminis & conceptus fuerit, & sine vuluæ reseratione nouus in vtero fœtus adoleuerit. Vnde & saluator loquitur, Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Videbat in matris vtero immunditiam corporū, visceribus eius hinc inde vallatus, terrenæ fæcis patiebatur angustias: vnde assimilat se vermi, & dicit, Ego sum vermis, & non homo. Ex mare quippe ac fœmina homo nasci solet: ego vero non ex masculo & fœmina secundum ritum humanum atque naturam, sed in exēplum vermis natus sum, cuius non est aliunde semen sed in ipsis, & ex ipsis in quibus coalescit corporibus origo est. Propter quod quia omne masculinum quod aperit vuluam, sanctum domino vocabitur, ductus est in Hierosolymam, vt appareret ante conspectum Dei, & propter illud quod sequitur, vt daretur munus pro eo quod in lege domini scriptum est par turturum, aut duos pullos columbarum. Turturum par, & duos pullos columbarum, pro saluatore videmus oblatos. Ego & aues istas beatas puto, quæ pro ortu domini oblatæ sunt, & quomodo asinā Balaam miror, & fœlicitate accumulo, quia digna fuerit non solum videre angelum Dei, sed etiam ore reserato in humanum sermonem erumpere: sic multo amplius has volucres prædico, easque sustollo, quòd pro domino nostro & saluatore oblatæ sunt. Vt offerrent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. Nouum quid forsitan videar inferre, sed pro maiestate rei parum dignum. Sicut noua fuit generatio saluatoris, non ex viro & muliere, sed ex sola tantum virgine: sic & par turturum & duo pulli columbarum non fuerunt tales quales oculis carnis aspicimus, sed qualis spiritus sanctus est qui in specie columbæ descendit & venit super saluatorem quando in Iordane baptizatus est. Tale fuit & par turturum: non erant illæ volucres vt istę quæ per aerem volitant, sed diuinum quiddam & humana contemplatione augustius, sub specie columbæ & turturis apparebat, vt non talibus victimis qualibus omnes homines, ille qui pro toto mundo nascebatur, & pati habebat, coram domino mundaretur, sed vt dispensatio eius noua omnia ita nouas quoque haberet hostias, secundum voluntatem omnipotentis Dei, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ita et multo alij senserunt, sed maior pars contrarium scribit.

EIVS

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

Eiʃ Hom. 15. in Lucam.

DIgna Dei munere quærẽda eſt ratio. Symeon vir ſanctus & domino placẽs, ſicut in euangelio ſcriptum eſt, expectans conſulationem Iſrael, reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto non ſe prius mortem obiturum, quàm videret Chriſtum domini. Quid ei profuit vt videret Chriſtum? Vtrum hoc tantum in promiſſione habuit, vt videret illum, nihilque ex viſu eius conſequeretur vtilitatis? an latet aliquod donum dignum Deo quod beatus Symeon & meruit, & accepit? Fimbriam veſtimenti Ieſu mulier tetigit, & ſanata eſt. Si illa ad extremam partem veſtimenti tantum emolumenti habuit, quid putandum eſt de Symeone qui in ſuas vlnas accepit infantem, & brachiis tenens lætabatur atque gaudebat videns paruulũ à ſe geſtari qui ad vinctos venerat reſoluendos, ſeque ipſum nodis corporis liberandum, ſciens neminem poſſe de clauſtro corporis quempiam emittere cũ ſpe futuræ vitæ, niſi eum quem in brachiis continebat? Vnde ad eum loquitur, *Nunc dimittis domine ſeruum tuum in pace.* Quandiu enim Chriſtum non tenebam, quandiu illũ meis brachiis non arctabam, clauſus eram, & de vinculis exire non poteram. Hoc autem non ſolum de Symeone, ſed de omni humano genere ſciendum eſt. Si quis egreditur è mundo, ſi quis è carcere vinctorum domo dimittitur vt ad regnandum vadat: ſumat Ieſum in manibus ſuis, & circundet eum brachiis ſuis, totum habeat in ſinu, & tunc exultans ire poterit quo deſiderat. Conſiderate quanta diſpenſatio præceſſerit, vt filium Dei Symeon mereretur tenere. Primum reſponſum à ſancto ſpiritu acceperat, non eum videre mortẽ niſi prius vidiſſet Chriſtũ domini. Deinde nõ fortuito ac ſimpliciter ingreſſus eſt templum, ſed venit in tẽplũ in ſpiritu Dei: Quotquot enim ſpiritu Dei agũtur, hi filij ſunt Dei. Spiritus igitur ſanctus, eũ duxit in templũ. Tu quoq; ſi vis tenere Ieſum, & amplexari manibus, & dignus fieri exire de carcere, omni labore nitere, vt ducem habeas ſpiritum veniáſque ad templum Dei. Ecce nunc ſtas in templo domini Ieſu, hoc eſt in eccleſia eius: hoc eſt templum de viuis lapidibus extructum. Stas autem in templo domini quando vita tua, & conuerſatio eccleſiæ fuerit appellatione digniſſima. Si veneris ſpiritu ad templum, inuenies paruulum Ieſum: leuabis illum brachiis tuis, & dices, *Nunc dimittis ſeruum tuum domine in pace ſecundum verbum tuum.* Simúlq; attende, quòd ſolutioni, & dimiſſioni pax addita ſit. Non enim ait dimitti volo, ſed cum additamento in pace dimitti. Nam & beato Abrahę hoc idem promiſſum eſt, Tu autem vades ad patres tuos in pace, nutritus in ſenecta bona. Quis eſt qui moriatur in pace, niſi qui habet pacem Dei, quæ omnem ſenſum ſuperat, cuſtodítque cor poſſeſſoris ſui? Quis eſt qui de ſeculo iſto redit in pace, niſi is qui intelligit quòd Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, nihilque inimicum habet aduerſarium Dei, ſed omnem pacem atque concordiam bonis in ſe operibus aſſumpſit, & ſic in pace dimittitur pergere ad ſanctos patres, ad quos, & ſanctus Abraham profectus eſt? Quid de patribus loquar? ad ipſum quoque qui patriarcharum princeps & dominus eſt, ire Ieſum, de quo dicitur. Melius eſt reſolui & eſſe cum Chriſto. Ille habet Ieſum, qui audet loqui. Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Vt igitur & nos ſtantes in templo, & tenentes Dei filium amplexantéſque eum, digni remiſſione, & profectione ad meliora ſimus oremus omnipotẽtem Deum, oremus & ipſum paruulum Ieſum, quem alloqui & tenere deſideramus in brachiis: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis Epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.

V*T ſiſterent eum Domino.* Quid ſit autẽ in Hieruſalem ſiſti Domino dicerem, niſi in Eſaiæ commẽtis ante dixiſſem: circumciſus enim vitiis Dominico dignus iudicatur obtutu, quia oculis Domini ſuper iuſtos. Vides omnem legis veteris ſeriem fuiſſe typum futuri. Nam & circũciſio purgationem ſignificat delictorũ. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humanæ carnis & mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octauum circumciſionis diem culpæ totius futura purgatio reſurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc eſt enim illud. *Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.* Verbis enim legis promittebatur virginis partus. Et verè ſanctus, quia immaculatus. Deniq; ipſum eſſe qui lege ſignetur, in eundem modum ab angelo repetita verba declarant: Quod naſcetur, inquit, ſanctum, vocabitur filius Dei. Non enim virilis coitus vuluæ virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus ſanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina ſanctus Dominus Ieſus, qui terrenę contagia corruptelę immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit. Nam ſi literã ſequamur, quomodo ſanctus omnis maſculus, cùm multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat? Nunquid ſanctus Achab? Nũquid ſancti pſeudoprophetæ, quos ad Elię preces vltor cęleſtis iniurię ignis abſumpſit? Sed ille ſanctus, quem in figura futuri myſterij pia legis diuinæ præſcripta ſignabant, eò quòd ſolus ſanctæ eccleſiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale ſecretum. Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam. Nec mirum, hic enim dixerat ad prophetam: Priuſquàm te formarẽ in vtero, noui te, & in vulua matris ſanctificaui te. Qui ergo vuluam ſanctificauit alienam, vt naſceretur propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret. *Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, &c.* Non ſolùm ab angelis & prophetis, & à paſtoribus, ſed etiam à ſenioribus & iuſtis generatio Domini accipit teſtimonium. Omnis ætas, & vterque ſexus, euentorúmque miracula fidem adſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, vtero clauſus exultat, vidua confitetur, iuſtus expectat. Et benè iuſtus, qui nõ ſuam, ſed populi gratiam requirebat: cupiens ipſe corporeæ vinculis fragilitatis exolui, ſed expectans videre promiſſum: ſciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. *Et cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, &c. Nunc* (inquit) *dimitte ſeruum tuum Domine*

Eſai 6. *Pſal. 33.* *1. Cor 10.* *Exod 13. Num. 8.* *Luc. 1.* *S. Aug to. 7. lib. 2 de pec. orig. c. 40. & lib. 2. cont Iul. Pelag. c. 2.* *3. Reg 18.* *Hierem. 1.* *Luc. 1. ſuprà. Matth 2. Philip 1. Luc. 10.*

Domine. Vide iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum
Philip. 1. Christo. Dissolui enim & cum Christo esse, multo melius est. Sed qui vult dimitti, veniat in templū, veniat in Hierusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur operibus velut quibusdam suæ fidei brachiis. Tunc dimittetur vt non videat mortem, quia viderit vitam.

S. AMPHILOCHII EPIscopi Iconij, de Iesu Christi Domini nostri occursu, deque Deipara virgine, Anna prophetissa, & Simeone, Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

Est oratio 9. inter 17. decl. patrum. MVlti præstantes viri virginitatem demirantur; nec iniuria: Est enim summa admira-
Virginitatis encomium. tione digna. Hæc vna enim Angelis est cognata; hæc cælestibus virtutibus familiaris; hæc naturis corporis expertibus, indissolubili vinculo adiuncta est; hæc sanctę ecclesiæ quasi fulgens quędam thæda prælucet; hæc mundum debellat; hæc animi perturbationes calcat; hæc libidinis æstus refrenat; hæc cum Eua nihil commune habet; hæc tristitiam, partúsque dolores ignorat; hæc à communibus fœminarum gemitibus, suspiriísque immunis, castimoniæ adhæret; Hæc condemnationis fulmen illud, Multiplicans multiplicabo
Gen. 3. dolores, & gemitus tuos. In dolore paries filios, & ad virum tuum erit conuersio tua; & ipse dominabitur tui, non formidat. Admirabilis proin-
Virginitas vitæ monasticæ ornamentum de est virginitas; vna hæc peculium est, nulli seruituti obnoxium, domicilium liberū, monasticæ vitæ ornamentum. Hæc imbecilla humanę naturæ constitutione superior; hæc omni naturali affectione, animíque perturbatione est maior, hæc, vt paucis absoluam, Christum sponsum vsque ad cælestis regni thalamum ponè sequitur. Et eiusmodi quidem sunt virginitatis laudes, & prærogatiuæ, & aliæ complures his cognatæ. Cæterùm
Terrenum donum connugiū. inter terrena dona, primatum obtinent honorabiles nuptiæ. Hæ enim sunt, quæ, feracis arboris, elegantissimæque plantæ, & fœcundæ radicis instar, virginitatem, animatáque, & ratione prædita germina proferunt. Hę sunt, quarum benedictione mundus crescit, genúsque nostrum propagatur, & conseruatur. Hæ humanæ naturę sunt cultrices. Per has velut per instrumentum, diuina in homine imago efformatur. Hę dominicę benedictionis gratia potitę, vniuersum mundum sustentant. Hę familiares illius administrę sunt, qui, vt homo fieret, non sine nuptiarum interuentu inductus est. Hę sunt, quę cum fiducia dicere pos-
Esa. 8. sunt; Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. In summa è medio tolle honoratum coniugium, & vbi virginitatis decus, & ornamentum inuenies? Hinc enim, & non aliunde virginitatis flos, decórque prouenit. Isthęc, dilecti, differentes inter nuptias, & virginitatem, dissidium nullum serimus; sed vtraque, tāquam mutua ope, & opera nitentia laudamus, & admiramur. Quandoquidem Dominus singularem de vtrisque curam, & prouidentiam habet; alterum autem cum altero, veluti in bilance non committit. Vtraque enim pars, ex instituto religioni, & pietati seruit; quę duo si desint, neque virginitas veneratione, neque nuptiæ honore dignæ erunt. Hæc in præsenti oratione præfari lubuit, propter id, quod in lege, de primo ex nuptiis prodeunte fructu, proditum est, & in lege gratiæ confirmatum est; & generatim dictum est; neque vsquam tamen omnino, nisi in solo Domino nostro impletū est. Ecquodnam illud? illud ipsum, quod paulò antè ex Euangelista auditum est, *Tulerunt puerum Iesum in Hierusalem, &c.* En audis hîc nuptiarū benedictionem? tum generale illud dictum; *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur*, in solo Domino nostro locum habere? adeóque ad ipsum solum referri debere? ad alium autem omnino nullum? Cuiuslibet enim virginis natura ita comparata est, vt vterus illius primò quidem reseretur per viri coitum, mox verò per partum. In nostro autem Seruatore secus res habet: Ipse enim è virginis matris vtero, modo, qui verbis explicari omnino nō potest, citra vllum prorsus viri commercium prodijt. Quare oraculum illud? *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*, ad vnum, & solum Dominum nostrum spectat.
Nunquid, quęso, sanctus Cain, qui antè omnes ex *Gen. 4.*
materno vtero fusus, in magnæ vitæ impuritate viuendi finem fecit? Nunquid sanctus bellator il- *Gen. 25.*
le, gladiíque heres Esau? nam & is quoq; antè Iacob è matris aluo prodijt. Nunquid sanctus Ru- *Gen. 35.*
ben, qui, ob pollutum à se patris thorum, in maledictionis sententiam incurrit? minimè gētium; & is tamen è fœcundo Liæ vtero primus egressus *Gen. 29.*
est. Sanè nullus horum omnium sanctus extitit; imò verò ad vnum omnes certa noxa constrictos tenuit. Planum fit hinc ergo, legale illud; *Omne* *Num. 8*
masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, ad solum Dominum nostrū pertinuisse. Atque huc quoque Gabriel minime obscure retulit; siquidem Mariam virginem his verbis compellauit; Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Altissimi. Ast cauillator quispiam posset hîc obijcere; si illud; *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum vocabitur Domino*, ad solum Dominum nostrum propriè spectat, consequens fit, virginem non mansisse virginem; Scriptura enim clamat. *Omne masculinum adaperiens vuluam.* Proinde, si dictum illud ad solum Dominum nostrum referri habet, efficitur virgineum vterum fuisse omnino reseratum. Verùm audi, & intellige prudenter: ad virginis quidem naturam quòd attinet, eius voluntate, qui iam olim ex ea natus est, claustra illius nequaquam fuère patefacta; notum est enim Prophetæ Ezechielis oraculum, quod ea de re concionatur. Hęc, inquit, porta clausa erit, non aperietur; & vir non transibit per eam: quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Ad virginis igitur naturam quòd spectat, portæ virgineæ nequaquam fuerunt reclusæ; ad nati verò Domini virtutem quòd attinet, nihil est illi occlusum, nihil quod illum impediat, nihil quod interturbet; sed omnia illi sunt aperta, & obuia. Quare supernæ quoque virtutes, inferioribus nō sine comminatione acclamantes, ita aiunt; Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ
æternales, & introibit Rex glorię. Admirabilis est *Psal. 23.*
itaque

Quo sensu dicatur, Christum tāquam primogenitum reserasse matris vterū. Et nota, vt hunc multorū SS. Patrum verba de hac re sobrie explicare noueris.

Hanc quæstionem mouet & soluit quoque infrius Hedelph. episcopus Iconij in ser. 11. de eodem festo.

itaque virginitas, sed vera virginitas: neque enim vna omnium virginum est ratio. Comperiuntur namque virgines stertentes: Comperiuntur & vigilantes quoque. Admirabiles rursus sunt nuptiæ, quę tamen verę & honorabiles sunt nuptię: multi enim has castas, impollutásque seruant; multi è diuerso fœde, incestéque in easdem præuaricantur. Admirabilis tandem est viduarum status (libet enim trium horum ordinum mentionem facere) verùm mea demum admiratione digna est vidua, quæ vere (vt ante monui) est vidua; euiusmodi ea est, quę casta est, quæ grauis est, quę ab omni fuco aliena est, quæque impollutorum certaminum agone semel perfuncta, nullius post primum coniugium sordibus amplius contaminata est.

Hoc non dicitur ad secundarum nuptiarũ detestationem sed quod ea aliquam immodica libidinis significationem ostendat.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantinop. de occursu domini nostri Iesu Christi, déque Deipara Virgine, & Simeone, Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

Est oratio 7. inter orq. declara. Patrũ.

QVo Iudaicæ perfidiæ, omnis omnino tergiuersandi ansa adimeretur, Dominus noster Iesus Christus non modo carne se vestit, verùm etiam secundum legis præscriptum, circumcisionem suscipit. Qui enim supra legem erat, is sub legem sese demisit, quò discipulos per fidem à legis onere, in libertatem vindicaret. Accipit carnem, & circumciditur perinde, ac cæteri Iudæi. Communicat carne, communicat & circumcisione. Ne venientem abnuant, facto eiusdem se generis esse demonstrat. Ex semine Dauid expectabatur Christus; cognationis huius signum manifestum in medium profert. Nam, si post susceptam circumcisionem dicere adhuc audebant; *Nescimus vnde sit*: Profectò, si secundum carnem circumcisus non fuisset, illorum negatio excusationem rationi consentaneam habuisset. Cum igitur impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Tantisper organi incrementum expectabatur. Quando impleti sunt dies octo, &c. Legis decretum erat, vt infans octaua die circumcideretur. Vbi primùm ergo octaua illuxisset, statim in medium prodibat medicus, ferrum capessebat, artem exercebat, ipsáque circumcisione Sabbatum soluebat. Hîc iam ex Iudæis percunctari licet, cùm Sabbatum sonet ab opere relaxationem, totúmque constet otio, cur octaua præscribebat, non septima? cur octaua, vt dignior, anteferebatur septimæ? Verùm Iudæi Iudaica ignorant; Ecclesia autem & Christum, & Iudæorum ritus, & obseruationes nouit. Circumciditur ergo puer octauo die, quia Christi resurrectio, quæ totius mundi est circumcisio, octaua, hoc est, Dominica die futura erat, alioqui enim cur Moyses, vt sexta, aut nona, aut decima die circumcisio adhiberetur, non præfiniuit? Plana proinde obseruationis octauæ ratio, est Dominica resurrectio. Si quis ergo est, qui resurrectionem non credit, is propter infidelitatem, & corde incircumcisus est, & à Deo alienus est. Ipsa porrò circumcisio est vera fidei cognitio, veráque eiusdem sententia. Per sacrum itaq; Baptismum, fideique cognitionem, circumcisio fidelibus impenditur. Sacrum autem Baptisma, typus est resurrectionis Christi. Transi proinde à carne ad Spiritum, a corporali ad id, quod manuducit ad spiritale: Et ibi quidem carnalem; hîc verò spiritalem circumcisionẽ hoc est, peccatorum expiationem comperies. Octaua est circumcisio, eadem quoque est resurrectio: resurrectionis autem symbolum est Baptisma. A paruis ad magna, à corporalibus progressio facta est ad spiritalia. Accedant itaque Iudæi, & proficiant; oportet enim à corporalibus, progressus exordium facere, sed pedem in iis non figere. Igitur Dominus noster Iesus Christus, quia non venerat legem soluere, sed adimplere, vnà cum Iudæis circumcisus est: Impleti sunt ergo dies octo, vt circumcideretur puer, & vocatum est nomen eius Iesus; quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Nos sanè primùm nascimur, & deinde nominamur: Iesus autem priùs nomen sortitur, quàm in vtero concipiatur. Vocatus est autem Iesus, quandoquidem Seruatoris munus obiturus erat. *Et posteaquam*, subdit Euãgelista *impleti sunt dies purificationis eorum secundum legem Moysi*. Cuius, quæso, purificationis? Iosephi haud dubiè, & Mariæ. Lex enim mulieri recens enixæ, certos purgationis dies, quos obseruaret, indicebat, intra quos ab aliorum quoque consortio se continere debebat. *Posteaquam* ergo *impleti sunt dies purificationis eorum secũdùm legem Moysi*; Tametsi Virgo nulla purgatione egeret, attamen, ne lex calcati videretur, *adduxerunt puerum Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege domini*. Vbi corporeæ expiationis mentio habetur; ibi lex Moysi tribuitur: Vbi verò oblationis sanctæ, ibi: *Sicut in lege domini scriptum est*, dicitur. Hoc autem discrimen ea de causa non constituitur, quasi lex Moysis, non sit lex Domini (quicquid enim Propheta Spiritu sancto afflatus, de re quapiam differens, loquitur, hoc ipse non loquitur, sed Dominus suggerit) nihilominus, quòd expiatio corporeum typum præ se ferret, Moysis sanctio appellatur. Contrà verò, quòd omne primogenitum domino sisteretur, Euangelista, quod primo ex vtero enatum erat, honorans, secundum legem Domini sisti perhibet. Sicut scriptum est in lege Domini, omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Hoc decretum, & hæc lex, totáque decreti, & legis ratio, & causa, ob eum posita est, qui vterum aperturus erat. Nulla enim, siue brutorum animantium, siue hominum primogenita comperta sunt vnquam, quæ aperirent vuluam: quare tantùm primogenita erant. Quem autem virgo peperit, is solus vterum aperuit. Cernis itaque legis huius decretum in eum tãtùm spectasse, qui ex virgine nasciturus erat. Hoc autem Iudæi, qui carnali sensu ducebantur, deprehendere nequaquam valebant. Rudiores enim, & crasso carnis sensui addictiores erant, quàm qui ex carnalibus spiritale diducere nossent. Ascenderunt porro, vt offerrent pro eo sacrificium, par turturum, aut duos pullos columbarum, prout lege cantum extabat. Fiebat autem hoc ipsum quoque tum in futurorum typum; tum maximè, ne quid eorum deesset, quæ secundum legis præscriptum adesse oportebat. Verùm missis his legis ænigmatis, Euangelij explanationem prosequamur. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Symeon*

Ioan. 9.
Luc. 2.
Genes. 17.
Matth. 5.
Luc. 2.
Luc. 2.
Leuit. 12.
Luc. 2.

Quæ de vteri patefactione hoc loco disputantur, ea expendẽda sũt, vt exponit Amphiloch. supra in eodẽ festo, aut alio cõmodo loco. Certũ.n. est enim Christũ dominum, materno vtero in lucẽ prodijsse.

meon, & homo ille iustus & timoratus, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum dominum in carne. Senex iam erat, factæque sponsionis exitum auidè expectabat. Erat frequens in templo, illud secum dictitans: Vbicunque tandem natus fuerit, omnino huc veniet, omnino hic occurret. Hic ergo eadem illa hora, qua parentes puerum Iesum deferebant, per spiritum venit in templum. Sæpenumero iam antè eò venerat, sed propriæ voluntatis proposito, tūc autem quasi Spiritus sancti manu ductus opportunè venit, nempe, vt factæ promissionis fidem tandem aliquando expletam videret: *Et accepit puerum Iesum in vlnas suas, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis seruum tuum, domine, secundum verbum tuum in pace.* Vnde dimittis? ex vitæ huius stadio. Sunt enim hîc omnia tristia, carcer est præsens hæc vita. Ille, vt dimitteretur, venerat, dimittique ardenter cupiebat: Si quis proinde est, qui hinc excedere, in detrimento ponit, ille fide necdum perfectus est. *Nunc*, inquit, *dimittis seruum tuum, domine, secundum verbum tuum in pace.* Adest enim, qui mundo pacem conciliaturus est. Adest pacificator ille, qui cælum terræ iuncturus, terrámque per Euangelij doctrinam in cælo transformaturus est. *Nunc*, clamat Symeon, *dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quod dicit, eiusmodi est: Antè quidem mente credebam, rationéque & cogitatione cognoscebam; nunc autem viderunt oculi mei. Quod, inquam, cor antè expectabat, id nunc conspicati sunt oculi mei: nihil ergo mihi deest ampliùs. Et quidnam illi viderunt? *salutare tuum.* Qualénam illud? *quod parasti ante faciem* non vnius populi, aut solius Israelis; *sed ante faciem omnium populorum.* Qui enim natus est, cōmunis omnium Doctor, & Magister est. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Cur lumen? quia gentes in tenebris versabantur, & quia rursum obscurata, terrisque peccatorum tenebris obducta, per illud illustranda & expianda erant. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Hic gloria, illic reuelatio. Hic doctrinæ initium, illic disciplinæ persecutio; & gloriam plebis tuæ Israel. Ast obiecerit hic fortè quispiam; dic, quæso, vbinam sunt Israelitæ? Ecce, habes Petrum, habes Paulum, habes Ioannem, habes tria millia, habes quinque millia, habes Ecclesiam Hierosolymitanam, habes eos prætetea Iudæos,
Esa.1. qui inter gentes dispersi, fidem susceperant: Nisi enim dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & Gomorrhæ similes essemus.
3.Reg.19. Item; Reliqui mihi septem millia virorum. Itaque asseruabatur in populo illo fidei semen, neque simul vniuersus pessum iuit, absit; neque simul omnes Iudæi, in interitum ruerunt, sed plurimi; neque id mirum: nam & nunc quoque in fœlici hac rerum constitutione, beatáque vocatione, multi quidem sunt vocati, pauci verò electi. Vo-
Matt.20.22. cauit enim Deus vniuersum terrarum orbem, præparauitque sacrum Euangelij epulum; verùm vbi venerit, delectúmque ingressus habere cœperit, diligenter in accumbētes inquiret; & si quem nuptiali veste destitutum istic inuenerit, amice, dicet illi, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Vt ergo ibi habitus est delectus, ita hic quoque habebitur. Non enim, quia vocati sumus, ob id quoque improbè viuere debemus, tanquam iam id assecuti simus, quod est perfectum. Plurimorum itaque ruina, nostra, dilecti fratres, fit cautio. Non totus itaque populus ille simul interiit, non totus deprauatus est, non totus in infidelitate permansit, non totus persecutus est Apostolos. Crediderunt enim per Apostolos simul tria millia, extra mulieres, & paruulos, & facta est Hierosolymis Ecclesia admodū numerosa. Ante enim templum euersum, ante Iudæos eiectos, ante Hierusalem solo æquatam, Ecclesia ædificabatur, verbáque illa Ioannis: Illum oportet crescere, me autem minui, euidentem veritatē sortiebantur. Simeō igitur cum Propheta esset, dicit: *Et gloriam plebis tuæ Israel.* In apertam namque expectantium gloriam cedebat, eius, qui expectabatur, occursus. Et quidem Ioseph, & Maria, quæ dicebantur, tacitè magnificant, laudibúsque extollunt, Angelus euangelizat; Magi agnoscunt; Pastores audiunt; Angelorum exercitus choros ducunt; Stella è cælo indicium facit; Simeon vaticinatur; Anna filia Phanuel prophetizat; terra verba facit; cæli dant vocem; Magi Tyrannum negant; Pastores pastorum principem Christum adorant; Mater, & Ioseph dignoscunt, & audiunt omnia, stupentes de us, quæ fiunt, & quò res tandem euasura sit, secum perpendunt.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hippon. in purificatione virginis Mariæ, Sermo.

HOdiernus dies ad habēdam spem vitæ æternæ, magnum contulit gaudium generi humano. Serm. 20. de temp. Primus enim homo quo cadente omnes cecidimus, cuius ruina est mortalitas nostra, non Genes.3. est natus sed factus, patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Hæc est hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda conditio est hominis, Genes.2. qua creauit fœminam de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo ex viro & fœmina. Quarta cōditio est Dei & hominis, qua natus est Christus sine viro de fœmina. In istis quatuor conditionibus vna sola nobis vsitata est: cæteræ tres nō sunt in oculis carneis, sed in fide cordis. De terra factum hominem sine patre & matre nouimus, nūquam vidimus, lecta & audita credimus. Tertia illa vsitata est nobis ipsa quotidiana. De complexu maris & fœminæ quotidiè nascuntur homines. Iam ergo erat vna sine viro & fœmina, iam erat tertia de viro & fœmina, quarta restabat sine viro de fœmina: sed ista quarta liberauit tres. Prima & secunda ruerunt, tertiam de ruina generauerunt, in quarta salutem inuenerūt. Exultent virgines, virgo peperit Christum. Nihil in ea quod vouerunt putent exterminatum, māsit virgo post partum. Exultent viduæ, infantem Chri- Ibidem. Luc.2. stum vidua Anna cognouit: exultent coniugatæ, nasciturum dominum Iesum Christum Elizabeth maritata prophetauit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimoniū salus omnium. Nunquid enim solæ virgines ad regnum cælorum perueniunt? Perueniunt & viduę. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna, quæ à virginitate sua septem annis vixerat cum viro suo, quo defuncto vsque ad senilem ætatem peruenerat, & senectute sancta expectabat infantiam saluatoris,

vt paruum

vt paruum videret annosa, paruum agnosceret anicula, intrantem in mundum saluatorem videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Christus puer natus est, exultent pueri, continentiam vouentes puero. Ipse verò integritatem puerinæ consecrauit, qui suæ matri fœcunditatem attolit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diu vixerat, cuius ætas comparatur Annæ, & audierat responsum quòd non
Luc. 2. esset visurus mortem, nisi priùs videret Christum domini. Intelligite fratres quantum desiderium habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant illum esse venturum, & omnes qui piè viuebant dicebant: O si hîc me inueniat illa natiuitas! ô si quod credo in scripturis, videam oculis meis! Et vt noueritis quantum desiderium habebant sancti qui nouerant per scripturas virginem pari-
Esai. 7. turam, sicut audistis cum Esaias legeretur; Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel. Emmanuel quid sit Euangelium nobis aperuit dicês, quod interpre-
Matth. 1. tatur nobiscum Deus. Non tibi ergo vile sit quæcunque infidelis anima, non tibi videatur impossibile vt virgo pareret, virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum & non mireris virginis partum. Vt ergo noueritis antiquos sanctos & iustos optasse videre quod concessum est huic seni Simeoni: dominus noster ipse Iesus Christus ad
Matth. 13. discipulos suos loquês ait: Multi iusti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & nô viderunt, & audire quæ auditis, & nô audierût. Multû senex iste fuit ad audiendum fetus, sed ad videndum maturus. Non expectauit vt Christum audiret loquentem, quoniã agnouit infantem. Et hoc illi côcessum erat iam decrepito, quasi desideranti & suspiranti & dicenti quotidie in orationibus suis; Quando veniet? Quando nascetur? Quando videbo? Putas durabo? Putas hîc me inueniet? Putas isti oculi videbunt per quem eordis oculi reuelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum, quòd non gustaret mortem nisi priùs videret Christum domini. Gestabat eum Maria mater eius infantem, vidit ille & agnouit. Vbi onerat quod agnoui? Auintus est reuelatus, qui foris est natus? Vidit, & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Iudæi iuuenem mirabilia facientem. Cum ergo cognouisset, accepit in vlnas suas, hoc est in brachia sua, amplexatus est eum. Portabat à quo portabatur. Ipse enim est Christus sapientia Dei, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & di-
Sapien. 8. sponens omnia suauiter. Quãtus ibi erat & quàm magnos, quàm paruus factus erat. Paruus factus, paruos quærebat. Quid est paruos quęrebat? Non superbos, sed humiles colligebat. In præsepi dignatos est poni, vt esset piorum cibaria iumentorum. Accepit eum Simeon in brachia sua & dixit:
Luc. 2. Nunc dimittis domine seruum tuum in pace. Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? quia viderunt oculi mei salutare
Psal. 95. tuum. Salutare Dei, dominus Iesus Christus. Annuntiate diem, ex die salutare eius. Habetis ergo pueri puerum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis vt & coniugatus aliquis vir testimonium domino perhibeat, Zacharias considerate, Nemo ergo quęrat aliud fratres mei charissimi, fideles, aut virgo, aut vidua, aut coniugata, aut puer, aut continens, aut vxoratos, quicquid plus esse quis voluerit, non inuenit quẽadmodum ad Christum pertineat. Nô inuenimus testimonium perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, immundos. Et vt à talibus ei testimonium perhiberetur, ipse præstitit, ipse donauit: Non enim quisquam sanctus viribus suis. Exultemus ergo charissimi, ab hodierno die crescunt dies. Crede in Christû & crescat in te Deus. Credidisti, inchoatus est Deus. Credidisti, natus est Christus in corde tuo. Sed nunquid Christus natus sic remansit? Creuit, ad iuuentutem peruenit, sed in senectutem non declinauit. Crescat ergo & fides tua, robur inueniat, vetustatem nesciat. Sic peruenies ad Christum filium Dei, in principio verbum apud Deum. Verbum Deum, sed verbum caro factum Ioan. 1.
est, vt habitaret in nobis. Maiestas ibi latebat, vbi infirmitas apparebat. In manus suas. Simeô infirmitatem accepit, sed maiestatem intus agnouit. Nemo contemnat natum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertinet in illo renasci, qui venit in hunc mundum pecca- 1. Tim. 1.
tores saluos facere, Iesus Christus dominus noster, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

S. CYRILLI EPISCOPI *Hierosolymitani, de Domini nostri Iesu Christi occursu, déque Simeone, qui Deum vlnis excepit, Oratio.*

Theodoro Peltano interprete.

LÆtare ex animo, filia Sion, gaudium annunEst oratio 8.
cia, filia Hierusalem: Choros duc, populus, ciinter 1ª. decl.
uitatus Dei. Exultate, portæ, & muri Sion, totusque adeò terræ montes, & colles inclamate magnáque cum gaudij significatione exultate: flumina, plaudite; turba, amplectere Sion, & Deum in ea præsentem côtemplare. Hodie cælestia consonas voces iungant cum terrestribus. Hodie cælestis Hierusalem, propter Christum natu, lætum Osanna cum ea decantet, quæ est inferne: hodie intelligentes, cælestésque virtutes cum hominibus, qui caducam vitam in terris degunt, choros ducant, laudésque & carmina promant. Hodie Esa. 28.
gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei Hierusalem, magni Regis ciuitas: Hodie portas illi pãdat, qui omnibus cæli portas patefecit, actúsque in crucem, sepulchrorum ostia aperuit, & æternas illas inferorum portas contriuit, & Matris tãdem virginis claustra admirabili virtute conclusas seruauit. Hodie, qui Moysi olim non absque maiestate legem in monte Sina tradiderat, sub lege factus, legem implet. Hodie Deus ex Theman, hoc est, ex austro in Sion venit. Hodie cælestis sponsus, qui ex Deipara, velut è Thalamo procedit, ad templum ascendit. Filiæ Hierusalem, lętabundæ obuiam sponso prodite. Agedum festiuas omnes vero illi lumini lampades accendamus, animarúmque nostrarum tunicas Christo sponso exornemus. Gentium populi vna cum Sion, Christo Deo ad templum non absque lumine occurramus, símulque cum eo in templum ingrediamur: Cum Angelis hymnum illum; Sanctus, San- Esa. 6.
ctus. Sanctus Dominus Sabaoth: pleni sunt cæli, & terra gloria tua, personemus. Illius bonitate

pleni sunt orbis fines. Illius laude plena est vni-
uersa humana natura. Indulgentia, & misericor-
dia eius, plena sunt cęlestia, terrestria, & subterra-
nea. Denique nihil vsquam extat, quod illius li-
beralitate, & beneficentia non sit plenum. Om-
Psal. 46. nes proinde gentes, plaudite manibus; omnes fi-
Psal. 65. nes terræ, venite, & videte opera Dei; Omnis spi-
Psal. 150. ritus laudet Dominum; Omnis terra adoret; Om-
Psal. 65. nis lingua canat, & psallat, & gloriosè prædicet
puerum ante dies quidem quadraginta natum,
Deum autem æternum; puerum paruum, sed an-
tiquum dierum: puerum lactãtem, sed seculorum
effectorem. Infantem cerno, sed Deum agnosco.
Idem enim infans, & vbera sugit, & mundum
vniuersum pascit. Idem vagit in cunis, & mundo
vitam, gaudiumque impertit. Idem fasciis inuol-
uitur, & nos ex peccatorum vinculis eximit. Idem
carnem vere indutus, matris vlnis continetur; ne-
que à Patris tamen sinu vsquam recedit, hoc est,
idem verus, perfectúsque homo est in terris, & ve-
rus rursum, perfectúsque Deus est in cælis. Idem
in Bethlehem, in Hierosolymitanam ciuitatem in-
greditur; neque a superna tamen Hierusalem vn-
quam digreditur. Idem, templum ingressus, sa-
crificium secundum legem offert in terris, & pio-
rum omnium sacrificia excipit in cælis. Qui non
absque dispensatione in vlnis cernuus Simeonis,
idem ille non absque maiestate visitur in thronis
Cherubicis. Idem offertur, & offert, sanctificatur,
& sanctificat omnia: Ipse namque est donum, ipse
pontifex, ipse est ara, ipse est propitiatorium, ipse
est, qui offert, ipse est, qui pro mundo offertur,
ipse est ignis, ipse est vitæ, scientiæque lignum,
ipse est agnus, ipse est gladius spiritus, ipse est
pastor, ipse est ouis, ipse est, qui immolat, ipse est,
qui immolatur, ipse est lex, ipse est, qui in sacri-
ficium offertur, idem ipse est, qui sacrificiũ obla-
tum suscipit. Verum enim verò res postulat, vt de
diei huius solennitate, nonnulla quoque ex sa-
cro Euangelio murnemus. Admirabilis itaque
Lucas de Christo in hunc modum scribit: *Postea-
quam impleti sunt dies purificationis, &c.* Samuel sa-
ne, & Isaac, & Iacob, & Ioseph, & alij multi, è ste-
rilibus præter spem orti, infœcundos matrum
vteros aperuerunt, vocatique sunt sancti Domi-
no: Solus autem Christus ex Iuda, solúsque vni-
genitus, citra vllam virgineorum claustrorum of-
fensionem, in lucem editus; non sanctus Domi-
no, verùm Sanctus Sanctorum, & Dominus Do-
minantium, & Deus Deorum, & primogenitus
primogenitorũm, & Rex Regum vocatur & cre-
ditur. Talisque nunc quoque à Simeone in tem-
plo prædicatur. *Et ecce*, inquit, *erat homo, &c.* Quis
Psal. 105. loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes
Isabr. 1. laudes eius? Qui vniuersam terram pugno con-
tinet, omniáque verbo virtutis suæ portat, is vl-
nis senis excipitur, & deportatur. Exultet Ada-
mus, Christum per Simeonem eiusmodi oratio-
ne alloquens: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine,
secundùm verbum tuum in pace.* nunc ab æternis illis
vinculis me absoluis; nunc à corruptione, &
interitu me eripis; nunc à morte me eripis; nunc
ab omni mœrore me expedis. Ecce Simeon vlnis
complectitur Deum, & Dominum meum in tem-
plo, cunctisque gentibus nouum, & admirabile
illud diuinæ dispensationis Sacramentum effa-
tur. Iudæis autem non sine tripudio, & exultatio-
ne, liquida claráque voce inter cætera hæc de eo
intonat: Hic est, qui est, & erat, quique à Patre nũ-
quam abest: vt pote eiusdem cum eo substantiæ,
eiusdem maiestatis, eiusdem gloriæ, eiusdem
virtutis, parisque cum ipso eodem potentiæ exi-
stens. Est enim omnipotens, principij expers,
increatus, immutabilis, incircumscriptus, inaspe-
ctabilis, ineffabilis, incomprehensus, denique ta-
lis, qui nec manibus contrectari, nec mente con-
cipi, nec vlla coniectura comprehendi potest. Hic
est paternæ gloriæ splendor. Hic est rerum om-
nium natura constantium character, & idea. Hic
est lumen luminum, è paterno sinu exortum. Hic
est Deus, qui ex Deo, & apud Deum esse digno-
scitur. Hic est fons vitæ, & vitae è patre velut è fon-
te procedens. Hic est fluuius Dei, qui ex diuina
abysso ita dimanat, vt nunquam tamen ab ea re-
cedat. Hic paternæ bonitatis, æternæque beati-
tatis thesaurus est. Hic est aqua viua, quæ mundo
dat vitam. Hic est radius increatus, qui ex patre
luminum, veluti è Sole, progignitur, neque vllo
tamen tempore ab eo diuellitur. Hic est eius ver-
bum, qui omnia solo verbo, cùm antea nõ essent,
ex nihilo produxit. Hic est Lucifer, qui ante con- Iob 9.
ditum Luciferum, incorporeas cælestium ordi- Iob 38.
num, & exercituum virtutes formauit, & exorna-
uit. Hic est, qui cęlum instar pellis, solus extendit, Psal. 103.
perindéque super mare, ac super solidum paui-
mentum, vestigia figit. Hic est, qui caligine veluti
fascia abyssum inuoluit. Hic est, qui terram super
aquas fundauit. Hic est qui mare arena veluti mu-
ro circunuallauit. Hic est, qui lucem à tenebris Gen. 1.
segregauit. Hic est, qui astrorũ orbes cõcinnauit,
& in ordinem redegit. Hic est, qui vniuersum as-
pectabilem hunc mundum in sapientia consti-
tuit. Hic est, qui increatis manibus hominem ex
luto effinxit, & efformauit. Hic est, qui, cùm secũ-
dùm Dei imaginem olim nos condidisset, nunc
secundùm nostram imaginem, & similitudi-
nem homo fieri voluit: id interim, quod meos
de illo concipit, perfectus Deus est, ex patre
perfecto essentiam absolutè perfectam sortitus.
Qui ante in Dei forma, & Dominus erat nunc
mea seruili forma sese conuestiuit. At nullam ea
re, diuinæ naturæ dignitati obscuritatem, aut de-
trimentum attulit, sed meæ tantùm naturæ mas-
sam sanctificauit. Totus enim perfectus est super-
nè, totus perfectus infernè. Idem dignoscitur su-
pernè natus absque tẽpore, & infernè sine semi-
ne. Ad superna quòd attinet, opifex est, ad infer-
na verò quod spectat, Dei opus est. Audi Israël, au- Simeõ erat sacerdos, sicut ex tabulis patet ejusdem.
dite, omnes gentes, quem ego, sacerdos vester Si-
meon, vlnis gesto, magnáque voce in hoc templo
prædico, & testimonio meo palàm commendo,
hic Deus, & Dominus est. Quamobrem, popule
mi attende ad orationem meam, inclina aurem
tuam in verba oris mei. Hic puer est ille, de quo
Esaias multò antè prædixerat, Puer, inquit, natus Esa. 9.
est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur no
men eius magni consilij Angelus, admirabilis,
consiliarius, Deus fortis, princeps pacis: pater fu-
turi seculi. Si igitur puer hic, Deus fortis, & præ-
potens est, omni studio illum excipite. Hoc etiam
spectat illud Dauidis, Deus Deorum videbitur in Psal. 83.
Sion. Et illud item Hieremiæ, Deus in terris visus Baruch. 3.
est, & inter homines cõuersatus est. Hic puer po-
pulo Israëlitico mare quondam diffecuit, & Pha- Exod. 14.
raonem submersit, & Israëlitis legẽ dedit, & man-
na pluit, & Hebræorum genus ignis columna per

desc[e]

Numer.20. desertum deduxit, & petram disrupit, & rubum, roscida flamma cinctum, incombustum cõseruauit. Exod 3. Hic puer Moysen quadraginta annos ouium pastorem constituit, & eundem rursum quadraginta annos populo Israelitico ducem præfecit, & vt quadraginta dies ieiunaret, corroborauit. Christus Dominus templo certam quadraginta dierum in se ipso consecrauit. Quemadmodum ipse etiam puer Baptismo iam initiatus, quadraginta dierum ieiunium exantlauit, & post quadraginta dies à resurrectione sua ex mortuis,in supernam Hierusalem ascendit, & post quadraginta tãdem dies ab ortu eius ex Matre virgine, in terrestrẽ Hierusalem ingressus est. Abac.3. De hoc puero dudũ antè,Propheta Abacuc prænuntiarat, dicens, Deus ex Theman veniet, hoc est, ex Austro veniet, nam Bethlehem, ex qua Iesus in Sion ingressus est,ad australem Hierosolymorum partem posita est. De hoc puero Moyses his verbis nobis contestatus est, Prophetam suscitabit Deut 18. vobis Dominus Deus ex fratribus vestris, Quicunque Prophetam hunc non audierit, exterminabitur ex terra viuentium. Hunc puerum ardentibus votis videre exoptabat Propheta Dauid, Psal.79. Qui, ait, sedes super Cherubim, appare: Excita potentiam tuam,& veni a d saluandũ nos. Et alio Psal 78. loco,Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.Rursus,Inclina,Domine,cœlos,& descende.Et alibi, Psal.58. Tu, Domine Deus virtutum, attende, vt visites omnes gentes. Ea propter beneficum agnoscite, gentes,manumque date. Videte Iudæi,& credite: hunc enim puerum decantant, summóque laudũ præconio extollunt Angeli, hunc adorant Archangeli, hunc tremunt Potestates, hunc gloria efferunt Virtutes: Huic seruiunt Cherubim,hūc Deum prædicāt Seraphim, huic obsequium præstat Sol,huic cultum,& ministerium defert Luna, huic parent elementa, huic subduntur fontes, hunc puerum inferorum portæ conspicatæ, disfractæ diffluerunt,huius pueri conspectu, cœlorum aditus patefacti sunt. Hic puer mortẽ enervauit, Diabolum debellauit, maledictionem soluit,tristitiæ fluctus sedauit, serpentem contriuit, infestum peccatorum chirographũ disrupit,peccatum calcauit,errorẽ dissipauit,prolapsam creaturam instaurauit. Hic puer Adamum seruauit, Euam in integrum restituit, gentes vocauit,mũdum illuminauit. Vniuersi proinde, qui Christi, Deique amantes estis,alacres adeste, potiùs, & læti,Dei,ac Domini nostri occursum excipite, nõ ritu legali,sed sensu spiritali, non ventre luxuriãtes, sed spiritu exultantes, non vino madentes, sed spiritu feruentes. Ad hunc modum ad iucunditatem compositi, festiuè hodierno die lampa- Cerei in Christi honorẽ quõdam oblati. das nostras exornemus.Tãquam lucis filij Christo vero illi lumini cereos offeramus, Quandoquidem lumen in reuelationem gentium mundo apparuit. Lumẽ itaque è lumine mutuati, super niuem dealbemur, super lac,& caseum emolliamur, super lapidem sapphirum luceamus, super castas columbas purius cœlos subuolemus, &quasi nubibus subuecti,Deo occurramus. Hodie, dilecti, festi huius stadium omni ex parte Quomodo purificationis festum celebrandum. integrè percurramus. Cum Angelis igitur choreas ducamus, cum pastoribus cœlesti lumine perfundamur, cum Orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum diem agamus, cum Sion occurramus, cum tẽplo sanctificemur, cum virgine festiuè lætemur,cum Ioseph offeramus, cum Simeone Christum vlnis complectamur, quõd gratia,& misericordia, & clementia eiusdem domini nostri Iesu Christi, ad æterna illa tabernacula, bonáque cælestia admittamur. Ipsi sit gloria, & imperium nunc, & semper, & in secula seculorum,Amen.

TIMOTHEI PRESBYteri Hierosolymitani, de Propheta Symeone, qui Christum vlnis excepit, déque illo Luca, Nunc dimittis seruum tuum, Domine, &c. Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

AGedum, dilecte, postremum iustum consideremus, & oratione illustremus. Equis- Ex oratio... inter.17 doct. patrum. nam ille postremus iustus is nimirum,quem paulò ante Euangelium ex Luca recitatum ob oculos nobis posuit,nomine Simeonem.Hic enim Simeon & primus,& vltimus est. Vltimus quidem ex lege Moysi;primus verò in lege gratiæ.Iudæus religione; Christianus animi gratitudine: Angelus sermone;Christianus cognitione, & lectione. Simeon,quem Euangelij lectio modò nobis proposuit, haud secus ex blasphema Pharisæorum secta lectus est, atque rosa legi solet è spina; primúsque per collarẹ gratię afflatum,insignitet nobilitatus est. Hic est ille Simeon,qui ad tātam iustitiam peruenit,vt in corpore adhuc constitutus, diuino oraculo didicerit,non priùs se fluxã hanc, temporariámque vitã cum morte cõmutaturum, quàm dominum nostrum Iesum Christum videret in carne.Itaq; iustus, & magnus ille Simeon, qui ante incarnationis mysterium, Dominum videre auidè desiderauerat, iam incarnatum vidit, & agnouit, visúmque, & agnitum vlnis excepit. Idem porrò è corporis carcere excedere gestiens, omnium Dominum (qui tum in infantili forma apparebat) senili voce ad hunc modum compellat. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: Quia viderũt oculi mei salutare tuum.* Vidi,Domine,iam tandem gloriam tuam; absoluat itaque ab hac caduca, & momentanea vita; vidi Angelorum choros; audiui Archangelorum glorationem;perspexi vniuersam creaturam,præ gaudio exultantem;animaduerti cælestia, & terrestria inter se transcurrere,pariterque coire. Absoluat nunc, quæso, Domine,ne diutius hic hærens,quæ nolim,intueri compellar.Etenim Spiritus sanctus, qui in me est, palàm ostendit,quæ in te futura sunt. Dimitte me nunc, obsecro, ne videam audax, nefariúmque Iudæorum contribulium meorum in te facinus; ne videam coronam, è spinis contextam;ne videam seruum,alapam infringentem; ne videam lanceam in te adactam; ne videam solem,lumine orbatum;ne videam lunam,veluti deliquium passam,obscuratam;ne videam elementa immutata; ne videam te clauis cruci affixum;ne videam saxa disrupta;ne videam templi velum discissum. Nam ipsa quoque elementa,quòd impium, execrandúmq; ausum non ferrent, Domino condolere visa sunt. *Nunc ergo dimittis seruum tuum, Domine, in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Ecquid Euangelista de eo prodit amplius?audi quid dicat. *Et ecce homo erat in Hierusalem,*

rusalem, &c. Audi, & perpende hæc prudenter, dilecte, quod dicit eiusmodi est; Cùm Simeon meditabundus domi sederet, Deúmque apud se rogaret, vt, quod acceperat oraculum, exitum aliquando sortiretur; Iosephúsque, & Maria soli in eo iam essent, vt puerum Iesum ad templum deferrent, & secundùm legis consuetudinem sacrificium pro eo offerrent, Spiritus sanctus responsum exhibiturus, statim præsto fuit, Simeonemq; eiusmodi oratione excitauit; Surge, senex, quid dormis? tempus, quo oraculum expleri debet, iam adest; matura citò; præsto est enim, qui te absoluet. Excute nectotaphia, funereásque sudones, præpara sepulchrum, dispone domui tuæ, adest qui te missum faciet; Venit Emanuel, celeriter ad templum transcurre; in templo autem meo constitutus, sacra de sacro varieinste. Simeon itaque, quasi ætate innouatus, animique desiderio, perinde ac alis quibusdam vehementer concitatus, & à spiritu sancto nihilominus impulsus, & subleuatus, celerrimè cucurrit, Iosephúmque, & Mariam, qui recta ad templum contendebant, anteuertit. At verò puerum, qui deportabatur, non anteuertit. Quomodo enim eum anteuerteret, qui nusquam non præsens adest. Tantum itaque Iosephum, & Mariam anteuertit Simeon; templúmque ante illos ingressus, iuxta sacræ ædis adyta constitit, Spiritus sancti reuelationem ibidem expectaturus. Cum autem cogitabundus isthic consisteret, vidit quidem multas matres cum infantibus suis templum subeuntes, quo purificationis sacrificium offerrent; in quarum medio erat ea etiam, quæ venerandum illum, & ab manibus ſ ordibus alienum partum gestabat. Iustus autem Simeon oculos huc, illuc circunferēs, vidit quidem multas mulieres, verum singulas schemate, ornatúque humanæ naturæ proprio affectas; solam autem virginem quodam diuino, infinitóque lumine circunfusam animaduertit. Currens itaque segregauit reliquas matres, clamans, & dicens coram omnibus; Date mihi locum, quo eum complectar, quem diu desideraui. Video illum, qui dudum me ante videtat; video, & reuiresceit spiritus meus. Quid vos, quæ ancillæ estis, cum domina, & libera concertatis? Cur paruulos vestros ad oram defertis? huc vos conuertite, & puero huic, qui Abrahamo ipso antiquior est, dona isthæc offerte.

S. TITI BOSTRORVM *Episcopi superioris Euangel. expositio.*

Et postea quam impleti sunt dies purificationis eius, secundùm legem Moysi. Rectè ab Euangelista subiungitur *secundùm legem Moysi*: nam secundùm rem, sacrosancta virgo mater nulla prorsus purificatione egebat; adeóque vt purificationis dies, qui, si id, quod pepererat, masculus erat, quadraginta habebantur, morosè expectaret, nullū operæ pretium erat. Legis vox eiusmodi erat: Mulier si suscepto semine masculum pepererit, quadraginta dies polluta erit. At castissima Deipara Maria quod non ex viri semine, sed ex Spiritus sancti virtute concepisset, neque secundùm legem, neque secundùm arcanam legis significationem immunda erat. *Et ecce homo erat in Hierusalem, &c.*

Leuit. 12.

Quòd Simeonem Israelis consolationem expectasse hoc loco asseritur, eiusmodi est. Optabat pius senex, vt Israeliticus populus in Christum crederet, credendóque consolationem, hoc est, à Romanorum dominatu, Herodísque hominis alienigenæ tyrānide liberationē, per illum quandoque inueniret. *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* De dimissione ex caduca hac, mortalique vita hęc accipe. *Secundùm verbum tuū in pace.* Hoc dicit propter oraculum, quo edoctus fuerat, non priùs è viuis se excessurum, quàm Christum dominum in carne præsentem oculis conspexisset. *Lumen ad reuelationem gentium.* Quandoquidem gentes in tenebris, hoc est in terra veritatis ignoratione degebāt, cultúmque, qui soli Deo debetur, dęmonibus impendebant, Christus autē lux est, quæ verum illis Deum, hoc est, seipsum, & Patrem, & Spiritum sanctum patefecit, propterea lumen ad reuelationem dicitur. *Et gloriam plebis tuæ Israel.* Idem ille Christus Israeli quoque cessit in gloriam: nam & ortum secundùm carnem ex illis duxit, & multos prætereà ex illorum genere, propter fidem in ipsum, ad cælestem gloriam euexit.

S. HIDELPHONSI EPIscopi Toletani in Purificatione Sanctæ Mariæ, Serm. 1.

Postea quàm impleti sunt, &c. Series huius lectionis cùm multa alia, tum præcipuè virtutem commendat humilitatis, quæ cæterarum est mater, & custos: adeo vt sine hac, alia virtus nulla haberi queat. Hanc ergo nobis præsens lectio non minùs in domino saluatore, quàm in venerabili eius commendat genitrice, quorum vterque cùm ab omni legis præcepto liber extiterit: vterque tamen causa commendandæ humilitatis sponte se legalibus subdere voluit institutis. Perpendat ergo vnusquisque, quantam obedientiam præceptis debeat diuinis, purus, ac peccator homo; si tantum se pro hominibus humiliare voluit totius peccati immunis Deus homo. Vt autem quàm Deus, vnà cum genitrice sua à præcepto legis immunes extiterint nouerimus, ipsum legis mādatum diligentiùs perscrutemur. Mulier, inquit Deus in lege, quæ, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Octaua autem die circumcidetur infantulus, & ipsa triginta tribus diebus manebit in sanguinis sui purificatione. Cùm ergo mulierem, quæ, suscepto semine, peperisset immundam decernat, & per temporum spatia expiari iubeat: illam vtique ab hac exclusit necessitate, quæ non de virili semine, sed de Spiritu sancti concepit obumbratione. Sed dominus legis, sponte se voluit subdere legi, vt nos à maledicto legis absolueret: similiter & intemerata eius genitrix, quæ se nouerat nihil legi debere, humilitatis tamē gratia, legale voluit exequi præceptum, adimplens illud viri sapientis. Quantò magnus es, humilia te in omnibus. *Postquam autem impleti sunt dies purgationis eius*, vel domini scilicet, vel matris illius, (vno enim eodémque ordine, mater cū filio expiari iubebatur) haud dubium, quin puerum Iesum, *parentes eius in Hierusalem, ad templum domini, vt sisterent* (id est) statuerent, consecrarent *eum domino.* Pueri Hebræorum, qui ex omni regno Hierusalem deferebantur,

Leuit. 12.

Ecclesi. 3.

tur, siquidem ex tribu Leui fuissent ibidem detinebantur, in templo domini perpetuo seruituri. Si verò ex alia tribu fuissent, dato pretio, redimebantur à parentibus, ad propria referēdi. Et puerorum quidem purificatio in hostiarum oblatione constabat: matrum verò in hoc quòd quadraginta diebus, tam ab ingressu tēpli domini, quàm à viri thoro prohibebantur: non quòd ex legitimo, & nuptiali connubio sit culpa, filios procreare, sed, quia ipse legitimus, & nuptialis coitus, à culpa iniquitatis non possit esse extraneus. Bonum nanque nuptiarum ab ipso humani generis initio diuinitùs concessum nouimus. Vnde Apostolus, Honorabile cōnubium, & thorum immaculatum sine dubitatione commendat. Cum igitur legitimæ nuptiæ liberaliter sint à Deo tributę in fide, & dilectione, si libidinis voluntate non agantur: necessario prolem edunt peccato primi hominis vitiatam. De bonis itaque nuptiis adeo bonum est, quod nascitur: vt etiam malum non sit, si sine adulterio, vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fœcunditatis dona contulit, libidinis verò malum creatura Dei non est, sed pœna peccati: proinde de mūdicia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia, interueniente sordida libidine, iniquitas seminatur. Hinc & beatus Dauid, qui se nouerat de legitimo connubio generatum, huius tantum rei conscius, maculam carnalis generationis, non sine graui gemitu deplorabat dicens, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Hæc paucis dicta sunt, vt nouerimus maculam originalis peccati, non in legitimis nuptiis, sed in voluptate, & delectatione cōstare libidinis. Quod autem mulier quadraginta diebus, edito partu, ab ingressu templi prohibebatur, ideo iuxta literam factum videtur, vt quot diebus infans in vtero formatur, tot etiam diebus eius purgatio celebraretur. Dicunt enim Physici, id est, qui de genituris singularum rerum disputant, quod susceptum semen à fœmina, sex primis diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem vertatur in sanguinem, reliquis autem duodecim solidetur: dehinc decem, & nouem aliis, per singula membrorum liniamenta formetur, inde vsque ad tempus pariendi, magnitudine sui augeatur. Qui numeri simul iuncti, quadraginta, & sex faciunt. Sex verò, & nouem, & duodecim, & decem, & nouem, quadraginta & sex faciunt: quo numero, vt dictum est, infans in vtero matris concipitur. Vnde & ipsum primi hominis vocabulum, quod est Adam, eundem numerum per Græca elementa exprimit. Secundum enim Græcorum calculationem, qui singulis literis certum præfigurant numerum, & vnū & quatuor, item & vnum, & quadraginta faciunt: quæ literæ nomen Adam exprimunt, numeri verò quadraginta sex reddūt. Hinc Iudæi in euangelio, licet ignorantes, quid dicerent, veraciter tamen de templo dominici corporis, quod ab eis erat in morte soluēdum, & ab ipso post triduum resuscitandum locuti sunt. Quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc, quo vtique dierum numero corpus dominicum in vtero virginis formatum credimus, more scripturarum vsitatissimo, annos pro diebus à toto scilicet partem intelligentes. Quòd autem purificatio, non quadraginta sex diebus, sed quadraginta tantum expleri iubetur, mos est scripturæ vsitatissimus, minores numeros * quidem causam transcendere solent, infra maiores includere. *Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur.* Ex quo per Ægyptum transiens primogenita Ægyptiorū peremit, filios Israël inde eduxit, omnia sibi primogenita filiorum Israel consecrauit, tam de hominibus, quam pecoribus: ea lege, vt pecora quidem, si munda essent, in sacrificio eius offerrentur: immunda verò aut mutarentur, aut redimerentur, aut interficerentur, iuxta quod in lege scriptum est. Primogenitum verò hominis siquidem ex tribu Leui fuisset, vt dictum est ibidem, detinebatur: si autem ex alia tribu, pretio redemptum ad propria referebatur. Pretium autem erat quinque siclorum post vnum mensem pondere sanctuarij. Allegoricè hęc omnia primogenita vnum illum, ac singularem significabant primogenitum, qui, cum esset in substantia Dei patris vnicus, factus est in substantia hominis primogenitus omnis creaturæ, id est, omnium hominum: iuxta quod Apostolus de eo dicit. Qui est primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui verè, ac singulariter sanctus dominus fuit: quia peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Tropologicè, nos quoque omnia primogenita nostra in sacrificio domini offerimus, cùm, quicquid boni per eius gratiā in mente concipimus, non nostris viribus, sed eius gratiæ attribuimus. Immunda nostra pretio quinque siclorum redimimus, cum quaecunque praua per quinque corporis sensus commisimus, digna satisfactione punimus. *Et vt darent* (inquit) *hostiam.* Hostia hæc pauperum erat: Nam in lege præcipiebatur, vt parentes pro puero agnum offerrent immaculatum, & turturem, siue pullum columbæ. Si verò manus illorum agnum inuenire non posset, offerrent duos turtures, vel duos pullos colūbarum. Redemptor autē noster memor per omnia nostræ salutis, non solum homo pro nobis, verùm etiam pauper homo fieri dignatus est: Et pauperem pro se hostiam offerri, ac de pauperibus nasci parentibus voluit, vt nos sua paupertate spiritualium diuitiarum, & cœlestis regni participes efficeret, secundum quod ait Apostolus. Cū esset diues, pro nobis pauper factus est, vt illius paupertate nos ditaremur. Nō autem vacat à mysterio: quod hæ volucres maximè in sacrificio domini offerri iubebantur: Nam per has quisque mundandus esset, in lege expiari præcipiebatur. Columba enim simplicissimum est animal, & à fellis amaritudine alienum. Turtur verò castitate præeminet, adeo vt, si casu proprium perdiderit, deinceps alium non requirat coniugem. Quod dominus has aues sibi in sacrificio præcipiebat offerri, significabat se sanctorum castissima simplicitate, quasi gratissimo delectari sacrificio. Notandum etiam, quòd vtraque hæc auis gemitum pro cantu edere solet, significans geminam sanctorum in hoc seculo plorationem: quo tam pro reatibus suis deflent, quibus ad liquidum, quandiu hic sunt, carere non possunt: quàm pro eo quòd diutius à regno differuntur. Quod verò columba gregatim incedere solet, turtur autem soliuagus est, per columbā, actiua vita, quæ multorum est communis: per turturem verò contemplatiua, quæ paucis est mirabilis, designatur. *Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Simeon.* Veniens in carne dominus, non solum ab Angelis,

Margin notes: Hebr. 13. — Psal. 50. — Ioan. 2. — * fortè quā summam. — Exod. 12. & 14. — Apoc. 1. — Satisfactio pro peccatis. — Leuit. 14. — 2. Cor. 8.

verùm etiam ab omni hominum conditione testimonium habuit: quia dignû erat, vt, qui ad salutem omnium veniebat, ab omni ætate, sexu, & conditione ei testimonium perhiberetur. Iam ergo ei testimonium perhibuerat illa sublimis, & angelica dignitas, quando in eius natiuitate exultando clamarunt: Gloria in excelsis Deo. Perhibuerat virgo, quæ genuerat, perhibuerat & coniugatus Zacharias, cum coniugali sua Elizabeth, Perhibuerat puer Ioannes, adhuc in vtero matris positus. Restabat vt aliquis cõtinens, & senex ei testimonium redderet, qui vtique talis induceretur de cuius assertione nemo dubitaret, *Homo* (inquit) *iustus & timoratus*. Bene autem, cum dixisset *iustus* addidit *& timoratus*, quia iustitia sine Dei timore custodiri nullatenus valet. Re autem vera iustus erat, quia non suam tam, quàm totius populi consolationem expectabat. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto.* Magnum desiderium habuerunt antiqui sancti, Christum videndi in carne, qua eum nouerant oraculis prophetarum ex virgine nasciturum, vt ipse Dominus manifestauit, quando discipulis in Euangelio ait, Dico vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges, & iusti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Quod huic sancto seni Simeoni, gratia meritorum concessum est. Accepit quippe responsum à Spiritu sancto, quo plenus erat, non visurum se mortem temporalem, nisi prius videret in carne Christum: qui omne humanum genus redimeret: *& venit in Spiritu in templum.* Non est putandum, quòd sine corpore, solo spiritu in tēplũ venit, illum, quem diu desiderauerat, visurus. *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas*, id est, in brachia sua. Mystice sanctus iste senex, mundum designat, quasi lõgo senio, & graui iam ætate decliuem. Accepit ergo puerum senex Christum in vlnas, quia mundus in vltima sui ætate, Dei filium incarnatum accepit, & ab eo vetustate peccatorum exutus, in nouã Christianæ religionis infantiam est regeneratus. *Et benedixit Deum.* Sciebat beatus iste senex beatos fore, qui Christum in carne viderent: & ideo tam prolixo tempore in corpore optabat manere, donec corporalibus etiam oculis eũ cerneret, quasi securus iam de totius humani generis redemptione. Nũc inquiens, *dimittis, domine, seruum tuum in pace.* Ac si diceret, *Dimittis in pace*, quia video pacem: Christus enim est pax nostra, qui factus est nobis secundum Apostolum, à Deo patre pax, & reconciliatio. Quare autem se in pace optaret dimitti, manifestat. *Quia viderunt* inquiens, *oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei Christum dominum dicit, per quem Deus pater mundum reconciliauit, & genus humanũ æternæ saluti reformauit, vt, quicunque vellẽt in eum credere, in fide, & dilectione eum conspicerent. Constat autem dominum in primo aduentu nequaquã ab omnibus populis visum fuisse: sed quod dicit, *ante faciem omnium populorum*, more prophetico, prophetiæ oculum ad futurum diem iudicij intẽditur, quando Christus per humanitatem ab omni carne videbitur, vt videat eum omnis oculus, & reddat vnicuique secundum opera sua. *Lumen*, inquit, *ad reuelationem gentium.* Vtrique populo Iudaico scilicet, atque gentili, Christus lumẽ extitit: quia vtrumque à tenebris ignorantiæ infidelitatis, ad verum lumen diuinæ cognitionis perduxit. Specialiter autem plebis Israeliticæ fuit: quia ex eodem populo incarnatus, inter eos cõuersatus, & miracula inter eos hactenus inaudita est operatus. Notandũ autem, quod prius dixit, Christum venisse lumen ad reuelationem gẽtium, deinde ad gloriam plebis Israel: quia prophetali intuitu primùm gentes ad fidem Christi conuertendas, postmodum verò Iudæos, in fine mundi in eum credituros præuidit. Tale est & illud Psalmistæ. Qui, cùm de vocatione gẽtium præmisisset: Notum fecit dominus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam: mox de vltima Iudæorum cõuersione adiecit. Recordatus misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Huic quoque rei & Apostolus concordat. Cùm plenitudo, inquiens, gentium introierit; tunc omnis Israel saluus fiet. De qua rursum conuersione Psalmista: Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem (id est) Iudæi in finem mundi quasi in vesperam, ad fidem Christi conuersi, esurient panem illum, qui de cœlo descendit: & vt eundem accipere mereantur, ciuitatem super montem Christum positam, hoc est, sanctã ecclesiam, quasi canes circuibunt, vt, quem nunc velut acerrimi venatores impiè insectantur, tunc piæ deuotionis latratibus tueantur. Hæc breuiter de euangelicæ lectionis dicta sufficiant: quæ licet satis, abundãterque huius solennitatis causas manifestet, non ab re tamen est, si aliquid, de eius vocabulo compendiosiùs dicamus. Vocatur itaque Græco vocabulo ὑπαντὴ, quod Latinè obuiatio dici potest, ὑπαντᾶν enim Græce, obuiare dicitur. Proinde hæc festiuitas tali vocabulo notatur, quia cùm dominus hodierna die in templum à parentibus fuisset delatus, à sanctis quos plurimos tunc temporis Ierosolymis fuisse, non dubiũ est, ei obuiari credimus. Agitur autem hæc festiuitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani à Februo, id est, Plutone sic vocauerunt: quẽ potentissimum purgationis credebant. Februare enim, purgare dicimus. Quo mense lustrabatur ciuitas. Cùm enim Romani omnes gentes sibi subiugassent, tributum eis imposuerunt, eo tenore, vt quinto quoque anno idem tributum persoluerent. Quo expleto, & censu persoluto, ab omni populo, vt dictum est, ciuitas lustrabant, & diis manibus sacrificia offerebant, quorũ auxilio, & virtute totum orbem se subiugasse putabant. Quam lustrandi cõsuetudinem congruè, & religiosè Christiana mutauit religio, cùm eodem mẽse, hoc est, hodierna die, in honore sanctæ Dei genitricis, & perpetuæ virginis Mariæ, non solum clerus, sed & omnis plebs ecclesiarum loca cum cereis, & diuersis hymnis lustrantibus circũeunt: non iam in memoriam* æterni imperij quinquẽnem, sed ob recordationem cœlestis regni perennem: quando iuxta euangelicam parabolam, omnes sancti cum bonorum operum lampadibus, in fine mundi sponso Christo obuiantes, ab eo in thalamum æternæ fœlicitatis sunt intromittendi. Quo & nos vt admitti mereamur, sanctæ Dei genitricis auxilium sedulò imploremus, vt sua potenti intercessione apud clementiam filij sui nobis omnium impetret veniam criminum: quæ hodierna die purgationem subiit temporalem, sine sordibus peccatorum. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, & Spiritu

Luc. 2. — Luc. 13. — Mortis Simeonis. — Ephes. 2. — Apoc. 1. — Psal. 97. — Rom. 11. — Psal. 58. — Ioan. 6. — * Lege, terrenj. — Operum bonorum lampades. — Intercessio B. Mariæ.

ritu Sancto viuit, & regnat, in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE PARTVritione, ac purificatione S. Mariæ, Sermo 2.

Laudes Sanctorum ad Dei honorem referuntur.

QVotienscunque, dilectissimi, vobis aliquid pro amore creatoris nostri, in eius creatura dignis laudibus prædicatur & extollitur, ad eius proculdubiò laudem refertur qui auctor creaturarum est, vt de creaturis sua factor intelligatur, & laudetur: quoniam iuxta Apostolum, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Rom. 1.* Sicut, vt ita dicam, fieri solet in quodam laudabili, & mirabili artificio, dum, quicquid in eo multis, & magnis laudibus effertur, totum ad gloriam, & laudē manus artificis iure inspicitur. Sed longe incomparabiliter Deus laudandus est in sanctis suis, & in omnibus operibus suis prædicādus. Hinc quoquè Dauid; Laudate dominum inquit, in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius. *Psal. 150.* Quod vt dignè possit fieri, fides priùs adhibenda est, quoniam omnia opera eius in fide, deinde intelligentia requirenda: alioquin, nisi credideritis, sicut Isaias ait, non intelligetis. *Psal. 32. Isa. 7. iuxta 70.* Intelligibilia autem Dei per ea, vt dictū est, creaturarum quæ facta sunt, & fiunt in sanctis eius, dignè in fide, cum pietate deuotionis considerata intelligūtur: intellecta verò ad plenum verè laudantur. Quæ nimirum laus in conspectu Dei, & angelorum eius, tantò amplius gratificatur, vt acceptior fiat, quātò in eisdem sanctis, & veris operibus, Deus sapienter fide creditur, & intellectu pię videtur. Hinc quoque Dauid valde gratulabundus, tertiò repetendo exhortatur dicens. Psallite Deo nostro (inquit) psallite regi nostro, psallite patri videlicet, ac filio, & vt Deus Trinitas commēdetur, vnà cum Spiritu sancto, psallite (inquit) sapienter. *Psal. 46.* De quibus profectò quisque non rectè intelligit, aut credit, non dico sapienter, verùm nec vtiliter, sed in vanum psallere videtur.

Sanctorū festiuitates religiose colenda.

Ideo, dilectissimi, adhibete diligentiam in omnium sanctorum festiuitatibus, maximè verò in hac celebritate genitricis Dei, vt benè intelligendo, ac rectè viuendo, in eius laudibus dignè assistere, & sapienter Deo psallere possitis: quoniam quicquid genitrici eius officiosissimè impenditur, illi nimirum impenditur, cui iure pater omne clautum. Quod testimonium beatus Ambrosius exponens in euangelio, ait: Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus sanctus infudit. Quod sanè semen præfatus doctor non sic dicit infusum, vt aliunde sit quàm ex carne virginis, & sanguine; neque vt Spiritus sanctus semē esse credatur carnis, vt Irenęus vult, sed per hoc verbum Spiritus sancti operatio designatur. Deinde addit: Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus dominus Iesus, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Et paulò pòst: Hic ergo inquit, solus sibi aperuit vuluam, nec mirum: qui enim dixerat ad prophetam. Priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te: qui ergo vuluam sanctificauit, vt nasceretur propheta; hic est, qui

Hæc in operibus Iren. Lugdunensis non comperiuntur. Ier. 1. Huiusmodi loquendi modo etiam Chrys supra vsus est, vbi est annotatū, quomodo sit intelligendus.

aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Quibus profectò verbis, non mihi videtur sibi contrarius, ac cæteris doctoribus sanctis, quia dicit, quòd solus sibi aperuit vuluam. Aperuit siquidem sibi sua potentia mirabiliter, vt esset ei peruium iter, ita vt virginis clausus maneret vterus, sicut fuerunt ianuæ clausæ, cùm per easdem ingressus est ad discipulos: sicut sepulchrum signatum, & clausum, quando resurgens egressus est per illud. Hinc quoque alibi ipse ait. Sit porta Christi peruia, reserta plena gratia, transitque rex, & permanet clausa. *Ioan. 20. Matth. 28. Ezech. 44.* Non hoc sic dicit, vt intelligas, quòd contra se sentiat, sed sic vtique vt plenissimè cognuscas eum de vtero, & per vterum virginis natum, quem ipse sibi fecit peruium. Ac per hoc ipse sibi vuluam aperuit: sibi quidem, quia vulua virginis licet clausa, ei penetrabilis patuit, quam cum enixus intraret in mundum clausam reliquit, & signata sigillo pudoris omnino, quia Deo nihil difficile est, eo quòd, vt quidam ait: Subditur omnis natura, eius imperijs tuu soluto. Idcirco constat eum absque ambiguo ita natum, vt esset secretum genitale matris, & clausum, quod sibi ipse sua virtute fecit apertū. Alias autem ipse solus sanctæ ecclesiæ, quam sibi sponsam dedicauit, ad generandos populos aperuit vuluam virginitatis, de qua nimirum vulua Dauid propheta canit dicens. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa: personam hæreticorum declarans, qui alienantur à vulua integritatis falsa permiscendo, vt corrumpant castitatem virginitatis ecclesiæ. *Psal. 57. Hæretici corrumpunt castitatem ecclesiæ.* Quam sanam, immaculatam seruare contendit Apostolus, & virginem custodire, cùm ait, Despōdi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *2. Cor. 11.* Cuius genitale secretū tunc aperuit, quādo per aquam, & Spiritum sanctum renascendi gratiam concessit. Cui propheta. Lętare, inquit, sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. *Isa. 54.* Vnde & Anna in Canticu suo: Donec sterilis (inquit) peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. *1 Reg. 2.* Iste est ergo solus essentialiter sanctus, non per quem mater corrumpatur; sed per quem vulua reseretur ecclesiæ, primogenitus ex multis fratribus. Quem in figura futuri mysterij, priora legis diuinę præscripta signabant in primogenitis suis, non quòd essent verè sancta, sed quia vocabantur ex mysterio legis. Alioquin, si literam sequimur, quomodo sanctus erat omnis masculus aperiēs vuluam, cùm multos sceleratissimos fuisse non lateat? Nunquid sanctus Achab, aut Iotam, seu cæteri? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Helię preces, vltor cęlestis iniurię ignis absumpsit? *Ambrosius li. 2. in Luc. am primogenitis qui sancti dicebantur.* Non vtique, sed in sacramento futuræ præfigurationis vocabantur sancti, cum non essent, donec veniret Christus essentialiter sanctus: qui & sponsæ suæ vuluam aperiret, fecunditatem pariendi filios refunderet. Ipse namque dominico dignus iudicatus est obtutu: Cæteri omnes iuxta legis seriem typum fuisse futuri, nemo qui ambigat, & ideo sistunt eum domino, quoniam ipse est purgatio per resurrectionem octaui in *Hierusalem*, vt in eo * cōdonetur, & offeratur omnis adoptio filiorum Dei. *Luc. 2.* ** forte, condatur.* In eo namque, quod lex ait, *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino* *Leui. 12.*

voca

vocabitur, præfigurabatur & virginis partus verè sanctus, quia immaculatus, qui aperiet vuluam ecclesiæ, vt eo sanctificarentur reliqua omnia, & essent primogenita. Vnde signanter angelus ad Mariam: & quod nascetur (inquit) ex te sanctum,
Luc. 1. vocabitur filius Dei. Non quòd corruperit matrem nascendo, quam integram, & inuiolatam reliquit virginem: sed, quia ex ea natus Deus homo aperuit ecclesiæ vuluam, & in carne sua per vterum sibi fecit iter: ita vt virginis aulam clausam seruaret, quatenus ex matre virgine, virginem sibi duxisse sponsam ostenderet, quam tali, tantóque fœdere nascendi, virginem permansuram, & immaculatam monstrabat. Vnde constat legaliter eum oblatum, sicut & circuncisum: alioquin circuncisione non eguit, quia originale peccatum nullum traxit, quod delendus esset ipse Christus de populo suo, nisi circunciderctur.
Galat. 4. Et tamen circūcisus est, quia volens sub lege fuit, vt eos, qui sub lege erant, redimeret: sicut & oblatus, vt nos, qui rei eramus, sacrificium Deo patri in se offerret. Aliàs autem si ipse, quod absit, immondus esset, vt matrem coinquinaret, quomodo nos emundaret in sua oblatione, & faceret hostiam Deo in odorem suauitatis? Idcirco
Isa. 53. & si dolores ipse nostros, & infirmitates pertulit, & portauit languores; absit, vt matris pudorem vllis vexauerit iniuriarum molestiis. Absit, per quem omnis maledictio Euæ soluta est, vt ipsa in partu maledictionibus subiacuerit primæ damnationis. Absit, vbi vitæ nascitur, vt ibi tanta colluuio vitiorum credatur, vbi gaudium omnium prædicatur. Quòd tanta tristitia, & gemitus interuenerit inter angelorum discursus, quòd immunda septem diebus in sanguine immundo sederit: ad quam, si ita esset, nec pastores mane iuxta legem, vt ita dicam, ingredi liceret. Nunc autem, quia angelus
Luc. 2. eos, euangelizādi gratia, deuotus inuitat, veniūt, & vident: inueniunt, & intelligunt, de Verbo quod eis prædicatū fuerat. Nequaquā igitur credendū, quod inuenerint Mariā in tantis spurcitiis
* Forte, sordidam, multis mysteriis
*solam, multis mysteriis vt ad solēt puerperę cōsternatam, & obuolutam, ad cuius partum multitudo angelorum canit; Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ergo vbi, & per quem tanta prædicantur, non credo, quòd vllæ ignominiæ immaculatæ matri contigerint, aut dolores carnis: sed & Magi venerabili-
Matth. 2. ter deinceps intrant domum, & inueniunt Mariam, & Ioseph, & puerum. Inueniunt non vexatam doloribus, sed obsequentem puero. Deinde procidunt, & adorant, oblatis muneribus, quem cum matre inueniunt. Adorant, inquam, eius primogenitum. Primogenitum autem, non eum, quem sequuntur fratres, sed quem nullus antecedit. Quamuis eum quidam posuerint potius vnigenitum debere dici, quam primogenitum: cúmque idioma scripturarum est, quicquid primùm aperit vuluam, primogenitum vocari, sanctificatúmque esse domino, maluit euangelista secundum eundem ritum primogenitum, quàm vnigenitum dicere. Non quòd aperuit vuluam lege naturæ, vt mos est cæterarum fœminarum, sicut isti aiunt, sed quia ex ea natus est iam primogenitus, quam & vnigenitus: lege diuina factus sub lege, vt per eum lex tota impleretur in spiritu, & ad literam. Nam & ipse primogenitus ex resurrectione appellatur ex multis fratribus; vnde, quia col- Col. 1.
ligitur in specie genus, quamuis vnigenitus dici posset per naturam, magis tamen hic primogenitus debuit dici: vt esset indicium, quod iam in eo, & per eum alij quàm multi fratres colligebantur filij ecclesiæ per gratiam, cuius aperuit vuluam. In veteri quoque testamento, illis primogenita dabantur quàm sæpe, qui Dei gratia prælecti sunt, quorum non ea natura dignitas, sed ea gratia antefertur. Idcirco dicimus & nos primogenitus quòd hic significantius dicitur, quàm vnigenitus: vt per eum omnes, qui ex gratia colliguntur, illi solummodo coadunati in cælestibus habeantur. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita sub lege Domino consecrata: & ideo iustum erat ea ijs omnibus primogenitis, qui vuluam aperiebant, vt Dominus inter eos legaliter offerretur: cuius formam illa omnia præferebant, vt esset ipse primogenitus, in omnibus primatum tenens, non qui vuluam vexa- Col. 1.
ret matris: sed qui vuluam aperiret ecclesiæ. Hæc idcirco dixerim, vt intelligat prudens lector, quia primogenitum non sequentes fratres faciunt, sed ideo rectè primogenitus Christus vocatur: quia omnes vnigeniti, sicut ipse vnigenitus fuit matris primogeniti dici queunt, non tamen omnes primogeniti iure queunt vnigeniti vocari. Ex quo colligitur primogenitum eum vocari debere, ante quem nullus: & non eum tantùm, quem fratres sequuntur. Iure igitur Christus primogenitus appellatur ex virgine, non quòd vuluam vexauerit virginis, & aulam reserauerit pudoris: sed quia, qui erat ab initio primogenitus totius creaturæ, natus est ex ea & ipse, tam vnigenitus quàm & primogenitus: eo quo voluit modo, sine gemitu, & sine dolore parturientis. Nam & de baptismo primogenitus rectè vocatur, qui & in resurrectione primogenitus resurrexisse dicitur. In vtraque tamen natura, & natiuitate, quamuis primogenitus dicatur, iure vnigenitus esse creditur, quoniam idem est hominis, & Dei filius: Non alius, sed vnus, & in vtraque vnus. Quibus profectò catholicæ veritatis regulis, hinc inde patet sensus: quia nemo, nisi hæreticus, dicit Christum communi lege naturæ natum: neque aliter quàm vt cæteri nascuntur infantes. Quamuis enim doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Heluidium ex hoc egit, videatur ei cessisse: & eo in loco vbi ait, de hospitio vuluæ nouem mensium, & de veritate nascendi, quòd ille hæreticus insultando proposuerat, quasi maiestati diuinæ esset indignum, ad tantam dignationem se humiliasse, vt inter viscera in vtero versaretur virginis: aut inter femora fœminea nasceretur tam sordidus. Sic enim omnia in contrarium opponens quasi hæreticus, vt destrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui econtrario, egregius ille veritatis assertor, non cedendo, vt isti volunt, sed dignationem gloriosissimæ humilitatis Dei ampliùs commendando ait. Quantò viliora, & inhonestiora pro nobis illa maiestas diuina suscepit, aut sustinuit, tantò cariùs nos redemit: & propensius honorandus est. Tali namque sensu, & si non eisdem verbis, inquantum recolo eidem respondens hæretico, videtur beatæ virgini non infamiam vllius colluuionis aut pœ-

nam

nam peccati intulisse: sed dignationem diuinam, & exinanitionem immensam, & in forma serui reuerenter satis commendasse. Non vt virginem vexatam à Domino, & exhonoratam ostenderet: sed vt clementiam pij conditoris, etiam huiusmodi hæreticis demõstraret. Ideireo, non cessit istis eum Heluidio errantibus, sed corripuit: vt discerent nõ infamare virginem, & Domini non derogare in forma serui humiliatem. Non enim pudicitiam eius in aliquo læsam docet, qui tantum in eius laude triumphat, neque ad horam cessit aduersariis, qui pro ea tantum, & tam diu dimicauit verbi gladio: cui Deus contra hostes eius tantam resistendi contulit gratiam, reuincendi præbuit virtutem, vt nemo contra eũ audeat insurgere. Oro autem, sacratissimæ virgines Christi, vestris interuenientibus meritis, vt, qui illi tantam præstitit dicendi peritiam, & debellandi aduersarios fortitudinem, mihi quoque dare dignetur loquendi gratiam, & quæ digna sunt huic mysterio aperte in spiritu veritatis: quatenus hinc inde per nos, & propter vos, ô matronæ Christi, dignus inueniar tantopere, qui in eis nullis suffragor meritis, vt apertè defendere queam matris Domini mei pudicitiam, & sanè credentibus pandere veritatem, vt resipiscant, & cessent iam vltrà loqui contra veritatem. Dicunt autem, quòd nõ aliter natus dici queat Christus, nisi æqua sorte naturæ, vt cæteri, quasi æqua conditione in scripturis diuinis semper natiuitas esse dicatur, cùm longè alia sit ista natiuitas omnium, quæ sub sorte maledictionis nascuntur: & alia, si Eua non peccasset. Quia ista sub maledictione est & ærumna: illa autem tota in flore benedictionis fructũ afferret, sine gemitu, & dolore. Vnde quæso, saltem illam isti concedant natiuitatem Christo de Maria virgine, qua nascerentur communi lege omnes, si non peccasset Eua, quæ nunc natiuitas nota est soli Deo, & ignota fortè hominibus: & non ascribant ei maledicta, gemitus, & ærumnas, pro gaudio, matri attulisse: quæ tanto magis virgo libera fuit a corruptione passionis, à dolore carnis, à sordibus ignominiæ: quantò gratia plena, & incorrupta, quasi Spiritu Sancto Domino dedicata, & virtute diuina adumbrata. Habet enim Spiritus sanctus in se recessus suos, quibus modis dicatur natiuitas in scripturis sanctis, & quibus occultetur legibus sempiternis. Alia est namque natiuitas carnis de carne, alia Dei de Deo, & alia quarumlibet rerum innumerabilium: & tamen eorum omnium non est vnus modus nascendi, nec vnus eorum ordo existendi, quamuis natiuitas in singulis æquè dicatur, quibus est iure attributum vt nasci de altero dicatur. At per hoc quolibet modo de Maria virgine Christus rectè natus creditur, quia ex ea carnem assumpsit. Natiuitas verò ipsa, quomodo ad nos exierit, vtrúmne ea conditione, qua Eua peperisset, si non peccasset, an gloriosiùs, quia Deum, & hominem genuit, & virgo permansit? Quod locus restitutus illa nõ esset, vt reliquæ, dum parerent, superfluè quæritur. In quo opere nemo sanctorum voluit dubitare: sed catholica fide hoc certum omnes prædicant: quia nec in delicto, & dolore eum corruptione peperi, nec Christus ex ea vllũ peccatum traxit: quòd si ex ea peccatum non traxit, nec admisit: qui nullis cruciatibus in nascẽdo matris vexauit pudorem, nec in aliquo eius commaculauit virginitatẽ. Non dicimus itaque, vt aiunt, quod monstruosè sit natus, sed, sicut præsignatũ est olim in prophetis, & traditum est nobis à sanctis patribus, quod ipsa porta sit, quæ ostensa est Ezechieli, de qua dicit: Vidi portam in domo domini, & hæc erat clausa: & vir non transiet per eam, quia dominus Deus exercituum ingressus est per eam. De qua porta, Beatus Ambrosius in hymno, quem in honore sacratissimæ virginis composuit. Fit porta Christi (inquit) peruia, referta plena gratia, transitque rex, & permanet clausa, vt fuit per secula. Ergo cum dicit, sit peruia, semetipsum exponit, & ostendit transitum natiuitatis eius: cũ dicit, permanet clausa ostendit adimpletum, quod erat in prophetia: clausa igitur nõ diceretur, si in aliquo læsa esset eius integritas sed in nullo est violatus pudor virginis, nec fons in aliquo reseratus. Proculdubio patet sensus, quia clauso vtero, ad nos venit, sicut ianuis clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum vtrunque tunc probauit, scilicet quòd & fores clausæ essẽt, & quod Dominus per easdem introiens eoram præsens astaret. Sic & fides nostra vtrumque de Christo certissimum tenet: quòd & peruia fuerit eius integritas, nascente Domino ex ea, & tamen vterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest, permansisse, quod violatum est? Aut quomodo sine dolore, & sine gemitu puerpera peperit, si more cæterarum fœminarum vexatis visceribus filiũ edidit? Et, si ita patuit, vt aiunt, quomodo clausa permansit, vt fuit, antequam pareret? Nec enim ianuæ illæ penetrabiliores erant clausæ, quàm vterus virginis incorruptus. Ideirco nõ ab re creditur ad nos Dominũ sic exisse, vt natiuitas Christi de carne virginis probaretur, & virgo nullis cruciatibus vexaretur. Fortè dicturi sunt isti, quod corpus iam incorruptibile, & immortale exilius esset ad penetrandũ, quò vellet, quàm esset priùs, antequam resurgeret. Nequaquam igitur dicito, quisque sanè sapis, ex quo conceptus est homo, idem semper, qui antea Deus fuit. Vnde quando super vndas æquoreas ambulauit ante passionem non minus homo quàm Deus fuit. Qui, si ad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut vndas sua potentia, quo sustinere possent pondus corporis, solidiùs confirmauit. Et ideo, vt beatus Gregorius ait in homiliis suis: Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eorum operatione pensanda sunt: vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exiit vtero virginis. Deinde addidit. Quid ergo mirum, si ianuis clausis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui mortuus veniens, nõ aperto vtero virginis exiuit? Ecce tantus, talis que doctor, & summus pontifex, de hoc quid senserit, qui omnes ante se legerat, tam Latinos, quàm & Græcos & eximios eertatores. Ecce ex hoc vno, quod nulli dubium esse credidit, approbat, quod fortè dubium esse poterat. Nemo igitur, qui sanè sapit, de hac re multũ dubitet, incertum aliquid affirmare contẽdat. Vnde, quia de illo corpore, quod quidem videri poterat, fides intuentium dubitabat, dum fores cernebant clausas: Magister veritatis

Alludit forte ad opinionem Chrysostomi de alio nascendi modo in statu innocentiæ qua communiter non probatur.

Ezech. 44.

Ioan 20.

Mat. 14. Mar. 6.

Io. 20.

tatis ab eis omnem aufert dubietatem, cum eis manus, & latus palpare, & videre iubet. Ita & hic auctor egregius, de hoc, quod omnibus commune certum esse credidit, rem valde difficilem adstruxit, & firmauit: quod corpus dominicum post resurrectionem ianuis clausis introierit, fuitque incorruptibile primo modo, & palpabile, tamen quolibet pacto ingressus ex euãgelio ianuis clausis probatur, sicut & clauso vtero virginis natus. Quia si natus sit per vuluam, verè dici non potest vt isti volunt omnino, nec ingressus per ianuas & tamẽ ingressus ad eos conuincitur, quando in medio eorũ stetisse legitur, sicut & de sepulchro egressus, signato monumento monstratur, quando angelus reuoluit lapidem, & vacuum ostendit monumentum. Vnde liquido constat, quòd, sicut saxeum illud ostium & peruium, & penetrabile fuit, nec potuit cohibere viuum, quẽ prius claudebat sub sigillo mortuum: ita & claustrum matricis, atque genitale virginis, cùm esset clausum, & signatum sigillo pudoris, cùm impleti essent dies pariendi, non potuit obstare partui integritas corporis: nec tamen eguit reserari, quia non potuit vt esset tormentum ei, qui erat honor matris, & gaudium, quia Deo totum erat peruium in ea, quicquid erat clausum. Honor verò, quia totũ erat deificum, quod natum. Fateor planè, quòd tanta materies disputandi valeat inueniri, cur signato sepulchro, exierit, vel cur clausis ianuis, introierit ad discipulos: quanta quod de Maria virgine clauso exierit vtero. In illis siquidem declaratur diuina maiestas, in hac autem demonstratur diuina dignatio: & secundum humanitatem debitus honor matris, & reuerentia pudoris. Hinc quoque beatus Ambrosius hymnidicis laudibus testatur, quod claustrum pudoris permanserit, & vexilla virtutũ in ea effulserint, in qua tota maiestas deitatis versatur, quousque plenitudo temporis aduenit parièdi. Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ cõditionis, ei, in qua vexilla virtutum micarũt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando virgo concepit sine semine, virgo peperit sine dolore, & gemitu, & permansit fœcunda prole. Hoc quippe est claustrũ permanere pudoris, in nullo violatum esse genitale secretum, quod ei fuit apertum, non in conceptu, non in partu, non in nulla confusione parturitionis. Nam & ecclesia Christi omnis tam Romana, quàm & Græca, sic sua, & diuina fidenter canit authoritate, quòd peperit virgo sine dolore, quod permansit inuiolata: quoniam eam in omnibus illæsam seruauit Spiritus sanctus, vt virgo haberet filium, & seruaretur ei honor tanto munere dignus, quãta sanctificatione vterus Deo fuerit dedicatus.

Ioan. 20. Matt. 28. Mar. 16. Luc. 24. *Nullum peccatum primæ originis viguit in Maria virgine.*

S. BERNARDI ABBAtis Clarauallensis in festo Purificationis B. Mariæ virginis, Sermo 1.

HOdie templi dominum, in templum domini virgo mater inducit: Ioseph quoque sistit domino non suum sed eius filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit iustus quem expectabat; Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primò hodierna processio celebrata est, quæ postmodum in exultatione vniuersæ terræ in omni loco & ab omni gente celebraretur. Nec sanè mirum si tunc parua fuit, quandoquidem paruulus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit, omnes iusti, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantùm saluabis domine? Crescat corpus, crescat & miseratio. Homines & iumenta saluabis domine, cum multiplicaueris misericordiam tuam Deus. In secunda iam processione præeunt turbę, turbę sequuntur, nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur; nec ipsos qui computruerunt tanquam iumenta in stercore suo. Non dedignatur inquam: sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum iustitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorũ, ex hoc iam processionis suæ gloria nõ censebit indignos. Magis verò & ipsam quę tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso inuenire est reseruatã. Quidni reseruaret posteris, quam & prærogauit antiquis? Dauid rex & propheta exultauit vt videret diem istum, & vidit & gauisus est. Alioquin si non viderat, vnde psallebat: Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio templi tui? Suscepit hanc misericordiam domini Dauid, suscepit Simeon. Suscepimus & nos, & quicunque sunt præordinati ad vitam. Siquidem Christus heri & hodie & in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diuersorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. Deriuantur aquæ tuæ foras domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, & non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem donec viderit Christum domini, vt securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exibis anima misera, quæ ducem itineris Iesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Vnde hoc? Nempe quia lux venit in mundum, & dilexerũt homines magis tenebras, quàm lucem. Et lux, inquit, in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ac si dicat. Et in plateis deriuantur aquæ, & alienus non bibit ex eis: & misericordia in medio templi est, nec tamen accedunt quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat ò miseri, quem vos nescitis, vt morientes antequam videretis Christũ domini, non in pace dimittamini: sed potius rapiamini à rugientibus præparatis ad escam. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Longè est hæc gratiarum actio à voce illa gementis: domine in cęlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Quid enim? Videtúrne tibi in medio fuisse misericordia: cum apud solos cæligenas spiritus haberetur? At vbi sanè minoratus est Christus paulo minus ab angelis, factúsque est Dei & hominum mediator; ac velut lapis angularis pacificauit per sanguinem suum quæ in cælis sunt, & quæ super terram: ex hoc planè iam suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filij iræ, sed consequuti sumus misericordiam. Cuius iræ filij? & quam misericordiam consequuti? Nempe filij ignorantiæ, ignauiæ, captiuitatis: & consequuti sumus sapien-

Psal. 36. Psal. 47. Ioan. 1. Psal. 47. Psal. 35. Psal. 8. Hebr. 2. Ephe. 2.

pientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excæcauerat nos, mollities viri abstracti & illecti à propria concupiscentia, eneruauerat nos, malitia diaboli expositos iuste à Deo captiuauerat nos. Sic ergo nascimur vniuersi primum quidem viæ ciuitatis habitaculi prorsus ignari, deinde imbecilles & ignaui, vt etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia, postremò captiui sub pessimo crudelissimóque tyranno, vt licet prudentes essemus atq; robusti, ipsa tamen miseræ seruitutis opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia & miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certè si iam salui sumus ab hac triplici ita per Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo patre, & iustitia & sanctificatio & redemptio: quanta nobis vigilantia opus est dilectissimi, ne fortè (quod absit) inueniatur nostra nouissima peiora prioribus, si denuò contingat iram incendere, vtpote qui nun natura iam sed propria voluntate filij iræ sumus? Amplectamur itaque misericordiam quã in medio templi suscepimus, & cum beata Anna, non dimoueamur à templo. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos,
1.Cor.3. ait Apostolus. Propè est hæc misericordia, propè est verbum in ore vestro, & in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum eius, & hæc sedes eius: nisi fortè excidit vobis, quoniã anima iusti sedes sapientiæ est. Quod ergo frequenter imò & semper admonere cupio fratres meos, obsecro & nunc, ambulemus non secundum carnem in carne, ne displiceamus Deo. Non simus amici huius seculi, ne
1.Petr.5. Dei cõstituamur inimici. Resistamus ergo diabolo, & fugiet à nobis, vt liberè iam ambulemus in
Sap.9. spiritu, & in corde sit conuersatio nostra. Siquidem corpus quod corrumpitur, aggrauat & eneruat & effœminat animam, & terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit, vt ad cælestia
1.Cor.3. non assurgat. Vnde & sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, & à maligno qui superatur, ei & seruus addicitur. Porrò in corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus: in corde loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

EIVSDEM IN EADEM *solennitate, Sermo 2.*

GRatias redemptori nostro, qui tam copiosè præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantiæ suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulo ante Natiuitate, Circuncisione, & Apparitione eius, festus hodie nobis oblationis eius dies illuxit. Hodie namque sistitur creatori terræ fructus sublimis, hodie placabilis & Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solennibus hodie gaudiis ad memoriam reuocatur. Quia ergo festiuam hodie & nosipsi præ-
Cæremoniarũ in festo purificat. significatio. ter cæterarum consuetudinem solẽnitatum acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius & ordinem diligẽtius intueri. Processuri sumus bini & bini candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui priùs in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit cõsecratus. Ad hæc futuri sunt in processione nostra nouissimi primi, & primi nouissimi: & cantabimus in viis domini, quoniam magna est
gloria domini. Merito sanè bini & bini procedi- *Mar.6.*
mus. Sic enim ob commendationem fraternæ *Luc.10.*
charitatis & socialis vitæ missos à saluatore discipulos euangelia sacra testantur. Turbat processionem si quis solitarios incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti seruare vnitatem spiritus in
vinculo pacis. Iam verò sicut non est bonum esse *Gen.2.*
hominem solum, sic in cõspectu domini vacuum
apparere est prohibitum. Cùm enim arguatur *Matt.20.*
ociositatis ipsi quoque quos nemo conduxit: qui iam conducti sunt, si ociosi inuenti fuerint, quid
merentur? Fides quippe sine operibus mortua est. *Iaco.2.*
Ipsa denique opera nostra in feruore agenda sunt, & in desiderio cordis: vt sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est ne fortè tepidus nos euomere incipiat, qui in euangelio
loquitur dicens: Ignem veni mittere in terram, & *Luc.12.*
quid volo nisi vt ardeat? Hic planè sacer & benedictus est ignis, quem pater sanctificauit & misit in mundum, & cui benedicitur in ecclesiis, sicut scriptum est: In ecclesiis benedicite Deo domino. Habet enim etiam aduersarius noster, vtpote peruersus diuinorum operum æmulator, habet inquam ignem suum & ipse, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem inuidiæ & ambitionis, quem saluator in nobis non accendere sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in diuino offerre præsumpserit sacrificio, etiam si patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua. Porrò super hæc quæ de sociali vita & fraterna dilectione, de bonis operibus & feruore sancto dicta sunt: humilitatis virtus maxima maximéque necessaria est, vt honore præueniamus inuicem: nec modò priores sed & ipsos iuniores sibi quisque præponat: quæ nimirum humilitatis perfe-
ctio est, & iustitię plenitudo. Et quoniam hilarem *2.Cor.9.*
datorẽ diligit Deus, & fructus charitatis est gaudium in spiritu sancto, cantemus vt dictum est in viis domini quoniam magna est gloria domini. Cantemus domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. In quibus omnibus si quis forsitã proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, nouerit quisquis huiusmodi est, in statione nõ in processione se esse, imò verò & in regressione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porrò profectus noster in eo consistit (vt sæpiùs me dixisse memini) vt nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius: vt imperfectum nostrum diuinæ misericordiæ obtutibus iugiter exponamus.

EIVSDEM DE EODEM *festo, Sermo 3.*

PVrificationem beatæ Mariæ virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moysi facta est transactis à natiuitate domini quadraginta

Leuit. 12. diebus. In lege enim ſcriptum erat, vt mulier quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet filium, immunda eſſet ſeptem diebus, & octauo die circũcidereretur puer: dehinc ablutioni & purificationi intenta abſtineret ab ingreſſu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium domino cum muneribus. Sed quis non aduertat in ipſo ſententiæ huius initio, liberam matrem domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyſes mulierem quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, nõ timuerit ſuper matre domini blaſphemię crimen incurrere, & ideirco præmiſerit, ſuſcepto ſemine? Alioquin niſi parituram præuidiſſet ſine ſemine virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet itaque quòd lex iſta matrem domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine fi- Hierem. 31. lium peperit, ſicut prædictũ erat per Hieremiam: Quia nouum faceret dominus ſuper terram. Quęris quod nouum? Mulier, inquit, circundabit virum. Non ab altero viro virum ſuſcipiet, non humana lege concipiet hominem: ſed intra viſcera intacta & integra virum claudet: ita ſanè vt in- Ezech. 44. trante & exeunte domino, iuxta alium prophetam, porta orientalis clauſa iugiter perſeueret. Putas ergo non poterat moueri animus eius & dicere, Quid mihi opus purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus neſciens virum, templum factus eſt ſpiritus ſancti? Cur non ingrediar templum, quę peperi dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgãdum: nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? Verè ô beata virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circunciſione? Eſto inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum. Circuncidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui domino repræſenta. Offer ad noſtram omnium reconciliationem hoſtiam ſanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus pater oblationem nouam, & precioſiſſimã hoſtiam, de qua ipſe ait: Matth. 3. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Sed oblatio iſta fratres ſatis delicata videtur, vbi tantum ſiſtitur domino, redimitur auibus, & illicò reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio: quia redemptionem eum miſit Psal. 110. Deus pater populo ſuo. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum. Iſtud quidem iucundius, ſed illud plenius. Iſtud enim tempore natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis: de vtroque tamen potes accipere quod propheta Esai. 53. prędixit: Oblatus eſt quia ipſe voluit. Nam & modo oblatus eſt, non quia opus habuit, nõ quia ſub legis edicto fuit, ſed quia voluit: & in cruce nihilominus oblatus eſt, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit, ſed quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo tibi domine: quia voluntariè oblatus Psal. 115. es pro mea ſalute, nõ pro tua neceſſitate. Sed quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam precioſiorem quam habuit, nimirum qua precioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus vtique noſmetipſi. Ille ſeipſum obtulit, tu quis es qui teipſum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo domine, corpus & animam dico: vtinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longéque glorioſius atque vtilius eſt vt tibi magis offerar, quàm deſerar mihi ipſi. Nam ad meipſum anima mea conturbatur, in te verò exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro domino Iudæus mortuas hoſtias offerebat, ſed iam nunc. Viuo ego, dicit dominus: nolo mortem Hiere. 18. & 33. peccatoris, ſed magis vt cõuertatur & viuat. Non vult dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc eſt enim hoſtia placabilis, Deo placẽs hoſtia, hoſtia viua. Sed in oblatione illa domini tres fuiſſe leguntur, & in oblatione noſtra tria nihilominus à domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Ioſeph ſponſus matris domini, cuius filius putabatur: fuit & ipſa virgo mater, & puer Ieſus qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione noſtra cõſtantia virilis, ſit continentia carnis, ſit conſcientia humilis. Sit inquam in propoſito perſeuerandi animus virilis, ſit in continentia caſtitas virginalis, ſit in conſcientia ſimplicitas & humilitas puerilis, Amen.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang. expoſitio.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, &c. Ex comment. in Lucam. Decretum quidem legis erat, paruulum poſt triceſimumtertium circunciſionis diem ad templũ domini deferri, dariqúe hoſtiam pro eo, primogenitum autem maſculum, ſanctum domino fieri: Myſtice, ſicut diximus, inſinuans, neminem niſi circunciſum vitijs, dominicis dignum eſſe cõſpectibus, neminem niſi mortalitatis nexibus abſolutum: ſupernæ ciuitatis gaudia perfectè poſſe ſubire. Quia non habitauit (inquit) iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Et apoſtolus; Caro, & ſanguis, regnum Dei non poſſidebunt. Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Verum, ſi legis ipſius verba diligentius inſpexeris, profecto reperies, quia non ſolum dominus incarnatus, quantum à peccati contagione, tantum à conditione legis fuerit liber, quam ob hoc magis ſuſcipere dignatus eſt, vt & eam ſanctam, iuſtam, ac bonam eſſe probaret, & nos ab eius ſeruitute, ac timore, fidei gratia liberaret, ſed etiam ipſa Dei genitrix ſicut ab admixtione virili, ſic & à legali ſit iure immunis. Dicit enim Moyſes; Mulier ſi, ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octaua circuncideretur infantulus. Ipſa vero, triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ, & cætera, quæ ad ritum parientis pertinentia ſequuntur. Nota ergo, quod non omnis mulier pariens, ſed ea, quę, ſuſcepto ſemine, pepererit deſignatur immunda, ritúque legis docetur eſſe

esse mundanda, ad distinctionem videlicet illius, quæ virgo concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Non ergo filius, qui cum homine Deus est, non mater, quæ, spiritu sancto operante, peperit, victimis hostiarum quibus purgaretur indigebat, sed vt nos à legis vinculo solueremur, sicut dominus Christus, ita & beata semper virgo Maria legi est sponte subiecta. *Sicut scriptum est in lege domini. Quia omne masculinum, &c.* *Quod dicit, omne masculinum adaperiens vuluam*, & hominis, & pecoris primogenitum significat, quod vtrumque sanctum domino vocari, atque ideo sacerdotis esse præceptum est. Ita duntaxat, vt pro hominis primogenito precium acciperet, & omne animal immundum redimi faceret. Cuius (inquit) redemptio erit post vnum mensem siclis argenti quinque. Vbi, saluo subtiliore tractatu, breuiter intimandum, quòd illa omnia primogenita, vel figura fuerint eius, qui, cum vnigenitus esset Dei filius, primogenitus fieri dignatus est omnis creaturæ, vere & singulariter sanctus Domino, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, vel certè nostræ fuerint deuotionis indicium, qui omnia bonæ actionis initia, quæ quasi corde gignimus, domini gratiæ deputare, male autem gesta redimere debeamus, dignos videlicet pœnitentiæ fructus pro singulis quinque corporis, vel animæ sensibus offerentes. Itaque quod ait, *adaperiens vuluam*, consuetæ natiuitatis more loquitur. Non quod dominus noster sacri ventris hospitium, quòd ingressus sanctificarat, egressus deuirginasse credēdus sit, iuxta hæreticos, qui dicunt beatam Mariam virginem vsque ad partū, non virginem esse post partum, sed iuxta fidem catholicam, clauso virginis vtero, quasi sponsus, suo processisse de thalamo. De quo pulchre propheta; Et cōuertit me (inquit) ad viam portę sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa, & dixit dominus ad me, Porta hęc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi, princeps in ea sedebit, vt comedat panem coram domino. Quamuis possit etiam mystice designari, nullum præter dominum ecclesiæ virginis vterum per aquam, & spiritum sanctum ad generandos Deo filios posse reserare, ideoque hūc masculum incompatabili dignitate domino sanctum vocari. *Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini par turturum, aut duos pullos columbarum.* Dictum est in lege, vt pro infante si masculus sit (vt prædixi) quadragesimo, si fœmina, octogesimo die natiuitatis, agnus anniculus immaculatus in holocaustum, & turtur siue pullus columbinus offerretur pro peccato. Si autem non inuenerit (inquit) manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato. Dominus ergo Christus Iesus cum diues esset, pauper factus pro nobis, pauperem pro se hostiam voluit dari. Vt videlicet vna sua paupertate nos & hic diuites in fide, & illic faceret hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Moraliter autem, siue fortia quis opera, seu creauerit infirma, quæ masculi, ac fœminæ vocabulo distinguuntur, vt hæc legitime domino valeant consecrari, ouem necesse est innocentiæ, & turturem pariter, siue columbam compunctionis offerat. Quia enim volucres hæ pro cātu gemitus habent, non immerito lachrymas humilium designant, quibus plurimum in ipsis etiam bonis operibus indigemus. Quia & si bona esse, quæ agimus nouerimus, qua tamen districtione à domino examinanda, qua à nobis perseuerantia sint consummanda, nescimus. Qui vero diuitias virtutum non habendo, de quibus ad Corinthios apostolus ait, Quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, agnum vitæ innocuę in actuum suorum grege non inuenerit, duos saltem turtures aut duos columbę pullos offerat, hoc est, ad lachrymarum flagitanda suffragia confugiat. Et bene duos, vnum pro peccato, & alterum in holocaustum. Holocaustum namque totum incensum dicitur, quia duo sunt nimirum genera compunctionis. Deum namque sitiēs anima prius timore compungitur, pòst amore. Prius enim sese in lachrymis afficit, quia, dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quędam iam de pręsumptione venię securitas nascitur, & in amore cęlestium gaudiorum animus inflammatur. Contemplatur etenim mens, qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ maiestas æternæ visionis Dei, & amplius plangit, quia à bonis perennibus deest, quàm flebat priùs cùm mala æterna metuebat. Qui ergo priùs flendo, ne duceretur ad supplicium, turturem pro peccato offerebat, de altero facit holocaustum, cum postmodum flere amarissime incipit, quia differtur à regno. Columbam pro peccato offert, qui laborat in gemitu suo, lauat per singulas noctes lectum suum, hoc est, per singulas pulsantis culpæ tenebras opera sua bona, in quibus requiescere debeat, lachrymis abluere non cessat. Columbarum pullos in holocaustum ferunt, qui patrię cęlestis absentiam deflentes aiūt, Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion: Sicut enim columbę super fluenta residere delectantur, vt accipitris aduentum vmbræ cursu per aquas præuidere simol, & euadere queant, sic profecto sic animę pauperum spiritu fluctus seculi mente transcendentes, quo plura in hac Babylone qua suis gemitibus pascūtur maligni hostis exempla conspiciūt, eo crebriores ad æterna sui desiderij pennas sustollunt. Hoc sane inter turturis, & columbæ significantiam distat, quod columba, quę gregatim conuersari, volare, & gemere consueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonstrat. De qua dicitur; Multitudinis autem credentium, erat cor, & anima vna, nec quisquam eorum, quę possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis cōmunia omnia. Turtur vero, qui singularitate gaudet, adeo vt si coniugem casu perdiderit, solus exinde permaneat, speculatiuæ vitæ culmina denunciat, quia & paucorum est ista virtus, & his sigillatim attributa. Solus Esaias dominum exercituum videt, laudes Seraphim contemplatur, & quia male tacuerit, quasi turtur singularis ingemit. Moyses pauente procul populo solus ascendit ad dominum, & ne idem populus feriatur, lachrymosis precibus impetrat. Solus fugientibus socijs, Daniel inter Angelos remanet. Solus Eze-

chiel quadrigas Cherubim, & supernæ ciuitatis ædificia celsa miratur. Solus Paulus ad delitias paradisi, & viscera cæli tertij secreta raptatur. Item cum intrans cubiculum clauso ostio, oro patrem in abscondito, turturem offero. At cum eiusdem operis compares quæro, canendo cum propheta; Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram domino qui fecit nos, Columbas ad altare deporto. Et quia æque vtraque conditori accepta est hostia, consulte Lucas vtrum turtures, an pulli columbarum pro domino sint oblati, non dixit, ne vnum alteri viuendi ordinem præferret, sed vtrumque sequendum, vtrumque diuinis cultibus doceret offerendum. Igitur, quia de purgatione longior se sermo protraxit, quid ipse dierum purgationis numerus contineat mysterij, & quare idem in fœminæ genitrice purganda geminari sit iussus, in Leuitico congruentius explanabitur. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, &c.* Nato in carne domino, non solum Angeli de cælis, sed & omnis ętas mortalium, & vterque sexus testimonium reddit. Decebat enim omnium saluatorem sicut venturum in carne omnium toto seculi tempore fidelium facto, vel dicto pręsagari, ita etiam venientem communi omnium laude prædicari, impleta prophetia, quę dicit; Laudate dominum de cælis, & cætera vsquequo, ait. Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cęlum, & terram. *Iustus*, inquit, *& timoratus*, quia difficile iustitia sine timore custoditur. Non illum dico timorem, qui sub lege pœnalis temporalia bona sibi subtrahi perhorrescit, quem perfecta dilectio foras mittere consueuit, sed timorem domini sanctum, qui permanet in seculum seculi, quo iustus Deum suum quáto ardentius diligit, tanto sollertius offendere cauet. *Et responsum acceperat ab spiritu sancto, &c.* Vide locutiones scripturarũ, mortem videri dixit. Quomodo videtur, quibúsve oculis, quæ veniendo ipsos oculos claudit, ne aliquid videant? Sed videri mortem, experiri significat. Multúmque felix mortem videbit carnis, quicunque Christum domini prius oculis cordis videre satagerit, conuersationem habendo in celesti Hierusalem, templi Dei limina frequentando, hoc est, pia sanctorum, in quibus dominus inhabitat, exempla sectando, suspirando cum Psalmista: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitę meę, vt videam voluntatem domini. Sic enim & ipse verbum Dei in manibus accipere, & fidei, charitatísque suæ brachiis merebitur amplecti. Quod autem ait; *Et venit in spiritu in templum*, significat eum eadem spiritus gratia, qua olim venturum pręcognouerat, etiam nunc venientem, & iam iámque à se videndum cognouisse saluatorem. *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, &c.* Magna quidem domini potentia, sed non minor claret humilitas, vt qui cælo, terráque non capitur, grandæui hominis gestetur totus in vlnis. Sed & tropice accipit Symeon Christum, veteranus infantem, vt doceat nos exuere veterem hominem, qui corrumpitur cum actibus eius, & renouatos spiritu mentis nostræ induere eum, qui secundum Deũ creatus est, in iustitia, & sanctitate, & veritate, hoc est deponentes mendacium loqui veritatem, & cætera, quæ ad noui hominis statum pertinent, ore, corde, & opere perficere. Accipit senior iustus secundum legem, & timoratus puerum Iesum in vlnas suas, vt significet iustitiam operum, quę ex lege erat. (Quis enim nesciat opera per manus, & brachia solere figurari?) humili quidem, sed salutari fidei euangelicę gratia mutandam. Accipit senior infantem Christum, vt insinuet hoc seculum quasi senio iam, & longæua ætate defessum ad innocẽtiam & (vt ita dixerim) infantiam Christianæ conuersationis rediturum, & sicut aquilæ iuuentutem illius esse renouandam. *Et benedixit Deum, & dixit; &c.* Nunc dimittis seruũ tuum, &c. Vides non solum noui, sed & veteris testamenti iustos spe futuræ vitę desiderium habuisse dissolui à corpore, immo pacis viam deputasse sarcinam deponere terrestrem, vt pote qui se in sinu Abrahæ requiem non dubitarent habituros esse perpetuam. Denique & Idithun, hoc est, transilitor cupiditatum secularium, postquàm multa diu tacitus mundi mala contemplatus interna secum cordis meditatione concaluit, tãdem locutus in lingua sua, & quid intus egerit promens; Notum, inquit, mihi fac, domine, finem meum, & numerum dierum meorũ quis est, vt sciam, quid desit mihi. Ecce veteres posuisti dies meos. Quibus absque dubio verbis aperit quàm maximum se præsentium calamitatum nacturum speret in fine solatium, quem tantisper aduenire desiderat. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Beati oculi, qui vident, quæ Simeon vidit, beati qui non viderunt, & crediderunt. Illud ipsum, inquit, quod omnibus postmodum gentibus, populis, & linguis mente, ac fide conspiciendum parasti, spe, ac dilectione quærendum præuidisti, ipse diu desideratum nũc & carnis & cordis oculis tuum salutare contemplor. *Lumen ad reuelationem gentium, &c.* Lumẽ quidem vtrique populo salutare Dei, id est, Christus à Deo patre paratur. Qui tantum gloria magis Israel, cui diu speratus & ex quo prænunciatus aduenit, gentium vero dicitur esse reuelatio, quarum mẽtis oculos profunda iam cæcitate demersos, neque vlla spe aduentus dominici erectos, ipse visitare pariter reuelare, atque inlustrare dignatus est. Et bene reuelatio gẽtium, Israelis gloriæ præfertur, quia, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus fiet. Quomodo & Psalmista cum diceret; Notum fecit dominus salutare suum ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam, subiunxit atque ait; Memor fuit misericordiæ suæ Iacob, & veritatis suæ domui Israel.

EIVSDEM IN IDEM *Homilia.*

SOlennitatem nobis hodiernæ celebritatis, quam quadragesimo dominicæ natiuitatis die debitis veneramur officiis, maxime eiusdem domini saluatoris nostri simul, & intemeratæ genetricis eius humilitate dedicatam sacra euãgelij lectio designat, exponẽs eos, qui legi nihil debuerãt, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis. Sicut enim modo cum legeretur, audiuimus, *postquã impleti sunt dies purgationis eius*, videlicet matris illius, *secundum legem Moysi, tule- runt* To. 7. Hyem. Exod. 13.

runt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino: sicut scriptum est in lege domini. Quia omne masculinum *Leuit.12.* *adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur.* Præcepit nanque lex vt mulier, quæ suscepto semine, peperisset filium, immũda esset septem diebus, & in die octaua circuncideret infantulum, noméque aptaret: deinde etiam alios triginta tres dies ab ingressu templi ac viri thoro abstineret, donec quadragesimo natiuitatis die filium cum hostiis ad templum domini deferret: primogenitum autem omnis masculini sexus sanctum domino vocari, atque ideo munda quæque offerri deo, immunda autem mundis mutari, vel occidi & omne primogenitum hominis quinque siclis argenti debere redimi. Si autem fœminam peperisset mulier, immũda fieri iussa est quatuordecim diebus, & sexaginta sex aliis diebus à templi ingressu suspẽdi, donec octogesimo natiuitatis die, quæ dies purgationis eius vocabatur, illa se, suámque sobolem hostiis sanctificatura veniret, ac sic demum ad thorũ viri libera redire deberet. Intueamur, fratres charissimi, diligẽtius verba legis, quę proposuimus, & videbimus apertissime quàm beatissima Dei genitrix. & perpetua virgo Maria simul cum filio quem genuit, ab omni fuerit legis *Leuit.12.* subiectione liberrima. Cum enim dicat lex, mulierem, quę suscepto semine peperisset, immundã decerni, & per longa tempora simul cum prole quam genuisset, oblatis victimis debere mundari, patet profecto, quia illã, quæ sine virilis susceptione seminis virgo peperit, vnà cùm filio, qui natus est ei, neque immundam describat, neque *Gala.4* per hostias salutares doceat esse mũdandam. Sed sicut dominus, ac saluator noster, qui diuinitatis legem dedit, apparens in homine, fieri voluit sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, ita etiam beata genitrix illius, quæ singulari priuilegio supra legem fuit, pro ostendendo tamen humilitatis exẽ- *Eccle.3.* plo legalibus subdi nõ refugit institutis, iuxta il- *Leuit.12.* lud viri sapientis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Et vt darent*, inquit, *hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hostia hæc pauperum erat. Præcepit quippe dominus in lege, vt qui posset, agnũ pro filio, vel filia simul, & turturem, siue columbam offerret: qui vero non sufficeret ad offerendum agnum, duos iam turtures, vel duos columbę pullos offerret. Ergo dominus noster per omnia memor salutis, non solum homo fieri, cum Deus esset, sed etiam, cum diues esset, pauper fieri dignatus est pro nobis, vt nos sua paupertate simul, & humanitate diuitiarum, & diuinitatis suę donaret esse participes. Sed libet paulisper intueri, cur hæ maxime volucres in hostiã domini iu- *Gene.15.* bentur offerri. Nam & Abraham patriarcha tanto ante legem has in holocaustum domini legitur obtulisse, & in plerisque legis cęremoniis quis mundandus esset, per has iubebatur mũdari. Columba ergo simplicitatem, turtur indicat castitatem: quia & columba simplicitatis, & castitatis amator est turtur, ita vt si coniugem casu perdiderit, nõ aliam vltra quærere curet. Vnde in lau- *Cant.1.* dibus ecclesiæ loquitur dominus: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Et iterum: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Genas quippe turturis habet, qui ab omni impudicitiæ peste castũ se custodit & immunem: oculos habet colũbarum, qui nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore cõtuetur. Sed vtraque auis memorata quia gemitum pro cantu edere solet, sanctorum in hoc seculo designat ploratum, de quo dominus memorat, dicens: Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristicia vestra vertetur in gaudium. Et rursus: Beati qui lugent, quo- *Io.16.* niam ipsi consolabuntur. Merito ergo turtur & *Matt.5.* columba domino offeruntur in hostiam, quia nimirum simplex, & pudica fidelium conuersatio gratum est illi sacrificium iusticię: quia qui laborat in gemitu suo, qui lachrymis stratũ suum singulas per noctes abluit, acceptissimam prorsus Deo victimam mactat. Cum vero vtraq; auis ista propter consuetudinem gemendi præsentes sanctorum luctus, & desideria superna designet, hoc tamen differunt, quòd turtur solivagus, columba autem gregatim gemere consueuit: & ob id iste secretas orationum lachrymas, illa publicos ecclesiæ conuentus insinuat. Bene autem puer Iesus primo circũciditur, ac sic interpositis diebus Hierosolymam cum hostia defertur, quia & ipse iam iuuenis prius omnem carnis corruptionem moriendo aut resurgendo calcauit, ac deinde interpositis diebus cum ipsa carne iam immortali, quam pro nostra salute hostiam Deo fecerat, ad gaudia supernæ ciuitatis ascendit. Et vnusquisq; nostrum prius aqua baptismi à peccatis omnibus quasi vera circuncisione purgatur, ac sic proficiẽte gratia nouæ lucis, ad altare sanctũ salutari hostia dominici corporis, & sanguinis cõsecrandus ingreditur. Nam & ipsa singulariter simplex, & *Fidelis corpori, & sanguinis Christi perceptione cõsecratur.* casta nostri saluatoris humanitas, quæ oblata est Deo patri pro nobis, non incongrue per immolationem culumbæ, siue turturis potest figuraliter exprimi. Sed & omnis in fine mundi ecclesia primo communi resurrectione cunctam terrenæ labem mortalitatis, & corruptionis exuet, ac deinceps in regnum cœlestis Hierusalem honorum victimis operum domino commendata transferetur. Quod autem Simeon, & Anna, prouectæ videlicet ætatis vir & fœmina, deuotis confessionum officiis dominum, quem corpore paruum vident sed magnum diuinitate intelligunt, excipiunt, illam profecto populi Iudæorum synagogam figurate denunciant, quæ longa incarnationis eius expectatione fatigata, promptis illũ mox, vt aduenit, & piarum vlnis actionum, & fidei nõ fictæ vocibus exaltare, ac magnificare studuit, acclamans illi, & dicẽs: Dirige me in veritate tua *Psalm.24.* & doce me, quia tu es Deus salutaris meus, & te sustinui tota die. Sed & hoc dicendum, quia merito vterque sexus ei gratulabundus occurrerit, qui vtriusque redemptor apparebat. Magno sane metu, fratres mei, audienda sunt verba, quibus idem Simeon de domino prophetans matrem eius alloquitur. *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Desideranter nanque multum audiuit, quòd positus dicitur dominus in resurrectionẽ multorum: quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, quia ipse dicit, Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiam si *1.Cor.15.* mortuus fuerit, viuet. Et omnis, qui viuit & cre- *Ioan.11.*

dit in me non morietur in æternum. Sed non minus terribiliter sonat quod præmittitur. *Ecce positus est hic in ruinam.* Infelix nauque satis est, qui agnita resurrectionis gloria, deterius cadit, qui visa luce veritatis, grauioribus peccatorum nebulis obcæcatur. Vnde eorandum nobis summopere est, vt recta, quæ cognouimus, operando semper exercere meminerimus, ne de nobis dicatur illud Apostoli Petri: Quia melius erat eis viā veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod traditū est illis sancto mandato. *Et in signū, inquit, cui contradicetur.* Signo dominicæ crucis multi sæpe Iudæorum exterius, multi contradixere gētilium, multi, quod est grauius, falsi fratres hoc exterius professionis superficie sequuntur, sed veritate prauæ actionis nimium persequuntur, dicentes se nosse Deum, factis autem negantes. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladium appellat effectum dominicæ passionis, & mortis in cruce, qui Mariæ animam pertransiit: quia non sine acerbo dolore potuit crucifixum, morientémque videre, quem licet resurrecturum à morte quasi Deum nullatenus ambigebat, tamen quasi sua è carne procreatum mori pauida dolebat. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ante incarnationem dominicam velatæ erāt cogitationes multorum, nec latè patebat quis æternorum amore flagraret, quis cœlestibus bonis temporalia mente præferret: sed nato cœli rege in terra coosestim prius quisque gaudebat, Herodes autem turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Prædicante, & miracula faciente, omnes turbæ, & timebant, & glorificabant Deum Israel. Pharisæi autē, & scribæ dicta, & facta eius salutaria rabido ore carpebant. Passo in cruce impij lætitia stulta, pij tristitia iusta replebantur, sed resurgente à mortuis, & ascendente in cœlum, horum lætitia mœrore, illorum est mœstitia gaudio mutata perenni: sicq; iuxta prophetiam beati Simeonis apparente in carne domino, reuelatæ sunt ex multis cordibus cogitationes. Non hæc autem dispariom reuelario cogitationum tunc solum acta in Iudæa, sed nunc etiam apud nos credenda est actitari. Et nunc enim domino apparēte reuelantur ex multis cordibus cogitationes, cum lecto, vel prædicato verbo salutis, alij audientium libēter auscultant, gaudentes perficere acto, quæ auditu didicerint: alij fastidientes, quæ audiunt, non hæc agendo patrare sed his potius susurrando ntronrur contraire. Vnde oportet, fratres, vt quotiens verbum doctrinæ cœlestis aliquid contrarium à duris auditoribus pati senserimus, imitemur tristiciam cordis eorū, qui passim in carne Dei verbum digno dolore compassionis tenebant. Quotiens vero idem verbum in auditorum fidelium mente per dilectionem resurgere, atque ad gloriā conditoris nostri per bona opera proficere viderimus, gaudeamus eum eis quiChristum resurrexisse à mortuis, atque ad cœlos ascendere votis aspexere felicibus. Sanè quoniam castas, simplices, & gemebundas aues domino offerri consueuisse cognouimus, quibus nostra sobrietas, simplicitas, & compunctio cordis aurori nostro semper offerenda figuat, oportet intueri diligentius, quia non frustra duo turtures aut duo pulli columbæ, & vnus ex his pro peccato, alter in holocaustum offerri debere præcipitur. Duo sont ośque genera compunctionis, quibus semetipsos domino fideles in ara cordis immolant, quia vt mitum, sicut ex patrum dictis accepimus, Deum sitiens anima prius timore compungitur, postea amore. Prius enim sese in lachrymis afficit, quia dum malorum suorū recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit, quod est vnum turturē, siue pullum columbæ pro peccato offerre. At, dū longa mœroris anxietate fuerit formido cōsumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas oascitur, & in amorem cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur à regno, quod est de altero turture, siue pullo colombino holocaustū facere. Holocaustum nāque totum incensum dicitor. Et holocaustum se ipse domino facit, qui spretis omnibus terrenis, solo supernę beatitudinis desiderio æstuare, solam hanc per luctom, ac lachrymas quærere dulce habet. Contemplatur etenim mens, qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ maiestas æternæ visionis Dei, & amplius plangit quia bonis perennibus deest, quàm flebat prius cum mala æterna metuebat. Vtranque autem nostræ cōpunctionis hostiam gratanter accipere dignetur, qui & pro peccato lugentibus, atque afflictis clementer errata dimittit, & pro ingressu vitę cœlestis tota mētis intērione feruētes æternæ suæ visionis luce reficit Iesus Christus dominus noster, qui viuit, & regnat cū patre in vnitate Spiritussancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

2. Petri. 2.

Luc. 2.

Matth. 2.

S. AMBROSII ANSBERTI vel Audberti, presbyteri ordinis sancti Benedicti, in eadem solennitate, Sermo.

SI subtiliter, à fidelibus, quæ sit huius diei festiuitas perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandam suscipient, quo dominicæ Natiuitatis, Circuncisionis, atque Apparitionis solennia sunt prosecuti. Illius est ista solennitas, cuius & illa: sed nec minor ista quàm illa. Quod vtique in hoc sermone apertis monstrabimus documentis. Huius quippe diei solennitas sicot à quibusdam Christianis ignoratur, sic à multis præ cæteris anni solennitatibus honoratior habetur: maximè autem eo loco, quo primatum ecclesia catholica in primo pastore sortita est. In tanta enim reuerentia ab illis habetur, vt ea die euncta ciuitatis turba in vnum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, missarum solennia deuotissimè concelebrent: nullúsque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manu non tenuerit: tanquam scilicet dominum in templo oblaturi, immò etiam suscepturi fidei lumen, quo interiùs fulgent, exteriùs oblationis suæ religione demonstrent. Hodie nanque iuxta legem, atque euangelium peractis à natiuitate Christi quadraginta diebus, in templo est à parentibus idem dominus præsentatus. Hodie à sancto Simeone susceptus, patríque eum sacris muneribus oblatus. Hodie redemptionem Israël expectantibus, ab eodem Simeone, & Anna publicè prædicatus. O quàm pium spectaculum, quo non nisi pij delectari probantur

Habetur in Homiliario Alcuini.

Papa habet primatum in ecclesia catholica.

bantur! Stat hinc virgo, & mater, non cuiuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc paruulus virginis filius, cuius diuinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophetæ, atque vterque sexus de puero prophetat: offertur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret. Et quia huius diei præconium attollere cupio, libet ipsam euangelicam lectionem colloquendo transcurrere, in qua ista narrari agnosco: quatenùs ad ea, quæ dico, illa respondeat: quomodò ad ea, quæ illa narrat, vox exhortationis meæ respondeat. Denique Lucas euāgelista veritatis historiam de Christi incarnatione pleniùs, atque ordinatiùs cæteris euangelistis exequens, post annunciationem eius ab angelo factam, post natiuitatem angelorum vocibus declaratam, post circuncisionem octaui diei in domo parentum, hæc in ordine sequitur, dicens; *Postquam impleti sunt dies purgationis matris eius, &c.* Cūctis fidelibus liquet, nequaquàm redemptoris matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, qua illorum dierum spatio à sacris ædibus abstinens purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permansit. Ac per hoc nec masculus ex ea natus, vuluam eius aperuit, sed hoc iuxta legis narrationē euangelista contegens, claudit impiis sacramentum diuinæ incarnationis, matrémque legem obseruantem introducit. Sed nec mirum, si mater obseruaret legem, quam eius filius non venerat soluere, sed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, quo vsu peperetat, & quis esset, quem genuerat. Sed legem communem obseruans, expectauit purgationis diem, celauit filij maiestatem. Hinc est, quòd eum in templo duodecim annorum inter doctores legis inueniens, filium Ioseph vocat, dicens; Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quem proculdubiò sciebat se sine concubitu Ioseph concepisse, sine corruptione virginali edidisse. Sed cur abscondit conceptionis, ac natiuitatis illius sacramentum, quem nouit Deum immēsum? Nunquid nam quia inuider alijs, quem ad templum deferens, sancti senis tradidit manibus? Absit. Sed vt spiritu prophetię repleta, redemptionem mundi impiis non aperiat. Sciebat enim iam tunc gratia plena, spiritu diuinitatis afflata, quia, si hunc huius seculi principes cognouissent, nunquàm pro salute nostra crucifixissent. Offer ergo, beatissima virgo, tanquàm legem obseruans, in templo quem edidisti, vt non omnibus, sed paucis reueletur, quis est quem genuisti. Appareat interim lapis humilis abscissus de monte sine manibus, vt reprobetur ab ædificantibus, vsque quò statuam in pedibus percutiens, crescat in montē magnum, impleátque vniuersum orbem terrarum. O quam paruus, ô quàm magnus est quē peperisti: paruus in humanitate, magnus in diuinitate. Paruus in regno Iudæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Iudæorum paruus æstimatus. Nam & ipsa quę hunc genuisti, ex ipso populo Israël in virgam creuisti. Virga enim de radice Iesse surrexisti, & floruisti. Virga Aaron fronduisti, & nucem pepetisti. Et quia præ omnibus immensitatem eius agnouisti, quem tam paruissimum ex te natum vidisti: proculdubiò quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti: quem tamen, quia secundùm humanitatem filium recognouisti, lactasti, fouisti, aluisti. Quis putas nobis posset indicare, inter huiuscemodi obsequia, anim i tui sensum, ô beatissima virgo, cùm hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc atteuderes Deum immensum: hinc creatum, illinc creatorem: hinc infirmum, illinc fortissimum: hinc alendum, illinc alentem: hinc non loquentem, illinc angelos docentem? Quis, inquam, tui pectoris arcana nubis reserare valeat, quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cùm vnum, eundémque Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares vt dominum, illinc osculareris vt paruulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? Quis nō penè elinguis fiat? Generat puella suum, & omnium creatorem: nutrit suum, & omnium nutritorem: portat ad templum suum, & omnium creatorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verumetiam angelica stupescit natura! Ad hoc, fratres charissimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectu cōuenite. Ibi Christum suscipite pro vobis in carne humiliatum, sed adorate in sua diuinitate Deum excelsum. Amplectimini paruulum, sed cogitate immēsum. Amate humiliatum, sed timete excelsum. Iam verò, dilectissimi, si quæritur, quid mysterij significatum fuerit in eo, quòd redemptor noster à matre, & parentibus ex propria ciuitate in Hierusalem ad templum domini se portari voluit: inuenimus ipsam gloriosam matrem, & virginem, eiúsque propinquos, figuram gessisse illius ecclesiæ, quæ ex Iudæa in apostolis credidit. Quando enim ecclesia nō virgo, cuius membra Apostolus affatur, dicens; Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo? Quando ipsa non mater, de qua per Psalmistam dicitur; Mater Sion, dicet homo: & Dominus in euangelio; Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est: Quando electi non propinqui, qui fratres, & sorores sunt appellati? Mater itaque ac propinqui, redemptorem nostrum à * Nazareth in Hierusalem ad templum domini deferunt, quia primitiua illa in primis discipulis ecclesia à Iudæis repulsa, eiusdem redemptoris dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim ecclesia nō solùm ex gentibus, verùm etiam ex Iudæis, Hierusalem (id est, visio pacis) rectè vocatur, de qua per Psalmistam dicitur; Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Ipsa & templum, sicut per Paulum fidelibus dicitur; Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Ac per hoc cùm apostoli ex Iudæa Christum annuntiantes, veniunt ad gentes, nimirùm & Hierusalem ad Hierusalem conuenit, & templum ad templum occurrit, cùm hi omnes vna sint Hierusalem ciuitas, vnum & templum. In hac itaque ciuitate atque in hoc templo ab apostolis oblatus Christus excipitur. Vnde & ipsa ecclesia Psalmistæ voce Deo patri loquitur, dicens; Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui: Subaudis; In medio ecclesiæ, quæ est templum tuum. Sine autem iuxta historiam, siue iuxta mysticum intellectum, cur Christus à parentibus ad sanctam ciuitatem, & templum ducatur: causa manifestatur eùm subiungitur; *Vt darent hostias, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Præceptum siquidem

Marginal notes: Matth. 5. — Luc. 2. — 1. Cor. 2. — Dan. 2. — Esa. 11. — Num. 17. — 2. Cor. 11. — Psal. 86. — Matth. 12. — * forte, Bethlehem. — Psal. 121. — 1. Cor. 3. — Psal. 47.

dem legis fuerat, vt, si cui fortè agnus defuisset, & vnum horum, id est, aut par turturum, aut duos pullos columbarum inuenisset, Deo in oblationem filij offerret. Nec præiudicaretur ex altero, qui vnum quodlibet horum obtulisset. Sed quia vterque Christi, Ecclesiæque sacramenta significat, credendũ est vtrunque ad sacrificium matrem inuenisse atque obtulisse. Denique in hac oblatione auium, illa præfigurabatur oblatio, quæ pro salute mundi oblata est vespera diei, Domini videlicet passio, per quam sumus Deo reconciliati. De hac quippe hostia per Paulum fidelibus dicitur;

Ephes. 5. Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Et

Gal. 2. rursum; Qui dilexit me, inquit, & tradidit seipsum pro me. Quia verò omnes electi membra sunt Christi, in turture scilicet turtures, atque in columba columbæ: designat etiam hęc auium oblatio mortificationem electorum, quibus per eun-

Rom. 12. dem Apostolum dicitur; Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Sed nulla esse potest accepta Deo mortificationis oblatio, in quibus nõ fuerit veræ fidei castitas, veræ charitatis concordia. Proinde non sine causa sacrificium, quod pro Domino mysticè oblatum perhibetur, ex turturibus, & columbis fuisse narratur. In turture enim castitas inuenitur, & in columba charitas commendatur. Turtur namque intemeratam seruat vni viro fidem: columba verò aliarum cohabitantium non deserit vnitatem. Catholicus igitur Christianus tunc verè spiritualis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conseruet, & hæreticæ prauitatis sensum, tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vere erit columba, si longanimiter vsque ad finem in catholica societate permaneat, & contra tentationum scandala immobili firmitate persistat: vt nec hęretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet vnitatem. Hæc est enim Ecclesia Catholica, quæ fidem vni Domino tanquam legitimo viro conseruat, & congregationem multorum in fide multiplicat. Sequitur; *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, &c.* Nihil minùs de sanctitate isti specialiter homini adscribitur; qui & in Hierusalem, id est, in visione pacis commoratur, & fidei operatione iustus, & reuerentia timoratus, & Israelis consolatione attonitus, & spiritusancto repletus, eiusque respõsione de incarnati verbi visione roboratus fuisse perhibetur. O quàm ardenti desiderio homo iste expectabat, secundùm Spiritussancti promissionem, videre in carne redemptorem? Quæ putamus fuerit instãtia orationis eius qua diuino responso meruit firmari de iis, quæ petebat? Quæ erant eius gemituum continuata verba in sancta deprecatione? Nõ enim in petendo cessauit, vsque donè responsum acciperet super iis, quæ poscebat. Fuerunt siquidem in retroactis temporibus multi simili desiderio accẽsi, Domi-

Luc. 10. no attestante, qui ad discipulos ait: Multi reges, & prophetæ voluerunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & nõ audierunt. Sed ea illis hoc isti soli cõcessum est, qui in plenitudine temporis, horum vltimus apparuit. Sed, si

Philip. 1. vigilanti studio subsequẽtium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus viuere est, & mori lucrum, inuenimus eos non minoris anxietatis ardore diuinitatẽ eiusdem saluatoris intueri velle, quam ille concupiuit inspicere carnẽ. Hinc *Ibidem.* Paulus dicit, Cupio dissolui, & esse cum Christo: multo autem melius. Hinc Psalmista ex persona *Psal. 41.* Ecclesiæ dicit, Sitiuit anima mea ad Deũ viuum, quando veniam, & parebo ante faciem Dei. Quis ergo iam hinc non videat, in vno Simeone multos, per vnum cũctos significari electos, qui nunc iusti ex fide, atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inueniũtur ex ventura consolatione? In quibus etiam Spiritussanctus inesse cognoscitur, quia & per Apostolum *Iustus non solum fide, sed & operatione.* dicitur, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Rom. 5.* Et rursum fidelibus dicit, Corpora vestra templum sunt Spiritussancti, quem habetis ex Deo. *1. Cor. 6.* Quique responsum accipiũt à Spiritosancto, non visuros se mortem: nisi priùs videant Christum Domini: quia in hac adhuc corruptibili vita eiusdem Spiritussancti gratia reuelante, apertis fidei oculis eum, qui se cum illis vsque in finem seculi *Matth. 28.* mansurum esse repromisit, aspiciunt, non iã carne paruulũ, sed diuinitate immensum. Qui etiam cum Apostolo dicunt; Et si nouerimus Christum *2. Cor. 5.* secundùm carnem, sed iam nunc non nouimus. Habitant etiam isti in Hierusalem; atque in Spiritu in templum, quò Christus introducitur, veniunt. Ipsi enim sunt Hierusalem, qui habitant in Hierusalem: ipsi & templum, qui veniũt in templum, in quibus & à quibus Christus excipitur. Breuiter, fratres, ista percurrimus, ne, dum quæ sint huius diei sacramenta, quodque sanctum, piúmque præconium, indicare studemus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, &c.* Hinc vnius, hinc multorum, immò etiam omnium adimpletur expectatio iustorum. Sed dicamus priùs de vno, & sic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere, vt, quod de vno dicitur, de omnibus veraciter sentiatur. Et ecce dum specialiter de vno venerabili sene cupimus loqui, occurrit prædicanda virginis prudentia, non humana industria fulta, sed spiritu diuinitatis afflata: quæ filium oblatura veniens, suæque naturæ humilitatem seruans, prophetæ tradidit manibus offerendũ. Non ignara vtique quis esset eius manibus Deum, hominemque tradebat sacrificio dedicatum. Offert autem Dominum prophetarum prophetæ, offert vnicum vni, immò omnibus in vno, quæ omnibus eundem peperit saluatorem. Non enim desinit vnicuique *Intercessio B. Virginis Mariæ quantum possit apud filium.* offerre, quem genuit, cùm suis sanctis interuentionibus eundem redemptorem electis vniri facit. Et, vt verum fatear, materno affectu idipsum pijssima facit. Omnes enim filios deputat, quos diuina gratia Christo consociat. Quando nõ ipsa mater electorum, quæ fratrẽ genuit eorum? Si, inquam, Christus credentium frater, cur non ipsa, quæ Christum genuit, sit credẽtiũ mater? Quamobrem obsecro, mi beatissima virgo, offer nobis Christum pijs suffragijs, quę nescis inuidere filijs. Sed nec attendas filiorum tuorum iniurias, à quibus non, vt dignum est, honoraris. Tolerat enim pia mater irreuerentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Foue ergo, etsi tãtis meritis indignos,

pijs

piis orationibus, quos in vno genuisti. Depreecare vnicum filiũ, pro excessibus multorum filiorum. Sed iam, fratres charissimi, Christũ in vlnas suas suscipiens, quid vnus specialiter Simeõ dicat, audiamus. Ait enim; *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si diceret; Longa me expectatione fatigasti, diu retinuisti: sed tandẽ, viso quem expectaui, iã de humanæ vitæ scãdalis in pace dimittis. Dimittis in pace, quia secũdũ promissionẽ tuam per incarnati verbi mysterium solutis inimicitiis, tibi merui reconciliari. Dimittis in pace,

Ephes. 2. quia video pacem. Ipse est enim pax nostra, qui facit vtraque vnum. Hoc denique & omnes electi dicunt, qui Christum in vlnas suscipiunt, qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim est Christum in vlnas suscipere, nisi piis hũc operibus in membris suis amplecti? Per vlnas enim id est, brachia, virtus operationis exprimitur. Cùm enim in alio esurientem Christum satiant, in alio sitientem potant, in alio hospitem suscipiunt, in alio nudum operiunt, in alio infirmum vel in carcere positum visitant, his proculdubiò

**actibus.* deuotis*actionibus tanquam brachiis, quotidiè eundem ipsum puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes, illum se in his suscipere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant,

Matth. 25. qui dixit, Quandiù fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis: atque eisdem operibus vt ad pacem Dei redeant, à peccati scandalo absolui se credunt, rectè idem Simeon exclamauit, dicens, *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si electi dicant: Ideò nos à peccati scãdalo secundùm promissionem tuam absoluens, iam in pace reconciliatos, passibus amoris propinquare cælestibus facis, quia fidei oculis salutare tuum, id est, Dominum Iesum Christum in membris eius intueri, eumq́ue piis*operationibus amplecti

** operibus.* meruimus. De quo adhuc, siue ille, siue isti, Deo patri dicunt; *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Nisi à toto pars intelligenda sit populorum, quæ saluatorem in carne viderit, iuxta literam ratio non stabit: quia eum nec carnis, nec fidei oculis omnes populi conspexerũt. Ante faciem ergo omnium populorum hoc salutare dicitur præparatum, quia ex omnibus populis in eum crediderunt, qui eum credentes fidei oculis aspexerunt. Nam quod Dominus Thomæ dicit,

Ioan. 20. Quia vidisti me, credidisti: Beati qui nõ viderunt & crediderunt: hoc de visione corporali locutus est, de quo & subditur; *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Hoc itaque lumine de tenebris reuelatæ, hoc inuectæ, hoc illustra-

Esai. 9. tæ sunt gentes, sicut scriptum est; Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam: sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. De hoc lumine Ioãnes euangelista te-

Ioan. 1. statur, dicens; Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

1. Ioan. 1.
Ioan. 3. De hoc in epistola sua dicit, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. De hoc lumine idem in euangelio ait, Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Et iterùm, Quandiù sum in mundo, lux sum mundi.

Ioan. 9. Quod cùm sit etiam gloria gentium in eo, ad gloriam Israelis dicitur præparatum. Quia siue in patriarchis, prophetis, atque apostolis, immò etiam in ipso omnium capite Christo, siue in eloquiis Dei, amplius gens illa quã*gentes gloriosa mon- **Gentilitas.*

strabatur, Apostolo attestante, qui ait: Quid ergo *Rom. 3.* amplius Iudæo? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Et rursum, *Rom. 9.* Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est benedictus Deus in secula, Amen. Sequitur; *Et erat Ioseph & Maria mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Quibus mirantibus etiã nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his, quæ de illo à propheta sancto dicebãtur, mirati. Nun- *Matth. 2.*

quid enim Ioseph iam in somnis ab Angelo non audierat, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cõiugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritusancto est. Pariet autem filiũ, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Nũquid & ipsa sacratissima virgo, quæ salua virginitate filium se genuisse sciebat, priùs quàm pareret, ab Angelo non audierat, Aue gratia plena Dominus tecum, *Luc. 1.* benedicta tu inter mulieres: Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq́ue & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei? Quid ergo admirãtur super his quæ de illo narrantur, nisi quia cæteris mirantibus, vt sacramentum impiis occultent, quid sibi velint talia, quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, & ipsi mirantur? Sed audiãt adhuc de illo potiora, audiãt adhuc de illo maiora. Denique sequitur: *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* In vna redemptoris nostri Dei ho- *Gemina in Christo natura.*

minisq́ue persona, perfectam Dei, perfectamq́ue hominis inesse confitemur naturam: & ex vna quidem Dominum, ex altera seruum: ex vna fortem, ex altera infirmum: ex vna magnum, ex altera paruum: ex vna creantem, ex altera creatum: ex vna pascentem, ex altera esurientẽ: ex vna recreãtem, ex altera sitientem: ex vna miraculis coruscantem, ex altera iniuriis succumbentem: ex vna viuificantem: ex altera morientem: ex vna suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum. Et cùm aliud sit in eo Dominus, aliud seruus: aliud fortis, aliud infirmus: aliud magnus, aliud paruus: aliud creans, aliud creatus: aliud pascens, aliud esuriens, aliud recreans, aliud sitiens: aliud miraculis coruscans, aliud iniuriis succumbens: aliud viuificãs, aliud moriens: aliud resuscitans, aliud resuscitatus: Non tamen alius Dominus, alius seruus: alius fortis, alius infirmus: alius magnus: alius paruus: alius creans, alius creatus: alius pascens, alius esuriens: alius recreãs, alius sitiens: alius miraculis coruscans, alius iniuriis succumbens: alius viuificans, alius moriens: alius resuscitans, alius resuscitatus: sed vnus, idẽq́ue Dei, atque hominis filius ex vno (vt dictum est) Dominus: ex altero seruus: ex vno fortis, ex altero infirmus: ex vno magnus, ex altero paruus: ex vno creans, ex altero creatus: ex vno pascens, ex altero esuriens: ex vno recreans, ex altero sitiens: ex vno miraculis coruscans, ex altero iniuriis succumbens: ex vno viuificans, ex altero moriens: ex vno resuscitans, ex altero intelligitur resuscitatus: Quíque ante oculos mortalium positus

situs, ex vno venerabatur vt Deus, ex altero despiciebatur vt homo. Denique cùm hunc Iudæorum populus cerneret de quinque panibus tot millia hominum pascentem, infirmos curantem, leprosos mundantem, ac mortuos suscitantem, Deum esse arbitrabatur. Rursum cùm eundem aspiceret esurientem, sitiẽtem, lassescentem, dormientem, atque iniuriis succumbentem, putum esse hominem suspicabatur. Et hæc quidem apud incertas turbas, sed non apud discipulos. Neque enim ita in cordibus eorum variabatur, qui illius assiduis priuatisque eloquiis fruebantur, quibus
Matth. 13. & ab ipso dicitur; Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.
Matth. 26. At, vbi ventum est ad passionem mortis, periit fides, ablata est omnium spes. Denique vt Euangelista testatur, omnes, eo relicto, fugerunt. Ex quibus dum vnus vinctum à longè sequitur, ad atrium perueniens, eundem se cognouisse denegat. Et quis in mortis passione, illo ruente, non rueret, cùm eum præcipuus eius amator, cùm auidus eius imitator, vnius ancillæ voce territus, non semel, sed ter abnegauerit? Sed illo in carne à mortuis resurgente, resurrexerunt in anima discipuli. Vtrunque autem ante passionem eius, eadem qua tradebatur nocte, in discipulis somno perfidiæ lapsis, ac suscitatione eiusdẽ redemptoris designatum est. Mors ergo eius, facta est ruina multorum, resurrectio verò, vita multorum. Dicatur itaque: *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.* Ac si diceretur; Eo moriente, multi ex stantibus ruent: eo resurgente, multi ex lapsis resurgent. Quia verò illo quidem moriente, multi ruerunt, illo resurgente multi surrexerunt, sed in eum, qui ex mortuis resurrexit, non omnes crediderunt, rectè subiungitur; *Et in signum, cui contradicetur.* Quod enim signamus, ab aliorum notitia abscondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro redemptoris, quàm quoddam diuinitatis eius sigillum absconsionis? In signum itaque redemptor noster positus fuit: sed cui, nisi illi, cui contradictum fuit? Quæ causa contradixit? Quid contradixit? cui contradixit? Vt autem tanquam interroganti cuilibet breuiter respondeam. Quæ causa contradixit, nisi mors carnis? Quid contradixit, nisi non esse Deum, qui mori potuit ab hominibus vt homo? Cui contradixit, nisi omni incredulo? Quæ videlicet & contradictio quibusdam in scandalum, quibusdam versa est in stultitiam, Apostolo
1. Cor. 1. attestante, qui ait; Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Sequitur itaque venerabilis senex, iustus, ac propheta, & dicit matri Iesu; *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Solet nonnunquam in scriptura sacra gladij nomine, temporalis tribulatio figurari, Psalmista attestante, qui illatas à persecutoribus passiones in ipsos exoptat
Psal. 36. reflecti, dicens; Gladius eorum intret in corda eorum. Hinc idem Psalmista de Ioseph loquitur, dicens; Ferrum pertransiuit animam eius, donec
Psal. 104. veniret verbum eius. Ac si diceret; Tamdiu fuit in illa seruitutis vel carceris tribulatione, donec illud, quod prædixerat futurum, veniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quanquàm autem multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ virginis, illa tamen hic specialiter designatur, quæ Domino in cruce moriente, materna viscera transfixit. Dicatur ergo eidem à sancto propheta; *Et tuam ipsius animã pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceretur; Maternis visceribus tribulationis gladio transuerberatis, videbis in cruce pendentem, quem angelo nunciante virgo cõcepisti, manente virginitate filium edidisti: quatenùs per hoc factum & Iudæorum insultantium iniquitas, & discipulorum fugientium infirmitas denudetur. Denique illo in cruce pẽdente, Iudæi præsentes insultabant vt descenderet: Apostoli fugientes, de cruce illum descendere posse non credebant: quæ vt fierent, necesse fuit, materna pariaque viscera ex eiusdem redemptoris passione gladio tribulationis transfigi. Sed iam ista, vt cœpimus, quid typicè significent, breuiter demonstremus. Quis enim intra sanctam Ecclesiam constitutus, nõ videat in morte redemptoris nostri illos cadere, qui hunc aut solummodò hominem mortalem fuisse, aut veram carnẽ in passione vel in resurrectione non habuisse asseuerant? Et quis in eius resurrectione non consideret illos resurgere, qui a perfidia malæ credulitatis diuina gratia separati, & in vera hunc carne salua diuinitatis suæ impassibilitate, veraciter passum, & in vera carne veraciter à sua maiestate suscitatum, affirmant? An non aliis in ruinam, alijs vero in resurrectionem Christus factus fuerat, cum Paulus de se, suisque sociis diceret; Christi bonus odor sumus Deo, & in iis, qui pereunt, & in iis, 2. Cor. 2.
qui salui fiunt: & aliis odor mortis in mortẽ, aliis odor vitæ in vitam? De illis verò, quibus humanitas carnis, diuinitatem abscondit saluatoris, ita dicit; Et si opertum est euangelium nostrum, in 2. Cor. 4.
iis, qui pereunt, est adopertum. Iam verò si deuotè (vt decet) attendamus, ipsam beatam virginem, cuius animam gladius transfodisse perhibetur, typum Ecclesiæ præcessisse reperimus, cuius animam gladius * pertransisset, scilicet verbum præ- * pertransiit.
dicationis. Quod enim per gladium prædicatio sancta figuretur, Paulus Apostolus testatur, dicẽs; Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Gla- Ephes. 6.
dius etenim animam Mariæ transuerberat, quia verbum Dei electorum corda penetrans, ab errore mortificans, in veritatem vitæ commutat. *Vt reuelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceret: Idcirco diuini verbi gladius sanctorum corda funditus ab errore mortificans, in veritatis doctrinam commutat, vt dum quorundam vitia virtutésque loquendo examinant, vnicuique quibus loquũtur, intima sua manifestent. Hinc Paulus ait; Si omnes prophetent, intret autem quis 1. Cor. 14.
infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in terram adorabit Deum, pronuncians, quòd verè Deus est in vobis. Qui autem essent isti prophetæ, ipse paulò Ibidem.
inferiùs aperuit, dicens; Prophetę duo, vel tres dicant, & cæteri diiudicent. Oremus autem necesse est, vt idem gladius nostra corda transfigat, quatenus fidelium turbis nobis prædicantibus, & singulorum virtutes, ac vitia exponentibus, vnicuique interiora sua patefiant. Sequitur; *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, &c.* Hæc iuxta historiam aperta sunt, nec habent aliquid obscuritatis.

tis. Commendant autem castitatem beatæ mulieris, instantiam ieiuniorum, atque obsecrationum die, noctéque templo Dei inhærentis. Sed latent in his quædam Ecclesiæ sacramenta. Quæ enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorũ ecclesia designatur? Ad cuius membra Apostolus loquitur, dicens; Gratia salui facti estis per fidem. Quæ bene etiam filia Phanuel, ac de tribu Aser fuisse perhibetur. Phanuel quippe interpretatur facies Dei: Aser verò, vocatur beatus. Et qui alij per faciem Dei figurantur, nisi qui spiritussancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primò perduxerunt? Quia enim per faciẽ quilibet agnoscitur, inter facies Dei vocantur ij, per quos cognitio * veritatis reuelatur. (* denunciatus.) Quique non immeritò Aser, id est, beati vocantur, quia ad æternam paternitatem, siue per inspiratam interiùs naturam, siue per datam exteriùs legem erudiri meruerunt. Vnde scriptum est; Beatus homo quem tu erudieris; Domine, & de lege tua docueris eum. (Psal.93.) In quibus verbis apertè monstratur, electorum Ecclesiam filiam esse patriarcharum, ac prophetarum, quæ scilicet siue in spiritu, seu in verbo, rectè etiam prophetissa nuncupatur. De qua adhuc subiungitur; *Et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.* Et quis eius alius est vir, nisi ille, de quo per Esaiam prophetam dicitur, In die illa apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum? (Esa.4.) Quis alius huius est vir, nisi ille, de quo in Ioannis Apocalypsi dicitur, Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam vidi descendẽtem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo? (Apoc.21.) Quæ etiam antequam Christo sociaretur, ideò virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certè quia non incorrupta, sed infœcunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus vniuit, cùm naturam humanam suscipiens, Euangelium eã orsus fuit. Quod itaque annis septem cum viro suo à virginitate vixisse describitur, tempus eiusdem prædicationis ipso septenario numero signaliter concluditur, in quo & septiformẽ spiritussancti gratiam ab ipso accepit, & ipsa in septem mulieribus, vel septem ecclesiis mysticè eidem viuiri meruit: & quia illo ascendente ad cælos, humanitatis eius præsentia desolata est, iure etiam vidua remansisse narratur. Au non vidua rectè vocatur, de qua per beatum Iob hæreticorum facta mentione dicitur; Pauit sterilem quæ non parit, & viduæ bene non fecit? (Iob.24.) Illud itaque gaudij tempus, quo præsentia viri in carne fruebatur: illúdque tristitiæ, quo eius præsentia desolanda erat Ecclesia, idem vir eius designans, dicit; Non possunt ieiunare filij sponsi, quandiu cum illis est sponsus. (Matth.9.) Veniet tempus, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabũt. In numero autem annorum octogintaquatuor, quibus vidua esse describitur, totum tempus vitæ præsentis exprimitur. Legimus enim filios Israel, vsquequo terram repromissionis ingrederentur, quadraginta & duas mansiones in itinere habuisse. Quibus scilicet quid aliud quàm peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, vsquequò ad terram viuẽtium veniamus? Sed propter geminum testamentum, vetus scilicet, & nouum, idem quadragenarius ac secundus numerus duplicatur, & fiunt octoginta quatuor. Sicut enim propter vtrunque testamentum duodenarius numerus duplicatus, in vigintiquatuor senioribus Ecclesiam designat: (Apoc.4.5.) sic etiam propter eadem duo testamenta quadragenarius ac secundus duplicatus, in octogenario quarto præsens Ecclesiæ tempus figurat: Et quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Vtrunque enim cócorditer peregrinationem eiusdem Ecclesiæ denunciat, de qua & bene subiungitur: Quę non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiẽs nocte ac die. Ipsa enim est templum, quæ & vidua, ieiunijs & obsecrationibus seruiens in templo. Quęque ablata spõsi sui corporali specie, quia hunc necdum corporeis oculis intueri valet, ad nil aliud magis, quàm ad ieiunium & orationem vacat. Hinc Psalmista ait: Fuerunt mihi lachrymę meę panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? (Psal.41.) Dignè itaque præmittit ieiunia, ac deinde obsecrationes coniungit. Quę enim esse potest obsecratio, vbi regnat commessatio? Quę esse potest deprecatio, vbi dominatur assidua potatio? (Ieiunium cordis.) Sed hæc dicens, cordis etiam vult intelligi ieiunium: quo nisi quis ab immundis cogitationibus ieiunare studeat, obsecrationibus Deo vniri non valet. Siue autem isto, siue illo ieiunio simúlque obsecrationibus fulta, die ac nocte seruire describitur: subandis, & in prosperis, & in aduersis ab hoc opere non cessat. Sequitur; *Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, &c.* Hic iam figuraliter vltima Iudæorum conuersio designatur, quando Enoch & Elia prædicantibus, Christus ad eos reuertitur, peractis scilicet omnibus in Hierusalem, id est, in ecclesia gentium, secundùm legem Domini, noui videlicet testamenti. Quasi enim peracto sacrificio, ab Hierusalem in ciuitatem suam Christus cum parentibus reuertitur, cùm adimpleta plenitudine gentium, nouissimè cum prædicatoribus sanctis ad eos colligẽdos, ea quibus carnem suscepit, regreditur. Sequitur: *Puer autem crescebat & confortabatur.* Hæc de illo secũdùm humanitatem dicta sunt, non secũdùm diuinitatẽ. Neque enim in sua natura crescit, in qua plenus est: sed in nostra, in qua paulò minus quàm angeli minoratus est. (Psal.8.) Nec in sua confortatur, in qua omniũ fortitudo est: sed in nostra, in qua pro nobis infirmatus est. (Heb.2.) Nec in sua adimpletur sapientia, in qua plenitudo sapientię est: sed in nostra, in qua pro nobis exinanitus est. Nec in sua gratiæ indiget, in qua omnibus gratiam tribuit: sed in nostra, in qua ea quæ cum patre habet, accepit. Quæ scilicet omnia meliùs ad eius corpus, quod est Ecclesia, quàm ad ipsum caput referri possunt. Vsquequò enim illud consummetur, quod Apostolus dicit: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi, & vt iam non simus paruuli: (Eph.4.) quotidiè crescit in fide puer Iesus, quotidiè confortatur virtutibus puer Iesus, quotidiè verbo sapientię adimpletur puer Iesus, quotidiè gratia saluationis iustificatur puer Iesus. Hęc de tanti diei solennitate breuiter diximus, hęc de tam mysticis sacramentis succinctè transcurrimus: quia & prolixitatem Euangelicę lectionis attendimus, & ad hęc agenda moras breues habuimus. De cætero dilectionem vestram admoneo, charissimi fratres, si tamẽ animos

animos vestros hęc locutio fecit intentos, vt attendatis qua deuotione huius diei solennitatem, de reliquo celebrare debeatis. Non sit vile illud spectaculum, in quo filius virginis Deus & homo complectitur, in quo & virgo & mater ostenditur, in quo prophetæ, immò prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa ecclesiæ sacramenta declarantur. Quod ipse cordibus vestris imprimere dignetur, qui hodierna die sanctum iustúmque Simeonem spiritussancti illustratione interiùs pulsans, ad templum quo ipse à parentibus offerebatur, docuit, immò certè cōpulit ire: qui cum Deo patre & eodem spiritu sancto, ęquali potestate, ęquali virtute, ęquali ęternitate, ęquali maiestate viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Spectaculum huius diei.

ERICI IN EODEM *festo, Homilia.*

Christi & matris eius humilitas.

POstquam impleti. Ea verbis huius sacræ lectionis, maxima nobis redemptoris nostri dignatio, & intemeratæ genitricis eius beatæ Mariæ humilitas commendatur: quia videlicet tam ipse Dominus, quàm gloriosa eius mater, cùm legi nihil deberent, legalibus tamen decretis se subdere spontè voluerunt. Præcipiebat enim lex, vt infans octauo die natiuitatis circuncisus, post triginta & tres dies suæ circuncisionis ad templum domini deferretur, & daretur hostia pro eo: & si esset primogenitus, sanctus domino fieret. Quòd si verba legis diligenter inspiciamus, videbimus quia non solùm dominus sine peccato incarnatus, sed & ipsa beata illius genitrix ab omni subiectione legis libertima fuerit. Dicit nanque lex: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octaua circuncidetur infantulus: ipsa verò triginta & tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Dicēs enim mulierē suscepto semine parientem, vnà cū prole oblatis victimis debere mundari, illam vtique ab hac necessitate distinguit, quæ sine suscepto viri semine, virgo concepit & virgo peperit. Reliqui nāque homines idcircò cum peccato originali oriūtur, quia cū delectatione carnis atque cū ardore libidinis, in materno vtero concipiuntur. Dominus autem Iesus Christus, quia sicut absque virili semine, ita etiam absque carnali delectatione in vtero virginis, spiritusancto cooperante conceptus est: ideò & sine peccato natus est. Sed sicut Christus legi subiectus esse voluit, vt nos à vinculo solueret legis: ita etiam beata Maria, cùm sub lege non esset, pro exemplo humilitatis legis instituta non refugit obseruare. Memor illius præcepti, quod quidam sapiens ait: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Postquàm ergo impleti sunt dies purgationis eius (vel Domini videlicet, vel beata genitricis eius) tulerunt illum parentes illius ad templum Domini in Hierusalē, vt sisterent eum Domino:* hoc est, statuerent & consecrarēt. Illi ergo paruuli, qui de toto regno Iudæorum ad templum domini portabantur, si fuissent quidem ea tribu Leui, in ministerio domus Domini perpetuò tenebantur: quia eadem tribus tota in hoc ipsum templum fuerat dedicata. Sin autem ex alia aliqua tribu, precio dato à parentibus primogeniti redimebantur, ad propria referendi. Et puerorum quidem purgatio, in hostiarum oblatione constabat, matrum verò in hoc, quòd pro masculo quadraginta, pro fœmina verò octoginta diebus à viri toro, & ab ingressu templi domini arcebantur: non quo culpa sit ex legitimo connubio filios gignere, sed ipse generis humani legitimus nuptialísque conceptus non potest esse à culpa iniquitatis extraneus. Bonum enim nuptiarum ab initio generis humani diuinitùs institutum nouimus. Propter quod & Apostolus honorabile connubium in omnibus, & torum immaculatum sine dubitatione commendat. Cùm igitur nuptiæ laudabiliter à Deo sibi tributam possideant in fide & charitate munditiam, tamen quia sine delectatione libidinis non possunt peragi, necessariò prolem edunt peccato primi hominis vitiatam. De nuptiis ergo bonis vsque adeò bonum est quod nascitur, vt malum non sit, etiam si de adulterio vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ donum fœcunditatis contulit, libidinis verò malum est non creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de munditia nuptiarum, mundus homo non nascitur, quia interueniente sordida libidine seminatur. Quam libidinem castitas coniugalis non amat, sed ad propagandos filios necessariò tolerat. Ob hoc sanctus Dauid legitimo fidelique connubio natus, non sine grauissimo dolore maculam carnalis geniture ita deplorat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Hęc diximus, vt maculā originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in conceptu paruulorum esse nouerimus. Quòd autem mulieri pro masculo filio quadraginta diebus aditus templi interdicitur, ideò iuxta literam factum est, vt quot diebus infans formatur in vtero, tot etiam diebus purgatio illius peragatur. Dicitur enim conceptio humana sic perfici, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem diebus conuertitur in sanguinē. Deinde duodecim diebus solidatur: reliquis decē & octo diebus formatur vsque ad perfecta lineamenta mēbrorum. Inde iam vsque ad tempus pariendi reliquo tempore magnitudine sui augetur. Sex autem & nouem, & duodecim, & decem & octo in vnum coacti faciunt X L V. Si ergo minorem numerum in maiorem concludimus, videbimus pręceptum esse tot penè diebus hominem purgari, quot formatur in vtero. Cur autem pro fęminę partu diuturnior purgatio iniungatur, quàm pro masculo, inquirendum est. Sic enim dicitur: Sin autem fœminam pepererit, immunda erit quatuordecim diebus, & sexagintasex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Quia ergo mulier & se & virum decepit, ideò etiam in ortu suo maiori subiacet maledictioni. Ferunt etiam physici, fluxum sanguinis pro masculo septem esse dierum, pro fœmina verò dierum X I I I I. Vt quantò est sexu infirmior, tantò sit ipsa natiuitate inquinatior. Porrò quatuordecim & sexagintasex, octoginta faciunt. In quo numerus superior, id est, quadragenarius duplicatur: quia mulier serpentis persuasioni consensit, & virum persuasioni suæ consentire coëgit: Vir autem soli mulieri consensit. Hæc iuxta literam de distantia purificationis dicta sufficiant. Quòd verò Dominus priùs circumciditur, ac sic post dies aliquot in templum cum hostia offertur, significat spiritualiter, quod nullus

Leuit.12. Ibidem. Eccle.3. Heb.13. *Libido, pœna peccati.* Psal 50. Leu.12.

lus hominū in conspectu Dei valet esse acceptus, nullus etiam cælestem Hierusalem perfectam valet conscendere, nisi circuncisus vitiis, & cautus omni fæce mortalitatis. *Sicut scriptum est in lege do-*
Exo. 13. *mini, Quia omne masculinum adaperiens vuluam, san-*
Num. 8. *ctum Domino vocabitur.* Quòd dicit, Omne masculinum adaperiens vuluam, & de hominibus & de pecoribus dictum intelligitur. Omnia enim primogenita Domino sanctificabantur, & sacerdotum erant: ea tamen ratione, vt pro hominis primogenito sacerdoti precium daretur: primogenitum quoque pecoris, quod immundum erat, quinque redimeretur siclis argenti. Spiritualiter autem omnia illa primogenita significabant Dominum Iesum Christum, qui cùm esset vnigenitus in natura Dei Patris, factus est primogenitus omnis creaturę, id est, omnium hominum. Et ipse
1. Pet. 2. est veraciter & singulariter sanctus Domino, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Moraliter quoque omnia primogenita nostra Deo offerenda sunt, vt quicquid boni in corde concipimus, diuinę gratię tribuamus. Et sicut illi immunda animalia quinque siclis redimebāt, sic nos praua opera quę gerimus, redimere debemus, perfectam agentes pœnitētiam de omnibus peccatis, quæ per quinque sensus corporis contrahimus. Quòd ergo dicit, Adaperiens vuluam, nō est credendū, vt heretici affirmare conati sunt, quòd Christus vterū matris, quem ingressus sanctificauerat, egressus virginitate priuauerit. Ipsa
Ezec. 44. est enim porta, de qua scriptū legimus: Porta hęc clausa erit, & vir non transiet per eam, quoniam dominus Deus Israël ingressus est per eá, eritque clausa principi. Deus nanque veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neq; enim decebat: vt creator humanæ carnis Deus, qui in prima conditione homini virginitatem tribuerat, idem quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur, auferret. *Et vt darent hostias, &c.* Hostia hæc pauperum
Leuitic. 12. erat. Præcipiebat nanq; lex, vt qui possent agnum inuenire, offerrent illum pro filio vel filia simul cum turture siue columba. Quòd si quis agnum reperire non posset, duos saltem turtures vel columbas iubebatur offerre. Dominus ergo Iesus memor salutis nostræ, quum esset diues, pauper pro nobis fieri, pauperem pro se hostiam voluit offerri, vt nos sua paupertate diuitiarum spiritalium, & æterni regni donaret esse participes. Sed videamus, cur hæ volucres præ cæteris in sacrificio domini iubebantur offerri. Columba enim simplicitatem, turtur significat castitatem: Quæ adeò continentiam diligit, vt postquàm semel socium perdiderit, vlteriùs alterum non requirat. Vtraque autem auis gemitum pro cantu habet. Et ideò non immeritò sanctorum in hoc seculo designant ploratum. Meritò ergo turtur & columba in sacrificio domini offeruntur, vt apertè designetur, quia simplex & casta iustorum conuersatio gratissimum omnipotenti Deo sacrificium exhibet. Item columba, quæ gregatim volat, actiuam vitam significat, quæ multorum est. Turtur verò, qui solivagus est, & sic singularitatem diligit, contemplatiuam vitam significat præ ce-
Matth. 6. ßimis ac rarissimis imitabilē. Moraliter, cùm iuxta præceptum euangelicum intrātes in cubiculum, oramus dominum in abscondito, turturem offerimus. Verùm cùm ad simile opus alios quos possumus inuitamus, dicentes cum Psalmista: Veni- Psal. 94.
te, adoremus & procidamus & ploremus ante dominum qui fecit nos, columbas ad diuinum altare portamus. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Adueniens in carne Dei filius, non tantùm ab angelis & prophetis, sed etiam à senioribus & iustis testimonium laudis accepit. Decebat nanque, vt quia omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, per Christum erat redimenda, omnes etiam illi deuoto famularentur obsequio. *Et homo iste iustus & timoratus, &c.* Rectè iustus & timoratus dicitur, quia iustitia sine timore Dei difficilè custoditur. Re enim vera iustus erat, qui non suam tantùm, sed totius populi consolationem expectabat: vt scilicet qui iam ex multis diebus dominio Herodis alienigenæ grauabantur, aduentu domini saluatoris liberati, consolationem acciperent. *Et responsum acceperat à spiritu sancto, &c.* Magnum desiderium antiqui sancti habebant videndi Dominum Iesum Christum, quem sciebant esse venturum. Quod huic Simeoni pro gratia meritorum sanctorum concessum est. Accepit enim responsum in mente à spiritu sancto, quòd non esset visurus mortem, nisi videret dominum. Videre autem, pro experiri positum est. *Et venit in spiritu in templum.* Quòd dicit; Venit in templum in spiritu, nequaquam sine corpore venisse putandus est, sed inspiratus a spiritu sancto, à quo anteà responsum acceperat, aduenit in templum. *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas*, hoc est, in brachia sua. Quis autem valet perpendere, quanto animi gaudio & inenarrabili alacritate perfusus fuerit Simeon, quum cæli terræque creatorem & dominum propriis amplectens teneret in brachiis, quem & à prophetis prædictum, & ab vniuersis retrò sanctis votis multiplicibus nouerat expectatum? Figuraliter Simeon senex, mūdum istum significat, quasi longo iam senio & ætate declinatum. Simeon infantem accepit, id est, mundus Christum agnouit, & vetustate peccati exutus, ad innocentiam Christianæ conuersationis rediit. *Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine, &c.* Sciebat beatus Simeon, quòd beati Luc. 2.
essent oculi, qui Christum essent visuri: & ideò donec illum ipse videret, nolebat morte dissolui: quem tamen vt vidit, mox optabat in pace dimitti *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c.* Salutare Dei patris, Christum appellat, quem in primo aduentu ante faciem populum Deus pater parauit, vt illum, quicunque in eum credere vellent, fide ac dilectione conspicerent. In secundo quoque aduētu, hoc ipsum salutare ante faciem omnium populorum parabitur, vt videat eum omnis oculus, & reddat vnicuique secundùm opera sua. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Vtrique quidem populo, id est, Iudaico & Apoc. 1.
Gentili Christus lumen est, sed Israelitico populo Apoc. 22.
specialiter gloria fuit: quia est illis prænunciatus, in illis carnem assumpsit, inter eos miracula fecit. Gentium quoq; reuelatio fuit, quia oculos mentis eorum, profunda infidelitatis caecitate dimersos, lumine suę illustrationis reuelauit, id est, aperuit & illuminauit. Et rectè Christum prius ad reuelationem gentium, ac deinde ad gloriam Israel venisse dixit, quia priùs gentiles quàm Iu-

dæos credituros esse prævidit. Tale quid & Psalmista ait: Notum fecit dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelauit iustitiá suam. Prius enim dixit Deum patrem iustitiam suam, quæ Christus est, gentibus reuelasse, ac deinde subiungit: Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Hinc Paulus ait: Cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Hæc de lectione euangelica breuiter sint dicta. Quæ licet causas hodiernæ festiuitatis plenè aperiat, non tamen ab re est, si de eius nomine aliquid compendiosiùs indagemus: Græco nanque sermone ὑπαντᾶν obuiare dicitur. Inde vtique ista dominica solennitas ὑπαντὴ vocatur, quòd scilicet hac ipsa die allato in templum domino, Simeon & Anna, & cæteræ fidelium personæ, quæ ibi erant tempore suæ purificationis occurrerunt. Agitur ergo ista festiuitas incipiente mense Februario, qui à Februo, id est, Plutone, qui lustrationum, hoc est purgationum potens à gentilibus credebatur, ita vocatus est. Cùm enim Romani tripartitum orbem sub tributo redegissent, ita vnaquæque ex ipsis tribus mundi partibus, Africa videlicet, Asia & Europa, per quinque annos solueret aurum, & rursus per alios quinq; annos argentum, itémque per aliud quinquennium æs; quinto demum peracto anno, ac censu soluto, vniuersa ciuitas mense Februario ab vniuerso populo lustrabatur, vt sacrificia diis infernalibus soluerentur, quorum se præsidio nationes orbis subiugasse putabant. Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cùm hac ipsa die festiuitatis beatæ Mariæ, plebs clerúsque & sacerdotes cum cereis & hymnis ecclesiarum loca circumeunt, non vtique ob recordationem paganæ superstitionis, aut imperij terrestris, sed in perennem regni cælestis memoriam, quando iuxta euangelicam parabolam, omnes electi cum lampadibus sponso & sponsæ sunt occursuri, atque thalamum supernæ claritatis intraturi. Et hanc quidem lustrationem pagani faciebant semper XV. anno in fine mensis Februarij, hoc est, VII. Calendas Martij. Postmodùm verò augescente Christianitate, placuit vt in venerationem perpetuæ virginis, ad mensis initium transferretur. Cuius institutionis morem nos quoque pro modulo nostro hodierna die deuotè Deo iuuante imitaturi, Dei genitricem summissis votis obsecremus, vt sua potenti intercessione nobis apud filium suum purgationem impetret criminum, quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum: Quæque hac die cum filio templum Dei sacrificium oblatura conscendit, supernæ ciuitatis nobis obtineat ingressum, in qua diuinæ claritatis aspectibus libero contuitu perfruamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre & sancto spiritu viuit & regnat per infinita secula, Amen.

Psal. 97.

Rom. 11.

Processio cum cereis, & hymnis in festo purificationis.

Matth. 25.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emissens in eodem festo, Homilia.

POstquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, &c. Scriptum est enim in lege Moysi, quòd mulier, quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circuncidetur infantulus. Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctú non tanget, nec ingredietur sanctuariū donec impleantur dies purgationis eius. Hac enim lege beata virgo Maria non tenetur, quæ nullo suscepto semine, virgo concepit, virgo peperit, clausa ante partum, & post partum clausa permansit. Ad cuius distinctionem Moyses non simpliciter dixit: Mulier quæ pepererit masculum: sed cum additamento, Quæ suscepto semine masculum pepererit, immunda erit septem diebus. Spiritualiter autem mulier ista synagoga esse videtur, quæ diuinæ legis semine suscepto toties masculum pariebat, quoties bonum aliquod agebat. Masculus enim filius bonú opus est. Et quamuis masculum peperisset, & multos boni operis filios genuisset, tamen septem diebus immunda erat. Septem enim isti dies omne illud temporis spatium significant, quod fuit à Moyse vsque ad Christi incarnationem. Illa enim hebdomada finita natus est agnus, qui tollit peccata mundi. De quo scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Veruntamen quamuis septimana finita esset, & quamuis Christus natus esset, nondum tamen Synagoga penitus mundata erat, quia Christi sanguis nondum fusus erat. Mansit igitur adhuc triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ: expectauit diem, immò annum tricesimumtertium. Ipso enim anno immolatus est Christus, sine cuius sanguine mundus mundari & lauari non potuit. Quòd autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele inuenies, vbi dicitur: Diem pro anno, diem, inquam, pro anno fili hominis dedi tibi. Quare infantulus circuncidatur, valdè notum est: sed quare octaua die, dicendum est. Octaua autem dies ipsa est, quæ & prima. In hac enim mundus cœpit, Christus surrexit: in hac & vniuersalis resurrectio fiet. Tunc autem non solùm circuncisi, sed omnibus ab eis peccatis abscissis, mundi & immaculati æternum nomen sancti suscipient & hæreditatem. Et hæc quidem de filio masculo dicta sunt. Si autem fœminam peperisset, immunda erat duabus hebdomadibus, & sexaginta & sex diebus manebat in sanguine purificationis suæ. Toties enim Synagoga fœminam parit, quoties iniquitatem operatur. Pro hac autem filia duabus hebdomadibus est immunda Synagoga: vna videlicet ante Christi incarnationem, altera verò post Christi incarnationem. Per has enim duas hebdomadas totum & hoc, & illud tempus significatur. Nisi igitur hanc iniquam filiam parere desistat, & ad Christi fidem se totam conuertat, nunquam mundabitur Synagoga. Dantur autem ei sexaginta & sex dies ad purificationem, per quos omnes dies seculi vsque ad consummationem intelligere possumus. Hic enim numerus totus ex senariis constat. In sex autem diebus etiam ipsis Iudæis operari licet. Neque enim in sex diebus sabbatum continetur. Nulla igitur erit excusatio, si in his sexaginta & sex diebus purificati non fuerint. Quamuis autem purgationis dies ad beatam Mariam virginem non pertinerent, expectauit tamen ipsa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed aliis mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat; Omne sanctum non tanget, quæ ipsum sanctum sanctorum in gremio

Leuit. 12.

Ioan. 1.

Apoc. 1.

Ezech. 4.

gremio tenebat, in sinu fonebat, & virgineo lacte nutriebat. *Completis autem diebus, tulerunt puerum in* [Exod.13. Num.8.] *Hierusalem, &c.* Ea co nauque tempore, quo primogenita Ægyptiorum dominus interfecit, omnia primogenita filiorum Israël sibi vendicauit, sibique offerri præcepit. Sed quare hoc, nisi vt omnia prima & maxima, omnia meliora & chariora domino offeramus? Offeramus igitur ei fidem nostram, offeramus ei animas nostras, quæ non de terris, sed de cælis originem habent, & quæ prima in nobis, & præcipua, & maxima sunt. *Et vt darent* [Leuit.12.] *hostiam, secundùm quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Turtur enim castissimũ animal est: columba verò felle & amaritudine caret. Qui igitur corporis & animæ castitatem & innocentiam custodiunt, illi equidem par turturum, aut duos pullos columbarum domino offerunt. Et talis quidem hostia domino placet, in qua nosipsos ei offerimus, & corpus & animam innocenter castéque viuentes, ei dedicamus. Talem igitur hostiam matrem domini offerre decebat, cuius tota vita castitas & innocentia [Leuit.1.] fuit. Quia igitur dictum est, quid ista significent, dicendum est etiam, qualiter offerri debeant. Iubetur enim sacerdos, qui ea offert, turturis & columbæ caput & collum retorquere. Debet autem vesiculam gutturis & plumam ad orientalem plagam proiicere. Debet præterea earũ ascellas confringere, & non penitùs secare, nec ferro eas diuidere debet. Tunc enim sacerdus turturis & columbę caput ad collum retorquet, quando illum, qui per has aues significatur, docet & admonet, vt iam non erecta ceruice, sed humiliato capite incedere discat. Sicut enim in erecta ceruice superbia, ita & in capite inclinato humilitas manifestatur. Sed quid per vesiculam gutturis, vbi aues reponunt vnde viuunt, nisi ventris ingluuies designatur? Quid verò per plumas, nisi morum leuitas & mentis elatio significatur? Hæc autem homini proiicere & à se repellere bonum est. Sed vbi proijcere, nisi ad orıētalem plagam? Semper enim ab ortu ad occasum tendimus, semper orientem fugimus, & ad occasum propinquamus, est enim occasus, finis vitæ. Quæcunque igitur ad occasum nobiscum non ducimus, ea iam à nobis proijcientes, post dorsum relinquimus. Quibus denique ieiunium & abstinentiam indicimus, eis proculdubiò gutturis vesiculam tollimus. Quibus verò omnem vagandi licentiam interdicimus, eis vtique ascellas frangimus, vt & nobiscum maneant, & ad inutilia volare desistant. *Et ecce homo erat in Hierusalem, &c.* Qualis etenim & quantus Simeon iste fuerit, breuiter ostendit, dùm eum iustum & timentem Deum, populique consolationem expectare & desiderare dicit: cui & spiritus sanctus, qui in eo erat, filij Dei aduentũ reuelauerat atque promiserat. Et hoc est, quod ait: *Et responsum acceperat à spiritusancto, nõ visurum se mortem, &c.* Quanto desiderio videndi dominum senex iste beatissimus æstuabat, quem iam ætas de hoc seculo exire cogebat, sed Dei responsio retinebat? Mori enim cupiens, mori non poterat, quia Christum dominum necdum viderat, de quo sibi factum responsum audierat, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum domini. Hoc igitur desiderabat, hoc mente tractabat, hoc semper cogitabat, dicens: Scio quia veniet, scio quia videbo eum. Sed quando veniet? quando videbo eum? Veni domine Iesu, solue mihi hæc vincula, & me iam nunc in pace abire dimitte. Dum autem hoc secum diceret, dùm hoc desiderio æstuaret, dictum est illi à spiritu sancto: Ecce adest quem quæris: nunc eum videbis. Surge, propera, festina, vade ad templum. *Et spiritu iubente, venit ad templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, &c.* Cùm, inquit, parentes eius poerum Iesum in templum inducerent, vt secundùm consuetudinem legis pro eo facerent, occurrit senex, brachia extendit, & parentibus ait: Mihi eum date, mihi debetur: mei officij est, ad hoc missus sum, huic obsequio reseruatus sum. Deinde lætus & exultans, accepit eum in vlnas suas: mox senectus fugit, & iuuenilis vigor adfuit & fortitudo. Qui priùs seipsum ferre via poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat. Eleganter igitur dictum est: Senex puerum portabat: puer autem senem regebat, quem virgo peperit, & post partum virgo permãsit, ipsum quem genuit, adorauit. *Et benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine secundùm verbum tuum in pace, &c.* Te, inquit, domine benedico: promissio tua completa est, completum est & desiderium meum, quia video Christum tuum, dominum meum. Dimitte igitur seruum tuum in pace: quia vidi dominum Iesum, quia vidi salutare tuum. Iesus enim Saluator siue salutaris interpretatur, de quo scriptum est: Notum fecit dominus salutare suũ, ante conspectum geotium reuelauit iustitiam suam. [Psal.97.] Hoc enim lumen, hanc lucem, hunc solem, hunc tantum splendorem parasti atque misisti ante faciem omnium populorum, ad quid? Ad reuelationem, ad illuminationem gẽtium, & gloriam plebis tuæ Israël. Hoc enim lumine & gentes illuminantur, & Iudęi glorificantur. Magna enim gloria illis est, quòd de eorum gente hoc tantum lumen exortum est.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberst. superioris Euang. expositio.

ET postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundùm legem Moysi tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, id est sanctificarent. Dominus Iesus Christus, qui non venit legem soluere sed adimplere, non solùm circuncisus est octaua die, cùm non indigeret, sed etiam triginta & tribus diebus post hæc ab ingressu templi se abstinuit, iuxta ritum legis, non quòd vllo modo purificari indigeret, qui nullius originalis peccati vinculo tenebatur astrictus, sed vt ostenderet eum quanto studio & solicitudine euangelij præcepta obseruare debeamus, quando illa præcepta legalia quæ per seruum dederat, cum tanta diligentia obseruauit. Decretum nanque legis erat, vt puer recens natus octaua die circumcideretur, & tricesimatertia die hæc vna cum oblatione sua in templo pręsentaretur. Quod nulla necessitate, sed sola volũtate dominus voluit obseruare, vt ostenderet suis temporibus legẽ sanctam fuisse & bonam, & in seipso regulam nostrę religionis dignatus est demonstrare. In eo quod priùs templum noluit ingredi, quam circumciderent & purificaretur, ostendit quia ecclesiam intrare non possumus, nec corporis & sanguinis eius participes

esse, nisi priùs ab originalis peccati immunditia per baptismum simus purificati. Iuxta illud quod
Ioan.3. ipse dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest intrare in regnum Dei. Adhuc iuxta sactatiorem intelligẽtiam, in eo quod priùs templum ingredi noluit, quam circuncideretur, & dies purificationis impleret, ostendit, quia in templo æternæ beatitudinis, quod est in cælo, nequaquam intrabimus, nisi in præsenti vita per pœnitentiam & bona opera fuerimus purificati,
Psal.5. teste Propheta: Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Et
1.Cor.15. sicut per Paulum dicitur: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Neque corruptio incorruptelam possidebit. Quia sicut ait Augustinus de agone Christiano: Cæleste corpus erit, vbi nulla corruptio. Vel caro & sanguis, opera carnis & sanguinis intelliguntur, & eos Dei regnum non possessuros, qui perseuerabiliter ista dilexerint. Quod in ipsius materialis templi constructione præfiguratum est, quando lapides ex quibus domus Dei ædificata est, alibi cæsi, & alibi deportati, in ædificatione inueniri leguntur. Ita vt scriptum est: Non est vox mallei audita neque securis in domo domini, cũ ædificaretur. Sicut enim Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur, cælestem significat patriam, sic domus Dei æternam significat cum Deo habitationem sanctorum, quæ ædificatur ex lapidibus viuis & pretiosis, id est animabus san-
Esa.54. ctorum. De quibus per Esaiam Prophetam dicitur: Lapides viui voluuntur super terram. Et iterum: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris. De talibus Petrus
1.Petr.2. Apostolus dicit: Et vos tanquam lapides viui superædificamini domus spiritalis. Lapides ergo ex quibus domus Dei ædificatur, alibi ceduntur, & alibi in ædificio ponuntur, quia animæ sanctorum in præsenti vita per pœnitentiam, & eleemosynas, & cordis compunctionem, atque proximorum compassionem, purificãtur, & quodammodo tribulationibus poliuntur, vt in templo æternę beatitudinis apti inueniantur. In cuius domus ædificatione aptum se inueniri optabat spiritaliter la-
Psal.26. pis, qui dicebat: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem domini, & visitem templum eius. Cuius pulchritu-
Psal.83. dinem idem Psalmista admirans, ait: Quam dilecta tabernacula tua domine, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Verum si diligentiùs verba legis scrutemus, inueniemus nõ solum dominum Iesum Christum à iugo legis solutum, sed etiam sanctam eius genitricem à vinculo legalis obseruantiæ esse liberam. Sic enim legitur
Leuit.12. Leuitici duodecimo de immũditia mulieris puerperæ, mundatione, & oblatione eius: Locutúsque est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit puerum immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & octaua die circuncidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguinis purificatione. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium. Vbi considerandum est quia non ait; Omnis mulier quæ pepererit puerum immunda erit, sed quæ suscepto semine pepererit, ad distinctionem illius quæ non ex semine viri, Sed ex obumbratione spiritus sancti, concepit & peperit filium Dei. Illa enim sola nulla immunditia tenebatur obnoxia post partum, quam nulla immunditia præcessit ante partum. Et ideo sicut dominus Iesus Christus nulla necessitate, sed sola voluntate legem obseruauit, sic eius sancta genitrix non coacta, sed spontanea iugo legis se subdidit, vt ostenderet suis temporibus legem sanctam & bonam fuisse. Quod vero subiungit. *Sicut scriptum est in lege domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum domino vocabitur.* Consuetæ narrationis ordinem secutus est euangelista. Ex eo enim tempore quo dominus primogenita Ægyptiorum percutiens, filios Israel de Ægyptia seruitute mirabiliter liberauit, omnia primogenita eorum sibi offerri præcipit, tam ex hominibus quam ex iumentis, nõ solùm mundis sed etiam immundis. Ita duntaxat vt munda quæque domino offerrentur, immunda vero aut mutarentur mundis, aut occiderentur. Vnde in lege præcipitur, primogenitum asini mutabis oue, hominis vero primogenitum pretio redimebatur. Cuius redemptio erat post vnum mensem quinque siclis argenti. Sic enim ait dominus Moysi: Præcipe filiis Israel, vt omnia sanctificent mihi primogenita sua. Mea enim sunt primogenita eorum, pro primogenitis Ægyptiorum: Sed nunquid illa primogenita omnia sancta fuerunt? Nunquid Achab sanctus, & illi sancti fuerunt, qui cum ex primogenitis nati erant perditè vixerunt? Non. Sed omnia illa primogenita figuram primogenitorum sancti sanctorum, id est, domini nostri Iesu Christi tenuerunt, qui vnigenitus ex patre, primogenitus est ex matre: qui merito sanctus dicitur, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. De quo per Psalmistã dicitur: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Mysticè vero in hoc præcepto nos commonemur, vt omnia primogenita nostra Deo offeramus, id est, quicquid bonum & iustum in nostris operibus inuenimus, eius gratiæ, non nostris meritis reputemus, dicentes: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal.113.
Si autem immundum aliquid parimus, id est, si peccatũ in opere perpetramus, aut occidamus malum quod latebat, & radicitus euellamus, iuxta Apostolum; mortificãtes membra nostra quæ sunt super terram. Et iterum: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Aut certe mutuemus ea mundis, declinantes à malo, & facientes bonum: vt sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita seruiamus munditiæ in sanctificatione. Nam potest quis mortificare membra, & Rom.6.
non facere bonum, sed cum mortificans membra bonum facit, tunc mutat vitium bonis. Siue vt quidam tradunt, quia masculum & fœminam mulier primogenitis parit, sed si masculum peperimus, id est, fortia virtutũ, Deo vt dictum est offeramos. Si autem fœminam, id est, immundam actionem in nostris operibus pepererimus, aut mutemus mundis, aut redimamus quinque siclis. Hominis ergo primogenitum, quia sine peccato esse non possumus, quinque siclis argenti redimimus, quando per quinque sensus corporis, bona opera & dignos fructus pœnitentiæ facimus. Ex eo vero quod ait: Quia omne masculinum adaperiens vuluam hæretici occasionem sumere voluerunt, qui beatæ Mariæ virginitatem infamare cupientes, dixerunt eam ante partum virgi

virginem fuisse, & post partum virginem non permansisse, Quibus e diuerso respondere possumus & debemus, quia in humana natiuitate, non tune primum mulier virginitatem amittit, quádo filium parit, sed magis quádo cócipit, & ideo Dei genitrix virgo permásit post partum, quia virum nó cognouit ante partũ. De cuius perpetua virgi-
Ezech.49. nitate Ezechiel propheta dicit: Cóuertit me ad portá domus domini, quæ respiciebat ad orientem. Et dixit dominus ad me: Porta hæc quá vides clausa
**al.transibit.* erit, & vir non * transiet per eam, quia dominus Deus Israel ingredietur per eam, & erit clausa principi. Quæ est enim ista porta in domo Domini clausa, nisi Maria virgo intacta? Et quid est, vir non transiet per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est, quod dominus ingressus est per eam, & clausa erit principi, nisi quia dominus matri suæ sic contulit fœcunditatem, vt virginitatem non auferret? Dignum quippe erat, vt cum Deus homo fieret, non ex alia quam ex virgine nasceretur, & virgo quę pareret, nó alium quam Dominum pepetisset, & ideo sicut virgo ante partum fuit, sic virgo post partum permau-
Cant.4. sit. Cui voce sponsi in Canticis canticorum dicitur: Hortus conclusus es soror mea sponsa, hortus conclusus & fons signatus. De cuius etiam integerrima ac perpetua virginitate Sedulius in carmine alphabetici pulchrè cecinit, dicens: Beatus autor seculi seruile corpus induit, vt carne carnem liberans, non perderet quos condidit. Clausa parentis viscera cælestis intrat gratia, venter puellæ baiulat secreta, quæ non nouerat. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei. Intacta nesciens virum verbo concepit filium. Enixa est puerpera, quem Gabriel prædixerat, quem matris aluo gestiens, clausus Ioannes senserat. *Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* In his verbis considerandum est, quia dominus Iesus Christus cùm diues esset, pauper pro nobis fieri dignatus est, vt sua nos inopia diuites faceret, hic in fide, & in futuro cęlesti regno, Pręceperat enim dominus in lege Moysi, vt die qua infans præsentaretur in templo vna cum matre, nó esset vacua manus parentis à munere, sed tam pro sua, quam pro sobolis purificatione, offerret agnũ anniculum, immaculatum de grege. Quod si tam pauper esset, vt non sufficeret manus eius inuenire agnũ de grege, offerret duos turtures, vel duos pullos columbarum. Hostia ergo hæc pauperum erat. Imitemur ergo nos Dominum nostrum, & amemus spontaneam paupertatem, vt habentes victũ
1.Tim.6. & vestitum, his (iuxta Apostolum) contéti simus, vt impleatur in nobis, quod ipse in euãgelio pro-
Matth.5. mittit, dicés, Beati paupetes spiritu quoniá ipsorum est regnum cęlorum. Ergo tam pauperes parentes elegit Dominus, qui non haberent agnum quem pro eo offerrent, sed obtulerunt tantũ par turturum, aut duos pullos columbarum. Sed quia superiùs commemorauimus, quomodo spiritaliter Deo nostra primogenita offerre debeamus, hinc considerandum videtur, qualia munera pro emundatione nostra Deo offeramus. Iuxta spiritalem vero intelligentiam: in hoc præcepto nos commonemur vt si de grege operum nostrorum agnum innocentiæ vel principales virtutes inuenerimus, qualis est charitas, humilitas, eleemosynarum largitas, & cætera Deo offeramus, id est, quod digne viuimus, non nostris meritis reputemus, sed illius gratiæ, qui ait in euangelio. Sine *Ioan.15.*
me nihil potestis facere. Ipse enim dat velle & perficere. Si autẽ tam paupetes sumus: vt in opere nostro principales virtutes non inueniamus, offeramus saltem duos turtures, vel duos pullos columbarum, id est, duo genera compunctionis, timoris videlicet & amoris. Quod enim iste duæ auiculæ pro cantu gemitus ædere solent, luctum sanctorum significat, qui in conualle lachrymarum non solùm pro suis suorumque diluendis peccatis, sed etiam pro impetrandis virtutibus quotidie deflent, dicentes cum Propheta, Heu *Psal.119.*
mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitátibus Cedar, multum incola fuit anima mea. De quibus benedicetur, Vnum pro peccato, & alterum in holocausto. Quia omnis peccator prius timore compũgitur, & pòst amore. Cum enim quis mala opera sua ad memoriam reuocans, pœnas etiam inferni reminiscens, flere incipit, timendo ne ducatur ad pœnã, dicens cum Propheta: Lauabo per singulas noctes lectum *Psal.6.*
meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, quasi turturem vel colũbam pro peccato offert. Cùm verò ex longa consuetudine flendi, animos securitatem acceperit, & cœperit flere, non timés ne ducatur ad pœnam, sed quia tanto tempore differatur à regno, cantans cum Propheta & di-
cens: Super flumina Babylonis, illic sedimus & *Psal.136.*
fleuimus, dùm recordaremur tui Sion, quasi turturem vel columbam in holocausto offert. Hoc ergo differt inter sacrificium & holocaustum, quia omne holocaustum sacrificium est, nó omne sacrificium holocaustum. Holocaustum vero, tantum incensum est. Qui enim cor contritum & humiliatum Deo spiritum pro peccatis offert, quasi turtures & columbas in sacrificio immolat. Qui vero non timore gehennæ, sed amore æternę vitę flet, quasi turtures vel columbas in holocausto mactat, dicens cum propheta: Holocausta *Psal.65.*
medullata offeram tibi. Aliter vero per hęc duo genera auium, duas ecclesię accipimus vitas, actiuam scilicet, & contemplatiuam. Hoc enim inter columbas & turtures interest, quia columbę gregatim volant vel gemunt, turtur vero adeo singularitatem diligit, vt si casu cóiugem vel parem amiserit, de reliquo singularis perseueret. Vnde per columbas quæ gregatim volant vel gemunt, actiuæ vitæ societas designatur. De qua scri- *Act.5.*
ptum est: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, Et iterum: Ecce quam bo- *Psal.130.*
num & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Per turturem quæ singularitatem diligit, contemplatiuæ vitæ dulcedo exprimitur, quæ remotis omnibus curis, sola meditatione & oratione insistere desiderat: quia quantò est sublimior, tanto vtique rarior. Solus enim Iacob luctamẽ cum Angelo iniit, solus Moyses panente procul populo, montem ascendit, solus Daniel fugientibus socius inter angelos remansit, solus Ezechiel apertis cælis super fluuiũ Chobar, quadrigam Cherubin vidit solus Petrus in extasi mente raptus fuit, solus Paulus vsque ad tertium cœlum ductus fuit. Et ad comparationem actiuæ vitę raro inuenitur, qui hac dulcedine perfruatur. Actiua vero vita offert Deo sacrificium, contemplatiua holocaustum. Cùm enim quis bene vivés ad bene viuendum alios hortatur, dicens: Magni-

Psal. 33. ficate dominũ meeum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Et iterum: Venite aduremus & procidamus ante Deum ploremus coram domino qui fecit nos, quasi turturem vel columbam in sacrificio offert. Cum vero remotis omnibus curis & solicitudinibus, ea quæ cælestia sunt solummodo contemplatur, dicens cum Propheta: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, quasi turturem vel columbam in holocaustu offert. Et quia vtræque istæ viæ Deo acceptæ sunt, non est diffinitum, vtrum pro domino turtures, an colũbæ sint oblatæ, sed sic indifferenter dictum est. *Obtulerunt pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Symeon.* Quia dominus noster Iesus Christus omnem sexum & omnem ætatem liberare venerat, dignum erat, vt omnis ætas & sexus, eius incarnationi testimonium perhiberet: & quia prophetauerat copulata cõiugio, prophetauerat virgo, Symeonis senis & iusti persona introducitur, quem & longæua ætas idoneum, & iustitia sanctum fecerat, vt ex omni parte dignus esset testimonium domino perhibere, & impleretur prophetia quæ dicit: Laudate dominum de cælis: laudate eum in excelsis, vsque ad id quod ait: Iuuenes & virgines, senes cũ iunioribus laudent nomen domini. *Et homo iste iustus & timoratus.* Iustus autem & timoratus dicitur, vt ad testimonium domino perhibendum idoneus inueniatur. Bene prius quàm dixit iustus, addidit timoratos, id est, timore Dei plenus, quia iustitia sine timore difficile custoditur. Illorum enim opera comitatur iustitia, quorum mentes timor Dei illuminat, teste Psalmi. qui ait: Beatus vir qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis. Et iterum, Timor domini sanctus permanet in seculum seculi, iudicia domini vera, iustificata in semetipsa. Et alibi: Initium sapientiæ, timor domini. Et Salomon: Qui timet dominum, nihil negligit. Iustus quippe erat, quia non solum suam, sed totius populi salutem quærebat. *Expectans cõsolationem Israel.* Consolatio Israel, id est, videntibus Deum, Domini aduentus in carne fuit. Sancti enim patres, quos metus originalis peccati contristabat, per domini incarnationem consolari credebant, & ideo prophetæ quotienscunque domini aduentum prædicabant: non paruam cõsolationem credentibus exhibebant. Vnde Isaias cum domini aduentũ prædiceret, specialem consolationem populo intulit, dicens: Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Et iterum: Dicite pusillanimis confortamini & nolite timere. Ecce Deus vester, ipse veniet & saluabit vos. Hanc consolationem Symeõ, qui obediẽs interpretatur, expectabat: quem matura ætas de mundo vt exiret compellebat: eum propter desiderium videndi dominum in carne manebat. *Et Spiritussanctus erat in eo.* Bene dicturus Euangelista de Symeone, quia Spiritussanctus erat in eo, præmisit quod erat iustus & timoratus, quoniã in illorum cordibus Deus habitat, qui timentes Deum iustitiam sectãt. Sicut ipse per prophetam dicit: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea? Et in Euang. Si quis diligit me sermonem meum seruabit. & pater meus dilig. eum. Nec solum Symeonem Spiritumsanctum Dei habuisse credimus, sed etiam cæteros sanctos, qui domini incarnationem prædixerant, Spiritumsanctum habuisse non dubitamos, teste Apostolo Petro, qui ait, Nõ enim humana voluntate allata est aliquãdo prophetia, sed Spiritu Dei repleti, locuti sunt Sancti Dei homines. Hinc Isaias ait. Spirit' domini super me, eo quod vnxerit me, Euãgelizare pauperibus misit me. Et Dauid, qui dixerat. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, eius Spiritum in se credebat esse, dicens: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et sicut Apostolus discipulis suis ait. Puto quod & ego Spiritum Dei habeam. *Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, &c.* Ab ipso scilicet Spiritu: qui in ipso erat inuisibiliter in corde, responsum accepit, & intellexit quod non esset visurus mortem, nisi videret Christum Domini natum. Ex qua responsione hoc intelligimus, quia iste senex Symeon sciebat vicinum esse tempus domini incarnationis. Hoc enim senex quotidie in suis orationibus precabatur, vt non exiret de hoc seculo antequam videret natũ: qui venerat redimere seculum. Vnde secondum suum desiderium respõsum accepit, quod non esset visurus mortem, nisi videret Christum Domini. Nec solùm Symeon desiderio videndi dominum flagrasse credimus, sed etiam omnes Sãcti qui per Spiritumsanctum eius incarnationem præuiderunt, eum corporaliter, si fieri posset, videre optauerunt. Iuxta illud quod dominus in Euãgelio loquitur, dicens: Dico vobis quod multi prophetę & reges, voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Hoc desiderio flagrabat venerabilis senex Iacob, qui cum moriturus filios benediceret, ait: Salutare tuum expectabo domine. Hoc etiã ardebat Isaias amore, cum dicebat: Vtinã dirumperes cælos & descenderes. Et Dauid eodem æstuans amore, aiebat; Domine inclina cælos tuos, & descende. Et vnus prophetarũ hoc etiam ardebat amore, cum dicebat: Expectabo dominum saluatorem meum & præstolabor eũ, dum prope est. Quæritur quare dicat, non esse visurum mortem, cum mors potius oculos claudat quam aperiat? Sed ad hoc dicendum, quia videre in hoc loco, pro sentire vel experiri dicitur. Iste modus in scripturis vsitatissimus est, vt videre pro sentire vel experiri aliquando ponatur, sicut in euangelio Dominus dicit: Si quis diligit sermones meos, mortem non videbit in æternum. Et ideo quod dicit Euangelista, *Non esse visurum mortem*, tale est ac si diceret, & non esse gustaturum in se vel sensurum mortem. *Et venit in Spiritu in templum.* Non putator in extasi raptos venisse in templum, sicut Ioannes in apocalypsi se in cęlo fuisse testatur, sed ab ipso Spiritu commonitus, à quo responsum acceperat intelligẽs horam esse impletam, qua videret Dominom corporaliter venit in templum, vt desiderium suum ex visione domini satiaret, & de eo multa coram testibus prophetaret. Vnde & subditur. *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, &c.* Et ecce impleta promissio est Spiritus Sancti, quia non solũ videre Dominum meruit sed etiam portare in vlnis, id est in brachiis. Et mira res. Portabat senex, à quo portabatur, Magna hic domini est potestas, sed nec minor eius claret humilitas, quoniam quem cælum & terra capere non possunt, vnius hominis portabatur in vlnis. Ille portabat Christũ in humanitate, à quo portabatur

Margin notes (left): Psal. 33. · Psal. 94. · Psal. 131. · Psal. 148. · Psal. 111. · Psal. 18. · Esai. 40. · Esai. 66. · Ioan. 14.
Margin notes (right): Psal. 84. · Luc. 10. · Ioan. 8.

tur per diuinitatẽ: ferebat senex Christum infantem, qui illũ regebat in senectute degentem. Felix quidem Symeõ, qui non solùm videre, sed etiam Christum portare meruit in carne. Nec minus felices animæ, quæ non viderunt & crediderunt. Vnde Dominus cuidam se palpanti ait: quia vi-
Ioan.20. disti me, credidisti, Beati qui non viderunt & crediderunt. Typice Symeon senex mundum significat, qui cùm post quinque millia & eò amplius annos Christum natum agnouit, quasi in senectute puerum portauit. Accepit eum in vlnis quibus nos onera portare solemus, vt discamus tollere super nos iugum Christi leue, & onus
Matth 11. eius suaue. Portat autem spiritaliter ecclesia in bonis operibus, quem Symeon portauit corporaliter in manibus: quia per manus & brachia opera intelliguntur, monente Paulo Apostolo, ac dicente: Glorificate & portate dominum in corde vestro. Vnde fideles in ista die missarum solennia celebrantes, luminaria in manibus deferunt, illud ineffabile lumen recolentes, quem Symeon hodierna die portauit in manibus. Figuratè autem cum senex portat, innuit nobis vt veterem hominem cum actibus suis exuentes, portemus & induamus nouum, id est Christum, vt quodammodo de senectute damnabili ad spiritalem
Rom.13. infantiam redire possimus. Iuxta illud Apostoli: Nox, id est, infidelitas precessit, dies autem appropinquauit. Quam autem magnitudinem cognouerit Symeon in eo, quem paruum esse videbat, manifestatur, cum subditur: *Et benedixit Deum.* Benedixit autem Deum, non quod hominis benedictio aliquid Deo conferre possit, à quo omnis benedictio procedit dicente Apostolo: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, sed sic dicitur, benedixit Deum, quasi dicatur, bene laudauit dominum, vel bene de eo dixit, siue digne de illo & bene prophetauit. Nam consuetudo sanctorum est, Deum semper benedicere, siue in prosperis, siue
Psal.33. in aduersis, dicentes cum Psalmista: Benedicam domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quid autem benedicens dicat audiamus. *Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace.* In quibus verbis ostenditur, quia non ob aliud manere volebat in seculo, nisi vt dominum videret natum, quem mox vt vidit, mox vt portauit, vt ore laudauit, exultens gaudio, quasi licentiam de mundo egrediendi postulans, benedixit Deum, ac dixit. *Nunc dimittis seruũ tuum domine, secundum verbum tuum in pace.* Ac si diceret: Quia video pacem, dimitte me in pace, in illam scilicet, quam commendaturus erat discipulis, di-
Ioan.14. cens: Pacem do vobis, pacẽ relinquo vobis. Sciebat enim se de laboriosa vita ad locum pacis & & quietis transiturum, ex quo post domini resurrectionem peruenturus esset ad cælestem regionem. Nec solùm Symeon ab hac vita ad aliam transire concupiuit, sed etiam plures sanctorum ad hanc perfectionem peruenerunt, vt sarcinam carnis deponerent, quatenus in sinu Abrahæ, id est, ad requiem optarent transire & aduentũ eius postularent, qui eis ianuam vitę cælestis aperiret: Sicut Idithon transilitor cupiditatum, cum mala mundi crescere cerneret, incalescens animo, ait:
Psal.38. Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est vt sciam. Et iterum: Ecce veteres posuisti dies meos. Et Dauid: Ne re- *Psal.101.*
uoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & gene. &c. Iam vero noui testamenti patres, tanto securius ab hac vita exeunt, quantò sibi aliam vitam præparatam esse certius credunt, *Phil.1.*
quod perfectorum est agere. Qualis erat Paulus Apostolus, qui pro bonis operibus securus dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Dissolui enim & cum Christo esse, multo melius, permanere autem in carne necessarium propter vos, id est, propter discipulos. Et iterum: Dum sumus in corpore peregrinamur à domino. Quare autem Symeon dimitti se optaret, manifestat adiungẽs: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei, Iesus est. Nam vbicunque apud nos saluator siue salutaris legitur, in Hæbræo Iesus habetur: Quod vero subditur, *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Manifestum est, quia salutare Dei, id est, Christum omnes populi in carne videre non potuerunt: quia tantummodo in Iudæa per semetipsum prædicauit. Sed ante faciem omnium populorum præparatum dicitur, quod per prædicationem Apostolorum ad notitiam peruenit omnium populorum, sicut scriptum est in euangel. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, impleta prophetia, quæ dicit: In omnem terram exiuit *Psal.18.*
sonus eorum, & in fines orbis terrę, verba eorum. Et iterum: Non sunt loquelæ neque sermones, *Ibidem*
quorum non audiantur voces eorum. Siue aliter, ante faciem omnium populorum, salutare Dei paratum dicitur, quia in iudicio omnibus apparebit, non solum iustis, sed etiam iniustis. Sicut scriptum est: Et videbit omnis caro salutare Dei *Esa.40.*
nostri. Et Ioannes in Apocalypsi. Et videbit eum *Apoc.1.*
omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ. Ad quid autem dominus in primo aduentu venerit, declaratur, cum subinfertur. *Lumen ad reuelationem gentium, &c.* Salutare quippe Dei, lumen gentium fuit, quia gentes quæ sedebant in tenebris, & vmbra mortis, per eius aduentũ illuminatæ sunt, impleta prophetia Isaiæ, dicentis: Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, *Esa 9.*
lux orta est eis. Vnde ipse in euangelio dicit: Ego *Ioan.8.*
sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Gloria quoque Israëli salutare Dei fuit, qui alijs, qui ex Israel credere in eum voluerunt, magna gloria facta est, quando ex eorum stirpe, Dei filius carnem assumere dignatus est: quia inter eos docuit, & suis miraculis eos sacrauit: sed quia rari ex Iudæis, & multi ex gentibus in eum credituri erant, ante gloriam Israël, reuelationem gentium præmisit. Quod etiam Psalmista fecisse legitur, qui cum domini aduentum in carne prophetasset, dicens: Notum fecit dominus salutare suum, in conspe- *Psal.97.*
ctu gẽtium reuelauit iustitiam suam, subiecit, dicens: Recordatus est misericordiæ suę, & veritatis suæ domui Israel.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

P*Ostquàm impleti sunt dies purgationis eius, &c.* Postquàm impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Mosi. Alij dicunt purificationis

Domini. Alij purificationis Mariæ, sed vtrumque possumus intelligere. *Post quàm impleti sunt dies purgationis eius*, siue domini, siue Mariæ *secundum legem Mosi, tulerunt*, id est, portauerunt dominum Iesum Christum parentes eius, *in Hierusalem, vt sisterent eum Domino*, id est, vt statuerent eum in *Leuit. 12.* conspectu domini. Præceptum erat in lege, vt si qua mulier peperisset masculum: immunda esset septem diebus iuxta dies separationis menstrui, & in octauo die natiuitatis circunciderctur infantulus. Ipsa verò mulier dehinc triginta diebus maneret in sanguine purificationis suæ; omne sanctum non tangeret, nec ingrederetur sanctuarium vsque ad diem expiationis suæ. Si masculum peperisset quadragesimo die natiuitatis pueri, & trigesimo tertio circuncisionis deferret eum in Hierusalem, ad templum domini eum muneribus: Si fœminam, octogesimo natiuitatis die. Dominus nō indiguit purificatione legali, quia nullum omnino peccatum habet secundum quod *1. Petr. 2.* Petrus Apostolus dicit: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed ideo voluit circuncidi, & quadragesimo die natiuitatis ad templum deferri, vt quia homo erat, omnem *Matth. 5.* legem impleret, iuxta quod ipse dicit: Non veni legem soluere, sed adimplere. Similiter nec beata virgo Maria indiguit purificatione legali, vt per quadraginta dies abstineret se ab introitu templi, sed sicut Dominus sponte subiectus est legi, vt nos ab eius seruitute liberaret. Sic & beata virgo Maria legi subiici voluit, abstinēdo se ab introitu templi per quadraginta dies non necessitate cogente, sed propria voluntate, iuxta id quod scri-*Eccles. 3.* ptura dicit: Quātò magnus es, humilia te in omnibus. Videamus nanque si B. virgo Maria fuit *Leuit. 12.* immunda. Moses dicit: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstrui. Cum dicit: Mulier si suscepto semine ex coitu viri pepererit masculum, non esse immundam ostendit B. Mariam: quia illa B. Maria non accepit extrinsecus semen, sed ex semine illius opere & ministerio spiritus sancti formatum est corpus Dominicum in vtero virginali. Pueri Iudæorum non deferebantur ad templum domini, vsque dùm circuncisi essent. Demonstratur nobis per hoc, quia nullus hominum potest ascendere ad patriam cælestem, quæ designatur per templum, nisi fuerit renatus baptismatis sacramento, quod designatur per circuncisionem, & nullus potest dominicis conspectibus dignus esse, nisi circuncisus fuerit à vitijs & peccatis. *Quia omne masculinum adaperiens vuluam.* Non loquitur hic Moses de B. Maria virgine, quæ clauso vtero concepit, & clauso vtero peperit, & virgo integri corporis in æuum permansit. Sed illis mulieribus loquitur, quæ ex coitu viri concipiunt, quarum vuluæ aperiuntur in natiuitate filiorum suorum. Non enim intelligendum est, quòd Dominus Iesus Christus ingrediens & egrediens vterum virginis integritatem virginitatis abstulisset matris suæ. Non est credendum, quòd Dominus Iesus Christus, iuxta hæreticos, deuirginasset matrem suam: quia clauso vtero intrauit, & clauso vtero exiuit. Exemplum de speculo & de versiculo, sicut pluuia in vellus. *Cum dicit omne masculinum adaperiens vuluam*, id est, primogenitum, masculum hominum, & primogenitum masculum pecoris debemus intelligere, quia vtrunque Deo offerebatur. Sanctum ideo dicebatur, quia sanctis, id est, sacerdotibus dabatur, in partem sacerdotum transibat, nisi precio redimeretur. Illa primogenita Dominum præfigurabant, figuram Deo prætendebant: quia est vnigenitus Dei patris ante omnia secula, & primogenitus in multis fratribus in fine temporum natus de virgine matre. Vel aliter: Illa primogenita designabant initia bonorum operum nostrorum quę Domino offerebantur: quia quicquid nos boni gerimus, siue bonæ loquutionis, siue bonæ operationis, non nostris meritis, sed gratiæ Dei deputare debemus, à quo accepimus omne bonum, quod habemus, secundum quod ipse dicit: Sine me nihil potestis facere. *Et vt darēt hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* *Ioan. 15.* Præceptū legis erat, vt quadragesimo die natiuitatis deferretur puer à parentibus in templum, & offerretur pro eo agnus anniculus immaculatus pro peccato. Turtur verò siue pullus columbinus in holocaustum. Quòd si non potuisset manus patris vel matris inuenire agnum quem offerret pro peccato, sumeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, vt offerret vnum pro peccato, alterum in holocaustum. Holocaustum dicitur, totum incensum, totum combustum. Hostia dicebatur quia vsque ad ostium templi adducebatur, & ibi recipiebatur à sacerdotibus. Victima dicebatur, quia vinciebatur, id est, ligabatur per cornua & sic adducebatur. Dominus Iesus Christus cùm esset diues secundum diuinitatem, pauper fieri dignatus est pro nobis secundum humanitatem, vt illius inopia ditaremur, pauperum hostiam pro se voluit dari. Tantæ nanque paupertatis fuerunt parentes domini, id est, B. Ioseph & B. Maria, vt in oblationē domini nō potuissent inuenire agnum quem offerrent. Sed sicut scriptum est: Obtulerunt pro eo domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Hæc hostia pauperum erat. In turture præfigurabatur domini castitas, quia ex virgine natus est, virgo in æuum permansit. In *Matth. 11.* columba designatur eius simplicitas, de qua alibi *Marc. 10.* dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Istæ aues pro cantu gemitus habent, & ideo per istas aues non incongruè designātur corda hominum quibus dicitur: Estote prudentes sicut serpentes, *Matth. 10.* & simplices sicut columbæ. Et benè duæ offerebantur: quia duo sunt genera compunctionum. Primò nanque anima, id est, homo sitiens Deum, incipit deflere peccata sua, timens propterea ire in infernum. Dum ergo affligitur & torquetur in se pro peccatis suis timens pro eis damnari in inferno cum diabolo & angelis eius: quasi turturem vel columbam Deo offert pro peccato. Cum autem dignam pœnitentiam peregerit, & spem veniæ de peccatis suis adepta fuerit ipsa anima, id est, ipse homo incipit amarissimè flere, quia differtur à regno, id est, à patria cælesti. Et cùm amarissimè flere incipit, quia differtur à regno Dei cum Psalm. Heu mihi quia incolatus meus pro- *Psal. 119.* longatus est, quasi de altera turture, id est, de altera aut vel de altera columba facit holocaustum. Vel certè hæ duæ aues signant duas vitas, Actiuam & contemplatiuam. Per columbam quę gregatim volare consueuerat, designatur actiua, quæ multorum est. De quibus dicit Lucas in Actibus

Aposto

Act. 4. Apostolorum. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna in domino, & erant illis omnia communia. Per turturem quæ solitaria est & singularitate gaudet, adeò, vt si coniugem casu perdiderit sola exinde permaneat, designatur contemplatiua vita, quæ paucorum est. Exod. 19. & 24. Solus Moses ascendit in montem ad dominum astante populo in valle. Isa. 6. Solus Esaias vidit Dominum in habitu regnantis super solium excelsum & elenatum, & audiuit voces angelicas dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Solus Daniel remansit inter angelos iuxta fluuium Tygris fugientibus socijs. Solus Paulus raptus est, vsque ad tertiū cæli secreta contuenda. Hæc vita (sicut diximus) paucorum est. Actiua vita est panem esurienti dare, sitientem potare, nudum vestire, inscium docere, pauperes colligere, infirmum visitare, mortuos sepelire. Contemplatiua vita est orationi & lectioni insistere, à seculi actibus se reddere alienum, & toto nisu mētis & desyderio ad patriam cœlestem tendere. Hęc vita pertinet ad eos maximè, qui in cœnobijs degentes perfectè Deo seruiūt. Actiua vita in præsenti seculo incipitur, & in futuro terminatur. Contemplatiua autem vita a præsenti seculo incipitur, & in futuro* perficitur. Et quia vtraque vita Deo placet, actiua scilicet & cōtemplatiua: ideo non narrat hic Lucas euangelista vtrum turtures pro domino sint oblatæ aut columbæ: ne vnum ordinem viuendi alteri præferat. Item cum in cubiculum & clauso ostio oris oro patrem in abscondito, turturem offero. Cùm verò eiusdem operis socios, & participes quæro Psalm. 95. dicens cum Psal. Venite adoremus & procidamus ante Deum columbas ad altare deporto. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Nato domino in carne omnis ętas & omnis sexus testimoniū laudis illi perhibet: Angeli testimonium Luc. 2. laudis illi perhibuerunt cum dixerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Matth. 2. Pastores de Iudęa laudauerunt eum. Magi ab oriente venientes adorauerūt eum. Prophetauerat virgo Maria dicens: Magnificat anima Luc. 1. mea dominum. Prophetauerat copulata coniugio Elizabet. Prophetauerat sanctus coniugatus Zacharias. Prophetauerat Anna vidua. Dignum erat vt senex & plenus dierum testimonium laudis illi proferret, ne qua ętas aut sexus esset qui diuinam laudem ei non redderet. Vt quia dominus pro omnium salute veniebat in mundum Matt. 2. per virginem Mariam, ab omni ętate & ab omni sexu testimonium laudis acciperet. Impleta pro-Psal. 140. phetia Psalmistę qui dicit: Laudate dominum de cælis. Laudate eum omnes angeli eius, & cætera vsque ad illud: Iuuenes & virgines, senes. Et confessio eius super cælum & terram. *Et homo iste iustus & timoratus*, id est, timore sancto plenus. Duo sunt timores. Vnus est seruilis, de quo Ioannes di-1. Ioan. 4. cit: Quoniam timor pœnam habet. Alter timor Psal. 18. est castus. De quo vt consolaretur Psal. dicit: Timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Aliter namque timēt reprobi, aliter electi. Reprobi pro peccatis suis timent ne puniantur, electi timent ne offendant creatorem suum. Quo timore detinentur & angeli. *Expectās consolationē Israel.* Illam consolationem præstolabatur beatus Symeon, quæ futura erat populo Israelitico per domini aduentum, de qua ipse dominus dicit per

* al. perficitur.

Esaiam prophetam, vt consolaret omnes lugentes. Isa. 61. Matth. 5. Quæ est ista consolatio lugentium? Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt. *Et spiritus sanctus erat in eo.* Quia timore casto erat plenus, ideo spiritus sanctus erat in eo. *Et responsum acceperat à spiritu sancto.* Ab ipso spiritu sancto qui erat in eo accepit responsum B. Symeon. *Non visurū se mortem.* Quare dicit videre mortem cum ipsa mors veniens, oculos claudit videntes? Sed videre posuit pro experiri, id est, probare. *Non visurum se mortem*, id est, non experiturum; id est, non probaturum amaritudinem mortis, *Donec videret Christum domini*, id est, vnctum. Quia Christus Gręcè, Latinè dicitur vnctus. Dominus Iesus Christus vnctus fuit non oleo visibili, sicut reges & sacerdotes veteris testamenti, sed oleo inuisibili plenitudine spiritus sancti. Vnde dicit Psal. Propterea vn-Psal. 44. xit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Et venit in spiritu in templum*, id est, in ipso spiritu qui erat in eo admonente, venit eo tempore quo dominus delatus est à parentibus in templum cum muneribus quadragesimo die natiuitatis suæ. *Et cum inducerent*, id est, introducerent, *Iesum parentes eius*, id est, B. Ioseph & B. Maria. *Vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, id est, vt sisterent eum domino, & offerrent pro eo munera, par turturum, aut duos pullos columbarum. *Et ipse accepit eum.* B. Symeon. *in vlnas suas.* id est, brachia. Symeon senex & vetulus, iuuenem dominum accepit in manibus. Et præsignabatur per hoc, quia mundus in vetustate vltima positus suscepturus erat fidem Christi, id est, incarnationem, passionem & doctrinam eius. *Et benedixit Deum* patrem, id est, laudauit eum *& dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine.* Ex his verbis sancti Symeonis discimus, quia non solùm patres noui testamenti, quorum vnus Paulus dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo, voluerunt ab hoc secu-Phil. 1. lo abstrahi, & ad cælestem patriam transire, verumetiam & patres veteris testamenti desyderauerunt ab hoc seculo migrare. Quare? Quia sciebant se post mortem carnis in sinu Abrahę, Isaac, & Iacob, id est, in beata requie collocandos. *Nunc dimittis seruum tuum domine.* Dominū Iesum tenens in manibus B. Symeon, facit sermonem ad Deum patrē dicēs: *Nunc dimittis seruum tuum domine.* Ac si diceret: Quia permisisti me videre filiū tuum, sicut pollicitus est mihi, nō visurū se mortem donec viderem eum, dimitte me iam ire in pace, id est, dimitte me trāsire ab hoc seculo, quia iam video illum. Quare dixit in pace? Quia sancti Dei quandiu in præsenti seculo consistunt, semper in prælio sunt, contra astutias diaboli & contra oblectamenta carnis, & contra cogitationes malas. Non habent hîc perfectam requiem, nec perfectam tranquillitatem, ideo dicunt cum B. Symeone: Nunc dimitte seruum tuum, vt quiescam in pace, qui hactenus fui in bello. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quia viderunt oculi mei & oculi mentis, & oculi corporis, salutare tuum, id est, filium tuum per quem decreuisti saluare gentus humanum. Idcirco permitte me iam migrare à præsenti seculo in pace. Viderunt oculi mei salutare tuum. *quod salutare, parasti ante faciem omnium populorum.* Iesus Gręcè, Latinè saluator vel salutaris dicitur. Quare? Quia ipse saluum faciet popu-Matt. 1. lum suum à peccatis eorū. Dominus Iesus Christus

ftus in primo aduentu,non eft vifus ab omnibus populis,fed præuidens ille B.vir Symeon per fpiritum fanctum quem habebat,quòd dominus Iefus Chriftus in refurrectione generali videndus

Efa.40.

effet ab omni genere humano: ficut Efaias propheta.40.cap.dicit: Et videbit omnis caro,id eft, omnis homo, falutare Dei. Ideo dixit Deo patri: Viderunt oculi mei falutare tuum, quod parafti in tua præfcientia, id eft, in tua prædeftinatione, ante faciem omnium populorum videndum in die iudicij. *Lumen ad reuelationem gentium.* Eft dominus Iefus Chriftus, qui eft falutare Dei patris,per cuius paffionem ac fanguinem decreuit Deus pater falutem dare generi humano. Ipfe eft lumen verum, quia ipfe illuminat mentes hominum,& Iudęorum credentium & gentilium.

Ioan.8.
Ioan.1.

Ipfe eft lumen verum qui dicit Ioãnis octauo:Ego fum lux mundi. Et de quo Ioannes euangelifta dicit primo cap. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, & Iudæum & Gentilem, venientem in hunc mũdum. *Ad reuelationem gentium.* Dominus Iefus Chriftus ad reuelationem, id eft,ad illuminationem gentium venit in mundum per incarnationis myfterium. Quare? Quia gentiles in tenebris ignorantiæ pofiti erant,& in tenebris peccatorum,& in tenebris infidelitatis. Qui in tenebris eft, reuelatione,id eft, illuminatione indiget. Indigebat quoque gentilis populus vero lumine domino Iefu Chrifto, per cuius doctrinam perciperet lumen fidei, & per cuius paffionem ac baptifmi facramẽtum, ab omnibus peccatis mundaretur. *Et gloriam plebis tuæ Ifrael.* Gloria plebis Ifrael fuit dominus Iefus Chriftus, quia illis promiffus eft in lege & prophetis, & ipfis(ficut promiferat)oftendit fe incarnatum, & de illis elegit matrem & Apoftolos,& inter illos multa miracula patrauit:illis etiam videntibus alta cęlorum penetrauit. Hęc fuit gloria illorum, hęc eft laus & exultatio. Primum pofuit B.Symeõ ad reuelationem gentium, ac demum fubintulit, & gloriam plebis tuæ Ifrael. Quare? Quia præuidit mente quod antea credituri effent gentiles in filium Dei,& deinde Iudæi in fine mundi,fecun-

Rom.11.

dum quod Paulus apoftolus dicit, Roma.vndec. Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Ifrael faluus fiet. Ideo primùm pofuit illuminationem gentium, & deinde gloriam plebis tuæ

Pfal.97.

Ifrael. Tale eft illud Pfalmiftæ. Notum fecit dominus falutare fuum, ante confpectum gentium reuelauit iuftitiam fuam. Quia fequitur: Recordatus eft mifericordię fuę,& veritatis fuæ domui Ifrael.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. fuperioris Euangel. expofitio.

ET *poftquam completi fuiffent dies purgationis, &c.* Impleti autem funt dies purgationis illorum fecundum legem Mofi. Bene dixit, *fecundum legem Mofi*, nam fecundum veritatem nulla neceffitate aftringebatur expectare dies purificationis, qui funt quadraginta,nato mare. Dictum enim eft in lege,Mulier,quæ femine conceperit, & pepererit

Leui.12.

mafculum. Virgo autem non concepit de femine, fed ex fpiritu fancto peperit:vnde nulla illam neceffitas vrgebat,fed volens implere legem, venit in templum. Quod autem dicit; *Omne adaperiens vuluam*:propriè ad Chriftum folum pertinet. Ipfe enim aperuit vuluam virginis,quum aliis vir aperiat vuluam. Cæterum par turturum offerri iuffit lex,oftendens quòd ex cafto coniugio procreatus fit. Dicunt enim turturem effe caftum animal: quumque coniugem amiferit, non fecundo fe copulet. Quum autem non haberent turtures, offerebant duos pullos columbarum, vt multiplicatio prolis huius fignetur. Fœcundum enim animal columba. *Et ecce homo erat Hierofolymis, cui nomen Simeon,&c.* Nõ erat Simeon facerdos, fed homo Deum amans, & expectans quando veniat Chriftus confolaturus Hebræos, & liberaturus è feruitute peccati, forte & ea, quæ Romanis, & Herodi feruiebant. Nam qui Chrifto credit, liber eft reuera, & dignior regibus ac hominibus omnibus. Vide Apoftolos non fuerunt ferui Romanorum,fed nunc venerantur eos Romanorum reges. Itaque hos,quum effent Ifraelitæ, confolatus eft Chriftus. Porro hic Simeon fpiritu fancto motus afcendit in templum, quando adduxit dominum mater,& fufcepto illo, dominum confeffus eft, dicere enim; *Nunc abfoluis feruum tuum,domine*, confitẽtis eft,quòd ipfe eft dominus vitæ,ac mortis. Vide autem quomodo fancti pro vinculo corpus habent:idcirco dicit, *Nunc abfoluis*,quafi à vinculo, *fecundum verbum tuum*, propter oraculum, quod acceperat,quòd non effet moriturus donec videret Chriftum. *In pace* autẽ, id eft quietè. Nam homo,quo ad viuit, turbatur, ficut & Dauid di-

Pfal.89.

cit:Mortuus vero pacem habet, vel aliter intellige, *in pace*, hoc eft,fpei confecutione. Priufquam, inquit, vidiffem dominum, non pacata mente eram,expectans illum,& femper follicitus, quando veniat:nunc autem,ipfo vifo, & pacem confequutus,& folicitudine liberatus(vt fic dicam)abfoluor. Salutare autem incarnatio vnigeniti eft, quam ante fecula omnia Deus præparauit. *Ante faciem* vero *omnium populorum* iftam falutem præparauit,vt faluaret mundum,& vt omnibus liquida fiat eius incarnatio; cuius gratia & incarnatus eft. Salutare quoque hoc lumen eft ad reuelationem gentium, hoc eft ad illuftrationem gentium obtenebratarum, & gloriam Ifraelitarum. Chriftus enim eft gloria populi, qui vere Ifrael fecundum quod ex illo ortus eft, & in hoc ornantur qui fapiunt,& intelligunt. Hæc Simeon. Videntur autem mihi & quæ dicta funt à Dauid, conuenire

Pfal.90.

Simeoni, longitudine dierum implebo eum, & oftendam illi falutare meum.

Caute lege de apertione vuluæ,vel intellige vt fuperius Amphiloc. hi° & Hadelphi° fuo declarant.

At contrarium fupra Cyrillus Hierofolym. affirmat, & communis fententia approbat.

Nõ intellige, Chriftianos effe ab omni humana poteftate liberos, fed nõ fecundum animo principibus fubeffe. Romanorũ reges Apoftolos venerantur.

EVTHYMII ZIGABONI
fuperioris Euang. expofitio.

ET *quando completi funt dies purgationis eorum iuxta legem Mofi.* Lex quidem Dei erat, vtpote ab

Leui.12.

eo data. Dicebatur autem & Mofi,tanquam ab eo fcripta. Iubebat autem,vt, quæ femen fufcepiffet, ac peperiffet mafculum, impura haberetur vfque ad quadraginta dies. Hoc autem ordinabat ad requiem matris,ne ftatim viri fuis,quæ peperiffent, vxoribus commifcerentur:nondum curato labore,qui parientes confequitur. Verum Dei genitrix huic certè legi fubiecta non erat, eo quod femen non fufceperat: obediuit tamen,ne legem tranfgredi videretur. Purgationis autem eorum, puta

matris

matris pueri, ac sponsi eius: appropriabantur enim & viris purgationes vxorum suarum. *Adduxerunt illum Hierosolyma, &c.* Sisterent, siue adferrẽt domino in templum, quod erat Hierosolymis. Exod 13. Numer. 8. Scriptum erat enim in lege; Omne masculinum adaperiens vuluam: primum videlicet, hoc est primogenitum: sanctum domino vocabitur, siue separatum domino vocabitur. Consectabantur autem Hebræorum primogenita Deo, quia olim primogenita Aegyptiorum morti tradidit pro libertate Hebræorum. Sed hæc quidem primogenita iam apertam adaperiunt vuluam: aperitur enim in viri congressu, quando semen infundit. Solus autem Christus nondum apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter seruauit: quia etiam solus hic proprie sanctus est domino, & secundum diuinitatem, quia filius eius: & secundum humanitatem, vtpote vnitus filio eius. Itaque, licet propter dictam causam de omnibus primogenitis præsens verbum statutum est, solum tamen Christum directè respicit. *Et vt darent hostiam, &c.* Adduxerunt eum, inquit, vt sisterent domino, sicut dictum est, & vt darent hostiam pro eo, illa scilicet, quæ dicta sunt. Iussit

Quia scilicet eius potentia oĩa sunt peruia, etiamsi clausa persisterent.

Leuit 12. enim lex, vt darentur par turturum, propter pueri temperantiam: est enim turtur animal castissimum: aut duos pullos columbarum; propter eius fœcunditatem: columba namque fœcundissima est. Erant autem & hæc & illa duplicia. Vnum enim offerebatur in placationem, alterum in oblationem. Verum, sicut Christi mater prædictæ legi subiecta non erat, sic nec ipse præsenti. *Et ecce erat homo in Hierusalem, cui nomen Simeon, &c.* Id est, reuocationem, redemptionem Israëlitici populi à seruitute. Expectabat autem hanc ex libris propheticis Christum annunciantibus, qui noui Israëlitici populi reuocatio est, reuocans eum ab erroris seruitute. *Et spiritus sanctus erat super eum.* Spiritus sanctus prophetiæ. Non erat autem sacerdos, vt mihi interim videtur: alias enim & hoc omnino manifestasset euangelista tanquam magnam viri dignitatem. *Et responsum acceperat à spiritu sancto, &c.* Legens enim quodam tempore prophetias, quæ de Christo erant, quum inuenisset, quod Deus incarnãdus esset, ad supernaturale mysterium tanquam homo anhelabat: ideo etiam oraculum, siue responsum accepit, se non moriturum, donec ipse Christum oculis videret corporeis. Christum autem domini dixit, propter eius ad patrem similitudinem. Dominum enim intelligit nunc patrem. *Et venit per spiritum in templum.* Motus à spiritu sancto. *Et quum inducerent parentes puerum Iesum, &c.* Statim enim cognouit eum perspicacissimis oculis. *Et bene dixit Deum.* Qui incarnatus erat. *Et ait nunc dimittis seruum tuum domine, &c.* Nunc omnino me absoluis à vita, quemadmodum olim dixeras mihi requirenti de tua incarnatione. *In pace.* In pace cogitationum. Nunc enim quæ me turbabant de diuina incarnatione cogitationes pacificatæ sunt. Vel in pace intrepiditatis: quia deinceps mortem non metuam, propter profundam senectutem. Vel in pace gaudij, quia deinceps non cõtristabor propter libertatem Israelis: iam enim vidi liberatorem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Nunc dimittis me, inquit, quia vidi incarnationem tuam: hanc enim vocat salutare, vt pote pro hominum salute factam: *Quod parasti antè faciem, &c.*

Superius tamen dedicisti eũ fuisse sacerdotẽ: ita certè vbique depingitur.

Quod salutare disposuisti coram hominibus, vt omnibus manifestum esset, non Iudæis tantum verumetiam aliis gẽtibus. *Lumen † ad reuelationem † gentium, &c.* Lumen, quod gentibus errore cæcis visum restituat. Reuelationem enim vocat visus restitutionem. Ad gloriam id quidem & nominis celebritatem populi tui Israelitici. Nam gloria illorum est, quod secundum humanitatem sis ab eis progenitus. Et vere salutaris incarnatio, gentes quidem illustrauit illustratione diuinæ cogitationis ac virtutis: Iudæos vero glorificauit quia cognatus eorum fieri dignatus est.

† *O qui vere lumen & es & diceris, ad reuelationem † gentium, ad manifestationem affectuum, ad increpationem dæmonum, & gloriam populi tui Israelis, noui videlicet: in quo per te est destructio malorum, quæ sunt præter naturam, & possessio bonorum, quæ sunt secundum naturam, & acquisitio bonorum, quæ sunt supra naturam, vel virtus, & cognitio diuinitatis.*

GVERRICI ABBATIS
Igniacensis in Purificatione sanctæ Mariæ, Sermo 1.

SInt lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12. Sint lumbi nostri præcincti, vt purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, vt gaudium Symëonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde: & purificationem Mariæ expressimus, simus ardentes deuotione & lucẽtes opere, & cum Symeone Christum portemus in manibus. Maria tamen nõ tam purificata fuit, quàm mysterium purificationis commendauit: implendo legalem, significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgóque permansit, immò quæ ipso conceptu plenè purificata fuit, si quid fortè minus antè puritatis habuit? Quid inquam mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de Iob. 14. immundo conceptum semine, qui fontem quo immundus purificetur ædidit, fontem domus Dauid, qui hodiéque patet, indefesséque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruatæ? Suscepit tamen viator totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, vt simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid sicut sanctarum sanctissima quæ sanctum sanctorum peperit Maria? Vtinam fratres mei vtinam nos illam haberemus humilitatẽ in peccatis nostris, quam vere habuerũt sancti in virtutibus suis. Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prosequamur. Ac primo quidem de illa spiritali purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturum, aut duos pullos columbarum, nobis commendauit prosequeremur, nisi quia patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt; & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatẽ mentis pertineat, diligenter disseruerunt: nec illud quidem prætereuntes quid sit sacrificium de vno

tur

turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc vnum tamen adijcimus, quod quanto notiora nobis sunt mysteria, tanto distinctius & iustius eorum à nobis exiguntur opera: quia scienti bonum & non facienti peccatum *Luc. 12.* est illi, & seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc pulcherrima ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstret. Quanquam ne id porò quidem vobis incognitum, etiam si nunquam sit auditum. Quis enim hodie cæreum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas, verbum in carne, tanquam lumen in cæra, ipsum esse lumen ad illuminationẽ gentium perhibebat? Erat *Ioan. 10.* profectò & ipse lucerna ardens & lucẽs, testimonium perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in spiritu quo plenus erat venit in templum, vt suscipiẽs misericordiam tuam Deus in medio tem- *Psal. 46.* pli tui, prædicaret ipsam esse misericordiam, & lumen populi tui. Verè tu senex serenè lumẽ portabas, non modo manibus, sed & sensibus, qui sic eras illuminatus, vt cùm tanto antè futuram illuminationem gentium tam clarè videres, etiam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare iam senior iuste, vide iam quod præuidebas, discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in *Esa. 60.* lumine tuo, plena est omnis terra gloria luminis illius quod occultum in sinu fouebas, immo quo sensus tuos refouebas. O fomes amoris ipse amor suauis & dulcis ad refocillandam animam. Prorsus suauis & dulcis etiam cum erucias & affligis, cruciatus fœliciter delectans: sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste fratres si in sinu absconditus fuerit vestimenta non comburit, immo illum ignem extinguit qui in sinu celatus, non modo vestimentum adurit, sed & quod vestitum est depascit, id est corpus & animam pariter consumit. Deus, inquit, noster ignis consumens est, *Deut. 9.* sed ignem consumentem, nam animam refouet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparátque pereuntem. Huius ignis vim Symeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectúsque senile fotu illius calefaciebat. Quam sa- *3. Reg. 10.* lubrius & suauius ignis iste senem nostrum calefecit, quàm regem Dauid Abysag Sunamitis, nisi forte Abysag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet cuius amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui. Amplectere igitur ô beate senex sapientiam Dei, & recalescant atque recanescãt quasi de nouo sensus tui, astringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. Inter vbera, inquit, mea commorabitur, etiam cum reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cũ inter materna vbera continebitur nihilominus inter vbera mea cõmorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi, & si non quantum vbera matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratulor & gratificor tibi gratia plena quæ misericordiam genuisti, quam suscepi: Cæreum præparasti quem accepi. Tu cæram ministrasti suscepto lumini, virgo virginum virgini, dum incorrupta mater incorruptibile verbum incorrupta carne vestisti. Eia fratres mei ecce ardet cæreus in manibus Symeonis, accendite & vos cæreos vestros de illius mutatione luminis, lucernas dico quas Dominus iubet esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, vt *Psal. 33.* non tam lucernas feratis quam ipsi lucernæ sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis. Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna *Lucerna triplex.* in corde luceat vobis, lucerna in manu vel ore, luceat proximis: lucerna in corde est pietas fidei, lucerna in manu exemplum operis, lucerna in ore sermo ædificationis. Nõ solum autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem, & sermonem, sed & coram angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram angelis est pura deuotio, cũ in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter, lucerna coram Deo simplex intentio, vt ei soli placeamus, cui nos probauimus. Et ne putemus in his quæ dicimus sensus nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potiùs in omnibus adhæsisse testimoniis scripturæ. Quod enim fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti: Non extinguetur in nocte lu- *Pro. 31.* cerna eius, quod vtique intelligimus, non deficiet in tentatione fides eius: Nam & de charitate quæ nihil aliud est quam fides operans per dilectionem, apud eundem legimus Salomonem: Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cum ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ arden- *Luc. 12.* tes in manibus vestris. Et luceat lux vestra coram *Matth. 5.* hominibus, vt videant opera vestra bona. Quòd sermo ædificationis lucerna sit, Dauid dicit: Lu- *Psal. 118.* cerna pedibus meis verbum tuum, & lu. s. m. Et Petrus Apostolus de sermone prophetico cui benefacitis, inquit, intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco. Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, & intellectum dat paruulis, siue cum sermones euangelici declarant vmbram legis, siue cum ipsi sermones tam euangelij quam legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur obscuri, & in lumine dicimus quòd dictum erat nobis in tenebris. Ideo & Philippus in figura cuiuslibet ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eò quod de ore ipsius ad illuminationẽ audientium coruscaret ignitum eloquium domini. Sermonem autem Dei intelligo fratres mei, quicquid spiritus eius dignatione sua loquitur in vobis omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in prouocationem charitatis. Si quis ergo vestrum loquitur, quasi sermones *Eph. 4.* Dei, vt etiam in priuatis colloquiis omnis sermo malus nõ procedat de ore vestro, sed si quis est ad ædificationem fidei, vt gratiam det audienti, & qui audierit, dicat, gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia lucerna pedibus meis ver- *Psal. 118.* bum tuum, & lumen semitis meis. De oratione autem quod & ipsa lucerna sit, maximè si diuinitùs sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomõ ait: Lucerna domini spiraculum hominis, quæ *Prouerb. 20.* inuestigat omnia secreta ventris. Lumen nanque quod nobis orantibus vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suauiter

respira

respiramus. Huius lucernæ videtur Iob recordari, cum in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ cōsolationis ait: Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quā- *Iob.29.* do splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? Cæterum quod lucerna hæc dicitur inuestigare omnia secreta ventris, id est, mentis, non illud esse putandum est, quòd Dominus cōminatur se scrutaturum in lucernis, cum istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicij exquirentis. Nam & aliter inuestigat secreta ventris porio medici, aliter gladius carnificis. Iam vero de intentione, quòd & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat: si tamen euangelicum illud intelligat, lucerna corpo- *Matt.6.* ris tui est oculus tuus. Vt igitur tot lucernis vobis fratres illumineris, accedite ad fontem luminis & illuminamini: Iesum dico qui lucet in manibus Symeonis, vt scilicet fidem illuminet, opus illustret, sermonem bonum subministret, orationem inflammet, intentionem purget, vt siue opere, siue sermone vel oratione quæratis placere coram eo in lumine viuentium, qui scrutari habet Hierusalē in lucernis suis, & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis ô filij lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit illius sententia maledicti, qui maledixerit patri vel matri extinguetur lucerna eius, mediis tenebris, id est deficiet consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterioribus inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot interius ardent lucernæ, cùm extincta fuerit lucerna huius vitæ, orietur lux inextinguibilis vitæ, & quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperū, & cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Nō tamen erit tibi sol ampliùs ad lucēdum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te, sed Dominus erit tibi in *Apoc.22.* lucem sempiternam, quia agnus lucerna est nouæ Hierusalem; cui benedictio & claritas in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 2.*

SIcut ad diem natiuitatis, id est aduentus dominici, pertinuit illa gratiarum actio, & vox laudis: benedictus qui venit in nomine domini, & ad diem apparitionis, id est nostrę illumina- *Psal.117.* tionis, illud quod sequitur, Deus Dominus & illuxit nobis, sic etiā quod subsequitur, constituite diem solennem in confrequētationibus vsque ad cornu altaris, non absurde, vt arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia solenni, diem scilicet dominicæ præsentationis, quando à matre solēniter, ad altare præsentatus est Patri. Nam & in eo quod adiungitur *Ibidem.* Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniā exaudisti me, & factus mihi in salutem: quid tam cōuenienter accipimus quàm fidē & confessionem Symeonis, & Annæ quæ & ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant consolationē Israel. Benè ergo cytharista noster monebat lætari Hierusalem & conuentum facere in die tam solenni: constituite inquiēs diem solennē in confrequentationibus vsque ad cornu altaris. Nū mediocris aut parum solennis illa frequentia fuit, cùm inde venit Iesus, & Maria, cum turba parentum inducentium puerum, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, inde occurrit Symeon & Anna cum turba expectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo. Non crediderim ego de hac solennitate quæ tam piū, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse prophetæ querelam lachrymabilem: Vię Sion lugent, & non *Thre.1.* est qui veniat ad solennitatem, nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hierusalem. Ad comparationem siquidem tātę multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt arbitror eum receperunt; cū præsentem viderent diu expectatum, sicut voce patris per Malachiam fuerat repromissum: Ecce, *Mal.3.* inquit, veniet ad templum suū dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. O Iudæi adest ecce dominator quem vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis, quæritis & non quæritis. Sed si quæritis, quærite: conuertimini & venite. Quæritis qui redimat de manu hominū, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis, qui eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captiuitate vitiorum. Si verè vtique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarū vestrarum, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum. *Matth.1.* Si quæritis sublimem, quęritis priùs humilē, quoniam, vt ait Daniel humillimum hominem constituet Deus super omne regnum. Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem *Psal.92.* iustitiæ, quia iustitia firmabitur thronus eius, & iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Quia enim perfectè non quæritis, ideo nec præsentem inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit. Quærent me mali, & non inuenient me, quia oderunt me: Quęrent absentem, nec inuenient etiam præsen- *Ioan.3.* tem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cum sapientia nō nisi per dilectionem possit quæri, nedum inueniri. Symeon nanque, quia pio quærebat & fideli desiderio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiri- *1.Ioan.5.* tus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas, virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum vncto, multipliciter profluit. Quid autē putamus fratres mei; vnctus iste qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum: & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cùm suscipiēs eum in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid inquam putamus ille suauis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pij senis, qualis illabebatur medullis, quàm delectabilem & salubrē, immo quam omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vnctus in vnctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem, vt nimirum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo *Cant.1.* enim legis. Vnguentum, inquit, exinanitum nomen tuum. Hoc siquidem vnguētum exinanitur cum à quadam duritia sui resoluitur, non vt pereffluat substantia illius, sed vt fluant aromata il-

lius, vt quaſi nihil habens ſolidi ſentiri poſſit, teneri non poſſit. Aut certè magis anima ſenis liqueſcebat in amplexu huius vncti, vel vnguenti: vt diceret anima mea liqueſacta eſt, vt dilectus meus infuſus eſt mihi. Infuſio itaq; vnctionis, teſtimonium eſt vncti. Hæc ſeni teſtabatur de puero, Symeoni de Chriſto, tanquã Spiritus veritatis & charitatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens, & omnia interiora gelidi ſenis, ponens quaſi cum vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum, æſtus deſideriorum, ſonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium: ſi tamen aliquid exprimere valentium: Deus meus es tu, & Psal. 117. confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium: & gloria plebis tuæ Iſrael. Annuncians te, confitebor inquam tibi, quoniam exaudiſti me: quotidie cum lachrymis dicentem, quando conſolaberis me. Exaudiſti me, & nunc demum Symeonem, id eſt, exauditum feciſti me: quia factus es mihi in ſalutem: Ieſus mihi factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem: qui Dauid & omnia feciſti ſecundum deitatem. Omnibus quidem generaliter factus es in ſaluatorem: ſed mihi ſpecialiter factus es in ſalutem, pectus morbidum perungens, vitalémque reſuſcitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in ſalutare tuum ô domine, pater domini mei Ieſu Psal. 118. Chriſti, defecerant oculi tui in eloquium tuum, dicentes, quando conſolaberis me. Factus eram ſicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, ſpiritu marcidus, & totus deſiderio lãguidus. Sed quia in verbum tuæ promiſſionis ſuperſperaui, non viſurum, ſcilicet me mortem, niſi viderem Chriſtum tuum, quod ſperaui iam video, quod deſideraui teneo, quod concupiui complector. Video Deum ſaluatorem meum in carne mea, & ſalua facta eſt anima mea. Viderunt oculi mei ſalutare Dei, & illuminati ſunt interiores oculi mei qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum huius pueri, huius hominis noui, renouata eſt vt Psal. 102. Aquilæ iuuentus mea, ſicut paulò ante mihi loquens pollicebar. Introibo ad altare Dei, vbi Ma- Psal. 42. ria Ieſum offert patri, ad Deum qui lætificat ſenectutem meam, immò renouabit iuuentutẽ meam, nec minore fortaſſis gaudio quam exultabat cor Annæ in domino, quæ vt arbitror, tantò maioris fuit meriti, quantò altioris propoſiti & ſanctioris deſiderij, quam illa Anna mater Samuëlis: cum illa cogitaret quæ mundi ſunt, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de thoro viri quæreret ſobolem, hæc de ſinu patris peteret ſaluatorem. Hæc igitur quodam præſagio gratiæ excellentis quę in vita eius efflotuit, qua etiam gratiam redemptoris agnoſcere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit, exemplar veræ viduitatis, ſpeculum ſanctitatis, & viuum in emortuo corpore ſimulacrum totius virtutis. Hæc finem legis & initium euangelij ſentiens propinquare ritus Iudaicos Chriſtiana iam cœperat pietate mutare, ieiuniis potius & orationibus ſeruiens nocte ac die, quàm cibis & potibus, & variis baptiſmatibus, iuſtitiis carnis non animę. Inde erat quòd benedictione filiorum quę in lege magni habebatur contenta: nomen meliùs à filiis & filiabus elegerat: & iã per annos octoginta quatuor, lignum eſſe aridum, lignóque inſidere arido, tanquam turtur amiſſa ſemel coniuge gaudebat. Ecce habes par turturũ, ſenem iuſtum, & viduam anum, vtrunque caſtum, vtrunque deſiderio redemptoris gemebundum, qui vtique ſemetipſos hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, domino & pro domino obtulerunt. Par turturum ſanè dico non coniugum, ſed coniunctorum, non copula matrimonij, ſed ſacratioris myſterij: pares nimirum fide, æquales caſtitate, ſimiles deuotione, conſortes prædicatione gratiæ: ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ ſanctitatis, qui etiam ante euangelium, euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque ſexu primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Syon ad ſuſcipiendum Chriſtum regem, non parietes templi tui, ſed penetralia cordis ſui: ſecreta cubiculi, vbi adorare patrem in ſpiritu & veritate iubemur, vbi & ſuſcipitur qui in manufactis ſe nequaquam habitare teſtatur. Ioan. 5. In iſtis itaque ſuſcepit Chriſtum fidelis Syon, in iſtis gaudens & lætabunda occurrit Deo ſuo. Alias vix habet vbi reclinet caput ſuum: & ſecundum Eſaiam: Aporiatus Esai. 59. eſt, & nõ eſt qui occurrat. Sufficit tamen iſtorum occurſus ad omnem ſolennitatem & lætitiam, eò quod cõſummatio abbreuiata inundet iuſtitiam, & conſummata atque abundans iuſtitia paucorum, facilè compenſet infidelitatem multorum. Mihi omnino celebris eſt iſte conuentus, mihi ſolennis iſta proceſſio, omniſque feſtiua gaudio, vbi hinc aduenit puer & puerpera, Ieſus & Maria: inde occurrit ſenex & vidua, Symeon & Anna: hinc dominus & domina, inde ſeruus & ancilla, hinc mediator & mediatrix, inde iam fideles, tamque Psal. 84. deuoti ipſorum teſtes & miniſtri. In hoc denique conuentu miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, miſericordia ſcilicet redemptionis in Ieſu, veritas confeſſionis in ſenibus. In hoc occurſu, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, dùm iuſtitia piorum ſenum, & pax reconciliantis mundum, inuicem in oſculo affectuum, & gaudio ſpiritus conſociatæ ſunt. Rectè ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiã huius diei pertinere credimus, ſaluo duntaxat alio profundiore intellectu. Lætare Hieruſalem: & diem feſtum agite omnes qui diligitis Esai. 66. eam. Ac ſi diceretur: Lætata eſt Nazareth de annunciatione, Bethleem de natiuitate: Lætare & tu Hieruſalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus eſt, & in Hieruſalẽ eſt ſuſceptus & prædicatus. Et diem, inquit, feſtum agite, ſiue conuentum facite, omnes qui diligitis eam, ſcilicet Hieruſalem; id eſt, feſtiua deuotione conuenite in templum, ad ſuſcipiendum redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Iſrael. Iam vos fratres ſi moraliter, ſicut mos veſter eſt, ædificari veſtra quærit ſanctitas, quatuor illas illuſtres in hac proceſſione conſideret perſonas, quarum vita, non ſolùm eccleſias illuſtrat, ſed & cęlos adornat, Ieſum loquor & Mariam, Symeonem & Annam. Et ab inferioribus ad ſuperiora progrediatur ſermo, in Anna quæ ieiuniis & obſecrationibus ſeruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Symeone qui tanto Ieſum amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cùm nihil deberet legi, in hac ſcilicet parte purificationis, legem nihilominus impleuit: humilitas & obedientia: in domino autem Ieſu, qui factus ex muliere, factus Gal. 4. eſt etiam ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret charitas & miſericordia. Nam caſtitatis

ſancti

sanctimonia, cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter, cùm in senibus fuerit laborare continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solùm huius virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio ab ipso singularum distributio, per ipsum earum conseruatio, apud ipsum remuneratio. Ad ipsum igitur ambiamus tam virginis Mariæ, quàm Symeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur, vt depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 3.*

SEnex puerum portabat. Senex plenus dierum puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istum, vt ostenderet ei salutare suum, in vultu nostro, sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostenderet ei salutare suum in vultu suo, plenus ergo dierum temporalium, portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum, quod videlicet dies suos, super dies senis adiiceret pueri- *Psal.102.* le, iuuentutémq; eius renouaret vt aquilę. Quamquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur plenus dierum, libentiùs accipiam plenum virtutum quàm temporum: cùm tempora statum nullum habeant, suóque accessu decedentia, hominem potiùs exhauriant quàm impleant. Sed neque magnum est, immò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cùm puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicendus. Ideo si *Eccles.12.* annis multis vixerit homo, vt ait Salomon, & in omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguuntur præterita. Cæterum econtrariò senectus venerabilis est: non diuturna, neque numero annorum cõputata. Cani sunt enim *Sap.4.* sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Si hac vtique senectute Symeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic nanque scri- *Prouerb.16.* ptum est, Corona dignitatis senectus: quæ in viis iustitiæ reperitur. Et quæ est illa senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse nanque merito iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Symeon, vt sanctua senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam, puerum in viis iustitiæ, cùm scilicet in spiritu venit in templum, reperit, & comperit in veritate: quia senectus erat in lactente, sapientia in infante: virtus in infirmitate, verbũ in carne. O infantia, ó senectus, quàm benè vobis pariter conuenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtique nihil innocentiùs, sed nihil sapientiùs, nihil iucundiùs, sed nihil maturiùs, nihil mitiùs, sed nihil instabilius. Vobis ô filij hominum vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti. Alij siquidem ex *1 Cor.14.* vobis columba seducta: non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui: alij sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt, & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum, puer iste antiquus dierum in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Symeone, & puerum quem mater offert Maria, accipiat in manibus, id est, verbum Dei, quem mater offert ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis, & ordinem vitæ grata & salubri suauitate temperabit. Non solùm autem mater ecclesia in audiendo, sed multò magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens & deuotus orator venias in templum vt dicas quotidie Deo: Adorabo ad templum san- *Psal.5.* ctum tuum in timore tuo. Quem enim ecclesia prædicans offert auribus gratia, illuminans infert cordibus, eũ vtique præsentiorem & suauiorem, quo nudam veritatem puris tradit sensibus. Veritatem quippe quæ est Christus Maria, vestitam carne, ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradidit amplectendam spiritus infusione: quanquam hoc ipsum diuerso modo fiat pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitratu dispensantis misericordię. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem, non facilè videamus, magnúsque habeatur, cui vel per speculum, & in ænigmate eam intueri datur, quidã tamen ipsius, cùm spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, & cantare lætabundi: Suscepimus *Psal.47.* Deus misericordiam tuam: in medio templi tui. Beatus qui vt dignius & crebriùs eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Syon illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, vt cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat. O sancta Syon anima speculans æterna, considera quæ sit illa maiestas suscipienda, cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, & ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentiæ & gloriæ tanti regis congruus ornatus? frustra, inquit Dauid, paupertatem quispiam causetur, In pace factus est locus eius, *Psal.75.* & iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Sy- *Psal.96.* meon vtique quia huiusmodi palliis thalamum adornauit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Domino, quia sedem præparauerat ei in iustitia & iudicio. Homo, inquit, erat in Hierusalem, cui nomen Symeon, & homo iste iustus & timoratus. In pace erat domus Symeonis, qui habitabat in Hierusalem, id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Hierusalem audierat Dauid promittentem, non commo- *Psal.124.* uebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.

Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat, pacémque imperturbabilē illius stabilis & æternæ Hierusalem præ omnibus requirebat, cum pacem Dei & hominum Iesum qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit: hæc prima vox de pectore senis, iam dudum pacem meditantis erupit. Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Postquam viderunt oculi mei salutare tuum: qui est pax nostra faciens vtraque vnum, non solum iudæum, & gentilem, sed etiam Deum & hominem, & in homine spiritum & carnem: iam hoc solum super- *Psal. 4.* est desiderij serui tui, vt in pace in id ipsum dormiam & requiescam: & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, me totum in illius summæ & simplicis vnitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui, requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, & quę pacis sunt sectari semper studuit. *Esai. 57.* Sic quippe Esaias ait: Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua. In pace vtique Symeon strauerat cubile suum, qui omnibus aliis curis eiectis solùm in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque sua ambulauerat qui iustus & timoratus, erat, & expectans consolationem Israel, aduētantis quotidie desideriis occurrebat. In eo igitur quòd iustus dicitur, & timoratus iustitiam & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et iustitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium vero timoris nomine, vel timor nomine iudicij; ideo rectè accipi posse putatur, quia scilicet timor non solùm nascitur de futuri consideratione iudicij, sed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem *1. Cor. 4.* iudicij. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis, vt dùm nosmetipsos diiudicamus, à domino non iudicemur. Porrò timor iste sanctior est cùm iustitiam sequitur quàm cum præcedit, quia qui præcedens ad iustitiam initiat, sequens eandem consummat & conseruat, dùm scilicet de iustitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicátque sibi: Qui iu- *Psal. 74.* dicat me dominus est, qui cùm acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit. Qui sine timore isto est non poterit iustificari, vt scriptura testatur: quia quantumeunque se iustis exerceret operibus, alieni comedunt robur eius, dùm suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus. Vigilanter itaque euangelium perfectam commendans Symeonis iustitiam, non ait timoratus & iustus, ne timorem qui est initium iustitiæ intelligeremus: sed ait iustus & timoratus, vt timorem qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipsam promouet, & tuetur ipsius exemplo, disceremus. Nam neque illud putauerim ociosum, quod non timentem dixit, sed timoratum, non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vtique versus esset in habitum, qui altiùs hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris, & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationem Israel expectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulū adiecerat iustitię, vt sollicitus non pro sua tantum, sed etiam pro populi cōsolatione longa suspensius manseret expectatione. Denique vt manifestiùs audias quam pretioso, ac vero nitore virtutum non fusco colorum adornauerat thalamum suum illa Syon, id est Symeon, spiritus sanctus, inquit, in eo. Quid huic ornatui Syō illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est, templi sui ambitione, & gloria. Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum, etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua orna- *Matth. 6.* tus est sicut Symeon, cùm ille sapientiam qua florebat in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamen ô infidelis Syō thalamus tuus arguit, quod cùm satis tibi prædictum esset, ecce veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis: adorna thalamum tuum Syon, induere vestimentis glorię tuę ciuitas sancti, tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduētu ipsius addidisti, non vela, nō coronas, nō lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica, omnino inhonoratum, insalutatum remittis, qui te saluare venerat. Ideo vtique tuus iste thalamus *Luc. 19.* domus gloriæ tuę deserta tibi relinquetur, immo non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Tibi enim donante templum angustius, amplius, & perfectius, scilicet ecclesiam magnam à solis ortu vsque ad occasum fides ædificabit gētium, & secūdum nomen tuum Deus, ita & laus *Psal. 47.* tua in fines terræ; vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iusti, voces scilicet laudantium, & dicentium suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, in communione sancti populi tui. O fratres suscepistis misericordiam Dei, & vos immo abundantiùs vos, videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo vestra deuotio: quem Symeon hodie portauit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro, Iesum Christum dominum nostrum, cui honor, & gloria in secula seculorum.

EIVSDEM DE EODEM

festo, Serm. 4.

POstquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis hystorialiter sunt gesta, vt significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatę purificatio Marię recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tāti non moueat auctoritas exempli, cùm videamus, scilicet quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamē legalis implere mandatum non renuit. O mater immaculata, mater intacta, nónne tuæ tibi cōscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit. Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo, vel pariendo sis passa, sic mundationis quæ muliebri promissa est infirmitati quęris remedia? Sic loquit, decet nos omnem implere iustitiam, vt quæ summæ mater electa sum iustitię, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusan

cusandum quàm ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitijs originis antiquæ, statim in initijs omnia nouæ generationis occur- *Gen. 3.* rant exempla. Mater præuaricationis peccauit, & excusauit procaciter, mater redemptionis non peccat, & satisfacit humiliter; vt filij hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi. O filij hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festos est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quo debeamus purgari. Satius est ô fratres, & suauius fonte purgari quàm igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habēt purgari, si tamen purgari meruerint, quando scilicet *Malach. 3.* iudex ipse quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modo fons patens, in ablutionem peccatoris & menstruatæ: tunc flamma sæuiens & ignis *Psal. 49. 96. & 139.* vorans vsque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati foris ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ascendit, inquit, fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit. Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorij, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorij: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui prophetæ labia purgauit. An vero, & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur, ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium: vobis relinquo diiudicandum. Illud autē non dubius assero, quia ignis ille quem dominus Iesus misit in terram, si vehementer sicut est voluntas mittentis in nobis arserit, ille ignis purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non li- *Ignis purgatorius multiplex.* gna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Vterque quidem ignis purgatorius, sed satis differēti modo. Iste siquidem purificat vngendo, ille vrendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicij, & spiritus ardoris, quo abluet dominus sordem filiarum Syon, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius. Est quidem, & in hoc ipso multa domini clementia erga filias Syon, sed longè clementiùs, & mitiùs, purificata est illa quam prædicant beatam filiæ Syon. Cui scilicet dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obum- *Luc. 1.* brabit tibi. Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantum specie tenus hodie celebrata est. Hæc planè fuit tota ac vera sanctificatio matris, & filij, sicut & angelus exposuit ei. Ideo, inquit, & quod nascetur ex te sanctum: vocabitur filius Dei. Anteà namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non posteà, quia concepisset, cùm concepisse sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, & ea quæ mater ipsius sanctificatis effecta sit nihil sanctius esse possit. Cùm ergo filiæ Syon quæ mollius, & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu iudicij, & spiritu ardoris: virgo perpetua, ac singularis quæ sola spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ, & restigerio roris. Omnium sane purgationum quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio virginis, mitissima atque fœlicissima fuit, nam illa filiarum Syon quæ purgatorio fiet igne iudicij, sicut nouissima, sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis, nisi admirationi, nec illa nisi formidini, quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omnino si sapimus semper clamabimus, plus *Psal. 6.* emendatione morum quàm strepitu verborum, ô Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Necessariò igitur nobis & misericorditer inter vtrunque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus alta purgationum genera pietas prouidit diuina, sicut tempus, & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hic igitur quatuor esse arbitror quibus opportunè, & commodè his diebus purgationis nostræ purgari possumus, scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hūc siquidem modum quatuor *Christus purificat mundū* inuenies quibus mundum generaliter purificat *per quatuor:* Christus, purgationem peccatorū faciens, aquam *aqua, sanguine, spiritu &* scilicet & sanguinem, spiritum & ignem. Hic est, *igne.* inquit, Ioannes, qui venit per aquam, & sangui- *Ioan. 1.* nem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni. Aqua baptizauit, pedésque discipulorum lauit, dedicans baptismum quoque lachrymarum, quæ de contritione profluunt cordis, sanguinem fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni lauemus stolas nostras in *Rom. 5.* sanguine agni. Spiritum dedit, vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, admouet ignem conflator ille, qui purgat filios Leui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint. Trāsiuimus per ignem & aquam, *Psal. 65.* & eduxisti nos in refrigerium. Sic nempè & mundus iste priùs baptizatus aqua diluuij, post expurgandus igne iudicij, in nouum transibit statum incorruptionis. Denique vt teneris & delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt quod Salomon commendat, per misericordiam, inquiens, & fidem purgantur peccata? Quid misericordia suauiùs? quid fide iucundiùs? Hęc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc vngit affectus, illa sensus illuminat, dirigit gressus vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. Benè autem dicitur, per misericordiam & fidem purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita: fides autem etiam gratis, sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempè dicit propheta, iniquitates tuas redime misericordiis pauperum: & dominus prophetarum, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. De fide autem ait Apostolus: fide mundans corda eorum. Et do- *Rom. 5.*

Luc. 7. minus Apostolorum: Vade, inquit, fides tua, te saluum facit. Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides, qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus, vt quod hic dicitur per misericordiam & fidem purgantur peccata. Et paulo post: misericordia & veritate redimitur iniquitas, eadem sit in diuersitate verborum repetita sententia. Rectè igitur misericordia & veritas, seu fides sociata sunt: cum in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantiùs nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiam quibus peccata purganda sunt peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur. Audiant ergo quibus dispensatio credita est, audiant quibus credita non est: isti scilicet, nec sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant: illi, nec sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oporteat, & sunt aliqui qui plus esse misericordes quàm liceat eis. Qui ergo contra fidem indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet? qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quam Salomonem dicentem: Quod superest date eleemosynam: vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei: qui bona communía non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quòd superesset propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impartiri. Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat omnibus communе terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quem pater administrat cælestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis quod moderatio euangelij suas cuique necessitates primùm excepit: quis ille est qui rectè metiatur necessitates proprias, qui inter necessarium & superfluum æquo iudicio discernat? Attẽdamus nobis fratres ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superfluè retinemus aut insumimus nobis, vnde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maximè nostram cõstare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus, vt non solùm sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc & per omnia secula seculorum.

EIVSDEM IN EADEM *Celebritate, Sermo 5.*

ADorna thalamum tuum Syon, & suscipe regem Christum quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit adorauit. Ad nos fratres ad nos loquitur spiritus sanctus, qui sumus Syon, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce fratres, Christus in propria veniens, & a suis repulsus non habet vbi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per spiritum sanctum quęrit hospitium, dicens: Adorna thalamum tuum Syon. Emundemus igitur thalamum nostrum prius expellendo quę oculos Christi intrando offendere possunt, & sic demum adornemus ea inferẽdo in quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait forsan aliquis vestrum) quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus. Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quę angelum de cælo, & hominem expulit de paradiso: quæ est initium omnis peccati: quam hortatur nos spiritus sanctus vitare dicens: Quid superbis terra & cinis? Et alibi. Omnis caro fœnum, exsiccatum est fœnum, & flos eius decidit. Videamus nunc quid superbia fecit: Angelũ de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quę pulcherrimum opus eius in cęlo, & in paradiso fœdauit, quę fecit de angelo diabolũ, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum. Videndum est igitur & sollicitè considerandũ, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui foris pulsat, suscipiat. Cũ tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitijs: Quę sunt hęc? Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur, quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cũ idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitẽtiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis viuat possit superbia quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impiũ, & creatori suo rebelẽ. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à die conuersionis nostrę, in cruce Domini nostri Iesu Christi cœpimus gloriari, cũ Apostolo dicentes: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gloria itaque nostra sit Crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per Crucem Christi purgatæ. De qua Apostolus ait: Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens: Qui gloriatur, in domino glorietur, id est, in domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. Non enim qui seipsum commendat, &c. Cæterum qui in se gloriatur; & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius expectat, mercedẽ operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, auditque prophetam sibi dicentem: Maledictus homo qui ponit spem suam in homine. Et in die iudicij cum dixerint Domine Domine aperi nobis, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ in quocunque fuerit, inobedien

Esa. 40.
Superbia.
Gal. 6.
2. Cor. 1.
1. Cor. 10. 11.
Hier. 17.
Matt. 25.

dientem facit. Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia per quam mors intrauit in orbem terrarum. Diabolus enim inuidet homini ascensum vnde corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ nō magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob: Paruulum occidit inuidia. In eo enim quòd aliquis alicui inuidet, minorē se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, sic Esau Iacob, & Cain Abel. Hęc inuidia paruolum occidit, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hęc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vnde si quæ desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Húc paruulum occidit inuidia, quia dùm non potest adipisci quod alij iouidet, & in odium (inuidię filiam) cadit. Rursum fratres, post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum: quia, vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha, hoc est vocem indignationis per iram emiserit, reus erit concilio, in quo tractatur qua pœna sit mulctādus. Qui dixerit fatue, hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, vt inter fratres despiciatur, reos erit gehennæ ignis nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorū oculus extinguit, sapientum oculos nonnunquam turbat, dicente psalmista: Turbatus est præ ira oculus meus. Et de ira stulti, Iob ait: Virum stultum interficit iracundia. Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnūquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait: Irascimini, & nolite peccare. Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram, id est Christus qui est sol iustitię, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat: ira, quæ venit ex zelo rectitudinis. Debemus irasci priùs nostris erratibus, & post erratibus proximorum, quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus corrigitur proximus, quæ debet tamen subesse rationi, ne fit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dùm in rixas & in contumeliam linguam relaxat. Rursum fratres post conuersionem nostram muniēdus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introëat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporaliū venit. Hæc est illa quæ prauas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quę fastidium parit, & tenētem aratrū Dei cum vxore Loth retro respicere compellit. Sine dolore namque nō potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaq; tristitiam quæ mortē operatur excludamos, & intromittamus eam quę venit de memoria peccatorū, & de peregrinatione nostra, dican úsque cū Psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multū incola fuit anima mea. Hęc est tristitia quę vitā operatur, de qua ait Apostulus: Quasi tristes, semper autem gaudētes. Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit: Tristitia vestra vertetur in gaudium. Altera parit mortem, parit animi rancorem. Rursum fratres post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia quę est radix omnium malorum, rediens introëat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cętera sic ait Apostolus ad discipulos suos: Mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiā, quæ est idolorum seruitus. Ecce auaritiam idololatriæ cōparat: & meritò: quia sicut vni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorū fecit. Vtraq; Deo inimica, quia negat Deo, quę sunt eius. Est & auaritia non solùm amor congregandę pecunię aut conseruandę, sed ambitio pręlationis, cùm nititur homo homini pręesse. Hæc, vt verum dicam, etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) nimium vexat, vt contra ius & fas, & propositum suum, non tantū velint, sed etiam studeant fratribus & cōsetuis pręesse. Quòd si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascūtur, obloquūtur, eósq; aut inuidus, aut sibi maleuolos (qui se non prouehunt) clamant. Hæc est auaritia quæ memoriā mandatorū Dei turbat, dicēte Psalmista domino: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam, quæ proditionis est mater, quæ Iudā Dei discipulum primū ad mandatorū Dei obliuionē, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum. Rursum fratres post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introëat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere: Vtinam mortui essemus in Ægypto, quādo sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cæpe, & pepones. Hæc est illa funesta pestis quę eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istam, cùm dicebant: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur, id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hāc pestem cum homine perituram pronūciat Apostulus dicens: Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet. Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicam: aut aliud quam licet: aut plus quam necesse est facit comedere: carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Rursum fratres post conuersionē nostram muniamus thalamum cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est peior quam antè fuerat. Nunquam enim sola redit, sed sicut dominus in euangelio, assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa persona, & fit membrum diaboli: cuius & illa membrum est per coniunctionem

nem malorum operum. Hæc est illa pestis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendam: quæ igni illi inextinguibili materiã semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vnde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ, & gehennæ habemus authoritatem scripturæ. De igne luxuriæ ait: Omnes adulterantes *Osee 7.* quasi clibanus succensus à coquente. De igne gehennæ ait: *Psal. 20.* Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, hoc est iudicij, vt intus ardeant (sicut clibanus accensus) in conscientia: Dominus in ira sua conturbabit eos, dicens: Discedite à me operarij iniquitatis. Et deuorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fœda opera. Sit ergo fratres, summa cura & studium his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere. Nobis verò qui per gratiam Dei euasimus, & veterem exuimus hominem, qui sumus Syon, sit summum studium thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc scriptura præcepit quam recitauimus. Adorna thalamum tuum Syon. Quid est, adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus, & pauimentum, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri qui sumus Syon, sit timor, qui est initium sapiẽtiæ, id est primus gra- *Pro. 28.* dus per quem ascenditur ad sapientiam. De quo timore ait scriptura: Beatus homo qui semper est *Psal. 2.* pauidus. Et psalmista ait: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: vt timor auferat securitatem noxiã, exultatio mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est preciosissimus ornatus thalami Syon, quæ magis placuit Christo cùm in thalamum virgineum in- *Luc. 1.* grederetur, dicente Beata Maria: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Hæc, inquã, humilitas est ornatus Syon, id est, pauperũ Chri- *Matth. 5.* sti, de quibus ipse dicit: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Syon, alios etiã ornatus generat, humilitatem scilicet, & voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamũ tuum Syon timore Domini. Secundus ornatus thalami Syon, & secundus gradus ad sapientiam, est pie- *Esa 66.* tas: de qua dicit scriptura: Miserere animæ tuæ placens Deo. Et alibi. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Hæc miseretur in se peccantibus, fraterna onera portat, magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profectò pietas non aliud est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimũ ornatum thalami Syon, *Matth. 5.* quæ filios Dei nos facit, dicente Domino: Beati mites, quoniam filij Dei vocabuntur. Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Syon, & secundus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Syon pietate. Tertius ornatus thalami Syon & tertius gradus ascensionis est sciẽtia, quæ homini sui cognitionem præbet, vt scilicet homo neque minus neque plus quàm debet de se præsumat. Quorũ alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognuscere, facit ad quælibet bona opera torpentẽ. Ad hanc scientiam Spiritussanctus inuitat ecclesiam in canticis: Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, abi *Cant. 1.* post vestigia gregum tuorum, scilicet hæreticorum: & pasce hœdos tuos, hoc est carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem dicente Domino in Euãgelio: Si potes credere om- *Marc. 9.* nia possibilia sunt credenti, per Dei scilicet gratiam, & liberum arbitrium. Videmus iam quomodo scientia tertius ornatus thalami Syon, & tertius gradus ascensionis alium ornatum in nobis generat religiosum videlicet luctũ: qui consolationem à Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, vt videndo mala exilij quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregrinamur, audiamusq; à domino nobis dici: Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur. Quartus or- *Matth. 5.* natus thalami Syon est fortitudo, quæ conuenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quę munit thalamum Syon, vt non extollatur prosperis, non frangatur aduersis: quæ linguam increpantem & blandientem his verbis confundit, dicens: Domine libera animam meam à labiis *Psal. 119.* iniquis, & à lingua dolosa. Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem & sitim iustitiæ in thalamo Syon accendit, facitque eam audire à domino: Beati qui esuriũt, & sitiunt iu- *Matth. 5.* stitiam, quoniam ipsi saturabũtur. Adorna igitur thalamum tuum Syon fortitudine. Quintus ornatus thalami Syon est consilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse & suum non posse inuestigat, & ex sua infirmitate alios considerat, aliis parcit & miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri: aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti à Deo: mereturq; audire à Domino: Beati *Matth. 5.* misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Adorna igitur thalamum tuum Syon consilio. Sextus ornatus thalami Syon est intellectus: qui mentem hominis super hæc infirma rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, volẽsque vltra progredi, & propius accedere, audit à Domino: Ne appropinques huc: nõ enim videbit me homo & viuet. Hic intellectus cõuenit iis, qui à Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi *Matth. 5.* Deum videbunt. Adorna igitur thalamum tuum Syon intellectu. Septimus ornatus thalami Syon est sapientia, quæ conuenit iis qui intellectualibus oculis æterna contemplantur, quorum conuersatio in cœlis est, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in quorum persona dicebat Apostolus: Mihi viuere Christus, & est mori lucrum. *Phil. 1.* Quasi diceret: Vt Christum magnificem, Christo viuere volo tantum, & Christus est præmiũ mortis meæ. Et post pauca: Coarctor autem è duobus ait, desiderium habens dissolui & esse cum Chri- *Ibidem.* sto: multo melius autem manere in carne propter vos. Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subiugat, vt nullam vltra pugnam in carne sentiat: pro infirmis fratribus (vt eis Christum nũciet) exilium libenter patitur, probra non audit, damna non sentit, auferẽti tunicam dimittit & pallium, percutienti ad vnam maxillã præbet & alteram, auditque à Do-

Matth. 5. à Domino: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Hi ornatus thalami Syon, illis nos adornemus qui sumus Syon, & regem Christum suscipiamus, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die in templo Dei præsentauit. In lege nanque scriptum erat, vt mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deficiens hostias secum pro peccato agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum siue duos pullos columbæ offerret. Hæc omnia Beata virgo non ex necessitate, sed ex humilitate impleuit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habēs purgari, quæ sine omni delectatione, saluo virginitatis sigillo, de Spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate, ostendens etiam in hoc quòd Filius Dei Matth. 5. Iesus Christus nō soluere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Symeon grandæuus qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, & eū susciperet quem expectabat: accepit eum in vlnas suas, hoc est inter brachia sua amplexatus est: illum qui appendit tribus digitis molē terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens: Nunc dimittis Domine seruum tuum, secūdum verbū tuum in pace. Cupio dissolui, & eius aduentum cum patriarchis, & prophetis in inferno expectare, qui inter te & humanum genus factus est pacem. Quia viderunt oculi mei salutare tuū, filium tuum, quem desideraui, de quo responsum à Spiritu Sancto accepi. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. De quo ait Esa. 9 Esaias: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: quia cum plenitudo gētium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Audite fratres, audite quid offert Maria, quid Symeō suscipit, vnigenitum Dei, Deo patri cōsubstantialem, & coæternum, verbum in principio. Et vtilitatē, & consolationem nostrā audiamus, illum offert virgo, quē Deus Abrahæ promisit dicens: In semine tuo (hoc est in Christo) benedicentur omnes gentes. Et quē Dauid promisit dicens: De fructu ven- Psal. 131. tris tui ponā super sedem tuam. Hic est (quē virgo offert) Patriarcharum gaudium, desiderium prophetarum, Gentium expectatio, Iudæorum qui eum receperunt saluatio tuinæ Angelorum reparatio. Talis est quem virgo offert Deo, immo multò maior quàm lingua, aut hominum, aut angelorum possit dicere. Et cùm sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se nouit, non sufficit virgini ipsum solum offerre: sed hostiam, quam lex præcepetat, pro eo obtulit, ob humilitatis scilicet exemplum, vt nos doceret quomodo & nos eum debeamus offerre. Duos turtures, aut duos pullos columbę pro eo obtulit. Columba fratres simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cauernis petrarū nidificat, alienos pullos nutrit, iuxta fluenta manet vt visa vmbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos fratres, cū ante altare steterimus, vt Dei Filium Deo offeramus, cum eo & pro eo par turturum, castitatem corporis & animæ offeramus, & duos pullos columbarum pro cātu gementes, compunctionem geminam, pro desiderio patriæ cœlestis, & de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret, & nos ita careamus, quę peccare nos facit. Rostro nō lædamus, sed percussi in vnam maxillam, aliam præbeamus. In cauernis petrarum nidificemus, in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus, de filiis diab li faciendo verbo prædicationis filios Dei. Iuxta flumina maneamus, id est iuxta hunc mortalitatis fluxum sedentes, vmbram accipitris, hoc est peccata quæ sunt vmbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab eius vngulis fugiamus. Meliora grana eligamus, id est meliores sententias in scripturis sanctis. Gregatim volemus, vnum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Aliis noui & veteris testamenti cōtra inimicos Dei nos defendamus, vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet amore & proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes cōtemplationis. Fratres charissimi, tales oportet nos esse cum corpus Christi consecramus, cùm consecratum manducantes sacrificamus, cùm vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiā vos oportet esse, cùm sacrum sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes quòd qui corpus Christi indignè accipit, & sanguinem eius indignè bibit, iudicium sibi manducat & bibit. Verum quia raro inuenitur talis qui in se hęc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet quod in se non habet, & in illo habet quod in se non videt. 1. Cor. 11. Neque enim credere debemus quòd soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus cōuentus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifaber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes & cætera comportat. Debent itaq; astantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, deuotionem piam. Sciendūmque quòd sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras vero virtutes, quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inueniunt, & in illo habent quod in se non vident. Sicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum, sic Ioānes in Petro martyrij habet præmium. Sciendum quoque, quòd corpori Christi quem Maria hodie præsentauit in templo, quem Symeō in vlnis suis suscepit, tria debemus: dignitatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem, vt eum Dei filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignitatem, vt credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo sicut à iudice percepturos sicut gessimus, siue bonum siue malum. Ille namque quem Maria in templo præsentauit, quē Symeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris iudex erit noster. Caueamus ergo ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus ei itaque in corde cùm eum tractamus, dicamus cùm eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuū tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignatus in vita, quòd à nobis tractaris, consecraris, manducaris 2. Cor. 5.

ducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua: quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus. Debemus ei & reuerentiam, inuestigare, scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab eius contactu vt ab igne & nos & alios arceamus. Ignis enim consumens est, ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobum sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moyses præcepit, qui nocturno pollutus est somno, hoc est, qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est dum in illo statu est, indicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauétque vestimenta sua per sanctam cõfessionem: & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Symeon lætus inter brachia recepit. Debemus etiam fructum scientiæ intelligere, scilicet quem fructum accipimus si eum digne comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicentem: 1.Cor 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Calix, id est, communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est domini? Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnum corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo sicut cũ capite suo sine fine regnaturi, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM
festo, Sermo 6.

P*Ostquam impleti sunt dies purgationis: tulerunt Iesum in Hierusalem.* O quàm fœlix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis eius, vt iam nihil aliud ei supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam: & sistant eum domino. Talis nimirum erat Symeon ille noster senex, tam desiderabilis, quam plenus desideriis, cuius cùm iam olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis, vt iam secundum verbum Domini, nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi Psal.4. vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad cõtemplandam Philip.4. pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Symeon vir desideriorum impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua. Introisti iam ad altare Dei illud Psal.42. supernum æternum, totũ ardens, ad Deum, qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es patri: cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi confetis amplexu. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cuius tota erat expectatio & desiderium expectatio gentium & desideratus earum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaquã illius capax nouitatis esse posset: nisi sedulò vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermen- 1.Cor.5. tum, dùm tempus habetis ad expurgandum, vt cùm impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudij quo plena est iam anima Symeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, impleamus, nolumus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minime impletur vt postea necesse sit illos nos igne repurgari, quo nihil pœnaliùs, nihil acriùs, aut vehementiùs in hac vita potest excogitari. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos, paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit: De negligentia purga te cum paucis. Eccl.7. Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed & maxima negligimus, longè à paucis de terra diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem sanctorum, multitudini præfert negligentium: inter multos erãt mecum. Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fouet vmbra, sicut negligentia? Vt de meipso loquar, quotiens deriderent hostes sabbata Psal.118. mea? Quotiens dormitat anima mea præ tędio, diemque ferè totum ac sic tẽpus reuncabile esset, in inertia consummo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi miser non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnóque iam gra- Cant. ui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruũ supernę illius increpationis, vsquequo piger dormis? Quãdo cõsurges è somno tuo? Paululum Prou.6. dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Illud sanè miserrimum est quod hodie non putatur iactura sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant & pereant negligendo. Gentilis, vt aiunt, cùm sederet ad mensam, venissetque in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo: cum gemitu graui, & dolore mensam repulit: exclamans, ó amici diem perdidi. Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci: si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus ferè

fetè est, qui tempori precium ponat, qoi cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies vna. Putásne est aliquis in nobis quis quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat, qui cuiusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat, vt si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum, de cætero cautiùs agat? Beatus ille seruus quẽ cum venerit dies extremus, inuenerit ita facientem. Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si rectè & vtiliter implerentur dies purgationis vt aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. Alioqoin quandiu manserit qois in saoguine purificationis suæ, sanciuit æterna

[Leuit. 12.] iustitia: sicut scriptũ est in lege Moysi: vt omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, donec impleãtur dies purgationis eius. Videriot ergo qua fronte ingrediantur saoctuariom, qua conscientia noo solum tangant sancta, sed etiam tractent & sumant sancta sanctorum, qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, oullum tamen suæ purificationis studium gerunt. An non audiunt protestantem & dicentem: Cum extenderitis manus vestras auertã oculos meos, manus enim vestræ sanguine plenæ sont? Quid enim si mondus sum à sanguine alieno, & conculcari me dominus videt in sanguine proprio, sicut de Hierusalem loquitur per Ezechielem. Quid inquam mihi proderit, si veloces non sunt pedes mei ad effundendom sanguinem proximorum, & veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni &

[1.Cor.15.] sanguini, de quibus dicit Apostolus: Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebũt. Maledictus, inquit Hieremias, qui prohibet gladium suom à sanguine, id est, qui vitia carnis & sanguinis sibi

[Psal.50.] parcit abscindere. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, ne cum sanguioe purificatioois meæ sanctuarium ingrediens, aut saocta contingeos, reus inueniar corporis & sanguinis tui, indigoe manducans & bibens. Veruntamen gratias tibi Deus Deus salutis meæ, qui io hoc ipsum preciosum tuum fudisti sanguinem vt immunditiam nostri purificares sanguinis, tactúmque peccatricis saugoinem flueotis: sed salutem desiderantia oon abhorreres, sciens nimirum quòd oullus potest facere muodum, de immundo conce-

[Iob.14.] ptum semine, nisi tu, qui solus es: nec sanis, sed malè habentibus, meliùs tameo habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaque sanctom sanctorom, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari iudicium est mortis: sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, ioxta pro-

[Luc.2.] pheriã Symeonis: Quia hic positos est in ruioam & resurrectionem multorum. Fratres & vos quidem in sangoine fuistis, sed abluti estis, sed purificati estis nisi quia sicut iustus cõfitetur si loti fueritis, velut aquis viuis, sordibus vos statim iotingoit, noo solùm conditio corrupta, sed etiam voluntas infirma, vt semper nouis sordibus opos sit purificatione oona. Illa vero mirabilis & miserabilis est in hominibus sui negligentia, vt com nemo sit qui se purificatione oon indigere præsumat: vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultom quasi purgatissimus sit oon negligat. Fra-

tres breues dies hominis sunt, sed tamen valde [Iob.14.] preciosi sunt, immo quo breuiores, eo preciosiores: quia dies sunt purificationis, cùm statim postmodum foturi sint dies retributionis. Beati qui in diebus istis lauant stolas suas, & candidas eas faciunt in sanguine agni: ne posteà vestimentum eorum, si mixtum fuerit sanguine, sit in combustionem, & cibus ignis. Nec solũ timor vrget supplicij, sed etiam spes inuitat præmij, vt omni cura & instantia nostræ modo studeamus purificationi, vt quod hodie figurare voluit in seipso filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamos in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? Postquam, inquit, impleti suot dies purgationis, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sistereot eum domioo. Et nos vtique si tempora purgationis legitimè fuerint à oobis impleta, tollent in supernam Hierusalem ministeria angelorum, vt illic assistentes vultui Dei, oblatio eius simus accepta & immaculata. Ibi demom purificabimur ex toto, sicut à peccato, sic etiam à pœna peccati. Ibi nostrę purificationis ipsa erit consummatio qoæ & remuneratio, cùm scilicet diuinus ignis totos nos assumet in holocaustum domino. Porro hunc ipsum beatissimę purificationis inexplicabilem mndũ, nec modo quidem cessat æmulari deuotio sanctorum, quantũ tamen corruptela corporum, & solicitudo terrenæ inhabitationis permittont, dùm scilicet mente excedentes in illam Hierusalem verum orationis locum, illic in conspectu domioi qoasi turturem & columbam pro seipsis, ac de ipsis offerunt, corde videlicet, & carne exultantes in Deum viuum, quia scilicet columba inuenit sibi domum & turtur nidum, al- [Psal.83.] taria tua domine virtutum. Ego tameo arbitror quod ad meritum non sit inferius, & fortassis ad purgationem efficãcius, si illud qood per speculum & in ænigma rarò & raris experiri datur, id est vt in Hierusalem sistantur domino, nos per fidem iugiter actitemus, proponentes, scilicet dominum in cõspectu oostro semper, & oculos eius & iudicia soper nos, peruigili fide, irremissóque semper timore cogitantes. Fides ista fratres sit in vobis, & eritis de paucis: timor iste sit in vobis, & de negligẽtia porgabitis vos cum paucis, quia timor iste nihil facile negligit. Denique ab initio huius fidei pertransibitis sicut sponsus sponsæ pollicetur, euntes de virtute in virtutem, à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu, proficientea de visione qoæ est per fidẽ, ad illam qoæ est per speculum & imaginem, ac postremo de illa qoæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit io ipsa veritate faciei, seu facie veritatis. Si enim iugiter præsentiam domioi licet velatam totendatis per fidem, aliquando etiam reuelata facie gloriam eios specolabimini, non per speculum & imaginem. Cum aotem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis domino io Hierusalem, habitantes cum vultu eius, ac siue fine contuentes eum facie ad faciem, cui benedictio, & claritas in secula seculorum, Amen.



IN FESTO S. AGATHÆ
VIRGINIS ET MARTYRIS.



MATTH. 19.

a Ex liuore, vt eum deciperent.
IN illo tempore: [a] Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum &
b Earum causarum, quæ scribebantur in libro repudij:
dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam [b] quacunque ex
c Non fuæ respondit, sed historiæ veteris & mandatorum Dei recordatur.
causa. Qui [c] respondens ait illis. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter quod dimittet
d Non vxoribus. e Non tres. f In carnali copula.
homo patrem & matrem, & adhærebit [d] vxori suæ, & erunt [e] duo in [f] carne
g Quia vnum facit carnalis coniunctio. h Faciendo vnam carnem.
vna. Itaque iam non sunt duo, sed [g] vna caro. Quod ergo [h] Deus coniunxit
i Sed Deus. k Ecce aperiunt calumniam. l Quandoquidem Deus sic ordinauit, quare Moyses superordinauit.
[i] homo non separet. [k] Quid ergo Moyses [l] mandauit dari libellum repudij &
m Non Deus. n Non imperauit.
dimittere? Et ait illis: Quoniam [m] Moyses ad duritiam cordis vestri [n] permisit
o Non sic habuit lex naturalis. Doctrina Christi concordat naturali, quia iam est tempus perfectionis.
vobis dimittere vxores vestras, [o] ab initio autem non fuit sic. Dico autem vo-
p Quæ vnam carnem diuidit, & in alteram separat.
bis: Quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob [p] fornicationem & aliam
q Id est, mœcham facit.
duxerit [q] mœchatur. Et qui dimissam duxerit mœchatur. Dicunt ei discipuli
r Vt nullomodo sit dimittenda, nisi pro fornicatione. s Id est, bonum est continere.
eius. Si [r] ita est causa hominis cum vxore, non [s] expedit nubere. Qui dixit illis:
t Quia non valemus, nisi ex gratia Dei. v id est, continentes.
Non omnes capiunt verbum illud sed [t] quibus datum est. Sunt enim [v] Eunu-
x Sine instrumentis, vel frigidæ naturæ. y Quorum venter præmium habet, quia necessitate abstinet non voluntate.
chi, qui de [x] matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui [y] facti sunt ab ho-
z Qui voluntate deuouerunt se castitati.
minibus: & sunt eunuchi, [z] qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.

ET *accesserunt ad, &c.* Vt quæstione perplexa capiatur. Si dicat, Dimittenda est quacunque ex causa, & ducenda alia: pudicitiæ prædicator contra se facit, si dicit non est dimittenda, contra doctrinam Moysi & Dei facit. Ideo Christus responsum temperat, naturalem legem, primámque Dei sententiam, secundo apponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est. *Et fœminam.* Nō ait fœminas, vt vnum coniugium sit non plura, quod ex repudio priorum quærebatur. *Adhærebit vxori.* Si malis moribus, si luxuriosa, seu quidlibet eiusmodi sit vxor, velimus nolimus sustinēda est. Cùm enim liberi essemus, volentes nos subiicimus seruituti. Si ancilla libero, vel seruus liberæ supponitur, non reputatur coniugium postquam derelictum fuerit: sic & de consanguineis. *Erunt duo in carne vna.* Præmium nuptiarum est ex duobus vna caro: castitas coniuncta spiritui vnus spiritus efficitur. Salubri Dei consilio factum est, vt portionem sui corporis vir amplecteretur in fœmina, ne à se videretur diuersum esse, quod de se cognosceret fabricatum. *Homo non sep. &c.* Homo separat, quando pro desiderio secundæ, primam dimittit. Deus separat (qui & coniungit) quādo ex consensu propter cultū Dei, eo quod tēpus breue sit, sic habemus vxores quasi non habētes. *Quoniam Moyses ad duritiā, &c.* Seruus cōstitutus in infirmitate permisit, ego autē magister & dominus præcipio. Moyses rudibus in qui- *Deut. 24.*
bus lex naturalis hebetata erat indulget, nō enim *Matth. 5.*
indulgeret, nisi haberet postea perfectos quos ar- *Marc. 10.*
gueret: de rudibus enim paulatim boni esse cœperunt. Cōsilium fuit hominis, non Dei imperium, qui maluit indulgere diuortium, quam desiderio secūdarum nuptiarum fieri homicidium, vel perdurare

durare odium. *Nisi ob fornicationem.* August. vxor vt dimittatur, vna carnalis est fornicatio: vna spiritualis timor domini, vt viua ea, alia ducatur, nulla caussa in lege Dei est. *Et aliam duxerit.* Quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam, crimen impingeret primæ vxori: sic priorem dimittere iubet, vt ea viuente secundam non habeat. Et vxor idem faciat viro, eadem cautela, ne secundum habeat virum. Et quia adultera non timet opprobrium, vito dicitur, quod si talem ducit, sub adulterij crimine sit, dicente scriptura: Qui adulteram tenet

Prou.18. stultus & impius est. *Non expedit.* Videbant graue pódus vxorum, quod iracundæ, ebriosæ & huiusmodi, quæ quidem sunt sustinendæ; quia cum essemus liberi, subiecimus nos seruituti. *Non omnes, &c.* Quasi consentit, quod non expedit, sed infirmitatem videns dicit; Non omnes capiunt. Non dicit: non possunt capere, sed non omnes volunt capere. Non omnes capiunt, id est non omnes implere possunt præceptum continentiæ; quia non omnibus datum est à Deo, nec etiam omnibus prodest ad præmium continere: & hoc exponit: *Sunt enim, &c.* Tria sunt genera Eunuchorum, duo carnalia: eorum qui sic nascuntur, & qui captiuitate, & delitiis dominarum abscissi sunt. Tertium spirituale, qui cum possent esse viri, propter Christum continent. *Qui facti sunt, &c.* Inter hos computantur etiam hi qui specie religionis simulant castitatem. *Qui potest, &c.* Vox hortantis non iubentis, quasi vnusquisque vites suas consideret, an queat virginitatis pudicitiæque implere præcepta.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ET accedentes ad eum Pha. &c. Hierony. vt quasi cornuto eum teneant syllogismo, & quodcunque responderat, pateat captioni. Si dixerit dimittendam vxorem qualibet ex causa, & ducendam aliam pudicitiæ prædicator sibi videtur dicere contraria. Si autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegij reus tenebitur, & aduersus doctrinam Moysi & Dei facere. Chrysost. in homil. Intuere autem ex modo etiam interrogationis malitiam. Dominus enim supra de lege hac disputauerat, ipsi autem quasi iam nullo dicto interrogant, scilicet opinantes quòd oblitus esset eorum quæ dixerat. Chrysost. super Matth. Sicut autem si videas hominem assiduè amicitias medicorum colentem, intelligis quia infirmus est: sic & cum videas virum siue mulierem de dimittendis vxoribus aut viris interrogantes, cognosce quia vir ille lasciuus est, mulier illa meretrix est: nam in matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo cōiugij alligata torquetur. Sciebāt autem quoniam nullam causam idoneam habebant circa dimittendas vxores præter solam turpitudinem: & alias atque alias sibi iungebant. Timuerunt autem interrogare ex quibus causis, ne seipsos infra angustias certarum causarum astringerent, sed interrogauerunt si ex omnibus causis licet, scientes quia modū nescit, nec infra terminos vnius coniugij capit libido: sed quantò magis exercetur, magis accenditur. Orig. Tentato autem domino, nullus discipulorum eius qui positus est ad docendum grauiter ferat, si tentatus fuerit a quibusdam: tamen & tentatoribus respondet dogmata pietatis. Hieru. Sic autem responsionem temperat: vt disciplinam transeat, scripturam sanctam adducens in testimonium & naturalem legem, primámque Dei sententiam secundò opponens. vnde sequitur, *Qui respōdens ait eis, &c.* Hoc in exordio Genes. scriptum est. Dicendo autem masculum & fœminam, ostendit secunda vitanda coniugia: non enim ait: Masculum & fœminas, quòd ex priorum repudio quærebatur: sed masculum & fœminam, vt vnius coniugij consortia nectentur. Rabanus. Salubri autem consilio Dei factum est vt sui corporis portionem vir amplecteretur in fœmina, nec à se putaret esse diuersum, quod de se cognosceret fabricatum. Chryso. super. Matth. Si ergo ad hoc Deus marem & fœminam ex vno creauit vt sint vnum, quare ergo de cætero vir & mulier non ex vno vtero nascuntur, sicut volatilia quædam? quia Deus masculum quidem creauit & fœminam propter necessitatem filiorum generandorum: tamen semper fuit castitatis amator, & continentiæ author. Ideo illum typum non seruauit in omnibus, vt significare vult homo nubere secundum primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir & vxor. Si autem noluerit nubere, non habebit necessitatem nubendi propter cōiunctionem natiuitatis, ne fortè videatur per suam continentiam alterum perdere qui nolebat esse continens: sicut dominus post coniunctum matrimonium iubet, ne alter altero nolente separet. Chrysost. in hom. Non solum autem ex modo creationis, sed etiam ex modo legislationis monstrauit, quoniam vnum oportet vni coniungi: & nunquam rescindi. vnde sequitur. *Et dixit, propter hoc relinquet, &c.* Hieron. Similiter ait vxori, non vxoribus, Et expressè subditur: *Et erunt duo in carne vna.* Præmium enim est nuptiarum, ex duobus vnam carnem, scilicet prolis fieri. Glos. Vel in carne vna, id est, in carnali copula. Chryso. super Matth. Si ergo quia ex viro est vxor, & ex vna carne sunt ambo, relinquet homo patrem suum & matrem, maior nunc charitas debet esse inter fratres & sorores: quia hi quidem ex eisdem parentibus exeunt, illi autem ex diuersis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio, quàm virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ subiecta sunt, sed natura Dei præceptis obtemperat. Deinde fratres ex vno nascuntur, vt diuersas vias perant: vir autem & vxor ex diuersis nascuntur, vt in vnum conueniant. Ordo etiam naturæ Dei ordinationem sequitur. Quod enim est in arboribus humor, hoc est in hominibus amor, humor autem de radicibus ascendit in herbam: & rursum transmittitur in semen. Ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur à filiis: homo enim non ad parentes, sed ad procreandos filios trāsmittit affectum, & hoc est quod dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Chrysost. in hom. Vide etiam sapientiam doctoris. Interrogatus enim si licet, non confestim dixit, Non licet, vt non turbarentur, sed per probationem hoc constituit. Deus enim à principio masculum & fœminam fecit, & non simpliciter eos coniunxit, sed matrem iussit dimittere & patrem: & nō simpliciter virum mulieri dixit aduenire, sed coniun-

Genes.1.& 2.

gue ex ipso modo locutionis indiuisibilitatē ostendens. Sed & maiorem copulam adiunxit eum dixit. *Et erunt duo in car. vna.* August. ix. super Gen. ad lit. Hæc tamen verba cum primi hominis fuisse scriptura testetur, Dominus tamen hîc Deum hoc dixisse declarat, vt hinc intelligeremus propter extasim, quæ præcesserat in Adam hoc diuinitùs tanquam prophetam dicere potuisse. Remig. Mysterium enim hoc esse Apostolus dicit in Christo & ecclesia: Dominus enim Iesus Christus quasi patrem deseruit, cum de cælis ad terram descendit: & matrem deseruit, id est, synagogam, propter infidelitatem: & adhæsit vxori suæ, sanctæ, scilicet ecclesiæ: & sunt duo in carne vna, id est, Christus & ecclesia in vno corpore. Chrysost. in hom. Postquam verò veteris legis & verba & facta induxit eum potestate, iam & ipse interpretatur & legem induxit, dicens, Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Sicut enim qui spiritualiter se diligunt, vna anima esse dicuntur, dicente scriptura: Omnium credentium erat cor vnum & anima vna: sic vir & vxor qui carnaliter se diligunt, vna caro esse dicuntur. Quemadmodum igitur carnem incidere est sordidū, ita & mulierem diuidere est iniquum. August. xiij. de ciuit. Dei. Vnum etiam dicuntur vel propter coniunctionem, vel propter originem fœminæ, quæ de masculi latere creata est. Chryso. in hom. Vlterius autem & Deus induxit dicens; *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*: demonstrans quòd & præter naturam, & præter legem est vxorem dimittere, præter naturam quidem, quia vna caro diuiditur: præter legem autem, quoniam Deo copulante & iubente non diuidi, vxor dimittitur. Hieronym. Deus enim coniunxit vnam faciendo carnem viri & fœminæ: hanc ergo homo non potest separare, sed solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ vxoris prima dimittitur. Deus separat qui & coniunxerat, quando ex cōsensu propter seruitutem Dei sic habemus vxorem quasi non habentes: Aug. contra Faustum: Ecce Iudæi ex libris Moysi conuincuntur, nō esse vxorem dimittendam, qui secundum voluntatem legis Moysi arbitrabantur se facere, eum dimitterent. Simul & illud, hoc ipso Christo attestante, cognoscimus Deum fecisse & coniunxisse masculum & fœminam; quod Manichæi negando damnantur Christi euangelio resistentes. Chrys. super Matth. Grauis est autem fornicariis interpretatio castitatis: sed contra rationem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Conferunt ergo se ad patrocinium Moysi, sicut homines malam causam habentes confugiunt ad potentes viros: & si per iustitiam non possunt, vincant personam. vnde sequitur, *Dicūt illi: Quid ergo Moyses mandauit, &c.* Hiero. Aperiunt calumniam quam parauerant, licet dominus non propriam sententiam protulerit, sed veteris historiæ & mandatorum Dei fuerit recordatus. Chrysost. in hom. Si autem dominus alienus esset à veteri testamento, non decertasset pro Moyse, neque quæ sua sunt monstrasset veteribus conuenire. Sed ineffabilis Christi sapientia & pro his excusando respondit. vnde sequitur; *Et ait illis, Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, &c.* In quo liberat Moysen ab accusatione, & totum in illorum caput conuertit. Aug. contra Faustum. Quanta enim erat duritia, quæ nec per libelli interpositionem vbi dissuadendi locus iustis & prudentibus tribuebatur, solui & flecti posset ad recipiendam vel reuocādam coniugij charitatem? Porrò qua calliditate reprehendunt Manichæi Moysen tanquam coniugium dirimētem per libellum repudij: & laudant Christum tanquam eius in omni vinculo confirmantem, cum secundùm suam sacrilegam sententiam, Moysen laudare debuerunt, separantem quod coniunxerat diabolus, & Christum vituperare diaboli ligamenta solidantem. Chrysost. in hom. Denique quia graue erat quod dictum erat, statim reducit sermonem ad antiquam legem, dicens: *Ab initio autem non fuit sic.* Hierony. Quod dicit huiusmodi est: Nunquid potest Deus sibi esse contrarius vt aliud antè iusserit, & sententiam suam nouo frangat imperio? Non ita sentiendum est, sed Moyses cùm videret propter desiderium coniugum secundarum, quæ illis ditiores vel iuniores vel pulchriores essent, primas vxores interfici, aut malam vitā ducere, maluit indulgere dissidium quàm odia & homicidia perseuerare. Simúlque considera quòd non dixit: Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses: vt iuxta Apostolum consilium esset hominis, non imperium Dei. Chrysost. super Matth. Propterea benedixit, quòd Moyses hoc permisit, non præcepit. Quod enim præcipimus, semper volumus: quod autem permittimus, nolentes indulgemus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus: Permisit ergo vobis facere mala, ne faceretis peiora: ergo hoc vobis permittendo non vobis Dei iustitiam demonstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccandi, vt quasi secundum legem à gentibus vobis peccatum vestrum non videatur esse peccatum. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, &c.* Chrysost. in Hom. Quia os illorum oppillauerat, iam cum authoritate legem inducit, dicens, Dico autem vobis quia, &c. Origen. Fortè autem dicet aliquis, quoniam Iesus, dicens, Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, permittit vxorem dimittere, quemadmodum Moyses, quem retulit propter duritiam cordis Iudæorum hoc præcepisse. Sed ad hoc respondendum: quoniam si secundum legem adultera lapidatur, non secundū hoc intelligitur res turpis propter quam Moyses permittit libellum repudij, nec enim in causa adulterij oportebat libellum dare repudij. Sed forsitan Moyses omnem culpam mulieris turpem rem appellauit, quæ si inuenta fuerit in vxore, scribitur ei libellus repudij. Quærendum est autem si propter solam causam fornicationis dimittere iubet vxorem: quid est si mulier non fuerit fornicata, sed aliud quid grauius fecerit, puta venefica inueniatur, aut interfectrix filiorum? Sed Dominus exponēs rem alibi dixit: Qui dimiserit: excepta causa fornicationis facit eam mœchari, dans eis occasionem secundarum nuptiarum. Hie. Sola ergo fornicatio est quæ vxoris vincit affectum, imò cùm illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledictione faciat, dicente scriptura: Qui adulteram tenet stultus & impius est. Chry. super Mat. Sicut enim crudelis & iniquus est qui castam dimisit, sic fatuus est & iniquus qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis est, qui crimen celat vxoris. Aug. de adulterinis coniugijs.

Non

Non tamen erit turpis, nec difficilis etiam, post patrata & purgata adulteria, reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post viri diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium adultera non vocetur. Chry. super Mat. Omnis autem res per quas causas nascitur, per ipsas soluitur. Matrimonium autem nō facit coitus, sed voluntas: & ideo non soluit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem suam & aliam non accipit, adhuc maritus est: nam & si corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est. Cùm ergo aliam acceperit, tunc planè dimittit. Et ideo Dominus non dicit; *Qui dimittit mœchatur, sed qui adulteram ducit.* Rab. Vna ergo solummodo carnalis est causa, id est, fornicatio: vna spiritualis, hæc est timor Dei vt vxor dimittatur: nulla autē causa est vt viuente ea quę relicta est, alia ducatur. Hie. Poterat autem accidere vt aliquis calumniam faceret innocenti vxori, & ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret. Ideo sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam, prima viuente, non habeat. Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eādem legem vxor quoque marito daret repudium, eadē cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum: & quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nubere præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterij crimine sit, vnde sequitur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Glo. Accipientē terret, quia adultera non timet opprobrium. *Dicunt ei discipuli eius: si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere, &c.* Hie. Graue pondus vxor est, si excepta causa fornicationis eam dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus: tenenda erit? Videntes ergo Apostoli graue vxorum iugum, proferunt motum animi sui: vnde dicitur: *Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa, &c.* Chr. in ho. Leuius enim est contra concupiscentiam præliari, & contra seipsum, quàm ad mulierem malam. Chry. super Mat. Non autem dixit: quia expedit, sed magis consensit quòd non expedit, sed infirmitatem carnis considerauit, vnde sequitur: Qui dixit eis: *Non omnes capiunt verbum istud*, id est, non omnes hoc possunt. Hie. Nemo autem putet sub hoc verbo quod addit: Sed quibus datum est, vel pactum vel fortunam introduci: quod hi sunt virgines, quos ad hoc casus adduxit, sed his datum est à Deo qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Chry. super Mat. Ideo ergo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt, palma proposita est, qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quòd quidam à proposito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores: sicut & qui in pugna cadunt, non exanimāt cæteros. Quod ergo dicit: Quibus datum est, illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem auxilium gratię volentibus non denegatur. Dicit enim do-
Luc. 11. minus, Petite, & accipietis. Chry. in ho. Deinde possibile hoc esse ostendens, ait: Sunt enim eunuchi, quasi dicat, Excogita si ab alijs excisus esses, quid vtique faceres? voluptate quidem priuatus, mercedem autem non haberes. Chry. super Mat. Sicut enim peccatum opus sine voluntate nō facit, ita & iustitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit. Illa est ergo gloriosa continentia, non illa quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. Hier. Triplex genus eunuchorum posuit, quorum duo sunt carnales, & tertij spirituales. Alij enim sunt qui de vtero matris sic nascuntur: alij quos vel captiuitas facit, vel delitię matronales. Tertij sunt qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, & qui cùm possint esse viri, propter Christū eunuchi fiunt. Istis promittitur præmium: superioribus autem, quibus necessitas castimonia est, non volūtas, nihil omnino debetur. Hila. In vno enim eorum posuit naturam, scilicet in eo qui nascitur: in altero necessitatem, scilicet in eo qui factus est: in tertio voluntatem, qui scilicet, spe regni cælestis talis esse decreuit. Chry. super Mat. Quòd autem aliqui sic nascuntur hac ratione fit, sicut & nascuntur sex digitos habentes, aut quatuor. Sic enim Deus sicut ab initio constituit vnamquamque naturam, sic dimitteret illa immutabiliter semper in suo ordine permanere, in obliuionem deduceretur coram hominibus operatio Dei. Ideo ergo interdum natura rerum conuertitur cōtra suam naturam, vt semper Deus naturę opifex in memoriam reducatur. Hie. Possumus & aliter dicere: Eunuchi sunt ex matris vtero, qui frigidioris naturę sunt, nec libidinem appetentes: & alij qui ab hominibus fiunt, quos & pharisæi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas, vel persuasione hęretica simulant castitatem, vt mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum consequitur regnum cælorum, nisi qui se propter Christum castrauerit: vnde sequitur: Qui potest capere capiat. Vt vnusquisque cōsideret vires suas, verùm possit virginalia & pudicitiæ implere pręcepta. Per se enim castitas blanda est, & quemlibet ad se alliciens: sed considerandæ sunt vires, vt qui potest capere, capiat. Quę hortantis Domini vox est, & milites suos ad pudicitiæ pręmium concitantis: quasi qui potest pugnare, pugnet & superet, ac triumphet. Chry. in ho. Cùm autem dixit: Qui se castrauerunt: non membrorum dicit abscisionem, sed malarum cogitationū interemptionē: maledictioni est enim obnoxius qui membrum abscidit. Etenim quæ homicidarum sunt, talis præsumit. Et Manichæis qui detrahunt creaturis, tribuit occasionem: & eadem cum gentibus membra detruncantibus, iniqua agit. Abscindere enim membra dæmoniacæ tentationis est. Cum his autem quæ dicta sunt neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est: & pręcipue à proposito incontinenti, & mente negligente & si ipsa sobria fuerit, naturalium motuum nullum est nocumentum: nec ita abscisio membri comprimit tentationes, & tranquillitatem facit, & cogitationis frænum.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Ex comment. in Matth. ACcesserunt ad Iesum, &c. De Galilæa venerat ad Iudæam: iccirco Pharisæorum scribarúmque factio interrogat eum: vtrum liceat homini dimittere vxorem suam qualibet causa: vt quasi cornuto teneant eum syllogismo, & quodcúque responderit captioni pateat. Si dixerit dimittendas esse vxores qualibet ex causa, & ducendas alias: pudicitiæ prædicator sibi videbitur docere contraria. Si autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti: quasi sacrilegij reus tenebitur, & aduersus doctrinam Moysi, ac per Moysen, Dei, facere iudicabitur. Igitur dominus sic respósum temperat, vt decipulam eorum transeat, scripturam sanctam adducens in testimonium, & ad naturalem legem, primámque Dei sententiam secundo opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est. *Non legistis: quia qui* Gen.2.& 3. *fecit, &c.* Hoc in exordio Geneseos scriptum est. Dicendo autem masculum & fœminam, ostendit secunda vitanda coniugia. Non enim ait, masculum & fœminas, quod ex priorum repudio quærebatur: sed masculum & fœminam, vt vnius coniugis consortia nectetentur. *Propter hoc, &c.* Similiter ait adhærebit vxori suæ, non vxoribus. Et erunt duo in carne vna. Præmium est nuptiarum, è duobus vnam carnem fieri. Castitas iuncta spiritui, vnus efficitur spiritus. *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Deus coniunxit, vnam faciendo carnem viri & fœminę: hanc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus: homo separat, quando propter desiderium secundæ vxoris, primam dimittit. Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei (eò quod tempus in arcto sit) sic habemus vxores, quasi non habétes. *Quid ergo Moyses, &c.* Aperiunt calumniam quam parauerant. Et certè dominus, non propriam sententiam protulerat, sed veteris historiæ, & mandatorum Dei fuerat recordatus. *Quoniam Moyses, &c.* Quod dicit istiusmodi est: Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, vt aliud ante iusserit, & senténtiam suam nouo frangat imDeut.24. perio? Non ita sentiendum est: sed Moyses, cùm videret propter desiderium secundarum coniugum (quæ vel ditiores, vel iuniores, vel pulchriores essent) primas vxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia & homicidia perseuerare. Simúlque considera, quod non dixit: Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses: vt iuxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei. *Quis quicunque dimiserit, &c.* Sola fornicatio est, quæ vxoris vincit affectum: imo cum illa, vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, nó debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura: Qui adulPro.18. teram tenet, stultus & impius est. Vbicunque est igitur fornicatio, & fornicationis suspicio, liberè vxor dimittitur. Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secun* al. priorem dam copulam nuptiarum * veteri impingeret: sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat. Quod dicit, tale est: si non propter libidinem, sed propter iniuriam dimittis vxorem: quare expertus infelices priores nuptias, nouarum te immittis periculo? Necnon quia poterat euenire, vt iuxta eádem legem, vxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat: secundum acciperet virum: secundo præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterij sit crimine. *Si ita est causa hominis, &c.* Graue pondus vxorum est, si excepta fornicationis causa eas dimittere non licet. Quid enim si temuléta fuerit, si iracúda, si malis moribus, si luxuriosa, si vaga, si gulosa, si iurgatrix, si maledica, tenéda erit eiusmodi. Volumus, nolumus, sustinenda est. Cú enim essemus liberi, volútarié nos subiecimus seruituti. Videntes ergo Apostoli, graue vxorum iugum, proferunt motum animi sui, & dicunt: si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. *Quibus ille dixit, Nó omnes capiunt, &c.* Nemo putet sub hoc verbo vel fatum, vel fortunam introduci, quod hi sint virgines, quibus à Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit: sed his datú est, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Omni Matt. 7 enim petenti dabitur, & quærens inueniet & pulsanti aperietur. *Sunt enim Eunuchi, &c.* Triplex genus est Eunuchorum, duorum carnalium, & tertij spiritualis. Alij sunt qui de matris vtero sic nascuntur. Alij quos vel captiuitas facit, vel deliciæ matronales. Tertij sunt qui seipsos castrauerunt, propter regnum cælorum, & qui cum possint esse viri, propter Christum Eunuchi fiút: istis promittitur præmium, superioribus autem quibus castimonia necessitas non voluntas est, nihil omnino debetur. Possumus & aliter dicere. Eunuchij sunt ex matris vtero, qui frigidioris naturæ sunt, nec libidinis appetentes. Et alij qui ab hominibus fiunt: quos aut Philosophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas, vel persuasione hæretica, simulát castitatem, vt mentiantur religionis veritatem, sed nullos eorum consequitur regnum cælorum, nisi se castrauerit propter Christum. Vnde subinfert: *Qui potest capere capiat, &c.* Vt vnusquisque consideret vires suas, vtrum possit virginalia, & pudicitiæ implere pręcepta. Per se enim castitas blanda est, & quemlibet ad se alliciens, sed considerandæ sunt vires: vt qui potest capere capiat. Quasi hortantis vox domini est, & milites suos ad præmium concitantis. Qui potest capere capiat: qui potest pugnare pugnet, superet ac triumphet.

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.

ET accesserunt ad eum pharisæi, tentantes eum, &c. Est fragmétú Homil. 32 in Matth. c. 1 Viro casto qualiscunque vxor bona videtur, Quia perfecta charitas vitia non sentit. Qui diligit vxorem, de soluendo matrimonio legem necessariam non habet. Vbi autem de soluendo matrimonio lex requiritur, illic iam odiú demóstratur: vbi odium inuenitur, illic fornicatio esse cognoscitur. Quemadmodum si videas hominem assiduè amicitias medicorum colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: Sic & quum videas siue virum, siue mulieré dimittendis vxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce

quia

quia vir ille lasciuus est, & mulier illa meretrix est. Sic & Iudæi erant homines fornicarij & contaminati, qui habentes vxores, habere non videbantur: quia vxor illis non erat quasi iucunda possessio castitatis, sed quasi desertum æstus libidinis illic religatæ. Nam in matrimonio mox castitas delectat, libido autem quasi vinculo coniugij colligata torquetur. Et non fit nouum, quod dicimus quia castitas in matrimonio delectatur. Nam primus est gradus castitatis synceræ virginitas, secundus autem, fidele coniugium. Ergo species secunda virginitatis, est matrimonij casta dilectio. Adierunt ergo Iesum tentantes. Vt viderent si voluntatis eius amicus esset, an castitatis patronus: vt si quidem diceret, licet dimittere, laudarent eum: si autem non, contradicerent ei: & hoc est proprie tentare. Qui autem vere interrogat, quicquid audierit cognoscit. Si licet homini vxorem suam dimittere quacunque ex causa? O effrenata lasciuia. Sciebant quia nullam causam idoneam habebant circa dimittendas vxores, præter solam turpitudinem, alias atque alias sibi iungebant: ideo timuerunt interrogare, ex quibus causis, ne seipsos infra angustias certarũ causarũ cõstringerẽt. Sed interrogauerũt, si ex omnibus causis licet scientes quia modũ nescit libido: sed quanto amplius excrescit, tanto magis accẽdũt, nõ leuiter, nec infra terminos vnius cõiugij capit libido. *Ille respondens eis: Non legistis, &c.* Id est legistis quidem, sed noluistis facere quod legistis. Conscientiã illorũ ad testimoniũ prouocat, vt ostendat eis quia ideo interrogãt, nõ vt fitmiter discãt quod dubitant, sed vt excusabiliter faciãt quod inexcusabiliter peccẽt. Masculum & fœminam. Non masculũ & multas fœminas, vt vni masculo liceat plures fœminas possidere: neque masculos & fœminam, vt vni fœminæ liceat plures viros accipere: sed masculum & fœminam, vt vna fœmina nullum masculum pniet factum esse in seculo præter vnum: vt vnus masculus nullam putet fœminam esse factam in seculo, nisi vnam. Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres. Quum ergo secunda aut tertia vxor steterit ante faciem tuam, sicut tunc Eua ante Adam, quomodo illis dicas. Hoc nunc os de ossibus meis? Nã etsi vere costa est illa mulier nõ tamen tua. Si ergo non dixeris non illam confirmas esse coniugem tuam: si autem dixeris, mentiris. Si ergo Deus ad hoc masculum & fœminã ex vno creauit, vt sint vnũ: quare ergo & de exteto vir & mulier nõ ex vno vtero nascãtur, sicut volatilia quædam? Quia Deus quãuis masculũ & fœminã quidem creauit propter necessitatẽ filiorum generandorum, tamen semper castitatis fuit amator, & continentiæ autor. Ideo illum typum non seruauit in hominibus, vt si quidem vult homo nubere secundum primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir & vxor. Si autem noluerit nubere, non habeat necessitatem nubendi propter coniunctionem nativitatis, ne forte videatur per suam continentiam alterum perdere, quem volebat esse in continentia: quomodo dicemus post coniunctum matrimonium, ne alter altero nolente separetur. *Propter quod relinquet homo patrem suum, &c.* Propter quid? Quia ex viro est vxor, & ex vna carne fuot ambo. Ergo nunc maior charitas debet esse inter fratres & sorores, quia isti quidem coniuges ex eisdem parentibus exeunt, illi autem ex diuersis. Sed hoc magnum est omnis, quia fortior est Dei constitutio, quàm virtus naturæ? Non enim præcepta Dei naturæ subiecta sunt, sed natura præceptis obtemperat. Deinde fratres licet ex vno nascantur, tamen ideo nascuntur, vt diuersas vias petant. Vir autem & vxor licet ex diuersis nascantur, tamẽ ideo nascuntur, vt in vnum conueniant. Ergo hi, quanuis sunt ex vno, tamen non ita sunt quasi ex vno: quia ad hoc creati sunt, vt non sint vnum. Illi autem quanuis non sunt ex vno, tamẽ ita sunt quasi ex vno: quia ad hoc creati sunt, vt sint vnum. Vides ergo, quia non seipsum loquitur ordo oratoræ, sed ordinationem Dei ex seipso considera. Quòd enim est in herbis, aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbæ ex humore nascuntur & crescunt, sic homines per amorem incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem nõ recurrit in radices, sed sursum transmittitur in semen: Sic & charitas de parentibus ascendit in filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur à filiis: quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: sic & homo non ad parentes, sed ad procreandos filios trãsmittit affectum. *Et erunt duo in carne vna.* Sicut qui spiritualiter se diligunt, multorum animæ quasi vna anima esse dicuntur, dicente scriptura: Omnium credentium erat cor vnum & anima vna. Sic & vir & vxor, qui carnaliter se diligunt, vna caro dicuntur. *Dicunt illi. Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij?* Displicet peccatoribus doctrina iustitiæ, grauis est fornicatoribus interpretatio castitatis. Si contra rationem quidem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Quid ergo? Conferunt se ad patrocinium viri sanctissimi Moysi, cuius personam verebantur omnes, & timebant vt doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per authoritatem validioris personæ destruerent: vt dũ Moyses irreprehensibilis reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur: Sicut solent homines facere malam causam habentes, confugiunt ad potentes viros: vt si per iustitiam non possunt, vincant per personam. Tanquam si ita inuidiosè respondeant: Quid ergo? Moyses præcepit in lege, qui fuit quasi visibilis lingua inuisibilis Dei, qui incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit, & testimonium diuinitatis in vultum suscipiens portauit ad populum. Tu autem homo vilissimus fabri lignarij filius, quomodo destruis quod ille constituit? Si filius Dei es, sicut dicis, quare confundis tuum ministrum? Si homo es similis nostri, quomodo reprehendis tuum authorem? Si malum est, quare præcepit? si bonum est, quare destruis? *Tunc ait Iesus: Moyses,* inquit, *propter duritiam cordis vestri, &c.* Frequenter vobis Moyses propter duritiam vestram, iniustitiam quasi iustitiam præcepit, vt in eremo hostias offerre Deo. Et quomodo dicit Propheta, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sed quia patres vestri egressi erant de Ægypto corpore, tamen non animo: sed totam Ægyptum secum in moribus baiulabant: videns itaque Moyses propter dilectionẽ carnalem circa studia sacrificiorum eos esse inclinatos, si man-

Marginal notes: *Castitatis gradus.* — *Gen. 2.* — *Deus cur masculũ & fœminã ex vno creauit.* — *Maior charitas inter fratres deberet esse.* — *Act. 4.* — *Deut. 14.* — *Frequenter Moyses propter Iudæorũ duritiã iniusta quasi iusta præcepit. Annuisse sacrificiis medicamẽto maioris mali non curatur.*

dasset eos recedere à sacrificiis, non fuerat audiendus. Quia annosa passio medicamento momentaneo non curatur. Iussit eos sacrificare quidem, sed iam non dæmonibus, sicut in Ægypto, sed Deo viuo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit vos dare libellum repudij, quia melius iudicauit permittente lege matrimonia solui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo hæc vobis permittendo non vobis iustitiam Dei demonstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccandi, vt quasi secundum legem agentibus vobis, peccatum vestrum non videatur esse peccatum. Vtputa, si quis habeat seruum, qui furatur, & inebriat se, considerans dominus, quia si vtrunque sibi insimul mandauerat obseruare, nihil proficit: mandat illi quidem, vt bibat quantum vult, sed publicè bibat, vt hoc quidem quod bibit sit secum nouum bonum, vt paulatim discat obedire præceptis. Sic permissum est dari repudium, malum quidem, tamen licitum à creatione. Et Apostoli præceperūt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est: secundum autem veritatis rationem, verè fornicatio est, sed dùm permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea benè dixit, quia Moses hoc permisit, nō præcepit. Aliud est permittere, aliud est præcipere. Quod enim præcipimus, semper placet: quod autem permittimus, nolentes præcipimus: quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus. *Amen dico vobis, quicunque dimiserit vxorem suam, nisi fornicationis causa, mœchatur.* Omnis res per quas causas nascitur, per ipsas absoluitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: & ideo illud non soluit separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam & si corpore iam separatus, tamen adhuc voluntate coniunctus est. Quum ergo aliam acceperit, tunc plenè dimittit. Non ergo qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricē. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat vxoris. Imitatores ergo debemus esse Dei, vt sicut ille agit cum ecclesia, sic nos agamus cum coniuge. Ille enim nunquam derelinquet populum, nisi ad gentilitatem vel ad hæresim voluntariè transierit: alias autem peccantem, castigat quidem, tamen misereri non cessat, dicente Propheta: Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniustitias eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Sic & vir meretricem quidem dimittat: aliàs autem male morigeratam castiget, & teneat. Quomodo? Tribus modis. Primùm docendo secundum Deum. Si autem contempserit *timorem Dei, improperando, vt vel homines erubescat. Si nec pudore sentit frequēter cōfusa, faciat illi quod præcepit Salomon: Cor durū baculo percute. Ergo primum admone, quia multum proficit doctrina iustitiæ. Deinde confunde, quia frequenter & pudor frenum est vitiorum. Tertio iustum est, vt castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit vt libera. Aliter de Galilæa turbæ in mysterium gentium secutæ sunt dominum in fines Iudææ, ibique curatæ sunt. Iustè in fines transierunt Iudææ, nec enim potuissent curari, nisi relictis finibus suis in fines transissent Iudææ, sicut scriptū est in Esaia: Et venient omnes gentes, & dicent: Venite, ascendamus in montem domini, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Et curatæ sunt gentes in finibus Iudæorum ad confusionem ipsorum, quia gentes quidem & in aliena secutæ sunt Christum: Iudæi autem in finibus suis constitutum tentauerunt & repulerunt, & in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicētes: Si licet viro dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lasciuus: hoc est, non potest Deo esse fidelis, qui vxori suæ perfidus est: sicut nec ea diuerso conscientiam seruat, qui Deo fidē non seruat, sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Nam & si iustitiam non præuaricatur lasciuia, tamen iam in co statu est, vt præuaricetur, si corruptio persuasionis accesserit. Et illi quidem secundum carnem interrogabant, quę pati merebantur secūdum spiritum: Si licet dimittere vxorem quacunque ea causa. Christus autem respondit eis, quòd facere eos non decebat, dicens: Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Sicut enim vxorem quocunque modo contra voluntatem viri agentem, dignum est repellere: non autem est iustum quantum ad grauitatem viri, nisi ob causam fornicationis: Sic & ecclesia quocunque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abijci: nō autem abijcitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. Sicut enim si Christus priùs dimisisset ecclesiam Iudæorum non eis subministrans per scripturas notitiam suæ diuinitatis, ipse faciebat eam adulteram cum dijs extraneis, quoniam natura rationabilis & subdita Deo creata, sine Deo nō potest esse: sic Christo semper eis scientiam suę diuinitatis subministrante, quoniam synagoga spernens transibat ad idola, inexcusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus: non quacunque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solùm relicto Christo diabolo se coniūxit, sed etiam interfecit pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum: deinde creauit hominem rationabilem, naturam angelorum & animarum, quasi cōiugem & potentē suscipere verbū ipsius. Ideo clamat: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et multis quidem modis homo separat, quod cōiunxit Deus. Quādo enim quis audet* dicere, aut facere aliquid, per quod scandalizati homines recedant a Christo, homo separat, quod Deus coniūxit. Sed & si nullus alter hoc faciat, ipse autem homo peccans à Deo recedat, repelleus sanctum *eius à se, homo videtur separasse quod Deus cōiunxit. *Dicunt ei discipuli: Si ita est causa viri cum vxore, non expedit nubere.* Audiētes cogitabant apud se: Mulier bona difficile inuenitur, protestāte Salomone: In mille, virum bonum inuenies, in omnibus autem his mulierem non inuenies. Quid autem est aliud mulier, nisi amicitię inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticū periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore

Marginal notes (left): 1. Tim. 5. — Psal. 88. — * non sentit. Eccl. 33.

Marginal notes (right): Esa. 2. — Lasciuus corpore nequit fecastus mente. — * præsumit. Multis modis homo separat quod Deus iunxit. — * spiritum. Eccl. 7. — Descriptio mulieris malæ.

colore depicta? Ergo ſi dimittere illam peccatum eſt, tenere autem verè tormentum eſt: neceſſe eſt, vt aut dimittentes adulterium alterum faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas & amaritudines habeamus. Ideo reſponderunt: Si ita eſt viri cauſa cum vxore, non expedit nubere. Tunc dominus non dixit, quia expedit, ſed magis conſentit quia nō expedit: ſed infirmitatem carnis aſpiciens, dixit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Non dixit, non omnes poſſunt, ſed, non omnes capiunt: id eſt, omnes quidem capere poſſunt, ſed non tamen omnes capere volunt. Palma propoſita eſt. Qui concupiſcit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes periculū pugnæ timerent. Ex eo quòd quidam non poſſunt, & à propoſito continentiæ cadunt non debemus circa virtutem caſtitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugna cadentes non exanimant cæteros, ſed dicunt illis ſic datum fuiſſe, rem non applicant pugnæ, ſed homini: quanto magis nos cadentium negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod autem dicit; Quibus datum eſt, non hoc ſignificat, quoniam quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtēdit, quia niſi auxilium gratiæ accipiamus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia nō denegatur: in Euangelio dominus dicit: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & ſic ſequitur gratia. Nam nec gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas ſine gratia poteſt. Nam & terra non germinat, niſi pluuias ſuſceperit, nec pluuia fructificat ſine terra. *Sunt eunuchi, quia ſic nati ſunt, &c.* Tanquam ſi dicat aliquis: Quid dicis Domine? Si ex quacunque cauſa contigerit homini vxorem non habere, an continentiæ habebit mercedem? Non ſemper. Sicut enim peccatum ſine voluntate opus non facit, ita iuſtitia ex opere non conſummatur, niſi voluntas adfuerit. Multi enim corpore quidem caſtitati ſtudent, adulterium autem voluntate committunt. Niſi enim & voluntate ſola fornicatio conſummaretur, nunquam Dominus diceret: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ergo voluntas ſine corpore frequenter peccat. Illa eſt glorioſa continentia, non quam tranſgredi non poteſt neceſſitas debilitatis corporis, ſed quam complectitur voluntas ſancti propoſiti. Ideo dicit: Sunt eunuchi, qui ſic naſcuntur ex vtero matris: ſunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: ſed illos tenet neceſſitas, hunc autem tertium coronat voluntas. Quod autem ſic naſcuntur, à creatione fit, quomodo naſcuntur & ſex digitos habentes, aut quatuor, & ſimilia. Si enim Deus, ſicut ab initio conſtituit, vnamquanque naturam ſic dimitteret, illam immutabiliter ſemper in ſuo ordine permanere, in obliuionem deduceretur coram hominibus operatio Dei. Nam æſtimaretur natura rerum ipſa ſe regere: vtputa conſtituit Deus, vt in hyeme frigora ſint, calor autem in æſtate, vt terra fructum proferat, vt pluuia deſcendat de cælo. Si hæc ſicut ab initio conſtituta ſunt, ita in ſuo ſtatu immutabiliter perſeuerarent, inueniretur Deus ab initio quidē conſtituiſſe, & de cætero omnem naturam in ſua poteſtate reliquiſſe, & per hoc fieret vt tam creatura neceſſarium non haberet factorem. Ideo ergo natura rerum conuertitur contra naturam ſuam interdum, vt ſemper Deus naturarum opifex in memoriam reducatur, & ſemper neceſſarius ſit factor ſuæ naturę: & non ſolum ſemel, ſed quotidie opera ſua facere videatur. Propterea in euangelio de cæco qui ſic natus fuerat, Dominus dicit: Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei. Non ſolùm ſimpliciter intelligendum eſt, ſicut multi putant, vt cęco ſanato Dei potentia cognoſcatur, id eſt, operans Deus. Alioqui omnibus infirmitatibus ſanatis Dei potentia cognoſcitur: ſed ideo in illius perſona hoc dicit, quia contra regulam naturæ ſine oculis erat creatus, vt in tranſuerſione naturæ opus Dei intelligatur dum emendatur.

Continentia poſſibilis ſed volentibus & deſiderantibus.

Matth. 7.

Quæ de cauſa contra naturæ curſum aliquãdo aliqua eueniant.

Ioan. 7.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expoſitio.

ACceſſerunt *ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, &c.* Interrogant ergo, vtrùm liceat homini dimittere vxorem ſuam qualibet cauſa, vt quaſi cornuto eum teneant ſyllogiſmo, & quodcunque reſponderit captioni pateat. Si dixerit dimittendam eſſe vxorem qualibet ex cauſa, & ducendas alias, pudicitiæ prædicator ſibi docere contraria videbitur. Sin autem reſponderit non omnem ob cauſam debere dimitti, quaſi ſacrilegij reus tenebitur, & aduerſus doctrinam Moyſi ac per conſequens Dei facere. Igitur dominus ſic reſponſionem temperat vt decipulam tranſeat, ſcripturam ſanctam adducens in teſtimonium, & naturalem legem primámque Dei ſententiam ſecundo opponens, quæ non voluntate Dei ſed peccantium neceſſitate conceſſa eſt. *Non legiſtis, &c.* Quod dicit iſtiuſmodi eſt. Nunquid poteſt Deus ſibi eſſe contrarius, vt aliud ante iuſſerit, & ſententiam ſuam nouo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt. Sed Moyſes cùm videret propter deſiderium ſecundarum coniugum quæ vel ditiores vel iuniores vel pulchriores eſſent, primas vxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quam odia & homicidia perſeuerare ac perpetrari. Simúlque conſidera quod non dixit propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis Deus, ſed Moyſes: vt iuxta Apoſtolum, conſilium ſit hominis, non imperium Dei. *Ab initio autē, &c.* Hoc in exordio Geneſeos ſcriptum eſt. Dicendo autem maſculum & fœminam, oſtendit ſecunda vitanda coniugia. Non enim ait maſculum & fœminas, quòd ex priore repudio quærebatur, ſed maſculum & fœminam, vt vnius coniugis conſortio necterentur. *Propter hoc rel. ho. pat. ſ. & mat.* Similiter ait, *Adhærebit ad vxorem ſuam*: nō ad vxores. *Et erunt duo in carne vna, &c.* Præmium eſt nuptiarū è duabus vnam carnē fieri. Caſtitas iuncta ſpiritui vnus efficitur ſpiritus. *Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet.* Quæ Deus coniunxit vnam faciendo carnem viri & fœminæ, hæc homo non poteſt ſeparare, niſi forſitan ſolus Deus. Homo ſeparat, quādo propter deſiderium ſecundæ vxoris primam dimittit. Deus ſeparat qui & coniunxerat, quando ex conſenſu propter ſeruitutem Dei, eò quod tempus in arcto ſit, ſic habemus vxores quaſi non habentes. Vna ergo ſolummo-

Hæc expoſitio deſumpta eſt ex lib. 3. in Marc.

Gen. 1. & 2.

do causa est carnalis, fornicatio, vna spiritalis, ti-
mor Dei, vt vxor dimittatur, sicut multi religio-
nis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est
Dei lege præscripta, vt viuente ea quæ relicta est
alia ducatur.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangel. expositio.

E*T accesserunt ad eum pharisæi, &c.* O insipientiam
opinabantur quæstionibus suis Christum se
Gen. 2. confutaturos. Nam si dixisset licere quacunque
Ephe. 5. de causa dimittere vxorem, potuissent illi dicere:
1. Cor. 6. Quomodo igitur dixisti, ne quis dimittat, nisi
adulteram solam? Si autem dixisset, non licere di-
mittere vxorem, arguissent eum vt aduersarium
Mosis: Ille enim iussit, vt dimitteretur odio habi-
Deut. 24. ta, & absque ardua & rationabili causa. Quid igi-
tur, Christus? Ostendit opus & legislationem eius,
qui nos à principio formauit esse monogamiam.
Ab initio enim vnum coniunxit Deus vni: atque
ita non oportet vnum virum coniungi multis, ne-
que mulierem vnam viris multis: sed eos sicut ab
initio coniuncti fuerunt, manere, neque absque
causa cohabitationem diuellere. Non dixit au-
tem: Ego feci masculum & fœminam: ne plus
eos exasperet, sed is qui fecit, indefinitè. Atque ita
dicit maximæ curæ fuisse Deo, coniungi bonum.
Vnde permisit etiam parentes dimitti, & viris ad-
Gen. 2. hærere. Quomodo autem in Genesi scriptum est,
Adam dixit: Propterea deseret homo patrē suum.
Hîc autem dicit Christus: Deus dixit, propterea
deseret, ac cætera. Dicimus igitur, quod & id,
quod Adam dixit, ex Deo dixit: atque ita sermo
Adæ, Dei est. Igitur quia vna caro facti sunt, &
propter coitum & naturalem amorem cohæren-
tes: sicut impium est suam carnem diuidere, ita &
coniuges diuellere. Non dixit autem: Ne separet
Moses, ne turbaret illos, sed homo simpliciter:
ostendens quantum intersit inter Deum coniun-
gentem, & hominem soluentem. His auditis,
nónne quiescere ac laudare dicta eius oportebat?
nonne admirari tantam sapientiam, nonne stupe-
scere? cùm tantam consonantiam cum patre vi-
derent: sed horum nihil faciunt, sed tanquam pugna-
ces & contentiosi. Dicunt illi: Cur igitur Moses
Deut. 24. iussit dare libellum repudij, & amittere eam? &c.
Quum vidissent pharisæi, quod Dominus ipsos
confutasset, coacti postea fuerunt in medium af-
ferre Mosen contradicentem Christo, & dicunt:
Quomodo igitur Moses mandauit dare librum
repudij, & dimittere? Igitur Dominus vertens
omnem accusationem in illorum caput, pro Mo-
se respondet, ac dicit: Non contraria Deo Moses
constituit, sed ad vestram duritiam hoc pronun-
ciauit, ne propter intemperantiam volentes aliis
coniungi, occideretis primas vxores. Nam quum
essent inhumani, occidissent vxores, si coacti fuis-
sent seruare illas: nunc autem librum diuortij
iussit dari, his quia viris odio habebantur. Ego
autem dico vobis (inquit) quod bonum est vxo-
rem, quæ fornicata est eiicere. Si autem quis eie-
cerit aliquam, quæ non est fornicata, author fit
illi adulterij. Intellige autem quod qui adhæret
Domino vnus cum eo spiritus est, & coniugium
est fidelis cum Christo. Omnes enim idem cor-
pus facti sumus cum eo, & ex parte mēbra Chri-
sti sumus. Non igitur rectè quis potest separari à
coniugio tali, iuxta sermonem Pauli, dicentis:
Quis nos separabit à dilectione Christi? Quę igi- Rom. 8.
tur Deus coniunxit, neque homo, neque alia
creatura, neque angeli, neque principatus, neque
potestates (vt Paulus dicit) separare poterunt. *Di-
cunt ei discipuli eius: Si ad istum modum habet causa
hominis, &c.* Turbantur discipuli, & dicunt: Si pro-
pterea coniuncti sunt, vt vnum sint, & indiuulsi
maneant per omnem vitam, vt etiam si pœni-
tenda alioquin sit mulier, eam eiicere non liceat,
non expedit matrimonium contrahere. Leuius
fuerit, matrimonium non contrahere, sed pugna-
re & certare cum naturalibus concupiscentiis,
quam sustinere malam mulierem. Causam enim
hominis cum muliere, dicit perpetuam & inse-
parabilem vnionem: Nonnulli autem & sic in-
telligunt. Si sic est causa hominis, hoc est, si re-
prehensionem & culpam habiturus est vir, vt il-
legitimè eiiciens vxorem, non expedit matrimo-
nium contrahere. *At ille dixit illis: Non omnes ca-
paces sunt huius dicti, &c.* Postquam dixerunt Apo-
stoli, meliùs esse non venire ad nuptias, dicit Do-
minus magnam esse virginitatis possessionem: at
eam non ab hominibus rectè seruari, sed ab his
duntaxat, quorum cooperator est Deus. Nam
hoc loco; Datum est, valet, Quibus cooperator Supra 7.
Deus. Illis autem datum est, qui petunt. Petite Luc 11.
enim, inquit, & dabitur. Omnis enim (inquit) qui Ioan 16.
petit, accipit. *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero
sic nati sunt, &c.* Paucorum est (inquit) virginitatis
virtus. Sunt enim eunuchi ex vtero matris, hoc
est, sunt quidam qui propter naturæ constitutio-
nem: ad coitum non sunt idonei, qui & sine vtili-
tate casti sunt. Sunt & qui eunuchi fiunt ab ho-
minibus. Qui autem seipsos eunuchos faciunt
propter regnum cælorum, non sunt hi, qui veren-
da sibiipsis amputant (maledictum enim hoc) sed
qui continentes sunt. Intellige autem & sic. Est
eunuchus à natura, qui propter naturalem com-
plexionem non mouetur ad venerea: Ab homi-
nibus autem eunuchus fit, qui ex humano præ-
cepto carnalis concupiscentię incendium exscin-
dit. Qui autem seipsum castrat, non ab alio, sed a
seipso doctus est, & sua sponte ad continentiam
inclinatur. Hic igitur & optimus est, qui non al-
teri, sed sibiipsi dux fuit ad regnum cęlorum. Vo-
lens autem sponte nos operari, virtutem, inquit,
Qui potest capere capiat, non enim cogit virgi-
nem esse, neque nuptias destruit, sed virginita-
tem præfert,

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

A*Ccesserunt ad Iesum, &c.* Rursum visis miracu-
lis ac virtute illius, efferati fuerāt: & quia fa-
cta eius reprehendere non poterant, accedunt tē-
tantes, an in sermonibus eum possent compre-
hendere: quúmque id sæpè fecissent, & vbique
mirabiliter impositum ipsis fuisset silentium, im-
pudens tamen ac improba erat eorum inuidia. Supr. 5.
Interrogant ergo si liceat homini diuortium fa-
cere cum vxore sua ex qualibet causa. Et conside-
ra mihi astutiam: quia enim de hoc quæsito in
præcedentibus docuerat, quinto videlicet capite,
dicens,

dicens, Quicunque repudiauerit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam adulteram esse, &c. putauerunt eum doctrinam illam obliuioni tradidisse. Ideo etiam non dicunt, Quare hoc docuisti? sed quasi de hoc nondum docuisset prauo more suo interrogant: vt si licere diceret, opponerent dicentes: Et quomodo in præcedentibus docuisti non licere? Si vero diceret non licere, opponerent ipsi legem. Quære autem prædicto quinto capite dicti illius enarrationem. Quicunque repudiauerit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam adulteram esse: ibique & legem facile disces & causam ob quam statutum erat. Quid ergo Christus qui horum astutias ac dolos perfecte nouerat? *At ille respondens dixit eis: Non legistis quod qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos?* Eos videlicet homines. Hoc autem verbum in libro Genesis scriptum

Gen. 1. est. Tu vero admirare Domini mansuetudinem: quomodo sciens quod eum tentarent, non dixit: Quid me tentatis? quod alibi dixit ad eos. Neque exasperatus est sicut alio loco: neque omnino arguit eos, vt suam ostendat lenitatem, & vt discipulos doceat iniurias leniter ferre. Non tamen semper exhibet lenitatem ne putent scelesti hæc illum latere, vtque refrenaret malitiam. Et vide sapientiam. Interrogatus an liceret, non statim dixit non licere, ne daret eis occasionem contentionis ac tumultus, sed hoc alio modo aptè admodum astruit ab ipsa creatione quæ ab initio facta est. Quid ergo ait? Num legistis quod qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos: hoc est vnum masculum vnámque fœminam vt vnus vnam haberet. Nam si voluisset masculum hanc relinquere, rursúmque hanc ducere, plures vtique formasset ab initio fœminas: quia ergo plures non formauit, restat vt voluerit virum non repudiare vxorem suam. *Et dixit: Propter hoc relin-*

Gen. 2. *quet homo patrem suum & matrem, &c.* Ostenso à creatione quod non liceat repudiare, ostendit hoc & a diuino iussu. Scire autem oportet, quod in libro Genesis apparet præsens verbum ipsius Adam esse prophetantis de vxore: sed Christus nunc docet quod hoc Dei fuerit præceptum, & non ipsius Adam prophetia vt apparet. Nihil tamẽ vetat idem dictum & ipsius Adam fuisse prophetiam à Deo inductam, & rursum Dei præceptum dictum per Adam: vt id dixerit & Adam inductus à Deo, & rursus dixerit etiam Deus loquutus per Adam. Ait ergo quod etiam dixerit creator: Propter hoc videlicet, quia formata est vxor de latere viri sui, (nam & hoc ante prædictum præceptum scriptum est) relinquet homo patrem suum & matrem, &c. Eruntque duo coniuncti in carnem vnam, siue corpus vnum propter coniunctionem vnitatis, siue coniunctiuam formam. Quia ergo vnum corpus hos esse iussit, non licet repudiare. *Itaque iam non sunt duo sed vna caro.* Postquam tentatoribus diuinum recitauit præceptum, interpretatur nunc quod post coniunctionem, vnum corpus fiant duo coniuges. Deinde suam quoque infert sententiam. Ait enim: *Quod ergo Deus coniunxit homo ne separet.* Ecce id subintulit quod non licet: blandè quidem modóque persuasibili vt diximus: ostendens præter naturam ac præter legem esse diuortium. Præter naturam quidem: nam vna caro diuiditur: præter legem verò; quum enim Deus vnũ esse iusserit, distrahuntur. *Dicunt ei: Quid ergo Moses iussit dare libellum repudij ac dimittere eam?* Quid, id est, quare vel quomodo. Libellum vero repudij dicunt scripturam repudiationis, quod etiam quinto capite diximus. *Ait illis: Moses quidem ad duritiam cordis vestri, &c.* Causam in caput illorum conuertit, quòd frequenter facere cõsueuit. Propter duritiam cordis vestri, inquit hoc permisit, ignara diuersas causas eorum qui sibi nuptas oderant, neque illis reconciliabantur: Siquidem illas repudiare statuit, ne occiderentur. Cur autem libellus repudij daretur, manifestè diximus prædicto quinto capite. Ab initio autem non ita factum est. Nam si Deus id ab initio voluisset, nequaquam vnum formasset masculum vnamque fœminam: neque iussisset duos esse in carnem vnam. *Proinde dico vobis: quisquis repudiauerit vxorem suam nisi ob stuprum, & aliam † duxerit, adulterium committit, &c.* Siue non †
repudiatam ab alio, siue repudiatam duxerit, adulterium committit. Hæc autem Marcus ait ad Marc. 10.
discipulos esse dicta. Primum namque ad Pharisæos dicta sunt, deinde etiam ad discipulos in domo seorsim. Dictum est autem & de his quinto capite, & ibi quære enarrationem. Solam vero eam iussit ejici, quæ stuprum siue adulterium cõmisisset, propter fœtus confusionem, & propter dubitationem eius quod pariendum esset: quasi alia quæuis causa curari possit, hæc autẽ sola non recipiat curationem.

† *Intelligi quoque potest sermo de virgine secundo ducta hoc est post relictam vxorem.* †

Dicunt ei discipuli eius: Si ita se habet causa hominis cum vxore, &c. Nunc tandem intellexerunt præcepti grauitatem, tanquam rei quæ molestia afficiat. Siquidem graue admodũ videbatur, difficilem prauámque tolerare mulierem, nec eam posse repudiare quæ fera sæuior est, ac molestior. Ideoque dicũt: Si ita se habet causa hominis cum vxore: id est, si vnica causa est vel medium separans virum & vxorem, dico sanè fornicationem, non expedit venire ad nuptias. *Ille autem dixit eis: Non omnes capaces sunt huius dicti.* Non omnes suscipiunt hunc sermonem de non contrahendo matrimonio: non omnes ferunt. Magna enim res est cœlibatus; nec ab omnibus ferri potest. *Sed quibus datum est.* Soli illi sermonem hunc suscipiunt & ferunt, quibus datum est hoc donum à Deo:
datum est autem his qui petiuerunt. Petite enim Luc. 11.
ait, & dabitur vobis: petentibus (inquam) nõ simpliciter, sed feruenter & perseueranter: & vt semel dicam, sicut oportet. Significatum est ergo virginitatem, Dei donum esse, datum his qui petunt vt oportet. *Sunt enim eunuchi qui de matris vtero*
sic nati sunt †, &c. Quia de cœlibatu incidit sermo, †
docet nunc de innuptis: & tria enumerat genera eunuchorum: quorum primum nullam sustinet calumniam: secundum autem vituperatur, tertium vero laudabile est: eorum videlicet qui seipsos castrauerunt, vt regnum cælorum consequerentur: non nouacula ferrea excecantes genitalia, sed continentia insaniam concupiscentiæ amputãtes: & amore virginitatis, coitus amorem exarescere sinentes. Quorum enim naturam manus humana trãsformauit, ferrúmque deprauauit, non tantum ob seruatam virginitatem laudantur, quantum hi qui veluti libidinis accusati, vltionem susceperunt, quæ id etiam vincat, quod à ferro est auxilium.

† Gregor.Theol. *Hi quidem natura inclinantur ad bonum. Quam autem dico naturam, non abijcio voluntatem: sed vtrunque pono: & inclinationem ad id quod honestum est, & qua ad opus bonum ducit naturam. Quibusdam verò à praeceptoribus amputantur affectiones, quidam autem per seipsos illas amputant, vt qui praeceptores non assequuti, seipsos docent quae conueniunt: & radicem vitiorum excidentes, & membra prauitatis exterminantes.*

Qui potest capere capiat. Tandem vbi cœlibes laude dignos demonstrasset, & ita talem cœlibatum laudasset, ac eo modo latenter auditores ad virginitatem prouocasset: sciens id magnum esse, & à paucis deligi: relinquit rem in hominum voluntate. Qui potest inquit capere hoc, aut peruenire ad hoc, capiat.



IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Euang. Matth. 11. Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi domine pater.

Explicabitur infra eodem Tomo in communi plurimorum Martyrum.

IN FESTO S. THOMÆ DE AQVINO ORDINIS PRÆDICATORVM.

Euang. Matth. 5. Vos estis sal terrae, &c.

Quaere infra eodem Tomo in communi Doctorum.

IN FESTO S. GREGORII PAPAE ET CONFESSORIS, ECCLESIÆQVE DOCTORIS.

Euang. Matth. 5. Vos estis sal terrae, &c.

Vide in communi Doctorum eodem Tomo.

IN FESTO S. IOSEPH CONFESSORIS.

Euang. Matth. 1. Cùm esset desponsata mater Iesu Mariae.

Expositum est Euangelium hoc supra Tomo primo, in vigilia Natiuitatis domini.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI QVA ANTHIOCHIAE PRIMVM SEDIT.

Euang. Matth.16. Inuenies infra eodem Tomo: in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

S. AVGVST. EPISCOPI Hipponens. in eodem festo, Sermo 1.

Serm. xx. de sanctis.



INSTITVTIO solennitatis hodiernæ à senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Rectè ergo Ecclesiæ natalem sedis illius colunt quam Apostolus pro Ecclesiarū salute suscepit, dicēte domino: Tu es Petrus, & super hāc petrā ædificabo ecclesiam meam. (Matth 16.) Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. Vnde conuenienter psalmus qui lectus est dicit: Exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. (Psal.106.) Benedictus Deus qui exaltari in Ecclesia hoc præcepit, quia dignum est vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur per quod ad cælum ascenditur. Quòd natalis ergo cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium, Sibi hoc ecclesiæ inuicem præstant, quia tantò necesse plùs habet Ecclesia dignitatis, quanto sacerdotale officium plus honoris. Cùm solennitatem hanc Ecclesiis merito religiosa obseruatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum, cibos & vina conferāt, quasi egressæ de corporibus animę carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, spiritus autem & anima his non indigent. Parare aliquis suis charis dicit quod ipse deuorat, quod præstat ventri, imputat pietati. Cessate ergo fratres ab hoc gentili infidelitatis errore. Animæ enim sanctæ quæ in hoc seculo, aut per vitę innocentiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfactione purgantur, à saluatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt, secūdum Apostoli dictum, Cupio dissolui & esse cum Christo. (Philip.1.) Animæ ergo fratrum parentúmque nostrorum minimè cibis carnalibus delectantur. Offendi his magis possunt quàm delectari, si cùm illæ in sacris sedibus sint, vos eas in terra esse credatis. Cessate ergo ab his erroribus, & sicut scriptum est, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: (Coloss 3.) vt superstitiones fidei vestræ contrarias repudiantes, dùm ea quæ Deo placita sunt faciatis, etiam vos eum Christo in æternum esse mereamini. Quod ipse præstare dignetur, & cætera.

EIVSDEM IN EODEM festo, Sermo 2.

Serm. xxj. de sanctis.

NOstis fratres charissimi beatissimum Petrum in saluatoris passione suis erroribus professum esse, & posteàquam negauit Dominum, fuisse apud Dominum meliorem. Fidelior enim factus est posteàquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Et quia ipse interrogationis tentatione negauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Deniq; pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, (Matth.16.) Petra enim dicitur, eo quòd primus nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molémque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spiritali sequente eos petra, petra autem erat Christus. (1.Cor.10.) Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem domo enim Petrus fundamentum ponit, (1.Cor.3.) Petrus plantat, Dominus incrementat, Dominus irriguum subministrat. Petrus ergo tētationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Hic nanque in mare dùm super vndas temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed cōualescit affectu. Periclitatur corpore sed deuotione non labitur. Mergitur pedibus, sed Christi dextera sustētatur. Sustentabat enim fides, quem vnda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, saluatoris dilectio cōfirmabat. Ambulabat enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. Non enim videbat vbi pedum vestigium figeret, videbat autem vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat dominum, & amore eius ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas non fluenta currentia, & dùm Christum respicit, non respicit elementum, dùm credit fide, etiam inter vndas solidum tuenit vestigium. Iactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbabatur Petri semita quæ ducit ad dominū. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non cedit. Legimus in veteri testamento filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, (Exod.14.) & ad securitatem gradientium ne laberentur, vnda iter solidatum; quanto hîc melius, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua nec refugit? Melius, inquam, vbi eadem vnda quę fluctuat & sustētat, ibi idem gurges

gurges qui mergit & famulatur. Illie vt pottaretur per mare popolus Israël meatum suum naturæ perdiderat, hic dùm purtatur in aquis Petrus, Matth. 14. cursum suum fluentem non perdidit. Temeratius ergo viator Apostolus noui itineris viam carpit, modo eurusit gurgitis molem ascendit, modo sub labentes sinus vndæ descendit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensúsque non deest. Sed vbi turbantibus ventis exagitantur procellæ, incipit timere quod crediderat, statim ei gurges subtahitur, vnda subducitur. Mox enim deficiente fide defecit semita. Tūc exclamans ad Dominum Iesum saluum se fieri deprecatur. Quem apprehensa manu saluator liberat, & sub- Vbi supra. iungit dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Hoc est, eur tam modicæ fidei es, vt qui credendo in mare ambulare cœperas, ooo id perseuerando ttansires? scriptum est enim; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sed dùm cunctaris & dubitas, iter quo ingressus fuaras perdidisti. Matth. 10. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide qua venire cœperas peruenires? Intellige ergo, quia in mare crudelitas te portabat, per fidea submergebat. Igitur sanctus Petrus dùm fluctuat, dùm mergitur, dùm periclitatur, sic peruenit ad Dominum ostendens nobis quòd non nisi per pericula propter ad Christum. Multi enim diaboli fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit, Iesus dominus noster qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.



IN FESTO S. BENEDICTI ABBATIS.

Euang. Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia.

Expositionem vide in communi Confessorum Abbatum eodem Tomo.

S. BERNARDI ABBAtis Clarauallensis de S. Benedicto abbate, Sermo.



CONVENIENTIBVS vobis in voū ad audiendum verbum salutis, magnus mihi timor fratres mei ne quis forte minus dignè illud recipiat, & non sicut recipiēdum est verbum Dei, Scio enim Hebr. 6. terram quæ sæpius superuenientem in se recipit imbrem, si fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto. Et ego vtique si possem benedictiones illi dare mallem, & non maledictiones. Imò verò ipsam benedictionem cœlestis patris vestri, non meam (quam tamen ipso quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere semper, nec in maledictionem posse mutari. Celebramus hodie magistri nostri gloriosi Benedicti natalem: pro eo vobis & de eo solsois ex more sermo debetur. Cuius dulcissimum nomen, cum omni vobis iucunditate amplectendum est, & honorandum, quoniam ipse dux vester, ipse magister, & legifer vester est. Delector quidem & ego in ipsius memoria, licet non meo sine rubore beati huius patris nomen audeā memorari. Est enim mihi de ipsius imitatione vobiscum seculi abrenunciatio, & monastica professio disciplinæ, sed singulariter sine vobis eum eo participo nomē abbatis. Abbas fuit, & ego. O abbas & abbas. Nomen vnum, sed in altero sola magni nominis vmbra. Ministerium vnum, sed heu me quàm dissimiles ministri, quantum ministratio ipsa dissimilis! Væ mihi si tā longè à te fuero ô beate Benedicte in futuro, quàm à tuæ vestigiis sanctitatis longè esse reperior in præsenti. Sed non mihi hæc apud vos peroranda necesse est: scio quòd scientibus me loquor: tantùm peto, vt pudorem hunc & hunc timorem meum fraterna eōpassione leuetis. Quoniam tamen omnino dispensatio mihi credita est, etsi nō habeo apud me quod vobis apponam quæram à beato Benedicto tres panes quibus vos pascam. Reficiat vos sanctitas eius, iustitia eius, pietas eius. Recolite dilectissimi, quòd non Matth. 21. omnes qui in processione Domini fuerūt, sua illi prostrauerint vestimenta. In illa, inquam, processione quam annuente Domino in proximo sumus celebraturi, quando venienti Domino ad passionem, & sedenti super asellum populi occurrerunt, non omnes vestimenta sua prosternebant in via, sed cædebant aliqui ramos de arboribus. Non erat hoc magnum: quod gratis acceperant, gratis dabant. Verùtamen ne ipsi quidem penitùs ociosi fuerunt, sed nec à processione leguntur exclusi. Fratres mei, pium Christi iumentū, qui eum propheta dicente poteslis, Vt iumen- Psal. 72. tum factus sum apud te, & ego semper tecum: vos quibus insidet Christus, quoniam anima iusti sedes est sapientiæ, & Apostolus prædicat Chri- 1 Cor. 1. stum Dei virtutem, & Dei sapientiam: si non habeo vestes quas pedibus vestris prosternam, tentabo vel ramos cædere de arboribus, vt tātæ processioni vel parùm aliquid non desit ministerij mei. Arbor fuit beatus Benedictus grandis atque fructifera, tanquam lignum quod plantatum est Psal. 1. secus decursus aquarum. Vbi sunt decursus aquarum? Profectò in vallibus, quia inter mediū montium

Psal. 103. tium pertransibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrẽtes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem semper diuertere vallis? Sic profectò sic Deus superbis resistit, humilibus dat *Iaco. 4.* gratiam. Securus hic fige pedem quicunque es iumentum Christi: super hunc ramum innitere: semitam vallis incede. Nimirum in monte sibi sedem constituit serpens antiquus, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò, propterea vallem magis elige ad ambulãdum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in serendis arboribus montana solemus eligere, quòd frequẽter arida sunt & petrosa. In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, iuxta illud: Et valles abũ- *Psal. 64.* dabunt frumento. Audis quia vbiq; vallis laudatur, vbiq; humilitas prædicatur. Ibi plantare vbi decursus aquarum, quia ibi copia gratiæ spiri- *Psal. 148.* tualis: & aquæ quæ super cęlos sunt, laudant nomen domini, id est cœlestes benedictiones faciũt vt laudetur. Stemus in hac charissimi, & plantati stemus, vt non arescamus, non moueamur quo- *Ecclesia. 10.* cunque flatu, sicut scriptum est: Si Spiritus habentis potestatem super te irruerit, locum tuum ne deseras. Nulla enim tentatio vobis præualebit *Psal. 130.* si non in magnis & mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicari atque fundati. Sic fuit plantatus secus decursus aquarum sanctus iste confessor *Psal. 1.* Domini, quoniam fructum suum dedit in tempore suo. Sunt enim qui fructum non faciunt: sunt qui faciunt, sed non suum: sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo. Sunt, inquam, arbores infructuosæ, vt quercus & vlmus, & syluestres aliæ arbores: sed huiusmodi nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum: & si quẽ faciunt, non humano esui aptus est, sed porcino. Tales sunt filij huius seculi: agẽtes in comessationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus & impudicitiis. Hæc nanq; porcorum cibus sunt, quos Iudęus vetus prohibetur comedere, quia Christianus his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cùm comeditur, nostræ adhæret carni, vt iam sit vna caro: sic transgressor pręcepti dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis vnus cũ eis efficitur dæmõ. Nam & idcirco in sacrificiis prohibetur animal illud offerri, quòd spurcos spiritus immundósque designet: qui relicta omni munditia, solis sibi spurcitiis complacentes, vitiorum & criminum sem- *Marc. 5.* per cœno delectantur inuolui. Vnde & in Euangelio, legio illa maledicta dum eiiceretur ab homine, tanquam simile sibi animal porcos postulat, nec negãtur. His fructum ferũt arbores infructuosæ, ad quarum radices securis posita iam vi- *Matth. 3.* detur. Arbores autem quæ fructum faciunt, sed *Luc. 23* non suum, hypocritę sont, cum Simone Cyrenęo crucem portantes non suam: qui religiosa intentione carentes, angariantur: & quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Nam in eo quod dicitur, in tempore suo, arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nónne enim & arboribus nostris citiùs quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino floribus intempestiuis? Sic sunt aliqui quorum fructus quia nimis properè, minus prosperè oriuntur. Hi sunt qui in initio conuersionis suæ alus fructificare continuò velle præsumunt, contraque legis decreta arare in primogenito bouis, & ouis primogenita tondere festinantes. Vultis nosse quàm sollicitè id vitauerit sanctus iste magister noster? Et hũc ramum vobis appono: quoniam tribus annis soli Deo notus, hominibus mansit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipsi cernitis, sed in tempore suo. Neque enim credebat tempus esse fructificandi, quando tanta carnis tentatione grauatus est, vt penè cederet, penè discederet. Ego enim nec istum quidem ramum pręteribo, quoniam etsi hirsutus quodammodo spinarum aculeis, quibus seipsum Domini benedictus iniecit, tamẽ vtilis est omnino: vtilis iumẽto domini propter foueas tentationum, ne in eas incidat consentiendo, sed magis resistat & viriliter agat, sustineatque dominũ ne desperet. Hic ergo fige pedem Christi iumentum, & disce quantumcunq; acerba tentatio sæuiat, non cedere, nec credere propterea derelictum te esse à Domino, sed memineris scriptum esse: Innoca- *Psal. 50.* me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ergo vt dicere cœperam, non credebat Benedictus tunc esse fructificandi tempus, quãdo adhuc tantis tentationibus vrgebatur: sed venit tempus, & in tempore suo fructum dedit. De fructu eius sunt illa tria quæ superius tetigi: sanctitas eius, iustitia eius, pietas eius. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita iustitiam. Vides ô iumentum Christi ramos foliis virentes, vernantes floribus, onustos fructu? Super istos innitere, vt gressus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono eius miracula? Nunquid vt miracula facere velis? Nequaquam, sed vt miraculis eius innitaris: videlicet vt confidas & gaudeas quòd sub tali positus es pastore: quòd tantum meruisti habere patronum. Omnino enim valde potens est in cœlis, qui tam magnus & potens extitit in terris, secundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & iuxta radicum quãtitatẽ rami prodire noscuntur: & quot radicibus arbor innititur, tot ramis, sicut aiunt, decoratur. Sic ergo licet nõ habeamus nostra, consolatio magna nobis esse debẽt patroni nostri miracula. Doctrina verò instruit nos, & dirigit gressus nostros in viam pacis. Porrò vitæ iustitia omnino roborat, & animat nos: vt tanto magis accendamur ad agenda quę docuit, quantò certi sumus eum non alia docuisse quàm fecerit. Sermo quidem viuus & efficax, exemplum operis est: plurimum faciens suadibile quod dicitur, dùm mõstrat factibile quod suadetur. In hunc ergo modum & sanctitas confortat, pietas informat, iustitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quòd non solùm præsentibus profuit, sed & pro futuris sollicitus fuit? Non solùm his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor, sed vtique hodie fructus eius & crescit & manet. *Eccle. 45.* Dilectus planè Deo & hominibus: cuius non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo iam cogniti: sed & memoria eius etiam nunc in benedictione est. Nam & vsque hodie in triplicem amoris dominici confessionem, triplici hoc fructu pascit domini gregem. Pascit vita, pascit doctrina, pascit *Ioan. 15.* intercessione. Per quem incessanter adiuti, fructificate & vos charissimi: quoniã in hoc positi estis, vt eatis & fructum afferatis. Vnde eatis? Vtique à vobisipsis: sicut scriptum est, A voluptatibus tuis

Matth.13. anertere. Nam & de Domino legimus. Quia exiit
seminare semen suum. Ecce & hic habemus se-
mẽ suum, sicut & prius fructum suum. Imitemur
& hunc fratres, quoniam ad hoc venit, vt formam
nobis traderet, & viam demonstraret. Fortassis &
ipse Dominus arbor est, & debemus ab eo quo-
que ramos accipere quos nostris pedibus appo-
namus: imò non fortasse, sed magis verè arbor est
ipse & planta cœlestis, sed in terris plantata, sicut
Psal.84. scriptũ est: Veritas de terra orta est, & iustitia de
cœlo prospexit. Ab eo igitur hũc ramũ vobis ap-
pono, vt sicut seipsum exinaniuit, hoc ipsum sen-
tiatis in vobis: nisi quòd nõ tam ego appono quã
Philip.2. Apostolus, apud quem legistis: Hoc sentite in vo-
bis, quod & in Christo Iesu: qui quum in forma
Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqua-
lem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam ser-
ui accipiens: in similitudinem hominum factus,
& habitu inuentus vt homo. Et vos fratres cha-
rissimi exinanite vos, humiliate vos, seminate vos
Ioan.12. perdite vos. Seminate corpus animale, & resurget
corpus spirituale. Perdite animas vestras, & in vi-
tam æternam seruabitis eas. Vultis nosse quo-
2.Cor.5. modo id fecerit Apostolus ipse qui docuit; Siue,
inquit, mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus,
vobis. Quid ergo tibi? Ego, inquit, factus sum tã-
quam vas perditum. Benè seipsum perdit, qui ni-
hil vnquam pro se facit, sed omnis eius intentio
Gal.6. & omne desiderium tendit ad Dei placitum, &
vtilitatem fratrum suorum. Infelix enim qui se-
minat in carne, quia de carne metet corruptionẽ.
Esa.32. Alibi vero scriptum est, Beati qui seminant super
omnes aquas. Sed quomodo super omnes aquas?
Psal.148. Fortè & super aquas de quibus legitur: Et aquæ
quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini:
quæ sunt virtutes angelicę, & cęlestes populi. Ita
planè: quoniã spectaculũ facti sumus & angelis &
hominibus. Seminemus igitur hominibus exem-
plum bonum per aperta opera: seminemus An-
gelis gaudium magnũ per occulta suspiria, & cæ-
Luc.15. tera huiusmodi quæ solis eis sunt nota. Gaudium
enim est angelis Dei super vno peccatore pœni-
2.Cor.8. tentiam agente. Hinc dicebat Apostolus: Proui-
dentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam
coram hominibus. Coram Deo dixit, coram eis
qui vultui Dei assistunt. Ipsis enim maximè pla-
cet, quum vos vident occultè orantes, aut rumi-
nantes psalmum aliquem, aut tale aliquid facien-
tes. Sic seminate & vos, sic fructificate charissi-
mi. Seminate & vos, quia tam multi ante vos se-
minauerunt, fructificate: quia vobis seminaue-
runt. O genus Adam, quàm multi seminauerunt
in te, & quàm preciosum semen: quàm malè per-
ibis, & quàm merito, si perierit in te tãtum semẽ
simul & seminantiũ labor. Cui perditioni trade-
ris ab agricola, si in te perierint hæc vniuersa. Se-
minauit in terra nostra tota trinitas, seminaue-
Matth.13. runt Angeli pariter & Apostoli, seminauerunt
Luc.18. martyres, & confessores, & virgines. Seminauit &
filius: ipse enim est qui exiit seminare semẽ suum.
Pater enim non exiit, sed Filius à patre processit
& venit in mundum; vt qui priùs erat cogitatio
pacis in corde patris, fieret & ipse pax nostra in
vtero matris. Seminauit & Spiritus Sanctus, quia
& ipse venit, & apparuerunt discipulis dispartitæ
linguæ tanquã ignis. Ita tota Trinitas seminauit:
Pater scilicet panẽ de cęlo, filius veritatem, Spiri-
tus Sanctus charitatem. Angeli quoq; seminaue-
runt, quando cadentibus aliis ipsi steterũt. Dixit
enim Lucifer ille, (sed non iã lucifer, sed tenebri- Esai.14.
fer & vesperus) Sedebo in monte testamẽti, simi- Ezech.10.
lis ero altissimo. O impudẽs, ô impudẽs. Milia mi-
liũ ministrãt ei, & decies cẽtena milia assistũt, & tu Heb.1.
sedebis? Cherubim, ait Propheta, stabãt, & nõ se-
debãt. Quid laborasti, vt iã sedeas? Omnes admi-
nistratorij sunt spiritus, missi in ministeriũ pro-
pter eos qui hęreditatẽ capiunt salutis, & tu sede-
bis? Quid seminasti vt iam metas? Non est tuum,
non est tuum hoc, sed quibus paratum est à Pa-
tre. Quid eis inuides? Profectò ipsi sedebunt, ipsi
inquam vermiculi terræ iudicantes sedebunt, &
tu non stabis, sed iudicandus astabis. Nescitis, ait
Apostolus, quia & Angelos iudicabimus? Ipsi vti-
que ibant, & flebant, mittentes semina sua, ve-
nientes autem venient cum exultatione portãtes
manipulos suos. Duo manipuli sunt quos quęris,
honoris scilicet & quietis. Sessionem affectas &
altitudinem, sed non sic, non sic: nõ colliges, quia
non seminasti qui seminauerit laborem & vtili- Psal.118.
tatem, metet honorem pariter & quietem. Pro
confusione enim sua duplici & labore, in terra sua
duplicia possidebunt. Vnde & dicebat quidam:
vide humilitatem meam & laborem meum. Ho-
die audistis in Euangelio promittentẽ dominum,
& dicentem discipulis: sedebitis super sedes iudi-
cantes duodecim tribus Israel. Ecce quies sessio-
nis, & honor iudicij: Nam & dominus ad hæc no-
luit peruenire, nisi per humilitatem & laborem.
Vnde & morte turpissima cõdemnatus est, inter-
rogatus tormentis, & opprobriis saturatus: vti-
que vt inimicus induatur confusione, ipse pariter
& omnes qui imitantur eum, & prætergrediun-
tur viam. Ipse est ô inique, ipse est qui sessurus est
in sede maiestatis suæ, similis altissimo, & coaltis-
simus ei. Hoc vtique cogitauerunt Angeli sancti,
qui cadente maligno, apostasiæ illius nõ consen-
serunt: nobis relinquentes exemplum, vt quem-
admodum ipsi elegerunt ministrare, sic & nos fa-
ciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt, hono-
rem captant, illum se nouerint imitari, qui sessio-
nem altitudinémque quæsiuit: etsi non satis ter-
ret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia
enim in contrarium deuenerunt, vt formatus sit
ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus est
illi. Ad hæc vitanda, prudentiam nobis seminaue-
runt Angeli, qui priùs eam, aliis cadẽtibus tenue-
runt. Sed & Apostoli hanc ipsam seminauerunt
nobis, quãdo recedentibus his qui sapiẽtiam hu-
ius mundi sequebantur (quæ stultitia est apud
Deum) & prudentiam carnis, quæ mortem opera-
tur, & inimica est Deo; ipsi domino adhæserunt.
Scandalizati enim illi audientes, de sacramento
carnis & sanguinis, vltra non ibant cum eo: disci-
puli vero interrogati, an & ipsi vellent abire re- Ioan.6.
sponderunt: Ad quem ibimus verba vitæ æter-
næ habes. Necesse habemus fratres, hanc pru-
dentiam imitari: quia multi adhuc ambulant cum
Iesu, donec veniatur ad edendam eius carnem,
& bibendum sanguinem illius, ad communican-
dum, scilicet passionibus eius. Hoc enim & ver-
bum illud, & ipsum sacramentum significat: ex
tunc autem & scandalizantur, & abeunt retrò, di-
centes: Durus est hic sermo. Nos cum Apostolis Deut.4.
prudentes simus, & dicamus; domine ad quem Matth.4.
ibimus? verba vitæ æternę habes. Non discedimus
à te viuificabis nos. Non in solo pane viuit homo,
sed

sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Non solus mundus habet delectationem; sed multo maior est in verbis tuis. Vnde Propheta ait: quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Ad quem igitur ibimus. Verba vitæ æternæ habes domine, & ea quæ sunt super omnia quæ mundus habere potest. Non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternę, & expectatio iustorum, lætitia est, & tanta lætitia, vt omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis Apostoli sancti seminauerūt, Martyres vero fortitudinem manifestum est seminasse. Porrò verò confessores seminauerunt iustitiam, quā in omni vita sua seenti sunt. Hoc enim interest inter martyres & confessores, quòd inter Petrum omnia relinquentem, & Abraham substantiam mundi, in bonos vsus expendentem. Sic enim illi consummati, in breui expleuerunt tempora multa: isti verò longa & multimoda traxere martyria. Virgines sanctæ planum est quia temperantiam seminauerunt, quæ sic libidinem calcauerunt.

GVERRICI ABBATIS

Igniacensis in solennitate B. Benedicti, Sermo 1.

Eccl.14. BEatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Quàm congruè verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facilè quiuis vestrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipsius non ignota sit. Quàm commodè vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit, quæ scilicet illa quibus nihil est vtiliùs in vita, sapientiam, iustitiam, timorem Dei, cum præmio eiū beatitudinis commendat. Beatus, inquit vir, qui in sapientia morabitur. Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, vt perseueranter eam teneas: non enim statim qui inuenerit, sed qui tenuerit eam beatus. Dicit quidem scriptura. Beatus qui Prouer.6. inuenit sapientiam: sed non ibi quieuit, immò addidit, & qui affluit prudentia, ne videlicet solùm inuenisse, statim putaretur ab beatitudinem sufficere, nisi eum inueneris cum ea & in ea demoresis, & contubernio atque conuictu ipsius delecteris, nec discedas à magisterio eius donec meditando iustitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possis. Nam & Salomon sapientiam inuenit, sed quia prudentia minus affluxit, nec satis prudēter sibi circumspexit, dum videlicet non cautè sibi prouidit à mulieribus alienis, non modo sapientiam perdidit, sed vsque ad vltimam idololatriæ insipientiam prouit. Sapientes quoque huius mundi, qui inuisibilia Dei Rom.1. à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam inuenisse visi sunt. Sed quia nec ipsi prudentia affluxerunt, & cū cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, stulti & ipsi facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum vsque ad reprobum sensum, & ignominiam turpitudinum. Alios itaque sicut istorum exemplo liquet, repellit à sapientia quam inuenerant superbia cordis: alios sicut in Salomone pater, abstrahit illecebra carnis. Alij autem leuitate & inconstantia mentis leui perturbatione offensi

eam relinquunt, qui scilicet ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quare autem Luc.8. recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur. Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ vnquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic instus plantatus in domo domini, nec radicari, nec fundari in charitate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat afferre poterit: & si florere visus fuerit alicuius spei initio, dicetur de illo: Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit. Et secundum alium prophetam, si fe- Osee.7. cerit fructum: alieni comedent eum. Vis autem scire quam sit necessaria stabilitas loci, vt in sapientia moreris: vt radicati & fructificari possis mora temporis? Interroga patrem tuum beatum Benedictum, & annunciabit tibi, quia claustrum monasterij, & stabilitas in congregatione locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit cathalogum. Quid enim de instabili Salomon ait: Sicut Prouer.27. auis transmigrās de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum! Inuenerat turtur nidum vbi poneret Psal.83. pullos suos, cœperat eum calefacere & ab eo calefieri, venerant vsque ad partum pulli, & ecce auolat, opúsque cœptum imperfectum relinquit. Quare, vnde, vel quò auolet ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit? Ego enim oō putarem esse consilij pro spe incerta certa subire dispendia, & si profectus quorundam me iubeat interim à præcipitatione cohibere sententiam. Enimuero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, & eorum de quibus loqui cœperam, qui leui & friuola permoti causa à sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, vt discat sapientiam; sic qui facilè perdunt sustinentiam, non demorabuntur, vt scriptum est, projicere illā. Quid autem eos offendat, præmisit scriptura cum ait: Quasi lapidis virtus probatio erit in illis. Offen- Eccles.6. derunt in lapidem offensionis, & Petram scandali, cuius probata virtus corripiebat, & erudiebat insipientes probabâtque mentes, cùm ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duráque omnia disciplinam, vultum, sermonem causarentur. Durus est inquiunt hic sermo. Esto. Ioan.6. Sermo durus est, nunquid nō verus est? Lapis durus est, nunquid non preciosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui. Si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quàm vanitas mendacij, vel oleum adulationis placeret. Durus est aiebant hic sermo, Eccl.6. quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ, ideóque non sunt demorati eam proutere, & retrò abire. Nec ob aliud preciosum & electum à Deo lapidem reprobauerūt, nisi quia durum pu- Psal.117. tauerunt. Et erat quidem Petra Christus, sed vir- 1.Cor.10. ture non duritia. Erat Petra, sed quę conuerti pos- Psal.113. set, immo & cōuersa est in stagna, vel fontes aquarum, vbi mollia & humilia quibus influeret inuenit corda fidelium. Nam & isti qui iam cito offensi quadā specie duritiæ retrò abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitā & ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ viuæ de Petra percussa in cruce fluentis lar-

gissimè · ita vt hodie bibat populus & iumenta, *Deut. 32.* immo suxisses etiam mel de petra, oleúmque de *Matth. 16.* saxo durissimo. Prorsus tu beatus es Symō Bariona, tibi iam reuelabat pater pietatem mysterij latentem, vt videbatur sub duritia sermonis, qui interrogatis duodecim an & ipsi vellent abire, constanter respondisti. Domine verba vitæ æternæ *Ioan. 6.* habes, ad quem ibimus? Plane beatus qui cum sapientia morari, & cum domesticis eius ad mēsam ipsius pane interim sacramenti nutriri delegisti, donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ & intellectus te cibaret, & aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati & vos fratres mei qui in disciplinam sapientiæ, & Christianæ scolam philosophiæ nomina dedisti, sed si perseueranter in sapientia moremini, vt cùm durior sermo ipsius visus fuerit, duriora, scilicet præcipientis, aut durius corripientis: non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed *Ioan. 6.* cōstanter dicatis cum Apostolo: Verba vitæ æter- *Psal. 93.* næ habes, ad quem ibimus? Fingis quidem labo- *Psal. 30.* rem in præcepto, duritiam in sermone, sed scimus, quia magna est multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te, perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiam si occideris me. Immo tunc amplius sperabo, cùm flagellaueris, secueris, vsseris, occideris quicquid viuebat in me: vt non ego, sed Christus viuat in me: Omnino non discedimus à te, quia viuificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Verè beatus qui cum sapientia moratur, hac constantia, & fide longanimiter patiens, & fideliter obediens vsque ad mortem, nec deserens locum suum, quotienscunque spiritus potestatem habentis ascenderit super eum, sciens quia curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata. Sanè ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illud præcipuè pertinere arbitror, vt inquietudo, vel quælibet leuis molestia non facile quodcunque opus sapientiæ nobis excutiat, verbi gratia solennem psalmodiam, orationem, lectionem diuinam, pensum operis diurni, aut silentij disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur: gau- *Psal. 70.* debunt ait sanctus labia mea cum cantauero tibi, dùm etiam ad literam exitus matutini, & vespere delectaberis. De oratione quoque certum & ipsi quotidiè capitis experimentum quod melior est finis orationis quàm principium, vt fidele probetis dominicum illud totiés inculcatum, tot exemplis commendatum, de orationis perseuerantia, cōsilium. Nam legere & negligere, vel antequam cœperis librum, de manibus proijcere, quem fructum putas tibi poterit parere? Si scripturæ immoratus non fueris, vt assiduitate studij ei fias familiaris, quando putas se tibi reuelabit. Qui ha- *Matth. 13.* bet, inquit, amorem verbi, dabitur ei intellectus & abundabit, qui vero non habet, & quod habet per naturam, auferetur ab eo propter negligentiam. De opere autem manuum nonne & de isto satis comperistis, quia sicut denarius operariis, sic consolatio sæpius seruatur in fine operis. De si- *Esa. 3.* lentio quippe nota est promissio prophetica, quia in silentio, & spe erit, inquit, fortitudo nostra. Si enim colas iustitiam in silentio, & sicut Hieremias bonum esse ait, præstoleris cum silentio salutare domini, in medio silentio secretus tibi illabetur à regalibus sedibus omnipotens sermo, & aquæ Syloe quæ vadunt cum silentio conuallem quieti, ac placidi pectoris grato rigabunt profluuio: hoc non semel, sed sæpiùs experieris si modo silentium tuum cultus iustitiæ sit, id est si in iustitia mediteris, vt perseueres in scriptura quā proposui, & in sensu cogites circunspectionem Dei. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus fiat. Si enim iniquitatem mediteris in cu- *Psal. 35.* bili tuo, malitias, scilicet, quas malignus immittit, aut fantasias quas cor tuum parturit, aut inanes philosophias, seu fallaces theorias quæ sunt velut ægri somnia, nónne magis iniustitiæ quàm iustitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in iustitia meditari. Concupiuisti, inquit, sapientiam, conserua iustitiam, *Eccles. 1.* & dominus præbebit illam tibi. Si autem quasi violente irruunt cogitationes noxiæ, pone tibi virilem, & fidelem custodiam, quæ omni custodia seruet cor tuum. Dico autem timorem Dei qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpiùs interrogans etiam angelum lucis: Noster es, an aduersariorum? Vndique enim *Iosue 5.* sibi circonspicit, tanquam omni hora cogitans circunspectionem Dei, quem sine intermissione intueri, ac iudicare corda filiorum hominum attendit. Pulchrè autem dictum est in sensu cogitabit, quia prorsus sine sensu est, & à corde excessit qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ maiestatis, ac iudicij sibi incumbentis non sentit. Signanter quoque circunspicere Deus dicitur, qui omnia tam præterita quàm futura habet præsentia, vt nec ista respiciat, nec illa prospiciat, sed similiter, & simpliciter cuncta circunspiciat: sitque illa æternitas, velut punctus omnium media temporalium, cuius immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus, & tota temporum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem, & iudicantem omnia, semper cogitat, suáque se cogitatione sollicitat timor domini, qui reuocat à malis, non solùm operibus, sed & cogitationibus, erudiens nos, vt iustitiam potiùs meditemur, continens, vt cùm sapientia moremur. Ita enim sensim fit, vt qui primò coërcetur timore iudicij, & pœnæ, postea pascatur amore, ac meditatione iustitiæ, demúmque requiescat, ac delectetur in conuictu, & amplexu sapientiæ. Hæc non modo foras mittit timorem diffundendo charitatem, sed etiam pellit ab animo tædium & angorem, infundendo suauitatem, sicut quidam contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: Intrans in domum meam, conquie- *Sap. 8.* scam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. Horum participes nos faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Iesus, qui viuit, & regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM
Sermo 2.

BEnedictus vir qui cōfidit in domino. Sanctus *Hiere. 17.* pater noster gratia Benedictus & nomine, *Eccles. 45.* cuius memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus præuenit in bene- *Psal. 20.* dictionibus dulcedinis, vt in Domino confideret, iam benedicit omni benedictione spirituali in cæle

in cælestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solùm in cælestibus benedictionem omnium angelorum, sed etiā in terrestribus benedictionem omnium gentiū dedit illi Dominus. Vox enim gentium non benedicitur hodie
Prou.10. benedictus dominum Benedictus. Planè benedictio domini super caput iusti, quem tot benedictionibus cæli & terræ gratia Dei cumulauit. Non tamen sicut Esau in pinguedine terræ, & in rore cæli benedictio eius, sed in pinguedine spiritus & in auctore cæli qui per prophetam loquitur: Ero quasi ros: & cui dicitur, ros lucis ros tuus:
Ose.6. in Christu vtique benedictio patris, cui pater imprecatus est: qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Meritò proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo seipsum figit. Vbi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Planè ad humorem radices misit, qui vt verbis vtar Benedicti magistri spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitę totius benedictionis & gratiæ bibit. Per hanc nempe piam, & fidelem fiduciam remittuntur peccata, sanitatum corporalium, sed magis specialium obtinentur remedia, propulsantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, omnia denique possibilia credenti
Matth.9. redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat: Confide ait fili, remittuntur tibi peccata tua. Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum, secundum fidem tuam fiat tibi, & fides tua te saluum fecit. Illis qui periculo terrebantur naufragandi, habete, inquit, fidem Dei, & quid timidi
Matth.8. estis modicæ fidei? Illis quos armabat aduersus sæuitiam mundi furorésque diaboli, confidite ait,
Ioan.16. ego vici mundum. Et vtique hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra, si modo non sit trepida, non tepida, sed sit fiducia, id est, fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autē mundus per eam vincitur, sed & cælum possidetur, super æternitatem homo stabilitur, & in Deo ipso
Psal.124. per charitatem radicatur, & fundatur. Qui enim confidunt in domino, sunt sicut mons Syon: non commouebitur in æternum, qui fundatus est super æternum. Tam enim perire non potest, quàm nec ille cui adhærens vnus cum ipso spiritus est. Quis enim sperauit in Domino & confusus est: permansit in mandatis illius, & derelictus est? Si dixerit infidelis, ille derelictus erat qui in cruce
Matth.27. clamabat; Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti? puto quia non vsquequaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio sic desolari, quanta dilectio sic derelinqui, vt vnico patris vnicè dilecto, merearis
4.Reg.6. vel in passionibus consociari. Aperi Domine oculos huius pueri, rudem loquor, & nouitium, qui
Psal.36. cùm tribulatur putat se derelictum. Nouum hoc omnino & insolitum si iustum quempiā viderem derelictum, cùm ecclesia dicat; iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum. Aperi inquam ò Domine oculos pueri tui, vt videat, quia
Psal.45. plures nobiscum sunt quàm cum aduersariis. Siquidem Dominus virtutum nobiscum, & cum eo omnis virtus, & militia cæli, immo fauet om-
Rom.9. nis creaturæ seruientis nutui, & arbitrio creato-
Luc.2. ris sui. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus. Poterit inuidus ille sæuire, sed hoc erit

seruire. Poterit vrere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te domine forti- Psal.17.
tudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, & illuditur ab angelis tuis in ministerium nostrum missis antiqui draconis astutia vt volens nocere proficiat. Diligam te Domine propugnator potēs, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum proiicio omnem sollicitudinem meam, cuius nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec beneuolentia potest fatigari, quominus expleat omnem indigentiam meam. Quam tutiùs, quàm securiùs est ipsum esse sollicitum, quam meipsum pro me: quàm bonum est confidere in Domino, quàm in homine: quam iure maledi- Hie.17.
ctus, qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, & recedit à Domino cor eius. Et quidem egenus & pauper ego sum: sed si dominus sollicitus est mei, diues sum, beatus sum, cui nimirum omnia cooperantur in bonum. Sperent igitur in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquis sperantes in te domine: sedeatque populus tuus sicut scriptum est, in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulen- Psal.90.
ta, in securitate sempiterna. Omnino pulchra pax & securitas sempiterna, habitare in adiutorio altissimi, in protectione dei cęli commorari. Prorsus requies opulenta sedere ser aium, sub vite vera, ficu & oliua, & post saturitatem variorum fructuum, seipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: Sub vmbra illius quam desiderabam, sedi: & Cant.2.
fructus illius dulcis gutturi meo. Planè dulcis fructus: de cuius gustu tam dulcis erumpit ructus. Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Israel habitat confidenter, pascit & cubat, & non est qui exterreat: & sicut sapientia promittit, requiescens absque terrore abundantia perfruitur, malorum timore sublato. Et benè timore malorum sublato, non timore Domini, ne fiducia ista & securitate quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quam in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe dùm eam offensam, custodit gratiam, locúmque seruat fiduciæ, quandiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit vt non nisi castè timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciam istam præsumit, suadēt que corda nostra in conspectu iudicis æterni. Quis enim benè sibi de illo promittat, à quo se minime diligi intelligat? Qui autem diligit nunquam diffidit, sciens quia is quem corda non fallunt diligentes se diligit, etiam eum arguit & corripit. Siquidem erudiens corde in sapientia, non aufert sed auget fiduciam, patris disciplina, scientibus scriptum: Beatus qui corripitur à domino: & ego quos amo arguo & castigo. Cū igitur exarserit in breui ira eius: beati Psal.2.
omnes qui confidunt in eo, quos, scilicet, amoris proprij conscientia consolatur quia cùm iratus fuerit misericordiæ recordabitur & cum dixerint: Confitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi: Esa.12.
statim subsequenter conuersus est furor tuus, & consolatus es me, eò quod non nisi in breui exarserit ira eius quam tam citò placauerit confessio reatus. Meritò igitur benedictum virum qui confidit in domino, ligno comparat Hieremias quod Hie.17.
transplantatur super aquas, quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cū

venerit æstus iræ & tribulationis, sed & in tempore siccitatis cum multo tempore cælum clausum fuerit, nec ros nec pluuia gratiæ super eum descēderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum proiecerit. Sentit quippe se plantatum fide, radicatum charitate super aquas vitæ, quę secundum *Ezech. 47.* Ezechielem, de sanctuario egredientes viuificant omnia, & habent in vtraque ripa omne lignum pomiferum, cuius folium non defluit, nec fructus deficit. Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viua, id est, spiritus, scilicet gratia, vitalem in occulto succum spei & charitatis subministrare non desinit: vnde & folium fit viride id est verbum plenum gratiæ & veritatis, & ipsum non desinat aliquando facere fructum quodcun- *Psal. 67.* que opus pietatis? Et grata quidē illa verna temperies, pacis & lætitiæ: desiderabilis illa pluuia voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suę, sed si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcunque prophetauit Hieremias, de sermonibus siccitatis spiritalis, nō tamen timebit, quem fiducia domini radicauit super aquam refectionis, id est, gratiam spiritus sancti, quæ & si manifestè non pluat, vt sensibiliter influat, occultè tamen interius viuificat & fœcundat: quamdiu videlicet fidem propositi confestuat ad perseuerandum confortat, verbúmque irreprehensibile, & opus stabile subministrat. In huiusmodi vestra fratres sit consolatio quotiens alias consolationes non modo carnales sed & spiritales subtraxerit vobis, non negligentia *Iudic. 1.* vestra, sed diuina dispensatio. Et fortasse quid illa quam diximus occulta gratia spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta, nisi adiiciatur ei & irriguum superius: vt scilicet de excelso effundatur spiritus, rorent cæli desuper, & nubes pluant angelicè iustum iustificans Dei verbum, loquens ad cor Hierusalem. Et benè illud irriguum inferius quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem, hoc autem superius quod sese desuper effundens, spe & exultatione attollit mentem. Si ergo & vos fratres ad illud suspiratis superius irriguum laudabile quidem desiderium, si tamen nōdum attingitis, mittere radices interim ad humorem salubre remedium. Qui igitur non preualet capere lætitiā contemplatiuæ, meditetur iustitiam vitæ actiuę: inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemq́; vitæ statum informet, quatenus in ipso nec marcescat, aut defluat folium, id est, verbum leuiter, aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum. Benedictum lignum cuius folium ad medicinam, fructus ad vitam, id est, cuius sermo gratiam parat audienti, & opus vitam facienti. Ad hoc profectò vos fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo secularis plantauerat in terra inaquosa, in terra salsuginis, diuina generatio vel mutatio dexteræ excelsi transplantauit super aquas refectionis, vt quibus prius propter sterilitatem parabatur securis & ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, floreatis & fructum faciatis, & fructus vester maneat. An non aquæ refectionis scripturæ spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? An non aquæ refectionis lachrymæ compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? An non aquæ refectionis sacramenta & subsidia nostræ salutis, quibus pascimur & potamur in altari. In his siquidem omnibus quasi quibusdam riuulis fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi, deriuatur foris, & in plateis aquas suas diuidit. Ego, inquit *Eccles. 24.* sapientia, quasi aquæductus exiui de paradiso. Dixi, rigabo ortum meum plātationum, inebriabo partus mei fructum. Ecce vt colligere potestis ex ipsius ore sapientiæ parientis & plantantis, hortus plantationum est cōgregatio filiorum. *Esa. 66.* Nunquid enim ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Ipse parit cùm ingenerat voluntatem bonam, plantat cùm instituit vitam, rigat cùm sensibus infundit gratiam, colit cùm moribus adhibet disciplinam, audite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Mittite radices ad humorem vitæ, id est ad amorem terræ viuentium, non huius in qua omnia senescunt & putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cælestibus radicem figat, vt quæ sursum sunt, nō quæ super terram quærat & sapiat. Quod *Homo arbor inuersa.* enim Physici dicunt hominem esse arborem inuersam, eò quòd nerui corporis radicem & initium in vertice habeant, ego illo potiùs sensu interpretor quod radicem amoris & desiderij figere debeat in cælo, in summo vertice rerum capite nostro Iesu Christo. Qui illuc radices miserit, & de illo fonte æterno, succum vitæ & gratiæ iugiter biberit, non timebit cum venerit ęstus iudicij, sed afferens & offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet, vt floreat in æternum ante dominum, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM
Sermo 3.

Dilectus à Deo & hominibus. Paucis expres- *Eccles. 45.* sit bonum ac beatum virum, qualem nimirum cōstat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis inquam comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis, simúlque beatitudinem vitæ perennis, & consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternā fœlicitatem illi qui à Deo diligitur, quid ad præsentem consolationem illi qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui à Deo diligitur, & si aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi vt nihil ei desit, & suo, vt putatur defectu perfectior fit. Nam virtus in infirmitate perficitur. Paule, ait *2. Cor. 12.* dominus, sufficit tibi gratia mea. Cui gratia Dei sufficit, sine damno graui, immò cum lucro non mediocri, aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus & infirmitas virtutem perficit, & imminutio cuiusdam gratiæ summam omnium gratiam Dei ampliorem ei & stabiliorem efficit. Longè fac domine à seruis gratiam illam quæcunque sit quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: vnde videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis. Non est illa gratia sed ira, illis planè quibus iratus es dari digna, quibus propter dolos posuisti talia, deijciens eos dùm alleuantur, & elidens validè, dùm super ventum ponuntur. Vt igitur illa sola gratia sine qua nullus à te diligitur salua nobis maneat, omnem aliam gratiā tua nobis gratia subtrahat, aut certè

certè gratiam vtendi simul conferat, quatenus habentes gratiam per quam seruiamus placentes cum metu & reuerentia, de gratia muneris, gratiam promereamur remuneratoris, & quàtò quis fuerit gratiosior, tantò tibi fiat gratior. Sanè mirabili arte, sed mirabiliori charitate prudens clementia, cleméńsque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ, vt cùm cunctos diligat non tamen facile de dilectione sua certos, aut securos esse sinat: nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus abscondat, nisi vt dùm semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sap. 9. Sunt enim iusti & sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum & operum, vt ex quibusdam quæ concedit consolationem quod digni sint amore tribuat: ex quibusdam quæ subtrahit, suspicionem ac metum quod odio digni sint initiat. Consolatur cùm diluculo visitat, terret cum 1.Reg. 2. subitò probat. Nunc mortificat, nunc viuificat: nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit, & ditat, nunc humiliat & subleuat. Et in tanta vicissitudinum varietate: tantò certiùs salutem nostram operatur: quantò nos incertiores de ea cum maiore metu, ac tremore ei cooperamur. Rom. 8. Ait quidem Paulus, certus sum quia nihil me separabit à charitate Dei. Sed verè Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurū seruari expedit incerta. Paulus inquam hic erat qui hoc dicebat: cui nimirum & illud dicere competebat, viuo iam non ego, viuit vero in me Christus, qui, scilicet ita totus in quendam diuinum conuersus erat affectū, vt adhærens domino vnus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum qui ita modo certus erat, aliâs trepidum 1.Cor. 9. ac sollicitum & castigantem corpus suum, ne for- 2.Cor. 11. tè cùm aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur: vide etiam colaphizari à Satana, ne fortè extollatur. In ipso itaque Paulo iam tibi est videre quomodo omnis certitudo, quæ ad horam confortatur, & conualescit de spiritus consolatione: item infirmatur & euanescit superueniente tentatione. Ego igitur miser & ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam, cui omnia & interiora & exteriora, manifestum odium denunciant? cuius vita, non tentatio, non malitia, est aduersus peccatum, sed vltronea seruitus peccati: qui tam mēte, quàm carne seruio legi peccati, qui cùm prudentia carnis, & amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo fœdus miserum pepigisse videor: planè fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum cum inferno non stabit, quia nimirum inimicis Dei nihil amicum esse poterit, & non mortem, aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad vltionem inimicorum zelus armauit. Quàm beatus in die illo quicunque erit ille dilectus a Deo, quàm laudabiles quibus tunc laus erit à Deo, quibus dicet euidenti rerum ar- Ioan. 15. gumento. Vos amici mei estis eò quòd feceritis quæ præcepi vobis. Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitiam promereri, quo propitio poterit homini aliquis inimicari, sed nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Psal. 88. Iam vero si post hanc, & per hanc summam omnium causámque bonorum, gratiam etiam illam promerearis, vt dilectus à Deo etiam dilectus sis ab hominibus: quæ consolatio est illa in miseriis huius vitæ, quæ requies, quod gaudium, quæ deliciæ, præsertim si didiceris fauore gratiæ humanæ non euanescere, sed exardescere ad diligendum Deum ampliùs, propter quem diligaris ab hominibus? Alioquin nempe si aliunda oriatur, vel alio referatur quid est fauor humanus, nisi ventus vrens, aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi vt cadat ascensor eius retrò. Vir quippe vanus erigitur in superbiam, & vanitate sensus sui velut equo præcipiti fertur in ruinam. Huius nimirum serpens vulnerat, & subuertit vestigia, dùm veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus nisi fallor contingit homini qui antequam diligere sciat, diligi nimiè affectat, & antequàm vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit: facit diuitias non cum iudicio: in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens, cùm omnes amici eius spreuerint eum, pro quibus spreuit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scri- Psal. 52. ptus est: quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos. Primo itaque omnium illa quæ prima, & finis est omnium quærenda est dilectio Dei, cuius merito digni simus etiam ab hominibus diligi, & cuius studio docti simus dilectiona hominum, qualiter nos oporteat vti. Cùm autem rem in tuto locaueris, ita scilicet firmato affectu mentis, vt non nisi in Deo, & propter Deum diligi velis, tunc omnino volo, vt dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendet conscientiam hominum, vt vltrò te rapiant affectus omnium, testimonio prædiceris omnium: quatenus ipsa religio qui te commendat, iusta vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptiuo, vnigeniti complebitur oratio: Pater clari- Ioan. 17. fica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: dùm videntes claritatem operum tuorum glorificabūt patrem tuum. Neque id dicimus quod inter dilectionem Dei, & dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamuis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio, & illam oportet obseruare, & istam non negligere, quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo verè potest diligi: quamuis ordinata affectio ignorare non possit quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam, & modum præscribere, finémque præfigere. Sed hoc dicimus quod aliud est amare, aliud amari studere. Quod profectò studium sicut periculosè assumitur ab illis, qui plus vanitate quàm charitate blandi sunt: sic periculosè negligitur ab his qui plus superbia quàm sapientia austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter vtrunque vitium, illius scilicet vanæ amicabilitatis, & superbæ seueritatis mediam tenere potuit regalem viam veritatis, id est vt vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per timorem dedignetur. Illa tamen est vis natura veri amoris, vt etiam cùm non affectat tamen efficiat se reamari, quo-

niam veritas etiam sine alieno suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistrè interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum quidam proprium donum habent ex Deo, qui exhilarans facies eorum in oleo perfudit eos quodam placere, ac nitore gratioso, omnia tam facta quàm dicta ipsorum gratificans in oculis omnium, cùm multi qui forsitan non minus, immo & amplius amant, non facilè eandem gratiam inueniant. Ad omnes au-
Rom. 12. tem pertinet, vt prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ. Nam & de ipsa cõscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres, immo nisi te fratrem inter fratres in omni conuersatione tua demonstres? Putas enim satis esse si non scandalizas? Immo scandalizas si non ædificas, si non testimonium habes bonum intus & foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum vbique glorificas. Sane malis quibus non placet nisi malum, quibus iustus grauis est etiam ad videndum: sed illis placere te non sinit, non tua negligentia, cùm omnes etiam inimicos diligas: sed ipsorum nequitia qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua: consolatur te qui ait, beati eritis cum vos oderint homines;
Matth. 5. & ille qui ait, quia si hominibus placerem Christi ser-
Galat. 1. uus non essem. Verum illud miserabile omnique lachrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpiùs experiuntur, non modo prælati, sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione: quod scilicet & boni, licet non ex ea parte qua sunt boni bonos inueniuntur odisse. Oderunt corripientem in porta, & inimici hominis domestici eius, ita vt etiam Paulus ingemiscat, quod filiis & amicis inimicus factus sit, vera dicens. Ergo & ipse expertus est quod Comicus ait, veritas odium parit: immo & illud quod sponsa memorat: Filij matris meæ pugnauerunt contra me, cum ego pugnarem pro eorum salute. O victrix regina triumphatrix magnifica, pugna ne
Rom. 12. cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Sapientia vincit malitiam, quãto magis infirmitatem aut imprudentiam. Neque contradictione carnalium, malitiam interpretari potest charitas spiritualium, sed magis ignorantiam, aut infirmitatem qua præuenti sunt. Quanquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit, quòd mali à Domino sunt appellati. Quare autem hæc ita loquor fratres mei, dilecti Deo & mihi? Nunquid quia malum huiusmodi suspicer in aliquo vestrum, contra quod mihi vel fratribus meis sit pugnandum? Nunquid enim aliquis inueniatur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus, & intractabilis? Loquor hæc non quia ita in vobis, sed ne aliquando fit, ne forte aliquando cuipiam aliqua infirmitas subripiat, vt quam cumque correptionem charitatis nisi cum charitate suscipiat. Sic fiet vt tam is qui corripit quàm ille qui corripitur dilectus sit à Deo & hominibus, & memoria vtriusque in benedictione sit, quod meritis beati Benedicti patris nostri præstare dignetur, ille singulariter benedictus Dei patris Iesus Christus, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 4.

IN fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum. Eccles. 45.
Hæc quidem de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongruè quantum arbitror aptata sunt. Qui cùm omnium plenus fuerit spiritu sancto, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim dominus de spiritu Moysi tulit, & posuit super omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerij sunt asciti, quantò magis super istum qui plenitudinem totius ministerij tanto verius quanto spiritualius impleuit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iste renunciantium seculo. Legislator ille, legislator & iste. Ille tamen minister literæ occidentis, iste spiritus viuificantis. Ille ad duritiam cordis Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem euangelicam simplicémque morum tradit disciplinam. Ille iam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia: iste rectissimam vitæ scribit regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israel quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit: dux noster recta via orientis tramite, tanquam signifer exercitus monachorum, hodie præcessit nos in regnum excelsum. Itaque non erit absurdum, si credatur illius adæquasse meritum, cuius inuenitur etiam superasse ministerium. Nec incon- Eccles. 45.
gruè videbitur ad ipsum esse translatum quod de illo scriptum legitur: in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus, præsertim, cum harum præcipuè virtutum, fidei scilicet, & lenitatis nobis ipse magister sit, qui nequaquam aliter vixit quàm docuit: Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundũ sibi arridentem irridens, tam mundi quam corporis sui florem quasi iam aridũ calcauit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quàm in eo temporaliter prosperari. Quid similius illi fidei Moysi quã
Apostolus commendans ait: fide Moyses grandis Heb. 11.
factus negauit se filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Quid autem sanctius lenitate patris nostri, qui nec malicia falsorum fratrum vitę ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium, potuit exasperari. Moyseo quidem scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra, nunquid tamen exacerbatum spiritum eius negat? Nunquid non iratum & valde iratum aduersus æmulos memorat? Huius autem magistri nostri mansuetudinem non solùm erga maledicos, sed etiam erga maleficos mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quamquam nec in ipso, sicut nec in Moyse præconium sanctæ lenitatis præiudicet, si iustus zelo contra peccantes ferueat, sine quo lenitas torpor ac timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Hely, qui aliàs sanctus erat, damnata est? Fratres habete pacem inter vos mandat ille magister pacificus, & lenis: priùs tamen præmittit, habete salem in vobis, sciens nimirum pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi priùs asperitas zeli mordacem eis insperserit

serit salem: sicut & carnes vermescere facit clementia temporis, nisi desiccauerit eas feruor salis. Habere itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ: sectamini lenitatem, sed quæ ferueat fide. In fide & lenitate vos quoque sancti eritis, nec iam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit, tantum fides non ficta, sed vera sit: fides non mortua, sed viua & viuida sit. Non modo viua vel viuida, sed & constans, & intrepida fides erat Moysi, de quo Paulus scribit: Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. *Heb. 11.* Animosi sūt Reges, sed animosior est fides, quippe quæ potētiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura quasi superior irridet: promptior & fortior ad perferendum, quàm illorum furor ad persequendum. Duo sanè commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti patris nostri Benedicti, scilicet quod idem Moyses qui fidei exemplum factus est, huius mundi contempsit prospera, nec timuit aduersa. Prospera contempsit, maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi, aduersa non timuit, non veritus, scilicet animositatem regis. Ad vtrumque vero causam Apostolus subiunxit, vnde scilicet, id potuerit, vt discamus vnde fides nostra infirmetur in nobis. Maiores diuitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim, inquit, in remunerationem. Non est veritus animositatem regis, inuisibilem enim, inquit, tanquam videns sustinuit. Nimirum inde fit vt nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna, inde fit vt facilè potestas contemnatur humana, si tanquam semper imminens potestas timeatur diuina. Vtrumque vero sola fides agit, cuius tam inuidi, tam perspicaces sunt oculi, vt & in ea quæ futura sunt prospectum viuaciter porrigat, & ea quæ licet præsentia sunt, occulta sunt, tamen intuitum perspicaciter figat fidei, siquidem quam æternus spiritus illuminat: nec mora temporis, nec moles corporis præiudicare potest, quin & tempus præcedat, præsumendo quod futurum est, & corpus excedat intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem, est fidei virtus contemplantis non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur, quia præsentia non sunt; aut ideo quia & si præsentia sunt, spiritualia sunt. Præsentia non sunt bona futura quæ promittuntur: præsens est, sed occultus est, quia spiritus est Deus ipse qui promittit vel minatur. Portò fides quæ est substantia sperandarum rerum, bona futura quæ sperat, quasi præsentia præsumit, & iam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est argumentum non apparentium, Deum & si non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat & conuincit. Illi qui dicebat: qui conresuscitauit & consedere fecit in cælestibus in Christo, fides erat substantia rerum sperandarum: illi qui inuisibilem tanquam videns sustinebat, argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat spe salui facti sumus, nonne quod sperabat & per patiéntiam expectabat, iam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper, nónne persuasum tenebat argumento fidei, eum præsentem esse qui non apparebat? Huic fidei prorsus aptissime congruit quod scriptura dicit: Iustus ex fide viuit. *Abac. 1. Rom. 1.* Hæc enim iustum facit, iustúmque custodit: & vt viuat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid enim sic hominem à peccato reuocat & seruat, sicut fides quæ inuisibilem tanquam videns sustinet & obseruat? Quid ita spe gaudentem facit, sicut fides quæ semper in remunerationem aspicit? Nos enim fratres quare negligentes sumus, nisi quia præsentiam iudicis nostri minus vigilanter intendimus? Aut quare tristitia penè absorbemur, nisi quia remunerationem promissam minus fideliter cogitamus? Hæc siquidem duo mala sunt, negligentia scilicet & tristitia, quibus miserabiliter infidelitas nostra laborat: quia videlicet aut negligimus mandata: aut si necessitate timoris à negligentia coërcemur, nequaquam hilariter operamur, nec sicut fides postulat, spe, remuneratione in labore consolamur. Credere, inquit, oportet accedentes ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est. Si non dissimulemus quia est, habemus custodiam timoris: si non dissimulemus, quia inquirentibus se remunerator est, habemus consolationem spei. Vbi custodia timoris, nullus locus negligentiæ: vbi consolatio spei, nullus locus tristitiæ. Sicut autem de fide qua Deus esse creditur, timor salubris nascitur: ita cùm minimè creditur aut dissimulatur, omnibus malis frena laxantur. Quare enim corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, *Psal. 13.* nisi quia dixit ille generalis insipiens in corde suo, nō est Deus: aut certe se nescire Deum non permittitur: non est timor Dei ante oculos eius, sed dolosè agit in conspectu eius dissimulans quod nouit inuitus, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Meritò prorsus dolosus ad odium, quia ignorantiam Dei non habet sed odium. Quomodo enim non odit Deum cuius declinat aspectum, contemnit imperium, vellet non esse iudicium? Ignorans quidem ignorabitur, odiens autem & odietur. Ille reprobabitur veritate iudicij, iustum vindicabitur seueritate odij. Adeò fratres periculosior est fides ficta, fides dolosa, quæ seipsam dissimulat, quàm fides nulla. Fides nulla per insipientiam dicit in cordè suo, non est Deus, fides ficta per nequitiam dolosè agit in conspectu eius, & se scire Deum, vel sciri à Deo dissimulat: dum sciens & prudens, immò imprudens & impudens sub oculis eius peccat. Nescio tamen quomodo possit dici fides, quę fictos & dolosos potiùs facit quàm fideles. Scio quidem quia confessione fidei plena est terra, sed tamen audio prophetam plangentem, quia perijt fides de terra. *Hier. 7.* Putas enim filius hominis si nunc veniret, inueniret fidem super terram? *Luc. 18.* Nunquid fidem reputaret hanc fidem fictam negligentium & contemnentium, *Fides sola non iustificat.* qua leniùs damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem iudicat credulitatem dæmonum? Dæmones credunt & contremiscunt, homines credunt nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur, homines dùm quem credunt, nec timent, nec verentur: grauius de contemptu iudicantur. Non fallamur ergo fratres generali nomine fidei, quasi quæcunque fides ad iustitiam debeat reputari, sed meminerimus doctor gentium in fide & veritate qualem diffinierit fidem, qua Deo est placēdum: fides in-

quiens

quicns, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, vt suadente conscientia meritorum de fide spes nascatur, fidesque supponatur, velut subiectum & fundamentum cui superædificentur bona ęterna, quę speranda sunt. Sine ista fide, impossibile est placere Deo. & cum ista impossibile est displicere Deo. Oculi tui Domine respiciunt fidẽ, dixit ille qui iugiter in conspectu tuo stabat per fidem. Omnino iustè & mensurò prorsus debita vicissitudo vt oculi tui Domine respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fideliter dicentem intelligis fidem. Nos autem fratres, si tanquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, vt dissimulantes timorem eius in vanitates potius respiciamus, quo merito nos respiciendos putamus? Immò respiciemus, sed quo vultu? Vultus Domini super facientes mala: sed quàm iratus, quàm terribilis, quàm importabilis, tunc demum scietur quando fugient qui oderunt cum à facie eius? Et à facie tua Domine quo fugient, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos & abyssum ignis & caliginis? Tunc enim dicent montibus, cadite super uos: & collibus, operite nos: leuius æstimantes absorberi voragine inferni, quàm sustinere faciem Dei irati. Enimuero tunc stabunt territi in magna constantia: tunc fides quæ modo sollicita stat in conspectu Domini, ad videndam voluntatem ipsius, secura stabit ad videndam gloriam eius. Vigilate fratres, state in fide, timor solicitat, non potest dormitare per negligentiam, quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidentiam. Omnia autem vestra in charitate fiãt, vt fidei lenitas iungatur, quatenus de vnoquoque vestrum dicatur: In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illud Dominus: quod ipse pręstet sanctis sanctorum: qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI *ad honorem, & laudem sancti Benedicti abbatis, Sermo.*

Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia. In huius patris nostri præcipua solennitate totis esset viribus incombendum, nisi nobilis lingua Gregorij totum eius itinerarium sermone magnifico collegisset. Ita enim actus eius, & vitam vndantis eloquij claritate depinxit, vt & stylus sententiarum maiestate scintillet, & sententiæ stylo reloceant clariori. Ex abundanti igitur est, post vocem tanti viri aliquid addere, in cuius comparatione nos nõ solùm ineloquentes, sed & mutos esse non ignoramus. Hoc tamen solùm dixisse sufficiat, quia solus iste militarem manum excelso principi cæteris abundantiùs præsentabit, & monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, cælorum adimplebit palaria. Quàm igitur refulgens, & splendidus miles astabit Imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, consiliarius Regis, iudicis amicus, vnicus hostis hostis antiqui? De eo planè, cúmq; sequentibus dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia. Amica prorsus confabulatio Simonis ad Iesum, & sermo omni oratorio flore venustior; dignúsque Simon, qui cum Saluatore pleniùs proloquatur. Simon namque obediens, Iesus Saluator. Loquitur ergo obediẽtia cum salute, quia solis obedientibus æterna salus hęreditario iure debetur, si tamen ibi sit Petrus, id est si obedientia non vacillet, aut titubet, sed fundata sit supra firmam petrã. Et quid ait? Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Solenne verbum, magna promissio, opus sanctum, dignum benedictione, relinquere omnia, & sequi Christum. Hæc sunt verba voluntariæ persuasoria paupertatis, quæ monasteria genuerunt, quæ claustra monachis, anachoretis syluas copiosiùs repleuerunt. Hæc enim sunt, de quibus psallit ecclesia: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras, perceptura requiem pro labore, pro paupertate diuitias, pro tribulatione mercedem. Magnum reuera est relinquere omnia, sed maius Christum sequi, cũ multos omnia reliquisse, nec Christum secutos fuisse legamus. Hoc opus, hic labor est, hic salutis humanæ summa consistit; nec Christum possumus sequi, nisi omnia relinquamus, quia exultat vt gigas ad currendam viam, & oneratus eum sequi non potest. Nemo cum sarcinis enatat, ait ille disciplinæ secularis orator, quem linguæ nobilitas, & profunditas sensus paupertatis amicum cõstituit. Meritò relinquit omnia, qui sequitur eum, qui est super omnia, quoniam sufficientia nostra ex eo est, & erit Deus omnia in omnibus. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, non solùm facultates mundi, sed & animi quoque cupiditates; neque enim relinquit omnia, qui retinuit vel se ipsum, immò verò nihil prodest siue se ipso cætera reliquisse, quandoquidem nullum aliud onus est grauius homini, quàm homo ipse. Quis enim Tyrãnus crudelior, quæ sæuior potestas homini, quàm hominis ipsius voluntas? Nunquam sub ea requiescere, nunquam sedere licet, & quò ampliùs te ad obediendum sibi nouerit fatigari, eò magis vrget, instigat, & onerat, pietatis immemor, misericordiam nesciẽs. Hoc enim proprium propria voluntas habet, vt quò obediẽs obedientior fuerit sibi, eò ampliùs eum crudelioribus vinculis internectat. Sola diligitur, cum sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum. Venite ergo qui laboratis, & onerati estis, ad onerũ leuatorem, & ei voce, & opere respondete: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Attẽde quia olim priusquã verbum caro fieret, & habitaret in nobis, sequebantur patres antiqui temporis Deum, soli spiritui solo spiritu adhærentes. Nunc verò sequendus etiam corpore est, adeò vt cùm prędicti patres terrenis legantur abundasse diuitiis, de cætero nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non possit esse discipulus eius, qui cùm diues esset, pro nobis factus est pauper. Relinquendæ igitur sunt possessiones, & propriæ voluntates, si volumus illum sequi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret, & qui non venit facere voluntatem suam, sed eius qui misit illum. Sequitur. Quid ergo erit nobis? Iam omnia reliquit Petrus; iam non solum sequitur, sed & diu secutus est, & nunc primùm interrogat, quid nam sit accepturus. Quid est, Petre? Nónne obedientiam promisisti in auris auditione, non in pacti conuentione? Sed audite iam quid loquatur dominus Deus, & attendite spem, in qua, mundo fluctuante, sperare debemus.

V de volũta- ria pauper- tis encomia

mos. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes. Infinita prorsus dulcedo miserationum domini circa pauperes suos; nec illos relinquit in morte, pro quibus morti seipsum exposuit, & tormentis. Vos, inquit, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes. Quid est hoc aliud dicere, nisi cõsequimini, quem sequimini, si tamen persequimini, sicut scriptum est: Inquire pacem, & persequere eam. Sic ergo currite, vt comprehendatis, nec priùs residere velitis, quàm sedentem apprehendatis, & mereamini consedere. Exultauit vt gigas ad currendam viam, toto vtique tempore, quo in terris visus est, & cum hominibus conuersatus; nec recedit, donec ad eum peruenitet, quem ipse constituit laboris, & tristitiæ finem; Tristis est, inquiens, anima mea vsque ad mortem. Ergo cùm sederit filius hominis in sede maiestatis, qui priùs stetit in ignominiosissimo supplicio Crucis, interrogatus contumeliis, pariter & tormento, sedebitis & vos iudicantes, à quibus nunc iudicium incipit, qui minimè datis requiem vobis ipsis; sicut & ille non iudicare, sed iudicari, nec ministrari venit, sed ministrare. Illic verè sedebunt sedes in iudicio; filius enim Dei Saluator indiuidibili naturarum voluntate, secundum quòd Deus est, sedet à dextris Dei, secundùm quòd homo, assistit nunc vultui Dei pro nobis; nec erit ei sessio triumphalis, donec sit Deus omnia in omnibus, id est corpus capiti tanta pace iungatur, vt simus ei similes, & si non pares. Adhoc enim negatur à Iudæis, à gentibus subsannatur, laceratur ab hæreticis, à falsis Christianis grauiter impugnatur, & tu cum potas residere quietum, nec attendere superbotũ oculos, malignantium impetus, repugnantium voluntates? Sed in regeneratione sedebit cum sedentibus, cùm nos in synceriffimum nitorem in vtraque substantia reputgabimur, & ipse, deuictis inimicis, cum amicis intrabit in gloriam, Angelos hominibus voitate sempiterna counicẽs, & damna beatæ sarciens ciuitatis. Hoc autem totum erit in regeneratione. Beata ista regeneratio, quæ terram renouabit, & cælum terrigenas cælicolis fœderabit, & perpetuę pacis fontem indefessa profluxione refundet. Notandum autem quòd vna est generatio, & duæ regenerationes. Et in generatione quidem, quam ex radice vitiata contrahimus, corpus mortalitate, anima autem iniquitate repletur. In regeneratione verò baptismatis, vbi nos oportet nasci denuo, animæ quidem purgatur iniquitas, sed corporis mortalitas non aufertur. Necessaria est ergo alia regeneratio, sine resurrectio, in qua reperientur etiam corpora configurata corpori claritatis Christi, si tamen corda prius fuerint reformata ad mãsuetudinem, & humilitatem cordis ipsius Christi. Vnde & beatus, qui habet partem in resurrectione prima; pro eo vtique, quoniam futurus est particeps & secundæ. In hac ergo regeneratione cùm sederit filius hominis, & cætera. Hoc est quod alio in loco scriptura loquens; Pro confusione, inquit, duplici, & rubore, laudabunt partẽ suam. Duo enim habet paupertas sequẽtium Dominum, afflictionem videlicet, & vilitatem. Vnde Propheta: Vide, inquit, humilitatem meam, & laborem meum. Propterea igitur in terra sua duplicia possidebũt, vt pro vilitate sit honor iudiciariæ potestatis, pro afflictione refrigeriũ placidissimæ sessionis. Quãdo igitur sedebimus nos, quorum modò nec corpus, nec anima sedet, in quibus sedatum nihil, nihil quietum, nihil in eodem statu permanet? Quando liberabimur ab inquietudine mobilitatis huius? Corpus enim nostrum sedere non permittitur, cùm illud impediat & præsentis sensus doloris, & futura mortis anxietas, quoniam passibile est, & mortale. Sed & spiritus ipse nullam habet requiem ob expectationem spei, & timoris solicitudinem. Erit autem cùm anima requiescet, in spe singulariter constituta, libera quidem à solicitudine, sed non ab expectatione. Fiet autem hoc post mortem carnis, sed ante diem iudicij. In die autem illa cùm sederit filius hominis, perfectè, & ex omni parte sedebimus, quia nec corpus doloris sensus turbabitur, nec anxiabitur timore mortis, impassibilitatis, & immortalitatis duplici stola glorificatũ, liberique erimus, quòd ad animam pertinet, ab expectatione, & solicitudine vniuersa, nihil minus habentes, nihil deinceps periculi metuẽtes in perfectissima securitate, & securissima perfectione. Sedebitis, ait Dominus, ait Veritas. Solennis sessio, grata quies, plena sufficientia. Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Gloriam enim, quæ abinuicem est, quæritis, vanam vtique, & mendacem, quoniam vani filij hominum, mendaces filij hominum, & gloriam, quæ à solo Deo est, non vultis, gloriam sine dubio manentem, & veram. Miseri, & miserabiles, qui pro breui voluptate torrentem perditis voluptatis, & diuinam vobis interrumpitis misericordiam, vt nonquam satiemini ab vberibus consolationis eius. Sed ne magnæ promissionis dulcedinem longanimis expectatio contorquerer, mẽtis nostræ mobilitatem sermone temperat dulciori. Nouit enim ipse figmentum nostrum, quoniam dilationis moras pusillanimitas nostra nõ sustinet, ideóque benignitate sua huic quoque obuiat cogitationi, & occurrit etiam ex hac parte dicens: Et omnis, qui reliquerit domũ, aut patrem, aut matrem, aut fratrem, aut vxorem, aut agros, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Obstructum est certè os loquẽtium iniqua. Iamque confundantur omnes iniqua agentes supervacuè. Habemus enim promissionem vitæ huius, quæ nunc est, pariter & futuræ, manifestómque est præsentis temporis esse cẽtupli promissionem ex eo nimirum, quod sequitur. Et vitam æternam possidebit. Sed ne quis obstinatis dissimulandi locus remaneat, vado ad Euangelium secundum Marcum, vbi apertè declaratur, temporis huius esse centupli promissionem. Ait enim Dominus: Nemo est, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantùm; nunc in hoc tempore domos, & fratres, & cætera, quæ sequuntur. Et vt magis miremini, nec promissionem hanc, licet huius sit temporis, exhiberi de temporalibus æstimetis, additum est, cum persecutionibus. Quid enim in persecutione positi ter tenæ substantiæ sancti martyres acceperũt, quando & ipsa quoque terra beatorum corporum data est in manus hominum impiorum? Quòd ergo dicit

dicit Ceoties tantum domos, aut fratres, & cætera, minimè secundum carnem intelligi posse vel ex eo manifestum est, quòd centum matres accipit nemo. Iam verò si pro communicatione possessionum, & animorum affectione, quæ inter electos est, promissionem hanc volumus intelligere, aliquibus quidem, sed non omnibus potetit cooouenire. Noooullos enim sanctorum terrena hac, & humana coosolatiooe oouimus caruisse. In corde ergo, & in homine interiori centuplum istud quætas necesse est, vt habeas oüc quidem fructum tuum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Qui ergo nondum centuplom acceperuot, scruteotur corda sua, & voiuersa manuom suarum studia diligeotet examinent; nec dubium quio iouenient angulum, & dioersorium, quod Saluator non nouit. Sed vulpes foueas babent, & volocres cœli nidos. Magis autem perfectius relinquaot omnia, non quęsant quæ sua suot, nihil sibi tetineant, nihil alius. Suot eoim plerique, qui licet propriam exaltationem, voluptatémque satis despiciant, propinquia tameo suis quodammodo tetineot, quod debuerant reliquisse, ineoogrua solicitudine, & religioni coottaria pro eis vtique laborantes. Quanti eoim mooachorum dum pareotibus suis plus insto consulunt, suas animas perdiderunt? Ergo relioquant omnia, solùm sequantur Christum, soli Christo placere conteodant, & beneplacito voluntatis eins peruigili adhæreant solicitudine; haud dubium qnin expectiantur illico, quod relinquentibus omnia, & sequentibus se Veritas pollicetur. Centuplum, inquit, accipiet, & vitam æternam possidebit: Illud enim in via accipitur ad solatium, illa verò ad beatitudinem in patria possidebitur io æternum. Sed quid est ceotuplum istud, nisi coosolationes, visitatioonesque, & primitię Spiritus, qui super mel dulcis est, nisi testimonium conscientiæ nostræ, nisi læta, & iocuodissima iustorum expectatio, oisi memoria aboodantiæ suauitatis Dei, & magna verè multitudo dulcedinis eius, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis vllis verbis exprimere quisquam potest? Noo pater, noo mater, noo domus, ooo ager, noo cibus, aut vestis, noo denique terrenum aliqnid, aut corporale; sed planè his omnibus delectabilius, super hæc omnia dulcius, atque iucundius est. Cui verò sic specialiter totus Euangelicæ lectionis excursus assignari potest, quemadmodù patri, & magistro nostro beato Benedicto? Hic à pueritia mundum cum flore reliquit, & curtētem Christum cursu rapidissimo secutus est; nec destitit, donec cōsequeretur. Quis inter iudicantes sublimius iudicabit? Quis ita centuplum io hac vita percepit? Quis vitam ęternam gloriosius possidebit? Eius igitur intercessione suæ gratiæ largitatem, ad præsentis vitæ coosolationem, æternæ possessiooem, oobis & administrate dignetnr, qui venit vt vitam habeamus, & vt abundantius habeamus, Iesus Christus Dominus ooster, qui est beoedictus io secula, Amen. [illegible]

IN ANNVNCIATIONE BEATAE MARIAE.



LVC. I.

a Vicesimo quinto die Martij dominus cooceptos est & passus.



N illo [a] tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen [b] Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat [c] Ioseph, de [d] domo Dauid: & nomen virginis [e] Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, [f] turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce [g] concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit [h] magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & [i] regnabit in domo Iacob in æternum: & [k] regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: [l] Quomodo

b Quia Nazarenus, id est, sanctus sanctorum nunciabatur futurus.
c Ioseph, saluator, quia saluauit Ægyptum à fame: sic iste Mariam ab infamia.
d Non solum ad Ioseph, sed ad Mariam hoc referendum est.
e Bed. Maria maris stella vel domina, quæ lucem fluctuantibus in seculo genuit, & dominum totius mundi.
f More humanæ fragilitatis, de angelica visione & de insolita salutatione.
g Hic verum hominem de substantia maternæ carnis angelus asserit.
h Hic verum Deum de Deo patre.
i In præsenti vita corda inhabitans, regnabit in futuro de exilio ad gloriam vocans.
k Beda. Mala et pacis eius non erit finis.
¶ In secula seculorum laudabunt te.
l Am. Liquet, quod faciendum credit, quæ quomodo fiat quærit.

m Vt concipiam & pariam, quæ in virginitate permanere dispolui. n Ecce tangit quod ipsa vouerat castitatem.

modo fiet [m] istud, [n] quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus di-

o Contra omnia incentiua vitiorum. Dabit tibi vmbram contra omnem tribulationem.

xit ei: Spiritussanctus superueniet in te, & [o] virtus altissimi obumbrabit tibi.

p Qui non per virilem coitum.

Ideóque & quod nascetur ex te [p] sanctum, vocabitur filius Dei: Et ecce Elisa-

q Martius.

beth cognata tua: & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic [q] mensis est

r A conceptione

[r] sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne

s Ecce promptæ obedientia. Vt dicitur, Psalmus ancillæ tuæ. t Fiat sine viri semine conceptus in virgine.

verbum. Dixit autem Maria: Ecce [s] ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.

IN *men. au. sex.* Hie. Sicut sexto mense missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, ita sexto millenario missus est Christus. *Gabriel.* Beda. Ideo Angeli ex nomine aliquando signantur, vt ex ipso nomine quid ministraturi veniant, demõstretur. Gabriel, fortitudo Dei, quia illum nunciat qui ad debellandum diabolum veniebat. *Ad Virginem.* Mulier a diabolo seducta mortem intulit: Contra mulier ab Angelo edocta salutem edidit. Be. De desponsata voluit nasci, vt per Ioseph texeretur ordo generationis, & ne quasi adultera lapidaretur. In quo & impudicis virginibus occasio tollitur, ne dicant matrem domini fuisse infamatam. Et virgo solatium viri, & testem virginitatis haberet, & vt diabolus mysterium ignoraret. Fides etiam Mariæ verbis maior asscribitur, & mendacij causa remouetur. Videtur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta virgo. Maluit dominus aliquos de suo ortu quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim lubricam famam pudoris, nec voluit ortus sui fidem matris iniurijs astruere Amb. Mysticè. Maria desponsata, sed virgo: typus est ecclesiæ, quæ est immaculata, sed nupta. Concipit nos de spiritu virgo, parit nos sine gemitu virgo. Et ideo fortasse Maria alij nupta, ab alio repleta, quia singulæ ecclesiæ spiritu quidem replentur: tamen ad speciem temporalis sacerdotis. *Aue gra. p.* Gregorius, Vere gratia plena quæ prima inter fœminas virginitatis gloriosum munus Deo obtulit, quæ etiam idem Angelico visu & alloquio meruit perfrui, quæ gratię totius autorem mundo edidit. *Dominus tecum.* quam nouo castitatis amore ad cælestia sustulit, & post mediante humana natura, omni plenitudine diuinitatis cõsecrauit. *Benedicta tu in mulieribus.* Quæ sine exemplo muliebris conditionis & virgo & mater est, & Deum genuit. *Turba, &c.* Quia nesciebat si præteritum an futurum esset, quod Angelus dixit. Be. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes affatus vereri. Hinc discant mulieres propositum pudoris imitari. Solam sine comite Angelus reperit, ne quo genere de hominis deprauaretur affatu. *Qualis esset.* Ambrosius. Ex verecundia pauet, ex prudẽtia nouã benedictionis formulam miratur. Erubuit Elisabet de culpa, Maria de verecundia. In muliere enim modus adhibetur, in virgine gratia pudoris augetur. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria.*

B. Maria virgo prima virginitatem vouit.

Turbatam insolita salutatione quasi familiarius notam vocat ex nomine. Ne timeat iubet, & quare gratia plenam vocauerit, plenius explicat. *Iesum.* Iesus Saluator, siue salutaris dicitur. Ipse enim saluum faciet, non populũ Israel, sed suum populum, siue ex præputio, siue ex circuncisione, in vnum ouile sub vno pastore congregatum. *Hic erit magnus.* Bed. Ambro. Non quòd ante partum virginis magnus non fuerit, sed quia potentia, quam filius Dei naturaliter habet, homo ex tempore erat accepturus, vt vna sit persona, homo est Deus. Beda: Ioannes, magnus, vt homo corã domino. Hic magnus, vt Deus & Dei filius. Ioannes magnus merito abstinentię, quia vinum & siceram non bibit: hic magnus potentia naturæ, quia cum peccatoribus comedit. *Sedem.* Beda, id est, Israeliticam plebem, cui Dauid & filij eius temporalis regni gubernacula præbuerunt. Huius regnum spirituale datum est Christo, quando dispositum est a Deo, vt de semine Dauid incarnaretur, qui illam gentem in perpetuum vocaret regnum. Et non solum in vna gente Iudæorum, sed regnabit in domo Iacob in æternum: hoc est, in tota ecclesia, quæ per fidem, & confessionem Christi ad patriarcharum pertinet sortem. Siue in illis, qui de patriarcharum sorte nati: Siue in his, qui de oleastro incisi in oliuam bonam sunt inserti. *Quomodo fiet* Ambro. Cum Sara risit de promissione Dei, & Maria dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam vir. non cognosco.* Cur non fuerunt mutæ, sicut Zacharias? Sed Sara & Maria non dubitant faciendum quod promittitur, sed modum requirunt. Zacharias qui negat scire negat se credere, & alium autorem suæ fidei quærit: & idem accepit signum tacendi: quia signa non fidelibus, sed infidelibus dãtur. Beda. Legerat Maria virginem parituram, non dubitabat, sciebat enim quia impleri oportebat quod ab Angelo nunciabatur. Sed quia quomodo fieret nõ legerat, nec ab Angelo audierat, quo ordine impleri debeat, requirit, quia hoc mysterium à seculis absconditum, à prophetis non prędictum, ab Angelo est reseruatum. *Spiritussanctus.* Spiritus superueniens in virginem, & mentem illius à sorde vitiorum castificauit, vt cęlesti esset digna partu, & in vtero eius redemptoris corpus sua operatione, nõ virili semine, creauit de carne virginis. Vnde etiam idem Spiritus nominatur altissimi. *Spiri.* Nomẽ est omnis gratiæ quæ à Deo inspiratur. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Abscondite in Ægyptum fugiẽdo. Vel, *Virtus altissim. obumbra. tibi.* Potest vtraque Saluatoris natura intelligi, quia vmbra à lumine & corpore obiecto solet formari. Et virgo sicut pu-

Rom 11.

Genes. 18.

rus homo plenitudinem diuinitatis capere nequibat, sed virtus altissimi obumbrat, dū incorporea lux diuinitatis, corpus suscepit humanitatis, vt sic posset Deum pati *Sanctum*. Iesus nascitur sanctus, qui conditionem naturæ corruptibilis vinceret: & commixtione copulæ carnalis conceptus non est. Nos conditione corruptibilis naturæ constricti, per gratiam possumus sanctificari. Et congruit, vt quæ contra morem virgo concepit supra morem humanæ consuetudinis Dei filium generet. *Et ecce*. Beda, Ne virgo desperet de partu, accipit exemplum sterilis anus parituræ, vt discat omnia Deo possibilia quæ ordini naturæ videntur contraria? Vel, non quasi incredulam exemplis hortatur ad fidem, sed credenti quæ audierat ampliora replicat mysteria, vt quæ Deū virgo erat paritura, præcursorem quoque de anu sterili nasciturū cognosceret. *Co. tua*. Quia de tribu Leui, id est, de tribu Dei. Bed. Legimus, quòd Aaron, qui de tribu Leui erat, accepit vxorem de tribu Iuda Elisabet, sororem Naason. Et in posteris Dauid legimus, quòd Ioiada pontifex vxorem

Paral. 22. habuit de tribu regali Iosabet filiam Ioram: vnde vtræque tribus regalis & sacerdotalis erant coniunctæ, Hic Maria & Elisabet cognatæ. Et congruit, vt de vtraque tribu mediator nascatur, qui

Psal. 109. regnat in æternum: & est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Et conuenit vt cum altera de Spiritu conceperit, altera Spiritu repleta prophetauerit: Secundum carnem quoque videantur fuisse cognatæ, quæ secundum Deum spiritualis cognationis consortio non carebant. *Ecce anc. do*. Non de singularitate meriti se extollit, sed suæ conditionis & diuinæ dignationis per omnia memor, se ancillam illius esse fatetur, cuius mater eligitur, & cum magna deuotione promissionem Angeli optat impleri.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

IN *mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilaæ, cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Mariæ*. Bed. Quia Christi incarnatio vel sexta ætate seculi futura, vel ad impletionem legis erat profutura, rectè sexto mense concepti Ioannis missus ad Mariam angelus nasciturum nuntiat saluatorem: vnde dicitur, *In mense, &c.* Mensem sextum Martium intellige, cuius 25. die dominus noster & conceptus traditur & passus: sicut & 25. die mensis Decemb. natus. quod si vel hoc die vt nonnulli arbitrantur æquinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri credamus, conuenit cum lucis incremento concipi vel nasci eum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. At si quis ante dominicę natiuitatis & cōceptionis tempus considerat lucem, vel crescere vel tenebras superare conuicerit, dicimus & nos quia Ioannes ante faciē aduentus eius regnū cælorum euangelizabat. Basi. Adeunt autem nos cælestes spiritus, non quasi ex seipsis, sed ex eo quod diuinæ sapientiæ decorem conspiciunt: vnde sequitur, *Missus est angelus, &c.* Greg. in ho. Ad Mariam enim virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. ad hoc quippe ministerium summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Qui idcirco priuato nomine censetur, vt signetur per vocabulum in operatione quid valeat. Gabriel enim Dei fortitudo nominatur: per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum dominus & potens in prælio ad debellandas potestates aereas veniebat. Glo. additur autem & locus quo mittitur cùm subditur, *In ciu. &c.* Nazaræus enim, id est, sanctus sanctorum nuntiabatur venturus. Bed. in ho. Aptum autem humanæ restaurationis principium, vt angelus à Deo mitteretur ad virginem partu consecrandum diuino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam: vnde sequitur, *Ad virginem*. Aug. de san. vir. Illum enim solum virginitas decenter parere potuit, quia in sua natiuitate parem habere non potuit. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum, secundum corpus nasci de virgine, quod significaret membra sua de virgine, etiam secundum spiritum nascitura. Hiero. in ser. de assum. Et bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere non terrena vita est sed cælestis. Chrys. sup. Mat. Non autem angelus post partum annuntiat virgini, ne nimium exinde turbaretur. Et ideo ante conceptionem illam alloquitur, non in somnis imò visibiliter assistit: nam quasi magnam valde relationem accipiens egebat ante rei euentum visioni solemni. Amb. Bene autem vtrunque posuit scriptura vt & desponsata esset & virgo. sequitur enim, *De. viro*. Virgo vt expers virilis consortij videretur. Desponsata, ne temeratæ virginitatis aduretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare. sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Seruatur itaque S. Mariæ sicut pudore integra, ita & inuiolabilis opinione virginitas: nec decuit sinistra virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque domini videretur. Quid autem Iudæis, quod Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret, Non veni legem soluere sed adimplere, si videretur cœpisse à legis iniuria? cum partus innuptæ lege damnetur? Quid quod etiam fides Mariæ verbis magis adsciscitur, & mendacij causa remouetur? videtur enim culpam obumbrare noluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugij pręmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi, qui cum desponsatam viro cerneret partum non potuit habere suspectum. Ori. Si enim non habuisset sponsum, statim cogitatio tacita diabolum surrepsisset, quomodo quæ non accubuit cum viro prægnans esset? debet iste conceptus est diuinus, debet aliquid humana natura esse sublimius. Amb. Sed tamen magis refellet principes seculi. demonum enim malitia facilè etiam occulta deprehendit. At vero quod secularibus vanitatibus occupantur, scire diuina non possunt: quinetiam locuple

locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & delere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret factam. [illegible] de quo subditur, *Cui nomen erat, &c.* Bed. in ho. Quod non tantum ad Ioseph, sed etiam pertinet ad Mariam. Legis namque erat præceptum, vt de sua quisque tribu aut familia acciperet vxorem. Sequitur, *Et nomen vir. Maria.* Bed. super Lucam. Maria Hebraicè stella maris, Syriacè verò domina vocatur, & meritò, quia hæc totius mundi dominum, lucem seculi meruit generare perennem. *Et ingressus angelus ad eam: dixit, Aue gratia plena, &c.* Ambr. Disce virginem moribus, sola in penetralibus quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: vnde dicitur, *Et ingr. &c.* Et ne quo [illegible] degeneri depravaretur affatu, ab angelo salutatur. Græcus, Contra vocem prius editam mulieri, dirigitur nunc sermo [illegible] virginem. In illa doloribus partus est causa peccati punita, in hac per gaudium mœstitia pellitur: vnde iucunditatem non absurdè prænuntiat angelus virgini, dicens, *Aue.* Quod autem d[illegible] [illegible] cum dicit *Gratia*, quasi enim quædam arra [illegible] dos sponsi [illegible] quo secunda sic pratiis. Horum enim quæ [illegible] sunt sponsæ, alia sponsi. [illegible] Et bene gratia plena, quia cæteris per partes præstatur. Mariæ verò simul se totam infudit gratiæ plenitudo. Vere gratia plena, per quam largo spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura. Iam autem erat cum virgine, qui ad virginem mittebat angelum, & præcessit nuntium suum dominus, nec tamen potuit locis [illegible] qui omnibus habetur in locis. Vnde sequitur, *Dominus tecum benedicta tu in mulieribus.* Aug. in [illegible] de [illegible] Magis quam tecum, ipse enim in [illegible] cor de [illegible] ventrem, adimplet ventrem. Græcus. Hoc autem est totum legationis complementum [illegible] enim verbum vt sponsum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Vltimum verò [illegible] tanquam [illegible] & compendiosum. *Bened. tu in mu.* Via [illegible] cunctis mulieribus [illegible] benedictæ [illegible] mulieres, [illegible] mares [illegible] magis vterque in vtrisque. Velut enim per [illegible] fœminam & vnum marem peccatum simul [illegible] & nunc per [illegible] & vnam benedictionem [illegible] & lætitia, & ad [illegible] Disce autem virginem [illegible] quæ [illegible] nam sequitur, *Quæ* [illegible] Disce virgo verborum [illegible] Maria etiam salutationem [illegible] Græcus, Cum assueta forent his [illegible] non visioni [illegible] relatibus turbatur [illegible] dicens, *Turbata est in ser. eius.* Attende autem [illegible] & pudicam & prudentem, & animam simul [illegible] vocem: aut [illegible] lætitia dictum [illegible] neque manifestè absurdi [illegible] patet ex leuitate, [illegible] & dubiam Zacharias. vnde dicitur, *Et* [illegible] *&c.* Non concepit [illegible] nam adhuc ignorabat [illegible] mysterii [illegible] salutatio nunquid [illegible] [illegible] [illegible] dum Dei faceret [illegible] nem, dicens *Dominus tecum.* Amb. Bened [illegible] etiam nouam formulam mirabatur, quæ nusquam est ante comperta, soli Mariæ hæc seruabatur.

Orig. Si enim sciuisset [illegible] ad alium quempiam similem factum esse sermonem, [illegible] quæ habebat legis scientiam, nunquam eam quasi peregrinam talis salutatio exterruisset. *Et ait angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam, &c.* Bed. Quia salutatione insolita virginem turbatam videbat, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat iubet. vnde dicitur *Et ait ei Ang. &c.* Græcus, quasi dicat. Non [illegible] deceptionis, [illegible] deceptionis absolutionem depromo. Non veni prædaturus inuiolabilem tuam virginitatem, sed conditoris puritatis & custodis contubernia referatæ. Non sum serpentis minister, sed perimentis serpentem legatus sponsalium tractator, non insidiarum molitor. Sic ergo nequaquam distrahentibus ipsam considerationibus vexari permisit, ne diiudicaretur iniustus minister negotij. Chry. Qui autem apud Deum meretur gratiam, non habet quod timeat. vnde sequitur, *Inue. enim gra. &c.* Qualiter autem illam quisque reperiet nisi humilitate mediante? Humilibus enim dat Deus gratiam. Græcus. Inuenit enim gratiam virgo coram Deo, quia splendore pudicitiæ propriam exornans animam [illegible] gratum Deo se habitaculum præparauit, nec solum cælibatum inuiolabilem conseruauit, sed etiam immaculatam conscientiam custodiuit. Orig. Inueniebant enim plures gratiam ante eam. Et ideo subdit quod proprium est, dicens. *Ecce concipies in vte.* Gr. Quod dicitur *ecce*, celeritatem & præsentiam denotat, insinuans cum eius verbo celebratam [illegible] conceptionem. Dicit autem, *Concipies in vtero*, vt demonstraret dominum ab ipso vtero virginali, & de nostra substantia carnem suscipere. Venit enim diuinum verbum emundaturum naturam humanam & partum, & nostræ generationis primordia. Et ideo sine peccato humano semine per singula sicut nos in carne concipitur, & nouem mensium spatio gestatur in vtero. Gre. Ni. Sed quoniam contingit specialiter diuinum concipi spiritum, & spiritum parere salutem secundùm prophetiam, ideo addidit, *Et pa. fi.* Amb. Non autem omnes sunt sicut Maria, vt dum de spiritu sancto concipiunt verbum, pariant. Sunt autem qui ab [illegible] excludant verbum antequam pariant. Sunt qui in vtero Christum habeant, sed nondum formatum. Gre. Ni. Cum autem expectatio partus mulieribus timorem incutiat, sedat timorem [illegible] partus relatio cum subditur, *Et vocabis nomen eius Iesum.* Salutaris enim adnectitur est [illegible] propulsi. Bed. Iesus autem saluator [illegible] interpretatur Gre. Dicit autem, tu vocabis, non pater: patrem enim caret, quantum ad huiusmodi generationem, sicut & matre ex pectu supernæ. Cy. Hoc autem nomen de nouo fuit verbo impositum natiuitati congruens carnis, secundùm illud propheticum, Vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. Gr. Verum quia hoc nomen commune est sibi cum successore Moysi, ideirco innuens angelus quòd non erat secundum illius similitudinem subiungit, *Hic erit magnus.* Amb. Dictum est quidem etiam de Ioanne, quia erit magnus, sed ille quasi homo magnus, hic quasi magnus Deus [illegible] Deus virtutis, latè [illegible] cælestis substantia magni ado [illegible] non loco clauditur, non opinione comprehenditur [illegible] ratione concluditur, non ætate variatur. Orig. Vide ergo [illegible] magnitudinem saluatoris quomodo

in toto [illegible] los, quomodo cæl[illegible] cogitatione ad abys[illegible]os & videtur illuc descendisse: [illegible] videris, [illegible] intuebens opere [illegible] completum, [illegible] magnu[illegible]tæ. [illegible] quæcat [illegible] assumptio deitatis [illegible] dum [illegible] humanitatis humilitas [illegible] *E[illegible]* [illegible] vocabitur, a quo [illegible] nullus enim [illegible] pater. Penes quem verò [illegible] est [illegible] propter [illegible] Hi[illegible] æterno [illegible] eius paruerit. [illegible] ideo ait, *vos abitur*, [illegible] nam & ante [illegible] tial[illegible] mater [illegible] cuius [illegible] non ext[illegible]. Cæterum [illegible] dam [illegible] eam habi[illegible] cuius [illegible] sensibile quo[illegible] utin po[illegible] ergo [illegible] ex vtero [illegible] contaminatus non [illegible] ipsum [illegible] r, mostendit. Græ. Et vt virginem [illegible] subdit: *F. [illegible]* quem [illegible] prominutus [illegible] Christus quem [illegible] promissum [illegible] nascituum. [illegible] om tamen ex [illegible] corpus C[illegible] mundi [illegible] mum, [illegible] ac vnam line[illegible] ationis [illegible] Iosephi & virgo, [illegible] formam [illegible] Non autem [illegible] naturali [illegible] Dauid [illegible] transfusio [illegible] appellat D[illegible] in [illegible] dominum [illegible] qui de [illegible] autem [illegible] prædictus, [illegible] qui de nun[illegible] credid[illegible]. Vt enim [illegible] dio [illegible] ex [illegible] illa [illegible] promissionis [illegible] tanc[illegible] d. Vel [illegible] ee[illegible] radice [illegible] vel cum [illegible] in bonam est [illegible] er[illegible] p[illegible] Deus æternus agno[illegible] quan[illegible] est, [illegible] & [illegible] fi[illegible] tu.B[illegible] tantu[illegible]. Angelus enim [illegible] ipsum [illegible] Dauid, qu[illegible] bus [illegible] N[illegible] ang[illegible] vi[illegible] [illegible] donis.

Hec ait, *Quomodo fiet istud?* Ille respondit, vnde hoc sciam? Negat ille se credere, & quasi fidei adhuc a[illegible] quærit anthorem. Ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fiat inquirit. Legerat Maria, Ecce concipies in vtero, & paries filium, ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat: non enim quemadmodum fieret, vel prophetæ tanto fuerat reuelatum [illegible] tantum [illegible] mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendũ. Gre. Nis. Attende etiam mundæ virginis vocem, patrum annuntiat angelus, ipse verò virginitati innititur, præstantiorem incorruptibilitatem angelica visi[illegible]ne dijudicans. vnde dicit, *Quomodo vi. non cog.* Basi. Cognitio multifari[illegible] dicitur. Dicitur enim cognitio nostri conditoris sapientia, ac magnalium suorum notitia, [illegible] non mandat[illegible]rum custodia, & quæ fit apud eum appro[illegible] & copula nuptialis vt hic acci[illegible]tur. Gre. Ni. Hæc igitur Mariæ verba indicium sunt eorum quæ tract[illegible]bat in mentis arca[illegible]. Nam si caus[illegible] copulæ coniugalis Ioseph de[illegible] sponsam vo[illegible]et, cur admiratione ducta est, dum [illegible]atur conceptio[illegible] cum nimirum ipsa præstolaretur ad temp[illegible] mat[illegible] effici iuxta legis naturam. Verùm quia oblatum corpus Deo, quasi quoddam ex sacris inuiolabile reseruari decebat: [illegible] ideo dicit, *Quoniam vi. non cog.* quasi dicat. E[illegible] si [illegible] angel[illegible]men quòd virum non cognoscam [illegible] impossibilibus cer[illegible]tur, qualiter igitur mater [illegible] caren[illegible] coniuge? Ioseph quidem in sponsum a[illegible] noui. C[illegible]æ. Sed considera qualiter virgini solute d[illegible] um angelus, ac explanat inme[illegible]ratum con[illegible] & ineffabilem partum. sequitur enim, *Et resp[illegible] ang. di ei sp. san. &c.* Chr. quasi dicat Nõ quęta[illegible] naturalem vbi natiuitam trãscendunt & superant quæ tractantur. Dicit, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quinimò eo ipso [illegible] get qu[illegible] coniugis inexperti[illegible]. Nam si vi[illegible] experta fuisses, non digna [illegible] hoc mysterio, non quia prophanum sit coniugium, sed quia virginitas potior. Decebat enim communem omnium dominum, & in natiuitate nobiscum participare, & ab ea d[illegible] pare, quòd enim ea vtero nasceretur, habuit c[illegible]mune nobis[illegible] q[illegible]d autem absque concubitu nasceretur, plus à nobis obtinuit quam beatum corpus illud, quod ob exuberantem mund[illegible] virginis Mariæ vt videtur [illegible]num animæ ad seipsum allexit. In singul[illegible]s enim cæteris vix [illegible] anima sincera san[illegible] spiritus impetrabit præsentiam, sed nunc caro receptaculum efficitur spiritus. [illegible]re. Ni. Tabulas enim nost[illegible]turæ, quas culpa confregerat, dennò ve[illegible] de terra nost[illegible] sibi dolauit, absque c[illegible] di[illegible] corpus suscep[illegible] [illegible] quod di[illegible] sculpsit, [illegible] spi[illegible] perue[illegible]. Chr. [illegible] super & [illegible] virtus [illegible] obumbrabit tibi. Altissimi regis virtus Chri[illegible] est, qui p[illegible] aduentum spiritus san[illegible] format[illegible] e. [illegible] mo[illegible] obumbratio[illegible] enim v[illegible] cabulum incarnandi Dei [illegible] signi[illegible] vmbra ent[illegible] à lum[illegible] atur, & cor[illegible]ore. Dominus aute[illegible] per diuin[illegible] est [illegible] ergo lumen [illegible] corporeum in eiu[illegible] dicitur, *[illegible]* [illegible] human[illegible] diuinitatis. Hoc e[illegible] mentis refrigerium cæl[illegible] [illegible]um. Beda, Non ergo virili quod non cogn[illegible] semi[illegible]e,

ſemine,ſed ſpiritus ſancti quo impleris opere cócipies: concupiſcentiæ in te nó erit æſtus,vbi vmbram faciet ſpiritus ſanctus.Grego. Niſ. Vel dicit, *Obumbrabit tibi*: quia ſicut corporis vmbra præcedentium charactere conformatur: ita indicia deitatis filij ex virtute generandi patebunt. Sicut enim in nobis quædam viuifica virtus in materia corporali conſpicitur, qua homo formatur: ſic in virgine altiſſimi virtus per viuificantem ſpiritum pariter corpori inſitam materiam carnis ex virgineo corpore ad formandum nouum hominem aſſumpſit.vnde ſequitur, *Ideoque & quod naſcetur ex te,&c.* Athan. Profitetur enim quoniam naturæ humanæ aſſumptum ex materia corpus veriſſimum extitit, & idem ſecundum naturam corpori noſtro: ſoror namque noſtra Maria eſt, cùm omnes ab Adam deſcenderimus.Baſi. Vnde & Paulus dicit, Quoniam miſit Deus filium natum non per mulierem.ſed ex muliere. Nam hoc quod dico per mulierem tranſitura,poterat indicare natiuitatis ſententiam: quod autem dicitur ex muliere, manifeſtat cómunionem naturæ geniti reſpectu parentis.Gre.18.mo. Ad diſtinctionem autem noſtræ ſanctitatis Ieſus ſingulariter ſanctus naſciturus aſſeritur: nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis cognatione conſtringimur: ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt, qui ex coniunctione carnalis copulæ conceptus non eſt,qui non(ſicut hæreticus deſipit)alter in humanitate, alter in deitate eſt: vt purus homo conceptus atque editus, & poſt per meritum vt Deus eſſet accepit. Sed nunciante angelo & adueniente ſpiritu: mox verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro. vnde ſequitur, *Vocabitur, &c.* Græc. Tu autem attende qualiter virgini angelus totam trinitatem edidit: dum ſpiritum ſanctum commemorat virtutem & altiſſimum: trinitas enim indiuiſibilis eſt. *Et ecce Elizabeth cognata tua,&c.* Chr. Quoniam præcedens dictum ſuperabat virginis mentem, ad humiliora declinauit,ſermonem per ſenſibilia ipſi ſuadens, vnde dicit, *Et ec.Eli.co.tua.* Animaduerte Gabrielis induſtriam: non memorauit eam Sarræ vel Rebecæ vel Rachelis, quia antiquiora erant exempla: ſed imminens factum inducit, vt eius mentē corroboraret: & ob hoc & ætatem commemorauit,cum dicit, *Et ip.con.fi.in ſen.ſua:* & defectum naturæ.ſequitur, *Et hic men.&c.* Non enim à principio conceptus Elizabeth ſtatim annuntiauit, ſed acto ſex menſium ſpatio, & tumor ventris perhibeat argumentum. Gre. Nazi. Sed quæret aliquis, Qualiter ad Dauid Chriſtus refertur? Siquidem Maria de ſanguine manauit Aaron, cuius cognatam angelus Elizabeth, aſſerit: ſed hoc nutu ſuperno contigit vt regium genus ſacerdotali ſtirpi iungeretur: vt Chriſtus, qui rex eſt & ſacerdos, ab vtriſque ſecundum carnem naſceretur: Legitur etiam in Exodo, Quoniam Aaron primus ſecundum legem ſacerdos duxit ex tribu Iudæ cóiugem Elizabeth filiam Aminadab.& attende ſacratiſſimam ſpiritus adminiſtrationem: dum & hanc Zachariæ coniugem ſtatuit Elizabeth vocari: reducens nos ad illam Elizabeth quam duxerat Aaron. Bed. Sic ergo ne virgo ſe parere poſſe diffidat: accepit exemplum ſterilis anus parituræ: vt diſcat omnia Deo poſſibilia eſſe, etiam quæ naturæ ordine vidētur eſſe contraria.vnde ſequitur, *Quia non erit imp.apud Deum omne verbum.* Chry. Ipſe namque cum ſit naturæ Dominus cūcta poteſt cum velit: qui cuncta peragit & diſponit,vitæ mortiſque lora gubernans. Aug. contra Fauſt. Quiſquis autem dicit, Si omnipotens Deus eſt,faciat vt ea quæ facta ſunt,facta nō fuerint: nó percipit ſe dicere vt ea quæ vera ſunt eo ipſo quod vera ſunt,falſa ſint. Poteſt enim facere quod aliquid nó ſit quod erat: velut cùm aliquis qui cœpit eſſe naſcēdo,faciat nó eſſe moriendo. Quis autem dicat, vt id quod iam nó eſt faciat nó eſſe? quicquid enim præteritum eſt, iam nó eſt: ſi de ipſo fieri aliquid poteſt adhuc eſt de quo fiat. Et ſi eſt,quomodo præteritum eſt? nó ergo eſt quod verè diximus fuiſſe: ſed ideo verum eſt illud fuiſſe, quia in noſtra ſentētia verum eſt, non in ea re quę iam nó eſt: hanc autem ſententiam Deus falſam facere non poteſt. Omnipotētem autem Deum nó ita dicimus, ac ſi eum etiam mori poſſe credamus. Ille planè omnipotens verè ſolus dicitur quod verè eſt: etiā à quo ſolo eſt quicquid aliquo modo eſt. Amb. Vide autem humilitatem virginis, vide deuotionem. Sequitur enim, *Di.an.Ma.Ec.an.do.* Ancillam ſe dicit, quæ mater eligitur: nec repentina exaltata promiſſione eſt. Mitem enim humilemque pariturа humilitatem debuit etiam ipſa præferre: ſimul etiam ancillam ſe dicēdo, nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratię vendicauit, quin faceret quod iuberetur. vnde ſequitur, *Fiat mi.ſe.ver.tuum.* Habes obſequium, vide votum. *Ecce ancilla domini*, apparatus officij eſt. Fiat mihi ſecūdum verbum tuum, conceptus eſt voti. Eu. Alius aliud quiddam in præſenti ſermone virginis extollet apicibus, hīc quidem conſtātiam, hic obediētiæ promptitudinem, alius quòd non allecta eſt tam ſplendidis & arduis per magnum archāgelum promiſſis pollicitis, alius quod non exceſſit modum in damno inſtantias, ſed æqualiter cauit & Euæ leuitatem, & Zachariæ inobedientiam: mihi autem humilitatis profunditas non minus conſpicitur admiranda. Gre.18. mo. Per ineffabile namque ſacramentum concepto ſancto partu inuiolabili ſecundum veritatem vtriuſque naturæ eadem virgo ancilla Domini fuit & mater.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia.

DEinde ſcriptura commemorat, quòd menſe ſexto conceptus Elizabeth, miſſus ſit angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cuius nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Ruſum in mea mente voluens quæro quare Deus cum ſemel ſaluatorem indicaret naſci ex virgine, non elegit puellam abſque ſponſo, ſed eam potiſſimum quæ iam fuerat deſponſata. Et, niſi fallor, hæc cauſa eſt. Debuit de ea virgine naſci, quæ non ſolum ſponſum haberet: ſed (vt Matthæus ſcribit) iam viro tradita fuerat: licet eam vir necdum noſſet, ne turpitudinem virginis habitus ipſe monſtraret, ſi virgo videretur vtero tumenti. Vnde eleganter in cuiuſdam martyris epiſtola ſcriptum reperi. Ignatium dico epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecūdum, qui in perſecutione Romę pugnauit ad beſtias. Prin- *Eſt ex Homi. 6. in Lucam.*

cipem seculi huius latuit virginitas Mariæ:latuit propter Ioseph,latuit propter nuptias,latuit quia habere virum putabatur. Si enim non habuisset sponsum,& vt putabatur virum,nequaquam potuisset principi mundi huius abscondi. Statim eum cogitatio diaboli tacita subrepsisset, Quomodo ista quæ non concubuit cum viro prægnās est? Debet iste conceptus esse diuinus, debet aliquid humana natura esse sublimius. Econtrario dispofuerat saluator,dispensationem suam, & assumptionem corporis ignorare diabolum: vnde & in generatione sua celauit eam, & discipulis postea præcipiebat,ne manifestum eum facerent. Et cum ab ipso diabolo tētaretur, nusquam confessus est Dei se esse filium: sed tantummodo respondebat, Non oportet vt adorem te, nec vt lapides istos panes faciam,nec vt me de alto præcipitem.Et cum ista diceret, tacuit semper se esse filium Dei. Quære & in alia scriptura, & reperies voluntatis Christi fuisse, vt aduentum filij Dei diabolus ignoraret. Apostolus enim passionem eius asserens nescisse contrarias fortitudines, ait, Sapientiam loquimur inter perfectos:sapientiam autem non seculi huius, neque principum seculi huius qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam,quam nullus principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Absconditum igitur fuit à principibus seculi mysterium saluatoris. Quod autem econtrario obijci potest, soluendum mihi videtur antequam ab alio proponatur,qua ratione quod principes huius seculi latuit, dæmonem non latuit,eum præsertim qui in euangelio loquebatur, Venisti ante tempus torquere nos,scimus te quia sis filius Dei. Sed considera,quòd minor in malitia nouerit saluatorem:qui vero maior est in scelere,& versipellis, & nequam:ex eo ipso quòd in malo maior est impeditur nosse filium Dei. Nos quoque ipsi si minus habuerimus mali, facilius possumus ad virtutem procedere.Si verò magis in nobis fuerit mali, ingenti labore suadendum est, vt maiori malitia liberemur. Hæc de eo quòd sponsum habuerit Maria. Quia vero angelus nouo sermone Mariam salutauit, quem in omni scriptura inuenire non potui:& de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait, *Aue gratia plena*, quod Græcè dicitur κεχαριτωμένη vbi in scripturis alibi legerim non recordor,sed neque ad virum istiusmodi sermo est,salue gratia plene. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Si enim sciffet Maria & ad alium quempiam similem factum esse sermonem (habebat quippe legis scientiam, & erat sancta, & prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat) nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset.Propter quod loquitur ei angelus, *Ne timeas Maria,inuenisti enim gratiam coram domino. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.Is erit magnus,& filius altissimi vocabitur.* Dicitur & de Ioanne, erit magnus, & hoc ipsum Gabriel angelus contestatur: Sed quando venit Iesus vere magnus, vere sublimis, ille qui prius magnus fuerat minor effectus est. Ille enim (inquit)fuit lucerna ardens, & lucens. & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. Magnitudo saluatoris nostri non tunc apparuit,quando natus est, sed nunc postquam oppressa ab aduersariis videbatur, emicuit. Vide magnitudinem domini. In omnem terram exiuit sonus doctrinæ eius, & in fines orbis terrarum verba illius. Dominus noster Iesus,quia virtus est Dei,in omnem diffusus est orbem, & impræsentiarum nobiscum est: iuxta illud quod in Apostolo legitur, Congregatis vobis, & spiritu meo cum virtute domini nostri Iesu Christi. Virtus domini saluatoris & cum his est, qui ab orbe nostro in Britannia diuiduntur, & cum his qui in maritima, & cum vniuersis qui sub sole in nomine eius crediderunt. Vide ergo magnitudinem saluatoris quomodo in toto orbe diffusa sit, & certe necdum eius veram magnitudinem exposui.Ascende in cælos,& vide eum quomodo cælestia repleuerit.Apparuit siquidem angelis. Descende cogitatione in abyssos, & videbis eum etiam illuc descendisse. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit, vt impleret omnia, vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cælestium,terrestrium,& infernorum. Considera virtutem domini quod impleuerit mūdum, id est cælestia, terrestria, & infernalia quomodo & cælum ipsum penetrauerit,& in superna ascenderit. Legimus enim quòd pertransierit cælos filius Dei. Si hæc videris, pariter intueberis non transitorie dictum,Magnus erit,sed verbum opere completum.Magnus est dominus noster Iesus, & præsens, & absens tribuitque consortium fortitudinis suæ huic coetui nostro atque connentui:quòd vt singuli mereamur accipere, deprecemur dominum Deum:cui est gloria & imperium in secula seculorum,Amen.

S. ATHANASII EPIScopi Alexandrini de Sanctißima Deipara, Homil.

TRansimus ad ea,quæ ab Euangelista de Deipara & matre Dei enarrantur, audituri illic explicatius seriem rei gestæ. Significamus igitur tempore beneplaciti paternæ volūtatis, sub plenitudinem septuaginta hebdomadarum Prophetæ Danielis ab ædificatione Hierusalem, post remigrationem captiuitatis Iudæ ex Babylone, per Salathiel,& filium Iosedech, summos id temporis sacerdotes, & ad impletionem trecentorum nonaginta annorum, secundum vices sui sacrificij ingressum esse Zachariam in templum Domini,ad incensum offerēdum, apparuisseque ei Angelum Domini ad dexteram altaris, annunciantem ei de Filio suo Ioanne, quem cōceptura esset vxor sua Elizabet, edituraque esset Baptistam & præcursorem Christi, ac cōceptione deinde peracta,& mense sexto,ex quo prægnans erat Elizabeth, emissum esse Archangelum Gabrielem à Deo in Nazareth ciuitatem Galilææ,ad virginem Mariam, *Et ingressus ad eam Angelus, salutauit eam, dicens: Aue gratiosa,Dominus tecum.* Etiam hic animaduertimus vocem illam salutationis Angeli esse vocem,quæ pro sono suo quo efferebatur,significationem habuit verum eam ipsam nequaquam fuisse filij hypostasin, aut carnem esse factam, seu pro suo sono, loquendique ratione diuersam fuisse à verbo Dei, quod in vterum virginis pariter descendit: prorsusque blasphemias dicunt,qui autumant vocem Angeli fuisse materiam substantiamque Verbi: nobis ergo ob istam exectabilem blasphemiam, visum est locum præsente m

sentem annotate. Quum igitur diuersa sit à voce Archangeli, hypostasis verbi & Filij Dei, simul ac aperirentur aures virginis per Angelicum sonum, introgressa est in eam diuina Filij essentia, adeo, vt nec ipsa virgo hæc cognouerit: cognouerit autem Dei Filius, quo pacto introierit. Quapropter vt ignara de euentu mysterij conturbata est, super verbis Angeli dicentis, *Aue gratia plena, Dominus tecum, & cogitabat secum, qualis nam esset ea salutatio*, Vnde subsecutus Archangelus ad eam dixit, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, Ecce concipies in vtero, & paries Filium, vocabisque nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit ei Dominus Deus solium Dauidis Patris sui, & regnabit in domo Iacob in secula, & regni eius non erit finis.* Quin & hic hæsitat virgo, vtpote ad naturam respiciens, & de Iosepho cogitans, cui nupta erat, ad Angelum tale responsum dedit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et quādoquidem dixerat, ô Angele, *Virum non cognosco.* Tu autem per hoc aduerbium, *Ecce*, quod demonstrandi vim habet, *Ecce* inquis, *concipies*, quasi de tempore iam instanti mihi loqueris. Quomodo istud fiet, ignoro, sed dic mihi Angele atque interpretare, quomodo istud fieri possit? *Cui respondens Angelus dixit, Spiritus Sāctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Atque hæc est, inquit, cōcipiendi ratio, ita concipies in vtero superueniente Spiritus Sancti, & obumbratione virtutis altissimi, atq; ideo, inquit, *Quod natum erit Sanctum, Filius altissimi vocabitur.* Illa vero etiamnum hæsitans, sed tamen optans, *Fiet mihi*, inquit, *secundum verbum tuum, & abijt ab illa Angelus.* Nam hoc significat Euangelista, Angelum ab ea digressum esse, ne occasionē relinqueret dicere volentibus, eum ipsum Angelum incolam virginis incarnatum fuisse, aut verbū, quod ille insonuit, aut prolocutus est, hominis naturam condidisse, sed quod abscedēte Angelo superuenerit in virginem Spiritus Sanctus, obumbraueritque illam virtus altissimi, atque ita postmodum consummatus est salutaris ille conceptus. Quibus iterum necessario est insistēdum, considerandumque qua ratione ad virginem dictū sit, *Spiritus Sāctus superueniet in te, & virtus altissimi te obumbrabit:* nū quid itidem, vt ad Apostolos dixit Christus, Vos autē sedete Hierosolymis, donec induamini virtute ex alto, adueniente in vos Spiritu Sācto? Idē enim genus promittēdi, & eadē ratione intelligi potest: quum & hic virtutē ab altissimo superuenturā in Apostolos, & Spiritus Sancti accessum denunciet. Quid igitur? num vt Apostolis spiritus, & virtus altissimi promittitur, ita & virgini quoque promittitur? Quòd si eadem ratione huic, vt Apostolis, promissio facta est, itidémque virtus altissimi, & Spiritus Sanctus in eam descenderit, sequitur, vt quum in Apostolis ea ipsa virtus & Spiritus Sanctus incarnationem non fecerit, neque in virgine virtutem altissimi, aut obumbrationem Sancti Spiritus incarnationem operatam fuisse, nec hominem esse factum, quanquam etiam alius secundum eam consuetudinem, quæ in sacris scripturis est virtus altissimi appellatur. Enim verò, vt in Apostolos virtus ista ideo descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent, ideóque spiritus superuenit essentialiter, cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent omnibus signis, prodigiis & portentis, ad confirmandam, certámque & indubitatam reddendam promissionem Christi: ita quoque Spiritus Sanctus in virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adsunt, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eò quòd adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret, & virtute altissimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse: neque enim id temporarium in virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodū & nunc in præsentia & in æternum vsque habet hæc virgo sibi obumbrantem virtutem altissimi, & superuenientem Spiritus Sancti, & virtutem altissimi, vt sit gratia plena: ita enim isthic opinamur omnia illi per gratificationem Spiritus Sancti, & virtutem altissimi donata fuisse, & nequaquam sicuti hæretici dicunt, vim scilicet quandam, energiámque spiritus inditam esse virgini, vt incarnatio perficeretur. Nam tametsi sine seminio id factum credimus, tamen nō ita loquimur, quòd secundum eam diuisionem gratiarum, qua spiritus singulis diuidit prout vult, caro ista formata sit citra interuentum propriæ essentiæ Filij Dei. Absit: ea enim est mens Pauli Samosatensis, & reliquorum hæreticorum: verum ita loquimur secundum orthodoxorum dogmatum rectitudinem, virtute & spiritu esse impletam virginem, tum vt corpus eius sanctificaretur, tum vt salutarem illum fœtum concipere posset. Atque ita deinceps diuina Verbi natura ibi suum tabernaculum eligens, in ea incarnationem assumpsit, & homo factus est, non ita quidem, vt potentiam aliquam operandi vim illi inderet, sed vt in ea naturaliter secundum vniuersam integritatē deitatis, persona Filij ab initio Deus, & vlterior initio, carnem & hominis conditionem indueret. Declaratum enim superius est virtutem regnúmque, atque alia omnia istius generis, de quibus in sacris literis mentio fit, non ita de vnoquoque ex Trinitate esse intelligenda, quasi singula eorum personam propriam denotent, sed ita accipi debere, quasi ea non substantiam significent, sed substantiæ proprietates, atq; ita energiam & virtutem circa personam essentialiter referri, & in commune quidem ea de vnaquaque personarum diuinarum prædicari, propriè tamen solū ad personam Filij incarnatam, & hominem factam pertinere. Superuenit igitur Spiritus Sanctus super eam, & sanctificauit ipsam, vt in Psalmis Spiritus dicit, Sanctificauit tabernaculum suū altissimus, & obumbrabit virtus altissimi, corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quòd secundum simplicem naturæ suæ proprietatem, virgo in se habitantem Deum videre potuerit, aut quòd ipsa animata rationalisque & intellectualis incarnatio conspicere valuerit, sed quatenus possibile fuit, vtpote obumbrante illam virtute altissimi, & vmbras lineamentáque quasi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem. Et vt nos ipsi animam inhabitantem in carne nostra possidemus, nec tamen, quomodo qualisque

Sed communis est sententia, eam nequaquam hæsitasse.

Act. 1.

Psal. 45.

liſuc ea ſit, conſpicere poſſumus, ſed quaſi vmbram eius, & lineamenta ex virtutibus eius & internis efficaciis colligimus: Tale quiddam tum virgo, tum ipſa rationalis & intelligens anima contueri poterat, atque etiam nunc poteſt, ex potentus operationibúſque inde prodeuntibus. Atque ſecundum hanc proportionem potius loquendum eſt, quòd Deus fecerit hominem ſecúdum imaginem Dei: ſecundum imaginem enim & ſimilitudinem iſtiuſmodi incarnationis, & aſſumptæ humanitatis hominem Deus fecit, vt in ſe geſtans illud quod ſecundum imaginem & ſimilitudinem Dei effigiatū erat, nihil ambiguum relinqueret de incarnatione & humanitate aſſumpta: Incarnationis enim & aſſumptæ humanitatis ſpeciem, ſub vna voce ſimul prædicamus, neque ſolum incarnationem annunciamus, ſed vnà cum incarnatione & aſſumptam humanitatem, ne videamur cum impiis hęreticis, inanimatam, mentéque vacuam, & irrationalem incarnationem ſtatuere, ſed ea eo quod dicimus incarnationem & humanitatem ſimul aſſumptam & carnem credimus, & animam rationalem & mēte præditam ſignificamus. Ideóque & eos qui dicūt ſolam naturam Dei Verbi incarnatam, neque addunt eam animatam eſſe, & rationalem & mente præditam, non admodum recipimus, niſi reſoluant, & exponant, quid iis verbis ſentiant, id enim nuper ſimpliciter dicebatur, ſed poſtmodum malitioſè tractatum eſt ab hæreticis, verba ſimplicia deprauantibus. Sanctificata igitur ſuperuentu Spiritus Sancti virgo & corroborata, & virtute altiſſimi grauida, eum geſtabat, qui ex ſua propria eſſentia Dei erat Filius, pro vnica eius diuinitatis natura, & genuit eundem incarnatum, & hominem factum ſecundum duarum naturarum proprietatem: eundémque duplicem, & vnum ex duobus conſtantem, inconfuſe, immutabiliter, atque indiuiſim credi oportere ſtatuimus: non quidem deiferum hominem, ſed carniferum Deum: cæterum neque hoc pro hæreticorum more intelligentes authores Niceni concilij, ſed, vt diximus, ea operatione ſpiritus & virtutis altiſſimi, & impręgnatione virginis deiferum hominem eum, qui ea virgine prodiit, credendum eſſe ſtatuerunt, geſtaſſe eam Dei virtutem, & energiam ſpiritus, quæ operata eſt coram Pharaone & omnibus filiis Iſraël. Eadem ratione principis Apoſtolorum, verba in actis Apoſtolorum de Chriſto prædicantis, rectè quidem ab eo eſſe dicta accipiunt, ſed quę ab iſtis tortuoſe & malitioſe deprauentur, quum ita loquitur, Ieſum Nazarenum, quē vnxit Deus Spiritu ſancto, quæ verba ita noſtri interpretantur, Deum ſcilicet in vtero virginis creaſſe hominem ſine vllo ſemine per operationem ſpiritus, eúmque vnxiſſe virtute altiſſimi, quaſi oleo exultationis præ conſortibus ſuis (vti ſcriptum eſt) illum ipſum Filium altiſſimi nominauit ſcriptura, quemadmodum & in Pſalmis refertur, loquente Chriſto

Pſal. 81. ad multitudinem. Et ego dixi, Dii eſtis, & Filij altiſſimi omnes: nos igitur talia hæreticorum dogmata intellectúſque reprehendere & corrigere deſiderantes, per præſentem Euangelij interpretationem aſſerimus, non deiferum hominem eſſe Chriſtum, ſed carniferum Deum, quatenus Deus hominem geſtat integrum, abſolutúmque. Deus interim perfectus, & homo perfectus, vnus ratione vnius perſonæ, duplex tamen natura. Hunc igitur hominem quem dicimus, quòd verbum geſtauerit, hunc ipſum Deus Pater, quum illi placuerat, cooperatione Sancti Spiritus, vnà ſimul collaborante Filio inunxit Spiritu ſancto, tribuens ei omnem efficaciam, eundémque virtute altiſſimi circūcinxit, vt poſſet ſuſtinere omnem aduerſariæ poteſtatis impetum, & operari deinde curationem in populo. Siquidem & tentari ſe à ſatana non recuſauit, & omnem humilitatem & paupertatem in carne ſua perpeſſus eſt, & quemadmodum de eo magnus ille præco vociferatur dicens, Illud impoſſibile infirmúmque legis, quatenus ea imbecillis erat ob carnē, Deus miſſo Filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato condemnauit peccatū in carne. Quapropter Filius Dei carne indutus homo factus eſſe dicitur, quemadmodum & alibi Apoſtolus dicit, Quum veniſſet plenitudo temporis, emiſit Gal. 4.
Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Atque hinc annotandum, quòd primum Filius à Patre mittitur, & tum demum naſcitur ex fœmina, non quòd primum naſcatur è fœmina, & tum demum mittatur à Patre, ſed primum eius miſſio à Patre eſt, ac tum denique ſuccedit eiuſdem natiuitas è fœmina, vt quum verbis iſtis Apoſtolicis conſentiant Prophetæ, qui Filium referunt miſſum eſſe. Et primum in Eſaia, ipſius qui miſſus Eſa. 48.
eſt, verba auſculta, Ego ſum primus, & ego ſum vnus in æternum, & manus mea fundauit terram, & dextera mea ſtabiliuit cælum: & egrediēs in tempore operationis coniungit, dicens, Et nūc Dominus miſit me, & ſpiritus eius: manifeſto ſeipſum per hæc declarans, quòd ipſe Deus, qui fe- Eſai. 42.
cit cælum & terram, hæc dicat, Et nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius: etiam per Zacha- Zach. 4.
riam loquens, Oblectare, inquit, & lætare filia Sion, quoniam ecce venio, & habitabo in medio tui. Et defugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & cognoſces, quòd Dominus omnipotens emiſerit me. Iam inde & ipſe incarnatus de ſeipſo ſuis verbis confitetur: Miſſus ſum à Patre, inquit, Et miſit me Pater, eadem multis ſermonibus conteſtata reddidit. Ergo non vt homo miſſus eſt, ſed vt Deus & homo Filius à Domino Patre. Quale etiam illud eſt, Pluit Dominus à Pſal.
Domino Patre, additū eſt à Domino: quale quoque & illud eſt, Dixit Dominus Domino meo. Accipit autem in his verbis thronum Dauidis corporaliter ex ratione proſapiæ, qua pater illi Dauid fuit. Et regnabit in domo Iacob in æter- Luc. 1.
num, & regni eius non erit finis. Attende quæſo ſententiam & dogma, quod hac interpretatione, conſtituitur. Rimantur enim omnia hæretici ſeſe inuicem adhortantes, & fallacioſe quærunt, an acceperit thronum Dauidis Patris ſui, & regnauerit ſuper domum Iacob in æternum? & num iſta ſubſequuta ſint poſt incarnationem eius? quibus ita reſpondemus, non obiter, ſed cum quadam obſeruatione verba iſta attendenda eſſe, quū Angelus dicit, Et dabit illi Dominus ſedem Da- Luc. 1.
uidis, neque enim addidit, vt conformaret aut corroboraret, ſed ſimpliciter loquutus eſt, dabit. Et iam hinc ex vi eorum quæ ex hoc verbo colliguntur, quærenda dubij iſtius ſolutio eſt, eò quòd dabit, pronunciauerit, vt transferret hunc thronum. Quemadmodum & ipſe Chriſtus interpretatur

tatur, ad Iudæos loquens: Ide re[illegible] auf[illegible]retur regnum à vobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Ergo capiens Christus thronum Dauidis transtulit illuc, & dedit sanctis Christianorum regibus, vt conuerteret eos ad domum Iacob, qua tradita in opprobrium, & direptionem, regnabit in Christianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo illi alij residui sunt Prophetæ, secundum visiones Danielis, sed hunc solum Messiam esse prædicant, & regem agnoscunt, perseuerantem vsque ad secundum suum ipsius aduentum. quo tempore quum venerit, manebit rex in secula, & regni [illegible]ius non erit finis. Siquidem genitus ex virgine, & consummatis omnibus quæ ad negocium mortis & crucis pertinebant, post resurrectionem ad suos aiebat, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ecce iam inde re[illegible] nare incepit, & prædicatur Christianorum rex, quemadmodum in exordio precum suarum se inuicem a[illegible]hortantes, atque in cœtum conuocantes clamare solent, Venite adoremus & procidamus ante Christum regem nostrum. & illud idem, Is qui venturus est in magno suo & illustri aduentu, permanebit regnans in æternum, & regni eius non erit finis. [illegible] quandoquidem ipse rex [illegible]st, qui natus est ex virgine, idémque & Dominus & Deus, ea propter & mater quæ eum genuit, & regina, & domina, & deipara propriè & verè cen[illegible]tur, licebitque nobis ita congruenter dicere, dum ad ipsam & ad eum, qui ex ea genitus est, carnis sum [illegible] re[illegible]picimus: Nunc scilicet adest regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta, variegata, eò quod secundum sexum f[illegible] & domina & mater Dei ap[illegible] beat. Eáque nunc vt reg[illegible] assistens a dexteris Fil[illegible], vbique regn[illegible]ntis, quasi in vestitu deaurato, i[illegible]corruptionis & immortalitatis, circúamicta & variegata, tacitis & solennibus verbis celebratur, non quidem secundum ipsi[illegible]nalem simplicitatem, aut quasi sine corpore & carne assistat, sed quòd induta sit quantum spectat ad sanctissimam eius carnem [illegible]incorruptibilitate & immortalitate. Variegata rursus est, quoniam attinet ad ipsa sanctissima, quæ eius carnem fulsulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, velut ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam [illegible] finxit [illegible]carnationem, eámque semel indutam perpetuo gest[illegible]t. Ac proinde ista noua Eua mater vitæ appe[illegible]variegatáque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam igitur iterum [illegible]que iterum, & semper & vndequaque be[illegible]ssimam. Sicuti ergo quum ad ip[illegible]um re[illegible] Dominum, & Deú appellamus: ita quoque quum ad eam oculos respicimus, reginam, d[illegible]minam, & deiparam esse animaduertimus, id[illegible] oculi mentalis. Adest regina a d[illegible] vestitu deaurato circu[illegible]amicta, variega[illegible]. F[illegible] scilicet, audi filia Da[illegible] & Abrahæ, & inc[illegible] tuam in preces n[illegible]tras, & ne obliuiscaris po[illegible], neque no[illegible] de familia, & domo patris [illegible]. Pa[illegible] tui sum[illegible] generis prosa[illegible] et eni[illegible] te matrem[illegible] hera cognominat[illegible], quòd ex [illegible] ac Deus n[illegible] tem i[illegible], nobis [illegible] terribili, tibi autem dulci, omni eíque gratia sapienti: qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vt pote quæ omni gratia abundares, idque per superuentum in te Spiritus Sancti: ideóque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare nostri, sanctissima virgo, quæ etiá a partu virgo permansisti: & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu, quę gratia plena es: nam ideo his vocibus, vt ex te ipsa desumptis, & natura laudatoriis, præcipue in tuum encomium vtimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue à nobis, siue ab vniuersa creatura offertur. Tibi inquam gratiosæ, & dominę nostrę reginæ, heræ, matri Dei, aux sanctuarij: Ecce iam nunc & in exordio diei, vt primitias laudis, tibi hinc encomium Archangelus contexit dicens, *Aue gratia plena Dominus tecum*, Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ, & Hierarchicas manus attolléres benedicunt tibi, quæ in cælis benedicieris, & in terris beata prædicaris, *Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui*: istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex thronis, Cherubinis, & Seraphinis cóstat, qui aut flámei, aut magni regis Dei cognitores appellantur, beata tu in mulieribus, & beatus venter tuus, Dei gestator: & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, quæ in se dominationes, virtutes, potestatésque cóplectitur, ad te respectans clamat, vtpotè quæ hæc didicerit à sublimiori Hierarchia, priusque initiata sit, benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mamillæ, quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex principibus, Angelis, & Archangelis acies, quibus mandatum, & permissum, fuit, a Deo eminente, vt per vnum Gabrielem Archágelum ederet splendidissimú, & capacissimú hymnum, in hæc verba, Aue gratia plena, Dominus tecum: ab istis deinde nos Hierarchię terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quod didicimus, siue quòd immo hæc verba sumpserimus, exaltamus te magna, & canora voce dicentes, Aue gratiosa, Dominus tecum intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis: quoniam ex nobis tu es vnda es, & is, qui editus est, ex te, carnigenitus Deus, noster est, quem decet gloria, & m[illegible]gnificentia, omnisque honor, & adoratio, & gratiarum actio, cum patre initij experte, & cum San[illegible]o, b[illegible]no, viuifico Spiritu, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

S. IO. CHRYSOSTOMI
Episcopi Constantin. in eodem festo, Oratio.

RVrsus lętitiæ nuncij, rursus libertatis indicia, rursum reuocatio, rursum reditus, rursum gaudia, rursum à seruitute liberatio. Angelus c[illegible]m Virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, mense [illegible]ll[illegible]s est Angelus G[illegible]briel à Deo ad Virginem desp[illegible]satam viro. Missus est Gabriel, vt totius mundi salutem nunciaret. Missus est Gabriel, vt scriptum reuocationis Adam afferret. Missus est Gabriel ad Virginem,

Ioan. 20. (margin)

Beata Maria corpore immortali induta, celebratur in cælis. (margin)

Est apud Metaphrasten. (margin)

nem, vt mulieris dedecus in honorem conuerteret. Missus est Gabriel, vt puro sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, vt inter creaturam, & creatorem sponsalia celebraret. Missus est Gabriel ad animatum palatium Regis Angelorum. Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam quidem Ioseph, sed seruatam filio Dei. Missus est seruus incorporeus ad Virginē immaculatam. Missus est à peccato integer ad corruptionis expertem. Missus est lucernæ splendor, qui iustitiæ solem nunciaret. Missus est nitor auroræ, qui diei lumen præcurreret. Missus est Gabriel, vt ostenderet eum, qui est in sinu Patris, in matris etiam vlnis gestari. Missus est Gabriel, vt indicaret, qui est in solio, in spelunca etiam iacere. Missus est miles, qui Imperatoris mysterium promulgaret. Mysterium, quod fide cognoscitur, & curiositate non inuenitur. Mysterium adorandum, non humana prudentia ponderandum. Mysterium diuinis, non humanis rationibus explicandum. In mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Quem sextum mensem dicit? Quem? Ex quo nimirum Elisabeth bonum accepit nūcium. Ex quo Ioannem concepit. Vnde id planum fit? Ipsemet Angelus Virginem alloquens sic interpretatur. Ecce Elisabeth, inquit, cognata tua, & ipsa cōcepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis. Mense sexto; scilicet conceptionis Ioannis. Oportebat enim, vt miles anteiret; consentaneum erat, vt minister antecederet; æquum erat, vt index Domini præsentiam significaret. Mense sexto missus est Angelus ad Virginem desponsatā viro. Desponsatam, non autem contaminatam. Despōsatam quidem sed seruatam. Cur desponsatā? Ne celerius latro mysteriū intelligeret. Nam per Virginem quidem Regem esse venturum improbos nō ignorabat, quippe qui Esaiæ ipse quoque verba illa audierat: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Itaque singulas virgines obseruabat, vt vbi mysterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Ideircò dominus per desponsatam venit. Quæ enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Audi quid de hoc viro, & de Virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas. Id est, Virgo planè immaculata. A quo dabitur? A sacerdotibus vtique. Cuinam viro? Fabro Ioseph.* Hic Ioseph, fratres, claro prius iunctus matrimonio susceperat liberos; post autem, vxore repudiata, in castitate vixit, & liberos in disciplina, & timore domini educauit. Cùm enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem proficisceretur, & vnum ex filiis eius reperisset; Alium, inquit, Apostolorū vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini, non ex Maria, sed ex Ioseph genitum. Cùm igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendauerunt, nuptiarum tempus expectantes. Verùm eam ipse suscipiens, integram erat conseruaturus. Id quod multò ante Propheta pronunciarat, Dabitur, inquiens, liber obsignatus viro scienti literas, hoc est, matrimonio coniuncto; & dicet: Non possum legere. Cur non potes legere, Ioseph? Non possum, inquit, legere, quia liber est obsignatus. Cui seruatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum reuertamur. Mense sexto

* Cautè hec lege, nam Ioseph etiam virginem fuisse credimus.

missus est Gabriel ad Virginē. Qui profectò huiusmodi à Deo mandata accepit: Ades huc Angele, minister esto mysterij grauis, & reconditi, miraculo inserui. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam, qui aberrauit, descendere festino. Peccatum prostrauit eum, qui ad imaginem meam factus est; corrupit opus manuum mearum; infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alumnum meum. Exulat incola Paradisi. Vitæ lignum à flammeo gladio custoditur. Clausus est locus deliciarum. Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, vt virtutes omnes, quæ in cælo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam Virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur Propheta; Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt, ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meam ratione præditam. Vade ad portam Orientalem. Vade ad habitaculum verbo me dignum. Vade ad alterum cælum, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem, & præsentiæ meæ illi nuncia integritatem. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamum diuinæ humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortus mei secundum carnem. Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, vt parer mihi auditos ingressum. Caue offendas, aut turbes animum Virginis. Templum illud diuinum modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic: Aue gratia plena: vt ego miserear afflictę Euæ. Audiuit hæc Angelus, & secum, vt par erat, hæc cogitabat: Noua res hæc est, cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubim, quem Seraphim intueri non possunt, quem omnes virtutes Angelicæ comprehendere nequeunt, is specialis quidem modo nunciatur cum puella [illegible] Virgine conuersaturus, & propriæ eius personæ præsentia significatur, immo verò ingressus per auditum et promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantopere festinat? Ait enim: Vt paret mihi auditus ingressum. Nunquid potest Virginis vterus eum capere, qui comprehendi non potest? Verè mysterium magnum, & verè [illegible]randum. Sic Angelo cogitanti; Quid, inquit dominus, turbaris, o Gabriel, nouitate rei: Nonne paulò ante missus es à me ad Zachariam sacerdotem? [illegible]: Nonne illi Ioannis ortum nunciasti? Nonne incredulo sacerdoti pœnam intulisti? Nonne senem [illegible] taciturnitate mulctasti? Nonne quæ tu pronunciasti, ego rata habui, & comprobaui? Nonne nūcium tuum res ipsa consecuta est? Nonne sterilis concepit? vterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturæ fugit inertia? Quid est, quod ego non possim efficere? Cur igitur dubitas? Tunc Angelus; Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigere, nimbos in nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere, vt liberos gignat, a certis membris sterilitatem remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infæcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. [illegible] fuit Sara, tum Rebecca, post autem Anna; quæ cùm graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ sunt. Virginem vero sine viri congressu parere superat naturæ leges, [illegible] præsentiam tuā [illegible] denunciat, vt quem cæli, terræque termini non capiunt, Virginis vterus comprehendat. Quomodo, inquit, dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam, inquit Angelus, hospita

ſpiritalitatis pelagus habebat. Verùm illic, ô Domine, te conſpicuum Abrahæ præbuiſti in oſtio tabernaculi, & pertranſiſti, qui omnia comples. Quomodo autem ferret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet ſplendore illuſtratum, & Virgo te ferre poterit, vt non comburatur? Si læſit, inquit Dominus, rubum ignis in ſolitudine, lædet omnino Mariam quoque præſentia mea, ſin ignis ille, qui diuini ignis mei præſentiam ſignificabat, rubum potiùs irrigauit, quàm combuſſit, quid de veritate dices, non in igne flammæ, ſed in pluuiæ ſpecie deſcendente? Tunc Angelus Dei iuſſa faceſſens, Virginem adiit, & clara voce; Aue, inquit, gratia plena; Dominus tecum. Non eſt amplius diabolus contra te. Vbi enim priùs hoſtis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingreſſus principium habuit, inde vita ſibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue, gratia plena. Ne te pudeat, quòd mulier cauſa damnationis extiterit. Tu enim Iudicis, & Redemptoris mater exiſtes. Aue, gratia plena, quę mundi paries Saluatorem. Aue, gratia plena, genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue, animatum Dei templum. Aue, cæli, terræque pariter domicilium. Aue, naturæ illius, quæ comprehendi non poteſt, ampliſſimum habitaculum. Per hanc adeſt, chariſſimi, ægrotantibus medicus in tenebris conſidentibus; illuxit iuſtitiæ ſol, tempeſtate iactatis factus anchora, portúſque tutiſſimus, Deo inuiſis, & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio, in bello verſantibus munitiſſimum propugnaculum; ille nimirum, qui eſt pax noſtra. Qua quidem pace vtinam detur nobis frui, per gratiam eiuſdem Dei noſtri Ieſu Chriſti; Cui gloria, & imperium cum Patre, & Sancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AMBROSII EPISCOPI *Mediolanenſ. in idem Euangel. Homil.*

(Ex libr. 2. in Lucam.) *IN menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, &c.* Lateot quidem diuina myſteria, nec facile iuxta (Eſa. 40.) propheticum dictum, quiſquam hominum poteſt ſcire conſilium Dei. Sed tamen ex cæteris factis atq; præceptis Domini Saluatoris poſſumus intelligere & hoc propenſioris fuiſſe cõſilij, quòd ea potiſſimum electa eſt vt Dominũ pareret, quæ erat deſponſata viro. Cur autem non antequàm deſponſaretur, impleta eſt? Fortaſſe ne diceretur quòd conceperat ex adulterio. Et benè vtrumque poſuit ſcriptura, vt & deſpõſata eſſet, & virgo. Virgo, vt expers virilis cõſortij videretur: deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſui ortu quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram eſſe virginis, & lubricam famã pudoris, nec putauit ortus ſui fidem matris iniuriis adſtruendam. Seruatur itaque ſanctæ Mariæ ſicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim ſanctos & ab his bonũ (1. Timo. 3.) teſtimonium habere qui foris ſunt. Nec decuit ſiniſtra virginibus opinione viuentibus velamen excuſationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Iudæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti? Quemadmodum autem ipſe diceret, Non veni legem ſoluere, ſed adimplere: (Matth. 5.) ſi videretur cœpiſſe à legis iniuria, cùm partus innuptæ lege damnetur? (Deut. 23. Num. 5.) Quinetiam locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & delere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentum. Quid quòd etiam fides Mariæ verbis maior adſciſcitur, & mendacij cauſa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mẽdacio innupta prægnans. Cauſam antẽ mentiendi indeſpõſata habuit, deſponſata non habuit: cùm coniugij præmium, & gratia (32. q. 2. ca. Pudor.) nuptiarum partus ſit fœminarum. Nõ mediocris quoq; cauſa eſt, vt virginitas Marię falleret principem mundi: qui cùm deſponſatam viro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum. Fallẽdi autem, vt dixi, principem mundi fuiſſe conſilium, ipſius Domini verba declarant, cùm Apo- (Matth. 16. Matth. 8. Luc. 4.) ſtoli iubentur tacere de Chriſto, cùm ſanati prohibẽtur gloriari de remedio, cùm dæmones præcipiuntur ſilere de Dei filio: quod etiam Apoſtolus declarat dicens, Loquimur Dei ſapientiam (1. Cor. 2.) in myſterio abſconditam, quam nemo principum iſtius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent: hoc eſt, nũquã me redimi Domini morte feciſſent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit vt vinceret, fefellit diabolum cùm tentaretur, cùm rogaretur, cùm Dei filius diceretur, vt nuſquam diuinitatem propriam fateretur. (Luc. 4.) Sed tamen magis fefellit principem ſæculi. Diabolus enim & ſi aliquando dubitauit, cùm diceret: Si filius Dei es, (Matth. 4.) mitte te deorſum: tamen vel ſerò cognouit, & diſceſſit ab eo. Cognouerunt & dęmones qui dicebãt; Nouimus te, quia es Ieſus Dei filius, quid ve- (Matth. 8.) niſti ante tempus torquere nos? Et ideo veniſſe cognouerunt, quia præcognitum habebant eſſe venturum. Principes autem ſęculi non cognouiſſe, quo maiore poſſumus quàm apoſtolicæ ſententiæ probare documento? Si enim cognouiſſent: nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent. (1. Cor. 2.) Dæmonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit. At verò qui ſęcularibus vanitatibus occupantur, ſcire diuina non poſſunt. Benè autem ſibi diuiſerunt Euãgeliſtæ, vt ſanctus Mat- (Matth. 1.) thæus Ioſeph ab angelo moneri induceret, ne Mariã cõiugem timeret accipere, quòd teſtimonium ferret quòd nõ conueniſſent: quod hîc ipſa Maria fatetur, cùm dicit angelo, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoui? Sed & ipſe ſanctus Lucas virginem declarauit dicens, *Et nomen virginis Maria.* Et propheta edocuit, qui ait, (Eſa. 7.) Ecce virgo in vtero accipiet. Et Ioſeph deſignauit (Matth. 1.) qui quoniam prægnantem videbat quam nõ cognouerat, dimittere geſtiebat. Et Dominus ipſe in cruce poſitus manifeſtauit cùm dixit matri, Mulier, ecce filius tuus. Deinde diſcipulo, Ecce mater (Ioan. 19.) tua. Etiam vterque teſtatus eſt, diſcipulus & mater: quia ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua. Vtique ſi conueniſſent, nunquam virum proprium reliquiſſet, nec vir eam iuſtus paſſus eſſet à ſe diſcedere. Quomodo autem Dominus diuortium præcepiſſet, cùm ipſius ſit ſententia, quia nemo dimittere debet vxorem, excepta cauſa fornicationis? Pulchrè autem docuit ſanctus Matthæus quid facere debeat iuſtus, qui probrũ (Matth. 5.)

conitu

27.q.2.cap. quod autē §. coniugis deprehenderit, vt incruentum ab homicidio, esse eum ab adulterio præstare se debeat. Qui
Item coniugi. 1.Cor.6. enim iungitur meretrici, vnum corpus est. Ergo
Psal.36. vbique in Ioseph insti gratia & personæ seruatur, vt testis ornetur. Os enim insti mendacium nescit, & lingua eius loquitur iudicium. Iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moueat quòd frequenter scriptura coniugem dicit. Non enim virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. Simul etiam mouere
Matth.1. non debet quod ait Euangelista, Non cognouit eam, donec peperit filium. Illud enim velut idio-
Esa.49. ma scripturæ est: sicut habes alibi, Et donec senescatis, ego sum. Nunquid post illorum senectutem
Psal.109. Deus esse desiuit? Et in Psalmo, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Nunquid postea nō sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat quod causæ est dicere, redundantia non requirit. Satis enim est ei vt causam susceptam adstruat, incidentem differat. Et ideo qui incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putauit vberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis virginis, quàm assertor mysterij crederetur. Certè quando iustum docuit Ioseph, satis declarauit quod sancti spiritus templum, vterum mysterij, matrem Domini violare non potuit. Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium: di-
Ephe.5. scamus & mysterium. Verè desponsata, sed virgo: quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alij nupta, ab alio repleta: quia & singulæ ecclesiæ spiritu quidem replentur & gratia, iunguntur tamen temporali ad speciem sacerdoti. *Et ingressus ad eam angelus dixit, Aue gratia plena, &c.* Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab angelo salutatur. Disce virgo verborum vitare lasciuiam. Maria etiam salutationem angeli verebatur. *Et erat cogitans, qualis esset hæc salutatio.* Erat cogitans cum verecundia, quia pauebat: cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quę nusquā lecta est, nusquam antè comperta. Soli Marię hęc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quę sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore.
Luc.1.suprà. Erubescebat ergo Maria, erubescebat etiam Elizabeth. Et ideo cognoscamus quid intersit inter mulieris & virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia. *Et ait angelus ad eam, Ne timeas Maria, &c.*
Luc.1.suprà. Dictum est quidem etiam de Ioanne ab angelo, quia erit magnus. Sed ille quasi homo magnus,
Psal.144. hic quasi Deus magnus. Magnus enim Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est
Luc.7. finis. Et verè est ille magnus, quia inter natos mulierum propheta maior Ioāne Baptista nemo est.

Habet tamen maiorem, quia qui minor est in regno Dei, maior est illo. Magnus autem Ioannes, sed coram Domino. Magnus hic, sed Dominus. Luc.5.
Ioannes vinum & siceram non bibit, hic cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit. Ille abstinentia meritum colligat, cui potentia nulla naturæ. Christus autem cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abstinentibus poterat præstare meliores? Simul mysticè non dedignatur eorum conuiuium, quibus daturus est sacramentum. Hic ergo manducat, ille ieiunat. Vtriusque populi typus, in illo ieiunat, Matth.4. Marc.1.
in hoc pascitur. Sed ieiunauit & Christus, ne præceptum declinares: manducauit cum peccatoribus, vt gratiam cerneres, agnosceres potestatem. Magnus ergo & Ioannes, sed eius magnitudo habet principium, habet finem. Dominus autem Ie- Apoc.1.& 22.
sus idem est finis atque principium, idem primus & nouissimus. Nihil ante primum, nihil vltra nouissimum. Neque te generationis humanæ consuetudo in vitium trahat, vt putes non primum esse, quia filius est. Sequere scripturas, vt errare nō possis. Primus filius dicitur. Lectum est etiā quia 1.Tim.6.
& solus pater, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: sicut legisti, Et 1.Tim.6.
immortali soli Deo. Sed neque primus sine patrem, neque solus sine filio. Si alterum negas, alterum adstruis, vtrumque sequere, & vtrumque confirma. Non dixit, Ego prior, & ego posterior: sed, Ego primus, & ego nouissimus. Primus est filius, & ideo coæternus. Habet enim patrem, cum Apo.1.& 22.
quo sit æternus. Audeo dicere, Primus est filius, sed solus non est: & bene dico, & religiosè dico. Quid exigitis ad impietatem heretici aures? In la- Psal.7.
queos quos tenditis, incidistis. Primus est filius, & solus non est. Primus, quia cum patre semper: solus non est, quia sine patre nunquam est. Nō ego Ioan.8.
hoc dico, sed ipse dixit, Et non sum solus, quia pater mecum est. Solus pater, quia vnus Deus: solus pater, quia vna diuinitas patris & filij & spiritus sancti. Et quod vnum est, solum est. Solus pater, solus vnigenitus, solus & spiritus sanctus. Neque enim qui filius, & pater: sunt qui pater, & filius: aut qui spiritus sanctus, & filius. Alius pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Legimus enim, Roga- Ioan.14.
bo patrem, & alium paraclitum mittet vobis. So- 1.Cor.8.
lus pater, quia vnus Deus, ex quo omnia. Solus filius, quia vnus Dominus, per quem omnia. Solum diuinitas facit, generatio & patrem testificatur & filium: vt nusquam filius sine patre, aut pater esse videatur sine filio. Ergo nec solus, quia 1.Tim.1.
non solus immortalis, Nec solus lucem habitat & 6.
inaccessibilem, quia Deum nemo vidit vnquam, Ioan.1.
nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, qui sedet ad dexteram patris. Et hinc quidam audent dicere inaccessibilem lucem esse quam habitat pater. Nunquid lux melior patre? Quæ autem lux inaccessibilis ei, cui non est inaccessibilis pater? Et ipse lux vera, & genitor lucis æternæ, de qua Cap.1.
dictum est: Erat lux vera, quæ illuminat omnem Ioan.1.
hominem venientem in hunc mundum. Vide ne illa sit lux inaccessibilis quam habitat pater, habitat & filius: quia pater in filio, & filius in patre.
Bene ergo magnus: latè enim funditur Dei vir- Ioan.14.
tus, latè cælestis substantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. Nō loco clauditur, non opinione comprehenditur,

non

non æstimatione concluditur, non ætate variatur. Dedit quidem Dominus Iesus hominibus magnitudinem: In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, non in fines tamen mundi, non in fines cæli, non vltra cælos. At verò in Domino Iesu omnia condita sunt in cælis, & in terra, visibilia & inuisibilia, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Cælum aspice, Iesus illic est. Terram intuere, Iesus adest. Ascende verbo in cælum, descende verbo in infernum, Iesus adest. Etenim si ascẽderis in cælum, Iesus illic est: si descenderis in infernum, adest. Hodie cùm loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquatur Christianus, Iesus adest. Nemo enim dicit Dominũ Iesum, nisi in spiritu sancto. Abyssos opinione si penetres, illic quoque Iesum videbis. Scriptum est enim, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christũ à mortuis reducere. Vbi ergo non est, qui cælestia, inferna, & terrena compleuit? Bene ergo magnus, cuius virtus mundum repleuit, qui vbique est, & erit semper: quia regni eius non erit finis. *Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud, &c.* Videtur hîc non credidisse Maria, nisi diligenter aduertas. Neque enim fas est vt electa ad generandum vnigenitum Dei filium, fuisse censeatur incredula. Quo ergo modo fieri posset, (salua prærogatiua matris, cui profectò fuit amplius deferendum: & vt prærogatiua maior, maior etiam fides ei debuit reseruari.) vt Zacharias qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria; neque tamen temerè debuit vsurpare: non credere angelo, vsurpare diuina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum à sæculis in Deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit, sed accommodauit affectum, spopondit obsequium. Etenim cùm dixit, *Quomodo fiet istud?* Non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Quanto temperatior ista responsio, quàm verba sunt sacerdotis? Hæc ait, *Quomodo fiet istud?* Ille respondit, Vnde hoc sciam? Hęc iam de negotio tractat: ille adhuc de nũtio dubitat. Negat ille se credere, quod negat se scire, & quasi fidei adhuc alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, sed id quomodo fieri possit, inquirit. Sic enim habes, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui?* Incredibilis & inaudita generatio antè audiri debuit, vt crederetur. Virginem parere, diuini est signum mysterij, non humani. Dabit, inquit, Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, antè non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel tanto prophetæ fuerat reuelatum. Tanti nanque mandati mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum. Hodie primùm auditur, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Et auditur, & creditur. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, &c.* Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quę faceret quod iuberetur. Mitem enim humilémque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. *Ecce ancilla domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* Habes obsequium, vides votum. *Ecce enim ancilla Domini*, apparatus officij est: *contingat mihi secundum verbum tuum*, conceptus est voti. Quàm citò ergo etiam de impari conditione credidit Maria! (Quid enim tam impar quàm Spiritus sanctus, & corpus? Quid tam inauditum, quàm virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini?) Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili ætate non credidit: nam conditio congruebat: Ex viro & fœmina solemnis est partus, nec incredibile debet videri, vbi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non natura ætatis; sit plerumque vt ætas impediat naturam: non est tamen irrationabile vt minor cedat causa maiori, & potior prærogatiua naturę vsum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quòd Abraham & Sara filium in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis est. Quòd si, quia risit Sara, reprehenditur: iustius eodem natur qui non oraculo credidit, sed exemplo. Maria autem cùm dicit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Liquet enim quòd faciendum esse crediderit, quæ quomodo fieret interrogauit. Vnde & meruit audire, Beata quę credidisti. Et verè beata quę sacerdote præstantior: cùm sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et bene quæsiuit, quomodo fieret. Legerat enim quia virgo conciperet, sed non legerat quomodo generaret. Legerat, vt dixi, Ecce virgo in vtero accipiet: quomodo autem acciperet, in Euangelio primùm angelus est locutus.

[Margin notes: Psal.18. Colos.1. Psal.138. 1.Cor.12. Rom.10. Heb.13. Luc.1.supra. Coloss.1. Esai.7. Luc.17. Matth.26. Gen.21. Gen.17. Gen.18. Luc.1.infra. Esa.7.]

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponens. in eodem festo, Homil. 1.*

Adest nobis dilectissimi, optatus dies beatæ, ac venerabilis semper virginis Mariæ, ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ virginis illustrata die solenni. Hæc est enim flos campi, de qua ortũ est preciosum lilium conuallium per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infœlicitatis elogium, quo dicitur, In dolore paries filios tuos: quia ista in lętitia dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit. Quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum, & sine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera. Descendit angelus de cęlo missus à patre Deo in nostrę redemptionis exordium, ad beatam salutando Mariam, Aue, ait, gratia plena, dominus tecum. Impleta est ergo gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ, Aue, inquit, gratia ple-

[Margin notes: Sermo 18. de Sanct. Genes.3.]

na,dominus tecum. Tecum dominus in corde, tecum in ventre,tecum in vtero,tecum in auxilio. Gratulare beata virgo, Christus rex è cælo suo incarnatur in vtero tuo,ex sinu patris in vterum dignatur descendere matris.Benedicta tu, inquit,in mulieribus,quæ vitam & vitis, & mulieribus peperisti.Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix domini nostri salutem attulit mundo.Auctrix peccati Eua,auctrix meriti Maria.Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit,ista sanauit.Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.Læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur filium,portat à quo portabatur. Nec fortuitu,vt fingunt Sabelliani,reperit paruulum, sed decursis nouem mensibus, peperit Christum. Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceãtur. Audite igitur quemadmodũ tympanistria nostra cantauerit:ait enim, Magnificat anima mea dominum, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillę suę,ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna,qui potens est,&c. Causam igitur inualescentis errati,miraculũ noui partus euicit, & Euæ planctum Mariæ cantus exclusit. Denique post illius benedicibile angeli præsagium, dum tacita secum virgo mentis altercatione conflixit, qualis esset ista salutatio, nuncius interim cælestis exequitur. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum, Ecce concipies in vtero, & paries filium,& vocabis nomen eius Iesum: at illa, Quomodo inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et angelus ad eã. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.Iam audisti quo modo fiet hoc, responde nunc verbum, Vitam quid trieas mundo? Audisti quo modo fiet hoc, quia spiritus sanctus superueniet in te,vt prolem gignas, & virginitatem non perdas:filium profetas,& post partum incorrupta permaneas.O beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari,virgo, nuncio festinanter responde verbum, & suscipe filium,da fidem,& senti virtutem.Ecce, inquit,ancilla domini, fiat mihi secundũ verbum tuum.Nec mora reuertitur núcius, & virginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subito prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per secula prædicatur fœlix.Concepit mox ad credulitatem verbi,vitilis ignara consortij:impletur vterus nullo humano pollutus amplexu. Extat itaque virgo cum concepit,virgo grauida, virgo cum parit, & virgo post partum.Præclara ergo illa virginitas,& gloriosa fœcunditas.Exultat Maria, & matrem se læta miratur,& de spiritu sancto se protulisse gaudet, nec quia peperit, innupta terretur, sed quia genuerit,cum exultatione miratur. Gaudeamus ergo & nos,fratres,in die annunciationis,quæ per angelum hodie facta est ad aures virginis, quæ dum desponsaretur fabro,cæli nuptir architecto. Promittitur enim ei filius per visitationem sancti spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater.Quid igitur mirum,si sine corruptione nascitur,qui de sanctificatione concipitur? Nõ enim decebat,vt ille,qui nobis afferebat salutem,matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra,mari,cælóque non capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur:hæc est illa nouitas, Hieremiæ prophetæ vaticinio prænunciata, Faciet, inquit, dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum. O fœmina super fœminas benedicta,quæ virum omnino non nouit, & virum suo vtero circundedit. Circundat virum Maria angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum, serpenti consentiendo. Salutat angelus puellam viri salutationis ignaram,terretur virgo nouitate verborum:ad quam angelus,vt superius prętulimus, dixit, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud dominum. Ne, inquit, à conspectu meo terrearis mater domini mei, ego conceptionis tuæ minister adueni,nõ vt virginitatem amitteres interueni. Ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. Concipies enim, & paries filium, non cuiuslibet meriti hominem,sed totius seculi saluatorem. Recole,Maria, in libro Esaiæ Prophetæ virginem quam parituram legisti, & gaude, atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es virgo, tu ecce concipies in vtero, non de viro, sed de spiritu sancto, & grauida eris, & incorrupta permanebis. Paries quidẽ filium, & virginitatis non patieris detrimentum. Efficieris grauida, & eris mater semper intacta. Senties pondera ventris,& pudorem non perdes castitatis. Intumescent vbera tua, & intacta manent genitalia tua: at illa dixit,Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.O fœlix obedientia, ó insignis gratia, quæ dum fidem dedit humiliter, cæli in se opificem corporauit. Impleuit in ea dominus, quod dudum prædixerat, Obedientiam, inquit, malo quàm sacrificium, & sciẽtiam Dei plus quàm holocausta. Hæc fuit vera obedientia omníque sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostijs acceptior,hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum hausit:ecce,ait,Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.O beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat,quæ solo tuo commercio recuperandi aditũ inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orãdo excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum recõciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mẽte poscimus. Accipe, quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes vnica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo,interueni pro clero,intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei,quæ meruisti benedicta redemptorem ferre mundi,qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EIVS

Hier. 31.
Gen. 3.
Luc. 1.
Esai. 7.
Luc. 1.
Osea 6.
Luc. 1.
B. Mariæ intercessio potetur.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 2.*

Serm. 19. de Sanct. CORruptũ peccatis originalibus, & actualibus mũdũ mundi cõditor secreto, & mirabili cõsilio per mysterium verbi incarnati, eiusdẽ mundi lapsum voluit reparare, qui eo verbo potuit de nihilo cuncta creare, potuit, quæ perdita fuerant, Psal. 32. reformare. Ipse namque dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Hanc ei potentiam non Iac. 1. credimus imminutatam, non credimus immutatam: & apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quo minus esset potens & sapiens in reformando, quã fuerat in plasman- Psal. 24. do. Omnipotẽtis quippe figuli manus, cuius vniuersæ viæ misericordia, & veritas, quæ lutum de terra leuatum rationalis naturæ dignitate sublimauerat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, vt nec peccatum hominis dimitteret impunitũ quia iustus est, nec insanabile, quia misericors est. Si tantum iustus esset, cuius sapientia attingit Sapien. 8. à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, potuit sua fortitudine aduersus seductorem generis humani cõtendere, & ouem perditam ad gregẽ reductam suo dominio restitue- Luc. 15. re. Sed hoc modo videretur eminentiam tantum suæ virtutis ostendisse, non medicinalem misericordiam impendisse redemptis: nec appareret quanta charitate creator creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat, quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei male merito repẽdebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter, & fortiter, voluit facere suauiter vniens sibi infirmitatem carnis nostræ quam primo in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret, non quòd non potuerit aliter fieri quantum ad peritiam, & potentiam medici, sed quia non potuit commodiuś antidotum procurari quantum ad complexionem ęgro- 1. Cor. 1. ti. Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus: & quod stultum est Dei, sapientius est hominib. Hęc causa nobis specialis esse videtur cur Dei filius hominẽ induere voluerit, & inter homines conuersari, vt mortalitatem, quam à nobis accepit, moriẽdo superaret, & naturam nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secum ad immortalitatem reuocaret, vt eò sequeretur humilitas gregis, quò præcessit celsitudo pastoris. Sic radius solis humorem, quẽ ad se trahit, exiccat, ipse tamen virtutẽ sui caloris & splendoris nec minorat nec immutat. Sic ignis materiem, quam assumit in se conuertit, naturam vero suam ideo nec mutat nec minuit: multo fortius Deut. 4. ille ignis, de quo dicitur, Deus noster ignis consumẽs est, mortalitatem nostram in se assumpsit, & inde gratia sanitatis totum corpus resumpsit. Mirabile, & incomparabile genus medicinę, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus saluris remedium procurabat, sua decre- Hebr. 4. uit infirmitate sanare. In hoc apparet quam incomparabili charitate nos dilexerit, quia in eo quòd desertores suos quæsiuit, semen Abrahæ apprehẽdit, errantes reduxit, saucios curauit, nihil sibi addidit, Non est inde factus altior, non est factus inde beatior. Tota hæc dispensatio no-

stræ vtilitati consuluit, nostrę saluti militauit, diuinæ potentiæ nil contulit. Nam & cum essemus 2. Timo. 2. vasa cõtumeliæ, omnipotẽtis figuli manũ effuge- Rom. 9. re nõ potuimus, vtebatur vasis iræ prout volebat ad manifestationẽ suæ glorię: sic enim dictum est Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te vt ostẽdã in te Exod. 9. virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Nónne & dæmones cum à domino eucerentur de corporibus obsessis Dominum glorificabant, quando dicebant, Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei viui? Quid venisti ante Matth. 8. tempus torquere nos? Constat ergo ex his & huiusmodi aliis, quia diuina virtus nostra reparatione non eguit, sed tamen ea bonitate, qua nos condidit, eadem nos reformare voluit: & ad hoc medicamen nunquam forte posuit, sed quàm lenius complexioni ægrotantis competere perspexit, apposuit. Solent quippe medicinæ periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minus fortia contraria à fortioribus contrariis superuenientibus superantur. Simili ratione, similia similibus apponuntur, cum secundum quantitatem vulnerum vel tumorum mensuratur lõgitudo, vel latitudo epithematum. Sic scorpionũ carnes oleo coctæ percussionibus medẽtur scorpionum, sic theriaca de serpentis carne confecta, morbibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem carnis nostræ de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformauit. Vbi Genes. 3. diligentius attendendum est quòd mors quæ per Ephe. 3. lignum venit, per lignum superata est, Et ipsa ligni forma longitudini & latitudini, & altitudini humani corporis configurata est, quorum sicut 4. Reg. 36. totum corpus motum est vt manus ad veritũ extenderetur: ita corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur: & totum, quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito, admixtum est & medicamentum factum per oppositum. Nam hic sanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformat crucis tormẽtum. Continetur in hac crucis figura altius sacramentum quod quanto est altius, tanto attendendum diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis di- Iubb. 59. Hom. Ho. 9. lectio proximi, quæ non tãtum vsque ad amicos, Crucis figura quid obumbret. sed etiam extendenda est vsque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in eiusdem longitudine, lõga & perseuerans laborum & persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ra- Hebr. 6. tione in altitudine eius eminentia spei penetrãs vsq; ad interiora velaminis, vbi visione pacis perfruentur qui hic à ciuibus Babylonis multipliciter exercentur, donec in libertatem gloriæ filiorum Dei à seruitute corruptionis huius liberen-

tur. Significauit hanc charitatis latitudinem Dominus Iesus in cruce caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentem submittens, manus ad Aquilonem & Austrum extendens, vt adimpleret quod de se ante passionem suam prædixerat, Cum exaltatus fuero à terra, id est, cum crucifixus fuero, omnia traham ad meipsum: id est, vocabo ad me, totum mundum. Hoc sacramento crucis Sanctus
4. Reg. 4. Heliseus Sunamitis filium os ori, manus suas manibus eius applicans orando suscitauit, & viuum
Num. 20. matri restituit. Eiusdem virtute sacramenti Moyses in deserto bis silicem virga percussit, & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio, duorum lignorum figuratè intelligitur in cruce facta compactio. Bis ergò petra percuti-
1. Cor. 10. tur, Cum Christus, de quo dicit Apostolus, Petra autē erat Christus, in duobus lignis crucis extēsus lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cum sanguis redemptionis, & aqua baptismatis quibus in nouum hominem transformamur, de latere Christi manauit. Præterea inter has crucis dimensiones solerter attendenda est crucis profunditas, quia profundum est mysterium crucis, in quo multorum, qui sapientes dicebātur, ingenia defecerunt, quòd hoc ausi sunt reprehendere, quod non poterunt humana ratione comprehendere, videlicet cur verbum Deo patri coæternum, omnia cōtinens, omnia implēs in assumpto homine totū se conclusit, & tamen totum mundum regere, complere, & continere non desierit, non satis cōsiderātes quod valet in minori, multo magis posse valere in maiori, cum vox vna & tota de ore loquentis prodeat, & tota ad multorū hominū aures perueniat. Qui de hac quæstione scrupulosius disputant, & tāquam clauso ostio ad parietem palpant audiant primum dicentem
Rom. 9. Apostolum, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Deinde mitescant, & cum pietate pulsent vt aperiatur eis, & iustum fuisse conditorem in condemnando, & misericordem in redimendo credant, nec potuisse sanari sine misericordia, quod iuste condemnauerat omnipotentis iustitia. Hinc consequenter aduertant, cur vsque ad captiuati hominis paupertatem & crucis ignominiam se humiliauerit diuina omnipotentia, quæ in paradiso reum hominem condemnauerat iusta sententia. Cum enim de perpetrata à domino irgueretur inobedientia, non se humiliter ve culpa exigebat, accusauit, sed authorem superbe accusauit, dicēs, Mulier, quam dedisti mihi, dedit
Gen. 3. mihi fructum, & comedi. Hæc dicendo se putauit excusatum, & sic creatorem mulieris, conditoremque ad peccandum virum traxerat in culpam. Qui si humiliter se accusasset, & in authorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset. Erat autem contra diuinam iusticiam, si reum in pœnitentem in pristinum gradum restitueret, & non vsque ad dignum pœnitentiæ fructum qui vellet ratione compelleret. Diuina itaque sententia morti est iudicatus, & cum tota posteritate, quæ de lumbis eius erat processura, eiectus est de paradiso, & ærumnoso condemnatus exilio. Et quia sine pœnitentia in statum suum redire non poterat, monendus & admonendus erat ad pœnitentiam, vt reformaret voluntaria, & subiecta humilitas, quod corruperat malè erecta iniquitas. Non enim conueniens erat, vt inuitus traheretur ad pœnitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnam: ne itidem ingratus existeret suæ reformationi, sicut ingratus exstiterat primæ conditioni. Prouisum est igitur tale medicamentum, quale conueniebat ægroto, quod duritiam tumoris sic emolliret, vt mollefactus sponte mortiferum virus effunderet, dicente Psalmista,
Effundite coram illo corda vestra: id est, per confessionem eiicite de conscientiis vestris omnia immunda. Quod quandiu tardauit facere mundus, tamdiu remansit immundus. Vt ergo hoc fieret, misit medicus noster præcones, & testes suos ante se legislatores & prophetas, qui corda auditorum ad pœnitentiam præpararent, & ei in tempore gratiæ testimonium perhiberent. Venit ipse medicus in tempore plenitudinis publicè, prædicauit causam aduentus sui, factus doctor medicinæ, dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum: & item, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: hoc consilium medicinæ acceperunt multi. Cōtemptoribus placuit adhuc magis sibilus serpētis perimētis, quàm persuasio medici redimētis: Filius adoptionis audiuit, & obaudiuit voci promittentis qui in paradiso non obedierat præcepto mortem comminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israel ex parte prædurata, tandem exhibuit se medicum & fecit de seipso medicamentum. Exhibuit se sacerdotem, & fecit seipsum sacrificium, vt compleret ad quod venerat, & probaret quanta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat: vnde & in Euangelio suo, ante prædixerat, Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, hinc est, quòd Apostolus dicit, Commendat charitatem suam Deus in nobis, quia cum inimici essemus, reconciliauit nos sibi per mortem filij sui. Et quia naturale est, vt homines diligentes se diligant, hac humilitate, & charitate humiliata est, & liquefacta duritia mundi, vt agnosceret beneficium suæ reparationis, quæ non agnouerat excellentiam suæ conditionis: vnde Psalmista. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Postquam vero ad se reuersus est, & per dilectionem redimentis, & eruditionem admonentis cognouit de quanta corruisset gloria, & in quanta versaretur miseria expertus est, quàm magna indigeret misericordia, & impletum est, quod dicit Psalmista, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Prædicata est enim virtus crucis per vniuersum mundum, quæ partubus suis per quatuor mundi partes est extensa, & totum mundum sua malaxatione complexata. Nec iam potuit mundus ea toto esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus noster à morte surrexit, & cælos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum est inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur altaris sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur: sacerdotes & leuitæ

Right-margin notes: Psal. 61. — Matth. 4. Marc. 16. — Rom. 11. — Ioan. 15. — Rom. 5. — Psal. 48. — Psal. 15. — Signo crucis virtus. — Basilicarum consecratio.

untæ per hoc idē ad sacros ordines promouentur. Et vniuersaliter omnia ecclesiastica sacramenta, in huius virtute perficiuntur. Qui hoc mare magnum & spaciosum, in quo sunt reptilia quorum nō est numerus, absque naufragio transire desiderat, crucem teneat, & eam non deserat donec ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam perueheit, hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem crucis exponere. Qui vero in angaria Christi crucem portat, p[illegible]terit plura de eius virtute experimento cogno[illegible]e, quam possit sermo retexere, vel humana [illegible]gitatio comprehendere.

Psal. 103.

S. BASILII SELEVCIAE
Episcopi in sacratissimæ Deiparæ Annunciationem, Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

Est oratio [illegible] declamat. Peroratio.

COpiosam præconiorum materiam compe- riet, qui sacram, Deiparamque Virginem laudibus efferre instituerit. Ego verò, cùm non ignorarem, infirmitatem meam tantarum rerum ponderi haud quaquam parem esse, mole territus, diu, multumque me continui. Vt enim dum quis graui onere pressus, in vastum pelagus se dimittere iubetur, non absque animi contentione iussum detrectat, viriúmque imbecillitatem allegat, ita ego, peccatis oneratus, ad eiusmodi sermonum argumentum aggredi reformido; opus illud eorum esse iudicans, qui sublimium rerum contemplatione plurimùm valent, corpusque, & animam probè repurgatam obtinent. Nec enim quorumlibet est, promeritas Virgini laudes persoluere; sed eorum, qui diuinæ gratiæ lumine insigniter illustrati sunt. Ego verò tanto illo cælestis luminis præsidio destituor; quippe qui labra, vt spectator ille Seraphim Esaias, ignito carbone expiata non habeam; neque animæ pedes, vt diuinus Moyses, excalceatos ostendere queam. Vt interim taceam, eiusmodi quoque viros ad grandium rerum ministerium æstuare, & quasi trepidare [illegible]lios esse. Certe Moyses mortalium omnium mitissimus, veréque magnus, cùm diuina vocatione mitteretur, vt populum Pharaonis seruitute pressum in libertatem assereret, prolixè istiusmodi legationem detrectauit: Esto, per multa, eáque non vulgaria signa certam de cælesti subsidio fidem accepisset. Sed & post populum ex Ægypto eductum maioribus rursum miraculis confirmatus est; Nam & mare Virga illius percussum, siccum, per medium vadum, iter transeuntium pedibus exhibuit, (Etenim fluxa marinarum vndarum natura in politorum saxorum modum immota, tranquillaque consistens, transeunti populo muri instar vtrinque erat & arida [illegible]idem, omnisque humoris expers petra, Virgæ eiusdem verbere icta, manantiū riuorū copia de[illegible]tū in mare quodāmodo vertit; & aliarum rursum aquarum amator, ligni iniectu in dulcedinem transiit, & pane tandem de cælo, pluuiarum more admirabiliter lapso, innumera multitudo ad satietatem vsque, eiusdem opera pasta est. Alia præterea multa, quæ omnem rationis comprehensionem excedunt, ab ipso facta sunt. Post tantum autem miraculorum vsum, & experientiam, quando Dei iussione in montem Sina ascendit, tabulas diuino digito exaratas accepturus, cæteros quidem procul à montis radice consistere, etsi iam dudum antè ab vxorū complexibus sese continuissent, præcepit: Sacri autem tabernaculi ministros, à populi consortio seiunctos, nonnihil ascendere mandauit: Sacerdotes verò, qui altiorem inter illos gradum obtinebant, propius accersiuit; subditos per hoc docere volens, sacerdotio initiatos non vnius ordinis, & gradus esse omnes. Super omnes autem, extra caliginem tamen, & nubem, constituit Aaronem tanquam Pontificem, summúmque sacerdotem. Ipse vero solus ad Deum accessit, rerúmque cælestium ornatum ab eo edoctus, vt ea, quæ viderat, typicè exprimeret, legem accepit. Et hic talis, tantúsque vir, tantósq; in virtutibus progressus habens, tubarum, & tonitruum, & fulminum sonitum audiens, & aliarum istiusmundi terribilium rerum experimentum capiens, in tantam timoris, & anxietatis magnitudinem deuenit, vt propriis cogitationibus imperare vix posset, quantáque in formidine, & tremore versaretur, dissimulare omnino non valeret. Et hæc quidē perpessus est Moyses ille, qui Deum non in ænigmate, sed in propria specie conspicuū loquentem audierat, atque ad os fusè cum Domino disseruerat. Quantò ergo iustius ego, qui Deiparæ virginis laudes depromere aueo, formidare debeo, necubi fortè à veritatis scopo aberrem; & dum eam oratione honorare studeo, aliquid per imprudentiam ipsa indignum dixisse deprehendar. Neque enim scopus mihi propositus est, in sensilem aliquem montem ascendere, aut aërem terræ circumfusum transmittere, quò illostri ætheris splēdore vndique perfundar; sed omnem illorum decorem, & ornatum, quo ad eius fieri poterit, transcendere, & ad ipsa cælorū contacta propè accedere, sed neq; imperium omnium pulcherrimum hic sistere, est animus; Verùm Spiritus, qui se ducem ad diuina præbere solet, ope nixi, hæc omnia, quantum vires ferent, exsuperare decreuimus. Instituimus enim Angelorum chorus: eorundémque ductores, & ordines, eximium Thronorum splendorem; præstantem Dominationum excellētiam; illustrem Principatuum dominatum, incomparabilem Potestatum nobilitatem, inuictam diuinarum Virtutū fortitudinem; conspicuam oculatorum Cherubim puritatem, nullam in partem impeditam pennatorum Seraphim agilitatem; omnem denique aliam, si qua adhuc his superior extat, creaturam procul à tergo relinquere, nulláque prorsus in re creata desiderij cursum figere; Verùm (si tamen fas est, hominem carne vestitum, curiosis mentis oculis diuina intrepidè contemplari, veróque illustratum lumine sempiternum illum paternæ gloriæ splendorem considerare) inde laudandæ Deiparæ initium facere deliberatum est, vnde ipsa Deipara est, & Deipara appellatur. Et quod, quæso, argumentum hoc potest esse sublimius? Quod inter diuina, & humana medium excogitari excellentius? Etenim vt summæ difficultatis est, nosse, & capla

Esai. 6. *Exod. 3.* *Num. 12.* *Exod. 4.* *Exod. 14.* *Exod. 17.* *Exod. 10.* *Exod. 16.* *Exod. 20.21.*

Moyses secreuit inter populum, & sacerdotium.

Non omnes sacrorum ministerio addicti, eiusdem sunt ordinis.

Supremū inter omnes sacris initiatos locum obtinet Pontifex.

De virgine matre verba facere, non est facile.

explanate, quid sit Deus; imò verò id omnem omnino creatam vim excedit; ita quoque magnum illud Dei genitricis mysterium omnem excellit orationem, & cogitationem. Quia ergo eam Deiparam vocamus, quæ Deum in lucem edidit, precibus ad cæleste numen transmissis, ipsum orationis ducem constituam. Domine omnipotens, vniuersæ creaturæ Rex, qui spiritali lumine tuo mentes corporis expertes, modo, qui sermone explicari nequit, illuminas, illustra mentem meam, quò propositum argumentum citra errorem cognoscatur, cognitúmque piè, & religiosè exprimatur, & commodè tandem expressum hauriatur. In tribus namque: qui de Deo disserere instituit, periculum subit. Si nimirum mentis luce careat; si orationem dissentaneam adhibeat; si auditor ad ea, quæ proponuntur, aures non accommodet. Vos igitur, qui sensus nacti estis perpurgatos, orationem, quam de Deo institui, pio, decentiq; animi studio audite. Quòd ergo Deus sit, hoc certa fide tenendum est. Quid autem sit, hoc humana ratione inuestigari non potest; imò verò, quantò humana mens magis hîc sese extendit, tantò intellectus sui angustias clarius deprehendit. Et, vt vt tota profundum aliquid de Deo depromere contendat, depromptum re ipsa multis semper partibus minus erit. Quis enim eú cognoscat, qui mente comprehendi non valet? aut eum exprimat, qui nulla oratione exprimi potest? Quomodo lutum, quod Deus animauit, propriéque animæ rationem non intelligit, illum comprehendat, qui animam inspirauit? Si quis ergo pietatis sectator est, is, quid sit Deus curiosè non inquirat; Verùm ex iis, quæ ab illo facta sunt, eum esse cognet, illúdque certò apud se statuat. Siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine, illarum molitor, & opifex, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, certa quadam ratione dignoscitur, & spectatur. Hæc enim Trinitas in vnitate cognita, vnitásque vicissim in Trinitate adorata, illorum omnium, quę natura constant, est principium sine principio, illuminationumque omnium fons vberrimus, & venustorum omnium venustas venustissima. Secundum tantæ huius maiestatis imaginem homo factus, quosdam diuini illius splendoris, immensæq; pulchritudinis radios, & quasi scintillas initio possidebat: Verùm peccati sordes tantam illam venustatem, & pulchritudinem omnino obfuscarunt, hominémque (vt Psalmographus alicubi canit) in bestiæ cuiusdam formam transformarunt. Homo, ait, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Imò verò horum similitudinem vix assequitur, scriptum est enim: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Enim verò plurimis sæpe viis, & rationibus ad melioris vitæ studia instituti, & prouocati, nunquam, vt ad sanam mentem aliquando reuerteremur, in animum induximus; quin potius improbæ vitæ, impuræque consuetudini vltrò, & quasi data opera vsque nos dedidimus. Etsi verò eiusmodi, hoc est, vsque adeò scelerati, & deprauati, nostra sponte euasissemus, Dominus tamen fugitiuos non est aduersatus; Verùm, commiserationum suarum recordatus (prout nullo vnquam tempore illarum obliuisci potest) ad cumulatioris clementiæ, & benignitatis excellentiam permotus est, scriptum extat enim: Vbi abúdauit delictum, ibi superabundauit & gratia. Vt ille enim, qui natura sua impatibilis est, animaduertit nos prorsus deploratos, omnéque prę́sidium, quod ex præclaris operibus peti solitum est, abesse; imò verò certum, propter praua opera, exitium adesse, totúmque, quod reliquum erat, talismodi esse, quod omnes in nihilum redigere posset; quadam mox sympathia, si ita tamen loqui fas est, tactus; iram, quam iustè promeriti eramus, conuertit in amorē, quo prorsus indigni eramus. Itaque ad deprauatam imaginem mittit imaginis auctorem, quò benignitatis suæ coloribus illam reformet. Ea propter, qui in forma Dei erat, serui formam suscepit, quo peccati seruos hac ratione in pristinam libertatem, & dignitatem restituat, cœlestíque Patri eiusmodi Filios exhibeat, qui ad sui ipsius formam denuò sint instaurati. Quotquot enim receperunt illum, dedit illis potestatem filios Dei fieri. Nemo autem ex iis, qui hîc præstò sunt, me incuset, quasi alia in orationis exordio spoponderim, alia verò nunc tractem: Per quæ namque benefactorem laudamus, per eadem eiusdem quoque matrem prædicamus. Ad ipsum igitur oratio iterum sese reflectat. Cùm itaque imaginem in integrum vellet restituere, nostræque carni immortalitatem impertiri, ipsemet carne se induit, cognatum videlicet per cognatum sanaturus: fitque homo numeris omnibus perfectus, quò eum integræ sanitati reddat, quem olim creauerat. Nam, cùm generis nostri primitiæ propter peccatum condemnationi obnoxiæ tenerentur, alteris vsus est primitiis, talibus nimirum, quæ & peccati omnino expertes essent, & omnem iustitiæ rationem explere possent, per quas proinde totum corpus suo conformaretur capiti. Cốformauit se rursum hominibus; vt quemadmodum omnes in Adamo mortem contraxeramus, ita omnes in ipso vitam consequeremur. Poterat sanè Christus, qui solo nutu facit quodcunque visum fuerit citra carnis susceptionem nos seruare: at satius duxit, in seipso ostendere, naturam per peccatum debellatam, peccato ipso potiorem esse. Voluit ad hæc peccatum in carne sua condemnare, suamque iustitiam in omnes diffundere. Voluit tandem eius, qui mortis habebat imperium, hoc est, diaboli vires frangere. Qua de re Diuinus Apostolus ita scribit: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus, Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Neque enim ad inimici vltionem ea de causa sese composuit, vt ipse aliquo inde honore potiretur; (Nam vt Deus vim habet inaccessam, planéque inexpugnabilem) verùm ob id ad magnum illud incarnationis mysterium se demisit, carnisque integumento se operuit, quò Adam bello prostratus, cladem, quam acceperat, per se ipsum sarciret, ipséque carnem iam indutus, familiariter cum iis ageret, qui carne vestiti erant; ac omnia tandem per illum ipsum restituerentur, & sanarentur, per quem omnia semel

Sacramētum Deiparæ magnum omnē excedit orationē, & mentis cogitationem.

Diuina pulchritudine similitudo in homine per peccatum obscurata non omnino obliterata.

Psal. 48.

Esa. 1.

Rom. 5.

Ioan. 1.

Laus filij redundat in matrem.

Rom. 5.

Rom. 8.

Hebr. 2.

mel facta fuerant. Sed dixerit hic quispiam; cur, quæso, prioribus ætatibus, ante miraculum hoc editum, res humanæ neglectui habebantur? Nequaquam res ita habet; iam inde enim ab initio Deus Opt. Max. generis nostri curam habuit, congruamque pro temporum qualitate doctrinam nunquam non tradidit. Primò nanque per creaturam, quę sub aspectum cadit, tanquam per certos quosdam indices ad inaspectabilem diuinitatem suam iter ostendit, mox boni, malique cognitionem mortalium animis inseuit; Postremò rationem liberam veluti peritum quendam aurigam, optimumque gubernatorem impertiuit. At, quia veteres rebus pulchrè factis abutebantur, (siquidem rerum creatarum venustatem demirati, non ipsi opifici gloriam deferebant, sed creaturam ipsam eius loco venerabantur, legéque naturæ in improbitatem naturę inimicam peruersè abutebantur) promulgatę sunt illis leges scriptę, quę & veram Dei cognitionem docerent, & malis cupiditatibus exculiam inducerent; Neque his adhuc contentus, Iudices quoque, & Reges, & Sacerdotes, & Prophetas, qui ad saniorem viuendi rationem viam ostenderent, illis subministrauit. At omnibus hisce præsidiis adhibitis, mortalium res nihilo secius male habebant, donec tandem magnus ille medicus, e thalamo virgineo progressus, in medium se dedit. In hunc porrò locum sermone deducto, vbi ad miraculi magnitudinem specto, pręstupore mutus quodammodo euado, neque enim orationem rei ponderi parem inuenio. Quomodo, obsecro, admirabilem illam, insignemque gratiam pro dignitate celebrabo? Quomodo clementiæ fontem celebrabo? Quomodo benignitatis fluuium prædicabo? Quomodo virgineum illud pelagus cantabo? Quomodo magni illius mysterij altitudinem perscrutabor, nisi tu, Deipara, me veluti imperitum natatorem, veterem hominem, qui secundum erroris desideria corrumpitur, exuere docueris, mentisque meæ os, o misericordiæ plena, ad partus tui profunditatem deduxeris, quò misericordiæ tuę lumine collustratus, veritatis Margaritam in te abditam inueniam? Fac opem, quæso, vt illam, te adiuuante, comprehendam. Effice, obsecro, vt abs te doctus, commodè de te loqui valeam, certóque cognoscam, non quo modo carne indutum verbum in lucem ediderіs, (tui enim partus modus, mentis captum excedit) verum quòd, & mater fueris, & virgo nihilominus permanseris; quemadmodum is etiam, qui proprij figmenti causa ex te natus est, & verus homo extitit, & verus nihilo secius Deus permansit. Idem est enim, qui initio hominem formauit, & qui vltimis diebus eundem per se ipsum reformauit. Vtrumque autem modo, quem ipse nouit. Etenim, puluere è terra sumpto, ipse Adamum efformauit, eundémque, flatu ex se misso, vita donauit. Verùm formationis modum illi non ostendit, audacem eius curiositatem, eius rei ignoratione comprimere volens; nempe quò luti, & animæ compositionem ignorans, Dei, & carnis inter se coniunctionem temere non scrutetur, tantum non hac illum oratione alloquens: Cùm humi repas, ne ad cælum te erigere contendas; nosce teipsum, expède ex quibus concreueris; quomodo sis efformatus; quomodo per animam vegetatus; quomodo corporis expers sedem habeat in corpore. Nunquid non, dic mihi, anima per singula corporis membra est diffusa, & quasi extensa? an vnum duntaxat membrum vndique ambit, & perficit? Si extensam dixeris, in magnam profectò absurditatem te conieceris: siquidem extendi corporum est proprium; omnes autem animam incorpoream profitemur. Sin autem ad vnum contractum statueris, in maius absurdum incideris; cóuinceretur hinc enim incorporeum corpus esse; vtpote ex omnibus ad vnam corporis partem reductum, & reliqua hominis membra ad vnum omnia emortua esse; quippe vi animante destituta. Cernis hinc quàm horum comprehensio sit incomprehensa. Quo ergo modo ea, quæ plurimum te excedunt, comprehendes? Nam, si tuam ipsius constitutionem ratione consequi posses, meæ fortassis incarnationis modum inuestigare liceret: Imò, ne hoc quidem admisso, res hæc aliqua adhuc temeritate vacaret; siquidem inter Deum, & hominem infinitum intercedit interuallum. Quòd si verò ne tuam quidem ipsius naturam perscrutari vales, quomodo eam perscrutaberis, quæ infinitis partibus tuam excellit? Sapiant itaque insipientes, & a Iudaica temulentia recedant, qui fieri non posse obstinatè contendunt, vt mulier citra viri commercium fœtum edat. At quæsierim hic ex illis, vtrum factu difficilius sentiant, è mulieréne virgine nasci, an e terra formari? Virginem vterum gestare, an terram viuere, & videre, & audire, & loqui, & alia, quæcunque visum fuerit, facere? Accepit Deus quondam puluerem, & fecit hominem, accepit rursum ex virgine puluerē, hoc est, carnem, eámque modo, quem ipse compertum habet, sibi adiungens, factus est homo. Qua igitur fronte, qui primum admittunt, secundum oppugnant? & in illo quidem Deo omnipotētiam tribuunt; in hoc verò potentism illius in ius vocāt? Idem est enim, qui hoc non sine arte confecit, & qui illud nouo more, & modo patrauit. Nihil proinde apud Deū impossibile esse statuatur: Vbicunque enim ille operatur, ibi omne impossibile e medio facessat, oportet. Sed neque quicquam ex iis quoque, quę humanæ naturæ integritatē absoluunt apud prudentes veritatis iudices turpe est. Quādoquidem totum corpus nostrum instrumenti quodammodo vicem obit: Neque enim illud quicquam omnino à semetipso facit, quodcunque autem facit, hoc totum voluntatis nostræ impulsu facit. Per ipsum enim anima, veluti musicus quidam, aut virtutis sonos ferit, aut improbitatis strepitus edit. Nemo itaque humanum corpus turpe existimet, aut veluti Deo indignum conuicia proferat: Neque enim effectio ruborem parit, sed prauum opus reum facit; Nam neque oculi, neque manus, neque aliquod aliud membrum peccatum perpetrat, sed is, qui manum, aut oculos, aut alia membra peruersè vsurpat. Quamuis ergo vniuersorum Conditor, & Dominus ex Deipara Virgine natus humanæ naturæ communicarit, (Nam carnem vita præditam vere gestauit) attamen cum iniquorum operibus nihil commune habuit. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. O sacer, & Deifer venter, in quo peccati chirographum abolitum est, in quo Deus citra diuinitatis iacturam homo factus est. Quamuis enim ortum subiret, & ad humanæ natiuitatis conditionem sese dimitteret, manebat nihilominus quod ante erat. Materna vlnas implebat,

Cælestis doctrinæ temporum successio.

Ergo non mirandum, quum iam dem magis illuminamur.

Lex naturæ, Mosaica lege præcedens ... non integrè restituere, contra Pelagianos.

Deipara vir ... humanam ... Lo... ... mundo.

Nō est omnino instrumentum, vt Platonis opinio approbetur, sentiētis animā esse totū hominem, corpus autē tanquam vas, & instrumētum. Contra Marcionistas, & Manichæos hoc dictū.

1. Petr. 2.

bat, neque paternos tamen finus deferebat. Deus enim, cùm, quæ vult operatur, in partes non diditur; Verùm omnibus indiuulsè cohærens, mundo salutem conciliat. Cùm Gabriel ad Deiparam Virginem missus, ad inferiora hæc descendebat, cælos vtique à tergo relinquebat: at verò Dei Verbú, quòd vnû hoc impleat omnia, in ipsa etiã humanitatis assumptione, ab ea adoratione, & cultu, quæ ipsi in cælis impenduntur, nõ feiungebatur. Quemadmodú enim Verbum in charta descriptum, totũ est in charta, & totum in mente gignente, & totum in iis, qui illud legunt, vel audiunt; ita quoque Deus Verbum, & multo quidem perfectius, totum erat in proprio corpore, totum in Deo Patre, totum in cælo, totum in terra, totũ in vniuersa creatura; hanc quidem vndique fouendo, & complectẽdo, illam verò obeundo, illud autem suauiter implendo. Quis Dei sapientiam, mirantq; eiusdem moderationẽ iure incusare queat? Quis paupertatem, quã nostri causa suscepit, ei impropetare audeat? per hanc enim cæleste regnũ adepti sumus. Facessant hinc proinde, qui tenentur reuerẽtia quadã parum reuerẽti, & religiosa, metuũtq; timorem, vbi non est timor; existimant enim, & ob id credere recusant, si carne indutũ Dei Verbum (quod hominum miserias, & perturbationes earundem expers sanat) ex mulieris vtero editum statuatur, Deum patibilem, definitum, adeóque grandi ignominia affectum iri. Sed falsò isthuc, cùm Deus hinc magis laudetur, magísque impatibilis declaretur, vt qui patibile corpus ita induerit, vt impatibilem diuinitatis naturam nulla ex parte læserit. Si enim Sol hic per sordida, & graueolentia loca transiens, nullas puritati suæ sordes adsciscit: quãto minus iustitiæ Sol impollutam Virginem sua luce illustrans, & sacrosanctum corpus ex ea sumens, secundùm diuinitatem in se ipso impatibilis mansit? Nec sanè frustra illud sumpsit: nã, cùm homines cateruatim ad interitum ruerẽt, neque vllam salutis spem reliquam haberent, indigebamus omnino aduentu Dei, qui dudum ante quoque per prophetas nobis denuntiatus fuerat, quemadmodum ex Esaia, & aliis discere licet. Ecce, inquit ille, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Rursum: Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, cuius imperium super humeros eius, & reliqua, quę sequuntur vsque ad locum illum, pater futuri seculi. Et alio rursum loco idem ille, externas gentes ad Christi societatem, & communionem olim venturas prævidens, ita scribit: Tunc habitabit lupus cũ agno, & pardus accubabit cum hædo: & lupus, & leo & ouis simul morabuntur. Iterum: Ecce Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Hieremias quoque apud Baruch ita clamat: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc autẽ in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Huc etiam facit illud Michææ: Et tu Bethleheem, terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux: qui regat populum meum Israël: & egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis. Et illud Zachariæ: Gaude, & lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Diuinus quoque Daniel Nabuchodonosoris somnium exponens, ortum Dei ex virgine eiusmodi verbis adumbrat: Et videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis. Et lapis, qui percusserat statuã, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Deinde somni interpretationem subiungens, ita scribit: In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nõ tradetur; Comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Et infra rursum idem: Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna, quæ nõ auferetur, & regnũ eius, quod non corrũpetur. Spectat ad hunc etiã locum illud Sophonię. Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ: Et adorabunt eum viri de loco suo, Præter hos omnes, aut ante hos omnes verius, Propheta, & Rex Dauid ita clamat, Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram: Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et infra: Sit nomen eius benedictum in secula: ante Solem permanet nomẽ eius: & benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. At quorsum attinet ea omnia, quæ à Prophetis, qui Christi ex Deipara Virgine ortum prædixerunt, exposita sunt, huc in medium adferre? Quæ itaque lingua adeo est diserta, aut sonora, quæ Virginem illam pro dignitate decantare queat? Per eam enim illustribus bonis ditati sumus. Ecquibus laudũ floribus, promeritam coronam illi texemus? Ex ipsa nanque flos Iesse exortus est, genúsque nostrum gloria, & honore coronatum est. Quæ dona offeremus ipsa nõ indigna? quippe quæ tanta sint, vt vniuersa, quæ mundi ambitu continentur, cum illius dignitate comparari non valeant. Si enim Apostolus Paulus de aliis sanctis verè asserit, quibus dignus non erat mundus, quid de Deiparente Virgine cogitare nos par est, quæ vniuersos martyres suo splendore tantum excedit, quãtum Sol reliqua astra? O Virginitas, propter quã Angeli hominum ministerio delegati, qui genus nostrum dudum ante auersabantur, iure, meritóque exultant. Lætatur Gabriel, cui diuinæ conceptionis nuntium concreditum fuit: propter quod etiã à gaudio, & gratia salutationem auspicatur, ait enim: *Aue gratia plena Dominus tecũ. Aue gratia plena*, lætum assume vultum: ex te enim communem omnium gaudium orietur, ortúmque veterem mortalium omnium maledictionẽ amolietur. Nã & mortis imperium dissoluet, & omnibus certã resurrectionis spem adferet. *Aue gratia plena*; Aue perperuò virens castimoniæ paradisus, in qua vitæ lignum plantatum, omnibus salutis fructum fundit? Ex qua itidem quadripartitus Euangeliorum fons dimanans, mortalibus fide exurnatis, miserationum fluenta vbertim emittit. *Aue gratia plena*

Contra Dauid nescimus homo sanari nõ potuit, contra Pelagianos.

Esai. 9.

Esai. 11.

Esai. 35.

Baruch 3. Quæ Baruch sunt, tribuuntur hoc loco Hieremiæ.

Mich. 5. Matth. 2.

Zach. 2.

Dani. 2.

Dani. 7.

Sophon. 2.

Psal. 71.

Virginis maximis dignitati nunc omnia eloquentiam, vniuersique omnia, quæ mũdi ambitu continentur, dignitatem.

Hebr. 11.

Hoc Maria inter cæteros dinos, quod Sol inter cætera astra.

Virginitas Angelis amica.

Luc. 1.

plena Aue, quæ inter Deum, & homines media-
trix intercedens, efficis, vt interiectus inimicitiæ
Maria ad Deum mediatrix. paries tandem aliquando euertatur, terrenáq; cœ-
lestibus coniungantur. *Dominus tecum.* Quando-
quidem templum es Deo verè dignum, vtpote
suauissimum, omnis puritatis, & sanctitatis odo-
rem spirans, magnus ille Pontifex, qui secundùm
ordinem Melchisedech matre, & patre caret: illa
quidem, vt prodit ex patre: hoc verò, vt nascitur
Hebr. 5. & 7. ex te matre, sedem in te sibi delegit. Hæc verò, vbi
Angelum vidisset, eiusdémque sermonem, hoc
est, admirabilia illa, quæ dicebãtur, hausisset, mox
cõturbata est. Gabriel autem, ne anceps, & anxia
potius turbaretur, consolatoria oratione dubita-
[illegible] obuiam iuit. Ait autem: *Ne timeas Ma-*
[illegible] enim eorum est, qui offenderũt, tu ve-
[illegible] inuenisti apud Deum. Deinde gratiam,
quæ omnem excedit gratiam, exponens, subdit:
[illegible] es in vtero, & paries filium, hic erit ma-
[illegible], & [illegible] altissimi vocabitur. Et dabit ei Dominus
Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Ia-
Luc. *cob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Dixit autem*
[illegible] ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam vi-
rum non cognosco? Vult dicere, nullus cõceptionis
modus extra viri societatem in mulierem cadere
potest: mihi verò, quæ ab istiusmodi commercio
penitus mũda, & aliena sum, quomodo istud erit
possibile? Promissionis tuę paradoxum, certitudi-
nem habet creditu oppidò difficilem. Quomo-
do enim, quæ semen nullum excepi, fructum ger-
minabo? Quomodo nuptiarum expers filiũ pro-
generabo? Ad hæc autem Archangelus: Consen-
tanea mihi rogas, virgo, quare & haud grauatim
respondebo: verùm id ita, vt futuro ex te partui
testimonium verius perhibeam, quàm vt modum
illius accuratè edisseram. Quantum ergo ego in-
telligere valeo, res eiusmodi est: Conceptio hæc
nõ absoluetur viri, sobolem proseminantis, ope-
ra, sed Spiritus sancti allapsus, virtutisque altissi-
mi adumbratio illam cõficient. Quorsum tu igi-
tur naturæ legem aduersus eum allegas, qui na-
turæ legem posuit? Nec enim tu corroborantis
vi tota destituta, tuum Cõditorem suscipere po-
tes. Nam neque ventrem habes cœlo capaciorem
neque magnitudine omnem excedis creaturam,
quæ tamen vi naturali illum capere non valet.
Virtus proinde altissimi præsto est, quæ te adiu-
uabit, & adumbrabit. Nisi enim eiusmodi virtus
te adumbraret, incomprehensum capere omni-
no non posses. Nisi ille, qui ex te nascitur, opem
ad suum partum conferret, tuum opificem suum
vtero gestare nequaquam valeres. Quia rursum
aiebas: quomodo semine nullo excepto, fructum
edam? Ne miraculum fidem excedere existimes,
tecum expende, quonam modo in nascentis mũ-
di exordio, terra citra semen fructum produxerit.
Qui tum enim germinandi vim illi indidit, idem
nunc tuum quoque vterum ad prolis susceptionem
nunc permouebit. Ad illam quidem dictum est:
Germinet terra herbam viridem: statímque diui-
Genes. 1. num mandatum in rerum naturam exiit, cunctá-
que è vestigio omnigenis fructibus exornauit. Ad
te autem dicitur: *Spiritus Sanctus superueniet in te, &*
virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nasce-
tur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Quibus virgo
occurrens: *Ecce,* ait, *Ancilla Domini: fiat mihi secun-*
dùm verbum tuum. Nec mora diuinæ conceptionis
miraculum in vtero virgineo confectũ fuit. Quæ
oratio imperuium sacrosanctæ, castæque conce-
ptionis huius pelagus penetrare queat? Quæ mẽs
adeò est pura, & defæcata, cœlestiũmque, & inas-
pectabilium rerum contemplationi ita assueta,
quæ id possit? Nę maiora sunt hęc, quàm quę hu-
mana voce explanari valeant. Est autem diuini
Spiritus, qui difficilium quæstionum nodos ape-
rire solet, opus, ędisserere, & explicare, quomodo
increata illa, incomprehensibilísque verbi sub-
stantia, quæ cum nulla creatura ratione commu-
nicat, quam etiam Cherubim, et si cæteris ordini-
bus longè præstent, intuéri vix audent, cum infir-
ma, terrenáque humanæ substantię natura socie-
tatem inierit: factúmque sit mysterium, quod in
hodiernum vsque diem manet mysterium, neque
vnquá mysteriũ esse desinet. Tunc creatura vidit,
quod antea visum est nunquã: nẽpe prolem, quæ
suæ matris erat parens; Infantem, qui genitricem
ætate antecedébat; puerum seculis omnibus, quę
ante effluxérant, antiquiorẽm. Neque enim in lu-
cem editus nudus homo erat; sed Dei verbum ex
Virgine incarnatum, carnémque eiusdem cum
carne mea naturę indutum; quò simile hac ratio-
ne sanaretur per simile. Etenim, si corpus habuis-
set à corpore meo, alienum, si cum mea carne cõ- *Ad humani generis restaurationẽ necessaria Christi incarnatio, contra Pelagianos.*
munionem non habuisset, vitam vtique mihi im-
pertitum nõ esset. Si egenam, mendicamque na-
turam meam non assumpsisset, ego Dei regnum
adeptus non essem. Prodiit itaque Emmanuel in
mundum hunc, quem ipse olim condiderat; in-
fans quidem recens natus, sempiternus autem
Deus. Loco in diuersorio nullo comperto, recli-
natur in præsepio, interim æterna tabernacula
præparat in cælo. In specum abditur, & per stel-
lam proditur. A Magis dona accipit, & precium
pro peccatis dependit. Simeonis vlnis deporta-
tur, & vi quadam diuina omnia complectitur. A
Pastoribus vt infans inuisitur, & ab Angelorum
exercitibus, vt Deus dignoscitur: decantabant hi
enim: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax ho- *Luc. 2.*
minibus bonæ voluntatis. Quæ quidem vniuer-
sa, sancta vniuersorum Domini mater, veraque
Dei parens in corde suo, vt scriptum est, confe-
rens, admirabilium operum, quæ circa ipsum ac-
ciderant, consideratione, nouis subinde auctariis
cordis sui lætitiam, & exultationem cumulabat:
vt pote ob ea, quæ de Filio, & Deo magnificè prę-
dicabantur, palámque se offerebant, exhilarata si-
mul, & attonita. Cùm itaque diuinum illum in-
fantem contemplabatur timore simul, & amore,
vt opinor, correpta, sola solum in hunc modum
compellabat: Qualẽ, mi paruule, appellationem,
quæ aptè in te quadret, inueniam? Hominémne
te vocabo? at diuinum exortum sortitum video.
Deúmne? at humanã indutus es carnem: Ecquid
igitur tecum incoeptabo, lacténe te nutriã, an verò
vt Deũ colam? vt mater curabo, an verò vt ancilla
adorabo? vt filiũ amplexu fouebo, an verò vt Deũ
supplex inuocabo? Lác ne porrigã, an verò Thy-
miama offeram? Ecquod hoc magnum, & abditũ
est miraculũ? Cęlũ tibi thronus est, & sinus meus
te complexus est. Totus his præsto es, qui infernè
degunt, neque vnquam tamen ab iis abes, qui in
supernis viuũt. Nec enim localis fuit tua illa de-
scensio, sed diuina quædam submissio, & condes-
censio. Celebro proinde tuam clementiam; sed
non inuestigo tuam œconomiam. Tale namque
mysterium per illam patratũ est, quale nulla pror-
sus

fus lingua, aut cogitatio assequi potest. Quis ergo magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Quis quanto eos omnes interuallo post se relinquat, quos Diuinum loco habemus, non miretur? Si enim Christus sermis tantam gratiam contulit, vt solo contactu, imò verò sola corporis vmbra ægris præsidium adferre possent: (Nam, vt Actorum liber exponit, infirmi in plateas eiecti, vmbra tantùm Petri contacti, liberi à morbis euadebant. Non deerant quoque, qui linteo, quo Apostolus Paulus corporis sudorem exterserat, accepto, infestos dæmones profligarent) qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini Matri collatum fuisse putandum est? An nõ multo maiorem, quàm exteris Christi imperio subiectis? Omnino res clara est. Ecquid mirum, si sancti, quum in viuis etiamnum degebant, præpotenter operabantur, cùm terra quoque non omnem vita hac mortali iam perfunctorum, vim, & energiam vnà cum illis prorsus obruere putuerit? Cõstat nanque Saxa illorum corpora ita tegere, vt ipsi interim (si eo tamen, quo par est, modo adeantur) sibi addictos tueri, ac conseruare non desinant. Iam, si talibus tantam miracula patrandi virtutem cõtulit Deus, qualem educationis mercedem patenti donasse, quantisque charismatis, & donis illam exornasse existimandus est? Si Petrus ob id beatus appellatus, regnique cælorum claues sortitus est, quòd Christum Dei filium palàm confessus esset, quomodo ea super omnes beata prædicanda non est, quæ illum parere promeruit, quem ille confessus fuerat? Si Paulus electionis vas cognominatus est, propterea quòd venerabile Christi nomẽ vbique terrarum circumferret, & promulgaret; qualénam vas censenda est Deipara Virgo, quæ non manna, vt vrna illa aurea, sed cælestem panem, qui fidelibus in cibum, & potum exhibetur, vtero complexa est? At vereor, ne, dum prolixiùs de illa dicere instituo, maiori suffundar rubore, rei dignitatem neqnaquam assecutus. Quamobrem, contractis orationis velis, in tutum silentij portum subducam; iis de nonnullis ante admonitis, qui in hunc locum conuenerunt. Cùm ea ergo commoda per Virginem matrem nobis obuenerint, quæ omnem excedunt orationis mensuram, æquum est, vt benefactricem nostram aliqua etiam ratione remuneremus. Eiusmodi autem munere isthac faciendum censeo, quod in nos quadantenus redundet. Ec quodnam illud dixerit quispiam? Est mutua inter nos charitas, & beneuolentia, quæ est legis perfectio, & consummatio. Tota enim lex huc spectat: diliges proximum tuũ, sicut te ipsum. Nam illud; non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud est mandatum, summatim hoc verbo instauratur: diliges proximũ tuum sicut te ipsum. Ante omnia autem Ecclesiæ corpus indiuisum conseruemus, concordiæque sensum inuiolatũ custodiamus. Summa autem opus est cautione, ne, dum rectam fidem ab iniuria vindicare contendimus, in mutuas iniurias, & inimicitias armemur; adeóque sub pietatis obtẽtu malum aliquod feramus. Ac ne, dum fœda, & noxia dogmata acriùs persequimur, ipsi à rectis excidamus; Hoc enim agere, aliud nihil esset, quàm incertum luctum cum graui damno consectari, ipsámque veritatem in fraudem adducere. At rectæ verò fidei honestas quoque vitæ actiones adiungamus oportet, siquidem alterum sine altero non sat est, vt Deo perfectè proberis. Fides enim sine operibus mortua est, sicuti opera vicissim sine fide. Vinculo porrò mutuæ charitatis constricti, arctéque colligati, Deiparam Virginem talibus vocibus compellamus: O ter sacrosancta Virgo (de qua, qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam is quidem à veritatis scopo aberrauerit; attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratione exæquabit) aspice nos de cęlo oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace; ad Indicis autem thronum à confusione liberos nos siste, ac stationis tandem ad dexteram participes nos effice, vt inde ad cælum abrepti, vnà cum Angelis increatam, homousiámque Trinitatem laudemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu sancto cognoscitur, & glorificatur, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Ingens inter Virginẽ matrem, & cæteros diuos interuallum intercedit.

Act. 5.

Act. 9.

Hac notentur qui demirant ut vaccinis fidelib rogate, saqueque morbis fructu cũ matre Virgine conferre quadoque solent.

Saxa, demorumque mortuorum ossa liberã vertute corporum salutatur.

Matth. 16.

Comparatur Virgo mater cum Petro, & Paulo, & vtris que anteferetur.

Act. 9.

Hebr. 9.

Cælestis panis fidelib' in esca exhibetur.

Matth. 22.

Rom. 13.

Concordia, & vnio ecclesiastica studiosè retinenda.

Sola fides sine operibus Deo non nõprobat. Sicut, nec opera quoque sine fide.

Oratio ad Virginẽ matrem.

S. TITI BOSTRORVM

Episcopi superioris Euangel. expositio.

Missus est *Angelus Gabriel ad virginem desponsatam, &c.* Sacratissimam deiparámque dominam nostram viro, de familia Dauidis, desponsatam asserit Euangelista: per hoc vtique indicate volẽs, ex eodem illo Dauidis genere, vnde Ioseph, qui illam duxerat, ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimam virginem fluxisse. Nam secundùm legis præscriptum alienæ tribus mulierem matrimonio sibi iungere fas non erat. *Aue gratia plena.* Quandoquidem Deus ad Euam dixerat: In dolore paries filios. propterea Angelus gaudium, per quod dolor olim decretus soluatur virgini denunciat, *Aue,* inquiens, *gratia plena, Dominus tecum.* Quod dicit, huc tendit, ne existimes virgo, me absonum, aut mollem aliquem sermonem ad te deferre, cuiusmodi ad inuuptas puellas inueniunt nonnunquam solent; diuinus est enim, quem adfero: quippe cùm hoc ipso, quòd dominum tecum esse asseram, oblatæ salutationi Dei memoriam admisceam. *Ne timeas Maria.* Quia verò fieri vix poterat, vt conturbata accuratè ad ea, quæ Angelus dicturus erat, attenderet; quo ab omni animi commotione iam libera, diuinum responsum sedatè exciperet; propterea Gabriel in ipso statim orationis vestibulo omnem illi metum adimit, dicens; *ne timeas Maria, &c. Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quod Angelus ait, *inuenisti gratiam, &c.* Hoc illi cum aliis multis commune erat; siquidem multi alij ante ipsam, gratiam apud Deum inuenerunt: at verò, quod subiungit; nempe, *ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Id non erat commune, sed factæ promissionis proprium. Dicit hoc autem, quò dominum nostrum non aliunde, quàm ex ipsomet virginis vtero, carnis nostræ substantiam suscepisse, planum faciat. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Meritò Iesus appellatus est, quia salutis nostræ causa in hunc mundum ingressus est. Quandoquidem nomen hoc Iesua in Græcam linguam translatum, Θεοῦ σωτηρίαν, καὶ ἴασιν, hoc est, Dei salutem & sanitatem sonat. *Hic erit magnus.* Non quidem vt Ioannes, sed vt dominus, & orbis conditor: hoc enim denotat, quod mox subditur; *& filius altissimi vocabitur.* At quorsum, inquis, dicit, filius altissimi vocabitur, cùm

secũda

rectiùs dictum oportuerit, filius altissimi est; vt qui ante omnia secula, ex Deo & patre genitus sit? Responsio est, vt Filius, cùm verus alioqui natura sua Deus esset, propter adiunctam humanam naturam, muneris loco accepit nomen, quod est super omne nomen (est enim & appellatur Deus.) Phil.2. Rursum vt idem ille, cùm vniuersæ creaturæ opifex & conditor foret, ratione humanæ naturæ, ex liberali patris donatione recepit gentes in hæreditatem: *Postula à me*, ait per prophetam, *& dabo* Psal.2. *tibi gentes hæreditatem*: ita cùm natura sua verus Dei Filius esset, ante omnia secula ex paterna substantia ortus, propter susceptam humanitatem appellatus est altissimi Filius. *Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Et hoc quoque ad verbi œconomiam, carnísque susceptionem spectat, per sedem autem hoc loco, nõ sensilem aliquem, aut caducum, vel interitui obnoxium thronum designat; sed immortalem, & talem omnino, qui Solis instar radios suos per vniuersum terrarum orbem diffundat, animásque mente & ratione præditas diuinæ doctrinæ luce illustret. *Et regnabit in domo Iacob.* Per domum Iacob non Iudæorum tantũ gentẽ significat; sed omnes omnino homines, qui per Seruatoris nostri gratiã, ex omnibus gentibus, & nationibus Sanctorum adoptione potiuntur. *Et regni eius non erit finis.* Obtinere regnum in omne æuum, in nullum conuenit, nisi in solum conditorem vniuersorúmque Deum & dominum. Qui itaque salutis nostræ causa homo fieri dignatus est, is solus æternus Rex est. *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Sacratissima virgo, Deique parens Maria, non quasi incredula: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* interrogat: verùm vt sapiens, rei, quæ denunciabatur, modum & rationem discere desiderat, neque enim antè eiusmodi quippiam, nempe vt virgo pareret, factum fuerat: neque in posterum vnquam futurum erat. Quare Angelus quæsitum in bonam partem accipit, modúmque his verbis exponit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* At quomodo Christus, 1.Cor.1. qui Apostolo teste, Dei virtus est, superueniet? Sanctum vim cælitus allabentem non cernes, interim mysterium illud, quod sub sensum non venit, fabrè effectum dabit. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hoc est, vndiquáque circundabit te, induet te, circumuallabit te, cõplectetur te. Obseruare hìc autem licet, quomodo, dum Spiritũ sanctum, virtutémque, & altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem virgini patefaciat. Quod Zachariæ hæsitanti Angelus non ignouerit, non est mirum: habebat is enim aliarum sterilium mulierum, quæ ante illius ætatem pepererant, ex diuinis scripturis exemplum non vnum, virgo autem nullum penitus. *Ideo quod nascetur ex te.* Non dicit Angelus ad virginẽ, quod natum est, simpliciter; ne quis corpus, quod ex ea prodiit, aliunde petitum existimet; sed addit, ex te, quò nimirum, quod nascebatur, secundum naturam ortum ex illa ducere, adeóque naturalem illius fœtum esse, certò persuadeat. *Quod nascetur ex te sanctum.* Non ob id sanctum vocabitur, quod filium Dei intra se habiturum, aut sanctimoniam aliunde accepturum sit, sed quia vnus ille, qui hominis, natura sua Dei quoque filius existit. *Et ecce Elizabeth cognata tua.* Angelus sacratissimæ virginis cognatam vocat Elizabeth: siue quòd ea eodẽ generis auctore Iacob descenderint ambæ: siue quòd Aaron, qui è familia & tribu Leui ortum trahebat, lege necdum promulgata, Elizabeth filiam Aminadab, sororem, autem Naason, qui è tribu Iudæ genus ducebat vxorẽ acceperat. Quo tempore stirps regia Iudæ ex qua fluxit sacratissima virgo, cũ sacerdotali stemmate Leui, ex qua erat Elisabeth, coniuncta est. Admirabili autem sapientissimáque sacrosancti spiritus gratia, & prouidentia factum est, vt hæc quoque Zachariæ coniux perinde atque Aaronis, Elizabeth appellaretur, quo nimirum, per nominum cognationem, hanc generis propinquitatẽ, ex prima illa Elizabeth, prouenisse liquido discamus. *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hæc sacratissimæ virginis oratio huc tendit. En tabula sum quamuis scripturam excipere idonea scribat in me scriba ille, quodcunque visum fuerit, faciat de me vniuersorum dominus, quicquid libuerit.

ANDREAE EPISCOPI
Hierosolymitani in eodem festo, Sermo.

ADest hodie gaudium omnium, pristinam nobis noxam diluens: Adest, qui est vbique, vt gaudio omnia impleat. Quomodo vero adest? Nullis certè stipatus satrapis: non Angelorum secum ducens exercitum: non suam iactans expeditionem, sed quietè ac submissè id agens, quò tenebrarum principem lateat: quò prudẽter illaqueato serpente, captóque Assyrio illo dracone, qui seruituti suæ humanam libertatem omnem subiecit, spolia auferret. Quoniam immensa eius erga nos misericordia, tantum condemnari opus, hominem dico, non sustinuit, propter quem cælos condidit, terram firmauit, aëra expandit, maria dilatauit, ac omnem denique obtutui nostro fabricam obiectam effecit. Propterea Deus super terram, Deus ex cælo, Deus inter homines, Deus in vtero virginis gestatus quem totũ vniuersum non caperet. Hinc humana natura gaudij præludia percipit ac diuini initium cõsortij capit: Hinc à suo purgata peccato, cum immensarum diuitiarum sponso nuptias celebrat. Hinc prior nostra effigies nouam figuram cõsequitur, ac senio quasi confectus mũdus, peccatorum senectam exuit: At cælum lætetur desuper, rorentque nubes iustitiam: Sallent montes dulcedinem, & colles lætitiam, quoniam misertus est Deus populi sui. Hodie enim, quod ante omnia sæcula absconditum fuit, mysterium reuelatur, & in Christo tanquam capite omnia repetũtur. Hodie summa vniuersi opifex potentia conceptum apud se iamdudum de rerum creatione consilium ad finem perducit: quò quod de nobis iã ab initio omnis mali princeps instituit consilium irritum faceret. Ob id sanè tripudiant Angeli, congratulantur sibi homines, ad quod vniuersus restitutus orbis cõcurrit. Quæ mens, aut quæ hæc concipiat lingua? Nõ equidem vllus sermo eloqui, vel auditus percipere possit. Meritò ergo præsens hoc festũ magna nobis solennitate & lætitia hodie peragitur, quod plenissimam coinquinationis nostræ expiationem concelebrat, quædam quasi existens vniuersæ quidem creaturæ læta festiuitas, humano verò generi restitutio. Hæ igitur gaudij hodiernæ

Est in Bibliotheca SS. patrum.

Luc.1.

Esa.45.

Festum Annunciationis.

diernæ annunciationes, hæc Dei reconciliationis indicia, exoptatissimæque salutis læta vaticinia, vndénam & à quo, vel ad quem pertingunt? Ex cœlo, à Deo & ad virginem viro desponsatam. *Luc. 1.* Quæ vero virgo? aut quisnám vir ille? quæve hisce nomina sunt? Illi quidem Mariæ, huic verò Iosepho: Ambo de stirpe Dauid. Quo rerum harū ministro & vnde venerat? Archãgelo Gabriele ea altissimis in huius stupendę rei ministerium demisso. Decebat enim ministrū altissimi, ex altissimis super terram deorsum volantem, inauditum illud atque sui admiratione res admirandas cunctas longè superans mysterium secum adferre. Quódnam illud? Domini ad nos descensionem, illius inenarrabilis dispēsationis manifestationem: diuini cōsilij atque decreti ab æterno absconditi promulgationem confirmationémque. Vbi autem & quando cuiusque grata contigit ista fieri? *Luc. 1.* In Nazareth ciuitate Galilææ: mense vj. à Ioanne concepto: vt venturum in vtero existentem prædicaret. Nam Gabriel è sublimi per æthera ad terrestria loca demissus, Nazareth cōstitit, & ad virginem accedens inscrutabilis illius dispensationis indicium ei placidè pro suo officio fecit. Hoc illud est diuinæ cum humano genere reconciliationis mysterium. Huius hodie festum celebramus, Dei, inquam, cum hominibus coniunctionem, adoptionis nostræ dignitatem: imaginis nostræ reformationem: in melius emendationem, in cælos exaltationem atque ascensionem. Quapropter magno hodie cuncta gaudio ac vniuersi cælestium potestatum ordines spirituales, ob Dei nobiscum reconciliationem, nobis quoque pla- *Luc. 15.* cantur. Iucundissima enim ipsis est nostra ad Deū reuersio, & ad statum meliorem ingressus atque *Heb. 1.* reditus. Quoniam valde sunt nostri causa soliciti atque benigni: ad eorum quippe ministerium missi qui salutem sortientur. Lætentur itaque cūcta hodie: vniuersa exultet natura: Cœlum enim apertum est: Terra regem vniuersi clanculum excepit: Nazareth Eden hortum æmulata ipsius Eden conditorem sinu suo complectitur: Miserationum pater humanā deformitatem vnico suo atque vnigenito tibi Filio despondit: cuius Gabriel mysterij minister fit ac virgini acclamat *Aue*, quo gaudium quod auia perdiderat, filia Adam ex Dauide orta, per se recuperaret. Hodie pater omnis gloriæ humani generis calamitatem misertus est, corruptam in Adamo natu- *Luc. 1.* ram propitius oculis intuitus est. Hodie misericordiæ largitor, viscerum suorum optimorum abyssum nobis reuelat, ac naturam nostram misericordia sua instar marium perfundit, quę multa aqua teguntur. Decebat quippe, eum à quo & per quē & in quo facta sunt omnia, veteris nostræ noxę condemnationem misericordia sua commutare, propriáque sua gloria gloriosam reddere corruptam in Adamo naturam, nec non veritate contundere fallax illud fallacis patris consilium, cuius opus fuit prima transgressio, protoplasti, inquam, delictum. Hinc nimirum magnus ille rex Dauid in Psalmis suis cecinit iam antea. Misericordia & veritas occurrêre sibi mutuo: Iu- *Psal. 84.* stitia & pax se mutuo exosculatæ sunt. Quid ob aliud hæc dicens? quàm filij secundum patris beneplacitum, misericordiam breui super nos venturam, qua misertus nostri misericordiæ largitor, nobis est similis factus, absque omni tamen peccato quò transgressionem nostram ipse tolleret, ac lapsus nos à casu erigeret, cōfractúmque vas de nouo iam ab omni immune contritione fingeret. Veritatem autem dixit eius, quæ non esset iuxta phantasiam inter hominea factam apparitionem. Non enim simulatam (quod videri alicui poterat) carnem à nobis assumpsit, sed in ipsa rei veritate singulari simul erga genus humanum studio, & secundum homines ea hominum substantia sibi asciuit, qui est altissimus, ac totam nostram in semetipso naturam sanctificauit: nec dispensationem eam sub specie quadam finxit. Hanc ille carnis, inquam, veritatem cognouit, illæsa eius Deitate manente, stupendæ prorsus alterationis. Quoniam igitur misericordia & veritas, vt habent Prophetarum oracula, mutuò sibi occurrere, meritò sanè iustitia & pax mutuò quoque se exosculatæ sunt. Iustitia quidem, quæ est aduersus eū, qui primos parentes decepit, prolata sententia. Quando? & à quónam? Hodie, & à patre altissimo: iuxta quam, qui natura sua benignus est, iustissimè decreuit, vt filius eius proprius vnigenitus in nostræ simili comparens forma aduersarium illum condemnaret. Pacem verò dico, quam desuper subitò Angelorum chorus, in ipsa statim Irenarchæ filij, secundum carnem natiuitate vnanimiter cōcelebrauit dicens. Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas. *Luc. 1. Ephe. 2.* Gloria, qua per Christum genus humanum est gloriosum factum, supra cælorum orbes euectum, ac omnem supra principatum, & potestatem virtutémque elatum, vt habet magnus ille Apostolus. Pacem autem quam ipsemet, interponendo se, nobis restituit, coniunctis cum terrestribus arctè cælestibus, ac nouam redeundi in cælos semitam terrigenis gratuitò donauit. Bonam autem voluntatem, qua ipsimet beneplacuit Patri, filium suum dilectum ad condemnatos nos mittere, vt probatam & acceptam patri per ipsum salutem, quasi consentiens patri, in nobis expleret. Hoc illud est cuius hodie festū celebramus, hoc Gabriel quoque demandatum sibi officium exequitur, ac medius inter Deum & homines totius reconciliationis pignora, rem equidem lætissimam, virgini primus annunciet. Nam miserationum Pater, nostri misertus generis transgressionis noxa iam deperditi, manuum suarum operum recordatus est. Nec nostrum penitus interitum videre substinens, primum quidem legem in tabulas lapideas scriptam per Mosis manus tradidit. Postquam verò nihil scripta lex proficeret, viros diuino spiritu præditos misit (Videntes & Prophetas appello) qui Dei vias omnes rectas docerent. Verùm, cum illi, ad quos missi hi erant, obstructis sensibus suis, nihil minus quàm anteà proprios affectus sequerentur, nec sic tamen nos fictionem suam plastes ille despexit, sed ex benignissimo mitissimóque sinu suo suum eiusdem secum maiestatis, potentiæ & bonitatis filium ad indignos nos misit, ad quos fines sæculorum pertingere: satius fore existimans, hostium suorum salutem perficere, quam tale ac tantum creationis suæ specimen, ac perfectionis velut exemplar despicere. Vni ergo ex præcipuis Angelorum, quē huius ministerio mysterij præfecisset, talia vt puto, verę maiestatis suę nutu mandauit: heus inquiens, vade Gabriel Nazareth in ciuitatem Galileæ, in qua puella Virgo

habitat,

habitat, desponsa viro, cui nomen est Iosepho, virgini autem nomen est Mariæ. Vade, inquit, Nazaret. Cur nam? Quod gratiosissimum virginitatis decus, veluti rosam suaue olentem ex loco spinoso sibi omnipotens eligeret: tum etiam ob prophetiam, Quoniã Nazaræus vocabitur. Quisnam quem Nathanael postea, Dei filium regem Israel prædicat? Cęterum consueuit Gabriel circa Dei ministrando versari mysteria, quemadmodum ex Daniele id cognouimus. Abi igitur Nazareth in ciuitatem Galilææ, quò cùm citò perueneris, illud primum virgini nuncia, gaudij inquam, Euangelium, quod iam antea Eua amiserat. Nec animã eius metu aliquo perturbes, nam gaudij non mœroris hoc indicium est, voluptatis, non tristitiæ salutatio est. Quodnam vel fuit, vel contingat vnquam humano generi maius illo gaudium? dum diuinam naturam participat, & arcta cum Deo coniunctione vnum cum eo fit, secundum vnitatis adeóque essentiæ rationem. Quid verò dignum magis admiratione, quã Dei videre descensum ad vterum vsque mulieris per-
Esa. 66. tingentem? ô rem incredibilem! Deus inter membra mulieris, cuius cælũ thronus est, & terra scabellum pedum eius. Deus in vtero, qui patri suo coæuus cælos inhabitat, Ecquid aliud pręter existimationem magis, quam Deum sub hominis specie apparere, vt tamen de propria Deitate nihil ei decedat? Tu etiam vniuersam videre naturam humanam cum Plaste suo coniunctam, vt totus diuinus reddatur homo, qui primus sub peccatum cecidit? Quid igitur Gabriel? Auditis his & cognito hoc mandato, diuina quidem voce sibi denunciato, viribus autem eius longe superiore existente, inter metum & gaudium constitutus fuit. Nec enim fiduciam inde manifestam habens, nec tutum satis contradicere existimans, diuinæ obsecutus voci ad virginem se demisit. Cumque Nazareth iam peruenisset, ad domum constitit: meditabũdo nimirum similis factus, ac secum quasi hæsitans variis procul dubio cogitationibus distrahebatur: talia puto, apud se animo voluens: Vodénam Dei exequi consilium aggrediar? veloci ne cursu ad thalamum contendam? At animum virginis sic terrebo? Tardius ergo accedam? Verum seu animo furandi ingressus puellę iudicabor. Pulsabóne igitur fores? sed quomodo? nec enim illud consuetum Angelis est: nec quod corpore vacat, agere quicquam eorum potest, quæ vel apprehendunt vel apprehenduntur. Portámne prius aperiam? sed & clausa ea, ingredi possum. Nomine eam vocabo? sed territabo iuuẽculam. Hoc ergo faciam: ad mittentis me consilium, impetum moderabor. Intentio quippe eius est humanum seruare genus. Quod sanè consilium, & si præter expectationem omnium quodammodo sit, misericordiæ tamen plenum est, reconciliationis symbolum. Quid autem ad virginem accedam? aut quàm aduentus mei causam primam dicam? num gaudij Euang. aut Domini mei inhabitationem, ac Spiritus inuasionem? vel altissimi obumbrationem? sic etenim virginem exhilarabo. Indicabo ei statim rem illam admirandam, accedam propius & salutabo eam, acclamando submissè: *Aue*. Commodus mihi liberioris sermonis ingressus fuerit salutatio: Ipsum, inquam, *Aue* ceu pignus quoddam instituendi cum ea colloquij permittatur mihi. Nam vnica hæc vox, Salue, nullum apud puellam metus locum relinquet ac mentem eius prius demulcebit. Ab ipso igitur gaudio exordium sumam, lætitiæ signa statim ei annuncians. Decet enim lætis ita præconijs reginam salutari. Hic etiam modus gaudium efficit: occasio præterea commoda est. Huc quoque mandatum animæ voluptatem inducit: Salutis huc consilium est, & immẽsi gaudij procemium. Hæc apud se animo voluens Archangelus, ad domum accessit: Ac ad Thalamũ, in quo virgo erat, cum peruenisset, aperto clam ostio ad eam ingressus est, & mãsueta admodum voce virginem compellauit dicens: *Aue gratiosa, Dominus tecum*: Qui ante te, hodie vnà tecum est, & ex te paulò post nascetur. Illud quidem ab ęterno, hoc verò ad tempus. Papæ, immẽsam illã humanitatem: Papæ, illam bonitatem. Non fuit cõtentus gaudij signa prodidisse, nisi lætitiæ quoque autorem in vtero virginis deprædicasset. Hoc enim quod ait: *Dominus tecum*, ipsum adesse regem clare significat: totum, inquam, eum in ipsa esse in corpus coactum, vt etiam nihil de propria eius gloria cessit. *Aue gratiosa, Dominus tecum*, Encomia B. Mariæ.
Salue lætitiæ organũ per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio est. Salue verè benedicta. Salue illuminata: Salue magnificum diuinæ gloriæ templum: Salue consecratum regis Palatium. Salue Thalame, in quo Christo humanitas desponsata est: Salue electa Deo, antequam nata fueris: Salue diuina cum hominibus reconciliatio: Salue Thesaure vitæ inaccessibilis: Salue cælum, solis glorię cæleste tabernaculum: Salue Dei ager amplissime, quem nullus alius locus, nisi tu sola, comprehendere potest: Salue sancta virginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterẽ saluti restitueret. Salue sanctum Dei fermentum, quo tota generis humani massa conspersa est, & ex vnico Christi corpore ceu panis factus, in vnum coijt incredibilis concretio. *Aue gratiosa, Dominus tecum*, qui dicebat fiat lux, fiat firmamentum, ac reliqua deinceps magnificæ creationis eius opera: Salua sis immensi Gen. 1.
gaudij genitrix: Salua sis noua gloriæ arca, in qua Dei Spiritus delapsus quieuit? arca in qua nouæ sanctificatio gloriæ. Qui suapte natura sanctus, in vtero virginali, ceu naturę officina, quo ad incarnationem mirabiliter seipsum conclusit: nõ quidem vt quod esset, immutaret (mutari quippe nõ potest) sed vt quod non erat, assumeret, humanitatis enim studiosus est. Salue vrna aurea, quæ cũ fers, qui dulce Manna reddit, ac mel à petra ingrato Israeli elicuit: Salue Seraphica mystici anthraeis fibula: Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale speculum, per quod celebres spiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos descensionem mysticè adumbrauerunt: Salua dioptra perspectiua, per quam qui in tristi peccatorum vmbra sedebant, recipientes desuper cum gloria venientem ortum iustitiæ solem, mirabiliter illustrati sunt: Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium ornamentum, necnon inuestigabilium Dei oraculorum præconium verissimum. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ac verè quidem benedicta, nam benedixit te sibi ipsi Deus in tabernaculum. Quoniam paterna gloria superabundãtem hominem Christum Iesum eundem quoque Deum, perfectissimum iis

naturis ex quibus & in quibus constitit, ineffabi-
Coll. 2. li quodam modo in vtero tuo gessisti. *Benedicta tu in mulieribus* quæ cælestem thesaurum, in quo alij omnes sapientiæ & cognitionis thesauri sunt reconditi, in toto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter, aceruus quidam areæ, quoniam fructum benedictionis, spicā immortalitatis, Christum inquam, sine seminantis ac coloni opera perfectissimè produxisti, messem copiosam infinita milia congratulantium sibi de salutis nostræ operatio, adduxisti. Tu verè benedicta, quæ sola præ matribus omnibus digna es habita mater conditoris tui: Ac ita quidem, vt quæ matribus contingūt, ignorares, quippe quod ex te per partū prodiit, virginitatē tuā haud corrupit, nam qui formauit, idem quoque communiuit castitatis tuæ signacula. Reuera benedicta tu, quæ sola sine viro concepisti & in vtero eum gessisti, qui cælos expandit, ac virginitatis tuæ terram cælestem reddidit. Benedicta tu in mulieribus. Quæ sola benedictionem es sortita, quàm Deus genti-
Genes. 12. bus per Abrahamum promiserat. Verè tu benedicta, vt quæ benedicti pueri Iesu Christi seruatoris nostri mater es nuncupata. Propter quàm
Matth. 21. Gentes acclamant: Benedictus qui venit in nomine Domini & benedictum nomen gloriæ eius sempiternum. Et implebitur gloria eius vniuersa terra, fiat fiat. Benedicta tu inter fœminas, quam beatam omnes generationes prædicāt, reges glorificant, quam Potentatus adorant, cuius in conspectu ditissimi ex populo dona litant, quam & à tergo sequentes & pereūtes virgines in regis templum comitatur. *Benedicta tu in mulieribus.* Quam Esaias Propheticis oculis conspicatus prophetissam & virginem nuncupauit: Laterem insuper & locum visionémque & libri caput idque sigillo consignatum manifestè appellauit, verè benedicta tu, quam Ezechiel Propheta verum solis ortum proclamauit, nec portam occlusam à solo Deo reclusam ac rursus conclusam. Sola tu verè benedicta es, quam montem magnum, vir ille desiderabilis Daniel vidit: Ac montem obumbrantem Abacuc ille admirabilis: Montem præterea Dei, & montem pinguem: montem quoque iucundum, montem, inquam, quem Deo inhabitare placuit, quo propater tuus, & rex diuino afflatu spiritu cecinit. *Benedicta tu inter mulieres,* quam Zacharias vir diuinissimus aureū ceu candelabrum septem vidit lichnis ornatum, nimirum septem illis sancti Sp. donis clarum & lucidum. Verè tu Benedicta, sensu intellectuque prædita, viuidi salutis nostræ ligni Paradisus, quæ
Zach. 4. ipsum horti Eden colonum, Christum, inquam, Dominum intra te habes, figuris in re adumbratum: qui ineffabili quadam potentia fluminis instar viuipatum vterum tuum egressus, quatuor velut initiis per Euangelium suum orbis faciem
Genes. 2. irrigauit: benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. Fructus, quo de comedens Adam protoplastus, euomuit veterem illam deuorationem, qua deceptionis escam sumpserat. Fructus vnde ceu ex fonte defluit amarulentæ ligni degustationis quædam condulceratio, humanam purgans naturam: qui fontes fluminum instar erranti in deserto Israeli è petra elicuit, &
Exod. 15. aquas amaras in Mara dulces reddidit: panem insuper pluit, nouum alimenti genus & inaratum. Benedictus fructus, qui steriles & amaras aquas per Elisæum potabiles & fœcundas salis inspersione effecit. Benedictus fructus ille qui ex incorrupto virginalis vteri surculo, veluti perfectus mirabiliter maturescens bottus enatus est. Benedictus fructus, ex quo fontes scaturiunt aquæ in vitam salientis æternam. Fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus, inquam, dominicum producitur, & immortalitatis calix, salutaris potio exhibetur. Benedictus fructus, quem sanctum omnis lingua celebrat, cælestium terrestrium & infernorum, in triplicitate sacrusanctę quæ in trinitate est, Deitatis: Vnum & idem quod ad essentiam confitentes, proprietate verò eorum quæ peculiariter sibi quisque habet, in personas segregantes. *Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui. Hæc autem,* inquit, *turbata est super oratione eius, & cogitabat apud se dicens: qualis esset illa salutatio.* Turbata est, inquit. Num ex incredulitate aliqua mente fuit perculsa? absit vt id dicamus, sed pietate magis & reuerentia, propter insuetum alloquium, magni procuidubio faciens vaticiniū hoc, quod sibi apparuisset. Nec quemadmodū Zacharias antea in interiore templi parte incredulus extitit, vnde à genitalibus ad formandæ vocis organa pœna ei translata, cum fandi impotentia sterilitatem commutauit, sed velut omni vacans reprehensione, & à qualicunque cum viro concubitu, vel etiam consuetudine libera, cælestium rerum diligenti contemplatione assuefacta, animóque intenta, hanc mentis suæ perturbationem ex salutatione sibi incussam sensit. Conueniebat quippe eam meticulosiorem (quod in muliere haud improbatur) existentem, subitò quidem animo hærere, ad se autem, ratione progressa, reuersam, perpendentem ea quæ dicerentur, non leuiter, quo videri alieni posset, nec obiter aures loquenti præbere. Quare disertè valde Euāgelista adiecit dicens: *hæc autem cogitabat*: Ratiocinatrice nimirum puræ mētis facultate probās & examinans id quod cogitaret ne quod diceretur sibi temere arriperet. B. virgo erudita.
Qualisnā illa, dicens, *esset salutatio.* Verisimile enim est ipsam, & de clara stirpe natā, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorū quę in scripturis habētur oraculorū fuisse: vt cogitationes suas statim conuerterit ad primæ parentis lapsum, in animo secum suo voluens deceptionis primæ casum, ac reliqua huius generis à veterib. sanctis hominum memoriæ relicta. Non ergo immeritò Euangelista meditabundam illam fuisse scripsit. Cæterum quo & ingenium quod ei esset, declararet: nec nō cognitionis certitudinem firmitatemque posuit etiam tanquam certum. Nondum enim honesti iudicio ad rationis cōsiderationisve metam probato, haud conueniebat ceu ratam salutationem eam habere: Nisi quia animi illam perturbationem supprimere studebat, verbum nullum fecerit, sola autem quadam dispositione, aliquantulum meditabunda, mentis commotionem quandam significauit, motum decore pro sermone vsa. *Qualisnam illa esset salutatio?* Quasi diceret: Num sola ego inter mulieres nouum naturæ modum inducam? Méne solam possibile est fœtum in vtero gestare, cum nullo congressam viro? Qualísnam hæc sit salutatio? Quis illa aut vnde ingressus, qui nūcium hoc mihi apportauit? Hominémne eum qui mihi loquitur putabo? sed corpore ceu vacans

4. Reg. 2.

appa

apparet: Angelum ergo eum censebo? Verum hominis instar loquitur. Quid, quod video, sit ignoro, & ad ea quæ mihi dicuntur hæsito. Quid igitur Gabriel? Quum primum puellæ terrorem cognouisset, nihil prorsus huiusmodi cogitans, voce statim ad eam emissa, inquit: *Ne time Maria, nacta es enim gratiam apud Deum.* Prius itaque metum eius ademit, postea sic ad fiduciam eam excitauit. Ne timeas inquiens, nacta es enim gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat. Eo quod dicit, gratiam; soluit omnem sententiæ ambiguitatem, & id quod antea videbatur ambiguum. Quod enim subiecit: *Inuenisti gratiam apud Deum.* commodè omnem excussit virgini metum: *Ne timeas Maria.* Non fraudulentus hic modus est: haud fallendi animo ad te venio: non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuncius adsum. Ex altissimis veni lætum tibi adportans nuncium nec qualecunque lætum nuncium, sed plenum gaudij lætum nuncium. Ne timeas Maria. Non fraudis hæc salutatio est, non tristitiæ significatio. Dominus tecum, qui vnus omnis gaudij largitor, & vniuersi mundi conseruator est. Tecum est, qui à sinu patris auelli non potest: In tuo autem conceptus vtero est. Gratiosam te appellaui, vt mysterij quod in te est gaudium significarem: Gratiosam te dixi, quod omne in ventre tuo gaudium receptum sit: & quod stola tua vere sit gratiosa diuinorum donorum splendore. Dominus tecum, acclamaui tibi, quo potentiam eius, qui in te est, manifestarem. Dominus enim & Deus, princeps pacis ipse est, & futuri sæculi Pater, & tuus, nempe virginis filius, ac in vniuersum omnium Saluator. Dominus tecum. Gaudium & veritas tecum. Dominus quidē legis, Gratiæ autem
Isa.9. patet, ac veritatis fons. Ne timeas Maria, Dominus tecū. Omnis fati dominator: Patris luminū filius ab æterno ex ipso genitus: tēporali verò natiuitate ex carne tua progressus: Qui totus supernè in sinu patris est, infernè autē totius tecum in vtero tuo est, ille ipse tecum & intra te est: prænunciando namque te insiliit, ac tuum superingressus corpus est: In te adeò locum inuenit, qui loco secundum propriam naturam comprehendi nullo potest. *Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum.* Gratiam quam non accepit Sara: quam nō sensit Rebecca: quam nec Rachel cognouit. Inuenisti gratiam qua non digna est habita nobilis illa Anna, nec Phenenna, hinc è regione posita: Quoniam hæ quidem matres ex sterilibus factæ sunt, amittentes vnà cum virginitate orbitatem: Tu autem vt etiam mater sis, virginitate tamen frueris quoque illæsa. Quapropter ne metuas, inuenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam qualem non nactus est quisquam ab æterno sicut tu. Quæ etenim talis sit gratia Dei, quæ summum fauorem mereatur? Nacta es itaque gratiam apud Deum. *Et ecce concipies in vtero, & paries filium, ac vocabis nomen eius Iesum.* Papæ, rem admiratione dignam. Primò quæstionis ei dubium soluit: Postea mente quæ contineret, sermone sic aperuit: vide quoque quanta breui peragat, pellit timorem, gratiam indicat, interpretatur conceptum, partum vaticinatur, nomen quo proles nata sit appellanda, subiicit. Non verò finem hic verborum facit, sed vt magnitudo quoque potentiæ declararetur infantis, subiecit statim: *Is erit magnus & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitque super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vides qualiter virgini ademerit metum? Vides quantopere animum eius fiducia cōfirmet? Nam filium vocans altissimi & patrem pueri Dauidem nominans, eresit omnino mentem eius subitò, quemadmodum quæ sequuntur, declarant. Vide quoque virginis quantus intellectus sit. Vt enim audiuit hæc, & eminentissimæ diuinæ voluntatis potentiæ cognouit constantiam, dixit ad Angelum. *Quomodo erit mihi istud, quādoquidem virum non cognosco?* Rem mihi nouā (inquit) polliceris: Quæ ipsam superant naturam mihi nuncias: Nuptias ego nullas experta sum, despōsata enim ac nupta cum viro nondū fui, spōsum futurum ego solum, at virum Iosephum nōdum cognosco. Contubernalis est tantum, μνήστωρ, non etiam idem cum desponsa ingreditur cubile. Vterus meus genitali semine vacat, nec cultus est. Quomodo erit istud, quandoquidem virum non cognosco? Num enim inquit, me solam natura matrem sine nuptiis declarabit? An sola ego præter naturam naturæ incognitam generationem producam? Non sunt peractæ nobis nuptiæ: virum non experta sum, non enim cognoui Iosephum: Tutor meus non maritus mihi cognitus est. Quomodo ergo istud mihi erit? Respōdit illicò Gabriel, & interrogationis huius crassitiem sublimitate contradictionis extenuauit, dicens: Quid ô beatissima hæc dicis? Cur talia fundis verba? Cælitus ego adueni nouum tibi conceptionis modum nuncians: non terrenus tibi loquor. Dominum esse tecum dixi, & tu quomodo hoc mihi cōtinget, ambigis? hunc ego anteuertisse aduētum meum & tuum subiisse vterum tibi nuncio, & tu de viro mihi differis, ac terreno quodam partu, dicisque: *quomodo istud mihi erit?* Quomodo erit tibi? cogita quomodo Num.17.
virga floruit: quomodo aquam petra ediderit, vndénam ipsa fuit grauida? Quomodo rubi ignis arbusta peruaserit, vt tamen non cremaret eum: Si Exod.3.
hisce fidem habes, nec mihi diffidere debes. Qui enim tam hæc quam illa fecit, vnus & idem est, nempe qui in vtero nunc tuo gestatur. Nouo itaque & præternaturali modo eius quo tu grauida es, pueri mater eris. Non sicut Elizabeth, nec veluti Anna, quæ te peperit: Illæ enim Luc.1. Anna mater virg. Mariæ.
virili perfusæ semine matres factæ sunt. Tu verò absque viri opera filium paries sine semine tibi concessum. Et si modum quo id fieri possit, ambigis, hunc quoque tibi apertè dicam. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, obumbrabit tibi.* Non enim ex viri voluntate, nec ex voluntate carnis, qui nascetur, proueniet. Non carnis interueniet voluptas matris Dei partui: Naturæ quippe terminos superat. Et si naturali prorsus ratione destitutus est, eximiam igitur, & naturali præstantiorem ortus sui rationem habet. Non igitur passio vlla circa partum deorsum: quoniam nec circa generationem sursum subsecuta est. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Vide qualiter Trinitatis manifestetur mysterium: spiritum enim sanctum, dicens non alium quàm Paracletum inquit. Per virtutem verò altissimi, apertè filium innuit. Nam voce hac, altissimi, Patris infertur persona: hoc autem, obumbrabit tibi, illud dicere mihi videtur: quòd vt puto Abacuc antea (prophericis oculis intuitus) montem obumbrantem virgini nūcupauit: Tan-

tum non spiritus potentiam subiungens, quæ obumbrarit eam: umbraculum ineffabile, per se efficax in ipsa, pro incarnationis ratione, secundum quam inuiolabiliter corporis templum in libero à passionibus virginis vtero, omni expurgata materiali molestia & affectione, quemadmodum, ex his quæ sequuntur, patet. Ait enim. Quapropter & quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Nam qui ex Sancto spiritu per sanctum patrem inscrutabiliter, dum ante sæcula esset, formatus est infans, merito sanctus erit, & filius altissimi vocabitur, veluti altissimè prolatus sermo coæuus: ostensum igitur clarè est virgini quidnam & vnde, qualéve quod in ipsa conceptum & ex ipsa proditurum esse. Filius quippe Dei nascetur. Quo verò manifestius eparumnum certiusque ei sermonis huius vim declararet, Elizabetę quoque conceptionem introducit. Ac si dicat: Quoniam qui matricem præter omnem spem prolificam in senectute reddere potest, nimirum virginem quoque grauidam præter rationem exhibebit palam. Vnde quoque infert: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* His ergo auditis, maximè verò spiritus inhabitantis lumine mente illustrata, nec non animi mox quadam delectatione ob nuncium illud affecta, tota est quieta reddita: Et quemadmodum scriptura Dauidem commemorat. Gratiosa anima, in pulchritudine oculorum apparuit: Delectata quippe rem ob admirandam fuit, ac salutationem illam libenter agnouit. Fuit etenim gaudij ineffabilis plenũ id, quod ei dicebatur: valde & adeo plane persuasit Gabriel, Virgini, vt reciperet libenter admirabile illud nuncium, eo quod subiiceret. *Non erit impossibile apud Deũ omne verbum.* Quid ergo inquit Euangelista: *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Vides intellectum, vides amictus honesti excellentiam? Posteaquam enim cognouisset, edocta de conceptu, prolis generationem, quisnã & cuius futurus esset filius, quóve esset nomine appellandus, & cui throno successurus, quibúsve regnaturus sit, ac denique regno eum, qui nasciturus esset, non fore prorsus lætitiæ nunciam vocem protulit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Illud nimirum palam dicés: Ecce promptam me expono, néc quod prohibeat id quicquam est. Parata est anima mea, & venter meus opportunus: nam intactus etiamnum est, soli suo custoditus conditori. Ecce ancilla Domini. Ad obediendum facilis, ad seruiendum parata, ad suscipiendum prompta: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Postquàm enim omnia (inquit) quomodo qualiáve sint opportunè annũciasti, vniuersum illud perficiendum, gaudio & suprema gloria repletum est. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Euge, admirabilem dispensationem: Euge illius gratiæ? Vah liberæ illius & voluntatis & præsentiæ. Verè spiritus sanctus cohabitauit virgini, & virtus altissimi obumbrauit ei, secundum præfinitum Dei consilium & præcognitionem. Ac discessit ab illa Angelus inquit. Quum commissum sibi executus esset sedulò ministerium, discessit âb ea Angelus. Verum Dominus non recessit ab ea. Ille enim comprehensibilis est, licet corpore vacet: hic verò comprehendi non potest, quantumuis in corpore & virginis vtero luco sit conclusus. Ille prætereà venientem prænunciauit ob salutem hominum ex virgine natum, hic verò nostra assumpta substantia in semetipsum transformauit, restituens. Naturæ secundum imaginem ac primam dignitatem, quam ob primorum parentum inobedientiam amiserat. Quæ sane rursus inducta consedit in cælestibus supra omnem principatum, potestatem & virtutem, nec non supra omne nominatum tam in præsenti quam futuro sæculo. Ei sit gloria & imperium, & honor, & adoratio cum infinito Patre & sacrosancto viuificantéque Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauen. in superius Euang. de Annunciatione S. Mariæ Virginis, Sermo 1.

SAtis modò sit oculorum nostrorũ pura acies, vt possit in diuini ortus intendere claritatem: *Serm 140.* nam, si nascẽtis iubar Solis oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota, vel puritas, quanta interni visus est præparanda synceritas, vt splendorem sui ferre possit orientis, & radiantis authoris: *In sexto autem mense missus est*, inquit, *Angelus Gabriel in ciuitatem Galileæ, &c.* Locum, tempus, personam, sanctus Euãgelista designat, vt relationis veritas manifestis ipsarum rerũ comprobetur indiciis. *Missus est*, inquit, *Angelus ad Virginem desponsatam.* Ad virginem Deus aligerum portitorem mittit: nam dat archam, dotem suscipit, qui fert gratiam: fidem refert, & tradit munera virtutis, qui mox virginei consensus resoluit sponsionem. Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum, neque auferat ab Ioseph virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata, cùm fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non præripit alienam: nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in vno corpore creaturam. Sed quid egerit angelus, audiamus; *Ingressus est ad eam, dicit; Aue gratia plena: dominus tecum.* In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium *Aue.* Hoc est, accipe gratiam. Ne trepides: ne sis sollicita de natura. *Gratia plena.* Quia in aliis gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te dominus: Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te nouo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congrue; *Benedicta tu in mulieribus.* Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius.* Quid est, quòd personam videt, & de sermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello: mitis in habitu, in sermone terribilis: humana proferens, diuina repromittens. Vnde & Virginem, quam leuiter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus: & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto pondere mittentis authoritas. Et quid plura? Mox sensit in se superium suscipi iudicium, vbi autẽ iam cælestem vidit, & contemplata est meratorem. Quamuis enim blando motu, affectu pio, Virginem sibi Deus in matrem, seruam sibi verte-

Sed communis est sententia, matrimonium hoc non fuisse contractũ ad copulam coniugalem.

ret dominus in parentem: turbata sunt tamen viscera, mens refugit, ipsa est tremefacta conditio, cùm Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit, & condidit humanum. *Et cogitabat, ait, Virgo, qua esset ista salutatio.* Aduertat vestra caritas, vt diximus, consensisse Virginem salutationi non verborum, sed rerum, & vocem fuisse non communis obsequij, sed supernæ vim totam fuisse virtutis. Cogitat ergo Virgo, quia cito respondere est facilitatis humanæ, cogitare verò ponderis est maximi, & iudicij permaturi. Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius virginis mentem non stupet, animum non miratur, pauet cælum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cũ cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat, & impleat illud Prophetæ; Ecce hæreditas domini, filij, merces, fructus ventris. Sed iam se concludat sermo, vt de partu Virginis, donante Deo, & indulgente tempore, gratius proloquamur.

Psal. 126.

EIVSDEM IN EADEM

Sermo 2.

Serm. 142.

AVdistis hodie, fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum diuinæ maiestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in cęlis hominem sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in vno corpore Deum, hominémque misceri. Audisti fragilem nostrę carnis naturam ad portandam totam deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari. Denique, ne tanto ponderi cælestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli, mox præcessit dicens: *Ne timeas Maria.* Ante causam dignitatis virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone, Latinè domina nuncupatur: vocat ergo Angelus dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quàm nasci, & vocari dominã, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. *Ne timeas Maria inuenisti enim gratiã.* Verum est, quia, qui inuenit gratiam, nescit timere. *Inuenisti gratiam.* Apud quem? *Apud Deum.* Beata, quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, *Inuenisti gratiam.* Quãtam? quantam superius dixerat. Plenam. Et verè plenam, quę largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam. *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Hæc cum dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam, stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis vteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est, quòd remoratur Angelus: hinc est: quòd Virginem vocat de merito, de gratia cõpellat, vix causam prodit audienti, sanè vt sensim

Propterea ... fuit ... natura ... [marginal note partly illegible]

promoueat, vix longa trepidatione componit. Æstimate, fratres, qua reuerentia, quo tremore nos tanto interesse deceat, & conuenias sacramẽto, quando ipse Angelus non sine metu discutit audientis. *Ecce concipies in vtero.* Bene concipies, quòd caro nescit, conditio non habet, non admittit natura. *Ecce concipies in vtero.* Quis antè ad fructum peruenit, quàm terræ laborem sentiat, & sudorem? Quis antè poma carpit, quàm plantæ suam tribuat, & impendat industriã? Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Quis præter naturam naturæ suscipit incrementum? Beata ergo, & verè beata Maria, quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tãtam germinis peruenit ad gloriam. Beata, quæ diuinum pignus sic sub suscepit, & seruauit in pectore, vt illud tota corporis externa nescirent. Beata, quæ, quod de supernis, Angelo referẽte, susceperat, sic menti suæ solę commisit, & credidit. Intra domũ Virginis negotium cæleste sic geritur, vt manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant. *Cõcipies & paries Filium.* Quis ingreditur, & egreditur & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus: & qui conceptu suo virginem seruat, & ortu suo relinquit virginem, nõ terrenus homo est, sed cælestis. Nostræ ergo carnis ordo secedat, hic sibi natura nostra nil vindicet, vbi ad diuinã progeniem cęlestis ordo diuinam instituitur in naturam. Conceptus & partus sermo audientis animum non fatiget, nec leuiter sensum moueat Christianis, vbi ad cęlestem progeniem virtutis Dei diuina peraguntur insignia. *Concipies & paries filium* Non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia *Sanctum vocabitur filius Dei.* Virgo te gratia matrẽ præstitit, non natura genitricẽ te diei pietas voluit, quod nõ sinebat integritas in tuo cõceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Virgo, si tibi salua sunt omnia, quid dedisti? Si virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? ille, quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit, virgo. Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, & ipse lucem mũdi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Monita ergo per Angelum, virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox, vt genueris, inuoca saluatorem: quia virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus auctoris, & integritas suum gestat dominum, non alumnum, dicente Angelo; *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quod saluator Latino vocabulo nuncupatur. *Dixit autem Maria ad angelum; Quomodo fiet istud?* Ecce Maria interrogat: &, si qui interrogat dubitat, cur solus Zacharias velut querulus percunctator incurrit? Quia pectorum cognitor non verba, sed corda peruidit: non quid dixerint, sed quid senserint, iudicauit; erat enim interrogantium causa dissimilis, species per diuisa; hæc contra naturam credidit, ille dubitat pro natura: hæc integræ rei ordinem quærit: ille, quæ Deus iubet, fieri non posse præscribit: ille, impellentibus exemplis, non accedit ad fidem, hęc sine exemplo percurrit ad fidem: hæc miratur de partu virginis, ille de conceptu disputat coniugali. Meritò ergo hæc loquitur, hæc Deum suo cognoscit, & cõstretur in corpore, ille tacet, donec Ioannem, quem negabat, conuictus proprio redderet

Non negat, Christum esse vere, ac proprie filium B. virginis, sed declamatorie suadet, vt modestia gratia non audeat cũ appellare filium.

ex corpore. *Quomodo fiet istud? Quare? Quia virum non cognosco.* Mulier, quem virum quæris: quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum mulier, redde depositum Dei, redde ex te, quem perdidisti per te: prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris. Ille ex te assumet, & faciet virum, qui in principio te fecit, & assumpsit ex viro: ne quæras virum, cesset opus hominis, quia ad reparationem hominis sufficit ars diuina. Hinc est, quòd Deus ipse ad te venit, quia te pœnituit ad hominem peruenisse. Nec iã caro ad carnem.

Ioan.3. *Sed spiritus sanctus superueniet in te.* Quia, quod de
Ioan.4. carne natum est, caro est; & quod de spiritu, sanctum est: qui ergo de spiritu nascitur, sine cõtrouersia Deus est: quia spiritus est Deus. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum fragilitas humana succumbat. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Æstus nostri corporis nescit, quàm diuinę protegit vmbra virtutis: nec secretum mundanæ habitationis inquirit, quæ se septam superni splendoris circumspicit velamento. *Propterea, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Nemo hic communiter accipiat sanctum, sed illa singularitate, qua clamatur in cælestibus; San-
Isa.6. ctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Mittitur autem Maria ad Elizabeth, virgo ad sterilem, infans ad anum, vt certamine pio firmant ambæ, percipiãt pariter: altera de nouitate fidem, altera de necessitate virtutem. His auditis, respõdit Maria; *Ecce ancilla domini. fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ vocatur ab angelo domina, ipsa se cognoscit, & confitetur ancillam. Quia deuotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ credit verbo, meritò
Ioan.1. concipit verbum. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: & ad totam rem peruenit, quę secretum fidei cõsentit auditu. Quantum peccat hæreticus, qui post causam non credit, cùm tantum hanc credidisse conspicit ante causam?

EIVSDEM DE EADEM
Sermo 3.

Serm.143. DEbetur quidem vobis natalitius sermo, sed ineffabile natiuitatis dominicæ sacramentum credere magis conuenit, quàm referre. Virgo peperit. Quod natura non habet, & vsus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pauet cælum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus? Denique Euangelista conceptum Virginis. Virginis partum sicut humano sermone pandit, ita diuino claudit arcano: & hoc facit, vt homo, quod credere iussus est, discutere non præsumat. Quis attingit arcanum Dei; partum Virginis? rerum causas? seculorum negocium? commercium diuinitatis, & carnis? hominem, Deúmque vnum Deum? Euangelista sic ait. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, &c.* Vbi mediator est Angelus, humana cesset opinio; vbi cælestis est nuncius, interpretatio terrena pellatur. Curiositas humana torpescat, vbi supernus habetur interpres. *Missus est Angelus à Deo.* Qui audit attentius, quia à Deo missus sit, deitatis refugit perscrutari secretum. Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur scire qui timet scire. Audi dominum dicentem: Super quem Isa.60.
respiciam, nisi super humilem, & mansuetum, & trementem verba mea? Humilem, & mansuetum, quantùm mansuetus est ille, qui iussis obtemperat: immansuetus tantùm est ille, qui iussa discutit. *Missus est angelus ad Virginem.* Quia semper est Angelis cognata virginitas. In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cęlestis. Et, si vultis scire angelicam gloriam, acquirere maius est, quàm habere: esse Angelum, fœlicitatis est; virginem esse, virtutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. Angelus ergo, & virgo, diuinum agunt officium, non humanum. *Ingressus*, inquit, *Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, &c.* Videtis quibus est virgo oppignorata muneribus. *Aue gratia plena, dominus tecum. Aue*, hoc est, accipe. Quid? Virtutes munerũ, non pudoris. *Aue gratia plena.* Hęc est gratia, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit virgo, salutem sęculis redditura. *Aue gratia plena.* Quia singulis gratia se est largita per partes. Mariæ verò simul se totã dedit gratiæ plenitudo. Omnes, in- Ioan.1.
quit Euangelista, de plenitudine eius accepimus. Vnde & Dauid dicit; Descendit sicut pluuia in Psal.71.
vellus. Vellus cùm sit de corpore, nescit corporis passiones; sic virginitas, cùm sit in carne, vitia carnis ignorat: cęlestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluuiam salutis effunderet. Et sicut stillicidia stillãtia super terram. Vt vitalibus partita stillicidiis tempora fidei rigarent germina, non necarent. *Aue gratia plena, dominus tecum.* Missus est Angelus à Deo, & quid dicit? *Dominus tecum.* Ergo erat cum virgine, qui ad virginem miserat. Præcessit nuncium suum Deus, sed à Deo non recessit: teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis: & totus vbique est, sine quo nihil est totum. *Benedicta tu inter mulieres.* Verè benedicta virgo, quæ & virginitatis possidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & sustulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & Regina totius extitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior: nam Deum: quem mundus non capit, sola cepit. Portauit eũ, qui portat orbem; genuit genitorem suum; nutriuit omnium viuentium nutritorem. Sed videamus quid ait Euangelista. *Maria*, inquit, *vt vidit Angelum, turbata est in sermone eius*, Turbata est caro, cõcussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo: quia in ingressu Angeli virgo sensit diuinitatis ingressum. Turbatur humani corporis templum, & carnalis domicilij mouebantur angustiæ, cum se in virgineo pectore tota Dei conderet magnitudo. Sed, si placet, priusquam fidei Christianæ penetremus arcanum, loquamur ad eos, qui partum virginis, qui magnum pietatis sacramentum, qui reparationem salutis humanæ referunt ad diuinitatis iniuriam. Venit ad virginem Deus, hoc est, ad opus suum opifex, Ioan.1.
creator ad creaturam suam. Quando ad opificis

hono

honorem operis restauratio non redundat? Quando honor non deputatur ad gloriam, si factor facturam suam reparet? Ne amittat quis opus suū, nónne, cū veterascit, reuocat? & cùm cadit, erigit? & cum destruitur, in melius non reformat? Ergo quod in partu virginis agitur, non est creatoris iniuria, sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit, cur refecit? & quod ex limo formasse digne creditur, quare ex carne reformasse iudicatur indignū? Quid preciosius, caro, aut limus? Ergo reparationis nostræ quanto preciosior materia, tātò maior est gloria. Aut quādo Deus nō
Iob.10. in vtero psalmator est hominis? Audi Iob? Manus tuæ fecerunt, & finxerunt me. Et post; Vt caseum coagulasti me ossibus, & neruis inseruisti me: vitam, & misericordiam dedisti mihi. Et Dauid; Tu
Psal.138. formasti me, & posuisti super me manum tuam.
Hier.1. Et ad Hieremiam, Deus; Priusquam esses in vtero, noui te, & in vulua sanctificaui te. Si ergo parentus in aluo Iob liniamenta depinxit: si matris in vtero Dauid membra compegit: si Hieremiam genitricis sanctificauit in vulua, si Ioannem sterilis in vtero repleuit spiritu sancto: quid mirum modò si virginis habitauit in vtero, qui mulierem hominis sumpsit ex latere? Ipse hominē mulieris resumpsit ex vtero, qui virginem viri formauit ex corpore: ac perinde, homo, quæ tibi videntur noua, Deo habentur antiqua. Sed dicis: Quę nascendi necessitas Deo cui suppetit faciendi potestas: Quæ? Vt ipsam naturam nascēdo reficeret, quam fecerat operando: quia quæ facta fuerat vt generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negocium natiuitatis, quod nasci compulit Christum, vt naturæ curam natiuitas daret auctoris, & naturæ curatio esset viuificatio filiorum.

EIVSDEM DE EADEM
Sermo 4.

Serm.144 DE natiuitate Christi nos compēdinare sermonem, altitudo rei facit, & cogit mysterij magnitudo. Virgo peperit, quis loquetur? Verbum caro factū est, quis narrabit? Si verbum Dei infanię dat vagitum; homo imperfectus quomodo clamabit in verbo? Quantam stella Magis nocte dedit quærentibus lucem, tantam doctoris sermo ortus dominici præbet audientibus claritatem: vt Christum inuenisse gaudeant, discutere non præsumant: honorent muneribus infantiam, non minorēt. Sed orate, fratres, vt, qui nostro sensim creuit in corpore, paulatim nostro crescere dignetur in verbo. Euangelista hodie angelum retulit sic locutum; *Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ne timeas Maria*, quare? *Quia inuenisti gratiam.* Timet non qui inuenit, sed qui perdit. Inuenit, inuenit hæc concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatis insignia. *Ne timeas Maria.* Quid timet, quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia sæculorum? Timor non est, vbi diuinum est negocium, non humanum: vbi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet, quæ suscepit eum, quem timent omnia, quæ timentur? Quid timet, cui iudex causæ est assertor, integritas testis innocentiæ? *Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.*
Quod erat in principio apud Deum, verbū Deus Ioan.1.
intra se virgo reperit, & factum est magnum deitatis templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium, & quem nō capiebat pusillitas humani corporis, cœpit virginalis vteri magnitudo. *Ecce*, inquit, *concipies in vtero.* Propter reuerentiam dixisse sufficcerat, *concipies*, quod exaggerat, *in vtero* quid est? Vt conceptus esset veritas, non figura, vt partus esset proprietas, non imago; vt, sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis iniuria sublata est, non natura: nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum aëreum corpus assumpsisse mentitur: nec habuisse carnem, sed hominem simulasse contingit. *Concipies*, inquit, *in vtero, & paries filiū, & vocabis nomen eius Iesum.* Quod Hebraicè Iesus, Græcè *σωτὴρ*, hoc dicitur Latinè saluator. Meritò ergo virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit saluatorem. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quia in hoc nomine deitatis tota adoratur Maiestas: omnes, qui commorantur in cælis, vniuersi, qui habitant terram, cuncti, qui in profundo tenentur inferni, huic prosternuntur nomini, hunc adorant. Audi Aposto- Phil.2.
lum dicentem; Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Hoc nomen, quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totámque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis effugauit. Et, si nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste, qui vocatur hoc nomine? Iam dicat Angelus. *Et filius altissimi vocabitur.* Videtis quia, quod concepit Virgo, non terrenum germen est, sed cæleste. Virgo peperit, sed Deus suscepit filium. Ergo, qui de hac natiuitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam. *Et dabit*, inquit, *ei dominus sedem Dauid patris sui.* Hinc hæreticus generat perfidiæ suæ nebulas: hinc sibi fingit erroris materiam. Ecce, inquit, non ego dico, sed Angelus, *dabit illi dominus Deus*, numquid non maior est, qui dat, quàm qui accipit? & qui accipit, antequam acciperet, non habebat. Sed nos ista, fratres, audiamus, non vt perfidi, sed vt fideles: & sit nobis argumentum fidei, quod illis est erroris occasio. *Dabit illi dominus Deus.* Quid dat? aut cui dat? vtique Deus homini dat, diuinitas carni. *Dabit illi dominus Deus.* Quis Deus? vtique verbum, quod erat in principio semper Deus. Cui dat? quod ca- Ioan.1.
ro factum est, & habitauit in nobis. Audi Apostolum dicentem, Deus erat in Christo mundum re- 1.Cor.5.
cōciliās sibi, sibi vtique, nō alij. Hic ergo Deus, qui in Christo erat, regnum sibi dabat in Christo: & conferebat suscepto corpori, quod semper sua diuinitate possederat: sicut ex ipso Angeli probatur eloquio. *Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Vides, quia, quando accipit, Dauid filius dicitur; quando dat, Dei filius nuncupatur, ipse dixit, Omnia, quę habet pater, mea sunt. Et quę necessitas accipiendi, vbi est habendi potestas? Ait, omnia, quæ habet pater, mea sunt. Quis accipit, quæ Ioan.16.
sua sunt? Aut in gratia dantis est, si accipientis est, quod donatur? Fatemur, quia accepit, sed iste, qui natus est, qui suscepit carnem, qui suscepit infantiam, qui cunabula pertulit, qui suscepit ætates, qui laborem sustinuit, qui famem sensit, qui sitim

passus est, qui tota iniuriarum genera non refugit, qui ascendit crucem, qui subiit mortem, qui intrauit sepulchrum: hæretice, huic, quod accepit, ascribe. Aut putas, quòd honorem à Deo dedignatur accipere, qui ab hominibus tantas accepit iniurias? Aut existimas, quòd conferri sibi regnum à patre fastidit, qui ab inimicis pœnas, mortémque suscepit? hæretice, quod est iniuriæ, quod infantiæ, quod ætatis, quod temporis, quod dati, quod accepti, quod ministrationis, quod mortis, si intellexeris non esse diuinitatis, sed corporis; tu nullam filio irrogabis iniuriam, nullam tu facies in Trinitate distantiam. Sed reuertamur ad nos, &c, quæ sunt nostra, iam inquamus. *Dabit illi, inquit, dominus Deus sedem Dauid patris sui, &c.* Qui in cælo semper consedit patri, nunc sedem Dauid accepit in terra: qui regnauit sibi semper, modò nobis in domo Iacob regnum sortitus est æternum. Gaudeamus, fratres, quia, qui sibi regnauit, regnaturus est nobis: gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare possimus in cælo.

2. Tim. 2. Audi Apostolum; Si compatimur, & conregnabimus. Nobis natus est, nobis vtique regnum venit donaturus: ipso promittente, cùm dicit; Venite

Matth. 25. benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mūdi. Vobis dixit, non mihi. Veniet, vt sit nobiscum semper: vt nostris sit semper in oculis, qui nunc tantùm nostris habetur in cordibus. Veniet, vt, quibus est gloria de regno, sic de familiaritate fiducia. *Et regni eius non erit finis.* Qui eius aduentum credis, gaude, quia regnum sine fine promisit: vbi est sine successore militia, vbi sunt perpetuę dignitates. Sed quid est, quòd permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quid est? Quid est, quòd caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres, hic parantur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur, hic, qui non de Euangelij fide acceperit codicillos, ibi æternarum infulas non habebit dignitatum. Ergo, si delectat militia, si volumus semper militare, accipiamus arma Christi, vigilemus, sobrij simus, vincamus diabolum, prosternamus vitia, vt possimus accipere præmia pariter, & coronas ab ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre regnat nunc, & semper, & per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE INCARnatione Christi, Sermo 5.

Serm. 141. QVantum secretum cubiculi sit regalis, quali reuerentia, quo tremore locus habeatur, vbi ipsa Principis requiescit potestas, quàm nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus, quàm munda, quàm casta, quàm fidelia, ibidem pręstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestus docetur insignibus. Quis ad ipsas palatij fores vilis; quis propinquat indignus? Certè ad thalamum sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur. Intra thalamum verò ipsum virginem Deus capit solam: suscipitur sola virginitas illibata. Vnde, ô homo, his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantùm sis, qualis sis, & tunc demùm cogita, vtrum possis Dominicæ natiuitatis penetrare secretum, vtrum merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire: vbi tota superni Regis, tota diuinitatis requiescit maiestas, vtrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temerarius discussor attendere: vtrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra aluum genetricis audax, & curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis absconditum sæculis nudare mysterium, reuelare tibi ipsis Angelis inuisibile sacramentum: & in cælesti fabricæ præsidere, vt deprehendas liquidò tu, quomodo Deus penetrale clausæ carnis intrauerit: quemadmodum sacri corporis in illo venerabili vtero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit: quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidauerit, qualiter præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam: quemadmodum præter carnis sollicitudinem totam carnis assumpserit veritatem: qua ratione præter naturam nostræ carnis integram susceperit qualitatem: & si ad hæc tibi liber non perpateant accessus, iam Deus ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? Imò quia totum Deo est possibile, & tibi ne ad minima quidem operū Dei possibile est peruenire, conceptum Virginis noli discutere, sed crede: Deum voluisse nasci piè senti, quia facis iniuriam si requiris, magnum dominicæ natiuitatis sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente scriptura; Omnia opera eius in fide. Sed Psal. 32. tu hic totum vis de ratione constare, vbi totum consistit ex fide: quod tamen nō sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile, nisi vt Deus, quicquid voluerit, possit? Qui, quod vult, non potest, Deus non est. Quæ ergo mandat Deus, exequitur Angelus, implet spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, cæli narrant, annunciat firmamentum, ostendunt stellæ, magi prædicant, pastores adorant, pecora cognoscunt, attestante Propheta; Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Esai. 1. Tu, homo, si non mox cum Angelis, agnosce vel tardissimè cum iumentis: ne, dum moraris, ipsis iumentis, quibus antè comparatus fueras, postponaris. Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo possunt, authorem suum fatentur contra naturam in tuam venisse naturam: & tu cum Iudæis discutis, carpis, qui excluserunt à diuersoriis suis dominum suum, quem iumenta suis in præsepibus susceperunt. Vnde, si tandem vel Angelis es pium præstaturus auditum, quæ ab Angelo dicenda sunt, si non fœliciter, vel dignanter admitte: quod nos hodie differre, & sequenti referre sermone, sancti fratres, satis vobis necessarius sermo compellit.

EIVSDEM DE EODEM Sermo 6.

DOminum Christum, fratres, quæ res fecerit terreni corporis inire commercium, intrare Ser. 147. humanę carnis angustias, habitare virginalis ventri mansionem, quia ante hac audire cæpimus; hodie plenius audiamus. Vos mihi vita, vos mihi salus, vos mihi gloria: & ideo non patior nescire vos,

vos, quod Deus mihi dederit ſcire. Deum ſciuit *Ioan. 1.* Euangeliſta, cùm dicit; Deum nemo vidit vnquã. Ergo Deum, quem ſciebat, agnoſcebat: ſentiebat: quia videre non poterat creatura, ferebatur ſeruitute dura, triſte exhibebat obſequiũ pro inuiſibili maieſtate, obſederat pauor omnia, timor ſoluerat vniuerſa, cuncta concuſſerat terror, in cælo diuinus ſplendor proſtrauerat Angelos, in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium, quaſſabant. ** lege, dominus.* Sic * minus pauor amorem dominantis excluſit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum variis erroribus occupauit: fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas. Amare non poteſt, qui ſatis timet: hinc eſt, quòd mũdus [illegible]rte maluit, quam timere: pauore mors *Gene 4. 3.Reg. 19.* ipſa lenior. Denique Cain, vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit, ſi periret. Et quid dicam Cain? Elias ille, vbi ſenſit toto ſe timore aſpergi, repetebat, quam fugerat, mortem, melius exiſtimans, morti ſuccumbere, quam timori. Petrus quoque dominicæ virtutis timore turbatus, Chriſtum, vt à ſe diſcederet, ſupplicabat. Diſcede, inquit à me, quia homo peccator ſum. Hoc dicebat, quia quicquid erat amoris & fidei, pondus pauoris extinxerat: ſic timor, niſi amore fuerit temperatus, quamuis deuotam ſer- *Luc. 5.* uitutem efficit contumacem. Videns ergo Deus mundum labefactari timore, continuo agit, vt cum amore reuocet, inuitet gratia, charitate te- *Gen. 7.* neat, & conſtringat affectu. Hinc eſt, quòd inueteratam malis terram abluit vlciſcente diluuio: & Noë noui ſæculi vocat parentem, blando ſermone compellat, dat familiarem fiduciam, piè de præſentibus inſtruit, conſolatur per gratiam de futuris, & iam non iuſſis, ſed participato labore vna in arca claudit totius ſæculi parium, vt ſocietatis amor timorem ſeruitutis auferret, & ſeruaretur amore communi, quod fuerat communi la- *Gen. 12.* bore ſaluatum. Hinc eſt, quòd Abraham vocat de gentibus, auget nomine, patrem fidei facit, comitatur via, inter exteros ſeruat, ditat rebus, honorat triumphis, promiſſis oppignorat, eripit iniuriis, hoſpitalitate blanditur, mirificat germine deſperato; vt tot repletus bonis, tanta diuinæ illectus dulcedine charitatis, Deum diligere diſceret, non timere; amando colere, non pauendo. *Gen. 28.* Hinc eſt, quòd Iacob fugientem ſolatur in ſomnis, redeuntem pio certamine prouocat, luctatoris conſtringit amplexu, vt amaret patrem cer- *Exod. 3.* taminis, non timeret. Hinc eſt, quòd Moyſen patria voce vocat, paterna alloquitur charitate vt ſit plebis ſuæ liberator, inuitat. Et quid plura? Deum facit: dedit eum in Deũ Pharaonis: Deum facit, munit ſignis, armat virtutibus, iuſſis bella expugnat, militem ipſo verbo vincere tribuit, præceptis triumphare concedit, atque per omnes virtutum coronas ad amicitiam ſuam promouet, cæleſtis regni præſtat eſſe participem, & vt ipſe ſit legiſlator indulget, totum tamen vt amaret, accepit: ſicque tantum eſſet Dei amore ſuccenſus, vt ipſe ardenter diligeret, & alios vt diligerent, ſic *Exod. 20.* moneret, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Quicquid eſt cordis, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit poſſideri, vt hominis mundanus non haberet, quid violaret affectus. Sed per hæc, quæ memorauimus, vbi humana corda flamma diuinæ charitatis accendit, & humanis ſenſibus amoris Dei tota ſe fudit ebrietas, ſaucia mẽte cœperunt Deum carnalibus velle oculis intueri. Deum, quem mundus non capit, anguſtus quomodo capere poterat humanus aſpectus? Quid erit, quid debeat, quid poſſit, non reſpicit ius amoris? Amor ignorat iudicium, ratione caret, * mundum neſcit. ** Forte, modum.* Amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. Amor, niſi ad deſiderata peruenerit, necat amantem: & ideo vadit, quò ducitur, non quò debeat. Amor parit deſiderium, gliſcit ardorem, ardor ad inconceſſa pertendit. Et quid plura? Amor, quod amat, non poteſt non videre: hinc eſt, quòd omnes ſancti omnia, quæ meruerant, parua duxerunt, ſi dominum non viderent. Et re vera, fratres, quomodo pro beneficiis reddet obſequium, ſi beneficiorum non videat largitorem? Aut quomodo credit à Deo ſe amari, cuius nõ meretur aſpectum? Hinc eſt, quod amor qui cupit videre Deum, & ſi non habet iudicium, habet tamen ſtudium pietatis. Hinc eſt, quòd Moyſes audet dicere: Si inueni *Exod. 33.* gratiam coram te, oſtende mihi faciem tuã. Hinc eſt, quòd alius dicit, oſtende faciem tuam. Deniq; *Pſal. 79.* & ipſi Gentiles ob hoc ſimulacra finxerunt, vt in ipſis erroribus oculis cernerent, quod colebant. Sciens ergo Deus, viſendi ſe deſiderio cruciari, laſſarique mortales, vnde ſe viſibilem faceret, hoc elegit, quod eſſet & terrenis magnum, & non minimum ſupernis. Nam, quod in terra à Deo ſibi ſimile factum eſt, in cælo poterat honorificum non haberi? Faciamus, inquit, hominem ad ima- *Gene 1.* ginem, & ſimilitudinem noſtram. Perfecta deuotio hoc debet imagini, quod debet & Regi. Si de cælo ſumpſiſſet Angelum, nihilominus inuiſibilis haberetur, ſi de terra minus homine, & diuinitatis eſſet iniuria, & deteciſſet hominem, non leuaſſet. Nemo ergo, chariſſimi, Dei, credat iniuriam, ſi Deus ad homines per hominem venit, & aſſumpſit ex nobis, vt videretur à nobis, qui viuit, & regnat Deus nunc, & per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 7.

HOdie, fratres, heſternũ debemus redhibere *Sermo 148.* ſermonem, hodie dominicæ natiuitatis lætitiam debemus iterare, quando concipit Virgo, Virgo parit, manet Virgo: non eſt cõſuetudo, ſed ſignum; non eſt ratio, ſed virtus, auctor eſt, non natura, non eſt commune, ſed ſolum: diuinum eſt, non humanum. Ceſſet ergo inanis Philoſophiæ labor, naſci Chriſtum non fuit neceſſitas, ſed poteſtas; fuit honor, iniuria non fuit; ſacramentum pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum: fuit reparatio ſalutis humanæ, imminutio ſubſtantiæ non fuit hoc diuinæ. Qui non naſcendo ex intacto limo fecit hominem, naſcendo ipſe hominem de corpore fecit intactu: manus, quæ in noſtrum plaſma lutum dignanter aſſumpſit, ad reparationem noſtram dignãter aſſumpſit & carnem. Ergo, quòd creator in creatura ſua, quòd Deus inuenitur in carne, creatoris honor eſt, non eſt creatoris iniuria. Sed hoc contumeliam credit, qui credit lutum precioſius eſſe quàm carnem. Fortaſſe pœnitet, de luti iniuria in honorem

rem carnis, in hominis gloriam se mutatum. Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam preciosus es Deo? Quare sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras? Quare quæris, vnde factus sis, & ad quid factus sis non requiris? Nónne tota ista, quam vides, tibi facta est mundi domus? Tibi infusa lux circunfusas remouet tenebras, tibi est temperata nox, tibi dimensus est dies, tibi cælum solis, lunæ, stellarum vario fulgore radiatum est: tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta; tibi creata est in aëre, in cápis, in aqua speciosa, continens, mirabilis animantium multitudo, ne gaudium noui sæculi tristis solitudo confunderet. Hinc est, quòd fecit te esse de terra, vt esses tu dominus terrenorum, & esses ipsis in ipsius substantiæ communione * communis, nec tamen te terrenum terrestribus sic æquauit, vt non etiam cælestibus, animatum te cælitus, exæquaret, & vt esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de cælo, dedit tibi corpus de terra, vt in te nexa cæli, terræque concordia seruaretur. Adhuc tamen quid adiiciat ad honorem tuum tuus creator excogitat: in te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem códitorem visibilis imago præsentem poneret; & in terrenis dedit tibi vices suas, vt non fraudaretur domini vicario mundi tam larga possessio. Et si ista ita sunt; quare modò putatur iniuria, quando Deus, quòd per se fecit in te, in se clementer excepit, & in homine se verè videri voluit, in quo antè imaginario voluit se videri; deditque vt proprietas esset ipse, qui antè, vt similitudo esset, acceperat? concepit Virgo, Virgo peperit, non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas, quicquid est humani pudoris, excusat. Aut quæ ibi verecundiæ læsio, vbi init Deitas cum amica sibi semper integritate consortium, vbi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, index conscientia, causa Deus, cóceptus integritas; virginitas partus, virgo mater? Nemo ergo iudicet humano modo, quod diuino geritur sacramento, nemo mysterium cœleste discutiat ratione terrena: nemo ex vsu tractet nouitatis arcanum: nemo quod singulare est, metiatur exemplo, nemo cótumeliam de pietate componat: nemo periculum subeat de salute. Certè, qui scire desiderat altiora, recurrat ad legé, per legé legis sententiá quærat, auctoris factum auctoritate cognoscat. Auctoris lex refert, quòd Deus hominem propriam creauit ad vitam, quòd homini terrá iussit proferre fructus spontanea seruitute: quòd bestias, pecudes, arméta, humanæ iussit potestati subiacere, non arti, vt homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret. Sed, omnia hæc ne haberet homo, Angelus, qui inter primos habebatur, inuidit, maluitque in diabolum commutari, ne hominé plenum gloria sic videret. Denique, hoc liuore succensus, aggreditur dolis fœminam, virginemque, vt vetitum degustaret pomum, inducit: inducta Virgo inducit Virginem mox maritum, deiecit vitæ statum, mortis cibum, peccati pabulum dum ministrat; & ipsa fit totius materia ruinæ, quæ facta fuerat ad solatium singulare. Hinc peccatum primú, hinc origo mortis, hinc labor, hinc dolor, hinc gemitus, hinc amara nostræ conditio seruitutis. Nãque homo ante dominus omnium, in omnium deiectus est seruitutem: & timet omnes, qui timebatur ab omnibus: & vix arte valet, qui potestate regnabat. Hinc est, fratres, hinc est, quòd Christi talis est ordo nascentis: ad Virginé diabolus venerat, venit Angelus ad Mariam: vt, quod malus deiecerat Angelus, bonus Angelus alleuaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credidit illa, ista credit authori. Nascitur Christus vt nascendo corruptam redintegret naturam, infátiam suscepit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, vt vnam perfectam, manentem, quam ipse fecerat, instauraret ætatem; portat hominem, ne iam cadere homo possit: quem terrenum fecerat, fecit esse cæleste, animatum humano Spiritu, Spiritum viuificat in diuinum: & sic cum totum tollit in Deum, vt in eo, quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ est, nil relinquat: præstante Domino nostro Iesu Christo; qui cú patre viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, nunc, & semper, & per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

* Forte communicans.

Gen. 1.

Genes. 2.

Sed communis est receptum sententia, aliâ fuisse causam casus Angelorum quam inuidiam ad hominem.

S. BERNARDI ABBATIS Claræuallensis in Euang. præsentis solennitatis, Homil. 1.

Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, &c. Quid sibi voluit Euangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuncium qui mittitur, dominum à quo mittitur, virginem ad quam mittitur, sponsum quoque virginis: ambórumque genus, ciuitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Vt quid hoc? Putásne aliquid horum superuacuè positú sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec vnus ex passeribus sine patre cælesti cadit super terram: putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac cælesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeát inspectorem, qui nouerit sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo. Nempè in illa die stillarunt montes dulcedinem, colles fluxerunt lac & mel, quádo rorátibus cælis desuper nubibúsq; pluentibus iustú, aperta est terra læta germinans saluatorem: quádo domino dante benignitaté, & terra nostra reddenie fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum & pinguem, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Illo quoq; in tempore vnus iste inter cæteros montes non modicus, beatus hic videlicet Euangelista, dùm desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mellifluo commendauit eloquio, veluti perflante austro, atque è vicino sole radiante iustitiæ, quædam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. Vtinam & nunc Deus emittat verbum suum, & liquefaciat ea nobis, perflet spiritus eius, & fiant nobis intelligibilia verba euangelica. Fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurú & lapidem preciosum multum, fiántque dulciora super mel & fauum. Ait itaque. *Missus est angelus Gabriel à Deo.* Non arbitror

Matth. 10.

Deut. 32.

Ioel. 3.

Esa. 45.

Psal. 84.

Psal. 147.

Psal. 18.

tror hunc angelum de minoribus eſſe, qui quali-
bet ex cauſa crebra ſoleant ad terras fungi lega-
tione, quòd & ex eius nomine palàm intelligi da-
tur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur: &
quia non ab alio aliquo fortè excellentiore ſe (vt
aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur.
Propter hoc ergo poſitum eſt, à Deo: vel ideo di-
ctum eſt à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum
ſuum Deus antequam virgini reuelaſſe putetur
conſilium, excepto duntaxat archangelo Gabrie-
le, qui vtique tantæ inter ſuos inueniri potuerit
excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur,
& nuncio. Nec diſcordat nomen à nuncio. Dei
quippe virtutem Chriſtum, quem melius nun-
ciare decebat, quàm hunc, quem ſimile nomen
honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo, quàm vir-
tus? Non autem dedecēs aut incongruum videa-
tur, Dominum & nuncium communi cenſeri vo-
cabulo: cùm ſimilis in vtroque appellationis, non
ſit tamen vtriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippe
Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter
1. Cor. 1. angelus. Angelus enim tantùm nuncupatiuè,
Luc. 11. Chriſtus autem etiam ſubſtantiuè. Chriſtus Dei
virtus & dicitur & eſt, quę forti armato (qui ſuum
atrium in pace cuſtodire ſolebat) fortior ſuperue-
niens, ipſum ſuo brachio debellauit: & ſic ei vaſa
captiuitatis potenter eripuit. Angelus verò forti-
tudo Dei appellatus eſt, vel quòd huiuſcemodi
meruerit prærogatiuam officij, quo eiuſdem nun-
ciaret aduentum virtutis: vel quia virginem na-
tura pauidam, ſimplicem, verecundam, de mira-
culi nouitate ne expaueſceret, confortare debe-
ret, quod & fecit: Ne timeas, inquiens, Maria, in-
uenisti gratiam apud Deum. Sed & ipſius ſpon-
Luc. 22. ſum hominem vtique nihilo minus humilem ac
timoratum, nō irrationabiliter forſitan idem an-
Matth. 1. gelus confortaſſe creditur, quanquam tunc ab
euangeliſta non nominetur. Ioſeph, inquit, fili
Dauid, ne timeas accipere Mariam coniugē tuam.
Conuenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligi-
tur: imò quia tale illi negotium iniungitur, rectè
Ioan. 1. tali nomine deſignatur. *Miſſus eſt ergo angelus Ga-
briel à Deo: quò? In ciuitatem Galilææ, cui nomen Naza-
reth.* Videamus ſi, vt ait Nathanael, à Nazareth
poteſt aliquid boni eſſe. Nazareth interpretatur
flos. Videtur autem mihi quoddam ſemen fuiſſe
diuinæ cognationis tanquam è cælo iactatum in
terras, allocutiones & promiſſiones ſactæ cælitùs
Eſa. 1. ad patres; Abraham ſcilicet, Iſaac & Iacob: de quo
ſemine ſcriptum eſt: Niſi dominus ſabaoth reli-
quiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus: &
quaſi Gomorra ſimiles eſſemus. Floruit autem
hoc ſemen in mirabilibus quę oſtenſa ſunt in exi-
tu Iſrael de Ægypto, in figuris & ænigmatibus
per totum iter in deſerto vſque in terram promiſ-
ſionis, & deinceps in viſionibus & vaticiniis pro-
phetarum, in ordinatione quoque regni ac ſacer-
dotij vſque ad Chriſtum. Chriſtus autem huius
ſeminis & horum florum non immeritò fructus
Pſal. 84. eſſe intelligitur: dicente Dauid, Dominus dabit
Pſal. 131. benignitatem, & terra noſtra dabit fructū ſuum.
Et iterum, De fructu ventris tui ponam ſuper ſe-
dem tuam. In Nazareth ergo nunciatur Chriſtus
naſciturus: quia in flore ſperatur fructus proceſ-
ſurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia ve-
ritate apparente in carne, figura pertranſiit. Vnde
& Nazareth ciuitas Galilææ dicitur, id eſt, tranſ-
migrationis: quia naſcente Chriſto, omnia illa
tranſierunt quæ ſuperius enumeraui, quæ, vt ait
Apoſtolus, in figura contingebant illis. Hos ergo 1. Cor. 10.
flores, & nos qui iam fructum tenemus, pertran-
ſiiſſe videmus: & dùm adhuc florere videbantur,
tranſituri præuidebantur. Vnde Dauid: Mane ſi- Pſal. 89.
cut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat: ve-
ſpere decidat, induret & areſcat. Veſpere etenim, Galat. 4.
id eſt quando venit plenitudo temporis in quo
miſit Deus vnigenitum ſuum factum ex muliere,
factum ſub lege, dicente ipſo, Ecce noua facio Eſa. 43.
omnia: vetera tranſierunt & diſparuerunt, quo-
modo in nouitate ſuccreſcentis fructus flores de-
cidunt & areſcunt. Vnde rurſus ſcriptum eſt: Fœ- Eſa. 40.
num aruit, & flos decidit: verbum autem domini Pſal. -5.
manet in æternum. Credo non ambigis quin ver-
bum fructus ſit: verbum autem Chriſtus eſt. Bo-
nus itaque fructus Chriſtus, qui manet in æter-
num. Sed vbi eſt fœnum quod aruit? vbi eſt flos
qui decidit? Propheta reſpondeat: Omnis caro Eſa. 40.
fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni.
Si omnis caro fœnum: ergo carnalis ille populus
Iudæorum fœnum fuit. An nō fœnum aruit, dum
idem populus ab omni ſpiritus pinguedine va-
cuus, ſiccæ literæ adhæſit? An non etiam flos de-
cidit, quando gloriatio quam habebant in lege,
non remanſit? Si flos nō decidit, vbi ergo regnum,
vbi ſacerdotium, vbi prophetæ, vbi templum, vbi
denique magnalia illa de quibus gloriari ſolebāt,
& dicere: Quanta audiuimus & cognouimus ea, Pſal. 77.
& patres noſtri narrauerunt nobis? Et iterum:
Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea
filiis ſuis. Et hæc dicta ſunt pro eo quod poſitum
eſt: *In Nazareth ciuitatem Galilææ.* In illam ergo ci-
uitatē miſſus eſt angelus Gabriel à Deo. Ad quem?
Ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat
Ioſeph. Quæ eſt hæc virgo, tam venerabilis vt ſa-
lutetur ab Angelo: tam humilis, vt deſponſata ſit
fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humili-
tatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in
qua & humilitas commendat virginitatem, & vir-
ginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas
veneratione digna eſt, in qua humilitatem exal-
tat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem?
Audis virginem, audis humilem: ſi non potes vir-
ginitatem humilis, imitare humilitatem virginis.
Laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria
humilitas. Illa conſulitur: iſta præcipitur. Ad il-
lam inuitaris: ad iſtam cogeris. De illa dicitur:
Qui poteſt capere, capiat: de iſta dicitur: Niſi quis Matth. 19.
efficiatur ſicut paruulus iſte, non intrabit in re- & 18.
gnum cælorum. Illa ergo remuneratur, iſta exigi-
tur. Potes denique ſine virginitate ſaluari: ſine
humilitate non potes. Poteſt inquam placere hu-
militas, quæ virginitatem deplorat amiſſam: ſine
humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas
Mariæ placuiſſet. Super quem, inquit, requieſcet Eſa. 66.
ſpiritus meus, niſi ſuper humilē & quietum? Su-
per humilem dixit, non ſuper virginem. Si igitur
Maria humilis non eſſet, ſuper eam ſpiritus ſan-
ctus non requieuiſſet. Si ſuper eam non requie-
uiſſet, nec impręgnaſſet. Quomodo enim de ipſo
ſine ipſo conciperet? Patet itaque, quia vt de
ſpiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet,
reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potiùs Luc. 1.
quàm virginitatem. Etſi placuit ex virginitate, ta-
men ex humilitate concepit. Vnde conſtat quia
etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdu-
bio fecit. Quid dicis virgo ſuperbe? Maria virgi-
nem ſe

nem ſe oblita, gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? Reſpexit (ait illa) humilitatem ancillæ ſuæ. Quæ illa? Virgo vtique ſancta, virgo ſobria, virgo deuota. Nunquid tu caſtior illa? Nunquid deuotior? Aut nunquid tua forte pudicitia gratior caſtitate Mariæ? vt tu ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tua, quod illa non potuit ex ſua. Denique quanto honorabilior es ex ſingulari munere caſtimoniæ, tanto tibi tu maiorem iniuriam facis, quòd eius in te decorem fœdas permixtione ſuperbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non eſſe, quam de virginitate inſoleſcere. Non omnium quidem eſt virginitas: multò tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quòd ſi & virgo & humilis es: quiſquis es, magnus es. Eſt tamen maius aliquid quod mireris in Maria: ſcilicet cum virginitate fœcunditas. A ſeculo enim non eſt auditum, vt aliqua ſimul mater eſſet & virgo. Quòd ſi & cuius mater, attendas: quò te tua ſuper eius mirabili celſitudine ducet admiratio? Nónne ad hoc vt te videas nec ſatis poſſe mirari? Nónne tuo, imò veritatis iudicio illa quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur angelorum? An non Deum & Dominum angelorum Maria ſuum audacter appellat filium,
Luc.2. dicens: Fili quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quòd cùm ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati angeli, teſtante Dauid: Qui facit,
Pſal.103. inquit, angelos ſuos ſpiritus. Maria verò matrem ſe agnoſcens, maieſtatem illam, cui illi cum reuerentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe
Luc.2. dignatus eſt. Nam paulopoſt ſubdit Euangeliſta: Et erat inquiens, ſubditus illis. Quis quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid ampliùs mireris, ſiue filij benigniſſimam dignationem, ſiue matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrinque ſtupor, vtrinque miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humili-
Apoc.14. tas abſque exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus virginum ſingulariter cantatur, quòd ſequuntur agnum quocunque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit? Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangeliſta: Et erat, inquit, ſubditus illis, haud dubiū quin Mariæ & Ioſeph. Erubeſce ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiēs hominibus, tuo te præponis auctori? Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus reſpondere dignetur, quod & ſuo increpan-
Matth.16. do reſpondit apoſtolo: Vade, inquit, poſt me Satana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt. Quotiens enim hominibus præeſſe deſidero, totiens Deum meum præire contendo, & tunc verè non ſapio ea quæ Dei ſunt. De ipſo namque dictum eſt: Et erat ſubditus illis. Si hominis ò homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum ſequi auctorem tuum. Si nō potes forſitam ſequi eum quocunque ierit, dignare vel ſequi quò tibi condeſcendit. Hoc eſt, ſi non potes ſublimem incedere ſemitam virginitatis, ſequere vel Deum per tutiſſimam viam humilitatis: à cuius rectitudine ſi aliqui etiam de virginibus deuiauerint, vt verum fatear, nec ipſi ſequūtur agnum quocunque ierit. Sequitur quidem agnum coinquinatus humilis, ſequitur & virgo ſuperbus, ſed neuter quocunque ierit: quia nec ille aſcēdere poteſt ad munditiā agni, qui ſine macula eſt, nec is ad eiuſdē manſuetudinē deſcēdere dignatur, qua ſcilicet non coram tondente ſed corā occidēte ſe obmutuit. Attamen ſalubriorem elegit ſequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate ſuperbus, cum & illius immunditiam ſua humilis ſatisfactio purget, & huius pudicitiam ſuperbia inquinet. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem ſingularis virginitas, quam non temerauit ſed honorauit fœcunditas: & nihilo minus ſpecialis humilitas, quam non abſtulit ſed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorſus fœcunditas, quā virginitas ſimul comitatur & humilitas. Quid horū nō mirabile? quid non incōparabile? quid nō ſingulare? Mirū verò ſi non hæſitas in eorum pōderatione, quid tua iudices dignius admiratione, vtrū videlicet potius ſtupenda ſit fœcunditas in virgine, an in matre integritas: ſublimitas in prole, an cū tanta ſublimitate humilitas: niſi quòd indubitanter horum ſingulis præferenda ſunt ſimul cuncta, & incomparabiliter excellentiùs eſt atque feliciùs, omnia percepiſſe, quàm aliqua. Et quid mirum, ſi Deus qui mirabilis legitur & cernitur in ſanctis ſuis, mirabilem ſe exhibuit in matre ſua? Veneramini ergo coniuges in carne corruptibili carnis integritatem, miramini etiam vos ſacræ virgines in virgine fœcunditatem: imitamini omnes homines Dei matris humilitatem. Honorate ſancti angeli, veſtri regis matrem, qui noſtræ adorātis virginis prolem, ipſum vtique noſtrum pariter ac veſtrum regem: noſtri generis reparatorem, veſtræ ciuitatis inſtauratorem. Cuius apud vos tam ſublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter & à nobis detur & dignitati debita reuerentia, & dignationi honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homil. 2.

NOuum quidem canticum illud quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam virginum reginam cum cæteris, imo primam inter cæteras eſſe cantaturam, nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod ſolis licet, cum omnibus tamen virginibus, ei (vt dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam eſſe ciuitatem Dei. Cuius vtique dulciſonos depromere vel exprimere modulos, ne ipſarum quidem virginum vlla digna inuenietur: quia ſoli meritò decantandom ſeruabitur, quę ſola de partu, & partu diuino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, nō in ſe, ſed in ipſo quē peperit. Deus ſiquidem (Deus enim eſt quē peperit) matrē ſuā ſingulari in cæleſtibus donaturus gloria, ſingulari in terris præuenire curauit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta cōciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deū huiuſ-

modi

modi decebat natiuitas, qua non nisi de virgine nasceretur. Tali congruebat & virgini partus, vt non pareret nisi Deu. Proinde factor hominum vt ho... ret ... tos de homine talem sibi ex o... s debuit deligere, imò condere matrem, qualem ... decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaque esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis & humili corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus salubertimúmque ... ostensurus. Dedit virgini partum, quæ etiam ante & virginitatis inspirauerat votom, & humilitati ... prærogauerat meritum. Alioquin q... g lus eam in seqoentibus gratia p... nunciat, si quippiam vel parum boni ... gratia non esset, habebat? Vt igitur quæ ... Sanctorom conceptura erat pariter & ... sancta esset corpore, accepit donũ virgi... esset & mente, accepit & humilitatis. ... itum virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mẽtis pariter & corporis decore præfulgida, specie sua & pulchritudine sua in cælestibus cognita, cœli ciuiom in se prouucaoit aspectus, ita vt & regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic Euangelista commendat, cùm Angelum perhibet a Deo destinarum ad virginem. *A Deo*, inquit, *ad virginem:* id est, a celso ad humilem, à Domino ad ancillam, à creatore ad creaturam. Quãta dignatio Dei, quanta virginis excellentia, Currite matres, currite filiæ, currite omnes quæ post Euam, & ex Eua, & parturimini cum tristitia, & parituris. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad virginem, ecce affator Angelus Mariã. Apponite autem parieti, auscultate quid nunciet ei, si fortè audiatis vnde consolemini. Lætare pater Adam, sed magis tu ô Eua mater exulta: qui sicot omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: &, quod infelicius est, prius peremptores, quàm parentes. Ambo inquã consolamini super filia, & tali filia, sed illa amplius de qua malum ortom est prius, cuius opprobriom in omnes pertransiit mulieres. Instat nanque tempus quo iam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur aduersus fœminam; qui vtique dùm se impudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre Eua ad Mariã, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas o Adam: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hęc, quibus magis augeas quam deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam a te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nẽpe fœmina pro fœmina prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno ... gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem grasiarum actionis,

& dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad virginem. O admirãdam & omni honore dignissimam virginem, ô fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum viuificatricẽ. Missus est, inquit, Angelus ad Virginem. Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, Virginem denique (qualem describit Apostolus) mente & corpore sanctam. Nec nouiter nec fortuitu inuentam, sed à seculo electam, ab altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis seruatã, à patribus præfiguratam, à prophetis promissam. 1. Cor.7.
Scrutare scripturas, & proba quæ dico. Visne vt & ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Vt pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te & mulierem? Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui hæc seruata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contriuit venenatum, quæ nimirum modam maligni suggestionem iam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilom. Quam verò aliam Salomõ requirebat: cum dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem; quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat cõgruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? Quod est dicere? Si ita de manu fœminæ pendet & nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio: & de hoste victoria: fortis omnino necesse est vt prouideatur: quę ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortè quis inueniet? At ne hoc quæsisse potetur desperando, subdit prophetando: Procul & de vltimis finibus precium eius: hoc est, non vile, non paruom, non mediocre, nou denique de terra, sed de cœlo: nec de cœlo proximo terris precium fortis huius mulieris, sed à summo cœlo egressio eius. Quid deinde rubus ille quondam Mosaicus portendebat, flammas quidem emittens: sed non ardẽs, nisi Mariam parientem, & dolorem non sentientem? Quid rogo virga Aaron florida nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamuis virum non cognoscentem: Huius magni miraculi maius mysterium Esaias edisserit, dicens: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet virgã virginẽ: florem, Virginis partum intelligẽs. Sed tibi quòd nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur aduersari sententiæ, qua non virgæ flore, sed floris fructu designari dicebatur, noueris in eadem Aaronica virga (quæ nõ solùm floruit, sed & fronduit, & fructum emisit) nõ solùm flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus eundem significari. Nouerls & apud Moysen nec fructu virgæ, nec flore, sed ipsa virga demonstrari. Illa vtique virga, qua feriente aqua vel diuiditur transituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconueniens est, diuersis rebus diuersis ex causis Christum figurari, & in virga quidem potẽtiam, in flore verò fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem: in frondibus quoque sedulam eius intelligi protectionem, qua videlicet paruulos ad
Gene 3.
Vbi supra.
Prouer.31.
Vbi supra.
Exod.3.
Num.17.
Esa.11
Exod.14.
Ibid.17.

se confugientes, sub vmbra alarum suarum protegere non desinit, siue ab æstu carnalium desideriorum, siue à facie impiorum qui eos afflixerūt. Bona & desiderabilis vmbra sub alis Iesu, vbi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis tefrigerium. Miserere mei Domine Iesu, miserere mei: quoniam in te cōfidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. In hoc tamen Esaiæ testimonio, florem filium, virgam intellige matrem: quoniam & virga floruit absque germine, & virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorē, floris læsit emissio: nec virginis pudorem, sacri partus editio. Proferamus & alia virgini matri Deóque filio congrua de scripturis testimonia. Quid illud Gedeonis vellus significat, quod vtique de carne tōsum sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nūc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne virginis, & absque detrimento virginitatis? Cui vtique, distillātibus cœlis tota se infudit plenitudo diuinitatis: adeò vt ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis conuenire videtur, vbi legitur, Descendet sicut pluuia in vellus. Nam per hoc quod sequitur, & sicut stillicidia stillantia super terram: idem datur intelligi quod per inuentam rore madidam aream. Pluuia quippe voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ, placide priùs & absque strepitu operationis humanę suo se quietissimo illapso virgineum demisit in vterum, postmodum verò vbique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non iam sicut pluuia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam vtique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Si quidem recordaræ sunt nubes illæ quæ portabant pluuiam, præceptum sibi fuisse cū mitterentur: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod & fecerunt. Etenim in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terę verba eorū. Audiamus & Hieremiā noua veteribus vaticinantē, & quē præsentem mōstrare non poterat, venturum & ardenter desiderantem, & fidēter promittētem. Nouum, inquit, creauit dominus super terram: fœminā circūdabit virum. Quæ est hæc fœmina? Quis vero iste vir? Aut si vir, quomodo à fœmina circundatus? Aut si à fœmina circundari potest, quomodo vir? Et vt apertius dicam quomodo potest simul & vir esse, & in vtero matris? Hoc est enim virum à fœmina circundari. Nouimus viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescētiam, atque iuuentutem transeuntes, ad gradum vsque senectuti proximum peruenerūt. Qui ergo iam adeò grandis est, quomodo à fœmina circundari potest? Si dixisset, Fœmina circundabit infantem, vel fœmina circundabit paruulum: nec nouum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nihil tale posuit, sed dixit virum, quærimus quæ sit hæc nouitas quā Deus fecit in terra, vt fœmina circundaret virum, & vir intra fœminei vnius corpusculi membra sese cohiberet? Quid est hoc miraculi? Nunquid potest homo (vt ait Nicodemus) in ventrem matris suæ iteratò introire, & nasci? Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si fortè inter plurima noua ac mira quæ ibi profecto inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc quam de propheta protuli, reperiam nouitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans. Cui iam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Nunquid non facile tibi est inter hæc fœminam agnoscere virum circundantem, cum Mariam videas virum approbatum à Deo Iesum suo vtero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Iesum, non solùm iam cum diceretur vir propheta potens in opere & sermone, sed etiam cum tenera adhuc infantis membra, Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, nō corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quàm natus, paruus quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æque profectò plenus fuit spiritu sancto. Nec fuit hora in qualibet ætate sua, qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiiceretur, sed à principio perfectus, à principio inquam plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Nec te moueat quod de illo legis in alio loco: Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Nam quod de sapientia & gratia hic dictum est, non secūdum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei nouum accideret quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse vt videretur. Tu homo cùm proficis, non quando nec quantum vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus qui disponit tuā, ipse disponebat & suā: & quando volebat & quibus volebat, sapiens apparebat, quando & quibus volebat sapiētior, quando & quibus volebat sapiētissimus, quanquā in se nunquā esset nisi sapiētissimus. Similiter & cùm semper omni gratia plenus fuisset, siue quam apud Deū, siue quam apud homines habere deberet, pro suo tamē arbitrio eā nunc plus nūc minus ostētabat, prout certentium vel meritis congrueret, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Iesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in vtero, qoē nihi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est esse virum, quàm esse Deum. Sed vide si non etiam hanc Hieremiæ nouitatem Esaias lucidissime aperit, qui nouos superiùs Aaronicos flores exposuit. Ecce, inquit, virgo cōcipiet,

Vis

Psal. 59. Iudic. 6. Psal. 71. Matth. 10. Hiere. 31. Ioan. 3. Act. 2. Luc. 24. Esa. 11. Luc. 2. exp. cator. Esa. 7.

& pariet [illegible] En hab[illegible] fœminã, scilicet virginem. [illegible] de [illegible] audire [illegible] Et vocabitur, ait, no[illegible] Emma[illegible], id est, nobiscũ Deus. [illegible] na[illegible] cundans [illegible], virgo est cõcipiens [illegible] quam p[illegible] & concorditer sancto-ru[illegible] facta & [illegible] sibi inuicẽ cõcinũt. V[illegible] ndum sit hoc vnum de virgine & [illegible] miracul[illegible] quot tot miracula [illegible] run[illegible] racula pr[illegible]? Vnus ni-[illegible] prophet[illegible] & licet diuer-[illegible] & temporibus, eandem rem di-[illegible] spiritu & prædixerunt & præ-[illegible] Moysi monstratum est in rubo & [illegible] rga & flore, Gedeoni in vellere & ro[illegible] perte Salomõ præuidit io forti mu-[illegible] precio, apertiùs Hieremias pręcinuit [illegible] viro, apertissime Esaias declarauit [illegible] & Deo Gabriel tãdem exhibuit ipsam [illegible]. Ipsa nam[illegible] de qua nunc Euange-[illegible] *est, ait, angelus Gabriel à Deo ad virginem* [illegible] *atam Ioseph.* Ad virginem, inquit, desponsa-[illegible] ate desp[illegible]atam? Cum esset, inquam, vir-[illegible], & vt ostensum est, virgo conceptura, [illegible] parit ita, mirum cur desponsata fuerit non [illegible] ra. Nunquid vel hoc casu factum quis di-[illegible] on est casu factum, quod rationabilis cau-[illegible] mendat, c[illegible] valde vtilis & necessaria, & [illegible] prorsus adin[illegible]entione consilij digna. Di-[illegible] quod mihi, im[illegible] quod ante me patribus vi-[illegible] fuit. Illi vtique fuit ratio desponsationis Ma-[illegible] & dubitationis Thomæ. Mos siquidem [illegible] tum erat, vt à die desponsationis suę, vsque [illegible] tem pus nuptiarum, sponsis sponsæ tra[illegible]eren-[illegible] stodiendæ, quatenus earum ipsi eo sibi pu-diciciam curiosiùs seruarent, quo sibi ipsi fide-[illegible]res existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicæ confessor resurrectionis: ita & Ioseph Mariam si-bi desponsando, eiúsque conuersationem in tem-pore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitię fidelissimus testis. Pulchra vtriusque rei conuenientia, & dubitatio Thomę, & despon-satio Mariæ. Poterant quidem similis erroris la-queum nobis innectere, fidei videlicet in illo, casti-tatis in illa: veritatem in suspicionem adducere: [illegible] è prudenter & pie factum est per contra-riu[illegible], vt vnde metuebatur suspicio, firma sit cer-[illegible]lo. Nam & de filij resurrectione citiùs qui-[illegible] qui infirmus sum credideum Thomæ dubitanti & palpanti, quam Cephę audienti & [illegible]enti: & de matris continentia faciliùs sponso eius custodienti & experienti, quàm ipsi quoque virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic quæso, quis eam videns desponsatam & graui-dam [illegible] potiùs diceret corruptam quàm virgi-nem. Non autem decebat hoc dici de matre Do-[illegible]ni. Tolerabiliùs verò atque honestiùs fuit, pu-tari ad tempus Christum de coniugio fuisse na-tum, quàm de fornicatione. Sed non poterat, in-quis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, vt eius nec ortus infamare-tur, nec mater criminaretur? Poterat vtique. sed non poterat latere dæmones, quod scirent homi-nes. Oportebat autem à principe mundi aliquan-diu celari diuini consilij sacramentum: non quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non so-lum potẽter, sed etiam sapienter quæcunque vo-luit fecit, sicut in om[illegible] operibus suis quas-dam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem seruare consueuit. ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrę vi-delicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed & prudentiã ostendere voluit. Et quan-quam illud aliter quomodo vellet perficere po-tuisset, placuit ei tamen eo potius & modo & or-dine hominem sibi reconciliare, quo nouerat ce-cidisse: vt sicut diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodum virũ per fœminam vicit, ita priùs à fœmina virgine seduceretur, & post a viro Chri-sto aperte debellaretur: quatenus malitiæ frau-di dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudi-ne Christi virtus cõtereret, diabolo Deus & pru-dentior appareret, & fortior. Ita quippe decuit incarnatam sapientiam spiritalem vincere mali-tiam, quò non solùm attingeret a fine vsque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suauiter. Attingit autem à fine vsque ad finem, id est à cę-lo vsque ad infernum. Si ascendero, inquit, in cę-lum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Vtrobiq; verò fortiter, quando & de supernis ex-pulit superbũ, & apud inferos spoliauit auarũ. Cõ-ueniens ergo erat, vt suauiter quoq; omnia cæle-stia scilicet & terrena disponeret, quatenus & il-linc deijciẽs inquietũ, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus inuidum, nobis prius suæ hu-militatis & mãsuetudinis valde necessariũ exem-plum relinqueret, sicque mirabili fieret mode-ramine sapientiæ, vt & suis suauis, & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Neces-sariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapientius? quid dignius diuina prouiden-tia? Vno tali consilio secretis cęlestibus & admit-titur testis, & excluditur hostis, & integra serua-tur fama virginis matris. Alioquin quando pe-percisset iustus adulteræ? Scriptum est autem: Io-seph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Be-nè cum esset iustus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam iustus esset si cognitam ream consensisset, sic nihilo minus iustus non esset si probatam innoxiam condemnasset. Cùm ergo iustus esset, & nollet eam traducere, voluit di-mittere eam: Quare voluit dimittere eam? Acci-pe & in hoc non meam, sed patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, pro-pter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cum diceret: Domine non sum di-gnus vt intres sub tectum meum. Ita ergo & Io-seph indignum & peccatorem se reputans, dice-bat intra se, à tali & à tanta non debere sibi vltrà familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestan-tem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, expauit Centurio præ-sentiæ maiestatem. Exhorruit nimirum & Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, my-sterij profunditatem: & ideò occultè voluit di-

Psal. 138.

Matth. 1.

Luc. 5.

Matth. 8.

mittere eam. Mirans quòd Ioseph prægnantis sese consortio virginis iudicabat indignum, cum audias & sanctam Elizabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem & reue-
Luc. 1. rentia? Ait namque, Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, & non palam? Ne videlicet diuortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus respondere populo duræ ceruicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nónne mox increduli & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando nanque veritati crederent tacentem in vtero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Meritò ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam voluit occulte dimittere eam. Sin verò aliter quis sentiat, & Ioseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia iustus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & ideo voluerit occulte dimittere eam: breuiter respondeo etiam sic dubitationẽ illam Ioseph fuisse necessariam, quæ diuino meruit certificari ora-
Matth. 1. culo. Sic quippe scriptum est: Hæc autem eo cogitante, scilicet quòd occulte dimitteret eam, apparuit ei Angelus in somnis, dicens, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Itaque propter istas rationes desponsata est Mariæ Ioseph, vel potius (sicut ponit euangelista) viro cui nomen erat Ioseph. Virum nominat, non quia maritus, sed quòd homo virtutis
Luc. 1. Matth. 1. erat. Vel potiùs quia iuxta alium euangelistam non vir simpliciter, sed vir eius dictus est: meritò appellatur, quod necessariè putatur. Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit & putari, sicut & pater saluatoris non quidem esse, sed dici me-
Luc. 3. ruit, vt putaretur esse, dicente hoc ipso euangelista: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph. Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quamuis certa (vt dictum est) & necessaria dispensatione vtrumque ad tempus & appellatus sit & putatus. Conijce tamen ex hac appellatione, qua (licet dispensatoria) meruit honorari adeò vt pater Dei & dictus & creditus sit. conijce & ex proprio vocabulo (quod augmentũ non dubitas interpretari) quis
Gene. 3. & qualis homo fuerit iste homo Ioseph. Simul & memento magni illius quondam patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum: sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfigurauit. Iste Ioseph Herodianam in-
Matth. 2. Gene. 39. Matth. 1. Gen. 40. uidiam fugiens, Christum in Ægyptum portauit. Ille Domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri. Iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo, iste panem viuum é cœlo seruãdum accepit tam sibi quàm toti mundo. Non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est saluatoris. Fidelis inquam seruus
Matth. 24. & prudens, quem constituit dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium: solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum. Huc accedit quod dicitur fuisse de domo Dauid. Verè ex domo Dauid, verè de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degeneratus à patre suo Dauid, verè filius inquam Dauid non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione: quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit: & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo principũ huius seculi agnouit: cui denique datum est quod multi reges & prophetæ cùm vellent videre non viderunt, audire & non audierunt, non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, & nutrire, & custodire. Non tantum autem Ioseph, sed & Maria descendisse credenda est de domo Dauid. Alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset & ipsa de domo Dauid. Ambo igitur erant de domo Dauid: sed in altera completa est veritas quam iurauit dominus Dauid, altero tantum conscio & teste adimpletæ promissionis. In fine autem versus, Et nomen, inquit, virginis Maria. Loquamur pauca & super hoc nomine, quod interpretatum maris stella dicitur: & matri virgini valde conuenienter aptatur. Ipsa nanque aptissime sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec virgini filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob or-
Nume. 24. ta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spaciosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrãs exemplis. O quisquis te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis: respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis: &
sic

[illegible] te [illegible] ipsi experitis quam merito dictum [illegible] en virginis Maria. Sed iam modicè pa[illegible] est, [illegible] & nos in transitu claritatem ta[illegible] amur. Vt enim verbis apo-st[illegible] est nos hîc esse: & libet dul-ci[illegible] in [illegible] ertuo, quod laboriosa [illegible] Ioan. 14
effi[illegible] occisio. Interim autem ex de-uota [illegible] is sideris cōtemplatione, feruen-[illegible] reparabitur in his quæ sequūtur, disputatiu.

EIVSDEM VNDE supra, *Homil. 3.*

L[illegible]e [illegible] n [illegible] congerere video, verba san-[illegible] mo, quò vel ex vasculorum pul-[illegible] tiora fiant quæque in eis lectori [illegible] autem nunc à propheticis verbis [illegible] æ mihi, non quidem (sicut prophetæ) [illegible], sed quia locutus sum, quoniam vir [illegible] ego sum. Heu quot vana, quot fal-[illegible] pia per hoc ipsum spurcissimum os [illegible] uisse me recolo, in quo nūc cælestia [illegible] ba præsumo. Vehementer timeo, [illegible] audiam ad me dictū: Quare tu enar-[illegible] s meas, & assumis testamentum meum [illegible] um? Vtinam & mihi de superno altari [illegible] ē carbo vnus, sed ingens globus igneus [illegible], qui videlicet multam & inueteratam [illegible] neis oris mei rubiginem ad plenum exco-[illegible] sufficiat, quatenus angeli ad virginem, & [illegible] ad ipsum grata inuicem ac casta collo-[illegible] s habeat meo qualicunque replicare [illegible] enim euangelista: *Et ingressus angelus ad eam* haud dubium quin ad Mariam *dixit, Aue gratia plena Dominus tecum.* Quò ingressus ad eam? [illegible]ato secretarium pudici cubiculi, vbi illa fortas-[illegible] super se ostio orabat patrem in abscon-[illegible]. Solent angeli astare orantibus, & delectari [illegible] quos vident leuare puras manus in ora-[illegible] caustum sanctæ deuotionis gaudent [illegible] Deo in odorem suauitatis. Mariæ au-te[illegible] tiones quantum placuerint in conspectu [illegible] angelus indicauit: qui ingressus ad eam, [illegible] ter salutauit. Nec fuit difficile ange-[illegible] ostium penetrare ad abdita vir-[illegible] ex subtilitate substātiæ suæ hoc [illegible] atura, vt nec seris ferreis eius arceatur [illegible], quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistūt, se[illegible] incta illis visibilia cedunt, cuncta æquè cor-p[illegible] quantumlibet solida vel spissa penetrabilia [illegible] is ac peruia. Suspicandum igitur non est, q[illegible] apertum inuenerit angelus ostiolum vir-g[illegible]: cui nimirum in proposito erat hominum [illegible] e frequentias, vitare colloquia: ne vel oran-[illegible] perturbaretur silentium, vel continentis ca-[illegible] tentaretur. Clausum erat itaque etiam illa ho-ra [illegible] ipet se habitaculum virg[illegible] prudentissi-m[illegible] hominibus, non angelis. Proinde & si ad [illegible] potuit intrare angelus: sed nulli hominum [illegible] patebat accessus. Ingressus ergo angelus [illegible] m dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. [illegible] in actibus apostolorum & Stephanum [illegible] a gratia, & apostolos fuisse repletos spiri-[illegible], [illegible] [illegible] uitet à Maria. Alioquin [illegible] habi[illegible] plenitudo diuinitatis cor-p[illegible] quemadmodum in Maria: nec illi con-

cæperunt de spiritu sancto quomodo Maria. Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecum. Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc potius mirandum, quomodo qui angelum miserat ad virginem, ab angelo inuentus est esse cum virgine. Itane velocior angelo fuit Deus, vt festinantem nuncium celerior ipse præueniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset rex in accubitu suo, nardus virginis dedit odorē suū, & ascendit in conspectu gloriæ eius fumus aromatis, & inuenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: Quæ est ista quæ Cant. 3
ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Statimq; rex egrediēs Psal. 18.
de loco sancto suo, exultauit vt gigas ad currendam viam: & licet a summo cælo egressio eius, nimio tamen peruolans desiderio præuenit suum nuncium ad virginem, quam amauerat, quam sibi elegerat, cuius decorem concupierat. Quem Cant. 3
prospiciens à longè venientem gratulans & exultans ait ecclesia: Ecce venit iste saliens in montibus, transiliens colles. Meritò autem concupiuit rex decorem virginis. Fecerat enim quicquid longè antea præmonita fuerat à patre suo Dauid, dicente sibi: Audi filia, & vide, & inclina Psal. 44.
aurem tuam, & obliuiscere populum tuū, & domū patris tui. Et si hoc feceris, cōcupiscet rex decorem tuū. Audiuit quippe & vidit, non vt quidā, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt, sed audiuit & credidit, vidit & intellexit. Et inclinauit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domū patris sui: quia nec populū suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curauit hæredem, sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est vt stercora vt Christum lucrifaceret. Nec fefellit eam intentio, quando & Christū sibi filium vendicauit, nec propositum pudicitiæ violauit. Benè igitur gratia plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & insuper fœcunditatis gloriam acquisiuit. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Non dixit, Dominus in te, sed Dominus tecum. Deus enim qui vbique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis, quàm in cæteris, & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dùm suas voluntates ita iustitiæ subdūt, vt Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quòd ab eius voluntate non dissentiunt, Deū sibi specialiter iungūt. Sed cùm ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua vtiq; tanta ei consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, virginis que substantia vnum Christum efficeret, vel potiùs vnus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo nec totus de virgine, totus tamen Dei & totus virginis est, nec duo filij, sed vnus vtriusq; filius. Ait itaque: Aue gratia plena, Dominus tecum. Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne induis: sed & Dominus spiritus sanctus

de quo concipis: & dominus pater, qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, qui filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum patre & filio tuum sanctificat vterum. Dominus ergo tecum. Benedicta tu in mulieribus. Libet adiūgere quod Elizabeth, cuius hęc verba sunt, prosecuta subiunxit: Et benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui, sed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. *Psal. 20.* Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus, ille vero benedictus non in hominibus, non inter angelos, sed qui est, vt ait Apostolus, super omnia benedictus Deus in secula. *Rom. 9.* Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur, sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia benedictus Deus in secula. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. *Gen. 27.* Huius odoriferi fructus fragrantiam sentiebat qui dicebat: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An nō verè benedictus, cui benedixit dominus? De sapore huius fructus quidam quod gustauerat taliter eructabat dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. *Psal. 33.* Et alibi: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. *Psal. 30.* *1. Pet. 2.* Et alius quidam: Si tamen, inquit, gustaris quoniam dulcis est dominus. Et ipse fructus de se, inuitans nos ad se; Qui edit me, ait, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet. Vtrique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium iustitiam, & esca & potus est. Audisti de odore, audisti de sapore, audi & de specie. *Gen. 3.* Si enim fructus ille mortis non solùm suauis fuit ad vescendum, sed etiam teste scriptura delectabilis aspectu: quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorē debemus inquirere, in quem, teste alia scriptura, desiderant etiam angeli prospicere? *1. Pet. 1.* Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat: Ex Sion species decoris eius. *Psal. 49.* Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: *Psal. 44.* Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cuius benedictione benedicta etiam tu in mulieribus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quę illam generalem maledictionem euasisti, qua dictum est: *Genes. 3.* In tristitia paries filios, & nihilominus illam, qua secutum est, Maledicta sterilis in Israël, ac singularem consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, & graue iugum super omnes filias Euæ. Et si pariunt, cruciantur: & si non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies virgo quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris, si sterilis manes, malediceris. Quid eliges virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt vndique: *Dan. 13.* Melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere, quàm prius quidem concipere per concupiscentiam, quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim & si video maledictum, sed non peccatum: illinc verò & peccatum simul & cruciatum. Denique hæc maledictio quid aliud est, quàm hominum exprobratio? Neque ob aliud sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobrio & contemptui sit habenda tanquam inutilis & infructuosa, & hoc in Israël tātum. Mihi autem pro minimo est, quòd hominibus displiceo, dùm me possim virginē castam exhibere Christo. O virgo prudens, ó virgo deuota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris angelicam ducere vitam? Vbi legeras beata virgo, Sapientia carnis mors est; &, Curam carnis ne perfeceritis in desiderio? *Rom. 8.* *Rom. 13.* Vbi legeras de virginibus, quia cantant canticum nouum quod nemo alius cantare potest, & sequuntur agnum quocunque ierit? *Apoca. 14.* Vbi legeras, laudatos esse qui se castrauerūt propter regnum cælorum? *Matth. 19.* Vbi legeras, In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus: *2. Cor. 10.* &, Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, melius facit? *1. Cor.* Vbi audieras: Volo vos omnes esse sicut & meipsum, &. Bonū est homini si sic permaneat secundum meum consilium? De virginibus, inquit, præceptum non habeo, cōsilium autem do. Tu verò non dicam pręceptum, non habeo consilium, nec exemplum: nisi quòd vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus & efficax ante tibi factus est magister, quàm filius priùs instruxerit mentē, quàm induerit carnem. Christo ergo denoues te exhibere virginem, & nescis quòd ipsi exhiberi te oportet etiam matrem: Eligis in Israël esse contemptibilis, & vt illi placeas cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur. Aperi virgo sinum, expande gremium, præpara vterū: quia ecce facturus est tibi magna qui potens est: in tantū vt pro maledictione Israel, beatam te dicāt omnes generationes. Nec suspectam habeas prudens virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Cōcipies, sed sine peccato. Grauida eris, sed non grauata: paries, sed nō cum tristitia; nescies virum, & gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater cuius Deus est pater. Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis, sapientia paterni cordis erit fructus vteri virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo virgo fœcūda, casta puerpera, mater intacta, quia non eris in Israël vltra maledicta, neque inter steriles deputata. Et si adhuc malediceris ab Israël secundum carnem, non quia sterilem vident, sed quia fœcundam inuident: memento quòd & Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam matrē benedixit in cœlis, sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cūctis generationibus terræ merito beata pręd icatis. *Benedicta ergo tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. Quæ cum audisset, turbata est in ser*

in ſermone eius & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Solent [illegible]es quæ vere virgines ſunt, ſemper pauidæ & [illegible]unquam eſſe ſecuræ, & vt caueant timenda [illegible]rui pertimeſcere; ſcientes ſe in vaſis fi[illegible]utum portare precioſum, & o[illegible] ar[illegible]e eſſe viuere Angelice inter homines & in [illegible]te cæleſtium cõuerſari, & in carne cœ[illegible]be [illegible]gere vitam. Ac proinde quicquid nouum qui[illegible]uid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas hab[illegible]n[illegible]a totum contra ſe æſtimat machinat[illegible]m. Ideo[illegible] & Maria turbata eſt in ſermone Ange[illegible]i Turb[illegible]a eſt, ſed non perturbata. Turbatu[illegible]m, [illegible] & non ſum locutus, ſed cogitaui die[illegible] an[illegible], & annos æternos in mente habui. Ita e[illegible] & [illegible]urbata eſt & non eſt locuta, ſed co[illegible] eſſet iſta ſalutatio. Quod turbata[illegible]n[illegible]æ fuit virginalis, quod non per[illegible]titudinis: quod tacuit & cogitauit, [illegible]æ. [illegible]ogitabat autem qualis eſſet iſta ſa[illegible]b[illegible]tudens virgo quòd ſæpè Ange[illegible]tanæ transfigurat ſe in Angelum lucis: & [illegible]itum humilis & ſimplex erat, nihil tale [illegible]n[illegible] Sancto Angelo ſperabat; & ideo cogi[illegible] qu[illegible]s eſſet iſta ſalutatio. Tũc Angelus in[illegible]s virginem, & varias eam ſecum voluere co[illegible]s faci[illegible]limè deprehendens, pauidam cõ[illegible]onfirmat dubiam: ac familiariter vocans e[illegible]ne, benignè ne timeat perſuadet. *Ne timeas,* [illegible]quit, *Maria inueniſti gratiam apud Deum.* Nihi[illegible] doli, nihil hic fallaciæ eſt. Nullam circumuen[illegible]onem, nullas hic ſuſpiceris inſidias. Nõ ſum h[illegible]o ſed Spiritus, & Dei Angelus non ſatanæ. [illegible]e [illegible]eas Maria, inueniſti gratiam apud Deum. [illegible]i ſcires quantum tua humilitas altiſſimo placeat quanta te apud ipſum ſublimitas maneat, A[illegible]gelico te indignã nec alloquio iudicares nec [illegible]bſ quio. Vt quid enim indebitam tibi dixeris grat[illegible]am angelorum, quæ inueniſti gratiam apud Deum. Inueniſti quod quærebas, inueniſti quod ne[illegible]o ante te potuit inuenire: inueniſti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pace[illegible], mortis deſtructionem, vitæ reparationem. Hæc eſt ergo gratia, quam inueniſti apud Deum. E[illegible] hoc tibi ſignum. *Ecce cõcipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Intellige prudens virgo ex n[illegible]mine filij promiſſi quãtam & quàm ſpecialem [illegible]ratiam inueneri[illegible] apud Deum. Et vocabis, a[illegible] nomen eius Ieſum. Rationem huius vocabu[illegible] alius Euangeliſta ponit, Angelo ſic interpretãte. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à pec[illegible]corum. Duos Ieſus lego in typo huius quem n[illegible]n manibus habemus, præceſſiſſe, ambos po[illegible]s præfuiſſe: quorum vnus populum ſuum de Bab[illegible]l[illegible]ne eduxit, al[illegible]er ſuum in terram promiſſio[illegible] iure duxit. Et illi quidem illos, quibus præerant, ab hoſtibus defendebant, ſed nunquid ſaluabant a peccatis eorum? Is autem noſter Ieſus & à peccatis ſaluat populum ſuum, & introducit [illegible]n t[illegible]rram viuentium. Ipſe enim ſaluum faciet p[illegible] ſuum à peccatis eorum. Quis eſt hic q[illegible] etiam peccata dimittit? Vtinam & me pec[illegible]cat[illegible]rem dignetur Dominus Ieſus annumerare populo ſuo, vt ſaluum me faciat a peccatis meis. Ve[illegible]è enim beatus populus, cuius iſte Ieſus Domi[illegible] Deu[illegible]ius, quia ipſe ſaluum faciet populu ſuu a peccati[illegible] corũ. Vereor autẽ ne multi ſe profite[illegible]t eſſe de pop[illegible]l[illegible] eius, quos tamen ipſe non h[illegible]beat pr[illegible] populo ſuo. Vereor ne pleriſque, qui quaſi in populo eius religioſiores eſſe videntur, ipſe aliquando dicat: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Nouit enim dominus Ieſus qui ſunt eius, nouit & quos elegerit a principio. Quid me vocatis (ait) domine domine, & non facitis quæ dico? Vis ſcire an pertineas ad populum eius, vel potiùs vis eſſe de populo eius? Fac quæ dicit Ieſus: & computabit te in populo ſuo. Fac quæ iubet in euangelio dominus Ieſus, quæ iubet in lege & prophetis, quæ iubet per miniſtros ſuos qui ſunt in eccleſia, obtempera eius vicariis præpoſitis tuis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis: & diſce ab ipſo Ieſu, quia mitis eſt & humilis corde, & eris de beato popolo eius quem elegit in hæreditatem ſibi, eris de laudabili populo eius quem dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Iſraël, cui, ne fortè Iſrael carnalem æmuleris, etiam teſtimonium perhibet, dicens: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sed audiamus quid idem angelus ſentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait nanque. *Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* Bene magnus, qui filius altiſſimi merebitur appellari. An non magnus, cuius magnitudinis non eſt finis? Et quis magnus, ait, ſicut Deus noſter? Plané magnus, qui tam magnus, quàm altiſſimus, quia & ipſe altiſſimus. Neque enim altiſſimi filius rapinam arbitrabitur eſſe ſe æqualem altiſſimo. Ille meritò arbitrandus eſt cogitaſſe rapinam, qui cùm de nihilo in angelicam formam factus fuiſſet, factori ſuo ſe cõparans, vſurpauit ſibi quod filij altiſſimi propriũ eſt, qui vtique in forma Dei à Deo non factus ſed genitus eſt. Altiſſimus enim Deus pater quãtus omnipotens ſit, non potuit tamen vel æqualem ſibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, ſed non quantus ipſe: & ideo nec altiſſimum. Solùm autem vnigenitum, quem non fecit ſed genuit omnipotens omnipotentem, altiſſimus altiſſimum, æternus coæternum, ipſum ſibi per omnia comparari, nec rapinam æſtimat nec iniuriam. Rectè ergo hic erit magnus, qui filius altiſſimi vocabitur. Sed quare hic erit & non potiùs eſt magnus, qui ſemper æqualiter magnus, nõ habet quo creſcat, nec maior poſt conceptum futurus ſit, quam ante vel ſit vel fuerit? An fortè propterea dixerit erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit? Benè ergo hic erit magnus. Magnus homo, magnus doctor, magnus propheta. Sic enim dicitur de eo in Euangelio: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis. Et à minori quidam Propheta magnus itidem Propheta veturus promittitur. Ecce, inquit, veniet propheta magnus, & ipſe renouabit Hieruſalem. Et tu quidem ô virgo paruulum paries, paruulum nutries, paruulum lactabis, ſed videns paruum cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conſpectu regum, adeò vt adorent eum omnes reges, omnes gentes ſeruiant ei. Magnificet ergo & anima tua dominum, quia hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Magnus erit & magna faciet tibi qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Quod enim ſanctius nomen, quàm quod filius altiſſimi vocabitur? Magnificetur & à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus eſt paruulus. Paruulus, ait, natus eſt nobis: & filius

Matth. 15
Luc. 6.
Matth. 11.
Eſa. 19.
Pſal. 17.
Pſal. 144.
Pſal. 112.
Philip. 2.
Luc. 7.
Luc. 1.
Eſa. 9.

& filius datus est nobis. Nobis inquam, non sibi, qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui eum magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato faciamus ad quod natus est & datus. Vtamur nostro in nostram vtilitatem, de saluatore salutem operemur. Ecce paruulus in medio statuitur. O paruulus, paruulis desideratus. O vere paruulus, sed malitia, non sapientia. Studeamus effici sicut paruulus iste, discamus ab ipso quia mitis est & humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris: quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis. Ipsum oculis patris, ipsum offeramus & suis, quia & pater proprio *Rom. 8.* filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, & ipse filius semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: ipse tradidit in mortem animam suam, *Luc. 23.* & cũ sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro trãsgressoribus rogauit vt non perirent. Non possunt perire pro quibus filius rogat ne pereant, pro quibus pater tradidit filium in mortem vt viuant. Æqualiter ergo ab vtroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, vna in deitate substantia, in qua vnus cum eis spiritus sanctus viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM VNDE *supra, Homil. 4.*

NOn est dubium, quicquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere, & rursum cùm filium honoramus, à gloria matris non recedimus. *Prouerb 10.* Nam si iuxta Salomonem, filius sapiens, gloria est patris, quanto magis gloriosum est matrem ipsius effici sapientiæ? Sed quid ego tento in eius laudibus, quam laudabilem prædicant prophetæ, perhibet angelus, narrat Euangelista. Non ergo laudo, quia non audeo: sed tantum replico deuotus quod iam explicauit per os Euangelistæ spiritus sanctus. Sequitur nanque, & ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Verba sunt angeli ad virginem de promisso filio, promittentis quòd debeat possidere regnum Dauid. Quòd de stirpe Dauid duxerit originem Dominus Iesus, nemo dubitat. Quæro autem quomodo dederit ei Deus sedem Dauid patris sui, cùm ipse in Hierusalem non regnauerit, quinimo turbis eum volentibus constituere regem, non acquieuerit, sed & ante faciem Pilati protestatus sit: Regnum meum non est de hoc mundo. *Ioan. 18.* *Esa. 6.* Deniq; quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem propheta vidit sedentem super solium excelsum & eleuatum, sedere in throno Dauid patris sui? Sed nouimus quandam aliam Hierusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnauit Dauid, significatã, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam, illo videlicet vsu loquendi, quo sæpe reperis in scripturis significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem Dauid patris sui, *Luc. 1.* quando constitutus est rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Sed hîc propheta de quo regno dixerat, expressius aperuisse videtur, in eo quòd non in Sion posuit, sed super Sion. Nam ideo fortassis dictum est super, quia in Sion quidem regnauit Dauid, super Sion verò regnum est illius *Psal. 131.* de quo dictum est ad Dauid, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, de quo & dictum est per alium prophetam, Super solium Dauid & su- *Esa. 9.* per regnum eius sedebit. Vides quia vbique reperis super: Super Sion, super sedem, super solium, super regnũ. Dabit ergo ei dominus Deus sedem Dauid patris sui, non typicam sed veram, nõ temporalem sed æternam, non terrenam sed cælestem. Quæ ideirco (vt iam dictum est) memoratur fuisse Dauid: quia hæc in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Hic quoque si domum Iacob temporalẽ accipimus, quomodo in illa quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Iacob in qua regnet in æternum, cuius regni non erit finis. An nõ denique domus illa Iacob exasperans impie abnegauit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati: quãdo illo perhibente; Regem vestrum crucifigam? vno ore respondendo clamauit: Non habemus regem nisi Cæsarem? Require *Ioan. 19.* itaque Apostolum, & discernet tibi eum qui in *Rom. 2.* occulto Iudæus est, ab illo qui in manifesto: & quæ in spiritu est circuncisionem, ab ea quæ fit in carne, & spiritualem Israël à carnali, & filios fidei Abrahæ a filiis carnis. Non enim, inquit, omnes *Col. 2.* qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen *Rom. 9.* sunt Abrahæ, hi filij. Sequere ergo & dic: Similiter non omnes qui ex Iacob, hi reputandi sunt in domo Iacob. Iacob quippe ipse est qui Israel. Solos igitur qui in fide Iacob perfecti inueniendi sunt, reputa in domo Iacob, vel potiùs ipsos noueris fore spiritualem & æternam domum Iacob, in qua regnabit dominus Iesus in æternum. Quis ex nobis est qui iuxta interpretationem nominis Iacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis: vt non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, conuenerunt in vnum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est rex regum, & dominus dominantium. De cuius splendidissima contem- *Matth. 13.* platione fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum. O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, vt laudetur etiã à me cum hæreditate sua. Veni interim domine Iesu, aufer scandala de regno tuo quod est anima mea vt regnes tu, (quid debes) in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem, iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit ego regnabo, ambitio, detractio,

tra[illegible], [illegible] & vacun[illegible] ertant memeipsi de [illegible], cuius ego [illegible] um esse videat. [illegible] qu[illegible] valeo tesi[illegible], re[illegible] quantum [illegible] dominum meum Iesum [illegible], ipsi me [illegible] ipsius me iuris ag[illegible] Iesum [illegible], ipsum mihi dominum teneo & dico, [illegible] gem nisi dom[illegible] Iesum. Veniet [illegible], & [illegible] ipse [illegible] Deus meus, [illegible] facit. *Dixit autem Maria ad* [illegible] *Quomodo fiet istud, quoniam virum non co-*[illegible] [illegible] taciut, cum [illegible] gitabat, qualis esset [illegible] sa-[illegible] non respon-[illegible] . Iam ve-[illegible] angelo qui-[illegible] ente, sed Deo intus persuadente: [illegible] minus cum illo, dicente angelo; [illegible] de se [illegible] et [illegible], [illegible] dixit [illegible] m. Qu[illegible] de se [illegible] quo[illegible] um [illegible] Non d[illegible] facto, sed modum [illegible] dit. Non enim quærit an fieri illud, [illegible] Quasi dicat. Cum sciat dominus me[illegible] tentiæ meæ, votum esse ancillæ suæ [illegible] guos[illegible] ere [illegible], [illegible] ordine pla-[illegible] vt fiat [illegible] por[illegible] me frangere [illegible] vt pat[illegible] gaudeo de filio, [illegible] de proposito. Fiat tamen voluntas eius. [illegible] virgo concipiam, virgo & pariam, quod [illegible] si placuerit [illegible], impossibile non erit, tunc [illegible] ere quia [illegible] humilitatem ancillæ suæ. [illegible] do ergo fiet illud, quoniam virum non [illegible] *Et re*[illegible] *dixit ei; Spiritus san-*[illegible] *eniet* [illegible] *& virtus altissimi obumbrabit ti-bi.* [illegible] is dicta est fuisse gratia plena, & nunc [illegible] mo[illegible] dicitur; [illegible] tus sanctus superueniet in te & [illegible] tus altissimi obumbrabit tibi? Nunquid potuit repleri gratia, & needum habere spiritum [illegible], cum ipse sit dator gratiarum? Si autem [illegible] tus sanctus in ea erat, quomodo adhuc [illegible] tam nouiter sibi euenturus repromittitur? [illegible] ideo non dixit simpliciter, veniet in te, [illegible] sit super: quia & prius quidem in ea fuit [illegible] tam gratiam, sed nunc superuenire nun-[illegible] propter abundantioris gratiæ plenitudi-[illegible] ani[illegible] ffusurus est super illam? At verò cum [illegible] na [illegible], illud amplius quomodo capere po-[illegible] Si autem plus [illegible] capere potest, quo-[illegible] & ante plena fuisse intelligenda est. An [illegible] quidem gratia eius [illegible] tum repleuerat men-te [illegible] uens [illegible] ero etiam ventrem perfundere de-beat, quatenus scilicet plenitudo diuinitatis quæ ante in illa, sicut & in multis sanctorum spiritua-liter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum [illegible] raliter in ipsa habitare incipiat? Ait itaque, [illegible] us sanctus superueniet in te, & virtus altissi-mi obumbrabit tibi. Quid est & virtus altissimi [illegible] brabit tibi. Qui potest capere, capiat. Quis [illegible] excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se fœ-[illegible] ssime meruit experiri, intellectu capere, ratio-ne discernere possit, qualiter splendor ille inac-cessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & vt [illegible] naccessibilem accedere ad se ferre potuisset, d[illegible] o [illegible] uncula eiusdem corporis cui se animatæ [illegible] temperam, reliquæ massæ vmbraculum fe-c[illegible]. Et fortasse propter hoc maxime dictum est: Obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramen-to erat: & quod sola per [illegible] su sola virgo [illegible] operari [illegible], ca[illegible] datum est experiri. [illegible] s sanctus superueniet in te, [illegible] a fœcundabit te. Et virtus al[illegible] bi, hoc est, [illegible] concipies, Dei virtus & Dei [illegible] tas [illegible] in suo secretissimo consilio [illegible] get & occultabit, quatenus [illegible] ha-beatur & tibi. Ac si angelus [illegible] ad virgi-nem: Quid à me requiris, quod in te mox experie-ris? Sciens scies, & fœliciter scies, sed illo doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri, nisi à donante: nec potest addisci nisi à suscipiente. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quod est dicere; Quoniam non est de homine sed de spiritu sancto quod concipies, concipies autem altissimi virtutem, hoc est filium Dei: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, id est, non solum qui de sinu patris in vterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc iam vocabitur filius Dei, quemadmodum & is qui à patre est ante secula genitus, tuus quoque amodò reputabitur filius. Sic autem & quod natum est ex ipso patre, erit tuum, & quod nascetur ex te, erit eius: vt tamen non sint duo filij, sed vnus. Et licet aliud quidē ex te, aliud ex illo sit, iā nō tamen cuiusque suus, sed vnus vtriusque erit filius. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Attende quæso quàm reuerenter dixerit, quod nascetur ex te sanctum. Vt quid enim ita simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digne eve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima vnico patris erat vniendum. Si diceret, sancta caro vel sanctus homo, vel sanctus infans, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite sanctum, quia quicquid illud sit quod virgo genuit, sanctum proculdubio ac singulariter sanctum fuit, & per spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem. Et adiecit angelus. *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Quid fuit necesse etiam huius sterilis, virgini nunciare conceptum? Nunquid fortè dubiam adhuc & incredulam oraculo recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fidem ipsius Elizabeth prophetāte laudatā agnouimus. Beata es, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a domino. Sed ideo sterilis cognatæ conceptus virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò necesse erat non modico lætitiæ & amoris præueniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in deuotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elizabeth nunciatur Mariæ, quia professò decebat vt verbum mox diuulgandum vbique, priùs sciret virgo per angelum, quàm audiret ab homine: ne mater

marci videlicet Dei a cœlestibus filij videretur amota, si eorū quę in terris tā prope gerebātur remansisset ignara. Vel ideo potius cōceptus Elizabeth Marię nūciatus est, vt dùm nūc saluatoris, nunc pręcursoris edoceretur aduētum, reiū tempus & ordinem tenens ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus euangelij referret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuerit instructa mysterijs. Vel ideo adhuc nunciatur Mariæ conceptus Elizabeth, vt audiens cognatam vetulam & grauidam, cogitet iuuenculia de obsequio, sicque illa properante ad visitandum, paruulo prophetæ locus & occasio detur, quo minori adhuc domino sui officij valeat exhibere primitias: & dùm ad se inuicem occurrit matrum infantiúmque ab alterutro excitata deuotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. Vide autem ne hæc tam magnifica quæ ab angelo audis prænunciata, ab ipso speres perficienda. A quo ergo si quæris, ipsum audi angelum. *Quia non erit*, inquit, *impossibile apud Deum omne verbum*: Tanquam diceret, Hæc quæ egu iam fideliter promitto, non de mea, sed de illius qui me misit virtute præsumo: quia non erit impossibile apud eum omne verbum. Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in verbo? Mouet me & hoc in verbis angelicis, quòd signanter non ait, quia non erit impossibile apud Deum omne factum, sed omne verbum. An idcirco posuit verbum, quia quàm facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt, tam facilè imò incomparabiliter faciliùs valet Deus opere implere quicquid illi verba valent exprimere? Dicam apertiùs. Si hominibus tam facilè esset facere quàm dicere quod volunt: & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris & vetus sermo est, multum interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle: merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia. Poterunt prævidere & prædicere prophetæ virginem vel sterilem conceptutam ac parituram, sed nunquid facere vt conciperet & pareret? Deus autem qui dedit eis posse prævidere, quàm facile potuit tunc quod voluit per illos prædicere, tam facile potuit nunc quando voluit per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deū omne verbum. Audisti virgo factum, audisti & modum, vtrūque mirū, vtrūque iucūdum. Iucundare filia Siō, & exulta satis filia Hierusalē. Et quo- Zach. 9.
niam auditui tuo dat̄ est gaudium & lætitia: audiamus & nos à te respōsum lætitiæ quod desideramos, vt iam exultēt ossa humiliata. Audisti, inquam, factū, & credidisti: crede & de modo quod audisti. Audisti quia cōcipies & paries filiū, audisti quòd non per hominē, sed per spiritū sanctum: expectat angelus responsum: tempus est enim vt reuertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus & nos ô domina verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi precium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat a te ô pia virgo flebilis Adam, cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc Dauid. Hoc cæteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitāt in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Nec immerito, quandu ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum: salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Da virgo responsum festināter. O domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium rex & dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum: in qua nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet è cælo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu cum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orādo suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cùm diceba: Expectabo salutare tuum domine, Genes. 49.
in qua denique & per quam Deus ipse rex noster ante secula disposuit operari salutem in medio terrę. Quid ab alia speras quod tibi offertur? Quid per aliam expectas quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respōdeas verbum? Responde itaque citius angelo, imò per angelum domino. Responde verbum, & suscipe verbum. Profer tuum, & concipe diuinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus cōuenit nunc vt virginalis simplicitas obliuiscatur prudentiam. In hac sola re ne timeat prudens virgo præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi virgo beata cor fidei, labia cōfessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus, foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem. *Ecce*, inquit, *ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Semper solet esse gratiæ diuinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet, vt sedes gratiæ præparetur. Ecce, inquit, ancilla domini. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris tenera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Si me miserū homunciunem meis deceptā simulationibus, ad aliquem vel mediocrem honorem prouexerit ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea vel propter subditorum peccata permittente: nónne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo fane, conscientiam Iac. 4.

non

[illegible] & reputans non honorem virtutibus [illegible] tes honoris onerosiorem, quo supe[illegible] o. Videas plerosque in ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, [illegible] intumescere, pristinæ obliuisci abiectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecuniosos ad honores quosque ecclesiasticos peruolare, moxque sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium: & dignos se æsti[illegible] e dignitate, ad quã ambiendo peruenerunt, quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his quos e[illegible] cæcat ambitio, & honor ipse superbiendi eis materia est. Sed video (quod magis doleo) post spretã [illegible] pompã, nõnullos in schola humilitatis [illegible] gis addiscere, ac sub alis mitis hum[illegible] tri grauiùs insolescere, & impa[illegible] us fieri in claustro, quam fuissent in [illegible] o. [illegible] dque magis peruersum est, plerique [illegible] m Dei non patiuntur haberi contemptui, [illegible] n nisi contemptibiles esse potuerũt: vt quia videlicet vbi à pluribus honores appe[illegible] ntur, [illegible] eum habere non meruerunt, saltem [illegible] honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur. Video & alios (quod non sine dolore videri debet) post aggressam Christi mil[illegible] iam, rursus secularibus implicari negotijs, rursus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis vtilitatis, verba vẽd[illegible] e diuitibus, & matronis salutationes: sed & c[illegible] ntra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena, & sua cum lite repetere, non audientes Apostolum ex imperio regis tubicinantem: Hoc [illegible] sum, inquit, delictum est in vobis, quod causas habetis: quare non magis fraudem patimini? Itane mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fue[illegible] r modò circumeuntes prouincias, & curias frequentates, regũ notitias, principúmque familiaritates assecuti sint? Quid de ipso habitu dicã, in quo [illegible] m non calor, sed color requiritur, ma[illegible] cultui vestium quàm virtutum insistitur? P[illegible] d dicere, vincuntur in suo studio mulierculæ [illegible] uando à monachis precium affectatur in v[illegible] us, nõ necessitas: nec saltem forma religioni [illegible] etenta in habitu, ornari non armari appetũt m[illegible] tes Christi. qui dùm se præparare ad præ[illegible] & cõtra aëreas potestates prætendere pauperti[illegible] insigne debuerant (quod vtique aduer[illegible] valde formidant) in mollitie vestimentorum paci[illegible] potius præferentes indicium, vltro se hostibus [illegible] e sanguine tradunt inermes. Nec aliunde [illegible] omnia mala contingunt, nisi quòd illam qua se[illegible] ulum deseruimus, deserentes humilitatem, d[illegible] per hoc cogimur inepta denuo sectari studia [illegible] culatium, canes efficimur reuertẽtes ad vomi[illegible] Audiamus itaque quotquot tales sumus, [illegible] illa responderit, quæ Dei mater eligebatur, [illegible] humilitatem non obliuiscebatur. Ecce, ait, a[illegible] a Domini: fiat mihi secundum verbũ tuum. [illegible] desiderij est signum, non dubitationis indi[illegible] um. Et per hoc quod dicit, fiat mihi secundum v[illegible] bum tuum, magis intelligenda est affectum [illegible] mere desiderantis, quam effectum requirere [illegible] dubitantis: quanquam nil obstet intelligi, fiat, esse verbum orantis. Nemo quippe orat nisi quod credit & sperat. Vult autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa quæ dare disposuit, priùs pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat. Hoc vtique prudens virgo intellexit, quando præuenienti se muneri gratuitæ promissionis, iunxit meritum suæ orationis: fiat (inquiens) mihi secundum verbum tuum. Fiat mihi de verbo, secũdum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum vt maneat, carne videlicet indutum, nõ aëre. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum & mutũ, sed incarnatum & viuum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus viuaciter impressum: & hoc non mortui calami depictione, sed sancti spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porrò multipharism multisque modis olim Deus loquutus est patribus in prophetis: & aliis quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autẽ oro vt in vtero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem vt fiat mihi aut declamatoriè prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatoriè somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum. *Heb. 1.*

EIVSDEM S. BERNARDI *in Annunciatione, Sermo.*

Onsiderare est fratres in solennitate hodiernæ dominicæ annunciationis, velut amœnissimam quandam planiciem, simplicem nostræ reparationis historiam. Iniũgitur noua legatio Angelo Gabrieli, & nouam virgo professa virtutem, nouæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, nouamque noua mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam, quæ concupiscentiam nescit, vt Spiritu superueniente altissimi pariat filiũ, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadẽ porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingrediens, vniuersitatem generis humani occupatur. Innumeros huiuscemodi flores ex his facile est legere pratis, sed intueor mediam meruẽdæ profunditatis abyssum. Abyssus plane imperscrutabilis, incarnationis dominicæ sacramẽtum: abyssus impenetrabilis, verbũ caro factum est, & habitauit in nobis. Quis enim inuestiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hauriam non est mihi. Verùm tamen solet interdum superposita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea sanè licet irrumpe- *Ioan. 1*

re ve

te verear propriæ conscius infirmitatis, frequenter tamen velut super os huius putei expando ad te Domine manus meas, pro eo quòd anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et nunc siquidem quod ascendente de deorsum nebula, tenuis ebiberit cogitatio, vobis fratres modicum illud sine inuidia cômonicare curabo, velut expresso linteamine vel exigua refundens cœlestis stillicidia roris. Quæro igitur qua ratione filius magis incarnatus sit, quam pater aut Spiritus Sanctus, cùm totius trinitatis non modo æqualis sit gloria, sed vna eadémque substantia? *Roma. 11.* Sed quis cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Altissimũ est mysterium, nec nos oportet temere super huiuscemodi præcipitare sententiam. Videtur tamē nec patris nec Spiritus incarnationē in pluralitate filiorum effugisse cõfusionem, dùm alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum, vt is specialiter filius fieret, qui filius erat: ne quid esset ambiguitatis in nomine. Denique ipsa est virginis nostræ gloria singularis & excellens prærogatiua Mariæ, quòd filium vnum eundémque cum Deo patre meruit habere communem, quam sanè periisse constat si non filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis & hæreditatis. Factus quidem primogenitus in multis fratribus, qui vnigenitus erat, adsciscet eos sine dubio in hęreditatē, quos vocauit in adoptionē. Si enim fratres, & cohęredes. Hic ergo Christus Iesus mediator fidelis, sicut in persona vna Dei hominísque substantiam copulauit ineffabili sacramento sic & in ipsa reconciliatione cõsilio vsus altissimo mediam non deseruit ęquitatem, vtrisq; tribuens quod oportebat, honorem Deo, homini miserationem. Hęc enim optima inter offensum Dominum & reum seruum forma cõpositionis, vt nec honorãdi domini zelo seruus opprimatur austeriori sententia: nec rursum dùm huic immoderatiùs condescēditur, ille debito fraudetur honore. Audi igitur & diligenter obserua Angelicam in huius mediatoris ortu distributionem. Gloria, *Luc. 2.* inquiunt, in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huius denique gratia obseruationis, fideli recõciliatori Christo nec timoris Spiritus defuit, quo patri semper reuerētiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam eius quæreret: nec Spiritus pietatis, quo misericorditer compateretur hominibus. Vnde & necessariũ habuit spiritum quoque scientiæ, per quem timoris pariter & pietatis distributio fieret inconfusa. Et nota quòd in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, sed manifestè defuerunt tria ista tribus. Dico enim Euam, *1. Tim. 2.* diabolum, & Adam. Non habuit Eua scientiam, quæ, vt ait Apostulus, seducta est in prævaricatione. Verùm hęc quidem serpenti non defuit, qui callidior describitur cæteris animãlibus: sed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius forte videtur, mulierem non contristãdo, sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens quàm diuinę. Vtinam magis timor Domini præualuisset in eo, *Esa. 11.* sicut de Christo signanter legitur, Quia repleuit eum non pietatis Spiritus, sed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorũ timor Domini præferendus est, & solus ipse est qui totum sibi hominem debeat vendicare. In his igitur tribus, timore, pietate, & scientia, mediator noster reconciliauit homines Deo. Nam in consilio, & fortitudine de manu aduersarij liberauit. Cõsilio siquidem pristino iure priuauit hostem, data potestate vt manus iniiceret innocēti. Fortitudine præualuit: ne violenter posset retineri redemptus, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo surrexit. Exinde cibat nos pane vitę & intellectus, & potat aqua sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium & inuisibilium, verus animæ panis, cõfirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborãs in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitia ei videtur, gemat & lugeat, dicens: Aruit cor meũ, quia oblitus sum comedere panem meum. *Psal. 101.* Ecce enim mera & perfecta veritas est, non prodesse homini si vniuersum mũdum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat. Sed quando id capere possit auarus? Sine causa laborat quisquis ei id persuadere conatur. Vt quid hoc? Nempe quia stultitia illi videtur. Quid veriùs quàm iugum Christi esse suaue? Appone homini seculari, & vide si non magis lapidem quàm panem reputabit: & certè huiusmodi intelligentia veritatis interne viuit anima, & hic est spiritualis cibus. Nõ enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Deut. 4. Matth. 4* Veruntamē donec sapit sibi veritas, non sine difficultate ad interiora traiicitur. Vbi verò cœperis in ea oblectari, iam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam, quò videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artubus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm vtilitati. Ex omnibus ergo quæ saluandis populis fuerant necessaria, nihil penitùs defuit saluatori. Ipse est enim de quo præcinit Esaias: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. *Esa. 11.* Illud sanè diligenter attende quòd florem hunc de radice non de virga dixerit ascensurum. Quia etenim si noua Christi caro in virgine creata esset ex nihilo, quod æstimauerunt nonnulli, non de radice flos, sed forte de virga dici poterat ascendisse. Nunc autem quia prodiit ex radice, sine dubio ab origine communem probatur habuisse materiam. Nã quòd super eum spiritus requieuit, nihil in eo contradictionis fuisse declarat. In nobis enim quia non omnino superior est spiritus, nõ requiescit, carne nimirum aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem concupiscente: à quo conflictu nos liberet in quo nihil simile fuit, nouus homo, & verus homo qui veram carnis nostræ suscepit originem, sed fermentum vetus concupiscentiæ non suscepit.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang. expositio.

IN mense autē sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. *Ex comm. in Lucam.* Idcirco angeli priuatis nominibus censentur, vt signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque etenim in illa sancta ciuitate, quem de visione

vi[illegible]e omnipotétis Dei plena ſcientia per fecit, ideirco propter nomina ſortiútur, ne eorum perſonæ ſine nominibus ſciri nó poſſint: ſed cum ad nos [illegible]quid miniſtraturi veniunt, apud nos etiam nomina à miniſteriis trahunt. Ad Mariam ergo virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat, qui a[d] debellandas aëreas poteſtates humilis apparere dignatus eſt. De quo per Pſalmiſtam dicitur; Dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio. Et rurſum; Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum dominus, & potens in prælio, contra poteſtates aëreas ad bella veniebat. Menſem autem ſextum, Martium intellige, cuius viceſimo, & quinto die dominus noſter & conceptus traditur, & paſſus, ſicut & viceſimoquinto die menſis Decembris natus. Quod ſi vel hoc ho[die] (vt nonnulli arbitrantur) æquinoctium vernale, vel illo ſolſtitium brumale fieri credamus, c[on]uenit vtique cum lucis incremento concipi ve[l] naſci eum, qui illuminat omnem hominé venientem in mundum. At ſi quis ante dominicæ natiuitatis, & cóceptionis tempus lucem vel creſcere, vel tenebras ſuperare conuicerit, dicimus & nos, quia & Ioannes tunc ante faciem aduentus eius regnum cælorum euangelizabat, & nunc quoque prædicatoribus imperatur, Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Cur autem Ioannes circa æquinoctium autumnale conceptus, circa ſolſtitium æſtiuum ſit natus, docet ipſe, qui vel ex ſua vel ex veteris teſtamenti (vt multi autumant) perſona loquitur, Illum oportet creſcere, me autem minui. *Ad virginem deſponſatam viro cui, &c.* Multas ob cauſas ſaluator non de ſimplici virgine, ſed de ſponſa voluit naſci. Primo videlicet, vt per generationem Ioſeph, cuius Maria cognata erat, Mariæ quoque neſciretur origo. Neq; enim moris eſt ſcripturæ, fœminarum genealogiam texere. Nam & de vtroque poteſt intelligi, quod dicitur de domo Dauid. Deinde, ne velut adultera lapidaretur à Iudæis, malens aliquos de ſuo ortu, quam de pudore dubitare parentis. Simul & virginibus impudicis occaſionem tollés, ne matrem quoque ſaluatoris dicerent falſis ſuſpicionibus infamatam. Tertio, vt in Ægyptum fugiens & inde [r]ediens haberet ſolatium viri, qui integerrimæ virginitatis cuſtos pariter, ac teſtis exiſteret. Quarto ne partus eius diabolo pateret. Qui ſi eum de virgine natum cognoſceret, forſitam quaſi cæteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. Maria autem Hebraice ſtella maris, Syriace vero, domina vocatur: & merito, quia & totius mundi dominum, & lucem ſæculis meruit generare perennem. *Et ingreſſus angelus ad eam, dixit, Aue gratia plena, &c.* Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, adſequitur, vt ipſum videlicet gratiæ concipiat, & generet auctorem. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone, &c.* Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia, diſce virginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginú eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri. Diſcant mulieres, propoſitú pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degeneri deprauaretur affectu, ab angelo ſalutatur. Diſce virgo, verborum vitate laſciuiam. Maria etiam ſalutationem angeli verebatur. *Erat enim cogitans,* inquit, *qualis eſſet hæc ſalutatio.* Et ideo eum verecundia, quia pauebat. Cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam ante comperta. *Et ait angelus ei. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Quam ſalutatione inſolita, vt pote quæ ei ſoli ſeruabatur, viderat turbatam, quaſi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat iubet. Et quia gratia plenam vocauerat, eandé gratiam & aſtruit plenius, & vberius explicat dicens; *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Ieſus ſaluator; ſiue ſalutaris interpretatur. Cuius ſacramentum nominis adloquens Ioſeph angelus expoſuit. Ipſe enim, inquiens, ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Non ait populum Iſraël, ſed, populum ſuum, hoc eſt, in vnitatem fidei ex præputio, & circuncíſione vocatum, quibus ex diuerſa parte congregatis fieret vnus paſtor, & vnum ouile. *Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, &c.* Dictum eſt & de Ioáne, quod erit magnus: ſed ille quaſi homo magnus, hic quaſi Deus magnus. Ille enim magnus coram domino, hic autem *erit magnus*, inquit, *& filius altiſſimi vocabitur.* Idem ergo filius altiſſimi, qui in vtero virginali conceptus, & natus eſt. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus eſt ante tempora natus ex patre. Si autem idem homo, qui Deus eſt, omittat Neſtorius hominem iſtum dicere ex virgine natum, & hunc à verbo Dei non in vnitatem perſonæ, ſed in ſocietatem inſeparabilem eſſe receptum. Alioquin non vnum Chriſtum verum Deum, & hominem, ſed duos (quod dici nefas eſt) adſerere, ac per hoc nó trinitatem, ſed quaternitatem prædicare conuincitur. Catholica autem fides ſicut vnum quemlibet hominem carnem, & animam, ita hominem, & verbum vnum Chriſtum rectiſſime confitetur: iuxta quod & angeli verba ſignificant, quæ dandam illi ſedem Dauid patris eius aſſeuerant. Qui enim eundem ipſum patrem habere Dauid, quem filiú altiſſimi vocari pronunciat, in duabus vtiq; naturis vnam Chriſti perſonam demonſtrat. Accepit autem ſedem Dauid, vt nimirum gentem, cui Dauid quondam, & filij eius temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipſe perpetuum vocaret ad regnum, quod eis paratum eſt ab origine mundi. *Et regnabit in domo Iacob in æternum & regni eius non erit finis.* Et Eſaias ait; Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſoliú Dauid, & ſuper regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia. Non dixit in adquiſitione gloriæ, gazarúmque terreſtrium, non in victoria gentium plurimarum, vrbiúmque debellatione ſuperbarum, ſed, in iudicio, & iuſtitia. Per hæc enim, regnum Chriſti & in ſingulis quibuſque fidelibus, & in vniuerſa per orbem multiplicatur pariter & cóſirmatur Eccleſia. Domum nanque Iacob totam eccleſiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel, cum oleaſter eſſet, merito tamen fidei in bonam eſt inſerta oliuam. Quam poſt triumphum paſſionis alloqués Saluator ait; Qui timetis dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob magnificate eum. Non autem ideo futuri temporis verbis magnus extiturus Ieſus filius altiſſimi vocandus, ſceptrum Dauid accepturus, & in domo Iacob regnaturus aſſeritur

quia iuxta quod hæretici sapiunt, atque à veritate desipiunt, Christus ante Mariam nõ fuerit, sed quod homo assumptus in Deum, clarificatus est ea claritate, quam verbũ Dei habuit prius quam mundus esset apud patrem, hoc est, vt idem filij nomen eandem Christi personam, homo cũ Deo plenus gratia, & veritate sortiretur. *Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Propositum suæ mentis reuerenter exponit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ quia prima fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. *Quomodo, inquit, fiet istud?* Non ait, vnde hoc sciam, sed quomodo fiet inquit, quoniam virum non cognosco. Ordinem videlicet obsequij cui subdatur inquirens, non autem signum, cui credat, flagitans. Neque enim decebat electam generādo Deo virginem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere, quia nec facile poterat homo nosse mysterium, quod in Deo manebat à seculis absconditum. Quia ergo legerat, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, sed quomodo id fieri posset, non legerat, merito credula iis, quæ legerat, sciscitatur ab angelo, quod in propheta non inuenit. *Et respondens Angelus, dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Non virili, inquit, quod non cognoscis semine, sed spiritus sancti, quo impleris, opere concipies. Erit in te conceptio, libido non erit. Concupiscentiæ non erit æstus, vbi vmbram faciet spiritus sanctus. Verum in eo, quod ait; *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*, potest etiam incarnati Saluatoris vtraq; natura designari. Vmbra quippe, à lumine solet, & corpore formari. Et cui obumbratur, lumine quidem, vel calore solis, quantum sufficit, reficitur, sed ipse solis ardor ferri nequeat, interposito vel nubiculo leui, vel quolibet alio corpore temperatur. Beatæ itaque virgini quia quasi pura homo omnẽ plenitudinẽ diuinitatis corporaliter capere nequibat, virtus altissimi obũbrauit, id est, incorporea lux diuinitatis corpus in ea suscepit humanitatis. De qua pulchre propheta; Ecce dominus, inquit, ascendit super nubẽ leuẽ, & ingredietur Ægyptũ: quod est dicere, Ecce verbum Dei patri coæternũ, lumẽnque de lumine ante sæcula natum, carnem in fine seculorum, atque animam nullo peccati pondere grauatam suscipiet, & de vtero virginali tanquam sponsus de thalamo suo procedet in mundum. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur, Nos quippe & si sancti efficimur non tamẽ nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur. Vt merito cũ propheta gementes singuli dicam*, Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. *Sanctum* (inquit) *vocabitur filius Dei.* Quid hic dicis, Nestoriane, qui B. Mariam Dei negans esse genitricem, apertam niteris impugnare veritatẽ? Ecce Deum dixit superuenturum; Dei filium nasciturũ. Quomodo ergo aut Dei filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo Θεοτόκος, id est, Dei genitrix nõ esse potest? *Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* Ne virgo se parere posse diffidat, accipit exemplum sterilis anus pariture, vt discat omnia Deo possibilia, etiam quæ naturæ ordine videtur esse contraria. Si quẽ vero mouet quomodo Beatæ Mariæ cognatam dicat Elizabeth, cum hæc de domo Dauid, illa de filiabus Aaron originem duxerit, animaduertat proauos earum liberis inuicẽ nuptiis traditis, vtrãque tribum posuisse coniungere. Cui si hæc expositio forte non suffecerit cõ curiosius insistẽti, quasi hoc contra interdictũ legis fieri nequiuerit, legat Exodũ, vbi scriptũ est. Accepit autem Aarõ vxorem Elizabeth filiã Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar. Videãtque ante editum legis, superna prouisione sacerdotalem, regali iunctam iam fuisse progeniem. Vt videlicet dominus Iesus Christus, qui secundum carnem verus rex, & sacerdos erat futurus, ipsam quoque carnem de vtraque; Dauid scilicet, & Aarõ stirpe susciperet. Vnde & in hac vtraque tribu chrisma per legem mysticum celebrabatur, Christi nimirum nominis pariter, & generationis prænũcium. Et ipse Dauid domum Dei ingrediẽs, panem sanctum, & gladium quasi rex, & sacerdos accepit. Illum videlicet de suo semine venturum præfigurans, qui & pro nostra libertate regis iure pugnaret, & pro nostra absolutione panem suæ carnis offerret. *Dixit autem Maria Ecce ancilla Domini. Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quanta cum deuotione humilitas, quæ & angeli promissum optat impleri, & seipsam, quæ mater eligitur, ancillã nuncupat? apertissime insinuans quam nihil sibi meriti vindicet, in eo quod domini iussis obsecundet. Fiat (inquit) sine viri semine conceptus in virgine, nascatur de spiritu sancto integra carne sanctum, quod nascetur de homine matre sine homine patre, vocetur Dei filius.

Maria habuit propositũ virginitatis.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia.

Exordium nostræ redemptionis, fratres charissimi, hodierna nobis sancti Euangelij lectio commendat, quæ angelum à Deo de cælis missum narrat ad virginem, vt nouam in carne natiuitatem filij Dei prædicaret, per quam nos abiecta vetustate noxia, renouari atque inter filios Dei computari possimus. Vt ergo ad promissæ salutis mereamur dona pertingere, primordia eius intenta curemus aure percipere. *Missus est, inquit, Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomẽ erat Ioseph.* Aptum profecto humanæ restaurationis principium, vt angelus à Deo mitteretur ad virginem partu cõsecrandam diuino, quia prima perditionis humanæ fuit causa cum serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam: imò ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intrauit per fœminam, aptè redit & vita per fœminam. Illa à diabolo seducta per serpentem viro gustum necis obtulit, hæc à Deo educta per angelum mundo autorem salutis edidit. *Missus est ergo angelus Gabriel à Deo.* Raro autem legimus quia apparentes hominibus angeli designantur ex nomine. Verum quotiescunque siendo vtique fit, vt etiã nomine ipso quòd ministraturi veniant insi

To 7 Innuat.

Gen. 3.

insinuent. Gabriel namque fortitudo Dei dicitur. Et merito tali nomine præfulget, quia nascituro
Psal.23. in carne Deo testimonium perhibet. De quo propheta in Psalmo: dominus, inquit, fortis, & potens, dominus potens in prælio. Illo nimirum prælio, quo potestates aereas debellare, & ab earum tyrannide mundum veniebat eripere. *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria.* Quòd dicitur *de domo Da-*
Rom.16. *uid*, non tantum ad Ioseph sed etiam pertinet ad Mariam. Legis namque erat præceptum, vt de sua quisque tribu & familia duceret vxorem, Apo-
2.Tim.2. stolo quoque attestante, qui ad Timotheum scribens ait: Memor esto dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum euangelium meum. Ideo enim veraciter ex semine Dauid ortus est Christus, quia incorrupta eius genitrix veram de stirpe Dauid originem duxit. Cur autem dominus non de simplici virgine, sed de desponsata viro concipi, & nasci voluerit, plurimæ à patribus rationabiles causæ proferuntur, è quibus permaxima est, ne velut stupri rea damnaretur, si virum non habens filium procrearet. Deinde vt in his etiam, quæ domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur viri. Oportebat ergo beatā Mariā habere virum, qui & testis integritatis eius certissimus, & nati ex ea domini, ac saluatoris nostri esset nutricius fidelissimus, quique & pro eo paruulo secundum legem hostias ad templū deferret, & cum instante persecutionis articulo in Ægyptum cum matre ferret ac referret, aliaque illi perplura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret. Nec multum obfuit, si quis illum ad tempus eius filium credidit, cum prædicantibus Apostolis post ascensionem eius cunctis palam credentibus, quòd de virgine natus esset patuerit. Nec prætereundum, quòd beata Dei genitrix merito præcipuis etiam nomine testimonium reddidit. Interpretatur enim stella maris. Et ipsa quasi sydus eximium inter fluctus seculi labentis gratia priuilegij specialis refulsit. *Et ingressus autem angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quæ salutatio quātum humana consuetudine inaudita, tantum est beatæ Mariæ dignitati congrua. Vere etenim gratia erat plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Vnde iure angelico aspectu simul, & affatu meruit perfrui, quæ angelicam studebat vitam imitari. Vere gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia, & veritas facta est, Iesum Christum generare donatum est. Et ideo verè dominus cum illa erat, quam & prius nouæ castitatis amore à terrenis ad cælestia desideranda sustulit, & postmodum mediante humana natura omni plenitudine diuinitatis consecrauit. Vere quoque benedicta inter mulieres, quæ sine exemplo muliebris conditionis cum decore virginitatis gauisa est honore parentis, quodque virginem matrem decebat Deum filium procreauit. Quæ postquam more humanæ fragilitatis, & visione angelica & insolita est salutatione turbata, mox idem angelus eam repetito sermone ne timeat, hortatur quodque maxime timorem pellere consueuit, quasi bene cognitam ac domesticam proprio eam nomine vocat, & quare gratia plenam diceret diligenter edocet: *Ne timeas*, inquit, *Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Notandus solerter ordo verborum, & tanto arctius est cordi inserendus, quanto manifeste patet, quia in his tota redemptionis nostræ summa consistit. Nam manifestissime dominum Iesum, id est, saluatorem nostrum & verum Dei patris, & verum hominis matris filium prædicat: *Ecce*, inquit, *concipies in vtero & paries filium.* Agnosce verum hunc hominem, veram de carne virginis assumpsisse substantiam carnis. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Confitere eundem etiam Deum verum de Deo vero, & æterno patri filium semper esse coæternum. Quod autem futuro tempore dicitur, *Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur*, nemo ita intelligēdum putet, quod dominus Christus ante partum virginis non fuerit, sed ita hoc potius dictum intelligamus, quia potentiam diuinæ maiestatis, quam Dei filius æternaliter habuit, hanc idem homo natus ex tempore acceperit, vt vna in duabus naturis persona esset mediatoris, ac redemptoris nostri. *Et dabit illi dominus Deus sedē Dauid patris eius.* Sedem Dauid regnum dicit Israëliticæ plebis, quod suo tempore Dauid iubente pariter, & iuuante domino, fideli deuotione gubernauit. Dedit ergo dominus redemptori nostro sedem Dauid patris eius, quando hunc de genere Dauid incarnari disposuit, vt populum, quem Dauid temporali rexit imperio, ipse gratia spirituali ad æternum proueheret regnum. De quo Apostolus ait: Qui eruit nos de pote- Colos.1.
state tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Hinc est, quod idem populus diuino admonitus instinctu, cum passurus ille Hierosolymam properaret, in eius laude gaudens decantabat: Benedictus, qui venit in nomine Domi- Ioan.12.
ni rex Israel. Et iuxta alium Euangelistam bene- Marc.11.
dictum quod venit regnum patris nostri Dauid. Aderat enim tempus quo redempti per eius sanguinem mundi rex agnosceretur, non solum domus Dauid, sed & totius ecclesiæ, imò omnium conditor, & rector seculorum. Vnde recte angelus postquam dixit, *& dabit illi dominus sedem Dauid patris eius*, continuò subiunxit, *& regnabit in domo Iacob in æternum.* Domū namque Iacob ecclesiam dicit vniuersam, quę per fidem, & confessionem Christi ad patriarcharum pertinet sortem, siue in ijs, qui de patriarcharum stirpe carnis originem duxerunt, seu in illis, qui de alijs nationibus carnaliter editi spirituali lauacro sunt in Christo renati. In qua videlicet domo regnabit in æternum, & regni eius nō erit finis. Regnat quippe in ea in præsenti vita, cum electorū corda per fidem, & dilectionem suam inhabitans regit, atque ad percipienda supernæ retributionis dona continua protectione gubernat. Regnat in futuro, cùm eosdem finito statu temporalis exilij ad habitationem patriæ cælestis introducit: in qua præsenti eius visione semper admoniti nihil aliud agere, quā in eius vacare laudibus gaudent. *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quomodo*, inquit, fieri potest B.Maria vo-
vt concipiam, pariamque filium, quæ in castimo- tum virginita-
nia virginitatis vitam cōsummare disposui? Non tis.
autem quasi incredula verbis angeli, quomodo hæc impleri valeāt inquirit, sed certa quia oportebat impleri, quod & tunc ab angelo audiebat,

B. Maria prima Deo munus virginitatis obtulit.

& prius à propheta dictum legerat, quo id ordine implendum ſit interrogat, quia videlicet propheta qui hoc futurum prædixit, quomodo fieri poſſet non dixit, ſed angelo dicendum reſeruauit. *Reſpondens ergo angelus dixit ei: Spirituſſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Superueniens in virginem ſpirituſſanctus duobus modis in ea diuinæ ſuæ potentiæ efficaciam oſtendit, quia & mentem illius adeo, quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, vt cæleſti digna eſſet partu, & in vtero illius ſanctum, ac venerabile redemptoris noſtri corpus ſola ſui operatione creauit, id eſt, nullo interueniente virili attactu carnem de carne virginis ſacroſanctam de intemerata formauit. Quem enim prius aperte ſpiritum ſanctum dixit, hunc ipſum denuo virtutem altiſſimi nominauit, iuxta hoc quod Dominus cum eiuſdem ſpiritus aduentum diſcipulis promitteret, ait: Et ego mitto promiſſum patris mei in vos, vos autem ſedete in ciuitate, quoad vſque induamini
Ioan. 14. virtute ex alto. Obumbrauit autem beatæ Dei genitrici virtus altiſſimi, quia ſpirituſſanctus cor illius cum impleuit, ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis temperauit, emundauit à deſiderijs temporalibus, ac donis cæleſtibus mentem ſimul illius conſecrauit & corpus. *Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*, quia quod de ſanctificatione ſpiritus concipies, ſanctum erit, quod gignitur. Congruit conceptioni natiuitas, vt quæ contra humanæ conditionis morem virgo concipis, ſupra humanæ conſuetudinis mo-
Pſal. 50. Ioan. 3. dum Dei filium generes. Omnes quippe homines in iniquitate concipimur, & in delictis naſcimur: quotquot autem donante Deo ad vitam præordinati ſumus æternam, ex aqua, & ſpiritu ſancto renaſcimur. Solus vero redemptor noſter pro nobis incarnari dignatus, mox ſanctus natus eſt, quia ſine iniquitate conceptus eſt. Poſſumus ſane in eo quod dicitur, *& virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, altius quiddam de ſacramento Dominicæ incarnationis intelligere. Obumbrari enim nobis dicimus cum feruente meridiano ſole, vel arborem mediam, vel aliud quodlibet vmbraculi genus inter nos & ſolem opponimus, quo ardorem eius vel lucem nobis tolerabiliorem reddamus. Redemptor ergo noſter non immerito ſolis luce, vel ardore deſignatur, qui nos veritatis ſcientia illuſtrat, & amore inflammat. Vnde ipſe per prophetam dicit: Vobis autem timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ. Cuius ſcilicet ſolis radios beata virgo ſuſcepit, quando Dominum
Mala. 4. concepit. Sed idem ſol, id eſt, diuinitas redemptoris noſtri tegumine ſe humanæ naturæ quaſi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante virginis eum viſcera ferre ſufficerent: Sicque virtus altiſſimi obumbrauit ei, dum diuina Chriſti potentia & eam præſentialiter impleuit, & vt capi ab illa poſſet ſubſtantia ſe noſtræ fragilitatis obnubilauit. *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua*: Non quaſi incredulam exemplis hortatur ad fidem, vt bene iam credenti quæ audierat, ampliora ſupernæ diſpenſationis miracula replicat, vt quæ Dominum virgo erat paritura, præcurſorem quoque Domini de anu, ac diu ſterili parēte cognoſceret eſſe naſciturum. Nec mirandum iuxta hiſtoriam, quòd Elizabeth cognata dicatur Mariæ, cum ſuperius hæc de domo Dauid, illa de filiabus Aaron orta eſſe narratur. Legimus namque quòd ipſe Aaron de tribu Iuda, de qua Dauid ortus eſt, vxorem acceperit, videlicet Elizabeth filiam Aminadab, ſororem
Exod. 6. Naaſon, qui fuit dux tribus Iuda, in deſerto cum egrederentur ex Ægypto. Rurſusque regnanti-
4. Reg. 11. bus Dauid poſteris legimus, quòd Ioiada pōtifex maximus vxorem habuerit de tribu regali, hoc eſt Ioſabeth filiam regis Ioram. Ipſe eſt Ioiada, cuius filium Zachariam virum æque ſanctiſſimū lapidauerunt inter templum & altare, ſicut etiam ipſe Dominus beatorum martyrum mentionem
2. Para. 24. Matth. 23. faciens in euangelio teſtatur. Vnde tribus vtraque hoc eſt, regia, & ſacerdotalis, cognatione ſemper ad inuicem probatur eſſe coniuncta. Potuit autem huiuſmodi coniunctio etiam recentiori tempore fieri, datis nuptum fœminis de tribu in tribum, vt manifeſte beatam Dei genitricem, quæ de tribu regia deſcendit, cum tribu ſacerdotali cognationem generis habuiſſe conſtaret, quod miniſterijs cæleſtibus aptiſſime congruit. Oportebat namque vt apparens in mundo mediator Dei, & hominum de vtraque tribu carnis originem haberet, quia nimirum ipſe in humanitate aſſumpta vtramque habiturus erat perſonam, ſacerdotis ſcilicet & regis. Siquidem de regia eius poteſtate, qua electis ſuis regnum perenne tribuit, & præſens ſancti euangelij lectio teſtatur, quia regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis. Porro de pontificali eius dignitatē, in qua pro noſtra redēptione hoſtiam ſuę carnis offerre dignatus eſt, teſtatur Propheta, qui ait: Tu es ſacerdos in æternum ſecun- Pſal. 109.
dum ordinem Melchiſedech. Accepta autem tāta gratia, videamus beata Maria in quanta humilitatis arce perſiſtat. *Ecce*, inquit, *ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Magnam quippe humilitatis conſtantiam tenet, quæ ſe ancillam ſui conditoris, dum mater eligitur, appellat. Beata in mulieribus angelico oraculo prædicatur, incognita adhuc cęteris mortalibus arcana noſtrę redemptionis edocetur: nec ſe tamen de ſingularitate meriti excellentioris ſingulariter extollit, ſed potius ſuę conditionis, ac diuinę dignationis in omnibus memor, famularum ſe Chriſti conſortio humiliter adiungit, famulatū Chriſto deuota, quod iubetur, impendit. *Fiat*, inquit, *mihi ſecundum verbum tuum*, fiat vt ſpirituſſanctus adueniens me cęleſtibus dignam myſterijs reddat, fiat vt in meo vtero filius Dei humanę ſubſtantię habitum induat, atque ad redemptionem mundi tanquam ſponſus ſuo procedat de thalamo. Cuius vocem, mentemque nos, fratres chariſſimi, Pſal. 18.
pro modulo noſtro ſequentes famulos eſſe nos Chriſti in cūctis actibus noſtris, motibúſque recolamus, eius ſemper obſequijs omnia corporis noſtri membra mancipemus, ad eius implendam voluntatem totum mentis noſtræ dirigamus intuitum, ſicque pro perceptis eius muneribus, gratias recte viuendo reddamus, vt ad maiora percipienda digni exiſtere mereamur. Precemur ſeduli cum beata Dei genitrice, vt fiat nobis ſecundum verbum eius, illud videlicet verbum, quo rationem ſuæ incarnationis ipſe exponens dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, vt vnigeni- Ioan. 3.
tum filium ſuum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Nec

Nec dubitandum, quin nos de profundis ad se clamantes [illegible] exaudire dignabitur, propter quos [illegible] cognoscentes ipse ad profundam hanc vallem lachrymarum descendere dignatus est Iesus Christus Dominus noster, qui viuit, & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberst. superioris Euang. expositio.*

M[illegible] *angelus Gabriel à Deo, &c.* In mense [illegible] missus est Gabriel. Mense sex[illegible] intellige, cuius vicesimoquinto die [illegible] ceptus, traditus, passus est, quod est [illegible] Kalendarum Aprilium. Mensis sextus ap[illegible] tertius à conceptione B. Ioannis, quæ [illegible] Kalendarum Octobrium facta. Ab [illegible] que ad Martium cum ipso Martio & [illegible] sex menses. Raphael interpretatur [illegible] Dei, qui & Tobiam à cæcitate liberauit, [illegible] à vxore filij eius compescuit. Gabriel [illegible] Dei, qui illum nunciauit in carne [illegible] qui ad debellandas aëreas potestates [illegible] mundum, dominum videlicet Iesum [illegible] qui fortis est, iuxta quod Psal. dicit: [illegible] fortis & potens, dominus potens in [illegible]. Et superauit diabolum mortuus secúdum [illegible] anitatem, & destruxit eius imperium. *Et in[illegible] angelus ad eam dixit: Aue gratia plena.* Aue, id est salua sis. Salutationis verbum est. Gratia plena. [illegible] dicitur gratis data. Gratia Dei fuit plena B. Maria. Nulli enim homini ex matre & fœmina [illegible] peccato tanta gratia collata est, quanta illi quæ [illegible] rem suum meruit generare à quo creata est. [illegible] minc viri concipit virgo, & virgo peperit, & virgo in æternum permansit. *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, id est inter alias mulieres, benedicta sis sicut fuit Sara, Rebecca, Hester, Iudic. [illegible] amplius benedicta. *Et dabit illi dominus sedem [illegible] patris sui*, id est regnum. Ille regnauit temporaliter, id est Dauid in populo Israelitico, dominus regnabit spiritualiter in cordibus fidelium [illegible] rum per fidem, qui eum voluerunt credere de plebe Israelitica. Illius regnum habuit finem, quia [illegible] quadraginta annis regnauit, & ante mortẽ suam regnum Salomoni tradidit. Domini regnum perpetuum est, iuxta quod in subsequentibus dicitur: *Et regnabit in domo Iacob, &c.* Per Iacob intelliguntur Apost. & cæteri credẽtes, qui de populo Israelitico venerunt. Vel per Iacob intelligitur Ecclesia, tam ex Iudæis, quam ex Gentibus congregata, quæ supplantauit vitia & diabolum, sicut Iacob supplantauit suum fratrem in vtero. In qua ecclesia dominus regnat per fidem & dilectionem, & regnabit in æternum: quum eam ad suæ visionis contemplationem perducet in futuro. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, viri coitum. B. Maria legerat Esa. Prophetam 7. dicentem: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Dixit hoc B. Esa. quia virgo esset conceptura Deum & paritura, tamen non exposuit qualiter illa conceptio esset futura, adeo studuit B. Maria ab angelo inquirere qualiter illa conceptio veniret. *Cui dixit angelus: Spiritus sanctus superueniet in te.* Quasi diceret: Non accipies exterius vnde concipies sed spiritus sanctus [illegible] superueniet in te, id est opere & ministerio spiritus sancti concipies. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi:* Hoc appellat virtutem altissimi quod spiritum sanctum. Habes in [illegible] dicente domino ad discipulos: Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto, id est spiritu sancto. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*, id est vmbram tibi faciet. Qui calorem habet, vmbra est illi necessaria, vt refrigerium habeat temporo æstatis à calore. Adueniens spiritus sanctus vmbrá fecit Mariæ, quia omnem calorem concupiscentiæ carnalis ab illa abstulit. Primum mundauit eam ab omni peccato, deinde omnẽ statum concupiscentiæ, quam habent virgines, abstulit, vt postmodum nullam passionem quam habent virgines inde haberet. Ita concepit mundata filium. *Ideo quod nascetur ex te*, corpus scilicet, *sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* B. Maria nó fuit incredula verbis angeli, quòd possumus comprobare ex verbis Elizabeth, quibus dixit illi: Et beata es quæ credidisti, quoniam perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à domino. Et quare dedit ei angelus signum de Elizabeth? Vt intelligeret B. Maria, quia non erat impossibile Deo omne opus. Ac si diceret illi: Certe impossibile non est apud Deum vt tibi faciat sicut Elizabeth. Quæ quum esset vetula, habere filium fecit, ita non impossibile apud illum, vt virginem faciat concipere sine semine viri, & ipsam virginem in partu & post partum virginem permanere. Omnia sunt ei possibilia, sicut istud, ita & illud. *Cognata tua.* Quare dicitur Elizabeth cognata, id est propinqua B. Mariæ, quum B. Maria fuit de tribu Iuda, & Elizabeth de tribu Leui? Sciendum est, quia vt legitur in Exodo, quia Aminadab dux tribus Iudæ in deserto accepit Elizabeth vxorem Aaron. Ecce vna coniunctio tribus Iudæ & Leui. Veniamus ad lib. Regum vbi legitur quòd Ioiadas sacerdos accepit filiam Ioram regis Iudæ. Ecce altera coniũctio. Potuit etiam fieri vt recentiori tempore fieret coniunctio in tribu Iuda & Beniamin, vnde & B. Maria & Elizabeth descenderunt. Recte nanque dominus de regia & sacerdotali stirpe dicitur descendisse, quia ipse & rex regum, & dominus dominantium est, & sacerdos cui dicitur: *Psal. 109.* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Et hic mensis sextus est illi*, id est Elizabeth, *qui vocatur sterilis, &c.* id est omne opus. *Et dixit Maria ad angelum: Ecce ancilla domini.* Dominus eligebat eam ad matrem, & illa quare appellat se ancillam? Vt illius Sapien. dictum obseruet, qui dicit: Quantò magnus es humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam. *Eccl. 3.* *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Ac si diceret: Vtinã accipiam de spiritu sancto, sicut tu dicis, vtinam veniat spiritus sanctus, & obumbret mihi, & pariam filium Dei. Superius dictum est: Ne timeas Maria, quare ergo extimuit? Quia non viderat antea sic visibiliter angelum, sicut tũc vidit. Mos est angelorum bonorum, vt quando apparent hominibus, exterreant eos, & statim consolationem adhibeant. Habemus inde testimonium in domini natiuitate, quando apparuit pastoribus, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere, consolatus est eos. *Luc. 2.* Similiter in domini resurrectione, quando apparuit mulieribus ad sepulchrum, & extimuerunt timore magno. Tunc dixit illis angelus: Noli te ti- *Marc. 16.*

mere vos,& consolationem statim adhibuit illis. E contrà spiritus maligni quando apparent hominibus, exterrent eos, & vt ampliùs timeant, laborare non desistunt. *Et ingressus angelus ad eam dixit.* Forsitan aut legebat, aut operabatur: non inuenit eam per plateas vagantem, sicut vagæ & garrulæ virgines faciunt. Antiquitus apud Iudæos sub magna custodia patris & matris tenebantur, vsquequo traderentur maritis. Hæc Deo obtulerat virginitatem suam, ideo filium Dei gignere meruit Deum & hominem, vnde Dei genitrix appellatur.

INCERTI AVTHORIS,
sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioris Euang. expositio.

MIssus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatē Galilææ. Missus est, inquit, angelus Gabriel, qui Dei fortitudo interpretatur, vt Dei virtutem, & Dei sapientiam carnem suscipere nunciaret. Sed vbi missus est? In Nazareth ciuitatem Galilææ. Ad quam? Ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, de familia regali, de stirpe nobili, & præ cæteris religiosa. Vbi enim castitatis & munditiæ mater, nisi in Nazareth habitare debuerat, quæ flos vel munditia interpretatur? *Et nomen virginis Maria.* Dicitur enim Maria stella maris, huius vtique maris, de quo scriptum

Psal.103. est: Hoc mare magnum & spaciosum, illic reptilia quorum non est numerus. Plures stellas habet cælum, mare vnam, quæ præ illis omnibus clarior & melior est. De hac enim vna ortus est sol iusti-

Ioan.8. tiæ, cuius fulgore omnia illustrantur. Quem, qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Cuius igitur fulgoris illam stellam esse putamus, quæ hunc tantum taléınque solem pepererit mundo? *Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena dominus tecum, &c.* Non enim in plateis erat, nō in publico morabatur, intus erat, in penetralibus sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitus circumscripta. *Aue*, inquit angelus, *gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Non fuit sufficiens aue dixisse, addidit *dominus tecum*, & deinde eam benedixit, quasi tribus vicibus sub vna voce eam salutans. Qua in re diligens obsequium, charitatis affectus & reuerentia declarantur. Sed quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratiæ dantur. Hæc autem gratia plena dicitur. Cōsidera modo quātæ ante eā, quātæq; posteà mulieres & virgines fuerūt, hæc tamē sola mater domini fieri meruit. Magna enim & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur. Quæ cùm gratia plena sit, priusquam & concipiat, post conceptionem, quanta Dei abundauit gratia quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ præuaricationis maledictione tenebantur, ex quo primæ mulieri à Deo dictum fuerat: Multiplicabo

Gen.3. ærumnas tuas, & in dolore paries filios. Hac enim lege non tenetur virgo Maria, quæ virgo concepit, virgo peperit, & sine dolore pariēs, virginitatis gloriam nō amisit. Merito igitur in mulieribus benedicitur, per quā mulieribus benedictio datur, & mūdus à maledictionibus liberatur. *Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, &c.* Turbata est, inquit, non in vultu eius, sed in sermone eius. Non enim angelum, sed verbum angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio sibi prætenderet, cogitabat. Hoc autem angelus sentiens ait: *Ne timeas Maria, &c.* Si vis audire quam gratiam: *Ecce concipies in vtero, &c.* Hæc causa illius salutationis, hoc missus sum nuntiare tibi. Abscedat timor, cesset cogitatio, esto secura, nulla solicitudine mouearis: Hæc enim verba non sunt timoris sed gaudij. *Paries enim filium.* Non vtique alium nisi omnium rerum creatorē & dominū. Creator tuus erit filius tuus, qui fecit te, nascetur ex te. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Hoc enim nomen quicunque inuocauerit, saluus erit. In hoc nomine omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorū. Philip.2. Ioan.16.

De hoc ipse dominus ait: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, hoc igitur in omnibus orationibus vti debemus. In hoc nomine non petit ille, qui contra Dei dispositionem & contra suam vel aliorum salutem, petit. Immo verò qui taliter petit, contra hoc nomen petere non dubium est. Sequitur. *Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur.* Ipse enim qui secundum se semper magnus est, tunc apud homines magnus factus est, quādo ab hominibus est cognitus, quem Petrus apostolus in persona totius ecclesiæ altissimi filium vocauit, dicens: Tu es filius Dei viui. Matth.16.

Et dabit illi Dominus Deus sedē Dauid patris eius, &c. Recipit enim Dominus à domino sedem Dauid, secundum hoc quod filius Dauid. Regnat autem non solum in domo Dauid, id est in tribu Iuda, verum & in domo Iacob, id est in toto populo Israël. Per quod intelligitur, quod in eius regni exercitu omnes illi connumerantur, quicunque Dauid & Iacob fidem & iustitiam imitantur. Hoc enim regnum æternum est. Huic imperium non deficiet: quia regnabit dominus in æternum & in seculum seculi. *Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Nō dubitat fieri quod Angelus fieri promittit. Interrogat tantùm quomodo fiat, quoniam quamuis virginem aliquando parituram audierat, quomodo tamen pareret, non audierat. Dicit enim Esaias: Ecce virgo concipiet & pariet Esai.11. filium, quomodo tamen pariet non dicit. Quia igitur virgo est, & virum non cognoscit, quomodo pariat, & virgo maneat, interrogat, quia nulli adhuc reuelatum erat. *Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Hic est modus pariendi: ita concipies, ita paries, iam nihil est quod te vlterius interrogare oporteat. Spiritus enim Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi quæ obumbrabit tibi & amplexabitur te, totámque intus & extra muniet te. Quod autem ait, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, Hoc exposuit dicens, *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hæc enim virtus communis est totius trinitatis. Tota enim trinitas vnus Deus, & ipse altissimus. Natus est igitur Christus de spiritu sancto & Maria virgine, id est virtute spiritus sancti, quæ vna communia est, patris & filij & spiritus sancti. Filius autem solius patris filius, & pater solius filij pater est. Hæc itaque virtus superueniens obumbrabit Mariam, & ex duabus naturis Christum dominum operata est. Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Quantum igitur ad humanitatem spectat, nō solum à patre & spiritu sancto, verum & à seipso factus & creatus est filius. Quantum verò ad diui-

nita

uitatem, nec factus, nec creatus est, sed à patre solùmodo genitus. *Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* Non solùm, inquit, in te virtutis suę miracula his temporibus operabitur Deus, verum & in Elizabeth cognata tua, quam tu & vetulam esse, & sterilem ab infantia fuisse optimè nosti. *Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis, &c.* Quid ad hæc increduli Iudęi dicerent? Negant virginem peperisse, neque Euangelio credere volunt. Elizabeth tamen iam anum & sterilem peperisse negare nō possunt. Vtrunque mirabile est, vtrunque contra naturam factum neutrum fieri posset, nisi ille mutasset naturam: cui nihil impossibile est. Multa enim contra naturam fecit Deus, quæ negare nō audet Iudęus. Virgam in serpentem, serpentem in virgam mutauit: aquas in sanguinem, & sanguinē in aquas conuertit: mare aperitur, manna pluit, asina loquitur, petra fundit aquas, & Iordanis cōuertitur retrorsum. Sed quid dicā de virga Aaron, quæ cum sicca esset, sub vna nocte & frondes & flores & fructus germinauit? Virga sicca nuces dare potuit, & virgo parere non potuit? Vbique Deus operatur quicquid vult, & in matre iā omnimodo amisit potestatem? *Dixit autem Maria. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Auditis rationibus acquieuit, & acquiescendo concepit. Ancilla, inquit, domini sum, non meæ, sed illius sum potestatis, fiat mihi secundum verbum tuum. *Et discessit Angelus ab ea.*

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangelij expositio.

IN *mense autem sexto missus est Angelus, &c.* Mensem sextum dicit à tempore, quo conceptus fuit Ioan. Dicit autē desponsatam virginem viro, qui erat de domo Dauid vt ostenderet & ipsam ex genere Dauid descendisse. Iuxta legem enim coniuges ex eodem genere, & eadem cognationis catena prognatos esse oportebat. Quia autem Heuę dictum erat à domino, vt in tristitiis pariat filios, soluit tristitiam illam in gaudium, quod Angelus virgini afferens dicit, *Gaude gratiosa.* Et quia maledicta fuit Heua, hæc dicitur benedicta. Considerabat autem de salutatione, qualisnam esset, num absurda, & procatrix, ac qualis viri ad puellam, an diuina: quia & Dei mētio inter salutandum facta, quum diceretur. *Dominus tecum.* Primum autem timorem cordis sui repellit, & quasi in quiete cōstituta diuinum responsum accepit. Neque enim fieri potest, vt turbata fuerit, quæ tam diligenter audiuit, quæ euentura. Porrò id quod suprà dixi, gratiosa, quia interpretans dicit, inuenisti enim gratiam coram Domino. Hoc enim est gratiosam esse, vel plenam gratia, quòd inuenerit gratiam apud Deum, hoc est placuerit Deo. Verùm hoc commune habet cum multis. Multæ enim & aliæ inuenerunt gratiam coram Deo, non autem id quod infertur *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Ecce concipies, hoc singulare, quod nulli alteri concessum. In vtero autem dixit, vt ostendat dominum ex ipsius virginis vtero incarnatum substantialiter. Bene autem dictus est Iesus, quia ob salutem nostri generis venit. Nomē enim hoc in Gręcam linguam cōuersum, dicitur salus. Iesus igitur σωτὴρ est, hoc est saluator, quia & iesus salus dicitur. Erit autem, inquit, magnus, & filius altissimi vocabitur. Magnus quidem fuit & Ioannes, sed non ad hoc, altissimi filius. Iesus vero magnus quidem, eo quòd docuit, filius autem altissimi, & propter istuc ipsum: docebat enim sicut authoritatem habens, & propter mirabilium miraculorū operationem. Vocatur autem filius altissimi, qui apparebat homo. Nam, quia vna fuit hypostasis, reuera filius altissimi fuit filius virginis. Et fuit quidem ante secula filius altissimi verbum, sed non vocabatur, neque cognoscebatur: postquam autem incarnatum est, & apparuit in carne, tunc & vocatum est filius altissimi, qui apparebat, & miracula faciebat. Audiens vero thronum, vel sedē Dauid, ne putes sensibile quoddā regnum. sed diuinum, quo regnauit super omnes gentes per prædicationē. Domus enim Iacob sunt ij, qui ex Hebręis crediderunt, atque etiam qui ex aliis gētibus. Illi enim propriè Iacob, & Israel. Et quomodo dicitur sedere super sedē Dauid? audi. Dauid paruus erat inter fratres suos, & dominus quoque contemptus, & taxatus vt edax, & vini potor, & fabri filius, & à fratribus suis filius Ioseph despiciebatur. Neq; enim fratres eius, inquit, credebant in eum. Ille, quum benefaceret, persequutionem patiebatur: & dominus quoque miracula faciens accusabatur, & lapidabatur. Ille per mansuetudinem vicit, & regnauit, & Dominus per mansuetudinem, suscepta cruce, regnauit. Vides quomodo dicatur sedere super sedem Dauid? Nā, sicut Dauid sensibile regnum suscepit, ita & dominus spirituale. *Cuius regni non erit finis.* Non enim finis regni Christi, hoc est, agnitionis Dei, & Christianismi. Nam & quum persequutionem patimur, gratia Christi floremus. *Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit istud, &c.* Non quasi discredens virgo dixit; *Quomodo erit mihi istud?* sed vt prudens, & intelligens, vt discat, modum inquirit. Non enim prius tale quiddam factum est, neque posthac fiet. Ideo & ignoscit ei angelus, & non cōdemnat vt Zachariam, sed magis modum docet. Nam Zacharias merito condemnatur. Habuit enim exempla multa, quandoquidem & multæ steriles fuerunt: virgini autem nullū exemplū erat. *Spiritus,* itaque, dicit, *sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi,* fœcundū reddens vterum tuū, & condēs carnē consubstantiali verbo. Virtus vero altissimi, filius est Dei. Christus enim Dei virtus est. *Obumbrabit tibi,* hoc est, conteget te, hoc est vndique te circundabit. Sicut auis obumbrat pullos suos, ita & diuina virtus totam virginem apprehendit, & hoc est obumbrare. Alius autem quispiam fortassis dicet, quòd sicut pictor primùm delineat, & vmbras inducit, & deinde perfectum colorem addit: ita & dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans, primū delineauit illam in vtero virginis, compacta ex sanguinibus sempervirginis carne, quam deinde paulatim figurauit, sed hoc dubium. Sunt enim qui dicūt, quòd vbi Dominus obumbrauit vterum virginis, statim perfectus fuerit infans. Alij autem hoc non recipiūt. Audi enim quid dicat. *Ideo & quod nascetur sanctum,* hoc est, quod particulatim in vtero crescit, & non statim perfectum existit. Confundatur autem & hoc loco Nestorius. Ille enim dicit, quòd non fuerit filius Dei in vtero virginis quiescens, sed nudus homo è virgine fuerit natus, postéque

Marginal notes: *Num. 3* (beside "iuges ex eodem genere"); *Gene. 3.* (beside "dictum erat à domino"); *Esa. 6. Matth. 4.* (beside "&c. Ecce concipies"); *1. Reg. 16* (beside "debant in eum"); *Statim corpus Christi in vtero virginis fuit perfecte compactum.* (beside "minus obumbrauit vterum virginis")

qui habeteis Deum factum sibi comitem. Audiat ... quod ... quod nascebatur in vtero ... Et nō alius quidem fictus est vterum, alius autem filius Dei, sed vnus. & idem fuit filius virginis, & filius Dei. Vide item quomodo sanctam trinitatem declarauit, dicens spiritum sanctum virtutem filium, altissimum patrem. *Atque ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, &c.* Dubitauerit fortasse quispiam, quomodo Elizabeth cognata fuerit Mariæ. Virgo enim ipsa ex tribu Iuda fuit, Elizabeth autem de filiabus Aaron. Nam lex præcipit coniuges ex eadem tribu esse: & ita cognationes ex vna tribu erant. Dicendum igitur, quod à captiuitate confusa sunt genera. Et melius ita dicitur. Aaron vxorem duxit Elixabeth, quæ filia fuit Aminadab: qui fuit ex tribu Iuda. Videa quòd ab initio & ab Aaron cognata fuit Elizabeth Dei genitrix? Quia enim vxor Aaron ex Iuda descendit, è qua tribu fuit Dei genitrix, & Elixabeth fuit ex filiabus Aaron, merito Dei genitrix cognata dicitur Elizabeth: quam proaua eius, hoc est, vxor Aaron, fuit ex tribu Iuda. Considera autem & cognationis consequentiam. Sed videamus quid dicat virgo; *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tabula sum picturia, pingat pictor, quod voluerit, faciat Deus quod voluerit. Atque ita etiam quod prius dixerat, Quomodo erit hoc, non fuit incredulitatis, sed desiderij addiscendi morem. Nā, si discredidisset, neutiquam dixisset; *Ecce ancilla domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Disce autem, quod Gabriel, si quis interpretatur, idem est, quod homo Dei. Maria vero, Domina, Nazareth autē sanctificatio. Merito igitur, quum nasci voluit Deus homo, missus est Gabriel angelus, hoc est homo Dei. Sed in sancto loco fit salutatio, hoc est in Nazareth. Vbi enim Deus, ibi nihil impurum, nihil non sanctum.

EVTHYMII ZIGABONI

Superioris Euang. expositio.

Sexto autem mense missus est, &c. Sexto mense, postquam prægnans effecta fuerat Elizabeth, quum eius vterus intumesceret. Desponsata autem erat virgo, vt diabolum lateret Christi natiuitas. Audierat enim prophetas annunciasse, quod esset è virgine nasciturus: ideoque virgines obseruabat ... quam in vtero gestare videret, circa hanc fraudulentiæ suæ laqueos apponeret. Placuit itaque Deo, vt virgo, quæ in habitaculum suum segreganda erat, viro desponsata esset: vt, hac relicta, vnde sponsatas improbus ille obseruaret. Quod vero additur, *De domo Dauid*, intelligitur & de virgine, & de Ioseph. Nam & hæc & ille è genere Dauid descendebant. *Et ingressus angelus ad eam dixit: Gaude gratiosa, &c.* Gaudium hoc, Euæ soluit maledictionem. Illa siquidem iussa est habere merorem. (Nam id proprie significat ... vocabulum, quod Geneseos tertio capite in ærumnas, & dolorem vertitur) hæc autem gaudium, quod merorem ... est. *Gaude*, inquit; vt pote inter omnes virgines in Dei matrem electa. Gratiosam vero nominauit illam, tanquam videlicet gratia supernaturali dignam. *Dominus tecum*, hoc est, Deus in te est. *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc est, laudata, beata. *Illa vero, quum vidisset, &c.*

timuit ne forte dolosus esset. *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Verum diuina ... Salutationem autem dicit, compellatione ... *Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, &c.* Beneuolentiam, familiaritatem. *Ecce concipies in vtero, &c.* Magnus, propter magnitudinem operum ac sermonum suorum. *Et filius altissimi vocabitur.* Erat quidem filius altissimi: ita autem postea etiam vocatus est ab ijs, qui in ipsum crediderunt. *Et dabit illi dominus Deus thronum, &c.* Thronum, siue regnum, & potestatem super Hebræos. *Et regnabit super domum Iacob, &c.* Populus Dei quandoque Israel vocatur, interdum vero Iacob. Vnus enim, idémque homo & Israel, & Iacob erat. Et natura quidem Iacob vetus erat populus, vtpote à Iacob per sanguinis cognationem descendens: adoptione vero, Israel nouus erat populus: Nam pro veteri inductus est nouus populus. Super hūc itaque nouum populum regnabit in æternum, id est, semper, qui videlicet ex operibus, ac sermonibus ipsum agnouit, seseque illi voluntarie subdidit. Christus siquidem & inquantum Deus, rex erat, Regnum, inquit, meum non est ex hoc mundo: *Ioan. 19.* & inquantum homo; habebat enim regis opera: puta subditis leges condere, dirigere, excolere, ac pro eis morti sese exponere: Nā hæc potissimum eum, qui rex est, insigniunt. *Dixit autem Maria ad angelum, &c. Quomodo erit hoc*, vt videlicet concipiam in vtero, & pariam filium? Et hæc itaque nō credidit sicut Zacharias, non tamen incredulitatis admonita est per pœnam: ille siquidem multa habuit exempla susceptionis liberorum, Saram, Rebeccam, Rachel, Annam, virgo autem nullum. Nulla enim virgo ad id vsque tempus sine viro conceperat, & pepererat. *Et respondens, angelus dixit illi, &c.* Qui ineffabiliter operabitur & conceptum sine viro, & partum supernaturalem. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Idem quoque indicat hic sermo, Virtus Dei proteget te: potentem faciet te ad huius rei operationem. *Ideo & , quod nascitur, sanctum, vocabitur filius Dei.* Ideo quoque sanctus infans, inquit, qui ex te nascitur, vocabitur à fidelibus filius Dei, propter diuina opera vnitæ sibi diuinitatis. Quidam autem vbi legerint; *Quod nascitur*, faciunt ibi subdistinctionem, dicentes quòd, quia spiritus sanctus superueniet, & virtute altissimi obumbrabit, ideo, quod nascitur, erit sanctum, siue diuinum: deinde quod sequitur absolute legunt. *Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* Vt certiorem eam reddat, exemplum Elizabeth illi proponit, docens, quòd, qui venitt sterilis fructu carenti dedit fructum, ipse quoque in te faciet, quod per me tibi loquutus est. *Omne enim verbum*, id est, quicquid dicit, quicquid annuntiat, vel quicquid aliquis dicit: Sed quomodo erat Elizabeth cognata Mariæ? Illa quidem ex Leuitica, siue sacerdotali tribu descenderat, hæc autem de Iudaica, siue regia. Variæ fuerunt harum duarum tribuum cognationes: quum enim Aaron primum, & postmodum Ioiada, qui ambo summi sacerdotes erant, vxores è regia tribu duxerint, *Exod. 6.* & post hos alij, consequutum est, vt ex tali permixtione hæ duæ essent inter se cognatæ. *2. Par. 22.* Quia enim in diuinis rebus primas ferebat sacerdotale genus, in humanis vero regale: merito commixta sunt, vt & sacerdos regalis esset, & rex esset sacerdotalis. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, &c.* Nā non solum credidit, sed etiam optabat,

Petiuit, id est, omne fieri liber, vel omne ... per ... Hebræorum.

bat, vt sibi contingeret sicut dixerat angelus. *Et discessit ab ea angelus.* Simulac iam per verbum suum conceperat.

GVERRICI ABBATIS
Igniacensis, in eadem Solennitate, Sermo 1.

OPportunè nobis in his diebus quadragesimalis obseruantiæ, solennitas interuenit Dominicæ annunciationis, vt qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali: & quos humiliauit pœnitentiæ luctus, annunciatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur.
Ioan. 1. Prou. 12. Sic quippe scriptum habes: Mæror in corde viri humiliabit eum: & sermone bono lætificabitur. Prorsus sermo bonus, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, euangelium nostræ salutis, quod angelus missus à Deo, hodierna die Mariæ euangelizauit, ac lætum de incarnatione verbi dies diei, angelus virgini verbum eructauit. Sermo ille dum filium promittit virgini, veniā pollicetur reis, redemptionē captiuis, adapertionem clausis vitamque sepultis. Sermo ille dum filij regnum prædicat, iustorum quoque gloriā annunciat: terret inferos, lætificat cælos, & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam nouitate gaudiorum perfectionem hausisse videtur angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua? quem non consoletur verbum illud
Psal. 118. in humilitate sua? Memor esto, inquit, Dauid, verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc enim me consolata est in humilitate mea. Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis. Si ergo Dauid sola spe salutis huius quæ nobis seruabatur, animum pascebat, quod gaudium, quæ deliciæ rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O fœlicitas temporum istorum. An non fœlicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infœlicitas temporum in quibus tāta ingratitudo redemptorū? Ecce enim venit ple-
Galat. 4. nitudo temporis, in quo mittit Deus filiū suum, vt fiat filius hominis, hominúmq; saluator, & ecce magnitudo temporis, vt saluatorē suum fastidiat homo peccator. Annunciatur salus perditis, & cōtemnunt, promittitur vita desperatis, & negligunt, venit Deus ad homines & nō assurgunt. Assurgit, qui aliqua deuotione se erigit, vt det gloriā gratię Dei: assurgit qui saltem cum gaudio suscipit verbum proprię salutis. Scio autē, scio, quis est qui lætificatur illo sermone bono? Ille proculdubio quē prius humiliauit, pius męror in corde suo, męror de perigrinatione & exilio, męror de vinculis mortis & periculis inferni, qui mærens quotidie plāgit quod præoccupauerint eū laquei mortis: & pericula inferni inuenerūt. Huic nimirum iucundus aduenit hodiernus ille nuncius de cælo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei filio, huic inquam lugenti & męrenti quòd tantis sit malis præuentus & circumuentus, non sine gaudio liberator annunciatur: qui oleum gaudij daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, qui videlicet finem dabit miseriis, sed si-
Matth. 5. ne fine beatitudinem dabit miseris: Beati ergo qui lugent quoniam ipsi consolabuntur, beati quos humiliauit pius mæror in corde suo, quoniam lętificabuntur sermone bono. Bonus planè sermo & consolatorius omnipotens sermo tuus domine, qui hodie à regalibus sedibus venit in vterum virginis, vbi etiam sedem regalem extruxit, in qua cùm etiā nunc sedeat, qua si rex circunstante exercitu angelorum in cælis, est tamen mærentium consolator in terris. Regali siquidem ex progenie virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: vt æterno regi filio regis, materna quoque nobilitas, regium honorem defenderet, & venientem à regali sede patris, regalis etiam thronus in aula virginali reginæ susciperet matris. In ipsa quippe & ex ipsa sapientia ædificauit sibi domum & in ipsa parauit sibi thronū: cum in ea & ex ea corpus aptauit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum: Vide autem ne fortè ipsa sit sedes Dauid patris eius, quam ei dandam promittit angelus, non quod Dauid in ea sederit: sed quod ex semine Dauid assumpta & fabricata sit. Et certè si sedes Dauid non est, ta- Psal. 44.
men sedes tua Deus in seculum seculi ipsa est. Si solium Dauid non est, certè solium excelsum & eleuatum super omnem creaturam ipsa est. Siquis autem etiam thronum illum grandem, quem rex Salomon sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretetur quod pacificus noster hodie sumpsit ex virgine, non multum à vero videbitur abhorrere, quandoquidem & illud quod sequitur, & vestiuit eum auro fuluo nimis, eidem satis corpori congruit: quod iam dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. Vestiuit, inquit, eum, auro fuluo nimis. Prorsus si interroges oculos Apostolorum Matth. 17.
qui transfiguratum in monte viderunt, confitebuntur aurum nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse nimium quem ferre nequiuerunt, quamuis nimis pro valde ponere consuetudinis sit scripturarum. Cætera namque quæ prosequitur scriptura de illius throni magnificentia, accōmodatius, nisi fallor, si quis tractare voluerit accipiētur de corpore Christi, quod est ecclesia. Mihi sanè magis mirari modo libet illud tam preciosum, immò impreciabile virginalis castimonię ebur, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubin: hæc inquiens, requies mea in seculum seculi, hic sedebo quoniā elegi eam. Quàm Psal. 131.
nitidum ebur illud, quod oculis tanti, támque diuitis regis placuit, in cuius diebus, argentum nullius est precij: quàm frigidum quod nec in conceptu incaluit: quam solidum, quod nec partus violauit: quàm candidum simul & rubicūdum, quod candor lucis æternæ ignísque spiritus sancti, vniuersa sui plenitudine repleuit. Maria siquidem, & ipsa candidior niue, rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem, & castitas candorem, & charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam Luc. 2.
& suam ipsius animam pertransibit gladius, vt mater summi virginis & martyris, esset & virgo ipsa & martyr, candida & rubicunda: quemadmodum dilectus eius candidus, & rubicundus. Denique sicut Salomon in omnibus thesauris suis, & opibus tantis nihil habuit tam preciosum quod in opus illud magnificum thronum, scilicet glorię

suæ

ſuæ iudicaret ebori præferẽdum? ſic Maria ſingularem præ omnibus electis angelorum & hominum inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet & pareret filium, atque ex ebore corporis eius thronum ſibi virtus altiſſimi, ſine manibus excinderet glorioſum. Glorioſus prorſus ille thronus ac mirabilis de quo ſcriptura perhibet, quia non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, quod facile teſtimoniis probaretur angelorum, qui ſemper & inſatiabiliter in gloriam & decorem dominici corporis proſpicere cõcupiſcunt. Quia enim in vniuerſis regnis non eſt tale opus factum, quicquid factũ eſt flectat ei genu in omnibus regnis, cæleſtiũ terreſtrium, & infernorum. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea ſumpta eſt redemptionis, precium animarum, miraculum angelorum, ſolium ſummę maieſtatis, thronúsque poteſtatis, cibus vitæ immortalis, medecina peccati, reſtitutio ſanitatis. Quotquot, inquit, tangebant eum ſanabantur à languoribus ſuis, nam virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Beatus igitur venter qui te domine

Luc. 11. Ieſu portauit, fœlix caſtitas vteri virginalis quæ huic operi materiam miniſtrauit. Fœlix prorſus fratres mei nitor illius eboris, id eſt candor caſtitatis, cui nec aurum mundanæ ſapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ, noſtri præfecti electio Salomonis, ſi multo tamen caſtitas humilitate commendetur,

Luc. 1. qua humilitatem ancillæ ſuæ reſpexit dominus. Proinde nanque Salomon cum in carmine amoris caſtitatem prædicaret virginis, ſeu ſponſæ, videlicet ſeu ſponſi, quia quorum ſpiritus vnus & caro vna, in pleriſque etiam laus vna, vt caſtitatem illius adornatam noſtrámque adornandam etiam

Cant. 5. aliis virtutibus doceret, ait: Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphyris. Vt autem noueris, quia caſtitas aliarum virtutum, ſeu gratiarum ſit receptaculum apothecæ aromaticæ, ſeu vnguentarię noſtri Salomonis non niſi domus eburneæ ſunt, ſicut Dauid in illo epithalamio cecinit, quod inſcriptio tituli canticum pro dilecto, de ſponſo eccle-

Pſal. 44. ſiæ accipiendum oſtendit. Myrrha, inquit, & gutta & caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delect. te fi. reg. in ho. tuo. Corpora ſiquidem eburnea ſanctorũ Chriſti ſunt, veſtimentum Chriſti ſunt, membra Chriſti ſunt, templum ſpiritus ſancti ſunt. Ab his veſtimentis Chriſti, ab his domibus eburneis ſpirat, & omnis fragrantia virtutum, & chariſmatum, ex quibus delectant, & honorant regem regum filię apoſtolorum & prophetarũ. Probaſtis & ipſi fratres mei, ex quo cœ-

1. Theſ. 4. piſtis poſſidere vnuſquiſque vas ſuum in ſanctificatione, & honore, non paſſione deſiderij ſicut & gentes quæ ignorant Deum, quid vnguentorum, quid odoramẽtorum diuina largitate ſit infuſum, quomodo corpus quod erat ſentina ſordidum nunc ſpiritus ſancti ſit venerabile ſacrarium, & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam ſit apotheca gratiarum. Myrrha, inquit, & gutta &

Pſal. 44. caſſia à veſti. tu. a domi. ebur. Inhabitamus quidẽ domos luteas, ſed quæ materiæ qualitate ſunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ: ex quibus ſi myrrha prima ſpirare cœperit, per mortificationem voluptatum conſequentur & aliæ ſpecies aromaticæ quæ multiformem virtutum gratiam ſpirabunt. Spirabunt autem Chriſto delectabiliter tanquam de veſtimentis ſuis, ſpirabunt etiam lõgè latéque proximis, tanquã bonus odor Chriſti in omni loco. Horum veſtimentorum Chriſti fragrantiã ſtatim vt ſenſit Iſaac: Ecce, inquit odor Gen. 27. filij mei ſicut odor agri cui benedixit dominus. Sed & ſponſus ad ſponſam quæ etiam corpus & veſtimentum ipſius eſt, loquitur dicens. Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Quem Can. 4. nimirum odorem thuris ſponſo gratiſſimum pietas o fratres veſtrorum ſpirabit cordium, ſi ita fragrans & deuota fuerit, vt dirigatur oratio veſtra ſicut incenſum in conſpectu altiſſimi, & aſcendat coram eo ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus veſtris, fragrat vtique & mihi, vtinam ita & thus fragret de cordibus veſtris, quatenus ſponſos probans vos ſicut caſtos, ſic etiam deuotos, frequentius vos ſua viſitatione dignetur & dicat. Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Videtur tamen ſermo iſte prophetia huius eſſe diei, per Salomoné olim prædicta, per Ieſum hodie impleta. Hodie nãque venit in illum montem altiſſimum montium, montem non modo myrrhæ & thuris, ſed & omnium aromatum: dico autem virginem virginum omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuè niſi fallor redolebat ſponſo myrrha caſtitatis, & thus pietatis. Odor iſte fratres mei ſuper omnia aromata, odor iſte dominum maieſtatis de excelſis attrahit & inuitat, vt inclinet cælos & deſcendat, ſicut probat dies hæc cum altiſſimus angelo miſſo de cælis ipſe quoque deſcendit in vterum matris, qui ſemper manet in ſinu patris, cum quo viuit & regnat, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM

Sermo 2.

HOdie verbum caro factum eſt, & habitare Ioan. 1. cœpit in nobis, ſecundum regulam, ſcilicet ſanæ fidei, quam eccleſiaſticorum dogmatum diſfinitio tradidit nobis. Firmiſſimè nanque tenet & nullatenus dubitat eccleſia carnem Chriſti non priùs conceptam quàm à verbo ſuſceptam, ſed ipſum verbum Dei carnis acceptione cõceptum, carnémque verbi incarnatione conceptam. Ho- Prou. 9. die itaque ſapientia ædificare cœpit ſibi domum corporis noſtri in vtero virginis, & ad ædificandam vnitatem Eccleſiæ angularem lapidem de monte ſine manibus abſcidit, dùm ſine opere humano de corpore virginali carnem ſibi noſtræ redemptionis ſeparauit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiſcum ſuſceptor noſter Deus Pſal. 45. Iacob, quia hodie eſt Domini aſſumptio noſtra, vt inhabitet gloria in terra noſtra. Prorſus hodie benedixiſti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dediſti benignitatem ſpiritus ſancti, vt terra noſtra daret benedictum fructum ventris ſui, & rorantibus cælis deſuper vterus virginalis ſaluatorem germinaret. Maledi- Gen. 4. cta terra in opere præuaricatoris quę etiam exercitata, ſpinas & tribulos germinat hęredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere redemptoris, quæ remiſſionem peccatorũ fructúmque vitæ parturit vniuerſis, & filus Adæ præiudicium originalis diſſoluit maledicti. Prorſus benedicta illa terra quæ omnino intacta, nec foſſa, nec ſeminata de ſolo rore cæli ſaluatorem germinat,

nat,& mortalibus panem angelorum alimoniam vitæ æternæ ministrat: hæc itaque terra quia inculta erat,videbatur esse deserta, sed erat opinio fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat Paradysus beatitudinis. Planè hortus deliciarum Dei, eremus cuius campi germinauerunt germen odoris, planè desertum refertum de
Esa.16. quo agnum dominatorē terræ pater emisit; Emitte,inquit,agnum Domine de petra deserti, id est, abscinde petram de petra, sanctum & inuiolabilem,sancta & inuiolata proferat virginitas. Sanè in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni, dum videlicet emittitur agnus de petra, deserti condendus in petra monumenti, & cuius corpori monumentum excidēdum erat in petra ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de petra,& corpori locum in petra, sic integritatem petræ cum de ea emitteretur non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram,cum de ea egrederetur aperiens. Si ergo petra Christus vt ait Apostolus non degenerat a matre filius, quando & ipsa petræ nomine censetur. An non rectè vocatur petra quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea. An non rectè petra virginalis integritas quæ & nihil parit per naturam sui,& cum parit roris virtute diuini,nec admittens conceptum,nec emittens partum nouit aperiri? Sed aperiatur terra, inquit Esaias, aperiatur & germinet saluatorem.
Esa.45. O sancte Esaia qui dicis aperiatur, quid ergo est quod dominus ad Ezechielem testatur. Porta hęc clausa erit & non aperietur. An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fœcūdandæ matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? Absit,inquit, nemo magis quam ego conscius huius secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prędixi,ecce virgo concipiet,& pariet filium. Quæris igitur quomodo dicamus: ego, aperiatur ille, non aperietur? Non aperietur viro,aperietur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem,vir non transibit per eam,quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam? Aperietur autem domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit: Hæc clausa erit ipsi etiam principi, sed aperietur auris & porta cordis, quia videlicet intrauit per aurem virginis verbum incarnandum, & exiuit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens nanque verbum Dei, & si infirmitatem nostram suscepit nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuitur, quo minus contra naturam carnis, & supra intelligētiam sensus nostri, corpus suū palpabile per clausa posset, & integra traiicere, sicut etiam ad discipulos ingrediens ianuis clausis oculis probauit quod ratio non capit. Secura igitur ô virgo intemerata, ô porta sanctuarij perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi iamdudum clamat: Aperi mihi soror mea, amica mea. Non est quod timeas integritati tuæ, Deus non nouit integra violare,sed violata consolidare. Si verbo Dei aperta es, tum demum non modo clausa, sed & signata es. Pone me,inquit,vt signaculum super cor tuū, vt signaculum super brachium tuum. Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere; sigil-
lo

lum planè, & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ,& eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo ô virgo fidelis auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum, auribus percipe verbum angeli,& corde suscipe verbum altissimi,& corpore concipe filium Dei, Dic & tu ô beata tam humilis quàm fidelis, dic Dominus aperuit mihi autem, ego autem non contradico: retrorsum non abij, ecce ancilla domini,præsto sum eius voluntati, quinimmo suauius vocis si possum, fiat mihi secundum verbū tuum. Luc.2.
Hoc dicere sic suam deuotionem offerre, istud planè est Domino pectus aperire, istud est & os aperire,& spiritum attrahere. Sic profectò aperiebatur terra, vt quem rorabant cæli desuper susciperet rorem, & germinaret saluatorem. Nobile germen,germen iustum, germen odoris, germen domini quod iam est in magnificentia & gloria, cum idem fructus terræ sublimis est super omnia,id est,exaltatus est super cælos Deus, & super omnem terram gloria eius. Psal.56.
Nihil enim interest, siue germen,siue fructum,aut florem dixeris,cum hæc omnia immo infinita alia vnus Christus sit, res vna,sed multiformis gratia, & virtutis vnica operatio multifaria, cui si infinita nomina paupertas humani sensus,& sermonis pro similitudine commendauerit, ter tamen implere significationem non poterit. Bene autem simul vocatur germen, & flos & fructus, qui sine gradu profectus ab initio conceptus sui, omni virtute & gratia in seipso extitit perfectus. In nobis enim primum ipse germen est, cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestum: postmodū flos, cùm super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum, demum autem fructus cum beatitudo faciat hominē consummatum. Pulcherrimè sanè, ac vigilantissimè, non solum mysteria,sed & mysteriorum præsagia dispensatio præordinauit diuina, vt locus in quo terra germinauit saluatorem, germen iustum & flos de virga & radice Iesse ascendit. Nazareth, id est, sanctitas, germen, flos, virgultum, vocaretur, vt videlicet negocium loco, locúsque negocio consona voce contestaretur, pariterque, & nomen loci rem gerendam prænunciauit, & res gesta causam nominis indicaret. Ignoscite mihi fratres mei, quia qui morum vestrorum seruire debueram instructioni, plus forsitan quàm necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterij. Quid enim mirum si miror quod stupent angeli: si prædicare gestio, quam cæli enarrant gloriam Dei? Psal.17.
Quid mirum si me delectat quod beatos spiritus lætificat, quod peccatores iustificat, iustósque glorificat? Nescio tamen si vlla esse possit efficacior, ac suauior morum ædificatio, quàm huius mysterij, id est, verbi incarnati, fidelis & pia cōsideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præueniens hominem amor Dei, tanquam vehemens ad hominem, vt homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi quam similitudo & natura proximi, in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum, nec cogitari posse maius aliquid existimo, quàm exinanitionem Dei in formam serui, & seruitutem plusquàm serui. Phil.2.
Castitatē porrò quid æquè commendat, sicut quòd ipsa castitas saluatorem
germinat

germinat? Aut fidei virtutem ac meritum quid euidentius ostendit, quàm quod virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa diuinitus
Luc. 1. impleri promeruit. Beata, inquit, quæ credidit: quoniam perficientur quæ dicta sunt ei à Domino. Et vt plenius noueris conceptum virginis, non solùm esse mysticum, sed & moralem, quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoq; tibi est ad imitationem, vt manifestè euacues in te gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit, quod videlicet si verbum ex ore nuncij cælestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis & ipse concipere. Concipere autem corde non corpore, immò & corpore, licet non corporali opere aut specie, tamen planè cor-
1.Cor.6. pore tuo: quandoquidem iubemur ab Apostolo glorificare & portare Deum in corpore nostro. Attende itaque vt scriptum est diligenter auditui tuo, nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, quod tibi absque dubio euãgelizat angelus Dei cùm timore aut amore eius tecum agit prædicator fidelis, quem angelum Deum exercituum dici & esse non est tibi fas ambigere. Quam beati qui dicere possunt, à timore tuo Domine concepimus & parturiuimus spiritum salutis, qui nimirum non est alius quàm spiritus saluatoris, quam veritas Iesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei simulq; virtutem incomprehensibilis mysterij, qui creauit te, creatur in te: & quasi parum esset teipsum habere patrem, vult
Matth 12. etiam te sibi fieri matrem. Quicunque, inquit, fecerit voluntatem patris mei, ipse meus & frater & soror & mater est. O fidelis anima expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura nõ capit. Aperi verbo Dei aurem audiendi, hæc est ad vterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis. Gratiat tibi sanctæ spiritus, qui vbi vis spiras, video munere tuo non vnam, sed innumeras fidelium animas illo generoso germine grauidas: custodi opera tua, ne aliqua illarum aborriat. cõceptúmque diuinæ sobolis informem, aut mortuum excutiat. Vos quoque ô matres beatæ tam gloriosæ prolis, attendite vobisipsis, donec formetur Christus in vobis: attendite ne qua foris offensa grauior fœtum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventri, id est, méti quod spiritum quem concepistis extinguat. Parcite si non vobis, certè filio Dei in vobis, parcite inquam non solùm ab operibus & sermonibus malis, sed etiam à cogitationibus noxiis, & delectationibus mortiferis, quæ planè suffocant semen Dei. Omni itaq; custodia seruate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet, cùm scilicet maturus se partus absoluet, & vita Christi quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo, ma-
Ioan.16. gna de spe partus consolatio. Mulier cùm parit tristitiam habet laboris, cùm autem peperit puerum, iam non memor erit pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo Christus in mũdum exteriorem corporis nostri, quod & minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus est Deus in spiritibus nostris, cõfigurans eos spiritui claritatis suæ, tũc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suę, in qua viuit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM
Sermo 3.

AVdite domus Dauid: Ecce dabit Dominus Esa.7.
ipse vobis signum: Ecce virgo cõcipiet. Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris. Hodie namque illud ineffabile conceptus virginalis miraculum sicut audieratis promissum: sic audistis impletum: Virgo hodie concepit. Et hoc signum prioribus retrò seculis inauditum, nostris seculis Dominus dedit. Et sicut Hieremias eodem spiritu, & eodem sensu prædixit: Creabit dominus nouum super terram, quia fœmina circundabit virum. Quid enim creabit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum, quod ait Hieremias, nisi quod ait Esaias, dabit Hier.31.
Dominus signum: Virgo concipiet filium. Hoc nempè est circundabit, non de consortio virili suscipiet, sed de se sola inter semetipsam cõcipiet: & solius materni corporis inuolucro vestiet. Alioquin dicat si possunt Iudæi, quod signũ dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, vt ipsi falsò interpretantur concepit: aut quid nouum Dominus creauit, si fœmina masculum de masculo susceptum circundedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi: sed in multitudine virtutis tuæ ô Domine mentientur tibi inimici tui, vt virtutem tuam dum negat prauitas, & paucitas Iudæorum, gloriosiùs & copiosiùs confiteatur fides omnium populorum. Confiteantur tibi populi Psal.66.
Deus, confiteantur tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum, virgo germinauit Iesum. Velint nolint Iudæi, creauit Dominus nouitatem huius miraculi, in signum eorum incredulitatis: vtrique in signum cui contradicunt, vsque hodie, plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quàm ignorantia miserabili. Non alienum tamen ab origine & consuetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est, qui ab initio in parte, & regem suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. Locutus est enim Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum? Non
petam, inquit, & non tentabo dominum. O religio prophana, ô pietas execranda, ô humilitas dolosa. Ne tentes, vt ais, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non grauiùs tentas, quem manifesto cõtemptu irritas? Nonimus vtrique, nouimus dolum & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz quantum ex vita & moribus ipsius intelligi datur, nam cultor idolorum erat, non alia religione, aut metu signum recusauit petere cùm iuberetur, nisi ideo scilicet, ne Dominus glorificaretur. Sanè mira & planè digna ira Dei & hominum, tam dira peruersitas Iudæorum, qui cùm iubentur signa quærere renuunt, non vt fingunt, ne tentent, sed ne glorificent Dominum: cùm non iubentur, tentãt & quærunt. Nam velut natura & vsu Iudæi signa quærunt, & si dantur calumniantur, & inficiari contendunt, vt manifestè confiteantur, quia ten-

tantes

tantes quærebant, non vt crederent facienti, sed vt insultarent non facienti. O gens peccatrix, semen nequam, filij scelerati, ait Esaias, *Esa.7.* nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, mihi & aliis prophetis, immò vniuerso generi hominum, quia molesti estis, & Deo meo? Propter hoc dabit dominus ipse nobis signum. Quia enim vos in peruersum, aduersum eum incedictis, & ipse vt ait peruersus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, vt ipse glorificetur, & vos confundamini. Fac domine, fac mecum signum in bono, vt videant qui me oderunt, & confundentur, ait de Iudæis ad patrem filius. Primũ autem signum quod pater & filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis: arbitror hodiernum esse virginis conceptum. Nam de ipso cùm præmissum esset dabit Dominus signũ, quasi quærentibus quod signum intulit contextus prophetæ, *Esa.7.* verbis tamen Euangelistę: Ecce virgo concipiet & pariet filium, vt planè aut consequentia vel veritate contextus careat, aut quod est probabilius mendacium Iudæorum latebram non habeat. Meritò proinde cùm iam generatio praua & adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi *Matth.12.* signum Ionæ: vt videlicet quia ob peruersitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ sepulturæ & mortis: nam verbum crucis, & mortis Iudæis qui pereunt, scandalum est, his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est: nec minor aut infirmior nobis est filius hominis in corde terrę, quàm in cõsessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod alij recusauerunt, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione deuota suscipimus, agnoscẽtes filium quem concepit virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis & veniæ, in excelsum supra, signũ & spem exaltationis esse & gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ, vt in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo non est aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cælos vt adimpleret omnia. Iam leuauit dominus signum primum in patibulo crucis, post modum in throno regni: & exaltauit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei à populo Iudæorum, & quotidie à quatuor ventis congregat dispersos, veri Israel ad hoc signum. O *Esa.11.* radix Iesse qui stas in signum populorum super quem iam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Iudæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculati *Luc.1.* conceptus tui contradicunt, & nec angelo Gabrieli credunt, quia non est impossibile apud te omne verbum. Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, & cum quæsisset quomodo filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quàm de prole, securam deinceps effecit. Quicquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat & pariat virgo filium: nos quippe signum habemus in bonum etiam matrem & filium. Nobis planè mater tota miraculum est, quæ singulariter & sine exemplo mater est & virgo, nobis filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed & incomprehensibiliter Deus est & homo. Mater virgo concipiens & pariens, signum nobis est, quia Deus est homo ille qui concipitur & paritur, filius diuina faciens, & humana patiens, signum vobis est, quia in Deum transferret hominem pro quo concipitur & patitur etiam & patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum, vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore, maiestas illa incircunscripta, passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitùs à semetipso defecisse visus fuit? Tãto tempore nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signo visibili, maiestas quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortiùs omnibus hominibus quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionem, quando horarius dolor passionis eius, non solùm compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In vtero autem sic est quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & verbum æternum sub silentio se premit. Vobis tamen fratres illud silentium verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat. In silentio enim & spe erit fortitudo vestra, *Esai.30.* sicut Esaias promittit, qui cultum iustitiæ silentium diffiniuit. Sicut namque puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus sub alto & diuturno profecit silentio, sic spiritum hominis disciplinam silentij nutrit, format & roborat: & quantò occultiùs, tantò tutiùs & salubriùs incrementum præstat. *1.Cor.2.* Nescit homo animalis qui non percipit quę sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, & quomodo compingantur ossa in ventre prægnãtis, sed nõ occultató os meum à te ait sanctus Deo quod fecisti mihi in occulto mentis, sub secreto silentij. Sed nec à vobis occultatum est hoc ministerium fratres mei, quorum experientia & confessio testis mihi est, quomodo quietus, & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat, & floreat: quomodo ecõtrario per verba velut quadam paralysi dissoluatur & defluat: quomodo marcescat, & marcescat & aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset: *Prou.25.* Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest cohibere spiritum suum. Cæterum si quæris quo negocio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, comede panem meum, sicut & ipse Dominus conceptus suo tibi monstrat exemplo. Quid enim propheta de eo dixit cùm loqueretur de porta orientali semper clausa in domo Domini, quæ tamen Deum Israel admisit & emisit. Princeps ipse, inquit, sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Sedebit, inquit, in ea, quoniam requiescet in ea, de qua & ipse loquitur, hæc requies mea, sedebit in ea tanquam in throno grandi: quem, sicut alias dixi, Salomon rex sibi de ebore fecit. Si attendas angustias vteri, locus prorsus angustus est, si latitudinem cordis thronus grandis est, propter quam etiam vterus tantæ maiestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit, & panem comedit, quia si quis, inquit, aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Non est hæc cœna sine pane, quando & ipse qui cœnat panis est vitæ, panis qui hodie descendit de cælo, & dat vitam mundo.

do. Sed res mira si idem est qui cocus & quod coquitur, & qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Res verè res mira, sed res vera, quia Christus non alio pane quàm seipso pascitur. Ipse nanque totus est panis, verbum propter se, caro propter vnionẽ verbi. Alioquin caro non prodest quicquam enim spiritus sit qui viuificat: nec in solo pane viuat homo, sed & in omni verbo quod

Deut. 6. Matth. 4. procedit de ore Dei: Omne verbum procedens de ore Dei vnum & vnigenitum est verbum patris, quod cum simplex sit, in se tamen continet rationem, & formã omnis verbi diuini. Verbum itaque pascitur de verbo, filius viuit de seipso, quia sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine verbo pascebatur anima illa, verbo ipsi in personã coniuncta & incomparabili fœlicitate princeps ille sedens in porta virginalis vteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis, tu quoque si sapis in silentio tuo actitabis, vt panem verbi diuini comedas coram domino, con-

Luc. 2. seruans sicut Maria quæ de Christo dicuntur, & conferens in corde tuo. Hunc panem tecũ Christus manducare delectabitur, qui te pascit, ipse in te pascetur: & panis ipse quo plus editur, plus abundabit edendus; quia gratia non minuitur vsu, sed augetur. In hoc prætereà tibi sit exemplo Iesus conceptus & gestatus in vtero: vt sicut onus illud leue ac suaue, & si grauidauit non tamen grauauit vterum mariæ, sic te non sentiat grauem, aut molestum vterus ecclesiæ. Grauida est ô fratres Ecclesia non sicut Maria solo Iesu, sed sicut Rebecca Iacob, & Esau: non solùm, scilicet bonis & modestis, sed etiam discolis, & indisciplinatis, quos tamen & ipsos propter nomen Iesu vel forsitan aliquod initium substantiæ eius, Ecclesiæ viscera suscipiunt & amplectuntur. Sed cùm sese collidèrent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ priùs orauerat vt conciperet, dolénsq; ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pœnitebat quòd concepisset: Si sic, inquit futurum mihi erat, quid necesse erat concipere? Si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit, viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus sinit nos desperare qui etiam de lapidibus suscitat filios Abrahæ. Ipse in eis si qui tales sunt emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris: ipse viscera matris consoletur, ne fatigeretur eos qualescunque sint portare: donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus, perfectus homo viuit & regnat, Per omnia secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI
in eodem festo, Sermo.

Nota horas B. Virginis eo tẽ tunc fuisse in vsu. EXultate, fratres, in Domino, quia de Domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vendicat principatum. Hæc est, ad cuius nomen corpus humiliter inclinatis, cuius horis reuerenter assistitis, cuius memoriam iugiter frequentatis. Hæc est, quæ vestris affectibus suauiter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis eius. Spiritus enim eius super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine superuenit. Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit, consecrãs sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret. Hoc est quod natura miratur, reueretur Angelus, veretur homo, stupescit cælum, extremit terra, inferous exhorret. In huius vtero maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta sicut adipe & pinguedine, repleuit terras, infudit cælos, inferna respersit. Hic exinaniuit semetipsum excelsus, & immensus, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam mittens in sinum nostrum. Hic diuinis manibus vnctus est oleo lætitiæ, & sicut ad altare in summum Pontificem consecratus. De hoc altari ad aram Crucis ascendens, proprio cruore tanquam alterius generis oleo perfusus, iam non solùm consecratus, sed & consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiori ligamine copulauit. Facessat igitur mœror, tristitia fugiat, eliminetur dolor, taedeat abscedat, vt liceat vacare, & videre cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, sed oratio deficit, & diues cogitatio vocis paupertate confunditur. Feruent interiora, & in vndosam ebulliunt altitudinem, sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. Quid est, beatissima? nunquid ita sensim taciturnus obdormiam, vt ibi motus sim, vbi omnis loquitur creatura? Veruntamen non tacebo, & non quiescam donec egrediatur vt splendor vultus tuus, & sermo de te conceptus, si non vt lampas, saltem vt scintilla accendatur. Mouet me, fateor, quòd permittẽte Deo peccant rationabiles creaturæ, & multis annorum millibus tã cælestia, quã terrestria incassum stare videãtur, seruituris istis, illis dirutis. Stat illa magna ciuitas, ciuium suorum numerositate fraudata, & à stellantibus palatiis multiplex habitantiũ multitudo propellitur, obscurantur stellarij ignes, solem loquor, lunam, & stellas, & multa sibi detracta luminis claritate mulctantur, terra maledicitur, condemnatur hominum successio, & omnis creatura, iuxta Apostolum, ingemiscit, & parturit. Tacet Deus omnipotens, & ordinans eius omnipotentia tantam dissimulat confusionem. Tãdem nascitur Maria, & ad nubiles annos egrediens, speciem induit speciosam, quæ ipsum alliciat Deum, & diuinitatis oculos in se conuertat. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator secretorum Dei: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiuit Rex decorem tuũ, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, fructuosa quæque non habet. Videt, & ardet ille vehemens amator, & totum epithalamium in laudibus eius decantat, vbi manifestè sponsus inducitur spirans amorem syncerissimum, nec vltra valens dissimulare quod patitur. Euocatur statim cœlestis ille conuentus, & iuxta Prophetam, init Deus consilium, cogit cõcilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renouatione,

ac illis stupentibus,& mirantibus præ gaudio,de modo redemptionis. Et statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa,& de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur,vt sicut sine illo nihil factum,ita sine illa nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli,in qua salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ,gloriæ magnitudo,multitudo lætitiæ cõnectitur.Missus est ergo Angelus Gabriel a Deo ad virginem,quæ,postquam ei locutus est,sensit Deum suis illapsum visceribus, maiestatémq; illius virginalis vêtris breuitate cõclusam.O venter diffusior cœlis,terris amplior,capacior elementis, qui totum claudit omnia cõcludentem.in quo Deus gloriæ reclinatur. Denique & Archangelus ait: Aue gratia plena, Dominus tecum, quia à Deo electam,& præelectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus Sanctus, & cœlestibus insignitutus ornamentis. Iam consecranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille debebat ascendere, qui vniuersam terræ superficiem irrigaret. Satis hucusque sparsimus verba, & volatica sermonibus diuersa præseminauimus: nunc insistamus hic si fortè aliquid dignum elicere valeamus. Fluuius(ait scriptura)egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam vniuersam superficiem terræ, qui inde diuiditur in quatuor capita. Fluuius iste est Deus meus Iesus,qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, ex vtero Virginis. Vnde Propheta: Dominus Deus noster fluuius gloriosus,exiliens in terram sitientem. Sed ineffabilibus differentiis longè aliter à Patre, quàm à Matre egreditur, quia & si temporalis natiuitas gloriosa est,multò gloriosior est æterna. Orantibus igitur vobis,de vtraq; generatione volo aperire quod sentio, nõ quòd aliquid exponere præsumam, cùm hoc vltra omnium vires (quantò magis meas?) sit,& extremæ dementiæ sit, velle fari ineffabilia, maximè hominem imperitum. Non enim oblitus sum Salomonem dicentem: Sicut qui nimium comedit mel,euomit illud, sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. De vtraque enim per Prophetam dici puto: Generationem eius quis enarrabit?quia sanè illa Patris ineffabilis, & inaccessibilis est, & nulli creaturæ peruia. Hoc sensu credo Apostolum dixisse de Deo:Qui solus habitat lucem inaccessibilem, cùm etiam potiores naturæ tanto reuerberentur intuitu, nec possint irrumpere tantæ claritatis abyssum.Ipse etiam Filius protestatur:Nemo nouit filium nisi Pater,neque Patrem quis nouit,nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare: non sicut est,sed sicut capere potest, cui tamen dignatio reuelatur. Vnde & illa sublimis anima, quæ vsque ad tertium cœlum in diuitiæ gloriæ rapta fuerat, dicit: Ego me non arbitror comprehendisse. Verissima igitur diffinitio est, quia illam Gigneutis, & Geniti generationem nullus omnino penetrat intellectus. Hanc etiam de Matre omni humanæ creaturæ reor inextricabilem: nescio vtrum ab illa excellentiori natura valeat comprehẽdi. Quis enim comprehendat coniunctionem carnis, & Verbi,qualiter Deus,& homo in vnam personam conuenerant,saluis impermixtis que proprietatibus naturarum? Vnusquisque in suo sensu abundat, ego hanc omnem sensum supergredi credo, veterum virorũ vestigiis inhærens qui super hoc

sanas, & inconcussas sententias reliquerunt. Ad paternam igitur generationem recurrentes, locum voluptatis Patrem esse censemus, cùm Deus illocalis sit;sed efficientias rerum, nisi per vulgatos sermones explicare nõ possumus. In ipso autem omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem: Quoniam ex ipso,& per ipsum,& in ipso sunt omnia: & aliũ ex illo duodeno apice similiter eructantem: Omne datum optimum; & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.Ipse etiam filius dicit:Hæc est vita æterna, vt cognoscát te solum verum Deum:cognitio igitur Patris, vita æterna est, & vbi vita æterna, ibi sempiterna voluptas, quia gignitur de vtero Patris Deus deDeo,lumẽ de lumine,de Domino Dominus. Egreditur autem identitate,quia idem est quod Pater. Idem dico secundùm substantiam,non secundùm personam.Egreditur & æqualitate, quia par omnipotentia respicit Generantem, cùm omnia quæ potest Pater, possit & filius, sicut ipse testatur: Omnia quæ facit Pater,facit & Filius, nec potest filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.Egreditur & æternitate: quia licet generetur, non est posterior Generante, sed ambo vnius antiquitatis sunt, si tamen vocabuli nouitatem non exhorres, quod licet quoquomodo significet quæ dicitur,longè tamẽ est à sententiæ maiestate.Egreditur similitudine,quia similis est Patri Patris imago,splẽdor gloriæ, & figura substantiæ eius. Egreditur alteritate, quia alius est ab illo,alius dico,non aliud. Ego,inquit,& Pater vnum sumus.Vnum dixit,non vnus, quia vnum significat substantię vnitatem,sumus verò personarum proprietatem. Sic igitur & longè excellentiori modo de Patre filius egrediens inundat Angelicas stationes,quia iuxta Salomonem, Fõs sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Citharœdus puer de hoc fonte pleno ventre potauerat, cùm diceret:Apud te est fons vitæ:quia non solùm tu vita,sed & filius tuus fons vitæ est.Et vt patenter quid sentiebat ostenderet subiunxit: In lumine tuo videbimus lumen. Ad irrigandam vniuersam superficiem terræ. Quænam terra est in illa cœlorum summitate reposita,quam non præterfluat & irriget fluuius gloriosus? Regnũ cælorum terra viuentium est,de qua dicit sanctus:Portio mea Domine,in terra viuentium,&,Credo videre bona Domini in terra viuentium: &, Placebo Domino in regione viuorum,Irrigatio hęc indicibilis est. Inebriãtur quippe Angeli ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potantur. Hic quid dicam nescio,quia plurimus stupor sensum opprimit,atque mentem. Vbi sunt oratorij sermones, quos in fornace rhetoricea omnis ille Philosophorum conflauit chorus? Vbi sunt gigãtes à seculo nominati,qui ab initio fuerunt statura magna,scientes bellum, languentes circa pugnas verborum? Nunquid non maximus ille gigas(Platonem loquor) ab intellectu tam purissimæ veritatis repulsus est? Nunquid non acerrimo mentis ingenio tangens, sed non attingens diuinitatem Dei, dicit: Vnum inueni, quod cuncta operetur, & aliud, per quod cuncta efficiuntur, tertium autem inuenire non potui? Rectè de Spiritu Sancto nescius, qui illi non erat infusus, qui Sanctarum reuelationum magister est, qui reuelat Paulo, quæ oculus

non vidit, sicut idem Apostolus gloriatur: Nobis, inquit, reuelabit Deus. Per quid, Apostole? Per Spiritum suum, non per spiritum nostrum, quem secuti philosophi, & seducti sunt, & seduxerunt. Ille noster philosophus, qui super senes, & super omnes docentes se intellexit, quid super hoc senserit audiamus. Rigans, inquit, montes de superioribus suis. De sublimioribus quippe Angelos docet, qui non per speculum, in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam Dei substātiam luminibus indefessis aspectant. Sequitur. Qui inde diuiditur in quatuor capita. In quæ quatuor capita dicamus breuiter, quia grandis restat nobis via. In admirationem, qua tota obstupet illa dignior creatura de Creatoris gloria, & gloriæ ratione. In puritatem, quia non in vase testeo, vel fragilitate complexionis humanæ bibunt de torrente voluptatis, sed remoto velamine, hauriunt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. In satietatē, quia & si in eum desiderant prospicere, non tamen desiderium necessitatem, vel necessitas miseriam inducit, sed mirabiliori modo & semper desiderant, vt semper satientur, & semper satiantur, vt semper desiderent. In securitatem, quia de sua stabilitate certi, perennibus gaudiis immerguntur, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, quando fiet vnum ouile, & vnus pastor, & superna illa Hierusalem consummabitur in idipsum. Sic influit fluuius iste per Angelicas officinas. Sed hæc omnia fides capit, nescit ratio, intellectus ignorat humanus. Hæc sunt forsassis illa quatuor, quæ vas electionis fœlici quaternario in Epistola ad Hebræos diuidit dicens: Non accessistis ad montem fumantem, sed ad montem Sion, ad Hierusalem ciuitatem Dei viuentis, ad multorum millium Angelorum frequentiam, ad Ecclesiam primitiuorum scriptam in cælis. Nunc accingamus nos ad videndū qualiter egrediatur de Virgine, quia egressio ista dulcior, & affectuosior est humanæ miseriæ, quæ intuentium pectora concutit, irrigat oculos, & beatis fontibus vultus amantium superfundit. Hîc locum voluptatis, vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus; de cuius deliciis Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris cantico sic eructat: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo, aliæ in tenebras obscurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus: si verax est ille, qui curru igneo, & equis igneis est assumptus in cælum. Nunquid in aquis, vbi furās, & tortuosus Leuiathan immoratur, aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis. Ex hoc egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit, & de virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali; vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis subsentiret. Egreditur & cum nouitate, quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse nascitur. Primus enim homo primò de terra formatur, secundò mulier ex eius latere fabricatur, tertiò Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab vtroque. Solus iste de sola Virgine nascitur, & Virginis vterum nouo, & singulari partu diuinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas. Si peperit, cum viro concubuit? Velit, nolit, vertitur in habitum priuatio, nec astringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium parit natura, desuescit consuetudo. Egreditur etiam cum claritate: nascente quippe illo sepelitur omnis illa stellantium luminum luminosa serenitas, & stella candidior lucidioribus radiis præscintillans totam sibi cæli rapit positionem. Ambulant reges in splendore ortus eius, quoniam ecce Reges congregati sunt, conuenerunt in vnum. Ipsi videntes sic, Deum & hominem nascentem, matrem & virginem parientem, admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos in tantorum luce miraculorum. Egreditur & cum paupertate, quia pannis vilissimis inuolutus, & præsepi durissimo reclinatur, iam ex tunc sanctissimis membris legem martyrij præfigebat. Egreditur occultè, quia subtilissimus ille fraudiū inuestigator ab altitudine tantæ dignationis excluditur. Hinc est quòd ambiguis alternationibus fatigatus, nunc illum tentat, nunc tentatum Filium appellat altissimi, nunc instruit Crucem, nunc destruit, mandans per mulierem cōsuetum sibi organum: Nihil tibi, & iusto illi. Sequitur: irrigandam vniuersam superficiem terræ. Ad terrenam miseriam expiandam, quam nobis in hæreditatem primus ille peccator reliquerat. Volo vt Apostolus hîc eum mihi, sicut & superius, in quatuor capita distribuat, quia securiùs eius expositionem suscipio. Qui factus est, inquit, nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Ad nos quippe veniens, qui eramus in carcere, primò omnium tenebras ignorantiæ nostræ depulit luce sapientiæ suæ; deinde per iustitiam, quæ ex fide est, soluit funes peccatorum nostrorum, sanctificans nos in suo corpore, redimens in corporis passione. Dominus enim soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos; sanctificat tabernaculum suum; de manu redimit inimici. Diuiditur & in patientiam, qua peccatores sustinet; in misericordiam, qua pœnitentes fouet, in largitatem, qua proficientes exaltat; in fortitudinem, qua exaltatos conseruat. De hoc secundo quaternario toto hoc aduentu vestræ fraternitati confabulatus sum, per fluminū decursionem, & nominum interpretationem, moralia mysticis internectens; vtrum aliquid dignè, vos videritis. Verùm non omnia possumus præsenti sermone coarctare, fastidium euitātes. Ego habeo quatuor capita dulciora prioribus, quæ fortassis vestris cordibus suauiùs complacebunt. Dominus enim noster eleuatur in Cruce, largissimas sanguinis vndas à quatuor sui corporis partibus abundantiùs emisit. Spinis enim pungentibus sanctissimum caput niuea ceruice reflexum, & clauis pedes & manus, & lancea latus eius transuerberantibus, pretiosus sanguis emicuit: cuius aspersione iudex transiuit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captiuitas in coronam. Christus ergo fons latens, & occultus in cœlis, fons patens, & apertus in terris. Illic de vtero Patris, hîc egre-

ditur de vtero Virginis. Illic vioens terram irrigat viuentium, hic moriens terram morientium. Illic diuiditur in quaternarium admirabilem, hic in dulcem. Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Deus meus misericordia mea, hæc Domina mea misericordiæ porta. Ducat nos mater ad filium, filia ad patrem, sponsa ad sponsum, qui est benedictus in secula, Amen.



IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS.

Euang. Ioan. 15. Ego sum vitis.

Explicabitur infra eodem Tomo in commum Martyrum tempore paschali.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTAE.



LVC. 10.



IN illo tempore: Designauit dominus & alios septuagintaduos, & misit illos binos ante faciem suam in [a] omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite, Ecce ego mitto [b] vos sicut [c] agnos inter [d] lupos. Nolite ergo portare sacculum, neque peram neque calceamenta, & neminem per [e] viam salutaueritis: In quancunque domum intraueritis, primum dicite. [f] Pax huic domui. Et si ibi fuerit [g] filius pacis, requiescet super illum pax vestra: [h] Sin autem, ad vos [i] reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius [k] mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque ciuitatē intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis appropinquabit in vos regnum Dei.

a Vbi verba prædicationis præcurrunt, venit dominus ad mentis habitaculum.
b Septuaginta duos.
c Secundum prophetiam: Lupi & agni simul pascentur.
d Lupi, Scribæ & Pharisæi, qui sunt clerici iudæorum.
e In via non salutetis, sed in domo.
f Offerte pacem, vt ipse ingressus pacis benedictione celebretur.
g Prædestinatus ad vitam, sequetur cæleste verbum quod audit.
h Si audire noluerit.
i Laboris vestri fructu non priuabimini.
k Cibo suo.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euangelium.*



POST *hæc, &c.* Sicut in apostolis est forma episcoporum, sic in septuagintaduobus forma est presbyterorum, Secūdi ordinis septuagintaduo mittuntur, qui totidem linguarum gentibus euangelium prædicarent, vt sicut primò, duodecim apostoli propter duodecim tribus Israel, ita & hi propter cæteras Gentes destinentur imbuendas. Vel, cum Christus se diem, apostolos horas huius diei nominet: per hunc numerum prędicantium signum dat se fidem sanctæ Trinitatis mūdo annunciaturum, sicut sol triduanum suæ lucis ambitum per septuagintaduas horas efficere solet. *Misit illos binos.* Per hoc quòd binos mittit, innuitur quòd nemo prædicationis officium debet suscipere, qui erga alium charitatem non habet. Vel bini mittuntur, secundum quod bina animalia missa sunt in arcam id est masculos & fœminas: immunda prius in carnali generatione, sed mundata ecclesię sacramento per spiritualem gratiam

in discipulorum prædicatione. *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Messis, turba credentium, operarij apostoli & sequaces eorum. Et licet messis verbo Dei sit sata, tamen culturæ laborem & sollicitum munus operarij requirit, ne aues cæli sparsa semina dissipent. *Sicut agnos inter lupos.* Sicut lupus ouibus, sic hæreticus insidiatur fidelibus. Et sicut lupus ouile circumit nocte, non audens intrare, canis somnum, pastoris absentiam, vel desidiam explorans, sic hæreticus nocte suæ interpretationis fideles decipere conatur, ecclesia non intrans, pastores ecclesiæ vel vitare, vel necare, vel in exilium mittere contendit. Lupus natura corporis rigidus, se inflectere facilè non potest, sic hæreticus intentionem duri cordis non Titum. 3. solet ab errore reuocare. Vnde apostolus: Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita, &c. Lupus verò suo impetu fertur, & ideo sæpe illuditur, sic hæreticus impetum facit, sed sæpe remanet inanis ne nocere possit. Lupus si prius aliquem viderit, vocem illius quadam naturæ vi eripit, si homo illum prius viderit, eum exagitat. Sic quem versuta disputatione hæreticus præuenit, mutum reddit, ne confiteatur verbum Dei: sed si quis commenta fraudis eius agnouerit, non patitur iactantiam vocis. Sicut lupus, sic & hæreticus guttur inuadit: vitalibus vulnus affigit. Qualiter autem hos effugere possimus, supponit di. *Nolite ergo portare sacculum, neque.* Matth. 10. Inde Matthæus: Nolite possidere aurum neque argentum, non peram neque calceamenta: Verumque de corio mortui animalis fit, id est nihil mortale vult esse in illis quos ad prædicandum mittit, ne mortis timore retardentur ab iniuncto itinere. *Nolite ergo portare sacculum, neque.* Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus & si non præuideat, tamen sibi non defecturos certissimè sciat: nedum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. Allegoricè. Pecunia in sacco clausa, sapientia est occulta, quæ proximo non erogatur. Perperam, opera seculi: Per calceamenta, mortuorum operum exempla figurantur, vt prędicator onus secularium negociorum non portet, nec stultorum operum exempla conspiciat, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat munire. Qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem prædicat audientibus, quasi in itinere salutat: quia hanc ex occasione, non ex intentione salutem audientibus exoptat. Omnis enim qui in via salutat, ex occasione itineris salutat non ex intentione habẽdæ eiusdem salutis. *Neminem per viam salutaueritis.* Festinatè iubet contendere, ne alicuius obuij confabulatione reflectantur ab iniunctu itinere. Nec simpliciter ait: Neminem salutaueritis, cum sit vsus humanitatis alios salutare, sed addidit, in via, quia non salutationis sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur: vt quando diuina mandãtur, paulisper sequestrentur humana. *In e. a. d.* Si pax vestra recipitur, dignum est vt in ea maneatis, carnalia stipendia ab eis accipientes, quibus cælestia offertis. Ecce qui saccũ & peram prohibuit, sumptus ex prędicatione cõcedit, sic tamen vt oblato cibo & potu sint contenti, *Mane* Non est de domo in domum vaga facilitate demigrandum vt in hospitali amore seruetur constantia, ne coalita amicitiæ necessitudo facilè resoluatur. *Dignus est e.* Nota quod vni operi prædicatorum duæ mercedes debentur: Vna in via, quæ nos in labore sustentat: Alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat, *Et in quamcumque ciui.* Descripto diuerso domus hospitio, quid etiam in ciuitatibus agere debeant docet: pijs, scilicet in omnibus communicare, ab impiorum per omnia societate secerni.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

Post hæc autem designauit dominus & alios septuaginta duos, &c. Cyril. Certificauerat Deus per prophetas quòd euangelij prædicatio salutaris comprehensura erat non solum Israel, sed etiam gentium greges. Et ideo à Christo post 12. apostolos & alij 72. sont instituti: vnde dicitur: *Post hæc autem design. dominus, &c.* Bed. Bene 72. mittuntur quia totidẽ mundi gẽtibus euangeliũ prædicandum erat: vt quomodo 12. primò propter 12. tribus Israel, ita & hi propter exteras gentes destinarentur imbuendas. Aug. de. q. euang. Sicut etiam 24. horis totus orbis peragitur atque lustratur, ita mysterium illustrandi orbis per euangelium trinitatis in 72. discipulis intimatur. ter enim 24. septuagintaduo faciunt. Bed. Sicut autem 12. apostolos formam episcoporum præmostrare nemo est qui dubitet, sic & hos 72. figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est: tametsi primis ecclesiæ temporibus, vt apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur & episcopi: quorum vnum sapientiæ maturitatem, aliud industria curæ pastoralis significat. Cyril. Huius etiam forma in verbis Moysi figurabatur: qui iubente Deo 70. elegit, quibus Deus spiritũ infundebat. In numeris etiã scriptum est de filiis Israel quòd venerunt in Elim, quod interpretatur ascensus: & erant ibi 12. fontes aquarum & 70. palmæ. Conuolantes enim ad augmentum spiritale reperiemus 12. fontes, scilicet sacros apostolos: à quibus haurimus salutis scientiam, sicut à fontibus saluatoris: & 70. palmas, hos, scilicet qui nunc destinati sunt à Christo. Est enim palma arbor bonæ medullæ, bene radicata & fertilis, & semper nascens in aquis, alta simul & frondes porrigens sursum. Sequitur. *Et mi. il. bi.* Greg. in ho. Binos in prædicatione discipulos mittit, quia duo sunt pręcepta charitatis, Dei scilicet amor, & proximi. Et minus hìc quam inter duos charitas haberi non potest, quatenus nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Orige. Sicut etiam ex 12. bini & bini numerati fuerunt, vt in eorum catalogo Matthæus ostendit, quòd enim bini famularentur Dei verbo antiquum esse videtur. Eduxit enim Deus Israel de Ægypto per manus Moysi & Aaron. Iosue quoque & Caleph concordantes prædicauerunt prouocatum à 12. exploratoribus populum, vnde dicitur: Frater à fratre adiutus, vt ciuitas vallata. Basi. Simul etiam per hoc indicauit quòd si aliqui pares sunt in spiritalibus donis, hoc non sinet in eis pręualere proprię opinionis passionem. Greg. in ho. Bene autem subditur, *Ante fa. su. in om. ci. &c.* Predicatores autem suos dominus sequitur, quia

prædi

prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum dominus venit quando verba exhortationes præcurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur. Hinc prædicatoribus Esaias dicit: Parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Theop. Designauerat autem dominus discipulos propter multitudinem doctoribus indigentem, sicut enim nostri agri spicati multos messores desiderant, sic qui credituri erant innumerabiles existentes, multis doctoribus indigebant: vnde sequitur, *Mes. quid. mul.* Chr. Sed qualiter messem vocat, cum res ad præsens exordium sumatur: nondum iacto aratro aut sulcis productis de messibus tractat: poterant enim discipuli vacillare & secum meditari & dicere, qualiter nos numerus breuis emendare poterimus totum mundum: idiotæ sophistas, munitos nudi, dominantes subditi? Ne igitur consideratione talium turbarentur, vocat euangelium messem quasi dicit parata sunt omnia: mitto vos ad paratam collectionem fructuum: eodem die & serere potestis, & metere. Sicut ergo colonus exiens ad messes lætatur, sic etiam vos multò amplius & alacrius necessarium est exire in mundum. Nam hoc negotium messis est, agros nobis exhibens præparatos. Greg. in hom. Sed non sine graui mœrore loqui possumus, quod subditur: *Oper. au. pau. &c.* quia & si sunt qui bona audiant, desunt qui dicant: Ecce mundus sacerdotibus plenus, sed tamen in messe Dei rarus valde reperitur operarius, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Bed. Sicut autem messis multa, est omnis turba credentium: ita operarij pauci, sunt apostoli, & imitatores eorum qui mittuntur ad messem. Cyril. Sicut autem agri spaciosi messores multos exigunt: sic & multitudo crediturum Christum: vnde subdit: *Ro. er. do. mes. vt mit. op. in mes. suam.* Illud autem attende quod cum dixisset: *Rogate do. messis vt mittat operarios in messem suam.* Ipse postmodum hoc pergit. Ipse igitur est dominus messis, ac per eum, & cum eo Deus pater omnibus dominatur. Chry. Multiplicauit autem postmodum eos: non addens ad numerum, sed concedens virtutem: Insinuat autem quod magnum donum est operarios mitti in messem diuinam, per hoc quod dicit, dominum messis super hoc esse rogandum. Grego. Per hoc etiam inducendi sunt subditi, vt pro suis pastoribus rogent, vt digna eis operari valeant, nec ab exhortatione torpeat lingua. Sæpe enim pro sua nequitia prædicantium restringitur lingua. Sæpe verò ex subiectorum culpa agitur, vt eis qui præsunt prædicationis sermo subtrahatur. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Cyril. Narrat Lucas consequenter 70. discipulos vendicasse sibi à Christo apostolicam eruditionem, modestiam, innocentiam, æquitatem, nihilque mundanorum factis prædicationibus præferre: aspirare autem ab eo fortitudinem mentis, vt nullum terribilium formident, neque ipsam mortem: vnde dicit, Ite. Chr. Erat enim inter omnia pericula eorum solatium virtus mittentis eos: & ideo dicit, *Ecce ego mitto vos* quasi dicat hoc sufficit ad consolationem vestram, hoc sufficit ad sperandum & non timendum superuenientia mala quæ significat subdēs, sicut agnos inter lupos. Isido. abbas, Denotans simplicitatem & innocētiam: nam debacchantes & sua enormitate iniuriantes naturæ, non agnos appellat, sed hœdos. Amb. Contraria autem sunt sibi ista animalia vt alia ab aliis deuorentur, id est, agni à lupis: sed bonus pastor lupos gregi suo timere non nouit. Ideóque isti discipuli non in prædam, sed ad gratiam diriguntur, solicitudo enim pastoris boni efficit vt lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ergo agnos inter lupos, vt compleretur illud: Tunc lupi & agni simul pascentur. Chr. Hoc enim fuit manifestum indicium præclari triumphi, vt circundati essent discipuli Christi ab hostibus, quasi agni inter lupos, eos tamen conuerterent. Bed. Vel specialiter lupos vocat scribas & pharisæos qui sunt clerici Iudæorum. Ambr. Vel lupis sunt hæretici comparandi. Lupi enim bestię sunt quę insidiātur ouilibus & circa pastorales versantur casas. Habitacula domorum intrare non audēt, somnum, canum absentiam, aut desidiam pastorū explorāt, ouium guttur inuadunt, vt citò strangulent, feri rapaces, natura corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere: impetu quodam suo feruntur, & ideo sæpe deluduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Sic hæretici insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa casas nocturno tempore: semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi nebulis prauę interpretationis obducunt: stabula tamen Christi intrare non audent, & ideo non sanantur, sicut curatus est ille in stabulo qui incidit in latrones. Explorant pastorum absentiam: quia præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. Quadam etiam mentis intentione duri & rigidi nequaquam solent à suo errore deflectere quos scripturæ verus interpres Christus illudit, vt in vanum suos effundat impetus, & nocere non possint, qui si quem versutia disputationis suę circunscriptione præueniunt, faciunt obmutescere, mutus est enim qui verbum Dei non eadem qua est gloria confitetur. Caue igitur ne tibi vocem tollat hæreticus, ne priorem non ipse deprehenderis: serpit enim dum latet eius perfidia, si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere nō poteris. Guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt dum animam petunt. Si etiam audies aliquem sacerdotem dici & rapinas eius cognoscis, foris ouis, intus lupus est: qui humanæ necis insaturabili crudelitate rabiem suam desiderat explere. Gregor. in pasto. Multi enim cum regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent. Et quia charitatis viscera non habent, dum videri appetunt, patres se esse minimè recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant. Contra quæ omnia considerandum nobis est, quia sicut agni inter lupos mittuntur, vt sensum seruantes innocentiæ morsum malitiæ non habeamus. Qui enim locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare. Quem & si quando zelus rectitudinis exigit vt erga subiectos sæuiant, intus paterna pietate diligit quos foris quasi insequendo castigat. Quod tunc rector bene exhibet, cùm terrenæ cupiditatis honoribus nequaquam mentis colla supponit. vnde subditur: *Nolite portare sacculum neque peram.* Grego. Nazian. Quotum summa est vt adeo virtuosi existāt, quòd non minus propter vitæ modum qui pro-

pter eorum verbum euangelium proficiat. Greg. in Ezechielem: Tanta enim prædicatorum debet esse in Deo fiducia, vt præsentis vitæ sumptibus quamuis non prouideat, tamen sibi hoc non deesse certissimè sciat. Ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus prouideat æterna. Cyr. Sic igitur præceperat nec de ipso subiecto curam habere, cum dixerat: *Mitto vos sicut agnos inter lupos.* Nec etiam concessit solicitos esse erga extrinseca corpori, cum dixit: Nolite portare sacculum neque peram. Nec etiam concessit portare aliquid eorum quæ nōdum vnita sunt corpori, vnde subdit: Neque calceamenta. Non solum autem sacculum & peram portare prohibuit, sed nec aliquam studij distractionem permisit assumere, quinec obuiantium salutatione distrahi voluit. vnde subdit, Et neminem per viam salutaueritis. Quod & dudum ab Elizeo dictum fuit, quasi dicat recto tramite ad opus procedite, non alternantes benedictionibus benedictiones. Damnuio enim est expendere tempus prædicationibus competens. Amb. Non ergo hic dominus prohibuit quòd beneuolentiæ displiceret officium: sed quòd persequentis deuotionis intentio plus placeret. Greg. Nazian. Mandauit etiam hoc eis dominus ad verbi gloriam, ne videretur in eis magis vrgere blanditias, voluit etiam eos non esse solicitos verbis alienis. Greg. in ho. Hęc autem verba si quis etiam per allegoriā velit intelligi: pecunia clausa in sacculo est sapientia occulta. Qui igitur sapientiæ verbum habet, & hoc erogare proximo negligit: quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Perperam verò onera seculi, per calceamenta mortuorum operum exempla significātur. Qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est vt opus secularium negotiorum portet; ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cælestia non assurgat: nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat munire: ne scilicet quia alios talia fecisse considerat, se etiam facere licenter putet. Ambr. Nihil etiam dominus in nobis mortale vult esse. Mortale enim atque terrenū calceamētum Moyses iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum. Quòd si quem monet, qua ratione in Ægypto calceati iubentur edere agnum, Apostoli autem sine calceamento ad prædicādum euangelium diriguntur? Is considerare debet quia in Ægypto positus debet adhuc morsus cauere serpentis: multa enim venena in Ægypto. Et qui typo pascha celebrat, patere potest vulneri, qui autem minister est veritatis venena non trepidat. Greg. in ho. Omnis autē qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione & non ex intentione salutem audientibus exoptat. *In quancunque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui, &c.* Chry. Bonorum omnium mater pax est, sine qua cætera inania sunt: propter quod dominus discipulis intrantibus domos, illico pacem iussit proferre tanquam bonorum indicium, dicens: *In quancunque domum intraue. primum dicite: pax huic domui.* Ambros. Vt scilicet pacis perferamus nuntium, ipse primus ingressus pacis benedictione celebretur. Chrys. Vnde pontifex ecclesiæ tradit eam dicens, Pax vobis. Implorant autem pacem sancti, nō solum eam quæ versatur inter homines adinuicem, sed & eam quæ pertinet ad nosipsos. Nam sæpius in pectore bellum gerimus, & nullo molestante turbamur: nec non praua desideria cōtra nos crebrò insurgunt. Titus, Dicitur autem, *pax huic domui*, scilicet habitantibus domum, omnes alloquantur maiores pariter & minores, neque cum indignis vestra salutatio dirigetur. vnde subditur, *Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra*, quasi dicat, vos quidem profertis verbum, res autem pacis applicabitur meo iudicio vbicunque dignum esse videbitur. Si quis autem non sit dignus, non estis delusi, nec verborum vestrorum gratia perit, imò reciprocatur ad vos. Et hoc est quod subditur, *Sin autem, ad vos reuertetur.* Greg. Pax enim quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescet in domo, si in ea fuerit quisquam prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequitur quod audit: aut si nullus audire voluerit, ipse prædicator sine fructo non erit: quia ad eum pax reuertitur, dum ei à domino pro labore sui operis merces recompensatur. Si autem pax nostra recipitur, dignum est vt ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriæ cælestis præmia offerimus. vnde sequitur: *In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Ecce qui peram & sacculum portari prohibuit, sumptus & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Chry. Sed ne aliquis diceret, consumo res proprias parando aduenis mensam: illum primò intrantem facit tibi pacis donum offerre cui nihil est æquale, vt scias te maiora quam des suscipere. Tit. Vel aliter continua. Quia non estis constituti iudices eorum qui sunt digni vel indigni, edatis & bibatis quæ vobis offeruntur ab eis. Dimitte autem mihi eorum qui vos recipiūt examen, nisi vobis quoque sit notum non esse ibi filium pacis, tunc enim fortassis retrocedere debetis. Theo. Vide igitur qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio eos nutrimentum habere voluit. nam subditur: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Greg. Sunt enim iam de mercede operarij ipsa alimenta sustētationis, vt huic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est, quòd vni nostro operi duæ merces debentur: vna in via quæ nos in labore sustentat, alia in patria quę nos in resurrectione remuneret. Merces itaque quæ in præsenti recipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad sequētem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tēpore mercedem accipiat: sed ideo mercedem recipere, vt prædicare valeat. Quisquis nanque ideo prædicat vt hic laudis vel muneris mercedē recipiat, æterna mercede se priuat. Amb. Subditur virtus alia: ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret. Sequitur enim: *Nolite transire de domo in domum*, vt scilicet amore hospitali seruemus constantiam, neque aliquā amicitiæ necessitudinem facilè resoluemus. Beda, Descriptio autem diuersæ domus hospitio, quid iam in ciuitatibus agere debeant docet: piis scilicet in omnibus communicare, ab impiorum verò per omnia societate secerni. vnde sequitur, *Et in quancunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Theo. Quamuis modica existant & vilia, nihil amplius inquirentes, denuntiat etiam eis vt

Merces nostro labori à Deo debetur.

operan

operantes miracula homines ad suas prædicationes attraherent. vnde subdit: *Et curate infirmos, qui in illa sunt. Et dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei.* Si enim prius curaueritis deinde docueritis, prosperabitur sermo, & homines credēt regnum Dei appropinquare: non enim curarentur, nisi hoc aliqua virtus diuina perficeret. Sed etiā cùm secundum animam curantur appropinquat in eos regnum Dei, quod longe est ab eo cui dominatur peccatum. Chry. Vide autem dignitatem apostolorum, nihil sensibile mouentur proferre, qualia circa Moysen & prophetas, scilicet bona terrena: sed quædam noua & mirabilia, scilicet regnum Dei. Maxi. Dicitur autem, *appropinquauit*: non vt ostendat temporis breuitatem, neque enim regnum Dei venit cum obseruatione, sed ostendit dispositionem hominum ad regnum Dei, quod quidem potentia est in omnibus credētibus. actu verò in his qui respuunt corporalem vitam, & solam eligunt spiritalem: qui dicere possunt, Viuo autem non ego, sed viuit in me Christus.

S. AMBROSII MEDIOLANENS. *Episcopi superioris Euang. expositio.*

POst hæc autem designauit, &c. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Ad septuaginta discipulos dicit hoc, *Quos designauit, & misit binos ante faciem suā.* Qua ratione binos misit? Quia bina missa sunt animalia in arcam, hoc est, cum mare fœmina, immunda per numerum, sed mundata ecclesiæ sacramento. Quod completum est oraculo quod Sanctus Petrus accepit, dicente sibi Spiri-

Act.10. tusancto, Quod Deus mūdauit, tu ne cōmune dixeris. Et aduertit dictum esse de gentilibus: quæ corporeæ magis generationis successionem quā spiritalis gratiæ sequebantur. Hos mundauit dominus, & passionis suę fecit hęredes. Mittēs ergo discipulos in messem suam, quæ, licet verbo Dei sata, tamen culturæ laborem, & sollicitum munus operarij requirebat: ne aues cæli aspersa semina dissiparent, ait, Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Contraria sunt ista sibi animalia, vt alia ab aliis deuorentur. Sed bonus pastor lupos gregi suo timere nō nouit: ideoque isti discipuli non in prædam, sed ad gratiam diriguntur. Sollicitudo enim pastoris boni efficit, vt lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ego agnos

Esa.67. inter lupos, vt compleretur illud, Tunc lupi, & agni simul pascentur. Et, quoniam proxime de vulpe nobis non ingratus tractatus euasit, si iudicium vestrum fidele in figuram minusculi animantis expertus sum, præsumo quòd profunda mysteria, quæ luporum specie velantur, studiorum vestrorum possim aperire suffragio. In specie vulpium hæreticos significari supra expressimus: qui promittūr nomine, quòd Christum sequantur, sed studio fraudis abiurant. Hos non suscipit Dominus: sed à suo nido arcet, & prohibet. Lupi quid significare videātur, debemus aduertere. Bestiæ nempe sunt, quæ insidiantur ouilibus circa pastorales versantur casas: habitacula domorum intrare non audent: somnum canum, absentiam, aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt cito strangulēt, feri, rapaces, idemque natura corporis rigidiores, vt se facile non possint inflectere. Impetu quodam suo ferūtur, ideo sæpe luduntur. Cum præterea, si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere, si autem homo prius eos viderit, exagitati memorantur. Et ideo cauendum mihi est; ne, si in hodierno tractatu spiritualium mysteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidisse credantur, & silentiæ vocis extorsisse suffragium. Nonne lupis illis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ouilibus Christi, fremūt circa caulas nocturno magis tempore quàm diurno? Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi sæuæ nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est, fuscare conātur. Versantur ergo circa caulas: stabula tamen Christi intrare non audent. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum nō vult eos Christus inducere: in quo curatus est ille, qui de Hierusalem descendens incidit in latrones: quem, vulneribus alligatis, infuso oleo, & vino, imponens in iumentum suum Samaritanus ille duxit in stabulum, & sanandum stabulario dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum nō requirunt. Si enim requirerent: non derogarent. Explorāt pastoris absentiam, & ideo pastores ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contēdunt: quia præsentibus pastoribus, oues Christi incursare non possunt. Spoliare ergo gregem domini & diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri, ac rigidi nequaquam solent à suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait, Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita sciēs, quia subuersus est, qui eiusmodi est. Hos scripturæ verus interpres Christi illudit, vt inanes suos in vanum effundāt impetus, & nocere non possint, Qui si quem versuta disputationis suæ circumscriptione præuenerint, faciunt obmutescere. Mutus est enim, qui verbum Dei nō eadem, qua est gloria, cōfitetur. Caue ergo, ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis. Serpit enim, dum latet, eius perfidia. Si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur versutæ disputationis venena: animam perimunt: guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graues sunt morsus hæreticorum, qui ipsis grauiores, & rapaciores bestiis: nullum auaritiæ finem, impietatisque nouerunt. Nec vos moueat, quòd formam prætendere videntur humanam. Et si foris homo cernitur intus bestia fremit. Et ideo eos lupos esse non dubium est, iuxta domini Iesu diuinam sententiam, qui ait; Attendite vobis à falsis prophetis; qui veniūt ad vos in vestitu ouiū, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorū cognoscetis eos. Si quis ergo specie mouetur, fructum interroget. Audis aliquem sacerdotē dici, rapinas eius non agnoscis: vestitum ouis habet, facta prædonis. Foris ouis, intus lupus est; qui modum non habet rapinarum, qui tanquam in nocte Scythico mēbra duratus gelu, cruentus ora circumuolat, quærens quem deuoret. Nónne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insatiabilis crudelitate fidelium morte populorum rabiē suam desiderabit explere? Vlulat iste, nō * tractat: qui negat vocis auctorem, & sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit: qui non confitetur dominum Iesum æternæ præsulem vitæ. Audiuimus eius vlulatus, cum in orbem gladius mitteretur

Alludit ad illud [illegible] in Eclog. [illegible] visum videre priores.

Hoc eius tempestate vsu veniebat, cum rerum potirētur Ariani.

Tit.3.

Matth.7.

**pro concionatur.*

retur. Dentes asperos, ora tumida præferebat: & putabat, quòd vocem omnibus abstulisset, quam solos amiserat. Et ideo vt hos lupos effugere possimus, docet dominus, quid sequamur dicēs; *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Quid sit sacculum non esse portádum, alibi euidenter expressit. Scripsit enim Matthæus; quum *Matth. 10.* dixit ad discipulos dominus; Nolite possidere aurum, neque argētum. Si prohibemur aurum possidere: quid eripere, quid auferre conamur? Si quod habes, donare præciperis, quemadmodum *Rom. 2.* cōgeris, quod possidere prohibetis? Qui prędicas non furādum, furaris? Qui dicis non mœchādum, mœcharis? Qui execraris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomē enim Dei per vos blasphematur. Nō sic Apostolus Petrus, qui primum dominicæ executor sententiæ fuit, vt ostenderet non in vacuum domini effusa mandata, cum posceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largire- *Act. 3.* tur, ait, Argentum, atque aurum non habeo. Ille gloriatur, quòd non habeat argentum, atque aurum, vobis pudori est, minus adhuc habere, quā *Matth. 5.* cupitis. Est ergo & pauperies gloriosa: quia est & beata paupertas, de qua scriptū est: Beati pauperes spiritu. Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quòd argentum, & aurum non habeat, quàm quòd seruet domini mandatum, qui præcepit; Nolite aurum possidere. Hoc est dicere, Vides me Christi esse discipulum, & aurum à me requiris? Aliud nobis multo preciosius auro donauit, vt in nomine eius operemur. Itaq; non habeo, quod *Act. 3.* non dedit: sed quod dedit, habeo. In nomine domini Iesu surge, & ambula. Sicut ergo, qui horrea vult congerendis ædificare frumentis, dominicæ sententiæ auctoritate reprehenditur, ita qui sacculum vult auro parare cōdendo, æquum reprehensionis incurrit. *Non peram, non calciamenta.* Vtrunque de corio mortui animantis confici solet: nihil autem in nobis Dominus Iesus mortale *Exod. 3.* vult esse. Denique ad Moysen dicit, Solue calciamentum pedum tuorum: locus enim, in quo stas terra sancta est. Mortale igitur, atque terrenum calciamentum iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum. Huius enim minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari. Ipse enim, cum defensionem fratrum, hoc est, Iudæorum voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incœpto, & fugit ex Ægypto. Et ideo, cum dominus affectum eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi eius, mentisque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. Quia si quem mouet, qua ratione in Ægypto calciati iubentur edere agnum, Apostoli autem sine calciamētis ad prædicandum Euangelium diriguntur; is considerare debet: quia in Ægypto positus debet adhuc morsus cauere serpentis. Multa enim venena in Ægypto: & qui in typo pascha celebrat, patere potest vulneri; qui autem minister est veritatis calcat venena, non trepidat. Denique mo- *Act. 28.* mordit Paulum vipera in Melita insula, & videntes pendentem de manu eius viperam incolæ loci illius, putabant eum esse moriturum. Sed, vbi inoffensum stare viderunt, Deum esse dicebant, cui venenum nocere non poterat. Et, vt scias hoc verum esse, ipse dominus ait; *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, &c.* Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli. Sic enim Matthæus scribendum putauit. Quid est virga, nisi præferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis domini (in humilitate *Esa. 53.* enim iudicium eius sublatum est) humilis, inquam, domini præceptum discipuli eius humilitatis officiis exequuntur. Eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent; nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco humilitati putauit etiam patientiā copulandam; quia ipse quoque iuxta testimonium Petri, cum malediceretur, *1. Pet. 2.* non remaledixit, cum percuteretur, non repercussit. Hoc est ergo dicere; Imitatores mei estote, vltionis studia deponite; insolentiam verberantium non iniuriæ relatione, sed magnanimitate patientiæ supportate. Nemo in se debet, quod in alio reprehendit, imitari: grauiora contumacibus mansuetudo vulnera referet. Hoc pugno repercussit dominus verberatorem dicendo: Qui te percu- *Matth. 5.* tit in maxillam, præbe illi & alteram. Fit enim, vt iudicio suo ipse se damnet, & quodam stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro iniuria, quā fecit, aduerterit. Habet tamen, quos & cum virga Apostolos miserit, sicut Paulus testificatur dicens; Quid vultis? In virga *1. Cor. 4.* veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Hanc virgā etiā & Timotheo dedit Apo- *2. Timoth. 4.* stolus dicens; Argue, obsecra, increpa. Aut fortasse ante passionem domini, quæ nutantium populorum corda firmauit, necessaria sola fuerit mansuetudo; post passionem correptio? Certe mulceat dominus, increpet Paulus, suadeat, qui potest pectora etiam dura mollire; arguat, qui non potest vniuersa suadere. Virgam igitur Paulus ex doctrina legis assumpserat. Legerat enim; Qui parcit *Prouerb. 13.* baculo, odit filium suum. Legerat etiam; Quia agnum manducantes, baculum in manibus ha- *Exod. 12.* bere præcepto prophetico iubebantur. Et ideo dominus in veteri testamento ait; Visitabo in vir- *Psal. 88.* ga iniquitates eorum. In nouo autem seipsum obtulit, vt ignosceret vniuersis dicens? Si me quæritis, sinite hos abire. Et alibi habes, quia, cum Apo- *Ioan. 18.* stoli ignem de cælo petere vellent, vt consumeret Samaritanos, qui Iesum dominum intra ciuitatem suam recipere noluerunt, conuersus increpās illos ait; Nescitis, cuius spiritus estis? Filius enim *Supra 9.* hominis non venit animas hominum perdere, sed saluas facere. Perfectiores ergo sine virga diriguntur, infirmiores cum baculo manducant. Sed & Paulus virgam quidē minatur, sed in spiritu mansuetudinis visitat delinquentes. Denique, vt scias mitem esse doctorem, eorū ipsorum, quos arguit, consulit voluntatem. Quid vultis, inquit, In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Semel virgam dixit, his mitiora subiecit; adiiciens mansuetudinem charitati. Prius tamen minatus est virgam, sed exhibuit mā suetudinem. Nam in secunda epistola ad eosdem Corinthios *2. Cor. 1.* scribens ait; Testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni Corinthum. Audi qua ratione putauerit esse parcendum: Ne *2. Cor. 2.* iterum, inquit, in tristitia venirem ad vos. Abiecit virgam, & affectum charitatis assumpsit, *Et neminem salutaueritis in via.* Fortasse quibusdam hoc durum, & superbum, nec mansueti, & humilis domini præcepto conuenire videtur: quòd ille, qui etiam accubitionis loco præcepit esse cedendum,

hoc

hoc loco mandet discipulis; *Neminem salutaueritis in via*: cum iste communis sit vsus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi fauorem conciliare consuerunt. Gentiles quoque cum Christiania habêt huiusmodi officiorum commertia. Quomodo dominus hunc vsum humanitatis auellit? Sed considera non hoc esse solum: *Neminem salutaueritis*, sed
4. Reg. 4. non frustra additum; *In via*. Denique & Hæliseus, cum mitteret seruum suum vt baculum eius poneret supra corpus pueri defuncti, mandauit ei, ne per viam aliquem salutaret. Festinato enim iubebat eum conscendere, vt celebrandæ resurrectionis exequeretur officium: ne confabulatione alicuius obuij mandato flecteretur à munere. Ergo & hic non salutationis officium, ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt, quando diuina mandãtur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, sed pulchrior, quo maturior executio diuinorũ: quæ per moram sæpe trahit offensam. Ideo autem & honesta prohibentur, ne solennis gratia obrepat officij: & impediat ministerium, cuius mora culpa sit. Iamiam illa moralia, ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret: vt seruemus etiam hospitalitati amore constantiam, ne coalitam amicitiæ necessitudinẽ facile resoluamus, pacis præferamus nuncium, vt ipse primus ingressus pacis benedictione celebretur: cibo, potúque oblato oportere nos esse contentos: vasa illa fidei non præmenda: & regni cælestis Euangelium prædicandum.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hippon. in superius* Euang. *Homilia.*

Ser. 42. de Sanct. IN lectione euangelij, quę modo recitata est admonemur quærere, quæ sit messis, de qua Dominus ait, *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Tunc adiecit duodecim discipulis suis, quos & apostolos nominauit, alios septuaginta duos, & misit illos omnes, sicut ex verbis eius apparet, ad paratam messem. Quæ ergo erat illa messis? Non enim illa messis in his gentibus erat, vbi nihil fuerat seminatum. Restat ergo, vt intelligamus istam messem fuisse in populo Iudæorum. Ad illam messem venit Dominus messis, ad illam messem misit messores, ad gentes autem nõ messores, sed seminatores. Intelligamus ergo messem factam in populo Iudæorum, sementes in populis gentium. Ex illa enim messe Apostoli electi sunt, vbi iam cum meteretur maturum erat, quia vbi prophetæ seminauerunt. Delectat inspicere agriculturam Dei, & oblectari donis eius, & opera in agro eius. In hac enim agricultura operaba-
1. Cor. 15. tur qui dicebat, Plus omnibus illis laboraui. Sed vires ei dabantur ad operandum à Domino messis, ideo subiecit, Non ego sum, sed gratia Dei mecum. Nam se in agricultura versari satis ostendit,
1. Cor. 3 vbi ait, Ego plantaui, Apollo rigauit. Hic autem apostolus de Saulo Paulus, hoc est, de superbo minimus. Saulus enim à Saule denominatur. Paulum enim modicum est. Vnde nomen suum quo-
1. Cor. 15. dam modo interpretatus ait, Ego sum minimus Apostolorum. Ipse ergo Paulus, id est, modicus & minimus missus ad gentes, præcipue ad gentes se missum dicit. Ipse scribit, nos legimus, credimus, prædicamus. Ipse ergo dicit in epistola sua, quæ Gala. 1. & 2.
est ad Galatas, vocatum se iam à Domino Iesu venisse Hierosolymam, & Euangelium cum apostolis contulisse, dexteras sibi datas fuisse, & signum concordiæ, signum consonantiæ, quod ab se ipsi didicerant, eis in nihilo discrepabat. Deinde placuisse dicit inter se & ipsos, vt ipse ad gentes, illi autem in circuncisionem irent, ille seminator, illi messores. Merito etiam Athenienses, quamuis nescientes nomen suum, ei dixerunt. Audientes enim ab eo verbum, quis est, inquiũt, hic seminator verborum? Attendite ergo, & delectet vos mecum inspicere agriculturam Dei in Act. 17.
messes duas, vnam transactam, aliam futuram. Transactam in populo Iudæorum, futuram in populis gẽtium. Probemus hoc, & vnde nisi de scriptura Dei Domini messis? Ecce habemus ibi in præsenti capitulo dictum esse, *Messis multa operarij autem pauci. Rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Sed quia in illa messe futuri erant contradictores & persecutores Iudæi. *Ecce,* inquit, *mitto vos sicut agnos in medio luporum.* euidẽtius de hac messe aliquid ostendamus in Euangelio secundum Ioannem, ad puteum vbi fatigatus Dominus sedit, magna quidem acta sunt sacramenta, sed angustum tempus est, vt omnia pertractentur. Quod autem ad pręsentem rem pertinet audite. Suscepimus enim messem eandem in populis, in quibus prophetæ pręedicauerunt, ideo enim illi seminatores, vt apostoli possint esse messores. Samaritana mulier loquitur cum Domino
Ioan. 4. Iesu, Et inter cętera cum dixisset ei Dominus quo modo debeat adorari Deus: Ait illa, Scimus quia veniet Messias, qui dicitur Christus, & omnia nos docebit. Et Dominus ad illam, Ego sum qui loquor tecum, Crede quod audis, quid quęris quod vides? Ego sum qui loquor tecum. Quod autem illa dixerat, Scimus quia Messias veniet, quem annunciauerunt Moyses & prophetæ, qui dicitur Christus: Iam enim spica messis erat gignenda, acceperat & prophetas seminatores, apostolos expectabat natura messores. Mox vt hoc audiuit credidit, & hydriam dimisit, & festinanter cucurrit, annuntiare Dominum cœpit. Discipuli tunc ierant ad emendos panes. Qui redeuntes inuenerunt Dominum loquentem cum muliere, & mirati sunt. Non sunt tamen ausi dicere ei quid vel quare cum illa loqueris? Admirationem apud se habuerunt, audaciam corde presserunt. Huic ergo Samaritanæ non erat nouum nomen Christi, iam expectabat venientem, iam crediderat esse venturum. Vnde crediderat, nisi Moyses seminauerat, sed hoc expressius audite. Dominus tunc ad discipulos suos ait, Dicitis quia adhuc lõge est æstas, leuate oculos vestros, & videte albas regiones ad messem. Et adiungit, Alij laborauerunt, & vos in labores eorum intrastis. Laborauit Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, prophetæ, laborauerunt seminando, in aduentu Domini matura messis inuenta est. Missi messores cum falce Euãgelij, portauerunt manipulos ad aream dominicam, vbi Stephanus trituraretur. Hic autem accepit Paulus ille, & ad gentes mittitur, & non tacet hoc in commendando gratiam quam præcipue propriéque suscepit: ait enim in scripturis suis, missum se esse prædicare Euangelium, vbi Christus non erat nominatus. Sed iam quia facta est illa mes-

la messis, & omnes Iudæi, qui remanserūt: messem attēdamus quod nos sumus. Seminatum est enim ab apostolis, & prophetis. Ipse Dominus seminauit, Ipse enim in apostolis fuit, quia & ipse messuit Christus. Non enim illi aliquid sine illo, ille perfectus est sine illis. Ipse enim illis ait, Quia si-
Ioan. 15. ne me nihil potestis facere. Seminans ergo Chri-
Luc. 8. stus iam in gentibus quid dicit, Exijt seminans seminare. Ibi mittuntur messores metere, hic exijt seminans seminare impiger. Quid enim pertimuit quòd aliud cecidit in via, aliud in petrosa loca, aliud inter spinas? Si istas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perueniret. Quid ad nos, quid nobis est iam de Iudæis disputare, & loqui de palea: hoc solum ad nos ne via simus, ne saxum, ne spinæ, sed terra bona. Paratum cor meū vnde tricenum, vnde sexagenum, vnde millenum & centenum, illud minus est, & illud plus est, sed totum triticum est, via non sit vbi conculcatum semen à transeuntibus velut auis auferat inimicus. Saxum non sit vbi modica terra statim faciat germinare quod non possit solem portare. Spinæ non sint, cupiditates seculi, solicitudines vitæ vitiosæ. Quid enim peius solicitudine vitæ, quæ peruenire non permittit ad vitam? Quid miserius quàm euitando vitam, amittere vitam? Quid infœliciùs quàm timendo mortem, cadere in mortem? Extirpentur spinæ, pateatur ager, suscipiantur semina, perueniatur ad messem, horreum desideretur, non ignis timeatur, Ad nos itaque pertinet, quos qualescunque Dominus in agro suo consti-
1. Cor. 3. Luc. 13. tuit operarios, dicere ista vobis, seminate, plantare, rigare, aliquibus etiam arboribus circumfodere, & cophinum stercoris adhibere, pertinet ad nos hæc fideliter agere: ad vos, fideliter capere: ad Dominum, nos adiuuare operantes, vos credentes omnes laborantes, sed mundum in illo vincentes. Quid ergo ad vos pertinet dixi, quid ad nos pertineat volo dicere. Sed forte alicui ex vobis videtur, quia dixi superfluum aliquid me velle dicere, & apud seipsum loquens in cogitatione dicit, O si iam dimittat nos, iam dixit, quid pertineat ad nos, quod ad ipsum pertinet quid ad nos? Puto melius esse in alterna & mutua charitate pertineamus ad vos. De vna modo quidem vos familia estis, nos ex eadem quidem familia dispensatores sumus omnes, ad vnum Dominum pertinemus omnes. Nec quod do, de meo do, sed illius à quo accipio & ego. Nam, si de meo dedero, mendacium dabo. Qui enim loquitur men-
Ioan. 8. dacium, de suo loquitur. Debetis ergo audire quid pertineat ad dispensatorem, siue vt in vobisipsis si tales inueneritis congratulemini, siue etiam in hoc ipso instruamini. Quàm multi enim in hoc populo futuri sunt dispensatores, & nos ibi fuimus vbi estis, Et nos qui videmur modo de superiore loco conseruis metiri cibaria, ante paucos annos in inferiori loco cum conseruis accipiebamus cibaria. Episcopus laicis loquor. Sed inde scio quam multis, futuris episcopis loquor. Ergo videamus quo modo nos intelligamus, quod præcepit Dominus eis, quos mittebat Euangelium prædicare, & mente paratam messem, videamus. *Nolite*, inquit, *ferre sacculum aut peram, aut calceamenta, & neminem per viam salutaueritis, Et in quamcunque domum intraueritis, dicite, Pax huic domui. Si est illic filius pacis, requiescet super illum pax vestra: si quo minus, ad vos reuertetur.* Si requieuit, perdidi? Absit hoc à mente sanctorum. Ergo nec illud accipiendum est carnaliter, ne per hoc forte nec sacculus, nec calceamenta, nec pera, maximéque illud vbi nobis, si simpliciter sine discussione accipiamus, superbia videtur imposita, ne quenquam in via salutemus. Attendamus Dominum nostrum exemplum verum & adiutorium, Probemus quia ad-
Ioan. 15. iutorium, Sine me nihil potestis facere. Probemus quia exemplum, Christus pro nobis passus
1. Petri. 2. est, Petrus dicit, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius. Ipse Dominus noster loculos habuit in via, & ipsos loculos Iudæ com-
Ioan. 12. Concor. 12. quæstio 2. Exemplum. mendauerat. Patiebatur quidem furem. Sed ego à Domino meo discere cupiens dico, Domine patiebaris furem, vnde habebas vnde tolleret, me hominem miserum, & infirmum monuisti nec sacculum portare. Tu portasti loculos, & erat vbi furem patereris, Si non portares, nec ille inueniret, quod auferret. Quid restat nisi quod hîc dicat mihi, intellige quod audis, noli portare sacculum. Quid est sacculus? Pecunia clausa, id est, occulta sapientia. Quid est, nolite portare sacculum? Nolite fieri sapientes penes vos-
Rom. 12. metipsos. Accipite spiritum sanctum. Fons in te debet esse, non sacculus, vnde erogatur, non vbi includatur. Hoc est pera quod sacculus. Calceamenta quid sunt? Calceamenta, quibus vtimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedū. Per hoc ergo iubemur renuntiare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens ait, Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.
Exod. 3. Quid tam terra sancta, quàm Dei Ecclesia? In illa ergo stemus, calceamenta soluamus, id est, mortuis operibus renuntiemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, cōsolatur me idem ipse dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, Non
Luc. 3. sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. Sit ergo obedientia, non surrepat superba duritia. Ego, inquit, Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo: Tu potes, ego non possum. Quod simul accipimus, custodiamus. Quo modo charitate flagremus, inuicem diligamus. Ac sic fit, vt ego amem fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam. Quid autem tibi videtur, qui nō vis intelligere, quemadmodum ista dicta sint, & cogeris prauiter ipsi domino calumniari de loculis, & calceamentis? Quid tibi videtur? Itáne placet, vt iter agentes occurramus charis nostris, & eos non salutemus maiores, non resalutemus minores? Iámne Euangelium imples, quia salutaris, & taces? Hic vero non viatori iter agenti, sed miliario similis eris iter ostēdenti. Ergo stoliditatem deponamus, & verba domini intelligamus, & in via neminem salutemus. Nō enim sine causa hoc iubemur, aut nollet nos facere quod iuberet? Quid ergo est, *neminem salutetis in via*? Potest quidem & simpliciter sic accipi, quia iussit nos festinanter agere iniuncta. Et hoc ita dixit, *Neminem per viam salutaueritis*: tanquam diceret, Omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est peragatis, ea locutione qua solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi. Nec longe pergamus, in eodem sermone paulo post dicit. Et tu, Caper-
Luc. 10. naum, quæ vsque ad cælum exaltata es, vsque in infernum deprimeris. Quid est, vsque ad cælum exaltata es? Nunquid ciuitatis illius mœnia nubes
tetige

tetigerunt, aut ad sydera peruenerunt? Sed quid est, in cælum exaltata es? Nimium tibi fœlix videris, nimium potens, nimium superba es. Sicut ergo hoc exaggerandi gratia dictum est, in cælum exaltaris, ei ciuitati, quæ non vtique exaltabatur in cælũ aut ascendebat, sic pro festinatione exaggerationis dictum est, ita currite, sic agite quod iniunxi, vt non nimium quidẽ vos retardent agentes, sed omnia contemnentes ad finem propositum festinate. Sed est aliud quod hic magis recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me & ad omnes dispensatores, sed & ad vos auditores. Qui salutat, salutem dicit. Nam & antiqui in epistolis suis sic scribebant, Ille illi salutem. Salutatio à salute nomen accepit. Quid ergo est, *neminem in via salutaueritis*? Qui salutant in via, per occasionem salutant. Video vos cito intellexisse, nec tamen debeo iam finire. Non enim omnes cito intellexistis. Vidi in voce intelligentes, plures video silentio requirentes. Sed quia de via loquimur, tanquam in via ambulemus. Veloces tardos expectate, & pariter ambulate. Quid ergo dixi, Qui in via salutat, per occasionem salutat? Non ad eum ibat quem salutat, Aliud agebat, aliud occurrit, aliud petebat, aliud trãsuersò quod ageret inuenit. Quid est ergo per occasionem salutare? Per occasionem salutem annunciare. Quid est autem aliud salutem annunciare, quàm Euangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. Sunt ergo homines qui sua quærentes, non aliud prædicant *Phil.2.* Euangelium, De quibus Apostolus gemens dicit, Omnes enim sua quærunt, nõ quæ Iesu Christi. Et hi salutabant, hoc est, salutẽ annunciabant, Euangelium prædicabant, sed aliud quærebant, & ideo per occasionem salutabãt. Et quid est hoc? Si talis fueris, quisquis es facis, immo non talis quisquis facis, sed forte aliquis talis qui facis. Si talis fueris non facis, sed fit de te. Nam & tales *Phil.1.* admisit Apostolus, non tamen vt tales essent præcepit. Et ipsi agunt aliquid, & perficitur ex ipsis, aliud quærunt, & verbum annũciant. Quid quærat annunciator ne cures, quod annunciat tenere velis. Quod vero attendit, non ad te pertineat. Salutẽ audi ab ore ipsius. Salutẽ tene ab ore ipsius. Noli iudex esse cordis ipsius, Si vides eum alia re-*Matth.23.*quirentem quid ad te? Audi salutem, Quæ dicunt facite. Securum te fecit. Quid? Quæ dicunt facite. Mala faciunt, quę facere nolite. Bona faciunt, non in via salutant, non per occasionem Euangelium annunciant. Imitatores eorum estote, sicut & ipsi *1.Cor.4.* Christi. Bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite. Malus tibi prædicat, carpe vuam pendentem in sepe. Botrus implicite in palmite inter spinas creuit, & de spinis non germinauit. Plane quãdo tale aliquid vides & esuris, solicite carpe, ne cum ad vuam manum mittis, laceretis à spinis. Hoc est quod dico, sic audi quod bonũ est, ne malos mores imiteris. Prædicet ex occasione, salutet in via, illi nocebit quòd non audiuit præceptum Chri-*Luc.10.*sti, *Neminem in via salutaueritis*, tibi non nocebit. Qui siue à transeunte, siue à veniẽte salutem audis, salutem tenes. Apostolum audi sicut præmisseram admittentem ista. Quid enim? Dum omni modo, siue occasione, siue veritate Christus an-*Phil.1.*nuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim ipsum mihi proficere in salutẽ per vestram obsecrationem. Tales igitur apostoli Christi prædicatores Euangelij non salutantes in via, hoc est non aliud quærentes, vel agentes, sed germana charitate Euangelium annunciantes, veniant ad domum, & dicant, pax huic domui: Non ore solum dicunt, quo pleni sunt fundunt, prædicant, pacem, & habent pacem. Non sunt tales, de quibus dictum est, Pax pax, & non est pax. Quid est *Hier.5.* pax pax, & non est pax? Prædicantes non habent, laudant & amant, dicunt & non faciunt. Sed tamen tu accipe pacem, siue occasione, siue veritate Christus annuncietur. Qui ergo plenus est pace & salutat, Pax huic domui: si est illic filius pacis, *Matth.23.* requiescet super eũ pax illius: Si quo minus, forte enim non est illic filius pacis, nihil perdidit qui salutauit. Ad vos, inquit, reuertetur. Reuertetur ad te, quæ non discessit à te. Hoc enim dicere voluit, tibi prodest quod annunciasti, nihil profuit qui non suscepit, non quia ille inanis remansit, ideo tu perdidisti mercedem, redditur tibi pro voluntate tua, redditur tibi pro charitate qua tu impendisti, reddet tibi qui te securum velit voce angelica, Pax in terra hominibus bonæ *Luc.2.* voluntatis.

S. TITI BOSTRORVM *Episcopi superioris Euangel. expositio.*

Post hæc autem designauit Dominus, & alios septuaginta duos discipulos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Non citra causam Christus Deus, & dominus noster duodecim Apostolis septuaginta duos discipulos adiũxit: Cernebat enim magnam eorum futuram multitudinem, qui olim in ipsum credituri erant. Tendebat enim non Israeli tantùm retia, sed gentium quoque gregibus; Hæc ergo auctoris numeri ratio extitit. Quæ hinc cõsequuntur, vsque ad illud: *Nolite transire de domo in domum:* (id quod vagorum, mercedémque ambientium est, & certæ nihilominus calumniæ expositum est) & hinc rursum, vsque ad illud: Qui me spernit, spernit eum, qui misit me, ea in Euangelio secundùm Matth. enarrata sunt.

S. GREGORII PAPAE *in superius Euang. Homilia.*

Est Hom.17. in Euang. DOminus, & saluator noster, fratres charissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando verò operibus admonet. Ipsa etenim facta eius, præcepta sunt: quia, dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit. Ecce enim binos in prædicatione discipulos mittit. Quia enim duo præcepta sunt charitatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minùs quàm inter duos haberi charitas nõ potest (nemo etenim propriè ad seipsum habere charitatem dicitur, sed dilectione in alterum tendit, vt esse charitas possit) binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenùs hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Benè autem dicitur, quia *misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus.* Prædicatores enim suos Dominus sequitur, quia prædicatio præue-

mit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, atque per hæc veritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem prædicatoribus Esaias dicit; Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc illis Psalmista ait; Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit, quia vnde in passione occubuit, inde maiorem gloriã suam resurgendo manifestauit. Super occasum videlicet ascendit, quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcauit. Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos eius gloriam vestris mentibus prædicamus, vt eas & ipse pòst veniens, per amoris sui præsentiam illustret. Missis autem prædicatoribus, quid dicat, audiamus, *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Ad messem multam, operarij pauci sunt, quod sine graui loqui mœrore non possumus: quia etsi sunt qui bona audiãt, desunt qui dicant. Ecce mũdus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operator: quia officium, quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Sed pensate, fratres mei, pensate quod dicitur; *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne postquam prędicationis locum suscepimus, apud iustum iudicem nostra nos taciturnitas addicat. Sæpè enim pro sua nequitia, prædicantium lingua restringitur. Sæpè verò ex subiectorum culpa agitur, vt eis, qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur. Ex sua quippe nequitia prædicantium lingua restringitur, sicut Psalmista ait; Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iustitias meas? Et rursum ex vitio subiectorum vox prædicantium prohibetur, sicut ad Ezechielem Dominus dicit; Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Ac si apertè dicat; Ideircò tibi prædicationis sermo tollitur, quia, dum me in suis actibus plebs exasperat, non est digna, cui exhortatio veritatis fiat. Ex cuius ergo vitio prædicatori sermo subtrahatur, non facilè agnoscitur: quia verò pastoris taciturnitas aliquando sibi, semper autem subiectis noceat, certissimè scitur. Sed vtinam si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium innocentia vitæ teneamus. Nam subditur; *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Multi enim cùm regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia charitatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minimè recognoscunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant: & si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæuiunt. De quibus aliàs veritas dicit: Veniunt ad vos in vestimẽtis ouium, intrinsecùs autẽ sunt lupi rapaces. Contra quæ omnia considerandum nobis est, quia sicut agni inter lupos mittimur, vt sensum seruantes innocentiæ, morsum malitiæ non habeamus. Qui enim locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet; sed tolerare: vt ex ipsa sua mansuetudine iram sæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quem & siquando zelus rectitudinis exigit, vt erga subiectos sæuiat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate: quatenus & iura disciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quos foris quasi insequendo castigat. Quod tunc benè rector exhibet, cùm semetipsum diligere per amorem priuatum nescit, cùm nulla, quæ mundi sunt, appetit, cùm terrenæ cupiditatis oneribus nequaquam mentis colla supponit. Vnde & subditur, *Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.* Prædicatori enim tanta in Deo debet esse fiducia, vt præsentis vitæ sumptus, quamuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: ne, dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis prouideat æterna. Cui etiam per viam neminem salutare conceditur, vt sub quanta festinatione iter prædicationis peragere debeat, ostendatur. Quæ si quis verba etiam per allegoriam velit intelligi, in sacculo pecunia clausa est. Pecunia verò clausa, est sapientia occulta. Qui igitur sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet: vnde scriptum est; Sapientia absconsdita, & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrisq;? Quid verò per peram, nisi onera sæculi, & quid hoc loco per calceamenta, nisi mortuorum operum exempla signantur? Qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est, vt onus sæcularium negociorum portet: ne, dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cælestia non assurgat: nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat muniri. Sunt etenim multi, qui prauitatem suam ex alienis prauitatibus tuentur. Quia enim alios talia fecisse considerant, se hæc facere licenter putant. Hi quid aliud faciunt nisi pedes suos ex mortuorum animalium munire pellibus conantur? Omnis verò, qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione, & non ex intentione salutem audientibus exoptat. Sequitur; *In quamcunque domum intrauerit is, primum dicite: Pax huic domui, &c.* Pax, quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in ea filius pacis fuerit, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequitur, quod audit: aut, si nullus audire voluerit, ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertitur: quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recompensatur. Ecce autem qui sacculum, & peram portare prohibuit, sumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Nam sequitur. *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Si pax nostra recipitur, dignum est, vt in eadem domo maneamus, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: vt ab eis terrena stipendia cõsequamur, quibus præmia vitæ cælestis offerimus. Vnde etiam Paulus hæc ipsa pro minimo suscipiens, dicit; Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Et notandum quod subditur; *Dignus est operarius mercede sua,* quia iam de mercede sunt operis ipsa alimenta sustentationis, vt hic merces de labore prædicationis inchoetur,

Margin notes: Esa. 40. — Psal. 67. — Psal. 49. — Ezech. 3. — Matth. 7. — Eccl. 41. — 1. Cor. 4.

cho[illegible], quæ illic de veritatis visione perficitur. Q[illegible] re[illegible]ndú est, quòd vni nostro operi [illegible] m[illegible]es [illegible]ebentur, vna in via, altera in p[illegible], quæ nos in labore sustentet: alia, quæ nos in te[illegible] re[illegible]ne re[illegible]muneret. Merces itaque, quæ in præ[illegible]enti recipitur, hoc in nobis debet agere, [illegible] ad sequentem mercedem robustiùs tendatur. V[illegible]rus ergo quisque prædicator, non ideò p[illegible]d[illegible]at, [illegible]ber [illegible] vt in hoc tempore mercedem [illegible]o mercedem recipere, vt prædicare [illegible]. Qui[illegible]quis nanque ideò prædicat, vt h[illegible]c ve[illegible]s, vel muneris mercedem recipiat, æte[illegible]na [illegible]dubio mercede se priuat. Quisquis verò p[illegible] ea [illegible]æ dicit, ideo placere hominibus ap[illegible], [illegible] placet, quod dicitur, per eadem d[illegible]an[illegible]led Dominus ametur: vel idcircò [illegible]a in prędicatione consequitur, ne [illegible] præ[illegible]s v[illegible]ce per indigentiam lassetur: h[illegible]u[illegible]ubiò ad recipiendam mercedem nihi[illegible]b[illegible]t in patria, quia sumptus sumpsit in via. Sed quid nos [illegible] quod tamen dicere sine dolore nó [illegible]umus [illegible] quid nos, ô pastores, agimus, qui & [illegible]erce[illegible]em consequimur, & tamen operarij ne[illegible]q[illegible]uam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesię in [illegible]end[illegible]o quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex o[illegible]atione fidelium viuimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum [illegible]ipendium sumimus, quæ pro redimendis peccat[illegible] suis fi[illegible]les obtulerunt, nec tamen contra [illegible]e[illegible]ata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, vt dignum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus, & adhuc (quod est grauiùs) aliquando, si persona in hoc mundo potens sit, eius forsitan & errata laudamus, ne, si aduersetur, per iracundiam munus subt[illegible]hat, quod impendebat. Sed debemus sine ce[illegible]ione meminisse, quod de quibusdam scriptum est; Peccata populi mei comedent. Cur autem peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia sti[illegible]endia amittant? Sed & nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt, si comedimus, & tacemus, eorú procul dubio peccata manducamus. Pensemus ergo cuius [illegible]i apud Deum criminis, peccatorum pre[illegible]ci[illegible]m manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Audiamus quid de talibus beati Iob voce dicitur; Si aduersùm me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius defluét, si fructus eius comedi absque pecunia. Terra etenim cótra pos[illegible]s[illegible]ssorem suum clamat, quando contra pastorem [illegible]m iustè ecclesia murmurat. Cuius etiam sulci deflent, si corda audientium, quæ a præcedentibus [illegible]unt pat[illegible]ibus prædicationis voce, & vigore inuectio[illegible]is exarata, vident aliquid, quod lugeant de vita pastoris. Cuius videlicet terræ fructus p[illegible]essor bonus sine pecunia non manducat, quia discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de ecclesia stipédium sumat alimenti. Tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus [illegible]med[illegible]us, qu[illegible]do sumentes ecclesia[illegible]st[illegible]a subsidia, in præ[illegible]icatione laboramus. Præcones na[illegible]q[illegible]e venturi iudicis sumus. Quis ergo se[illegible]urum iudicem nunciat, si præco tacet? Proinde considerandum nobis est, vt inquantum valet quisque in quantum sufficit, & terrorem venturi iudicij, & dulcedinem regni susceptæ ecclesiæ insinuare contendat. Et quia vna, eadémque exhortationis voce nó sufficit simul cunctos admouere, debet singulos inquátum valet, instruere, priuatis locutionibus ædificare, exhortatione simplici fructum in filiorum suorú cordibus quęrere. Debemus namque pensare continuè, quòd sanctis Apostolis dicitur, & per apostolos nobis; Vos estis sal terræ. Si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui pastores estis, pensate, quia Dei animalia pascitis. De quibus profectò animalibus Deo per Psalmistam dicitur; Animalia tua habitabunt in ea. Et sæpè videmus, quòd petra salis brutis animalibus anteponitur, vt ea eadem salis petra lambere debeát & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis, debet esse sacerdos in populis. Curare nanque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, vnumquemque qualiter moneat: vt, quisquis sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim terræ non sumus si corda audientium non condimus. Quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc verè aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus, si nosipsi diuino amore compúgimur, & humanæ vitæ (quæ sine culpa transiri nequaquam potest) quotidianas maculas lachrymis lauamus. Tunc autem de nobis verè compungimur, si studiosè patrum præcedentium facta pensamus, vt ex conspecta illorum gloria, in nostris oculis nostra nobis vita sordescat. Túc verè compungimur, cum præcepta Dei studiosè perscrutamur, & per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ iam profecisse nouimus quos veneramur. Hinc est, enim quod de Moyse scriptú est; Posuit & labrum æneum, in quo lauarentur Aaron, & filij eius, cum ingrederentur in sancta sanctorum: quod fecit de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Labrum quippe æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei prius nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam nó sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierum perhibetur factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubabant. Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper inspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt: quia, dum præceptis dominicis solerter intendunt, in eis proculdubiò, vel quid in se cælesti viro placeat, vel quid displiceat cognoscunt. Quæ quandiù in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequaquam possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit, quia lex Dei lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea, per quę sanctæ animæ superno sponso placuerút, inuenda nobis cælestia præcepta præbet: quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas

Matth. 5.

Psal. 67.

Exod. 38.

Iob

culas videmus: videntes autem maculas, in pœnitentiæ dolore compungimur: compuncti verò quaſi in labro de ſpeculis mulierum lauamur. Eſt autem valde neceſſarium, vt cum de nobis in compunctione afficimur, etiam commiſſorũ nobis vitam zelemus. Sic ergo nos amaritudo compunctionis afficiat, vt tamen à proximorum cuſtodia non auertat. Quid enim prodeſt, ſi amantes noſmetipſos, relinquamus proximos? vel quid rurſùm prodeſt, ſi amantes vel zelãtes proximos, relinquamus noſmetipſos? In ornamento quippe tabernaculi bis tinctus coccus offerri præcipitur, vt ante Dei oculos charitas noſtra Dei & proximi amore coleretur. Ille autem verè ſe diligit, qui purè diligit authorem. Tunc ergo coccus bis tingitur, quando erga ſe & proximum ex amore veritatis animus inflãmatur. Sed inter hæc ſciendum nobis eſt, vt ſic exerceatur zelus rectitudinis contra praua acta proximorum, quatenùs in feruore diſtrictionis, nullo modo relinquatur virtus manſuetudinis. Ita etenim ſacerdotis nequaquàm debet eſſe præceps, & perturbata, ſed magis ex conſilij grauitate metienda. Et portare igitur debemus quos corrigimus, & corrigere, quos portamus, ne ſi ex vtroque vnum defuerit, vel in feruore, vel manſuetudine actio ſacerdota-

3.Reg.7. lis non ſit. Hinc namque eſt, quòd in templi miniſterio in baſibus templi, ſculptorio opere leones, & boues, & Cherubim expreſſa ſunt. Cherubim quippe eſt plenitudo ſcientiæ. Sed quid eſt, quòd in baſibus nec leones ſine bubus, nec boues ſine leonibus ſiunt? Quid enim aliud ſignant baſes in templo, niſi ſacerdotes in Eccleſia, qui dum ſolicitudinem regiminis tolerant, quaſi more baſium ſuperimpoſitum onus portant? In baſibus igitur Cherubim exprimuntur, quia decet nimirum, vt ſacerdotum pectora plenitudine ſcientiæ ſint referta. Per leones autem terror ſeueritatis, per boues verò patientia manſuetudinis figuratur. Itaque in baſibus nec leones ſine bobus, nec boues ſine leonibus exprimuntur: quia ſemper in ſacerdotali pectore cum terrore ſeueritatis cuſtodiri debet virtus manſuetudinis: vt & iram manſuetudo condiat, & eandem manſuetudinem, ne fortè diſſoluta ſit, zelus diſtrictionis accendat. Sed iſta cur loquimur, cùm adhuc pleróſque grauari factis atrocioribus videamus? Vobis enim ſacerdotibus lugẽs loquor, quia nonnullos veſtrum cum præmiis facere ordinationes agnouimus, ſpiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cũ peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam veſtram non redit, quod vox dominica

Matth.10. præcipiẽs dicit; Gratis accepiſtis, gratis date? Cur non ante mẽtis oculos reuocatis, quòd templum redemptor noſter ingreſſus, cathedras vendentium columbas euertit, & nummulariorum effu-

Ioan.2. dit æs? Qui nanque ſunt in templo Dei hodiè qui columbas vendunt, niſi qui in Eccleſia precium de impoſitione manus accipiunt, per quam videlicet impoſitionem ſpiritusſanctus cœlitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impoſitio, per quam ſpiritusſanctus accipitur, ad precium præbetur. Sed redemptor noſter cathedras ven-

Habetur hoc præcipue in canonibus Chalcedonenſis concilij. dentium columbas euertit, quia talium negociatorum deſtruit ſacerdotium. Hinc eſt enim, quòd ſacri canones Simoniacam hæreſim damnant, & eos ſacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus precium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi, qui ſpiritualem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos ſacerdotio priuantur. Et quidem multa ſunt alia præpoſitorum mala, quæ humanos modò oculos latent: & plerunque ſe paſtores ſanctos hominibus exhibent, atque in occultis ſuis videri turpes ante interni arbitri oculos non erubeſcunt. Veniet profectò ille dies, & non longè eſt, in quo paſtorum paſtor appareat, & vniuſcuiuſque facta in publicum deducat: & qui modò ſubditorum culpam per præpoſitos vlciſcitur, tunc præpoſitorum mala per ſemetipſum ſæuiens damnet. Vnde & ingreſſus templum, per ſe quaſi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei prauos negociatores eiiciens, cathedras vendentium columbas euertit: quia ſubditorum quidem culpas per paſtores percutit, ſed paſtorum vitia per ſemetipſum ferit. Ecce modò hominibus negari poteſt, quod latenter agitur. Ille certè iudex venturus eſt, cui tacendo quiſque non poteſt celare, quem negando non poteſt fallere. Et aliud, fratres chariſſimi, quod me de vita paſtorum vehemẽter affligit: ſed ne cui iniurioſum videatur fortaſſe quod aſſero, me quoque pariter accuſo: quãuis barbarici timoris neceſſitate compulſus, valde in his inuitus iaceo. Ad exteriora enim negotia dilapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, vt video, epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Relinquunt nanque Deum hi, qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus. In prauis actibus iacent, & correctionis manus non tendimus. Quotidiè per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus noſtram? Curis enim ſecularibus intenti, tanto inſenſibiliores intùs efficimur, quãto ad ea, quæ foris ſunt ſtudioſiores videmur. Vſu quippe curæ terrenæ à cœleſti deſiderio animus obdureſcit, & dum ipſo ſuo vſu durus efficitur per actionem ſeculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. Vnde benè ſancta Eccleſia de membris ſuis infirmãtibus dicit; Poſuerũt me cuſtodem in vi- Cant.1

neis, vineam meam non cuſtodiui. Vineę quippe noſtræ actiones ſunt, quas vſu quotidiani laboris excolimus. Sed cuſtodes in vineis poſiti, noſtram vineam minimè cuſtodiuus: quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus. Nullum puto, fratres chariſſimi, ab aliis maius præiudicium, quàm à ſacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui cõpeſcere peccata debuimus. Plerunque quod eſt grauius, ſacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerunque ſi quos humiliter, ſi quos continenter viuere conſpiciunt, irrident. Conſiderate rogo quid de gregibus agatur, quando lupi paſtores fiũt. Hi enim cuſtodiam gregis ſuſcipiunt, qui inſidiari gregi dominico non metuunt contra quos Dei greges cuſtodiri debuerunt. Nulla animarum lucra quęrimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et

quia

[illegible] prælati sumus, ad agenda [illegible] honorem hic utiam habemus, susce[illegible] bonis ministerium vertimus ad ambitionis [illegible] mentum: Dei causas relinquimus, [illegible] negocia vacamus: Locum sanctitatis [illegible], & terrenis actibus implicamur. [illegible] rum est in nobis profectò, quod scriptu est; [illegible] Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ploremus Ieremiæ lachrymis, consideret mortem nostram, & Tren. 4. deplorans dicat, Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est: quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color [illegible] mutatus: quia ille sanctitatis habitus [illegible], & abiecta opera ad ignominiam des[illegible] venit. Lapides verò sanctuarij intrinse[illegible], nec sumebantur in summi sacer[illegible] tempore, nisi cùm sancta sanctorum ingre[illegible], in secreto sum cō litoris apparebat. Nos er[illegible] fratres charissimi, nos summus lapides [illegible] qui apparere debemus semper in se[illegible] nunquam necesse est foris con[illegible], nunquam in extraneis actibus videri. [illegible] sunt lapides sanctuarij in capite om[illegible], quia hi, qui per vitam, & oratio[illegible] debuerant, per vitam re[illegible] vacant. Ecce iam penè nulla est se[illegible], quam non sacerdotes administrent. Dū ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt, quæ exhibent, quasi sanctuarij lapides foris iacēt. Quia enim Græca voce platea à latitudine vocatur, sanctuarij lapides in plateis sunt, cùm religiosi [illegible] lata mundi itinera sectātur. Nec solùm in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt [illegible] & per desiderium mundi huius opera per[illegible] & tamen de religioso habito culmen ho[illegible] quærunt. In capite ergo platearum dispersi [illegible], quia & iacent per ministerium operis, & ho[illegible] volunt de imagine sanctitatis. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicitis, quibus [illegible] perenssionibus intereat populus, videtis. Cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? [illegible] depopulatæ vrbes, euersa sunt castra, ec[illegible], ac monasteria destructa, in solitudiné agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo authores [illegible] extitimus, qui esse debuimus duces ad vi[illegible]. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata e[illegible], quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerim? Quæ ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traiiciantur, id est, vt in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant. Se[illegible] huius cibi condimentum nos esse debuimus. Sicut enim paulò superiùs præfati sumus, missis Matth. 5. prædicatoribus dicitur, Vos estis sal terræ. Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Sed quia, dum nos ab orationis, & eruditionis sanctæ vsu cessamus, sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei, atque ideireò ab authore non sumitur, quia exigēte fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo, qui vnquam per linguam nostram conuersi, qui de peruerso opere suo nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt. Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? Quis auaritiam, quis superbiam declinauit? Pensemus quod lucrum fecimus Deo. Nos talentu acceptu ab eo, ad negocium missi sumus. Etenim dicit: Negociamini, dū Luc. 19. venio. Ecce iam venit, ecce de nostro negocio lucrum requirit. Quale ei animarū lucrum de nostra negociatione monstrabimus? Quot eius cōspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete allaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tātæ districtionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum seruis, quibus talen- Matth. 25. ta credidit ponet. Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum, atque Archangelorum choros videbitur: in illo tanto examine electorum omnium, & reproborū multitudo deducitur, & vnusquisque quid sit operatus ostenditur. Ibi Petrus cum Iudæa cōuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum (vt ita dixerim) mundum ducens, ibi Andreas post se Achaiam, Ioannes Asiā, Thomas Indiam in conspectu sui iudicis conuersam ducent. Ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, quid nos miseri dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negocium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oues, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic enim pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. Sed nunquid, si nos negligimus, omnipotens Deus deserit oues suas? Nullo Ezech. 34. modo: nam ipse eas, sicut per prophetam pollicitus est, per semetipsum pascit, omnésque quos præordinauit ad vitam, flagellorum stimulis, cōpūctionis spiritu erudit. Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicūtur, & per impositionem manuum nostrarum à Deo spiritum sanctum accipiunt, atque ipsi ad regnum cœleste pertingunt, & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam, & sacerdotes ipsi per vitā reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? Timeamus hæc fratres: conueniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum quotidiè relaxatione cogitemus, ne vita nostra peccatis obligata remaneat, per quam omnipotens Deus quotidiè alios soluit. Consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negocium nostrum, pensemus pondus, quod suscepimus, faciamus nobiscum quotidiè rationes, quas cum nostro iudice habebimus: & sic debemus agere curam nostram, vt non negligamus curam proximi, vt quisquis ad nos iungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Cùm vacātem quempiam, & lubricum videmus, admonendus est, vt coniugio frenare studeat iniquitatem suam, quatenùs per hoc quod licet, discat superare quod non licet. Cùm coniugatum videmus, admonendus est vt sic exerceat curam seculi, ne postponat amorem Dei: sic placeat voluntati coniugis, vt non displiceat conditori. Cùm clericum videmus, admonendus est, quatenùs sic viuat, vt exemplum vitæ secularibus præ-

beat, ne, si quid in illo iustè reprehenditur, ea eius vitio ipsa vel gionis nostræ æstimatio grauetur. Cùm monachum videmus, admonendus est, vt reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circunspiciat, & ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat: & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. Iste itaq; iam sanctus admoneatur vt crescat, qui ille verò, adhuc iniquus est, admoneatur, vt se corrigat: quatenùs quisquis se ad sacerdotem iunxerit, sale sermonis eius conditus recedat. Hæc, fratres, vobiscum solicitè cogitate, hæc & proximis vestris impendite, omnipotenti Deo fructum vos reddere de negocio, quod accepistis, parate. Sed ista, quę dicimus, meliùs apud vos orando, quàm loquendo obtinebimus. Oremus: Deus qui nos pastores in populo vocari voluisti, præsta quæsumus, vt quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, &c.

Monachi propriis quidam habent.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expositio.

Ex comment. in Lucam.

P*Ost hæc autem designauit dominus & alios septuaginta duos.* Sicut duodecim Apostolos formam episcoporum exhibere simul, & præmonstrare nemo est, qui dubitet, sic & hos septuagintaduos figuram presbyterorum, id est secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est: Tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur episcopi. Quorum vnum sapientiæ maturitatem, alterum industriam curæ pastoralis significat. Bene autem septuagintaduo mittuntur. Siue quia totidem mundi gentibus euangelium prædicandum erat, vt quomodo duodecim tribus Israel, ita & hi propter cæteras gentes destinarentur imbuendas. Seu quod ipso prædicantium numero totus orbis per euangelium summæ, & indiuiduę Trinitatis illustrandus intimabatur. Sicut solem hunc constat triduanum suę lucis ambitum mundo per septuagintaduas horas ad flare solitum. Nam & dominus ipse se diem, suos vero apostolos horas appellat, dicens. Nónne duodecim horæ sunt diei? si quis ambulauerit in die, non offendit. Et in Psalmis præcipitur bene; Nunciate diem de die salutare eius: hoc est, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Sed & multis sanctæ scripturæ locis per tres dies mysterium Trinitatis ostenditur, præcipue quia dominus tertia die resurrexit à mortuis. Sed & in veteri testamento populus ad montem Sinai perueniens die tertia legem accepit. Idem fluuium Iordanem quo baptismi gratia commendata est, tertia quam aderat die, transiuit. *Et misit illos binos ante faciē suā, &c.* Quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minus quā inter duos haberi charitas non potest (nemo enim propriè ad seipsum habere charitatem dicitur, sed dilectione se in alterum tendit, vt esse charitas possit) binos ad prædicandum discipulos dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quòd *misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* Prædicatores enim suos dominus sequitur, quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum dominus venit. Verba exhortationis præcurrunt, atque per hæc veritas in mente suscipitur. *Et dicebat illis: Messis quidem multa, &c.* Messis multa populorum significat multitudinem. Operarij pauci, penuriam magistrorum. Isti sunt operarij, de quibus Psalmista loquitur, Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, & flebant portantes semina sua. Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos. Et vt apertius loquar, messis multa omnis turba credentium est. Operarij pauci, apostoli, & imitatores eorum, qui mittuntur ad messem. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* Lupos scribas, & pharisæos vocat, qui sunt clerici Iudæorum. *Nolite portare sacculum, &c.* Tanta prædicatori debet in Deo esse fiducia, vt præsentis vitæ sumptus quamuis non præuideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat. Ne, dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis præuideat æterna. Cui etiam per viam neminem salutare conceditur, vt sub quanta festinatione iter prædicationis pergere debeat ostēdatur. Quæ si qui verba etiam per allegoriam velit intelligi, in sacculo pecunia clausa est. Pecunia verò clausa est sapientia occulta. Qui igitur sapientię verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet Et scriptum est; Sapientia abscondita, & thesaurus absconditus, quę vtilitas in vtrisque? Quid vero per peram, nisi onera sęculi? Et quid hoc loco per calciamenta, nisi mortuorum operum exempla signantur? Qui igitur officium prędicationis suscipit, dignum non est, vt onus secularium negotiorum portet, ne, dum hoc eius colla deprimit, ad prędicanda cęlestia non adsurgat. Nec debet stultorum operū exempla cōspicere, ne sua opera, quasi ex mortuis pellibus, credat munire. Omnis vero, qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio obtinendę eiusdem salutis. Qui igitur non amore æternę patrię sed præmiorum ambitu, salutem audientibus prędicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione, & non ex intentione, salutem audientibus exoptat. *In quamcunque domum intraueritis, &c.* Sin autem, ad vos reuertetur. Pax, quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequitur quod audit; aut, si nullus audire voluerit, ipse prędicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertitur, quoniam ei à domino pro labore sui operis recompensatur. Ecce autem qui peram, & sacculum portari prohibuit, sumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Nam sequitur. *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos sunt.* Si pax nostra recipitur, dignum est, vt in eadem domo maneamus, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: vt ab eis terrena stipendia consequamur, quibus præmia patriæ cælestis offerimus. Vnde etiam Paulus pro minimo hæc ipsa suscipiens, dicit, Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Et notandum, quod subditur; *Dignus est enim operarius mercede sua.* Quia iam de mercede sunt

ope

operis,ipsa alimenta sustentationis,vt hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est,quòd vni nostro operi duæ mercedes debentur, vna in via, altera in patria, vna quæ nos in labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione remuneat. *Et in quacunque ciuitate intraueritis,&c.* Des[illegible] pto diuer[illegible] domus hospitio,quod etiam in ciuit[illegible]ibus agere debeant, docet, piis videlicet in omnibus cummoniceare, ab impiorum vero pet omnia societate secerni.

PROCOPII DIACONI, & Chartophylacis laudatio in sanctum Apostolum, & Euangelistam Marcum.

RVsus Apostolica panegyris, ac celebritas effulget. Rursus ego vna cum iis, qui eiusdem [illegible] participes sunt, exulto. Rursus eius, qui Chr[illegible]i d[illegible]scipulus fuit, memoria, instar facis eu[illegible] lumen nobis præfert. Et ego linguam ip[illegible] ad hymnorum choreas celebrandas confero. [illegible]uæ quidem lingua obscura quædam pronunciat; nullios enim vibiatilis orationis particeps est, neque pulchra, & eleganti concinnitate verborum probatur, quamuis neque si his rebus bene munita esset ad beati Marci laudes explicandas satis esse posset. Ea tamen nunc præclatis Euangelistæ factis exultat, & earum rerum,quas ille be[illegible]è gessit, facultatem quàm maximè potest admiratur. Marcus Petri filius,& eius,qui claues cælorum accepit,socius,mysteriorum nuncius,& arcanorum præco,qui Ægyptum illustrauit, & in illius regionis sacro throno primos sedit. (Neque enim hoc ad laudationis, & gloriæ materiam parum est, cùm difficilius sit tellurē spinosiorem factam,quam illam, quæ purgata est,laboris studio excolere) hic, inquam, nos hodie in conuiuium ac[illegible]pit,hic sua egregia,& præclara facta, tāquam ub[illegible]onia quædam,proponit.Simul enim cum vere ip[illegible]o suauissimo, & omnium iucundissimo anni tempore huius viri sancti dies * festus exortus est, & instar splendidissimi solis humanas animas illustrauit. Nanque vt nunc terra ipsa floribus ornata est,ita & præsens dies præclaris Euangelistæ Marci factis decoratus, omnes ad se congregauit. Fidelium hominum cateruæ, tanquam ex conuentione quadam,eodem in loco versantes,Apostolum ipsum beatum prædicant. Generum cœtus, atque eoooentus mysteriorum auctorem celebrant: & magnifice, vt Christi scribam, extollunt; eiusque diuini aduentus testem honorant. Vel dicam potius: Mundus ipse tanta huius viri rectè facta vt diuina suspicit, & magno eum applausu veneratur. Cuncti enim eius doctrinam adiotricem sensetuot. Sed neque oratio, neque lingua hunc pro dignitate laudate potest. Quid enim primum, aut quid postremum laudaueri? Nam & appellationes earum rerum, quæ in illo effulserunt,multiplices sunt, & certamina ipsa horribilia. Hic enim & eum contemplatus est,quem humani oculi videre non potuerunt in nostro hoc corporeo tegumento apparentem. Hic & terram, quæ ipsum produxit, dereliquit, diuināque voce inuitatus, propinquorum hominum amoris illecebras propulsauit; próque nihilo fecit generis honores,ac splendorem. Fluxæ, & caducæ mundi facultates somnium quoddam illi visę sunt.Itaque Deum ipsum rerum omnium Dominum tantùm dilexit, vnáque,& solâ fœlicitatē ea esse arbitratus est,quæ Deus promisit. Idem & in discipulorum societatem aggregatus fuit. Nam in septuaginta duorum Apostolorum cœtu connumeratus est,tanquam splendidum quoddam lumen inter stellas apparens, ab illo,qui eum vocauit,delectus,cui nihil ex i[illegible]s,quę in inferiore hac mundi scena, & voluptate habentor,conferri potest. Verè Petri filius fuit Marcus, ita illi mente, & animo fuit similis. Natura enim ipsa, quæ propria sunt alicui generi, ea sic distribuit,vt & his,qui sunt eiusdem generis, eummonia sint, & egregias vniuscuiusque virtutes unibus communes proponit. Hoc ex eo declaratur, quòd Marcus Deo ipsi obediuit, & eum, à quo formatus est,sequi studuit,cæteráque bona his similia, diligentia, & virtutis studio assecutus fuit. Vt enim est apud Prophetam Amos, ex persona diuitis, ac principalis Spiritus prænunciantem: Ecce ego firmans tonitru, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum ipsius: ab extremis terræ partibus vsque ad extremas mundi partes petrexit, et rerum omnium opificis Dei Euangelium prædicaret,variáque rectē factorum semina spargeret. Nam orbem terrarum illustrauit,erroris impietatem extinxit, & eos, qui idolorum victimis, atque cruoribus contaminati erant, abstersit, atque purgauit, Deóque ipsi per baptismum purgatos (ne multa dicens longior sim)obtulit. Pro scuto enim, & hasta, linguam habebat, qua prædicationem omnibus firmissimam annūciabat, turbásque multas ad veram vitam traducebat. Vnde enim scaturiebat miraculorum redundantia, illinc & turbę ipsæ ad diuinam cognitionem percipiendam deriuabantur. Qui pedibus antea mutilatus erat,integer postea factus, magister iis proponebatur, qui ad currendum veloces erant. Qui oculorum lumine antea carebat,pupillatum deinde aciem habens acutissimam, alios ad cognitionis lucem, tanquam manu protensa, deducebat. Tactus iis,qui eo carebant, restitutus, illos,qui ad consueta libamina,multo furore,atq; cupiditate ferebantur, ad veram religionis formam dirigebat. Itaque sacrificiorum, quæ idolis offerebantur, ignis in caliginem conuersus est; & erroris auctores dæmones tanquam in cineres redacti erant, vera que, & diuina pietas efflorescebat. Ita erant splendida tua, diuine Marce, facta; ita illustria, & admirabilia victoriarum trophæa. His enim captiuos duxisti aduersarius exercitus Imperatores tu idiota ille,& olim rudis. His Generum errorem expugnasti tu inermis,& vnica vīca veste. His armis vna cum Petro ipso tu Petri filius Italorum gentem subiecisti, ab oriente sole motus,& ad occidentem aduolans, prædicationisq; orationem latè fundens, qua parte & sol ipse radios suos in extremos mundi fines spargit, non sophistica argumentorū via,& ratione,non comptis,& concinnis argumentationibus,sed simplici oratione, & veritate sola vsus,quæ omnium victoriam inexpugnabilem reportat. Quòd enim omnis oratio expugnari facilè possit, nisi ea, quæ vera sunt, eolat, & prædicet, ex hoc ipso cognoscere poteris. Pythagoras ille, cùm falsas opinio-

 nes

nes fortiter defenderet, & multas fabulas disputaret, Italis persuadere non potuit, vt illas crederent. Illud idem & Democritus cùm ageret, Abderitarum suis dictis auscultãrem habuit neminem. Orpheus etiã ille, qui sermone feras ipsas mulcere dicebatur, ciuibus suis Thracibus nō persuasit. Atqui omnes isti multa orationis copia redundabant, & inani quadam sapientia elati, nimium sibi placebant, in qua & omnes perierunt, & alto ac sempiterno silentio obruti sunt. Talis enim est falsa, & imbecilla gloria. Marcus verò ea proponens, quæ absunt ab omni iactatione, & à Spiritu sancto edocentur, illos etiam ipsos, quos aduersarios habebat, ad sibi obediendum faciles reddidit; superno enim, & cælesti auxilio corroborabatur; puráque & syncera fides, quam prędicabat, portis inferorum robustior erat. Ille igitur vir celeberrimus, ac semper laudãdus, vt veritatis præco, ad hanc vsque diem à cunctis celebratur. Vt enim decebat diuinam erga nos prouidentiam, ac dispensationem ad salutarem finem perduci, ita & huius beati viri memoriam in vita ipsa cum laudibus immortalem perpetuò seruari conueniens est. Per ipsum enim rebus creatis Deus prędicatus est. Per ipsum iis, qui aberrauerant, conuersio ipsa conciliata est. Per eundem prouisum fuit, quomodo homines ipsi ad formatorem suum Deum ducerentur. Postea verò quàm misericordis Dei misericordem aduentum prædicauit, & lingua de diuinis rebus differẽte plurimos, cúmque his & Italos ad veritatis cognitionem attraxit, his ipsis, tanquam sapiẽs architectus, & Euangelij librum construxit, in quo nouas illas leges insculpsit, quas Hieremiæ Prophetæ prædictio antea innuit hæc dicens: Perficiam in domum Israel, & in domum Iudæ testamentum nouum, dans leges meas in cordibus ipsorum. Hoc, inquam, Marcus fecit, vt non prædicatione solùm, sed Euangelica etiam scriptura, his, qui postea futuri erant, Verbi Dei hominis facti conditionem enuclearet eiusque diuina signa, ac miracula ante oculos nostros poneret, quæque pro nobis passus est, ac quemadmodum è monumento resurrexit, & ad cælos, vnde descenderat, clarus est, cunctis seculis ostenderet. Magnum certè hoc, Marce, tuum fuit, & planè diuinum opus. Mundo enim vniuerso vtilitatem attulit, & idcirco vbique decantatur. Nam vox tua supra tonitrui sonitum fuit, & Euangelij tui lumen supra solis radios effulsit. Illi enim nube teguntur, vel nubecula aliqua opposita adumbrantur; at Euangelij tui lumen, ac splendor, tui etiam animi formosam speciem detegit. Neque enim hoc aggredi potuisses, nisi interior mentis tuæ virtus effulsisset, quæ semper fulget, & iis, quos prope se habet, instar facis lumen præfert, eos verò, qui longè sunt, ad se reuocat. Quæ cùm pulchritudine non quæsita, sed naturali, & vera decoretur, compendiosáque, & breui sapientia illustretur, admirabilia Dei facta in omnium aures infundit. Ita factum est, vt Christi fides efflorescerer. Ita ipsa vicit veritas. Ita Trinitas in vna natura adoratur, & nunciatur. Ita ab omni homine Pater sine principio, & Filius ipse quoque sine principio cum eiusdẽ substantiæ, & vitam dante Spiritu diuinis sermonibus explicatur, atque colitur in tribus videlicet personis vnus Deus, singularis illa, & diuina natura, vna illa rerum omnium effectrix potentia, quæ mente non comprehẽditur; error verò ipse amotus, expulsusque est; deorum multitudo, inanis, & vana cultura esse deprehensa est; qui que vniuersas res creatas, vt est in fabulis (ô amentiam) in tres partes, non suas, sibi diuiserunt, illi ipsi, vt in psalmo est, cum sonitu perierunt; & hominum euersores dæmones nunc euersi sunt; nō enim Deum hominem factum videre potuerũt. Quamobrem cùm se ab humano corpore debellatos, non à diuinitate aperta superatos vidissent, erubuerunt. Non enim se victos arbitrati fuissent, si à potente Deo victi essent. Et nunc Dei laus in omnes fines terræ, vt a Prophetis prædictum fuit, diffusa est. Occidẽtis regiones Apostolus ad Christum conuertit, & rebus mysticis gentes instruxit, quemadmodum videlicet Deus ipse propter suam in humanum genus beneuolentiam se ipse summisit; docuítque solum, & vnum Deum colendum esse, atque adorandum. Sed non post multos illos sudores Apostolus cessauit, neque ad Apostolici muneris aratrum ducendum tardior factus fuit. Nam & Libyæ regionem celeriter peragrauit, vnde & ad Orientis terrã profectus est, vbi Euangelij sementem spargens, illis gentibus persuasit, vt Deum, quem ipse prædicabat, agnoscerent. Ad hæc & aliis Ægypti vrbibus multorũ hominum copia refertis cùm cælestia retia tetendisset, omnes ciuitates illas prædicationibus, ac miraculis in Christi sagenam comprehendit. Dæmonum simulachra, quæ illic colebrantur, exterminauit, & vt sanctus quidam lapis (quemadmodum prophetia dixit) illiusmodi erroris altaria euertit, quęque in illis erant, inania, & vana simulachta, solo adæquauit, non tubarum clangoribus, non mœnia illa Hierici deijciens, sed hominum interfectoris diaboli fallaciam reuellens illis ipsis mœnibus ad expugnandum difficiliorem, templáque omnium dominatori Deo iisdẽ in locis erigens, vbi & caliginosas eorum, qui illic erant, animas candidiores factas Deo recõciliauit, & baptismate illustratas, eidem familiares, & amicas reddidit. Hic enim Ægyptiorum regioni præcipuè à diuino Spiritu magister assignatus; hic eiusdem terræ in primis Pontifex, & Pastor à magno illo Petro propositus fuit; qui munus in manus sibi commissum Apostolicis laboribus exornauit, & variis modis laborans, ministerium illud sacrum excoluit, non deliciis vtens, non segnitiei, aut voluptati deditus, sed tentationibus tam à summis, quàm ab infimis hominibus circundatus, & infinitis malorum copiis vndique impugnatus, vt ea ratione, quemadmodum & Paulus, tumorem omnem comprimeret. O diuinum discipulum, qui terrarum orbem lustrauit. O corpus tot, tantísque operibus non defatigatum. O salutaris prædicationis semper florentem, & immortalem potentiã. Diuina enim opera, & quæ à Deo proficiscuntur, corruptionem non patiuntur. Decet hoc loco, & de diuinarum rerum spectatore Marco meritò illud dicere: In omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ verborum ipsius vtilitas: quod Dauid diuinorum opificiorum magnificentiam admirans pronunciauit. Hæc vox sola tibi, qui à Deo sapiens effectus es, iure, Marce, conuenit. Hæc sola, inquã, vox supra omnes alias Rhetoricæ facultatis voces tibi congruens est. Nam & cursum tuum, & certamina hæc ipsa exprimit, tum res asperas, ac difficiles, necnon in-

corru

corruptam coronam, quæ non auro ex regione Ophir confecta est, non lapidibus Indicis, & Margaritis varia, sed talis est, qualē immortalis Iudex ille, & certaminū præfectus Deus amanter componit, & propriis cultoribus retribuit. Tui enim pedes speciosi sunt, vt prophetica prædictione significatū est, quippe qui terræ ambitū peragrarūt. Lingua tua speciosa, quæ pacem illā omnium mentem expectantem feliciter nūciauit. Manus item speciosæ, quæ Euangeliū calamo ministrarūt. Sed quidnā hęc sola sacratissima membra dico? Totus laboribus Apostolicis sanctus, totus martyrij stigmatibus ita ornatus fuit Marcus, vt & martyrij præmiis, & bra[illegible] omnibus nunc fruatur. Qui enim antea sac[illegible]ficiū offerebat, is propter Christum etiam sacrificium factus est; & pastor ea, quę ouium pro[illegible]pria sunt, vnà cū ouibus suscepit. Nam & ipse tanquam ouis, vnà cum alio Apostolico cœtu in mediū luporum missus, & hostia viuens D[illegible]o oblata est. Vinculis enim comprehensus fuit a[illegible] iniquis manibus ille, qui multos à dæmonum faucibus eripuit. Vinctus tamen, & huc, atque illuc ductus, iniuriisque, ac maledictis lacessitus, mansuete, & æquo animo omnia perferebat, dominum ipsum imitatus. Multo carnis propriæ sanguine perfusus est, qui terram illam dæmonum sordibus expurgauerat. Hæc enim sunt, quæ ingratorum hominum insipientia iis retribuit, per quos beneficia conciliata eis sunt. Postremò omnium generum cruciatibus, velut aurum quoddam, probatus, ad infinitam illam lucem euolauit, variorum certaminum, & fortium factorum multiplices fructus percepturus. Talis fuit Apostoli cursus; tales Euangelistæ Marci conatus, miraculo pleni, & supernis plausibus digni. An non magnus Marcus in omnibus summas laudes meretur? Quid enim Apostolo sublimius? Quid Christi scriba honoratius? Quid cum martyrij gloria conferendum? Cùm verò & pontificius amictus eidem accesserit, athleticarum luctationum gloria decoratus, quidnā aliud ad gloriæ splendorem reliquum est? Non, inquā, aliud, nisi Angelorum cohortes, & diuina illa tēpla, in quibus vnà cum aliis lectissimis Dei ministris versatur, & exultat, magistri sui vultum conspiciens, & diuina, ac principalis illius monarchię pulchritudinem spectans, eiúsque lumine decoratus. Cuius enim viri studio Dei gloria alijs hominibus prædicata est, eum cœlestis, & infinita gloria consecuta fuit. Sed neque earum laudationum, quæ in hoc inferiore mundo fiunt, expers est licet his non indigeat. Nunc enim Alexādria, immò verò tota Ægyptus Marcum ipsum in primo throno considentem sortita, tanquam alterum quendam Nilum, non corporeum, sed mysticum habens, ita spiritales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter, qui oculis corporeis cernitur, irrigare solitus est, illum, inquam, vt Apostolum, vt Euangelistam, vt Martyrem magno pręconio extollit, & hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat. Videt hunc in monumento positum, licet in supernis regionibus eius anima versetur, & exultet. Eius pulueris thesauro locupletata, funebres cantus ipsi Apostolo pronunciat; & tanquā cum viuente aliquo, & in spi[illegible]u [illegible]erfante colloquitur; & gratiis per illum ipsum concessis oblectatur, & pro illis honoribus, quos Apostolo congruent[illegible]s, velut dona quædam, offert, maiora beneficia vicissim recipit. Cum enim tentationum flatus aduersus ciuitatem spirant, Apostoli Marci [a] Sepulchrū vrbis incolæ circumeūt, & à malis ipsis liberātur. Barbarorum supercilium, ac superbia mala quædam acerbissima illis minantur; at ipsi ad pastorem supplices confluunt. Molestiarum, & affectuum examen cùm eos perturbat, ad Apostolum ipsum, tanquam ad medici officinam, è qua scaturiunt curationes, homines confugiunt. Immò verò vniuersa Ægyptus, Marcum ipsum magistrum, & adiutorem sibi ascribens, eius in omnibus iis, quæ tristia contingunt, auxilium implorat; & die [b] festo, quem singulis annis honorat, laudes ipsas, velut debitum quoddam, illi offert? & multa cum [c] pompa, atque applausu, exultationéque; & panegyri laudationes ipsas celebrat; diuinúmque ipsius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo insculptas; vel, vt rectiùs dicam, tanquam ipsum Christi os veneratur, verbaque à Deo pronunciata, ab Apostoli ore se audire arbitratur. Quem Deum & nobis, sacratissime doctor, & Euangelista, propitium reddere ne graueris, & ijs ipsis, quę molesta nobis accidunt, quibúsque perturbamur nos subleues; quæque in vita difficilia, & grauia nobis sunt, ea facilia [d] reddas; rumpas & chirographum illud, in quo nostra crimina scripta sunt, erratorum des veniam. Talem enim ab ipsius Domini lingua potestatem accepisti. Si ligaueris, id, quod ligatur, solui non poterit. Si ad commiserationem, ac veniam spectaueris, vinculum ipsum facilè dissoluetur. Ne despicias nos propriorum peccatorum cathenis constrictos; sed impera vinculis ipsis, & illa effringentur. Denique ecclesias ipsas pacatas, & tranquillas reddas, quas tuis sermonibus in fundamento quodam firmo constituisti; pro illis quippe Domini nostri sanguis effusus est, à quo & liberatio profecta fuit; facque, vt & nos bonorum cœlestium participes efficiamur, gratia, & benignitate Domini nostri I. su Christi; Cui gloria est, & imperium, nunc & in secula seculorum, Amen.

[a] Vides ad tā[illegible] sepulchrū confugere homines pro obtinendis ab eo gratijs.

[b] Et die festo, quem ipsi quo[illegible] annis [illegible] velut debitum quoddam, illi offert laudes.

[c] Nota in diebus Martyrū etiā antiquitus [illegible] laudes cum multa pompa, & plausu, & exultatione, [illegible] panegyri celebratas.

[d] [illegible] esse commeatum Sanctis pec[illegible]toribus veniā impetrare [illegible] eorum, post mortem [illegible] esse [illegible].

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangelij expositio.

Post hæc autem designauit Dominus & alios septraginta, &c. Scriptū est in Exodo, quòd filij Israel venerint in Elim, & duodecim fontes aquarum fuerint illic, & septuaginta palmæ. Quod igitur tunc per historiam, & in figura factum, nunc vere euenit. Elim ascensus interpretatur: quod nihil aliud vult, quàm ne sitis cum Iudæis in litera legis permanentes, sed ascendentes in Christianismum ad perfectiorem intelligentiam, & incrementum spiritale. Inuenimus duodecim fontes, inuenimus & duodecim præcipuos apostolos, qui omnis doctrinæ dulcissimi fontes sunt. Palmæ vero hi sunt, qui ab apostolis educandi, & docēdi erāt. Nam, quamuis Christus illos elegerit, fuerunt tamen inferiores illis duodecim, & discipuli illorum postea, ac comites. Palmæ igitur illæ à fontibus, apostolos dico, educatæ fuerunt. Nobis autem fructum dulcem quodammodo, & austerum suppeditarunt. Talis enim sanctorum doctrina est non omnino dulcis, & adulans, neque omnino austera, & verberans, sed vtriusque particeps, &

reuera

reuera condita sale, gratiámque habens: vnde & Paulus dicit, Sermo vester in gratia sale sit conditus. Ostendit autem Dominus per septuaginta discipulos, multitudinem discipulorum, quibus est opus. Sicut enim agri frugiferi multos quærunt messores, sic, quum multi & innumerabiles essent credituri, multis indigebant magistris. Porrò binos mittit, ceu imperfectiores, & vt alius alium adiuuaret. Ibant & ante faciem eius, eò quòd docebant, sicut Ioannes; Parate viam Domini. Considera autem quomodo dixerit; *Rogate dominum messis, vt extrudat operarios*: deinde ipse propria authoritate illos emittit. Ipse enim est vere Dominus messis, hoc est, verus credentium Deus. Prædicit autem eis & persequutiones, quod sicut agni in medio luporum futuri essent, vt ne, si repente in aduersa talia inciderent, magis turbarentur. *Nolite portare sacculum, neque peram, &c.* Quia missurus erat prędicatores euangelij, dicit; *Ne portetis sacculum*, neque hoc vel illud: sufficit enim vobis quod curam habeatis verbi. Nam, si sacculũ portaueritis, manifestum, quod illius vobis cura est, & verbum contemnitis, Vel aliter. Quoniam alēdi estis ab ijs, quos docetis, quid vobis sacculis opus, vel pera, vel calceamentis? Omnem enim illorum vsum suppeditabant ij, qui à vobis docebuntur. Porrò quòd nullum per viam salutēt, hac de causa eis iniungit, vt ne occuparentur in hominum salutationibus, & curiositatibus, quibus à prædicatione impedirentur. Verisimile enim est, vt, quum quis salutauerit quempiam, ab eodem resalutetur, & de maiori familiaritate interpelletur: vt fieri solet in ijs, qui simul vadunt. Simul enim vt amici facti, etiam amplius, & curiosius quiddam scrutantur: & sic paulatim in humana negocia apostoli inciderent, verbúmque negligerent. In itinere igitur salutare quempiam ea de causa prohibet. In domum autem ingressi, dicit, *dicite, Pax huic domui*: hoc est, salutate eos, qui in domo sunt. Et deinde ostendens, quòd hoc non solum sit salutare, sed & benedicere, dicit, Si quidem dignus fuerit paterfamilias, benedicetur: si autem contumeliosus, & non capax pacis, pugnans, & aduersarius sermoni vestro, & doctrinę: benedictio non veniet super illum, sed ad vos reuertetur. Præcipit quoque non transeundum de domo in domum, vt ne videantur gulosi, & scandalo sint multis, & contristent eos, à quibus primùm suscepti sunt. Insuper dicit, Comedite ea, quæ apud illos sunt: hoc est, quæ proponunt vobis, etiam si vilia, & parua sint, nihil amplius inquirentes. Pro mercede autem habete cibum. Et ne quæratis & pasci, & mercedem insuper accipere, sed cibum pro mercede habetote. Vide igitur quomodo discipulos ad inopiam instruat, & securos faciat. Sanare autem & infirmos, qui in ciuitatibus, præcipit, vt miraculorum operatione attrahant homines ad verbum, quod prædicant. Et vide quid dicat: *Et dicite eis, Appropinquauit in vos regnum Dei.* Nam, si primum sanaueritis, ac deinde docueritis, feliciter curret sermo vester, & credent homines, quòd regnum Dei peruenerit in vos. Non enim sanati fu[e]rent, nisi diuina quædam virtus fuisset hæc operans. Sed & quando in anima quis sanatus fuerit, tunc venit in eum regnum Dei. Ab ægrotante enim longe istud est, quandoquidem peccatum in illo regnat, ac dominatur.

EVTHYMII ZIGABONI

superiorum Euang. expositio.

Post hæc autem designauit dominus & alios septuaginta. Apostolos videlicet. Multi enim credituri erant, & pluribus prædicatoribus opus erat. Duodecim siquidem Apostoli primus erat chorus: septuaginta vero, secundus. Hos autem duodecim, & septuaginta præfigurabant duodecim fontes aquarum, & septuaginta trunci palmarum in Ælim, ad quam venerunt Israëlitæ, vbi mare rubrum pertransissent. *Et emisit eos binos ante conspectum suum, &c.* Similiter & duodecim coniunctim emisit, sicut dixit Mar[c]us sed duodecim in omnes ciuitates, ac pagos Israel emisit tanquam perfectiores: septuaginta vero in solas eas, quæ in transitu erant, per quas iter facturus erat, vt prædicarent remissionem peccatorum, eiúsque aduētum, qui remissionem illorum tribueret. *Messis quidem multa, &c.* Messem dicit illos, qui ab infidelitate demetendi, & ad fidem suam erant comportandi: operarios vero Apostolos, & quicunque ad hoc subministrarent. Hic autem manifestata est causa promotionis ipsorum septuaginta, & tamē paucos adhuc esse dicit omnes Apostolos ad multitudinem illorum, qui credituri erant. *Rogate ergo dominum messis, &c.* Hoc, & id, quod ante istud præcessit, etiam dixit in Matthæo, sed ibi messem multam appellat eos, qui de Iudæis erāt credituri: hic autem eos, qui ex gentibus: & ibi admonet duodecim, vt orent pro emissione horum septuaginta: hic vero ipsos septuaginta admonet, vt orent pro promotione episcoporum, ac præceptorum per singulas ciuitates, ac regiones. *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Hoc etiā ad duodecim dixit apud Matthæum. Poterit quispiam hoc etiam loco dicere, quòd duodecim appellauerit oues tanquam perfectiores, septuaginta vero agnos tanquam teneriores. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Hoc interdicto iubet, vt de necessariis corporis spem in illum habeant, qui ipsos emisit. Quum autem iubet, ne sacculum ferant, ab auaritia auocat: dicēs; *Neque peram*, dehortatur à recondēdo cibo: quum vero addit; *Neque calciamenta*, ad exercitium ipsos erudit. *Et neminem per viam salutaueritis.* Hoc iussit, non inhumanos eos fieri volēs, aut moribus asperos, quos nemo possit compellare, sed impedimento carentes. Solet enim salutatio per viam, vehementiæ studij vtplurimum obstare. Præcipit itaque illis, vt soli operi eis commisso intendant: & oblatam prædicationis occasionem non insumant in ea, quæ necessaria non sunt, sed præter intētum sese offerunt. Elisæus quoque olim emisso Giezi famulo ad opus, quod festinationem requirebat, præcepit dicens, Si inueneris virum, nō benedicas ei: &, si tibi benedixerit vir, ne respondeas illi: indicans opus esse, vt indistractus, ac omnino sine impedimento procederet. *In quācunque domum intraueritis, &c.* Hanc alloquutionem Matthæus salutationem nominauit. Est autem huiusmodi salutatio signum dilectionis, significans, quòd pacifici, & amici aduenerint. *Et, si ibi fuerit filius pacis, &c.* Hoc est, gratia data à vobis pacis, vel efficacia huiusmodi sermonis. Filius quoque pacis dicitur pacificus, sicut variis in locis diximus. *In eadem autem domo manete, edentes, &c.* Edete autem

Exod. 1[5]
Marc. 6.
Matth. 9.
Matt[h].
4. Reg. 4.

autem, ac bibere permisit, quæ ab illis porrigerentur: non simpliciter, sed sicut discipulos suos decebat: hoc enim ipsis notum erat. *Appropinquauit in vos regnum Dei.* Regnum Dei nunc seipsum appellat, tanquam regem, ac Deum. Appropinquauit, inquit, & iam diuersatur vobiscum: digni habemini, qui præparemini ad eius susceptionem.

PETRI DAMIANI DE *sancto Marco euangelista,* *Sermo.*

ECce video, dilectissimi, quoniam ad mensam Ecclesiæ discumbentes, dum spiritualium deliciarum alimenta percipitis, non vno sermone contenti, adhuc alterum auidiùs esuritis. Quamobrem & nos administrando refectionis nostræ ferculo non desistimus, vt sanctam vestræ deuotionis esuriem vel tenui quodam pabulo temperemus, dum scilicet cum Apostolo eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis aut sit necessarium. Inter omnes planè doctores Ecclesiæ, beatum hunc Marcum, cuius hodie triomphalia gesta recolimus, satis insignem, atque conspicuum iudicamus. Beati scilicet Apostolorum principis & in baptismate filius, & in doctrina discipulus, sicut eum referentem gesta Saluatoris audiuit, ita per inobliquã fidei relationis lineam Romæ rogatus à fratribus Euangelium scripsit, sicut & Clemens Alexandrinus, & Papias Hierapolitanos Episcopus tradunt. Assumptóque mox Euangelio, quod ipse confecerat, impiger adit Aegyptum, & Alexandriæ Christum primus annuncians, iacit nouæ legis fundamentum. Et dum ipse scriptor, qui & prædicator extitit Euangelij, idem quodámodo faber qui & agricola, ipse sibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad spargenda sacræ fidei semina humani cordis arua proscidit. Hoc itaque modo Alexandrinam fabricauit Ecclesiam, eámque non suo, sed magistri sui nomine titulauit, vt ad honorem beati Petri sedes Apostolica nuncupetur, ad quam tamen Petrus accessisse non legitur. Tanta igitur magister atque discipulus vnanimitate coniuncti, tam consona sancti Spiritus sunt inspiratione conflati vt & Petrus Euangelium Marco, & Marcus construeret Ecclesiam Petro; quatenus dum quod suum erat alter trãsferret in alterum, quod cuique erat proprium commune esset amborum, & vtriuslibet totum esset, quod vterque proprium possideret. Vnde beatus Petrus eum quasi spiritualem & vnanimem præ cæteris filium vocat, cùm figuraliter Romam nomine Babylonis appellans; Salútat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Nec mirum si beatus Marcus apud magistrum suum præcipuus extitit & priuilegium præ cæteris Apostolicæ dilectionis obtinuit, cui nimirum Deus omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogauit, vt omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per * continentiam, ac totius sanctæ conuersationis instantiam tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium peruolarent. Vnde & Philo disertissimus Iudæorum, cùm de primatu beati Marci apud Alexandrinam Ecclesiam scriptitat, in Christianorum laude versatus, eorũ habitacula monasteria nuncupat. Et non soli per Alexandriæ fines, sed & in multis aliis, Marco tum Ecclesiam illam administrante, prouinciis tales extitisse perhibet Christianos, quales & Lucas meminit Apostolorum fuisse discipulos, videlicet vt eorum esset cor vnũ, & anima vna, nullúsque eorum aliquid proprium diceret, sed omnes omnia communiter possiderent, essétque inter eos inseparabilis vnitas animorum, inter quos nulla poterat inueniri diuersitas facultatum. Talis ergo sub Marco Alexandrina fuit Ecclesia, qualis & Hierosolymæ fuisse sub Apostolica legitur disciplina, vt neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum diuitiis abundaret, sed dum vnicuique prout opus erat necessitas administrata suppeteret, locum inter eos querela, murmúrque non haberet. Significat ergo prædictus Philo, inter noua tunc nascentis fidei cunabula, ac teneram (vt ita loquar) Ecclesiæ lactantis infantiam, quosque sub beati Marci regimine constitutos, sobrietatis simul ac pudicitiæ deditos, orationibúsque, & ieiuniis vehementer intentos; quos vtique beatus Euangelista, non modò miraculorum plerunque prodigiis, non modò sanctæ prædicationis erudiebat eloquiis, sed ad spiritualis vitæ rectitudinem eximiis etiam propriæ continentiæ, ac pietatis prouocabat exemplis, vt omnes penè vaporantis fidei ardore succensi, ita per nouæ conuersationis viderentur anhelare propositum, ac si monasticę perfectionis arduum arripuissent institutum. Cùm itaque beatus Marcus velut electa cælestis militiæ tuba, vehementissimis clangoribus intonet, & mandata Dei tanta prædicationis arte dispensat, vt auditores suos protinus ad summæ perfectionis alta sustollat, quid aliud, quàm in etymologia sui nominis perseuerat? Marcus enim excelsus mandato interpretatur. Et verè beatus hic vir non erat excelsus animo, sed mandato, quia dum mentem gereret humilem, vitam satagebat habere sublimem; & qui cunctis sese in humilitate substrauerat, per viam mandatorum cælestium sublimiter incedebat. Illud etiam, dilectissimi, vos ignorare nõ patiar, quoniam octauo Neroniani imperij anno triumphalem martyrij palmam beatus Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ sedis dignitate successit, & beatus Petrus Apostolus Romæ septennio superuixit. Vnde superna disponente clementia, factum est, vt cùm Alexandriam priùs & splendoribus Euangelicæ prædicationis, & effusione sacrosancti sanguinis illustrasset, ad Italiam deinde quodam postliminio sit reuersus, vt eadem potissimum terra, in qua sibi datum est Euangelium scribere, sacras mereretur eius reliquias possidere; & vbi sibi concessum est Euangelicæ descriptionis iubar effundere, illic per gloriosæ glebæ suæ præsentiam, plurimis virtutum, atque signorum radiis coruscaret. Porrò si diligẽter omnium Euangelistarũ, in quibus defuncti sunt, loca percurrimus, neminem eorum in eo, quem sortitus est, perseuerasse tumulo reperimus. In Ioannis scilicet sepultura post obitum non corpus eius, sed manna repertum est. Beati verò Matthæi corpore non Aethiopia, vbi peremptus agnoscitur, sed Salernitana potiùs ciuitas decoratur. Sanctus etiam Lucas cùm in Bithyniæ partibus, sicut historia testatur, obierit, vicesimo anno Constantij Cæsaris,

Ecce cũ re[illegible] continentiam [illegible] totius sanctæ conuersationis [illegible] sola [illegible] sufficeret.

Vide antiquissima monasteriorũ origine.

Ecce qualia fuere bonorũ fidelium exercitia.

Nota arduum monastica perfectionis institutum.

Soli Euangelista corpus nõ vile cadauer, sed gloriosum glebam nũcupat, sicut supra sacrosanctũ eius sanguinem.

Cæsaris, de Achaia Constantinopolim translatus est cum sacrosanctis beati Apostoli Andreæ reliquiis. Hic verò, de quo nūc agitur, sanctus Euangelista Marcus de Alexandria transuectus est, Deo misericorditer disponente, Venetiam, vt qui tunc totum Orientem velut aureus lucifer illustrauerat, nunc per plagas occidui climatis præsentiæ suæ radiis enitescat. Per Aegyptum quippe sibi dedicat Ortum, per Venetiam tenet Occasum. Illic Alexandrinæ sortitus est Ecclesiæ solum, hic renascentis Aquileiæ nouum statuit principatum. Est itaque velut sidus aureum toto orbe præclarum, ac celebri totius Ecclesię veneratione conspicuum. Hoc itaque sidus, dulcissimi, præ oculis iugiter habeamus, huius imitemur exemplum, si inter spumosos mundanæ voraginis fluctus cupimus euitare naufragium. Hinc mare tumidum sæuiat, illinc venti furentes impugnent, si ab hoc sidere mentis aciem non auertimus, procellarum inundantium impetus non timemus. Ad hoc itaque sidus sagenam mentis nostrę certi cursus linea dirigat, ad hoc omne laboris nostri remigium tendat, vt nō (quod absit) vorago nos Scyllææ profunditatis absorbeat, non errorum cautes, vel inuadosæ Syrtes improuidos obruant, sed in tutæ quietis portum, & optatæ tranquillitatis sinum superuus nos gubernator impellat Iesus Christus Dominus noster, qui cum Deo patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cū sacrosanctis beati Apostoli Andreæ reliquiis.

IN FESTO S. PETRI MARTYRIS ORDINIS PRAEDICATORVM.

Euang. vide in communi Martyrum non Pontific. Infra eodem Tomo.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORVM.

IOAN 14.

a Pro morte mea carnis, quia Deus sum qui suscitabo carnem.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Non [a] turbetur cor

b Quia si creditis in Deum, consequitur vt & in me, quia ego Deus sum. c In cælis.

vestrum: [b] creditis in Deum, & in me credite. In [c] domo patris

d Diuersa præmia meritorum. e Si non esset, id est, si in aliquo f Si non essent paratæ vel prædestinatæ, sed essent præparandæ vel prædestinandæ tunc vado, &c.

mei [d] mansiones multæ sunt. [e] Si quo minus [f] dixissem vobis:

g Vadit parare, non vt paratæ sunt, sed vt sint parandæ illud orgat, hoc asti mat.

quia [g] vado parare vobis locum Et si abiero, & præparauero vobis locum, ite-

h Apparebo in iudicio. i Introducam in mansiones vt mouerat is perf uendo. k Sed ne quærant sibi si hoc, subdit quo, id est, ad patrem. Si nota quòd ibi est vt Deus, & illuc vadit vt homo, cum sit vna persona Deus & homo.

rum [h] venio & [i] accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis. [k] Et

l Id est meipsum.

quo ego vado scitis, & [l] viam scitis. Dicit ei Thomas: domine, nescimus quo

m Via sine errore quærentibus veritas sine falsitate inuenientibus, vita sine morte permanentibus.

vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum, [m] via, veritas,

n Et cum sim via. o Vestrum. Cum quo sum veritas & vita. p Vitam. q Qui idem sum cum patre.

& vita. Nemo [n] venit ad [o] patrem, nisi per me. Si cognouissetis [p] me, & [q] pa-

r Non tamen oculis corporeis.

trem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & [r] vidistis eum,

s Non intelligens eum omnino similem patri. ¶ Quasi dicat. Qui maior te est. t Quia in eo sufficientia est nobis.

Dicit ei Philippus: domine, ostende nobis [s] patrem, & [t] sufficit nobis. Dicit ei

v Quia nec illum nouit, qui patrem meliorem credit.

Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non [v] cognouistis me? Philippe qui

videt

x Vere me non nouistis, quia si me nouissetis & patrem. ¶ Spiritualibus oculis. y Non quia aliud sit filius, aliud pater, sed quia omnino similis. z Quasi nondum credere, & videre potest.

[x] videt me, videt & [y] patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis patrem? [z] Non

a Cur ergo inseparabiles separatim vis noscere?

credis, quia [a] ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à

b Sic est æqualis alter alteri, vt tamen alter ex altero. c Et cùm facit in me, non creditis, quia e. in p. Hic ostenditur non solus Philippus arguendus.

[b] meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse [c] facit opera. Non credi-

d Quod ego in patre & pater in me est: si enim separati essemus, nullo modo inseparabiliter operari possemus.

tis, quia [d] ego in patre, & pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.

e Ecce fides quæ operatur per dilectionem. f Non ergo credit qui non facit. g Prius ego, post ipse: quia ego facio, vt ipse faciat.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, [e] opera quæ [f] ego [g] facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. Et quodcunque petie-

h Ad salutem, alias propitius dat, iratus non daret. ¶ Hoc addit, ne putetur quòd promiserit sine patre facturus. l Statim vel post. Non facit sine patre filius, quoniam quidem ideo facit, vt in eo pater glorificetur.

ritis patrem in [h] nomine meo, hoc [i] faciam, vt clarificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.

ET ait. Sequitur. *Non tur.* Aug. Ne autem mortem tanquam hominis timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, se etiam Deum esse dicẽs. Ne autem iterum sibi timerent, quasi ab eo perituri: cùm confidentiori Petro dictum sit, negabis; certificatur post tentationes se apud Deum cũ Christo mansuros esse, quia & si differentes, nullus tamen alienabitur à domo in qua quisque habet mansionem pro merito. Per denarium quidem omnibus significatur vna & non diuersa viuendi
1.Cor.15. in æternitate mensura. Per mansiones signantur diuersæ dignitates in eadem æterna vita: quia alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. *In domo.* Domus Dei, templum Dei, regnum Dei. Regnum cęlorum, sunt homines iusti, in quibus sunt multæ differentiæ inter se. Et hæ sunt mansiones ipsius domus. Hæ autem iam paratæ
Ephe.1. sunt in prædestinatione, sicut ait Apostolus: Qui
Rom.8. elegit nos ante mundi constitutionem prædestinando. Parandę sunt in operatione: vnde. Quos pręestinauit, hos & vocauit & iustificauit & magnificauit. Et secundum hoc dicitur: Fecit Deus
Eccl.3. quæ futura sunt, id est, quæ facturus est. Aug. Mo-
Matt.13. do iusti sunt regnum Dei & regnum cælorum vt
Ibidem.
Ibid.6. dicitur, Colligent de regno eius omnia scandala.
Ibid.13. Sed & de eisdem dicitur: Fulgebunt iusti sicut sol in re. pa. eorum, id est, regnum in regno. Quod etiam oratur. Adueniat regnum tuum. Et in fine: Percipite regnum, id est, qui regnum eratis & non regnabatis, modo regnare: quod eratis in spe sitis in re. *Si quo minus*, id est, si non pręestinassem mãsionem, quod est inconueniens quantum ad Deũ, qui omnia bona ante omnia tempora pręestinauit: tunc modo prępararem, id est, pręestinarem, quod iterum est inconueniens, quantũ ad Deum præsentialiter aliquid prædestinare. Aug. Confirmat esse: quia si non essent dixisset, ibo & parabo, id est, prædestinabo: sed quia iam ibi sunt, non est opus aliqua parare: Quia verò nondum sunt in operatione, addit: *Et si abiero & præ.* Abiens sed nõ relinquens parat, quia subtrahit se & latet, vt sit fides, quæ non est de re visa: & inde est meritum fidei. Ex hac viuit iustus, & mundatur ei cordium peregrinatur, & in ea desideratur quod nondum habetur. Et hæc est præparatio mansionis quia sic parat nos sibi & se nobis vt maneat in nobis, & nos in eo quantum quisque erit particeps eius plus vel minus pro diuersitate meritorum. Et hæc multitudo mansionum est. *Et si abiero.* Aug. Abijt latendo, venit apparendo, sed manet regendo, vt proficiamus bene viuendo, & sic paratur locus. Au. Fides quę non videt credit: nam si videret non esset fides, credenti colligitur meritum, eunti redditur præmium. Eat ergo Deus & paret locum, eat ne videatur, lateat vt credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide viuatur creditus. Desideretur, vt desideratus habeatur. Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. *Et quo ego va.* Hoc dictum est secundum quosdam qui sciebant & filium & patrem. Thomas vero & si putaret se nescire, conuincitur per hoc quod ipsum nouit, & viã scire & viã, id est, filium & patrem. De istis scientibus subditur. Amodo cognoscetis eum per me cognitum: & vidistis eum in corde, dum me per omnia similem ei vidistis. Sed alij erant (de quibus est Philippus) nescientes: & sic scirent istum filium, illum patrem, non putabant filium ex toto similem, sed patrem meliorem: & ita nec patrem, nec filiũ sciebãt. Quo animo Philippus dicit. Ostende nobis patrem, & sufficit. In quo sufficientia, & non in te. Vnde increpatur nec Io.14.
filium scire. *Di. ei.* Quo & qua itur, dixit eos scire qui modo mentitur: sed Thomas dicit eos vtrumque nescire, nesciens eos scire: sed Christus conuincit eos scire, quia si eum sciebãt, & ipse est via, viam sciebant: & si ipsum sciebant, & ipse est veritas & vita: tunc sciebant veritatem & vitam ad quam vadit. ipse ergo per se viam, ad se veritatem & vitam & ad patrem, quia cum patre vnum est vadit. Nos pro quibus dicit: Nemo, venit ad patrẽ nisi per me: per ipsum ad ipsum & ad patrem vadimus. Cũ Christus sit Deus & homo, secundum hominem venit ad homines: & secundum hominẽ glorificatum redit ad se Deum, qui est cum patre vna veritas & vita. Sic & sui in glorificatione venient ad ipsam veritatem viam & vitam, & tam sibi quam illis est via per obedientiam. vnde: Propter quod exalta. illum. d. &c. *Si cognouis.* Quia dixerat, nullum venire ad patrem nisi per se, qui est Phil.2.
inseparabiliter idem cum patre: ne quærerẽt quia est pater, ostendit ex se noto nosci patrem, quod

nondum quidam cognouerãt, quos arguit dicẽs: *Si cogno. Et vidi. eum.* Vt de duobus omnino similibus dicitur: Si illum vidisti, illum vidisti, videant ergo quam simillimum filium, sed monẽdi erant vt talem etiam patrem intelligerent, & non dissimilem: *Quomodo tu dicis.* Et cum omnino similis. *Quomodo tu dicis.* Quasi dicat, video quo animo dicas, non quæris alterum similem, sed putas meliorem. *A meipso.* Quia non sum à meipso qui loquor. ei tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. *Qui cre. in me.* Ego & pater indifferenter operamur. Et quicunque credit in me (ne de solis apostolis hoc acciperetur) opera quæ ego facio per me, ipse faciet, id est, ego facio in eo vel per eum, & etiam maiora. Et quòd non ille faciet, sed ipse in eo ostendit: quia va. ad pa. & quod pe. patrem in no. meo hoc faciam. prius facio vt postea faciat. *Opera quæ ego facio.* Non tamen ex se, sed ex me. Nõ est seruus maior domino, ipse enim sine eis multa, illi sine eo nihil nisi pecca-
Luc. 8. tum. *Ma.* August. Quia si ipse fimbria, Petrus vm-
Act. 5. bra sanauit. Vel opus eius est, quòd per se loquitur, & docet aliquos discipulis verò loquentibus plures crediderunt. Vel, *quæ ego facio*, id est, fidem, *& ipse faciet*, quia ego prius, post ipse, *& maiora horum*, quæ ego sine eo. Alia enim opera facit in nobis, vt faciamus & nos, id est, credere: vnde iustificatur impius. Alia sine nobis, vt quòd tunc prædicabat verba iustitiæ. Et de his dicit quæ tũc agebat, & non de omnibus vniuersaliter operibus. Vel quod facit in nobis, non sine nobis, maius est omnibus quæ sine nobis facit: vt quòd ex impio fit iustus, maius est omnibus cælo & terra, &c. quia illa transibunt, hoc manebit. Et in illis est tantum opus Dei. in istis imago Dei. Sed & si angelos fecit, maius videtur impios iustificare quam iustos creare. quia si vtrunque æqualis potentiæ, hoc est maioris misericordiæ.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

ET ait discipulis suis, Non turbetur cor vestrum, &c. August. Ne discipuli mortem Christi tãquam hominis timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos etiam Deum se esse contestans: vnde dicitur: *Et ait discipulis suis: Non turbetur cor vestrum, &c.* quasi dicat. Consequens est si in Deũ creditis vt in me credere debeatis, quod non esset consequens si Christus non esset Deus. Mortem metuitis huic formæ serui, non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma Dei. Chryso. Ea etiam quæ in me est fides & in patrem qui genuit, patientior est his quæ superuenient, & nihil contra eam potest præualere difficilium, hoc etiam modo diuinitatis virtutem ostendit, quia ea quæ in mente habebant ducit in medium, dicens: *Non turbetur cor vestrum.* August. Quia igitur etiam sibi metuebant discipuli cùm Petro dictum esset fidentiori atque promptiori: Non cantabit gallus, donec ter me neges: subiunxit, *In do. pa. mei, &c.* Per quod à turbatione recreantur cæteri, ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros, quia si alius est alio fortior, sapientior, iustior, sanctior, nullus alienabitur ab illa domo: vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidẽ ille æqualis est omnibus, quem paterfamiliàs eis qui operati sunt in vinea iubet dari. Quo vtique denario vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit: quoniam viuendi non est diuersitas in æternitate mansura, sed multæ mãsiones diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Greg. su. Ezech. Vel hac ratione conueniunt mansiones multę cum vno denario, quia & si alter minus atque alius amplius exultat, omnes tamen vnum gaudium conditoris sui visione lætificat. August. Atque ita Deus erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus charitas est per charitatem fiat, vt quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet cum amat in altero quod ipse non habet, non enim erit ita aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. Greg. vlt. mor. Eiusdem etiam disparilitatis damna nõ sentiunt, quià tantum sibi vnusquisque quantum sufficit, percipit. August. Respuendi autem sunt à corde Christiani, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid, vbi beatè maneant innocentes cùm sine baptismo ex hac vita emigrauerint, sine quo in regnum cælorum intrari non potest. Absit autem, vt cùm omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno, ipsius regiæ domus pars aliqua non sit in regno, non enim ait dominus, In beatitudine sempiterna mansiones multæ sunt, sed, *in domo patris mei.* Chrysost. Vel ali. continuo. Quia dominus suprà dixerat Petro, Quò ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem postea: ne existiment soli Petro hanc promissionem esse datam, dixit: *In domo pa. mei, &c.* Hoc est, & vos regio illa suscipiet quæ & Petrum, copia enim est ibi multa mansionum, & non est dicere, quoniam præparatione indigent. Et propter hoc subdit: *Si quo. di. vo. quia vado para. vobis locum.* August. Vbi satis ostendit ideo se hoc illis non dixisse, quia iam ibi mansiones multæ sunt, & non est opus illi aliquam præparare. Chrysost. Quia verò dixerat, Non poteris me modò sequi, vt non æstiment se ab eo finaliter abscissos esse, subiungit: *Et si abier. & prępa. vo. lo ite. ve. & acci. vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Ex quo ostendit quòd oportet eos vehementer confidere. Theo. Ac si dicat vtrunque: Vos turbari nõ oportet siue paratæ sint siue non. Nam etsi paratæ non sint, ego cum omni solertia præparabo vobis illas. August. Sed quo modo vadit & parat locum, si iam mansiones multæ sunt? sed nondum sunt sicut parandæ sunt. Easdẽ enim mansiones quas prædestinando præparauit, præparat operando. Iam ergo sunt in prædestinatione, *si quo minus, dixissem. Ibò & præparabo.* hoc est prædestinabo: sed quia nondum sunt in operatione, dixit, *Et si abiero & præparauero vobis locum.* Parat autem modò mansiones, mansionibus præparando mansores. Quippe cùm dixit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quid putamus esse domum Dei nisi templum Dei? de quo Apostolus dicit, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Hæc ergo domus Dei adhuc ædificatur, adhuc præparatur. Sed quid est quod vt præparet abiit, cùm nosipsos præparet, quod non faciet si reliquerit? Sed illud significat, quia vt parentur istæ mansiones, viuere debet iustus ex fide: si autem vides, non est fides. Erat ergo ne videatur: lateat vt credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide

viuatur

viuatur creditus desideretur, vt desideratus habeatur si bene intelligendo nec vnde vadis, nec vnde venis, recedis: vadit ergo latendo, venit apparendo. Sed nisi maneat regendo, vt proficiamus bene viuendo, non parabitur locus vbi possumus permanere perfruendo. Alc. Dicit ergo, *Si abiero*, per carnis absentiam. *Iterum veniam* per diuinitatis præsentiam: vel *iterum veniam* iudicare viuos & mortuos. Et quia sciebat eos interrogaturos quò iret, vel per quam viam iret, subiungit: *Et quò ego vado scitis*, scilicet ad patrem. *Et viam scitis*, scilicet per meipsum. Chrysost. Hoc autem dicens desiderium quod in eorum mente erat, ostendit, & dat ei desiderium interrogandi. *Dicit ei Thomas Domine, nescimus quò vadis. Et quomodo, &c.* Chrys. Si Iudæi volentes a Christo separari quærebát quo iturus esset, multò magis discipuli nunquam ab eo separari volentes hoc discere cupiebant, & interrogabant eum ex multa dilectione & timore, & ideo dicitur: *Dixit ei Thomas, Domine, &c.* August. Vtrunque illos dominus dixerat scire vtrumque dixit iste nescire. Sed nescit ille mentiri, ergo isti sciebant, & se scire nesciebant. Conuincit ergo eos hoc scire: vnde subditur, *Dicit ei Iesus, Ego sum via ve. & vita.* August. de ver. do. quasi dicat. Quà vis ire? ego sum via, quò vis ire? ego sum veritas: vbi vis permanere? ego sum vita: veritatem & vitam omnis homo capit, sed viam non omnis inuenit, Deum esse quandam vitam æternam, veritatem scibilem etiam huius seculi philosophi viderunt, verbum ego Dei qui apud patrem est veritas & vita assumendo hominem factum est via. Ambula per hominem, & peruenies ad Deum. Melius enim est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Hilar. 7. de trin. Non enim nos in erratica atque in inuia deducit ille qui via est, neq; illudit per falsa qui veritas est, neque in mortis relinquit errore qui vita est. Theo. Cùm itaque actiuam exerces, fit tibi Christus via. Cùm autem in contemplatiua perseueras, efficitur tibi veritas. Adiecta autem vita est actiuo & contemplatiuo. Decet enim ire & prædicare pro futuro seculo. August. sciebant ergo viam, quia sciebant ipsum qui est via. Quid autem opus erat vt adderet veritas & vita, cum restaret nosse quò iret, quia ad veritatem ibat, & ad vitam? Ibat ergo ad seipsum per seipsum: dum sed nunquid ô domine vt venires ad nos reliqueras te? scio quidem quòd formam serui accepisti & in carne venisti: manens vbi eras, & per hanc redisti non relinquens quò veneras. Si ergo per hanc & venisti & redisti, per hanc nobis non solùm quà veniremus ad te: verumetiam tibi quà venires & redires via fuisti: cùm verò ad vitam quod es ipse iuisti, eandem carnem tuam de morte ad vitam duxisti: itaque dum caro de morte venit ad vitam Christus venit ad vitam. Et quia verbum est vita, Christus venit ad seipsum, quoniam vtrunq; est Christus, vna persona scilicet verbum caro: venerat etiam per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces. Est enim Deus verax; omnis autem homo mendax. Cùm itaque se ab hominibus abstulit, itaque illuc vbi nemo mentitur carnem suam leuauit, idem ipse quia verbum caro factum est, per seipsum, id est per carnem suam ad veritatem quod ipse est remeauit, quam quidem veritatem quamuis inter mendaces etiam in morte seruauit. Ecce ego ipse si loquor vobis quòd intelligatis: quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo. Cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, & vobiscum maneo si tenueritis quòd audistis. Si hoc potest imago quam fecit Deus, quid potest ex Deo nata imago? Ac per hoc & ipse per seipsum, & ad seipsum & ad patrem, & nos per ipsum, & ad ipsum: & ad patrem imus. Chrysost. Si enim dicit, Ego sum dominus, ducendi ad patrem omnino venietis illuc: neque enim est possibile alia venire via. Cùm autem suprà dixerit, Ne. potest ve. ad me nisi pa. traxerit illum. Nunc dicens, *Quoniam nullus po. ve. ad pa. nisi per me* exæquat seipsum ei qui genuit. Qualiter autem dixerit, *Quò vado sci. & viam scitis:* ostendit subdens, *Si cog. me & pa. meum, &c.* quasi dicat. Si sciretis meam substátiam & dignitatem, & eam quæ patris est sciretis, nouerant quidem eum, sed non ita vt oportebat, postea autem spiritus veniens, perfectam in eis construxit cognitionem, & propter hoc subditur, *Amodo cognoscetis eum.* Dicit autem eam quæ secundum mentem cognitionem. *Et vidistis eum*, scilicet per me, ostendens quoniam qui videt eum & patrem videt. Viderunt autem eum non in nuda substantia, sed carne indutum. Beda, Sed quærendum est quomodo nunc dicat dominus, *Si cognouissetis me, &c.* Cum præmiserit suprà, *Quò ego va. sci. & viam scitis?* Datur ergo intelligi quia quidam eorum sciebant, quidam verò nesciebant, quorum vnus erat Thomas. Hilar. 7. de tri. Vel aliter continua, Cùm iter ad patrem per filium sit quærendum est vtrùm hoc per doctrinæ admonitioné, an per naturæ fidem sit intelligentiæ: igitur sensum in consequentibus requiramus, nam sequitur: *Si cog. me. & patrem meum vtique cognouissetis.* In sacramento enim assumpti corporis diuinitatis paternę naturam confirmás, hunc ordinem tenuit. Tempus autem visionis separauit à tempore cognitionis, nam quē cognoscendum ait, eundem iam dixit, & visum, vt naturæ iam pridem in se conspectæ scientiam ex tempore nunc huius reuelationis acciperent. *Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis patrem, &c.* Hila. 7. de tri. Commouit Apostolum Philippú nouitas dictorum, homo cernitur, Dei se filium cófitetur: cognito se cognoscendum patrem fatetur, patrem visum esse dicit. Prorupit igitur Apostolica familiaritas dominum interrogans, vnde dicitur: Dicit ei Phil. Do. ost. no. pa. & suffi. no. Nó visum negauit, sed ostendi sibi rogauit; neque ostésionem veluti corporalis cótemplationis intuitum desiderauit, sed demonstrationem intelligendi eius qui visus est postulauit: filium enim in habitu hominis viderat, sed quomodo per id patrem viderit, nescit. Nam & ostensio illa intelligendi potius esset demonstratio quam videndi. subiecit, & sufficit nobis. Au. 1. de trin. Illa enim lætitia qua nos adimplebit cum vultu suo nihil amplius requiretur, quòd bene intellexerat Philippus, vt diceret. Domine osten. no. pat. & sufficit nob. Sed nondum intellexerat eo quoque modo ad ipsum se potuisse dicere, Domine ostende nobis te, & sufficit nobis. Vt enim hoc intelligeret responsum est ei à domino: vnde sequitur, Dixit ei Iesus: *Tanto tempore vob. sum: & non cogno. me?* August. super Ioan. Sed quomodo hoc dicit: cum & quò iret, scirent, & viam scirent, non ob aliud nisi quòd ipsum scirent? Sed facilè ista quæstio solui-

tur ſi dicamus quòd cum aliqui eorum ſciebant, aliqui neſciebant, de quibus erat Philippus. Hila. 7. de trin. Arguit ergo Apoſtolum in cognoſcendo ſe ignorantem, cùm enim ea quæ gereret propria Deo eſſent, calcare vndas, iubere ventis, peccata dimittere, mortuis vitam reddere: huic querelæ omnis orta conquæſtio eſt, quòd in homine aſſumpto Dei non intellecta natura eſt. Et ideo poſtulanti vt ſibi patrem oſtenderet, ait, *Phil. qui vid. me vid. & pat.* Augu. Solemus enim de ſimilimis duobus ita loqui, Vidiſtis illum: ſic ergo dictum eſt, Qui vi. me: vi. & pa. nó quòd ipſe ſit pater & filius, ſed quòd à patris ſimilitudine in nullo prorſus diſcrepet filius. Hilar. 7. de trin. Non autem ille hic viſum oculorum carnalium ſignificat. Nó enim hoc quod ex partu virginis carnale eſt, ad contemplandam in eo Dei formam & imaginé proficit, ſed intellectus Dei filius id præſtat, vt intellectus & pater ſit. Dum ita imago eſt, vt nó differat genere, ſed ſignificet auctoritatem, non enim ſolitarium ſermo ſignificat & differétem, tamen naturam profeſſio docet. Cùm enim dicitur, *Et patrem*, excluſa eſt ſingularis, atq; vnici intelligentia. Et quid reliquum eſt, niſi per naturæ vnicam ſimilitudiné pater per filium viſus ſit? Augu. Sed nunquid obiurgandus eſt qui cú ſimilem viderat, etiam illum cui eſt ſimilis vult videre? Sed ideo diſcipulú dominus arguebat, quoniá cor poſtulantis videbat. Tanquam enim melior eſſet pater quàm filius, ita Philippus patrem noſſe cupiebat: & ideo nec filium ſciebat, quo alium meliorem eſſe credebat. Ad hunc ergo ſenſum contingendum dictum eſt, *Non credis, quia ego in patre & pater in me eſt?* Quaſi dicat. Si ad te multum eſt hoc videre, ſaltem quod non vides, credes. Hila. Quę enim ignorandi patrem aut oſtendendi ignorátibus neceſſitas relinquebatur, cùm pater in filio viſus eſſet ex proprietate naturæ dum ex indifferentia vnitatis vnum ſint natus & generans, vt hic ſermo domini ſequeretur, *Non credis quia ego in patre & pater in me eſt?* Aug. 1. de tri. Volebat enim eum ex fide videre, antequam illud poſſet videre, & ideo dicit, *Non credis.* Contemplatio quippe merces eſt fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur. Hila. [illegible]. de tri. Pater autem in filio eſt, & filius in patre, non per duplicem conuenientium generum coniunctionem, neque per inſitam capacioris ſubſtantiæ naturam, quia per corporalem neceſſitatem exteriora fieri his quibus continentur interiora non poſſunt, ſed per natiuitatem viuentis naturæ ex viuente, dum non aliud ex Deo quem Deus naſcitur. Hila. 7. de tri. Naturam enim ſuam (vt ita dicam) ſequitur indemutabilis Deus indemutabilem gignens Deum. Nec naturam ſuam deſerit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta natiuitas. Subſiſtentem igitur in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus ſit, nec prꝫter eum qui eſt Deus quiſquam alius Deus ſit. Chry. Vel aliter: Totum Philippus hic corporeis oculis patrem volebat videre quia & ipſum filium ita ſe exiſtimabat vidiſſe, fortaſſis à prophetis audiens, quoniam vidi dominum: & ideo dixit, *Oſtende nobis patrem.* Etenim Iudæi interrogauerunt, Quis eſt pater tuus? & Petrus & Thomas quò iret, & nullus dicit manifeſtè: vt ergo non videatur oneroſus eſſe Philippus & ipſe interrogans, *oſtende nobis patrem*, ſubiungit, *Et ſufficit nobis*, id eſt, nihil plus quærimus: dominus autem non dixit ei: Impoſſibile petis, ſed oſtendit quoniam neq; ipſum filium vidit. Nam ſi hunc potuiſſet videre, & illum vidiſſet. Et ideo dicit: *Tanto tempore vo. ſum: & non cog. me. Philippe.* Non dixit non vidiſtis me, ſed *non cognouiſtis me* quantum ad hoc ſcilicet, quòd filius hic manens quod pater decenter in ſeipſo oſtendit eum qui genuit. Deinde diuidens hypoſtaſes ait, *qui vi. me: vi. pa.* ne quis dicat quod ipſe eſt pater, ipſe filius. Oſtendit autem per hoc quoniam neque filium viſu corporeo vidit. Si autem aliquis hic viſum cognitionem dicere velit, non contradico, quaſi dicat, qui cognouit me, cognouit & patrem: ſed non dixit hoc, ſed conſubſtantialitatem repræſentare volens dixit, qui meá ſubſtantiam vidit, vidit & eam quæ patris. Vnde patet quòd non eſt creatura: creaturam enim videntes Deum neſciunt omnes. Philippus etiam ſubſtantiam patris videre quærebat. Si ergo alterius ſubſtantiæ eſſet non diceret, qui videt me, videt & patrem, ſed nec aliquis in argento auri ſubſtantiam videre poteſt, nó enim alia per aliam apparet natura. Aug. Deinde non ad ſolum Philippum ſed ad omnes pluraliter loquitur, dicens, *Verba quæ ego lo. vo. à meipſ. nó loquor.* quid eſt, *A meipſo non loquor*, niſi à meipſo non ſum, qui loquor? ei quippe tribuit quod facit, de quo eſt ipſe qui facit. Hilar. 7. de tri. Vnde neque ſe filium denegauit, nec naturam in ſe paternæ virtutis abſcondit. Nam dum loquitur, ipſe in ſubſtantia manés loquitur: dum non autem non à ſe loquitur, natiuitatem in ſe Dei à Deo teſtatur. Chryſ. Vidé autem abundantem ſuper vnius ſubſtantiæ demonſtratione, nam ſubditur, *Pater autem in me, &c.* Quaſi dicat, Nequaquam aliter facit pater & alter ego, ſicut & alibi ait, Si non facio opera patris mei, non credatis mihi. Sed quomodo à verbis incipiens ad opera venit. Conueniens enim erat dicere, Ipſe loquitur verba. Sed duo ponit de doctrina & ſignis, aut quia & verba opera erant. Aug. Nam qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. In his duabus ſententiis diuerſi nobis aduerſantur hæretici. Arriani dicunt, Ecce inæqualis eſt patri filius, non à ſeipſo loquitur. Dicunt Sabelliani, Ecce qui pater eſt ipſe filius. Quid eſt. *Pater in me ma. ipſe facit*: niſi in me maneo ego qui facio? Hila. 7. de tri. Sed manere in filio patrem, non eſt ſingularis atque vnici, operari verò per filium patrem, non eſt, differentis aut exteri: ſicut non vnius eſt non à ſe loqui qui loquitur, neque rurſus alieni ac ſeparabilis loqui per loquentem. Et quia in ſe patrem loqui & operari docuerat: perfectæ huius vnitatis fidé ſtatuit dicens: *Credite mihi quia ego in pa. & pa. in me. eſt*, ne ſcilicet, per virtutis efficientiam, & non per naturæ quæ ſecundum natiuitatem eſt, proprietatem pater in filio & operari crederetur & loqui: ſic enim habetur in Græco. Noſtra litera habet, *Non creditis quia ego in patre & pater in me eſt?* Aug. Antea ſolus Philippus arguebatur. Chry. Si verò non ſufficit hoc ad oſtendendum conſubſtantialitatem ſaltem ab operibus diſcite. vnde ſubditur: Alioquin propter opera ipſa credite. Vidiſtis enim ſigna cú authoritate, & omnia quæ deitatis erant propria & quæ ſolus pater operatur, peccata ſoluta, mortem recedentem, & huiuſmodi. Aug. Hoc ergo propter opera credite: quia ego in patre & pater in me eſt. Neque enim

ſi ſepa

[illegible] stabil[illegible] [illegible] ra-[illegible] vel [illegible] [illegible], [illegible]. [illegible] quia dominus [illegible] credite, ostendens quo-[illegible] multo maiora, & [illegible] fare, adiunxit. [illegible] Aug. Sed quæ sunt ista maio-[illegible] bus etiam [illegible]. Maius est enim quod sanet [illegible] quam [illegible], veruntamen quando ista [illegible] facta & opera com-[illegible], Pater in me manens [illegible] opera tunc dicebat, nisi ver-[illegible] & coram verborum fructus [illegible] veruntamen euangelizantibus [illegible] pauci quam illi erat, sed gen-[illegible]. Nonne ab ore ipsius diues [illegible] tamen postea quod ab illo [illegible] fecerunt multi, cum per [illegible] maius fecit prædica-[illegible] quam locutus audientibus. Ve-[illegible] quod hic maiora per apo-[illegible] ipsos tantum significans, [illegible], nunquid inter credentes in [illegible] computandus qui non fecerit [illegible] Christus: durum est nisi in-[illegible] Apostolus dicit credenti in eum qui [illegible] reputatur fides ad iustitiam. In [illegible] opera Christi, quia & ipsum [illegible] opus est Christi: hoc opera-[illegible] sine nobis. Audi ergo, [illegible] quæ ego fa. Prius ego facio, de-[illegible] faciat quæ opera, [illegible] fiat quod vtique in illo, [illegible] illo Christus operatur? prorsus hoc [illegible], quam creare cælum & ter-ram. Cælum enim & terra transibunt, prædesti-[illegible] autem [illegible] & iustificatio permanebit, [illegible] angeli opera sunt Christi: nunquid [illegible] operibus maiora facit qui [illegible] operatur [illegible] ad iustificationem? iudicet qui po-[illegible] maius sit, iustos creare quam impios iu[illegible] ca[illegible] si æqualis sit vtrunque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ, sed omnia opera [illegible] Christi, vbi [illegible], *Maiora horum faciet*. Nulla necessitas cogit [illegible] horum enim forsitam dixit quæ [illegible] faciebat, tunc autem verba fidei facie-bat, & [illegible] minus est verba iustitiæ prædicare, quod fecit propter nos: quam impios iustificare, quod ita fecit in nobis vt faciamus & nos. Ma-gnam autem spem dominus suis promisit oranti [illegible]: *Quia ego ad patrem vado*. Chry. Hoe est non per[illegible] in propria manebo dignitate & in cælis ero. vel hoc [illegible] acsi diceret, Vestrum est de cætero mira[illegible] facere: ego enim vado. Augu. Et ne quisquam hoc sibi tribueret: vt etiam illa opera maiora seipsum facere ostenderet, adiecit: *Et quo cunque petieritis, &c.* Qui dixerat *Faciet*, post ait *Faciam*, tanquam diceret: Non vobis hoc im-possibile videatur, non enim poterit esse maior me, qui credit in me, sed ego sum facturus & tunc maiora quàm nunc maiora per eum qui credit in me, quàm nunc per me: [illegible] non est defectio, sed [illegible] Chry. Dicit autem *in nomine meo*, quia & apostoli dicebant, In nomine Iesu Christi, ur-ge [illegible] ambula. Omnia enim signa quæ fecerunt ipsi [illegible] erat cum illis. Theo. Expon[illegible] per [illegible] miraculorum doctri-

nam, non per orationem ac inuocationem sui nominis [illegible] exercere prodigia. Augu. Sed quid est, *Quodcunque petieritis*: cum videamus ple-runque fideles [illegible] petere & non accipere, an for-te propterea quia [illegible] petunt? male enim vsurus est quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit, quomodo ergo intelligendum est, *Quodcunque petieritis hoc faciam*, si Deus aliqua pe-tentibus fidelibus etiam consulendo non facit? an solis apostolis hoc dictum debemus ac-cipere? [illegible]: Superius enim dixerat *Qui cre. in me. oper. quæ ego fa. & ipse fa.* Ipsos quoque si cogi-temus apostolos, inuenimus eum qui plus om-nibus laborauit rogasse: vt ab eo discederet an-gelus sathanæ, nec tamen quod rogauerat acce-pisse. Sed audi quod illic positum est. *In no. me.* quod est Christus Iesus: Christus regem: Iesus saluatorem significat: ac per hoc quodcunque pe-timus aduersus vtilitatem salutis: non petimus in nomine saluatoris & tamen ipse saluator est non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit, quoniam quod videt peti con-tra salutem, non faciendo se exhibet saluatorem. Nouit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus, & ideo contraria poscentis non facit voluntatem vt faciat sanita-tem. Sanè quædam quamuis in nomine eius peta-mus, non tunc quando petimus facit: sed tamen facit: differtur enim quod petimus, non negatur.

S. IO. CHRYSOSTOMI
Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil. 1.

Non turbetur cor vestrum. Credibile est Christi discipulos, superiora audiendo perturbatos. Si apostolorum princeps, & tam feruidus, ante galli cantum ter me negabit, magnam quandam calamitatis expectationem animo concepisse, par erat, vt etiam adamantina corda moueri possent. Cum ergo hac reputatione, non immeritò per-cellerentur, considera quomodo eos consolatur; *Non turbetur cor vestrum.* Hoc pacto primùm diui-nitatis suæ potentiam indicat, quòd animi motus palàm faceret. *Creditis in Deum, & in me credite.* Hoc est, quod omnia mala transibunt. Nam in me, & in patrem fides omnibus vos persequentibus po-tentior est, & nihil vos superabit, inde inquit, *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quemadmo-dum Petri mœrorem consolatur dicens; Sequeris autem posteà: ita & his spem suggerit, ne crede-rent illi soli factam promissionem. *In domo patris mei, mansiones multæ sunt, &c.* Hoc est, ille vos locus manet, qui & Petrum. Magna illic mansionum copia, nec dicendum est præparatione opus esse: quum enim dixisset; Non potestis modò me se-qui: ne arbitrarentur diuturniorem moram futu-ram: addidit; *Vt vbi sum ego, & vos sitis.* Tàtùm huic rei curam adhibeo, vt iam hoc fecissem, nisi iam vobis paratum esset: ostendens mulrù ipsis fiden-dum, & credendum. Inde ne fouendæ eorum spei gratia dicere videretur, sed vt crederent ita esse, addidit; *Et quò ego vado, scitis, & viam scitis.* Demó-strat enim eis non temerè in hunc sermonem ve-nisse, sed quia eos hoc iam animo quærere, vt di-serunt, intelligebat. Petrus enim non dicendi, sed [illegible] gratia ita interrogarat: sed, quum Ex Hom. 7. in Ioan. In Super 13.

reprehensus esset, etiam quod primùm impossibile videbatur, possibile ostendit: & quod impossibile videbatur, cupiditatem auxit, vt id certò cognosceret: ideo ait; *Et viam scitis.* Quemadmodum enim, nemine quicquam locuto, negaturum Petrum, & scrutatus corda ne perturbarentur admonuit: ita hoc in loco dicendo; *Viam scitis:* eorum indicat cordis desiderium, & dat eis rogandi occasionem. Petrus quidem amoris gratia, quò iret, interrogauit, Thomas autem metu, inquit, *Nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire?* Et considera quam reuerenter, non dixit, Dic nobis locum: sed, *nescimus quo vadis.* Hoc enim iam omnes scire gestiebant. Nam, si Iudæi id audientes suspensi erant, & quidem cùm abire eum cuperent: multò magis qui eo satiari nunquam poterant, quò iret, intelligere volebant, verebantur tamen interrogare, sed nimium vicit desiderium. Quid Christus? *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Quid ergo interrogatus à Petro, quò iret, non continuò respondit, se ad patrem ire, & eos tunc non posse, sed tot verborum ambitu vsus est, & interrogationes mouit, & responsiones? Iudæis fortasse meritò non dixisset, cur discipulis? Dixit quidem & his, & illis à Deo venire, & ad Deum ire, sed iterum manifestius quàm prius. At Iudæis quidem meritò non dixit: quibus si dixisset, vos non potestis venire ad patrem, superbiæ eum arguissent: nunc id subticens, dubios reddit. At discipulis, & Petro cur dixit? Norat Petri animum, & quantùm perturbarentur, quòd discederet. Assecutus ergo quod volebat & obscuritate sermonis iterum id reuelat. C[illegible]m enim dixisset; Vbi sum, nemo potest venire: [a]ddidit; *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* sed ad patrem nemo potest venire, nisi per me. Hoc autem noluit eis à principio dicere, ne in maiorem tristitiam adduceret. Dixit autem, postquàm consolatus est, ob Petri reprehensionē multum mœroris abstulit. Concepto enim metu, ne itidem ipsi reprehenderentur, magis cauebant. *Ego sum via:* hoc est, quia per me venietis. *Veritas,* quia sine dubio hæc erunt, neque in mendacium est. *Vita,* quia neque ipsa mors prohibere poterit, ne ad me veniatis. Quòd si ego sum via, duce minimè indigetis: si veritas, non loquor falsa: si vita, etiam si moriemini, consequimini quæ vobis pollicitus sum. Quòd de via dicebat, & intelligebāt, & confitebantur, reliqua ignorabant: non tamen audebant sciscitari. Multum autem consolabantur, quòd viam eum esse audierant. Si enim, inquit, in mea potestate est, vt vos ad patrem docam, omnino venietis. Neque enim alia veniendi via est. Et
Supr. 6. cùm dixisset, Nemo potest venire ad me, nisi pa-
Supr. 12. ter traxerit eum: iterum inquit; Si ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum; & nemo potest venire ad patrem nisi per me, semper se patri æquiparans. Quomodo ergo, cùm dixerit; Quò vado, scitis: subdit, *Si cognouissetis me, & patrē meum vtique cognouissetis, &c.* Non quòd sibi contradicat, [c]ognoscebant enim eum, non tamen vt oportebat; cognoscebant Deum, sed nondum patrem, post spiritus veniens, omnium in eos cognitionem infudit: ergo dicit; Si meam noscetis substantiam, & dignitatem, noscetis & patris: & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Al[i]ud tum futurum, alterum præsentis, hoc est per me. Visionem autem dicit m[ent]is cognitionem. Quos enim videmus, & videre, & ignorare possumus: quos cognoscimus, ignorare non possumus: propterea inquit, *Et vidistis eum:* quemadmodum ait. Visus est ab angelis. Atqui ipsa substantia videri nequit: sed visam dixit, secundum eorum possibili[t]atem: ostendēs, quòd qui ipsum vidit, patrem vidit. Vidit autem ipsum non in nuda substantia, sed carne vestitum. Alibi quoque visionē cognitionem appellat: vt cùm dicit; Beati mundo corde, quo- Matth.
niam ipsi Deum videbunt: mundi non tantùm à fornicatione, sed ab omnibus peccatis. Omne nāque peccatum animam maculat. Adnitamur ergo, vt omnibus sordibus animam mundemus. Mundat autem primùm lauacrum, inde aliæ multæ, & variæ viæ, quas benignissimus Deus nobis largitus est, quarum prima est eleemosyna. Eleemosynis enim, & fide purgantur peccata: eleemosynis inquam, non ex iniustè quæsitis: hæc enim non eleemosyna, sed crudelitas est, & inhumanitas. Quæ enim vtilitas, si alium spolies, vt alium induas? A misericordia incipiendum est, non ab immanitate: nam, si aliena damus, nullum nobis emolumentum. Hoc Zachæus ostendit, qui, vt Deum placaret, inquit: Si quid defraudaui, reddo Luc. 9.
quadruplum. Nos autem multa rapiendo, pauca dando, putamus Deum placare, cùm magis irritemus. Dic, quæso, si asinum mortuum, & fœtidum è triuiis in sacrificium offerres, nónne te lapidarent, vt impium, & scelestum persequerentur? Quid ergo si reprehendendam oblationem ea rapina, quæ etiam execrabilior est? Quam veniam merebitur? Esto, aliqua pecunia ex rapina condatur, nónne mortuo asino grauius olet? Vis intelligere quantus sit peccati fœtor? Audi prophetam, Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Tu autem verbis Deū latere censes: quæ cōmittis, ipse autem rapinas tuas, & fraudes perpetuò reminiscitur. Imponitur peccatum tuum super altare. Nec hoc solùm reprehēsione dignum, sed illud etiam grauius, quòd sanctorum animas coinquinas. Siquidem hoc lapis est, & sanctificatur ille, semper ipsum Christum ferunt, & audes illuc tanto scelere comparata offerre? Minimè, in- Lapis altaris sanctificatur per benedictionem.
quies. Neque enim eas offero pecunias, sed alia. Ridiculum hoc, nescis quòd licèt in multa pecunia vel gutta iniquitatis inciderit, tota coinquinatur? Et quemadmodum si quis in limpidum fontem stercus iniiciat, totum immūdum reddit, ita si diuitias auaritia attigerit, omnes fœtore suo corrūpit. Præterea ingressuri tēplum manus lauamus nō autē corda. Nūquid enim manus loquūtur? Anima profert verba, in animam Deus inspicit. Nihil opus est mūditia corporis, anima coinquinata. Quæ vtilitas, si manus exteriores lauas & interiores sordescunt? Hoc graue est, hoc omnia perdit, quod parua recenti, magna cōtemnimus. Illotis enim manibus precari, nihil refert: illota conscientia, hoc maximum malorum. Ideo Iudæis huiusmodi immunditiis vacantibus inquit, Ablue à malo cor tuum: quousque erunt tibi rationes laborum tuorum? Lauemus & nos, non cœno, sed aqua m[un]dissima, eleemosyna, nō auaritia. Primùm a rapina reuēdica, & tunc profer eleemosynam. Declinemus à malo, & faciamus bonum. Contine manus à cupiditate, & sic eleemosynæ assuefacias. Quòd si pauperes spoliamus, etiam, si non iisdem alios induimus: non tamen effugimus, quin suppliciis simus ob-

no[xi]j,

placationis, materia pec- ... est, nō miserem, quam ... Cain melius fuisset, si ni- ... quam deteriora offerendo ... Qui vero aliena offert, quo pa- ... ocat: Ego ubi dixi, inquit, no- ... rapina me honoras. Quod pu- ... gaudeat · Igitur dicet tibi; Pu- ... similis tibi: arguam te, & po- ... quam peccata tua. Sed absit, vt ... vocem audiat, sed puta eleemo- ... padibus sponso obuiam ve- ... & benignitate Domini nostri ... gloria in secula, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Homil. Ioan.

D... Philippus: *Domine, ostende nobis patrem,* ... eta aiebat Iudæis, Aspectus mere- ... tibi, cui nullus pudor est: quod, vt ... nō distantūm eiusdem dici merito ... us aduersus veritatem impudē- ... ente enim Philippo, *Ostende nobis patrem;* ... *Tanto tempore vobiscum sum, & nō cogno-* ... tamen nonnulli sunt, qui post hęc ver- ... à patre filium. Atqui quam maio- ... iniquitatem? Quidam enim ex ... Sabellij hæresim decidunt: verum ... tanquam ... regione cō- ... veritatem perscrutemur. Tanto ... cum sum, & non cognouisti me? ... nc pate... es, quem inquiro? Mini- ... non dixit, Non cognouisti ... aliud demonstrans, quàm quod ni- ... s, quàm quod est pater, manens ... Vide autem ad hoc venit Philippus? ... *nouisset me, & patrem meum vtique co-* ... Et ad Iudæos huiusmodi sæpenumero vsus est verbis, Et aliquādo Petrus, & Iudæi, quis esset pater interrogarunt, atque etiam Thomas, & nullus manifeste intellexit, sed adhuc quid diceret ignorabāt. Ne videretur molestus esse Philippus, post Iudæos magistrum tentare interrogando putaretur, huic particulæ, Ostende nobis patrem. ad... idit, *Et sufficit nobis*: nihil aliud ... mus. Nam dixerat Christus, Si cognouissetis me, & patrem meū vtique cognouissetis: ... a per ... ostēdebat. Philippus autem ... tratuim ordinem vertit inquiens: Ostende nobis patrem, tanquam Christum certò cognosceret: verùm non dimisit eum Christus, sed ad ... dirigit, per se patrem cognosci persuadens. Ip... autem carneis his videre oculis eum volebat ... prophetarum forsitan recordatus, quòd Deum ... dent, sed permissio fuit ab Philippe, inquit, ergo Deum nemo vidit vnquā. Et iterū; Omnis, qui audit à Deo, & dicit, venit ad me. Neq; vocē eius ... neq; faciem eius vidistis. ... in veteri testamento: Nemo videbit faciē meā, & viuet. Quid Christus ... entius arguit, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me?* & non dixit vidisti. ... *cognouisti.* Nunquid te nosse volo, inquit, patrem nunc videre quæris? ... autem mihi dicis, *non cognouisti me?* ... am hoc habet consequen- ... enim hoc fit, quod ... meritò in patrem osten- ... deus inquit *Philippe, qui vi-*

det me, videt & patrem, ne quis diceret, quòd pater sit ipse filius: nam, si ipse esset pater, non sanè dixisset; *Qui videt me, videt patrem.* Sed cur non eum admonuit, quòd impossibilia, & supra hominem, & sibi soli possibilia postularet? Cùm enim Philippus dixisset, sibi satis esse videre patrem, neque ipsum Philippum vidisse Christus ostendit. Certè enim si illum vidisset, etiam ipsum videre potuisset, ideo inquit; *Philippe, qui videt me, videt & patrem.* Si quis me videt, & istum videbit, hoc est, neque ego, neque ille videri possumus. Philippus enim visus cognitionem quærebat, & eùm Christum se vidisse arbitraretur, volebat eodem modo & patrem videre: vnde neque se videri ostendit. Quòd si quis dicat visum hoc in loco cognitionem intelligi, id ego non nego. *Philippe, qui me nouit*, inquit, *nouit & patrem.* Attamen non propter hoc dixit, sed vt eandem substantiam demonstraret. Qui meam substantiam videt, videt & patris, Et quare hoc? An ne qui creaturam Iudæi, videt & Deum? Atqui omnes creaturam norant, & videbant, Deum nō omnes norant. Præterea videamus, quid Philippus quærat. Num sapientiam patris; num benignitatem? Minimè, sed quid esset Deus, ipsam, videlicet substantiam. Ad hoc ergo respondet Christus, *Philippe, qui videt me.* Qui autem creaturam videt, non tamen videt Dei substantiam, *Philippe, qui videt me*, inquit, *& patrem meum videt.* Quòd si alterius esset substantiæ, minimè hoc dixisset. Vt autem pinguiori vtamur sermone; Nemo, qui aurum ignorat, in argento auri substantiam videre potest, Non enim alia per aliam apparet natura: ideo bene reprehendit inquiens; *Tanto tempore vobiscum sum*, tantam accepisti doctrinam, magna signa, & propria diuinitatis, & quæ pater solus operatur, vidisti, soluta peccata, arcana in medium prolata, mortem fugatam, opificium ex terra factam, & non cognouisti me? Vidisti patrem, noli amplius quærere vt videas, in illo enim me vidisti, Si nouisti me, noli amplius quærere, siquidem in me illum nouisti. *Non credis, quia ego in patre?* hoc est, in illius substantia appareo. *Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor.* Vides propinquitatis excellentiam, & vnius substantiæ exemplum? *Pater in me manens ipse facit opera.* Quomodo à verbis incipiens transit ad opera: Dici enim poterat; Ipse loquitur: sed duo hic ponit, doctrinam, & signa, vel quòd etiam verba erant opera. Quomodo ergo facit? Etenim alibi inquit, Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere. Quomodo ergo hoc in loco patrem facere attestatur? Vt plane ostendat, inter patrem, & filium nullam esse differentiam: hoc est, non aliter pater, & aliter ego facio. Nam alibi & se & patrem operari inquit, Pater meus vsque modò operatur est, & ego operor. Illic nullam operum diuisionem, hic idem ostendit. Quòd si pinguior verborum significantia humilitatem arguit, noli admirari. Prius enim cum dixisset, non credis, ita prosecutus est, vt ipsum in fidem traheret: corda nanque eorum ingrediebatur. *Creditis, quia ego in patre, & pater in me est?* Oportuit enim, eùm patrē, & filium audissent, nihil aliud in cognitionis substantiæ testimonium quærere. Quòd si vobis hoc non satis est ad æqualitatem, & eandem substātiam ostendendam, saltem ex operibus intelligite. *Et qui videt me, videt & patrem meum.* Si de operibus dictum esset, non sane posterius dixisset: in minus, propter

Intelliget calo illuminatum at luto oculis reformatis.

Supr.

Supr. 5

opera mihi credite. Inde non ea tantum posse, sed & longè maiora per eum ostendit. Non enim maiora his posse [illegible],sed,quod mirabilius est, se aliis dare posse maiorum potestatem profitetur. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, &c.* Hoc est,vestrum iam est, miracula operari, ego abeo. Inde cùm sermonem perfecisset,vt ratio exigebat, inquit; *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt in me glorificetur pater.* Vides iterum
Supr.13. quomodo hoc faciat? Ego, inquit, faciam: & non dixit,vt glorificem patrem,sed,*vt glorificetur in me pater.* Atqui alibi dicebat, Deus glorificabit eam in se ipso:hic verò,ipse glorificabit patrem. Cùm enim filius magna posse apparet, in eo pater glorificatur. Sed quid signat, *in nomine meo?* Quod
Act.3. Apostoli dicebant; In nomine Iesu Christi surge, & ambula. Quæcunque enim ipsi operabantur, eorum author erat Christus, & manus domini erat cum illis. *Ego faciam,* inquit. Ecce eius authoritatem:quæ per alios fiunt,ipse facit. Quæ per se facit, num ne ipse non potest, sed à parte operatur? Et quis nam hæc dicit: & qua gratia se u[illegible]dum hoc ponit? Vt sermonem suum confirmet, ostendatque ad priora illa nostri gratia descendisse. Illa enim particula, *Ad patrem vado:*hoc est,non pereo,sed in propria permanebo dignitate in cælis,quæ omnia ad eos consolandos dicebat. Cum enim credibile esset, eos, nundum resurrectione intellecta, quadam affici tristitia, alias ipsos cuiusmodi virtutes collaturos pollicetur,vndique eos consolans, & quod non modò perpetuo mansurus sit,sed etiam maiora ostensurus. Eum igitur sequamur,tollamus eius crucem: quòd si non persecutionis,aliud tamen mortis tempus est. Morti-
Colos.3. ficate,inquit,membra vestra, quæ sunt super terram. Extinguamus cupiditatem, iram, inuidiam: hoc est vnum sacrificium, quod non in cinerem consumitur,neque in fumum euanescit,nec lignis eget,non igne, non gladio, quia spiritus sanctus habet. Gladio enim spiritus illa, & aliena cordis abscindit,aperit oculos auditum. Morbi enim, & malæ cupiditates solent alimentis sermonibus auditum obstruere. Si quidem auditas pecuniarum non sinit de celestia præcepta audire,& si præualuerit inuidia, charitatis doctrinā expellit:& alius quibusque morbus animum occupans,ad omnia pigriorem reddit. Tollamus igitur
Non tamen excludendum [illegible] malas cupiditates, ad quod voluntas satis est, vt omnes extinguantur:neque [illegible] mus violentam esse pecuniarum cupiditatem, sed violentam desidiam nostram. Multi qui [illegible] sit argentum, necesse dicunt: non enim naturalis est eius cupiditas. Naturales etiam affectus à principio, & ortu ipso nobis infunduntur. Aurum autem, & argentum non ab initio [illegible] fuit. Vnde ergo aucta est huiusmodi cupiditas? Ab inani gloria, à summa desidia. Cupiditatum enim aliæ necessariæ sunt, aliæ naturales,aliæ neutrū. Vt exempli gratia; Quæcunque perfecto animali non deficiunt, ipsæ naturales sunt, & necessariæ. vt edendi, bibendi,dormiendi. Corporum [illegible] amor naturalis est, non necessarius,multi namque eum vincunt, neque tamen pereunt. Pecuniarum autem auiditas, neque naturalis est neque necessaria, sed superuacanea, modò voluerimus, [illegible] principio eam [illegible] lectemur. Verè Christus de virginitate dicit; Qui potest capere, capiat: de
Luc.14. pecuniis autem aliter. Nisi quis renūciauerit om-

nibus rebus suis,nó est me dignus. Rem enim facilem admoneo at,quòd autem multos exuperat, voluntatis culpa est. Quid ergo omnem nobis de ea excusationem auferimus. Nam, qui à vehementiore affectu vincitur, non multum puniendus est:sed qui ab imbecillo hoste superatur, minime potest excusari. Quid respōdebimus dicenti; Esurientem me vidistis, & non dedistis mihi cibum?Quo modo nos purgabimus?Adducemus Matth.
paupertatem?sed non sumus vidua illa pauperiores:quæ duos obolos offerens, omnes superauit. Neque enim quid offeras,Deus aspicit,sed dantis Marc.12.
voluntatem: hoc enim ei curæ est. Eius ergo benignitate perspecta:quæ possumus offeramus, vt & in præsenti vita, & in futura diuinam gratiam consecuti,promissis bonis perfruamur, gratia,& benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum,Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hippon. in superius Euang. Homil.1.

ERigenda est nobis, fratres ad Deū maior intentio, vt verba sancti Euangelij, quæ modo in nostris auribus sonuerunt, etiam in mente capere vtcunque possimus. *Ait enim dominus Iesus, Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum: & in me credite.* Ne mortem tanquam homines timerent, & ideo turbarentur,consolatur eos,etiam se Deū esse confitens. *Creditis,*inquit,*in Deum, & in me credite.* Consequens est enim, vt, si in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non esset consequens,si Christus nó esset Deus. Creditis in Deum, Phil.2.
& in eum credite,cui natura est, non rapina, esse æquale Deo:semetipsum enim exinaniuit, nó tamen formam Dei amittens,sed formam serui accipiens. Mortem metuitis huic formæ serui, non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma Dei: sed quid est quod sequitur, *In domo patris mei mansiones multæ sunt:* nisi quia & sibi metuebant? Vnde audire debuerunt, non turbetur cor vestrum? Quis enim eorum non metueret, cùm Petro dictum esset fidentiori,atque promptiori, Non cantabit gallus,donec ter me neges? tāquam ergo essent ab illo perituri,merito turbabantur:sed cum audiunt, In domo patris mei mansiones multæ sunt. *Si quo minus dixissem vobis,quia vado parare vobis locum.* A perturbatione recreantur,certi, ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros,quia & si alius est alio fortior, alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior,in domo patris mei mansiones Matth.20.
multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito: denarius quidem ille æqualis est omnibus, qué paterfamilias iussit,qui operati sunt in vinea,iuber dari omnibus, non in eo discernés qui minus,& qui amplius laborauerint:quo vtique denario vita significatur æterna,vbi amplius alio nemo viuit, quia in æternitate non est diuersa in æternitate mensura:sed multæ mansiones diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ,alia gloria stellarum: stella enim ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum tanquam stellæ sancti diuersas mansiones, diuersas

Vide quomodo in [illegible] diuer[illegible] rū gradus [illegible] merit[illegible] prop[illegible]. 1.Cor.15.

clarita

[illegible] in cœlo sortiuntur in regno, [illegible] denariũ nullus separatur a re- [illegible] Deus erit omnia in omnibus, vt, [illegible] har tas est, per charitatem fiat, [illegible] singuli, commune sit omnibus: [illegible] que etiam ipse habet, cum amat in [illegible] ipse non habet: non erit itaque ali- [illegible] patris clamatis, quoniam regnabit [illegible] charitas charitatis. Proinde respondi [illegible] hæretico, qui putant ideo dictum [illegible] mansiones, quia extra regnum cœlo- [illegible], vbi maneant beati innocentes, [illegible] o ex hac vita emigrarunt, quia [illegible] m cœlorum intrare non potue- [illegible] non est fides, quoniam non est ve- [illegible] fides: itane tandem stulti homi- [illegible] us cogitationibus excæcati, cum [illegible] etis. si mansionem non dico Petri [illegible] cuiuslibet Apostolorum, sed cuiuscũ- [illegible] baptizati à regno cœlorum separare- [illegible] os putatis esse reprobandos, qui do- [illegible] s patris sui se separatis? Non enim ait Do- [illegible] in vniuerso mũdo, aut in vniuersa creatura [illegible] beatitudine sempiterna mansiones [illegible] sed, in domo, inquit, patris mei man- [illegible] multæ [illegible]. Nónne ista est domus, vbi ædi- [illegible] habemus ex Deo, domum non manu- [illegible] æternam in cælis? Nónne ista est domus de [illegible] cantamus Domino, Beati qui habitant in do- [illegible] in sæcula sæculorum laudabunt te? ergone [illegible] non domum cuiusque baptizati fratris, sed [illegible] ipsius Dei patris, cui omnes fratres dici- mus, Pater noster qui es in cælis: a regno separare cælorum, aut eam sic diuidere audebitis, vt aliquę mansiones eius sint in regno cælorum, aliquę au- tem extra regnum cælorũ? Absit absit, vt qui vo- [illegible] habitare in regno cælorũ, in hac stultitia ve- [illegible] habitare vobiscum, absit, inquam, vt cum omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno ipsius, regiæ domus pars aliqua non [illegible] in regno *Et si abiero, inquit, & præparauero vobis [illegible] iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi [illegible] ego, & vos sitis: & quo ego vado scitis, & viam sci-* [illegible] O domine Iesu, quomodo vadis parare locum, si iam multæ mansiones sunt in domo patris tui, vbi tecum habitabunt tui? aut si accipis eos ad teipsum, quomodo iterum venis qui non recedis? Ista, charissimi, si breuiter explicare conemur, quantum videtur hodierno satis esse sermoni, co- [illegible] vtique non elarebunt, & erit ipsa breuitas [illegible] obscuritas. Proinde hoc debitum differa- mus, quod opportunius vobis, patresfamilias no- stro largiente, reddamus.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

Deberi vobis, fratres charissimi, iamque esse reddendum quod distuleramus agnosci- mus, quomodo intelligi possint non esse inter se ista duo contraria, quod cum dixisset Dominus, *In domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Vbi satis ostendit ideo se hoc illis dixisse, quia iam ibi sunt mansiones multæ, & non est opus aliquam præ- parare: rursus dicit, *Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt*

vbi ergo sum & vos sitis. Quomodo [illegible] vadit, & parat locum, [illegible] mansiones multæ [illegible], [illegible] *dixissem, vado parare* [illegible] non merito dixisset, vado p[illegible] nes & sunt, & parandæ [illegible] essent, dixisset, vado par[illegible] vt parandæ sint, non e[illegible] sed si abiero & pararet [illegible] veniens accipiet suos ad [illegible] sint & ipsi. Quomodo ergo [illegible] patris non aliæ sed ipsæ, & [illegible] cut parandæ non sunt, & non [illegible] rãdę sunt? Quomodo ergo putan[illegible] do etiam Propheta prędicat: Deum, qui fecit quę futura sunt? Non enim ait, qui facturus est quę fu- tura sunt: sed, qui fecit quę futura sunt: ergo & fe- cit ea, & facturus est ea: nã neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operan- do, sicut discipulos quando elegerit, satis indicat Euangelium, tunc vtique quando eos vocauit: & tamen ait Apostolus, Elegit nos ante mundi con- stitutionem: prędestinando vtique, non vocan- do: quos autem prædestinauit, illos & vocauit. Ele- git prædestinando ante mundi constitutionem: elegit vocando ante mundi consummationem, sic & mãsiones præparauit, & pręparat, nec alias: sed quas præparauit, has præparat: qui fecit quæ futura sunt: quas præparauit prædestinando, præ- parat operando: iam ergo sunt in prædestinatio- ne: si quo minus dixisset, ibo & præparabo, id est, prædestinabo: sed quia nõdum sunt in opera- tione, & si abiero, inquit, & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad me- ipsum. Parat autem quodammodo mansiones, mansionibus parando mansores: quippe cum di- xerit, *in domo patris mei mansiones multæ sunt,* quid putabimus esse domum Dei nisi templum Dei? Quid autem sit, interrogetur Apostolus & respon- deat, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: hoc est etiam regnum Dei, quod filius tradi- turus est patri, vnde dicit idem Apostolus, Initiũ Christus, deinde qui sunt Christi in præsentia eius, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri: id est quos redemit sanguine suo, tradiderit contemplando * etiam patri suo: hoc est regnum cælorum, de quo dicitur, Simile est regnum cælo- rum homini seminanti bonum semẽ in agro suo, bonum autem semen, hi sunt filij regni, qui & si nunc habent permixta zizania, mittet in fine rex ipse angelos suos, & colligẽt de regno eius omnia scandala, tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Regnum fulgebit in regno, cum vene- rit regnum, quod nũc oramus, & dicimus, Veniat regnum tuum: Nunc ergo iam regnũ vocatur, sed adhuc cõuocatur: si enim regnum non vocaretur, colligent de regno eius omnia scandala, non dice- retur, sed nõdum regnat hoc regnum. Proinde sic iam est regnum, vt cũ de illo collecta fuerint om- nia scandala, tunc perueniet ad regnum, vt nõ so- lum regni nomen, sed etiam regnandi habeat po- testatem: huic quippe regno ad dexteram stanti, in fine dicetur, Venite benedicti patris mei, per- cipite regnum: id est, qui regnum eratis & non re- gnabatis, venite, regnate, vt quod in spe fueratis, etiam in re esse possitis: hæc ergo domus Dei, hoc templum Dei, hoc regnum Dei, regnũmque cælo- rum adhuc ædificatur, adhuc fabricatur, adhuc para-

Margin notes: * *parare dis.* [illegible] — *Ephe.* — *Roma. 8.* — *1. Cor. 3.* — *1. Cor. 15.* — * *legendũ ar- bitror compla- tando.* — *Matth. 13.* — *Matth. 6.* — *Matth. 25.*

paratur,adhuc congregatur.In illo erunt mansiones,sicut eas adhuc parat Dominus:in illo iá sunt sicut prędestinauit iá Dominus:sed quid est quòd vt prępararet abijt,cum profectò nosipsos prępararet,quod nó faciet si reliquerit?Agnosco,Domine vt possum, nimirum illud significas, quia vt pareitur istæ másiones,viuere debet iustus ex fide. 2.Cor.5. Qui enim à Domino peregrinantur,opus habent ex fide viuere, quia per hanc ad speciem contemplandam parantur:beati enim mundo corde, Matth.5. quia ipsi Deum videbunt: & fide mundat corda Actor.15. eorum illud in Euangelio, hoc in Apostolorum Actibus legitur.Fides autem qua eorú,qui Deum visuri sunt, quandiu peregrinantur, corda mundantur,quod non vidit,credit: nam si vides,non est fides, credenti colligitur meritum, videnti redditur præmiú.Eat ergo dominus,& paret locum, eat ne videatur,lateat vt credatur: tunc enim locus paratur, si ea fide viuatur, creditus desideretur,vt desideratus habeatur,desiderium dilectionis præparatio est mansionis. Ita, domine, para quod paras, nos enim tibi paras, & te nobis paras,quoniá locú paras,& tibi in nobis & in te no- Ioan.15. bis,tu enim dixisti,Manete in me & ego in vobis. Quantum quisque fuerit particeps tui, alius minus,alius amplius,hęc erit diuersitas premiorum pro diuersitate meritorum, hæc erit multitudo mansionú pro dispanlitate mansorum,sed tamen omniú in æternitate viuorú, & sine fine beatorú. Quid est quòd vadis?quid est quòd venis?Si te bene intelligo,nec vnde vadis nec vnde venis, recedis: vadis latédo,venis apparédo,sed nisi maneas regendo,vt proficiamus bene viuendo, quomodo parabitur locus, vbi possimus manere perfruendo? Hæc de verbis quæ recitata sunt Euangelicis,satis dicta sint,quousque ait dominus,*Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.* Quid autem sit quod sequitur, *vt vbi ego sum, & vos sitis: Et quò ego vado scitis, & viam scitis.* Post interrogationem quę sequitur à discipulis factam,tanquam per eos & nos interrogemus,melius audiemus, opportuniúsque tractabimus.

EIVSDEM IN IDEM *Homilia 3.*

Tract. 69. in Ioan. NVnc est, dilectissimi, vt quantum valemus, intelligamus de verbis domini posterioribus priora, ea consequentibus præcedentia, id est quod audistis Apostolo Thomæ interroganti esse responsum. Dixerat enim superius dominus eum de mansionibus loqueretur, quas & esse dixit in domo patris sui, & ire se vt præpararet eas, vbi intelleximus & esse iam mansiones ipsas in prædestinatione, & præparari eas cum eorum, qui ibi mansuri sunt, per fidem corda mundantur, quoniam ipsa Dei domus ipsi sunt. Et quid est aliud manere in domo Dei, quàm esse in populo Dei eum idem populus est in Deo,& Deus in eo? Hoc vt præparet, dominus abiit, vt credendo in eum, qui non videtur,ea quæ in specie futura est, nunc per fidem mansio præparetur: propter hoc ergo dixerat, *Et si abiero & præparauero vobis locum, iterú venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis, & quo ego vado scitis, & viá scitis:* ad hæc, *Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viá scire?* Vtrúque illos dominus dixerat scire, vtrunque dixit iste nescire,& locum quò itur,& viam qua itur:sed nescit ille mentiri, ergo isti sciebant,sed se scire nesciebant:conuincat eos dominus iam scire, quod se putant ad hucusque nescire. *Dicit ei Iesus, Ego sum via, veritas & vita.* Quid est,fratres? Ecce audiuimus discipulum interrogantem, audiuimus & magistrum docenté, & nondum capimus etiam post vocem sonantem sententiam latitantem: sed quid non possumus capere?Nunquid poterant ei dicere Apostoli eius,cum quibus loquebatur,nescimus te?Proinde si eum sciebant,& via ipse est,viam sciebant: si eú sciebant,& veritas ipse est,veritaté sciebant: si eú sciebá, & vita ipse est,vitá sciebá: ecce scire conuicti sunt,quod se scire nesciebát.Quid igitur & nos in isto sermone nó cepimus?Quid putatis, fratres mei,nisi quia dixit, *Et quò vado scitis, & viá scitis:* ecce cognouimus quòd sciebant viam, quia sciebant ipsum qui est via:sed via est qua itur,nunquid via est & quò itur? Vtrunq; auté illos dixerat scire,& quò vadit,& viá:opus ergo erat,vt diceret, ego sum via, vt ostenderet eis,qui eú scirent,viam scire,quam putauerant se nescire.Quid auté opus erat, vt diceret *ego sum via, & veritas, & vita,* cum via cognita qua iret, restaret nosse quò iret, nisi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo ad seipsum, per seipsum. Et nos quò imus nisi ad ipsum? Et qua imus nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum per seipsum, nos ad ipsum per ipsum, imò vero & ad patrem & ipse & nos: nam & de seipso alibi dicit, Ad patrem vado: & hoc loco Ioan.16. propter nos,*Nemo*, inquit, *venit ad patrem nisi per me.* Ac per hoc & ipse per seipsum & ad seipsum & ad patrem, & nos per ipsum & ad ipsum & ad patrem.Quis hæc capit, nisi qui spiritaliter sapit? Et quantum est quod hic capit, etiam qui spiritaliter sapit? Fratres mei,quid à me ista vobis vultis exponi? Cogitate quam excelsa sunt: videtis quid sim, video quid sitis:in omnibus nobis cor- Sapien.9. pus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: putamúsne & possumus dicere, Ad te le- Psal.122. uaui animam meam,qui habitas in cælis?Sed sub tanto pódere vbi ingemiscimus grauati, quomodo leuabo animam meam, nisi mecum leuet qui posuit pro me suá?dicá ergo quod possum, capiat vestrum qui potest:quo donante dico, eo donáte capit, qui capit & eo donáte credit,qui nondum capit.Nisi enim credideritis,inquit Propheta: nó Esa.7. intelligetis.Dic mihi, domine Deus,quid dicá seruis tuis cóseruis meis?Thomas Apostolus vt te interrogaret,habuit te ante se,nec tamé intelligeret te, nisi haberet in se:ego interrogo te quia te scio esse super me. Interrogo auté,inquátum possum, super me effundere animam meam, vbi non sonantem,& tamen docentem audiam te.Dic mihi obsecro,quomodo vadis ad te?nunquid ná vt venires ad nos,reliqueras te,maxime quia non à teipso venisti,sed pater te misit? Scio quidem quod te exinanisti,sed quia formam serui accepisti,non quia formam Dei, vel ad quam redires dimisisti, vel quam reciperes amisisti: & tamen venisti, & Philip.2. non solum vsque ad carnales oculos,verumetiam vsque ad manus hominum peruenisti:quomodo nisi in carne?Per hanc venisti manés vbi eras, per hane redisti non relinquens quò veneras. Si ergo per hanc venisti & redisti, per hanc proculdubio non solum nobis es qua veniremus ad te,verumetiam

etiã tibi qua venires & redires via fuisti. Cùm vero ad vitam quod es ipse isti, eãdem profecto carnem tuam de morte ad vitam duxisti, aliud quippe Dei verbum est, aliud homo, sed verbum caro
Ioan.1. factum est, id est, homo. Non itaque alia verbi, alia est hominis persona, quoniam vtrunque est Christus vna persona: ac per hoc quemadmodum ca-
Rom.10. ro, cum mortua est, Christus mortuus est, & cum caro sepulta est, Christus sepultus est: sic enim corde credimus ad iustitiam, sic ore confessionem facimus ad salutem: ita cum caro à morte venit ad vitam, Christus venit ad vitam: & quia verbum Dei Christus est, Christus est vita. Ita miro quodam & ineffabili modo, qui nunquam dimi-
Roma.3. sit vel amisit seipsum, venit ad seipsum. Venerat
Psal.115. autem vt dictum est, per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces: Deus enim verax, omnis autem homo mẽdax. Cum itaque ab hominibus abstulit, atque illuc vbi nemo mentitur, carnem suam leuauit idem ipse, quia verbum caro factum est, per semetipsum, id est, per carnem, ad veritatem quod est ipse remeauit. Quam quidem veritatem, quamuis inter mendaces, & in morte seruauit: aliquando enim Christus fuit mortuus, sed nũquam fuit falsus. Accipite quamuis diuersum, & longe impar exemplum, tamen vtcunque ad intelligẽdum Deum, ex his quæ propius subiecta sunt Deo: ecce ego ipse, quantum attinet ad animum meum, cum hoc sim quod estis & vos, si taceo, apud meipsum sum: si autem loquor vobis quod intelligatis, quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo, sed & ad vos accedo, & non recedo vnde procedo: cum autẽ tacuero, quodammodo ad me redeo, & quodammodo vobiscum maneo, si tenueritis quod audistis in sermone quem dico. Si hoc potest imago, quam fecit Deus, quid potest non à Deo facta, sed ex Deo nata imago Dei Deus, cuius illud per quod ad nos egressus est, & in quo à nobis regressus est, corpus, non sicut meus elapsus est sonus, sed manet ibi vbi iam non moritur, & mors ei vltra non dominabi-
Roma.6. tur? Multa de his euãgelicis verbis adhuc dici fortasse poterant & debebant, sed non sunt corda vestra spiritalibus cibis quanlibet suauibus one-
Matth.26. randa, maxime quia spiritus promptus est, caro autem infirma.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 4.

Tract. 70. in Ioan. VErba sancti Euangelij, fratres, ita recte intelliguntur, si cum superioribus reperiuntur habere concordiam: conuenire enim debent præcedentia consequentibus, quando veritas loquitur: superius dixerat dominus; Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis: deinde addiderat, Et quò ego vado scitis, & viam scitis: nihilque aliud ostendit esse quod dixit, nisi quia ipsum sciebant. Quid ergo esset ire ad seipsum per seipsum, quod etiam discipulis præstat vt eant ad ipsum per ipsum, vt potuimus pristino sermone iam diximus. Quod itaque ait, Vt vbi ego sum & vos sitis: vbi erant futuri nisi in ipso? Ac per hoc est etiam ipse in seipsu, & ideo ibi illi, vbi & ipse, id est, in ipso. Ipse est igitur vita æterna in qua futuri sumus, cum acceperit nos ad se: & ipsa vita æterna quod ipse est, in ipso est, vt vbi est ipse & nos simus: hoc est, in ipso. Sicut habet pater vitã in semetipso, & vtique nõ aliud est vita Ioan.5.
quam habet, nisi quod est ipse, qui hãc habet: sic dedit filio habere vitam in semetipsũ, cum ipse sit eadem vita quam habet in semetipso. Nunquid autẽ nos vita quod est ipse, hoc erimus cũ in illa vita, hoc est, in ipso esse cœperimus? Non vtique, quia ipse existẽdo vita habet vitã, & ipse est quod habet, & quod vita est in ipso, ipse est in seipso, nos autẽ nõ ipsa vita, sed ipsius vitę participes sumus, atque ita ibi erimus, vt in nobisipsis, non quod ipse est esse possimus, sed nos ipsi non vita, ipsum habeamus vitã, qui seipsum habet vitam, eo quod ipse sit vita. Denique ipse & in seipsũ est immutabiliter, & in patre inseparabiliter, nos vero cum in nobisipsis esse voluissemus, ad nosipsos turbati sumus: vnde illa vox est, Ad meipsum turbata est anima mea, atque in deterius commutati ne- Psal.6.
que id quod fuimus permanere potuimus. Cum autem per ipsum venimus ad patrẽ, sicut ait, Nemo venit ad patrem nisi per me: manentes in illo, nec à patre nos quisquam poterit separare, nec ab illo. Connectens itaque consequentia præcedentibus. *Si cognouissetis me*, inquit, *& patrem meum vtique cognouissetis*, hoc est quod ait, Nemo venit ad patrem nisi per me: deinde subiungit, *Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.* Sed Philippus vnus ex Apostolis, qui audierat non intelligẽs, *Domine*, inquit, *ostende nobis patrem, & sufficit nobis*: Cui dominus; *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & patrem.* Ecce increpat quod tãto tempore cum ipsis erat, & non cognoscebatur. Nonne ipse dixerat, & quò ego vado scitis, & viam scitis? Et se nescire dicentes, eos hoc scire conuincerat, addendo atque dicendo, Ego sum via, veritas, & vita: quomodo nũc dicit; *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me*, cum profecto & quò iret & viam scirent, non ob aliud nisi quod ipsum vtique scirent? Sed facile ista soluitur quæstio, si dicamus quòd eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant, atque in his, qui nesciebant, & Philippus erat, & quod ait, *& quò vado scitis, & viam scitis*, illis dixisse intelligatur qui sciebant, non Philippo cui dictum est, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, Philippe?* His ergo qui filium iam nouerant, etiam illud de patre dictum est, *& amodo cognoscetis eum & vidistis eum*: dictum est enim propter omnimodam similitudinem, quæ illi cum patre est: vt ideo amodo dicerentur nosse patrem, quia nouerant similem filium: ergo iam sciebant filium, & si non omnes, certe quidam eorum quibus dicitur; *Et quò vado, scitis, & viam scitis*, ipse est enim via. Sed patrem nesciebant, ideo audiunt: si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis, si me, vtique & illum: alius enim ego sum, alius ille: sed ne putaret ut dissimilem, *& amodo*, inquit, *cognoscetis eum, & vidistis eum.* Viderunt enim ei similem filium, sed admonendi fuerant talem esse etiam patrem, quem nondum videbant, qualis est filius quem videbant, & ad hoc valet quod postea Philippo dicitur, *Qui videt me, videt & patrem.* Non quod ipse sit pater & filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, catholica fides damnat, sed quòd tam similes sint pater, & filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit: solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis, qui vnum illorum

tum vident,& qualis sit alius,volunt nosse,vt dicamus. Vidistis istum, illum vidistis.Sic ergo dictum est, *qui me videt, videt & patrem*,non vtique vt ipse sit pater qui filius, sed quòd à patris similitudine in nullo prorsus discreper filius:nam nisi duo essent pater,& filius,non dictum esset, *si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis*: vtique enim,*quia nemo*,inquit,*venit ad patrem nisi per me,si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis*, quoniam ego per quem venitur ad patrem,perducam vos ad eum, vt ipsum etiam cognoscatis:sed quoniam illi sum omnino simillimus,*amodo cognoscetis eum* cum cognoscitis me, *& vidistis eum*, si oculis cordis vidistis me. Quid ergo est quod dicis,Philippe,ostende nobis patrem,& sufficit nobis? *Tanto*,inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe,qui videt me, videt & patrem.* Quod si ad te multum est hoc videre,saltem quod non vides hoc crede. *Quomodo enim dicis*, inquit, *ostende nobis patrem?* Si me vidisti qui omnimodo similis sum,vidisti illum, cui similis sum: quod si videre non potes,non saltem credis quia ego in patre,& pater in me est? Poterat hic dicere Philippus, Video quidem te, & credo te simillimum esse patri: sed nunquid arguendus, & obiurgandus est, qui eum similem videt,etiā illum,cui similis est vult videre?Similem quidem noui, sed adhuc alterum sine altero noui, non mihi sufficit, nisi & illum cui est iste similis nouerim. Ostende itaque nobis patrem, & sufficit nobis. Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior esset pater quàm filius,ita Philippus patrem nosse cupiebat, & ideo nec filium sciebat, quo melius esse aliquid credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est, *qui videt me, videt & patrem*, quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Video quomodo tu dicas, non alterum quæris videre similem,sed illum putas esse meliorem. *Non credis, quia ego in patre & pater in me est?* Cur in similibus distantiam cupis cernere? Cur inseparabile separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur, quæ non sunt in angustias coarctanda,vt adiuuante illo diligentius exponantur.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 5.

Tract.71.in Ioan. AVdite auribus, accipite mentibus,dilectissimi,loquentibus quidem nobis, sed ipso docente, qui non recedit à nobis, dominus dicit, quod modo cum legeretur audistis. *Verba,quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, pater autem in me manens, ipse facit opera.* Ergo & verba opera sunt? Planè ita est, nam profectò qui proximū loquendo ædificat, bonum opus operatur. Sed quid est, *à meipso non loquor*, nisi à meipso non sum, qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit,de quo est ipse, qui facit:pater enim Deus non est de aliquo,filius autem Deus est quidem patri æqualis, sed de patre Deo,ideo ille Deus,sed non de Deo,& lumen, sed non de lumine:iste vero Deus de Deo, lumen de lumine;nam in his duabus sententiis, vna,qua dictum est,*non à me ipso loquor*:alia qua dictum est, *pater autem in me manens ipse facit opera*:singula- nentes diuersi nobis aduersantur hære-

non ex vna parte,sed in contraria conantes, à via veritatis exorbitant. Arriani quippe dicunt,ecce inæqualis est patri filius, à seipso non loquitur: dicunt Sabelliani contrà,id est,Patripassiani,ecce qui pater est,ipse & filius. Quid enim est,pater in me manēs,ipse facit opera: nisi,in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis, sed non eo modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria, errando in diuersa itis, in medio est via quam relinquitis: inter vosipsos longiore interuallo separati estis, quam ab ipsa via cuius desertores estis. Vos hinc,vos autem illinc, huc venite, alteri ad alteros transire nolite, sed hinc, atque illinc ad nos veniendo, inuicem vos inuenire. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis: Arriani,æquate quem subditis,& in via vera nobiscum ambulabitis: est enim quod inuicem ex vobis alteri ex alteris admoneri vtrique debeatis. Audi, Sabelliane, vsque adeo non ipse pater,sed alter est filius,vt eum Arrianus inæqualem asserat patri: audi, Arriane,vsqueadeò filius æqualis est patri, vt Sabellianus eundem esse dicat & patrem: tu adde quem tollis, tu adimple quē minuis,& nobiscū ambo consistitis,quia nec tu tollis, nec tu minuis eum: qui alter est à patre, vt conuincas Sabellianum:& æqualis est patri, vt *Ioan.10.* conuincas Arrianum:vtrisque enim clamat, Ego, & pater vnum sumus: quod ait, vnum, audiant Arriani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. Si ergo quoniam dixit, *Verba quæ ego loquor* *Ioan.5.* *vobis,à meipso non loquor*, propterea putatur vsque adeo imparis potestatis,vt non quod ipse vult faciat:audiatur quod dixit,Sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Item si quoniam dixit, *Pater in me manens ipse facit opera*,propterea putatur non alius esse pater,alius ipse:audiatur quod dixit,Quæcunque pater facit, hæc & filius similiter facit:& intelligatur non bis vnus, sed duo vnum, Verum quia sic æqualis est alter alteri, vt tamen alter sit ex altero, ideo non loquitur à semetipso,quia non est à seipso:& ideo pater in illo manens facit opera ipse, quia per quem & cum quo facit, non est nisi ab ipso:denique adiungit & dicit, *Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Antea solus Philippus arguebatur, nunc autem non ibi eum solū fuisse qui esset arguendus ostenditur, *Propter opera*, inquit,*ipsa credite, quia ego in patre,& pater in me est*:neque enim si separari essemus inseparabiliter operari vlla ratione possemus. Sed quid est quod sequitur, *Amen amen dico vobis,qui credit in me,opera quæ ego facio,& ipse faciet, & maiora horum faciet,&c.* Ergo & ille maiora opera seipsum facturum esse promisit. Non se extol- *Ioan.14.* lat seruus supra dominum, nec discipulus supra magistrum. Maiora quam ipse fecit dicit eos esse facturos,sed in eis vel per eos se faciente,non ipsi tanquam ex seipsis:ei quippe cantatur in Psalmo, *Psal.17.* Diligam te, domine, virtus mea,sed quæ sunt tandem ista maiora? an forte quòd ægros ipsis transeuntibus,etiam eorum vmbra sanabat? Maius est *Act.5.* enim vt sanet vmbra quam fimbria. Illud per se fecit, hoc per ipsos, sed tamen vtrunque ipse verūtamen quando ista dicebat, verborum suorum opera commendabat:sic enim dixerat, *Verba quæ* [illegible]*uor vobis, à me ipso non loquor, Pater autem in* [illegible]*ens ipse facit opera.* Quæ opera tunc dicebat,

nisi

nisi verba quæ loquebatur? Audiebant, & credebant illo, & eorundem verborum fructus erat fides illorum. Veruntamen euangelizantibus discipulis, non tam pauci, quàm illi erant, sed gentes etiam crediderunt. Hæc sunt sine dubitatione maiora: nec tamen ait, *Maiora horũ facietis*, vt solos Apostolos ea putaremus esse facturos. *Sed qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet*. Itáne quicunque credit in Christum, facit quæ Christus, vel maiora quàm Christus? Non prætereunter ista tractanda sunt, nec debent festinatione præcipitari, sed ea cogit concludendus iam sermo iste differri.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 6.

Tract. 72. in Ioan. Quid sibi velit, & quomodo accipiendum sit quod dominus ait, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet*, non est facile comprehendere, & cum hoc ad intelligẽdum difficillimum sit, adiecit aliud difficilius, *Et maiora horum faciet*. Quid est hoc? Qui faceret opera quæ Christus fecit, non inueniebamus, qui etiam maiora faciet inuenturi sumus? Sed dixeramus sermone pristino, quia maius fuit vmbræ suæ transitu, quod discipuli fecerunt, quàm fimbriæ suæ tactu, quod ipse dominus fecit, sanati lãguentes. Et quia plures Apostolis, quàm ipso per eos proprium prædicante domino crediderunt, vt hæc viderentur opera intelligenda esse maiora: non quo maior esset magistro discipulus, vel domino seruus, vel adoptatus vnigenito, vel homo Deo: sed quod per illos ipse dignaretur eadem maiora facere, qui dicit illis alio loco, Sine me nihil potestis facere. Ipse quippe, vt alia omittam, quæ sunt innumerabilia, sine ipsis fecit eos, siue ipsis fecit hunc mundum, & quia homo etiam ipse fieri dignatus est, sine ipsis fecit & seipsum. Quid autem illi sine ipso nisi peccatum? Denique & hic id quod de hac re poterat nos mouere, mox abstulit: cum enim dixisset, *Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*: continuo secutus adiunxit. *Quia ego ad patrem vado, & quæcunque petieritis in nomine meo, hac faciam*. Qui dixerat *faciet* post ait *faciam*: tanquam diceret, Non vobis impossibile hoc videatur. non enim poterit esse maior me qui credit in me, sed ego facturus sum, & tunc maiora quàm nũc. Maiora per eum qui credit in me, quàm præter eum per me; ego tamen ipse præter eum, ego ipse per eum: sed quãdo præter eum non faciet ipse, quando autem per eum, quamuis non per semetipsum, faciet & ipse. Porrò autem maiora facere per eum quam præter eum, non est defectio, sed dignatio. Quid enim retribuant serui domino, pro omnibus quæ retribuit eis? Quandoquidem inter cætera bona etiam hoc eis donare dignatus est, vt maiora faceret per illos quam præter illos? Nonne ab ore illius diues ille tristis abscessit, vt qui vitæ æternæ consilium quæsiuit? Audiuit, abiecit, & tamen postea quod ab illo auditum non fecit vnus, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos magister bonus; cõtemptibilis ei, quem diuitem per seipsum monuit, amabilis eis quos ex diuitibus pauperes, per discipulos pauperes fecit. Ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm locutus audientibus.

Margin notes (left column): Act. 5. — Matth. 14. — Ioan. 15. — Ioan. 1. — Psal. 115. — Matth. 19.

Verum hoc adhuc mouet, quòd hæc maiora per Apostolos fecit, non autem ipsos tantũ significãs ait; *Opera quæ ego facio, & vos facietis, & maiora horum facietis*: Sed omnes ad suam familiam pertinentes intelligi volens. *Qui credit in me*, inquit, *Opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*. Si ergo qui credit faciet, nõ credit vtique qui non faciet: sicuti est, Qui diligit me mandata mea custodit: vnde profectò qui non custodit, non diligit. Item alio loco, Qui audit, inquit, verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam supra petram. Qui ergo non est similis huic viro prudenti, proculdubio aut verba hæc audit, & nõ facit, aut omnino non audit. Qui credit, inquit, in me, licet moriatur viuet: qui ergo non viuet, non vtique credit. Tale etiam hoc est, qui credit in me, faciet: non vtique credit, qui non faciet. Quid est hoc, fratres? Nunquid inter credentes in Christum nõ est computandus, qui non fecerit opera maiora quàm Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest, nõ toleratur, nisi intelligatur. Apostolum igitur audiamus, Credẽti, inquit, in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christo opus est Christi, hoc operatur in nobis, non vtique sine nobis: audi ergo iam & intellige, Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet: prius ego facio, deinde & ipse faciet, quia facio vt faciat. Quæ opera; nisi vt ex impio iustus fiat: Et maiora horum faciet, quorum obsecro? Nunquid nam omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore, & tremore suam ipsius salutem operatur: Quod vtique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim, quàm est cœlũ, & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo, & in terra: cœlum enim, & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorũ quos præscit, salus, & iustificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in his autem etiam est imago Dei. Sed in cœlis, sedes, dominationes principatus, potestates, Archangeli, Angeli, opera sunt Christi. Nunquid etiam his operibus maiora facit, qui operante in se Christo, cooperatur saluté æternam, ac iustificationem suã? Non hic audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quã impios iustificare. Certe enim si æqualis est vtromque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ: hoc est enim magnum pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Sed omnia opera Christi intelligere vbi ait, *Maiora horum faciet*: nulla nos necessitas cogit: horum enim forsitan dixit, quæ in illa hora faciebat: tunc enim verba fidei faciebat, & de his operibus fuerat prælocutus, dicẽs, *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, pater autem in me manens, ipse facit opera*. Tunc igitur verba eius erant opera eius, & vtique minus est verba iustitiæ prædicare quod fecit præter* nos, quã impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt faciamus & nos. Restat inquirere quomodo accipiendum sit. *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam*. Propter multa enim quæ petunt fideles eius nec accipiunt, non parua hinc exoritur quæstio: sed quoniã sermo iste iã claudendus

Margin notes (right column): Matth. 7. — Ioan. 11. — Roma. 4. — *Videt etiam fidẽ à Deo nobis infundi, sed non sine nostra cooperatione.* — Matth. 24. — 1. Timo. 3. — * alias, per

eſt,ei conſiderandę rei atque tractandę tribuatur ſaltem parua dilatio.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 7.

Tract. 73. in Ioan. MAgnam ſpem dominus ſuis promiſit ſperantibus dicens, *Quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Sic ergo perrexit ad patrem, vt non relinqueret indigentes, ſed exaudiret petẽtes. Sed quid eſt, *Quodcunque petieritis*, cum videamus plerunque fideles eius petere, & non accipere? An forte propterea quia male petunt? nam hoc exprobrauit Apoſto- *Iacob. 4.* lus Iacobus dicens. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Male ergo vſurus eo quod vult accipere, Deo potius miſerante non accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus. An non vidimus Iſraë- *Num. 11.* litas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentia petierunt? Cõcupierant enim carnibus veſci, quibus pluebatur manna de cœlo, faſtidiebant quippe quod habebant, & quod non habebant, impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non vt cibus qui deerat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectãt bona, rogare debemus potius Deum vt delectent bona, quàm vt concedantur *1. Tim. 4.* mala. Nõ quia malum eſt carne veſci, cum de hac *Rom. 14.* re loquens Apoſtolus dicat, Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendũ quod cũ gratiarum actione accipitur: ſed quia ſicut idem ipſe ait, Malũ eſt homini, qui per offendiculũ manducat. Et ſi per hominis offenſionẽ, quanto magis Dei, Cuius in Iſraëlitis non parua erat offenſio, repudiare quod dabat ſapientia, & petere id quod inhiabat concupiſcentia, quamuis illi nec peterent ſed quia deerat murmurarent, ſed vt ſciremus nõ Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobediẽtiam contumacem & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, ſed propter pomum mortẽ primus homo inuenit: & Eſau primatus ſuos non *Gene. 3.* propter gallinam, ſed propter lenticulam perdi- *Gen. 25.* dit. Quomodo ergo intelligendum eſt, *Quodcunque petieritis, hoc faciam:* ſi Deus aliqua petentibus fidelibus etiam conſulendo non facit? An fortè ſolis Apoſtolis hoc dictum debemus accipere? Abſit. Vnde enim ad hoc venit vt diceret quod ſuperius dixerat, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*, de qua re iam priſtino ſermone tractauimus: & ne quiſquam hoc ſibi tribueret, vt etiam illa opera maiora à ſeipſo facere oſtẽderet, adiecit atque ait, *Quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Nunquid in eum ſoli Apoſtoli crediderunt? Ad eos itaque loquebatur dicendo, Qui credit in me, in quibus eo donante etiam nos ſumus, qui vtique non quodcunque petimus accipimus. Ipſos quoque beatiſſimos ſi cogi- *2. Cor. 12.* temus Apoſtolos, inuenimus eum qui plus omnibus laborauit, non autem ipſe, ſed gratia Dei cum ipſo, ter Dominum rogaſſe vt ab eo diſcederet Angelus Satanæ, nec tamen quod rogauerat accepiſſe. Quid dicemus, chariſſimi? Putabimuſne hoc promiſſum vbi quodcũque petieritis hoc faciam, nec Apoſtolis fuiſſe ab illo completum? Et cui tandem quod promittit impleuit, ſi Apoſtolos ſuos in ſua promiſſione fraudauit? Euigila igitur, homo fidelis, & vigilanter audi quod illic poſitum eſt, *in nomine meo.* Ipſum enim quodcunque, non ait petieritis vtcunque, ſed *in nomine meo.* Qui promiſit ergo tam magnum beneficium, qui vocatur? vtiq; Chriſtus Ieſus. Chriſtus ſignificat regem, Ieſus ſignificat ſaluatorem. Non itaque nos ſaluos faciet quicunque rex, ſed rex ſaluator, ac per hoc quodcunque petimus aduerſus vtilitatem ſalutis, non petimus in nomine ſaluatoris, & tamen ipſe ſaluator eſt, non ſolum quando facit quod petimus, verumetiam quãdo non facit, quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potius ſe exhibet ſaluatorem: nouit enim medicus quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus, & ideo contraria poſcentis, non facit voluntatem, vt faciat ſanitatem: quapropter quãdo volumus vt faciat quodcunque petimus, non vtcunque ſed in nomine eius, hoc eſt, in nomine ſaluatoris petamus. Non ergo contra noſtram ſalutem petamus, quod ſi fecerit non vt ſaluator facit, quod eſt nomẽn eius fidelibus eius. Eſt quippe impiis & damnator, qui dignatur fidelibus eſſe ſaluator: Qui ergo credit in eum, quodcunque petierit in eo nomine, quod eſt illis qui credunt in eum, hoc facit, quoniam hoc ſicut ſaluator facit. Si autẽ qui in eum credit, aliquid per ignorantiam cõtra ſuam ſalutem petit, non in nomine ſaluatoris petit, quia ſaluator ei non erit, ſi quod eius ſalutem impedit, fecerit. Vnde tunc expedit potius, vt non faciendo propter quod inuocatur, faciat quod vocatur. Propterea non ſolum ſaluator, ſed etiam magiſter bonus, vt faciat quodcunque petierimus, in ipſa oratione, quam nobis dedit, docuit quid petamus vt etiam ſic intelligamus non petere nos in nomine magiſtri, quod petimus præter regulã ipſius magiſterij. Sanè quædã quamuis in nomine eius petamus, id eſt, ſecundum ſaluatorem, & ſecundum magiſtrum petamus, non tunc quando petimus facit, ſed tamen facit. Neque enim quia & illud petimus vt veniat regnũ Dei, propterea nõ facit quod petimus, quia non ſtatim cum illo in æternitate regnamus: differtur enim quando petimus, non negatur. Veruntamen orantes tanquam ſeminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus vt ſimul petamus, quãdo bene petimus, vt non faciat quod non bene petimus, quia & ad hoc pertinet quod in eadem oratione dominica dicimus, ne nos inferas in tentationem: neque enim parua eſt tentatio, ſi contra tuam ſit cauſam tua poſtulatio. *Matth. 6.* Non autem negligenter audiẽdum eſt, quod Dominus, ne quiſquam eum putaret quod ſe promiſit eum facere petentibus, ſine patre eſſe facturum, cum dixiſſet, *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam:* continuò ſubiecit: *Vt glorificetur pater in filio ſi quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*, Nullo modo igitur ſine patre hoc filius facit, quandoquidem vt in illo pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo pater in filio, vt filius glorificetur in patre: & facit filius in patre, vt pater glorificetur in filio, quoniam vnum ſunt pater, & filius.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 8.

14 Lib. Homil. Habes hæc homilia fere usque ad medium paulo ante, est de verbis domini, ser. 15. usque ad ver. Hoc quasi. Psal. 19. Eccl. 9.

ERigunt nos diuinæ lectiones ne desperatione frangamur, & rursus terrent ne superbia ventilemur. Tenete autem viam mediam, veram, rectam, tanquam inter sinistram desperationis & dexteram præsumptionis difficillimum esset nobis nisi Christus diceret, *Ego sum via: ego sum*, inquit, *via & veritas & vita*. Tanquam diceret, Qua vis ire? *Ego sum via*. Quo vis ire? *Ego sum veritas*. Vbi vis permanere? *Ego sum vita*. Secure ergo ambulemus in via, sed insidias timeamus iuxta viam. Inimicus insidiari non audet in via, quia Christus est via. Sed iuxta viam planè non desinet. Vnde & in Psalmo dicitur, Iuxta semitas scandala posuerunt mihi. Dicit & alia scriptura, Memento quia in medio laqueorum ingrederis. Isti laquei inter quos ingredimur non sunt in via, sed tamen sunt iuxta viam. Quid formidas in via? Tunc time si deseras viam. Nam ideo etiam permittitur ponere iuxta viam laqueos, ne securitate exultationis via deseratur, & in insidias incidatur. Via Christus humilis, Christus veritas, & vita. Christus excelsus, & Deus. Si ambules in humili, peruenies ad excelsum. Si infirmus humilem non asperneris, in excelso fortissimus permanebis. Quæ enim causa humilitatis Christi, nisi infirmitas tua? Veniret ad te tantus medicus, si vel sic ægrotares vt tu posses venire ad medicum? Venit docens humilitatem qua redeamus, quia superbia nos redire non sinebat. Quia & superbia fecerat recedere exaltatum humanum cor aduersus Deum, & negligens in ipsa sanitate præcepta salutaria, decidit anima in infirmitatē, discat audire infirma, quem contempsit fortis. Audiat vt surgat, quem spreuit vt caderet. Audiat tandem experimento edocta, quod præcepto noluit obtinere. Docuit enim eam miseria sua quid mali sit à domino fornicari. Recedere enim ab illo simplici, & singulari bono, in istas multitudinum voluptates, in amorem sæculi, corruptionémque terrenarum fornicari est à Deo. Et quodammodo fornicantem alloquutus est vt rediret, sæpissime per Prophetas increpat tanquam fornicariam, non tamen desperatam, quia in manu habet etiam mundationem fornicariæ, qui increpat fornicariam. Non enim sic increpat vt insultet, sed ad cōfusionem vult perducere vt sanet. Exclamauit scriptura vehementer, nec palpauit adulando, quos voluit reparare sa-
Iac. 4. nando. Adulteri, nescitis, quia amicus huius mūdi inimicus Dei constituetur. Amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mundi castificat animā, sed nisi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos castos redire non concupiscet. Confundatur vt redeat quæ se iactabat ne rediret. Superbia ergo impediebat animæ reditum. Qui autem increpat, non facit peccatum, sed ostēdit peccatum. Quod nolebat anima videre, ponetur ei ante oculos, quod post dorsum habere cupiebat,
Matth. 7. ad faciem illi admouetur. Vidi te in te. Quid vides stipulam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Reuocatur ad se, quæ ibat à se. Sicut à se ierat, sic à domino suo ibat. Se enim respexerat, sibi'que placuerat, suæque potestatis amatrix facta fuerat, recessit ab illo, & nō remansit in se, & à se repellitur, & à se excluditur, in exteriora prolabitur. Amat mundum, amat temporalia, amat terrena, quæ si seipsam amaret, neglecto à quo facta est, iam minus esset, iam deficeret amando quod minus est. Minus est enim ipsa quàm Deus, & longe minus, tantóque minus, quantum minus est res facta, quàm factor. Ergo amandus erat Deus, & amandus est Deus, ita vt si fieri potest nosipsus obliuiscamur. Quis ergo est iste transitus? oblita est anima seipsam, sed amando mundum oblita est se: sed non amando artificem mundi, pulsa est & à se. Pulsa ergo & à se quodammodo perdidit se, nec facta sua nouit videre, iustificat iniquitates suas & fertur & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in diuitiis, in potentia vanitatis: arguitur, corripitur, ostenditur sibi, displicet sibi, confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & quæ ibat effusa, redit confusa. Contra illam videtur orare, an pro illa qui dicit, Imple facies
eorum ignominia. Aduersarius apparet, inimicus apparet. Psal. 82.
Audi quod sequitur, & vide verum orare possit amicus. Imple, inquit, facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, domine. Oderat eos, quorum facies ignominia implere cupiebat. Vide quemadmodum amat eos quos vult quærere nomen domini. Amat tantum, an odit tantum? An & odit & amat? Imò & odit & amat. Odit tua, amat te. Quid est, odit tua, amat te?
Odit quod fecisti, amat quod fecit Deus. Quæ Gene. 1.
sunt enim tua nisi peccata? Et quid es tu nisi quod fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam? Negligis quod factus es, & diligis quod fecisti. Amas extra te opera tua, negligis
in te opus Dei. Merito is, merito laberis, merito Psal. 77.
& à teipso pergis, merito audis: spiritus ambulās & non reuertens. Audi potius vocantem & dicentem, Conuertimini ad me, & cōuertar ad vos.
Non enim Deus auertitur & conuertitur, ma- Zacha. 1.
nens corripit, incommutabilis corripit. Auersa est, quia tu te auertisti. Tu ab illo fecisti casum, non ipse ante fecit occasum. Ergo audi dicentem tibi, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: hoc est enim, conuertar ad vos, quia conuertimini ad me. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Quò enim fugies à Deo fugiens? Quò fugies fugiens ab illo, qui nullo loco continetur, & nusquam absens est? Qui conuersum liberat, punit auersum. Habes iudicem fugiens, patrem habeto rediens. Tumuerat autem superbia, & ipso tumore per angustam redire nō
poterat. Clamat ille, qui factus est via: intrare per Matth. 7.
angustam portam. Conatur ingredi, impedit tumor, & tanto magis periculose conatur, quanto magis impedit tumor. Tumidum autem vexat angustia, vexatus autem amplius tumebit. Amplius tumens quando intrabit? Ergo detumescat. Vnde detumescat? Accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum sed salubre, bibat poculū humilitatis. Quid se artat? Non sinet moles, non magna sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus videatur, detumescat vt magnus sit, vt certus sit, vt solidus. Non ista desideret, non de ista pompa rerum labentiū corruptibiliúmque glorietur, audiat eum ipsum qui dixit, Intrate per angustam portam,
dicentem, Ego sum via. Quasi enim quæreret tu- Ioan. 14.
midus, quà intrabo? Ego sum via, inquit, per me

iuxta, non nisi per me ambulas vt intres per ianuam. Nam sicut dixit, Ego sum via: ita etiá, Ego *Ioan.10.* sum ianua. Quid quæris qua redeas, quò redeas qua intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto, mitis esto. Audiamus hoc apertissime dicenté, vt videas qua sit via, quæ sit via, quò sit via, quò vis venire. Certe forte auaricia omnia vis possidere. Omnia mihi, inquit, tradita sunt à patre meo. Fortasse di- *Matth.11.* cturus es, Christo sunt tradita, non mihi. Audi Apostolum dicentem; Audi, vt dixi iamdudum, ne desperatione frangaris. Audi quo modo amatus es, turpis, fœdus antequam esset in te, quod amari dignum esset. Amatus es prius vt dignus *Rom.5.* fieres qui amareris. Etenim Christus, sicut ait Apostolus, pro impiis mortuus est. An forte impius amari merebatur? Quære? Quid merebatur impius? Damnari, respondes. Christus tamen pro impiis mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio, iam pio quid seruatur? Quid præstitum est impio? Christus pro impiis mortuus est. Desiderabas autem omnia possidere, noli per auariciam, per pietatem hoc quære, per humilitaté hoc quære. Si enim ita quæsieris possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia & cum ipso omnia possidebis. Non hæc quasi ratiocinando dici- *Rom.8.* mus. Audi Apostolum ipsum dicentem, Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Auare, ecce habes omnia. Omnia, quæ amas, vt non impediaris à Christo cótemne, & ipsum tene, in quo possis omnia possidere. Ipse ergo medicus nihil tali indigens medicamento, tamen vt exhortaretur ægrotum bibit, quod opus non erat tanquam recusantem al- *Matth.20.* loquens, & trepidum erigens bibit prior. Calicem, inquit, quem ergo bibiturus sum, qui in me non habeo quod ab illo calice sanetur: bibiturus sum tamen, ne tu dedigneris bibere, cui opus est vt bibas. Iam videte, fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum accepta tanta medicina? Iam humilis Deus, & adhuc superbus homo. *Matth.11.* Audiat, discat. Omnia mihi, inquit, tradita sunt à patre meo. Si desideras omnia, mecum habebis, si desideras patrem, per me habebis, & in me habebis. Nemo cognoscit patré nisi filius, Noli desperare. Veni ad filiū. Audi quod sequitur, Et cui voluerit filius reuelare. Dicebas nó possum. Per angustá me vocas. Non possum intrare per angustá. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Sarcina vobis tumor vester est. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meū super vos, & discite à me. Clamat magister angelorū, clamat verbum Dei, quo rationales omnes mentes sine defectu pascuntur. Cibus reficiens & integer permanens clamat & dicit, Discite à me. Exaudiat populus dicentem, Discite à me: Respondeat, quid discimus à te? A magno enim artifice nescio quid audituri sumus, cum dicit, Discite à me. Quis est qui dicit, Discite à me? Qui formauit terrá, qui diuisit mare, & aridá, qui creauit volatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui posuit in cælo sydera, qui distinxit dié, & noctē, qui firmauit ipsum firmaméntum, qui lucē à tenebris separauit, ipse dicit. Discite à me. Núquid forte hoc nobis dicturus est vt ista cum illo faciamus? Qui hoc potest: solus Deus facit. Noli, inquit, timere, nó te onero. Hoc à me disce quod propter te factus sum. Discite à me, inquit, non formare creaturam quæ per me facta est, nec illa quidem dico discatis, quia quibusdam donaui quibus volui non omnibus, suscitare mortuos, illuminare cæcos, aperire aures surdorum, nec ista pro magno velitis discere à me. Gauisi discipuli, & exultantes redierunt dicentes, Ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subiecta sunt. Ait illis Iesus, No- *Luc.10.* lite in hoc gaudere, quia dęmonia vobis subiecta sunt, gaudete potius, quia nomina vestra scripta sunt in cęlo. Quibus voluit donauit expellere dęmonia, donauit quibus voluit mortuos suscitare. Facta sunt & hæc miracula ante incarnationem domini. Suscitati sunt mortui, mundati sunt leprosi, Legimus hæc. Et quis fecit tunc nisi ille, qui postea homo Christus post Dauid, sed Deus Chri- *4. Reg. 2. 4. & 5.* stus ante Abraham, ipse donauit hæc omnia, ipse per homines fecit, nec tamé omnibus hæc dedit. Nunquid quibus hæc non dedit, desperare debent, dicere se non peruenire ad eum, quia hæc dona accipere non meruerunt? In corpore membra sunt, aliud potest illud membrum, aliud illud. Compegit corpus Deus, non tribuit auri vt videat, nec oculo vt audiat, nec fronti vt olfaciat, nec manui vt gustet: non dedit hæc, sed omnibus membris sanitatem dedit, compagem dedit, vnitatem dedit, spiritu omnia pariter viuificauit & vniuit. Sic ergo dedit cuidam mortuos suscitare, alij dedit disputare: omnibus tamen quid dedit? Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Matth.11.* Quoniam audiuimus dicétem, Mitis sum, & humilis corde. Fratres mei, tota medicina nostra ista est, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Quid prodest, si miracula facit, & sit superbus, non sit mitis, & non humilis corde? Nónne in illo numero deputabitur eorum, qui venturi sunt in finem, & dicturi, Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Sed quid audient, noui vos. Recedite à me *Matth.7.* omnes, qui operamini iniquitatem. Quid ergo prodest vt discamus quoniam mitis sum, & humilis corde? Charitaté inserit, & germanissimam charitatem sine confusione, sine inflatione, sine elatione, sine fallacia: hoc inserit qui dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quando potest syncerissimam habere charitatem superbus, & inflatus? Necesse est vt inuideat. An forte qui inuidet, amat, & nos erramus? Absit vt quisque sic erret, vt inuidū dicat habere charitatem. Ergo quid dicit Apostolus, Charitas non æmula- *1.Cor.13.* tur. Quare non æmulatur? Non inflatur: causam statim subiecit, vnde abstulerit æmulationé charitati. Quia non inflatur, non æmulatur. Primo quidem illud dixit, Charitas non ęmulatur, sed tu quasi quæreres, quare non ęmulatur, addidit, non inflatur. Si ergo ideo æmulatur, quia inflatur: si non inflatur, nó æmulatur. Si charitas non inflatur, & ideo non æmulatur, charitatem inserit qui ait, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matth.11.* Iam quilibet habeat quod vult, iactet se vnde *1.Cor.13.* vult. Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum vt æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Quid sublimius munere linguarum diuersarum? Æramentum est, cymbalum tinniens, si auferas charitatem. Audi alia munera. Si sciam omnia sacramenta, quid excelléntius? quid magnificentius?

Audi

Audi adhuc aliud, Si habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil sum. Accessit ad ampliora, fratres, Quid aliud dicit, Si distribuam omnia mea pauperibus quid potest fieri perfectius? Quandoquidem diuiti propter perfectionem hoc dominus imperauit dicens, (Matth. 19.) Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Iam ergo perfectus est, quia vendidit omnia sua, & dedit pauperibus. Nam ideo addidit, Et veni sequere me. Vende omnia, inquit, da pauperibus, & veni sequere me. Quare te sequor? Iam venditis omnibus distributis pauperibus, nónne perfectus sum? Quid opus est vt te sequar? Sequere me vt dicas, quoniam mitis sum, & humilis corde. Potest enim quisque vendere omnia sua & dare pauperibus, nondum mitis, non humilis corde? Certe potest. Si enim omnia mea distribuero pauperibus. Et adhuc audi. Nam quidam relictis omnibus, quæ habuerunt, iam secuti sunt dominum, sed nondum ad perfectum secuti. Ad perfectum enim sequi, est imitari. Non potuerunt ferre tentamétum passionis. Iam Petrus, fratres, erat ex his, qui dimiserant omnia, & secuti erant dominum. Nam diuite illo cum tristitia recedente, vbi côturbati discipuli interrogauerunt, quòd quis tandem posset esse perfectus, & eos consolatus est dominus, (Ibidem.) dixerant domino, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo nobis erit? Et dixit dominus quid eis hic daret, quid in futurum reseruaret: tamen iste iam ex eorum numero, qui hæc fecerant. At vbi ventum est ad articulum passionis, ad vocem vnius ancillæ ter negauit eum, cum quo se moriturum esse promiserat. Intédat ergo charitas vestra, Vade, inquit, omnia tua vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Perfectus est Petrus iam domino in cælo sedente ad dexteram patris, tunc perfectus est, & maturus factus. Ad passionem ergo cum sequeretur dominum, non perfectus erat. At vbi non esse cœpit in terra, quem sequeretur, tunc perfectus est, immo vero semper ante te habes quem sequaris dominus exemplum in terram posuit, cum Euangelium ibi reliquit, in Euangelio tecum est. Non enim mentitus est dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ergo sequere dominum. Quid est, sequere dominum? Imitare dominum. Quid est imitare dominum?
(Matth. 11.) Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,
(1. Cor. 13.) Quia si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Exhortor ergo charitatem vestram ad ipsam charitatem: non autem exhortarer ad charitatem, nisi aliqua charitate, Quod ergo inchoatum est exhortor vt impleatur, & quod cœptum est rogo vt perficiatur. Et pro me à vobis rogari quæso, vt & in me perficiatur, quòd vos moneo. Omnes enim imperfecti sumus, & ibi perficiemur, vbi perfecta sunt omnia. Paulus Apostolus dicit, Fratres, ego
(Philip. 3.) me non arbitror apprehendisse. Ipse dicit, Non quia iam acceperim aut iam perfectus sim. Et quisque hominum se audet de perfectione iactare? Immò confiteamur imperfectionem, vt mereamur perfectionem.

EIVSDEM IN IDEM

Euang. Homil. 9.

Erigunt nos diuinæ lectiones ne desperatione frangamur: & rursus terrent, ne superbia ventilemur. (*Ex sermo 54. de verbis Domini in Ioannem.*) Tenete autem viam mediam veram rectam tanquam inter sinistram desperationis & dexteram, præsumptionis, & difficillimum nobis esset, nisi Christus diceret. *Ego sum,* inquit, *via, veritas & vita.* (*Ioan. 14.*) Tanquam diceret, Qua vis ire? Ego sum via. Quo vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita. Securi ergo ambulemus in via, sed insidias timeamus iuxta viam. Inimicus insidiari non audet in via, quia Christus est via. Sed iuxta viam planè non desinit. Vnde in Psalmo dicitur, (*Psal. 139.*) Iuxta semitam scandala posuerunt mihi. Dicit & alia scriptura. Memento quia in medio laqueorum ingrederis. (*Eccles. 9.*) Isti laquei inter quos ingredimur non sunt in via, sed tamen sunt iuxta viam. Quid formidas, quid metuis, si in via ambulas? Tunc time, si deseris viam. Nam ideo etiam permittitur inimicus ponere iuxta viam laqueos, ne securitate exultationis via deseratur, & in insidias incidatur. Via Christus est, humilis Christus, veritas & vita Christus, excelsus, & Deus. Si ambules in humili, peruenies ad excelsum. Si infirmus humilem non asperneris, in excelso fortissimus permanebis. Quæ enim causa humilitatis Christi, nisi infirmitas tua? Valde enim & irremediabiliter te obsidebat infirmitas. Et hæc res fecit, vt veniret ad te tantus medicus. Si enim vel sic ægrotares vt tu posses ire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia tu ire nõ potuisti ad eum ille venit ad te. Venit docens humilitaté, Quare? Videamus. Quia* superbia nos redire non sinebat ad vitam, & ipsa fecerat nos à vita recedere. (**aliàs, docens humilitatem qua redeamus.*) Exaltatum enim humanum cor aduersus Deum, & negligés in ipsa sanitate præcepta salutaria, decidit anima in infirmitatem. (*Quia, &c.*) discat audire infirma, audire illum quem contempsit incolumis. Audiat vt surgat, quem spreuit vt caderet. Audiat tandé experimento edocta quod præcepto docta noluit obtinere. Docuit enim eam miseria sua quam fecit negligentem fœlicitas, heu quid mali sit a domino fornicari de se præsumendo: & quàm bonum sit semper adhærere domino, semper humilia sentiendo. Recedere enim ab illo simplici & singulari bono, (*Fornicari à domino.*) in istas multitudinum voluptates & in amorem seculi corruptionésque terrenas accedere, hoc est, fornicari à Domino. Hinc clamatur. Facies fornicaria facta est tibi, & impudorata facta es tota. (*Hiere. 3.*) Videamus nunc obiurgatoris consilium. Non enim sic increpat, vt insultet, sed ad cõfusioné vult perducere, præsumptioné vt sanet. Exclamauit scriptura vehementer, nec palpauit adulando, quoa voluit reparare sanando. Adulteri, nescitis, quia amicus huius mundi, inimicus Deo constituitur? Amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mũdi castigat animam. Sed nisi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos castos redire non concupiscit. Confundatur, vt redeat, quæ se iactabat ne rediret, superbia ergo impediebat animæ reditum. Qui autem increpat, non facit peccatum, sed ostendit peccatum quod nolebat anima videre. Ponitur ei ante oculos, & quod post

dorsum habere cupiebat, ad faciem illi admonue-
Matth.7. tur: Vide te in te, qui vides stipulam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo nõ vides. Reuocatur ad se anima tua, quæ ibat a se. Sicut à se ierat, sic à Domino suo. Sic enim respexerat sibiq; placuerat, suæque potestatis amatrix facta fuerat, recessit ab illo & non remansit in se. Ideo & à se pellitur & à se excluditur, & in exteriora prolabitur. Amat mundum, amat tẽporalia, amat terrena quæ si seipsam amaret, neglecto à quo facta est, iam minus esset, iam deficeret amando quod minus est. Minus est enim ipsa quam Deus, & longe minus, tantóque minus, quantum minus est res facta quam factor. Ergo amandus est Deus pro amore eius, ita vt si fieri potest nosipsos obliuiscamur. Quis ergo est iste transitus? Oblita est anima, seipsam, sed amando mundum, nunc obliuiscatur se, sed amando artificem mundi. Pulsa est ergo à se, quod amando perdidit se, & quia nec
Vahás vult facta sua nouit[a] videre; iustificat iniquitates suas. Effertur & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in diuitiis, in potentia vanitatis. Arguitur, corripitur, ostenditur sibi. Displicet sibi, cõfitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & quæ ibat effusa, redit confusa. Contra illam videtur orare qui dicit, Imple facies
Psal.82. eorũ ignominia: Imple, inquit, facies eorũ ignominia, & quærunt nomẽ tuũ, domine. Oderat eos quorũ facies impleri ignominia cupiebat? Vide quẽadmodũ amet eos, quos vult quærere nomen domini. Amat tantum, an odit tãtùm? An & odit & amat? imo & odit, & amat. Odit tua, amat te. Quid est odit tua, amat te? Odit quod fecisti, amat quod Deus fecit. Quæ sunt enim tua nisi peccata? Et quid es tu nisi quod fecit Deus? Negligis quod factus es, diligis quod fecisti, amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei. Merito is, merito laberis, merito & à teipso pergis, merito
Psal.57. Zacha.1. audis, Spiritus ambulans, & non reuertens. Audi potius vocantem & dicentem, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Non enim Deus auertitur & conuertitur, manens corripit, incommutabilis corripit. Auersus est, quia tu te auertisti, Tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum. Ergo audi dicentem tibi, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos hoc est enim quod conuertar ad vos, quia conuertimini ad me. Fugientis dorsa persequitur, qui faciem redeuntia illuminat. Quò enim fugies à Deo? Fugiens quò fugies? Fugiens ab illo, qui nullo loco continetur, & nusquam absens est? Qui conuersum liberat, punit auersum. Quem habes iudicem fugiens, hunc patrem habeto rediens. Tumuerat autem superbia, & in ipso tumore per angustũ redire non poterat.
Matth.7. Clamat ille, qui factus est via, Intrate per arctam portam. Conatur ingredi; impedit tumor, & tãto magis perniciose conatur, quanto magis impedit tumor. Tumidum enim vexat angustia. Vexatos autem amplius tumebat. Amplius tumens quando intrabit? Ergo detumescat, si cupit ingredi. Vnde autem detumescat? Accipiat humilitatis medicamẽtum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre poculum bibat humilitatis. Qui se arctat? Non sinit moles, non magna sed tumida. Magnitudo enim soliditatem haber, tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus videatur. Detumescat vt magnus sit, vt certus, & solidus. Non ista desideret, non de statu pompa-

tum terrum labẽtium, corruptibiliúmque glorietur, Audiat enim ipsum qui dixit, Intrate per an- Matth.7.
gustam portam, dicẽtem. *Ego sum via.* Quasi enim quæreret tum dus qua intrabo, respondit, Ego sum via, per me intra. Non nisi per me ambules vt intres per ianuam. Nam sicut dixit, Ego sum via: ita, ego sum ianua, Quid quæris qua redeas, quò redeas, qua intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto, mitis esto. Audiamus hoc apertissime dicentem, vt videamus qua sit via, quæ sit via, quo sit via; quo vis venire. Certe forte auaricia om- Matth.11.
nia vis possidere, Omnia mihi tradita sunt a patre meo, inquit. Fortasse dicturus es, Christo sunt tradita, nunquid mihi? Audi Apostolum dicentem, audi vt dixi iamdudũ, ne desperatione frangaris. Audi quo modo amatus es, non amandus. Audi quo modo amatus es fœdus, turpis antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es prius, vt dignus fieres qui amareris. Etenim Christus, sicut ait Apostolus, pro impiis mortuus est. An forte impius amari merebatur? Quare, Quid merebatur impius? Damnari respondes. Christus tamẽ pro impiis mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio iam pio quid seruatur? Quid præstitum est impio? Christus pro impiis mortuus est. Desiderabas autem omnia possidere. Noli per auaritiam, per pietatem hoc quære. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 10.

INter cætera, cum sanctum Euangelium legere- Sermo 55. de
tur, audistis. Ait dominus Iesus, *Ego sum via, veri-* ver. Domini.
tas & vita. Veritatem & vitam omnis homo cupit, sed viam non omnis homo inuenit, Deum esse quandam vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam huius seculi philosophi viderunt, veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, vbi sunt omnes rationes rerum omniũ creatarum. Viderunt quidem, sed de longinquo viderunt sed in errore positi, & idcirco ad eam tam magnam, & ineffabilem, & beatificam possessionem, qua via perueniretur non inuenerunt. Nam qui viderunt, etiam ipsi quantum videri ab homine potest, creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum; Paulus Apostolus testis est: cui vtiq; debent credere Christiani. Ait enim cum de talibus loqueretur, Reuelatur ira Dei de cælo super omnem Rom.1.
impietatem, & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Nunquid dixit eos, non detinere veritatem? Sed veritatem in iniquitate detinent. Bonum est quod tenent, sed malum vbi tenent. Veritatem in iniquitate detinent. Oportebat autẽ vt diceretur ei. Vnde autem illi impij veritatem detinent? Nunquid Deus ad quenquam eorum locutus est? Nunquid legem acceperunt sicut Israelita populus per Moysen? Vnde ergo detinent veritatem, vel in ipsa iniquitate? Audite quid sequitur, & ostendit. Quia quod notum est Dei, inquit, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Manifestauit illis quibus

legem

legem non dedit? Audi quo modo manifestauit. Inuisibilia enim eius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cæli, fulgorem, dispositionemque syderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium; interroga terram fructificantem herbis, & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare quantis, & qualibus natatilibus plenum, interroga aëra quantis volatilibus vigeat, interroga omnia & vide si non sensu suo tanquam tibi respondent, Deus nos fecit. Hæc & philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt. Quid ergo? Quare reuelatur ira Dei super ipsam impietatem? Quia veritatem in iniquitate detinent. Veniat, ostendat quo modo. tam enim dixit quo modo cognouerunt inuisibilia eius, id est, Dei, & per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum honorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Apostoli verba sunt, non mea. Et obscuratum est cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Quod curiositate inuenerunt, superbia perdiderunt. Dicentes enim se esse sapientes, id est, donum Dei sibi tribuentes, stulti facti sunt. Verba, inquam Apostoli sunt, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Ostende, proba stultitiam eorum. Ostende, Apostole, & sicut ostendisti nobis, vnde potuerunt peruenire ad cognitionem Dei, quoniã inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ita nunc ostende quo modo dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Audi, quia immutauerunt, ait, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Fecerunt enim istorum animalium sibi deos pagani fecerunt. Inuenisti Deũ, & colis idolum. Inuenisti veritatem, & ipsam veritatem in iniustitia detines. Et quod per Dei opera cognouisti, per opera hominis perdis. Totum considerasti, cæli, terræ, maris, elementorum omnium ordinem collegisti, istud non vis attendere, quòd mundus opus est Dei, Idolum opus est fabri? Si faber idolo, sicut dedit figuram, sic daret, ab ipso idolo faber adoraretur. Quo modo enim tu homo faber tuus Deus est, sic homo idoli faber est. Quis est Deus tuus? Qui te fecit quis est? Deus fabri. * Qui illud fecit quis est? Deus idoli. Ergo si idolum cor haberet, nõnne fabrum adoraret qui illud fecit? Ecce in qua iniquitate veritatem tenuerunt, & ad possessionem illam quam videtur vtrũ perducentem non inuenerunt. Christus autem, quia ipse est apud patrem veritas, & vita, verbum Dei de quo dictum est, Vita erat lux hominum, Quia ergo ipse est apud patrem veritas & vita, & non habebamus qua iremus ad veritatem, filius Dei qui semper in patre veritas & vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominẽ, & peruenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere qua ad illũ peruenias præter ipsum. Si enim via ipse esse noluisset, semper erraremus. Factus ergo via est, qua venias, nõ tibi dico quære viam. Ipse via ad te venit, surge, & ambula. Ambula moribus, non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus, & male ambulant moribus. Aliquando enim ipsi bene ambulantes, præter viam currunt. Inuenies quippe homines bene viuentes & non Christianos. Bene currunt, sed in via non currunt. Quanto plus currunt, plus errant, quia a via recedunt. Si autem tales homines perueniant ad viam, & teneant viam, ô quanta securitas est, quia & bene ambulant, & non errant. Si autem non tenent viam, quantumuis bene ambulent, heu quantum dolendum est. Melius est enim in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. Hæc satis sint charitati vestræ.

* al. Quis est, Deus meus? qui fecit idolum. Ergo &c.

Ioan. 1.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia II.

Sermo 56. de ver. Domini.

AVdite auribus, accipite mentibus, dilectissimi, loquentibus quidem nobis, sed ipso docente, qui non recedit à nobis. Dominus dicit, quod modo cum legeretur audistis, *Verba quæ loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Ergo & verba opera sunt? Planè ita est. Nam profectò qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Sed quid est, *à meipso non loquor:* nisi, a meipso non sum, qui loquor? Et quippe tribuit quicquid facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, filius autem Deus patri æqualis, sed de patre Deo [est lumen de lumine:] ideo ille Deus, sed non de Deo: & lumen, sed non de lumine, iste vero Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in his duabus sententiis, vna qua dictum est, *Non à meipso loquor:* alia qua dictum est, *Pater autem in me manens ipse facit opera:* singulas tenentes diuersi nobis aduersantur hæretici, qui non ex vna parte, sed in contraria conantes, à via veritatis exorbitant. Arriani quippe dicunt, Ecce inæqualis est patri filius, non à seipso loquitur. Dicunt Sabelliani contra, id est, Patripassiani, Ecce qui pater est, ipse est & filius. Quid est enim pater in me manens ipse facit opera, nisi in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis, sed non eo modo sicut falsum est contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diuersa itis in medio est via, quam reliquistis, inter vos ipsos longiore interuallo separati estis, quã ab ipsa via cuius desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc, huc venite, alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atq; illinc ad nos veniendo inuicem vos inuenite. Sabelliani agnoscite quem præteritis, Arriani æquate quem subditis, & in via vera nobiscum ambulatis. Est enim quod inuicem ex vobis alteri ex alteris admoneri vtrique debeatis. Audi Sabelliane, Vsqueadeò non est ipse pater qui filius, vt eum Arrianus inæqualem asserat patri. Audi Arriane, Vsqueadeo est filius æqualis patri, vt Sabellianus eundem esse dicat & patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, & nobiscum ambo consistitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui & alter est à patre, vt conuincat Sabellianum, & æqualis patri, vt conuincat Arrianum. Vtrisq; enim clamat, Ego & pater vnũ sumus. Quod ait, Ioan. 10.
Vnum audiant Arriani. Quod ait, Sumus, audiant Sabelliani. Et nec illi æqualem, nec illi alterum, negando sint vani. Si ergo quando dixit, *Verba quæ* Ioan. 14.
ego loquor vobis, à meipso non loquor, propterea putatur esse in patris potestate, vt non quod ipse vult faciat: audiatur quod dixit. Sicut pater suscitat Ioan. 5.
mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuifi-

inquit, non essent mansiones; hac abirem de causa, vt locum vobis præpararem: nunc vero, cum multæ sint præparatæ iam, non hac de causa, sed, vt viam vobis faciam, & inuium iter præparem, abiturus sum. Inaccessibile namque cælum erat hominibus prius; nec vllus vnquam hominũ ante Christum cum sancto angelorum consortio fuit: hunc ascensum postea nobis Christus præparauit, & iter fecit in cęlum carni nostræ, in primitias enim mortuorũ seipsum innouando, Deóque patri offerẽdo, primus homo visus in cęlo est. Vnde cælorum virtutes incarnationis mysterium ignorantes, magno affectæ stupore, cum ascẽdere

Esa. 63. Dominum repente vidissent, exclamabant; quis est iste, qui venit de Edom, id est, de terra? quas non dimisit indoctas spiritus sanctus, sed iussit vt ei quasi regi, ac Domino cęlestes portas patefacerẽt, dicẽs per prophetam, attollite portas, principes, vestras, & eleuamini, portę ęternales, & introibit rex gloriæ. Viam ergo recentem, ac viuam

Heb. 9. (Paulus ait) Dominus noster Iesus Christus nobis innouauit, non in sancta ingressus manufacta sed in ipsum cælum, vt Deo pro nobis appareat: non enim, vt ipse appareret Deo patri, ascendit in cælos, qui & fuit, & erit, imo vere est semper cum illo (ipse enim est sapientia, qua semper pater gaudet) sed ascendit nunc, vt Deo patri inaudito quodam pacto quasi homo appareat, verbum humanitate olim nudum, & nũc cum humanitate propter nos, & pro nobis Deo patri apparens; vt, cum

Psal. 109. sit filius Dei, vere homo etiam induẽtus, audit; sede à dextris meis, & filiationis gloriam toti humano generi per seipsum adoptione largiatur: vnus enim est nostrum; ac ideo patri vt homo apparuit, atque apparet, vt nos, qui propter pręuaricationem à facie Dei repulsi sumus, ad faciem Dei

Agnosci peccatum originale, ex Adamo in vniuersam eius progeniẽ transfusum. rursus reducat. Sedet igitur apud patrem vt filius, vt & nos per ipsum filij Dei reddamur, propterea Paulus, in quo Christus loquebatur, omnia, quæ ipse proprie vt homo fecit, generi humano communia esse docet, dicens; conresuscitauit nos, &

Ephe. 2. consedere fecit in cælestibus in Christo; propria enim vt filio secundum naturam, Christo est cõsessus, & gloriæ dignitas; quæ illi vere, ac soli cõuenit. Verum, quoniam, cum sit Deus, ex Deo, homo etiam factus est, huius dignitatis gratiam ad

Matth. 16. nos etiam modo quodam transmittit, Nam, si patris consessum non habebimus, quomodo seruitus nostra ad æqualem cum Domino ascẽdet vnquam honorem? sessuram tamen in sedibus discipulis pollicitus est. Cum enim (ait) in sede maiestatis suæ filius hominis sedebit, sedebitis & vos in duodecim sedibus iudicantes duodecim tribus Israel. Non ergo abibo, inquit, mansiones paraturus, quæ multæ sunt; sed viam innouaturus, quam propter peccatum amisistis, vt per eam ad angelorum consortia conscendere possitis; quod cum fecero, & superiora inferioribus coniunxero, ac planum iter in supernam ciuitatem vobis cõstruxero, iterum veniam regenerationis tempore, & accipiam vos mecum: vt, vbi ego sum, & vos sitis. Id recte intelligens Paulus, scripsit; hoc vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui viuimus,

1. Thes. 4. qui residui sumus in aduentum Domini, nõ pręueniemus dormientes, quia ipse Dominus in iussu, in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primum; deinde nos, qui viuimus, qui residui sumus, simul cum eis rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. *Et quo ego vado scitis, &c.* Præibo, inquit, ego, viam vobis præparaturus in cælum: quo si venire volueritis, si conuersationem sanctorum plurimi facitis, & quo vado scitis, & viam non ignoratis. Non enim per alium quam per me hãc gratiam habere potestis. Non enim alius præter me cælos aperiet, nec alius accessibile iter hoc faciet. Hanc viã hortatur propheta Hieremias quęrere, cum dicat; state super vias, & interrogate de semitis ęternis, quę *Hier. 6.*
sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis purificationem animabus vestris; viæ namque, ac semitæ Domini secundum prophetam, sunt salutares prophetarum libri: quos si quis diligenter, & pio animo vertit, Christum, qui est perfecta via, inueniet, & per quem consummata in animis nostris purificatio nascitur: iustificamur enim per fidem, & particeps diuinæ naturæ participatione sancti spiritus efficimur. Esaias quoque de hac via *Esa. 35.*
id est de Christo scripsit dicens; Et erit ibi via pura, & via sancta vocabitur: ibi certe hoc vnigeniti carnẽ significat, via enim pura, & sancta, per quam ad supernã ciuitatem proficisci possumus, Christus est. Psalmista quoque ad Deum patrem cla- *Psal. 26.*
mat dicẽs; Legem pone mihi, Domine, in via tua: cupit enim in lege Christi doceri, non ignorans per euangelicam doctrinam cęlorum portas aperiri. Non est necesse vniuersa modo colligere, quibus via sancta, Iesus à scriptura est appellatus. Scitis ergo viam, inquit, qua illuc peruenire poteritis; non enim per alium quam per me hoc consequi licet: quare, si quis ab amore Christi exciderit, aut quia ineffabilem naturam eius inter creaturas connumeret, aut quodam alio modo à rectis ecclesiæ dogmatibus deuians ipse sciat viam sese salutis perdidisse. Propterea Paulus quoque omnes, qui disciplinam Christi aspernantur, qui- *Gal. 5.*
que legis vmbris retinentur, excidisse ait à gratia Christi, quoniam per legem iustificari se credunt, & quemadmodum, qui tritam viam relinquunt, detrimẽta propter errorem patiũtur; sic qui Christi, & euangelij doctrinam contemnunt, ciuitatem Dei non aspicient: via enim, quæ illo ducit, Christus solummodo est. *Dicit ei Thomas, Nescimus, &c.* Nõdum aperte, sed per ænigmata ad patrem se abiturum Christus dixerat. Et Thomas ratione quadam cogere quasi videtur; vt quo vadat, plane denotet. *Nescimus*, inquit, *quo vadis: & quomodo poterimus viam scire?* Christus vero nihil ad tantam curiositatem discipulis respondet. Nõ enim totam rem exponit, sed ea opportuno tempori relicta: quod modo necessarium est, illud explanat, Ego enim, inquit, sum via, ego sum veritas, ego sum vita. Hæc vere dici de Domino, nullus vnquã dubitabit. Sed illud mihi quærendũ videtur, cuius rei gratia, cũ lux, sapiẽtia, virtus, alijsque multis à scriptura nominetur nominibus, his modo tribus quasi electis solummodo se appellauit? Profunda res est, vt arbitror: dicimus tamẽ quod gratia Dei nostro commiserit ingeniolo. Tribus igitur rebus superiores consequemur mãsiones, per actionem virtutis variam, per fidem rectam, per spem vitæ: quorum omnium nemo largitor est, nemo fons, nemo causa, præter Dominum nostrum Iesum Christum. Ipse enim nobis mandata super legem dedit; ipse viam monstrauit, quam probe actionem virtutis, & contemptum

pium mundi propter Christum intelligere possumus: Ipse igitur via est. Sed ipse quoque veritas est, id est, vera fidei rectitudo, atque determinatio, & rectissima regula amussisq; optima: credentes enim in filium, verè ex ipsa substantia Dei patris natum confitemur, & in creaturas nullo pacto eum deuoluimus, & patrem vere patrem esse credimus. Nam, qui credit in verè filium is in vere patrem etiam credit, is etiam spiritum filij credit. Ipse igitur veritas est. Sed vita etiam ipse est, nullus enim vitam, quam speramus absq; interitu in sanctificatione, atque beatitudine futuram, nobis præter ipsum restituet: ipse certe nos mortuos maledictione propter peccatum suscitabit, & in cælos adducet. Omnia ergo eximia, omnia optima, per ipsum & affuerunt nobis, & aderunt. Sed inspice, quæso, quam accommodatissimè ad propositum ista pertinent. Cũ enim ambigeret Thomas, ac diceret, *quomodo possumus viam scire?* Breuiter omnium bonorum se largitorem, atque dominum ostendens, non posse ignorare illos viam demonstrat, qui sibi cõiuncti sunt. Verum, quoniam additur, neminẽ ire ad patrem nisi per Christum; age de hoc quoque aliquid dicamus, si prius explanabimus quomodo ad patrem proficiscimur. Duobus igitur modis id fit, aut enim secundum humanæ naturæ mensuram
Leuit. 10. sanctificati sancto Deo coniungimur (estote namque, inquit, sancti; quoniam ego sanctus sum) aut ad cognitionem patris in fide vt in speculo, & ænigmate gradimur: sanctus autem nemo erit vnquam, nec recta viuendi disciplina sanctificabitur, nisi ope, atque patrocinio Christi. Sed nec ipsi patri vnquam coniungi quisquam poterit, non mediante Christo: mediator enim est Dei, ac hominum; per seipsum, & in seipso naturam Deo coniungens humanam: inquantum enim à substantia Dei patris vt splendor effulsit, vnum est cum patre, & totus ipse in patre est, & pater totus in ipso. Inquantum vero factus est homo absque peccato, hominibus cõiungitur. Medius ergo quidam terminus est, perfecte in seipso vtramque naturam continens. Nemo igitur accedat ad patrem, id est, nemo diuinæ naturæ aliter particeps erit, nisi per Christum. Nam, nisi factus homo ille mediasset, in tantam beatitudinem nemo vnquam hominum peruenitet. Sed speculatione etiam, quæ in fide est, & cognitione, quæ est secũdum pietatem; nemo rursus ibit ad patrem nisi per Christum; quod quamuis paulo ante planum factum sit, iterum tamen exponere non grauabimur. Qui enim filium vt vere filium suscipit, is ad cognitionem patris conscendit: nunquam enim filius esse intelligitur, non intellecto patre. Nam vt ad cognitionem filij, cognitio patris facit; sic ad cognitionem patris, filij concurrit cognitio. Vere igitur nemo vadit ad patrem nisi per Christum. Naturalis enim, substantialisque imago Dei patris filius est: nec, vt quibusdam visum est, secundum substantiam alienus, externis, atq; aduentitiis dignitatibus decoratur. *Si cognouissetis me, &c.* (Separatũ hoc à superioribus quisquam ita putabit, vt Christum id secum dicere arbitretur; quod non modo separatum nõ est (nihil enim frustra, nihil superuacaneum Christus vnquam diceret, quamuis non intelligentibus nonnunquam sic videatur) verum etiam adeo coniunctum, vt propter audientium vtilitatem idem re-

Agnoscit liberum arbitrium non sufficere ad sanctitat: sed ope Christi indigere.

petatur. Nam, quoniam Thomas rogabat, quomodo poterimus viam scire, cum nesciamus quo vadas, necessario dixit, ego sum via, & veritas, & vita: & nemo venit ad patrem nisi per me; vt, si quis viam scire velit, qua peruenitur ad vitam, Christum cognoscere studeat. Verum, quoniam multi Iudaicam potius quam euãgelicam doctrinam sequentes, sufficere putant vnius Dei confessionem, atque cognitionem, & trinitatis fidem hac de causa negligunt; prauam horum opinionem modo apertius excludit: per filium enim accedendũ ad patrẽ est: filij namq; speculatione, atque cognitione patrem cognoscimus: non enim possumus ambigere, quin si quis subsistere filium credat, & ex substantia Dei patris vere nasci eum fateatur: is in patrem quoque vere credit, & hæc quidem simplicior, & absque temeraria cura cognitio est. Si quis autem subtilius quærat, & probationem rerum desiderat, vera hæc omnia esse inueniet. Sed nullus naturæ deitatis capax intellectus est, ac ideo furiosus est, qui audet temeraria scrutatione rimari quidnam Deus secundum naturam est, vmbris tamẽ, & ænigmatibus vt in speculo, catalogum dignitatum filij perspicere possumus, quę namque ab ipso facta sunt, & ante incarnationem, & post incarnationis dignationem, diligenter cognoscentes proportionaliter ad pa-
tris cognitionem ascendimus. Nam, qui mirabili *Ioan. 10.*
potestate ac gloria, & ante incarnationem est, & post mirabilia fecit; is, ego, inquit, & pater vnum
sumus: qui me videt, videt & patrem: ab imagine *Ioan. 14.*
igitur ad exemplar, & à figura ad primitiuum nobis procedendum est; non enim externis dignitatibus conformari ad patrem filium credimus, nec imaginem Dei patris appellamus; quia natura quidem ab illo alienus sit, gloriam vero, virtutem, & sapientiam eius habeat (hæc enim impiorum nugæ sunt, ad euersionem consubstantialitatis filij, quod posse facere, per insaniam crediderunt diabolica suggestione cogitare) sed character, & imago, & splendor patris filius est, vt ex substantia eius vere, atque ineffabiliter natus, & ideo proprietatem substantiæ patris, & omnium perfectionum pulchritudinẽ naturaliter habet, non enim ita vecordes erimus, nec eo insaniæ incidemus, vt non natura Deo similem arbitremur, vt non ea substantia Dei nato, gloriam Dei attribuamus, vt quod factum ex nihilo est, id virtutis, ac sapientiæ Dei (quæ infinita est) capax esse posse concedamus, vt se sic habere creaturam vnquam putemus, sicut Dei patris ineffabilis natura se habeat. Quid enim esset, quo creatura à creatore differret? aut quid à creatoris identitate creaturam separaret? Nam, si omnino gloriam, virtutem, sapientiam Dei patris æqualiter filius habet, quid maius est in patre? aut cur ipse maior nobis est, si creatura est? Ego quidem non video; & illos errare non dubito. Non ergo aduentitiis ad æqualitatem patris dignitatibus filius conformatur; nec quasi colorum varietate in tabula falso depingitur: sed character, & imago verè genitoris est, propriis, & naturalibus bonis, naturam manifestans: Hac de causa dixit, neminem posse cognoscere patrem, nisi prius ipsum, id est, filium cognouerit. *Et amodo cognoscetis eum, &c.* Mirari oportet incredibilem huius sermonis dispensationem. Nam, cum dixerit, si cognouisseris me, patrem quoque meum cognouissetis, ne videatur

igno

ignorantiæ tantę rei discipulos crimine accusare;
illico intulit, *Amodo cognoscetis eum, & vidistis eũ.*
Nam, quoniam omnium futuri erát ecclesiarum
pastores, ab ipso saluatore ad omnes gentes in-
stituendas missi, hac de causa (vt ego arbitror)
cum vniuersaliter, si quis cognouit filium, pa-
trem quoque ab eo cognosci dixerit, discipu-
lis postea fidei cognitionem attestatur. Nihil
enim non verum Christus dixisset: nec, si quis
diligenter euangelium rimatur (nisi mente ca-
ptus sit) dubitabit filium Dei fuisse dominum, di-
Ioan. scipulos credi..isse. Quomodo enim Nathanael
eum audiuerat, antequam Philippus te vocasset,
sub ficu te vidi, confessionẽ illico fidei attulisset di
cẽs, Rabbi, tu es filius Dei, tu ex rex Israel: nisi hoc
in di... ulorum animos incidisset? præterea post
Matth.14. sedatos fluctus clamabant dicentes; vere filius
Dei tu es. An forte ignorasse illos vim huius ver-
bi quisquam opponet? sed quomodo, qui hæc
... ponet, ignorare non videbitur, cum apud Ce-
sareã Philippi à Christo discipuli rogarentur, quẽ
dicunt homines esse filium hominis, aliorum fal-
sis opinionibus dictis, de sua interrogati per prin-
cipem consortij sui nõ dubitasse illos exclamare,
tu es Christus filius Dei viui; quando igitur dici-
Matth. 16. tur à Christo; si cognouissetis me, patrem quoque
meum cognouissetis, non omnino ipsis discipu-
lis, sed per eos generaliter omnibus dictum esse
illud putemus: qui enim diligenter cuncta obser-
uat inueniet eos non penitus ignorasse Deum, &
Dei filium Christum fuisse. Verum, cum viam se-
ipsum appellarit ænigmatice, hoc dictum non
intellexeruot. Præterea, verso ad ipsos sermone,
docuit non posse illum cognoscere patrem, qui
filium ignoret. Deinde cognitionem fidei eis at-
testatur dicens, *amodo cognoscetis eum, & vidistis
eum. Amodo* autem non ab illa hora significat, in
qua hæc verba faciebat, sed à priscis temporibus
aduentus Christi tempus distinguit, in quo pa-
tris cognitio in vniuerso terrarũ orbe per filium
Psal. 38 rutilauit. Ideo in psalmis quasi ad Deum patrem
dicitur; mirabilis facta est sciẽtia tua ex me. Nam,
cum splendentem miraculis filium, & potestate
suprema, quæcunque velit, peragẽtem videamus;
cognitionẽ patris, summa cum admiratione teni-
nemus: amodo ergo cognoscetis eum: cognoui-
mus enim in filio (vt sæpe iam dictum est) quis pa-
ter sit, nec cognouimus solum, sed etiam vidimus.
Cognitio enim mentis speculationem significat,
quam mens humana de natura diuina, & quæ su-
per omnia, & per omnia in omnibus est, habere
potest: visus autem miraculorum certitudinem
denotat. Non enim tantummodo nuda mentis
agnitione, vitam esse patrem cognouimus, mor-
tuos viuificantem in filio, & corruptos ad esse
iterum reducentem: sed vidimus ipsum in filio
vitam naturaliter esse, & omnia illi esse subiecta,
quando mari, & ventis cum suprema potestate
increpans dicebat; tace, obmutesce. Quoniam er-
Marc. 4. go dicturus erat, non cognouisse solummodo il-
los patrem, sed etiam vidisse, necessario illud *amo-
Deut. 6. do*, anteposuit: quamobrem? quia lex per Mosem
ad Iudæos clamabat; dominus Deus tuus domi-
nus vnus est, nomenque filij non exprimebat:
sufficiebat enim tunc, si à multorum cultu deo-
rum ad vnum Deum homines euocarentur. Do-
minus vero noster Iesus Christus multis signis
in seipso patrem nobis manifestauit, & vnius Dei
naturam in tribus esse personis demonstrauit.
Recte igitur *amodo*, dicitur: propter imperfectio-
nem cognitionis eorum, qui disciplinam legis
obseruabant. Cum autẽ dicat se pro patre visum
esse; non negat in propria vere persona Deum
patrem (ex quo est) subsistere, nec se patrem esse
affirmat, quantum ad personæ dico significatio-
nem. Nam, quoniam consubstantialis patri est;
idcirco in seipso patrem videri asserit: vt, si quis
nostrum, cum patris sui naturam ante oculos po-
nere velit, seipsum ostendat, vt in se pater suus
cernatur, quamuis Deus omnium vim exemplo-
rum excedat. *Dicit ei Philippus, domine, &c.* Studio-
sus quidem Philippus fuit, sed non adeo acutus,
vt commode, atque apte, quæ sit visio Dei, posset
intelligere, propterea putabat oculis huius cor-
poris diuinam posse videre naturam, sed manife-
ste à Deo dicitur; nemo videbit faciem meam, & Exod. 33.
viuet. Nam, etsi visus à multis sanctis à scriptura
dicatur; nullus tamen recte intelligens, suspica-
bitur ipsam Dei naturam visam fuisse: propterea
& aliter alius vidit. Aliter enim Esaias, aliter Eze-
chiel, aliter alij viderunt. Vnde oportebat intel-
lexisse Philippum, impossibile omnino humini
oculis corporis substantiam Dei aspicere: nec val-
de prudenter, cum imago, & character patris ve-
rus adesset, primitiuum quasi non adesset, deside-
rare. Sufficientissime namque, qui Christum vi-
det, patrem videt: probe enim à fructu arbor co- Matth 11.
gnoscitur, vt saluator ait. Cum ergo visio, atque
cognitio filij perfecte sufficiat ad naturam patris
cognoscẽdam, superuacaneus forsan Philippi ser-
mo videtur: non tamen laude sua priuandus est;
admiratione namque commotum dixisse arbi-
tror; *Domine ostende nobis patrẽ & sufficit nobis.* Ac si
diceret; omnes nos gaudij plenos profitebimur,
nec deesse ad beatitudinẽ quicquam nobis arbi-
trabimur, si (quod maxime optamus) Deum pa-
trem videbimus. Laudandus ergo est, qui visio-
nem patris cæteris omnibus rebus anteposuit.
Hæc quidem simpliciora, expressioraque sunt:
curiosius autem, atque occultius illud addemus.
Non ignoramus scribas, ac pharisæos; cęterosque
Iudæorum principes innumeris Christi signis
commotos sic inuidia exarsisse, vt, cum prohibe-
re, ne miraculose ageret, non possent, ad detra-
hendum illi versos, multa ad diminuendam illius Luc. 11.
gloriam prædicasse, modo in principe dæmonio-
rum signa fieri ab illo clamantes, modo turbas
reprehendentes, quoniam illum audirent: dice-
bant enim; dæmonium habet, ac furit, cur eum Ioan. 10.
auditis? glorię igitur Christi summopere inuiden-
tes, persuadebant turbis præuaricationem legis
Christum odisse, & Mosi toto animo inhærere.
Mosem enim dicebant obuiam Deo populum ab Exod. 19.
Ægypto ad Sina montem eduxisse, ac ostendisse
eis Deum in cacumine montis, & fecisse vt auri-
bus suis verba Dei audirent. Ita certiores omnes
factos esse, verbis Dei legem esse dictatam: hunc
autem præstigiatorem nihil tale vnquam fecisse.
Hæc illos ita dicere, ac facere, inde maxime patet;
quòd ad cæcum à natiuitate, cui virtute ineffabi-
li saluator visum largitus est, cum amaritudine
dicebant; Tu illius discipulus es: nos autem Mo- Ioan. 9.
sis sumus discipuli. Nos scimus, quia Mosi locu-
tus est Deus: hunc vero nescimus vnde sit. Hanc
rationem non facile, immo nullo modo confuta-
ri posse omnes credebant, qui Iudæis fauebant.

Hæc

Hæc vbique clamantes, multos decipiebant, & turbatione cuncta replebant. Cogitauit ergo secum Philippus omnem Iudæorum posse contradictionem dissolui, si Christus quoque credentibus in eum, patrem ostenderet. Quapropter obsecrat dicens; *Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis*. Multis, inquit, modis, ô domine, ad fidem tuam nos attraxisti, innumerisque signis Iudæorum impudentia repelli potest: sed nihil omnino deerit, si etiam ipse Deum patrem nobis ostendes, hoc enim maxime faciet, vt Iudæorum ora consuere possimus. Non arbitror longe à mente Philippi occultiore hoc sensu nos aberrare. Ipse certe ad hæc excogitanda nos inuitauit, cum dicat sufficere sibi Deum patrem videre; quasi hoc solum credentibus deesse videretur; ipse quoque saluator in sequentibus hoc fere subaperit dicés; verba, quæ ego dico vobis, non à me loquor, sed pa-

Ioan. 14. ter in me manens, ipse facit opera: quod loco suo latius exponemus. *Dicit ei Iesus, tanto tempore, &c.* Inexcusabilē imperitiā discipuli ostendit, difficilia enim, sublimiáque theoremata, & si breui tépore nequeant exquisitius intelligi, in longis tamen temporibus à studiosis percipiuntur: quæ vero facilia cognitu sunt, ea sine labore, statim cum audiamus, consequimur. Quid igitur, ô Philippe, impedimento tibi fuit ad exquisitam mei cognitionem; qui, cum tanto tépore mecum sis, vt perfectam iam me cognoscere deberes, ambigis adhuc? Imo vero ignorare omnino videris. Quis natura sum, & vnde sum, quomodo nó cognouisti; quia, qui me videt, videt & patrem? & Iudæos quidem putas diuinam olim naturam in monte aspexisse: ab eaque, quid faciundū sit, quid non faciundum, audiuisse. Tu vero nondum credis per me, & in me patrem vidisse; nescis, quia, qui videt me, videt & patrem? Non est opus longa vti oratione ad demonstrandum non intelligi visionē hic eam, quā oculis cernimus (nemo enim non furiosus, naturam Dei oculis subiiciet; quam via in speculo videmus, & in ænigmate) illud tamen aduersus inimicos veritatis, qui lingua nos impudenti, imò vnigeniti substantiam lacerant, dicendum videtur. Nam, si ex Dei patris substantia per generationē filius (vt illi putant) non emanauit, sed solis exterioribus, non naturalibus dignitatibus fulget, quibus patrem in se vt imago figurat; primum nó erit naturaliter filius, nec genimen vere. Erit ergo creatura vt nos, aut aliquid tale: quo concesso, atque credito, illud confiteri necesse erit, patrem vere, ac naturaliter patrem non esse, sed volūtate quadam vt nostri apparentia patrem nuncupari: hinc porro necessario sequetur, non esse trinitatem vnum Deum, sed tres potius deos: cum alius in alio substantialiter non insit, sed vnusquisque vt nomine, ita naturæ ratione omnino dissepararetur. Cogimur hæc nefanda vi rerum rudius dicere: sed tamen prosequemur. Si ergo natura separentur, & alienus naturaliter à patre filius est: quomodo, qui natura Deus non est, patrem, qui natura Deus est, in seipso nobis ostendit? Quomodo in re creata increatam conspiciemus? quomodo in eo, qui aliquádo non fuit, eum, qui semper est, speculabimur? Nec mihi aliquis dicat, quoniā virtutem patris, sapientiam, bonitatem, producendi omnia vim habeat, idcirco imaginem eius esse; sed prius ostendat non natura Deum incommutabiliter, ac perfectissime, vt nihil omnino desit, natura Dei posse imaginem esse, quæ in seipsa primitiuū absolutissime ostendat, quod quoniam ostendere nunquam poterit, rogabimus secundo, vt illud demonstret, qua ratione, si natura Deus non est (vt ipsi dicunt) veri Dei opera potest facere: hoc enim est, patris ima-

ginem esse. Nam, si non habet virtutem à se filius ad peragenda omnia sufficientem, mutuo autem à patre, ac forinsecus accipit & sapientiam, & vires, vt ea possit facere, quæ solus pater natura facere potest, mentitur scriptura, quæ imaginem, & characterem patris appellat. Sin vero nó mentitur, in ipsam patris gloriam eorum iniuria conscendit, quonammodo? dicam repetens breuiter. Aut enim, si à se idem naturaliter non habeat ad facienda omnia virtutem, sed ab alio extrinsecus accipiat, falso imago patris appellatur, non enim aliunde, sed à se naturaliter habet omnia, primitiuum. Aut, si verax scriptura est, & ipse saluator, qui patrem in seipso conspici asserit, ita vt nihil prorsus desit, nihil superfluat, nihil diminutum, mancúmque sit, sed summa sit incommutabilitas; necesse erit cócedere ipsum quoque primitiuum, id est, patrem non a se, sed ab alio hanc virtutem mutuari, quippe qui se talem in imagine naturæ suæ nobis ostenderit. Nónne igitur videtis, ad illos quispiam dixerit, lóge à recta via in perditionis barathrū vos decidisse? Sed potest, inquiunt, filius, quamuis creatura sit, diuinæ naturæ opera facere: quoniam ita Deus pater instituit. Ego vero nescio, si quid magis impie dici potest: nihil enim maius erit in Deo, quam in creatura. Num ergo præcipuum quid filio attribuere credant, quia super alias creaturas creatum existiment. Num enim vtrum eximiæ naturæ creatura sit; sed, vtrum factus sit, quæritur. Cumque factus esse ab eis dicatur, gloria eius statim deprimitur: frustra igitur quasi remedium afferunt, quod optima creaturarum sit: cum creata omnis natura, in infinitum à non creata dissepararetur, & distet. Sed ipsi quoque naturæ patris summa infertur iniuria; si eadem omnino filius, quæ ipse, cum creatura sit, operetur. Nequaquam igitur ferendi sunt, cum prædicent diuinæ naturæ opera posse à creatura secundum naturam fieri: nulla enim sanctorum

Ezech. voce potest id confirmari. Quare, cum ex animo suo falsas effundant rationes, non iniuria dicemus, væ iis, qui prophetāt à corde suo: nihil enim præter illa patrem velle cócedimus, quæ gloriam eius conseruant, & rectitudinem dogmatum stabiliunt. Nugis igitur illorum omissis, veram prosequemur rationem. Ex substantia Dei patris secundum naturam, natus est filius: sic enim vere, cum character, similitudóque illius sit, dicere potest, qui videt me, videt & patrem. Quomodo igitur, ô Philippe, patrem tibi petis ostendi, cum patrem in eo videre possis, qui totam naturam patris vt verus character eius, & imago incommutabilis vere habet? Caue, ne altiora in specie ignis vidisse antiquissimos in monte putes, meliora enim, sublimiorâque sunt hæc miracula Christi, & exquisitiorem Dei patris cognitionem efficiunt, quàm illa cognitio fuit, quæ in cacumine mótis à priscis habita est. Quod breuiter ostendemus, vt clare appareat non necessario illam priscam a Philippo cognitionem fuisse quæsitam, qua in specie ignis populo videre descendisse dicitur Deus. Quomodo igitur ad rectam de Deo opinionem per spe-

eciem

ciem ignis quispiam peruenict? aut qua similitudine ignis:ad primitiuum,id est,ad patrem ascendet?Bonus natura Deus est, creator est, ea nihilo cuncta produxit,& quę produxit,continet,atque viuificat.Sapientia praeterea, & vertus est, iustus, misericors,& caetera huiusmodi, quorū omnium nihil vitquā in igne conspicies.Cur ergo,inquies, in specie ignis Deus apparuit?quia tunc primum disciplina legis ad pietatem populus instituebatur:qui cū esset duræ ceruicis,opus erat, vt quàm maximè terribilis Deus eis videretur; vt,cum scirent,magna præuaricatoribus imminere supplicia, quia ignem quasi vrentem offenderent; aliquantulum sibi ipsi moderarentur. Propterea Moses quoque illis dicebat:ignis cōsumens Deus noster est:nec Dei naturam tantus vir igni conferebat,sed ostendere volebat ignis more à Deo transgressores consumi,Nō ergo, quia igne Deus cognosci possit,sed quia vtile tunc populo fuerat, in specie ignis Deus apparuit. Nunc eaquisitissimam patris imaginem à perfectionibus eius consideremus.Bonus secundum naturam Deus pater est.Quid filius?nónne summè bonus,qui venit in mundum,vt peccatores saluaret? qui se humiliauit,& animam suam pro peccatoribus posuit?Potens pater est, filius quoque similiter; qui elementis imperabat,elata Maria deprimens,& ventorum flatus deponēs, qui naturam rerum penitus vicit. Leprosum enim curauit imperio; & summa cæcos potestate videre iussit. Vita naturaliter pater est:filius quoque similiter vita est;mortus enim vires euertit; cum multos è morte suscitauerit.Iure igitur ad Philippum ait; *Qui videt me, videt & patrem.* Cur igitur,inquit,ô Philippe,cum multo melius in me patrem videre possis, quàm in igne antiquiores viderunt; alium quendam modum videndi patris desideras? non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Ego, inquit, ô Philippe, genitoris naturam vt imago substantiæ eius,perfectissime ad illam formatus, in me totam exprimo;nō exterioribus,neque aducutitijs dignitatibus, sed naturalibus naturæ patris perfectionibus splendens; id enim sum verè,quod pater est, identitatis substantiæ ratione, Tu autem videre patrem petis:quia non penitus adhuc credidisti, quod ego in patre sum,& pater rursus in me. Quæ igitur ego dixi, pater dixit,& quæ operatus sum,pater operatus est. Hæc Christus,non vt prophetæ,dicit;qui certa mensura,& ordine,non sua,sed quę Deus illis inspirauerat,loquebantur.Patri autem miraculorum potestatem attribuit, non quia ipse quasi forinseca vsus sit,vt illi dicebant;noliue nobis attendere tāquam propria potestate id fecerimus,non enim sua, sed Dei virtute vt ministri miracula sancti peragebāt. Nō igitur, quia Dei potestate vt caeteri ore vteretur, verum quia cum patri consubstantialis sit, idem cum eo natura penitus est.Et verba sua,patris esse verba dicit:quia non alijs quam filius verbis pater,si loqui vellet,vteretur:opera quoque sua,patris esse similiter dicit,quia non aliter filius quam pater operari potest.*Verba quæ ego loquor,&c.* Non aliter,inquit,pater, si vobiscum verba facere vellet,quam ego,locutus esset:tanta enim inter nos identitas est vt voces meæ, illius sint; & quæ facio,illius opera sint,ipse enim propter incommutabilitatem substantiæ in me manens, facit opera,Nam,cum vna in patre,& filio, & spiritu deitas sit,omnis sermo patris,& omnia opera patris, per filium in spiritu sunt: aguntur tamen quasi à patre. Non enim est extra genitoris substantiam filius,sed nec spiritus sanctus. Sed alium quoque sensum incarnationis dispensationi accommodarū dicere possumus.*Non loquor*,ait, *à me ipso*:id est, non aliena, neque incongrua Deo patri loquor. Nam,quoniam in humana forma cernebatur,sermones, & opera sua naturæ deitatis in persona patris attribuit;ac si diceret; Cauete, ne humana hæc figura,& habitus longe vos à conuenienti de me opinione seducat; Cauete, ne hominis nudi verba mea putetis, sed diuina, & ipsi patri congruentia ducite:operatur autem in me manens; sum enim in ipso,& ipse in me. Nolite igitur credere maius, excellētiusque aliquid priscis datum fuisse;qui Deū in specie ignis viderūt, & vocē audiuerunt; vos enim multo verius in me,& per me patrem vidistis:Deus enim natura cum sim, veni manifeste(vt Psalmista canit) homo propter vos factus,verba igitur mea,patris verba sunt,& opera mea similiter. Quare vos, qui hæc audistis,& vidistis,verba patris audiuistis,& opera patris, & virtutem vidistis,per me namque ille vt per verbum suum loquitur; per me vt per virtutem suam miracula peragit. Nullus autē nisi mente captus, verbum,& virtutem patris naturaliter substantiæ patris inesse potest negare. *Credite, quia ego in patre,&c.* Aperte nunc dicit,imo imperat non aliter nos credere oportere,quam ipse velit,qui veritas est. Consubstantialis enim patri est,nulla re penitus interposita, nec intermedio vllo intellecto, quod substantiam à substantia, & naturam à natura disseparet; vnum enim cum ipso est. Propterea substantia,& natura alterius,in altero conspicitur:quod nostro etiam exēplo videre licet. Nā, & si corporibus distemus non sumus tamen alij natura patres à filijs,& filij à parentibus. Abtahæ igitur naturam conspexit,qui filium eius conspexit.Sed in hominibus quidem magna videtur esse disseparatio;seorsum enim vnusquisque formatus quamuis vna substantiæ, atque naturæ ratio in omnibus communis sit; tamen alter in altero non inest;in Deo autem nō ita esse intelligemus; sed proprie quidem pater pater est, & non filius; & qui ex eo est,filius est, & non pater; & spiritus sanctus spiritus proprie est;in vnam autem deitatis naturam sic trinitas sancta colligitur, vt vnus sit Deus, nec aliqua trinitatis persona disseparetur ab alia: sed subsistere quidem trium personarū proprie,ac vere quamlibet credimus, & filium ex patre ineffabiliter natum esse,& in ipso manere intelligimus; eodem modo de spiritu sancto, Est enim ex Deo vere,non disseparatus à substantia eius,sed procedens potius ex eo,& in eo semper manens,præbetur sanctis per Christum.Omnia enim per filium in spiritu sancto sunt. Hanc dogmatum rectitudinem, atque veritatem sancti patres nobis tradiderunt:sic & loqui, & sapere à sanctis literis docti sumus,ad quam fidem Dominus etiam hortatur dicens; *credite,quia ego in patre, & pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite.* Palam istis verbis nihil se mirum, diuinæque naturæ conueniens potuisse facere ostendit,nisi natura Deus esset:& vide quanta cum authoritate & veritate.Nam, & si mentiri non possit,non petit tamen, vt omnino verbis suis credamus. Quare sic? Nō ignorabat posse sibi furiosos verba hu-

Deut. 4.

Psal. 49.

iusmodi accommodare, Deosque se verbis facere, operibus autem diuinæ naturæ congruentibus nulla vnquam creatura vtetur: nec enim Deus minime capaci creaturæ, faciendi omnia potestatem donabit. Non ergo magis à verbis suis, quam ab operibus credere cogit, se quidē in patre, patrem autem rursus in ipso esse, id est, non aliam esse naturam suam quam patris. Et ecclesia quidē Christi, quæ rectitudine dogmatum gloriatur, hanc io vnigenitum habet fidem; Dei autem inimici non
Deut. 32. parua rabie cōcitati, alius aliū in maiorem impietatem impellūt. Nam, cum vinum Sodomę bibāt, & vuā Gomorrhę vindemiēt, nec à spiritus sancti reuelatione, sed acerrimi draconis suggestione loquantur, & nec probe sentiunt, & ea dicunt, quibus audientium animas ad inferos detrudunt; libris quoque has nugas suas tradere ausi, quasi publice in talibus malignitatem suam pingētes perpetuitati (quātum in eis situm est) commendatūr. Vnde fit, vt, quāuis multis iā hac de re dictis, propositum ad vtilitatem fideliū opus, prosequendū breuius videatur, nugis eorum neglectis; cogamur tamen, ne simpliciorū aliquis laqueis eorum capiatur, veritatis dogmatibus vt scutis venenosa illorū tela repellere, ac friuolas ostendere calūnias eorū quibus filio miseri, imo vero toti deitati conantur detrahere. Legi enim librum quendam aduersariorum, in quo de proposito euangelij loco sic post nonnulla breuiter scribebatur; Filius ergo substantialiter à patre continente contentus, habet in se patrem loquentem verba, & signa facientem; quod ipse filius exposuit dicens, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor, pater autem in me manens, ipse facit opera. Quid velit dicere, cum substantialiter à patre contineri filium asserat, non probe (vt veritatem fatear) assequor, tanta in oratione inest obscuritas: &, quemadmodum, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem (vt saluator ait) ne redarguatur; sic oratio improba, cum non audeat in lucem exire, ne redarguatur, obscuritate gaudet. Quid igitur sit substantialiter à patre filium contineri, quibuscunque potero modis exponam, vt obscure dictum in lucem protractum, reprehēdatur. Si ergo significat: in patris substantia sicut consubstantialē filium esse, ita vt pater rursus in ipsa filij natura refulgeat: quanuis continentiæ nomen alienissimum sit, laudabimus tamē, & comprobabimus. Sin vero non id (nemo enim ex substātia patris natū esse fatetur, qui hęc euomuit) sed vt corpus quoddam finitum sic naturam filij terminatam ab infinito patre contineri arbitratur, quomodo insanus non est, qui ita blasphemat? aut quomodo cum filium Deum esse modo quodam concedant, proprietates corporum ei accōmodant? quod enim mensura, aut termino circumscribitur, cum dimensiones suscipere necessario intelligatur, id prima, & vltima, & locum, & quantitatem, & figuram habeat necesse est, quæ omnia corporum propria sunt: quomodo igitur corporeus esse creditur, qui super omnia est? aut quomodo aliis creaturis similis non erit, si ipse quoq; similiter finitus est? quod si ita est: cur falso nos terrebat, dicēs, vos de iis, quæ deorsum sunt
Ioan. 8. estis, ego desuper sum? & rursus; vos ex hoc mūdo estis, ego nō sum ex hoc mundo, Nā, cum desuper esse asserat, non cælum significat, nec locum aliquem (sic enim etiam Angeli desuper sunt) sed à suprema se substantia emanare demōstrat. Quomodo igitur id vere dicebat; si, quemadmodum quę ex nihilo producta sunt corpora, sic terminis continetur magis quàm cætera contineat? Aut quomodo ipsum nusquam abesse Psalmista dicit: Psal. 138.
incorpoream, incircumscriptibilémque naturam vt Deo attribuens, quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascēdero in cælum tu illic es: si descendero ad infernum, ades; Si sumpsero pēnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hæc per Psalmistam spiritus cecinit, sed isti, spiritus quoque voces contemnētes, terminis, & circunscriptionibus vnigenitum Dei filium subiiciūt, quod fieri quî poterit, si cælos simul, & vltima terræ facile replet? sed nō venit eis in mentem; quia, si filij facies, id est, spiritus (facies enim filij Spiritus sanctus est) vniuersa replet, quomodo ipse contientiæ terminis comprehendetur? Ita inquit: sed non à corpore, neque à loco, sed à Deo patre filium contineri dicimus. Non potestis impietatem effugere; si vt corpus tē incorporeā circūscribatis (& finē attribuatis infinito. Nam, cū à patre cōtineri dicatis, quid aliud quā quod finitus sit, significatis? sicut creaturæ omnes quæ ab ipso productæ contineri etiā ab ipso dicuntur. Præterea, si quid, quod aliquo modo cōtinetur, ea ratione, qua cōtinetur minus cōtinēte est; quomodo nō erubescitis, minorē patre filiū sicuti potestate, virtutéq; illius inclusum & præsentibus, & posteris occultius continentiæ verbo tradentes? Ad hęc, cum se imaginem patris Ioan. 14.
perfectam asserat (qui enim videt me, inquit, is & Patrem videt: & ego in patre, & pater in me est) si substantialiter à patre continetur; ipse quoque pater erit finitus. Talem enim esse patrē vult, qualis ipse est: & aperte dicit patrem in se esse: ipse igitur aduersarius quęrat alium, qui sit maior patre, qui est in filio, mihi enim nefas videtur talia cogitare. Non est autem filius ex parte patris imago sed totus totius imago est: neque aliquid penitus intercedit, quod summam similitudinem, imo identitatem imminuere videatur. Illud summopere miror, mirarique nō desinam; quomodo ausi sunt dicere ita patrem in filio loqui, & signa facere quemadmodum ipse Christus in Paulo & loquebatur, & operabatur? Hac enim de causa 2. Cor. 13.
dictum esse contendunt. Ego in patre sum, & pater in me, Quis talia de Christo sentientes, Christianos appellabit? ecce manifeste non Deum, sed capacem Deo, & Dei participem, magis creaturam quàm Deum ex Deo natum prædicant. Patet igitur vndique, quòd illa sit intentio eorum vt longe à substantia Dei patris propellant filium, & deitatis natura omnino priuent. Quomodo igitur quasi mortuos impietate largo lachrymarum fluuio non plorabimus dicentes: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & flebo noctu, & interdiu hunc populum? sed zelo fidei concitati, ne simpliciores seducantur, de Beato Paulo dicimus, quod & ille, & quisquis sanctorum diuinitus & loquebatur, & faciebat, Christum in corde suo habitantem per Spiritum habebat, propterea & miracula faciebant, & quę Deo placebant, loquebantur: quos omnes natura homines, & aliud secundum substantiam, quàm spiritus Christi, qui habitabat in eis, & Dei cultores, & gratia eius rutilantes, etiam inuiti cōcede

[illegible] destitutos fuisse gratia illos an[illegible] fuissent: possibile quoque fuisse posteaquam gratiam habuerunt, delictis, prauisque cogitationibus eam illos amittere. Nã, quod deforma[illegible] ... eã, quamuis re ipsa nequaquam auferat, [illegible] tamen posse, nemo ibit inficias. Si ergo [illegible] impietatem, & imperitiam vestram [illegible] patrẽ[illegible] deus esse in filio, sicut Chri[illegible] loquens in eo, & miracula per[illegible], quomodo non erit aliud quam pater, qui in e[illegible] pater autem Deus est: filius ergo non erit Deus. [illegible] instrumentum quoddam, & vt vas aliqu[illegible], vnigenitus erit: nec à tibia, vel lyra distabit [illegible] illud resonet, quod inspiratione, aut pulsatione iubeatur; ad peragenda vero miracula: quasi [illegible]eria, aut bipennis adhibebitur. Sic a[illegible]enus [illegible] a natura patris erit: nec vllo modo natura Deus credetur. Quomodo igitur creaturis non connumerabitur, qui ministri locum po[illegible] fidei? Quomodo filius Dei appellabitur, & [illegible] patris habebit? imo vero quis hoc dicere dignabitur, qui verum esse illud putabit? Vos autem, quamuis hæc dicatis (proh pudor) filium tamen appellatis: instrumentum ergo [illegible] atque sapientiæ suæ pater genuit, & aliud præter seipsum peperit. Hæc qui dicunt, ipsius gen[illegible] gloriæ detrahunt. Non enim erit vere pater, qui talem filium natura nõ cognouit, qualis ipse est. Impie igitur & falso in trinitatem cre[illegible]. Nam neque pater vere pater erit, nec filius naturaliter filius, nec filij Spiritus Deus erit. Decepti ergo sumus; inanis fides nostra est, scri[illegible] etiam falsa est, quæ Deum patrem appellat, nec [illegible] nos fallimur, sed superna etiam ciuitas non minus seducta est, quæ filium creaturarum vnam non Deum, sed vas, instrumentúmque Dei cum patre simul adorat, & glorificat. Quod si pater inhabitare in filio noluerit (ò impietatis magnitudinem? sed consequentia dicere cogor) non distabit filius ab illis, qui à principio suo lapsi ceciderunt. Cur autem, si gratia Dei sicuti nos corroboratur, nec genitorem in seipso naturaliter habet, sed filiationis nomine vt creatura decoratur, [illegible], inquam, ipse quoque vt nos naturam suã non profitetur? Cur ille dominus, & nos serui? qui etsi filij Dei vocitemur, propriam tamen naturam non ignoramus. Quare igitur ipse quoque si natura Deus non est, si inter creaturas collocatur vt vobis videtur, seruum se esse non profitetur? sed congruentem naturæ deitatis honorem, & gloriam sibi attribuit dicens: vos me vocatis dominus, & magister: & bene dicitis; sum etenim.

Luc. Hæc boni isti doctores laudant, & vere dominum appellari concedunt: deinde à naturali, veraque dominatione, quia non esse natura ex Deo patre contendunt, turpiter (quantum in eis situm est) euertere non verentur. Verum, quod seruitutis abneget nomen, & creaturis connumerari nolit, liberam, dominantemque sol naturam etiam factus seruus respiciens, inde quoque intelliges. Accessisse namque ad Petrum

Matth. 7. exactores didragmi scribuntur, dixisseque, magister vester non soluit didragmum: ad quod Christus quid Petro dixerit, operæpretium est considerare, reges, inquit, terræ à quibus censum, aut tributum accipiunt, à filiis ne suis, an ab alienis? Cum autem Petrus non filios regis, sed alios [illegible]ibutis subiectos prudenter dixerit; confestim deitatis sibi testimonium Christus perhibẽs, illud adiecit; liberi ergo sunt filij. Cur igitur, si conseruus, & non a patris substantia natus est, cæteris seruitutem, soli sibi libertatem attribuit? Per abusionem enim de nobis, quæ proprie, ac vere Deo accommodantur, dicta esse inuenimus, quæ illi vere, ac naturaliter insunt. Quare & nomen, & res seruitutis, secundum naturam inest creatura: quãuis libertatis honore, ac gloria per gratiam Dei decoremur. Libenter ergo eos interrogarim, vtrum theophorum, id est, virum in quo Deus habitet, Paulum appellent, an non? Si enim negant illum theophorum fuisse, manifeste mentiuntur. Sin autem, orbis terrarum authoritate victi, theophorum fateãtur; pater quia Christus, Deus est: sic enim Paulus appellatur; quia Rom. 8.
Christus in eo per spiritum suũ habitabat. Quòd si & Paulum theophorum appellãt, & filium alienum à patris substantia dicunt; sibiipsis contradicere inueniuntur. Sed erubescẽtes nonnunquã Deum verum maligne filium appellant, nõ enim natum ex Deo vero cõcedunt: ita Deum quidem verum esse, sed natura Deum non esse contendunt. Quod certè non magis impie, quam stulte dici contenderim. Sed, cum patrem in filio esse, vt Christum in Paulo dicitis, filium certe theophorum Paulo similiter, dicitis. Quomodo igitur theophorus, aut particeps Dei, qui vere Deus est? nulla enim res seipsa participat. Nam, si vere idẽ est, quod participat, & quod participatur; cur opus participatione est? Si autẽ sicut ipse in Paulo, sic pater in ipso habitat, quomodo non erit theophorus? Et si hoc, quomodo erit Deus, qui habitante Deo indiguit? Satis de his. Quare aliud illius generosi verbis suis in medium adducamus vt pateat, quãtum impietatis posterioribus, scriptis suis commendare conetur, & id astute nimiũ vt veterator occultare. Namq; præsentes obscuritate allucinare studet, vt facilius ad posteros veniat. Verba eius hęc sunt, verum quemadmodum nos in ipso esse dicimur, & tamen substantia nostra illi non communicatur; eodem modo filius, cum in patre sit, separatam tamen ab ingenito habet substantiam. O audaciam, ó quanta plenam impietate orationem! Nam, si hominem nudum, Christum esse credit, nihil prohibet dicere sic ipsum esse in Deo patre, veluti & nos: sin vero Deum esse secundum naturam non negat, & adorabilem esse fatetur; cur veretur concedere in patre ipsum esse, & patrem in ipso habere ita vt Deum decet? Sin autem impudenter contendit ita esse filium in patre, sicut singulos hominũ qui de nihilo, & de terra per ipsum facti sunt; cur vnicuique nostrum nõ licet dicere, qui videt me, videt & patrem? & ego in patre, & pater in me est? Sed amentię plena hæc sunt: nullus enim sanctorum tali voce vsus inuenitur: sed omnes vnigenito vt natura Deo, & domino, summam omnium potestatem attribuunt. Ideo clamant di- Psal. 88.
centes, quis similis erit domino in filiis Dei? quomodo ergo, sicuti nos, in patre vnigenitus est, si nullus alius ei similis est? quòd si, vt nos, in Deo est, mentiuntur sancti tam magna de illo clamantes, qui non plus habet, quam filij adoptione habeant, Verum, quoniam ad probationem verborum suorum illud Pauli adducit, quia in Deo vi- Act. 17.
uimus, & mouemur, & sumus, & sic in patre filiũ esse asserit, age a te ipsa, sensum scripturæ, vt sua

mundat, corrumpere ipsum ostendamus. Cum Athenienses (qui sapientes credebantur) ab errore ad pietatem traducere Paulus studeret; vt ad credendum in vnum esse Deum illos induceret, in eo, inquit, nos viuere, & moueri, & esse. Omnia enim vnificat filius: quia, cum vita secundum naturam sit, omnibus à se creatis virtutem suam inexstabiliter impertit: non enim, quæ ex nihilo producta sunt, aliter conseruari possent: sed ad pristinam statim conditionem, id est, ad non esse labentur, nisi habitudine quadam ab eo, qui est
Act.17. imbecillitas sua vinceretur. Rectè igitur Paulus vitam omnium Deum esse asserit: cum in eo viuamus, & moueamur, & simus; nec significare illud voluit, quod ipsi malignè interpretantur, ad falsam omnia suam opinionem trahentes, ac corrumpentes. Noluit, inquam, significare, quia, quamuis simus homines, in substantia tamen patris (vt isti nugantur) sumus, sed in Deo viuimus, & mouemur, & sumus: quia ex eo sumus, & in eo conseruamur. ideo enim viuimus præposuit, deinde mouemur subiunxit, & demum intulit sumus: vt hoc tertium in præcedentium sensum computaret. Puto iam aduersarius ecclesiæ me per ista satisfecisse. Quod si adhuc reclamare parati sint, & illud in Deo, vt sibi videtur, exponendum esse contendant; scripturæ vsum ostendemus, quæ solet in Deo, pro eo quod est per Deum, plerúmque di-
Psal.59. cere. Clamat enim Psalmista dicens; in Deo faciemus virtutem, & rursus ad ipsum Deum verso
Psal.43. sermone, in te, inquit, inimicos nostros cornu ventilabimus. Non enim in substantia patris virtutem se facturû pollicetur, nec in ipsa inimicos suos inoenturum, atque cornu ventilaturum dicit; sed in Deo pro eo, quod est, per Deum, & in
1.Cor.1. te, id est, per te posuit. Et Paulus ad Corinthios; Gratias ago Deo meo pro vobis in data vobis in Christo Iesu gratia: & rursus; ex eo autē vos estis in Christo Iesu: qui natus est sapiētia nobis à patre, iustitia, sanctificatio, & redēptio. Num enim gratiam in ipsa substantia Christi datam fuisse asserit; sed suror est, hoc modo ista intelligere. Cur igitur & scripturæ consuetudinem contemnis, & beati Pauli consilium negligis, & in substantia patris nos esse, illum intellexisse calumniaris, quia in Deo nos viuere, & moueri, & esse asserit? Sed insultat rursus aduersarius. Et, quoniam recte, inquit, dixisti, in Deo solere scripturam dicere pro eo, quod est, per Deum; cur, inquit, falso nos criminaris, qui per patrem factû filium esse dicimus? Ecce namque ipse filius in patre sum inquit, id est, per patrē. Ego autē admiror, quomodo iam libenter in Deo pro eo, quod est, per Deû audierunt, atque hinc illico magnû (vt ipsi putant) gradum fecerunt: quo ad demonstrandum creaturam patris esse filium (quoniam in Deo est: & hoc, per Deum significare plerúmque dicimus) peruenire possint, acutique nimium esse videntur propter audaciam. Nam re ipsa nihil penitus effecerunt: quid enim prohibet, si hoc modo in proposito hic acceperitur: ad ipsum quoque patrē vim argumēti conuertere? cumq; aperte dicatur, quia pater in me est, per me intelligere, vt ipse quoque pater, creatura filij videatur? Eodem enim pacto patrem in seipso: & ipsum in patre filius esse affirmat. Si ergo in patre, per patrem intelligitur; necessario & in filio, per filium intelligitur. Sed auertat Deus à nobis hanc tantam insaniam; nec enim per patrem filius: nec pater, ex quo vniuersa sunt, per filium factus est. Sed diuinæ scripturæ consuetudinē in singulis personæ, tēpori, rebusque accōmodantes, intuentu, atq; incommutabilem in omnibus sensum contrahimus. Ea ergo, quæ ex nihilo facta per Deum sunt, cum in Deo esse dicantur, per Deum esse intelligentes, nequaquam errabimus: filio autem Dei domino, & Deo, & creatori vniuersorum nullo id modo conuenit: sed est in patre naturaliter, & habet in se patrem similiter propter identitatem substantiæ. Hæc, vt puto, facile qui ædificari, non vincere quærunt, libenter suscipient; Christi autem aduersarius, quæ diximus ignorans, non aliter clamabit filium esse in patre, quàm nos in ipso simus. Sed nos quoque prima repetentes, aduersus hæc friuola penitus, atque inania maiore voce dicemus. Cur igitur naturæ nostræ mensura non patitur, vt eisdē, quibus Christus, verbis gloriemur?
Christus enim, quia in patre est, & quia patrem habet in seipso, & imago, characterque incommutabilis propter hæc eius est, qui me videt, inquit, videt & patrem; &, ego, & pater vnum sumus. Nos autem, qui similiter in eo sumus, vt vos dicitis, & eum in nobis habemus, vt & ipse patrem, nescio, cur non elatis ceruicibus, occurrentibus faciem ostentantes, ac audacter caput quassantes, quisque dicimus, ego in Christo, & Christus in me, qui videt me, videt Christum, ego & Christus vnum sumus. Sed nemo ita vnquam insaniit, vt hæc dicere auderet, Nam, si habitudine, nō natura filius in patre est, & pater in filio, sicut nos in Christo, & Christus in nobis; primum in ordine, conditionéque nostra Christus collocabitur, deinde quid prohibebit, Christo prætermisso, ad ipsum patrem ascendere, & illius nos similes dicere, adeo vt nihil ab eo nos differre credamus? Nam, quod vnum cum aliquo est, ipse ab eo non distare videtur. Videtis ne, quo impietatis, atque furoris deuentum est? Quæ igitur causa horum inanium est verborum? nulla profectò alia, nisi, quia longe à patris substantia filium pellere student. Quod ita esse, ipsorum verbis percipitur. Non enim grauabor repetere blasphemiam eorum: vt omnibus facilius pateat verum. Quemadmodum nos, aiunt, in ipso esse dicimur, & tamen substantia nostra illi non communicatur; eodem modo filius, cum in patre sit, separatam tamen ab ingenito habet substantiam. Quid ais, ô attonite, atque stupide: tu sic aperte in filium blasphemas? Cur igitur falsa vos à nobis calumnia exceptos esse dicitis? Ecce enim, ecce manifeste nihil maius filio attribuitis quam creaturis, quas creauit ipse. Ego verò (non enim ferre possum, intentionem scripturæ sequens diligenter) quoniam filium negant, ipsum quoque patrem negari ab eis assero, ac ita ipsos nullo modo Deum colere, & ideo sine spe viuere, nequaquam dicere vereor. Grauem autem testem hunc ipsum euangelistam citabo, qui patrem, inquit, negat, negat & filiū, & qui filium negat, is nec patrem quidem tenet. Qui autem filium confitetur, is & patrem confitetur; rectè, recte, inquam, atque sane. Nam, qui non solum nomine, sed re ipsa & dici, & esse naturaliter patrem nouit, necessario alterum cum altero negari, & affirmari similiter dicit. Concurrit enim semper ad vere, naturáque patrem significatio, & cognitio eius, qui ex eo natus est; similiter

Præclara regula sacra scriptura in rebus p[illegible] in[illegible]telligenda.

Ioan.14.

Ioan.10

1.Ioan.2.

ter cum vere filii persona parturientis cointelli-
gitur. Qui enim nouit, quia pater est, is intellexit,
quia filium peperit: & qui filium animo voluit, is
illud vna voluit, quod ex aliquo natus est. Ex al-
terutro igitur alterutrius in auditorũ animo co-
gnitio generatur. Quare, qui Deum negat vere
patrem esse, is generationem filij abstulit; Et qui
filium ex patre natum non confitetur, is patrem
nullo modo cognoscit. Cum igitur distinctam in
substantiam, naturámque filij ab ingenito Deo
esse clamas, nec filium quidem Dei eum fateris, Si
vero filius nõ est, quomodo pater vere pater erit?
cuius enim erit pater, si non peperit? Distinguit
autem à patre filium etiam ipsi profitemur, non
natura, neque substantia, vt vobis improbe vide-
tur: sed, quia in propria persona esse intelligitur, &
vere subsistit; filius enim est, & nõ pater. Substan-
tialiter vero distingui non modo non dicimus;
verum & omnes, qui dicunt, à consortio fratrum
depellimus. Distinguuntur enim personæ, non
natura, sed personalibus proprietatibus; Petrus
enim Petrus est, & non Paulus, & Paulus, Paulus
est, & non Petrus: indistincti tamen natura sunt:
vna enim in vtrisque substantiæ ratio est: & quæ
naturalia sunt, eadem in vtrisque sunt. Quorsum
hæc? vt ostendamus, impie illos à natura deitatis
filium pellere, qui nihil aliud quam coniunctio-
nem habitudinis ei attribuunt. Cur enim nostro
exemplo vsi, quemadmodum separatam nos à
Deo substantiam habemus, quamuis in ipso si-
mus; sic filium, quamquam in patre sit, distinctam
tamen ab eo habere substantiam dicitis? Nõnne
in medium protracta versutia eius est? nõnne iu-
re vnum de illis illusoribus istum aliquis dixerit,
qui à spiritu futuri prædicebantur? Audi quid Iu-
Iud. 1. das discipulus Christi ad nos scribit; vos autem,
charissimi, memores estote verborum, quæ præ-
dicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi,
qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis tem-
poribus venient illusores secundum desideria sua
ambulantes, non in pietate: hi sunt, qui segregant
semetipsos, animales, spiritum nõ habentes. Nul-
1. Cor. 12. lus enim spiritu sancto loquens, aduersus vnigé-
niti gloriam quicquã dicet, hoc enim nihil aliud
est dicere, nisi anathema Iesu: animales viri, ac mi-
seri, desolata à spiritu sancto corda possidentes,
filium à patre exterminant, substãtialiter patrem
à filio differre putantes, quemadmodum quæ ab
ipso producta sunt, & filium non aliter quam nos
in ipso, in patre esse contendentes. Quod longe
falsum esse, ab ipsa scriptura demõstrare conabi-
mur: filius enim tum identitate substantiæ, tum,
quia imago, & character patris est, in patre esse di-
citur; Nos autem in filio sumus, fide, atque virtu-
te ad ipsum reformati. Quod ita esse, sapientissi-
1. Ioan. 1. mus iste Ioannes in epistola testatur; Communi-
catio, inquit, nostra cum patre, & cum filio eius
Iesu Christo. Nam, si non similitudinem volunta-
tis ratio hæc communicationis respicit, sed pro-
pterea in patre, ac filio sumus, quia naturæ eius
substantiam nostram misceamus: quomodo cum
patre, atque filio substãtialiter erimus, si non erit
patri filius consubstantialis? Necesse enim erit se-
cundum eos ridiculosum illud dicere; quia par-
tem naturæ nostræ patri, partem filio afferamus,
ideo in ipsis esse intelligimur. Quod quoniam fu-
roris plenum est, voluntatis ardore, fidéque fer-
uenti, ac omni virtutis genere ad diuinã pulchri-
tudinem animos nostros reformari dicimus, &
hoc pacto communionis gratiam acquiri à nobis
affirmamus; filius autem non per hanc habitudi-
nem, & studio habitam communionem, sed per
naturalem identitatem in patre est. Quod autem
per virtutem in Deo esse dicimur, idem rursus
Ioannes testatur dicens, in hoc cognoscimus, quia
in ipso sumus: qui dicit se in ipso manere, debet, 1. Ioan. 2.
sicut ille ambulauit, ipse quoque ambulare. Et
iterum; quod ab initio audistis, in vobis maneat,
si enim in vobis manebit, & vos in filio, & in pa-
tre manebitis. Quid autem sit, quod ab initio au-
diuimus, ipse declarat dicens, & hoc est man- 1. Ioan. 2.
datum, quod ab initio audistis, vt diligatis inui-
cem. Audis ne, nos esse in Deo, si charitatem
inter nos habemus, si saluatoris virtutem (vt
nobis possibile est) imitabimur? Saluatoris au-
tem virtutem modo dico non eam, qua cælos
creauit, nec eam, qua mare increpabat, mortuos
suscitabat, leprosos mundabat; sed illam, de qua
ipse dicit, discite à me, quia mitis sum, & humilis Matth. 11.
corde; & inuenietis requiem animabus vestris;
ita ducem virtutis eum sequentes, in patre, & in
ipso manere dicimur. Filius autẽ per ea quæ sum-
ma potestate vt Deus faciebat, discipulos induce-
bat, vt crederẽt ipsum in patre, & patrẽ in ipso es-
se. Sed forsan dicet, ideo filium sic esse in patre,
sicut nos in filio; quia, quemadmodum virtutis
studio nos in filio esse dicimur, ita & ipse filius
virtutibus ad patrem conformatur. Quare igitur,
cum Philippus dixisset, domine, ostende nobis
patrem, & sufficit nobis; non omnes apostolos
ad imaginem patris accipit? nec dixit, tanto tem-
pore alteri cum alteris sumus, & non cognouisti
patrem? Sed, cæteris omnibus prætermissis, quia
nullam exquisitam Dei afferebant imaginem; sibi
soli supremam similitudinem, imo identitatem
attribuit, dicens; qui videt me, videt & patrem, &
statim subiecit; credite, quia ego in patre, & pater
in me est, vbi enim summa identitas est, quomo- Ioan. 14.
do alius in alio non erit? Considera hoc etiam de
hominibus dici posse. Recte namque Abrahæ fi-
lius naturam patris in se ostendens, dixisset; ego
in patre meo, & pater in me est? recteque hoc ab
operib⁹ probasset, dicẽs; propter opera credite, id
ita esse. Omnia enim, quæ naturaliter pater meus
facit, ego quoq; facio, Quare igitur rectã, atq; re-
giam viã negligẽtes, ad aspera itinera proficiscũtur,
& cæteros, quantum in eis situm est, compellunt?
Sed nos sacrarum literarum authoritate muniti,
per regiam viam ambulantes, consubstantialem
esse Deo patri filium credimus, atque ideo ipsum
in patre, & patrem in ipso confitemur. *Amen amen
dico vobis opera, &c.* Magna est huius sermonis pro-
funditas: sed ad vtilitatem legentium breuiter
sensum eius proponemus. Cum cõsubstantialem
se patri, & exactissimum characterem demonstra-
re voluerit, vt in patre tanquam in primitiuo, &
pater in ipso tanquam in charactere suo, non fi-
gura quadam corporali, sed naturaliter, ac sub-
stantialiter esse credatur; ego, inquit, in patre, &
pater in me est. Deinde, vt incommutabilem hanc
æqualitatem nullo alio modo quam natura, & na-
turæ perfectionibus esse intelligeremus, aliòquin
intulit, propter opera ipsa credite. Quippe qui
eisdem operibus, quibus pater, summa cum po-
testare pollere ipsum consideraueri; is intelliget
naturalem characterem, atque imaginem patris

filium esse. Nunquam enim, qui ex Deo natura non est, æqualiter operabitur Deo; nunquam creatura, quę infinitę virtutis sunt, suscipiet; nunquam bona eius naturæ, quæ semper est, iis, quæ sunt producta ex nihilo, proprie attribui poterunt. Demum, ne ansa daretur improbis hominibus, qui omnia peruertere cupiunt, ne quis eorũ dicere posset, non à sua virtute filium miracula fecisse; sed quoniam habebat patrem in ipso manentem, qui opera faciebat; ne, inquam, his falsis cogitationibus leuiores seducerentur, seipsum aperte largiturum cuncta pollicetur, quæ in nomine suo fideles peterent. Quomodo igitur, ô amentes, atque cæci, diceret aliquis, nihil à seipso tale posse filium contenditis, qui se maiora istis largiturum credentibus pollicetur? Animaduertendum enim diligenter est; quia non dixit hic patrem aliquid facturum, sed; *quidquid petieritis in nomine meo, faciam.* Qui ergo aliis à seipso maiora præbet, quomodo faciendi virtutem mutuabatur? Frustra igitur aduersus filij virtutem nugantur; quæ, cum infinita sit, à creatura capi non potest: datur tamen dono credentibus. Nullus tamen putet quoniam cælos, solem, & lunã, angelorúmque multitudinem produxit, maiora his fidelibus per gratiam concessurum. Non enim ad hæc intentio dicentis extenditur: sed, quæ ad vtilitatem hominum, & sanctificationis humanæ mensuram respiciebant, ea solum obtulit. Propterea, quæ ego facio, dixit, vt ad ea, quæ coram apostolis fecit, oratio solummodo tẽderetur. Vnde simul etiam ostenditur, non fecisse ipsum maiora, quia nihil maius occasio attulit. Sed ordine totum hunc locum consideremus; *Amen,* inquit, *dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad patrem vado:* Quid est hoc, dicet aliquis; quia ipse ad patrẽ vadit? Idcirco ne credentes in eum maiora facient? absona omnino, atque inconcinna ista videntur. Sed latet altior sensus. Sic enim intellige ipsum dicere; Sciatis vos, qui mei ministri fuistis, quia, quousque vobiscum in terris vt homo conuersabar, non aperte omnino vobis deitatis meę potestatem ostendi, sed & dixi humilius, & feci minora per humilitatem humanam, quam assumpsi. Quibus iam dictis, factisque adimpletum est fere incarnationis mysterium. Parum enim abest, & moriar, & à morte resurgam, & tũc similia, maioráque vobis largiar: vado enim ad patrem consessurus, conregnatutúsque cum eo, vt Deus ex Deo: ac ideo potestatẽ, virtutémque naturæ meæ, gratia, quã vobis donabo, magis declarabo: *quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Exacto iã, inquit, tempore humilitatis, in quo humiliter me gessi propter dispẽsationem, apertius vt Deus ea, quæ sunt Dei, faciam, nõ expellens patrem ab hac gloria, sed vt pater glorificetur. Nam, cum Deus natura filius sit, idque multis iam demonstratum sit; non minus etiã hoc modo demonstratur, quia orationes sanctorum suscipit, & largitur eis, quæ petunt: quomodo igitur pater in ipso non glorificatur? Nempe, si Deus natura filius non esset, qui à patre natus est, aliquo ipse pater dedecore afficeretur. Nũc vero iure glorificatur pater, qui substantiæ suæ fructum edidit Deum verum, omnipotentem & cęteris, quando vult, inaudita miracula largientem. Quod si ita est, sicuti certe est, quibus suppliciis digni non sunt, qui dignitatem filij deprimere non perhorrescunt? Nam, si orantes à filio petimus, & quæ petimus, daturum se profitetur: quomodo non erit natura Deus, qui ex Deo natura natus est? Nam, si creatura est, vt ipsi asserunt, quid inter nos, & illos interetit, qui solem aut lunam, aut aliam creaturam vt Deum vocabant? Nam etsi erubescentes cæteris creaturis ipsum præponant, nihilo tamen minus, gloriam patris, id est, filium deprimunt, dum inter creaturas eũ collocãt. Non enim quæritur, vtrum excellens creatura, vel contra sit: sed an omnino creatura sit: quo dato, Deum ipsum secundum naturam esse impossibile penitus est.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang. expositio.

ET *ait discipulis suis, Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite.* Ne mortem sibi tanquam tantum homini timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, etiam Deum se esse contestans. *Creditis,* inquit, *in Deum, & in me credite.* Consequens est enim, vt, si in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Creditis in Deum, & in eum credite, cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo. Semetipsum enim exinaniuit, non tamen formam Dei amittens, sed formam serui accipiens. Mortem meruitis huic formæ serui? Non turbetur cor vestrum? Deus suscitabit illam formam Dei. Sed quid est, quod sequitur, *In domo patris mei mansiones multæ sunt?* Nisi quia & sibi metuebant: vnde audire debuerunt; *Non turbetur cor vestrum.* Quis enim eorum nõ metueret, cum Petro dictum esset, fidentiori, atque promptiori, Nõ cantabit gallus, donec ter me neges? Tãquam ergo essent ab illo perituri, merito turbabãtur. Sed cum audiũt; *In domo patris mei mansiones multæ sunt: Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum:* A perturbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapiẽtior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo patris mei multæ mansiones sunt: nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis, qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus, & qui amplius laborarunt: quo vtique denario vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniã non est viuẽdi diuersa in æternitate mensura: sed multæ mansiones diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum: Stella enim ab stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. Tãquam stellæ sancti, diuersas mansiones diuersæ claritatis tanquam in cęlo sortiuntur in regno. Sed propter vnum denarium nullus separatur à regno: atque ita erit Deus omnia in omnibus: vt quoniam Deus charitas est, per charitatẽ fiat vt quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cũ amat in altero, quod in se non habet. Non erit itaque alia inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas

Ex commen. in Ioan.

Phil. 2.

Matth. 20.

Diuersitas meritorum diuersitatẽ quoque premiorũ habebis in vna vita æterna.

vnitas charitatis. Proinde reſpuendi ſunt à corde Chriſtiano, qui putant ideo dictum multas eſſe manſiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid, vbi beate maneant innocentes, qui ſine baptiſmo ex hac vita emigrauerunt, quia ſine illo in regnum cælorum ingredi non potuerunt. Hæc fides non eſt fides, quoniam non eſt vera, & catholica fides. Non ait Dominus, In vniuerſo mundo, aut in vniuerſa creatura, aut in vita vel beatitudine ſempiterna manſiones multæ ſunt, ſed, *In domo*
2.Cor.5. inquit, *patris mei manſiones multæ ſunt.* Nónne iſta eſt domus, vbi ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis? Nónne iſta eſt domus de qua cantamus, Beati qui habitant
Psal.83. in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te? Ergóne vos non domum cuiuſque baptizati fratris, ſed domum ipſius Dei patris, cui omnes fratres dicimus; Pater noſter, qui es in cælis, à
Matth.6. regno ſeparare cælorum, aut eam ſic diuidere audebitis, vt aliquæ manſiones eius ſint in regno cælorum, aliquæ autem extra regnum cælorum? Abſit, abſit, vt qui volunt in regno habitare cælorum, in hac ſtultitia velint habitare vobiſcũ. Abſit inquam, vt, cum omnis domus regnantium filiorum non ſit alibi, niſi in regno ipſius regię domus, pars aliqua nõ ſit in regno. *Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, &c.* Quomodo vadit, & parat locum, ſi iam multæ manſiones ſunt? Si quo minus, dixiſſet, vado parare: aut ſi adhuc parandus eſt, cur non merito dixiſſet; vado parare? An iſtæ manſiones & ſunt, & parandæ ſunt? Si quo minus enim eſſent, dixiſſet, vado parare, & tamen quia iſtæ ſunt vt parandæ ſint, non eas vadit parare ſicut ſunt: ſed ſi abierit, & præparauerit ſicut futuræ ſunt, iterũ veniẽs accipiet ſuos ad ſemetipſum: vt vbi ipſe eſt, ſint etiam ipſi. Quomodo ergo manſiones in domo patris non aliæ, ſed ipſę, & ſine dubio iam ſunt ſicut parandæ non ſunt, & nõdum ſunt ſicut parandæ ſunt? Quomodo putamus, niſi quomodo etiã propheta prædicat Deũ, quia fecit quæ futura ſunt? non enim ait, qui facturus eſt quæ futura ſunt, ſed qui fecit quę futu-
Esai.45. ra ſunt. ergo & fecit ea, & facturus eſt ea. Nam neque facta ſunt, ſi ipſe nõ fecit, neque futura ſunt, ſi ipſe nõ fecerit. Fecit ergo ea prędeſtinãdo, facturus eſt operando: ſicut diſcipulos quãdo elegerit, ſatis indicat euangelium, tunc vtique quãdo eos
Matth.4. vocauit: & tamen ait apoſtolus, Elegit nos ante
Ephe.1. conſtitutionem mundi, prędeſtinando vtique, nõ vocando. Sic & manſiones præparauit, & præparat: nec alias: ſed quas præparauit, has præparat, qui fecit, quę futura ſunt. Has pręparauit prędeſtinãdo, præparat operãdo. Iam ergo ſunt in prædeſtinatione. Si quo minus, dixiſſet, ibo, & parabo, id eſt, prædeſtinabo. Sed quia nõdum ſunt in operatione: *Et ſi abiero, inquit, & præparauero vobis locum iterum venio, & accipiam vos ad meipſum.* Parat autem manſiones, manſionibus parando manſores. Quippe cum dixerit; *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, quid putabimus eſſe domum Dei, niſi templum Dei? Quid autem ſit, interrogetur Apoſtolus, & reſpondeat, Templum Dei ſanctum
1.Cor.3. eſt, quod eſtis vos. Hoc eſt etiam regnũ Dei, quod filius traditurus eſt patri. Vnde dicit idem apoſtolus, Initium Chriſtus, deinde qui ſunt Chriſti in
1.Cor.15. præſentia eius, deinde finis, cum tradiderit regnũ Deo, & patri, id eſt, quos redemit ſanguine ſuo, tradiderit contemplando etiam patri ſuo, *Ad hæc dicit ei Thomas, Domine, neſcimus quo vadis, &c.* Vtrũque illos Dominus dixerat ſcire, vtrumque dixit iſte neſcire, & locum, quo itur, & viam, qua itur? Sed neſcit ille mentiri: ergo iſti ſciebant, & ſe ſcire neſciebant. Cõuincat eos iam ſcire quod ſe putant adhuc vſque neſcire. *Dicit ei Ieſus, Ego ſum via, & veritas & vita.* Nunquid nũ poterant ei dicere Apoſtoli eius, cum quibus loquebatur, Neſcimus te? Proinde ſi eum ſciebãt, & via ipſe eſt, viam ſciebant. Si eum ſciebant, & veritas ipſe eſt, veritatem ſciebant. Si eum ſciebãt, & vita ipſe eſt, vitam ſciebãt. Ecce ſcire conuicti ſunt, quod ſe ſcire neſciebant. Quid igitur & nos in iſto ſermone concipimus? quid putatis, fratres mei? niſi quia dixit; *Et quo vado, ſcitis, & viam ſcitis.* Et ecce cognouimus quod ſciebant viam, quia ſciebãt ipſum, qui eſt via. Sed via eſt, qua itur: nunquid via eſt, & quo itur? Vtrumque autem illos dixerat ſcire, & quo vadit, & viam. Opus ergo erat vt diceret, Ego ſum via: vt oſtenderet, eos, quia ſcirent eum, viam ſcire, quam putauerant ſe neſcire. Quid autem opus erat vt diceret; Ego ſum, & veritas, & via: cum via cognita qua iret, teſtaret noſſe quo iret? niſi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo ad ſeipſum per ſeipſum: & nos quo imus niſi ad ipſum? & qua imus, niſi per ipſum? Ipſe igitur ad ſeipſum per ſeipſum: nos ad ipſum per ipſum: immo vero ad patrem & ipſe & nos. Nam & de ſeipſo alibi dicit; Ad patrem vado: & hoc loco propter nos; *Nemo*, inquit, *venit ad patrem, niſi per me.* Ac per hoc & ipſe per ſeipſum, & ad ſeipſum, & ad patrem: & nos per ipſum, & ad ipſum, & ad patrem. Dic mihi, Domine Deus meus, dic mihi obſecro, quomodo vadis ad te? Nunquidnam vt venires ad nos, reliqueras te, maxime quia non à teipſo veniſti, ſed pater te miſit? Scio quidem quòd te exinaniſti, ſed quia formam ſerui accepiſti, non quia formam Dei, vel ad quam redires, dimiſiſti, vel quam reciperes amiſiſti: & tamen veniſti, & non ſolum vſque ad carnales oculos, verumetiam vſque ad manus hominum perueniſti: quomodo, niſi in carne? Per hanc veniſti, manens vbi eras, per hanc rediſti, non relinquens, quò veneras. Si ergo per hanc veniſti, & rediſti: per hanc proculdubio, non ſolum nobis qua veniremus ad te, verumetiam tibi quà venires, & redires, via fuiſti. Cum vero ad vitam, quod es ipſe, iſti, eandem profecto carnem tuam ad vitam de morte duxiſti. Aliud quippe verbum Dei eſt, aliud homo: ſed verbum caro factum eſt, id eſt, homo. Nõ itáque alia verbi, alia eſt hominis perſona: quoniam vtrunque eſt Chriſtus, vna eſt perſona. Ac per hoc quemadmodum caro cum mortua eſt, Chriſtus eſt mortuus, & cum caro ſepulta eſt, Chriſtus ſepultus eſt (ſic enim corde credimus ad iuſtitiam, ſic ore confeſſionem facimus ad ſalutem) ita cum caro à morte venit ad vitam, Chriſtus venit ad vitam: & quia verbũ Dei Chriſtus eſt, Chriſtus eſt vita. Ita miro quodam & ineffabili modo, qui nunquam dimiſit vel amiſit ſeipſum, venit ad ſeipſum. Venerat autem, vt dictum eſt, per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces. Deus enim verax, omnis autem homo mendax. Cum itaque ab hominibus abſtulit, atque illuc, vbi nemo mentitur, carnem ſuam leua- Roma.3.
uit: idem ipſe quia verbum caro factum eſt, per ſeipſum velut per carnem, ad veritatem, quod eſt ipſe, remeauit: quam quidem veritatem, quamuis

inter mendaces & in morte seruauit. Aliquando enim Christus fuit mortuus, sed nunquam fuit falsus. Accipite quamuis diuersum & longe impar exemplum, tamen vtcunq; ad intelligendum Deum ex iis, quæ propius subiecta sunt Deo. Ecce ego ipse, quantum attinet ad animum meum, cum hoc sim, quod estis & vos, si taceo, apud meipsum sum; si autem loquor vobis, quod intelligatis, quodammodo ad vos procedo, nec relinquo, sed & ad vos accedo, & non recedo, vnde procedo. Cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, & quodammodo vobiscum maneo, si tenueritis, quod audistis in sermone, quem dico. Si hoc potest imago, quam fecit Deus, quid potest non à Deo facta, sed ex Deo nata imago Dei Deus? Cuius illud quo ad nos egressus est, & in quo à nobis regressus est, corpus, non sicut meus elapsus est sonus, sed manet, vbi iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Quod itaque ait; *Vt vbi ego sum, & vos sitis*: vbi erant futuri, nisi in ipso? ac per hoc est etiam ipse in seipso: & ideo ibi illi, vbi & ipse, hoc est, in ipso. Ipsa est igitur vita æterna, in qua futuri sumus, cum acceperit nos ad se: & ipsa vita æterna, quod ipse est, in ipso est. Vbi est ipse, & nos simus, hoc est in ipso: sicut pater habet vitam in semetipso. Et vtique non aliud est vita, quam habet, nisi quod est ipse, qui hanc habet, si dedit filio habere vitam in semetipso, cum ipse sit eadem vita, quam habet in semetipso; nunquid autem nos vita, quod est ipse, hoc erimus, cùm in illa vita, hoc est, in ipso esse cœperimus? Non vtique, quia ipse existēdo vita, habet vitam, & ipse est quod habet: & quod vita est in ipso, ipse est in seipso, nos autem non ipsa vita, sed ipsius vitæ participes sumus, atque ita ibi erimus, vt in nobis ipsis nō quod ipse est, esse possimus, sed nos ipsi non vita, ipsum habeamus vitam, qui seipsum habet vitam, eò quod ipse est vita. Denique ipse & in seipso est immutabiliter, & in patre inseparabiliter: nos vero cum in nobis ipsis esse voluis-
Psal. 41. semus, ad nos ipsos turbati sumus: vnde illa vox est; Ad meipsum turbata est anima mea, atque in deterius commutati: neque id, quod fuimus, manere potuimus. Cum autem per ipsum venimus ad patrem, sicut ait; *Nemo venit ad patrem, nisi per me*: manentes in illo nec à patre nos quisquam poterit separare, nec ab illo. *Si cognouissetis me*, inquit, *& patrem meum vtique cognouissetis*, hoc est quod ait; *Nemo venit ad patrem, nisi per me*. Deinde subiungit; *Et amodo cognoscitis eum, & vidistis eum.* Sed Philippus vnus ex Apostolis quid audierit non intelligens; *Domine*, inquit, *ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Cui dominus; *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & nō cognouistis me, &c.* Quomodo Io. nunc dicit; *Tanto tempore vobiscum sum, &c.* Cum profecto & quo irent, & viam scirent, non ob aliud, nisi quod ipsum vtique scirent? Sed facile ista soluitur quæstio, si dicamus, quòd eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant, atque in iis, qui nesciebant, Philippus erat: & quod ait; *Et quò ego vado, scitis, & viam scitis*: illis dixisse intelligatur, qui sciebant: non Philippo, cui dictum est; *Tanto tempore vobiscum sum, &c.* Iis ergo, qui filium iam nouerāt, etiam illud de patre iam dictum est, *Et amodo cognoscitis eum, & vidistis eum.* Dictum est enim propter omnimodam similitudinem, quæ illi cum patre est: vt ideo amodo dicerentur nosse patrem, qui nouerant similem filium. Ergo iam sciebant filium, etsi non omnes, certe quidam eorum, quibus dicitur, *Et quo vado, scitis, & viam scitis*: Ipse est enim via. Sed patrem nesciebant: ideo audiunt; *Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis*, per me vtique & illum. Alius enim ego sum, alius ille. Sed ne putarent dissimilem; *Et amodo*, inquit, *cognoscitis eum.* Viderunt enim eius simillimum filium. Sed admonendi fuerant talem esse etiam patrem, quem nondum videbant, qualis est filius, quem videbant. & ad hoc valet quòd postea Philippo dicitur, *Qui videt me, videt & patrem*, non quod ipse sit & pater, & filius: quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patrispassiani, catholica fides damnat: sed quod tam similes sint pater, & filius, vt qui vnum norit, ambos nouerit. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis, qui vnum illorum vident, & qualis sit alius, volunt nosse, vt dicamus; Vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est; *Qui videt me, videt & patrem*: non quia ipse est pater, qui filius, sed quòd à patris similitudine in nullo prorsus discrepet filius. Nam, nisi duo essent pater, & filius, non dictum esset; *Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis.* Vtique enim, quia nemo, inquit, venit ad patrem, nisi per me: si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis: quoniam ego, per quem venitur ad patrem perducam vos ad eum, vt ipsum etiam cognoscatis. Sed, quoniam illi sum omnino simillimus, amodo cognoscitis eum, cum cognoscitis me: & vidistis eum, si oculis cordis vidistis me. Quid ergo est quod dicis, Philippe; *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis? Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, &c.* Quod si à te multum est hoc videre, saltem, quod non vides, crede. *Quomodo enim dicis*, inquit, *ostende nobis patrem?* Si me vidisti, qui illi omnimodo similis sum, vidisti illum, cui similis sum. Quod si videre non potes, non saltem credis quia ego in patre, & pater in me est? Poterat hic dicere Philippus; Video quidem te, & credo te esse simillimum patri: sed nunquid arguendus, & obiurgandus est, cui cum similem videt, etiam illum, cuius est similis, vult videre? Similem quidem noui, sed adhuc alterum sine altero noui. Non mihi sufficit, nisi & illum, cui iste est similis, nouerim. Ostende itaque nobis patrem, & sufficit nobis. Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat, tanquam enim melior pater esset quàm filius, ita Philippus patrem nosse cupiebat, & ideo nec filium sciebat, quo melius aliquid esse credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est; *Qui videt me, videt & patrem: quomodo tu dicis Ostende nobis patrem?* Video quomodo tu dicas: non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem. *Non credis quia ego in patre, & pater in me est?* Cur in similibus distantiam cupis cernere? Cur inseparabiles separatim desideras nosse? *Verba, quæ ego loquor vobis, &c.* Ergo & verba opera sunt? Plane ita est. Nam profecto qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Sed quid est; *A meipso non loquor*, nisi; A meipso non sum, qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo ipse est qui facit. *Amen amē dico vobis, qui credit in me, opera, &c.* Quid est hoc? Quid faceret opera quæ Christus fecit, non inueniebamus: qui etiam maiora faciet, inuenturi sumus? Sed diximus sermone pristino, quia maius fuit vmbræ suæ transitu (quod discipuli fecerunt) quam fimbriæ suæ tactu (quod *Matth. 9.*
ipse

ipse dominus fecit, sanare languentes: & quia plures apostolis, quam ipso per os proprium prædicante domino, crediderunt: vt hæc videretur opera intelligenda esse maiora, non quod maior esset magistro discipulus, vel domino seruus, vel adoptatus vnigenito, vel homo Deo, sed quod per illos ipse dignatur ea facere maiora facere, qui dicit alio loco: Sine me nihil potestis facere. Ipse enim, vt alia non iam, quæ sunt innumerabilia, sine ipsis fecit, sine ipsis fecit hunc mūdum: & quia hominem etiam ipse fieri dignatus est, sine ipsis fecit & seipsum. Quid autem illi sine ipso, nisi peccatum? Denique & hic quòd de hac re poterat commouere, mox absoluit. Cum enim dixisset; Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: continuò secutus adiunxit; Quia ego ad patrem vado: Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, qui dixerat, faciet, postea, faciam, dicit. Porro autem maiora per eum facere, quæ præter eum, non est defectio, sed dignatio. Quid enim retribuant serui domino pro omnibus, quæ retribuit eis? quandoquidem inter cætera bona etiam hoc eis donare dignatus est, vt maiora faceret per illos, quam præter illos. Nonne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit, quando vitæ æternæ consilium, quod quæsiuit, auditum abiecit? & tamen posteaquam ab illo auditum non fecit vnus, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos magister bonus. Ecce maiora fecit prædicatus a credentibus, quam locutus audientibus. Verum hoc adhuc mouet, quòd hæc maiora per Apostolos fecit: non autem ipsos tantum significans ait; Opera quæ ego facio, & vos facietis & maiora horum facietis: sed omnes ad suam familiam pertinentes intelligi volens; Qui credit in me, inquit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Si ergo qui credit faciet, non credit utique, qui non faciet: sicuti est; Qui diligit me mandata mea custodit: vnde profectò qui non custodit, non diligit. Item alio loco; Qui audit, inquit, verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram. Qui ergo non est similis huic viro prudenti, procul dubio aut verba mea hæc audit, & non facit, aut omnino non audit. Qui credit in me, inquit, licet moriatur, viuet. Qui ergo non credit, non vtique viuet. Tale etiam hoc est; Qui credit in me, faciet. Non itaque credit, qui non faciet. Quid est hoc, fratres? Nunquid inter credentes in Christum non est computandus, qui non fecerit opera maiora quàm Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest: non toleratur, nisi intelligatur. Apostolum igitur audiamus; Credenti, inquit, in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. In hoc opere faciemus opera Christi: quia & ipsum credere in Christum, opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non vtique sine nobis. Audi iam ergo, & intellige. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Prius ego faciam, deinde & ipse faciet: quia facio vt faciat. Quæ opera, nisi vt ex impio iustus fiat? Et maiora horum faciet. Quorum obsecro? nūquidnam omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore, & tremore suam ipsius salutem operatur, quod vtique in illo, sed non sine illo Christus operatur? Prorsus maius hoc esse dixerim, quam est cælum, & terra, & quæcunque cernuntur in cælo, & in terra. Et cælum enim, & terra transibit, prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in his autem est etiam imago Dei. Sed in cælis sedes, dominationes, principatus, potestates, archangeli, angeli, opera sunt Christi: nunquid & his operibus maiora facit, qui operante in se Christo, cooperatur æternam salutem, ac iustificationem suam? Non hic audeo præcipitare sententiam. Intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quam impios iustificare. Certè enim, si æqualis est, vtrunque potentię, hoc maior est misericordię. hoc est enim pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. Sed omnia opera Christi intelligere vbi ait, Maiora horum faciet, nulla nos necessitas cogit. Horum enim fortitan dixit, quæ ille faciebat tunc autem verba fidei faciebat, & de his operibus fuerat prælocutus, dicens, Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: pater autem in me manens, ipse facit opera. Tunc igitur verba eius erant opera eius. Et vtique minus est verba iustitiæ prædicare, quod fecit præter nos: quam impios iustificare, quod ita fecit in nobis, vt faciamus & nos. Quia ego ad patrem vado, &c. Sic ergo petrexit ad patrem, vt non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, quodcunque petieritis, cum videamus plerunque fideles eius petere, & nō accipere? An forte propterea, quia male petunt? nam hoc taxauit Apostolus Iacobus dicens, Petitis, & non accipitis, eo quòd male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis. Male ergo vsurus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante, non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, vnde homo læditur exauditus, magis metuēdum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. An non videmus Israelitas malo suo impetrasse? Concupierant enim carnibus vesci quibus pluebatur māna de cælo. Euigila igitur, homo fidelis, & vigilanter audi, quod illic positum est, In nomine meo. Ipsum enim quodcunque non ait, petieritis vtcunque, sed, In nomine meo. Qui promisit ergo iam magnum beneficium, quis vocatur? Vtique Christus Iesus; Christus significat regem, Iesus significat saluatorem. Nō itaque saluos nos faciet quicunque rex, sed rex saluator. Ac per hos quodcunque petimus aduersus vtilitatem salutis, nō petimus in nomine saluatoris: & tamen ipse saluator est non solum, quando facit, quod petimus, verumetiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo, potius se exhibet saluatorem. Nouit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus: & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, vt faciat sanitatem. Quapropter quando volumus, vt faciat, quodcunque petimus, non vtcunque, sed in nomine eius petamus, quod si fecerit, vt saluator facit: quod est nomen eius fidelibus eius. Est quippe impius & damnator, qui dignatur fidelibus esse saluator. Qui ergo credit in eū, quodcunque petierit in nomine, quòd est illis, qui credunt in eum, hoc facit, quoniam hoc sicut saluator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid pet ignorantiam contra salutem suam petit, non in nomine saluatoris petit, quia saluator et non erit, si quod eius salutem impedit, fecerit. Vnde tunc expedit potius vt non faciēdo propter quod

inuocatur, faciat quod vocatur. Propterea nõ solum saluator, sed etiam magister bonus, vt faciat quodcunque petierimos, in ipsa oratione, quam nobis dedit, docuit quod petamus: vt etiam sic intelligamus non petere nos in nomine magistri, quod petimus præter regulam ipsius magisterij. Sane quædam quamuis in nomine eius petamus, id est secundum magistrum petamus, non tunc
Matth.6. quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim qui & illud petimus, vt veniat regnum Dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in æternitate regnamus. Differtur enim, quod petimus, non negatur. Verumtamen
Galat.6. orantes tanquam seminantes non deficiamus: tempore enim proprio metemus. Non autem negligenter audiendum est, quod dominus, ne quisquam eum putaret quod se promisit facere petentibus, sine patre esse facturum, cum dixisset, *Quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam*: continuo subiecit, *Vt glorificetur pater in filio.* Nullo modo igitur sine patre facit: quandoquidem vt in illo pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo pater in filio, vt filius glorificetur in patre. Et facit filius in patre, vt pater glorificetur in filio: quoniam vnum sunt pater & filius.

INCERTI AVTHORIS,
sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioris Euang. Homilia.

NOn turbetur cor vestrum, &c. Ego (inquit) vado, & quò ego vado, vos nõ potestis venire modò, venietis autem postea. Sed non turbetur cor vestrum propter hoc, neque formidet. Nam & si
Matth.28. vado, vos tamen nõ relinquo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Creditis in Deum, & in me credite.* Non enim sufficit vobis credere in patrem, nisi & in filium credatis. Ego enim & pater vnum sumus. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Ex quibus eas quæ nobiliores sunt vobis præparare & dare dispono.
Luc.22. Vos enim estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Si quo minus dixissem vobis, quia vado præparare vobis locum, non tamen turbari, sed lętari debetis. Si (inquit) minus in aliquo & non tam sufficienter dixissem vobis, quia vado præparare vobis locum, valde tamen desiderare debuistis, vt quanto ocius illuc irem, & in illius tantæ beatitudinis gloriam vos introducerem. Nunc autem cùm toties vobis id dixerim atque promiserim, quid trepidatis? Certi igitur estote, & nolite dubitare, quia si ego abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me-
Ioan.14. ipsum. Quare vt vbi ego sum, & vos sitis. Vnde & superius dixit, quia vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Accipit enim Dominus sanctorum animas quotidie ad seipsum, Angelorum ministerio & ineffabili potentia sua. Hoc tamen tunc plenius & abundantius faciet, quando ad iudi-
Matth.25. cium veniens, corporibus animabus coniunctis, suis fidelibus loquitur dicens, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Necesse autem fuit vt ipse prius iter & cœli ianuas aperiret, suóque introitu singulis quibusque conuenientia loca pararet. Multæ enim sunt ibi mansiones, quia (vt
1.Cor.15. Apostolus ait, stella differt à stella in claritate. Sequitur; *Et quò ego vado scitis, & viam scitis.* Quò enim ibat nisi ad patrem? Sciebant autem Apostoli & patrem & ipsum, non specie tamen, sed fide, credendo enim sciebant, non videndo. Quia igitur & patrem sciebant, & ipsum, sciebant vtique & quò ibat, quia patrem sciebant, & viam ipsam sciebant, quia ipsum sciebant. Sed quia hæc verba nondum intelligebant, id ipsum quod sciebant, se scire nesciebant. Vnde & Thomas respondens ait, *Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Quidam enim ex ipsis putabant quia de morte diceret, sicut Petrus, qui modò superius ait, Domine quò vadis? Cui dominus, Quò ego vado nõ potes me modò sequi, sequêris autem postea. At ille, Quare (inquit) non possum te
Luc.13. modò sequi? animam meam pro te pono. Vides igitur quia de morte intelligebat, qui se simul cũ ipso suam animam ponere dicebat. Hinc est itaque quod ait Thomas, Nescimus quò vadis: quia adhuc ignorabat de quo itinere loqueretur, an mortis an cœli. Et dominus continuo sua respõsione eis exposuit qualiter hæc verba intelligere debuissent. Ait enim, *Ego sum via veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me.* Si me (inquit) scitis, & viam scitis: quia ego sum via, & si me scitis, patrem quoque scitis: quia ego & pater vnum sumus. Si verò patrẽ scitis: & quò ego vado scitis: quia ego ad patrem vado. Ego (inquit) sum via. Sed quare via? Quia nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum veritas. Vnde hoc? Quia nemo cognoscit patrem, nisi per me. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Nihil enim nisi veritate cognoscitur. Ego sum vita, quia nemo viuit nisi per me. Si cognouissens me, & patrẽ meum vtique cognouissetis, & amodò cognoscetis eum & vidistis eum. Vultis (inquit) venire ad patrem? vultis eum cognoscere? Priùs me cognoscite quem videtis, & sic postea cognoscetis eum quem nondum videtis. Iam enim vidistis eum, sed in me, vidistis quidem, sed mente & fide. Ipse enim loquitur in me: (quia ego à meipso non loquor) quem dùm auditis videtis. Qui enim mente audit, videt vtique quod audit: quia idem sunt & visus & auditus in mente, & nõ solùm isti, sed gustus quoque, odoratus, & tactus. Vnde est illud, Gustate & videte, id est,
Psal.33. gustando videte. Sic igitur eum vidistis, dum eũ loquentem audistis. Et amodò cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. *Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Iste enim non mente solummodò & fide, sed carnis etiam oculis eum videre desiderabat: sicut & Moyses, qui ait, Si inueni gratiam in cõspectu
Exod.33. tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te. Cui Dominus, Non me (inquit) videbit homo, & viuet. *Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, &c.* Ille de exteriori visu loquebatur: Christus autem ad interiorem, id est, ad intelligentiam & mentis oculos eos prouocabat. Tãto tempore vobiscum sum, tanto tempore inter vos conuersatus sum, vobísque in doctrina, in signis & miraculis diuinitatẽ & potentiam meam reuelaui, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, non (sicut in- intelli

intelligis) oculis carnis, sed (sicut ego dico) oculis mentis, videt & patrem. *Non credis quia ego in patre & pater in me est?* Si enim hoc credis, & me & patrem vides: si hoc non credis, neque me, neque patrem vides. *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor.* A quo igitur? A patre? Vbi est? Pater in me manens, ipse facit opera, ipse loquitur in me: loquendo enim operatur Deus. Ipse enim dixit, & facta sunt. Verbis enim & non herbis sanabat infirmos Iesus. Sed notandum valde, quum ipse & pater vnum sint, vbique tamen patrem glorificat. Si enim dixisset, Ego à me secundum humanitatem, non loquor, sed diuinitas in me manens ipsa facit opera, benè quidem dixisset. Hoc tamen non dicit, vt omnem ad patrem gloriam referat. Non creditis ergo quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Si verbis (inquit) nõ creditis, operibus credite. Opera enim quæ ego facio, ipsa manifestè ostendunt quia ego sum in patre, & pater in me est. Sed audite adhuc maius argumentum, & cui nemo cõtradicere possit. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quę ego facio, &c.* In hoc (inquit) apparet quòd Dei filius ego sum, quia non solùm ego hęc omnibus admiranda opera facio, verum etiam illi qui in me credunt similia & maiora opera facient: & hoc meritò; quia ego ad patrem vado, id est, quia Dei filius sum, & ille mihi pater ad quem vado. Et multum quidem conuenit, vt illi talia operentur qui credunt in filium Dei. Quod autem ait, Et maiora horum faciet, tale est ac si diceret, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & horum, id est, de his non qualiacunque, sed ea quę maiora & mirabiliora sunt faciet. Sequitur: *Et quodcunque petieritis, &c.* Multum enim glorificatur pater in filio, dùm talia fiunt in nomine filij.

Psal. 48.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangel. expositio.

NON *turbetur cor vestrum, Creditis in Deum, & in me credite:* Quoniam verisimile erat, illos turbatos esse: quum audiuerunt de Petro præcipuè, quòd negaturus esset, ideo consolatur eos, & sedat cordium turbelas. Nam, quum princeps, & qui tam illustris, priusquam gallus caneret, ter negaturus erat, verisimile fuit magnum eos expectasse conflictum. Deinde quasi dicerent Discipuli: & quomodo non turbabimur, quum in tantas inciderimus difficultates? inquit, *Credite in Deum & in me*, Et omnes vestri labores soluentur, & turbatio sedabitur propter fidem in Deum, & in me. Eaque propter dixit eis; *Ne turbetur cor vestrum*, vt Deum ipsum esse credant, quandoquidem introspiciebat corda ipsorum, & occultam perturbationem. *In domo patris mei mansiones multæ sunt, &c.* Dixerat quidem ad Petrum dominus; Sequeris me postea: vt autem ne putent multi quod soli Petro hoc datum sit, & non etiam aliis, inquit; Et vos suscipiet regio illa, quæ Petrum exceptura est, atque ita non oportet turbari pro loco. *Multæ enim mansiones sunt in domo patris mei:* hoc est, sub potestate patris mei. Per domum autem, potestatem, & principatum intellige. Si autem defuissent domus, ego iuissem, & parassem vobis. Et ita vtrinque non oportet vos turbari, siue sint paratæ, siue non sint. Nam & si paratæ essent, ego omni studio præparassem vobis. Si autem non, & propter hoc, vt præparem vobis locũ, iuissem, & neque sic reliquissem vos, sed suscepissem: *vt vbi sum ego, & vos sitis.* Vides consolationis, & animationis verba? *Vbi sum ego, vos illic eritis.* Non habet igitur rationem, quod vos turbamini, siquidem mecum eritis. *Et quo ego vado, scitis, & viam scitis, &c.* Quia sciebat cogitationem eorum quærentem discere, quo vadat, dat eis occasionem rogandi, & dicit; *Quo vado, scitis, & viam scitis.* incitans eos ad interrogationem: ideo & Thomas; *Domine, nescimus*, inquit, *quo vadis: & quomodo possumus viam scire?* Hoc autem dicit Thomas præ nimia formidine, non sicut Petrus desiderãs sequi. Igitur Christus ostendens, quod facile, & non molestum sit se sequi, declarat & quo vadat, & quæ sit via. Nam vadit quidem ad patrem. Via autem ipse est Christus. Quia igitur monet, ego sum via: per me omnino ad patrem & vos ascendetis. Non solum autem via, sed & veritas, atque ita merito vos confidite, quod non decipiamini à me. Sed & vita sum: vnde & si moriamini, non prohibebit vos mors, quo minus ad patrem veniatis: bene igitur fidite. Per me enim veniunt omnes ad patrem. Et, quia ego dominus sum, adducendi ad patrem omnino venietis illuc. Neque enim per aliam viam quam per me illuc eundum est. Tu autem & hoc loco æqualem discito filium ei, qui generauit. Nam alio quidem loco patrem dicit adducere ad se. Nullus enim, inquit, potest venire ad me, nisi pater traxerit eum. Hoc autem loco dicit per se adduci ad patrem. Igitur æqualis est patris, ac filij potestas: nam & vna operatio. Nam, quum practicen arripis, fit tibi Christus via: quum vero cõtemplationi vacas, fit tibi veritas. Quia autem nonnulli practicen ita colunt, & in contemplatiua ita occupati sunt, vt vitam non assequantur vel quod propter vanam gloriam virtutem amplexentur, & hic recipiunt mercedem: vel quod in dogmatibus non recte sentiunt, & ita à recta via exciderunt: additum est viæ, & veritati, hoc est, practicæ contemplatiuæque, & vita. Nam & in virtutibus omnino, & de diuinis recta differẽdo, ad viuentem in seculum, & non ad mortuam hominũ laudem spectare debemus. *Si cognouissetis me, &c.* Quomodo superius dixit; *Quo vado, scitis, & viam scitis*, hoc est, me: hoc autem loco dicit, *Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis vtique?* Non sunt hæc contraria. Nam sciuerunt quidem patrem, sed non vt oportebat. Nam vt Deum quidem sciuerunt: vt patrem autem nondum: at, vbi postea venit spiritus, omnis eis data est scientia. Quod igitur dicit, hunc sensum habet: Si cognouissetis meam substantiam, & dignitatem, & patris quoque cognouissetis. Ex hoc autem tempore cœpistis cognoscere eum per me vt medium, & vidistis eum, hoc est, mente vestra, quantum possibile est, spectastis. Quia enim me dominum habetis, & magistrum, per me plane, & patris scientiam, vt apprehendi potuit à vobis, modice accepistis: nam perfectiorem nondum accepistis. Et aliter: *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* Nam arguit, quòd ipsum ignorent. Sed quod dicitur, hunc sensum habet. Dixi vobis, quod quo ego vado, scitis, hoc est, ad patrem: &

Ioan. 6.

viam

viam scitis, hoc est, me. Dixit ei Thomas; Nescimus quo vadis, & neque viam scimus. Dicebat Thomæ, Ego sum via: & nullus venit ad patrem, nisi per me. Si igitur me cognouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis. Cæterum me scitis, ergo & patrem scitis. Ex hoc enim ipsi cognoscitis eum, & vidistis eum, me viso. *Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem, &c.* Videbatur Philippo, quòd Christum quidem bene cognosceret, patrem autem ignoraret, idcirco & dicit; *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Nam, licet millies dicas nobis; *Si me cognouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis,* non possumus ita discere patrem. Ostende igitur nobis illum corporalibus oculis. Audiens enim Philippus, quòd & prophetæ corporalibus oculis vidissent Deum, desiderabat & ipse illũ videre corporaliter, ignorans quod illa contigerint prophetis per condescensionem. Igitur Christus docens Philippum, quòd non sit possibile Deum videri corporalibus oculis dicit, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me Philippe?* Vide, quia non dixit, non vidisti me, sed non cognouisti me, abducens Philippum ab humili sensu, quo desiderabat patrem videre corporaliter. Scientia enim de Deo, dicere vult, dicitur non corporalis aspectus. Deinde subdit; *Qui vidit me, vidit patrem.* Quod autem dicit, ita se habet. Tu quidem, ô Philippe, quæris videre patrem visu corporali, & putas, quòd me iam videris. Ego autem dico tibi, quod me vidisti non vt videre oportet. Corporaliter quidem vidisti me, quia & corpus fero, diuinam autem substantiam non vidisti, atque ita neque patrem vidisti corporaliter, & ita neque ego possum patrem corporalibus oculis videre. Etenim, qui vidit me, & patrem vidit: hoc est, qui me cognouit, cognoscit patrem. Nam, quum vna sit substãtia, sciẽtia quoque vna est. Confundatur Arius audiens, quod, qui vidit filium, hoc est, deitatem filij, cognouit patrem, hoc est, deitatem patris cognouit. Confundatur & Sabellius, qui dicit, quòd vna sit hypostasis, & vna persona patris, ac filij. Ecce enim diremit hypostases dominus, & aliam personam ostendit patris, & aliam filij, dicens enim; *Qui vidit me*, ostendit suam personam: & postea dicens, *vidit patrem*, ecce & aliam personam. Quòd si vna persona esset, nihil tale dixisset: sed Philippo dicente; *Ostende nobis patrem*, respondisset, Non habeo patrem, sed ego sum pater, & filius. Omnino autem extremæ insipientiæ fuerit audire quidem filium dicentem, Ad patrem meum vado: &, Ego in patre, & quæcunque similia sunt: non intelligere autem, quòd alia persona sit filij, & alia patris, sed confundere illas. Propterea discipulum Dominus increpat, quòd tanto tempore sequatur se, videritque signa, ac deitatis opera, nondum autem agnouerit eum vt Deũ, quo per ipsum & patrem cognosceret. Nunc autem dicit, Quia corporaliter quæris videre patrem, manifestum quòd nõ credis neque me, neque illum esse Deũ. *Non cognoscis, quod ego in patre, &c.* In patre est filius, secundum quod in substantia illius apparet: & rursus pater in filio, sicut rex in imagine sua apparet, & imago in rege. Vnus enim character imaginis, & regis. Quod autem vna substantia mea est, & patris, manifestum. *Verba enim, quæ ego loquor, à meipso non loquor.* Nõ enim habeo quiddam proprium, quod meum, & separatum à patre, sed omnia communia. Vna substantia est, subsistentijs separata. Non sola autem verba, quæ loquor, patris sunt, sed & opera. Quia enim diuina sunt opera, Deus autem pater, & ego, vnius ergo substantiæ sunt opera, atque ita, etiamsi ego faciam, pater facit: &, si pater, ego facio. Credite, quòd ego in patre, & pater in me, hoc est, oportet quidem quum auditis patrem, & filium, nihil aliud inquirere pro constituenda substantiali cognatione. Sin vero non sufficit hoc vobis ad ostẽdendam parem substantiam, & honorem, quòd pater in mea substantia apparet, & ego in patris: vel propter opera credite mihi. Opera enim Dei sunt. *Amen amen dico vobis, Qui credit in me, &c.* Ostendens Christus, quòd non hæc sola possit opera, sed & alia, & his multo plura, excellenter ea ponit. Non enim dixit, quòd & maiora his facere possum: sed, *qui credit, & cætera.* Vides quanta sit virtus vnigeniti, vt etiã alijs dare possit, quòd faciant maiora, quam ipse fecerit. Dicendo enim, *Ego ad patrem meum vado*, hoc significat: posthac vos operabimini miracula, ego autem nunc transeo. Interpretans autem nobis quomodo, qui credit in illum, poterit facere magna, & mirabilia, inquit; *Quæcunque petieritis in nomine meo.* Nã hoc loco nobis operationis miraculorũ compendium ostendit. Per petitionem enim, & orationem, & inuocationẽ nominis eius mira operari quis poterit, ita & Apostoli, In nomine Iesu Christi surge, & ambula. Idcirco non dixit; Quæcunque petieritis, obsecrabo patrem, & faciet: sed, ego faciam: suam potestatem declarans. *Vt glorificetur pater in filio.* Quum enim apparet filiũ magna posse, glorificatur & qui tantum filium genuit. Vide enim consequentem gloriam patris. In nomine, Iesu Christi facta sunt signa, à signis credebant Apostolis, ad Dei notitiam peruenientes agnoscebant patrem, & ita glorificabatur in filio. Dicant Ariani, num ea, quæ per Apostolos ipse, & ea, quæ per se non ipse, sed à patre operationem recipiẽs, faciebat, alijs dederit faciendi potestatem, & ipse eandem non habuerit? Quare autem secũdo hoc dixit? Quum enim dixisset, *quodcunque in nomine meo petieritis, hoc faciam:* iterum secundò dixit, *quæcunque petieritis in nomine meo, ego faciam.* Confirmans sermonem suum hoc dicit & ostendit, quòd ipse faciat, & non indigeat subintroducta virtute. Hæc autem omnia dicit discipulis, consolans eos, & ostendens, quòd non pereat, nec obscuretur moriendo. *Ad patrem enim*, inquit, *vado.* Non enim obscurus fio, necesse cesso: sed illuc eo, vbi beatior vita: & intantum non apparebo infirmus, etiamsi moriar vt alijs ad maiora opera facienda vires daturus sim. Et quæcunque petieritis dabo vobis, ne ergo tristitia afficiamini propter meam mortem, quæ talis est, qualem demonstraui.

EVTHYMII ZIGABONI

Superioris Euang. expositio.

NE *turbetur cor vestrum.* Quum dixisset dominus ad Petrum, Postmodum me sequeris: &, Ter me negabis, propter vtrumque turbati sunt, timentes, ne quando ipsi ab eo amputarentur, vel exciderent, solo Petro sequente: aut, ne quando ipsi quoque eum negarent, quemadmodum & eorum præfectus. Reprimens ergo illorum an-

taxie

xietatem, primum quidem timorem negationis consolatur, deinde etiam de timore amputationis, siue excisionis. *Credite in Deum, & in me credite:* Credite firmiter in Deum patrem, & in me, ac fides, quæ in uos erit, seruabit vos insuperabiles. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quæ sufficiant ad suscipiendum vos, vt semper sitis nobiscum. *Quòd si secus esset, dixissem vobis, vado paraturus vobis locum.* Quòd si non essent multæ mansiones, ac splendidum habitaculum, dixissem vobis, quòd vado ad parandum mansionis locum vobis, qui mei estis, & omnibus digniores: hoc
Sup.12. omnino sane mihi curę est, vt, vbi sum ego, & vos sitis. Prædixit enim eis dicens; Vbi sum ego, illic & minister meus erit. *Et si abiero, vt præparem vobis locum, iterum veniam, &c.* Hoc etiam dixissem vobis, quòd si abiero, vt præparem vobis locū, &c. Itaque nec sic oportuit animo deiectos esse: quia vero iam olim præparata est multitudo mansionum, ac dignis sorte distributę sunt, fiduciam habere oportet, & non desperare. Potest & aliter dici: quòd etiam si abiero, vt præparem vobis locum, videlicet vt innouem vobis ascensum in cælum, quo nullus vnquam hominum ascēdit, rursum veniam secundo aduentu, & assumam vos ad meipsum, resuscitatos ex mortuis, vt conregnetis mihi in æternum. Quanquam enim mortui ante eum ascenderunt, sed non cum corporibus: & si
Caute. nam Græcū dogma sequitur. simul cum eo sunt, at non simul regnant. Quia vero sciens motus cordium ipsorum, cognouit cupere illos scire quo iret, & viam quæ eo duceret quo iret, ait, *Et quo ego vado scitis, & viam scitis.* Ex iis, quæ frequenter dixi vobis, & hoc, & illud nostis, si recordamini. Ad patrem namque ibat, à quo etiam exiuerat: via autem ipse est, per quem imus ad patrem, veluti in sequentibus dicturus est. *Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* Putabat namque sensibilem aliquem locum esse, quo iret, & eodem modo viam esse similem. *Ego sum via, & veritas, & vita.* Via quidem, quia per me gradimini: veritas autem, quia vera loquor, & ea infallibiliter erunt: vita vero, quia morti quoq; dominor. Si ergo ego via sum, ducam vtique vos: si etiam veritas, non mentior: quòd si & vita, neq; mors vos à me separabit. *Nemo venit ad patrē nisi per me.* Suprà verò dixit Nemo
Supra 6. potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum: ille siquidem trahit, hic autem ducit, & ambo cooperantur ad hominum salutem. *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* Superius quidem dicens, Et quo ego vado, scitis, & viam scitis: significauit quòd & patrem, & se cognoscerent: hic autem adiiciens, *Si cognouissetis me, & patrem meū vtique cognouissetis*, ostendit quòd & se, & patrem ignorarent. Id autem multis in locis facit: nam, quia vtrumque cognoscebant, at non vt conueniebat, (postmodum enim descendens spiritus sanctus, perfectam præbuit eis cognitionem) interdum quidem dicit, quòd cognoscunt, quia vtcunque cognoscunt: quandoque vero quòd non cognoscunt, quia non vt oportet, cognoscunt. Nunc verò ait, Si cognouissetis me, vt oportet, quis sim, quantum ad intellectum, & patrem meum vtique cognouissetis: nam, quum mihi sit æqualis, & à me inseparabilis: qui me cognouit, & patrem cognouit. *Et nunc cognoscitis eum.* Quum me cognoscatis, quanquam non vt oportet, consequens est, vt & ipsum similiter cognoscatis. Chrysostomus vero, *Cognoscetis* interpretatur, puta, non post multum tempus, cognoscetis eum vt oportet, vbi super vos spiritus sanctus descenderit. *Et vidistis eum.* Etiam potentiam eius vidistis per meam potentiam, per diuina signa, quæ edidi: nam quæ ego possum hæc & ille. *Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Et sufficit nobis, vt qui te iam antea cognouimus. Quia ergo quæsiuit nosse patrem, ostendit Christus, quòd eum iam nosset. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me Philippe?* Interrogationis sermo est, tanto tempore vobiscum sum, diuina signa operans, & ab his non cognouisti me, quis sim dignitate, & potentia? quòd Deus omnipotens? Sane omnino cognouisti me, consequens ergo est, vt & patrem cognoueris: nam imago per omnia similis sum ego patris. *Qui vidit me, vidit & patrem.* Qui meam cognouit dignitatem, & potentiam, cognouit & patris dignitatem, ac potentiam: sumus námque per omnia similes, & vnus per alterū mutuo cognoscimur. *Et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem?* Quomodo cognoscere cupis, quę iam cognouisti? quomodo quæris, quòd habes?
Alio quoque modo intelligūtur hæc verba, quòd Iesaia 6.
quærebat Philippus videre patrem sensibilibus Iere.10.
oculis, audiens fortassis à multis frequenter vi- Daniel.7.
sum esse prophetis, specie, ac figura humana, additque. *Et sufficit nobis.* vt qui ipsum filium iam videret, ac nosset. Christus autem ostendit, quòd neque se vidisset, neque nosset secundum diuinitatis naturam. Dicit ergo ei prolata negatiue sententia. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me, Philippe?* nam diuina natura videri non potest, nec cognosci. *Qui vidit me, vidit & patrem.* qui vero me videre non potest, neque patrem videre potest. *Et quomodo tu dicis: Ostende nobis patrem,* Quum nec me videris, nec cognoueris, quáquam te opinaris & vidisse, & cognouisse me: *Non credis, quòd ego in patre, & pater in me est?* Quòd mutuo vnus per alterū cognoscimur, tanquā omnino similes. *Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso nō loquor.* Sed à patre: quòd si à patre, vtique à meipso: nam quæ mea sunt, etiam illius sunt, & quæ illius, etiā mea sunt. Omnia siquidem communia, & æqualia possidemus. Dicens autem de sermonibus, dicit etiam de operibus. *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Supra dixit; Si non facio opera pa-
tris mei, nolite credere mihi, hic vero ait; *Pater* Ioan 10.
facit opera, quæ videlicet ego operor. Et tunc autem, & nunc idem significauit, nempe quòd eadem & possint, & velint. Pater ergo loquitur per filium tanquam per suum sermonem: operatur vero per filium, tanquam per suam potentiam. Præterea, *in me manens*, hoc est, à me non separatus vel per me designatus. *Credite mihi, quòd ego in patre & pater in me.* Credite mihi dicenti, quòd ego in patre, & pater in me conspicitur. *Alioqui propter ipsa opera credite mihi.* Si vero non creditis mihi propter sermones meos: vel propter opera ipsa credite mihi, quum supernaturalia sint, ac diuina. Similiter eodem loco dixit, Quòd si mihi nō credidistis, operibus credite. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.* Non dixit, maiora facere possum iis, quæ feci, sed quod mirabilius est, etiam aliis tribuam, vt talia operentur. Deinde addit quod adhuc maius est, dicens, *Et maiora his faciet.* Hoc autem demonstratio est potentiæ eius qui dedit, non eius qui signa edit:

Nam qui per Christi nomen maiora facit opera quàm Christus ediderit, Christi potentiam prædicat. *Quia ego ad patrem meum vado.* Vestrum inquit est deinceps miracula operari, quia ego ad patrem meum vado, vt in propriã restituar gloriam. Hæc autem omnia ad consolandum eos dicebat, quòd tristes essent, ac grauiter ferrent, quia sermones de resurrectione eius non intelligebant. *Et quidquid petieritis meo nomine, hoc faciam.* Quidquid petieritis, inuocato nomine meo: dixit autem *faciam*, suam ostendens potentiam.

IN FESTO S. ATHANASII
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

MATTH. 10.

a Non debetis desistere, sed ad tempus declinare, vt & aliis possitis prodesse.
b Non mirum si à quibusdam fugitis, quia consummatio Israel non fiet in fide, donec Christus à mortuis resurgat.
c Perfectio est discipuli non vlcisci iniurias sicut ego feci.
d Prius faciens quam docens.
e Cui famulantur cælestia & terrestria.
f Quid mirum de famulis?
g Corde scilicet. Hoc ad bonos spectat.
h Hoc ad malos pertinet.
i Actu.
k In mysterio.
l Prædicate apertè.
m Spiritusancto.
n Priuatim.
o Palam publicè calcate carnalia.
p Tantum.
q Quia eam Deus reddet corpori.
r Mittendo in æterna supplicia.
s Nolite timere mortem corporis, quia mori non potestis sine nutu Dei: quod in minoribus liquet, quanto magis vos?
t Non moritur sine prouidentia Dei.
v Sine nutu Dei.
x Vt taceam de corporis massa, etiam minima particula Dei prouidentia conseruatur.
y Omnem curam in eum proijcite apud quem capillus non peribit.
z Quia rationales, quia æternal.
a Ergo prædicate super tecta, quia, Omnis, &c.
b Ore confessio fit ad salutem. Fides in corde & ore. Ne quis tempore persecutionis sufficere sibi putaret fidem cordis.
c Perducam ad confessionem patris, quando dicam venite benedicti patris mei.
d In consortio sanctorum.
e Timore perculsus.
f Vbi prodesse debet mei nominis confessio.
g Non perducam ad visionem Dei patris qua perfruentur sancti.


IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: [a] Cùm persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam.[b] Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis. Non est discipulus supra magistrum nec seruus super dominum suum. [c] Sufficit discipulo, vt sit sicut [d] magister eius, seruo sicut dominus eius. Si [e] patremfamilias Beelzebub vocauerunt quanto magis [f] domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim [g] opertum quod non reueletur, & [h] occultum, quod non [i] sciatur. Quod dico vobis in [k] tenebris, [l] dicite in [m] lumine, & quod in [n] aure audistis prædicate super [o] tecta. Et nolite timere eos qui occidunt [p] corpus, [q] animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest & animã & corpus [r] perdere in gehennam.[s] Nónne duo passeres asse væneunt? Et vnus ex illis non [t] cadet super terram sine [v] patre vestro: [x] vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt [y] Nolite ergo timere, multis passeribus [z] meliores estis vos. [a] Omnis ergo qui [b] confitebitur me coram hominibus, [c] confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in [d] cælis. Qui autem [e] negauerit me [f] coram hominibus, [g] negabo & ego coram patre qui in cælis est.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.


VM *persequentur, &c.* Hoc ad illud tempus pertinet, de quo dictum est: In viam gentium ne abieritis. Quòd persecutiones non debeant timere, sed declinare: vt tribulationis occasio, sit euangelij seminarium. Mysticè. Cum vos persequentur in vno testimonio, fugite ad alia volumina. Quia quamuis sit cõtentiosus persecutor; ante præsidium saluatoris adueniet quàm illi concedatur victoria. *Nõ est discipulus, &c.* Nec indignemini tolerare quod tolero, qui dominus sum, faciens quod volo, & magister docens quod vtile scio. *Si patremfamilias, &c.* Ostendit calũnias suas, vt suo exemplo ferant iniurias, vnde dicebat: sufficit discipulo, &c. *Beelzebub.* Beel, ipse est Bel, zebub musca, id est Deus muscæ, pro spurcitia sanguinis immolati. Idolum est Accaron, nomine eiusdem spurcissimi idoli, principem dæmoniorum appel Luc. 6. &c.

appellant: qui musca dicitur propter immunditiam. Beelzebub idolum apud diuersas gentes, diuersis nominibus nũcupatum. Ninus rex Assyriorum, conditor Niniuæ ciuitatis, post mortem patris sui Beli, composuit statuam in honorem ipsius, eique diuinos honores iussit persolui ab hominibus. Cuius simulachri similitudinē Chaldæi [illegible] accipientes, vocabant Bel, vt in Daniele legitur. Inde Palæstini illud accipientes vocabant Baal. Moabitæ vero Beelphegor, atque ita per diuersitatem gentium, diuersa ei dabantur nomina. At Iudæi, veri Dei cultores, vocabāt Beelzebub, ob derisionem gentilium. Baal vir, zebub musca, vir muscarum hoc habens muscas. *Ne ergo timueritis eos.* Eorum scilicet, vel blasphemias, quia veniet dies, cùm Deus iudicabit occulta hominũ, vbi & nequitia discooperietur, & vestra intentio, modo soli Deo cognita ab omnibus scietur. *Quod dico, &c.* Hoc est in quo volo vos constantes esse. Vel quod dico in tenebris, id est dùm adhuc in timore estis, dicite in lumine, id est in fiducia veritatis accepto spiritu sancto. Et quod in aure auditis, id est quod secretò auditis, super tecta, id est calcato carnis domicilio prędicate. *Super tecta.* Loquitur iuxta morem Palęstinę, vbi solent in tectis residere, quæ non sunt cacuminata, sed æqualia, vnde lex præcipit, vt qui nouam domum ędificat, murum tecti ponat in gyro, ne fundatur sanguis innoxius labente aliquo. Ergo in tectis prædicatur, quod cunctis audientibus, palam dicitur & est: Quod vos erudiui in paruo Iudæę loco, in toto mũdo dicite. *Nonne duo passeres, &c.* Lucas. Nónne quinque passeres veneunt dipōdio? Nec multum distat, vt duo asse, & quinque dipondio. Dipondius enim est ex duobus assibus. Quod autem in numeris est vnus, hoc in pondere as: & quod duo hoc dipondius. *Et vnus, &c.* Quomodo ergo Apostolus. Nunquid de bobus cura est Deo. Sed aliud est cura, aliud est scientia. *Numerati, &c.* Hoc est, scientia Dei numerum illorum comprehēdit. Numerati non actu computationis, sed facultate cognitionis à similitudine pecuniæ, quæ numeratur vt seruetur. Vbi magna prouidentia Dei, quod nec parua otiosaque dicta eum lateant. *Qui confitebitur, &c.* Vel confitetur quis Iesum ea fide, quæ per dilectionem operatur. Negat qui præceptis Dei non obedit. *Qui autem, &c.* Negatur à filio apud patrem, cui non manifestatur in diuinitatis potentia filius & pater. Confitetur à filio apud patrem, qui per filium accessum habet ad patrem.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

CVm autem persequentur vos, &c. Chryso. in ho. Postquam prædixit terribilia illa, quæ post crucem & resurrectionem & ascensionē eis erant ventura, rursus ducit eos ad mansuetiora. Non enim iussit eos, ad persecutionem audacter ire, sed fugere, vnde dicit; *Cùm autem persecuti, &c.* Quia enim interim erat principium conuersionis eorum, condecente vtitur sermone. Hoc enim ad illud tempus referendum est, cùm ad prædicationem Apostoli mittebantur, quibus & propriè dictum est, In viam gentium ne abieritis: quòd persecutionem timere non debeant, sed declinare. Quòd quidem videmus, in principio fecisse credentes, quando orta Hierosolymis persecutione, dispersi sunt in vniuersam Iudæam, vt tribulationis occasio, fieret Euangelij seminarium. August. contra Faustum. Neque tamen saluator, quia non poterat tueri discipulos suos ideo fugere præcipit, & huius rei prior exemplum præbuit, sed instruebat hominis infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quid faciat, vt quod cauere oportet, cauadat. Aug. 1. de ci. Dei. Potuit autem eos admonere vt sibi manus inferrent, vt non in manus persequentium deuenirent. Porrò si hoc ille non iussit aut monuit, vt hoc modo sui ex hac vita emigrarent, quibus migrantibus se mansionem æternam præparaturum esse promisit, quælibet exempla apponant gentes, quæ ignorant Deum. Manifestum est hoc non licere credẽtibus vnum verum Deum. Chr. in ho. Ne autem dicant, quid igitur si persecutionem passi fugerimus, & rursus hinc nos abiecerint? hunc destruens timorem ait: *Amen di. vo. non consum.* id est non præuenictis me circumeuntes Palæstinam, donec vos assumam. Rabanus, Vel prædicit quòd non antè prædicationibus suis ad fidem perducens omnes ciuitates Israel, quàm resurrectio domini fuerit perpetrata, & in toto orbe terrarum prædicandi euangelium potestas cōcessa. Hilarius, Vel aliter: Ex vna in aliam fugam suadet, quia prædicatio eius primum à Iudæa effugata transit ad Græciam. Deinde diuersis intra Græciæ vrbes Apostolorum passionibus fatigata. Tertiò in vniuersis gentibus demoratur. Sed vt ostenderet gentes quidem apostolorum prędicationi crediturus, verum vt reliquum Israel credeterent, esse aduentus suo debitum, ait: *Non consum. ciu. Israel,* scilicet plenitudinem gentium, quòd erit reliquum Israel ad implendum numerum sanctorum, futuro claritatis Christi aduentu est in ecclesia conuocandum. Aug. in epist. ad Hon. fra. Faciant ergo serui Christi quod præcepit, vel permisit: sicut ipse fugit in Ægyptum, fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisque specialiter à persecutoribus quæritur: vt ab aliis qui non ita requiruntur non deseratur ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis, quos aliter viuere nō posse nouerunt. Cum autem omnium, id est episcoporum, clericorum, & laicorum est cōmune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent: aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut quę habent necessitatem remanendi, non relinquantur ab eis, per quos illorum ecclesiastica est supplenda necessitas, vt vel pariter viuant, vel pariter sufferant quòd eos paterfamilias volet pati. Remigius, Præterea sciendum est quòd sicut & præceptum perseuerandi in persecutionibus specialiter ad Apostolos pertinet, & ad eorum successores viros fortes, sic licentia fugiendi satis conuenit infirmis in fide, quibus condescendit pius magister, ne si se vltro ad martyrium obtulissent, fortassis positi in tormentis negarent: leuiùs enim erat fugere, quam negare. Sed quamuis fugiendo perfectæ fidei constantiam in se non ostenderent, tamen magni meriti erant: quoniam omnia pro Christo parari erant deserere, scilicet fugiendo. Nisi antem illis licentiam fugiendi dedisset, dicerent eos aliqui alienos esse à gloria regni cælestis. Hier. Spiritualiter autem possumus dicere: Cùm persecuti vos fuerint in

Fuga in persecutione quã do licita.

una ciuitate, hoc est in scripturarum libro vel testimonio, nos fugiamus ad alias ciuitates, id est, ad alia volumina, quamuis enim contentiosus fuerit persecutor, ante præsidium saluatoris adueniet, quàm aduersariis victoria concedatur. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, &c.* Chr. in ho. Quia futurum erat vt discipuli cum promissis persecutionibus etiam diffamati, malam opinionem paterentur, quòd multis onerosiùs esse videbatur: hîc eos consolatur à seipso, & ab his quæ de ipso sunt dicta: cui consolationi nulla poterat esse æqualis. Hieron. Dominus enim lumen æternum, dux credentium, & immortalitatis parens discipulis suis in futurarum passionum solatium antè promisit, vt gloriæ loco amplectamur si domino nostro vel passionibus adæquemur, vnde dicit: *Non est disci. &c.* Chry. in ho. Intelligendum donec fuerit Discipulus & seruus, non est inquam super magistrum & Dominum, secundum honoris naturam. Nec mihi ea quæ rarò contingunt hic obiicias, sed ab his quæ sunt in pluribus suscipe hunc sermonem. Remigius. Magistrum autem & Dominū semetipsum appellat: per seruū & Discipulū, suos vult intelligi Apostolos. Gl. quasi dicat, Ne indignemini tolerare quæ tolero, quia Dominus sum, faciens quòd volo: & magister, docēs quod vtile scio. Remigius. Et quia hæc sententia minus videbatur superioribus verbis congrua, quò tendant verba manifestatur, cùm subditur: *Si patrē Beel. voca. &c.* Chr. in ho. Non dixit seruos sed domesticos, vt multam ad eos familiaritatem
Ioan.15. ostenderet, sicut & alibi dixit: Nō dicam vos seruos, sed amicos meos. Remigius, quasi dicat, Vos ergo temporales honores & humanam gloriam non quæratis, dùm me videtis per irrisiones, & opprobria genus humanum redimere. Chry. in ho. Non solùm autem dicit, si domus dominum conuiciati sunt, sed ipsam speciem conuitij, quoniam Beelzebub eum vocauerunt. Hiero. Beelzebub idolum est Accaron, quod vocatur in regum volumine idolum muscæ. Beel ipse est bel siue baal, zebub autem musca dicitur. Principem ergo dæmoniorum ex spurcissimi idoli appellabāt vocabulo, qui musca dicitur, propter immunditiam quæ exterminat suauitatem olei. *Ne ergo timueritis eos Nihil enim est opertum, quod non reueletur, &c.* Remigius, Post præmissam consolationē, aliam non minorem subiungit, dicens, Ne erg. ti. eos, scilicet persecutores. Quare autem non esset timendum, manifestat cum subiungit: Nihil enim ope. est, &c. Hie. Quomodo ergo in præsenti seculo multorum vitia nesciuntur: sed de futu-
1.Cor.4. ro tempore scribitur, quādo iudicabit Deus occulta hominū, & illuminabit tenebras tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium, & est sensus: Nolite timere persecutorum sæuitiam, & blasphemantium rabiē: quia veniet dies iudicij, in quo & vestra virtus, & illorum nequitia demonstrabitur. Hilarius, Igitur non minas, non conuitia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies iudicij nulla hic fuisse, atque inania reuelabit. Chryso. in Ho. Vel aliter: Figura quidem eorum quæ dicūtur, vniuersalem videtur enuntiationē habere, verùm non de omnibus, sed de præmissis solum dictum est, quasi dicat, si doletis audientes conuitia, hoc cogitate, quia & ab hac suspicione post parum eruemini. Vocant quidem vos ariolos, & magos, & seductores, sed expectate parum, & saluatores vos orbis terrarum vniuersi dicent, cùm per res ipsas apparueritis benefactores: nec illorum attendent sermonibus homines, sed rerū veritati. Remigius, Quidam autem dicunt quòd his verbis promiserit dominus discipulis suis, quòd per eos essent reuelanda omnia occulta mysteria, quæ sub velamine literæ legis latebant, vnde Apostol. dicit,
Cùm conuersi fuerint ad Christum, tunc auferetur velamen. & est sensus, Quare debetis timere 2.Cor.3.
vestros persecutores, cum tantæ sitis dignitatis, vt per vos occulta mysteria legis & prophetarum sint manifesta? Chrysost. in ho. Deinde quia eos ab omni timore liberauerat, & altiores opprobriis fecerat, nūc opportuno tēpore eis loquitur de libera propalatione, quæ est in prædicatione, dicens: *Quod di. vo &c.* Hilarius, Nam legimus Dominum solitum esse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse: sed hoc dicit, quia omnis sermo eius carnalibus tenebræ sunt, & verbum eius infidelibus nox est. Itaque ab eo quod dictum est, cum libertate fidei & cōfessione est loquendū. Remigius, Est ergo sensus. *Quod di. vo. in te.* id est, inter Iudæos incredulos, vos dicite in lu. id est, fidelibus prædicate, *Et quod in aur. audi.* id est, quod dico vobis secretè, prædicate super tecta, id est palā coram omnibus. Solemus enim dicere: in aurem loquitur illi, id est secretè. Rabanus, Sanè quod ait: Prædicate super tecta, iuxta morem prouinciæ Palęstinæ loquitur vbi solent in tectis residere: quia non sunt cacuminata, sed æqualia. Ergo prædicabitur in tectis, quòd cunctis audientibus palam dicetur. Glo. Vel aliter: Quod dico vobis in tenebris, id est, dùm adhuc in timore carnali estis, Dicite in lumine, id est, in fiducia veritatis, cum à Spiritu Sācto eritis illuminati. Et quod in au. aud. id est, solo auditu percipitis, pręd icate opere complendo. Super tecta, id est, quod vos erudiui in paruulo Iudææ loco, vniuersis vrbibus in toto mūdo audacter dicite. Chrysost. in Ho. Sicut autem quando dicebat: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ille faciet, & maiora his faciet: ita & hic demonstrat quoniam omnia per eos operatur, etiā plusquam per seipsum, quasi dicat principiū ego dedi, sed quòd plus est, per vos explere volo: hoc autem non iniungentis est solum, sed & futurum prædicentis, & ostendentis, quoniam omnia superabūt. Hilarius, Constanter ergo ingerenda est Dei cognitio, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum, lumine prædicationis reuelandum non timendo eos quibus cum sit licentia in corpora tantum, in animam ius nullum est. Et ideo subditur. *Et no. ti. eos qui oc. cor. ani. au. non pos. oc.* Chrysosto. in ho. Vide qualiter omnibus eos statuit superiores, non solicitudinem solum & maledictionem, neque pericla, sed & ipsam, quæ omnibus videtur terribilior, mortem suadens propter Dei timorem contemnere, vnde subdit: *Sed po. ti. eum qui po. ani. & cor. per. inge.* Hieronymus, Nomen gehennæ in veteribus libris non inuenitur, sed primò à saluatore ponitur: quæramus ergo quæ sit huius sermonis occasio. Idolum Baal fuisse iuxta Hierusalem, ad radices mōtis Moria, in quibus Siloë fluit, non semel legimus. Hęc vallis & parua campi planicies irrigua erat & nemorosa, plenáque deliciis, & lucus in ea idolo conse-

secra

fectis. In tantam autem populus Israel deméntiam venerat, vt deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigoré religionis deliciæ vincerent, filiósque suos incenderent dæmoni: & appellabatur locus ipse gehennó, id est, vallis filiorum Ennon. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Hieremias scribũt plenissimè: & comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Tophet & Baal, sed vocetur Polyandrium, id est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denoĩatur. Aug. 13. de ci. Dei. Hoc autem non anteà fiet, quam anima corpori fuerit copulata, vt nulla direptione separentur: & tamen una recta mors animæ dicitur; quia non viuit Deo: mors autem corporis quia in damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinit, tamen quia sensus ipse nec volútate suauis nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non potuis appellata quam vita. Chrysosto. in hom. Vide autem rursus, quia non promittit eis liberationem a morte, sed suadet cótemnere mortem, quod multò maius est quàm erui a morte: & quod non timore ea, quę de immortalitate sunt dogmata, eis infigit.

S. HIERONYMI PRESbyteri in superius Euang. expositio.

Cùm autem persequentur vos, &c. Hoc ad illud tempus referendum est, cum ad prædicationem apostoli mittebantur, quibus & propriè dicitur: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Quod persecutionem timere non debeant, sed declinare, Quod quidem videmus in principio fecisse credentes, quando orta Hierosolymis persecutione, dispersi sunt in vniuersam Iudæam: vt tribulationis occasio, fieret euangelij seminarium. Spiritualiter autem possumus dicere. Cum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, id est, in vno scripturarum libro vel testimonio, nos fugiamus ad alias ciuitates, id est ad alia volumina. Quamuis enim cótentiosus fuerit persecutor, ante pręsidium Saluatoris aduentus ueniet, quàm aduersariis victoria concedatur. Si patremfamilias, &c. Beelzebub, idolum est Accaron, quod vocatur in Regum volumine, idolum muscæ. Beel ipse est Bel, siue Baal, zebub autem musca dicitur. Principem autem dæmoniorum, ex sordidissimi idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat suauitatem. Nihil opertum, &c. Et quomodo in præsenti seculo, multorum vitia nesciuntur: Sed de futuro seculo scribitur: quando indicabit Deus abscondita hominum, & illuminabit latebras tenebrarum, & manifestabit cósilia cordium. Et est sensus: nolite timere persequutorum sæuitiam & blasphemantium rabiem: quia veniet dies iudicij, in quo vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur. Quod dico vobis in tenebris, &c. Quod auditis in mysterio, apertius prædicate, quod didicistis absconditè, publicè loquimini: quod vos erudiui in paruulo Iudææ loco, in vniuersis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Si corpus occidunt, animam non possunt occidere: ergo anima inuisibilis & incorporalis est secúdum crassitiem dico nostri corporis substantiam vel eo certè tempore punietur, & supplicia sentiet, quando pristinum corpus recepit: vt cũ quo peccauit, cum ipso & puniatur. Sed potius eum timete, &c. Nomen gehenna, in veteribus libris non inuenitur: sed primum a saluatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit sermonis huius occasio. Idolum Baal iuxta Hierusalem, ad radicem montis Moria, in quibus Siloe fluit, nó semel legimus. Hæc vallis, & parua campi planities, irrigua erat & nemorosa plenaque delitijs, lucusque in ea idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus venerat: vt deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis delitiæ vincerent filiósque suos dæmonijs incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus iste gehennon, id est vallis filij Hennon. Hoc regum volumen, & Paralipomenõ, & Hieremias scribũt plenissimè. Et comminatur Deus se impleturum locum illum cadaueribus mortuorum: Futura ergo supplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam nimij ignis & frigoris, in Iob plenissimè legimus. Nonne duo passeres asse vaeneunt, &c. Hæc et sibi sermo dominicus, & sequentia pendent ex superioribus. Prudens lector caue semper superstitiosam intelligẽtiam, vt non tuo sensu attemperes scripturas: sed scripturis iungas sensum tuum, & intelligas quid sequatur, supra dixerat: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animá autem non possunt occidere: nunc loquitur consequẽter. Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Et est sensus: si parua animalia, & vilia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus est prouidentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui æterni estis, non debetis timere, quòd absque Dei viuatis prouidentia. Iste sensus & supra dictus est: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nóne vos pluris estis illis? Ac deinceps: Considerate lilia agri, quomodo crescũt, &c. si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Quidam coactè duos passeres, animam & corpus interpretantur. Quinque quoque passeres secundum Lucam, qui duobus assibus væneunt, ad sensus referunt. Sed quomodo illa intelligentia, toto euangelici sermonis corpori coaptetur, non paruæ difficultatis est. Vestri autem capilli, &c. Manifestiùs superior nostra expositionis sensus expressus est: quod timere non debeant eos qui possunt occidere corpus, & animam non possunt: quoniam si sine Dei scientia, parua quoque animalia non decidunt, quanto magis homo, qui apostolica fultus est dignitate? Quod autem ait: Vestri autem capilli capitis, omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum: quod nihil nostrũ lateat Deum, etiam parua & otiosè dicta, eius scientiam non fugiunt. Derident intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant: quasi & nos capillos, qui numerati sunt, & a tonsore decisi, omnes dicamus resurgere: cùm salua-

2. Paral. 24.
Iosu. 15.
4. Reg. 23.
2. Para. 28.
Hier. 7. & 19. & 32.
Iob. 24.
Matth. 6.
Luc. 12.

tor non dixerit: Vestri autem capilli capitis omnes saluādi sunt, sed numerati sunt. Vbi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem numeri conseruatiō.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.

Est Hom. 25. in Matth. *Nihil opertum, quod non reueletur, &c.* Nunc profectum prædicationis eorum futurū eis annunciat, quoniam prædicatio eorum habitura fuerat exitum gloriosum. Ecce ego ipse, qui sum lumen absconditum in tenebris, Deus celatus in homine, sublimitas in humilitate. Tunc sicut hoc mysterium absconditum fuit à seculis, nunc autem per vos manifestabitur cunctis, vt impleatur
Psal 18. sermo propheticus, qui dictus est de me: A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Et non est qui se abscondat à calore eius. Sicut enim nullus est locus vbi non appareat sol, aut non sentiatur calor eius: sic nullus erit locus, vbi non cognoscatur Christus, aut non intelligatur diuinitas mea, vt omnis conditio hominum in duas diuidatur partes, ita vt credentes meritò coronentur, ac non credentes, sine excusatione puniantur. Et vos quum interim quasi inimicos suos odiant homines, postea vos cognitos complectentur, quasi suę salutis auctores. Interim quasi maleficos homines vos abominabūtur, posteà quasi sanctos venerabuntur. Interim vos quasi persecutores persequentur, posteà vos omnes homines in ecclesiis suis quasi Deos adorabunt. Mementote præterita, & consolamini de futuris, quando iustitiæ Domini dominata est iniquitas, quando veritatem longo tempore celauerunt tenebrosa mendacia, quando innocentia sub existimatione criminis diu velata est. Mo-
Exod. 2. & 3. ses fuit celatus in Ægypto, dictus est filius Ægyptiæ. Quia homicidia fugatus est quasi mercenarius contemptibilis, ouium factus est pastor. Nunquam est manifestata sanctitas eius, nunquam est coronata innocentia eius. Ecce qui pastor ouium fuerat irrationabilium, factus est dux populi gloriosi. Qui quasi homicida ex Ægypto egressus, posteà ingressus est iudex sanctorū. Iam non filius Ægyptiæ, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit benè nutriendo facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus. Qui Pharaonem regem quasi captiuus antè timuerat, postea illum decem plagis, quasi seruum obnoxium castigauit: quia nihil est opertum, quod non reueletur. Ioseph celatus est in
Gen. 39. Ægypto, quasi adulter accusatus est, castitatis custos fidelis. Nunquid non est manifestata innocentia eius? Nunquid non multipliciter coronata est castitas eius? Qui quasi maleficus in carcere fuerat, quasi propheta eductus est; In vnius pueri vindicta totus mundus fame flagellatus est. Et quem sacerdos Phutiphar primum quasi adulterum vxoris suæ cōdemnauerat, posteà gloriosum
Dan. 3 generum in cubiculū suum locat. Absconditi fuerant & tres pueri in Babylonia, & quasi contemptores regis sunt accusati pro crimine, ad quorum interitum iussum est, vt caminus accenderetur septies amplius quàm solebat: non quia ad comburendam carnis naturam tantum incendium necessarium erat, sed quia tātum insanientis regis iracundia suggerebat. Et quid ignis in suo camino, furoris spiritu percussus corrigit? Et perditio suæ virtutis calore, specie sola ardebat, vt incorruptibilem integritatem eorum, corruptus ignis ostenderet, & ardentiorem fidem eorum ardens flamma ostentaret ipsa natura sua clamans, non in voce: quia nihil occultum quod non sciatur. Sed vos sustinete introitum iniuriosum, vt habeatis exitum gloriosum. Et tanquam promissionum consolationem habentes. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.* Quid est quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine? Item tenebras Iudaicum populum dicit, sicut scriptū est: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et ideo tenebræ intelliguntur, quia lumen verum cognoscere non potuerunt: Quæcunque igitur Dominus in Iudæis locutus est, in ecclesia manifestanda esse annunciabat. Lux enim populus Christianus intelligitur, sicut & Apostolus ait: Eratis enim aliquando *Ephes. 5.*
tenebræ, nunc autem lux in dōmino, vt filij lucis ambulate. Aut ita: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, id est, quod nunc dico vobis in mysterio parabolarum, vos posteà dicite manifestè. Quod enim in mysterio est absconditum, sic est quasi in tenebris positum. Vnde & Moyses, quando legem accepturus ascendit in montem, sicut dicit scriptura, ingressus est Moyses in nu- *Exod. 24. Cur lex in nube data sit.*
bem, ostendens quia lex quæ dabatur in mysterio posita, obscura erat futura, quasi sub nube nigerrima. Quod autem manifestè dicitur, in lumine dicitur. Quid est quod in aure auditis, prædicate super tecta? id est, quod auditis in secreto soli, prędicate coram omnibus nulli abscondentes verbum, quasi qui stet supra tecta & clamet. Quid est quod Apostoli audierunt in mysterio? Quid; Exiuit seminator seminare semen suum. Et quædam ceciderunt secus viam, quædā super petram, quædam inter spinas, quædam super terram bo- *Luc 8.*
nam. Et loquebatur eis in parabolis, & sine parabolis loquebatur eis nihil. Et accesserunt discipuli eius ad eum secretè, dicentes: Enarra nobis parabolam, quibus respondit. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt audientes non audiant, & videntes cæci fiant. Quid ergo? Quod tunc in mysterio solis Apostolis credebatur, nunc euangelistis referentibus, & Apostolis prædicātibus, quotidiè in medio ecclesiæ omnibus populis enarratur. Ergo hoc est quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: id est, quod dico vobis in secreto, prædicate coram omnibus, sicut est vbi vocauit Dominus discipulos suos seorsum dicens eis: Vos au- *Matth 16.*
tem quem me esse dicitis? Responderunt: Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et mandauit eis; Nemini dixeritis: quia oportet filium hominis crucifigi, & tertia die resurgere: quia si manifestè cognitus fuisset filius Dei, nemo ausus fuisset manus inijcere in eum. Et ideo crucifixus non esset neque resurrexisset à mortuis. Propterea adhuc infernorum regnum esset in terra, & dominatio diaboli mundum totum teneret. Quid ergo? Postquam Dominus surrexit à mortuis, quod audierat Petrus in secreto, cœpit coram omnibus prædicare, dicens: Deus *Act. 3.*
patrum nostrorum suscitauit filium suum Iesum, quem vos crucifixistis, & denegastis ante faciem Pilati,

Pilati, iudicante illo dimitti. Vos vero iustum negastis, & virum homicidā petiistis donari vobis, principem autem vitæ interemistis. Ergo hoc est, quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus*. ne fortè propter timorem mortis non liberè dicatis quod audistis, nec fiducialiter prædicetis in omnibus, quod in aure soli audistis. Sic ergo ex his verbis ostenditur, quod non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet: aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, vt veritatem, quam audiuit à Deo, liberè prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem quam audiuit quidem à sacerdotibus probatam in scripturis defendat fiducialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc autem diximus, quoniam multi Christianorum palàm quidem transgredi veritatem putant peccatum, tacere autem veritatem coram infidelibus non putant esse peccatum, & propterea multi inueniuntur in isto reatu. Ideo nos conuenit apertius dicere, quoniam nihil de veritate neganda præsens loquitur sermo, sed de veritate non liberè prædicanda, dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & nolite timere eos qui occidunt corpus: quo minus dicatis in lumine, quod audistis in tenebris. Vide quoniā non solum ille transgressor est veritatis, qui palàm denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dicam? Quia propter timorem mortis tacent homines veritatem, & propter miserum ventrem, & propter spem vani honoris, in conspectu infidelium tacent homines veritatem. Vtputa, eunt homines ad conuiuium impiorum sacerdotum, & confugiunt ad patrocinium malorum hæreticorum: fit sermo de fide, ille sacerdos impius, vel patronos blasphemat veritatē tuā quasi mendaciū, fidem tuam quasi perfidiā, aut vt seducat, aut vulneret conscientiam tuam, & faciat eam infirmam & si ad plenum capere non potuerit: tu autem & si non denegaueris palàm veritatem; tamen non contendis cum persona eius, cuius panem inanem manducas, vt non perdas spē patrocinij, aut rapacitatis, veritatem quā oportebat te liberè defendere, tacens confundis eam in conspectu inimicorum eius, vt videatur à te tacente falsa, quæ vera est. Et quomodo non es tu proditor veritatis? Sed fortè dicis: Si taceo veritatem ante aduersarios, nunquid consentio mendacio eorum? Dic mihi, si princeps aliquis imperatoris, videat ciuitatem Romanam ab hostibus expugnari, quum possit liberare eam, & neglexit defendere, num ipse videbitur tradidisse, quam potuit liberare, si voluisset? Sic & tu videns veritatem ab impiis expugnari, quum eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacens expugnasti per hoc ipsum quod compassus es expugnari. Et si propter timorem eorum qui occidunt corpus tacere veritatem, sicut præsens scriptura testatur, impietas est, quomodo non sit impietas maior, tacere veritatem propter miserum ventrem, & spem vani honoris, & meliorem facere gratiam panis, & honoris, quàm gloriam veritatis Dei? *Et nolite timere eos qui occidunt corpus*. quoniam corpus etsi ab impiis occisum non fuerit propter Deum, à semetipso post modicum morietur propter naturam. Ergo occisi secundū corpus ab impiis, nihil perditis, nisi mortis dilationē, vt corpus quod post modicū fuerat moriturū ante modicū moriatur, magis autem nec ante ipsam mortis dilationē. Si ergo verū est, quia nec foliū cadit de arbore sine præcepto Dei: & quia numerati dati nobis sunt dies ad vitā, credere debemus, quia nec morimur ante diē, nec transire possumus diem, tamē ponamus quod ante diem moriuntur, qui moriuntur propter Deum. Si ergo & gratis, id est, sine molestia percussoris post modicum morituri sumus, nulla Dei causa proposita, quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur, vt fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: vt offeramus Deo pro munere, quod redditur à te pro debito? Ideo nolite timere eos, qui occidunt corpus. Substantia enim hominis non est corpus, sed anima. Hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, & hanc diligit, propter hanc fecit & mundum, hanc zelat, & persequitur inimicus, propter hanc & ipse filius Dei venit in mundum. Corpus autem vestimentum est animæ, sicut ait Apostolus: De corpore nostro in quo ingemiscimus onerati, in quo nolumus spoliari, sed superuestiri, vt mortale hoc absorbeatur à vita. Sicut ergo vestimētum super hominem positum, si quis furibundus scindat, illatorem quidem iniuriæ sentit homo, damnum autem non patitur in natura: sic corpus super animam positum, si occidatur ab impiis, anima quidem occisionis eius sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur. Habemus autem huius rei vnde loquimur argumentum in membris. Sicut enim vngues qui summitatem vestiunt digitorum, quandiu præciduntur dolorem faciunt corpori: quum vero præcisæ fuerint, nullus sensus corporis inuenitur in eis, sed ex ipsa alteræ nouæ procedunt, vt nullum videatur natura sustinuisse dispendium: Sic corpus donec cæditur, sentit anima: quum autem occisum fuerit, nullus sensus, aut dolor animæ inuenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno gloriosius illud retexet corpus, vt nullum detrimentum anima videatur perpessa, sed augmentata. Dicam autem quod sentio verius, non solùm ad vestimentum animæ caro creata est, sed magis ad tentationem eius, quasi domestica, & naturalis inimica copulata est. Et dùm expugnatur à carne, nec vincit, nec coronatur à Deo. Huiusmodi mysterij Paulus testis est, dicens: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Si ergo caro animæ inimica, tentatio est: quis sapiens non intelligit, quia occisio corporis optanda est magis, quàm timenda? Ideo tibi corruptibilis natura creata est, inde deponendi corporis tempus est numeratum, vt homo morituro corpori tuo non parcas, sed commerito perituro compares tibi vitam mansuram. Ecce si mutuò accipis, vtputa bouem, vel equum, nónne assiduè operaris opus tuum in eum? Dicis enim apud te, hodie aut cras tollendus est à me, quia non est meus. Etiam tu in corpore corruptibili natus, quare non ad vtilitatem animæ tuæ vteris temporali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est à te,

Non solum ille proditor est veritatis qui mendaciū loquitur, sed etiam qui libere veritatē non pronūciat.

Rom. 10.

Substātia hominis non est corpus sed anima. & hanc Christus quæ-rit

2. Cor. 5.

Gal. 5.

quia non est tuum? Quæ ergo est ista insipientia vestra, odite quod nostrum est, & amare quod nostrum non est? Studere seruare, quod seruare non possumus, & negligere quod in æternum habebimus? Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Quid est timor mortis? Non dolor exeundi à corpore, sed desperatio vitæ post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se viuere post mortem. Vis scire? Ecce frequenter homines grauem dolorem patiuntur in infirmitate, & non moriuntur, & frequenter modicum tædium habent, & moriuntur, & tamen magis contenti sunt grauem dolorem pati, & non mori. Vides ergo, quia non dolor mortis, sed ipsa mors timetur? Sicut autem omnia mala operatur timor mortis, sic omnia bona operatur contemptio mortis. Qui timet mori, id est, qui non sperat viuere post mortem, neque eleemosynas dat, neque orationibus instat, neque ieiunium celebrat, neque paupertatem sustinet, neque opprobrium suffert, neque damnum substantiæ suæ contentus est pati, neque corporalem iniuriã sustinet propter Deum, sed hoc suæ lucrum vitæ existimat, si bonis istius mundi fœliciter fruitus fuerit: & hoc damnum vitæ suæ putat, si fuerit alienatus ab istis bonis. Quare? quia laborum suorum præmium in resurrectione nõ sperat. Qui autem nõ timet mori, id est, qui vitam sperat post mortem: omnia quæ diximus, libenter sustinet propter Deum: quia laborum suorum mercedem multiplicem indubitanter expectat. Ille est ergo perfectus discipulus Christi, qui hæc omnia patitur, aut pati paratus est. Non ergo ideo Dominus mandat, nolite timere qui occidunt corpus: quia necesse est omnem Christi discipulum occidi: sed ne omnes illas res, quas suprà diximus, per singulos mandet, quasi per compendium dixit: Nolite timere eos qui occidunt corpus: qui occidi non timet, multo magis contemnit cætera aduersa carnalia, quæ sunt ante mortem: quia omnia carnalia, quæ sunt ante mortem, leuiora sunt morte. Qui ergo quod grauius est non timet, multo magis contemnit quod leuius est. Qui autem cæteras molestias, quæ sunt ante mortem, non est contentus pati propter Deum, quomodo sustinet mortem? Considera autem, vt quid nobis in natura creauit timere mala carnalia, aut diligere bona: non vt mala carnalia timeamus, quæ timemus, sed vt per timorem malorum carnalium intelligamus magis timenda esse spiritualia mala. Vtputa, scis quia malum est pati dolorem carnis, per hoc intellige, quia peius est dolorem animæ pati. Scis quia malum est confundi coram hominibus, per hoc intellige, quia peius est confundi coram angelis. Quantum enim angeli meliores sunt hominibus, tantum confusio illa peior quàm ista. Nam dolor & pudor corporalis, cùm corpore finitur, aut soluitur: dolor & pudor animæ, semper cum anima itruit ad pœnam. Ita non vt diligas bona carnalia quæ diligis, sed vt per bona carnalia intelligas magis diligenda esse spiritualia bona. Vtputa, scis quia bonum est gaudere carnaliter, per hoc intellige, quia melius est gaudium animæ. Gaudium quippe carnis cum carne finitur; gaudium autem animæ cum anima perseuerat. Scis quod bonũ est gloriari in terris per hoc intellige, quia melius est gloriari in cælo. Quantò enim clarius est cælum quàm terra, tanto gloriosior est illa gloria quàm ista. De magnis autem thesauris bonorum vel malorum, quasi modicum gustum dedit in mundo, vt ex modico gustu malorum, vel bonorũ, plenitudinem cognoscamus. Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Quid dicis, anima perit? Nõnne immortalis creata est? Morte enim non solùm extinctio corporalis signatur, sed etiam pœna mortis mors dicitur. Vnde & Paulus ait: Quotidie morior pro vestra gloria, quam habeo in Christo Iesu. Et Ioannes in Apocalypsi sua sic dicit: Beatus qui habet partem in prima resurrectione, et secunda mors non dominabitur. Secunda enim mors est ignis, & sulphur. Vides ergo quia per damnationem animæ, non dicit ipsam solutionem animæ, sed cruciationem gehennæ, quæ est mors secunda. Et tãquam si aliquis dicat: Vt quid tanta licentia data est malis, vt etiam contra voluntatem Dei habeant in sanctis potestatem nocendi? Absit, nihil possunt Deo nolente. *Nõnne duo passeres asse veneunt, &c.* Si ergo passeres in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominum, quos Deus ad vsum hominum fecit, quanto magis vos: nõ quum estis in potestate hominum, sed in voluntate Dei quos Deus ad suam gloriam fecit? Si passer euentu non moritur, nec cadit, propter hoc ipsum, quia opus Dei est: quanto magis iustus homo, non est in euentu positus, quia imago Dei est? Sed aut à Deo traditus, moritur: aut à Deo liberatus, euadit. Si in passeribus nihil sine ratione agitur, quorum duorum precium vnus est assis, quanto magis in vobis sine me, nihil agitur, quorum precium est sanguis meus? Si sic habentur passeres, quomodo habendi sunt filij? Ideo ergo non debetis timere homines, quia non est in vobis illorum potestas, sed Dei. Nun enim quando volunt impij, tunc possunt nocere sanctis, sed quando Deus illis nocendi tempus cõcesserit, vt prouideat sanctis suis coronã. Dicit Pilatus ad Iesum: Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & crucifigere te? Respondit ad eum. Non haberes vllam potestatem in me, nisi tibi datum fuisset desursum. Quæ ergo est sapientia, illum non timere qui dat potestatem, sed illum timere qui accipit? Qui enim dat potestatẽ, quando vult dat: qui autem accipit, non quando vult accipit. Ergo si non es traditus, sine causa times: & si traditus es, sine causa times. Deo enim liberante homo tibi nocere non potest, & si vult. Nescis quomodo Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat. *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid nobis prodest capillos numeratos habere, si morimur? Ideo numerati sunt, vt in æternum viuamus. Núquid ideo numerat aliquid Deus, vt numerũ eius cognoscat, quia ab initio (vt dixit Sapientia) omnia in pondere, numero, & mensura creauit. Sed ideo numerauit, ne aliquid perdat ex ipsis. Sicut dicit propheta: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Non minuentur qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur. Vis scire dignitatem numeratorum, considera ouem illam, quomodo pastor non requieuit per desertum discurrere, donec inueniret eam, & ad pristinũ numerum reuocaret. Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo vna periret. Qui autem

peri

Apoc. 20.
1. Cor. 15.
Ioan. 19.
Sap. 11.
Psal. 138.

perituri sunt, non numerantur. Ideo Dominus dicit: Vestri etiã capilli capitis numerati sunt, Peccatores autem vt quid numerantur, qui esse non æstimantur? Illud enim numerat Deus, quod vult possidere: quod autem non vult habere, vt quid numerat. Ideo non numerantur peccatores, vt quicunque ex ipsis periret, non sentiat, neque eum ter Deus, quasi de non numeratis. Sicut scriptum
Esa.40. est: Pro nihilo habentur omnes gentes. Ergo passeres sunt meliores quàm peccatores? Non, sed similes. Sicut enim Deus non dixit, quia non cadunt: sed, sine voluntate Dei nõ cadunt. Dei enim voluntas est, vt comprehendãtur, & ad vsum pro-
Rom 2. cedant hominum, quia ad hoc creati sunt. Sic voluntas Dei est: vt homo qui sine lege Dei viuit, sine lege & pereat: & qui Deum non aspexit, non aspiciat illum Deus. Verè in hoc peior est homo peccator quàm animal, quoniam animal etsi non glorificat, non exacerbat, homo autem malus non s- ùm non glorificat, sed adhuc exacerbat.
Qui numerantur inscriptura. Quanta autem sit dignitas numeratorum, etiam in libro Numeri ostenditur, quoniam electi & eolati numerantur à Mose, per præceptionem Dei. Non numeratur inter eos fœmina. Fœmina autem intelligitur mollicies, quæ est corruptio corporalis. Omnis autem vir mollis animo remissibilis in fide, & corruptus est actibus: corpore vir est, & ideo fœmina intelligitur, ideo non numeratur cum sanctis: fœmina autem si virilitatem sanctam habuerit, etsi corpore fœmina est, animo est vir, & numeratur cum sanctis. Illic quia figura erat caro, fœmina repellebatur: hic autem quia veritas est, fœmineus animus non numeratur. Illic fermlis conditio excludebatur: hic autem con-
Qui non vere servi. uersatio seruilis expellitur apud Deum. Non ille seruus est qui seruus est hominum, sed qui peccati sui. Ergo liber si opera mala fecerit, diaboli seruus est: seruus, si bona opera fecerit, filius Dei est. Ideo seruilis anima non numeratur. Item neque Ægyptius mundialis. Qui ergo diligit mundum, in secularibus negotijs gaudet. Propter negotia mundi transitoria tristatur, propter Deum verò non gaudet. Ille non numeratur, quia animã Ægyptius est. Ægyptius autem si cælestia amauerit, Hebræus est. Item nec puer numeratur ille, qui puer est sensibus, malitiã autem perfectus est: qui autem malitia puer est, sensibus perfectus est. Qui autem mensurat plenitudinem ætatis Christi, ille etsi puer fuerit, sicut Daniel numeratur. Et qui procedit ad bellum contra alienigenas, id est, qui potest pugnare contra immundos spiritus, & desideriorum carnalium destruere castra, ille tantummodo numeratur. Sed nec omnes qui habent virtutem spiritualem, habent Israeliticam virtu-
Quæ sit virtus Israelitica. tem. Nam & Gentiles habent virtutem animæ, Grammaticam, Rhetoricam, & Philosophicam, sed non Israëlitica virtus est, quæ non fit propter Deum, sed propter bonam gloriam. Israeliticum autem bonum est, cuius mens Deum videt, sicut Apostolorum, quibus dixit: Vestri autem & capilli capitis numerati sunt omnes. Spirituali-
Capilli mystici. ter autem capilli sunt subtiles animæ, & innumerabiles sensus sanctorũ, qui de spiritu Christi, quasi de capite ipsorum prodeũt. Si autem iustus tradidit se in potestate dilectionis, dilectio illa præcidit capillos ipsius, & tollit virtutem quam habet
Iud.16. in capite, sicut Dalila Sampsonis. Nam omnis virtus eorũ non in corpore nec in diuitijs, sed in virtutibus spiritualibus est posita. Et nulla res sic præcidit virtutem capillorũ suorũ, sicut corporalis voluptas. Si ergo perdidit virtutem capillorũ suorum, apprehendent eum alienigenæ, id est immũdi spiritus, & alligabunt eum vinculis diuersorum desideriorum, & excæcabunt oculos cordis eius, vt non videat lumen: id est viam veritatis, vt egressus suos extẽdat vt impleatur in illo, quod
Psal.68. scriptum est. Deleantur de libro viuẽtium, & cum iustis non scribantur. *Omnis ergo qui me confessus fuerit coram hominibus, &c.* Et quoniam rem impossibilem, quantum ad naturam carnalem, mandauerat: nunc & pœnam proponit, & præmium: vt modò timore pœnæ, modò desiderio præmij virtus animæ adiuuetur. Ecce præmium: Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo. Sed prius dicit præmium, postea pœnam, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum indignos. Vide ergo quanto maius est præmium Dei, quàm iustitia nostra, & quãto grauior est vindicta, quàm nostrum peccatum. Si tu confessus fueris Christum coram hominibus, confiteris quia nihil potes præstare Deo: si autem ille te confessus fuerit coram Deo, confitetur quia potest facere te immortalẽ. Si tu negaueris Christum corã hominibus, denegans Christũ illi nocere nõ potes. Si autem te negauerit Christus coram Deo, denegat qui perdere potest in igne æterno. Quis est tam lapideus, qui non desideret iustitiæ suæ testẽ habere Christum? Si ergo magnum est testem esse Christi, quantum magis est testem habere Christum? Considera etiam denique, ne fortè dicant etiam fideles Christiani; si necessitas persecutionis aduenerit, interim coram hominibus de negatione patiar pœnas, in corde autem meo veritatem teneo Christi. Ideo non dicit, Qui me confessus fuerit in corde suo: sed, coram hominibus. Quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid quod in corde credit in Christum: quia qui ore denegat, non potest fieri vt in corde credat. Radix enim confessionis, fides est cordis. Confessio autem, fructus est fidei. Sicut ergo quandiu radix est viua, necesse est vt aut ramos producat, aut folia: si autem nõ produxerit, sine dubio intelligis, quod radix eius in terra siccata est. Sic quandiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore: si autem confessio nõ fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis eius iã antè siccata est. Sic enim Rom.10.
dicit Apostolus: Corde enim creditur ad iustitiã ore autem confessio fit ad salutem. Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Si autem tibi prodest corde credere, & non coram hominibus confiteri: ergo & infideli in hypocrisi confiteri Christum prodest, etiam si corde non credat. Si autem ille nihil proficit cõfitens sine fide, nec tu proficis credendo sine confessione. Si sufficit Christo qui cognoscit, & si confessus cum non fueris coram hominibus, ergo & tibi sufficiat quia cognoscit te Christus, & si non fuerit te confessus coram hominibus. Si autem tibi non sufficit cognitio eius, nec illi sufficit fides tua. Si enim sufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset, nunc autem & os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis. Nec tantùmore, sed quinque sensibus carnalibus. Si enim sufficeret cor aut

aut us, sic diceret & Propheta. Confitemini domino, in cithara vnius aut duarum chordarum, Psalmum dicite ei: nunc autem dicit in psalterio decem chordarum quia homo qui est psalterium, decem sonos habet, quinque carnales, & quinque spirituales. Cum his omnibus oportet confiteri Christũ. Si autem vel vnus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio. Ergo si quis tibi dicat, non manduces idololatrym, sed aspice tantùm ad idola, quomodo speciosa sunt, si aspexeris prouocatus oculis tuis negasti Christũ. Non quia aspicere idola aliquid sit, sed quia inuitatus aspicis, peccas. Si autem nõ aspexeris, oculis tuis confessus es Christum. Ideo scriptum est, Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Si verò dixerit tibi, nolo vt aspicias idola, sed tãtùm ausculta quomodo ille gentilis blasphemat Christum, vt glorificet deos. Si auscultaueris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, nolo vt audias blasphemiam Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur, tantum sta, & accipe odorem incensi illius. Si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es. Item si dixerit tibi, non manduca carnem, dentibus tuis tantùm finge, te de immolato manducare: si simulaueris, sic gustu tuo Christum negasti. Si autem nolueris fingere, Christum cõfessus es, sicut Eleazarus in libro Machabeorum, qui carnes veruecinas sub specie porcinæ noluit manducare. Si dixerit, nolo, fingas te de immolato manducare, sed tantùm tange idolum manu tua, aut tene thuribulum. Si tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolueris, tactu tuo Christum confessus es, sicut scriptum est: si est iniquitas; in manibus meis. Omnia enim membra animæ, vel corporis tui, non solùm tibi ad vsum Deus creauit, sed sibi ad gloriam.

Psal. 13.

Psal. 118.

2 Machab. 6.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hippon. in superius Euang. Homilia.*

Est fragmentum Sermonis 18. de verbis Apostoli. Matth. 10.

Nolite timere eos, &c. Duæ quippe habitationes sũt, vna in igne æterno, alia in regno æterno. Puta quia in igne æterno aliter ille, aliter ille torquebũtur, vbi erunt, tamẽ ibi omnes cruciabũtur, minus ille, plus ille, Quia tolerabiliùs erit Sodomæ in die iudicij quã alteri ciuitati: & quidã circumeunt mare & terra facere vnũ proselytũ, quem cùm fecerint, faciunt eum filium gehennæ duplo quàm sint ipsi. Puta quia alij duplo, alij simplo, puta quia alij plus, alij minus. Nun est regio vbi eligas locum. Quæcunque ibi miniora tormenta sunt, peiora sunt quàm quæ formidas in isto seculo. Cogita quo modo tremebas si tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tu ipse contra te malè viuis vt mittaris in ignem? Contremiscis, conturbaris, pallescis, ad Ecclesiam curris; Episcopum videre desideras, ad pedes eius volutatis. Quærit, quare? Libera me. Quid agitur? Ecce ille mihi calomniatur. Et quid tibi facturus est? Domine concurior, domine in carcerem mittor, miserere mei, libera me. Ecce quomodo timetur carcer, quomodo timetur conclusio * & non timetur gehennæ exustio. Postremò quando augetur calamitas, & pressura sæuit accusator, & vsque

Matth. 23.

* al. Ansosio.

ad mortem sæuit, quando bonum videtur homini ne moriatur, ne occidatur, debere succurri omnes clamant, adiutoria cuncta implorantur, subuenite, currite, propter animam. Tota ex... generatio calamitatis est, quia dicitur, propter animã. Succurrendum est quidem, nec huic timori adiutorium denegandum, faciendum quod fieri potest à quo potest. Veruntamẽ ego interrogare volo periclitantem, & isto nomine mea viscera commouentem, quoniam dicit, currite propter animam. Facile huic ego respondeo, Ego quidem curro propter carnem tuam, vtinam tu curreres propter animam tuam. Et vt noueris quia propter corpus tuum curro non propter animam tuam, melius audio Christum vera dicentem, quàm te timore falso murmurantem. Ipse enim dominus dicit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Certè propter animam tuam me vis currere. Ecce quem times & sub cuius comminationibus expallescis, non potest occidere animam tuam, vsque ad corpus sæuit, tu noli sæuire in animam tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest, non lancea, sed lingua. Inimicus qui te petentit finit hanc vitam: Os autem quod mentitur, occidit animam. Ex his ergo quæ io hoc tempore homines timent, coniiciant quæ timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennam, timet quæstionarios tortores, & non timet infernales angelos, timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni. Postremo timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori. Ille qui te occisurus est quem times, quem exhorrescis, quem fugis, à cuius timore nõ sineris dormire, & ipsum in somnis si vides cùm dormieris, expauescis, quid est facturus tibi? Exclusurus est de carne tua animam tuam. Anima tua exclusa quò eat vide. Nec enim potest ille aliter carnem tuam occidere, nisi inde excludat animam tuam, per quam viuit caro tua. Præsentia quippe animæ tuæ caro viuit, & quandiu in carne tua præsens est anima tua, necesse est vt viuat caro tua. Ille autem qui tuam mortem quærit, eijcere vult de carne tua vitam tuam qua viuit caro tua. Putas non est aliqua vita qua viuit ipsa anima tua? Est enim anima tua vita quædam, qua viuit caro tua. Putas nulla alia vita est: qua viuit ipsa anima tua? Aut quo modo habet caro tua vitam, animam qua viuit caro tua? Fit & ipsa anima tua vt habeat aliquam vitam suam: & quomodo caro eùm moritur expirat animam vitam suam, sic & anima quando moritur expirat aliquam vitam suam. Si inuenerimus quæ sit hæc vita, non corporis tui quod est anima tua, sed vita vitæ corporis tui, hoc est vita animæ tuæ. Si inuenerimus eam ex hac morte quā times ne de carne eijciatur anima tua, puto quia plus debes timere illā mortem, ne vita animæ tuæ proiiciatur de anima tua. Breuiter ego dicam, Et quid multis teneor? Vita corporis anima est, vita animæ Deus est. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpore, vt & corpora nostra templum sint spiritus sancti quem habemus à Deo. Venit enim spiritus ad animam nostram, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, & totũ possidet qui principalem tenet. Io re quippe illud principatur quod melius est. Tenens Deus quod melius, id est cor tuum, mentem tuam, animam tuam, profectò per meliorem possidet

Matth. 10.

Sap. 1.

1. Cor. 6. Rom. 5.

possides & inferiorem quod est corpus tuum. Sæuiat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam, anima tua non excludat à se vitã suam. Si rectè plangis & putas te miserabiliter dicere potenti inimico tuo, Noli ferire, parce sanguini meo, non tibi dicit Deus: Miserere animæ tuæ placẽs Deo? Anima tua forte dicit, Roga illum ne feriat, nam dimitto te. *Eccles. 30* Si enim percusserit, manere tecum non possum: Roga ne feriat, si vis vt non te dimittam. Quæ tibi dicit, si vis vt non te dimittam? Tu ipse. Tu enim qui loqueris, anima es. Si enim percusserit carnẽ, tu fugis, tu exis, tu migras, iacet terra in terra. Vbi erit quod animauit terram, quod flatu Dei tibi datũ est, vbi erit? Si non efflauit vitam suam, id est, Deum suum, in illo erit quem non perdidit, in illo erit quem non à se exclusit. Si autem obtemperas infirmitati animæ tuæ, dicenti tibi, Ferit & dimitto te, non times Deum dicentem tibi, Peccas, & dimitto te. De timore vano timorem vtilem capiamus, *Timor vanus.* Timor vanus est omnium hominum timẽtium amittere temporalia, quandoque migraturorum & migrare trepidantium, volentium semper differre quod non possunt auferre. Vanus est iste timor hominum, & tamen est & vehemens est, & resisti ei non potest. Hinc increpandi, hinc obiurgandi, hinc plangendi, hinc lugendi homines timentes mori, & nihil aliud agentes, nisi serius mori. Quare non agunt nunquam mori? Quoniam qui id agunt, non efficiunt vt non moriantur. Possunt autem aliquid agere, quò efficiat vt nunquam moriantur? *Mors inexorabilis.* Nullo modo, Prorsus quicquid egeris, quantumcunque inuigilaueris, quocunque fugeris, quælibet munimenta quæsieris, quibuslibet diuitiis te redemeris, quibuslibet calliditatibus hostem fefelleris, non fallis febrem. Nihil enim aliud agis vt non citò ab hoste moriaris, nisi vt serius aliquando à febre moriaris. Habes quod agas, vt nunquam moriaris. Si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est, vita tua Christus est, vita tua spiritus sanctus est. Non illi places malè agẽdo, templum ruinosum nõ inhabitat, templum sordidum non ingreditur, sed geme ad illum vt mundet sibi locum, geme ad illum vt ædificet templũ sibi, quod tu destruxisti ipse construat, quod tu exterminasti ipse reformet, quod tu deiecisti ipse erigat. Clama ad Deum, clama interius, clama vbi audit, quia & ibi peccas vbi videt, clama vbi audit: & cum timore te correxeris, & vtiliter timere cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia, & ideo adulter non fueris: Hinc enim loquebamur propter Apostolum, qui dixit, *1.Cor.6.* Corpora vestra membra Christi sunt: Cum ergo ideo adulter esse non cœperis, quia times ardere in igne sempiterno, nondum laudandus es, non quidem ita dolendus vt antè, sed tamen nondum laudandus. Quid enim magnum est timere pœnam? Magnum est, sed amare iustitiam. Interrogo te, & inuenio te. Tu inspice interrogationem meam sonantem, & fac de teipso interrogationem silentem. Dico ergo tibi, Libidine victus habes consentientem, quare non committis adulterium? Et respondebis, quia timeo gehennã, timeo supplicium ignis æterni, timeo iudicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam: Quid dicturus sum? Male times? Quo modo tibi dicam de aduersario, quia quærebat corpus tuum occidere: Ibi enim rectè dicebam, male times, securum te fecit dominus tuus, dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt. *Matth. 10.* Modo cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, Quid dicturus sum? Malè times? vanè times? Non audeo, quandoquidem ipse dominus ablato timore subiecit timorem, & ait, vbi dixit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, & posteà non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam ignis: ita dico vobis, hũc timere. Cùm ergo dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetẽdo verbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego sum, malè times ista? Non dicam, Planè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te conuinceret in iudicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice teipsum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, charitatem nondum habes, *seruiliter times, formido est mali, nondum delectatio boni, sed time etiam vt ista formido custodiat te, vt perducat ad dilectionem. ** al. castè time si nondum amas.* Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore non finit: est quidam custos timor, quasi pedagogus legis, litera est minans, nõdum gratia iuuans, Custodiat tamen timor iste dùm nõ facis timendo, & veniet charitas, intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat ne faceres, charitas hoc agit vt nolis facere etiam si impunè possis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini charitatem, intret charitas, admittite illam, timendo peccare admittite amorem non peccantẽ, admittite amorem benè viuentem. Illa vt dicere cœpertã intrante, incipit timor exire. Quantò plus illa intrauerit, tantò timor minor erit. Cum illa tota intrauerit, nullus timor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem: *1 Ioan. 4.* Intrat ergo charitas, pellit timorem, non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem quem introducit ipsa, sed illum castum permanẽtem in seculum seculi. *Psal. 18* Seruilis timor est quo times cum diabolo ardere, timor castus est quo times Deo displicere. Cõsiderate charissimi, & ipsos humanos interrogate affectus. Timet seruus offendere dominum suum, ne iubeat eum verberari, iubeat in cõpedes mitti, iubeat carcere includi, iubeat eum pistrino conteri. Hæc timens seruus non peccat, sed quando senserit absentes oculos domini sui, nec habuerit testem à quo possit conuinci facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non iustitiam diligebat. Vir autem bonus, vir iustus, homo liber (nam solus iustus liber. *Ioan. 8.* Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati) delectatur ipsa iusticia & si possit sine teste peccare, & testem reformidat & Deum: & si possit audire Deum dicentem sibi, video te cùm peccas, non te damnabo, sed displices mihi, ille nolens displicere oculis patris, non formidolosi iudicis, timet non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: sed ne offendat gaudium paternum, ne displiceat oculis amantis. Si enim amat ipse, & amantem sui dominum sentit, non facit quod displicet amanti se. Lubricos & inhonestos amores attendite. Si quis amore fœminæ lascius & nequam vestit se aliter quàm

illi placet, vestit se aliter quàm amatæ suæ placet, aut ornat se aliter quàm illi placet, & illa dixerit, nolo te habere tale byrrhũ, non habet: si per hyemem illi dicat, in lacerna te amo, eligit tremere quàm displicere. Nunquid illa cui displicet damnatura est? Nunquid in carcerem missura? Nunquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, non te videbo, hoc solùm ibi contremiscitur, faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicit & terret, Deus dicit & non terret? Sanè plurimum, sed & si amamus. Si autem non amamus, non inde terremur, sed terremur vt serui de igne, de gehenna, de atrocissimis tartareis minis, de exaggeratissimis diaboli angelis, eiúsque suppliciis, vel inde terreamur. Si illud minus amamus, vel illa timeamus.

5. PETRI CHRYSOLOGI *Episcopi Rauen. in superius Euang. expositio.*

Est Ser. 101. NOlite timere eos qui occidũt corpus, &c. Audistis fratres, quemadmodum milites suos Christus regia exhortatione compellat, vt despectu mortis, interfectores corporis non pauescant: denique eos in amicorum iura transcribit, qui studio triumphi, qui amore libertatis, sanguinem cũ gaudio, & sine trepidatione fuderint, sic enim ait, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.* Vobis autem dico amicis meis ne terreamini: quia libertatẽ probat virtus, metus indicat seruitutem: nam liber ad gloriam, seruus natus est ad timorem. Meritò ergo ad Dei amicitias sublimatur, qui propter Deum humanas despicit mortes, nescit timores. Si amicos morum facit imitatio, morum similitudo coniungit, conuenienter eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi iacula, & ipsam mortis formidinem conspicit, & præuidet calcaturos. *Vobis autem dico.* Id est, non omnibus, sed amicis. *Vobis autem dico.* Quos mors absoluit ista, non finit. *Vobis dico.* Quos corporis resolutio promouet ad melius, non transducit ad pœnam. *Vobis dico.* Quibus morte vita inchoatur, non finitur. *Vobis dico.* Quorum mors preciosa fit non sui qualitate, sed causa, dùm vitæ magis lucra inuenit, quàm vitæ perdat vsuram. Sed audiamus quid dicat amicis suis. Ne *terreamini ab his qui occidunt corpus.* Audiant qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriuerunt, nihil tamen inde spere virtutis, aut consolationis aliquid inuenire valuerunt. Quia & si totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarũt lachrymas, suspiria sustulerũt, negauerũt gemitus, incluserunt dolores: nihil tamen, aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. Quis homini, quis sapientis dicat? Mori naturæ est: necesse est deperire. Nobis vixerunt veteres, viuimus nos futuris: nemo sibi, quod non potest tolli velle virtutis est: suscipe voluntarius ad quod vrgeris inuitus: mors antequam veniat non est, cùm autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod cùm amiseris non dolebis. Sed hæc talia cùm dixerint, dicunt totum de sententia, non de vita. Quia vnde, & quando, & quomodo tibi, & per quẽ mors venerit, nescierunt: nobis autem author vitę prodidit mortis authorem: Deus nanque vitam fecit, diabolus machinatus est in vitam, diuino eloquio sic prodente, Deus mortem non fecit, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Sed dicis, quare Deus opere diaboli opus suum passus est deperire? O homo, si interrogata scire velles, vacares paululum, dares animum, aperires aures, vt negotium principale, arbiter ipse tu tam curiosus agnosceres, sed tu occupatus aliis semper, tibi nunquam, quare nescias rerum causas, negotia tota sæculorum, iudiciorum profundum, & impenetrabile secretum, deses & ociosus accusas. Nónne vt apices literarum, vt elementa cognosceres, addictus magistro, scholis affixus, totus patiens laboris & pœnæ, nec domum nouetas, nec parentes? Quàm vile tibi est ad quod tibi magister addicitur, ingeritur schola, & tibi pœnis tuis, labore suo doctor supplicat, vt ista velle scire, vt talia & tanta digneris audire. Probant hoc Apostoli, & maximè Paulus, qui vapulando docuit non cædendo, vt eximius magister quot sunt homini mores, tot ferret & exciperet passiones. Et nos ea in puncto temporis rerum principia, causas sæculi dicamus, quia iubemur: & quomodo nos iubemur? & tu audis non quomodo debes: & nos ista seruitus, necessitas talis excusat: te libertas tanta, voluntas talis, indubitãter accusat: quod dicimus, officij nostri est: quod minus dicimus, est fastidij tui. Quæris homo, cur non mortem Deus, mox cum ipso extinxit authore, & lethale virus sua prouidentia tunc non prouidit, ne ad totius orbis, & præcipuè ad suæ imaginis perniciem perueniret? Cælum quod tu vides homo firmatum aëre toto, portat aquas multas, nec portatur ab aliquo ipsum, quia sola illud appendit iussio, sola sustinet vis præcepti, diuino eloquio sic prodente, Qui extendit cælum sicut pellem: qui* tingit in aquis superiora eius. Terra quæ tanto calcatur pondere, atque onere montium, ac molle solidatur, supernatat liquido fundamento: dicente propheta, Qui fundauit terram super aquas vt quod stat, mandati sit, non naturę. Ipse, inquit, dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt: vt quod stat, sit diuini operis, non rationis humanæ. Mare quod tanto commotionis suæ vertice fertur, & eleuatur ad nubes, frænant tenues arenæ, vt videamus potestatem non pulueri cedere, sed præcepto. Omnia quæ in eis sunt, mouentur, ac viuunt solo iussu facta, iterum sola iussione soluenda confirmat propheta, cum dicit: Initio tu domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt tu autem permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Quomodo? Vt tempori vetustas, non creatori pereat creatura. Sed tu iam nos quicunque quæris, euagatus es, dicis: quia cùm tu quæris, quare Deus mortem in destructionẽ sui plasmatis permiserit permanere, nos cælum, terram, mare ex nihilo facta, & soluenda iterum ex nihilo longo sermone descripsimus, tibi magis ac magis disquirendi materiam conquisiuimus. Dicis, Ego quæsiui cur homo pereat, & tu ipsa elementa peritura firmasti, vt de generalitate pereundi solatium, non quietem de ratione, fessis mortalium sensibus prouideres, quasi non doloris sit perire cælum, solui terram, & totam rerum faciem iure mortalitatis aboleri. Dicis, rogo quid pulchriùs cælo? quid splendidiùs sole? quid ornatiùs stellis? quid

Sap. 1.
Sap. 2.
Psal. 103. * al. regit aquis.
Psal. 23.
Psal. 148.
Psal. 101.

quid luna gratiùs? quid salubriùs terra? quid vtiliùs mari? aut quæ in istis vetustas? quæ sicut nata vel facta sunt perseuerant: quòd vtique gratiùs esset ista stare, quàm perdere. Homo, forsitan esset iucundiùs, sed non vtiliùs: nam istis stantibus tu nutasti: istis lucentibus cæcatus es, ne videres: cælestium claritas stupefecit sensus tuos, oculos tuos sol splendore excæcauit: nam decore decepitus hominum, horum opificem tu negasti, istos tectores mundi, istos confessus es deos, quos tuæ Deus verus subiecerat seruituti: necesse est ergo solui cuncta, non autem omnia, vt vel tunc facta credas, cùm videris esse reparata. Nec nos æstimes euagatos, quos in argumentum tuæ intelligentiæ totam percurrisse conspicis creaturã. Homo quando te author tuus fecit ex puluere, nõ vidisti: nã si te vidisses factum nũquam te mortuũ sic defleuisses: vidisti te perfectũ vidisti te viuentẽ, vidisti te decorum, authori tuo te similem iam vidisti: vnde esses, qualis esses, quia nec nascentem nec morientem videras, nesciebas: hinc est, quòd naturæ dedisti totum, tibi te, Deo nihil: propterea Deus per naturam redegit te, permisit ex nihilo in puluerem reuocari, vt quid fueris sic videas, & resurrecturus agas gratias, qui factus, qui creatus ingratissimos extitisti. Non timeamus ergo fratres, sicut dixit Dominus, eos qui occidunt corpus, quia istam vitam non perimunt, sed destruunt, dùm de temporali faciũt sempiternam. Quid plura fratres? Permisit tunc mori, qui poterat suscitare, qui viuificare sufficit, permisit occidi: cui est honor & gloria in sæcula, Amen.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emissent in superius Euang. Homil.

TAlia sunt præmia Christi, talia sunt bella noui testamẽti. Sic Christi fideles pugnare nouerunt. Dixerat eis Dominus superius: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Præcepe- Matth. 10. rat eis vt essent prudentes sicut serpentes: nunc autem dicit eis vt fugiant, & persecutoribus se sequentibus non tesistãt. Fugerunt Istaëlitæ, Ægyptus, & vicerunt, fugit & Dauid, & rex à Domino constitutus est. Hanc autem fugam Iacob patriarcha significauit; qui priùs magnam, & longam seruitutem simul cum vxoribus & liberis, omnique possessione sua Laban socerum suum fugisse legitur. Quem Laban ipse septẽ diebus persecutus, tandem inuenit eum in monte Galaad. Labã enim qui candidus interpretatur, hunc mundum significat. Valde enim sibi proxima sunt, & idem quodammodo hæc duo nomina significare videtur, candidus & mundus. Qui enim candidus est, mundus quoque esse videtur. Puto autem quòd fabricam suam ideo tali nomine omnipotens Deus vocari voluit: quia vidit cuncta quæ fecerat & erant valde bona. Si enim omnia bona erant, nihil nisi mundum in eis erat. Ex eo autem ipse mundus est immundus, ex quo terra in sanguinibus corrupta narratur. Quid igitur Iacob simul cum vxoribus & filiis, omnique sua possessione Laban fugisse legitur? Hoc significare videtur, vt nos quoque mundum istum fugiamus, & amicos & propinquos, & quoscunque possumus de eius seruitute eripiamus. Septem diebus Laban sequitur Iacob, quia quandiu viuimus mundus iste persequi nos non cessat. Non enim sunt dies nisi septem. Igitur qui septem diebus nos persequitur, nullo tempore à persecutione quiescit. Quò igitur fugiemus? Fugiamus ad mõtem Galaad, ibique tentoria figamus. Galaad, nãque aceruus testimonij interpretatur, per quem vtriusque testamenti librum intelligimus, in quo omnia legis & Prophetarum, Apostolorum & doctorum exempla & testimonia collecta sunt. In quo Ioannes Apostolus clamat: Nolite diligere 1. Ioan. 2. mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Vbi ipse Dominus Discipulis ait, Si de mundo fuissetis, Ioan. 15. mundus quod suum erat diligeret. Vos autem de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Talia & his similia audiútur in mõte Galaad. Illud igitur fugiamus, & Dominum dicentem audiamus: *Cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam, &c.* Vbique patientiam & innocentiã Dominus docet: non resistere, sed fugere admonet. Fugite, inquit, malos: fugite persecutores, fugite in aliã ciuitatem: non enim deerunt vobis ciuitates, ad quas fugere possitis. Priùs enim veniet filius hominis, priùs ad iudicium reuertetur, quàm vos omnes ciuitates Israël consumatis & ad fidem conuertatis. Mea exempla vos doceãt, ad me respicite: quod in me fieri videtis, hoc in vobis ne formidetis. *Non est enim discipulus supra magistrum, &c.* Qui me offendere & persequi non timent, vos quoque offendere & persequi non timebunt. *Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, &c.* Hoc autem dicens de seipso se magistrum & Dominum vocat. Si enim magister indoctus fuerit, non sufficit discipulo ignorãtia magistri. Et si Dominus pauper & miser fuerit, non sufficit seruo miseria domini. Si enim sufficeret, nihil ampliùs quæreret. Quod autem hoc de seipso & non de alio dicat, sequentia manifestant. *Si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ipse est enim paterfamilias, cuius familia est omnis ecclesia; de quo tamen Iudæi dicere non timuerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Luc. 11. Non ergo timueritis eos, quia nec ego timui, sed patienter cuncta sustinui. Hæc autem quæ dico operta sunt, nondum videntur, de futuris loquor, omnia in suo tẽpore manifestabuntur. *Nihil enim opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.* Vnde Apostolus, Nolite, inquit, ante tem- 1. Cor. 5. pus iudicate quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Quod in ænigmate & figura auditis, quod vobis in consilius manifesto, dicite palam & apertè, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. In aure enim auditur quod secretè & quasi sub silentio dicitur. Latent autem quæ sub tecto sunt. Super tecta igitur prædicare, est in aperto & cunctis audientibus loqui. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus.* Prædicate, inquit, Enãgelizate, officium vestrum implete. Multi quidem erunt qui vos persequẽtur, qui vos affligent & occident: sed nolite timere eos qui occidunt corpus. Occiditur enim quod mortale erat. Nam & si non occiderent, moreretur tamen: *Animam autem non possunt occidere:* anima enim immortalis est, quæ dum peccat moritur, & à vera vita, quæ Christus est, separatur, gladius tamen occidi non potest

potest. *Sed potiùs eum timete qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Illi in solo corpore, hic in corpore & anima potestatem habet. Illorum pœna citò transit, istius nunquam finitur. Illi quoque nec in ipso corpore potestatem habuissent,
Sect. Euang. nisi eis a Domino datum fuisset. *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro?* Si igitur illi, qui tam vili precio venduntur, sine Dei voluntate & permissione cadere nō possunt, quātò magis vos qui empti estis
1.Cor.6. precio magno, & Christi sanguine redempti estis? *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Saeuiant tyranni quantum velint, nullo tamen tormentorum genere vos delere & consumere poterunt. Non est autem difficile ei capillos numerare, cui difficile non fuit creare. In hoc autem quòd eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiā resurgere, & nihil de ea perire significat. Si omnes enim capilli numerati sunt omnésq; resurgent, quare & nō toti resurgerent. Quis enim credat vt capillus ex parte resurgat, & ex parte pereat? Sed fortasse inconueniēs tibi esse videtur, vt tam longi capilli in homine resurgant. Necesse quidē est vt totus homo resurgat, sed non est necesse vt tota hominis substantia sua in ea parte resurgat, vbi priùs in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis & argenteis, quum iterum conflantur, materia quidem tota seruatur, partiū tamē positio non eadem seruatur, vt quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequentis partibus fiat: Ita & in homine substantia tota resurget, tota tamen in eisdem partibus necessariò non resurget. Ac per hoc nihil superfluum, nihil minus, nihil indecēs, & inconueniens resurget in homine. Quod enim in aliis partibus superabūdat, aliis partibus supplemētum dabit. Nolite ergo timere multis passeribus, & pluris precij & meliores estis vos. Qui itaq; de illis curā habet, multò magis vos non deseret neq; derelinquet. *Omnis ergo qui cōfitebitur me coram hominibus, cōfitebor & ego eum corā patre meo qui est in cœlis.* Determinanda sunt eloquia saluatoris nostri. Nam neque omnes confitebitur Dominus, qui eum confitentur: neque omnes negabit qui eum negant. Ipse enim dicit, Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in re-
Matth.7. gnum cœlorum. Beatus quoque Petrus qui eum
Luc.23. negauerat, ab eo nō negabitur. De illis igitur intelligatur qui in tormentis positi, non in eius nominis cōfessione vsque ad mortem firmiter fideliterque persistunt. Qui enim timore mortis Deū negant, nisi digna pœnitentia satisfecerint, dubiū non est quin pereant in æternum. Omnia enim hæc illis dicuntur, qui pro Christi nomine persequutionem patiuntur.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. *superioris Euang. expositio.*

QVum autem vos fuerint persequuti in ciuitate hac, &c. Quæ supra dicta sunt, terribilia erant, vt quod tradent vos, & eritis odio, & post eius ascensionem futura erāt: quod autem nunc dicitur de his quę ante crucem. Non enim consummabitis ciuitates Israël in persecutionibus, & statim veniam ad vos. Iubet enim fugere eum qui persecutionem patitur. Enimuero temere se in periculum inijcere, & autorem fieri condemnationis, homicidis, & damno esse his quibus per prędicationem prodesse poterant, diabolicum est. Donec veniat filius hominis. Non de secundo aduentu intelligas, sed de conuentu & consolatione ante crucem. Missi enim ad prædicandum, iterum ad eum redierunt, & cum eo cōuersati sunt. *Non est discipulus supra præceptorem, &c.* Docet hoc eos ferendas iniurias. Nam si ego præceptor & Dominus sustinui, multò magis vos discipuli & serui. Interrogas autem, quomodo dicit, nō est discipulus supra præceptorem, quum videamus multos discipulos præceptoribus antecellere. Intellige igitur, quod donec fuerint, discipuli minores erunt præceptoribus: quod si præstantiores fuerint, non erunt iam discipuli: sic & seruus quandiu est seruus, non erit supra Dominum suum. *Si ipsum patremfamilias vocauerunt Beelzebub, &c.* Consolationem accipite à meis. Si enim principem dæmoniorum vocauerunt: quid graue; si & vos familiares meos conuitiis taxent? Domesticos vocauit, suam erga illos declarans familiaritatem, sed confidite, veritas non occultabitur: sed tempus reuelabit & vestram virtutē, & conuitiatorum malitiam. Nihil enim est occultum, quod nō sciatur. Licet igitur nunc traducant, sed posteà vos etiam claros reddent. *Quod dico vobis in tenebris, hoc dicite in luce, &c.* Id quod seorsum dixi vobis & in vno loco (hoc est enim in aurem & in tenebris) fidenter docete, & magna voce, ita vt omnes vos audiant. Quia autem dicendi libertatem & pericula sequuntur, subdit, *Et ne timeatis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non poterunt occidere, &c.* Docet & mortem contemnendam. Terribiliùs enim (inquit) gehennæ supplicium est. Qui enim occidunt, solùm corpus destruunt, animæ autē fortassis benefaciunt. Deus autem in gehennam proiiciens, & animam & corpus punit. Gehēnam autem quum dixit significat perpetuam pœnam. Gehenna enim dicitur à semper nascendo. *Nonne duo passeres, &c.* Ne sicut derelicti turbarentur, inquit: si neque passer ignorante me capitur, quomodo vos quos amo derelinquam? Euidentem autem scientiam & prudentiam iudicans, dicit, capillos vestros numeratos esse. Ne putes igitur, quod opus sit, operante Deo, vt illaqueentur passeres: sed quod illorum aucupium ignoretur à Deo. *Omnis igitur qui me confitebitur, &c.* Ad martyrium & testificationem hortatur: non enim sufficit fides in sola anima sed vult & per os confiteri nos Deus: Non dixit autem qui cōfitebitur me sed in me, id est, in mea virtute. Nam qui confitetur, superna virtute adiutus confitetur. Posteà de negante, non dixit in me sed me: ostendens quod non habens supernū auxilium, negatur. Omnis enim qui confitetur, quod Deus est Christus inuenit Christum confitentem de se patri, quod fidelis sit seruus. Qui autem negauerint, audient: Nescio vos.

Nō temerè se ingerēdum in periculum.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang. expositio.*

QVum autem persecuti vos fuerint, &c. Postquam dixit quæ post ascensionem suam erant euen

euentura, sermonem ad ea reduxit, quæ ante crucem futura erant. Iubet autem fugere, non tanquam timidus, sed tanquam eos qui expelluntur. Verùm sicut Gregorius Theologus interpretatur, iubet vt misereantur persequentium & imbecillorum: nec longe fugiant, Sed ab hac ciuitate in illam, ne vllam prætereant, ad quam non perueniant. *Amen dico vobis non perambulaueritis ciuitates, &c.* Priusquam veniat ad vos. Hoc autem ad solatium, & refrigerium eorum dixit, confirmans quòd citius, eos esset sibi adiuncturus, quàm ipsi omnes Iudæorum ciuitates circumirent, siue antequam vniuersam Palæstinam accederent. Sufficiebat enim pro omni consolatione, vt illis adeò exagitatis appareret: quod sanè tunc etiam fecit, sicut promisit. Quia autem futurum erat, vt ab his qui se persequerentur, calumniam sustinerent, & id ægrè molesteque ferrent: super hoc etiam consolationem affert, partim à proprio exemplo, & ab his quæ sibiipsi accidebant, dicens. *Non est discipulus.* Communem profert sententiam, quæque omnibus nota est: & huic adoptat, quæ circa se accidunt, vt nullus possit contradicere. Verè enim ita est, quod neque discipulus magistro suo præstantior est, neque seruus suo domino: dùm ille discipulus fuerit, & iste seruus: Nam subiectio quædam est, doceri ac seruire, & secundum hoc ipsum omnino subiecti sunt. Itaque neque vos supra me estis, cùm sim magister & Dominus vester. *Sufficit discipulo, &c.* Satis est vobis discipulis ad consolationem, vt contumelia afficiamini, sicut & ego qui sum magister vester; idque magnum est, vt etiam in talibus mihi similes sitis. *Et seruus sicut Dominus suus.* Rursus etiam huc trahendum est, quod dixit: Sufficit vt fiat. *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, &c.* Beelzebub vocabant principem dæmoniorum. Et licet manifestè scriptum non sit, vocatum esse Christum Beelzebub à Iudæis, verisimile tamen est, hoc conuitium aduersus illum iactatum esse. Vel etiam alio modo, vocatum esse dicit Beelzebub, quia amicum illum vocabant eum, dicentes. Hic non ejicit dæmonia

Matth. 12. nisi per Beelzebub, principem dæmoniorum, vt in processu inueniemus. Atqui multa alia quoque conuitia iactabant in eum: verùm hoc solum apposuit tanquam omnium pessimum. *Ne ergo timueritis, &c.* Conuitiantes videlicet ac mordentes. *Nihil enim tectum, &c.* Vniuersalis quidem sermo videtur, est tamẽ & proprius: de virtute enim apostolorum loquitur: quod hanc impossibile sit abscondi: quamquam enim nunc abscondita sit, & ideo vos obiurgant: suo tamen tempore detegetur. Et si ergo nunc ab omnibus arguamini, ne timueritis tamẽ eos qui redarguunt: sed illos potius expectate, qui in posterũ sunt laudaturi: neque præsentia contristent, sed futura potius ad confidendum adducant. *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.* Postquam hos tristitia liberauit, quæ propter conuitia causatur: nunc de prædicatione differit. Atqui neque tenebræ erant quando hęc dicebat: neque in aurem eis loquebatur. Sed quia priuatim hæc & non publicè dicebat: & solis eis, non omnibus, ideo ait: Quod dico vobis priuatim, dicite publice: & quod soli audistis, prædicate omnibus. In tenebris ergo nominauit, quod priuatim dicebatur. In aurem verò, quòd solis. Et rursus. In luce, quod publice: in tectis autem, quod omnibus. *Et ne ab his timueritis, qui occidunt corpus, &c.* Quum prius de aliis periculis dissereret, subincidit & sermo de interfectione ipsorum: hanc ergo etiam prædicit, iubétque eam paruipendi: ne timueritis, inquiens, ab his qui occidunt corpus, hoc est, ne timueritis occidentes corpus: neque propterea prædicationẽ relinquatis: sed eum timete qui vos ad huiusmodi ministerium emisit, & facite quod iussum est. Siquidem illi, & si corpus occidant, nequaquam tamen animam superabunt: hic autem & animam & corpus potest perdere in gehenna, hoc est, punire. Timorem igitur hominum, Dei timore repellite, minorem videlicet maiore. Aliunde quoque hos de interfectionis metu consolatur: & vide quid dicat. *Nónne duo passerculi pro vno asse veneunt, &c.* ἀσσάριον genus oboli, diminutiuum est ab asse, cuius tamen vilitas prouerbio celebris est. Dicit ergo nũc Christus interrogando: Nónne tãtæ vilitatis sunt passerculi, vt duo vendantur assario, hoc est, minimo obolo? & tamen neq; vnus ex iis capitur laqueo absque Deo, non tanquam cooperante, sed tanquam permittente. *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Vos autem tanti estis, vt omnes quoque capilli vestri numerati sint à Deo. Significat autem capillorum numerus exactam notitiam, quod valde cogniti sitis ab eo, & ad minutum quoque nouit ea quæ circa vos sunt, propter magnã vobiscum familiaritatem. Quod si ne vnus quidem vilissimorum passerculorum laqueo capitur, absque eius consensu, sicut dictum est, multo magis vos qui preciosi estis, non interficiemini, nisi ipse consenserit. Non oportet ergo formidare. *Ne igitur timueritis, pluris estis vos quàm multi passerculi.* Ad timoris abiectionem sępius adhortatur, propter magnitudinem tẽtationum. *Omnis ergo qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor & ego in illo coram patre meo, qui in cælis est. Quisquis autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo, qui in cælis est.* Confessionem vocat testimonium: prouocans eos ad sui testimonium. Dicit ergo: Omnis qui testimonium tulerit de mea diuinitate coram hominibus, & ego testimonium feram illi coram patre meo, hoc est, qui prędicauerit me esse Deum, prædicabo & ego eũ esse fidelem. Quisquis autem me repulerit, repellã & ego illum. Quod ergo dicitur, In me, Idem est, ac si dicat, mihi. Et quod dicitur, In illo ac si dicat, illi. Chrysostomus vero ait, quod non dixit, Quisquis confitebitur siue testimonium dederit mihi, sed in me siue per me, hoc est, à me adiutus. Vnde cõsequenter etiam intelligimus quum dicitur, Confitebor & ego in illo, perinde esse ac si dicat, A gratitudine ipsius motus. Quia autem futurum erat, vt turbatione ac cæde impleretur prædicatio, de hoc quoque tractat, dicens.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

IOAN. 3.

[a] Qui credunt resurrectionem: per hoc ab aliis diuisi. [b] Quasi dicat, nota nomen.


N illo tempore: Erat homo ex [a] Pharisæis [b] Nicodemus nomi-

[c] Vnus de principibus. [d] Lucem. [e] Ipse in tenebris est, non lux, quia non renatus.

ne, [c] princeps Iudæorum. Hic venit ad [d] Iesum [e] nocte, & dixit

[f] A Deo ad cæleste magisterium venisse, cum illo Deum esse sed ipsum Deum esse non cognouit.

ei: Rabbi scimus quia à [f] Deo venisti magister: Nemo enim po-

[g] Quæ vidit in Pascha fieri ab eo.

test hæc [g] signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

[h] Id est, spiritualem intellectum symboli percipiat.

Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi: ni quis [h] renatus fuerit

[i] Quod est ex Græco, desursum. [k] Id est, Non potest cognoscere me, qui sum regnum patris, qui sum visio veritatis. [l] Qui solam carnalem natiuitatem nouit, quæ non potest denuo fieri, ideo modum secundæ quærit.

[i] denuò, non [k] potest videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: [l] quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ

[m] Modum secundæ natiuitatis ostendit.

iterum introire, & renasci? [m] Respondit Iesus: Amen amen dico tibi: nisi quis

[n] Idem est intrare quod videre. Qui enim videt intrat, & qui intrat videt.

renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest [n] introire in regnum Dei.

[o] Id est, carnale est, habens naturam generandi: visibile est & inuisibilibus incrementis per tempora proficit. [p] Id est, Simile spiritui.

Quod natum est ex carne, [o] caro est: & quod natum est ex spiritu, [p] spiritus

[q] Non putes impossibile. [r] Id est, spiritualiter. [s] Quia. [t] In quibus vult operatur: & quando.

est. Et non [q] mireris, quia dixit tibi: oportet vos nasci [r] denuò: [s] Spiritus [t] vbi

[v] Quamuis vocem eius audias.

vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde [v] veniat, aut quo vadat. Sic est

[x] Quod nondum es tu.

omnis qui natus est ex [x] spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo

[y] Quod dicis: Vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. [z] Litera occidit, si flatus nescis, nominis scier

possunt [y] hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es [z] magister in Israel, & hæc

[a] Nos, ego, scilicet cum prophetis & apostolis. [b] In abscondito Dei.

ignoras? Amen amen dico tibi: quia quod [a] scimus loquimur, & quod [b] vidi-

[c] Foris mundo. [d] Id est, testimonio nostro vos carnales non creditis. [e] Id est, si terreni corporis solutionem & resurrectionem non credis, quid quæris aperiri mysterio spiritualis natiuitatis?

mus [c] testamur, & testimonium nostrum [d] non accipitis. Si [e] terrena dixi vo-

[f] Quasi dicat, Attamen dicam cælestia. [g] Secundum quod homo.

bis & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, [f] credetis? Et [g] nemo

[h] Secundum quod Deus. [i] Quia & idem est filius Dei. [k] Secundum quod Deus.

ascendit in cælum, nisi qui [h] descendit de cælo [i] filius hominis [k] qui est in cæ-

[l] Quasi dicat, Hoc modo illud fiet, scilicet per mortem Christi. [m] In cruce.

lo. Et [l] sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita [m] exaltari oportet fi-

[n] Id est, vera fide intuetur in ipsum.

lium hominis, vt omnis qui [n] credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam

[o] Hoc per filium hominis, quia idem est filius Dei, ex dilectione Dei ad hoc missus, Sic enim d. &c.

[o] æternam.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*


RAT *autem ho. &c.* Hic erat vnus ex his, qui per signa crediderant. *Nico. no.* Nicodemus, victoria populi: vel victor populi, gestaos figuram omnium qui ex Iudaico populo in Christum credentes per fidem vincunt mundum. Nicodemus: vel est figura cathecuminorum qui fidem habent, sed nondum baptizati, qui in quadam nocte sacramentorum accedunt, Vel est forma eorum qui perfectè credunt, sed lucem perfectorum operum nondum habent, timentes carnalium cogitationum, vel actionum, vel subdolo Iudæorum imperium: fide sola

de sola colloquio Christi fruẽtes, bonorum operum fiduciam non habentes. *Hic ve. &c.* Nox significat literam legis, vel ignorantiam cordis, vel timorem. Et nocte ideo forsitam venit, quia magister in Israel palam discere erubesceret, vel pro metu Iudæorum. Hic quia prudẽter aperta signa notauit, plenius mysteria fidei requirit: & ideo meruit doceri de deitate Christi & ipsius vtraque natiuitate: de passione, de resurrectione & ascensione, de secunda generatione, & ingressu regni cælorum, & de aliis pluribus. *Respondit Ie. Amen amen di.* Non interroganti secundam natiuitatem exposuit, ne credat Nicodemus solam fidem: quapropter visa signa crediderat in Iesum sufficere ad salutem absque spiritualis regenerationis virtute, & absque sacramentis. Etiam quia hominem purum intelligebat eum Nicodemus vt Ioãnem Baptistã, vel quemlibet ex prophetis: ideo incæpit eum instruere Iesus de secunda regeneratione, quæ intelligit eum filium Dei, & se posse filiũ Dei fieri. Aug. Secunda natiuitas de qua docet Iesus spiritualis est, quæ est ex Deo & ecclesia ad vitam: sed ille solam carnalem sapit quæ est ex Adam & Eua ad mortem. Sed sicut carnalem dicit iste non posse iterari, sic & spiritualis à quocunq; facta nõ potest iterari. Ex semine enim veri Abrahæ sunt nati, siue per liberã siue per ancillam. *Nisi quis.* Necessarium est visibile sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis corporis, sicut est necessaria doctrina inuisibilis fidei, & ad sanctificationem animæ inuisibilis. *Ex aqua.* Ex aqua, visibili sacramento, & spiritu, inuisibili intellectu, vt symbolum baptismi visibiliter accipiat, & spiritualem intellectum ipsius symboli perficiat. Vel ex aqua visibili & spiritu sancto. *Quod natũ.* Hanc spiritualem natiuitatem distinguit à carnali, dicens: *Quod natum est ex carne*, id est, ex primo homine per carnis successionem, carnale est. Nomine carnis, non solum carnem, sed totum carnalem hominem significat. Sic econtra totus homo spiritualis, anima & corpore spiritus dicitur. *Et quod, &c.* Verbo & sacramento spiritus inuisibiliter adest, quod natus ex Adam ad mortẽ nascitur, filius Dei ad vitam, qui non tantum spiritualis dicitur, sed spiritus: quia sicut substantia spiritus est inuisibilis, ita inuisibiliter per visibile sacramentum efficitur Dei filius. *Spiritus est.* Non autem miteris, si sic natum dico spiritum: quia sicut spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde venit, aut quo vadat, sic est omnis qui natus est ex spiritu. *Spiritus vbi.* Quia in potestate habet cuius cor illustret. Vocem eius audis in scripturis, vel dum loquitur aliquis plenus spiritu sancto: quæ & si audis, nescis vnde venit, id est, quomodo cor illius intrauit, vel quomodo redierit: quia natura eius est inuisibilis. Sic est omnis qui natus est ex spiritusancto: quia ipse inuisibiliter agente spiritu incipit esse quod non erat, ita vt infidelis nesciat vnde veniat, & quo vadat, id est, qua gratia venit in adoptionem filij, & vadit in regnum Dei. Quæ quia incognita sunt carnali: iterum quærit; Quomodo possunt hæc fieri: non habẽs spiritualem intellectum in litera legis impossibile putat quod dicitur de natiuitate per spiritũ. vnde redarguitur à Domino: Tu es magister, &c. *Et vo. &c.* Vox spiritus est vox Christi, quam audiuit Nicodemus: sed quia nondum est natus de spiritu, nescit vnde veniat, aut quo vadat, id est, qua occasione velit nasci hominem in spiritu, aut quo vadat, id est, ad quam perfectionem ducat ipsum nascentem ex se. Nam qui ex eo nascitur, vnus cum ipso spiritus per gratiam efficitur, sicut etiã ipse spiritus vnus est per naturã. *Tu es magister, &c.* Non insultat ei, vt superior eo habeatur qui omnibus præest, sed quia vult eum nasci ex spiritu, q nequit nisi humilis, tumidũ ex magisterio humiliat. Quasi dicat, Superbus princeps, nil nostri: humiliare vt ille, qui seipsum exinaniuit, & natus est ex spiritu, sciẽs quod modo nescis. *Quod scimus loquimur.* Id est quia ipse est sciẽtia, locutio & sermo patris. & quod vidi testamur: quia ipse visio, & verum testimonium & veritas patris. Quòd pluraliter, mysterium trinitatis innuit. *Si terrena.* Aug. Et quia non accipitis terrena, quomodo potestis capere cęlestia, id est, cælestẽ spiritus natiuitatem? cum nõ solum non credatis, sed nec intelligatis terrena: quod de tẽplo corporis mei (quod de terra accepi) dixi à vobis soluendo, à me suscitando. *Et nemo ascen. in cæ.* Postquam increpauit & ad humilitatem inuitauit, quia iste diligenter hia quæ audiuit attendit, instruit adhuc de cælestibus & terrenis. Cælestis est eius ascensio ad vitam. Terrena eius exaltatio in cruce ad mortẽ. Quasi dicat; Intellige cælestia, quæ non carnales, & idem intellige de ascensione. Renati enim spiritualiter ascendent in cælum, sed non nisi sint membra cohærentia illi qui in vna persona est homo & Dei filius, vt sciat iste nullum ex se per Christum posse ascendere, & ideo non dicũt homines ascendere, sed filium hominis totum cum corpore, qui secundum deitatem descendit de cęlo, & est in cælo, non secundum quòd est homo, Et quia hæc ascensio non potest esse nisi redemptis per passionem, ideo subdit: *Nisi qui descen.* Hoc pertinet ad secundam natiuitatem in spiritu, quia nemo in Christo ad patrem ascendit, nisi qui ex spiritu nascitur. Nemo saluatur per mortem Christi, nisi qui ex spiritu nascitur. Nemo nascitur ex spiritu nisi in morte Christi. Et cum dicit filius hominis, dat nobis certitudinem ascendendi, cum filij hominũ simus. *Et sicut Moyses ex.* Supponit de morte sua quæ est origo, & causa habendi prædicta: in cuius fide eum instruit. Et quia carnalis erat, & notus in lege: ideo quandam legis partem adducit, quam ostendit esse figuram & mortis suæ significatiuam: vt etiam sic pateat de aliis partibus legis, quod sint in figura. Et quia mors intelligitur per serpentem, & Christus mortuus serpens dicitur: quem qui fide intuetur, liberatur, sicut intuitu illius in figura ab igniris ser- Num. 21.
pentibus liberantur, qui significant incentiua vitiorum. *Ita exalta.* Magistrum legis ad significationem legis inuitat.

CATENA AVREA
in idem Euang.

E*Rat autem homo ex pharisæis Nicodemus nomine, &c.* Aug. Superius dixerat quòd cum esset Hierosolymis multi crediderunt in nomine eius videntes signa, & prodigia quæ faciebat. Ex his autem erat Nicodemus, de quo dicitur, *Erat autem homo ex Pharisæis, &c.* Beda, Cuius etiam dignitatis officium ostendit, cum subditur: *Prin. Iu.* Deinde quid egerit, cùm subiecit: *Hic ve. ad Ies. no. Iu.*

Cupiés scilicet secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei: cuius aperta ostẽsione signorum iam rudimenta perceperat. Chrys. Adhuc tamen à Iudaica detinebatur infirmitate, propterea & nocte venit, trepidans in die hoc facere: vnde & euangelista alibi dicit: Quoniam ex principibus multi crediderũt in eum, sed propter Iudæos non cõfitebantur: vt nõ extra synagogã fierẽt expulsi. Augu. Nicodemus etiam ex illo numero erat qui crediderunt, sed nondum renati sunt: vnde hoc ad rem pertinet ꝙ in nocte venit. Renati autem ex aqua & spiritu sancto audiũt ab Apostolo: Fuistis aliquando tenebrę, nũc autẽ lux in domino. Haymo. Vel pulchrè in nocte venisse dicitur: quia tenebris ignorantiæ obnubilatus ad tantam lucem nondum peruenerat, vt perfectè Deum verum crederet. Nox enim in sacro eloquio pro ignorantia ponitur: vnde subditur: *Et dixit ei, Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister.* Quòd autem Hebraicè Rabbi, Latinè dicitur, magister. Magistrum ergo appellat, & Deum tacet, quia credebat eum à Deo missum, sed tamen, vt dictum est, Deum non agnoscebat. Aug. Vnde autem iste crediderat, patet per id quod subdit: Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo. Sic ergo Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine eius, videntes signa quæ faciebat. Chry. sed tamen neque à signis aliquid magnũ existimabat de eo, sed adhuc humanam habens de eo mentem vt de propheta loquitur, ad operationem eum missum dicens, & alieno auxilio indigentem hæc agere quæ agebat: cum tamen pater perfectum eum genuerit, & sufficientem sibiipsi, & nihil habentem imperfectum: quia verò Christi studium erat interim, non ita dignitatem suam reuelare, sicut persuadere quod nihil ex aduerso agebat patri, propterea in verbis multoties humiliter loquens videtur, in rebus autem cum potestate omnia operatur, Ideóque & Nicodemus nunc manifestè quidem nihil excelsum loquitur de ipso, occultè autem ab humili eum opinione reducit, docens quòd sufficiens sibiipsi est in miraculorum operatione: vnde subditur: *Resp. Ies. & di. ei: Amen amen dico tibi nisi. &c.* Augu. Isti sunt ergo quibus se credit Iesus, qui nati fuerint denuò, qui non in nocte veniunt ad Iesum sicut Nicodemus, tales enim iam etiam profitentur. Dicit ergo: *Nisi quis renat. fuerit, &c.* quasi dicat, Quia nondum es natus denuò, id est, ex Deo: spirituali generatione, notitia, quã habes de me, spiritalis nõ est, sed animalis & humana. Ego autem dico tibi, quod siue tu, siue alius quicũque, nisi ex Deo denuò natus fuerit, non poterit apprehendere gloriam, quæ circa me est, sed extra regnum erit: nam generatio quæ per baptismum fit, illuminationem animæ tribuit. Chrys. Vel littera talis est: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, &c.* Hoc est si tu non natus fueris desuper, & dogmatum susceperis certitudinem alicubi, extra erras, & longè es à regno cælorum: seipsum hic ostendens & indicans quoniam non est hoc tantum quod videtur, sed aliis oculis opus est ad videndum eum. Hoc autem quod dicit, *Desuper:* hi quidem, id est, de cælo exponunt, alij verò a principio, Igitur Iudæi quidem si hoc audissent, deridentes vtique discessissent: hic verò & in hoc amorem discipuli ostendit, quod à Christo vlterius interrogat. *Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? numquid potest, &c.* Chrys. Veniens Nicodemus ad Iesum vt ad hominem, audiens maiora quàm ab homine, erigitur ad altitudinem eorum, quæ dicuntur: non quidem excidens à fide, sed infert hanc impossibilitatem, vt in apertiorem prouocet doctrinam. Duo autem erant quæ admirabatur, scilicet natiuitas talis & regnum, neque enim audita erãt apud Iudæos. Sed interim circa prius instat, & quod maxime eius mentem concutiebat vnde dicitur: *Dicit ad eum Nicod. Quomodo po. ho. nasci cùm sit senex? Numquid potest, &c.* Bed. Sic verba ista sonare videntur, quasi puer queat iteratò in ventrem matris introire, & renasci. Sed sciendum quod ipse senex erat, idcóque de se protulit exemplũ, acsi diceret: Ego sum senex, & meã quæro salutem; quomodo possum in ventrem matris introire, & renasci? Chrysost. Rabbi eum vocas, & à Deo venisse dicis: & non suscipis quæ dicuntur, sed loqueris ad magistrum dictionem quæ multam perturbationem inducit, hoc enim, scilicet quomodo, quærere eorum qui non validè credũt: & multi sic quærentes à fide deciderunt, hi quidem dicentes: Quomodo Deus est incarnatus? alij quomodo mansit impassibilis? propterea & hic propter anxietatem modum exquirit, sed aliquis cogitationibus propriis spiritualia euertit: derisibilia loquitur. August. Spiritus enim loquitur, & ille carnem sapit, nõ nouerat iste nisi vnam natiuitatem, scilicet ex Adam & Eua: & ex Deo & ecclesia nondum nouerat, sic tamen tu intellige natiuitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis, quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Chrysost. Nicodemo autem decidenti ad eam quæ hic est natiuitatem Christus manifestius reuelat spiritualis natiuitatis modum. vnde sequitur. *Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Aug. Ac si dicat: Tu carnalem generationem intelligis, sed ex aqua & spiritu oportet quòd nascatur homo propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patria hominis temporalis, nascitur aliquis ex visceribus matris carnalis, & propter hæreditatem patris Dei sempiternam, nascatur ex visceribus ecclesiæ. Cùm autem ex duobus homo consistat, ex corpore videlicet & anima duplicem habet & huiusmodi modum generationis. Aqua enim quę visibilis est, ad emundationem corporis intelligitur. Spiritus verò inuisibiliter concurrẽs ad emũdationem inuisibilis animæ innuitur. Chrysost. Si verò quis interrogat, qualiter ab aqua homo nascitur, interrogo & ego, qualiter natus est Adam à terra? Sicut enim in principio subijciebatur elementum terra, totum verum opus plasmãtis erat: ita & nunc subijcitur elementum aqua, totum verò est spiritus gratiæ. Tunc paradisum dedit in conuersationem, nunc autem cælum nobis aperit. Sed quæ necessitas aquæ his qui spiritum sanctum suscipiunt? diuina enim in ea perficiuntur symbola, sepultura & mortificatio, resurrectio & vita. Sicut enim in quodam sepulchro in aqua nobis submergentibus capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur: deinde nouus rursus ascẽdit, hoc etiam fit vt discas quoniam virtus patris & filij & spiritus sancti omnia complet: & quòd Christus tres dies ad resurgendũ expectauit. Quod igitur est matrix fœtui, hoc

est

est fideli aqua, in aqua enim plasmatur, & figuratur, sed quod in matrice plasmatur, tempore indiget: quod verò in aqua non ita, sed in vno momento omnia fiunt. Talis enim est natura corporum vt tempore assumant perfectionem, in spiritualibus verò nō est ita, quoniam perfecta à principio cōstituuntur quæ fiunt, ex quo igitur ascendit à Iordane dominus non adhuc reptilia animarum viuentium, sed animas spirituales & rationabiles aqua reddit. August. de bap. par. Sed quia non ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non habebit salutem, vel vitam æternam: sed, *non intrabit in regnum Dei*, ad hoc inquiūt quidam: Paruuli baptizandi sunt vt sint cum Christo in regno Dei, vbi non erunt si baptizati non fuerint, quamuis & sine baptismo si paruuli moriantur salutem, vitámque æternam habituri sint, quoniam nullo peccati vinculo astricti sunt. Sed cur nascatur denuò, nisi renouandus à vetustate? aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei, impedimento prohibente peccati? Haymo: Talia autem ac tanta secreta mysteria Nicodemo capere non valenti, dominus ex carnali natiuitate similitudinem dedit, dicens: *Quod natum est ex carne, caro est, &c.* Sicut enim caro carnem procreat, ita quoque spiritus spiritum parit. Chryso. Nihil igitur sensibilium inquiras, neq; æstimes quòd carnem generet spiritus: domini enim caro genita est, non quidem à spiritu solum, sed etiam à carne. Quod autem natum est ex spiritu, spirituale est. Natiuitatem enim hic non eam quæ secundum substantiam dicit, sed eam quæ secundum honorem & gratiam. Si igitur & filius Dei ita natus est, quid plus habebit omnibus qui ita nati sunt? Inuenietur autem & spiritu minor: cùm eius natiuitas gratia spiritus sit: & quid hæc à Iudaicis distant dogmatibus? Vide autem & spiritus sancti dignitatem, Dei enim opus videtur facere: suprà enim dixit, Quoniam ex Deo nati sunt: hic autem, quoniam spiritus eos generat. Dicēs autem Christus, quoniam qui natus est ex spiritu, spiritus est: quia turbatum rursus vidit, ad sensibile exēplum ducit sermonem, dicens: *Non mire. quia dixi tibi, oportet nos nasci denuò.* Dicendo enim, *ne mireris*, ostendit animi eius turbationem. Ponit autem exemplum quod neque communionem aliquam ad corporum grossitiem habet, neque ad incorporeorum peruenieus naturam, quod est venti delatio, dicens: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.* Quod dicit tale est. Si ventum nullus detinet, sed quò vult fertur, multò magis spiritus actionem naturæ leges detinere non poterunt, non terminum corporis natiuitatis, neque aliud quid talium. Quoniam autem de vento hic dictum est: manifestat illud quod dicit: *Vocem eius audis*, id est, sonitum percussionis, non enim loquens infideli & nescienti spiritus actionem hoc diceret. Dicit autem, *Vbi vult spirat*, non quasi electionem quandam vento habente, sed eam quæ à natura est motationem quæ non prohibetur, & cum potestate fit. *Et nescis vnde veniat, aut quò vadat*, id est, si huius spiritus cuius sensum suscipis auditu & tactu interpretari nescis viam, qualiter diuini spiritus operationem scrutaris? vnde subdit. *Sic est omnis qui, &c.* August. Sed quis nostrum non videat verbi gratia, austrum euntem à meridie ad aquilonem, aut alium ventum venientem ab oriente & occidente, quomodo ergo nescimus vnde veniat, aut quò eat? Bed. Spiritus igitur sanctus est qui vbi vult spirat, quia ipse in potestate habet cuius cor gratia suæ visitationis illustret: *& vocem eius audis*, cùm te præsente loquitur is, qui spiritu sancto repletus est. August. Sonat Psalmus, sonat Euangelium, sonat sermo diuinus, vox spiritus est, hoc igitur dicit, quia verbo & sacramento inuisibiliter adest spiritus vt nascatur. Alcui. Ergo nescis vnde veniat aut quò vadat, quia, etsi te præsente spiritus ad horam quempiam repleuerit, non potest videri quomodo in eum intrauerit, vel quomodo redierit, quia natura est inuisibilis. Haymo: Siue nescis vnde veniat, quia quomodo credentes ad fidem introducat ignoras: vel quò vadat, quia quomodo fideles ad spem perducat nescis: & sic est omnis qui natus est ex spiritu: ac si dicat, Spiritus sanctus, spiritus inuisibilis est, ita & quisquis ex spiritu nascitur, inuisibiliter nascitur. August. Vel aliter: Et si tu nascaris de spiritu, hoc eris, vt ille qui non est natus adhuc de spiritu nesciat vnde venias, aut quò eas. Hoc enim secutus ait, *Sic est omnis qui natus est ex spiritu.* Theo. Cōfundatur ergo Macedonius impugnator spiritus, qui seruum spiritū sanctū asseruit. Spiritus enim sanctus propria potestate & vbi vult, & qualiter vult operatur. *Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, &c.* Haymo: Misterium diuinæ maiestatis Nicodemus capere non valet quæ à domino audiebat: & ideo rationem quærens factum non abnegans, non voto reprehendentis, sed affectu discentis, dominum interrogat: vnde dicitur: *Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* Chrys. Quia igitur adhuc in Iudaica vilitate manet, & exemplo ita manifesto dicto ei adhuc interrogat, de reliquo asperius ad eum Christus loquitur: vnde sequitur: *Respon. & di. ei, Tu es magi. in Israel, &c.* Aug. Quid putamus dominum huic magistro Iudæorum quasi insultare voluisse? volebat quidem illum nasci de spiritu, nemo autem ex spiritu nascitur nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. Ille autem magisterio inflatus erat, alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ergo dominus superbiam eius, vt possit nasci de spiritu. Chrys. Nequaquem tamen nequitiam accusat viri, sed insipientiam & ruditatem solùm. Sed dicet aliquis, quid commune habet hæc natiuitas, de qua, scilicet Christus locutus est, ad Iudaica dogmata? Habet quidem commune: nam qui primus homo factus est, & quæ de costa facta est mulier, & quę steriles genuerunt, & quę per aquā miracula perfecta sunt. Dico autem quòd Eliseus de aqua ferrum eduxit, & quòd Iudæi mare rubrum transierunt, & quòd Naaman Syrus in Iordane purgatus est. Hæc omnia natiuitatem spiritualem & purgamentum in ea futurum figuraliter personabant, & ea quæ à prophetis sunt dicta, occultè ostendunt hunc natiuitatis modum, vt puta, illud: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, & beati quorum remissæ sunt iniquitates. Sed & Isaac figura huius natiuitatis erat. Hæc igitur rememorans dixit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Rursus autem aliunde suum sermonem ei credibilem facit, ad imbecillitatem eius condescendens, cùm subdit: *Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus*

mus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. Apud nos visus aliis sensibus certior est: & si volumus aliquem facere credere, ita dicimus: quoniam oculis nostris vidimus. Propterea Christus humano loquens ad eum sermone, non visum sensibilem inducit, sed manifestum est quòd de certissima cognitione & non aliter se habente loquitur: igitur hoc quidem, id est, quod scimus ait de seipso solo. Haymo: Quæritur autem quare pluraliter dicat, *Quod scimus, loquimur?* Ad hoc dicendū quod vnigenitus Dei filius erat qui hoc loquebatur, ostendens qualiter pater est in filio, & filius in patre, & spiritus sanctus ab vtroque indiuisibilis procedat. Alcu. Vel dicit pluraliter, ac si dicat: Ego & illi qui modò spiritu sunt renati, intelligimus illud quod loquimur: & quod vidimus apud patrem in abscondito, hoc testamur foris in mundo: & vos qui carnales estis & superbi, non accipitis testimonium nostrum. Theo. Quod nequaquam de Nicodemo dicit, sed de genere Iudæorū qui vsque ad finē in perfidia permanserunt. Chrys. Quod quidem non turbati verbum est, sed mãsuetudinem ostendētis. Hinc erudit nos cū ad aliquos loquuti fuerimus, & nō persuaserimus non tristari neque irasci, sed nostrum sermonem credibilem facere non solùm non irascendo, sed etiam non clamando. Materia enim iræ clamor est. Iesus autem dogmata excelsa tangere debens, propter audientium infirmitatem se detinet multoties, & non continuò dignis sua magnitudine dogmatibus immoratur, sed magis his quæ condescensionem habent: vnde hic subdiuur: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* August. Hoc est, si non creditis quia templum possum suscitare deiectū à vobis, quomodo credetis quia per spiritum sanctum possunt homines regenerari? Chrysost. Vel aliter: Si baptismum terrenum dicat, non miteris: quia in terra perficitur, & comparatione illius natiuitatis stupendæ quæ est ex substantia patris, terrena est gratiæ natiuitas. & bene non dixit, Non intelligis, sed *non creditis.* Nam cum quis aliqua per intellectum suscipere non valet, amentiæ vel ignorantiæ imputatur. Cum autem hoc non suscipiat aliquis quod solum fide oportet suscipere, non amentiæ, sed infidelitatis est accusatio. Dicebantur autem hæc & si non credebantur, quia posteri erant ea suscepturi. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Augu. de bapt. par. Notata paululum eius imperitia, qui se cæteris de magisterio præferebat, & omnium talium incredulitate reprehensa, respondet quòd alij credant si illi non credunt, ad illud quod interrogatus est, quomodo possunt ista fieri? dicens: *Et ne ascen. in ca. &c.* Quasi dicat, sic fiet generatio spiritualis, vt sint cælestes homines ex terrenis, quod adipisci non poterunt, nisi membra mea efficiantur, vt ipse ascendat qui descendit, non aliud deputans corpus suum, scilicet ecclesiam suam, quàm seipsum. Grego. 27. Quia enim nos vnum cum illo iam facti sumus, vnde solus venit in se, solus redit etiā in nobis: & is qui in cælo semper est, ad cælum quotidie ascendit. Aug. de bap. par. Quamuis autem in terra factus sit filius hominis, diuinitatem tamen suam quia in cælo manens descendit ad terram non indignans censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei. Per vnitatem enim personæ qua vtraque substantia vnus est Christus & filius Dei, ambulabat in terra: & idem ipse filius hominis manebat in cælo. Fit ergo credibiliorum fides ex incredibilioribus credens. Si enim diuina substantia longè distantior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam vt vna persona fieret, quanto credibilius alij sancti fiunt cum homine Christo vnus Christus vt omnibus per eius gratiam ascendentibus, ipse vnus ascendat in cælum qui de cælo descendit. Chry. Vel aliter, Quia dixerat Nicodemus: Scimus quoniam à Deo venisti magister, ne æstimetur ita esse magister vt multi prophetarum de terra existimantes, subiungit. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descen. de ca. fil. ho. qui est in cælo.* The. Cùm verò filium hominis descendisse de cælo audis, non putes quòd de cælo caro descenderit: hoc enim hæreticorum dogma est, qui docebāt quòd Christus de cælo corpus sumpserat: & per virginem transierat. Chry. Filium enim hominis non carnem hîc vocauit, sed à minori substantia se totum nominauit. Est enim ei consuetudo multoties à diuinitate, multoties ab humanitate totum vocare. Bed. Si enim aliquis homo nudus de monte ad conuallia descendat, & assumptis vestimentis & armis ad eundem montem ascendat, rectè ipse idem qui prius descendit ascendisse perhibetur. Hil. 10. de trinit. Vel quia de cælo descendit conceptæ de spiritu originis causa est. Non enim corpori Maria originem dedit, licet ad incrementa partúmque corporis omne quod sensus sui est, naturale contulerit: quòd verò hominis filius est susceptæ in virgine carnis est partus: quòd autem in cælis est naturæ semper permanentis potestas est, quę non ex infirmitatis suæ virtute in regionem diffiniti corporis coarctauit verbi Dei potestatem: & in forma serui manens ab omni intra extráque cæli mundíque circulo, cæli ac mundi dominus non abfuit. Per hoc ergo & de cælo descendit, quia filius hominis est: & in cælis est, quia verbum caro factum non amiserat manere quod factum est. Augu. Miraris autem quia hic erat in cælo. Tales fecit discipulos suos. Paulum audi dicentem, Nostra conuersatio in cælis est, si homo Paulus ambulat in terra, & conuersabatur in cælis, Deus cæli & terræ non poterat esse in cælo & in terra? Chrys. Vide autem quia quod valde videtur excelsum, indignum est sua magnitudine: non enim solum in cælo est, sed vbique & omnia replet, sed adhuc ad imbecillitatem auditoris loquitur, paulatim eum reducere volens. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* Chrys. Quia dixerat beneficium baptismi, inducit huius causam, scilicet crucem, dicens. *Et si Moy. &c.* Bed. Magistrum legis Mosaicæ ad spiritualem sensum eiusdem legis inducit recordans veteris historiæ, & hanc in figuram suæ passionis atque humanæ saluationis factam edisserens. Aug. de bap. par. Serpentum incursibus in deserto multi moriebātur, ac sic Moyses ex præcepto domini exaltauit in deserto æneū serpentem, hunc videntes sanabantur continuò. Exaltatus serpens est mors Christi, eo significandi modo quo per efficientem id quod efficitur, significatur. A serpēte quippe mors venit, qui peccatum quo mori meretur homini persuasit: dominus autem in carnem suam non peccatū transtulit tanquam venenum serpentis sed mortem,

vt

vt esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa. vnde in carne peccati & pœna solueretur & culpa. The. Videas ergo figuram ad veritatem. Ibi enim serpentis similitudo speciem quidem bestiæ habet, venenum autem non habet: sic & hic Christus à peccato liber, in similitudinē carnis peccati venit. Exaltari autem audiens suspensionem intelligas in altum, vt sanctificaret aërem qui sanctificauerat terram ambulando in ea: intelligas etiam per exaltationem gloriam. Nam illa crucis altitudo gloria Christi facta est, in quo enim iudicari voluit, in hoc huius mundi principem indicauit. Adam enim iustè mortuus est, quia peccauit: dominus verò iniustè, quia peccatum non fecit. Postquam ergo iniustè mortem sustinuit, superauit illum qui eum tradidit morti: & sic liberauit Adam à morte, sed in hoc deuictum se nnenit. Non enim potuit in cruce dominum contristare, vt crucifigentes odiret, sed magis diligebat, & pro eis orabat: sic igitur crux Christi eius exaltatio & gloria facta est. Chry. Ideo etiam non dixit, Pendere oportet filium hominis: sed exaltari quia honestius hoc videbatur, vnde & propter audientem & propter figuram hoc posuit, vt discas quoniā cognata sunt veteta nouis, deinde vt cognoscas, quoniam non inuitus ad passionem venit: & adhuc vt discas quoniam multis hinc nascitur salus. Aug. de bapt. par. Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem à veneno sanabatur, & à morte liberabatur: sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismúmque eius, & à peccato per iustificationem, & à morte per resurrectionem liberatur: hoc est enim quod ait, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, quid ergo opus est vt morti Christi per baptismū conformetur paruulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus? Chrys. Attende autem quòd passionem obumbratè posuit, ne ex eius verbis fieret tristis auditor. Fructum verò passionis posuit manifestè: si enim qui credunt in crucifixum non pereunt, multò magis qui crucifixus est non perit. Augu. Hoc autem interest inter figuratam imaginem & rem ipsam: quòd illi sanabantur à morte ad temporalem vitam, hi autem vt habeât vitam æternam.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil. 1.

Ex Hom. 23. in Ioan. ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic venit ad Iesum nocte. Hic in euangelicæ narrationis progressu Christo opitulatur: dicit enim; Lex nostra non iudicat quenquam, nisi prius audiat ab eo, & cognoscat quid faciat. Aduersus hunc Iudæi indignati dicebant; Interroga & vide, quòd propheta ex Galilæa non surrexit. Hic etiam post passionem multum diligentiæ in sepulturā dominici corporis adhibuisse perhibetur. Venit enim, inquit, & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum: hic nunc afficiebatur quidem Christo, non tamen vt oportebat, neque quo debebat animo, sed adhuc Iudaica imbecillitate detinebatur, ideo nocte venit, quia interdiu formidabat. Sed clementissimus Deus, neque tam frigidum affectum pepulit, neque obiurgauit, neque indignum sua duxit doctrina, sed multa eum mansuetudine eum alloquitur, & arcana aperit, obscurè quidem, aperit tamen: quippe qui lōgè magis venia dignus existimatur, quàm qui malicia percontabantur. Illi enim nullo pacto poterāt excusari: hic etsi reprehensioni, non tantæ tamen erat obnoxius. Quomodo igitur Euangelista nihil tale de Nicodemo dixit, quemadmodum alibi, quod ex principibus multi crediderunt in eum, propter Iudæos autem non confitebantur, ne extra synagogam fierent? Quia id totum ex nocturna profectione significauit. Quid ergo inquit: *Rabbi, scimus, quòd à Deo venisti, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis: nisi fuerit Deus cum eo.* Adhuc humi versatur Nicodemus, adhuc humanam de Christo habet sententiam, & tantum de propheta loquitur, nihil altum propter signa coniectatus. *Scimus*, inquit, *quòd à Deo venisti magister.* Quid ergo noctu venis, & clanculum, ad eum, qui diuina loquitur, qui à Deo venit? Quid non apertè profiteris? Sed hoc neque dicit, neque reprehendit Iesus. Calamum enim contritum non confringes, inquit, & linum fumigans non extingues. Non contendet, inquit, neque clamabit. Et iterum; Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam. *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Adhuc secundum hæreticos loquitur, qui dixerunt Christum in operibus suis alterius indiguisse auxilio. Quid ad hoc Christus? Considera, quæso, humilitatem incredibilem. Noluit dicere se nullius egere auxilio, omnia suapte facere potestate, esse Dei dilectissimum filium, & eiusdem, qua pater, potentiæ, eo quòd difficile creditu videbatur. Quod enim semper dixi, & nunc dicam, curæ erat Christo à principio nō tam, quis suam esset, ostendere, quàm vt crederetur nihil contra patris facere voluntatem. Ideóque verbis sæpenumero humilioribus locutus est, re autē quid possot, ostendit: Miracula virtute summa operatus est. Volo, inquit, purgare. Tabitha surge. Extende manum. Dimittuntur tibi peccata tua. Tace, obmutesce. Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Tibi dico, malum dæmonium, exi ab hoc. Fiat tibi vt vis. Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia domino his opus est. Hodie mecum eris in paradiso. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Sic in omni euangelio summam eius deprehend mus in rebus authoritatem. Et quonam pacto ei quispiam credidisset, nisi secundum illa res fīnē assecutę essent? Potuissent inania derideri præcepta. Verùm, cùm euenerit, etiam inuitis silentium imposuit. Ex solis enim verbis Iudæi, vt erant impudentes, stultitiam eius arguere potuissent. Quamobrem hoc in loco Nicodemum alloquens, nihil altum attingit, sed obscurè ex humili ad superna erigit, admonétque se sibi ipsi sufficiétem ad facienda miracula. Perfectum enim ipsum genuit pater, nullius indigentem, nullius rei humilis, aut abiectæ participem. Sed videamus quomodo hoc confirmet. Dixerat Nicodemus. *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister, & quòd nemo potest facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Existimauit se magnum aliquid dixisse. Quid Christus? Vt ostéderet nondum

Esa. 42. *Luc. 5.* *Act. 9.* *Matth. 12.* *Marc. 8.* *Ibid. 4.* *Ibid. 2.* *Luc. 8.* *Matth. 15.* *Ibid. 21.* *Luc. 23.* *Exod. 20.* *Matth. 5.* *Matth. 4.*

dum veræ cognitionis vestibulum attigisse, sed extra regiam aberrare & ipsum, & quicunque eadem esset sententia, respondit: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, hoc est, nisi iterum nascaris, & vera imbuaris doctrina, longè à regno Dei aberras. Sed obscurè dixit, & vt æquiori animo toleraret: non apertè ad ipsum sermonem vertit, sed indefinito vtitur verbo; *Nisi quis renatus fuerit*: tantum non dicens, siue tu, siue quis alius, talem de me habet opinionem, in regnum non recipietur. Quòd nisi hac ratione dixisset, nihil sanè ad propositū id responsum. Hoc, si Iudęi audissent, irrisissent profectò, & abiissent. Nicodemus autem & in hoc discendi studium præ se tulit, & propterea obscurè aliquando loquitur Christus, vt audientes attentiores reddat. Siquidem clarum, & manifestum verbum fugit nonnunquam auditorem, obscurum autem etiam diligentiorem efficit. Sententia autem est. Nisi genitus fueris denuò, hoc est, nisi spiritus per regenerationis lauacrum particeps efficiaris, non poteris veram de me opinionem concipere. Ista tua nō spiritalis, sed animalis opinio est. Non tamē his verbis vsus est: noluit enim pro viribus, & cognitione sua loquentem perterrere, sed ad maiorum cogitationem sine suspicione etigit. *Nisi quis renatus fuerit denuò. Denuò*, hoc in loco, alij è cęlo, alij iterum exponunt. Quippe qui non ita nascitur, non potest videre regnum Dei, Regnum Dei seipsum significat, ostendens non esse id tantum quod videtur, sed aliis opus esse oculis, vt videatur. Ad hæc Nicodemus: *Quomodo* (inquit) *potest homo nasci, cùm sit senex?* Rabbi eum appellas, & à Deo venisse dicis, & eius verba non intelligis? eo etiam verbo vteris, quod multam affert perturbationem. Ea enim particula, quomodo, non multum credentium, sed adhuc terre-
Genes. 18. na sapiētium est. Nam & Sara propterea risit, quia quomodo parere posset cogitauit, & alij multi hoc verbo fide exciderunt. Hæretici quoque hinc in sua perstant opinione, alij quidem, quomodo natus est Christus, alij, quomodo carnē accepit, interrogant, & mentis suæ imbecillitati immensam illam, & ineffabilem subijciunt substantiam, quæ importuna curiositas sapientibus fugienda est. Neque enim, qui quomodo percontantur, id sciunt, & à vera excidunt fide. Propterea Nicodemus cùm dubitaret, modum inquirit: id enim sibi dici intelligebat, perturbatur, & tē non intelligit. Nam, cùm ad Christum tanquā ad hominē venisset, audiretque (quàm ab homine) longè maiora, & quæ nemo vnquam audierat: primùm ad id mentem erigit, caligine tamen perstringitur, neque perstat in fide, rei difficultate huc, illúcque distractus. Ideo non posse id fieri primùm asserit, inde apertius sibi declarari rogat. *Nunquid* (inquit) *potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* Animaduerte quonam pacto, qui humanis rationibus spiritalia admiscet, ridicula loquitur, & delirat tanquam ebrius, quoties diuinorum sensum perscrutatur, naqua eum accipit. Audiuit generationem, sed spiritalem non intellexit, sed ad carnis traxit vilitatem, & tam admirabilem, profundámque doctrinam naturali necessitati conglutinauit, detrimenta, & ridiculas proponit dubitationes: idcirco Paulus inquit, quòd ani-
1. Cor. 2. malis homo non suscipit ea, quæ spiritus sunt. Verùm Nicodemus Christum reuerenter loquitur, non intellexit quæ diceret, & impossibile id arbitratur, hoc tamen conticet. Duo ei dubitationem faciebant, & generatio talis, & regnum, neque enim regni nomen auditum erat à Iudæis vnquam, neque huiusmodi generatio. Primùm autem priorem partem aggreditur, quæ maximè eius mentem mouerat. Nos autem horum nō ignari, diuina mysteria perscrutari caueamus, neque rerum humanarum necessitate illa agi existimemus, sed pietate summà omnia intelligamus, scripturis fidem adhibeamus. Curiosus nanque, & nimius rerum diuinarū perscrutator nihil proficit, nihil inuenit præter vltimum supplicium. Audis natum Christum, crede: quomodo, noli disquirere: neq; propter hoc tollas generationem, quod vltimæ stultitiæ est. Nam si Nicodemus generatione non illa ineffabili, sed hac, quæ ex gratia prouenit, audita, quoniam nihil magnum animo concepit, sed terrenis tantum inhæsit, tenebris perfusus est. quanto hi digni supplicio, qui admirandam illam, & omnem superantem rationem, & intellectum tanto studio quærunt, inuestigant, perscrutantur? Nihil enim tā obscuris obducitur tenebris, quam humana cogitatio, quæ omnia ad terram reducit, nec patitur cęlitus lumen accipere, vilissima profectò, & ad lutum omnia referens, ideo superna nobis aqua opus est, vt abluti, & (quantum fieri potest) mundi, cœlum petamus, & cælestibus imbuamur disciplinis: hoc autē & animi honitate, & vitæ rectitudine assequimur, neque enim intempestiua inuestigatione duntaxat, sed corruptis quoque moribus humana mens in tenebris versatur. Quare Paulus ad Corinthios, inquit; Lac vobis potum dedi, nō escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Cùm sit inter vos zelus: & 1. Cor. 3.
cōtentio, nónne carnales estis? Et ad Hebræos, & alibi frequenter hanc malorum dogmatum causam Paulum afferentem quiuis videre poterit. Anima enim affectibus implicita nequit profectò magnum aliquid, aut generosum intueri, sed tanquam lippitudine quadam perturbata, in tenebris versatur. Mentis igitur oculos a tam grauissimo morbo liberemus, illuminemus, nolimus inter spinas semen iacere. Quænam hæc spinarum copia nostis, etsi taceamus, sæpenumero audistis Christum pręsentis vitæ solicitudines, & diuitiarum fraudes, spinas appellasse, & meritò sanè. Nam, quemadmodum spinæ steriles sunt, ita & diuitiæ, quemadmodum illę, quos tangunt, lacerant; ita harum cupiditas. Quemadmodum facilè igni comprehenduntur, & odio habentur agricolis: ita huius seculi negocia. Postremò vt inter spinas ferę, viperæ, scorpij delitescunt: ita in fraudibus diuitiarum. Verùm enim verò, dilectissimi, Spiritus Sancti igne, & spinas consumamus, & bestias effugemus: vt agricolæ agrum purgatum reddamus, inde spiritalibus aquis irrigemus, plantemus oliuam fructiferam, plantam vtique mitissimam, & semper virentem, quæ illuminat, quæ nutrit, quæ bonam facit valetudinem: hæc eleemosynæ sunt officia, quæ tanquam signaculum est eam possidentibus. Hæc planta ne morte quidem arescit, sed semper viret, mentem illuminat, animi vires nutrit, ac etiam robustiores efficit. Hanc si perpetuò amplectemur, fidenter & sponsum adire, & thalamum ingredi poterimus:

eius

cuius vtinam omnes fiamus participes gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria simul, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

Ioan. 3. RESpondit Iesus, & dixit; *Amen amen dico tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Pueri singulis diebus ad magistros proficiscentes, & doctrinam accipiunt, & acceptam recitant, nunquam vacantes, vt scientiæ possessionem adipiscantur, interdum noctes diebus iungunt, & adhuc proca-ducis, & fluxis rebus sæpenumero illos cogitis, nos autem à vobis, qui perfectiori estis ætate, nō tantum exigimus, quantum vos à liberis vestris: non enim singulis diebus, sed duobus tantum, & breui eorum parte, vt vos labore leuemus, hortamur orationi nostræ aures adhibeatis. Ad hæc & paulatim vobis scripturarum dicta decerpimus, vt facilè accipere, in mentis vestræ thesauris recondere, memoriæ mandare, mandata aliis diligenter exponere possitis: quod profectò assequemini, nisi perquam somnolenti, & desidiæ dediti: & pueris longè hebetiores sitis. Accipiatis igitur, dilectissimi, quæ hesternam concionem sequuntur. Hæsitabat Nicodemus, de huius seculi generatione locutum Christum arbitratus, *Impossibile* ioquit, *senem nasci denuo*. Animaduerte nūc quomodo iterum Christus quam generationem dicat, manifestius ostendit: difficilem quidem ei, qui secundum animam tantum petentabatur, potentem tamen à terrenæ cogitationis humilitate erigere auditorem. Quid ergo dicit? *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tu impossibile dicis: ego tam necessarium, vt aliter quis saluus esse non possit, quippe quæ maximè necessaria sunt ea etiā facilia fecit Deus. Terrena, & secundum carnem generatio ex puluere est, ideo secunda sunt ei cœlestia. Quid enim commune terræ cum cælo? Spiritalis cælestes nobis portas perfacilè aperit, intelligitis quot vestrum in tenebris sitis? Eahorrescite, gemite, formidolosæ minę sunt, formidolosa sententia. *Non potest*, ioquit, *qui non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu introire in regnum cœlorum.* Nō ita ienitebat Nicodemus. Nihil enim peius est, quam humanis rationibus spiritalia subiicere. Hoc illum impedit, ne quid magnum, ne quid profundum contemplaretur, Ideo nos fideles appellamur, vt, humanarū cogitationū vilitate cōtempta, ad fidei altitudinem enadamus, & quæ nos manent bonorum cogitationum hauriamus. Quod si Nicodemus intellexisset, non sanè impossibile dixisset, qua vt abduceretur sententia, quam diceret generationem, Christus ostendit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Voluit eū minis perterrere, & ad credendum allicere ne impossibile arbitraretur, & vt carnalis generationis opinionem tolleret, aliam, inquit, Nicodeme, generationem dico: quid ad terram deuolueris? Quid hanc naturæ subiicies necessitati? Alius partus hic, & excellentior: nihil cum terrenis communicat, nomine tantum hæc generatio conuenit, te longè differt. Reiiee communem cōsuetudinem alium partum induco, quo homines renasci volo: alium generationis modum affero. Formaui ex terra, & aqua: non vtile vas euasit, sed deterius factum est: non amplius aqua, & terra fingendum est, sed aqua, & spiritu. Quòd si quis interroget, quomodo ea aqua? rursus ego illum, quomodo ea terra? Quomodo lutum in aliam transiuit materiam? Quomodo vnius speciei subiectum, terra enim sola erat, varia, & diuersa effinauit? vnde ossa, nerui, artériæ, venæ? Vnde membrana, & vasa organica? Vnde hepar, splen, cor? vnde cutis, sanguis, phlema, cholera? vnde tot operationes, tot colores? hæc enim non terræ sunt, neque luti. Quomodo terra, accepto semine, germinat, caro acceptum corrumpit? Quomodo terra commissa nutrit, caro his nutritur, non nutrit? Terra, collectā aquā vinum facit, caro id sæpenumerò acceptum in aquam vertit. Vnde igitur caro ea terra est, quum contrariam terræ operationem ostendat? Sanè ratione inuenire non possumus, fide sola possumus. Quòd si quæ quotidie videmus, & tangimus, fide indigent: quanto magis arcana illa, & spiritualia? Nam, quemadmodum terra inanimata, immobilis, diuina voluntate ad tanta miracula producenda vires accepit: ita spiritu, & sensibili aqua omnia hæc mirabilia, & humanā excedentia cogitationem facilè eaoriuntur. Noli igitur, quoniam hæc non vides, diffidere: neque enim animam vides, tamen animam esse, & eam te habere, & aliquid præter corpus esse non dubitas. Verùm Christus non hoc, sed alio exemplo Nicodemum allicit. Siquidem anima incorporea est, Nicodemus verò crassioribus adhuc cogitationibus versabatur. Medium igitur adduxit exemplum, quod non ad solidi corporis naturam, neque ad incorpoream ascendit, hoc est venti impetus: & primùm ab aqua ordiur, quæ tenuior est quàm terra, crassior quàm ventus. Quemadmodum enim in principio elementum terra subiecta est, totum autem opificis Dei fuit: ita hoc in loco elementum aqua subiicitur, verùmtamen totum spiritualis est gratiæ: & tunc quidem in animam viuentem factus est homo, nunc in spiritū viuificantem. Verùm magna est differentia: anima enim vitam alicui non dat, spiritus autem nō modò per se viuit, sed aliis vitā largitur: ita mortuos suscitauerunt Apostoli. Et tūc quidem post factam creaturam homo formatus est, hic autem contrà. Siquidem ante nouam creaturam nouus homo creatur, & primus nascitur, & tunc mundus transfiguratur. Et quemadmodum à principio totum formauit, ita nunc totum creat. Et tunc; Faciamus, inquit, ei adiutorium: hic minimè. Quippe qui spiritus Sācti gratiā accepit, nulla alia re indiget. Qui in Christi corpore perficitur, Genes. 2. quònam alio ei opus est auxilio? Tunc ad Dei imaginem fecit hominem, nunc Deo familiarem reddidit. Tunc pisces, & feras homini subiectos, fecit, nunc supra cælos nostrum propagauit imperium, Tunc paradisi incolam cōstituit, nūc cælum aperuit. Tūc sexta die factus est, nunc prima, & ipso principio vnà cū luce. Ex quibus omnibus constat, quòd ad aliam meliorem, & nullum finē habiturā vitā hæc efficiebantur. Prima igitur formatio ex terra, hoc est Adæ: altera ex eius latere, mulieris videlicet: tertia ex semine, vt Abel. Verùm nullam harum quomodo, & qua fiant ratione, assequi possumus, quamquam crassiora sint.

Quo

Quonam igitur pacto de intellectuali per baptismum generatione, & tam admirabili partu rationem reddemus, quæ longè altiora sunt, & sublimiora? Nam & angeli, qui affuerunt tam inenarrabilis operis modū minimè enarrare possent. Affuerunt duntaxat, & viderunt, nihil tamen operati sunt, sed pater tantum, & filius, & spiritus sanctus. Pareamus igitur diuinæ sententiæ, quæ sensu ipso visu certior est. Visus enim sæpenumero fallitur, illa minimè. Nam, quum omnia, quæcunque sunt, Deus effecerit, dignus sanè est, cui fides adhibeatur, cum de suo quicquam asserit opificio. Quænam ergo diuina sententia est? Quod generatio est res perfecta: quòd si quis, quomodo, percontabitur, silentium ei diuino imponas testimonio, quod maxima est, & certissima demonstratio. Sin iterum rogabit, qua ratione aqua assumitur: rogemus rursus & nos, cur vniuersa terra principium in hominis formationē retulit? Nam quod sine terra homo fieri potuisset, nemini dubium est. Sed, inquiet quispiam, à terra corpus habuisse, ab aqua autem nihil. Verum in hac re aqua non parùm confert. Quamobrem, noli curiosus inuestigare. Nam quòd pernecessaria sit aqua, vel inde perspicuum est, quòd, quum ante aquam spiritus inspirasset: in hoc tamen nō quieuit Apostolus, sed ad aquæ necessitatem ostendēdam ait? Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur ij, qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Quænam ergo aquæ necessitas? Iam absconditum vobis mysterium aperiam. Sunt & alia, nunc verò ex omnibus vnum exposuisse sufficiat: primùm diuina in hoc consummantur indicia, sepultura, mortificatio, resurrectio, vita; & hæc simul omnia. In aqua enim tanquam in sepulchro caput immergentibus vetus homo sepelitur & submergitur, deinde nobis emergentibus, nouus resurgit inde. Vt facile nobis est immergi, & emersos respirare: ita Deo veterem sepelire hominem, & nouum induere. Præterea iter istud fit, vt hinc patris, & filij, & spiritus sancti virtutem hæc omnia implere intelligas. Quod ne coniecturà à me, sed vero sensu dictū intelligas, audi Paulum, Consepulti, inquit, sumus cum illo per baptismum. Et iterum; Noster vetus homo simul crucifixus est. Et iterum; Complātati facti sumus similitudini mortis huius. Non solùm autem baptisma crux dicitur, sed crux baptisma. Baptismo enim, quo ego baptizor, inquit, baptizabimini, & baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis. Nā, quemadmodum facilè baptizamur, & emergimus, ita ipse moriēs, quum voluit, resurrexit; imò longe facilius, quamuis triduū diuini mysterij dispensatione in sepulchro iacuerit. Quum igitur tantis mysteriis nos Deus dignatus sit, vitam dono consentaneam exhibeamus, vitam, inquam, optimam. Quòd si autem non adhuc digni estis, totis viribus contendite, vt digni efficiamini, vt fiamus omnes vnum corpus, vt simus fratres. Donec enim dissentimus, siue patrem quis habeat, siue filium, siue fratrem: nemo sanè vera propinquitate deuinctus inuenitur, spirituali propinquitate ablata. Quid enim vtilitatis inter corporis coniunctio, nisi coniungamur & spiritu? Quid nobis terrena confert cognatio, si in cælis sumus alieni? Alienus est catechumenus à fideli, non habet idem principium, non eandem ciuitatem, non eundem parentem, non victum, non vestitum, nē mensam, non castrum, non domum, nihil commune. Etenim terrena catechumeni, cælestia fideles sunt: huic Christus rex est, illi autem peccatū, & diabolus: huic cibus Christus est, illi, quod corrumpitur. Et rursus huic vestis tinearum opera, illi autem angelorum Dominus: huic terra, illi cœlum patria. Itaque, quum nihil commune sit, quæ cum illis nobis cognatio? Sed eandem matrem habemus, eodem partu nati sumus. Nihil hoc ad verissimæ cognationis comparationem. Studeamus supernæ ciuitatis ciues fieri: quousq; ab ea peregrinamur. Oportet veterem repetamus patriam, neque enim paruis rebus periclitamur. Nam, si inopinata, & repentina mors, quod absit, nos inuaderet, & cælestium ignari hinc migraremus, nihil nobis innumera huius seculi bona ad salutem proficerent, quin nos gehenna, vermis venenosus, ignis inextinguibilis, & catenæ maneāt indissolubiles: Sed absit, vt auditorum meorum quispiam eo damnetur supplicio: quod cuitabimus, si sanctis dignati mysterijs, aurum, argentum, lapides preciosos super fundamentum, secundum Apostolum, ædificabimus. Hoc pacto hinc emigrantes diuites apparebimus, si pecunias non hîc relinquemus, sed per pauperum manus ad perpetuos transferamus thesauros. Si Christo mutuabis, cui multa debemus, non quidem pecunias, sed peccata. Mutuemus itaque pecunias, vt veniam accipiamus, peccatorum. Ipse enim est, qui iudicat. Nolimus enim despicere in hoc seculo esurientem, vt in futuro nos nutriat. Hîc eum vestimento operiamus, ne suo nos auxilio nudos destituat. Si ei potum dederimus, non dicemus cum diuite; Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam. Si hîc domi hospitem accipiemus, multa nobis in regno suo habitacula præparabit. Si in carcerem intrusum visitabimus, ipse nos vinculis liberabit. Si peregrinum colligemus, nos cælestis regni peregrinos nō despiciet, sed supernæ ciuitatis participes faciet. Si infirmo operam præstabimus, quam primum nostras curabit infirmitates. Parua igitur saltem exhibeamus, vt pro paruis maxima accipiamus, maxima mercemur: Dum tempus est, seminemus, vt metamus, antequam hyems adueniat, dū mare nauigari potest, dum huius negociationis sumus domini. Sed, quando erit hyems, quando magnus ille, & tremendus dies aduenerit, tunc non amplius mare hoc spaciosum, & immensum nauigare nobis licebit. Mari namque præsens hæc vita comparatur. Nunc serendi tempus est, tunc messis, & prouentus. Qui non sementis tempore, sed in messe seminarit, est sanè ridiculus. Sementis nunc tempus: non igitur nunc colligendum, sed dispergendum est. Dispergamus, vt congregemus: non congregemus, vt messem amittamus: hoc enim, vt diximus, tempus ad serendum nos vocat, vt distribuamus, non colligamus; erogemus, non recōdamus. Nolimus tempestiuum tempus contemnere, sed vbertim semen iaciamus: nec vlla ex parte nostris parcamus facultatibus, vt multiplicem Dei in nos remunerationem, liberalitatémque experiamur, gratiâ, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria, simul spiritui sancto in secula seculorum, Amen.

EIVS

Vides in baptismo regenerationem peragi non solum per fidem sed etiam per aquam, eámque pernecessariā esse.

Nota ceremonias in baptismo adhiberi solitas.

Col. 2.
Rom. 6.
Ibidem.
Marc. 10.
1. Cor. 3.
Luc. 16.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 3.

Ioan. 3. *QVod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Magnis nos mysteriis dignatus est vnigenitus Dei filius, magnis, inquam, & diuinis: non qualia nos accipere, sed qualia ipsum exhibere decet. Nam, si meritu nostra reputabimus, non modo munere nullo, sed supplicio digni sumus. Sed non hoc respiciens benignus Deus, non modo nos supplicio liberauit, sed & vitam multo priori potiorem largitus est: alium nobis mundum, aliam condidit creaturam. Si qua enim in Christo est, inquit, noua est creatura. Quænam: Audi ipsum; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Terra exideramus, haud digni, quibus habitationem concederet, in cælum tamen nos extulit. Principio infidos non deprehendit, & maiora largitus est. Ab vno ligno nó abstinuimus & superocas delitias impartitus est: in paradiso permanere non potuimus, & cælos nobis aperuit. Rom. 11. Non immerito igitur Paulus; O altitudo inquit, diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: Non amplius mater, non enixus, non somni, neque concubitus, non amplexus, nunquam iam naturæ nostræ intexitur opificium à spiritu sancto, & aqua. Aqua autem accepta est, partus genito facta. Quod enim est matrix embrioni, hoc & fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur, & formatur. Nam primùm dictum est, Producant aquæ reptile animæ Gen. 1. viuentis. Ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum Psal. 18. viuentiú, sed animas rationales, & spirituales aqua producit. Et quod de Sole dictum est; Tanquam sponsus procedens de thalamo suo: hoc lóge magis de fidelibus in præsentia dici potest. Multo namque quàm ille clariores diffundunt radios. Ac quin in matrice formatur, tempore indiget: quod in aqua, minimè, sed momento omnia perficiuntur. Siquidem, vbi caduca vita est, à corporea corruptione principium accipitur, omnia morâ temporis generantur: ea namque natura corporis est, vt tempore perfectionem suam accipiat, sed non ita in spiritalibus. Quid tandem? Quoniam perfecta ab ipso principio opera sua facit spiritus. Sed cùm Nicodemus his verbis perturbaretur, vide quomodo Christus et tanti mysterij arcana aperuit. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ab omnibus enim, quæ sensu percipiuntur, abducit, neque sinit corporeis oculis mysteria perscrutari. Non disputamus de carne, inquit, Nicodeme, sed de spiritu. Et è vestigio hoc verbo ad superna eum erigit: ne quid sensu subiectum perquirat, quum his oculis spiritum nemo possit intueri. Noli arbitrari, quod carnem spiritus pariat. Quomodo ergo dixerit quispiam; Christi caro parta est? Non à spiritu tantum, sed & à carne, quod Paulus significat; Factum ex muliere, factum sub lege. Spiritus Galat. 4. illum formauit, non tamen ex nihilo (quid enim opus fuisset matrice?) sed ex carne virginali. Quonam autem pacto factum sit, explicare non possum: sed factum est, ne quis à natura nostra partum illum alienum putaret. Nam, quum etiam sint nonnulli huic generationi non credát, nisi virginalis carnis particeps fuisset: in quá impiam prolapsi essent opinionem! *Quod natú est ex spiritu, spiritus est.* Animaduertis spiritus dignitatem? Dei namque efficiens opus apparet: superius enim inquit, ex Deo natos, nunc, ex spiritu. *Quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Natiuitatem autem hoc in loco non secundum substantiam, sed honorem, & gratiam intelligit: quod si filius hoc pacto natus est, quid in eo, quàm in cæteris hominibus, qui ita nati sunt excellentius inuenietur? Quomodo est vnigenitus? Etenim ego ex Deo natus sum, sed nó ex eius substantia. Quòd si neque ipse ex substantia quid differt à nobis? fortasse autem hoc pacto spiritu minor inuenietur. Nam huiusmodi generatio ex spiritus gratia facta est. Nunquid igitur vt sit filius, spiritus indiget auxilio? Hæc Iudaica fuit doctrina. Quum ergo dixisset Christus; *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*: & his verbis etiam perturbaretur Nicodemus, rursus ad sensibile exéplum descendit: *Ne mireris*, inquit, *quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus, vbi vult spirat.* Hoc verbum, *mireris*, eius animi perturbationem significat: perturbabatur enim, quòd non intelligebat. Qui natus est ex spiritu, spiritus est. Qua particula ab omni cú corpore Christus abduxerat. Quam ob rem ad id, quod magis de corpore communicet, non tamen corporeæ crassitudini omnino subiectum est, descendit, puta incorporea, omittit, quæ ille capere nó poterat. Inuenit igitur medium quoddá inter corpus, & incorporeú, hoc est, venti impetum, hinc eum excitat, quum inquit; *Vocem huius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Quod autem dicit: *Vbi vult spirat*, non loquitur, ac si voluntate aliqua feratur ventus, sed liberum eius à natura impetum significat. Mos enim est scripturæ, ita etiam de inanimis loqui, quemadmodum quum inquit; Vanitati creatura subiecta est nolens. Significat igitur non posse contineri, Rom. 8. & quodcunque vult diffundi, neque posse prohiberi, quin huc illuc feratur. *Et vocem eius audis*, hoc est, sonitum: sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Ita vsu venit iis, qui spiritu generantur. Hæc conclusio est. Nam, si huius, inquit, spiritus, quem auditus sensu accipis, & tactu impetum intelligis, ne viam quidem nosti: quonam pacto diuini spiritus operationem perscrutaberis? Præterea, *vbi vult spirat*, ad paracleti potentiam ostendendam dixit. Nam, si ventum nemo cohibet, quin, quo vult, feratur; quanto magis spiritus operationem nullæ naturæ leges, nulli corporeæ generationis fines, nulla alia huiusmodi vis poterunt cohibere? Quod autem de véto loquatur, inde perspicuum est, quum inquit, *Et vocem eius audis.* Non enim infideli, & spiritus operationem nescienti, de spiritu dixisset, *Et vocem eius audis.* Sensus igitur est, quòd, quemadmodum ventus non videtur, sentitur tamen: ita spiritalis generatio corporeis oculis non comprehêditur. Verùm ventus corpus est, quamuis tenuissimum. Nam, quod sensui obiectum est, corpus est. Quòd si non doles, quum corpus non videas, & esse eum credis, qui boni spiritali sermone perturbaris, & tam curiosè rationes exigis, quú idem in corpore non facias? Quid ad hæc Nicodemus? Adhuc in Iudaica vilitate persistit, quum tam manifestum exemplum acceperit, petitque; *Quomodo possunt hæc fieri?* Idcirco vehementius eum tangit Christus; *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Non malitiæ hominem, sed stultitiæ potius, & simpli

& ſimplicitatis accuſat. Quòd ſi quis percontaretur, quid hæc generatio cum Iudaica communicet: rurſum quid non communicet, rogabo. Et
Geneſ. 2. enim primi hominis, & ex latere eius mulieris
4 Reg. 5. formatio, & ſterilium, & omnium, quæ per aquas
4 Reg. 6. perfecta ſunt, conſummatio. Heliſæi præterea miraculum, qui ex fonte ferrum reuocauit, tranſitus Iudæorum per rubrum mare, piſcinę ab angelo commotio. Naaman Syri à lepra in Iordane mundatio: hęc omnia generationem, & purgationem futuram, tanquam in figura præmonſtrarũt.
Pſal. 21. Ad hæc prophetarum dicta hanc generationem
Ibid. 101. annunciant. Annunciabitur domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius populo, qui naſcetur, quem fecit dominus. Et, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Exurge, illumi-
Eſa. 60. nare, Hieruſalem, Ecce rex tuus venit. Et, Beati,
Pſal. 31. quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Iſaac etiam figura huius fuit generationis. Dic quæſo, Nicodeme, quomodo natus eſt Iſaac? Nunquid ſecũdùm naturæ legem? Minimè. Verùm inter hanc, & illam generationem medius quidam modus fuit: illam, quoniam ex coitu; hanc, quoniam non ex ſanguinibus facta eſt. Neque prædicta hæc tãtum, ſed virginis etiã generationem prædixerũt. Nam, cùm nemo facilè crediturus eſſet, virginem parere, ſteriles primùm, inde etiam anus pepererunt: quamuis longe mirabilius ſit, ex viri latere genitam, quàm ſterilem parere. Sed, quum illud antiquiſſimum, & iam obliteratum fuiſſet, nouus pariendi modus ſecutus eſt, & ſterilium partus virginalis partus fidem præceſſit. Hæc omnia Ieſus Nicodemo in memoriã reducens; *Amen amen dico tibi, quod ſcimus, loquimur, &c.* Hæc autem dicit, vt pro illius imbecillitate ad inferiora deſcendẽs, orationem ſuam magis credibilem faciat, Ideo inquit, *Quod ſcimus loquimur: & quod vidimus, teſtamur.* Siquidem cùm apud nos ſenſus viſus certiſſimus ſit, quum perſuadere quid volumus, ita loqui ſolemus. Non audiſſe nos, ſed vidiſſe. Idcirco Chriſtus more hominum loquens, ſibi fidem conciliat. Quod tamen neque ſenſibilem viſum, neque quicquam aliud intelligat, inde perſpicuum eſt, quum dixiſſet; *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt:* addidit; *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Hoc autem nondum natum erat: quomodo igitur inquit, *quod vidimus?* Nónne conſtat, quod de certa generatione, & quæ aliter ſe habere non poſſit? *Et teſtimonium noſtrũ nemo accipit.* Quod autem, inquit, *ſcimus*, vel de patre, & ſe, vel de ſe tantum dicit. Illam verò particulam; *Nemo accipit:* non indignantis eſt, ſed verum enarrantis. Non enim eos ſtultitiæ coarguit, quod tam manifeſta non acciperent: ſed re, & verbis ſummam præ ſe fert manſuetudinem: quam nuda, & leui veritatis annunciatione nos etiam edocet, ne quempiam ſi non perſuademus, quæ volumus, maledictis proſequamur, néve excandeſcamus. Neque enim ſic mouemus auditorem, ſed magis ad incredulitatem prouocamus. Abſtinendum igitur ab ira eſt, adnitendúmque, vt orationem noſtrã probabilem faciamus, nulla non modo ira, ſed ne voce quidem altiore, quæ iræ indicium eſt. Impediamus igitur equum, vt deiiciamus vectorem. Incidamus pennas iræ, ne augeſcat, velox enim affectus eſt, & grauis, quo facilè decipimur: propterea vndique ei aditus obſtruendus. Abſurdum nanque eſt, vt feræ manſue-

fieri poſſint, noſtram autem animam efferatam condemnemus. Ira vehemens ignis eſt, omnia cõſumit, quippe quæ corpus corrumpit, animam coinquinat, triſtitiam affert, turpis viſu. Quod ſi iratus ſeipſum intueri poſſet, nulla alterius indigeret admonitione. Nihil enim irato turpius. Ebrietas quædã ira, vel potius ebrietate grauior, & dæmone miſerabilior. Verùm, ſi clamori modum imponere curabimus, optimam ſapientiæ
viam inueniemus. Propterea Paulus non iram Eph. 4
tantum, ſed & clamorem tollit. Pareamus igitur totius ſapientiæ magiſtro, & quando ſeruis noſtris ſuccenſemus, noſtra delicta cognoſcamus, & vnà eorum nos manſuetudinis pudeat. Quũ enim contumelias tuas ſilentio tolerat, cùm tuis non perturbatur maledictis, hinc exemplum capias. Eſt enim homo, licet ſeruus, & anima immortalis, & iiſdem, quibus tu, apud communem Dominum donis, atque beneficiis præditus. Quòd ſi in maioribus, & ſpiritualibus rebus par nobis eſt: & humanæ cuiuſdam, & vilis prærogatiuæ gratiã tam manſuetè nos tolerat, quãnam venia, qua excuſatione digni ſumus, qui diuino metu non poſſumus, vel potius nolumus, vt ille noſtro, philoſophari? Hæc animo agitemus, ſi dilectiſſimi, peccata noſtra, & humanæ naturæ commonitatem teneremus, ad omnes mãſuetè loquamur, vt cordis humilitate animis noſtris & pręſentem, & futuram requiem inueniamus: Quam vtinam omnes conſequamur, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſpirituique ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 4.

Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi di- 3
xero vobis cæleſtia; &c. Quod ſæpenumero dixi, in Ioan.
id in præſentia, & frequenter repetam, neque ceſſabo. Quid hoc eſt? Cùm profundiſſimam rerum doctrinam narraturus eſſet Ieſus, & locus hic exigeret, propter auditorum imbecillitatem plerunque abſtinet, neque magnitudinem ſuam dignis proſequitur ſermonibus, ſed potius, perſuaſibilibus. Alta enim, & magna etiam ſemel narrata, pro auditorum captu illam poſſunt oſtẽdere dignitatem, humiliora autem, & humano intellectui propria, niſi frequenter repetantur, non facilè humilem auditorem ad alta erigunt. Propterea in humiliori crebrius, quàm alto ſermone verſatur, ſed ne hoc aliud afferat detrimẽtum, & humi Diſcipulum detineat, non ſimpliciter poſuit: ſed cauſam affert, cur tam humiliter loquatur. Cum enim de baptiſmate, & terrena ſecundum gratiam generatione verba feciſſet, vt dictum eſt: voluit & ſuam illam arcanam, & ineffabilem adducere: omiſit tamen, & cauſam affert, craſſitudinem, & imbecillitatem auditorum, quã his verbis ſignificauit; *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Itaque eius ſermonum humilitas auditorum imbecillitati aſcribenda eſt. Terrena autem hoc in loco nonnulli de vento dictum arbitrantur: hoc eſt, ſi exemplum à terrenis ſumptum non creditis, quonam pacto altiora credetis? Verùm terrenum potius baptiſma dicit, vel quod in terra perficitur

ficitur, vel quod ad suæ ipsius ineffabilis generationis comparationem ita appellat. Nam, etsi cælestis ipsa generatio sit, ad illam tamen veram ex patris substantia comparata, terrena est. Et non dixit, non intelligitis: sed, *Non creditis*. Siquidem, qui intellectu difficilia nō intelligit, meritò ignorantiæ accusatur: qui verò quæ non ratione, sed fide intelliguntur, non accipit: non ampliùs stultitiæ, sed incredulitatis arguitur. His igitur Nicodemo admonito, ne id rationibus persequeretur, vehementius eius incredulitatem accusat. Quòd si generatio nostra fide credenda est, quonam digni sunt supplicio, qui vnigeniti generationem rationibus inquirūt? Sed fortasse dicet quispiam, qua gratia hæc dicta sunt, si non erant homines credituri? Quoniam, etsi ipsi non crediderunt, futuri tamen homines erant credituri erant, & fructum accepturi. Itaque Iesus Nicodemum corripiens non solùm ea se, sed alia plura, & longè maiora cognoscere, hac adiectione ostendit, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis, qui est in cælo*. Et quænam à prædictis consequentia? Maxima quidem, & valde cōsentanea. Nam, cùm ille dixisset, Scimus, quia à Deo venisti magister, cùm nunc coarguit, ac si dicat; Ne arbitretis ita me magistrum esse, vt multi prophetarum, qui à terra sunt. Ex cælo venio, quò nemo propheta ascendit, ego illic habito. Vides vt, quod quàm maximum videtur, id eius præstātia sit indignissimum? Non enim in cælo tantum est, sed vbique omnia implet. Verùm adhuc pro auditoris captu loquitur, vt paulatim altius eum erigat: filium autem hominis hoc in loco nō carnem, sed à maiori substantia totum seipsum, vt sic dicam, intelligit. Hic nanque ei mos est, vt nunc à diuinitate, nunc ab humanitate totum nuncupet. *Et sicut*
Ioan. 3. *Moyses exaltauit serpētem in deserto* (inquit) *sic exaltari oportet filium hominis*. Hoc quoque videtur & superioribus alienum, maximè autem consentit. Nam cùm incredibilem suam erga humanū genus per baptisma liberalitatem ostendisset, addit huius causam, neque illa minorem, hoc est, per crucem. Quemadmodum igitur Paulus ad Corinthios hæc simul iungit beneficia, inquiens: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Siquidem hæc duo maximè ineffabilem Christi in nos amorem præ se ferunt, & quod pro inimicis passus sit, & mortuus, & per baptismum integram peccatorū veniam largitus. Sed quānam gratia non manifestè se crucifigendum aperuit, sed ad veterem figuram auditores relegauit? Primùm quidem, vt veterum ad noua cognationem intelligeret, deinde vt intelligas non inuitum ad passionem venisse: & præterea nullum sibi ex eo damnum, sed multorum salutem secuturam. Ne igitur quispiā diceret, quomodo possunt in crucifixum credentes salui fieri, cùm se à morte non liberauerit? veterem in medium adducit historiam. Nam, si ad ærei serpentis simulacrū aspicientes Iudæi, morte liberabātor: quanto maiori, qui in crucifixum credunt, beneficio fruentur? neque enim, quòd crucifixus est, idcirco eum imbecillitatis arguas: neque Iudæos superiores dixeris, sed mundum Deus amauit. Ideóque animale eius templum crucifixum est, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vides crucis causam, & ex ea salutem? Vides vt figura veritati consentiat? Illic mortem fugerūt Iudæi, sed temporalem, hic sempiternam fideles. Illic ictus serpentum suspensus serpens sanauit, hic incorporei serpentis plagas Iesus cruci affixus curauit: illic corporeis oculis suscipientes corporis salutem, hic incorporeis omnium peccatorum remissionē consecuti sunt. Illic æs suspensum erat in serpentis effigiem, hic dominicum corpus a Spiritu formatum. Serpens illic mordebat, & serpens sanabat: hîc mors perdidit, & mors saluum fecit: Ad hæc, qui interimebat serpens, veneno sæuiebat, qui liberabat nullo, sic & hic, nam ea, quæ perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum serpens venenum: Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, vt æreus serpens veneno. Peccatum enim, inquit, non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Hoc est, quod significauit Paulus; Expolians principatus, & potestates Esa. 53.
traduxit confidenter palam triumphans illos in Colo. 2.
semetipso. Quemadmodum enim, cùm fortis athleta hostem altè erectū prosternit, clariorem facit victoriam: ita Christus toto orbe spectante, hostiles conatus euertit: & qui in solitudine formidabant, eos ab omnibus feris in cruce suspensus tutatus est. Sed non dixit, suspendi: sed, *exaltari* vt neq; auditoribus ignominiosum, neque à figura abhorrens videretur.

EIVSDEM IN PRAEciosæ vitalisque Crucis veneratione media hebdomada ieiuniorum, Sermo 1.

Ioachimo Perionio interprete.

VEnit nobis anniuersarius dies omni religione colendos, atque illustris sanctorum ieiuniorum, qui & ter beatam, vitalémque conseruatoris nostri Iesu Christi crucem profert, & ad venerandum proponit, & eos, qui eam syncero corde, castisque labris venerantur, atque sanctos efficit, ad stadij sanctorum ieiuniorum cursum paratiores, robustioresque declarat. Quia igitur hodiernus dies preciosæ crucis venerationi constitutus est, huc adeste omnes, eam cum metu, atque desyderio amplectamur. Resurrectionis enim Christi splendorem emittens, donis, muneribúsque suis omnes illustrat, & sanctificat: ob eámque causam eam completi in animis nostris gaudio salutemus. Hodie cæli, atque terræ incolæ ingenti lætitia afficiuntur, propterea quòd illustris, vitalisque Christi crux proponitur, cuius vi dæmones fugantur, morbi profligantur, caliginosæ, obscuræque tenebræ pelluntur: omnésque orbis terræ fines illuminantur. Hodierno die Christi Ecclesia, alter paradisus esse monstratur, quę & sanctum preciosæ crucis lignum proponit, & passionis Christi præsidium crucem facit, & eiusdem resurrectionis præmiū. Hodie propheticum verbum completum est; Adoramus enim in loco, in quo Dei nostri pedes steterunt. Lætare ergo, & gesti gaudio, Christi Ecclesia, liberósque tuos fac adducas, perturbationum continentia, ieiunioq; expiatos, splendidisque virtutibus fulgētes, atque choream ducas nouo, inauditóque genere saltationis. Quemadmodum enim in solitudine ij, qui

Habetur in libro separatim excuso.
Videtur hæc Homilia continenta ex sequentis, qua magis quam hæc Chrysostomi stylum sapit.
Ieiunium expiatorium.

vulnerati erant, aspectu, spectatoque æneo serpente, a morte liberabantur: sic etiam nunc ij, qui medium ieiunij cursum confecerunt, huius contactu, serpentem, qui animo cernitur, & intelligitur, mortuum præferunt: ij demque immortalitatem assequuntur, sociique eorum, quæ Christus pertulit, continentia declarati, socij, atque participes eius resurrectionis esse monstrantur. Neque hoc modo, verùm etiam ad id, quod sequitur, fortiter currentes, victrices laudes Deo afferunt. Crux enim domini arma sunt victricia, & trophæum reportantia, quæ regum armis vinci bello non possunt: eadem est cornu Ecclesiæ, hostium expugnatrix, salus fidelium. Beatique verè sunt, atque admodum beati ij, qui castis labris, sanctóque ore eam vt amplexentur, exeunt. Re enim vera illud domini verbum implent; Si quis me sequi vult, se ipse abneget, tollatque crucē suam, & me sequatur. Vide quemadmodum nullam necessitatem verbis suis adiungit. Non enim dixit, velitis, nolitis, hoc vobis perferendum est, sed quomodo? Si quis vult me sequi, non vim affero, non cogo, sed sui quenquam iudicij, ac voluntatis dominum facio: ob eamque causam dico; Si cui in animo est, me sequi. Ob bonum enim, & honestatem, non ob malum, & molestiam, non ob supplicium, & pœnam. Ipsa enim natura rerum satis virium habet ad trahendum. Si quis vult venire post me, siue vir, siue mulier, siue is, qui præest, siue is, qui alij paret, & seruari vult, hanc ingrediatur viam. Tria sunt, quæ commemorat, abnegare seipsum, crucem portare, & sequi: sed primum, quid sit seipsum negare, videamus. Discamus quid sit, alterum negare, ac tum demque negare se quid sit, intelligemus. Quid ergo est negare alterum? Qui alium negat, exempli causa, filium, vel fratrem, vel amicum, vel vicinum, aut quemuis alium, siue flagris eum cædi videat, siue in vincula coniici, aut quiduis aliud perpeti, non præsto est, non fert auxilium, non vicem eius dolere se, lachrymis testatur, nullum sensum doloris eius sentit. Omnes enim alieno ab eo sunt animo. Sic ergo vult nos Deus corpus nostrū negligere, vt, si qui nos ipsius causa vel verberent, vel supplicio afficiant, vel exagitent, aut aliquid aliud faciant, negligamus. Hoc est enim negare, id est, nihil rei secum habeat, sed se ipse periculis obiiciat, & certamini: atque eo modo affectus esto, quo si quis alius pateretur, esset. Nec dixit; Neget seipsum, sed, abneget, hac parua adiunctione magnam declarans exuperantiam. Et tollat crucē suam. Vides quemadmodum eum militem, qui ipsum sequitur, rex cælorum armauit: non scutum dedit, nō galeam, non sagittam, non thoracem, non ocreas, non quippiam aliud eiusdem generis, sed, quod his omnibus est fortius, præsidium, quod à cruce proficiscitur, signum victoriæ, quæ contra dæmonia parta est: hoc gladius est, hoc scutum, hoc thorax, hoc galea, hoc ocreæ, hoc tutum, certúmque præsidium, hoc portus, hoc perfugium, hoc corona, hoc certaminis præmium, hoc bonorū omnium thesaurus, & quæ nunc sunt, & quę sunt, inquam, futura. Vt enim aliquis, sumptis armis, quibus facilè se tueri possit, ea etiam dat militibus suis: sic etiam Christus. Videte, inquit, omnia, quæ crux mea perfecit: facite etiam vos arma eiusmodi, & perficite eiusmodi, quæ vultis. Quanquam alicubi his etiam maiora pollicitus est his verbis, Qui in me credit, is etiam opera, quę ego perficio, perficiet, atque his maiora præstabit. Quid autem vult sibi hoc verbum; Tollat crucem suam, & me sequatur? An vt lignum vnusquisque nostrum feratis? certè non, quæ enim hæc virtus est? sed vt ad pericula instructi simus, & sanguinem in animis nostris circunferentes, ad cędem, & mortem quotidie parati, ita omnia faciamus, vt, si ad vesperum nos victuros esse nō speraremus, quasi planè morientes. Id quod etiam Apostolus Paulus dicebat, Quotidie morior. An nō tibi à natura mors constituta est? Et tamen licet tibi, si libet, millies pro domino mortem oppetere. Hoc enim munus est, egestatem, quæ apud amicos manet, domini benignitate ad magnas diuitias perducere, qui non tetium modò eueniu, verùm etiam certantium proposito, & voluntate coronas metitur. Quid autem illud est; Tollat? Ita esto, inquit, paratus ad cædem, & crucem, vt is, qui eam portat: ita paratus, vt is, qui eam in humero sustinet: ita vicinus morti esse existimetur. Omnes talem mortem extimescunt. Neque enim adeò mille armis instructos homines, & barum fortitudine fretos, ac munitos pertimescimus. In hoc libertas sita est. Nihil enim tantopere mortē fugat, vt mortis contemptio. Sed, ne quis existimaret hoc vnum satis esse, paratos esse ad mortem: (sunt enim & latrones, & venefici eiusmodi, & parricidæ omnes) ob eam causam addidit; Et me sequatur. Non fortem, inquit, modò quæro, nec eum, qui, appropinquante morte, non borrescit, sed etiam bonum, continentem, moderatum, omniqne virtute præditum. Vidisti crucis ministerium, nec in domino tantum, verum etiam in seruis tantùm valere. Hoc Petrum principem fecit; hoc Paulum talem reddidit. Itaque dicebat; Quis nos à Christi charitate seiunget? oppressio? an angor? an periculum? an gladius? Hoc etiam eos, qui ieiuno sunt stomacho, & se abstinent non ab esculentis modò, verum etiam à perturbationibus, fortes effecit. Armemus nos, charissimi, vi crucis, atque muniamus: armatique ad id, quod reliquum est, ad ieiunium veniamus paratiores, contemnamúsque omnia voluptatum genera, quæ hæc vita suppeditat. Etenim diuitiæ, gloria, potentia, amor, omniáque eiusdem generis propterea iucunda sunt, nostrósque sensus mouent, quòd vitima vitæ cupiditate ducimur, & hac vita deliniti sumus. Hac autem contempta, nullam illorum rationem ducimus. Bona enim hæc vita est, bona, & iucunda: (est enim Dei donum) sed, cùm futura apparuit, tum æquum est eam contemnere. Ne igitur pudore afficiamur magnificis salutis nostræ signis, nec magnum caput bonorum, quo & viuimus, & sumus, depellamus, nos delicias, crapulæ, ingluuieique dedētes, sed pro corona, Christi crucem feramus, id est, mortem perturbationum. Etenim ea, quæ per nos fiunt, & nos attingunt, ea perficiuntur omnia: siue renascendum est, crux præsto est, siue mysticus ille cibus sumendus, siue in clerum aliqui cooptandi sunt, siue quiduis aliud faciendū est, vbique signū nobis Crucis adest. Ob eamque causam & in ædibus, & in muris, & in foribus, & in frontibus, & in animo, atque mente eam studiosè depingimus, & insculpimus. Salutis enim nostrę, cōmunisque libertatis & bonitatis Domini uostri hoc signū est & certissimū & clarissimū. Hinc signaculum, siue signū appellata

Videt cru... signaculu in... ... adhiberi ...

Nota ... patres ... dep...

pe lata est, quod testamenta, & statuta diuina omnia, quæ accepimus, hac, quasi signo quodã regio, atque anulo obsignamus. Nec quicquam mali iam audet accedere. Si præfecturam alicui de populo mandemus, eúmque ad sacerdotij dignitatem prouehamus postea quàm innumerabilia precari sumus, ac Spiritus sancti munus appropinquans euocauimus, hac obsignamus, quasi certu, item que in loco donum, quod donatum est, [illegible] Sic etiam in sacrificiis sumitur. [illegible] enim crux gladius est, & lignum, quo interfectus est à Dei interfectoribus Christus, & diaboli opera deleuit, ipsúmque diabolum deiecit, in [illegible] in eo fixis criminibus. Ob eámque eam sam in sacrificiis sumitur, quasi gladius quidam, & flagrum regium, quod omnem diaboli aduentum, satanæque impetũ profligat, & fundit. Hinc [illegible] pontifices quasi stipatores quidam, regio flagro proposito, eò omnem hostium exercitum fundunt, & fugant, eùm diuina, regiáque munera us, qui initiantur tribuunt, in quo vna cum eis regem Christum colunt, atque venerantur. Cùm ergo signaris, tibi in mentem veniat omnis vis, quam crux continet, ac tum iram, omnésque à ratione auersos animi impetus extinxeris. Cum frons consignabitur, cum oculi, eum reliqua membra, fac te ipse vt hostiam Deo gratam offeras. Hoc est enim à ratione profectum obsequium. Hoc etiam signum fores claosas maiorum nostrorum memoria aperuit: hoc noxia mortiferáque venena extinxit: hoc cicutæ vim eluit: hoc denique belluarum venenatarum morsus curauit. Si enim inferorum portas aperuit, & cælorum orbes laxauit, paradisique aditum renouauit, & diaboli neruos fregit: quid mirum videri debet, si noxia venena vincit, & superat? Hoc ergo in mente tua insculpe, animorúmque nostrorum salutem amplectere. Hæc enim crux orbem terræ conseruauit, errorem expulit, veritatem reuocauit, terram cælum fecit, homines fecit angelos. Ob cámque causam dæmones non iam horribiles sunt, aut metuẽdi, sed cõtemnendi: nec mors, est mors: sed somnus, & vigilia. Hinc carnis non recti impetus, qui eis, qui ieiunat, aduersantur, & obsistunt obruuntur. Quòd si quis Iudæus, hoc tibi dicat; Eum, qui cruci suffixus fuit, adoras, & veneraris, ei alacri, magnáque voce, ac læto vultu responde; Certè adoro, nec finem adorandi faciam: et, si rideat, lugere eum, quod amens sit, nec sciat, quid loquatur. Christóque Domino age gratias, quòd eiusmodi in nos beneficia contulit, quę sine cælesti, diuinaque enunciatione discere nemo possit. Ob eam enim causam iste etiam ridet, quod homo, qui corporis voluptatibus deditus est, ea, quæ sunt spiritus, minimè capit, & probat. Sed quid nam ait amens, ingratus, perfidúsque Iudæus? Si ergo Christus est Deus, vt defenditis, ac Dei filius, salutisque hominum causa venit: cur tali morte, quę inhonesta est, in crucem actus est? Cui paucis respondebimus, quæ ex prophetis collecta sunt. Oportuit Christum cruci affigi, ô legis violator, & ingrate Iudæe, propterea quòd lex, & prophetæ ita prædixerant, fore vt genus hominum à Christo conseruaretur. Primus enim Moses dicit Videbitis vitam vestram suspensam in oculis vestris, nec vitæ vestræ fidem habebitis. Et Esaias, Tanquam ouis ad cædem doctus est, & quasi agnus corã tondente, obmutescet. Itémque Hieremias, Venite, inquit, immittamus lignum in eius panem. Et, dederunt precium eius in agrum figuli, quemadmodum mihi Dominus constituit. Deum autem esse Christum, qui in crucem sublatus est, audi Esdram asserentem, Laudandus est Dominus, qui manus suas extendit, salutémque Hierosolymis, spectantibus nobis, dedit. Iam verò cùm serpentes populum interficiebant, iussúq; Dei Moses in ligno serpentem sublimem proposuisset, mouebat populum, vt serpentem intuerentur: ita fore, vt minimè morerentur. Rursúsq; Hieremias ex eorum persona, qui eum cruci suffixerunt; Venite, inquit, & eum ex viuorum terra exterminemus. Et rursus Christus per eundem prophetam; Ego verò, inquit, quasi agnus innocens, qui ad victimam, cædémque ducitur. Dauid quoq; ex Christi persona; Foderunt manus meas, & pedes meos, diuiserúntque inter se vestimenta mea, & sorte egerũt, cuius esset vestis mea. Idémque rursus; Expandi manus meas toto die ad populum incredulum, & contradicentem, qui via bona, & recta non incedebant, sed peccata sua sequebantur. Colendam autem, adorãdámque esse Christi crucem, eiúsque figuram, & effigiem: hoc etiam prophetæ docent; Date significationem in frontibus eorum, qui ingemiscunt, & dolore afficiuntur ex peccatis suis omnibus, cædite, discerpite, nec parcite: senem, iuuenem, mulieres, & infantes lactentes delete: ad eos porrò, qui signum habuerunt, ne accedatote. Salomon quoque his verbis; Laudate lignum, quo iustitia oritur. Esaias etiam vnde esset, & qualia crucis ligna essent, exponit his verbis. In cupresso, picea, & cedro simul locum sanctum celebrate. Quinetiam Moses, demisso ligno in Merram, amaras aquas dulces reddidit in figuram crucis Christi, qui mundum ex diaboli amaroro dulcem effecit. Mosis etiam virga, quæ silicem discidit, crucem Christi significabat, qui corda, voluntatémque hominum diuisit, spiritúsque sancti munus in eis inseuit. Hæc etiam veræ vitæ via est, omnésque, qui eam tenent, viuunt: qui autem eam reliquerũt, ab eáque deflexerunt, mortem, suppliciúmque æternum habebunt. Lex enim, & prophetæ sanctam trinitatem prædicant: veréque hic est, qui à lege, prophetisque prædictus est, Iesus Christus Dominus qui Domini nomine venit: nec est alius, nisi is, qui Bethleemi Iudææ oppido ex virgine, & Dei parente Maria, Augusto Cæsare imperatore, natus est. Quòd si quis eum non recipit, & probat, nec ei credit, is Dei desertor est. Itaque Esaias de vobis, qui estis clamat his verbis; In captiuitatem populus meus abductus est, quòd Dominum minimè norunt. Ex quo enim Christus venit, via exercitus vestri, Iudæi, dissoluta est, sublatúmque sacerdotium, & à Romanis dispersi estis. Ait enim Esaias de iis, qui Christum in crucem egerunt, Propter peccata nostra auertit faciem suam à nobis, & reliqui nostrum in peccatis. Si enim ipse Christus non esset, is, qui ex Maria natus, qui à Deo electus est, verúsque eiusdem filius, qui à lege, & prophetis prædictus est, natio vestra Iudaica in honore, & nomine, esse, séque erigere, atque regnare potuisset, vt quæ Dei hostem, & inimicũ, impostorémque morte mulctasset. Verum iam ex eo tempore, cùm crux nata est, & à maioribus vestris est Christus suffixus est, adhuc eum ignominia, & dedecore perit: vobisq; Deus grauius fuecensetu

In sacerdotum ordinatione crux concip.

Signo crucis diabolus fugat.

Memoria Lapsus.

Christi crucem, eiusque effigiem colẽdam, & adorandam.

Hæc traditio est valde ambigua.

censet, quam in captiuitate Babylonica. Tũ enim sexagesimo anno pòst Deus misertus est, vósque reuocauit. Hic verò tempore omnino repulit, patérque vester, idémque propheta, & patriarcha verum prædixit, iuta vestra omnia conciderunt: ex Iudæa patria vestra excessistis: in diuersa loca dispersi estis, atque in orbe terrarum ab oriête ad extremum terræ vos omnes & contemnunt, & irrident. At res nostræ Christianorum in dies magis florent, crescunt, & corroborãtur, atque per omnes mũdi angulos religiosæ fidei nostræ prædicatio peruasit: nos Christ* regit, & in nobis regnat: eiúsq; preciosam, atque vitalem crucẽ adoramus, & pro thesauro magni precij tenemus. Etenim crux Domini omni regia corona splendidior est, & præclarior: quid dico, regia corona? imò verò ipsos solis radios pulchritudine multum superat. Ac quondam quidem improbæ vitæ, prauorúmque factorum condemnatio hæc res fuit: nũc autem diuini muneris significatio, nobilitatis spiritalis signũ, thesaurus tutus, ac certus, donũ, quod eripi non potest: sanctimoniæ documentum. Hãc & in mensa, & in lecto, & quocunque in loco sumus, præferimus. Vt enim plerique milites sine armis nec prandent, nec dormiunt: sic nunc pro gladio eam in lecto suspendamus, pro repagulo in ostio depingamus, pro muro, & pariete omni domui circundemus: partes intimas, & extimas hac muniamus. Hæc enim mortem deleuit, cælos aperuit, terram expiauit: naturam nostram in solium regium reduxit: atque tyrannidem diaboli dissoluit. Huius forma est duplex: vna ex materia, exempli causa, ex auro, vel margaritis, vel gemmis, quæ sæpe à barbaris vel furibus aufertur: altera sine materia, neque enim ex materia est ei subiecta res, sed à fide est eius natura, & essentia: à dispositione autem, quæ eam facit, materia. Hæc dormientes custodit, hæc vigilantibus est præsidio: hæc in periculis conseruat: hac bellum dimittitur, & pax confirmatur. Quare laudo tuum, Domine, patientiæ, & clementiæ plenum in me prouidẽtiæ mysterium: veneror preciosam tuam, & vitalem crucem: amplector mala, quæ pertulisti: amo clauos: membrorúmque foramina saluto: arundinem, lanceam, & spongiam suspicio: pro regia corona, coronam ex spinis ad caput accommodo, & sputis tanquam splendidis gemmis ornor: pro clarissimo ornatu colaphis glorior: téq; verum Deum esse profiteor,* vnum sanctæ trinitatis, Iesu Christe, qui mea causa mortem perpessus es, in linteo inuolutus fuisti, & à Iudæis legis violatoribus irrisus, qui tandem sepultus fuisti, & tertio die post excitatus es à mortuis, qui rediturus es iudicandorum viuorum, mortuorúmque causa. Tibi enim gloria est, & potentia vna cùm Patre, sanctóque, & vitæ largitore tuo Spiritu, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Crux ex auro, margaritis, & gemmis olim confici solita.

** Loquendi modus contra Petrum Gnapheum excogitatus.*

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

Eodem interprete.

Habetur ibidem.

Est signum hoc illud, fratres, quod Dominus datarum se omnibus promisit his verbis; Natio improba, & adultetina signum quærit, & ei signum non dabitur, nisi signum Ionæ prophetæ: crucem intelligens, mortem, sepulchrum & resurrectionem. Rursus aliter vim crucis declarans, dicebat; Cùm exaltaueritis filium hominis, hinc cognoscetis, quòd ego sum. Cùm me, inquit, cruci suffixeritis, & me victum existimaueritis, tum maxime vim meam intelligetis. Posteà enim quàm Christus in crucem actus est, Iudæorum consuetudines, finem, & terminum habuerunt, prædicatio floruit, ad fines terminosq; orbis terrarum verbum peruasit: eiúsque vim terra, & mare tam ea, quæ habitantur, quam quæ non habitantur, semper prędicant. Nemicem igitur gloriosorum salutis nostrę signorũ pudeat, summæq; bonorum, qua & viuimus, & sumus, sed vt coronam, sic Christi crucem feramus. Etenim nostra omnia, per illam perficiuntur: siue regeneratione, & renouatione opus est, crux præsto est, siue mysticus ille cibus sumẽdus est, siue in ordinem Ecclesiasticum aliqui cooptandi, siue quiduis aliud faciendum est, vbique victoriæ nostræ signum adest. Ob eámque causam illam & in ædibus, & in muris, & in foribus, & in fronte, & in mente cum magno studio depingimus, & insculpimus. Nostræ enim salutis, communisque libertatis, & bonitatis Domini nostri hoc signum est. Tanquã enim ouis, ad cædem ductus est. Cùm ergo insignieris, tibi in mentem veniat vis omnis, quam in se crux continet: ac tum denique iram, omnésque à ratione auersos animi impetus extinxeris. Cùm signatis, magna fiducia frontem imple, animum tuum fac liberum. Scitis autem planè quænam nobis libertatem afferant. Itaque Paulus nos ad hoc ipsum incitans, ad libertatem dico, quæ nobis digna est, Dominicæ crucis, ac sanguinis recordatione inuitat hoc modo, Precio enim, inquit, empti estis, nolite fieri hominum effici. Cogita, inquit, precium, quod pro te dissolutum est, & nullius hominis seruus eris; quibus verbis precium, sanguinem, qui in cruce profusus est, appellat. Non enim omnino digito imprimenda, & & consignanda est, sed prius voluntate, ac iudicio cum magna fide, qua sic in oculis, vultúque impressa, impurorum, scelestorúmque dæmonum nullus ad te accedere, aut in propinquo stare vnquam poterit, cernens gladium, quo vulnus, plagamque accepit, vidénsque ensem, quo mortem accepit. Si enim nos eum loca, in quibus damnati secantur, videmus, exhorrescimus, cogita quid eueniturum sit Diabolo, cùm arma videbit, quibus vim, potestatémque eius omnem Christus dissoluit, serpentísque caput amputauit. Noli igitur committere, vt te tanti boni pudeat, ne tui etiam Christum pudeat, quando cum maiestate sua veniet, & signum eorãm apparebit, superabitque solis radios lumine. Crux enim tum apparebit, mittétque vocem aspectu suo, atque pro Domino apud omnes orbis terrarum homines verba faciet, docebitque nihil ab eo prætermissum esse, quod ad illorum salutẽ pertineret. Hoc etiam signum ianuas clausas maiorũ nostrorum ætate aperuit: hoc noxia, mortiferáque venena profligauit: hoc cicutæ vim diluit: hoc denique venenatarum bestiarum morsus curauit. Si enim inferorum portas aperuit, & cælorum orbes laxauit, paradisique aditum, introitúmque restituit, & diaboli neruos fregit: quid mirum videri debet si mortifera venena, & alia eiusdem generis vincit, & superat? Hoc igitur in mente tua insculpe, animo

Hæc in superiore concione fusius ut pleraque alia sunt.

animorumque nostrorum salutem amplectitor. Crux enim hæc orbem terrarum conuertit, errorem expulit, veritatem reuocauit, terram cælum fecit, homines angelos reddidit. Hinc dæmones non iam horribiles sunt, aut metuendi, sed contemnendi, neque mors est mors, sed somnus. Hæc abiecta sunt humi, cóculcatáque omnia, quæ nobis aduersantur. Quòd si quis Iudæus hoc tibi obiiciat, Eum tu, qui cruci suffixus est, colis, atq; veneraris: ei alacri, magnáque voce, ac læto vultu respondeto, Certè veneror, & colo, nec colere eũ desistam: & si rideat, dole eius vicem cum lacrymis, quòd amens sit: Christo domino age gratias, quòd beneficia eiusmodi in nos contulerit, quæ sine cælesti, diuináque enunciatione, & patefactione discere nemo possit. Iste enim propterea etiam ridet, quòd homo corporis voluptatibus seruiens, ea, quæ ad spiritum, animúmque pertinent, non capit: quandoquidem hoc etiam pueris vsu venit, cùm aliquid magnum, & admiratione dignum intuentur: ac, si puerum ad mysteria introduxeris, ridebit. His igitur pueris Gẽtes sunt similes, imò verò pueris, vt ita dicam, imperfectiores sunt, ob eamque causam miseriores, quòd non in immatura ætate, sed in absoluta, & constante in illos eadem, quæ in pueros cadunt. Itaque ne venia quidem digni sunt. Nos verò clara, magnáque voce clamemus, atque dicamus, ac si omnes Gentes adsint cum magna fiducia profiteamur, crucem esse nostram gloriationem, summámque bonorum omnium, & fiduciam omnem, atque coronã. Vellem autem possem etiam cum Paulo dicere; Mihi mundus cruci suffixus est, & ego mundo, sed non possum varijs impeditus, constrictúsque perturbationibus. Itaque cùm vobis, tum mihi ipse suadeo, vt mundo in cruce agamus, nec quicquam habeamus cum terra cõmercij, verùm cælestẽ illam patriam amemus, & gloriam, quam illinc expectamus, bonáque sempiterna. Sumus enim cælestis regis milites, armáque spiritus, & animi sumpsimus. Cur ergo cauponum, & mendicorum, atque adeò verminum vitam traducimus? Nam, vbi rex est, ibi etiam miles esse debet. Milites enim effecti sumus, non eorum, qui procul absunt, sed eorum, qui sunt in propinquo. Terrenus enim rex nunquam omnes in regiis esse patiatur, nec latera sua cingere: cælorum autem rex omnes propinquos, vicinósq; solio regio esse vult. Sed quomodo fieri potest, dicet aliquis, vt nos, qui hic sumus, ad solium illud stemus? Quia etiam Paulus cùm in terra esset, ibi erat, vbi & Seraphim, & Cherubim erant, viciniórque hic Christo erat, quam regi sint isti stipatores. Hi enim sæpe oculos in multa loca conuertunt: illum autem nihil obiecta specie distrahebat, sed omnem mentis aciem in rege, ac domino defixam habebat. Quocirca, si velimus, nos quoque huc possumus. Si enim loco disiunctus esset, rectè quæreres. Si verò vbique adest, & præsens est, ei, qui studium adhibet, animique contentionem, est propinquior. Itaq; propheta etiam dicebat; Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et Deus ipse rursum; Deus appropinquans, & accedens ego sum, non Deus remotus. Vt igitur peccata nos ab eo disiungunt, sic nos cum eodem coniungunt virtuti consentaneæ actiones. Cùm etiam, inquit, loquêre, dicam; En adsum? Quis tandem parens sic posteris vnquam obediat? quæ mater ita parata est, státque semper, si fortè ipsam appellent liberi? nemo est, nec pater, nec mater. At Deus præsto est semper expectans, si quis fortè seruorum se appellet: neque vnquam nos, si ipsum vocabamus: vt par erat, neglexit. Ob eámque causam ait; Cùm etiam lòquêris, non expectabo, dum compleas, & absoluas orationem, sed statim audiam. Appellemus ergo eum, vt vult vocari. Quo autem modo vult? Solue, inquit, omne vinculum iniustum: dissolue obligationes contractuum, qui vi facti sunt: omnem syngrapham iniquã discidito: frange esurienti panem tuum: egentésque, & vagos introduc in domum tuam. Si nudum aliquem videris, eum cooperi: & propinquos generis tui ne contemnito: tum erumpet ante tempus lumen tuum, & sanitas tua citò orietur: & antecedet te iustitia tua, & gloria Domini te colliget: tunc me inuocabis, & te audiam, etiam loquente te, dicam; Ecce adsum. Ecquis, dicet quispiam, facere hæc potest omnia? Quæso te, quis est, qui ea præstare nó possit? Quid enim difficile est eorum, quæ commemorata sunt? quid arduum? aut quid non facile? Sic enim non solùm fieri possunt, sed etiam facilia factu sunt, vt multi etiam vltra modum, & finem constitutum progressi sint, qui non solùm tabulas, syngrapháſque non legitimas disciderũt, sed sua etiam omnia erogarunt: egentésque non solùm domum suam receperunt, mensę adhibuerunt verùm etiam hoc facientes sudore corporis laborem testificati sunt, vt ipsos alerent, non solùm propinquos, & cognatos, verùm etiam hostes afficientes bonis. Quid verò omnino difficile est eorum, quæ dicta sunt? Neque enim dixit; Supera cursu montem: traijce mare: perfode terræ tot, atque tot iugera: abstine à cibo semper: cilicium sume: sed domum tuam communica, impertire, & eroga panem: tabulas, & syngraphas non legitimas, nec iustas discidito. Quid his, quæso te, facilius est? Quòd si etiam difficilia esse existimas, intuere præmia, & tum tibi facilia erunt omnia. Quemadmodũ enim reges in ludis, & certaminibus, quibus de equorum præstantia decurrendo contenditur, coronas, tunicas, & præmia iis, qui certant, proponunt: sic Christus in medio curriculo præmia, prophetæ verbis quasi multis manibus ea explicans, proponit. Et reges quidem cùm homines sint, abundantiámque rerum habeant, quę profunditur, & liberalitatẽ, quæ consumitur, ea, quæ pauca, & parua sunt, multa, magnáque ostendere student: ob eámque causam singula singulis ministris tradentes, sic in medium prodeũt. At rex noster contrà, cùm vniuersa portarit, quoniam valde est locuples & copiosus, nihilq; ostentationis causa facit, sic in medio proponit ea, quæ explicata, innumerabilia, infinitáque erunt, & multas manus, quæ contineant, desiderant. Atq;, vt hoc intelligas, vnumquodque eorum accuratè considera: Tunc erumpet, inquit, quasi mane lumen tuum. An non tibi vnum quoddam esse donum videtur? At non vnum est. Etenim multas intrinsecus, & coronas habet, & brabia, & alia præmia: &, si placet vobis, proferẽtes diuitias omnes ostendemus, quantum quidem possumus ostendere, modò ne molestum sit vobis. Ac primùm intelligamus quid sit, erumpet. Celeritatem, & largitatem nobis declarat, & exprimit, quantopere & salutem nostram cupiat: & bona ipsa, & addat,

nec quicquam erit, quod præsidium eius, quod explicari nulla oratione potest, impediat: quibus omnibus eorum copiam, infinitámque abundantiam indicat. Quid autem sit ἐξαίφνης, dicam. Significat autem non postea quam in malis fueris, nec post malorum accessum, sed antè quàm existant. Quemadmodum enim in fructibus præcoces dicimus eos, qui ante tẽpus existunt: sic etiam hoc loco celeritatem rursus significans, ita auxit, vt suprà dicebat, Adhuc te loquente, dicam; Ecce adsum. Quod verò lumen dicit, & quid hoc lumen est? Nõ hoc, quod sub sensum cadit, sed aliud multò melius, quod cælum nobis ostendit, nempe Angelos, Archangelos, Cherubim, Seraphim, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, exercitum omnem, vrbes regias, tabernacula. Si enim dignus habitus fueris, qui lumen illud videas, hæc videbis: & à gehenna, & à verme qui venenum iaculatur, & à stridore dentium, & à vinculis, quæ dolorem afferunt, & ab angoribus, & à malis, & à tenebris lumine carentibus, & à diuisione, & ab ignis fluminibus, & ab execratione, & à locis dolorum plenis liberabere, eóque venies, vbi nihil loci relictum est dolori, & molestiæ, vbi magna viget gratia, pax, charitas, voluptas, & lætitia: vbi vita est sempiterna, & gloria, pulchritudóque, quam nulla oratione consequi quisquam potest: vbi æterna sunt tabernacula, regísque gloria, & maiestas, quæ exprimi non potest, eáque bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor, animúsque hominis cogitauit: vbi est sponsus, qui animo cernitur, & intelligitur, thalami cælorum, & virgines, quæ lucernas ardentes tenent, iíque, qui vestem habent nuptiarum: vbi palatia sunt Domini, & cubicula regia. Vidisti quæ, & quot præmia vno verbo demõstrauerit, & quemadmodum omnia simul portauerit. Sic etiam, si singula verba, quæ sequuntur, explanauerimus, magnam abundantiam, atque immensum mare reperiemus. Quare ne differamus, neque pigri simus ad præstanda officia benignitatis egentibus, ne simus, hortor: sed, si omnia abiicienda nobis sunt, si in ignem conijciendi sumus, si in gladiis saltandum est, si quiduis perferendum: omnia facilè, & æquo animo feramus, vt regni cælorum amictum, gloriámque illam consequamur, quam vt omnes consequamur, det pro sua benignitate, & humanitate Dominus noster Iesus Christus, cui gloria, & potestas æterna tribuatur.

EIVSDEM DE EADEM

Sermo 3.

Godefrido Tilmanno Cartusiæ Parisiensis monacho, interprete.

Habetur in libello seorsum excuso. Huius Homiliæ vetere[m] translationem, postremam partem Ionas Aurelian. citat.

QVid dicam? quid loquar? quo vos appellem nomine? Ouésne, an veriùs pastores? Nautas an nauium moderatores? Discipulos, an doctores? Vestrum hunc zelum præferuidum, præque igne flammeum quánam possim admiratione prosequi? Oues iure vos vocauerim, mansueti siquidem estis, ac taciturni. Pastores itidem vos appellabo, cura etenim gregis vos tangit. Nautas dicere vos possim, quippe qui doctrice experientia immanes procellas tolerastis. Vos meritò appellem gubernatores, estis etenim nihilo dissimiles prouidentissimo cuipiam nauclero, qui assidens gubernaculis solerti artificio per coorientes vndarum fluctus nauim seruat incolumem, eámque placida manu ad tranquillum appellit portum. Nec iniuria vos vocauerim discipulos, qui sic alacres propenderis ad obedientiam. Quin doctores potius vos nuncupabo. Hoc mihi subinde repetendum, estis. Nec enim dubitem id de vobis profiteri: Vniuersi siquidem terrarũ orbis facti estis magistri. Quid igitur mihi dicendum, aut quid denique loquar? Quo vos appellẽ nomine? Oues, an pastores? Nautas, an gubernatores? Discipulos an doctores? ceu initio mihi dictum est. Zelũ hũc vestrum igne ipso flagrantiorem, qui possim digna prosequi admiratione? Quid igitur nobis dicendum? Institui hodie vobis mensam apponere, sed spiritualem, non vtique eam, quæ corpus saginet pabulo, magis quę suffulciat, ac vegetet spiritum, quin potius quæ & alat corpus, & animam detergeat. Talismodi esse solet mensa spiritualis, non cuiusmodi est istorum helluonum ad satietatem ventres suffarciuans. Est enim sermo hic spiritualis exuberans odoris fragrantia, cuius vel sola cõmemoratione quiuis suaueolentiam in omnes diffundat, quasi siquis in pila subigens, tundénsve vnguenti quidpiam, illius odorem circumquaque dispergat, quo nõ solùm se soletur, ac recreet, sed & compleat præsentes. Quamobrem huc precor adeste attentis animis. Mihi enim cupido incessit expromendi sermonem eorum imitatione, qui peritiam artis vrinatoriæ profitentur. Hi etenim se è naui demittunt in mare imam eius planitiem obambulaturi, desiderio reuehendi in sublime preciosum aliquod margaritum. Nos porro, quum pro naui ecclesiam habemus; pro mari, nouum ac vetus testamentum; pro nautico clauo, crucem; Christum, pro nauclero; Patrem, qui impleat vicem proretæ, pro aspirante Zephyro, Spiritum sanctum; eius gratiam, pro velo; pro nautis, Apostolos, Prophetas, pro vectoribus: non nos tandem alacri animo deijciemus è naui in altissimũ pelagus sententiarum? non quidem vt margaritam sursum pertrahamus: magis verò ipse velim ex ea sententiarum abysso sermonem proiicere, ac sustollere vnione quouis tanto pretiosiorem. Ne igitur lentescite, neu vobisipsis ceu pecudibus abutamini. Scriptum quippe est; Ne miseritis margaritas vestras ante porcos, & ne iecceritis sancta canibus. Porcos quum audieris, ne arbitrator brutas istas signari animantes. Canes quum audis, ne putes hosce domesticos innui. Porcos, eos dicit obscœnæ libidini mancipatos. Canes, qui rabie perciti aduersus Dominum temerè oblatrant. Vos igitur exhibetote dignos hac margarita, quam vobis sum hodie exhibiturus, Nec enim agricolæ semen in terram temerè deijciunt, nisi priùs sub iugum boues miserint, terram proscinderint deductione aratri, ab radice spinas auulserint: tum demum terræ mandant semina, vt quum sementem cælo sidens pluuia deprehenderit, in terræ viscera demittat. Tunc terra semen complexa, spicam parit, at illic quidẽ conditam excipit hyemis asperitas, cui æstas succedit, i[m]ber item cælo labens cum solaribus radiis. His accedit messionis tempus, in quo demessas fruges cõgregant, in horrea conuecturi. Ego contra, non hyemem, non æstatem, non solis radios, [no]n imbrem,

Huius loci elegantissima descripti[o] ... cat apud ...

non

non locum huic meæ sationi destino, non boues iug adstringam, non inducam aratrum proscissioni sulcorum, spinas non teuellam. Hodie sementem faciam, & hodie demetam. Neque enim mihi proponitur excolēda tellus expers rationis, sed rationis: non inanimis, sed animata. Beatus planè ego. Cui smodi terra mihi agricolæ velut sor contingit? Sanè tunc ego beatus, cùm in aures audientium loquor. Scriptum est enim; Beatus, qui in aures audientium loquitur. Ex opposito dixerim, Inobedientia mortem operatur. Beatus planè ego, quin & vos beati. Dominus etenim in Euāgelio suis dicit discipulis; Beati estis, si sermonem eum seruaueritis. Ad me igitur aures vestras exporrigitote: & attenti estote dicendis. Nam enim volo familiari quapiam insinuatione, & exemplo docete vos, cuiusmodi sit Deus. Hac igitur formula vsus, rem aggredior, Assimilemus Deum viro considenti in supercilio saxi prominentis, & illinc creaturam omnem circumlustranti, mare, naues toto mari commeantes: mari inquam, irrequieto exagitantibus ipsum procellis per vehementiorem ventorum aspirationem. Sit gubernator artis nauticæ peritissimus. Is eluctetur aduersum vndiuagos fluctus, studeatque ad tranquillum portum appellere nauem, quòd autem serius quàm vellet, apprehēdat sinum aliquem, timore corripitur, ne fortè fluctibus immergatur nauis. Sint aliæ item naues, quarum hæ, secundis aspirantibus ventis, ad destinatum rectà contēdant: aliis interim submersis, & interruptis, nonnullis morte absumptis, aliis contrà superstitibus beneficio adiutis arrepti gubernaculi, & ad aridam vsque terram è mediis fluctibus ereptis, aliorum insuper præmortuorum corporibus per humum disiectis. Hæc porrò omnia contemplatur is, qui insidet prominenti saxo. Consimilem in modum se habet Deus. Vtque initio dixi eadem nunc docendi formula vsus etiā dico. Quando enim mihi dictum est, Deum in sublimi considere loco, nolim, arbitrere ipsum in excelsis esse solum, quin & vbique est locorum. Nulla quippe interuallaris loci dimēsione capitur Deus, quando ipse sibi suus est locus. Quūmque omnium sit capacissimus, nihil vsquam est quod ipsum suo complectatur ambitu. Et quis, quæso, circumplecti, & ambire possit naturā incorpoream, immaterialem, interminam, imperuestigabilem, immortalem simul, & incomprehensibilem? Quisquis est hæc, Deus vtique est: hæc qui in se non agnoscit, Deus non est. Eiusmodi esse Deum, par est pios omnes intelligere, & complecti memoria. In hoc siquidem sita est spes nostra, sicut & scriptum est; Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verū Deum: & quem misisti, Iesum Christum. Hinc nos concerpunt, & dilacerant ingrati prorsus, ac perfidi hæretici, ista quidem legentes, at non intelligētes: Christum simul ac audientis, nolim arbitrere Deum esse solùm; neque dispēsationem assumptæ carnis solā asse, sed vtranque cointam naturam. Enimuerò Christum noui esurijsse: atqui eundem scio è quinque panibus pauisse virorum quinque milia, exceptis e numero, mulieribus, ac paruulis. Scio equidem siti laborasse Christum, quin eundem quoque noui aquam in vinum permutasse. Noui Christum, naui preteruectum, eundem nihilominus scio aquas proculcasse sicco vestigio. Christum scio mortem gustasse, eundem è diuerso noui & mortuos excitasse, & sui corporis templum instaurasse ad vitam. Non me clam est Christum stetisse se Pilato, eundem alioqui scio ad Patris dexteram consedisse. Christum neutiquam fugit à Iudæis esse lapidibus appetitum, at certè Christum noui adorari ab angelis. Sanè horum quædam diuinæ adscribo naturæ, ad humanam cætera refero. Eò enim mihi consertiin vtrunque dictum est: scio Christum è Maria prognatum, noui & Christum ante secula genitum. Gloriam itaque cōcinamus Christo Iesu solidissima * petra fundato. Dixit enim ipse Petro; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Itidem & Paulus doceus dicebat; Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Obtestor proinde vos, vt alius alij inuicem obtemperemus in omni mansuetudine, ac leuitate. In præsenti enim vita cibus, potúsque suppetūt, atque ita inescamur variis voluptatum illecebris: cæterū in futura nos manent iudicium, & pœna. Ne igitur locum demus diabolo: Lucta enim nobis proponitur non aduersus carnem, & sanguinē, sed aduersum principatus, & potestates seculi huius. Pro virili igitur studeamus æternam illam vitare pœnam. Non enim eam in hoc creauit Deus, in ipsam vt nos præcipitet, quin magis vt nos, qui in eam prometemur incidere, eximat, ac liberet. Deum enim habemus sic amantē nostri generis, ac proinde ad misericordiam propensissimum, testis locuples est eximius Dauid dicens; Deus iudex iustus, fortis, &*patiens, nec inferens iram per singulos dies. Nisi conuersi fueritis, rhomphæam suam vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit eum, & in eo parauit vasa mortis. Hæc eò dicit dominus, non vt in iudicium eius incidamus, magis vt socordiam, segniciémque vitemus. Neque enim suum nobis redimendis sanguinem effudisset, si nostram quæsisset perditionem. Mortuus igitur est, quò tibi conferret gratuitam immortalitatem. Esuriit, te vt sua exsatiaret carne. Sitiuit, te vt proprio potaret sanguine. Super pullum sedit, vt supra cælos te collocaret. Baptismum suscepit, te vt asseteret libertati. Itineris multum confecit, ne tu viæ prolixitudine delassetis. Nauigauit, te vt intrepidum redderet. Sopore resolui se passus est, omni vt te eximeret anxiæ solicitudini. Ex muliere prodiit, vt præuaricationem in paradiso commissam sua vnius miseratione abrogaret. Vocatus homo est, vt tu Dei filius vocareris. Quæ nostræ sunt naturæ, assumpsit: & sua nobis impertiuit. Orauit, te vt fidelem efficeret: quemadmodum super Lazaro precatur dicens; Pater, glorifica filium tuū, vt & filius tuus glorificet te. Et venit vox de cælo, dicens; Et glorificaui, & iterum glorificabo. Scio, quoniam semper me audis: sed propter adstantem turbam dixi, vt omnes credāt, quia tu me misisti. Sanè, quicquid tolerantissimè pertulit Dei filius, non suipsius causa, aut patris tulit: sed vt Crucis suæ merito, salutem conciliaret humano generi. Si qua, dilecte mi, animo tuo incessit cupiditas audiendi, quam sit operatoria virtus S. Crucis, quótve de eadem encōmia commemorare possim, audito;

Crux, spes Christianorum.

Crux, resurrectio mortuorum.

Crux, dux cæcorum.

[Margin notes: Ioan. 17. — * Mysticum ecclesiæ corpus intelligitur. — 1. Cor. 3. — Ephes. 6. — * μακρόθυμος id est tardus. proprie. — Ioan. 17. Memoria lapsus. Ioan. 12. — Encomia, siue laudes S. Crucis, qua sēdūs in ea ... ipsa confixum fuit]

Crux, via errantium.
Crux, baculus claudorum.
Crux, consolatio pauperum.
Crux, frenum diuitum.
Crux, carnifex superborum.
Crux, pœnitentia malè temperantium.
Crux, contra dæmones trophæum.
Crux, victoria aduersus diabolum.
Crux, pædagogus iuuenum.
Crux, negotiatio inopum.
Crux, spes, salutem desperantium.
Crux, gubernator nauigantium.
Crux, portus inter vndas periclitantium.
Crux, victoria oppugnatorum.
Crux, pater orphanorum.
Crux, tutor viduarum.
Crux, iudex iniustorum.
Crux, consiliarius iustorum.
Crux, requies afflictorum.
Crux, custos infantium.
Crux, caput virorum.
Crux, finis seniorum.
Crux, lumen in tenebris sedentium.
Crux, magnificentia Regum.
Crux, æternitatis scutum.
Crux, diaboli clades & exterminium.
Crux, philosophia barbarorum.
Crux, libertas seruorum.
Crux, sapientia ineruditorum.
Crux, lex exlegum, siue iniquorum.
Crux, prædicatio prophetarum.
Crux, annunciatio apostolorum.
Crux, gloriatio martyrum.
Crux, exercitatio, seu meditatio monachorum.
Crux, continentia virginum.
Crux, gaudium sacerdotum.
Crux, ecclesiæ fundamentum.
Crux, orbis totius tutelare munimentum.
Crux, demolitio templorum Idolicorum.
Crux, euersio altarium Idolis dicatorum.
Crux, nidoris immolatitij exterminium.
Crux, offensio Iudæorum.
Crux, perditio impiorum.
Crux, virtus impotentium.
Crux, medicus ægrotantium.
Crux, expurgatio leprosorum.
Crux, adstrictio paralyticorum.
Crux, panis esurientium.
Crux, fons sitientium.
Crux, velamen nudorum.

Nuditatem quũ dico, nolim credas mihi eam dici, quę corporis est, sed quæ infidelitatis. Is enim primùm nudatus comperietur, quum crediderit. Audi Paulum dicentem; Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Christum rursus quum audieris, nolim arbitrere mihi solùm intelligi, quatenus Deus est, neu etiam tantùm, quatenus attinet ad dispensationem assumptæ carnis: sed vtrunque confertim intelligo. Hæc sanè identidem inculco, nec desinam eadem repetere: mihi etenim impigrum est, hæc ipsa dicere; vobis autem tutum, audire. Volo enim omnes vos euadere in doctores. Christus dictus est, ex quo carnem induit: Iesus dictus est, secundum nomen assumptæ carnis: Verbum, quia ex vno aliquo est: Filius, quia ex patre: Vnigenitus, quia solus ex solo Deus. Quòd factor sit, audi Ioannem dicentem; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Viden, quia is ipse est, qui verbo cælos extendit, ac multiformi decore chorum astrorum exornauit? Dedit hominibus spectandum cælum perinde ac floruletũ quoddam pratum. Hic est, qui splendore prælustri solem accendit, & eidem certa lege cursus præstituit. Hic ille, qui terminum lunæ præfiniuit occidentem versus. Hic, qui fundauit terram super aquas, & ei legem fixit vt herbam proferret fœni, è fontium scatebris exilire iussit exundantem aquarum copiam, ac fluuios fluuis continuare suos, stagna vnum in locum cogi: quum & numero arenæ innumerabilis terminum mari imposuit animantia quoque proferri ex aquis, ventos insuper voluit, suos vt flatus ederent, appendeos montes in statera. Idem iumenta creauit, quadrupedia, reptilia, volucres. Quid necesse fuerat terrestria eiusmodi commemorare? Angelos, Archãgelos, Thronos, ipsa Cherubim, ac Seraphim agmina, principatus, potestates idem ipse condidit. Ordinem insuper præscripsit temporibus, annis, mensibus, hebdomadibus, horis, diebus pariter, & noctibus. Lumen proinde iussit exoriri, dein circunfundi tenebras. Denique quicquid vsquam est eorum, quæ subsistunt, omnium hic est opifex. Hominem porro quum creaturæ omnis postremum fecisset ad imaginem, & similitudinem suam, ipsum posuit in paradiso. Vt autem vidit genus humanum malitioso diaboli commento euictum, voluit demum primitias nostræ induere carnis, quam & affigeret ligno: vt, quemadmodum per lignum transgressio, itidem per lignum salus homini exoriretur. Diabolus igitur, quòd è cælo esset deiectus, inuidit Adæ in paradiso consistenti, quare exuuio serpentis vsus tanquam organo suæ fraudi consentaneo aduersus eũ operatus efficaciter est, priórque hisce aggressus verbis compellauit eos incolas tum paradisi: Incorporeus enim quum sit, vtique cum eis corporis amiculo vestitis neutiquam poterat mutuum sermonem conserere. Heuam adortus primum dicit, Quàm est lignum hoc speciosum, maturúmque, ac tẽpestiuum esui? Futurum sanè est, vt quacunque die ex eo comederitis, sitis sicut dij. Heua igitur persuasa, suum mox virum lenocinio verborum pellexit. Sumpto mox vetito edulio, vterque alteri visi sunt nudi. Ait tũ Deus ad Adam; Adam, vbi es? Caue, per hæc vllam facti ignorantiam imputes Deo. Dicebat Adæ; Vbi es? quandoquidem dixerat eis diabolus; Quia quacunque die comederitis, eritis sicut dij. Illis secum reputantibus, quòd per esum futuri essent dij: eóque dicebat Deus; Adam, vbi es? Nam, quia comedisti, perseuerasti esse homo. Nónne ligni istius esu tibi interdixeram? Ecce comedisti, ac proinde præuaricatus es mandatum. Plane hunc indicat sensum; Vbi es? Erant iam tum vterque ficulneis foliis circuncincti. Ecquid porrò respondit Adam? Audiui vocem tuam deambulantis in paradiso, & timui. Adiecit * ad Deum; mulier, quam dedisti mihi, ipsa decepit me. Deinde ad Heuam; Tu quid, Heua? Et quid illa respondit? Serpens decepit me. O Heua, esto. Ego te viri tui tutelæ credideram. Num serpenti etiam huic tui curam permisi? Hunc illi prętextum opponebant, per eam confsificationem sperantes, se exemptum iri

Gal. 3. · Ioan. 1. · * Deus.

... ... .Ait tum Deus ad Adam; Maledicta terra in ... ribus tuis. Spinas, & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Deinde ad mulierem; In dolore paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Posthæc ad serpentem; super pectus tuum, ac ventrem gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ: tu eius obseruabis calcaneum, & ille caput tuum. Quam tandem ob causam tali maledictione perculit serpentem, per quam super pectus, ac ventrem ingrederetur, terramque esuriret cunctis diebus vitæ suæ? Hae nimirum ratione pectori maledixit; quia in eo sedes est cordis, quod serpenti fuit mali initius aduersus progenitores nostros concepti domicilium: ventri item, quod prætensa escæ illecebra, vtrunque pertraxit in præcipitium inobedientiæ. Adhæc iubetur, terram vt comedat omnibus diebus vitę suæ. Siquidem Adā è terra terrenus erat. Itaque tres hi suam quisque accepere sententiam; quò hi tres præscriptum sibi mandatū essent præuaricati. Quādo igitur per lignum facta transgressio est, iuxta præscriptum mihi sermonem voluit ipse dominus ligno affigi primitias nostras: vt, quemadmodum diuini præuaricatio mandati per lignum, ita per lignum homini suboriretur salus, qua omnes nos contingat perfrui in Christo Iesu domino nostro cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hippon. in superius Euang. Homilia 1.

Ioan. 3. *ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad eum nocte, & dixit ei, Rabbi.* Iam hoc nostis, quia rabbi magister dicitur. *Scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis: nisi fuerit Deus cum eo.* Ergo iste Nicodemus ex his erat, qui crediderāt in nomine eius, videntes signa, & prodigia, quæ faciebat. Superius enim hoc dixit; Cū autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderūt in nomine eius. Quare crediderūt in nomine eius? Sequitur & dicit; Videntes signa eius, quę faciebat: & de Nicodemo quid dicit? *Erat princeps Iudæorum nomine Nicodemus. Hic venit ad eum nocte, & ait illi, Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister.* Et iste ergo crediderat in nomine eius. Et ipse vnde crediderat? Sequitur. *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Si ergo Nicodemus de illis multis erat qui crediderant in nomine eius, iam in isto Nicodemo attendamus quare Iesus non se credebat eis. *Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ipsis ergo se credit Iesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi crediderunt in eū, & Iesus nō se credebat eis. Tales sunt omnes catechumeni, ipsi iā credunt in nomine Christi, sed Iesus non se credit eis. Intendat, & intelligat charitas vestra; Si dixerimus catechumeno, credis in Christo? Respondet, credo, & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius: interrogemus eum; Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinē filij hominis? Nescit quid dicimus, quia Iesus non se credidit ei. Cum ergo ex eo numero Nicodemus esset, venit ad Dominum, sed nocte venit, & hoc forte ad rē pertinet. Ad Dominum venit, & nocte venit: ad lucem venit, & in tenebris venit. Renati autem ex aqua, & spiritu, quid audiunt ab Apostolo? Fuistis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino, sicut filij lucis ambulate. Et iterum, Nos autem qui diei sumus, sobrij simus. Qui ergo renati sunt, noctis fuerunt, & diei sunt: tenebrę fuerunt, & lumen sunt. Iam credit se illis Iesus, & non nocte veniunt ad Iesum, sicut Nicodemus, non in tenebris quærūt diem: tales enim iam etiam profitentur. Accessit ad illos Iesus, facit in illis salutem, quia ipse dixit, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam. Et quod signum crucis habent in fronte catechumeni, iam de domo magna sunt, sed fiant ex seruis filij: non enim nihil sunt, quia iam ad domum magnam pertinent. Quando autem manna manducauit populus Israel? Cum trāsisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum; Nolo autem vos ignorare, fratres, quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Vt quid per mare transierunt? & quasi causam quæreres ab illo: secutus ait; Et omnes in Moyse * baptizati sunt in nube & in mari. Si ergo figura maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto per eum populo suo? Per baptismum suum traiecit credentes, occisis omnibus peccatis, tanquam hostibus consequentibus: sicut in illo mari omnes Ægyptij perierunt. Quò traiecit, fratres mei? quò traiecit per baptismum Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare traijciebat? Quò traijciebat? ad mānna: Quid est mānna? Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum. Quare & per mare rubrum? Iam mare, quare rubrum? Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Vnde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Quo ergo perducit credentes & baptizatos? Ad manna, ecce dico manna. Notum est quid acceperint Iudæi, populus ille Israel, notum est quid illis pluisset Deus de cælo: & nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani: Erubescant ergo, quia nesciunt: transeant per mare rubrum manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat Iesus. Ideo intendite, fratres mei, quid respondeat iste, qui nocte venit ad Iesum. Quamuis ad Iesum venerit, tamē quia nocte venit: adhuc de tenebris carnis suæ loquitur, non intelligit quod audiuit a Domino, non intelligit quomodo audiuit à luce, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum. Iam ei Dominus dixit; *Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Spiritus ei loquitur, & ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit. Cum enim dixisset Dominus Iesus; Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: scandalizati sunt quidam, qui eum sequebantur, & dixerunt apud semetipsos: Durus est hic sermo, & quis potest eū audire? Putabant enim hoc dicere Iesum, quod eum possent concisum sicut agnum coquere, & man

Ephes. 5.
Ioan. 6.
1. Cor. 10.
* al. per Moysen.
Ioan. 6.
Ioan. 3.
Ioan. 6.

manducare, adhorrentes à verbis eius recesserunt & amplius eum non sunt secuti. Sic Euangelista loquitur, & Dominus ipse remansit cum duodecim. Et illi ad eum; Domine ecce isti dimiserũt te. Et ille, Nunquid & vos vultis abire? Ostendere volens, quia ipse illis erat necessarius, non illi erant Christo necessarij: ne quis terreat Christum, quando dicitur, vt sit Christianus, quasi beatior erit Christus, si tu fueris Christianus. Bonum est tibi, vt sis Christianus: nam si non fueris, Psal.15. malum Christo non erit. Audi vocem Psalmi, Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorũ non eges. Ideo Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, maior Deus non erit. Non ex te ille maior: sed tu sine illo minor: Cresce ergo in illo, noli te subtrahere, vt quasi ille deficiat. Reficieris, si accesseris: deficies si recesseris. Integer manet, te accedente, integer manet te cadente: cum ergo dixisset discipulis; Nun- Ioan.6. quid & vos vultis abire? Respondit Petrus, petra illa voce omnium: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, & dixit; Spiritus est, qui viuificat, caro autem nõ prodest quicquam: cum dixisset; Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum non habebit in se vitam: ne carnaliter intelligerent; Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro autem nihil prodest. Verba autem, quæ locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt. Hunc Spiritum, & hanc vitam nõ sapiebat iste Nicodemus, qui nocte venerat ad Iesum. Ait ei Iesus; *Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei.* Et ille carnem suã sapiens in cuius ore nõdum sapiebat caro Christi: quomodo, inquit, potest homo nasci cum sit senex? *Nunquid potest in vtero matris suæ iterum introire, & nasci?* Non nouerat iste nisi vnam natiuitatem ex Adam, & Eua, ex Deo, & Ecclesia nõdum nouerat. Non nouerat nisi eos parentes, qui generant ad mortẽ, nõdum nouerat eos parẽtes qui generãt ad vitam. Non nouerat nisi eos parentes, qui generant successuros, nondum nouerat eos, qui semper viuentes generant permãsuros. Cum ergo sint duæ natiuitates, ille vnam intelligebat. Vna est de terra, alia de cælo: vna est de carne, alia est de Spiritu: vna est de mortalitate, alia de æternitate; vna est de masculo, & fœmina, alia de Deo & Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt, nec illa potest repeti, nec illa. Rectè intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Sic & tu intellige natiuitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Quid Nicodemus intellexit? *Nunquid potest homo denuo in ventrem matris suæ intrare, & nasci?* Sic quicunque tibi dixerit, vt spiritaliter iterum nascaris, responde quod dixit Nicodemus, *Nunquid potest homo iterum in ventrem matris suæ intrare, & nasci?* Iam natus sum de Adam, nõ me potest iterum generare Adam: iam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Qui nascitur de Ecclesia catholica, tanquam de Sara nascitur, de libera nascitur: Qui nascitur de hæresi, tanquam de ancilla Exod.3. nascitur, sed ex semine Abraham. Aduertat charitas vestra ad magnum sacramentum. Testatur Deus, & dicit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Iacob. Non erant alij patriarchæ, nõ erat ante istos sanctus Noe, qui solus in toto genere humano cum tota domo sua meruit de diluuio liberari: in quo, & in filiis eius figurata est Ecclesia: ligno portante, euasit diluuium. Deinde postea magni, quos nouimus, quos sancta scriptura Num.12. commendat, Moyses fidelis in tota domo eius: & Hebr.3. illi tres nominãtur, quasi eum soli promeruerint: Exod.3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc mihi nomen est in æternum. Sacramentum grande. Potens est Dominus & ora nostra aperire, & corda vestra, vt dicere possimus sicut reuelare dignatus est, & capere possitis sicut expedit vobis. Tres ergo isti patriarchæ, Abraham, Isaac, & Iacob. Iam nostis filij Iacob quia duodecim fuerunt, & inde populus Israël: quia ipse Iacob Israël, & populus Israël tribus duodecim pertinentes ad duodecim filios Israël Abraham, Isaac, & Iacob, tres patres, & populus vnus: Tres patres tãquam in principio populi, tres patres in quibus figurabatur populus, & populus ipse prior præsens populus. In populo enim Iudæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas: ibi membra, hic corpus, dicen- 1.Cor.10. te Apostolo; Hæc autem in figura contingebant illis. Vox est Apostoli; Scripta sunt, inquit, propter nos, in quos finis seculorum obuenit. Recurrat nunc animus vester ad Abraham, Isaac, & Iacob. In istis tribus inuenimus parere liberas, parere & ancillas. Inuenimus ibi & partus libera- 32 q.4.c. Recurrat rum, inuenimus ibi & partus ancillarum. Ancilla nihil boni significat, Ejice ancillam, inquit, & fi- Galat.4. lium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Apostolus hoc commemorat, & in illis duobus filiis Abrahæ, dicit Apostolus fuisse figuram duorum testamentorum, veteris & noui. Ad vetus testamentum pertinent dilectores temporalium, dilectores seculi. Ad nouum testamentum dilectores vitæ æternæ. Ideo illa Hierusalem in terra vmbra erat cælestis Hierusalem matris omnium nostrũ, quæ est in cælo: & hæc Apostoli verba sunt. Et de ista ciuitate, vnde peregrinamur multa nostis, multa iam audistis. Inuenimus autem rem mirã in istis partubus, id est, in istis fœtibus, in istis generationibus liberarum, & ancillarum, quatuor scilicet genera hominum, in quibus scilicet quatuor generibus, completur figura totius populi futuri Christiani, vt non sit mirum quod in illis tribus dictum est; Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. In omnibus enim Christianis, fratres, intendite, aut per malos nascuntur boni: aut per bonos nascuntur mali, aut per bonos boni, aut per malos mali. Amplius istis quatuor generibus non potestis in- Exod.3. uenire. Quæ iterum repetam, aduertite, retinete, & excutite corda vestra: nolite pigri esse, capite ne capiamini, quomodo quatuor genera sunt omnium Christianorum. Aut per bonos nascuntur boni, aut per malos nascũtur mali, aut per bonos mali, aut per malos boni, Puto quia planum est, per bonos boni: si & qui baptizant boni sunt, & qui baptizantur rectè credunt, & in membris Christi rectè numerantur. Per malos mali: si & qui baptizant mali sunt, & qui baptizantur duplici corde accedunt ad Deum; & non tenent eos mores, quos audiunt in Ecclesia, vt ibi non sint paleæ sed frumentum: quàm enim multi sint nouit charitas vestra. Per malos boni; aliquãdo baptizat adulter, & qui baptizatur, iustificatur. Per

bonos mali: aliquando qui baptizant sancti sunt, qui baptizantur tenere vias Domini nolunt. Puto ergo, fratres, notum esse in Ecclesia, & quotidianis exemplis manifestari ea, quæ dicimus: sed in prioribus nostris patribus ea consideremus, *Act. 9.* quia habuerunt & illi ista quatuor genera. Per bonos boni: Ananias Paulum baptizauit. Quid *Philip. 1.* per malos mali? Dicit Apostolus quosdam prædicatores Euangelij, quos dicit non caste annunciare solere Euangelium, quos tolerat in societate Christiana, & dicit, Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo. Nunquid maleuolus erat, & de alieno malo gaudebat? Sed quia & per malos verũ prædicabatur, & per malorum ora Christus prædicabatur: si quos isti sui similes baptizabant, mali malos baptizabant: si *Matth. 23.* quos isti baptizabãt tales quales admonet dominus, cũ dicit; Quæ dicũt facite, quæ autem faciũt, facere nolite, mali bonos baptizabãt. Boni malos *Act. 8.* baptizabãt, quomodo à Philippo sãcto Simõ magus baptizatus est. Nota sunt ista quatuor genera, fratres mei. Ecce iterũ ea repeto, tenete illa, numerate illa, aduertite illa, cauete quæ mala sunt, tenete quæ bona sunt. Per bonos boni nascuntur cum per sanctos sancti baptizantur: per malos mali, cum & qui baptizant & qui baptizãtur inique, & impie viuunt. Per malos boni, cum mali sunt qui baptizant, & boni qui baptizantur: per bonos mali, cum boni sunt qui baptizant, & mali qui baptizantur. Quomodo inuenimus ista in tribus istis nominibus. Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob, Ancillas accepimus in malis, liberas accepimus in bonis. Pariunt li- *Genes. 21.* beræ bonos, Sara peperit Isaac. Pariunt ancillæ malos, Agar peperit Hismaël. Habemus in vno Abraham & illud genus cum per bonos boni, aut per malos mali, aut per bonos mali, aut per malos boni. Per bonos mali vbi figurati sunt? Libera erat Rebbeca vxor Isaac, legitime peperit ge- *Malac. 1.* minos, vnus erat bonus, alter malus. Habes aperte ibi scripturam dicentem Dei voce, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Istos duos genuit Rebecca, Iacob & Esau, vnus inde eligitur, alius reprobatur. Vnus succedit in hæreditatem, alter exhæredatur. Non facit populum suum Deus de Esau, sed facit de Iacob, Semen vnum, diuersi qui concepti sunt. Vterus vnus, diuersi qui nati sunt. Nunquid non libera peperit Iacob quæ libera *Genes. 25.* peperit Esau? Luctabantur in vtero matris suæ, & dictum est Rebeccæ, cum ibi luctarentur, Duo populi sunt in vtero tuo: duo homines, duo populi bonus populus, malus populus: sed tamen in vno ventre luctabantur. Quanti mali sunt in Ecclesia, & vnus vterus portat, donec in fine discernentur, & boni aduersus malos clamant, & mali aduersus bonos reclamant, & in vnius visceribus vtrique luctantur. Nunquid semper simul erunt? In fine exitur ad lucem, declaratur natiuitas, quæ hic in sacramento figuratur. Et tunc apparebit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Iam ergo inuenimus, fratres, & de bonis bonos, de libera Isaac, & de malis malos, de ancilla Hismaël: de bonis malos Esau de Rebecca: & de malis bonos vbi inuenimus? Restat Iacob, vt in tribus patriarchis quatuor generum istorum perfectio concludatur. Habuit vxores Iacob liberas, habuit & ancillas. Pariunt liberæ, pariunt & ancillæ, & fiunt duodecim filij Israel. Si numeres omnes, de quibus nati sunt, non omnes de liberis, non omnes de ancillis, sed tamen omnes ex vno semine. Quid ergo, fratres mei? Nunquid qui nati sunt de ancillis, non simul possederũt terram promissionis cum fratribus suis? Inuenimus ibi bonos filios Iacob natos de ancillis, & bonos filios Iacob natos de liberis. Nihil illis obfuit natiuitas de vteris ancillarũ, quando in patre cognouerunt semẽ suũ, & consequẽter regnũ cum fratribus tenuerunt. Quomodo ergo in filiis Iacob nõ obfuit illis, qui nati sunt de ancillis, quo minus tenerent regnũ, & terrã repromissionis cum fratribus ex æquo acciperent, non illis obfuerunt natales ancillarum, sed præualuit semen paternũ: sic quicunque per malos baptizatur, tanquam de ancillis videntur nati: sed tamen quia ex semine verbi Dei, quod figuratur in Iacob, non contristentur, simul hæreditatem cum fratribus possidebũt. Securus ergo sit, qui de semine bono nascitur, tantum non imitetur ancillam. Si de ancilla nascitur, ancillam malam superbientem non imitetur. Vnde enim filij Iacob de ancillis nati, possederunt terram promissionis cum fratribus: Hismaël autem de ancilla natos expulsus est de hæreditate? Vnde nisi quia ille superbus erat, illi humiles? Erexit ille ceruicem, & voluit seducere fratrem suum, ludens cum illo. Magnum ibi sacramentum. Ludebant simul Hismaël, & Isaac, vidit illos Sara ludentes, & ait Abrahæ, Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac: & cum contristatus *Gene. 21.* esset Abraham, confirmauit ei à domino angelus dictum vxoris eius. Iam hic manifestum est sacramentum, quia nescio quid futurum parturiebat illa res gesta. Ludentes vidit, & dicit; Eiice ancillam & filium eius. Quid est hoc, fratres? Quid enim mali fecerat Hismael puero Isaac, quia ludebat cum illo? Sed illa lusio, illusio erat. Illa lusio deceptionem significabat: sed mm magnum sacramentum, attendat charitas vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus ipsam lusionẽ, ipsum *Galat. 4.* lusum persecutionem vocat. Ait enim, Sed sicut tunc ille, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nũc, id est, qui secundum carnem nati sunt, persequũtur eos, qui secũdum spiritum nati sunt. Qui sunt secundum carnem nati: Dilectores mundi, amatores seculi, Qui sunt secundum spiritum nati? Amatores regni cælorum, dilectores Christi, desiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum. Ludunt, & dicit Apostolus persecutionem. Nam posteaquam dicit hæc verba Apostolus; Et sicut tunc ille, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc, secutus est & ostendit, de qua persecutio- *Gen. 21.* ne diceret: Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Quæramus vbi hoc dicat scriptura, vt videamus vtrum aliqua persecutio præcesserit Hismaëlis in Isaac, & inuenimus hoc dictum esse à Sara, quando vidit pueros ludentes simul. Quam lusionem dicit scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus. Plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt. Veni, veni, baptizare hic, hic habes verum baptismum: noli ludere, vnus est verus, Ille lusus est, seduceris, & ista persecutio gra-

nis tibi erit. Melius tibi erat si Hismaelem tu lucrareris ad regnum: sed non vult Hismael, quia ludere vult. Tene tu hæreditatem patris, & non audies; Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Isti etiam audent dicere, quia persecutionem solent pati a catholicis regibus, aut catholicis principibus. Quam persecutionem tolerant? afflictionem corporis. Si tamen aliquando passi sunt, aut quomodo passi sunt, ipsi sciant, aut conueniant conscientias suas: si tamen afflictionem corporis passi sunt, aut quo modo passi sunt persecutioné, quam faciunt grauiorem: caue quando vult ludere Hismael cum Isaac, quando tibi blanditur, quando offert alterum baptismum: responde, habeo iam baptismũ. Si enim verus est iste baptismus, quisquis vult alterum dare, illudere vult. Caue animæ persecutorem: Nam, si à principibus catholicis aliquid passa est pars Donati, aliquando secũdum corpus passa est, non secundum illusionem spiritus. Audite, & videte in ipsis veteribus factis omnia futurarum rerum signa, & iudicia. Inuenitur Sara afflixisse Agar ancillam. Sara libera est, posteaquam superbire cœpit ancilla, questa est Abrahæ Sara & dixit; Eijce ancillam, erexit aduersum me ceruicem suam: & quasi ab Abraham fieret, de Abraham questa est mulier. Abraham vero, qui non in ancilla libidine abutendi tenebatur, sed officio generandi, quoniam Sara ei dederat vnde prolem susciperet, ait; Ecce ancilla tua, vtere ea, sicut vis, & afflixit eam grauiter Sara, & fugit à facie eius. Ecce libera affligit ancillam, & non illam vocat persecutionem Apostolus, Ludit seruus cum Domino, & persecutionem vocat. Afflictio ista non vocatur persecutio, & lusio illa vocatur persecutio. Quid vobis videtur, fratres, nónne intelligitis quid significatum sit? Si ergo quando vult Deus concitare potestates aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores baptismi, non mirentur: quia Deus concitat vt à Sara verberetur Agar: cognoscat se Agar, & ponat ceruicem, quia cum humiliata discederet à domina sua, occurrit ei angelus, & dixit: quid est Agar ancilla Saræ? Cum conquesta esset domina, quid audiuit ab angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur, atque vtinam reuertatur, quia proles eius sicut filij Iacob, cum fratribus hæreditatem tenebit. Mirantur autem quia commouẽtur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo mouerentur, & quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intẽdat charitas vestra quid dicã, quia pertinet hoc ad reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam ecclesiam habere, vnde spiritaliter nati sunt. Legimos Danielis visiones, & gesta prophetica. Tres pueri in igne laudauerũt dominũ, miratus est Nabuchodonosor rex laudãtes Deũ pueros, & circa eos ignem non nocẽtem. Et cum admiratus esset, quid ait Nabuchodonosor rex, non vel Iudæus, vel circuncisus ille, qui statuam suam erexerat & ad eam adorandã omnes coegerat, tamẽ laudibus trium puerorum commotus, vbi vidit maiestatẽ Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego proponã decretum omnibus tribubus, & linguis in omni terra. Quale decretum? Quicũque dixerint blasphemiam in* Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditioné. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo nõ tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehẽnarum igne liberatur. Nam tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali: nunquid nõ ipse est Deus Machabæorum, qui & trium puerorum? Illos ab igne liberauit, illi in tormentis igneis corpore defecerunt: sed in legitimis mandatis animo permanserunt: Illi aperte liberati sunt, illi occulte coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehẽnarũ, quàm de fornace potestatis humanæ. Si ergo Nabuchodonosor rex laudauit, & prædicauit, & gloriã dedit Deo, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretum mitteret per regnum suum; Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo isti reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vidẽt Christum, à quo liberati sunt, exsufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianũ? Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Nam videte qualia faciunt & qualia patiũtur. Occidunt animas, affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quæ patiuntur, proferãt nobis nescio quos in persecutione suos martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est, & ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romæ talia supplicia decreuerunt, vt præcipitarentur homines? Quid autem respondẽt nostri? Quid sit gestum nescio, tamẽ quid tradunt nostri, quia ipsi se præcipitauerunt, & potestates infamauerunt. Recordemur consuetudines potestatum Romanarum, & videamus cui credẽdum sit. Dicunt nostri illos se præcipitasse: si non sunt ipsi discipuli ipsorum, qui se modo de saxis, nullo persequente præcipitant, non credamus. Quid mirum, si fecerunt illi quod solẽt? Nam potestates Romanæ nunquam talibus suppliciis vsæ sunt: non enim non potuerunt occidere aperte: sed illi, qui se mortuos coli voluerunt, famosioré mortem non inuenerunt: postremo quicquid illud est, non noui. Et si passa es, ô pars Donati, corporalem afflictionem ab Ecclesia catholica, à Sara passa es Agar, redi ad Dominam tuam. Locus quidem necessarius aliquanto diutius nos tenuit, vt textũ totum euãgelicæ lectionis exponere minime valeremus, sufficiat interim charitati vestræ, fratres, ne hæc, quæ dicta sunt, dicẽdo alia excludãtur de cordibus vestris. Hæc tenete, talia discite, flammantes illuc procedite, frigidos accẽdite.

Vides hæreticos & alios a principibus christianis punitos fuisse.

Gen. 16.

23. quæst. cap. Quomodo.

Daniel. 3.

** al. contra.*

2. Mach. 7.

Dicit de circumcellionibus, qui mortem sibi inferebant.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

EX eo, quod hesterno die intentam fecimus charitatem vestram, intelligimus vos alacrius, & numerosius conuenisse: sed interim lectioni euangelicæ ex ordine sermonem debitum reddamus, si placet. Deinde audiet charitas vestra de pace Ecclesiæ, vel quid egerimus, vel quid adhuc agendum speremus. Nunc autem tota intentio cordis

Ex Tract. 12. in Ioan.

cordis ad Euangelium feratur, nemo enim aliunde cogitet. Si enim qui totus adest, vix capit: qui se per cogitationes diuersas diuidit, nónne & quod capetat fundit? Meminit autem charitas vestra dominico præterito, quantum dominus adiuuante dignatus est, disseruisse nos de spiritali regeneratione, quam lectionem vobis iterum legi fecimus, vt quæ tunc non dicta sunt in Christi nomine, adiuuantibus orationibus vestris, impleamus. Regeneratio spiritalis vna est, sicut generatio carnalis vna est. Et quod Nicodemus domino ait, verum dixit, quia non potest homo cum sit senex, redire rursum in vterum matris suæ, & nasci. Ille quidem dixit, quia homo cum sit senex, hoc non potest, quasi si infans esset, posset: omnino enim non potest, siue recens ab vtero, siue annosa iam ætate redire rursum in materna viscera, & nasci. Sed sicut ad natiuitatem carnalem valent muliebria viscera ad semel pariendum: sic ad natiuitatem spiritalem valent viscera Ecclesiæ, vt semel quisque baptizetur. Propterea ne quis forte dicat, sed iste in hæresi natus est, & iste in schismate natus est, amputata sunt omnia, si meministis, quæ vobis disputata sunt de tribus patribus nostris, quorum Deus dici voluit, non quia soli erant, sed quia in his solis impleta est integritas significandi populi futuri. Inuenimus enim natum de ancilla, & exhæredatum, natum de libera hæredem. Rursum inuenimus natum de libera exhæredatum, natum de ancilla hæredem. Natus de ancilla exhęredatus Hismaël, natus de libera hęres Isaac. Natus de libera exhæredatus Esau, nati de ancil-

Exod. lis hæredes filij Iacob. In illis itaque tribus patribus, omnis futuri populi figura perfecta est: nec immerito Deus inquit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, hoc mihi nomen, loquit, in æternum. Magis meminerimus, quid promissum sit ipsi Abrahæ: hoc enim promissum

Gen.12. est Isaac, hoc promissum est & Iacob. Quid inuenimus; In semine tuo benedicentur omnes gentes. Credidit tunc vnus, quod nondum videbat: vident homines, & excæcantur. Completum est in gentibus, quod promissum est vni: & separantur à communione gentium, qui & quod impletum est videre nolunt: sed quid illis prodest quia videre nolunt? Vident velint nolint, aperta veritas & clausos oculos ferit. Responsum est Nicodemo, qui ex eis erat qui crediderant in Iesum, &

Ioan.2. ipse Iesus non se credebat eis: quibusdam enim non se credebat, cum iam in illum credidissent: sic habes scriptum; Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum illis. Nō enim opus habebat, vt quisquam testimonium perhiberet de homine, [ipse autē sciebat quid esset in homine.] Ecce iam illi credebant in Iesum, & ipse Iesus non se credebat eis. Quare? Quia nondum erant renati ex aqua, & spiritu sancto. Inde hortati sumus, & hortamur fratres nostros catechumenos: Si enim interroges eos, iam crediderūt in Iesum: sed quia nondum carnem eius, & sanguinem accipiunt, nondum se illis credit Iesus. Quid faciant vt se illis credat Iesus? Renascantur ex aqua, & spiritu sancto, proferat Ecclesia, quos parturit: concepti sunt, edantur in lucem, habent vbera, quibus nutriantur: non timeant ne nati suffocētur, ab vbe-

Gen.16. ribus maternis non recedant. Nullus potest homo redire in matris viscera, & iterum renasci. Sed de ancilla nescio quis natus est, nunquid tunc qui nati sunt de ancillis redierunt in vterum liberarum vt denuo nascerentur? Semen Abraham vt faceret filium de ancilla, vxor author fuit, natus est ex semine viri, & non vtero, sed solo placito vxoris: nunquid quia de ancilla, ideo exhæredatus? Si propterea exhęredatus, quia de ancilla natus est, nulli ancillarum filij admitterentur ad hæreditatem. Filij Iacob admissi sunt ad hæreditatem, Hismaël autem non, quia ex ancilla natus exhæredatus sed quia superbus matri, superbus in filium matris, mater enim eius magis Sara quam Agar. Illius vterus accommodatus, illius voluntas accessit. Non faceret Abraham, quod Sara nollet, magis ergo ille filius Saræ. Sed quid superbus in fratrem, & superbus ludendo: ludendo, quia deludendo: quid ait Sara? Eiice ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Non ergo illum viscera ancillæ eiecerunt foras, sed ceruix seruilis. Et si liber superbus sit, seruus est: & quod peius est, malæ dominæ ipsius superbiæ. Itaque, fratres mei, respondete homini non posse rursus nasci hominem. Respondete securi, non posse rursus nasci hominem. Quicquid iterum fit, illusio est, quicquid iterum fit lusus est. Hismael ludit, foras mittitur, animaduertit enim eos Sara ludentes, ait scriptura, & dixit Abrahæ: Eiice ancillā & filium eius. Displicuit Saræ lusus puerorum, aliquid nouum vidit pueros ludere. Nonne optant hoc quæ filios habent videre ludentes filios suos? Vidit illa, & improbauit. Nescio quid vidit in lusu. Illusionem vidit in illo lusu, animaduertit serui superbiam, displicuit illi, eiecit foras. Nati ergo de ancillis ad hæreditatem admittuntur Iacob, & natus de libera mittitur foras Esau. Nemo ergo præsumat quia de bonis nascitur, nemo præsumat quia per sanctos baptizatur. Qui per sanctos baptizatur, adhoc caueat, ne non sit Iacob, sed Esau. Hoc ergo, fratres, dixerim, melius est ab hominibus sua quærentibus, & mundum diligentibus, quod significat nomen ancillæ, baptizari, & spiritaliter hæreditatem quærere Christi, vt sit tanquam filius Iacob de ancilla, quam baptizari per sanctos & superbire, vt sit Esau, foras mittendos, quamuis natus ex libera. Hæc, fratres, tenete. Non vos palpamus, nulla spes vestra in nobis sit, nec vobis blandimur, nec nobis, vnusquisque suam sarcinam portet. Nostrum est dicere, ne male iudicemur, vestrum est audire, & corde audire, ne exigatur quod damus: imò quando exigitur, lucrum inueniatur, non detrimentum. Dixit dominus Nicodemo, & exponit ei; *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Tu, inquit, carnalem generationem intelligis, cum dicis, Nunquid potest homo redire in viscera matris suæ? Ex aqua, & spiritu sancto oportet vt nascatur propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris hominis temporalem, nascitur ex visceribus matris carnalis: propter hæreditatem patris Dei sempiternam, nascatur ex visceribus Ecclesiæ. Generat per vxorem filium pater moriturus successurum, generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros. Et sequitur; *Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu spiritus est.* Spiritaliter ergo nascimur, & in spiritu nascimur verbo, & sacramento, adest spiritus vt

nascamur, spiritus inuisibiliter adest vnde nascaris, quia & tu inuisibiliter nasceris. Sequitur enim & dicit; *Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat aut quò vadat.* Nemo videt spiritum & quomodo audiuimus vocem spiritus? Sonat Psalmus, vox est spiritus: sonat Euangelium, vox est spiritus: sonat sermo diuinus, vox est spiritus. Vocem eius audis, & nescis, vnde veniat, & quò vadat. Sed si nascaris & tu de spiritu, hoc eris vt ille. Qui non est adhuc natus de spiritu, nescit de te vnde venias & quò eas. Hoc enim secutus ait; *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu: Respondit Nicodemus, & dixit ei; Quomodo possunt hæc fieri?* Et reuera carnaliter non intelligebat. In illo fiebat, quod dixerat dominus, Vocem spiritus audiebat, & nesciebat vnde veneрат, & quò ibat. *Respondit Iesus & dixit; Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* O fratres, quid putamus Dominũ huic magistro Iudæorum quasi insultare voluisse? Nouerat Dominus quid agebat, volebat illum nasci ex spiritu. Nemo ex spiritu nascitur, nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu, quoniam prope est Dominus obtritis corde. Ille magisterio inflatus erat, & alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ei superbiam, vt possit nasci de spiritu: insultat tanquam indocto, non quia superior vult videri Dominus: quid magnum Deus ad hominem, veritas ad mendacium? Maior Christus quã Nicodemus dici debet, dici potest, cogitãdus est. Si diceretur maior Christus quàm angeli, ridendum erat: incomparabiliter enim maior creator omni creatura, per quem facta est omnis creatura. Sed exagitat superbiam hominis; *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Tanquam diceret, Ecce nihil nosti princeps superbus, nascere ex spiritu: si enim
Philip. 2. natus fueris ex spiritu, vias Dei tenebis, vt Christi humilitatẽ sequaris. Sic enim altus est super omnes angelos: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: & ne mortis genus tibi aliquod placeat, mortem autem crucis. Pendebat, & insultabatur ei. De cruce descendere poterat sed differebat, vt de sepulchro resurgeret. Pertulit superbos seruos Dominus medicus ægrotos. Si hoc ille quid illi quos oportet nasci ex spiritu? Si hoc ille verus magister in cælo non hominum tãtum sed & angelorũ; Si enim docti sunt angeli, verbo Dei docti sunt. Si verbo Dei docti sunt quærite vnde docti sunt, & inuenietis; In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.
Ioan. 1. Tollatur homini ceruix, sed aspera & dura, vt sit
Matth. 11. leuis ceruix ad portandum iugum Christi. De quo dicitur; Iugum meum leue est, & sarcina mea leuis est. Et sequitur; *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Quæ terrena dixit, fratres; *Nisi quis natus fuerit denuo*, terrenum est? *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò eat*, terrenum est? Si de isto vento diceret, sicut nonnulli intellexerunt, cum quæreretur ab eis quid terrenum dixerit Dominus dum ait; *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si cælestia dixero, credetis?* Cum ergo quæreretur à quibusdam, quid terrenum dixerit Dominus, angustias passi dixerunt: quod ait de spiritu, *vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò eat*, de isto vento dixit, Quid enim nominauit terrenum? Loquebatur de generatione spiritali: secutus ait, *sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Deinde, fratres, quis nostrum non videat, verbi gratia, Austrum euntem de Meridie ad Aquilonem, aut alium ventum venientem ab Oriente ad Occidentem? Quomodo ergo nescimus, vnde veniat, & quò eat? Quid ergo dixit terrenum, quod non credebant homines? An illud quod de templo suscitando dixerat? Corpus enim suum de terra acceperat, & ipsam terram de terreno corpore susceptam parabat suscitare. Non ei creditum est terram suscitaturo. Si terrestria, inquit, dixi vobis, & non creditis, quomodo, si cælestia dixero credetis? Hoc est, si non creditis, quia templum possum resuscitare deiectum à vobis, quomodo credetis quia per spiritum possint homines regenerari? Et sequitur, *Et nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo.* Ecce hic erat, & in cælo erat: hic erat carne, & in cælo erat diuinitate, imò vbique diuinitate. Natus de matre, non recedens à patre. Duæ natiuitates Christi intelliguntur, vna diuina, altera humana: vna, per quam efficeremur, altera, per quam reficeremur. Ambæ mirabiles, illa sine matre, ista sine patre. Sed quia de Adam corpus acceperat, quia Maria de Adam, ipsum quoque corpus suscitaturus erat terrenum quiddam dixerat; Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Cæleste autem quiddam dixit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non videbit regnum Dei.* Eia itaque, fratres, Deus voluit esse filius hominis, homines voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos, ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit, & ascendit qui hoc ait, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Non ergo ascensuri sunt in cælum, quos facit filios Dei? Ascensuri sunt planè. Hæc nobis promissio est, Erũt æquales angelis Dei. Quomodo ergo nemo Matth. 22.
ascendit nisi qui descendit? Quia vnus descendit, & vnus ascendit. De cæteris quid intelligendum, nisi quia membra eius erunt vt vnus ascendat: propterea sequitur; *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Miraris quia hic erat & in cælo? Tales fecit discipulos suos. Paulum audi Apostolum dicentem; Nostra enim conuersatio in cælis est. Si homo Paulus Phil. 3.
Apostolus ambulabat carne in terra, & conuersabatur in cælo, Deus cæli, & terræ non poterat esse & in cælo, & in terra? Si ergo nemo nisi ille descendit, & ascendit, quæ spes est cæteris? Ea spes est cæteris, quia ille propterea descendit, & ascendit, vt in illo, & cum illo vnum essent, qui per illum ascensuri essent, Non dicit, & semini- Galat. 3.
bus, ait Apostolus, quasi in multis sed tanquam in vno, & semini tuo qui est Christus. Et fidelibus ait, Vos autem Christi. Si autem Christi, ergo semen Abrahæ estis. Quod dixit vnum, hoc dixit omnes nos esse. Ideo in Psalmis aliquando plures cantant, vt ostendatur quia de pluribus fit vnus: aliquando vnus cantat, vt ostendatur quid fiat de pluribus. Propterea vnus sanabatur in illa piscina, & quisquis alius descendebat, non sanabatur. Ergo iste vnus commendat vnitatem Eccle- Ioan. 5.
siæ. Væ illis, qui oderunt vnitatem Ecclesiæ, & partes sibi faciunt in hominibus, audiant illum, qui

qui volebat eos facere vnum in vno. Ad vnum audiant ... dicentem, Nolite vos facere multos, ... Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. I... bant, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. ... diuisus est Christus? In vno estote, ... vnus estote. Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit. Ecce volumus esse tui, dicebant Paulo. Et ille, Nolo sitis Pauli, sed eius estote cuius est vobiscum Paulus. Descendit enim & mortuus est, & ipsa morte liberauit nos à morte. Morte occisus, mortē occidit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diaboli inuidiam intrauit in Sap. 1. mundum. Deus mortem non fecit scriptura loquitur, nec lætatur, inquit, in perditione viuorum: creauit enim vt essent omnia. Sed quid ibi Sap. 2. ... inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Ad mortem à diabolo propinatam non veniret homo vi adactus: non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentirea, nihil inuexerat diabolus, consensio tua ô homo te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati: & ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales, Iesus autem filius Dei, verbum Dei, per quod facta sunt omnia, vnicus, æqualis patri, mortalis factus est, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Si ergo mortem suscepit, & mortem suspendit in cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemorauit illud dominus; *Et sicut, inquit: Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Magnum sacramentum, & qui legerunt, nouerunt. Deinde audiant vel qui non legerunt, vel qui forte lectum Num. 21. vel auditum obliti sunt. Prosternebatur in eremo populus Israël morsibus serpentum, fiebat magna strages multarum mortium, plaga enim Dei erat corripientis, & flagellantis, vt erudiret. Demonstratum est ibi magnum sacramētum futuræ, ipse Dominus testatur in hac lectione, vt nemo possit aliud interpretari quàm quod ipsa veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysem à Domino, vt faceret æneum serpentem, & exaltaret illum in ligno in eremo, & admoneret populum Israel, vt, si quis morsus esset à serpente, illum serpentem in ligno exaltatum attenderet, & factum est: mordebantur homines, intuebantur, & sanabantur. Quid sunt serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, vt nihil valeat serpēs. Quid est hoc? Attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? Mors vitæ: si dici potest mors vitæ, imò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed nunquid non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere, quod Dominus pro me digna us est facere? Nónne vita Christus? Et tamē in cruce Christus: Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus: sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutiuit mortem: absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quando iam triumphantes cantabimus; Vbi est, mors, contentio tua? vbi est, mors, aculeus tuus? Interim modo, fratres, vt à 1. Cor. 15. peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quia, *sicut Moyses, inquit, exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quomodo qui intuebantur illum serpētem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à morte ad vitam temporalem: hic autem ait, vt habeat vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam: figura præstabat vitam temporalem: res ipsa cuius illa figura erat, pręstat vitā ęternam.

S. CYRILLI EPISCOPI

Alexand. superioris Euangelij expositio.

Erat autem homo ex Pharisæis, &c. Propensus ad fidem Nicodemus fuisse videtur: sed, pudore improbo victus, & gloria hominum superatus, palam accedere non audet, ita ambigua quadam sententia, & claudicante iudicio virisque (vt dicitur) poplitibus laborat. Nam conscientia quidem stimulis suis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat; principatus autem gentis suæ, (princeps enim Iudæorum erat) ne palam Christo adhæreret, facile illi persuadebat, qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam existimabant. vtrum igitur & fidem seruaret, & gloriam hominum retinere cupiens, tenebris se commisit, quæ duplicitatem animi eius aperte accusant. *Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister, &c.* Putauit his verbis, Iesu beneuolentiam, ac pietatem in eum consequi posse: satisque ad salutem esse, si tantummodo admiratione digna miraretur. Propterea nihil aliud quærit: sed magistrum à Deo venisse Christum confirmat, quem adhuc quasi hominem nudum alloquitur. *Amen amē dico tibi nisi quis renatus fuerit, &c.* Nō ita vt putas, inquit, Nicodeme, pietatē, ac fidem consequeris: nec nudis verbis adipisci iustitiam poteris. Non enim, quicunque mihi dicit, domine, domine, sed qui volūtatem patris mei facit, regnum Matth 7. cælorum possidebit. voluntas autem patris est: vt spiritum sanctum homo suscipiat, & insudito, nouoque modo regeneratus, cælorum ciuis efficiatur. Cum vero desuper regenerationem istam, Ioan 8. quæ per spiritum est, fieri asserat, aperte ex substantia Dei patris spiritum esse demonstrat: ita cette de se quoque ipse alibi dicit: ego desursum Ioan. 3. sum: & euangelista; qui desursum venit, super omnes est, de quo latius tempore suo dicemus. *Quomodo potest homo nasci, &c.* Cū animalis adhuc homo, mysteria spiritus minime intelligens, Nicodemus esset: fatuitatem potius quam sublime aliquid putat, quod dicitur; naturatem enim spiritualem non capiens, nec vltra res humanas quicquam cogitans, corporalem quendam ventrem, & reditum hominis rursus ad partum singere cogitur: ita magnitudine rerum depressus: in his inferioribus voluitur. Nam, quemadmodum proiecti lapides duriore obice repercussi resiliunt: sic mens imbecillior, sublimioribus quam ferre possit rebus confusa, refugit; quod Iudæorum princeps passus, & terrenis inhærens, dicitnam,

nam, & ſpiritalem regenerationem non ſuſcepit. *Amen, amē dico tibi: niſi quis renatus fuerit, &c.* Quoniam non intellexit Nicodemus, quid renaſci deſuper ſignificet; apertius totum myſteriū, & breuiter ei exponit. Regenerationem enim, quæ per ſpiritum ſanctū fit, naſci deſuper dominus appellauit vt etiam ex hoc diſceremus, idcirco Dei nos fieri participes, quoniam ſpiritum, qui ſubſtantialiter ex Deo procedit, per baptiſmum acquirimus, quo in priſtinam pulchritudinem reformari & ad nouam vitam renati, à Deo in filios adoptamur: hoc autem, quod dixit *deſuper*, cum non potuerit aſſequi Nicodemus, iterum ab vtero renaſci ſuſpicatus eſt, ac ideo impoſſibilem rem putans reluctatur, Quapropter, reiectis velaminibus: vt imbecillıori ſaluator loquitur. *Niſi enim quis* (inquit) *ex aqua, & ſpiritu natus fuerit, non poteſt in Dei regnum introire.* Nam, cum non ſimplex, ſed compoſitus ex corpore ſenſibili, & intellectuali anima homo ſit, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate ſua ad vtrunque poſſit accommodari, ſpiritu enim ſancto, ſpiritus hominis, aqua vero, corpus ſanctificatur.

Vides in aqua impoſitam virtutem ad peccatorū ablutionem.

Quemadmodū enim viribus ignis intenſius aqua calefacta, non aliter quam ignis vrit: ſic ſpiritus ſancti operatione, ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus abſtergunt. *Quod natum eſt ex carne, &c.* Alio nunc modo ad cognoſcenda ſublimiora Nicodemum inducit: ne, cum ſpiritalem audiat generationem, in corpora mēte deuoluatur. Sicut enim neceſſe eſt, inquit, carnem eſſe, quod ex carne natū eſt; ſimiliter, quod ex ſpiritu natū eſt, ſpiritus eſt. Vniuerſa vero, quorū eſſendi ratio diuerſa eſt, generationis quoque modum habet diuerſum. Natum autē ex ſpiritu ſpiritum hominis dicimus: non, quia ex eo ſecūdum naturam eſt, id enim omnino abſurdum eſt, ſed vna quidem, priſcaque ratione, quoniā per ſpiritum à nihilo ad eſſe productus eſt; altera vero, quam diſpenſatoriam appellamus, quoniam per ipſum ad Deum reformati, ac proprio eius charactere inſigniti, ad eius (vt ſic dixerim) qualitatem

Galat.4.

animo transformamur. Hoc pacto illud etiam Pauli recte (vt arbitror) intelligi poteſt; filioli, quos iterum parturio; donec formetur in vobis Chriſtus: & rurſus; in Chriſto enim Ieſu per euā-

1.Cor.4.

gelium ego vos genui. *Non mireris, quia dixi tibi, &c.* Singularis docentis virtus eſt, vt multis, ac variis auditorum animos modis attrectet. Sic enim ſenſim difficultas rerum tandem aperitur. Exemplis ergo, & figura in cognitionem Nicodemus deducitur, Spiritus enim hic, ait, aereus, per vniuerſum, vt vides, orbem quotidie perflat, & quouis decurrens, ſolo adeſſe ſono cognoſcitur: nec cernitur vlli, ſed tenuiſſima quadam aura humana corpora tangens, operationis ſuæ imprimit ſenſum. Sic igitur à paruis quaſi manu ad maiora ductus, ſpiritalem intelligere generationem, ſicut in imagine quadam in dicta rei ſenſibilis ſimilitudine, ſenſibilis inſenſibilia collige. *Reſpondit Nicodemus, &c.* Nihil longa Chriſti oratione conſecutus eſt Nicodemus: prudenter igitur à Salo-

Eccl.25.

mone ſcriptum eſt; in aure audientiū loquere: nec tamen vlla non perſuadenti magiſtro culpa danda eſt. Fungi enim debet probe (quamuis etiam parum proſit) docentis officio, qui hoc in gradu conſtitutus eſt, quamuis hinc etiam diſcimus:

Rom.11.

quia cæcitas facta eſt ex parte in Iſrael: audientes enim nō intelligunt. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, &c.* Ab hoc vno Iudæi omnes, qui multo ſe doctiores cęteris gentibus putabant, quaſi nudo doctrinæ, pietatiſque nomine, nec quicquam florentes

Luc.6.

à Chriſto red arguuntur, tanquam tanta imperitia prædíti: vt non modo docere cæteros, verum etiam intelligere ipſi nequeant. Nam, ſi Nicodemus, qui apud eos doctor erat, rudior inuenitur, quales fuiſſe diſcipulos eorum putamus? cum non excedat diſcipulus magiſtri menſuram: vt

Matth.23.

ſaluator ait, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum: iure igitur tam indoctos, atque agreſtes homines ſepulchris dealbatis dominus contulit, Paulus quoque ad Iudæorū præſulē vrbaniter

Act.23.

dixit, percutiat te Deus, paries dealbate. *Amen amē, dico tibi, &c.* Cū reipſa rudior, quàm vt poſſet diuina dogmata capere longa iam conſumpta oratione Nicodemus videretur, omiſſa exquiſitiore inueſtigandi diligentia, ſimpliciore fide (quod intelligere non poterat) recipiendum ei eſſe conſuluit, teſtatur autem certe ſe ſcire, quod dicit, authoritate ſua contradicendi iter illi obſtruens. Recordari enim debebat, quod nuper dixerat, non ignorare ſe à Deo Chriſtum veniſſe magiſtrum: Deo autem aut nuncio eius contradicere, quomodo periculoſum non erat, cum nihil periculoſius ſit, quàm Deo repugnare. Attendamus nos oro, qui docendi poteſtatem accepimus; melius eſſe, vt ſimpliciter fidem, quàm profundiore ratione diligentius expoſitam neophytis tradamus, Nam & Paulus lacte nonnullos ſe

1.Cor.3.

nutriſſe dicit: qui ſcilicet nondum ſolidiores cibos digerere poterāt: & gregis tui animas cognoſcendas tibi eſſe, prudenter idcirco Salomon cō-

Prouer.4.

ſuluit, vt moneret ſingulorū ingeniis proportionabiliter doctrinam eſſe accommodandam. *Et teſtimonium noſtrum accipitis.* Quoniam patrem, ac ſpiritum in ſeipſo ſaluator naturaliter habet: plurali numero perſonas teſtantiū protulit. Vt quodammodo ſecundum Moſeos legem, in ore duo-

Deut.17.

rum, vel trium omne verbum firmetur, Iudæi autem quaſi ſalutem omnino reſpuentes, incōſiderato impetu ad profundum perditionis barathrū deferuntur. Nam, ſi nec intelligere propter imperitiam altiora poſſunt, nec fide prædicationem Chriſti ſuſcipere volunt, quiſnam alius ſalutis eorum modus inuenietur? Merito igitur inexcuſabilem futuram Hieruſalem, quod ſpōte in præ-

Matth.23.

cipitia rueret, ſaluator dicebat; Hieruſalem, Hieruſalem enim (ait) quæ occidis prophetas, quæ lapidibus petis eos, qui mittuntur ad te: quotiēs volui congregare filios tuos, quemadmodum ſub alis gallina pullos cōgregat ſuos: ecce dimittitur vobis domus veſtra. *Si terrena dixi vobis, &c.* Si cōgruētem, inquit, doctrinam hominibus, quæ ſenſibilia iſta vix excedat, ex multa imperitia nō ſuſcipitis; quomodo vobis diuiniora explicabo? Si res humanas nō intelligitis, quomodo ſapientes in ſupernaturalibus eritis? Si minora ferre nō poteſtis; quomodo maiora ſuſtinebitis? Si dicenti mihi non creditis, ſed multos in ſingulis teſtes poſcitis; quis cęleſtia vidit myſteria, quem poſſim in teſtem vobis adducere? *Nemo enim aſcendit in cælum, niſi, qui de cælo deſcendit, filius hominis.* Cum autem Dei verbum de cœlo deſcenderit, filium hominis deſcēdiſſe ait, in duas poſt incarnationē diuidi perſonas recuſans: nec alicui permitte[illegible] vt templum, quod à virgine ſumptum f[illegible]

filium, & alium Dei verbum prædicet, quamuis quæ vtrique naturaliter insunt decentem distinctionem [illegible]: vt enim ex Deo verbum est, sic homo ex muliere, vnus igitur ex vtrisq; Christus, filiatione indiuisibilis, & maiestate diuina, quomodo enim aliter quæ soli verbo Dei conueniunt, virginis filio accommodari poterũt? Quomodo autem econuerso, quæ soli carni conueniunt, verbo Dei attribuentur? Nunc enim de cælo [illegible] hominis descendisse ait: passionis vero tempore ipse filius Dei, tanquã ipse patiens, quæ hu[illegible]manitati suæ solummodo cõgrua sunt timuisse [illegible]tur. *Et sicut Moyses exaltauit, &c.* Cum causam attulerit, quare ad sublimiora sermo sibi non exit, ad ea descendit, quæ obumbrate à Mose facta fuerunt. Non enim ignorabat, potius eum figuras, quã spiritali doctrina, ad veritatis vix posse [illegible]onem deuenire. Oportere autem omnino [illegible] asserit modo Mosaici serpentis exaltari, ita [illegible] storiæ inquisitionem, latentesq; in ea figuras rimari hortatur: ac illud quasi rursus inculcat scrutamini scripturas: quia ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Serpentes enim in Iudæos olim in deserto insiliebant. Cumque more spicarum tempore messis caderent, diuinam opẽ supplices requirebant. Misericors autem Dominus [illegible]pentem ex ære Mosi exaltare iussit, vt ea in [illegible]e discerent fide salutem sperare. Morso enim [illegible] laborantibus vnicum erat remedium, exaltatum eum fide serpentem aspicere, hæc quidem historia est, in qua velut in tabula, intũ figurate incarnationis mysterium obumbratur. Serpens enim, peccatum, quo humanum genus pascebatur, significat, quodque variis morsibus venenum hominibus infundit: quod effugere nullo alio pacto natura humana poterat, nisi auxilio, atque ope diuina. Verbum igitur Dei factum in similitudine carnis peccati, in carne sua peccatum damnauit, vt scribitur. Respicientibúsque in eum fide sincera, æternæ salutis largitor ostenditur. Quod autem in sublime serpens exaltatus fuit in eam cognitionem passionem Christi peruenturam denotabat, vt, sicut ipse quoque prædixerat, nemo sit, qui in cruce passum fuisse ipsum ignoret.

Rom. 8.

DE INVENTIONE S.

Crucis, Zozomenus lib. 2. cap. 1. Ecclesiast. Historiæ.

CVm iam concilium Nicænum venisset ad exitum, & sacerdotes omnes domos reuertissent; Imperator supra modum ideò lætatus est, quod Ecclesiam vniuersam de doctrina fidei consentientem videret. Atque vbi pro Episcoporum concordia, pro se, pro liberis, pro Imperio denique Deo gratias egisset, templum Hierosolymis circiter locum, qui dicitur Caluariæ, ad honorem Dei illustrandum ædificare instituit. Per idem ferè tempus, Helena Imperatoris mater, venit Hierosolymam, cùm precandi causa, tum sancta illa loca visendi. Quę quoniam pio animo erga religionem Christianam erat affecta, visa est sibi operæprecium factura, si lignum Crucis venerandæ inuenire potuisset. Verum neque illa, neque diuinum domini sepulchrum, tam facile repertu erat. Nam veteres Gentiles, qui Ecclesiam persequuti fuerant, quoniam Christianã religionem, recens iam ortam, concidere comprimeréque omnibus opibus, viribúsque laborabant, idcirco eum locum, ingenti aggere suprà iniecto obruerunt, inque maiorẽ altitudinem, vti etiamnum apparet, erexerunt. Quinetiam vniuerso loco, tum sepulchri, vnde Christus resurrexit, tum Caluariæ muro vndique circundato, eum pro suo arbitratu exornare cœperunt. Nam primùm sternunt lapidibus, deinde fanum Veneris suprà extruunt: postremò simulachrum in eo statuunt, ad eum sanè finem, vt & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderẽtur colere, & temporis diuturnitate vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem: quippe cùm Christiani neque eò tutò accedere possent, neque aliis indicare auderent: sed contra omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse nihil, præter fanum Gentium & statuam Veneris. At verò tandem locus erutus est, & error in quo stabiliendo, tantopere laboratũ fuerat, manifesto deprehensus indicio, vt quidam memorant, Hebræi cuiusdam versus Orientem habitantis, qui à viro quodam scripto admonitus locum commonstrauit: sed quæ verior est opinio, monstratione Dei Op. Max. qui signis quibusdã & somniis, homines ad loci memoriam excitauit. Nam res diuinæ, mea quidem sententia, humano iudicio nõ egent, cùm Deo visum sit eas patefacere. Itaque vt primùm locus ille, mandato Imperatoris fuit perpurgatus, in profundo, quadam in parte illius, antrum, vnde Christus resurrexit, emersit: in altera autem parte eiusdem loci, tres inuentæ sunt cruces, & aliud ligniculum separatim, quod tabulæ gessit similitudinem, verbis & literis, non Hebraicis solùm, verumetiam Græcis & Latinis inscriptum: quæ verba ac literæ, non aliud complectebãtur quàm Iesum Nazarenum regem Iudæorum. Hæc ipsa verba sicut in sacro Euangeliorum libro commemoratum est, mandato Pilati præsidis Iudææ suprà caput Christi scripta fuerunt. Cæterùm adhuc erat perdifficile, Crucem domini à reliquis duabus internoscere discerneréque, præsertim cùm non illius modò inscriptio ab ea diuulsa distractáque esset, verùm etiam ipsæ tres cruces promiscuè proiectæ, ordine earum, vt est verisimile, eo tempore, quo corpora illis suffixa, ablata erãt, penitus confuso & perturbato. Nam cùm milites Iesum in cruce mortuum reperissent, eum inde sublatum, primùm vti literis sacris proditum est, sepeliendum tradiderunt. Deinde quò latronibus, vtrinque suspensis, mortem maturarent, eorum crura confregerunt. Posttemò cruces nullo ordine, aliam alio in loco, proiecerunt. Nam quid curæ, putas illis fuisse de crucibus ordine, vt priùs erant, reponendis, præsertim cùm singuli festinarent domum antè redire, quàm aduesperasceret, & non ducerent operæprecium, in crucibus hominum, per vim interfectorum, ordine collocandis aliquid temporis consumere? Quare cùm diuinum Crucis dominicę lignum hac de causa adhuc etiam ignotum esset, & diuiniore quodam, quàm quod sit in humana situm potestate, egeret indicio eiusmodi quiddam accidisse constat. Nobilis quædam mulier Hierosolymis, in morbum grauissimum, eúmque planè incurabilem forte inciderat: ad quam in lecto decumbentem Macarius episcopus Hierosolymorum, sibi Imperatoris

Templum Veneris in loco Caluariæ.

Crucis inuentio.

Ioan. 18.

Matth. 27. Ioan. 19.

matre & aliis, quos ipse circũ se habebat, assumptis venit: atque vt primùm precatus est, de derátque inspectantibus istud signum, nimirùm eam esse domini Crucem, quæ mulieri adhibita, morbo illam liberaret: singulas cruces allatas mulieri admouit. Verùm duabus illarũ appositis, factum quidem ineptum, & planè ridiculum visum est: quippe mors nihilominùs mulierem iam tã erat occupatura. Sed simul vt tertia ei itidem fuit adhibita, derepentè aperuit oculos, & collectis viribus, extemplò è cubili sana exiliit. Fertur item, mortuum Crucis virtute, simili ratione ad vitam reuocatum. Huius autem Crucis salutaris, iam tum inuentæ, maxima pars adhuc Hierosolymis in capsa argentea custoditur: reliqua vero ab Imperatrice ad filium Constantinum deportata est. Quòd ad clauos attinet, quibus corpus Christi confixum erat, memorant Imperatorem ex illis sibi confecisse galeam, & frenum equi, vt conscriptum est à Zacharia propheta, & à quo prædictum, quod in tempore isto illud, quod sit in frænum equi (his enim ferè verbis vtitur propheta) sanctum esset domino omnipotenti. Ista quidem vt olim præcognita à sanctis prophetis, prænuntiatáque fuere, sic postea factis planè admirabilibus, tum confirmata, cùm Deo tempus visum est eiusmodi opportunũ. Neque certè tantoperè mirandum, præsertim cùm ipsi gentiles, ingenuæ fateantur hoc esse Sybillæ carmen:

Zach. 4.

O Lignum felix in quo Deus ipse pependit.

Sibyllæ de cruce Christi vaticinium.

Istud enim ita esse, nemo, etiam si acri studio, contrà pugnare voluerit pernegabit. Quare & lignum Crucis, & eius veneratio à Sibylla præsignificata est. Sunt hæc quidem à nobis, sicuti accepimus cõmemorata: quandoquidẽ ea ex viris, qui illa accuratè norint, & ad quos eorum cognitio, à patribus ad liberos, successiune quadam deriuata, peruenerit, & qui eadem ipsa pro facultate literis prodere, posterísque relinquere studuerint audiuimus.

S. EFFRAEN DE S. & viuifica Cruce, Sermo.

NOs Christiani à Gentilibus ac Iudæis declinemus, postéfque nostros pretiosa ac viuifica cruce coronemus, dicentes cum Apostolo: mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Pingamus in ianuis, atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore; atque in membris omnibus viuificum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæresum, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna salutarísque custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Christiane, armaturam diebus singulis ac noctibus, horis atque momentis, in omni loco circunferre, non desinas, nihilq; sine ipsa perficias: sed siue dormias, siue iter agas, siue vigiles, siue operi insistas, siue manduces, siue bibas, siue maria nauiges, siue transmittas flumina, hac te lorica circuntege, membráq; tua omnia, salutari signo exorna, atque circunspice, & non accedent ad te mala. Hoc enim signo conspecto, aduersariæ potestates conterritæ, trementésque recedunt. Crux ipsa Christi veraciter sanctificauit orbem, fugauit tenebras, lucémque reuexit. Hæc eliminauit errores, viámque monstrauit.

Galat. 6. Nota veterum antiquitatis.

Efficacia signi crucis.

Hæc ab ortu solis, & occasu, à Septentrione, & Meridie collegit gẽtes, atq, in vnã Ecclesiã, in vna fide, sub vno capite in charitate cõnexuit. Hæc orthodoxorum inexpugnabilis murus est. Quod os, quæ labia, quæ lingua pro merito laudare poterit victricia arma æterni Imperatoris nostri Christi? Crux Caluariæ in loco defixa, noua vitæ nostræ fœlicissimum botrum, sine opere humano pullulauit. Hoc denique, preciosissimo ligno, Christus Deus noster, inferni voracissimum disrupit ventrem, nimisque patulum diaboli obstruxit os. Eo conspecto, obstupuit mors, omnésque, quos à primo homine vsque ad id temporis, sub ditione sua tenuerat vinctos, dimisit. Crucis armis accincti Apostoli omnẽ inimici calcauêre virtutem. Hac se thoracis vice, munientes milites Christi, beatissimi martyres, omnes artes & inuentiones, atrocitatésque tyrannorum superârunt. Hæc baiulantes sancti monachi, seculo valefacientes, summo cum gaudio, & alacritate in solitudinibus, & in montibus, & in speluncis, cauernisque terræ sibi sedes elegerunt. O ineffabilem immensámq; bonitatem benignissimi Dei, qui tã magna, támque præclara munera, humano generi crucis indulsit vexillum. Hæc autem sancta crux, rursus in consummatione seculi, cùm secundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, prima cum gloria ingenti, & angelicorum exercituum infinita multitudine, apparebit in cælo inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentúmque cælestis Imperatoris annuncians: de preciosissima & viuifica, diuináq; cruce hactenus diximus, etsi plura his dici potuerant, ac fortasse debuerant. Matth. 24.

S. IOANNIS DAMASceni in laudem S. Crucis, Sermo.

SErmo crucis, iis qui pereunt stultitia est: nobis autem, qui salute respiramus, virtus Dei. Nam spiritualis omnia diiudicat: animalis verò homo non suscipit ea, quæ spiritus sunt. Stultitia enim est iis, qui fidem non suscipiunt, & bonitatem, & omnipotentiam Dei non existimant, sed humanis & naturalibus cogitationibus, diuina scrutantur. Omnia nánque Dei sunt super naturam, adhuc & super sermonem & mentem. Quis enim cogitauerit, quo pacto ea nihilo ad esse, & cuius gratia deduxerit Deus vniuersa? Scilicet naturalibus cogitationibus inuenire voluerit, non apprehendet. Animalis enim est hæc indagatio, & dæmoniaca. Si quis verò fide manuductus bonitatem, omnipotentiam, veritatem, sapiẽtiam, iustitiam, & diuinitatem cogitet, inueniet omnia leuia, & plana, & viam rectam. Sine fide enim impossibile est saluari: nam fide omnia, & humana & spiritualia constant. Neque enim agricola, sine fide incidit terræ sulcum, neque mercator paruo ligno suam ipsius animam, insano maris pelago cõmittit: non nuptiæ fiũt, aliud quidq; in vita sine fide. Fide intelligimus, ea nihilo adesse, omnia virtute Dei deducta esse. Omnia & diuina & humana, fide dirigimus. Fides autẽ est inscrutabilis cõsensus. Omnis igitur actio, & miraculifera operatio Christi, maxima, diuina & summè admirãda, omniũ tamẽ admirabilissimũ, est preciosa ipsius crux. Per nullũ enim aliud mors primi patris destructa est, & primi parentis peccatũ solutum, infernus spoliatus, resurre

Ex lib. 4. de orthodoxa fide cap. 11. 1. Cor. 1.

Heb. 11.

Fides quid.

Crucis Christi efficacia.

resurrectio donata, virtus nobis cõtemnendi præsentia, mortémque ipsam elargita, ad antiquam beatitudinem regressio reparata, portæ paradisi patefactæ, natura nostra in dextris Dei sedens, filij Dei & hæredes nos facti, nisi per crucem Domini nostri Iesu Christi. Per ipsam enim hęc omnia mirificè sunt impleta. Nã quicunq; baptizati sumus in Christo, vt inquit Apostolus, in morte ipsius baptizati sumus: & quicũq; in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Christus autem est Dei virtus & sapientia. Ecce mors Christi, id est, crux, hypostatica Dei virtute, & sapientia circundedit nos. Virtus siquidem Dei est crucis, aut quia potentia Dei, id est, contra mortem victoria, per ipsam nobis manifestata est, aut quia, quemadmodum quatuor extrema crucis, per medium centrum continentur & constringuntur, sic per Dei virtutem, altitudo & profunditas, longitudo & latitudo, id est, omnis visibilis & inuisibilis creatura continetur. Hæc nobis signum data est super frontem, quemadmodum Israeli circuncisio. Per ipsam fideles ab infidelibus & distamus, & discernimur. Ipsa est scutum, & arma, & trophæum aduersus diabolum. Ipsa signaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit scriptura. Ipsa iacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum causa, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ: ipsum nimirum preciosum lignum, & per quàm verè venerandum, in quod semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, atque vt sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis, decenter adorandum, clauiq; & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula adoranda, quæ sunt præsepe, spelunca, Golgatha, saluatoris viuificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum propugnaculum, & similia: vt Deipatés ait Dauid: Introibimus in tabernaculũ eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Quòd autem crucem dicat, ostendit quod sequitur: Resurge Domine in requiem tuam: sequitur enim crucem resurrectio. Si enim amatorum desiderabilis domus, & lectus, & amictus: multo magis Domini & Saluatoris nostri, per qua saluati sumus. Adoramus etiam figuram preciosæ & viuificæ crucis tametsi ex alia materia facta est, nõ materiam venerantes (absit enim) sed figuram, tanquam Christi signum. Dixit enim discipulis suis contestans: Tunc apparebit signũ filij hominis in cælo, crucem dicens. Et ideirco dixit mulieribus angelus: Iesum quæritis Nazarenũ crucifixum. Et Apostolus: Nos autem prædicamus Iesum Christum, & ipsum crucifixum. Multi enim Christi & saluatores, sed vnus crucifixus. Non dixit, lancea perfossum, sed crucifixum. Adorandum est igitur signum Christi: vbi enim fuerit signum eius, illic & ipse erit. Materia autem, ex qua figura crucis exprimitur, siue sit aurum, siue lapides preciosi, aut alia quæuis materia, post figurationem, si cõtingat dissolui, non adoranda. Omnia igitur, quæ Deo adiacuerunt, adoramus; ipsi reuerẽtiam pietatisque cultum exhibentes. Hanc preciosam crucem, præfigurauit vitæ lignum, quod in paradiso plãtatum est à Deo. Nam posteaquam per lignum mors allata est, oportebat per lignum donari vitam, & resurrectionem. Iacob adorans summitatem virgæ, alternatis cancellatisque manibus filios Ioseph benedicens signum crucis manifestissimè descripsit. Virga Mosaica in similitudine crucis mare percussit, & saluauit Israel, Pharaonem autem submersit. Manus cruciformiter extensa, Amalech repulerunt. Ligno amara aqua dulcis facta est, & petra rupta, & profundens fluenta. Virga Aaron, sacri Pontificatus insigne fuit. Serpens in ligno triumphatus qui mortuus est, ligno mortuum videntes inimicum saluante, & credentes, quòd Christus in carne peccati, peccatũ non sciente, in cruce peccata affixit. Magnus Moyses clamat: videbitis vitam vestram pendentem in ligno ante oculos vestros. Et Esaias. Tota die expandi manus meas, ad populum discredentem, & contradicentem. Qui hanc igitur adorant participes fiunt Christi crucifixi, Amen.

Margin: Rom. 6. Galat. 3. 1. Cor. 1. — Exod. 12. — Crux adoranda. Psal. 131. — Matth. 24. Marc. 16. — Gen. 48. Heb. 11. Exod. 14. Exod. 17. Exod. 15. Num. 17. Num. 21. Deut. 28. — Esa. 65.

SOPHRONII SANCTISsimæ vitæ monachi, dein Patriarchæ Hierosolymitani Homilia recitata in adoratione cum primum venerandæ ac viuificæ Crucis, media nimirum hebdomada Sanctæ Quadragesimæ, de eo quòd mente animoque per ieiuny synceritatem expiati, citra vllam condemnationem aut culpam ad diuina mysteria possint accedere & eorum fieri participes.

Godefrido Tilmanno Interprete.

ET quidem medici plerumque omnes simul ac cognouerint morborum nobis ingruentium assultus primos, solerti quapiam & ex composito temperata permistione pharmacorum, multifariam infirmitatem, per stomachi fastidium alioqui in nobis coorituram depellunt è corporibus & ita abalienant, vt hulcus nullum depascẽs adeat ægrotus, nullo incommoditate aut toleratu difficili sensu doloris affligetur. Quin & illi ipsi multa suæ artis freti peritia subinde consuetum diuturnos quoque affectus nullo propè negotio velut ab radice reuellere è corporibus ac profligare, idque comprimis contingit, si qui incommodè habet, elocet se totum ac dedat mãnibus medicantis, & ijs quæ ab illo præscripta sunt obseruanda per omnia morigere obsecundet. Ad eũ sane modum benignus & clemens Deus noster nobiscum egit. Pharmacum siquidem nobis suggerit doloris omnis delinitiuum, factum ex compositione ac longè optimum Ieiunium. Non id intelligi velim quod stata dimensione temporis circunscribitur, aut certe per occasionem se offert, sed quod cõtinenter & anxia sedulitate obseruatur, quippe quod intemperantem carnis appetitum omnem velut fræno quopiam iniecto coercet ac frangit. Adde quia & id hulceris, quod insinuare se assolet corpori per captatam studio illecebram voluptatum, ipso statim aditu supprimit: nedum sponte sua militans aduersum se per eam vitæ indulgentioris mollitiem, in barathrum perditionis præcipitet & immergat spiritum, ac proinde ruinam

Margin: Habetur in libello seorsim excuso. — Pro στόμαχον lege στομάχου. — σύμφυρτον ... Pro ... forsan ... salutare.

tuiuam opéretur haud mediocrem. Reuera enim iuxta mentem eximij illius præconis Pauli, aduersum se hæc velut in acie consistunt ac decertant. Caro enim, ait, concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Dirimendi igitur istius duelli causa, dilectissimi, vniuersorum Deus vniuersis nobis magnopere profuturum hoc ieiunium dierum quadraginta proposuit, ad tolerandos fortiter qui supersunt, agones, & ad profligandos spiritus circumsistentis nos aeris incolas: vt exterfa iádem vitiligine peccati per vitæ munditiam ad diem Dominicam pertingamus viuificátis & triduanæ resurrectionis, puríque purum Deum propius contemplemur, ipsi coexcitemur ad vitam, cum ipso glorificemur, denique & ab eodem amanter excipiamur. Nam & viator, quum ob destinatum initio locum debeat quotidie gradum promouere, si modò contempletur aliquando interquieturum se à defatigatione arreptæ peregrinationis, etiam si is sit quamlibet lassus de prolixitudine viç difficilioris, spe tamen quàm optima dum alitur obtinendi refrigerij, maiori accingitur alacritate ad iter conficiundum. Et ipsi planè viatores sumus hanc nóstram perbreuem vitam traijcientes celeri admodum curriculo. Et hi quidem qui probe fuerint perfuncti vita prono pecursu prouehentur ad supernam illam regiam, vbi eatenus fuerat illorum conuersatio. Contrà, qui improbe (sicut ego) compertentur vixisse in lacu longè infimo, at illorum congruenti vitiis quibus superstites adhuc in miserandam seruitutem totos se addixerant, cum ijsdem illic defossi conspicientur. Dixeris, Ecqua iádem ratione possit quis cursu contendere ad ea quæ sursum sunt, tantisper dum vita hæc superstes est? Qui id fiat, rogas? Ego dico, Qui expurgata mente per contemplationem sublimiter euolant & supernis illis virtutibus collætantur, qui hostis tonus generis humanj demolitionem celebrant festiuiter ac iucundè. Itaque per ieiunium neutiquam obseruatu difficile, per det contactum intemerati ac viuificantis ligni perinde ac vtraque hominis parte, perpurgati (ceu dictum iam est) exultemus vnà cum virtutibus illis cælorum municipibus quibus nos conciues fore spes est, quando è cælis iudex aduenerit. Rogas, qui id fiat? Quo primùm tempore per cælitùs aspiratam menti nostræ adfulgentiam, per aduersantium nobis spirituum depulsionem, digni habebimur qui mundis labijs reuerenter attingamus viuificantem & intaminatam Crucem. Et quando benignus Deus noster per sanctorum patrum traditionem hanc nobis indixit viam, viam dico magnopere commodi & vtilis ieiunij, vt quum quidvis quamlibet pusillum de nostro labore adiecerimus, a squalēti situ peccatorum expiati ac repressis surrepentium affectionũ insidijs absolutam remissionem percipere mereamur per venerabilem attactum viuificantis ligni, ipso clementer indulgente qui eidem affixus est, ceu deinceps perspicuũ euadet. Alioqui quonam pacto alterutrum alteri profuerit, nósque velut manu deducat ad Dominicam diem sanctę resurrectionis? Ieiunium quidem agilitatem parit corpori: venerandæ autem Crucis adoratio quæ syncera prorsus sit, mentem remouetur & auocat ab obscœnorum maximè operum confusa ea turpitudine, nósque eu reduces ad

Nimirum & corpore & anima.

cælestem illam reuocat regiam. Hæc sanè à nobis vt obseruentur, mediator Dei & hominum prouidit qui salutem nostram operatus est in medio terræ, huic cruci apprimè salutari affixus, pérque hoc ieiunium spem bonam sequuturæ resurrectionis nobis indicauit. Sed enim ô Ieiunium, organum planè ferreum nobis Dei prouidētia subministratum, quo ceu acutissima bipenni intempestiui vitiosíque appetitus in nobis repullulascentes præsecantur. Et quidem Adam mox id vt perdidit, extorris declaratus est à communione paradisi: contra, Moses eo penes se conseruato Deum videre promeruit. O ieiunium igne quouis præpollentius, quod & Chaldaicum illum ignem redegit in cineres, trésque pueros conseruauit citra vulneris vestigium. O ieiunium, quod quum aliquantum mœroris Ionæ prophetæ inuexisset, ciuitatem Niniuitarum seruauit incolumem? Si quis proinde velit persequi vestigiatim multifariam ieiunij viam, vtique nullo propè negotio assequi possit, quin & nonnihil ex arcanis Dei iudicijs percipere valebit. Ne interim solitarium quidem ieiunium deprædicemus, aut certè ea sola quæ per ieiunium conferuntur homini beneficia meritis attollamus præconijs: agite, in medium depromamus quod in medio ieiunij adorationis gratia proponi solet lignum vitale venerandæ Crucis, quódque nostræ salutis causa defixum est in medio terrę: quid aut certè, quo nos pacto debitas illi exoluemus laudes? Ore nimirum iuxta ac corde. Hunc planè in modum ei ipsi voce exerta dicamus, Salue Crux pretiosa, in qua ipse Dei filius ac verbum expassis manibus circumplexus nos est & cælesti suo conciliauit Patri. Salue Crux, cuius salutari interuentu, nostri sensus ab omni probro expurgantur sordentis maculæ, per humilem complexum toto corde nostro tibi exhibitũ. Salue Crux, quæ ineffabile gaudium patribus nostris conciliasti, per eum qui tibi clauis confixus est. Salue Crux, hebetatio flammeæ illius rhomphæ aciem obtundens, ac si terga det tui vnius gratia, non malè grato latroni. Salue Crux, cuius præsentiam nunc obtinētes nos populus fidelis, gens sancta, supplici cum deuotione offerimus te Christo ac Deo, ei vtique qui confixione clauorum tibi cohærere voluit. eóque in tui vnius gratiam magnificè gloriamur & exultamus, nimirum quoniā Dominus noster innoxias prorsus nec vllius maculæ colore interpunctas manus expandere in te dignatus est, in te quoque effusus sanguis ille est a Deo profluēs, nempe à filio qui idem verbum est inuisibilis Patris, cuius quidem sanguinis participes hodie effecti quicunque piè te colunt, te propitiantur viuificanti Deo nostro pro eatenus malè tibi commissis, eorúmque absolutionem facilè promeremur accipere per summā eius cōdescensionem qui tanta gessit nostri causa, pérque commemorationem viuificæ passionis ipsius. Salue Crux, magni illius regis scutum, cuius prætentu paratur victoria omniũs, quod & in secundo ac formidabili eius aduentu viam præmuniet cælestium virtutum choris & vniuerso iustorum cætui qui instar luminarium tibi prætadiabunt prænuntiantes & aduentui regis vniuersæ creaturæ prægredientes, cujus quidem vis gratiæ efficax adeò, neque non inimitabilis decor gloriæ in te repositæ, quam ab ipso mutuata est

Iesu

Iesu qui tibi cohæsit clauis suffixus, & idem expressiùs palamque conspiciendus vnà cum iustis in probrum quidem ac dedecus Iudæorum, è diuerso in eorum gloriam & exultationem qui propriam tibi ac diuinitus insitam vim sedulò contemplati fuerint in hac adhuc constituti concreta ac rudi mole grauissimæ carnis. At certè veneranda Crux, Christianorum quidem tutelaris & fidissima custos, vniuersorum autem ex aduerso occursantium insultuum potentissima profligatrix aspice nos eo qui in te est, splẽdore: vim qualemcunque perspectiuam cordis nostri, ea claritate enitescere facito & illustra, vt tale aliquid spontanei eligamus perpeti cuiusmodi patientissimè pertulit nostri causa filius ipse & idem Verbum inuisibilis Patris, nimirum vt in ipsius gratiam & nos, quemadmodum ipse prior pro nobis, animas nostras ad mortem vsq; deponamus. I etenim si voluerimus perpeti, & eiusmodi honestam atque perutilem non initi ingredi viam, nimirum poterimus omni cum alacritate Christi passionibus effici cõformes, quarum sancta æmulatione, per efficacem vim tuæ virtutis efficito ad id vt indemnati pertingamus, téque dignè contemplemur & summa cum obseruatione colamus, inexpugnabili potestate subnixi eius qui per te mortẽ ipsam mortificauit, simul etiam dignos reddito qui hilariter ac festiuè spectemus splendidissimum diem, prælucidum, inquam, diem Paschæ, id quod piè obseruamus in arrham quidem expressioris ac verioris Paschæ, in typum verò sequuturæ fruitionis ac participij eorum quæ reposita sunt nobis & æternorum duratura, bonorum, quorum omnes nos contingat cõsortes fieri gratia & clementi erga nos benignitate Domini nostri Iesu Christi, quo cum Patri gloria vnà cum Sancto ipsius Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expositio.

Ex commen. in Ioa. ERat homo ex Pharisæis Nicodemus, &c. Princeps scilicet Iudæorum venit ad Iesum nocte, cupiẽs secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei, cuius aperta ostentione signorum, aliquatenus iam rudimenta perceperat: qui quoniam prudenter ea, quæ ignorabat, ab illo quærebat, inuestigate promeruit. *Rabbi*, inquit, *scimus quia à Deo venisti, &c.* A Deo igitur Iesum ad magisterium cælestte mundo adhibendum venisse confessus est: dominum cum illo fuisse, è miraculis prudenter intellexit: cum Deo tamen ipsum Deum esse non nouit: sed quia quem magistrum nouerat, veritatis studio se docendum adhuc obtulit, merito ad agnitionem diuinitatis eius perfectè doctus subiit: meritò vtriusque natiuitatis eius, diuinæ sc licet, & humanæ, sed & Passionis atque Ascensionis ipsius arcana percepit, necnõ etiam modum secundæ generationis, ingressum regni cælestis, aliáque complura doctrinæ sacramenta domino reuelante didicit. *Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, Nisi quis renatus, &c.* Quæ sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto constat, quia sine huius luce fideles esse nequeunt. Quia enim sine lauacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum valet intrare cælorum? Sed Nicodemus qui nocte venit ad Dominum, necdum lucis mysteria capere nouerat. Nam & nox in qua venit ipsam eius, qua premebatur, ignorantiam designat. Necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus; Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, sed inter eos potius remanebat, quibus loquitur Esaias, Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Respondit ergo domino, & ait; *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex, &c.* Quia enim secundæ natiuitatis adhuc nescius perseuerabat, de salute autem sua iam solicitus extiterat, necessario de vna, quam nouerat, natiuitate, an posset iterari, vel quo ordine regeneratio posset impleri, quærebat: ne huius expers remanendo, vitæ cælestis particeps esse nequiret. Notandum autem, quia quod de carnali dixit, hoc etiam de spiritali est regeneratione sentiendum: nequaquam videlicet eam postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Siue enim hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisq; in confessione sanctæ trinitatis baptizet, non valet ille, qui ita baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari: ne confessio, vel inuocatio tanti nominis videatur annullari. Et quia Nicodemus ad primam domini responsionem solicitus quomodo sit intelligẽda diligenter inquirit, meretur iam planius instrui, & quia secunda natiuitas non carnalis est, sed spiritalis, audire. *Respondit namque Iesus, Amen amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit, &c.* Cuius natiuitatis modum subsequenter exponens, prorsúsque à carnali distinguẽs ait; *Quod natum est ex carne, &c.* Natura spiritus, inuisibilis est, carnis visibilis: atque ideo carnalis generatio visibiliter administratur, (visibilibus enim incrementis qui in carne nascitur, per ætatum momẽta proficit) spiritalis autem generatio tota inuisibiliter agitur. Nam videtur quidem qui baptizatur, in fontem descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascendere, quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minime potest videri. Sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: Filius præuaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit: Filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit: Filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola hoc ecclesia mater, quæ generat, nouit. Cæterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totúmque ludus esse, quod agitur, vnde in finem videntes gloriam sanctorum dicent gementes in tormentis; Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei? Ait Apostolus Ioannes, Charissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. *Quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quia qui ex aqua, & spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouum mutatur hominem, & de carnali efficitur spiritalis. Qui ideo rectè non solum spiritalis, sed etiam spiritus vocatur, quia sicut substantia spiritus inuisibilis est in aspectibus, ita is, qui per gratiam Dei innouatur, inuisibiliter fit spiritalis, & Dei filius, cum visibiliter omnibus caro, & filius hominis appareat. Sequitur, *Non mireris quia*

Marginal notes: Eph. 5. — Esa. 6. — Sapien. 5. — 1. Ioan. 3.

quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo, &c. Spiritus vbi vult spirat: quia ipse habet in potestate, cuius cor gratia suæ visitationis illustret. *Et vocem eius audis,* cum te præsente loquitur is, qui spiritu sancto repletus est. *Sed nescis vnde veniat, & quo vadat:* quia etiam si te præsente quempiam spiritus ad horam impleuerit, non potes videre quomodo intrauerit, vel quomodo redierit: quia natura est inuisibilis. *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu,* & ipse enim inuisibiliter agente spiritu incipit esse, quod non erat: ita vt infideles nesciant vnde veniat, & quò vadat, id est, quia per gratiam regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei, & vadit in perceptionem regni cælestis. Quærēte autem adhuc Nicodemo, quomodo possint hæc fieri, subiungit dominus dicens; *Tu es magister in Israel, &c.* Non quasi insultare volens ei, qui magister vocetur, cum sit ignarus sacramentorum cælestium, sed ad humilitatis illum via prouocans, sine qua ianua cælestis non potest inueniri. *Si terrena dixi vobis, &c.* Terrena illis dixit, vt in superiore lectione inuenimus, cum de passione, ac de resurrectione sui corporis, quod de terra assumpserat, loqueretur, dicens, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, non tamen credebant verbo, quod dixit, sed ne hoc quidem intelligere valebant, quia non de alio quàm de templo corporis sui diceret. Qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minus ad cælestia, id est, diuinæ generationis capienda mysteria sufficiunt? Addit autem adhuc dominus & de cælestibus sacramentis & de terrenis instruere eum, quem vidit sapienter, ac diligenter iis, quæ audiret, intendere. Cælestis namque est ascensio eius ad vitam sempiternam: terrena vero eius exaltatio ad mortem temporalem. Dicit ergo de cælestibus; *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* (Subiungit vero de terrenis:) *Et sicut Moyses exaltauit, &c.* Merito autem quæritur quomodo dicatur filius hominis vel descendisse de cælo, vel eo tēpore, quo hæc in terra loquebatur, iam fuisse in cælo. Nota est autē confessio fidei catholicæ, quia descēdens de cælo filius Dei filiū hominis in vtero virginali suscepit, eūq; cōpleta dispēsatione passionis suæ, resuscitauit à mortuis, & assumpsit in cælum. Non ergo caro Christus descendit de cælo, eoq; ante tēpus ascēsionis erat in cælo, nisi quia vna Christi persona est, in duabus existēs naturis. Atq; ideo filius hominis rectè dicitur & descēdisse de cælo, & ante passionē fuisse in cælo: quia quod in sua natura habere nō poterat hoc in filio Dei, à quo assumptus est, habuit: sicut propter eandem vnam Christi personam, quæ ex

Act.20. duabus extat naturis, Apostolus ait; Vos spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Neque enim Deus in sua sententia, sed in homine assumpto sanguinem, quē pro ecclesia funderet, habuit: hinc etenim Psalmista dicit, Ascendit Deus in iubilatione. Quomodo enim Deus nisi in homine ascenderet qui in suæ naturæ maiestate semper vbique præsens adest? Sed & hoc quærendū quomodo dictū sit: *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo:* cum omnes electi se veraciter confidant ascensuros in cælum, promittente sibi domino, quia vbi

Ioan.12. sum ego, illic & minister meus erit. Cuius tamen nondum quæstionis apertissima ratio soluit: quia videlicet mediator Dei, & hominū homo Christus Iesus electorum omnium caput est: itémque omnes electi eiusdem capitis membra sunt dicēte Apostolo; Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, & rursum; Vos enim estis Corpus *Ephe.1.* Christi, & membra de membro. Nemo ergo ascēdit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius ho- *Ephe.5.* minis qui est in cælo. Nemo ascendit in cælum nisi Christus in corpore suo, quod est ecclesia. Qui in seipso quidem primum cernentibus Apo- *Act.1.* stolis, eminentioribus nimirum membris suis ascendit, & exinde in mēbris suis quotidie ascendens, se colligit in cælum. Hinc est enim, quod ipsum corpus eius inter aduersa huius seculi deprehensum gloriatur, & dicit; Nunc autem exaltauit caput meū super inimicos meos. Ac si aper- *Psal.19.* te dicat, qui occisum à Iudæis Christum, caput videlicet meum, suscitauit à mortuis: ac frustratis omnibus inimicorum insidiis sublevauit in cælum: spero, me etiam de præsentibus periculis eruens, meo capiti iunget in regno: quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Quisquis in cælum ascendere desiderat, el, qui de cælo descendit, & est in cælo, se vera fidei, & dilectionis vnitate cōiungat. Aperte intelligens, quia nullo alio ordine, nisi per eum, qui descendit de cælo, potest ascendere in cælum. Vnde alias ipse dicit; Nemo venit ad patrē nisi per me. Hæc ideo *Ioan.14.* in Nicodemo cunctis dicuntur catechumenis, vt discant eius membris tenascēdo incorporari, per quem possint ascendere in regnum Dei. Et quia ascensio, vel ingressus regni fieri non potest absq; fide, & sacramentis dominicę passionis rectè subinfertur. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* Mira magisterij cælestis arte dominus magistrum legis Mosaicæ ad spiritualem legis eiusdem sensum inducit, recordans historiæ veteris, & hanc in figuram suæ passionis, atque humanæ saluationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum, quia pertæsus in eremo populus *Num.21.* Israel itineris longi, ac laboris, murmurauit contra dominum, & Moysen: ideóque dominus immiserit in illum ignitos serpentes, ad quorū plagas, & mortes plurimorum, cum clamarent ad Moysen, & ille oraret, iussit eum dominus facere serpentem æneum, & ponere pro signo, qui percussus, inquit, aspexerit eum, viuet, & ita factū est. Plagæ igitur serpentum ignitorum, venena sunt, & incentiua vitiorum, quæ animam, quam tangunt, spiritnali morte perimūt. Et bene murmurans contra dominum populus, serpentum morsibus sternebatur, vt ex ordine flagelli exterioris agnosceret quantam intus perniciem murmurādo pateretur. Exaltatio autem serpentis ænei, quē dum percussi aspicerent, sanabantur, passionem nostri redemptoris signat in croce, in cuius solū fide regnum mortis, & peccati superatur. Rectè etenim per serpentes peccata, quæ animā simul & corpus ad interitum trahunt, exprimuntur: nō *Gen.3.* solum quia ignita, quia virulenta, quia ad perimēdum sunt astuti, verumetiam quia per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Rectè per serpentem æneum dominus ostenditur quia venit in similitudinem carnis peccati: quia sicut æneus serpens effigiem quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocētis, quin potius percussos à serpentibus sua exaltatione sanabat; sic

sic oimirum, sic redemptor humani generis non carnem peccati; sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in se, ab omni peccato, & ab ipsa etiam morte liberaret. *Sicut ergo Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita,* inquit, *oportet exaltari filium hominis:* Quia sicut illi, qui exaltatom pro signo serpentem æneum aspiciebant, sanabãtur ad tempus à temporaria morte, & à plaga, qoam serpentum morsus intulerat: ita & qui mysteriom dominicę passionis credendo, confitendo, syneeriter imitando aspiciunt, saluantur in perpetuom ab omni morte, quam peccando in anima pariter, & carne cõtraxerunt. Vnde rectè subiongitur; *Vt omnis qui credit in ipsum, &c.* Cuius quidem verbi patet sensus, quia qui eredit in Iesum, noo solum perditionem euadit pænarum, sed vitam etiam percipit æternam. Et hoc inter figuram distat, & veritatem quia per illam vita protelatur temporalis, per hãc vita donatur sine fine mansura. Sed curandum solerter est, vt quod intellectus bene seotit, operatio condigna perficiat: quatenus confessio rectæ nostræ fidei sobriè cõuersaodo, ad perfectionem promissæ nobis vitæ mereatur attingere. Verum, quia hæc de filio hominis dicuntur, quia exaltari in croce, id est, mortem oportuit pati: ne putaret Nicodemus filium tantom eum hominis esse, à qoo vita esset expectanda perpetua, curauit ei dominus etiam diuinitatis suæ patefacere sacramentum, vnumq́; & eundem & filium hominis, & mondi ostendere Saluatorem. Quod io sequentibus patet.

EIVSDEM IN IDEM *Homilia.*

SIcut ex lectione sancti euaogelij, fratres charissimi, audistis, princeps Iudæorum venit ad dominum nocte, copiens secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei, cuius aperta ostensione signorum aliquatenus iam rudimenta perceperat. Qui quoniam prudenter ea quæ ab illo fieri videbat intelligere curaoit, sublimiter ea quæ ab illo quærebat inoestigare promeruit. *Rabbi,* inquit, *scimus, quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Adeo igitur Iesum venisse ad magisterium cæleste mundo adhibendum confessos est, Deum cum illo fuisse miraculis prodentibus intellexit, needum tamen ipsum Deum esse cognouit. Sed quia quem magistrum nouerat veritatis studiose docendus adiit, merito ad agnitionem diuioitatis eius perfecte doctus subiit, merito vtriusque natiuitatis eius, diuinæ scilicet & humanæ, sed & passionis atqoe ascensionis ipsius arcana percepit, nec non etiam modum secundę generationis, & ingressum regni cælestis aliáque perplota doctrinæ euangelicæ sacramenta domino reuelaote didicit. *Respondit autem Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Quæ sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quaoto constat, quia sioe huius luce fideles esse nequeunt. Quis etenim sine lauacro regenerationis remissiooem peccatorum cõsequi, & regnum valet intrare cælorum? Sed Nicodemus qui nocte venit ad dominum, necdum lucis mysteria capere nouerat. Nam & nox in qua venit, ipsam eius qua premebatur ignorantiam designat. Necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino: sed inter eos potius remanebat, quibus loquitur Esaias, Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Respondit ergo domino, & ait: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & nasci?* Quia enim secundæ natiuitatis adhuc nescius perseuerabat, de salute autem sua iam solicitus extiterat, necessario de vna, qoam nouerat natiuitate, an possit iterari vel quo ordine regeneratio posset impleri quærebat: ne huius expers remanendo, vitæ cælestis particeps esse nequiret. Notandum autem quia quod de carnali dixit, hoc etiam de spiritali est generatione sentiendum, nequaquam videlicet eam postquam semel expleta fuerit posse repeti. Sioe enim hæreticos, siue schismaticus, siue facinorosus quisqoe in confessione sanctæ trinitatis baptizet, non valet ille, qui ita baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari, ne confessio vel inuocatio tanti nominis videatur annullari. Et quia Nicodemus ad primam domini responsionem solicitus, quomodo sit intelligenda diligenter inquirit, meretur iam planius instrui, & quia secunda natiuitas noo carnalis, sed spiritalis sit audire. *Respondit namque illi Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Cuius natiuitatis modum subsequenter exponens, prorsúsque à carnali distinguens ait: *Quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Natura spiritus inuisibilis, carnis visibilis est: atque ideo carnalis generatio visibiliter administratur visibilibus incrementis: qui in carne nascitur, per ætatum momenta proficit: spiritalis autem generatio tota inuisibiliter agitur. Nam videtur quidem baptizandus in fontem descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascẽdere, quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minime potest videri. Sola hoc fidelium nouit pietas, quia peccator in fontem descendit sed purificatus ascendit: filios mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: filius præuaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit: filius irę descẽdit, sed filius misericordiæ ascendit, filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola hæc ecclesia mater, quæ generat nouit, cæterum oculis inspicientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totúmque ludus esse quod agitur. Vnde in fine videntes gloriam sanctorum dicent gementes io tormentis:
Hi sunt qnos aliquando habuimos in derisum, & in similitudiné improperij. Quomodo ergo computati sont inter filios Dei? Et apostolos Ioannes: Sap. 5.
Charissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. *Quod ergo natum est ex spiritu, spiritus est:* quia qui ex aqua & spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouum hominem mutatur, & de carnali efficitur spiritalis. Qui ideo recte noo solum spiritalis, sed etiam spiritus vocatur, quia sicut substãtia spiritus inoisibilis est nostris aspectibos, ita is qui per gratiam Dei renouatur inuisibiliter, fit spiritalis & Dei filius, cũ visibiliter omnibus caro & filius hominis appareat. Sequitur: *Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed* 1. Ioan. 3.

Ephes. 5. Esa. 60.

non scis vnde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Spiritus vbi vult spirat, quia ipse habet in potestate,cuius cor gratia suæ visitationis illustret. *Et vocem eius audis*, cum te præsente loquitur is,qui spiritu sancto repletus est. *Sed non scis vnde veniat,& quo vadat*, quia etiam si te præsente quempiam spiritus ad horam impleuerit, non potes videre quomodo in eum intrauerit,vel quomodo redierit qui natura est inuisibilis.*Sic est omnis qui natus est ex spiritu.*Et ipse enim inuisibiliter agente spiritu incipit esse quod non erat, ita vt infideles nesciant vnde veniat, aut quo vadat, id est, quia à gratia regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei, & vadit in perceptionem regni cælestis. Quærente autem adhuc Nicodemo quomodo possent fieri, subiungit dominus, dicens:*Tu es magister in Israel,& hæc ignoras?* Non quasi insultare volēs ei qui magister vocetur,cum sit ignarus sacramentorum cælestium, sed ad humilitatis illum viam prouocans, sine qua ianua cælestis non potest inueniri.*Si terrena dixi vobis,& non creditis,quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Terrena illis dixit, vt in superiori lectione inuenimus,cū de passione ac resurrectione sui corporis quod de terra assumpserat,loqueretur dicens: Ioan. 2. Soluite tēplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.Non tamen credebant verbu quod dixit,sed ne hoc quidem intelligere volebant, quia non de alio quàm de templo corporis sui diceret.Qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minus ad cęlestia,id est,diuinæ generationis capienda mysteria sufficiunt. Addit autem adhuc dominus & de cælestibus sacramentis, & de terrenis instruere eum,quem videt sapienter ac diligenter his quæ audit intendere.Cęlestis nāque est ascensio eius ad vitam sempiternam,terrena vero exaltatio eius ad mortem temporalem. Dixit ergo de cælestibus.*Et nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo.*Subiungit vero de terrenis, *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Merito autē quæritur quomodo dicatur filius hominis vel descendisse de cælo, vel eo tempore quo hæc loquebatur in terra,iam fuisse in cęlo.Nota est namque confessio fidei catholicæ, quia descendens de cælo filius Dei, filium hominis in vtero virginali suscepit,eúmque completa dispensatione passionis suæ resuscitauit à mortuis, & assumpsit in cælum. Non ergo caro Christi descendit de cælo, neque ante tempus ascensionis erat in cælo. Et qua ratione dicitur, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo,nisi quia vna Christi persona est in duabus existēs naturis? Atque ideo filius hominis rectè dicitur & descendisse de cælo,& ante passionem fuisse in cælo: quia quod in sua natura habere non potuit, hoc in filio Dei à quo assumptus est habuit, sicut propter eandem vnius Christi personam quæ ex duabus extat na-Act. 20. turis, Apostolus ait: Vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.Neque enim Deus in sua substantia, sed in homine assumpto sanguinē quem pro ecclesia funderet habuit.Hinc etiam Psalmista dicit: Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione. Quomodo enim Deus nisi in homine ascenderet, qui in suæ naturæ maiestatis semper vbique præsens adest?Sed & hoc quærendum quomodo dictum sit, *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*, cum omnes electi veraciter confidant ascensuros se in cælum,promittēte sibi domino, Quia vbi ego sum, illic & minister meus erit. Ioan. 12. Cuius tamen nodum quæstionis apertissima ratio soluit, quia videlicet mediator Dei & hominum homo Christus Iesus electorum omnium caput est: itémque omnes electi eiusdémque capitis mēbra sunt dicente Apostolo, Et ipsum dedit caput supra omnem Ephes. 1. ecclesiam. Et rursum: Vos enim estis corpus Christi,& membra de membro. 1. Cor. 12. Nemo ergo ascendit in cælum,nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Quod est aperte dicere: Nemo ascendit in cælum, nisi Christus in corpore suo quod est ecclesia, qui in seipso quidem primum cernentibus apostolis eminentioribus nimirum membris suis ascendit,& exinde in membris suis quotidie ascendens se colligit in cælum. Hinc est enim quod ipsum corpus eius inter aduersa præsentis secum deprehēsum gloriatur & dicit, Nunc Psal. 26. autem exaltauit caput meū super inimicos meos. Ac si patenter dicat: Qui occisum à Iudæis Christum,caput videlicet meum suscitauit à mortuis, ac frustratis omnium inimicorum insidiis sublimauit in cælum,spero quòd me etiam de præsentibus periculis eruēs meo capiti iungat in regno. Quia ergo nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo,quisquis in cælum ascendere desiderat,ei qui descendit de cælo,& est in cælo, sed vera fidei dilectionisque vnitate coniungat: aperte intelligens,quia nullo alio ordine nisi per eum qui descendit de cælo,potest ascendere in cælum. Vnde aliàs ipse dicit: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14. Hæc ideo Nicodemo,ideo cunctis dicuntur catechumenis,vt discant eius membris renascendo incorporari, per quem possint ascendere in regnum Dei.Et quia ascensio vel ingressus regni cælorum non potest fieri absque fide & sacramentis dominicæ passionis, rectè subinfertur: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Mira magisterij cælestis arte dominus magistrum legis Mosaycæ ad spiritalem legis eiusdem sensum inducit, recordans historiæ veteris,& hanc in figuram suę passionis atque humanæ salutationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorū, quia pertæsus in eremo populus Israel itineris longi, ac laboris murmurauerit contra dominum & Moysen,ideóque dominus immiserit in illum ignitos Num. 21. serpentes. Ad quorum plagas & mortes plurimorum,cum clamarent ad Moysen,& ille oraret pro eis,iussit eum dominus facere serpentem æneum, & ponere pro signo,Qui percussus, inquit, aspexerit in eum viuet: & ita factum est. Plagæ igitur serpentium ignitorum venena sunt incentiua vitiorum,quę animam quam tangūt spiritali morte perimunt. Et bene murmurans contra dominum populus serpentium morsibus sternebatur, vt ex ordine flagelli exterioris agnosceret, quantam intus perniciem murmurādo pateretur. Exaltatio autem serpentis ęnei, quem dum percussi aspicerent,sanabantur,passio nostri redemptoris est in cruce,in cuius solum fide regnum mortis & peccati superatur. Recte etenim per serpentes peccata quę animā simul & corpus ad interitum trahunt exprimuntur: non solum quia ignita,quia virulenti,quia ad perimendum sunt astuti,verum etiam quia per serpentem primi parentes nostri Gen. 3. ad pec

ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Recte per serpentem æneum dominus ostenditur, qui venit in similitudine carnis peccati, quia sicut æneus serpens effigiem quidem igneis serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocentis, quin potius percussos à serpentibus sua exaltatione sanabat, sic nimirum, sic redemptor humani generis non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo credentes in se ab omni peccato, & ab ipsa etiā morte liberaret. Sicut ergo Moyses exaltauit serpētem in deserto, ita, inquit, oportet exaltari filium hominis: quia sicut illi qui exaltatum pro signo serpentem æneum aspiciebant, sanabantur ad tempus à corporali morte & plaga, quam serpentium morsus intulerat, ita & qui mysterium dominicæ passionis credendo, confitendo, synceriter imitādo aspiciunt, saluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in animo pariter & carne contraxerant. Vnde & subiungitur: *Vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cuius quidem verbi patet sensus, quia qui credit in Christum non solum perditionem euadit pœnarum, sed & vitam percipit æternam. Et homo inter figuram distat & veritatem, quia per illā vita protelabatur corporis, per hanc vita donatur sine fine mansura. Sed curādum solerter est, vt quod intellectus bene sentit, operatio condigna perficiat, quatenus confessio rectæ nostræ fidei pie & sobrie conuersando ad perceptionem promissæ nobis vitę mereatur attingere. Verum quia hæc de filio hominis dicuntur, qui exaltari in cruce, & mortem potuit pati, ne putaret Nicodemus filium tantum hominis esse eum, à quo vita esset expectanda perpetua, curauit ei dominus etiam diuinitatis suæ patefacere sacramētum, vnúmque & eundem filium Dei & filium hominis mundi ostendere saluatorem. Nam sequitur: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vnde notandum quòd eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiserat dicens, *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quia profecto idem redemptor noster filius Dei ante secula existens, filius hominis factus est in fine seculorum, vt qui diuinitatis suæ potentia nos creauerat, ad perfruendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ, nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus vitam. Vnde nobis satagendum est, fratres charissimi, vt diuinis beneficiis vicem rependentes, diligamus toto corde, tota anima, tota virtute Deū patrem, qui nos tanto amore prior dilexit, vt proprio suo filio non parceret, sed pro nobis omnibus traderet illum. Diligamus ipsum filium, qui cum in formā Dei esset, nostræ libertatis & vitæ gratia formā serui accepit, factúsque est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, & sicut de eo dicit Ioannes Apostolus, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Diligamus sanctum eiusdem patris, & filij spiritum, cuius gratia renati, cuius vnctione signati sumus in die redemptionis, qui vbi vult, spirat: & vbicunque spirat, continuo flamma eiusdem diuinę dilectionis accendit. Credamus ipsum patrem & filium & spiritum sanctum vnum esse Deum & dominum nostrum, ac debitis laudibus exaltemus nomen eius inuicem, cui est gloria, imperium & potestas ante secula seculorum, Amen.

Ioan.3. | Rom.8. | Philip.2. | Apoc.1.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emissent in superius Euang. Homil.

ERat homo ex Pharisæis, &c. Bonus homo iste Nicodemus, tam credulus quidem, sed nondum in charitate perfectus: perfecta enim charitas, foras mittit timorem. Hic autem nocte veniebat, quia Iudæos timebat, & tamen illuminari volebat: sed quid dicit. Scimus, inquit, certi sumus & firmissimè credimus quia à Deo venisti magister. Vnde autem hanc fidem susceperit adiungit. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Valde melius dixit Nathanaël, qui ait; Tu es filius Dei, tu es rex Israël. Nondum enim Nicodemus Christum esse cōfitetur Deum, quamuis Deum cum eo esse confiteatur. *Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ad baptismum eum inuitat, vbi dùm in trinitate homo baptizatur, quid credere debeat, perfectè cognoscit. Sed quia obscurè loquitur, nondum Nicodemus eum intelligit. Vnde & ait, *Quomodo homo potest nasci quum sit senex, &c.* Videns igitur eum Dominus ad huius sacramenti intelligentiā per se venire non posse, manifestiùs ait, *Amē amē dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō potest introire in regnum Dei.* Apostolus enim dicit, Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. His enim verbis quid baptismus significet ostendit. Cùm enim in fide Christi baptizamur & sub aquas mergimur, quodammodo ei commorimur & consepelimur: vt inde abluti & penitùs innouati resurgentes, sic postcà in nouitate vitæ ambulemus, sicut Dei filius patris gloriam non amisit. Tanta est enim virtus huius sacramenti, vt subitò mundet hominem ab omni peccato. Vnde subditur: *Quod natum est ex carne, caro est, &c.* Sicut (inquit) ex carne corrupta & peccatrice caro ei consimilis nascitur, tota videlicet vitiata & plena peccatis: ita & quod nascitur ex aqua & spiritu sancto, sanctum est & spirituale & mundum ab omni peccato. Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo. Non enim hoc dixi tibi de carnali, sed de spirituali natiuitate. Carnalis enim natiuitas non fit nisi semel, sic & spiritualis. Sed qui semel ex carne oritur, nisi iterum ex spiritu oriatur, non ad vitam, sed ad mortem oritur. *Spiritus vbi vult spirat.* Ideo (inquit) quod natum est ex spiritu, spiritus est, quia spiritus vbi vult spirat, quem vult illuminat, quem vult sanctificat, & spiritualem & mundum facit. *Et vocem eius audis, sed nescis vnde veniat aut quò vadat.* Ac si dicat, Ille spiritus qui sanctificat omnia, qui vbi vult spirat, ille (inquam) est cuius nunc vocem audis, & qui núc in me & per me tibi loquitur. Sed quamuis vocem eius, & in me & in discipulis meis audire valeas, nescis tamen vnde veniat aut quò vadat, quis

Rom.6.

enim sciat vnde veniat, aut quo vadat, qui vbique est & omnia complet? Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum. Nemo enim scit quomodo à patre filióque procedat. Sacerdotem qui baptizat videre potes, & ipsas baptismatis vndas videre potes, vocem quoque spiritus in sacerdote audire potes, ipsum verò spiritum omnino videre non potes, quia inuisibilis & incorporeus est. Sic omnis qui natus est ex spiritu, spiritus est: sicut omnis qui natus est ex carne, caro est. Siue etiam, sic est omnis qui natus est ex spiritu, id est, sic fit & sic denuo oritur: semel quidem ex vtero matris, iterum autē ex baptismatis aquis sic sanctificatur, sic illuminatur, sic in nouum hominem reformatur. Potest autem & sic intelligi: Sicut (inquit) spiritus vbi vult spirat, sic & omnis qui natus est ex spiritu spiritus est, si tamen non separetur à spiritu. Si enim à spiritu separator, fit carnalis & animalis. Animalis autem homo (dicit Apostolus) non percipit quæ sunt spiritus Dei: spiritualis autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Spirat igitur vbi vult, liquidem omnia scrutatur. Nam etsi modò fortasse non ad plenum videat, spirat, & intelligit quæcunque velit, neq; ad omnia secreta rimanda introducatur, tamen post hanc vitam quicquid voluerit videbit & habebit homo sanctus & spiritualis. *Respódit Iesus, & dixit ei. Tu es magister Israel, &c.* Affirmat saluator noster verum esse quod dicit, vt potè qui ea loquitur quæ scit, & id testatur quod vidit. Ignorantia enim parit incredulum: & testis non suscipitur, nisi qui se & vidisse & præsentem affuisse testatur. Et tale est, ac si diceret, Crede tantummodo & noli dubitare, ne quæras de his quomodo fiant. Cælestia enim sunt, & terreno intellectu capi non possunt. Vnde & subditur. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* Veruntamen aliquid tibi dicam de cælestibus. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Hæc enim cælestia sunt. Vous enim idémq; Christus Iesus, & filius Dei est & filius hominis: sed æternaliter filius Dei, & temporaliter filius hominis. Et iste quidem filius hominis secundum alterum, id est, secundum diuinitatem descendit de cælo, secundum quam semper est & in terra & in cælo. Descendit enim non locum mutando, sed se humiliando & carnem suscipiendo. Ascendit verò, quantum quidem ad humanitatem, locum etiam mutando: quantum verò ad diuinitatem, gloriam propriam manifestando. Vnde Psalmista. Exaltare (inquit) super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Deus enim (quia vbiq; est) aliter neque ascendere neque descendere potest. Et ipse quidem solus ac totus ascendit in cælum, omnia membra sua secum trahens in cælum. Eius nanque membra sunt omnes fideles, & ipse est caput totius ecclesiæ. Vnde & alibi ait, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nemo igitur ascendit in cælum nisi ipse & membra sua simul cum ipso: siue etiam, ipse solus ascendit per se, alibi verò per ipsum & non per se. Ad hoc igitur filius hominis ascēdit de cælo, vt a terris exaltatus omnia post se traheret in cælum. Et hoc est quod ait, *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, &c.* Ideo enim serpentem æneum in deserto exaltauit Moyses, vt homines à serpentibus percussi eum viderent &

sanarentur. Ideo & Christus in cruce exaltatus est, vt omnis qui mentis oculis eum videt, id est, omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nulla est enim alia medicina, qua à primi serpentis veneno homo sanari possit. Merito autem in illo serpente se Dominus significari voluit: quoniam sicut ille serpentis quidem similitudinem habebat, serpentis autem venenum & malitiam non habebat: ita & saluator noster cum iniquis deputatus & inter latrones crucifixus, carnis quidem peccati (vt Apostolus ait) similitudinem habebat, peccatum autem nullum habebat. Apparuit autem in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Vide ergo quantum Deus hominem dilexerit, pro quo filium suum morti tradidit, vt non periret. Hoc est enim quod ait, Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang expositio.

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus, &c. Nicodemus credebat quidem ipse Iesum, sed videtur pro domino contra Iudæos loqui, quod non oporteat sine scrutatione & examine condemnari illum: sed post crucem multum officij & liberalitatis in sepultura exhibuit. Cæterum quia non vt oportebat, credulus erat, & adhoc infirmitate Iudaica tenebatur, nocte quidem venit ad Iesum, propter timorem Iudæorum. Magistrum autem ipsum vocat quasi purum hominem. Talem enim opinionem de eo conceperat, idcirco & subdit; *Nullus potest talia facere, nisi Deus sit cum eo.* Vides, quod sicut ad Prophetam, & hominem dilectum à Deo; accedit ad Iesum. Quid igitur dominus? Nō arguit, neque dicit, Quare igitur ad Magistrū qui à Deo missus est, venisti nocte? Quare non fidenter, & publice accedis? Nihil horum dicit, sed lætè ei de diuinis & sublimibus differit. Nota autem, quòd quamuis Christus multa fecerit miracula, nullum tamen illorum narrat Euangelista, vel quod ab aliis traduntur Euangelistis, vel quod maiora sint quam ut particulatim recenseantur. *Respondit Iesus, & dixit ei. Amen amen dico tibi, &c.* Videntur verba, quæ à saluatore dicta sunt, nihil alludere ad ea, quæ à Nicodemo dicta: at si quis rectè perspiciat, valde congruere inuenit. Quandoquidē Nicodemus humi é de Christo habebat opinionem, nempe quod magister esset, ac Deus esset cum illo, dicit ei dominus. Merito ita de me sentis, nondum enim natus es superne, hoc est, à Deo spirituali natiuitate, sed carnalis es: & cognitio, quam de me habes, non est spiritualis, sed animalis, & humana. Ego autem dico tibi, quod nisi tu, & quisquis alius fuerit, superne, & ex Deo nati fueritis, & piam, & dignam de me opinionem habueritis, extra regnum cælorum estis. Natiuitas enim per baptismum illumina tionem præbens animæ, regnum Dei, hoc est, vnigenitum illius filium, videre, hoc est, intelligere dat. Nam, sicut Dei sapientia filius est, ita & regnum quoque Dei dicitur. Hoc sane regnum nemo videt, hoc est, intelligit, ô Nicodeme, nisi natus fuerit à Deo: atque ita etiam tu, quoniam non

nondum natus es ſpiritualiter, propterea non vides me regnum Dei, ſicut oportet, ſed humilem opinionem de me habes. *Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo poteſt homo naſci, &c.* Audiens Nicodemus doctrinam plus quam humanam, ſtupeſcit, & paſſus humanum quiddã interrogat, quomodo poteſt? id quòd incredulitatis eſt ſignum. Vbi enim fides non eſt, illic quæritur, quomodo hoc, & quare hoc: propterea ridicula Nicodemi verba apparent. Neque enim intellexit ſpiritualem natiuitatem, ſed mentionem corporalis ventris facit. Poſtquam enim audiuit, niſi quis ἄνωθεν è ſuperis fuerit natus, exiſtimauit ἄνωθεν ab initio & denuo, atque tale quippiam dici, niſi quis ab initio & denuo naſcatur: & propterea dicit, Quomodo poteſt is, qui ſenex eſt, denuo intrare in ventrum matris ſuæ? Nam duo illum faciebant perplexum, natiuitas ſcilicet ſpiritualis, & regnum. Neque enim nomen regni cælorum auditum erat aliquando apud Iudæos. Nunc igitur de natiuitate dubitat: propterea & Chriſtus ei manifeſtius ſpiritualis natiuitatis modum reuelat, *Niſi quis naſcatur,* dicens, *ex aqua, & ſpiritu.* Homo, quum ex duobus conſtet, ex corpore, & anima, habet natiuitatis quoque duplicem modum. Aqua enim, ſi viſibiliter accipiatur, ad corporis pertinet purificationem: ſpiritus vero inuiſibiliter concurrens, ad inuiſibilis animæ regenerationẽ pertinet. Quòd ſi rogas, quomodo aqua poteſt generare? Interrogabo & ego quomodo ſemen & ipſum aquoſum exiſtens, poteſt in hominem transformari. Igitur, ſicut in corporali ſemine totum eſt gratiæ diuinæ, ita & in baptiſmate aqua ſubdita eſt, & ſpiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, immo Dei præſentia. Symbola enim ſepulturę, & reſurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres merſiones, triduanæ ſepulturę ſymbola ſunt, deinde regreditur homo ſicut dominus, fulgidior, & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem ſummerſit. *Quod natum eſt ex carne, &c.* Abducens dominus Nicodemũ à carnali natiuitate, dicit; *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* hoc eſt, ſpiritualis eſt homo, qui natus eſt per baptiſmum. Per ſpiritum enim, ſpiritualem intelligere debes. Neque ſpiritus diuinus fit baptizatus, ſed quum adoptionem filiorum in ſpiritu, & gratiam, & honorem ſuſceperit, ſpiritualis eſſe meretur. Videns autem Nicodemum adhuc perturbari, dicit, *Ne mireris.* Deinde ſenſibili exẽplo docere eum tentat. *Spiritus enim,* inquit, *vbi vult ſpirat.* A vento, inquit, diſce maiora. Ventus enim, quem hoc loco ſpiritum vocat, vbi vult flat & ſonum eius audis, & ignoras, tamen vnde feratur. Nequit enim comprehẽdi, vel prohiberi. Naturali enim poteſtate fertur in aliquẽ locum incertum. Cæterum, vbi vult, inquit, non quod vẽtus voluntatem habeat, ſed (vt dixi) à natura indicata ipſi poteſtas oſtenditur. Si igitur ventum, qui ſpiritus eſt ſenſibus ſubiectus, ignoras quomodo, & quo ſpiret, quomodo regenerationem à diuino ſpiritu curioſius inquiris? Si hic ſpiritus comprehẽdi nequit, multo minus Sancti Spiritus gratia legibus naturæ ſubdetur. Confundatur Macedonius, Spiritus oppugnator, & qui anteceſſit illum Eunomius. Ille enim ſeruum facit Spiritũ, qui ſuis audierit hoc loco, quòd ventus, quo vult, ſpirat, multo igitur magis ſpiritus ſanctus liberiorem habet motionẽ, & quo vult, & ſicut vult, operabitur. Eunomius vero in illo ipſo peccans, & creaturam dixit ſpiritum, & in tantam peruenit peruicaciam, quaſi cognoſceret Deum ſicut ipſe ſeipſum. Audiat igitur, quod neque impetũ, neque finem ſciat. Quomodo igitur Dei ſubſtantiam cognoſcet impoſtor? *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei &c.* Nicodemus adhuc in Iudaica imperfectione ſubſiſtit: propterea iterum rogat, quomodo poſſunt hæc fieri? Ideo & Dominus monſtrans ei, quod imperfectionem ita loquitur, dicit, Tu, quũ ſis doctor in Iſrael, ſi recordatus fueris miraculorum, quæ in veteri teſtamento tra- Gen. 1.2. Exo. 7.8 9. 14.
duntur de formatione hominis, & alia, quomodo 1.Re.1.2.
formatus ſit, quomodo ex latere vxor, quomodo prodigia in Ægypto, quomodo in mari rubro, quomodo ſterilis pepererit, & ſimilia: ſi hæc conſiderares ſicut doctor in Iſrael, non diſcrederes iis quæ nunc dico. Verumtamen ego quidem, quod ſcio, dico: & quod vidi, hoc eſt, clare cognoui Neque enim corporalem viſionem ſignificat quum dicit, *vidimus*: ſed cognitionem certiſſimam. At vos *teſtimonium noſtrum*, hoc eſt, meum, non accipitis. Hæc autem dicit Dominus non ad Nicodemum, ſed ad genus Iudæorum, qui vſque ad finem increduli fuerunt. Igitur, *ſi terrena dixi vobis, & non creditis,* hoc eſt, ſi de generatione, quæ eſt in baptiſmo, dixi vobis, & nõ recepiſtis, ſed interrogaſtis dicentes, Quomodo? Terrenam autem hanc natiuitatem nominat, quod ſuper terram facta ſit in beneficium hominum, quamuis enim cæleſtis ſit ſecundum gratiam & honorem; at baptizamur, quum ſuper terram ſumus. Sic igitur de hac terrena natiuitate dicens, inueni vos incredulos: de ſupercæleſti natiuitate, quæ ineffabilis, qua vnigenitus filius à patre natus eſt, quum audiueritis, quomodo credetis? Quidam autem per terrenum intellexerunt ſimilitudinem de vẽto: ita vt, quod dicitur, ſic ſe habeat, Si exemplum à terrenis dedi vobis, & neque ſic perſuaſi eſtis, quomodo poteritis ſuperiora diſcere? *Et nullus aſcendit in cælum, niſi, &c.* Neque hoc videtur cum iis, quæ præceſſerunt, recte contexi. At, ſi quis diligenter inſpexerit, apparebunt etiam illa bene cohærere cum ſuperioribus. Quia enim magiſtrũ Dominum, & prophetam nominabat Nicodemus: Ne putes me, inquit, quaſi prophetam, qui de terra eſt, à Deo miſſum doctorem, ſed è ſupernis me ſcias deſcendiſſe vt filium, non & à terra eſſe. Nullus igitur prophetarum aſcendit in cælum, niſi ego ſolus aſcenſurus, qui & deſcendi. Filium autem hominis quum audieris deſcendiſſe de cælo, ne exiſtimes, quòd caro è cælo deſcenderit. Hoc enim Apollinarius docuit, quod Chriſtus habuerit corpus de cælo, quod per virginem trãſierit quaſi per canalem. Verum quia vna hypoſtaſis, hoc eſt, vna perſona Chriſtus, ex duabus naturis conſtituta eſt, ideo omnia, quæ ſunt hominis, dicuntur de verbo: & iterum ea, quæ ſunt verbi, attribuuntur homini. Sic & hoc loco quoque filius hominis dicitur deſcendere de cælo, eo quòd vna ſit perſona, & vna hypoſtaſis. Deinde, vt ne, quum audieris, qui deſcendit, putes quòd non ſit in cælo, dicit, *Is qui eſt in cęlo* Noli enim ſuſpicari me propterea non eſſe illic, quia deſcendi: ſed & hic adſum corporaliter, & illic ſedeo cum patre vt Deus. *Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in eremo, &c.* Poſtquam dixit de regeneratione per

baptismû,non dicit de beneficio, quod per crucem nobis factum est. Crux enim & mors author nobis fit gratiæ, quæ per baptismum data est, siquidem,quum baptizamur,mortem Domini repræsentamus.Non dicit autem manifeste,crucifigendus sum:sed meminit serpentis,& veteris historiæ.Interim discimus vetera cognata nouis, & vnum esse legislatorem veteris,& noui testamenti tametsi Marcion,& Manichæos,& reliqua id genus hæreticorum cohors,reprobent,dicentes veterem à malo opifice esse conditam. Docet item, quum Iudæi videntes ætei serpentis imaginem, mortem effugerint, multo magis nos ad crucifixum respicientes,& credentes,animę mortem effugituros. Vide autem,oro,figuram, & confer eū veritate. Illic serpentis similitudo, formam quidem habet bestiæ,venenum autem non habet.Ita ex hoc loco homo Dominus, sed à peccati veneno liber,in similitudine carnis peccati venit,hoc est,in similitudine carnis peccato obnoxiæ, quæ minime eato peccati esset.Et tunc quidem videntes euadebant mortem corporis: nunc autem qui vident,mortem animæ.Tunc quidem suspensus,serpentium ictus sanabat: nunc autem spiritualis draconis plagas curat Christus. Exaltatum audiens, intellige quidem & suspensum esse. In summo enim suspensus est,vt & aërẽ sanctificaret qui terram sanctificarat,in illa ambulando.Intellige autem quid sit glorificari.Nam reuera gloria Christi,crux fuit. Per hoc enim quo visus est cõdemnari, condemnauit huius mundi principem. Vt clarius dicam:Adam iuste mortuus est, peccarat enim:Dominus iniustè mortuus est,non enim peccarat. Igitur vsque ad crucifixionem Domini præualuit hominibus mors. Qui autem absque peccato inuentus est Christus,quid igitur iuris in illo habebat diabolus,vt occideret ipsum; atque ita quia iniustè mortuus est,vicit eum, à quo occisus est: & sic liberauit Adamum à morte quæ illi iuste inferebatur,vt potè ei, qui peccauerat & aliter,duo fuerunt, quæ Dominum habebant in humanum genus: voluptas,& tristitia.A duobus

Matth.4. autem illis inuictus repertus est Dominus. Nam assumpserat quidem illum in montem, tentans per voluptatem:&quum experiretur hac via vinci non posse, maiorem postea machinam, tristitiam scilicet,adhibuit, vt saltẽ per illam deuinceret:& propterea commouit omnes contra illum discipulos vt negarent:milites vt illo deterent:prætereuntes vt blasphemarent:& in summa Iudæos vt crucifigerent: & sic quoque inuictum comperit.Non enim potuit efficere crucis dolor, vt cru-

Matt.16.27. cifigentes odio haberet,sed diligebat eos, & pro eis orabat dicens;Ne statuas illis,pater,peccatum hoc.Videns quomodo vicerit per hoc ipsum, qui

Luc.23. videbatur victus esse.Sic igitur exaltatio,&gloria eius,crux fuit.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang.expositio.*

HIc *venit ad Iesum nocte.* Timebat enim palam accedere propter Iudæorum suspicionem, qui auersari erant accedentes ad eum. *Rabbi scimus,quòd à Deo veneris in magistrum.* Potabat enim quòd propheta esset missus à Deo ad docendum. *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo.* Quum prophetam eum putaret,merito arbitrabatur hæc eum non propria facere potestate, sed esse à Deo precibus obtenta. *Nisi quis superne natus fuerit, non potest videre regnum Dei.* Existimabat Nicodemus,se nosse Deum,ac de eo rectè sentire.Ostendens autem Christus,quòd longe à veritate abesset,ait;Nisi quis regeneratus fuerit per regenerationẽ diuini baptismatis, non potest scire,siue cognoscere eius dignitatem, ac magnitudinem. Nũc enim seipsum dicit Deũ, id tamen obscurè, quo insolentiam deuitet. Diuina siquidem gratia, quæ per sacrum datur baptisma,& mentẽ roborat, & rectè videre tribuit, dissipata imbecillitate, quæ obtenebrabat. *Quomodo potest homo nasci quum sit senex,&c.* Quid hoc, Nicodeme? Rabbi ipsum vocas, & à Deo venisse, dicis, nec tamen credis, quæ dicit? O Iudaicam crassitudinem. Audiuit regenerationem, sed spiritualem:non potuit hanc concipere, sed carnalem intelligit,& merito dubitat, modumque sciscitatur. *Nisi quis natus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Modum manifestat dicens,quòd ex aqua, & spiritu,videlicet sancto: non tamen clare hoc dicit, quo attentius interrogaret. Sæpius enim occultè mentem excitat,vt diligentiorem,ac curiosiorem reddat auditorem. Nicodemus siquidem impossibilem dicebat regenerationem,Christus verò omnino possibilem, nec id solum, sed & necessariam: adeò vt sine ea regnum Dei nullus possit intrare, hoc est, eius dignitatem, ac magnitudinem cognoscere, aut diuinam attingere fruitionem.Intelligitur autem verbum de iis, qui post Christum baptizatum fuerunt. Reliquum est igitur, vt & Apostoli regenerati sint per aquam sanè à Ioanne, per spiritum vero, quia ad eos in specie ignitarum aduenit linguarum. Scribunt autem quidam,Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, & virginem matrem baptizauerit: Petrus vero reliquos omnes Apostolos. *Quod natum est ex carne,caro est, &c.* Non carnalis inquit generatio est,sed spiritualis:nam, quod ex carne natum est, carnalis est progenies: quod autem natum est ex spiritu, spiritualis generatio est. Carnalis itaque natiuitas est sensibilis, spiritualis vero, intellectualis:nec oportet, quod intellectuale est,sensibiliter indagare:neq; humano modo, opus quod diuinum est. Siquidem ex quo prior generatio facta est inutilis, data est secunda regeneratio excellsior, & honorabilior. Dei opus est prior, Dei opus est & posterior, Deus enim spiritus est.Quũ igitur audieris, quòd spiritus regenerat, ne modum quæras. Nam, si incomprehensibilis est in vtero formatio, longe incomprehensibilior est, quæ in aqua fit: quod si de illa non ambigimus, omnipotẽtis Dei sapientiæ credẽtes, de hac multo magis credere oportet. Sicut autem in prima hominis formatione subseruiuit terræ elementum,quum vniuersa in manu essent creatoris, ita & nunc subseruit aquæ elementum, quum vniuersa sint in voluntate spiritus.Quòd si me interroges, quare non aqua:ediuerso-te interrogabo, quare tunc terra. Poterat siquidem sine terra fieri homo.Nam & quòd sine verbo nihil faciat Deus, confiteor: & quod solus omnium verba exactè nouit, & dico, & credendum suadeo. Quod autẽ in carnali generatione est vterus, hoc in spirituali est aqua: sed ibi quidem ad generationem opus est

Nota per baptismum gratiam ergo non esse ... gratiæ data per fidem vt dicunt nouatores.

Immo communiter sentitur post Christi mortem, vnde baptismus efficaciam habet.

est tempore, hic autem non ita: quia carnalia in tempore perfectionem assumunt, spiritualia vero statim perfecta creantur. Perfectum itaque verbum per aquæ ministerium soli Deo manifestum est: hoc autem à sanctis patribus vtcunque comprehensum est: quia diuina in eo signa adimplentur, sepultura videlicet, ac resurrectio. In eo namque tanquam in quondam sepulchro, capite mergimur, vetúsque homo sepelitur, ac demergitur: deinde, quum exilimus, nouus resurgit, & ostenditur. Quemadmodum enim nobis facile est demergi, & exilire: ita Deo facile est veterem hominem sepelire, nouúmque excitare. Hoc autem tertium fit, vt scias potentiam patris, & filij, ac spiritus sancti omnia efficere. Dubitant autem quidam. Nam, si quod natum est ex spiritu, spiritus est, Christi certe caro spiritus erit. De virgine enim dicit angelus, Quod in ea natum est, à spiritu sancto est. Quibus nos dicimus, quod hoc dixerit docens, quòd à viro non esset, non quin esset a muliere. Dicit enim Apostolus; Factum ex muliere, caro videlicet de carne. Natus est ergo à carne virginea, ne ab humana natura esset alienus. Nam, si & hoc facto quidam non credunt incarnatum, quomodo in impietatem nunc cecidissent, si ita factum non esset? In virgine ergo natus est à spiritu sancto, siue supernaturaliter, quia nō à viro. Nam hoc significat, quod dicitur, A spiritu sancto. *Non mireris quod dixerim tibi, Oportet vos nasci superne.* Videns eum nondum a crassitudine diuelli, sed turbari, primum reprimit: deinde facili conatu hunc ad exemplum ducit sensibile, propter illius imbecillitatem, & medium inter corpoream crassitudinem, & incorpoream substantiam vt hunc mentem eius deducat. Dicit ergo; *Spiritus vbi vult spirat, &c.* Spiritum dicit nunc ventum. Est autem intentio eius. Sicut ventus vbi vult, spirat, hoc est, vbi motus fuerit: voluntas enim venti, motio est; *& vocem eius audis,* siue sonum, aut stridorem: *non cognoscis autem, vnde venit, aut quo abit. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu:* incomprehensibilis est videlicet quo ad huiusmodi generationem. Quod si sensibilis spiritus impetum, ac viam non potest comprehendere, cuius sensum recipis, tum quia sonū eius audis, tum quod te calefaciat, aut frigefaciat: multo magis intelligibilis. Si ergo vim illius corporei spiritus licet non comprehendas, credis tamen: quomodo hūc incorporeum propterea non credis, quod non comprehendas? *Quomodo possunt hæc fieri?* Adhuc Nicodemus in Iudaica manet imperfectione, nihil valens supra sensum intelligere, etiam manifesto huiusmodi exemplo proposito. Dicit ergo; *Quomodo possunt hæc fieri*, quæ de prædicta regeneratione dixisti? Vnde & Christus iam obiurgantis more cum eo disserit. *Tu es præceptor Israël, & hæc ignoras?* Nequaquam malitiæ condemnat eum Christus, sed ignauię, ac ruditatis. Oportebat enim eum, qui præceptor erat, hæc à scripturis cognoscere. Signa siquidē regenerationis spiritualis continent libri Iudæorum, puta, quæ de rubro mari scribuntur, in quibus, aquæ typus erat mare, nubes vero spiritus. Et quæ de leproso Naaman, quādo in Iordane lotus est, & reuersa est caro sua ad ipsum sicut caro pueri paruuli. Aliáque plurima similia. Habebant insuper & prophetias. Dixit enim Dauid; Et annuntiabunt iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit

Dominus: & Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata: & Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Aliorum siquidem prophetiæ præ multitudine in præsentia relinquantur. *Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur.* Vel de seipso & patre hoc dicit, vel de seipso solo. Quanquam tu non credas, nos tamen, quod probe nouimus, hoc loquimur. *Et quod vidimus testamur.* Idem confirmationis causa repetit, quod scimus testamur: neque enim sensibilem aspectum intelligas, quum nondum factum esset. *Et testimonium nostrum non accipitis.* Hoc non indigne fereus dixit, sed leniter, quod fiebat, enarrans, & modeste, quod futurum erat, prædicens, & quasi protestans, ac docens nos, ne, quum erga aliquos disputamus, indigne feramus, clamemus, aut exasperemur, si nō persuadeamus: nā iræ materia ac principiū clamor est: patiēter vero respōdere est, conari, vt credibile facias, quod dixeris. *Si terrena dixi vobis & non creditis, &c.* Frequenter quum verba facturus est: quæ suæ congruant maiestati, his propter auditorum crassitudinem ac imbecillitatem relictis, humiliora dispensatorio modu condescendendo præfert: quod sane etiam nunc fecit. Nam ea quo de spirituali generatione loquutus est, de sua ipsius etiam generatione, quæ fuit ante secula, quæque omnem & mentem, & sermonem excedit, dicere volebat. Videns autem Nicodemum neque spiritualem posse intelligere, nihil de illa dicit, sed causam talis silentij docet, quod sit videlicet propter auditorum incredulitatem. Horum ergo incredulitati aut imbecillitati tribuendum est, quod sæpius mediocria, aut humilia loquatur. Terrena autem intelligunt hic quidam de vento dictum esse, ac si diceret, Si terrenum proposui exemplum, & non credidistis; quomodo, si cæleste aliquid, aut sublimius dixero, credetis? Alij vero; *Terrena*, de regeneratione dictum astruunt: interpretantes, quòd terrenam hanc dixerit, etsi cælestis sit, ac diuina, tanquam super terram impleta, & comparando ad suam ineffabilem generationem. Nam ad illius celsitudinem hæc terrena est, & humilis. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Quia superius dixit Nicodemus; Scimus, quod à Deo veneris in magistrum: hoc ipsum nunc corrigit, ac si dicat; Nec me talem existimes præceptorem, quasi vnum aliquem ex prophetis. Nullus siquidem illorum ascendit in cælum, siue ingressus est in cælum, nisi ego, qui è cælo descendi, ideóque sublimiora defero dogmata. Alio præterea modo dixit; Qui descendit de cælo: quia in veteri testamento diuersimode, variáque dispensatione dicitur Deus ascendere, ac descendere, velut est illud; Descendens videbo si iuxta clamorem illorum operati sunt. &, Ascendit Deus ad Abraham vt cessauit loqui ad eum: multaque similia. *Filius hominis.* Qui secundum humanitatem filius est hominis. Scire autem oportet, quòd à diuinitate seipsum frequenter nominat, & etiam sæpius ab humanitate. *Qui est in cælo.* Quicunata diuinitatem in cælo est, siue cælestis. Vide autem quomodo, etsi sublimia videantur verba, non tamen maiestati suæ conformia sunt. Nam & quum in cælo est, terram non relinquit: & de cælo descendens, non abest à cælo, sed vbique est, quum diuinitas circunscribi non possit. Talia tamen loquitur, parcens auditoris imbecillitati, & paulatim

Ff 4 ipsius

Marginal notes: Matth. 1. — Galat. 4. — Exod. 14. — 4. Reg. 5. — Psal. 21. & 102. — Genes. 18.

aptius mentem eleuare volens. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* Quum maximum recensuisset beneficium, quod hominibus per baptismum confertur, narrat & aliud non minus, quod per baptismum datur. Quæ duo Paulus quoque
1.Cor 1. simul posuit scribens ad Corinthios; Num pro vobis crucifixus est Paulus, aut in nomine Pauli baptizati estis? Nam hæc duo ineffabilem eius ostendunt dilectionem, quod & regenerationem contribuit, vt mundaret nos a peccatis nostris, & crucifixus est, vt in æternum viuamus. Innuit itaque crucifixionem suam, ostendens, quòd eam præcognouerit, & ex consequenti voluntarie ad eam propter hominum salutem accedat. Non tamen de ea directe loquutus est, sed exaltati à Mose serpentis sumpsit exemplum, docens quod vetera nouis cognata sint, eorúmque figuræ. Est autem de serpente historia talis: In eremo olim serpentes morsu necabant Israelitas: Iussit ergo Deus Mosi, vt factum serpentem æneum exaltaret in ligno, ad quem intenderent qui morsi erant ac sanarentur. Eratque serpens æneus durus: figura corporis Christi, duri ac seueri contra peccatum: ille absque veneno, & hic sine veneno peccati: ille in ligno eleuatus, hic in ligno crucis exaltatus: ille morsis à serpente & in se intédentibus vitam præbens, hic morsis à serpétibus spiritualibus vitá tribuens sempiterná, si fide in ipsum intédát. Propter hoc ergo per similitudiné dixit; Sicut Moses exaltauit serpentem & cætera. Deinde causam addit talis exaltationis. Sicut enim eleuauit ille serpentem, vt in eum intédentes vitam haberent: ita & hic exaltatus est, vt in eum intendentes siue credentes, vitam habeant sempiternam. Sed ibi sane serpens propter serpétes mordentes, hic auté homo propter homines morsos. Ibi quia propter serpétes prouenerat nocumentum, per serpentem erat & cura: hic vero, quoniam per hominem intrauit mors in mundum, datur & vita per hominem: cúmque mortuum, vt is, qui mortem induxerat, moreretur. Dicens autem; *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* omnino se Deum esse ostendit, cuius mors præstat aliis vitam æternam: moritur siquidem tanquam homo, præstat autem vitam æternam tanquam Deus: & qui aliorum prohibet perditionem, ipse nequaquam perire potest. Crux ergo vitę ęternę fons est. Vnde quod cogitatio nó facile recipit, fides recipit, quæ cogitationis imbecillitati neruos addit. Patet ergo fidei vtilitas.

PETRI DAMIANI DE *Inuentione sanctæ Crucis,* *Sermo.*

HOdie, fratres charissimi, quia Crucis inuentionem colimus, quasi reperto communi totius mundi thesauro, communiter in Christo gaudere debemus; & sicut ille inuenta perdita oue, vel dragma, conuocatis amicis, & vicinis, congratulatus est, ita & nos, inuento eo, non quod ipse perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat, iustum est gloriari, præsertim cùm Apostolus dicat: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: tantóque propensiùs spiritualem lætitiam alacri debemus mente concipere, quantò non ignoramus & ipsum humanæ salutis inimicum amariùs suspirare. Gaudebat namque diabolus ad eundem diu ignominiosę suę confusionis opprobrium, quòd triumphale vexillum, sub quo perhibetur, sub quo prostratus & captiuatus fuerat, hactenus maneret occultum, & ruinæ suæ dedecus, quod succumbendo pertulerat, suppresso signo victoriæ compensabat. At vbi repertum est, vbi cum tanta gloria Christianæ deuotioni, & pietati perpendit esse conspicuum, erubescit se vbique iam videre prostratum, quia vbique titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. Vbicunque enim signum Crucis erigitur, illic proculdubio & Christi victoria, & diaboli captiuitas denotatur. Porrò autem veternosus hostis per lignum primum hominem vicerat, omnémque illius progeniem per quinque millia ferę annorum, tanquam seruum sub iugo suæ tyrannidis opprimebat. Venit autem Dei filius, tanquam gigas ad currédam viam, vt debellaret aëreas potestates, & lignum ligno opposuit, dum per Crucis amaritudinem expuit venenatam pomi illius vetiti voluptatem. Primus scilicet homo cùm manum ad arborem diabolo suadente porrexit, tanquam ligneę tabulæ chirographum deditiæ seruitutis inscripsit. Secundus homo cùm in Cruce manus extendit, cautionem illam lethiferæ passionis obliterando deleuit. Per lignum ergo serui facti, per lignum sumus libertati pristinæ restituti. Per lignum de paradiso fueramus eiecti, per lignum sumus ad patriam reuocati. Et qui per lignum inimici deputati fuimus, per sacramentum Crucis in amicitiam Dei, & in Angelorum concordiam reconciliati sumus, testante Apostolo, qui de Christo ad Ephesios loquens; Ipse est, inquit, pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, dissoluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos códat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem interficiens inimicitias in semetipso. Hoc denique salutis humanę vexillum non solùm lex per quasdam typicas intelligentias, & ænigmata præsignat, sed & omnium Prophetarum oracula, & cuncta veteris instrumenti veneratur auctoritas. Quæ est enim sacri eloquij pagina, quæ Crucis mysterium non redoleat, & ad hoc, quasi ad totius humanæ salutis caput, atque principium non intendat? Ex quibus nimirum non otiosum credimus, si aliqua hîc testimonia, quæ Crucis mysterium innuant, proferamus, vt per ea, quæ hîc breui sermone perstringimus, ad illa etiam, quæ iacent, facilioris intelligentiæ aditum præbeamus. Primus igitur Abraham accedat in medium, qui dú immolare Deo filium voluit, cuncta penè per ordinem passionis Dominicæ sacramenta signauit. Sicut enim Abraham, qui Pater excelsus dicitur, vnicum, & dilectum filiú offerre Deo non dubitauit, ita & summus Pater vnigenitum dilectúmque filium pro nobis omnibus tradidit. Et sicut Isaac ipse sibi ligna portauit, quibus erat imponendus, ita quoque Christus Crucis suæ gestauit in humeris lignum, in quo erat pro nostra salute passurus. Duo autem serui illi procul dimissi Iudæos significant, qui cùm seruiliter viuerent, & carnaliter saperét, non intellexerunt altissimam paupertatem Christi, atque ideo non ascenderunt in montem, locum videlicet sacrificij. Cur autem duo serui, nisi quia,

peccante Salomone, ex vna Israëlitica plebe duo facti sunt populi. Quibus vtrique sæpe per Prophetas [illegible] auersatrix Israel, & præuaricatrix Iudæa. [illegible] autem ille, quo tunc vtebatur Abraham, [illegible] tenerat stultitiam Iudæorum. Illa planè bruta stultitia cuncta sacraméta portabat, quę tamen quid essent, velut irrationale animal, ignorabat. [illegible] verò quid est quod dictum est eis: Expectate [illegible] cum asino; postquam autem adorauerimus, reuertemur ad vos? Audi Apostolum. Cæcitas [illegible], ex parte Israël facta est, vt plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Quid est enim quod dicitur: Cæcitas ex parte Israel facta est? Hoc est videlicet, Expectate hîc cum [illegible]. Vt plenitudo gentium intraret: hoc est, [illegible] quàm adorauerimus, vbi videlicet sacrificium Dominicę Crucis impletum, per omnes gẽtes fuerit prædicatum. Quod autem sequitur: Et omnis Israel saluus fieret: hoc est, Reuertemur ad vos. Quid est autem quòd aries inter vepres hærés cornibus inuenitur, qui pro Isaac immolatus offertur? Crux nempe cornua habet; [illegible] dem ligna inuicem componuntur, & [illegible] speciem reddunt. Hinc est enim quòd de Christo scriptum est: Cornua sunt in manibus [illegible]. Hærens ergo cornibus aries Christus est crucifixus inter aculeatas, & vulnificas Iudæorum iniquitates, sicut ipse per Hieremiam conqueritur, dicens: Spinis peccatorum suorum circumdederunt me populus hic. Peracto sacrificio dicitur Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. & postquam Dominus dixit: Foderunt manus meas & pedes meos, paulò post in eodem psalmo subiecit: Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, quoniam Domini est Regnum, & ipse dominabitur gentium. Oblato statim Abraham filio, & pro eo ariete immolato, appellauit nomen loci illius, Dominus videt, quia Redemptor noster, postquam in ara Crucis oblatus mortis nostræ debitum soluit, videndum se deinceps fidelium suorum obtutibus præbuit; vt nimirum redempti omnes illum iam per fidem videant, qui hactenus fidei oculos non habebant. Verum nos [illegible] dum sacrificantem Abraham aliquantò longiori sermone prosequimur, ab alijs, quæ dicenda sunt, diutius præpedimur. Hoc nempe Crucis mysterium & Iacob figuraliter expressit, cùm de Christo inter reliqua verba benedictionis intulit dicens: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Stola Christi, & pallium multitudo est gentium, quas tunc Dominus induit, quando sibi eas per gratiam redemptionis adiunxit, sicut per Prophetam pollicetur dicens. Viuo ego, dicit Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum. Stolam ergo suam Dominus in vino, & pallium in sanguine vuæ lauit, quando sicut botrus in Crucis ligno pependit. Tunc enim ex latere eius sanguis, & aqua profluxit. Sed aqua nos abluit, sanguine redemit, nimirum vt exhiberet sibi sponsam non habentem maculam, neque rugam. Crucis mysterium idem Iacob tunc etiam patenter exhibuit, quando iuniorem Ephraim Manasse primogenito præferens, in modum crucis super eos brachia permutauit. Per Crucem namque factum est, vt populus gentium, tãquam primogeniti iure prælecto, populum præcederet Iudæorum. Illud quoque, quod in Exodo legitur, ad Dominicæ Crucis refertur proculdubio sacramentum. Dixit enim Dominus ad Moysem: Proijce virgam, quam in manu gestas, in terram: & proiecit, & versa est in colubrum. Expauit illico Moyses, & fugit. Et ait illi Dominus: Apprehende caudam eius: & apprehendit, factúsque est iterum virga. Cuncti liquidò nouimus, quia serpens suasit homini mortem. Ergo mors a serpente. Quis autem virga, nisi Christos, de quo Prophetia dicit: Quia egredietur virga de radice Iesse? Virga itaque in serpentem, Christus in mortem. Moyses autem expauit, & fugit, quia suspenso in Cruce, vel moriente Domino, omnis ille Apostolorum numerus tremefactus expauit, & à certæ spei, ac firmæ fidei soliditate recessit. Quia verò cauda extrema pars corporis est, quid nisi finem Dominicæ significat passionis? Moyses igitur caudam apprehendit, & nihil in virga vltra serpentis apparuit, quia completo Dominicæ passionis, Crucisque mysterio, & fidelis quisque tunc ad fidem redijt, & Christus, consumpta morte, idipsum in se, quod fuerat, per resurrectionis gloriam reparauit. Iam verò quid est, quod Israëlitica plebs postibus domorum de sanguine agni iubetur imponere, nisi vt nos præfiguret Crucem Christi, qui verus est agnus, in fronte portare? Ad vesperam siquidem immolabatur agnus, & in vespera mundi passus est Christus. Liniuntur vtrique postes, ne vastator Angelus audeat inferre perniciem, & nos Crucis vexillum in corde gestamus, & fronte, ne repentinus hostis irruens valeat auferre salutem. Vnde & securi canimus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Quod tamen securius, dignitúsque cantamus, si rubro iam mari transmisso, & hoste demerso, tympanum cum Maria Moysi sorore deferimus. Quid est autem tympanum portare? Audi Dominum dicentem: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim carnem suam cum vitiis, & cõcupiscentiis crucifigit, qui membra sua, quæ sunt super terram, abstinendo mortificat, ille verè cum Maria tympanum portat, quia semetipsum à noxiis terrenæ voluptatis humoribus aridum seruat. Iuxta rationis igitur consequentiam, & hîc tympanum Crucis mysterium non obscurè designat. Prætereà & illud non inconuenienter occurrit: quòd videlicet Israëliticus populus in Marath aduersus Moysem murmurat, vociferans scilicet, non se posse reperire quod bibat. Tunc ostendit Moysi Dominus lignum, quod cùm ille misisset in amarissimas aquas, in dulcedinem protinus sunt conuersæ. Quid enim amaræ illæ aquæ, nisi occidentis literæ, & duræ, atque insipidæ legis speciem tenent? Scriptum est enim: Constituit populo suo Dominus legem, & iudicia, & tentauit eum. Et alibi: Ego dedi eis pręcepta* non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Cùm tamen legi si confessio Crucis, & Dominicæ passionis mysterium copulatur, protinus quod amarũ fuerat, in spiritalis intelligẽtię dulcedinẽ vertitur. Notandum autem iuxta veritatem historię, quòd aqua in dulcedinem versa subinde populus venit in Helim, vbi erãt duodecim fontes aquarum, & septua

Non bona, quia gratiam non conferebant, & occasione quadã occulebant. Vnde nihil ad perfectum adduxit lex.

ſeptuaginta palmæ. Quid enim duodecim fontes niſi duodecim ſunt Apoſtoli, quos Dominus ad hoc conſtituit, vt arida, & ſqualentia humani generis pectora ſuæ prædicationis inundationibus irrigarent? Quid verò ſeptuaginta palmarum arbores, niſi totidem ſunt Diſcipuli, quos ante faciem ſuam idcirco miſit, vt per eos victoriæ ſuæ palmas mundus agnoſceret? Et certè ſatis cógrue videtur conſequentium rerum ordo diſpoſitus, vt primò populus duceretur ad literam legis, à qua nimirum, dum amara fuit, tranſire non potuit. At poſtquam eſt per lignum vitæ dulcis effecta, & intelligi ſpiritualiter cœpit illico Dei populus de veteri teſtamento ad Apoſtolicos fontes, & palmarum arbores, id eſt ad Euangelij gratiam tranſiit. Et benè poſt acceptum decalogum ſeptuplus prædicatorum numerus conſtituitur, quia per ſeptiformem Sancti Spiritus gratiam omne mandatum diuinæ legis impletur. Nec immeritò planè prædicatores Crucis palmarum videntur nomine figurari, dum & ipſa Crux iure dicenda ſit palma, quia in ea ſcilicet facta eſt de proſtrato mundi hoſte victoria, ſicut de ipſa Cruce ſponſus ad ſponſam; Dixi inquit, aſcendam in palmam, apprehendam fructus eius; & erũt vbera tua ſicut botri vineæ; & odores tui ſicut malorũ, guttur tuũ ſicut vinum optimum. Fructus nempe Crucis omnes electi ſunt. Aſcendit igitur Dominus palmam; & apprehendit fructus eius, quia mox vt in Cruce pro noſtra ſalute pependit, omnes electos ad ſemetipſum per amoris deſiderium traxit. Et tunc ſancta Eccleſia per duorum teſtamentorum vbera, ſpiritalis cœpit lętitiæ vina diffundere, atque odorem cœleſtis concupiſcentiæ naribus humanarum mentium inſpirare, vt incitata ad obſequendum mẽs noſtra ſibi gratulans dicat. Trahe me poſt te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorum. Quod profectò, & petra illa Oreb in Raphidim ſatis expreſsè denunciat, quam virga Moyſes, Domino iubente, percuſſit, & aquas elicuit. Hãc ſanè petram Chriſti tenuiſſe figuram & Apoſtolus teſtatur, cùm dicit: Bibebãt autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Huic itaque petræ lignum Crucis acceſſit, & mox tanquam aquæ profluentis inundantiam, Sancti Spiritus larga dona profudit. Ad quas nimirum hauriendas aquas omnes ſitientes inuitat ipſe, cùm dicit; Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem (inquit Euangeliſta) dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Sed quid in reliquis diutius immoramur, dum conſtet eſſe perſpicuum, quòd & ipſæ tabulæ, quæ Dei digito ſcriptæ ſunt, Crucis Dominicę prætulerint ſacramentum? Decem nanque præcepta in eis ſcripta ſunt, & denarius numerus per X. literam, quæ Crucis exprimit ſpeciẽ, deſignatur. In hac ſanè litera, quæ denarium in ſe continet numerum, ſic vnus apex à ſummo in imum per obliquum ducitur, vt alter quoque non diſpar per tranſuerſam lineam, productis vtrinque brachiis, compingatur. Et ſic apicis vtriuſq; facta complexio non ſolùm exteriorem Crucis prętendit imaginem, ſed & myſticam eius quandam videtur indicare virtutẽ. Dixit enim Dominus: Non veni ſoluere legem: ſed adimplere. Per Crucis itaque ſacramentum præcepta veteris inſtrumenti Euãgelicæ gratiæ copulauit, & (vt ita loquar) duo teſtamenta velut vnius doctrinæ corpus effecit. Et primo quidem datæ ſunt tabulæ, ſed protinus ſunt, populo præuaricante, effractæ; ſecundo verò dantur tabulę, ſed perpetuò permanſuræ. Planè priores tabulæ priſcæ legis tenuere figurã, quę à ſui cultus obſequio erat poſt modum deſectura. Poſtea verò dantur tabulę, ſed non franguntur quia nouus teſtamenti gratia, quę per Crucis eſt ſolidata myſterium, nullum nouit habere defectum. Porrò autem nec arca illa veteris teſtamenti beatę Crucis credenda eſt caruiſſe theſauris. Crucis nanque incomparabiles diuitias occultabat, quia & Cruci iam per cuncta figurarũ ſuarum, atque ęnigmatum myſteria militabat, eius quippe ex tunc iam erat miniſtra, imago ſcilicet veritatis, & initiũ plenitudinis. Arca ſcilicet, ſancta erat Eccleſia. Tria verò continebantur in arca, duę videlicet lapideæ tabulę, quę profectò duorum teſtamentorum innuunt perpetuam firmitatem, quas etiam Crucis in ſe myſterium continere ſupra docuimus. Vrna quoque aurea habẽs manna. Hęc profectò puram, atque ſyncerã carnẽ Redẽptoris exprimit, quę proculdubio dulcedinem perpetuę diuinitatis includit. Quę dulcedo extunc in palato noſtrarum mentium ſapuit, ex quo miles pendentis in Cruce Domini latus aperuit, cùm botrus videlicet expreſſus eſt, qui dum calcaretur, torcular calcauit ſolus. Tertiò in arca fuit virga Aarõ, quę poſt ariditatem floruit. Quę nimirum quid aliud ſignificat niſi ſummi, veríque Pontificis noſtri illud ſalutare vexillum immortalis memorię ſemper viriditate floridum, & exuberantium fructuum fertilitate fœcũdum? Crux enim ſemper viret in ſpe floret, in fide, fructificat in charitate. Et poſtquã à terreno ceſpite præciſa eſt, frondet, quia quiſquis per amorem Crucis à terrenis deſideriis ipſam mẽtis radicem pręcidit, ad hęreditatem immarceſſibilem capeſſendam, & ſemper virentia æternæ vitæ paſcua conualeſcit. Verùm quid amplius de laude beatæ Crucis ediſſeram, quandoquidem omnia illa ſacrificia, quæ ſub legalium cęremoniarum rito offerri iubentur, ad hoc vnum ſingulare, verúmque ſacrificium, quod in ara Crucis oblatum eſt, teſerantur? Per vitulum nanque, qui de armẽto offerri præcipitur, Redemptor noſter, qui de Patriarcharum deſcendit progenie, figuratur. Hic nimirum aratro Crucis ſuæ terram carnis noſtræ perdomuit, & ex Spiritus Sancti ſemine virtutum nos fruge ditauit. Hic vitulus ſine macula non in tabernaculo, ſed ante oſtium eius à filiis Aaron offerebatur, quia & Dominus, qui ſine peccato eſt, ſub Anna, & Caipha extra portam eſt crucifixus. Ipſe agnus, quia mundi peccata deterſit. Ipſe hœdus, quia auctorem peccati diabolum Crucis gladio iugulauit. Ipſe columba, in cuius nimirum ſpecie Spiritus Sanctus ſuper eum ad Iordanis fluenta deſcẽdit. Ipſe etiam turtur, quia perpetuæ caſtitatis auctor exiſtit, ſicut ſibi à ſponſa dicitur: Specioſæ genæ tuę ſicut turturis. Eandem porrò viuificæ Crucis hoſtiam deſignabat, & vitula illa rufa, quæ ætate quidem integra, ſed iugi eſſe iubetur ignara. Rufa nimirũ vitula caro eſt Saluatoris, roſea ſcilicet ſanguine paſſionis. Perfectæ quidem ætatis Dominus ad paſſionem venit, ſed eius collum iugum peccati cuiuſlibet non attriuit. Qui vitulam offerunt immundi ſunt, & qui Chriſtum crucifigunt, vnde mũdus abluitur, ipſi

damnabiliter inquinatur. Qui verò cinerem colligens extra castra proiicit, mundus est, quia quicunque Crucis Dominicæ, passionisque mysterium per mundi latitudinem prædicant, à peccatorum se contagio per ædificationis fraternæ ministerium purgant. Sed quibusdam fortasse displiceat, quòd nos ad laudem Crucis tot sacri eloquij exempla cógerimus, & velut instructam instrumenti veteris aciem huic regio vexillo prorsus intentam patere monstramus. Quibus certè quid aliud dicédum est, nisi quod Apostolus perhibet dicens: Verbum Crucis pereuntibus quidé stultitia est, his autem, qui salui fiunt, idest nobis, virtus Dei est. Quicquid enim de Crucis laude dixerimus, in eius non ambigitur redundare præconium, qui Crucis illustrauit propria morte vexillum. Per hæc itaque, fratres mei, quæ dicta sunt, liquidò colligere possumus, quia hoc cælestis victoriæ signum, per quod mundus erat de captiuitatis antiquæ vinculis absoluendus, ab ipso mundi principio patres adorant, Prophetæ prænúciant, omnésq; sacrarú scripturarú paginæ præfigurant. Quippe quod nos adoramus in m[...]ere, illi iá venerabátur in fide. Et quod apud i[...]os erat quibusdá ænigmatibus figuratú, nos per Mediatoris gratiam iam videmus impletum: vt quod illi præsagiebant per spiritum, nos iam per corporalem cernamus, & complectamur obtutum. O admiranda conditoris nostri pia clementia, ó prædicanda singularis nostri Redemptoris humilitas! Atrocissimę mortis subire dignatus est pœnam, vt nos proueheret ad coronam. Turpissimum Crucis elegit propria volútate suppliciú, vt nos de seruitutis iugo sublimaret ad regnum. Maledici non respuit, vt nos de maledicto legis absolueret. Probrosam mortem pertulit, vt nos ab æterno mortis opprobrio liberaret. Vnde *Gal.3.* & Apostolus: Christus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, *Deut.21.* quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Quia ergo, fratres mei, seruitutis iugo soluti, benedictionem Abrahæ, in Christo iam sumus adepti, quid restat, nisi vt ea, quæ gratia præueniente percepimus, etiam per vitæ meritú, Redemptoris nostri dona seruemus, ne qui per baptismum in Christo renascimur, secundum veterem hominem rursum viuentes, ad *Psal.118.* damnationis eius sententiam reuocemur? Nam & hodie in Ecclesia illud canitur: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Consideranda nempe sententia quia non dicitur: Maledicti qui non renascuntur in sacramentis tuis: sed, Qui declinant à mandatis tuis: quia videlicet non solùm illi maledictionis nexibus sunt obnoxij, quos in Christo aqua baptismatis nó regenerat: Sed illi etiam quorum prauitas à rectitudine mandatorum Dei, per vitiorum abrupta declinat. Quid ergo prodest, quia de vinculis quis vetustæ maledictionis absoluitur, Si per vitam reprobam, eisdem vinculis denuò retrudatur? Nam & Apostolus ait: Qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum, *1.Cor.16.* sit anathema, & maranatha. Vbi æquè notandum, quia non dicit, Qui non renascitur in Dominum nostrum Iesum Christum: sed, Qui non amat: vt etiamsi baptismo probetur quis in Christo renatus, si non sit etiam ex conuersatione cúmortuus, nequaquá sit à maledictionis omnino vinculis absolutus. Si enim, iuxta Apostolum, complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. *Rom.6.* Et rursus: Si compatimur & conregnabimus, Si commorimur & conuiuemus. *2.Tim.2.* Sed quis ille est, qui non amat Christum? Quis enim nostrum, si de Christi dilectione consulitur, non protinus constanter, imo promptissimè, se Christum diligere fateatur? Verùm ille non amat Christum, qui nó amat Crucem Christi. Et qui sunt, qui Christi Crucem non amant? Audi Paulum manifesta voce eos notátem: Multi, innuit, ambulant, quos sæpe dicebam vobis, *Phil.3.* nunc autem flens dico, inimici Crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus, venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiút. Loquatur & Iacobus: Qui amicus, ait, est huius *Iacob.3.* seculi inimicus Dei constituitur. Quisquis ergo desiderat ab omni vinculo maledictionis absolui, & plenam nouæ gratiæ benedictionem consequi, Crucem diligat, ex qua videlicet, omnis plenitudo benedictionis emanat. Per crucem se Dei mandatis adstringat: Per Crucem effrænis carnis incentiua cohibeat. Si enim cósentiendo carni, sententiá maledictionis incurrimus; sic refrænando carnem, benedictionis gratiam promeremur. Ex torculari namque Crucis, largissima benedictionis vnda profluxit, quæ maledictionis antiquæ virus omne detersit. Inde nimirum stillicidia charismatum cælestium proruperunt, quæ ariditatem humanarum mentium, salubriter irrigant, omniúmque virtutum felici fruge fæcundant. Hæc est nubes illa, quæ Heliæ sub vestigio *3.Reg.18.* hominis, in tempore siccitatis apparuit, & mox inundantis pluuiæ copia abundantior erupit. Sic enim scriptura commemorat: Ecce, inquit, nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Quia enim non quasi homo, sed quasi vestigium hominis ascendisse dicitur, rectè per hoc Crux, quæ membris est aptata Dominicis, designatur. Et bene Crux vestigium hominis dicitur, quia per eam Deus homo transitum fecit, cùm ad Patrem rediit, sicut per Ioannem dicitur: *Ioan.13.* sciens quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem: Pascha quippe transitus dicitur. *1.Cor.5.* Et hic transitus, per crucem factus est, sicut dicit Apostolus: Pascha nostrum imolatus est Christus. Sic ergo per virginem descendit ad nostra, sic per Crucem reuersus est ad propria. Quod congruenter expressit illud factum sub Helizæo miraculum. Nam cùm iuxta Iordanem ligna cæderentur, *4.Reg.4.* repentè securis cuiusdam materiam succidentis, in aquam cecidit. Tunc Propheta lignum in aquam misit, & mox ferrum natauit, atque ad manubrium rediit. Quid est autem securis, nisi sapiétia Dei, operata per corpus? Quid ferrum nisi diuinitas? Quid lignum, nisi humanitas? Et rectè corpus Domini Christi, lignum dicitur, quia in ligno pependit. Securis igitur iuxta Iordanem arbores succidebat, quia Dei sapiétia, iuxta fluidum mortalitatis nostræ decursum, dignata est impios Iudæos, suæ prædicationis austeritate corripere, & velut infructuosas arbores, à statu rigidę superbię desecare. Vnde Ioannes dicit; *Luc.3.* Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Itaque dùm ligna cæduntur, ferrum in aquam de manubrio cecidit: quia

[Margin note, left column, partly lost:] [...]ud ergo [...]lla ata[...]mo, ita deli[...] non e[...] adorandum Crucis ve[...]lum, ab ipso [...] ma[...]giom.

quia dum siluestres Iudæorum mentes veritas corripit, diuinitas carnem deferens, ad inferna profunda descendit. Sed lignum in aquam mittitur, & ferrum redit, quia corpus Domini, quod in ligno pependerat, in sepulchro ponitur, deinde ex profundis inferi, spiritu redeunte surrexit. Vnde notandum est, fratres mei, & diligentissime perpendendum, quia ipse Redemptor noster, ante per Crucem transiit, & sic humanitatem suam in paternæ dexteræ gloriam sublimauit. Exemplum quippe nobis exhibuit, vt vnde caput præcessisse cognoscitur, per eandem viam, & membra subsequentia gradiantur. Præferimus igitur
Exod. 12. Crucem in fronte, sed eandem Crucem, multò salubrius recondamus in corde. In vtroque poste sanguinem, percussor angelus videat, vt exclusus euadat, non peremptorus irrumpat. Nec sibi solum quisquam de solo signo Crucis applaudat, si veritatem Crucis, in operibus nō exhibeat. Crucem nempe ille in suis moribus signanter expres-
Gal. 6. serat, qui dicebat: Ego omni stigmata Iesu in corpore meo porto. Mundantes igitur nosmetipsos, charissimi, ab omni inquinamento carnis & spiritus, accingamur aduersantium vitiorū impetus frangere, carnalis illecebræ passionibus obuiare, pie proximorum necessitatibus condescendere; illatas etiam contumelias, seruata charitate, perferre. Sit mens nostra ab omni terrenæ cupiditatis pondere libera, vt sancti desiderij librata pēnis, ima iam deserat, atque ad authorem suum rediens, in eius amore suauiter requiescat. Fastidio nobis sint cuncta, quæ cernimus. Ad illa verò, quæ credimus, cōtinui laboris instantia festinemus. Hæc profectò crux est, quam moribus *Luc. 9.*
& actibus nostris, debemus imprimere. Hæc est *Matth. 25.*
quam iubemur quotidie post Dominum baiulare. Qui hanc portat, passioni Redemptoris sui verè communicat. Hoc signum, oues ab hædis in extremo examine segregat, & Iudex qui reprobos nescit, hunc in suis characterem recognoscit. Quibus autem impressum propriē mortis stigma considerat, mox ad æternæ vitæ præmia, gratus *Ibidem 25.*
remunerator inuitat: Venite, inquiens benedicti Patris mei, percipite regnum: cum quo ipse viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.



IN FESTO S. IOANNIS
ANTE PORTAM LATINAM.

Euang. Matth. 20. Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, &c.

Explicationem inuenies infra eodem Tomo in festo S. Iacobi Apostoli.

IN FESTO APPARITIONIS S. MICHAELIS.

Euang. Matth. 18. Accesserunt discipuli ad Iesum, &c.

Require infra eodem Tomo in festo Dedicationis eiusdem.

IN FESTO S. BARNABAE APOSTOLI.

Euang. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis, &c.

Vide expositionem huius Euang. infra eodem Tomo in communi Apostolorum.

IN

IN FESTO S. BASILII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Euang. Luc.14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,&c.

Expositionem infra videbis eodem Tomo in communi vnius Martyris pontificis.

IN VIGILIA S. IOANNIS BAPTISTAE.



LVC. 1.



a Iam alienigena regnabat.
VIT in diebus [a] Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias,de vice Abia,& vxor illius de filiabus Aaron & nomen
b Non coram hominibus, quia omnis sterilis in lege maledicitur. c Qui non fallitur vt homines.
eius Elizabeth.Erāt autem ambo [b] iusti ante [c] Deum, incedentes
d Non quod non peccauerint, sed quia per gratiam Dei abluti peccare desierint.
in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine [d] querela.
e Due causæ non habendi memorantur, vt maior ei pareat virtus.
Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth [e] sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exiit, vt incensum poneret, ingressus in templum domini: & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.Apparuit autem illi angelus domini,stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait
f Facta pro populi redemptione, non pro sobole, quam desperabat se posse habere.
autem ad eum angelus. Ne timeas Zacharia quoniam exaudita est [f] deprecatio
g Bed. Ecce ordo salutis exprimitur, cùm illius natiuitas prædicitur, qui pro consitando redemptori sit iter facturus, prædicando pœnitentiam, & fidem Christi.
tua.Et vxor tua Elizabeth [g] pariet tibi filium,& vocabis nomen eius Ioannem.
h Quia per eius prædicationem multi gaudebunt in vitam æternam.
Et erit tibi gaudium & exultatio & multi in natiuitate eius [h] gaudebunt. Erit
i Ambros. Non virtute corporis sed animi magnitudine.
enim [i] magnus coram domino: vinum & siceram non bibet, & spiritusancto
k Manens in vtero.
replebitur adhuc ex [k] vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad
l Prius natus, prius prædicat, prius moritur, quæ currit præco iudicem. m Sancto. n Signorum
dominum Deum ipsorum. Et ipse [l] præcedet ante illum in [m] spiritu & [n] virtute Heliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iu-
o Præcedet.
storum, [o] parare domino plebem perfectam.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



ACERDOS *quidam, &c.* Impleuit ordinem: dixit regem, & regionē in qua fuit, sacerdotem & gētem eius, & vxorem illius indicat sacerdos quidam. Ambrosius & Beda. Non solùm à parentibus, sed etiam à progenitoribus nobilitas Ioannis Baptistæ monstratur, non seculari potestate sublimis, sed religione. Talis enim parentes prænuncius habere debuit, vt quasi iure naturę infusam fidem aduentus Christi prędicaret. Ambrosius. Docet diuina scriptura in his quos commendare volumus, non solum mores, sed etiam parentes laudari oportere, vt quasi hęreditario iure, puritatem habere videantur illi quos laudamus. Nobilitatur itaque Ioannes Baptista parentibus, miraculis, moribus, munere, passione, sic Samuël, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris reliquit. *Zacharias.* Zacharias memor do-

mini: Cui apparet angelus à dextris altaris: quia ei qui memor est domini, demonstratur mysterium. *De vice Abia, &c.* Beda Abia, pater dominus. Et apertum fuit, vt in tempore officij patris, domini conceptus esset iste, qui patrem dominum prædicaret. Cùm Dauid cultum domus domini ampliaret, ministeria sacerdotum in xxiiij. sortibus diuisit. In quibus familiam Abia, de qua Zacharias, fors octaua contigit, vt præco noui testamenti, in octauę sortis vice nasceretur: quia per octo nouum, per septem testamentum declaratur vetus. *Elizabeth, &c.* Elizabeth Dei mei saturitas. Signat Mariam quę plena Deo fuit. *Erant autem, &c.* Ambr. & Beda. Plena laudatio, quæ domus in * maioribus, mores in ęquitate, officium in sacerdotio, factum in mandatis, iudicium in iustificationibus comprehendit. *Iusti ante Deum, &c.* Ambros. Non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante Deum. Aliter enim vident homines, aliter Deus: homines in facie, Deus in corde. Ideoque fieri potest, vt aliquis affectata bonitate popuları iustus mihi videatur, iustus tamen non sit ante Deum: si iustitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. *Mandatis & iustificat. &c.* Amb. Beda. Prius est mandatum, secunda est iustificatio: cùm enim mandatis cęlestibus obedimus, in mandatis Dei incedimus. Cùm rectè & cǫgruè iudicamus, tenere domini iustificationem videmur. *Sine querela, &c.* Ecce temperata iustitia. Plerumque durior iustitia hominum querelam prouocat, vnde Apostolus: Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et Ecclesi. Ne sis multum iustus. Vel incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela, id est sine conscientia vanę laudis. *Et non erat illis.* Beda. Diuinitùs procuratū fuit, vt de prouectis diùque fructu coniugij priuatis, Ioannes nasceretur, vt inopinato ortu prolis, & ipsos donum Dei gratius afficeret, & cęteros stupor miraculi pararet auditui futurę prophetię. Vnde posteà subditur: Posuerunt omnes qui audierant, in corde suo dicentes. Quis putas puer iste erit? *Factum est autem, &c.* Cùm ex pręcepto Moysi, vno sacerdote decedente, alius succedere iubeatur, tempore Dauid statutum est, vt vicissim ministrantes per octenos dies, à Sabbato vsque ad Sabbatum, tempore vicis suę, singuli castimonię studerent, nec interea domum tangerent. *In ordine vicis sua, &c.* Ambrosius. Zacharias designatur summus sacerdos, qui vno tantum anni tempore, solus intrat templum cum sanguine quem offert pro populo. Qui tunc forte quęrebatur, cùm verus sacerdos, adhuc ignorabatur, qui in æternum permaneret: & tunc vices erant, nūc perpetuitas. Solus intrat, quia illum significat, cuius sacrificium, non esset commune cum cæteris. *Sorte exiit, &c.* Beda. Non noua tunc sorte electus, quando incensum erat adolendum: Sed prisca sorte prælectus, cùm primum ex ordine sui pontificatus in vicem Abia succederet. Hæc solennitas septimo mense celebrabatur, & dies expiationis, siue propitiationis vocabatur: quando solus pontifex introibat in secundum tabernaculum cum sanguine. In quo significabatur Iesus sacerdos qui impleta dispensatione carnis, cæli secreta subiit: vt propitium nobis faceret patrem & interpellaret pro peccatis eorum, qui adhuc præ foribus expectāt orantes, & diligunt aduentum eius. Pulchrè igitur ea die descensio eius per angelum nunciatur, qua eius per legem ascensio figurabatur: Quia qui descendit, ipse est qui ascendit, qui quandammodo prædicitur, dùm ille promittitur præcursurus. *Ingressus in templum, &c.* Ambrosius. Ingreditur Zacharias templum, id est Christus in Mariam, populus orat libertatem de captiuitate. Apparuit, non dixit, venit, quia ante ibi erat. Zacharias turbatur, id est Iudæi adueniente Christo. *Apparuit* Amb. & Beda. De Deo vel de angelis dicitur apparere, quia non possunt præuideri: sed repentino aspectu videntur, nec in potestate nostra est illos videre: sed in potestate illorum est apparere, & videri quando volunt. Et benè in templo, iuxta altare, & à dextris apparet: quia veri sacerdotis aduentum, & ministerium sacrificij vniuersalis, & cęlestis doni gaudium, quod per dexteram significatur prædicat. *Et Zacharias, &c.* Ambrosius. Solemus turbari, & à nostro affectu alienari, quando perstringimur superioris potestatis occursu. Sed sicut humani defectus est terreri, ita angelicæ benignitatis est, pauente de suo aspectu blandiendo solari. Contra, dæmones, si quos de sua præsentia territos senserint, ampliore horrore concutiunt. *Quoniam exaudita.* Exaudita est magis quam petisti. Rogasti pro liberatione plebis, & donatus est tibi præcursor. Ambro. Multa diuina beneficia hic sunt congesta. Primum deprecationis fructus, deinde sterilis partus. Tū lætitia plurimorum, & magnitudo virtutis, altissimi etiam propheta promittitur. Quinetiam ne qua esset dubitatio, futuri nomen designatur tantis igitur supra votum fluentibus, non immerito diffidentia, pœna plectitur silentij *Ioannem.* Beda. Singularis meriti est indicium, quoties hominibus à Deo vel imponitur nomen vel mutatur: vt Abram qui pater multarum gentium erat futurus, Abraham vocatus est. Iacob qui Deum vidit, Israel appellatus est. Ioānes ergo interpretatur in quo est gratia, vel in quo est domini gratia. Primò, gratia sterilibus parentibus donatur, deinde ipsi Ioanni, qui magnus corā domino futurus, & spiritusancto ex vtero matris replendus. Postremò filios Israel, quos ad dominum erat conuersurus. *Erit tibi gaudium.* Meritò gaudet pater, quod in senectute natum, & quod talis gratiæ accepit filium. Gaudent alij quibus regni cælestis euangelizaret ingressum. Nato præcursore multi gaudent. Nato domino gaudium magnum annunciatur, quod erit omni populo; quia hic salutem multis prædicat; ille vero omnibus donat. Ambrosius. Gaudium & exultatio. Monentur parentes, non minus gratias agere pro ortu sanctorum filiorum, quam pro meritis. Non enim paruum munus Dei est, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Iacob in generatione duodecim filiorum gaudet. Abrahæ filius datur. Zacharias exauditur. Diuinum igitur munus est fœcunditas parentis. Agant igitur patres gratias, quia genuerunt, filij quia generati, matres quia honorantur præmis coniugij. *Vinum & siceram.* Beda. Magnæ coram Deo virtutis est, prædicare in deserto, gaudia cælestia, terrenas delitias spernere ob ludum lasciuientis puellæ, capite truncari. Cuius ordinem magnitudinis subiungit: vinum & siceram non bibet. Sicera interpretatur ebrietas; quo nomine signatur omne poculum, quacunque materia fa

Margin notes: * forte moribus legendum. — Eccl. 7. — Eph. 4. — Genes. 17. Ibid. 32.

tia factum, quod inebriare potest. Decet autem vas cælesti gloriæ mancipatum, à seculi illecebris abstinere. *Et spiritu sancto, &c.* Beda. Cùm intrante Maria, in vtero genitricis exultauit, & præcursionis suę officium, quo ad potuit impleuit, necdum erat illi spiritus vitæ, & iam erat spiritus gratiæ. *Et multos filiorum Israel.* Cùm Ioánes testimonium Christo perhibens, in fide Christi baptizans, dicatur filios Israel ad Deū conuertisse, patet Christum esse dominum Deum Israel. *Præcedet ante.* Beda. Sicut Helias præco iudicis, sic Ioannes pręco redemptoris. Ambo in deserto, ambo in victu parco, [illegible] cultu inculti. Ambo regum insaniam tolerant. [illegible] Iordanem diuisit cælum petiturus, hic ad la[illegible] [illegible] salutare, quo cælum petitur con[illegible] [illegible] eum domino conuersatur in terris, ille [illegible] eo manifestatur in gloria. *In spiritu & virtute [illegible].* Ambrosius. Beoè inunguntur spiritu & vir[illegible]. Non enim sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus est. Helias virtutem habuit abstinentiæ, [illegible] patientiæ, & conuertendi animos populorum, [illegible] perfidia ad fidem, spiritum autem prophetandi habuit. *Conuertat corda, &c.* Beda. Corda patrum in filios conuertit, dùm spiritualem sanctorum scientiam populis prędicando infundit. Prudentia verò iustorum est, non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ea fide salutem quęrere, vt qu[illegible] in lege positi, legis iussa perficiant: gra[illegible] tamen Dei se saluandos per Christum intelli[illegible] [illegible] iustus ea fide viuit. Qua sententia, quia diutius increduli, & per Ioannem imburi, & per Heliam sunt imbuendi. Fere eadem verba, quę Angelus de Ioanne, Malachias prędixit de Helia.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

Fvit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, &c. Chrysost. Euangelicę narrationis exordium à Zacharia sumit & natiuitate Ioannis, mirum ante edisserens minus, ante maius. Nam quoniam virgo paritura erat, præparauit gratia vt vetus priùs conciperet. Declarat autem tempus eum dicit. Fuit in diebus Herodis, & adiecit dignitatem cum subiūi, Regis Iudæę. Alius autem Herodes fuit, qui Ioannem occidit, sed ille Tetrarcha fuit, hic autem rex. Bed. Tempus autem Herodis alienigenæ regis dominico attestatur aduentui. Prædictum nanque fuerat, quia non deficiet princeps de Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Ex quo enim patres ex Ægypto exierunt, gentis suæ iudicibus vsque ad Samuelem prophetam, ac deinde regibus vsque ad transmigrationem Babyloniæ regebantur. Post reditum verò Babyloniæ per pontifices rerum summa gerebatur vsque ad Hyrcanum regem simul & pontificem: quo ab Herode interempto Iudææ regnum ipsi Herodi alienigenæ iussu Augusti Cęsaris traditur gubernandum, cuius xxxj. anno iuxta prophetiam supradictam, qui mittendus erat aduenit. Ambro. Docet autem nos diuina scriptura, non solum mores in his qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa immaculatæ veritatis hæreditas in his quos volumus laudare præcellat. Non solum igitur à parentibus sed etiam à maioribus S. Ioannis nobilitas propagatur: non secuları potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Plena est igitur laudatio qua genus, mores, officium, factum, iudicium, comprehendit. Officium in sacerdotio, vnde dicit: *Sacerdos quidam nomine Zacharias.* Beda, in hom. De sacerdotali enim prosapia Ioannes ortus, vt eò potentius imitationem sacerdotij præconizaret, quò ipsum ad sacerdotale genus pertinere claresceret. Ambros. Genus autem comprehendit in maioribus: vnde sequitur; *De vice Abbia*, id est nobilis inter familias. Bed. Erat enim principes sacerdotij, id est, summi sacerdotes, tā de filiis Eleazar, quam de filiis Thamar: quorum vices secundum ministeria sua ingrederentur domum Dei aanij. sortibus Dauid distraxit in quibus familiæ Abbia de qua Zacharias ortus est, sors cōtigit octaua. Non autem frustra primus noui testamenti præco in octauæ sortis iure nascitur: quia sicut leprenatio sæpè numero propter sabbatum vetus testamentum, sic nouum aliquoties per octonarium propter sacramentum dominicæ vel nostræ resurrectionis exprimitur. The. Volens etiam ostendere quòd legaliter ex sacerdotali genere erat, subdit: *Et vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Helizabeth.* Nō enim permittebatur de alia tribu vxorem accipere, sed de sua. Helizabeth interpretatur requies. Zacharias verò memoria domini. Beda in hom. Iustis enim parentibus Ioannes est genitus, vt eò confidentiùs iustitiæ præcepta populis daret: quo hæc ipsa non quasi nouitia didicisset sed velut hæreditario iure à progenitoribus acceptua seruaret. vnde sequitur, *Erāt autē ambo iusti ante Deum.* Ambrof. Et sic mores in æquitate comprehendit. Bene autem dicit ante Deum: fieri enim potest vt aliquis affectata bonitate populari iustus videatur mihi, iustus autem ante Deum non sit: si iustitia nó ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. Perfecta igitur laus est, ante Deum iustum esse, solus enim perfectior est qui ab eo probatur qui non potest falli. Factum autem comprehendit in mandato, in iustificatione iudicium. vnde sequitur: *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini.* Cum enim mandatis cęlestibus obedimus, in mādatis Domini incedimus: cùm congruè iudicamus, tenere Domini iustificationes videmur. Prouidere autem oportet Rom.12. bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, vbi vnde sequitur: sine querela. Nulla enim querela est, mentis bonitas concordat & facti, & plerunque iustitia durior hominum querelam excitat. Orige. Potest etiam aliquid iustum iniustè fieri: vt si iactantię causa quis pauperi elargiatur, quod non est sine querela. Sequitur: *Et non erit illis filius eò quòd erat ster. Helizabeth, &c.* Chrys. Non solùm autem Helizabeth erat sterilis; sed & patriarcharum coniuges, Sara, Rebecca, Rachel, quod dedecus erat antiquis, non possumus dicere quòd peccati effectus esset sterilitas: cuncti iusti, cuncti virtuosi. Hæc autem fuit sterilitatis causa, vt cùm videris virginem parientem Dominum, non sis incredulus, exercitans mentem tuam in aluo sterilium. The. Et vt etiā tu addisceres quòd lex Dei multiplicationem filiorum non appetit corporalem, sed magis spiritualem. Processerant ambo, non solùm secundum corpus, sed secūdum spiritum: ascensiones in corde ponentes, & vitam suam vt diem & non vt noctem habentes, quasi in die

in die honestè ambulantes. *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, &c.* Beda, Per Moysen Dominus vnum constituit summum sacerdotem, cui mortuo succedere iussit: & hoc vsque ad Dauid tempora seruatum est, à quo plures fieri Domino agente decretum est. vnde nunc Zacharias in ordine vicis suæ sacerdotio functus esse asseritur, cùm dicitur: *Factum est autem cum sac. &c.* Ambros. Videtur autem hic Zacharias summus designari sacerdos: quia semel in anno solus summus sacerdos in secundo sanctuario intrabat, non sine sanguine quem offerret pro se & pro populi delictis. Beda, Non autem nunc noua sorte electus est cum incensum esset adolendum, sed prisca sorte cum ex ordine sui pontificatus in vicem Abbia succederet. Sequitur: *Et om. multi. po. &c.* Incensum in sancta sanctorum à pontifice deferri expectante foris templum omni populo decimo die septimi mẽsis est iussum, & hanc diem expiationis siue propitiationis vocari: cuius diei mysterium Apostolus ad
Heb. 9. Hebræos pandens Iesum ostendit pontificem esse verũ, qui in sanguine proprio cæli secreta subiit, vt propitium nobis faceret patrem, & interpellaret pro peccatis eorum qui adhuc præ foribus orantes expectant. Ambros. Hic est autem ille summus sacerdos qui adhuc sorte quæritur: quia verus adhuc ignoratur, qui enim sorte eligitur humano iudicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur: verus in æternum sacerdos, qui non hostiarum cruore, sed proprio patrem Deum generi reconciliaret humano, tunc quidem vices erant, nunc autem perpetuitas, *Apparuit autem illi angelus domini, stans à dextris altaris incensi, &c.* Chrysost. Ingressus Zacharias in templum vt preces ferret pro cunctis ad eum, & quasi Dei & hominum mediator, vidit angelum intus stantem. vnde dicitur. *Apparuit autem illi, &c.* Ambros. Benè apparuisse dicitur ei qui eum repente conspexit, & hoc specialiter aut de angelis aut de Deo scriptura diuina tenere cõsueuit: vt quod non potest præuideri, apparere dicatur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is cuius in voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri. Orige. Ex hoc tantum in præsenti seculo dicimus, sed & in futuro cùm migrauerimus à mundo, non omnibus vel Deus vel angeli apparebũt, sed ille tantum videbit qui mundum habuit cor. Locus autem nec nocere poterit quemquam nec iuuare. Chrysost. Manifestè autem apparuit non in somnis: eò quòd minus arduum annunciabatur, vnde manifestiori & mirabiliori visione egebat. Damasc. Tamen angeli non vt sunt hominibus patefiunt: sed transfigurati prout possunt visores aspicere, in quodcunque iusserit Dominus. Basi. Dicit autem, Altaris incensi, eò quòd alterum erat altare deputatum ad holocausta. Ambros. Non immeritò autem angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis annunciabatur iam aduentus, & cæleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent, non enim dubites assistere angelum quando Christus immolatur. Apparuit autem à dextris altaris incensi, quia diuinæ insigne misericordiæ deferebat. Do-
Psal. 15. minus enim à dextris est mihi, ne commouear. Chrysost. Non potest autem homo quantumcunque sit iustus absque timore cernere angelum: vnde & nunc Zacharias aspectum nõ tolerans præsentiæ angeli, nec fulgorem illum valens sufferre turbatur. Et hoc est quod subditur: *Et Zacharias, &c.* Sicut autem auriga perterrito loraque dimittente corruunt equi præcipites, tota[que] quadriga peruertitur: sic accidere consueuit animæ quoties ab aliquo stupore vel solicitudine deprimitur. vnde & hic subditur: *Et timor, &c.* Orig. Noua quippe facies humanis se obtutibus præbẽs, turbat mentem animumque conseruat: vnde angelus sciens hanc humanam esse naturam, primum perturbationi medetur. Nam sequitur: *Ait autem &c.* Atha. in vita Antonij. Vnde non difficilis est bonorum spirituum malorúmque discretio, si enim post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium: quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est, si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Non solum autem trepidantẽ resocillat, sed etiam nouo lætificat nuncio, subdens: *Quoniam exaudita est deprecatio tua, &c.* August. de quæst. euang. Vbi primò hoc attendendum est, quia non est verisimile vt cum pro peccatis populi vel salute vel redemptione sacrificium ille offerret, quòd potuerit publicis votis relictis homo senex vxorem habens, pro accipiendis filiis orare præsertim: nam nemo orat accipere, quod accepturum esse desperat. Vsqueadeo autem ille iam se habiturum filios desperabat: vt hoc angelo promittenti non crederet. Ergo quòd ei dicitur: Exaudita est deprecatio tua: pro populo intelligendum est, cuius populi quoniam salus & redemptio & peccatorum abolitio per Christum futura erat: adhuc nunciatur Zachariæ nasciturus filius, quia præcursor Christi destinabatur. Chrysost. Vel quòd exaudita sit eius deprecatio probat per hoc quod gignendus erat ei filius, clamãs: Ecce agnus Dei, qui, &c. Theo. Quasi ipso dicente: vnde erit mihi hoc manifestũ? ait angelus: ex hoc quòd Helizabeth pariet, credes quòd peccata populo sunt remissa. Ambros. Vel aliter: Plena semper & redundantia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta munere, sed verbi bonorum coaceruata congestu vt hic primum prædicationis fructus promittitur, deinde sterilis partus vxoris. Cuius nomen prænunciat subdens: *Et vo. no. e. Io. &c.* Bed. Singularis meriti iudicium datur, quoties hominibus à Deo vel imponitur nomen vel nunciatur. Chr. su. Io. Illud quoq; oportet exprimere, quoniam in quibus ab ipsa teneritate infantiæ virtus refulgere debebat, à principio diuinitus sumebant nomina. His verò qui posteà debebant excrescere, nomen posteà imponebatur. Bed. Ioannes ergo interpretatur in quo est gratia, vel Domini gratia, quo nomine declaratur, primò parẽtibus eius gratiã, quibus decrepitis nasceretur filius esse donatã, deinde ipsi Ioanni qui magnus coram Domino erat futurus; postremò etiam filiis Israel quos ad Dominum erat conuersurus. vnde sequitur *Et erit gau. tibi. & exul.* Chrysost. Quando enim iustus oritur in mundo, ministri natiuitatis eius lætantur, quando verò ille nascitur qui quasi ad pœnas & ergastulum relegatur, minister consternitur & concidit. Amb. Sanctus autem non solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum: vnde sequitur, *Et mul. in natiui. eius gaude.* Admonemur hoc loco sanctorum generatione lætari: admonentur parentes gratias agere: non enim mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis,

ne successionis hæredes. *Erit enim magnus coram domino, &c.* Amb. Post lætitiam plurimorum magnitudo virtutis promittitur cum dicitur, Erit enim, &c. Non corporis, sed animæ magnitudinem declarauit: est coram domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Theoph. Multi namque magni dicuntur, sed coram hominibus, non coram Deo, sicut hypocritæ: ita autem & parêtes Ioan. iusti coram domino dicti sunt. Amb. Deinde non fines alicuius propagauit imperij, non triumphos bellici certaminis reportauit, sed quod est amplius prædicans in deserto delicias hominum, corporisque lasciuiam magna animi virtute depressit. Unde sequitur: *Et vinum, &c.* Bed. Sicera interpretatur ebrietas, quo vocabulo Hebræi omne quod inebriare potest poculum, siue de pomis, siue de frugibus, seu de qualibet alia materia confectum, significant. Proprium verò in lege Nazaræorum erat vino & sicera tempore obseruationis abstinere. Vnde Ioannes cæterique iusti semper Nazaræi, id est, sancti, manere possent, semper his abstinere satagunt: non enim decet vino in quo est luxuria, inebriari eum qui multis spiritus sancti desiderat impleri: vnde rectè cui vini ebrietas tollitur, spiritus gratia cumulatur. Sequitur autem; *Et spiritu sancto, &c.* Ambrosius. Cui spiritus sanctus infunditur, magnarum est plenitudo virtutum. Siquidem S. Ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in vtero positus, spiritus accepti gratiā designauit, cum in vtero parentis exiliens Domini euangelizauit aduentum. Alius est spiritus vitæ huius, alius gratiæ. Ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum. Iste non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur: non aluo matris excluditur. Grae. Quod autem erit opus Ioannis, quidue per spiritum sanctum peraget, ostendit subdens. *Et mul. fi. Isr. com. ad do. Deum ipsorum.* Orig. Ioannes quidem plurimos côuertit, Domini autem opus est vt omnes ad Deum patrem côuertat. Be. Cûm autem Ioannes, qui Christo testimonium perhibens, in eius fide populos baptizabat, dicitur filios Israel ad Dominum Deum ipsorum conuertisse: patet Christum Dominum Deum esse Israel: vnde desinant Ariani Christum Dominum Deum esse, negare. Erubescant Photiniani Christo ex virgine principium dare. Cessent Manichæi alium populi Israel atque alium Christianorum Deum credere. Amb. Non aut egemus testimonio, quod plurimorum S. Ioannes corda conuertit, in quo nobis propheticæ scripturæ & euangelicæ suffragantur. Vox enim clamantis in deserto, *Parate, &c.* Non enim de se, sed de Domino prædicabat prænuntius Christi, & ideo sequitur, *Et ipse pra. &c.* Benè præcedet ante illum qui prænuncius natus & prænuntius mortuus est. *In spi. & vir. Heliæ.* Origen. Non dicit in anima Heliæ, sed in spiritu, & virtute. Spiritus enim qui fuerat in Helia, venit in Ioanne, & similiter virtus eius. Amb. Nunquam enim sine virtute spiritus, vel sine spiritu virtus: & ideo in spiritu & virtute, quia sanctus Helias, & virtutem habuit magnam & gratiam. Virtutem, vt ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret: virtutem abstinentiæ, atque patientiæ & spiritum prophetandi: in deserto Helias, in deserto Ioannes: Ille Achab regis gratiam non quæsiuit, hic spreuit Herodis. Ille Iordanem diuisit, hic ad lauacrum salutare côuertit. Ille prioris, hic sequentis dominici præcursor aduenius. Bed. Quod autem de Helia per Malachiam prædictum est, hoc per angelum de Ioanne dicitur, cum subditur; *Vt con. cor. pa in fi.* spiritualem antiquorum sanctorum scientiam populus prædicando infundens. Et incredulos ad prudentiam iustorum, quæ est non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere. Græcus, Vel aliter, Parentes Ioannis & Apostolorum Iudæi fuerunt, sed tamen contra euangelium ex superbia & infidelitate sæuiebant. Itaque tāquam benigni filij Ioannes priùs, & apostoli consequenter eis veritatem monstrabant, in propriam iustitiam & prudentiam eos attrahentes, sic etiam Helias reliquias Hebræorum côuertit ad apostolorum veritatem. Bed. Quia verò Zachariam pro plebe supplicantem dixerat exauditum, subiungit; *Para. do. ple. perfe.* in quo docet quo ordine plebs eadē saluari & perfici debeat, ad prædicationem scilicet Ioannis, pœnitendo & credendo in Christum. Theoph. Vel aliter, Ioannes plebem parauit, non incredulam, sed perfectam, id est, præparatam ad suscipiendum Christum. Origen. Sacramentum autem Ioannis vsque nunc expletur in mundo. Quicunque enim crediturus est in Iesum Christum, antea spiritus & virtus Ioannis ad animam illius venit & præparauit domino populum perfectum.

S. AMBROSII EPISCOPI Mediolanens. in superius Euang. expositio.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, &c. Docet nos Scriptura diuina nô solùm mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in eis quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco Sancti Euangelistæ, nisi vt Sanctus Ioannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sic etiam S. Samuel mater Anna laudatur: 1. Reg. 1. sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam postea dereliquit. Sacerdos itaque Gen. 21. et 22. Zacharias, nec solùm sacerdos, sed etiam de vice 1. Paral. 24. Abia, id est, nobilis inter superiores familias. *Et vxor, inquit, illi de filiabus Aaron.* Non solùm igitur à parentibus, sed etiam à maioribus S. Ioannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales enim maiores habere debuit prænuntius Christi vt non repentè conceptam, sed à maioribus acceptam, & ipso infusam iure naturæ prædicare fidem dominici videretur aduentus. *Erant autem ambo iusti ante Deum, &c.* Quid ad hoc respondent qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse; & vtuntur versiculo, quia scriptum est in Iob: Ne- Iob. 14. mo mundus à sorde, nec si vnius diei vita eius sit in terra, numerabiles menses eius ab ipso? Quibus respondendum est, priùs vt quid sit hominem sine peccato esse definiant: vtrum nunquam omnino peccasse, an desiisse peccare. Si enim hoc putant sine peccato esse, nunquam omnino pec-

Rom. 3. casse & ipse consentio. Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Sin autem eum, qui veterem errorem correxerit, & in eam se vitę transformauerit qualitatem, vt temperet à peccato, negant abstinere à delictis: non possum in eorum conuenire sententiam, cùm legamus: *Ephes. 5.* Quia sic Dominus dilexit Ecclesiam, vt exhibeat ipsam sibi gloriosam, & non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Nam cùm Ecclesia ex gentibus, hoc est, ex peccatoribus congregata sit; quomodo ex maculatis immaculata potest esse, nisi primò per Dei gratiam quòd abluta à delicto sit deinde quòd per qualitatem non peccandi abstineat à delictis? Ita nec ab initio immaculata (humanę enim hoc impossibile naturę) sed per Dei gratiam & qualitatem sui, quia iam non peccat, fit vt immaculata videatur. Nec otiose iustos ante Deum dixit, incedentes in mandatis & iustificationibus Domini. In quo patrem omnipotentem & filium comprehendit. *Luc. 6.* Nam filium esse qui legem tulerit, mádata præscripserit, etiam Sanctus Lucas Euangelista declarat. Et benè iustos ante Deum. Non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante Deum. *1. Reg. 16.* Aliter vident homines, aliter videt Deus: homines in facie, Deus in corde. Et ideo fieri potest, vt aliquis affectata bonitate populari iustus videatur mihi, iustus autem ante Deum nó sit, si iustitia non ex mẽtis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. Abscondita enim mea homo non poterit deprehendere. Perfecta igitur *1. Cor. 2.* laus est, ante Deum iustum esse. Vnde & Apostolus, *Rom. 2.* Cuius laus, inquit, non ex hominibus, sed ex Deo est. Beatus planè ille, qui in cóspectu Dei iustus est. Beatus ille, de quo Dominus dignatus est *Ioan. 1.* dicere; Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Verus enim Israëlita, qui Deum videt: & videri se nouit à Deo, & ipsi exhibet cordis occulta. Solus enim perfectus, qui ab eo probatur qui non po*Psal. 18.* test falli. Iudicia enim Domini vera, iudicia autem hominum sępe falluntur: vt & iniustis iustitię gratiam frequenter adscribant, & iustum aut *Psal. 36.* odio persequantur, aut mendacio decolorẽt. Nouit autem Dominus immaculatorum vias: nec pro peccatore laudabilem, nec pro laudabili peccatorem, sed vnumquemque pro competentium iudicat ratione meritorum. Idem est enim arbiter mentis, & facti. Diuina namque iudicia meritum iusti ex mentis habitu, non aliquo factorum exitu, metiuntur. Plerumque enim aut bona mẽs facti reprehẽsibilis exitu deformatur, aut improba cogitatio facti alicuius decore velatur. Sed etiam quod benè feceris, si malè cogitaueris, di*Deut. 16.* uino iudicio non potest comprobari. Scriptum est enim; Iustè quod iustum est persequeris. Nam nisi esset vt iustum iniustè faceres, nunquam dictum esset: Iustè quod iustum est persequeris. Et certè posse iustum iniustè fieri, docuit nos ipse *Matth. 6.* Saluator, dicens; Cùm feceris eleemosynam, noli tuba canere ante te. &, Cùm oratis, non eritis si*Tob. 12.* cut hypocritæ. Bona est enim misericordia, bona est oratio: sed potest iniustè fieri, si iactãtiæ causa aliquis pauperi largiatur, vt videatur ab hominibus. Vnde Sanctus Euangelista non solùm iustos ante Deum, & incedentes in mandatis omnibus, & iustificationibus Domini, sed etiam sine querela incedentes ait. Quod mirè cum prophetico *Prou. 3.* congruit dicto, quo Sanctus Salomon in Prouerbiis vsus est, dicens; Prouide bona semper coram Deo, & corá hominibus. Nulla ergo querela est, vbi & mentis bonitas concordat, & facti. Et ple*Rom. 12.* rumque iustitia durior hominum querelam excitat. Quàm verò congruat verborum ipsa distinctio, & ordo conueniat, diligenter aduerte. *Incedentes*, inquit, *in omnibus mandatis & iustificationibus Domini.* Priùs enim mandatum, secundò est iustificatio. Itaque cùm mandatis cælestibus obedimus, in mandatis incedimus Domini: cùm iudicamus, & congruè iudicamus, facere Domini iustificationes videmur. Plena igitur laudatio, quæ genus, mores, officium, factum, iudicium comprehendit. Genus in maioribus, mores in ęquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in iustificatione iudicium. *Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias, &c.* Videtur hîc S. Zacharias summus designari sacerdos: quia, sicut lectum est, in priore tabernaculo semper intrabant *Hebr. 9.* sacerdotes ministeria consummantes: in secundo *Leuit. 16.* autem semel in anno singularis summus sacer*Paral. 24.* dos, non sine sanguine, quem offerret pro se, & populi delictis. Hic est ille summus sacerdos, qui sorte quærebatur; quia verus adhuc ignorabatur. Qui enim sorte legitur, humano iudicio non cóprehenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternum sacerdos, cui dicitur; Tu es sacerdos æternum, *Psal. 109.* qui non hostiarum cruore, sed proprio sanguine *Hebr. 9.* patrem Deum generi reconciliaret humano. Sed tunc sanguis fundebatur in specie, & in specie sacerdos ordinabatur: nunc quia veritas venit, relinquamus speciem, veritatem sequamur. Et tunc quidem vices erant, nunc autem est perpetuitas. Sorte ergo elegebatur vt introiret in templum sacerdos. *Et omnis populus foris orabat.* Si in typo *Leuit. 16.* nullus poterat testis adhiberi, quid aliud significabatur, nisi cum sacerdotem esse venturum, cuius sacrificium non esset commune cum cæteris, qui non in manufactis templis sacrificaret pro *Hebr. 9.* nobis, sed in sui corporis templo nostra peccata vacuaret? Sorte ergo quærebatur sacerdos. Ideo fortasse & milites vestimenta Domini sortieban*Ioan. 19.* tur, vt quoniam in templo suo pro nobis Dominus deferre sacrificium præparabat, circa ipsam quoque sortis agitationem præceptum legis impleretur. Propter quod ait; Non veni legem sol*Matth. 5.* uere, sed adimplere. Certè vt ipse esset, qui & expectatus in veteri testamento, & mandato Dei videretur electus. Denique & super Apostolum *Act. 1.* Matthiam sors cecidit, ne Apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris, &c.* Non immeritò angelus videtur in templo, quia veri Sacerdotis iam nuntiabatur aduẽtus & cæleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Et benè apparuisse dicitur ei, quia eum repẽtè conspexit. Hoc enim specialiter aut de angelis, aut de Deo scriptura diuina tenere consueuit: vt quod non potest præuideri, apparere dicatur. Sic enim habes, Apparuit Deus Abrahæ ad illicem *Genes. 18.* Mambre. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia vidẽtur, & is in cuius voluntate situm est videri, naturæ verò est nó videri. Nam si non vult, non videtur: si vult, videtur. Apparuit enim Deus Abrahæ, quia voluit: alij, quia noluit, nó apparuit. Visum est etiam Stephano,

phano, cùm lapidaretur à populo, aperiri cælum: visus est etiam et Iesus stans ad dexteram Dei, &
Esaia. 6. non est visus à populo. Vidit Esaias Dominum Sabaoth, sed alius videre nō potuit: quia cui placuit, apparuit. Et quid de hominibus loquimur, cùm etiam de ipsis cælestibus virtutibus & pote-
Ioan. 1. statibus legerimus; Quia Deum nemo vidit vnquam? Et addidit, quod vltrà cælestes est potesta-
Ibidem tes: Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Aut acquiescatur igitur necesse est, si Deum patrem nemo vidit vnquam, filium visum esse in veteri testamento, & desinant hæretici ex virgine ei principium dare, qui antequam nasceretur ex virgine, videbatur: Aut certè refelli non potest, vel patrem, vel filium, vel spiritū sanctum (si tamen & spiritus sanctus visus est) ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formauerit: quoniam spiritum quoque visum acce-
Matth. 3. Ioan. pimus in columba. Et ideo Deum nemo vidit vn-
1. Tim. 6. quam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit ergo ad vtrunque referendum est, Denique cùm additur Vnigenitus filius ipse enarrauit, mentiū magis quàm oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur. Sed quid de trinitate dicam? Seraphim
Esa. 6. quando voluit, apparuit, & vocem eius Esaias solus audiuit. Apparuit angelus, & nunc præsto est, sed non videtur. Neque enim in potestare nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tamen, & si potestas nō est videndi, est gratia promerendi vt videre possimus. Et ideo qui habuit gratiam meruit copiam: nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam nō habemus. Et quid mirum si in præsenti seculo, nisi quando vult, Dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi iis qui corde
Matth. 5. sunt mundo. Et ideo beati mūdo corde, ipsi enim Deum videbunt. Quantos beatos iam numerauerat, & tamen videndi his Deum non promiserat facultatem? Si ergo ij, qui mundo sunt corde, Deum videbunt; vtique alij non videbunt. Neque enim indigni Deum videbunt, neq; is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre. Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Et cùm absens putatur, videtur: & cùm præsens est, non videtur. Denique nec Apostoli
Ioan. 14 omnes Christum videbāt, & ideo ait; Tanto tempore vobiscum sum, & adhuc me non cognoui-
Eph. 3. stis? Qui enim cognouit quæ sit latitudo, & lon-
2. Cor. 5. gitudo, & altitudo, & profundum, & supereminentem sciētiæ charitatem Christi; vidit & Chri-
Thren. 4. stum, vidit & patrem. Nos enim iam secundum carnem non nouimus Christum, sed secundum spiritum Spiritus enim ante faciem nostrā Christus Dominus, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur, vt videri possit à nobis. Ideo ergo apparuit Zachariæ angelus a dextris altaris incensi, quia apparuit cùm voluit, non apparuit quandiu noluit. Apparuit autem à dextris altaris incensi, quia diuinæ insi-
Psal. 15 gne misericordiæ deferebat. Dominus enim à
Psal. 120. dextris est mihi, ne commouear. Et alibi: Dominus protectio tua, super manum dexteræ tuæ. Atque vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, immò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere angelum, quando Christus assistit, quando Christus inmolatur. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Nec verearis ne turbetur cor 1. Cor 5.
tuum angeli visione. Perturbamur enim, & à nostro alienamur affectu, quando præstringimur alterius superioris potestatis occursu. Idem enim angelus qui occurrerit nobis, confirmare nos poterit, sicut turbatum antè Zachariæ firmauit animum, dicens, *Ne timeas Zacharia, quoniam ecce oratio tua exaudita est, &c.* Plena semper, & redundantia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta numero, sed vberi bonorum coaceruata congestu: vt hìc primò precationis fructus, deinde sterilis partus vxoris, tum lętitia plurimorum, & magnitudo virtutis, Altissimi quoque propheta promittitur: quin etiam, ne qua esset dubitatio, futuri quoque vocabulum designatur. Tantis igitur supra votum fluentibus, non immeritò diffidentiæ pœna silentium est: quod in posterioribus expla- Prou 15.
nabimus. Solemnis autem lætitia est, in ortu & Sap. 6.
generatione sanctorum. Sanctus enim non solùm Prou. 23.
parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum. Vnde admonemur hoc loco sanctorū generatione lætari. Admonentur etiā parentes gratias agere non minus pro ortu quàm pro meritis filiorū.
Non enim mediocre munus est Dei, dare liberos Gen. 49.
propagatores generis, successionis hæredes. Lege
Iacob duodecim filiorum generatione gaudere. Gen. 21.
Abrahæ filius datur. Zacharias exauditur. Diuinum igitur munus, fœcunditas est parentis. Agāt itaq; patres gratias, quia generauerunt: filij, quia generati sunt: matres, quia coniugij præmiis honorantur. Stipendia enim militiæ suæ filij sunt.
Vernet in Dei laudem terra, quia colitur: mūdus, 1 Tim. 2.
quia cognoscitur: Ecclesia, quia deuotæ numero plebis augetur. Nec otiose in principio statim Dei iussu cōiugium copulatur, nisi vt hæresis destruatur. Sic enim Deus coniugium probauit, vt iungeret: sic remuneratus est, vt quibus sterilitas filios denegasset, pietas diuina concederet. *Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet.* Non corporis hîc, sed animę magnitudinem declarauit. Est coram Domino magnitudo animę magnitudo virtutis. Est etiam paruitas animæ, & pueritia virtutis. Iuxta enim animæ & corporis numeramus ætates, nō pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis: vt vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adole-
scentiæ animi maturitate nō sentiat. Pusillus au- Colos. 1.
tem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuis- Sap 4.
se processum. Vnde illud in Hieremia, Cùm mi- Hier. 31.
seretur Dominus lamentantis Ephrem, & peccata propria deplorantis: A iuuentute, inquit, mea dilectus mihi est filius Ephrem, puer in deliciis. Si enim non fuisset puer in deliciis, nunquam peccauisset. Et benè vtrumque dixit, & in deliciis, &
puerum. Est enim puer, qui nō peccat. Ecce puer Esa. 42.
meus, quem elegi. Per delicias itaque peccauit,
qui nō ita erat informatus à Domino, vt nescius Ephes 4.
esset erroris. Ergo & si puer in deliciis nō fuisset, & si in virum perfectum virtutis processisset ætate, nunquam lapsus fuisset, vt illi necesse esset veniam suorum petere delictorum, cùm magis meritorum præmia sperare deberet. Quod etiā Dominus noster in Euangelio videtur exprimere, cū
dicit, Nolite contemnere vnum de pusillis istis. Luc. 15.

Sed loco ſuo plura ſequentur. Ergo puſillus con-
Gal. 4. trarius eſt magno. Et ſi, iuxta Apoſtolum, paruu-
lus ſub elementis eſt: (cùm enim eſſemus paruuli,
ſub elementis huius mūdi eramus.) ergo magnus
Luc. 7. ſupra elementa mundi eſt. Erit itaque Ioannes
magnus non virtute corporis, ſed animi magni-
tudine. Denique non fines alicuius propagauit
imperij, non triumphos aliquos bellici certami-
nis aureis præoptauit: ſed quod eſt amplius, in
deſerto prædicans, delicias hominum, corporiſq́;
Matth. 3. laſciuiam magna animi virtute depreſſit. Paruu-
lus ergo in ſæculo, magnus in ſpiritu. Denique
Marc 6. quaſi magnus, nec vitæ captus illecebris, ſenten-
tiæ conſtantiam viuēdi deſiderio mutauit. *Et ſpi-
ritu ſancto replebitur adhuc in vtero matris ſuæ.* Non
dubium, verùm hoc angeli eſſe promiſſum: ſiqui-
dem ſanctus Ioannes antequàm naſceretur, ma-
tris adhuc in vtero poſitus, ſpiritus accepti gratiā
deſignauit. Nam cùm & pater eius & mater nul-
la antè mirabilia feciſſent, in vtero parentis exi-
liens, Domini euangelizauit aduentum. Sic enim
habes, quòd cùm adueniſſet mater Domini ad
Luc. 1. Elizabeth, ait illa; Ecce, vt facta eſt ſalutatio tua
in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.
Nondum enim erat illi ſpiritus vitæ, ſed ſpiritus
gratiæ. Denique & alibi viuendi ſubſtantiæ præ-
currere ſanctificandi gratiam potuimus aduerte-
Hier. 1. re, cùm dicit Dominus, Priuſquam te formarem
in vtero, noui te: & priuſquàm exires de vulua
matris, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus
poſui te. Alius enim eſt ſpiritus vitæ huius, alius
Ioan. 3. gratiæ. Ille naſcendo ſumit exordium, moriendo
defectum: iſte non temporibus, non ætatibus co-
ercetur, non obitu extinguitur, non aluo matris
Luc. 1. excluditur. Denique & ſancta Maria plena ſancto
4. Reg. 13. ſpiritu prophetauit: & Eliſæus mortuus defunctū
cadauer hominis tactu ſui corporis ſuſcitauit: &
1. Reg. 28. Samuel poſt mortem, ſecundum ſcripturæ teſti-
Eccleſ. 46. monium futura non tacuit. *Et ſpiritu* (inquit) *ſancto
replebitur*. Cui enim adeſt ſpiritus gratiæ, nihil de-
eſt. Et cui ſpiritus ſanctus infunditur, magnarum
plenitudo virtutum eſt. Denique ait, *Et multos fi-
liorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.*
Non egemus teſtimonio quòd plurimorum ſan-
ctus Ioannes corda cōuerterit, in quo nobis pro-
pheticæ ſcripturæ & euangelicæ ſuffragātur. Vox
Iſa. 40. enim clamantis in deſerto, Parate viam Domino,
Matth. 3. rectas facite ſemitas eius: & baptiſma populis fre
quentata declarant conuerſæ plebis non medio-
cres factus eſſe proceſſus: quia dum creditur Ioā-
ni, creditur Chriſto. Non enim de ſe, ſed de Do-
mino prædicabat prænuntius Chriſti. Et ideo ait,
*Et præibit in conſpectu Domini in ſpiritu & virtute He-
liæ, &c.* Benè iſta iunguntur. Nunquam enim ſine
virtute ſpiritus, nec ſine ſpiritu virtus eſt. Et ideo
fortaſſe in ſpiritu & virtute Heliæ, quia ſanctus
Helias & virtutem magnam habuit & gratiam, vt
ad fidem animos populorum à perfidia retorque-
ret. Virtutem abſtinentiæ atque patientiæ, & ſpi-
ritum prophetandi. In deſerto Helias, in deſerto
3. Reg. 17. Ioannes. Ille coruis paſcebatur, hic dumis: & cal-
3. Reg. 19. cata omni voluptatis illecebra, parſimonia præ-
4. Reg. 2. tulit, luxúmque contempſit. Ille Achab regis gra
Matth. 11. & 17. tiam non quæſiuit, hic ſpreuit Herodis. Ille Ior-
3. Reg. 18. danem diuiſit, hic ad lauacrum ſalutare conuer-
Luc. 1. tit. Hic cum Domino verſatur in terris, ille cum
Domino apparet in gloria. Hic prioris, ille ſequē-
tis dominici præcurſor aduentus. Ille poſt trien-
nium pluuiis terram rigauit, & hic poſt trienniū
areſcentem noſtri corporis humum fidei imbre
perfudit. Quæris quod triēnium ſit? Ecce, inquit,
anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in
ficulnea hac, & non inuenio. Myſticus enim nu-
merus debebatur, vt ſalus populis redderetur:
Vnus in patriarchis annus. Denique de homini-
bus tunc anni prouentus fuit, qualis fermè non
fuit poſteà ſuper terram: Alius in Moyſe, &
prophetis cæteris: Tertius in Domini ſaluatoris
aduentu. Ecce, inquit, annum Domini acceptum,
& diem retributionis. Et ille paterfamilias qui Luc 4.
plantauit vineam, nō ſemel exactores fructuum, Matth.
ſed ſæpius deſtinauit. Nam primum ſeruulos,
ſecundò alios ſeruulos deſtinauit, tertiò au-
tem filium ſuum miſit. Venit ergo Ioannes in Luc
ſpiritu & virtute Heliæ. Alterum enim ſine al- 4. Reg. 2.
tero non poteſt eſſe, ſicut etiam in ſequentibus Pſal. 113.
reperitur, cùm dicitur, Spiritus ſanctus ſuperue- S. Auguſt. in
niet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Sed vij. lib. 2. co
fortaſſe hoc ſupra nos, & ſupra Apoſtolus videa- tra Iul. Pelag.
tur expletum. Nam & ille ſub Helia diuiſo amne, cap.
fluuialiū recurſus vndarū in originē fluminis, (ſi-
cut dicit ſcriptura: Iordanis conuerſus eſt retror-
ſum) ſignificauit ſalutaris lauacri futura myſte-
ria, per quæ in primordia naturæ ſuæ, qui bapti-
zati fuerint paruuli malitia reformantur. Quid Act. 1.
quod etiam Apoſtolis ſuis ipſi dominus virtu-
tem ſpiritus eſſe tribuendam promiſit, dicens:
accipietis virtutem, adueniente in vos ſpiritu
ſancto: Deinde vt in ſequētibus: Factus eſt, inquit, Act. 2.
ſubitò ſonus de cælo, tanquam vi magna ferretur
ſpiritus. Benè vi magna, quia ſpiritu oris eius, om-
nis virtus eorum. Et virtus eſt illa, quam à ſancto Pſal. 3
ſpiritu Apoſtoli conſecuti ſunt. Benè etiā præibit
antè faciem domini, ſanctus Ioanues, qui præ-
nuntius eſt natus, & prænuncius mortuus eſt. Et
fortaſſe hoc myſterium, in hac vita noſtra, hodié-
que celebratur. Præcurrit enim animę noſtrę quę-
dam virtus Ioannis, cùm credere paramus in
Chriſtum, vt paret ad fidem animę noſtræ vias, &
vitæ iſtius tramite tortuoſo, rectas ſemitas noſtri
faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris, quo
omnis vallis animæ noſtræ, virtutis fructibus
poſſit impleri, & omnis ſecularium altitudo me-
ritorum domino ſe humili magis timore proſter-
nat, ſciēs nihil ſublime poſſe eſſe quod fragile eſt.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hippon. in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, Homilia.

SAnctus Ioannes, non euangeliſta, ſed baptiſta, Eſt Hom.
miſſus eſt ante faciem Chriſti præparare vias 44. lib.
eius. Teſtimonium Chriſti de Ioanne eſt; In natis 5. Hom.
mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Matth. 11.
Teſtimonium Ioannis de Chriſto eſt, Qui venit Ioan. 1.
poſt me maior me eſt, cuius non ſum dignus cor-
rigiam calciamenti ſoluere. Vtrumque teſtimo-
nium conſideremus, quòd perhibuit Dominus
ſeruo, & quod perhibuit ſeruus Domino. Quod Matth. 11.
eſt teſtimonium Domini de ſeruo? In natis mulie-
rum non ſurrexit maior Ioanne baptiſta. Quod
eſt teſtimonium ſerui de Domino? Qui venit poſt
me, maior me eſt. Si ergo in natis mulierum non
ſurrexit maior Ioanne baptiſta, qui maior eſt illo?
Quid eſt Ioannes? Magnus homo. Ambo mirabi-
liter

[illegible], præco & iudex, lucerna & dies, vox & [illegible], seruus & Dominus. De sterili seruus, de [illegible] Dominus. *Ioan. 1.* Ipse Dominus fecit sibi seruũ in vtero sterili, de sene patre, & de anicula matre. Et idem ipse Dominus fecit sibi carnem in vtero virginis, sine homine patre, qui primum fecit ho[mi]nem sine patre & matre. Quo nemo surrexit in nat[is] mulierum maior. Tam magnus visus est Ioan[ne]s, vt a nonnullis etiam Christus putare[tu]r nec in superbia alienum secutus est errorem, nec ausus est dicere sum quod putatis: sed quod bonum erat ei, se agnouit vt ad pedes Domini & a[d] corrigiam calciamenti seruus humiliaretur, ne ven[t]o superbiæ elatus lucerna extingueretur. De- *Ioan. Bapt. cur celebretur natalis dies* nique quia in magno sacramento natus est Ioan[nes], ips[i]us so[l]ius iuste ecclesia natalem diem cele[brat], & natalis Domini celebratur, sed tanquam [Domini]. Date mihi alium seruum præter Ioan[nem] inter patriarchas, sic inter Prophetas inter Ap[o]stol[o]s cuius natalem diem celebret ecclesia Christi [P]assionum dies seruis plurimis celebramus, natiuitatis diem nemini nisi Ioanni. Audistis enim quando Euangelium legebatur, qui ordo fuerit amborum nascentium præcursoris & dominatoris & quod paulo ante dixi præconis & *Luc.* iud[i]cis, vocis & verbi. Angelus Gabriel nuntiat Ioannem, idem ipse angelus Gabriel nunciat Do[minum] Iesum Christum. Præcedit ille, præcedit o[b]sequendo, sequitur ille regẽdo. Sequitur enim nascendo, antecedit regendo, quia & ipsum Ioannem creauit Christus & creator & creatus. Creator ante matrem, creator matris, creatus in matre. Et quid dicam creator ante matrem? Ante *Ioan. 8.* Abraham ego sum, ipse dixit, Euangelium loquitur, aud[i]te vel legite. Seu parum est ante Abrahã creator, ante Adam creator, ante cælũ & terram creator, ante omnes angelos vniuersámque creaturam spiritalem, thronos, dominationes, principatus & potestates, ante omnia creator: quia in principio nõ est factum verbum, sed erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum, *Ioan. 1.* Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Si omnia visibilia & inuisibilia cælum & terra, & v[ir]go Maria, quia & virgo Maria de terra, & Christus factor terræ, factus in terra, quia veritas de *Psal. 84.* t[e]rra orta est. Breuiter ergo commendo charitati vestræ magnũ sacramentũ: quoniam multi futuri erant qui putarent Christum non esse nisi hominem, nihil esse ampliùs quàm hominem, ideo magnus homo quo maior in hominibus nõ fuit, perhibuit ei testimonium Ioannes, subditus, inclina- *Matth. 3.* tus, humiliatus. Inquantum se humilem reddidisset, si soluere corrigiam calciamenti eius, dign[u]m se esse dixisset? Attendite in magno Christo, corrigiam calciamenti. Quantum humilis ext[iti]sset, si se Ioannes dixisset dignum, quod dicendo fecit se indignum? Propterea notatus est dies natiuitatis eius, & celebrationi ecclesiæ commendatus. Verum interest plurimum in matribus, quòd illa virgo, illa mulier fuerit sterilis: illa de spiritu sancto pariens filium Dei Dominum nostrum, illa de viro suo sene pariens præcursorem Domini, miraculo & humili, Et attendite. Nõ credidit Zacharias. Quo modo nõ credidit? Quæsiuit ab angelo per quid cognosceret quod promittebat, quoniam ipse erat senex, & vxor eius processerat in diebus suis. Et dixit ei Angelus;

Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant, propter quod non credidisti verbis meis, quæ implebũtur in tẽpore suo. Idem ipse angelus venit ad Mariam, nunciat Christum venturũ de Maria virgine in carne, & Maria tale aliquid dicit. Ille enim dixit, Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis. Et dixit ei, Ecce eris tace[n]s & non poteris loqui vsque in diem quo hæc im- *Esa. 40.* pleantur, propter quod nõ credidisti verbis meis. Et accepit supplicium taciturnitati merito infidelitatis. Quid dixerat Propheta de Ioanne. Vox *Luc. 1.* clamantis in eremo. Tacet Zacharias generaturus vocem. Quia non credidit tacuit, meritò obmutuit quousque vox nasceretur. Si enim recte dictũ est, quia valde recte dictum est in Psalmo sancto; *Psal. 115.* Credidi propter quod locutus sum, quia non credebat, meritò non loquebatur. Sed rogo Domine cum audientibus me pariter pulso, aperi nobis, expone nobis quid sibi velit hæc quæstio. Causas quærit Zacharias ab angelo, per quid cognosceret quod illi nunciatum est, quod senex erat & vxor eius progressa in diebus suis, dicitur, Et quoniam non credidisti, eris tacens. Nunciatur Christus virgini Mariæ, & ipsa causas quærit, & dicit angelo, Quo modo fiet istud, quoniam virũ non cognosco? Et ille, Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis. Illi dicitur, Tacebis, quia non credis, illi autem causa exponitur, silentium non imponitur. Quo modo fiet istud dùm virum non cognoscam? Et angelus professus est virgini, ec- *Luc. 1.* ce quomodo fiet quod quæris, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obrumbrabit tibi? Non timeas æstum libidinis sub tanto vmbraculo sanitatis. Quare hoc? Si verba attẽdamus haud ambo crediderunt, Zacharias & Maria. Sed nos verba audimus, Deus potest & corda interrogare. Intelligimus charissimi quoniam Zacharias quando ait; Per quid cognoscã hoc, ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis desperando dixit non inquirẽdo: Maria vero quando econtrà ait; Quo modo fiet istud, quia virum non cognosco: inquirendo dixit, non desperando. Dùm interrogauit, non de promissione dubitauit. O vera gratia plena, sic est enim ab angelo salutata, Aue gratia plena. O vere gratia plena, quis hanc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & inuenitur homo factus qui fecit, vt non periret quem fecit. In principio *Ioan. 1.* verbum Deus erat apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Caro fit verbum, sed caro accedit ad verbum, non perit in carne verbum. O gratia, vt hoc haberemus quid digni eramus? Sed videte quid dicat sancta Maria, plena fide, plena gratia, mater futura, virgo permansura. Quid dicit inter cætera? De quibus singulis loqui, valde multum est. Quid ait? Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. Qui sunt diuites? Superbi & inflati. Non vos longe mitto ostendo vobis in vno templo diuites de his qui dimittuntur inanes, & pauperes de illis qui implentur bonis. Ascende- *Luc. 18.* runt duo in templum vt orarent, vnus Pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus dicebat, Attende diuitem indigesta ructuantem, crapula exultantem,

tem, sed superbiæ non iustitiæ. Deus, inquit, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut publicanus iste. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Rogare veneras an te laudare? Totum te habere dixisti, nihil tanquam egenus petisti. Quo modo ergo orare venisti? Gratias tibi ago domine. Non dicit, domine da mihi gratiam, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Ergo tu iustus. Quia non sum sicut publicanus iste. Insultas, non exultas. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. O diuitem exinaniendum. Veni, veni pauper, esuriens publicane, imò ibi sta vbi stas. Publicanus enim de longinquo stabat, sed dominus humili appropinquabat. *Ibidem.* Nec oculos ad cælum audebat leuare. Quò oculos non leuabat, cor ibi habebat: sed percutiebat pectus suum dicẽs; domine propicius esto mihi peccatori. O esurientem, bonis implendum. Audisti domine controuersiam, prome sententiam. Audite sententiam inter partes prolatam. Non appellat victus, quia non est ad quem. *Ioan.5.* Non enim appellat à filio ad patrem. Deus enim pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Dicat ergo sententiam inter partes veritas. Amen, inquit, dico vobis, quia descendit hic iustificatus de templo, magis quam ille Pharisæus. Quare hoc? Rogo te qui iustitiã vis audire, Quoniam omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. A quo iste exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur? Quia esurientem impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Vade nunc & ventila diuitias tuas, iacta te & dic, diues sum. Quàm diues? si volo iustus sum, si volo iustus non sum, In potestate habeo iustũ esse, & iustum non *Psal.48.* esse. Non audis in Psalmo, Qui confidunt in virtute sua. Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi sensum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit, tu das tibi ipsi iustitiam? Quid est caro, quid sunt sensus, quid est anima, quid est mens, quid est intelligentia sine iustitia? Nónne omnia ista si iustitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam diues es, vt cum Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Male diues, exinaniende diues, si tamen habes quod te dixisti *1.Cor.4.* habere. Quid habes quod non accepisti? Nec saltem à superbo & diuite illo Pharisæo, de his quæ te habere dixisti, gratias domino agere didicisti, Amen.

PETRI CHRYSOLOGI
Episcopi Rauen. in superius Euang. Homilia 1.

Est Serm. 86. F*Vit in diebus Herodis, &c.* Mundanus sermo, vt humano profertur ex sensu, humanis seruit & obsecundat ingeniis: Diuinus verò sermo in potestate dantis est, non dicentis. Audistis quemadmodum Zacharias ille summi sacerdotij splendor, dùm exorat, obmutuit: tacuit pater vocis; *Ioan.1.* Ego, inquit, vox clamantis in deserto, genitor clamoris obmutuit: & egressus silentium retulit, qui responsa relaturus intrauerat. Videtis ergo quia silentium meum quod anteà contristauit vos, venit de antiquo pontificali vsu, non de nouitatis incursu. Ille vbi sensit linguæ suæ vincula sua ianuam clausisse sermonis, imperauit nuto, ne quis causas taciturnitatis inquireret, quia cæleste mysterium dicere non didicerat, qui didicerat scire: sed hoc ad tempus, quia sacerdotis differtur sermo, non aufertur: reconditur, non negatur: mysterio suspenditur, non fugatur, denique Zacharias ipse quod tacet, nõ est pœna, sed signum: non est terrena debilitas, sed cæleste secretum. Deus qui loqui dat tacere facit: & imperat silentium, qui inserit verbum: dominatur diuinus sermo, nõ seruit, quia Deus verbum: & ideo non cùm iubetur, loquitur, sed cùm iubet: non cùm exigitur, sed eùm donat: non cùm cogitur, sed cùm venit. Vnde fratres, & cùm venit, audite, & cùm non venit, sustinete, & cùm se donat, accipite, & cùm se negat, orate: quia hoc doctor accipit, quod meretur auditor. Ergo tam nobis, quàm mihi præteritus *Matth.9.* suspẽsus est sermo, vt profluuium mulieris, & verecundi vulneris causam, & illius pudorem sic nostra verecũdia celaret: vt quod illa tacuit, etiam nostro silentio clauderetur: sed cœptum reuertamur ad verbum. Hierosolymitanus fons abundat, cùm impellit angelus, non cùm sitit haustor, sic sacerdotis sermo exuberat: quando dat Deus, non eùm perorat sacerdos. *Ioan.5.* Hinc est quòd Zacharias ipse qui prophetias loquebatur populis, tacet sibi, vt non ingrati Deo non simus, si nos semel tacere voluit, quibus semper inoffensum largitus est verbum. Ille non dedignatur à filio verbum recipere, cui dederat lucem. & vos filij orate nobis vocem, vt possitis audire sermonem: reparate gaudium meum, vt assuetã possitis lætitiam possidere: & implete illud Apostoli, *2.Cor.2.* Quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Veniat ergo, veniat in medium beatus Zacharias, qui nos tacens pio consolatur exemplo, & silentio suo nos de nostro non sinit tristes esse silentio. Veniat, veniat præcursor verbi, sacerdotij speculum, sanctitatis exemplum, euangelistarum princeps, *Luc.1.* clausula prophetarum. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias.* Dùm dicitur sub quo rege quis sacerdos sit, temperantur mala; adest semper in mœrore solatium, nec consolator deest, cui imminet persecutor. *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, &c.* Vsque ad Herodem Iudaicæ genti sacerdotalis sanctitas, senum grauitas, patrum pietas præsidebat: ius erat lex diuina, ambitio nil ibi, nil temeritas, præsumptio nil valebat: quia gerebatur totum diuino ordine, non humano: sed Herodes veniens ex gente aliena inuasit regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, spreuit senes, infecit iuuenes, tribus miscuit, deleuit stemmata, corrupit genus, tulit quicquid erat & diuinę & humanę fundiùs disciplina. Sed hoc quid ad Zachariam sanctum? Ne quid ergo tale & in ipso Zacharia crederetur admissum: Euangelista cogitur sic referre; *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos de vice Abia.* Qui vsque ad ipsum ab atauis, auis, patribus, transfusum genus mansit sacerdotij tempus legis, sacrificij omnis seruata est disciplina, eo quòd impietatem regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, sacerdotis & meritum superauit & vita. Sed quid sequatur, audiamus, *Factum est vt incensum poneret ingressus in templum domini, &c.* In hora incensi fratres, iam sol Iudaico occumbebat in templo, vt in Ecclesia matutinus exurgeret, & Iudaicæ doctrinæ instabat vesper: quia Euangelij imminebat

auro

au[illegible] batur dies, vt totus relucerct [illegible] Zacharias in hora incensi, h[illegible] est [illegible] templo [illegible] ritum cæremoniaturi [illegible] incensum infert: offert preces, [illegible] commendat, tempus a[illegible] repetit, exigit Christum. *Et omnis multitudo orans foris.* Vt ergo populus qui stabat [illegible] exorat: quia quod ex a[illegible] ad [illegible], gratia intromittit in templū. *Apparuit [illegible] Angelus domini, &c.* Ergo non [illegible] si turbatur sacerdos, si stupet doctor, si [illegible] antistes, si tacet minima, cùm videt ma[illegible] verba, cum signa conspicit. Et ne solus Zacharias timuisse videatur: audi aliū prophet[illegible] dicentem domine, audiui auditum tuum & t[illegible] consideraui opera tua & expaui. Qui cu[illegible] loquitur expauescit? vnde loquatur an[illegible] ? & quid tenemus? Vnde sacerdos ta[illegible] dicamus. *Et respondens ei Angelus dixit, [illegible] Gabriel, &c.* Quæ tacentis culpa, si impe[illegible] vis iubentis? Ergo & nos tantilli qui [illegible], quod tacuimus habetote non obliuio[illegible] fuisse, sed temporis: diuini negotij, non rationi humanæ. Ergo tristes non simus, quia donante Deo, silentium momenti continuato sermone pensabitur, & modicum quid tristitiæ nostræ magnum vertetur in gaudiū. Gratias ago Deo meo, qui mihi in amore luctum vertit damnum sermonis: nam quanta sit in me charitas vestra, pallor prodidit, testatus est clamor, ostendetur lachrymæ, oratio effusa monstrauit.

Abac. 3.

Luc. 1.

Ioan. 16

EIVSDEM IN IDEM *Homilia 2.*

SIcut nimio dolore & infirmitate longa luminibus obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux: certe, cùm solis sit condita lux oculis, solis fit oculis lux amica, per quos vtique reliquo corpori vel traditur, vel negatur ita diutuo [illegible] morbo cōtenebratis mentibus, nisi paulatim fue[illegible] fidei claritas restituta, subitò ipso fi[illegible] splendore magis perfidiæ crassescit caligo, lō[illegible] ut produc[illegible]tur, aut obtunditur semper na[illegible]. Hinc est quod dominus terro[illegible] nubilo ex ordibus iam cæcatis, vt irradiaret partus virginei sacramentum, desperatæ & annosę sterilit[illegible] ante præmisit conceptum: vt qui videbat p[illegible] senectutem longam arida membra reuiui[illegible] transacto curriculo iam vitæ veteranæ [illegible] am reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam in occi[illegible] ætatem, ad nascentis fetus in[illegible] nia suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis in igne, virginitatis claustra manere post partum posse crederet, posse auctore ipso ex vt[illegible] procedente seruari. Et vt præfationi nostræ ac similitudini, quàm de oculis sumpsimus vetusto languore defessis, ipsa de qua loquimur m[illegible]o, adsit, & astipuletur auctoritas, ne probet oculos hominum nocti male assuetos, ob[illegible] [illegible] mortis, sensim reuocatos ad lucem in Ioanne Dominus accendit sui luminis, & præmi[illegible] lucerna[illegible], vt degustato lumine in se iam diui[illegible] ipsum præferretur, ipsam Deitatis caperent clari[illegible]atem: Iuxta illud quod dictum est de Ioanne, Ille erat lucerna ardens & lucens: vt [illegible] nocti placido lumine aperiret tenebr[illegible], ipse noctis nescium diem iam desiderantibus, ad lucem perpetē redonaret. Hinc est quod & Magos adhuc noctis incolas, & ioius obstupescentes oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis & dierum, [illegible] re vera fratres, congruit, quia totius anni metas temporum quadriga percutit, ac nobis Domini nostri natalitia festa reuocat, & gaudia iam reducit. Nunc de Ioannis ortu, de partu sterilis iam loquamur: vt compendio credulitatis isto, ad illud vbi partus est sine partu, vbi creatur author ipse procreatis, vbi nascitur ipsa origo generantis, inter hyetnales, ac nubibus & nebulis dubias luces, lucerna præuia, stella duce peruenire possimus. *Fuit,* inquit, *euangelista, sacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* Sterilitas senectute exaggeratur extrema: & ab spe generandi totum subducitur quicquid est corporis & naturæ: & ne vel cogitatio sobolis vlla remaneret, ad id peruentum est temporis & ætatis, quo transacto calore vitali, mortale frigus sterilis iam viscera possidebat: vt genitor ipse cognoscere inde iam per hominem non posse nasci hominem: vnde abscesserant res humanæ. Sic, sic fratres, duris hominū præcordiis credulitas asseritur, & inseritur fides: & tunc totū diuinū creditur, cùm fuerit nihil humanū. *Sorte exiit vt incē[illegible]sum poneret Zacharias ingressus in templū domini.* Bene dixit ingressus in templu, nō ingressus téplū: quia ipse erat Dei familiarius templū, portās in sui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quàm puræ supplicationis incensum. Gratius nanque Deus in suo, quam in hominis opere requiescit: & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quàm synceri cordis & pectoris sanctitatem. *Apparuit ei angelus domini, stans à dextris altaris incensi.* I[illegible] ere [illegible] ferat, apparuit ei angelus, quid magno[illegible] à des[illegible] is altaris? Vt esse in sanctis a[illegible] ga[illegible] nihil sinistrum, dicente scriptura, V[illegible] à [illegible] tris sunt nonit Dominus. *App[illegible] ei angelus.* Cum iam defecerat totus ho[illegible], vt ant[illegible] Ioannes nasceretur ex sterili, quàm Christus na[illegible] eretur ex virgine: dictum est de Ioanne: [illegible] ecce ego mitto angelum meum. Fœlix, quæ vt in Dū crescceret, in senibus sic defecit natura [illegible] ix, quę sterilitatis damna virginea fœcūditate mutauit: fœlix, quæ vno concepit in partu, quicquid in toto orbe confundere deplorabat: fœlix, quæ facta est vitalium germinans mater, quæ erat ante origo miseranda mortalium, ad dolores pariens cum dolore, ad gemitus edens cum gemitu, ad pericula producens hominem cum periculo generantis, & in ipso ortu occasum nuncians per lamenta & lachrymas: semper deuorans partus suos, sciens se tantis mortibus generare morituros. Parcebatur ergo sterilitate magis natura, ne ipsa fœcunditate grauius desæuiret, fletus potiùs editura, quàm pignora: quæ vtique lachrymis, mœtore, gemitu, tanto tempore suum querebat & interpellabat authorem: intelligens hoc sibi accidisse per culpam, non esse ab authore pessimum institutum cum crearetur. Hinc est, quòd dominus conditor ipse naturæ viam virginei conceptus, virginei partus, inuisibili vestigio & ignoto calle pertransit, & iter humani ortus diuino gressu ambulat, non humano: vt nascendo ipsam naturam a seruitute mortis, cui taliter addicta fuerat, primitus liberaret: & fonte purgato superuam riuulis

Matth. 2.

Luc 1.

Math. 11.

riuulis redderet puritatem. Meritò Ioannes in vtero exultat, qui originis suæ libertatem antè nosse, quàm esse meruit, antè meruit sentire, quàm viuere. In hora incensi per angelum aperitur sterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter sacraria natiuitas sacra procuratur: hinc est, quòd adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta in Ioanne est prophetia, antè nutu Dei loquitur, quàm perueniat ad vocis officium. Verùm ne dùm profunda & mira latissimæ lectionis breuiato cupimus sermone concludere, quæ maximè dicenda sunt transeam: proximè, si Deo placuerit, de sequentibus differemus.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 3.

Est ordine Serm. 88. SEmper debere anxium est fratres: semper tristi fœnoris vinculis alligari: sed me, quem vobis mea sæpè facit promissio debitorem, satis sibi de talis debiti natura & obligatione blanditur: qui dat, non accipit qui promittit: & qui dando debet magis se ipsum facit obnoxiũ creditorem: atque vbi qui credidit debet, & qui debet credidit, ibi necessitudinis, non necessitatis probatur esse contractus: & in tali fœnore animæ non oneris, sed honoris præ dulcis currit vsura. Posteaquã Zachariæ sacerdoti apparuisse angelum Domini euangelicus sermo descripsit, adiecit dicens. *Et* *Luc. 1.* *turbatus est Zacharias videns, & timor irruit super eum.* Si de iudicis potestate solicitus est, qui semper de apparitoris turbatur & contremiscit aduentu: & mandati meritum de persona venientis æstimat, & metitur: & quamuis benè conscius pauet, donec causas venientis agnoscat & intelligat qualitatem: quid faciet, quo pauore trepidabit, cùm potestatem supernam senserit hominis imbecilla natura, cùm respexerit homo angelum, & diuinæ sedis ministrum viderit? Caro nunquã de sua conscientia est secura: sicut Zacharias ipse, de quo loquimur nũc, cõprobauit: qui in ipso tẽpore placationis offendit: qui dũ credit, dubitat, dicente angelo, quia nũ credidisti verbis meis: dũ postulata promeretur, incurrit, cõdemnatur, munera ipsa cùm suscipit: qui vocẽ, cùm vocẽ percipit, tũc amittit. Hinc est, quòd angelus antequam mandata pandat: dona tradat, referat impetrata, metum discutit, fugat timorem, cõfortat animos ancipiti cogitatione turbatos, vt mens quæ migrauerat à se nimio pauoris excessu, in semetipsam reuersa beneficiorum tantam sentiret & caperet largitatem, dicens: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, &c.* Putasne sacerdos tantus sic est populi, sic vniuersitatis oblitus, vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu desperatæ sterilis rogaret, vt sibi soli legatus omniũ tunc adesset, vt aduocatus omnium pro se singulariter oraret, vt tantum pontificatus officium intra domesticas arctaret curas, inter familiares clauderet & occuparet angustias, & incensum totius plebis in solum desiderium proprij pignoris addiceret veteranus antistes, ac tali desiderio grandæuus, & ipsum tempus iam respiciens, ad partum succederetur intempestiuum? Absit fratres, absit, vt hoc de sancto Zacharia fidelis anima suspicetur. Et quidem angelus in hoc fuisse refert totius supplicationis effectum, dicens. *Exaudita est deprecatio tua, &c.* Si angelus ad petita respondit, sacerdos pro solo pignore supplicauit, si pro omnibus egit supplicatio sacerdotis, cur angelus de sola pignore retulit impetrata? Quid tenemus, quid diu suspendimus animos auditorum? quàm non sibi soli, sed omnibus affuerit iste venerandus antistes, quàm responderit angelus vniuersis, quam Deus prospexerit in vno isto germine sacerdotis, quem genitoribus vtique, & ipsi ob hoc delegerat naturæ, vt eum daret vniuersitati, largiretur sæculis, populis condonaret, & fieret sacramẽti filius inter sacraria delatus, inter sacramenta concessus, esset antistes de venerando generatus antistite, esset angelus ore angeli sancta dilatatus in viscera, esset vox Christi. Ego vox clamantis in *Ioan. 1.* deserto, esset vox Christi, ad Christum sua reseruatus ad tempora, esset præco iudicis, præsentiam clamaturus, esset pœnitentia, populus Christi vocaturus ad veniam: quam sacerdos ergo iste iam sui nescius, iam sibi mortuus, extraneus coniugi, soboli iam negatus egerit omnibus, omnibus impetrarit, mox angelo referente discamus, *Et multi*, inquit, *in natiuitate eius gaudebunt*. Non est vnigenitus, qui est cunctorum creatus ad gaudiũ, *Erit enim magnus coram domino.* Qui coram Deo magnus est, quantus sit penes homines quis probabit? *Et vinum & siceram non bibet.* Qui natus est sanctu de corpore sacerdotis, & summa senectute, ab omnibus vitiis defæcato, atque exempto iuuentutis incendiis, vinum nescit, ignorat siceram, quæ pariunt luxus ebrietatis & vitia: & tota dissipant morum decora ornamenta virtutum: *Et vinum & siceram non bibet sed spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ.* Iuxta illud *Ephes. 5.* Apostoli, Fratres, nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini spiritu sancto. *Et spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ.* Beatus Ioannes, qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu: beatus, qui ante diuina possidere meruit, quam fortiretur humana: beatus, qui antè meruit cælum scire, quàm terram: beatus, qui antè quàm videret præsentia, futura meruit nunciare: beatus, qui antè Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore: beatus, & singulariter est beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquisiuit: beatus, qui non peruenit ad gratiam per laborem, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descẽdit. *Et multos*, inquit, *filiorum conuertet.* Ad quem? dicat angelus, vt quia blasphemat, quia negat hæreticus, contumescat: dicat angelus, vt audiat fidelis, & gaudeat: credat hæreticus, & recurrat. *Conuertet.* Ad quem? *Ad Dominum Deum*, inquit, *ipsorum*. Quis est hic Deus? De quo Propheta dicit: Hic est Deus *Baruc. 3.* noster, & non est alius absque eo, qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Quando dedit? Tunc vtique quando legalibus in tabulis totius vitæ regulam totam disciplinæ descripsit & normam. Attentus esto auditor, vt scias quis est hic Deus noster, absque quo alius non est. Quis est? Post hæc in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est. Quis est alius visus in terra nisi Christus, qui nostra est conuersatus in carne? Et quis est alius, conuersatus cum hominibus, nisi ille qui cum hominibus humano est commoratus in corpore? Et si hic est Deus noster, & non alius absque eo,

eo, hæretice, cùm hunc non habueris, quem habebis? Non est alius, inquit, absque eo: & hunc non dicis, ergo vbi est pater? Propheta dicit, non est alius absq; eo: & vbi est? In filio vtique, quia præter filium non est pater. Ego in patre dicit, & pater in me est. Vnde & Propheta non dixit, non est alius, sed non est alius absque eo: hoc est dicere, est: sed in ipso est. Sed dicis, & si in ipso est, quomodo est alius? Hæretice, sic est alius persona, vt sit ipse substantia: sic est ipse substantia, vt nulla sit confusio Trinitatis: sic est vnitas trinitatis, vt nulla sit in Deitate distantia: sic in se est, & sine se tota trinitas non est, vt insit in patre, & filio, & spiritu sancto personalitas diffinita, non separata diuinitas. *Et ipse præcedet ante illum.* Ante quem? Ante Christum, qui est Deus ipsorum, Deus noster, Deus omnium, Deus absque quo alius non est. *In virtute Heliæ.* Nemo cùm hoc audit, μετεμψύχωσιν imputet: hîc spiritum dicit illum, quem per diuinam gratiam meruit, nõ quem carnis est consecutus ad vitam: & virtutem dicit illam, quam de supernis habuit: non illam, quam propter corporis adeptus est firmitatem. Ioannes ergo Heliæ venit in spiritu, & in eius virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentia, & omnibus Heliam virtutibus repræsentat, & Christũ. *Præparare Domino plebem perfectam.* Quam in vobis Deus, & Dominus noster præparare & confirmare dignetur in gloriam nominis sui.

Ioan 14.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 4.

Est Serm. 84. Genes. 1. Iuxta lxx.

OMnia quæ à Deo creata sunt nobis, bona sunt, & bona valde: dicente scriptura, Et vidit Deus omnia quæcunque fecit, & ecce valde bona. Ergo omnia quæ à Deo creata sunt, bona sunt, & valde bona: sed inter vitia, virtutésq; media sic habentur, vt ex ipsis, & periti doctrinę materiam sumant, & erroris causam inueniant imperiti. Sapientes nanque creatorem creaturę contemplatione cognoscunt: stulti vero dùm creaturas ipsas deos existimant, sapere nequeunt creatorem. Hinc est, quòd solem, lunam, stellas aurum, lapides, ligna, deos sibi fecerunt gẽtiles, quæ Christiani addicta suæ sapiunt seruituti. Nec mirum sic esse mediam creaturam, quãdo ipse creator omnium Christus, est fidelibus in salutem, infidelibus in ruinam, Euangelista dicente: Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Apostoli etiam aliis habẽtur in mortem, aliis habentur in vitam: Paulo probante, cum dicit: Quibusdam sumus odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam. Ergo & Euangelicæ lectiones fiunt bonis intelligentiæ salutaris, malis verò erroris occasio. Antehac Euangelista beatissimus, cùm referret Ioãnem Baptistam Herodis astrictum vinculis, adulteriis Herodianis extinctum, truncatum in præmium saltatricis, sensimus aliquos fuisse permotos, cur Deus sacrilegæ sanctum, adulteræ virginem, angelum addixerit saltatrici. Fratres, virtutes Ioannis, Herodis crimina abundanter alio sermone tractauimus: nunc eloquamur quæ vinculorum causa, carceris quæ necessitas, quę mortis vtilitas fuerit in Ioanne. Ioannes non potuit mori communi sorte, qui natus est priuilegio singulari: cùm Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes angelus est generatus in terris, vt ita officia terrena officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant: & in terra Deo angelus, Domino ordo cælestis obsequi non deesset. Sed audiamus ordinem nascentis Ioannis, vt causas mortis eius inuenire possimus. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudææ, &c.* Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, auos, atauósq; commemorant, vt ad honorem præsentiũ, accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redũdet ad gloriam. Maior est innata gloria, quàm quęsita: pręcedit quod venit ab origine, quod sequitur ex labore, gloriam beatius est habere, quàm quærere: hinc est, quòd euangelista vt extollat Ioãnis gloriam, Zachariæ patris, Elizabeth matris genus dicit, auos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudææ.* Tempus memorat regis nefandi, qui sacrum sacerdotij violauit morem: confudit ordinem, statutum soluit, abstulit institutum. Et hoc accedit ad meritum Zacharię, quia cum in omnes penè Herodes ausus suæ temeritatis extenderit, ausus sit nihil in isto: virtutibus sit huius oppressus, vt sacerdotii immaculata successio ad gloriam germinis seruaretur. *Et vxor eius de filiabus Aaron.* Aaron primus põtifex in lege fuit sacerdotij origo: propterea meritò prætermissis omnibus eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sanctitatem, quam tanti generis pia custos gloriosissimè transfudit in filium. Sed huius matris laudes Euangelista describit. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Deum.* Est noua felicitas, est coniugium singulare, quando manet in duobus mens vna, vna sanctitas in duobus, constabat mente, quod distabat in sexu: & in moribus erat vnum, quod geminabat aspectus: ac virtus reddebat pares, impares dederat quos naturs. *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum.* Placere iudiciis humanis, coram hominibus esse iustum, est virtutis humanæ, maximi est & laboris: ante Deum qui scrutatur corda, cogitationes discutit, videt mentium motus, esse iustum humani laboris non est, muneris est diuini. Si magnus est qui non peccat in carne, quantus est qui corde non peccat? Ioannes ergo supra carnem est natus de istis, qui ante Deum nec corde, nec corpore peccauerunt. Adiecit Euangelista, dicens; *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Incedentes, incedit qui non stat in tramitis peccatorum: qui peregrinum se hoc sentit in sæculo: qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones: qui montes iustificationum, mandatorum colles indefessus viator ascendit: vt præsentia parentis Dei, patriæ cælestis beatitudine perfruatur. *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus.* Hi in omnibus, in quibus nemo, vel pauci. In omnibus mandatis & iustificationibus. Quis fumi inscius cupiditatum transit incendia: quis vitæ lubricum nunquam lapsus euadit? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? carnis negocia, vitæ causas, actus mundi quis peragit, & non erit in querela, cùm nasci ipsum plenum sit & lachrymis & querelis? Nanque parturiens quæritur ex dolore, & natus in lachrymas quæritur ex natura: sed in Zacharia & Elizabeth reatus occidit, perijt querela, omnis est amputata causatio: quia in illis parabatur vnde tota sanctitas nasceretur, sed hoc ex ipsa iam lectione luceat.

Luc. 2.

2. Cor. 2.

Infra sermone cxxxvij.

Et nō erat eis, inquit, *filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis.* Sterilitas ista non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus est, sed dilatus: neq; erat pignori clausa, sed tempori: colebatur tempore, virtute ferebatur, maturabatur ætate, senectute crescebat, vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas congesta virtutum. Beata sterilitas quæ vnum seruabatur ad partum: & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur primogeniti dignitas non periret. *Et ambo processerant in diebus suis.* Processerant, non decesserant: vixit in sanctis ætas, non defecit, sed processit. Aut quid illis deficit, quibus accedunt semper incrementa virtutum? Ergo in Zacharia & Elizabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, abolescit totum quicquid est & humani ordinis, & coniugij coniugalis, vt diuino monere, non partu ex hominibus angelus nasceretur. Promiseramus de ortu Ioannis causas mortis eius exprimere, sed quia nos hodie longiùs sermo protraxit, & ad probationem rei satis nobis necessaria sunt quæ sequuntur, quæ modo dicta sunt, ortus eius deputentur ad gloriam: nósque ingrati non simus vobis, qui differimus debitum, non negamus: nam debitoribus dilatio crescit ad gratiā creditoris. Expectate ergo quod promittit debitor, & expectate securi, quia promissa negari nequeunt, quando sterili tam largiter negata soluuntur.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 5.

Serm. 90. Erigi oos sanctorum lapsibus, sanctorum trepidatione fundari cunctatio nos hodie Zachariæ docuit sacerdotis: qui cum non credit Dei promissa, sed discutit, & opera diuina nō fide percipit, sed humana ratione disquirit, infidelitatis culpam longa silentij condemnatione persoluit:
Luc. 1. audierat ab angelo, *Exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabet pariet tibi filium, &c.* Nónne quantùm senectute longa, spem posteritatis amiserat, tantùm longo vitę vsu fuerat edoctus, quod Deus impossibile nil haberet? Legerat tanti temporis sacerdos, sciebat veteranus pontifex lege naturam, non authorem naturæ posse constringi: & tempus homini posse, non conditori: nouerat de Abrahæ & Saræ emortuis
Gen. 21. extrema senectute corporibus, & à patris matrisque nomine famosissima sterilitate summotis,
Gen. 25. Isaac ad totam fœcunditatem Israelitici germinis
1. Reg. 1. erupisse: & non obfuit tantùm defuisse naturam, quantum nasci profuit authoris beneficio, non naturæ: didicerat Rebeccæ & Annæ effœtis diu, diu naturæ suffragio destitutis, dedisse Deū quòd sterilitas abnegauerat: edoctus ergo tantis quid est quod dicit: *Vnde hoc sciā? Ego enim senex sum, &c.* Fratres, satis ad Deū trepida, satis ad diuinas virtutes hominis est imbecilla natura: nec talem se in causa inuenit, qualem se æstimat ante causam: & satis se ignorat ante, quàm se rebus probet, & experiatur exemplis, petit cælum, petit alta, scrutatur superna, mouet cælum, pulsat cælum: sed cùm cælum mouerit, cæli pondera non poterit sustinere, ambit fidei subire verticē, ardet cęlum sua penetrare virtute: sed æthereas in vias vbi incedere humania gressibus inchoat, & cùm suam deorsum respicit ad naturam, nō tantùm fidit de præteritis, quantùm trepidat de ruina. Sic beatus Petrus cùm per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quàm gaudeat de donato. Sic nunc Zacharias, qui cùm diu fleret dianbolū pulsu, regnare morte culpa hominis vnius, nasci homines ad labores, ad gemitus, ad pericula, optare licet ærumnosa, moritura: nec posse pignora promereri, stare inter acies criminum, obsideri vitiorum catenis, infirmitatum quati, & quassari semper impulsu: videre eminus vexilla virtutum, spem legis, gratiæ libertatem, nec tamē illuc quemquam proprijs posse viribus peruenire: velle bona & non facere, crimina odisse, nec vincere: debere iam misereri Deum: debere iam taliter subuenire captiuis. Pontifex ergo iste cùm Dei aures continua & tali querela, tali lamentatione pulsaret, Deus sic pia, sic iusta poscenti, ex germine ipsius responsionis suæ sumpsit, & instituit mirabile documentum: quo crederet posse Deum dare vitam mortuis, salutem reddere desperatis, si senectuti mortuę sobolem, si sterilitati dedisset filium desperatę, sicut euangelicus aperit sermo, cum dicit; *Exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabet pariet tibi filium.* Redemptionis huius nuncium, huius salutis præuium: qui Deum non sicut tu voce adeat, non gemitibus flectat, non ad impetrandum nostra ille sicut tu suffragia requirat, sed ipse in nostro ordine cōstitutus, & angelico honore fultus, Deum satis ab omnibus desideratum, nec vlli vnquam cognitum, etiā ipsis angelis inuisum, manu teneat, amplectatur gremio, & iam conspicuum mundum vllis sœculis tradat: palmis beatissimis assignet humanis oculis peruidendum, Deum cognitum faciat vniuersis, perducat Dominum ad consortia seruulorum, mitteat reis iudicem, censorem in se testetur noxiorum suscepisse personam, ac sic probet condemnationis humanæ sententiam cessaturam, quando ipse agitur, ipse currit per veniam, qui reos erat daturus ad pœnam. Vt luceat hoc mysterium pietatis immensæ, Zacharia tuus filius suum Dominum pœnitentiæ demergit in baptisma, in remissionem dilnit peccatorum, quia voluit fons dilni, cognitor suscipere veniam, iudex ipse suam subire sententiam, ne damnaret reos, nec vindictam proferret in noxios, ascendit crucem, degustat mortem, sepulturam patitur, intrat infernum, qui puniri voluit, ne puniret, qui amari magis voluit quam timeri. Quod vbi Zacharias ...atea audiuit, tantum se metuisse suis precibus sacramentum, rei ipsius consideratione territus, sacramenti ipsius æstimatione turbatus, nec se mereri tātum credidit, & Deum dubitauit ad hęc talia, & tanta descendere: hinc est quòd dicit, *Vnde hoc sciam? Ego enim senex sum, &c.* Hoc est dicere, quomodo me habere filium ratio non permittit humana, ita nasci & mori Deum maiestas non sinit sempiterna. Cui angelus venerabiliter non credenti pœnam signi tantum dedit, nō perfidiæ: cautelæ est tardè de Deo humilia credere, de Deo tardiùs contumeliosa sentire: adiecit angelus, dicens; *Ego sum Gabriel.* Vt ex nomine tanto, & ex merito ministri tanti, pontifex promissionis, fidem pensaret, & crederet qualitatem. *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, &c.* Dùm dicit nomen

Matth. 14.

Quæ sequuntur ad ...gelum ex pla... cationem non pertinent.

nomen, designat meritum: cùm se refert astare, se missum refert: seruitutem fatetur, ne prærogatiua Psal.146. nominis debitum celaret obsequium. *Ego sum*, inquit, *Gabriel, qui asto ante Deum, &c.* Vere magnus Dominus, & sapientiæ eius non est numerus: infirmantem curat de vulnere, nutantem de vitione confirmat, de supplicio fidei perficit argumentum, dicendo, *Et ecce eris tacens: & non poteris loqui.* Vt ex te, & in te credendi regulam consequaris: & vernaculo exemplo Deum posse credas facere quod promittit: nam cùm vult tuæ vocis organum claudit: & cùm vult tui aperire oris officiũ, profectò potest: & cùm vult fœcundam ex sterili facere, ex fœcunda sterilem cùm præmittit, potest cum vult largiri partus officia, obsequia naturæ cùm vult præualet deuegare. Egit ergo angelus, vt tali documento pontifex eruditus non dicat amplius, Vnde hoc sciam? Qui totius creaturæ indicio potuit approbare, quòd Deus, qui cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo legetur substituisse, credere debuit, quod potuit ex aliquo facere, quod vult: & desperato reddere, quod promittit: & qui totum fecit ex eo quod non erat, ex eo quod est quicquid vult facere, nõ laborat. *Et erat plebs expectans Zachariã, &c.* Egreditur pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, portans in pectore conceptionis figuram, vt cùm mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet sacramentum, & antè natus daret patri veniam, quàm dilueret crimina vetusta populorum: & quia qui non credidit, tacuit: merito propheta, quia credidit, gloriatur, di- Psal.115. cendo, Credidi, propter quod locutus sum. Fratres, dat verbum fides: negat infidelitas verbum. Si nos ergo fratres, sicut dixi, sanctorum lapsus erigit, firmat trepidatio beatorum: nihil vnquam Deo esse impossibile iudicemus, neque inquiramus quemadmodum factũrus sit quod promittit, cuius voluisse, fecisse est: cuius dedisse, est promisisse.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 6.

Est Ser.91. AVrum de terra legere qui nouerunt, vbi ditiorem senserint venã, ibi quicquid artis est, quicquid laboris impendunt: & nos quia in sancto Zacharia cælestem nouimus latere thesaurum, in ipso totũ quod sermonis est nostri, quòd vestri auditus est, occupemus: quatenus commune lucrum sit, quod fuerit communi labore quæsitum. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudeæ sacer-* Luc.1. *dos quidam nomine Zacharias. ex vice Abia.* Hoc iam diximus. *Et vxor eius de filiabus Aaron.* Sic cœpit euangelista, vt in coniuge sacerdotis seruata sacerdotalis stẽmatis generositas monstraretur. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Deum.* Ambo iusti, quia in ambobus erat vna iustitia. *Ambo iusti.* Quia constabat inter eos non de diligentia, sed de sanctitate coniugium. *Ambo iusti.* Quia sexu dispares, pares meritis habebantur. *Ambo iusti.* Quia vt erat in duobus vna caro, sic erat in duobus vnus spiritus, Imitentur coniuges, vt quos coniungit affectio, iungat & virtus. *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum.* Ambo iusti antè Deum. Et vbi est illud, Psal.142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs? Ante homines fortè quis putetur iustus, quia homines vt culpas corporum norunt, sic vitia mentis ignorant: ante Deum verò, cui pectoris claustra patent, quem cogitationum secreta non latent, quis innocens habetur, & iustus? Et ne homo qui corde non peccet, non cogitatione delinquat, non offendat dubitatione, non lapsum trepidationis incurrat? Moyses dubitat, Aaron de- Num.20. uiat, Petrus negat, & quis iustus? Et quomodo Exo.32. ambo iusti antè Deum? *Ante Deum*, sed semper. Matth.16. *Ambo iusti apud Deum.* Non labore, sed gratia: Audi Rom.3. Ephe.2. Apostolum, Iusti ficati gratis per gratia ipsius. Et iterum. Non ex vobis; Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Et iterum, Quid habes quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Euangelista ergo sic refert, non quid non habuerit, sed quid acceperit: non quid quæsitum sit, sed quid donatum. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Deum, &c.* Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus, nõ stetisse & ambulasse in via iustitię, nõ sedisse: nec remãsisse in itinere mandatorũ, sed ad mandatorũ plenitudinẽ peruenisse. *Incedẽtes in omnibus mãdatis & iustificationibus Dei sine querela.* Beati, fratres, quos culpa non percutit, nõ vulnerat crimen sed beatiores isti: quos tangit nec querela. *Sine querela.* Si pueritia, si adolescẽtia, si iuuẽtus sine querela extitit, vbi tota querela est, qualis horũ senectus? Si tale initium, qualis finis? Ascendisse iustificationem vertices, colles mandatorum, nec in aliquo titubasse, est gratiæ singularis, est vnicæ fęlicitatis insigne. *Et non erat*, inquit, *illis filius, &c.* Nõ dixit nõ erant illis filij, sed non erat illis filius, quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem. Non surrexit maior Matth.11. in natis mulierum Ioanne Baptista. *Eò quòd esset Elizabeth sterilis.* Sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus: tarda subole, sed nõ tarda Deo: non germini clausa, sed tempori: non negata pignori, sed seruata mysterio. *Et ambo*, inquit, *processerant in diebus suis.* Processerant: sic describitur sacramentum senectutis, quæ nondum decidit meritis, nõ ætate deficit, sed procedit: nec sentit detrimenta corporis, quæ sumit augmenta virtutis. Fratres, Elizabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanum consuudit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctuatis hospitium, meatus metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum. Nescitis, inquit Apostolus, quia templum Dei estis: 1.Cor.3. & Spiritus Dei habitat in vobis? Denique vbi tota corporis sedata querela est, & in totum facti sunt sine querela, mox sterilitas fugit, reuiuiscit senectus, fides cõcipit, parit castitas, nascitur maior homine, par Angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum patris, filij nuncius, signifer superni regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & vt propriè dicam legis & gratię fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri iungebat in pectore. Euangelista ergo virtutes patris, matrisque describit, vt ex generatorum tantis meritis dignitas germinis nosceretur: & probaretur maior homine, qui in ortu suo excedebat legem natiuitatis humanæ. Sed si processurus est, iam nascatur Ioannes, quia instat natiuitas Christi: surgat noster lucifer, quia iubar iam

veri ſolis erumpit : det vocem præco, quia adeſt iudex: clamet tuba, quia venit Rex : & quia proceſſurus eſt Deus, angelus iam præcedat. Verum, quia quod ſupra homines eſt, homo referre non ſufficit, virtutes naſcētis Angeli Angelus iam loquatur. *Dixit Angelus ad Zachariam, ne timeas Zacharia: exaudita eſt deprecatio tua, ecce Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, &c.* Vacat humanus ſermo, ſilet prædicatio tractatoris, quando Angelico præconio Ioānis profertur gloria, virtus inſonat, laus collaudatur : nec eſt quòd illi adiiciat homo cui Deus contulit totum. *Spiritu Sancto,* inquit, *replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Videtis quemadmodum Ioannes antè perueniat ad cælum, quàm tangeret terram : antè accepit diuinum ſpiritum quàm haberet humanū, antè ſuſcepit diuina munera, quàm corporis membra, antè cœpit viuere Deo, quàm ſibi, imò antè viuit ille Deo, quā Deus
Gala.2. viueret illi: iuxta illud Apoſtoli, Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Sexto menſe ſuæ matris exultat in vtero, & in vterum virginis veniſſe nunciat Chriſtum. Feruens nuncius, qui antè geſtiuit nunciare, quàm viuere? impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: antè rapuit arma, quàm membra: antè aciem petiit, quàm lucem : & vt vinceret mundum, vicit antè naturam, ipſe ſine viſceribus viſcera matris exſcitat: & quia tardabat corpus ſolo ſpiritu implet euāgelizantis officium. Quid dicam? Ioannes antequam Chriſtum præcederet, ſe præceſſit, Patris, matris, filij corda vnus atque idem implet Spiritus Sanctus : vt vno ſanctitatis organo reſonet natiuitatis dominicæ cantilena. Nec mirum fratres, ſemper ortus regios honorat feſtiuitas, dulcis gratificat ſymphonia. Et nos fratres ; natiuitate Chriſti glorificemus canticis, honoremus muneribus : quia mentitur fiet,
Matth.2. ſi quod facit Dei Magus, non facit Chriſtianus.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expoſitio.

FVit in diebus Herodis Regis Iudææ ſacerdos quidam nomine Zacharias, &c. Sacroſancta præcurſoris Domini nobilitas non ſolum à parentibus, ſed etiam à progenitoribus glorioſa deſcendit, quatenus aduentus illius fidem non ſubita inſpiratione cōceptam, verùm auita magis propagatione ſuſceptam liberiùs prædicaret. Et quoniam quidam Aaron primi in lege pontificis, cunctis eſt nota dignitas, dicendum paucis de Abia. Cùm Dauid rex & propheta magna deuotione peteret vt inueniret tabernaculum Deo Iacob Dominus autem magis hoc à Salomone fieri decerneret, atque ideo Dauid eidem Salomoni omnia quæ ad impenſas domus pertinebant præpararet, ipſius quoque domus per ſingula, menſuras, & deſcriptionem daret: vt creſcente extrinſecus ſtatu culturæ, etiam deuotionis interius culmē augeſceret, diuiſionem nihilominus ſacerdotalium leuiticorúmque graduum in omnia opera domus Domini diſtribuit. Erāt enim principes ſanctuarij, & principes Dei, id eſt, ſummi ſacerdotes, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. Quorum vices ſecundum miniſteria ſua, vt ingrederentur domum Dei viginti quatuor ſortibus diſtinxit, in quibus Abia familiam de qua Zacharias ortus eſt, ſors contigit octaua. Diuiſit enim vtraſque inter ſe familias ſortibus, vnam domum quæ cæteris præerat Eleazar, & alteram domum quæ ſub ſe habebat cæteros, Ithamar. Lege verba dierum. Sed & antiquitatum Ioſephi librum ſeptimum, vbi ſtatutum refert, vt vtraque generatio iuxta ordinē ſortitionis miniſtraret Deo per dies octo, à ſabbato vſque ad ſabbatum. Vbi etiam de tribū leuitarum, viginti quatuor partes factas aſſerit, vt ipſi quoque eodem modo ſortiti, iuxta morem ſacerdotum octonis diebus miniſtrarēt. Non autem fruſtra primus noui teſtamenti præco in octauæ ſortis vice naſcitur, quia ſicut ſeptenario ſæpe numero propter ſabbatum vetus teſtamentum, ſic nouum aliquotiēs octonario propter ſacramentum, vel dominicæ vel noſtræ reſurrectionis exprimitur. Vnde quia non aliter quam per obſeruantiam vtriuſque teſtamenti regni cæleſtis aula penetratur, rectè & in templo Salomonis myſticus quindecim graduum aſcenſus fuiſſe narratur. Et is qui ad Dominum in tribulatione clamans exauditur, totidem graduum pſalmis ad ſuperna perducitur, quo tandem in atriis domus Dei poſitus audire poſſit. Benedicat te Dominus ex Sion. Tempus quoque Herodis alienigenæ videlicet regis etiam ipſum Dominico atteſtatur aduentui. Prædictum nanque fuerat, quia nō de- Geneſ.49.
ficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius donec veniat qui mittēdus eſt. Ex quo enim patres Ægypto exierunt, ſuę gentis iudicibus vſque ad Samuel prophetam, ac deinde regibus vſque ad tranſmigrationem Babilonię regebantur. Poſt reditum verò de Babylone, per pōtifices rerum ſumma gerebatur vſque ad Hyrcanum regē ſimul & pontificē, quo fratris inuidia multis calamitatibus vexato, & ad vltimum ab Herode (cuius patrem ipſe de ignobili aduena, hoc eſt genere Idumæo ſublimem fecerat & ciuem) vi fraudis interempto, Iudęę regnum ipſi Herodi iuſſu Cęſaris Auguſti traditur gubernādum. Cuius tricesimoprimo anno, iuxta prophetiam ſupradictam qui mittendus erat aduenit. *Erant autem iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, &c.* Benè iuſti ante Deum. Non enim omnis qui iuſtus ante hominem, iuſtus eſt ante Deum. Aliter vident homines, aliter videt Deus. Homines in facie, Deus in corde. Et ideo fieri poteſt vt aliquis affectata bonitate populari, iuſtus videatur mihi, iuſtus autem ante Deum non ſit, ſi iuſtitia non ex mentis ſimplicitate formetur ſed adulatione ſimuletur. Beatus autem ille qui in conſpectu Dei iuſtus eſt. Beatus ille de quo Dominus dignatur dicere. Ecce verè Iſraëlita in quo dolus non eſt. Verus enim Iſraëlita qui Deum videt, & videri ſe nouit à Domino, & ipſi exhibet occulta cordis. *Incedentes* (inquit) *in omnibus mandatis, &c.* Prius mandatum, ſecunda eſt iuſtificatio. Cum enim mandatis cæleſtibus obedimus, in mandatis incedimus Domini. Cum iudicamus, & congruè iudicamus, tenere Domini iuſtificationes videmur. Plena igitur laudatio: quæ genus, mores, officium, factum, iudicium, comprehendit. Genus in maioribus, mores in æquitate, officium in ſacerdotio, factum in mandato, in iuſtificatione iudicium. Quodque addidit: Sine querela, hoc eſt, quod Apoſtolus ait. Prouidentes bona, non tan- Rom.12.
tum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Et

Eccles.7. Ecclesiastes. Ne sis (inquit) multum iustus. Quia plerumque iustitia durior hominum querelam prouocat. Quæ vero temperata est, ipsa suæ dulcedinis gratia etiam inuidiæ quetimoniam vitat. *Et nõ erat illis filius, eò quòd esset Elizabet sterilis &c.* Diuinitùs est procuratum vt pronectæ ætatis diuq; coniugij fructu priuatis Ioannes parentibus nasceretur, quatenus inopinato prolis ortu & ipsos donum gratius afficeret, & exteros miraculi stupor futuri prophetæ pararet auditui. Denique posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes, quid putas puer iste erit. *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur, &c.* Per Moysen quidem Dominus vnum constituit summum sacerdotem, cui mortuo vnum per ordinem succedere iussit, & hoc ad Dauid vsque tempora seruatum est, à quo plures fieri (vt diximus) Domino nihilominus agente decretum est, qui vicissim ministrantes, tempore vicis suæ singuli castimoniæ studerent, domúmque suam omnino non tangerent. Vnde nunc Zacharias in ordine vicis suæ sacerdotio functus asseueratur. *Sorte exijt vt incensum poneret ingressus in templum Domini, &c.* Non noua nunc sorte electus est cùm incensum esset adolendum, sed prisca tunc sorte prælectus, cùm primò ex ordine sui põtificatus in vicem Abia succederet. Incensum autem in sancta sanctorum à pontifice deferri expectãte extra templum omni populo, decima die septimi mensis est iussum. Et hanc diem expiationis, siue propitiationis vocari, quę apud nos ob varium lunæ discursum à qua menses computant Hebræi, modo in Septẽbrem mensem, modo incidit in Octobrem: quia scilicet mensis quo Pascha geritur, & ordine conditionis, & edicto legis anni principium tenet, dicẽte Do-
Exod.12. mino ad Moysen. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius, tollat vnusquisque agnum, &c. Huius autem diei Apostolus ad Hebręos scribẽs,
Hebr.9. ita meminit. In prius quidem tabernaculũ semper introibant sacerdotes sacrificiorũ officia cõsummantes, in secundum autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine quem offert, &c. Quibus diei huius mysterium pandens Iesum ostendit pontificem esse verum, qui consummatis officij sui diebus, hoc est impleta dispensatione carnis in sanguine proprio, cæli secreta subiit vt propitium nobis faceret patrem, & interpellaret pro peccatis eorũ qui adhuc præ foribus orantes expectant, & diligunt aduentũ eius. Pulchre igitur ea die descẽsio eius per angelum nunciatur, qua eius per legem ascensio figurabatur.
Ioan.3. Quia qui descendit ipse est & qui ascendit. Et vt
Psal.18. Psalmus ait, à summo cęlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius. *Apparuit autem illi angelus stans à dextris altaris incensi.* Benè angelus & in templo & iuxta altare & à dextris apparet: quia videlicet & veri sacerdotis aduentum, & mysterium sacrificij vniuersalis, & cælestis doni gaudium prædicat. Nam sicut per sinistram præsentia, sic per dexteram sæpè bona prænunciantur æterna. Iuxta quod in sapientiæ laude canitur.
Prouerb.3. Longitudo dierum in dextera eius: in sinistra illius diuitiæ & gloria. ¶*Et Zacharias turbatus est videns, &c.* Trementem Zachariam confortat angelus: quia sicut humanæ fragilitatis est spiritalis creaturæ visione turbari, ita & angelicæ benignitatis est pauentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. At contra dæmoniacæ est ferocitatis, quos sui præsentia territos senserit amplius semper horrore concutere, quæ nulla melius ratione quàm fide superatur intrepida. *Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, &c.* Deprecationem dicens, exauditam, partum continuo promittit vxoris. Non quod ille qui pro populo oblaturus intrauerat, relictis publicis votis pro accipiendis filijs orare potuerit, præsertim quia nemo orat quod se accepturum desperat. Adeo autem ille iam suæ ætatis & infœcundæ coniugis memor, nasci sibi filios desperabat, vt nec angelo hoc promittenti crederet: sed quod dicit; exaudita est deprecatio tua, pro populi redemptione significat. Quòd verò adiungit; Et vxor tua pariet tibi filium, eiusdem redẽptionis ordinem pandit, quòd videlicet natus Zachariæ filius redemptori illius populi præconizãdo sit iter facturus. Singularis autem meriti indiciũ datur, quoties hominibus à Deo vel imponitur nomen vel mutatur. Sic Abram quia pater multarum gentium erat futurus, Abrahã est vocatus. Sic Iacob quia Deum vidit, Israel appellari meruit. Sic Iosias rex ob eximiæ virtutis culmen, nominatus à Deo est multò antequam natus. Ioannes ergo interpretatur in quo est gratia, vel domini gratia. Quo nomine declaratur primò parẽtibus eius gratiam quibus decrepitis filius nasceretur, esse donatam: deinde ipsi Ioanni, qui magnus coram Domino futurus, & adhuc ex vtero matris spiritus sancti sit munere ditandus: postremò etiam filijs Israel, quos ad Dominum Deum ipsorum erat conuersurus. *Et erit gaudium tibi & exultatio, &c.* Meritò gaudet pater quod vel in senecta natum vel talis gratię acceperit filium. Gaudent & alij, quibus inauditum hactenus regni cælestis euangelizatit ingressum. Et notandum quod nato præcursore multi gaudent, nato autem Domino adnũciat angelus gaudium magnum quod erit omni populo. Quia videlicet hic salutem multis prædicare, ille omnibus qui velint aduenit donare. *Erit enim magnus coram domino, &c.* Magnæ coram Domino virtutis est prædicantem in deserto cælestia gaudia terrenas ex integro spreuisse delicias. Sed & hoc coram Dominum magnum eminet, quamuis hominibus videatur esse despectum, quod is cui in natis mulierum maior nemo est, lasciuientis ob ludum puellæ capite truncatus est. Cuius ordinem magnitudinis ipse qui proposuit angelus subsequenter exponens; Et vinum, inquit, & siceram non bibet. Sicera interpretatur ebrietas quo vocabulo Hebræi omne quod inebriare potest poculum, siue de pomis, siue de frugibus, seu de qualibet alia materia confectum significãt. Proprium verò in lege Nazarenorũ erat vino & sicera tempore cõsecrationis abstinere. Vnde Ioannes, Sampson, & Hieremias cæterique tales, vt semper Nazareni, id est sancti manere possint, semper his abstinere satagunt. Decet enim vas cælesti gratiæ mancipatũ, à seculi illecebris castigari, nec vino, in quo est luxuria inebriari eum, qui musto spiritus sancti desiderat impleri. Vnde rectè cui vini ebrietas tollitur Spiritus gratia cumulatur. Quæ se tunc (vt prædictum erat) ipse repletum monstrauit, cum intrante beata Maria in vtero genitricis exultauit, & præcursionis suæ cognoscens officium, domini quantum adhuc potuit euangelizauit aduentum. *Et multos filiorum Israel conuertet*

ad Dominum Deum ipsorum, &c. Cùm Ioannes qui Christo testimonium perhibens in eius fide populos baptizabat, dicitur filios Israel ad Dominum Deum ipsorum conuertisse, patet profectò Christum esse Dominum Deum Israel. Si autem Christus est, immo quia Christus est Dominus Deus Israel, desinant Arriani Christum Dominum Deum esse negare. Erubescant Photiniani Christo ex virgine principium dare. Cessent Manichæi alium populi Israel, atque alium Christianorum Deum credere. Et quia Ioannes præcedere ante illum dicitur, videant æternum ante secula Deum post hominem in seculis natum, ideóque à suo præcursore modo virum post se venturum, modo Dei filium esse nominatum. Qui benè in spiritu & virtute Heliæ præcedere dicitur, quia sicut ille præco venturus iudicis, ita hic præco factus est redemptoris. Vnde & conuersatione prorsus simillima ambo deserta secuti, victu frugali, vestitu inculti, cinctu sunt despecti. Ambo regis & reginæ vesaniam tolerant. Ille Iordanem cælum petiturus diuisit: hic ad lauacrum salutare quo cælum petatur homines conuertit. Hic cum Domino versatur in terris, ille cum eo manifestatur in gloria. *Vt conuertat corda patrum in filios, &c.* Corda patrum in filios conuertere, est spiritalem sanctorum antiquorum scientiam populis prædicando infundere. Prudentia verò iustorum, est non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere. Vt quamuis in lege positi legis iussa perficiat, gratia se tamen Dei per Christum saluandos intelligant. Iustus enim ex fide vivit. Et Petrus de iugo legis ait: Quod neque patres nostri neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini Iesu credimus saluari quemadmodum & illi. Qua prudentia quia dintius increduli & per Ioannem imbuti, & per Heliam sunt imbuendi, rectè hæc sententia quæ per angelum de Ioanne dicta est, iisdem penè syllabis est de Helia per Malachiam prædicta. Parare (inquit) domino plebem perfectam. Quia enim Zachariam pro plebe supplicantem dixerat exauditum, docet quo ordine plebs eadem saluari & perfici debeat, ad prædicationem videlicet Ioannis pœnitendo & credendo in Christum.

Rom. 1. Act. 15.

EIVSDEM IN IDEM
Homil.

Fuit in diebus Herodis regis, &c. Venturus in carne Dominus & redemptor noster multos dispensationis suæ testes præmisit & nuncios, qui diuersis temporibus diuersis Israëliticæ plebis tribubus orti, non diuersa fide, sed vno eodémque per omnia sensu, eiusdem incarnationis mysterium prophetando præcinerent. Horum vltimus & quasi limes quidam legis & euangelij, figuræ & veritatis Ioannes apparuit, Domino attestante qui ait: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur. Vnde etiã plusquam propheta dictus est, quia quem cæteri à longè prophetando solùm prædixerant, ille & primò venturum prophetando signauit, & mox venientem ostendendo monstrauit. Qui certè gratia dispensationis non solum iustis, sed & de pontificali stirpe ortis parentibus natus asseritur. *Fuit enim sacerdos sicut ex lectione euangelica audiuimus, nomine Zacharias, &c.* Iustus quippe parentibus est

Matth. 11.

genitus, vt eo confidentius iustitiæ præcepta populis daret, quo hæc ipse non quasi noutia didicisset, sed velut hæreditario iure à progenitoribus accepta seruaret. De sacerdotali prosapia ortus est, vt eò potentius immutationem sacerdotij prædicaret, quo ipsum ad sacerdotale genus pertinere clarescceret. Redemptor etenim noster in carne apparens, sicut rex nobis fieri dignatus est regnum cæleste tribuendo, ita etiam pontifex factus est semetipsum pro nobis offerẽdo Deo hostiam in odorem suauitatis. Vnde scriptum est: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: quippe, vt legimus, sacerdos Dei summi, longè legalis sacerdotij tempora præcessit, offerẽs Deo panem & vinum. Et ideo redemptor noster sacerdos esse dicitur secundum ordinem Melchisedech, quia ablatis victimis legalibus, idem sacrificij genus in mysterium sui corporis & sanguinis in nouo testamẽto offerẽdo instituit. Quis ergo congruentius translationem legalis, vt substitutionem euangelici sacerdotij, quàm summi iuxta legem sacerdotis filius prophetaret? Qui cũ & ipse summus sacerdos secundum legem existere videretur posse, maluit docente intrinsecus incommutabili ratione veritatis noui sacerdotis præco, quàm successor & hæres existere veteris. Maluit doctus in spiritu vocatis in desertum populis noui testamenti sacramenta prædicare, quã ad se venientibus in templum, gloriosissimo illo tunc temporis sacerdotij veteris officio præesse. Prætulit longam solitudinis sitim & esuriem cõtinuis hostiarum solennis, pilis camelorum & cinctui zonæ pelliceę, auro textas pontificũ postposuit stolas. Vt quid enim hæc fratres mei, nisi vt is qui merito iustitiæ perfectioris autoritatem sibi prædicandi asciuerat, ipse etiam neglecto ordine paterni pontificatus ostenderet, quia non dubiè melioris pontificatus præco & præcursor existeret? Si verò fraternitatem vestram audire delectat, quis sit Abia de cuius vice Zacharias genus duxisse perhibetur, hic temporibus Dauid regis summus erat sacerdos. Siquidem iubente Domino per Moysen, primò vnus in lege pontifex Aaron est constitutus, post cuius mortẽ Eleazar filius eius sacerdotium suscepit. Et hoc quoq; mortuo, Phinees filius eius sacerdotij successor extitit, & sic vsque ad tempora Dauid per annos circiter quadringentos septuaginta, vnus post vnum extitere pontificatus hæredes. At vero Dauid cùm magno feruens studio religionis templum Domino condere desiderasset, Dominus autem magis hoc per filium eius Salomonẽ vellet impleri, nihilominus ipse Dauid omnia quæ ad futuram eiusdem templi constructionem vel reuerentiam pertinent, solicitus præparare curauit. Vnde etiam cantores statuit, qui tempore sacrificij quotidie psalmos cum melodia resonarẽt, atque animos populi circũstantis ad memoriam amorémque cælestium, non solum sublimitate verborum quæ dicebantur, sed etiam suauitate sonorum qua dicebantur erigerent. Voléusque vt crescente cultu & magnificentia templi, decus quoque ministerij illius & ministrantium cresceret cœtus, conuocauit omnem progeniem filiorum Aaron, & eos videlicet qui de Eleazar, & illos qui de Ithamar stirpe descenderant, diuisitque hos in partes viginti quatuor, ac de his singulis

Psal. 109. Gene. 14. 1. Par. 24. Exod. 28. 1. Par. 23. 1. Par. 16.

gulis singulos pontifices eligens, cæteros qui in
partibus erant sacerdotij minoris, qui nunc pres-
byteratus vocatur, officio fungi præcepit, ea vide-
licet prouisione, vt dùm quilibet pontificum vi-
ta decederet, quicunque in eius parte optimus
putaretur, ei in pontificatu succederet. Quas vi-
delicet partes taliter ordinauit, vt singuli ponti-
fices cum subiectis sibi sacerdotibus, per octonos
dies, hoc est à sabbato vsque ad sabbatum, mini-
strarent. Et cum omnes gradu sacerdotali essent
æquales, vnus tamen in eis qui dignior videretur
speciali reuerentia ac potestate præminens, sum-
mi sacerdotis nomen haberet. Qui autem ordo
partium eundem seruare deberet, missa coram
Dauid rege & principibus familiarum sacerdo-
talium, & Leuitarum sorte quærebatur. In qua-
1. Par. 24. rum distributione sortium, Abia de cuius vice &
genere Zacharias oritur, octauo loco positus in-
uenitur. Et rectè præco noui testamenti, in quo
gloria resurrectionis mũdo declaratur, loco octa-
uæ sortis nascitur: quia & Dominus noster vna
sabbati, quæ est à die conditionis octaua, resur-
rexit à mortuis, & nobis post sex huius seculi ętа-
tes, ac septimam quietis animarum, quæ est in
alia vita, octaua iam ætas perpetuę resurrectionis
promittitur in fine. *Erant autem iusti ambo ante
Deum, &c.* Sæpe contingit, vt hi qui iam perfecti
hominum æstimatione iudicantur, adhuc in ocu-
lis interni arbitri, minus aliquid perfectionis ha-
beant: & rursus euenire solet, vt nonnulli quibus-
dam virtutum operibus immoderatiùs studen-
do, dùm sine scientia Deo placere appetunt, pro-
ximorum oculos offendant. A qua vtraq; repre-
hensione parentes beati Ioannis immunes esse
declarantur, de quibus cùm dictum esset: Erant
autem iusti ambo, continuò subnectitur, Ante
Deum: & cùm adiunctum esset: Incedẽtes in om-
nibus mandatis & iustificationibus Domini, mox
infertur: Sine querela. Ac si apertè dicatur; Adeò
se in actibus pariter & cogitationibus suis circũ-
spectè agebãt, vt & diuinis obtutibus in occulto,
& humano foris iudicio placerẽt, iuxta illud Apo
2. Cor. 8. stoli: Prouidemus enim bona non solum coram
Deo, sed etiam coram hominibus. *Et non erat illis
filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, &c.* Diuinitus
est procuratum, vt sterili matre & vtroque paren-
te prouectioris ætatis Ioannes nasceretur, quate-
nus etiam ipse ortus eius miraculo patesceret,
virum magnæ virtutis futurum esse qui nasce-
batur, vbi desinente omni lasciuia concupiscen-
tiæ carnalis constaret: quia nulla in conceptione
causa voluptatis, sed sola cogitata sit spiritalis
Genes. 21. gratia prolis. Sic Isaac filius promissionis, qui in
figuram redemptoris nostri factus est obediens
Genes. 25. patri vsque ad mortem, de veteranis parenti-
& 30. bus & sterili diu matre natus est: sic Iacob & Io-
Iud. 13. seph patriarchę, sic Sampson fortissimus du-
1. Reg. 1. cum, & prophetarum eximius Samuel steriles
diu corpore, sed fœcundas semper virtutibus
habuere genitrices, vt miraculo natiuitatis, na-
torum dignitas nosceretur, & probarentur subli-
mes in vita futuri, qui in ipso vitę exortu cõditio-
nis humanę iura transcenderẽt. Quod vero sequi-
tur, *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur, &c.*
Claret quidem omnibus, quia iam redeunte ex
ordine septimana vicis suæ, quæ ei de vice Abia
contigerat, templum ministraturus intrauit: sed
fortè aliquibus obscurum est, quia scriptura ta-
cere videtur, quo hæc sint anni tempore gesta.
Quibus intimandum, quia nec hoc scriptura prę-
termisit, sed ex eo quod addidit latenter innuit,
& omnis, inquiens, multitudo erat populi orans
foris hora incensi. Vna etenim tantummodo per
annum solennitas erat, in qua pontifice ad oran-
dum sancta sanctorum intrante, nullum prorsus
hominum intra fores templi remanere liceret, sed
omnes tempore oblationis exterius iuberentur
orare. Hæc autem erat statuta solennitas septimo
paschæ mense, decima die mensis, quæ dies pro-
pitiationis siue expiationis vocabatur: quia vide-
licet oblatis in altari holocausti victimis, sanguis
in sancta sanctorum ad expiandum inferebatur.
Nec solùm sanguis ibi aspergebatur, sed & thi-
miama adolebatur, quod in præsenti lectione
Zacharias fecisse memoratur. Dicit ergo de hac
solennitate Dominus Moysi: Mense septimo de- Leuit. 16.
cima die mensis affligetis animas vestras, nullum-
que facietis opus. Expiabit autem pontifex san-
ctuarium, & tabernaculum testimonij, atque al-
tare, sacerdotes quoque & vniuersum populum,
eritque hoc vobis legitimum sempiternum, vt
oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eo-
rum semel in anno. Et paulo superiùs, cùm ritum
eiusdem expiationis doceret, ait inter alia: Nullus Ibidem.
hominũ sit in tabernaculo, quãdo põtifex ingre-
ditur sanctuariũ, vt roget pro se, & pro domo sua,
& pro vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur. Lõ-
gũ est de singulis huius diei cæremoniis scripturæ
testimonia ponere, longius multò singula suffi-
cienter, quomodo nunc spiritaliter in Ecclesia
agantur exponere. Vnde hoc maximè libet vestræ
fraternitatis auribus intimare, quàm conuenien-
ter electum sit tempus, in quo præcursoris Do-
mini natiuitas, & virtus futura nuntiaretur. Se-
ptimus quippe mensis, & decima huius dies sa-
cratissimo huic oraculo dedicatur, quia nimirum
ille nasciturus prædicabatur, qui consummatio-
nem obseruantiæ legalis, & euangelicæ gratiæ
prædicaret initium: quia ortus monstrabatur il-
lius, qui primus omnium & venire, & iam adesse
ostenderet Dominum saluatorem, de quo scri-
ptum est: Finis enim legis Christus ad iustitiam Rom. 10.
omni credenti. Nam & septenario propter sabba-
tum, & denario numero propter decalogum, le-
gis adimpletio rectè figuratur. Dies hæc propi-
tiationis erat & expiationis, in qua populus om-
nis ab operibus vacare, & per orationes atque
abstinentiam affligi, & castigari præceptus est.
Quod beati Ioannis & vitæ & prædicationi mul-
tum congruit, qui & ipse à mundanis vacans ope-
ribus cælestibus solùm studiis ac desideriis ani-
mum dabat, & conuenientes ad se turbas à malis
operibus abstinere, ac per pœnitentiam fidém-
que expiari, & Christo consecrari docebat: quia
tempus iam diuinæ propitiationis instaret, in quo
cunctis pie quærentibus, regni cælestis pateret
ingressus. Quòd autem hac die pontifex sanctua-
rium, & tabernaculum testimonij, atque altare,
sacerdotes quoque & vniuersum populum ex-
piare iussus est, Ioannes ipse quis sit iste pontifex,
quæ hæc expiatio manifestat, cùm illo veniente
ad baptismum suum loquitur, dicens: Ecce agnus
Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quæ videlicet Ioan. 1.
expiatio semel in anno celebrari statuta est, quia
sicut Apostolus ait; Christus semel oblatus est ad Heb. 9.
multorum exhaurienda peccata, secũdò sine pec-

cato appatebit expectátib⁹ se in salutē. Quòd autē pontifice ad togādum ingrediēte sanctuariū, neminem hominū in tabernaculo esse licebat donec exiret, infirmitatem sanctę Ecclesię designat, quæ pro fide eius pati needum erat idonea. Quod in

Matth.26. ipsis patefactum est Apostolis, qui inchoata eadem passione illius, omnes relicto eo fugerunt. Egrediebatur autem expleta expiatione pótifex, vt & alijs tabernaculum intrandi facultas daretur: quia perfecto suæ sacrificio passionis, apparuit discipulis Christus: & data spiritus sancti gratia, ad offerendas Deo hostias non solùm denoti operis & orationis, sed & proprij sanguinis, eorum quoque corda roborauit. Hæc de obseruantia festiuitatis legalis latiùs exposuimus, vt agnosceret charitas vestra, quàm congruenter in ea, noua gratiæ præconia sumpserint exordium, in qua tam multipliciter opus eiusdem gratiæ & totius mundi redemptio significabatur. *Apparuit autem oranti Zacharia angelus, stans à dextris altaris incensi.* Quo notandum quòd non solum virtute sermonum quos protulit, verumetiam statu temporis, & loci situ in quo apparuit, gratiæ quam euangelizare venerat, testimonium perhibet. Tempore quippe oblationis sacerdotij apparuit, vt verum se æternúmque pontificem, verum pro mundi salute hostiam venturam prædicare significaret. Stabat iuxta altare incensi, vt noui testamenti præconem se venisse doceret. Duo nanque altaria erant in templo, quæ duo testaméta signant

Exod.38. in Ecclesia. Primum altare holocausti ęre coopertum, & ante fores templi ad offerendas victimas & sacrificia positum, quod carnales veteri testa-

Exod.30. menti cultores significat. Deinde altare incensi auro tectum, propter ostium sancti sanctorum, ad adolenda thymiamata erat statutum, quod interiorem perfectiorémque noui testaméti & cultorum illius gratiam designat. Stabat etiam à dextris eiusdem altaris, vt non terrena & infirma, sed gaudia cælestis & sempiternæ beatitudinis, quæ per dexteram solent figurari, hominibus se promittere monstraret: illis maximè qui per cordis sui munditiam ipsi altare aureum effici, qui propè ingressum regni cælestis sedula cogitatione assistere, qui arnmata orationum per ignem amoris Deo incendere, qui dicere possunt cū Propheta,

Psal.140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Quod autem ait Zachariæ, *Quia exaudita est deprecatio tua, &c.* Non est arbitrandum quod pontifex qui pro populo oraturus intrauerat, mutato repentè animo pro priuatis negotiis cœperit rogare, maximè pro liberis, à quorum generatione in tantū homo senex ac decrepitus spem totam auerterat, vt neque angelo promittente crederet nasci sibi filium posse. Sed hoc certissimè sciendum, quia pro populi saluatione rogabat, quem & maximo peccatorum languore vexatum, & insuper alienigenę regis dominio pressum noverat. Vnde angelico oraculo & se exauditum cognouit à domino, & quo ordine salus quam quærebat esset aduentura didicit: quia videlicet nasceretur sibi filius, qui propheta & doctor eximius existens, eundem populum ad viam veritatis, spémque promerendæ salutis conuerteret, & mox sequeretur ipse saluator, qui regni cælestis gaudia præstaret. *Et vocabis*, inquit, *nomen eius Ioannes, &c.* Magnæ laudis est & virtutis indicium, quotiens in scripturis hominibus à Deo nomen imponitur vel mutatur. Benè autem præcursor redemptoris nostri Ioannes vocari iubetur, Ioannes quippe domini gratia, siue in quo est gratia dicitur: quia & ipse specialem præ cæteris sanctis eiusdem præcursionis gratiam accepit, & inauditam eatenus mundo cælestis ingressus gratiam prædicare aduenit. Qui ergo & gratia plenus extitit, & cæteris Dei gratiam euangelizauit rectè præconium gratiæ ipso etiam suo nomine signauit. Meritoq; in eius natiuitate multis exultandum prædicitur, per quem suæ regenerationis mundo autor ostenditur. *Erit enim magnus coram domino.* Notandum, quòd idem laudis præconium Ioanni ab Angelo, quod ab Euangelista parentibus fertur illius. Et illi enim iusti ante Deum, & hic corā domino magnus esse perhibetur. Quàm magnus autem coram domino fuerit, ipse qui solus virtutem magnitudinis eius & donauit & nouit, dominus insinuat, dicens: Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Sed & Matth.11.
Angelus multifariam eius coram domino magnitudinem subsequenter exposuit, *Et vinum*, inquiens, *& siceram nō bibet, &c.* Siquidē in eo quòd illum à vino & siceta, id est, ab omni quod inebriari potest, continentiam habiturum asseruit, patēter indicauit, quia ab omnibus viriis & mundi illecebris, quæ statum mentis solent euertere, futurus esset immunis. In eo autem quòd illum adhuc ex vtero matris spiritu sancto replendum esse memorauit, profectò quia natus in mundum, cunctis virtutum fructibus esset clarificandus ostendit. Quid enim viuenti & conuersanti inter homines poterat deesse virtutis, qui & si vt homo in iniquitatibus conceptus est, contra morem tamen humanæ conditionis non in delictis eum præuaricationis, sed in gratia remissionis mater sua peperit? Neque enim dubitandum est, quia spiritus sanctus quē eum repleuit, etiā a peccatis omnibus absoluit. Constat quippe veridica patrum sententia, quia lege non stringitur spiritus sancti donum. Et propterea qui Cornelium Act.10.
& domum eius ante perceptionem baptismi sua gratia consecrauit, ipse vtique Ioannem non solùm ante circuncisionem, sed & ante natiuitatem eiusdem gratiæ munere perfudit, ita vt officium suę præcursionis domino adhuc in vtero positus, quia loquendo nondum poterat, iam gratulando Luc.1.
præberet, quando sicut sequentia sancti Euangelij testantur, intrante beata Dei genitrice & salutante Elizabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. Sed & in eo quòd illum multos filiorum Israel ad dominum Deum ipsorum conuersurum asseuerat manifestè Angelus quoniam magnus coram domino esset futurus indicat, quem optimo genere conuersandi vitam peracturum esse declarat. Quæ enim inter homines sublimior, & Deo gratior esse conuersatio potest, quàm eorum qui se castigant à vitiis, qui virtutum studia animum fatigant, insuper etiam alios quotidiano exercitio ad autoris sui gratiam student conuertere, & crebra animarum fidelium acquisitione, gaudium semper patriæ cælestis augere? *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ.* Ioannes in spiritu & virtute Heliæ dominum præcedere dicitur, quia sicut Helias in magna virtute spiritus secundum eius aduentum præueniet, ita Ioannes non minore spiritus potentia præditus præuenit primum. Sicut ille præcursor futurus

est

est iudicis, ita ille præcursor factus est redemptoris. Nec solùm aduentus ordine, sed doctrinæ quoque similitudine Ioannes in spiritu & virtute Heliæ dominũ præcessit. Nam sicut de Ioãne angelus subiungit, *Vt conuertat corda patrum in filios, &c.* Ita & dominus per Prophetam non dispatem de
Malach.4. Heliæ prædicatione sententiam promsit, dicens: Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Vnum igitur atque idem vtriusque opus est, fidem scilicet atque intellectum, quem habuere patres, filiorum mentibus prædicando infundere. Nam patres & iusti appellantur veteres sancti, de quibus saluator ait di-
Matth.13. Luc.10. scipulis: Multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Filij vero & incredibiles illius æui homines, quo vel Helias prædicaturus est, vel Ioannes prædicabat vocantur. Conuertit autem Ioannes corda patrum in filios, quia sapientiam quam habuerunt patres Christum credentes ac desiderantes in carne venire, transfudit in filios docendo eos credere & gaudere, Christum in carne venisse. Conuertit incredibiles ad prudentiam iustorum, quia eos quos sine fide Christi inuenit de operibus legis frustra gloriantes, docuit credere in Christum, eiúsque se gratiæ tota intentione submittere, ac præcedentium iustorum imitari prudentiam, qui & legem perficere diligentissimè studebant, & nihilominus in gratia domini Iesu, nõ autem in operum suorum iustitia, salutem sperare didicerant.
Abac.2. Hinc namque vnus ex eis dicit: Iustus autem ex fide viuit. Vnde & apertè subiungitur: *Parare domino plebem perfectam.* Hæc etenim pulcherrima dominicæ plebis perfectio est, quam & Ioannes suo tempore prædicando parabat, & nunc dominus ipse donãdo per orbem latiùs adimplet, cum nos euangelicis & verbis instituti & imbuti mysterius eandem fidem ac dilectionem habere discimus, quam legalibus præceptis edocti patres habuisse probantur. Hoc perfectissimum sanctæ ecclesiæ decus est, cùm ad eadem quæ illos intrasse constat supernæ pacis gaudia suspiramus: atque vt hæc etiam nos intrare mereamur, cælestem in terris exercere vitam contendimus, cùm eorum exemplo, nulla quę facimus vel percipimus bona nostris meritis adscribimus, sed ad autorts nostrũ per omnia gratiam respicimus. De quo illorum
Psal.94. quoque testimoniũ edocemur, quia ipse est Deus, ipse fecit nos & non ipsi nos, non solùm scilicet vt homines simus, verum etiam vt sancti & beati
Psal.102. homines simus. Cuius dona gratiæ si puro semper & infatigabili corde sectamur, ipse iuxta eorundem patrum promissa propitius fit omnibus iniquitatibus nostris, ipse satiat in bonis desiderium nostrum, ipse non in operibus iustitiæ, quæ ex nobis habere potuimus, sed in miseratione & misericordia quam ipse donauit, nos in vitam coronet æternam, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum,
Amen.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euang. expositio.

ERat in diebus Herodis regis Iudææ, &c. Mentionem facit regni Herodis, tùm vt narrãdo prophetarum formam seruet: illi enim sic incipiunt. In diebus Ioachaz & Ezechiæ, & cuiuspiam, facta sunt hæc: tùm quia de Christo dicturus est, ideo meminit Herodis, vt ostendat quòd sub Herode verè venerit Christus. Hic enim Herodes fuit, quum defecissent apud Iudæos principes, iuxta prophetiam Iacob. Vnde monstratur quod Christus venerit. Gen.49. Sed & in hoc rectè facit, quod ostendendo tempus, certiùs ostendit euangelium, Copiam enim quærendi, si qui volent, & discendi euangelij veritatem à tempore facit. Et incipit à Zacharia patre Ioannis: idque merito, quoniam de Christi natiuitate dicturus, præcursórq; Christi fuit Ioannes, neque illius natiuitatem sine miraculo fuisse narrat. Et quia virgo paritura erat, præordinauit Deus vt vetula pareret: non secundum legem naturæ, tametsi ex viro. Quid autem est: Ex vice Abia? Intelligunt quidam sic, quod duo fuerint sacerdotes, successione ministerium perficientes, quorum vnus Abia, alter autem Zacharias. Quia igitur sacerdotio functus erat Abia, post illius ministerium ministrauit etiam Zacharias. Videtur autem non sic esse. Solomon enim quum perfecisset templum, constituit & vices, hoc est hebdomadas. Et in vna constituit filios Chore, in alia Asaphat, in alia Abia, in alia alium. Igitur quod dicit, fuisse de vice Abia, sic oportet intelligere, quod de hebdomada Abia fuerit. Non quod post hebdomadam Abia functus sit ministerio: dixisset enim, post hebdomadã Abia, nunc autem quum dixit, de vice Abia, ostendit quod ex ordine & hebdomada Abię fuerit. Ostendere autem volens, quòd ex vtroque parente legitime fuerit ex sacerdotali genere Ioãnes, dicit. Et vxor eius de filiabus Aaron. Num.36. Non enim licebat ex alia tribu vxorem ducere: sed ex eadem. Elizabeth interpretamur Dei quietem: Zacharias autem memoriam Domini. *Erãt autem ambo iusti coram Deo.* Quidam iusti sunt, at non coram Deo: sed in specie tãtum, & coram hominibus: illi autem etiam coram Deo iusti erant. *Ambulantes in omnibus præceptis, &c.* Mandata quidem sunt, vt ne occidas, ne adulteriũ cõmittas: Iustificationes autem, vt qui Exod.21. maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. In- Leuit.20. stũ enim hoc. Scito quòd & mãdatum iustificatio Ioan.15. nominari potest, vt pote iustum faciens hominẽ, imo & Dei iustificatio existens. In die enim illa condemnat nos, quasi scripta quædam iustificatio in nobis sit. Nisi enim venissem, inquit, & locutus essem eis, peccatum non habuissent. Et iterum. Sermo quem loquutus sum eis, ille eos condemnabit. Quare autem quum dixit, ambulantes in omnibus mandatis, adiunxit, irreprehẽsibiles: Multi ambulant in legẽ Dei, sed omnia faciunt, vt videantur ab hominibus. Tales igitur non sunt irreprehensibiles: Sed Zacharias, & fecit mandata, & citra reprehensionem fecit, non vt hominibus placeat talia faciens. *Nec erat illis proles, eò quòd Elizabeth sterilis esset, &c.* Iustorum mulieres & iustæ, sæpe steriles fuerunt, vt discas legem nõ exigere corporalium filiorum procreationem, sed spiritualium. Pro uectæ autem ætatis ambo

ambo erant, tam corpore, quam anima. Etenim iuxta animam profecerant, & progressi erant ponentes ascensiones in corde, & diem habentes, sed non noctem: vitam, vt in luce honestè agentes. *Factum est autem, quum sacerdotio fungeretur Zacharias, &c.* Coram Deo mundi soli sacerdotio funguntur, ab impuris autem auertit Deus faciem suam. Quando autem tempus incendendi odores? Vel omnino secundum tempus deprecationis, quando solus in sancta sanctorum ingrediebatur summus sacerdos, vt discamus, quod sic summus sacerdos ingressus in sancta sanctorum, hoc est cælum, cum carne, acceperit fructum incarnationis suę nostri curam & salutem. *Apparuit autem illi angelus Domini, &c.* Non omnibus apparet Angelus, sed mundis corde, qualis erat Zacharias. Altare autem thymiamatis dicit: quia erat & altare holocaustorum. *Et turbatus est Zacharias illo viso, &c.* Turbatur quidem Zacharias. Insolitæ

Visiones quando diuinæ, & quando diabolicæ. enim visiones etiam sanctos turbant. Verùm Angelus confestim turbationem sedat. Vbique enim hoc iudicio discernuntur visiones, quæ à Deo, & quæ à diabolo. Nam si mens primum turbetur, & statim timor soluatur, & iterum quiescat, reuera diuina est visio. Si autem timor ac turbatio magis atque magis crescant, dæmoniaca est visio. Quare angelus dicit: Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi? Nam Zacharias non pro filio precatus est, sed pro peccatis populi. Dicunt igitur quod quoniam pro peccatis populi orabat, futurum autem quod generaret

Ioan. 1. filium qui clamaret. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: meritò dicit ad illum Angelus. Quoniam exaudita est deprecatio tua pro remissione peccatorum populi. Filium enim generabis, propter quē remissio erit peccatorū. Alij autem sic intelligunt. Quoniam exaudita est deprecatio tua Zacharia, & remisit Deus peccata populo, Deinde quasi ille dixisset Angelo. Vnde hoc manifestum? dicit Angelus. Hoc tibi signum do, quod pariet filium Elizabeth, & ita per puerperium Elizabeth, credibile tibi sit, remissa esse peccata populo. *Erit enim magnus coram Deo, ac vinum & siceram non bibet, &c.* Magnum fore Ioannem prædicit Angelus, Multi sanè magni fuerūt coram hominibus, at nō item coram Deo, vt hypocritæ. Magnus autem Ioannes iuxta animam, sicut & paruus iuxta animam dicitur omnis qui scandalizatur. Nullus enim magnus scandalizatur, sed parui, sed pusillanimes. Dicit igitur Dominus. Qui scādalizauerit vnū ex paruis. Quem-

Matth. 18. admodū autem hi genuerunt Ioannem iusti fuerunt coram Deo, sic & puer ipsorum magnus co-

Sicera. ram Deo. Sicera autem dicitur omne quod inebriare potest, & non est ex vite. Quum autem esset adhuc in vtero matris, repletus est Spiritu Sancto, quādo mater Domini venit ad Elizabeth & exultauit præ gaudio infans propter aduētum Domini. Porro conuertit corda patrum ad filios, hoc est, Hebræorum ad Apostolos. Patres enim fuerunt Iudæi, illorum autem filij Apostoli, conuertit igitur corda Iudæorum ad Apostolos, docens & testificās de Christo. Qui autem de Christo testatur, omnes fideles facit & Discipulos suos. Non omnes conuertit Ioannes sed multos: Christus autem omnes illuminauit. At in Spiritu Heliæ præcessit. Sicut enim in Helia efficax fuit gratia, ita & in Ioanne. Et sicut Helias secundi aduentus præcursor, ita & Ioannes primi. In virtute autem Heliæ, eò quòd idem voluerunt aduentus amborum, ambo enim ad Christum congregant. Et aliter. In virtute ac spiritu Heliæ venit Ioannes, eo quod eremita fuit etiam ipse, & frugalis vitæ, & arguens sicut ille. Conuertit autem & incredulos Iudæos ad prudentiam iustorum, hoc est, Apostolorum doctrinam. Prudentia *Prudentia Apostolorum.*
autem Apostolorum gratia est spiritus in illis. Præparauit quoque Domino, id est, Christo, plebem præparatam, hoc est, capacem ad suscipiendum prædicationem, vt exempli gratia. Quando veniebat propheta quispiam prædicans, non omnes credebant, sed qui præparati erant, & qui seipsos ad hoc accommodabant. Nam sicut si quis noctu veniat in domum, non omnes illum excipiunt, sed qui vigiles sunt, expectántque, & ad excipiendum parati sunt: sic & Ioannes præparauit Domino populum; non incredulum quidem, sed elaboratum, & præparatum ad suscipiendum Dominum.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

FVit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos nomine Zacharias. Patrem dicit Baptistæ. Primum autē admiranda exponit quæ circa præcursoris conceptum ac natiuitatem acciderunt: demonstrans quod statim ab exordio vitæ dignus erat, qui Christum annuntiaret, populóque demonstraret. Quia verò ea narraturus est, quæ apud Iudæos contigerunt: meritò quoque ponit præ oculis tēpus Herodis regis, vt & tempus illarum rerum fiat manifestum. Herodem autem intelligit eum, qui infantes occidit, patrem illius Herodis qui præcursorem interemit. *Ex vice Abia.* Vicem appellabant hebdomadarium ministerium. Tunc siquidem duo erant templi sacerdotes sibi mutuo succedentes. Abia videlicet & Barachias. Ea vice igitur Abia, siue post vicem Abia, id est, succedens ipsi Abia. *Et vxor eius de filiabus Aaron.* E posteris Aaron. Demonstrauit ergo quòd præcursor à sacerdotali descendit tribu, non secundum patrem tantum, sed etiam secundum matrem: & vtrinque sacerdotalis erat. *Et nomen eius Elizabeth.* Addidit & hoc diligentię causa. *Erant autem iusti ambo coram Deo.* Iustos dicit nunc virtuti deditos. Erāt autem iusti non coram hominibus, sed coram Deo, hūc habentes suæ iustitiæ inspectorem, hæc enim est vera iustitia. *Incedentes in omnibus præceptis, &c.* Legalia præcepta vocauit etiam iustificationes, vt pote iustitiæ plenas: & quę incedentes in ipsis iustificarent. *Et non erat eis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis †: & ambo processerant in diebus suis.* Processerant, hoc est senuerant & prouectæ erant ætatis. †

† *Sæpenumero iustorum vxores etiam iustæ, liberis caruerunt, vt hinc discas legem non exigere carnalē propagationem, sed spiritualem.* †

Factum est autem quum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ coram Deo, &c. Intus erat altare thymiamatis, extra vero altare super quod offerebātur animalia & oblationes. A dextris autem steterit, vt qui prospera & bona nuntiaturus venerat. *Et Zacharias viso eo turbatus est, &c.* Turbatus est, suspicatus se protinus moriturum. *Dixit autem ad eum angelus, Ne timeas Zacharia.* Primum abiecit animi

illius

illius timorem, vt fine turbatione audiret, & animum adueteret ipsius fermonibus. Dicēs autem: Ne timeas, inquit vt gaudeat: deinde causam quoque ponit gaudij. *Quia exaudita est oratio tua.* Quam pro salute populi fudisti. Pro hac enim sacerdotes quotidie precabantur. Exaudita est autem, eo quod iam saluator sit humanitatem suscepturus, & populū suum a peccatis eorum saluum facturus. Ad demonstrationē vero & cōfirmationē quod eius oratio exaudita esset, ait. *Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Et hūc vtilem ad populi salutem. Ostensurus enim erat populo saluatorem. Nam quia pœnitentiam præcedere oportet ad salutem: opus etiam erat, vt pœnitentiæ prædicator eum præcederet, qui salutem erat collaturus. Ideo quoque primum nascitur præcursor. *Et vocabis nomen eius Ioannem.* Vtpote à ventre matris gratia donatum, siue à Deo amatum; Vel tāquam causam gratiæ suis parentibus multisque alijs, velut postea manifestum erit. Ioānes enim Hebraicum nomen est, quod si quis ad Latinam vocem interpretetur, sonat gratia vel gaudium. *Et erit tibi gaudium & exultatio.* Qui talis pueri factus sis pater, cuius & conceptus, & quæ sequentur, supernaturalia erunt ac admiranda, sicut in sequentibus patebit. *Multique in natiuitate eius gaudebunt.* Non cognati solum & vicini, verum etiam quibuscunque diuinitus innotuerit, quod ministerium ipse sit expleturus. *Erit enim magnus coram Domino.* Magnus apud Deū, quia magnus virtutibus. *Et vinum ac siceram nequaquam bibet.* Sicera vocabatur quicquid in modum vini inebriare poterat †: maxime verò potio à palmarum fructu confecta.

† *A verbo* שכר *sachar, quod inebriare sonat.*

Et spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris sua. Postquam per vini ac siceræ abstinentiam, de suauium rerum abstinentia fecit certiorem: vbi etiam ab hoc innuit durum conuersationis eius exercitium, docuitque quod magnus futurus erat coram Domino: ad firmā deinceps persuasionem, dicit id quod maius est, videlicet quòd à puero inducetur virtute ex alto, præuidente Deo conuersationem eius, & in quod diuinum vas erat euasurus. *Multosque filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Qui ab eo persuasi confugient ad Christum: hūc enim vocat hic Dominum Deum. *Et ipse præcedat coram eo.* Præcurret coram eo prædicans pœnitentiam, & annuntians aduentum eius. *In spiritu & virtute Heliæ.* Spiritum appellauit gratiam spiritualem: virtutem [illegible], efficaciam. Dicit ergo quod gratiam quoque & efficaciam habebit Heliæ, quas videlicet habebit Helias præcurrens secundū Christi aduentum: & hic nūc faciet quæ postmodum facturus est Helias. Apponit autem & quæ futura sit eius virtus siue potētia. *Vt conuertat corda patrum in filios.* Prophetauit hoc & Malachias, & accurate declaratum est vicesimo capite euangelij iuxta Matthæum vbi dicitur, Et si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus erat. *Et inobedietes ad prudentiam iustorum.* Hos eosdem dicit inobedientes, quia ad id vsque tempus fuerant inobedientes. Conuertet ergo hos ad prudentiam bonorum, ad intelligentiam perfectorum. *Vt paret Domino plebem præparatam.* Præparatam per pœnitentiam: vel præparatam ad salutis susceptionem.

Malach. 4.
Matth. 11.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE.

LVC. 1.



LIZABETH impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens [a] mater eius dixit: Nequaquam, sed [b] vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: [c] Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. [d] Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et [e] postulans pugillarem, scripsit, dicens: [f] Ioannes est nomen eius. Et [g] mirati sunt vniuersi. [h] Apertum est autem illicò os eius & lingua eius, & loquebatur

a Amb. Bed. Spiritu prophetiæ didicit, quod non didicerat à marito, non poterat ignorare non prænuncium quē prophetauerat Christum.

b Ambr. Bed. Sicut ab angelo Zacharia erat prænunciatum.

c Amb. Bed. aduerte hoc nomen non esse generis sed vatis.

d Amb. quia incredulitas affatum ei eripuit & auditum. Quod voce non poterat manu & literis locutus, & nutu interrogatur.

e Amb. quia lex scripta in tabulis lapideis mysteria loquitur.

f Amb. Bed. Hoc nomen nos non imponimus, quia iam à Deo accepit, habet suum nomen, quod agnouimus non quod elegimus.

g De conuenientia inter patrem & matrem.

h A. Iam soluit fides linguam, quam incredulitas ligauerat.

quebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Et [i] posuerunt omnes, qui audierant in [k] corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo, Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens: [l] Benedictus [m] dominus Deus Israel, quia [m] visitauit & fecit [n] redemptionem plebis [o] suæ.

i Excitati miraculo, & timore stupefacti.
k Tacite euentum rei expectantes.
l Est vel sit.
m Bed. longa infirmitate tabescentem. Apparens in carne. Quasi dicat, longius à se recedentes sufficere curauit.
n Sanguine filij redemit sub peccata vendita.
o Quam suam visitando fecit.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.

IMPLETVM est. Beda Verba impletionis sacra scriptura in bonorum tam ortu, vel obitu, vel actu ponere consueuit: quorum vitam plenitudinem perfectionis habere signat: Vt Impleti sunt dies Mariæ vt pareret. Impleuit Salomon ædificare domum. Defunctus est Abraham plenus dierum. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Sed contra dies impiorum, inanes & vacui. *Et audie.* Ambrosius. Be. Habetur sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia comune bonum est. Iustitia enim communis virtus est: & ideo in ortu iusti futuræ vitæ insigne præmittitur, & gratia futuræ virtutis exultatione vicinorum præfiguratione signatur. *Die octauo.* Per circuncisionem resurrectio domini figuratur, quia & octaua die, id est, post sabbatum facta est: Et sicut illa à reatu mortis absoluere solebat, sic ista immortalis vitę natiuitatē, & in autore nostro exhibuit, & in nobis monstrauit sperandam. *Et voca. eum.* Be. Ioannis celebrata natiuitas, est noui testamenti inchoata gratia: cui Iudæi (qui legis obseruatione quasi affinitate iuncti erant) nomen patris volunt imponere: quia magis iustitiam, quæ ex lege est, volunt suscipere, quam gratiam, quæ ex fide. Qui puerum nomine patris vocant, eos figurant qui domino noua gratiæ munera declarante, cuperent eum potius per consueta veteris sacerdotij edicta prædicare. Vnde bene Zacharias memor domini interpretatur, quia memoriam antiquæ obseruationis à domino datæ figurant. Mater, quæ verbis, & pater, qui scriptis quòd Ioãnes vocetur, astruũt, significat quòd ipsa legis doctrina, de suscipienda gratia Christi viua voce instruit, dicendo per legislatorem: Prophetam suscitabit vobis dominus de fratribus vestris ipsum audite: & ipsum sacerdotium legale cæremoniarum typis (quasi mutis literarum figuris) gratiam euangelij si rectè intelligatur exprimit. *Innuebant.* Qui innuunt patri de nomine pueri, significant illos qui testimonio legis, intendunt astruere gratiam fidei. *Aper. est an.* Quod declarato & confirmato nomine Ioannis, aperitur os Zachariæ & benedixit, pater, quia manifestata ex per apostolos gratia noui Testamenti. Multa etiam turba sacerdotum, relicta taciturnitate nociua, obedit fidei, & prædicat dona redemptoris: & quę prius occultabantur in sacerdotio legali, rationabiliter intellecta soluuntur. Quod in die circuncisionis Ioannis factus est timor super vicinos, significat quod tempore dominicæ resurrectionis, apostolus dato spiritu & prædicata gloria Christi, salubris timor non solum Iudæorum qui erant vicini vel situ loci, vel sciẽtia legis, sed etiam exterarum gẽtium corda concussit. Nec tantum mõtana Iudęę, sed omnia mundani regni mundanæque sapientiæ culmina Christi fama transcendit. Præcurrentia signa prębent iter præcursori veritatis, & futurus propheta præmissis commendatur auspicijs. *Et propheta.* Bed. Magna largitas diuinæ pietatis. Ecce loquela quæ sola ablata est diffidenti, cum spiritus prophetiæ restituta est credenti. Ambros. Elizabeth paucis, Zacharias multis prophetat: vterque sancto spiritu repletus loquebatur, sed disciplina seruatur, vt mulier magis discere, quæ diuina sunt, studeat quam docere. *Benedictus.* quia dum bonitatem Dei rogauit, pro liberatione præcursor donatus est. *Visitauit.* Quod proximè faciendum cognouerat, prophetico more quasi iam factum narrat.

Galat. 4.
Deut. 18.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ELizabeth autem impletum est tempus pariendi, &c.* Ambros. Si diligenter aduertas, plenitudinis verbum nusquam inuenies positum nisi in generatione iustorum. vnde & nunc dicitur, *Elizabeth autem, &c.* Plenitudinem enim habet iusti vita, inanes autem sunt dies impiorum. Chrysost. Idcirco autem Deus Elizabeth partum retardauit, vt gaudium augeretur & famosiorem faceret mulierem. vnde sequitur, *Et aud. vicini, &c.* Nam qui sterilitatem eius cognouerant, testes diuinæ gratiæ sunt affecti. Nemo autem viso infante cum silentio discedebat: sed Deum qui illum ex insperato concesserat collaudabat. Ambr. Habet enim sanctorum editio lętitiam plurimorum, quoniam commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus, & ideo in ortu iusti futuræ vitæ insigne præmittitur, & gratia secuturæ virtutis exultatione vicinorum præfiguratè designatur. *Et factum est, in die octauo venerunt circumcidere puerum; &c.* Chrysost. Circuncisionis norma primò tradita est Abrahæ in signum distinctionis, vt genus patriarchæ impermixtum conseruetur, & sic promissa bona consequi valeant. Vbi autem pacti consummatur negocium, appositum signum de medio tollitur. Sic igitur & per Christum circuncisione cessante baptismus succedit, sed antea Ioannem circuncidi decebat. vnde dicitur, *Et fa. &c.* Dixerat enim dominus, Infans 8. dierum circuncidatur in vobis. Hanc autem temporis mensuram à

diuina

diuina clementia constitutam autumo duplici de causa. Primò quidem vt in tenerrima ætate leuius patiatur dolorem sectionis carnis. Secundò vt ex ipsis operibus moneamur, quoniam hoc agebatur in signum. Tener enim puer minimè discernit quæ circa ipsum fiunt. Post circuncisionem autem nomen imponebatur. vnde sequitur, *Et voc. eum &c.* Hoc autem ideo fiebat, quia prius oportet sumere signaculum domini, & postea nomen humanum: vel quia nullus nisi prius abiiciat carnalia, quod significat circuncisio, dignus est quòd in libro vitæ nomen eius scribatur. Ambros. Mirè autem sanctus euangelista præmittendum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putarunt: vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse de genere, sed id sancto infusum spiritu, quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam Elizabeth didicit, quod non didicerat à marito. vnde sequitur, *Et respõdens, &c.* Ne mireris si nomen mulier quod non audiuit asseruit, quando spiritus sanctus qui angelo mandauerat, reuelauit, neque poterat domini ignorare prænuncium, qui prophetauerat Christum. Et bene sequitur. *Et dixerunt ad, &c.* Vt intelligas nomen non generis esse sed vatis Zacharias quoque nutu interrogatur. vnde sequitur: *Innuebant autem patri, &c.* Sed quia incredulitas ei affatum eripuerat & auditum, quod voce non poterat, manu & literis est locutus. vnde sequitur, *Et postulans, &c.* Hoc est nõ ei nos nomẽ imponimus, qui iã à Deo nomen accepit. Orige. Zacharias quidem interpretatur memor Dei. Ioannes autem significat demonstrantem. Cæterum & absentis memoria, præsentis demonstratio est. Debebat autem Ioannes non memoriam Dei vt absentis exprimere, imò digito demonstrare præsentem, dicens: Ecce agnus Dei. Chrysost. Quinetiam hoc nomẽ Ioannes gratia Dei interpretatur. Quòd ergo diuina gratia fauente non natura Elizabeth hunc filium concepit, beneficij memoriam in nomine pueri conscripserunt. Theoph. Quia verò cum muliere circa hoc nomen pueri, pater mutus concordauit, sequitur: *Et mirati, &c.* Nemo enim huius nominis erat in cognatione eorum vt aliquis diceret, quòd antea hoc ambo cogitassent. Greg. Nazianzenus, Editus ergo Ioannes, Zachariæ soluit silentium. vnde sequitur: *Apertum est, &c.* Absurdum enim erat vt cum vox verbi progressa fuisset, pater maneret elinguis. Ambros. Meritò etiam continuò resoluta est lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, soluit fides, credamus igitur & nos, vt lingua nostra quæ incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce soluatur, scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui. Scribamus prænuncium Christi, sed non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui Ioannem loquitur, Christum prophetizat. Sequitur enim: *Et loquebatur, &c.* Beda. Allegoricè autem Ioannis celebrata natiuitas gratia noui testamenti est inchoata, cui vicini & cognati nomen patris, quàm Ioannis imponere malebant, quia Iudæi qui legis obseruatione quasi affinitate iuncti erant, magis iustitiam quæ ex lege est sectari, quàm fidei gratiam suscipere cupiebant, sed Ioannis hoc est gratiæ Dei vocabulum, mater verbis, pater literis nunciare satagunt: quia & lex ipsa Psalmique & prophetiæ apertis sententiarum vocibus gratiam Christi prædicant, & sacerdotium illud vetus figurans cæremoniarum, ac sacrificiorum vmbris eidem testimonium perhibet. Pulchreque Zacharias 8. die prolis editæ loquitur, quia per domini resurrectionem quæ octaua die, hoc est post septimum sabbati facta est, occulta legalis sacerdotij arcana patuerunt. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia, &c.* Theoph. Sicut in taciturnitate Zachariæ miratus est populus, ita & cum locutus est. vnde dicitur: *Et factus, &c.* Vt propter hæc duo magnũ aliquid circa natum puerum vniuersi existiment, hæc autem omnia dispensatiuè fiebant, vt qui testis esse Christi debebat, existeret fide dignus. vnde sequitur: *Et posuerunt, &c.* Bed. Præcurrentia enim signa præbent iter præcursuri veritatis, & futurus propheta præmissis commẽdatur auspiciis. vnde sequitur: *Etenim, &c.* Glo. Prodigia enim Deus in illo peragebat, quæ non faciebat Ioannes, sed dextera diuina. Græcus, Mysticè autẽ tempore diuinæ resurrectionis prædicata gratia Christi salubris timor non solum Iudæorum, qui a erãt vicini vel situ loci vel scientia legis, sed etiam exterarum gentium corda concussit: nec tantum montana Iudææ, sed omnia mundani regni mundanæque sapientiæ culmina Christi fama transcendit. *Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, &c.* Ambros. Bonus Deus & facilis indulgere peccatis non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum: Ille siquidem dudum mutus prophetizat. vnde dicitur, *Et Zacharias, &c.* Chrysost. Scilicet operatione sancti spiritus, nec quocunque modo gratiam spiritus sancti nactus, sed ad plenum, & fulgebat in eo prophetiæ donum. vnde sequitur: *Et Prophetauit.* Orig. Plenus autem spiritu sancto Zacharias duas prophetias generaliter nunciat, primam de Christo, alteram de Ioanne, quod manifestè de verbis illius probatur in quibus quasi de præsenti, & quasi iam versarentur in mũdo loquitur de Ioanne, & primò de saluatore, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, &c.* Chrysost. Dum Deum benediceret Zacharias, visitationem dicit esse factam ab eo erga populum suum, siue materiales Israelitas quis velit accipere: venit enim ad oues qui perierant domus Israel: siue spirituales, id est, fideles qui digni fuerunt hac visitatione efficacem erga se diuinam prouisionem facientes. Bed. Visitauit autem Dominus plebem suã quasi longa infirmitate tabescentem, & quasi venditam sub peccato vnici filij sui sanguine redemit. Quod, quia Zacharias proximo faciendum cognouerat, prophetico more, quasi iam factum narrat. Dicit autem, *Plebem suam:* non quia veniens suam inuenit, sed quia visitando suam fecit.

ORIGENIS PRESBYTERI IN IDEM Euang. *Homil. 1.*

Elizabeth autem completũ est tempus vt pareret, & peperit filiũ. Multi putant superflue dici, *Elizabeth autem completum est tempus vt pareret, & peperit filium.* Quæ enim mulier potest parere, nisi tempus pariendi ante compleuerit? Sed qui scriptu- *Est ex Homil. 9. in Luc.*

ias diligentissime contemplatur, & audit populum loquentem, attendat lectioni, obseruans tam in veteri, quàm in nouo testamento sicubi scriptum in ortu peccatoris inueniat, Completum est tempus vt pareret: nunquam omnino reperiet. Sed vbicunque iustus nascitur, ibi complentur dies, illic in mundum completur aduentus eius. Ortus iusti, plenitudinem habet: peccatoris natiuitas, vt ita dicamus, vacuitatem atque inanitatem. Hæc de eo quod scriptum est, *Completum est tempus vt pareret.* Congratulabantur matri eius vicini, & cognati, & volebant in honorem patris puero nomen ponere, vt vocaretur Zacharias. Porro Elizabeth sancto spiritu suggerente aiebat, Ioannes est nomen eius. Deinde cum illi causas iustas quærerent, cur Ioannes potissimum vocaretur, cum in genere ipsius nullus haberet hoc nomen, interrogant patrem: qui non valens respōdere, manu & literis est locutus. Scripsit enim in pugillari, Ioannes est nomen eius. Statímque vt stylus impressus est ceræ, lingua quæ prius fuerat vincta, laxata est. Recepit eloquium, non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius, humana tamen non fuit. Vinxerat enim eam incredulitas. Statim vt soluta est, humana esse desiuit: & loquebatur benedicens Deum, & prophetauit ea quæ scripta sunt in Euangelio: de quibus præbente Domino Iesu Christo cum tempus fuerit disseremus: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Ex 8. ex Hom. 10. in Luc.

PLenus spiritu sancto Zacharias, duas prophetias generaliter nunciat: primam de Christo, alteram de Ioanne. Quod manifeste de verbis ipsius approbatur: in quibus quasi de præsentia, & qui versaretur in mundo loquitur saluatoris, ac deinde de Ioanne. Repletus enim spiritu sancto prophetauit dicens, *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Visitante enim & Deo volente redimere populum suum, mãsit Maria cum Elizabeth, postquam ei locutus est angelus mensibus tribus, vt per inestabilem quandam virtutem, non solum Ioannem, sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam, vt nunc euangelicus sermo declarat, præsens saluator instrueret. Paulatim quippe & hic per tres menses sancti spiritus augmenta capiebat, & cum nesciret erudiebatur, & de Christo prophetauit dicens, *Qui dedit redemptionem populo suo, &c.*

S. AMBROSII EPISCOPI Mediolanens. in superius Euang. expositio.

ELizabeth impletum est, &c. Tam diu mansit Maria, quàm diu Elisabeth pariendi tempus impleret. Quòd si diligenter aduertas, inuenies hoc nusquam positum, nisi in generatione iustorum. Denique impleti sunt dies, vt pareret Maria: impletum est tempus vt pareret Elisabeth: impletum est vitæ tempus, cum sancti viri ex hoc vitę curriculo demigrarent. Plenitudinem iusti vita habet; inanes autem dies sunt impiorum. Peperit ergo filium Elisabeth: & congratulabantur vicini. Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu iusti futuræ vitę insigne pręmittitur; & gratia secuturę virtutis exultatione vicinorum præfigurante signatur. Pulchrè autē tempus, quo fuit in vtero propheta describitur, ne Marię præsentia taceatur: sed tempus siletur infantiæ, eo quòd præsentia domini matris in vtero roboratur, qui infantię impedimenta nesciuit. Et ideo in euangelio nihil super eo legimus, nisi ortum eius, & oraculum, exultationem in vtero, vocem in deserto. Neque enim vllam infantię sensit ętatem, qui supra naturam, supra ętatem in vtero situs matris à mensura perfectę cœpit ętatis plenitudinis Christi. *Et factum est, in die octauo, &c.* Mire sanctus euangelista pręmittendum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putauerūt, vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse degeneris; sed id sancto infusum spiritu, quod ab angelo ante Zacharię fuerat pręnunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori: sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat à marito. *Ioannes est*, inquit, *nomen eius.* Hoc est; non ei nos nomen imponimus, & quoniam à Deo nomē accepit. Habet vocabulum suum, quod agnouimus, non quod eligimus. Habent hoc merita sanctorum, vt à Deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dicitur; quia Deum vidit: Sic dominus noster Iesus nominatus est, antequam natus, cui nō angelus sed pater nomen imposuit. Reuelabitur enim, inquit, filius meus Iesus cum iis, qui cum eo iocundabuntur, qui relicti sunt in annis quadringentis. Et erit post annos hos, & morietur filius meus Christus, & conuertetur sęculum. Vides angelos, quę audierint, non quę vsurpauerint, nunciare. Nec mireris, si nomen mulier, quod non audiuit, asseruit, quando spiritus ei sanctus, qui angelo mandauerat, reuelauit. Neque poterat domini ignorare prænūcium, quę prophetauerat Christum. Et bene additur. *Quia nemo in cognatione eius vocabatur hoc nomine:* vt intelligas nomen non generis esse, sed vatis. Zacharias quoque nutu interrogatur, sed, quia incredulitas ei affatum eripuerat, & auditum, quòd voce non poterat, manu, & litteris est locutus. Scripsit enim dicens: *Ioannes est nomen eius.* Et hic nomen non imponitur, sed astruitur. Meritóque cōtinuo resoluta est lingua eius, quia, quam vinxerat incredulitas, fides soluit. Credamus & nos igitur, vt loquamur; vt lingua nostra, quæ incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce soluatur. Scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui; scribamus pręnuncium Christi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim, qui Ioannem loquitur, Christum prophetat. Loquamur Ioannem, loquamur & Christum, vt nostrum quoque os possit aperiri, quod in sacerdote tanto irrationabilis modo pecudis fræna nutantis fidei coercebant. *Et Zacharias pater eius, &c.* Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia Dei maxima, quòd eum, qui negauerant, confitentur. Nemo ergo diffidat; nemo veterum conscius delictorum, præmia diuina desperet. Nouit dominus mutare

Gen. 32. Potens enim est dictus, quod fortis Deo fuerit.

Nota ex vi auctoritate libri 4. Esdra.

mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.

EIVSDEM IN EODEM
festo, Homil. 1.

Ell Ser. 64. IN sancti ac beatissimi Ioannis Baptistæ laudibus, cuius natalem hodie celebramus quid potissimum prædicem nescio: vtrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus? Natus enim est in prophetia, in veritate peremptus est, nascendo annuntiauit saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incestum. Vir enim sanctus & iustus, & qui præter communem hominum natiuitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de Deo meruit, ne communi cum cæteris de seculo morte discederet; sed corpus, quod domino donante susceperat: dominum confitendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia voluntatem Domini fecit: quia propter opus domini & natus est, & defunctus. Nam vt natiuitatis eius seriem breuiter repetamus, cum essent pater eius Zacharias, & mater eius Elisabeth ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gauderent: procreandi etiam illis liberos tempus florentissimum præterisset: ita vt de suscipienda iam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subito per angelum repromissione donantur, & nasci Ioannem Gabriel sanctus annuncias dicens; Ne timeas Zacharia: ecce exaudita est deprecatio tua & vxor tua Helizabeth concipiet, & pariet filium: exaudita est, inquit, oratio tua. Vnde intelligimus quòd Ioannem Zachariæ iustitia magis orando genuerit: quam Helisabeth senectus procurando susceperit. Hinc inquam intelligimus, quod Ioannem obsecratio creauerit, nō voluptas, cùm enim materni vteri viscera, ætatis senectute frigescerent, & fessi corporis membra fœcunditatis gratiam perdidissent contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatē viscerum. Zachariæ precibus Helisabeth vterus intumescit: & concipit Ioannem, nō natura, sed gratia: vnde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus quam orationibus gigneretur: Minus autem mirari debemus quod tantam Ioannes gratiam in nascendo meruerit: debuit enim præcursor, & præuius Christi aliquid simile habere natiuitati domini saluatoris. Siquidem dominus de virgine gignitur, Ioānes de sterili procreatur. Illo de adolescentula: Iste de iam fessa generatur. Habet ergo & huius natiuitatis aliquid gloriæ atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis: tamen sicut Mariam suscipimus, quòd virgo peperit ita in Helisabeth miramur quòd anicula procreauerit. Quod quidem factum mysterium aliquid arbitror continere, vt Ioannes, qui veteris testamenti figuram gerebat, senis mulierculæ frigido sanguine nasceretur: Dominus autem, qui regni cælestis euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia virginitatis miratur fœtum visceribus inuolutū: Helisabeth autem conscia senectutis erubescit partum vtero prægrauato. Dicit enim euangelista; Occultabat (Luc. 1.) se mensibus quinque. Illud autem quam mirandum, quòd idem Gabriel archangelus vtriusque natiuitatis officium repræsentat, Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille cum dubitauerit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, verbum salutare concepit. Hoc etiam in laudibus Ioannis minime tacendum videtur, quòd nōdum natus etiam prophetat, & adhuc in materni vteri finibus constitutus aduentum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Helisabeth ad sanctam Mariam; Simul vt facta est vox salutationis tuæ, (Ibidem.) exultauit in gaudio infans in vtero meo. Exultat enim Ioannes antequam nascatur: & priusquam mundi oculis habitum recognoscat: iam spiritu mundi dominum recognoscit. In quo arbitror propheticam conuenire sententiam quæ dicit; Priusquam te formarē in vtero, noui te: & prius- (Hiere. 1.) quam exires de vulua, sanctificaui te. Vnde mirari non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum semper suis discipulis intimaret, cum etiam clausus in vtero eundem dominum gestibus prædicauit.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 2.

SAncti Ioannis Baptistæ natalem hodie perse- (Ell Serm. 65.) cuturus, tacere vellem, & laborem, atq; imperitiam meam silentio coercere, sed enim ipsa via nominis minime me silere permittit. Nam nuncupatio vocabuli ipsius pectoris nostri vrget secreta, silentij nostri resoluit arcana: & quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater Zacharias cum eum nominauit vocem recepit, quanto magis nos cum laudemus illum, eloquium promeremur; & si illius os, cum in sæculo nasceretur, aperuit, quanto magis cum pro Christo patitur, ora nostra fœcundat? Cum enim Zacharias pater eius propter incredulitatem natiuitatis illius ab angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus: etiam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret, subito nato Ioanne filio cum apud proximos esset contentio, quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ, vt vocabulū eius pro sui arbitrio ipse describeret, & quod sermone non poterat, litteris loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus, vt stilum figeret, linguam resoluit, ac litteras sermone præuenit, & Ioannem non testatus est, sed locutus. Videte igitur sancti Baptistæ meritum: vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Videte inquam meritum: os, quod angelus alligauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit: quanquam & ipse sit angelus, sicut scriptum est de Deo, Ecce mitto angelum meum ante faciem (Malach. 3.) tuam. Respicite igitur Ioannem: quanta vis sit eius vocabuli: cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, priuatus officio: at vbi Ioannes nascitur, fit repente pater propheta, vel pontifex: loquela vsum recipit; prolem affectus suscipit, sacerdotem functio recognoscit. Cum ergo tanta vis sit eius vocabuli: dictuti de eo, etsi tacere volumus, silere non possumus. Ipse enim Ioannes vox clamantis dicitur: Quis igitur, qui vocē laudet, & taceat, clamorem admiretur, & mutus sit? Ait enim ipse de se; Ego (Ioan. 1.) sum vox clamantis in deserto. Videte quid dixe-

tis. Non enim ait tantum, Ego sum vox, sed & clamantis: vox scilicet vt ad fidem consequendam, vox aures penetret, clamor corda concutiat: vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam
Luc. 7. saluator testimonium perhibet dicens; Inter natos mulierum maior non est Ioanne Baptista. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas; & quisquis de muliere, inferior est Ioanne. Sed debemus diligenter inquirere: cur ita dominus dixerit, hoc est, inter natos mulierum, & non potius dixerit inter filios virorum non est maior Ioanne: cum vtique mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit: quia numerosior est proles mulierum quam virorum. Est enim mulieris filius, qui viri filius non est: denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet. Dominus enim est mulieris filius: & viri filius non est:
Gal. 4. sicut dicit apostolus; Natum de muliere, factum sub lege. Vt qui matrem in terris habet, patrem haberet in cælis. Ergo in laudem Ioannis fœcundioris sexus generatio ponitur: vt nullius ab eo natiuitas separaretur. Dicit forte aliquis: si inter natos mulierum maior est Ioannes: nunquid etiam maior est saluatore? Absit; Ioánes enim natus mulieris: Christus autem virginis natus est: ille corruptibilibus viri finibus effusus est: iste impollutæ vuluæ flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate domini generatio deputatur: ne dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 3.

Est Serm. 66. Dilectionis superiore dominica cum silentij nostri veniã peteremus: quòd pro salute communi sacerdotibus etiam tacentibus doctrina euangelica non taceat: & quòd silentium eorum suppleret diuina sententia. Semper enim diuina scriptura loquitur, & clamat: sicut scriptum est de
Matth. 3. Ioanne; Ego sum vox clamantis in deserto. Non
Ioan. 1. enim tantum illo in tempore clamauit Ioannes, quo pharisæis annuncians dominum saluatorem
Matth. 3. dixit; Parate viã domini: rectas facite semitas domini Dei nostri: sed & hodie clamat in nobis: & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorũ. Ac licet sancta martyrij morte dormierit: vox tamen eius viuit: dicit enim & nobis
Ibid. hodie; Parate viam domini: rectas facite semitas eius. Semper enim scriptura diuina clamat, &
Gen. 4. loquitur. Vnde & ad Cain dicit Deus; Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Nulla vtique sanguini vox est: sed clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est: non tam voce quam causa: & interpellare dominum non prosecutione eloquij, sed indignatione commissi: ac reatum suum non tam verborum accusare sermonibus, quam conscientiæ ipsius criminatione cõstringere. Quamuis enim malum factum si in verba producatur: excusationem fortasse recipit: nisi conscientia reuocetur non potest excusari. Conscientia enim reatum suum semper tacita sine contradictione conuincit & indicat. Hodiéque ergo Ioannes cla-
Matth. 3. mat & dicit; Parate viam domini: rectas facite semitas eius. Parate ergo iubemur viam domini: scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem. Dominus enim non terrenam semitã carpit, sed secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conuersatione pollutum, iubemur mũdare, exæquare, componere: vt superueniens dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, proclinem fide, eleemosynis eminentem. Quia autem tali itinere incedere solcat Dominus
Psal. 67. propheta describit dicens: Iter facite ei, qui ascẽdit super occasum, Dominus nomen est ei. Sed videamus, ipse Ioannes, qui parare viam domino iubet, quam ipse viam parauerit saluatori. Per omnia plane aduenienti Christo tramitem vitæ suæ composuit, & direxit. Nam fuit vtique ieiunus, humilis, parcus, & virgo. Omnes enim has
Matth. 3. virtutes eius euangelista describens ait; Ipse autem Ioánes vestitum habebat de pilis camelorũ, & zona pellicea circa lumbos eius. Esca autem eius erant locustæ, & mel silvestre. Quæ igitur maior causa humilitatis in propheta, quam contemptis mollibus vestimentis, pilorum asperitate vestiri. Quę deuotior fides quàm precinctum zona paratum esse semper ad omne seruitutis obsequium? Quæ preclarior abstinentia quam spretæ vitæ huius delitiis, aridulis vesci locustis, ac melle siluestri? Quę omnia hæc quoniam prophetæ vsui erant, arbitror in his ipsis prophetiã fuisse. Nam vtique cum prænuntius Christi vestimentum habebat camelorum asperitate contextum, quid aliud significat, nisi quòd ipse Christus adueniens vsurus esset indumento humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum: & quod velut immundissimæ bestię, hoc est, gentis populi circundatus exuuiis deformitatem eius ipse gestaret? Zona vero pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad vitia: post aduentum eius restrictam esse ad virtutẽ, & quæ ante luxuriando dilatabatur in pinguedinẽ, nunc abstinendo attenuaretur in pelle? Exitum verò eius quam beatum legimus, scilicet, quòd psaltria regis filia post illam inimicam voluptatem caput eius petierit. Quid mirum, si psaltria occidit prophetam: quia luxuria semper est inimica iustitiæ: & quòd iniquitas sine cessatione persequitur veritatem? In quo facto grande mysterium continetur. Nam vtiq; ipsa psaltria synagogæ est comparanda, quæ Christum, dum luxuriatur, occidit. Quia autem ista psaltria synagoga sit, dicit domi-
Matth. 11. nus ad Iudæos: Cantauimus vobis, & non psallastis. Cur autem à Ioannis corpore caput ablatum sit, manifesta res est. Ioánes, sicut scripturis astruitur, typum legis gerebat. De domino autem legi-
1. Cor. 11. mus: quia viri caput Christus est. Ergo cum à Ioannis corpore caput eius aufertur, Christus, quodammodo à Iudæis legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine saluatore lex exanimis, & truncata. Nam ex eo vtique Iudæi diuina non sapiunt: ex quo sine capite esse cœperunt. Iter igitur facit domino, qui inter cæteras continentiæ virtutes, matrimonij limitem nõ excedit, nec coniugij præscriptum terminum adulterina permixtione commaculat. Sunt enim nonnulli, qui cum legibus vxores duxerint, contra diuinitatis legem sibi sociant concubinas: non intelligentes quid contrahendo matrimonia, propriis vinculis cõstrinxerunt. Qui enim legibus ducit vxorem

rem profitetur se contra legem non esse factũ. Reum ego ipse statuo, qui adhibẽdo sibi adulteram, ius pollicitationis excedit. Sed dicit aliquis: vxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociaui. Audi quid dicat scriptura ad Abraham; eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ, si igitur ancillæ filius hæres non est: ergo nec filius est; Cur autem quæritur tale coniugium: de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis, nec enim habere potest hæreditatis consortium qui non habet originis priuilegium: cur inquam quæritur tale contubernium de quo nati non filij sunt matrimonij, sed testes sunt adulterij: cur huiusmodi suscipiuntur adulteri, qui patri pudori sint non honori? Dicit scriptura, adulterorũ filij in consummatione erunt: & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, vt mereatur consortium, mercatur & nomen vxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen vxoris: ne tu adulter sis, potius quàm maritus: sed & ille iter facit domino Christianus, qui professionis suæ exhibet ei fidele seruitium: & castitatem, quam promisit, custodit tam mente, quàm corpore. Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt: sed quærunt sibi contubernia atque vtinam fratrum. Inuenisti Christianum monachum cui cum fratre non conuenit, & libentius ei conuenit cum sorore: qui non sequitur seniorem vtilia commonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinãtem: eis & si sincerum corpus sit: anima non potest esse sincera. Sed & ille clericus iter domino facit, qui secundum euangelium viuit, & per omnia obtemperat sacerdoti: Aliqui enim cum sint minus subditi, moleste ferunt, cum à senioribus arguuntur: dicunt: grauiter irascitur episcopus: patientior esse deberet. Audi ergo, optime clerice: sacerdotis exigis patientiam: & tui non exigis disciplinam. Nescis, quia mihi salutis causa, arguere aliquem permissum est. Dicit enim apostolus, Increpa opportune importune: argue: esto ergo in omnibus subditos sacerdoti: si vis eum esse mãsuetum.

Sap. 3.

S. IO. CHRYSOSTOMI
Episcopi Constantin. de Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, Hom. 1.

Videtur hæc Homilia Latino alicuius, cum festa examinet iuxta rationem Latinorum. Sed cuiuscunque sit, certè longissimè à Chrysost. phrasi dissidet.

Homilia 1. in Lucam.

DE solstitiis, & æquinoctiis conceptionis, & natiuitatis domini nostri Iesu Christi, & Ioannis Baptistæ, nescio an quisquam ausus sit arcanum, fratres, ante Christi natiuitatem intelligere, vel terminare cursum horarum, dierum, ac noctium per quos solstitia, & æquinoctia cognoscere posset, cum Iob glorioso in suis passionibus dictum sit, Et hoc mihi dic, inquit, an scias cursum solis & lunæ, quæ vtique duo luminaria, ad constitutionem diei, ac noctis instituta esse videmus. Quòd si ergo tantus vir in suo martyrio perseuerans, quodãmodo in his redargutus est, quis ille mortalium fuisset, qui aduersum gloriam iam eminentis viri hæc impudens auderet cognosce-

Iob 28.

re, nisi primum ipse dominus lucis, ac noctis conditor, & discretor, qui à * Philosophia sui iustitiæ cognominatus est, mundũ illustraret? qui pro carnalibus carnalis factus est, & mortalis pro mortalibus. Quasi mortalis visus est, vt posset per suam immortalitatem mortem deuincere. Propter quod clamant supernæ potestates; Vbi est, mors, aculeus tuus? Vbi est, mors, contentio tua. Hæc dicentes contestantur Christum mortem deuicisse, vt & nos, qui mortui iam dudum iacebamur, exemplo ipsius dignationis immortalitatem caperemus, si tamẽ, omissa tenebrarum operã, viam lucis sequamur. Ipse enim est lux nostra, & vera lux, qui veniens in hunc mundum illuminanit corda nostra. Cuius aduentum, siue passionem non tantùm Moses, vel prophetæ annunciarunt, quantum verò conceptionis, & natiuitatis tempus ostenderunt, propter quod ipse dominus Iudæis dicebat; Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam possidere, ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Quibus rursum dicebat; Hypocritæ, faciem cæli, & terræ nostis probare: quare tempus hoc nõ probastis? Erat ergo & temporis probatio, si eum vellent cognoscere, qui non tantum (vt diximus) aduentum ostenderet, quantum conceptionis, & natiuitatis tempus declararet, si fidem certam in Mose, & prophetis habuissent: quod nec tantummodo ipsius domini & saluatoris conceptio, vel natiuitas carnalis ostenderetur, quantum & Ioannis Baptistæ præcursoris eius, de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Qui veniens docebat; Parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Qui & iterum annũciabat dicens; Qui post me venit, maior me est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. Hic est Ioannes, qui venit, vt testimonium diceret veritati, sicut & Christus dominus dicit: Vos misistis ad Ioannem, & testimonium dixit veritati. Cuius natiuitatem magnificans Deus ipse ait, Nemo est in natis mulierum maior Ioãne Baptista, Cùm videamus Abraham, Isaac, & Iacob, deinde patriarchas non minimos ab eius dignatione fuisse. * Quòd si dignatio præfecit, non tamen conceptio, vel natiuitatis annunciatio, quæ cum temporibus Christi prædicata est à Mose & Zacharia propheta, cuius cruor sanguinis, templi marmore infecto, sempiternus viuit. Quem sibi dominus in testimonium vocat per Esaiam Prophetam, dicens; Fac mihi testes fideles homines, Vriam, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessit, inquit, ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Hic est igitur Zacharias filius Barachiæ, qui occisus est à Iudæis inter ædem, & sacrarium. Inter cætera prophetiæ suæ indicia ieiunium quartum, & septimum, & decimum erit domui Iuda in lætitiam, & gaudium, & solennitates bonas, & dies festos multos. Et iucundi eritis, iucunditatem, & pacẽ amabitis: quæ tria ieiunia nunquam à Iudæis seruata fuisse inuenimus. Non enim aliquando quarta feria ieiunauerunt, aut septima, quod dicitur sabbatum, aut decima feria, quę nec potest dici: quamuis etiam in sabbato ieiunauerunt, non legi parendo, sed opportunæ necessitati, Quærenda igitur erant, fratres charissimi, quæ essent ista quarta & septima & decima, quorum initium Propheta non nominauit, quo quartum

* forte, à Sapientia.

1. Cor. 15.

Ioan. 5.

Luc. 12.

Malac. 3.

Matth. 3.

Marc. 1.

Ioan. 5.

Luc. 7.

* forte quod etsi.

Esai 8.

vel septimum, vel decimum oumeraremus. Et bene quidem Propheta pro altitudine spiritus sancti initium ieiuniorum non posuit, vt, cùm de initio ipsorum ieiuniorum quæreremus, simul & virtutem ipsorum inueniremus, & Mosi mandata recenseremus. Satis etenim dominus ad Mosen *Exod.12.* de mēse Martio testabatur, dicēs; Hic vobis mensis initium mensium, primus erit vobis in mensibus anni. Quod si ergo ipse est initium anni, iam vtique ab ipso quartum mensem Iunium nomeraremus: & septimum Septembrem, & decimum Decembrem, de quibus dominus ad Mosen dicit; *Leuit.23.* Tribus temporibus diem festū agetis mihi. Qui- *Exod.23.* bus & quartum adiunxit, dicēdo; Et diem festum *Deut.16.* azymorum custodietis. Septem diebus manducabitis azyma, sicut præcepi tibi in tēpore mensis nouorum: Hi sunt menses, in quibus dominus *Exod.34.* noster, & Ioannes Baptista concepti, & nati sunt istis quatuor temporibus, id est, verno, & æstate, & autumno & hyeme, per quę annus vertens co- *Esa.58.* gnoscitur, & ideo Propheta dicit, Annum acceptabilem domini. Nam rursus dominus ostēdens per Moysen quartum, & septimum, & decimum *Exod.23.* ieiunium, menses eos esse dicit in eadem Exodi scriptura. Initium mensis frumentariæ, & vindemiæ, & oleæ erunt domui Iuda in lætitiam, & gaudium, & dies festos multos: quod vtique initium mensis, sicut diximus, est mense Martio, vnde annus vertens incipit. Mensis quarti, id est Iunius, qui est initium messis frumentariæ: De quo *1.Ioan.4.* & dominus discipulis suis dixit; Nónne quadrimensiū est, & dicitis, quia iam messis adest? Nam vindemiæ mensis est September, qui septimus est à Martio. Decimus verò mensis est December, quo mense oleæ maturę premuntur. Sed quomodo probamus istis quatuor tēporibus Christum, & Ioannē conceptos, & natos fuisse? Sicut & do- *Matth.13.* minus ipse dicit; Omnis scriba eruditus similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera. Ergo quæ typicè à propheta dicta sunt, & à Mose declarata, manifesta sunt in Euangelio. *Hic aliquid deesse videtur.* Nam temporibus cùm Zacharias pater Ioannis sacerdotium Iudæorum administraret secundum legis mandatum, & prophetiæ Ionæ, qua Niniuitis annunciauit, post triduo subuersionem futuram ciuitati eorum, qui, pœnitentiā acta, Domini misericordiam meruerunt. In cuius nunc memoriam Iudæi quotannis ieiunium mense Septembri obseruant, quam metellitum, siue scenopegiam nuncupant. Propter quod sacerdotes in tempore illo pro peccatis populi, diebus illis secundum præceptum legis in mense Septembri sacrificia Deo offerebant. Quod cùm altari Zacharias obtulisset, non statim sacerdotem se profitebatur, aut idoneum esse, qui pro peccatis tam ** legendum, preces funderet* scelestis populi * precibus dignus futurus esset: sed memoratus est Christum ipsum solum futurum verum sacerdotem, cui pater dixerat; Tu es *Psal.109.* sacerdos in æternum secūdum ordinem Melchisedech, & qui hostiam placabilem pro peccatis omnium solus Deo offert. Et eius aduentum scilicet Zacharias precatus est. Quoniam nec temerè hoc dicimus, quod ex responsis Gabrielis angeli inuenimus eum, & deprecatum fuisse. *Ait enim ei Gabriel angelus; Zacharia, exauditæ sunt preces tuæ.* Cuius vtique preces exaudiuntur, vtique exauditur quod quis precatur, aut desiderat. Tribuet enim petentibus se, quod quis desiderat, aut postulat ab eo, dicente Christo saluatore nostro; Quis est enim ex vobis, inquit, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porrigit ei; Aut si piscem petit, nunquid serpentem porrigit ei? Et addidit dicens; Vos, cùm sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis, inquit, dabit bona petentibus se pater vester, qui in cęlis est? Dabit eis, qui eum petunt, facientibus tamen voluntatem eius, sicut Ioannes Christi amantissimus in epistola sua complexus est. Scimus, in- *1.Ioan.3.* quit, quia habemus impetrationes quascunque ab eo postulauerimus, cùm pręcepta eius seruauerimus, & ea, quæ illi placita sunt, in conspectu eius fecerimus. Tunc ergo Zacharias cum hæc precaretur, respondit ei angelus Gabriel: *Zacharia, exauditæ sunt preces tuæ: ecce Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudium & hilaritas, & multi in natiuitate eius gaudebunt, & erit magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur mox vt exierit de vtero matris suæ, & multos ex filijs Israel cōuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante faciem eius.* Gesta autem sunt hęc ante primū annum imperij Tyberij Cæsaris mense Septembri, *Non videtur consentire cum historia. nam Christus natus est, imperante adhuc Octauiano Augusto.* octauo Calendas Octobris, incipiente luna vndecima, quando oportebat Iudæos ieiunium scenopegiæ celebrare. Tunc verò post nono annó Tyberius Cęsar tempus, cursúmque lunæ collegit, & inuentum est ipso die octauo Calendarum Octobrium esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quàm lucis. Illum enim oportet *Ioan.3.* crescere, inquit, me autem minui. Minorata autem fuerat lux à tenebris, cùm Iudæi secundum legem, & prophetiam sacrificia Deo offerebant, in quo & Ioannes conceptus est, in qua etiam incusabantur à Domino, dicente Esaia propheta; Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestro- *Esa.1.* rum? Dicit Dominus: Plenus sum holocaustomatis arietum, & pinguedinem taurorum, & hircorum nolo. Hæc sunt enim, quæ antè propter peccata populi offerebantur, quæ iam cessare oportebat, cùm Ioannes idem Baptista conciperetur. Et ideo Zacharias pater eius sacerdos Iudæorum obmutuit, quia iam cessare, & obmutescere oportebat sacrificia eorum, quę pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos, qui agno solo immaculato sacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demonstrauit eum Ioannes Iudęis: Ecce agnus Dei, ecce qui tol- *Ioan.1.* lit peccata mundi. Nam plenissimè constat, ideo obmutuisse Zachariam sacerdotem Iudæorum, quia sacrificia secundum legem, & prophetiam offerebat. Significabat enim quòd sacrificia, iam adueniente Christo, lex, & prophetæ adimpleti *Matth.11.* tacerent, & ideo lex, & prophetæ vsque ad Ioannem sunt, quæ ad conceptionem eius cursum tenuerunt. Celante ergo se Elizabeth per menses quinque conceptionis, stupens quidnam ei Dominus voluisset in suprema ætate, vt pareret sterilis: tunc deinde post alterum mensem, id est, sexto à conceptione Elizabeth, missus est rursus Gabriel angelus in Galilæam ad virginem, quæ desponsata erat viro, cui nomen erat Ioseph, id est, viro Iusto. Iam enim destinata erat ecclesia suo sponso viro iusto, de quo Ioānes dixit; Qui habet sponsam, sponsus est. Quod & Dauid similiter di- *Ioan.3.* cit: Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo *Psal.18.* suo. Post sextum autem mensem conceptionis

Ioannis

Ioannis, qui est octauo Calendas Octobris, sextus mensis Martius principium anni, quia princeps & primarius omnium ipso mense conceptus, *Colo.1.* & passus est. De quo & Paulus testatur; Qui est, inquit, initium omnis creaturæ: quia in ipso condita sunt omnia in cælis, & in terra: Quem mensem Iudæis Moses solennem, & paschæ futurum *Exo.12.* solicitè, & crebro commendabat, dicens; Hic mensis initium mensium primus erit vobis in mensibus anni: Initium enim filiorum Dei de interrogatione hominum hoc mense incipiebatur: es die igitur conceptionis Ioannis, octauo Calendas Octobris vsque octauo Calendas Aprilis, quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, & *Luc.1.* salutauit eam, dicens; Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud Dominum. Quæ, audito hoc verbo, conturbata est, & cogitabat intra semetipsam, quæ esset hæc salutatio. Cui dixit angelus; Ne timeas Maria, quia inuenisti gratiam apud Dominum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in secula, & regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria; Et quomodo hæc cognoscam, cùm virum non nouerim? Et dixit illi angelus; Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: propter quod is, qui nascetur, sanctus, vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit; Ecce ancilla Domini contingat mihi secundum sermonem tuum. Fuit igitur, vt diximus, quando hæc angelus ad Mariam annuntiauit octauo Calendas Aprilis, qui & ipse est dies ęquinoctialis ad inchoationem lucis: iam enim detersa caligine à mundo, lux in mundum adueniebat, sicut Ioannes in epistola sua di- *1.Ioan.2.* cit; Quia tenebræ transierunt, & lumen verum etiam lucet. De quo lumine iterum in euangelio dicit, Fuit lumen verum, quod illuminat omnem *Ioan.1.* hominem venientem in hunc mundum. Conceptus est ergo Dominus noster octauo Calendas Aprilis mense Martio, qui est dies Paschæ, passionis Domini, & conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem & passus est. Et ideo Dominus in Exodo ad Mosen pręceptum sacramen- *Exo.23.* ti tradens dicit; Non occidas super azyma sanguinem immolatorum meorum. Et immolationis die solennis Paschæ initia creaturę tuæ inferes in domum Dei tui. Non occides, inquit, agnū in lacte matris suæ. Hæc significantia sunt agni immaculati, qui sacrificium Deo offerri habebat, quod in primo Pascha conceptionis suæ in vtero matris ob eum oportuisset occidi: Et ideo Ioseph sciens prægnantem esse Mariam, ne tanquam stuprata, aut adulterata lapidibus interficeretur, clā eam dimittere voluit: vt verò non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suæ: sed inter hęc ascendit, inquit, Maria ad Elizabeth visitare eam post mensem sextum conceptionis eius. Tūc & Ioannes inspiratus est, & fecit ibi Maria cum Elizabeth mēses alios tres. Et sic, expletis nouem mensibus, in mense decimo peperit Ioannē octauo Calendas Iulias, qui est nonus mensis à Septē- *Zac.8.* bri, & quartus à Martio inchoationis anni, De quo propheta Zacharias dixerat; Ieiunium quartum esse domui Iuda in lętitiam, & gaudium. Denique & gauisi sunt, qui interfuerant partui huic. Sed quare Propheta de ieiunio quarto dixit, & nō mense? Quia ieiunium erat à malis rebus, id quod nasci habebat. Nam Moyses manifeste declarauit menses: Sed, cùm dicat initium messis frumentariæ, tunc ergo repertum est esse primum solstitiū mundi, quando Ioannes natus est, quē diem lampadē appellant. Lampas enim erat luminis Christi, à quo lumē acceperat, cùm esset adhuc in vtero matris. Quādo salutat Elizabeth Mariā, exulta- *Luc.1.* uit in vtero matris infans: ex ipso igitur dies minoratur, & nox crescit. Ioannes enim in die pœnitentiæ conceptus est. Cúmque ab Adā secundum *Locus corruptus.* legem carnalem agerentur: quæ enim carnaliter *Gala 5.* geruntur, non talibus: Quia caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et ideo lux minorabitur in illis. Nam Christus, qui in natiuitate Ioannis iam trium mensium incorruptæ vuluæ fuerat conceptus, supererat ei, vt & ipse secundum humanam natiuitatem suppleret menses nouem, alij menses sex, qui nunc ex octauo Calendas Iulias in octauo Calendas Ianuarias sunt menses sex. Quibus suppletis, nouem mensibus, initiante decimo, Christus mundo natus est, quādo prima censio capitalis humani generis facta est, proconsulatum in Syria agēte Cyrino, id est, Domino: veniebat enim Dominus orbis terrarum: qui de capite nostro censeret. Et *Magos, qui Christū adorarunt, reges appellat.* ideo sancti viri reges, & patres de Sabba venerunt ipsi Magi, inuitante stella fulgoris, memores scripturæ, quæ dicit; Orietur stella de Iacob, & surgent principes de Israël. Venientes in terram *Num. 24.* Israël, id est, in Iudæam deducti ab stella lucis, in *Mal.4.* ciuitatem Hierusalem requirentes regem suum. Quem inuētum in hospitio itineris, id est, in stabulo, præsepio collocatum, & pānis obuolutum, quæ fuerunt peccata carnis nostræ, cui tributo capitis sui in sacramenti mysterio obtulerūt, aurum, thus, & myrrham. Aurum etenim significat corpus immaculatū, quod igne probatum nihil deperit. Hi sunt, de quibus in Apocalypsi dictum est; Qui vestem suam non inquinauerunt; id est, qui carnem suam inuiolatam custodierunt. Et *Matth.2. Apoca.3.* ideo cum agno ambulant. Nā thus significat orationes sanctorum. Nam myrrha corporis est conditura, quæ sunt operum bonorum gesta, quæ in postremo corpus, & animam hominis custodiūt. Dicitur enim in Apocalypsi, Nam opera eorum comitabuntur eos. Sed nunc, fratres dilectissimi, *Apoc 14.* inter hęc intuendæ sunt temporum qualitates, & gesta morum: & plurimum à perfidia Iudæorum, qui semper in Deum, & in Mosen contumaces extiterunt, qui cùm à Deo secundum Mosen initium anni mensem Martium acceperunt: illi dictum prauitatis, siue superbiæ exercentes, mensem Septembrem ipsum nouum annum nuncupant, quo & mense magistratus sibi designant, quos Archontas vocant. In illa solennitate scenopegiæ, siue intellitidem, in quo Ioannes conceptus est, quando & lucernas quidē multas accendunt. Quod & ipsum Abrahę significant eius conceptionis fuisse diem. De quo Dominus dixit, Ille erat lucerna ardens, & lucens, & vos voluistis *Ioan.5.* ad præsens in lumine eius exhilarari. Sic & vox puerorum frequens auditur, dicentium esse lucerū & gaudium. Quod quidem maximum lucrum est, & vitæ inuentio, de qua consulentes ipsum Ioannem milites, & publicani quærebant, quid agentes possent vitam consequi. Quibus ille insinuans viam veritatis, militibus quidem dicebat;

Luc. 1. Neminem cõcusseritis, neq; calumniaueritis, sed contenti estote stipendiis vestris. Similiter & publicanos hortabatur, ne quicquam amplius exigerent, quam quod eis præceptum erat exigere. Erat autem & gaudium iis ipse Ioannes, qui nasci habebat, qui nobis Christum insinuaturus esset, de quo Angelus Zachariæ patri eius dixerat; Erit *Ibidem 1.* tibi gaudium, & hilaritas, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Sed & tempus est autumni, quãdo Ioannes concipitur. Quo tempore ager sulcis iã proscinditur, & semini venturo iã præparatur. In quo mense veteres coloni nouis cultoribus cedunt, cessantibus scilicet pristinis tabulis conscriptionis, quia veteris legis fractis tabulis, noua lex nouis cultoribus traditur. De qua per Hiere- *Hiere. 31.* miam Dominus dicit, Dabo eis illam legem spiritualem, qualem non dedi patribus eorum, cùm eos deducerem de terra Ægypti. Illi enim; quibus autẽ vineæ cultura tradita fuerat, qui pensiones debitas suis temporibus non exoluerunt, qui insuper missos ad se seruos variè vexauerunt, quos- *Matth. 21.* dam cædentes, quosdam verò lapidantes, insuper missum à patre filium, & ipsum agnitum esse hæredem patris, existimantes se hæreditatem patrisfamiliàs eruere, apprehensum filium eius iniuriis turpissimis actum occiderunt. Quare habuit paterfamilias necesse malos malè perdere, & in locum eorum alios cultores substituere, qui pensiones debitas suis temporibus persoluant. Ex *Iohel. 3.* Sion, inquit, exiet lex, & verbum Dei ab Hierusalem: & ipse conuertet populum multum, & concident gladios suos in aratra, & lãceas suas in falces, vt omnis iam bellicæ vitæ vsus necessario cõuerteretur. Sed & sine dubio manifestatur sacra- *Iohel. 3.* menti mysterium, quod dicit Propheta; Concidant gladios suos in aratra. Cùm gladij materies ferrum sit, & aratri lignum: quomodo potest ferrum in lignum conuerti? Quare non potius dixit, Et concident gladios in vomeres? Sed quia per lignum vita vobis data est, ideo iam, cessante pristino bello, nobis ligni merito fit per aratrum, per quod spina, & tribuli auulsi de cordibus nostris. Terra est ipse homo, semen sermonem Dei percipiet, vt quidam fructum trigesimum, alij sexagesimum, alij centesimum. Nunc post hoc æquinoctium, quod est autumni temporis, respiciet nos & mẽsis Martius verni temporis, in quo est & lucidius æquinoctium iocundius omnibus, quod pigris, & somniculosis somnum oculis desistit, *Prouer. 6.* dicente scriptura; Quousque, piger, dormis? quãdiu manibus pectus amplecteris? Surge, & attinge Christum Dominum. In quo iam nautica vox secura maria fretat, patefacto rubro mari, quod clauserat Pharao, cũ magno mugitu doloris sub- *Exod. 15.* mersus cum suo exercitu. Ex quo liberatus Moyses cum suis suauiter, hostibus cæsis celebrabat, *Exod. 13.* & pro voto populum monebat, dicens; In mente habetote hunc diem, quo liberati estis de domo seruitutis, qui necdum liberati sunt, quia denuo eos inuaserant opera peccati, ac seruitus Aegypti. *Ioan. 8.* Et ideo dominus dicebat eis; Et cùm vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Iam spe, rusticæ, gaudes, iam arborum opaca, amissa folia, quæ dempserat Adam ad tegumentum pudoris, repa- *Esa. 11.* ras alia. Quia prodiet, inquit, virga de radice Iesse, & flos ex illa virga apparebit. Iam consummatio est operum ruricolarum, ipsa omnis lex seruitu- *Exod. 23.* tis carnis cessat. Quid dixit dominus in Exodo? Ex die solenni mensis primitiuorum consummabis omnia opera tua, quæcunque seueris in agro tuo. Posita enim seruitiorum lege, lex carnis operata est vsque ad Christum, sed mysteria diaboli terris, & horribilibus indumentis pœnam suam luentes, ostentantes vincti catenis ex ipsis fuit vnus ille, qui in monumẽtis dormiebat, quia iam nascebatur, qui eos vinceret. Et iocundus aër, per cuius æstum improba caro lassatur, sed & glacie frigida cutis horrescit. Nam & quorum vox auditur dicentium; Exite, pueri, in campum mense Martio. Hæc vox vulgaris esse existimatur, sed potius rationabilis est. Credimus enim in eo- *Gen. 4.* dem tempore prouocatum esse Abel à Cain exire in campum, in quo occisus est. Et ideo mẽse Martio octo dies pastores contingent. Sed scriptũ est; Exiuit sermo, & stetit in campo. Tunc enim exiit sermo in campo, id est, in hoc seculo, quando susceptum Maria per fidem concepit dominum nostrum Iesum Christum. Sed & alios audiui dicentes; Martius in campo, & aliquando post focum, Martius. Equidem in campo factus est, quando Gabriel Angelus in hoc mundo Mariç sermonem intulit, Christum inde seculo nasciturum. Rursus & Martius fuit post focum, quãdo dominus ipse *Marc. 14.* mẽse Martio ad iudiciũ ductus est. Et Petrus stans *Ioan. 18.* post focũ calefaciebatur. Qua enim die cõceptus est dominus, eadẽ die & passus est. Eadẽ ipsa dies cœna pura fuit, in qua & luna quartadecima occurrit. Conceptus est enim mense Martio octano Calendarũ Aprilium die, quãdo luna quintadecima fuit, momẽtissimè propter huiã passionis suæ sustinebat. Vnde die festo scenophegiæ dixerat; *Ioan. 7.* Vos ascendite ad diẽ festum hunc, ego autem non ascendam, quia meum tempus nondum aduenit. Nouerat autem mensis solennitatẽ, in quo Ioannes conceptus est. Nam suum tempus conceptionis, & passionis sustinebat, quem recognoscẽs dixit; Venit hora vt clarificetur filius hominis. Sed *Ibid. 12.* nunc, dilectissimi, post duo æquinoctia, quæ sunt duç conceptiones, intẽdenda sunt & duo solstitia, in quibus duæ natiuitates cõtinentur: vnam quidem diximus Ioannis esse mẽse Iulio, id est, octano Calendas Iulias, quam lampadem appellant, quo tempore messis tritici cæditur. Ostenditur quod & Ioannes, qui eo tempore natus est, & ipse velut messis decollatus est. Qui dicebat de domi- *Matth. 3.* no; Cuius in manibus suis ventilabrum permun- *Luc. 3.* dabit aream suam, frumentum recondet in horreis: paleas autem comburet igni inextinguibili. Circuncisus est igitur Ioannes ad Calendas Iulias, id est, octaua die, quando migratio fit: vt ostenderetur, quia is, qui secũdum legem, & prophetiam conceptus erat, de quo dictum est, Lex, *Matt. 11.* & prophetæ à Iudæis migrabunt. Sed & dominus nascitur in mense Decembri, hyemis tempore, octauo Calendas Ianuarias, quando oliuç maturæ premuntur, vt vnctio, id est chrisma nascatur, quo seges ab herbis extraneis* seritur. Cùm agni ** Forte, purgatur.* balantes nascuntur, vineæ falcibus sarmenta amputantur, vt mustum suauitudinis afferãt, ex quo inebriati sunt Apostoli sancto spiritu: Quia ego *Ioan. 15.* sum, inquit vitis: &, pater meus agricola est, Omne igitur sarmentum in me non afferens fructum, excidetur, & in ignem mittetur, Sed & inuicti natalem appellant. Quis vtique tam inuictus, nisi Dominus noster? qui mortem subactam deiecit: vel quod dicens Solis esse natalem, ipse est

est Sol iustitiæ, de quo Malachias propheta dixit: Orietur vobis timentibus nomen ipsius Sol iustitiæ, & sanitas est in pennis eius. Qui & ipse circuncisus est, secundum testamentum Dei, quod disposuerat ad Abraham octaua die, id est, ad Calend. Ianuarias, in quo & ipsa migratio fit. Migrauerat enim gratia, & veritas à Iudæis: Quia lex per Mosen data est; nam gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: In Christo Iesu Domino, qui viuit, & regnat cum patre, & spiritu sancto per immortalia secula seculorum, Amen.

Malach. 4.

EIVSDEM IN EODEM.

Homilia 2.

Est apud Metaphrasten.

FEsti celebrandi, & publicæ lætitiæ dies est opportunus, in quo mihi reuocatum est in memoriam Gabrielis ministerium, & Zachariæ sacerdotium. Nuper enim audiuisti Euangelistam dicentem, Quòd Zachariæ obtigerat, vt suffiret ingressus in templum Dei; Et vniuersa multitudo expectabat extra templum hora suffitus. Et visus est ei Angelus Domini stans à dextris altaris suffitus. Et conturbatus est videns Zacharias, & timor irruit super ipsum. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Eijcit metum, & eius loco inijcit desiderium. Nam cum dixisset, Ne timeas, nõ tacuit, sed etiam precationis lucrũ significauit (exaudita est enim, inquit, deprecatio tua.) Quodnam? Leuiticæ tribus augmentum. Et ecce vxor tua Elizabeth pariet filium, & vocabis nomen eius Ioannem. O admirabile, & mysticum miraculum. Meritò Zacharias ratiocinando, & cogitando impeditus repugnauit Angelo. Aliud enim rogabat, & aliud accepit. Pro populo precabatur, & nominabatur pater filij. Quærebat veniam peccatorum, & vteri sterilis accepit promissionem. Maluisset Zacharias curari animas infidelium, quàm intumescere vterum Elizabethæ. Meritò ergo fuit conturbatus. Erat enim homo seruiens mutationi, etiamsi esset præditus dignitate sacerdotali. Deinde etiam apud se cogitabat, quænam esset aliena, & admirabilis viri visio; quisnam is esset, qui audaci pede in sacrũ templum ascendebat; quis is esset, qui à dextris altaris suffitus astaret, tanquam qui nulli esset peccato affinis. Quis hic est, aiebat, qui alternis & diuersis formis circumcirca coruscat, & metu meam comprimit animam? Nũquam enim ego vidi rem tam admirabilem, hominémne alarum, an volucrẽ humana forma præditam? Quid hoc sit, dubito. Mei enim suffitus videtur esse aliquis speculator, & meæ intercessioni esse impedimento. Populi multitudo me foris orãs expectat, tanquam scribam cælestis Regis, & hic me intus retinet. Per me regi preces offerunt, veniam petentes delictorum, & incertus sum, an possim explere populi desiderium, & meo satisfacere officio, & hic constitit nouum mihi afferens nũcium. Cessa deinceps tu, qui me terres. Si enim esses à Deo missus Angelus, ad ea, quæ sunt mihi visui, adiumento fuisses, & misertus esses eorum, qui foris lachrymantur; affligereris vnà cum iis, qui affliguntur. Recede hinc qui me terres; filij nullam duco rationem. Cur mihi significas promissionem? Quid enim lucrifaciet populus, si ego habuero filium. Quænam ad eos redibit vtilitas, si Elizabeth infantem lactauerit? Quid accipient commodi, si ego facultatum hæredem reliquero? Recede ergo, qui me terres, quicunque sis. Sumus iam prouectæ ætatis; præteriit tempus cupiditatis; tempus refrigerauit calorem, fructum negauit sterilitas, natura secum agitauit seditionem; in eo cui sumus ambo ea parte, quæ spectat ad coitum. Quod ergo non produxit iuuentus, quomodo germinabit senectus? Sed hæc quidem animo agitabat, & dicebat Zacharias. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, neque contubernis cogitationibus; sum enim Angelus lucis, non tenebrarum. Ego sum Gabriel vnus ex principibus Regis cælestis, iussum affero, non mea iubeo authoritate, missus sum ad tibi significandum, non autem ad metum tibi incutiendum hanc indui figuram. Ne timeas Zacharia, missus sum ad tibi nunciandum, non autem ad te obstupefaciẽdum. Profers senectutem, & ætatem non aptam generationi, & matricem, quæ semen nõ suscipit. Quis autem, licet velit, generat? Dei est donum, non inuentum hominis. Nõ audiuisti Dominum dicentem: Ego sum, qui facio hominem, & fingo spiritum in homine? Non credis Zacharia? Quomodo formatus est Adã? Quomodo creata est Eua? Quomodo genitus est Isaac? Cũ audisset Abrahã, non est spe deceptus, & tu Sacerdos nõ credis? Nõ est impossibile apud Deum omne verbum. Propter senectutem contradicis, ó Zacharia, & corpus emortuũ plena statura posse efficere, quàm Deum? Si non vidisses Abraham, rectè dubitasses. Naturalem profers imbecillitatem, & cum adsit diuina promissio, non credis? Qui parua petisti, magna sumis, & clamas, tanquam qui damnum patiaris? Tu Zacharia oras pro solo populo Iudaico; Ego autem hunc bonum tibi affero nuncium, Pertinere salutem ad omnes gentes. Zacharias autem cum hæc audisset, & aspectum parum auertisset, dixit respondens Angelo: Quid dicis, O Angele, Vxor mea pariet? num ego propterea oraui? an suffitum moueo hac de causa? Meo fungens officio, populo bonam spem affero, & peto veniam peccatorum, non solutionem desidero sterilitatis. Volo meam leuari synagogam, non prægnantem effici Elizabeth. Rogo sauciatæ, vt curentur animæ, non vt exiccata vbera lacte fluant. Quid dicis, ô Angele? Vxor mea pariet? & quid lucrifaciẽt ij, qui foris precantur? Nunquid cum audierint, me obruent lapidibus, dicentes, me non orare pro ipsis, & communi salute, sed pro me ipso solo, & me non verbum accepisse, sed fœtum? Nulla mihi res est cum liberorum susceptione. Absit, hoc nolo. Quod precatus sum, non accepi, & nũc mihi significas alia pro aliis. Filiorum procreationis nullam duco rationem. Non possumus ingredi sine baculo, & iubemur dare operam liberis. Senectus negauit naturam. Non ero frequens in templo ad obeundum ministerium; sed conducam nutricem propter infantem. Nulla mihi res est cum liberorum procreatione. Quæro salutem populi, & gentis fœlicitatem, & gentium captiuitatem, & nostram prosperitatem; non autem pueri fletus, & fascias, & nutrimenta puerilia. Horum ego nullam duco rationem. Quomodo enim inueniat pater germani filij? Senectus repellit modum. Ea res est deinceps a natura aliena. Sunt dissoluta membra genitalia. Virgam, tanquam equum, tenens ingredior, & me excitas, vt matrimonialem ineam cõiunctionem? Vnde hoc sciam

sciam? Ecce membra mihi tremunt. Ecce vides amborum senectutem. Ecce aspicis vteri imbecillitatem. Ecce intueris colla nostra in terram inclinata. Totum corpus emarcuit. Nihil expectamus aliud, nisi falcem mortis. Spicę iam sunt maturæ ad messem. Vnde hoc cognoscam? Si ergo verum omnino dicis, ô Angele, da mihi signum, atræ gratia, & credam promissioni. Accipio promissionem, si miraculi videam effectionem. Aarō enim non credidisset, nisi virga floruisset. Moyses pro certo, & firmo non habuisset, nisi eius manus fuisset dealbata. Gedeon non intellexisset, nisi ros descendisset in vellus. Ezechias spem abiecisset, nisi sol fuisset impeditus. Da ergo tu quoque signum, & saltabo iuueniliter. Da signum, ne Elizabeth, profusè rideas, sicut Sara. Vnde hoc sciā Archangele, qui hæc significas? Quid mihi dicis nomen infantis, & eius, qui non adest, Virtutes enumerat? Ostende mihi id, quod est supra naturam, vt credam id, quod est pręter naturam. Si cęli conuexum in partem conuertatur contrariam, ego quoque renouabor. Si mare suscipiat dimensionem: Elizabeth quoque pariet. Si sol comprehendatur, sicca quoque vbera lacte fluent. Si Luna cingatur mœnibus, matrix quoque sicca humectabitur. Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Angelus autem dicit Zachariæ: Non credis Deo Omnipotenti? Nescis Deum posse omnia? statuis Domini promissionem esse infirmam, & instabilem? Eum, qui bonum affert tibi nuncium, non vereris examinare, ac percontari? Vnde hoc sciam, dicis, ô Zacharia? Num te mittam in Ægyptum; vt terrore afficias Pharaonem? Nihil facit Deus supra naturam? Quæris naturę consequentiam, non diuinitatis effectionem admirabilem? Dic enim mihi, Vbinam fixæ sunt ignis columnæ? Cæli moles vbinam est collocata? Vbinam inueniuntur nubium cubilia? Pluuiæ autem guttæ vbinam continentur? Niuis verò cespites vbinam excinduntur? solis currus qui est auriga? Lunæ decremento quis imponit terminum? Furens mare quomodo reueretur arenam? Tenebræ caliginis quomodo contexuntur? Homo autem quomodo formatur in matrice? Et masculo quomodo fœmina inuenitur leuior? Vnde inquis: hoc sciam? Eris, inquit tacens, & nō poteris loqui. O benignum supplicium, quod effecit potius correctionem! Angelus enim castigat ipsam vocem, quæ lapsa fuerat: refrænat ipsam linguam, quæ fuerat audacior. Erat enim, inquit, annuens ipsis, & permansit surdus. Pulchrè Euangelista conscripsit illud, Permansit. Permansit enim silentium expectans vocem, quæ nascebatur, Zacharias Ioannem, senex infantem; Sacerdos Prophetam; Cum dicit Angelus: Quoniam tanquam incredulus à Deo signum quæris, in propriis membris porta signum, quod te castiget. Eris enim tacens, & non poteris loqui vsque ad diem, quo hæc fiant. Vbi est audacia temeritatis, illic est frænum disciplinæ. Vbi calcitrauit cōtumelia, illic pœnæ pronunciatur sententia. Volebat quidem Deus, ô Zacharia, te fieri pręconem talis miraculi: quoniam autem corporis imbecillitatem duxisti esse firmiorem; ac stabiliorē promissione Domini, eris tacens, & nō poteris loqui vsque ad eum diem, quo hæc fiant; propterea quòd nō credidisti verbis meis, quæ quidem implebuntur suo tempore. Vides nihil summum, ac perfectum effici sine fide? Solùm autem audiuit Zacharias hæc verba, & statim egressus est ex templo, sermonis priuationem ferens mercedem incredulitatis. O miraculum! ingressus est vt alios liberaret, & ipse exiit condemnatus. Thuribulum ferens ad ministrandum, circunferebat titulum exilij. Populus expectabat, vt aliquid boni ab eo audiret, ille autem annuebat: Nemo mihi appropinquet, nemo me interroget; fero horrorem Dominicæ iracundię. O res admirabiles, & quæ sunt præter opinionem! Zacharias mutus redditur, & veluti camo constringitur. Elisabeth autem opipare conuiuatur. Lingua obtunditur, & vterus inflatur. Quæ diserta erat lingua, sterilis efficitur, & quæ erat infertilis, mater redditur. Vox frenatur, & mulier liberatur. Zacharias silet, & Ioānes exilit. Solùm enim vidit sterilis Virginem, & solem animaduertit Lucifer, & valde exiliit Ioānes in materno vtero, accusans naturæ tarditatem. Domini, inquit, sum seruus, non teneor iisdem legibus, quibus conseruī. Non expectabo quo ad pariar, vt præcursor sim. Ne dominæ partus præueniat seruum, qui parturiendi doloribus in vtero inuoluitur. Ne sit naturæ consequentia ordinis transgressio, Agnoni enim qui me præmisit, vt ambularem ante eius faciem, ad parandam viam eius ante ipsum. Labefacto vincula naturæ, propero enim prædicare. O res admirabiles, & quæ superant opinionem! Quæ in cælo ignorauerunt Angeli, cognouit Ioannes, qui gestabatur in vtero. Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice, minimè præteriit. Cælauit Dominationes, & ei qui erat in ventre, reuelauit mysterium susceptæ carnis œconomiæ, & quem venit Archangelus ferens bonum nuncium, is eum narrauit in vtero. Nam cum ad nos aduenisset, sicut modo audiuisti, Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in vtero, & licebat videre figulum lutum salutantem, Regem habitantem in tabernaculo militis, Dominum, qui venerat in serui domūculam, Quem cum ex matrice in matrice aspexisset Ioānes, terminos naturæ contemnens, exclamat: Video Dominum, qui naturæ imposuit terminos, & non expecto tempus nascendi. Nouem mensium enim tempus in vtero non est mihi necessarium. In me est enim, qui est æternus. Egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo, rerum admirabilium cōpendiosam prædicabo cognitionem. Sum signaculum, significabo Christi aduentum. Sum tuba, proferā filij Dei in carne Oeconomiā. Tuba canā, & eo ipso paternę linguæ benedicam, & eam traham, vt loquatur. Tuba canā, & vterum maternō viuificabo. Vides ô dilecte, quàm sit nouum, & admirabile mysterium! Nondum nascitur, & saltibus loquitur, nondum apparet, & minas intentat. Nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur. Nondum discit vitam, & Deum prędicat. Nondum aspicit lucem, & solem indicat. Nōdum paritur, & properat pręcurrere. Nō fert enim pręsente Domino contineri, non sustinet naturæ expectare terminos, sed contendit rūpere carcerem ventris, & studet præsignificare venientem Saluatorem. Accessit, inquit, qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus, & retineor, vt maneam? Venit verbum, vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus? exibo, præcurram, & prædicabo omnibus, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum

mun

mundi. Et hæc quidem Ioannes. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & genuit filium, & audierunt cognati, & vicini eius, & gratulabantur ei. Cur autem peperit, & genuit? Quòd illud quidem est opus naturę, hoc verò supra naturam, quandoquidem peperit quidem, vt mulier, sed superuenit gratia sancti spiritus, & genuit supra naturam, Aliud enim est naturæ opus, aliud gratiæ. Erat enim miraculum, quod fiebat ab Ioanne & non tantũ habebat paterni generis, quãtũ Dei verbi. Hoc autẽ significabat Archãgelus Gabriel dicẽs Zachariæ: Ecce vxor tua pariet, filiũ, & spiritu Sancto replebitur ab vtero matris suæ, & multos filiorum Israel conuertet ad dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ. Quoniam ergo est admirabilis naturæ ortus infantis, & Zacharias quidem non credidit, Elizabeth autem non dubitauit, tardè genitum præter spem habens filium, ea de causa dicitur parere, & gignere, illud quidem propter naturam, hoc verò propter fidem. Qui enim gignit, sicut prius dixi, gignit eum lætitia, quæ autem parit, parit in doloribus. Quænam verò tristitia fuit in Elisabeth, vbi aderat sanctus Spiritus: non erat autem obstetricis circumcursatio, nec gratiæ rumor onus extendens miserabilem efficiebat laborem, si confertatur eum lætitia. Non enim, postquam fuit natus, & ad virilem peruenit ætatem, gratiam accepit Ioãnes, sed ex ipso materno vtero amictus veste sanctificationis, præter opinionem, procedit, tanquam miles, admirabiliter, sicut dicit Angelus; spiritu sancto ex vtero matris suæ implebitur; & ipse præcedet ante ipsum in spiritu, & virtute Eliæ. Ante quem præcedet? ante dominum Christum. Et ideo appellatur etiam Præcursor, vt licet ipsum audire Ioannem dicentem; Venit post me vir, qui ante me factus est. Post me, propter tempus; Ante me, propter thronum. Cur ergo in spiritu, & virtute Eliæ dixit Gabriel præcedere Ioannem? Audi prudenter; Elias Deus exponitur. Quoniam ergo Ioannes Deum habebat in seipso, impletus est spiritu sancto ab vtero matris. Spiritus autem Deus est. De eo enim multis ante annis dixit dominus: Ecce mitto Angelum ante faciẽ tuã, qui præparabit viam tuã ante te, & multos conuertet ab errore ad veritatem. Ea de causa in spiritu, & virtute Eliæ Ioannes præcedit dominum. Quinetiam inuenies Ioannem habere multa Eliæ similia. Certè infans nascitur, & vox patris reuertitur. Interrogatus enim, inquit, Zacharias, quo nomine vellet vocari puerum, petiit pugillares, & scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Qui non credidit verbis Angeli, nunc necesse habuit scriptis prædicare visionem. Qui tunc auditione non acceperat ea, quæ dicta fuerant, nunc ea, quæ fiunt, manu constituit. Quamobrem, inquit, mirati sunt vniuersi. Statim enim apertum fuit os eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & locutus est Deo benedicens. O nouum, & alienum miraculum! Nomen scribitur, & os patris, quod loqui non poterat, aperitur. Ioannes vocatur, & eius, qui vocat, lingua componitur, ac concinnatur. Vides nos non aberrasse, cum diximus præsentem expositionem esse eiusmodi, vt ei nihil possit obijci? Ecce enim ipsum iusti nomen, & os aperit silentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim ostenditur vox clamans Ioannis, quoniam ipsum quo- que nomen fit vocis operatio: Ego enim, inquit, sum vox clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. O miraculum! In populo versatur Verbum, & vox prædicat. Dominus venit, & seruus prius mittitur. Rex accedit, & miles præparatur. Gaudeamus ergo hodie, & lætemur, & exultemus, quod Elisabeth peperit, & Zacharias est locutus, quòd sterilis peperit, & senex clamauit; quòd quæsitus est pugillaris, & soluta est lingua sacerdotalis; quòd Ioannes processit, & vox est reuersa; quòd natus est Precursor, & totus mundus est lętatus. Sed hic quidem oportebat finire orationem; & Zacharias non concedit clamans: Benedictus dominus, quoniam visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. O res admirabiles. Quid dicit Zacharias? Primam vocem post resurrectionem exclamauit Zacharias, Benedictus dominus. Quid ergo? Mortuus est Zacharias, quòd surrexit? Non mortuus est, inquit, sed quidam, mortis instar, sustinuit. Tanquam enim sepulchrum tenuit silentium, & fasciis alligatus fuit, hoc est linguæ vinculis. Vitam egit interea non exercens sacerdotium & luctum sustinuit populi tristitiam. Rogante enim sacerdote pro iis, qui sunt in luctu, omnes pro quibus intercedit, consequuntur misericordiam. Hanc ergo primam exclamauit vocem post figuratam resurrectionem: Benedictus dominus Deus Israel. Ergo nos quoque hanc vocem consequentes, bonum Deum nostrum benedicentes eum glorificemus, & per bonos * mores, & bona opera eum colamus, vt bona quoque æterna consequamur. Quæ liceat nobis omnibus consequi, gratia, & clementia domini nostri Iesu Christi; Quoniam eum decet gloria, honor, & adoratio, & magnificentia, eum principij experte eius Patre, & cum sanctissimo, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Vide oportere nos Deum colere etiã per bonos mores, & bona opera, & non per fidem solum.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 3.

Benedictus Deus. Ecce enim rebus ipsis ostensæ sunt salutationes Ioannis, quæ fiebant in vtero. Procefferunt iusti boni nuncij, qui afferebantur pedibus. Venit gratia, quam, cum in vtero esset, significauit. Nouit mundus exultationem, quam Præcursor in aluo descripsit pedibus. Reuera alij laborarunt, & vos ingressi estis in ipsum laborem. Proclamabant Prophetæ, dum expellebantur. Non silebant iusti, dum verberabantur. Perielitabatur catalogus Prophetarum. Resistebant tyranni. Reges bellum gerebant. Principes stabant in acie. Populi ira concitabantur. Totus mundus adnersabatur iustorum certaminibus. Vbi producebantur ad tribunalia, illic flagris cædebantur. Vndique tormenta, & supplicia. Vndique afflictiones, & eiulatus. Vndique tristitia, & tenebræ. Sed cum essent in tali, ac tanta vitæ tristitia, annunciabant solutionẽ tempestatis. Ioannes enim ille magnus Præcursor domini, cũ esset adhuc naturæ fasciis alligatus, vel nobis ostendit salutare, & studens voce prædicare eum, quem significauit pedibus, conatur egredi ipsos naturæ terminos; vt quæ tardè pareret agitabat Elizabetham. Saliebat simul chorum ducens, & ægrediens,

Est apud Metaphrastem.

ferens, quòd teneretur in vtero. Exclamabat aduersus mensium conuersionem. Tanquam iniustam custodiam quatiebat matricem. In claustra naturæ insultabat calcibus; modum nascendi accusabat, & clausis labris vociferabatur signis, talia propemodum motu dicens Elizabethæ: Inique facis, ô mater, quæ tardas. Prophetam gestas in vtero; contines gaudium orbis terrarum; portas Præcursorem Christi Regis; contines militem Regiæ prædicationis; constringis martyrem, & maiorem omnibus inter natos mulierum; & impedis velocem cursorem pietatis. Iniquè facis, ô mater, non nosti futura, ignoras ea, quæ sunt ventura. Lux venit, solue matutinum. Sol oritur, priùs lucebit Lucifer. In foribus lux est, & voce est opus. Prope est sponsus, & iustum est, vt thalamus extendatur in Iordane. Opus est sanguine, qui mundum emat; & oportet me agnum eminus ostendere. Inuolutum est humanum genus fasciis peccatorum. Venit, qui soluit ligatos. Opus est deinceps præcone, vt omnes enim resciuerint, veniant omnes; & tu in vtero retines Præcursorem? Non tibi venit in mentem, ô mater, Adam tot secula teneri apud inferos? Non consideras Euæ luctus, & gemitus? Non intueris mundi tristitiam, vel potius interitum? Adhuc clamat sanguis Abelis contra Cain interpellans. His ingemiscunt vel ipsa elementa. Propterea enim es liberata à vitio infœcunditatis, vt qui nascetur ex sterili, eum indicet, qui nascetur ex Virgine. Propterea ego in matrice exilij in exultatione, vt non amplius saltet in mundo diabolus. Talia ergo nondum natus Ioannes dicebat Elizabethæ. Cum autem ex ipsa processisset, & iore maiorem suscepisset illuminationem, effectis ostendit effectorem, & figmentis digito ostẽdit fictorem, magna voce clamans: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Sed quomodo illum celebrabo ortum, qui verbis nequit exprimi? Quomodo illa enũciabo, quę mentem superant, & rationem? Quamnam suscipiam linguam, quę sufficiat miraculis? Noua est, & aliena conceptio; partus sine dolore; spica, quæ prouenit sine cultura; fructus sine semine; alienæ naturæ partus; ignota generatio; filius, qui non habet in terra patrem; narratio, quæ est reuera in vita incomparabilis. Virgo rursus mansit, non prohibuit partus Virginitatem, nõ corrupit vterum, non vitium attulit ei, quæ pepererat. Meritò is quoque, qui est natus, matri talia prębuit priuilegia. Quæ enim habuit solus, ea illi quoque soli dedit. Non habuit ipse fratrem ad generationem, neque dedit matri sororẽ miraculi. O Dei in homines liberalitas, & munificentia. Quænam dona per mulierem consecuta est natura? Vnde cœpit bellum, illinc Rex pacem conciliauit. Ex quo enim est virgo mater, & mater virgo, cessauit luctus Euę. Filia soluit crimẽ maternum. Per ipsam enim, tanquam susceptam, dominus ad nos accessit. Venit autẽ, vt quæ erant tristia, mutaret in gaudium. Venit vt dolore affectam mutaret consuetudinem. Venit, vt inferna pacaret supernis. Audi autem quomodo. Illic probro affectus fuerat Paradisus, hîc spelunca effecta est gloriosa. Illinc duo, Adam, & Eua expulsi sunt à peccato, hic fines orbis terræ deducti à gratia. Non habemus amplius suspectam exilij exprobrationem; nõ extimescimus amplius flammeam romphæam; non timemus amplius claustra portarũ paradisi; non metuimus amplius morsus serpentum; non amplius à ficu accipimus folia; non amplius ad sonum gressus contremiscimus. Quæ enim ex Virgine facta est, adorauimus processionẽ; medicum naturæ aspeximus. Quis enim vidit, quis audiuit? Quis ex imbecilla radice cognouit vnquã effloruisse medicum? Quænam fœmina visa est mater patris proprij? Quænam eum genuit, qui diuina virtute genuerat? Quænam eum peperit, qui videbatur quidem figmentum, intelligebatur autem esse fictor? Quænam fuit consecuta, vt haberet filium, & nullum senserit damnum Virginitatis? Quid ergo dicis, ô Iudæe? Quid sensu videris esse insanus, cum canis tegaris malitiæ? Quid tuos prophetas, vel potius meos frustra legis? Tu enim literas, ego verò res teneo. Tu testamentum, ego hæreditatem. Tu in lege gloriaris, ego autem in gratia me magnificè circũspicio. Cur pugnas cum Prophetis? Cur à Deo acceptas, & veraces eorum effugis prædictiones? Quam multis ante seculis legisti ea, quæ nunc euenerunt? Nesciebas ad homines venire Deum verbum? Quomodo ergo dixit Propheta Hieremias? Hic est Deus noster, non reputabitur alius pręter ipsum. Inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob filio suo, & Israel dilecto suo. Postea in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sed Virginem, ô Iudæe, non credis peperisse. Quomodo legisti Prophetam Esaiam clamantem: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen Emanuel: Quod est interpretatum; nobiscum Deus. Sed quòd post partum mansit virgo, hoc quoque didicisti ab Ezechiele. Duxit me, inquit, Angelus, & posuit me ad portam Orientis, & dixit mihi: Fili hominis, quid tu vides? Et dixi, Video ego portam clausam. Et dixit mihi, hæc est porta, nemo ingredietur per ipsam, neq; egredietur, nisi Dominus Sabaoth solus. Ipse ingredietur, & egredietur, & erit porta clausa. Quinetiam quòd qui est omnis creatæ naturæ Dominus, nascatur in vili loco Bethleem, hoc quoque priùs didicisti à Propheta Michea dicente: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda; Ex te enim mihi exibit Dux, qui pascet populum meum Israel. Tam verò quòd Herodes quoque sit infantes occisurus propter Christum, qui non potest comprehendi, ne hoc quidem est præteritum silentio; sed sic scriptum est: Vox in Rama audita est; luctus multus, & fletus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, quoniam non sunt. Hæc ergo priùs didicisti, ô Iudæe, per Prophetas, vt paratus esses, vt ei ires obuiam, non vt Crucem parares. Sed illis in præsentia prætermissis, ad prius institutum reuertamur. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, vt, cum venisset ad circumcidendum puerum, vocarent eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Porrò autem eius quoque patri annuebant, quidnam eum vellet vocari. Et postulans pugillarem scripsit dicens; Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Et loquebatur apertè benedicens Deo. Infans nascitur, & vox patri restituitur. Ex quo manifestum factum est,

claman

clamantem nasci vocem, quòd vocis ipsius, hoc est Ioannis, nomine prolato, Vox patri restituta est. Ego enim, inquit, vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Cum enim suscepisset Ioannes illuminationem sancti spiritus, effectis ostendit effectorem, & digito ostendit omnibus affictorem, magna voce clamans: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Non enim amplius ex veteri lege, & figura, vnum est templum, quod suscipit sacrificia, & eis gloriatur: sed in vniuerso orbe terrarum Ecclesiæ, & aræ purè ac syncerè clementi Deo emittunt gloriam. Accepimus enim animarum nostrarum Pontificem Iesum Christum Dominum nostrum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Habemus enim, inquit, Paulus, Pontificem magnum, qui cælos penetrauit, Iesum Christum Dominum nostrum. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio cum Patre, qui caret principio, & cum sanctissimo, & viuifico spiritu, Nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

ANTIPATRI BOstrorum Episcopi de sancto Ioanne Baptista, & de silentio Zachariæ, & de salutatione sanctissimæ Deiparæ, Oratio.

apud Metaphrasten.

INter natos mulierum nullus est maior Ioanne, Verbum pronunciauit salutare. Quomodo ergo ex verbis contextam ei offeram coronam, qui talem accepit coronam à Domino? Quomodo eum laudabo, qui, antequam nasceretur, didicit occultum mysterium? Etenim, antequam esset natus, Deus apertè tradidit gratiæ mysterium, gratiæ thesauros apud eum deposuit, & ea, quæ ignorarunt in cælo, choros ducentes Angeli, sicut nuper audiuistis, Ioannes dicebat, qui in matris gestabatur vtero. Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice, Deus non præteriit. Celauit Dominationes, & ei, qui erat in vtero, reuelauit mysterium susceptæ carnis Oeconomiæ. Et quem veniens Archangelus è cælo tulit, bonum nuncium intrinsecus narrauit fœtus saliens. Nam cum aduenisset, sicut modò audiuistis, redemptor nostri generis ad suum amicum, qui in vtero gestabatur, statim venit ipse quoque cum esset in vtero. Licebat autem videre lutum salutari à figulo, excipi Regem in tabernaculo militis, & venisse Dominum in serui domunculam. Quem cū ex matrice in matrice aspexisset Ioānes, præuidēs, exiliēs, naturæ terminos conatus est transilire. Video enim Dominum (apud se dicebat) qui imponit naturæ terminos. Non expecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero; tempus nouem mensium non est mihi necessarium. Quæ nam mater Deum verbum persuasit ad nos apertè venire? Quis, cum functus esset legatione, excitauit ex sinu patris eum, qui est sine matre? Quænam autem est hæc virgo, quæ Deo visa est præstantior vniuersis potestatibus? Quænam ea est, quæ eum, qui capi non potest, continet in vtero? Quænam ea est, quæ fert in ventre eum, ad quem non potest accedi? Quænam ea fuit, quæ intercessit, vt fœno humanitatis admoueretur ignis diuinitatis? Quis primi parentis renunciabit vxori id, quod nunc peragitur, mysterium? Quis dicet, ab ea quæ fuerat olim condemnata, intus, in ventre scilicet, habitum fuisse iudicem atque præcursorem, quæque audiuit, In doloribus paries filios tuos, eam venisse illum portantem, qui nobis annunciauit doloris solutionem? Papè quantus honor, & quæ verbis non potest exprimi mutatio. A Paradiso separauit Deus primum creatū hominem, & ipsum cœpit, quæ ab eo descendit. Qui pelles in Paradiso consuit, tegitur in vtero. In quam primum parentem ita percitus expulit, in eam misericordia commotus aduentauit. Quam execratus est terram, eam calcauit, diuino gressu latam infirmans sententiam, spinam peccati conterens impollutis vestigiis. Hæ erant exultationes Ioannis, vel verba potius. Verba enim erant pueri nondum nati saltationes. Quis ab æuo apud Græcos talia sapienter docuit, qualia ante fascias narrauit hic præcursor? Talia sunt mysteria huius celebritatis, quę si velim prædicare, inueniar obrui profundo miraculorum, & per aerem ingredi, narrando cælestia. Quo circa te rogo, ô Baptista, concede mihi anchoram deprecationis, & vt qui sis vox, conserua mihi certos, & stabiles sensus vocis instrumentorum. Veni enim certam habens fidem, non hęsitans, verborum tibi suffitum offerens. Qua quidem te fretus, tua narrabo certamina. Quòd si etiam sim vincēdus, gaudeo; est enim mihi victoria vinci à mei patroni miraculis. Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis: Ne fallatur aliquis in expositione, quòd eodem nomine vtantur Euangelia. Fuit enim alius Herodes, qui Pręcursorem sustulit, & alius hic Herodes, qui herbam deuorauit infantium, dum quęrit spicam pietatis. In huius diebus fuit quidam sacerdos nomine Zacharias, & eius vxor Elisabeth. Erant autem ambo iusti (Vitę enim cum viro societatē habebat mulier honestè se gerens) iugum legis ferentes, iustitia abundantes, liberos non habentes. Lęsa enim matrice temporis longitudine, erat Elisabeth sine liberis, & sterilis. Ambo autem processerant in diebus suis. Natura, inquit, carebant filiis, & cum procreandorum filiorum tempus definitum consumpsissent, non spe, sed lege amissa, mores habuerunt pro secū lo tempore. Defecit generatio, sed preces non fuerunt imbecillę. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias (erat enim festum sanctum, & insigne) veste indutus, & lamina circumposita, accepto incensio ibat in sanctorum adyta. Pręcurrente autem sonitu tintinabulorum, multitudo orabat ante fores, sacerdotem senem ad Deum mittens, tanquam nuncium. Qui cum fuisset intra velum, visus est ei Angelus Domini, stans à dextris aræ incēsi. Conturbatus est autem Zacharias, & non potuit vltra progredi, propter Angeli aspectum retrocedens, diu autem mansit attonitus, hæc apud se dicens: Quid sit hoc, quod videtur, dubito. Alius ad aliæ te incēsi fungitur munere sacerdotali, ego autem quomodo imponam igni incensum? Vnum solum lex iubet fungi munere sacerdotali. Est Angelus, non homo, qui videtur. Neque sic tamen in templum patet aditus; non enim didicimus vnà ministrare cum angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quénnam accipiam cōsilium? Sanctóne cedam sanctis? salutabo, & accedēs dabo incensum? Nunquid me accipiet socium? Non venit,

Inuocat S. Ioānem aliquando patronum.

Facit Zachariam summū sacerdotē, cū non esset nisi simplex sacerdos.

venit, sermocinaturus cum ministris sanctorum? Video terribilem, & laetum: Venitne bonum afferens nuncium, famémne an bellum minitans? quòd verò is quidem, qui videtur, sit satelles caelestis, & non Deus, statio indicat. Esaias enim vidit Dominum sedentem. Ezechiel supra thronum aspexit incorporeum. Daniel similiter antiquum dierum sedentem. Hic autem stat, implens ministerium, capitis partibus altaris magis honorabilibus. Hei mihi, num propter meū peccatum etiā à populo rationem exiget? Num magnitudo honoris erit mihi occasio maioris supplicij? Haec ratiocinans conturbabatur Zacharias. Non latuit autem Angelum Gabrielem sacerdotis conturbatio. Quocirca ei statim placidam vocem dedit, tanquam dexteram, clamans: Ne timeas Zacharia. Priùs eius compescit timorem, & tunc bonum narrauit nuncium, vt non perturbato animo acciperet Zacharias id quod ei significabatur, dicens: Ne timeas Zacharias, tibi gratus affertur nuncius, exaudita est tua deprecatio; Vxor tua pariet filium, & vocabis eum Ioannem; Ad te enim veni de caelo, non solùm portans filium, sed etiam veni, cum ex libro superno, didicissem nomen eius, qui nascitur. In ciuium caelestium numerum eum ascripsit Deus, non talem mortalis produxit vterus. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Est enim tuus quidem filius, tuum germen, fructus autem communis: Tu pater; qui autem nascitur, est lucerna omnium. Haec cum audisset Zacharias, euasit simul laetus, & curiosus. Curiosa certè cogitatione cum accepisset id, quod ei significabat Gabriel, respondit non cum satis magna fide. Vnde hoc sciam: Non tulit Gabriel Zachariae interrogationem, sed nihili pendit sacerdotem, qui offert quidem suffitum, fidem autem non habet, & cum iram vultu indicasset, haec dixit: O Zacharia, eorū quę dixi, à me poscis rationem? A Dei ministro exigis rationem? Cum bonus tibi affertur nuncius, pignus petis? Non gratias agens, sed examinans, diuina dona suscipis, & dicis: Vnde hoc sciam? Ego sum Gabriel, eorum quae dicta sunt pignus, nomen meum accipe, & si hoc à te paruiducitur, cognosce auctoritatem, Ego sum, qui asto ante Dominum. Me si deinceps falsa narrare existimas, nū tibi succedet accusatio? Ego enim sum, qui asto ante Dominum, & dicis, Vnde hoc sciam? Vnde hoc scies? Tu es enim, inquit, senex, & vxor tua processit in diebus suis. Tempus ô sacerdos, maiorem apud te habet authoritatem, quam Architectus temporis! Non cessas ergo Deo non fidere, & tempori cedere, sed dicis, Vnde hoc sciam? Quomodo didicisti Isaac nasci ex Abrahamo? Quandoquidem credidit, aetas confirmauit, non quoniam credidit, senectus non obediit. Si autem quod de sterili dicitur, videtur non posse fieri, quomodo tibi audebo credere mysterium virginis? Si ergo cum multas habeas similitudines, pignora exigis, quomodo narrabo eam, quae est superior, Verbi conceptionem? Qua de causa multis ante seculis Esaias id praedixit, dicens: Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium. Ille cum credidisset, praedicauit id, quod est maius; Tu autem cū ei, quod est minus, non credideris, à me exigis rationem, qui è caelo ad te propter te sum missus: Sed quoniam tibi est cordi signum accipere (hoc enim petiisti, & vtinam non petiisses) mutus eris, & voce carebis, & hoc erit signū filij procreationis. Eris tacens, donec tes verba confirmauerint. Ea generandi instrumenta ad vocis instrumenta transeant vincula sterilitatis. Voce impeditus vocem mihi concipe. Illi enim soli patris delictum condonabo, Est amicus Domini. Quae vult, petit vt amicus. Cum haec intus fierent, & dicerentur, tempus quod trahebatur, multitudinem populi affecit admiratione, & quae in multa distrahebatur suspicio, vnicuique dictabat id quod videbatur, donec postquam apparuisset Zacharias, silens ea docuit, quae passus est, dum latuit. Postquam autem impleisset dies ministerij, abiit domum, in visceribus habens bonum nuntium, & in ore fraenum. Et hoc quidem est, vt dixerit quispiam, Praecursoris principium conceptionis. Cuius partum si velimus praedicare, proximi festi necesse est omnino meminisse. Sexto enim mense cōceptionis, Nazareth venit Gabriel ad Virginem afferens Patris bonum nuncium. Quam cum domi vidisset prior salutauit, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue, quae prima, & sola paris infantem liberum ab execratione. Aue, quae in mundo paris vitae occasionem. Aue, quae es incorrupta, sed non es expers prolis. Aue, quę satu caruisti, sed non fructu. Aue, quę partus dolores expectas, qui te minimè inuadent. Aue, quę tuo primo parenti Adamo exhibes defensorem. Aue, quę fers sine dolore naturę creatę fundamentum. Aue, quae citra laborem intercedis inter mortalitatem, & diuinitatem. Aue, quę paris Deum non nudum, & hominem non solum hominem. Aue gratia plena, Dominus tecum. Illa autem, cum audisset laetitiam, nō porrexit aures; sed vocem examinauit dicēs: qualis est haec salutatio? Qui per se, & non vocatus, nostram est ingressus domunculam, quisnam, inquit, est hic, non familiaris, non cognatus, nō genus ducens ab Adamo? Ex voce conjicio, hanc esse nouam, & alienam salutationem. Non adest Ioseph: voci non assentior. Cum sola prima parente, vt aiunt, locutus est ille, qui fuit primus auctor malorum. Ei autem dixit Angelus: ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam, quam perdidit, quae primùm fuit creata foemina. Illa sola suscepit deceptionem, tu autem sola attulisti solutionem deceptionis. Paries filium, & vocabis eum Iesum. Illa autem cum partum audisset, & filium: Quomodo aiebat, erit mihi istud, quoniam virum non cognosco? non contradicens, sed vt per interrogationē disceret. Quomodo erit mihi istud? Ego, inquit, sola naturam innouo? liberorum procreationis in me soluētur rationes? Dic mihi modum, ô hospes, nouus enim, & alienus est tuus bonus nuncius: Spiritus sanctus, ait Gabriel, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Suscipe, inquit, ô Virgo, id quod dictum est. Ne sis sollicita de eo, quod est mandatum silentio, Partui fero testimonium, modum dimitto. Veni ad te nūtius, non doctor Oeconomiae. Missus sum praeco aduentus Dominici, non interpres, Quomodo, nouit ipse qui adest, adesse enim scio. In te enim prosilit signum internum, non possum autem dicere modum. Quòd autem non falsa dicam, testimonium mihi feret Elizabeth, quae in sterilitate, & senectute concepit Pręcursorem. In sterilitate autem, & senectute dixi eam concepisse, quod quidem est non paruum pignus. Inter autem enim sterilem

[illegible] ginem nihil est intermediū, quod [illegible] tum. Hæc cum Virgo audisset, [illegible] mariæ, & cum Elizabeth inuenisset [illegible], eam salutauit. Infans autem intus [illegible] infanti enim auditio exiuit auditio matris. [illegible] quoniam Ioannes, qui intra naturæ fines coercebatur, loqui non poterat, saliens dicebat, cum propria matre loquēs per exultationes, matri autem seruatoris respondens per linguam maternam. Cum autem Elizabeth non ferret saltus filij, spiritu sancto repleta exclamauit, dicens Virgini: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tu, inquit, es benedicta, quæ execrationis portas solutionem. Tu es benedicta, quæ portas donum sapientiæ. Tu es benedicta, quæ cum gestas in vtero, qui ambulauit in paradiso. Tu es benedicta, cuius sanctum templū fuit venter. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex quo cum comederit Adā, vincet inimicum. Benedictus fructus, qui fuit mūdi cibus, & amictus. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Hæc, ô virgo, infans me docuit, intus propter tuam salutationem saliens supra naturam. Hæc sunt verba Elizabethæ inspirata diuinitus. Zacharias autem, vt dixi, domi mansit, vt cui esset impositum frenum incredulitatis, accepta vocis amissione æquali conceptioni, vt qui suscepisset ortum filij, terminum condemnationis. Postquàm verò ex deserta matrice processit ciuis deserti, pater petitis pugillaribus, ea gratè scripsit, quæ non credens audierat; & cum filio reddidisset appellationem, vocem recepit. Talia, ô Præcursor Baptista, tua sunt, antequam nascereris mysteria. Talem tibi Deus largitus est dignitatem ante conceptionem. Gabriel ortum Domini, & tuam annunciauit conceptionem in templo, quomodo in thalamo te esse conceptum dixit? Pium ac religiosum populo donum in celebri festo, ortum tuum attulit Archangelus. Fuisti spiritu afflatus, vt qui donum Propheticę acceptisti in vtero. Saliens in ventre ea dicebas, quæ Moysi, cum consenuisset, Deus significauit. Qua de causa te maiorem prophetis vocauit sponsus ecclesiæ. Quis enim ex prophetis ex vtero matris narrauit mysterium? Quis ex iustis in ipso ortu patri vocem attulit hospitalem? Tu autem simul eum, qui te genuerat, à vocis priuatione liberasti, & dignatus fuisti prophetia. Qui enim erat paulo ante mutus, spiritu Sancto impletus nobis cecinit canticum; quod paululum mutatum ego opportunè inchoabo. Ille enim dicit: Benedictus Dominus Deus Israel. Ego autem dico: Benedictus Deus Christianorum, Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

S. TITI BOSTRORVM *Episcopi eiusdem Euangel. expositio.*

Elizabeth impletum est tempus pariendi. Obseruatione dignum est, num in tota veteri & noua Scriptura, de peccatoris ortu vsquam dictum cōpetiatur; *& impletum est tempus pariendi.* Arbitror equidem non facilè quempiam illud scriptum inuenturum, nisi vbi is, qui nascitur, iustus nominatur. Quia ergo istud hic locum habet, rectè Euangelista ait: *Elizabeth impletum est tempus pariendi. Et factum est octaua die, &c.* Cur lege sancitum erat, ne vlli omnino infanti ante susceptam circumcisionem, nomen imponeretur? Quia par erat, vt per signaculum, quod Deus præceperat, hoc est, per circumcisionem primò omnium in Dei populum censerentur, ac tum demum humano nomine insignirentur. *Et respondens mater eius, dixit: nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Nō temere Christi prodromum Ioannis nomine appellandum censuit Elizabeth; sed tāquam vates Spiritus sancti afflatu mota; neque enim illa illorum conscia erat, quę Zacharias per oraculum acceperat. Quomodo enim maritus hæc illi indicasset, qui fari omnino non valebat? *Et postulans pugillarem scripsit.* Zacharias postulatis pugillaribus, nomen, quod infanti indideretur, scripsit, siquidem nutibus illud exprimere nequaquam poterat, quomodo enim id potuisset? *Et mirati sunt vniuersi.* Stupor hinc inde oriebatur, quia animaduertebāt Zachariam & Elizabethem de Ioannis appellatione, quæ noua alioqui & inusitata in illorum cognatione erat, inter se conspirare. Sonat autem Ioannes idem, quod Dei gratia. Ea propter vbi primùm nomen hoc exarauit, statim diuinę gratiæ beneficio apertum est os eius, & locutus est benedicens Deum, multáque, vt infra patet, cùm de Christo iam tum præsente; tum de Ioanne quoque futura prædicēs. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum.* Ob hoc in omnes, qui circum circa habitabāt, timor irruit; quia consentaneū erat, vt quemadmodum vniuersus populus de Zachariæ silentio obstupuit; ita de restituta ipsi fandi facultate vicissim admiraretur; adeóque vt omnes, propter duo hęc miracula, magnum quiddam de puero animo cōciperent. Portendebant autem omnia hæc Ioannem testem cumprimis idoneum fore, qui Christo testimonium perhiberet. Zacharias porrò in Dei laudem ingressus, ipsum plebem suam visitasse asserit; canit autem in hunc modum. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, &c.* Quos visitauit? Eos vtique, qui in Christum credideriūt. Hi nanque ea visitatione digni effecti sunt; quippe qui diuinam visitationem efficacem in se extitisse, palàm ostenderint.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponens. in eodem festo, Homilia 1.*

Post illum sacrosanctum domini natalis diem nullius hominum natiuitatem legimus celebrari, nisi solius beati Ioannis Baptistæ. In aliis sanctis, & electis Dei nouimus illum diem coli, quo illos post consummationem laborum & deuictum triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturit. In aliis cōsummata vltimi diei merita celebrantur, in hoc etiam prima dies, & ipsa etiam hominis initia consecrantur, pro hac absque dubio causa, quia per hunc dominus aduentum suum, ne subito homines insperatum non agnoscerent, voluit esse testarum. Ioannes autem figura fuit veteris testamenti, & in se formam prætulit legis: & ideo Ioannes prænunciauit Saluatorem, sicut lex gratiam præcucurrit. Quod autem nondum natus de secreto materni vteri prophetans, & expers lucis iam testis est veritatis, hoc est intelligēdum, quòd Serm. 20. de Sanct.

latens sub velamine & carne literæ, & redemptorem mundo spiritu prædicauit, & nobis dominum nostrum de quodam legis vtero proclamauit. Ergo quia Iudæi errauerunt à ventre, id est, a lege, quæ à Christo grauida erat: Errauerunt à ventre, locuti sunt falsa, ideo ille venit in testimonium,
Psal. 57. Ioan. 1. vt testimonium perhiberet de lumine. Quod autem
Matth. 11. Ioannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos dirigit, & ad Euangelia transmittit. Quæ lex iuata typum Ioannis quasi ignorantiæ clausa carcere in obscuro, & in occulto iacebat, & Iudaica excitate sensus intra literam tenebatur inclusus: de hoc beatus Euangelista pro-
Ioan. 5. loquitur. Ille erat lucerna ardens, id est, spiritus sancti igne succensus, vt mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet, & quasi inter densissimas delictorum tenebras splendidissimum iustitiæ solem, lucis suæ radio demonstra-
Matth. 3. ret, & de seipso dicens, Ego vox clamantis in deserto. Videamus in quo deserto, id est, in gentilium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & spiritu sancto carentia deserto squalentis eremi comparantur. Desertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei, & timoris Dei, & peccatorũ spinis obsitus squalebat tanquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcũditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ spiritalis acceperat. Mittitur beatus Ioannes, qui eum per propheticam, atque Apostolicam prædicationem annunciando pœnitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fœcundaret, & excoleret, diuini verbi seminibus impleret, & ad maturam frugem, id est, ad regenerationis gratiã præpararet. Iam illud quantæ gloriæ est, quòd Zachariæ sacerdoti seni,
Luc. 1. & Elizabeth sterili à Gabriele, id est, ab illo angelo promittitur à quo Mariæ natiuitas domini nunciatur, & quasi ea aliquo similis domini præmittitur filius sterilis ante filium virginis, nescio quod maius miraculum ipsa natiuitate declarãs. Insperata prole posteritas muneratur, quia nouo partu erat muneranda, & ditanda virginitas. Præmittitur ante Iesum Christum Ioannes, quasi testamentum vetus ante nouum, vt dies diei eru-
Psal. 18. ctet verbum, & sacramentorum obscura profunditas euidentioribus nouæ doctrinæ mysteriis reueletur. Præmittitur ergo lucerna ante solem, seruus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante iudicem, vox ante verbum: & ideo de se di-
Matth. 3. cit, Ego vox clamantis in deserto. Quid est, quòd beatus Ioannes vocem se esse dicit? id est, quia verbi annunciator, & prædicator erat. Hic iam solicite requiramus, quid inter verbum sit, & vocem. Scripturæ sanctæ verbũ esse definiunt, quod intra animi silentium mẽte concipimus: verbum esse definiunt, ipsam cogitationem quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur: vocem vero per quam verbum profertur in medium. Vox sonus est, index cogitationis, verbum vero ipsa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, necessaria est vox quasi quoddam vehiculum verbi, & quamlibet verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus, tamen illud integrum etiam intra nos, id est, clausum à loquente transfertur, vt tamen in sua sede teneatur: ita & omnipotens pater innotescere nobis volens sapientiam & verbum illud quod in principio erat
Ioan. 1. Deus apud Deum, sicut ipse testatur, Eructauit
Psal. 44. cor meum verbum bonum, beatum Ioannẽ quasi vocem, per quam ad nos verbum suum proferret assumpsit. Quod quidem verbum de illa sede ita ad nos descendit, vt in sinu, id est, in profundo paterni pectoris permaneret, terrena visitans, & cœlestia non relinquens. Hanc itaque gloriam beatus Ioannes Baptista non de longinquo sicut reliqui prophetæ, sed vicinus, & proximus antecessit. Illi aduentũ regis ante multa tempora prędicauerunt: alij dixerunt, quãdoque venturus est: alij, ecce cito venit: iste autem quem venturum prædixit, digito ostendit, & prophetiam suam per ipsum quem annunciabat assistentem compleuit.
Adhuc itaque in vtero matris suæ spiritu sancto Ioan. 1.
est repletus, & suam ipsius natiuitatem prophetando præuenit. Ad similitudinem domini sanctificatus, antequam natus, inter viscera exultans, & Saluatoris aduentum materno ore protestans. Vere lucerna ardens, in quo tam singularis gratia diuinæ dignationis effulsit, vt iam iamque affore redemptorem sanctæ genitricis voce narraret, & per eam velut per quandam veritatis lucernam, nondum in lucem prolatus ostenderet. Hic est ille, qui noui, & veteris testamenti idoneus mediator, & gloriosi agni dignus ostẽsor, qui dominum suum, & annunciare vno tempore meruit & videre, vna, eadẽmque suæ natiuitatis ætate & noua incipiens, & vetera concludens: de persona huius Euangelista testatur, A diebus Ioãnis regnum Matth. 11.
cœlorum vim patitur. Nouimus quia familiariter mens humana in diuersis huius mundi illecebris, & concupiscentiis deuicta fugit laborem, capere voluntatem, & via adducitur, vt consuetudinem à se vitæ prioris excludat: sed enim cœperit cogitare vltimi diei necessitatẽ, ac futuri iudicij pondus, incitata, & stimulata, vel spe præmij, vel timore supplicij, voluntarium bellum indicit passionibus, & vim facit pristinis suis desideriis, & violenter se vincere ipsa contendit. Non enim sine violentia fieri potest, vt de abundantia, & deliciis ad famem, & sitim, ad abstinentiam, & crucem transeat, vt somno prius, atque ocio amicam carnem contritione, vigiliisque conficiat. Non, inquam, sine violentia fieri potest, vt vnusquisque iracundiam patientia, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis diuitiarum, ac sufficientiæ affluentiam inperet, violentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet, & homo subito in virum transformetur perfectum & quodam modo alter reddatur ex altero, ac sic à talibus per violentiam regnum cœleste diripitur. Duo autem sunt abstinentiæ & crucis genera, vnum corporale, aliud spiritale. Vnum à potu, atque epulis temperate, appetitum gulæ à delectationibus, & mollissimis suauitatibus coërcere ab his, quæ per tactum, & gustum, visumque decipiunt sensum viriliter reuocare, ac violenter abstrahere. Alterum abstinentiæ, & crucis genus est pretiosius, atque sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare, iræ, ac superbiæ impetus quasi feram bestiam refrænare, litigare quotidie contra vicia sua, increpare se quadam censura austeritatis, & virtutis, & tuam quodam modo cum homine interiore conferere. Preciosa in conspectu Dei, & gloriosa crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere, & regẽtis imperio subiugare. A sermone, atque opere
quo

quo anima læditur tanquam à cibis noxiis abstinere,& sensum ab his,quę contraria sunt,spiritali temperantia sobrium custodire. Hæc qui facit prærupto passionis muro violenter ad cælorum regna conscendit. Vim itaque sibi factura est anima,vt palmam laborũ,quam sibi subtrahi multis inimicis aduersantibus sentit, viribus contendat eripere. Necesse ergo est cum summo labore ex hoc mundo rapere palmam salutis, & quasi excub[...]ibus, & circuniectis hostibus obsessos perugili [...]tentione fructus decerpere,& prædam à th[e]sauro vitæ velut de medio abreptam seculi huius incendio reportare. Est & aliud direptionis genus quando aliis promissa, & oblata diripimus. Saluator adhoc vel maximę suscepta incarnatione descenderat, vt Iudæorum populum *Matth. 15.* iustificaret:sicut ipse in Euangelio loquitur,Non sum, inquit,missus nisi ad oues,quæ perierũt domus Israël. Sed & discipuli ita incredulam syna*Act. 13.*gogæ plebem coarguebãt,Vobis,inquiunt, prius oportuerat verbum Dei loqui, sed quia vos indignos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.Ergo cum Iudęi munera sibi parata respuerent,publicani,& peccatores ex gẽtibus crediderunt, ac sic rapit ecclesia synagogæ regnum. Regnum enim nostrũ christus est.Rapimus itaq; eum, cum à Iudæis occiditur, sepelitur à nobis. Rapimus itaq; eum illis dormientibus, sicut ipsi *Matth. 28.* in Euangelio confitentur,Dicite,inquit,quia Discipuli eius nocte venerũt,& furati sunt eum nobis dormientibus. Surgat ergo qui dormit, ne forte Christum per neglgẽtiam resolutus amittat, dum mens eius in infidelitate & in corpore dormitat. Rapitur itaque regnum cælorum,dum negatur à domesticis,& à gentibus adoratur.Rapitur cum aliis,ad salutem mittitur,ab aliis inuenitur. Cum enim sui eum recusant, suscipiunt alieni.Insectantur proprij:complectũtur inimi*Matth. 11.*ci. Quando hæreditatem cuius respuit,peregrinus inuadit: Filius repudiat, seruus recognoscit, Adhuc & alio ordine,regnum cęlorum vim patitur,quando illud homines acquirunt, quod Angeli perdiderunt, quando illuc adoptati humiles ascendunt,vnde superbi incolæ ceciderunt. Ergo cum inter tãtos inuidos,inter tantos latrones,& inuisibiles insidiatores viuamus, quibus tandem *Peccata minuuntur, & eleemosynis redimuntur.* viribus cælorum regna capiemus?Quis,inquam, nisi obediẽdo doctoribus, & viciis,& iniusticiis ex cupiditate nascentibus resistendo, deflendo peccata, & ea ieiuniis atque eleemosynis redimendo?

EIVSDEM IN EODEM *festo Homilia 2.*

Serm. 21. de Sanct. NAtalem Sancti Ioãnis,fratres charissimi,hodie celebramus,quod nulli vnquam sanctorum legimus fuisse concessum. Solius enim Domini & Beati Ioannis dies natiuitatis in vniuerso *Luc. 1.* mundo celebratur & colitur. Illum enim sterilis peperit,illum virgo concepit : In Elizabeth sterilitas vincitur, in Beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Elizabet virum cognoscendo, filium genuit, Maria Angelo credidit, & concepit. Hominem concepit Elizabeth,hominem & Maria. Sed Elizabeth solum hominem, Maria Deum, & hominem. Quid sibi ergo vult Ioannes?Vnde interpositus?vnde præmissus? Magnus igitur Ioannes,cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet dicens, Non surrexit inter *Matth. 11.* natos mulierum maior Ioanne Baptista.Pręcellit cæteros, eminet vniuersis.Antecellit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisque de muliere natus est,inferior est Ioãne. Dicit fortasse aliquis; Si inter natos mulierum Ioannes maior est, maior est saluatore. Absit. Ioannes enim natus mulieris; Christus autem virginis natus est:Ille corruptibilis vteri finibus effusus est, iste impollutæ virginis flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videatur conditionis humanæ,si comparetur hominibus.Ioannes pręmissus est ante Deum. Tanta in illo excellentia erat,tãta gratia vt ipse putatus sit Christus.Quid ergo dixit de Christo?Nos omnes de plenitudine *Ioan. 1.* eius accepimus. Quid ergo nos?Omnes Prophetæ,Patriarchæ,Apostoli, quotquot sancti,& ante incarnationem præmissi, vel ab incarnato missi, omnes nos de plenitudine eius accepimus. Nos vasa sumus,ille fons est.Si ergo intelligimus mysterium,fratres mei, Ioannes homo est, Christus *Ioan. 3.* Deus est. Humilietur homo, vt exaltetur Deus, secundum illud, quod de domino ipse Ioannes dixit,Illum oportet crescere:me autem minui.Vt humiliaretur homo,hodie natus est Ioannes,quo incipiunt decrescere dies. Vt exaltetur Deus, eo die natus est Christus,quo incipiũt crescere dies. Magnum sacramentum,fratres charissimi. Ideo celebramus natalem Ioannis, sicut & Christi, quia & ipsa natiuitas plena est mysterio. Quo mysterio nisi humilitatis nostræ, sicut natiuitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ? Ergo in homine minuamur, vt in Deo crescamus. In nobis humiliemur,vt in illo exaltemur.Humilietur humana præsumptio, vt crescat diuina miseratio. Nam huius rei sacramẽtum etiam in pas*Matth. 14.*sionibus amborum impletum est. Vt minuatur homo, caput Ioannis abscinditur: vt exaltetur *Matth. 27.* Deus,Christus in ligno suspẽditur. Quare autem B.Ioannem Dominus, & saluator noster lucernã esse dixerit, & quare eum mitti ante se voluerit, breuiter si iubetis,charitatis vestræ auribus intimabo. Præmissus est enim velut vox ante verbũ, lucerna ante solem, præco ante iudicem, seruus ante Dominum, amicus ante sponsum. Et quia vniuersum mundum peccatorum tenebrę,& nox infidelitatis oppresserant, & solem iusticiæ aspicere non valebant,Beatus Ioannes quasi lucerna præmittitur, vt cordis oculi,qui lippitudine iniquitatis oppressi fuerant, magnum, & verum lumen videre non poterant,ad lumen lucernæ primum quasi tenuem splendorem videre consuescerent, vt paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto,adueniente Christo,ab illo cælesti lumine lętificari possent potius quàm retorqueri. Sicut enim lippiẽtes oculos ad videndum prouocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis, & amplius crucias, si lumen magnum ingesseris : ita Dominus, & Saluator noster, qui est lumen verum, nisi prius Beatum Ioannem velut lucernam pręmitteret,claritatem eius totus mundus substinere non posset,loquatur Ioannes & dicat,Ego vox clamantis in deser*Matth. 3.*to. Vox erat, quia verbi Dei Spiritu replebatur. Sicut sermo vocis quodam modo ministerio, ac

vehiculo ad audientem à loquente transmittitur, ita Ioannes Christum sonans, verbi erat minister & portitor. Sanctus, inquam, Ioannes typum in se legis, quæ Christum longe per signa, & indicia monstrabat, ostendit, & ideo misit ad Christum duos de Discipulis suis. Isti duo Discipuli à Ioanne ad Christum missi, forte duo populi sunt, quorum vnus ex Iudæis eredidit, alter ex gentibus.
Matth.11. Ioánes dirigit ad Christum, lex mittit ad gratiam & per Euangelij fidem veterem desiderat astrui veritatem. Nos ergo, fratres dilectissimi, vt tam sanctá festiuitatem, non solum corporali, sed etiá spiritali cum gaudio celebrare possimus secundum vires nostras ad dandas eleemosynas, & ad tenendam cum omnibus pacem nostros animos præparemus, & ab omni scurrilitate, vel turpiloquio, non solum nosmetipsos, sed & omnem familiam nostram, & vniuersos ad nos pertinentes pro amore Dei de zelo sanctæ disciplinæ prohibere totis viribus laboremus, nec permittamus solennitatem sanctam cantica luxuriosa profetédo polluere. Tunc enim pro nobis Sanctus Ioannes, quicquid petierimus, poterit obtinere, si nos festiuitatem suam pacificos, sobrios, castos, absq; vllo turpiloquio cognouerit celebrare. Hæc ergo fratres charissimi, pro paterna solicitudine suggero, nam Deo propicio ita de vestra deuotione confido, quòd non solú vosiipsos, sed etiá omnes, qui ad vos pertinent, cum omni honestate castos, sobriósque conseruetis. Vnde Deo gratias agens supplico, vt qui vobis dedit ea, quæ sancta sunt, fideliter incipere, cócedat vobis fœlicem perseuerantiam custodire, qui cú patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat.

Intercessio SS. sanctorum apud Deum asseritur.

EIVSDEM IN EODEM *festo Homilia 3.*

Serm. 22. de Sanct. AVrum de terra eligere qui nouerunt, vbi diuitem senserunt venam, ibi quicquid artis, est, quicquid laboris impéndũt. Et nos, fratres, quia in sancto Zacharia cæleste vidimus latere thesaurum, in ipso totum quod sermonis est nostri, quod vestri auditus est, occupamus, quatenus cómune lucrum sit, quod fuerit communi labore acquisitum. Fuit, inquit, in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidá nomine Zacharias, & vxor
Luc.1. eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth, Et erant, inquit, ambo iusti ante Deum, incedétes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Beati igitur, fratres, quos in seculo isto aliqua culpa non peteuit, nullum vulnerat crimen. Beati planè isti, quos vlla non potuit aliquando tangere querela. Incedentes, inquit, in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Si pueritia, si adolescentia, si iuuentus eorú extitit sine querela, vbi tamé maxime solet esse querela, qualis esse potuit eorú senectus? Si tale fuit initium, qualis esse potuit finis? Et non erat, inquit, illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis. Non dixit, non erant illis filij: sed, non erat illis filius: quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus: audi dominum dicentem,
Matth.11. Non est maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Eo quòd esset Elizabeth sterilis. Erat quidem sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus. Tarda soboli, sed non tarda Deo. Non germine clausa, sed tempore, non negata pignoribus, sed seruata mysterio. Fratres, Elizabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium metatum metatoris Christi, angeli domicilium, aula spiritus sancti,
1.Cor.3. Dei templum estis, inquit Apostolus, & spiritus Dei habitat in vobis. Denique vbi tota corporis sedata est querela, & in toto facti sunt sine querela, vox sterilitatis fugit, reuiuiscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur maior homine, par angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum patris, filij nuncius, signifer superni regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gétium, & vt proprie dicam, legis, & gratiæ fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri iungebat in corpore. Euangelista ergo virtutes patris, matrísque describit, vt generantium meritis dignitas geminis nosceretur, & probaretur maior homine qui ortu suo excedebat leges natiuitatis humanę. Sed si processurus est iam nascatur Ioannes, quia instat natiuitas Christi. Surgat nobis lucifer, quia iubar veri solis erumpit, & vociferetur præco, quia adest iudex. Et quia processurus est Deus, angelus præcedat. Verum, quia quod supra hominem est, homo referre non sufficit, virtutem nascentis angeli angelus iam loquatur. Dixit, inquit, angelus ad Zachariam, Ne timueris, Zacha-
Luc.1. ria, exaudita est enim obsecratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram domino, vinum, & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israel conuertet ad dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illú in spiritu, & virtute Heliæ conuertere corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. Vacat hic, fratres, magnus sermo, silet prædicatio tractatoris, quando Euangelico præconio Ioannis gloria prædicatur, virtus insonuit, laus collaudatur, nec est quod illi iam adijciat homo, cui Deus contulit totum. Spiritu, inquit, sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Videtis, fratres, quemadmodum Ioannes ante petiuerit ad cælum, quàm tangeret terram. Ante accepit diuinum spiritum quàm humanum. Ante suscepit diuina munera quàm humana corporis membra. Ante cœpit viuere Deo quam sibi. Imò ante viuit ille domino, quàm Deus viueret illi: iuxta illud Apostoli, Iam non ego viuo, sed viuit in me Chri-
Gal.2. stus. Sexto, inquit, mense suæ matris exultat in vtero, & in vtero virginis venisse nunciat Christum. Feruens nuncius, qui ante gestiuit nunciare quàm viuere. Impatiens dux, qui, antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem, ante tapuit arma quàm membra, ante aciem petit quàm lucem, & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. Ipse enim sine visceribus viscera matris exuscitat, & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium. Quid dicam fratres; Ioannes antequam Christum præcederet, seipsum præcessit. Patris, matris, filij corda vnus atque idem implet spiritus sanctus, vt vno sanctitatis organo resonet natiuitatis dominicæ cantilena.

EIVS

EIVSDEM DE EODEM *festo, Homil. 4.*

Sermo 13 de sanct. Dies hodiernæ solennitas, solennem desiderat tanta expectatione sermonem. Ergo, adiuuante Domino, ministrabimus vobis quod dederit, recolentes & animo tenentes nostræ officium seruituris, vt loquamur non tanquam magistri, sed tanquam ministri, non discipulis, sed condiscipulis, quia nec seruis, sed conseruis. Magister autem vnus nobis, cuius schola in terra est, & cathedra in cælo. Cuius præcursor Ioannes est natus, cuius natiuitatis dies hodiernus traditus, hodie celebratur. Hoc maiorum traditione accepimus, hoc ad posteros imitanda deuotione transmittimus. Ioannis ergo non Euangelistę, sed Baptistę natalem hodie celebramus. Hac prima reposita, occurrit quęstio non prętereunda, quare natalē quo est natus ex vtero Ioannes potius celebramus, quàm cuiuslibet Apostoli, vel martyris, vel prophetę, vel patriarchę? Si interrogemur, quid respondebimus? Quantum mihi videtur, quantum meatum virium mediocritati occurrit, est causa hęc, Discipuli domini nati sunt, & per ętatis accessum ad annos capaciores perducti, in discipulatum assumpti sunt. Illorum postea fides domino adhęsit, sed nullius illorum natiuitas domino militauit. Recordemur & prophetas, recolamus patriarchas, nati sunt homines, ætatis accessu pleni spiritu sancto Christum prophetauerunt. Nati sunt, vt postea prophetarent: Ioannis autem dominū Christum ipsa natiuitas prophetauit, quem conceptum ex vtero salutauit. Ista vt potuimus soluta quæstione, alteram aggrediamur, pro viribus quas dederit dominus. Occurrit enim alia quæstio aliquanto, vt mihi videtur, obscurior, & ad perscrutandum laboriosior, in qua me multum adiuuabit vestra intentio, & pro mea exiguitate ad dominum deprecatio, Ioannes iste tanta excellens gratia, vt quemadmodum dictum est, dominū etiam ex vtero salutaret, nondum loquendo, sed exultando, cuius gratia in Deum iam tunc erat aperta, quando eius caro in carne erat exclusa. Hic ergo Ioannes non inuenitur inter discipulos domini, sed inuenitur potius discipulos habuisse cum domino. Quid est hoc? Quis est iste homo? Homo tantum. Quis homo tantus? quantus tantus homo. Tamen non sequebatur inter discipulos dominum, & sequebantur eum discipuli. Absit vt dicam contra dominum, sed tamē quasi extra dominum. Discipulos habebat Christus, discipulos habebat Ioannes. Docebat Christus, docebat Ioānes. Quid iam dicā? Baptizabat Ioānes, baptizabat Christus. Plus hic de baptismo dico, à Ioanne baptizatus est Christus. Vbi sunt, qui de ministerio baptismi, arrogantia tumidæ animositatis inflantur? Vbi sunt voces carētes humilitate, elatæ superbia, ego baptizo, ego baptizo? Quid dixisses, si Christum baptizare meruisses? Magna iam quantum aduertit sanctitas vestra, apparere & eminere causa cœpit, qua fuerat Christus à patre mittendus, & Ioannes à patre præmittendus. Prior missus est Ioannes, sed sicut ab obsequentibus antecceditur iudex. Posterior homo creatus est Christus, sed Ioannem creauit Deus Christus. Erat igitur Ioannes homo perfectus quidem, & cuius tanta gratia commendata est, vt ipse de illo dominus diceret, In natis mulierum nemo exurrexit maior Ioāne Baptista. *Matth. 11.* Iste ergo tam magnus agnoscit dominum in paruo magnum, agnoscit homo eum qui venerat homo Deus. Si enim in natis mulierū, hoc est, in hominibus, nemo exurrexit maior Ioanne Baptista, quisquis Ioāne plus est, non tantum homo sed & Deus est. *Ibidem.* Debuit ergo tantus iste, & discipulos proprios habere, & eum discipulis suis magistrum omnium Christum cognoscere. Quod enim est maius testimonium veritatis, quàm se humiliando eum agnoscere, cui ęmulando potuit inuidere? Putari Christus potuit & noluit, existimari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines enim fallerentur in eo, Nū forte hic est Christus? Respondit ille, quod non erat, vt maneret quod erat. *Luc. 3.* Inde quippe Adā lapsus perdidit quod erat, quia quod non erat vsurpauit. Recolebat hoc iste magnus, sed in paruo Christo minimus. Nouerat hoc, recolebat hoc, & tenebat, quia recipere quod perdiderat cogitabat. Homo ergo iste, vt dixi, magnus Ioannes, cui dominus tale perhibuit testimonium, quem sic veritas commendauit, vt diceret, In natis mulierum non exurrexit maior Ioanne Baptista: *Matth. 11.* potuit credi Christus, immò iam ab eis, qui eius magnitudinis gratia fallebantur credebatur Christus, & in illo morerentur nisi ab illo confitente corrigerentur. Respondit ergo putantibus, *Ioan. 1.* & ait, Non sum ego Christus tanquam diceret, Certe in honorem meum ita fallimini, & certe mihi hoc putando magnā additis laudem, sed debeo cognoscere, vt vobis errantibus ille possit ignoscere. Si enim quod non erat, fallaciter putaretur, ab illo, qui erat, veraciter amputaretur. Pręmissus est ergo Ioannes, vt dominum humilē baptizaret. Baptizari enim dominus propter humilitatem voluit, nō propter iniquitatem. Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus Dei filius vnigenitus quare est baptizatus? Inueni quare est natus, & inuenies quare sit baptizatus. Ibi quippe inuenies humilitatis viā quā pede superbo nō capis. Quā nisi humili pede calcaueris, ad celsitudinem quō ducit peruenire nō poteris. Baptizatus est propter te, qui descendit propter te. Vide quantus factus sit tantillus. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse ęqualis Deo. Non enim erat rapina, sed erat naturæ æqualitas filij cum patre. Ioannes si se Christū putari vellet, illi rapina esset. Non ergo rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Erat enim & sine rapina, erat coæternus ab æterno natus erat. Tamen semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, hoc est, formam hominis. *Philip. 2.* Qui cum in forma Dei esset, non formam Dei accepit, sed cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit. Suscepit quod non erat, ita vt non perderet quod erat. Manens Deus, hominem assumpsit, Formam serui accepit, & factus Deus homo, à quo factus est homo. Vide ergo quæ maiestas, quæ potestas, quæ sublimitas, quæ cum patre æqualitas. Venit propter nos ad indumentum formæ, & intellige illam à magistro tantæ humilitatis viam: quoniam plus est quòd voluit homo fieri, quàm quòd voluit ab homine baptizari. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Christum, seruus dominum, vox verbum. Mementote enim, Ego sum vox clamantis in deserto: & mementote, quia verbum caro

 factum

factum est, & habitauit in uobis. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Christum, seruus dominum, vox verbum, creatura creatorem, lucerna solem, sed solem qui fecit hunc solem, solem, de quo dictum est, Ortus est mihi sol iustitiæ, & sanitas in *Malach. 4.* pennis eius, De quo impij sero pœnitentes in fine dicturi sunt, Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbra & cum vmbris, qui secuti sunt vmbras. Ergo, inquiunt, errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Illis non est ortus Christus, à quibus non est agnitus Christus. Sol ille iustitiæ, sine nube, sine nocte. Ipse non oritur malis, non oritur impiis, non oritur infidelibus. Nam solem istum de cælo corporeum, quotidie facit oriri super bonos, & malos. Baptizauit ergo, vt dixi, creatura creatorem, lucerna solem, & non se extulit baptizatur, sed subdidit baptizando.

EIVSDEM IN EODEM
Homil. 5.

Ser. 16. de Sanct. HOdie, dilectissimi fratres, Ioannis, qui Domini præcucurrit aduētum, natalē diem colimus, quod nulli sanctorum meminimus attributum. Hodie, inquam, natalem diem vnica, ac singulari celebritate veneramur: Vnde quia eum recte extollere non valemus humanæ vocis officio, prædicemus Dominicæ attestationis oraculo, *Matth. 11.* proloquente Christo, quia inter natus mulierum maior non est Ioanne Baptista. Ipse hoc dicit, & ideo cognosce magnificentiam laudis ex dignitate laudantis, ac sic dum nemo illo esse maior asseritur in natis mulierum, datur intelligi quòd Ioannes supra humanorum fuit mensuram meritorum. Ego vox clamantis in deserto. Hoc est dicere, Nō sum ego verbum quod erat in prin- *Ioan. 1.* cipio Deus apud Deum, sed vox potius, id est, minister sum verbi vt per me ad auditus hominum sensúsque perueniat. Vnde beatus Baptista pari humilitate pronunciat: Illum oportet crescere, me autem minui. Illum, inquit, oportet crescere, *Ioan. 3* quia per omnem mundum Christi euangelium dilatatur: me autem minui, quia Ioannis prophetia finitur. Illum oportet crescere qui erit exaltā-dus in cruce, me autem minui, qui sum truncandus in capite, Ioannis enim prophetia fidem accepit, quia is, qui prophetabatur, aduenit. Ioannes ergo formam venturi Domini natiuitate, & conuersatione signauit. Ioannes nascitur de sene *Luc. 1.* patre, Christus ex matre à mundi senescentis ętate: ætate, inquam, illa quæ erat fide, & operibus infœcunda. Ioannes venit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescēte per virginem. Ille salutem prædicauit, hic contulit. Ille baptizauit in pœnitentia, iste regenerauit in *Matth. 3.* gratia. Hic est enim Ioannes, qui impietatem re- *Matth. 14.* gis Herodis, qui vxorem fratris inuaserat publica authoritate condemnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum, vel timore offensionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem, non timentes illud, quod terribiliter scri- *Ezech. 3* ptum est, Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requirā.

Solent tamen aliquoties doctores ecclesiæ non pro negligentia peccantium ab increpatione cessare, sed quia eos timent ex ipsa castigatione ad peiora mala prorumpere. Quando pro hac re nō prædicant sacerdotes, non possunt habere de taciturnitate reatum, quia sicut viri boni interdum ex dura increpatione corriguntur, ita econtra omnes etiam superbi lenissima admonitione ad peiora præcipitia prouocantur. Nam & intantum prædicatores ecclesiæ aliquoties non ex voluntate, sed ex necessitate peccatores non arguunt, vt interdum per spiritale medicamentum, & charitatis artificium superbos quosque etiam indignis laudibus prosequantur: & dum erubescunt falsa esse, quæ de eis dicuntur, ad emendationem vitę, & bona opera prouocentur, secūdum illud quod scriptum est, Quoniam laudatur peccator in de- *Psal. 9.* sideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Et quia vera est illa sapientis viri sententia, Sicut vera laus ornat, ita falsa castigat, non est tamen impossibile apud Deum vt etiam illi qui ab humanis laudibus inuitati bona opera exercere cœperint, Deus illis hoc in amorem & consuetudinem vertat, secundum illud quod de sapientibus quidam dixit, Bene consueuisse, pudebit dissuescere. Et iterum, Bona loquamur, transiet sermo in affectum. Beatus tamen Ioannes plena, & perfecta libertate maluit iniusta sustinere, quàm iusta non dicere. Vnde euangelico ipse beatus Ioannes alloquio corda nostra pulsat salutifero dicens, Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum iustitiæ erit in nobis illa via per quam humanum pectus Christus adeat. Ideo autem dicit: Ego vox clamā- *Luc. 3.* tis. Vox præconis iudicem loquitur, clamor iudicium comminatur. Et consequenter annunciat: Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Hoc est ergo, quod aliis verbis euangelista commemorat, Qui se exaltat humi- *Luc. 14.* liabitur. Veniet tempus, fratres dilectissimi, vt se superbos fuisse sine vllo remedio doleant, qui se nunc salubriter humiliare dissimulant. Veniet tēpus vt humiles eleuentur in cælis, & superbi in inferni profunditatem mergātur. Veniet tempus vt se auaros omnes fuisse diuites doleant, à quibus nunc Christi irridentur pauperes. Non semper iste qui nunc humanę est consuetudinis ordo seruabitur: Non semper Lazarus fame torquebi- *Luc. 16.* tur, nec semper auarus diues deliciarum abundātia perfruetur: sed cito & ille de sterquilinio ab angelis eleuabitur in paradisum: & ille, qui eleemosynam noluit dare, si pœnitentia non subuenerit, de luxurioso cōuiuio rapietur in tartarum, vt qui in hoc seculo pauperi noluit dare micam, in inferno non mereatur accipere guttam: & qui pauperem pascere noluit deliciis suis, pascat flammas medullis suis. Nos verò, fratres, quātum possumus laboremus, vt, quod superbia tumidum, elatúmque reddiderat in animo, humilitate, & mansuetudine complaceat. Quod iniquitas deprauauerat, directione iustitiæ corrigatur. Quod malitia exasperauerat, bonitatis gratia temperetur. Inter hæc studia inueniat in nobis Christus Dominus quam ipse conferre dignatus est, viam, per quam nos perducat ad patriā, vt de nobis dicere dignetur, & inambulabo, & inhabitabo cum eis, & ero illorum Deus. Si in isto seculo ambulaue

... hab ta it in nobis, qui vi... & re... ulorum, Amen.

S. MAXIMI EPISCOPI

Taurinen. in eodem festo, Homil. 1.

SOlennitatem nobis diuersorum martyrum, fratres charissimi, vitę pręsentis occasus, & susceptа ab eis pro Christi nomine passio consecrauit. Multimoda namque veterum relatione didicimus nonnullos martyrum prostratos gladio, ... concrematos, complures bestiarum di... dentibus, innumeros & iam variis tor... orum cruciatibus affectos, spreta sui corpo... morte, Christianæ fidei testimonium reddi... atus vero Baptista Ioannes, cuius nunc fe... tate lætamur, cælestia mundo gaudia sterili ... vtero hodie natus inuexit. Et illi quidem indubitata iam gloria regnantem confessi sunt Dei filium, ... ic autem & uasciturum Dominū prophetali spiritus illuminatione præuidit, & natū priuilegio gratiæ singularis ostendit. In tantum autem specialis in eo præfulsit electio, vt antę mereretur annuntiare Dominum, quàm nascendi initium, vel linguam, qua enuntiare posset, acciperet. Denique Elizabeth illa vetus mulier, & noua ... ater, quæ ante partum suum de futuri filij lætabatur ... fficio, venēti ad se beatæ Mariæ in ipso salutationis occursu, ait, Ecce, ex quo facta est vox salutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quid hoc est miraculi, fratres, quæ tantorum nouitas gaudiorum, vt haberese in vtero Elizabeth testaretur infanti ... qui ne... m semetipsum sentiens, domi micu iam sentiret aduentum? Vere hic omniu beatissimus paruulorum, qui intra viscera adhue materua cōclusus, adesse saluatorem mundi, quia necdū sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat, Charissimi, omnem paruulū maternо ab vt... ro prodeūtem inter ipsa lucis e... ordia mœstis ... increpate vagitibus, solus Baptista Domini vltra legem nascētium natiuitate suam lætitiæ exultatione præuenit. Et quā decuit, fratres, vt de matre sterili nasceretur, qui fœcunditatem virginis reuelabat, quatinus mirabilem partum mirabiliter natus ostenderet. Illud etiam quā stupendū, quáque magnificum, quòd Zacharias sacerdos pater futurus prophetæ, quia hoc ipsum, quod gerebatur, angelo loquenti non credidit, vsum loquentis ami... it, donec, promissione completa, natus noui hominis præco paternæ linguæ vincula relaxaret. Os enim, quod angelus clauserat, promissus ab angelo filius reserauit. Nam, quum de nuncupatione paruuli cognatorum, vicinorum ... que hæsitar... t arbi... rium, proprietatem veri nominis eius quam angelo di... ante didicerat, recepta pristioi subito facultate sermonis psier m... ttus aperuit, vt, cuius natiuitatem præceptione cæl... sti tacitus expectabat, eati vocabulum l... ... ceret ..., & agnosceret anxius senex, per eum se sibi ... ed... itum, quem de se ooo crediderat nasciturum. Nec dubitaret vl... ra cœlitus illum vel prou... fu... sse ... vel natum cuius causa & amisisse ... & r... cep... sermonem. Quid hac, fra... ... gu... s ... quid hac insignius fide, ... qua sterilis concipit, virgo parturit, mutus loquitur, & in secreto maternorū viscerum paruuli totius mundi gaudia futura prçludunt? Nec enim poterat veteri sub lege ordinem suum mortal s seruare natura, quando per nouā diuinitatis gratiam, nouum saluti omnium mysterium parabatur. Hic ergo est Ioannes, de quo prophetauit Esaias dicens: Vox clamantis in deserto, parate viam domino, rectas facite semitas Dei nostri. *Esa. 4.* Vox (inquit) clamantis, quàm bene vox dicitur, qui venientem de cælestibus in carne homiu is vnigenitum Dei pleno lætus ore clamabat. Recte vox dicitur, cuius intonante præconio sacramentum redemptionis humanæ, surda dudum cœpit audire mortalitas. Vt enim venerandus Baptista muto patri aperuit linguam, ita aures hominum salutaris gratiæ innouauit auditum. Clamabat autem in deserto, vbi prædicationem eius nec insolens turba perstreperet, nec infidelis rideret auditor, sed hi tantum audire possunt, qui prædicantem verbum salutis, cura tantum diuini cultus expeterent, & aduerterent eum vera annuntiare de Christo, qui per assertionem iustitiæ, vt illicitas Herodis nuptias increparet, nec regem timuisset offendere, nec squaloiem carceris declinasset, nec tyrannico gladio refugisset occidi. *Matth. 14.* Audiamus adhuc paululum, fratres, quid ad profectum omnium no... ... saluatoris nuntius prædicabat: Parate (inquit) viam domino, rectas facite semitas Dei nostri. *Esa. 4.* Vere dignus beatus Ioannes, cuius prophetica esset natiuitas, qui & illis de parentibus, quotum esset desperata posteritas, Dei munere nasceretur. Nam tanta autoritate, tantóque docendi pondere in vocem sanctæ prædicationis erupit, vt & instantem domini n... pra... ret aduentum, & in semitas rectas male videntium dirigeret prauitatem. Quid est enim par... viam domino, nisi aduentanti de cælo indy... pu... gato à vitiis pectore simplicis cordis habitaculum præparare? Quid est, rectas facite semitas Dei, nisi vt tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te dominus delectetur? Ille viam domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens voluptat... s, tuto mentis suæ spiritu suspensus ad Deum, vigo... e se castitatis accingit. Optimam parat domi... o viam, qui cogitationes suas auaritiæ fluctibus æstuantes, serenæ conscientiæ tranquillitate compesc.... Viam domino parat, qui idolorum vana, atque omnium superst... ionum figmenta conculcans, vnum Dei v... cultum, & fidem verit... s inquirit. Q... icunque vero voluptuosis fæculi huius láguet illecebris, cupiditatibus auaritiæ feruentis infanit, in fraterna odia fetalis inuidiæ facibus inardescit, atque ad contumeliam Dei omnipotentis, per anfractas dæmonum semitas erratiens viator incedit, non parat domino viam, sed inimico miser fun... ... ibi ... in semetipsum patefacit ingressum. Hi mores, & vita huiusmodi ampla itinera, & largissimas vias, barbaris nationibus in exitiū e... nimiumnis salutis ap... riunt. Hi mores plebem Dei inimicis gentibus iugo miserę captiuitatis ad... icunt. H... mores arma... s dissipant pr... pu... s, & ... m... nias dirnunt ciuitates. Et quid plura, cha... ssimi? ... quid potentiæ, quicquid ... riumi vi... ... nis in hostibus, corr... ptione vitæ nostræ, n... ... ... fi... ... tate no... ... r Et inde est, quod ... hil fu... a ... ... ū supplicat... ne profi... imus, quia incess... b... ... pus, pta usque desideriis iubrærentes, viā domino nostro

nostro secundum prophetica monita non præparamus. Propter quod reuertentes ad beatissimi præcepta Ioannis, paremus domino viam, rectas faciamus semitas Dei nostri, quatenus videns in nobis dominus itinera bonæ voluntatis, ouiculas suas multis iam periculis fessas benignissimus pastor inquirat. Vt sicut de Baptistę dominici hodie natiuitate gaudemus, ita de Dei nostri reconciliatione lætemur, cui honor, & gloria.

EIVSDEM VNDE SVpra, *Homilia 2.*

CVnctorum quidem prophetarum, fratres charissimi, veneranda recordatio est, beatus Ioannes Baptista, cuius hodie genuinus natalis honoratur, in tantum omnium illorum singulari quodam merito supergressus est gloriam, vt dominum Iesum saluatorem nostrum non solum esse venturum, sed aduentasse iam, & cohabitare hominibus veritate præsentis testimonij reuelaret. Quem quum inter promiscuas turbas ad baptismum suum properare vidisset, velut digito *Ioan.1.* demonstrans ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quàm innocens est huius vita, vel qua possumus deuotione eius merita compensare, qui agni cælestis aduentum & primus agnouit, & solus ostendit? Quàm mirabile est vniuersis eius præconium de cuius ore primum absolutionem suam mundus audiuit? Hic est, charissimi, de quo prophetica annunciatione prædi*Esai.40.* *Ioan.1.* ctum est. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Clamaturus erat enim, sicut & clamauit, vt, vociferante salutis præcone, obturatas diu aures mortalium prædicatio cælestis aperiret. Quis ergo huiusmodi prophetam non tota admiratione suscipiat, quem tantum recognoscit obtinuisse de Deo, vt ante eius merita laudarentur quàm natiuitas formaretur? Hic ergo Zachariæ iustissimo sacerdoti, quum multa esset ætate prouectus, & sterilitate senissimæ coniugis successionem votiui germinis desperasset, omnipotentis Dei cura per angelum promittitur nasciturus. Et bene senissimis parentibus nouus filius datur, qui senescenti, labentiq́; mundo vnigenitum Dei ad spem futuræ iuuentutis ostenderet. Quid illud, quantóque est stupo*Luc.1.* re mirandum, quod Zacharias ipse, dum præcursorem salutaris verbi concipiendum senili aluo paulo tardius crederet, silentio repentinę taciturnitatis obmutuit, nec pristinum loquendi recepisset vsum, nisi nomē pueri, quo vocandus esset, clausi oris ei vincula relaxasset? Atque ita factum est, vt os sacerdotale, quod trepidatio colligauerat dubitantis, meritum filij nascentis absolueret, & reparata patris lingua infantiæ gloriam testaretur. Quid autem de continentiæ eius virtute, quid de amore iustitiæ loquar, cui, sicut legitur, inimitabilis victus, & luce ipsa clarior veritas *Matth.3.* fuit? Conuersatus enim in deserto vestimentum *Marc.1.* habens de pilis cameli, & zonam pelliceam circa lumbos suos, locustas edebat, & mel silnestre, vt increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet vel in veste vel in epulis voluptatem. Denique tanta eius mentem diuinæ legis æmulatio *Matth.14.* possidebat, vt & prauitatem perfidæ generatio*Marc.6.* nis, prophetico vigore corriperet, & autoritate feruentis in se spiritus sancti regem intrepidus increparet errantem. Maluitque vir beatissimus sub denunciatione iustitiæ furentis succumbere gladio, quam reticere veritatem, qui manifestare venerat autorem, Amen.

EIVSDEM DE EODEM *Homil. 3.*

FEstiuitatem præsentis diei, fratres Charissimi, venerandi Ioannis Baptistæ genuina natiuitas consecrauit. Qui idcirco in hoc sæculum superna dispensatione directus est, vt non solum ipse prophetali sublimaretur gloria, sed vt & omniũ etiam per eum prophetarum præconia firmarentur. Nec immerito illum præcipuo honore nunc veneramur, qui speciali quadam gratia ob hoc redemptorem mundi nouissimus prophetauit, vt ostenderet eum primus. Hic enim solus est prophetarum, qui dominum nostrum Iesum Christum, quem alij in longa tempora futurum præscierunt, proprijs oculis videre meruit, & annuntiare præsentem. Nam, sicut sacratissimum euangelium refert veniente domino ad baptismum eius, huiusmodi prorupit in vocem. Ecce agnus *Ioan.1.* Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Propter hoc nimirum saluator ipse de illo dicebat ad turbas. *Matth.11.* Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis, & plus quàm prophetam. Plus reuera est quam propheta, quum cæteri omnes venturi adhuc Christi fuere præcones, hic autem probatissimus venit domini præsentis assertor. Plus quam propheta est, cuius manibus, quod nulli est præstitum prophetarum, baptizandum se Dei filius inclinauit. Plus quàm propheta est, cuius *Matt.3.* tanta est prærogatiua meritorum, vt vno, eodém*Ioan.1.* que momento cæli, terræque arbitrum submersum aquis tingeret in Iordane, spiritum quoque sanctum venientem cerneret in columba, & attestantis vocem patris audiret è cælo. Hic est ille, quem inspirante Deo præscius annuntiat Esaias *Esa.* dicens. Vox clamantis in deserto, parate viam domini. Quàm congrue, fratres charissimi, beatus Ioannes prædicatus est vox, qui cælestis verbi & præco mittebatur, & testis. Hic est ille, cuius per angelum Gabrielem prænuntiatur natiuitas, & *Luc.1.* nomen, & meritum. Hic est, qui iudicio cælestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente *Matth.11.* domino, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Quàm pulchre dictum est, inter natos mulierum non esse maiorem, quia ille omnimodis maiore erat Ioanne, qui de virgi*Matth.14.* ne nascebatur. Hic est etiam, qui maluit à rege prosterni, quàm regem non increpare peccantem. Quibus prospectis, aduertite, dilectissimi, quantam huic reuerentiam, quantum deuotionis debeamus impendere, qui vt honorabilis fit, à sancto est spiritu prophetatus, promissus ab angelo, laudatus à Domino, & perpetua sanctæ mortis gloria consecratus. Dicebat nanque vt mysticam natiuitatē eius mirabilis vita sequeretur, & sanctam, perfectámque vitam mors Deo deuota concluderet. Propter quòd fratres rectissime toto hodie orbe Christi ecclesia primordia natiuitatis eius lætissima festiuitate concelebrat, qui æterna mortalibus adesse gaudia stupenti mundo testis fidelissimus reuelauit.

HILA

HILARII EPISCOPI
Arelatensis in eodem festo, Homil. 1.

HOdie, dilectissimi fratres, Ioannis, qui domini præcurrit aduentum, natalem diem celebramus, quod nulli sanctorum meminimus attributum. Hodie inquam eius natalem diem votiua, ac singulari celebritate veneramur. Vnde quia eum [illegible] digne extollere non valemus humanæ vocis officio, prædicemus eum dominicæ attestationis oraculo, proloquente Christo, quia inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Ipse hoc dicit, & ideo agnosce magnificentiam laudis, ex dignitate laudantis. Ac si dum nemo [illegible] esse maior asseritur inter natos mulierum datur intelligi, quòd Ioannes humanorum fugit mensuram meritorum. Iuxta hæc in huiusmodi [illegible] us præconiis fortasse cogitas & dicis: Quid est hoc quòd dominus Ioannem baptistam principi Apostolorum Petro, quòd Ioanni Apostolo, qui supra pectus domini recumbebat, anteponendum esse iudicauit? Non ita est. Nam dicens, inter natos mulierum non est maior Ioanne baptista, non eum summis priorem, sed primis pronunciauit æqualem. Comparauit itaque eum perfectis tali laudatione, non prætulit. Sed aduerte quia cum dicitur, inter natos mulierum, solus ab hoc virginis natus excipitur. Meritò ergo inter conseruos nulli secundus esse creditur, cui solus dominus antefertur. Quæ cum ita sint, cui nullum præposuit in præconio, vide si ei vllum sit prælaturus in præmio. Hic itaque in tantum luce sanctitatis effulsit, vt non tam Christi nuntius putaretur esse, quàm Christus: & ideo interrogantibus, vtrum ipse esset Christus humili confessione respondit: Ego vox clamantis in deserto. Hoc est dicere: Non sum ego verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, sed vox potius, id est, minister sum verbi, vt per me ad auditus hominum sensúmque perueniat. Vnde beatus Baptista pari humilitate pronuntiat: Illum oportet crescere, me autem minui, vide vocis sonum pertranseuntem, & verbi gloriam permanentem. Illum oportet crescere, quia cum homo putaretur, Deus erat: me autem minui, quia cum Deus crederetur, homo erat. Illum oportet crescere, quia per omnes mundum Christi euangelium dilatatur: me autem minui, quia Ioannis prophetia finitur. Prophetia finem accepit, quia is, qui prophetabatur, aduenit. Ioannes ergo formam venturi Domini natiuitate & conuersatione signauit, Ioannes nascitur de patre sene Christus ex matre mundi senescentis ætate, ætate inquam illa quæ erat fide, & operibus infœcunda. Ioannes venit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescere per virginem. Ille salutem prædicauit, hic contulit: ille baptizauit in pœnitentiam, iste generauit in gratiam. Ille pilis camelorum, id est cilicio vestitus incessit, & saluator quodammodo pilis camelorum se induit, quādo in se deformitatis nostræ fœdæ, atque distortæ peccata suscepit, inclusum graui onere exonerans mundum, & in se transferens humanorum pondera delictorum. Consequenter ait ex præsenti sermo diuinus: Et Zona pellicea circa lumbos eius. Zona erat pellicea circa lumbos eius, quia in eo nihil carnale remāserat, quia in eo fluentes* lacunæ sensus carnis mortificatio præcingebat, quia in lumbis eius luxuriæ blandimenta rigidæ crucis continuo castigabat. Meritò in eo locum contagio mundana non habuit, de quo Angelus protestatur: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Felix, qui venturus in huius mundi labores prius gratiam suscipere, quàm vitam: prius benedictionem meruit haurire, quàm lucem. Quid mirum si in eo culpa aditum non inuenit: cuius animam sibi Deus in ipsis exordiis occupauit? Et Spiritu (inquit) sancto replebitur. Magnum est, Spiritu Sācto illustrari, sed multo est maius, impleri. Et ideo sicut vas plenum balsamo, admixtionem liquoris alterius expuit & penitus excludit, ita in eum nil secularis maculæ introire iam poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat. Hic ergo secundum præsentis seriem lectionis, locustas & mel syluestre edebat. Nihil pene in sermone Dei mysteriis vacat. Quòd sectabatur agmina locustarum, hoc erat quòd congregabat populos nationum. Populus, inquam, tanquam locusta sine intellectu infructuosus, sine lege vagus, sine duce dispersus, incomposita libertate lasciuus: mel autem syluestre edebat, qui in desertum gentium fidei dulcedinem requirebat. Mel syluestre erat peregrina & rudis illa congregationis ecclesiasticæ fides, quæ à cognitione vnius Dei fera atque syluatica, nec intra aluearium legis reperta, nec de examine patrum vel benedictione Iudaicæ plebis assumpta, sed extra domesticum Dei populum in profundis ignorantiæ syluis manebat: & in campis diffusæ per omnem mundum paganitatis errabat. Vnde & propheta commemorat: Inuenimus eam in campis syluæ. In syluestri itaque melle significat populū extra domum Dei, nulla fide, ac diuinæ agnitionis gratia mansuetum factum, atque conditum, nulla spiritalis intellectus amœnitate compositum. Hic est ille, qui flagitium regis Herodis, quod vxorem viuētis fratris inuaserat, publica auctoritate condemnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum vel timore offensionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem, vnde Euangelico Beatus Ipse Ioannes alloquio, corda nostra salutifero pulsat oraculo, dicens: Ego vox clamātia in deserto, parate viam domini. Et nos rectas faciemus semitas Dei nostri, si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum iustitiæ, patientiæ, misericordiæ, pacis, beneuolentiæ. Hæc est illa via, per quā Christus incedere delectatur: Hæc est illa via, per quā humanū pectus ingreditur. Ideo autē dicit: Ego vox clamantis, id est vt vox tangat aurem, clamor penetret mentem. Ego vox clamantis, vox præconis iudicem loquitur, clamor iudicium comminatur. Et consequenter annuntiat: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Hoc est, quod aliis verbis Euangelista commemorat: Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Hoc totum spiritualiter implere studeamus in cordibus nostris, vt quod superbia tumidum elatúmque reddiderat, humilitate, & mansuetudine complanetur. Et erunt (inquit) praua in directum, id est quod iniquitas deprauauerat, directione iustitiæ corrigatur, quod malitia exasperauerat, bonitatis gratia temperetur. Inter hæc studia inueniat in

nobis

* Forte [illegible]

nobis Christus dominus viam, per quam nos perducat ad patriam vt & de nobis dicere dignetur: Et inhabitabo, & inhabitabo in eis, & ero illorum Deus: & si in isto seculo ambulauerit in nobis in illo habitabit in nobis.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 2.

BEatus Ioannes à sancto spiritu etiam in maiorum suorum titulis prædicatur, non tam de veteribus consecuturus laudē, quàm vt magis in exemplum cresceret, dum nouis virtutibus antiquorum superat dignitatem. Fœlix parētum meritis, fœlicior suis. De huius itaque parētibus eloquia diuina testantur, de Zacharia sacerdote grādæuo, & Elizabeth matre eius, quæ sterilis consenuerat: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mādatis domini sine querela: & non erat eis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processerant in diebus suis. Cum autem Angelus Zacharia apparuisset in templo stans à dextris altaris incensi, turbatus est Zacharias videns. & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & vxor tua Elizabeth cōcipiet.* & reliqua. *Et spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Quis est iste, qui, cum nondum nasceretur, iam in vtero sanctificatur? Benedictionem prius quàm lucem percipit, gratiam consequitur antequam vitam, & quod maximum est, Angelo nuntiante, promittitur. Nō immeritò sic honoratur, qui cælorum dominum terris erat enunciaturus præconio, & monstraturus aspectu: vt cū expectantium populorum & sensibus prædicaret & oculis præsentaret. Ita ergo ad Zachariam patrem eius Angelus loquitur: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & vxor tua concipiet & pariet filium.* Nunquid credendū est, quòd in templo tanti populi sacerdos hoc petierit, vt ei filius nasceretur? Nunquid credendum est, quòd senex iuuentutis vota præsumpserit? Nunquid credendum est, quòd pro hoc tantopere inuigilaret publici intercessoris oratio, vt intermissis suorum necessitatibus, donari sibi à Deo posceret desperatum nomen parentis, & alienæ monus ætatis? Non ita est: sed dum ille sollicitus pro salute populi supplicat, promissus est ei talis filius, per quem populus saluaretur. Dōmque ille non pro se sed pro omnibus preces fudit, meruerunt profuturæ fructum posteritatis pia desideria sacerdotis. Ergo Angelus dum pro incolumitate Israelis expectatū reddit oraculum, non tam seni sobolem, quam pontifici promisit hæredem. Quia dum tanto prophetę præparatur successor generis, plebi prospicitur spes salutis: propterea de eo in euāgelio memoratur. *Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, erit* (loquit) *magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet:* abstinentiæ merita, ac virtutum & iter arduum militiæ spiritalia humano generi insinuare curauit. Sciuit quod nō sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria, sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed nihilominus agonibus ieioniorum & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ diuina in se vota seruare contendit. Quod autem Euangelista commemorat: *Et vxor tua Elizabeth concipiet:* hinc non solum

Non sufficit nobis gratia Dei sine nostra cooperatione.

Dei electio nostris bonis operibus est coniuncta.

suscipere miraculum, sed mysterium debemus agnoscere. Nam, dum sterili nascitur filius, de ecclesia, quæ ante sterilis erat, gentium populus intelligitur procreandus, & ideo propheta quodam loco ad ecclesiam loquitur: Lætare sterilis, quæ non paris, exulta & clama, quę non parturis: quia plures filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum. Synagoga nanque legis vinculis quasi viri iugo subdita, per sensum male fœcunda carnalem in domini passione filios suos perdidit: ecclesia totum mūdum fructu sacræ generationis impleuit. Sicut Ioannes aduentu suo gratiam Domini saluatoris, ita Elizabeth mater eius partu suo fœlicitatem ecclesiæ prædicat. Zacharias autem sacerdos in tantum vt diximus non pro suscipiendo filio orauit in templo, vt hoc fieri posse Angelo promittente non crederet, & ideo pro cōdemnatione incredulitatis obmutuit, ita nanque de eo Euāgelista cōfirmat: *Erat Zacharias pater tacens, & permansit mutus.* Quod vtique & fidem rei præsentia expressit, & mysterium figurauit. Sub tempore deficientis synagogæ, & nascentis ecclesiæ sacerdos conticuit, cessauerunt apud Iudæos ritus sacrificiorum, cessauerunt in lege officia sacerdotum, & impletus est sermo propheticus de Iudæis dicens: Et non est in hoc tēpore princeps & propheta & dux, neque holocaustomata, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, propheta conticuit, prophetia cessauit. Meritò tacuerunt prophetæ, quia is, de quo prophetauerunt, venit, & impletum est, quod dixerat dominus: *Lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Quid ergo opus est iam prophetis: cum ille præsens sit, qui propheticis promittebatur oraculis? Quis autem adhuc quasi in obscuro requirat lucernam, cum disruptis iam tenebris successerit dies? Quis tenui luce stellæ micantis indigeat, cū se iam per totum mundum solis splēdor infuderit? Quid ergo dicturi sunt infelices Iudæi? Alterutrum faciant, aut Christum venisse consentiant aut si renuunt, dent prophetas qui adnuntient Christum esse venturum: Sed non opus est nuntius, quando seipsa veritas nuntiauit. Meritò itaq; obmutescant Iudæi; quia verbū salutis qui Christus est perdiderunt. Loquatur Ioannes, & dicat: Ego vox clamantis in deserto, vox erat, quia verbi Dei spiritu replebatur. Quia sicut sermo vocis quodammodo ministerio ac vehiculo ad audientem à loquente transmittitur, ita ille Christum sonans verbi erat minister, & portitor, qui ad Herodem clamabat: Non licet tibi vxorem viuentis accipere fratris. Iam vox ista contra persecutores, & contra diabolum dirigebatur, Quid (inquit) insectaris ecclesiam? Quid eam tibi vis addicere, & tuam facere, cui Christus sanguinis sui dote coniunctus est? Non licet tibi vxorem viuētis accipere: Beatus Ioannes maluit mortē suam vigere quàm tacere.

SANCTI THEODORI
Studiti de natali sancti Prophetæ Præcursoris, & Baptistæ, Oratio.

SI vocali alicui lusciniæ, quæ verno tempore pulchrè resonat, nostra esset similis oratio, inueniret fortasse, quemadmodum posset parumper laudare magnam illam vocem veritatis, quæ hodierno die nascitur. Cum sit autem voce admodum

Et apud Metaphrasten.

modum gracili, & impedita, quomodo laudabit magnum decus Prophetarum? quomodo celebrabit eximiam Apostolorum gloriam? Quomodo glorificabit nouum, & admirãdum ornamentum martyrum? Porrò autem hoc quoque est mihi considerandum, quòd in aliis quidem sanctis tractauit alter alterius encomia. Eius autem, qui nunc laudatur, ante alios ipse Christus Deus, qui est ipsa veritas. Dicit enim; Maior Ioanne Baptista non surrexit inter natos mulierum. Quoniam ergo sunt tantæ laudes magni Præcursoris, vt vel summa dicendi facultas eas assequi nequeat, nunquid ei deerit nostra orationis breuitas, studiosi auditores? Absit; sed seruile reddentes debitum, & iussum implentes spiritalem, & tanquam qui simus* sanctificandi ex sola Præcursoris commemoratione, nostram ostendemus audaciam. Agèdum ergo diem * festum deinceps celebremus, ad natalem honorandũ conueniamus frequẽti multitudine, non solùm accolæ, sed etiam vniuersa regio, quæ est circa Iordanem, qui percipit intelligẽtia. Videamus pulcherrimum hoc nouum, & inauditum mysterium. Videamus id, quod fit admirabiliter, & præter opinionem. Zachariam mente consideremus, res quoque Elizabethę rursus confiteamur. Non ex obscuris itaque parentibus, vt vel ex hoc maximus ostendatur Præcursor, sed vel ex valde claris, & insignibus originem habuit. Nam alter quidem erat Aaron, propter canos, & dignitatem, veste indutus sacerdotali, pectorali, inquam, & superhumerali, talari, cinctinata tonica, cidari, & Zona, quæ ex auro, & gemmis, & hyacintho, & bysso erant variata; & sic ingrediens in sancta sanctorum in vice sacrificandi. Mater autem Saræ gloria æqualis, vel potius superior, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei matri. Ex sterilitate enim genuit per promissionem, non Isaac, qui fuit vocatus Dei seruus, sed Ioãnem, qui fuit appellatus Domini verus & germanus amicus. O sterilem vterum, qui talem concepisti filium. O terram infrugiferam, quæ talem spicam produxisti. Quocirca nõ est dubitandum, illud Esaiæ, cuius vox est altissima, ad eam quoq; nouo quodammodo eloqui: Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quòd ex deserta matrice produxisti lilium castitatis, rosam spiritalis fragrantiæ, pratum bonorum feracis continentiæ, interdiu lucẽtem facem Christi aduentus, Ioannem à Deo electum, militem Regni cœlestis, optimum Christi Ecclesiæ pronubum, silentio non mãdandum testem eius, quæ verè est, veritatis, Ioannem canorum præconem pœnitentię, eius, qui in corpore est, Angelus Domini, indicatorem Agni, qui tollit peccatum mundi. Neque verò potuerim eius complecti dignitatem, etiã si plura nomina fuero complexus vocationis. Multa enim habet nomina & plures causas, qui id, quod est maximum, est sortitus præ ei omnes Christo domini. Atque honoratur quidem Isaaci quoque antiqui patroris natalis, quem cum concepisset Sara, & peperisset filium in senectute, hæc ait; Quis annunciabit Abrahæ, quòd Sara lactat filium? Quocirca magnum quoque videtur facere conuiuium in die eius ablactationis. Et rursus honoratur natalis Sampsonis, qui Manue erat ipse quoque natus ex promissione, vt qui procederet ex sterili. Qui, inquit, non bibet vinum, & siceram, & nond comedet quicquam immundum, & ipse incipiet saluum facere ex manu alienigenarum. Prætercа autem, vt aliorum natalem prætermittam Samuelis quoque honoratur natalis, qui ea, quæ erant, ante videbat, quem peperit celeberrima Anna marito suo Elcana, dedicatum Deo ab infantia. Sed non assecuti sunt, ó dilecti Ioannis magnitudinẽ, quoniam alij quidem fuerunt ante legem scriptam, alij verò post legem. Ioannes autem filius Zachariæ sacerdotis, & Elizabethæ admirabilis, exortus est flos pręcedens Christi aduentum in medio legis, & gratiæ apparens. Pręduxit enim, qui intelligentia percipitur, Lucifer, significans ortum solis iustitię. Pręcessit miles significans aduentũ Regis omnium. Venit paranymphus indicaturus adesse sponsum. Et alij quidem aliquandiu postquam nati essent, aut prophetarũt, aut alia fecerunt miracula. Hic autem cum adhuc ferretur in vtero, repletus fuit Sancto Spiritu, & extitit effector rerum admirabiliũ. Mihi ergo videtur id esse eiusmodi, vt tanquam in similitudine, Præcursoris ostendam magnificentiam. Quomodo ergo Rex aliquis regaliter procedens ex Regia, habet quidem primum præcedentes quosdam, qui ferunt virgas, & quosdam, qui sceptra gestant, deinde Consules, Præsides, & Ductores ordinum, postremum autẽ quendam maiori dignitate præditum, post quem statim Rex apparet, nullo interiecto, resplendens auro & gemmis perlucidis; sic mihi cogita etiam in vero, & solo vniuersorum Rege Christo Deo nostro. Eo enim per carnem ingressuro in orbem terrarum, præcesserunt quidem Patriarchæ, vt pote Abrahã, Isaac, & Iacob, deinde Moyses Dei interpres, & Aaron, & Samuel, & vniuersa turba Prophetarum, vltimus autem extitit manifestus Ioannes, & statim Christus dominus; de quo dicit: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Et qui erat vltimus ordine, maior dignitate extitit pro proportione. Sic ergo & Prophetis, & Apostolis, & aliis omnibus reuera prior est magnus Præcursor, illis quidem, vt sequẽs, his verò vt præcedẽs. Verũ enimuero Euangelicam explicantes historiam, audiamus quæ à Gabriele annunciantur Zachariæ. Visus est ei, inquit, Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, & conturbatus est Zacharias cum vidisset, & timor irruit super ipsum. Quàm est terribilis etiam visio Angelica, & quàm in loco terribili apparuit? Quàm terribilis, inquit, est locus iste? Nihil est hoc, nisi domus Dei. Nec est mirum, si cum esset iustus sacerdos, conturbatus est, & timor irruit super ipsum, cum Daniel quoque vir desideriorum, cum vidisset, stupore est affectus, & in faciem cecidit, & ore hianti mansit attonitus, propter Angelicæ excellentiæ splendorem incomparabilem. Visus est ei, inquit, Angelus Domini. Quid ad hæc nobis dicunt semichristiani, qui nõ admittunt imagines? Si ab homine visus est Angelus, omnino habuit imaginem, & non aliam, quàm in qua visus est. Visus est autem in ea forma, in qua Moysi prius in monte Sina in figura ostensa sunt Cherubim, quæ erant circa propitiatorium. Si autem id, quod est incorporeum, & quod caret figura, ea, quæ fuit ostensa figura, circumscribitur, quomodo id, quod est corporeum, & figuratum, & quod colori, & tactui subiicitur, & tres suscipit dimensiones, imagine non repræsentabimus, ad euidentem demonstrationem ab

Nota, & id qui qui simus sanctificandi ex sola Præcursoris cõmemoratione.

** [illegible] quã festũ Natiuitatis Sancti Ioannis.*

Nota pro visu & cultu imaginum.

Alludit ad Græcorū morē, qui Trinitatis imaginē nō admittunt.

eo susceptæ carnis, quæ visione non potest apprehendi? Neque verò putent stulti, nos diuinitatem in hoc circunscribere, quæ neque verbis exprimi, neque comprehendi potest, cuius nulla est positura, nulla figura, nullus locus, nulla quãtitas, nulla qualitas non aliquid aliud ex iis, quæ sunt intra fines circunscriptionis, propterea quòd sit infinita, & non potest comprehendi. Nam hic quoque eius, qui est homo, solummodo effingentes imaginem, non materiæ expertem, & informem animam vnà omnino effingimus: Nō enim contingit, sed vtrique conuenienter attribuimus ea, quæ sunt eius propria, ei, quod circunscribi non potest, id quod non potest circunscribi, & ei, quod potest circunscribi, id, quod circunscribi potest, sicut verbum ostendit veritatis. Reuertamur autem rursus ad propositum. Dixit autem ei Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. O desideratum, qui à Deo præbetur, iussum! O valde optandam, quæ affertur ab Angelo, promissionem! Assecutus est id, quod optauerat, obtinuit id, quod rogabat, inuenit id, quod quærebat, vt tolleretur sterilitas, & pulchram haberet prolem, non consequentia naturæ, sed precibus. Non enim maledicti erat pœna sterilitas; absit; sed magni mysterij significatio. Nam cum Zacharias esset frequentibus ad Deum intentus precibus, vt solueretur sterilitas, arbitror eũ fortasse hęc audisse: Nondum est perfectum tempus, nondum venerunt dies aduentus. Tunc, ô Zacharia, spera fore, vt liberos suscipias, quando venerit expectatio gentium. Tunc expecta sterilitatem, quando venerit spes omnium finium terræ. Postquam autē venit tempus: Accipe, inquit, id quod est tibi cordi per Gabrielis prædictionem; renouare tanquam Aquila iuuentute. Cognosce, inquit, coniugem; exaudita est enim tua deprecatio; & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Cognosce etiam nomen, quo vocabitur, vel ex ipsa etymologia tibi procedere ex alto. Dixit autem Zacharias Angelo; deinceps enim cum eo tanquam cum conseruo liberè loquitur: Quomodo hoc cognoscam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Atque prompta quidem, & paterna demonstratio sacerdotem facit reum incredulitatis. Pręsens autem sermo non se submittens, sed procedens tanquam ad examinationem, dicit eo modo fuisse affectum Zachariam, quo magnus Thomas. Non enim erat consentaneum, eum hoc ignorasse, cum esset Propheta, & in rebus diuinis eruditus, Posse Deum vel ipsam naturam innouare, & ex sene iuuenem efficere, & ea reddere facilia, quæ videntur nullo modo posse fieri, vt in Abrahamo, & Sara, sicut in Sunamitide, & in aliis eius variis, & omne genus miraculis. Sed quoniam magnarum, & quæ sunt præter opinionem, expectationum promissiones, si repente audiantur, solent aliquo modo conturbare animum; non ad incredulitatem; vt arbitror, differens, sed festinans ad perfectionem, statim velut captus à voluptate exclamat, & dicit: Quomodo hoc cognoscam? Ne me decipias, ne me fefelleris, da mihi signum, præbe mihi pignus, vt Deus olim Abrahæ, ad hoc quòd ipse esset pater multarum gentium, & egrederentur Reges ex eius lumbis, signum circuncisionis; & sicut antea Noe, quòd non induceret diluuium super terram arcum qui est in nube; Et Moysi virgam in serpentem conuersam, & citò restitutam, adhoc vt crederent Aegyptij quòd, quid est, ei apparuerit. Respondens autem ei dicit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui, propterea quia non credidisti verbis meis. Adiiciendum est, tacitè, & absolutè, & citra examinationē, Accepit signum Zacharias rei conueniens; nempe sermone soluto silentium, quod ad viuum sermonem, & qui consistit, est ei patiendum; & complicatis labris, vocibus quæ audiri non poterant, laudauit datorem partus. Egressus enim, inquit, non poterat loqui, & cognouerunt, quòd vidisset visionem in templo. Et ipse erat annuens illis, & permansit mutus; partim quidem ne interrogaretur vtpote quòd sustinendum non esset, vt audiretur visio; partim autem vt qui quodammodo excessisset ex sensibus, & totus seipsum conuertens ad id, quod visum fuerat, mutus esset, inanibus, & aerem temerè verberantibus sermonibus. Par autem fortasse fuerit, eum vtpote Prophetæ patrē, hic quoque opus significare prophetiæ. Et hoc fortasse est cessatio legalis cultus ad eam, quæ fit in gratia, prolationem per exortum Ioannis. His ergo prætermissis, quæ intercedunt, vt quæ neque ad diem pertineant, neque ea possint vires nostræ assequi, veniamus rursus ad institutum. Et factum est, inquit, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius. O Ioannes felix infans, fœtus qui sopiri non potes. Qui es in vtero, quomodo es in mundo? Qui nondum es perfectus, quomodo es plenissimus? Qui es semestris, quomodo multum habes tempus? Qui non potes cogitatione percipere, quomodo es prudentissimus? Qui loqui nō potes, quomodo bene loqueris? Dic nobis, dic, quomodo cum contineaaris in tenebroso loco vteri matris, nondum videndi facultatem exerceas, auditus sonum nondum admittas, vocalem sermonem nondum emittas, ambulandi motus nondum sis particeps, ridendi proprietatem nondum exercueris; quomodo intueris? quomodo audis? quomodo res diuinas contamplaris? quomodo exilis, & exultas? Responde, responde nobis, ô vir optime. Magnum est: inquit quod peragitur mysterium, & actus est ab humana remotus comprehensione. Meritò innouo naturam propter eum, qui est innouaturus ea, quæ sunt supra naturam. Video etsi sim adhuc in vtero, quoniam in vtero gestari video solem iustitiæ. Auribus percipio, quoniam audio vt qui nascitur vox magni verbi. Exclamo, quoniā filium patris vnigenitum considero esse carne indutum. Exulto, quoniam vniuersi effectorem video formam hominis suscipere. Exilio, quoniam mundi redemptorem cogito corporatum. Principium, inquit, vobis significo Dei in mundum ingressus, & aduentus corporei. Præcurro aduentum, & quodammodo vobis præeo confessionem. Accipite psalmum, vt dicam Dauidicè, & tympanum Propheticè, psalterium iucundum cum cithara. Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Nunquid ergo, ô Ioannes, super terrena ascendisti, ad cælestia prouectus es, Angelicos, & primò operantes ornatus transcendisti? Quomodo ergo quorum naturam non apprehendisti, eorum es sortitus ordinem, & dignitatē? & quod eis est à seculo obscurum, & quod minimè didicerunt,

cerunt, statum, tanquam post Deum, itaiecisti, & nob[illegible] annunciasti; idque cum adhuc esses in matris visceribus. Non volaui, inquit, per aerem, non peruasi nubes, non superaui cælos, non transcendi flammeas, & incorporeas virtutes; ne hoc existi[illegible]s; sed qui est supra omnia, & in sinu patris manet cum Sancto Spiritu, nescientibus aliis igne[illegible]s eius ministris, tanquam aliud cælum ingressus, in vtero semper virginis Mariæ seipsum p[illegible]f[illegible]cit. & hæc mihi talia exposuit mysteria. Su[illegible] ergo puer index, quod scilicet filius nobis [illegible]atur, & filius datus est nobis (vt magnus dicit E[illegible]) qui quidem est ante secula. Sum natus ex st[illegible] quoniam prodibit fœtus Virginis. O opus magnificum, & supernaturale? O prodigium admi[illegible]le, & quod omnem superat opinionem? Q[illegible] alia nobis infans nondum natus annunciat? Q[illegible]nia nobis fœtus Elizabethicus diuinè significauit. Exiliat tota, quæ est sub Sole, regio; choros agat ecclesia, festi præludia, & natalis Christi ingressum celebrans; & lætitia impleantur vniue[illegible]a suscipientia Indicem aduentus Regis vniuersorum. Sed, ô beate Ioannes, qui maximorum es Propheta maximus, qui es primorum primus inter Apostolos, qui es martyrum martyr excel[illegible]imus, qui es solitudinis a Deo ordinarius patronus, qui speciosissimi sponsi es amicus dilectus, qui lucis quæ dici non potest, ea parata lucerna, cui Agni inculpati fuit creditum præconium, qui paternæ vocis es optimus auditor, qui prædicator fuisti Baptista Christi, qui Herodis libidinis liber fuisti reprehensor, qui [illegible]is, qui erant apud inferos, vitam præsignificasti, qui Deum significans fuisti [illegible]a orbis terrarum; nunc quoque nobis sonū ede cælestibus sacratissimis intercessionibus, & esto propitius populo tibi decantanti, & minimo tuo gregi, cum excellente tuo Patre, condonatos rursus hoc audax mei miseri inceptum, vt quod non sit munus oblatum, sed tanquam inutilis serui, quod tibi offertur, debitum cum tributo, & desiderio. In Christo Iesu domino nostro, cui gloria, & honor, & adoratio cum patre Omnipotente, & sanctissimo spiritu, nunc & semper, & secula seculorum, Amen.

Tertius [illegible] [illegible] merces.

S. BERNARDI ABBA- tis Claraualensis in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, Sermo.

Si procul ab his conuenientibus fratres incepatio illa prophetæ Iudaica reprobantis concreticula, & dicentis: Iniqui sunt cœtus vestri. Hi nimirum cœtus non iniqui, sed planè sancti, sed religiosi, sed pleni gratia, digni benedictione. Conuenitis siquidem ad audiendum Deum: conuenitis ad laudandum, ad orandum, & ad adorandum. Sacer est conuentus vterque, placens Deo, angelis familiaris. State ergo in reuerentia fratres, state in sollicitudine & deuotione mentis: maximéque in loco orationis, & in hac schola Christi, & auditorio spirituali. Nolite considerare delectabilia quæ videntur & temporalia sunt, sed magis quæ non videntur æterna. Secundum fidem, non secundum faciem iudicate. Terribiliter siquidem metuendus est locus vterque: nec mi- Esa. 1.

rot adesse credendus est numerus h[illegible] angelorum. Patet [illegible] bique sine dubio [illegible] cæli, scala illa erecta est, ascendunt & d[illegible] angeli super filium hominis. Gigas n[illegible] est iste filius hominis: cælum ei sed[illegible] est [illegible] scabellum pedum eius. Et eleuata est magnificentia eius super cælos: manet tamen nobiscum vsq; ad seculi consummationem. Ascendunt & descendunt itaque ad Deum angeli sancti: quia caput & corpus vnus est Christus. Nec tamen vbi caput, sed vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilę, licet non possit caput à corpore separari. Denique & ipse ait; Vbi duo vel tres cōgregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Sed fortè quis dicat: Vbi est modo Christus? Ostende nobis Christum, & sufficit nobis. Quid curiosos circūducitis oculos? Nom ad vidēdum & non magis ad audiendum conuenitis? Dominus Deus aperuit mihi aurē, ait propheta. Aurem meam aperuit, vt audiam quid loquatur: nō oculum (vt videam vultum eius) illuminauit. Aut certè suam mihi aperuit aurem, non faciem reuelauit. Post parietem stat, audit, & auditur: sed needū apparet. Audit orantes, erudit audientes. An experimentum eius quæritis qui in me loquitur Christus? Ego, inquit, qui loquor iustitiam. Quidni loquatur ore, quod ipse plasmauit? Quidni suo vtatur vt libet artifex instrumento. Non tantum aures eorum, sed & labia mea aperi Domine: ego enim labia mea non prohibebo Domine, tu scisti. Benè enim omnia facis, & surdos facis audire, & mutos loqui. Audite ergo fratres quid de Ioanne loquatur, cuius solennis hodie natiuitas celebratur. Ipse (inquit) erat lucerna ardens & lucēs. Magnum testimonium, fratres mei. Magnus enim est cui perhibetur, sed maior est ipse qui perhibet. Ille (inquit) erat lucerna ardens & lucens. Est enim tantùm lucere vanum, tantum ardere parùm: ardere & lucere, perfectum. Audi quid dicat scriptura. Sapiens permanet vt sol, stultus autem vt luna mutatur. Quia enim splendet luna sine feruore: modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatū siquidem lumen nunquam in eodē permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, adnihilatur, & penitùs non comparet. Sic sic qui confe[illegible] tas suas in alienis labiis posuerūt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secūdum quod adulātiū linguis vel [illegible]uperare placuerit vel laudare. At verò solis splē[illegible] igneus est, & cùm feruet aeriùs, etiam oculis luci[illegible]or exhibet [illegible] sapientis ardor internus, [illegible]is lucet: & nō [illegible]datur vtrūque curat semper ardere in ig[illegible]s, vt pater suus qui videt in abscondito, reddat ei. Væ nobis fratres si lucernus tantùm. Nam lucemus quidem & magnificamur ab hominibus, sed mihi pro minimo est vt ab humano iudicer die. Qui enim iudicat me, Dominus est, qui feruorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. ignem inquit, veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt accendatur? Hoc nempe commune mandatum: hoc est quod exigitur ab vniuersis, nec vlla, si desse contigerit, admittitur excusatio. Cæterùm singulariter Apostolis & apostolicis viris dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus: nimirū tāquam accensis, & vehementer accensis, & quibus nō timeatur a flatu quolibet, aut impulsione ventorum. Dictum est & Ioanni, sed illi in aure audiunt Ioannes in spiritu tanquam angelus eruditur. Nimirum

Psal. 8. Matt. 28. Matt. 24. Matt. 18. Esa 50. Psal. 84. 2.Cor. 13. Psal. 50. Ioan. 5. Eccl. 27. Luc. 12. Matt. 5.

mium tanto propinquior Deo, quanto vox verbo vicina: cui nulla voce alia media quod sonis sonet oporteat intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero matris suæ. Verè ardens & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cælestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat vel seipsum. Nimirum nouus ille ignis, qui recèns elapsus è cælo, per os Gabrielis in aurem intrauerat virginis, & per matris aurem introiuit ad paruulum: vt ab ea hora vas electionis suæ spiritus sanctus impleret, & lucernam Christo Domino pararet. Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore solum adhuc potuit illuminare modium suũ, soli interim lucere matri magnum ei pietatis sacramentum reuelãs ipso motu nouæ

Luc. 1. exultationis. Vnde mihi hoc (inquit) vt veniat mater Domini mei ad me? Quis enim tibi indicauit

Vt supra. matrẽ Domini, mulier sancta? Vnde me nosti? Vt facta est (inquit) vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Illuminauit ergo iam tunc modium suũ sub quo latebat: sed quẽ non latebat ardens lucerna sub modio, totũ paulo post mundũ nouis illustrauit fulgoribus. Ille erat (inquit) lucerna ardens & lucẽs.

Ioan 3. Non ait lucens & ardens: quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia feruent: sed magis feruent vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodũ arsit Ioannes & luxit? Ego vtrumque in eo triplicem posse arbitror inueniri, & ardorem scilicet & splendorem. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate cõuersationis: erga Christum intimo quodam & pleno feruore deuotionis: erga peccantes proximos constantia liberæ increpationis. Luxit nihilominus (vt paucis dicerim) exemplo, digito, verbo: & seipsum ostendens ad imitationem, & luminare maius quod latebat, ad peccatorum remissionem, & ipsas quoque tenebras nostras illuminans, sicut scriptum

Psal. 17. est: Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus illumina tenebras meas: vtique ad correptionem. Considera igitur hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem. Victũ & vestitum

1 Tim. 6. (ait Apostolus) habentes, his contẽti simus. Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in euange-

Matt. 11. lio. Venit (inquit) Ioannes non manducans, nec bibens, plane nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi aliquorum fortè irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanũ est indumentum. Quid tu pilos tuos camele deposuisti? Vtinam gibbum magis deposuisses. Quid vos irrationabiles feræ & reptilia deserti, cibus exquisitis delicatos? Ioãnes sanctus homo missus à Deo,

Luc. 7. imò angelus Dei, sicut ait pater: Ecce mitto angelũ meũ ante te. Hic ergo Ioãnes quo nullus maior in natis mulierũ, innocentissimũ illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit: vos indui festinatis bysso & purpura, & splendidè epulari? Heu hic est præsentis totus honor diei, hæc Baptistæ reuerentia tota: hæc natiuitatis eius prophetata quondã lætitia est. Cuius enim memoriam agitis ô nimis delicati cultores? cuius celebratis natalẽ? Nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, cõfectus inedia? Quid existis in desertũ videre filij Babylonis? arũ dinem vento agitatã? Quid igitur? Hominem mollibus vestitum? Nutriuntur mollibus? In his nẽpe tota versatur hæc vestra celebritas: in popularis fauoris aura sectanda, in gloria vestium, & voluptate ciborum. Sed quid hæc

Luc. 1. ad Ioannem? Neque enim Ioannes fecit sic, aut talibus vnquã potuit delectari. Multi (inquit angelus) in natiuitate eius gaudebunt. Verum id quidem: multi in natiuitate eius gaudent: & paganis ipsis (vt audiuimus) læta est & solennis. Illi celebrant quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc verò & ipsi in hac beati Ioannis Baptistæ natiuitate gaudent: sed vtinam de natiuitate, non de vanitate. Quid est enim nisi vanitas vanitatum quicquid sub sole est? aut quid amplius habet homo de vniuerso labore suo quo laborat? Fratres sub sole est quicquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci subiacere videtur. Quid verò illud nisi vapor ad modicum pa-

Iaco 4. rens? Quid illud nisi fœnum, & flos fœni? Omnis

Esa. 40. caro fœnum (ait dominus) & omnis gloria eius quasi flos fœni. Fœnum aruit, & flos decidit, verbum autem domini manet in æternum. In hoc verbo laboremus fratres, in quo & viuere & gau-

Matth. 4. dere possimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quis ille? Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Seminemus in hoc verbo charissimi, seminemus in spiritu: quoniam qui in carne seminant, solam habent metere corruptionem. Gaudeamus intus, & non sub sole, sed iuxta Apostolũ tanquam tristes propter humilitatem & grauitatẽ: semper autem gaudentes propter internam consolationem. Gaudeamus dilectissimi in natali beati Ioãnis, & gaudeamus de ipsa natiuitate. Copiosa quidem nobis in eius recordatione causa: multiplex est materia gaudiorum. Ille erat lucerna ardẽs & lucens: & Iudæi voluerunt exultare in luce eius: ipse verò potiùs gaudebat in feruore deuotionis, gaudebat ad vocem sponsi tanquam amiens spõsi. Nobis in vtroque gaudendum est, in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim sibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in feruore eius ad imitationem, gaudeamus in lumine, non tamen ibi manentes, sed vt in lumine eius videamus lumen. Lumen vtique verum, quod non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse. Venit Ioannes (ait dominus) nec manducans

Matth. 11. nec bibens. Incentiuum feruoris id mihi est, & materia humilitatis. Quis enim in nobis est fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicuius salũ momenti reputare præsumat? Quis audeat murmorare in laboribus suis, & dicere, Satis est quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia aut flagitia sic puniebat Ioãnes in seipso? Accendamur ad pœnitentiam fratres, interrogemus conscientias nostras, & animemur ad vltionem exigendam de nobis, vt horrẽdum possimus euadere iudicium Dei viuentis. Quicquid verò minùs est feruoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis est Deus si confiteamur iniquitates nostras, si miserias nostras exponamus, si non ex-

cusemus

cuseemus infirmitates nostras, dimittet nobis peccata nostra. Ex hoc sanè & erga proximorum delicta feruorem intuere Ioánis. Hic nempè dignus est & rationi consentaneus ordo, vt incipiendum tibi memineris à teipso. Ab occultis (inquit) meis múda me: & ab alienis parce seruo tuo. Genimina viperarum (ait Ioannes) quis ostendit vobis fugere à ventura ira? De quanto mentis feruore procedere putas scintillas istas, imò carbones desolatorios? Sic neque Pharisæis parcens, Nolite (inquit) dicere quia patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę. Sed minùs hoc videatur, si vel ipsum veretur potentis vultum, & non tota libertate spiritus arguit peccantem regem crudelem atque superbum: sacra quadã vehementia ad hoc ipsum prodiens de deserto, si vel blanditiis eius vel ipso mortis terrore mouetur. Metuebat (inquit) Herodes Ioannem, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. At ille nihil ob hoc parcés: Non licet, ait, tibi habere eam. Ligatus quoque, & in carcerem trusus, nihilo minùs stetit in veritate, & occubuit pro veritate fœliciter. Ferueat etiam in nobis zelus iste charissimi. Ferueat amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo (fratres) vitia palpet: peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, Núquid custos fratris mei sum ego? Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cùm arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes. Iam verò super humili & omnino feruentissima deuotione Ioannis erga dominum quid loquemur? Inde enim exultauit in vtero: inde expauit in Iordane baptizaturus eum: inde non modo Christum, qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calceamenti eius soluere dignum se esse negabat: inde gaudebat amicus sponsi ad vocem sponsi, inde gratiam se accepisse pro gratia fatebatur: illum autem non ad mensuram habere spiritum, sed plenitudinem de qua omnes acciperent, clamitabat. Nonne Deo subiecta eris anima mea? Alioquin non ero lucerna ardens, nisi toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim est charitas quæ accendit ad salutem: sola quam infundit & inflammat spiritus, quem extinguere prohibemur. Habes quemadmodum Ioannes arserit, & in hoc ipso quemadmodum luxerit, iudicatum est si aduertisti. Neque enim ardorem eius nosse poteras nisi luxisset. Luxit ergo, vt supra memini, exemplo, digito, verbo, opere seipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans. Tu puer propheta altissimi vocaberis (ait pater) præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Ad dandam (inquit) non salutem (neque enim ille lux) sed scientiam salutis, vt testimonium perhiberet de lumine. Scientiam (inquit) salutis, in remissionem peccatorum. Num salutis scientiam sapiens participare potest? Ponamus tamẽ necdum venisse Ioannem, necdum significasse de Christo. Vbi salutem quæremus? Peccaui peccatú grande, quod sanguine vitulorum vel hircorum deleri non potest: quia nõ holocaustis delectatur altissimus. Memoria mea infecta est fece huius amurcæ, non est nouacula quæ membranam hanc radere possit: quia tota totam imbibit fecem. Si peccati mei oblitus fuero, stultus sum & ingratus. Si in memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Ioannem, & audiam vocem lætitiæ, misericordiæ vocem, sermonem gratiæ, verbum remissionis & pacis. Ecce (inquit) agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et alibi. Qui habet sponsam (inquit) sponsus est. Ostendit igitur quia venit Deus, quia sponsus, quia agnus. Quia Deus, certum est quod peccata remittere possit: sed vtrum velit, adhuc in quæstione est. Vult profectò, quia sponsus est, quia amabilis est. Et Ioannes amicus sponsi est, quia sponsus nisi amicos habere non nouit. Et licet velit gloriosam sponsam non habentem maculã, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret? Sed talem potius ipse facit: talem sibi exhibet ipse. Audi denique quid dicat per prophetam. Vulgò dicitur: Núquid mulier si dormierit cum altero viro, reuertetur ad virum suum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: reuertere tamẽ ad me, & ego suscipiam te. Ecce quòd possit, ecce quòd velit. Sed tu fortassis timeas eam quam facere venit delictorum purgationẽ, ne vstione & scissione ossa & medullas ossium collidat, ne dolorem inferat morte grauiorem. Audi, agnus est, in mansuetudine venit cum lana & lacte, solo verbo iustificãs impium. Quid enim (iuxta Comicum) facilius dictu? Tantum (inquit) dic verbo, & sanabitur puer meus. Vt quid ergo deinceps hæsitemus fratres, & non omni fiducia ad thronum gloriæ ascendamus? Agamus Ioanni gratias, & eo mediante transeamus ad Christum, quia vt ait ipse, illum oportet crescere, me autem minui. Quomodo minui? Splendore vtique, non feruore. Retraxit radios, recollegit se, ne fieret sicut is qui totú profert spiritum suum. Illum (inquit) oportet crescere, qui exhauriri non potest: de cuius plenitudine omnes accipiant: me autem minui, cui datus est spiritus ad mensuram, & danda magis opera vt ardere semper valeam, quàm lucere. Præcessi solem tanquam sydus matutinum, abscondi necesse est orto iam sole. Non est mihi nisi modicú olei quo vngar, volo illud in vase totius quàm in lampade possidere.

Psal. 18. Luc. 3. Psal. 61. Luc. 1. Ioan. 1. Ioan. 3. Hier. 3. Matth. 8.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expositio.

E*Lizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Verbum impletionis sancta scriptura in bonorum tantum ortu, vel habitu, vel actu ponere consueuit, quorum vitam plenitudinem perfectionis habere significat. Denique *Elizabeth impletum est tempus pariendi.* Impleti sunt dies Mariæ vt pareret. Impleuit Salomon ædificare domum domini. Defunctus est Abraham, vel alius aliquis patrum, senex, & plenus dierum. Et postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Ac contra dies impiorum inanes sunt, & vacui. Viri enim sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos. *Et audierunt vicini, & cognati eius, quia, &c.* Habet sanctorú editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu iusti, futuræ vitæ insigne præmittitur, & gratia

Ex comment. in Lucam.

secutura virtutis, exultatione vicinorum præfigurante signatur. *Et factum est in die octaua venerunt circuncidere puerum, &c.* Mire sanctus Euangelista præmittendum putauit, qnod plurimi infantem partis nomine Zachatiæ appellandum putarunt, vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse degeneris, sed id sancto infusum spiritu quod ab Angelo ante Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed prophetiam Elizabeth didicit, qnod non didicerat à marito. *Et dixerunt ad illam. Quia nemo est in cognatione tua, &c. Ioannes est* (inquit) *nomen eius*, hoc est, non ei nos nomen imponimns, qui iam à Deo nomen accepit. Habet vocabulum suum, quod agnouimns, non quod elegimus. Nec mireris, si nomen mulier, quod non audiuit, adseruit, quando ei spiritns sanctus, qui angelo mandauerat, reuelauit, neque poterat domini ignorare prænuncium, quæ prophetauerat Christú. Et bene additur, *quia nemo in cognatione eius vocatur hoc nomine*, vt intelligas nomen non generis esse, sed vatis. *Apertum est autem illico os eius, &c.* Quia vox clamantis in deserto est nata, merito est lingua parentis soluta. Neqne enim patrem à laudibus silere decebat, qui verbi præcone sibi nato gaudebat. Quippe cui labia, quæ incredulitas vinxerat, fides iam soluit. Verum hæc etiam allegorice siqui perscrutari desideret, Ioannis celebrata natiuitas, gratiæ noui testamenti inchoata sublimitas. Cui vicini, & cognati patris nomen quam Ioannis imponere malebant, qnia Iudæi qui legis ei obseruatione quasi adfinitate iuncti erant, magis iustitiam, quæ ex lege est, sectari, quam fidei gratiam suscipere cupiebant. Sed Ioánis, hoc est gratiæ Dei vocabulum, mater verbis, pater literis intimare satagunt, quia & lex ipsa, psalmique, ac prophetæ apertis sententiarum vocibus gratiam Christi prædicant, & sacerdotium illud vetus figuratis cæremoniarum, & sacrificiorum vmbris eidem testimonium perhibet. Pulchréque Zacharias octaua die prolis editæ loqnitur, quia per domini resurrectionem, quæ octaua die, hoc est, post septimam sabbati facta est, occulta sacerdotij legalis arcana patuerunt, linguaqne pontificum Iudæorum, quam diffidentiæ vincula strinxerant, intelligentiæ rationabilis est voce soluta. *Et super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, &c.* Magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius. Ecce enim vnnm Zachariæ silentinm, non ipsi tantum cum datur ad pœnam incredulitatis, & signum credendi proficit, sed & cum aufertur, omnes vicinos eius miraculo, ac timore stupefacit. Omnia circumquaque montana, fama nati prophetæ perfundit omnes, qui audire poterant, ad perquirendum diligentius pueri, qui natus est, modum, statúmque sollicitat, vt his videlicet, atque huiusmodi futurus Christi propheta commendetur auspiciis, iterque (vt ita dixerim) præcursori veritatis, præcurrentia signa præbeant. *Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, &c.* Quanta superoi muneris est largitas, si própta ad accipiendum nostræ fidei sit pietas. Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti, cnm spiritu prophetiæ est restituta credenti. *Visitauit* autem *dominus plebem suam*, qnasi longa infirmitate tabescentem, & quasi venditam sub peccato, vnici filij sui sanguine redemit. Quod qnia beatus Zacharias proxime faciendum cognouerat, prophetico more qnasi iam factum narrat. Et notandum quòd visitasse, & redemisse plebem suam dicitur, non quia videlicet hanc veniens suam inuenit, sed quia visitando suam fecit. Cui simile est, quod in prouerbiorum fine de eadem plebe cantatur. Mulierem fortem quis inueniet? Neque enim eandem mulierem videlicet ecclesiam fortem, id est, fide deuotam inuenit, sed sibi desponsando forté reddidit, quia suæ fidei sublimitata perfecit.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil.*

PRæcursoris Domini natiuitas sicut sacratissima lectionis euágelicæ prodit historia, multa miraculorum sublimitate refulget: quia nimirú Matth. 11 decebat, vt ille quo maior inter natos mulierum nemo surrexit, maiore præ cæteris sanctis in ipso mox ortu virtutum iubare clarescere. Senes ac diu infœcundi parentes dono nobilissimæ prolis exultant ipsi patri quem incrednlitas mutú reddiderat, ad salutandum nouæ præconem gratię os & lingua reseratur. Nec solum facultas Deum benedicendi restituitur, sed de eo etiam prophetandi virtus augetur. Excitati fama facti omnes vicini admiratione ac metu percellnutur, omniú qui audiere, circnnquaqne ad aduentum noui prophetæ corda pręparantnr. Vnde merito sancta per orbem ecclesia, quæ tot beatorum martyrú victorias, qnibus ingressum regni cælestis meruere frequentat, hnius tantummodo post Dominú etiam natiuitatis diem celebrare consueuit. Quod nullatenus sine euangelica autoritate in consuetudinem venisse credendum est: sed attentius animo recondendum, quia sicut nato Domino, pastoribus apparens angelus ait, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, qnod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christns Dominus, ita etiam angelus nasciturum Zacharię prædicans Ioannem, & erit, inquit, gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebnnt. Erit enim magnns coram Domino. Iure igitur vtriusque natiuitas festa deuotione celebratur, sed in illius tanquam in Christi Domini, tanqnam in salnatoris mundi, tanquam in filij Dei omnipotentis, tanquam in solis iustitiæ natiuitate, omni populo gaudinm euangelizatur. In huius autem tanquam in præcursoris Domini, in serui Dei eximij, in lucernæ ardentis & lucentis exortu multi gauisuri memorantur. Iste magnus coram Domino esse narratur: de illo propheta testatur, Quoniam magous Dominos & laudabilis Psal. 47. nimis, & magnitudinis eius nó erit finis. Iste, peccatorum consortia declinans, ab omni quod inebriari potest abstinebat: ille inter peccatores cóuersatus peccati omnis immunis permansit. Hic adhuc ex vtero matris spiritu sancto repletus est, Colos. 2. in illo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, qui dono sui spiritus sedem sibi vteri virginalis in quo carnem susciperet ipse consecrauit. Iste multos filiorum Israel ad Dominum sno tempore prædicando conuertit: ille multos quotidie de vniuersis per orbem nationibus ad suam fidem & charitatem interius illustrando conuertere non desistit. Hic in spiritu & virtute Heliæ præcessit ante illum, vt plebem eius aqua bapti

baptizari ad suscipiendum eum vbi appareret doceret esse perfectam: huic successit ille in spiritu & virtute Dei patris, vt plebem suam spiritu sancto & igni baptizans ad videndam faciem patris sui donaret esse perfectam. Ioanne nato congratulabantur vicini, & cognati genitrici illius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa: Domino autem nato congratulabantur ecclesiæ, quia venit tempus miserendi eius, spiritus angelici qui sunt vicini eius & cognati, ciues videlicet eiusdem patriæ cælestis, quam & ipsa expectat qui hymnum gloriæ Deo canendo quid illa per orbem esset actura, priores ipsi de cælis admonebant. Recte igitur natiuitas celebratur illius, qui talis potentia magnitudinis dominicis propinquabit operibus. Recte ortus illius solennitas colitur, cuius tanta est vitæ sublimitas, vt quicquid illo sublimius est hoc iam hominis naturam transcendere dubium non sit. Siquidem Dominus cum maiorem eo neminem in natis mulierum esse dixisset, mox subdidit dicens, Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo: seipsum videlicet insinuans qui humana natiuitate posterior Ioanne sed cælestis regni esset apice præstantior. Nec vacat à mysterio quod Ioannis natiuitas eum dies decrescere, Domini autem eum dies crescere inchoante facta memoratur. Huius etenim secretum distantiæ reuelat ipse Ioannes, qui cum præ magnitudine virtutum Christus crederetur à turbis, Dominus autem præ infirmitate carnis à quibusdam non Christus sed esse propheta putaretur, illum inquit, oportet crescere, me autem minui. Creuit quippe Dominus, quia per totum orbem fidelibus quod Christus esset qui propheta credebatur innotuit. Decreuit ac minoratus est Ioannes, quia qui Christus æstimabatur quod non Christus ipse sed præco Christi esset apparuit. Ideóque iure nato Ioanne lux diurna minorari incipit, cuius fama diuinitatis defitura, & baptismus in breui erat finem accepturus. Iure etiam nascente Domino abbreuiata dies ad crementum luminis redit, quia ille nimirum apparuit, qui lucem suæ cognitionis quam prius soler Iudæa & hoc ex patre habebat, cunctis gentibus aperiret, suæ calorem dilectionis in totam mundi latitudinem diffunderet. Notandum autem quod hæc eadem beati Ioannis natiuitas nonnullam habet similitudinem aduentus dominici, & gratiæ quam prædicare veniebat. Nam & congruum valde est, vt cui omnes prophetæ priores & patriarchæ, vel nascendo, vel moriendo, vel viuendo, vel prædicando testimonium perhibuerunt, hunc multo amplius præcursor suus, qui plus quàm propheta extitit, non tantum in vita & passione, sed in ipsa quoque sua natiuitate designet. Quid est enim quod veteranis parentibus natus est Ioannes, nisi quia illius mox secutura natiuitas signabatur, qui spiritalia noui testamenti professus arcana, carnalem legis & sacerdotij veteris obseruantiam iam terminandam esse docetet? Quod enim antiquatur & senescit, prope interitum est. Quid quod muto patre, principe videlicet tunc sacerdotum, ortus est præcursor Domini, nisi quia ipso apparente Domino, lingua iam sacerdotij veteris magna ex parte à doctrina sensus spiritalis obmutuerat, solam literæ custodiam curantibus ac docentibus scribis & legisperitis, imò & ipsam literam plerisque in locis per suas traditiones corrumpentibus, iuxta quod eis Dominus in euangelio sæpius improperare probatur? Et quid quod diu sterili genitrice nascitur, nisi quia lex, quæ auxilio sacerdotalis officij spiritalé Deo sobolem gignere iussa est, nemine ad perfectum adduxit, quia nimirú suis cultoribus regni cælestis ianuas aperire non potuit? Sed factus sub lege autor ipse legis sterilitatis opprobrium legi abstulit, qui hanc spiritaliter intelligendam móstrauit, & supernæ beatitudinis gratiam, quæ in euangelio nunc apertissime lucet, in ea iam olim præfiguratam, & quasi conceptam fuisse docuit. *Et factum est*, inquit, *in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris eius Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Ioannes interpretatur domini gratia, siue in quo est gratia. Quo nomine & totam euangelicæ dispensationis gratiam quam prædicat, & ipsum specialiter dominum signat, per quem eadem gratia mundo donata est. Qui verò natum puerum patris Zachariæ nomine magis, quàm Ioannem vocandum esse decernebant, eos profectò figurát, qui domino noua gratiæ munera declarante, cupiebát eum potius consueta sacerdotij veteris edicta prædicare. Vnde bene Zacharias memor domini interpretatur, quia videlicet memoriam illarum obseruationis quæ vtique à domino data est, figurate denunciat. Contendebant ergo de nomine nati prophetæ hi qui conuenerant, & Zachariam hunc vocari satagebant: at contra mater verbis, & pater scriptis, quia Ioannes magis appellandus esset astruebant. Quia fuere nonnulli cælestium sacramentorum minus periti, qui in primordiis euangelij coruscantis carnalia adhuc legalis sacerdotij statuta simul obseruanda esse decernerent, quos profectò ipsa legis doctrina de suscipienda gratia Christi quasi Elizabeth, de nomine Ioannis viua voce confirmat dicendo per legislatorem, Prophetá vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Ipsum quoque legale sacerdotium tacitis cæremoniarum suarum typis, quasi mutis literarum figuris, Zacharias eidem gratiæ nascenti testimonium perhibet, quia nihil prorsus in omnibus sacerdotij veteris obseruationibus actum vel dictum esse credendum est, quod non euangelij gratiam si recte intelligatur expresserit. Quod autem declarato postmodum & confirmato nomine Ioannis apertum est os Zachariæ & loquebatur benedicens Deum, patat vtique quia manifestata per Apostolos gratia noui testamenti, multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei, relictáque taciturnitate uocua ad confitenda, laudanda, & prædicanda sui dona redemptoris se deuota submittebat. Et quidem in die circumcisionis Ioannis quando & nomen accepit. *Factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* Porro in tempore dominicæ resurrectionis, vbi misso desuper spiritu gloria nominis eius per Apostolos mundo innotuit, timor continuo saluberrimus non solum Iudæorum, qui erant vicini vel situ videlicet loci, vel scientia legis, sed & exterarum vsque ad fines terræ gentium corda concussit. Nec tantum montana cuncta Iudææ, verum

Ll 4

Margin notes: Luca 1 (beside "spiritus angelici"); Matth. 11., Luc. 7. (beside "Siquidem Dominus"); Ioann. 3. (beside "minui"); Heb. 8 (beside "interitum est"); Matth. 15. & 23., Mar. 7., Luc. 11., Heb. 6. (beside "eis Dominus … non potuit"); Deut. 18 (beside "per legislatorem"); Actor. 6. (beside "cisionis Ioannis").

verumetiam omnia mundani regni, mundanæque sapientiæ culmina virtutis eius fama transcendit: ita vt relicta vbique cultura ac vita priori ad percipienda fidei illius sacramenta confluerent. Recte etenim circuncisionis dies dominicæ resurrectionis imaginem præfert, quia & hæc octaua die, hoc est post sabbatum facta est, & sicut illa à reatu perpetuæ mortis absoluere solebat, ita ista perfectam vitæ immortalis nouitatem & in autore nostro exhibuit, & in nobis sperandam monstrauit. Quod vero inter hæc Zacharias impletur spiritu sancto, ac de redemptore nostro simul & nostra redemptione prophetat, significat mystice quia multi de stirpe sacerdotali qui à confessione Christi diutius ora contionerant, postmodum per susceptionem fidei illius spiritu sancti virtute replendi, dono prophetiæ sublimandi, & magisterij pastoralis officio populis essent præferendi. Quamuis eadem acceptione spiritus & prophetia Zachariæ hoc quoque conuenienter figurari credendum est, quia tūc instaret tempus quo fidelibus panderetur omnes legalis sacerdotij ritus, & ceremonias spiritali intus scientia & propheticis exoberare mysteriis, quæ mediatoris Dei, & hominum, hominis Iesu Christi vel dispensatione temporariæ vel æternæ diuinitati testimonium ferrent, iuxta quod ipse Iudæorum
Ioan. 5. duriciam increpans, dicit: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Quid autem prophetans, & benedicens Deū Zacharias dixerit, audiamus. *Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* In quibus profecto verbis notandum, quia beatus Zacharias quod inchoatum & proxime futurum in spiritu præuiderat, prophetico more quasi iam factum esse narrabat. Visitauit enim nos apparens in carne dominus, quasi longius à se recedentes quos in peccatis positos quærere, & iustificare curauit. Visitauit quasi medicus ægrotos, qui vt inueteratum superbiæ nostræ languorem sanaret, nouum nobis suæ humilitatis exemplum adhibuit. Fecit redemptionem plebi suæ, qui nos venundatos sub peccato, & antiqui hostis seruitio addictos, dato sui sanguinis precio
1. Cor. 6. liberauit. Vnde benigne nos hortatur Apostolus, dicens: Empti estis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Plebi autem suæ dicit non vtique quam veniens plebem suam reperit, sed quam visitando & redimendo suam fecit. Vultis etenim audire, fratres mei, qualem inuenerit eam, qualem reddiderit. Finis cantici huius quod ob noticiam simul & prolixitatem sui totum charitate vestræ recensere & explanare lōgum duximus, aperte denunciat, dicens: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigēdos pedes nostros in viam pacis.* Inuenit ergo nos sedentes in tenebris & in vmbra mortis, hoc est, longa peccatorū & ignorantiæ caecitate depressos, atque hostis antiqui fraude deceptos, obsessosque erroribus. Ipse ete-
Ioan. 8. nim recte mors & mendacium, sicut econtra dominus veritas vocatur, & vita. Attulit autem no-
Ioan. 14. bis veram cognitionis suæ lucem, exclusisque errorum tenebris certum nobis iter patriæ cælestis aperuit, direxit gressus operum nostrorum, quatenus, per viam veritatis quam monstrauit incedere, atque ad mansionem perpetuæ pacis possimus intrare, quam promisit. Hæc igitur dona, fratres charissimi, supernæ bonitatis, hæc æternorū donorum promissa habētes benedicamus & nos dominum in omni tempore, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Semper laus eius *Psal. 33.*
in ore nostro versetur, semper eius & memoriam retineamus & in inuicem annunciemus virtutes, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen *1. Pet. 2.*
suum. Eius continue flagitemus auxilium, vt lucem scientiæ, quam contulit in nobis, ipse conseruet, atque ad perfectum vsque diem perducat. Et vt digni simus exaudiri precantes, abiciamus ipsi opera tenebrarum, & induamus nos arma *Rom. 13.*
lucis. Sic etenim supplicantes concite quæ desideramus accipimus, quia nimirum verba deuotæ orationis adiuuat manus piæ operationis. Et quia beati præcursoris hodie natalitia celebramus, oportet vt quem salutis æternæ præconem suscepimus, hunc etiam nostræ orationis adiutorem quæramus. Ipsum itaque intercedendo rogemus impetrare, vt ad eum cui testimonium perhi- *Sanctorum intercessio apud Deum.*
buit, lucem, vitam, & veritatem peruenire mereamur Iesum Christum dominum nostrum, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS
sub nomine Eusebij Episcopi Emissen in eodem festo, Homil.

E*Lizabeth impletum est tempus pariēdi, &c.* Nascitur hodiè Ioannes baptista, maior prophetis, minor angelis: imò minor eo, qui minoratus est *Psal. 8.*
paulò minùs ab angelis. Vnde ipse dominus ait: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælo- *Matth. 11.*
rum, maior est illo. Hoc autem Apostolus exposuit, dicens: Eum autem qui modico quàm ange- *Heb. 2.*
lis minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Hoc igitur solo, id est, Christo, minor est Ioannes, quo nemo alius maior surrexit natos de muliere. Vnde ipse quoque Ioannes ait: Me oportet minui, il- *Ioan. 3.*
lum autem crescere, qui post me venit, ante me *Ioan. 1.*
factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Minuitur enim Ioannes, capite *Luc. 3.*
truncatus: crescit verò Christus, in cruce exaltatus. *Et audierunt vicini & cognati eius quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, &c.* Erant enim steriles in opprobrium in Israël, quamuis hoc aliud significaret. Corporis namque sterilitas non est peccatū: Mente verò steriles, apud Deum in opprobrium sunt. Quantum igitur ad literam, magnam ei dominus misericordiam fecit, qui tanto pignore illam fœcundauit. Vnde & ipsa su- *Luc. 1.*
perius ait: Sic mihi fecit Deus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. *Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, &c.* Hac circuncisione neque Christus, neque Ioannes indigebat, circuncisi tamen sunt, ne scandalum fierent, & vt legem adimplerent. Lex enim & prophetæ vsque ad Ioannem. De cir- *Matth. 11.*
cuncisione multa ad Romanos Apostolus scribit, *Rom. 2.*
& non carnis, sed spiritus circuncisionem laudat. *Circumcisio spiritualis.*
Spiritualis namque circuncisio non in vno, sed in omnibus membris fieri debet, vt neque manus operentur malum, neque pedes ad fundendum sanguinem currant, neque aures detractionibus pateant.

pa cant. Sic omnia membra circunciduntur. Tali circi neitione omnia vitia & peccata tolluntur. Vnde octaua die meritò fiebat, in qua & vltima resurr ctio fiet, quando membris omnibus circúcisis, id est, vitiis omnibus & peccatis abscissis, totus ex integro innouatus, omnique superfluitate mundatus homo, ad immortalitatem resurget. *Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam: sed vocabitur Ioannes.* Nequaquam, inquit, Zacharias vocabitur, quamuis & hoc nomen dignum sit veneratione: sed vocabitur Ioannes, quod Dei gratia interpretatur: quia nullus inter natos mulierum familiarius illo Dei gratiam possidebat. *Et dicebant ad illam. Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Hoc enim nomen angelus imposuit, ... ignatio dedit. Sed vnde Elizabeth hoc nomen ... te potuit? Zacharias nanque, nō Elizabeth dictum fuerat: Et vocabis nomen eius Ioannem. Quia in te credendum est, quamuis id scriptum ... est, vel angelica reuelatione, vel alia qualiber facta diuinitùs inspiratione eam hoc nomen didicisse. *Innuebant patri eius, quem vellet vocari eum.* Qui quoniam voce hoc eis indicare non poterat, *postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.* Mirati enim sunt, quare vtrique parenti hoc nomen puero imponere placuit: quia quum nemo in illorum cognatione sic vocaretur. Dei nutu id fieri intellexerūt. *Apertum est autem illicò os eius, &c.* Sic enim Angelus ei promiserat: Pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, ingressus est enim (vt superius legitur) in tēplum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi: cui quia credere noluit, linguam amisit. Haec autē solēnitas decima die mensis septimi agebatur, quando solus pontifex semel in anno nō sine sanguine ingrediebatur sancta sanctorū, nulliumque alium in tēplo esse licebat. Quod quid significet, Apostolus exponit in epist. ad Hebræos: Nos quoq; in Leuitico de hac solēnitate sufficiēter diximus. Apparuit autē illi Angelus Domini stās a dextris altaris incensi. Stabat autem Angelus, & à dextris stabat, quoniam fortia & prospera nunciabat. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Hæc enim Angelorum consuetudo est, (in qua etiam ab illis discernuntur, qui se transfigurant in Angelum lucis) quòd in suæ loquutionis principio eos, quibus loquuntur, consolantur, & ne timeant adhortātur. Quòd autem ait, Quoniam exaudita est deprecatio tua: nemo putet Zachariam pro filio Deum exorasse, præsertim, quùm de sua suæque vxoris ætate diffideret, Angelo idipsum promittenti non crederet. Quid igitur orabat: nisi id quod lex orare præcipiebat? Ait enim: Erit hoc vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum, semel in anno. Hoc est igitur quod orabat, hanc deprecationem Angelus exauditam esse dicebat. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et fortasse non recordatur Zacharias, quòd Abrahā & Sara in senectute filium genuerunt. Nihil enim Deo impossibile est credenti quoque omnia possibilia sunt. Angelus promittit, & sacerdos signum quærit, quasi plus signo quàm Angelo credere debuisset. Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euāgelizare: cur ergo dubitas? quare nō credis? neque ille qui me misit, neque ego tibi mentiri possum. Signum quæris: Iudæi enim signa petunt: dicis: Vnde hoc sciam? dabitur tibi signū, quòd postquàm acceperis, te fortasse accepisse pœnitebit. Huc igitur erit tibi signum. Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd nō credidisti verbis meis, quæ complebuntur in tempore suo. Quia, inquit, verbis meis credere noluisti, vel signo crede. Ecce eris tacēs, donec ex te genita vox oriatur. Et quia vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuisse. Ex te enim orietur ille, qui dicet: Ego vox clamantis in deserto. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et cognouerunt quòd visionē vidisset in templo: & ipse erat innuens illis, & permāsit mutus. Possumus autem per senem Zachariam vetus testamentum, & per Ioannem puerum, nouum intelligere. Eo enim tēpore vetus testamētū vocem amisit, quo nouum ex veteri fieri cœpit: quia postquàm nouam legem Apostoli, & doctores prædicare & exponere cœperunt, veteris legis intelligentia cessauit. Sed vocem quam amiserat, tunc tandem recepit, quando nouo testamento iam nato & vbiq; diuulgato ab eo didicit quod loqueretur. Loquitur enim vetus testamentum, sed iam non suo & priori sensu. Loquente autem Zacharia *Factus est timor super omnes vicinos eorum, &c.* Qui contra naturam natus est, in cuius natiuitate os diu clausum aperitur, mutus loquitur, & tam noua miracula fiunt? *Etenim manus Domini erat cum illo.* Ipsa igitur hæc omnia operabatur in illo. *Et Zacharias pater eius repletus spiritusancto prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Visitauit per præconem, visitauit per filium, prędicauit per vtrūque, fecit per alterū. Vterq; ad baptismū populū vocauit, sed alter solūmodò plebē redemit, & in spiritusancto baptizauit. Vnde & eidem Ioanni dicitur: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritusancto: qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Circuncisio carnaliter ... (margin). Luc. 1. Ibidem. Leuit. 16. Hebr. 9. Ibidem. Boni Angeli in ... a malis ... Leuit. 16. Luc. 1. Mar. 9. 1. Cor. 1. Ioan. 1. Ioan. 1.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberst. superioris Euang. expositio.*

ELizabeth impletum est tempus pariendi, &c. Audiamus sub breuitate sensum huius lectionis quatenus ad laudem hodiernæ solennitatis eiùs trāseamus. Consyderemus primum verbum istud quod sanctus euang. hic posuit: Elizabeth, inquit, impletum est tempus pariendi. Scire debemus quod verbum istud, id est, verbum impletionis in bonorum hominum ortu, id est, natiuitate: & obitu, id est, morte: & in consummatione operis, sancta scriptura consueuit ponere. Quòd in

Ioannes ſit nomen eius. Fortaſſis autem Ioannes ſibiipſi indidit nomen, matrique ſuæ communicauit donum propheticum. Porro Zacharias, quum non poſſet nutu manifeſtare nomen, petit tabellas. Et, quia aſtipulatus eſt ſententiæ vxoris in nomine pueri, obſtupeſcunt omnes: non enim erat in cognatione eorum quiſpiam eius nominis, vt quis dicere poſſit, quòd ante tempus de hoc ambo tractarint. Ioannes iuxta interpretationem eſt Dei gratia: proinde & pater illius ſtatim aſſequutus gratiam, primùm de Chriſto, deinde de puero prophetizat. *Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorũ, &c.* Factus eſt timor ſuper omnes, propter miraculũ loquentis Zachariæ. Sicut enim prius, quũ obmutuiſſet, ſtupuerat populus, ita etiam nunc, quum redditus eſt ei ſermo. Propter duo igitur miracula hæc cogitabant de nato, quòd multus præcelleret. Facta autem ſunt hæc omnia ſingulari quadam diſpenſatione, vt, qui de Chriſto prophetizaturus eſſet, fide dignus haberetur, & omnes ex ipſa natiuitate Ioannis certiores redderentur, quòd multis maior eſſet. Benedicit autem Zacharias Deum, quia viſitauerat Iſraelitas. Et
Matth. 15. profecto venerat ad oues, quæ perditæ erant de domo Iſrael, ſed plerique beneficium eius ſuſcipere noluerunt, vnde veros Iſraelitas iuuiſit. Et quidam ſunt illi ſoli, qui crediderunt.

EVTHYMII ZIGABONI
ſupertoris Euang. expoſitio.

F*Actúmque eſt in die octauo venerunt vt circumciderent puerum.* Secundum legem. *Et vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.* Plurimi enim filij, patrum nominibus vocati ſunt. *Et reſpondens mater eius dixit, &c.* A ſpiritu ſancto ipſa quoque nomen pueri didicerat: ideo etiam conabatur, vt ipſe vocaretur Ioannes. *Et dixerunt ad illam, Nemo eſt in cognatione tua, &c.* Nutu illum interrogabant, vt qui etiam audire non poſſet, veluti ſuperius manifeſtatum eſt. Aiunt enim vno quodam neruo colligatas eſſe audiendi, loquendique vires: ideo neq; audire poſſe eos, qui à natiuitate muti ſunt. Zachariæ ergo ita fuit ablata loquela, ſicut iis, qui à natiuitate illa priuati ſunt. *Et poſtulatis tabellis, ſcripſit dicens, &c.* Poſtulatis, non per vocem, ſed ſimiliter per nutum. *Et mirati ſunt vniuerſi.* Mirati ſunt, quomodo qui nec audire ab Elizabeth, nec ei dicere hoc potuerat, cum ea conueniebat. Veriſimile eſt enim Elizabeth certiores illos feciſſe, quòd non per ſcripturam hoc vel dixiſſet, vel audiſſet. *Apertum eſt autem repente os eius, &c. Apertum eſt,* hoc eſt, in vocem ſolutum eſt. Manifeſtum eſt autem, quòd & auditus pariter ſolutus eſt. Sicut enim pariter ablatus fuerat ita quoque pariter ſolutus eſt. *Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum.* Timor præ admiratione. *Et in tota montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* Quæ erant circa miracula facta in impoſitione nominis pueri, quomodo inopinatè in eo parentes conuenerant: & quo pacto à Zacharia mirabiliter ablata erat loquela, & eodem modo ſimiliter & quæ à principio ad finem vſque contigerant. *Et poſuerunt omnes, qui audierant in corde ſuo.* Poſuerunt hæc tanquam admiranda. *Dicentes quiſnam puer hic erit?* Dicentes dubitantium more, aut cogitantes. Operæpretium eſt autem quærere, quare ablata non eſt a Zacharia loquela carentia, quando puer natus eſt, ſed potius quando nomen accepit? Dicimus quòd propter angeli vaticinium. Dixerat enim; Et ecce eris mutus, nec loqui poteris vſque ad diem, quo hæc fient. Siquidem dicens, Hæc, duo vtique manifeſtauit, natiuitatem videlicet, ac nominis impoſitionem, nõ autem ſolam natiuitatem: vt conuenientia in nomine ſit etiam miraculum. *Et manus domini erat cum illo.* Virtus ac gratia Dei. *Et Zacharias pater eius impletus eſt ſpiritu ſancto, &c.* Hæc de Chriſti incarnatione prophetat: per hanc enim viſitauit, ac redemit populum ſuum, non ſolum à tyrannide hoſtium inuiſibilium, ſed etiam viſibilium, vt videlicet fidem eius ſuperare non poſſint. Populum ſuum autem: primo quidem veterem: illo vero non credente, poſtmodum nouum. Dicit autem ea, quæ futura ſunt, tanquam ea, quæ facta ſunt more prophetiæ. Verum quomodo dicitur Deus ſolius Iſrael, quum non tantum Iſraëlitarum Deus ſit, ſed & omnium hominum: vtpote omnium creator? Quia cæterorum quidem omnium hominum Deus erat, ipſis etiam nolentibus, ſolorum autem Iſraëlitarum, vltroneorum, & per cognitionem. Ne turbetis autem propter difficultatem eorum, quæ à Zacharia dicuntur: nam huiuſmodi ſunt prophetica.

GVERRICI ABBATIS
Igniacenſis in natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, Sermo 1.

HA Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ſenſu ego ſum. Fratres, ſi Hieremias (ſicut ex lectione audiſtis heſterna) ne prædicationis ſuſciperet officiũ, verecũdiùs quàm iuſtiùs minorem cauſabatur ætatẽ: quantò ego rectius ſenſu cauſarer minorem? Si ſanctum ex vtero, & quem manifeſtè diuina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior: mihi, quæ frons eſſe poteſt ad loquendum, cui nec ad ſanctitatem ſuffragatur cõſciẽtia, nec ad ſermonis facultatẽ ſuppetit ſciẽtia? Illi erat timori pueritia ſua, mihi non erit puerilitas mea. Veruntamen tu puer propheta altiſſimi, de quo ſermonem hodie noſtri debet locus officij, puerilitatem noſtram non pateris excuſatam haberi, quin ſaltem geſtiamus more puerorum, de te quoquo modo balbutire, qui etiam in materia leuiori, plena nec dum didicimus verba formare. Tuum erit ô vox verbi, vox ſapientiæ, tibi deuotæ ſoluere vinculum linguæ, qui nec dùm loquẽs, vſum loquẽdo muto potuiſti patri reformare. Nec ſine fœnore magno redijt intercepta facultas loquendi, cui ſimul acceſſit gratia prophetandi, vt videlicet vterque parens aliquid ſibi gaudeat erogatum de prærogatiua filij. Qui enim propheta, & plus quàm propheta futurus erat: immò antè prophetare quàm profari, priùs Deum quàm ſeipſum ſentire cœperat, parentes quoque ſuos prophetas faciebat: & in eos qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, ſpiritus ſui & gratiæ ſuperabundãtiam refundebat. Nam & Elizabeth poſtquàm exultauit in gaudio infans in vtero eius, tunc ipſa prophetauit repleta ſpiritu ſancto: quia necdum loquens filius matri, tamen occultam domini præſentiam exultatione manifeſta reuelauit. Salutabat Saluatorem motu quo poterat, & in occurſum Domini præcurſor impiger erumpere geſtiebat. Planè incomparabilis gratia, Hier. 1.

inæita

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

Matth. 11. A Diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Meritò igitur læta nobis eius est natiuitas, cuius tam sancta sunt tempora, vt regnum Dei iam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus vtique iustitia non sufficiebat ad promerendum. Meritò multi in natiuitate eius gaudent, sicut promittebat angelus sub quo tanta fœlicitate mutatus est temporũ status, vt regnum Dei quod antè nulla innocentium obtinebat iustitia: nunc pœnitentium inuadat & possideat violẽtia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cęlorum? Annon violentia est, rapere virtute quod non erat concessum naturæ: vt qui natura erant filij iræ & gehennæ, Ephes. 2. labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem sanctorum, & consortium gloriæ? Annon planè violentus Deo, strenuus ille luctator patriarcha Iacob, qui vt scriptum est contra Deum fortis fuit & inualuit, qui enim eo luctatus vsque mane constanter & obnixè tenebat, rogantem Genes. 32. dimitti, non dimittam te inquiens, nisi benedixeris mihi? Dico, quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in angelo cum quo luctatus est. Alioquin nec angelus diceret, cur quæris nomen meum quod est mirabile, nec Iacob diceret: Vidi dominum facie ad faciem. Sed neque dominus de Iacob diceret per Oseæ prophetam, in Be- Osee 12. thel locutus est nobiscum. Bona igitur violentia quæ benedictionẽ extorsit: fœlix lucta, qua Deus hominis succubuit, victúsque victorem gratia benedictionis, & honore sanctioris nominis munerauit. Quid enim si tetigit neruum fœmoris eius, & emarcuit, ac de cætero claudicauit? Facilis iactura corporis damnúmque consolabile quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere: Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapiẽtiam. Vtinam marcescat in me non solum neruus fœmoris, sed virtus totius corporis: dummodo vel vnam merear benedictionem angeli. Vtinam non solùm claudicem cum Iacob, sed & moriar cum Paulo, vt gratiam & nomen Israëlis obtineam munere perpetuo. Iacob quidem fœmur gerit marcidum, Paulus vero corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit propheticæ religionis initium, ad integrum consummauit euangelium. Iacob claudicans, quia ex parte quæ mundi sunt cogitans, alterum pedem à terra suspensum por- 2. Cor. 12. tat: Paulus cogitans solùm quæ Dei sunt siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, totus tamen in spiritu liber ad cælum volat. Vobis itaque dicimus fratres, qui aggressi estis cælum rapere, qui congressi estis luctari cum angelo, qui viam custodit ligni vitæ: vobis inquam dicimus omnino necesse esse vt constanter & irremissè luctemini: nõ dico vsque ad eneruationem fœmoris vnde generatio propagatur carnis, sed etiam vsque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum, nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu & beneficio diuinæ virtutis, cũ vestram videlicet constantiam inuisibilem sibi probauerit. Sic enim scriptum est. Cúmque videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. An non tibi cum angelo immò cum Deo ipso luctari videris, quãdo quotidie præproperis tuis resistit votis? Lauaris velut aquis niuis, mundus sis corde & corpore, & ipse sordibus intingit te. Dicis sapiens efficiar, & ipsa longiùs recedit à te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te. Decernis rem, & in contrarium tibi cedit: & per omnia ferè in duricia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duriciã te simulas, quanta pietate pugnas aduersus eos pro quibus pugnas? Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age fœlix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat vtique vim abs te pati, desiderat à te superari. Nam & cùm iratus est, manúsque ad feriendum extendit, quærit & ipse confitetur virum similem Moysi qui resistat sibi: & si non inuenerit conqueritur & dicit: Non est qui cõsurgat & teneat me. Nam Esai. 64. si implacabilis sit eius ira, inflexibilí que sententia, flebit & dicet Hieremias qui resistere tenta- Hier. 20. uerat: Fortior fuisti & inualuisti. Sed absit fratres qui placita ei postulatis: absit vt fortis aduersum vos sit, qui pro vobis infirmari vsque ad mortem voluit, tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est: vnde quæso virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati. quæ veluti victũ & captum per omnia genera infirmitatum vsque ad mortem, mortem autem crucis, perduxit? Iam Cant. 8. non fortis vt mors, sed fortior quàm mors dilectio cum virtute dilectionis infirmata sit vsque ad mortem, Dei fortitudo, cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua, ô mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis quicunque es ille pius inuasor, qui rapere contendis regnum cælorum, & securus esto, quia facilè vinces regem ipsum cælorum. Si qua enim videtur tibi aduersari difficultate, aut duritia: ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat? Nempe vt contrarietate ipsa tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium, vt vires exerceret, constantiam probet, multiplicet victorias, augeátque coronas. Quamobrem accingemini filij Israel, & estote filij fortitudinis: non enim opus est nisi magnanimitate & constantia quæ nullis possit terreri aduersis. Infirmus dicat, fortis sum, & præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tam facilè iam iámque capiendum est cælum. Plane cælum violenter rapit: qui imbecillitati suæ vim facit aut ætati. Immò, vt magis propriè loquar, plane vim facit propriè perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. Homo enim in laboribus, vt scriptura ait, laborat sibi, & vim facit perditioni suæ. Accingimini inquam viri virtutis, & sequimini ducem ac magistrũ felicis huius militiæ Ioannem baptistam loquor, à diebus cuius cælum esse cœpit expugnabile. iste siquidẽ est qui velut Dauid, alter princeps latronum, prorúmque ductor prædonum, & victoriosum illum exercitum publicanorum & peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxit in regnum cælorum. Quis enim scelestus aut prophanus tubam eius audit: Pœniten- Matth. 3. tiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, & non se continuò præparauit ad bellum?

denique ad mortem pro veritate certauit: & vt etiam ad inferos Christum præcurreret, ante passionem Christi, martyr Christi fuit. Mirentur inquam hæc alij, si tamen est qui dignè possit mirari, nobis fratres non solùm miranda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis eius, qua maior se credi cum potuit, noluit: immo credentes, ne errarent, quantum valuit compescuit. Fi- Ioan. 3. delis enim amicus sponsi, magis amator Domini sui, quàm sui: se minui, vt ille cresceret optabat: & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat, ante apostolum, opere & veritate dicens 1. Cor. 4. illud Apostolicum: Nõ nosmetipsos prædicamus, sed dominum Iesum Christum. Ideo nimirũ magna est gloria eius in salutari tuo, in Iesu tuo Do- Psal. 20. mine, cuius iustitiæ, & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificãtes se glorificare. Magna prorsus gloria eius in Iesu, magna à Iesu, qui & apud se glorificauit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonia vocis suæ. Persuasum sibi habebat Ioannes illud fidele sapientis consilium, 2. Cor. 10. Qui gloriatur in Domino glorietur: non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Maluit itaque in Domino sanè, quàm in seipso vanè gloriari: quia & maluit veraciter à Domino, quam fallaciter à seipso commendari. Ideo probatus est Deo & hominibus, & gloria eius veritas apud homines, felicitas apud Deum est: qui si seipsum glorificasset, Psal. 4. gloria sua nihil esset. O filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vt quid vanam & mendacem gloriam diligitis, & gloriam ab inuicem accipitis vel quæritis, & gloriam quæ à Deo solo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Vtinam agendo fortia, non loquendo sublimia: vtinam saltem vera loquendo licet vanè, & non mentiendo planè: vtinam denique mentiendo tãtum de vobis, non etiam detrahendo de aliis. Hoc iam non est gloriam accipere vel quærere: sed magis furari & rapere. Quærere siquidem gloriam, non sua, sed contraria via: non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia: id est, non virtutis titulo, sed mendacij, & detractionis latrocinio: quid aliud est hoc nisi rapere, vel furari nequiter, quid concupieris turpiter? Certè si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, iam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nũc autem quid? cum non solũ accipis si offertur sed & quæris cùm non offertur. Quid denique, cum alium velut trucidas venenosa & insidiosa lingua, vt gloriam eius tibi rapias: vt de malo eius tu melior, de cõtemptu eius tu gloriosior appareas? Sit ergo illud, gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud, nisi sæuientium crudelitas? Sit certè illud, vt mitius loquar tentatio humana: quid istud nisi imitatio diabolica? Planè imitantur diabolum qui sunt ex parte illius, id est omnes superbi. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Quomodo inquis imitantur? Diabolus, quia superbiuit, meliori se, id est Deo inuidit: quia inuidit, detraxit. Sic filij superbiæ eius, mox vt infecti sunt vitio eius, id est amore propriæ excellentiæ, inuident alienæ. Vt cœperint inuidere, incipient si possunt detrahere, vt scilicet accrescat eis quod derogauerint aliis. Quanto salubrius imitarentur humilitatem Ioannis, qui detrahebat sibi vt adderet alij: qui contendebat minor credi quàm credebatur, vt alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate & æquitate, placeat saltem ex vtilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinã, sed nec ad gratiam humanam vlla pulchrior aut iustior, & sæpè nulla compendiosior. Quanto, inquit, Eccles. 3. magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus. Hæc beatum Ioannem glorificauit apud Deum & homines, sicut est dies hæc quæ de natiuitate eius gloriosa consolationem præstat mundo, gaudium cælo, gloriam Deo, cui honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo. 4.

COepit Iesus dicere ad turbas de Ioãne. Quid Matth. 11. existis videre in deserto? Ecce illud quod sponsa de sponso gloriatur, in cantico amoris Cant. 6. sui: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: Ioãnes Iesu, & Iesus Ioanni: Ioannes Iesum prędicat, Ioannem Iesus commendat. Par pari redditur, & tam amica quàm iusta vicissitudine charitas inuicem prouocatur, aut remuneratur. Ego enim, Prou. 8. inquit Iesus, diligentes me diligo, & gloriantes me glorificabo. Habet pietas promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ: & Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmij, etiam nunc incipit glorificare redditione præconij, testémque suum etiam apud homines proprij sublimat testimonij honore. Quid existis, inquit, videre in deserto? Vos hominem miramini commorantem in deserto, sed per istum pinguescẽt speciosa deserti, & florebit solitudo, cùm vbique noui cultores eremi, de Ioãnis successu & exemplo. Tunc erit desertum, quasi delitiæ Paradysi, & solitudo quasi ortus Domini. Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli, & Saron. Sed quid inquam existis videre in deserto? Arundinem vento agitatam? Et si moreretur in desertis, non est tamen arundo deserti, sed cedrus paradisi, columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito, vltra mensuram hominum, conditione, citra naturam angelorum. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certè cipressus in monte Syon æternè plantata, altior scilicet quam vt ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus huius aëris, qui superior est cunctis cupiditatibus mundi. In cælo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, vnde minas, & bella ventorum, & cuncta in seculo aduersantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium eorum cubat, omnes vires suas, & argumenta malitiæ commoueat: nihil illum terrebit, nihil ad sentiendum mouebit, quo minus liberè nuptias eorum incestas arguat. Quomodo enim flecterent aduersa, quem mollire non potuerunt prospera? Flauerunt siquidem aliquando & molles atque blandientes venti, auræ, scilicet fauoris popularis, sed nec illis à rectitudine sua potuit inclinari. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium

perhibuit veritati. Miserunt enim Iudæi sacerdotes, & leuitas, vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus: cum tamen ei flaret fauor popularis, & blandiretur æstimatio communis, non vt Christum se prædicaret esse, sed vt credentibus tantum non contradiceret. Sed & alias cùm discipuli eius dicerent ei: Rabbi cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum? nunquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, & alterius frequentia, & gloria ad dolorem, vel inuidiam moueri? Immo constantia immobili ventum repellens, & frangens, respondit: Ipsi vos mihi testimonium perhibebitis, quia dixerim ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illũ. Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Laudauerat eum de constantia animi, laudat & de contemptu corporis sui, ac postremò desuper de excellentia gratiæ prophetalis, atque dignitate Angelici officij, & nominis. His etenim duobus gradibus ad spiritalia, ac diuina nititur humilitas humana, si videlicet aduersus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, & desiderio spiritalium bonorũ corpus affligat. Sicut enim in vitiis, vt vincamus tẽtationes, corpus est castigandum ne regnet in eo peccatum: sic etiã victis tentationibus in eodem tamen est persistendum, non solum metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi: vt scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat, & quantò lenius ac subtilius vinculum gestat, tantò ad spiritalia liberior assurgat. Ioannes qui antequàm exiret de ventre sanctificatus erat, cui illud dicere cõpetebat: ab infantia mea mecũ venit *Iob 31.* sanctitas, & de vtero matris meę egressa est mecũ, quem nullus tentationis ventus agitare poterat, nec mollibus tamen vestiebatur, nec suauibus vescebatur, sciens vtique quia sicut peccatoribus vt sancti fiant: sic sancti vt sanctiores fiant, necessaria est seuerior viuendi disciplina. Nunc autem Deo gratias qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine pœnitentia veniam, sine opere iustitiam, sanctimoniam sine labore: deliciis carnalibus simul, & spiritalibus affluere. Induimur, si non purpura & bysso, certe mollioribus, & calidioribus quàm sint purpura & byssus: & epulamur quotidie splendidè: & nihilominus distenti, & ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Ioanne? Planè si ita est, melius nobiscum actum est, quàm cum illis qui tantis emunt laboribus, quod nos delicati gratuitò possidemus. Planè si ita est, ridenda est magis quam prædicanda vita Ioãnis: & omnem nationem filiorum Dei, qui dura & arcta via secuti sunt vnicum patris, reprobare magis expedit, quã *Act. 13* imitari? Verisimilius autem videtur quod non ita *1. Tim. 5.* sit, sed magis sicut veritas dicit, quia per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei: & sicut discipulus veritatis perhibet, quia vidua in deliciis viuens mortua est. Ideo Dominus cum de asperitate vestis laudasset amicum in omni domo sua fidelissimũ, ecce, inquit, qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt: volens nimirum intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno huius seculi militant, non regno Dei. Heu quàm terribilem sententiam cœlitus audiui cõtra molliciem illius magnæ & purpuratæ meretricis? Quantum inquit, glorificauit se & in deliciis fuit, *Apocal. 18.* tantum date illi tormentum & luctum. Vtinam tamen his deliciis, tantum mollicie vestium, & suauitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum nec alias spinas vitiorum germinaret in eis ramus voluptatum, vt hoc esset omne pactum eorum, deliciari, non luxuriari: Ipsi viderint si ita extinctus est in eis ingenitus ille pestifer ignis: vt tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi, præsertim ventis ex aduerso flãtibus, id est, verbis & risibus lasciuis tentantibus. Soleo tamen audire, quia sępe viuit etiam in moriente, viget in sene, suscitatur & exurgit etiam sine fomite, furit nullo irritante. Ipsi ergo viderint sibi, nihil enim mihi de aliorum conscientiis iudicare cùm sciam multos in omni copia & gloria mundi temperanter & pudicè vixisse: & è diuerso nonnullos in habitu asperiore & victu parciore nequiter egisse. Sed & scio regem Israel sub purpura sua cilicio ad carnem fuisse indutum, & panem solum nonnunquã regibus appositum: cùm hodie delicata quæque ac mollia, tegat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium: & fastidiis eorum nõ satis sint opes mundi, non satisfaciant artes & * tormenta coquorum. **forte condimenta.* Verum quia in huiusmodi causis, facilè quisque sibi inuenit patrocinium, alius infirmitatis, alius societatis cui morem gerit: alius honoris quem gestit: esto, vestiant vt volunt, comedant vt volũt, tantum ne excedat vlterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri eon possunt: & incipiant notari prouerbio mulieris nequã quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malũ. Nam *Prouerb. 30.* & de magna illa Babylone de cuius medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere: Quantum vult purpurata sit, quantum vult delicata sit: tantum meretrix non sit, nec diuaricet pedes suos omni transeunti. Tu ergo si nõ potes imitari Ioannẽ in asperitate vestitus, vel parsimonia victus, sed vel in hoc imitari contende, vt *Eccles. 5* non sis arundo vento agitata, & vt sapiens ait: Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed esto firmus, inquit, in via Domini, ne te proiiciat ventus à facie terræ: seu loci cui professus es, seu regni cui præparandus es. Solet repentè ventus vehemẽs irruere à regione deserti, & cõcutere quatuor angulos domus filiorũ Iob, *Iob. 1.* & fit ruina magna eius: si tamen super arenã fundata sit, non supra petram: si arundinea sit, non lapidea: immò si is qui ædificat eam, & inhabitat, arundo sit: foris per hypocrisim, nimidus iactantia, vel promissione cassa sonorus, intus, veritate vacuus. In secreto huius arundinis Behemoth dormire amat, quæ & in locis humentibus vbi nulla fluxarum rerũ penuria, sed ad luxum superfluunt omnia, sæpius & vberius crescit atque luxuriat. Huic arundini si quis innitatur manum eius perforabit, quia si quis in adiutoriũ operis eum asciuerit, vel alicuius ei muneris functionem imposuerit, sperantem in se graui scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini huiusmodi arundinem etiam quassatam non conterit, sed sustinet, vt in melius conuertatur. Nonnunquam etiam increpat feras arundinis, quæ cum principe suo, in secretis eius dormiunt: nonnunquã iusti, tanquam scintillæ æris candentis, in arundineto discurrũt qui

qui tanquam carbones deſolatorij, quicquid in eo ſteriliter ſylueſcit, incendunt, nouiſque fructibus purum præparant locum. Hoc aiebat Ioannes vox clamantis in deſerto, nō arundo, ſed ſcintilla in arundineto, cuius Sermo vt Scriptum eſt, ſermo Scintillæ ad commouendum cor pigrum & ſtolidum, vt pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat vox, cooperante verbo, cuius erat vox: Ieſu Chriſto Domino, qui viuit & regnat, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

PETRI DAMIANI DE *ſancto Ioanne Baptiſta, Sermo.*

HOdie, dilectiſſimi, dies illuxit inſignis, tantò cæteris diebus ſanctior, quantò ſanctiorem hominem terris effudit. In hac ſiquidem die natus eſt ille ſanctorum ſplendor, iuſtorum gloria, lætitia Angelorum, excellentiſſimus homo, conſanguineus Chriſti, amicus ſponſi, ſponſæ præparator. Vnus eſt, & ſecundum non habet, qui choris intertextus Angelicis ſublimioris coronæ titulis vniuerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum. Denique inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Fœlix homo, qui fœliciter cælorum perambulans officinas, curſu velociſſimo ſequitur Redemptorem, nec alicuius intercluditur faſtigio dignitatis, quem ſummę fœlicitatis immenſitas largiùs irrorauit. Lętantur Angeli, & vtriuſque naturæ numeroſitas admiratur hominem ſic ingreſſum abyſſum luminis, & in æternæ diuinitatis pelagus abſorptum, vt ipſam teuerberet Angelicæ puritatis originem. Eleuentur omnes, & meritorum prærogatiuis ante conſiſtorium maieſtatis exulient, non erit tamen, qui ad Baptiſtæ Ioannis priuilegium audeat aſpirare. Agè iam aggrediamur virtutum inſignia, quæ Deus maieſtatis in amico ſuo glorioſa cumulatione ſignauit; ſic enim ab ortu vitæ vſque ad occaſum cum hominibus conuerſatus eſt, vt forma vitæ, morum informatio habeatur. Et licet hîc ſermonis auri non rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicunque ſtylo perſtringere, illud ſapientis attendentes, prudentibus viris non placere phalerata, ſed fortia. Primus eius honor eſt, gloria in annunciatione. Non eſt diſſimulanti ſilentio tranſeundum, quàm ſolenni glorificatione pueri huius in hunc mūdum nunciatur ingreſſus. Adeſt Angelus Gabriel, & à ſuperiori cælorum cardine Domini fortitudo deſcendens ſtat à dextris altaris incenſi, nec quilibet Angelus, ſed ille ſublimior, qui beatæ Virgini nuncium attulit ſingulare; & electus eſt vt nunciaret militem, qui Regē nunciare debebat. Aſtat ſacerdos ſacerdotalibus indutus, & multiplici veſtimentorum varietate, cæleſtium ſacramētorum præfigurās imaginem, purgationem peccatorum myſtici ſanguinis aſperſione præſignat. Conſiſtit coram arca fœderis, & ante teſtamenti tabulas, vrnam auream habentem manna, virgam Aaron, Cherubin, & propitiatorium, ſolenniter inſulatus, vultui Dei, gloriæ maieſtatis, rerum omnium Domino, vota percelebrat. Dies inſtat ſolennis, & cæteris diebus multitudini Iudæorum celebrior, Domini præcipiēns atteſtatione ſublimis, planè ſpectabilis, & feſtiua, in qua ſola ſoli Pōtifici licebat introire in ſancta ſanctorū, & aſpergine multiformi ſummæ diuinitatis iram refrigerare. Conuenitur vndique in ſanctam ciuitatem, & populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hæc ſacra conſiſtens Archangelus; Ne timeas, inquit, Zacharia, quia naſcetur tibi filius, parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Euāgelij principium, mortis expulſio, ianua vitæ, decus hominum, conuerſationis ſplendor, omniſ iuſtitiæ principatus. Et ne diffuſiori tractatu rerum excellentiam cōfundamus, naſcentis, & conuerſantis integritas in libris Euangelicis pleniùs aſſignatur. Conſidera nunciantis ſublimitatem, dignitatem loci, diei reuerentiam, & tunc intelligere poteris, quàm ſuperexcellenti gloria Ioannis Baptiſtæ genitura prædicitur. Salua igitur reuerentia Redemptoris, quia non derogamus Regi, ſi Regis militem honoramus, cùm ille Dominus, hic ſeruus, ille Creator, creatura iſte, digniori præmonſtratione Ioannes nunciatur, quàm Chriſtus. Chriſtus fortaſſis in thalamo, Ioannes in templo, & non ſolùm in templo, ſed etiam ante ſancta ſanctorum in inſigni die ſolennitatis eorum. Ioānes ab eodem Archangelo in loco digniori, tempore ſacratiori, apertiori miraculo prædicatur. Recole Iſaac ab Angelis nunciatum, Sampſonem per Angelum prædicatū & vniuerſam Nazaræorum ſectam circunſpice, ſolúmque Baptiſtam tam in hoc, quàm in alijs inuenies digniorem. Secundus honor eſt, ſanctificatio in ventre matris. Quicunq; de maſſa præuaricatrice mundum ingredimur, longam reſtem originalis peccati trahimus nobiſcum. Solus ille, qui peccatum non fecit excipitur, quem Virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Longè quippe aliter, & diſſimili modo conceptus eſt, Spiritu ſancto tota maieſtate Virginem inundante, atque mundante, ſuperans vſum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat vt peccatum neſciret, qui peccata tollebat, vt ſimilitudinem carnis peccati ſuſciperet, nō autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Ioannem Baptiſtam; quanquā & de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circunſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, vtpote ſacrarium illud, in quo Deus Dei Filius carnem fuerat ſuſcepturus. Sed longè minor Hieremiæ ſanctificatio, quàm Ioannis. Ille quidem in matris vtero ſanctificatus, hic Spiritu ſancto repletus fuiſſe cognoſcitur. Multi quippe excellentibus ſpiritu ſancto repleri, quàm ſanctificari, ibi enim ſanctificatio emūdationē, hîc repletio inundationem ſignificat. Denique & Apoſtoli, qui manibus ſuis tractauerunt de Verbo vitæ, cùm ſpiritum ſanctum de Saluatoris accepiſſent afflatu, vix quinquageſimo à reſurrectionis die ad illum gradum peruenire potuerunt, vt diceretur de eis: Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Et licet ſpiritus ſanctus largiori tunc munere credentium corda repleuerit, hoc tamen Ioannes in vtero legitur aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem largiori promiſſione meruit obtinere. Attende, obſecro, diligenter quàm ordinata diſpoſitione Spiritus ille multiplex Hieremiā ſanctificat, implet Ioannem, ſuperuenit in Mariam. Et Hieremiæ quidē admiranda ſanctificatiu, quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antequam enim exiret de ventre, ſancti-

ficatus est, nec poterat nasci non sanctus, qui in matris vtero erat sanctificatus. Mira res, & a retro-transactis seculis inaudita, hominem conceptum in peccatis nasci sine peccato. Ioannem verò longè gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu superfusus, vt & purgatus exeat, & repletus. Vere magnus coram Domino, quem Angelus nunciat, sanctificat Deus, sanctus replet Spiritus, vita commendat. Ineffabiliori autem modo superuenit in Virginem, quam tota diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit, vt totam caperet, qui fecit totum, vt non solùm à peccatis abluta, repleta Spiritu, sed & de Spiritu sancto concepisse credatur, quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Inde est, quod singulari prærogatiua fides catholica filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu confitetur, vt deitatis & humanitatis indiuisibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentia designetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio speciosus forma præ filiis hominum à filiis hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim de peccatis, & in peccatis concepti sunt, hic in Spiritu, & de Spiritu sancto concipitur. Hæc sanè dicta sunt de conceptione Ioannis nihil præiudicatiua suauiùs sapienti. Sed etsi in aliquo sanctorum auctoritatibus videntur obuiare, volumus vt sine omni excusationum, vel defensionum patrocinio subruantur. Tertius est, excellentia in exultatione. A seculo non est auditum, quod exultauerit quis in vtero matris, cùm hic in gaudio exultasse legatur. Prorsus obstupenda dignatio, puerum vix cõceptum in motum exultationis erumpere, eique gratanter occurrere seruitio dulciori, quem Virginali substantia præsensit infusum. Beata anima, quæ in via peccatorum non stetit, sed secretiori semita de cælestibus officinis egrediens inauditæ gratulationis est sortita dulcedinem. Felix Elizabeth, ad quam Mater properat Redemptoris, quam salutationis obsequiis cælorum Imperatrix alloquitur. Sed puer multò felicior, qui salutantis maiestatem agnoscens intra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit. Et factum est, inquit, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. Ascendit Virgo cum festinatione in domum Zachariæ ad salutandum Elizabeth, portans in vtero filium Dei, Regem gloriæ, Dominum maiestatis. Occurrit Elizabeth, & antiquæ sterilitatis exesa opprobriis, amicum sponsi, præconem Verbi felicissimo ventre deportat. Iũguntur amplexus; venitur ad oscula, copulantur felices vteri, Regemque, & militem non nisi duo tenerrimi parietes abiungũt. Quid mirum, si miratur, & exultat puer ad tactum tam proximæ diuinitatis afflatus? Poterat ne vacare à quocunque miraculo, cui præsens aderat Regis præsentia, regnãtis mater, mũdi Redemptor? Quid quod non semel tam sanctorum amplexuum fuit celebrata coniunctio? Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, ait Euangelista. Tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas, & nũc dulciori colloquio, nũc amplexu feliciori Ioannem puerum consecrat, & insignit. Et fortassis vsque in diem natiuitatis eius gloriosa Virgo cũ cognata sua morata est, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præsentiæ Creatoris. Facile autem hoc ex Euangelio coniectare liquet, quia iam sex menses à conceptione Ioannis defluxerant, cum ad virginem Archangelus missus est, qui renouationem mundi pudori virgineo noua salutatione portauit. Ex hinc virgo festinat ad Elizabeth, & tribus mensibus præsentia sua cognatę dignatur hospitium, donec noni mensis fine concluso natiuitas immineret Patriarchæ. Alij, qui librum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quòd ipsa Dei genitrix felicem puerum primùm de terra leuarit, & cognatæ partum omni prosecuta sit seruitute. Quocunque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit puero nascituro tam felix, & morosum intemeratę genitricis hospitiũ. Quartus verò, gaudiũ in natiuitate. Erubesce, lucifer, qui mane oriebaris, & conatuũ tuorũ fractus impulsibus, tandem intellige, quia in nouissimo dierum, tãquam perdix stultissimus remanebis. Machinationibus tuis factum est vt humani generis vniuersitas in peccatis conciperetur, nasceretur in tristitia. Sed ecce iste in vtero sanctificatur, oritur in gaudio, lætitiámque mũdo sua natiuitate refundit. Ecce genus armaturæ, quod tibi cõstruetas ad victoriam. Ioanni nascitur ad coronam. Apprehende arma, & scutum, & toto malignitatis tuæ spiritu debacchare, non tamen poteris irrumpere Ioannis priuilegium, quod benigna [illegible] manus proprio charactere consignauit. Multùm deceptus, multùm delusus es. An ignoras, quia tibi vir bellator ab adolescentia, & etiam à matris vtero consurgit? Nescis quia à diebus istius regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? An oblitus es, quia iste mittitur parare Domino plebem perfectam? Intuere ordinem rerum, & ab ipsis suæ conceptionis initiis inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem irrupisse: Tu fecisti, vt fratricida Cain, qui priùs natus est, pollutus, & obuolutus exiret, & originalis peccati respergeretur infamia. Hunc excepit orbis exterritus, & humani generis subsecuta natiuitas ad infinitæ tristitiæ cumulum transmigrauit. Natiuitas autem hominis istius in gaudio est, & in solennitatem præclaram. Lætatur orbis, & quatuor mundi climata circumsonat gloriosæ festiuitatis instantia, ipsis etiam cælis celebris, & famosa. Quis putas puer iste erit? Amicus sponsi, inimicus tibi, tua potestate potentior. Considerandum est, quanta dignitate præpolleat natiuitatis huius celebranda deuotio, quantámque gratiam in oculis ecclesiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem, præter solius Dei, eiúsque Matris, in auctoritatis arcem recepit ecclesia, huius istius exceptione seruata. Nouit enim quia melior est dies mortis die natiuitatis, & quòd ortus hominum tristitia comitetur. Inde est, quòd martyrum mortes, non natiuitates solennizat ecclesia, mortem eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. Tunc enim incœperunt nasci ad vitam, cùm vitam deposuerũt pro vita. Huius verò natiuitatem sponsa Christi tantò securiùs beneuolentissima dignatione suscepit, quantò singulariùs eam veritatis Euangelicę irrefragabilis commendat auctoritas.

ritas. Quintus est, singularitas in conuersione, & conuersatione intra teneritudinem annorum. Beatus namque iste puer ad eremum Spiritu ducente deductus est, nec obstitit ætatis infirmitas, quam maiestas Domini fœcundabat. Spiritus enim sanctus non attendit differentiam sexuum, fragilitatem corporum, temporum annositatem, sed quemcunque, & quomodo vult dignantissima replet benignitate. Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, nescit patriam, patrẽs aspernatur, & in solius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, & seculi cupiditates non solùm, obliuisci, sed & nescire, perpetuúmque cum diuinitate stabilire consortium. Recessus montium, syluarum anfractus, & vallium subiectacẽs vastitas, puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Non opponatur mihi Hieremias, nec prædicantis pueritiæ virtus audeat obuiare, quia si ille consecratur in Prophetam, hic plus quàm Prophetam; & licet ille populo futura prædicet, non tamen conuersationi humanæ declinat aspectus. Sic sic Ioannes ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat diuinitati, forma vitę, monachorum propositum, anachoretarum principium, totius religionis assertio. Et hæc quidem pro conuersione. Porrò quanta sublimitas in conuersatione fuerit, non est currentis linguę volubilitatibus differendum, sed Euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat vestimentum de pilis camellorum; & zona pellicea circa lumbos eius: esca autem eius erat locusta, & mel syluestre. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Rigida vestis, & durissimis hispiditatibus circumtexta, rigore squalorifero corpus affixit Patriarchę; carnẽ quoque tenerrimam immatura districtio disciplinæ feritate coarctat; tenetos artus, & sacratum Spiritu superfusos continui qualitat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Non quæruntur sasides sues, nec per totam discurr torteg onem, vt Patriarchalis stomachus impleatur. Sed erat, inquit, esca eius locusta, & mel syluestre. Cæli rore pascitur, & animalis vilissimi satiatur edulio, nihilque coctum accipit ieiunantis austeritas. Castigato quippe ventri, & diuturna maceratione districto ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit in os eius, quod gulam alliceret, sufficeret ventri, stomacho blandiretur. Elias comedit carnes, & si quid aliud apponitur, cum gratiarum percipit actione, nec aliquem (nisi fallor) legimus in veteri officina ad legis huius aspirasse fastigium. Vestis aspera, cibus tenuis, mens deuota perfectum consecrant Patriarcham. Sextus est, nouitas in prædicatione. Hic volo attentius attendat intentio vestra, quia paulò subtilius ordiendum materiæ præcipit magnitudo. Post peccatum Adæ, & illius diluuij vastationem solẽnem, electa est iustorum infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abrahã, Isaac diligitur, Iacob Deum facie ad faciem contemplatur, Ioseph vocatur mundi Saluator, nec tamen Dei ad illos, vel illorum ad homines fit aliqua mentio de regni cælestis perpetua mansione. Moyses assumitur in Ducem populi Iudæorum, Pharaoni in Deum constituitur. Facit Deus in Ægypto magnalia, & mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Ascendit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus; datur in monte multiplex præceptorum auctoritas; loquitur ille cum Deo, quasi homo ad vicinum suum; non est occultatum à Moyse quod facit dominus in occulto, & gloriosum non ẽ Adonai, quod omnibus oboclatum fuerat, reuelatur; sed in his omnibus regni cælorum memoria nec nominatur, nec auditur. Astat Aaron summus sacerdos potentis virgæ gestarius, vnctus, & delibutus cælestium sacramentorum vnctione; succedit Iosue, & omnis illa Iudicum multitudo, nec est vel vlla tenuis mentio regni cælestis. Inuenit dominus Dauid virum secundùm cor suum, Salomonem filium eius sapientia cumulat singulari, & nomen illum Prophetalem chorum Spiritus sanctus ordinat, & infundit, nihilque de cælestis regni gloria prophetatur. Claudit Elias cælum annis tribus, & mensibus sex; Elisæus mortuum mortuum vitæ restituit, & ab his nec vel vlla scintillula beatę mãsionis elucet. Quid plura? A principio mundi vsque ad Ioannem vniuersitatis humanæ electionem recollige, nec in sermone, vel opere illius sanctuarij poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, misericordiæ verbum, sermonem gloriæ gratiæ largitatem, quod celauerat Deus, tacuerat Angelus, tacuerat Patriarchas, Prophetæ nesciebãt. Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Verbum pœnitentiæ dulce, & gloriosum, verbum regni cælorum lætum, & adorandum, illi soli primatio conuenientis, qui primus noui testamenti posuit fundamenta. Hæc est illa vox, de qua maximus ille contemplator cælestium visionum in hęc verba prosequitur: Et vox prima, quam audiui, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis suis. A diebus Adæ vsque ad Ioannem, organum nostrũ versum est in vocem flentium, quia vbi peccatorum frequentis, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia. Occidis, occidi iuberis; sabbato ligna colligis, lapidari iuberis; & ille, cui proprium est misereri semper, & parcere, nisi ferire nõ nouit. Dederat quippe eis præcepta non bona, traditor præceptorum, & iustificationes, in quibus viuere non possent. Hoc est, quod iustus miratur dicens: Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, domine? Ioannes natus ostendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc est prima vox, quam vox clamantis in deserto proposuit; & vox turturis audita est in terra nostra. Ex tunc misit in os nostrum canticum nouum, carmen Deo nostro, & resonat in ore nostro gratiarum actio, & vox laudis, superexaltatur misericordia iudicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, iustitia dissimolator, & miserendi, non feriendi quærit occasionem misericors, & miserator dominus. Citharizant ergo in citharis suis, qui voluptatum effusionem pœnitentiæ districtione reuerberant, & de profunda peccatorum voragine respirantes, Pharaone submerso, cantant in viis domini, quoniam magna est gloria domini. Septimus est, dignitas in baptismate. Singularis prorsus humilitas. Verbum caro factum, & in perfectum egrediens virum, relicta hominum vniuersitate, Ioannem quærit, Ioannem desiderat, ad Ioannem vadit.

Vide in sancto Ioanne seuerum ciborũ delectum, & continuum ieiunium.

Nota in eodẽ vestis asperitatem.

dit. Terribilis in consiliis Deus super filios hominum, portánsque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, venit a Galilæa in Iordanem ad Ioánnem, vt baptizaretur ab eo. Stupet Ioannes, & timore concutitur, totúmque Patriarcham infinitos horror insumit. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Dicit ei Saluator: Sine modò; sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Acquiescitur vtrinque salutaribus monitis, & accingit se Ioannes ad baptizandum, ad suscipiendum dominum Angelorum. Exuitur vestimentis suis Rex gloriæ, splendor luminis, & figura substantiæ Dei Ioannis manibus attrectatur. Caro illa sumpta de Virgine, candidiorque denudata materia nudatur in flumine, felicibus Baptistæ manibus infundenda. Descendunt Angeli, & cælorum agmina tota reuerentia currunt ad Creatorem, baptizantémque, & baptizatum dominantia numina circuncingunt. Infundit aquam capiti Creatoris creatura nobilior, & Dei verticem mortalis dextera contremit, & contingit. Pauet cęlum, stupet terra, Iordanis assidet, mirantur Archangeli, dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. Quid est Ioannes? Cherubim, & Seraphim vix audent respicere, & tu nudum tenere præsumis. Hic est, in quem desiderant Angeli prospicere, cui, Sanctus, Sanctus, sublimi melodiarum organo beatæ ciuitatis conuentus ingeminat, qui solus habitat lucem inaccessibilem, dominus virtutum, Deus scientiarum, misericordiarum Pater, & tu non metuis. Tibi datum est, quod omnibus est negatum, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu sancto, & igne, Virginémque Virginis filium virgineis manibus irrorare. Totus adstupeo bapt zanti, hominémque Dei magistrum reuereor, dignantem admiror, veneror dignationem, & hominem video violentiam ipsis cælis inferre. Porrò illud quale est, quòd in isto baptismate terminatur lex, finé accipit Prophetia, & omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur, & pellitur? Hic incipit, & stabilitur nouę regenerationis perdutanda purgatio, & in vnam baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem enim aquæ, & inuocationem Spiritus, sepelitur hircorum, & vitulorum sanguinolenta congeries, & pecora pecoribus Iudæis relinquimus, illud Dauidicum attendentes: Holocaustum, & pro peccato non postulasti. Octauus est, prima reuelatio de Trinitate. A creatione cæli, & terræ vsque ad hunc locum nunquam Trinitas hominibus manifestè apparuit, sed rerum, & verborum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Denique creationem hominis Creator rerum summa dignitate commendans; Faciamus, inquit, hominē ad imaginem, & similitudinem nostram. Reuerendum reuera priuilegium, nec vlli traditum creaturæ. Creatur illa sublimior numerositas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio, sed omnipotentis præsentia tantum opus alia taciturnitate prospectat. Vt verò venitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum, & consilium accipit sapientia, vt creaturæ dignitas Creatoris priuilegio clara esse monstretur. Nec ibi tamen satis aperte diuinæ maiestatis eluxere vocabula, cùm ad Angelos obsequentes quidam referant diuini sermonis oraculum; vel, si minus hoc cantum est, signata pluralitas absque nominum differentia prædicetur. Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Sed & ibi scripturæ sacræ reuerentia nunc mistim, nunc separatim claudit eloquium, vt modò Dominum, modò viros placeat nominare. Iudæi tamen longam hic texunt reprehensionis parabolam, tres Angelos à Domino missos asseuerātes, vnum ad natiuitatem Isaac prædicendam, duos ad Sodomam subuertendam. Illum enim, cum quo locutus est iustus dicens: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis: prophetali spiritu somniant cognouisse, natiuitatis Isaac aduenisse præconem. Illum adorat, sicut Bersabee Dauid Regem, socijsque eius propter ipsius reuerentiam indefessus assistit. Vnde & nunc nisi duo in subuersione ciuitatum infelicium numerantur, illo superius iam reuerso, qui natiuitatem Isaac fideli deuotione compleuerat. Tres enim viri Satam vocari præcipiūt, sed vnus est, qui promissionis inspiratæ manifestat arcanum. Hæc Iudæi, & qui magis elegerunt iudaizare, quam credere. Sed vt breuiter concludamus, omnis illa siue Patriarcharum, seu Prophetantium copulata societas, nullā vel in sermonibus, vel in rebus de Patre, & Filio, & Spiritu sancto reperitur apertè fecisse mentionem: Veni ergo, & intuere filiū Zachariæ Deum & hominē proprijs manibus continentem, & vide quia cæli aperiuntur ibi, & descēdit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in Christum, & vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus. Vides quia ad sacratissimorum nominum nouitaté cælorum palatia reserantur? Pater auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus sanctus in columbæ specie demonstratur. Adest Ioannes totius medius Trinitatis, gloriosúmque Baptistam sanctificant indiuisæ substantiæ personata vocabula, & nomen Trinitatis prioribus seculis obuelatū absque totius velaminis obumbratione relucet. Domine, quis est iste, quia ionotuisti ei? Nonus est, testimonium sapientiæ. Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos, & respondens est eis: Cæci vident, & cætera quæ veritatis Euangelicæ prosequitur copiosa narratio. Recedentibus autem nuncijs, ne fortè in eorum præsentia adulationem redolere videretur, cepit Iesus dicere ad turbas de Ioāne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? O mira testificatio Redemptoris. Quis ingressus est mundum, & mundum vel in aliquo non cognouit? Quis est, quem vel ventosa felicitas, vel aduersitas turbida, vel cuiuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum subinfertur quod terram excedat, transeat cælum, ipsumque verticem angelicæ dignitatis attingat. Inter natos, inquit, mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Quid vis amplius? De nullo alio dici potuit (dicit Augustinus) quod dictum est de Ioanne. Non opponas mihi Euangelistam inter cæteros Apostolos magis dilectum, non Apostolorum principem omnibus Apostolis antelatum, non vas electionis ad cæli tertij secreta translatum; nec Apostolicus splendor audeat occurrere Præcursori, quia iam omnes isti adolescentię metas excesserant, cùm à veritate prolatum est: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Considera mansiones regni, & vniuersum ordinem humanæ generationis obambula, solúmque

lùmque Ioannem tam nonis quam veteribus videbis esse propositum. Decimus est, assertio matris Ecclesiæ. Texitur ora chlamydi, vnguentúmque profusum in capite, extremam quoque vestiméti fimbriá inundanter infundit. Illa enim mater, & magistra omniũ Ecclesiarũ Ecclesia Rom. cui dictum est: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: in honore Ioannis Baptistæ post Saluatoris nomen consecrata est, & signata: Dignum nanque erat, vt sententiam sponsi sponsæ sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipsa conscendit. Electio proculdubio singularis, in illa ipsa vrbe Ioannem primatum Ecclesiæ vendicare, quem duo cæli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus, Paulus obtruncatur, dignitas remanet Præcursori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque sublimitas beato refunditur Patriarchæ. Ioannes vbique maior, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriosè annunciatus est? Quis ita specialiter in matris vtero Spiritu sancto legitur fuisse repletus? Qué legistis infra matris vterum exultasse? Cuius natiuitatem vidistis celebrare Ecclesiam Dei? Quis sic puer eremum concupiuit? Quis ita legitur sublimiter conuersatus? Quis pœnitentiam, & regnum cælorum primus ostendit? Quis baptizauit Regé gloriæ? Cui se primum Trinitas reuelauit? Cui tale testimonium perhibuit Deus? Quem sic honorauit Ecclesia? Vide si non hæc omnia ita singulariter sunt huic singularia, vt nullus mortalium prædictis dignitatibus audeat inhiare. Forsitan mihi disponis opponere, quia sic ista habet propria, vt cætera sanctorum communia non attingat. Audi ergo: Ioannes Patriarcha, immò Patriarcharũ finis, & caput. Ioannes Propheta, immò plusquam Propheta, quia quem venientem nunciat, digito demóstrat. Ioannes Angelus, sed & inter Angelos electus, Saluatore testante, qui dicit: Ecce mitto Angelũ meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Ioannes Apostolus, sed & Apostolorum primus, & princeps; quia fuit homo missus à Deo Ioannes Euangelista, sed & Euangelij primus nessor, prædicans Euangelium regni. Ioannes virgo, immò virginitatis insigne, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum. Ioannes martyr, sed & martyrum lumen, inter natiuitatem, mortémque Christi constantissimi forma martyrij. Prætereo quia Vox clamantis in deserto, quia Præco verbi, quòd Iudicis Præcursor. Illud quoq; relinquo, quia vsque ad Ioannem lex, & Prophetæ, quia Ioannes ipse est Elias, quòd lucerna fit ardens, & lucens, quòd amicus sponsi, sponsæ præparator. Silentio transeo, quòd sic nouem Angelorum ordinibus insertus est, vt etiam ad Seraphin apicem transferatur. Verùm hoc laboriosi operis est, & sensus nostri paupertas non sufficit. Sufficiant hæc ad præsens, quæ dicta sunt de laude Ioannis ad gloriam Redemptoris, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

IN VIGILIA SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.



IOAN. 21.



N illo tempore: Dixit Iesus Symon Petro: Symon Ioannis, diligis
a Ostendit dominum scientem interrogasse.
me plus his? Dicit ei: Etiam domine, [a] tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Symon Ioannis diligis me? At ille: Etiam domine, tu scis quia amo te: Dicit ei iterum: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Symon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me, & dicit ei: domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce
b Pro quibus pones animam, quod est confirmatio dilectionis.
[b] oues meas. Amen amen dico tibi: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas
c Vinculis.
vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te [c] cinget, & du-
d Ad mortem. e Quia hac morte ostendit, quantum colendus sit Deus.
cet quo tu non [d] vis. Hoc autem dixit significans quia [e] morte clarificaturus esset Deum.

GLOS

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

S*imon Ioannis,&c.* Iesus scit quod interrogat, an plus diligat. Petrus quod de se nouit, dicit, id est, quòd amet. Et quia de alijs, quantum diligât nescit, ideo vtrum plus illis diligat, tacet. Ecce docet nô temerè distiore de occultis: & de priori periculo negationis cautiùs de se respondit. *Pasce agnos meos,&c.* Non vt tuos: gloriam meam in eis quære, non tuam, mea lucra non tua, quia dilectio Dei, probatur in dilectione proximi. Qui vero opus pietatis negat proximis, minus Deum diligit. Hæc autem charitas ex diuina datur gratia. Quod tacitè innuit Ioannes, dùm interrogans de amore dicit hic quòd non alibi. Simon Ioannis, id est obediês Dei gratia, quia quod ardêtiùs cæteris diligit, & obedit, nô est nisi Dei gratia. *Dicit ei tertio.* Interrogat quod sciebat non semel tertiò & tertiò: & tertiò audit à Petro se diligi, & tertiò iubet pascere oues. Trinæ negationi redditur trina côfessio, ne minus amori seruiat, quàm timori. Et sicut fuit indicium timoris negare pastorem, sic officium amoris Domini pascere gregem. *Contristatus est Petrus.* August. Etiam remissis peccatis tolerat homo miseriam, in qnam tamen ex peccato venit. Productior enim pœna est quam culpa, nec parua videtur culpa, si cum illa auferretur & pœna. Et ideo vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter tenet hominem pœna, etiâ quem iam reû non teneret culpa: & hæc horum dierum flenda, Sed nô reprehendenda conditio. *Pasce oues.* Pascere oues, est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia, si necesse est subditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere. *Cum autem senueris, &c.* Passurum prædixit, qui negaturum prędixerat, hoc iam poterat resurrectione firmatus, quod immaturè pollicebatur infirmus. Iam non meruit huius insertum; quia resurgente Domino, vitæ alterius præcessit exemplum. *Extendes manum, &c.* Hoc est crucifigeris, & quomodo hoc fiet subdit. *Et alius te cinget &c.* Quia ad illam molestiam nolens est ductus, nolens ad eam venit, sed volês eam vicit, & reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori: qui adeò est naturalis, vt eum nec senectus abstulit Petro. Vnde & Dominus: Transeat à me calix iste. Sed quantacunque sit molestia mortis, vincat eam vis amoris. Si nulla vel parua esset molestia mortis, non esset tam magna gloria martyrum. Si pastor immolatus est vt ouis, qui de ouibus fiût pastores, nô metuât immolari.

CATENA AVREA
in idem Euangelium.

D*Ixit Simon Petro Iesus: Simoni Ioannis, diligis me plus his,&c.* Theo. Fruito prãdio commissionem ouium mundi Petro commendat: non alijs, vnde dicitur, *Cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus,&c.* August. Sciens Dominus interrogat. Sciebat enim Dominus quòd non solum eum diligeret, verum etiam quòd plus omnibus eum diligeret Petrus. Alcui. Dicitur autê Simon Ioannis, id est, filius Ioannis carnalis patris. Mysticè autem Simon obediens, Ioannes gratia meritò hoc nomine vocatur, id est obediens gratiæ Dei, vt ostendatur quòd ardêtiori eum charitate amplectitur non meriti humani sed diuini esse muneris. Augusti. in ser. Pas. Cum autem Dominus moreretur, timuit & negauit, resurgens autem Dominus amorem inseruit: timorem fugauit: nâ quando negauit: mori timuit: resurgente Domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperitet. vnde sequitur, *Ait illi: Etiam Domine,&c.* Côfitenti autem amorem suum, oues suas commendauit, vnde sequitur, *Dicit ei; Pasce agnos meos,* tanquam non esset, vbi ostenderet Petrus amorem suum in Christû, nisi esset pastor fidelis sub principe omnium pastorum. Chry. Quòd enim maximè omnium tribuit nobis eam quæ desuper est beneuolentiam est proximorum procuratio. Præteriens autem Dominus alios Petro de talibus loquitur: eximius enim Apostolorum erat Petrus & os discipulorum, & vertex collegij: vnde & negatione deleta committit ei prælationem fratrum. Et negationem quidem ei non exprobrat; sed dicit: Si diligis me, præsiste fratribus per feruentem amorem quem per omnia demonstrasti, nûc ostende, & animam quam dixisti te esse positurum pro me, hanc da pro ouibus meis. Sequitur: *Dicit ei iterum, Simon Ioannis &c.* August. Meritò dicitur Petro, Diligis me, & respondet, Amo te eique dicitur. *Pasce agnos meos.* Vbi etiam demonstratur vnum atque idem esse amorem & dilectionem: nameriam dominus nouissimè nô ait, Diligis me, sed amas me, Sequitur: *Dicit ei tertiò Simon,&c.* Tertiò vtrùm Petrus eum diligat, Dominus interrogat. Redditur enim negationi trinæ, trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita præsens. Chryso. Tertiò & tam interrogat & tertiò iniungit eadem, ostendens quantum appreciatur prælationem propriarum ouium: & quoniam hoc est maximè eius amoris signum. Theo. Et hûc etiam inoleuit consuetudo, vt ter confiteantur qui veniunt ad baptismum. Chry. Deinde tertiò interrogatus côturbatus est, vnde sequitur. *Contristatus est Petrus, &c.* Rursus formidans priora ne fortè æstimans se diligere & nô diligat, corripiatur sicut & prius correptus est, multum se æstimans fortem: vnde ad ipsum Christum refugit, vnde sequitur. *Et dicit ei Domine tu omnia scis.* id est ineffabilia cordis præsentia & futura. Augu. de ver. Do. Inde ergo contristatus est quòd sæpè interrogatus esset ab eo qui sciebat quod interrogabat: & donauerat quod audiebat. Veraciter ergo respondit, & de intimo cordis protulit amantis vocem dicens: *Tu scis quia amo te.* August. super Ioan. Non autem addidit plus his, hoc enim respondit quod de seipso sciebat, nô enim quantû ab alio quolibet diligeretur scire poterat, qui cor alterius videre nô poterat. Sequitur: *Dicit ei, pasce oues meas,* quasi dicat. Sit amoris officiû pascere dominicum gregê sicut fuit timoris indicium negare pastorem. Theo. Potest autem quis assignare differentiam inter agnos & oues. Agni sunt qui introducûtur, oues verò perfecti. Alcui. Pascere autem oues, est credentes in Christo ne à fide deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est subditis prouidere

dere: & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduersariis obsistere, errantes subditos corrigere. Augusti. Qui hoc autem animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse non Christi, se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi vel dominandi vel acquirendi cupiditate: non obediendi & subueniendi & Deo placendi charitate. Non ergo nos sed ipsum amemus, & in pascendis ouibus eius ea quę sunt eius non quæ nostra sunt quæramus, quisquis enim seipsum non Deum amat, non amat se: qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se, non ergo se amat, qui ne viuat se amat. Cum verò ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit, vt eum diligat de quo viuit. August. in ser. pal. Extiterunt autem quidam serui infideles qui diuiserunt gregem Christi: & furtis suis peculia sibi fecerunt, & audis eos dicere; Oues meæ sunt illæ, quid quæris ad oues meas, non te inueniam ad oues meas, sic & nos dicamus meas, & illi dicant suas, perdidit Christus oues suas. *Amen amen dico tibi, Cùm esses iunior cingebas te, &c.* Chry. Cum dixisset Petro Dominus de amore quem habebat ad ipsum prænũtiat ei martyrium quod pro ipso debebat sustinere: erudire nos volens quomodo eum amare oportet, vnde dicit; *Amen amen dico tibi, Cum esses, &c.* Meminit prioris vitæ, quia in secularibus iuuenis quidem vtilis est, qui verò senuerit inutilis. In diuinis autem non ita est, sed cùm superuenerit senectus, tunc virtus clarior, tunc vtilis industrior, in nullo ab ætate prohibita: quia ergo Petrus semper volebat in periculis esse cum Christo, dicit ei; Confide, ita implebo tuum desiderium, vt quæ passus non es iuuenis existens, oporteat te pati senem. Vnde sequitur: *Cùm autem senueris.* Per quod ostenditur quòd neque tunc iuuenis erat neque senex, sed vir perfectus. Orig. super Mat. & attende quòd non facilè inuenitur quis ex eis qui apti fuerunt ad hoc opus, vt citò transeat de hac vita, vnde nunc Petro dicitur: *Cum senueris extendes manus tuas.* Augusti. Hoc est crucifigeris. Ad hoc autẽ vt venias, alius te cinget & ducet quò non vis. Priùs dixit quod fieret, & deinde quomodo fieret: non enim crucifixus sed crucifigendus quò nollet est ductus. Solutus quippe à corpore esse volebat cum Christo sed si fieri posset præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam, ad quam molestiam nolens venit, sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori vsque adeò naturalem vt cum B. Petro nec senectus auferre potuerit, sed molestia quantumcumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris quo amatur ille qui cùm sit vita nostra etiam mortem voluit ferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parua molestia, non esset tam magna martyrij gloria. Chry. Dicit ergo; Quò nõ vis, propter naturalem compassionem animæ, quæ inuita separatur à corpore, Deo hoc vtiliter dispensante, vt non multi sibi mortem inferant violentam, deinde erigens auditorem Euangelista induxit. *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Non dixit; Moriturus esset, vt discas quoniam pati pro Christo, gloria est patientis, & honor. Nisi autem certificaretur animus quia verè Deus est, minimè eius intuitu mortem toleraret, quo fit vt sanctorum mors diuinæ sit gloriæ certitudo. Augusti. Hunc inuenit exitum ille negator & amator, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat. Hoc enim oportebat, vt priùs Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantin. in superius Euang. Homilia.

Est fragmen. Hom. 87. in Ioan.

D*Icit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his?* Multa quidem alia sunt, quæ apud Deum nobis fiduciam præbent, & quæ nos claros & probatos ostendunt. Quod autem maximè diuinum nobis amorem conciliat, est proximi dilectio, quam à Petro Christus exigit: nam quum finem cibis fecissent, dicit Simoni Petro Iesus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam domine, tu scis quia amo te, &c.* Quid tandem aliis omissis his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & princeps: propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet, iam sibi fiduciam habendam: tanquàm enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit; neque negationis meminit, neq; exprobrat, tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias, & quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector nunc ostende, & animam quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade. *Gala. 1.* Cùm ergo semel atq; iterum interrogatus, ipsum arcanorum cordis perscrutator in testem aduocasset: & adhuc tertiò interrogaret, perturbatus est Petrus, veritus superiora. Nam quum forti animo esset reprehensus est postmodum, ideo iterum ad ipsum confugit, dicens: *Tu omnia scis*: hoc est, præsentia & futura. Vide quanto melior factus est, & modestior: non ampliùs temerè perstat in sententia, neque contradicit, propterea contristatus sum, ne fortè me amare arbitrans, non amem: vt anteà quùm me fortem, & constantem putarem, postmodum imbecillis deprehensus sum. Ter autem interrogat, & semper idem præcipit, vt demonstret quanti ouium suarum curam faciat: & quod hoc maximum sit amoris argumentum: & quùm dicat quantùm eum diligat, prædicit & martyrium, quod passurus erat: ostendens quòd non ob eius diffidentiam id diceret, sed quòd maximè crederet, volens amoris in eum signum demonstrare: & erudiens nos, quonam pacto amandus sit, quare inquit: *Quũ esses iunior, cingebas te, &c.* Atqui hoc volebat, & desiderabat, quare hoc manifestum fecit. Quum enim aliquando dixisset; *Sup. 14. Matth. 26.* Animam meam pro te ponam: &, Si oportuerit me mori tecum: non te negabo: ei vicem reddit. Quid autem significat, quò tu non vis? Naturæ affectum, & carnis necessitatem indicat, & quòd anima inuita corpus relinquit: & licet voluntas constans & firma esset, natura tamen imbecilla: Nemo sine dolore à corpore dissoluitur, diuina hoc vtiliter dispensante prouidẽtia, ne multi violentam mortem eligerent: nam si etiam sic hoc diabolus persuadere potest, & in multa nos præcipitia, & voragines impellit, nisi tantùm animæ esset & corporis desiderium, in paruo etiam mœrore multi sibi mortem consciscerent: quò igitur non vis, naturalẽ affectum significat. Quomodo

autem quùm dixisset, quùm esses iunior, subdit. quùm senueris? Quòd tunc neque iuuenis esset, neque senex, sed vir perfectus. Sed cur superioris vitæ meminit? Vt significet in rebus secularibus iuuenem vtilem esse, senem inutilem: non ita in diuinis. sed quùm aduentauerit, inquit, senectus: tunc fortior eris, atque præstantior: nihil te ætas impediet. Hæc dixit, non vt eum perterreret, sed vt excitaret: notat enim eius animum, & quòd iampridem eius boni desiderio tenebatur: simul autem & mortis genus demonstrat. Quum enim Petrus omnino pericula pro Christo subire vellet: Confide, inquit, ita enim tuum implebo desiderium: nam quæ non passus es iuuenis, patieris senex. Inde erigens auditoris animum euangelista addidit: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Christum Deum.* Non dixit, moriturus: vt intelligas mori pro Christo gloriam esse & honorem.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponens. in idem Euang. Homilia.

Est pars hom. 123 in Ioan. *Dicit Iesus Simoni Petro, Simon Ioannis diligis me plus his? &c.* Hunc inuenit exitum ille negator & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat, faciat eius resurrectione firmatus, quod immaturè pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat vt prius Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cùm istũ disposuisset ordinem veritas: Animam suam se positurum pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberãdus, cùm Christus venisset animam suam positurus pro suis omnibus, in quibus erat & Petrus. Quod ecce iam factum est: nunc iam firmitas cordis ad suscipiendũ mortem pro nomine Domini vera ipso donante sumatur, non falsa nobis errantibus præsumatur. Nunc est vt vtiq; huius non metuamus interitum, quia resurgente Domino vitæ alterius præcessit
Matth. 26. exemplum: nunc est Petre vt mortem non timeas, quia viuit quem mortuum dolebas, & quem pro nobis mori carnali amore prohibebas. Ausus es præuenire doctorem, formidasti eius persecutorem, tanti precio pro te fuso, nunc est vt sequaris redemptorem, & sequaris omnino vsque ad mortem crucis. Verba eius audisti, quem iam veracem probasti: passurum te ipse prædixit, qui te prædixerat negaturũ. Sed prius Dominus quod sciebat interrogat, nec semel sed iterum ac tertiò, vtrum Petrus eum diligat, nec aliud totiens audit à Petro, quàm se diligi: nec aliud totiens commendat Petro, quàm suas oues pasci. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita præsens. Sit amoris officium, pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subueniendi & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quę Iesu Christi. Nam quid est aliud, si diligis me, pasce oues meas, quàm si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quęre, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa seipsus amantes, & cætera quę huic malorum initio connectuntur: cùm enim dixisset Apostolus, Erunt enim homines seipsos amantes: secutus adiunxit: Amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine affectione, detractores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, cæcati, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Hæc omnia mala ab eo velut fonte manantia, quòd primùm posuit seipsos amantes. Meritò dicitur Petro, diligis me, & respõdet, amo te, eiq; refertur, pasce agnos meos, & hoc iterum, hoc tertiò: vbi etiam demonstratur vnum atq; idem esse amorem & dilectionem: nam etiam Dominus nouissimè non ait, diligis me: sed, amas me. Non ergo nos, sed ipsum amemus, & in pascẽdis ouibus eius ea quæ sunt eius, non ea quæ sunt nostra quæramus. Nescio enim quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat, qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se: non ergo se amat, qui ne viuat se amat. Cùm verò ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo magis diligit. qui propterea se non diligit, vt eum diligat de quo viuit. Non sint ergo seipsos amantes qui pascũt oues Christi: nec tanquã suas, sed tanquam ipsius eas pascãt: & velint ex illis sua lucra cõquirere, sicut amatores pecuniæ: vel eis dominari, sicut elati: vel gloriari de honoribus quos ab eis sumunt, sicut superbi: vel intantũ progredi vt etiam hæreses faciant, sicut blasphemi: nec cedãt sanctis patribus, sicut parentibus nõ obediẽtes, & eis qui illos corrigere volunt, quia perire nolunt: mala pro bonis reddant, sicut ingrati: interficiant animas & suas & alienas, sicut scelesti: materna Ecclesiæ viscera dissipent, sicut irreligiosi: non compatiantur infirmis, sicut sine affectione: famam sanctorum maculare conentur, sicut detractores: cupiditates pessimas non refrænent, sicut incontinentes: exerceant lites, sicut immites: nesciant subuenire, sicut sine benignitate: indicent inimicis piorum quę occultãda cognouerint, sicut proditores: humanã verecundiam inuerecũda exagitatione perturbent, sicut procaces: non intelligãt neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant, sicut cæcati: lætitias carnales spiritalibus gaudiis anteponant, sicut voluptatum amatores magis quàm Dei. Hæc enim atque huiusmodi vitia, siue vni homini accidant omnia, siue his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodãmodo pullulant, cùm sunt homines seipsos amantes. Quod vitium maximè cauendũ est eis qui pascunt oues Christi, ne sua quærãt, sed quæ Iesu Christi, & in vsus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cuius amor in eo qui pascit oues eius, in tam magnum debet spiritalem cre-

Philip. 2.

2. Tim. 3.

scere

sceret ... vincat etiam mortis naturalem timorem ... & quando cú Christo ... Nam & Apostolus Paulus dicit se habere concupiscentiam dissolui, & esse cum Christo, ingemiscit tamen grauatus, & non vult spoliari ... vt absorbeatur mortale à vita. Et huic Dominus dilecto suo. *Cùm senueris* inquit, *extendes manus tuas, & alius te cinget* &c. Extendes, inquit, manus tuas, hoc est, crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet non quo vis, sed quo non vis: prius dixit quod fieret, & deinde quomodo fieret. Non enim crucifixus, sed vtique crucifigendus quò nollet est ductus: nam crucifixus non quò nolebat abiit, sed potius quò volebat: solutus quippe à corpore volebat esse cum Christo, sed si fieri posset præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam ad quam molestiam nolens doctus est, sed ab ea volens eductus est, nolens ad eam venit, sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, vsqueadeo naturalem vt eú beato Petro nec senectus auferre potuerit, vt dictum est, Cum senueris, duceris quò non vis. Propter nos consolandos hunc etiam in se figurauit ipse saluator, dicens; Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: qui vtique mori venerat, nec habebat mortis necessitatem sed voluntatem potestate positurus animam suam, & rursus eam potestate sumpturus. Sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille qui cùm sit vita nostra, etiá mortem voluit perferre pro nobis: nam si nulla esset mortis vel parua molestia, non esset tam magna martyrum gloria. Sed si pastor bonus qui posuit animam suam pro ouibus suis, ex ipsis ouibus tam multos sibi martyres fecit: quanto magis debent vsque ad mortem pro veritate certare, & vsque ad sanguinem aduersus peccatum, quibus oues ipsas pascendas, hoc est, docendas regendásque committit? Ac per hoc præcedente passionis eius exemplo, quia non videat magis debere imitando pastori hærere pastores, & eum multæ etiam imitatæ sunt oues, sub quo pastore vno, in grege vno & pastores ipsi sunt oues. Omnes quippe fecit suas oues, pro quibus omnibus est passus, quia & ipse vt pro omnibus pateretur, ouis est factus.

Philip. 1.

Cor 15.

Matth. 26.

Ioan. 10.

EIVSDEM IN IDEM *Homilia.*

Ex sermo 14. de sanctis.

SImon Ioannis diligis me plus his? Apostolum Petrum primum omnium Apostolorum meministis in Domini passione fuisse turbatum. Fuit enim prius audax præsumptor, & postea factus est timidus negator. Promiserat se pro Domino moriturum, cùm prius pro illo esset Dominus moriturus. Quando ergo diceba; Tecum paratus sum vsque ad mortem ire, & animá meam pro te ponam. Respondit ei Dominus; Animam tuam pro me pones? Amé dico tibi, priusquam gallus cantet, ter me negabis. Ventum est ad horam. Et quia Deus erat Christus, homo autem Petrus, impleta est scriptura; Ego dixi in pauore meo, omnis homo mendax. Dixit autem Apostolus, Quonlam Deus verax, omnis autem homo mendax. Verax Christus, mendax Petrus. Modo quidem interrogat eum Dominus, sicut audistis cum Euágelium legeretur, & dicit ei, Simon Ioannis diligis me plus his? Respondit ille & dixit: Domine tu scis quia amo te. Et iterum Dominus hoc interrogauit, & tertiò hoc interrogauit. Et respondenti dilectionem, commendauit gregem. Per singula enim dicebat Dominus Iesus Petro dicenti: Amo te, Pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. In vno Petro figurabatur vnitas omnium pastorum, sed bonorum qui sciant oues Christi pascere Christo non sibi. Nunquid modo Petrus mendax erat aut amare se Dominum mendaciter respódebat? Veraciter hoc respondebat, hoc enim respondebat quod in corde suo videbat. Quando autem dixerat; Animam meam pro te ponam, de futuris voluit præsumere viribus. Omnis autem homo qualis sit túc eùm loquitur fortè scit, qualis crastino futurus sit quis scit? Reuocabat ergo oculos suos ad cor suum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens respondebat quod sibi videbatur. Etiam Domine, tu scis quia amo te, Quod tibi dico, tu scis: quod hic video in corde meo, vides & tu. Non ausus est tamé dicere quod Dominus dixerat, nó enim simpliciter Dominus dixerat, Diligis me: sed addiderat, Plus his diligis me, id est, plus me diligis quàm isti? De aliis discipulis ille non potuit dicere nisi amo te, non ausus est dicere plus his. Noluit iterum esse mendax: sufficeret ei testimonium perhibere cordi suo, nó debuit esse iudex cordis alieni. Verax ergo Petrus, an verax in Petro Christus? Quando autem voluit Dominus Iesus Christus deseruit Petrum, & inuentus est homo Petrus: quando autem placuit Domino Iesu Christo, impleuit Petrum, & inuentus est Petrus verax. Veracem Petrú petra fecerat, petra enim erat Christus. Et quid ei nunciauit quando tertiò respondit amare se Christum, & tertiò Dominus Petro suas ouiculas commendauit? Prænunciauit ei passionem suam. Cùm esses, inquit, iunior, cingebas te, & ibas quò volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alter te cinget, & feret quò tu non vis. Euangelista nobis exposuit quid dixerat Christus, Hoc autem dicebat, inquit, significans qua morte clarificaturus esset Deum: id est, quia pro Christo erat crucifigendus, hoc est enim extendes manus tuas: Vbi est ille negator? Deinde post hæc ait Dominus Iesus Christus, Sequere me, Non sic quo modo priùs quando vocauit discipulos. Nam & tunc dixit, Sequere me: sed tunc ad doctrinam, modò ad coronam. Nunquid non quando negauit Christum occidi timuit? hoc timuit pati quod passus est. Christus. Sed iá timere non debuit. Videbat enim in carne viuentem quem viderat in ligno pendentem. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem, & quoniam abstulerat mortis timorem, meritò interrogabat Petri amorem. Ter negauerat timor, ter confessus est amor. Trinitas negationis desertio veritatis: trinitas confessionis testimonium dilectionis.

Matth. 26. Luc. 22.

Psal. 115. Roma. 3.

Ioan. 21.

1. Cor. 10.

Ioan. 21.

S. CYRILLI EPISCOPI *Alexand. superioris Euangelij expositio.*

DIcit Simoni Petro Iesus: Simon Iona, diligis me plus istis, &c. Præueniebat alios Petrus: ardore

In lib. 12. in Ioan. cap. 22.

dore nanque Christi præcipuo feruens: & ad faciendum & ad respondendum paratissimus erat, vnde tarditatem modo nauigij videns, tunica succinctus in mare exilijt. Et quando saluator discipulos interrogauit, dicens: Quem me dicunt homines esse? *Matth. 16.* Quum iterum post responsionem ab eis quæreretur: Vos autem quem me dicitis esse? vt princeps caputque cæterorum primus exclamauit: Tu es Christus filius Dei viui. *Ioan. 18.* Hic Malchi etiam aurem amputauit, putans hoc modo magistro semper se inhæsurum. Meritò igitur cùm Christus interrogauit, si plus cum cæteris diligeret, & id tertiò. Petrus autem amare se fatetur, & amoris sui, non alium, sed Christum ipsum in testem citat. In singulis autem confessionibus, variatis parumper verbis, audiuit rationaliũ ouium curam sibi esse habendam. Altius quiddam hæc oratio certè parturit. Nam quoniam cum alijs Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tẽpore passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur: vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur. Petit autem ab eo, si plus cæteris diligeret. Nam qui maiorem clemẽtiam in se Domini fuit expertus, maiori amore affici iure debebat. Nam & si communiter omnes discipuli magna perculsi fuerunt formidine, quando Dominus tradebatur: maius tamen crimen fuerat Petri, qui breuissimo in tempore ter Christũ negauit. Quoniam igitur maioris clementia saluatoris peccati remissionem consecutus est, iure ab eo maior repetitur dilectio. *Luc. 7.* Cui enim plus remittitur, plus amare debet, vt ipse alibi dicit. Hinc ecclesia regulam tertiò interrogandi eos accepit, qui ad baptismum accedunt, vt terna Christi confessione fidelibus connumerentur. Doctores etiam Ecclesiæ dicũt, non aliter se Christo posse coniungi, nisi omni cura & opera studeant, vt rationales oues rectè pascantur, & rectè valeant. *1. Thess. 2.* Talis erat Paulus ille qui compatiebatur infirmis: qui gloriam & coronam apostolatus sui eos esse putabat, quos ad pietatem & ad virtutem prædicando reduxit. Putabat enim hunc suæ in Christum dilectionis fructum esse præcipuum. Et certè si Christus pro nobis mortuus est, quomodo de salute nostra singularem curam non habebit? Et si peccant in Christum, qui peccant in fratres suos, infirmam eorum conscientiam agitantes: quomodo non erunt accepti Domino, qui fratrum animos ad pietatem & ad virtutem conducere conantur? Terna igitur confessione Petri, trinæ negationis delictum euacuatum est. Dixit autẽ; Pasce agnos meos, apostolatus sibi renouans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur. *Amen amen dico tibi, quum esses iunior cingebas te, &c.* Et quum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Commodè nimium Dominus noster Iesus Christus magnitudinem amoris discipulorum in præsentiarum ostendit, & de pietate ipsorum testimoniũ perhibet: quùm subaperiat, quem finem vitæ propter Apostolatum habebunt. Prædixit enim Petro, quia eò ducetur: quo autem non vis dixit, quia nemo sanctorum sponte patitur. Sed quamuis amara mors sit, subeundam omnino tamen putauit pro veritate morituro. Quod passus non fuisset, nisi rationalium ouium cura & ardore Christi nimium feruens, errantibus viam veritatis ostenderet. Nihil enim qui Petrũ occiderunt, criminis in ipsum inferebant, nisi fidem & pietatem in Christum. Rectè autem mors Petri modo à Christo prædicitur, vt responsio Petri vera esse confirmetur. Dicebat enim: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Non qui pro nomine Christi moriturus nunciatur, is supremo amore ipsius affici comprobatur. Subijcit autem, sequere me: quod verbum & si communiter intelligi potest, vt tanquam discipulus doctorem sequatur, sub ænigmatice tamen ostendit vestigia & passionem Christi Petro sequendam esse: vt per eandem viam, opere simul atque sermone vocatorum animas iuuãs, ad crucem vsq; proficiscatur, quod euẽturum ait, quùm Petrus senuerit.

S. BERNARDI ABBAtis Clareuallensis In vigilia Petri & Pauli Apostolorum, Sermo.

IN Sanctorum vigiliis necesse est vigilare hominem spiritualem, qui solennitates eorum celebrare desiderat in spiritu & veritate. Aliæ enim carnalium, aliæ spiritualium vigiliæ. Illi & nitidiores cultus, & epulas præparant lautiores, & fortassis in ipsis vigilijs operantur opera tenebrarum, lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Vos non ita didicistis Christum, qui Christum secuti estis, qui omnia reliquistis, *Prou. 2.* qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigiliæ proponuntur, vt euigilemus si in aliquo peccato vel negligentia dormitamus, & præoccupemus faciem sanctorũ in confessione. Non sic filij huius seculi, non sic, *Esa. 22.* qui potentes sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui obdormierunt in flagitiis & facinoribus suis. Illud vos non *1. Thess. 5.* lateat, quia qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt: & qui dormiunt, nocte dormiũt: & frustra sonat eis nomen vigiliarum sanctarum, cum ipsi magis dormire studeant quàm vigilare. Vos non estis filij noctis, neque tenebrarum, sed lucis & diei, vt nõ vos præoccupent natalitij sanctorum dies & inueniant imparatos. Tria sunt igitur quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dùm hîc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tantò amplius quãto veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem: quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neque enim quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. *Nota intercessionẽ diuorũ.* Est & alia causa quæ magis vrget sanctos vt solliciti sint de nobis, quia iuxta vocem Apostoli: Deus prouidet pro nobis, ne sine nobis consummentur, sicut ait sanctus Dauid: Me ex- *Psal. 141.* pectant iusti donec retribuas mihi. Debemus etiã attendere exemplum eius: quia quandiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit donec veniret ad illum qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. *Ioan. 14.* Intuemini humilita

militatem operum eius, auctoritatem verborum eius, & tûc videbitis quomodo tam verbo quam exemplo inserit inter homines: qualia nobis vestigia dereliquerit vt ambulemus per ea, & non erremus in eis. Verè iuxta prophetam, semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulãdum. Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodê luto formatus ea quo & nos. Quid ergo est quod non solum difficile, sed & impossibile credimus vt faciamus opera quæ fecit, vt sequamur vestigia eius? Confundamur fratres, & cõtremiscamus ad vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriam, si fortè generet gratiam nobis timor iste. Homines isti fuerunt qui præcesserunt nos; qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, vt via eos homines fuisse credamus. Sic ergo in sanctorũ festiuitatibus & gaudere & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmisimus: confundi, quia eos imitari non possumus. Ita semper gaudium nostrum in hac valle lachrymarum, lachrymarum pane condiri debet, vt semper nõ solùm extrema, sed & prima gaudij luctus occupet: quia & si magna est gaudiorum materia, sed maxima est dolorum. Memor fui Dei, clamat instus, & delectatus sum: sed & statim subiungit: Defecit spiritus meus, turbatus sum, & non sum loquutus. Quòd si hæc in vigiliis vniuscuiusq; sancti cogitare debemus, quid faciemus in solennitate sanctorum & summorum Apostolorum, Petrum & Paulum loquor? Sufficeret vnius festiuitas ad infundendam exultationem vniuersæ terræ, sed amborum iuncta est ad cumulum gaudiorum, vt quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sint separati. Quid illis potentius dùm fuerũt in terris? quorum alteri traduntur claues regni cœlorum, alteri magisterium gentium: alter Ananiam & Sapphirã occidit in verbis oris sui, alter donat quicquid donat in persona Christi: & cum infirmatur, tunc fortior est & potens. Quàm potentiores sunt in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris? Et qui nobis reliquerunt maiora exempla, quàm illi qui in fame & siti, in frigore & nuditate, & in omnibus illis quæ Paulus enumerat, iugiter sunt afflicti, & demum felici martyrio regna cælestia conscenderunt? Verè nobis rubor confusionis sunt, quos via audemus respicere, ne dicam imitari. Oremus ergo eos, vt ipsi propitium nobis reddãt amicum suum iudicem nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Esa.26. *Psal.76.*

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in idem Euang. expositio.

Desumpta ex commentarijs in Ioannem ca. 21.

D*Icit Simoni Petro Iesus; Simon Ioannis, diligis me plus his, &c.* Hunc inuenit errorum ille negator, & amator præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus. Hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat: faciet eius resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, vt priùs Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præpostèrum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cùm istum dispostuisset ordinem veritas. Animam suam positurum se pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberandus, cùm Christus venisset animam suam positurus pro suis omnibus, in quibus erat & Petrus, quod ecce iam factum est. Nunc iam firmitas cordis ad suscipiendam mortem pro nomine Domini vera ipso donante sumatur, non falsa nobis errantibus præsumatur. Nunc est, vt vitæ huius non metuamus interitũ: quia resurgente Domino, vitę alterius pręcessit exemplum. Nunc est Petre vt mortem non timeas: viuit quem mortuum dolebas: & quem pro nobis mori carnali amore prohibebas, ausus es præuenire doctorê, formidasti eius persecutorem. Iam pretio pro te fuso, nunc est vt sequaris emptorem: & sequeris omnino vsque ad mortem crucis. Verba eius audisti, quem iam veracê probasti. Passurum te ipse prędixit, qui te prædixerat negaturum. Sed priùs Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum ac tertio, vtrum Petrus eum diligat: nec aliud toties audit à Petro, quam se diligi: nec aliud toties commendat Petro, quam suas oues pasci. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua seruiat, quam timori: & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem: si fuit timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subueniendi & Deo placendi charitate. Cõtra hoc ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nunquid est aliud, diligis me? pasce oues meas: quam si diceretur, Si me diligis, nõ te, pascere te cogita oues meas: & sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quęre, non tuam: Dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes, & cętera quæ huic malorum initio connectuntur, quod vitium maxime cauendum est eis qui pascunt oues Christi, ne sua quærant, non quæ Iesu Christi, & in vsus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cuius amor in eo qui pascit oues eius, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem, vt vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus & quando cum Christo viuere volumus. Nam & Apostolus Paulus dicit se habere concupiscentiam dissolui, & esse cum Christo: ingemiscit tamen grauatus, & non vult spoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita: & huic Dominus dilectori suo, *Cum senueris, inquit, extendes manus tuas, &c.* Extendes, inquit, manus tuas, hoc est crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te einget, & ducet nõ quo vis, sed quo non vis. Priùs dixit quod fieret, & deinde quomodo fieret. Non enim crucifixus, sed vtique crucifigendus, quo nollet est ductus: nam crucifixus, non quo nolebat abijt, sed potiùs quo volebat. Solutus quippe à corpore, volebat esse eum Christo, sed, si fieri posset, præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam: ad quã molestiam nolens ductus est: sed ab ea volẽs eductus est. Nolens ad eam venit, sed volens eam vi-

Matth.26. *Philip.2.* *2.Tim.3.* *Mortis timor naturalis.* *Philip.1.*

est,& reliquit hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori, vsque adeo naturalem, vt eum beato Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est: Cum senueris, duceris quo non vis. Quem quidem affectum propter nos cósolandos etiam in se transfigurauit ipse saluator dicens. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: qui vtique moriti venerat, & habebat mortis necessitatem, sed voluntaria potestate positurus animam suam, & rursus eadem potestate sumpturus. Sed molestia quantacunque sit mortis, debet eam vincere vis amoris quo amatur ille, qui cùm sit vita nostra, etiam mortē voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parua molestia, non esset tam magna gloria martyrum. Sed si pastor bonus qui posuit animam suam pro ouibus suis, ex ipsis ouibus tam multos martyres fecit, quanto magis debent vsque ad mortem pro veritate certare, & vsque ad sanguinem aduersus peccatum, quibus oues ipsas pascendas, hoc est docendas regendásque committit? Ac per hoc præcedente passionis eius exemplo, quis non videat magis debere imitando pastori hęrere pastores, si eum multę etiam imitatę sunt oues? sub quo pastore vno, in grege vno, & pastores ipsi sunt oues. Omnes quippe fecit suas oues, pro quibus est omnibus passus: quia & ipse vt pro nobis pateretur, ouis est factus. Cùm ergo prænunciasset Dominus Petro qua morte clarificaturus esset Deum, dicit ei, Sequere me, &c.

EIVSDEM IN IDEM *Homil.*

Tom. 7 in Homilijs æstiualibus de Sāctis. Leuit. 6. Matt. 22. DIxit Iesus Petro: Simō Ioānis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te, &c. Virtutem nobis perfectę dilectionis, præsens sancti euangelij lectio commendat. Perfecta etenim dilectio est, qua Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, proximum autem tanquam nosmetipsos diligere iubemur. Et neutra harum dilectio sine altera valet esse perfecta: quia nec Deus verè sine proximo, nec sine Deo verè potest proximus Ioan. 21. amari. Vnde Dominus toties interrogato Petro, an se diligeret, & illo respondente, quòd eum ipso testante diligeret, adiungebat per singula ita concludens: Pasce oues meas, siue agnos meos. Ac si apertè diceret; Hæc sola & vera est probatio integri in Deum amoris, si erga fratres studuerimus curam solliciti exercere laboris. Nam quicunque fratri opus pietatis quod valet impendere negligit, minus iusto se conditorem diligere ostendit, cuius mandatum in sustentanda proximi necessitate contemnit. Quæ profectò charitas, quoniam sine diuinæ gratiæ inspiratione minimè possit haberi, tacitè quodammodò Dominus insinuat, qui Petrum de illa interrogans. Simonem eum Ioannis, quod nusquam alias, cognominat: Simon (inquit) Ioannis, diligis me plùs his? Vbi quamuis simpliciter mentio facta terreni parentis eius possit intelligi, non tamen ab re est, si quis nomine Ioannis donum supernæ generationis mysticè indicatum velit accipere, de quo Aposto-1 Ioan. 4. lus Ioannes admonendo testatur: Charissimi, diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est: & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Simon namque obediens, Ioannes dicitur Dei gratia. Et propterea rectè primus apostolorum cùm de amore sunt requirimur, Simon Ioānis, id est, obediens Dei gratiæ vocatur: vt liquidò cunctis ostendatur, hoc quòd maiore præ cæteris obedientia domini iussis obsequitur, quòd ardentiori illum charitate amplectitur, non humani meriti, sed muneris esse diuini. Vnde & Apostolus Paulus ea gratia confortatus, aiebat: Quia Rom. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Qui ergo cæteris flagrantius dominum amare probatur, filius Ioannis cognominatur: quia nimirum virtus eiusdem amoris nō nisi per gratiam spiritus percipitur. Qui tamen ipse noradum quàm caute & circunspectè testimonium reddat suo amori, cum domino sciscitante, an se plus alijs diligeret, non est ausus respódere, Tu scis quia amo te plus his: sed temperata ac simplici voce, Etiam, inquit, domine: tu scis quia amo te. Quod est apertè dicere: Scio quidem, quia ipse te, vt tu melius nosti, integro corde diligo: quantum verò te alij diligāt, mihi quidem ignotū, sed tibi omnia sunt nota. Cuius cautela responsionis, nostræ profectò est instructio locutionis simul & cogitationis, vt videlicet eius exemplo discamus, minùs de nostræ conscientiæ puritate præsumere, minùs temerè de fraternæ conscientiæ occultis iudicare, in dubiis maximè rebus, quæ qua intentione vel necessitate gerantur, inspicere nequimus. Nam de apertis fratrum erratibus non solùm potestatem, sed & præceptum iudicandi vt corrigantur habemus, dicēte domino: Si peccauerit frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte Luc. 17. illi: Ambigua autem eorū gesta, & quæ in quamlibet partem interpretari possint, diuino potius examini reseruare iubemur. Dicit nanque Apostolus: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque 1. Cor. 4. veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Siquidem & ipse Petrus ideircò se in hac dominica interrogatione cautiùs respondendo cohibebat, quia meminerat se pridem imminente eius passione plùs sibi constantiæ tribuisse quàm habe-ret, respondendo videlicet se esse paratum & in Luc 22. carcerem & in mortem ire cum illo, qui necdum erat idoneus instante periculo saltem confiteri quia nosset illum, vel quia fuisset aliquando cum illo. Instructus ergo periculo priore, cautiùs loqui cum domino, quem benè didicerat humanæ conscientiæ statum melius nosse, quàm ipsa se conscientia vllatenus nosse sufficeret, de fraterni quidem cordis occultis nihil prorsus audet definire: de sui autem amoris integritate, non timet solius, sed & ipsius qui interrogabat domini testimonium pādit, Etiam, inquiens, Domine tu scis, quia amo te. O quàm fœlix & pura conscientia, quæ condit[illegible]suo, cuius nuda oculis & aperta Heb. 4. omnia nouit, dicere non metuit, domine, tu scis, quia amo te. Quàm casta & sancta anima, quæ & suam cogitationem domino parere non dubitat, & se nihil aliud, quàm ea quę dominus approbat, cogitare non ignorat. Vnde benè in Apocalypsi Apoc. 5. sanctorum corda phialis aureis comparantur, dicente Ioanne: Et habebant singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Citharas quippe aureas habent electi, quia omnis eorū sermo, omne quod de illorum actibus ad notitiam proximorum fa-

ma

ma vulgaute personuerit, puræ dilectionis luce emlunt apparet. Phialas quoque habent aureas, quæ sunt vasa patula, amplitudine diffusa: quia eorda sua quo verius solo eiusdem dilectionis feruiunt igne splendescere, eo latiùs hæc diuinis gaudent pandere conspectibus. Vnde rectè subiungitur: Plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Phialæ nanque aureæ odoramentorum plenitudine redundant, cùm fulgida charitate iustorum præcordia, virtutum quoque spiritalium opinione proximis innotescunt. Et pulchrè ipse qui hæc videbat Ioannes, interpretando subdidit, Quæ sunt orationes sanctorum. Odoramenta etenim phialarum, sunt orationes sanctorum: quia quicquid boni operatur aut dicunt, qui simplici intentione Deo deseruiunt, totum profectò hoc vicem pro eis orationis admplet, quando deuotionem mentis eorum diuinis
1.Thess.5. commendat aspectibus. Neque verò aliter Apostolicum illud præceptum, quo ait: Sine intermissione orate, perficere valemus, nisi omnes actus, sermones, cogitatus, ipsa etiam silentia nostra ita Domino dunante dirigamus, vt singula hæc cùm timoris illius respectu temperentur, cuncta perpetuæ nostræ saluti proficua reddantur. Prouida autem pietate dominus tertiò Petrum an se diligat interrogat, vt ipsa trina confessione vincula quæ illum ter negando ligauerant, absoluat: & quoties territus eius passione quòd eū nosse negauerat, toties eius resurrectione recreatos, quòd illum toto amet corde, testetur. Prouida dispensatione tertiò confitenti amorem, tertiò æquè pascendas suas oues commendat: quia decebat, vt quoties in pastoris fide titubauerat, toties cum renouata fide pastoris, membra quoque eiusdem pastoris iubeatur curare. Quòd enim hîc dicit ei: Pasce oues meas, hoc est vtique quod ei
Luc.22. ante passionem apertiùs dixerat; Ego autem rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Pascere ergo oues Christi, est credentes Christo ne à fide deficiant confirmare, & vt in fide magis magisque proficiant, instanter operam dare. Quamuis solertiùs intuendum, quòd eadem pastio gregis dominici, non vniformi, sed multimoda est solicitudine gerenda. Nam & terrena subsidia, necesse est vt subditis rector ne desint diligenter prouideat, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis eisdem solicitus impendat: & si quos aut spiritalibus aut etiam communibus eorum commodis aduersantes deprehenderit, horum violentiæ quantum valet obsistat, ipsos quoque cùm forte
Psal.140. errauerint subiectos, iuxta Psalmistæ vocem, corripiat iustus in misericordia & increpet, neque oleo noxiæ cōsensionis eorum corda demulceat. Hoc enim ad pij pastoris officium pertinet. Nam qui subditorum errata corrigere, & vulnera in eis peccatorum inquantùm sufficit curare neglexerit, inter pastores ouium Christi qua fronte se annumerare præsumit? Sed & hoc pastori est fixo corde tenendum, vt eos quibus præest, non quasi suos proprios, sed vt domini sui gregem tractare meminerit, iuxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, pasce oues meas.* Meas, inquit, non tuas. Meas tibi oues commendatas scito, & has quasi meas regere, si me perfectè amas, recole, vt meam videlicet in eis gloriam, meum dominium, mea lucra, nō tua propria quæras. Sunt enim qui oues

Pascere oues Christi quid sit.

Christi, non amore Christi, sed suæ vel gloriæ, vel dominationis, vel quæstus gratia pascunt. Quorum multitudinem dolens Apostolus Paulus, ait Philippensibus: Spero autem in domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos, neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Vnde dominus in euangelio tales nō pastores, sed mercenarios potiùs vocat, dicens: Quia lupo veniente mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Veri autē pastoris, & cui syncera est cura de ouibus, euidens ac speciale indicium est, cùm quisque non solùm commodis omnibus vitæ temporalis carere, sed ipsam quoque vitam pro grege Christi ponere in promptu habet. Vnde nunc ipse, postquàm pascendas oues suas Petro, hoc est, plebes docēdas gubernādasq; commisit, subsequēter addidit, dicens: *Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, &c.* In extensione etenim manuum, positionem membrorum eius, qua cruci erat aptandus, insinuat. In cinctione alterius, impositionem vinculorum quibus à persecutore arcendus erat, exprimit. In ductu quò nollet, ipsam mortis ac passionis acerbitatem indicat, quam corporalis eius infirmitas horrebat, cuius animi firmitas spiritalis etiam aduersa pro domino lætabatur cuncta sufferre. Neque enim voluntatem suam, sed voluntatem quærebat eius, qui misit eum Christi. Præmissa igitur ouium suarum pastione, adiungit mox eidem primo pastorum etiam passionis suæ triumphum; Extendes, inquiens, manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Ac si patenter dicat: Quanta me charitate diligas, hinc liquidò probabis, cùm pro paruulorum meorum vita vsque ad mortem certando perueneris, & vt illi in corpore possint pariter & mente saluari, ipsa tormenta corporis omnia, quæ aduersario affligere libet, forti mentis cōstantia toleraueris. Quod ipse quoque euangelista subsequenter insinuat, cùm ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Clarificauit quippe Petrus morte sua Deum, quando hunc iudicio cunctis quantū Deus esset colendus amandúsque, monstrauit, dùm ipse data optione, mallet crucis subire tormentum, quàm à cælestis verbi prædicatione cessare. Vbi notandum quòd non solùm morte, sed & vita sua & passionibus quæ mortem præcesserant, Deum clarificauit. Clarificauit nanque vita Deum, quâ per omnia quę gessit, non suam propriā, sed conditoris sui voluntatē laudémque quærebat. Clarificauit & passionibus, quem à propositis superni amoris obsequijs, nulla persequentium valuit reuocare pressura. Verùm quia cùm memoria B. Petri, etiam coapostoli eius Pauli hodiè natalitia celebramus, videamus fratres charissimi, vtrùm & ipse vel vita, vel passionibus, vel morte clarificauerit Deum. Clarificauit vtique & ipse. Testatur enim Lucas Euangelista, qui librum Actuum Apostolorum maxima ex parte agones ipsius & labores pro Christo describendo complexit: testatur hoc & ipse, qui opus scriptorum suorum, quod quatuordecim epistolis conclusit, sole (vt ita dixerim) Christi odore respersit. Quicquid enim ibi legeris, aut fidei arcana reuelat, aut bonorum operum fructus ostendit, aut cælestis regni gaudia promittit, aut quid ipse tribulationum

Philip.2. *Ioann.10.* *Summa operum Pauli.*

hæc prædicans sustinuerit, pandit, aut quid inter tribulationes diuinæ consolationis acceperit, refert, aut generali exhortatione, quòd omnibus qui piè volunt viuere in Christo, persecutiones deesse non possint, insinuat. Testatur quantùm vita sua Deum clarificauerit, cùm in vinculis positus, & appropinquans passioni, Timotheo per epistolam exemplum sui operis proponit, dicens:
2.Tim.4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Monstrauit qualiter morte clarifi-
Psal.115. caturus esset Deum, cùm præmisit: ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. O quàm pretiosa in conspectu domini mors sancti illius, qui apertissimè nouerat, qui libera voce prædixerat, se occidi pro domino non aliud esse, quàm gratissimã Deo mundissimámque hostiam offerri. Clarificauit ergo & Paulus Deum, clarificauerũt & cæteri Apostoli, quia & ipsi puro corde Christum diligebant, ipsi syncera toto corde oues Christi curabant. Quod enim Petro dictum
Primatus Petri. est, Pasce oues meas, omnibus vtrique dictum est. Hoc namque erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus: sed primatus Petro datur, vt vnitas Ecclesiæ commẽdetur. Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui & ab Apostolis omnibus tũc vnanima consensione pascebatur, & deinceps à successoribus eorum communi cura pascitur: quorum plurimi conditorem suum morte, omnes autem vita sua clarificare probãtur. Non solùm autem maxima illa ecclesiæ luminaria sed & reliqua electorum turba, vel viuendo vel moriẽdo, Deum suo quoque tempore clarificat. Quorum vestigia nos quoque fratres mei nostro tempore sequi oportet, & vitæ videlicet nostræ ordinẽ, ad exempla bonorum dirigendo, & in proposita vitæ rectitudine ad mortem vsque persistendo: vt socij conuersationis eorum existentes, socij etiam remunerationis mereamur effici. Hoc autem ita perficiemus, si iuxta huius sacratissimæ lectionis tenorem, & redemptorem nostrum debito affectu complectimur, & erga proximorum salutem fraternã solicitudine vigilamus, ipso opitulante, qui hæc & nos facere iubet, & se facta remuneraturum pollicetur, Christo Iesu domino nostro, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS *Sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioris Euang. Homilia.*

Dixit Iesus Simoni Petro, &c. Interrogat dominus Petrum, an se diligat, quem semper & vbique maiorẽ amoris affectionem erga se osten-
Ioan.21. dere videbat. Sicut modò superiùs cùm cæteri ad eum nauigio venissent, ipse moras nauis expectare non potuit, sed amoris immensitate cogente, in mare se præcipitauit, vt velociùs ad dominum venire posset, *Simon* (inquit) *Ioannis diligis me plùs his*: qui tui amoris affectum erga me ostendis plùs quàm hi? Dicit: *Domine, etiam, tu scis quia amo te.* Etiam domine amo te, & tu scis quia amo te, scis etiam quantùm diligo te: ego autem nescio, an plùs cæteris diligam te. Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Non vult dominus suos agnos alij committere, nisi illi qui eum diligit, quos ipse tantùm dilexit: vt pro eis mori dignaretur. Et ideò prius Ecclesiæ pastorem interrogat, an se diligat, & sic posteà pascendos agnos suos ei committit. *Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* Tunc Petrus contristatus, & timens se haberi à domino suspectum, *quia dixit ei tertiò, Amas me*, respondens dicit: *Domine tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas.* Priùs agnos, deinde oues commisit ei: quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit.
Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est: nihil (inquam) quàm quod suis pastoribus Christus commiserit. Ecce Petrus qui ter negauerat, ter dominum se amare respondet, quatenùs amor deleat culpam, & dilectio tollat offensam. *Et dixit ei Iesus: Amen amen dico tibi, quum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Quod quid significet, euangelista exponens, ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis namque patibulo positus beatus Petrus, ibique manus extendens, ab aliis cinctus & ligatus est. Ergo meritò postquàm ter dominum se amasse respondit, mortem suam ei dominus nunciauit: in ea quantum eum dilexerit, apertissimè demonstrauit.

Petrus pastor pastorum.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. superioris Euang. expositio.*

Dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam domine tu scis quod amem te. Quare Christus qui scrutator est cordium, nihilque ignorat, interrogat? Non hoc facit vt discat sicut nos, sed vt doceat & manifestet aliorum fidem: sicut & quùm interrogatet. Quem dicunt homines filium hominis? quam fidem, confessionémque à nobis requirat, indicabat. Ita hic daturos orbi magistros ac doctores, quales illos esse velit, terna interrogatione benè inculcat. Et
videtur mihi amare Christum & ea quæ Christi sunt sectati, anteà insinuari per missionem retis Matth.18.
in dextram partem: pascere autem, per inuentionem & capturam. Interim Petrum, quia præ aliis ceciderat, maiorisque esse fructus & dignus cui ampliùs concederetur, ministerium comprobaturus, ter proptio nomine vocat, ne dubitet remissa sibi peccata. Dicit autem primum; Diligis me plus his? posteà in duabus aliis interrogationibus tantùm dicit; Diligis me? Quare hoc? Præ-
tulerat se priùs aliis arrogantiùs, dicens. Et si omnes alij scandalizati fuerint in te, ego te non negabo. Proinde tunc desiderabatur in eo humilitas, quam nunc lapsu & pœnitentia luctatus esse apparet. Amare enim se Christum fatetur: sed quòd præ aliis amet, nondum dicere audet, quãuis dicere potuisset. Quod præ aliis diligam, vel ex hoc non discere potest, quod aliis nauigio ad te venientibus, ego impatientia desiderij, in mare me misi, vt ad te venirem. Sed de hoc tacens dicit. Etiam Domine, tu scis quòd amem te. Scite autem Christum amorem nostrum deitatis indicium est, qui scit an verè amemus, & melius scit Matth.26.
quam

quam nosipsi. Omnia modestæ & ardentis charitatis sunt verba. Docetur itaq; pastorem ouium Dei, & amore Christi præditum esse, & virtutum prerogatiua se nulli preferre debere. Ita Christus & gregi consulit, & se diligentes remunerat, & super multa constituit, nempe super eos pro quibus sanguinem suum effudit. Audiant Episcopi, & prædicatores verbi, quid eis commendetur. Pasce (inquit) oues meas. Ministerium affert, quo tuam erga summum pastorem charitatem probes, eo si fideliter functus fueris summum honorem assequutus es. Nō facit Dominum, non principem, non regem Petrum, sed pastorem esse iubet. Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas benefici vocantur. Non facit mentionem lactis vel lanæ, quæ tamen gratæ oues debent pastoribus, vt ne sua sectetur, sed quæ aliorum. Pasce, inquit, non occide: ad ædificationem, non ad destructionem officio fungere: pastor esto, non lupus. Non contempseris oues amplexando hoc seculum: meæ enim sunt oues. De hœdis & porcis, quibus margaritæ non sunt obiiciendæ, nihil præcepit: sed de ouibus, & de his qui verbum Dei audire cupiunt. Indoluit autem Petrus, non ægrescerens tertiò repetitam interrogationem, sed timens ob suam imbecillitatem. Et propterea iam non prædicitur negatio, sed constans amor, quòd nec si moriendum, relicturus sit Dominum, vt anteà. Et tunc quidem iunior eras & relictus es tuæ voluntati, & quãuis accingeres te quasi me sequuturus, voluntatis tamen tuæ impetum sequutus es, quò scilicet te ducebat carnis amor. Posthac non ita eris: nam quamuis senueris: & per ætatem minus feruido sanguine, mea tamen gratia roboratus voluntati tuæ renunciabis, non quærendo ea quæ caro docet, sed illam perdes tua sponte protendens manus ad vincula in cruce, quam alius te cinget. Quùm teipsum cingeres: ibas in perditionē: ego autem te accingam, vt cohibita voluntatis tuæ carne perstes. Cæterum extensionem manuum, crucifixionem vocat: quæ, quùm habeatur ignominiosissima, gloriosa tamen & beata est post Christum passum. Et nequaquam timenda, quandoquidem propter Christum si fuerit, gloriosa erit, dùm pro eo morimur: qui anteà pro nobis in cruce fuit mortuus.

Episcoporum & prædicatorum officii. Luc.22.

1.Cor.13.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

D*Icit Iesus Simoni Petro: Simon Iona diligis me plus his? &c.* Simon fili Iona diligis me plus quàm hi? hunc autem solum interrogat, tanquam principem & os discipulorum. Verũ cur id quòd nouit interroget, in sequentibus dicemus. *Ait illi, Pasce agnos meos.* Discipulos dicit agnos suos, tanquam pastor eorum, quos etiam oues rursum vocat. Quærit ergo dilectionis erga se demonstrationem, puta curam eorum: & animam ipsius, quam pro præceptore se positurum promiserat, petit vt pro discipulis ponat. *Dicit ei rursum secundo, Simon Iona diligis me? &c.* Christus quidem terna vice interrogans & idem iubens, manifestat se maximi facere præsidentiã super discipulos suos: & hanc omni cura ducit maiorem: Petrus autem trinam timens interrogationem, & suspicatus ne fortè putaret se amare: non tamen amaret: nam & priùs putauerat se nunquam esse negaturum, & tamen negauit; & modestiorem ipsum ac meliorem effectus ille reddiderat, mœrore affectus est, turbatus est, & iam ipsum, vt qui omnia nosset priusquam fierent, testem facit & ait. Tu omnia nosti, & præsentia & quæ futura sunt, tanquam Deus: tu scis quòd nunc toto corde te amem: & nihil ampliùs dicit, ignorans quid futurum sit. Nam paulo ante quum contradixisset, conuictus est, quòd vanam habuerit de se fiduciam. Agni itaque & oues dicuntur discipuli propter simplicitatem ac promptitudinem ad hoc vt immolentur. Et rursum agni quidem imperfectiores, oues autem perfectiores. Petro itaque pascendi curam ac gubernationem cõmittit, vt qui & priùs amaris illis lachrymis negationis maculam abluerit, & nunc rursum pro trina negatione trinam offerat confessionem: & tũc quidem opere, nunc autem verbo, lapsui qui verbo factus est, medetur. Deindè parabolicè prænunciat ei mortis genus, quòd per crucem esset & ipse moriturus: ostendens quòd non tanquam ignorans, aut illi non credens dicebat, quæ dicebat, quùm optimè nosset feruorem dilectionis eius erga se, sed vt & ipse & omnes cognoscerẽt, quòd plurimi faceret præsidentiam super discipulos suos, veluti superiùs significatum est. *Amen amen dico tibi quùm esses iunior cingebas te, &c.* Quùm esses imperfectior sub imperfectiori Mosaica lege constitutus: parabas te ad id quod cupiebas, & vitam agebas vt volebas. *Vbi vero senueris, extendes manus tuas, &c.* Vbi autem in virum pefectum profeceris, in mensuram ætatis spiritualis, sub perfecta lege euangelica consummatus, extendes manus tuas ad crucem: & alius te clauis astringet, ac ducet ad mortem, quam etsi voles voluntate, natura tamē non voles: siquidem compatitur corpori anima propter naturam, & audita mortis mentione, abhorret, Deo ita dispensante vtiliter, sicut etiam alibi significatum est, ne homines in infortuniis facile sese occiderent. Nam si valet hostis frequenter aliquos ad propriam impellere cædem: tametsi anima adeò fortiter ad corporis coniunctionem affecta sit, quid futurum est si hoc non esset? multi profecto ad sui procederent interfectionem. *Hoc autem dixit significans qua morte glorificaturus esset Deum.* Gloria siquidem est, non discipuli tantum qui moritur, sed & Dei, mors qua quis propter eum supplicio afficitur: eius quidem qui occiditur, quia pro Deo moritur: Dei autem, quod talem habeat discipulum.

IN FESTO SS. APOSTOL. PETRI ET PAVLI.

MATTH. 16.

a Quam in honore Tyberij Cæsaris Philippus frater Herodis extruxit.



IN illo tempore: Venit Iesus in partes [a] Cæsareæ Philippi, &

b Vt vero confessionis mercedem reddet, non quasi nesciens.

[b] interrogabat discipulos suos, dicens: Quem me dicunt homi-

c Non dicit me: ne insolenter loqui videretur.

nes esse [c] filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex pro-

d Discreti ab aliis, non homines sed dij. e Sciunt & apostoli, sed Petrus respondet pro omnibus.

phetis. Dicit illis Iesus: [d] Vos autem quem me esse dicitis? [e] Respondens Simon

f Omnia complexus est: qui & naturam & nomen expressit. g Verum hominem, & verum Deum credit & confitetur. g In Petro omnibus respondit.

Petrus dixit: [f] Tu es Christus filius Dei viui: [g] Respōdens autem Iesus, dixit ei:

h Tam alta fidei confessione. i Filius columbæ Syriacè. k Carnalis quilibet. l Tantum arcanum. m Qui illustrat mentem hominum.

[h] Beatus es, Simō [i] Bar-jona, quia [k] caro, & sanguis nō [l] reuelauit tibi, sed [m] pa-

n Tu dixisti mihi filius Dei, & ego dico tibi: cuius dicere est facere.

ter meus, qui in cælis est. Et ego [n] dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc

o Id est, Christum in quem credis. p Non separabunt eam à charitate mea & fide.

[o] petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi [p] non præualebunt ad-

q Præsentis iudicij potestatem. r Ecclesiæ. s Quemcunque indignum remissione iudicaueris, dum viuit, apud Deum indignus iudicabitur.

uersus eam. Et tibi dabo [q] claues [r] regni cælorum. Et [s] quodcunque ligaueris

t Quemcunque soluendum iudicaueris dum viuit, & remissionem peccatorum consequetur à Deo.

super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque [t] solueris super terram, erit solutum & in cælis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangelium.



IN partes Cæsareæ Phi. Iste locus est, vbi Iordanis oritur ad radicem Libani, & Ior & Dan duobus fontibus. *Homines esse.* Homines sunt qui de filio hominis loquuntur: Dij enim qui deitatem intelligunt. *Filium hominis.* Dominus de se humilitatem humanitatis profitetur, discipuli deitatem intelligunt. *Alij Ioannem bapti.* Sic poterant errare in Elia vel in cæteris alijs, sicut Herodes errauit in Ioanne cum ait: Ioannes, quem ego decollaui, surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo. Ideo vult exponi errores eorum, vt eis repulsis discipuli veritatem profiterant, non ex vulgi opinione, sed ex Domini reuelatione. *Respon.* Ideo vnus respondens, & vni respondetur pro omnibus vt vnitas in omnibus obseruetur. *Dei viu.* Ad distinctionem falsorum deorum, quos Gentes vel de mortuis hominibus, vel de sensibili materia sibi instituerunt. *Bar jona.* Bene filios columbæ, quia Dominum pia simplicitate sequebatur, vel quia plenus spirituali gratia erat. Filius spiritussancti dicitur, qui ostensus est in columba ab eo, quem filium Dei viui vocauerat, & filio columbæ pater reuelat: quia vna est operatio patris, & filij cū sancto spiritu. Reuelat inquam mysterium fidei, quia caro, & sanguis non reuelare potuit, id est, homines carnali sapientia inflati, quia non columbæ filij, & ideo à sapientia spiritus alieni: de quibus supra. *Alij Ioannem baptistam, alij autem Eliam, &c. Tu es.* non dico vocaberis, sed *tu es Petrus*, ob fortitudinem fidei, & confessionis constantiam. *Petrus.* A me petra, ita tamen vt mihi retineam dignitatem fundamenti: tu super me ordinabis lapides mundos, & abijcies leprosos. Sicut lumen, & cætera nomina. vt Vos estis sal terræ: à Domino sortiti sunt apostoli, sic Simoni à se nomen Petri dedit. Sup. 5. *Et porta in.* Portæ inferi sunt peccata, minæ, blandimenta, hæreses, quibus infirmi tuūt in mortem, qui non verè suprà petram, sed super arenam domum professionis suæ credendi sunt ædificasse, id est, non simplici & vera intentione Christum sequi, sed ob terrenam quamlibet causam habitū prætendisse. Qui enim in intimo cordis amore fidem Christi percipit, quicquid ingruit extra facile vincit. *Et tibi.* vt omnibus cōstaret, quia absque ea confessione ac fide nullus regnum cælorum posset intrare. Qui præ cæteris confessus est, præ cæteris donatur clauibus. Claues sunt discernendi scientia, & potentia, quæ dignos recipere, indignos excludere debet à regno: vnde subdit. *Et quodcunq.*

Petrus præ cæteris apostolis fuit donatus clauibus.

quodcumque liga. id est, quem in peccatis persistentem æternis pœnis adiudicaueris: vel quem humilem, & vere pœnitentem absolueris, hic erit & in cælis. *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque.* Hiero. Habent quidem eandem iudiciariam potestatem alij apo-
Ioan. 20. stoli, quibus post resurrectionem ait: Accipite spiritum sanctum: quorum re. &c. Habet etiam omnis ecclesia in presbyteris, & episcopis: sed ideo Petrus specialiter accipit, vt omnes intelligant, quod quicunque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui: nec cęlum potest ingredi. Hunc locum quidam non intelligen-
Leui. 13. tes, aliquid sibi sumunt de supercilio Pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere se noxios putent: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Vnde in Leuitico ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt, ita & hic. Nota Christum per se intus viuificare, ministris potestatem soluendi post vitam redditam tribuere. Non enim aliquem soluere possunt, nisi viuat, quem soluũt. Sed ad quid soluendi potestatem accipiunt, cùm à Deo iam liberatus, & viuificatus quem soluunt, quęritur? Dicunt quidam ministros soluere, id est, solutos demonstrare reconciliatos ecclesiæ, quos prius de crimine manifestos, vel conuictos ab introitu ecclesiæ priuauerant. Alij, a quadam impotentia bene operandi, quæ post remissionem, & satisfactionem adhuc remanet, & est fex & reliquiæ præcedentium peccatorum, & non tamen peccatum, ab hac purgatur homo, cum reconciliatur ecclesiæ, per iudicium sacerdotis. Vt enim in homine post febris purgationẽ debilitas quædam remanet quæ febris non est, à qua non cito purgatur. Sic in homine post criminalem remissionem, pro qua iudicium ecclesiæ subijt, ipsius peccati debilitas remanet. Alij, veritati & euangelio adhærentes, ministros ecclesię a peccato sol-
Ioan. 20. uere dicunt. Dicit enim veritas: Accipite spiritum sanctum: quorumcunque re. &c. De hoc iterum Aug. contra quinque hæreses. Nec eos audiamus, qui negant catholicam ecclesiam nõ omnia peccata posse dimittere. Illi enim in Petro petram non intelligunt, & non intelligentes ecclesiæ datas esse claues regni cælorum, ipsi eas de propria manu amiserunt. His opponitur quod solus Deus Lazarum suscitauit: apostolis soluendum reddi-
dit. Item quod solius est dimittere peccatum est. Ad hoc dicunt, quod Deus prius Lazarum suscitauit, hoc est, quod ipse à se, non ab alio pecca-
Mar. 2. tum dimittit. Quod discipuli resuscitatum soluũt, hoc est quod non à se, sed à Deo habẽt quod peccata dimittunt: sic dicitur, solus Deus peccatum dimittit, quia hoc quod per ipsum facimus, ipse facit.

> *Hæc sententia de absolutione, & ligatione in concilio Tridentino est damnata, tanquam Lutheranorum hæresi consona.*

CATENA AVREA
in idem Euang.

V*Enit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem me dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, &c.* Glo. Postquam discipulos à Pharisæorum doctrina remouerat dominus, conuenienter Euangelicæ doctrinæ altitudinem in eis fundat, & vt maior solennitas designetur, locus describitur cum dicitur: *Venit autem Iesus in partes Cæsar. Philipp.* Chrysost. Ideo autem non simpliciter Cæsaream nominat, sed Cæsaream Philippi, quia est alia Cæsarea quæ est Stratonis: non autem in illa, sed in hac discipulos interrogauit, longe eos à Iudæis abducens, vt ab omni timore eruti, liberè dicant quę habebant in mente. Philippus autem iste frater fuit Herodis Tetrarchæ Iturex & Thraconitidis regionis, qui in honorem Tyberij Cæsaris, Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur appellauit. Glo. Confirmaturus autẽ in fide discipulos, prius opiniones & errores aliorum à mentibus eorum voluit remouere, vnde sequitur: *Et inter. dis. su. di. Quem, &c.* Orige. Interrogat Christus discipulos, vt ex Apostolorum respõsionibus nos discamus diuersas opiniones fuisse tunc apud Iudæos de Christo: & vt nos semper scrutemur qualis opinio sit apud homines de nobis, vt si quid malè dicitur de nobis, occasiones illius præcidamus: si quid autem bo[illegible], eius occasiones augeamus. Sed & discipuli [illegible] scoporum Apostolorum instruuntur exemplo, vt qualescunque opiniones audierint de foris episcopis suis, referant e[illegible]. Hier. Pulchrè autem [illegible]terrogat. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt, qui verò diuinitatem eius intelligunt, non homines sed dij appellantur. Chrysost. Non autem dicit: Quem me dicunt Scribæ & Pharisæi esse, sed quem me dicunt homines esse? plebis mentem, quæ ad malum prona inflexa non erat, inuestigans. Etsi enim multò humilior quam oportebat eorum erat de Christo opinio: sed tamen à nequitia libera erat: Pharisæorum autem opinio de Christo erat plena multa malitia. Hilar. Dicendo ergo: *Quem di. ho. &c.* Significauit præter id quod in se videbatur esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat, non illud arbitramur quod se ipse confessus est, sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credentium fide debeat extendere. Est autem confessionis tenenda ratio, vt, sicut Dei filium, ita & fili[illegible] hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutẽ, & ideo signanter dixit: *Quem di. ho. esse fi. ho.* Hier. Non enim dixit: Quem me esse dicunt homines, sed quem dicunt esse filium hominis? ne iactanter de se quærere videretur. Et nota quòd vbicunque in vete. testam. scriptum est: Filius hominis, in Hebræo positum est filius Adam. Origen. Diuersas autem Iudæorum opiniones de Christo discipuli referunt. vnde dicitur: *At il. di. Alij Ioan. Bapt.* æstimationem, scilicet secuti Herodis. *Alij autem Eliam,* videlicet æstimantes quod aut secundam natiuitatem susceperit Helias, aut ex eo tempore in corpore viuens in tempore apparuit illo. *Alij verò Hieremiã,* quem Dominus in gentibus prophetam constituit, non intelligentes quoniam Hieremias typicus fuerat Christi. *Aut vnum ex Prophetis,* ratione simili propter illa quæ Deus ad ipsos locutus est per prophetas: non tamen in ipsis, sed in Christo sunt impleta. Hiero. Sed tamen turbæ sic errare potuerunt in Helia & Hieremia, quomodo Herodes errauit in Ioanne: vnde miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum. Chr. Quia verò Discipuli opinionem turbæ recitauerant, euocat eos per secundam interrogationem

nem ad opinãdum aliquid maius de ipso, & ideo sequitur; *Dicit illis Iesus, &c. Vos autem, &c.* Vos inquam qui simul mecum estis semper, quia maiora signa vidistis, quàm turbæ non oportet vos in opinione conuenire cum turbis, & propter hoc non à principio prædicationis eos de hoc interrogauit, sed postquam multa signa fecit, & multa locutus est eis de sua deitate. Hiero. Attende autem quòd ea hoc reatu sermonis, Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur. Cũ enim dixisset. *Quem dicunt hom esse filium hominis?* subiecit, *Vos autem quem me esse dicitis.* Acsi dicat illis, quia homines sunt humana opinantes, vos qui dij estis, quem me esse existimatis? Raba. Non autem quasi nesciens de sententia discipulorum vel extraneorum inquirit, sed ideo discipulos quid de se sentiant interrogat, vt confessionem rectæ fidei digna mercede remuneret. Ideo quid alij de se sentiant inquirit, vt expositis primò sententiis extraneorum; discipuli probarentur veritatem suæ confessionis nõ de opinione vulgari, sed de ipso percepisse dominicæ reuelationis arcana. Chry. Quando verò Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent: sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus tanquam os Apostolorum, & caput, pro omnibus respondet, vnde sequitur, *Respondens Simon Petrus dicit, &c.* Orige.

Petrus Apostolorũ princeps.

Denegauit quidem Petrus aliquid eorum esse Iesum, quæ arbitrabantur Iudæi, confessus est autem: *Tu es Christus*, quod nesciebant Iudæi: sed & quod maius est, *Filius Dei vini*, qui & per Prophetas dixerat: Viuo ego dicit Dominus, & ideo dicebatur viuus, sed secundum supereminentiam, quia supereminet omnibus habentibus vitam, quoniam solus habet immortalitatem: & est fons vitæ, quod propriè dicitur Deus pater, vita autem est quasi de fonte procedens, qui dixit; Ego sum vita. Hier. Deum etiam viuum appellat ad comparationem eorum Deorum, qui putantur dij, sed mortui sunt; Saturnum dico, Iouem, Venerem Herculem: & cætera idolorum portenta. Hila. Est autem vera & inuiolabilis fides ex Deo Deum filium profectum esse, cui sit ex æternitate patris æternitas. Hunc igitur assumpsisse corpus & hominem factum esse, perfecta confessio est. Complexus est itaque omnia qui & naturam & nomen expressit, in quo summa virtutum est. Raba. Mira autem distinctione factum est, vt Dominus ipse humilitatẽ, assumptæ humanitatis profiteatur, discipulus excellentiam diuinæ æternitatis ostendat. Hila. Dignum autem confessio Petri præmium cõsecuta est, quia Dei filium in homine vidisset, vnde sequitur: *Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon, &c.* Hiero. Reddit enim Christus Apostolo vicem pro testimonio, quod de se Petrus dixerat. *Tu es Christus filius Dei viui.* Dominus autem dixit ei *Beatus es Simon Bar-iona*, quare? *Quia non reuelauit tibi caro & sanguis*: Sed reuelauit pater. Quod caro & sanguis reuelare non potuit, Spiritus sancti gratia reuelatum est. Ergo ea confessione fortitur vocabulum quod reuelationem ea Spiritu Sancto habeat, cuius & filius appellandus sit, siquidem Bar-iona in lingua nostra sonat filius columbæ. Hiero. Alij simpliciter accipiunt, quòd Simon, scilicet Petrus filius sit Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem: Simon Ioannis, diligis me? & volunt scriptorum vitio deprauatum, vt pro Bar-ioanna, id est, filius Ioannis, Bar-iona scriptum sit vna detracta syllaba. Ioanna verò interpretatur Dei gratia, vtrumque autem nomen mysticè intelligi potest: quòd & columba spiritum sanctum & gratia Dei donum significet spirituale. Chrys. Vanum autem esset dicere: Tu es filius Ionæ vel Ioanna, nisi vt ostendat quoniam ita naturaliter est Christus filius Dei, sicut Petrus filius Ionæ, eiusdem substantia cum eo qui genuit. Hiero. Illud autem quod ait, *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi*, Apostolicæ narrationi comparat, in qua ait: Continuò nõ acquieui carni & sanguini, carnem ibi & sanguinẽ Iudæos significans, vt hic quoque sub alio sensu demonstretur quòd ei non per doctrinam pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei filius reuelatus sit. Hila. Vel aliter: Beatus hic, quia vltra humanos oculos & intendisse & vidisse laudatus est, non id quod ea carne & sanguine est contuens, sed Dei filium cælestis patris reuelatione conspiciens, dignúsque iudicatus est vt primus agnosceret quòd diuinitas esset in Christo. Orig. Est autem in hoc loco quærendum, vtrum eum prius mitterentur iam cognoscebant discipuli quoniam ipse erat Christus. Hic enim sermo demonstrat, quoniam tunc primum confessus fuerit eum Petrus Christũ filium Dei viui, & vide si potes, quoniam credere Iesum esse Christum, minus est quam cognoscere, vt dicamus quòd quando mittebantur ad prædicandum, credebant quidem Iesum esse Christum, postea autem proficientes etiam cognouerunt. Aut ita est respondendum, vt dicamus, quoniam tunc quidem Apostoli initia cognitionis habebant Christi, & exigua cognoscebant de illo: postea autem profecerunt in agnitionem ipsius: vt possent capere sen. etiam Christi reuelatam à patre, sicut & Petrus qui beatificatur, non solum in eo, quòd dicit, *Tu es Christus*, sed in eo magis quòd addidit, *filius Dei viui.* Chry. Nimirum autem si non confessus esset Petrus, Christum propriè ex patre natum, non esset hic reuelatione opus, neque æstimatione Christum vnum ex multis filiis adoptiuis beatitudine dignum esse. Nam & ante hoc illi qui erãt in naui, dixerunt, Verè filius Dei est hic. Sed & Nathanael dixit: Rabi, tu es filius Dei, non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem, qualem Petrus, sed vnũ ex multis eum æstimabant, non verè filium: vel & si præcipuum quidem præ multis, non autem ex substantia patris. Videt autem qualiter & filium reuelat pater, & patrem filius. Non enim ab alio est dicere filium quàm à patre, nec ab alio patrem quàm à filio: quare & hinc manifestum est quòd filius est consubstantialis & coadorandus patri. Ostendit autem Christus ex hinc iam multos esse dicturos, quod fuetat Petrus cõfessus, vnde subdit: *Et ego dico tibi, &c.* Hiero. Acsi dicat, quia tu mihi dixisti: *Tu es Christus filius Dei viui*: & ego dico tibi non sermone casso, & nullum opus habente, sed dico tibi: quia meum dixisse, fecisse est. *Quia tu es Petrus*, sicut enim ipse lumen apostolis donauit, vt lumen mundi appellentur, & cætera quæ à domino sortiti vocabula sunt: ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Augu. de con. euang. Nullus tamen arbitretur quòd hic Petrus nomen acceperit, non enim accepit hoc nomen nisi vbi Ioannes commemorat ei dictum esse, Tu vocaberis Cephas quod interpre

terpretatur Petrus. Hiero. Secundum autem metaphoram petræ, rectè dicitur ei: Ædificabo ecclesiam meam super te, & hoc est quod sequitur, *Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Chry. id est, in hac fide & confessione ædificabo ecclesiam meam. Hinc ostendit multos iam credituros quod Petrus confessus fuerat: & exigit eius sensum, & pastorem ipsum facit. Augu. in libr. retrac. Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quòd in illo, tanquam in petra ædificata est ecclesia: sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à domino dictum est, *Tu es Petrus, &c.* vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, *Tu es Christus filius Dei viui*, ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, non enim dictum est illi: Tu es petra, sed *tu es Petrus*: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut ei tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector. Hila. Est autem in nuncupatione noui nominis fœlix ecclesiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernales leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. vnde ad ostendendam firmitatem ecclesiæ supra petram fundatæ, subditur: *Et portæ inferi, &c.* Glos. Id est, non separabunt eam a charitate mea & fide. Hier. Ego portas inferi vitia reor atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Orige. Sed & singulæ spirituales nequitiæ in cælestibus, portæ sunt inferorum, quibus contrariantur portæ iustitiæ. Raba. Portæ quoq; inferi, etiam tormenta & blandimenta sunt persecutorum, sed & praua infidelium opera, ineptaq; colloquia portæ sunt inferi, quia iter perditionis ostendunt. Chry. Non autem exprimit verùm petræ non præualebunt, in qua ædificat Christus ecclesiam: aut ecclesiæ, quam ædificat super petram, tamen manifestum est, quia nec aduersus petram nec aduersus ecclesiam portæ præualent inferorum. Cyril. in libr. thes. Secundum autem hanc domini promissionem ecclesia apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque circumuentione manet immaculata, super omnes præpositos, & episcopos, & super omnes primates ecclesiarum, & populorum in suis pontificibus, in fide plenissima, & authoritate Petri. Et cum aliæ ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum: & nos necessario salutis non decepti superbia, neque vino superbiæ ebriati, typum veritatis, & sanctæ apostolicæ traditionis, vnà cum ipsa confitemur & prædicamus. Hiero. Nemo autem putet hoc de morte dici, quòd apostoli conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyria videat coruscare. Orige. Si ergo & nos, patre nobis reuelante, qui est in cælis, quando, scilicet, conuersatio nostra in cælis est, confessi fuerimus Iesum Christum esse filium Dei viui, & nobis dicetur: *Tu es Petrus.* Petra enim est omnis qui imitator est Christi, aduersus quem autem portæ præualent inferorum, ille neque petra dicendus est, supra quam ædificat Christus ecclesiam, neque ecclesia, neque pars ecclesiæ, quam Christus ædificat supra petram. Chrys. Deinde & alium Petri dicit honorem, cum subditur. *Et tibi*

Ecclesia Romana primatus

dabo claues regni cælorum. Quasi dicat. Sicut pater dedit me cognoscere, ita & ego aliquid dabo, scilicet, claues regni cælorum. Raba. Qui enim regem cælorum maiori præ cæteris deuotione confessus est, meritu præ cæteris ipse collatis clauibus regni cælestis donatus est: vt constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum cælorum nullus posset intrare. Claues autem regni cælorum ipsam discretionem & potentiã nominat: potentiam qua liget, & soluat, discretionẽ qua dignos vel indignos discernat. Glo. Vnde sequitur: *Et quodcunque ligaueris.* id est, quemcunque indignum remissione iudicaueris, dum viuit, indignus apud Deum iudicabitur. *Et quodcunque solueris*, id est, quemcunque soluendum iudicaueris, dum viuit, remissionem peccatorũ consequetur à Deo. Orig. Vide autem quantam potestatẽ habet petra, super quam ædificatur ecclesia eius, vt etiã iudicia maneant firma, quasi Deo iudicãte per eã. Chry. Vide autẽ qualiter Christus reducit Petrũ ad excelsam de ipso intelligẽtiã. Hæc enim ei se promittit daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata soluere, & ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionũ & tentationum procellas. Raba. Hæc autem ligandi atque soluendi potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apostolis datur, necnon etiam nunc episcopis ac presbyteris, ac omni ecclesiæ. Sed ideo Petrus specialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes, qui per orbem credentes intelligãt, quia quicunque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregãt, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cælestis ingredi. Glo. Specialiter etiam eam Petro concessit vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideo enim eum principem Apostolorum constituit, vt ecclesia vnum principalem Christi haberet vicarium, ad quem diuersa membra ecclesiæ recurrerent, si fortè inter se dissentirent. Quòd si diuersa capita essent in ecclesia, vnitatis vinculum rumperetur. Quidam autem dicunt quòd ideo dicit, super terram. Non enim data est potestas hominibus ligãdi, vel soluendi mortuos, sed viuos. Qui autem mortuos solueret vel ligaret, nõ super terram, sed post terram hoc faceret. Ex senten. Cõstantinopoli. concilij. Quomodo autem præsumunt quidam dicere de viuis tantummodo hæc dicta esse, an ignorant, quia iudicium anathematis nihil est aliud quàm separatio? Euitandi sunt autem illi, qui à pessimis culpis detinentur, siue in viuis sint, siue non. A nocente enim semper resurgere necessarium est. Sed & Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Aphricanos episcopos splenduit, diuersæ epistolæ recitatæ sunt, significãtes quòd oportere et hæreticos & post mortem anathematizare. Talem autem ecclesiasticam traditionem & alij Aphricani episcopi seruauerũt. Sed & sancta Romana ecclesia quosdam episcopos post mortem anathematizauit, licet pro fide in vita sua non essent accusati. Hiero. Istum locum episcopi & presbyteri non intelligẽtes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio: vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cũ apud Dominum nõ sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur ostendere se sacerdotibus: & si lepram

Petri successor est primarius Christi vicarius.

pram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant: non quòd sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi & nõ leprosi: & possunt discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic & hic alligat vel solvit episcopus, vel presbyter: non eos qui insontes sunt vel innoxij, sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus. Orige. Sit ergo irreprehensibilis qui alterum ligat, vel solvit, vt inveniatur dignus ligare vel solvere in cælo. Sed & ei, qui potuerit virtutibus portas obstruere inferorũ, quasi præmium dantur claves regni cælorum, omnes enim species virtutum cùm quis eam cœperit operari, quasi ipse se adaperit ante eum, domino videlicet aperiente eam per gratiam suam, vt inveniatur eadem virtus, & porta esse, & clavis portæ. Forsitan autem & vnaquæque virtus est regnum cælorum.

Cautè lege propter Lutheranos ecclesiæ authoritatem enervantes.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem. Evang. Homil.

Est ex Hom. 5 in Matth.

INterrogat Christus discipulos suos quem eum dicũt homines esse, vt ex Apostolorum responsionibus nos discamus diversas opiniones fuisse tunc apud Iudæos de Christo. Non solum autem, sed etiam illud, vt nos, qui volumus esse Christi imitatores, semper scrutemur, qualis opinio sit apud homines de nobis: quod multum proficit nobis, vt, si quid mali dicitur de nobis occasiones mali illius omni modo præcidamus à nobis: si quid autem dicitur boni, eius occasiones amplius augeamus. Sed & discipuli episcoporum, Apostolorum instruuntur exemplo, vt qualescunq; opiniones de episcopis suis audierint foris, referant eas. Tamen vide propter diversas Iudæorum opiniones de Christo, qua causa quidam quidem eorum dicebant eum Ioannem Baptistam, videlicet existimationem secuti Herodis dicentis ad pueros suos, Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, ideo virtutes operantur in eo. Alij autem Heliam, videlicet existimantes quòd aut secundam nativitatem suscepit Helias, aut ex eo tempore in corpore vivens, apparuit illo in tempore. Qui vero eum Hieremiam putabant, propter illa putabant quæ in principio ipso ad Hieremiam iam dixerat Deus. Ecce constitui te hodie super gentes & reges, eradicare, & demoliri, & perdere: non intelligentes, quòd Hieremias typus fuerat Christi, & propterea quæ ad eum promissa sint, in Christo sunt adimpleta, arbitrabantur ipsum esse Hieremiam, quem Deus in gentibus constituisset Prophetam. Qui autem vnum ex prophetis eum arbitrabantur, ratione simili movebantur propter illa, quæ Deus quasi ad ipsos locutus est prophetas, non tamen sunt in ipsis impleta. Et Iudæi quidem sciebant de Christo existimationes dignas velamine, quod positum erat super cor eorum; Petrus autem quasi non carnis, & sanguinis discipulus, sed qui revelatione Dei patris erat dignificatus, denegavit quidem aliquid eorum esse Iesum, quæ arbitrabantur esse Iudæi: confessus est autem, *Tu es Christus*, quod nesciebant Iudæi. Et non solum confessus est. *Tu es Christus*, sed etiam, quod maius est, *Filius Dei vivi.* Qui & per Prophetas dixerat, Vivo ego, dicit dominus. Et forsitan ideo dicebatur vivus secundum eminentiam, qua supereminet omnibus habentibus in se vitam, quoniam & solus habet immortalitatem, & est fons vitæ. Et fons quidem vitæ propriè dicitur Deus pater, qui dicit per Hieremiam, Me dereliquerũt fontem aquæ vivæ. Vita autem est quasi de fonte vitæ patris procedens, quæ dixit, Ego sum vita. Et vide quoniam sicut non est idipsum fons, & flumius, sic non est idipsum fons vitæ, & vita. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Et ego dico tibi. Tu es Petrus. & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei.* Forsitan si & nos dixerimus quod dixit Petrus, *Tu es Christus filius Dei vivi*, non carne nobis, & sanguine revelante, sed patre, qui est in cælis mentem nostram illuminante, erimus Petrus, & eandem beatitudinem consequemur quam ille, propter confessionem nostram similem confessioni illius. Tunc autem non caro, & sanguis revelat nobis Iesum esse Christum filium Dei vivi, sed pater, qui est in cælis, quando conversatio nostra in cælis est, & digna est revelatione patris cælestis, tunc vere revelatio Dei abstulit quidem à nobis omne velamentum cordis, dedit autem nobis spiritum sapientiæ, & revelationis. Si autem secundum carnem, & sanguinem cõversemur, alias autem confiteamur Iesum Christum esse filium Dei vivi, vt puta dogma huiusmodi suscipientes à parentibus traditum nobis, tunc non pater revelavit nobis, sed caro, & sanguis, propterea nec stabiles sumus in fide ipsius, sicut Petrus, nec similem ei beatitudinẽ cõsequimur. Si ergo & nos patre nobis sicut diximus revelante, confitentes Iesum esse Christum filiũ Dei vivi, facti fuerimus Petrus, vtique & nobis dicetur à Deo verbo. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, &c.* Petra est enim omnis, qui imitator est Christi, ex quo bibebant, qui bibebant de spirituali consequenti petra. Et super omni huiusmodi petra ædificatur ecclesia Dei. In singulis enim quibusque perfectis, qui habent in se congregationem verborum, & operum, & sensuum omniũ, qui huiusmodi beatitudinem operantur, consistit ecclesia Dei, cui portæ non prævalent inferorum. Si autem super vnum illum Petrum arbitraris vniversam ecclesiam ædificari à Deo, quid dicis de Iacobo, & Ioãne filius tonitrui, vel de singulis Apostolis? Vere ergo ad Petrum quidem dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei*: tamen omnibus Apostolis, & omnibus quibusque perfectis fidelibus dictum videtur, quoniam omnes sunt Petrus & petræ, & in omnibus ędificata est ecclesia Christi, & adversus nullum eorum, qui tales sunt, portæ prævalent inferorum. Tamen ex eo quod sequitur videamus, Putas soli Petro dantur à Christo claves regni cælorum, & nemo alius beatorum accipiet eas? Si autem cõmune est inter omnes, quod dicitur, *Dabo tibi claves regni cælorum*: quomodo non omnia, quæ superius sunt relata ad Petrum, omnium videantur esse communia? Apud Ioannem enim dans spiritum sanctum Iesus discipulis suis per insufflationem, sic dicit, Accipite spiritum sanctum, si cuius dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cuius autem tenueritis, te-

nebun

nebuntur,quasi omnibus talibus constitutis quale erat & Petrus. Omnes enim, qui imitatores sunt Christi, similiter Petræ cognominantur, quemadmodum Christus, & de omnibus talibus bibunt spiritalem potum homines spiritales. Et quemadmodum secundum Christi nomen omnes,qui sunt illius, Christi dicuntur,dicente Propheta, Vt saluos faciat Christos suos, sic quoniam institia dicitur Christus,omnes iusti institiæ sunt, & sapientiæ sunt, secundum quòd Christus sapientia est. Et sic inuenies in omnibus reliquis nominibus Christi,vt rectè dicatur ad omnes, *Tu es Petrus,& super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei*. Cui ei? Vtrum Petræ,non prævalebunt,in qua ædificat Christus ecclesiam:an ei ecclesiæ non prævalebunt, quam ædificat super petram, non exprimit manifeste. Tamen manifestum est, quòd nec aduersus petram illam, super quam ædificatur ecclesia, nec aduersus ecclesiam, quæ ædificatur super huiusmodi petram, portæ prævalebunt inferorum, quemadmodum nec via serpentis super petram, secundum quòd in Prouerbiis positum est, poterit inueniri. Aduersus quem autem portæ prævaluerint inferorum, ille neque petra dicendus est, super quam Christus ædificat ecclesiam: neque ecclesia, quæ super petram ædificatur à Christo, quoniam siue qui petra inambulabilis est serpenti, siue qui vera ecclesia est,fortior est portis sibi aduersantibus inferorum, propter Christum virum sapientem, qui ædificauit super petram ecclesiam suam. Nam cum sciamus, quòd vnumquodque peccatum, per quod descenditur ad inferos, porta sit inferorum intelligimus quòd omnis anima, quæ recipit super se peccatum,& propterea non est sancta,neque petra est,super quam Christus ædificat ecclesiam: neque ecclesia est, neque pars ecclesiæ quam Christus ædificat super petram. Si quis autem contradicere vobis vult propter multitudinem hominum,qui credere existimantur, ecclesiastico placetur responso dicente, Multi vocati,pauci autem electi. Item illo,quod Dominus adeuntibus se respondit, Contendite intrare per angustum ostium, dico enim vobis quòd multi quærent intrare, & non poterunt. Item,quam angusta porta,& tribulata via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam! Considerans autem quod dicit,Multi quærent introire, & non poterunt, intelliges quòd hoc de illis est dictum,qui gloriantur se esse de ecclesia,negligenter autem, & non secundum præceptum domini conuersantur.Qui ergo quærunt introire & non possunt, ideo non possunt, quia portæ inferorum prævalent contra eos. Aduersus quos autem non prævalent, sine dubio possunt introire,quoniam omnia possunt in Christo, qui eos confortat. Et hoc scire debemus, quòd sicut portæ singulæ ciuitatum nomina propria habẽt, sic vnaquæque porta inferorum secundum speciem vniuscuiusque peccati proprium habet nomen. Vtputa vna porta dicit fornicatio,per quam omnes fornicatores ingrediuntur in tartara. Altera autem denegatio Christi, per quam denegatores Christi descẽdunt in inferos. Tertia cupiditas pecuniarum, per quam cupidi pecuniarum incedunt, non Deo, sed mammonæ seruientes. Adhuc autem & vnusquisque hæresiarcharum authorum, qui aliquam falsi nominis scientiam genuerunt, ædificauit aliquam inferi portam, & aliam quidem Marcion,& Basilides,aliam autem Valentinus,& sic singuli patres singulorum dogmatum peruersorum, quasi architecti impietatis, portas aliquas inferorum construxerunt,& multi intrant per illas, qui sequuntur dogmata peruersitatis illorum. Cum sint ergo mille, & innumerabiles inferorum portæ, nulla earum prævalet contra eum,qui aut petra est,aut ædificata ecclesia super petram. Tamen portæ istæ aliquam habent virtutem,quoniam aduersus aliquos quidem prævalent, qui se non extendunt aduersus eas, neque conantur resistere eis: ab aliis autem vincuntur,qui non recedunt ab eo,qui dixit,Ego sum ianua, & ideo destruunt omnes inferorum portas ab anima sua. Et non solum hic portæ inferorum appellantur peccata,sed etiam Propheta gratias agens Deo, qui subleuat humiles de portis mortis deorsum cõsistentibus,dicit, Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Ex hoc enim discimus, quòd forte possibile non est aliquem omnes laudes Dei annunciare, nisi exaltatus fuerit de portis mortis;& factus fuerit in omnibus portis Sion. Portæ autem Sion contrariæ intelligendæ sunt portis mortis, vt sit quidem porta mortis luxuria,porta autem Sion castitas:porta mortis iniquitas,porta autẽ Sion iustitia: porta mortis timor, porta Sion virtus: porta mortis insipientia, porta Sion sapientia. Propter quas omnes portas dicebat Propheta, Aperite mihi portas iustitiæ, vt ingressus eas confitear domino. Considera adhuc si potes & illud quod dicitur, Non est nobis colluctatio cum carne, & sanguine,sed aduersus potestates, aduersus rectores huius mundi tenebrarum, aduersus spiritalia nequitiæ in cælestibus, ne forte & vnaquæque potestas & vnusquisque rector mundi,huius mundi tenebrarum,& singulæ spirituales nequitiæ in cælestibus portæ sint inferorum, & portæ mortis, quibus portis contrariæ sunt appellandæ multæ portæ iustitiæ secundum angelos Dei, qui sunt spiritus ad ministerium transmissi propter eos, qui sunt hæreditaturi salutem. Sicut enim ex parte bona multæ dicuntur portæ, post multas autem est vna,secundum quod dicitur, Aperite mihi portas iustitiæ, vt ingressus eas, confitear domino;hæc porta domini, iusti intrabunt in eam. Dominus ergo est porta domini singularis. Sic in parte mala multæ quidem sunt portæ inferorum, & mortis:vnaquæque videlicet potestas, aduersus quam colluctatio nobis est, super omnes autem alias ipse malignus porta est mortis, & inferorum. Scientes ergo singulas species carnalium passionum, per quas descendimus in mortem, si peccauerimus, caueamus ab eis, vt non peccemus,sed exaltati de portis mortis, annunciemus omnes laudes Dei in portis filiæ Sion. Vt puta in vna porta filiæ Sion,quæ dicitur castitas,in castitate, laudes Dei annunciemus, & in altera, quæ dicitur iustitia, laudes Dei annunciemus. Et generaliter in quibuscunque laudabiles fuerimus, in eis possumus laudes Dei annunciare: in quo autem non fuerimus, neque laudare possumus Deum. Ideo diximus supra,nisi quis fuerit in omnibus portis Sion, non potest omnes laudes Dei annunciare. Quoniam autem facti sumus in hoc vt de portis loquamur, illud quoque non puto præ

prætereundum, quod dicit Propheta, Oderunt in portis arguentem, & verbum sanctum abominati sunt, ne forte qui in portis arguit, etiam ipse vnus est consistentium in portis filiæ Sion arguẽs eos, qui in contrariis portis consistunt, id est, in peccatis, portis mortis, & inferorum. Nec enim potest quis arguere sancte, nisi ipse consistat in portis filiæ Sion. Si autem non ita intellexeris propheticum dictum, quomodo digna inueniatur prophetico spiritu dictio ista? nunquid non sufficerat dicere, oderunt arguentem, nisi addidisset, in portis? Post hæc videamus quomodo dictum est Petro, & omni fideli, qui Petrus est, *Dabo tibi claues regni cælorum.* Et primum quidem arbitror consequenter dominum prius dixisse, *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei:* & postea, *Tibi dabo claues regni cælorum.* Dignus est enim ab eodem ipso verbo accipere claues regni cælorum, qui obstruxit portas inferorum, vt non præualerent aduersus eum. Quasi præmium enim in secundo loco dantur claues regni cælorum ei, qui potuerit virtutibus portas obstruere inferorum, vt ipse sibi aperiat portas regni cælorum, quæ clausæ sunt eis, qui à portis inferorum vincuntur. Et ingreditur qui quidem castus est, per aliquam castitatis portam, ipsa castitate sibi eas aperiente vt claue. Qui autem iustus est, intrat perfectam iustitiæ portam, quæ aperitur claue iustitiæ. Et sic in singulis quibusque virtutibus. Omnis enim species virtutum, cum quis eã cœperit operari, quasi ipsa se adaperit ante eum, qui accesserit ad eam ex corde, domino videlicet eam aperiẽte per gratiam suam ei, qui à portis inferorum non fuerit victus, vt inueniatur eadem vittus, & porta esse, & clauis portæ, & tot innenianiur claues, quot & portæ. Forsitam autem & vnaquæque virtus regnum est cælorum, & omnes simul sunt regnũ cælorum: secundo hoc qui conuersatur secũdum virtutes, iam videtur esse in regno cælorum. Forsitam secundum hunc intellectum & illud dicitur, Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum, vt non ad tempus referatur, sed ad actũ, & propositum vniuscuiusque, quod dicitur appropinquauit regnum cælorũ, quod est Christus, qui est omnis virtus, qui venit & loquitur. Sicut enim regnũ Dei nõ venit cũ obseruatione, nec dicent, ecce hic, ecce illic, sed est intra discipulos Christi, sic & regnũ cælorũ. Nam videtur ad idipsum referri in multis locis euangeliorũ regnũ cęlorum, & regnum Dei. Vide autem quantam potestatem habet petra, super quam ædificatur ecclesia Christi, & omnis qui dicit, *Tu es Christus filius Dei viui*, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per eum, si tamen in eo ipso quo iudicat, portæ inferorum non præualuerint ei. Qui ergo iniuste iudicat, & non secundum verbum Dei, neque liget in terris, neque secundum voluntatem ipsius soluat, portæ inferorum præualent contra eum. Aduersus quem autem portæ non præualent inferorum, iste iuste iudicat, propter quod & habet claues regni cælorum, & aperit eis, qui soluti fuerint super terram, vt sint soluti, & liberi in cælo: & claudit eis, qui iusto iudicio eius ligati fuerint super terram, vt sint quasi ligati in cælo, & iudicati. Quoniam autem qui episcopatus vendicant locum, vtuntur hoc textu quemadmodum Petrus, & claues regni cælorum accepias habentes à Christo, docent quod qui ab eis ligati fuerint, in cælo esse ligatos: & qui ab eis soluti fuerint, id est, remissionem acceperint, esse & in cælo solutos, dicendum est, quod bene dicunt, si opera habent illa, propter quæ dictum est illi Petro, *Tu es Petrus.* & tales sunt, vt super eos ædificetur ecclesia Christi, si portæ inferorum non præualeot eis. Alioquin ridiculum est, vt dicamus eum, qui vinculis peccatorum suorum ligatus est, & trahit peccata sua sicut funem longum, & tanquam iuge lorum vituli iniquitates suas: propter hoc solum, quod episcopus dicitur habere huiusmodi potestatem, vt soluti ab eo sint soluti in cælo: aut ligati in terris, sint ligati in cælo. Sit ergo epicopus irreprehensibilis, qui alterum ligat, aut soluit, dignus ligare, vel soluere in cælo: sit vnius vxoris vir, sobrius, castus, ornatus, hospitalis, docibilis, non vinolentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, non concupitor pecuniarum, bene præsidens domui suæ, filios habens subditos cum omni castitate. Si talis fuerit, nõ iniuste ligabit super terram, neque sine iudicio soluet. Propterea quæcunque soluerit, qui huiusmodi est, soluta erunt, & in cælo: & quæ ligauerit super terram, ligata erunt & in cælo. Si enim fuerit quis, vt ita dicam, Petrus, & non habuerit, quę in hoc loco dicũtur quasi ad Petrum, & putauerit se posse ligare, vt sint ligata in cælo: & soluere, vt sint soluta in cælo, ipse se fallit, non intelligens voluntatem scripturæ, & inflatus incidit in iudicium diaboli.

Caue, ne impingas dogma Vuicleffitarũ asserentiũ propter peccatũ mortale amitti authoritatem ecclesiasticam.

S. HILARII EPISCOPI

Pictauorum superioris Euangelij expositio.

VEnit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogat discipulos suos, & reliqua. In processu sermonis atque operis, absolutius discipulis cognitionem suam præstat: & quandam intelligendi se formam rationemque constituit. Est autem hæc vera & inuiolabilis fides ex Deo æternitatis, cui ob id quod semper filius fuerat, semper & ius patris & nomen sit (ne si non semper filius, non semper & pater sit) Deum filium profectum fuisse: cui sit ea æternitate parentis æternitas: Nasci autem eum voluntas eius fuit, cuius in virtute ac potestate inerat vt nasceretur. Est ergo filius Dei ex Deo Deus, vnus in vtroque: theoteta enim, quam deitatem Latinè nuncupant, æterni eius parentis ex quo nascendo est profectus, accepit. Accepit autem hoc quod erat: & natum est verbum quod fuit semper in patre. Atque ita filius & æternus & natus est: quia non aliud in eo natum est, quàm quod æternum est. Hunc igitur assumpsisse corpus, & hominem factum esse, perfecta confessio est: quia sicut æternitas naturę nostræ corpus accepit, ita cognoscendum est, naturam corporis nostri æternitatis assumere posse virtutem. Igitur quia summum in fide ista bonum est, à discipulis requirit quem se homines esse dicerent: & adiecit, hominis filium. Hæc enim confessionis tenenda ratio est, vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Æditis itaque, quæ diuersæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant quærit. Petrus respondit

spōdit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Sed Petrus conditiones propositionis expēderit. Dominus enim dixerat: Quem me homines esse dicunt, filium hominis? Et certè filium hominis contemplatio corporis præferebat. Sed addendo, *quem me esse dicunt*, significauit præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est: sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui vltra humanum oculos intendisse & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei filium cælestis patris reuelatione conspiciens: dignúsque iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione noui nominis felix ecclesiæ fundamentum: dignáque edificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret! O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cælo: vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo.

Petri ... cæl. (margin)

S. HIERONYMI PRESbyteri in superius Euang.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Philippus iste est frater Herodis: de quo supra diximus, tetrarcha Itureæ & Trachonitidis regionum: qui in honorem Tiberij Cæsaris, Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellauit: & est in prouincia Phœnicis: imitatus Herodē patrem, qui in honorem Augusti Cæsaris appellauit Cæsaream, quæ prius turris Stratonis vocabatur: & ex nomine filiæ eius Iuliadem trans Iordanem extruxit. Ille locus est Cæsareæ Philippi, vbi Iordanis oritur ad radices Libani: & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum Dan: qui simul mixti, Iordanis nomen efficiunt. *Et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis.* Non dixit, quem me dicunt esse homines, sed filium hominis: ne iactanter de se quærere videretur. Et nota quod vbicunque scriptum est in
Psal. 4. veteri testamento, filius hominis, in Hebræo, filius Adam positum sit. Illud quoque quod in Psalmo legimus: Filij hominum vsquequo graui corde: in Hebræo dicitur, filij Adam. Pulchre autem interrogat: Quem dicunt homines esse filium hominis: quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt: qui vero diuinitatem eius intelligunt, non homines, sed dij appellantur. *At illi dixerunt: Alij Ioannem baptistam, alij autem Heliam, &c.* Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum, & disputationem longissimam texere: quare dominum nostrum Iesum Christum, alij Ioānem putauerint, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis: cum sic potuerint errare in Helia & Hieremia: quomodo Herodes errauit
Marc. 6. in Ioanne, dicens: Quem ego decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis: & virtutes operantur in eo. *Vos autem quem me esse dicitis, &c.* Prudēs lector attende, quod ex consequentibus textúque sermonis, apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur. Cum enim dixisset: Quem dicunt homines esse filium hominis: subiecit: Vos autem quem me esse dicitis? Illis quia homines sunt humana opinantibus: vos qui estis dij quem me esse existimatis? Petrus ex persona omnium apostolorum profitetur: Tu es Christus filius Dei viui. Deū viuum appellat ad distinctionem eorum deorum qui putantur dij, sed mortui sunt: Saturnum, Iouem, Cererem, Liberum, Herculem, & cetera idolorum portenta significans. *Respondens autem Iesus dixit ei. Beatus es Simon, &c.* Testimonio de se apostoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Christus filius Dei viui: mercedem recepit vera confessio: Beatus es Simon Bariona. Quare? quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed reuelauit pater. Quod caro & sanguis reuelare non potuit, spiritus sancti gratia reuelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum quod reuelationem ex spiritu sancto habeat: cuius & filius appellandus sit. Siquidem Bariona in nostra lingua sonat, filius columbæ. Alij simpliciter accipiunt, quod Simon, id est, Petrus, sit filius Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem: Simon Ioannis diligis me? Qui respondit: domine tu scis. Et volunt scriptorum vitio deprauatum: vt pro Bariohanna, hoc est filius Ioānis, Bariona scriptum sit, vna detracta syllaba. Ioanna autem interpretatur domini gratia. Vtrunque autem nomen mysticè intelligi potest, quod & columba, spiritum sanctum: & gratia Dei, donum significet spirituale. Illud quoque quod ait: Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, apostolicæ narrationi cōparatur, in qua ait: Continuo non acquieui carni & sanguini: Carnem ibi & sanguinem, Iudæos significans: vt hic quoque sub alio sensu demōstretur: quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei filius reuelatus sit. *Et ego dico tibi.* Quid est quod ait: Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus filius Dei viui: & ego dico tibi, non sermone casso, & nullum habente opus, sed dico tibi: quia meum dixisse, fecisse est. *Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Sicut ipse lumen apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur: cæteráque ex domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphorā Petræ, rectè dicitur ei: Ædificabo ecclesiam meam super te. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Ego portas inferi reor vitia atque peccata: vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaque putet de morte dici, quod apostoli conditioni mortis subiecti nō fuerint: quorum martyria videat coruscare. *Et dabo tibi claues regni cælorum. Et quodcunque, &c.* Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisæorum assumunt supercilio: vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico Leuit. 14.
de leprosis: vbi iubentur, vt ostendant se sacerdotibus: & si lepram habuerint, tūc à sacerdote immundi fiant: non quo sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quo habeant noticiam leprosi & non leprosi: & possint discernere qui mundus, quive immūdus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic

alligat, vel soluit episcopus & presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.

S. AMBROSII MEDIOLANENS. Episcopi in eodem festo, Homil. 1.

Est Ser. 67. CVm omnes beati apostoli parem gratiam apud dominum sanctitatis obtineant nescio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in saluatorem fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cælestis dedit: Paulo tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit: scilicet, vt quos iste erudierit ad salutē, ille suscipiat ad quietem, & quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura reserantur, mentium secreta panduntur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationali manifestatione producitur. Clauis inquam est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur claues à domino perceperunt: scientiæ iste, ille potentiæ: diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptum est; Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Ergo beatus Petrus, & Paulus eminēt inter vniuersos apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verū inter ipsos quis cui præponatur, incertum est: puto enim illos æquales esse meritis quia æquales sunt passione: & simili eos fidei deuotione viuisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirēt. Vno in loco ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore: vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tādem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatū & caput obtinet nationum: scilicet, vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morarentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus, & Paulus, hinc possumus intelligere. Quia cum dominus orientis regionem propria illustrauerit passione, occidentis plagam ne quid minus esset, vice sui apostolorum sanguine illuminasse dignatus est: & licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam, quare ista perpessi sunt scilicet quod inter cætera mirabilia etiam magnum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cum enim idem Simon se Christum diceret: & tanquam filium ad patrem asseueret volando se posse conscendere: atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tūc Petrus fixis genibus, precatus est dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit ad dominum oratio quam volatus: & ante peruenit iusta petitio quam iniqua præsumptio. Ante Petrus in terris positus obtinuit, quod petebat: quā Simon perueniret in cælestibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit: & quodam præcipitio in saxo elidens eius crura confregit. Et hoc in opprobrio facti illius, vt, qui paulo ante volare tentauerat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed nec forte hoc mirum videatur, quòd magus iste præsente apostolo per aerem aliquandiu volitauerit: hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimius ascēdere, vt altius caderet. Voluit enim in excelsum leuari ad conspectū omnium, vt ruentem illum de excelso oculi omnium perviderent. Hæc igitur est iniquitatis elatio: vt in altum se ferat: in sublime se erigat. Sed sancta oratio omnem humiliat superbiam: vniuersam deijcit vanitatem.

EIVSDEM DE EODEM Homil. 2.

NAtalem beatissimorum apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuisis epulis nos reficere debemus: & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorum solennitatem non magna cūm lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi eahibeat apparatus: vt quo plus expenderit, plus se apostolos confirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram, nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit. Est Ser. 68. Est enim omnibus copiis refectum vas ei: quod illi de cælo esurienti delatum est. Igitur qui esurit sicut Petrus, reficitur ipse cum Petro. Vt quid ergo præparemus nobis proprium prandium, cum apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas, cum cælestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actibus apostolorum; post orationem esurienti Petro circa horam sextā aperto cælo, vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum: in quo erant quadrupedia, & repentia terræ, & volatilia cæli, Act. 10. & dixisse dominum ad eum; Petre, surge, immola, & manduca. Ecce Petrus qui dicit alibi; Aurum, & argentum non est mihi: nunc conuiuij eius vasculum splendidius est argento. Et qui propter Christū argenti speciem refutasset, per Christum argēti vitore ditatur. Prāsuro igitur Petro desunt coquorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed quod est melius, ministeria diuina non desunt, & vtilioris communione sancto viro quod deest in terris, abundat in cęlis. Vt reficiatur enim Petrus, nō cellarium sollicite reseratur: sed cælum ipsum protinus aperitur. Legimus in scripturis sanctum Eliam in deserto Coruis ministrantibus 3. Reg. 17. pastum: quanto melius Petrus, cui non paruam escam tetra auis porrigit, sed integrum cōuiuium multitudo angelica subministrat? Post orationem ergo esurijt Petrus. Mirādum, cur sanctum virum

post

post orationem fames sequatur: cum soleat fames oratione depelli, esuriens anima nó nisi obsecrationibus saginari? Sed puto Petrum post oratioñ non cibum esuriisse hominum sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cum enim Iudaicus populus perfidus, & ingratus illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officij sustinebat. Famem enim patitur, qui minime fructum sui laboris assequitur. In cœnaculum igitur ad orationem festinus ascendit. Bene ait in cœnaculum ad orationem ascendisse Petrum: quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia, vel terrena in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur: & cogitatione sancta ex loco vicinius efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est, cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Iudaici populi offertur vas diuersorum generum animalibus plenum, velut diuinitate dicente illi; Tu iam Iudæos solos esuris: ecce famem fidei tuæ cunctarum gentium diuersitate reficio. Nam vtique diuersa animalia collecta in vno vasculo diuersarum gentium congregatio collecta in vna ecclesia demonstratur: quæ ecclesia in illius vasculo splendido dum nó habet maculam neque rugam, linteι nitore resplendet. In qua primum animal Deo ex gentibus centurio Cornelius est immolatus. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus. Cum enim videmus gentilium turbas ad fidem Christianitatis accurrere: simul cum apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt, quorum curamus natalẽ hodie: sed renati viuũt pariter: quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omniũ. Quáuis enim corpora passione cæsa sint, interruptus tamẽ non est ordo viuentiũ. Iugiter enim & Deo gratias agunt, & laudes saluatori referunt: nisi quod resoluta membrorum sarcina magis adhæreat Christo: sicut ait Paulus: Dissolui, & cum *Phil.1.* Christo esse quanto melius. Non ergo dicenda est mors, qua interueniente caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est plane dicẽda mors, quæ Christo mortuum socians, lucrum *Phil.1.* efficit morientis: sicut ait beatus apostolus, Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Illa autem vera est mors, quæ etiam viuẽtem hominem peccatorum morte constringit: qui quamuis viuere videatur: sceleribus tamen suis mortui iam vi- *1.Tim.5.* detur addictus: sicut ait apostolus de illa deliciosa vidua: hæc autem viuens mortua est.

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 3.

Ex Serm.69. NOtum omnibus vobis est, fratres, & vniuerso mundo notissimum, quod beatissimorum Petri, & Pauli natalis est hodie: nec aliquam partem orbis latere potest tanta deuotio. Siquidem *Psal.18.* de ijs dicat Dauid propheta; In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In omnem terram mirabiliũ Petri virtus diffusa est: & in fines orbis terræ epistolarũ Pauli verba penetrarunt. Quis enim non audiuit: quod primũ Petrus sedenti ad portam speciosam claudo, & ex matris suæ olim ventre iam debili pedũ restitueret firmitatem: vt quod natura minus contulerat, apostolica gratia repararet? Cum enim idem claudus stipem rogans aliquid pecuniæ se ab apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus, Argentũ, & aurũ non habeo: sed quod habeo hoc *Act.3.* do tibi: In nomine Domini Iesu nostri Christi Nazareni surge, & ambula. Beata plane largitas, quę petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quęrit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait; *Matth.16.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã. Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur ecclesia: rectè priùs pedes sanat. Vt sicut in ecclesia fidei fundamentum continet: ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, primum in Christiano pedes curat: vt iam non intrepidus, nec imbecillis possit super petram ecclesiæ: sed robustus, & fortis incedere. Vbi autem verba Pauli apostoli non leguntur? Qui locus ea non litteris inscribit, corde retinet, conuersatione custodit, quia Paulus à Domino vas electionis est nominatus? Bonum vas in quo pretiosa mandatorum Christiani præcepta conduntur: bonum vas, de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima apostolorum nomina petra & vasculum necessaria domui saluatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur: vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labãtur sustẽtat populos: vas ad custodiam ne tententur operit Christianos. Exitus vero eorum de hoc seculo quam beatus fuerit, nemo est, qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quod ambo vna die passi esse noscuntur: scilicet, vt quos vna fides seruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret: deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit: tamen quanta referta est gratiæ sanctitate! Nam Petrus crucis sicut saluator exitum tulit, & à Dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est: scilicet, vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cum eã persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quam sanguinis: & mirum in modum sanctum apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidũ potius quam cruentum. Quę quidem res in sancto Paulo stupẽda non est. Quid enim mirũ, si abundat lacte nutritor ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait; Lac vobis potum *1.Cor.3.* dedi, non escam. Hæc est plane repromissionis illa terra: quam patribus nostris Deus promisit, dicendo; Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutúmque permiscet: sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ iugiter purũ, suauéque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam vbera ecclesiarũ populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in ipso: quoniam caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. *1.Cor.15.* Igitur iam Paulus possidet regnum, quoniam caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus etiam in regni cælestis substantiam transformatur.

S. GAVDENTII BRIxiani de Petro & Paulo, Sermo.

Est in libello seorsim excuso.

VEnerabilis antistes Christi, communis autem pater affectu, quo me proficiscentem detinuit nunc etiam compulit excusantem: vt iterum dilectionem vestram tractatu sermonis alloquerer. Et idcirco aliquid de laudibus beatissimorum apostolorum pro pusillitate sensus mei perstringam; Ipsorum tamen, quorum natalis est, precibus animatus: tres intelligimus natiuitates humano generi ab æterna trinitate concessas. *Nota sanctorum intercessionem.* Vna carnalis est omnium, duæ spirituales sunt pro merito fidei singulorũ. Prima, qua creamur ex nihilo in substantiam vitæ mundanæ; secunda, qua regeneramur in baptismo ex iniquitate, & erroribus ad iustitiæ veritatem; tertia, qua beatissimi martyres ob confessionem nominis Christi per tormenta nascuntur ad regnum. Talis forma præcessit in Christo: qui ex virgine natus in Iordane nascitur: in crucis patibulo preciosi cruoris sanguine baptizatur. Nam post illud baptisma, quod pro nobis in Iordane susceperat, per passionem suam dicit apostolis; baptisma habeo baptizari. Resurrexit enim ex ipso baptismo passionis ad vitam termino iam nullo claudendam. Remeauit ad regnum, cuius regni non erit finis. Per huius magistri vestigia gradiuntur fideles discipuli Petrus, & Paulus, quorum passionis natalem hodie per vniuersum mundum omnes ecclesiæ debito honore celebrant. In hoc enim apud vrbem Romam ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit: domini iustitia coronauit. Petrus crucifigitur verso ad terram capite, & in sublime pedibus eleuatis: asserens indignum se, qui ita crucifigeretur vt dominus suus Paulus gladio capite truncatur, ambo nobiles, ambo insignes: duo vero mundi lumina, columnæ fidei, ecclesiæ fundatores, innocentiæ magistri, totius sanctitatis, & veritatis auctores: quos nunc digne laudare possumus, si eos diuinis testimoniis prædicemus: quibus eos veritas ipsa laudauit. Petro confitenti dominus dicit; Beatus es, Simon Bariona, quoniam caro, & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus, qui in cælis est. Et tibi dico Petre; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & cætera. De Paulo quid dicam? Quoniam vas electionis est, inquit, hic mihi: vt portet nomen meum in vniuerso mundo super vnũ fundatur ecclesia: alter preciosum fidei mutum doctrina sua portat in populo: ipse vas electionis effectus. Petrus signis, & mirabilibus enitescit. Paulus in doctrina, & persecutionibus gloriatur. Petrus erat ante piscator: Paulus persecutor: sed ambo postea facti sunt hominum piscatores. Etenim per totum mare seculi huius salutatoris doctrinæ retia tetenderunt. Petrus ambulare iuberur in fluctibus: Paulus in nubibus, diuinisque ad tertium ducitur cælum: ambo in inuij itineris gradiuntur elemento, fidei virtute sublimes: quem cui præponere audeam, nescio: cum dominus eos sub vna confessione æquales in passione monstrauerit, in vera fraternitate côiunxerit: vnanimitatis vinculo copularit: vt etiam de ipsis rectissimè præsumamus prophetico spiritu prædicatum; ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnũ. Sunt quidem Moyses, & Aaron, de quibus dicitur, fratres sunt prophetæ, & Apostoli, vna doctrina spiritu fratres sunt in nobis interior & exterior homo, si vnum sapiant, fratres sunt etiam Petrus, & Paulus, vere consanguinei fratres: quos vna pariter fides proprij sanguinis fecit communione germanos. Ego eos & geminos dicere fratres audebo: quos magister vna confessione felici vtero simul fudit in regnum. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Cômunicemus igitur, fratres, sanctorum Apostolorũ memoriis, fide, opere, côuersatione, sermone, vt mereamur eorũ precibus ad omnia, quæcunque poscimus, adiuuari largiente gloria domini Iesu Christi, cui omnis honor in secula seculorum, Amen.

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euang. Homilia.

In Hom. in Matth.

QVum venisset autẽ Iesus in partes Cæsareæ Philippi interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Cuius rei gratia nomen illius scripsit, qui vrbem condidit? Quoniã alia etiam est, quæ Stratonis dicitur, nec in illa, sed in hac discipulos interrogauit. Procul enim Iudæis abduxit, vt ab omni solicitudine liberi, nô dubitarent apertè dicere, quæ sentirent. Cur autem non statim de sua, sed de multorũ prius sententia ipsos interrogauit? Vt opinione aliorum exposita, rursus interrogati, Vos autem quem me esse dicitis? ab ipso interrogandi modo, non abiecta atque humilia, vt multi; sed sublimiora, ac diuiniora responderent. Qua etiam de causa non ibeò ab ipso prædicationis initio hæc quæsiuit, sed quando multa coram ipsis operatus miracula iam fuit, quum sublimiora dogmata percepetiut, quum de sua Deitate, ac æqualitate cum patre multa significauit, tunc damum ad hæc interroganda descendit. Nec dixit, quémnam me asserũt esse Scribæ, & Pharisæi, quamuis crebro etiam ipsi colloquuti cũ eo fuerint, & miracula nônulla viderint: sed quem me, inquit, homines esse dicũt? Populi certè opinionem de se quærebat. Quonia enim deiectior esset, procul tamen ab omni erat malitia qua Pharisæi, & Scribæ maximè peruertebantur. Vt autem ostenderet, quàm valde vellet humanitatis suæ dogma confirmari, filium hominis inquit: deitatẽ enim suam sic solet appellare. Nollus enim, ait, ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis, Et rursus: Quum autem videritis ascendentem filium hominis vbi erat prius. Cùm itaque discipuli respondissent, quoniam alij te Ioannem, alij Heliam, alij Hieremiam aut vnum Prophetarum æstimant, hac falsa eorum opinione in medium prolata, Vos verò, inquit, quem me esse dicitis? Ita eos hac secunda interrogatione, vt maiora de ipso cogitarent, admonuit. Ipso enim interrogandi ostendit modo, multum à dignitate sua vulgares illas abesse opiniones: idcirco enim iterum interrogando aliam ab eis sententiam quærit: & quoniam plura, maioráque signa, quàm cæteri viderũt, maiora etiam de

Potius iuxta concilii Ephesini sensum esse dicendum de sua persona eum loquutũ esse, qua propter duas naturas verè, quæ propriæ tei sibi attribuebat.

Ioan. 6.

de ipso dicerent, quam homini conueniat. Nam vulgus quidem hominem nudũ putabat ex mortuis resurrexisse, veluti etiam Herodes dicebat, à qua suspicione procul abducens: *vos verò, ait, quem me esse dicitis?* Vos, inquam, qui plura me fecisse vidistis, qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis? Quid igitur Petrus omniũ Apostolorum os, vertex consortij totius? quum omnes interrogati essent, ipse solus respõdet. Et quando quidem de sententia vulgi petebat, omnes respõderunt: quum verò de sua eos rogaret, Petrus cõfestim præsiluit, ac præueniens ait; *Tu es Christus filius Dei viui.* Quid igitur Christus? *Beatus es, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.* Atqui nisi propriè sic Petrus intellexisset, & ab ipso patre natum crederet, non fuisset reuelationis opus illa confessio, nec aliqua beatificatione digna, si vnum ex multis Dei filiis illum putasset. Etenim iam pridem post tempestatem, qui erant in nauigio, verè filius Dei es tu, dixerunt: & quamuis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Nõ enim ita vt Petrus, sed vnus ex multis vere filium æstimabant, præcipuum quidem, magisque dilectum, non tamen ex patris substantia natum. Nathanaël quoque dicebat; Rabbi, tu es filius Dei, Tu es rex Israel: nec solum beatificatus non est, verumetiam quasi multò inferiora quam oporteat, cogitaret, sic à Christo erat redargutus. Quoniam tibi dixi, quia vidi te sub ficu credidisti: maiora his videbis. Ea igitur de re Petrus beatificatur, quia Christum patris propriè filium confessus est, qua etiam de causa nihil tale de illis dictum est, quale de hoc dicitur, quia pater reuelauit tibi. Nam, ne, quoniam vehementer amoris vinculo Petrus Christo coniungebatur, assentatiuncula gratificans, hæc verba dixisse multis videretur, in medium patrem produxit, qui ad confessionem veritatis animũ Petri commouit: ita Petrus quidem loquutus est, pater autem illi, quod loqueretur, subiecit, vt non humanã opinionem, sed diuinam sentẽtiam diuinitus dictam Petrum credas enunciasse. Quare autem non ipse apertè dicit, ego sum Christus, sed de aliorum sententia rogãdo, discipulos inducit? Quia videlicet & ipsum magis ita decebat, & illi ad fidem hoc modo inuitabantur. Vides quomodo filium pater, patrem filius reuelat. Nec enim patrem quisquam recognoscit, ait, nisi filius, & cuicúmque voluerit filius reuelare. Non ergo possumus aliunde cognoscere filium, quam à patre: nec patrem aliunde, quam à filio: ita etiam hinc honoris gloria, & substantiæ prædicatur identitas. Quid igitur Christus? *Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas.* Nam, quia patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomino, qui te genuit: ac si diceret, quemadmodum tu Ionæ filius es, sic ego patris mei filius sum. Nam alioqui superuacaneum omnino, atque superfluum esset dicere, *tu es filius Ionæ.* Verum quia ille dixit, tu es filius Dei: vt sic se esse filium Dei ostendat, sicut ille Ionæ filius, eiusdem videlicet substantiæ cum patre, idcirco illud adiecit; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* id est, fidem, atque confessionem. Hic apertè prædixit magnam eorum, qui credituri erãt, & sunt multitudinẽ fore, & sublimi sapere ipsum facit, & ecclesiæ futuræ pastorem constituit. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Si verò aduersus ecclesiam non præualebunt, multò minus aduersus me præualebunt. Non enim turbari te conuenit, quũ audieris, quia tradar, & crucifigar, alium deinde honorem ei præbet. *Et ego autem dabo tibi claues regni cælorum.* Non dixit rogabo patrem, vt tibi det, sed, quamuis magna erat potestas, & doni magnitudo ineffabilis, ego tamen dabo tibi, inquit, ac si diceret: Quemadmodum tibi pater dedit, vt me cognosceres, ita & ego tibi dabo. Quid das, quæso? *Claues,* inquit, *regni cælorum: Vt quæcunque ligaueris super terram, sint ligata in cælis, & quæcunque solueris super terram, sint soluta in cælis.* Quomodo igitur non est eius, qui dicit, *ego tibi dabo,* sessum etiam in dextris, & sinistris concedere? Animaduertis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus reuelando filium Dei ostendit. Nam, quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura ecclesia tot, tãtisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & pater ad Hieremiam dicebat; Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Quare libenter ab iis quærerem, qui dignitatem filij minorem, quam patris dicunt, quæ quam sibi maiora dona videantur, quæ pater, aut quæ filius Petro largitus est? Pater quidẽ reuelationem ei filij sui dedit: filius autem, partim vt iam patris quam filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare, partim vt, quamuis homo esset mortalis, cælesti tamen potestate polleret, & claues haberet regni cælorum: ita Petrus ecclesiam per vniuersum orbem amplificatam, cælo etiam ipso validiorem monstrauit. Transibunt enim, inquit, cælum & terra, verba autem mea non transibũt. Quomodo ergo minor est, qui hæc in Petro effecit? Hęc autem non ideo dico, quia alia patris, alia filij opera esse putem. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed, vt linguam eorum abscindamus, qui talia proferũt: Tu verò mecum ex eis omnibus quanta sit potestas eius intellige, *Ego tibi dico,* inquit, *Tu es Petrus, & ego super te ædificabo ecclesiam meam, ego tibi dabo claues regni cælorum.*

Luc. 9. — Petrus apostolorum omnium os, & vertex. — Ioan. 1. — Luc. 10. — Alij petram exponunt super se Petrũ. Christus Petrum ecclesiæ futuræ pastorẽ constituit. — Petrus ecclesiæ caput à Christo constituitur. — Hie. 1. — Christus Petrum vniuerso terrarũ orbi præposuit. — Ioan. 1. — Petrus ecclesiæ fundamentum.

EIVSDEM IN EODEM festo Homil.

Est apud Metaphrastem.

CÆli, & terræ video certamen propter præsentem celebritatẽ memoriæ Apostolorum cœlestibus quidem virtutibus laudãtibus, & bonis verbis prosequentibus doctrinam laboris eorum, vtpote quòd per eos cognitum fuerit carnis à verbo susceptæ mysterium, quomodo clamat Paulus, Vt innotescat nunc principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiplex Dei sapientia; qui sunt autem in terra, hominibus contendentibus per commemorationem, summis Apostolis dignas laudes offerre, vt qui per ipsos redierint ad salutem. Quid enim est Petro maius? Quid verò potest cõferri cum Paulo? qui quidem opere, & sermone omnem naturam creatam vicere tam in cælo, quàm in terra:

qui luto corporis implicati, vel ipſis Angelis inuenti ſunt maiores. Quid ergo dicemus magiſtris naturæ creatæ tam infernæ, quàm ſupernæ? Non inuenio orationem dignam ad laudandum eos, qui noſtrum genus laudauere, qui vniuerſam terram, & mare obiere, & peccatorum radices euellere, & pietatis ſemina deiecere in cordibus hominum, qui erãt increduli. Petrus magiſter Apoſtolorum. Paulus cognitor œconomiæ ſupernarum virtutũ. Petrus frenum ingratorum Iudæorum. Paulus adhortatio gentium. Vide autem excellentem Domini ſapientiam. Petrum quidem elegit ex piſcatoribus; Paulum autem ex iis, qui conſuebant tabernacula. Et quod electionis quidem apparet; eſt ex his artibus, quod autem intelligitur, eſt valde admirabile, quia Dei quoque eſt electio. Quoniam enim obruebatur gloria Iudæorum, piſcatori commiſit Deus, vt ſcrutaretur profunda maris, quod percipitur intelligentia, dicens ei: Vade ad mare, & iace hamum, & cum qui aſcenderit, primum piſcem ſuſtuleris, aperi os eius, & inuenies ſtaterẽ. Mare dicens, mentem Iudæorum inſtabilem, hamum autem doctrinæ verbum artificioſum, & piſcem legem. Aperire autem os eius, ſignificat eam interpretari: quomodo rurſus in eo inuenire ſtaterem ſignificat examinare ipſam ſpiritaliter. Paulo autem, vtpote ſutori tabernaculorum, totas gentes tradidit, vt eos qui lege, & gratia nudati erant pelle indueret coccinea, quæ aqua, & ſanguine Domini tincta fuerat. Audiuit enim ipſe quoque Dominum ad ipſum clamantem: Ad gentes procul ego mittam te. O beata Dyas, cuius fidei ſunt creditæ animæ mũdi vniuerſi. Petrus principium fidei orthodoxæ, magnus interpres ſacrorum Eccleſiæ, Chriſtianorum neceſſarius conſiliarius, theſaurus ſupernarum virtutum, qui fuiſti honoratus a Domino Apoſtulus. Paulus magnus præco veritatis, orbis terrarum gloriatio; qui es homo in cœlis, & Angelus ſuper terram, gloria Eccleſię; qui volas Aquila in excelſis; qui es lyra ſpiritus: qui es hirundo, & cicada, qui inſtrumentum Dominicum, qui vigilans Chriſti miniſter. Paulus, & Petrus iuncti boues Eccleſiæ, qui vniuerſo orbi terrarum bonam intulerunt negociationem, qui crucem pro iugo ſuſtulerunt, pro onere autem, nomen ſaluatoris, pro collaribus verò teſtamentum ſcripturarum, pro ſtimulo gratiam ſpiritus. Paulus, & Petrus, qui Eccleſiam in dies lætificant, receptacula ſpiritalia, orbis terræ publica diuerſoria, ſanctæ interpretandæ Trinitatis inſtrumenta, à Deo verbo ſuſceptæ carnis œconomiæ interpretes. Petrus, amor meus ſpiritalis. Paulus vas electionis, meus baculus. Petrus templum Dei. Paulus os Chriſti; qui es trium cubitorum: & ad tertium cælum peruenis; qui loco circumſcriberis, & mundum vniuerſum Domino circumſcribis: qui ab Hieruſalem: & circumcirca vſque ad Illyricum ſparſiſti Euangelium: qui es velox curſor; qui diuina es impletus gratia; Cui fecit Dominus teſtimoniũm, quòd portes nomen eius in conſpectu totius orbis terræ: qui tertium cælum peruaſiſti, & ingreſſus es in paradiſum, & vſque ad Dominicam, quæ mente comprehendi non poteſt cathedram aſcẽdiſti, & arcana myſteria audiuiſti, quæ non licet homini loqui. Quid autem Petro quoque dicemus, qui eſt dulce Eccleſiæ ſpectaculum? Is reuera eſt lampas vniuerſę terræ; alba, & caſta columba, acris, & vehemens Apoſtulus, feruens ſpiritu, Angelus, & homo gratia plenus, ſolida petra fidei, vetuſtus Eccleſiæ ſenſus; Qui, Beatus es, & columbæ filius, propter caſtitatem audiſti ex ore Domini: Qui claues Regni cælorum accepiſti ab ipſo Domino. Vos Angelorum ordines ſpoliaſtis. Et quid dicam amplius? Vos laudat ipſe Dominus: Vos eſtis lux mundi, dicens. Qui eſtis potentiores Regibus, fortiores militibus, ditiores diuitibus, ſapientiores Philoſophis, eloquentiores oratoribus; qui nihil habetis, & omnia poſſidetis. Vos eſtis martyrum tolerantia; Patriarcharum orthodoxa ſententia; Monachorum exercitatio; Virginum coronatores, eorum, qui ſunt matrimonio coniugati, pacificatores: raptorum refrenatores; intemperantium caſtigatores: tegumentum Regum, muri Chriſtianorum; Barbarorum aduerſarij, qui chamum hæreticis imponitis; qui à ratione alienas morte afficitis animi perturbationes; qui legiones dæmonum expulſiſtis, qui aras idolorum diruiſtis; qui & infra, & ſupra diuites fuiſtis; vt qui ſuperorum quidem claues acceperitis: eorum autem, qui ſunt infra, ſoluendi, & ligandi peccata poteſtatem habetis. O rudis idiotæ miraculum. O illiterati ſapientia. Petrus vmbra ſua Paralyticos aſtringit, & ſoluit mortem. Paulus veſtimentis ſuis morbos expellit, & fugat dæmones. Qui intermediam habetis matrem Domini, & quouis iuſto ſpiritu eſtis præſtantiores; columnæ Eccleſiæ, magna orbis terræ lumina; Qui vobis inuicem eſtis præſtantiores, & ſimul omni creata natura meliores. Gaudeas, Petre, petra fidei; Gaudeas, Paule, gloriatio Eccleſiæ, qui mala innumerabilia propter ipſam ſuſtinuiſtis, in carceribus incluſi, à Iudæis odio habiti, à Barbaris tracti, & raptati, à Regibus cæſi, & ignominiam paſſi; quibus nec facilè quidem licuit reſpirare, nec permiſſum fuit ceſſare a doctrina: qui propter põdus vinculorum membra mouere non poteratis, & omnem orbem terrarum peccato alligatum veſtris ſoluebatis Epiſtolis. Vos dæmonum phalanges fudiſtis; per vos ſancti ſpiritus gratia diffuſa eſt in orbem terræ: caliginem erroris vos è terra cõtraxiſtis. Quaſnam ergo vobis referemus gratias, qui tantùm propter nos laboraſtis? Memini tui, Petre, & obſtupeſco. Recordor tui, Paule, & mente emotus opprimor lachrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, veſtras cõtemplans afflictiones, neſcio. Quot carceres ſanctificaſtis? Quot catenas decoraſtis? Quot tormẽta ſubiiſtis? Quot maledicta toleraſtis? Quomodo Chriſtum portaſtis? Quomodo prædicatione Eccleſias lætificaſtis? Sunt benedicta veſtræ linguæ inſtrumenta. Sanguine conſperſa ſunt membra veſtra propter Eccleſiã. Vos ſine defectu imitati eſtis Chriſtum in omnibus. In omnem terram exiit veſter ſonus & verba veſtra in fines orbis terrę. Inſeparabilem quæ ei à vobis eſt deſponſa, Chriſtus conſeruet Eccleſiam. Nemo ante vos, neque poſt vos talia apparuit. Quis enim ſermonem, qui in docendo verſatur, ſuſcipiens, auſus eſt aliquid dicere abſq; veſtra traditione? Vos omnes effeciſtis magiſtros: noſtram vicit cæcitatem veſtra tolerantia, vt qui optaretis eſſe anathema, vt mundum lucraremini. Quid de cætero vobis retribuemus pro omnibus bonis, quæ nobis tribuiſtis? Fit hodie commemoratio veſtræ decertationis. Gaudeas, Petre,

cui

cui datum est, vt signo crucis Christi fruereris. Et a magistro quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta tamen figura, sed potius capite demisso deorsum, tanquam qui à terra in cœlum iter faceres. Beati claui, qui membra tua penetrarunt mihi desiderabilia, & quæ cælesti gloria sunt mihi præstantiora. O qui cum omni fiducia in manus Domini animã tradidisti, qui indiuulsè Domino seruisti, & ei desponsæ Ecclesiæ: qui diligis Dominum, qui serues spiritu, qui es Domino fidelissimus omnium Apostolus. Gaudeas, Paule, cui beatum caput fuit ense amputatum, cum homo esses, quem verba enarrare nõ possunt. Quisnam ensis tuum guttur persuasit discernendi maxima potestate præditum, Dominicũ instrumentũ quod à cælo habetur in admiratione, & quod terra reueretur? Quisnam locus tuũ excepit sanguinem, qui cruentauit quidem exteriorem tunicam Barbari, qui te palo affixit: alteram autẽ eius animæ vestem dealbauit modo inexplicabili, & vsque adeo vt lucem fidei induerit, & ea citra inuidiam contribules impertierit. Sit mihi ensis ille pro corona, & claui Petri pro lychnitibus gemmis infixis in orbem diadematis, & illustrantibus formam meam ex peccato turpissimam. Non est nobis, ô venerandi Apostoli, oratio, neque mens sufficiens, vt aliquid suppeditet ad vobis agendas gratias. Egeni sumus omnis doni, quod offeratur excellentibus potestatibus. Mutuo date vos qui estis verè diuites, indigẽtibus, vel potius donate: neque enim possumus mutuum reddere. Et si beatas voces à vobis accepimus, exclamabimus. Salue beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus. Petre, & Paule, Saluete vos semper in domino, sine intermissione pro nobis, rogamus orate. Promissa vestra implete. Sunt enim hæc vestra conuenta, vnius quidem hoc, veorite mecum, & bonis ne deficiamur: alterius vero illud; studebo post meum aduentum vestri facere mentionem. Pactorum ergo cõuentorum nolite obliuisci, sed trinitati principio carenti nullo intermedio assistentes petite, quæ sunt nobis omnibus salutaria: In Christo Iesu Domino nostro quem decet gloria in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponens. in eodem festo, Homil. I.

FIlioli mei, audite nos, & liberate vos. Currite pro vobis, & nobis præstatis & vobis. Commune erit gaudium nostrum, si vos viderimus induere Christum. Iuuenes & virgines, seniores cum iunioribus ad gratiam festinent. Mater nostra pariendo non discernit ætates. Ipsa genuit Petrum, ipsa parturiuit & Paulum, vt ex lupo fieret agnus. Ex quo ergo natus est Saulus, creuit, & factus est magnus. Baptizatus est à matre, illuminatus à Deo patre, & cœpit velle Petrum videre, & cum quæreret eum velle videre, magis eum Petrus cœpit timere. Audiuit enim Petrus, quia Saulus eum quæreret. Noli timere beate Petre, quia Saulus non te quærit, sed Paulus vas electionis te cupit videre. O sancte Petre, benedic patrem, & suscipe fratrem, & habes cum quo potes defendere matrem. O beate Petre, quia conuersus est Saulus mirantis, qualis es tu, erit & ipse talis, & vnus vobis erit natalis. Qui fecit ex Saulo Paulum, ipse fecit ex Simone Petrum. Vnus vos honorauit, vnus vos coronauit. Mutauit persecutorem, mutauit & piscatorem. Et, si te priorem, tamen ambos ditauit honore vno. Veni, sancte Paule, veni sequere Petrum, sed docentem, non fugientem. Fugiebat, quando te nesciebat. Nam ille beatissimus Paulus, sicut in lectione Actuum Apostolorum cum recitaretur, audiuimus cælesti voce prostratus est. Dum fureret ad caulas in lupina rabie, & exosum sibi nomen innocentis agni persequitur, dum quærit discerpere aut vexare gregem, audiuit altisonam vocem, Saule, Saule quid me persequeris? Quid frustra insanisti contra nomen meum, & occidisti martyrem meum? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus orauit pro te. Et ille, Quis es, domine? Et dominus ad illum, Ego sum inquit, Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Caput de cælo pro membris clamat. Inquietatur corpus, & de cælo intonat Christus, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? Quid est, quòd rugiente Saulu mugit arcanum, & contra sæuiciam Pauli militia conqueritur cæli, nisi vt, qui nõ crediderat resurgenti, saltem crederet in cælo sedenti? Nam dicitur Ananiæ, Accede ad eum, & signa eum charactere meo, multa enim patietur pro nomine meo. Et ille, domine, audiui à multis de viro hoc quia multa mala fecit sanctis tuis. Ait illi dominus, Vade, quoniam vas electionis est mihi. O beate Anania, merito in timore trepidares, si forti manu nõ esset cui militares. Ideo prosternitur superbia, vt erigatur sanctitas, Venit ergo Ananias, baptizauit Saulum, & fecit Paulum. Baptizauit lupum, & fecit agnum, & cœpimus habere prædicatorem quem habuimus persecutorem. Denique cœpit prædicare Christum, cui antea resistebat, postea paratus pati pro eo cõtra quem antea pugnabat. Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidatur, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas vna minus accepit. Saulus persecutus est ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sporta. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Saulus sæuiens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum cõfessorum. Et dum inferret aliis necem, suscepit ipse pro eo mortem. Dum intrat lupus rapax in stabula pecudis subito & ipse factus est ouis. Itaque quis iam desperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatissimum Petrum piscatorem, modo genibus prouolutis, adorat gentium multitudo credentium, per dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Act. 9.

Act. 7. & 9.

Ibi. supra.

2 Cor. 11.

EIVSDEM IN EODEM

festo, Homilia 2.

NOtum vobis omnibus est, fratres charissimi, & vniuerso mundo notissimum, quòd beatissimorum Petri, & Pauli natalis sit hodie, nec aliquam partem orbis latere potuit tanta deuotio. Siquidem cum de his dicat Dauid Propheta, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In omni terra mira Petri virtus est, & in fines orbis terræ epistolæ Pauli pene

Sermo 26. de Sanct. Hic est inter Ambrosianas 16

Psal. 18.

penetrauerunt. Quis enim non audiuit, quòd primus Apostolus Petrus sedenti ad speciosam portam templi claudo, & ex matris suæ vtero olim iam debili, pedum testituerit firmitatem, vt quod natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet? Cum enim claudus ille stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum: ait illi Apostolus Petrus, Argétum, & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argétum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum nō protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donū meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabile quod beatus Apostolus Petrus fecit, claudo pedum restituendo vi diximus vestigia. Audistis frequēter, ipsum Petrum à domino petram nuncupatum, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, supra quam ædificatur ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt, sicut in ecclesia fidei fundamentum cōtinet, ita & in homine membrorum fundaméta confirmet. Rectè, inquam, pedes Christiani entat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis possit supra petram ecclesiæ stare, sed robustus, & fortis incedere. Vbi autem Pauli verba non leguntur? Quis locus ea litteris non scribit, corde retinet, conuersatione custodit? Qui Paulus à domino vas electionis est nominatur. Bonum vas, in quo preciosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas, de cuius plenitudine substātia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima apostolorum nomina petra, & vas necessaria sunt domui saluatoris. Domus enim petrarum fortitudine cōstruitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat populos, vas ad custodiam, ne tenietur, operit Christianos. Exitus vero eorum de hoc seculo quā beatus fuerit, nemo qui ignoret. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo vna die passi esse noscuntur, scilicet vt, quos vna fides seruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen vna utrisque fecerat gratia sanctitatis. Nam Petrus crucem sicut saluator in exitu pertulit, & dominicæ deuotionis simili morte distinctus est, scilicet vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli vero ceruice cum eam percussor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa nece fecit splendidum potius quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait, Lac vobis potum dedi non escam? Hæc est planè repromissionis illa terra, quā patribus nostris promisit Deus dicens, Dabo vobis terram melle, & lacte manantem. Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis erenum inuoluit, lutúmque permiscet: sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ suauè potum distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, non lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam vbera ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in epistola ipsius, quia caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Isti igitur Paulus possidet regnum, quod caro, & sanguis nō possunt, quæ impedire dicuntur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus iam in regni cælestis substantiam trāsformatur. Ideo, fratres charissimi, quotiescunque martyrum memorias celebramus, prçtermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione domino se obtulerunt, præsertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens Deus, Qui vos honorat, me honorat, & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum, & qui spernit sanctos, spernit Christum dominum nostrum, qui viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

[Act. 3.] [Matth. 16.] [Act. 9.] [1. Cor. 3.] [Exod. 3.] [1. Cor. 15.] [Sanctis honorandi.] [Luc. 10.]

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homilia 3.*

Piscatoris, & persecutoris sacratissimum diem geminæ festiuitatis occursu deuotione præcipua hodie celebremus. Ille quo retia cuasit seculi, iste quo ex prædone confessor factus est Christi. Elegit ecce duos vnum piscatorem, alterum grassatorem. Illum vocat ex litore, istum clamat ex itinere. Illum accersit ex ponto, istum terret de cælo. Cum igitur Petrus hinca caitra laxaret in freto, Christus retia misit in verbo. Cœpit Christus, cœpit & Petrus. Christus discipulum, Petrus pisciculum: & dum circundat gētem squameam, ipse venit in retis. Prætériens, inquit, Iesus vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius retia mittentes in mare. Erant enim piscatores, Quibus Christus sic ait, Venite, inquit post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, secuti sunt eum. Stabat Petrus mobilitate, & gurgite pendulus, & inter obscuras aquas inquieti maris, victū quem non habebat artificio requirebat, nutabat super ambiguam vndam, vt posset inuenire capturam. Vario fertur, tefertúrque vestigio, stat mobilis, & mouebatur stabilis. Rimatur inter cæterus marini gurgitis fluctus, sub obscura vmbra fugitiuam insequitur prædam, maculosus paries fit cæca piscibus in mari custodia. Et, dum insidiatur Petrus gregibus æquoreis piscium in mari, ipse in rete incidit saluatoris. Fit de prædone prædatio, de piscatore piscatio, de pirata captiuitas, Venite, inquit, post me, & faciam vos piscatores hominum. At illi, relictis retibus suis, secuti sunt eum. Dum vellet Petrus inani muro quætens conuludere piscem, hamo verbi Christus & ipsum tenuit piscatorem, Distendebat Petrus fiuum lini, voluit in se vacuam corrinam, & dum insequitur grauidi semper æquoris prolem, captorem suum, emptorem, saluatorem trahebat, & trahebatur. Exercebat in æquore violentiam, & patiebatur in mente capturam. O aquæ genus, pirata repulium deferuit artificium hoc, quem mutasti de pisce ad piscem. Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus, cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per ama-

[Serm. 1. de Sanct.] [Matth. 4.] [Ibi supra.] [Tob. 6.]

titudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus. De pisce, inquam, ad piscem, de rete ad ecclesiam: de mari ad funem, de captura factos est facturа. Reliquit ergo salum fluctuantem, & cœpit ambulare post piscem. Similitudo artis inflammat desiderium audientis, vt, qui ante capturam latebat in salo, verbi nunc retia spargat in mundo. Tunc enim pisces induxit, nunc autem homines sagenis spiritalibus irretiuit Paulus autẽ paruus, sed ex paruo magnus, dũ decerteret Saulus syderex vocis tuba conterritus, certe elisus audacta, vt feminet erectus in mundo doctrinam. Saule, inquit, Saule quid me persequeris? Ibat igitur Saulus furiis tuectus, duri pectoris efflabat incendium, sanctorumque sanguinem sitiens per rotam Iudæam alienus ferebatur insania, vt Christi mẽbra laniaret in terris. Fit vna religione crudelis, vt quæstionarius, & innocentium per campos sceleratissimi aggeris euacuatus, vt Iudæa, quæ pridem sæuierat in capite, erudelitatem exerceret in corpore. Acceperat enim Saulus potestatem à principibus sacerdotum, vt homines fidei nostræ occideret, & germinantem fidei campum manu nefaria detruncaret. Dum ergo portat Saulus funestum contra milites Christi gladium, fulmineum de cælo accepit testimonium. Dum grassatur, percutitur, dum Christi sanctos persequitur, violento radio cælesti luminis cæcatur, & qui aduersus Deum erigebatur, diuina voce terribiliter prosternitur, Saule, inquit, Saule quid me persequeris? Caput pro membris clamat. Inquietatur corpus, & tutonat Christus in cælis, Saule, Saule, quid me persequeris? Quid est, good mugit populus, mugit arcanum, & contra sæuitiam Pauli prouincia conqueritur cæli, vt qui non crediderat resurgentem, saltem crederet in cælis sedentem, & qui defuncto Apostolorum domino asseuerat ex sepulchro mendacium, de cælo viuentis acciperet testimonium? Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? Subito igitur ad illam diuinam vocem increpationis infixus in terram, & sæuitiam perdit & semitam, deponit feritatem & incurrit oculorum cæcitatem. Cœpit habere ductores quos habuerat antè persecutores. Vbi nã, Paule, currebas, quãdn currebas? Ecce nunc aberrans quęris locum, & qui persequebaris Christum, cęcus eurris ad manum. O Saule rapax lupe, comedes, sedexpecta paululum, & digereos digeteris. Credis ergo, Saule, in Deo, adhibes fidem perfido? Non solent istæ manus in sanguine pollui, nisi te adhuc ab eis videris cruciari. Parum erat generi tuo, quod crucifixerat Christum, insuper & munus mittere non formidauit in cælum. Expressit patibulum, posuit in ofia sepulchri custodes. Iam Christus ascendit ad patrem, & adhuc genitrix tua non caret feuentate. O Iudæa, Prophetarum sanguine temulenta, noudum satiata es à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zacharię? Flumina tui sceleris spumant & te adhuc vsque nou satiant? Ab origine mundi sanguinem bibis & adhuc sitis, necdum tui facinoris vnda siccauit etiam alueo tui sceleris sitim? Modo Christum patibulo crucifixisti, & tam eito crudelitate sanguinis aruisti? Sed ecce prosternitur audacia tua, vt sanctitas erigatur. Cadit miles diaboli, vt surgat signifer Christi. Mittit Petrus in seculum retiaculum, circũfert Paulus dominicum in mundo vexillum. Et iste piscator hominum, & ille titular signo crucis gẽtiles. Currunt itaque vterque ad palmam martyrij, & vterque peruenium ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occursu. Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur, Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque superiora respiciens beatum spiritũ deducebat ad cælum, iste ceruicem curuat ad pœnam, & offerebat ceruicem capitis ad coronam. Petrum crux necat, Paulum gladius immolat. Duo genera suppliciorum Domini, & Christi, in duobus Apostolis Christi. Petrus patitur crucem. Paolus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus crucis, persecutorem mucro minuit persecutoris. Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua imperatoris. Ibi radiant gemmę diadematis, vbi fulgent beneficia piscatoris. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorũ principem, ex persecutore fecit Apostolicum confessorem. Præstitit passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur ergo principes gregis nostri, si volumus caulas tutate pastoris.

Act. 9. *Act. 9.* *Matth. 23.* *Ad memoriã piscatoris flectitur genua imperatoris.*

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 4.

Hodie duos Christiani nominis fundatores exultantis ecclesiæ festa concelebrant. Hi enim duo electi sunt ad duorum populorum salutem. Petrus ad Iudæorum, Paulus ad gentium. Petrus vt in Iodæa veterem ae desertum agrum repararet, atq; eũ sub vmbra legis infructuosum & à calore veri solis absconditum fidei salubritate & gratiæ fœcundaret. Paulus verò ad gentes mittitur, & ad terram nouam quæ nullam antè dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem, qui aratro Dominicæ crucis proscinderet, & in rudi campo Christi nouellam infatigabilis operarius excitaret. Petrus itaque vineam, vbi iam fuerat, reparat, Paulus plantat, vbi non erat. Petrus in Iudæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem, in radice sua excolit: Paulus verò in alieno fomite peregrinos ponit gentium ramos. Petrus in Iudæis terrã male fœcundam excolit: Paulus in gentibus nondum cultam fœcundat. A Petro in Iudæa olea reparatur, à Paulo in gentibus oleaster inseritur. Petrus in Iudæis mollit durinã, Paulus in gentibus illuminat ignorantiam. Petrus tenebras, & vicia pellit ex oculis, Paulus reddit oculos à natiuitate cęcatis. Vario ac diuerso genere innumeri populi ad vnius regis militiam congregantur, ac sic duo potentissimi duces Petrus antiquum de veteribus reducit, Paolus nouum de tyronibus Christi conducit exercitum. Discurrunt itaque per vniuersum mundum duo splendidissimi negociatores, portantes coram gentibus, & regibus, & filiis Israel pretiosa fidei mercimonia. Circumferunt aromata iustitiæ, thura diuinę venerationis, incẽsum compunctionis, balsamum castitatis. Illi igitur sal prudentiæ spiritalis, de quibus dicitur, Vos estis sal terræ, quibus vtique animæ condiantur, vt inuiolatæ ab æterna peccati corruptione seruentur. Erogant per omnem terram spiritales dispensatores pretia salutis, thesauros sanctitatis. Quæ

Serm. 29. de Sanct. *Rom. 11.* *Matth. 5.*

Quæsiuit quos secum ad cælos attrahant piissimi animarum parētes, dispares patrum studiis, operum meritis pares. Æquales enim illos, ac similes per varia, ac diuersa virtutū genera dixerim. Nam & si cum Petro Christus viuit in terris, sed Paulum compellare non dedignatur è cælis, adhuc etiam persequentem. Sed in opere persequentis Apostoli fidem præuidebat, & ideo quia prospexit zelum, honorauit affectum. Et quia sub proposito placēdi Deo agebatur ignarus ad culpam, statim post admonitionem cucurrit deuotus ad gratiam. Quamobrem & si in corpore non est locutus cum Christo Paulus, non minus est illud *1 Cor.13.* quod locutus est Christus in Paulo, dicente eodem, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Ac sic quem foris prædicationibus præferebat, intus corde gestabat. Nescio igitur, quid ei defuerit sanctitatis, de cuius pectore dominus quasi de peculiari templo suo salutaria populis reddebat oracula. Petrus ambulare super aquas debita soli Deo potestate præ- *Matth.14.* sumpsit, & rerum obstante natura per insueti itineris nouas vias pendulum inserens gressum tumentia maris dorsa calcauit: sed non minor Paulus, qui, sicut ipse de se dicit, nocte, & die in pro- *2.Cor.11.* fundo maris fuit. Non minor, inquā, Paulus quem *Ionæ 2.* velut noui testamenti Ionam die, ac nocte per maris profunda iactatum absorbuit fluctus, & reddidit, quasi sacrum depositum violare nō audens, quia famulatria cum vnda custodiens illæsum popolorum prædicationibus reseruabat. Hic est quoque beatus Petrus in illa cælestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus qui verba vitæ ea Christi ore suscipiens, per Euāgelij potestatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret, interpres legis, assertor gratiæ, destructor synagogæ, ecclesiæ reparator: & ideo solus inter Apostolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Pe- *Matt.16.* trus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait sermo diuinus, Et ponebāt, inquit, infirmos suos, *Act.5.* vt vmbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc operam ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis. Merito per omnes Christi ecclesias auro preciosius habetur ferrū illud pœnalium vinculorum. *Vincula S. Petri magno cū honore custodiuntur.* Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Vt vmbra, inquam, transeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quāto plus de corpore meruerūt attrahere salubritatis ferreo pōdere sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum? Fœlices illi nexus, qui de manicis, & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes martyrem reddiderunt: felices catenæ, quę nudatis penè ossibus inhærentes, viuas reliquias de sanguinis sudore iam attrita carne rapuerunt, tactúsque membrorum cruciatus sui sanctificat instrumētum, in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum suum vsque ad Christi crucem non iam condemnatura quam consecratura miserunt. In illa itaque cruce imitari metuens sacrificium redēptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam supplicij genere pertimescit, & qui non recusat dominici tormenta patibuli, similitudinem expauescit triumphi.

S. MAXIMI EPISCOPI

Taurinensis in eodem festo, Homilia 1.

GLoriosissimos Christianæ fidei principes annuis solennitatibus honorantes, fratres charissimi, ipsum dominum, ac Deum nostrum, qui huius autor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missus, manifestum est honorare eos mittentem, quoniam dignitas, quæ defertur ministris, illi sine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur, vt ait ipse saluator ad discipulos suos. Qui vos audit me audit, & qui *Luc.10.* vos recipit me recipit. Vere beata apostolorū me- *Matth.10.* rita, in quibus se Christus & recipi prædicat, & audiri: Beati nihilominus & illi, quorum deuotio delata Apostolis recurrit in Christū. Tenētes itaque, fratres, tantæ huius promissionis fidem, de supplicijs patrum nostrorum pro Christi confessione susceptis, fidelibus gaudiis exultemus, quoniam, qui de martyrum morte lætatur, martyres non dubitat cum Christo regnare post mortem. Nos vero ecclesiarum omnium reuerentissimos *Petrus & Paulus ecclesiarū patres.* patres, Petrum dico & Paulum piissimis studiis honoremus, quibus, Christi præstante gratia, factus est hodie de morte natalis, quibus finis vitæ, viuendi initium dedit, quibus, vt ait Apostolus Paulus, viuere Christus erat, & mori lucrum. Erat *Philip.1.* vtique Christus eis viuere, quibus vita non erat sine Christo. Erat eis Christus viuere, quia totum proficiebat Christi ecclesiis, quod viuebant. Erat eis & mori lucrum, qui tali morte vitam sibi merebantur ęternam. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna præsentium temporum lucra perpetua sequebantur. Sed iam necessarium, charissimi, reor, vt proprias eorum, specialesque virtutes, prout ariditas linguę nostrę, ingenijque tenuitas patitur, imò vt misericors Deus annuerit proloquamur. Hic itaque ille est Petrus, qui confitendo Christum dominum viui Dei esse filium, validissima, inuictáque nobis credendi fundamenta constituit. Nam percontanti domino, quis esse ab hominibus diceretur, respondit: Tu es Christus filius Dei viui, id est, tu, Domine, de *Matth.16.* carne virginis factus es Christus, qui Dei viui es filius sempiternus. Tu, domine, hominibus natus es homo, qui incogitabili maiestate Deus es apud Deum. Tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanes apud patrem. Quis igitur vnquam in tantum hoc incomprehensæ diuinitatis arcanum humani sensus attollere potuisset obtutum, nisi ab ore Petri salutaris huius fidei veritas radiasset? Quis meritorum eius gloriam quamuis magno æquiparare posset eloquio, à quo nobis adorandæ diuinitatis fides & cœpit, & permanet? Quid tanto gloriosius viro, qui fidē secreti inscrutabilis loquendo edidit

edidit, viuendo docuit, patiendo firmauit. Vt autem confessionis huius quanta esset magnitudo, saluator ostenderet, ait ei: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis, & tibi dabo claues regni cælorum. *Ibidem.* Quis ergo Christum per carnem, & in carne natum omnipotentis patris esse filium sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse pater per Petrum nobis reuelasset è cælo? Hæc illi confessio dedit, vt antè claues regni cælorum acciperet, quàm cæli ianuas introiret. Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clauibus regni, more nostrarum clauium cogitatio terrena permoueat. Claues enim cæli lingua est Petri, quia singulorum merita censendo, Apostolus vnicuique regnum cælorum aut claudit, aut aperit. Non est ergo clauis ista mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo potestas est iudicandi. *Potestas iudiciaria Petro data.* Denique ait eis: Quorum remiseritis peccata, remissa erūt, & quorum detinueritis, detenta erunt. *Ioan. 20.* Hic est Petrus, quem Christi esse confidentissimum, subiecta vestigiis eius maria probauerunt. *Matth. 14.* Nam à domino suo nouos sibi dari in fluctibus gressus vt fidelis poposcit, & vt dilectus emeruit. Qui ob hoc solum trepidasse visus est, vt fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter dominum, seruumque distantia, dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculati nescit planta desidere. Similiter & illud, ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisset ad Christum, domini forte sui virtutibus æquaretur. Sed quid illum tantopere dicimus trepidasse, cum parua trepidatio sua maiorem profecit ad fidē? Vt enim credidit Petrus imperio domini sui posse se à fluctibus sustentari, ita nihilominus, dum mergitur credidit ipsius domini sui se virtute saluandum. Vere beati Petri & dum trepidat mirabilis fides, quam nec perurgentis periculi potuit turbare formido, clamando enim dum mergitur: domine, libera me, de se diffisus est, non de domino dubitauit. *Ibidem.* Ne quis ergo timorem hunc gloriosissimi Petri ducat in vitium, quoniā timor iste quamuis primam eius turbauerit fidem, confidentiam tamen in eo reparatæ credulitatis ornauit. Hic est Petrus, cui Christus dominus communionem sui nominis libenter indulsit, vt enim sicut Apostolus Paulus edocuit petra erat Christus, *1. Cor. 10.* itaque per Christum Petrus factus est petra, dicente ei domino: tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. *Matth. 16.* Nam sicut in deserto dominico sitiēti populo aqua fluxit è petra, *Exod. 17.* ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassatim de ore Petri fons saluiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad patrem pascendas ouiculas suas, agnósque commendat, vt quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. *Ioan. 21.* Et recte sane ei arbiter occultorum Dei filius pascendas oues suas, tuendásque commisit, cui nouerat in nutriendo grege dominico nec studium deesse nec fidem. Hic est Petrus, qui dum ad crucem tanquam crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non renuit, sed æqualitatem crucis dominicæ declinauit, vt ostenderet vniuersis admirandæ se humilitatis virtutem, nonique mysterij disciplinam & inter tormenta seruasse. *Egrippus lib. 3. capi. 2. de ... vrbis ... ...* Quàm securus, charissimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulso timore mortis, moriendi ordinem, tam acerba in passione quæsiuit. Quid etiā de gloriosissimo referam Paulo, in quo dominus fidem nominis sui, dum ipsam fidem persequeretur, elegit? Qui dum velut acerrimus persequutor Christianam vastat ecclesiam, inimico adhuc eius in pectore, amicum sibi cor Christus inuenit. Dúmque temporalia capit ad supplicia Christianos, ipse perpetuam captus ad gratiam factus est subito pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Vnde patuit nec Paulum malignæ mentis proposito plebem dominicam persequutum, nec Christum latuisse, quem eligeret in Paulo. Hic est Paulus, qui Christi vocibus inclamatus è cælo, *Act. 9.* oculis in se Iudaicæ infidelitatis obtusis, videndi aciem non perdidit, sed mutauit. Amisit oculos, & recepit, vt vno, eodémque tempore, & in persequentem cæcitatis vindicta procederet, & vocantis Dei gratia illuminaret electum. Ait illi namque de cælo dominus. Saule, Saule, quid me persequeris? Id est, cur me persequeris, Saule, quæ mea odium erga me tuum excitauit iniquitas? Nunquid quia illuminaui cæcos, quia sanaui ægrotos, quia fugaui dæmones, quia esurientes populos quinque panibus paui, an quia de tumulis mortuos suscitaui, an forte magis quia fidelibus meis regnum cæleste promisi? Sed si præstare me posse dubitas, quæ promitto, aspice si tamen potes vnde te, vel qualis appello? Sed quare me persequeris, Saule? Aut quid me persequēdo proficies? Nunquid aduersus regnantem in cælo, vllum tua persequutio habebit effectum? Nunquid nocere mihi quicquam poteris, quem non potes intueri? Ego enim sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris, qui terras cælo, crucē regno, mortem perpetuitate mutaui. De quibus omnibus non te debere cunctari, & ereptus tibi nunc, & post paululū redditus suadebit aspectus. At beatissimus Paulus repentina quidem cæcitate coercitus, intellecta tamen maiestate loquentis è cælo, continuo fidelis effectus, & à persequutione destitit, & nouos intuendi Christum oculos acquisiuit. Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum vltra humana merita tertiū raptus ad cælum, cælestia secreta cognouit, *2. Cor. 12.* vt ecclesiarum futurus doctor inter angelos disceret, quod inter homines prædicaret. Aut quis ei impune vltra non credat, qui de sacramentis dominicis non solum audita loquitur, sed & visa testatur. Quanta hoc, fratres, Dei nostri actum est gratia, vt, qui de cælestibus in apostolatum vocatus est, apostolatus eius cōsecraretur in cælo. Et post omnia hic est Paulus, qui ceruices suas, quas aduersum Christi nomen superbus erexerat, perfidorum cædendas gladio, humillimus pro Christi honore summisit, nec piguit eum pro illo mori, quem sæpe probauerat viuere, & regnare post mortem. Atque ita factum est, vt gloriosissimum Paulum, qui in diuersis gentibus pro fide Christi multo certamine dimicanda innumera bella peregerat, velut victorem mundi Roma susciperet ad triumphum. Hi ergo sunt beatissimi Petrus, & Paulus, qui sacramentum cælestis regni vno spiritu prædicantes, sub vnius passione diei doctrinam suam pio sanguine, & morte fortissima consecrarunt, qui etiam tanquam ecclesiarum omnium principes facti dispensatione cælesti, Romam petentes, sacratissima sua corpora in illius vrbis arce recōderent, quæ totius orbis obtinerat

a

rat principatum, quatenus potētiam virtutis suæ Christus ostendens, vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocaret.

EIVSDEM DE EODEM *festo, Homilia 2.*

APostolici natalis gaudio, fratres charissimi, Petri, & Pauli, quorum hodie beatissimis passionibus iucundamur, lætior per vniuersum mundum Christi exultat ecclesia. Quæ licet omnium se sanctorum martyrio certa sit adornari, horum tamen victoria gloriosius illustratur, quandoquidem videt de hoc sæculo ipsos fidei patres, & magistros martyrum triumphasse. Quid enim insignius Petro, qui in carne positus, inensutam carnis egressus, Christum Iesum viui Dei filium verum confitetur, & quod omnium adhuc mortalium pectus latebat, prima Petri lingua nouo est sermone confessa. Quid, fratres mei, magnificentius Petro, qui tantæ confessionis merito cum corruptibili adhuc esset in corpore, & necdum ipse ascendisset in cælum, regnum illi cæleste & claudere, & aperire permissum est. Quid eius sublimius fide, qui gradiente domino super aquas humanæ conditionis, oblitus viam sibi in fluctibus dari, & poposcit, & meruit, tantáque mentis eius confidentia fuit, vt crederet se posse per fidem, quod sciebat, homini impossibile per naturam. Nam, quia postea mergebatur, vt mihi videtur, necessarium fuit, ne tanti sublimitate miraculi in perniciē forte sui æquata Christo carnis fragilitas superbiret. Fuerit certè infirmitatis corporeæ, quod paulò post timuit, quis tamen ambigat inmirabilis fidei fuisse, quod eum descendentem de naui, tremula, & inconcussa humanis gressibus maris vnda sustinuit? Sed iam veniamus ad beatissimum Paulum, cuius tanta est nihilominus plenitudo fidei, vt peculiarem quodammodo eum sibi ducem ad illuminanda gentium corda cunctorum præscius saluator eligeret. Erat enim tam præcipuus in doctrina, animi virtute tam potens, innocentia, & integritate tam sanctus, vt vno, eodémque tempore, hinc eum sacerdotes, ac principes Iudæorum per æmulationem legis antiquæ, data in Christianos persequendi autoritate dirigerent. Hinc illum ad ecclesiæ solatium, atque omnium credentium firmamentum Christus vocaret è cælo. Cui ob hoc sunt à Domino cæcati oculi, vt suscepta gratia veritatis, cælesti acie, & lumine clariore fulgerent, paritérque aduerteret Christiani nominis princeps futurus Christum, quem persequebatur, cæcandi, illuminandique habere virtutem. Vt autem prætereeam cętera, quę eum vniuerso orbi mirabilem faciunt, vnum illud, quod ad omnes eius sufficit laudes, quis valeat æstimare, quantæ sit gloriæ, quod cum inter homines ageret, speciali quadam diuinitatis gratia, & paradisus illi penetrabilis & cælū peruium fuit. Quid ergo, fratres, hoc doctore perfectius, qui in cælo didicit, quod in terris doceret? Quid hoc teste veracius, cui eleuato super cælos oculis videre, & approbare concessum est, quod postmodum promitteret credituris. Hæc sunt igitur apostolorum Petri & Pauli stupenda merita, per hæc incedentes miracula apostolatum suum Domino, ac Deo nostro effusione deuoti sanguinis consecrarunt.

Matth. 14.

Act. 9.

2. Cor. 12.

EIVSDEM DE EADEM *cuius supra festiuitate, Homilia 3.*

BEatissimorum apostolorum Petri, ac Pauli inseparabilem fidem, passionemque germanā, omni nos deuotione, fratres, necesse est celebrare, quia & laudabilis eos vita ad gloriosissimum perduxit occasum, & mirificus obitus perpetuam transmisit ad vitam. Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina pręcellat, & magisterium, tamen Pauli fidei plenitudo est, & credulitas Petri doctrinæ est fundamentum. Quos tanta cælestis electionis dignatio visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, ille de persequutore defensor. Sed in hoc omnipotentis Dei attollenda maiestas est, qui inspiratione mirabili, docēdi gratiam tribuit imperito, & inimicum fecit amare, quod oderat, & fidem, quam impugnabat, asserere. Illius piscationem non abstulit, sed mutauit, huius cæcauit oculos, vt purgatiore recepto lumine, clarissimæ mentis acie vltra humanum videre possit aspectum. Quanti igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, vt ei post naniculæ paruæ remigium, totius ecclesiæ gubernacula traderentur? Aut quantum in apostolatus sui ministerio cōplacuisse Christo credimus Paulum, qui tantū placere potuit persequutor? Placuit enim, quia nō iniqui pectoris studio, sed simplicis ignorātiæ incauta deuotione certabat. Deniq; vt primū sensibus eis spiritus veritatis infusus est, ostēdit cōtinuo nō se Christi, sęuisse odio, sed amore paternæ legis innocenter errasse. De quo quid ego potissimum dicam, cum fidelissimus ipse sibi sit testis, qui cum nec suas velit iactare laudes, & Christi annuntiare cuperet maiestatem, verecundius, quod in se gestum est confitetur. Vt enim velut de altero quodam, scio hominem (inquit) in Christo Iesu raptum vsque ad tertium cælum, raptum in paradisum & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quid hoc Apostolo magnificentius, cui in medio mortalium constituto, & supra cælos ire datum: & ad terras redire concessum est? Quid hoc beatius viro, qui inter secreta paradisi discere meruit, quod nec lingua hominus loqui possit, nec quisquàm mereretur audire? Et quum tātæ sint sublimitatis illa, quæ docuit, vt comprehendere ea mens humana non possit, quantæ illud putamus esse gloriæ, quod prodere sibi asserit non licere? Quid etiam de Petro referam, cuius tanta à Deo est approbata iusticia, tantáque ei potestas attributa est iudicandi, vt in arbitrio eius poneretur cæleste iudicium? Perspicite ergo, & æstimate, quanto nobis sit Petrus Apostolus honore reuerendus, cuius sententiam in terris prolatam sempiterni iudicis æquitas non repellit. Et ideo diligenter intendite, quæ sit eius gloriæ magnitudo, cui dum claues regni cōmittuntur ęterni, cęlū illi claudere, & aperire permissum est. Horum itaque, Charissimi; per vniuersum mundum veneranda hodie passio celebratur, horum hodie cōcursu lætissimo excolit Roma martyrium, & quorum dudum impia persequuta est sanguinem, eorum nunc peculiari deuota patrocinio gloriatur.

Magnum meritum apud Deum Petri & Pauli.

2. Cor. 12.

Petro potestas iudicaria à Christo tributa.

Roma SS. Petri & Pauli patrocinio gloriatur.

EIVS

EIVSDEM VNDE *ſupra, Homil. 4.*

BEatiſſimorum Apoſtolorum paſſio, fratres, quorum hodie natalem ſolenniter celebramus cunctis eſt honoranda credentibus, quos pro iuſtitiæ pietatiſque plenitudine ſaluator mundi humano generi & patres eſſe dedit, & iudices. Quantæ autem integritatis, quántæve pietatis fuerint, hinc vel maximè peruidendum eſt, quod ille eos ad emendationem corrupti ſæculi, & miniſterium ſuæ voluntatis elegit, quem non fallebat electio. Vocauit nanque Petrum opibus pauperem, opere piſcatorem, qui à conuerſatione populari & communione vrbium ſegregatus vitam inter fluctus agebat innocuam, & victum de ſimplicitate quærebat. Quem tamen ita dixerim pauperem, vt competens ei ſubſtantia nõ deeſſet. Quem bene merentem de Deo, copioſi maris diues vnda paſcebat. Electus ergo eſt ad prædicationem ſalutaris verbi, vt mutata vice cæleſtis myſterio ſacramenti, qui captura piſcium alebabatur, ſalute hominũ paſceretur. Glorioſiſſimum etiam Paulum ad fidem nominis ſui Chriſtus vocauit è cælo, qui, quod perſequi videbatur eccleſiam, non impietate irreligioſi animi ſæuiebat, ſed ſub nube ignorantiæ, nouam non perſpiciens gratiam, amore antiquæ deuotionis errabat. Ideo denique ab oculis eius veteris vmbræ caligo deterſa eſt, vt verum illud lumẽ, quod de cæleſtibus coruſcabat, & ſibi acquireret, & omnibus reuelaret. Cæcatus, illuminatúſque eſt, non alia diſpenſatione, niſi vt clauſis carnalibus oculis, ſpiritualis ei aſpectus ad inſpiciendam Dei gloriam formaretur. Accepit & fideliſſimus Petrus hos oculos, qui Chriſtum Dominum noſtrum in carne poſitum, & diuinitatẽ ſuam ſub ſpecie aſſumpti hominis occultantem, filium eſſe Dei viui Sancti Spiritus radio illuminatus inſpexit. Ait enim domino percontanti, quis eſſe ab hominibus putaretur: tu es (inquit) Chriſtus filius Dei viui. Quis non reſponſionis plenitudinem, piſcatorem protuliſſe miretur, quam compendio breuiſſimæ confeſſionis aperuit, & quod de de patre habebat dominus, & quod de humana natiuitate ſuſceperat? Chriſtus enim & filius Dei viui, vtriuſque naturæ indiuiſum continet ſacramentum. Vere ſuſcipiendum cunctis, & mirabilem piſcatorem, qui dum maris profunda rimatur, ad altiſſimum maieſtatis æternæ peruenit arcanum. Hi itaque ſunt eccleſiarum columnæ Petrus, & Paulus, quos & vita ſanctiſſima venerabilem perduxit ad mortem & glorioſus occaſus fecit eſſe perpetuos. Quos nõ ſolum honoramus vt martyres, ſed & vt magiſtros, patreſque martyrum veneramur, qui eccleſiam Dei & cęleſtis prędicationis doctrina, & pij ſanguinis effuſione fundarunt.

Matth. 4.
Act. 9.
Matth. 16.
Petrus & Paulus eccleſiarum columnæ.

EIVSDEM VNDE *ſupra, Homilia 5.*

CVm omnes beatiſſimi apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in ſaluatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipſius Domini iudicio poſſumus approbare. Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clauem regni cæleſtis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori magiſterium eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit; ſcilicet, vt, quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem; vt, quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda eſt, qua ad fidem peccatorum dura corda reſerantur, mentium ſecreta panduntur, & quicquid intrinſecus clauſum tenetur, in palam rationabili manifeſtatione producitur. Clauis, inquam, quæ & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit. Ambo igitur claues à domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Sunt enim ſcientię theſauri, ſicut ſcriptum eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ergo beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuerſos apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verum inter ipſos quis cui præponatur, incertũ eſt. Puto enim illos ęquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrij gloriam perueniſſe. Non enim ſine cauſa factum putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam. Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſequutore, vt ęqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſequutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerũt? In vrbe Roma, quę principatum, & caput obtinet nationum, ſcilicet, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gẽtilium principes habitabant, illic eccleſiarum principes morerentur. Cuius autem meriti ſint beatiſſimi Petrus, & Paulus, hinc poſſumus intelligere, quòd, cum dominus oriẽtis regionem propria illuſtrauerit paſſione, occidentis plagam, ne quid minus eſſet, vice ſui apoſtolorum ſanguine illuminare dignatus eſt. Et licet illius paſſio nobis ſufficiat ad ſalutem, tamen etiam horum martyrium nobis cõtulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati apoſtoli ſanguinem profuderunt, ſed videamus cauſam, quare iſta perpeſſi ſunt, ſcilicet quod inter cætera mirabilia & iam magum illum Simonem orationibus ſuis de aetis vacuo præcipiti ruina proſtrauerunt. Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam filium ad patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito magicis artibus volare cœpiſſet, tunc Petrus fixis genibus precatus eſt dominum, & precatione ſancta vicit magicam leuitatem. Prior enim aſcendit ad dominum oratio, quàm volatus, & antè peruenit iuſta petitio quàm iniqua præſumptio. Antè Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret in cæleſtibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut iunctum illum de ſublimi aëre depoſuit & quodam præcipitio in ſaxo elidens eius crura confregit: & hoc in opprobrio facti illius, vt qui paulo antè volare tentauerat, ſubito ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas

Intellige de peccati confeſſione facta ſacerdoti ad abſolutionẽ impetrandam.
Coloſſ. 2.
Petrus & Paulus vna die, vnóque in loco paſſi.
Egeſip. lib. 3. de excid. vrbis Hieroſol.

tas amitteret. Sed ne forte hoc mirum videatur, quod magus iste præsente Apostolo per aerē aliquandiu volitauerit, hoc patiētia Petri fecit, permisit enim illum sublimius ascendere, vt altius caderet, voluit eum in excelsum leuari ad cōspectum omnium, vt ruentem illum de excelso oculi omnium perviderent. Hæc igitur iniquitatis est elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat, sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, vniuersam deiicit vanitatem.

S. LEONIS PAPAE IN *natiuitate S S. Apostolorum Petri & Pauli, Sermo 1.*

OMnium quidem sanctarum solennitatum, dilectissimi, totus mundus est particeps, & vnius fidei pietas exigit, vt quicquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, cōmunibus vbique gaudiis celebretur. Verumtamen hodierna festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali, & propria nostræ vrbis exultatione veneranda est, vt, vbi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi, Roma, resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserēdam multo melius, multóque felicius condiderunt, quàm illi, quorū studio prima mœnium tuorum fundamēta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt sis gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui terra, marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Deus nanque bonus, & iustus, & omnipotēs, qui misericordiam suam humano generi nunquam negauit, omnésque in cōmune mortales ad cognitionē sui abundantissimis semper beneficiis erudiuit, voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam, secretiore consilio, & altiori pietate miseratus est, mittendo verbum suum æquale sibi, atque coæternum. Verbum igitur caro factum ita diuinam naturam naturę vniuit humanę, vt illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratię per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum diuina prouidentia præparauit. Cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina, & contigua esset vniuersitas. Disposito namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, & cito peruios haberet populos prędicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hęc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem, Vnde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius absoluta. Nam, cum duodecim Apostoli, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent: beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non essent, aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium *sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem tu, beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & consorte glorię tuę Paulo Apostolo, aliarum adhuc ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimę profunditatis oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis. Nec mūdi Dominā times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis ancillam. Nūquid aut iudicio Pilati, aut seuitia Iudęorū minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiā formidinis vis amoris: nec æstimabas terrori cedendum, dū horū saluti cōsuleris, quos susceperas* diligēdos. Hunc ergo intrepidę charitatis affectum, iam tūc profecto conceperas, quando professio tui amoris in Dominum, trinæ interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quam vt pascendis eius, quem diligeres, ouibus cibum, quo ipse eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum atque experimenta virtutum. Iam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras. Iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiā, Cappadociam, Asiā atque Bithyniam legibus Euangelicę prędicationis impleueras, nec vt dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te diuinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis. Ad quam beatus coapostolus tuus, vas electionis, specialis magister gentium Paulus occurrens, eodem tibi consociatus est tempore, quo iam omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas, sub Nerone laborabat imperio. Cuius furor, per omniū vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum vsque torrentem suæ præcipitauit insaniæ, vt primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per sanctorum neces gratia Dei posset extingui, cuius hoc ipsum erat maximum lucrum, vt contemptus vitæ huius occiduę perceptio fieret felicitatis æternæ. Praeciosa ergo est in conspectu domini, mors sanctorum eius. Nec vllo crudelitatis genere destrui potest sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dū grana, quæ singula cadunt multiplicata nascuntur. Vnde duo ista prěclara diuini germina seminis,

Margin notes:

Festū S. Petri per vniuersum mundum celebratur.

Exod. 19. 1. Petr. 2.

Roma caput orbis, per sedē S. Petri in se collocatam.

Act. 2.

* *sacrificiorum.*

Matth. 14. Matth. 26.

* *diligendos.*

Ioan. 21.

Act. 11.

Act. 9. 1 Tim. 1.

Psal. 115.

nis, in quantam sobolem germinarint. beatorum millia martyrū protestantur quia Apostolicorum æmuli triumphorum, vrbem nostram purpuratis, & longè, latéque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt. De quorū præsidio, dilectissimi, diuinitus nobis ad exemplum patientię & cōfirmationem fidei preparato, vniuersaliter quidem in omniū sanctorum commemoratione lętandum est, sed in horum excellentia patrum merito est * excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesię membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis, atque virtutibus, quę omnem loquēdi superant facultatem, nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio parem, & labor similes, & finis fecit ęquales. Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atque cōfidimus, inter omnes labores istius vitę, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt, quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est cum patre, & sancto spiritu eadem potestas, vna diuinitas in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN NATIVItate *Apostolorum Petri & Pauli, Serm. 2.*

EXultemus in Domino, dilectissimi, & spiritali iucunditate lætemur, quia vnigenitus Dei patris filius, Dominus noster Iesus Christus, ad insinuanda nobis suæ dispensationis, & diuinitatis mysteria, Apostolici ordinis primum beatum Petrum huic ciuitati dignatus est prærogare, cuius hodierna solennitas, recurrente triumpho martyrij, specimen, & decus contulit orbi terrarum. Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa cōfessio, quæ à Deo patre inspirata, Apostolico cordi omnium humanarum opinionum incerta transcendit, & firmitatē petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. Euangelica siquidem referente historia, omnes Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat. Et tam diu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat discipulorum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui primus (Matth. 16.) est in Apostolica dignitate. Qui cùm dixisset; Tu es Christus filius Dei viui, respondit ei Iesus; Beatus es, Simon Bar-iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit, & non caro, & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio (Ephes. 2.) excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt, quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meę cęlo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portę inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista, vox vitę est, & sicut confessores suos in cælestia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beato Petro Apostolo; Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidem in Apostolos alios vis istius potestatis, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus, Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutū, nisi quod Petrus aut ligauerit, aut soluerit. Instante autem passione sua dominus, quæ discipulorum suorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit; Simon, ecce Satanas expostulauit, vt vos cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniā diabulus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratię ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Nam & post resurrectionem suam dominus beato Petro Apostolo post regni claues, ad trinam æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit; pasce oues meas, quod & nunc proculdubio facit, & mandatum domini pius pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suę curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbique protendit, quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem qua pręcedit carne, requiescit? Cum ita, dilectissimi, tantum nobis videamus pręsidium diuinitus institutum, rationabiliter, & iustè in ducis nostri meritis, & dignitate lętamur, gratias agentes sempiterno regi, & redemptori nostro Iesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius ecclesię principem fecit, ad gloriam, & laudem nominis sui, qui cum Deo patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Super quā ædificata est Ecclesia.

Petri priuilegiū supra cæteros Apostolos.

Luc 22.

Ioan. 21.

S. Petrus etiā nunc pro suo grege orare nō cessat.

S. HILARII EPISCOPI *Arelaten. in eodem festo, Homil.*

BEatorum martyrum pręclara gesta, & speciosa certamina, fidelium incitamina sunt, & exempla. Armantur enim filiorum animi, dum patrum recēsentur triumphi. Clamat vtiq; Chri-

stianorum cordibus sanguis piorum, sanguis spiritualium bellatorũ, quãtum amari debeat Deus. Non solum enim transitoria sermonis institutione tem peragunt, nec nuda tantum voce nos instruunt: sed per lucis, salutisque contemptum, insinuant nobis actoris affectum: & simul tepidis, ac dormientibus nobis æternę illius vitę dulcedinem, aviditatem, iocunditatem ante oculos statuunt: vt vel sic intelligamus, quantum debeat desiderari vita illa, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videamus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari. Huius itaque inexplebili ardore succensi Christianorum principes Petrus, ac Paulus, atque Andreas, fœnerauerunt vsuram Deo huius lucis, pro commercio ęternitatis. Electi duo pręcipui, ad duorum populorum salutem: Petrus ad Iudęorum, Paulus ad gentium, erogant per omnem terram pij dispensatores argẽtum igne examinatum. Sapientię aurum, fidei margaritam aperiunt, & gratuitum per cuncta dispergunt thesaurum salutis æternæ. Attonitis itaque populis geminæ tubæ spiritu maiestatis impletæ gloriam Dei, intonant, de quibus legimus: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Itaque tanquam sagittæ acutæ potentissimæ de pharetra legis electæ, per totius orbis spatia diriguntur atque vibrantur: vt dura infidelium corda populorum, Dei timore confringerent, & bruta nationum pectora, salubri charitatis vulnere penetrarent. Sicut exultat anima perfecta, quæ huiusmodi in se sagittam, ac telum dominici amoris exceperat, dicens: Quia vulnerata charitatis telo ego sum, duobus itaque fontibus, ex vnius fluminis impetu ebullientibus, sitientium animarum præcordia reficiuntur. Nouo vino inebriantur, nono lumine irradiantur, noua salubritate curantur. Putares duos medicos cælo lapsos, qui officinam sanitatum aperientes, discurso nossent gentes variis opem ferre languoribus. Aliorum oculis incredulitate cæcatis, ac nubilo infidelitatis hebetatis, iocundissimam claritatem infusam fidei luce reddebant. Aliorum auribus, quæ ad vocem Christi obsurduerant, auditum mirabiliter imperabant. Aliorum interiores venas carnalium incentiuorum febribus æstuantes, prædicatione, & castitatis refrigeriis irrorabant. Ex aliorum visceribus malitiæ, superbiæ, iracundiæ sagittas, ac diuersorum iacula peccatorum à diabolo infixa euellebant, curantes adiutorio diuinitatis omnem languorem, & omnem infirmitatem. Ac sic per verbum sobrietatis euacuantes omnem crapulam veterum passionum, æternæ vitæ sitim indigestis, ac defæcatis mentibus imperabant, & temperato populo cælestis antidoti obliuionem præsentium & futurorum desiderium propinabant. Verè mirabiles lampadas æquali per vniuersam terrã luce fulgentes, æquales enim illos, ac pares per varia, & diuersa virtutum genera dixerim: Petro quidem claues regni cælorum domino cõmittente creduntur, sed Paulo quoque siue in corpore, siue extra corpus, vsque ad thronum tertium sublimato cælorum secreta reserantur. In paradiso quoque arcana verba panduntur, quæ non licet homini loqui. Quæ cum ita sint, penè supra hominem est, cui creduntur eloquia homini non loquenda. Sed forsitan dicat aliquis quomodo iste sine clauibus penetrare potuerit diuinæ ædis excelsa? Agnoscamus, charissimi, veras cælorum claues meritorum esse virtutes. Quantum autem arbitror, omnes in nobis habere possumus, claues regni cælorum, & quidem duplicem vim gerentes, duplicem habentes effectum: fides, humilitas, patientia, castitas, quasi bonæ claues aperiunt Dei portam. Sed & superbiam, iracundiam, cupiditatem, non immerito claues esse dixerim: nam claudunt regna cælorum. Primus angelus per superbiam & elationem magnam clauem, & validissimam seram inter se, & cælum misit: Paulus autem humilitatis, ac pietatis clauibus vsque ad tertium cæli regiam penetrauit, æqualis per omnia virtutibus Petro. Nam etsi ille primus, iste pręcipuus. Vnde, charissimi, his ducibus per sublimia salutiferi callis itinera, id est per dominica mandata gradientibus, circumfusos innumerabilium hostium, quibus hinc inde iter nostrum inuisibiliter vallatur, inimicos peruigili circũspectione caueamus, ne nos aut in sinistra perniciosa remissio, aut in dextera ruinosa supplantet elatio: ne incipiat aut prauitas de negligentiis, aut vanitas pullulare de meritis. Quia illic de infirmitate peccatum, hic de virtute fit vitium, inueniemus autem morum instructionem si volumus, vnde noster vel armetur interior homo vel

deest aliquid.

& medicamenta sumenda sunt quibus vel repellantur vulnera, vel sanentur, nullus profectò aut excusationis aut veniæ relinquetur locus, quando omnis anima in promptu habere cognoscitur opportunum pro sui qualitate præsidium, id est illæsa munimentum, & vulnerata remedium.

S. BERNARDI ABBATIS Claræuallensis in festiuitate SS. Apostolorum Petri & Pauli, Sermo I.

Gloriosa nobis solemnitas illuxit, quam præclari martyres martyrum duces, Apostolorum principes morte clarissima consecrarunt. Isti sunt Petrus & Paulus duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesię suæ constituit quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros & in mediatores: quibus securè me committere possim: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum, & quæ in cælis & quæ in terris sunt. Ille enim in vtraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccãs peccator, qui peccaui supra numerum arenę maris, cùm ille purior ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viuentis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia diuidit, quantum distat inter bonum & malum. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis, & de seipsis discerent quàm latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facilè donabunt veniam, & in qua mensura mensum 1. Pet. 2.

ſum eſt eis, remetientur nobis. Peccauit peccatum grande Petrus apoſtolus: & fortaſſis quo grandius nullum eſt: & tam velociſſimè quàm faciliimè veniam conſecutus eſt, & ſic vt nihil de ſingularitate ſui primatus amitteret. Sed & Paulus qui in ipſa viſcera naſcentis Eccleſiæ tam ſingulariter quam incóparabiliter graſſatus eſt, per ipſius filij Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus eſt, vt vas electionis fieret ad portandum nomen eius coram *Act. 9.* gentibus & regibus, & filiis Iſraël. Vas dignum: & cæleſtibus ferculis repletum: de quo & ſanus eſcam, & infirmus accipiat medicinam. Tales decebat humano generi paſtores & doctores conſtitui, qui & dulces eſſent & potentes, & nihilo minus ſapientes. Dulces, vt me blandè & miſericorditer ſuſciperent. Potentes, vt fortiter protegerent. Sapientes, vt ad viam & per viam ducerent quæ ducit ad ciuitatem. Quid Petro dulcius qui tam dulciter ad ſe omnes conuocat peccatores, ſicut & actus apoſtolici & epiſtolarum eius ſeries atteſtatur? Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cùm mortuos reddidit, & mare ſub pedibus eius ſe calcabile præbuit, qui Simoné magum ſpiritu oris ſui in aëre attigit, qui claues regni cælorum tam ſingulariter accepit, vt præce-*Matth. 16.* dat ſentétia Petri ſententiam cæli? Deniq; quodcunque ligaueris (inquit) ſuper terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Quid autem illo ſapientius, cui non caro & ſanguis reuelauit? Libentiſſimè Paulum ſequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccauerunt & non egerunt pœnitentiam: qui fortior eſt omni principatu & poteſtate: ſapientiam & medullam ſacrorum ſenſuum, non à primo vel ſecundo, ſed à tertio cælo largiter aſportauit. Hi ſunt magiſtri noſtri, qui à magiſtro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos vſque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docent nos Apoſtoli ſancti? Non piſcatoriam artem, non ſcenofactoriam, vel quicquid huiuſmodi eſt: non Platonem legere, non Ariſtotelis verſutias inuerſare, non ſemper diſcere, & núquam ad veritatis ſcientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas parua res eſt ſcire viuere? Magnum aliquid, imò maximum eſt. Non viuit qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur, qui cæteris inficitur peſtibus: quoniam non eſt hoc viuere, ſed vitam confundere & appropinquare vſque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & ſic perſeuerare vſque ad mortem. Dicitur vulgò, quia qui benè ſe paſcit, benè viuit: ſed mentita eſt iniquitas ſibi: quia nó benè viuit, niſi qui bonum facit. Arbitror autem quòd tu qui in congregatione es, benè viuis, ſi viuis ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, & humiliter Deo. Ordinabiliter, vt in omni conuerſatione tua ſollicitus ſis obſeruare vias tuas & in conſpectu Domini, & in conſpectu proximi: cauens & tibi à peccato, & illi à ſcandalo. Sociabiliter, vt ſtudeas amari & amare, blandum te & affabilem exhibere: ſupportare non ſolùm patienter, ſed & libenter infirmitates fratrum tuorú, tam morum quàm corporum. Humiliter, vt cùm hæc omnia feceris, ſpiritum vanitatis ſtudeas exufflare qui ex huiuſmodi naſci ſolet: & quantumcunque illum ſenſeris, negare omnino cóſenſum. Sic & in patiendo malum, quoniam triplex eſt, triplicem prouidétiam adhibere te oportet. Eſt enim quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. Primum eſt auſteritas pœnitentiæ: ſecundum, vexatio alienæ malitiæ: tertium, flagellum correctionis diuinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntariè ſatisfacere, quod à proximo, patienter ferre, quod à Deo, ſine murmure, & cum gratiarum actione ſuſtinere. Non ſic multi filiorum Adam, qui errauerunt in ſolitudine in inaquoſo. Errauerunt pla- *Pſal. 106.* ne & errant à via veritatis, qui in ſolitudinem ſuperbiæ recedentes, ſocialem vitam habere non volunt: quorum ſingularitas aſſociari non poteſt. Sed & in inaquoſo: quia nullo imbre lacrymarum compuncti in terra ſterili & aterni perpetua ſiccitate morantur. Propterea viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt: quia inueterati in terra aliena coinquinati ſunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno ſunt. Non erat ita ſolita- *Threno. 3.* rius ille de quo ſanctus Hieremias ait: Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Illi errauerunt, ſed iſte ſedebit ſemper. Illi enim errant corde: iſte autem non ſedet, ſed ſedebit ſolitarius, cùm habuerit honorem ſingularitatis, illius videlicet iudiciariæ poteſtatis inſigne, quod ſancti in terra poſſidebunt, cum lætitia ſempiterna erit eis. Quare? Quia leuauit ſe ſuper ſe, id eſt cum adoleſcens eſſet, & ætatis lubricæ ſentiret ardores, ſenem induit, relinquens quod erat, aſſumens quod non erat. Leuauit (inquit) ſe ſuper ſe: quia non reſpicit ad ſe, ſed ad illum qui eſt ſuper ſe. Sedebit enim & tacebit, etiam modo à ſtrepitu diabolicarum ſuggeſtionum, à ſtrepitu carnalium deſideriorum, à ſtrepitu mundi. Felix anima quæ linguas iſtas nó exaudit, audiat licet: illa multum fælicior (ſi tamen aliqua eſt) cui penitùs non loquuntur. Hæc eſt ſapientia quam Apoſtolus loquitur in- *1. Cor. 2.* ter perfectos, abſcondita in myſterio: quam nemo principum ſeculi huius cognouit. Sic me *Matth. 11.* Apoſtoli & viuere & conſcédere docuerunt. Gratias tibi Domine Ieſu, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis iſtis qui te ſecuti ſunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate, Sermo 2.*

SAncti iſti quorum ſolennis hodie paſſio celebratur, multam nobis de ſe loquendi cauſam, multam quoque materiam præbuere. Verùm ego vnum timeo, ne totiens audita verba ſalutis vileſcere nobis incipiant tanquam verba. Vilis ſiquidem & volatilis res verbú hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretij, nullius ſoliditatis. Aërem verberat, vnde & verbum dicitur: & ſicut folium quod vento rapitur, effluit, & non eſt qui conſideret. Nemo veſtrum fratres ſic accipiat: imò nemo ſic deſpiciat verbum Dei. Dico enim vobis: bonum illi fuiſſet, ſi non audiſſet homo ille. Fructus vitæ ſunt verba Dei, non folia: & ſi folia, ſed aurea ſunt. Proinde non paruipendantur, non pertranſeant, non præteruolét. Ipſa quo- *Heb. 6.* que colligite fragmenta ne pereant. Terra enim

quæ sæpius superuenientem susceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, pro-
Luc.13. xima maledicto. Sic & ea quæ in euangelio sterilis ficulnea legitur, si posteà quàm foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilo minus sterilis inuenta fuerit: nónne iam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Et ego dico vobis, si minus boni in secularibus inuenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam, quam in nobis, quibus cælestium consolationum pluuiam voluntariam segregauit: quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora planè vilia ad aspectum, sed ad fructum vtilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatem desiderat. Siquidem ex deformi stercorum aceruo qui portatur in agrum, formosus surget aceruus manipulorum qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas preciosa: sed preciosius cunctis thesauris Ægypti Christi improperium æstimate. Verumtamē terrenum habentibus sterquilinium, ipsa quoque cælestis non deest pluuia: quæ est orationum deuotio, iucunda ruminatio psalmodiæ: dulcis meditatio, consolatio scripturarum. Deniq; & hæc ipsa pluuia est, quam accipitis per os meum, & quando de
Psal.45. flumine, cuius impetus lætificat Dei ciuitatem, & torrente voluptatis illius aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare contigerit. Sed necesse habeo interdum circunfodere, quandoquidem posuerunt me custodem & cultorem in vineis. Heu qui meam non colui, nec custodiui: Necesse habeo tamen, dum hunc occupo locum, & circunfodere nonnunquam, & apponere ster-
Luc.13. cora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo: sciens multò amplius securim nocituram, quàm sarculum, ignem quàm fimum. Itaque & arguere & increpare interdum necesse est: nec ignoto fimum esse verbum increpatorium, verbū improperij, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus quòd fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè & lapidari & indurari videmus? Hinc nanque scriptum est: De stercore boum la-
Eccl.22. pidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mãsuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, vt corripiat me iustus in misericordia, & increpet: oleum autem peccato-
Psal.14. ris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine quam generat oleū peccatoris, abundantius pullulant spinę & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copiosius. Itaque qui iustorum increpationem misericordiam nominat: satis indicat quemadmodū suscipienda sit, quàm benigno animo, quàm deuota mente, quátáque ei gratia sit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio salubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris: sed fructus illius quem secundum Apostolum habemus
Rom.6. in sanctificationem. Quid autem faciamus tibi ô piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nónne bonū fimum sparsi in agro
Psal.10. tuo? Vnde ergo lapides habes? Sed tu inimice homo: quoniam qui diligit iniquitatem, odit animā suam: tu inquam inimice homo hoc fecisti: qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergensissimum tibi peruertis in lapides, & vnde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta sunt, fratres, vt noueritis quàm benignè audiendum sit, quàm deuote suscipiendum, quàm sollicitè conseruandum quicquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut (quod verè est) verbum Dei, siue illud consolatorium, siue commonitorium, siue etiam increpatorium audiatur. Excessi fateor, ipsius propemodum festiuitatis oblitus, sed (vt arbitror) nō ad insipiētiam vobis, si firmiter inhęserint animo quæ audistis. Et nunc iam de solennitate ipsa vel breuiter aliquid loqui tētemus. Apostolorum Christi festus agitur dies, quibus sanè plurimum à nobis honorem deberi scio. Sed verum possit aliquis exhiberi, hæsito satis. Nimis enim hono- Psal.138.
rati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quid enim? Si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo: quid non poterunt hodie viuentes in æterna felicitate cū ipso? Mortales adhuc & morituri imperium vitę & mortis videbantur habere: solo nimirum verbo mortificantes viuos, & mortuos suscitantes: quantò magis nunc cum honorati sunt nimis: nimis confortatus est principatus eorum? Sed quid est fratres? Cùm Apostolorum beata hodie memoria celebretur: nunquid natiuitatis seu conuersionis eorum, aut certè vitæ vel miraculorum solennis agitur commemoratio? Non est fratres natiuitatis humanæ solennitas, sicut paulò antè B. Ioannis diem natalitium celebrastis. Ille enim nascens honoratur, quia nascitur sanctificatus. Denique in Ioāne solo celebrior est passione natiuitas: quia etsi passus pro Christo est, cùm pro iustitia & veritate occubuit: euidentiùs tamen natus pro eo est, nimirum homo missus à Deo, qui in hoc natus est, & ad Ioan
hoc venit in mūdum, vt perhiberet testimonium veritati. Sed neque conuersionem Apostolorum, aut eorum miracula hodie recensemus: sicut cæteris diebus aliis, alterius quidem cōuersio, alterius de carcere liberatio facta per Angelum festiuis ecclesiæ gaudiis ad memoriā reuocatur. Mortē specialiùs veneratur: qua nihil inter homines humano iudicio plus horretur. Cōsiderate fratres ecclesię sanctę iudicium, secundū fidē, nō secundum faciem iudicātis. Mortem siquidē Apostolorum in eorum recolit solennitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est, hodie decollatus est Paulus. Hæc hodiernę causa festiuitatis: hęc pręsentium materia gaudiorum. In his igitur festum agens diem & lętum, sine dubio spiritum sponsi habet ecclesia, spiritum Domini: in cuius conspectu (sicut habes in Psalmo) preciosa est Psal.115.
mors sanctorum. Quantos enim, dùm paterentur Apostoli, credimus affuisse, qui nequaquā preciosis mortibus illorum inuiderent? Visi sunt enim Sap.5
oculis insipientium mori, & ęstimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium: mihi (ait Propheta) nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis cōfortatus est principatus Psal.138.
eorū. Fratres, amici Dei mori vidētur oculis insipiētium, sed in oculis sapiētium iudcantur potius obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia Psal.126.
amicus erat: & cū dederit dilectis suis somnū, ecce hęreditas Domini. Studeamus fratres viuere vita iustorū, sed morte eorū mori multo magis desideremus.

Sapientia enim iustorum nouissima præfert: ibi nos iudicans, vbi nos inuenerit. Omnino necesse est vitę pręsentis finem futurę cohęrere principio, nec ibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim si quis duo sibi (vt ita dixerim) cinctoria cõsuere aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quę sibi copulanda sunt capita vniformiter parat, ne dissideant à seipsis: ita dico vobis quantũ libet extiterit cõuersatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitę illi spirituali penitùs non cohęret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere. Fili (ait Sapiens) memorare nouissima tua, & non peccabis. Nimirum quòd hęc maximè recordatio faciat timoratum: timor expellat peccatum, negligentiã nõ admittat. Hinc & Moyses de quibusdam, Vtinam (ait) saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. In quibus vtique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, prouidentiam. Arbitror sanè tribus eas assignari posse temporibus, vt ęternitati quędam imago reformari videatur in nobis, pręsentia moderantibus per sapientiam, pręterita per intelligentiam diiudicantibus, nouissima prouidentibus ad cautelam. Hęc nempe spiritualis est exercitij summa: hęc forma studij spiritualis, vt sapienter disponamus pręsentia nostra, recogitemus in amaritudine animę nostrę pręterita, futura quoque sollicitè prouideamus. Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo (ait Apostolus) vt videlicet in pręsenti sobrietas obseruetur, vt iusta satisfactione pręterita quę nobis sine fructu salutis pręteriêre tempora redimantur, vt pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quę ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & deuotus: nec aliter nobis est prouidere nouissima; nisi vt vniuersa quę nobis imminere videntur pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis autẽ de nostris diffidere meritis, & soli diuinę nos protectioni committere pio quodam mentis affectu pię intentionis in ipsum, cuius datum optimum, & donũ perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa. Habes in euangelio tria hęc ipso tibi sermone Domini commẽdata. Beati (inquit) pauperes, beati mites, beati qui lugent. Beati qui futura sapiunt, prę desiderio cęlestium interno quodam sapore mentis pręsentia respuẽtes. Beati qui nouissima prouident, in mansuetudine suscipientes insitum verbum, quod eorum saluare animas potest, & pietate cordis ad futuram tendunt hęreditatem. Beati qui pristinum intelligentes errorem, crebris lauãt lachrymis lectum suum. Vide quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis pro quibus orat: Vtinam (inquit) saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ac si manifestiùs dicat; Vtinam esset in eis spiritus sapientię & intelligentię atque consilij. Vtinam hęc in nobis inueniantur fratres, vt suauiter omnia nostra per sapientiam disponamus, vt intellectu pręterita peccata damnemus, vt prouideamus futura consilio. Vtinam sapiamus ad pręsentis vitę moderationem: vtinam intelligamus ad pręteritę correptionem: vtinam deuota in Deum fide prouideamus vt felicem habeamus (ipso miserante) consummationem. Hic enim est funiculus triplex quo trahimur ad salutẽ, ordinata conuersatio, rectum iudicium, fides deuota.

Eccl. 7. Deut. 32. Tit. 2. Matth. 5.

EIVSDEM IN SOLENnitate eorundem, de lectione libri Sapientiæ: Hi sunt viri misericordiæ, Sermo 3.

MEritò, fratres, Apostolis sanctis attribuit mater ecclesia quod in Sapientię libris legitur: Hi sunt viri misericordię, quorum iustitię obliuionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona. Sunt enim hi planè viri misericordię, siue quia misericordiam consequuti, siue quia misericordia pleni, seu quia misericorditer à Deo nobis donati sunt. Et vide quam misericordiam consequuti sunt. Paulum interroga de seipso, vel magis spontè confitentem ausculta. Qui fui blasphemus & persequutor & iniquus: sed misericordiam consequutus sum. Quis enim non audiuit quanta mala fecerit sanctis in Hierusalẽ? Nec solùm in Hierusalem, sed & per totam Iudæam insanię ferebatur habenis, vt Christi membra laniaret in terris. Denique hac furia vectus ibat, sed præuentus à gratia est. Ibat spirans minarum, & cędis in discipulos Domini, & discipulus Domini factus est: cui ostenderetur quanta eum oporteret pro nomine ipsius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, & subito in electionis vas mutatus est, vt iam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium, & diceret: Domine, quid me vis facere? Hæc vtique, hæc mutatio dexteræ excelsi. Meritò proinde loquebatur: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. Hoc ergo apud beatum Paulum fiducię & consolationis accipite fratres, vt ad Dominum iam conuersos non nimis cruciet præteritorum consciẽtia delictorum: sed tantum humiliet vos sicut & ipsum. Ego sum, inquit, minimus apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus: quia persequutus sum ecclesiam Dei. Ita & nos humiliemur sub potenti manu Dei: & fiduciam habeamus, quia & nos misericordiam cõsequuti sumus, abluti sumus, sanctificati sumus. Et hoc quidẽ omnibus nobis: quoniã omnes peccauimus, & egemus hac gloria Dei. Verùm apud beatum Petrum aliud habeo quod apponam, eò chariùs quò rariùs, & quò singulariùs, eò sublimiùs. Nã peccauit Paulus, sed ignorans fecit in incredulitate sua. Petrus cùm cecidit, apertos habebat oculos. Porrò vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Eorum siquidem qui peccant antequam Deum nouerint, antequã miserationes eius experti sint, antequam portauerint, iugum suaue & onus leue, priusquam deuotionis gratiam, & consolationes acceperint spiritus sancti: eorum inquam copiosa redemptio est, & tales omnes nos fuimus. At eorum qui post conuersionem suam peccatis & vitiis implicantur ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt tepidi & carnales facti, aut post agnitã viam veritatis retroeunt apostatę manifesti: eorũ vtiq; perpaucos inuenias qui post hæc redeant in gradum pristinũ: sed magis in sordibus positi sordescãt adhuc. Super quos propheta deplorat. Quomodo obscuratum est aurum, inquit, mutatus est color optimus: & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora?

Eccl. 44. 1. Tim. 1. Act. 9. Act. 9. 1. Tim. 1. 1. Cor. 15. Rom. 5. Thren. 4.

Nec

Nec tamen si quis huiusmodi est desperamus de eo, tantum vt resurgere velit citò. Quantò enim *Psal.136.* diutiùs permanebit, tàrò euadet difficiliùs. Beatus verò qui tenebit & allidet paruulos Babylonis ad petram. Etenim si creuerint, vix poterunt superari. Filioli hæc dico, vt non peccetis: sed & si *1.Ioan.2.* quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, qui potest quòd nos minimè possumus: tãtùm qui cecidit, nõ adijciat in malũ vt profundiùs cadat, sed magis vt resurgat, confidens quòd nec ei negabitur venia, si tamen ex corde confiteatur peccata sua. Si enim is de quo loquimur Petrus, post tam grauem lapsum ad tantã redit eminentiam sanctitatis: quis de cætero desperet, si tantùm egredi voluerit à peccatis? Attende quod *Matth.26.* scriptum est: Egressus foras, fleuit amarè. In egressu confessionem oris, in amaro fletu compũctionẽ cordis intellige. Et attende quòd tunc primùm recordatus est verbi quod dixerat Iesus: tunc primùm cordi fuit verbum quo prædicta fuerat eius infirmitas, cùm euanuit præsumpta temeritas. Væ tibi qui post lapsum fortiorem te nobis exhibes. Vt quid tam rigidus es in ruam ipsiua perniciẽ? Inclinare potiùs vt meliùs erigaris, & ne prohibeas frangi quod distortum est, vt possit meliùs solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. Pluuiam voluntariam (ait *Psa.97.* Psalmista) segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est. Bona infirmitas, quę segregatur hæreditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim tanquam vas figuli in virga ferrea conteret: & hæreditas infirmata est, ait, tu verò perfecisti *Vbi supra.* eam. Audistis certè quam misericordiam consequuti sint Apostoli nostri: vt iam nemo ex vobis super peccatis præteritis vltra quam necesse sit confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim? Fortè peccasti in seculo: nunquid ampliùs Paulo? Quod si & ipsa in religione, nunquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agẽtes, non modò salutem, sed & sanctitatem consequuti sunt: etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis. Et *Eccl.46.* tu ergo fac similiter, quoniam propter te scriptura loquitur viros illos esse misericordiæ: vtique propter multam misericordiam quam consequi meruerunt. Potes tamẽ in hoc verbo etiam illud non inconuenienter accipere, viros misericordiæ fuisse Apostolos, id est plenos misericordia, seu viros misericordiæ datos ecclesiæ vniuersæ. Scimus enim quòd viri isti nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt: sed ei qui pro ipsis mortuus est: magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum iustitia, quando ipsa quoque, sicut ostensum est, tantum profuere peccata? Pro nobis facta eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipsa. Etenim in conuersione continentiam, in prædicatione sapiẽtiam, in passione sua patientiã nobis Beati Apostuli contulerunt. Quantum vsque hodie conferre non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quamuis & in ipsa eorum vita adhuc inuenias quod adnumeres, fiduciã scilicet quam nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quam multa nobis per eos beneficia prouenerunt? Bene ergo de eis scriptura loquitur; Quoniam hi sunt viri misericordię. Et addidit: Quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt. Vis vt nec tua accipiat obliuionem? A triplici caue periculo: & florebit in æternum ante Dominum. Legis enim; Quia tepidus es; incipiam te *Apoc.3.* euomere ex ore meo. Legis; Si auerterit se iustus à *Ezech.18.* iustitia sua, &c. omnium iustitiarum eius non recordabor. Legis quibusdam dicẽdum in iudicio; *Matth.7.* Nõ noui vos, illis sine dubio qui receperunt mercedem suam. Ergo omnis iustitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in obliuionem coram Deo. Sed nõ ita Apostolorum iustitiæ: quòd ex eo satis apparet quòd sequitur: Cum semine eorum permanent bona. Manent enim vsque hodie in nobis Apostolorum vestigia, & eorum religio quia ex Deo est, non potest dissolui. Vestes Israelitici populi quadraginta annis in deserto perseuerauerunt integrę; multò magis Apostolorum vestes super iumentum saluatoris impositæ. Cum semine (inquit) eorum. Quod est semẽ, quia sequutus adiungit, Hæreditas sancta nepotes eorum? Iidem profectò & semen sunt, & nepotes. Meministis credo (scientibus enim legem loquor) meministis inquam legalis mandati, vt suscitet frater superstes semen fratri defuncto sine semine. Quis sine semine? Singulariter, ait, ego sum *Psal.140.* donec trãseam. Ideòque resurgens, Vade (inquet) dic fratribus meis. Ac si dicat: Fratres sunt, faciãt quod fratres. Ergo per Euangelium ipsi nos genuerunt: non tamen sibi, sed Christo, quia per Euangelium Christi. Hinc est quòd moleste tulit Paulus quosdã eorum dici, à quibus geniti fuerant per euangelium: indignans aduersus eos qui dicebant: Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego *1.Cor.1.* Apollo: Christi magis omnes & fieri volens & dici. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem, sed per adoptionẽ & hæreditatem semen Christi; & Apostolorum nepotes.

ANONYMI APVD METAPHRASTEM *Encomium sanctorum, & principum Apostolorum Petri, & Pauli.*

PEtrum, & Paulum discipulos Domini laudare quidem est laudabile, & beatum; scopum autem assequi est arduum, & difficile, quandoquidem vis laudationum ex rebus inferioribus, & terrenis sumitur. Quibus autem totus mundus est crucifixus, quomodo eis fuerit grata laus, ducta ex iis, quæ habuere contemptui? Quisnam verò vt par est, eorum aggressus fuerit encomia, qui laudem sortiti sunt ab ipsa per se sapientia, Christo verè magistro: post quem omnis mortalis oratio ex illius participatione paruum quendam suscipit splendorem, conuenientem eius prompto, qui id suscipit, studio? Quorum alter quidem dignus est habitus, vt beatus pronunciaretur, & cęlorum quęstor constitueretur; Alter autem segregatus in vas electionis, diuinum vehiculum ad omnem vsum Dei constitutum appellatus fuit *Nota celebritatẽ f... Apostolorum ... tri & Pauli.* vtilissimum. Quid ergo? Quoniam eorum magnitudo ad tantam peruenit altitudinem, quæ ad eos pertinent, mandabimus silentio; quoniam ita est comparatum, vt in rebus maximis silentio honoretur earum summa excellentia. Quid verò lucri ex hoc redibit ad eos, qui illorum ardenti amore inflammantur? qui & iis, qui festi præsentem congregauere celebritatem, vident zelum extingui, & periclitari eis cupiditatem, eò quòd sit cessatio. Si enim sunt apud ipsos otiosæ leges encomiorum; res autem maximas esse quietè tractandas,

ctandas censuit sapiens, & vetus oratio, silentio potius quàm sermone eis honorem tribuens, necesse est, vt vnà desinant festi lætitiæ indicia, & quodcunque in vitam sordidam, & abiectam, in pauperea, inquam, in tali festo effunditur fluentum benignitatis, & quæcunque sonus in tabernaculis iustorum vocis exultationis, & confessionis celebratur. Ne hęc ergo omnino contemnantur, & vobis à nobis hanc gratiam petentibus, id, quod desideratis, omnino desinat in desperationem, agè agè veluti quoddam modicum medicamentum ægritudinis animi vobis adhibentes, ea philosophemur, quæ festo conueniunt, onus quidem fortasse, quod vires superat, subeuntes. Sed vestris confirmati precibus, non desperamus fore vt aliquid vtile adducamus. His ergo omnibus prætermissis, quæ nos à re proposita aggredienda retardant, nouum quoddam, & alienum suscipientes argumentum, si ipsos, qui laudantur, cum nobis ipsis, in rebus ab eis præclare gestis comparauerimus, quod nostros pellat dolores, inueniemus. Erit autem hoc quomodo? Cum primam vtriusque vocationem, tanquam ex qua sit genus eorum deriuatum, primo loco posuerimus, per quam ipsi & ad verissimam lucem nacti sunt progressionem, & per hoc ad virilem ętatem peruenientes, diuinę prędicationis suscepere plenitudinem; ne videamur procul discedere à legibus encomiorum, aggrediemur ad eam, quę nos vrget gratiam. Ad eum, qui est Deus, & homo, Petrus est deductus, vt eius esset discipulus, fratre vtens, veluti quodam satore partus Euangelici. Quinetiam Paulus non vtique opus habuit alio, qui ei ad hoc inseruiret, sed eo ipso, qui eum assumpturus erat ad Apostolatum, ictu oculorum per fulgur stuporem afferendo, ipsum, qui priùs erat fera agrestis, conuertente ad mansuetudinem. Et quid hoc, & quomodo? Nam mitis quidem, & facilis erat Petrus, nec tanto tuendę legis zelo tenebatur, vt aduersus stimulos calcitraret non sentiens. Paulus autem cum serò quidem didicisset, quod oportebat, fracta autem nimia esset eius audacia, tantus visus est inseruiendo ei, quod est melius, quantus fuit ad impediendam priùs prędicationem. Exegit vmbra Petri morbos; sed vestium quoque Pauli superficies, & semicincta erant iis qui homines vexabant, morbis terribilia. Atque hęc quidem est (vt dixerit quispiam) eorum in genere comparatio. Quænam autem ea quoque fuerit, quæ post illam fuit laudabilis assumptio, licet ex iis, quæ deinceps sequuntur, intelligere. Magnus Petrus, qui dignus est habitus, qui beatus pronunciaretur, cui fuerunt creditæ claues regni cælorum, & à quo licet hominibus consequi quicquid refertur ad id, quod est melius. Non minor est Paulus, qui vt vas esset electionis, ab eo ipso est segregatus, audacique, & periculoso conatu contendendo aduersus gentes, & reges resisteotes perfecit viam Euangelij. Diuinissimus Petrus, qui ad templum legale, ei qui ab vtero matris erat claudus pedibus, integram restituit sanitatem. Gratia est dignissimus Paulus, qui claudo, qui erat Lystris, fecit simile miraculum. A Deo fuit adiutus Petrus, qui ab angelo domini fuit liberatus ex carcere Herodis, & à cædem spirantium Hebræorum espectatione. Non minor est Paulus, qui sporta fuit è muro demissus, qui ipse quoque ab Angelo Dei, etiamsi cum carne, in hac fuerit actione directus; si quidem eum, à quo in piis inseruiuit operibus, ad angelum Domini referunt labra à Deo mota. Sed quid hoc, & quanam de causa dominus vtriusque tantam in his gerit curam? num vt sicut Petrus circumcisioni, ita etiam Paulus præputio ædat quod sit probatum; & sic quæ & sententia, & vita erant distincta, concordem referrent, & consentientem Dei cognitionem? Admirabilis est Petrus, qui linteo è cælo demisso pleno omnis generis animantibus castigatus fuit, & didicit esse indifferentē cum gentibus communionē. Non minor est Paulus, si nō etiā maiorem dicere sit religio, qui in tertiū cælū raptus, eorum, quæ dici nequeunt, iis, qui ab ipso initiabātur, in tempore aperit mysteriū. Venerandus est Petrus, qui Tabithā suscitauit. Quid verò? nū à tergo eius relinquitur Paulus, qui Euthychū, qui cum è fenestra cecidisset, vita excesserat, in vitam reuocat? Romæ repressit Petrus Simonem ab arte magica. Qua de causa ad suum quoque abijt dominum, etuce subiens magistri passionem. Paulus quoque eduxit Philippis mulierem, quę instar Pythię dabat responsa, ab errore, quo populum tenebat irretitū. Qua de causa & virgis cæsus fuit crudeliter, & ense rursus ei caput amputatur, vt qui eā inuenerit mercedē, quòd ex Cęsaris familia quosdā Christo conciliasset. Deficiet me tempus, & ante tempus deficienti verbi fluxus, qui quidem à graui senectute recisus omnino defecisset, nisi vestrarum precum vires, vt hæc dicerem, concessissent. Confirmarunt enim, vt prophetice dicam, manus remissas, & genua dissoluta, mentem, inquam, meam, quæ imbecillitate corporis simul euersit imbecilla, vt diuino vestro satisfacerem desiderio. Id quidem, quod sperastis, præstiti aut patum abest, quin id sim assecutus, vestra est hæc, & non mea gloriatio, qui me ad hoc induxistis, & nostram planè resolutam, & imbecillem, ac defectam ætatem, vestra ad Deum fiducia roborastis: Sin autem à scopo procul aberrauimus, indignitatis nostræ infelicitati id est attribuendum, quæ ita multitudine malorum est conturbata, vt ne in precibus quidem possim iusti munus implere. Sed quomodocunque res se habeat, Gloria principij experti patri, & coæterno filio, & qui cum eis est coęternus, diuino, & bono spiritui, vni diuinitati in trinitate, quę non potest diuidi, quę vitam prębet omni spiritui, & ab omni creata natura colitur, & adoratur, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Roma repressit Petrus Simone ab arte magica.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. Homil.

LEctio sancti euangelij, quam modo, fratres, audistis, tanto solertius cogitanda, ac sine obliuione est iugiter retinenda, quanto constat quia magnam nobis fidei perfectionē commendat, magnum eiusdem perfectæ fidei contra omnia tentamenta robur æquè demonstrat. Si enim scire volumus quomodo in Christum credi oporteat, quid lucidius eo quod ait ad eum Petrus, *Tu es Christus filius Dei viui.* Rursus si audire delectat quantum hæc fides valeat, quid apertius eo quod sit dominus de ecclesia quæ super eum ędificanda erat, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Sed hæc suis in locis plenius exponentur.

Nunc

Nunc autem reuertentes ad explanandam ex ordine lectionem dominicam, primo videamus de loco in quo habita memoratur. *Venit*, inquit, *Iesus in partes Cæsareæ Philippi.* Luc. 3. Philippus, vt Lucas testatur, erat Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis. Hic ergo statuens ciuitatem in loco vbi Iordanis ad radices oritur Libani montis, & est terminus Iudææ contra septentrionem, appellauit eam Cæsaream Philippi in memoriam videlicet sui nominis, paritérque honorem Tiberij Cęsaris, sub quo ipse regnabat. In cuius partes veniens Iesus, interrogabat discipulos suos, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non autem quasi nesciens sententiam de se, vel discipulorum, vel extraneorũ inquirit, sed ideo discipulos quid de se sentiant interrogat, vt confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneret. Nam sicut interrogatis generaliter omnibus Petrus respondit vnus pro omnibus, ita quod Petro dominus respondit, in Petro omnibus respondit. Ideo quid alij de se sentiant inquirit, vt expositis primo sententiis errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse dominicę reuelationis arcano. *Quem*, inquit, *dicunt homines esse filium hominis?* Pulchre homines appellat eos, qui de filio hominis tantum loqui nouerant, quia diuinitatis eius arcana nesciebant. Nam qui diuinitatis eius mysteria capere norunt, merito supra homines 1. Cor. 2. esse dicuntur, Apostolo attestante qui ait: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Qui cum hæc de hominibus, hoc est, humana solum sapiẽtibus corde, aure, & oculo præmitteret, mox de se ac de suis similibus, qui generalem humanitatis scientiam transcenderant, ad- Ibidem. iecit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Cui simile est, quod hic dominus cum interrogasset discipulos, quem eum dicerent homines esse, & illi diuersas diuersorũ opiniones præmisissent, dicit illis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Quasi ab hominum generalitate illos sequestrás, & deos ac Dei filios per adoptionem factos insinuans, iuxta illud Psalmistæ, Ego dixi, dij & filij Psal. 81. excelsi omnes. *Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Deum viuum appellat ad distinctionem falsorum deorum, quos vario delusa errore gentilitas, vel de mortuis sibi hominibus instituit, vel maiore dementia de insensibili materia quos adoraret creauit, de qualibus cani- Psal. 113. tur in psalmo: Simolachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, &c. Notet autem dilectio vestra, quàm miranda distinctione sit factum, vt cum de vtraque eiusdem domini & saluatoris nostri natura ab ipso domino, & à fideli eius discipulo esset proferenda sententia, dominus ipse humilitatem assumptæ humanitatis profiteatur, discipulus excellentiam diuinæ æternitatis ostentet. Dominus de se quod minus est, discipulus de domino intimat quod maius est. Dominus de se quod factus est propter nos, discipulus declarat de domino, quia ipse est qui fecit nos. Sic & in Euãgelio dominos multo crebrius se filiũ hominis, quàm filium Dei appellare cõsueuit, vt nos admoneat dispensationis, quam pro nobis suscepit. Sed nos necesse est tanto humilius diuinitatis eius alta venerari, quanto illum meminimus pro nostra exaltatione ad humanitatis infima descendisse. Si enim inter sacramenta incarnationis eius, quibus redempti sumus, potentiá diuinitatis qua creati sumus pia semper mente recolimus, fit vt ipsi quoque cum Petro supernæ beatitudinis mercede donemur. Nam confitente illo Christum filium Dei viui, videamus quid sequitur. *Respondens autem Iesus, dixit: Beatus es Simon Bar jona.* Constat ergo, quia post veram Christi confessionem, vera beatitudinis præmia restant. Sed intueamur attente, quale quantúmve sit nomen illud, quo perfectum sui nominis confessorem glorificat: vt huius etiam nos veraciter eum cõfitendo, mereamur esse consortes. *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-jona.* Bar-jona Syriace, Latine dicitur filius columbæ. Filius autem columbæ recte vocatur Apostolus Petrus, quia videlicet columba multum simplex est animal: & ipse prudenti ac pia simplicitate dominum sequebatur, memor illius præcepti, quod cum suis condiscipulis ab eodem magistro simplicitatis ac veritatis accepit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Vel Matth. 10. certe quia spiritus sanctus super dominum in co- Matth. 3. Marc. 1. lumbæ specie descẽdit, recte filius columbæ nun- Luc. 3. cupatur, qui spiritali gratia plenus extitisse mon- Ioan. 1. stratur. Et iusta laude dilectorem confessorémq; suum dominus remunerat, cum eum sancti spiritus filium esse testatur, à quo ipse filius Dei viui asseuerarat: quamuis hoc ipsum multum dissimiliter fieri nullus fidelium dubitat. Dominus enim Christus filius Dei per naturam, Petrus sicut & cæteri electi, filius est sancti spiritus per gratiam. Christus filius Dei viui, quia de ipso natus est: Petrus filius spiritus sancti, quia de ipso renatus est. Christus filius Dei ante tempora, ipse est enim Dei virtus & Dei sapientia quæ dicit: Dominus Prouerb. 8. possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Petrus filius spiritus sancti ex eo tempore, quo ab ipso illuminatus gratiam diuinæ cognitionis accepit. Et quia vna volũtas, eadem est operatio sanctæ trinitatis, recte eum dixisset, *Beatus es Simon Bar-jona*, id est, filius gratiæ spiritalis, protinus adiunxit: *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Pater quippe filio columbę reuelauit, quia vna est gratia patris & spiritus sancti, eadem quoque & filij, quod facillimis sacrę scripturę probabitur exemplis. Dicit nanque de patre Apostolus: Misit Galat. 4. Deus spiritum filij sui in corda nostra. Dicit ipse Ioan. 15. filius de spiritu sancto: Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Dicit de spiritu sancto Apostolus: Hæc autem omnia ope- 1. Cor. 12. ratur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis 1. Ioan. 3. prout vult. Pater ergo mittit spiritum, filius mittit spiritum, spiritus ipse vbi vult spirat, quia profecto vt diximus, vna est voluntas & operatio patris, & filij, & spiritus sancti. Et propterea conuenienter dicitur, quia pater qui in cælis est reuelauerit filio columbæ mysterium fidei, quod ei caro & sanguis reuelare nequibat. Caro autem & sanguis recte intelligũtur homines sapientia carnis inflati, columbinæ simplicitatis nescij, ideóq; à sapientia spiritus omnimodis auersi. De quibus supra dictum est, quia Christum non intelligentes, alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij vero Hieremiam, aut vnum ex prophetis esse dicerent. De qualibus dicit Apostolus: Carnalis 1. Cor. 2. autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.

Dei. Sequitur: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petrus qui Simon antea dicebatur, ob fortitudinem fidei, & confeſſionis ſuæ conſtantiam, à Domino Petri nomen accepit: quia videlicet illi firma ac tenaci mente adhæſit, de quo ſcriptum eſt: Petra autem erat Chriſtus. (1.Cor.10.) Et ſuper hanc petram, id eſt, ſuper dominum ſaluatorem, qui fideli ſuo cognitori, amatori, confeſſori participium ſui nominis donauit, vt videlicet à petra Petrus vocaretur: ſupra quam ædificatur eccleſia, quia non niſi per fidem & dilectionem Chriſti, per ſuſceptionem ſacramentorum Chriſti, per obſeruantiam mandatorum Chriſti, ad ſortem electorum & æternam pertingitur vitam, Apoſtolo atteſtante, qui ait: (1.Cor.3.) Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Portæ inferi doctrinæ ſunt nequam, quæ ſeducendo imprudentes ad inferos trahunt. Portæ quoque inferi & tormenta & blandimenta ſunt perſecutorum, quæ infirmos quoſq; deterrendo vel emolliendo à ſtabilitate fidei introitũ eis æternæ mortis aperiunt. Sed & praua fidelium opera ineptáque colloquia portæ vtique ſunt inferi, in quantum ſuis vel fautoribus, vel ſequacibus iter perditionis oſtendunt. (Iacob.2.) (1.Cor.15.) Nam & fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa: &, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Multę ſunt itaque portę inferi, ſed harum nulla eccleſia quę ſupra petram fundata eſt prępualet: quia qui fidem Chriſti intimo cordis amore perceperit, omne quicquid exterius periculi tentantis ingruerit, facillime contemnit. At quicunque credentium fidem vel opere vel negatione deprauatus prodiderit, non hic ſupra petram domino cooperante domum ſuæ profeſſionis ædificaſſe, (Matth.7.) ſed iuxta alterius loci parabolam, ſuper arenã ſine fundamento poſuiſſe credendus eſt, hoc eſt non ſimplici ac vera intentione Chriſtum ſequi, ſed terrenam quamlibet fragilémque ob cauſam habitum prætendiſſe Chriſtiani. Sequitur: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* (Petro authore … caeteris Apoſtolorum.) Qui regem cælorum maiori præ cęteris deuotione confeſſus eſt, merito prę cęteris ipſe collatis clauibus regni cęleſtis donatus eſt, vt conſtaret omnibus quia abſque ea confeſſione & fide regnum cęlorum nullus poſſet intrare. Claues autem regni cælorum ipſam diſcernendi ſcientiam potentiámq; nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos ſecludere deberet à regno. Vnde manifeſte ſubiungit: *Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæ ſoluendi atque ligandi poteſtas, quamuis ſoli Petro videatur à domino data, abſque vlla tamen dubietate noſcendũ eſt, quia & cæteris Apoſtolis datur ipſo teſte qui poſt paſſionis reſurrectioníſque ſuę triumphum, apparens eis inſufflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nec non etiam nũc in epiſcopis ac preſbyteris omni eccleſię officium idem committitur, vt videlicet agnitis peccãtium (Ioan.20.) cauſis, quoſcunque humiles ac vere pœnitentes aſpexerit, hos iam à timore perpetuę mortis miſerans abſoluat: quos vero in peccatis qui egerint perſiſtere cognouerit, illos perennibus ſuppliciis obligandos inſinuet. Vnde alias dominus de correpto ſemel, & iterum, ac tertio, ſed non pœnitente fratre præcipit, dicens: Si autem eccleſiam (Matth.18.) non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et ne leue quiſquam putaret eccleſię iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, (Ibidem.) erunt ligata & in cęlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlo. Omni igitur electorum eccleſiæ iuxta modum culparum vel pœnitentię ligandi ac ſoluendi datur authoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint regni cæleſtis ingredi. Vnde nos neceſſe eſt tota intentione, fratres chariſſimi, & fidei quã docuit ſacramenta diſcere & congruentia fidei opera demonſtrare. Neceſſe eſt omni vigilantia multiplices, ſubtiléſque portarum inferi cauere inſidias, quatenus iuxta Pſalmiſtæ vocem, (Pſal.9.) de his adiuuante domino eripi, atque ad annunciandas eius laudes, portas filiæ Sion, hoc eſt gaudia ſupernæ ciuitatis mereamur intrare. Nec ſufficere nobis ad ſalutem arbitremur, ſi turbis negligentium, vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquamur, quibus in literis ſacris vnica eſt credendi pariter & viuendi regula præſcripta: ſed quotieſcunque nobis errantium ingeruntur exempla, nos confeſtim auertentes oculos mentis noſtræ ne videant vanitatem, magis quid veritas ipſa decernit ſedulo corde ſcrutemur: ſequentes exemplum beati Petri, qui ſpretis errantium ſectis, veræ fidei arcanum quod cognouerat, indubia oris confeſſione protulit, inſuperabili cordis cura ſeruauit. Nam de fiducia confeſſionis hoc loco cognouimus, de virtute autẽ vnicæ in Chriſtum dilectionis ipſe alibi teſtatur: Qui cum diſcederent ab eo quidam diſcipulorum eius, (Ioan.6.) diceréſque ille ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Petrus, dicens: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos cognouimus, & credimus quia tu es Chriſtus filius Dei. Huius ergo, fratres mei, pro modulo noſtro exemplum ſi imitari ſatagimus, & nos cum illo beati & appellari & eſſe valebimus, nobis quoque Simonis, hoc eſt obedientis, Chriſto, nomen congruet, nóſq; propter ſimplicitatem fidei non fictæ, accepiámque à domino gratiam, virtutum filij columbæ vocabimur, congaudénſque ipſe ſpiritalibus animæ noſtræ profectibus dicet: (Cantic.4.) Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es oculi tui columbarum. Sicque fit, vt nobis ſupra petram fidei, aurum, argentum, lapides precioſos, hoc eſt perfecta virtutum opera conſtruentibus, nihil tribulationum ignis detrimẽti adferat, nulli tentationum turbines præualeant: quin potius aduerſitatibus probati, accipiamus coronam vitæ quam ipſe nobis ante ſecula promiſit, qui viuit & regnat Deus cum patre in vnitate ſpiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

* * *

CHRISTIANI DRVTHMARI eiusdem *Euang. expositio:*

VEnit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Iste est Philippus frater Herodis: cuius vxorem Herodes habebat, in cuius partes regni venit Iesus in loco nuncupante Cæsarea. Siquidem ipse Philippus ręędificauit ciuitatem quandam in honore Tyberij Cæsaris, & vocauit eam Cæsareá Philippi in honorem Tyberij, pariterq; sui, sub quo ipse regnabat quia alia iá ibi erat ex proprio nomine eius, Tyberiadis ædificata. Est autē prouincia Phœnicis ad radices Libani: qui habet cedros magnas: vbi sunt duo fontes, Ior & Dan: qui inde longe in simul veniunt, & Iordanem faciunt fluuium. Vocatur vero nunc ipsa ciuitas Paneas. Est autem alia Cæsarea, quam Hærodes reædificauit in honorem Octauiani, & vocauit eam Cæsareá: quoniam prius turris Stratonis dicebatur. Cum ergo ad hunc locum veniret, & sicut Lucas dicit, cum sine turbis esset: & duodecim cum eo in via fuissent Discipuli: interrogabat eos dicens. *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Dixit superius quare filius hominis vocetur, quia videlicet consuetudo fuerit in ipsa gente Prophetam, aut præclarum virum, aut hominem Dei aut Prophetam aut filium Adam, id est hominis appellari. Vnde Ezechiel filius hominis appellatur frequenter. Idcirco dicit, *Quem dicunt filium Adam esse.* Et non dicit: quem me dicunt: ne iactanter de se quærere videretur. Homines illos appellat, qui mentiuntur de filio Dei: quia omnis homo mendax. Qui autem veritatem de filio Dei sentiunt, quasi super homines sunt. *At illi dixerunt.* In hoc loco primitus nomen Christi, Domino Christo impositum est à Beato Petro & cæteris Apostolis per reuelationem Spiritus Sancti. Et sicut Ioseph pręceptum est ex persona Dei vocare eum Iesum, sic ex persona Spiritussancti ordinatum est vocare eum Christum per Beatum Petrum & cęteros Apostolos. Notandum vero: quod non eo more Dominum appellat, quo secularis Doctrina apud nos docet: sed tu es: sicut in antiquis libris inueniitur vsos fuisse maiores. Siquidem Romulus & Remus duo fratres tantæ concordiæ fuisse dicuntur, vt nihil vnus sine alio vellet habere: & omnia communia dicerent & haberēt: sicuti modo monachi faciunt. Ex hac re increuit consuetudo in hac Gallis, vt Dominos plurali numero appellent. Alij Ioannem Baptistam, Scilicet quasi ipse deberet resurgere, eo quòd modico tempore prædicasset. *Alij Heliam.* Qui habetur in libro Prophetiæ eius: quia Prophetam in gentibus dedi te. Et quia mors eius in scriptura non legitur, dicebant: eum venturum gētibus prędicare. Falsa erit denique eorum opinio de Hieremia: quia in suo libro inuenitur, quomodo prophetauerit ad gentes ad Moab, ad Idumæos, & ad Babylonios: propterea completum est, quod ad ipsum dictum fuerat: prophetam in gentibus dedi te. Habemus quoque scriptum quòd Iudæi lapidauerunt eum in Ægypto: quia prophetabat. Nabuchodonosor illuc esse venturum post Iudæos: quia pro illius timore illuc fugerāt. *Aut vnum ex Prophetis.* Quilibet de prioribus. *Dixit autem illis. Vos autem quem me esse dicitis.* Ac si aperte dicat. Sequestrās eos ab hominibus, filios Dei per adoptionem factos insinuās dicit. Vos qui dij estis, quē me esse dicitis. Recte dij vocabantur, in quibus Deus habitabat: & qui omni die verbum Dei audiebāt. Illos enim ad quos sermo Dei factus est, Deos psalmista appellat dicens: ego dixi dij estis. Consideranda vero distinctio, quomodo Dominus de sua humilitate Discipulis dicit. *Filium hominis* nō dicit filium Dei. Multo enim sæpius in Euangelio se filium hominis, quam filium Dei dicit. Et hæc omnia vt nos ad humilitatem informet. *Respondens Petrus dixit ei.* Petrus respondet pro omnibus: quia ipse iam in caput Apostolorum erat constitutus. Et quod ipse respondit omnium Apostolorum responsio est: quia & ipsos fuerat interrogatus. *Vos quem me esse dicitis?* Et quod Dominus Petro dixit omnibus dicit Apostolis. *Tu es Christus filius Dei viui.* Tu es Christus. Si alij dicti sunt Christi nuncupatiue, quia ad tempus populum regere debuerunt: tu veracius es Christus: quia tu es Rex omnis terrę. Tu es filius Dei viui, qui essentialiter Deus es: & non vt isti alij qui dicuntur dij, & nō sunt: quia opera manuum sunt: non vident neque audient. Tu es autem illius Dei filius, qui à Iudęis adoratur & colitur. De quo dictum est. Notus in Iudęa Deus: in Israel magnum nomen eius. Quid ipsi homines errent de te cum ipsis quid de te sentio dico. Christus Dei es: & filius Dei es: illius Dei ante cuius arcam Dagon iacebat truncatis manibus, & pedibus. *Respōdens Iesus dixit ei, beatus es Simon Bar-iona.* Bar Syriacè filius, Iona colūba. Et in hoc Beatus: quia Spiritussancti simplex vt columba: astutus vt serpens. Et in hoc beatus *Quia tibi non reuelauit caro & sanguis.* Hoc est, viuēs homo, qui de carne, & sanguine constat: sed pater meus: ille ipse, quem tu confessus es. Pater viuens incomparabiliter: Pater meus qui in cælis est: & ego etiá cum ipso: & Spiritussanctus, cuius filius spiritalis es. Nouerat quidē Dominus Iesus quid Apostoli de eo crederent, quidve sentirent, & quid responsuri essent. Sed ad insinuandam humilitatem nobis, placuit inuisibiliter cum patre Spiritusancto reuelari Apostolis in corde: & per illorū confessionem in mundo audiri: & dignam cōfessionem digna mercede remunerari: vt omnes certi sint quicunq; fuerint confessionis huius vsque in finem seculi consonantes, & confitentes: erunt & remunerationis consortes. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus.* Dixisti *tu es Christus & ego dico tibi, quod tu es Petrus.* Quia ego sum Christus inunctus oleo inuisibili à patre, Rex Christianorum: & tu fundamentum eorum. *Beatus es Simon* id est obediens, quia filius columbæ: & quia Petrus, id est firmus. *Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Super hanc firmitatem fidei quam confessus es ædificabo ecclesiam meam: & super me ædificabo te cum omni ecclesia mea. *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Quicunque de ecclesia mea studuerit esse, & de his: qui ita confessi fuerint: portæ inferi nō prævalebunt aduersus eos, vt possint eos trahere ad se: vt ipse alias dixit. Nemo potest rapere oues meas de manu mea. Vel portæ inferi: peccata atque vitia seu doctrina hæreticorū, per quá illecti homines ducūtur ad tartarum. Multę sunt portæ inferi: sed nullæ ecclesiæ prævalent: quia qui fidem Christi in corde tenuerit perfecte, omne quicquid exterius accidit, tentationis, facillimè deuincet Deo protectore. Quicunque ab ecclesia recesserit fide, vel opere;

opere; iste nō super terram, sed super arenam fundamentum posuisse credendum est. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Claues regni cęlorum scientia discernendi potentiáque qua dignos recipere in regnum, indignos excludere debeat, intelligitur. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Hoc tam Petro quàm omnibus Apostolis, & successoribus eorum, qui in ecclesia eundem locum tenent, rectè credimus concessum: quia ipse post passionem apparens eis: dixit. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt vt videlicet cum agnouerint causas peccantium, quos cognouerint vere pœnitētiam agere: & nolle vltra reuerti ad vomitum peccati, illos absoluere dignos iudicent: & à timore mortis perpetuæ consolentur. Quos vero in peccatis criminalibus vitam finire viderint, illos perpetuis suppliciis tradendos insinuēt: sicut ipse Dominus insinuat dicens. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Similitudo datur de leprosis in Leuitico, quòd sicut sacerdos iubebatur cōsiderare leprosum, vt ad arbitriū eius decernerent, qui esset leprosus, & qui nō esset: sic & Episcopi, & sacerdotes in ecclesia illos debent ligare, quos viderint leprosos in anima de peccatis criminalibus. Cum vero viderint, aut audierint ablatam lepram: id est peccata per digna opera pœnitentiæ, & confessionis, tunc debent illos absoluere. Quod iam sub exemplo Lazari diximus: vt illum studeat absoluere, quem Dominus in anima resuscitauit: quia si discipuli ante soluissent Lazarum, quam Dominus illum resuscitasset, fetorem potius ostenderent quam virtutem. Quod autem quasi soli Petro hæc legatio dici videtur: ideo fit, quia ipse locutus est pro omnibus, & in ipso omnibus respōsum est: & ipse vera fide confessus est: & vero amore fuerat secu[illegible] etiā & ob hoc vt omnes credentes pro certo sciant: quòd quicunque se ab vnitate fidei segregauerint, nec veniam peccatorum consequentur, nec aditum regni cælorum intrare poterunt. Imitemur ergo Beatum Petrū in cōfessione veræ fidei vt sic & corde credamus, & ore confiteamur. Imitemur illū de sua simplicitate: quia filius columbæ appellatur. Constantia quoque vincēdas voluptates seculi par illo esse satagamus: vt ad illum cum quo ipse est, peruenire mereamur.

Caute [illegible] proper[illegible] [illegible] ecclesia [illegible] [illegible] declarādi aut [illegible] aut peccatore.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberst. superioris Euang. expositio.*

VEnit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Philippus iste fuit frater Herodis minoris, sub quo Dominus passus est, & filius Herodis maioris, sub quo Dominus natus est. Qui Philippus ædificauit ciuitatem Cęsaream, quæ nunc Paneas appellatur in honorem Tyberij Cæsaris, & à Cæsare appellauit eam Cæsaream, et suo autem nomine vocauit eam Cęsaream Philippi. Compositum nomē. Et ipsa ciuitas in prouincia Phœnicis, ad radicem montis Libani ędificata, vbi oriuntur duo fontes vnum nomine Ior, alterum Dan, quorum fontium riui copulati Iordanem fluuium faciunt. Ad quam ciuitatem Dominus cùm appropinquasset interrogauit discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non ideo interrogauit quasi nesciret, quem eum dicerent homines, sed vt eorum confessionem digna mercede remuneraret. Et non dixit, quem me dicunt homines esse, ne iactāter de se quærere videretur, sed quem dicunt homines esse filium hominis, sic de se quasi de alio loquens. Ita debent agere prælati sanctæ ecclesiæ debent interrogare subiectos suos, cuius opinionis habeantur à populo. Si bonæ opinionis sunt, crescant semper in melius: si verò malam famam habent, corrigant quę correctione digna sunt. Illa ciuitas Philippi, scilicet Cęsarea regalis erat, vbi rex terrenus a suis subiectis censum exigebat, & ibi rex cælestis cęsum fidei à suis fidelibus exigere voluit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Homines hic appellantur qui terrena sapiunt. Qui verò diuina intelligunt, non homines sed dij appellantur, iuxta illud Psal. Ego dixi dij estis. Et alibi: Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Et Dominus ad Mosen: Ecce constitui te Deum Pharaonis, vt flagelles eum more Dei. Et in lege Mosi. Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, id est, sacerdotes. Sed isti nuncupatiuè dij sunt, non essentialiter. *Filium hominis.* Vbicunque in nostris codicibus habetur, filium hominis vel filij hominum, in Hebræo habetur filij Adam. Vndè legimus spiritum sanctum frequenter dixisse ad Ezechielem prophetam: Fili hominis, id est fili Adam, vide ne corruas, sicut ille corruit. *At illi responderunt, alij Ioannem.* Alij dicebāt Ioāuem dominum nostrum Iesum Christum esse, *alij Heliam* qui curru igneo vectus est in cælum, & aduentum filij Dei debet præuenire ad iudicium, *alij Hieremiam.* cuius mors in prophetia illius non legitur. *Aut vnum ex prophetis.* Si isti omnes ita errabant in Helia & Hieremia, quomodo Herodes audita fama Iesu, errauit in Ioanne, dicens: Quem ergo decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo. *Vos autem quem me esse dicitis?* Acsi diceret: Illi qui homines sunt humana opinātur: Vos autem qui dij estis, qui plus quam homines estis, qui meam diuinitatem cognouistis quem me esse arbitramini? Dicitur autem hic. Vnus pro omnibus respondit, id est, Petrus pro omnibus apostolis. Sicut ergo Petrus ex persona omnium ipsorum Apostolorum respondit. *Tu es Christus filius Dei viui.* Ita Dominus quod Petro dixit, in Petro cæteris Apostolis dixit: *Tu es Christus.* in lege promissus, quem Deus pater vnxit oleo lętitię prę consortibus eius, id est, plenitudine spiritus sancti. Deum viuum appellat ad distinctionem falsorum deorum, qui vocantur dij, sed mortui sunt, quos gentiles venerabantur vt deos, sicut fuit Hercules, Iupiter, Ceres, Mercurius, Saturnus, & cętera idolorum portenta de quibus dicit Psal. Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominis & cętera vsque [illegible] est spiritus in ore ipsorum. *Et ait illi Iesus Beatus es Simon Bar-iona.* Primum Beatus Petrus vocatus est Simon. Simon interpretatur obediens. Quare obediēs? Quia statim vt audiuit à Domino cum Andrea fratre suo: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, continuò relictis omnibus secuti sunt eū. Bar-iona Syriacè, Latinè dicitur filius columbę, bar interpretatur filius, iona columba. Columba simplex animal est, & ab amaritudine

Psal. 81.
Ibidem.
Exod. 7.
4. Reg. 2.
Math. 14.
Psal. 44.
Psal. 113.
Math. 4.

tudine fellis extraneum. Et rectè B. Pet. filius columbæ, id est, filius simplicitatis appellatur à Domino; quia simplex homo fuit, & simplici corde Deum sequebatur, non duplici sicut Iudas. Vel certè per columba designatur spiritus sanctus, qui super dominum requieuit tempore baptismatis in specie columbæ. Bar-iona, id est, filius spiritus sancti appellatur Petrus, quia iam renatus erat ex aqua & spiritosancto, *quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Carnem appellat hic doctrinam pharisaicam, quia caro & sanguis, id est, carnales propinqui tui Scribæ & Pharisæi, *Non reuelauerunt tibi* quòd ego sum filius Dei, *sed pater meus qui in cęlis est,* ipse aperuit tibi sensum, vt intelligeres me filium Dei esse. *Et ego dico tibi,* quia tu dixisti mihi: Tu es Christus filius Dei viui, reddam tibi vicem, *quia tu es Petrus.* Sicut lux vera Christus omnibus donauit Apostolis vt lux mũdi dicerẽtur, & essent,

Matth. 5. dicens: vos estis lux mũdi, similiter & à petra hoc est à seipso, de quo dicit Paulus Apostolus. Petra

1. Cor. 9 autem erat Christus, de hoc nomen Petro vt vocaretur Petrus. *Quia tu es Petrus,* id est, firmitas fidei, quoniam veraciter me protestatus es verum filium Dei esse. *Et super hanc petram:* id est super me quem confessus es filium Dei esse: *ædificabo Ecclesiam meam.* Quomodo ædificamur super Christum? Dum credimus eum ante omnia secula genitum a patre, & in fine temporũ natum ex Maria virgine, dum credimus veraciter eum passum, resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cælos, & venturum ad iudiciũ, taliter ædificamur super Christum. *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Per portas inferi possumus intelligere hæresim, blandimenta persecutorum: atque terrores, vitia atque peccata. Hæretici ideo vocantur portæ inferi, quia multos suis falsis doctrinis ad claustra inferni perduxerunt. Similiter & peccata. Sed quid dicit Dominus: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* id est, aduersus Ecclesiam: quia licet pugnent hæretici, licet pugnent pagani, licet pugnent vitia & peccata contra sanctam ecclesiam, tamen non prævalebunt quia electos ad vitam æternam prædestinatos, regit & gubernat Deus omnipotens in fide sua. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Per claues debemus intelligere scientiam potentiamque discernendi in bonos & malos. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Id est, tibi dabo scientiam potentiámque discernẽdi inter bonos & malos: vt eos quos videris in fide recta permanere, dignos iudices cælo, quos verò videris à rectitudine fidei deuiare: dignos iudices pœnis inferni. Hanc potestatem non solum dominus contulit Petro, sed etiam omnibus apostolis, quia sicut Petrus fidem omnium apostolorum expressit, dicendo: Tu es Christus filius Dei viui: Sicut dominus quod Petro dixit, omnibus dixit. Possumus hoc cõfirmare ex verbis ipsius domini, qui-

Ioan. 21 bus dixit die resurrectionis suæ eisdem apostolis; Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. & quorũ retinueritis retenta sunt. In veteri testamẽto sacerdotes Iudæorum potestatem habebant discernendi inter leprosos & non leprosos. Ille qui erat leprosus veniebat ad eos, & per iudicium illorum sequestrabatur à societate sanorum. Qui autem mundus erat à lepra, iterum per iudicium illorum recipiebatur. Non habebant tamen potestatem, vt de leprosis facerent mundos, aut de mundis leprosos. Similiter in sancta ecclesia modo Episcopi, & presbyteri, potestatem habent discernendi inter bonos & malos, vt eos quos viderint humiliter confiteri, & plangere peccata sua, soluant à peccatis: quos vere viderint in peccatis pristinis permanere, dimittant eos ligatos, quia in conspectu Dei omnipotentis ligati sunt. Non tamen habent potestatem, vt de non leprosis, id est, iustis, faciãt peccatores, aut de peccatoribus absque confessione & pœnitentia faciant iustos. *Et quodcunque,* peccatum, *ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis.* Tuam sententiam in terra ego confirmabo in cælo. Et quodcunque solueris super terram erit solutũ & in cęlis. Ligat modo episcopus aliquem, cùm de societate Ecclesiæ sanctæ eum abjicit, & à corpore & sanguine domini separat: soluit verò, cùm post dignam pœnitentiam peractam recipit eum in consortium sanctæ Ecclesiæ, & reconciliat sacro altari.

ERICI IN IDEM
Euang. Homil.

V*Enit Iesus, &c.* Herodes maior, sub quo Dominus natus est, quatuor traditur filios habuisse, Philippum videlicet, qui hic commemoratur, quique (vt Lucas narrat) fuit tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis: Archelaum quoque & Lysaniam, sed & Herodem, sub quo passus est Dominus. Philippus ergo iste princeps, vt præmonstratum est, quartæ partis regni Iudæorum, in honorem Tyberij Cæsaris ciuitatem statuit ad radices Libani montis, vbi Iordanis in duobus fontibus exoritur, quam Cæsaream Philippi in memoriam sui nominis, pariterque in honorem Tyberij Cęsaris appellari cõstituit: quæ posteà pristino amisso vocabulo, Paneas dicta est, in qua etiam ciuitate tradunt antiquis regibus quondam tributa consueuisse persolui. Hoc autem fecit fauore huius Cæsaris ad imitationem patris sui Herodis, qui ex nomine Cæsaris ciuitatem Cæsaream nuncupauit, quæ anteà turris Stratonis vocabatur, qui etiam trans Iordanem Iuliadem vrbem in monimentũ filiæ ipsius Cæsaris condidisse in historiis inuenitur. Veniens ergo Dominus in partes Cæsareæ Philippi, discipulos, cuius apud homines opinionis haberetur, inquirebat. Et pulchre satis hoc quam maximè his in partibus agere voluit, vt vbi quondam rex terrenus censum tributarium exigere solitus erat à sibi subditis, ibi veniens rex cælestis reciperet censum fidei à discipulis suis. Vbi sanctæ suæ Ecclesiæ rectoribus exempli quam sequerẽtur normam præsignauit, qui vicem Christi in administrandis eius gerunt negociis, quò ipsi quoque ab his, quos fidei & conuersationis merito probato familiariùs cæteris colunt, cuius famæ apud subiectos sint percontentur. Et si quidem dignos se laudibus famæ esse deprehenderint, Dei totum gratiæ deputent, talésque esse quales fama vulgauit, insudent. Si verò secus quàm decet ferri de se testimonium senserint, sic illud in seipsis corrigere, támque piè & iuxta quod sacer præcellentiæ ordo postulat, viuere studeant, vt tantus in eis sanctitatis splendor eluceat, qui omnem maliloqui oris nebulam tergat, famamque de se mentiri prohibeat. Ait enim: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non hoc quasi insciens percontatur

Luc. 3

Iordanis duo fontes

tur

tur, tanquam ignorare potuerit, quid de se homines sentirent: sed vt confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneraret, & populum traditionibus falsis scribarum & pharisæorum corruptum ab errore liberaret. Scribæ namque & pharisæi, qui in populo Iudæorum honore ac sapientia præeminebant, videntes se a populo despici & Dominum Iesum Christum sequi propter vitæ sanctitatem, ac prædicationem salutiferam, atque miraculorum signa, quæ ab eo assiduè fieri cernebant, zelo ducti inuidebant ei. Et licet lege & prophetis præ cæteris edocti, Christum illum esse scirent, timentes tamen gloriam humanam perdere, si populus doctrinam eorum desereret, & Domini præcepta sequeretur, laborabant quibus modis poterant corda populorum subuertere, ne Christum illum crederent, qui in lege & prophetis patribus eorum fuerat repromissus. Vnde & Iudæi vsque hodie existimāt Dominum Iesum Christum needum in hunc mundum venisse, sed adhuc venturum esse. Cernēs ergo Dominus scribarum & pharisæorum traditionibus plebem corruptam, & se non Christum æstimari à populo, sed potius Ioannem, aut Eliam, vel Ieremiam, voluit eos ab hoc errore liberare: & ideircò interrogans eos, inquirit quid alij de se sentiant, vt expositis diuersis opinantium erroribus probarentur discipuli non de opinione vulgari percepisse veritatem suæ confessionis, sed potiùs reuelatione diuinæ inspirationis. Ait nanque: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Tanquàm diceret: Me qui filius hominis dicor, hoc est, filius Mariæ, quem dicunt homines esse? Nec ait; Quem me dicunt homines esse, sed filium hominis, ne iactantiæ vulgarem sententiam de se requirere videretur. Filium autem hominis sæpius quàm filium Dei se consueuit appellare, vt nos de dispensatione humanitatis, quam pro nobis assumpsit, admoneat. Vbicunque autem in veteri testamento filius hominis scriptum est, beatus Hieronymus in Hebræo filium Adam haberi testatur. Nam & Adam homo interpretatur. Et pulchrè homines appellat eos, qui de filio hominis tantùm loqui nouerant, hoc est, de filij humanitate, quam oculis cernebant, & deitatis illius arcana nesciebant. Homines nanque erant, id est, humana tantum de eo sapiebant. Qui verò de filio Dei iam loqui didicerunt, non iam homines, sed dij appellari merentur: quales erant sancti Apostoli, qui iam spiritussancti magisterio edocti, non solum filium hominis Christum, verumetiā consubstantialem Dei patris filium illum esse intelligere meruerunt. Vnde & præmissis variis hominum opinionibus, illicò Apostolos quem se esse dicerent sciscitatur: per hoc eos à cæterorum hominum generalitate discernens, atque singularis priuilegio scientiæ supra humanam demonstrans esse naturam. Quā formam interrogationis etiam doctores Ecclesiæ seruare oportet. Nam & ipsi perquirere debēt à suis subiectis de fama sui nominis, quales apud vulgares & extrinsecos habeantur, vt secundum quod de se audierint, proprios mores corrigere, & seipsos modestius cunctis studeant conformare. *At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, &c.* Necessarium hic non est causas errorum vulgarū inquirere, cur scilicet Christum alij Heliam, alij Ioannem, alij putauerūt Ieremiam: cùm sic infideles in Helia & in Ieremia errare potuerint, quo modo Herodes in Ioanne errauit, dicens: Quem ego decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo. Sicut enim Herodes Christum miraculis facientem, Ioannem quem ipse decollauerat, esse arbitratus est: sic nimirum vulgus inductum eundem Christum Heliam, vel Ieremiam esse putauit: quorum alter raptus in cælum legitur, alterius verò mors in scriptura canonica aperte memoratur. Sed quæri potest, quare Dominus Iesus Christus ab Herode vel à populo Ioannes sit æstimatus, cùm Ioannes nullis miraculorum claruerit signis, Christus autem maxima ac præcipua patrauerit signa. Leprosos nanque mundabat, cæcus illuminabat, dæmones ab obsessis corporibus eliminabat, claudis & paralyticis gressum reddebat, mortuos etiam suscitabat: quod Ioannem nunquam fecisse cognouimus. Ad quod dicendum, ideò ab Herode, siue à populo Christum Ioannem æstimari potuisse, qui post resurrectionem à mortuis miracula facere potuerit, quòd antè non fecerat: quoniam eandem, quam & nos, de resurrectione mortuorum habebant fidem, credentes videlicet corpora mortuorū post resurrectionem maioris dignitatis & gloriæ futura esse, quàm prius. Ieremias autem non immeritò Christus opinari potuit, propter nimiam sanctitatem, qua in populo excellebat: sicut & Ieremias, qui in vtero matris sanctificatus, suis temporibus clarus emicuit. Helias verò ideircò credi poterat Dominus, quòd illum ante saluatoris aduentum sciebant esse venturum, dicente Malachia propheta: Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbitem, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis, vt conuertat corda patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Dicit eis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Quasi ab hominum generalitate illos sequestrans: deos ac Dei filios per adoptionem factos insinuat, iuxta illud Psalmistæ: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Ac si diceret: Illis qui homines sunt diuersa æstimantibus, vos qui dij estis, & per adoptionem iam filij Dei effecti, quem me esse dicitis? At verò Petrus fide ardentior, præ cæteris amore confessionis promptior, ex voce cunctorum respōdit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Omnibus generaliter Apostolis interrogatis, beatus Petrus cunctorum in se personas assumens, ex abundanti sensu respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Et reuerà ita expediebat, vt ille qui futurus erat vertex Ecclesiæ, ore loqueretur totius Ecclesiæ. Filium autem Dei viui dixit, ad distinctionem falsorū Deorum, quos erronea gentilitas sibimet ad colendum, vel ex mortuis hominibus instituit, vel ex rebus insensibilibus quos adoraret creauit, de quibus scriptum est: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Et hac breui sententia omnia, quæ de Christo diffusis sermonum exeutibus dici possunt, decentissimè comprehendit, simulque humanam lasciuiam, quæ secretorum inuestigandorum audax est, coercuit. Quare enim nos de Christo quomodo ex Dei patris substantia natus sit, cùm gignens sine eo qui genitus est, nunquam fuerit: vel quomodo de matria Virginis vtero homo factus exierit, & matrem integram intemeratamque reliquerit quare hæc & id generis plura de Christo quæramus, cum Beato Petro tātùm credere sufficerit

Hiero. in Hebr. Matth. (left margin)
Marc.6.
4.Reg.2.
1.Mach.(?)
Iere.1.
Malach.4.
Psal.81.
Petrus vertex ecclesiæ.
Psal.113.

ceret, quòd ipse esset Christus filius Dei viui? Nam
1.Cor.2. & B. Paulus nihil aliud se scire iudicauit, nisi
Christum Iesum, & hunc crucifixum. Fidei igitur
Christianæ finis, in confessione constitutus est
Christi filij Dei. Non quidem licet scire quomo-
dò sit genitus, licet tamen credere, quia sit geni-
tus. Sed & hoc intuendum, quia Christus de filio
hominis interrogauit, Petrus verò de filio Dei re-
spondit. Oportet enim tanto magis diuinitatem
illius venerari à nobis, quanto ipse humiliatus se
submisit pro nobis. Iam verò audiendum, quali
Christus laudatorem confessoremque suum præ-
conio prosequitur. *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-jo-
na, quia caro, &c.* Bar-jona Syriacè, Latinè dicitur
filius columbæ. Iure autem B. Petrus Apostolus
filius columbę vocatur, quia prudenti ac pia sim-
plicitate Domino adhærebat. Nam & columba
simplicissimum atque innocentissimum animal
est, & præ cæteris auibus simplicitate gaudet.
Quod si altiùs accipere volumus, per columbam,
Matth.3. in cuius specie spiritussanctus super Dominum
baptizatum apparuit, eiusdem spiritussancti gra-
tia figuratur. Meritò ergo Dominus Petrũ filium
columbæ nominat, quem spiritalium donorum
gratia ipse repleuerat: qua ducente interiùs di-
dicerat, quod foris iam idoneè proferebat. Non-
nulli simpliciter arbitrantur, quòd idem Petrus
patrem habuerit nomine Ioannem, iuxta quod
Ioan.21. alibi à Domino interrogatur: Simon Ioannis, di-
ligis me? voluntque vt pro Bar-joanna, quod est
filius Ioannis, vitio scriptorum Bar-jona scri-
ptum sit: vna syllaba dempta de medio. In-
terpretatur autem Ioanna gratia Dei. Vtrunque
autem nomen ista mysticè valet intelligi, vt Pe-
trus dicatur filius columbæ, id est, spiritussancti:
& filius Ioannis, id est, gratiæ Dei, per quem do-
na spiritualia figurantur. Et notandum, quàm
cõuenientissima facta est laudis retributio. Beatus
enim Petrus Dominum filium Dei esse dicebat:
Christus eum filium spiritussancti consequenter
appellat. Ergo dùm beatus Petrus spiritussancti fi-
lius dicitur, Dei profectò filius esse confirmatur.
Ioan.4. Deus enim spiritus est. Sed longè aliter, multúm-
que distinctè Christus Dei filius, aliter beatus Pe-
trus. Quod enim ille habet per naturam, hoc ac-
cepit iste per gratiã: & quod illi est semper essen-
tialiter proprium, isti fuit temporaliter dono ac-
cidenti collatum. Quod verò dicit, *Caro & sanguis
non reuelauit tibi*: Carnis & sanguinis nomine, car-
nalem scribarum & pharisæorum traditionem &
Caro & sanguis mystice. doctrinam accipere debemus. Caro enim & san-
guis rectè intelliguntur homines sapientia car-
nali inflati, columbinæ simplicitatis nescij. Caro
autem & sanguis varia in sanctis scripturis signi-
ficatione ponuntur. Aliquando enim caro pro
ipsius naturæ substantia ponitur, vt in Genesi;
Gen.2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne
mea. Nonnunquàm carnis appellatione synecdo-
chicῶs totus homo signatur, sicut de Christo per
Ioan.1. Ioannem dicitur: Verbum caro factum est. Quod
est apertè dicere, Deus homo factus est. Caro etiã
& sanguis pro corruptione poni solent, Apostolo
1.Cor.15. dicente, Caro & sanguis regnum Dei non possi-
debunt. Plerunque etiam carnis & sanguinis no-
mine, carnalis & spiritualis intellectus subtilitate
grossescens doctrina accipitur, Paulo de seipso
Gal.1. dicente: Continuò non acquieui carni & sangui-
ni. Quo sensu in hoc loco accipienda est caro,

carnalis videlicet, & quarum ad Deum, stulta
carnalium sapiẽtia: quæ quantò se latiùs ad inue-
stiganda terrena & transitoria diffundit, tantò
minus ad intellectualis & veræ philosophiæ adi-
tum peruenit. Non ergo caro & sanguis illi re-
uelauit, quia non mundana sapientia quòd Chri-
stus Dei filius esset, accepit, sed Deo patre, qui Matth.11.
solus nouit filium, inspirante didicit. Siue etiam
Caro & sanguis, vt præmissum est, appellantur
homines carnaliter de Christo sapientes, & co-
lumbinam simplicitatem non habentes, atque
ideò gratia sancti spiritus indigni: quales illi fue-
re, quorum superiùs de Christo opiniones euan-
gelista retexit: de qualibus per Apostolum dici-
tur: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt 1.Cor.2.
spiritus Dei. *Sed pater meus qui in cælis est.* Cùm om-
nia dona spiritualia, quæ à Domino fidelibus tri-
buuntur, a spiritusancto largiri certissimum sit,
dicente Apostolo: Alij datur per spiritum sermo 1.Cor.12.
sapientiæ, &c. vsque quò dicitur, Diuidens sin-
gulis prout vult: quomodo Dominus Iesus Chri-
stus à patre dicit reuelatum fuisse B. Petro sacra-
mentum fidei? Sed sciendum, quia sicut vna est
substantia patris & filij & spiritussancti, ita est in
eis & vna operatio atque voluntas: ac per hoc
conuenienter dicitur, quia pater qui in cælis est,
reuelauerit Petro mysterium fidei, quod caro &
sanguis reuelare nequibat. *Et ego dico tibi, quia tu es
Petrus.* Ordo verborum est: Quia tu dixisti mihi,
Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi,
non sermone casso, & nullum habente opus, sed
dico tibi veraciter, quia tu es Petrus. Non nunc
primùm accepisse Petrum hoc nomen creden-
dum est, sed potiùs tunc, quando in initio domi-
nicæ prædicationis (sicut Ioannes testatur) per
Andream ad Dominum adductus, in magnę fidei
suæ præsagium audiuit ab eo. Tu es Simon filius
Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpreta- Ioan.1.
tur Petrus, vt eum hoc nomine modò appellaue-
rit Dominus, dicens: Tu es Petrus: non enim ait,
Tu vocaberis Petrus, sed, Tu es Petrus, quod vtri-
que dictum fuerat anteà. Sicut autem Christus Matth.5.
dedit Apostolis nomen, vt lux vel sal terræ voca-
rentur: ita huic egregio cõfessori suo, qui Simon,
id est, obediens antea vocabatur, ob robur inui-
ctæ fidei Petri nomen indidit: quia videlicet illi
tenaci menti inhæsit, de quo scriptum est, Petra
autem erat Christus. Petra autem non per essen- 1.Cor.10.
tiam, sed per significationem. Quemadmodùm
enim leo propter fortitudinem, vel agnus propter
innocentiam: sic etiam petra dicitur propter fir-
mitatem, quia sperantibus in se turris est fortitu-
dinis à facie inimici, de quo Psalmista, Dominus, Psal 60.
inquit, firmamentum meum, & refugium meum,
& liberator meus. *Et super hanc petram*, id est, super Psal 17.
me, quem ore tuo confessus es dicẽs, Tu es Chri-
stus filius Dei viui. Ipse est enim lapis ille precio- Esa.58.
sus, in fundamento ecclesię constitutus, de quo
Paulus: Fundamentum, inquit, aliud nemo potest 1.Cor.3.
ponęre pręter id quod positum est, Christus Ie-
sus. Siue super hanc petram, hoc est, super hanc
fidem, qua me filium Dei viui confessus es, ædifi-
cabo ecclesiam meam. Super Christum enim ędi- Super Christum quis ædificet.
ficat, qui fidẽ illius illibatè custodit. Super Chri-
stum etiam ædificat, qui per dilectionem Dei &
proximi, & per obseruantiam mandatorum Dei,
ad sortem electorum peruenire festinat. Meam
verò addidit, ad distinctionem ecclesiæ hęretico-
rum,

Psal. 25. rum, de qua per Psalmistam dicitur: Odiui ecclesiam malignantium, de quibus adhuc subditur: *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*. Non hoc dixit de conditione temporalis mortis, qua legimus cunctos penè Apostolos martyrio consummatos, sed portas inferi, vitia atque peccata vocat. Portae namque inferi, mortifera haereticorum dogmata sunt, quibus imprudentes quosque Portae inferi. illiciunt, & ad perpetuae mortis damnationem pertrahunt. Portae etiam mortis sunt persecutorum callida blandimenta, siue aspera crudelitatis intentamenta, quibus vel persuadendo, vel terrorem incutiẽdo, fideles à suae rectitudinis statu deijcere, & aeternae morti cupiunt obnoxios reddere. Sed & prauorum hominum opera atque inepta colloquia, quae infidelibus introitum mortis aperiunt, portae sunt vtique inferi, inquantùm suis auditoribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Sed ex his vitiorum portis nulla praeualet aduersùs ecclesiam, quae supra petram fundata est: quia quicunque super petram, quę Christus est, per fidem & bonam operationem firmiter fundatus fuerit, nullis tentationum insidiis à statu rectę fidei deijci, nullis aduersitatibus ad casum impelli poterit. Qui verò tentationi succumbit, hic non super petram solidam, sed super arenam pendulam fidei domum aedificasse credendus est: quia non amore veritatis, sed alicuius temporalis vtilitatis obtentu, falsò nomen Christi assumpsit. *Et tibi dabo claues regni caelorum*. Claues regni caelorum. Claues regni caelorum non debemus pueriliter opinari cuiuscunque esse materię, vt puta argenti vel auri: sed per claues ipsa discernendi scientia potentiáque designatur, qua dignos sciret in regnum recipere, impios verò à beatitudine illius felicitatis excludere. Quę claues ideircò B. Petro Apostolo, qui potiori confessione prae caeteris regem caelorum confessus est, specialiter sunt collatę, vt constaret, quia absque ea confessione & fide, qua ipse Christum declarauit, regnum caelorum nullus posset intrare. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, &c.* Hęc soluendi atque ligandi potestas, quamuis soli Petro à Domino collata esse videatur, omnibus quoque generaliter apostolis sub eius persona collata est. Nam & post suae resurrectionis nobilem triumphum apparens illis omnibus, apertè dixit: Quorũ Ioan. 20. remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Nam sicut interrogatio generaliter omnibus, Petrus respondit pro omnibus: ita & quod Dominus Petro respondit, in Petro omnibus respondit. Quinetiam omnibus episcopis ac presbyteris in ecclesia idem officium committitur, vt videlicet agnitis peccãtium causis, iuxta modum culparum vel poenitentiae, ligãdi atque soluendi exerceant potestatem: ita duntaxat, vt quod etiam hoc tempore in nonnullis sacerdotibus inuenitur, nec eos qui insontes vel innoxij sunt damnent, nec illos qui damnationem merentur, securos vsquam de solutione praesumant reddere. Sunt enim quidam qui dùm minùs cautè extraordinariè hac volunt vti potestate, seipsos priuant concesso munere, dùm videlicet putant se posse ligare eos, qui in diuino conspectu soluti sunt, atque eos soluere, qui apud iudicium Dei proprio reatu ligati tenentur. Magna ergo vigilantia, magnóque studio sanctis ecclesiae pastoribus haec iudiciaria seueritas aequè librãda est, & illud semper suspectè cogitandum, quod de peruersè iudicantibus per prophetam Dominus dicit: Mortificabant animas quae non moriuntur, & viuificabant animas Ezech. 13. quae non viuunt. Perspecta igitur causa peccati, quos viderint digna compunctione extrata deflere, hos à vinculis aeternae mortis pronuntiẽt absolutos: quos verò probauerint segnes esse in poenitentia agenda, nec solùm peccata non plangere, verùm in ipsis velle permanere, illos debent damnationis perpetuae suppliciis adiudicare, vt sic apertae damnationis ea prompta districtione, salubria poenitentiae & humilitatis decreta cogantur subire. Denique B. Petrus, vt dictum est, qui Christum vera fide confessus, & inuicto est amore secutus, specialiter & claues regni caelorũ, & arcem iudiciariae potestatis accepit: vt omnes S. Petrus arcem iudiciariae potestatis obtinet. in Christo credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo se segregãt, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec regni caelestis ianuam ingredi possunt. Cuius quia festiuitatem annuo recursu venerabilem, vt poiè principis Apostolorum, celebri frequentamus officiorum obsequio, eius inquantùm possumus exempla imitari satagamus, vbique suffragia poscere: vt quia ipsi sancta Ecclesia est specialiter commissa, nos qui eius membra vltima sumus, sedulis patrociniis adiuuare, & in regni caelorum gloriam piè retinendo dignetur inducere, praestãte Domino nostro Iesu Christo, cui laus & gloria est cum patre Deo in vnitate spiritussancti, per cuncta semper secula, Amen.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni in eodem festo, Homil.

Venit Iesus in partes Caesareae Philippi, &c. Interrogat discipulos suos, quam opinionem de eo homines habeant, & quem eum esse putẽt: non quòd diuersas vulgi sententias ignoret, sed vt eos veritatem instruat, & doceat. *At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, &c.* Iam enim Ioannes defun- Luc. 3. ctus erat: qui quum adhuc viueret, omnes aestimabant, ne forte ipse esset Christus. Herodes autem audiens famam Iesu, dixit pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, & ipse surrexit à mortuis. Stul- Math. 14. Stultitia Iudaeorum. tissimus populus, qui nunc Ioannem Christum, nunc Christum Ioannem esse putabat. Stultissimus (inquam) qui dum videt prophetas, eos persequitur & vituperat: post mortem verò eos veneratur, & monumenta eis aedificat, neque talea vlteriùs nasci posse arbitrantur, quales illi fuerunt quos ipsi occiderant. Vnde vidẽtes Ioannem, non Ioannem, sed Christum, vel Eliam, vel aliquem alium praecedentium prophetarum eum esse putabant. Similiter autem Christum videntes, Christum non esse credebant. Sciebant enim eum esse venturum: sed quia non videbant, credere nõ poterant. Quid enim? si Eliam vel Ieremiam isti vidissent, nõ viique eis credidissent. Viderunt enim eos patres eorum, eia tamẽ credere noluerunt. *Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Haec est (inquit) sententia populi, sic de me loquuntur qui me non cognoscunt, nõ me dicunt esse quod sum, dicunt me esse quod non sum: priùs Ioannẽ Christũ esse dicebant, nunc me Ioannẽ esse dicunt: iam

neque me, neque Ioannem putant esse Christum: vos autem quem me esse dicitis? nunquid & vos eandem opinionē habetis? *Respōdens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Decebat enim hoc Petrum respondisse, quatenùs ipse esset princeps fidei Christianorū, qui erat princeps Apostolorū. Sed videamus quid interrogauerit Christus, videamus quid respondeat Petrus. Dicit enim Christus: Quem dicunt homines esse filium hominis? Dicit Petrus: Tu es Christus filius Dei viui. Ille de homine interrogat, iste filium hominis esse Dei filium dicit. Ille igitur qui est filius Dei viui, idem ipse est filius hominis. Vnde & beata virgo Maria Theotocos vocatur, id est, Deum & hominem pariens. Quod quia Nestorius confiteri noluit, ab Ecclesia expulsus est & condemnatus. *In prima Synodo Ephesina.* *Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro, &c.* Beatus es (inquit) Simon Barjona. Simon, filius columbę. Barjona enim filius columbæ interpretatur. Sed quare columbæ? Sanctum Spiritum super Christum Dominum nostrum in specie columbæ apparuisse narrat Euangelista. *Matth. 3.* Huius igitur columbæ filius est, qui tam sanum atque spiritualem sensum habet. Vt enim Dominus ait: Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. *Ioan 3.* Vnde & subditur: *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis:* Non est hæc sententia carnalis, non est hæc fides carnis & sanguinis, non parentes tui vel caro tua ista te docuerunt, sed pater meus qui est in cælis. Sic enim & Apostolus dicit: Quia non acquieuit carni & sanguini, sed venit Hierosolymam videre Petrum: *Gal. 1.* *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu dicis, & verum dicis, quia ego sum Christus filius Dei viui: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, fide fortis & doctrina stabilis. Nisi enim in hoc nomine fortitudinem & stabilitatem Christus intellexisset, quare ea quæ sequuntur protinùs addidisset, dicens, *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Si Petrum non intelligis, petram respice: Petra autem erat Christus. *1. Cor. 10.* Sic igitur à petra Petrus, sic a Christo Christianus. Videamus itaque quid sit, Et super hāc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hāc petram, quam tu modò in fidei fundamentum posuisti: super hanc fidem, quam tu modò docuisti, dicens: Tu es Christus filius Dei viui: super hanc petram & super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Huic enim sententiæ Apostolus concordans, ait: *1. Cor 3.* Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positū est, quod est Christus Iesus. Ac si dicat: Non est aliud fundamentum, nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum, quum diceret: Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc petram ædificatur Ecclesia Dei. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Qui enim ceciderit super hunc lapidem, confringetur: super quem verò ceciderit lapis iste, conteret eum. *Matth. 21.* Tanto enim impetu, tantáque fortitudine hæc petra fertur, vt muros conterat, portas comminuat, & nulla virtus vel fortitudo ei resistere valeat. Sed si vis & aliter intelligere portas inferi, cognosce priùs portas cæli. Portæ nanque cæli, Apostoli sunt, Episcopi & sacerdotes, & alij quorum doctrina & exemplis cæli palatium animæ ingrediuntur. *Portæ cæli.* Sunt igitur econtra portæ inferi, Iudæi & hæretici, omnésq; seductores, & fidei catholicæ corruptores. *portæ infer.* Per hos enim infidelium animæ in infernum intrant, & in tenebras demerguntur. Et isti quidem cōtra hanc peccare, * & aduersùs Ecclesiam, quæ super eam ædificata est præualere non poterunt. ** for. sed* *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Hoc enim quod principaliter Petro dicitur cæteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet: & non tantùm Apostolis, verum etiam episcopis & sacerdotibus. Istis enim claues & potestas à Domino data est, vt non solùm Ecclesiam, sed cælos alijs aperiant. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.* Hoc episcopi audiant: de munere gaudeant, de potestate non superbiant. Si enim sic ligauerint vt Petrus, si ita soluerint vt Petrus, quicquid ligauerint ligatum erit, & quicquid soluerint, solutum erit. Imitentur igitur illum in discretione & iustitia, quem imitari volunt in ligandi atque soluendi potestate. Si enim aliter egerint, non erit ratum quod egerint. Ideò enim hæc soli Petro dicta sunt, quia nemo fidelior, nemo iustior, nemo discretior, & nemo melior erat, cui hæc dici potuissét. Ideò enim soli illi dicta sunt, vt omnes alij se in illo quasi in speculo videant, sic viuendo, sic agēdo, sic ligādo, sic soluēdo, & à pace & concordia non recedendo. Veruntamen sicut prælati, si iniustè ligandi potestate seipsos priuāt: ita & subiecti, etiamsi iniustè ligati sunt, si tamen se ligatos esse parvipendant, ipsa sua superbia seipsos arctiùs ligant. *Etiam iniusta prælatorum sententia non contemnenda.* Desiderent igitur solui etiā illi qui sic ligantur, spondeant satisfactionē: quam si prælatus recipere noluerit, tunc sciant se esse solutos.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioru Euang. expositio.

QVum venisset autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, &c. Meminit eius, qui ciuitatem condidit, quia est & alia Cęsarea Stratonis, & nō in illa, sed in hac illos interrogat. Procul enim à Iudæis abducit discipulos, vt nullū timentes libere, ac fidēter dicant. Primū autem percontatur multitudinis opinionem, vt ad maiorem reducantur beneuolentiam, & ne in eandem, in quam plerique, cadant humilitatem. Nō interrogat autem, Quem me dicūt Pharisæi? sed homines: de simplici multitudine dicens: *Alij quidem Ioannem Baptistam, &c.* Qui Ioannem illum nominabant, erant ex iis, qui cum Herode, qui putabant Ioannem post resurrectionem etiam donum accepisse operandi miracula. *Supra 14 Mar. 16.* Qui autem Heliam, mouebantur ex eo quòd acriter reprehendebat, & expectabāt, quod veniret. Qui vero Hieremiam, hoc dicebant, quòd simili sapientia præditus esset, quam à nullo didicerat. Etenim Hieremias, quum puer esset, in prophetam assumptus est. *Hier. 1* *At Simon Petrus dixit, Tu es Christus ille filius Dei viuentis.* Iterum vt feruentior Petrus prosilit, & vere confitetur ipsum esse filium Dei. Non enim dixit, Tu es Christus filius Dei viuentis, absque articulo, sed cum articulo, ille filius, hoc est, ille ipse, qui solus, & vnicus: non gratia filius, sed qui ex ipsa patris substantia genitus: quia & multi Christi erant, sacerdotes, & reges omnes, sed Christus cum articulo vnus est. *Beatus es Simon Bar-jona.* Beatum dicit Petrū, quia à diuina gratia scientiam acceperat: approbans autem Petrum, ostendit consequenter aliorum

hominum

hominum opiniones falsas. Dixit autem illum Bar-jonam, hoc est, filium Iona: quasi ita diceret, sicut tu Ionæ filius, ita ego patris mei, consubstantialis illi existens sum. Reuelationem autem scientiam dicit, quia abscondita, & ignota ei a patre erant reuelata. *At ego tibi dico, quod tu es Petrus, &c.* Remunerat Petrum dominus, mercedem illi dans magnam, quòd supra eum ædificauit ecclesiam. Quia enim confessus erat eum Dei filium Petrus, dicit quòd hæc confessio, quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium: ita vt omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus sit fundamentum. Nam licet innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter ædificamus. Quum autem dixit ecclesiam meam, ostendit se dominum vniuersi: Deo enim seruiũt Psal. 118. omnia. Portæ autem inferi, temporales sunt persequutores, qui ad infernum mittere conantur Christianos. Et hæretici quoque portæ sunt ad infernum ducentes. Multis igitur persequutoribus, & multis hæreticis præualuit ecclesia. Est autem & vnusquisque nostrum ecclesia, quæ sit domus Dei. Si igitur in confessione Christi confirmati fuerimus, portæ inferi, hoc est peccata, non præualebunt nobis. De his enim portis exaltatus Psal. 9. Dauid dicebat, Qui exaltas me de portis mortis. Quales portę o Dauid? Duę, cędis scilicet, & adulterii. *Et dabo tibi claues regni cælorum, &c.* Tanquam Deus magna potestate dicit, *Dabo tibi.* Sicut enim pater dedit tibi reuelationem, sic ego claues. Claues autem intelligas quæ ligant, & soluunt, hoc est, delictorum vel indulgentias, vel pœnas. Habent enim potestatem remittendi, & ligandi, qui sicut Petrus, episcopatus gratiam assequuti sunt. Quamuis autem Petro soli dictum sit, Dabo tibi, omnibus tamen & Apostolis cõcessæ sunt. Quando? quum dixit, Ioan. 20. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur. Etenim quum dixit, *Dabo,* futurum tempus signat, hoc est, post resurrectionem. Cæli autem dicuntur & virtutes, quarum claues sunt bonæ operationes. Nam operando ingredimur, quasi per claues quasdam aperientes vnamquamque virtutum. Si autem non operor, sed solum scio bonum, habeo quidem clauem scientiæ solum, extra autem maneo. Ligatus autem in cælis, hoc est in virtutibus, qui non ambulat in illis: nam virtuosus in illis solutus est. Ne habeamus igitur peccata, vt nun catenis nostrorum peccatorum ligati simus.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. *expositio.*

Q*Vum autem venisset Iesus in partes Cæsareæ Philippi, &c.* Cæsaream hanc Philippus in honorem Cæsaris construxit. Erat autem & alia Cæsarea Stratonis. Et procul à Iudæis abductos discipulos interrogauit, vt sine timore libere responderent ad id, quod interrogabantur. Nec de Scribis, & Pharisæis rogabat: illi enim ipsum manifeste contumelia afficiebant: sed de populari turba, quæ ab inuidia, & malitia libera Luc. 9. erat. Nam & Lucas dicit; Et factum est, quum es- Marc. 8. set ipse solus orans, erant cum eo & discipuli: & interrogauit illos dicens; Quem me dicunt esse turbæ? Marcus vero ait, quod in via interrogauerit eos. Est enim verisimile, quòd, quum venisset in partes Cæsareæ simul oraba, & ambulabat. Filium vero hominis ait, hoc est, eum, qui hominibus apparet nudus homo. Interrogauit autem non quasi ignorans, sed dispensatiuo modo, vt Petrus diceret, quod sibi reuelatum erat: & cæterorum omnium opiniones, quæ de ipso erant, reprobarentur tanquam erroneæ. Sciebat nanque, quòd Deus, ac pater reuelauerat Petro de se, aperiens mentem eius. Vide autem, quòd non circa prędicationis initia interrogauerit, sed postquam multa, magnáque signa ediderat, postquam multa, magnáque docuerat: postquam sufficientes de sua diuinitate, ac æqualitate ad patrem probationes euidentes tradiderat. *At illi dixerunt; Alij quidem Ioannem Baptistam, &c. Vos,* inquit, qui mecum semper conuersamini, & multam habetis experientiam meæ potentiæ, quæ & opere & sermone elucescit. Quum ergo diceret illis; *Vos autem quem me esse dicitis,* significauit turbas non recte dicere. *Respondens autem Simon Petrus dixit, &c.* Rursus Petrus vbique feruens prosilit, & præcedit. *Viuentis* Iosue 3. autem dixit, quia scriptum est, Deus viuens ego Ezech. 18. sum. Et; Viuo ego, dicit dominus: multáque similia, ad oppositam distinctionẽ mortuorum idolorum. *Et respondens Iesus dixit ei; Beatus es Simon Barjona. &c.* Atqui prius etiá discipuli, sedata tempestate, filium Dei esse confessi sunt, dicentes; Vere Sup. 14. Dei filius es, nec tamẽ beati prædicati sunt. Et alij Sup. 8. quidam Deum esse crediderunt, vt prædiximus, sed nullum illorum beatificauit. Quid ergo dicendum est? Quod omnes, qui ipsum esse Dei filium confessi sunt, aut Deum esse crediderunt, non natura, & proprie hæc illum esse opinabantur, sed adoptione, & secundum excellentiam virtutis, veluti etiam omnes sanctos, Dei filios esse dicunt. Solus autem Petrus vere Christum, & natura, & proprie filium Dei hunc esse intellexit. Ideo quoque volẽs Christus discipulis demonstrare, quòd solus hic recte cognouerit, & sine errore confessus sit, ipsum beatificat, tanquam assequutum diuinam de se reuelationem. *Caro enim,* inquit, *& sanguis,* hoc est homo, non initiauit te ad sacram hanc de me confessionem, sed pater meus, tanquam huiusmodi confessione dignum. † Quod autem dicitur *Bar,* Hebraica dictio est, significans filium: erat siquidem filius cuiusdam Iona. Postquam ergo Petri opinionem confirmauit, & hũc à Deo edoctum esse demonstrauit, vide quibus eum dignetur bonis.

† *Aiunt enim Hebræi* בן יונה *ben Iona. Sed Chaldæis* בר יונא *bar Iona sonat, Latinis filium columbæ.*

Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, &c. Tu es Petrus, vt qui post abnegationem fidei petra futurus es: vel tanquam tam prudentia firmus. Itaque super hanc firmitatem ædificabo ecclesiam meam, sine te primam fundamentum credentium: Ecclesia enim fideles sunt. Hoc autem dixit, excitans eius prudentiam ad artem pascendarum ouium. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Non dominabuntur ecclesiæ: Portas autem inferorum dicit blasphemias, quæ à gentibus, ac hæreticis proferuntur, vtpote ad æternum introducentes cruciatum: vel supplicia ab illis inflicta, quasi ad mortem carnis inducentia. Deinde alium quoq; ponit honorem. *Et dabo tibi claues regni cælorum.* Quum confessus esset ipsum Dei filium esse legitimum, iam ei demonstrat suæ diuinitatis dignitatem,

tatem, dicens; *Ædificabo super te ecclesiam meam: & dabo tibi claues regni cælorum*, videlicet vt ad illud introducas. siquidem clauigeri est, introducere. Atqui donum hoc, cæterorum etiam fuit Apostolorum: sed primum huic datum est, quia primus hic filium Dei legitimum esse Christum fassus est: ideo quoque post Saluatoris in cælum assumptionem, præ omnibus longo docuit tempore, multósque introduxit ad fidem. *Et quodcunque ligaueris super terram, &c.* Etiam & hoc clauigeri proprium est. Ligare autem dicit, non ignoscere: soluere vero, ignoscere. Promittit ergo: Quodcunque peccatum non condonaueris super terram, neque in cælo condonabitur à Deo: & quodcunque condonaueris hic, erit & tibi condonatum. Sed & Marcus, & Lucas breuitatis causa Petri responsionem per compendium dixerunt: ideo & beatitudinem eius, & alium honorem tacuerunt: simul etiã scientes eum abunde honoratum. Matthęus vero diligentiæ gratia hęc omnia conscripsit, pariter etiam Apostolorum principem honorans.

GVERRICI ABBATIS

Igniacensis in natali Apostolorum Petri & Pauli, Sermo 1.

Zach. 3. ET respondi, inquit Zacharias, & dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt duæ oliuæ istę ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt, inquit, duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terrę. De candelabro quod viderat totum aureum, & septem lucernas eius super illud, intellexerat propheta: sed nec nobis dubitare iam licet, cùm in lumine eius ambulemus, & in lumine eius videamus lumen. Hoc lumẽ cùm alias demõstret, seipsum ignorari non patitur, sed testimoniũ perhibẽs de seipso loquitur. Ego sum lux mũdi. Lux ex diuinitate: candelabrum ex humanitate. Et ipsum totũ aureum non auratũ, quia siue diuinitas, siue sapientia, siue charitas auro significetur, hæc omnia Christus non per participationem, sed per substantiam. Nos cùm simus natura plumbei, vel magis luteí: gratia & participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed vt multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus, septem oculi domini, qui discurrunt in vniuersam terram. De his propheta certus, de duabus oliuis quiddam sibi percunctatur, auditque ab angelo qui in eo loquebatur: Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ. Interpretentur alij vt volunt, aut possunt, vnusquisque in sensu suo: siue Enoch & Helyam, qui apud Deum in secreto viuunt: siue Moysen & Helyam, qui cum eo in monte visi sunt: siue duos ordines prędicatorum, veteris scilicet ac noui testamenti: vt qui veteris, ad sinistram sint propter promissa temporalia, qui noui, ad dexteram, propter æterna. Ego quicquid à regula fidei non [illegible] cpat, aut à contextu lectionis non nimiè dissonat, suscipio, veneror, [illegible]plector. Puto tamen sine præiudicio melioris i[illegible]llectus, Petrum & Paulum non absurdè posse int[illegible], immò absurdum videri, qui hodie aliud [illegible] vel [illegible], cùm hodie nihil aliud cantet au[illegible] Ecclesia vbique terrarum, quàm prę[illegible], doctorumque exempla. Nam & si

Ioan. 8.

alius possit aptari, puto quia istis specialiùs congruit, seu illud quod tanquam duę oliuę circa candelabrum à propheta videntur, seu quòd duo filij esse olei splendoris ab angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica, interpretatione angelica: vt inde intelligantur oliuæ, quia filij olei splendoris: inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex oleo spiritus sancti sunt regenerati, hodiéque florent & fructificant, sicut oliua fructifera in domo Domini: etiam oleastro gentili qui in pios insertus est, impertientes pinguedinis suæ succum ac dulcedinis. Gratias illis agat sterilis dudum & amara gentilitas: & si non ab ipsis tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam pretioso fructu per orbem abundat. Vobis tamen fratres quibus sicut substantia & domus vna, ita cor vnum & anima vna: vobis inquam specialius in ipsis censeo gloriandum, qui sicut nouella oliuarum de eorum radice * traduxistis, non solum *al. traxistis fidei succũ, sed & formã vitę atque ordinis exemplum. Quod si nouella oliuarum, vos vtique & filij olei, vos filij vncti, qui est Christus Dei: dicetúrque ei de vobis, cùm hodie ad altare accedetis: Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. O nouella oliuarum nobilium, o generosum germẽ tam pinguium támque feracium arborum semper obsecro recordare de qua pullulaueris stirpe, de qua succreueris radice, ne vnquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut quod absit inutilem ignibus addicat. Caue quęso notam infœlicium temporum, de quibus meministi prophetatum: Mentietur oliuæ opus, & arua non afferent cibũ. Duo tamen præcipuè tibi æstimo cauenda, ne aut per teporem flos fiant oliua projiciẽs florem suum: sicut legis in propheta, vt videlicet fructum quem initio nouitij feruoris promittebas, non facias, aut cùm feceris, ne per superbiam perd[illegible], & dic[illegible] tibi Hieremias: Oliuam vberẽ pulchram, fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuum: sed heu ad vocem loquelę grãdis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius. Confidimus autem de vobis meliora dilectissimi, tametsi ita loquimur. Confidimus, quia olei splendoris, vel magis oleum splendor cuius estis filij: scilicet pattes & nostri apostoli, vnctione sua docebit vos de omnibus, nec solum deterget torporem quia oleum est: sed & discutiet errorem, quia spl[illegible] est. Scio posse intelligi olei splendoris, id est, quod de splendore filio procedit, vel quod sp[illegible] rem illuminationis diffundit: sed p[illegible] q[illegible] conueniẽter etiam per intransitionem acc[illegible] potest oleum quod splendor est. Vtrum[illegible] idem spiritus est in natura sui, & vnctio [illegible]cet spiritalis & splendor inuisibilis, vtrumque in nobis operatur munere sui. Vngit affectus ex eo quod oleum est: illuminat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex vno ipso & oleum & splendor est: quia non nisi vnum ipsum est. Vngit affectus: quia charitas est, illuminat intellectus, q[illegible]a veritas est. V[illegible]git affectus, cum deuotionem donat: illumin[illegible] intellectus, cùm mysteria reuelat, cùm bo[illegible] tem docet, vt simus simplices sicut colu[illegible]: vngi[illegible] affectus ad scientiam, docet vt simus prudentes sicut serpentes, illuminat intellectus: illuminat, vt habeamus in nobis salem. v[illegible]

Zach. 11. Hier. 11. Matth. 10.

vt

vt habeamus inter nos pacē. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suauem & vnctum per beneuolentiam, discretum & maturum per sapientiam, te nobis exhibueris: vt suauitas veritate sit condita, & æquitate charitas ordinata. Puto autem quod hanc geminam virtutem sui, vel effectum muneris sui, propter quam oleum splendor voluit dici, etiam in illa igne spiritus sanctus significauerit, in quo ipse inuisibilis, visibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleum, nisi fallor, fuit in sensu corporum: vt veluti in quodam lauacro olei viderentur sibi baptizari: cum super eos effunderetur ignis iste cælestis. Verumtamen qualiscunque fuerit in eis corporalis sensus illius ignis (parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter o[...]ut) illud, vt opinor & probabilius dicitur, & re[li]giosius creditur, quod idem ignis qui inflāmauit & illuminauit corda, refrigerauit corpora: [...] per charitatem mentes arderent, & per castitatem membra frigerent, & vtrunque congrueret singulis: siue illud Hieremiæ: De excelso misit ignem in ossibus meis: siue illud Psalmistę: Caro mea immutata est propter oleum. Nisi fortè aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit spiritus, vt virtus in infirmitate perficeretur. Sed prosequamur quod proposuimus. Isti sunt, inquit, duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ. Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, qui assistūt dominatori vniuersæ terræ: vt agnoscas eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus: Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore, vt proponentes Dominum in conspectu nostro semp[e]r, & semper vbique maiestati æternæ, quæ nos inspicit & iudicat sine intermissione, cum metu & reuerentia assistamus peruigili fide ac iugi deuotione. Sicut oculi inquit seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum intentissimè & indeclinabiliter obseruantes nutus eius, quid velit, quid iubeat, vt quàm celerrimè deuotio nostra obediat. Sic Moyses inuisibilem tanquam videns sustinebat, nec vnquam imminentis metum iudicis dissimulare poterat. Sic Helyas & alij prophetæ qui dicebant: Viuit dominus, in cuius conspectu sto. Inde nutrimentum & gratiam & nomen assecuti sunt videntium: quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil non ficta, non dissimulatrix, ipsa est vt arbitror quæ sola vel maximè facili compēdio ad perfectionem perducit, quæ grauitatem disciplinæ, sobrietatémque modestiæ, tam interiori quàm exteriori nostro tribuit, & velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli fieri filij olei splendoris, vt sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc ei assistant in cælis contemplando per speciem, regémque in decore suo videant oculi eorum, cuius timorem hîc meditabatur cor eorum. Hac via fratres sequimini patres fidei vestræ, & auctores ordinis, quatenus eorum prouocati exemplis & adiuti suffragiis quo ipsi hodie præcesserunt, peruenire valeatis, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

Thren. [...]
Psal. [...]
Psal. 18.
Psal. 122.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

DVo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Videte fratres ne degeneretis. Vt taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt vbera quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa enim hæc dicuntur, cuius vbera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo vbera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse, non solùm interpretatur nobis dies ista, in qua potamur ab vberibus cōsolationis eorum satis iocundè & abundè, sed etiam euidentiam operis ipsorum approbant argumenta ac monimenta doctrinæ. Quibus enim aliis vberibus nutriti sunt filij ecclesiæ, siue ex præputio, siue ex circuncisione? Istos vtrique ego reor esse, de quibus olim paruulæ & paupereculæ consolatio diuina promittebat ecclesiæ. Reges nutricij tui erunt, & mammilla regū lactaberis. Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, nunquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmen excreuisset. Ad vbera paruulos Petrus inuitabat, quibus dicebat: Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite. Vbera Paulus præbuerat, quibus dicebat, lac vobis potum dedi. Et illud: Factus sum in medio vestri sicut nutrix sedens, & nutriens filios suos. Quàm plenus autem lacte redundauerit spiritalis, pulchrè significatum est vnda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cùm decollatus hodierna die pro illis quibus dabat mammillam, dedit & animam. Planè nihil in illo sanguineum, sed totū lacteum qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quòd aliis vtile erat. Nec tam habebat vbera, quàm ipse totus vber erat, qui ita misericordia vberi affluebat, vt non modo spiritum suum desideratē totū filiis immulgere, sed & corpus impendere. Antequam hæc duo vbera Petrum, & Paulū accepisset primitiua Ecclesia in terris sanctorum, conquerebatur & dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cælis: Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Cùm enim Christus redīes in cælum reliquisset pusillum gregem discipulorum, nec denique misisset spiritum suum, quo erant fœtanda viscera, & implēda vbera sanctorum: erat vt opinor illa Ecclesia in cælis sollicita pro filiolis sponsi, siue iam natis, siue nascituris, cui videlicet committerentur alendi, eò quòd Ecclesiam istam viderent paruam numero, virtute & auctoritate, & sine vberibus doctrinæ. Nam & ipse sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, & quandiu fuerat cum eis, lactauerat eos vberibus ædificationis & consolationis. Et ipse siquidem sponsus habet vbera meliora vino, id est, doctrina legali, vel gaudio seculari. Habet inquam sponsus vbera, ne vllum de omnibus officiis & nominibus pietatis eum prætereat: vt qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam mater affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officij & curæ. Erant igitur paruuli quos alebat initium aliquod creaturæ eius, sed

Cant. 4.
Esa. 60.
1. Pet. 2.
1. Cor. 3.

sed non nisi initium, multùmque superetat curæ & laboris, donec adducerentur ad perfectum, & formaretur Christus in eis. Cùm autem & ipse reliquisset eos: superni spiritus, & si læti de reditu vnigeniti, de noua tamen adoptionis progenie sollicit, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri. Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi iuuenes, nec ad incrementum perduxisti virgines. Quis illos nutriet? Soror nostra parua est, & vbera non habet. Dixisti Petro pasce agnos meos, sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in vberibus habet. Citò pietas eius arescet, qui plus adhuc cuti suæ quàm animabus paruulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui pastorem tam suum quàm illorum negauit interrogatione. Ecce autem repente spiritu misso de cælo, tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multò post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice, vt planè intelligeres totum eius sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem. His igitur vberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fœcun- *Cant.8.* dam, sed & ciuitatem munitam. Ego, inquit murus, & vbera mea turris. Mille clypei pēdent iam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem vberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic *Cant.4. & 7.* ait: Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Capream hoc loco accipimus Ecclesiam, acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transilienda spinosa huius seculi, potentem ad exsuperanda venena serpentis antiqui. Cuius duo gemelli non inconuenienter, vt arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli: germani fide, consimiles deuotione, pares merito & virtute, vnanimes charitate, coniuncti etiam in ipsa passione & morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Quia verò desideria summorum pascuntur in profectibus minorum, donec scilicet aspirante gratia tollant se ad contemplandum sublimia: benè de his hinnulis subditur, Qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Animalia cùm declinant æstum diei, captant vmbrosa pascua conuallium, vbi & liliorum solet esse prouentus vberior, donec spirante tepescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic & hinnulli nostri, quandiu non aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis conuallium: id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cùm autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur & saliunt ad vberiora, & fœliciora pa- *Ioan.10.* scua montium æternorum. Per me, inquit, pastor & ostium, si quis introierit saluabitur, & ingredietur Ecclesiam, & egredietur sæpius cōtemplando, semel migrando ad cęlestem patriā, & pascua inueniet, & hic & ibi. Hic inter lilia agri, ibi *Psal.22.* inter ligna Paradysi. Hic in floribus, ibi in fructibus. Hic in virtutibus sanctorum, ibi in gaudiis angelorum. Prorsus in loco pascuæ ibi me Dominus collocauit, cùm ecclesiæ sanctorum associauit, cuius venter sicut aceruus tritici vallatus liliis, vt pascar simul, & tritici gustu, & liliorum aspectu. Quid enim aceruus tritici, nisi copia diuini sermonis in tot libris vndique congestus? Quid lilia nisi iusti, qui germinant sicut lilium, & florent immarcessibiliter ante Dominum, quorum tantus candor in sanctimonia corporis & cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere & sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate, & gratia florentia, vbi omnium virtutum ea eis, licet diuersarum ea diuersis, capere possit exempla. Iste abundantior humilitate, ille amplior charitate. Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam. Iste frugalitate parcior, ille labore vtilior. Iste deuotior in oratione, ille in lectione studiosior. Iste in administratione prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquem insigniùs florentem in vnoquoque gratiam mireris: non vna tantum, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim iusti, tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quid nisi pascitur in liliis? Pascebat Paulus, sed nihilominus in illis quos pascebat, pascebatur. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum immo & alienum pascebat manibus propriis: mentem verò non tam suis pascebat bonis quàm alienis, qui non quærebat quod sibi vtile, sed quod aliis. Nunc viuimus, inquit, si vos statis in Domino. Quæ enim gloria *Phil.4.* mea, aut gaudium, aut corona: nonne vos ante Deum? Ideo sæpiùs ei aspirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura spiritus sancti, cuius vi rapiebatur ad ęterna pascua: aliquando Paradysi, aliquando tertij cæli, siue in corpore, siue extra corpus nescio, inquit, Deus scit. Di- *2.Cor.12.* gnum quippe erat, vt qui fideliter pascebat, fœliciter pasceretur: & qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini sui iuberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei: non solùm istius visibilis pro qua sudabat, sed etiam illius inuisibilis ad quam spirabat, vnde & dies ei aspirabat. Nec minora de beato Petro sentienda puto, cùm maxima sit gloria, Pauli illius coæquari meritis, quem iudicium veritatis potestate, & primatum prætulit vniuersis. Cùm enim pater qui est in cælis veritatem vni- *Matth.16.* geniti Petro reuelabat, quid aliud quàm dies ei æternus aspirabat, & dies diei verbum eructabat? Cui autem magis peruium fuisse cælum credendum est, quàm ipsi ianitori cuius lingua clauis cæli facta est? Qui potestatem habebat claudere cælum nubibus, & aperire portas eius quomodo ipse non sæpiùs intrasse crederetur? Esurijt aliquando Petrus & cælum ei apertum est, cùm adhuc in terra consisteret, tantáque ei inde ciborum copia missa est vt adhuc multa supersint, licet plurima mactauerit, & manducauerit immunda, & virulenta animalia in sancta florulenta conuertens lilia: vt videlicet delitiosè pasceretur in liliis, donec aspirante die, gloriosè in ipsis pasceretur cælis. Sed ecce dum commendamus vobis duo hæc vbera sponsæ, hora iam præterit, qua de ipsis vberibus lac vobis cupiebamus immulgere, quãquam & aliis diebus, hoc ipsum facere possimus & soleamus. De vberibus siquidem Apostolorum lac vobis trahimus, quotiens de verbis eorum ad ædificationem nostram tractamus. Nunc

igitur

igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis ; vt sicut vbera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis : vt in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo 3.

Cant. 4. ITem de eo quod scriptum est, donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. Erratis fratres in me, sed amore magis, vt arbitror, aut humilitate quàm temeritate. Putatis me scripturarum scientiam habere, qui vix vnquam attigi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, vt mihi videtur, quod capitulum scripturæ de quo heri sum locutus, non sum ad finem vsque persecutus, quasi illa mihi sit facultas, vt valeam scripturas explanare, aut etiam explanationes aliorum dignè & congruè ad memoriam reuocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse, vt scripturam vnde sermonem ordior, exponam : sed & de ipsa & secundum ipsam sermonem debitum suo diei persoluam. Huc accedit quod magister noster ille interpres spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spémque nobis dedit ex eis quæ iam edidit, quia si peruenerit ad locum de quo quæritis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ : vmbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ: quod dictum est ei in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis & rectè dicitis, quia vetera nouis superuenientibus projicitis; quantóque magis incondita, seu rancida fuerint vetera nostra, tantò noua illius sapidiora erunt & gratiora. Nam & ipse Iesus seruat vinum bonum ad extremum, sciens vtique quomodo de nostro sit fastidio medendum. Quia igitur cogitis me, nam impatientes dilationis vos video, nec spes incerta futuri præsenti satisfacit desiderio: ecce vobis morem gero, finéque versiculi de quo heri loquebamur, suo prout potero reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit aspirante die spirituali, vmbras inclinari, cùm magis consequens videretur, vt non crescere, sed minui tunc, & deficere diceretur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est vmbris crescere, quod inclinari, cùm vmbrarum ea natura sit, vt quantò inclinantur, tantò procumbant longiores: quantóque surgunt, tantò fiunt minores. Vnde & poëta vesperum significans ait: Maióresque cadunt altis de montibus vmbræ. Sed sciendum, quia cùm hæc proprietas vmbrarum sit corporalium, longè alia est spiritalium, de quibus non dubitamus hic loqui spiritum. Nam sicut corporalibus vmbris inclinari est crescere : sic spiritalibus hoc inclinari quod deponi, minui vel deficere. Vmbræ autem spiritales sunt vmbrosi spiritus & tetri, seu dæmonum, seu hominum : vmbræ sunt tenebræ errorum: vmbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et vmbræ significationum iam inclinatæ sunt ad occasum & finem : vmbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem : vmbræ verò tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum & mortem. Primum quidem factum est, cùm dies æternus aspirauit, apparens in carne: secundum quotidiè fit cum magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertium nouissimè fiet, cùm aspirabit rutilans in maiestate. Videre autem mihi videor & alias vmbras intra nos, quę velut in quodam speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, & obumbrāt nobis, vel obumbrāt nos: obumbrant nos quæ refrigidant & obscurāt nos: obumbrant nobis quæ refrigidant & illuminant nos. Istæ quidem noxię & graues, illæ delectabiles & salubres. Istæ nanque de inferioribus sunt & mundanis, illæ de superioribus & diuinis. Anima nempè humana in quodam medio condita & posita est: vt sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam à quo & ad quem, & propter quem facta est, sub ipsa quod propter ipsam factum est. Nam sicut propter animam corpus, sic propter corpus domus eius, id est mundus. Cùm igitur incuruatur ad corporalia vel mundana, ascēdunt in eam vmbræ de inferioribus : cùm erigitur ad diuina, inclinantur super eam vmbræ de superioribus. Illius enim rei quam cogitat, vmbram sibi format. Quanquam de diuinis satis dubia vmbra est, quantum cogitationis acuatur acies: aut certè non vmbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cùm aspiret dies ille. Nam tunc quoque non videtur, vt arbitror, nisi vmbra, quæ & si luminosa, & si gloriosa est, tamen vmbra est: sicut cùm in facie speculi tersa & lucida splendidissimæ rei splendēs imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei eius, sicut nūquam erit huius corporis: ita nec modo est huius temporis; nec aliquādo erit, donec corpus dissoluet mortalitas, aut absoluet immortalitas, & tēpus absorbebit æternitas, & spiritū qui nec grauatur corpore, nec mutatur tempore, sublevabit ad se, & firmabit in se immortalis & immutabilis diuinitas. Initium huius gratiæ, & perfectionem illius gloriæ, Paulus satis propriè distinguebat, cùm dicebat: Videmus nūc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. (1.Cor.13.) Vt autem & hoc ipsum fit, scilicet vt videamus per speculum, opus est non solū vt facies speculi nostri ab omni fantasmate, & vmbra corporalium tersa sit : sed etiam vt ille sublimis habitās lucem inaccessibilem dignetur ad nos inclinari, & vel per vmbram suæ imaginis manifestari. Quantumcúque enim contendamus à visibilibus ad inuisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa maiestas. Moyses ascēdit in montem, & Dominus inclinauit cœlos & descendit. Et alius: Exurge inquit, in occursum meum & vide. (Psal.58.) Ideo nec vmbra videtur, nisi inclinetur: nec inclinari dicitur, nisi aspirante die : quia neque per speculum & in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se maiestate, & aspirante fauore gratię. Sanè hoc ipsum quod vmbra vocatur, comparatione manifestæ veritatis, ineffabilis plerunque gloriæ est & splendoris, in illis scilicet quorum est perlucidum speculum mentis. Cuius fœlicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus loquebatur. Nos verò omnes gloriam (2.Cor.3.) Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Sic enim in repromissione dictum est: Implebit splendoribus animam tuam. Vt autem claritates istas vmbras esse noueris, audi Dauid: Dies mei, inquit, sicut vmbra declina-

uetur. Transibat quidem & ipse Dauid de claritate in claritatem, tanquam de die in diem. Sed heu, tam breues & obscuros dies, tam longas & laboriosas noctes habet hyems ista, vt & propheta laborans in gemitu suo, lauansque per singulas Psal 10. noctes lectum lachrymis, merito plangat: Dies Psal. 13. mei sicut vmbra declinauerūt. Prorsus melior est dies vna in atriis tuis super millia dierū meorum: quia dies mei sicut vmbra quāuis lucida: dies illa vna lux vera & mera: sicut sine vmbra, sic sine vespera: cū dies meos faciat plurimos & breuissimos assidua lunga[?]tū noctiū interpolatio. Cęterum si quęratur cur vmbrę pluraliter dictę sint, cum res ipsa cuius vmbrę sunt, vna sit? ideo nimirum, quia nunc minùs nunc amplius nobis altissimę virtus obumbrat: nunc obscurius, nunc manifestiùs veritas sese nobis innotescens adumbrat: & sicut non ęqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc & Apostolus innuit qui transire se confitetur à claritate: in claritatem: à minore scilicet in maiorem: & propheta, qui non splendore, sed splēdoribus implendam promittit fidelem animam. Sic Iacobus Iaco.1. Deum memorat patrem luminum, cum lumen cuius pater est vnum sit & vnicum. Quanquam sic possit intelligi pater luminum; quomodo pater misericordiarū. Iam vero vos fratres qui laboratis portantes pondus diei & ęstus: vel secūdum Esaiam, in spiritu vestro duro meditamini per diem ęstus: ad vmbras istas placet inuitare, quas ille dies serenus aspirās rorem misericordię cœpit ęstnantibus inclinare. Audite ipsum diē, ad vmbratum refrigeria clementer vos inuitantem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & Matth.11. ego reficiam vos. Seruus enim sub sole laborans vt ait Iob, desiderat vmbram, in qua scilicet à labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam qua silentium fit in cælo: quam cùm obtinuerit indulgentia prioris sui, gloriatur & dicit: Sub vmbra illius quam desiderabam, sedi. In qua nimirū vmbra, quia non solùm sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, cōgruè subdit: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Sic enim dictum est per Prophetam: Conuertantur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabit sicut vitis. Seruus seu mercenarius quem sæpiùs hæc vmbra recreauerit, longanimiter præstolabitur finem operis sui, sic enim habes: Seruus desiderat vmbram, & mercenarius pręstolatur finem operis sui. In vmbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cùm euacuatis omnibus vmbris, videbimus eum sicuti est: cui modo dicimus in vmbra tua viuemus inter gentes: inter angelos nempè nō in vmbra, sed in luce manifesta. Hic autem notandum, quòd cùm vmbrę illę de superioribus inclinantur supra nos, vmbrę istę de inferioribus inclinantur infra nos. Cùm enim diuinis propinquamus, mundana superamus: & quatenus, vel ad vmbram lucis accedimus eatenus mortis vmbram euadimus. Lux enim & vita in cælo, mors in inferno: vmbra autem mortis in hoc terreno & tenebroso loco. Cùm igitur spiritus altiùs nos eleuat inter terram & cælum, nondum tangimur vmbra terrenorum: & licet nondù plenaliter fruamur cælorum, tamen vmbris illuminamur montium æternorum: vel certè montis illius vmbrosi & condensi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen pondere nostro, in regionem vmbrę mortis reuoluimur, vbi & diutissimè sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consulemur. Cogimur dixi, & vtinam cogamur & non delectemur: vtinam quod patimur, necessitatis tantum sit, non etiam voluntatis, aut voluptatis. Sed heu tam facilè, tam libenter proiicimus nos, vt obdormiamus sub graui vmbra iuniperi spinosę & infructuosę arboris, iam negligentes, & securi torpescimus & immorimur curis & desideriis [?]us mundi. Propterea Leuiathan qui sub vmbra dormit, cubile sibi, nisi præcaueamus ponit in nobis: quia videlicet amicas sibi vmbras huius seculi inuenit in sensibus & affectibus nostris. Istę siquidem vmbrę, teste Iob, protegunt vmbram eius: quia nimirum curę & desideria secularia quę sunt in nobis vmbram nobis abscondunt imminentis damnationis, vt eam non pręuideamus, donec in ipsam impingamus. Aspira ô dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos vmbras salutis & refrigerij: & inclinentur subtus nos vmbrę torporis & tędij, immò cęcitatis & mortis. Et licet cōtingant nos vmbrę de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebrę, id est crassitudes vmbrę de amore eorum, sed semper respiremus in luminosum amorem tuum, ô pater luminum, qui viuis & regnas per omnia secula seculorum.

PETRI DAMIANI DE *S. Petro Apostolo, Sermo I.*

ADolescentulę dilexerunt te nimis. Petrus Apostolus Apostolorum princeps, & principum primus, hodiernā diem nobis reddidit clariorem. Sacra profectò dies, quia sacratissimo homini cōsecrata, & illius assignata pręconiis, quem conuentus Angelicus non mediocriter ueneratur. Vnus est enim, quem pręnobilitant singularis primatus insignia, clauicularius regni, cęlorum lingua, fidei fundamentū. Consummatus heros, & dignatio gloriosa, hominem in terris positum cęlis imperitare, & inter angelorum choros iudiciariæ potestatis exercere virtutem. Sedet dominator Dominus inter agmina lucidiori luce fulgentia, & de Thronis ad Cherubin transuolans, vices sessionarias intermutat. Quamnbrem admiranda quidem sessionum mutatio, longéque rationis humanę superducta cōspectibus, cùm modò Thronos, modò Cherubin insed[?]sse legatur. Et licet assistant Angeli Præsidentis imperium expectantes, & Administratorij spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi, atque soluendi possidet potestatem. Adest Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuersitas soluitur, & ligatur, & pręcedit Petri sententia sententiam Redemptoris: quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso idipsum attestante. Quodcunque, inquit, ligaueris super terram, erit ligatum & in cęlis. O quàm potens dignitas, quam digna potentia. Iudicat Petrus, & Petri iudicia confi[?] at Omnipotēs, & est in manu Petri, manus altissimi, soliusque ille efficitur familiaris Christi, qui Petri familiaritatem habuerit. Quid est quòd Angelorum, & hominum agminibus exclusis, solus Petrus in consortium diuinę maiestatis, & cum Domino resider

Ecce quomodo beatus Petrus [?] [?] [?] [?] omnes sibi subiugat.

Cum Episcoporum data sit tanta potestas, quanta Petro, ad cuius arbitrium orbis vniuersitas soluitur, & ligatur?

residet præsidente? Dulce colloquium, sancta conuersatio, consilium speciale Petri, & Dei, vbi secretorum indifferentia mortalem hominem Deo copulat, & counit. Non ergo mirum, si ardentiori affectu diligit Saluatorem Petrus Apostolus, cùm singularis amor refusus sit in eum, vt & singulariter diligat, & specialiter diligatur. Anima eius vna est de adolescentulis, quę dilexerunt eum nimis. Puerilis ętas nondum amori congruit, senilis desiit ab amore. Puer est, qui nondum ęternis studere cœpit, senex est, qui cœperat, sed dimisit. Vtrósque igitur ille summus amator excludit, & à maiestate suę dilectionis eliminat. Sola adolescentia ardentissimis ignibus incandescens, ecliptitum amorem nó recipit, sed ardorem sibi vendicat continuum. Inter adolescentulas igitur animas videlicet electarum, quæ cælesti sponso dilectionem promiserunt, & fidem, ista sola dilexit ardentiùs, & amoris impatiens ait: Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. Non timuit singularem elementi molestiam, & pelagi sæuientis vndositas affectum Apostoli retinere non potuit. Sed quid est quod dicit, Nimis, cùm nimis ille diligi non possit, qui toto corde, tota anima, totis viribus præcipitur diligendus? Tres sunt gradus in amore Dei, quorum alterū sine altero conscendere, aut parum valet, aut nihil. Cucurrit eos Apostolus pede velociori, donec in tertij summitate repositus, ad cæleste palatiū euolaret. Amandus enim est Deus dulciter, sapienter, & fortiter. Sed iam videamus, quid sit dulciter amare Deum. Dulcis enim est, & dulciter diligi debet, qui multitudinem dulcedinis suæ vel amantibus, vel timentibus se ministrare non cessat. Amatur in dulcedine, cùm amatur in carne, cùm nescimus nisi Christum Iesum, & hunc Crucifixum, cùm tota carnis eius frequētia frequēti memoria retinetur, & ossa nostra medullitus cócutit tantæ miserationis dignatio. Cùm enim recordamur Regem gloriæ paruuli vagientis sustinere miserias, pannorum vilium vilitate deuolui, fatigatum ex itinere residere, pharisæorum opprobria, cóuitia Iudæorum aure patientissima pertransire, nunquid non compungi debemus ad tantæ pietatis intuitum? Considera Filium Virginis illitum sputis, liuidum plagis, clauis confixum. Attende Rectorem cæli stantem in Cruce, pallidum morte, carne deformem. Ne pertranseas Dominum Angelorum, factum opprobrium hominum, virum dolorum, & scientem infirmitates, virum percussum à Deo, & humiliatum, virum leprosum, & omnibus expositum detrimentis. Hæc recordatio succendit cor, pectus adurit, interiora depascitur. Talis memoria elicit lacrymas, suffundit oculos, vultus humectat. Circa hunc ferè gradum obuoluitur omnis religiosorum instantia, tamque auis in terris est, quæ possit hunc transire profectū. Astat enim orantibus vel imago nascentis Dei, vel pendentis in Cruce, tenétque mentis affectum incalescens affectio, & ad vlteriora vix permittit excurrere. In hoc gradu Petrus impressus consistebat, cùm carnem, & conuersationem Iesu Christi tenerrimè diligens, Saluatorem etiam à saluatione generis humani retraheret dicēs: Propitius esto, Domine, tibi ipsi, ne fiat hoc. Cui Dominus: Vade, inquit, post me, Satana, quia non sapis quæ Dei sunt, culpans consilium, non affectum. Diligebat enim dulciter, non tamen sapienter. Quomodo enim sapienter, qui mundi redemptionem, & Dei prouidentiam nitebatur excludere? Sed succenderat cor eius familiaritas dulcior, & verbum de Redemptoris absentia pati non poterat benignitas diligentis. Hic diligitur Deus ex toto corde, cùm in corde hominis affectus, & dulcedo inhabitet, solúmque cor hominis amoris dulcedinem perseueranti stabilitate custodiat. Vnde & vulgaris vsus obtinuit, vt cùm aliquē ab aliquo vehementer amari conspicimus, dicamus: Ex corde diligit eum: quem scilicet amat, & sequitur. Secūdus est, diligere sapienter. Gradus iste multæ altitudinis est, & nimis difficilem pollicetur ascensum. Non antè euadit ad cacumen eius, nisi mens mundior, & quæ mundi huius sapientiā sapientia superuolat Angelorū. Non attendit hic nascētis, vel itinerantis Dei cumulata deuotio, sed verbū in principio apud Deū. Recordare Filiū Dei cū Patre omnia fabricantē, creantē Angelos, elemēta iungentem, disponentem mundum, omnia gubernantem, & cognosce quàm excelsior sit ista cognitio, quàm illa. Intuere ineffabilem ipsius Genituram, & Genitū Gignenti non dissimilē, nec priorē Patrem quàm Filium, & tunc intelliges quanta differentia natiuitatem vtranque disiungat, cùm aliud sit nasci in gloria, aliud in miseria, aliud æqualem Deo, aliud Angelis esse minorem. Hæc est sapientia singularis, supergredi corporis, & corporeorum obstacula, & in illius lucis subsilire splendorem, vbi lumen videtur in lumine, & Deus non seruiens, sed imperans demonstratur. Felix anima, quæ feculentæ carnis superata materia, in huius sapientiæ lumine requiescit. Vis videre Paulum, quomodo à primo gradu ad secundum ascenderit? Cùm dixisset: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi; scripsit alio loco: Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nūc iam non nouimus. Hic affectus sapientiæ sedet in anima, quæ sola rationis capax est, incorporeúmque, & incircunscriptum spiritum indefessa meditatione prospectat. Hic diligitur Deus ex tota anima, id est ex tota sapientia, qui prius ex toto cordę, id est ex dulcedine diligebatur. Tertius gradus est amare fortiter, id est ex omnibus viribus. Fortiter diligit, qui, cùm necesse fuerit, pro Saluatoris fide corpus, & animam tormentis exponit. Hic est fructus operis, laboris consummatio, probatio dilectionis. De gradu enim dulcedinis ad sapientiæ gradum ascenderat Apostolus Petrus, cùm diceret: Animam meam pono pro te. Nihil sapientius, neque fortius, quàm animam meam pono pro te; nihil insipientius, neque debilius: quàm neque scio, neque noui quid dicas. Profectò iam diligebat dulciter, iam sapienter, sed vtrunque perdidit, cùm fortiter non dilexit, cùm ad vocem mulierculæ Dominum & magistrum suum celeriter abnegauit. Sed cùm mori pro Christo disposuit, dilexit nimis, quia maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Affixus Cruci à fide separari non potuit. Vides ergo, quomodo tres gradus isti trinæ legis dilectioni conueniant. Itaque amemus dulciter, sapienter, & fortiter, vt ad magistrum Petri, Petri intercessione peruenire valeamus, qui est benedictus in secula, Amen. *Nota sanctorum intercessione nos peruenire posse ad dominum.*

* * *

EIVSDEM DE SANCTIS *Apostolis Petro, & Paulo,* *Sermo 2.*

Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli festiuitas solennis, toti cognita mundo.

HOdierna dies, dilectissimi, clara est, & solennis, vniuersamq́; creaturam suo lumine sanctificat, & infundit. Non enim est ignota festiuitas, vel alicuius obscuritatis tenebris offuscata, sed ab ortu solis vsque ad occasum toti cognita mundo ipsis etiam cælis clara luce relucens. Duo enim Apostolorum principes, Ecclesię luminaria, martyres summi, legis doctores, amici spōsi, oculi sponsæ, pastores gregis, mundi custodes, hodierna die cælestia regna felici martyrio conscenderunt, alter princeps regni cælorum; alter raptus ad tertium cælum; alter Iudęis prælatus; alter gētibus datus; in vita socij, consortes in morte, in corona pares, ęquales in gloria, iudices orbis, Domini confessores. Admiranda prorsus dispositio Redemptoris, & iudicia Dei abyssus multa, cum illos ecclesiæ suæ præfecit qui sic criminaliter lapsi sunt, vt in peccatorum fluctus absorberentur. Cùm intueor Petrum, quem ipsa manus Omnipotentis regni cælestis clauibus inuestit, cui Pater reuelat Filij maiestatem, super quem fundatur ecclesia, cui potestas ligandi, & soluendi conceditur, qui cælos claudit, & aperit, quod Cherubin, & Seraphin habere non legitur, vehementer admiror. Rursus cùm reflecto oculos, & eundem Petrum video à longe sequi Saluatorem, & ad vnius ancillæ vocē detestari, & iurare, Quia non noui hominem, ipsúmque quem Dei filium confessus fuerat, trepida fugitatione relinquere, timore concutior, dicens mecum: Quis cognouit sensum Domini? Cùm respicio Paulum spirare minas, & cędes in discipulos Domini, vinctos ducere, damnare morti, & in corpus ecclesiæ tota debacchatione sęuire, intra memetipsum contremo, dicens: Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. Cùm respiro desuper, & video vas electionis portare nomen Christi coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel, ad tertij cæli secreta raptari, & audire arcana verba, quæ non licet homini loqui, & in illam ipsam Trinitatem oculos figere clariores, gaudeo, dicens: Hic est vir, qui non est derelictus à Domino. Quid est, quòd sic labuntur, qui præficiuntur ecclesiæ? Sapientia suauiter disponens omnia, hæc ideo fecit, vt in seipsis prædicti Principes discerent, qualiter aliis misereri deberent. Huius virtutem misericordiæ pręsens capitulum demonstrare conatur. Isti sunt, inquit, duæ oliuæ. Digna prorsus comparatio oliuæ ad Apostolos, nec alia dignior est inuenta. Arbor enim ista semper viridis est, & illum excellentissimū olei liquorem effundit, sine quo nec regia, nec sacerdotalis constat auctoritas. Oleum autē quatuor habet, supernatat omnibus liquoribus, illuminat, pascit, & vngit. Cuicunque enim liquori oleum superponas, statim sibi superioris loci vendicat potestatem, ita & misericordia Dei omnibus eius operibus præfertur, Psalmista testante, qui dicit: Miserationes eius super omnia opera eius. Miserator, & misericors, patiens, mitis corde, & suauis vniuersis, Dominus prædicatur. Est autem & iustus, sed núquam multum iustus legitur in scriptura, sicut multum misericors. Vis videre quomodo Discipuli sequuntur Dominum, & Magistrum suum? Aspice quantus pietatis affectus Apostolorū principi se infudit, quando circunsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorchas. Circundatur multitudine pauperum Apostolorum princeps, & vocibus lachrymosis concutitur viduarum, Apostolicúmque pectus irrumpit clementiæ multitudo. Orat Apostolus ante vultum gloriæ coram Domino maiestatis, resuscitatur mulier, & miseris redditur misericordiæ propinatrix. Hæc misericordia facit Petrum ab Hierusalem in Antiochiam currere, ab Antiochia venire Romam, prædicare verbum Dei, subuenire peccatoribus, peccatis parcere, misericordiam superexaltare iudicio. Aspice & Paulum, & intellige quàm dulcioris misericordię cumulata benignitas totam Apostoli mētem vera compassione succenderat. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Doleo, inquit, & lugeo super eos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Beata anima, quæ omnium miserias suas fecerat, vt omnes lucrifaceret. Hoc affectu nauigat mare, currit in Hierusalē, lapidatur, verberatur, affligitur. Inde currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit Colossenses, Philippenses visitat, reuertitur ad Romanos, misericordiā spargit, vbique diffundit pietatem, & cælestium seminat semina gaudiorum. Cernis ergo, quia sicut oleum omnibus liquoribus antecellit, sic & Apostolica pietas omnibus eorum virtutibus antefertur. Illuminat oleum, illuminant & Apostoli. Recole actus Apostolorum, & vide quanta luce fulgurat Apostolus Petrus. In plateis, ait scriptura, ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Oleum infinitum, admirabile lumen, & omni sole lucidius, ad vmbram Apostolici corporis langores fugere, discedere infirmitates, & omnem morborum instantiam inaudita velocitate fugari. An non copiosa luminis immēsitas ab ore Petri largiùs exiliuit, cùm ait claudo; In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula? Respice Paulum totum Illyricum peragrantem, suscitantem mortuos, subuertentem templa Deorum, & in splendore huius lucis totius orbis illuminare circuitum. Currit Paulus, & potenti virtute sermonū illuminat quæ in tenebris sunt, clarus sermone, opere clarior, miraculorum coruscatione clarissimus. Habete, inquit, formam vestram, & attendite non solum quæ audistis, sed & quæ vidistis in me. Bonus, & perfectus magister, qui fidē facit verbis opere meliori. In huius lucis clarissima serenitate illuxerunt coruscationes tuę, Deus, orbi terræ. Commota est, & contremuit terra ad vocem Apostolorum, cùm in omnem terram sonus eorum exiuit. Oleum pascit, pascunt & Apostoli. Epistolæ Petri, & sublimis illa sermonum doctrina, nunquid non mirabiliter pascit Ecclesiam Dei? Audi quid Saluator de hac ipsa pastione dicat ei; Pasce, inquit, tertiò, oues meas. Pasce verbo, pasce exemplo, pasce oratione. Pasce verbo, vt potens sis exhortari in doctrina sana, & eos qui cōtradicunt arguere: pasce exemplo, vt quod prædicas voce, opere compleas, pasce oratione, vt pro illis intercedas, quorum anima tibi commissa est. Vas electionis Paulus Apostolus vide quomodo pascit populum Dei diuersorum varietate

fercu

feriulorum. Lac, inquit, potum dedi vobis, non escam, perfectorum autem solidus cibus est, eorum, qui pro exercitatione consummatos habent sensus. Et alibi: Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo: & iterum: Sapientiam loquimur inter perfectos. Vides quomodo se contemperat, & conformat, illos sublimi, hos tenera imbuens doctrina? Vngit oleum, vngunt & Apostoli. An non Petrus Apostolus vngit omnes, cùm dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum? Paulus etiam ipse nonne præcepit dicens: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis? Oliua semper est viridis, nec frigoris immensitate percutitur, ita & Apostolorum fides incôcussa perdurat, nec vnquam tyrannica rabie potuit superari, & si impulsus est Petrus vt caderet, non tamen cecidit quia Dominus suscepit eú. Stupefactus quidem ad momentum hæsit Apostolus, sed statim in virtute fidei rediit, quia respiciente Domino, fleuit amare; & si ad tempus concussus est, non tamen deiici potuit, quia sententia veritatis cassari non poterat dicens: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua. Hodierna enim die crucifigitur Petrus, Paulus gladiatur, & vitam ponunt pro fide Christi, vt non deficiat fides Christi. Isti sunt ergo duo viri oliuę, viri habentes fidê, illuminantes patriá, pascentes Ecclesiá, peccatores vngêtes. Quod igitur scriptura hæc dicit: Isti sunt duæ oliuæ, alibi planius aperit dicens: Hi sunt viri misericordiæ. Sequitur: Et duo candelabra lucentia ante dominum. Candelabrum tribus pedibus innititur, & in altiora consurgens cereum superportat, vt qui ingrediuntur, lumen videant; ita & Apostoli tribus virtutibus innitentes, operatione, prædicatione, miraculorum coruscatione, lumê verum dominum Iesum Christum ingredientibus ad fidem tota claritate monstrarunt. Et attendendum quod dicit, Ante dominum. Hypocritæ etenim lucent, non ante dominum, sed antè mundum, vt videantur ab hominibus. Apostoli verò luxerunt ante dominum, sed non ante mundum, quia ludibria, & verbera experti, diuinæ maiestati solummodo placere studuerunt. Quòd ipsi sint duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante dominum, Zacharias Propheta manifestè his verbis innuit dicens: Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terrę. Sunt etenim filij olei, quia viri sunt misericordiæ; sunt & splendoris, quia sunt candelabra lucentia; lucent ante dominum, quia assistunt Dominatori vniuersę terrę. Sequitur: Habêt potestatem claudere cælum nubibus. Serenitas cæli nubibus impeditur, ne videatur, & diuinitatis contemplatio peccatis nostris clauditur, ne videatur Deus, Propheta testante, qui dicit: Opposuisti nubem, ne transeat oratio. Nubes opponitur, ne oratio transeat, cùm peccata nostra separant inter nos & Deum. Habent potestatem claudere cælum nubibus, id est, peccatoribus, & portas eius fidelibus aperire. Mira res, & omni stupore dignissima, ad hominum linguam claudi, & aperiri cælestium palatia mãsionum, Amen.

IN COMMEMORATIONE
S. PAVLI APOSTOLI.

MATTH. 10.



a Qui elegi, qui docui. b Ex discipulis, missos facio, ideo fitis mansueti, humiles & innocentes.
IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, Ecce [a] ego mitto [b] vos
c Scribarum & Pharisæorum. d Vt vitetis insidias. Vt fidem seruetis. Vt non lædatis mala.
sicut oues in medio [c] luporum. Estote ergo [d] prudentes sicut
e Hic aperit quos lupos dixerit. f Id est, à persuasionibus hominum.
serpentes, & simplices sicut columbæ. [e] Cauete autem [f] ab
g Præmonuit eos. h Vbi potiori sententiæ dandus est locus.
hominibus. [g] Tradent enim vos in [h] conciliis, & in synagogis
i Sub specie corrigendi, qua ille locus correctionis est. k Quasi ad maiorem audientiam cum per se vobis inferre vim non potuerunt.
suis [i] flagellabunt vos: & ad [k] reges, & ad præsides ducemini propter me in te-
l Contra terrores consolatio, quasi dicat, nolite turbari. m De modo proferendi ornate an inornate.
stimonium illis, & gentibus. [l] Cum autem tradent vos. Nolite cogitare [m] quo-
n De modo instruendi. o Materia dicendi.
modo, aut quid [n] loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, [o] quid loquami-
p Quia non ex ingenio vel arte vestra verba procedunt, sed ex spiritus sancti gratia.
ni. [p] Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in
q Velut organo. r Adeo crescet persequutorum rabies, vt nullus sit inter eos affectus, quorum diuersa est fides.
[q] vobis. [r] Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent

filij in parentes & morte eos afficient : & eritis odio [a] omnibus hominibus [b] propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

a Non tantum amicis. b Quia amatores mundi sunt inimici Dei.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

Ecce ego mitto. Illis sua pœna seruabitur in futurum: vos autem omnem exhibete patientiam. *Ecce ego.* Congruit illi quod secundum Ioannem, Sicut Ioan. 20. misit me pater ad passionem, sic & ego mitto vos: non ad gaudia, sed ad passiones. Vbi seruate innocentiam, quia qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare. *Sicut ser.* Serpentis astutia est, quod toto corpore caput in quo vita est, occultat, & protegit: ita & nostri periculo corporis caput nostrum, quod est Christus, custodiamus. Vel quod per angustias se coarctás, veteri tunica exutus innouatur, sic intrás per angustam portam, veterem exuit hominem. *Intestimo.* vt inde peruersi pereant sine excusatione, vnde electi exemplum capiunt vitæ. *In testimonium* Luc. 21. *illis & gen.* Lucas: Continget vobis in testimonium: quia persequutio nominis Christi non solum Iudæis & Gentibus eorum maliciæ, sed etiam ipsis apostolis fit in testimonium ipsorum innocentiæ. *Dabitur enim vobis in illa hora.* voluntatem vestram pro Christo offerte: Christus verò loquetur pro se. *Tradet autem frater, &c.* Minorem dolorem ingerunt mala quæ ab extraneis, maiorem quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus quia cum damno corporis, mala nos cruciant amissæ charitatis. *Qui autem, &c.* Docet virtutem longanimitatis & patientiæ. Non enim cœpisse vel facere, sed perficere virtutis est. Vnde cauda hostiæ iubetur offerri. Hoc idē Lucas exprimit: In patiētia vestra possidebitis animas vestras, quia dum nobis dominari dicimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c.* Chrysost. in hom. Quia superius apostolorum temorem sollicitudinem, & signorum suorum ostensione eos armauit: consequenter prædicit eis mala, quę debebant eis contingere. Primò quidem, vt discerét præscientiæ eius virtutem. Secundò vt nullus suspicaretur, quoniam propter imbecillitatem magistri, hæc eis superuenirent mala. Tertiò, vt ipsi sustinentes non obstupescerent, dum inopinabiliter, & præter spem euenirent. Quartò, vt hoc audientes non turbentur in tempore crucis: deinde vt discant, quoniam noua hæc prælij lex est. Nudos enim mittit, à suscipiētibus iubet cibari. Neque in hoc sistit, sed vlterius suam virtutē ostendit, dicens: *Ecce ego mitto vos, &c.* vbi considerandum quòd non simpliciter ad lupos, sed in medio luporum mittit: vt sic suam virtutem magis demonstret, cum oues lupos superauerint, etiam in medio luporum existentes: & plurimos morsus accipientes ab eis non solum non consumuntur, sed & illos conuertunt. Multo autem mirabilius est & maius, transmutare mentes eorum quam interficere eos: inter lupos autem ouium mansuetudinem eos docet ostendere. Greg. in hom. Qui enim locum prædicatoris suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare: vt ex ipsa sua mansuetudine, iram tumentium mitiget, & peccatorum vulnera ipse in aliis afflictionibus vulneratus sanet. Quoniam & si quādo zelus rectitudinis exigit, vt erga subditos sæuiat: furor ipse de amore sit, non de crudelitate: quatenus & iura disciplinę foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat quos foris castigat. Multi autem cùm regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, domini videri appetunt, patres se esse minimè recognoscunt, humilitatis locum in elatione damnationis immutant, & si quando extrinsecus blandiūtur, intrinsecus sæuiunt: de quibus dicitur: Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Contra quæ nobis considerandum est, quia sicut oues inter lupos mittimur: sensum seruantes innocentiæ, morsum malitiæ non habeamus. Hier. Lupos autē scribas & pharisęos vocat, qui sunt clerici Iudæorū. Hilar. Lupos etiam significat omnes hos qui vesano furore in apost. desæuituri erant. Chrys. in hom. Malorum autem erat eis consolatio mittentis virtus. Et ideo ante omnia posuit, dicens: *Ecce ego mitto vos.* Quasi dicat. Ne turbemini, quoniam in medio luporum mittimini: possum enim facere vt nihil mali sustineatis, non solum lupis nō suppositi, sed leonibus terribiliores effecti: sed ita expedit fieri: hoc enim vos clariores facit, & meam virtutē magis diuulgat: Deinde, vt aliquid etiam à seipsis inferant, & non sine causa coronari æstimentur, subdit: *Estote er. pru. &c.* Hier. Vt per prudentiam deuitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. Et serpentis astutia ponitur in exemplum quia toto corpore occultat caput: vt illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integrā & incorruptam seruare studeamus. Raba. Solet etiam serpens eligere strictas rimas, per quas transiens veterem pellem exuat: similiter prædicator transiens per angustam viam, veterem hominem omnino deponat. Rem. Pulchrè etiam dominus prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est: ac si diceret, quia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberādum: ille laudauit lignum, vos laudate crucis virtutem. Hilarius: Ille animū primò molliorìs sexus aggressus est, & communionem immortalitatis spopondit. Pari ergo opportunitate introspecta vniuscuiusque natura & voluntate, verborum adhibenda prudentia est, spes futurorum bonorum reuelāda: & quod ille mentitus est, nos prædicemus ex vero secundum sponsionem Dei,

auge

angelis ſimiles futuros eſſe qui credant. Chryſ. in Hom. Sicut autem prudentiam ſerpentis oportet habere, vt in principalibus non lædamur: ſic & ſimplicitatem columbæ in non vindicando cùm iniuſta patimur, neque per inſidias alicui nocendo. Rem. Ideo autem dominus hæc duo ſociauit, quia ſimplicitas abſque prudentia facilè decipi poteſt: & prudentia periculoſa eſt, niſi ſimplicitate temperetur alicui nocendo. Hieron. Simplicitas autem columbarum ea ſpiritus ſancti ſpecie demonſtratur: vnde dicit Apoſtolus, Malitia autem paruuli eſtote. Chryſ. in ho. Quid autem durius his fiet iuſſionibus? non enim ſufficiens eſt pati mala, ſed neque turbari conceditur, quod eſt columbæ: ira enim non per iram ſed per manſuetudinem extinguitur. Rab. Quòd autem lupi, de quibus ſuprà dixerat, ſint homines, oſtendit cum ſubdit, Cauete autem ab hominibus. Glo. Ideo autem neceſſarium eſt vt ſitis ſicut ſerpentes, id eſt, aſtuti: nam ſecundùm ſuam conſuetudinem tradent vos, primum in conciliis prohibendo, ne prædicetis in nomine meo, deinde incorrectos flagellabunt vos, tandem ad reges, & præſides ducemini. Hilar. Qui extorquere ſilentium veſtrum, aut conniuentiã tentant. Chryſ. in hom. Mirãdum eſt autem qualiter hoc audientes, non ſtatim abſceſſerãt homines, qui ſtagnum illud nunquam egreſſi fuerant, circa quod piſcabantur: quod non virtutis eorum erat ſolùm, ſed ſapientiæ doctoris. Vnicuique enim malorum mitigationem adiungit, vnde & hoc dicit *propter me*: non enim parua conſolatio eſt propter Chriſtum pati, quoniam non vt pernicioſi & nociui hoc patiebantur. Et iterum addidit, *in teſtimonium illis*. Grego. Qui, ſcilicet perſequendo mortem intulerunt, vel qui videndo non ſunt mutati. Mors quippe ſanctorum bonis eſt in adiutorium, malis in teſtimonium: vt inde peruerſi ſine excuſatione pereant, vnde electi exemplum capiunt & viuunt. Chr. in ho. Hoc autem eos conſolabatur, non quia aliorum cupiebant pœnam, ſed vt confidentiam habeant, quoniam vbique eum habent præſentem & præſcientem. Hil. Non ſolum autem hoc teſtimonio, excuſatio ignoratæ diuinitatis adimenda eſt perſequentibus, ſed etiam gentibus via pandenda credendi Chriſtum pertinaciter, inter ſæuientium pœnas cõfeſſorum vocibus prędicatum: & hoc eſt quod ſubiungit: *Gentibus. Cùm autẽ tradent vos, nolite cogitare quomodo, &c.* Chry. in hom. Cum præmiſſis conſolationibus, non paruam & aliam apponit: vt enim non dicerent, qualiter ſuadere poterimus hominibus talibus perſequentibus? perſecutionibus exiſtẽtibus iubet eos de reſponſione cõfidere, dicens, *Cùm autem tradent vos nolite, &c.* Rem. Duo autem dicit, *quomodo aut quid*: quorum vnum refertur ad ſapientiam, alterum ad oris officium. Quia enim & ipſe ſubminiſtrabat verba quę loquerentur, & ſapientiam qua ea proferrent: non fuerat neceſſe ſanctis prædicatoribus quid loquerentur, aut quomodo. Hieron. Cùm enim propter Chriſtum ducamur ad iudices, ad voluntatem tantum noſtram pro Chriſto debemus offerre. Cæterum ipſe Chriſtus, qui in nobis habitat, loquitur pro ſe, & ſpiritus ſancti in reſpondendo gratia miniſtrabitur. Hilar. Fides enim noſtra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intenta, ad reſponſionem ſcientiæ inſtructur, in exemplo habens Abraham, cui poſtulanti ad hoſtiam Iſaac, non defuit aries ad victimam. Et ideo ſequitur, *Non enim vos eſtis, &c.* Rem. Et eſt ſenſus: Vos acceditis ad certamẽ, ſed ego ſum qui prælior. Vos verba editis, ſed ego ſum qui loquor. Hinc Paulus ait, An experientiam quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Hieron. Per hoc autem ad prophetarum dignitatem eos reduxit, qui ſcilicet Dei ſpiritu ſunt locuti. *Cùm autem hic di. ne ſoli. ſitis quid loqu.* Alibi dicitur: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcẽti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe. Cum enim in medio amicorum certamen erit, iubemur eſſe ſolliciti: cum autem eſt iudicium terribile, & plebes inſanientes, & timor vndique, auxilium à Chriſto præbetur, vt confidenter loquantur, & non obſtupeſcant. *Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.* Glo. Præmiſſa conſolatione, ſubdit grauiora pericula: vnde dicitur, *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent, &c.* Greg. in hom. Minorem enim dolorem ingerunt mala quæ ab extraneis, maiorem quæ ab illis patimur, de quorum moribus præſumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciant charitatis amiſſæ. Hiero. Hoc autem in perſecutionibus fieri crebro videmus, nec vllus eſt inter eos fidus affectus, quorum diuerſa eſt fides. Chry. Deinde quod eſt multo horribilius, appoſuit dicens; Et eritis odio omni. homi. vt enim communes orbis terrarum hoſtes ita eos expellere tentabant. Hinc etiam rurſus apponitur conſolatio, cum dicit, *Propter nomen meum.* Et cum hoc rurſus aliam conſolationem ponitur: cum ſubditur, *Qui autem perſeue. &c.* Quoniam enim conſueuerunt multi in principio quidem eſſe vehemẽtes, poſtea verò diſſolui, propter hoc ait: Quoniam finem requiro. Quæ enim vtilitas eſt ſeminum, in principio quidem floreſcentium, poſtmodum autem tabeſcentium? Propter hoc autem ſufficientem perſeuerantiam expetit ab ipſis. Hier. Non enim cœpiſſe, ſed perfeciſſe, virtutis eſt. Remi. Nec inchoantibus, ſed perſeuerantibus præmium tribuitur. Chryſo. Ne autem aliquis dicat, quia omnia Chriſtus in Apoſtolos fecit, nihil mirabile eſt tales illos eſſe effectos, nihil patientes oneroſum propter hoc ait, quòd perſeuerantia eis eſt opus. Etſi enim ea primis eruti fuerint periculis, aliis difficilioribus cõſeruantur, & poſt illa rurſus alia ſuccedẽt: & non ſtabunt quin inſidias patiantur, donec viuunt: & hoc occultè inſinuat, dicens: *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Remi. id eſt, qui præcepta fidei nõ deſeruerit, & in perſecutionibus non defecerit, ſaluus erit: quia pro perſecutionibus terrenis percipiet præmia regni cæleſtis. Et notandum, quia finis non ſemper ſignat conſumptionem, ſed aliquando perfectionem, iuxta illud: Finis legis Chriſtus eſt. vnde etiã poteſt eſſe ſenſus: Qui perſeuerauerit vſq; in finem, id eſt in Chriſto. Aug. 21. de ciui. Dei. In Chriſto nanque perſeuerare, eſt in fide eius permanere, quæ per dilectionem operatur.

* * *

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris Euangelij expositio.*

ET quidem plures hos qui vesano furore in Apostolos desæuituri essent, futuros esse significat, cum se eos sicut oues in medio luporum ait mittere: prædicens simplices sicut columbas, & prudentes sicut serpentes esse oportere. Sed columbæ simplicitas in absoluto est. Quæ autem sit serpentis prudentia contuendum est. Nescio quid in illo prudentiæ consiliique extet, licet quædam hinc aliqui memoriæ mandauerint: quòd vbi se in manus hominum venisse intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut foueæ immergat, cædique partem reliquam derelinquat. Nósque hoc exemplo oportere, si quid acciderit persecutionum, caput nostrum, quod est Christus, occulere: vt ablatis nobis in omnes cruciatus, fidem ab eo acceptam iactura corporis communiamus. Sed omnis hic Domini de Iudæis atque hereticis sermo est. *Tradet frater fratrem, & pater filium, & insurgent filij in parentes.* Id est, familiam inter se eiusdem domus dissidere: quia de parentum cognationúmque nominibus, populi quondam vnitas indicatur. Nunc hostili inuicem odio, diuersísque iudicibus, etiam regibus terræ offerendos, dum extorquere aut silentium nostrum, aut conniuentiam tentant, testes & ipsis & gentibus futuri. Quo testimonio excusatio ignoratæ diuinitatis adimenda sit persequentibus: gentibus verò via pandenda credendi Christum, pertinacibus inter sæuientium pœnas côfessorum vocibus prædicatum. Instructos igitur nos serpentis prudentia monet esse oportere. Hunc antequam Adam traduceret, iam sapientem Genesis nuncupauit: & prudentiã eius malignãtis consilij ordine docuit. Primum enim animũ sexus mollioris aggressus est, spe deinde illexit, & communionem immortalitatis spopondit: & per hæc tanta præmia, opus consilij & voluntatis suæ gessit. Pari igitur opportunitate introspecta, vniuscuiusque & natura & voluntate verborum adhibenda prudentia est: spes bonorum futurorum reuelanda, & cælestia perfectæ fidei præmia proferenda. Et quod ille mentitus est, nos prædicemus ex vero, secundum sponsionem Dei, Angelis similes futuros esse qui credent: vt mentes plebium faciles & absolutas, circumsæuientibus licet lupis & hæreticis, promissis regnorum cælestium occupemus, & rerum fidem serpẽtis prudentia columbæ simplicitate tradamus. Monet etiam traditis abesse oportere curam responsionis, sed expectandum potius quid spiritus Dei suggerat. Quia fides nostra omnibus præceptis diuinę voluntatis intenta, ad responsionem scientiæ instruetur: in exemplo habentes Abraham, cui postulato ad hostiam Isaac non defuit aries ad victimam.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

E*Cce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Lupos, Scribas & Pharisęos vocat: qui sunt clerici Iudæorum. *Estote ergo prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ, &c.* Vt per prudentiam deuitent insidias: per simplicitatem non faciant malum. Serpentis astutia ponitur in exemplum: quia toto corpore occultat caput: & illud in quo vita est, protegit. Ita & nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus. Simplicitas columbarum ex spiritus sancti specie demonstratur. Vnde dicit & Apostolus: Malitia paruuli estote. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c.* Supra dixerat: Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides & reges ducemini propter me. Cum ergo propter Christum ducamur ad iudices, voluntatem tãtum nostram pro Christo debemus offerre. Cęterum ipse Christus qui in nobis habitat, loquetur pro se: & spiritus sancti gratia in respondendo ministrabitur. *Tradet autem frater, &c.* Hoc in persecutionibus fieri crebro videmus: nec vllus est inter eos fidus affectus, quorum diuersa fides est. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Non enim cœpisse, sed perfecisse virtutis est. 1. Cor. 14.

S. IO. CHRYSOSTOMI *Episcopi Constant. in superius Euang. Homilia 1.*

E*Cce ego mitto vos sicut oues in medio lupor*ũ*. Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c.* Cùm magno animo esse, & de necessariis ad vitam confidere fecerit, omnium hominum domos patefaciendo, & honestissimam ingressus causam ostendendo. Non enim vt errantes quosdam, & mendicos, sed vt ipsi etiam suscipientibus excellentiores adire alios iussit, quod ostendit dicendo; Dignus est operarius cibo suo. Et quoniam præcepit dignos esse quærendos, & suscipientes esse saluandos, & quoniam intolerabilia non suscipientibus imminere supplicia dixit. Quùm igitur his omnibus omnem solicitam curam ab ipsis eorum cordibus eiecerit, & signorum armauerit miraculis, omníque seculari negotio liberos, ferreos quasi, atque adamantinos fecerit, tunc euentura sibi aduersa prædicit, nõ ea solum, quæ paulò pòst futura erant, verumetiam illa, quæ post longa temporum spatia, vt ab initio, & antequam duri labores acciderent, aduersus diaboli bellum ipsos instrueret. Multa enim ex hac prædicatione futurarum rerum in melius redigebantur. Primùm vt summam eius virtutem, atque potentiam, qua etiam futura nouerat, non ignorarent: Deinde nemo poterat suspicari de imbecillitate ipsius, qui misit, in tãtas ipsos afflictiones incidisse. Præterea, ne si repente atrocitate malorum premerentur, quia præter spem, & contra opinionem aliquid accidisset, turbarentur. Denique ne passionis tempore stuperent nimium, &, vltra quàm oporteret, mouerentur: quod cerrè fugere dominicæ tempore passionis nõ potuerunt: vnde & increpabat ipsos dicens, Quoniam hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum, & nullus ex vobis interrogat me, quò vadis? Nondum tamen de se quicquam dicit, quòd scilicet vinciretur, flagellis cæderetur, & demum crudeliter, & iniquè interficeretur. Magis enim hæc mentes eorũ profectò exagitassent, quàm quæ sibiipsis futura prædicabantur. Deinde vt videant nouũ quendam,

Est Hom. 14. in Matth. operis perfecti.

Ioan. 16.

dam, atque inauditum bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futurã, qui nudi vna induti tunica, sine calceis atque virga, sine cingulo, absque proprio cibo in prælia descendebant. Non fecit hic dicendi finem, sed inexpugnabilem virtutem suam ostendens, quamuis aduersus lupos essent ituri: nec simpliciter aduersus lupos, sed in medio luporum, omnem tamen mansuetudinem eos habere iubet: nec id solum, sed columbę quoque simplicitatem: sic etenim virtus eius maximè patere potest, si lupi superabuntur ab ouibus, quę quum in medio luporum sint, & hinc, atque illinc morsibus luporum lacerarentur, non modo non deficerent, sed lupus in naturam ouium transmutaretur. Maius certè, atque mirabilius est, mentem, atque animum aduersariorum commutare, quàm gladio ipsos superare: præsertim quum duodecim numero ibi essent, qui aduersus cæteros omnes homines, qui lupos atrocitate vincebant, mitterentur. Erubescant igitur, qui contra facientes, quasi lupi aduersarios suos persequuntur, quum videant innumeros lupos ab ouibus vinci paucissimis. Et certè, quousque sumus oues, facilè hostes vincimus: quum verò in naturam luporum transimus, tum superamur, tunc enim nullum nobis à pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oues pascit, atque ideo cum in lupum te côuerteris, abiit confestim, & relinquit te, qui non permittit virtutem ipsius in te clarescere. Quando enim iniuria vexatus, æquo, mitique animo cuncta pateris, ipsi soli tropbæum attribuis. Si verò exieris aduersus hostes, atque pugnaueris victoriam illius obfuscas. Tu autem etiam diligenter considera, qui sunt, qui hæc ardua, & laboriosa adeunt, formidulosi videlicet, & indocti, illiterati, rudes, obscuri quidem homines, & ignoti, qui nunquam philosophorum perceperũt instituta, nunquam in forum descenderunt, piscatores, & publicani, multis repleti rebus, quæ iure animum eorum possent deijcere. Nam si magnos, & claros viros tanta difficultas rerum potuisset commouere, quomodo non potuisset imperitos homines, quibus nullius rei magni aliquid venit in mentem? Sed non deiecit, neque turbauit, nec id iniuria, dicet quispiam, cùm se intelligerent posse leprosus mũdare, dęmonia ejicere. Ego autem dicere non dubitarim, quia videlicet idipsum iure debebat ipsos conturbare, quoniam, qui tantam potestatem haberent, vt defunctos etiam à morte possent excitare, hi tanta pericula essent subituri, tanta bella gesturi, ad iudices vincti deducẽdi, cõmunis denique totius vrbis admonitio futuri. Quæ igitur in omnibus his erat consolatio? Sola mittentis virtus. Quocirca ita signanter incepit; *Ecce ego mitto vos.* Sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem, satis sit ad confitendum. Vides quanta eius est autoritas, intelligis, quoniam maxima sit potestas; percipis inexpugnabilem eius esse virtutem? sic enim dicere videtur, nolite turbari, si quasi oues in medio luporum vos versari, & columbas esse iubeo. Nam, etsi possum contrarium quoque præstare, vt nihil laboris, atque doloris ad vos perueniat, neq; vt tanquã oues lupos timeatis, sed quasi leones terrorem inferatis omnibus, tamen confert ita fieri, quemadmodum iubeo, id enim illustriores vos facit, id meam facilè declarabit virtutem. Sic enim posteà dixit Paulo, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitatibus perficitur. Ipse igitur apostolus oues mansuetudine fecit. Id enim significatur, cùm dicitur; Ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Nolite igitur animo esse deiecto, mittẽti mihi credite, hac re præcipuè inuictos vos esse futuros. Deinde vt etiam aliquid à seipsis conferant, nec omnia videantur esse à gratia, nec frustra, & aliena solùm virtute coronati æstimentur, adiecit; *Efficiamini ergo prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sed quid poterit nostra prudentia in tot, tantisque periculis efficere? Aut qualiter poterimus tantis agitati fluctibus prudenter quippiã prouidere? Quid enim sibi prodesse poterit ouis, etiam si omnẽ ouiũ sensum accumulauerit, cùm in medio tã multorum conuersetur luporum? Aut quid emolumenti columba cõsequetur, etiam si fuerit simplicissima, cùm eam vndique truculentissimi accipitres inuadãt? Certè rationis experientia nec sensu suo, nec simplicitate nostra præcipua quędam, ac eximia consequimini: sed inspiciamus, quando prudentiam quærit, serpentis certè prudentiam imitari cohortatur. Nam, quemadmodum serpẽs totum seipsum tradit, nec minimum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet. Eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures: profundas vniuersam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, minimè parcas, dummodo fidem serues, quæ caput, & radix est: qua seruata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum magnificentia recuperabis; idcirco nec simplices solum iussit esse, nec prudentes solùm, sed ambo hæc in vnum commiscuit, vt in præcipuam virtutem simul vertantur. Et prudentiam quidem serpentis adhibere te iubet, ne velis vulneribus, atque periculis principalissima membra obducere. Simplicitatem verò columbæ, ne iniuriatus vlciscaris, aut ad punitionem insidiantes abducas? nihil enim tibi prudentia proderit, nisi hæc simplicitas sibi adjiciatur. Quid ergo magis arduum, atque difficilius his, inquies, poterit vnquam inueniri præceptis? Non sufficit quòd malè vexer, verũetiam omnem animi molestiam ejiciendam imperas. Id enim per simplicitatem columbæ significas: quod simile est, si quis fœnum in ignem imponens, non cremari ab igne illud velit, sed contrà ignem à fœno extingui. Sed nihil vobis, quæso, conturbationis oriatur, hæc enim, quæ impossibilia videntur, exitum suum iam, & finem consecuta sunt, & re ipsa, atque opere, non mutata natura, sed in eadem humanitatis natura persistentes, serpentis prudentiam, & simplicitatem columbæ habuerunt apostoli. Nemo igitur impossibilia quædam data putet illis mandata. Scit enim ipse naturam rerum ante omnes alios, scit non audaciam audacia, neque temeritatem temeritate, sed mansuetudine extingui solere. Quod si rebus ipsis id ita fieri videre desideras, Actus Apostolorum diligenter lectitato, perspicies profectò cum sæpe Iudæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dẽtes in eos acuerit, columbæ simplicitatem nunquam ipsos perdidisse, sed mansuetudine, ac moderatione respondendi iram ipsorum superasse, furorem incitatum extinxisse, impetum retardasse. Nam cum dicerent; Nónne etiam, atque etiam pręcepimus vobis ne doceretis in nomine istu, nihil tamen

Vides requiri nostram cooperationẽ ad diuinam gratiam, vt opera meritoria operemur.

2.Cor.12.

Act.4.

tamen asperum, nihil acre neque dixerunt, neque fecerunt, sed mansuete respondentes dicebant; Si iustum est, vos audire magis quàm Deum, iudicate. Perspexisti simplicitatem columbæ, vide nunc serpentis prudentiam. Non enim possumus, inquiunt, nos, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui. Perpende qualiter exactè nos admonet, quia perfectos vndique esse oportet, vt neque periculis animos deiiciatur, neque ab ira efferatur: idcirco dicebat, *Cauete ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, &c.* Ita vbique ad vigilandum eos animo præparat, afflictiones quidem ipsis tribuendo: affligere autem posse cæteris permittendo, vt tu ex hoc discas in afflictionibus esse victoriam, & præclara hinc statui trophæa. Non enim dixit, luctamini cum illis, & concertate, & contra insidiantes insurgite: sed, ad vltimas afflictiones, atque pericula venietis. O admirabilem dicentis virtutem! ô sublimem audientium philosophiam! valde namque mirandum est, quomodo non statim hæc audientes, fugam ceperunt formidolosi homines, atque imperiti, qui nihil vltra stagnum illud, in quo piscabantur, nouerant. Quomodo autem non cogitarunt, neque hæc secum dixerunt: quo igitur fugiemus, si omnia iudicia hominum in nos præparantur, si reges aduersus nos futuri sunt, si Iudæorum synagogæ, si duces, si populi Gentium, si principes denique, & subditi? Non enim in Iudæa solùm hæc futura prædixit, sed in toto terrarum orbe. *Ad reges enim*, inquit, *& ad duces ducemini*. vt ostenderet ad gentes quoq; ipsas suo iussu illos destinari. Omnem orbem in nos concitasti, omnes terrarum habitatores aduersus nos armasti, populos, duces, reges. Sed longè horribilius est, quod sequitur, quum & fratricidas, & parricidas propter nostram doctrinam homines futuros pronuncies: *Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, &c.* Quomodo igitur cæteri credent, qui propter nos viderint filios interimi à parentibus, fratres à fratribus, cum sceleribus cuncta repleri senserint? Nonne vt seductores dæmones, nonne vt scelestos latrones, & totius orbis corruptores vndique nos expellent, cùm viderint cognatorum, atque affinium sanguine omnia repleri? Hanc ne igitur pacem ita optabilem, quæ tot, tantasque cædes illis inferat, domi suscipientibus retribuemus? Quòd si non duodecim, sed mille millia essemus, si non rudes, atque indocti, sed sagaces, & peritissimi ad dicendum oratores, si non inopes, atque mendici, sed reges magnos exercitus, magnas opes possidentes, non possemus adhuc profectò terrarum orbi persuadere, cum ad intestina, ciuiliaque bella, imò ciuilibus multò peiora inflammare videmur. Nam & si parum, vt præcipis, de salute nostra curabimus, quis tamen nobis mentem adhibebit? Nihil certè horum cogitauerũt, nihil dixerunt, nec præceptorum temeraria curiositate rationes quæsierunt, sed cedebant libenter imperanti, atque obsequebantur: quod non suæ erat virtutis, sed præcipientis immensæ sapientiæ. Examinemus enim diligentius qualiter vnicuique afflictioni consolationem adiunxit. De
Matth. 10. non suscipientibus enim dixit; Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæ in die iudicij, quam ciuitati illi: & hic rursus quia dixit, ad duces, & reges ducemini: statim intulit, gratia mei in testimonium ipsis, & gentibus. Non est profectò parua hæc consolatio, vt propter Christum patiaris, & in redargutionem illorũ, qui tibi molesti erant. Nam Deus, etiamsi nullus attendat, vbique tamen, quæ sua sunt, ineffabili virtute operatur. Hæc ipsos non ideo consolabantur, quoniam punitionis aduersariorum cupidi essent: sed partim, quia confidere poterant, vbique seipsum habituros præsentem, qui hæc prouideret: partim quia non quasi perniciosi, & perditi homines, sed altioris dispensatione mysterij hæc paterentur. Quibus etiam aliam addidit præcipuam, meo iudicio, afflictionis mitigationem. dicit enim; *Quum autem tradiderint vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c.* Ne dicere possent, qualiter, quum tam crudeliter atque acerbè in nos inuehantur, persuadere ipsis poterimus? summopere iubet & defensione confidere. Et alibi quidem ait, ego vobis os, & sapientiam dabo: in hoc autem loco; *Spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis.* Sic ad dignitatem Prophetarũ, qui spiritu loquebantur eos adducit, ac ideo quum virtutem eis datam exposuerit, tunc etiam consequutura mala coniunxit, cædes scilicet, atque interitus. *Tradet enim frater fratrem ad mortem*, ait, Luc. 11.
& pater filium, & insurgent in parentes filij, & mortificabunt eos. Nec finem hic fecit, sed aliud quoque multò horribilius addidit, vel quod lapidea corda posset exagitare atque concutere: *omnibus enim odio eritis.* Et confestim consolationem adiunxit, quum dicit, *propter nomen meum.* cui alteram copulauit. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hæc etiam alioquin animos eorum extollere possent, atque cõfirmare: quoniam tantam prædicationis suæ virtutem audiebant futuram, vt omnis sanguinis coniunctio virtute illius contemneretur, omnis affinitas sperneretur, omnia illi cederent aduersa, omnis potestas vndique pelleretur. Nam, si nulla naturæ vis aduersus sermonem vestrum potest reluctari, sed vniuersa deprimitur, atq; resoluitur, quidnam aliud vincere vos poterit? Nec tamen, quoniam tanta potestas vobis data est, idcirco in otio vitam agetis, sed omnes cõmuniter homines, qui terrarum orbem habitant, hostili odio vos aggredientur. Vbi nunc Plato, vbi nunc Pythagoras, vbi Stoicorum turba? Plato certè, quanquam magnam gloriam fuerit consequutus, sic tamen à nonnullis contemptus fuit, vt etiam venderetur, & nihil earum rerum, quas optauerat, in finem perduxit, neque vni solummodo principi persuadere potuit, sed, perditis auditoribus, non parua cum miseria naturæ concessit. Cynicorum autem durissima vita quasi vmbra, atque somnium ab omnibus iamdiu contempta est: atqui nullos in labores, nulla in odia hominum inciderunt, sed contrà clari, atque illustres propter seculares has literas, & inanem mundi philosophiam videbantur, adeò vt Athenienses Dionis epistolas, quas ille Platoni scripserat, publicè proposuisse ferantur. Et tamen solutam vitam semper viuebant, & opibus non paruis affluebant. Vnde Aristippus quidam magni pretij scorta conduxit. Alius verò testamenta condidit, non contemnendã pecuniam hæredibus relinquens; alius, quum discipuli seipsos substrauissent, desuper ambulauit. Sinopensem autem Diogenem scribunt in foro turpitudinẽ publicè peregisse. Talia certè omnia præclara illorum sunt, nihil verò hic huiusmodi cernimus

nimos. Sed omnia cum exquisita modestia, & honestate suprema, & bellum etiam aduersus terrarum orbem pro veritate & pietate susceptum: quo fiebat, vt quotidie cæsi, & neci traditi, fulgentissima tamen postea trophea erigerent. Sed fuerunt apud gentiles etiam, obiicies, illustrissimi duces, qualis Themistocles ille, qualis Pericles fuerat. Puerorum ludos, & ineptorum studia, res gestas iudicabis, si cum iis, quæ piscatores gesserunt, cõferre volueris. Quid enim magni de Themistocle dices, an quontam persuasit Atheniensibus naues conscendere, quum ingenti exercitu Græciam Xerxes aggrederetur? Sed hic non Xerxes inuadit Græciam, sed diabolus cum vniuerso terrarum orbe, innumeris dæmonibus, aduersus duodecim homines non breui tempore, sed per totam eorum vitam insurrexit: superarunt tamen atque vicerunt duodecim illi homunculi: quòdque mirabilius est: non fuderunt aduersarios, nec trucidarunt, sed mentes, atque animos ipsorum in melius reduxerunt. Illud verò obseruandum vbique est, quod non fugarunt, atque interfecerunt insidiantes sibi Apostoli hostes: sed, quom fœdiores, atque immaniores dæmonibus essent, ad angelicam vitam traduxerunt. Sic humanæ naturæ libertate donata, ne pernicioso simulacrorum cultui seruirent seductores, illos, & corruptores hominum dæmones, non solùm à domibus, ac ciuitatibus, verumetiam ab eremo exterminarunt. Testantur id chori, & multitudo monachorum, quibus vbique plantatis, habitata simul loca, & deserta omni ab inquinatione mũdata perlucent, & quod nemo vnquam cogitasset, nulla hæc legione, nullis armis, sed passionibus solùm Apostolorum perfecta sunt. Habebát in medio sui ciuitates, synagogæ, reges, ac principes, duodecim homines: vinculis, flagellis, carceribus quibuscunque poterant, vt silerent comminabátur, nec potuerunt ora eorum obstruere, sed veluti nemo solares radios vincere potest, sic nullus linguam eorum potuit compescere. Quæ res ea de causa sic fiebat, quoniam non homines, sed spiritus sancti virtus loquebatur, qua etiam Paulus Agrippam, & Agrippæ ministros, Neronem quoque omnium hominum perditissimũ facilè superauit. Dominus enim mihi astitit, ait, & confortauit, & eruit me ab ore leonis. Tu verò de ipsis etiam Apostolis mecum admirare, quòd quum audierint, ne solliciti sitis: & crediderunt, & obsequuti sunt, & nihil ex terribilibus horrorem potuit illis inferre. Si verò quispiam obiiciet, satis illos inde corroboratos fuisse, quoniam audiuerint: Spiritus patris vestri loquetur. Ego certè etiam propter hoc stupeo, quòd nulla ambiguitate detenti fuerunt, nullam liberationem ab his malis quæsierunt, præsertim quum non per duos, vel tres annos, sed per totam vitam hoc impendere sibi perciperent. Hoc enim ipsum significanter expressit, quum dixit; Qui autem in finẽ perseuerauerit, hic saluus erit. Vult quippe non solùm gratia sui ipsos esse munitos, sed à seipsis etiam nonnihil conferre. Quod ita esse videbis, si altius considerueris, alia omnino ad eum, alia etiam ad discipulos posse referri. Nam, quòd signa facere queant, Christi est: quòd autem nihil possideant, apostolorum. Similiter quòd domus alienæ ipsis paterent, gratia Christi faciebat: quòd verò nihil vltra necessaria peterent

Vide laudes monasticæ conſultis.

Matth. 8.

Nobis etiam hoc nostrã cooperationẽ requiri. Sed & ... apostolis ... gratia ...

ad perfectionem ipsorũ pertinere videtur. Dignus est enim operarius cibo suo. Præterea quod possent pacem suscipientibus donare, ex lethis liberalitate muneris præstabatur: quòd dignos quærerent, neque omnes indiscrete adirent, grauitatis erat hoc suæ, atque mansuetitatis. Adhuc, quòd pœnas daturi essent, qui non suscepissent, omnipotentiæ Christi: quòd verò elementer abirent, nullam iniuriam, nullam reddentes contumeliam, ad mansuetudinem illorum spectabat. Quòd etiam spiritus eis daretur, & ab omni sollicitudine liberarentur, Christi erat mittentis spiritum: quòd verò mites, vt oues fierent, & columbæ simplicitatem imitarentur, ac omnia magno animo ferrent, robur apostolorum profectò, ac prudentiam respicit. Quod etiam odio haberentur, neque tamen mentem, atque animum deijcerent, ipsorum erat: quòd verò perseuerantes saluarentur, mittentis spiritum proprium est: Ideo dicebat, *Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Nam, quoniam plerique consueuerunt magnam diligentiam incipientes adhibere, ac postea resolui, & deijci: idcirco finem ait: ego summopere considero. Nam quam vtilitatem pullulatio seminum potest habere, si, quum vsque ad flores creuerint, postea exaruerint? Continuam ergo patientiam quærit. Nam, ne quis nihil apostolis, sed totum Christo attribuat, ne quis nihil mali perrolisse apostolos putet, atque ideo de patientia ipsorum non admiretur, idcirco patientia quoq; nostra opus est, ait: Nam & si primò vos à periculis eruam, grauiora tamẽ alia atq; alia deinde succedẽt, nec exitus vnquam illorũ erit in hac vita. *Qui enim perseuerauerit in finẽ, hic saluus erit.* Hac etiam de causa hic idem dicit. *Ne solliciti sitis quid loquamini:* Alibi verò, Parati sitis ad respõdendum omni petenti vos rationem de spe vestra: ita quando certamen quoddã, & luctatio ad amicos est, nobis quoque nõnullã curam reliquit. Quando autem terribilis iudex sedet, & populus rabie furit, & horror vndique circunstat, sua ope facit vt confidamus, vt omni trepidatione ab animis pulsa, non prodamus veritatem. Incredibile profectò est hominẽ in stagnis exercitatum, circa pelles, & publicanorum officia educatum, audere os aperire, quum reges, satrapæque sederẽt satellites cum euaginatis assistant ensibus, vinctum catenis atque oppressum, cunctis vndique prementibus. Incredibile est, inquam, audere os aperire, & verbum aliquod proferre posse. Neque enim excusationem aliquam audire patiebantur, sed dogmatis nouitate perculsi, ceu communem orbis pestiferum hostem ad cruciatum atque tormenta rapiebant. Qui enim orbem terrarum perturbant, hi sunt, dicebant, & hic adsunt. Et rursus aduersus edicta Cæsaris isti prædicant, quum Iesum Christum regem appellant. Iudices ergo vbique iam aduersus eos erãt persuasi, & absque superiori auxilio nulla humana virtus vera eos prædicare potuisset ostendere, & quòd communi hominum legi non aduersarentur. Nam, si de veritate dogmatis sui non pertentati exclamarent, mãdata legum euertere videbatur: si verò peterent communem disciplinam suscipere fatentur, veri dogmatis synceritatem confundebant, quæ tamen omnia tam à Petro, & Paulo, quàm cæteris omnibus prudenter, atque decenter facta esse non ignoramus. Nam, cùm quasi factiosi, nouarũ que rerum cupidi accusarentur, non solùm hanc suspicionem tanquam

Luc 10. 1. Tim 5.

Ecce agnoscit salutem esse ex gratia Dei.

Matth. 13.

Act. 7. 16.

tanquam falsam refutarunt, verumetiam contrariam de se animis hominum existimationem immiserunt, vt vbique quasi saluatores, & præcipui benefactores, & quasi patres curam de omnibus gerentes, facile prædicarentur, quæ omnia inaudita, incredibilique patiẽtia faciebant, quòd Paulus ostendit dicens, Quotidie morior, & tamen ad finem in periculis patienter perseuerabat. Qua igitur venia nos erimus digni, in omni tranquillitate, & securitate rerũ molliter, ac delectè viuentes? Nam, quum nemo nos hostiliter persequatur, cedimus: quum nemo nos fuget, fundimur, atque dissipamur, nec in pace ipsa salui possumus viuere. Et illi quidem, quum totus orbis cremaretur, quumque in tota terra vnus quasi rogus flagraret, in medias flammas insilientes, multos eripiebant: tu verò nec tibi soli saluti esse potes. Quænam ergo libera nobis respondendi potestas erit, quæ venia concedetur, quos non exagitant flagella, non vrgent carceres, quibus non principes, non synagogæ minantur, nec aliquid huiusmodi malorum impendeat, imò verò omnia se in contrarium habeant? dominamur enim, & regna possidemus: quippe qui fideles reges habemus, vnde Christiani honoribus affluunt, præfecturas regionum adipiscuntur, honore, securitate, ac pace potiuntur, neque sic tamen vincimus. Et illi quidem, quum ad cruciatum quotidie ducerentur, & tam magistri quàm discipuli, mille tormentis, atque flagellis cæderentur, bonis tamen paradisi animo, & cogitatione fruebantur. Nos verò, qui nec in somnis quidem cruciatum aliquem sustinuimus, multò molliores quàm cera sumus. Sed illi, dices miraculis, atque signis fulgebant. An forsassis idcirco non cædebantur? an ideo vndique non pellebantur? imò verò etiam id præter spem, contraque opinionem eis accidebat, vt vel ab iis, de quibus bene meriti fuerant, sæpenumero vexarẽtur, nulla tamen molestia mouebantur, maleficia pro beneficiis recipiẽtes. Tu verò, si cui non magnum beneficium contuleris, ac deinde ab eo pro gratia malum susceperis, pœnitet illico te beneficij, ac omni tribulatione, furoréque plenus pati nõ potes. Quòd si acciderit, quod Deus auertat, neque permittat vnquam venire, bellũ ecclesię, ac persecutio, cogita quantus orietur risus, quàm magna erunt nostra opprobria. Meritò id quidem. Nam, quum nemo in arena seipsum exerceat, quomodo aliquis in certamine insignis erit, atque conspicuus? Quis vnquam athleta non ab ineunte adolescẽtia in palęstra corroboratus, potuit in Olympicis, excelso, ac magno animo aduersarium aggredi? An non oportet quotidie luctari, atque currere? Nónne videtis eos, quos quinque certaminum athletas appellant, quum nullum fortè luctatorem repererint, ad saccum arena plenum, vires suas excitare: iuniores verò his, cũ iunioribus quasi cum aduersariis pugnam ad exercitationem inire? Hos imitari stude, ac ipse tecum altioris philosophiæ instituta meditare, ac re ipsa plerunque confirma. Sunt enim multi, qui ad iræ nos rabiem incitant, multi, qui concupiscentiæ flammam incendunt. Insurge igitur contra passiones, vincas animi labores, vt corporis quoque labores possis perferre. Nam & beatus Iob ille, nisi antea præmeditatus fuisset, non ita in certamine refulsisset: nisi certè crebrò cogitasset, qua ratione mœrorem omnem superaret dixisset omino aliquid mœstum, cùm repentè obisse filios rescisset. Nunc verò ita præmeditatus exercitatusque fuerat, vt ad omnia ingenti animo persisterit, ad totius substantiæ, & tam multarum rerum iacturam, ad filiorum amarissimum obitum, ad vxoris affectum, ad acerba corporis vlcera, ad iniusta amicorũ opprobria, ad ancillarum contemptum, atque seruorum. Quòd si eius mirabilia gesta cupis inspicere, ipsum audi, ac ab eo ipso disce, qualiter vniuersam spernebat pecuniam. Sed lętatus sum, inquit, multis mihi affluentibus vndique diuitiis, si recondidi aurum in puluerem, si spem in preciosis lapidibus habui. Hæc ille. Propterea nec, quum erepta quidem omnia subitò essent, turbatus est, quippe qui præsentibus non delectabatur. Tu verò etiam animaduerte quomodo filiorum rẽ gubernabat, & admiraberis ipsum nulla negligentia vnquam, quemadmodum nos, retardatum, sed exactissima cura, quæ facienda essent, illis proposuisse. Nã, qui pro occultis filiorum delictis sacrificabat, quãta eos solicitudine in manifestis debebat corripere? Quòd si continentiæ quoque certamina videre cupis, audi ipsum dicẽtem; Legem posui oculis meis, ne aspicerẽt virginem alienam. Iob.31. Hac de causa nõ fregit animam eius vxor. Diligebat enim profectò, sed non magis eius quàm debebat, sed sicut prudens vir, atque fortis vxorem modestam. Quas omnes ob res mecum ipse plerunque admirari soleo, quare in mentem diabolo venit, exercitationes istius nõ ignoranti, tot, tantosque aduersus ipsum cogitasse labores. Cur igitur illi venit in mentem? Truculẽtissima certè bestia nunquam solet desperare victoriam, quod ad condemnationem nostram spectat: nam ille nunquam, vt dixi, nostram desperat perditionem: nos de salute nostra sæpius desperamus. Sed perpende etiam quomodo corporis dolores, & mẽbrorum abscissionem, antequam pateretur, cura, & cogitatione ferebat. Nam, quoniam nihil tale vnquam pertulit, sed in diuitiarum viuebat deliciis, alienas calamitates præ oculis in dies sibi proponebat. Id enim significat, dicens, Timor, quem formidabam, peruenit ad me, & quem trepidabã, offendit me. Et rursus, Ego verò super omni imbecillo ploraui, & ingemui in necessitate hominem vidẽs. Ibid.3. His igitur de causis nulla rerum acerbitas, nullus calamitatum impetus eum perturbauit. Nec solùm substantiæ iactutã considera, nec immaturum filiorum obitum, nec vlcera illa procul ab omni curatione remota, nec vxoris astutas insidias, verumetiam ea, quæ his, & omnibus longè grauiora fuerunt. At quid grauius, obiicies, his passus vnquam Iob est? Nihil enim præter hæc ab historia discere possumus. Rectè dicis: nã quoniã sedemus dormitãtes, & oscitantes, non discimus: nam, qui diligẽti cura, & solerti studio margaritas quærit, multò plura inuenit. Grauiora quippe alia erant, quæ turbare magis animam hominis poterant, quam ea, quæ dicta sunt. Ac primum, quoniam non ita clare de regno cælorum, & resurrectione nostra quicquam perceperat, vnde lugens quoque ipse dicebat, Non enim in ęternũ viuam, & lõganimis sum: deinde quoniam multorum bonorum sibi cõscius erat. Tertium, quoniam nullius delicti conscientia eum remordebat. Quartum, quoniam à Deo hęc sibi putabat illata: Quod si etiam à diabolo, idipsum satis erat ad perturbandum. Quintum, quoniam audiebat amicos

Nam locum, quo manifestè apud Iob resurrectio probatur, Græcis editionibus non habetur.

1.Cor.15.

amicos tanquam perditum hominem vituperantes. Non enim condigna, dicebant, neque, vt peccata tua flagitant, percussus es. Sextum, quoniam in que viuentes in fœlicitate viuere cōspiciebat, qui etiam, quod acerbius est, ipsi illudebant. Septimum, quoniam non habebat, cuius exemplo posset consolari. Hæc quàm maxima sunt, facilè intelliges, si consideratis, quòd, quamuis firma spe cælorum regnum, & beatitudo illa suprema expectetur, quamuis multorum homines sibi, ac atrocium peccatorum conscij sunt: quamuis exempla sublimis philosophiæ plena non desint, si tamen patum quid auri quispiam amiserit, nec id forsan suum, sed quod aliunde vi rapuit, nec molestia vxoris incumbente, nec liberis suis defunctis, non insultantibus seruis, cum multi verbis, multi rebus consolentur, vitam sibi acerbā putat. Quibus igitur ille laudibus dignus non erit, qui videbat, quæ iustis laboribus sibi, ac liberis collegerat, repentè absque causa eripi: qui, posteaquam omnia perdidit, quasi vim pluuiæ tentationum multitudinem pertulit, nec cōmotus vnquam fuit, sed gratias semper domino decentes peregit. Sed vt alia omittamus, nonne solius vxoris verba durissimos flictus commouissent? Animaduerte quā versutè, atque maliciosè ipsum inuadit. Nullam de diuitiis fecit mentionem, nullam de camelis, nullam de gregibus, atque armentis. Sciebat enim quanta philosophia martir animus in contemnendis rebus huiusmodi muniretur. Sed, quod erat durius, atque acerbius, liberorum obitum ante oculos ponit, hanc rem tragicis verbis amplificat, cui etiam vexationem suam adiunxit. Quod si multi, cùm fœlici etiam in statu essent, quum nihil mali sibi accideret, vxoris tamen verbis delusi peccarunt: quanti roboris illi animum fuisse credendum, qui tantam vxoris vim, atque arma facilè repulit, qui duas acerrimas passiones depressit, cupiditatem scilicet, atque misericordiam? Multi enim cupiditatis victores misericordia fracti sunt. Nam gloriosus ille Ioseph ardentissimas quidem cupiditates, atque tyrannicas flammas extinxit, & formosam mulierem, quæ mille indies machinas ad capiendum excogitabat, robore animi repulit, lachrymas verò idem continere non potuit; sed, cum vidisset fratres, quorum iniuria venundatus fuit, flagrauit affectu, &, velamine abiecto, rem totam patefecit. Quando autem vxor, quæ possunt ad misericordiam commouere, flebiliter dicit, cui etiam opportunitas temporis opituletur, vlcera quoque, atque liuores, milleque alij ærumnarum fluctus; quonam modo adamantis etiam naturam superasse illum animum non dicemus, qui à magnæ tempestatis impetu, atque procellis commotus non est? date veniam libere loquenti. Si non fuit maior Apostolis beatissimus ille Iob, certè nec minor, meo iudicio, fuit. Nam apostolis non parua erat consolatio, quum se scirent causa Christi tormentis vexari: quod remedium tanti erat, tantùmque vim ad subleuandos à passionibus quotidie apostolos retinebat, vt vbique firmeid positum esse à domino videamus. Crebrò enim scriptum inuenies, propter me, & gratia mei: Ille autem tali consolatione omnino carebat, sed nec signorū miraculis iuuabatur, nec gratiæ causa confirmabatur. Non enim gratia spiritus tanta vi temporibus illis fusa erat, & quod

Gene. 39.

Comparatio Iob cum Apostolis. (margin, partly illegible)

maius est, in diuitiarum educatus deliciis non piscator, nec publicanus fuit, nec tenuiter vitam peregit, sed qui antea honorificentissimè vixit, multa postea indignè perpessus est. Quodque in apostolis grauius videtur, id ipsum ille quoque sustinuit ab ancillis, & seruis, ab inimicis, ab amicis, ab iis ipsis, de quibus bene meritus fuerat, acerbissimo vexatus odio, nec sacratissima illa muniebatur anchora, nec tranquillissimo portu illo quiescebat, qui apostolis erat donatus, gratia mei scilicet, & propter nomen meum. Mirabiles esse dico tres illos pueros, qui ardentem fornacem contempserunt, sed audi, quid dicunt, Deos tuos non colimus, & imaginem, quam statuisti, non adoramus. Idipsum certè magnum illis robur præbebat, quoniam non ignorabant, propter Deum omnia esse sufferenda. Iob autem nesciebat, quod certamen quoddam in his erat, atque luctatio. Nam, si resciuisset, nullo penè sensu percepisset dolorem. Vnde quando audiuit; alia me ratione putas tibi respondisse, quam vt iustus prædiceris? Animaduerte qualiter confestim hoc verbo respirauit æqualiter seipsum humiliorē fecit, qualiter nihil se passum statim æstimauit dicens; Quid adhuc iudicor admonitus, & correctus à domino, quum hæc audiam, qui nihili sunt? Et rursus: Auditu quidem auris audiebam te prius, nunc autē & oculus meus videt te: quapropter nihil me facio, & liquefactus sum, ducóque meipsum terrā esse, ac cinerem. Hanc igitur animi fortitudinem, hanc incredibilem mansuetudinem imitemur, qui post legem, qui post gratiam sumus. Illius exemplo viuamus, qui ante legem, & gratiam vixit, vt in æterna tabernacula ad eum perueniamus. Quod vtinam omnibus nobis contingat, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, simul ac spiritui sancto gloria, imperium, & honor, nunc, & in secula seculorum, Amen.

Dan. 3.

Iob. 42.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, &c. Omne malum quod accidit ex insperato, nimis est graue: quod autem expectatur antequam accidat, postquā accidit, leuius inuenitur. Ideo præsciens dominus futurarum persecutionū, præmonet Apostolos, dicens: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, vt quum periculum illud euenerit, non quasi nouum perhorrescant, sed tanquam cognitum fortiores excipiant. *Ecce ego*, qui mensurata spacia cōstitui diei & noctis, & nunquam altera in alterius tempus cōtempta definitione trāsgreditur: Ecce ego, qui turbidum mare, quasi feram cauea, sic in sua littora clausi, & quasi indissolubili catena præcepto ligaui. Ideo dixit: Ecce ego mitto vos: vt dùm mittentis potestas consideratur, periculi magnitudo nō timeatur. *Sicut oues*, Nō humanæ naturæ beneficiū tollo, sed ouilis patientiæ opus intūgo. Non indignentur serui vocabulū ouis accipere, quùm sciāt dominum suum nomen agni portasse. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et quomodo, inquit, proficiemus oues contra lupos. Ouium mansuetudo nō potest resistere luporum crudelitati. Luporum crudelitas mitescere nescit, nisi

Ex Hom. 14. in Matt. c. 10. operis imperfecti.

Iacula præuisa minus feriunt.

Ioan. 1.

Conuersio gē tiū nō humanæ industriæ, sed diuinæ virtuti adscribēda est.

nisi gratia Christi faceret, quod ipsa natura fieri negat. Non vestra virtus aut solertia æstimatur, aut laudatur in vobis: sed nominis mei potestas intelligatur, vt glorificetur per vos: quia fortior est gloria Dei, quàm rerum natura. Sicut oues. Quū cœperint vos lupi vellicare, nolite resistere aut vociferari, scientes quia nisi vos spoliati fueritis, alij non vestiêtur: id est, nisi vos mortui fueritis, alij non viuent. Nec timeatis hanc vellicationem præsentem. Quùm enim ætas resurrectionis aduenerit, alia super vos lana immortalitatis nascetur. Quandiu autem propter instigationem diaboli gentes permanserint lupi, dorsum illis præstate ad vellicandum: quùm autem per patientiam vestrā lupi illi facti fuerint agni, præbete illis, tāquam oues lac doctrinæ. Manifestum quidem est, quia oues appellat propter mansuetudinem: non timentes autem Deum, lupos propter crudelitatem. Sed hoc videamus, quare istos quidem dixit quasi oues, illos autem non quasi lupos, sed lupos. Si enim istos propter solam causam mansuetudinis oues dixisset, quoniam natura quidem homines erant: mansuetudine autem oues vtique & illos quasi lupos dixisset: quoniam & illi, etsi crudelitate quasi lupi erant: tamē natura similiter homines erant. Puto ergo ista ratione istos quidem quasi oues dictos: illos autem non quasi lupos, sed ad plenum lupos: quoniam homo Dei, quāuis fuerit bonus tamē semper habet in se aliquid mali secūdum carnem, quasi homo: & ouis quidem dicitur propter quod bonus: quasi ouis autem, quia nō ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoscit, nihil in se boni potest habere: propterea lupus dicitur, nō quasi lupus: quia nihil boni habet in se, quia in se nō cognoscit Deū. Causa est ita, quia omnes homines, secundū carnis naturam mali sumus: & sicut dicit Apostolus, Natura sumus filij iræ, sed per timorem Dei efficimur boni. Quāuis autem per timorem Dei efficimur boni, tamen semper aliquid naturalis mali remanet in natura hominum. Ergo si natura carnalis compellit fieri malum, timor Dei ex parte retinet eum à malo. Hominem non cognoscentem Deum, aut cognoscentē quidem, sed non timentem, natura compellit facere malum, & timor Dei non retinet à malo: & ideo nō potest esse in illis aliquid boni, nisi fortè propter homines quando ipsum non est bonum, sed malum, quod est propter Deū. Quicquid autem non est ex fide, peccatum est. Ideo sancti quidem quasi oues: mali autem non quasi lupi, sed ad plenum vocantur lupi. Nec moueat te, quòd etiam Christus quasi ouis est dictus, non ouis, quùm sit totus bonus. Ibi enim non persona Christi comparata est ad personam ouis, sed occisio Christi, sicut occisio ouis. Denique ita subiungit: Sic non aperuit os suum in humilitate. Nam nec ouis, quùm ducitur ad occisionem, aliquam vocem emittit. Hoc autem persona Apostolorum comparata est ad ouium mores, non missio eorum ad missionem ouium: id est Apostoli ipsi dicti sunt sicut oues, non missio eorum, sicut missio ouium. Non enim mittuntur aliquando oues ad lupos, nec comparat aliquis possibilem etiam impossibiliter. Vnde alibi dictus agnus est, non quasi agnos. *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Ad intelligendas fraudes. *Estote simplices sicut columbæ.* Ad ignoscendas iniurias. Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem laqueum incurratis. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ea corde cōtra aliquem venena fundatis, sed secundum tempus & personas, mutetis & mores. Estote serpentes, ne comprehendamini. Si enim comprehēsi fueritis, estote columbę, vt ne mordeatis. Quandiu enim homo gentilis est, serpens in illo est: quoniam indignatio illius secundum similitudinem est illius serpētis qui in paradiso hominem a Deo separauit, quùm verò conuertitur ad fidem, recedente serpente, ingreditur in illum spiritus, qui in specie columbæ descendit de cælo, & fit columba. Ergo cōtra infideles estote serpentes, quia serpens serpenti non nocet, cum fidelibus autem estote columbæ, vt quasi columbæ columbis charitatis oscula porrigatis. Et vt breuiter dicā, estote prudentes sicut serpentes, vt malum intelligatis & caueatis. Et estote simplices sicut colūbæ, vt non faciatis vllum malum. Quia intelligere malum laudabile est; facere autem, vituperabile. Nec qui intelligit malum, ipse facit malum, sed qui facit malū. *Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis.* Quoniā superiùs dixit, estote prudētes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: nunc ad vtrunque causam ostendit, & quare vult esse prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Prudentes quidem sicut serpentes, vt attendant sibi ab hominibus, qui tradent eos in conciliis. Propriū enim est serpentis, ab hominibus sibi cautè prospicere. Vnde apostolus admonet dicens: In sapientia ambulate, quoniam tempus malignum est. Quare autē vult eos esse simplices? vt non aduersus proditores suos malitiæ memores sint, sed diligant inimicos suos, & benefaciant persequentibus se, secūdum Dei Christi præceptum: quia non tantum lædimur ab iniquis inimicis, quādo nocemur ab ipsis, sed etiam proficimus, quùm per malitiam eorum constantia bonitatis nostræ à suo proposito victa nō recesserit. Quoniam proprium est columbæ vsque ad mortem in simplicitate manere. Vnde & de tolerantia Iob dictum est, & adhuc perseuerat in simplicitate. *Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, &c.* Ita, dixit attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis. Nam si non quasi homines accusans dixisset, sufficeret illi dicere, attendite vobis: tradēt enim vos. Nunc autem addidit, attendite vobis ab hominibus: ostendere volens, quia prę omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestiis comparare volueris eum, peiorem inuenies eum. Bestia enim, quamuis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis quum sit, & rationabilis, non facilè euadetur crudelitas eius. Si comparaueris hominem serpenti, peiorem inuenies hominem, quoniam serpens, & si malitiam habet tamē hominis timorem habet. Ideo si quem absconsè potuerit, mordet: si autem non potuerit, fugit. Homo autem & malitiam habet serpentis, & timorem non habet, sicut serpens. Ideo quādiu non habet tempus, latet sicut serpens, si autem inuenerit, irruit sicut bestia. Adhuc autem anguis, si quidem irritata fuerit, sæuit: si autē irritata nō fuerit, in silentio transit. Homo autē & si non irritatur insanit, & magis super illos insanit, à quibus non fuerit irritatus. Et vt breuiter

Apostoli oues dicuntur.

Ephes. 2.

Rom. 4

Esa. 53.

Ioan. 1.

Intelligere malū laudabile est, facere autem, vituperabile.

Coloss. 4.

Matth. 5

Præ omnibus malis homo est pessimum malum.

uiter dicam,vnaquæque bestia vnũ habet & proprium malum, homo autem omnia habet in se. Deniq; homo malus peior est quã ipse diabolus. Diabolus enim si videat iustũ,nõ est ausus ad eũ accedere,homo autem malus quamuis hominem sanctum viderit,non solùm illum non timet, sed adhuc magis contemnit.Non enim diabolus homini præstat virtutem,sed homo diabolo. Arma enim diaboli est malus homo. Sicut enim homo sine armis nõ potest aliquid facere cõtra hostem, sic diabolus etiam sine homine nõ valet aliquid contra sanctos. *Tradent enim vos in conciliis, &c.* Quasi ad maiorem laudem Dei, in synagogis suis flagellabunt, vbi orationes & laudes, vbi lectiones vel sacrificia. Apostolos ibi pœnis afficiebant, quasi sacrificium Deo offerentes. Re autem vera sacrificium erat Dei,cruciatio Apostolorum; non ad Iudæorum mercedem, sed ad suam coronam. Iudæorum autem erat interitus. Quoniam autem dicit,ante reges & præsides stare,& non cogitare quid respondere debeant, hoc est quod in Ioanne dicit: Quum autem venerit ille paracletus, ille testificabitur de me. Et vos testimonium reddetis.quia ab initio mecum fuistis. Ante reges, & præsides stabitis in testimonium illis, & Gentibus: vt dũ Apostoli accusantur,dùm respondẽt,in singulis quibuscũque prætoriis Christi veritas prædicetur, & Iudæorum perfidia demonstretur, & Gentibus vel ad salutem credẽtibus: pietatis mysterium reueletur. Audientes autẽ Apostoli, quia coram regibus & iudicibus stare iubẽtur, ne forte dicant ad Christum,tu ipse scis quia in illorum iudicibus scolastici præsunt,quomodo ergo possumus nos homines piscatores, & sine literis, coram illis testimonium dare? Tu enim ab initio nõ nos docuisti loqui, sed credere. Denique quùm nos discipulos congregares, non inuenisti nos in capitolio Philosophos libros legentes, sed retia in mare mittentes. Neque dixisti: Venite,faciam vos aduocatos meos; sed venite: faciam vos piscatores hominum. Conscientias, non eloquẽtias nostras elegisti. Ideo ipse inquit. *Quum autem tradent vos,nolite soliciti esse, quomodo,aut quid loquamini.* Mea est enim causa. Deus humano auxilio non indiget. Ideo vos tantũmodo mihi personã præstate,& ego vobis sensum. Nam solicitũ esse ante iudicium: nõ est præparatio sed desperatio de Deo. In illis enim rebus potest esse desperatio de Deo, in quibus potest esse consideratio. Puta si propter aliquem actum iter facturus es, considerans qualitatem actuum & quantitatem itineris, & secundum eas præparas tibi expensas. Aut si domum ædificare proponas,consideras qualia ædificia, & talia præparas instrumenta. In iudicio autem quomodo potest præparari responsum? Nunquid scis qualis sit interrogatio futura, Minimè, quùm in iudicio tali, non iudices à semetipsis loquuntur,sed diabolus in iudicibus. Si ergo homo hominis cogitationem non solum futurã, sed nec præsentem cognoscit, quomodo potest cognoscere consilium inimici? quia nemo hominum scit quæ sunt hominis,nisi spiritus qui est in eo. Si ergo ex vobis loquamini, secũdum verbum respondebitis: si autem Dei spiritu secundum cogitatum eorum. Sinite ergo, vt in causa sua loquatur Deus in vobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Non enim possibile est, vt rex qui milites suos mittit ad bellum, non illis præstet arma aduersus hostem. Qui ergo solicitus est quid loquatur, in sua sapientia sperat: quæ est prima causa ruinæ. Nam in persecutionibus virtus Dei non requiritur, nisi præcesserit fides. Ad maiorem cõsolationem Apostolorum, non dixit spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, sed qui loquitur, vt ostendat: quia non solùm tunc, sed nec modo aliquid sine spiritu Dei faciant, aut loquuntur, tanquam si ita dicat ad illos: Maximè quia creditis in me, aut confitemini me esse verum hominẽ. Esurientem me videtis, & creditis, quia sum panis cælestis. Sitientem me videtis & creditis quia ego sum fons aquæ salientis in vitam æternam. Quomodo est iste sensus humanus, qui aliud videt, & aliud credit, & confitetur? Si ergo modo, quando periculum non est, gratia mea operatur in vobis: quanto magis erit vobiscum quum persecutio venerit? Nam qui vos in pace sustentat, multò amplius adiuuat in bello. *Frater fratrem tradet in mortem.* Audientes Apostoli, ne fortè cogitent æstimantes quum traditi fuerint in cõciliis, & in Synagogis ad flagellandum: illo tempore putas nemo erit patronus, qui adiuuet, nemo amicus qui indulgeat, nemo amicus, qui misereatur? Ideo dicit Dominus: Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus, quùm etiam frater fratrem tradet in mortem, pater filium, & filius patrem. Vide quale tunc incendium persecutionis ardebit, vt nec sibiipsi pateat natura. Quomodo autem tunc patronum, aut amicorum fidem integram quæres, quùm videris ipsius fraternitatis & paternitatis vim esse exactam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet quomodo inuenietur extra naturam? Ergo quia non est satis stupendum, si frater fratrem tradat in mortem. Cain enim propter inuidiam sacrificij interfecit Abel fratrem suum. Et propter benedictionem surreptam, Esaü persequebatur Iacob. Hoc autem quis audiuit, vt nulla iniuria existente, propter solam Christi fidem pater filium tradat in mortem? quia furtior est consl ctio inimici, quàm virtus naturæ. Corruptibilis enim est dilectio carnis. Mendax est omnis secularis amicitia, quæ diuini timoris vinculo non est ligata. Non est fides in fetuis diaboli. Diabolus nec generat, nec generatur: si non generatur, nec scit seruare iura propinquitatis, quia nullum habet propinquum. Non quia odibile est genus Christianorũ, sed quia diuinum est, carnales oderunt. Alij adiungunt multo plures & chariores proximitate coniuncti: beatior commutatio bonum odium est. *Et eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* id est, omnibus infidelibus: non solùm inimicis, sed etiam amicis: non solùm extraneis, sed etiam parentibus: non solùm parentibus aut fratribus, sed etiam ipsis patribus vestris. O inestimabile diabolici furoris incendium, quod nec ipsa fraternitatis charitas extinguere potest: supra naturam & contra naturam persecutio ardens, sapientibus euidẽter ostendit: quoniam illa odia non facit more humano accidentium ira causarum, sed inuidia diaboli propter Christum. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quia incipere multorum est, finire verò paucorum. Semper in principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum vsque ad finem potest perseuerare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, quemadmodum

Margin notes: Homo malus, et diabolo peior. — Simile. — Ioan. 15. — Apostoli ante tribunalia. — 1. Cor. 2. — Ioan. 6. — Ioan. 4. — Gen. 4. — Gen. 27.

& eato ipsa temporalis est: quod autem propter Deum fit, æternum est, sicut & Deus æternus est. Cor bonæ fidei, est exitus bonus, quia non incipere aliquod bonum gloriosum est, sed finire. Nam quod incipit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animæ. Nam frequenter concupiscentia carnalis incipit bonum, sed non finit nisi gratia Dei. Quum ergo conuersus fueris ad Deum, & cœperis Deo seruire, & opera iustitiæ facere, ne aliquando acta tua recorderis, sed finem tuum cogita: quia præteritorum bonorum consideratio, iactantiam operatur, consideratio autem finis, timorem. *Quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

THEODORI DAPHNOPATI *Encomium Sancti & magni apostoli Christi Pauli, collectum ex diuersis Orationibus Diui Chrysostomi, & encomijs, quæ fecit in magnum Paulum.*

Est apud Metaphrastem. VNiuersa quidem lex encomiorum, & omnis oratio composita arte oratorum à splendoris sanctorum vincitur magnitudine, maximè autem quæ de diuinis, & principibus habetur Apostolis. Quantum enim alios, martyres inquam, & iustos gloria, & honore, & apud Deum propinquitate superant, tantò etiam sunt superiores lege encomiorum eorum decertationes, & ea, in quibus aliis antecellunt; quòd humanam rationē superant, & cogitationem, quę pro vniuerso orbe terrarum certamina susceperunt, & quæ præclarè gesserunt. Quamobrem vestrum veluti placantes desiderium, etiamsi cœptum sit audax, enim eorum laudes verbis studeremus extollere, cogitassemus autem id planè fieri non posse, nec à nobis esse suscipiendum ex iis, quæ à diuino Patre, & melle fluente Chrysostomo variè dicta sunt, moralibus, inquam, orationibus, & suasionibus, sermonibúsque, & encomiis, & iis, quæ sunt aliter ab eo laborata, id quod est vtile (vt par est) eligentes, & in vnam harmoniam & consonantiam componentes, eis vnum ex omnibus encomium obtulimus, eisdem (vt semel dicam) dictionibus, quoad eius fieri potuit, & sententiis, & verbis id ornātes. Sic autem habet. Apostolicorum quidem actuum inscriptionis totum iam vobis debitum exsoluimus; Deinceps autem etat consequens libri aggredi principium, & dicere, quidnam sit illud: Primùm quidem verba feci, ô Theophile, de omnibus, quæ Iesus cœpit facere, & docere: Sed Paulus non sinit nos vti hoc ordine consequentiæ, ad se, & ad recta eius facta linguam nostram vocans. Cupio enim videre ipsum vinctum introduci Damascum, nó cathena ferrea sed voce Domini. Cupio videre ipsum captum, hunc, inquam, magnum piscem, qui mare vniuersum agitauit, qui fluctus innumerabiles excitauit in ecclesiam. Cupio videre eum vinctum non hamo, sed verbo Domini. Nam quomodo quidam piscator sedens super altam petram, & ex alto tenens arundinem, hamum mittit in mare; ita etiam noster Dominus, qui piscatum ostendit spiritalem, sedens tanquam in alta petra cælorum, tanquam hamum vocem illam emittens desuper, & dicens: Saule, Saule, quid me persequeris? sic cœpit hunc magnum piscem. Quis enim illum crudelem, & inhumanum, & persecutorem, & blasphemum, & ecclesiam sic vastantem, vt etiam domos ingrediens traheret viros, & fœminas, & omnia confunderet, & perturbaret, sustinuisset; si non repente eum Rex noster transmutasset, & ad se reduxisset? Etenim discipuli quoque, vbi eum vidissent affuisse, timore affecti horrebant, & ne eum quidem audebant aspicere: & quando rursus fuit ex amicis, eundem metum ostendebant. Si eum ergo timebant etiam reconciliatum, si fuisset inimicus, & hostis, quid non fecissent? Ego autem quid agam? Necesse est, vt maxima fugiam celeritate, ne sime rursus apprehenderit, abducat à proposito. Scitis enim quòd eum sæpe mihi aliò eunti, & ad aliud cōuersio occurrisset, me in media detinuit oratione, & sic cœpit, vt in ea persuaserit finire orationē. Hic ergo beatus Paulus, qui vniuersum orbem terræ illuminauit, in tēpore vocationis aliquādo est excæcatus; sed illius excæcatio facta est totius orbis terræ illuminatio. Quoniam enim male videbat, eū Deus rectè excæcauit, vt vtiliter aspiceret. Et quoniam Dei ecclesiam summè persequebatur, & erat adeo vehemēs, & alienus à congressione, accipit frenum vehementius, ne si eum abduceret impetus illius animi alacritatis, non obediret iis, quæ dicebantur, & vt sciret, eū quo bellum gereret; quem non solùm punientem, sed neque beneficio afficientem ferre potest. Neque enim eum obcæcauerūt tenebræ, sed lux modum excedēs ei offudit tenebras. Si nos ergo bellū circunsisteret barbaricum, & in acie hostes maximā exhibuissent molestiam; deinde Imperator hostium, qui innumerabiles admouebat machinas, & nostra omnia confundebat, multoque tumultu, & turba replebat, & ipsam minabatur se vrbem diruturum, & igni mandaturum & nobis intentabat seruitutem, repēte à nostro Rege ligatus in vrbem duceretur captiuus, non omnes eum fœminis, & infantibus exiluissemus ad illud spectaculum? Cum autem nunc quoque est bellum conflatum, Iudæis omnia perturbantibus, & ad oppugnandam ecclesiam machinas omnes adhibentibus; hostium verò caput est Paulus, qui omnia magna facit, & dicit, qui omnia permiscet, & perturbat; eum autem alligauit Dominus noster Iesus Christus Rex noster, non egrediemur omnes ad hoc spectaculum, vt videamus, eum duci captiuum? Etenim Angeli cælus videntes eum vinctum introduci, exultabant, non quoniam videbant eum vinctum, sed quoniam mente agitabant, quot homines è vinculis esset liberaturus; non quoniam eum manu duci cernebant, sed quoniam intelligebant, quàm multos ille homines esset è terra in cælum deducturus; nó quoniam eum orbatum aspiciebant, sed quoniam cogitabant, quam multos ille esset educturus è tenebris. Propterea ego quoq; aliis omnibus dimissis, ad Paulum exilire contēdo. Paulus enim, & Pauli desiderium coegit nos hunc facere saltum. Quis loquetur potentias tuas, Domine? Quoniam non sinisti Paulum latere; quoniam talem virum ostendisti orbi terræ. Laudauerunt te omnes angeli vno animo, quando astra fecisti, & quando Solem: Sed non sic vt quando Paulum ostendisti vniuerso orbi terrę. Propterea terra fuit

cælo lætior, quoniam hic est lætior solari luce. Et hic quidem Sol cedit nocti, ille autem superauit diabolum. Et hic quidem in alto fertur, & deorsum immittit radios; ille autem inferne oriens non medium cæli, & terræ luce impleuit; Sed & os aperuit, & Angelos magna impleuit voluptate. Si enim propter vnum peccatorem pœnitentiam agentem est gaudium in cælis, ipse verò ex prima concione venatus est quinque virorum myriades, quemadmodum superiores virtutes gaudio non implebit infinito? Quid autem dico? Sufficit Paulus solummodo loquendo ad efficiendum, vt cæli exultent, & lætentur. Quid enim est huius visceribus feruentius, qui totum orbem terræ percurrit tractus, lapidibus appetitus, vt vinctos, & vinctos solueret, & ad se traduceret. Neque enim tanquam pugnans sic res confecit, sed tanquam ad promptam, & paratam veniens victoriam, sic erexit trophæa, destruens, diruens, deiiciens diaboli munitiones, & machinas dæmonum. Et neque parum quidem respirabat ab his ad illos, & rursus ab illis ad alios transiliens, tanquam optimus aliquis Imperator, quotidie trophæa erigens, & victorias, vel potius horis singulis. Tunica enim sola indutus veniens in aciem, cum ipsis viris capiebat vrbes aduersariorum, teláque, & laneeas. Et omnia lingua Pauli. Solùm enim loquebatur, & illius verba, quasi ignis fluxiones in hostes incidentes, fugabant quidem dæmones, & eos, qui ab ipsis detinebantur, homines ad ipsum deducebant. Quãdo enim malum illum eiecit dæmonem, quinque præstigiatorum, & maleficorum hominum conuenientes myriades, combusserunt libros artis magicæ & transierunt ad veritatem. Et quomodo cum in bello turris cecidit, aut deiectus fuit tyrannus, qui cum illo erant, omnes abiectis armis accurrunt ad Imperatorem; ita etiam tunc factum est. Eiecto enim dæmone, obsessi omnes cum libros abiecissent, vel potius dissoluissent, ad Pauli pedes, concurrebant. Ille autem tanquam vno exercitu diriigens aciem aduersus orbem terræ, nusquam consistebat, sed tanquam alatus esset quispiam, omnia faciebat. Et nunc quidem claudum corrigebat, nunc autem orbabat, magum, inquam. Et nec in carcere quidem inclusus quiescebat; sed illic quoque custodẽ carceris ad se traduxit, efficiens illam pulchram captiuitatem. In admiratione habetur Dauid, qui Goliath, vno solo deprimit lapide; sed si quis præclara Pauli facta examinauerit, & cum facto illius potest comparauerit, quantum intersit inter pastorem, & Imperatorem, tanta est inter hunc, & illum differentia. Hic enim non lapidem iaciens prostrauit Goliath, qui percipitur intelligentia: sed solum loquens perfregit vniuersam diaboli catertiam. Et tanquam leo rugiens, & flammam linguа emittens, sic inuadendo erat omnibus intolerabilis; & in omnem partem assiduè transiliebat: Ad hos currebat, ad illos veniebat; ad hos transibat, ad illos resiliebat, vento inuadens celerius, & perinde ac domum vnam, aut nauigium vnum, gubernans vniuersum orbem terræ: & eos quidem qui submergebantur sursum attrahens, eos verò qui caligabant cõfirmans, nautas adhortans, ceruicibus imminens, proram circunspiciens, funes tendens, remum tractans, velum trahens, cælum suspiciens. Ipse denique erat omnia, & nauta, & gubernator, & qui proram regit, & velum, & nauigium, & omnia patiens, vt mala solueret aliorum. Et quomodo quidam athleta ipse luctans, currens, pugnis decertans; aut miles muros oppugnans, pedes, manus conserens, & nauali pugnæ certamine, nullum non pugnæ genus obibat, & ignem spirabat; neque vllus poterat ad eum accedere, vno corpore totum orbem terræ occupans, & vna lingua omnes fundens, ac fugans. Non sic multæ tubæ irruebant in lapides vrbis Hierichuntinæ, & eos diruebant, vt vox Pauli, quæ resonabat, humi diabolicas deiecit munitiones, & ad se traduxit aduersarios. Et per fenestrã demissus fuit è pariete, vt ab inferiori loco sursum transmitteret eos, qui humi sunt abiecti. Atque famem quidem, & sitim & nuditatem, & naufragia, & metus, & insidias, & carceres, & plagas, & alia omnia, quæ sustinuit beatus Paulus propter prædicationem, nihil arbitror oportere dicere. Sufficiebat enim vnumquodque eorum ad valde cõturbandam, & frangendam sanctam illam animam. Quando autem dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non accendor? hoc est, quod omnium maximè perpetuam, & intolerabilem ei præbebat animi ægritudinem. Si enim in vnoquoque eorum, qui scandalizabantur, ipse accendebatur, non poterat ardor ille extingui ex illius anima. Non deerant enim, qui scandalizabantur, & igni præbebant materiam. Videre autem Iudæos non credentes, quamnam eum, vel paruam, sinebat habere dilationem doloris, & ægritudinis? Optarem enim, inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem, qui quidem sunt Israelitæ. Quod autem dicit est eiusmodi: Mihi esset optabilius in gehennam incidere, quàm Israëlitas videre non credentes. Qui autem in gehenna elegit supplicium, vt possit omnes Iudæos adducere, clarum est, quòd qui hoc non fuit assecutus, iis, qui puniebantur in gehenna, vitam egit grauiorem. O ardentem amorem charitatis. Qui aduersus ignem fuit audax Paulus, qui adamantinus, qui firmus, & validus, qui immobilis, qui inflexibilis, qui dicebat; Quis nos separabit à charitate Christi? afflictio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? qui in terra, & mari suã ostendebat audaciam, qui adamantinas irridebat mortis portas; is postquam vidit lachrymas quorundam dilectorum, adeò fuit fractus, & contritus, vt ne cælaret quidem affectionem, sed statim diceret: Quid facitis flentes, & cor meum conterentes? O miraculum! Non contriuit eum abyssus aquarum, & paucæ eum lachrymæ contriuerunt, & fregerunt. Quid facitis flentes, & conterentes cor meum? Quid dicis? Dic mihi? Adamantinam illam animam potuit conterere lachryma? Certè, inquit: magna est enim vis charitatis; Ea me vincit, & superat, resisto enim omnibus, præterquam charitati. Audite quicũque ne pecunias quidem propter Christum despicitis, immo verò propter vos ipsos; & stupetis, Pauli amorem in Christum cogitantes, & admirantes. Neque enim Christum sic diligebat propter ea, quę sunt Christi, sed propter ipsum res illius. Et vnum solum timebat, ne excideret ab ea, quæ est in illum, charitate. Hoc enim erat ei vel gehenna terribilius, sicut etiam in ea manere vel Regno optabilius.

ac vinctus propter Christum, ac cathenæ impositæ sanctis illis manibus. Hoc est longè præclarius & magnificentius, quàm esse Apostolum, quàm doctorem, quàm Euangelistam. Si quis diligit Christum, nouit id, quod dicitur. Si quis vehementi ardet amore Domini, & nouit vim vinculorum, mallet esse vinctus propter Christum, quàm cælos habitare. Fortè enim est hoc quoque præclarius, quàm sedere à dextris eius, & magnificentius iudicandum, & beatius, quàm sedere super duodecim sedes. Si quis mihi daret optionem; aut vniuersi cæli, aut illius cathenæ, qua Pauli vinctæ sunt manus; illam ego præponerem. Si quis me collocaret, aut supra eum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem elegissem. Si quis me faceret, aut confessorem illarum, quæ sunt circa thronum potestatum, aut eiusmodi vinctũ, mallem esse talis vinctus. Nihil enim melius, quàm malè aliquid pati propter Christum. Si quis mihi daret, vt mortuos suscitarem non hoc elegissem, Sed cathenam. Etenim nihil est illa cathena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus manent illa vincula, & videre cathenas, quas timent quidem, & horrent dæmones, reuerentur autem Angeli. Si ab ecclesiasticis curis essem remotus, & haberem corpus robustum, ac validum, non recusarem tantam suscipere peregrinationem, vt viderem cathenas, & carcerem, in quo vinctus erat Paulus. Si quis mihi concederet, vt viderem Paulum è cælo despicientem, & vocem emittentem, aut è carcere, mallem è carcere. Qui enim sunt in cælo, ad eum veniunt, quando est in carcere. O beata vincula, ò beatas manus, quas ornauit illa cathena, quæ Paulo est imposita. Non erant tam venerandæ eius manus, quæ Lystris claudum excitarunt, quàm quæ erant circundatæ vinculis. Si fuissem ego illis temporibus, tũc ego eas maximè essem cõplexus, & meis pupillis imposuissem. Nõ cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ, quæ pro meo domino vincirentur. Non tam beatum esse censeo, quòd raptus fuerit in tertium vsque cælum, & in paradisum, quàm quòd coniectus sit in carcerem. Non tam eum beatum pronuncio, quòd verba audierit, quæ homini loqui non licet, quàm quòd vincula sustinuerit. Etenim sunt hęc illis quoque multò maiora. Est enim mihi magis expetendum, vt malè patiar pro Christo, quàm vt honorer à Christo. Huc Paulus quoque cogitans dicebat, vt est verisimile: Si ipse, qui propter me factus est seruus, & gloriam exinaniit, non existimabat se vnquam tam esse in gloria, quàm quando pro me fuit crucifixus, quid me non oportet pati? Audi enim eum dicentem: Glorifica me tu, pater. Quid dicis? Ad crucem duceris cum latronibus, & sepulchrorum effossoribus, vt sceleratorum, & execrandorum hominum mortem subeas; es conspuendus, & alapas subiturus, & hęc gloriam vocas? Certè, inquit: Nam pro his, quos diligo, hæc patior, & hæc meritò esse gloriam existimo. Si ergo dominus meus, qui miseros dilexit, & miserabiles, eam rem vocat gloriam, & eam præfert gloriæ, quę est in sede paterna, multò magis ego hæc debeo putare gloriam. Sic Pauli animal nihil est beatius. In quibúsnam autem gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in cathena, in stigmatibus. Vado enim, inquit, Hierosolyma alligatus spiritu, quę in ea euentura mihi sunt ignorans, nisi quòd spiritus sanctus per

Vide q. [illegible] faciat magnus hic [illegible] Pauli cathenas.

omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quòd vincula & afflictiones Hierosolymis me manent. Propter hoc ergo, vt vinciar propter Christum, vt moriar propter ipsum. Non solùm enim alligari, sed etiam mori paratus sum propter nomen Domini mei Iesu. Quid hoc ergo est? Non erubescis, non vereris vrbem terræ captiuus obiens, non times ne quis Deum tuum damnet imbecillitatis? ne quis propterea non accedat? Non talia sunt, inquit, mea vincula; sciunt, inquit, resplẽdere vel in regnis. Vt vincula mea, inquit, manifesta fierent in omni Prætorio; & multi ex fratribus in Domino, confisi meis vinculis, multò magis sine metu auderent verbum Dei loqui. Vides vinculorum maiorem potentiam, quàm mortuorum resurrectionis? Vinctus fuit Romæ, & plures attraxit. Vinctus fuit Hierosolymis, & vinctus concionans Regem obstupefecit, & Præsidem metu affecit. Metu enim affectus eum dimisit. Vinctus nauigauit, & naufragium prohibuit, & sedauit tempestatem. Cum esset ipse in vinculis, illud venenatum eum tetigit animal, & eo illæso cecidit. Vide autem hoc vbique fieri. Nam cum multas ei plagas imposuissent, & esset vinctus, ídque rursus validè (cum enim in interiorem coniecerant custodiam) vel in his tunc valde securus, media nocte, quando valde remissi dormiunt, canebat, & Deum laudabat. Quid hac anima esse possit magis adamantinum? Cogitabat enim pueros quoque in igne cecinisse, & in fornace. Fortè enim ratiocinabatur: Ego nihil tale passus sum. Sed rectè faciens oratio me ad alia rursus eduxit vincula, & alium carcerem. Quid agam? Volo tacere, sed non possum. Inueni alterum carcerem illo multo mirabiliorem. Sed nunc arrectis mihi adeste animis, perinde ac si nunc incipiam orationem, mentémque adbibete alacrẽ, & vegetam. Volo orationem abrumpere, ea autem non permittit. Non possum quiescere, non possum tacere, multa me circumfluunt. Nescio quid primum dicam, quid secũdum. Quamobrem rogo, ne quis à me postulet ordinem. Magna est rerum cognatio. Longa fuit Pauli cathena, & diu nos detinuit. Sed non propterea tacebo. Si enim ipse in carcere non tacuit, nec in flagellis ego silebo sedens, cum dies sit, & loquens in magna animi quiete, & relaxatione? Et quomodo hoc fuerit consentaneum? Quis enim non stupeat, quis non admiretur, vel potius quis pro dignitate stupeat, & admiretur nobilem illam, & magnitudine cælo parem Pauli animam, quòd vinctus, & inclusus, & tanto interuallo disiunctus scripsit ad Philippenses: scitis enim quantum sit spatium inter Romam, & Macedoniam. Sed neque viæ longitudo, neque temporis diuturnitas, neque molestia; ac turba negociorum neque periculum, & mala frequentia, neque aliquid aliud charitatem, & memoriam expulit discipulorum sed de eis omnibus in animo cogitabat, & non tam cathenis vinctæ erant eius manus, quàm desiderio discipulorum alligata erat, & fixa anima. Et quomodo Rex, qui thronum mane ascendit, & sedit in aula regia, protinus innumerabiles vndique accipit epistolas? ita ille quoque sedens in carcere, tanquam in aula regia, longè plures frequenter accipiebat, & mittebat literas iis, quæ vbique erant gentibus, ad illius sapientiam de suis rebus omnia referentibus. Et eò plura quàm Imperator, administra-

bat negocia, quo maius ei creditum fuerat Imperium. O Pauli potentia! Implicatus erat cathenis, & diademate redimitum Neronem feriebat. Sordidis erat indutus pannis, vt qui habitaret carcerem & magis quàm purpura omnes conuertebat ad vincula sibi imposita. Super terram stabat retentus, & deorsum intuens, & eo dimisso, qui erat in curru aureo, omnes illi attendebant; idque meritò, erat enim vsitatum spectaculum videre Imperatorem in albo curru sedentem; hoc autẽ erat nouum, & admirabile, videre captiuum æquè liberè alloquẽtem Imperatorem, atque Imperator seruum vilem & miserabilem. Magna circunsistebat multitudo, & erant omnes serui Imperatoris; admirabantur autem eũ, non suũ dominum. Verum enimuero non animaduertebant se leonem laudare ex vnguibus, cũ oporteret dicere ea, quæ verè erant. Quænam verò ea sunt? Ea quæ sunt in cælis. Quomodo veniet cum Rege cælorum cum præclaro curru? Quomodo tunc Nero sedebit mœstus, & tristis. Si enim nondum erat tempus coronarum, & Athleta tantum est honorem consecutus; quando venerit Athleta quanto honore fruetur? Erat inter alienos hospes, & peregrinus, & si in tanta tunc habetur admiratione quando fuerit inter suos, quid non boni consequetur, quid non participabit, quid non adipiscetur? Nullus Romæ Imperator tantum est honorem assecutus, quantum Paulus. Sed Imperator quidem foris iacet alicubi, Paulus autem tenet medium ciuitatis, tanquam regnans, & viuens. Si autem hic, vbi sustinuit persecutionem, & vbi fuit vexatus, & agitatus, tantum est honorem consecutus, quando venerit quid erit? Si vbi erat tabernaculorum opifex, fuit adeo splendidus, quando venerit, splendore contendens cum radiis solis, quid erit? si cum tanta humilitate tantam superauit magnificentiam, quando venerit, quid erit? Res non licet effugere. Quis non pudore afficitur, quòd tabernaculorum opifex in maiore fuerit honore, quàm is, qui in maiori habitus est admiratione, quàm omnes Reges? si autem hic ea facta sunt, quæ sunt supra naturam, in futuro quantò magis? Quid in mundi gloria est Alexandro gloriosius, aut quid sublimius? Non viuus multa magna gessit, & præclara. Non & gentes, & vrbes subegit, & bella multa vicit, & prælia, & erexit trophea? Non existimatus est esse Deus tertiusdecimus à senatu Romanorum? sed quòd viuus quidem bella rectè gereret, & victorias obtineret, cum & Rex esset, & exercitus haberet, nihil mirum. Post mortem autem, & sepulturam, vbique, & in terra, & in mari quotidie tam multa facere, hoc est, quod maximam affert admirationem. Vbi enim est (dic mihi) corpus Alexandri? ostende mihi, & dic diem, in quo decessit. Sed non poteritis, Pauli autem & præclarum corpus viderit qui ad maximè regiam venerat ciuitatem, & illustrem eius mortis diem, * vniuersus orbis terræ celebrat. Et res quidem illius etiam sui ignorant: res autem huius sciunt etiam barbari. Et Christi serui sepulchrum est Regiis atriis splendidius. Nã ipse quoque, qui est indutus purpura, vadit corpus illius * cõplexurus, & fastu deposito consistit orans mortuum, vt eius curam gerat* apud Deum, Et tabernaculorum effectoris, & piscatoris, & mortui, tãquam defensoris eget is, qui est redimitus diademate. Idque videtis non solùm Romæ fieri, sed etiam Constantinopoli. Etenim hic quoque magnum Constantinum se magno honore esse affectum existimauit filius; si eũ deponeret in vestibulis piscatoris. Et quod sunt Ianitores in regia Imperatoribus, hoc sunt in corpore Reges piscatoribus. Et hi quidem tanquam loci Domini, tenent interiora; illi autem tanquam accolæ, & vicini, satis habuerunt, si ianua aulę eis attribueretur. Et Reges quidem ministrorum, & famulorum; qui sunt autem subiecti, tenent locum Regum. Quis nunc mihi dederit, vt Pauli circunfundar corpori, & sepulchro affigar, & videam puluerem illius corporis; per quod persuasit vniuersum orbem terræ? quod, quæ deerant, Christo suppleuit? quod stigmata portauit? quod prædicationem vbique seminauit? Puluerem corporis, per quod Christus est locutus, & lux illuxit quouis fulgore lucidior? & vox illuxit quouis tonitru dæmonibus terribilior? Neque enim tonitru est tam nobis terribile, quàm illa vox fuit dæmonibus. Si enim horrebãt eius vestes, vocem quoque multò magis. Huius oris vellem videre puluerem, per quod Christus magna locutus est, & arcana, & maiora, quàm per seipsum; per quod beatũ illud verbum est locutus; Vellem esse anathema pro meis fratribus: per quod locutus est coram Regibus, & non erubuit; per quod fugiebant dæmones, non solùm loquentem audientes, sed etiam cum procul essent, per quod composuit omnia, quæ sunt in terra; quinetiam ea, quæ sunt in cœlis, quomodo voluit administrauit, illic ligans, & soluens quos volebat, pro sibi data potestate. Quis mihi ostẽderit puluerem Pauli cordis quod in vnoquoq; eorum, qui peribant, inflammabatur, & infantes abortiuos iterum parturiebat? Hoc desiderarẽ videre vel dissolutum, quod est cælis sublimius, orbe terrarum latius, radio splendidius, igne calidius, adamante validius, quod nouam vixit hanc vitam, nempe nostram. Viuo enim iam non ego, viuit autem in me Christus, inquit. Fuit ergo cor illius cor Pauli, & tabula sancti spiritus, & liber gratię, quod dignum fuit habitũ, vt Christum amaret, vt nemo alius: quod mortem despiciebat, & gehennam, & conterebatur à fraternis lachrymis: Quid enim facitis flẽtes inquit, & conterentes cor meum? Vellem videre puluerem manuum Pauli, quæ erant in cathena; per quarũ impositionem suppeditabatur spiritus per quas diuinæ scribebãtur literæ. Vidistis enim inquit, quot literis ad vos scripsi manu mea: manus illas, quas cum vidisset vipera, decidit in rogum. Vellẽ videre puluerem oculorum, qui pulchrè fuerunt occæcati, qui rursus aspexerunt ad salutem orbis terræ: qui digni sunt habiti Christum videre in corpore. Vellem illorum quoque pedum videre puluerem, qui orbem terræ obierunt, & non fuere defatigati; qui in ligno vincti erant, quãdo fuit terræmotus in carcere; qui tam habitabilem, quàm inhabitabilem orbis regionẽ peruaserunt. Et quid opus est dicere singula? Vellem illum ipsum videre Leonẽ spiritalem. Quomodo enim Leo ignem ex oculis emittẽs in greges vulpium; ita in dæmonum, & philosophorum irruebat cateruã: & tãquã aliquod fulmẽ immissum irrũpebat in turmas diaboli. Neq; enim diabolus aduersus eum prodibat in aciem, sed vsque adeo timebat, & tremebat, vt si vel vmbrã vidisset

& vo

Nota honorẽ, quo reliquos sanctorũ habebatur.

* Dies Pauli illustris, quem celebrat vniuersus orbis terra.

* Nota sanctorum cultum.

* Locus optimus pro inuocatione Sanctorum, & quod illi curam nostri gerant.

& vocem audiuisset eminus, protinus aufugeret. Cogitate, & stupete, quale sit Roma visura spectaculum, Paulum repente surgentem è capsa cũ Petro, & se extollentẽ, vt Christo fiat obuiã, quale donum sit Roma ad Christum missura: quibúsnam sit duabus coronis redimita, quibúsnam sit aureis cincta cathenis. Cælum non est tam splẽdidum, quando Sol emittit radios, quàm ciuitas Romanorum has duas emittens lãpadas per vniuersum orbem terræ. Quænám ergo oratio sufficiet pulchris Pauli factis enarrãdis? Aut quænam poterit lingua cõsequi huius encomia? Siue enim Prophetæ præclarum aliquid effecerunt; siue Patriarchæ, siue iusti, siue Apostoli, siue Martyres, hæc omnia Paulus adeo summè habet comprehẽsa, vt nullus magis illorum possederit id, quod habebat, bonum. Quando ergo quæcunque sunt bona inter homines, ita vna comprehẽdit anima & omnia insigniter; non solùm autem quæ sunt hominum, sed etiam quæ Angelorum, quomodo assequemur laudum magnitudinem? Qua nõ ergo fuerimus digni condemnatione, si cum vnus homo omnia in se bona sit cõplexus, nos ne minimam quidem eius partem imitari studeamus? Nam ex multis quidem aliis rectè factis habetur Patriarcha in admirationem, maximè autem ex eo, quòd suum sacrificauit filium. Isaac verò propter patientiam, quòd cum à suis expelleretur finibus, non restitit, sed suis omnino cessit possessionibus, donec eorum, qui ei molestiam afferebant, iniustam satiauit cupiditatem. Porrò autem Iacob quoque propter fortitudinem, atque patientiam. Et Dauid propter mansuetudinem. Et Elias, quòd fuerit zelo percitus pro Domino. Sed quid cum Paulo fuerit cõferendum, qui hæc omnia simul insigniter est complexus? Neque enim ipse sacrificauit filiũ, sed seipsum sacrificauit millies. Nec ex propriis solùm fuit expulsus finibus, sed & terram, & mare, & Græciam, & Barbariam, & vniuersam, vt semel dicam, terram, quantam Sol aspicit, obiit, tanquam alatus, tractus, verberatus, lapidibus appetitus, quotidie moriens: Neque bis septem annos seruiit, æstu diei adustus, & frigus noctis perpessus, sed totam vitam transigẽs in fame, & nuditate, cathenísque, carceribus, insidiis, & periculis. Lenitatem verò, & mansuetudinem quis magis quidem, immo verò quis æque atque Pauli anima vtraque hæc factis rectè præstitit? Si autem eius zelum aspexeris, tantùm videbis eum superare Eliã, quantùm ille fuit aliis Prophetis superior. Sed Ioannes quidem comedebat locustas, & mel agreste, hic autem versabatur in medio orbe terrarum, sicut ille in deserta solitudine: locustas quidem, & mel agreste non comedens, sed hac longe frugaliorem sibi mensam apponens, & nec necessarium quidem habẽs alimentum, propter studium prædicationis. Restat de cætero, vt eum exæquemus Angelis. Nemo autem id, quod dicimus nimiæ arguat audaciæ. Si enim Ioannem scriptura vocauit Angelum, quid mirum, si eum, qui est omnium præstantissimus, contulerimus cum illis potestatibus? Etenim quidnam sit homo, & quanta sit nostræ naturæ nobilitas, & quantę virtutis sit capax hoc animal maxime omnium hominum ostendit Paulus. Et nunc stat, ex quo factus est clara voce Dominum defendens aduersus eos, qui nostrã reprehendunt constitutionem, & ostendens inter Angelos, & homines non multum interesse, si nobis velimus attendere. Non aliam enim sortitus naturam, neque aliam adeptus animam, nec alium mundum habitãs, sed in eadem regione, legibúsque, & moribus educatus, omnes homines superauit, qui fuerunt, ex quo nati sunt homines. Et quomodo mortuus in mortuum fuerit immobilis, ita naturæ insultus accuratè sopiens, in nulla re humani aliquid vnquam passus est. Si ergo Paulus, qui tot rebus rectè gestis erat præclarus, & tanquam Angelus videbatur in terra, quotidie studebat lucrifacere, & stare in acie aduersus pericula veritatis, & sibi merces colligere spiritales, & nunquam consistere, quænam fuerit relicta nobis excusatio, qui non solùm sumus vacui omnibus rectè factis, sed etiã tam multis subiecti delictis, quorum si vel vnum nobis adsit, sufficit ad nos deducendos in barathrum perditionis, & nihil studij ponimus vt ea saltem corrigamus, tantùm abest, vt virtutis opera attingamus? An non erat ille eiusdem, cuius nos sumus, naturæ? Incẽdor enim huius viri desiderio, & ideo non cesso circa idem assiduè versari, & tanquam ad exemplar aliquod archetypum ad eius animam intuens, considero vitiorum despicientiam, insignem magni fortísque animi virtutem, amoris in Deum ardorem, & valde miror quemadmodum in vniuerso quidem virtutum cœtu vnus homo volens se rectè gesserit: nostrum autem vnusquisque ne in re quidẽ qualicunque se velit rectè gerere. Quis nos liberabit à supplicio ineuitabili, cum Paulus tantam ostenderit virtutem, qui est eiusdem nobiscum naturæ particeps, qui est obnoxius eisdem animi perturbationibus, qui conflictatus est cũ tanta temporũ difficultate, & quotidie, vt semel dicã, trahebatur, lacerabatur, & publicè conuellebatur ab iis, qui bellũ gerebant aduersus prædicationem? Ne autem ex nostra lingua audiat aliquis, quæ hic beatus rectè gessit, magnique, & excelsi animi virtutem, quam quotidie ostendit pro prædicatione Euangelij, necesse est ipsum audire dicentem: In eo autem, quod audet aliquis, insipientiã dico, audeo & ego. Considera pium, & religiosum animũ. Non solùm audaciam rem vocat, sed etiam insipientiam, nos erudiens non temerè absque necessitate, nemine cogente, gloriosè proferre, quæ à nobis facta sunt, si aliqui ex nobis inuenti fuerint, qui aliquid boni fecerint. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt & ego Semen Abrahæ sunt, & ego. Propter hæc, inquit, sibi placent, & se magnificè circunspiciũt. Ne existiment nos his defici: Nam nos quoque sumus eorundem participes. Deinde subiũxit: Ministri Christi sunt? Desipiens loquur, Plus ego. Hic mihi contemplare beatæ huius animæ virtutem. Quoniam enim & audaciam, & insipientiam vocauit id, quod ab eo factum est, etiamsi esset ad tantam redactus necessitatem, ne sic quidem contentus fuit iis, quæ dicta sunt: sed quando erat ostensurus se eos longè superare, ne quis existimaret eũ hæc loqui inductum nimio sui amore, rursus vocat insipientiam id, quod à se dicitur, propemodum dicens, An nõ scio me rẽ facere, quæ vulgo fit, & quæ me non decet? Sed me cogit multa, quæ eò me impulit necessitas. Quare mihi, inquit, ignoscite loquenti verba insipientiæ. Huius vel vmbram saltem nos imitemur, qui tam multa peccatorum onera habemus imposita. O sæpe, si paruum aliquid

Viæ Sanctorum memoria & pignoribus ciuitates illustrari.

quid rectè geramus, ne hoc quidem sustinemus recondere intra cordis penetralia, sed propterea quòd hominum venemur gloriã, id gloriosè traducimus, & in medium proferimus, & propter intempestiuas has vngas nos Dei priuamus remuneratione. Sed non sic ille beatus: Sed cum dixisset, Plus ego, enumerat deinceps ea, quæ fortiter gesserat, & dicit: In laboribus abundãtiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Quid dicis? Nouum quid est, & admirabile id, quod à te dicitur. Licétne mortẽ sæpe subire? Certè, inquit, si non experientia quidem, at voluntate, docens nos, quòd assiduè talia adibat pericula propter prædicationem, quæ mortem ei pariebant. Sed Dei gratia in ipsis mediis periculis conseruabat Athletã, vt ad discipulos magna ex eo rediret vtilitas. Id autẽ rursus, quod deinceps subinogitur, vt semel dicam, obscurat omnia, quæ dicta sunt. Quis enim, inquit, est infirmus, & ego nõ sum infirmus? Quis scandalizatur, & ego non vror: Papè quanta est huius viri benignitas, & beneuolentia: quãta vigilãtia quanta solicitudo? Cuiusnã matris sic dissecabantur viscera, eius filio febricitante, & in lecto iacente; vt hic sanctus pro his, qui erãt in vno quoq; loco infirmi, magis erat infirmus, & pro iis, qui scandalizabantur, vrebatur? Considera enim mihi emphasim dictionis. Non dixit, quis scandalizatur, & ego nõ erubesco? Sed vror, inquit, nobis intensum dolorẽ significans, & mirũ in modum ostendens se intrinsecùs inflammari & accendi pro iis, qui patiuntur scandala. Scio me extendisse orationem in magnam lõgitudinem. Sed nescio quomodo cum incidissem in diuitias rectè factorum huius sancti, tanquam ab aquarum vehementissimo impetu lingua mihi trahebatur. Quamobrem in hoc loco sistens orationem, rogo vestram charitatem, vt eum assiduè in mente circumferatis, & hoc assiduè cogitetis, quòd cũ eandem, quam nos haberet naturam, & esset subiectus iisdem affectionibus, esséque eius studium vile, & abiectum, vt qui pelles consueret, & staret in officina, postquam se voluit dedere virtutis laboribus, & se dignũ reddere, qui susciperet spiritum sanctum, largam munificentiam fuit consecutus à superis. Quam detur nobis consequi gratia, & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria, & potẽtia cũ patre & sancto spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum nũquam desinentium, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Lupos appellat Scribas & Pharisæos: in medio non loco sed odio, quia cum incipieris apparere sapientes & boni odient vos sicuti me faciunt. *Estote ergo prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ.* Per prudentiam vestram deuitate doctrinam eorum malam: per simplicitatem columbæ deuitate eorum mala opera. Habet serpens hanc astutiam, vt omne suum corpus objiciat percussionibus, vt caput saluum faciat. Ita & nos facere debemus. Caput nostrum Christus est. Totum corpus dare pro Christo debemus, vt non eum negemus. Per simplicitatem columbæ, siue spiritus sancti qui per eam significatus est, studeamus cum omnibus hominibus pacem habere. *Cauete autem ab hominibus.* Cauete, obseruate, custodite. *Tradent enim vos in concilijs:* Tradent id est, ad occidendum prodent: quia in me credetis. *Et in synagogis suis flagellabunt vos.* Hoc ita fuisse, liber actus Apostolorum testatur: vbi scriptum est, quòd cæsis Apostolis denunciauerunt ne vltra loquerentur in nomine Iesu. *Et ad reges & præsides ducemini.* Præsides vocabantur à præsidendo. Consules, qui prouidebant prouinciis: quod fuit Pilatus, & Albinus in Iudæa. Reges Herodes ambo, & alij, quos libri passionum eorum commemorant. Ante quos Apostoli ducti sunt: aliqui flagellati, aliqui occisi. Quod autem præsides ante reges posuit, sciendum quòd consules, qui prouinciis præsidebant, excellentiores erant multis regibus, & habebant in ministerio quatuor, aut quinq; prouincias cum regibus: vt Cyrinus habuit Syriam. *In testimonium illis, & gentibus.* Quod intantum ingessistis eis prædicationem euangelicam, vt non solum non audirent. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Sola voluntas vestra recta sit, & ipsam offerte Deo: spiritus sanctus loquetur pro vobis, qui in vobis habitabit. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nouit enim spiritus sanctus, quid cuique necessarium, vel opportunum sit ad loquẽdum. *Non enim vos estis, qui loquimini: sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Quamuis per fistulam cordis vestri vox audiatur: tamen spiritus erit in vobis fons bonitatis, qui dabit incrementum & audaciam locutionis. *Tradet autem frater fratrem in mortem.* Hoc frequenter factum est in persecutionibus, quòd frater paganus Christianorum fratrem prodidit ad mortem. *Et pater filium.* Non solum tradidit ad mortem: sed etiam multi occiderunt. *Et insurgent filij in parentes: & morte eos afficient.* De hoc nulla quæstio est, qui satis habemus exempla. *Et eritis omnibus odio propter nomen meum.* Beatum odium quod pro saluatore infertur: hoc omnes Christiani domini optate. Quod autem dicit *eritis odio omnibus*, subauditur mali. Nam boni non solum non odient: sed etiam amabunt vt fratres. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* Nihil prodest bene incipere, si non vsque in finem perseuerauerit in recta fide: vel in bono opere: quia lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit. *Hic* pronomen est in isto loco, non aduerbium, & habet sensum quasi ille.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberst. superioris Euang. expositio.*

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, &c. Exponit hic Dominus quid sit Apostolus, Apostolus enim Græcè, Latinè dicitur missus. Propterea Dominus ait: *Ecce ego mitto vos.* Cùm dicit ego mitto, authoritatem regiam & imperij commẽdat, ac si diceret aliis verbis. Cùm ad prædicandum pergitis, nolite frangi aduersitatibus cunctis, quia ego sum qui mitto vos, qui etiam inter scandala persecutorum vos seruo: *Sicut oues in medio luporum.* Apostolos vocat oues, lupos verò Scribas & Pharisæos. Quoniam sicut lupi quicquid tetigerint, dilaniant: ita & illi animarum laniatores erant. *Estote ergo prudentes.* Præcepit nobis dominus vt simus prudentes ad vitanda mala, & simus simplices ne nos mala inferamus aliis.

Prudentia enim ſerpentis eſt, vt totum obijciat corpus ſuum pro capite ſuo, vt poſſit caput illæſum ſeruare. Ipſa enim prudentia in nobis debet eſſe, vt totum corpus noſtrum pro capite noſtro obijciamus, id eſt, pro Chriſto, quatenus ipſum incorruptum ſeruare poſſimus. Item prudentia ſerpentis eſt, per anguſtias foraminum cum ſenuerit intrare, & pelle veteri depoſita iterum nouo corio circundari. Pari modo quos vitę veteris hominis tædet, per anguſtiam pœnitentiæ debemus ingredi, & veteris conuerſationis pelle exui, & indumentum noui hominis nos aſſumere. *Cauete autem ab hominibus.* Quos ſuperiùs appellauit Dominus lupos, eoſdem nunc appellat homines. Lupos eos vocat propter voracitatem, homines propter infirmitatem. *Tradent enim vos in concilijs, &c.* Hoc eſt, propter odium nominis mei vos ducent ante reges, ſiue propter me talia ſuſtinebitis. *In teſtimonium illis & gentibus.* Mors & paſſio ſanctorum Apoſtolorum in teſtimoniū illis fuit. Dupliciter in teſtimonium illis fuit, non ſolùm videlicet perſequutorum eorum qui interfecerunt, in teſtimonium illis fuit, ſed etiam martyribus, qui eandem paſſionem pro Deo ſuſceperunt. In teſtimonium nobis erit, videlicet noſtræ remunerationis, vel etiam illorum damnationis. *Cum autem tradent vos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, &c.* Quando al quis pro fide ad perſecutionem ducitur, ſemetipſum læto animo debet offerre: cætera omnipotens Deus ſubminiſtrabit ei & facultatem ſuſtinendi, & facultatem reſpondendi. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Acſi diceret dominus membris ſuis infirmantibus. Vos ad prælium acceditis, ego ſum qui prælior: vos verba loquimini, ego ſum qui eloquentiam vobis miniſtro. *Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.* Id eſt affliget. In exordio fidei, & in initio naſcentis Eccleſiæ, pater incredulus filium credentem prodebat: frater incredulus fratrem ſuum credentem tradebat, & amicus amicum ſuum: quia nullus eſt inter eos fidus affectus quorum diuerſa eſt fides, duplici cauſa hæc facientes, vel cupiditate ducti præmiorum promiſſorum, vel etiam terrore pœnarum, proponebant etiam vel pœnas qui eos celabant, vel etiam munera prodentibus proponebant. *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*, non cauſa meriti veſtri ſed cauſa nominis mei. Et eritis odio omnibus hominibus, id eſt, incredulis. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Omnis ſcriptura non initium laudat, ſed potius finem. Non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. Non enim cœpiſſe, ſed perfeciſſe virtutis eſt. Hinc eſt quod in lege caput victimæ cum cauda offerri præcipiebatur. Caput quidem cum cauda offerre, eſt cœptum bonum vſque ad conſummationem perducere.

INCERTI AVTHORIS
ſub nomine Euſebij Epiſcopi Emiſſeni in idem Euang. Homil.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, &c. Dixerat ſuperiùs in hoc euangelio Dominus & Saluator noſter diſcipulis ſuis: Euntes prędicate dicentes quia appropinquauit regnum cælorum. Gratis accepiſtis, gratis date, & nolite portare ſacculum neque peram. Nolens autem eos vagos & inſtabiles eſſe ait: In quancunque ciuitatem aut domum intraueritis, illic manete, donec exeatis inde, comedentes & bibentes quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Poſtea verò dixit: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Ego, inquit, Dominus & magiſter veſter. Ego Deus & omnipotens. Ego cui nemo reſiſtere valet. Ego, inquam, mitto vos ſicut oues in medio luporum. Scitis & benè ſcitis vtriuſq; naturam. Ad patientiam itis, patientiam & innocentiam cuſtodite. Non vos defendatis, quia oues eſtis. Sæuiant illi qui lupi ſunt. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, &c.* De ſerpente namque dicit Moyſes, quia callidior cunctis erat animantibus terrę. *Gen. 3.* Serpentes autem maligni ſpiritus & iniqui homines vocantur: quoniam venenoſi ſunt, & recto itinere non incedunt. Sicut igitur illi prudentes ſunt in malo, ſic & vos dicit Dominus, prudentes eſtote in bono. Videte ne vos decipiant aſtutia ſua: quia filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua. Prudentes igitur eſtote: ſed ita prudentes vt ſimplicitatem non amittatis. Scitis autem ſimplices ſicut columbæ. Simplex, inquit, ſine fraude, ſine veneno, ſine dolo, ſine felle omnique amaritudine, ſit prudentia veſtra. *Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, &c.* Cauete, inquit, vobis ab hominibus, vbi prudentia neceſſaria erit, ne vos decipiant, ne vos ſeducant minis & flagellis, ne vos blanditijs & perſuaſionibus à veritate deuiare faciant. Multis enim modis vos tentabunt, multis argumentis, multiſque inſidijs vos decipere conabuntur. Tradent enim vos, flagellabunt vos, ad reges & præſides ducēt vos. Hoc autē propter me, quatenus & illis & cunctis gentibus teſtimonium detis de me. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, &c.* Quid enim loquerentur idiotæ & piſcatores, quid loquerentur ruſtici & illiterati? *Sap. 10. Psal. 8.* Quid loquerentur os mutum & mandibula aſini? Scriptum tamen eſt quod ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. Hos autem ſignificauit Sanſon ille fortiſſimus vir, qui mille viros & amplius cum ſola aſini mandibula interfecit. Sæpè equos hinnientes, & aues canentes, & aliorum animalium voces audimus: nulla vox minus delectat quàm vox aſinæ. Tales igitur priùs erant apoſtolorum voces, tales illorum mādibulæ & ora, de quibus Apoſtolus ait: Quę ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. *1. Cor. 1.* Sic igitur & noſter Sanſon cum mandibula aſini, id eſt per ſtultos & illiteratos, per ora prius muta & indiſciplinata hoſtes ſuos vicit, & mundi ſapientiam deſtruxit. Ipſe enim eſt Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. *Psal. 23.* Non igitur Apoſtoli loquebantur, ſed ſpiritus ſanctus in eis. Ipſi enim erant quaſi canalia, per quæ aqua decurreret. Ipſi quaſi tubæ, per quas voces ſonarent. Ipſi quaſi pſalterij chordæ, quæ ſapienter tactę aures delectarent. Nec illud quidem vacat à myſterio, quòd de mandibula aſini fons aquæ profluxit, quo Sanſon ille fortiſſimus ſitim extinxit. Magna namque ſapientiæ flumina ex Apoſtolorum ore manarunt, quibus in ſeruis ſuis Dominus ſatiatur. Ipſe enim ſatiatur in nobis, ipſe eſurit, & potatur in nobis. Hoc enim ipſe ait: Eſuriui *Matth. 25.*

tui & dedistis mihi manducare. Quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Cùm igitur ab iniquis sancti Apostuli ad concilia traherentur, quia nō ipsi loquebantur, sed spiritus sanctus in eis, securi ibant quocunque ducebantur ab eis. Securus enim ad prælium vadit, qui talibus armis & sub tali principe pugnat. Securus & ille ad concilium pergit, qui tali prolocutore causam suam defendit. Cùm enim sanctorum triumphos legimus, sæpè philosophos à puellis & hominibus illiteratis superatos fuisse audimus. Hoc autem quis faciebat nisi spiritus sanctus qui loquebatur in eis? *Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.* Hæc autem prophetia quia iam impleta est, expositione non indiget. Ipsa enim eius adimpletio, expositio fuit. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Omnis enim homo in eo
Ezech. 8. iudicatur in quo inuenitur. Quacunque hora cōuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Sed forte expectas vt conuertaris in vltima hora, audi
Matth. 25. quid Dominus dicat: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Illi igitur qui vltimam horam sic expectant, falli possunt. Qui enim in bono perseuerauerint, falli non possunt. Nunquam enim nisi in bono iudicantur, qui semper in bono inueniuntur.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Armauerat eos miraculis, de cibis bonam fiduciam illis fecerat, apertis dignorum ianuis. Dicit nunc & grauia, quæ euentura erant, suam præscientiam manifestans. Consolatur autem per hoc quòd dicit, *ego*. Ego, inquit, potens ille: & proinde fidite: inuicti enim eritis. Instruit autem eos ad passionem. Nam, sicut impossibile est oues in medio luporum nihil pati: ita & vos inter Iudæos. Verum licet patiamini, ne succenseatis. Volo enim vos mansuetos esse, sicut oues, & sic magis vincere. *Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices velut columbæ.* Vult discipulos etiam prudentes. Idcirco, quum audieris Christianos dici oues, non intelligas, quòd oporteat eos stupidos esse, nam & prudentes oportet esse, & scire quomodo versandum sit in medio multorum inimicorum. Sicut enim serpens totum corpus obiicit, vt percutiatur; caput autem seruat: ita & christianus, inquit, omnia suadet, etiam percutientibus corpus suum: caput autem, quod est Christus, & fidem in illum seruet. Et, sicut serpens in angustam quādam cauernam circumgyrat se, & transiens pellem veterem expoliat se: ita & nos per angustam viam incedamus, vt veterem exuamus hominem. Veruntamen quia & serpés nociuus est, iubet nos simplices esse, hoc est synceros, & absque malitia, nullúmque offendentes, sicut columbæ. Illæ enim quū auferuntur eis fœtus, & persecutionem patiuntur, rursus ad dominos suos reuertuntur. Esto igitur prudens sicut serpens, ita vt ne deridearis ob vitam ab aliis, sed omnia tua extra labē perficias. Erga alios autem
Non est dāda occasio persequutionis hostibus fidei. te nocentes sis velut columba, hoc est, neutiquā malignus. *Cauete autem ab hominibus.* Vides hoc esse prudentis, cauere, & non dare occasionem volentibus persequi, sed prudenter agere res nostras. Si pecuniam voluerit, qui persequitur, da: si honorem, permitte, vt ne occasionem habeat: si autem fidem aufert, custodi tuum caput. Non autem discipulos missurus erat ad Iudæos solum, sed etiam ad gentes: idcirco dicit. *In testimonium ipsis, & gentibus*, hoc est, in notam, & in reprehensionem eorum, qui non credunt. *At quum tradiderint vos, ne sitis soliciti quid aut quomodo loquamini.* Ne dicant, quomodo persuadere poterimus idiotæ sapientia præditos? iubet bene sperare, & solicitudinem deponere, nam quum inter fideles loquendum, dignum est, vt præmeditemur: & paratos esse ad defensionem, Petrus admonet. Inter turbas autem, & reges insanientes, suum promittit robur, ne timeamus. Nostrum est enim confiteri: sapienter autem respondere, Dei. Et, ne suspiceris naturalem esse in defendendo idoneitatem, inquit, *Non vos loquimini, sed spiritus. Tradet enim frater fratrem in mortem, &c.* Prædicit eis euentura, ne turbentur, quum acciderint. Ostendit autem & prædicationis vim, quomodo naturam ipsam contemnere faciat. Hic enim Christianismus est, & insaniam illorum interim manifestat, quod neque familiaribus parcunt. *Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum.* Ab omnibus, hoc est, à multis. Non enim omnes illos odio persequebantur: nam nonnulli & fidem acceperant. Qui autem vsque in finem perseuerauerit, & non solum inceperit, ille æternæ vitæ particeps erit.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum. † Postquam illis audaciam iniecit per ea, quæ denunciauerat, & duros, ac adamātinos reddidit: prædicit etiam nunc, quæ illis ventura sunt, non solum, quæ paulò post, verùm etiam, quæ longo post tempore. Primum quidem, vt vim præscientiæ ipsius cognoscant. Deinde verò, ne patientes, suspicentur sese hæc pati, ob eius, qui illos misit, imbecillitatem. Tertiò, vt audito primum, quòd mala passuri sint, facilius postmodum ferant. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos, tanquam oues in medio luporum.* Ego, qui omnia possum, mitto vos, vt mordeamini, ac dilaniemini: neque vlciscamini, aut manus repugnantes obiiciatis. Quamobrem? Quia magis ita vincetis, & lupos in oues transmutabitis. Quomodo? Mea virtute, quæ omnia vincit, vestráque māsuetudine, quæ vt plurimum ferocitatem, ac truculentiam infidelium submittit. Neque enim ferocitas per ferocitatem, sed per mansuetudinem submitti solet. Nam oportet eū, qui medetur insanis, patienter illorum ferre iniurias solam præ oculis habēdo liberationem ab insania. Et nos ergo, nisi ouium mansuetudinem aduersus ferocitatem illorum, qui nos lædunt, proposuerimus, nequaquam pastoris nostri auxilium habituri sumus, Siquidem ouium non luporum pastor est. †

† *Tanquam oues in medio luporum, vt videlicet ouium mansuetudinem ostendatis, coram lupis prostrati, nec ouium tantum mansuetudinem habeatis, sed & sedulam synceritatem, id est, simplicitatem, ac innocentiam, vt verberati, ac persequutionibus appetiti, non cessetis* †

benefacere verberantibus. Vt autem vtrunque fiat secundum virtutem, adsit prudentia serpentum in seruando capite, hoc est, fide; & simplicitas columbæ, in non sumenda vltione de iis, qui iniuriam irrogant. Nec hoc ad quinque, seu decem annos seruandum sed vsque ad extremum spiritum: hoc enim significat, quod dicitur: Qui sustinuerit vsque in finem, hic saluus erit.

† *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, † *&c.* Vult ipsos & prudentes esse, ne lethaliter vulnerentur; & sine vitio, ne iniuriarũ meminerint. Nam, quia prudens est serpens, ideo, quum verberatur, alias quidem corporis partes obiicit, solum autem caput seruat: sciẽs in solo eo lethale inferri vulnus. Iussit ergo prudentiam imitari serpentum, vt alia quidem & corpora, & animas, cæteraq; obiiciant, solam autem fidem seruent illæsam, in qua sola fit vulnus lethale. Et rursum, quia colũbæ, quum eis pulli auferuntur, malorum non meminerunt, aduersus eos, qui abstulerunt: sed denuo ad eos accedunt, licet sæpius auferant: Iubet horũ quoque simplicitatem imitari, hoc est, innocentiam, in non vindicandis iniuriis, sed accedẽdo ad eos, qui læserunt, illósque amando. Et vide sapiẽtiam: Siquidem non solum serpentum prudẽtiam iussit imitari, neque solam columbarũ simplicitatem sed vtranque miscuit. Nam ambæ vnam simul efficiunt virtutem. Nulla enim ipsius prudentiæ est vtilitas, si defuerit innocentia. Nos vero & aliam serpentis imitemur prudentiam. Nam, sicut ille, vbi senuerit, per locum angustum transiens, seipsum leberide, hoc est, suo exuuio, ac pelle spoliat, & ita validus efficitur: ita quoque nos, qui vetustate affectuum senuimus, iniiciamus nosipsos in angustum, strictúmque viuendi modum, & per hunc exuta veteri animæ veste, robusti efficiamur. Nunc itaque in bonum, serpentes, atq; columbas exemplo accepit: alibi vero in malum

Suprà 3. Osee 7.

potius sumpta sunt. Nam reprobantur Iudæi tanquam serpentes, & viperarum progenies: & male audit Effraim quasi columba demens, quæ non habeat cor. Solet enim frequenter scriptura ab eodem animali differentes ostendere comparationes, quando illud bonas simul, & malas habet conditiones. Nam & Christus dicitur leo propter

Gen. 49. Prou. 28.

regiam dignitatem, & inexpugnabilitatem. Recumbens, inquit, dormiuit vt leo, quis suscitabit eum? Iustus etiam leo vocatur, propter fortitudinem, Iustus, ait, quasi leo confidit. Præterea &

1. Pet. 5.

diabolus leo dicitur, eo quòd immitis sit, ac sanguinem voret. Vt leo, inquit, obambulat, quærens quem deuoret.

† † *Et hic in serpentibus, & alibi in œconomo iniquo. Prudentiam intellige obseruantiam eorum, quæ cuique sunt vtilia.*

Attendite autem ab hominibus. Prædicit eis futuras tentationes, exacuens ad certamina. *Attendite*, inquit, *ab hominibus*. hoc est, obseruate homines: fine pericula ab illis expectate. *Et ad reges, &c.* Postquã dixit quæ à Iudæis passuri erant, nunc etiam dicit quæ ab aliis gentibus. *In testimonium ipsis, & Gentibus.* Ad redargutionem Iudæorum & Gentium, ne postmodum dicere possint, quòd prædicationem non audierint: intantum enim audient, vt etiam prædicatores innumeris malis afficiant. *Quum autem tradent vos, &c.* Ne dicant; Et quo pacto idiotę, ac illiterati persuadere poterimus rhetoribus, ac philosophis? primum hanc eorum soluit dubitationem dicens, *Ne soliciti sitis quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Dabitur*, à me videlicet. Hæc autem iterum dixit eis, instante crucis passione, quando de mundi consummatione illum interrogauerũt. Ait enim Lucas, quòd tunc etiam subiũxerit. Ego dabo vobis os, & sapientiá, cui non poterunt cõtradicere, aut resistere omnes, qui aduersantur vobis. *Non enim vos eritis illi loquentes.* Hoc est, qui tũc loquentur. *Sed spiritus patris vestri loquens in vobis.* Sed spiritus sanctus, qui loquitur in vobis. *Prodet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium.* Illi non credentes, hoc prodent fideles. *Et insurgent filij in parentes, &c.* Et similiter de his dicendum est. Per hos autem amicissimos etiá alios cognatos, & familiares intelligit. *Et eritis odio habiti ab omnibus, &c. Ab omnibus*, id est, à pluribus: nam multi ipsos dilexerunt. Est autem & hoc scripturę idioma, vt omnes, dicat pro pluribus. Quum autem superius addiderit, propter me, nunc addens etiam, *propter nomen meum*, magnam eis consolationem, ac animi alacritatem iniicit, quum persuasum habeant, quòd illis ad sit, & auxilietur qui propter ipsum patiẽtur. *Qui autem sustinuerit vsque ad finem, &c.* Tria innuit pręsens verbum. Primum, quod non solum eis opus sit ipsius auxilio, sed & propria fortitudine: vt non illius solum, sed & ipsius bona sint opera. Et quod defatigari non oporteat. Nam quæ vtilitas est principij, quod finem non habet? Præterea quòd ad finem vsque vitæ adeunda sint pericula: dignum est autem, vt hos admiremur: quomodo ad tanta, ac talia emissi pericula audientes, quòd vniuersum orbem inimicum haberent, totaque vita sua tentarentur, non detractarunt periculum, neque liberationem à malis poposcerunt. Parebant enim tanquam morigeri magistro: & confidebant, vt pote fideles de potentia emittentis. Quum autem didicissent, quod tãtam haberet fidei prædicatio fortitudinẽ, vt adamantinum quoque naturæ amorem dissolueret, variis affectibus se mutuo vincentibus, magis incitati sunt, additisque viribus indubitata spe deinceps egregia opera exhibẽdi, soli duodecim aggressi sunt orbem vniuersum: cum quo aduersus illos se diabolus opposuit, iũctis secum innumeris dæmoniis. Illi vero obtinuerũt victoriam, non interficientes aduersarius, sed sibi connumerantes & quos dæmonibus æquales acceperunt, angelis similes reddiderunt.

Luc. 21.

Vides & humanã cooperationẽ etiã requiri vna cũ diuina ops ad salutem.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

LVC. 1.

a Non retardat a perfectione iteris.



IN illo tempore: Exurgens autem Maria abiit in [a] montana cum
b Non gaudet diu in publico videri. c Vt grandæuæ prægnanti iuuencula deseruiret.
[b] festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in [c] domum Zachariæ,
d Quasi congratulans de dono quod eam accepisse didicerat.
& salutauit [d] Elizabeth. Et factum est, vt audiuit salutationē Mariæ
e Quia senserat aduentum domini.
Elizabeth, [e] exultauit infans in vtero eius. Et repleta est spiritusancto Eliza-
f Non tam clamosa quàm deuota. g Quia magna dona Dei cognouit. h Prophetant matres spiritu paruulorum. i Non solum inter mulieres benedicta sed inter benedictas maiori benedictione insignis.
beth, & exclamauit [f] voce [g] magna, & [h] dixit: [i] Benedicta tu inter mulieres, &
k Non sicut alij homines benedicti, sed sicut Apostolus ait. Qui super omnia Deus benedictus in secula, & per quem benedictio venit aliis.
l Amb. Quasi dicat, quantum bonum mihi accidit, quod mater domini mei venit ad me, sed qua mea susfecta, quibus meis meritis?
[k] benedictus fructus vētris tui. Et [l] vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti: quoniā perficientur ea quę
m Audita responsione Elisabeth, quæ beatam prædicauit matrem domini appellauit, fide sortem laudauit, non amplius tacere potest dona quæ perceperat. Et quæ virginali pudore acceptum oraculum tegebat silentio, tam congruo tempore patefecit. n Ambr. Anima & spiritu Deo patri deuota & filio vnum Deum ex quo omnia: & vnum dominum per quem omnia pio veneratur affectu. o Patrem.
dicta sunt tibi à domino. Et ait Maria: [m] Magnificat [n] anima mea [o] dominum.
p Filio salvatore. q Vt vnus Deus.
Et exultauit spiritus meus in [p] Deo salutari [q] meo.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



EXurgens. Ambro. Nō incredula de oraculo, non incerta de nuncio, non dubitans de exemplo: sed lęta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, visitat Elisabeth, & eandē humilitatē quā angelo exhibuit, hominibus quoq; exhibere curat. Et hoc etiā minoribus superior vt minor adiuuetur, vnde cito beneficia aduētus Mariæ & dominicæ præsentiæ declarantur dū subditur: *Et fa. est vt au. Et intra.* Hinc discant sanctę mulieres, quam sedulitatem prægnantibus debeāt exhibere cognatis. *Et sa. Elisa.* Be. Prior salutat: quia decet vt quāto castior, tanto humilior sit. *Vt audiuit salu. &c.* Be. Amb. Ordine naturæ prior Elisabeth audit vocem, sed ratione mysterij prior Iohannes exultat: quia prior sentit gratiam: quia sicut illa Mariæ, sic iste domini sentit aduētum. *Exultauit &c.* quia lingua non poterat, animo exultante salutat, & suæ præcursionis officiū inchoat. Ecce apparet quod angelus dixerat, spiritusancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. *Et re.* Ambro. Beda. Non prius repleta mater quā filius: sed filius repletus replet & matrem. Maria ante conceptum, Elisabeth post conceptum repletur. *Benedicta tu.* Beda. Ambrosi. Conueniunt verba euangelij cum verbis Psalmi
Psal. 131. in quo promittitur Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et eadem voce Maria benedicitur ab Elisabeth qua à Gabriele, vt & angelis & hominibus veneranda, & nostris fœminis præferenda monstretur. *Et vnde hoc.* Beda. Amb. Non ignorat spiritussancti esse operationē, quòd mater prophetæ à matre domini ad profectum sui pignoris salutetur, sed non sui meriti hoc, sed diuini fatetur esse muneris: quia idem spiritus qui prophetiæ donū dedit, pariter humilitatem præstitit. *Mater do.* Sentio miraculum, mysterium cognosco: mater domini verbo fœta, Deo plena. *Vt facta.* Ipso momento quo vox intrat ad aures corporis, virtus spiritualis cor intrat audiētis: & non solum matrem, sed etiam sobolem amore aduenientis accendit. *Exultauit.* Be. Reuelante spiritu quo impleta erat, intelligit quid exultatio infantis significet: scilicet venisse matrem illius cuius præcursor erat futurus. Et quæ ante onus parentis erubescebat, dum nesciret mysteriū religionis, iam benedicit: Et qui se occultabat: quia cōceperat filium, iactat se: quia genuit prophetā. Et quæ in occulto cognouerat, his qui simul aderant & audiebant palam euangelizat, dicēs: *Beata quæ cre.* Credidit virgo, vbi sacerdos negauit. *Et be.* Apparet Mariam non dubitasse, sed credidisse: & ideo fructum cōsecutam esse. Apparet etiam Elisabeth ipsa verba angeli ad Mariam dicta per spiritum intellexisse. Ambro. Be. Congruè ante Iohannem Elisabeth, & ante domini generationē prophetat Maria, vt sicut peccatū in initio à muliere cœpit, ita in initio salutis bona à muliere inchoarentur. *Magnifi. an.* Beda. Primò dona sibi spiritualiter concessa

cessa profitetur, deinde beneficia Dei quibus generaliter humano generi in æternũ cõsulere non desistit, enumerat. Quasi dicat, Tãto munere me dominus sublimauit, vt nullo linguę officio explicare possim, sed totũ animi interioris affectũ magnis gratiarum laudibus offero. Totum quod viuo, totum quod sentio, totum quod discerno, in eius magnitudine contemplanda, in eius præceptis obseruandis impendo. Beda. Moraliter. Quæcunque anima credit, cõcipit, & generat verbum Dei, & opera Dei agnoscit. Sit ergo in singulis anima Marię vt Deũ magnificet. Sit in singulis spiritus Mariæ, vt exultet in Deo. Et si secundum carnem vna est mater Christi, secundum spiritum omnium fructus est Christus. Magnificatur dominus, non quòd ei aliquid humana vox adiungat, sed quia magnificatur in nobis: dũ anima nostra quæ ad imaginem Dei creata est, per iustitiam se Christo conformat, qui est imago patris. Et sic dum ipsum Christum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis eius fit sublimior, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. *Et exultauit*. Beda. Quia terrena non curo, prosperitas non emollit me, aduersitas non frangit, sed sola illius memoria delectat, à quo salus speratur æterna: illius diuinitate lætor cuius temporali conceptione mea caro fœtatur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

E*Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, &c.* Amb. Angelus cum abscõdita nuntiaret vt fides astrueretur, exemplo fœminæ sterilis conceptum virginis nuntiauit. Vbi hoc audiuit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nũtio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi lęta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio in mõtana perrexit. vnde dicitur, *Exur. au. Ma. in di. illis, &c.* Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione condescenderet? Orige. Iesus enim qui in vtero illius erat festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare. vnde sequitur, *Cum festi.* Ambr. Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. Discite virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. The. Propter hoc abiit in montana: quia Zacharias in montanis habitabat. vnde sequitur, *In ci. Iu. & int. in do. Zach.* Amb. Discite vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnãtibus debeatis exhibere cognatis. Mariam autem, quæ sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Discite etiam virgines humilitatem Mariæ, venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solum venit, sed & prior salutauit. vnde sequitur, *Et sa. Eliza.* Decet enim vt quantò castior virgo, tantò humilior sit, noueritq; deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est etiã causa pietatis, quia superior venit ad inferiorẽ, vt inferior adiuuetur. Maria ad ad Elixabeth, Christus ad Ioannẽ. Chry. super Mat. Vel aliter, Celabat quæ sopra dicta sunt in se virgo, nec cuiquam hominũ pandit: non enim credebat ab aliis posse fidem adhiberi mirãdis relatibus, imò magis putabat se pati conuitia si diceret, quasi volens scelus proprium palliare. Græ. Ad solam autem refugit Elizabeth, sic enim consueuerat propter cognationem & propter cæteram huiusmodi coniunctionem. Amb. Citò autem euentus Mariæ & præsentiæ dominicæ beneficia declarantur. nam sequitur, *Et fac. est au. &c.* Vide distinctionem singulorúmque proprietates: vocem prior Elixabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit: illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij: illa Mariæ, iste domini sensit aduentum. Græ. Propheta enim parente acutius videt & audit, salutatque prophetatũ: sed quoniã verbis non poterat, saltat in vtero, quod maximũ existit in gaudio. Quis vnquam nouit tripudiũ natiuitate antiquius? Insinuauit gratia, quæ naturæ ignota exciterant: reclusus ventre miles agnouit dominum ac regẽ moriturum, ventris tegmine non obstante mysticæ visioni: inspexit enim, non palpebris, sed spiritu. Orige. Non autem antea repletus fuerat spiritu, donec assisteret, quæ Christum gerebat in vtero: tunc autem & spiritu erat plenus, & resultabat in parente. vnde sequitur, *Et re. est spi. san. Elizabeth.* Non autem dubium est quin quæ tunc repleta est spiritu sancto, propter filium sit repleta. Amb. Illa autem quæ se occultauerat & conceperat filiũ, iactare se cępit: quia gerebat prophetam: & quæ erubescebat antè, benedicit, vnde sequitur, *Et ex. vo. ma. & di. Ben. tu inter mulie.* Magna voce clamauit, vbi domini sensit aduentum: quia religiosum credidit partum. Orig. Dicit autẽ, *Benedicta tu inter mulieres.* Nulla enim vnquam tantæ fuit gratiæ particeps, aut esse poterat. Vnica enim diuini germinis parens est vnica. Bed. Eadem autem voce ab Elixabeth, qua à Gabriel benedicitur quatenus, & angelis & hominibus veneranda monstretur. The. Quia verò aliæ sanctæ mulieres fuerunt, quæ tamen genuerunt filios peccato inquinatos, subiungit, *Et be. fru. ven. tui.* Vel aliter intelligitur: dixerat benedicta tu inter mulieres: deinde quasi interrogante aliquo subiungit, *Et bene. fru.* sicut dicitur in psal. Benedictus qui venit in nomine domini, deus dominus, & illuxit nobis. Consueuit enim sacra scriptura, pro, & quia recipere. Orig. Fructum autem ventris Dei genitricis dominum dixit: quia nequaquam ex viro, sed ex sola Maria processit. Nam qui semen sumpserunt à patribus, fructus eorum existunt. Greg. Solus ergo hic fructus benedictus, quia absque viro, & absque peccato producitur. Beda. Iste est fructus qui Dauid promittitur, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Euse. In qua parte emergit Eutychis redargutio: dum fructus vẽtris Christus asseritur. Omnis enim fructus est eiusdem naturæ cum planta: vnde & virginem relinquitur eiusdem fuisse naturæ cum secũdo Adam, qui tollit peccata mundi. Sed & qui phantasticam opinionem de carne Christi confingunt in vero Dei genitricis partu erubescant. nam ipse fructus ex ipsa substãtia procedit arboris. Vbi sunt etiam dicentes, quasi per aquæ ductum Christum transisse per virginem, aduertant ex dictis Elixabeth quam repleuit spiritus, Christũ fructũ fuisse ventris. sequitur, *Vnde hoc mi. vt ven. do. mei ad me?* Amb. Non quasi ignorans dicit: scit enim esse sancti spiritus gratiam & operationem, vt mater domini matrem prophetæ ad profectum sui pignoris sa-

luret: sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit, *Vnde hoc mihi*: hoc est qua iustitia, quibus factis, pro quibus meritis? Origen. Conuenit autem hoc dicens cum filio, nam & Ioannes indignum se sentiebat aduentu Christi ad ipsum, Matrem autem domini nuncupat adhuc virginem existentem, præoccupans euentum ex dicto prophetico. Diuina autem promissio duxerat Mariam ad Elizabet, vt Ioannis testimonium ab vtero perueniret ad dominum: & tunc enim Ioannem dominus in prophetam constituit, vnde sequitur, *Ecce enim vt facta est vox salutationis, &c.* Ang. Ad Dard. Hoc autem vt diceret sicut euangelista præloquutus est, repleta est spiritu sancto, quo proculdubio reuelante cognouit quid illa exultatio significasset: infantis enim illius venisse matrem, cuius ipse præcursor, & demonstrator esset futurus. Potuit ergo esse ista significatio rei tantæ à maioribus cognoscendæ non à paruulo cognitæ: non enim dixit, Exultauit in fide infans in vtero meo, sed, *exultauit in gaudio*. Videmus autem exultationem non solum paruulorum, sed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide vel religione, vel quacunque rationabili cognitione venientem, sed hæc inusitata & noua extitit, quia in vtero & eius aduentu quæ omnium saluatorem fuerat paritura. Ideo hæc exultatio & tanquam matri domini reddita resalutatio, sicut solent miracula fieri, facta est diuinitus in infante, non humanitus ab infante: quanquam etiam si vsque adeo in illo puero est acceleratus vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, & consentire, etiam hoc in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplar naturæ. Orige. Venerat autem mater domini visura Elizabeth miraculosum conceptum, quem retulerat angelus, vt per hoc sequatur credulitas potioris ad virginem manaturi. Erad hanc fidem facit sermo Elizabeth dicentis, *Et beata quæ credi. quo. per. ea quæ di. sunt à domino*. Amb. Vides minime dubitasse Mariam sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. Bed. Nec mirum si dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre: vt per quam salus omnibus præparabatur, eadem persona fructum salutis hauriret ex pignore. Amb. Sed & vos beati qui audiuistis & credidistis: quæcunque enim crediderit anima & concipit & generat Dei verbū, & opera eius agnoscit. Bed. Omnis autem anima quæ verbum Dei mente cōcepit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendit amoris, quatenus ciuitatem Iuda, id est, confessionis & laudis arcē penetrare & vsque ad perfectionem fidei, spei, & charitatis, quasi tribus in ea mensibus valeat commorari. Orig. super Ezech. Simul & de præterito, & de præsenti, & de futuro per prophetiæ spiritum iacta est, quæ & eam promissionibus angeli credidisse cognouit, & matrem nominans, quia redemptorem humani generis in vtero portare intellexit, etiam eum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur aspexit. *Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum* Amb. Sicut peccatum à mulieribus cœpit, ita & bona à mulieribus inchoantur. vnde nō ociosum videtur quod & ante Ioannem Elizabeth prophetizat, & Maria ante domini generationem. Sequitur autem, vt Mariæ, quo persona melior, eo prophetia sit plenior. Bas. Virgo enim intentione sublimi, ac speculatione profunda immensitatem contemplans mysterij, quasi profundius gradiens magnificat Deum: vnde dicitur. *Et ait Ma. Mag. ani. mea do.* Gre. quasi diceret, Mirabilia quæ Deus pronuntiauit in meo corpore exercebit, sed anima mea infructuosa apud Deum non erit. Conuenit autem mihi & voluntatis fructū afferre: nam quantum amplo doceor miraculo, tantum teneor glorificare in me mirabilia operātem. Orig. Si autem dominus nec augmentum, nec detrimentum recipere potest, quid est quod Maria loquitur, *Magnificat anima mea dominum?* Sed si considerem dominum saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & animam factam ad eius imaginem, vt sit imago imaginis: tunc videbo quoniam in exemplu eorum qui solent imagines pingere, quando magnificauero animā meam opere, cogitatione, sermone: tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse dominus, cuius imago est in anima mea, magnificatur. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Basi. Primus spiritus fructus est pax, & gaudium. Quia ergo virgo sancta totam sibi hauserat spiritus gratiam, merito subiungit, *Et exul. spi. &c.* Idem animam dicit & spiritum. Consueta autem in scripturis exultationis prolatio insinuat alacrem quendam & iocosum habitum animæ in his qui digni sunt. Proinde virgo exultat in domino ineffabili cordis tripudio, & tesulatione in strepitu honesti affectus: sequitur, *In Deo saluta. meo*. Bed. Quia eiusdem Iesu, id est, saluatoris spiritus virginis, æterna diuinitate lædatur, cuius caro temporali cōceptione fœtatur. Ambr. Magnificat ergo anima Mariæ dominum, & exaltauit spiritus eius in Deo, eo quòd anima, & spiritu patre, filióque deuota, vnū Deum per quem omnia pio venerantor affectu. Si autem in singulis Mariæ anima vt magnificet dominum: sit in singulis spiritus Mariæ & exultet in domino. Si secundum carnem vna mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit Dei verbum, si tamen immaculata & immunis à vitiis intemerata castimoniam pudoris custodiat. The. Ille autem Deum magnificat, qui dignè sequitur Christum: & dum Christianus vocatur, Christi non minuit dignitatem, magna & cælestia operando, & tunc spiritus eius, id est, spirituale charisma, exultauit, id est, perficiet, & non mortificabitur. Basi. Si quando verò lux in cor suum irrepserit, & ad Deum diligendum & contemnenda corporea, per illam obscuram & breuem imaginem perfectam perceperit iustorum cōscientiam, absque vlla difficultate consequetur in domino gaudiū. Orig. Prius autem anima magnificat dominum, vt postea exultet in Deo: nisi enim antea crediderimus, exultare non possumus.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia 1.

Meliores ad deteriores veniunt vt eis ex aduentu suo aliquid tribuant emolumēti. Sic & saluator venit ad Ioānē, vt sanctificaret baptisma illius: & Maria statim vt audiuit Angelū nunciantē quòd cōceperit Saluatorē, & quod cognatā illius Elizabeth haberet in vtero, cōsurgens cū festina Est Homil. in Lucam.

festinatione venit in montana, & ingressa est domum Elizabeth. Iesus vero qui in vtero illius erat festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare. Denique antequam veniret Maria, & salutaret Elizabeth, non exultauit infans in vtero: sed statim vt Maria loquuta est verbum, quod filius Dei in vẽtre matris suggesserat, exultauit infans in gaudio, & tunc primum præcursorem suum Prophetã fecit Iesus. Oportebat quoque Mariam cum Dei prole dignissima, post alloquium Dei ad montana conscendere, & in sublimioribus commorari. Vnde & scriptum est. *Consurgens Maria in diebus illis, venit in montana.* Debuerat etiam cum esset solicita non pigra, properare solicitudine, & spiritu sancto plena ad sublimiora perduci, & virtute Dei protegi, à qua fuerat obumbrata. *Venit ergo in ciuitatem Iudæ, & in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Factum est cum audisset salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto.* Nũ est itaque dubium quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta. Neque enim mater primum spiritum sanctum meruit, sed cũ Ioãnes adhuc clausus in vtero sanctum spiritum accepisset: tunc & illa post sanctificationem filij repleta est spiritu sancto. Poteris hoc credere, si simile quid etiam de saluatore cognoueris. Inuenitur Beata Maria sicut in aliquantis exemplaribus reperimus, prophetare. Nõ enim ignoramus quòd secundum alios codices, & hæc verba Elizabeth vaticinetur. Spiritu itaque sancto tunc repleta est Maria, quando cœpit in vtero habere saluatorem. Statim enim vt spiritum sanctum accepit dominici corporis cõditorem, & filius Dei esse cœpit in vtero: etiam ipsa completa est spiritu sancto. *Exultauit ergo infans in vtero Elizabeth, & repleta est Spiritu Sancto, & clamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres.* Debemus in hoc loco ne simplices quique decipiantur, ea quæ solent opponere hæretici confutare. In tantã quippe nescio quis prorupit insaniã, vt assereret negatam fuisse Mariã à saluatore, eo quod post natiuitatem illius iuncta fuerit Ioseph; & loquutus est. quæ quali mente dixerit, ipse nouerit qui loquutus est. Si quando igitur hæretici vobis tale quid obiecerint: respondete eis, & dicite, Certe spiritu sancto plena Elizabeth ait, *Benedicta tu inter mulieres.* Si sancto spiritu benedicta canitur Maria, quomodo eã saluator negauit? Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, vnde approbent, non habent. Hi enim filij qui Ioseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est vlla scriptura quę & ista commemoret. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me?* Quod ait, *Vnde mihi hoc*, non ignorans dicit, & maxime spiritu sancto plena, quasi nesciat quod iuxta Dei volũtatem mater domini venerit ad eam, sed isto sensu loquitur. Quid boni feci? quæ opera mea tanta sunt, vt mater domini ad me veniat? Per quam iustitiam: ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, vt mater domini mei veniat ad me? *Ecce enim vt facta est salutatio tua in aures meas, exultauit in exultatione infans in vtero meo.* Sancta erat anima beati Ioannis, & adhuc in matris vtero clausa, venturáque in mundum quasi per experientiæ sensum sciebat, quę Israel ignorabat. Vnde exiliuit: & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio: senserat enim venisse dominum suum, vt sanctificaret seruum suum, antequam de matris vtero procederet. Vtinam mihi eueniat, vt ab infidelibus stultus dicar, qui talibus credidi. Ipsum opus ostendit & veritas, non me stultitiæ, sed sapientiæ credidisse, & quòd hoc quod stultum apud illos putatur, mihi salutis occasio sit. Nisi enim fuisset cælestis, & beata natiuitas saluatoris, nisi habuisset diuini aliquid & humanitatẽ hominum supergrediens, nunquam totum orbem illius doctrina penetrasset. Si tantummodo fuisset in Mariæ vtero, & non Dei filius quomodo poterat fieri, vt & illo tempore & nunc non solum corporum, sed etiam animarum morbi multiplices curarentur? Quis nostrum non insipiens fuit, qui nunc propter misericordiam Dei habemus intelligentiam, & sitimus Deum? Quis nostrum non incredulus iustitiæ, qui nunc propter Christum iustitiam habemus, sequimúrque iustitiam? Quis nostrum non errabundus & vagus, qui nunc propter aduentum saluatoris non fluctuamus, atque turbamur: sed sumus in via, in illo videlicet qui ait, Ego sum via: Possumus & reliqua congregantes, videre quòd omnia quæ scripta sunt de eo, diuina admiratione digna referuntur: quod & natiuitas illius, & nutrimenta, & virtus, & passio, & resurrectio, non solum illo tempore, sed etiam nũc operentur in nobis. Quis vos, ó catechumeni, in ecclesia congregauit? quis stimulus impulit, vt relictis domibus in hunc cœtum coïretis? Neque enim nos domus vestras sigillatim circuimus: sed omnipotens pater virtute inuisibili subijcit cordibus vestris quos scit esse dignos, hunc ardorem, vt quasi inuiti, & retractantes veniatis ad fidem: maxime in exordio religionis, cum veluti trepidi, & pauentes salutis fidem cum timore suscipitis. Obsecro vos, ô catechumini, nolite retractare: nemo vestrum formidet, & paueat, sed sequimini præeuntem Iesum. Ille vos trahit ad salutem, congregat in ecclesiam, nunc quidem super terram: si autem dignos fructus feceritis, in ecclesiam primitiuorum, qui scripti sunt in cælestibus. Beata quæ credidit, & beatus qui credidit, quia erit perfectio his quæ dicta sunt ei à domino. Super quibus & beata Maria magnificat Dominum Iesum. Magnificat autem anima Dominum, spiritus Deum. Quæ quam habeant interpretationem, si concesserit Dominus vt rursus in ecclesiam congregemur, vt festini veniatis ad domum Dei, & diuinæ lectioni præbeatis aures: quæremus, ventilabimus, disseremus, in Christo Iesu: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

ANte Ioannem prophetat Elizabeth, ante ortum Domini Saluatoris prophetat Maria. *Est ex Hom. 8 in Lucam.* Et quomodo peccatum cœpit à muliere, & deinceps ad virum vsque peruenit: sic & principium salutis à mulieribus habuit exordium, vt cæteræ quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam, conuersationémque sanctarum earum quæ vel maxime nunc in Euangelio describuntur. Videamus ergo vaticinium virginale. *Magnificat* (ait) *anima mea dominum, & exultauit spiritus*

tus meus in Deo salutari meo. Duæ res, anima scilicet, & spiritus, duplici laude funguntur: anima dominum prædicat, spiritus Deum. Non quod alia laus domini: alia Dei sit: sed quia qui Deus est, idem & Dominus est: & qui dominus est, idem & Deus sit. Quæritur quomodo magnificet Dominum. Si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest: & quod est, est: qua ratione nunc Maria loquitur, *Magnificat anima mea Dominum?* Si considerem Dominum saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis: neque enim anima mea specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: tunc videbo quòd in exemplum eorum qui solent imagines pingere, & vno (verbi causa) vultu regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commodare, vnusquisq; nostrum ad imaginem Christi formans animam suam: aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem: vel obsoletam, vel sordidam; aut claram, atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone: tūc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus cuius imago est in nostra anima, magnificatur. Et quomodo crescit Dominus, in nostra imagine: sic si peccatores fuerimus, minuitur, atq; decrescit. Sed nos pro imagine saluatoris alias nobis imagines induimus: pro imagine verbi sapientiæ, iustitiæ, cæterarúmque virtutum, diaboli formam assumimus: vt dicatur de nobis, Serpentes generatio viperarum. Sed & leonis personam induimus, & draconis, & vulpium, quando venenati, crudeles, callidi fumus; necnon & hirci, vel porci, quando ad libidinem promptiores. Memini quondam Deuteronomium disserentem in eo loco vbi scriptum est, Ne faciatis omnem similitudinem omnis animalis: dixisse me quòd spiritalis est in alios facere imaginem masculi, in alios fœminæ: illum similitudinem habere volucrum, illum reptilium, atque serpentium: & alium facere similitudinem Dei. Hæc quomodo intelligantur sciet qui illa legerit. Anima itaque Mariæ primum magnificat Dominum, & postea exultat in Deo. Nisi enim antea crederemus, exultare non possemus.

S. AMBROSII MEDIOlanensis Episcopi in superius Euang. expositio.

Ex lib. 2. comment. in Luc.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatē Iudę, &c. Morale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideo angelus, cùm abscondita nuntiaret, vt fidem adstrueret exemplo, senioris fœminæ sterilísque conceptum virgini Mariæ nuntiauit: vt possibile Deo omne quod ei placuerit assereret. Vbi audiuit hoc Maria; nō quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti spiritus gratia. Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnātibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana virgo cum festinatione, virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vrgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit autem mensibus tribus; non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat. Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim vt quantò castior virgo, tantò humilior sit. Nouerit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem. Denique etiam postea vt sanctificaret baptismum Ioannis, Dominus venit ad baptismum. Citò quoque aduentus Mariæ, & præsentiæ diuinæ beneficia declarantur. *Simul autem vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, &c.* Vide distinctionem, singulorúmque verborum proprietatem. Vocem prior Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. Fœmina mulieris, & pignus pignoris. Istę gratiam loquūtur, illi intus operantur, pietatísque mysterium maternis adoriuntur profectibus: duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta est mater? Non priùs mater repleta, quàm filius: sed cùm filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem. Exultauit Ioannes, exultauit & Mariæ spiritus. Exultante Ioanne, repletur Elizabeth: Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. *Benedicta tu inter mulieres, &c.* Nouit sermonem suum Spiritus sanctus, nec vnquam obliuiscitur. Et prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est, Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetauit Esaias dicens, Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix enim est familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus: qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediuiua corporis resurrectione reparatur. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Non quasi ignorans dicit. Scit enim esse spiritus sancti gratiam & operationem, vt mater prophetæ à matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinæ

1. Tim. 5. 1. Cor. 14. 1. Tim. 5. Matth. 3. Luc. 1. Psal. 126. Esa. 11.

diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit, *Vnde hoc mihi?* hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, vt mater Domini mei veniat ad me? non cognosco meum. Vnde hoc mihi? qua iustitia? quibus factis? pro quibus meritis? Non vsitata hæc officia fœminarum sunt, *vt veniat mater Domini mei ad me.* Miraculum sentio, agnosco mysterium, mater Domini verbo fœta, Deo plena est. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, & beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. *Beata* (inquit) *quæ credidisti.* Sed & vos beati, qui audistis, & creditis. Quæcunq; enim crediderit anima, & concipit & generat Dei verbum, & opera eius agnoscit. *Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum, &c.* Sit in singulis Mariæ anima, vt magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariæ, vt exultet in Deo. Nam & si secundum carnem vna mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata & immunis à vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcunque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificauit Dominum, & exultauit spiritus eius in Deo salutari suo. Magnificatur enim Dominus,

Psal. 33. sicut & alibi legisti, Magnificate Dominum mecum. Non quòd Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis.

1. Cor. 4. Gen. 1. Imago enim Dei Christus est: & ideo si quid iustum religiosúmque fecerit anima, illa imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius quadã participatione sublimior fit: vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariæ Dominum, & exultat spiritus eius in Deo: eo quòd & anima

1. Cor. 8. & spiritu patri filióque deuota, vnum Deum ex quo omnia, & vnum Dominum per quem omnia, pio veneretur affectu. Sed Mariæ quo persona melior, eo prophetia plenior. Nec otiosum videtur quòd & ante Ioannem Elizabeth prophetat, & Maria ante Domini ortum: serpunt enim iam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum à mulieribus cœpit: ita etiam bonum à mulieribus incohatur, vt fœminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient: & anima quæ non habent sexum, vt Maria quæ nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem.

S. TITI BOSTRENSIS
Episcopi eiusdem Euang. expositio.

QVin ipsa quoque sanctissima Virgo, eatum rerum, quæ ab Angelo didicerat, euentum cognosceret auida, statim ad montana, vbi Zacharias sedes habebat, ad Elizabeth se contulit. *Et factum est, vt audiuit, &c.* Quod nulli propheratum antè, hoc Ioanni vsu venit: in causa autem erat vicinus Christi aduentus: hunc enim ille proximè antecedebat. Quare non priùs quoque repletus est Spiritu sancto, quàm ea quæ Christum Dominum vtero gestabat, illi se adiunxisset. Repletus autem exultauit, gratiæque, quam acceperat, matrem participem fecit. Elizabeth autem propter infantem, quem intra viscera gestabat, Spiritu afflata, eiusmodi prophetica verba detonuit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Nulla enim mulier tantam vnquam consecuta est gratiam, neque consequetur vnquam, quãtam mater Domini. *Et benedictus fructus ventris tui.* Ad promissionem Dauidi factam alludẽs, Christum Dominum ventris fructum appellat: scriptum extabat enim: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Appositè autem Elizabeth Christum Iesum vteri virginei fructum vocat, quandoquidem nõ prodiit ille ex viro, sed ex sola sacrosancta Virgine Maria: Etsi istud non absque peculiari spiritus sancti allapsu, altissimique, quæ illam obumbrauerat, virtute. Nam qui à parentibus proseminãtur, illorum fructus sunt, & nominantur. Quamobrem iam ipsa sacratissima Deipara, quàm eiusdem aui, & ataui, quod ex viris orti essent, Dauidici ventris fructus appellantur, iuxta illud, quod modò citatum est; *De fructu ventris tui, &c. Et vnde hoc mihi, vt veniat, &c.* Cuiusmodi verba suo postea tempore depromturus erat Ioãnes, eiusmodi ferè hoc loco depromit mater illius Elizabeth. Vt ille enim indignum se prouũciabat, qui Christo proximè assisteret: ita hæc quoque Deiparæ virginis præsentia indignam se pronunciat. *Vnde,* ait, *hoc mihi, &c.* Quasi dicat; quo excellenti opere promerita sum, vt mater Domini mei veniat ad me? Vocat autem illam matrem, cùm vterum adhuc gestaret, partus tempus prophetica voce antevertens. Prædicat verò eam beatam: vt quæ certò ea effectum sortitura crediderit, quæ ipsi à Domino prædicta fuerant. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c.* Cùm sacrosancta Virgo dicit: Magnificat anima mea Dominum, seipsam laudis hostiam sese offerre ostendit, idque ex debito: sensus enim est: Quàm illustre & magnũ est mysterium & miraculum, cui subseruio, tantum eum magnificare obligor, qui admirabilia in me, & per me operatur; Atque ideo Spiritus meus in Deo salutari meo exultat, ingentique gaudio perfusus, in eodem sese oblectat. Etenim qui mundo salutem per me largitur, is & Deus meus, & Seruator meus est. Spiritus autem & anima, pro eodem hoc loco vsurpantur.

Nulla ex omnibus mulieribus virgini matri gratia magnitudine par

Psal. 131.

Psal. 131.

Matth. 3.

BEDAE VENERABILIS
presbyt. in superius Euangel. expositio.

ET discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis, &c. Accepto virginis consensu mox Angelus cœlestia repetit, illa petit montana. Festinat inuisere Elizabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo, sed vt læta pro voto, religiosa pro officio. Typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima, quæ verbum Dei mente cõceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris, quatenus ciuitatem Iuda, id est, confessionis, & laudis accem penetrare, & vsque ad perfectionem fidei, spei, & charitatis quasi tribus in ea mensibus valeat commorari. *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.* Disce, virgo, humilitatẽ Mariæ, vt & corpore casta, & pectore possis esse

Ex comment. in Lucam.

deuota. Visitat iunior seniorē, salutat virgo vxorem. Decet enim, vt quò castior virgo, eò sit humilior, & senioribus deferens, habitum castitatis præconio commendet humilitatis. Aliter. Maria ad Elizabet, dominus venit ad Ioannem, hæc vt spiritu sancto repleatur, illius vt baptisma consecretur. Maiorúmque humiliatio minorum est vtique exaltatio. Denique sequitur. *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, &c.* Vide distinctionem, singulorúmque verborum proprietates. Vocem prior Elizabeth audiuit, sed Ioãnes prior gratiã sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste domini sensit aduentum. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatísque mysterium maternis adoriũtur profectibus, duplicíque miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans & repleta mater est, nõ prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus spiritu sancto, repleuit, & matrem. *Et exclamauit voce magna, & dixit. Benedicta tu, &c.* Notandum, quòd præmissa de Christo prophetia non rerum tantum miraculis, sed & verborum proprietate completur. Iste est enim fructus, qui Dauid patriarchæ sub iureiurãdo promittitur. De fructu ventris tui, ponam super sedem meam. Simúlque intuendum quòd eadem voce Maria ab Elizabeth, qua à Gabriele benedicitur: quatenus & Angelis, & hominibus veneranda, & cunctis meritu fœminis præferenda monstretur. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Non quasi nescia perquirit, quod nimirum sancti Spiritus esse cognoscit, se videlicet à matre Domini ad pignoris sui profectũ salutari, sed miraculi nouitate perculsa, non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse diuini. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, &c.* Erubescebat Elizabeth onus partus, quamdiu nesciebat mysterium religionis. Sed quæ occultabat se, quia conceperat filium, iactare se cœpit, quia generabat prophetam. Et quę ante erubescebat, benedicit, & quæ dubitabat ante, firmatur. *Ecce enim* (inquit) *vt vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo.* Itaque magna voce clamauit vbi Domini sensit aduentum, quia religiosum credidit partum. Nulla enim causa erat pudoris, vbi prophetæ ortus, datæ non affectatæ fidem generationis adsciscere. *Et beata quæ *credidit, quoniam perficientur* ea quæ dicta sunt* ei à Domino.* Vides nõ dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. *Beata* (inquit) *quæ credidit.* Et vere beata, quę sacerdote prę-stantior. Cum sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirũ, si dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre: Vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructũ salutis hauriret ex pignore. Paritérque notandum, quanta Elisabeth animum gratia, Maria intrante, ditauit, quem simul de præterito, præsenti, atque futuro, per prophetiæ spiritum illustrauit. Dicens enim, *Beata quæ credidisti.* Aperte indicat: quia verba angeli, quæ dicta ad Mariã fuerant per spiritum agnouit. Atque subiungẽs, *Perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à domino,* quæ etiã eam in futuro sequerentur præuidit. Matrem vero domini sui nominans: quia redemptorẽ humani generis in vtero portaret intellexit. *Et ait Maria; Magnificat anima mea dominũ. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Tanto (inquit) me dominus, támque inaudito munere sublimauit, quod non vllo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi, & ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine eius cui non est finis quicquid viuo, sentio, discerno, gratulanter impendo: quia & eiusdem Iesu. id est, salutaris, spiritus meus, æterna diuinitate lætatur cuius mea caro temporali conceptione fœtatur. Cui simile est illud Psalmistæ: Anima autem mea exultauit in dominu, & delectabitur super salutari eius. Et ipse enim patrem, filiúmque pari venerabatur amore.

Maria ab angelis, & hominibus veneranda.

* credidisti.
* in te
* tibi.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia.

Lectio sancti euãgelij, quam audiuimus, & redemptionis nostræ nobis semper veneranda primordia prædicat, & salutaria semper imitandę humilitatis remedia commendat. Nam quia peste superbiæ attactum genus humanum perierat, decebat vt medicamentum humilitatis quo sanaretur, prima mox incipientis salutis tempora prætenderent. Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuerat vt in indicium vitæ reuertentis mulieres se deuotæ humilitatis inuicem ac pietatis præuenirẽt obsequiis. Prior ergo nobis beata Dei genitrix ad sublimitatem patriæ cælestis iter ostendit humilitatis, non minus religionis quàm castitatis exemplo venerabilis. Siquidem gloria virginei, & intemerati corporis qualis sit vita supernæ ciuitatis, ad quam suspiramus, insinuat, vbi neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælis, ac virtutem mentis eximiam, qua ad hanc pertingere debeamus indicat. Namque sicut præcedente sancti euangelij lectione cognouimus, postquã angelica visione & allocutione meruit sublimari, postquam se cęlesti onustandam partu didicit, nequaquã se de donis cælestibus quasi à se hæc essent extulit, sed vt magis magísque donis esset apta diuinis, in custodia humilitatis gressum mentis fixit, ita euangelizanti sibi archangelo respondens: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Vt vero ea hodierna lectione audiuimus eandem quam angelo exhibuerat humilitate hominibus quoque curauit exhibere, & quod maioris est virtutis hoc etiam minoribus. Quis enim nesciat virginem Deo consecratam, muliere Deo dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem regis æterni, iure matri militis præferendam? Attamen ipsa memor scripturæ præcipientis, Quanto magnus es, te in omnibus humilia, mox, vt angelus qui loquebatur ei ad cælestia rediit, surgit ac mõtana conscendit, gestansque in vtero Deum, seruorum Dei habitacula petit, ac requirit alloquia. Et apte post visionem angeli in montana subiit, quæ gustata suauitate supernorum ciuium humilitatis se gressibus ad virtutum alta se transtulit. Intrat ergo domum Zachariæ, atque Elizabet quam seruum ac præcursorem domini parituram nouerat, salutat, nõ quasi dubia de oraculo quod acceperat, sed vt congratulatura de dono quod conseruam accepisse didicerat: non vt verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mu-

lieri

Gen. 3

Matth. 22.

Virginis status potior quã maritata.
Eccl. 3.

lieti prouectæ ætatis virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet. *Vt autem ſalutationem Mariæ Elizabeth audiuit, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabeth.* Aperiente os ad ſalutandum beata Maria, repleta eſt mox ſpiritu ſancto Elizabeth, repletus eſt & Ioannes: atque vno eodemque ſpiritu ambo edocti, illa ſalutantem quæ eſſet agnouit, & vt matrem domini ſui debita cum benedictione venerata eſt, ille ipſum dominum eſſe qui in vtero virginis portaretur intellexit: & quia lingua necdum valuit, animo exultante ſalutauit, officiumque ſuæ præcurſionis quàm deuote, quam libenter iuuenis eſſet impleturus, & antequam naſceretur aduenienti domino quibus valebat indiciis intimauit:
Luc. 1. Aderat nanque tempus quo impleretur angeli ſermo quem dixerat, quia ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. *Repleta eſt ergo ſpiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit voce magna.* Rectè voce magna, quia Dei dona cognouit: rectè voce magna, quia illum quem vbique præſentem nouerat, etiam corporaliter adeſſe ſentiebat. Magna etenim voce non tam clamoſa quàm deuota intelligendum eſt. Neque enim modicæ vocis deuotione dominum laudare valebat, quæ ſpiritu ſancto plena flagrabat: quæ & illum in vtero geſtabat, quo in natis mulierum maior nemo eſt: & eum adueniſſe gaudebat, qui conceptus ex carne matris virginis filius altiſſimi vocaretur, & eſſet. *Exclamauit autem, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Non ſolum benedicta inter mulieres, ſed inter mulieres benedictas maiori benedictione ſpecialiter inſignis. Benedictus fructus ventris tui. Nec ipſe generali
Rom. 9. ſanctorum more benedictus, ſed ſicut Apoſtolus ait, quorum patres & ex quibus Chriſtus ſecundũ carnẽ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in
Psal. 84. ſecula. De huius ortu fructus Pſalmiſta myſtico ſermone teſtatur, dicens: Etenim dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Dedit quippe dominus benignitatem, quia genus humanũ à reatu præuaricationis per vnigenitum ſuum liberare diſpoſuit: dedit benignitatem, qui eius ingreſſui virginalis vteri tẽplum ſpiritus ſancti gratia conſecrauit. Et terra noſtra dedit fructum ſuum, quia eadem virgo quæ de terra corpus habuerat filium genuit diuinitate quidem Deo patri coæqualem, ſed ſibi carnis ve-
Esaiæ 4. ritate conſubſtantialem. De hoc & Eſaias humanæ redemptionis tempus intuens, ait: In illa die erit germen domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis. Germen nanque domini fuit in magnificentia & gloria, cum ſempiternus Dei filius in carne temporaliter apparens, magnitudine virtutum cæleſtium mundo clarus effulſit. Fructus quoque terræ ſublimis effectus eſt, quando carnem quam de noſtra natura Deus mortalem ſuſceperat, virtute reſurrectionis immortalem iam redditam ad cęlos ſublimauit. Rectè ergo dicitur, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Benedicta eſt enim incomparabiliter, quę & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & coronam integritatis ſeruauit. Benedicta inter mulieres, per cuius partum virgineum à natis mulierum maledictio primę matris excluſa eſt. Benedictus fructus ventris illius, per quem & ſemen incorruptionis, & ſupernæ hæreditatis quam perdidimus in Adam, fructum recepimus.

Et vere ac ſingulariter benedictus, qui non noſtro more poſtquam natus eſt gratiam à domino benedictionis percepit, ſed ipſe ad ſaluandum mũdũ benedictus venit in nomine domini. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?* O quãta in propheteſſæ mẽte humilitas, quam verus ſermo domini quem dixit, Super quem requieſcet Esaiæ 66.
ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea? Matrem quidem domini quæ ad ſe venerat, mox vt vidit eſſe cognouit, ſed nihil in ſe talis meriti reperiens, quo digna fieret à tanta hoſpite viſitari. *Vnde hoc mihi*, inquit, *vt mater domini mei veniat ad me*: quia nimirum ipſe ſpiritus, qui ei prophetię donum contulit, in vnus pariter humilitatis præſtitit. Prophetico repleta ſpiritu genitricem ad ſe aduentaſſe ſaluatoris intellexit, ſed humilitatis ſpiritu circumſpecta minus dignam ſe eius aduentu deprehendit. *Ecce enim facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo.* Intellexit Elizabeth eodem quo impleta erat ſpiritu reuelante, quid illa exultatio ſui ſignificaſſet infantis, hoc eſt illius veniſſe matrem, cuius ipſe præcurſor ac demonſtrator eſſet futurus. Et quàm miranda, quàm cita ſancti ſpiritus operatio. Nulla quippe in diſcendo mora eſt, vbi ſpiritus ſanctus doctor adeſt. In vno eodémque momento cum voce ſalutantis gaudium naſcitur infantis, quia dum vox ad aures peruenit corporales, virtus ſpiritalis cor intrauit audientis, nec ſolum genitricem, ſed & ſobolem amore domini aduenientis accendit. Vnde mox eadem præcurſoris domini genitrix ea quæ in occulto cognouerat, his qui ſimul aderant & audiebant palam euangelizare curauit. Nam ſubdit: *Et beata quæ credidit, quoniã perficientur in ea quæ dicta ſunt ei à Domino.* Nam & hoc quoque per ſpiritum didicit Elizabeth, quæ angelus ad Mariam verba protulerit, quòd illa mox euangelizanti crediderit, quòd hæc diuina operante potentia abſque vlla eſſent dubietate complenda. Mirúmque in modum idem ſpiritus eam cum repleuit, præſentium ſimul præteritorum & futurorum ſcientia inſtruxit. De præſentibus nanque ſe edoctam monſtrauit, cùm beatam Mariam matrem domini ſui vocans, quia redemptorem humani generis in vtero geſtaret indicauit. Vnde etiam fructum ventris eius ſingulariter benedictum eſſe profeſſa eſt. Præteritorum ſe noticiam accepiſſe ſignauit, quæ & verba angeli ad Mariam, & conſenſum Mariæ credentis ſibi innotuiſſe prodidit. Sed & futurorum ſcientiam ſibi non negatam intimauit, cum perficienda à Domino quæ ei dicta eſſent aperuit. Quis autem fratres mei dicere, quis æſtimare ſufficiat, quæ tunc gratia ſpiritus Dei genitricẽ repleuerit, cum tanta in matre præcurſoris lux doni cæleſtis emicuit? Verum audiamus verba quæ dixit, ſi forte ex his valeamus aliquantulum dignoſcere quid intus habuerit. Audita ergo reſponſione Elizabeth qua eam beatam inter mulieres prædicauit, matrem domini ſui cognominauit, fide fortem laudauit, ad cuius ingreſſum ſeipſam cum filio ſpiritu ſancto repletam eſſe ſignauit, nõ amplius tacere potuit dona quæ perceperat, ſed quæ ſemper animo gerebat vbi aptum tempus inuenit, etiam deuota oris profeſſione patefecit. Namque vt virginalem decebat pudorem, acceptum diuinitus oraculum aliquandiu ſilentio tegebat, arcanum myſterij

ſterij cæleſtis in ſui pectoris abdito venerabatur occultum, expectabat reuerenter donec ipſe donorum diſtributor quid ſibi doni ſpecialis tribuiſſet, quid ſecreti reuelaſſet, quandocunque vellet oſtenderet. At poſtquam eadem quæ ſibi erant charismata præſtita per alios ſpiritu reuelante eſſe patefacta cernebat, mox ipſa etiam theſaurum cæli, quem in corde ſeruabat, aperuit. Ait ergo: *Magnificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quibus profectò verbis primo dona ſibi ſpecialiter conceſſa confitetur, deinde generalia Dei beneficia quibus generi humano in æternum conſulere non deſiſtit enumerat. Eius autem anima dominum magnificat, qui omnes interioris hominis ſui affectus diuinis laudibus ac ſeruitiis mancipat, qui obſeruantia præceptorum Dei ſemper eius potentiam maieſtatis ſe cogitare demonſtrat. Eius ſpiritus in Deo ſalutari ſuo exultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla aduerſitas frangit, ſed ſola illius à quo ſalus ſperatur æterna ſui conditoris memoria delectat. Quæ cum omnibus perfectis verba rectè conueniant, maximè tamen ea beatam Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti priuilegio ſingularis ſpiritali ipſius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ iure in Ieſu, id eſt, in ſalutari ſuo ſpeciali præ cæteris ſanctis gaudio potuit exultare, quia quem perpetuum ſalutis autorem nouerat, hunc ipſum temporali ortu de carne ſua naſciturum eſſe ſciebat, quatenus in vna eadémque perſona veraciter & ſuus filius eſſet & dominus. Quæ ſequentibus quoq; verbis quàm vilia de ſe ipſa ſenſerit docet, & quod omne quicquid boni meriti habuit, hoc ſuperna gratia largiente perceperit, dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, &c.*

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulg. ſuperioris Euang. expoſitio.

EXurgens autem Maria in diebus illis, &c. Quum accepiſſet ab angelo, quod concepiſſet Elizabeth, ſtatim abiit ad illam & gaudens de bono cognatæ, & volens vt prudentiſſima maiore certitudine certior reddi, cùm vera dixiſſet, qui apparuerat ei, vt ea hoc nec de ſuo dubitaret. Prudens enim cum eſſet, timebat ne forte deciperetur, & non vt incredula, ſed vt diligens rem explorare volebat. Zacharias itaque in montanis habitat, & propterea illuc abit. At Ioãnes, ſuſcepto ſingulari ſupra reliquos homines gaudio, exultat in vtero matris. Vnde & maior eſt prophetis. Nam alij quidem prædixerunt futura, poſtquam nati ſunt, ille autem, quum adhuc eſſet in vtero matris, gratiam talem aſſequutus fuit. Vide enim: Salutauit virgo Elizabetham, hoc eſt, prior alloquuta eſt. Vox itaque virginis vox erat incarnati in illa Dei, & idcirco etiam præcurſorem in vtero gratia proſequutus eſt, & prophetam fecit. Quæcunque enim dixit Elizabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Elizabeth ſed infantis: os autem Elizabeth tantum miniſtrauit, ſicut & os Mariæ miniſtrauit filio Dei, qui in vtero eius erat. Quippe cum exultaſſet puer in vtero, tunc impleta eſt ſpiritu Elizabeth. Niſi enim puer exultaſſet, non prophetaſſet illa. Itaque ſicut dicunt prophetas primum mente excedere, & diuinum quid pati, ac tum denique prophetizare: ita & Ioannes forte prius ſaltauit, vt diuinum quiddam patiens, poſtea per os matris prophetizauit. Quid prophetizauit? *Benedicta tu in mulieribus.* Deinde quia multæ ſanctæ mulieres pepererunt improbos, vt Rebecca Eſau, dicit: Sed & fructus ventris tui benedictus. Aliter quoque intelligi poteſt, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Benedictus enim ſolus Deus ſicut & Dauid dicit, Benedictus qui venit. Conſueuit enim ſcriptura coniunctionem, Et, pro enim, accipere: vt da nobis auxilium, & vana ſalus hominis, hoc eſt, vana enim ſalus hominis. Et iterum, Tu iratus fuiſti, & nos peccauimus. Fructum autem ventris Dei genitricis dicit Dominum, & ideo ſine viro conceptum. Pueri enim alij, fructus ſunt patrum: Chriſtus vero ventris Mariæ fructus; ipſa enim ſola hunc fructum protulit. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini, &c.* Sicut poſtea Ioannes Chriſtum quum veniſſet vt baptizaretur, prohibuit propter reuerentiam, dicens, Ego nõ ſum dignus: ſic & nunc per matrem ſuam loquitur. *Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me*, prius quam pariat Dominum, matrem vocãs eam, quę in vtero gerebat. Alias enim prius quam pariant, non ſolemus matres vocare propter metum abortiendi: in virgine autem nihil tale ſuſpicari oportebat, & idcirco prius quam pariat, mater. Et beata es tu, ô Maria, quæ credidiſti; quia implebuntur ea, quæ à Domino tibi dicta ſunt. *Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum, &c.* Virgo certior reddita de fœtu concepto, glorificat Deum, illi miraculum attribuens, non ſibiipſi. Attẽde autem, quod primum magnificat anima mea Dominum, & deinde ſpiritus exultat: vt ſimile quid dicam magnificas Deum, qui dignè iuxta Deum ambulas, vocatus Chriſtianus, non attenuans nomen, & dignitatem Chriſti, faciendo quod non oportet, ſed magnificans operando magna, cæleſtiaque opera. Et tunc etiam ſpiritus tuus exultabit, hoc eſt, ſpirituale donum, quod accepiſti per egregia opera, exultabit, & proficiet, & non contrahetur, & (vt ita dicam) mortificabitur. Scies præterea videri ſcripturam ſimpliciter iſtud dicere ſpiritum, & animam, propriè tamen differt. Animalem enim hominem dicit eum, qui iuxta naturam viuit, & humanis rationibus regitur, ſi quando eſuriens comedat, odio habeat inimicum, & in ſumma, ſi nihil ſupra hominem appareat: ſpiritualem verò qui tranſcendit leges naturę, & non humano more ſapit. Et hæc eſt differentia animę, & ſpiritus in ſcriptura. Medici forſitan hęc aliter diſcernunt, ſed nobis ſcriptura cordi eſt, medici verò valeant.

Non quidbus chenetur veluti arreptu, nihil intelligentes eorum quæ dicant; ſed quod ad diuinam præſentiã matris moti afficiuntur.
Gen. 25.
Pſal. 19.
Eſa. 64.
Pſal. 117.
Matth. 3.
Inf. 3.
1. Cor 2. 15.
Galat 6.
Eph. 1.
Coloſ. 1.

EVTHYMII ZIGABONI ſuperioris Euang. expoſitio.

EXurgens autem Maria, &c. Montana erat Iudææ ciuitas, in qua habitabat Elizabeth. Abiit autem illuc diuino prægnans ſpiritu, vt infante in vtero Elizabeth exultante, & illa prophetante, maiorem acciperet certitudinẽ. *Et ſalutauit Elizabeth.* Compellauit, vt moris erat. *Et factum eſt, vt audiuit Elizabeth, &c.* Chriſtus quidem loquutus eſt per os ſuæ matris, Ioannes autem audiuit per au-

res

res suæ matris;& , agnito supernaturaliter Domino suo,exultatione illum prędicauit:infans enim, qui in vtero ferebatur virginis,prophetica statim gratia donauit infantem , qui in vtero gestabatur sterilis,*Et impleta est spiritu sancto,&c.* Ab infante, qui erat in sterili , prædicatur infans qui erat in virgine , à sterili vero virgo Christo siquidem reuelato ei , qui in vtero Elizabeth impletus erat spiritu sancto,impletur & ipsa:& quæ propheiam in vtero gestabat , etiam vaticinatur,ac benedicit & virginē,& fructum ventris eius. *Et vnde hoc mihi,vt veniat mater Domini mei ad me?* Vnde mihi res hæc inopinata?Sicut enim postmodum filius Elizabeth,veniente ad ipsum Christo , indignum se tali Domini accessu dicebat : ita quoque nunc mater ipsius indignam sese fatetur tali Dominæ accessu. Matrem autem etiam ante partum eam nominauit,& Dominum eum,qui ex illa nasciturus erat:attestans angeli verbis,idq́ue efficiens,vt sermonibus eius firmius virgo crederet.*Ecce enim vt peruenit vox salutationis tuæ,&c.Præ gaudio,*vt pote sentiens iam hominum salutem , ac de ea gaudens. *Et beata est, quæ credidit , quoniam perficientur ea,quæ illi dicta sunt à Domino.*Beatam prædicat Mariam,quæ iis fidem habuerit , quæ sibi à Domino per angelum dicta sunt. Præcognouit enim Elizabeth etiam ea , quæ dicta erant, & quòd virgo credideráť. Itaque aliæ quoque steriles genneraut , at nunquam earum infans prophetica gratia dignus habitus fuerat , quum adhuc in vtero matris gestaretur. Facta sunt ergo circa hanc sterilem admiranda,vt etiam crederentur,quæ circa hanc facta sunt virginem maxime supernaturalia. *Et ait Maria,Magnificat anima mea Dominum.Magnificat,*hoc est,benedicit,glorificat.Est autem hic sermo credentis,ac gratia agentis. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutatore meo.* Spiritum rursus animam intellige.Gauisa est,inquit,anima mea in Deo,qui me saluam fecit:iam enim salua facta sum,quę digna habita sum,vt fierem mater Dei.

Hac causa nō est admodum probabilis,nā B.virginē nō fluctuasse in fide,certū est.



IN OCTAVA SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.



MATTH. 14.

N illo tempore: iussit Iesus discipulos ascendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum , donec dimitteret turbas. Et di-

a Sic qui benè erat, mentem sursum à terrenis eleuat. b Non pro se sed pro nobis. c Nocte tribulationis appropinquante dissimulat opem ferre.

missa turba,ascendit in ^a montem solus ^b orare.^c Vespere autem

d Dum Iesus abierat. e Significat labores Ecclesiæ in hoc seculo, dum tendit ad patriam.

facto ^d solus erat ibi.^e Nauicula autem in medio mari iactabatur

f Malorum spirituum flatus.

fluctibus. Erat enim contrarius ^f ventus. Quarta autem vigilia noctis , venit ad

g Et si pondus carnis habens, comprimens pressuras seculi.

eos ambulans supra ^g mare. Et videntes eum supra mare ambulantem turbati

h Magni timoris indicium est confusus clamor, & incerta vox

sunt, dicentes quia phantasma est.Et præ ^h timore clamauerunt. Statimque Ie-

i Quia propè est omnibus timentibus eum. k Contra desperationem. l Non phantasma.

sus ^i locutus est eis : ^k Habete fiduciam ^l ego sum nolite timere. Respondens

m Quia vbique ardentissimæ fidei est. n In persona præsentis ecclesiæ, & laborantis. o In sua iussione, fiunt aquæ solidæ , & corpus leue contra naturam.

autem ^m Petrus ^n dixit:domine si tu es ^o iube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de nauicula , ambulabat super aquam , vt

p Persecutionem vehementem.

veniret ad Iesum.Videns verò ^p ventum validum timuit.Et cùm cœpisset mer-

q Impendens auxilium, quia non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.

gi,clamauit dicens:domine saluum me fac. Et continuò Iesus ^q extendens ma-

r Quia vel parum timuit. Ardebat fides, sed humana infirmitas in profundum trahit, & in hoc ei ostenditur, quod domino non sit æqualis.

num apprehendit eum,& ait illi:Modicæ fidei quare ^r dubitasti? Et cùm ascen-

s Nautæ & vectores.

disset in nauiculam cessauit ventus.^s Qui autem in nauicula erant,venerunt, & adorauerunt eum dicentes:verè filius Dei es.

GLOS

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangel.

Ioan. 6.  *Visit Iesus, &c.* Quia vt ait Ioannes, venturi erant, vt facerent eum regem, qui miraculum panum viderat, quos fugit, docens nos fugere de bonis nostris fauorem. Crucifixoribus verò promptus occurrit, vt parati simus ad aduersa, cauti ad blanda, pro quibus ne nos emolliant oremus. *Praecedere trans fretum, &c.* Quo praecederent Marcus ostendit, ad Bethsaidam, quae est in Galilaea, ciui-
Marc. 6. tas Andreae & Petri & Philippi prope stagnum Genezareth, quod dicitur & mare Galilaeae. Dicitur & Tyberiadis à ciuitate Tyberiade. Sed quomodo dicit Marcus, peracto miraculo panū, isse ad Tyberiadem, cùm Lucas dicat hoc ipsum factum fuisse, in locis Bethsaidae? Sed Lucas ait in desertis locis, non vicinis ciuitati, tamē pertinentibus ad eam. Marcus de ipsis confinibus ciuitatis, vnde Lucas non dicit in desertum locum, qui est Bethsaida, sed qui est Bethsaidae: Ioannes autem dicit manducasse panem iuxta Tyberiadem, & inde Discipulos venisse trans mare in Capharnaum, quae ambę sunt ciuitates in Galilęa. *Ascendit montem, &c.* Pauit turbam vt Deus, ascendit orare vt homo. Non quòd omnia non haberet in potestate sed vt formam hominis impleret. In hoc officium pietatis est, sequitur insigne potestatis miraculum. *Vespere autem facto, &c.* Meritò dicitur haec tempestas esse in vespere; quia dùm Ecclesia in tribulatione est, dicitur esse quasi in nocte, & Sol iustitiae se abscondisse videtur. *Nauicula autem, &c.* Nauis in medio mari, solus Iesus in terra, quia aliquando ita est Ecclesia non modo afflicta, sed & faedata vt prorsus videatur derelicta à Deo, sed Deus eam non relinquit. Vnde Marcus ait: vidit eos laborantes in remigando. Etsi non praesens, etsi differt, tamen videt & corroborat. *Quarta autem vigilia.* Tota nocte periclitātur, quia cùm se homo considerat, nihil inuenit nisi tenebras angustiarum, & aestus hostium. Sed quarta vigilia Dominus venit, id est iam diluculo, cùm mētem ad Dei praesidium erigit, quasi inter tenebras, ortum luciferi videt, qui diem nunciat. Lucifer ad plus tres horas noctis, id est totam vigiliam matutinam illuminat. Adest Dominus qui sopitis periculis protegit. *Venit ad eos.*
Marc. 6. Marcus ait: Volens praeterire eos, pro quibus tamen liberandis venit. Quod fit vt ad horam turbati, sed mox liberati ampliùs stupeāt, & gratias agant: quod idem saepè fit in passionibus Sanctorum. *Et videntes, &c.* Quia saepè fit eùm aliqua subitò diuinae tribulationis oritur sedatio, non statim vera credatur liberatio. Ideòque permanēte priore formidine intensa, ad liberationem dirigitur oratio. *Ego sum nolite timere.* Non supponit quis, quia ex voce sibi nota poterat eum cognoscere. Vel quia ipse est qui dixit; Qui est misit me
Exod. 3. ad vos. *Domine si tu es, &c.* Si tu es ille liberator, iube me venire ad tuam imitationem, superando pressuras. *Et descendens, &c.* De humano desperans adiutoriu, mente caleat pressuras, vt Iesu fit conformis. *Ambulabat super aquas.* Ecce homo super aquas ambulat. Ne ergo dubites Christum, verum corpus esse, quia super aquas ambulauit. Super marę ambulare facit, vt ostēdat diuinam potestatem. Mergi facit ne infirmitatis obliuiscatur, ne putet se aequalem Deo, & ne superbiat. *Et cum coepisset, &c.* Paululum relinquitur tentationi, vt augeatur fides, vt enim credit se eius imperio posse fluctibus sustentari, sic dùm mergitur, posse eius virtute saluari. *Cessauit ventus, &c.* In quocūque Deus per gratiam adest, mox vniuersa bella quiescunt. *Et adorauerunt.* Viso signo Filium Dei confitentur, cur ergo Arrius creaturam Dei esse praedicat?

CATENA AVREA
in idem Euang.

Iussit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & praecedere eum trans fretum, &c. Chrysostomus. Diligentem examinationem eorum quae facta erant tradere volens, eos qui praemissum signum viderant, insiit à se separati: quia & si praesens visus fuisset phantasticè, & non in veritate fecisse miraculum demonstraretur: non tamen vt absens. Et ideo dicitur, *Et statim compulit Iesus, &c.* Hierony. Quo sermone ostenditur inuitos eos à domino recessisse, dùm amore praeceptoris ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari. Chryso. Considerandum autem quòd cùm Dominus magna operatur, dimittit turbas, docens nos nusquam gloriam multitudinis prosequi, neque attrahere multitudinem. Et iterum docet, non debere turbis nos commiscere continuè; neque fugere multitudinem semper, sed alterutrum vtiliter facere. vnde sequitur. *Et dimissa turba, &c.* In quo nos docet quia solitudo bona est, cùm nos Deum interpellare oporteat: propter hoc etiam ad desertum vadit, & ibi pernoctat, dùm orat, erudiens nos in oratione tranquillitatem quaerere, & à tempore, & à loco. Hieron. Quia autem ascendit solus orare, non ad eum referas quidem, qui quinque panibus quinque millia hominum satiauit, sed ad eum qui audita morte Ioannis secessit in solitudinem, non quòd personam Domini separemus, sed quòd opera eius inter Deum hominémque diuisa sunt. Augus. de con. Euang. Potest autem hoc videri contrarium, quòd Matthaeus dimissis turbis eum dicit ascendere in montem vt illic solus oraret. Ioannes autem in monte fuisse, cum easdem turbas pauit. Sed cū & ipse Ioan- Ioan. 6.
nes dicat post illud miraculum fugisse eum in montem; ne à turbis teneretur, quę eum volebant facere regem: vtiq; manifestum est quòd de monte in planiora descenderat, quando illi panes ministrati sunt, nec illud repugnat quod Matthaeus dixit; Ascendit in montem solus orare. Ioannes autem; Cum cognouisset, inquit, quòd venturi essent vt facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus, neq; enim causa orandi, contraria est causae fugiendi: quandoquidem & hinc Dominus docet hanc esse nobis magnam causam orandi, quando est causa fugiendi. Nec illud contrarium est quòd Matthaeus priùs dixit eum iussisse ascendere discipulos in nauiculam, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solus orare. Ioannes verò priùs eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde; *Vt autem serò factum est,* inquit, *descenderunt discipuli eius ad mare, & cū ascendis. in. &c.* Quis enim non videat hoc recapitulando Ioannem posteà dixisse factum à discipulis,

quod

quod iam Iesus iusserat antequã fugisset in montem? Hieron. Rectè autem quasi inuiti & tractantes Apostoli à Domino recessetant, ne illo absente naufragia sustinerent. Sequitur enim: *Vespere autem facto, &c.* Chrysost. Rursus autem discipuli tempestatem sustinent sicut & priùs: sed tũc quidem habentes eum in nauigio hoc passi sunt, nũc autem soli existentes. Paulatim enim ad maiora eos ducit, & ad ferendum omnia viriliter instruit. Hierony. Domino quidem in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur & turbat mare, & periclitantur Apostoli: & tandiu imminens naufragium perseuerat, quandiu Iesus veniat. Chrysost. Tota autem nocte dimittit eos fluctuari: erigens eorum cor post timorem, in maius sui desiderium immittens eos, & in memoriam continuam, propter hoc non confestim eis astitit, vnde sequitur: *Quarta autẽ vigilia noctis, &c.* Chrysost. Stationes enim & vigiliæ militares in trina horarum spatia diuiduntur. Quando ergo dicit, Quarta vigilia noctis venisse ad eos dominum, ostendit tota nocte periclitatos. Chrysost. Erudiens eos non citò solutionem inquirere aduenientium malorum, sed ferre ea quæ contingunt viriliter. Quando autem putauerunt erui, tunc intensus est timor, vnde sequitur: *Et videntes eum, &c.* Semper enim hoc Dominus facit, cum soluturus sit mala aliqua, difficilia & terribilia inducit. Quia enim non est longo tempore tentari cum finiendi sunt agones iustorum, volens ampliùs eos lucrari, auget eorum certamina: quod in Abraham fecit, vltimum certamen tentationum filij ponens. Hiero. Confusus autem clamor, & incerta vox, magni clamoris indicium est. Si autem iuxta Marcionem & Manichæum Dominus noster non est natus ex virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent ne phantasmata videant? Chryso. Christus ergo non priùs se reuelauit discipulis, donec clamauerunt: quantò enim magis intendebatur timor, tantò magis lætati sunt in eius præsentia, vnde sequitur: *Statimque Iesus locutus est eis, dicens: habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Hoc autem verbum & timorem soluit, & fiduciam præparauit. Hierony.

Exod. 3. Quia autem dicit; Ego sum, nec subiungit, quis sit: vel ex voce sibi nota poterant intelligere eum, qui per obscuræ noctis tenebras loquebatur: vel ipsum esse scire poterant, quem locutum ad Moysen nouerant: Hæc dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos. In omnibus autem locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque tacentibus cæteris credit se posse facere per voluntatem magistri quod non poterat per naturam, vnde sequitur: *Respondens autem Petrus dixit: Domine, &c.* Tu præcipe, & illicò solidabuntur vndæ: & leue fiet corpus, quod per se graue est. August. de verb. Domini. Non enim possum hoc in me, sed in te. Agnouit Petrus quid sibi esset à se, quid ab illo, cuius voluntate se credidit posse, quod nulla humana infirmitas posset. Chr. Vide autem quantus est feruor, quanta fides, non dixit: Ora, & deprecare, sed iube. Non enim solum credidit quoniam potest Christus ambulare super mare, sed quoniam potest & alios inducere: & cõcupiscit velociter ad eum ire. Hoc enim tam magnum quæsiuit propter amorem solum, non propter ostentationem. Non enim dixit: Iube me ire super aquas sed iube me venire ad te. Patet autem quod cùm in miraculo suprà posito ostenderit quod dominatur mari, nunc admirabilius signum eis inducit, vnde sequitur; *At ille ait, Veni. Et descendens Petrus, &c.** quasi molle & aereum incesserit. Respondeant quomodo ambulauerit Petrus, quem vtique verum hominem non negabunt. Raba. Denique Theodorus scripsit corporale pondus non habuisse Dominum secundum carnem, sed absque pondere super mare ambulasse: sed contrarium fides catholica prædicat. Nam Dionysius dicit, quòd non infusis pedibus corporale pondus habentibus materiale onus deambulabat super vndam. Hiero. Petrus autem quod maius est superans scilicet vndas maris, à minori turbatur, scilicet à venti impulsu, vnde sequitur, videns autem, &c. Talis est enim natura humana, vt multoties in magnis rectè se habens, in minoribus reprehendatur: hîc autem quòd Petrus timuit, differentiam demonstrabat magistri & discipuli, sed alios discipulos mitigabat. Si enim in duobus fratribus sessuris ad dexterã molestati sunt, multò magis hic molestati fuissent, nondũ enim erant spiritu pleni: postea verò spirituales effecti vbique Petro primatum concedunt, & in concionibus præmittunt. Hiero. Paululum etiam relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat se non facultate postulationis, sed potentia domini conseruatum. Ardebat enim in animo eius fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat. August. de ver. do. Præsumpsit ergo Petrus de domino, titubauit vt homo, sed rediuit ad dominum, vnde sequitur: *Et cùm cœpisset, &c.* Nunquid autem dominus desereret titubantẽ, quem audierat inuocantem? vnde sequitur: *Et continuò, &c.* Chrys. Ideo autem non iniũxit ventis quiescere, sed extendens manum apprehendit eum, quoniam illius fide opus erat. Cùm enim ea quæ à nobis sunt defecerint, tum ea quæ à Deo sunt stant. Vt igitur monstraret, quia nõ venti immissio, sed illius modica credulitas periculum operabatur, subditur, *Et ait illi, Modicæ fidei quare dubi.* In quo manifestat, quia neque ventus nocere potuisset, si fides firma fuisset. Sicut autem pullum ante tempus ex nidulo exeuntem & casurum mater alis portans, rursus ad nidum reducit: ita & Christus fecit, vnde sequitur. *Et cum ascen. in na. &c. Verè filius Dei es.* Raba. Quod quidem de nautis intelligendum est, siue de Apostolis. Chrysost. Vide autem qualiter paulatim ad id quod excelsus vniuersos ducebat. Suprà enim increpauit mare, nunc autem magis virtutem suam demõstrat super mare ambulando, & alij hoc idem facere iubendo, & periclitantem saluando, ideóque dicebant ei: *Verè filius Dei es*, quod suprà non dixerãt. Hier. Si ergo ad vnum signum tranquillitate maris reddita (quæ post nimias procellas interdum & casu fieri solet) nautæ atque rectores verè filiũ Dei confitẽtur, cur Arrius ipsum in Ecclesia prædicat creaturam? Aug. de ver. do. Mysticè autem mons altitudo est. Quid autem altius cælo in hoc mundo? Quia verò in cælum ascendit, nouit fides nostra. Cur autem solus ascendit in cælum? quia nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit: quamuis & cum in fine venerit, & nos in cælum leuauerit, etiam tunc solus ascendet: quia caput cum corpore suo vnus Christus, nunc autem solum caput ascendit. Ascendit autem orare,

Locus corruptus videtur, qui facile poterit restitui ex cõmentarijs Hieronymi in eidem Euang.

quia ascendit ad patrem pro nobis interpellare. Hilar. Vel quòd vespere solus est, solitudinē suam in tempore passionis ostendit, cæteris trepidatione dilapsis. Hier. Ascendit etiam in montem solus, quia turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam iuxta mare in littore. Aug. de verb. do. Veruntamen dùm Christus orat in excelso, nauicula turbatur magnis fluctibus in profundo: & quia insurgunt fluctus potest ista nauiculæ turbari sed quia Christus orat, non potest mergi. Nauiculam quippe istam, ecclesiam cogitate: turbulentum mare, hoc seculum. Hilar. Quòd autem nauem conscendere discipulos iubet & ire transfretū, dum turbas ipse dimittit, & dimissis turbis ascendit in montem orare: esse intra ecclesiam iubet & periculum fieri vsque in id tempus quo reuertens in claritatis aduentum populo omni qui ex Israel erit reliquus salutem reddat, eiúsque peccata dimittat, dimissóque eo vel in cæleste regnum potiùs admisso, agens Deo patri gratias in gloria eius & maiestate cōsistat. Sed inter hæc discipuli vento ac mari deferuntur, & totius seculi motibus immundo spiritu aduersante iactantur. August. de verb. do. Quando enim aliquis impiæ voluntatis maximæ potestatis, persecutionem indicit ecclesiæ, super nauiculam Christi grandis vnda consurgit. Raba. Vnde benè dicitur quia nauis erat in medio mari, & ipse solus in terra: quia nonnunquam ecclesia tantis pressuris est afflicta vt eam dominus deseruisse videatur ad tempus. August. de verb. do. Venit autem dominus ad visitandos discipulos suos qui turbabantur in mari, quarta vigilia noctis, id est, extrema parte noctis. Vigilia enim vna tres horas habet, ac per hac nox quatuor vigilias habet. Hilar. Prima igitur vigilia fuit legis, secundæ prophetarum, tertia corporalis aduentus, quarta in reditu claritatis. Aug. de ver. do. Quarta igitur vigilia noctis hoc est penè iam nocte finita, veniet in fine seculi iniquitatis nocte transacta ad iudicandum viuos & mortuos: venit autem mirabiliter. Surgebāt enim fluctus, sed calcabantur: quantumlibet enim potestates seculi consurgant, premit earum caput, nostrum caput. Hilar. Veniens autem Christus in fine inueniet ecclesiam fessam, & Antichristi spiritu & totius seculi motibus inueniet circumactam. Et quia de Antichristi consuetudine ad omnem tentationum nouitatem solliciti erunt, etiam ad domini aduentum expauescēt, falsas rerum imagines metuentes. Sed bonus dominus, timorem depellet dicens: Ego sum, & aduentus sui fide metum naufragij imminentis repellet. Aug. de quæ. euang. Vel quòd dixerunt discipuli phantasma esse, signat quia quidam, qui cesserint diabolo, de Christi aduentu dubitabunt. Quia autem Petrus implorat auxilium à domino ne mergatur, signat quibusdam tribulationibus etiam post vltimam persecutionem purgaturum ecclesiam, quod & Paulus signat, dicens: Saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hila. Vel quòd Petrus ex omni consistentium in naui numero respondere audet, & iuberi sibi vt supra aquas Dominum veniat precatur, passionis tempore voluntatis suæ designat affectum, dum vestigiis Domini inhęrens ad contemnendam mortem conatus est. Sed infirmitatē futuræ tentationis timiditas eius ostendit. Per metum enim mortis vsque ad negandi necessitatem coactus est. Clamor autem eius pœnitentiæ suæ gemitus est. Raba. Respexit Dominus, & ad pœnitentiam conuertit, manum extendit, & indulgentiam tribuit, & sic discipulus salutem inuenit, quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Hila. Quia autem trepidante Petro virtutem perueniendi ad se Dominus non indulsit: sed manu apprehensum sustinuit, hæc est ratio: solus enim passurus pro omnibus omnium peccata soluebat, nec socium admittit quicquid vniuersitati præstatur ab vno. Aug. de ver. Do. In vno etiam Apostolo, id est, Petro in ordine apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia vtrúque genus significandū fuit, id est, firmi in hoc quod super aquas ambulauit, & infirmi in hoc quòd dubitauit. Nam & vnicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? ambulas supra mare, sub pedibus tuis est seculi timor. Amas seculum? absorbet te, sed cum fluctuat cupiditas cor tuum, vt vincas cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem. Rab. Aderit autem Dominus si sopitis tentationum periculis protectionis suæ fiduciā tribuat, & hoc diluculo appropinquare. Cùm enim humana fragilitas pressuris obsita suarum virium paruitatem considerat, erga se tenebras cernit. Cum autem mentem ad supernum præsidium erexerit, repente exortū luciferi conspicit, qui totam vigiliam matutinam illuminat. Nec mirandum si ascendente in nauiculam Domino, ventus cessauit. In quocunque enim corde Dominus per gratiam adest, mox vniuersa bella quiescunt. Hilar. Ascensu etiam Christi in naui, ventum & mare esse sedatum, post claritatis suæ reditum, æterna ecclesiæ pax & tranquillitas indicatur, & quia tunc manifestiùs adueniet, rectè admirantes vniuersi locuti sunt: *Verè filius Dei es.* Confessio enim vniuersorum tunc absoluta & publica erit: Dei filium non iam in humilitate corporea, sed in gloria cælesti pacem ecclesiæ reddidisse. August. de quæst. Euang. Signatur enim claritatem eius tunc manifestam futuram, per speciem iam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

S. HILARII EPISCOPI
Pictauorum superioris Euangelij expositio.

COnscendere post hęc in nauē discipulos pręcepit donec turbam ipse dimitteret, & dimissa turba mōtem conscēdit orare & vespere facto solus erat. Horum ratio distinguēda temporibus est. Quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit, cæteris trepidatione dilapsis. Quod autem nauē conscēdere discipulos iubet, & ire transfretum, dùm turbas ipse dimittit, & dimissis turbis ascendit in montem. Esse intra ecclesiam & per fretum, id est, per seculum ferri vsque in id tempus iubet, Quo reuertens in claritatis aduentu, populo omni qui ex Israël erit reliquus, salutem reddet ipse, eiúsque peccata dimittet: dimissóque vel in cœleste regnum potius admisso, agens Deo patri gratias, in gloria eius & maiestate consistet. Sed inter hæc discipuli vento ac mari differuntur, & totis seculi motibus immūdo spiritu aduersante iactantur. Sed quarta vigilia Dominus venit: quartò enim tum ad ecclesiam vagam & naufragam reuertetur. In quarta enim noctis vigilia, totidem solicitudinis eius numerus reperitur.

ro. Prima enim vigilia fuit legis, secunda prophetarum, tertia corporalis aduentus: quarta autem in [secundo] claritatis sed aduenient fessam, & antichristi spiritu & totius seculi motibus circumactam. Veniet enim maximè anxiis atque vexatis. Et quia de antichristi consuetudine ad omnem tentationum nouitatē soliciti erunt, etiam ad dominum aduentum expauescent, falsas rerum imagines & subrepentia oculis figmenta metuentes. Sed bonus Dominus statim loquetur, dicetque, Ego sum, aduētus sui fide metum naufragij imminentis abspellens, quòd verò ex omnium confitentium in naui numero, respondere Petrus solus audet, & iuberi sibi, vt super aquas ad dominum veniat, precatur: passionis tempore voluntatis suæ designat affectum, tùm cùm solus retrò veniens, & vestigiis domini inhærens contemptis seculi, vt maris motibus, pari ad contemnendam mortem virtute comitatus est. Sed infirmitatem futuræ tentationis timiditas eius ostendit. Nam quamuis incedere ausus esset, tamen submergebatur: per imbecillitatem enim carnis & metum mortis etiam vsque ad negandi necessitatem coactus est. Sed proclamat, & salutem orat à domino. Clamor iste, pœnitentiæ ipsius gemitus est. Nondum enim passo domino in confessionem reuersus est, & negandi veniam habuit in tempore. Christo posteà pro vniuersorum redemptione passuro. Quod autem trepidanti illi non virtutem permanendi ad se dominus indulsit, sed manū extēdit, apprehensūmq; sustinuit, hęc ratio est, Non erat quidem Petrus Domini sui indignus accessu, nam & tentauit accedere, sed & typicus in eo ordo seruatus est. Non enim Domino seculi motus, tempestatésque calcanti quisquam passionis esse particeps poterat: solus enim passurus pro omnibus, omniū peccata soluebat: nec socium admittit, quicquid vniuersitati præstatur ab vno. Ita cùm esset ipse redemptio vniuersorum, erat etiam Petrus antè redimendus ad redemptionis istius fidem cum in Christi martyrē reseruatur. Et hoc in Petro considerandum est, fide eum cæteros anteisse. Nam ignorantibus cæteris primus respondit. Tu es filius Dei viui, primus passionem, dum malum putat, detestatus est. Primus & moriturum se & non negaturum spopondit. Primus lauari sibi pedes prohibuit. Gladium quoque aduersus eos qui Dominum comprehēdebant, eduxit. Ascensu autem eius in nauem ventum & mare esse sedatum: post claritatis suæ reditum, æterna Ecclesiæ pax & tranquillitas indicatur. Et quia tum manifestus adueniet, rectè admirantes vniuersi loquuti sunt: Verè filius Dei est. Confessio enim vniuersorum tum & absoluta & publica erit, Dei filium non iam in humilitate corporea sed in gloria cælesti pacem Ecclesiæ reddidisse.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Comment. in Matt. lib. 2. ca. 14.

IVssit Iesus discipulos suos ascendere nauiculam, &c. Discipulis præcepit transfretare & compulit vt ascenderent nauiculam: quo sermone ostenditur, inuitos eos à Domino recessisse: dum amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo volunt separari. *Et dimissa turba, ascendit in montem, &c.* Si fuissent cum eo discipuli Petrus & Iacobus, & Ioannes, qui viderant gloriam transformati, forsitan ascendissent cum eo. Sed turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam, iuxta mare in littore, & aluerit in deserto. Quòd autem ascendit solus orare: non ad eū referas, qui de quinque panibus quinque millia saturauit hominum, exceptis paruulis & mulieribus: sed ad eum qui audita morte Ioannis secessit in solitudinem: nō quòd personam Domini separemus: sed quòd opera eius inter Deum hominémque diuisa sint. *Nauicula autem in medio mari, &c.* Rectè quasi inuiti & retractantes Apostoli à Domino recesserant, ne illo absente, naufragia sustinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur & turbat mare, & periclitantur Apostoli: & tam diu imminens naufragium perseuerat, quamdiu Iesus veniat. *Quarta autem vigilia noctis, &c.* Stationes & vigiliæ militares, in terna horarum spatia diuiduntur. Quando ergo dicit: quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum: ostēdit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in consummatione mundi eis auxilium præbiturum. *Et videntes eum supra mare, &c.* Si iuxta Marcionem & Manichæu, Dominus noster non est natus ex virgine, sed visus in phantasmate: quomodo nunc Apostoli timent ne phantasma videant? *Et præ timore, &c.* Confusus clamor & incerta vox, magni timoris indiciū est. *Statimque Iesus locutus est, &c.* Quod primum versabatur in causa, hoc curat, & timentibus præcipit, dicens: *Habete fiduciam, nolite timere.* Et quòd sequitur: *Ego sum,* nec subiungit quis sit, vel ex voce sibi nota poterant eum intelligere, qui per obscuræ noctis tenebras loquebatur: vel ipsum esse reputabant, quem loquutum ad Moysē nouerant: Hæc dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. (Exod. 3.) *Respondens autem Petrus dixit &c.* In omnibus locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. (Matth. 16.) Interrogatis discipulis, quem homines dicerēt Iesum, (Ibidem.) Dei filium confitetur. (Matth. 17.) Volentem ad passionem (Matth. 26.) pergere, prohibet; & licet erret sensu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori, quem filiū Dei paulo antè fuerat confessus. In montem cum saluatore inter primos primus ascendit, & in passione solus sequitur. Peccatum negationis, quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lachrymis. Post passionem cùm essent in lacu Genezareth, & piscarentur, & Dominus staret in littore, (Ioan. 21.) aliis paulatim nauigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte suo, statim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque cæteris tacentibus, credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam. Iube me venire ad te super aquas. Id præcipe, & illicò solidabuntur vndæ: leue fiet corpus quod per se graue est. *Et descendens Petrus de nauicula, &c.* Qui putant Domini corpus, ideo non esse verum quia super molles aquas, molle & aëreum incesserit, respondeant quomodo ambulauerit Petrus: quē vtique verum non negabunt hominem. *Videns vero ventum validum, &c.* Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululum ergo relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat se nō facilitate postulationis, sed potentia Domini conseruatum. *Et continuò Iesus extendens manum, &c.* Si Apostolo Petro, de cuius fide & ardore mentis supra diximus, qui confi-

dentet rogauerat saluatorem, dicens. Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas: quia paululum timuit, dicitur: Modicę fidei quare dubitasti? quid nobis dicendum est qui huius modicæ fidei, ne minimam quidem habemus portiunculam. *Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius es.* Ad vnum signum, trãquillitate maris reddita, quæ post nimias procellas interdum & casu fieri solet, nautæ atque vectores, verè filium Dei confitentur, & Arrius in Ecclesiam prædicat creaturam.

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. in præcedens Euang. Homilia.

In Homil. 51. in Matth. operis perfecti. ET *dimissa turba ascendit in montem solus orare, &c.* Cuius rei gratia in montem ascendit? Certè vt nos erudiat, cùm orãdus Deus sit, tũc eremo ac solitudine nobis maximè opus esse. Propterea igitur crebrò deserta petit, & solus orans plerunque pernoctat, vt eius exemplo tam à tempore, quàm à loco tranquillitatem orandi quæramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietus portus, omnis turbationis expultrix. Et ipse quidem his de causis ascendit in montem, discipuli verò iterum procellis & fluctibus vexantur, & tempestate non minori, quàm prius exagitantur, nisi quia tunc in nauigio secum Dominus erat: nunc verò absentia Domini desolati, hyemis acerbitate iactantur. Paulatim enim ad maiora ipsos ita inducebat, vt excelsio cuncta perferre animo discerent: idcirco præsens quidem erat in primo periculo, sed dormiebat, vt nõ longè salutem abesse crederent. Nunc verò firmiorem illorum animum faciens, quum omnino abfit, tempestate ipsos per totam noctem laborare permittit, vt hyemis & temporis terrore perculsi, magis ipsum desiderarent, & firmam eius atque perpetuam memoriam retinerent. Propterea nec confestim periclitantibus succurrit, sed quarta vigilia in mari ambulans venit ad ipsos: erudiens eos, non à se citò solutionem calamitatum quærendam, sed magno animo aduersa perferenda. Verùm quoniam iam confestim se liberatum iri crediderunt, tunc maior eis timor calamitatum erat. Hoc verò nunc obseruat, vt quando vrgentia mala expulsurus sit, tũc grauiora & terribiliora inducat: quod etiam tunc accidit. Ad hyemis enim terrorem non minor a visu terror accessit: propterea nec tenebras omnino dissoluit, nec se statim manifestauit, vt quod dixi, periculorum

Iob 4. frequentia fortiores redderentur. Hoc & in Iob factum fuisse videmus. Nam quum tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico de liberorum morte, non de verbis vxoris, sed de fœtorum atque amicorum opprobrijs. Similiter quando de peregrinatio-

Gen. 31. nis affl[...]ione Iacob illum liberabat, maior turbatio accidit: socer enim eum persequutus mortem minabatur, & paulò post frater successit, qui maiorem illi timorem incussit. Nam quoniam ferre iusti homines non possent, si longo tempore atque acerrimè tentarentur, quum pericula euasuri sint: tunc vt maiora mereãtur, maiora

Gen. 22. inferri permittit certamina. Id etiam in Abrahamo factum non ignoramus: vltima enim atque terribilis i[l]la tentatio fuit, qua immolatione fil[i]j augebatur. Sic enim quæ intolerabilia sunt, tolerari poterunt, si iu[x]t[a] tentationum finem illa ta velociter dissoluãtur. Hoc igitur tunc etiã factũ videmus. Nec enim prius se C[hri]stus reuelauit, quàm magnitudine terroris superati, vno om[n]es voce clamitassent. Qua ex re: Lætior enim atque gratior præsentia eius illis apparuit. cũ enim c[l]amassent, ait: *Statim loquutus est Iesus ipsis: dicens: Habete fiduciam, ego sum nolite timere.* His verbis timor omnis solutus, fiduciæ ac certæ spei locum reli[n]quit. Nam cùm visu ipsum nõ cognouisset, partim propter noctis tenebras, partim etiam quia nunquam auditum fuit super aquas hominem ambulasse, voce seipsum manifestauit. Quid igitur Petrus, qui semper feruentissimus fuit, & vbique ante alios prosiliebat? *Domine*, inquit, *si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Non dixit, ora & deprecare Deum vt venire possim: sed iube vt veniam. Vides quàm vehementer arderet? vides quanta fides ipsius etiam tunc esset? Et certè sæpenumer[o] quia maiora petit quàm vires suæ postularent, in periculum incidit, & nunc amore, & non ostentatione expulsus, immensa petiit. Nemo enim ita vt ipse Iesum amabat: propterea nec dixit: Iube vt super aquas ambulem: sed, iube vt ad te veniam. Pariter etiam post resurrectionem fecit. Non enim potuit alios expectare, sed feruore victus præcurrit, non charitatem suam solùm, verum etiam fidẽ ostendens: quia enim credebat, nõ tantummodo Christum super mare ambulare, verumetiam alijs id posse cõcedere, ausus est hoc petere, vt cum eo citius esse posset. *Ipse autem dixit: Veni. &c.* Hoc prioro multò mirabilius, ac ideo post illud etiam cõficitur. Quùm enim inde patuerit in maria ipsum habere imperium, tũc mirabilia peregit. Prius enim ventis solummodo imperauit, nunc verò, & ipse ambulat, & alium ambulare super maria fecit: quod si ab initio fecisset, non singulariter certè Petrus: non enim tantam fidem adhuc habebat, mari se commisisset. Quam ob rem igitur Christus iussit? Quia si dixisset: Petre, non potes, ille amore concitatus cõtendisset: ideo re ipsa eum deterret, vt modestior postea fieret. Ille autem non potuit seipsum detinere, sed descendit, & timore victus, fluctibus obtuebatur. Et timor quidem à vi procellarum, periculum verò à timore originem

Ioan. 6. cepit. Ioannes autem ait, quia voluerunt ipsum in nauigium accipere, & confestim nauigium venit ad terram ad quam ibat: idipsum certè significans ita quũ terrę applicaturus esset, de nauigio ascendit, & ad Iesum ibat, nõ tantũ gaudens: quia super mare ambulabat, quantũ quòd ad Iesum itinere mirabili veniebat. Ita quòd maius erat, super mar[i]a scilicet de nauigio confidenter descẽdere, magno animo fecit: vi autẽ ventorum & impetu fluctuum quòd erat minus, superatus timuit. Naturæ quippe humanę hęc cõditio est, vt difficilioribus n[o]n nunquam superatis, succumbat in minoribus, quod etiam Helias & Ezechiel passus est, M[oyse]s in Ægypto, David in Bethsabee, & nunc P[e]trus terrore tẽpestatis tota nocte vexatus, magna cu[m] fiducia in aquas descendit. ad ventoru[m] a[utem] impetum animi magnitudinem retinere non p[o]tuit, præsertim quum iam propter Christum [...] Nihil certè prodest loco iuxta Christum esse, si fide non sis. Hac de re quantum interest inter magistrum & discipulũ patuit. Hinc cæteri solam[...]

co[...]

[illegible]quod sunt. Nã si in duobus fratribus com[illegible]ant, multò magis id molestè tulissent: no[illegible]m enim gratia spiritus corroborati facilè mouebantur: gratia verò accepta, non tales nempe fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur. Sed cur non imperauit ventis vt cessarent, sed ipse manu extensa accepit eum? Quia videlicet fide ipsius opus esset. Quum enim nosipsi fide deficimus, tunc Dei patrocinia retardātur. Vt ergo ostenderet nō à procellis, neque à ventis, sed à modica fide sua ipsum euerti: ait; Quid hęsitasti modicæ fidei? Nisi enim labefactatus in fide aliquo modo fuisset, etiam ventis facile restitisset: ideirco manu comprehendens cum confirmauit vento spirante, qui donec firma fides erat, nihil nocere potuit. Et sicut quum antequam volare queat si pullus exierit, in terram decidat, mater velociter raptum in nidum restituit, sic tūc Christus in Petro peregit. *Et quū ascendisset in nauiculā, cessauit ventus.* Et priùs quidē dicebant, qualis est homo hic: quia venti obediunt ei: nunc autem nō ita. Nā qui erāt in nauicula veniētes, inquit, adorauerunt eum, dicentes: *Verè filius Dei es tu.* Perpende quomodo paulatim ad sublimius omnes adduxit. Nam & quia ipse ambulauit super maria, & quia alium etiam fecit ambulare, & quia ipsum à periculo liberauit, non paruū eorum fides creuit. Et priùs quidem imperauit mari vt quiesceret: nunc autem sic, sed alio quodā multo mirabiliori pacto omni potentiam suam ostendit, vnde in fidem ducti: verè filius Dei es tu, dicebant. Non igitur increpauit dicentes, imò verò econtrà verba eorum confirmauit, cum maiori potestate quam anteà venientes ægrotos curauit.

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponens. in idem Euang. Homilia 1.

De verbis Domini serm. 13. Math. 14. EVangelium quod recentissimè recitarum est de Domino Christo, qui super aquam maris ambulauit, & de Apostolo Petro qui ambulans timendo titubauit, & diffidēdo mersus, confitendo rursus emersit, admonet nos intelligere mare pręsens seculū esse, Petrū verò Apostolū ecclesię vnicæ typū. Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè vnus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Iesu Christo requirenti, quénam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursúsque Domino interrogante, & dicente: Vos autem quem me Math. 16. esse dicitis? Respōdit Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. Vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait: Beatus es Simon bar Iona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis sed pater meus qui est in cælis. Deinde addidit: Et ego dico tibi: Tanquam diceret, Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus filius Dei viui: & ego tibi, Tu es Petrus. Simon quippe antè vocabatur. Hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur à Domino impositum est, & hoc vt ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus, Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo nō à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hāc petrā quā cōfessus es, super hanc petram, quam cognouisti, dicēs, Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo ecclesiam meam: id est, super meipsum filium Dei viui, ędificabo ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebāt, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego 1. Cor. 1. vero Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificare super Petrum, sed super petram, ego autem sum Christi. Apostolus autē Paulus vbi cognouit se eligi, & Christum contemni, Diuisus est inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur super petram, & non petra super Petrum. Idem ergo Pe- 1. Petr. 20. trus à petra, cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portās, Apostolus principatum tenens continuò post paululū iam audito quòd beatus esset, iam audito quòd Petrus esset, iam audito quòd supra petram ædificatus esset, posteà quàm audiuit futuram domini passionem: quia prædixerat eā citò futurā discipulis suis, displicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitæ fontem. Turbatus est. Absit à te, inquit, Domi- Math. 16. ne, ne fiat istud. Propicius esto tibi Domine, nolo te mori. Petrus dicebat Christo, Nolo te mori: sed meliùs dicebat Christus, Volo pro te mori. Denique continuò reprehendit, quem paulo ante laudauerat, & quem beatum dixerat, Satanam appellat. Redi, inquit, post me satana, scādalum mihi es, nō enim sapis quę Dei sunt, sed quę sunt hominū. Quid nos vult facere ex hoc quod sumus, qui sic culpat quia homines sumus? Vultis scire quid nos velit facere? Audite Psalmū, Ego dixi, dij estis, Psal. 81. & filij excelsi omnes. Sed humana sapiendo, Vos autem sicut homines moriemini. Idem ipse Petrus paulo antè beatus, posteà satanas, In momento vno, infra pauca verba miraris, differentias attende causarū. Quid miraris: quia paulo ante beatus postea satanas? Attēde causam quare beatus, Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus Math. 16. qui in cælis est, Ideo beatus: quia tibi non caro & sanguis reuelauit. Si enim caro & sanguis hoc tibi reuelaret de tuo: quia verò non caro & sanguis tibi reuelauit, sed pater meus qui in cælis est, de meo, non de tuo. Quare de meo? Quia omnia quæ Ioan. 16. habet pater mea sunt. Ecce audisti causam, quare beatus, & quare Petrus. Quare autem illud quod horrescimus, & repetere nolumus: Quare, nisi quia de tuo? Nō enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Hoc intuētes nos Ecclesiæ membrū, discernamus quid de Dei, quid de nostro. Tūc enim nō titubabimus, tūc in petrā fundabimur, fixi & stabiles erimus aduersus ventos, imbres, flumina, tētationes videlicet præsentis seculi, illū tamē videte Petrū qui tūc erat figura vestra, Modo fidit, modo titubat, modo immortalē confitetur, modo timet ne moriatur. Proinde, quia ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos, nec sine firmis potest esse, nec sine infirmis. Vnde dicit Apostolus, Debemus autē nos firmi infirmorum Rom. 15. onera sustinere. In eo quòd dixit Petrus, Tu es Math. 16. Christus filius Dei viui, firmos significat. In eo autē quòd trepidat & titubat, & Christū pati nō vult, mortē timendo, vitam non agnoscendo, infirmos Ecclesiæ significat. In illo ergo vno Apostolo, id est

est, Petro in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrunque genus significandum fuit, id est firmi, & infirmi, quia sine vtroque non est Ecclesia. Hinc est ergo, & quod modo lectum est, *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Si tu es, iube me. Non enim possũ hoc in me, sed in te. Agnouit quid sibi esset à se, quid ab illo cuius voluntate credidit se posse quod nulla infirmitas humana possit. Ergo si tu es, iube, quia cum iusseris fiet. Quod ego non valeo præsumendo, tu potes iubendo. Et Dominus: Veni inquit. Et sine vlla dubitatione Petrus ad verbum iubentis, ad præsentiam sustentantis, ad præsentiam regentis sine vlla cunctatione desiliuit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino. Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux, sed in Domino. Quod nemo potest in Paulo, nemo in Petro, nemo in alio vllo Apostolorum, hoc potest in Domino. Ideo benè Paulus vtiliter se contemnens, illum commendans, nunquid Paulus inquit, pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Non ergo in me sed mecum, non sub me, sed sub illo. Ergo ambulauit Petrus super aquas in iussu Domini, sciens hoc se à se habere nõ posse. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret. Hi sunt firmi Ecclesiæ. Attendite, audite, intelligite, agite. Neque enim agendum est cum firmis alibi vt sint infirmi, sed agendum est cum infirmis vt sint firmi. Multos autem impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo erit adeò firmus, nisi qui se à seipso sentit firmum. Pluuiam volũtariam segregans Deus hæreditati suæ. Quid præceditis, qui quod dicturus sum nostis? Temperetur velocitas, vt sequatur tarditas. Hoc dixi & hoc dico, audite, capite, facite. Nemo à Deo fit firmus, nisi qui à seipso sentit infirmum. Pluuiam ergo voluntariam, sicut Psalmus dicit, voluntariã non meritorum nostrorum, sed voluntariam segregans Deus hæreditati suæ, etenim infirmata est: tu verò perfecisti eam, quia pluuiam voluntariam segregasti, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam. Infirmata est ergo ipsa hæreditas & agnouit se infirmam in se, vt firma esset in te. Non firmaretur, si non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. Vide huius infirmitatis portiunculam, Paulum vide infirmatum qui dixit. Non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Quare ergo Apostolus es? Gratia Dei sum id quod sum. Non sum idoneus, sed gratia Dei sum quod sum. Infirmatus est Paulus tu verò perfecisti eum. Iam verò quia gratia Dei est quod est, vide quid sequatur. Et gratia Dei in me non fuit vacua, sed plus omnibus illis laboraui. Vide ne præsumptione perdas, quod infirmitate meruisti. Benè hoc, benè. Non sum idoneus vocari Apostolus, gratia eius sum quod sum, & gratia eius in me nõ fuit vacua. Omnia optime, sed plus illis omnibus laboraui: quasi tibi cœpisti tribuere, quod paulo antè Deo dederas. Agnosce & sequere. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Benè infirme firmissime eris exaltatus, quia non es ingratus; tu es idem ipse Paulus, in te paruus, in domino magnus. Tu es qui ter Dominum rogasti, vt stimulus carnis Angelus Satanæ à quo colaphizabaris auferretur à te. Quid tibi dictum est, quid audisti quando hoc petisti? Sufficit tibi mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Etenim infirmatus est, tu verò perfecisti eum: sic & Petrus, Iube me, inquit, venire ad te super aquas, homo audio, sed non hominẽ rogo. Iubeat Deus homo vt possit, quod non potest homo. Veni; inquit. Et cœpit ambulare super aquas, & potuit Petrus, quia iusserat petra. Ecce quid Petrus in domino, quid in se? *Videns ventum validum timuit, &c.* Præsumpsit de Domino, potuit de Domino. Titubauit, vt homo, rediuit ad Dominum. Si dicebam, motus est pes meus. Psalmus loquitur, Sancti cantici vox est, & si agnoscamus, & nostra, imò si velimus & nostra est, Si dicebam, motus est pes meus. Quare motus, nisi quia meus? Et quid sequitur? Misericordia tua Domine adiuuabat me, non virtus mea, sed misericordia tua. Nunquid enim Dominus deseruit titubantem, quem audiuit inuocãtem? Vbi est illud. Quis inuocauit Deum & desertus est ab eo? Vbi illud, Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, Continuò porrigens adiutorium dexteræ suæ, leuauit mergentem, increpauit diffidentem. *Modicæ fidei quare dubitasti?* De me præsumpsisti, de me dubitasti? Eia fratres sermo concludendus est. Attendite sæculum quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Vnicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum, absorbebit te. Amatores suos vorare nouit, non portare. Sed cùm fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem. Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est huius sæculi aduersitas? Quãdo enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo euenit priuata calamitas, tunc putatur ventus aduersus, ibi putatur inuocandus Deus. Quando autem temporali fœlicitate secuñ lum arridet, quasi non est ventus contrarius. Nolĩ huic interrogare temporis tranquillitatem, interroga, sed tuam cupiditatem. Vide si tranquillus est in te, vide si non te subuertit ventus interior. Hoc vide, Magnæ virtutis est cum fœlicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat fœlicitas. Magnæ, inquam, virtutis est cum fœlicitate luctari, magnæ fœlicitatis est à fœlicitate non vinci. Disce calcare sæculum, memento fidere te in Christo, & si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic: Domine pereo, libera me. Dic, Domine pereo, ne pereas. Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. Conuersi ad Dominum, Deum patrem omnipotentẽ, puro corde ei, quantum potest paruitas nostra, maximas atque vberes gratias agamus, precantes, toto animo, singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur, inimicum quoque in nostris actibus, & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mẽtem gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat, per Iesum Christum filium suum Dominum nostrum qui cum eo viuit & regnat, &c.

Ephes. 5. 1. Cor. 1. Psal. 67. 1. Cor. 15. 2. Cor. 12. Psal. 9. Ioel. 2.

EIVS

EIVSDEM IN IDEM Euang. Homil. 2.

Ex lib. de verbis Domini in Matt. ser. 14. * al. mencationem. Cum sanctum Euangelium legeretur, audiuimus nauicellam * periclitantem, Christum periclitantibus subuenientem, Petrum venienti Christo occurrentem. In quibus omnibus mira-
Matth. 14. culum expectauimus, mysterium requiramus. Quando enim possumus de diuinis operibus quę leguntur, intellectum alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis fauorum cellis mella prodocimus, vel Christi discipulos imitantes, spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus, & in eis vitam inueniamus. Ascendit ergo Dominus noster Iesus Christus, vt lectum est, in montem solus orare. Mons altitudo est. Quid enim in hoc mundo altius cælo? Quis verò in cælum ascendit, nouit optime
Ioan 3. fides vestra. Cur autem solus ascendit? Quia nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Quamuis & in fine cùm venerit, & nos omnes sua membra collegerit, ac leuauerit in cælum, etiam tunc solus ascendet, quia caput cum corpore suo vnus est Christus. Nunc autem solum caput ascendit, mediator
1. Tim 2. Dei & hominem homo Christus Iesus. Ipse ascendit solus orare, quia ipse ascendit ad patrem, pro nobis interpellare. Veruntamen charissimi, dùm ille orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profundo: quia insurgunt fluctus, potest ipsa nauicula turbari, sed quia Christus orat non potest mergi. Nauicellam quippe istam fratres ecclesiam cogitate, turbolentum mare hoc seculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ potestatis persecutionem inducit ecclesiæ, & quantum in ipso est, Christianum nomen conatur extinguere, super nauicellam Christo grandis vnda consurgit. Sed in his tentationibus erigatur antenna, vt suspensa arbori eruce figuret.
Nauicula Ecclesia. Mare seculum.
Antenna, crux. 1. Pet. 2. Hanc Christus respiciat & non deficiat, quia sicut dicit Apostolus Petrus: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Dicit etiā beatus Ioānes, Sicut
1. Ioan. 3. enim Christus pro nobis animam suā posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere. Huic ergo antennæ, id est, eroci Christi, simplex conuersatio & pura confessio tanquam candentia vela religentur. Et hæc vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, vt sine macula & ruga inueniatur. Quantumlibet mare sæuiat, ventus incumbat inter fluctus & fluctus, nauis ista turbetur tantum, non mergatur & currit. Denique postea quàm nauis hęc ędificata est in Hierusalem, atque inde in medio pelagi huius fremens emissa est, æstuantium volumina vndarum, & furentium flabra ventorum, dùm eam huc atque illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quæcunque inuenit aduexit. Quid enim tam peregrinum in terra nostra quàm per pœnitentiam remissio peccatorum, regnúmque cælorum? & tamen oportebat Christū pati, & resurgere à mor-
Luc 24. tuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Venit ergo Dominus ad visitandos discipulos suos, qui turbabantur in mari quarta vigilia noctis, Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia vna tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distributis. Quarta ergo vigilia noctis, hoc est pene iam nocte finita. Sic veniet in fine seculi, iniquitatis nocte transacta, ad iudicandos viuos & mortuos. Venit enim nunc, sicut audistis, valde mirabiliter, ambulans super aquas: Surgebant fluctus, sed calcabantur. Fremens pelagus sub Domini vestigiis murmurabat, sed tamen eum volens nolens portabat. Quantumlibet tumores seculi potestatésque consurgant, premit eorum caput, nostrum caput. Cùm verò appropinquaret nauiculæ, turbati sunt præ timore discipuli, & exclamauerunt putantes phantasma esse, quibus Dominus ait: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Quid est, ego sum? Non sum phantasma quod putatis, agnoscite quem videtis. Ad hanc vocem exiliit Matth. 14.
Petrus & ait, *Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Si tu es, non minor quod solidam carnem superliquentis elementi terga suspendis. Quid enim mirum, si conditori suo creatura famulatur? Hoc ego non miror, fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac quod mirer, Iube me venire ad te super aquas. Scio enim quod corpus humanum naturæ lege non finitur in fluctibus liquidis habere fixa vestigia, sed accedat donū gratiæ, & paululum cesset lex ista naturæ. Si tu es, iube me venire ad te super aquas. Tu Deus es, ego homo sum, Voluisti de meo habere infirmitatem in carne quam portas, habeam & ego de tuo potestatem vt vnda me portet. Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas, Quomodo enim mihi in mari non erit via si tu iusseris, qui propter nos factus es via? *Et Dominus, veni,* inquit. Nec dubitauit Petrus, audito Domini verbum, & mox cucurrit ad verbum. Citò credidit, quia fidelis homo erat. Sed cùm surrexisset ventus validus titubauit, quia homo erat. Titubatio ista fratres, Titubatio Petri quid obierit.
quasi mors fidei fuit. Sed vbi exclamauit, fides iterum resurrexit, Non ambularet nisi crederet, sed nec mergeretur nisi dubitaret. In Petro itaque communis omnium nostrum considerandā conditio est, vt si nos in aliquo tentationum ventus conatur subuertere, vel vnda submergere, clamemus ad Christum. Quid est clamemus? Oremus, porriget ille manum & eruet de profundo. Etenim manus eius deducet nos, & continebit nos dextera eius, donec nos ad sempiterna sua promissa perducat.

BEDAE VENERABILIS presbyteri in superius Euang. expositio.

Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauem, &c. Ex lib. 1. commentariorum in Marc c. 6
Quare coëgerit discipulos ascendere nauem, & ipse mox dimisso populo in montem oraturus abierit, Ioannes manifestè declarat, qui completa refectione illa cælesti, continuò subiecit. Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vbi necessarium nobis viuendi monstrat exemplum, vt in bonis quæ agimus, humani fauoris retributionem vitemus, neque nos operatio virtutum spiritalium ad concupiscentiam reflectat tēporalium voluptatum. Nou-

 nullis

nullis etenim contigit, vt dum ob meritum vitæ sublimioris mirandi in moribus ac laudabiles existerent, & iure honorandi putarentur, acceptis pecuniis siue prædiis inchoata iustitiæ rudimenta perderent, & cum carnalibus sese illecebris atque auaritia incauti corrumperent, ipsis etiam à quibus honorabantur pro bonis, denuo pro malis actibus non solùm in fastidium, verùm etiam deuenirent in odium. Minúsque multo periculosum est in his quę rectè agimus aduersantium nos improbitate fatigari, quam honorantium fauore demulceri. Hic etenim securiorem sæpe corrumpit animum, illa circumspectum semper reddit & cautum. Vnde Dominus viam nobis vitæ quam sequamur initians, cùm ij qui virtutes eius admirabantur regem eum facere vellent, fugit in montem orare. Cùm verò illi qui virtutibus eius inuidebant eum morti tradere disponerent, occurrit promptus, & vinciendum se cruci [illegible]gendúmque furentibus obtulit, euidenti nos informãs exemplo, vt parati simus ad aduersa seculi toleranda, cauti ad blandimenta, cùm fortè arriserint, declinanda, & ne nos prospera mũdi si affluant, emolliendo decipiant, crebris à domino precibus imploremus. Præcedebant autem Dominum discipuli trans fretum ab Bethsaidam, quæ est in Galilæa ciuitas Andreæ & Petri & Philippi Apostolorum prope stagnum Genezareth, vt in locorum libris inuenimus. Vbi meritò mouet quomodo dicat Marcus peracto miraculo panum discipulos venisse trans fretum ad Bethsaidam, cùm videa- *Concor. Euang.* tur dicere Lucas quòd in locis Bethsaidæ factum fuerit miraculum illud memorabile, & refectio cælestis. Ait enim: Assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida. Quòd cùm cognouissent turbæ, secutæ sunt illum, & excepit illos. Et cætera quæ sequuntur vsque ad completam illam sacræ refectionis historiam. Nisi fortè intelligamus in eo quòd Lucas ait in locum desertum qui est Bethsaida, non ipsius viciniam ciuitatis, sed loca deserti ad eam pertinentis esse designata. Marcus enim dicit aperte quòd præcederent eum ad Bethsaidam: vbi ipsius fines ciuitatis constat esse notatos. Lucas verò qui non dicit in locum desertum quæ est Bethsaida, sed qui est Bethsaida, potest nisi fallor rectè intelligi, quia non ipsam ciuitatem voluerit intelligi: sed locum desertum ipsius, id est ad eius confinia pertinentem. Narrat autem Euangelista Ioannes manducasse panem turbas iuxta Tiberiadem, & ascendentes nauem discipulos venisse trans mare in Capharnaum, quæ ambæ sunt ciuitates in Galilæa iuxta stagnum Genezareth, quòd etiam Tiberiadis a ciuitate Tiberiade vocatur. *Et cùm dimisisset eos, abijt in montem orare.* Non omnis qui orat ascendit in montem: est enim oratio quæ peccatum facit. Sed qui benè orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimioris ascendit. Qui verò de diuitiis, aut de honore seculi aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem Dominus non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit pater in potestate filij: filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Aduocatum enim, inquit *Ioan.2.* Apostolus, habemus apud Patrem Iesum Christum. Si aduocatus est, debet pro meis [illegible]ire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quòd omnia quæ velit possit? Et aduocatus & iudex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. *Et cùm sero esset factum: erat nauis in medio mari, &c.* Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat: quæ inter vndas seculi aduersantis, & immundorum flatus spirituum ad quietem patriæ cælestis quasi ad fidam littoris stationem peruenire conatur. Vbi benè dicitur quia nauis erat in medio mari, & ipse solus in terra. Quia nonnunquam ecclesia tantis gentilium pressuris, non solùm afflicta, sed & fœdata est, vt (si fieri posset) redẽptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Vnde est illa vox eius inter vndas procellasque tentationum ventium deprehensæ, atq; auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis, Vt quid domine recessisti longe, despicis in *Psal.9.* opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici persequentis exponit in sequentibus Psalmi subijciens. Dixit enim in corde suo, *Ibidem.* oblitus est Deus: auertit faciem suam, ne videat vsque in finem. Verùm ille non obliuiscitur orationem pauperum, neque auertit faciem suam à sperantibus in se: quin potiùs & certantes cum hostibus vt vincant adiuuat, & victores in æternum coronat. Vnde hic quoque apertè dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Videt quippe Dominus laborantes in mari, quamuis ipse positus in terra: quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat, & aliquando etiam manifesto adiutorio victis aduersitatibus, quasi calcatis sedatisque fluctuum voluminibus, liberat, sicut hic quoque subsequẽter insinuatur cum dicitur. *Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare.* Stationes & vigiliæ militares in terna horarum spatia diuiduntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis tempore eis auxilium præbitum. Laborabãt ergo toto noctis opacæ tempore, sed diluculo appropinquante, & Lucifero solis dieique exortum promittente, venit Dominus, & superambulatis tumida freti terga comprimit. Quia cùm pressuris obsita fragilitas humana, pusillitatem virium suarum considerat, nihil erga se aliud quàm tenebras angustiarũ, & æstus cernit hostiũ confligentium. Cùm verò mentem ad superni luminis præsidij, & perpetuę dona retributionis erexerit: quasi inter vmbras noctis repente exortum Luciferi conspicit, qui diem proximum nunciet. Lucifer namque cum plurimum, tres horas noctis, id est totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur. Aderitque Dominus, qui sopitis tentationum periculis, plenam libertatis fiduciam suæ protectionis attribuat. *Et volebat præterire eos, &c.* Omnes enim eum viderunt, & conturbati sunt. Adhuc hæretici putant phantasma fuisse Dominum, nec veram assumpsisse carnem de virgine. Deniq; Theodorus Pharanitanus quondam *Theodori hæresis.* episcopus ita scripsit, corporale pondus non habuisse secundum carnem Dominum: sed absque pondere & corpore super mare deambulasse. At contra fides catholica, & pondus secundum carnem

nem habere cum prædicat, & onus corporeum, & cum pondere atque onere corporali incedere super aquas non infusis pedibus. Nam Dionysius egregius inter ecclesiasticos scriptores, in opusculis de diuinis nominibus hoc modo loquitur: Ignoramus enim qualiter de virgineis sanguinibus alia lege præter naturalem formabatur, & qualiter non infusis pedibus corporale pondus habentibus & materiale onus deambulabat in humidam & instabilem substantiam. Quomodo autem volebat Dominus eos præterire tanquam alienos, ad quos de periculo naufragij liberandos aduenerat, nisi vt ad horam turbati & pauentes, sed continuò liberati, amplius ereptionis suæ miraculum stuperent, ac maiores ereptori suo gratias referrent? Quia & in tempestatibus passionum quæ pro constantia fidei a perfidis ingeruntur, talis nonnunquam prouisio diuinitus ostenditur. Sæpè enim ita fideles in tribulatione positos superna pietas deseruisse visa est, vt quasi laborantes in mari discipulos præterire Iesus voluisse putaretur. Vnde est & illud in Psalmista Ecclesiæ in martyrij certamine desudantis: Quare me oblitus es, quare me repulisti, & quare tristis incedo dùm affligit me inimicus? Dùm confringuntur omnia ossa mea, & cætera. Sed dicunt inimici terrentes, vbi est Deus eorum? quasi naufragium fessis minitantes Apostolis. Dicit ipse Deus eorum. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Vnde hîc quoque rectè subditur. *Et statim locutus est eis, & dixit illis. Confidite, ego sum, nolite timere, &c.* Prima trepidantium & periclitantium subuentio est, incussum cordibus expellere timorem. Secunda tempestatum furias suæ præsentiæ virtute compescere. Nec mirandum si ascendente in nauiculam Domino ventus cessauit. In quocunque enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox vniuersa vitiorum, & aduersantis mundi, siue spirituum malignorum bella compressa quiescunt.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Et statim coegit Iesus Discipulos suos intrare in nauim, &c. Vt significaret quam indiuulsi essent à Domino Discipuli, dixit coegit: semper enim ei adesse volebant. Dimittit autem ad turbas, volens spsas subsequi, ne arrogantiæ studiosus videretur. *Et dimissis turbis, ascendit in montem ad orandum seorsum, &c.* Ostendens nobis, quòd oporteat absque distractione mentis precari, in montem ascendit. Omnia enim propter nos facit. Neque enim ipse precibus opus habet. Vesperi autē precatur: docēs quòd nos non statim ab orationibus discedere debeamus, sed & nocte potissimū illis vacare: tunc enim maior quies. Permittit autem Discipulos in tempestate: quo discant tentationes ferre fortiter, suamq; agnoscāt virtutem. In medio autem mari nauigium signat maiorem esse timorem. *Quarta autem noctis vigilia abiit ad illos Iesus, ambulans super mare &c.* Non mox astitit eis, vt tēpestatem sedaret, docens non statim petendam ... atum solutionem, sed ferendas fortiter, ac circa quartam vigiliam. In quatuor enim partes noctem diuidunt custodes, iuxta militarē disciplinam ... per tres horas suam seruantibus ... Dominus autem post nonam horam noctis ambulans supra aquam tanquā Deus astitit. Illi autem rem tam raram ac insolitam spectantes, putabant spectrum esse. Neque enim à specie ipsum cognoscebant, partim propter noctem; partim propter metum. Ille autem animans illos primū eis dixit, Ego sum qui omnia possum facere. *Respondens autem illi Petrus dixit: Domine si tu es, &c.* Feruentissima Petri erga Christum charitas erat, desiderabat enim statim prope illum esse: & præ aliis. Credit autem quòd Iesus nō solum ipse ambularet super aquas, sed & sibi daturus esset hoc; non dixit autem: iube me ire, sed ad te ire, nā illud ostētationis est, hoc autem amoris in Christum. *Iesus autem dixit; Veni, &c.* Substrauit Dominus Petro mare, suam declarans virtutem. Attende, quòd in ... periculo existens, mari ventis ... timuit: ita infirma est humana natura, & statim vt timuit, cæpit submergi: quando enim fides infirma est: tunc in profunda descēdit Petrus. Hoc autem fecit, ne ille superbiret, & alios solaretur discipulos: fortè enim inuiderent, sed & Christus quantum ipsum amet ustendit. *Confestim autem Iesus extenta manu, apprehendit eum &c.* Ostēdens Christus non ventum, sed pusillanimitatem submergendi causam esse, non ventum increpat sed Petrum pusillanimem. Ideo vt apprehensum eum, statuit super aquam præmisso ventu flare. Non omnino autem dubitabat Petrus, sed secundum quid, hoc est, ex parte: nā iuxta id quod dubitauit, incredulus fuit: iuxta id autem quod clamauit Domine, serua me, curauit incredulitatem. Ideo paruæ fidei dicitur, non incredulus. Igitur qui in naui & ipsi metu soluti sunt. C... sauit eum ventus. Et ex his cognito Iesu, confessi sunt eius deitatē. Neque enim hominis est super mare ambulare, sed Dei. Sicut & Dauid dicit: In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis. Iuxta anagogen autem, nauis terra: fluctus vita, à malis spiritibus turbata, nox ignorātia. In quarta igitur vigilia, ad fine seculorū astitit Christus. Prima vigilia, fœdus cum Abraham: secūda, lex Mosi: tertia, prophetæ: quarta, Domini aduētus. Ipse enim seruauit nos, fluctibus agitatus: veniens ad nos, ita vt eum cognosceremus, & vt Deum adoraremus: Vide autem & hoc, quod negationem Petri, & inde eius cōuersionem & pœnitentiam præsignarunt ea, quæ in mari acciderunt. Nam sicut ille dicebat confidens. Non te negabo: sic & hîc. Iube me venire ad te super aquas, sicut tunc permisit negare, ita & hic permittit mergi. Hic manū ei porrexit Dominus, & non permisit eū submergi, ita tunc per pœnitentiam eum a profundo negationis extraxit. Psalm. 76.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Statimque compulit Iesus Discipulos vt conscenderent in nauigium, &c. Quum ab ipso distrahi nullent, compulit illos in nauigium conscendere, & præcedere in vlteriorem partē: ... quidem prætextu, vt ipse relictus dimitteret turbas: in veritate autem, vt secum haberet fragmentorum cophinos

phinos, per otium absente illo curiose fragmenta sciscitarentur, ac confirmarentur, quòd non phãtasticè factum esset miraculum. Nam & propter hoc superfuerant, & oportebat discipulos de ea re certiores fieri supra cæteros, vtpote qui tanquam communes omnium magistri in orbem erant ingressuri. Et hæc quidem vna causa est cur discipulos præmiserit. Altera vero, quia volebat solus in montem ascendere, prout statim subiungitur, docens hinc quòd neque oporteat cótinuè multitudini immisceri, neq; semper fugere multitudinem: sed vtrumque vtiliter efficere. Iam itaque & nos relictis vrbibus earúmque distractionibus, pedites ac leues Christũ sequamur, ad solitudinem siue quietem & silentium ac otium abeuntem, eique assistamus salutaria docti, vt affectuum abstinentia ieiunantes, diuina gratia repleamur. *Quùmque dimisisset turbas ascendit in montem seorsim ad orandum, &c.* Aptus est enim mós ad orationem: nox præterea & solitudo, silentium ac indistractionem præbent, & immobilitatem in
Supra 8. oratione. *Nauis autem iam in medio maris erat, &c.* Nunc rursum discipuli fluctuant ac periclitantur sicut & priùs. Verum tunc quidem quum essent imperfectiores, aderat & ipse ad consolationem, quanquam dormiebat: nũc vero quum iam profecissent aberat, vt nusquam habentes consolationem efficiãtur fortiores. *Quarta autem vigilia noctis abiit ad illos Iesus ambulans super mare.* Marcus
Marc. 6. autem dixit quòd etiam vidit eos laborantes in
Ioan. 6. remigando. Ioannes verò quòd remigrauerant ferme stadia vigintiquinq; aut triginta. Stadium autem locus est siue mensura centum vlnarum, quæ vlna Græce ὀργυιά dicitur, & est manuũ cum pectoris latitudine extẽsio, continens sex pedes. Quartam vero noctis vigiliam nominabant antiqui, qui in exercitibus nocte vigilabant, quartam noctis partẽ, postremas videlicet tres horas. Permisit ergo Christus discipulos ad id vsque tẽpus fluctuare, docens vt fortes efficiamur ad pericula quæ dispensatoriè inducuntur: nec facilem aut velocem quæramus liberationem. Præterea vt mortem præ oculis habentes, & ab ea mirabiliter liberati, agnoscerent Deum esse eum, qui se seruasset: nondum enim perfectam habebant certitudinem: ideo quoque post liberationem adorauerunt eum dicentes, Vere Dei filius es. *Et intuiti eum Discipuli super mare ambulantem turbati sunt dicentes: Spectrum est, &c.* Timorem qui ab vndis erat excipit alter timor: nec hunc soluit donec clamauerunt, vt exercerentur ad secundas tentationum successiones. *Ac protinus loquutus est eis Iesus dicens, Bono animo estote: ego sum nolite terreri.* Quia nocte impediente, à persona eum cognoscere nequiuerunt, sui nunc indicium puta vocem eis inducit, quæ illos vtroque timore liberaret. *Respondens autem Petrus dixit ei: Domine si tu es, &c.* Peruenire ad illum super aquas quærit, vt hinc certior efficeretur, an ipse esset Christus. Potiùs tamẽ dicendum quòd quùm vocem eius percepisset, supra modũ gauisus est, & optabat ante alios ad eum accedere. *Quùmque descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas vt veniret ad Iesum, &c.* Mare quidẽ nũ timuit quanquam fureret: sed de iubentis potentia confisus, audacter ambulabat super aquas, & recta gradiebatur: vento autem magis territus est, ne forte circumagendo eum euerteret. Humanæ enim est humana natura, vt plerúmq; in magnis rectè se gerat: magis autem conuincatur reprehensione digna esse in minoribus. Consequens itaque est, vt debilitata fide, per quam contra fluctus audentior erat, illius destitueretur gratia, quæ leuẽ ipsum efficiebat, & demergeretur. *Et continuo Iesus extensa manu apprehendit eum, &c.* Hæc improperans ostendit quòd nequaquam venti violentia illũ deiiciebat, sed exigua fiducia, hoc est infirmitas dictæ fidei. Exiguæ ergo fidei hominem illum appellauit, vt qui ventum timens, magnam eius partem abiecisset. Dicit itaq; illi: Cur hæsitasti siue: quare primum fiduciam habens, postmodum timuisti? id enim appellauit hæsitationem: nam qui contra fluctus te fortem reddebat, vtique & cõtra ventum te fortem reddidisset. *Quùmque nauim essent ingressi, conquieuit ventus.* Non statim nauim ascenderunt, sed vento vehementer vrgente, longo adhuc spatio ambulauerunt, vt Petrus certior redderetur, & de sua exigua fiducia conuinceretur. Dicit enim Ioannes quòd voluerunt eum sumere in nauim & illico nauis appulit terræ ad quam ibant. Et inde manifestum est quod quum nauis terræ proxima esset, tum demum in eam intrauerunt. *Cæterum qui in naui erant, venerunt & adorauerunt eum dicentes: Vere Dei filius es.* Miraculi magnitudo perfectiorem eis induxit fidẽ. Mare siquidem increpare minus est, quã super illud ambulare: nec solũ eũ super illud ambulare sed etiam alteri id præstare: neque hæc tantum, verùm etiam facere illud quum venti violentia impetuose flaret, ac mare à suo statu submoueret. Sed præsens quidem Euãgelista dicit, quod communiter omnes confessi sunt esse ipsum Dei filiũ, Marcus autem dixit, quod admirati sunt, verum non intellexerunt. Ait enim: Et vehementer supra modum intra se stupebant & admirabantur: neque enim intellexerunt de panibus: nam erat eorum obcæcatum cor. Est autem sensus dictorum huiusmodi, quod supra modum admirabantur eum veluti hominem qui talia posset, quum maxime illum adorare oportuisset, tanquam Deum omnia potentem. Volens autem ostendere quod neque in prædicto panum miraculo se conuertissent ad id quod oportuit, addidit quod non intellexerunt neque de panibus. Adduxit autem causam cur non intellexerunt, dicẽs: Erat cor eorum obcæcatum. Nos tamen dicimus quod simul vt ingressus est in nauim Iesus, cõtigerũt ea quæ dixit Marcus: deinde dissoluta ecclesia, facta sunt ea quæ scripsit Matthæus. Scire enim oportet, quod interdum quidem tenebatur cor discipulorum, nec poterant intelligere: quandoque verò soluebatur & intelligebant: vtrunque autem diuina dispensatione contingebat. Et nos ergo quum demergi cœperimus tempestate perturbationum animi Iesum inuocemus: & continuo porriget etiam nobis auxiliarem manum & extrahet nos.

IN NATALI S. FELICITATIS, ET SEPTEM FRATRVM FILIORVM EIVS.

Euangel. Matth. 12. Explicatum est supra Tomo 2. feria 4. Quatuor temporum in Quadragesima: sed ibi desideratur Homilia S. Gregorij, quæ licèt ex parte pro Euangelij istius expositione prodesse potuisset, propter historiam tamen S. Felicitatis & septem fratrum filiorum eius, quæ huic coniuncta est, huic loco reseruanda erat.

S. GREGORII PAPAE *in idem Euang. Homil.*

Matth. 12. Luc. 8. LOQVENTE *Iesu ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, &c.* Sancti euangelij, fratres charissimi, breuis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus grauida. Iesus etenim conditor & redemptor noster matrem se nosse dissimulat, & quæ ei mater sit, qui propinqui, non per cognationem carnis, sed per coniunctionem spiritus designat, dicens: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quibus nobis verbis quid aliud innuit, nisi quòd obsequentes iussionibus suis multos ex gentilitate colligit, & Iudæam, ex cuius carne est genitus, non agnoscit? Vnde & mater eius cùm quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur: quia videlicet synagoga idcircò ab authore suo non recognoscitur, quia legis obseruationes tenens, spiritalem intellectum perdidit, & sese ad custodiam literæ foris fixit. Sed cùm is qui voluntatem patris fecerit, soror & frater Domini dicitur, propter vtrunque sexum qui ad fidem colligitur, mirum non est: mirádum verò valdè est, quomodò etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. (Matth. 28.) Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit; quærendum est, quomodò etiam & mater esse possit. Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. Ad quam rem nobis idoneè confirmandam, adest beata Felicitas, cuius hodiè natalitia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios, sicut in gestis eius emendatioribus legitur, sic post se timuit viuos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roborauit, & parturiuit spiritu, quos carne pepererat: vt prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Considerate, fratres charissimi, in fœmineo corpore virile pectus. Ad mortem stetit imperterrita: amittere se in filiis lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Nunquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim? sed plùs quàm martyrem. Certè Dominus cùm de Ioanne loqueretur, dixit: Quid existis in desertum videre? prophetam? Vtique dico vobis, & plùs quam prophetam. Et Ioannes ipse requisitus, respondit dicés: Non sum propheta. Quia enim se pluſquàm prophetam nouerat, esse se prophetam negabat. Qui ideircò plùs quam propheta dicitur, quia prophetæ est officium ventura prænuntiare, non etiam ostendere. Ioannes verò plùs quàm propheta est, quia quem verbo prædixit, digito ostendit. Non ergo hanc fœminam martyrem, sed plùs quam martyrem dixerim, quæ septem pignoribus ad regnũ præmissis, toties ãte se morientibus filiis moriebatur. Ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua. Aspexit mater & cruciata & imperterrita filiorũ mortem: spei gaudium diluit dolorem naturæ. Timuit viuétibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere: ne si quẽ haberet superstitem, non posset habere consortem. Nemo ergo ex vobis fratres charissimi existimet, quòd eius cor morientibus filiis, etiam carnalis affectus minimè pulsauerit. Neque enim filios, quos carnem suam esse nouerat, sine dolore poterat moriétes videre: sed erat vis amoris interior quæ dolorem vinceret carnis. Vnde & passuro Petro dicitur: Cùm senueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Neque enim si plenissimè Petrus nollet, pro Christo pati potuisset: sed martyriũ quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amauit. Qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritũ ad gloriam exultat. Actúmque est, vt cruciatum martyrij nolendo voluisset: sicut nos quoq; cùm gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis, amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Amauit ergo iuxta carnem Fœlicitas filios suos, sed pro amore cælestis patriæ mori etiam coram se voluit quos amauit. Ipsa eorum vulnera

Cognati Christi.

Christi frater, soror, mater.


Felicitatis inuicta constantia.

Matth. 11.

Ioan. 1.

Ioan. 21.

vulnera accepit, sed ipsa in eisdem ad regnum præuenientibus excreuit. Rectè ergo hanc fœminam vltra martyrem dixerim, quæ & toties in filiis est desiderabiliter extincta, & dùm multiplex martyrium sustinuit, ipsam quoque martyrij palmã vicit. Fertur apud veteres mos fuisse, vt quisquis consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret. At si quis posteriùs ad consulatum veniens, consul nõ semel, sed bis fortasse aut tertiò fieret, etiam illos laude & honore transcenderet, qui non plùs quàm semel consules extitissent. Vicit ergo beata Felicitas martyres, quæ tot ante se morientibus filiis pro Christo frequenter occubuit, quia ad amorem illius sola sua mors ei minimè suffecit. Consideremus fratres hanc fœminam, consideremus nos, qui membris corporis viri sumus, in eius comparatione quid existimabimur? Sæpè nanque agenda aliqua bona proponimus, sed si vnicus contra nos vel leuissimus sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis nostræ fracti protinus & confusi resilimus. Ecce nos plerunque à bono opere sola verba reuocant; Felicitatem verò à sancta intentione frangere nec tormenta potuerunt. Nos ad auram maledictionis impingimur: hæc ad regnum etiam per ferrum exiit, nihilque esse quod obsistebat æstimauit. Nos ad præcepta dominica largiri nostra saltem superflua nolumus: hæc non solùm Deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex diuina iussione filios amittimus, sine consolatione lugemus: hæc eus velut mortuos plangeret, si non obtulisset. Cùm ergo ad illud terribile examen districtus iudex venerit, quid nos viri dicemus, cùm huius fœminæ gloriam viderimus? De debilitate mentis suæ quæ tunc viris erit excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cum seculo & sexũ vicit? Sequamur ergo, fratres charissimi, districtam & asperam redemptoris viam. Vsu quippe virtutum ita iam plana facta est, vt per eam fœminis libeat ambulare. Despiciamus ergo cuncta præsentia: nulla sunt etenim, quæ transire possunt. Turpe sit diligere, quod constat citiùs perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non inuidia consumat. Amore nostri, fratres charissimi, redemptor noster occubuit, & nos amore eius discamus vincere nosmetipsos. Quod si perfectè agimus, non solum immiñẽtes pœnas euademus, sed communi cum martyribus gloria remunerabimur. Nam quamuis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum: quia & si carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia nostra desideria in mente trucidamus, ipso adiuuante, qui viuit & regnat, &c.



IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENAE.

LVC. 7.

a Id est, iustis, & post iustitiam pœnitentibus.

ROGABAT autem illum quidam de [a] Pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier

b Iam pœnitens.

quæ erat in ciuitate [b] peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo [c] Pharisæi, [d] attulit [e] alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, [f] lachrymis cœpit rigare pedes eius, & [g] capillis capitis sui [h] tergebat, & [i] osculabatur pedes eius, & [k] vnguento vngebat. Videns autem [l] Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: [m] Hic si esset propheta sciret vtique quæ & qualis est [n] mulier quæ tangit eum: quia [o] peccatrix est. Et respondens Iesus, [p] dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent: donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo quia is cui plus donauit.

c In domo Pharisæi peccatrix meretur veniam, quia cognito peccato per legem, sic lex mittit ad gratiam. d Prætendit præcipere gratiam hospitii. e Genus est marmoris, in quo incorrupta seruantur vnguenta.
f Oculis quibus terrena concupierat, iam per pœnitentiam conterens plorat. g Quos ad compositionem vultus exhibuerat. h Lachrymas.
i Ore quo superbe dixerat. k Quod sibi pro odore suæ carnis adhibuerat. l De falsa iustitia superbus, nulla compassione naturæ motus, suæ fragilitatis oblitus.
m Medicum reprehendit, quia subuenit.
n Vnguentum eius vitare deberet. o Ægram reprehendit de ægritudine.
p Conuincens superbum & sub specie mulieris commendans ecclesiæ meritum.

At

q Per misericordiam. r Corporaliter quidem vides, ſed myſterium non vides.

At ille dixit ei: Rectè iudicaſti.[q] Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni:[r] Vi-

s Iam olim intrauit cum legem dedit.

des hanc mulierem?[s] Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dediſti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe: Quis eſt hic qui

t Quia intelligunt hoc opus eſſe ſolius Dei. v Confortans ſanatam per pietatis ſententiam.

etiam[t] peccata dimittit? Dixit autem ad[v] mulierem: Fides tua te ſaluam fecit:

x Ne à via veritatis in viam ſcandali vlterius labaris.

Vade in[x] pace.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

ROGA. Sicut propoſuerat verbis, ita factis etiam aſtruit iuſtificatã ſapientiam ab omnibus filiis quia etiam à Maria pœnitente poſt culpam. *Quidam de phariſæis.* Myſticè. Phariſæus de falſa iuſtitia præſumens, Iudaicum populum ſignat, qui dominum ad conuiuium inuitat, quia quem venientem non credidit, venturum ſperare non deſiit. Sed adhuc cum voto dicit: Excita potentiam
Pſal.79. tuam, & veni. Domus phariſæi, lex & prophetæ, in quibus ille populus manſionem habere glo-
Matth.5. riabatur. Quam domum in carne apparẽs ingreditur, quia non venit legem ſoluere, ſed adimplere. Diſcumbit, quia in maieſtate ſua non intellectus, per formam ſerui viſibilis eſt factus. Cognoſcit autem gentilitas immundis actibus dedita per famã apoſtolici ſermonis, quòd miſit Deus
Gal.4. fi. ſu. fa. ex mu. fa. ſub le. Non vt phariſæus, qui tantum literam attendit, iuſtificetur. Sed domus id eſt, nos qui gratiam ſpiritus in lege ſequimur, qui non vituperamus, quòd peccatores recipit: ſed laudamus, quòd peccatores iuſtificat. *In do.* In cuiuſcunque domo interiore cognoueris ſapientiam & iuſticiam recumbentem, recurre ad pedes, id eſt, ad extremam ſapientiæ partem, inquire lachrymis confiteri peccata, expande capillos, id eſt, ſterne ante eum cunctas corporis tui dignitates: oſculare, id eſt, nihil niſi ſapiẽtiam loqueris. *Attulit.* Quot habet in ſe oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Moraliter. Affert vnguentum: quia bona opera agit: quibus eccle-
2.Cor.2. ſiam odore bonæ opinionis reſpergit. Vnde dicitur: Chriſti bonus odor ſumus Deo, &c. Hie. Alabaſtrum vnguenti, id eſt, corpus cum fide, ſtans retro, id eſt, poſt aſcenſionem domini, ſecus pedes, id eſt, Apoſtolos, lachrymis rigabat, id eſt, charitate interna in Deo: capillis tergebat, id eſt, ſuperfluos cibos & veſtimenta dat: oſculatur, cũ omnibus pacem habet: Debebat denarios quingentos: hæc ſunt peccata gentium quinque ſenſibus commiſſa, alius quinquaginta, id eſt, peccata Iudæorum. *Secus pedes.* Contra pedes ſtat, qui in peccatis poſitus itineribus domini renititur. Sed qui ad pœnitentiam poſt peccata conuertitur, iam retrò ſecus pedes ſtat, dum veſtigia domini quæ impugnabat, ſequitur: Lachrymis pedes rigat, qui ſanctorum tribulationibus compatitur: qui triſticiam illorum putat eſſe ſuam, qui vltimis membris Chriſti inclinatur per affectum compaſſionis. Capillis (qui corpori ſuperfluunt) pedes quos rigauerat tergit, qui de terrena ſubſtantia quæ ſuperfluit ſanctis, quibus ex charitate compatitur, incipit miſereri. Pedes oſculatur, qui ſtudioſè diligit illos quibus ſua largitur, ne ſit grauis tribuenti neceſſitas proximi. Vnguento vngit, qui bene operando bonæ opinionis odore alios reſpergit, & ad bene operandum exemplo ſuo inducit. Vel poteſt per pedes, caro Chriſti ſignificari, quam oſculamur, dum myſterium incarnationis eius diligimus. Vngimus, dũ ipſius humanitatis potentiam ſacri eloquij bona opinione prædicamus. Sed phariſæus hoc videns inuidet, quia cum Iudæi gentiles vident prædicare Deum, ſua malitia tabeſcunt. Quibus dominus bona gentilitatis enumerat, vt cognoſcãt in quibus malis ipſi iaceant. *Cœpit riga.* Maria ſoror La- Luc.7.
zari bis eodem functa eſt officio: Semel in Galilæa cum primo accedit cum humilitate & lachrymis, vbi & remiſſionem peccatorum accepit. Se- Ioan.12.
cundò, in Bethania, non iam peccatrix nominata, ſed caſta, & ideo deuota: Ibi pedes, hic caput inungit. Moraliter. Sic quoq; fidelis anima prius ad pedes domini humiliata à peccatis abſoluenda incuruatur: poſt creſcentibus meritis fragrantia lætæ fidei, domino quaſi caput odore perfundit aromatum. Sic etiam vniuerſalis eccleſia in præſenti: Chriſti incarnationis (quæ pedum nomine ſignatur) myſteria celebrãdo, deuota redemptori reddit obſequia. In futuro etiam humanitatis eius gloriam & diuinitatis æternitatem (quia caput Chriſti eſt Deus) ſimul intuendo: perpetuis confeſſionum laudibus quaſi piſtica nardo glorificabit. Myſticè. Duo debitores, duo populi ſunt, qui Deo creatori debent nummum, id eſt, animam ſuam, regis imagine inſignitam, & ad ſeruandum ſibi commiſſam. Vtriuſque debitum populi per quinarium multiplicatur: quia quinq; ſenſus ſunt quibus in hac vita vtimur, quibus imaginem conditoris quam accepimus extollere debemus. Sed minus debet Iudæus cui decalogus legis per ſeruum datur plus debet Chriſtianus, cui per filium gratia vitæ committitur. Ideo Iudęi per denarium, Chriſtiani per cẽtenarium numerum fœnus accumulant. Sed quia neuter ſuis viri-

bus, ſed gratia Dei per fidem ſaluatur. Rectè dicitur: *Non habentibus illis vnde red.do. vtriſque.* Plus ergo diligit eccleſia gentium quam Iudæus, quia ei & ſecundum præſentem ſtatum maior ei gratia confertur, & ſecundum præteritum de maiori fœditate extrahitur: plus debet qui plus accepit. Nullus poteſt tantum diligere, quantum ea, quæ in pluribus diligit. *Is qui plus.* Secundum homines plus fortaſſe offendit, qui plus debuerit. Sed per miſericordiam domini cauſa mutatur, vt amplius diligat qui amplius debuit, ſi tamen gratiam conſequatur. *Rectè iudicaſti.* Sua ſententia phariſæus conuincitur: quia ſicut ſteneticus funem portat ea quo ligetur. *Intraui in domum.* Intraui carne aſſumpta in populum Iudæorum. *Aquam pe.* Aqua extra nos eſt, humor lachrymarum intra nos. Infidelis autem populus, nec exteriora pro domino incarnato tribuit. Conuerſa gentilitas non ſolum ſubſtantiam, ſed & ſanguinem pro domino fudit. Oſculum, dilectionis eſt ſignum, & infidelis populus ex dilectione ei ſeruire noluit, cui tamé ex timore ſeruiuit. Sed gentilitas veſtigia oſculari non ceſſat, quia in eius amore continuè ſuſpirat. *Oleo caput meum non vn.* Et ſi populus ille in Deum ſe credere & non in hominem fatebatur, tamen ipſam potétiam diuinitatis quæ per miracula apparebat digna laude prædicare neglexit. Sed gentilitas dum myſterium incarnationis credit, ſumma laude etiam infima eius prædicat. *Aquam pedibus.* Enumerantur bona peccatricis, & mala falſi iuſti.

CATENA AVREA
in idem Euang.

BEda, Quia ſuperius dictum fuerat, Et omnis populus audiens & publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmate Ioannis. Idem euangeliſta quæ verbis propoſuerat, etiá factis aſtruit, iuſtificatam, ſcilicet ſapientiam à iuſtis & pœnitentibus, dicens: *Rogabat autem illum, &c.* Greg. Niſſ. Hæc conſcriptio quendam vtilem intellectum ſapit. Sunt enim plerique eorum qui ſe iuſtificant inflati ſuſpicione vani ſenſus, priuſquam veniat verum iudicium, ſeparantes ſeipſos velut agnos ab hœdis, nec tecto nec eſcis cum pleriſque communicare volentes, abominantes omnes quicunque non extremum, ſed medium tenent callem in vita. Lucas ergo plus medicus animarum quàm corporum, oſtendit ipſum Deum & ſaluatorem noſtrum piiſſimè alios viſitantem: vnde ſequitur, *Et ingreſ. do. pha. diſ.* Non vt aliquis de vitiis eius ſurripiatur, ſed vt impartiatur de iuſtitia propria. Cyrillus, Mulier autem inhoneſtæ vitæ, promens autem fidelem affectum, venit ad Chriſtum, quaſi petentem veniam commiſſorum largiri. Sequitur enim, *Et ecce mulier, &c.* Beda, Alabaſtrum eſt genus marmoris candidi, variis coloribus intertincti, quod ad vaſa vnguentaria cauari ſolet, eo quòd optimè ſeruare ea incorrupta dicatur. Gre. in ho. Quia enim hæc mulier turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordię cucurrit, conuiuantes non erubuit: nam quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit quod verecundaretur foris. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubeſcit. Gre. Niſ. Indignitatem autem ſuam oſtendens ſtabat poſt tergum deiectis luminibus & effuſa coma pedes amplectens lachrymiſque eos perfundens, rebus triſtem animum oſtendebat veniam implorans. Sequitur enim, *Et ſtans retro, &c.* Greg. in ho. Oculis enim terrena cupierat: ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat: capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lachrymas tergebat, vnde ſequitur, *Et capillis ca ſui tergebat.* ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans hoc in redemptoris ſui veſtigia figebat: vnde ſequitur, *Et oſcu. pedes eius.* Vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis exhibuit. Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat: vnde ſequitur, *Et vnguento vngebat.* Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, criminum: vt totum Deo ſeruiret in pœnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Sic igitur meretrix effecta eſt honeſtior virginibus. Poſtquam enim accenſa eſt pœnitentia, exarſit in Chriſti amorem: & hæc quidem quę dicta ſunt agebantur exterius, quæ verò reuoluebat eius intentio multò feruentiora his erant quæ ſolus Deus inſpiciebat. Gregorius in homilia, Hęc autem phariſæus intuens deſpicit, & non ſolùm venientem peccatricem mulierem, ſed etiam ſuſcipientem Dominum reprehendit: *videns autem phariſæus qui vocauerat eum ait intra ſe dicens: Si hic eſſet propheta, ſciret vtique qua & qualis mulier eſt quæ tangit eum.* Ecce phariſæus veraciter apud ſe ſuperbus & fallaciter iuſtus ægrum reprehendit de ægritudine, medicum de ſubuentione: quæ profectò mulier ſi ad phariſæi pedes veniſſet, calcibus repulſa diſcederet. Inquinari enim ſe alieno peccato crederet, quia hunc vera ſua iuſtitia non replebat. Sic & quidam ſacerdotali officio præditi, ſi quid fortaſſe iuſte exterius vel tenuiter egerint, protinus ſubiectos deſpiciunt, & peccatores quoſque in plebe poſitos dedignantur. Neceſſe eſt autem vt cùm peccatores quoſque conſpicimus, noſmetipſos prius in eorum calamitate defleamus: quia fortaſſe in ſimilibus aut lapſi ſumus, aut labi poſſumus. Oportet autem vt ſolicite diſcernamus: quia diſtinctionem debemus vitiis, compaſſionem naturæ. Si enim feriendus eſt peccator, nutriendus eſt proximus. Cùm verò iam per pœnitentiam percutit ipſe quod fecit, iam noſter proximus peccator non eſt: quia hîc in ſe punit, quod iuſtitia diuina reprehendit. Inter duos ergo ęgros medicus aderat, ſed vnus in febre ſenſum tenebat, alter ſenſum perdiderat mentis. Illa quippe flebat quod fecerat, Phariſæus autem de falſa iuſticia elatus, vim ſuæ valetudinis exaggerabat. Titus, Dominus autem non verba eius audiens, ſed cogitationes inſpiciens, Dominum ſe prophetarum oſtendit: vnde ſequitur, *Et reſpondens Ieſus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Glo. Quod quidem dixit, eius cogitationi reſpondens, phariſæus autem ex verbis Domini attentior eſt factus: vnde dicitur, *At ille ait, Magiſter dic.* Greg. De duobus autem debitoribus paradigma opponitur, quorum vnus minus, alius amplius debet: vnde ſequitur, *Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c.* Titus, quaſi dicat. Neq; tu abſque debito es: quid igitur? ſi in paucioribus teneris, nó ſuperbias: quia tu quoque venia eges. Vnde de venia ſubdit, dicens: Non habété autem illi vnde redderent, donauit vtriſque. Gloſſ. Nullus

enim

enim potest per seipsum à debito peccati liberari, nisi diuina gratia veniam consequatur. Greg. in hom. Vtrorumque autem debito dimisso, quis amplius largitorem debiti diligat, pharisæus interrogatur. Sequitur enim: *Quis ergo plus diligit?* Quibus verbis protinus ille respondit, *Æstimo quia is cui plus donauit.* Qua in re notandum est, quòd dum sua sententia pharisæus conuincitur, quasi freneticus funem portat ex quo ligetur. Sequitur, *At ille dixit ei: Rectè iudicasti.* Enumerantur autem ei bona peccatricis, enumerantur & mala falsi iusti: vnde sequitur, *Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, vides hanc mulierem? Int. in domum, &c.* Amb. quasi dicat, Facilis est vsus aquarum, non est facilis lachrymarum effusio: tu promptis non es vsus, hæc effudit non prompta: lauans lachrymis pedes meos, lauit maculas proprias, tersit comis, vt per eas sibi assumat sacros sudores: & quibus venata est ad peccatum iuuentutem, venata est sanctitatem. Chrysostomus, Sicut autem vbi vehemens imber prorumpit, fit serenitas: sic lachrymis effusis apparet tranquillitas, & perit caligo reatuum: & sicut per aquam & spiritum, sic per lachrymas & confessionem denuo mundamur: vnde sequitur, *Propter quod di. ti. remit. ei pecca. mul. quoniam dile. multum.* Nam qui vehementer ingesserunt malis, rursus & bonis vehementer insistent, conscij ad quot debita se obligauerunt. Gregorius, Tantò ergo amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Titus, Contingit autem sæpius eum qui multum peccauit, per confessionem purgari, pauca verò peccantem ex arrogantia non venire ad confessionis remedium: vnde sequitur, *Cui autem dimit. mi. diligit.* Chrysost. Opus est ergo nobis feruenti anima, quia nihil impedit hominem fieri magnum. Nullus ergo constitutorum in peccatis desperet, nemo virtuosus dormitet, nec hic confidat, sæpe enim meretrix præcedet eum: nec ille diffidat, possibile namque est eum etiam primos superare. vnde & hic subditur, *Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata tua.* Greg. Ecce quæ ad medicum venerat ægra sanata est: sed de salute eius adhuc alij ægrotant. Sequitur enim, *Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se, quis est hic qui etiam peccata dimittit?* sed cælestis medicus ægros nō respicit, quos etiam de medicamēto fieri deteriores vidit, eam autem quam sanauerat, per pietatis suæ sententiā confirmat. vnde sequitur: *Dixit autē ad mulierem, Fides tua te saluam fecit,* quia scilicet, hoc quod petiit, posse se accipere nō dubitauit. Theop. Postquā autē ei peccata dimisit, nō sistit in remissionē peccati, sed adijcit operationem boni. vnde sequitur, *Vade in pace*, id est in iustitia: quia iustitia est pax hominis ad Deum, sicut peccatum est inimicitia inter Deum & hominē, quasi dicat, operare omnia quæ ad pacē Dei te ducunt. Amb. Hoc autem loco plerique pati videntur scrupulum quæstionis, vtrum videantur euangelistæ discordasse de fide. Græcus, Quia enim quatuor euangelistæ dicunt Christum vnctum fuisse vnguento à muliere: tres puto fuisse mulieres, ex personarū qualitate, ex modo agendi, ex differentia temporum. Ioannes quidem narrat de Maria sorore Lazari, quoniam sex diebus ante pascha vnxit pedes Iesu in propria domo. At Matthæus, postquam dominus dixerat: Scitis quia post biduum fiet pascha, subdit quòd in Bethania in domo Simonis leprosi mulier fudit vnguentum super domini caput, non autem vnxit pedes vt Maria: Marcus etiā Matthæo similiter. Lucas autem non circa tempus paschæ, sed in medio euangelij hoc refert. Chrysostomus autem binas asserit has mulieres fuisse: vnam quidem quæ cōtinetur in Ioanne, alteram verò cuius mentio fit à tribus. Amb. Hanc ergo mulierem inducit Matthæus supra caput Christi effundentem vnguentum, & ideo noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix secundum Lucam supra Christi pedes effudit vnguentum. Potest ergo nō eandem esse, ne sibi cōtrarium euangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti, & tēporis diuersitate dissolui: vt adhuc illa peccatrix sit iam perfectior. Augu. de con. euang. Eandē enim Mariam bis hoc fecisse arbitror intelligendum: semel scilicet quod Lucas narrauit, cùm primò accedens cum humilitate & lachrymis meruit remissionem peccatorū: vnde Ioannes, cùm de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam dicit: Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & tersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Iam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursum fecit, aliud est: quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur ab alijs tribus. Greg. in hom. Mystico autem intellectu pharisæus de falsa iustitia præsumens, Iudaicum populum peccatrix mulier, sed ad vestigia domini veniēs & plorans, conuersam gentilitatē designat. Ambro. Vel princeps huius sæculi quidam leprosus est, domus autem Simonis leprosi terra est: ergo dominus ex illis superioribus locis descendit in terram, neque enim sanari potuisset hæc mulier quę speciem habet animæ vel ecclesiæ, nisi Christus venisset in terram. Meritò autem speciem accipit peccatricis, quia Christus quoque formam peccatoris accepit: itaque si constituas animam fideliter appropinquantem Deo nō peccatis turpibus & obscœnis, sed piè seruitutem Dei verbo, habentem immaculatæ fiduciam castitatis, ad ipsum Christi caput ascēdit, caput autem Christi Deus est: sed qui caput nō tenet Christi, ille pedes teneat. Peccator ad pedes, iustus ad caput: habet tamen etiā ea quæ peccauit vnguentum. Greg. Quid aliud vnguento, nisi bonus odor opinionis exprimitur? si igitur recta opera agimus quibus opinione boni odoris ecclesiam respergamus, quid in corpore domini nisi vnguētum fundimus? Sed secus pedes mulier stetit: cōtra pedes enim domini stetimus, cùm in peccatis positi eius itineribus renitebamur, sed si ad veram pœnitentiam post peccatum conuertimur, iam retrò secus pedes stamus: quia eius vestigia sequimur quem impugnabamus. Amb. Defer & tu post peccata pœnitentiam: vbicunque audieris Christi nomen, accurre. In cuiuscunque interiorem domum Iesum intrasse cognoueris, & ipse festina, cùm repereris sapientiam, cùm repereris iustitiam in aliquibus penetralibus recumbentem, accurre ad pedes, id est vel extremā partem quære sapientiæ, lachrymis confitere peccata. Et fortasse ideo non lauit Christus suos pedes, vt eos lachrymis nos lauemus. Bonæ lachrymæ, quæ non solùm nostrum possunt lauare delictum, sed etiam verbi cælestis rigare vestigium, vt gressus eius nobis exuberent. Bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorū, sed etiam iusto-

rum refectio eſt. Grego. Lachrymis enim domini pedes rigamus, ſi quibuſlibet vltimis membris domini compaſſionis affectu inclinemur. Capillis pedes domini tergimus, quando ſanctis eius, quibus ex charitate compatimur, ex his quæ nobis ſuperfluūt, miſeremur. Amb. Expande etiã capillos, ſterne ante eū omnes corporis tui dignitates: non mediocres capilli ſunt, qui poſſunt pedes tergere Chriſti. Greg. Oſculatur mulier pedes quos terſit, quod nos quoque plenè agimus, ſi ſtudioſè diligimus, quos ex largitate continemus. Poteſt quoque per pedes ipſum myſteriū incarnationis eius intelligi, oſculamur igitur redemptoris pedes cùm myſterium incarnationis eius ex toto corde diligimus. Vnguento pedes vngimus, cùm ipſam humilitatis eius potentiam ſacri eloquij bona opinione prædicamus, ſed hoc etiam phariſæus vidit & inuidit, quia cùm Iudaicus populus gentilitatem Deum prædicare conſpicit, ſua apud ſe malitia tabeſcit, ſic autem phariſæus retunditur, vt per eum perfidus ille populus oſtendatur: quia videlicet infidelis ille populus, nec ea quæ extra ſe erant, vnquam pro domino tribuit. Conuerſa autem gentilitas pro eo non ſolum rerum ſubſtantiam, ſed etiam ſanguinem fudit. vnde phariſæo dicit, *Aquam pedibus meis non dediſti: hæc au. la. chrym. ri. pe. me.* Aqua quippe extra nos eſt, lachrymarum humor intra nos eſt. Infidelis & ille populus Deo oſculum non dedit: quia ex charitate eum amare noluit cui ex timore ſeruiuit: oſculum quippe dilectionis eſt ſignum, vocata autem gentilitas redemptoris ſui veſtigia oſculari nõ ceſſat, quia in eius continuo amore ſuſpirat. Ambr. Non mediocris autem hæc meriti eſt, de qua dicitur, *Ex quo intraui non ceſſauit oſculari pedes meos:* vt aliud niſi ſapientiam loqui neſciat, niſi iuſtitiam diligere, niſi caſtitatem libare, niſi pudicitiam oſculari. Greg. Phariſæo autem dicitur: *Oleo caput non vnxiſti*: quia ipſam quoque diuinitatis potentiã, in qua ſe Iudaicus populus credere ſpopondit, digna laude prædicare neglexit. *Hæc autẽ vnguento vnxit pedes meos:* quia dũ incarnationis eius myſteriũ gẽtilitas credidit ſumma laude eius etiam prædicauit. Amb. Beatus qui poteſt & oleo vngere pedes Chriſti: ſed beatior qui vngit vnguento, multorum enim florum in vnum collecta ſparſit, & fortaſſe iſtud vnguentum non poſſet alius niſi eccleſia ſola deferre quæ diuerſi ſpiraminis innumerabiles habet flores, & ideo nemo poteſt tantum diligere quantũ illa quæ in pluribus diligit. In domo autẽ phariſæi, id eſt in domo legis & prophetæ, nõ phariſæus ſed eccleſia iuſtificatur. Phariſæus enim non credidit, iſta credebat, lex myſteriũ nõ habet quo occulta mundantur, & ideo quod in lege minus eſt, conſummatur in euangelio. Duo autem debitores duo populi ſunt, fœneratori illi theſauri cæleſtis obnoxij. Non materialem autem fœneratori huic debemus pecuniam, ſed meritorum examina, æra virtutum, quarum merita grauitatis pondere, iuſtitiæ ſpecie, ſono confeſſionis expenduntur. Non mediocris autem eſt iſte denarius in quo regis imago formatur, væ mihi ſi non habuero quod accepi: aut quia difficile quiſquam eſt, qui fœneratori huic debitum integrum poſſit exoluere: vę mihi ſi nõ petiero concedi mihi debitum. Sed quis eſt populus iſte qui amplius debet, niſi nos quibus amplius creditũ eſt? Illis credita ſunt eloquia Dei, nobis creditur virginis partus Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, domini crux, mors, reſurrectio. Itaque non eſt dubium quod plus debet qui plus accipit, ſecundum homines plus fortaſſe offendit, qui plus debuerit. Sed per miſericordiã domini cauſa mutatur, vt amplius diligat qui amplius debuerit, ſi tamen gratiam conſequatur. Et ideo quoniã nihil eſt quod dignè Deo referre poſſimus, væ mihi & ſi non dilexero. Reddamus ergo amorem pro debito: amplius enim diligit cui donatur amplius.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis Epiſcopi in ſuperius Euang. expoſitio.

ET *ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Hoc loco plerique pati videntur ſcrupulum & ſerere quæſtiones: verùmnam videantur Euangeliſtæ duo diſcordaſſe de fide: an vero aliquam in dictorum diuerſitate: diuerſitatem ſignare voluiſſe myſterij. Habes enim in Euangelio ſecundum Matthęum: quia Ieſus cum veniſſet in Bethaniam Matth. 26.
In domum Symonis leproſi: acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi: & recumbente illo fudit ſuper caput eius. Deinde iſte Phariſæus intra ſe dicit: quòd ſi eſſet propheta ſciret peccatricem: & vnguentum eius vitare deberet. Illic vnguento effuſo diſcipuli conqueruntur. Vtrumque igitur explicandum eſt: ſed ante quod ſcripturarũ ordine prius eſt: priorem quoq; ordinem interpretationis accipiat. Venit ergo dominus Ieſus in domum Symonis leproſi: Apparet œconomia quòd leproſum non refugit: non vitat immundum: vt maculas humani corporis poſſit abolere. Domus autem leproſi erat in Bethania: quæ per interpretationem: domus obedientiæ dicitur. Omnis igitur locus Bethania: portio autem totius loci: domus Symonis. Nónne tibi videtur Bethania mundus hic eſſe: in quo ſeruitij obedientis debemus obſequium: domus autem Symonis leproſi i terra eſſe quæ mundi portio eſt? Princeps autem ſeculi huius quidam leproſus eſt Symon. Ergo Dominus Ieſus Chriſtus ex illis ſuperioribus locis venit in hũc mundum: & deſcendit in terrã. Non erat in hoc mundo: ſed obediente pietate miſſus eſt in hunc mundum. Ipſe dicit: Sicut me miſit pater in hũc mundum. Ioan. 17.
Audiuit ergo mulier iſta veniſſe Chriſtum: intrauit in domum Symonis. Neque enim ſanari potuiſſet hæc mulier: niſi Chriſtus veniſſet in terram. Et fortaſſe ideo etiam ipſa ingreditur domum Symonis quòd ſpeciem cuiuſdam habeat ſuperioris animæ: ſcilicet vel eccleſiæ quæ deſcendit in terram: vt bono odore ſibi populum congregaret. Hanc ergo mulierem inducit ſanctus Matthæus ſupra caput Chriſti effundentem vnguentum. Et ideo forte noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix ſecũdum Lucam ſupra Chriſti pedes effudit vnguẽtum. Poteſt ergo non eandem eſſe: ne ſibi contrarium Euangeliſtæ dixiſſe videantur. Poteſt etiam quæſtio meriti & temporis diuerſitate diſſolui: vt adhuc illa peccatrix ſit, iam iſta perfectior. Etſi enim non perſonam mutat eccleſia vel anima: tamen mutat profectum, Itaque ſi conſtituas animam fideliter appropinquantem Deo: non peccatis turpibus & obſcenis: ſed pie ſeruientem Dei verbo habentem immaculatæ fiduciam caſtitatis: aduertis quòd ad

ipſum

ipsum Christi ascendat caput. Caput autē Christi Deus est: & odorem meritorum spargit suorum. 2.Cor.2. Christi enim bonus odor sumus Deo. Deū quippe honorat: bonum fragrans odorem vita iustorum. Si hæc intelligas: videbis hanc fœminam: videbis plane beatam: vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium nominari: nec eius vnquam exolescere memoriam: eo quòd super caput Christi bonorum fragrantiam morum: iustorúmque factorum effudit vnguentum. Qui accedit ad caput: nescit extolli: sicut ille frustra inflatus mente carnis suæ & non tenens caput. Sed qui caput non tenet Christi: vel pedes teneat: quis corpus vnum copulatum & subministratum crescit in augmentum Dei. Altera est illa vel persona: altera vel profectu quæ propinqua nobis est. Nondum enim peccatis nostris renunciauimus: vbi sunt nostræ lachrymæ: vbi gemitus: vbi fletus? Venite Psal.94. adoremus & procidamus ante eum: & ploremus ante Deum qui fecit nos: vt saltem ad pedes Iesu venire possimus. Nondum enim possumus: quia peccator ad pedes: iustus ad caput. Habet tamen & quæ peccauit vnguentum. Defer mihi & tu post peccata pœnitentiam. Quocunque vel in domum indigni: vel in domum pharisæi audieris iustum venisse: contende præripere hospitis gratiam: præripe regnum cælorum. Matth.11. A diebus enim Ioannis Baptistæ regnum cælorum cogitur: & cogentes diripiunt illud. Vbicunque audieris Christi nomen occurre: in cuiuscúque interiorem domum Iesum intrasse cognoueris: & tuipse festina. Cum repereris sapientiam: cum reperteris iusticiam in alicuius penetralibus recumbentem: accurre ad pedes: hoc est: vel extremam partem quære sapientiæ: Noli fastidire pedes: fimbriam illa tetigit & sanata est. Lachrymis confitere delicta: dicat de te quoque iusticia illa cælestis: lachrymis suis rigauit pedes meos & capillis suis tersit. Et fortasse ideo non lauit pedes suos Christus vt eos lachrymis nos lauemus. Et bonæ lachrymæ quæ non solum nostrum possunt lauare delictum: sed etiam verbi cælestis rigare vestigium: vt gressus in nobis eius exuberent. Bonæ lachrymæ in quibus non solum redemptio peccatorum: sed etiam Psal.41. refectio est iustorum. Iusti enim vox est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Etsi ad caput Christi accedere non potes: tangat pedibus suis caput tuum Christus. Et fimbriam eius curat: & pedes curant. Expande capillos: sterne ante eum omnes tui corporis dignitates. Nō mediocres capilli sunt qui possunt tergere pedes Christi. Testatur hoc ille qui quādiu capillos habuit vinci nequiuit. Denique & mulierē decaluatam orare non decet. Habeat plane capillos quibus Christi circumuoluat vestigia: quibus suæ criniculis pulchritudinis & decoris sapientiæ pedes tergat: vt vi extremo saltē diuinæ rore virtutis humescant: figat iusticiæ pedibus oscula sua. Non mediocris hæc meritu est: de qua potest dicere sapientia: *Ex quo intraui non cessauit osculari pedes meos.* Vt aliud nisi sapientiam loqui nesciat: vt aliud nisi iusticiam diligere nesciat: vt aliud nisi castitatem libare nesciat: vt aliud nisi pudicitiā osculari nesciat. Osculum enim mutui amoris indicium est: osculum pignus est charitatis. Beatus qui potest & oleo vngere pedes Christi. Denique adhuc Symon non vnxerat: sed beatior quæ vnxit vnguento. Multorum enim florum in vnum collecta gratia spargit odorum varias suauitates. Et fortasse istud vnguentum non possit alius nisi ecclesia sola deferre: quæ diuersi spiraminis innumerabiles habet flores: quæ merito speciem accepit peccatricis: quia Christus quoque formam peccatoris accepit. Et ideo nemo tantum potest diligere: quantum illa quæ in pluribus diligit. Nec Petrus Ioan.21. ipse qui dixit: Domine tu nosti: quia diligo te. Nec Petrus ipse qui doluit: quia interrogatus est: Amas me? Quod enim manifestum erat: nolebat quasi incognitum quæri. Ergo nec Petrus ipse: quia ecclesiam dilexit in Petro: Nec Paulus ipse: quia Paulus quoque est eius portio. Et tu plurimum dilige: vt & tibi dimittatur plurimum. Multum peccauit Paulus: qui etiam persecutor fuit: sed multum dilexit qui vsque ad martyrium perseuerauit. Remissa sunt ei peccata multa: quia & ipse multū dilexit: qui sanguini proprio pro Dei nomine nō pepercit. Vide œconomiam: in domo Pharisæi peccatrix glorificatur: in domo legis & Prophetæ non pharisæus sed ecclesia iustificatur. Pharisæus enim non credidit: ista credebat. Denique ille dicebat: *Si esset Propheta sciret vtique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum.* Domus autem legis Iudæa: quę non in lapidibus scribitur: sed in tabulis cordis: in hac iustificatur ecclesia iam lege maior. Lex enim peccatorum nescit remissionē, lex mysterium non habet quo occulta mundantur. Et ideo quod in lege minus est: consummatur in Euangelio. *Duo* (inquit Iesus) *debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos: alius quinquaginta.* Responsio Domini Simonis argumentis. Qui sunt isti debitores duo: nisi populi duo: vnus ex Iudæis: alter ex gentibus: fœneratori illi thesauri cælestis obnoxij? Vnus, inquit, debebat denarios quingentos: alius quinquaginta. Non mediocris est iste denarius: in quo regis imago formatur: qui trophæum habet Imperatoris expressum. Non materialem fœneratori huic debemus pecuniā: sed meritorum examina, æra virtutum: quarum meritum grauitatis pondere: iusticię specie: sono confessionis expenditur. Væ mihi si non habuero quod accepi: aut quia difficile quisquam est qui fœneratori huic integrum debitū possit exoluere. Væ mihi si non petiero concedi mihi debitum. Non enim nos ita Dominus orare docuisset vt peteremus: Dimitte nobis nostra debita: nisi sciret difficile aliquos fore idoneos debitores. Matth.6. Sed quis est populus iste qui amplius debet nisi nos quibus amplius creditum est? Illis credita sunt eloquia Dei: nobis creditur partus virginis. Habes talentum virginis partum: habes fidei centesimum fructum. Creditus est Emanuel nobiscū Deus: credita Domini crux mors: resurrectio. Etsi Christus pro omnibus mortuus est: pro nobis tamen specialiter passus est: quia pro ecclesia passus est. Itaque non est dubium quòd plus debeat qui plus accepit. Et secūdū hominē plus fortasse offendit qui plus debuerit: sed per misericordiā Domini causa mutatur: vt amplius diligat qui amplius debuit: si tamen gratiam consequatur. Gratiam enim & qui reddit habet: & qui habet in eoipso quod habet soluit. Nam & reddendo habetur: & habendo redditur. Et ideo quoniam nihil est quod digne Deo referre possimus. Quid enim referamus pro susceptæ carnis iniuria? Quid pro verberibus? quid pro cruce: obitu: sepultura? Væ mihi si non dile-

xero. Audeo dicere: Non reddidit Petrus: & ideo plus dilexit. Non reddidit Paulus: reddidit quidē mortem pro morte: sed alia non reddidit, quia multa debebat. Audi ipsum dicentem: quia non Rom.11. reddidit: Quis prior dedit illi: & retribuetur ei? Reddamus licet crucem pro cruce: funus pro funere: nunquid reddimus quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorē pro debito: charitatē pro munere: gratiā pro sanguinis precio. Plus enim diligit: cui donatur amplius. Sed reuertamur ad illā superiorē cuius consilium adhuc nec Apostoli intelligunt: quod erat absconditum à seculis in Deo. Quis Ibidem. enim cognouit sensum Domini? Conquerebātur ergo Discipuli: quia mulier super caput effudit Matth.26. vnguentum: & querebantur dicentes: Quare hoc sic periit? Potuit enim venundari precio: & dari pauperibus. Quid vtique in eorum sermonibus displicuerit: non potest deprehēdi nisi mysterium intelligas. Luxuriosi enim hominis vel potius nō hominis: est olere vnguentum. Certe & ipsi qui olent, vngere se non profundere solent. Quid displicet quia dictum est: Potuit hoc venundari pre- Matth.25. cio: & dari pauperibus? Certe & ipse supra dixerat: Quicquid vni minimorum horum fecistis mihi fecistis: ipse mortem suam pro pauperibus offerebat. Non est igitur simplex figura: & ideo respondit illis Dei verbum: Quid molesti estis mulieri? Semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper. Semper ergo tecū pauperem habes: & ideo bene fac. Num igitur differre paupe- Prouerb. rem debes: quia semper tecum est: cum tibi Propheta dicat: Ne dixeris pauperi cras dabo? Sed ille de sola misericordia locutus est: hic autem misericordiæ fidem prætulit: quæ tūc habet meritum si fide præcedente conferatur. Mittens enim hoc vnguentum in corpus meum: ad sepeliēdum me fecit. Non ergo vnguentum Dominus sed charitatem dilexit: fidem suscepit: humilitatem probauit. Et tu si desideras gratiam: charitatem auge: mitte in corpus Iesu fidem resurrectionis: odorem ecclesiæ communis: charitatis vnguentum: & ita progrediens pauperibus dabis: Plus tibi pecunia illa proderit: si non tanquam affluentem tribuas: sed tanquam profuturā Christi nomine largiaris: si ita eam conferas pauperi: vt deferas Christo. Non ergo iuxta litteram tantummodo accipias superfusum capiti vnguētum: 2.Cor.3. Litera enim occidit: sed secundum spiritum: quia spiritus vita est. Quod ergo istius mulieris vnguentum est? Quis hoc audire potest: quis tales aures habet vt dicente Iesu: verbum quod accepit à patre: immo quia ipse verbum, possit tantam altitudinem capere mysterij? Et discipuli ex parte intelligunt: etsi non totum intelligunt. Vnde & quidam putant dixisse discipulos: vnguenti precio emi fidem gentium debuisse quæ sanguinis dominici tantum precio debebatur: quod videtur verisimile. Denique Ioannes euangelista inducit sermone Iudę Scarioth: æstimatum trecen- Ioan.12. tis denariis illud vnguentum: sicut habes: Potuit enim venundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Trecentorum autem æra, crucis insigne declarant: sed Deus non perfunctoriam mysterij præscientiam quærit: sed consepeliri in se fidem credentium mauult. Id tamen de cęterorum apostolorum vocibus intelligimus. Iudas autem cōdemnatur auaritiæ: qui pecuniam dominicę prę-

tulit sepulturæ: qui etiam si de passione sensit errauit. Tam charactione vili se vult æstimari Christus: vt ab omnibus ematur: ne quis pauper deterreatur. Gratis, inquit, accepistis: gratis date. Pecuniam nō quærit diuitiarum altitudo: sed gratiam. Ipse nos precioso sanguine emit: non vendidit. De quo plenius diceremus: nisi à nobis ipsis tractatum alibi recordaremur. Ergo secundum dicta domini in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: quos nemo potuit præuidere: operari me oportet in sepulturam eius: vt caro eius requieuisse, non corruptionem vidisse credatur: & mors corporis eius ita domum nostram odore sui compleat: vt credamus quia in manus patris commendauit spiritum suum: & à morte sequestrata diuinitas: corporalium non subiit consortium passionum. Intellige quemadmodum corpus filij vnguentum oleat. Corpus illud est quod exutum est: non quod amissum est. Corpus eius: traditiones sunt scripturarum. Corpus eius ecclesia est: corporis eius odor sumus: & ideo decet vt mortem corporis eius ornemus. Etsi nostros illa non requirat ornatus: sed requirunt pauperes. Ornabo corpus eius: si fiam sermonum eius prædicator: & possim gentibus crucis aperire mysterium. Ornauit ille qui dixit: Quia præ- 1.Cor.1. dicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum: gentibus autem stultitiam: ipsis vero vocatis Iudæis atque Græcis: Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ornatur crux: cum id quod per imperitiam stultum putatur: per euangelium sapientiæ æstimatur, vt possimus docere quemadmodum virtus aduersaria per crucem domini destruatur. Misit in domini corpus vnguentum: spirare incipit quod mortuum putabatur. Ideo vnusquisque adoriatur emere labore suo nisúque virium alabastrum vnguenti: non vile aliquod atque commune: sed preciosum vnguentum alabastri & vnguentum pisticum. Si enim quis fidei congreget flores: & prædicet Iesum Christum crucifixum in omnem ecclesiam quæ Christi corpus est mundo mortua: requiescens Deo: fidei suæ transfundit vnguentum. Olere incipit tota domus Domini passionem: olere incipit mortem: olere incipit resurrectionem: vt possit vnusquisque ex hoc sacræ plebis numero dicere: Mihi autem absit gloriari: nisi in cruce do- Galat.6. mini nostri Iesu Christi. Spirat odor: olet vnguētum in corpore. Si quis possit atque vtinam ego possim confidenter loqui: Mihi autem mundus crucifixus est. Non amanti diuitias: non amanti honores sæculi: non amāti quæ sua sunt: sed quæ Iesu Christi: Non amanti quæ videntur: sed quæ non videntur: Nō cupido vitæ: sed ei qui festinat dissolui & cum Christo esse: crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere & sequi Christum: vt & nos commoriamur & consepeliamur cum eo: vt vnguentum quod ista mulier in sepulturam eius misit olere possimus. Non mediocre istud vnguentum est: quo Christi longe latéque diffunditur nomen. Vnde etiam prophetice di- Cant.1. ctum est: Vnguētum exinanitum est nomen tuū. Ideo exinanitum: vt maiore fides odore fragraret. Ex hac ergo muliere intelligimus illud Apostolicum quid sit: Superabundauit peccatum: vt su- Rom.5. perabundaret gratia. Nam si in ista muliere non superabundasset peccatum: non superabundasset gratia. Agnouit enim peccatum: & detulit gratiam.

tiam. Et ideo lex necessaria: Per legem enim peccatum agnoui. Si lex non fuisset: peccatum lateret. Agnoscendo peccatum: veniā peto. Per legem enim genera peccatorum, prævaricationis quoq; crimen agnosco. Curro ad pœnitentiam: gratiam consequor. Lex ergo auctor est boni: quæ mittit ad gratiam.

S. TITI BOSTRENSIS *Episcopi eiusdem Euang. expositio.*

Rogabat autem illum quidam ex pharisæis. Animaduertere hoc loco licet, Pharisæum, qui dominum nostrum Iesum Christum ad prādium vocārat, versi pelli simulatione, latentique infidelitate immunem non fuisse: Aiebat enim, *Hic si esset propheta sciret vtique, &c.* At dominus hominem eiusmodi esse certo compertum habens, nihilominus in domum illius ingredi, mensæque accūbere non dedignatur. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, &c.* Hęc mulier, neque ea est, cuius apud Marcum, nec ea tandem, cuius apud Ioannem: Siquidem illæ paulò ante Dominicam passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur, hæc autem circa Euangelicæ prædicationis medium, aut citiùs quoque, vt facilè quis, si eam in rem curiosè inquirere vellet, deprehendere posset. *Osculabatur pedes eius.* Non simpliciter, aut oscitanter Domini pedes osculatur, sed seriò & ex animo, exosculabatúrq; precioso vnguento perfundit. Vtroque autem officij genere incensum erga Christū amorem ostendit. Christus verò Dominus, qui non tantùm exteriora verba audit, sed intima quoque cordis sensa penetrat, plenéque comprehendit, tanquā propheta rum Dominus, Pharisæi cogitata in lucem effert, ait autem: *Simon habeo tibi aliquid dicere.* Mox illo verò ad Christi quæsitum respondente: *Æstimo, quia is, cui plus donauit,* Dominus vicissim excepit. Cur tu ergo huius flagitia animo pertractas, nam neque tu quoque peccati expers es, quāuis enim minùs fortè debes, quàm illa, attamen non es ab omni prorsus noxa immunis. Et sæpe quidem vsu venit, vt is, qui grauiter & multùm impegit, per confessionē à peccatis absoluatur: Alius ediuerso qui parum peccārat per superbiam, confessionis pharmacum aspernetur: adeóque in pœnarum reatum incidat. Neque enim ob id condemnationis iudicium euadet peccator, quòd paucis delictis obstrictus teneatur: nam & propter pauca quoque condemnabitur, nisi eam confessionem, & pœnitentiam de pancis illis in medium adferat, quam oportet. Siquidem ad tremendum illud tribunal constitutus, tanquam verè peccator, liberè pro se loqui non audebit. *Vides hanc mulierem, &c.* Quasi dicat, tu ne illis quidem vsus es, quæ ad manū erāt: aquā enim quæ, nusquā nō obuia, facili limo negotio parari potest, pedibus meis non dedisti, hæc autē ea etiā effudit, quę difficillimè habētur. Quandoquidē lacrymis pedes meos abluit: at tāta lachrymarum profusio, paratu minimè facilis est. *Et capillis suis tersit.* Nimirum quò per ea suempetur sanctimoniam, per quæ inuentutem pelleaerat ad noxam. Ad hæc despectui me habuisti: neque enim osculum mihi dedisti: neque oleo caput meum vnxisti: hæc autem cum omni timore, & reuerentia osculata est pedes meos, osculóque delinitos vnguento inunxit. Et quia intra te aiebas: *Hic si esset Propheta, sciret vtique qua, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est,* agnosce vel ea hoc tandem, quòd illius peccata nō ignorabam, quia tuas cogitationes cognosco. Quamobrem, & te, & tua cogitata, tanquam omnium gnarus, exploratè teneam, & peccatorum molem, qua hæc premitur, neutiquam nesciens, tibi dico: *Remittuntur ei peccata multa, &c. Et ceperunt, qui simul, &c.* Per hæc Euangelista ostendit, alios quoq; vnà accubuisse, ad quos Christi verbū spectabat: Neque enim erat illud tanquā vulgaris cuiuspiam prophetæ, sed tanquam domini, vnicuique, quod equitatis ratio poscebat, distribuentis. Deposcebat hæc autem, vt eam, quæ confitebatur, quæ lachrymabatur, quæ ad Christi pedes sese abiecerat, quæ omnem honorem & reuerentiam eidem impenderat, vicissim in gratiam & amicitiam reciperetur. *Fides tua te saluam fecit.* Credidit enim illa, Christum habere potestatem remittendi peccata. Quòd autem dicit: *Vade in pace* idem est, quod *noli amplius peccare.*

Tametsi vulgò Latinorum volunt hāc Marthæ, & Lazari sororem fuisse existimant. Græci tamen scriptores consentiunt vel negant. Certè Scriptura Mariā Marthæ sororem nusquam Magdalenam aut peccatricem vocant.

Etiam pauca peccata damnant, si per pœnitentiam, & confessionem non expiantur.

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponens. in superius Euang. Homilia.

Ser. 23. Abr. 50. Hom.

Quod admonemur Domini eloquiis de diuinis lectionibus hinc credentes Deum velle nos loqui, proferimus charitati vestræ, illo adiuuante, sermonem de remissione peccatorum. Euangelium enim cum legeretur attentissime audistis, & res gesta narrata atque versata est ante oculos cordis vestri. Vidistis enim non carne, sed mente Dominum Iesum Christum in domo Pharisæi recumbentem, & ab illo inuitatum non fastidientem. Vidistis etiam in ciuitate mulierem famosam, malę vtique famæ, quæ erat peccatrix, non inuitatam irruisse conuiuio, vbi suus medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem. Irruens quasi importuna conuiuio, opportuna beneficio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat, sciebat. Accessit ergo non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambulauerat, vestigia recta quærebat. Prius fudit lachrymas cordis, & lauit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, osculabatur, vnxit, tacita loquebatur, nō sermonem promebat, sed deuotionem ostendebat. Quia ergo tetigit Dominū tigando, osculando, tergēdo, vngēdo pedes eius: Pharisæus, qui inuitauerat Dominū Iesum Christum quia ex illo genere erat hominum superborum, de quibus Esaias propheta dicit, Qui dicunt, recede longe à me, noli me tangere, quoniam mundus sum: putauit Dominum nescisse mulierem. Hoc apud se cogitans, dicebat in corde suo, Hic si esset propheta, sciret quia mulier illi accessit ad pedes. Ideo nescire credidit, quia illum non repulit, quia accedentem non prohibuit, quia tangi se à peccatrice permisit. Nam illum nescisse vnde sciebat? Quid enim sciebas, ô Pharisæe, inuitator, & irrisor Domini, Dominum pascis, & à quo pascendus sis, non intelligis? Vnde scis Dominum nescisse, quæ fuerit illa mulier nisi quia permissa est accedere, nisi quia illo patiente osculata est pedes eius, nisi quia tersit, nisi

Esa. 65.

Luc. 7.

quia vnxit? Hæc enim non debuit permitti facere in pedibus mundis, mulier immunda? Ad illius ergo Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, *Esa. 52.* dicturus erat quod Esaias de talibus dicit, Recede à me, noli me tangere, quoniam mundus sum. Accessit ad Dominum immunda vt rediret munda. Accessit ægra, vt rediret sana. Accessit confessa, vt rediret professa. Audiuit enim Dominus Pharisæum cogitantem. Iam hinc intelligat Pharisæus si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantem. Proposuit ergo homini similitudinem de duobus qui debebant vni fœneratori. Etiam ipsum enim sanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet: ipsum pascentem esuriebat, ipsum emendare, ipsum mactare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus trajicere volebat: sicut & illi mulieri Samaritanæ dixit, Sitio. *Ioan. 4.* Quid est sitio? Desidero fidem tuam. Dicuntur ergo verba Domini in hac similitudine, & agitur vtrunque, vt & inuitator ille sanetur cum suis condiscumbentibus Dominum nostrum Iesum Christum pariter vidétibus, pariter ignorantibus, & vt illa mulier habeat fiduciam confessionis suæ nec pungatur vlterius aculeis conscientiæ suæ. *Luc. 7.* Debebat vnus, inquit, quinquaginta denarios, alius quingentos. Donauit ambobus. Quis eum plus dilexit? Respondit cui similitudo proposita erat, quod respódere vtique ratio compellebat. Credo, Domine, cui plus donauit. *Et attendens mulierem dixit ad Simonem, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, &c.* Oritur quæstio profecto soluenda, quæ attentionem vestræ charitatis desiderat, ne forte sufficere non possimus verbis ad totam eius obscuritatem remouendam, & diluc idádam pro angustia temporis, maxime cũ caro ista æstibus fatigata iam recreari desideret, & debitum suum poscens, & animæ auiditatem impediens, ostendat quod dictum est, Spiritus promptus est, *Matth. 26.* caro autem infirma. Metuendum est, & valde metuendum, ne in his verbis Domini non bene intelligẽtibus his, qui cócupiscentias suas carnales faciunt, & ab eis in libertatem educi pigrescunt, subrepat illa sententia, quæ prædicantibus etiam Apostolis nata est in linguis maledicorum: vnde dicit Apostolus, & sicut quidam dicunt nos dicere, Faciamus mala, vt veniat bona. Dicit enim *Rom. 3.* aliquis, Si cui modicum dimittitur, modicum diligit, cui autem plus dimittitur, plus diligit, expedit plus diligere quam minus diligere, oportet vt multum peccemus, & multum debeamus quod nobis dimitti cupiamus, vt dimissorem magnorum debitorum amplius diligamus. Peccatrix enim illa mulier, quanto plus debebat, tanto dimissorem debitorum suorum amplius diligebat, *Luc. 7.* Domino ipso dicente, *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quare autem dilexit multum, nisi quia debebat multa? Denique addidit & adiunxit, *Cui autem modicum dimittitur, modicum diligit.* Nónne expedit, inquit, vt multum mihi dimittatur quam minus, vnde amplius diligam Dominum meum. Videtis certe profunditatem quæstionis: scio. Videtis angustias temporis, & hoc videtis & sentitis. Accipite ergo pauca, Si magnitudini quæstionis non satisfecero, interim præsentẽ recódite sermonem, in futuro tenete debitoré. Da nũc duos homines, vt sub exẽplis euidẽtioribus, quod proposui, cogitetis, Vnus eorũ plenus est peccatis, diu pessimè vixit: alter autem eorũ peccauit pauca. Accedunt ergo ambo ad gratiam, baptizantur ambo: intrant debitores, exeunt liberi: plus donatũ est vni, minus alteri. Interrogo quantũ quisque diligat. Si inuenero plus diligere eum, cui peccata plura dimissa sunt, vt, illius, qui multa peccauit, vtilior erat multa iniquitas, ne esset tepida charitas. Interrogo alium quantum diligat, inuenio minus: nam si inuenio tantum & illum diligere, quantum & ille diligit, cui multa sunt dimissa: quo modo respondebo verbis Domini, quo modo non verum erit, quod veritas dixit, *Cui modicum dimittitur, modicum diligit?* Sed ecce ait aliquis mihi, Modicum dimissum est, non multa peccaui, & tantum diligo, quátum iste, cui multa dimissa sunt. Tu verum dicis an Christus? Ad hoc tibi dimissum est mendacium tuum, vt mendacij dimissuri crimen imponas? Si modicum tibi dimissum est, modicum diligis. Si enim modicum est tibi dimissum, & plurimum diligis, contradicis ei, qui dixit, *Cui modicum dimittitur, modicum diligit.* Illi vero plus credo, qui te plus nouit. Parum tibi dimissum putas, prorsus parũ diligis, Quid ergo, inquit, facere debui? Multa mala committere, & multa esse quæ posset ille mihi dimittere, vt amplius possem diligere? Angustat nos: sed quia hæc vera Dominus proposuit, ab angustiis liberet me. Dictum est hoc propter Pharisæum illum, qui vel nulla, vel pauca se putabat habere peccata. Non enim Dominum inuitaret, nisi aliquantulum diligeret. Sed quàm parum erat? Non osculum dedit, non saltem aquam ad pedes, & si non lachrymas, non illo obsequio prosecutus est, quo illa mulier, quæ nouerat, quod sanaretur, & à quo sanaretur. O Pharisæe, ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris? Non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse, quod dimittitur. Quid ergo inquit ille? Ego quia homicidium non feci, homicida deputandus sum? Qui adulterium non admisi, pro adultero puniendus sum? Aut ista mihi dimittenda sunt, quæ non commisi? Ecce iterum constitue duos, & loquamur ad eos. Venit vnus supplex peccator, coopertus spinis tanquam hericius, & nimis timidus tanquam lepus. Sed petra est refugium hæriciis & leporibus. *Psal. 103.* Venit ergo ad petram, inuenit refugium, accepit auxilium. Alius nõ multa commisit, quid ei faciemus, vt multum diligat? Quid persuadebimus? Contra verba Domini veniemus, Cui modicum dimittitur, modicum diligit? *Luc. 7.* Ita planè cui modicum dimittitur. Sed ô tu, qui dicis te non multa cómisisse. Quare? Quo regente? Deo gratias, quod motu, & voce vestra intellexisse vos significastis. Iam vt video, soluta est quæstio. Hic multa commisit, & multorum debitor factus est. Ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille, quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malúmque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres: suasor defuit, & vt suasor deesset, ego feci. Locus, & tẽpos defuit, & vt hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non cõsentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes,

& quod

& quod non admisisti. Mihi debet iste, quod factum est, & dimissum vidisti, mihi debes, & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo. Iam nunc, quantum potuimus, quæstionem profundam in tantilla temporis breuitate soluimus: aut, si non soluimus, debitores, vt dixi, tenemur. Illud potius breuiter videamus de remissione peccatorum. Homo putabatur Christus, & ab illo qui inuitauit, & ab eis, qui pariter discumbebāt. Nescio quid illa peccatrix plus in domino viderat, Nam quare fecit illa omnia, nisi vt sibi dimitterentur peccata? Nouerat ergo illum posse dimittere peccata, illi autem nouerant hominem non posse peccata dimittere. Et credendum est, quod omnes, id est, & illi discumbentes, & illa mulier accedens ad pedes domini, omnes hi nouerant hominem nō posse peccata dimittere. Cū ergo omnes hoc nossent, illa, quæ credidit eum posse peccata dimittere, plus quàm hominem esse intellexit. Denique cum dixisset mulieri, *Dimittuntur tibi peccata tua*: continuo ille, *Quis est iste, qui peccata dimittit*? Quis est iste, quem iam mulier peccatrix cognouit? Tu recumbens quasi sanus, medicum ignoras, quia maiori forsitan febre mētem etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens plorat̄ur à sanis. Tamen illud bene nostis, bene tenetis. Tenete, quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantum, sed & Deum credidit. *Quis est iste*, inquiunt, *qui etiam peccata dimittit*? Et dominus (quis est iste dicentibus) nō dixit, filius Dei, verbum Dei, non hoc dixit, sed in eo quod putabant aliquantum eos manere permittens, soluit quæstionem, & motus illorū. Qui enim videbat discumbētes, audiebat cogitantes: *Cōuersus ad mulierē, Fides tua, inquit, te saluā fecit*. Isti qui dicunt, Quis est iste, qui etiam peccata dimittit: qui me putant hominem, hominem putēt, Fides tua te saluam fecit, Medicus bonus ægros nō solum præsentes sanabat, sed & futuros etiā præuidebat. Futuri erant homines qui dicerent. Ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano, quencunque baptizo, Ex ipso & isti numero
Esaiæ 52. sunt, qui dicunt, Noli me tangere, Vsque adeo ex ipso numero sunt, vt nuper in collatione nostra quod etiam in gestis ipsis loqui poterimus, cum eis à cognitore esset confessus oblatus, vt sederēt
* forte sedeatur. nobiscum, respondendum putarent: * scriptum est nobis, cum talibus non sedere, scilicet ne per contactum subselliorum ad eos velut nostra contagio perueniret. Vide si nō est, Noli me tangere, quia mundus sum. Alio autem die vbi opportunius erat, commemorauimus eos huius miserrimæ vanitatis, cum ageretur de ecclesia, quia mali in ea non contaminant bonos: * respōdimus eis:
* forte respondamus nobis. quia ideo sedere nobiscum noluerunt: & dixerūt, se scriptura Dei fuisse commonitos, quia videlicet
Psal.25. scriptum est, Non sedi in concilio vanitatis, Diximus, si ideo nobiscum sedere noluistis, quia scri-
Esaiæ 52. Luc.7. ptum est, Non sedi in cōcilio vanitatis: quare nobiscum ingressi estis, cum consequenter scriptum sit, Et cum iniqua gerentibus non introibo. Ergo in hoc quòd dicunt, Noli me tangere, quia mundus sum: similes sunt illi pharisæo, qui dominum inuitauerat, & propterea eum putabat nescisse mulierem, quia non eam prohibuerat à contactu pedum suorum. Sed in eo Pharisæus melior, quia cum putaret hominem Christum, non credebat ab homine posse dimitti peccata. Melior ergo Iudæis quam hæreticis apparuit intellectus. Iudæi dixerunt, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Audet sibi homo hoc vsurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi, non ego, sed Christus. O homo, quando ego à Iudæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, sed respondet tibi Christus, O hæretice, tu cum sis homo, dicis, veni mulier, ego te saluam facio. Ego cum putarer homo dixi, Vade mulier, fides tua te saluam fecit. Respondent nesciētes sicut ait Apo- Luc. 7.
stolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus 1.Tim.1.
affirmant, Respondent & dicunt, Si non dimittūt homines peccata, falsum est quod ait Christus, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo. Matth.18.
Nescis quare hoc dictum sit, quo modo dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus spiritum sanctum, & ab ipso spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum voluit intelligi dimitti peccata. Nam quid es, homo, nisi 1 quæst.1.
æger sanandus? Vis mihi esse medicus, mecum Si euidenter.
quære medicum. Nam vt hoc euidenter ostenderet dominus, à spiritu sancto, quem donauit, fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis, Accipite spiritum sanctum: & continuò subiecit, Ioan.20.
Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, spiritus dimittit, non vos. Spiritus autē Deus est, Ioan 4.
Deus ergo dimittit non vos. Sed audi spiritum. 1.Cor 3.
Quid estis vos? Nescitis, quia templum Dei estis, 1.Cor.6.
& spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum, Nescitis, quia corpora vestra templum est spiritus sancti, quē habetis à Deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus, in ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viua templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem. Neque enim minus est idoneus per se date, qui potest per alium date. Per Ioannem quibusdam dedit, ipsi Ioanni per quem dedit? Merito volens Deus hoc ostendere & huic veritati attestari, cum quidam in Samaria euangelizati essent, & baptizati essent, & baptizati à Philippo euangelista vno de septem diaconis primitus electis, non acceperunt spiritū sanctum & baptizati erant. Nunciatum est discipulis qui erant Hierosolymis, & venerunt ad Sama- Actu.8.
riam, vt illi qui baptizati erant, per impositionem manus eorum acciperent spiritum sanctum. Et ita factum est. Venerunt & imposuerunt eis manus, acceperunt spiritum sanctum. Quia tunc sic dabatur spiritus sanctus, vt etiam appareret datus. Qui enim eum accipiebant linguis omnium gentium loquebātur, vt significaret ecclesiam in gentibus linguis omnium locuturam. Accepērūt ergo spiritum sanctum, & in eis euidenter apparuit. Quod cum vidisset Simon putans hoc esse hominum, voluit esse & suum. Quod hominum putauit, ab hominibus emere voluit. Quantam, inquit, à me vultis pecuniā sumere, vt per impositionem manuum mearū detur spiritus sanctus? Tunc eum detestatus Petrus ait, Non est tibi pars neque sors in hac fide. Donum Dei putas pecunia comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem, & cætera quæ ibi consequenter locutus est. Quare autem hoc, ego commemorare volui, intendat

intendat charitas vestra. Oportebat vt Deus prius
ostenderet se per homines operari: sed deinde ne
putarent homines, quod putauit Simon, hominis
Act. 2. illud esse, non Dei, quanquam & ipsi discipuli
hoc nouerant. Nam centum viginti homines col-
lecti erant, quando in eos per nullius manus im-
positionem venit spiritus sanctus. Quis enim tūc
eis manus imposuerat? Et tamen venit, & prius
impleuit: post illud scandalum Simonis, quid
egit Deus? Videte doctorem sermonibus, sed non
Act. 8. rebus. Idem ipse Philippus, qui baptizauerat ho-
mines, & non in eos venerat spiritus sanctus, nisi
conuenirēt Apostoli, & eis manus imposuissent,
baptizauit eunuchum, id est, spadonem quen-
dam Candacis reginæ, qui adorauerat in Hieru-
salem, & rediens inde legebat in curru suo Esa-
jam prophetam, & non intelligebat. Admonitus
Philippus accessit ad currū, exposuit lectionem,
instruxit fidem, euangelizauit Christum, Credi-
dit eunuchus in Christum, & ait cum venissent
ad quandam aquam, Ecce aqua, quis me prohi-
bet baptizari? Ait illi Philippus, Si credis in Ie-
sum Christum? Respondit ille, Credo filium Dei
esse Iesum. Continuo descendit cum illo in aquā.
Impleto baptismatis mysterio sacramento ne ho-
minum putaretur donum spiritus sancti, non ex-
pectatum est sicut tunc vt venirent Apostoli, sed
continuò venit spiritus sanctus. Soluta est Simo-
nis cogitatio, ne in tali cogitatione haberet imi-
Act. 10. tatores. Deinde aliud mirabilius exemplum. Pe-
trus venit ad centurionem Cornelium, ad homi-
nem incircuncisum gentilem, cœpit ei prædicare
Christum Iesum, & illi & eis qui cum illo erant.
Adhuc loquente Petro, non dico, nondum impo-
nente manum, sed nondum etiam baptizante,
cum dubitarent qui erant cum Petro, vtrum in-
circumcisi baptizādi essent, (Natum quippe erat
inter eos, qui crediderant, & eos qui fideles ex gē-
tibus facti erant scandalum) Iudæi Christiani, id
est, ex Iudæa Christiani, quia baptizabantur in-
circuncisi: vt hāc Deus tolleret quæstionem, cum
loquitur Petrus, venit spiritus sanctus, impleuit
Cornelium, impleuit eos, qui cum illo erant. Et
ipsa attestatione rei magnæ, quasi acclamatum
est ad Petrum, Quid de aqua dubitas? Iam ego
hic sum. Secura ergo quælibet anima à multa
nequicia per domini gratiam se liberandam, tan-
quam immunda prostitutione mundanda in ec-
clesiam credat, accedat ad pedes domini, quærat
vestigia domini, confiteatur lachrymas fundens,
tergat capillis suis. Pedes domini, prædicatores
Euangelij. Capilli mulieris superfluæ possessio-
nes. Tergat capillis, tergat prorsus, operetur mise-
1. Cor. 4. ricordiam, & cum terserit, osculetur, accipiat pa-
cem, vt habeat charitatem. Accessit ad talem, ba-
ptizata est à tali, qualis erat Apostolus Paulus,
Philip. 2. audiat ab illo, Imitatores mei estote, sicut & ego
Matth. 23. Christi. Baptizata est autem ab aliquo sua quæ-
rente, non quæ Iesu Christi, audiat à domino,
Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere no-
lite. Secura sit & in illo, siue in bonum Euan-
Luc. 7. gelistam incurrat, siue in eum qui quod di-
cit non facit. A domino enim secura
audiet, Vade mulier, fides tua
te saluam fecit.

***

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauen. in superius Euangel. de ea quæ vnxit Dominum vnguento, Sermo 1.

AD prandium, & ad Pharisæi prandium ve- Ser. 93.
nisse Christum, solicitus forsitan miretur au-
ditor. Pharisæi domum Christus intrauit, non ac-
cepturus iudaicos cibos, sed diuinam misericor-
diam largiturus: neque accubuit pocula saporata
melle, floribus odorata sumpturus, sed pœniten-
tis lachrymas ex ipsis oculorum fontibus pota-
turus: Deus delinquentium gemitus esurit, sitit
lachrymas peccatorum. *Rogabat*, inquit, *Dominum
quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo, &c.* Vide-
tis, quia ad Pharisæi mensam venit Christus, non
vt carnalibus repleretur escis, sed vt in carne ne-
gotium cæleste monstraret: neque vt probaret
posita humanitus ante se, sed post se gesta diuini-
tus approbaret. Christum nanque semper agno-
scimus per humanos actus diuinas exercuisse vir-
tutes: dum noua, & præter vsus mortalium cun-
cta esse, quæ ab eo etiam corporaliter gesta sunt,
comprobantur. Pharisæus ad manducandum vo-
cat Christum: quid ibi quærit mulier non vocata?
Claustra domus non prorumpit extranens: con-
uiuij secretum non præsumit non inuitatus in-
trare, cibos paratos relaxandis mentibus post la-
borem perturbare non audet arbiter luxuriosus:
& quid est, quòd hæc mulier ignota, imò male
nota, onusta luctibus, plena lachrymis, clamosa
planctu, nescio ianitore, nullo conscio, ipso igno-
rante pastore, domus aditus percurrit omnes,
transit totas ministeriorum cateruas, ipsum con-
uiuij peruolat ad secretum, & facit domum læti-
tiæ, domum lamentationis, & planctus? Fratres,
non rogata venit illa, sed iussa; intrauit exhibita,
non præsumens: ipse sic fecit eam sisti sibi, qui il-
lam cælesti sententia iussit absolui. Denique, dum
Pharisæus veste clarus, primus, in * sigmate, in * Id est, in triclinio.
ipsis oculis Christi tumens, epulis homini, non
Deo placiturus, festiuus infunditur, venit mulier,
& venit retro: quia reus animus post tergum stat
ad veniam: quia per culpam nouit se vultus fidu-
ciam perdidisse: venit satisfactura Deo, non ho- Nota, satisfactura Deo.
mini placitura, cùm venit: venit pietatis illa, non
voluptatis exhibitura conuiuium: deniq. & pœ-
nitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis
apponit, panem doloris infert, potum lachrymis
temperat in mensura, & ad delicias deitatis to-
tas, totam pulsat cordis sui, & corporis sympho-
niam, organi planctus dat clamorem, citharam
per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in
fistulam: &, dum pectus ipsam conscientiam ar-
guens sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala
personare: dúmque taliter apportat diuinis oculis
cibos, totas misericordiæ copias sic reportat. *Ecce
mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Exaggerat Euan-
gelista mulieris facinus, vt accumulet indulgen-
tiam largitoris *In ciuitate peccatrix.* In ciuitate pec-
cauerat, quia fama sua famam totius tetigerat ci-
uitatis: sicque iam non peccatrix solum, sed ipsius
ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum. Hæc cogno-
uit, quòd nisi ab illo solo ciuitatis peccatum non
posset auferri, qui solus mundi venerat abolere
peccatum. *Et vt cognouit quia accumberet Dominus in
domo Pharisæi.* Non ad stantem, non ad sedentem
audet

audet venire peccatrix: Deus cùm stat, corripit; cùm sedet, iudicat, prostratis conticet, cùm decumbit. *Vt cognouit, quod accumberet Dominus in domo Pharisæi.* Inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem: & ideo credidit, quòd esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat iam promptus ad mensam. *Attulit alabastrum vnguenti.* Portauit oleum, quia medicinam lethali vulneri à superno medico perquirebat. *Stans retro secus pedes eius.* Ad pedes tendit semper, citam veniam qui requirit. Et bene *stans*, quia iam cadere non potest, qui ad pedes Christi meruit peruenire. *Stās retro secus pedes eius.* Vt Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. *Lachrymis rigabat pedes eius.* En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cælum dat semper: ecce nunc rigat terra cælum: imò super cælos, & vsque ad ipsum dominū imber humanarum pro-
Psal. 148. filiit lachrymarū: vt iuxta Psalmistam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. *Lachrymis rigabat pedes eius.* O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiā. *Et capillis capitis sui tergebat.* Dominicos pedes lauat lachrymis, crinibus tergit, vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit: quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium creatoris. *Et capillis capitis sui tergebat.* In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat vnda, vt suo fonte mulier in nouum baptisma suorum dilueret illuuiem peccatorum. *Et capillis capitis sui tergebat.* Vt iuxta Psal-
Psal. 67. mistam; Verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret ſotuitnte. *Et osculabatur pedes eius.* Præcesserāt interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum; oscula sunt reconciliationis indicia. *Et vngebat vnguento.*
Matth. 26. Mulierē super caput Domini fudisse oleum, alio Euangelista referente, cognouimus: non est ergo quod facit hæc mulier mollis, & carnalis obsequij, sed plenæ humanitatis est sacramētum: quia in capite Christi Deus est, in pedibus euāgelizantium pacem. Orate, fratres, vt & nos in vnguine Domini commercamur aliquatenus computari, & vnguamur vnguento, quod pedibus funditur Saluatoris: quia, sicut oblatio est, cùm offertur vnguentum: ita Chrisma perfectum est, de dominicis vestigiis cùm redundat. Cuius autem mulier ista typum præferat, vel quam magnum præfiguret arcanum, donante Deo, tunc dicemus, quando ea, quæ sunt in sequentibus, exponentur.

EIVSDEM DE EODEM
Sermo 2.

Ser. 94. QVoniam sermone proximo partem primam hodiernæ percurrimus lectionis, admirati pariter sumus, quo feruore, qua fide, quali ausu, quāta obsequij nouitate, peccatrix mulier ipsius vestigia contigerit Saluatoris: modo quid Pharisæus tacens dixerit, quid Christus, cui loquuntur tacita, responderit, audiamus, *Videns*, inquit, *Pharisæus, qui vocauerat eum, &c.* Pharisæe, quod conspicis, non est ignorantia, sed potestas; est diuini iudicij, non erroris humani. Pharisæe, erras, nescire magis potuit, si fuisset Propheta: quia prophetia non est humani arbitrij, muneris est diuini: vnde Propheta scit non quantum volt, sed quantum dederit ille, qui tribuit prophetiam. *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Mulieris malæ tactus vrit male conscium, parem polluit, suspectum notat, hominem malæ voluntatis infamat, cæterum peccatrix fit bona, fit sancta, fit innocens, cùm tetigerit veniæ largitorem. Stercora contingunt, sed non inquinant Solem: medicum, cùm tangit vulnera, putredo non polluit: Iudicem quamuis tangat reus, non potest maculare, cùm supplicat: sic peccator, cùm Dominum tangit, non Dominum sordidat: sed ipse & peccato caret omni, & rapit subitò sanctitatem. Probat hoc mulier in profluuio sanguinis constituta, quæ, vt tetigit fimbriam Domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamento vetustæ caruit passionis. *Hic, si esset Propheta, sciret vtiq; quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Pharisæus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Quid putas crediturus erit, cùm mox eum mentis suæ arbitrium, cordis sui iudicem, testem conscientiæ suæ, cogitationum suarum didicerit cognitorem? Putásne vel tunc fatebitur Deum, quem modò post virtutes tantas iudicat nec Magistrum? *Hic, si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Mulier habebat vulnus, sciebat illud, & ideo taliter tanti vulneris Medicum perquirebat: Pharisæus perfidiæ morbo saucius, superbiæ flamma febriēs, per phrenesim se nesciebat insanum. Hinc est, quòd Christus illuc primum curam vertit, vbi ignota sæuiebat infirmitas. vt cælestis Medicus vno medicamine duos curaret ægrotos. *Videns Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens.* Cui, quia intra se cogitauerat Pharisæus, Christus publica voce respondit: &, dum Pharisæi cordis patefecit arcanum, ipsum fuisse totius prophetiæ demonstrat auctorem. *Respondens*, inquit, *Iesus*, ait, *Simon, habeo tibi aliquid dicere. Tibi*, cui opus est medicina, & nescis quærere medicinam: *tibi*, qui Deum Magistrum vocas, & Dei deseris disciplinam: ignoras, quoniam Magistro magnam facit iniuriam, qui se discipulum fatetur eius, cuius non sequitur institutum? Nam, sicut discipuli probitas laus est magistri, ita magistri vituperatio discipulis nesciens disciplinam. *Simon habeo tibi aliquid dicere; Respondit, Magister, dic.* Iterum, *Magister, dic*, & non Deus dic. Iam iam Deum senties, quem vocas Magistrum. *Duo*, inquit, *debitores erāt cuidam fæneratori, &c.* Audistis quēadmodum cælestis creditor totum debitū charitate cōpensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit, & requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Vis scire, homo, quid Deo debeas? Quòd factus es, Dei creditum est: quòd es rationis capax, Dei fœnus est, quòd discretionem mali, bonive possides, accepisti: & quòd viuendi normam acceperis per chyrographum legis stipulanti Deo spospondisse te, non potes diffiteri. Sed, dum te per vitia carnis in lotū instar suis demergis, & quadrupedum more viuens, qua præditus es, ratione priuatis, & in gurgite criminum, boni, malive perdita discretione, confundis, & diuinæ legis substantiam dissipas, mundana voluntate captiuus, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus:

luctuosus:cui, deficientibus virtutú lucris,criminum multiplicatur vsura. Sed, licet in hac te cecideris, licet fuctis in ista deuolutus, vide ne desperes:homo,remansit tibi vnde pissimo satisfacias creditori. Absolui vis? Ama;charitas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimi-
1. Ioan. 4. ne quid peius?& tamen Petrus amore solo valuit hnc delere,probante domino, cùm dicit. Petre, amas me? Inter omnia Dei præcepta amor obti-
Ioan. 21. net principatum. Diliges Dominum Deú tuum
Marc. 12. ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota mente tua,& ex tota virtute tua. Ama ergo homo Deum,& ama totus: vt possis omnia sine labore vincere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est,amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam,sicot ex sequétibus elucescit. *Conuersus*,inquit,*ad mulierem, dixit Simoni*. Quid est, quòd conuersus ad mulierem, Simoni loquitur Christus? Quia, cùm pœnitentem respicit,arguit oblatrantem. *Dixit Simoni, vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam,&c.* Probatú est,quia dilectio delet, & abluit vniuersa peccata. Quid est autem quòd dixit: *Cui minus dimittitur, minus diligit*? Ergo peccandum satis est, vt maior charitas comparetur? Absit. Charitas de præteritis subuenit, nó liberat de futuris:charitas nescit peccare,cú diligit: charitas nó est charitas,si delinquit: charitas Dei custos est sanctitatis. Fratres, si nos esse peccatores nouimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lachrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota deuotione fundamus: vt dicatur nobis, dimittuntur vobis peccata multa,quia dilexistis multum. Imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem peruenisse. Quæ sit autem hæc mulier, quia hodiernus sermo charitatis nos distulit, sicut iam promisimus, in sequentibus, Deo auctore, pandemus.

EIVSDEM DE EADEM
Sermo 3.

Serm. 95. OMnia, quæ à Christo corporaliter gesta referuntur,sic subnixa sunt historica veritate, vt plena semper sacramentis cælestibus approbétur. Et quia,quod erat in facie lectionis,iam perstrinximus sermone repetito: orate,vt, sicut promisimus, interna eius, spiritusancto reuelante, pandamus. Inhonora est dictio,quę Dei facta humana tantum expositione depromit. *Rogauit*, inquit, *dominum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo*. Pharisæus, fratres, catholicus dicitur Iudæorum, nam & resurrectionem credit, & Saducæo resurrectionem negante, dissentit: hinc est, quòd rogat Christum,id est,resurrectionis auctorem, vt manducet cum illo: quia, qui conuiuit Christo, mori nescit,vtique viuit semper. *Rogabat dominum, vt manducaret cum illo*. Rogas, Pharisæe, vt mandu-
Ioan. 6. ces cum illo, crede, esto Christianus, & manduces ex illo. Ego sum,inquit,panis,qui de cælo descendi. Semper Deus maiora tribuit,quam rogatur: nam se manducandum dedit,qui rogabatur, vt manducandi secum fiduciam largiretur, & ta-
Luc. 22. men sic hoc dedit, vt illud, quod postulatus est, non negaret: Nónne promittit hoc & sponte discipulis suis? Vos,qui perseuerastis mecum,manducabitis,& bibetis in mensa mea in regno meo. Christiane,qui se tibi hic manducandum dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum? Et, qui tátum tibi viaticum parauit ad victum, quid in illa tibi mansione perpetua non parauit? Manducabitis in mésa mea in regno meo. Audisti Dei conuiuium; solicitus nó sis de qualitate cóuiuij. Qui peruenire regis meretur ad mésam, máducauit, quicquid regni dominatio possidet, & potestas:sic qui ad conuiuiú venerit creatoris, habebit in delitiis suis,quicquid cótinetur in creatura. Sed ad cœpta redeamus. *Et ingressus domú Pharisæi*. Quá domum? Nempe synagogam ingressus accubuit. In synagoga,fratres, tunc accubuit, quádo occubuit Christus:sed corpus suú Ecclesiæ transmisit ad mensam,vt esset cælestis caro máducaturis gétibus ad salutem. Nisi máducaueritis carné filij hominis,& biberitis eius sanguiné, nó habebitis vitam in vobis. Quemadmodú autem manducetur caro Christi,quomodo bibatur,& sanguis eius,norunt illi,qui sunt sacramentis cælestibus instituti. *Ecce*, inquit, *mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*. Quæ mulier? Ecclesia sine dubio. *In ciuitate peccatrix*. Ciuitate qua? Illa de qua dixerat Propheta; Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion?
Esa. 1 Et alibi; Vidi iniquitatem, & contradictionem in
Psal. 54. ciuitate,& iniquitas,& labor in medio eius,& iniustitia,& non defecit de plateis eius vsura,& dolus. In ciuitate ergo perfidiæ septa muris, superbiæ turribus communita, distincta iniquitatum plateis,obserata contradictionum portis, depicta doli fucis, indurata silicibus vsurarum, negociorum doloribus aggrauata, infamata lupanaribus, id est,idolorum templis,mulier hæc,id est, ecclesia,grauissimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluuie peccatorum. Sed, vbi audiuit venisse Christum ad domum Pharisæi, id est, ad synagogam:ibi,hoc est,ad Iudaicum Pascha, passionis suæ mysteria tradidisse,aperuisse sui corporis,& sanguinis sacramentum,manifestasse nostræ redemptionis arcanum, scribas velut pessimos despiciens genitores. (Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientię) irrupiis contradictionum foribus, contempto ipso chori Pharisaici principatu,ardens,anhelans, æstuans ad totum legalis conuiuij penetrale peruenit:ibique reperit Christum inter amoris epulas, & dulcia pocula traditum, Iudaicam occubuisse per fraudem:iuxta il-
Psal. 54. lud Prophetæ; Quoniam,si inimicus exprobrasset mihi, supportassem vtique:&, si is, qui oderat me, super me mala locutus fuisset, abscondissem me vtique ab eo: tu verò, homo vnanimis, dux meus,& notus meus,qui mecum dulces capiebas cibos, in domo domini ambulauimus cum consensu. *Vt cognouit accubuisse dominum in domo Pharisæi*. Id est,in synagoga omni dolo,tota fraude addictum,passum,crucifixum, & sepultum:tamen à feruore fidei tanta ista non retardatur iniuria,sed portat vnguentum, portat Christiani chrismatis oleum:& quia Christi faciem videre non meruit corporalem,stat retro non loco, sed tempore:inhæret eius vestigiis, vt sequatur: & tum desiderij plus,quàm conscientiæ lachrymas fundit:vt,qué abeuntem videre nó meruit, mereatur videre redeuntem. Lachrymas ergo ad pedes domini profluo amore perfundit, dú pedes Euangelizántium regnum eius bonorum operum manibus tenet,

lauat

lauat lachrymis charitatis, cõfessionis labiis oscu
latur: & totū misericordiæ profundit vnguentū, donec *conuersus ad eam*: quid est conuersus? hoc est, reuersus, dicat Simoni, dicat Pharisæis, dicat negantibus, dicat populo Iudæorum. *Intraui domum vestram; aquam pedibus meis non dedistis*. Et hæc quā-
Matth. 25. do dicet? Quando venerit in maiestate patris sui, & segregabit iustos ab iniustis, quasi pastor, qui segregat oues ab hœdis: & dicet: Esuriui, & nō dedistis mihi potum; hospes fui, & non suscepistis me. Hoc est dicere: *aquam pedibus meis non dedistis*: hæc autem, dum meorum pedes lauat, pedes vngit, pedes osculatur, fecit seruis, quod vos Domino non fecistis; fecit pedibus, quod capiti vos negastis, impendit minimis, quod vos vestro denegastis auctori. Tunc dicet ad Ecclesiam; *Dimittuntur tibi peccata multa; quia dilexisti multum*. Quia tūc erit remissio peccatorum, quando tolletur materia tota peccādi, quando corruptio induet incorruptionem, quando mortalitas immortalitatem consequetur, quādo peccati caro, caro totius efficietur sanctitatis: quando terrena seruitus cælesti dominatione mutabitur, quando militia humana diuinū promouebitur ad regnum. Orate, fratres, vt & nos in parte ecclesiæ constituti ad ea, quæ numerauimus, peruenire mereamur, auctore ipso Christo, cui est honor, & gloria vnà cum Patre, & Spiritu Sancto in secula seculorum, Amen.

S. GREGORII PAPAE
in idem Euang. Homil.

COgitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est: non iussa venit, & inter epulas lachrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. Hanc verò, quam Lucas
Ioan. 12. peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nomi-
Marc. 17. nat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur. Et quid per septem dęmonia, nisi vniuersa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus cōprehenditur, rectè septenario numero vniuersitas designatur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitiis plena fuit. Sed ecce quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauāda ad fontem misericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubescit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intùs, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur, fratres? Mariam venientem, an dominum suscipiētem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed melius trahentem dicam, & suscipientem: quia nimirùm ipse eam per misericordiam traxit intùs, qui per mansuetudinem suscepit foris. Sed iam textum sancti Euangelij percurrentes, ipsum quoque ordinem, quo venerit sananda, videamus. *Attulit alabastrum vnguenti, &c.* Liquet, fratres, quòd illicitis actibus priùs mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo turpiter sibi exhibuerat, hoc iā Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionē vultus exhibuerat: sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa. Sed hoc pharisæus intuēs despicit, & non solùm venientem mulierem peccatricem, sed etiam suscipientem Dominum reprehendit, dicens intra se: *Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est*. Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter iustus, ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subuentione: qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat, & ignorabat. Inter duos autem ægros medicus aderat: sed vnus æger in febre sensum integrum tenebat, alter verò in febre carnis, & sensum perdiderat mētis. Illa quippe flebat quod fecerat: pharisæus autem falsa iustitia elatus, vim suæ inualitudinis exaggerabat. In ægritudine ergo & sensum perdiderat, qui hoc ipsum quoque quod à salute longè esset, ignorabat. Sed inter hæc nos gemitus cogit quosdam nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio præditi, si quid fortasse iustè exteriùs vel tenuiter egerint, protinùs subiectos despiciunt, & peccatores quosque in plebe positos dedignantur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac velut pharisæi more, à peccatrice muliere tangi despiciunt. Quæ profectò mulier si ad pharisæi pedes venisset, nimirùm calcibus repulsa discederet. Inquinari enim se alieno peccato crederet. Sed quia hunc vera sua iustitia non replebat, de alieno vulnere ægrotabat. Vnde necesse semper est, vt, cùm peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos priùs in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Et si censura magisterij debet semper virtute disciplinæ vitia persequi, oportet tamen vt solicitè discernamus, quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cùm verò iam per pœnitentiam percutit ipse, quod fecit, iam noster proximus peccator non est: quia cùm Dei iustitiam contra se dirigit, & hoc in se punit, quod iustitia diuina reprehendit. Sed iste superbus & arrogans, qua sententia conuincatur, audiamus. De duobus quippe debitoribus ei paradigma proponitur, quorum vnus minùs, & alius amplius debet. Vtrotùmque debito dimisso, quis amplius largitorem debiti diligat, interrogatur. Quibus verbis protinùs ille respondit: *Ille plùs diligit, cui plus dimittitur*. Qua in re notandum est, quia dum sua sententia pharisęus conuincitur, quasi phreneticus funem portat, vnde ligetur. Enumerantur ei à domino bona peccatricis mulieris, enumerantur mala falsi iusti, cùm dicitur: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, &c.* Post enumerationem verò subinfertur sententia; *Propter quod dico tibi remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Quid, fratres mei, esse dilectionē credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? Vnde nunc dicitur; *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*. Ac si apertè diceretur; Incendit planè peccati rubiginem, quia ardet valde per amoris ignē. Tāto

nanque amplius peccati rubigo conſumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne cõcrematur. Ecce ea, quæ ad medicũ venerat ægra, ſanata eſt: ſed de ſalute eius adhuc alij ægrotant, nam ſimul diſcumbentes conqueſti ſunt intra ſe dicentes, *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Sed cæleſtis medicus ægros non reſpicit, quos etiam de medicamẽto fieri deteriores videt: Eam quam ſanauerat, per pietatis ſententiam confirmat, dicens; *Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Fides etenim ſaluam fecit, quia hoc quod petiit, poſſe ſe accipere non dubitauit. Sed ipſam quoque ſpei certitudinẽ iam ab illo acceperat, à quo per ſpem etiam ſalutem quærebat. In pace autem ire præcipitur, vt à veritatis itinere in viam ſcandali vlteriùs non deriuetur. Vnde & per Zachariam dicitur; Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Tunc enim greſſus noſtros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab authoris noſtri gratia nõ diſcordamus. Hæc, fratres chariſſimi, hiſtorica expoſitione tranſcurrimus: nunc, ſi placet, ea, quæ dicta ſunt, myſtico intellectu diſſeramus. Quem nanque phariſæus de falſa iuſtitia præſumens, niſi Iudaicum populum: quem peccatrix mulier, ſed ad veſtigia Domini veniens, & plorans, niſi conuerſam gentilitatem deſignat? Quæ cum alabaſtro venit, vnguentum fudit, retrò ſecus pedes domini ſtetit, lachrymis pedes rigauit, capillis terſit, eoſdémque, quos infundebat, & tergebat pedes, oſculari non deſtitit. Nos ergo, nos illa mulier expreſſit, ſi toto corde ad Dominum poſt peccata redeamus, ſi eius pœnitentiæ luctus imitemur. Quid nanque vnguẽto, niſi odor bonę opinionis expri-
2.Cor.2. mitur? Vnde & Paulus dicit, Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odoribus Eccleſiam reſpergamus, quid in Domini corpore niſi vnguentum fundimus? Sed ſecus pedes Ieſu mulier ſtetit. Contra pedes enim Domini ſtetimus, cùm in peccatis poſiti, eius itineribus renitebamur. Sed ſi ad veram pœnitentiam poſt peccata conuertimur, iam retrò ſecus pedes ſtamus: quia eius veſtigia ſequimur, quem impugnabamus. Lachrymis mulier pedes eius rigat. Quod nos quoque veraciter agimus, ſi quibuſlibet vltimis membris Domini per compaſſionis affectum inclinamur, ſi ſanctis eius in tribulatione compatimur, ſi eorũ triſtitiã noſtrã putamus. Capillis mulier pedes, quos rigauerat, terſit. Capilli quippe ſuperfluũt corpori. Et quid abũdãs terrena ſubſtãtia niſi capillorũ ſpeciẽ tenet? Quæ dum ad vſum neceſſitatis ſuperfluit, etiam abſciſſa non ſentit. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando ſanctis eius, quibus ex charitate compatimur, etiam ex iis, quæ nobis ſuperfluunt, miſeremur: quatenùs ſic mens per compaſſionem doleat, vt etiam larga manus affectum doloris oſtendat. Rigat nanque lachrymis redemptoris pedes, ſed capillis ſuis nõ tergit, qui vtcunque proximorum dolori compatitur, ſed tamen eis ex iis, quæ ſibi ſuperfluunt, non miſeretur. Plorat & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, ſed non miniſtrando quæ deſunt, vim doloris minimè abſcindit: Oſculatur mulier pedes quos tergit: Quod nos quoque plenè agimus, ſi ſtudioſè diligimus quos ex largitate continemus: ne grauis ſit nobis neceſſitas proximi, ne ipſa eius indigentia, quæ ſuſtentatur, fiat onerosa: & cùm manus neceſſaria tribuit, animus à dilectione torpeſcat. Poteſt quoque per pedes ipſum myſterium incarnationis eius intelligi, quo diuinitas terram tetigit, quia carnem ſumpſit. Verbum enim caro factum Ioan.1. eſt, & habitauit in nobis. Oſculamur igitur redemptoris pedes, cùm myſterium incarnationis eius ex toto corde diligimus. Vnguento pedes vngimus, cùm ipſam humanitatis eius potẽtiã ſacri eloquij bona opinione prædicamus. Sed hoc phariſæus videt, & inuidet: quia cùm Iudaicus populus gentilitatem Deum prædicare conſpicit, ſua apud ſe malitia tabeſcit. Sed redemptor noſter facta eiuſdem mulieris quaſi bona gentilitatis enumerat, vt in quo malo Iudaicus populus iaceat, agnoſcat. Nam ſic phariſæus retunditur, vt per eum, ſicut diximus, perfidus ille populus oſtendatur. Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Aqua quippe extra nos eſt, lachrymarum humor intra nos eſt: quia videlicet infidelis ille populus, nec ea, quæ extra ſe erant, vnquam pro Domino tribuit: conuerſa autem gentilitas pro eo non ſolùm rerum ſubſtantiam dedit, ſed etiam ſanguinem fudit. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos.* Oſculum quidẽ, dilectionis eſt ſignum. Et infidelis ille populus Deo oſculum non dedit: quia ex charitate eum amare noluit, cui ex timore ſeruiuit. Vocata autem gentilitas, redemptoris ſui veſtigia oſculari non ceſſat: quia in eius amore continuò ſuſpirat. Vnde & ſponſæ voce de eodem redemptore noſtro in Canticis Canticorum dici- Cant.1. tur, Oſculetur me oſculo oris ſui. Oſculum rectè conditoris ſui deſiderat, quæ ei obſequi per amorem parat. *Oleo caput meum non vnxiſti.* Si pedes Domini myſterium incarnationis eius accipimus, congruè per caput illius ipſa diuinitas deſignatur. Vnde & per Paulum dicitur, Caput Chriſti 1.Cor.11. Deus. In Deo quippe, & non in ſe, quaſi in homine, credere Iudaicus populus fatebatur. Sed phariſæo dicitur: *Oleo caput meum non vnxiſti:* quia ipſam quoque diuinitatis eius potentiam, in qua ſe Iudaicus populus credere ſpopondit, digna laude prædicare neglexit. *Hæc autem vnguento vnxit pedes meos:* quia dùm incarnationis eius myſterium gentilitas credidit, ſumma laude etiam eius ima prædicauit. Sed iam redemptor noſter enumerata bona concludit, cùm per ſententiam ſubdit: *propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ac ſi apertè dicat, Etſi durum eſt valdè quod coquitur, abundat tamen amoris ignis, quo etiam dura conſummantur. Libet inter hæc conſiderationem tantæ pietatis intueri peccatricis mulieris opera, ſed pœnitentis, qua æſtimatione veritas apud ſe ſeruat, quæ eius aduerſario ſub tanta diſtributione enumerat. Ad phariſæi prandium Dominus Opera pœnitentis à Deo magni fiunt. diſcumbebat, ſed apud pœnitẽtem mulierẽ mentis epulis delectabatur. Apud phariſæũ veritas paſcebatur foris, apud peccatricẽ mulierẽ, ſed tamẽ Cant.1. conuerſam, paſcebatur intùs. Vnde & ei ſancta Eccleſia, quem ſub ſpecie hinnuli ceruorum quærit, in Canticis Canticorum dicit: Indica mihi, quem diligit amica mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Ceruorum itaque hinnulus Dominus appellatur, iuxta aſſumptam carnem antiquorum filius patrum. Feruentior verò in meridie æſtus

arde

ardescit, & vmbrosum locum hinnulus quærit, quem æstus igne non afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis seculi non incêdit, quę carnis desideria non exurût, quæ incensa suis anxietatibus, in huius mundi concu-
Luc.1. piscentiis non ardescunt. Vnde & Mariæ dicitur, Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Vmbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus quærit: quia talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ, corporalibus desideriis non vruntur. Plùs ergo pœnitens mulier pascebat intùs, quàm pharisæus Dominum pascebat foris: quia ab æstu carnaliū quasi hinnulus redemptor noster ad illius mentem fugerat, quam post vitiorum ignem pœnitentiæ vmbra temperabat. Pensemus quantæ pietatis fuit, peccatricem mulierem non solùm ad se admittere, sed etiam ei ad tangendum pedes præbere. Consideremus gratiam misericordis Dei, & dinumeremus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores videt, & sustinet, & resistentes tolerat, & tamen quotidie per Euangelium clementer vocat. Confessionem nostram ex toto corde desiderat, & cuncta, quæ delinquimus, relaxat. Temperauit nobis districtionem legis misericordia redemptoris. In illa quippe scriptum est, Si quis hoc, vel illud fecerit, morte moriatur. Si quis hæc vel illa fecerit, lapidibus obruatur. Apparuit côditor noster in carne: confessioni peccatorum non pœnam, sed vitam promittit. Mulierem sua vulnera confitentem suscipit, & sanam dimittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis: quia quos iuste illa damnat,
Exod 17. ipse misericorditer liberat. Vnde benè quoque in lege scriptum est; Quia manus Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius. Moyses quippe sedit in lapide, cùm lex requieuit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graues habuit, quia peccâtes quosque non misericorditer periuit, sed seuera districtione percussit. Aaron verò mons fortitudinis. Hur autem ignis interpretatur. Quem itaque iste mons fortitudinis signat, nisi redemptorem nostrum, de quo per prophetam dicitur. Erit in no-
Esa.2. uissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium? Aut quis per ignem, nisi spiritussanctus figuratur? de quo idem redemptor
Luc.12. dicit: Ignem veni mittere in terram. Aaron ergo & Hur, graues manus Moysi sustinent, atque sustentando leuiores reddunt: quia mediator Dei, & hominum cum igne sancti spiritus veniens, mandata legis grauia, quę, dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabiliora nobis per spiritualem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leues reddidit, quia pondus mandatorum legis, ad virtutem confessionis retorsit. Hanc nobis sequentis misericordiæ promissio-
Ezec.18. nem innuit, cùm per prophetã dixit; Nolo mortem peccatoris, sed vt magis côuertatur, & viuat. Hinc iterùm sub Iudeæ specie vnicuique pecca-
Hiere.3. trici animæ dicitur; Si dereliquerit vir vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non contaminata, & polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamē reuertere ad me, dicit Dominus. Ecce paradigma turpis mulieris dedit, ostendit quòd post turpitudinem recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma, quod protulit, per misericordiam vincit, cùm dicit fornicantem mulierem nequaquàm recipi posse, & tamen ipse fornicantem animam vt recipiat, expectat. Pensate, fratres, pondus tantæ pietatis, dicit quod fieri non potest, & demonstrat, quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, & quos inquinatos denunciat, hos etiam amplecti quærit, à quibus desertum esse se queritur. Nemo ergo tantæ misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia diuinæ pietatis abiiciat. Ecce superna benignitas nos reuocat auersos, & nobis reuertentibus suæ clementiæ sinum aperit. Vnusquisque igitur penset, quo debito constringitur, quando illum Deus expectat, ne côtemptus exasperetur. Qui ergo permanere noluit, redeat: qui stare contempsit, saltem post lapsum surgat. Quanto nos amore conditor noster expectat insinuat, cùm per prophetam di- Hierem.3.
cit: Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: non est qui recogitet in corde suo, & dicat, Quid feci? Certè nunquam cogitare mala debuimus: sed quia rectè cogitare noluimus, ecce adhuc sustinet, vt recogitemus. Videte tantæ pietatis sinum, considerate apertum nobis gremium misericordiæ. Quos malè cogitantes perdit, benè recogitantes quærit. Ad vos igitur, fratres charissimi, ad vos oculos mentis reducite, & pœnitentem mulierem peccatricem in exemplum vobis imitationis anteferte. Quæcunque vos in adolescentia, quæcunque in iuuentute deliquisse meministis, deflete, morũ operúmque maculas tergite lachrymis. Amemus iam redemptoris nostri vestigia, quæ peccãdo contempsimus. Ecce, vt diximus, ad recipiendos nos supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis vita côtemnitur. Per hoc quòd inquinationem nostram perhorrescimus, internæ iam munditiæ concordamus. Reuertentes nos dominus clementer amplectitur: quia peccatorum vita ei esse indigna iam nõ potest quæ fletibus lauatur, in Christo Iesu domino nostro, qui viuit & regnat cum patre Deus in vnitate spiritussancti, per omnia secula seculorum, Amen.

S. BERNARDI ABBATIS

Claræuallensis in eodem festo, Serm.

HOdie misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, & multitudo miserationũ Domini in peccatricem fœminam refusa est. Psal 84.
Filius enim Virginis, peccatricis, & menstruatæ manibus attrectatur, Deúnque, & Dei Filiũ mulier infirmata contingit. Tangit pedes mundi, atque mundantis immunda, & ad vestigia Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis præuaricatrix, & redit ad cor, atque magnitudinem scelerum lachrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, & obsequiorum instantiam remuneratorius ille Maiestatis oculus felici dedignatione non inspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequêtibus osculis, & oculis inundantibus vestigia Redẽptoris infundit, terget crinibus, odoriferis illinit, & irrorat vnguentis. Videt, & inuidet singularitatis amator, & vtrunque redarguit Pharisæi iactantia, illũ ignorantiæ, præsumptionis illam. Sed deliberans prouidentia suspendit

pendit iudicium, dum affectat obsequiom, & in-
uectiuam tetinet præparatam, donec Mariæ sacri-
Luc.15. ficium in holocaustum pertranseat. Gaudent An-
geli super peccatrice pœnitentiam agente, & odo-
ris fragrantia cælestis ille conueotus aspergitur,
saloantémque, & saluandam totam misericordiæ
Rom.5. dulcedo procingit. Vbi abundauit peccatum, su-
perabundat gratia, & numerositatem criminum
2.Cor.3 præponderans pietas intercludit. Quàm magna
multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatricis
confessione, quàm iusta reprehensio in Pharisæi
superbia, & abusione? Enumeratur obsequentis
obsequium, & per obliqnum tangitur iodignan-
tis iniquitas, tota literali cohæreotia Simoois in-
uidiam impugnante. Et quia vbi Spiritus Domi-
ni, ibi libertas, dimittuntur illi peccata, quæ mul-
tùm diligit, immò immittuntur illi, qui multùm
negligit. Non erat satiatus ab vberibus spõsæ, nec
induerat compassionis affectum legem relegens,
quæ misericordiam nescit, nouit iustitiam. Lex
dura duris, & lapideis promulgata, parata percu-
tere, nescia misereri. Lex excludens pœnitentiæ
locum, veniam negaos, emendationis igoara. Lex
vinum durom, & acidum, de botris amarissimis
eliquatom, cõfectatum feritati, deriuatum Israeli,
Saluatori propinatum. Vinum, de quo dentes bi-
bentium obstupescunt, non de genimine vitis il-
lius, quod Saluator bibit nouum in regno Patris
Can.1. sui. Verè meliora suot vbera sponsæ vino isto. Quę
nam autem sunt illa? Procedat in medium Paulus
Rom.12. Apostolus, & vbera felici lacte manantia nobis
assignet. Gaudere, inquit, com gaudentibus, & fle-
re cum flentibus. O quàm breui sermunculo to-
tius religionis depinxit insigne, tam elegãti clau-
sula proposuit pietatem, æquitatem statuit, sub-
mouit inuidiam. His vberibus mater Ecclesia la-
ctat proficientes, perfectos nutrit. Gaudere, inquit
cum gaudentibus. Facessat hinc secularis plausos
insania, & lætitia mundialis abscedat: qoia non est
Pro.2. gaudere impiis, dicit Dominus. Nunquid illorum
os gaodio repleri æstimas: qui lætantur cùm ma-
lefecerint, & exultant in rebus pessimis? Vel illi,
qui laudibus adulatoriis rapiuntur, diuinæ iubi-
Luc.16. lationis agnouere lætitiam? Nunquid qui vestion-
tur purpura, & bysso, & epulaotur quotidie splen-
didè, gaudium, & lætitiam obtinebunt? Absit, vt
in terra suauiter viueotium, gaudiorum inuenia-
tur materia, cùm tantis alternationibus mundi
facies immutetur, vt eleuans allidatur, & respiret
allisus. Sed est gaudiom continua sui iucuoditate
firmissimum, quod perfectus animus de secura si-
bi conscientia pollicetur. Mens enim à mundi hu-
ius aspergine purè, pressèque detersa, & in diuinæ
contemplationis acumen totum desiderij soi fi-
gens affectum, gaudens gaudet in Domino, exul-
Psal.4 tat anima sua in Deo suo. Talis anima minas
aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, &
omniũ scandalorom immunis, in pace in idipsum
Psal.118. dormiens requiescit. Pax multa diligentibus legẽ
tuam (ait iustus) & non est illis scandalum. Noue-
rat enim: quia lictores non persequuntur marty-
res, sed coronant. Cum huiusmodi gaudentibus
gaudet Apostolus, & vt abundantiùs gaudeat, to-
ta securitate promittit. Hoc gaudiũ plenũ, & cer-
tum est, tantóque certius idẽ, quantò vicinius cir-
ca identitatem imprimitur. Hæc est mãmilla cõ-
gratulationis, de qua lac exhortationis effunditur
quo nutriuntur perfecti, vt cum auulsi fuerint à
lacte isto, epulẽtur ab introitu gloriæ Dei. Secun-
da est, Flere cum flentibos. Nunquid Apostolus
præcipit flere rerum amissionem, intermissionem
voluptatum, filiorum mortes, morborum instan-
tiam, grauitatem inopiæ, potentiam fortioris? Ab-
sit. Plorandi enim sunt, qui taliter plorant. Reli-
giosa enim tristitia aut alienum peccatum loget,
aut proprium. Beati, quorum luctus in hac inten-
tione versatur, quia consolatoriam possunt expe-
ctare dulcedinem. Quam leni, & dulcissimo spiri-
tu imbibitus est spiritus illius, qui nouit in spiritu
lenitatis peccantes instruere, suspendere vindictã,
& affectuosis officiis iouiscerare sibi peccatorem,
dooec vitæ reddatur. De hac cõpassionis mãmilla
lac consolationis effunditor, & hoc lacte pascit
Apostolus illos, qui solido cibo vesci non possunt.
Amator innocẽtiæ, pacis amicus, patientibus cõ-
patiẽs, & cõgaudens congaudẽtibus, perfectionis
metã, cursu cõsummato, cõtingit. Hęc sunt verba
lacteis infantia liquoribus meliora vino, melle dul
ciora, misericordiã sonãtia, redolẽtia pietatẽ, fragrã
Can.1. tia, loquit, vogoẽtis optimis. Digna prorsus vbera,
de quibus eliquatur vnguentorũ infinitas, odora-
ta diffluxione ciuitatem Dei viuentis circumqua-
3. Reg.10 que respergens. Hæc sunt vnguenta, quæ Regina
Saba attulit in Hierusalẽ, de quibus dicit scriptu-
ra: Non sunt allata vltra aromata tam optima, quã
ea, quæ dedit Regina Saba Salomoni. Quàm ex-
cellenter apposuit optima Spiritus ille subtilis,
qui tot sibi libri huius rapit possessioõẽ. Est enim
vnguentorum bonum, quod Maria pedibus Salua-
toris infudit. Est & melius, quod eadẽ, si tamen ea-
dem, super caput recũbentis effudit. Est & opti-
mum, quod & ipsa præparauit toti corpori Chri-
sti. Primum vnguentum contritionis est, de re-
cordatione peccatorũ, de spiritu contrito, & con-
tribulato descendens. Hoc infunduntur pedes
illius, qui ambolat super pennas ventorum. Hic
adorat Maria io loco, vbi steterunt pedes eius.
Steterunt, inquam, quia validissima amoris ma-
nu pedem vtrumque retinuit, donec vtrumq; per
ungeret, & audiret criminum remissionem, dimis-
Luc 7. siooem in pace. Remittuntur, inquit, tibi peccata,
& vade in pace. Magnam prorsus miseriam ma-
gna misericordia diluit, & abstergit, & hoc qui-
dem festinanter, quia sine vllo interuallo con-
iunguntur & lachrymæ peccatricis, & indolgen-
tia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace
dimittitur, vt & de præterito noo sit solicita, se-
cura de futuro. Pedes isti sunt misericordia, & iu-
dicium, quorum alterum sine altero osculari vel
temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.
Quis enim Dei misericordiam indesinẽter atten-
dens, non statim tepidioris vitę quietem exoptet?
Cùm enim recogitat vniuersitatis Dominũ, for-
mam serui pro seruis suscipere, triginta & tribus
aonis operari salutem nostrã in medio terrę hu-
ius, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totũ pa-
ti pro filiis hominum, statim deceptoria spe sibi
blanditur, & alludit, gaudet obuersari miseri-
cordia, & miserationibus, iudicium nescit, igno- Nota nõ ... cere ad ... sionẽ peccato- rũ credere ... taxat, ... tus ... etiam requi- ritur.
rat iustitiam, & puniendã æstimat non puniri.
Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt
pedem iudicij non attendat, qui totum de mi-
sericordis pietate præsumit, hoc solum ad salu-
tem sufficere credens, quod credit. Rursus cùm
abducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis
interrangit, subcutitur carnis, animæque sub-
stantia,

ftantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum est enim in manus Dei viuentis incidere, offendere Creatorem, nescire Dominum, recalcitrare Dominantis imperio, qui habet potestatem corpus, & animam mittere in gehennā. Terribilis certè, sicut ait Apostolus, quædam expectatio iudicij, quando ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cælorum mouebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinē mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quàm videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormētis vadantem. Quis hęc diutius cogitans non statim côtremiscat, & in desperationis roteror abyssum? Non est igitur huic pedi morosiùs incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis occludat. Vtrumque igitur iungat pedem, animæ pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium osculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis, & lasciua mulier conuiuantium faciem non attendit, sed extenso corpore prouoluitur pedibus Maiestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis iaculo vulnerata; sed & misericordiæ pedem labiis impressioribus osculatur, in cuius spe firmiter inhæret vestigiis accumbentis, donec audiat: Remittuntur tibi peccata tua. Sanè pretiosum vnguentum, quo non solùm terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur. Vilissimæ autem sunt species, de quibus conficitur, & magna eorum copia intra nostros hortulos poterit inueniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species eius sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta, vnguentum exhibent preciosum, & acceptum pedibus Saluatoris. Compendiosè autem illud conficimus, sapientis rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est vnguentum istud, quod domum replet, penetrat cælos, Angelos lætificat, & beatæ ciuitati lætitiam refundit, & gaudium.

Psal.50. Hoc est sacrificium iustitiæ, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. Secundum vnguentum est deuotionis de recordatione beneficiorum. Dei. Prorsus dignissima huius vnguenti compositio, & in istius comparatione prioris & conspersio vtilipendenda. Eius enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inueniri. Virtutes enim diuinitus collatæ, & in mortariolo cogitationis, pistillo diligentissimæ meditationis tritæ, & exultationis oleo superfusæ, suffuso igne iustitiæ, & humilitatis aheno decoctæ, vnguentum faciunt & odore, & virtute mirabile, quod solū super caput Domini recumbentis possit effundi, & exhiberi reuerentiæ Maiestatis. Sed & hoc recollegimus breuiter, illis, qui multa de paucis exculpere cognouerunt verborum multitudinem reseruantes. Notanda tamen vtriusque differentia, & secundi sublimitas attendenda, quia illud est

Psal.50. Deo sacrificium spiritus contribulatus, & istud sacrificium laudis, quod honorat Deū. Pedes igitur vngimus Redemptoris, cùm de peccatis compungimur, vngimus caput, cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitij tamen motositas inter pedes est deber, & caput, quia profectò difficillimus, & præsumptuosus saltus est, à vestigiis ad verticem domini transuolare. Neque enim eadem, quę vnxit pedes, vnxit caput, cùm illa meretrix, hæc nihil horum fecisse legatur, secundùm illud: Verte impios, & non erūt. Vnxit ergo Maria sanctū Dei verticem, *Prouerb.12.* profectò tam dilecta, iam familiaris effecta, longéque peccatricis illius euoluta contagiis, quā infelix ille septenarius cōfundebat. Porrò si duo præmissa vnguenta tantæ dignitatis sunt, vt alterum pedibus, alterum capiti complaceat Dominantis, illud tertium, quod optimum est, & superexcellens, vbi nam inuenire poterimus? Sed absit, vt spōsa veritatis à veritate dissentiat, & tale aliquid habere se iactitet, quod habere non possit. Est ergo tertium pietatis vnguentum, quod est super omnia aromata, morbis omnibus, & periculis salutare, quódque nulli vnquam pesti inueniatur inefficax. De ipso nanque sic legitur. Maria *Marc.16.* Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Vidésne in prima capituli fronte propositum, quòd non vna vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantę compositionis vnguentum? Intelligis, quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vendicat ista confectio? Cōfectio sine dubio pretiosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende, quia vnguentum pedibus infusum adeò dignissima lenitate suscepit, vt Pharisæum murmurantem parabolica prolatione conuinceret, & retorio sugillaret exemplo. Sed & de refuso super caput eius vnguento Discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans, & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre, tamque mirificum in mortuo corpore suo voluit expendi quod viuo vtique reseruabat. Duo enim corpora habet Christus, vnum, quod suscepit in Virgine, alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas Redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus Cruci, vinctus cum sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimúsne tam salubrem confectionem conficere? Vniuersæ miserorum miserię tam animarū, quàm corporum, oculo pietatis inspectæ, species eius sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ charitatis oleo, succenso compassionis igne, & in alieno perseuerantiæ despumatæ, vnguētum faciant ipsis etiam Angelis admirandum. Sunt viri diuitiarum in domo domini virtutum: vestigemus, an apud eos huiusmodi habeantur vnguenta. Primus occur- *1.Cor.11.* rit mihi Paulus sicut vbique solet, totus præsenti delibutus vnguēto. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Felix anima, facta sibi tanquam vas perditum, vt omnium miserias in sua conscientia colligaret. Totū se toti corpori Christi donauerat, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Sed & ille vir simplex, & rectus, & timens Deum, vide quomodo non secūdum hominem, immò verò secundum hominem, & (quod verius est) supra hominem ambulabat. Oculus, *Iob.29.* inquit, fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cætera: quæ sic eum hoc vnguento perunxerant, vt de misericordiæ thalamo largius ir-

1. Reg. 15. rotatus exiret. Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul; & cùm sciret illum ab oculis diuinitatis longiùs elongatum, non cessabat tamen compassio, quæ condolentiæ animum irrepserat, fundens lachrymas etsi non profuturas, pias tamen. Dauid parricidam filium continua deploratione plorabat, plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fi-
2. Reg. 15. dei destructionem. Certe quomodo Ioseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres iam non
Gen. 45. ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscij proditionis, homicidij rei, fratricidij successores. Videns eos Ioseph, & omnium iniuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps, qui intus latitat, fotas per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reseruat, reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Penè oblitus sum Moysem adeò sacri huius liquoris rore perfusum, vt totus ex eo supersundatur, & profluat. Peccat Israël, &
Exod. 32. Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori, sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omniū, & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysem fecit. Dimitte me, inquit, vt irascatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam. Respondit Moyses: Si dimittis, Domine, dimitte, alioquin dele me de libro, quem scripsisti. Obstupenda profectò dulcedo. Et principatum gentis respuit alienæ, & de libro viuentium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa. Hæc sunt vnguēta propitiationis, & misericordię, quæ à sponsæ vberibus eliguntur, infirmitates omnes fugantia, profugantia passiones. Felix Maria vnxit pedes Iesu; felicior eadem caput vnxit Authoris, felicissima, quæ totum vnguentarium toti Christi
Ioh. 20. corpori præparauit. Considera, quàm vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum Regem. Domine, inquit, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eū tollam. Quem eum dicis, Maria, cùm de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? Putásne quòd in omnium cordibus ita versetur memoria dilecti tui, sicut & in consistorio cordis tui? Et ego, inquit, tollam eum. Mira res. Hominem perfectæ ætatis, virum, cuius corpori vix centum libræ sufficiunt vnguētorum, tenerrima mulier portabis, & tolles? Ardens, & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest; nihil enim amanti difficile esse videtur.
Vide sanctos intercedere pro peccatis nostris, & placatum nobis reddere iudicem nostrum. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, & placatum nobis reddat iudicem nostrum, sponsum suum, qui est Deus benedictus in secula seculorū, Amē.

BEDAE VENERABILIS

presbyt. in superius Euangel. expositio.

Ex comment. in Lucam. SAnctissima Mariæ pœnitentis historia, quæ tertij nostri in Lucam caput est libri, & si ob laborem legentium minuendum à nouo inchoaretur exordio, rerum tamen nexura secundi libri finem respicit. Nam quia superius siue ex persona Euangelistæ, siue ex domini saluatoris (vt quibusdam placuit) dictū fuerat; Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis. Quod si à domino dictum interpreteris, audiens Ioánem populus intelligitur esse designatus. Si ab Euágelista interpositum, audiens ipsum dominum de Ioannis magnitudine disputantem testat intelligi. Pharisæi autem & legisperiti cōsilium Dei spreuerunt in semetipsos non baptizati ab eo. Pergit idem euangelista, quæ verbis proposuerat, etiam factis astruere, iustificatam videlicet sapientiam ab omnibus filiis suis, id est & iustis, & post iniustitiam pœnitentibus, decentissimo comprobans exemplo. *Rogabat autem,* inquit, *illum quidam de Pharisæis, &c.* Alabastrū est genus marmoris cádidi variis coloribus intertincti, quod ad vasa vnguentaria cauare solent, eo quòd optime seruare incorrupta dicatur. Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damascenum Syriæ cæteris cádidius, probatissimum vero in India. Quidam dicunt hanc eandem non esse mulierem, quę imminente dominica passione, caput, pedesque eius vnguento perfudit. Quia hæc lachrymis lauerit, & crine pedes terserit, & manifeste peccatrix appelletur, de illa anté nihil tale scriptum sit, nec potuerit statim capite domini meretrix digna fieri. Verum, quid diligentius inuestigāt, inueniunt eandem mulierem, Mariā videlicet Magdalenam sororem Lazari, sicut Ioannes narrat, bis eodem functam fuisse obsequio. Semel quidem hoc loco cum primo accedens cum humilitate, & lachrymis, remissionē meruit peccatorum. Nam & Ioánnes hoc quamuis non vt Lucas quomodo factum sit, narrauerit, tamen ipsam Mariam commēdans cōmemorauit, vbi de resuscitando fratre eius cœpit loqui. Erat autem quidam, inquiens, languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit dominū vnguento, & extersit pedes ei capillis suis. Secundo autem in Bethania (Nam prius in Galilæa factum est) non iam peccatrix, sed casta, sancta, deuotaque Christo mulier, non solum pedes, sed & caput eius vnxisse reperitur. Quod & regulis allegoriæ, pulcherrimè congruit. Quia & vnaquęque fidelis anima, prius ad domini pedes humiliata, peccatisque absoluēda curuatur. Dein augescentibus per tempora meritis, læta fidei flagrantia, domini quasi caput odore perfundit aromatum. Et ipsa vniuersalis Ecclesia Christi, in præsenti quidem incarnationis eius, quæ pedum nomine designatur, mysteria celebrando, deuota redemptori suo reddit obsequia. In futuro autem & humanitatis eius gloriam, & diuinitatis eius æternitatem, quia caput Christi Deus, simul intuendo, perpetuis confessionum laudibus, quasi pistica nardo glorificat. *Attulit ergo,* inquit, *alabastrum vnguenti. Et stans retro secus pedes eius, &c.* Liquet omnibus, quòd in licitis actibus prius mulier intenta, vnguētum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena cōcupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerū criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deum cōtempserat in culpa. *Videns autem Pharisæus*

risæus qui vocauerat eum, &c. Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus & fallaciter iustns, ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subuentione, qui ipse quuque de elarionis vulnere ægrotabat, & ignorabat. Vnde necesse semper est, vt cũ peccatures quosq; cõspicimus nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus. Quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Et si censura magisterij debet semper virtute disciplinæ vitia persequi, oportet tamen vt sollicite discernamus, quia districtioné debemus vitiis, compassionem naturæ. Sed iam iste superbus, & arrogans qua sententia conuincatur audiamus. *Duo*, inqnit, *debitores erant cuidam fæneratori, &c.* Qua in re notandum est, quia, dum sua sententia Pharisæus conuineitur, quasi phreneticus funem portar, ex quo ligetur. Enumerantur bona peccatricis, enumerantur mala falsi iusti, cum dicitur. *Intraui in domum tuam, &c.* Post enumerationem vero, subinfertnr sententia. *Propter quod dico tibi, remittentur ei peccata multa, &c.* Quid esse dilectionem eredimus, nisi ignem? & qnid culpas, nisi rubiginem? Vnde nunc dicitur; *Remittentur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ac si aperte diceretur, Incendit plene peecati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto nanque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno eharitatis igne cõcrematur. Ecce ea quæ ad medicum venerat ęgra, sanata est, sed de salute eins adhue alij ægrotant, nam sequitur; *Et cœperunt qui simul discumbebãt, &c.* Sed cælestis medicus ægros non respicit, quo etiã de medicamẽto fieri deteriores videt, Eam, quam sanauerat, per pietatis suæ sententiam confirmat dicens. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Fides etenim saluam fecit, quia boc, quod petiit, posse se accipere non dubitanit, sed ipsam quoque spei eertitudinem iam ab illo acceperat, à qno per spé etiam salutem quærebat. In pace antem ire præeipitur, vt à veritatis itincte in viam scãdali vlterius non deriuetur. Hæc historica expositione dicta sint, nũe mystici intellectus secrera videamus. Quem nanque Pharisæus de iustitia præsumens, nisi Iudaicum pupulum, quem peccatrix mulier, sed ad vestigia Domini veniens, & plotans, nisi conuersam gentilitatem designat? *Rogabat autem Pharisæus Dominum, vt manducaret cum illo*, Quia populus idem, qnem venientem credere noluit, venturum sperare non desiit, immo votis precatoriis vt veuiat optare, dicens; Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Domino quippe cum Pharisęo manducare, est de credentis populi denotione mẽtis gaudia suscipere. Vnde ipse alibi, creditora Samaria, discipulis ait; Ego eibum habeo manducare, qnem vos nescitis. Illísque hęsitantibus quid diceret, exponens ait, Meus eibus est vt faciam volũtatem eins, qni me misit, vt perficiam opus eius. *Et ingressus*, inqnit, *domum Pharisæi, discubuit.* Domus Pharisæi, ipsa legis prophetarúmque eustodia est, in qna se populus Iudæorum mansionem eontinuæ conuersationis habere gloriabatnr. Quam Dominns ingressus est, quia temporaliter in carne apparens, non venit soloere legem, aut Propbetas, sed adimplere. Diseubuit autem, quia qui In snblimitate suæ maiestatis intelligi non poterar, formæ seruilis homilitatem, qoa videri posset, assumpsit. *Cognouit itaque mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, quod accubuit in domo Pharisæi*, qoia gentilitas immundis prius actibus in secnli conuersatione deuincta, fama sermonis apostoli didieit, quòd misit Deus filium snum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Atque in domo Pharisæi, non Pharisæus, sed illa iustificatur, dum populns Iudæornm literam tantum legis, nos autem & gratiam spiritus in lege sequimur. Ille Iesum non esse prophetam, eo quod peccatores recipiat, æstimat, nos vero hunc etiam Deum verum qui peecatores iustificare possit, agnoscimus. Attulit autem mulier alabastrum vnguenti. Quid in vnguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitnr? Vnde & Paulus dicit. Christi bonus odor sumus Deo in omni loeo. Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore ecclesiam respergamus, quid in Domini eorpore, nisi vnguentum fundimns? Sed secns pedes mulier stetit. Contra pedes enim Domini stetimus, eum in peccatis positi eius itineribus retinebamur. Sed, si ad veram pœnitentiam post peecata conuertimur, iam retro secus pedes stamus, quia eius vestigia sequimur, quæ impugnabamus. Lachrymis molier pedes rigat: quod nos quoqoe veraciter agimus, si quibuslibet vltimis mẽbris Domini per eompassiouis affectum inclinemur, si sanctis eius in tribulatione compatimnr, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis mulier pedes, quus rigauerat, tersit. Capilli quippe, superfluunt eorpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ, dum ad vsum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis eius, quibus ex eharitate compatimur, etiam ex iis, quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenus sic mens per compassionem doleat, vt etiam manus larga, effectum doloris ostendat. Osculatur mulier pedes, quos tergit. Quod nos quoque plene agimus si studiose diligimus, quos cx largitate continemus, ne granis nobis sit necessitas proximi, ne ipsa eius indigentia quæ sustentatur fiat onerosa, & cum manus necessaria tribuit, animus à dilectione torpescat. Potest quoque per pedes, ipsum mysterium incarnationis eius intelligi, quo diuinitas terram tetigit, quia carnem sumpsit. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Osculamur igitur pedes redemptoris, eum mysterium incarnationis eius ex toto eorde diligimus. Vnguento pedes vngimus eum ipsam humanitatis eius potentiam sacri eloquij bona opinione prædicamus. Sed hoc Pharisæus videt, & inoidet. Quia cum Iudaieus populus gentilitatem Deum prædicare conspicit, sua apud se malitia rabescit. Sed redemptor noster facta ei mulieris quasi bona gentilitatis enumerat, vt in quo malo iaceat, agnoscat: *Intraui in domum tuam aquam pedibus meis non dedisti, &c.* Aqua quippe extra nos est, lachrymarum bumor intra nos. Quia videlicet infidelis ille populus, nec ea, quæ extra se erant, vnquam pro Domiuo tribuit. Conuersa autem gentilitas pro eo non solum rerum substantiam, sed etiam sanguinem fudit. *Osculum mihi non dedisti, &c.* Osculum quippe dilectionis est signum. Et infidelis ille populus Deo osculum non dedit, quia ex charitate Deum amare noluit, cui ex timore seruiuit. Vocata autem gentilitas redemptoris sui vestigia osculari non

cessat, quia in eius amore continuo suspirat. *Oleo caput meum non vnxisti.* Si pedes Domini mysterium incarnationis accipimus, congrue per caput illius ipsa diuinitas designatur. Vnde & per Apostolum dicitur, Caput Christi Deus. In Deo quippe, & non se quasi in homine credere Iudaicus populus fatebatur. Sed pharisæo dicitur, *oleo caput meum non vnxisti*, quia ipsam quoque diuinitatis potentiam, in qua se Iudaicus populus credere spopondit, digna laude prædicare neglexit. *Hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Quia dum Incarnationis eius mysterium gentilitas credidit, summa laude etiam eius ima prædicauit. Duo quoque debitores, de quibus Simoni paradigma obponitur, vtrumque populum, Iudæorum scilicet, & gentium designant, qui vno fœneratori, id est, suo creatori non materialem pecuniam, sed propriæ salutis nummum debebant. Conditor etenim noster quos ad imaginem, & similitudinem suam creauit, quasi commodato ad seruandum sublimauit denario. Nam denarius solet regis imagine, ac nomine formari. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Et cui multum commendauerunt, plus petunt ab eo. Et quidem vtriusque populi debitum, per quinarium numerum multiplicatur. Quia videlicet quinque sunt sensus, quibus in hac vita vtentes, imaginem, quam accepimus nostri conditoris excolere debemus. Sed minus debet populus, cui legis decalogus per seruum data est. Amplius autem cui gratia vitæ æternæ per filium commissa. Ideoque huius per denarium, illius per centenarium numerum fœnus accumulatur, quem ad regni cælestis, quod dextris dabitur, significationem pertinere nemo, qui dubitet. Neque enim frustra eodem flexu digitorum, quo denarius in læua, ipse figuratur in dextera. Nisi quia & nunc opera Decalogi, quę litera non poterat, fides perficit, & in futuro reddet vnicuique secundum opera eius, his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Verum quia neutri nostris viribus, sed illius gratia salui facti sumus per fidem, recte dicitur; *Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.* Et vtique plus diligit, cui plus donatur. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Quia siue bona perficiendæ, quam accepimus scientiæ, seu vitandæ, quam incurrimus insipientiæ, velis intelligere, multo vtique plus ecclesiæ, quam synagogæ donatur, quæ à fœdiori quondam vtpote quam nullus doctor prohibuit, idololatriæ sorde corrupta est, sed vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia, & maiori nunc est perfectionis Euangelicæ sublimata præconio. Cui dicitur, Quia multi prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Congruit sane huic loco, quod Numerorum historia refert, diuisis æqualiter cęsorum Madianitarum spoliis, eos quidem, qui de pugna venerunt quingentesimum de sua portione caput, cæteros vero quinquagesimum domino dedisse. Quia & magna offert, qui se in castris virtutum exercendo tutú ab incursione conseruat hostili, sed maiora vtique, qui gladium verbi vibrando innumeras aduersarij exercitus copias sternit.

Alludit ad numerandi morem veterum, de quo ipse librum conscripsit.

INCERTI AVTHORIS
sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni in idem Euang. Homil.

IN hoc Euangelio pharisęi superbia deprimitur, & peccatricis mulieris humilitas commendatur. Pharisæus iste, Iudæorum populus est: hæc mulier peccatrix, Gētilitas intelligitur. Illum dominus à lepra curauit, huic multa peccata dimisit. Non est igitur qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Omnes enim (vt ait Apostolus) peccauerunt, & egent gloria Dei. Venit Iesus in domum Pharisæi, venit ad populum Iudęorum. Vnde ipse ait, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Sed quare venit? Vt manducaret cū illo, vt carnalibus, & spiritualibus cibis frueretur cum illo, & patris voluntatem operaretur in illo. Ipse enim dixit, Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cęlis est. Ad tempus enim conuersatus cum Iudæis, legis & prophetarum cibum suscipiebat cum eis, & annonam diuini eloquij ministrabat eis. Hoc autem cognouit mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix: hoc gentilitas intellexit, quæ in huius mundi amplissima ciuitate conuersabatur. Et quid egit? Vis audire quid? *Attulit alabastrum vnguenti.* Per quod nihil melius quàm pectus, & cordis secretarium, plenum fide & charitate intelligere possumus. Tale enim alabastrum, huiusmodi vnguentum seruare consueuit. Idipsum enim significauit & regina Austri, quę veniens à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, preciosissima ei aromata secum attulit. Nullum autem vnguentum, nulla aromata sic domino redolent, sicut fides & charitas, cæteræque virtutes. *Et stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius.* In eo enim quod mulier retrò stat, deuotio, & humilitas agnoscitur. In eo enim quòd lachrymis pedes rigat, vera pœnitentia & compunctio demonstratur. Et quoniam easdem lachrymas capillis tergit, & tergendo ne videantur abscondit, & dolet, sese vtique de illis non esse ostendit, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab omnibus, de quibus dominus ait, quia receperunt mercedem suam. *Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* In osculo enim pacem, amorem, & dilectionem monstrabat: in vnguento verò, cordis intima blandimenta, & deuoti obsequij affectionem significabat. Huic autem vnguēto illud oleum contrarium est, de quo dicitur, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quàm similis est iste pharisæus illi alij, de quo alibi dicitur, Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus pharisæus, & alter publicanus, qui in sua confidens superbia, stans hæc apud se orabat, Deus, gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Sicut enim ille illum publicanum, ita & iste istam peccatricem mulierem horrebat & despiciebat. Vnde & subditur: *Videns autem pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicēs, Hic si esset propheta sciret vtique quæ, &c.* Nescis, pharisæe stulte, nescis: nuper te mundauit à lepra, quem modo non credis esse prophetam. Et propheta quidem est, & optimè scit quæ, & qualis sit mulier, quæ tangit eum, & quia peccatrix est. Ad hoc enim ipse venit, ad hoc ipse de cælis descendit. Non

enim

enim ve[illegible] it vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hoc & ipse testatur, cius verba sunt hæc. Non horret igitur peccatores, qui pro peccatoribus factus est homo. *Respondens Simon, dixit. Aestimo quia is cui plus donauit; At ille dixit ei, Rectè iudicasti.* Vide enim iustum & rationabile est, vt ille plus diligat cui plus donatur. Illod quoque equum esse videtur, vt qui plus diligit, magis ametur. Meritò igitur hanc peccatricem mulierem dominus diligebat, a qua se multum diligi sciebat. Ideò enim dimissa suot ei peccata multa quia dilexit multum. Vide ergo quam pulchra similitudo de eo, qui plus, & de eo, qui minus debebat, in qua pharisæus secundum suam responsionem intelligere poterat, quia minus ipse quàm Maria Christum diligebat, siquidem se nec tantum debere, nec tantum sibi quantum illi dimissum esse credebat. Vnde & subditur. *Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? &c.* Ad mulierem cóuersus est dominus, quia de muliere loquuturus erat. Sed quid ait? *Vides* (inquit) *hanc mulierem?* non talis est qualem tu eam esse arbitraris, aliter videtur à me, & aliter videtur a te, to exterius, & ego interius: tu in facie, & ego in corde video. Mihi eius fides, eius amor nó est occultus. *Intraui in domum tuam aquam pedibus meis nõ dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Quantum igitur interest inter aquã & lachrymas, tantum est inter tuum & illius amorem. Sed hæc præter literam aliud significare videntur. Neque enim eredibile est, eum qui Christum ad conuiuium inuitauerat, eios pedibus aquam dare noluisse. Diximos enim per pharisæum Iudæos, per mulierem Gentiles significari. Christi verò pedes, eius humanitatem: sicut eius caput, ipsius diuinitatem sigoificat. Hoc enim Apostolus ait: Omnis viri capot, Christus: Christi capot, Deus. Christi igitur pedibus Iudæi aqoam non dant, neqoe eos lauant, imò verò quantum possunt fordidant, & derorpant, quia saluatorem uostrum cum iniquis deputantes, vitiorum poluere, & terreoa contagione iudicant esse pollutum. At verò Apostolus Petrus Christi pedes lauabat, cùm de eo diceret, Qui peccarum nó fecit, nec dolus inuentos est in ore eius. Nemo enim sic loquutus, nemo sic mũdus, sicut ille qui sine peccato est. Vnde & ecclesia iam baptizata & à peccatis mundata, dicit: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Nos autem non solum aquam, sed & lachrymas Christi pedibus damus, quia eius humanitati nos humiliter inclinamus, & inde peccatorum veniam expectamus, eámque adoramus & veneramur, & cum lachrymis depr[illegible]nur. Sequitur: *Osculum mihi non dedisti. hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* Osculum enim, pacis, & dilectionis signum est. Osculum igitur Iudæi Christo domino non dederont, quem gratis & sine causa odio habẽtes, vsqoe ad mortem persequuti sunt. Vnde & ipse ait. Quia odio habueront me gratis. Gentiles verò eius pedes osculari nõ cessant, quia ab eius amore oou separantur, & in ipsios nominis confessione mori non timent. Quodammodo enim Christi martyres osculabantur eum, dum eum confitentes & bene de eo loquentes, moriebantur pro eo. *Oleo caput meum non vnxisti. hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Maiorem igitur reuerentiam Christi humanitati ferunt Gentiles, quam eius diuinitati Iudæi aliquando exhibuissent. Ipsi eum neque esse Deum, neque sancti spiritus gratia vnctum credunt: nos autem etiam secũdum humanitatem omoi virtute & gratia plenum esse confitemur, dicentes cum Psalmista, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxi te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ coosortibus tuis. In ipso enim (vt Apostol. ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc enim Apostol. dicens, eius vtique corpus, eius humanitatem & pedes vngebat. Audiamus igitur quid beatissimæ mulieri, audiamus quid in eius figura Gentium ecclesiæ pro huius tantæ seruitutis obsequio dominus dicat. *Dixit autem ad illam, Mulier, remittuntur tibi peccata.* Vide ergo quid lachrymæ possint, vide quid fides, & dilectio operetur: paruo temporis spatio iustificata est mulier & ab omni peccato mundata, quæ tant peccatrix fuerat vt eam videre pharisæus dedignaretur. Nemo igitur desperet, nemo de domini misericordia diffidat. Clemens est dominus, qui ex corde conuersis tam facilè miseretur.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Rogabat autẽ illum è quidã *Pharisæis, &c.* Videtur hic Pharisæus non rectã habuisse sententiam, sed dolosus fuisse. Nam & hypocritæ sermo erat, quum diceret: *Si esset hic propheta*: & ita non credit, quia hæc loquebatur. Dominus tamen, quan- *Ioan. 11.12. Matt. 26. Mar 16.* uis sciret eum noo esse candidum, ingressus est ad eum, & comedit cum eo, docẽs per hoc nos omnino, quòd nos simplices exhibeamus erga eos, qui dolose nobiscum agunt. Quærũt autẽ multi, quot fuerint mulieres, quæ vnxerint dominum vnguento. Et alij quidem dicunt, quòd duæ fuerunt, vna scilicet apud Ioannem, quæ fuit soror Lazari, & alia apud Matthæum, & Marcum, & nunc apud Lucam. Ego autem credo his qui dicunt tres esse, vnam quidem apud Ioannem ante sex dies paschæ, quæ & soror fuit Lazari: aliã autem apud Matthæum & Marcum, ante duos dies paschæ, & tertiam illam de qua nunc Lucas, quæ in media Euangelij prædicatione dominum vnxit. *Hæc opinio de tribus Marus communiter nunc exploditur.* Neque mirum est, quòd illa ante passionem hoc fecerit, & inde illæ vel ad huius imitationem, siue alia de causa circiter passionem idem fecerint. Quanuis autem & is, qui apud Matthæum cum memoratur, & cuius nunc fit mentio, eodem Simonis nomine vocentur, haud mirum fuerit. Sæpe enim multi idem nomen sortiuntur. At ille fuit leprosus, sed hic non. Et ille quidem sanatus à lepra in gratiarum actionem vocauit dominum, hic autem neque leprosus, neque gratias referẽs. Et ille quidẽ nihil dixit: hic autem obmurmurauit, & cõdemnauit in hoc tã Iesum quàm mulierem: hanc vt peccatricem, illum vt misericordem. O arrogantiam: Vere pharisæus homo. Sed dominus rogans illum in parabolis, in medium producit debitores duos, latenterque & illum debitorem esse insinuat. Et parum quidem debere videbatur, sed non parum debebat. Itaque neque tu potes dare etiam minus debitum; non enim habes cõfessionem superbia inflatus: neque mulier. Vtrisque igitur remittet. Et vter plus diliget? Omnino cui multa dimissa sunt. Et quum hæc dixisser,

ſet, obmuteſcere fecit arrogantem. *Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni, &c.* Oſtendit Dominus Simonem & arrogantem, & inſipientem fuiſſe. Arrogantem quidem ac contumelioſum, quandoquidem etiam ipſe homo exiſtens, hominem propter peccata condemnabat. Inſipientē verò, quādoquidem non cogitabat quanta fidei, & charitatis ſigna illa prę ſe ferret. Oportebat illam ſuſcipere, non repellere. Idcirco reprehendit eum Dominus, vtpote cōdemnantem eam, quæ tanta fecit, quanta nec ipſe: immo longè inferiora fecit Simon: quaſi diceret, Tu quidem neq; aquam ad abluendum puluerem pedum propoſuiſti, illa autem lachrymis rigauit. Tu faciem meam non es deoſculatus, illa & pedes meos deoſculata eſt. Tu item neque oleum, illa vero vnguentum effudit. Vnde quia dixiſti, quòd non ſim Propheta, ex eo quòd nō cognouerim hāc eſſe peccatricē, ecce reprehēdo ea, quæ in corde tuo, vt cognoſcas, quòd, ſicut occulta tua ſcio, multo magis illa ſciam, quę & multi alij ſciunt. Remittantur igitur peccata illi, *quia dilexit multum*, hoc eſt, magnam præ ſe tulit fidem. Denique & qui ſimul accubuerant, etiam ipſi obmurmurant, non cogitantes, quod iam ad Simonem dixerat, veriſimiliter dictum & ad ipſos. Dominus verò comprimens murmur illorum, & oſtendere volens, quòd ſua quemque fides ſaluum faciat, non dixit, Vade mulier, ego te ſeruo, vt ne maiori inuidia capiantur: ſed. *fides tua.* Hoc dixit, vt dicebam, tum quò inuidiam illorum minueret, tum vt & illos ad credendum induceret, dicentes ſalutem ex fide eſſe. Cæterùm quod inquit, *Vade in pace*, hoc eſt, in iuſtitiam: pax enim iuſtitia eſt, ſicut peccatum inimicitiæ cum Deo. Vide autem, quòd, poſtquam remiſit ei peccata, non contentus eſt remiſiſſe peccata, niſi adiecisſet & operationem boni. Vade in pace, id eſt, fac ea, quæ te Deo concilient.

Non opus fuerat accipere fidem pro dilectione, nam hic peccatorū remiſſio tribuitur charitati, etiā non ſolum fidei.

EVTHYMII ZIGABONI

ſuperioris Euang. expoſitio.

INuitabat autem illum quidam è Phariſæis, vt ederet cum ipſo. Similiter & hic ἠρώτα non ſignificat interrogabat, ſed vocabat: nam tanquam Prophetam, eum ad conuiuium vocabat, vel inuitabat, *Et ingreſſus domum Phariſæi, accubuit.* Non deuitauit hunc, ne daret occaſionem dicendi, quòd cum publicanis, & peccatoribus vnà cibum caperet; Phariſæos autem faſtidiret, *Et ecce mulier, quæ erat peccatrix in Ciuitate, &c.* Hæc autem mulier, quum Chriſti miracula partim ipſa vidiſſet, partim ab iis, qui viderant, audiſſet, Deum eſſe credidit eum, qui hæc operabatur; ideo etiam venit, ſperans remiſſionem peccatorum ſuorum ſe accepturam. Conſidera vero magnam huius reuerentiam. Stetit enim ad extremas corporis illius partes, tanquam extrema: & à tergo, tanquam audacia carens: flebat quidem propter peccata ſua: rigabat autē pedes illius lachrymis, vtpote ad pedes eius inclinata. *Et capillis capitis ſui extergebat.* Extergebat eos, quos lachrymis madidos reddiderat. Chriſtus, quum rei cauſam noſſet, ſuſtinebat: vt etiam fides eius, feruorq́ue pœnitentiæ apparerent, & vt merito pro his rebus, quod quærebat, acciperet. *Et deoſculabatur pedes eius, ac vnguento vngebat.* Oſculabatur quidem ipſos, tanquam eius, qui petitionem ſuā adimplere poterat, ſiue tanquam Dei: vngebat vero vnguento, pluſquam humano modo hunc honorans, qui pluſquam homo erat. *Intuitus autem Phariſæus, qui vocauerat eum, &c.* Offendiculum paſſus, hæc dicebat ignarās, quòd, quum Deus eſſet, propter peccatores homo factus erat. Neque autem Iudas hic murmurabat, neque cæteri diſcipuli: ſiquidem ille morbo auaritiæ nondum captus erat: iſti vero necdum ſermones de pauperibus infixos habebant. *Et reſpondens Ieſus dixit ad eum: Simon, &c.* Phariſæus intra ſemetipſum de eo offenſus erat, quòd meretricem admitteret, nec ſciret eſſe peccatricem: ipſe vero, hoc cognito, maius quiddam facit, quàm ſit Prophetæ, detegens ei arcanum cogitationis ſuæ. Itaque exemplo demonſtrat, quòd etiam hoc noſſet ac iuſte eam admitteret propter magnam ipſius dilectionem, quæ à fide, & pœnitentia procedebat. *Duo debitores erant cuidam creditori, &c.* Hinc intelligendum dedit, quòd veluti narrat exemplum, ita ſane & tu tanquam is, qui paucis obnoxius eſt ſupplicius, parum me dilexiſti: hæc vero, vt quæ multis erat obnoxia, vehementer me dilexit, vt multum ſibi remitteretur: ideo quoque congruum mihi eſt, vt ei tanquam vehementer diligenti, multum remittam. Multum autem, intellige hic vniuerſum debitum. *Et conuerſus ad mulierem ait Simoni: Vides hanc mulierem, &c.* Tu quidem ea etiam, quæ facilia erant, non feciſti: hæc vero, quæ etiam difficilia ſunt, operata eſt. Vide autem, quòd ab his, vnde prius ſuam ipſa venabatur perditionem, ab eiſdem nunc venata eſt ſalutem: lachrymis enim amatorijs, & capillis curioſius concinnatis, ac vnguento, laſciuos iuuenes dementabat, quæ vero primum fuerunt inſtrumenta peccati, ea nunc fecit inſtrumenta virtutis. *Propter quod dico tibi: Remiſſa ſunt peccata eius multa, &c.* Multa equidem, quum illa multa haberet, & omnia remiſſa ſunt. *Cui autem minus remittitur, is minus diligit.* Hoc dixit reprehendens Simonem. *Dixit autem ad illam: Remiſſa ſunt peccata tua.* Dixit hoc illi, vt certior ipſa redderetur, & ipſe donaret indigenti, quod illa petebat. *Et cœperunt qui ſimul accumbebant, &c.* Hoc & alij dixerunt, quando paralyticum curauit. *Dixit autem ad mulierem: Fides tua, &c.* Eodem modo loquutus eſt ad eā, quæ ſanguinis profluuio laborabat, quemadmodum apud eundem inuenies. Vtinam autem contingeret, vt & anima mea fornicaria, ſiue voluptatum amatrix, pœnitentia pungeretur, & lachrymis ablueret fœtorē ipſius peccati, ac ſuauem ad Deum deferret odorem vnguenti ipſius virtutis,

Supra 5.

Infra 8.

IN FESTO S. PETRI AD VINCVLA.

Euangelium vide in festo S S. Apost. Petri, & Pauli.

ANONYMI APVD METAPHRASTEM *in Adorationem venerabilium cathenarum, & gladij Sancti, & Apostolorum Principis Petri, Ser.*

Nota hic fe- [illegible]

QVicunque diuino Apostolorum summi Petri amore allecti ad eius panegyrim, ac diem festũ celebrandũ parati, & eius diuinis retibus capti, incoluméſq; seruati, illius theologiæ lumine illustrati sumus, communem panegyrim hodie celebrantes, ad eiusdem laudum preconia linguam nostram dirigamus. Multis quidẽ de causis beati Apostoli Petri memoriam die festo, & laudatione dignam esse censemus, non minimè autẽ propter Apostolicæ dignitatis gradum & Euangelicæ prædicationis cursum, ac doctrinã, admonitionésque, quibus in dispersione gentium versantes Iudæos instruebat: illos enim eò maiore cura, & solicitudine prosequebatur, quòd ea illis originẽ duxerat. Quæ omnia cùm ad laudum materiam suppeditandam idonea esse iudicentur, atque assumãtur, omnino valent ad Apostolum ipsum summo laudationis præconio extollendum. Sanctum enim, ac iustum est, eò quòd ea his, quæ in lege diuina scripta sunt, eum, qui ad salutem nobis conferendam in mundum venit, tãquam in speculo quodam perspexerit, summis, & meritis honoribus Apostolum ipsum prædicari, omnium verò maximè quòd in extremis temporibus Deum ipsum viderit, vnigenitum, inquam, Dei filium secum vnà versantẽ, ac loquentem, & humanæ carnis, qua se induit, spectandæ, mysteriíque cognoscendi facultatem præbentem, in quo & suam Ecclesiam pro diuinæ illius vocis præmio, qua ipsum Dei filium esse prædicauit, ædificaturum se prædixit, & cælorum claues eius in se fidei arrobonem se illi daturum, & eorum, quæ ab ipso in terris ligata, aut soluta fuissent, in cælis sententiam confirmaturum promisit. Adde quòd vocanti fratri, & ad Messiam sequendum inuitanti libenter obediuerit, & vocationẽ illam sequens ad Christum venerit, & Cephæ appellationem, velut quoddã suæ in ipsum fidei signum, atque imaginem acceperit; quódque ex eo tempore totus à magistro suo pendere, & eius amore inflammatus esse cœperit, ob idque beneuolentię ardorem multis in rebus, ac sæpe, talem ostenderit, qualem nullus alius ex discipulis ostenderat. Hæc & si tam magna sunt, vt humanas cogitationes exuperent, & orationis facultate maiora videantur, non tamen talia omnino sunt, vt aditum nobis, & viam obstruant. Ad nostram enim vsq; imbecillitatem, & humilem captum se demittit omnium Apostolorum summus, non solùm propter commiserationem, qua præ cæteris nos homines prosequitur, sed etiam quòd magistrum suum imitatur, qui cùm vsque ad serui formam se demiserit, eo ipso discipulos suos edocuit, non elatos, sed modestos esse, & cum humilibus submissè, atque humiliter se gerere. Hilaris quidem dies ille festus est, & multo sancti Spiritus lumine illustris, qui eius martyrium nobis repræsentat, hoc est, Crucem fixam, & Apostolum prompto animo ad eam ascẽdentem, manus ad extensionem vltro expansas, & Dominicæ passionis imaginem præ se ferentes, figuram crucifixionis non rectam, sed capite in terram deuoluto, quæ res eius in Magistrum reuerentiam significauit, cùm semper summus ille Apostolus Magistro suo reuerentiam, & primas (vt par erat) concesserit, suámque humilitatem illius celsitati subiecerit, atque eo modo humilia, & infima magis quàm summa; & sublimia optauerit. Nihilo autem hac ipsa hilaritate inferior est hodierna celebritas, quippe quæ eorum causas præmonstrat, quæ postremò Apostolus passus est, & non minus quàm Crucis eleuatio, ea, quæ antea passus fuerat, hæc indicat, quare & Crux ipsa iucundior illi fuit, atque cæteris omnibus rebus optabilior. Hic enim dies venerandas eius cathenas manifestas ostendit, & earum adorationẽ proponit, quibus Apostolus ipse deuinctus, multiplices eius, qui est malorum omnium origo, nodos, ac machinas dissoluit, & quos diabolus astrictos tenebat, eos ereptos à morte sempiterna liberauit. Hæc pro diei festi argumento habentes, cùm crucifixionis causam his rebus cõciliatam fuisse cognoscamus, & in vno, eodémque Apostolo tam hæc, quàm illa facta, & coniuncta contemplemur, ob id præsentem celebritatem à sacro martyrij die alienam non existimabimus. Itaque ea vtraque re vnam componentes, orationis laudibus, & fidei ardore, quàm maximè possumus, hodierno die celebritatem ipsam illustremus, eamque vt omni ex parte insignem, & sacram, atque vniuerso mundo lumen conciliantem, & Dei voluntatem in Apostolo suo decorando præ se ferentem, sacris cantibus exornemus; hanc denique vt sancti Spiritus gratiam & lumen in animas illas, quæ sunt idoneæ, conferentem pro viribus nostris laudemus. Ita enim fieri poterit, vt si Apostolicarum laudum sumus amatores, illum ipsum, quem honore prosequimur, ad misericordiam attrahamus, & nostræ laudationis, quam de illo instituimus, adiutorem habeamus. Eius enim linguæ gratiam mihi dari, exopto, quam Spiritus sancti virtus lumen afferens concinnauit, & cælesti, atque arcanarum rerum doctrina ita repleuit, vt gentium nationes multis in locis dispersas in propriam sagenam

Dies festus martyrij Sancti Petri hilaris, & illustris.

Nota, hic dies venerandas eius cathenas manifestas ostendit, & earum adorationem proponit.

genam magnificentissimè cõcluserit. Hoc autem loco, in Apostolicarum [illegible] pelago mentis aciem infigens, totus vertigine, ac tenebris repletus, & in me ipsum conuersus clarissimi Esaiæ verba illa pronuncio: Miser ego, qui impurus sum, & labia impura habens purissimas materias tractem, nulla ope mihi ad hæc ipsa rectè aggredienda spem afferente. Quamobrem ad Apostolicæ misericordiæ perfugium recurrens, tenui hac lingua de eius laudibus dicere conabor. Omitto nunc de eius ortu, de patria, & parentibus aliquid dicere. Honesta quidem illa sunt, & auditu digna, sed mentem tamen obruerent, neque sinerẽt orationem longiorem de his rebus habere, quæ præstantissimæ sunt, & quarum memoria vtilis est, ac salutaris. Diuinorum profectò signorum Apostoli huius, & miraculorum multitudo magna extitit, aliaque omnia, quæ Spiritus sancti gratia in illo habitans effecit, tot, tantáque sunt, vt si velim singula scribere (Decet enim de ipso dicere, quod Theologus quidam scripsit) nostratum orationum vis satis esse non possit, quamuis ad eam rem tractandam audacter se ingerat. Hic Apostolus, postquam vnigenitus Dei Filius supra humanam conditionem in paterno solio arcano quodam modo consedit, vna cum reliquo Apostolorum cœtu erat, ac viuebat, & communem cum illis Euangelij prædicationem exercebat, ac modo tribunali, iudiciisque vnà præsto erat, modò ignominias, & verbera vnà cum aliis Apostolis à Iudæis ipsis patiebatur; neque vnquam ab Apostolorum societate aberat, sed cum illis in ærumnis perferendis communicabat. Liber ille, qui Apostolorum scripta cõtinet, multa eius pericula percurrit, in quæ Apostolus ipse incidit, & quibus detentus fuit, multorúmque miraculorum mentionem facit, quemadmodũ admirabili quodam modo claudum illum sanauerit, & Ananiæ, ac Saphyræ mortem ineuitabilem seuerissimè intulerit, Tabitámque puellam à mortis ipsius laqueo ereptam vitæ restituerit, atque Cornelium Centurionem Angeli præsentia edoctum instruxerit, & ad Christi fidem traduxerit; quemadmodum per vmbram corporis infirmos homines firmos reddiderit; quot denique ærumnas sustinuerit, quàm sæpe comprehensus, & ante tribunalia constitutus, & pro Christo ipso flagellis verberatus gauisus fuerit, quòd dignus habitus sit, qui pro nomine Iesu multas ignominias pateretur. Licet ex eodem libro discere, quàm libera oratione apud Iudæos sæpe vsus fuerit; & quemadmodum ipse idiota ex illiterato ore sermones diuina sapientia refertos protulerit; vt precibus suis terram commouerit, ac turbam, quæ illuc conuenerat, ad Christi fidem attraxerit. Hæc, inquã, & quæcunque alia deinceps passus est, & effecit, cùm tam multa sint, vt facilè narrari non possint, oratio nostra summatim perstringens, ad vnum illud periculum enarrandum se cõferet omnium grauissimum, & vitatu difficillimum, nam in eo effugiendo diuino quodam miraculo opus fuit. Quæ res & multam Iudæorum aduersus Apostolum immanitatem, & diuini auxilij celeritatem declarauit. Herodes ille eius viri progenies, qui primus Hierosolymorum Rex fuit, cùm è Iudaico semine ortum duceret, & Iudaicum cultum teneret, zelo quodam excitabatur ad patrias institutiones, ac leges defendendas, easque dissolui non patiebatur, quæ Apostolorum doctrina tolli, ac funditus euerti videbantur. Ille igitur Iudæorum iracundis vocibus inflammatus, vt illis gratum faceret, furorem, ac rabiem in Apostolos ipsos magis effundens, primum Iacobum fratrem Ioannis gladio interfecit. Quo loco diuinæ litteræ eius ferociam, atque inhumanitatem eo ipso significarunt, quòd gladio Apostolum Iacobum ab eo interfectum dicunt. Poterat enim alio mortis genere Apostolũ interimere, vel cruciatibus morti similibus subiicere. Sed vt Herodis mens feris etiam ipsis immanior, Apostoli verò Iacobi animus ad cædem illam subeundam æquissimus cognosceretur, instar ouis, quę ad cædem trahitur, gladio interfectus martyrium perfectè obiit. Ita igitur sacer Iacobus consummatus fuit, & martyrij morte Apostolicum cursum consignauit, calicem bibens, quem olim Dei sapientia illi bibendum prædixerat, & proprio sanguine baptizãdum antea significauerat. Cùm autem videret gratum esse Iudæis, quod faceret, præterea & Petrum ipsum capere aggressus est. Quem cùm cœpisset, in carcerem coniecit, & tradidit quatuor quaternionibus militum, qui eum seruarent, eò quòd essent dies Azymorum, volens post Pascha producere eum populo. Omnibus his historiæ scriptor verbis vsus est, vt Herodis in effundendo sanguine studium, eiúsque in patranda cæde voluptatem innueret. Nihil enim, quod iustum esset, ante oculos propositum habebat, nihil honestum, aut laudabile, sed quæ nationi suæ grata esse intelligebat, quæque ad profanam Iudæorum voluntatem alliciendam spectabant, ea tantùm ab illo dicebantur, & fiebant. Quòd enim Apostolũ ipsum tenuerit, & in carcere custodiendum tradiderit, mortémque ipsam præsentem constitueret, totũ hoc eò spectabat, vt Iudaicis votis satis omnino faceret. Nãq; putabãt illud futurũ, vt si Petrum Apostolũ de medio sustulissẽt, facilè reliquos Apostolos superarent. Ille enim erat, qui contrarias voces emittebat, quique in Conciliis, in Iudiciis & in Synagogis cum aduersariis certabat, & Iesu nomen palam prædicãs, inuocato eius nomine, præcipua quędam miracula perficiebat. Licet autem illud cõsiderare, quemadmodum & Herodes ipse studuerit similis esse Scribis, & Pontificibus, qui aduersus Christum insaniam, & rabiẽ effuderunt. Nam sicut illi dicebant, ne in die festo Iesus comprehenderetur, ne tumultus fieret in Populo, vt post diem festum omnino in Crucem acturi; ita & hoc loco post Pascha mortem Petro Herodes inferre constituebat. Cùm igitur hi, ad quorũ gratiam hæc faciebat Herodes, eadem sentirent, quæ & illi, quos supra diximus, iisdẽ & verbis, & operibus aduersus Apostolum vsi sunt, quibus & aduersus illius Magistrum superiores vsi fuerant. In quatuor autem quaterniones militũ custodiam distribuit, non vno in loco, sed pluribus, & paulũ à se distãtibus, vt custodia ipsa tutior, ac munitior foret, vt si fortè Apostolus ipse à vinculis effugisset, & custodes, qui propiùs manerent, latuisset, ab aliis deprehẽdi, & capi posset. Sed Petrus, inquit, erat in carcere dormiens inter duos milites, & ligatus cathenis duabus, oratio autem fiebat assiduè pro ipso ab Ecclesia. Quæ nam fuit causa, vt tot diebus custodiretur, & non statim, adhuc furore Iudæorum efferuescente, & Petri Apostoli

mortem

mortem sitiente, cædes ipsa Principi Apostolorũ allata fuerit? Scriptoris quidem sententia hæc est, mortem propter dies azymorum prorogatã fuisse, quibus Iudæi seipsos purgantes, & ab omni turpi, atque inhonesto facinore abducentes, diem festum Paschæ celebrabant, puris manibus sacrificium, quod in lege scriptum erat, cõtrectantes. Sed erat & alia eius rei causa. Cùm enim Herodes ipse infinita rabie contra Petrum Apostolum redundaret, pluribus diebus eum detineri voluit, vt diuturniore cruciatu, mœroribus, inquam, ærumnis, cathenarum pondere, ac morte, quam à fame ipsa inferendam spectabat, eorum denique militũ, qui vnà dormiebant, inhumanitate grauiùs affligeretur. Quot enim per illos dies verba temeritatis, & minarum plena, quàm multa conuicia, & cõtumelias credimus à militibus illis in Apostolum iniectas fuisse, partim vt cognatorum Iudæorum dogmata peruertentem, partim vt præceptis regalibus aduersantem? Modò autẽ vt seditiosum, & causam tumultus, modò vt Mosaicis legibus contrarium conuiciabantur; nonnũquam pugnis & alapis eum percutiebãt; neque quisquam illud dubitare potest, quin cathenis illis vehementiùs, ac laboriosiùs Apostolum cõstringentes, ita coarctauerint, vt ex omnibus his maiorẽ doloris sensum percipiens celeriter ab hac vita migraret. Sed omnia illorum studia & facta inania extiterunt, perinde ac si quis in aqua ipsa literas imprimat, vel aërem verberet. Quo enim diutiùs in carcere Apostolus detentus est, eò firmior, atque cõstantior effectus fuit, & acerbis illis ærumnis, quibus vndique affligebatur, vt quibusdam stimulis excitatus, & erectus, tantùm aberat, vt rebus his infirmior fieret, ac deficeret, vt custodes illi Apostoli Petri iucunda, & secura hilaritate cõfusi in ruborem conuerterẽtur. Hæc cùm ita se haberent, preces ab Ecclesia missæ in cœlos penetrarũt. Itaque statim Angelus illinc missus est, & in carcerẽ veniẽs, illum compleuit lumine, vt Apostolorum summus miracula, quæ fierent, apertè intueretur. Percussu autem eius latere; Surge, inquit, velociter. Ac ne quid absurdi in Apostoli mẽtem veniret (quippe quòd satanas etiam ipse interdum in Angelum lucis se transformare, & figuræ ipsius specie sensum subripere soleat) cùm primùm verba illa prolata sunt, Surge velociter, cathenæ è manibus ipsius deciderunt, vt verba ipsa factis confirmarentur, neque potentiam aliquam ex earum numero, quæ Deo ipsi rebelles extiterunt, neque quod visum fuerat, inane aliquod spectrum esse crederet, sed verum, & cœlestem Angelum, visionem, inquam, veram esse sciret, ac certa fide comprobatam. Hæc cùm ita processissent Apostolo, quoniam adhuc metu, & tremore detinebatur, nõ solùm re visa dubius, atque anceps, verùm etiã qua ratione dispositas militum custodias pertrãsiret, quippe qui multa diligentia, & cautione, multisque vigiliis in eo custodiendo vtebantur, propterea Angelus; Indue te, inquit, sandalia tua, & præcingere vestimẽto tuo, & sequere me. Quoniam, inquit, Regis, & Iudæorum timore adhuc detentus es, ac eorum militum vigiliæ, qui circũstantes te custodiunt, horrorem, ac stuporem tibi attulerunt, ob idque non his, quæ à me dicuntur, fidem habes, tanto te auxilio, ac præsidio munitũ esse facio, sicque omnem metum à mente tua excutio, vt & pallio ipso sine timore aliquo, & sandaliis indui possis. O celerrimum Dei auxilium. O Apostoli in Deum fiduciam, atque gratiam. O maximas, & ex corde ipso prolatas preces, quę tãquam à funda quadã, ab ipsius Ecclesiæ ore prolatæ, atque in cœlos emissæ, Herodis animum lethaliter vulnerarunt, & Apostolorum principem ab eius manibus incolumem eripuerunt. Proh quanta est Apostolica gratia, & spes firma, & vera, quibus diuinum numen propitium, & ad audiendum promptum habens à mortis laqueo Petrus ipse ereptus est. At si quis dubitaret, & à nobis illud quæreret, cur nam Apostolũ ipsum eius magister Iesus à Iudaicis manibus nõ eripuit, quo tempore ab illis comprehendebatur, sed & vinculis, & custodia diebus aliquot eum vexari, atque affligi permiserit; qui hoc obiicit, is cõsideret, non ita inimicos ipsos fuisse miraculum illud cognituros, si Apostolum statim cùm comprehenderetur, Dei auxilium eripuisset, quemadmodum cùm eorum manibus detentum, cathenis vinctum, & à custodibus cautè seruatũ, è mediis, atque ineuitabilibus illis retibus liberauit. Tunc enim his, à quibus comprehendebatur, fortasse id ueneficio, & magicis artibus factũ videri potuisset, quominùs ab eis cõprehensus esset; itaque Apostoli miraculum irrideri ab illis potuisset. Nunc verò cùm & cathenis vinctus, & quatuor quaternionibus militum custoditus, & inter duos milites cubans, omnibúsque his rebus paratis, quę mortem condemnatis hominibus afferre solẽt, ita superno auxilio dignus habitus sit, & cõtra omnium opinionem admirabilem liberationem assecutus fuerit, tantò hoc admirabilius, & cõtra opinionem omnium fuit, quãtò è mediis malis seruari maius est, quàm illa non attigisse. At Apostolus ipse vel post tanti miraculi potentiam, & Angeli adhortationem nesciebat verum esse, quod fiebat per Angelum; sed videbatur sibi visum videre. Adhuc enim arguebatur humanæ naturæ infirmitas, quodque supra naturam eo modo, qui explicari nõ potest, efficiebatur, cum naturali ordine, ac viribus cumparatum, tale perinde ac si inane aliquod visum esset, æstimabatur. Sed quid nam Angelus ipse? Quoniam illum vidit adhuc animo fluctuantem, visioni fidem nõ habere, neque quicquam ex iis, quæ fiebant, reuera factum admirabiliter existimare, primam & secundam militum custodiam ita sine strepitu cum Apostolo pertransiit, vt custodes ipsi eorum transitionem ne senserint quidem, diuino nutu somno ipso illorum palpebras detinẽte, quominùs factum illud sentire possent. Cùm verò ad portam ferream venissent, quæ ad ciuitatem ducebat, illa vltro aperta est, Deo ipso & hoc loco miraculum faciente, & Apostoli formidinẽ paulatim subtrahente, vt ad ea, quæ deinceps futura erant, promptior fieret. Postea verò quàm exeuntes processerunt vicum vnum, Angelus quidem ipse auolauit, neque ampliùs apparuit. Ille verò cùm miraculi sensum cœpisset, atq; considerasset tam ea, quæ priùs in carcere mirabiliter effecta fuerant, quam quæ nunc supra naturam prodigiosè facta viderat, atque hęc cum illis conferens, & vtraque vicissim comparans, de visione ipsa certior factus fuisset, quòd videlicet nũ inane aliquod spectrũ, sed verum illud fuerat, quippe quod manifesto rerum euentu confirmatum videbat, gratias Deo agens talem emisit vocem: Nũc scio verè, quòd misit Dominus Angelũ

ſuum,& eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorū. Quidnam eſt, quod dicis, Apoſtolorum princeps? Nunc te ſciuiſſe ais? Nunc credidiſti? Nūc gaudes miraculo? Quónam abijt feruor ille tuus? Quónam auolauit certa illa ſpes? Quónam effluxit illa tua vehemens confeſſio? Vbinam ſunt claues regni cęlorum? Vbinam appellatio, qua eccleſię firmamentum nominaris? Vbi ardens illud deſiderium, & coniunctio ad mortem vſque inſeparabilis? Nunquid tantę fidei argumenta inania extiterunt? An talis, & tam multa ſpes in ventos diſſoluta eſt? An non ſenſiſti quæ à magiſtro tuo prodigia ſunt effecta? Oblitúſne es maritimæ illius fluctuationis, quemadmodum dextera ſua te, qui ſubmergabaris, incolumem ſeruauit? An non aures tuas vocibus illis adhuc habes perſonantes: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ille faciet, & maiora his faciet? Nónne ſcis, quemadmodum è monumento exurgens cuſtodes ipſos velut mortuos proſtrauit, & ea, quibus monumentum ſignatum fuerat, intacta ſeruauit? Nónne præſens fuiſti, cùm mortuos homines ſuo iuſſu exilire fecit? cùm cæcis hominibus videndi facultatem præbuit? cùm tibi per ſancti Spiritus aduentum miraculorum potentiam impartiuit? cùm in porta ſpecioſa claudum hominem, cùm Aeneam, cùm Thabitam, alterum integrum pedibus, & ad currendum velocem, alterum diuturno morbo liberum reddidiſti, huius animam, quæ auolauerat, in corpus reduxiſti? Cùm tantorum, & talium miraculorum particeps effectus fueris, quorum alia videris, alia ipſe feceris, cùm denique multam ipſius Dei potentiam expertus fueris, nunc te ſcite dicis, quòd ais: Miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis: Si tot præteritis miraculis adductus non fuiſti, vt crederes, quomodo vni huic credes? Si tantorum miraculorum multitudo veritatis confirmationem non attulit, qui poterit vnum hoc fluctuantes cogitationes tuas ſedare? Maximè, inquit ille; non enim talia ſunt diuinæ potentiæ opera, vt facile comprehendantur, & fidem afferant; facilis enim comprehēſio non ſolùm non auget miracula, ſed etiam illa imminuit, atque extenuat, & eorum quæ facile comprehenduntur, formas ex animo delet, quod verò examinatione, & variis cogitationibus ſæpe probatum fuerit, plus veritatis, quàm opinionis ingignit, eò quòd animæ ipſius dubitatio, atque infirmitas ad ea, quæ ſenſum ſuperant, & ardua ſunt, comprehendenda, minimè idonea, poſt fluctuationem multam, & cogitationum varietatem, demum certam fidem, ac veritatem in animos ipſos immittere, atque altiùs infigere ſolita eſt. Cùm deinde Apoſtolus ad eam domum acceſſiſſet, in qua fideles homines cōgregati erant, & ianuam pulſaſſet, ab ancilla quidem ipſa, cùm agnoſceretur, nūciatus iis eſt, qui intus erāt. Sed quod ancilla nunciabat, tam incredibile videbatur, vt inſana eſſe crederetur, & non Apoſtolum, ſed eius Angelum præſentem vidiſſe putaretur. Cùm verò patefacta ianua Apoſtolus ipſe ad eos ingreſſus eſſet, omnes ſtupuerunt, inſperatam eius liberationem videntes. Tum ille ſtatim narrauit, quemadmodum ab Herode comprehenſus, & in carcere detentus, & ferreis cathenis vinctus fuerit, quódque per angeli viſionem cathenæ ipſæ è manibus cecidiſſent, ipſe verò Angelum ſequens, eorum, à quibus ſeruabatur, cuſtodias præteriſſet, & portam ſpōte patefactam tranſiiſſet. Quibus rebus perterrefacti, & admirabili narratione illa perculſi, apud ſe ipſos non ampliùs eſſe videbantur, gaudio cum admiratione coniuncto, & duobus his affectibus illos obſidentibus. Tales enim ſunt res, quæ à Deo proficiſcuntur, quippe qui neque lætitia nimia homines ipſos diſſolutiores fieri, neque propter miraculum ad nimium ſtuporem labi permittit; ſed gaudio animum erigit, & ad iucundiorem ſtatum traducit, admiratione autem, ac ſtupore cohibet, ne vlterius progrediatur; denique vtraque re hominem ipſum in compoſito ſtatu conſeruat. Hoc loco velim conſideres Apoſtoli mentem ab omni ſuperbia, & ambitione alienam, eiúſque modeſtiam animaduertas, quippe qui miraculo illo non ita elatus eſt, vt ipſum tuba cecinerit, quod fortaſſe alius feciſſet; non præclara illa facta oſtentans, ſupra tecta prædicauit; non præ lætitia rem ipſam omnibus velut triumphans propalauit, aut cum peregrinis, & notis hominibus ea communicauit; ſed manu ſilentium indicens, his ſolis, qui in eccleſia erant, ſummiſſa voce factum ſignificauit, per quos Iacobo, & iis, qui cum eo erant, rem nunciandam curauit, vt cùm audiuiſſent, qualibus vinculis præter ſpem ereptus fuerat, magis magíſque ad fidei prædicationem incumberent miraculorum ſpe corroborati, quíque à Iudaica infidelitate ad Chriſti fidem nuper conuerſi, & diuinæ cognitionis lumine illuminati fuerant, illi eadem opera confirmari, & ſi quam de Dei fide in animo latentem dubitationem haberent, ab illa reuocari poſſent, & in bonarum rerum perſeuerantia firmiores eſſent. Sed ô animi excæcationem, quæ Herodis mentem corripiens, totum illum ita oppreſſit, vt obſtinato animo miraculorum, quæ per Apoſtolum effecta fuerant, potentiam non conſiderauerit. Decebat enim admirabilem Apoſtoli Petri liberationem ex cuſtodibus, ex cathenis, denique ex foribus ſigillo impreſſo clauſis certa fide proſequi, neque negligentia aliqua factum credere, vt id accideret, ſed animo commoueri, atque erubeſcere, & reſipiſcere, & ſi non aperte propter Iudæorum in Apoſtolum ipſum furorem, atque inſaniam, ſaltem animo miraculum illud prodigioſum ſecum admirari, atque obtupeſcere, & à cædendis cuſtodibus deſiſtere. Verùm ille, vt eius ferocitas, atque inhumanitas magis cognoſceretur, innocentes homines mortis ſententiæ ſubiecit, idque cùm illi in Apoſtolo cautiùs cuſtodiendo nihil aberraſſent. Cùm enim Herodes ipſe furorem ſuum in Apoſtolum effundere, & ferocem animum Apoſtolica cæde ſatiare non potuiſſet, quod proximum fuit, in cuſtodes illos, ita vt erat inſanus, mortem intulit. Quòd ſi Apoſtolus illos ipſos, qui eius cauſa condemnati fuerant, miraculo aliquo facto à morte non liberauit, quæſtio hæc duobus modis ſolui poteſt; primùm quòd inhumanè ac ferociter cuſtodes illi aduerſus Apoſtolum ſe geſſerant, quippe qui vna cubantes verborum plagas vinculis acerbiores infligebant, ac nihilò minùs, quàm Herodes, rabiem ſuam, & prauos affectus in beatum Petrum effundebant; deinde verò quòd non ſolùm aduerſus Apoſtolorum Principem tanta ferocitate abuſi fuerant (Benignita-

tem

rem enim impetrare potuissent, si in eum solum peccassent) sed etiam contra reliquos Apostolos eandem rabiem exercuerant, & multos alios fideles homines persecutionum pœnis, & omnigenis cruciatibus subiecerant, ac mortis retia vndique eis parauerant. Hac de causa morti addicti sunt, vt veteris, & insanabilis malitiæ, in qua educati fuerant, pœnas exoluerent. Hoc fuit Petri Apostolorum summi contra diabolum valde illustre trophæum, hoc miraculorum omnium, quæ in eundem Apostolum à Deo collata sunt, maximè admirabile. Quid enim primùm in hoc Apostolo admirabimur? Eiúsne in Christum ardentem beneuolentiam? An reuelationem è cælo à Patre ipso concessam? An quòd cum magistro suo mori paratus erat, neque à mortuo auelli poterat? Quid quòd post Christi resurrectionem tertio interrogatus fuit? Quare non solùm Iesus Christus singularem, & summum in se Petri amorem declarauit, sed mortis etiam genus iuuentutis, senectutísque nomine præmonstrauit, & eo ipso quod ab alio cingendus esset, illú capite ad terrá verso in Crucem tollendú esse indicauit. Hic propter fidei abú[n]dantiam cùm reuelationem à Deo & Patre accepisset, filium Dei viui Christum apertè prædicauit, & duarum naturarum veritatem certa fide testatus est. Hic Magistri desiderio, ac beneuolentia inflammatus, cùm Iesus ipse longè antea se cruciatus passurum iudicasset; Propitiùs, inquit, tibi sis, Domine; non erit hoc tibi. Quod cùm diceret, quasi humanum quippiam, non diuinum sentiens, reprehensus, silere docebatur. Hic è nauigio Magistrum aliquando repellebat, cùm miraculi magnitudinem obstupesceret; quódque illum à se repelleret, eius rei causam esse dixit, quòd se peccatorem agnosceret. Hic præsens fuit, cùm Christus alia forma in monte apparuit, & tria tabernacula construere se paratum esse aiebat, vt Iudæorú ad inferendam cædem paratos, ac scelestos animos vitaret. An non hic cum Christo se moriturum promisit, & homicidæ illius auriculam gladio amputauit, in omni re fidei suæ zelum, atque ardoré ostendens? An non hic est, qui ne valde immisericors, & durus esset, in Magistri sui negationem incidere permissus fuit, & fletu multo peccatú purgare? Quid dicam alia? Missam facio timiditatem, fugam, duritiem, & eius in sepulchrum ingressionem, mulierum vnguenta ferentium læta núcia, quemadmodum etiam Christus ipse illi seorsum apparuit, & in mare Tyberiadis miraculum effecit, item alia quæcunque anteaquam passus est, & post resurrectionem, tam non credente, quàm credente Discipulo illo, Iesus perfecit. Quæ omnia non frustra ita dispensabantur, sed (quantùm hominis mente comprehendi potest) modò Apostoli remissum, & infirmum animum Christo ipso recreante, modò austeram, & duram eius mentem leniente, & vtraque re illum docéte, neque aliquid sibi, quod humana infirmitate maius sit, polliceri, neque animo decidere, & obstupescentem horrere, quo tépore oportebat in cruciatibus perferendis cú magistro communicare, & seruitutem discipulo conuenientem ostendere, sed intra mediocritatis fines consistere, vt & ab inconsiderato feruore, & ab humili, atque abiecta timiditate pariter distaret. Ego verò non verebor hoc de illo dicere, quòd testis, vt ipse ait, Christi passionum agnoscitur, & eius gloriæ, quę reuelanda est, communicator, quoniam ad eos Iudæos, qui dispersi erant, congruentes & diuinas admonitiones per epistolas scripsit, quibus charitatem, & Christianæ fidei confirmationem suggessit, Christíque aduentum omnino futurum sperari docuit, ac in illis ipsis & ex hoc tabernaculo nos migraturos esse prædixit, eaque ratione ad zelum & diuinorum præceptorum obseruationem nos ipsos magis excitat, facítque vt maiore metu, ac terrore afficiamur, diluuij & eorum Angelorum, qui peccauerunt, condemnationis exemplum afferés, quos & in tartarea loca detrusos fuisse affirmat. Ad hæc & alterú Christi aduentú significat, quo tempore cælos transituros dicit, & elementa ipsa combustenda dissolutum iri. Hunc vnigenitus Dei filius beatum prædicauit. Hunc Deus ipse ac Pater corona donauit. Hunc paracletus spiritus sanctum reddidit, & instrumentum quoddam diuinas res spirans effecit. Hunc cælestes Angelorum ordines collaudarunt, & Apostolorum chorus valde admiratus, tanquam os suum, amplexatus est, ac celebrauit. Hunc, qui Christo crediderunt, ducem, & magistrum sequentes, ad infidelitatis scopulos non offendunt. Hunc ad cælum vsque peruenientem, & valde illustrem spiritualis Israelis columnam, & animatum in perfidiæ pelago fluctuantium gubernatorem appellamus. Hunc vt vmbræ legis expulsorem valde honoramus. Quique nos ad veritatis lumé traduxit, eum laudibus, atque hymnis prosequimur. Verè hic est Apostolorum firmamentum, & sacrarius cęlorum magister, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conseruans, pœnitentię Dux ardentissimus, Petrus denique magnú illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ iactatio, discipulorum decus, & eorum, qui rectè sentiunt, ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cælestis, Trinitatis purissimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honestè viuentium ductor, rectè currentium propugnator, omni cælesti, & humana laude, omni præconio dignissimus. Cuius si vmbra, & lintei morbos profugabant, certè cathenæ, quæ venerandum Apostoli corpus attigerunt, quantò propiorem tactum habuerunt, tantò abundantiorem miraculorum vim participarunt; cathenæ, inquam, illæ omnino venerandæ, ac pretiosæ, quæ Apostolicum illud, ac beatum corpus colligarunt, quæ manus illas miraculorum effectrices astrinxerút, quæ diuina gratia ab ipsis replete sunt, ex quibus miracula abunde scaturiunt, quæ ægrotos homines à morbis liberant, quæ homines illos sanctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt, à quibus animarum maculę mystico quodammodo expurgantur, & morbidæ influentiæ reprimuntur, quæ denique in aëream celsitatem extensæ, & vsque ad cælos ipsos peruenientes, à dominico illo, & diuino solio, tanquam ab anchora quadam, extenduntur. Has cathenas potentiarum, quę à Deo ipso defecerút, princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac multo cum timore illas subterfugiés comprimitur. Has aërea spirituum multitudo metuens, ac tremens, iaculísque inde immissis percussa, longiùs profugatur. Non enim ferre potest Spiritus sancti gratiam has ipsas cathenas obumbrantem, neque scintillas ex diuino illarum

Nota. Cathenæ illæ omnino venerandæ ac pretiosæ, quæ, &c.

igne exilientes sustinet; sed ab ipsis incenditur, atque comburitur. Has cōposuit Dei Patris Verbum eiusdem æternitatis, & principij particeps, vt eius de Deo confessionis præmium essent. Illas ignitas reddidit carbo ille ab Esaia antea visus, & ad Deum intuendum efficacissimus. Spiritus sanctus paracletus suo afflatu ignem è carbone illo exilientem ad opus perficiendum maximè idoneum reddidit. Quamobtem licet ferreæ sint naturæ, diuina tamen gratia, & potentia plenę sunt. Ab his dæmonum praui spiritus illigati enecantur. Ab his princeps mundi huius pertractus captiuus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur, hoc est ab iis, qui antea peccatorum laqueis constricti, soluti, & liberati sunt, & mortis retibus antea circundati, ad vitam transierunt. Hæ diuinæ hæreditatis terminos cingentes, & vndique munientes, faciunt ne ab hostibus expugnari possint. Eædem Christianorum vertices coronantes, ab illorum hostiū insidiis, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos seruant. Nam & si à malignis hominibus pro tormenti genere aduersus Apostolum sunt adhibitæ, tamē ad eos propellendos, qui malum aliquod inferre volunt, idoneæ sunt effectæ, non magis cruciātes, quàm venerandum illud Apostoli corpus vndique seruantes, ac munientes. His cathenis Apostolus ornabatur, his exultans, ac gestiens se oblectabat, & tanquam regalem aliquem ornatum circunferens, animo exultabat. Has & pœnę instrumentum cognoscebat, & coronæ multæ conciliatrices existimabat. His & nunc sanctissima, omníque ex parte incorrupta, ac pura Christi sponsa Ecclesia, tanquam splendido monili, & aureo quodam ornatu induta, velut corona quadam ex intactis floribus contexta, decorata est, & ad dexteram sui sponsi partem assistit. Has, inquam, cathenas & nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur. Has reuerentes veneramur, & colimus, & pro animarum emendatione habemus. His omnem sensum, & membrum admouentes, illarum sanctitate implemur, & per mentis intelligētiam sancti Spiritus gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret certè, deceret, non solùm cathenas, quæ manus illas astrinxerunt, magnoperè venerari, sed etiam iudicia omnia, ad quæ Apostoli membra accesserunt, sigillatim amplecti, ac venereri, & in illis singulis diem festum, ac panegyrim celebrare. Consentaneum autem & illud fuit eius prouidentiæ, & in nos benignitati, pro quibus laborauit, & quotidie certamina, & pugnas subiit, propter quos cathenarum pondere astrictus fuit, & Crucis mortē libēter suscepit, consentaneū, inquā, fuit, se ipsum his, qui per eū Christo crediderūt, distribuēre, atque impartiri, & veteri quidē Romæ venerādi sui corporis depositionē, ac sepulturam largiri, huic autem regali, & nouæ Vrbi, eorum, quæ passus est, symbola, atque insignia relinquere, & sacratissimi corporis loco suauissimarum cathenarum munere vrbem hanc afficere. Quas cathenas qui in eandem præclaram vrbē venisse crediderit, nō aberrabit, neq; aliquid Deo, & veritati contrarium crediderit. Vetus quidam sermo, & in libris ipsis cōscriptus ad nos vsq; peruenit, non longè ab Herodis Tetrarchæ Regia Petrū Apostolū in carcere, sed in propinquo quodā loco militaribus cohortibus obseruatū. Nam illi metuebant, ne Apostolus ipse ab aliquibus

Vide quot, & quanta sint harum Cathenarum præconia, vt sciat etiam res externas Sanctorum sanctas esse, & gratiarum beneficia fidelibus præstare solere.

Habes hoc Vrbē Romam venerādi corporis beati Petri depositionem, ac sepulturā obtinere.

solueretur è vinculis, & miraculum fuisse videretur. Illic igitur seruabatur, vt tum propter regalis palatij vicinitatem, tum ob militum custodias, & cathenas, quibus ipse erat constrictus, nullam effugendi facultatē haberet. Quoniam verò multi ex iis, qui Petri Apostoli opera Christo crediderant, in regia illa erant, atque illic viuebant, & Regis ipsius ministeria obeuntes, suam in Christum, & eius Apostolum beneuolētiam in animis occultam seruabant, cùm admirabili illo modo Apostoli Petri liberatio per Angeli præsentiam allata est, & Apostolus ipse per portam exiit, quæ ad vrbem ducebat, cathenas illas in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus diuinæ cognitionis lumen affulserat, clam sustulerunt, & apud se ipsos velut thesaurum quendam eas conseruarunt. Quod verò à patre suo, vt dicitur, traditum, & de cathenis illis narratum sibi quisq; acceperat posteris suis deinceps tradebat, & tuto in loco cathenas illas occultas seruabat, quoad & Iudaica natio bello deuicta, captísque Hierosolymis ad nihilum redacta est, & superstitiosæ idololatriæ caecitate, & errore sublato, Romanorum sceptra ad Imperatores, qui Christi fidem sequebantur, trāslata sunt. Quibus Christi, & Apostolorum facta omni honore prosequi studentibus, hęc etiam Apostoli Petri cathena manifesta facta est, & ab illis ad vrbem hanc regiam translata in Apostoli Petri sacro templo iure optimo reposita est, quam vt eius ipsius miraculorum effectricem, & veneramur, & amplectimur: hanc enim videntes, illum ipsum mente inspicimus, hanc tangentes, illum à nobis tāgi existimamus. Sed quid nam gladius? Neque enim hic despiciendus est, quoniam & ipse Apostolica manu eductus totā sancti Spiritus gratiam, ac diuitias illic attraxit. Hoc gladio Petrus, cùm Iesus ipse à Iudæis caperetur, Pontificis seruum percussit, & eius aurem amputauit; qua in re suæ in Magistrum fidei ardorē ostendit, suamque in eum, quam in animo accensam habebat, affectionem, & beneuolentiam patefaciens, magnum quiddam effecit, non suis viribus fretus, sed Magistri potentiam spectans: per quam auris illa, quæ abscissa fuerat, homini percusso restituta est, vt ex hoc ipso furens illa Iudæorum multitudo sectę auris curationem repente factam videns, resipisceret, & à sua in Christū rabie desistens, ab eo prodendo abstineret, ac re ipsa eius ipsius, qui prodebatur, vim illam omnipotentem & diuinitatis magnitudinem cognosceret, deniq; vt Pontifex ipse à seruo illo miraculum factum edisceret, atque cognosceret eum, qui percussus fuerat, ita celerem curationē minimè assecuturum fuisse, nisi verus Deus esset ille, qui ab eo quæsitus iudicabatur. Aderat autem Apostolo gladius ille, non vt aliquis diceret, ad proprios vsus, & manuum opera explenda sumptus. (Quomodo enim hoc fecisset is, qui Magistri sui pręceptis obtemperans non peram, non zonam, non gladium ferebat, sed expeditus, & omni vitæ apparatu liber ab his cognoscebatur, qui eius prædicationem accipiebant?) sed quoniam tempus illud expectabatur, quo Christus passurus erat, & discipulorum de Magistro cogitationes adhuc fluctantes vacillabant. Partim enim credebant, partim non credebant; quapropter neque sublimius aliquid cogitare poterant, neque ad humiliorem omnino, & abiectum sensum deueniebant. Illis autem adhuc

imper

imperfectioribus tutum nō erat Christum apertè significare, & prędicere quę passurus esset. Cū igitur eorum timiditatē Dominus Iesus perspiceret, manifestè, quod futurum erat, non explicauit, sed eorum, quæ passurus erat, mentionem obscurè fecit, dicens: Et qui non habet gladium, emat. Verba hæc non sunt illis consentanea, quæ antea dixerat, cùm non peram, non gladium possidendum præceperat. Quid est igitur, quòd gladios nunc emendos esse iubet? Maximè, inquam, ob eam causam, quòd tunc quidem, cùm illis inopiæ semina insereret, vt ad Euāgelij cursum cōficiendum leuiores, & agiles, atque expeditos redderet, gladiorum, & aliarum rerum possessionem interdixit; hoc autem loco, tempore illo imminente, quo salutaris eius passio futura erat tacito, & mystico quodam modo indicare volebat, non dormiendum, neq; animo decidendū, sed quasi contra Iudæos armari oportere, & aduersus cæsores, tanquam in acie aliqua contraria standum esse, & iis resistēdum, qui Deum interficere parati erant, eiúsque sanguinem, ac mortem sitiebant. Nunc non est, inquit, doctrinæ tempus, non curandorum ægrotantium locus, neque miraculorum opportunitas. Armis opus est, gladiis, & huiusmodi propugnaculis ad arma illa repellenda, quibus homicidæ sceleratissimi ad meam cędem vtentur. Hac igitur ratione Petrus gladiū attulit, cuius licet feruentem beneuolentiā, & ardens studium Iesus ipse cognosceret, quódque eo gladio aurem illam absceissurus erat, non tamen prohibuit ne fieret, vt & eius in Magistrum suum ardor aperiretur, & curationis opus ad ingratos illos, qui Deum interficere aggrediebantur, redarguendos pateficret, Quòd autem non ad oppugnandum, aut vlciscendum Dominus Iesus Discipulis suis gladiorum possessionem præceperit, sed ad eorum, quæ passurus erat, significationem, licet hoc aperte cognoscere ex Euangelij verbis, cùm ipse dicit: Mitte gladium tuum in vaginam: quasi diceret: Non enim propterea iussi vos gladios possidere, vt illis ipsis inuasores vlcisceremini. Non est mihi hoc optabile. Nam si deceret, & mihi opem ferri vellem, possem rogare Patrem meum, & daret mihi plusquam duodecim legiones Angelorum. Sed quoniam voluntariè meipsum iis tradidi, propterea & gladiorum possessionem ad ea significanda, quæ passurus sum, vobis indicaui. Si enim permisi paululum te, Petre, gladio vti, ob eas causas feci, quas prædixi, & vt discipulos ad pericula subeunda promptos efficerem. Sed conuerte gladium in vaginam, quòd mihi fas non est gladiis vti ad imminentes cruciatus auertendos. Nam licet antea gladios emendos Dominus præcepisset, & Discipuli se duos habere dixissent, satísque illos esse, Magister ipse respondisset: ea re significauit passionis suę tempus prope esse, quasi gladiis vtendum esset ad inuasores repellendos. Ita igitur gladium Petrus possidens, secum & in prædicatione afferebat, tum vt sicubi opus esset, illo vteretur, tum vel maximè vt ipsum videns, ad Magistri admonitionem memoria tenendam reuocaretur, & eo modo tempus illud, quo Iesus Crucem passus est, & ea, quæ postea secuta sunt, secum cogitaret, inuidiā scilicet, odium, insidias, proditionem, iniustum iudicium, iniustiorem mortis sententiam, Crucem, sepulturam, & reliqua omnia, quæ homicidæ Iudæi facere ausi sunt,

Hæc, cùm gladium illum Apostolus videret, contemplabatur; hæc assiduè animo reuoluebat; hæc secum repetens, meditabatur, gladio ipso memoriam suggerente, & ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiēte. Hoc gladio & ad omne periculū pro Christo subeundū armabatur Apostolus, & ad pericula omnia suscipienda, tum vel maximè ad sacras illas cathenas induendas, & iniquorū hominum carcerē habitandum, deniq; ad crucis martyriū subeundū firmior, ac prōptior effectus est. Quamobrem hic gladius, vt res quædā pretiosa, & omnino venerāda, Apostolicísque manibus deseruiens, ac eas tangens, eodem honore, & veneratione, qua & cathenæ ipsæ, in Regali palatio, vbi Apostolo Petro sacrum templum erectum est, velut sacratus quidam, & cælestis thesaurus in intimo loco repositus seruatur, vt scimus; qui fidelibus imperatoribus, & fidelium virorum multitudini ad sanctitatem proponi solet. Chælestem enim gratiam confert, variarum curationum copiam suppeditat, sui cultores salutariter custodit, seque amplectētes erigit, animas ipsorum eleuans. Quòd si breuis, & informis videtur gladius ille, non est propterea despiciendus. — *Vide beneficia, quæ diui Petri gladius præstat.*

Apostolicam enim miraculorum vim, & potentiam secum continet. Nam hunc Apostolus vt potentis Dei frameam possedit, & vt ancipitem gladium cognouit. Sic & aliæ Apostolicæ vestes atque indumenta multùm illa quidem vilia sunt, atque abiecta, sed si quis eorum decorem, & magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inspexerit, diuina, & cælesti gratia repleta esse, & Apostolicis miraculis nihilò inferiora inueniet. Sed perinde valet cùm quis hæc ipsa recordatur, ac si Apostolum inuocet. Ego & carcerem ipsum, in quo Apostolus custoditus est, omni præconio dignum censeo, quippe qui omni veneratione plenus est; dignus enim habitus fuit, qui tantum sanctitatis domicilium intra se acciperet. Ego & solum illud, in quo decubuit, & vinctus dormiuit, sanctitate decorum existimo, & Apostolica gratia refertum. Sed dubitat aliquis, num hæc ita se habeant; neque hæc tanti esse credit, vt gratiā illam, quæ in Apostolo fuit, participarint. Persuadeat huic vmbra ipsa, & semicinctia, quorum illa quidem ex corporis oppositione ad Solis lucem composita, & ab Apostolorum Principis tactu longè distans, hæc autem à Pauli corpore delata, & diuinam ex illo gratiam participantia pari, & miraculorum effectrici potentia repleta sunt; quodque admirabilius est, per secundam participationis consecutionem, & gratiarum translationem, sibi adhærentibus impartita eandem miraculorum potentiam, & nihilò minorem abunde suppeditant. Considerandum igitur est: Si quibus gratia impertita est, ea talia sunt, qualisnam is est, qui vim illam impertiuit? Ac si participantes res talium miraculorum gratiam præbent, quārum existimare oportet eum esse, à quo hæc impertita sunt? Maius enim est id, per quod aliquid fit, quàm in quo efficitur, vt causa ipsa maior est eo, cuius est causa, cum superiorem, & digniorem gradum contineat. Siquis autem mihi daret, vt & sandalia, & vestes, quibus ab Angelo se induere iussus est, ipse videre possem, illa certè apertis vlnis exciperem, atque amplecterer, & vt cæleste donum in cordis mei penetralibus conderem. Hūc igitur sacratum gladium cum sacris,

& Apostolicis cathenis connectentes, Petrum ipsum mente inspicere nobis videmur; & vtraque tangentes, Apostolum à nobis tangi existimamus neque vllo modo ambigimus, eò quòd hæc locu ab Apostolo ipso disiuncta sint; sed & hæc, & illum mente formantes, & per fidem ipsam in vnum copulantes, ad eum ipsum, qui per hæc passus est, totum referimus. Hæc amplectentes, illum videre nos credimus; atque illum cogitantes, hæc, quæ illius fuerunt, videre nos arbitramur. Itaque non omnino ipsius gratiarum expertes constituti sumus. Nam & si in vetere vrbe Roma diuersatur per corporis sepulturam, quam vrbs illa sortita est, non tamen à nobis ipsis abesse vult, quòd pertinet ad illius gladiū, & cathenas. Adest enim & apud nos; qui partem hanc, vt totum corpus, continentes ab eius coniunctione non separamur; sed cùm vna, eadémque sit gratia, quæ per eius corpus, cathenas, vestes, & gladium miracula operatur, nemo dubitauerit, quin præsens sit in singulis, perfectus, atque integer, & iis, qui cum fide accedunt, & hæc amplectuntur, pro diuino eorum desiderio, atque ardore mercedem remetiatur. Hic & vnus est, & multis impertitus non imminuitur; quinetiam totus in se manens, omnem, & eandem vim ostendit; & quamuis eorum, quæ passus est, symbolis non in vno, sed in multis locis diuisus sit, idem tamen est, qui in Apostolica Ecclesia prodigia, & miracula ingentia perficit. Ita nihil ex iis, quæ in summo illo Apostolo insunt, inane est, & actionis expers, nihil gloria, & diuinis miraculis vacuum. Tu verò Petre, Christi Ecclesiæ petra, & firmamentum, summe Apostolorum vertex, qui verus, & ardens fuisti Christi Discipulus; qui præter cæteros orationis libertate apud eum vsus es, viui Dei filium illum prædicando, cuius manibus Regni cælorum claues tibi traditæ sunt, vt quæ à te in terra ligata, aut soluta essent, eadem ligarentur, & soluerentur in cælis; qui Christum Deum, & hominem fuisse clarissima voce prædicasti; qui ex circuncisione, quæ in lege præcipitur, ad præputium, diuinæ fidei cognitionem transtulisti; qui propter Christum omnia dereliquisti, vnum illum pro omnibus diuitiis possidere cupiens, à quo & mortis, & vitæ afferēdę potestatem accepisti; cui Deus cęleste mysteriū reuclauit; qui columna quędam es è terra vsque ad cælos extensa, eos ducens, qui ad mansiones illas festinant; qui rudis & inscius artificiosam Græcorū orationem expugnasti, qui diuino spiritu loquens, & verbo tantum gentes ipsas in ea cōuertens, quę voluisti, acerbam illam crucifixionem sustinuisti, vt nulla in re à Magistri cruciatibus distares; qui cathenas has, instar scelerati alicuius hominis, pertulisti, & curationum fontem illas reddidisti; tu, quęso, adesto hodie misertus nostri, & hoc in loco spiritu versare. Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sancta nominis tui appellatione pręcipuè honoratur, in quo venerandas cathenas tuas, vt thesaurum quēdam, reponi voluisti; in quo has ipsas, vt pretiosissimas res, seruandas esse iudicasti; ubi cathenę ipsę propositę, & ab omnibus Christi fidem colentibus inspectæ, miraculorum detinationes non corporeis oculis, sed mente ipsa perceptas abundè à te ipso quærentibus suppeditant. His cathenis nostrarum animarum vulnera, quęso, liges. His tumores, & inflationes à delictis illatas reseces, & diuinis medicaméntis eas cures. His, vt seuero bonæ voluntatis, Christi gregem corones. His barbaros ipsos deuincias, captiuos ducas, & ciuitati te venerantis hostiles illorum exuuias conferas. Omnium autem maximè pium, & fidelissimum Imperatorem nostrum pro telis militaribus his cathenis armes, munias, custodias, victoriis, & tropheis corones, hostibus terribilem, & subiectis benignum, atque optabilem facias, vt pace fruentes sub eius Regno firmo, & ab eo gubernati tranquillam, & quietam vitam ducamus, veri Dei nostri gloriam celebrantes, quem tu in omni re gloriosè, & magnificè celebrasti; quandoquidem conuenit omnis honor, & adoratio æterno Patri, cognato Filio, & eiusdem substantię participi Spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et hoc secundo asserit Apostolū Petrū in vrbe Roma per corporis sepulturam diuersari.

Inuocat auctor Apostolū Petrū, vt adsit suis dilectis, eosque protegat atque defendat.

INCERTI CVIVSDAM
in Vincula S. Petri Apostoli, Sermo.

SImon Ioannis filius, Petrus à petra vocatus, post pisces piscator hominum, Ecclesiæ fundamentum, confessor Dei filij, pastor ouilis dominici, quondam despectus crucifer, modò cælorum clauiger, tres per anni circulum dies festiuos facit & celebres. Primam consecrat Antiochiæ cathedra, secundam passio crucis gloriosa, tertia est hodierna, quæ titulatur ad vincula. De hac à plerisque voluêrunt opiniones diuersę, quas non ex veritatis authoritate, sed ex dubietatis confingunt errore. Videtur eis hodierna solennitas inde venerationis exordium accepisse, quòd in hac nocte sanctus apostolus absolutus sit carceralı compede. Sed veritati non concordat ordo temporum cùm nō hodie, sed azymorum diebus legatur in carcerem missus, & post pascha de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum liberatus. Qui credunt in Augusto legitimum celebrari pascha, credant hodie Petrum euasisse vincula. Et si volunt opponere, quòd dicitur, Post pascha, futurum aliquid significare, quasi à pascha vsque ad præsentem diem seruaretur in carcere: occurrit eis & Herodis sæuitia & Iudæorum vesania, qui vix quo tentus est die, finiissent apostolum vincere, si paschale festum non timuissent violare. Sunt & alij, qui solutionem Apostolicam minimè credunt hodie factam, sed statutum esse à patribus, vt hodierna die veneraretur à fidelibus, sicut Apostolorum Simonis & Iudæ commemoratio quinto calendas Nouemb. agitur, quorum passio calendis Iulij facta describitur. Legimus etiam de aliis sanctis alium diem commemorationis, alium de seculo migrationis: de quibus plurima suppeterent exempla, si fastidium non generaret oratio prolixa. Sed quid visum fuerit patribus hęc ita ordinasse, non est modò temporis per singula dicere: tantùm sub breuitate perstringam, quam hodierna festinitas habuerit causam. Si legentium displicuerit indicio, iustè reprehendi de falsitate non timeo: quia non quasi alicuius authoritatis publico mea, sed minùs capacibus aliorum aperio elausa. Augusti mensis calendas ante saluatoris aduentum celebrauit antiquitas, cuius celebritatis principium videtur sub breuitate pandendum. Octauianus Cæsar

Hic Sermo cuiusdam viri docti, & fortasse hominis ... sermo ... S. Petri solennitatem.

Actor. 12.

Calendæ Augusti celebres vt olim celebres.

Cæſar Auguſtus Romanis imperauit faſcibus. Cui cùm rebellaret Ægyptus, bellum ſuſcepit cōtra fines eius, in quo Cleopatram, in quam ceciderunt vltima regna Ptolemæorum, & inceſtuoſum cum copiis ſuis contriuit Antonium. Cúmque victor potitus Alexandria, victrices aquilas reportaſſet Romam, vt victorem decebat, ab vtriſque ſexus populo ſuſceptus eſt honorificè. Et quia tantum opibus Alexandriæ Romanum commodum auxit, vt duplicia, quàm vſque ad id fuerant, poſſeſſionum aliarúmque rerum precia ſtatuerit, decretum eſt à primatibus ciuitatis, vt eius memoria victoriæ, ſingulis recoleretur annis. Placuit igitur conſilio communi, commemorationem in Sextilibus calendis fieri, vt in ipſo menſe ageretur dies victoriæ, qui ab aucta republica & Cæſare, Auguſtus denominaretur vocabulo. Exhinc conſuetudo inoleuit, magna deliberatione primatum, vt in gloriam tanti principis per omne anniuerſarium Romanus populus cōueniret in vnum, & ob Cæſarianas victorias coronata ciuitas, ſexti menſis initia plauſibus & choreis honoraret, & nemo ex confluentium turba, in ſua remearet, prius quàm ſimplicem panis ſcilicet & vitei liquoris ſumptum libaſſet. Sic ergo huius obſeruantia diei viceſimooctauo ante incarnationem Domini cæpit anno, & præualuit apud gentiles per tempora quadringentorum ſeptem annorum, vſque in vltima Chriſtiani principis Arcadij tempora. Tunc apud paganos finem fecit, & deinceps ad Chriſtianos tranſiuit. Tranſiuit ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, à gentium principe in Chriſtianorum principem, ab Auguſto Cæſare in euangelicum piſcatorem. Tunc ſolennizabatur in templis idolorum, nunc feſtiuatur in Eccleſia ſanctorum. Tunc exhibebatur dæmonibus, nunc exhibetur ei, qui eſt Deus deorum. Procedat dicere ſermo, quomodò mutauit hanc Chriſtiana religio. Arcadius imperator Auguſtus, magni Theodoſij filius poſt mortem patris imperium gubernauit quatuordecim annis. Hic ſublatus de medio, regnum reliquit Theodoſio iuniori filio, qui vix ætatis annos contigerat octo. Cuius mater Eudoxia, memorabilis vitæ fœmina, virilem induens animum, ſtrenuè gubernauit imperium, & facta filio virtutum diſciplina, docuit eum vitæ paternæque bonitatis ſequi veſtigia. De diuinis enim legibus eum admonebat, & perfectè ſeipſam cum ipſo erudiebat. Non regni faſtigiis eleuabatur, ſed potius diuino timore ſuccendebatur. Magnitudo beneficij auxit ei deſiderium benefaciendi. Non erubuit purpuram inclinare, & pauperum debiliúmque curam agere. Non ſeruos, non miniſtros ad infirmorum habitacula mittebat, ſed ipſa per ſe veniens quæ neceſſaria erant miniſtrabat. Cibos ipſa parabat, panem frangebat, epulas miniſtrabat, calices lauabat, potum porrigebat. Læua ægrum ſuſtentabat, dextera manu cibabat. Alia etiam quæ ſeruorum erant officia, compleuit humilis regina, cupiens ab ipſo benè miniſtrādi gradum promereri, qui ſe in ſuis minimis profitetur viſitari. Proptereà ſolicitudinem gerebat maximam, ſacrilego gentilium ritu mundare patriam, & hæreticæ paleas prauitatis, catholicæ fidei excutere granis. Inter hæc pietatis opera concepit animo Hieroſolymorum viſitare loca, ſaluatoris veſtigia lachrymis rigare, crucifixum in ſepulchro, non iam cum mortuis quærere, ſed viuentem & in cælis regnantem adorare. Effectum habuit affectus, quem inſpirauit ſpiritusſanctus. Cum regio comitatu profecta, ſuſcepta eſt ab Hieroſolymis vt regina & domina, magniſque muneribus à populo Iudæorum honorata. Interfuit dona ferētibus potioris muneris vnus, licet aliorum oblatis videretur vilius. Alij argentū ſepties purgatum, alij aurum igne probatum, alij lapidem precioſum & multum, iſte argēto & auro lapidéque precioſius obtulit ferrum, iſtas ſcilicet cathenas, quibus Petrū in carcere vinxit Herodis feritas, quaſq; verbi ſui claui diſiecit angelicæ viſitationis claritas. Si cui videtur incredibile, Iudæos vincula Petri vel pro honore ſeruaſſe, vel pro honore dediſſe, quippe qui eius ſanctitati non ceſſabant detrahere, ſciat nihil impoſſibile diuinæ voluntati: quæ quandiu voluit, talem margaritam apud immundos ſues cōculcari permiſit, donec reuelaret eam in tempore, quo fieret ornamentū Eccleſiæ. Voluit qui potuit, ſui militis trophæum manifeſtare per Iudæum Eudoxiæ, qui per eiuſdem incredulæ gentis hominem, ſuæ crucis ſtigmata detexit Helenæ: vt contrarius veritati populus, tanto maiori ſuæ confuſionis ſuffunderetur rubore, quanto per ſeipſum crucifixi teſtes potioris conſiteretur gloriæ. Quis dubitet Eudoxiam gaudio tripudiaſſe non minori, cùm agnouiſſet catenas Petri, quàm Helenam cùm diù deſideratam vidiſſet crucem Domini? Vtriuſque inuentricis potuit par eſſe gaudium, vtriuſque tamen theſauri non audeo par profiteri meritum. Quem inuenit Helena, maioris eſt meriti, quantum ad perſonam imperatoris, ad perſonam Domini, ad perſonam magiſtri, ad perſonam ſponſi, ad perſonam filij Dei: quem Eudoxia reperit, eſt minoris meriti, quātum ad perſonam militis, ad perſonam ſerui, ad perſonam diſcipuli, ad perſonam amici, ad perſonam pertinet hominis filij. Vterque tamen ſanctus, vterque magnus, vterque nullis terrenis diuitiis comparandus. Maior minorem ſanctificauit, quia perſona perſonam iuſtificauit, imperator militem, dominus ſeruum, magiſter diſcipulum, ſponſus amicum, Dei filius hominis filium. Chriſtus iuſtificauit Petrum. A Chriſto Petrus accepit, vnde cathenam ſuam cōſecraret: à ſeipſo Chriſtus habuit, vnde crucem ſuam ſanctificauit. Crux pœna latronum, facta eſt corona ſanctorum: crux reprobatio mundi, facta eſt gloria cæli: crux mortis ſupplicium, ſanctæ eſt vitæ remedium. Propter hoc libertatis priuilegium, meritis exuperat Petri vinculum: & quamuis ſancta, quamuis veneranda boni piſcatoris cathena, præcellit tamen clemētiſſimi ſaluatoris crux glorioſa. Regina verò optati muneris largitate potita, grates reddidit ei, à quo bona procedunt cuncta, & pro quibus venerat diſpoſitis ad mentem, feſtina Romanam reuiſit arcem. Intulit Latio vincula, quæ ſoluunt peccatorum ligamina, quæ iam non ligent iuſtum & ſanctum, ſed ab omni impietate ſoluant impium. Felicem ſilentio commiſit euentum, dum in medium proferendi tempus occurreret aptum. Noluit famam rei ſubitò intonare auribus vulgi, ne verba quæ ad horam ſine opere ſonarent, hora tranſeunte tranſirent. Altiori conſilio tractauit ſic inuentum theſaurum Romanis commendare, vt quoad viueret

Vide hiſtorias eccleſiaſticas in quibus hæc aliter narrantur. Ex his enim quidā Pulcheriæ ſorori, quidam Eudoxiæ coniugi Theodoſij tribuitur, non Eudoxiæ matri.

Hæc fuit Eudoxia, Theodoſij iunioris mater.

Crucis inuentio.

religio fidei Christianæ perpetuum haberet in sancta Ecclesia memoriale. Aspirauit bonæ voluntati cælestis gratia, vnde optantis animo benè conueniens occurrit causa. Videns igitur fideles infidelibus in hoc gentilitatis consentire rito, vt singulis annis ob Cæsareanæ laudem victoriæ Sextiles solennizarent Calendas, copioso togatæ plebis apparatu, voluebat animo lactentem nascentis Ecclesiæ infantiam, lue superstitiosi erroris citò maculari posse, nisi diuinæ clementia bonitatis, tantæ cladibus pestilentiæ curaret quantocyùs finem imponere. Cogitauit regiæ maiestatis authoritate in cultores vti, sed eorum sententiam, & primatum industriam euertere non erat ex facili. Durum erat à priscæ consuetudinis intentione senatus decretum reuocare, maximè cùm per tot Christianorum imperia principum, vsque ad illud temporis longa senuisset ætate. Videbatur enim eiusdem fautoribus obseruātiæ, in hoc cultu nihil se contra Christianę religionis propositum agere, cùm nec sacra imponerent aris, nec thura incenderent diis, sed publicæ rei augmentum, Cęsariani plausus attollerent choreis. Et si studia senatorij ordinis in suę partis voluntatem inclinasset, minoris manus officij, in seditionis versa tumultum, valdè restitisset, quippe quibus esset contrarium, exterminari annuum sui otij cultum. Ideò erat (vt dixi) difficile apud ipsos antiquitatis ritum subuertere, sicut hodieque in Christiano orbe, plurimi vanæ superstitionis obseruantur ritus, quorum memoria deleri potest aut vix, aut nullatenus. Deo ergo amabilis regina, egregium reuocauit animum in id consilij, nequaquam in regiæ maiestatis honorem seditionem tumultuantis excitari populi, ne inconsulta res se verteret in peius, dum videretur tractari durius. Disposuit humilitatis precibus impetrare, quod credebat minarum terroribus sine periculo extorqueri non posse. Prudentis arcanū animi, Romanæ sedis patefecit præsuli, qui eiusdem iam exciterat voti, sed rudi timebat Ecclesię, si iret contra torrentem brachia tendere. Fecit eū ad plebem suę precis oratorem, vt eadem qua catenus, obseruantia constarent Augusti calendæ, sed potioris principis titularentur ex nomine. Sanior ergo pars populi assensum præbuit verbis Apostolicis: qui verò timuerunt cultum exterminari, nisi sunt excitare seditionē vulgi. Vt autem à prioribus intellexere nō de cultus exterminatione, sed de nominis mutatione petitionē esse, tumultuantis turbę cessauit commotio, & communi laude approbata est potioris nominis inscriptio. Tunc Eudoxia delati ab Hierosolymis thesauri coràm dedit confessionem, & ingrediens cū papa, de vinculis Petri sermonem plenum deuotionis & compūctionis verbum fecit ad plebem. Docuit in eis esse medicinam salutarem ad interioris & exterioris hominis salutem, & per eum, in cuius sacratissimo cōsecrata sunt corpore, omnium peccatorum absolutionem promereri posse: quia multum est illi facere quicquid voluerit ab illo impetrare, à quo habet in potestate animarum nexus soluere atque ligare. Inseruit etiam sermoni mentionem de illa cathena, quam tulit Apostolus sub Neroniana custodia, quā quintus à B. Petro papatus minister curationum largam edocuit Alexander, quamque in augmentum salutis suæ reuelauit Balbinæ Quirini filiæ. In conclusione autem sermonis ex Dei voluntate obtinuit hoc petitionis, vt (sicut dixi) eadem obseruantia constarent Augusti mensis calendæ, sed principis Apostolorum titularentur ex nomine, & eiusdem celebritatis gaudia, quæ catenus Cæsaris victoria, deinceps Petri appellarentur vincula. Ad cuius deliberationis decretum sine fine confirmādum, Augustę sumptus & papæ supplementum Domino * eliminauerūt, & chrismauerunt templum, in quo dignè reposita clementissimi Petri vincula, indigentibus plurima pręstant beneficia: ibique perpetui anathematis sententia percussa est Cæsariani plausus vesania, vt apostolicæ liberationis victoria, liberiori regnaret per orbem memoria. Imaginauit etiam pontifex ad impietatis similitudinem, hanc pietatis formam, sicut Augusticolę panis & vini hodierna die libamine sumptum, ita Christicolas dominici corporis & sanguinis gustare sacramentum, & educti mortis ergastulo, angelicum sequentur ducatum cum Petro: qui nos peccatorum absolutos vinculis, introducat in ianuam regni cœlestis: vbi nos reficiat sui aspectus satietate, in quem desiderant angeli semper prospicere, cui proclamāt: Sanctus, sanctus, sanctus, sine intermissione laudantes vnum verum Deum in trinitate, qui viuit & regnat sine fine, Amen.

Commendatio vinculorum S. Petri.

*[illegible]

IN

IN FESTO SS. MART. MACHABAEORVM.

Euangelium in hoc festo nullum legitur.

ADNOTATIO.

Visum est, & Flauij Iosephi elegantissimum librum de Machabæis huc transferre; quòd, licet is ex Christianis patribus non fuerit, tamen in hoc libello Machabæos fratres, quos Christiana ecclesia veneratur, maximis laudibus extollit.

FLAVII IOSEPHI IVdæi de Imperio rationis libellus, martyrium Machabæorum graphicè describens.

Ex veteri interpretatione, vel potius Para.

Ratio flammis.



ACHABÆORVM agones admiratione dignissimos, non oratorio sermone, sed nostro potius eloquio, ad exhortationem nostræ prosapiæ (Polybio Megapolita id flagitante) tradere volui. Necesse est autem nobis in his rationem humanam paucis explicare, & passionem ipsam deliberantis assignare sententiæ. Nam, qui ad tolerandam omnem pro Dei gloria iniuriam semel dicauit animum, is martyrium mihi videtur implesse. Summi ergo meriti est, semel fixisse sententiam, atque ideo, vt dixi, ratio principatum obtinet passionis: & si fors perpetiendi deneget facultatem, pertulit tamen cuncta, quæ voluit pa- *Martyr, qui pati voluit.* ri. Quicunque igitur renūciare seculo volet, contentus præmiis cælestibus, primum debet consi- *Præcepta Christiano vero digna.* lium sobrietatis inirare; &, exclusa inde radicitus gula, vel, quæ est illi comes, lasciuia, cunctisque aliis id genus vitiis, quę mentem occupare solent, virtutis apicem conscendat, præliaturus contra corporales postmodum labes, dolorem pariter, & timorem: quorum vnum, antequam incipias, alterum necesse est esse, cū cœperis. Timorem enim *Timor & dolor.* ante excipis, quàm ad illud veneris; quod timebas: dolorem vero, cum ad id, quod verebaris, adueneris. Multa in hac re exempla sunt fortiū militum Dei, quæ singula forte differerem, nisi mihi vnius vteri ornamenta sufficerent. Quos fœcundus sanctæ matris partus, non eodem tempore, sed eadem mente progenuit. Primum itaque eorum passionis autorem Eleazarum non silebo, deinde quas inter alia tormentorum genera mater ipsa pœnas pertulerit, non omittam: quamuis inter illos quis in passione primus, quísue postremus sit, humanus sermo explicare non queat, sed Dei sit expectanda sententia. Communiter ergo firmato mentis robore, inter se similes plus mente, quàm vultu fragilem hanc iudicarunt huius lucis vsuram: nec in seculi blandimentis, vel in captanda aliqua vanæ huius salutis fraude, quicquam sibi dulce posuerūt: leuis apud illos, quamuis horridus tortor, moles, catenæ, & quælibet pœnarum acerbitas æstimata ostendebatur. Vt vero ad priora tractatus nostri verba redeamus, excogitata omnia, quæcunque exquisita iudicis crudelitas imperat, se præuisa habere rati sint. Laudabo itaque in his fratribus robur animorum, qua potero voce: aut, vt verius dicam, exponam quàm verissime potero (id quod maximam laudem habet) sanctorum virorum pugnam: Et, cum blandiri non liceat, historico more progredi, & ad verum ordinem facta redigere compellor. Antequam ergo exordium extinctæ ab ipsis gentilitatis arripiam, de ratione mihi pauca dicenda sunt, in qua asserui maximā persuasionem esse martyrij. Itaque, vt primum voracitate subla- *Ieiunium laudatur etiam ab externis.* ta, repudiatisque multiformibus cibis, ieiuniis seruiamus, ratio facit. Deinde, vt vilis pecuniæ vsus habeatur, & paruipendatur tumultus dignitatum, eius etiam bonæ rationis assertio est: vt resistatur libidini, & manus obuię luxurioso opponantur ardori, nónne rationis hoc donum est? Hinc prouenit, vt, cum se paulatim, domitis, quæ delectant, firmiores ad resistendum viderint, inculcent animo dolorum, pœnarúmque contemptum, vt tantam occasionem, quantam cogentur, expectent. Atque, quo magis res pateat, rationis ipsius ordinem requiramus. Ratio etenim sapientia est: nam nemo inter bonum, malúmque diffiniendi potest habere consilium, nisi sapientia radicitus fulciatur. Iam ipsam sapientiam sequitur semper sociata iustitia, iustitiam virtus animi non reliquit, virtutem comitatur castigata sobrietas: quadripartita itaque est ista sapientia. Duo sunt præterea, quæ aut faciunt passionem, aut impediunt; dolor, & voluntas: quorum vnum semper respuit, alterum semper exoptat: sed, vbi voluntas insurgit, & ratione statim eiicitur, confirmatur animus: & pœna trutinata cum gloria, spe maioris præmij, contemni incipit, antequam veniat: cum autem venerit, erubescit animus non sufferre, quod voluit. Ratio est itaque, cuius est omne, quod facimus: per illam animi punitio, omniúmque vitiorū detestatio est: quæ officio periti functa cultoris, inutilia sarmenta succidens, & omnem spiritum noxij humoris enecās, illud solum, quod profuturum intelligit, manere permittit. Sic ratio hominem passione depurandum, purum reddens, & ante passionem confirmat, & in ipsa passione corroborat. Quis non venationis, quis non piscium esca delectetur? quem non grata di-

uersa

uectatum animi sagina sollicitetur exquisiti terta, matique cibi, vfquequo non eluire compellant? Da rationem, quæ abstinentiā imperat. Concupiunt quidem omnes, sed nemo attingit. Docetur que his rebus animus delectationē suam vincerē, & imperare protinus voluptati, vt, dum ad occasionem martyr venerit, reiectis hisce vitiis, præsentem pœnam præteritis virtutibus nō præponat. Inde Ioseph iusti voce laudatus, quòd libidinem in puerili ætate flagrantem ratione restinxerit. Sic futurum reddit salubritate consilij, considerationéque, perditam amicitiam renouat, nouam parat, & nihil fieri crudele permittit. Moses quoque exemplum præstat, qui nisi in Datan, & Abirom, iusta indignatione efferbuisset, sine procul dubio dolori animi ratione conspicuo minus satisfecit. Quid pater noster Iacob? nónne filios suos Simonem, & Leui magna vociferatione corripuit, quòd sine respectu consilij alicuius, sic immites gentili feritate aberrassent, dicens; Maledicta eorum ira. Quam vtiqueiram, si ratio reprimere potuisset, nec maledicti isti, nec illi interire potuissent. Deus itaque humani artifex corporis, cum hominem fundauit, & mores, hæc singula membrorum lineamenta componens, perfecto iam corpori dominam (quæ in eo esset, & imperio quodam vteretur) mentem dedit, cui quædam in ipsa potestate obseruationis mandata constituit, vt sobrietatem teneat, diligat bonum, iustitiam nō relinquat, & ipsa imperij potestate, qua corpori imperat, imperia tamen diuinæ potestatis obseruet. Etenim dicet quispiam, si ratio principatum obtinet passionis, cur habemus sæpius impiam voluntatem? Si hoc existimas esse, ridiculum est. Nam ratio non potest obtinere, ne desideretur aliquid: sed potest eugere, vt, quod desideratum fuerit, prudentis consilij ratione vincatur: vtputa obtinere non potest, ne irascaris; sed cogere potest, vt nullum scelus iratus admittas. Turpissimas quoque similiter voluptates non, ne concupiscas; sed, ne his satisfacias, obtinebit. Non ergo extinguit penitus vitia, sed repellit. Sanctus Dauid loco exempli ponitur, qui alienigenis bellum inferens; cum, multis fortunæ blandiētis successu, animiq; virtute prostratis, iam aduesperasceret, sudore nimis, & lassitudine fatigatus, ad tabernaculum regnum propetabat, quod militum suorum agminibus in circuitu claudebatur. Ibi cum omnes commilitones, delicatis dapibus cœnæ deditos videret, & ipse aridis faucibus sitim ferre non posset, aquam iuxta se fluentem (quia religio vetabat) haurire non fuit ausus: promiserat enim, nullum se bibiturum poculum, nisi, primum hostibus expugnatis, relatos fontes suis etiam præberet, scilicet, vt & maior bellantium esset instantia, si non pro victoria tantum, sed & pro poculis pugnaretur. Itaque, cum medullitus sitis adureretur incendio, & contra legem facere non auderet, tres ex militibus eius magni roboris iuuenes se obtulerunt: & instructi armis, quæ forēt ad vsum aquæ necessaria leuantes, per hostium acies, & castra properarūt. Illuc aggressi, portarum custodes primum formidine inferendæ mortis exterruerunt: deinde per eos ad locum desideratum optati fontis accedunt, inde sumptam velociter aquam regi exhibent: sed Dauid sanctus humanum desiderium ratione molliuit, & ratione abstulit voluntatem: docénsque timorē Dei rebus omnibus præferendum, singulare patientiæ monstrauit exemplum. Nam sumptam magno periculo aquam, & à se crebro expetitam, humi protinus eam Deo libauit ariditate potius, ac siti perire volens, quam crimine. Nec ante considerationis ius est ratio tanti consilij, vt libidinem animi, doloris, corporisue singula (quibus inflammati agimur) atque in ipsa vltima passione, mitem faciat esse tractatum. Iam quidem nos optata historiæ reuelatio vocat: sed nec hæc velut superfluo dicta debemus accipere, quæ futuræ narrationi quodammodo blandiuntur. Tanta itaque patrū nostrorum prudentia, tanta etiam fides fuit, vt ipse quoque Seleucus Asiæ rex, & opus illis augeret sacerdotio deputatis, & alienæ sectæ homo, fidei suæ eorum, quibus non credebat, gesta proferret. Sed nec sic quidem modum iniustorum hominum accepit insania. Nam quidam Simō nomine, dum Oniam persequens sacerdotem, nec apud gentilem quidem Iudicem punire permitteretur, relicta protinus patria, Apollonium ducem Syriæ, Phœniciæ, & Ciliciæ conuocauit: ibique in medio cœtu senatus, magna voce proclamat, infinita sese cōmoda regi posse conquirere. Esse videlicet maximum apud Hierosolymitas in occultis pondus argenti, & auri, & exuberātem rerum singularum copiam, quæ cuncta ad Seleucum regem debeant pertinere. His Apollonius cognitis, collaudato Simone, thesauri Seleuco lucra declarat: & accepta à rege acquirendi in omnibus potestate, cum Simone collecto exercitu, ad nostrā patriam venit, vt & vim (si inferretur) manus armata depelleret. Ibi cum gazophylacium omne spoliaretur, Onias præ dolore lachrymarum imbres grauius excitando, dicebat: durum esse illis, quibus thesaurus creditus esset, aliquid auferri. Tunc tēplum ingrediens Apollonius, seniorum, ac mulierum, infantium etiam deprecantibus vocibus vrgebatur, qui & illi pœnam, & templo præsidium fideli oratione poscebant. Itaque, cum magno agmine vallatus armatorum, templum sanctæ sedis fuisset ingressus, angeli equites, igneo fulgore radiantes, armorum etiā instructi specie, infidelis hominis mentem perculere. Præceps Apollonius in faciem cadit: ibi post magnum spatium temporis attollens se, in ministerium templi paululum recumbebat. Timore enim rei adhuc præsentis vacillantibus hinc inde vestigiis, per se stare non poterat. Ibi cum medelæ aliquid sperandum adhuc putaret, vtrasque ad cælum manus tendens, quę se impetrare posse pro auso scelere non credebat, Hebræus (ad quorum depopulationem venerat) patronos, & intercessores desiderans, veniam cum lachrymis postulabat delictorum. Nō modo peccatum suum recognoscens animo, verumetiam voce cōtestans morte se dignum, & summis conficiendum cruciatibus confitebatur. Hæc omnia sanctus Onias aspiciens, metuens etiā, ne, si obisset Apollonius, insidiis Hebræorum crederetur occisus, precē pro eo fudit, & inimici vitam oratione promeruit. Statim index regi cuncta festinans nunciare, Seleuco iam mortuo, in eius loco Antiochum reperit imperantem, qui sæuis moribus, & veterano quodā naturæ odio Oniam persequens sacerdotē, Iasonem fratrē eius, promissis ab eo tribus millibus sexcentis sexaginta argenti talentis, per singulos annos dandis pontificem, & principē creat. Qui factus continuo sacerdos, &

Doctrina non aliena à Christiano dogmate: quā nonnulli tores minus detestantur.

Patientia Dauid.

Narratio rei gestæ.

Sacrilegi pœna.

ptin

princeps gentis Iudæorum, iniquos omnes esse cumpulit, & à religione seduxit: ita vt pro cōstructione thermarum, ipsam tuitionē templi, fabricámque turbaret, & doctores omnes in perfidiæ parte congruerent. Quæ res indignationem diuinam protinus concitauit: nec irato Deo hostis quæsitus alienus est; ipse namque Antiochus cōtra eos vertitur in furorem, Ptulemæo Ægyptiorum regi bellum inferens, famam mortis suæ ab Hebræis audit emissam. Cum magna etiam apud Hierusolymitas gratulatione susceptus, statim, certamine adimpleto, decretum dat, vt, siquis eorum in patria consistens ad sacrificia migrare noluisset, distractus totæ impetu rumperetur. Sed hæc paruipendat multorum mens pura credentium, ita vt mulieres circumcisis (vt mos nostræ religionis erat) paruulis suis in præceps se dimitterent, quippe quæ vitantes longiora turmenta, celerem halitum ingestæ mortis optarent. Vidés ergo Antiochus legis timore hæc ab eis fieri non posse, cum omnes ad exitium sponte properarēt, sedens in editiore (videndus omnibus) loco, attractis singulis Hebræorum, porcinæ carnis sacrificiorum altaribus immolatæ gustum dare iubet. Et, cum multi conquisiti vndique conuenissent, inter cæteros etiam Elcazarus (nam hoc numen illi) ex sacerdotali genere descendens, disciplinæ, & timoris artibus eruditus adducitur, grauis annis, & ipso ætatis, ac vultus honore venerandus, notus omnibus, & virtute præclarus. Cui Antiochus ait; Accipe à me, sanctissime senex, salubre consilium; effuge repugnantibus promissa tormenta, dulcem hanc serua caniciem, nec contemnendam existima gratam huius lucis vsuram, Sume sacrificium; & porcinæ carnis dapibus delectare. Nam alienum est à sapientis doctrina Iudæorum persuasionibus credere, & repudiare escam, quam ad vsum humanum passim vt cæteras dapes, natura præstiterit. Ingrati quodammodo diuinis beneficiis sumus, si eorum dona contemnimus, & discretionem facimus, cum ratio sit vna naturæ: qua enim ratione hoc animal præ cæteris abhorrendum magis videtur? Aut amanda omnia, aut penitus repudianda. Superstitionis, & ignauiæ est legem sibi facere, & voluntatem appellare rationem. Abijce intellectum vanum, & delirum, & venerandæ ætatis tandem in melius flecte sententiam. Certe, si quam virtutem fidei vestræ inesse confidis, dabit hæc patienti veniam, cum sciat te impulsione potius, quàm voluntate peccare. Ad hæc Eleazarus hortanti, simúlque cogenti, accepta respondendi facultate, respondit: Nos, Antioche, non rumorem sequimur, sed seruatam semper à maioribus nostris veritatem religionis tenemus, nec auerti à sententia nostra possumus, nec ad aliam fidem pœnæ timore compelli. Quinetiam, si non optimis quibusque fundamentis corroborata esset tradita nobis à patribus consuetudo, nunquam tamen caderem, nec in re facili superatus abscederem. Nec leue existimes, cibum impietatis accipere, & sacrificiu immolata gustare. Nam omnino pars profanitatis est, tangere quod in se profanum est. Philosophiam vestram lex nostra condemnat, in qua tanto minus quis intelligit, quanto plus intelligere se credit. Docti sumus sobrietatem diligere, desideria libidinum vincere, corpus casta obseruatione retinere, & si quid pro Dei inferatur nomine, sustinere: voluntatem, veritatem, iustitiam, pietatem, & inter cætera vnum Deum (qui solus, & verus est) non negare. Ideóque profanam escam respuens, quæ mihi sunt edenda, cognosco: habens quoque pręceptum altissimi Dei, cuius mandatis ductus sum obedire, & à sacrificiorū libaminibus temperate, & ea, quæ prosunt animæ, totis viribus amplecti. Tyrannica vis est, ad illa quenquam cogere, quæ lex recusat, & ad iustitiæ non consentanea imperioso sermone compellere. Molire quidvis, tolle, si libet, cachinnum, plus tamen desiderabilis, quem derisisti: ego patrum mysteria sacrosancta custodiam. Effodias licet pertinaci manu dulcedinem oculorum, & acuto protinus cultro viscera interna rescindas, nunquam ex me victoriam consequeris. Sanus, patiens, & defunctus in Dei amore consistam: nec te securum faciat meorum magna series annorum, & tremulum corpus. Si necesse sit aliquid offerri pro Domino, viuidis videbis annis tolerantiam pueri, fortitudinem iuuenis, & totius gaudium voluntatis. Prępara exquisitum focis incensum ignem, & quęnis alia, fide mea mihi, & lege viliora, securiorem in suppliciis videbis, quàm expertus es ante supplicia. Nunquam te ego fundamentum salutis, credentis pręsidium, firmamentum fidei, lex sancta, violabo: nunquam pręceptis tuis contrarias manus porrigam, nihil aliud credam iustum esse quam quod abs te doctus accepi. Non perdam tot annorum merita, nec seruatam hactenus disciplinam. Castum, integrum, purum, & tuta Deo virtute deuotum me patrum turba suscipiet, cum non timuero tuas, ô rex impie, minas, quamuis numen istud regium mutaueris in tyrannum: nec factum meum, nec consensum, nec verbum reuocabis ad crimen. Cum hęc Eleazarus libertate, & iustitia plenus effunderet, armatorum qui circunstabant, manibus trahitur ad pœnam: nudatur, suspenditur, flagellatur. Quo ex vtroque latere ictus impius perferente, pręco clamabat: Subditus esto imperio regis; mandata eius agnosce. Magnanimus autem Eleazarus, nec flagellis, nec tormentorum ictibus fatigatur, quasi per quietem, somniúmque acerbissima quęque pateretur: securus igitur, & intrepidus pœnarum ferebat dolores, & venerandus ad cælum erigens oculos, sciebat, cui se crederet, cui animam dedicaret. Et hinc, atque inde respiciens corporis sui frusta dissolui, cruorem etiam nimium latere vtroque profluere mirabatur, gratias Deo agens de tanta patientia. Tamen fragilitatis humanę conditione (quæ cruciatus tam exquisitos ferre vix poterat) in faciem semilaceram ruit, eas gratias stratus humo agens Domino, quas paulo ante stando egisset. Vnus vero ex armigeris plenus insania, vt regi se fidelē in hac tam profana, támque sacrilega exhibitione monstraret, iacentem calcibus suppressit, & quo ad acerbiorem suplicij carnificinam traheretur, exigit. Ille vero & animo fortis, & corpore, ac summi Dei verus athleta, dolorem omnem intrepidus perferebat, tortorésque impios mitis senex patiendo debellauit. Summa tamen lacerantium admiratio, quæ & illos non parum incesserat, tot eum, ac talia sustinuisse supplicia. Accedentes vero ad eum ministri regia proclamant in eum: Quàm diu, Eleazare, in hac

per

Margin notes (left column):

Nō quod sint bruta [illegible] danda, [illegible] Deo [illegible] [illegible].

Non [illegible] sunt quoq; ra[illegible] [illegible], abstinentia virtutem [illegible] [illegible] ergo, quam [illegible].

[illegible] Eleaza[illegible] ad Antiochum responsio.

Fides hostibus [illegible] [illegible] credēdū.

persuasione consistens, nec locis gratia caperis, nec suppliciorum immanitate terreris? gusta porcinam carnem, & effuge cuncta, quę pateris. Eleazarus, qui in pœna tacuerat, in tam sinistra persuasione non tacuit: & velot hoc verbo plus laceratus, exclamat; Non ita inutiles, & imbecilles Hæbræorũ filij sumus, vt viam salutis (quã vsque ad senectam seruauimus) deseramus: & tam cito transeunte affecti ludibrio, exemplum decipiendi relinquamus, nec sic instructi sumus. Modicum est, quod vitam hic prorogat: nostra enim parua sunt, quæ relinquimus: maxima autem quæ indubitato speramus. Nunquid tyranno vestro persuasione hac vestra inducti placere poterimus? minus profecto vtiles credet, quos mutabiles, variósque cognouerit. In tuis, ô venerabilis pater Abraham, manibus, & in sinũ tuum gremiúmque ventuti, grata voluntate moriemur.

Inuocatio Abraham.

Non ab Euangelio discrepat de sinu Abraha.

Hunc animum videntes armigeri, sanctissimum senem nutu regis in ignem imposuere: naribus eius noxios, ac fœtidos liquores infundẽtes. Quæ omnia sanctus ipse, ac venerabilis senex libenter excipiens, cum incendio crematus, natura deficiente spiritum relaxaret, cœlum oculis caligantibus suspiciens sic est locutus:

Oratio Eleazari ad Deũ.

Tu es Deus, à quo salus procedit, & vita: ecce legem impleo tuam: fragile quoq; hoc corpus depono: propitius esto genti tuæ, ne deseras hos, quos in sinu tuo, sub alis (si dici potest) clementiæ tuæ hucusque seruasti, sit mea mors malorum omnium finis, & in tota gente remedium omnium peccatorum. Accipe me pro cunctis, & dona mihi cunctos. Atque in hoc sermone animã lætus effudit. Inde est, quod prius diximus, omnem tolerantiam passionis ex optima oriri ratione, quæ semel firmata, prosperum facit animum, patientissima semper doloris, & actus optimi prouida existens consiliatrix, fixũ in homine propositum nõ relinquit. Itaque, cum passio inter se, ratióque pugnauerint, necesse est, vt hæc dominetur illi, si ex altera triumphum velimus. Patri itaque Eleazaro gubernatrix fidissima ratio fuit, quæ nec dolori locum præbuit, nec blandimenta illecebrosæ voluptatis admisit. Seruauit cõtra omnes procellas, tempestatesque insaniæ, sancti corporis nauem, quam nullis turbinibus à vero dissoluit itinere, iactata quidem tyrannicis fluctibus, infracta tamen permansit: tenensque iter suum, ad salutis portum peruenit. Nullis quamuis validis muris sic ab hostibus vrbem propriam defendere, vt animam suam sanctissimus senex, adhibita diligenti ratione, seruauit. Passus equidem verbera, crucemque, & flammas in aduersis, qui antea in lætis erat constitutus. Nam vt apices rupis alicuius excelsæ, irruentis fluctus obnoxiæ ictibus, franguntur, & sinus ille intrinsecus clausus est securus: ita munimentis optimæ rationis, primique consilij, venientiũ impetus procellarum suis excepit membris, eosque nisu corporis inuictus fregit, ne interiora penetrando, ad diuinum illum cœlestis animę meatum peruenirent. O beate præ omnibus senibus senex, & præferende cæteris sacerdotibus sacerdos, nulla profani sacrilegij dape sancta ora maculasti. Nihil perfidię tramitem illum fauciũ contigit, per quem Deo frequens oratio mittebatur. Nihil valuit principis imperiosa crudelitas. Exemplum igitur omnium antistitũ Dei factus es. Talem vere esse decuerat sacerdotem, vt tormentis fortior, torquẽtibus durabilior, securior quoque imperantibus, ipso etiam, quo crematus es, igne violentior, pœnam martyrij possideres. Tibi omnis cessit antiquitas, à te exemplum habebit posteritas. Si ergo inualida senectus omni virtute iuuẽtutis exuta, frigidi, aut penè nullius sanguinis, ad omnem tolerantiam doloris infirma (quippe quam ipsa series fregerit annorum) tot cruciatus, tot supplicia, tot pœnas prudenti consideratione sustinuit, quis est, qui negare audeat, totius passionis caput in ratione potissimum consistere? Vidimus omnem acerbitatem fixi semel consilij obseruatione, Deo adiuuante, superatam. Sunt tamẽ qui dicant, non omnes, qui ratione considerãtur, sufferre fortiter passionem; quæ illorũ superflua, & vana reprehensio est. Constat enim illum dolori cedere, quem consideratio sapiens non muniuit. Cæterum, qui non deliberatum tantæ rei negotium, cupiditate repentinæ præsumptionis aggreditur, necesse est, vt sero illud deserat, ad quod subito conuolarit. Natura enim, & præconcepta diu deliberatione, omnem vitæ exitum ad passionem portamus, ne aliquid nos subita acerbitate confundat, ventura omnia præsumuntur, ne timeri, quæ inferuntur possint, cũ sperata proueniant. Qui sapiẽs itaque & fortis, hic totius dominus est passionis, vtpote qui bene cogitatã pręcogitat, & acceptam respuit nunquam.

Mora infantia.

Nec stupenda omnino est in senectute prudẽtia, cum infantulos tantus amor capiendæ laudis inuaserit, vt ipsis quoque admirationi fuerint, quorũ acerbitate sunt consumpti. Cæterum efferata crudelitas, Eleazari graui ætate permota, rediuiuo quoque insanæ mentis ardore, credens se sapientia victum maioris ætatis, irrita consilij firmitate, septem illustres pueros Hebræorum Antiochiam adduci atrociter de eorum castello Susandro pręcepit. Quos in tenera adhuc ætate, eaque ad excipiendos dolores infirma (quemadmodum ipse putabat) versantes, vt fallaci oratione, ac varij cruciatus terrore peruerteret, talem edicti sui legem proposuit, vt, qui sacrificij carnem ore noluisset accipere, exquisitis extẽplo suppliciis subiaceret. Septem itaque fratres vnà cum matre Solomona (nam hoc illi nomen erat) iamiam in senium declinante, coram se sisti iussit. Producti sunt itaque nõ solum præclari, verumetiam speciosissimi tam generosæ matris nati, & voce, & corpore gratissimi, angelici quidem iuuenes, vultuque pellucidi, solis instar sereni luminis, & in oculis omniũ non sine virtutum gratia radiantes, vt tali procul dubio argumento totam humanam, mortalemque formã transcenderent. Et illa talis habita ab exordio antiquorum patẽtum, maiorumque suorum syncera, & id quidem in hunc vsque diem vt tota eius esset approbata nobilitas. Sed illud formæ decus, quod sanguinis quoque ornamẽtis cumulum magnæ dignitatis acceperat, ante omnia virtutis robore firmabatur, qua simul omnes alios laudis modulos pro motu ingentis animi præcedebat. Proinde hos vt aspexit tyrãnus, atque matrem in medio lætam assistere, alacrique mente adesse cognouit, pueros callidissime alloquitur: Consultum esse vobis (inquit) in primis volo, ô admirabiles pueri, hoc enim & forma vestra, & sanguinis nobilitas suadet. Ne ergo ad repugnandum insanam sumatis audaciam, vitate non tormẽta modo, verumetiã mortem. Cupio enim vos

& hono

& honoribus cumulare maximis, & immodicis diuitiis ampliare. Spernite superuacaneã patrum vestrorum credulitatem, & ad gentilem vos cultum nostræ obseruationis adducite. Illud enim si in animo vestro non statueritis (id quod futurum esse non arbitror) diuersa, & exquisita supplicia, quibus vos per diuturnam deficiẽtis animæ acerbitatem excruciem, excogitabo. Quapropter, vt timor ipse acrior audiẽtes surriperet, singula proferri in medium tormenta mandauit. Exhibentur itaque rotæ, radij, vngulæ, torabula, catapultæ, lebetes, caraftę, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succẽsoria, ollæ æneæ, sartago. Hęc enim illis nomina esse reperimus. Succensorium ad excitãdam flammam, quoddam tenue esse ferri telum accepimus. Exhibentur id genus reliqua nimis profectò abhorrenda, quæ sigillatim enarrantem dies sit defecturus. His itaque omnibus in apertum prolatis, ait, O prudẽtissimi pueri, etiam si aliquod in hac re putatis esse peccatũ, optima iustæ defensionis excusatione poteritis armari, quia coacti hæc potius (quantum videre videor) quàm sponte facere videmini. Paruuli vero cœlesti quodam sensu, & diuinæ maiestatis ardore accensi, contẽnentes immanissima tot pœnarũ genera, paruí faciũt irascentis tyranni minas, hortantisq́ue blãditias: & pijssime (licet falsò) loquẽtem pariter, ac minantem, in maiorẽ iracundiam furoris impellunt. Hinc ergo patet, quid ratio inferat affectui. Nam, si ignauus quispiam, & nullo ante tractatu rẽ tantæ gloriæ petens, ad hoc subitus, atque imparatus accederet, visis continuo tam exquisitis, ac tantis pœnarum generibus, mente trepidus, dimisso vultu, gressu titubans, tremore turbatus, primo victus aspectu, sumptum negotium reliquisset, nec se tanto oneri parem ad sufferenda fore putasset, statimq́ue diceret: Insensatus ego, quid magis eligam? an ista sufferre, an illa, quæ promittuntur, præmia obtinere? Miserebor potius ætati meæ, miserebor matri, veniam pro hoc facto (quod necessitati imponitur) diuinitas non negabit: Regis enim gratiam promerebor. Sed, vbi spiritus præcedente ratione firmissimus durauerit, atque ad bonam frugem animum conduxerit, illud sequitur, quod his fratribus ostendam esse probatum, quibus sacrificij vt imperata gustatio est, omnes quasi vno ore, & vna mente proclamant; Quid innocentes persequeris, ô tyranne? mori nobis voluntas, & votum est, patrum præcepta seruamus, quæ vt omnipotens Deus iussit, Moses magister edocuit. Tu vero, tyranne, iniustitiæ amator, crudelitatis magister, iniquitatis inuentor, noli sub specie ficti amoris nos immutare, quod non potes, grauior nobis venia est à te oblata, quàm pœna, contẽptu mortis armamur, verba vero tua non magnifacimus, quæ ne admittamus, recens Doctoris nostri Eleazari nobis monstrat exemplum. Cur ergo infirmos iuuenes putas, cum tanti roboris videris senem? illius instituta retinemus, scire animum nostrum non potes, nisi in corporis nostri laceratione cognoscas, securi pro Deo omnia sufferemus: & à seculo recedentes, ad cœlestia regna migrabimus. Tu vero propter hoc potissimum scelus, quo innocentes animas premis, æterno igni reseruabere. Hac oratione tyrannus non parum inflammatus, cum nec crudelitatem suam formidini fuisse, nec promissionis præmia locum

Non tamen flatum, sed in spe custodies, vna cum Christo hæreditatem adituri.

gratiæ obtinuisse cognosceret, taureis singulos agitare nisus est. Machabæum quoq; ipsum natu maximum, ex septem fratribus ordine primum, protrahi in medium, & sacrilegis dehinc carnificum manibus distendi atrocius iubet: nec mora, post tergum manus ligantur, crudelius verberatur; sed, lassescentibus tortoribus, quàm inuiolabilis sit patienti virtus dignoscitur, cum inferẽtes magis desistere cuperent, quàm is, qui patiebatur. Illigari igitur mole pedibus appensa, atq; innecti rotæ iubetur Machabæus: ita etiam in gyrum circuli porrectus, vt, solutis hinc inde visceribus, venísque distentis, dolores ipsius, & pœnæ crescerent. Nequit tamen patientis vox, superato dolore, Deum non promere cuncta cernentem, tyrannúmque nõ obiurgare tormenta crudelia machinantem. Resumptis itaque viribus, exclamasse perhibetur; O execrande tyranne, diuinæ maiestatis persecutor, non veneficum crucias, nec ereptorem salutis alienæ tanta crudelitate persequeris, sed seruatorem iustitiæ, amatorem legis, charitatis autorem. Cúmque eum misericordia victi carnifices, vt Regi assentiretur, orarent: Non tam graues (inquit) nec tam acerbæ rotæ vestræ sunt, ô nequitiæ ministri, vt mentem meam valeant inflectere circa cęlestia versantem: lacerate mẽbra; quinetiam, si placet, igne torrere; singulas quoque corporis partes multifaria crudelitate consumite, vt cognoscatis nos iuuenes ad impietatem non posse compelli. Hæc eo loquente præparatur incendium, &, vt erat affixus rotæ, igni in catasta obijcitur, atque ita tendentibus corpus radiis, & contrahentibus flammis, costis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur; Animus sanus, & integer cedẽtibus membris, mens ipsa fortior, nil prorsus dolebat. Nam in ipsis suppliciis victor exclamat, Eia, dilectissimi fratres, exemplum ex me diuinæ virtutis accipite, inuicti animi robur considerate, seculi huius blandimenta contemnite, militate Deo potius, quàm tyranno, cui facile est potentem deijcere, subleuaréque deiectum. Inter perorandum, vt brutum animal, excoriatur, lingua extrahitur, sartagini ipse inijcitur, magna cum omnium admiratione decedens, stuporem aduersariis, suis gaudium dereliquit, & sibi pariter regnum paraturus, & fratribus. Hinc Aber nomine, qui proximus ætatis gradu erat, ab armigeris misere raptus adducitur. Et ante interrogationem tyranni, antequam supplicia libaret, omnis illi à carnificibus tormentorum apparatus exhibetur, vt formidine tetri aspectus à sententia flecteretur. Sed, repudiante illo profanum sacrificij cibum, nec supplicia formidante, ferreis ligato cathenis, manus in altum protenduntur. A principio ceruicis ad genua vsque cum ipsa capitis parte cutis diuellitur, pectoris senerius secreta patent: ita tamen vt, patentibus viscerum rimis, interiora fibrarum secuturo supplicio seruarẽtur. Adijcitur & his horribilius spectaculum, ferox namque pardus, & sanguinis sitibundus exhibetur, vt truculento sæuóque laniatu quicquid ex corpore remanserat, sorpturus accederet. Verum ore ipsius bruti admoto, vt arbitror, Dei prouidentia disponente, ferocitatem bestia deposuit, vultúmque retorquens, martyrem minime læsit. Tyrãnus autem in furiam magis incitatur. Martyr vero inuictus fortior imperante, torquentéque constantior: O quàm suauis est, inquit, mora

Machabæus.

Oratio Machabæi.

Aber.

Præmia æterna Iudæi etiam in suis certaminibus sperabant.

omnigenis pro Deo vulneribus inflicta! imò tanto sanior, quanto cum spe maiore recipiendæ mercedis accipitur. Cæterùm huc, quod agis, crudelitati tuę, scelestissime tyranne, satisfieri ne putes. Nam magis me voluptatem patientiæ meæ consequi, quàm dolorem, ipso, quo torqueris dolore, comprobes necesse est. Atqui libentius ego perferam, quàm tu pœnas inferas: minor patientis dolor est, quàm iubentis, mihi cruciatus virtus animi est, amor legis, veritatis assertio: Dei postremo iustitia, te vertet in exitium: tu torquendo torqueris: & in ira patientiæ meæ, tuáque indignatione, nunc ferè consumptus, consumeris, diuini iudicij diem non effugies. Manet te pœna illa perpetua, quam nec prusana mens ferre, nec tua crudelitas declinare vnquam poterit, æterno videlicet peccatrice anima damnata supplicio. Hoc modo fortis ad mortem vsque in sententia permanens, & pręuiis cruciatibus frater constanter animatus, perseuerans migrauit ad dominum.

Machir. Machir tertius ex pueris adduci iubetur, quem cum miseratione dignissimum geminus duorum fratrum fecisset interitus, hortantibus plurimis, ac volentibus, vt à sententia fratrum supplicia vitando discederet, iratus ait: Idem nos pater genuit, eadē mater effudit, vnus est nobis magister, vnus animus, vna contestatio, nolite ergo morando tempus consumere, ad supplicia non ad responsa properaui. Animaduertite in hæc membra, pro audaci vestra libidine; nam animæ vobis potestas nulla tribuitur. Motus his verbis tyrannus, à duobus peremptis hunc considerans nihilo degenerâtem, inhumana aliquid crudelitate maius excogitat: orbicolare afferri in medium iubet: hinc enim pedes vna cum manibus deorsum colligati fuissent, sanctum quoque chorda orbiculari ventrem circumcingente in alium vsque contrahitur. Nec mora, separatur à sede sua dorsi iunctura, crura cum brachiis cartahuntur, eiicinotur humeri. Sicque, singulis neruis districtus, soluitur martyr inuictus. At, vbi hæc sibi parua sanctus perferentis animus æstimaret, pellis capiti incisa detrahitur. Rotæ postmodum affigitur, nec tendi magis iam poterat, quia & partes, & frusta corporis horrendissimo pependere aspectu. Et, cum iam cruoris nimia defluentis vacuitate defectus, orbatus manibus, & pedibus, proximam sibi mortem adesse cerneret, hac oratione vitę munus expleuit: Nos quidem, nefandissime tyranne, hæc pro Dei amore toleramus, tu vero tantæ, & tam iniustæ crudelitatis inuentor, supplicia sine fine patieris. Sicque lingua orbatus, sartagini iniectus, acerrimarum vniuersitate pœnarum excoctus, spiritum perbeatum effudit.

Iudas. Post hos Iudas (hoc nomine fulgens) quartus adducitur, qui omnium ferè monitus, vt regi assensum præberet, pulsatus, tanquam pugil interritus, pessundatis precibus, & pœnis, constantissime dixit: Ignis vester vt nec me à Dei lege, ita nec à fratrum meorum (quorū interitus non mors, sed vita est) vnione dissociare valebit. Tibi, ô tyranne, interitum, credentibus autem spem æternæ salutis denuncio. Proba ergo, crudelissime omniū, & æquissima Dei iudicio plectende, ipsisque rebus aduerte, num ipse ille Deus me sit derelicturus, qui tres iā primos obuiis proculdubio suscepit manibus, quos tam sanctę matris vterus, sigillatim ad gloriam effudit. His auditis, horridus, atque insanus tyrannus per seipsum ad exhibenda supplicia insiliit, ita videlicet superatus: iámque exęstuās, linguam eius secari radicitus iubet. Sed ille non territus Antiocho respondet, Nec illa quidem proderit execranda crudelitas, nec ex hoc, vt reris tyranne, victoriam consequeris. Non enim Deus noster clamoribus excitandus est, sed ad afferendam opem famulis suis, corde potius quàm oris strepitu poscendus. Tacentium commoda respicit, & poscentium vota, si merentur, exaudit, tantum integer sensus pura, & fideli anima petat. Scit enim Deus noster omnia, antequā postules, & priusquàm in anima aliquid cogitare incipias, agnoscit. Secetur lingua, nunquid & poterit mens secari? decuit illam priora passionis ornamenta suscipere, per quam Deo fidelis semper oratio mittebatur: vtinam sic singulas corporis mei partes puniendo sanctifices, & tibi supplicia irroges stulto, mihi pręmia largiaris. Nec diu hęc impunita censeas relinquenda velim. His finitis, eripitur cultro lingua, alligatur trunco iuuenis, quem solido fune lacertis retrorsum congyratis tortor versat, & in aciem sanctum pectus agitatur: patitur hęc libens spiritus, licet ipsa facies in nigredinem commutetur. Exinde solutus, tandem rotatus, pro caducis Deum exorans, priorum fratrum pœnas promeruit. Caligine mortis oppressus, dulcem spiritum Deo obtulit.

Achas deinc quintus ex fratribus, antequam protrahi iuberetur, prorupit in medium, contemptum mortis ostendens, prouocando se ad supplicia, vt gratiam Dei inueniret, itam iudiciis patiendi cupiditate promereri voluit, & ait; O tyranne, ecce ad pœnam venio, priusquam iubeas. Nihil ergo ea illo impetrare posse te credas, quem aspicis velle torqueri. Reum te gehennæ, effusus quatuor innocentum sanguis effecit, me quinto gradatim numerus ipse ampliandus est, vt tibi tandem pœnæ ex multitudine peremptorum accrescant. Responde, inhumanissime tyranne, cuius sceleris reos nos innocentes crucias, cuius perpetratores facinoris tanta crudelitate persequeris? Quid nefarium admisimus? quid profanum? quid aut iniquum sumus? hoc est tibi crimen omne, quòd Deum creatorem omnium contestamur, & eius maiestatis pręcepta seruantes, piè viuimus, & in hoc solo tua supplicia nō timemus, honor nobis est, & salus, non pœna: mirificum accipiemus à Deo beneficium, si in nulla nobis laterum parte parcatur. Hæc loquens iussu regia raptus, carnificum manibus ollæ æneæ imponitur (hoc pœnali supplicio nomen est) prælo gyrato sanctum caput ad genua pellitur: sicque corpore deorsum redacto, pugil in ea, quam diximus, olla miserrime delituit. Patitur dehinc fratrum suorum excogitata tormenta, minime tamen mente turbatus, exurgit subito, ita perorans acrior in tyrannum; O immanissime tortor, quanta nobis inscius subministras bona! tu quanto plus irasceris, tanto nos gratiores Deo reddis: si mei misereri velis, dolorē: Hic leuis mœror æternitatem gaudij parat. Hæc huius seculi mors si mihi non sponte inferretur, ventura æterna commoda non largiretur. Correptus igitur, atque prioribus exagitatus, clara luce spiritum dulcem emisit.

Achas.

Exhibitum post hunc (Areth vocabulo) sextum, pœnam eligere, aut honorem opilone data eum tyrannus iubet. *Areth.* Iratus respondet: Fratribus quidem meis, ô tyranne,

minor

minor annis, sed mente consimilis accedo. Simul enim nutriti, simul edocti, simulque morituri in Dei amore persistimus omnes. Accelera itaque ad exquisita tormēta, & illud tēpus, quod in persuasione impensurus eras, in suppliciorum excogitatione cōsume. Hac oratione confusus Antiochus illigari eum statuæ sic iubet, vt, depressa ceruice, ex descensu humorum caput dolore quassaretur: exponitur incendio, vt, sensim longius igne ab eo posito, paulatim diutino consumptus ardore distenderetur potius, quàm cremaretur. Subulis etiam ferire pendentis latera ad viscera iubet, vt per eas (quę his ductę erant in longum tramitem) rimas, ad intimas fibras flāma perueniret. Atqui, vt dolor simul ipse maior increscerct tactu vulnerum, ac subustione membrorū cruor scaturiēs ardore in spumas decoctus, miro modo ad caput eius descendit. In his doloribus iuuenis exclamat, ô certamen insigne, ô pertinax bellum, ô contentio inter se pietatis, & sceleris! Hi sunt viri agonis, quorum corona martyrij, pœna ferientis est: libēs fratrum integritum sequar, vt quibus iungor sanguine, iungar & morte. Aliquid, ô Tyranne, maius excogita, hæc enim, quæ inueneras, superata agnoscis. O crudelitatis magister, inimice pietatis, iustitię persecutor. Sex nobiles pueri, regiam potestatem, & apparatum totius regni, & orbis extinximus. Ignis tuus frigidus est, non calet, flexibiliora nāque corporibus nostris arma sunt regia: plus auxilij Deus noster suggerit nobis, quàm tu confusus dolores posses infligere. Itaque manet firma in nobis Dei sententia. His dictis, ignea forcipe eius lingua cauteriatur: & eum suis fratribus pari pœna excoctus, & in sartaginem coniectus, emisit spiritum. Sex itaque varia morte consumptis, vnus remanserat matri Iacob nomine, iunior cæteris ætate, non mente. Hunc cum assistere crudelissimus tyrannus aspiceret, miseratione motus, vel quòd solus, vel quòd vltimus, vel quòd periturus esset, indoluit: vocatóque propius ad se puero, eius manus apprehensa, à tormentis seorsum, atque putans ei salutem persuasurum, sic inquit; Satis abunde exemplo fratrum tuorum, quid immineat repugnanti, videre potuisti, subtrahe te tātis protinus malis, quicquid honorum regni mei fuerit, obtinebis, magistratum tibi non denegabo, ductor quoque militum, & consilij particeps nobis semper assistes. Cęterū huius matrem (eum ipse parū proficeret) iussit adduci. Cui propè filium stanti ait tyrannus: vbi est, ô generosa mulier, fœcūditas tua? Ecce ex tāta numerositate filiorum vnum (si velis) sata conseruabunt. Da consilium, pietatémque paruulo, & mentem rigidam ad prosperiora conuerte. Monitis hisce regis vtcunque auditis, inclinans se mater ad eum, ita vt falleret tyrannum, Hebræo ait sermone. Fili mi, miserere mei, & explora dolentem matrē, quæ te nouem mensibus in vtero meo gessi, téque alui lacte triennio, & liberaliter educatum ad hanc ætatem vsque perduxi. Rogo te, fili, vt, conspecto cælo, & terra, & omnibus, quæ sunt in eis, scias hæc cuncta à Deo ex nihilo facta esse, ipsum etiam genus humanum ab eodem rerum omnium conditore factum nemo ambigit. Non timeas tortorem Ethnicum, sed imitator fratrum tuorum effectus, mortem libenter excipias, vt in die miserationis vnà cùm fratribus tuis in cælestibus te suscipiam. Hæc matre adhuc monente,

Iacob.

iuuenis Hebræo sermone sese solui, & vt regi, & suis aliquid secreti diceret, rogat. Ille autem vbi vinculis effugiendi facultas fuit, celer excurrit ad pœnam, stabat enim flammiuomis ignibus succensa sartago, ad torrēdos præparata passuros. Ad quam eum inuictimus puer peruolasset, inspectando fratres, & ad regem vultum reflectens, ait; O scelerate tyranne, iam ego nunc, inquam, ego in fratribus meis agnosco, te non crudelem solum, sed ipsam esse crudelitatem. Quis tibi vesano hanc purpuram dedit? quis regnum tribuit? quis tanta ornamenta cōcessit? Nempe ille, quem insequi in nobis posse credis, cuius cultores necas, famulos premis: tu verò infelix æterno cremandus incendio, & sine fine torquendus. Sit enim inter te, & reliquos discretio potestatis, nūquid alterius tu operis, túue alterius naturæ homo es? Vna nascendi, & moriendi omnibus ratio est. Quisquis hominem interficit, interfici se posse confirmat. Tu effigiem tuam laceras, tu in torquendo nihil proficis. Eadem ratione ortum, eodem genere procreatum, quem ante multos annos opifex rerum Deus creauit, quémque similem suæ produxit imagini, puncto quodam repentini furoris interimis. Et quicquid fieri tua regia potestas iusserit, insultationum putas, linguas eruis, vngulas inijcis, & humana corpora igne consumis. Illi quidem, qui hoc pertulere, gaudium æternæ salutis acceperunt. Tu verò, quicquid pœnarum singulis intulisti, solus exolues. Ne me, obsecro, gratiam abs te vllam spetate cōsidas. Sequar fratres, & in legis obseruatione perdurabo. Hæc audiens fremuit tyrāuus, iuuenémque in catasta fouit. In doloribus mater astat nato, piis manibus sanctum caput fulciens. Resupinus in dolore distenditur, de ore eius, naribus, secretisque cruor effluit, spiritu tandem deficiente, tortor cessat, vt mox resumptis diminitus viribus contumax esset regi, seueriúsque quàm fratres ipsi cruciaretur. Demum orbatus palmis, atque vlnulis, leuatis oculis Deum exorans, ait; O Adonai, ô Sabaot, in turbam fratrum meorum me suscipe, & cesset iam ira tua, neque eos deseras, qui te miseratorem per nos interpellant. Hæc dicens rupta lingua, igniuomam sartaginem sponte conscendit, ac stupente Antiocho exhalatus interiit. Ecce nunquam magis elaruit, rationem esse dominam affectus, qua puerorum animus præmunitus, firmior torquentibus stetit. Quòd enim spreti dolores, & pœna contempta postrema volitas salutis fuere, deliberatio pię, honestæque rationis effecit. Inexpugnabiles itaque pueri fortissimis turribus similes præstiterant, & portum quietis intrantes, dio per naufragas eantes, turbiuésque iactati fuerant, iter rectum per fluctus horridos gubernantes, tandem ad littora optata venerūt. Nanque alter alterum fecit consilio fortiorem. Nullus segnis, nullus timidus delicata mente martyrium declinauit. Nec deliberatio vlla, sed omnium fuit fortis, & iudiciisus cōsensus, sese inuicem hortantium: Pro lege igitur nostra moriamur; tres pueros imitemur, Assyriorum furore damnatos: quos in vna fornace coniectos, patientia ad cælum euexit. Hoc dum alter alterum sermone confirmat, factum est, vt nemo peccaret: sed in sententia permanentes, patrij sibi generis, virtutis, audaciæ, ante oculos memoriam reducebant dicēres; Pater noster Isaac cum iussu

Non dubium quin Dei instinctu id sit factum.

Dei se immolandum cerneret, armatam patris dexteram non refugit. Tradamus ei animas nostras (inquiunt) per quem & spiritum, & corpus accepimus. Facilis membrorum est ista iactura, cũ sciamus pios æterna salutis præmia accepturos. Abraham, Isaac, & Iacob læti nos participes regni expectant. Ornemus matris vterum, quæ nos denis mensibus tulit. Nemo infirmior alio, nemo inter fratres degener appareat. Eodem patre generati, eodem lacte nutriti, pares in omnibus esse debemus. Similis nos doctor instruxit, lex nobis data communis omni est virtute retinenda. Hoc concordiæ vinculo, fraternitas sancta permansit, nec fuit in spectaculo (cum vnus præsentibus cæteris torqueretur) mœror dolentium, sed gaudium peremptorum. O nobilissimi omnium regum pueri, inæstimabilis gloriæ virtutisque eximiæ. Nullum ex vobis formido perterruit; ita properastis ad mortem, quasi immortalitas sola peteretur. Vere vos fratres, quos interitus ipse sociauit. Magnum quidem nostro generi decus omnipotens protulit, & ad omnium confirmandos animos, exemplum vnicæ laudis ostendit. Quos (credo) propterea in eo numero esse voluit, in quo mundum ipse construxit, vt septem fratres, septem dierum, quibus perfecta sunt omnia, æmuli redderentur. Sed quid hunc animum miramur in pueris, cum se mulier ad contemptũ doloris armauerit, quamuis non mater dicenda sit: sed humana quidẽ fragilitate quid sublimius, quæ peperit tot triumphos? Nam interfectis paruulis, mater pie accensa, nec immerito, cum id nõ solum humanus sensus habeat, sed immanibus quoque feris amoris ista conditio sit, vt visis insidiis, paruulos saluti propriæ præponẽtes, alis protegant, defendant morsu, vngue custodiant. Et, cum cuique sit resistendi facultas, obuiam ire hosti pro pullorum amore festinant. Nec in his solum charitas ista seruatur, sed apes quoque ipsæ non sobolem tantum, sed & mella seruantes, minantibus aculeis irruentes, vt sint periture, post morsum plus parcunt generi, quam saluti. At hęc zelosissima mater diuino vtique spiritu fundata, consilio quoque sapientiæ, & incredibilis virtutis filios ante se perire festinauit. Quippe quæ non esset victura post prolium orbitatem, maluit * eam secure suscipere, quàm interire sollicita. Omni igitur familia Deo dicata, postremum decus passurum accedit mater, contemnens minas regis, & maternum pectus offerens, & vitam filiorum. O beati generis origo, ô vnius vteri gloriosa fœcunditas. Non ego vos paruulus membrorum liniamentis, & totius vultus * notos matris æmulos dicam. Sit hæc summa laudis in cæteris, quibus præter naturam nihil animus dedit, vos ergo similes mente, robore, fide, affectam; & matri in omnibus pares dicam: in nullo ei postponendi, in nullo minus venerabiles estis, nisi quod illa immanitatem dolorum præ oculis excepit: & dum in suis quoq; torqueretur membris, similis vobis illi tolerantię animus fuit. Hoc illa præstátior, quod septem cruciatus, antequam cruciaretur, excepit, & in omnibus, ne superaretur, extimuit. Verum exemplum fœminarum omnium, nescio an pepereris, mulier, paruulos tuos, an creaueris, quos sereno vultu passa es in frusta secari: quod intrepida vidisti, parum est: hortata es, vt perirent, Illum incidi vngulis, lætabaris: distendi totis alium, ligarique gaudebas. Illius vicina mirabaris incendia, atque alium ne tanta, ac talia pertimesceret, admonebas. Et quamuis, cum intestino in illorum laceratione ferireris dolore, grauiora quàm olim parturiens tormenta sentires; simulabas tamen lætitiam; & discusso vultus nubilo, inducebas speciem triumphantis. Singuli, te ridente, consumpti sunt. Nec, cum vnum remansisse cerneres, expauisti. Nam quid ego describam exitia paruulorum, cum matri risus sunt omnia? scissos neruos, detractum capite tegumen, linguam radicitus detruncatam, manúsque confractas, ignem, laminas, rotas, & ad costandos homines æra candentia, multa etiam, quæ ipso ignota sunt nomine. Absit, vt sit cygnis tanta dulcedo, quodam suauiores melo canoras in morte voces narrat antiquitas. Omni enim harmonia dulcius, omni voce præstantius, pereuntium carmen fuit. Sirenum, pueri, fabulas in morte superastis, cũ vel matri * solitudinem vltimam, vel Deo gratias referretis. Optauit incredibilis prosapiæ mulier breuem orbitatem potius, quàm æterni iudicij pœnam subire, cum filiorum corpora maluit cruciari, quàm animas: sciens nihil infirmius labe membrorum, quę & si passio desit, sæpe tamen intestinus dolor affligit, enecant febres, copia sanguinis premit, aut nimius cursus euiscerat. Quis autem ignorat, nauigantium naufragia, iter agentium lapsus, quietósque sessores, subita morte consumptos? Taceo incendia repentina, latronum insidias, & pereundi * vias, Cum ergo tot occasionibus humanum pectus ad mortem agitetur, quis non optet interitum cum salute, in quo temporalia amittuntur, & æterna retinentur? O metuendissima, fœminarum, atque legis, & gentis nostre gloria. In hoc Noe arcæ simillima, in medius fluctibus, & procellis inuiolata permansisti. Vt illa enim diluuij cęlestem impetum tulit, & compagine firmata tabularum, inclusum intra se, quod acceperat, non amisit: ita tu quoque sanctum spiritum, quẽ, Deo dispensante, acceperas, in recessu pectoris custoditum, vinci ab hoste non es passa. Ecce quantum virilis ratio esse potest, quæ nos sæpenumero viros inferiores fœminis facit. Nec Daniel tantum, visis leonibus, formidauit, nec caminus tribus pueris ingi igne succensus, tantum afflatus dolorem incussit, quantum hęc fœmina in singulis passa pereuntibus, antequam ad corporis sui pœnam veniretur, accepit. Quid faceret alia mulier, & mater, nisi per tristia lamenta flebilis præcessisset vlulatus, gemitúsque misceret, se infœlicem, se miseram conclamaret: quę ideo plures peperisset, vt sæpius orbata lugeret, repeteret partus, & illa denis mensibus materna fastidia, tot enixa mortes, tot pericula sæpe repetita, lactis alimoniam, & paruulorum cibum, pressam diu corporis partem, baiulas manus, dulces susurros, informantis verba, curas, vigilias, timorem, & in omnibus etiam prosperis animum semper futura metuentem. Diceret flẽs, non ego filios vestros auia blanda complectar, paulo ante nimij gregis mater, nunc agens * celerem vitam. Si mors mihi contigerit hodie, à quo sepeliar non habeo. Hæc omnia * matris alterius Dei ancilla non habuit: sed adamantino quodam sensu, rigidior cautibus stetit, filiis nec in pœna, nec in morte defuit, vt interirent compulit, nec doluit interijsse. Nam comprehensa cum paruulis

suis,

* Forte, mori.
* Forte, notis.
* Forte, solitam.
* addendum forte eunteras.
* forte, orbi.
* Græca habet matri fortiora.

suis, Eleazari pœnam aspiciens, Hebræa lingua, cuius essent docti, simul exhortabatur dicens; O fortissimi pueri mei, ad dulce certamen, in quo & genti nostræ paternus gloriam, & nos à Deo merita æterna consequamur, ad pœnam sponte properemus, nec formidemus, ô iuuenes, quę Eleazari senile corpus suscepit. Satisque in hac fragilitate durauimus, ad superiora propetemus. Pater noster Abraham venerabili sermone memorandus, vnicum Deo filium, cum posceretur, obtulit: nec adhibere formidauit altari, quem vix in seneĉtute susceperat. Et Isaac libens patris victima steterit, sciens Deo in omnibus esse seruiendum. Similis quoque Danielis, ac trium puerorum causa est, mihi credite, tēamur potius quā pnnimur. Quicquid enim in hoc seculo prouenit, temporaneum, & vmbræ simile iudicandum est. Hos filiis animos mater ineussit, & vitis mulier virilem animum effecit. Nouissime, filiis singulis consumptis, admirabilis tantorum athletarum parens, incruenta pœnarum carnificina, flexis repente genibus, corporis à Deo dissolutionem efflagitabat: non enim viuendi cupiditate, sed filiorum causa tantum tempus protraxisse. Septem igitur triumphos mater pientissima suscepit. Antiochus fauciibus stridet, matrem generosam astligere iubet: tyrannice rapitur, teneris nudatur artubus, in altum manus illigantur: sęuis illiditur flagellis, lęsis mœrei vberibus, ac flammiuomæ addicta sartagini, ambustos vltro filios concomitatur in pœnas, ac in oratione protensis, surrectisque manibus, pro grauidis matribus fusa, cœlibem effudit spiritum. Porrò cœli fulmine tremuit Epiphanes. O magistra iustitiæ, filios comitata victores, ô superatrix tyrannorum, ô speculum martyrum, ô patientium forma, non mulieribus solum, sed viris futura, veneranda pręsentibus, colenda posteris, admirationi non solum genti nostræ futura, sed seculis. Splendoribus tuis luna succumbit: nec sol, quamuis mundum impleat, cum tuis fulgoribus comparabit. Septem te clariores cœlestibus stellæ, grata luce circumstant. Si posset in picturam aliquam manus humana describere, & victorum omnium pœnarum genus in posterum ceris, vt gestum cōstitit, explicare, sine lachrymis nemo tuāsiret, omnis vtique multitudo confluere, suff agarentur plurimi: & multa videretur donasse, qui in gloriam summi Dei talia stratagemata depinxisset. Et, si quis sculpendi artifex, hanc figuram aspectu misetabile sepulchro intriuerit, aut ędibus illocauerit, ab omni terra peste esset alienus, æternáque felicitate indubiè frueretur. Sed vnde vllius magnitudinis saxum, quamuis tenui limula membrorum, opus tenens, capacitatem haberet tot pœnarum? Senex itaque Eleazarus, & hæc illustris mater, filiique septem, propter decus generis sepulchrali honore decorantur. Magnus ab his omnibus cultus exhibetur, etiam alienę sectę homines inuasit timor. Iniustitiæ argumentum, vt piis cordibus summa veneratio infigatur, ostēstitiū * exorditur, dum angelicis manibus interemptorum funeribus ministratur. Enimuero ipse tyrannus stupore defixus, tam piæ mentis virtutem expauit. Tātum postremo assecuti sunt gratiæ, vt generis nostræ peccata restinxerint. Exitium sequitur mox tyranni: Israel aliquando respirat. Vidés namque Antiochus magnitudinem fidei, mortisque contemptum, peditum sibi legiones ex Hebræorum numero cōgregat per quas hostes percellit, & laudis plurimum cepit. O benedictum Abrahæ semen, videte quantum vobis septem filiorum, ac matris passio præstitit collegatum. In hac pietate durate, vt patribus pares esse possitis. Ecce totius gentis mala, populique peccata, paucorum exemit exitium. Superatisque hostibus, quos Israelitarū manus percul t, soluta iam peccata post victoriam fuere. Postremo autem tabie fremens, verminosoque ventre, ac squalidis fœtoribus conflictatus Antiochus, expirauit. Supplicia sequuntur extinctum. Nam cum Hierosolymitas à lege trahere non posset, Persis (quia hoc poscebat necessitas) bellum indixit, ibique quod merebatur excepit. Nunc tandem superest, vt paucis omnia complectamur, in ipso namque agone pientissima mater, ac martyr circumstantibus dicebat; Virginalem, vsque dum licuit, pudorē seruui, castis me postea nuptiis illigaui, domum propriam non reliqui, procreaui filios nō pudendos, &, mariti morte perculsa, nihil ex fide perdidi, hoc, & multo alio sermone vocitabat. Sed quid amplius: proponebat filiis prophetas, interfectum Abel fraternis insidiis, oblatā hostiam loco Isaac, exulem Iacob, Ioseph custodia carceris occupatum, Danielis leonem, & trium puerorum incendia. Recensebat etiam eisdem Esaiæ librum, qui dicit; Licet per ignem transeas, flamma te non cōburet. Dauidicum Psalmum in quo ait, Multæ tribulationes iustorum. Salomonem quoque similiter, ponentem lignum vitæ facientibus voluntatem eius: Ezechielem etiam non omittebat dicentem; Viuent hæc ossa arida. Canticum deinde, quod docuerat Moses, non obliuiscebatur, in quo scriptum est; Ego occidam, & ego viuere faciam, & longitudo dierum vestrorum in manibus meis. O infelix tyranne, quid tibi lebetes ardentes, quid machinæ profuerunt? quid sectæ oculorum palpebræ, detractæ etiam imis faucibus linguæ, cum bis omnibus longe peiora patiaris? Illi verò, quos interficis (mihi crede) diuino vtuntur imperio, & de salute, & de vltione securi. Nam, qui pro causa salutis passi sunt, prosper illis euentus erit, enim pater omnium Deus, atque vniuersa respiciens, sequentibus se vitam præbeat sempiternam. Hæc itaque, quæ in monumentis veterum, & sacris literis de diuis comperi Machabæis, posteritati æternum legenda consecraui.

Id nō est in Iosepho, & immodicā quidam exaggerationem redolet.

* forte, exoritur.

Vide, quomodo merita sanctorum mortuorum viuis proficiant.

S. GREGORII NAZIANzeni Episcopi in eodem festo, Oratio.

Iacobo Billio interprete.

QVid autem Machabæi? (horum enim nomine diem festum agitamus) qui tametsi ob eam causam apud paucos honorentur, quòd eorum certamen Christi ætatem præcesserit: digni tamen sunt, quos omnes honoribus complectantur, quoniā pro legibus institutisque patriis dolorum acerbitatem forti animo pertulerunt. Qui porrò ante Christi supplicia martyrium subierūt, quid tandem erant facturi, si post Christi tempora vexati fuissent, eiusque mortem nostræ salutis causa susceptam ad imitandum propositam habuissent? Nam qui nullo huiusmodi exemplo ob oculos posito tanta virtutis laude floruerunt: cui dubium

Dies festus Machabæorū.

dubium eſſe poteſt, quin iidem tale exemplar intuentes multò generoſius fortiuſque ſeſe periculis obiecturi fuerint? Ac ſimul arcana hæc doctrina eſt, nec myſterio vacans, mihi quidem, priſque omnibus viris admodum probabilis: neminé videlicet eorum, qui ante Chriſtum natum martyrio perfuncti ſunt, id citra Chriſti fidem eſſe conſecutum. Quanquam enim Verbum, ſuo poſtea tempore liberè promulgatú eſt: puris tamen animis etiam antè innotuit: quemadmodum ex multis qui ante ipſius natiuitatem honoribus affecti ſunt, liquidò perſpici poteſt. Quocirca Machabæi non idcirco contemnendi ſunt, quia ante crucem extiterũt: verùm quia ad crucis normam vitæ ſuæ rationes exegerunt, ideo laudandi, ac verborum honore celebrandi: non vt ipſorum gloriæ quicquam accedat (quid enim iis oratio afferre poſſit, quorum gloria ipſis actionibus rebusque geſtis nititur?) ſed vt gloriam conſequantur, qui laudes eorum exponant, ac virtutem eorum æmulentur, eiuſmodi nimirum commemoratione quaſi ſtimulis quibuſdam ad earundem rerum ſtudium excitati. Enimuero quinam hi fuerint, quáq; primum ea inſtitutione atque doctrina in eam virtutis frugem gloriamque peruenerint, vt tum annuis his feſtis ornentur, tum multò maior, quàm quæ oculis cernitur, eorũ gloria in omnium animis condita ſit: ſtudioſis ac diligentibus viris perſpicuè liber ille declarabit, qui rationem animi perturbationibus imperare docet, in eiúſque arbitrio eſſe, vt in vtramuis partem, hoc eſt, vel ad virtutem, vel ad vitium propendeamus. Nam libelli illius author, cum pleraque alia teſtimonia, tum horum quoque dimicationes ad huius argumenti confirmationem attulit. Mihi verò hæc tantùm dicere ſufficiet. Hinc igitur primùm nobis occurrit Eleazarus, primitiæ eorum, qui ante Chriſtum paſſi ſunt, quemadmodum Stephanus poſtea eorum, qui Chriſtum ſecuti ſunt, ſacerdos & ætate prouectus, nec minus prudentia quàm capite canus: antea quidẽ pro populo ſacrificia precéſque offerens, nunc verò ſeipſum quoque Deo offerens, hoſtiam ex omni parte perfectam, vniuerſæque plebis expiatricem, fauſtum ac lætum certaminis præludium, loquens pariter ac tacens cohortatio: ſeptémque inſuper filios offerens, inſtitutionis ſuæ fructum, hoſtiam viuentem, ſanctã Deo placentem, omni legali ſacrificio clariorem & puriorem. Liberorum enim rectè facta parentibus aſcribere, ſummæ eſt æquitatis. Altera ex parte prodeunt fortes & generoſi filij, nobilis matris ſoboles nobilis, acres & ſtrenui veritatis pugiles, Antiochi tempeſtate ſublimiores, Moſaicæ legis ſynceri diſcipuli, morúmque patriorum atque inſtitutorum obſeruatores exactiſſimi, numero ſeptem (qui numerus apud Hebræos maxime commendatur, quietíſque ſeptenariæ myſterio ornatur) vnum idemque ſpirantes, vnum eundémque ſcopum ſibi proponentes, vnum ad vitã iter, mortem pro lege Dei oppetitam agnoſcẽtes, non minus animis quàm corporibus fratres, mortis inter ſe riuales ac mutua mortis zelotypia flagrantes. (O rem admirandam!) ſupplicia corporiſque cruciatus velut theſauros quoſdam præripientes, ac pro pædagoga lege periclitantes, non tam admotas tormentorum faces extimeſcentes, quàm ea, quæ ſupererant, requirentes, vnũ hoc metuentes, ne feſſa tyranni crudelitas finem cruciandi faceret, atque ita nonnulli ea ipſis coronæ expertes diſcederent, atque à fratribus inuiti diſtraherentur, exceptiſque ſuppliciis erepti malam & infelicem victoriam referrent. Poſtrema nobis conſideranda eſt egregia mater, excellentique animi magnitudine prædita, quæ ita filios amabat, vt Dei quoque amorem inſculptum in animo haberet: ac maternis viſceribus præter naturæ morem diſtorqueretur. Non enim filiorum ſuppliciis cõmouebatur: verùm hic eam timor animam habebat, vt vereretur, ne quis caſus illos à mortis acerbitate vindicaret: nec tam eos qui animam efflauerant, deſiderabat, quàm reliquos illi adiungi optabat, atq; eorũ cauſa, grauiori ſolicitudine premebatur, quàm illorum qui iam ex hac vita migrarãt. Illi enim, vt pote iam rebus humanis exẽpti, extra omnem periculi aleam erant. Hi autem dubio adhuc & ancipiti certamine confligebant: atque illos quidem iam Deo commendarat: hos antẽ vt Deus acciperet, laborabat. O virilem animam in muliebri corpore! O præclarũ & magnificum munus! O ſacrificio illo Abrahæ (vereor ne hoc à me audacius dicatur) maius præſtantiúſque ſacrificium! ille enim vnum duntaxat alacri animo obtulit, quanquam vnigenitum & diuinitus promiſſum, immò ad quem promiſſio ipſa referebatur, quódq; maius eſt, quia nõ generis tantum ſui, verùm omnium etiam huiuſmodi hoſtiarum primitiæ, & radix conſtitutus eſt: hæc autem populum vniuerſum filiorum Deo conſecrauit. In quo ſanè, tum matres, tum ſacerdotes victimarum ad necem promptè atque alacriter accedentium holocauſtorum ratione præditorum, hoſtiarúmque omni feſtinatione ad lanienam properantium multitudine ſuperauit. Atque vbera quidem illis oſtentabat, puerilemque educationem in memoriam redigebat, caniciemque ipſam protẽdebat, ac ſeniles annos ſupplicis cuiuſdam orationis loco proferebat: non quo illorum mentes ad ſalutis & vitæ curam deſideriúmque reuocaret, ſed vt ad cruciatus perferendos mortémque ſubeundam adurgeret: ſic videlicet exiſtimãs, non mortem eorum, ſed mortis dilationem ſibi eſſe pertimeſcendam. Cuius animi robur atque conſtantiam nihil flectere & emollire ac debilitare potuit, non inſtrumenta luxãdis artubus accommodata, non rotæ propoſitæ, non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes qui acuebãtur, non feruẽtes ollæ, non ignis qui excitabatur, non tyranni minæ, non miſcellanea turba, non vrgentes ſatellites, non generis aſpectus, non membra quæ diſcerpebantur, nõ carnes quæ lacerabantur, non defluentes ſanguinis riui, non flos ætatis, qui abſumebatur, non præſentia mala, non impendẽtes acerbitates. Quinetiam ipſa periculi protractio, quæ in talibus rebus grauiſſima aliis eſſe ſolet, leuiſſima illi videbatur, ex eóque ſpectaculo incredibili quadam voluptate perfundebatur. Moram quippe ſuppliciis afferebat non ipſa modò tormentorum, quæ admouebantur, varietas, quæ alioqui omnia illi vſque adeò nihili pendebãt, vt ne vnum quidem alius quiſquã pati vnquam animi magnitudine contempſerit: verùm etiam tyranni multiplex oratio, nunc eos contumelioſè alloquentis, nunc minas adhibentis, nunc ſermonis blanditiis eos delinire cupientis, nullúmque non mouentis lapidem, quò id quod

ſperabat,

Liber de imperatrice ratione, à Ioſepho ſcriptus.

Act. 7.

2. Mach. 6.

Gene. 22.

Gene. 17.

ſperabat, aſſequeretur. At verò in filiorum ad tyrannum reſponſis tantum inerat ſapientiæ animorúmque præſtantiæ, vt & aliorum omnium præclara facinora in vnum locum collata præ eorum conſtantia, & fortitudine perexigua & minuta videri neceſſe ſit: & rurſus fortitudinis ac tolerantiæ parua laus futura ſit, ſi cum ſapientiſſimis eorum ſermonibus comparetur: adeò vt illorum hæc propria ſit, quòd iidem & tanta animi fortitudine cruciatus exceperint, & in ſuis reſpõſionibus ad perſecutoris minas, iniectóſque ſuppliciorum terrores tam luculentum ſapientiæ ſpecimen ediderint. Nihil enim horum generoſos adoleſcentes generoſioréinque parentem infregit atque deiecit. Quin potius illa ſupra omnia ſeſe efferens, impetúmque animi cum ardenti amore commiſcens, egregiæ cuiuſdam parentationis loco ſeipſam liberis obtulit, ac prægreſſos ſecuta eſt: idque proh Deum immortalem, quàm fortiter (vltro enim ad ſupplicia gradiebatur) quámque luculenta cum oratione funebri! Quanquam enim filij præclaros atque haud dubiè præclariſſimos ad tyrannum ſermones habuerunt, cùm iiſque in aciem prodierunt, ac tyrannum ſuderunt & profligarunt: illuſtriores tamen matris ſermones fuerũt, quibus eos prius ad martyrium cohortata eſt, ac deinde funus eorum exornauit. Quinam igitur filiorum ſermones fuerunt? Operæpretium quippe mihi facturus videor, ſi eorum vobis memoriam refricuero: vt quemadmodum certaminis, ita ſermonum quoque Martyribus conuenientium exemplum habeatis, ſi in eadem tempora incideritis. Alij quidem alio ſermonis genere vtebantur, prout quemque, vel tyranni verba, vel periculorum ordo, vel animi alacritas armabat. Cæterùm, vt formula quadam eos complectar, tales erant: Nobis, Antioche, cæteriq́ue, qui adeſtis, Rex vnus eſt Deus, à quo procreati ſumus, & ad quem reuertemur. Vnus legiſlator Moſes, quem nequaquam prodemus, contumeliáque afficiemus, non per ea pericula, quæ virtutis cauſa ſuſcepit, ac miracula quæ plurima patrauit, ſi alius quidem Antiochus te acerbior, atque importunior nobis minitetur. Vnum ſalutis incolumitatíſque præſidium in eo poſitum, vt præcepta diuina ſeruentur, nec lex qua communiti ſumus diſturbetur atque corruat. Vna porrò gloria, vt talium rerum cauſa gloriam omnem aſpernemur. Solæ denique opes & diuitiæ bona ea, quæ in ſpe atque expectatione habemus. Nec quicquam aliud nobis terrori eſt, quàm ne quid magis, quàm Deum extimeſcamus. Cum his rationibus, cum his armis in acie ſtamus: cum huiuſmodi iuuenibus tibi ſermonem eſſe ſcito. Eſt quidem dulcis hic mundus, & patria tellus, & amici, & propinqui, & æquales, fanúmque hoc maximum & celeberrimum, & feſta à maioribus accepta, & myſteria, cæteráque, quibus nos omnibus hominibus antecellere videmur. Verùm iſta Deo periculíſque iis, quæ pro virtute ſuſcipiuntur, haud quaquam ſuauiora ſunt: caue id exiſtimes. Alius enim nobis mundus eſt, omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, longè ſublimior ac diuturnior. Patria autem ſuperna Hieruſalem, quam nullus Antiochus obſidione cinget, ditioníque atque imperio ſuo ſubiiciet, vt pote validioribus præſidiis circumſeptam, quàm vt cuiuſquam viribus expugnari poſſit. Cognatio item prima illa inhalatio, & qui ſecundum virtutem progeniti fuerint. Amici porrò Prophetæ & Patriarchæ, à quibus pietatis formam & exemplum accepimus. Aequales præterea, qui nobiſcum hodie in iiſdem periculis verſantur, atque in doloribus perferendis contemporanei ſunt. Nam quod ad hoc templum attinet, longè eo magnificentius eſt cœlum. Iam verò nobis pro feſtu ac celebritate, Angelorum chorus eſt. Ac poſtremò myſterium vnum magnum atq; adeò maximum ac pleriſque tectum, & incognitum, Deus: ad *Coloſ. 1.* quem religionis quoque noſtræ myſteria referuntur. Quocirca res paruas nulliúſque precij nobis polliceri deſine. Nec etiam turpibus & ignominioſis honoribus affici ſuſtinebimus, nec damnoſa lucra complectemur: non ita miſere perditéque negociabimur. Quin tu quoque nobis minari deſine: vel contra facturos nos minabimur, vt imbecillitas nemini obſcura ſit: atque inſuper tormentorum noſtrorum metum intentabimus. Nam nobis quoque, ne ſis neſcius, ignis eſt, quo perſecutores noſtros excruciamus. An tu cum gentibus ciuitatibúſque tibi certamen eſſe putas, aut ignauiſſimis regibus bellicæq; rationis ignaris, quorum alij ſuperiores diſcedere, alij fortaſſe vinci queant? nec mirum, cùm nequaquam pro rebus tanti momenti ſe in periculum coniiciant. Immò verò aduerſus legem Dei aciem inſtruis, aduerſus tabulas à Deo exſculptas, aduerſus patrios ritus non modo recta ratione & iudicio, ſed etiam antiquitate graues, & ornatos, aduerſus ſeptem fratres vnius animæ vinculo conſtrictos, ſeptem trophæis æternam nomini tuo infamiam inuſturos, quos & vincere parum amplum atque honorificum fuerit, & ab iiſdem vinci admodum turpe & pudendum. Ab illis genus ducimus, illorum diſcipuli ſumus, quibus ignis nubíſque *Exod. 13. 16.* columna viam commonſtrabat, quibus mare *Exod. 14. 17.* *Ioſue 3.* ſcindebatur, fluminis curſus inhibebatur, Solis *Ioſ. 10.* motus comprimebatur, panis pluuię ritu fluebat, *Dan. 14.* manuum extenſio numeroſiſſimos exercitus orationis telo fundebat, atque in fugam vertebat: *Dan 3. 6.* quibus beſtiæ cedebant, flamma nihil nocebat, Regéſque virtutis admiratione correpti diſcedebant. Atque vt quidpiam eorum, quæ tibi cognita ſunt, proferamus; Eleazari diſcipuli ſumus, cuius tu fortitudinem perſpectam & exploratam habes. Pater prior decertauit: decertabunt poſtea filij. Abſceſſit ſacerdos: ſequentur victimæ. Multarum tu quidem rerum terrorem nobis incutere tentas: verùm ad plura parati ſumus. Quid autem nobis, vir ſuperbe atque inſolens, minis iſtis tuis facies? quos cruciatus inferes? Nihil his hominibus fortius, qui ad quiduis perferendũ prompto & alacri ſunt animo. Quid cunctamini carnifices? quid moras nectitis? quid benignum, & ſuaue iuſſum expectatis? vbi gladij? vbi vincula? feſtinationem requiro. Ignis maior accendatur, acriores beſtiæ magiſque actuoſæ producantur, exquiſitiora tormenta proferantur, ſint omnia regia & magnifica. Primogenitus ego ſum: primum me conſecra. Ego poſtremus: ordinis ratio immutetur: ſit quoque quiſpiam eorum, qui mediæ ſunt ætatis in primorum ordine, vt ſic æquas honoris portiones obtineamus. Quid parcis? Expectas fortaſſe, vt ab hac mente atque oratione decedamus? Immò verò iterum ac tertiò ſæpiúſque eundem ſermonem repetemus. Non impuris cibis

maternum amoris ſpecimen edidiſſem. Sed hæc adhuc parua. Verè igitur vos luxiſſem lachrymiſque proſecuta fuiſſem, ſi turpiter ac perniciosè ſeruati, ſi tormẽtis fracti fuiſſetis, ſi quem veſtrum perſecutores ſuperaſſent, quemadmodum ipſi fracti ac ſuperati ſunt. At nunc quæ vobis contigerunt, eiuſmodi ſunt, vt lætas acclamationes, gratulationes, gaudium, gloriam, choreas, atque hilaritatem omnem iis, qui ſuperſtites relicti fuerint, excitare
2.Tim.4. debeant. Nã ipſa poſt vos delibor. Iam cum Phi-
Num.25. nees aggregabimur, cum Anna celebrabimur: niſi fortaſſe eò etiam maior gloria noſtra futura eſt, quòd ille vnus erat, vos contrà permulti eſtis æmulatione flagrantes, ac ſtupratorum interfectores, non corporum, ſed animarum ſcortatio-
1.Reg.1. nem gladio transfigentes. Rurſus illa vnum duntaxat, diuino beneficio ſibi conceſſum, eúmque infantem: ego contrà ſeptem viros eóſque prom-
Thren.4. ptos & alacres Deo conſecraui. Atque vt Hieremias quoque ipſe mihi elogium funebre concludat, non lugens, ſed laudibus ac fauſtis ominibus pium vitæ exitum proſequens. Supra niuem fulſiſtis, ſupra lac coagulati eſtis, ſupra ſapphirinum lapidem claſſis veſtra, quippe qui Deo progeniti atque oblati eſtis. Quid iam ſupereſt? Adiunge me quæſo filiis; ô tyranne, ſi quis apud hoſtes quoque gratiæ locus eſt. Ita enim illuſtrius tibi hoc certamen fuerit. Atque vtinam mihi per omnia ea ſupplicia, quibus illi affecti ſunt, graſſari contingat: vt ſaniem meam cum eorum ſanie, carnéſque decrepitas cum carnibus commiſceam. Nam ipſa quoque ſuppliciorum inſtrumenta propter filios amo. Quòd ſi mihi non concedatur, at illud certè optarim, vt cineres cum cineribus coniungantur, nóſque vnum idémque monumentum excipiat. Noli iis, qui pari virtute prædíti ſunt, par mortis genus inuidere. Valete matres, valete filij. Sic à vobis prognatos educate: ſic ipſi educemini. Pulchrum vobis exemplum dedimus: facite vt ad eundem modum certetis. Hac oratione habita, filiis ſeipſam adiecit, ídque tanta cum alacritate, vt ad rogum (hoc enim ſupplicij genere mulctata fuerat) non ſecus atque ad nuptialem thalamum curreret, ac ne carnifices quidem expectaret: ne ſanctum & generoſum corpus profani homines attrectarent. Hunc ſacerdotij fructum cepit Eleazarus, cæleſtia myſteria edoctus atque profeſſus, Iſraelémque non externis aſperſionibus, ſed proprio cruore luſtrans, atque extremum vitæ diem extremum myſterium faciens. Hunc iuuentutis fructum tulerunt filij, qui non voluptatibus inſeruierunt, ſed fœdos animi motus rationis imperio compreſſerunt; corpúſque purum à peccati ſordibus tenuerunt, atque ad vitam ab omnibus affectuum tumultibus liberam tranſlati ſunt. Hoc commodi ex multiplici ſobole cepit mater: ſic & viuis gloriata eſt, & cum ipſis diem vitæ vltimum clauſit: non antè tamen quàm quos mundo procreauerat, Deo exhibuiſſet, doloréſque, quos in pariendo pertulerat, certaminum numero recenſuiſſet, partuúmque ſeriem ex ipſorum morte recognouiſſet. A primo enim ad vltimũ vſque omnes dimicarunt, aliúſque alij, velut in fluctuum iactatione, ſuccedens virtutis ſuæ ſpecimen exhibebat, maioríemque ad perferendos dolores alacritatem afferebat, eius nimirum, qui præceſſerat, periculis incitatus & exacutus: adeò vt tyrannus commodè ſecum agi duceret, quòd non plures illa liberos peperiſſet: ſic enim maiorẽ haud dubiè cladẽ infamiámq; ſibi ſubeũdã fuiſſe. Ac tum primũ ſe non omnia vi atque armis aſſequi poſſe cognouit: cũ inermes pueros oppugnare aggreſſus eſt, ſolis pietatis armis inſtructos, atque ita affectos, vt ad quæuis tormenta perpetienda, quàm ille ad inferenda, paratiores eſſent. Hoc facinus Iephte ſacrificio cautius atque honorificentius. Neque enim, vt illic, pollicitatio nimiũ præceps, victoriæque deploratæ cupiditas offerendi muneris neceſſitatem imponebat: ſed à libera voluntate ſacrificium proficiſcebatur, & quidem eiuſmodi, vt iis tantùm, quæ in ſpe poſita ſunt, præmiis niteretur. Hoc Danielis certaminibus Dan.6.14.
haud quaquam inferius habẽdum eſt, qui leonibus in eſcam obiectus eſt, manuúmque extenſione belluas ſuperauit. Hoc iuuenum in Aſſyria captiuorum iactationibus haud quaquam cedit, quos, cùm nullis rationibus adduci potuiſſent, vt patriæ leges violarent, cibúmque profanum admitterent, Angelus in mediis flammis refrigera- Dan.3.
uit. Hoc denique victimis illis quæ poſtea pro Chriſto cæſæ ſunt, nequaquam minorem laudem gloriámque promeretur. Illi enim quemadmodum orationis initio à nobis dictum eſt, Chriſti ſanguinem ſequebantur, Deúmque, qui tantum támque admirabile munus ſalutis noſtræ cauſa contulit, ad huiuſmodi certamina ducem habebant: his autem nec multa, nec talia virtutis exempla contigerunt. Horum fortitudinem & tolerãtiam cùm vniuerſa Iudæa admirata eſt, perindéque ac ſi ipſa victricem coronam accepiſſet, exultabat, animiſque erigebatur (maximum enim ciuitati propoſitum erat certamen, vtrùm eo die legis authoritas euerteretur, an gloriam ac ſplendorem adipiſceretur: atque in eum caſum tota Hebræorum natio venerat, vt omnis rerum ipſorum ſtatus huius certaminis periculo contineretur, atque vt dici conſueuit, in nouaculæ acie ſtaret:) tum ipſe quoque Antiochus admiratus eſt, conuerſis nimirum in admirationem minis. Nam egregiorum hominum virtus hoſtibus quoque ipſis admirationem excitare ſolet, cùm ſedata iracundia facinus in ſeipſo perpenditur. Quare infecto negotio diſceſſit, tum Seleucum patrem, à quo plurimi honores huic nationi tributi, templúmque magnificis donis exornatum fuerat, multis laudibus proſecutus: tum Simonem, qui 2.Mach.3.
eum ad hanc expeditionem ſuſcipiendam induxerat, grauibus verbis inſectatus, vt pote qui crudelitatis ipſius ignominiæque acceptæ author extitiſſet. Hos igitur & ſacerdotes, & matres, & filij æmulentur. Sacerdotes quidem, in Eleazari ſpiritualis parentis honorem, qui non modò ſermone, ſed etiam opere, quod optimũ erat, oſtendit ac docuit: matres autem, in generoſæ matris honorem, verum amoris erga filios argumentum edentes, ac Chriſto liberos ſuos exhibentes, vt per huiuſmodi ſacrificij genus matrimonio quoque ſanctitas comparetur: filij denique ſacroſanctorum filiorum exemplo permoti, atque adoleſcentiam non in fœdis & obſcœnis affectibus, ſed in certaminibus aduerſus animi vitia ſuſceptis conterentes, ſtrenuéque cum quotidiano noſtro Antiocho confligentes, qui membra omnia bello laceſſit, variiſque modis perſequitur. Athletas enim quouis tempore ac modo ex omni genere & ætate, ſiue aperto bello vexentur,

ſiue

siue obscuris insidiis appetantur, habere cupio ac tum priscis tum recentibus historiis adiuuari, atque apum ritu ad vnius ceræ confectionem suauitatémque vtilissima quæque colligere: vt & per vetus & per nouum Testamentum Deus in nobis celebretur, qui in Filio, Spiritúque sancto glorificatur, & cognoscit suos, & à suis cognoscitur, & confitentes se confitetur, & glorificantes glorificat, in ipso Christo, cui gloria in secula, Amen.

Ioan. 10. Marc. 8. Luc. 18. Ioan. 12.

S. GAVDENTII EPIscopi Brixiensis in eodem festo, *Homil.*

Est in Bibl. SS. Patrum.

SI quis vestrum, fratres dilectissimi, fortasse miratur, Iudæos viros supplicia pro legis præcepto perpessos, nunc à Christiana plebe inter sanctos Martyres honorari: Is profecto, si omnē sanctæ religionis causam rationémque cognouerit, intelliget probabili ac summo iudicio id fuisse à nostris maioribus constitutum. Iudæi erant isti ante aduentum Domini Saluatoris sub lege tantum veteri conuersantes, quique cognomentum Machabęorum trahūt ex genere, sicut hodie Aniciorum progenies, vel si qua sunt huiuscemodi nuncupationum vocabula quæ stirpem nobilitatis vsurpēt ex diuitiarum terrestrium cumulo descendentem, cum vera nobilitas, non subsistat ex diuitiis: sed cognoscatur in moribus. Quāto enim nobiliores isti septē pueri Rege Antiocho, quinimo quam clara in istis nobilitas Dei, & quam ignobilis in illo ac pœnalis nota perfidiæ? Isti Deum Patrem colunt, iste Diabolum: isti venerantur legem patriam, ille contra Deum rebellans, filium se fatetur esse Diaboli. Cogebat enim contra præceptum Diuinæ legis, vt suillas carnes comederent, non dubium, quod sacrificio profano pollutas. Coinquinatis enim & infidelibus nihil mundum: sed esto (vt quidam volūt) sacrificatæ diabolo carnes illæ non fuerint, quia hoc ipsa scribentis historia manifestius non deprompsit: Attamen grauissimi erat, extremíque delicti, præceptum Diuinum, vel blandientibus præmiis, vel suppliciis cruciantibus temerare. Præceperat Iudęis Deus, ne porcum, cęteráque illi similia manducarent, & erat hoc duplici de causa, fratres charissimi, siue vt luxuriosus populus flammā carnalium vitiorū calidis carnibus non nutriret: Perhibentur enim calorem nimiū pręstare corporibus: siue vt porcorum more non viuerent. Nam sues semper immundi sunt, & de fonte, vel de fluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum, nec vnquam intuentur cælum, sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Et idcirco Dominus legionem Dæmonum in gregem permisit ire porcorum, idem, in eorum gregem, qui tantum ventris sunt animalia, qui nunquam cælestia intuentur, sed immunditiis semper dediti & cœno sunt obliti vitiorum. Salubriter ergo Deus vel abstinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum imperauit. Lex enim sancta & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Salutaria vidētur, mandata diuina sunt. Nā qui fecerit ea, homo, viuet in illis: Sed finge nihil noxietatis inesse suillis carnibus, nec vllum fomētum illecebris angere corporeis, quoniam sunt hodie omnia munda mundis, sanctificata per verbum Dei & orationē: præcipientis tamen Dei erat potestas & authoritas cogitanda, qui istud iusserat, tūc temporis obseruari. Nemo enim imperantem Dominum, aut sine pœna sui sacrilegij discutit, aut impunè contemnit: Nam neque in illa arbore inesse malū potuit, quam inter cæteras arbores Paradisy bonus Creator plantauerat, cuius fructus ita erat speciosus ac dulcis, vt concupiscentiam pręstaret oculis, gulæ conciliaret illecebram. Scriptum est enim: & vidit mulier fructum ligni, quia gratus est ad aspectum, & dulcis ad escam, & accepit, & manducauit & dedit viro suo. Sed si fortè dixeris. Non omne quod gratum videtur & dulce, bonū quoque esse, quia sint aliqua etiā mala, quæ grata videantur & dulcia: Cedo, acquiesco, cōsentio. Mel enim distillat (vt ait Scriptura) à labiis mulieris meretricis, quę ad tempus impinguat fauces tuas, nouissimū autem amarius felle inuenies, & acutius gladio, vtraque parte acuto. Et certè malū nihil est, vel in specie, vel in sexu mulieris, sed est vtique malum in voluntate peccantis, & per intēperantiam concupiscentiæ transgredientis à legitimo iure coniugij. Nam & vini natura, cùm bona sit, rectè tamen damnatur ebrietas. Audi modò generalem de creatis omnibus diuinę scripturæ sententiam. Et vidit Deus omnia, quæ fecit, & ecce bona valde: Tamen quia veritatis ratio postulabat & seruilis humana conditio legem Dei dominantis acceperat proprij arbitrij libertati permissa, vnam Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradisi, non vtique malam, sed in qua esse scientia boni & mali videtur, in qua seruorū suorum obedientiam pertentaret, vt libertas arbitrij vel immortalis præmium possideret obediēs, vel contēnens exciperet mortis interminatæ sententiam: Manducauit homo, quia voluit, mandatum nō custodiuit, quia noluit, morte mulctatur, quia mandatum seruare potuit, & non studuit. Arbor quidem bona & fructus quidem bonus, sed præuaricatio mandati mala, & contemptus Dei malus, atque ita malum non in fœtu arboris est, sed in volūtate hominis transgressoris. Igitur si vnius arbusculæ fructus contra Dei mandatum temerè à Protoplastis degustatus, mortem generi acquisiuit humano: potuit & Machabæis tunc sub lege positis interitū parare mandati Diuini transgressio, quibus nunc honorē & gloriam pręcepti eius custodia comparauit, fidē Dei in ipso viriliter cōstantérque seruantibus. Nā fidem Dei seruat, qui mandata eius iura nō violat, quoniā nō idcirco illi manducare illicita, quod horrorem paterentur in specie, sed contumeliam facere prohibenti Deo iustissimè formidarunt. Qui in modico fidelis est, ait dominus, & in magno fidelis est. In magno fuerunt isti fideles, idolothyta inter supplicia respuerunt: in paruo fuerunt fideles, si carnes solum prohibitas non comederent, suas potius deuorandas suppliciis tradiderunt. Insignior fides est, quæ nec in modicis violatur. Formā tolerantiæ præbuerunt isti beatissimi fratres futuris post Passionem Christi martyribus, vt intelligant quanta animi magnitudine & constantia pro Redemptoris nomine dimicare debeant, pro cuius mandato tam pertinaciter certassent. Nemini absurdum videatur, quod eos paulo antè Aniciis comparaui. Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur inuicti. Exercuit enim varia suppli

Margin notes: Machabæos inter Martyres honorari Maiores constituerunt. — 2. Mach. 7. — Tit. 1. — Leuit. 11. — Deut. 14. — Matth. 8. — Rom. 7. — Deut. 4. — Gen. 2. — Prou. 5. — Liberum hominis arbitrium. — Homo peccauit quia voluit. — Luc. 16. — 2. Mach. 7.

suppliciorum genera in eorum corporibus crudelissimi tyranni feritas, & cum nō valuisset constantiam fidei in sex fratribus atrocitate supplicij superare callidus persecutor, in septimo, quia esset iunior, ad blandimentorum sese tormēta conuertit, diuitiarum præmiis & honorum promissionibus puerum torquens, quem tamen detorquere non potuit. Erat enim fratrum suorum frater, & illius filius matris, quæ cùm singulos filios pro Dei nomine puniri lęta & aspicit & hortatur, tot martyria pertulit, quot pignora consecrauit, septies in propriis passa visceribus, octaua & ipsa accessit numero ad octauum Christi Resurrectionis diem, cum charis pignoribus receptura. Vnde non immeritò præsumitur ista mater beatissima Ecclesiæ sanctæ imaginem prẹmonstrasse quę spiritnales Deo filios parere cōsueuit, nihil de carne & sanguine cogitātes. Iam verò si quis à me superioris disputationis reliquias exigat, inquirens cur illi cibi qui fuerant caussa continentiæ in lege prohibiti, non etiam nunc eiusdem rei gratia arceantur, breuiter vt sentio, respondebo. Sic ablatas fuisse de medio legalium præceptorum multiplices obseruationes rent, vt generalia præcepta in statu pristino perdurarent: Diximus pudicitiæ seruandæ causa, Iudaico populo abstinentiam vel porcinæ carnis, vel similium quadrupedum, necnon & quorundam volatilium atque piscium fuisse interdictam, adhærentibus licet typis rationabilium figuratum, quas Doctor spiritualis, propriis quibusque locis sigillatim debet exponere, sed quoniam terrenorum mentes perplexitate multiplicium mandatorum onerari, potius quam instrui videbantur, indefessa, & in hac parte erga humanum genus diuina prouidētia per prophetam promittitur Esaiam: Quouiam verbum abbreuiatum faciet, inquit dominus, super terram. Et idcirco beatus Iacobus cum cæteris Apostolis decretum tale constituit in Ecclesiis obseruandum, vt abstineatis vos, inquit, ab immolatis, & à sanguine & à suffocatis. Præter miserum homicidium, adulterium, veneficia, quoniam nec nominari ea in ecclesiis oporteret, quæ legibus etiam Gentihum punirentur. Prætermiserūt quoque illas omnes minutias obseruationum legalium, & sola hæc, quæ prædiximus custodienda sanxerunt, ne vel sacrificatis diabolo cibis prophanemur immundis, vel ne emortui per viscera suffocatorum animaliū sanguine polluamur, vel ne immunditiis fornicationum corpora nostra, quæ templa Dei sunt, violemus. Sic ergo permiserunt omnia manducari, vt fornicationem præciperent fugiendam. Nostri iam debet esse moderaminis, tantum laxare habenas licentiæ, ne præcipites feramur in luxum, sed vt pudicitia tuta esse possit, quam beatus Paulus sine Circuncisione gulæ sciens custodiri non posse, sic ait; Omnia quidem munda sunt, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sed malum est homini, qui per offensionem manducat, id est, qui offensionem patitur, cū manducat, & subiecit statim salutare cōsilium: Bonū est (inquit) non manducare carnem, neque bibere vinū, neque in quo frater tuus offenditur, aut scādalizatur, aut infirmatur. Quis ille cōiunctior frater, quā homo noster exterior? Cui ne nostra licentia vel offendiculum, vel infirmitatem, vel scandalum patiat, vtendum est ciborum licentia, non abutendum,

Esa. 10. *Rom. 9.* *Act. 15.* *Tit. 1.* *Rom. 14.*

vt sciamus nos non edendi causa esse natos, sed esse viuendi, Quapropter imperio Animæ carnis conditio obsecundet, ne effrenata lincentia, vt ait Salomon, seruus regnet, & stultus saturetur, & ancilla eiiciat dominam suam, cum Lex præcipiat: eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Eiiciamus ergo ancillam concupiscentiam, & filium eius peccatum, vt efficiamur hæredes Dei, cohæredes autem Christi, qui lignum Crucis suæ propriis portando humeris imaginem Passionis, quam sub vmbra legis in sancto Isaac præmonstrauerat, in veritate hominis suscepti compleuit, precioso sanguine suo vitam nostram redimens ab æternæ mortis exitio: Ipse est enim nostra Redemptio, cui omnis honor, virtus, & gloria, cum Patre, & cum Spiritu sancto per omnia secula, Amen.

Prou. 14. *Gal. 4.*

S. LEONIS PAPAE

In eodem festo, Sermo.

GRatias, dilectissimi, agamus domino Deo nostro, quod quanta sit diei huius solennitas etiam si ego taceam, conuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio, & deuoto animo conuenisti, vt festiuitatis magnificētiam & si sermo non iudicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et rectè. Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & Natalem Ecclesiæ colimus, & martyrum passione gaudemus. Nec immeritò digne Ecclesia horū exultat martyrio, quorum ornatur exēplo. Causam ergo solennitatis hodiernæ, dilectissimi, plenissimæ sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tāto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem martyrum matrem exultanti, & non tacito honoraretis affectu, in singulis quidē filüs passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos inuicto præmisit hortatu. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedētium fortitudo. Nam, cum in illo ordine mortium, & in illa dispositione pœnarum, id sæuissimi regis excogitasset impietas, vt victoriam sibi & de primis promitteret, quos sine tolerantiæ * cruciaret exemplo, & de postremis, quos in supplicio torqueret alieno, multiplicatæ sunt martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisiuere septenas. Sed hæc ad fructuosam recolēda sunt aurium voluptatem. Inflat scientia, nisi ædificet obedientia, grauant audita, nisi suscipiantur imitanda. Nec enim quia cessauit persecutor, & mrtor, quia iam omnes Deo militant potestates, desunt Christianis, quas superent, passiones. Fili, inquit, accedens ad seruitutē Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et Apostolus dicit; Quicunque in Christo piè volunt viuere, persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui ergo putas quieuisse persecutionē, & nullum tibi cum hostibus esse cōflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, & omnes recursus animæ tuæ diligens explorator ingredere, & vide, si nulla te impugnat aduersitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Noli cum auaritia pacem firmare, & iniquorum quæstuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, & magis time

Videtur olim dies anniuersarios dedicationis ecclesiarū fuisse celebratos.

** cruciaret.*

1. Cor. 8. *Eccles. 2.* *2. Tim. 3.*

gis time in gloriam suscipi, quàm in humilitate calcari. Dissociare ab ira, nec dolorem inflammet inuidiæ cupido vindictæ. Renuncia voluptati, auertere ab immũdicia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falsitatem, & cũ videris te multiplicem habere pugnã, tu quoque imitator martyrum,* numerosam quære victoriã. Toties enim peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur, & preciosa in conspectu domini etiam ista mors sanctorũ eius, vbi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum. Si ergo charissimi, non ducitis cum infidelibus iugum, si peccatores esse desistitis, & nullis carnalium cupiditatum tentationibus ceditis, solennem hanc diem celebretis, & non solum martyres, ac martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneramini, qui hoc die antiquam festiuitatem huius loci consecratione geminauit. Magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, vltra æui sui terminos opera pietatis extendens, vt vtilitatibus institutionum eius etiam in ipso frueretur deuota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit. Omnia ergo, dilectissimi, quæ oculis cernitis, & mente meministis, ad profectum vestræ ædificationis assumite, & ita vnusquisque vestrum præparato à maioribus vtatur habitaculo, vt in seipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ prauum nihil supponat infirmum; sed viuis, & electis lapidibus congruẽdo, per indissolubilem cõnexionem crescat in dominici corporis vnitatem, auxiliante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula seculorum, Amen.

** innumeram Psal. 115.*

2. Cor. 6.

Intelligit de ecclesia B. Petri seruunculis

HILARII EPISCOPI
Arelatensis in eodem festo Homil.

Est hom. 4. de Epiphania.

AVdiuimus in euangelio vocem domini dicentis: Non omnes qui dicũt mihi Domine, domine, intrabunt in regnum cælorum. Ad quos sermo hic respicit? ad eos sine dubio, ad quos alio loco dicit: Populus hic labiis me honorat. Studeamus ergo vt cum obsequiis labiorum, vita concordet, & consonet: quia si opera nostra ad Deum clament, & conscientiæ sinceritas, & morũ probitas: pietas domini ad nos flectit auditum. Caueamus ne fortè hic solo corpore consistamus, & corda nostra probentur errare per seculum. Quando enim præualent in nobis terrenę, superfluæque cupiditates: quando tyrannico dominatu malitia in nobis regnat: quando ira superequitat, nos illi laudabiles eremitæ, qui extra mũdum nos credimus, mũdum intra nos inclusum tenemus. Ac sic animæ illę, quæ possessio efficiuntur seculi, non possunt effici regnum Dei. Ideóque, fratres, videte vocationem vestram. Venite quidẽ sic ad eremum, summa perfectio est, non perfectè in eremo viuere, summa damnatio est. Quid prodest, si in loco quies teneatur, & inquietudo in corde versetur? si in habitatione silẽtium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus; & colluctatio passionum? si exteriora nostra serenitas possideat, & interiora tempestas? Nemo dicat, inuitus hoc feci, aut fato vrgente peccaui: nemo casum, conditionis suę ignarus, accuset: nemo dominari æstimet fatum. Non potest homini pręualere delictũ, nisi accesserit cõsentientes arbitrium. Et ideo ordinatio Dei nostri cum cætera animantia ad periculum propulsandum foris sufficiẽter instruxerit, atque munierit, vel velocitate pedum, vel armis dentium, vel violentia vnguium, vel mole membrorum: hominem interiorem contra hostẽ magis intus armauit, intelligentię scilicet vigore, consilio sapientiæ, virtute iusticiæ: vt preciosior nostri portio, velut de excelsa turre, ita de secreta fidei sui arce tutius repugnaret, & quamlibet forti aduersario contra reluctantem animam nil liceret. Confirmante hoc ipsum voce diuina: Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere. Sicut etiam nunc ex hoc triumphalium puerorum certamine intelligi datur. Ecce septem fratres, ætas ad omnem perturbationem timoris obnoxia, & ad omnem vim doloris infirma, horribilia, & inaudita tormenta ante oculos exposita, virili pectore, & martyrum iam corde despiciunt: & illa tanquam oblatam mortis occasionẽ, velut pignus immortalitatis inuadunt: quod corpore accipiunt, mente non sentiunt: foris cedunt, intus triumphant: quos cruciat manifesta pœna, pascit docta victoria: multiplicentur licet per æris ac ferri illa feruentia incendiorum vires, perstat lignum viride contra violentiam vasti ignis inuictum: & si exuri videtur in cortice, illæsum permanet in radice: & si circa superficiem solidi roboris tẽporaria mors desæuit, intra conscientiæ medullas vita se recipit. Ac si auidissimus prædo potest domum perstringere, ad thesaurum non potest peruenire: quẽ dum conatur expugnare, multiplicatur. Quanto enim persecutor in necem confitentis immanior: tanto Deus in remuneratione perseuerantia est ditior, qui nouit de impiorum criminibus merita augere iustorum. Sicut enim improbi malè vtuntur bonis Dei, ita Deus bene vtitur malis operibus iniquorum. Primum requiramus quid sit male vti bonis operibus Dei, quod in ipso homine intelligi promptum est, quàm bene Deus corporis humani membra disposuit? & tamen ad contumeliam sui abutitur indultæ sibi pulchritudinis honore mens reproba. Bonum opus Dei est oculus, & tamen indignis concupiscentiis maculatur aspectus: nocte peruigil immeritorum somno insidiatur, & luce ad quam factus est offenditur: & propterea de eo dicitur: fornicario animæ in eleuatione oculorum, & alio loco: Qui viderit mulierem, inquit, ad concupiscendũ eam, & ideo quàm facile potest in puncto temporis euagari velocitas oculi, tam sollicitè præcauenda est irruentia noxa delicti. Lingua etiam tanti opificij decus, mendaciis, maliloquiis, falsis testimoniis deprauatur. Manus bonum opus est Dei, & tamẽ ad facinus iniquitatis, ad crimen peragẽdæ fraudis extenditur: ad scelus erigendæ salutis armatur, & totus homo ad malitiam proprię perditionis accingitur. Sed eis ipsis creaturis quæ extra nos sunt, quæ à foris adiacent, quæ bonæ factæ sunt, malus male vtitur. Argento, & auro appetitur veritas, expugnatur integritas, iusticia vincitur, innocentia proditur, pietas fidésque violatur: ac de rebus ad præsentia subsidia concessis, detrimenta vitę æternæ nequitia mortalis operatur. Quod ex hoc apertius inspici licet, Deus ab initio hominem conditioni subiectum, discretione liberum

Vita eremitica, perfectorũ vita.

berum fecit, prudentia instruxit, ratione ditauit, eique bonum exercere præcepit. Malum ad hoc esse permisit, vt ad bonam partem voluntate deflecteret: & mandatum Dei non necessitate, sed virtute perficeret, atque in alterutram viam, non casu perurgente, sed iudicio eligente transiret: & tamen homo traditæ sibi nobilitatis oblitus, neglectis muneribus conditoris, bona animi ad improbas traxit cupiditates, & ad nocendi studia conuertit, deputans ad instrumenta nequitiæ, ornamenta naturæ. Processit etiam in hoc nefas, vt Deum suum non solum nõ agnosceret, sed etiam agnoscentibus inuideret, eúmque tantis viribus, quantis quærendus esset, de fidelium pectoribus conaretur eruere. Sed diuina prouidentia quæ, vt dictum est, etiam malorum operibus bene vtitur, meliora de contrariis peragit, & ita iustas ordinat causas, vt boni ex aduersis proficiant, & ad pia transeant merita pietatis ingenia. Sicut etiam ex hoc admirando certamine fœlicium germanorum euidenter agnoscitur: nam quos per cruentissimum persecutorem humilianerat diabolus, exaltauit Deus, quos ille damnauit, iste glorificauit, ille opprobriis adimpleuit, hic præmiis: ille affecit flammis, refrigeriis hic refecit, ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit, ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis. Ideo vox est apostoli martyrium suspirantis: Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hæc secum beati pueri conscia futurorum mente voluentes, illata supplicia, quasi aliena reputant, quæ circa corpus remanentia, ad animam peruenire non possunt. Diuerso itaque cruciatus genere hic verberibus dilaniatur, hic candenti craticula sacrificij more torretur, hic abscisso capite, æterno capiti iungitur, hic desecta lingua inuiolabilem fidem melius loquitur, & Christum dominum in silentio oris, clamore vulneris confitetur. Nam & si beato testi cruentus carnifex vocis abstulit ministerium, plenum tamen Deo perhibet testimonium vox ipsa pœnarum. Sigillatim itaque à senioribus ad iuniores passionum ordo disponitur, vnumquemque per decurrentes ætatum gradus, crescentia tormenta percurrũt, singuli magnitudine supplicij, omnes speciali acerbitate torquentur, inter videntes pariter, & sustinentes qui dolores sunt? propria sunt dolore communia, ac sic ille, qui postremior vicit, cum omnibus triumphauit. Satagit inter hæc fœlix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis, respiciens quot funera, tot trophęa, & filiorum merita exultando sua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria vnius pectoris virtute cõsummat, & numerosam prolem cælo læta parturiens ad regnum Dei secura, quia secutura, pręmittit: ita iuniorem, qui solus restabat alloquitur, *Misereri mei*, inquit, *fili, quæ te decem mensibus in vtero portaui, & lac triennio dedi, ne timeas carnificem istum, sed similis fratribus effectus, libens mortem excipe, vt in illa miseratione vnà cum fratribus te recipiam.* Attende quàm profunda pietas, & artifex fides, per futurã spem præsentem subleuat orbitatem.

Quid mirum fit, vt pignoribus interemptis, nullas lachrymas dabat? Hoc loco expressius requiramus, quæ tandem causa paruulis vires dedit, vt inter tam exquisitos nouósque cruciatus, infatigabiles Iudęi confessione durarent, & quę alia causa, charissimi, nisi in primis gratia diuina, quæ vbi infirmitatis nostrę inuenerit votum, statim supponit auxilium? Quę inquam alia causa charissimi, nisi diuina gratia, & doctrina domestica? Quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula, inter annos infantiæ religionis affectum de institutione, & conuersatione pię parentis acceperant, & de tam sanctę matris pectore Deum traxerant, & in nomine domini vincula linguę trepidantis absoluerant? exempli enim fœmina in pignoribus suis animas magis cupiens nutrire quàm corpora, fidem primam teneris sensibus vice lactis infuderat, vt rudes eorum mentes & mali nescię, in ipso vitę limine vitam ebiberent, eósque primitus agnitio diuini timoris impleret, vt in noua viscera sacris studiis occupata, locum vana seculi non haberent. Quæ cũ ita sint, discant boni parentes tantæ matris exẽplo erudire filios suos, vt quos se in hanc vitam gaudent munere adquisisse naturæ præparent ęternitati sedulitate doctrinæ, insinuent fidem, doceant religionem, præcipiãt castitatem. Maiorem ad pignora vestra non potestis adhibere pietatem, quàm si per vos cognoscant animarum patrẽm, quàm si per vos in boni patris transeant adoptionem, quàm si per vos efficiantur cæli heredes, & martyrum fratres. Quapropter studete eos ad domini seruitutem, quæ nobis sola est causa viuendi, non lingua erudire, sed vita: audiant vos, videant vos, vt quæ iusta, quæ honesta, quæ sancta sunt, vobis sectantibus, & amantibus, in amore consuescant, duplex vobis commodum erit, cùm salus ad filios vestros de vestra salute transierit, vt cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur, hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur, & magis dum transfertur, adquiritur, ac miro modo & transmittitur, & retinetur, siquidem salubri iocundóque commertio & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est. Abraham diuina voce laudator: scio, inquit, quia Abraham præcepturus sit filiis suis, vt timeant nomen meum. Prædicatur quòd posteros suos eruditurus esset in domino, qui iam ad hoc fidei virtute peruenerat, vt filium posset immolare pro domino. Has itaque primas filiis vestris prouidete opes, has eis immortales procurate diuitias, hanc eis post vos hæreditatem relinquite, quæ offerri potest, relinqui non potest. Ostendite itaque eis de conuersatione vestra fugere malum, appetere bonum, odisse peccatum, timere iudicium. Ita nos agamus, vt non solum filiorum, sed nostra inuicem ædificatio simus: vt sicut beata mater illa gauisa est de gloriosis septem filiorum triumphis, ita dum nos vitiis interdicimus, dum passionibus repugnamus, dum diaboli præuidemus insidias, dum mundi calcamus illecebras, de victoria quoque, & consummatione nostra mater lætetur ecclesia.

IN FESTO TRANSFIGVRATIONIS DOMINI.

Euang. vide Dom. I I. Quadrag. Tomo 2.

S. EPHRAIM SYRI ORATIO *de transfiguratione domini & Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.*

EX AGRO messes, & lætitiæ, & ex vinea fructus esculenti, & ex scripturis doctrina viuifica. Ager habet vno tempore vindemiam. Ex scriptura autem semper scaturit doctrina viuifica. Ager quando est messis, minuitur. Et vitis, quando fuerit vindemiata, efficitur abiecta, & humilis. Scriptura autem quotidie metitur, & spicæ interpretum in ea non deficiunt. Quotidie vindeamiatur, & botri eius, quæ est in ipsa, vineæ nunquam consumuntur. Accedamus ergo ad hunc agrum, & viuificis eius falcis fruamur, & ex eo metamus spicas vitæ, nempe verba Domini nostri Iesu Christi, qui dixit: Sunt hic viri, qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in gloria sua. Et post sex dies assumit Iesus Simonem Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum valde, & trãsfiguratus est coram ipsis. Et resplenduit facies eius sicut Sol, & vestes eius fuerunt albæ sicut nix. Viri enim, quos dixit non esse gustaturos mortem, donec vidissent locum eius perfectionis, sunt hi tres Apostoli. Et cum assumpsisset, duxit eos in montem, & ostendit eis quomodo sit venturus in die nouissimo in gloria sua. Duxit autẽ rursus eos in montẽ, vt ostenderet eis, qualis sit filius iste, & cuius. Quando enim interrogauit, Quemnam me dicũt homines esse filium hominis? dicunt ei: Alij quidem Eliam; alij verò Mosem, aut vnum ex Prophetis. Propterea eos sursum ducit in montem; & ostendit eis se non esse Eliam, nec Mosem, sed Deum Eliæ, & qui sanctificauit Mosem in vtero matris; neque vnum ex Prophetis, sed Dominum Prophetarum, & qui eos miserat. Et rursus ostendit eis se esse effectorem cæli, & terræ: & se esse Dominum viuorum, & mortuorum. Et rursus eos duxit in montem, vt eis ostenderet se esse filium Dei. Si enim dixisset eis, Ego sum filius Dei, non eis persuasisset propter carnem, quam gestabat, & quòd cum eis conuersabatur. Videbant enim Mariam, quæ eum pepererat, & quòd Ioseph, qui aluerat, nomine vocabatur pater eius; & quòd quidam vocabantur fratres eius. Et rursus similiter esuriit, & comedit: Sitiit; & bibit; Laborauit, & requieuit; Et dormitauit, & dormiit; Et timuit, & sudauit; hæc autem diuinæ naturę minimè conueniebant. Propterea eos ducit in montem, vt pater loquatur, & ostendat eis eum esse suum filium in veritate; & vt ostendat eis regnum suum ante mortem suam, & gloriam suam ante ignominiam, vt quãdo captus fuerit, & crucifixus à Iudæis, sciant eum non fuisse ab eis crucifixum propter eius impotentiam: sed quòd ei ita placuisset propter suam gratiam, ad mundi salutem. Et rursus suam eis ostendit gloriam ante suam resurrectionem, vt quãdo resurrexerit à mortuis in gloria naturæ suæ diuinæ, sciant eum non accepisse tanquam mercedem sui laboris gloriam, vt qui ea indigeret: sed eum illam iam olim habuisse ab æterno cum patre, & cum spiritu eius; sicut dixit: Pater glorifica me gloria, quam habui, antequam mundus esset, apud te. Hanc gloriam suæ diuinitatis, quę erat obscura, & ignota suę humanitati, ostendit Apostolis suis in ascensu mõtis. Facta est enim facies eius, sicut Sol, & vestimenta eius alba, sicut lux. Duos Soles in monte videbant oculi discipulorum, vnum ex consuetudine, & alterum præter consuetudinem. Vnum, qui eis lucebat, & mundum totum illuminabat in firmamento; & vnum, qui eis illuminabat faciem, Iesu inquam. Hoc autem dixit, Facta sunt vestimenta eius alba. Etenim ostendit, quòd ex toto eius corpore eius gloria scaturiit; & ex tota eius carne resplenduit eius facies; & ex totis eius membris resplenduerunt radij. Non enim sicut Mosi, eius facies resplenduit extrinsecus: sed ex ipso scaturiebat eius gloria, & in eo manebat. Ex ipso oriebatur lux eius, & in eo cogebatur. Neque enim abiit in alienam partem, & ipsum dimisit: quoniam non venit ex alio obliquo, & eum exornauit. Neque eam viendam pro tempore accepit. Totam tamen abyssum diuinitatis suæ eis minimè ostẽdit: sed quantum poterant contemplari pupillæ suorum oculorum. Et apparuerunt eis Moses & Elias simul cum eo loquẽtes, & sermones eorum, quos cum eo loquebantur, ij erant. Agebant ei gratias, quod vera fuissent verba Prophetarum in eius pręsentia; & offerebant ei ad orationẽ pro salute, quam fecerat in mũdo propter genus humanum, & quòd mysterium, quod ipsi prius descripserant, ipse re ipsa implesset. Fuit ergo lætitia Prophetis, & Apostolis in ipso ascensu montis. Lætati sunt Prophetę cum vidissent humanitatem eius, quam non nouerant. Lætati sunt autẽ Apostoli quoque cum vidissent gloriam diuinitatis eius, quá non cognouerant. Et cum audiissent vocem Patris ferentis filio testimonium, per ipsam cognouerunt fuisse ab eo susceptá humanitatem; quæ quidem erat apud eos obscura: eisque fidem fecit cum voce Patris, gloria corporis eius, quæ apparuit, ex ea quæ in eo fuit vnita diuinitate immutabiliter, & inconfusè. Et signatũ fuit trium testimonium, in voce paterna, Moseque, & Elia, qui quidem illi astiterunt tanquam serui: & aspiciebant alter alterum; Prophetæ Apostolos; & Apostoli Prophetas. Viderunt illic alter alterum principes veteris,

teris, principes noui. Vidit Moses sanctus Simonem sanctificatum. Vidit Oecnnomus Patris procuratorem filij. Ille quidem scidit mare, vt populus ambularet in medijs fluctibus. Hic autem excitauit tabernaculum, vt ædificaret Ecclesiam. Vidit virgo veteris virginem noui. Elias, Ioannem. Qui ascendit currum ignis, eum qui recubuit super pectus flammæ. Et factus est mons in figura ecclesiæ. Et vniit in eo Iesus duo testamenta, quæ suscepit ecclesia. Et nobis significauit ipsum esse datorē duorum. Vnum accepit eius mysteria; Alterum manifestā reddidit gloriam suorum sanctorum. Dixit itaque Simon: Bonum est nos hic esse, Domine. O Simon, quid dicis? Si hic manserimus, quis implebit verba Prophetarum? Quis obsignabit verba præconum? Quis peraget mysteria iustorum. Si hic manserimus, illud foderunt manus meas & pedes meos, in quo implebitur? Diuiserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserūt sortem, cui adaptabitur? Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto, cui accidet? In mortuis liber, quis cōfirmabit? Si hic manserimus, Adæ Chirographum quis scindet? & eius debitū quis exoluet? & indumentum gloriæ eius quis restituet? Si hic manserimus, quæ dixi tibi, quomodo fient? Ecclesia quomodo ædificabitur? Claues regni cælorum quomodo à me accipies; Quem ligabis? Quem solues? Si hic manserimus, cessabunt omnia, quæ dicta sunt per Prophetas. Dixit rursus: Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Mosi vnum, & Eliæ vnum. Simon missus est ad ædificandam in mundo ecclesiam: & faciet in monte tabernacula? Modo enim Iesum humanè attendebat. Et nunc seipsum collocat cum Mose, & Elia. Illico autem ei ostendit se nō opus habere eius tabernaculo. Ipse enim erat, qui patribus eius fecerat tabernaculum nubis in solitudine. Eis enim adhuc loquutibus, ecce lucida nubes eos adumbrauit. Vides, Simon, tabernaculum sine labore: tabernaculum quod arcet æstum, & non habet tenebras: tabernaculum quod fulgurat, & resplendet? Admirantibus autem discipulis, ecce vox, quæ a patre exiuit, è nube est audita, dicē: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite. Cum voce Patris reuersus est Moses in locum suum; & Elias reuersus est in regionem suam; & Apostoli proni ceciderunt in terram; & Iesus stetit solus, quoniam vox illa in illo solo implebatur. Fugiebant Prophetæ, & Apostoli in terram ceciderunt, quoniam vox Patris non implebatur in eis, quæ ferebat testimonium dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite. Docuit eos Pater fuisse impletam Mosis dispensationem, & ab eis esse audiendum filium. Ille enim tanquam seruus locutus fuit, quæ iussus fuerat; & ea prædicauit, quæ ei dicta fuerant: & omnes itidem Prophetæ, donec venisset is, cui repositum est, nempe Iesus, qui est dominus, non seruus; dominans, & non parens imperio; legislator, & non is cui lex datur, filius, non vetus; natura, & non adoptione. Apostolis itaque id quod erat obscurum, effecit Pater in mōte manifestum. Qui est, eum qui est significat. Pater aperit, & declarat filium. Ad hanc vocem, Apostoli proni ceciderunt in terram. Erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce eius terra tremuit, & ij ceciderunt in terram. Ostendit eis patrem appropinquasse, & eum vocasse filium. Voce sua eos etiam excitauit. Quomodo enim vox Patris eos deiecit, sic etiam vox filij in virtute suæ diuinitatis eos fecit surgere, quæ quidem cum in eius carne habitet, & in ea sit vnita immutabiliter, ambo in vna hypostasi, & vna persona inconfusè manent citra diuisionem. Non enim sicut Moses decorus fuit extrinsecus. Sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Moses enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore. Iesus autē toto suo corpore, tanquam Sol suis radiis, resplenduit gloria suæ diuinitatis. Clamauit autem Pater: Hic est filius meus dilectus, eum audite; non separatus à gloria filij diuinitatis. Vna est enim natura pater & filius cum sancto spiritu, vna potentia, & vna essentia, & vnū regnum, & in vnam clamauit vocem, in vili corpore, & in gloria terribili. Et Maria ipsum vocabat filium; nō separatum corpore humano à gloria eius diuinitatis. Vnus est enim Deus, qui in corpore apparuit in mundo. Gloria eius significauit diuinam gloriam, quæ est ex patre; Et gloria eius significauit humanam naturam, quæ est ex Maria: ambas naturas, quæ conuenerunt, & vnitæ sunt in vna hypostasi. Vnigenitus ex Patre, & ex Maria vnigenitus. Et qui diuidit, diuidetur à regno eius. Et qui confundit eius naturas, peribit à vita eius. Qui negat Mariam Deū peperisse, non videbit gloriam eius diuinitatis, & qui negat eum gestasse carnem peccato non obnoxiam, ejicietur à salute, & à vita, quæ data est per eius corpus. Ipsæ res testantur, & diuinæ eius virtutes docent eos, qui possunt discernere, cū esse verum Deum; & eius perpessiones significant, eum esse verum hominem. Et si hoc non persuasum habent, qui sunt mente imbecilla, luent pœnas in terribili eius die. Si non erat caro, cur Maria in medium est producta? si non erat Deus, Gabriel dominum quemnam vocabat? Si non erat caro, quisnam recumbebat in præsepi? Si nō erat Deus, Angeli descendentes quemnam glorificabant? Si non erat caro, quis inuoluebatur fasciis? Si nō erat Deus, Pastores quem adorabant? Si non erat caro, Ioseph quem circuncidit? Si non erat Deus, stella in cælo in cuius honorem cucurrit? Si non erat caro, Maria quemnam lactauit? Si non erat Deus, Magi cui munera offerebant? Si non erat caro, Symeon in vlnis quemnam gestauit? Si non erat Deus, cui dixit, Dimitte me in pace? Si non erat caro, Ioseph quemnam accepit, & fugit in Ægyptum? Si non erat Deus, illud ex Ægypto vocaui filium meum, in quo est adimpletum? Si non erat caro, Ioannes quem baptizauit? Si non erat Deus, Pater è cælo cui dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Si non erat caro, quis ieiunauit, & esuriit in deserto? Si non erat Deus, descendentes Angeli cui ministrabant? Si non erat caro, quis fuit inuitatus ad nuptias in Cana Galilææ? Si non erat Deus, quis mutauit aquam in vinum? Si non erat caro, panes in cuiusnam manibus erant? Si non erat Deus quinque millium hominum turbam præter mulieres, & pueros in solitudine quis pauit quinque panibus, & duobus piscibus? Si non erat caro, quis dormiit in naue? Si non erat Deus, quis ventos, & mare increpauit? Si non erat caro, Symon Pharisæus cum quo comedit? Si non erat Deus, peccatricis delicta quis condonauit? Si non erat caro, supra puteum ex itinere defessus quis sedebat? Si non erat Deus, aquam

viuam quis dedit Samaritanę,& eam arguit quòd habuisset quinque maritos? Si nó erat homo, quis gestabat indumenta hominis? Si non erat Deus, quis faciebat virtutes,& miracula? Si non erat caro,quis spuit in terram, & lutum fecit? Si non erat Deus,ea luto oculos cæcorum quis coegit aspicere? Si non erat caro , in Lazari monimento quis flebat? Si nó erat Deus, mortuum iam quatriduanum quis iubendo eiecit? Si non erat caro , super pullum quis sedit? Si non erat Deus , cuínam cum gloria ibant turbæ obuiam? Si non erat caro , Iudæi quem apprehenderunt: Si nó erat Deus, quis terræ imperauit, & eos pronos humi iecit? Si non erat caro , quis colaphis cædebatur? Si non erat Deus, abscissam auriculam a Petro quis medicatus est,& restituit in locum suum? Si non erat caro,cuiusnam facies sputa accipiebat? Si non erat Deus,quis spiritum sanctum insufflauit in faciem Apostolorum? Si non erat caro,quis stabat coram Pilato in iudicio? Si non erat Deus , quis Pilati vxorem terrebat in somnis? Si non erat caro , cuiusnam vestes exuerũt & diuiserunt milites? Si nó erat Deus,Sol quomodo fuit obscuratus in cruce? Si non erat caro , quis erat in cruce suspensus? Si non erat Deus,quis terram mouit à fundamentis? Si non erat caro,cuiusnam pedes,& manus fuere clauis confixi? Si non erat Deus,tépli velum quomodo scissum est? & petræ ruptæ sunt : & sepulchra sunt aperta? Si non erat caro , quis clamauit, Deus meus , Deus meus vt quid me dereliquisti? Si non erat Deus,quis dixit, Pater ignosce illis? Si non erat caro, quis in cruce pepẽdit cum latronibus? Si nó erat Deus,quomodo dixit latroni? Hodie mecum eris in paradiso? Si non erat caro , fel & acetum cuinam obtulerunt? Si non erat Deus, Infernus cuiusnam voce audita contremuit? Si nó erat caro, cuiusnam latus pupugit lancea, & exiuit sanguis,& aqua? Si non erat Deus,quis portas inferorum contriuit, & vincula disrupit? & cuiusnã iussu mortui è sepulchro egressi sunt? Si non erat caro, Apostoli quémnam viderũt in cœnaculo? Si non erat Deus , quomodo clausis foribus est ingressus? Si non erat caro, cuiusnam clauorum & lanceæ plagas Thomas contrectauit manibus? Si nó erat Deus,cuinam clamauit , Dominus meus, & Deus meus? Si non erat caro,in mari Tyberiadis quis comedit? Si non erat Deus , in cuiusnam iussu impletum est rete? Si non erat caro , quemnam viderunt Apostoli assumi in cœlum? Si non erat Deus,cœlum cuinam fuit apertum : & potestates quemnam in tremore adorarunt : & pater cuinam dixit,sede à dextris meis,& quę sequũtur? Si non erat Deus,& homo falsa est de cætero nostra salus:falsæ sunt etiã voces Prophetarum. Sed veri fuerunt Prophetæ , & à mendacio aliena eorum testimonia. Dixerunt enim ea,quæ iussi fuerant.Spiritus sanctus per eos est locutus.Quocirca castus quoque Ioannes qui super pectus flammæ recubuit,confirmans voces Prophetarum,de diuinitate disserens, in Euangeliis docuit,dicens; in principio erat Verbũ , & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbũ.Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Et Verbum caro factum est , & habitauit in nobis. Qui est ex Deo Deus Verbum , & ex patre filius vnigenitus? Qui est eiusdem cum patre essentiæ? Qui est ex eo,qui est? Verbum ante secula, ex patre genitus sine matre ante omnia secula ineffabiliter , idem in nouissimis diebus nascitur ex filiis hominis, ex Maria virgine sine patre carne indutus,ex ipsa carnem gestãs,& homo effectus,quod quidem non erat; manens Deus, id quod erat; vt mundum saluum faceret. Et ipse est Christus Dei filius vnigenitus ex patre,& ex matre vnigenitus. Confiteor eundem esse perfectum Deum,& perfectum hominem , qui in duabus naturis, in hypostasi,seu persona vnius cognoscitur,&citra diuisionem, confusionémque, & mutationem,carnem induit animatam,& animam ratione prędita m , & intelligentem, factus est omnino iisdem, quibus nos,obnoxius affectionibus præter solum peccatum. Idem terrenus, & cœlestis, temporalis & ęternus; qui cœpit,& qui est sine principio,expers temporis , & subiectus tẽpori, creatus,& increatus,patibilis & impatibilis,Deus & homo,in vtrisque perfectus , vnus duo, & in duobus vnus. Vna persona Patris , & vna persona filij , & vna persona spiritus sancti,vna diuinitas , vna potentia,vnum regnum in tribus personis seu hypostasibus. Sic glorificamus sanctam vnitatem in Trinitate , & sanctam Trinitatem in vnitate. In quo pater clamauit de cœlo : Hic est filius meus dilectus;ipsum audite.Hęc suscepit sancta Dei Ecclesia catholica. In ipsa sancta Trinitate baptizat in vitam æternam. Eam sanctificat honoris æqualitate. Eam confitetur citra diuisionem & separationem : & eam adorat non errans, & glorificat. Ipsam in tribus personis vnitatem decet gloria, gratiarum actio,honor,potẽtia,maiestas,Patrem, & filium,& sanctum spiritum,nunc & semper, & in secula seculorum,Amen.

S. CYRILLI EPISCOPI

Alexandr. in eodem festo, Oratio.

QVi bene quidem sciunt decertare, spectatorum delectantur plausibus , & spe præmiorum excitantur ad eam quæ eos decet, victoriam. Qui autem diuina dona assequi desiderant,& spei sanctis paratæ sitiunt participationem , quæ pro pietate in Christum suscipiuntur, certamina libenter quidem admittunt;in vita autem se recte gerunt,non pręferentes otium,quod nullam consequitur mercedem, neque ignauam amantes timiditatem , sed se strenuè , & fortiter gerentes aduersus omnem tentationem,& persecutionum insultus plurimi facientes , & pro ipso Domino pati,magnas reputantes diuitias. Meminerunt enim beati Pauli, qui scribit,nó esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam,quæ est reuelanda in nobis. Vide ergo pulcherrima dispensatione nũc vsum Dominum nostrum Iesum Christum ad vtilitatem,& ædificationem sanctorum apostolorum. Nam eis quidẽ dixit; Siquis vult post me venire,abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me, qui enim vult animam suam saluam facere,perdet eã. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Et salutare quidem est præceptum, & decẽs sanctos,& quod supernam gloriam conciliat,& alacritatis animi, & gaudij sortem comparat. Eligere enim pati propter Christum, minime caret mercede,imo vero efficit æternæ vitę,& gloriæ participes. Sed discipulos,qui virtutem ex

Habetur apud Metaphrasten.

alto nondum acceperant, consentaneum erat vtique in humanas incidere imbecillitates, & tale quid apud se cogitātes dicere. Quomodo negabit quis seipsum? aut quomodo, qui suam perdiderit animam, eam rursus inueniet? Quod autē iis, qui hoc passi fuerint, erit præmium, quod ei respondeat? aut etiam quorumnam erit donorum particeps? Vt tales ergo cogitationes, & verba eis adimat, & eos veluti transfundat, & transmittet ad animi magnitudinem, eius, quę ipsis danda est, glorię ingeneiās desideriū. Dico vobis, inquit, Sunt quidam ex iis qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei. Num eis eo vsque vitæ extendetur mensura, vt ad illa perueniat tempora, post quæ in consummatione seculorum descendens de cœlis, restituet sanctis paratum eis regnum? Sed ipse quidem hoc præstare poterat. Omnia enim potest: nec est aliquid quod non possint efficere eius potentissimi nutus. Regnum autem dicit ipsum gloriæ spectaculum: in qua ipse quoque videbitur illo tempore, in quo resplendebit in terra. Veniet enim in gloria Dei patris, & non in ea: quæ est in nobis, humilitate, & abiectione. Quomodo ergo fecit miraculi spectatores eos, qui promissum acceperant? Ascendit in montem, habens ex eis tres electos. Deinde transmutatur in quendam excellentem & diuinum splendorem; adeo vt eius vestis videretur resplendere instar luminis. Deinde Moses & Elias Iesum circunsistentes, de eius decessu inter se loquebantur, quem erat adimpleturus in Hierusalem, hoc est, eius quæ est cum carne. Oeconomiæ mysterium & salutarem passionem, quæ, inquam, futura erat in cruce. Verum enim est, quòd lex Mosis, & sermo sanctorum Prophetarum, Christi prius ostendetur mysterium; illa quidem in figuris, & vmbris ipsum propemodum describens in tabula; hi autem multifariam, multisque modis prædicentes, quod suo tempore videbitur in nostra forma, & quod pro salute, & vita omnium non recusabit pati mortem in ligno. Quòd autem Moses, & Elias adetant, & simul loquebantur, id fiebat hoc consilio, vt ostenderetur legem, & Prophetas esse veluti satellites Domini nostri Iesu Christi, vt qui ab ipsis fuerit ostensus Dominus, per ea, quę significatūt, quę erant inter se cōuenientia. Nō enim diffident à lege ea, quę dicūnt per Prophetas. Et hoc est, vt arbitror, quod inter se colloquebātur Moses sanctissimus, & prophetarū optimus. Is autē erat Elias. Potest autem aliud quoque considerari. Quoniam ex turbis alij quidem dicebant eum esse Eliā; alij Hieremiā; alij vero vnum ex Prophetis; ducit eorum principes, vt vel ex hoc videant, quid intersit inter dominū, & seruum. Post hæc autem alia quoque potest dici consideratio. Quoniam eūim eum assiduè accusabant, quòd legem transgrederetur, & existimabāt eum esse blasphemum, vt qui sibi vendicaret eam, quæ ei non conueniebat, nempe gloriam Patris; & dicebant: Hic homo non est ex Deo, quoniam sabbatum non seruat. Et rursus: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia. Et, quòd homo cum sis facis teipsum Deum: vt ostenderentur vtraque crimina profectò esse ex inuidentia; & eum neutri eorum esse affinem; & neque id, quod à se fit, esse legis transgressionem, neque vendicationem gloriæ non sibi conuenientis, quod dicat se esse æqualē patri eos, qui in vtroque eorum clari fuerunt, producit in medium. Etenim Moses dedit legem, & poterant considerare Iudæi, quòd legem non neglexisset conculcatam, vt ipsi existimabant: neque eum, qui ipsam transgrediebatur, & erat inimicus ei, qui ipsam tulerat, honorasset. Porro autē Elias Dei gloriæ zelo erat incitatus. Qui, si Christus fuisset Dei hostis, & seipsum quidem dixisset æqualem Patri, non fuisset autem id, quod dicebat, si denique nō faceret, vt oportebat, non ei affuisset ipse, & obediisset. Potest verò cum iis, quæ dictæ sunt, alia quoque causa dici. Quænam autem ea est? Vt sciant eum vitæ & mortis habere potestatem, & superis, & inferis dominari. Propterea in mediū adducit eū, qui viuebat, & eum qui erat mortuus. Apparentes enim non tacebant; sed loquebātur de gloria, quam erat impleturus in Hierusalem, nempe passionem, & crucem; in his autem etiā resurrectionem. Sed beati quidem discipuli parum dormitant, vtpote quòd Christus vacaret orationi. Certo enim consilio, & certa dispensatione humanis necessitatibus seruiebant. Deinde cum essent experrecti, fiunt spectatores tam venerandæ, & tam admirabilis mutationis. Arbitratus autem fortasse beatus Petrus aduenisse tempus regni Dei, in monte quidem versari deligit, dicit autem tria esse facienda tabernacula, nesciēs quid diceret. Non erat enim tempus consummationis seculi, neque in præsenti tempore sunt sancti futuri participes spei eis promissæ. Dicit enim Paulus: Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum cōforme corpori gloriæ eius, Christi scilicet. Cum ergo dispensatio adhuc esset in principio, & nondum esset finita, quomodo erat consentaneum Christum, qui venerat propter charitatem in mūdum, desinere pro eo velle pati? Seruauit enim eam naturam, quæ est sub cælo, cum subiisset mortem secundum carnem, & eam deleuisset per suam à mortuis resurrectionem. Nesciebat ergo Petrus quid diceret. Cæterùm præter admirabile, & arcanum Christi gloriæ spectaculum, aliquid quoque aliud factum est vtile, & necessarium ad confirmandam in se fidem, non solis discipulis, sed etiam nobis ipsis. Desuper enim ex alto extitit vox Dei & patris dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite. Et dum facta est, inquit, vox, inuentus est solus Iesus. Quid ad hæc dicit duræ ceruicis Iudęus qui est contumax, & repugnans, & cor habet, quod nullā suscipit admonitionem? Ecce præsente Muse Pater iubet sanctis Apostolis, vt eum audiant. Quòd si eos voluisset sequi præcepta Mosis dixisset; seruate legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus & Pater. Sed cum adesset Moses & eius Propheta Elias, iubet eos ipsum audire potius. Ne autem calumniarētur aliqui veritatem, dicentes quòd pater eos iusserit audire Mosem, & non omnium nostrum Saluatorem Christum, necessariò Euangelista adnorauit, dicens, quòd cum vox illa extitit, inuentus est Iesus solus. Quando ergo sanctis Apostolis Deus pater, tanquam ex nubibus desuper præcepit, dicens, Ipsum audite; aberat quidem Moses, Elias autem non aderat; solus verò erat Christus. Iussit ergo ipsum audire. Ipse est enim finis legis, & Prophetarum. Propterea Iudęorum populum allocutus est, dicēs: Si crederetis Mosi, crederetis vtique mihi. Ille enim de me scripsit. Quoniam autem & per sapiētissimum

Mosem datum præceptum cōtemnere, & quæ per sanctos Prophetas dicta sunt nihil ducere perpetuò perseuerarūt, iure sunt abalienati, & exturbati à bonis, quę promissa sunt ipsis patribus. Obediētia enim melior est, quàm sacrificiū; & auscultatio quàm adeps agnorum; sicut scriptum est. Et ita quidem se habent res Iudæorum. Nobis autem qui eius aduentum agnouimus, omnia omnino bona aderunt, per ipsum, & in ipso Christo. Per quem, & cum quo Deo & patri, gloria, & potentia, cum sancto spiritu in secula seculorū, Amen.

ANDREAE EPISCOPI

Cretæ Hierosolymitani oratio de eodem festo.

Habetur apud Metaphrastē.

QVotquot estis, quibus verbi Dei exinatione irrationalis vitæ velamen ablatum fuit, & à terra erectam habetis mentem, & quæ sunt supra sentire didicistis à spiritu, agite mihi credentes, qui vobis spiritale verborū propono conuiuium, & oratione in altum ad superiora eleuo, hodie conscendamus in sublimem montem Transfigurationis, Syluestrem quidem vitam, & tenebrosam exuentes, à superis autem omnino cōtextam vestem, & virtutum radiis per rationem omni ex parte decoratam induentes. Nos itaque iam candidatos, & vita, & sermone, & puris, ac synceris cogitationibus à spiritu erectos, ipse quoq, Christus, qui est purum mysterium, qui est genitoris verbum substantiale, qui propter nos descendit è superis, & nostram, vt pauper; benignitate sua carnem suscepit; velit nos (inquam) cum ipso hanc facere ascensionem. Illum autem velle ex eo patet quòd cum electos suos Apostolos, vt sibi propinquiores, & coniunctiores secum assumpsisset, ascendit in altum montem. Quid facturus, aut quid docturus? valde illustrem suæ diuinitatis gloriam, & splendorē ostensurus. In quem paulo quidem antea altiore mysterio nunc verò apertius per suam transfigurationem, transmutauit naturam illam quæ audiuerat: Terra es, & in terram reuerteris. Hoc ergo festum hodie celebremus, naturæ Deificationem, in id quod est melius mutationem, & ad ea, quæ sunt supra naturam accessum, & ascensum. Quomodo autem, & quanam ratione? Eò quòd tam magna, & naturam vsque adeo excedēs ad nos processerit eius verbi gratia, quæ humanam scilicet vincit rationem, quæ omnem mentem, & humanam intelligentiam incomparabiliter transcendit, & ex certa, & indemonstrabili mysterij traditione, propriè facit vt quod vngitur, illud ipsum sit, quod vngens & est, & nominatur, sola immobili differentia conseruata mysterio, propter eam, quæ confundi non potest vnionem, secundum quam præstantioris naturæ victoria, vel (vt magis propriè dicam) inexplicabilis est Deificatio: hanc sui verissimam prębens demonstrationem, nempe hypostaticam eorum, quæ conuenerunt, vnionem, quam admirabiliter, & supernaturaliter cognoscimus esse factam, ex ipsa mysterij summa concretione: Illa (inquam) concretione, quæ ad nos attinet, & ea, quę inferius, & propter nos fit, purissima verbi compositione, eiúsque ad nostram substantiam deductione, & secunda generatione, quæ fuit ex Virgine matre sine patre. Vnde secundum veridicam & mysticam Theologorum doctrinam, tanquam ex aliquo perenni fonte, per infinitum munificam gratiam syncerę Deificationis, ad nos magnum hoc procedit donum. Hoc admirantur Angeli; hoc glorificant Archangeli; hoc omnia supermundanorum intelligibilis ordo, qui pascitur immaterialiter, pro euidentissima, & verissima Verbi in nos benignitatis significatione habuit. Cuius quidem benignitatis infinitum, & immensum pelagus cum ordo ipse contemplatione non possit comprehendere, talem bonitatis incomprehensibilitatem, initium constituit maioris contemplationis, & ascensionis. Hoc ipsi quoque nunc laudare quidem volumus, non possumus tamen pro dignitate. Quomodo enim? cum ad id omni ex parte perfectè laudandum ne Angeli quidem possint peruenire; qui primum contemplantur splendorem, & circa diuinitatem vniuersarum rerum dominam choreas perpetuas ducunt: ne dum terreuis vinculis alligati homines (vt ait diuinus Hieremias) & quibus affert impedimentum caligo huius miseri, & humilis, & deorsum grauanti corporis per quod ne obscuram quidem aliquam nobis licet imaginationem percipere beatorum, & quæ intelligentia comprehenduntur spectaculorum, dum terrenarum rerum affectibus mens nostra detinetur; quo fit, vt summum illud, ac supremum appetendum bonum difficulter appetamus? Verum quoniā Deo gratum est id, quod fit pro viribus, licet omnino necesse sit de his longè minus dicere, quàm eorum dignitas postulat, propterea quòd verbis exprimi, & contemplatione comprehendi non potest mysterium; id tamen aggredi minimè est pertimescendum, nec id, quod omnem superat orationem, dubitandum est oratione honorare pro viribus. Non est enim rationi consentaneum, nec iustum. Nam hic quoque est scopus orationis, ostendere id, quod laudatur, omnem superare orationem. Quamobrem oratio suam ostendens imbecillitatem, cum eo comparata, quod celebrandum est, propositum assequetur; ita vt superata merito coronanda sit, cum rectè se gesserit in quibus non vicerit. Sed redeamus ad propositum, vel potius prompto, & alacri animo in montem ascendamus. Aliquandiu tamen ad montis radices versantes, Verbi pulchritudinem, quæ est ante ascensum, admiremur; cum quidem liceat iis, qui ita præparati ac prouecti fuerint, vnà cum verbo ascendere, ea, quæ sunt maiora, consequi, nube illustrari, inde oculis hebetari, excedere ab iis, quæ videntur, quæque humana mente percipiuntur; præterea eò quòd modum excedit lumine initiari in iis, quæ superant hominem (cum prius scilicet fuerint expurgati ab omnibus materialibus) deinceps autem propter ea, quæ dicta sunt, illam quoque beatam, quæ è superis à patre profertur, vocem in excelsis audire; quæ quidem verè suo testimonio vnigenito tribuit diuinitatem, & nobis euidenter ostendit eius, qui est ante secula genitus, essentiam eandem esse cum eius, qui genuit essentia. Vt ergo hoc fiat, age quantum licet, mysteriorum duce freti spiritu, consideremus ea, quæ vulgus non potest contemplari: quo quidē vel solo mēs ea videt, quę sensum superant, & per eum nos iucundè oblectemus iis, quæ facta sunt in Domini transfiguratione. Mysticæ enim contēplationes (vt ego quidē existimo) eò spectāt, & hic

Nota diem festum Dominica Transfigurationis.

& hic est scopus transfigurationis, & mysterium ipsum sic à nobis laudari conueniens est. Res enim postulat, vt nos intelligẽtes altitudinẽ eorum, quę in ipso facta, & dicta sunt, imitatione eius, qui fuit transfiguratus, cognitione efficaciorem attrahamus gratiam quę in nobis ipsis admirabile hoc, & nouum mysterium operetur. Quid ergo dicit Euangelium? Decet enim huius contemplationis, aut præclari conuiuij, aut nescio quomodo vocãdum sit, quod propter gratiæ magnitudinem linguam vincit, & cogitationem, hinc iacere fundamentum. Matthæus quidem narrat Dominum dixisse discipulis: Amen, amen dico vobis, sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno suo. Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius, sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerũt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum, Domine, bonum est nos hîc esse; si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Elię vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et Accessit Iesus & tetigit eos dicens: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi Iesum solum. Et descendentibus illis de monte præcepit Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat. Porrò autem Marcus quoque magna ex parte conuenit cum Matthæo, & verbis, & sententiis cum illo congruens, & habens eodem spiritu inspiratam animam, mentémque informatam. Quòd si paululũ discrepare ab vno, vel à duobus visus fuerit, non propterea, nec illi vni, nec aliis cõtrarius est, vel repugnat. Aut enim alio modo quòd ad phrasim pertinet (vt paucis de his differam) res gestas verè illi narrauerunt; aut quæ ab hoc fortasse, vel ab illo Euangelista sunt prætermissa, vnus, aut plures tradentes videntur dissentire: sicut nec omnes communiter eodem ordine, nec vllus separatim ex quatuor scripsit omnia quæ inexplicabili dispensatione in carne fecit: Verbum, factum quidem caro, sed non desinens esse Deus; & si vnum scopum nempe veritatem, ipsam haberent omnes quatuor, & eorum vi, ac potentia per partem comprehensim simul exposuerunt, vt sæpe accidit, propter eloquiorum inter se spiritus consensionem, & conueniẽtiam, & membrorum instar in vno corpore, commissuram, & compositionem, quæ habet continuationem indissolubilem. Eorum autem, quæ dicũtur, veritati ferunt testimonium, non ea solùm quæ separatim apud ipsos, aut apud quosdam eorum inueniuntur, sed illud etiam quod excelsus Ioannes, in ipso fine Euangelij, scripsit. Ita enim habet: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quę si scriberentur sigillatim, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scriberentur, libros. Eadem autem de Luca quoque dici possunt; qui quidem exponẽs gratiam transfigurationis, ea etiam, quæ visibiles tres excedunt, mysticè innuit, & paulò progressus, à Marco, & Matthæo dissentire videtur; quæuis in eo quod verum est enarrando cum vtroque conueniat. Is enim scribit, Saluatorem ita ad discipulos suos locutum fuisse: Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes, qui non gustabũt mortem, donec videant regnum Dei. Factum est autem post hæc verba, fere dies octo. Sed quid dicemus, cum Marcus & Matthæus veluti vno ore loquentes hęc dicãt, Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos? Ad hæc responderet beatus Lucas; Nihil ex iis, quæ à me, & ab illis dicta sunt, potest esse magis in omnibus vnitum, & coniunctum. Vetè enim inter nos conuenimus, & eandem vim habent, quæ à me, & ab illis dicuntur. Illi enim die prætermisso, quo id, quod paulo post erat à Verbo faciẽdum Apostolis communiter est prędictum; & illo rursus, in quo id, quod prædictum est, Verbum fecit admirabiliter, eos, qui sunt inter duos, primum, inquam, & vltimum, vel potius inter primum & octauum, numerant; qui quidem sunt apertè sex quibus si duos coniunxeris, principium & finem coniungens medio, id, quod quæritur, habebis sine contradictione, & nostratum scripturarum inter se conuenientia videbis Sole clariùs, & potiùs elucere, cum veritas ipsa singulari resplendeat pulchritudine. Sed postea quàm quod Lucas de hac re scripsit, id cum aliis conuenire, & congruere docuimus, agẽ iam in adyta ipsa ingredi ausi, mysticorum, quæ in verbo sunt abscondita, spectaculorum decus aperiamus, eo, quod appatet, tantò clarius, secretius, ac perennius quãto est spiritus catue excelsior. Sitis autem mihi priùs purgati, & auribus, & cogitatione, ô chari mysteriis Verbi eruditi, atque initiati, & rerum honestarum studiosi, spiritu omnia purgante, & illuminante, vt vobiscum, tanquam cum familiaribus, coalescens Verbum habeat consuetudinem, & iis, qui non didicerunt, perfectiorem ostendat mysteriorũ rationem. Sed nũc quoque mihi adsis, ô Euangelista, & doctor veritatis, qui Euangelicorũ verborum, & sententiarum, eam, quę est inter vos inuicem, concordiam, & consensionem oratione ostendisti, & adaptasti; qui Christum in Paulo loquentem intra teipsum quoque attraxisti spiritu, & Pauli imitatione ab ipso prædicatum Euangelium litera, & spiritu, constituisti magna tuba pietatis effectus, & circumsonans omnes fines orbis terrarum. Nescit enim vno loco circunscribi, quæ non potest circumscribi gratia. Et sis mihi dux, ô vir laudatissime, in hac sacra contemplatione, mentem meam transmittens ad occulta, & vere beata Christi Regni spectacula. Quid ergo dicimus, fratres, & quodnam est hoc verborum conuiuiũ, & cõtemplatio, ad quam vos prouocamus hodie, & ad quam vos volumus accedere cum spiritu? Senarium numerũ dicũt ij, qui sunt in his rebus exercitati, soluti intra denarium numerũ esse perfectum, vt qui ex suis partibus constet, & compleatur. Christus enim qui est Dei sapiẽtia, & virtus, qui verbum insigniter bonũ, qui vnigenitus filius qui est in sinu patris, sex quidẽ diebus fabricatur id totum, quod apparet. Quinetiã hominem qui constat ex immateriali anima, & materia corporis. Porrò autem charitatis quoque, qua nihil est ex bonis excelsius, neque cum ea comparandum, sex ipse aperte enumerat species, in quibus

in seipsum aperte suscipit eam, quæ in egentes exercetur, benignitatem. Misericordibus enim misericordia repensans misericordiam, & vt munificus tribuens dona eius, quæ illic est, beatitudinis, ait eis, cum iam digni habiti fuerint, vt stẽt à dexteris dicet: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, Sitiui, & dedistis mihi bibere; Hospes eram, & collegistis me; Nudus, & operuistis me; Infirmus, & visitastis me; In carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus? Sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? Aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Cum ergo tot sint, & tales charitatis species, sicut in Euãgeliis ipsa apertè clamat veritas; per charitatem autem, in proximum conferantur; per quam etiam ea, quæ sperantur, beatitudine dignus efficitur, qui eius verè intentam habet appetitionem: Cumque in duobos mandatis pẽdeat tota lex, & Prophetæ (vt verbum asserit in Euangeliis) hinc patet charitatem esse rẽ, quæ omnia bona maximè continet, & est summa omnium, quæ per sanctam declarãtur scripturam. Neque est vlla virtutis species, per quam homo Deo fiat familiaris, & ei coniũgatur, & fit supernæ gloriæ, & Regni hæres, nisi dependeat à charitate, & ab ipsa comprehendatur, inexplicabili ratione contenta, & custodita. Quocirca summam inter homines perfectionem, & puritatem eius, quæ in agendo versatur, Philosophiæ; cuius finem dicunt esse bonum, quod quidem est ipse Deus; sola perfectè charitas, quæ per senarium suarum partium numerum rectè perficitur, constituit. Quo facto Deo quoque hominem coniungit insigniter, ignem accendens Theologiæ. Sed quanam de causa dicta sunt hæc? Dico quòd si quis voluerit in excelsum contemplationis montem, tanquam discipulus vna cũ verbo extolli, & illius Regni, ad quam adiri non potest, gloriam spectare, eiùsque dignus haberi ea apparitione, quæ tam sensu, quàm intelligentia percipitur, ille (inquam) postquam audierit Christum prædicẽtem fore, vt breui videat eius Regnum (hoc enim innuit Transfiguratio, per quam is, qui est immutabilis, plusquam Sol, quod ad nos quidem, & nostra attinet, resplẽduit) nutriet quidem, & potabit Christum, qui esurit, & sitit omnium salutem; nutriet, inquam, & potabit illum per egenos, habitantem in omnibus, qui eum per fidem accipiunt. Colliget autem hospitem; induet nudum; curabit ægrotum; & eum, qui est inclusus in carcere, non despiciet: sed visitabit, benefaciendi vehementi motus desiderio; Immo per laudabilem honestatem rerum insatiabilitatem, non consistet in iis, quæ videntur; neque ea, quæ est in res exteriores, benignitate circunscribet suam in benignum Dominum benignitatem (Hoc enim audeo dicere hæc verba cõsiderans; Quodcunque vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis) sed etiam procedet vltra id, quod apparet, & animarum passiones curabit & conuenientem medicinam excogitabit; & in loco quidem pascuæ collocabit animalia ratione prædita, & nuper formata ad pietatem, Super aquam refectionis autem ea educabit; & eum quidem, qui peregrè à sua profectus est patria, versatur verò, & errat in terra aliena, eum reuersus, qui propter nos hospes factus est, in domum suam, quæcunque ea sit, libenter deducet, abducẽs quidem à terrena vita, & quę potest diuidi, ad vnicum autem, & cœlestem sanctorum cœtum traducens, in quo versatur Paulus, & ij qui timent Dominum; Quinetiam videns alium paternis nudatum facultatibus, & exutum veste incorruptionis, quæ est in libero animi arbitrio, nuditatem miseratus rursus induet, eam, quæ est secundum Deum, & est beata, vitam introducẽs. Quid autem? eúmne, qui est fide infirmus, & in eorum, quę sunt facienda, discretione puerili se gerit cogitatione prætëribit silentio? Nequaquam, sed ad desideratam sanitatem, & proprium finem illum reuocabit citissimè, veritatis verbo fugans affectiones irrationabilitatis, & innatam rationem proprio restituens principio, iram, & cupiditatem bigam partis animæ patibilis, secundum rationem subiungens rationi, erigẽsque, & mouẽs spiritu ad ea, quæ oportet. Ad hæc eum quoque, qui est conclusus tenebris ignorantiæ; prohibetur autem videre lucem inerrantis cognitionis, proindè ad locum veniens tenebrosum, tanquam per quendam Angelum, per rationem, quæ mentem illuminat, disruptis vinculis ignorationis, deducet ad lucem eius, quę est secũdum Christum libertatis, & institutionis, neque seruitutis iugo deinceps alligatum, neque ad cœlestem pulchritudinem mente libera ascendere prohibitum. Et hæc omnia, & quæ sunt huiusmodi, probabili ratione, & modis probabilibus, charitatis facibus in animo accensis, ostendet dupliciter. Cum nos enim simus duplices, vt qui constemus ex anima, & corpore, duplex quoque est curatio, qua ipsi, & omnes homines indigemus; etiam si ille quidem plus, hic verò minus; quandiu fuerit mutationi subiectum liberum arbitrium; & ex se acceperit materia id, quod est inordinatũ, & inæquale, externisque molestiis, & difficultatibus fuerit obnoxia. Quamobrẽ oportet nos nobis vti inuicem benignè, & humaniter, vt alioqui nos ipsos afficiamus beneficio. Beneficium enim cum seipso maius conferit apud eum, qui accepit, ad benefactorẽ conuertitur copiosius. Eo autem euidenter homo Deum imitatur. Imitatio verò est familiaritas, & coniunctio. Coniunctio autem est assimilatio. Illa verò est summum bonorum. Vides quantus sit fructus benignitatis; Sic enim aliquis, cum perfecto mandatorum senario serui lem omnẽ timorem expulerit; & praua vitiorum molestia se, quoad eius fieri potuerit, expurgauerit; & in charitate fuerit consummatus, præmium virtutis recipiet per naturalẽ, quæ est in spiritu, contemplationem, certam scilicet cognitionem eorum, quæ sunt tempori, & naturę subiecta, intelligens mundum materialem, & qui videtur, ex diebus constantem, esse figuram eius, qui seorsum transcendit; & per eum qui videtur, pulchrè videns eum, qui non videtur; aptéque, & concinnè ad earum rerum, quæ intelligentia percipiuntur, & plurima luce illustrantur, speciem, traducens pulchritudinem eorum, quæ apparent. Et sic creatam naturam ad suum authorem eius mentem perducentem habebit; adeo vt per vtra-

que, actionem, inquam, & cõtemplationem, poſt eam, quæ eſt in vtriſque, perfectionem, quæ per diuinorum mandatorũ ſenarium, & per dies etiã ſignificatur, in quibus conſtitutus fuit mundus, qui cernitur; poſſit purè intelligere octauæ diei myſteriũ. Quod quidem per Lucæ myſticam doctrinam (vt mihi quidem videtur) patefactum videtur aliquis ex iis, qui ſunt dediti contemplationi, & qui ſenſum ſuperarunt. Id autem, quod dicitur, & ea, quæ ſunt futuri ſtatus, veram extra carnem, & mundum guſtantes cognitionem, quoad eius fieri poteſt, hic etiam ex iis, quæ ſunt experti, didicerunt. Sed hæc quidẽ, quod attinet ad iter muniendum gloriæ, & gratiæ, quæ eſt in monte aperienda iis, qui ſunt perſpicaciores. Quãdo autem cũ Ieſu intra nubem fuerint, tunc lõgè apertiùs, & excelſiùs, per verbi veſtes, quæ tanquam nix dealbatæ fuerint, & reſplenduerint ſicut lux, digni habebuntur myſtico eorum, quæ priùs dicta ſunt, ſpectaculo, iam ſignis veritati cedentibus. Verbi autem veſtes ſecundum ſpiritualem cõſiderationem intelligi poſſent tam illæ, quibus contegitur, quàm quibus detegitur; quod eſt profectò admirabile, & præter opinionem. Quomodo? Per vnam quidem ſpeciem, quæ anagoge dicitur (vt mihi quidem videtur) ſignificant ea, quę à Saluatore noſtro dicta, & facta ſunt in illa vita impolluta, immaculata, altiſſima, integra, & incorrupta, quæ mundo apparebat per carnis ſuſceptæ diſpenſationem; quæ ab omni quidem improbitate erat libera citra comparationem; omnis autem puritatis, & ſanctitatis noſtrę cauſa, & exemplar naturæ; quod is, qui ſuperſubſtantialis eſt, cũ verè ad ſubſtantiam noſtram veniſſet, & ſupra ſubſtantiæ conditionem ſubſtantiam humanam ſuſcepiſſet, cũ hominibus verſans, nobis reliquit; qui etiam in monte inſigniter coruſcauit: non vt qui ſeipſo euaſerit clarior, aut excelſior: Abſit: ſed qui id etiam, quod priùs erat, diſcipulis, qui in altioribus initiabantur myſteriis, verè cerneretur. Ea ergo, per quæ illa vita conſtitit, verba & facta, quibus etiã infinita in nos diſpẽſationis altitudo Verbi oſtẽditur, nõ abſurdè pro veſtibus Saluatoris accipientur, aut illa per eas ſignificabuntur, ſpiritu purgatione vtraque tanquam lux reſplendentia, propter perfectam puritatem, & ſummam claritatem. Alio autem modo Verbi veſtes intelligi poſſent (quæ res, vt arbitror, non indigua eſſet ſpiritu) eorum ſcilicet quæ ab ipſo verbo procreata, & ad eſſentiam producta ſunt, magnificentia, quinetiam ſacra ſcriptura; Illa quidem, vt quæ creatorem, & auctorem, purè aperiat, latentem quippe qui neque oculis cerni, neque loco capi poſſit: Hæc autem, vt quæ verbum, quod myſticè ac libenter in ea verſatur, & reſonat, oſtẽdat ineffabiliter iis, qui ſunt digni ſpiritu. Vtraque enim per ſpiritum expurgantur, & illuſtrantur, & talia puritate oſtenduntur rerum diuinarũ amatoribus, & iis, qui delectantur contemplatione, qualia non poteſt fullo dealbare in terra. Spiritus enim, inquit, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Atque ſic quidem per veſtes, quod intra eas celatur Verbũ, ſeipſum aperit, & cognitionis ſuæ lucem immittit, illis ſcilicet, qui vt Petrus, Iacobus, & Ioannes perfecti ſunt ſpiritu. Ex quibus ille quidem vt Petrus ſupra petram ſtabiliter fundatus, & fidei fundamentum, & eam, quæ fit per virtutes, Eccleſiæ diſpenſationem in ſe ſuſcipit. His autem, vt pote filiis tonitru, excelſæ Theologiæ myſtica contemplatio creditur, & vt qui baſim habeant ſolidam, & quæ non poteſt labefactari, nempe petram immobilem. Et ille quidem profundum; hi verò latitudinem, vt arbitror, & altitudinem fidei ſignificant, quæ eo, quod comprehendi non poteſt, myſterio æqualiter omni ex parte omnem excedũt infinitatem. Sed tales quidem ſunt Saluatoris veſtes, & ſic effulgentes. Faciem, verò ſupra modum coruſcantem; pulchritudinem inſignem, quæ omnibus rebus amabilibus eſt altior, & pretioſior, quæ iis, qui vidẽt, conciliat lætitiam indiſſolubilem; quæ quatenus comprehendi videtur, eo ipſo manifeſtatur, quippe quæ vel extrinſecus occultè appareat, quæ eſt diuiniſſima, & omnium recẽtiſſima, quæ mens, aut oratio inſpiciet, aut explicare poterit? Si enim tales ſunt veſtes propter ſplẽdorem intrinſecùs ſcaturientem, certè quod à veſtibus tegitur, vt quod viſum ſuperet & cognitionem, ſi ipſum per ſe ſolum fuerit, omni ſpoliatum integumento (Quid hoc dico) ſi vel in ſola ſancta ſua veſte fuerit, quam cum ex virgineis ſanguinibus conſtruxiſſet, ſibi per ſpiritum myſticè coagmentauit; quis id eſſet viſurus? Non eſt, inquam, non eſt aliquis ex creata natura, qui eius ſummum ſplendorem poſſit capere. Nam & ſi bonum eſt eiuſmodi, vt nulli ex omnibus ſit incõmunicabile, non totum tamen id, quod eſt, ſed quantum, & quatenus aſſequi poſſunt ij, qui ſunt participes, capi poteſt; idque propter ſummam eius bonitatem, infinitis ad omnia procedit, & profunditur illuminationibus. Cuius rei demonſtrationem affert id, quod beato, & celeberrimo quodammodo paſſi ſunt ſancti Apoſtoli in monte, quando ad quam adiri nõ poteſt, & eſt temporis expers, lux propriam carnem inſigni propriæ lucis ſcaturigine transformãs, illuſtrauit eos ſupereſſentialiter. Nam cum ab omni macula alienæ illius carnis radium ferre non potuiſſent, qui oriebatur ex Verbi diuinitate, qui erat carni vnitus in hypoſtaſi, & per eam ſupra naturam emanabat, proni cadunt in faciem. O miraculum! Propter veriſſimam naturæ extaſim graui ſomno, & metu correpti, obſtructis ſenſibus, cum omnẽ intelligendi motionem, & apprehenſionem omnino amiſiſſent, ita in diuina illa, & lumen exuperante, & quæ in aſpectum non cadit, caligine, cum Deo verſabantur, eò quod omnino non viderent, verè ipſum videre acquirentes, & per id, quod eſt eiuſmodi, vt nulli cognoſci poſſit, inſignem ſibi parantes ignorationem, omníque intelligenti attentione excelſiorem vigilantia per ſomnum illum myſticè initiati. Fit autem admirabiliter in re admirabili vigilantia ſomnus, vel potius ſomnus ipſe vigilantia; cum cognoſcendi apprehenſionibus quieſcentibus, rerum ſupernaturalium notitia credita illis fuerit. O quis mihi dederit tantam quantam cuperem eloquentiam. Quis eſt, qui pro dignitate poſſit vnà extolli cũ ipſo myſterio? Quiſnam intelligentiæ motus, ſi ad hoc ſolùm aſpexerit non protinus omnino extinguitur, cedens miraculo, ad quod adiri non poteſt? Hoc Dauid quoque, cum procul, vt arbitror, animaduertiſſet, ſpiritus receptaculũ, regale, & propheticum inſtrumentũ, diuino ore clamauit ad Deum vniuerſorum, dicens; Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Quid verò? quale, & quantum

Vides Petrum eſſe ſupremũ in Eccleſia Hierarchã & ab eo tanquã à capite membra, omnẽ poteſtatẽ in cæteros deriuare?

rum foret & vata mysterium Transfigurationis, propter quod exultaturi essent Thabor & Hermon, vt quod nec verbis exprimi, nec méte comprehendi possit, silentio honórauit; quippe quod ab iis, qui ea re digni essent, & experientia ipsa (si fas est) didicissent, cognoscendum foret. Postquam autem ad hunc locum perueni, ea quoque, quæ à Petro dicta sunt, consentaneum mihi videtur tractando declarare oratione, quæ nesciens quid diceret, à sancto spiritu possessus, præ gaudio est elocutus. Ea enim, quæ facta fuerat, apparitione luminis, & diuina contemplatione supra naturam, lætatus, & delinitus Petrus, & Deo totus afflatus, eum motum animi verbis explicare non posset, & rursus silentio diffluere gratiam non pateretur, non stultitiæ, nec stoliditatis (vt existimauerunt aliqui) verba loquitur, sed ea verba effatur, quæ sunt genita, & producta ab illo ineffabili mysterio, & illa planè diuina operatione. Quid autẽ dicit? Domine bonũ est nos hic esse. Quamobrem, Petre? Vt à turbulenta, inquit, hominum vexatione liberati, & anima, & sensu per separationem à turbis (quomodocunque eæ intelligantur, aut dicantur) purgati, inexplebili tuæ diuinitatis apparitione hic fruamur sine intermissione, ô Domine. Eo autem quidnam fuerit melius? Quid verò iis, qui sapiunt desiderabilius, atque amabilius? Quamobrem, si velis, Domine, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum. Est enim honestum, vt & litera legis, quæ occidit, quæ per Moysen significatur; & viua lex naturæ, quam ostendit viuus Propheta, hic apud te habitet, Verbum, qui homo factus es, & habitasti inter homines; qui verè es requies, qui vitæ, & mortis Dominus; cui omnes sancti viuunt, quamuis à membris humanam conetetionem componentibus segregati naturalem mortem passi sint; qui es Rex vniuersorum; & qui omnia contines, & es author omnium, vt diffusa tua, ad quam accedi non potest, luce ipsi quoque illustrati, te qui in eis habitas, & inambulas, Verbum, mundo faciant manifestum, priorem quidem suam vitam deponentes, solam autem tuam, quæ ino spiritu, & igne diuino constat, Euangelicam admittentes gratiam; quæ est excelsa, & immaterialis, quæ nunquam desinit, neque consenescit, aut interit; sed semper feruore spiritus ad id, quod est maius, & diuinius, procedit, & extollitur per gratiæ infinitatem. Iam verò eum de nube quoque, & de iis, qui eum Iesu simul loquuntur, cõuenienter ei, quę latet in abdito sententiæ, pro viribus perscrutati fuerimus, ne simus procul remoti ab ea, quę significatur per ipsa contemplatione. Est ergo nubes lucida nostro Verbo conuenienter, ex qua etiam procedit vox Patris, quisnam sit, & vndenam sit transfiguratus, clarè prædicans; Columba illa, quæ in Iordanem paulo ante deuolauerat; spiritus ille sanctus, qui in columbæ specie descendit ex superis, & mansit super illum ipsum, qui baptizabatur, & baptizabat, conuenienter testimonio Ioannis, in spiritu, & igne, in quo etiam habet inseperabilem (si ita dicere oporteat) mansionem, per eam, quæ est inter ipsos inuicem personarum colloeationem. Hæc de nube sentire docemur, à magno Apostolo, quem in his magistrum habemus. Hic scribens ad Corinthios: Nolo, inquit, vos ignorare fratres, quòd patres vestri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & mari. Nube spiritum, mari aquam figurari sentiens; ex quibus, & per quæ est fons baptismi regenerationis, vel potius diuinæ generationis maximum donum, & pulcherrimum. Neque enim potest aliter, aut in filio pater, aut in patre filius inspici, nisi in sancto spiritu, qui à patre quidem procedit, in filio autem per essentiam versatur, & quiescit, vt qui sit einsdem cum vtrisque essentiæ, & sede, honoréque æqualis. Hic igitur idem, quod in Iordane, Trinitatis declaratur mysterium, quod ad inseparabili vnione, & planè vnitate eius, quæ omne superat principium, & principio caret diuinitatis, continetur, & apparet per eadem verba. Addunt autem per res quoque ei, qui diuinè considerat, & transcendit omnem creatam naturam ducta spiritus. Hoc autem est, per quod nube illuminati, & luce vultus domini omni videndi priuati visione, ij, qui prælati fuerant cæteris Apostolis, vt Transfigurationis in monte essent inspectores, & testes, fuerunt extra omnia, quæ videntur, & intelliguntur, atque adeo etiam seipsos; vt, quod omnem deificationem, & ablationem insigniter exuperat, per verbi apparitionem, & spiritus adumbrationem, & quę ex nube desuper ferebatur, Patris vocem, per visus priuationem, & ignorationem, superessentiale docerentur mysterium. Sub hac nube sunt Moyses, & Helias, & vnà cum Iesu colloquentes cernuntur, & eius prædicantes excessum, qui futurus erat per Crucem. Ex quibus ille quidem scriptam, vt priùs dixi, legem, hic autem legem significat naturalem, vt, qui per vtrosque multifariam, multisque modis (vt Apostolicè dicam) legitur, & prædicatur Verbum, huius quidem effector, illius verò perfector cognoscatur, & vni quidem seipsum beatum finem imponat, alteram autem iam inueteratam & quæ iis, qui erant ratione præditi, propter rationis egestatem effluxerat, renouaret spiritu, & eum vtriusque legis homines ad seipsum collegisset, & ad spiritalem, & materiæ expertem tedegisset gratiam, ostenderet eos in se nihil omnino inter se differre; qui etiam euanescunt abditi sole Euangelij, vel potius illuminati, & in altum sublati, &, vt dicam id, quod est maius, ad illum ipsum Solem in vnum congregati, cedentes ei quod est præstantius, & omnino ab eo superati. Est autẽ beatus, qui, cum contactu Verbi carne crassa induti, & subiecti ei, quem nos habemus, sensui, eorum, quæ mysti è apparuerũt, acceperit cognitionem, gratiam non affecit contumelia, ostendens seipsum indignum spiritu; sed ipsum vel solum maximè legem putat: quinetiam seipsum facit illuminatione spiritus eum, qui lege diuina, & humana nouo quodammodo vitam nobis instituit. Nobis enim, quibus etiam homo factus est, vixit; qui donum quoque in hanc vitam intulit, nempe institutum vitæ supramundanum. Quod eum etiam accepisset vita hominũ, effecta est in gignendo copiosa, ac multiplex in iis, quæ sunt spiritus, deposita sterilitate, quæ ei inerat ex peccato. Quocirca deinceps cum Angelis choreas ducunt homines, Deum communiter laudantes, & dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. Habes ergo, ô dilecte rationem mysterij, etiam si longè tua spe minorem, viribus tamẽ nostris non inferiorem. Eam autem, quæ est excelsior, & ma-

gis myſtica, ab ipſo Verbo quæſieris, qui etiam propter te carnem tulit, & crucẽ ſuſtinuit. Quem apud te acceptum omni ſtudio conſerues nequaquam proferendum, & arcanum, Verbo parens, donec ipſe, qui carne paſſus eſt dominus, cum in te, victa morte, ex mortuis reſurrexerit, & te vnà fecerit reſurgere, qui à peccato morte affectus fueras, Deum faciat ſpiritu. Eſt enim tempus (vt videtur Solomoni, & veritati) omni rei. Hæc ergo cum ſcias, ô homo, te nequaquam arguas indignum gratia, neque per tuam in vita agenda negligentiam, damno afficiaris in rebus cæleſtibus, & quæ nulla agitantur ſeditione: ſed omni animæ repulſa ſocordia, & ea, quæ eſt ad materialia, excuſſa affectione, eſto purus, & totus omnino deditus melioribus, & cæleſtibus; Nóſque omnes vnà contẽperemur cum eo, qui deſideratur, gratia, & clementia domini noſtri Ieſu Chriſti. Per quem, & cum quo Patri gloria, & ſancto, ac viuifico ſpiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

BASILII EPISCOPI
Seleuciæ Iſauriæ oratio de eodem feſto.

Habetur apud Metaphraſte.

SOl in terram modò emittens radios, ſtellarum quidem choros contegit, Lunæ autem lumen obſcurat, inſigni ſplendore impediens, ne cernantur luminaria; noctis autem curſum reprimit, luce tenebras ſeparans; omnia autem veluti nigra veſte exuens, ea lucis gratia induit, & oſtendit terga continentis coronata floribus, & mare purpuræ ſpeciem præ ſe ferens; & cum ſit vnus, creaturæ, quæ cernitur, naturæ illuſtra faciem. Verum enimuero etſi ſit tantus, ad ſummam vſque lucem nondum perueniſſe arguitur. Nam & mortales oculi eum audent intueri, & ſæpe ſubtercurrens nubes ſplendorẽ diſcutit, & vmbroſa arbor fulgorem prohibet, & nox freta lege eius, qui eam creauit, in æquilibrio tempus cum Sole partitur. Quoniam enim vita hominum eſt & laborioſa, & conſtringitur laboribus: propterea diem quidem extendit Creator ad operandum; nox autem aduentans & defeſſos inueniens, eos tradit lecto relaxationis, membra quidem ſomno ſoluens, dans autem naturæ præfinitum tempus virium paulatim colligendarum. Magna eſt igitur, vt dixi, & ſplendida lux Solis, ſed quæ vſibus ſolùm hominum æquali reſpondet proportione. Non eſt autem huiuſmodi lux Domini. Non eſt enim fas creatam naturam conferre cum creatore. Neque enim ex collatione radiorum ſolis honoratur, neque noctis ſucceſſione occultatur: ſed ea eſt hominibus admirabilis, & Angelis ad eam non patet aditus. Hac luce indutus Chriſtus Dominus, tanquam trophæum geſtans, venit è cœlo in ſecundo ſuo aduentu ad homines. Tunc enim mutata belli figura, veſte victoris induitur. Sic enim dicit Propheta deſcribẽs belli figuram: Quæ ſunt rubra veſtimenta tua? Ius enim belli eius, qui bellum gerit, veſtem cruentauit. Quoniam enim Deo totius ſui conſilij, & oeconomiæ is eſt ſcopus, qui eius in homines declaret benignitatem, variè perficit voluntatem, & ad vſum hominum humiles figuras induit. Sic in paradiſo ambulans eum, qui primus formatus erat, ſe abſcondentem hominem vocat ad colloquium. Sic inter eum ad homines loquentem nubes interceſſit; & cum in nouiſſimis diebus apprehendiſſet humanitatem, ſemper apparet conuenienter legibus naturæ ex iis, quæ patiebatur, naturæ aſſumptæ fidem feciſſe. Huiuſmodi ſunt, præſepe, partus faſciæ circuncisio, purificatio, & lege conſtituti pretij ſolutio, crux poſt hæc, paſſio, & mors. Sed hæc quidem fuit prima carnis ſuſceptæ oeconomia, humili figura ſe ad vſum hominum accommodauit. In tempore autem ſecundi aduentus mutat figuram, non amplius humilem vt prius, ſed terribilem faciens, & præclaram. Illius ergo aduentus ad gloriam volens aperire diſcipulis, dicebat: Sunt quidam ex vobis, qui mortem non guſtabunt, donec viderint filium hominis venientem in gloria patris ſui. Atque vos quidem intuentes ad eam, quæ nunc eſt, figuræ humilitatem, propter ignorationem rationis, eius, quæ celatur, ſapientiæ nõ peruideris profunditatem, & menſura cognitionis a vobis ſumitur ex menſura aſpectus: Tanto enim tempore ſum vobiſcum, & non cognouiſtis me; Aperiam ergo vobis aliquam partem eius, quod ſpectari non poteſt, ſpectaculi, & ſpem futuram deducam ſub aſpectum. Locutus ſum vobis de paſſione, & obtorpuit animus. Dixi oportere me crucifigi, & illius conſideratione metu fractus eſt animus. Dixi, ſi quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Affectionem enim probat Crucis ſocietas; ſed memoria paſſionis robur quoq; ſoluebatur. Dixi, Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur? & eo ſermone veſtrum timorem non amoui, ſed ita manſit animi perturbatio, quaſi amoueri non poſſit. Rurſus introduxi iudicem, qui non corrumpitur muneribus, qui donis non condonat delicta, dicens: Quod enim pretium dabit homo pro anima ſua? & apud vos fuit dubia oratio: Dixi, Veniet filius hominis in gloria patris ſui, & exiſtimaſtis me narrare fabulas. Quoniam ergo fuit inefficax oratio, res docebunt. Sunt aliqui ex iis, qui hic ſtant, qui mortem non guſtabunt, donec viderint filium hominis veniẽtẽ in gloria patris ſui. Futuri mei aduentus nõdum eſt tẽpus. Oportet enim fixam eſſe Crucẽ, vinci inferos, mortuis proponi decreta libertatis, cum ex mortuis reſurrexero, in cœlos aſcendere, omnibus proponi certamen prædicationis, per prædicationem dominatum obtinere Euangelium, & tunc apparere eum, qui in Euangelio annunciatur. Sed vobis meis diſcipulis ſtudeo prius donare imaginem mei aduentus, vt eum ante tempus ſpectaculum oculis hauſeritis, ea, quæ præceſſerint, vobis fidem faciant futurorum. Sunt aliqui ex his, qui hic ſtant. Quinam? Non enim omnes. Non enim nunc publico ſpectaculum: maneat id quod viſum fuerit myſterium, etiam poſtquam viſum fuerit. Hæc cum dixiſſet, inquit, aſſumit tres diſcipulos ſuos Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Hos adhibens ſpectatores, alios reliquit auditores. Et cum duxiſſet in montem Excelſum. Rectè Excelſum; vt etiam mons haberet deſcenſus ex cœlo imitationem. In montibus cœlo vicinis (vt Paulus prædicabat) rapiemur in nubibus in occurſum Domini in aerẽ. Nunc quoq; quærit locum, qui vnà cum nubibus extollitur. Atque ſpectatores quidem erant parati. Oculi autem erant

propter

propter ſpem aperti,& anima cum timore parturiebat ſpectaculi deſiderium. Cum ſic autem futurum expectarent, repentè transfiguratur Chriſtus coram diſcipulis, & mutatur eius forma; & cum lucis induiſſet tunicam, fulguris præ ſe ferentem ſpeciem oſtendit aſpectum. O miraculum! Ex humana forma ferebantur radij, qui emittebantur diuinis operationibus. Vidit Sol, quæ non prius didicit, vt qui doctus ſit abſcondi alterius luminis illuſtratione. Conſtitiſti, Sol, aliquando victoriam expectans Hebraicam. Reueritus es Ieſum ducem, qui imperauerat, in conſeruo honorans Domini appellationem. Nunc vidiſti lucem, quam non priùs videras. Hoc ſpectaculum narrantes ſcriptores Euangeliorum, alius aliò trahit dictionem, vt, qui verbis non poſſit exprimere ſpectaculũ. Alius enim dicit vtique; Reſplenduit facies eius, ſicut Sol. Alius verò: Reſplenduerunt eius veſtimenta, ſicut lux. Iis enim, inquit, quæ videmus, aſſimilamus. Vnà autem vincatur creata quoque natura, non inueniens ſimilitudinem eius, quod cernebatur. Teſtantur oculi; lingua enim dicere non didicit. Spectaculum autem ſplendore eorum, quæ videbantur, fulguris inſtar præſtringens oculos, ſignificauit orbis terræ futurum iudicem. Viſæ ſunt autem vobiſcum præſentes eæ, quæ ſunt viuorum & mortuorum ad virtutem primitiæ, vt viuorum ſimul & mortuorum Iudicem Dominum prædicent præſentibus. Moyſes enim, virtutis dux, & legiſlator, morte excedit è vita. Elias autem diuino zelo accenſus, ignis auriga efficitur; & cum curſu vectus eſſet per aerem, leges naturæ tranſiliit, viam inueniens morte ſuperiorem. Cum in hunc locum perueneris, fac vt in memoriam reuoces Domini rogata, & reſponſa diſcipulorum; cum alij quidem Eliam, alij verò vnum ex prophetis, alij verò Prophetam nominarent, viderent autẽ eum adorari à Prophetis. Moyſes ſupplicat, Elias ſe inclinat, & Dominum eſſe, non ſeruum teſtantur eum, qui aderat. Sed Petrus etiam ſi hæc videret, nondum docetur, vt cuius eſſet obſtupefacta ratio magnitudine miraculorum. Nam propter ſpectaculi deſiderium, omniũ obliuiſcitur, & loco alligatur ſuperatus à nimio gaudio. Faciamus, inquit, tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Arguit ſuam ignorationem, Dominum vna cum ſeruis enumerans: Exiſtimauit ſubiectos, eſſe Domino æquales honore. Sed non manſit Petrus in hoc vitio ignorantiæ. Nam cum tonitru deſuper erupiſſet, eum timore curat ignorationem, propemodum cum ſtrepitu hoc exclamans: Cur ſeruos cum Domino comparatis? Vultis ſcire differentiam? Hic eſt filius meus dilectus: Illos creaui ſeruos, hunc filium ex mea genui eſſentia. Meus eſt filius, etiam ſi ſerui forma propter vos eſt indutus. Habet lucem, ad quam accedi non poteſt, etiam ſi propter vos habet moderatos radios. O beatos oculos, qui Chriſtum cõtemplantur indutum inſtar ſp[...]ſi. O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij immiti cernunt ſpecie. Quæ enim cernẽt trementes Angeli, ea læti viderunt homines. Quænam enim vis oculorum poteſt diem terribilem ſubire iudicij? quando terra quidem mouebitur, & mare, quod hominum ex Adam orta ebulliet corpora: quatientur verò cæli cum Angelis timorem non ferentes. Complicabitur enim cælum tanquam Rege tranſeunte: repente verò contrahent ſatellites veſtibuli peripetaſmata. Ablato autem cælo, Angelicarũ quidem poteſtatum cum ſplendore ſe offerent ordines, mille millia Angelorum, & decies mille millia præcurrentia. Videbitur autem deſcendens Dominus inſigni luce fulguris inſtar illuſtrans omnia. Quis ergo eorum, quæ videbuntur, ſufficiet ſpectaculo? Quis metum poterit dimetiri? ſi enim repentinam non ferimus fulguris coruſcationem, ſed ea eum, qui cernit, in humum ſæpè deiicit: quid dixerit quiſpiam e[...]rientem eum videns, qui fulgurat? quando ſonitus tubarum vocabunt mortuos è ſepulchris; quando rumpentur capſæ monimentorum vinctos emittentes: quando iudicabuntur propoſita facta, & cogitata; quãdo vinctus adducetur diabolus, de quo tyrannicarum fomentor pœnæ cogitationum; quando ſeparabuntur gr[e]ges hominum, vt ſciatur quis cuinam ſit p[ar]ti attribuendus, quiſnam ſit futurus Chri[ſ]ti iudicis, aut condemnati latronis; quando ſimul viue[n]tes, & mortui confluent. Erit enim vna omnium adoratio, quandoquidem celeritas reſurrectionis faciet eorum, qui immutabuntur, corpora in curſu æqualia, conuenienter voci beati Pauli: Nos qui viuimus, qui relicti ſumus, non præueniemus eos, qui dormierunt: Nec erit mortuus iis, qui viuunt, propter ſepulchrum tardior. Et omnes eius ſententiam expectabunt cum timore, neſcientes, an ſint audituri. Venite benedicti patris mei; an, Abite in tenebras exteriores, quæ ſunt paratæ diabolo, & Angelis eius; quando trutina appendens opera, res circumſcribet fine conuenienti. Huius ergo ſpectaculi imaginem dedit Dominus Apoſtolis. Cuius nos terrorem reputantes, motes mutemus ante id tempus bonis actionibus fiduciam comparemus, & ante tempus Iudicij meditemur defenſionem, ne vnà condemnemur cum inimico, qui iudicatur, ſed cum diligente Chriſto in cælum aſcendamus hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti: Quoniam ei gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

IN

IN FESTO S. LAVRENTII MART.

Euangelium vide in Comm. vnius Mart.

S. AMBROSII MEDIOlanensis episcopi in hoc festo De grano sinapis, Homil. I.

Est Serm. I. IBENTER nos prædicate, & gratanter opus Dei facere manifestũ est: Sed cum videmus plures è fratribus pigrius ad ecclesiam conuenire: & dominicis præcipue diebus minime cælestibus interesse mysteriis prædicamus inuiti. Nõ quòd nos pigeat loqui: sed quia negligentiores prædicatio nostra grauet potius, non emẽdet: Ideo inuiti loquimur, & tacere non possumus. Prędicatio enim nostra in plebe aut regnum operatur, aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quisquis enim frater dominicis non interest sacramẽtis, necessario apud Deum castrorum desertor est diuinorũ. Nam quomodo se excusare potest qui sacramentorum die prandium sibi domi præparans, prandium cæleste contemnit, & ventris curam faciens, animæ suæ negligit medicinã? Dicit Dominus in sancto euãgelio, sicut lectio decursa testatur; Cui simile est regnum Dei, & cui simile illud existimabo? Simile est grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum: & creuit & facta est arbor: & volucres cæli quieuerunt in ramis eius. (Luc. 13.) Mouet fortasse sensus vestros: cur regnum Dei tam præclarum atque tam magnificum grano sinapis exiguo comparetur: & spei nostræ tam grãde solatium rei vilissimæ simile esse dicatur: præsertim cum alibi ibidem Dominus discipulis suis dicat; Si habueritis fidem sicut granum sinapis: diceris huic monti: tollere & iactare in mare. (Matth. 21.) Igitur si fides mira est quæ potest ab ipsis sedibus montium fundamenta transferre: necessario ergo & granum sinapis magnum est: ad cuius similitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim, non specie sed virtute & fidei qualitate: non oleri comparandum sed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam, si diligenter intendamus, inuenimus rectè à Domino hanc similitudinem comparatam. Sicut enim granũ sinapis prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem: At vbi teri cœperit, statim odorem suũ acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit in tam friuolis granis tantum ignem fuisse conclusum. Cuius etiam seminis cibum homines hyemis præcipue tempore magna pro suauitate percipiunt: quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam: vt, si quid inualidũ, si quid ægrotum fuerit, sinapis igne curetur. Ita ergo & fides Christiana prima fronte videtur esse parua, vilis, & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans: At vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ferueat, & participantem sibi ardere compellat: Sicut in sancto euangelio Ammon, & Cleophas dixerunt, dũ cum ipsis post passionem Dominus loqueretur; Nónne cor nostrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis Dominus Iesus scripturas? (al. Amaus. Luc. 24.) Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit: fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet: hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis iniquos humores decoquit corporum: fides autem libidinum fluenta consumit. Et per illud medicina capiti procuratur: per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus Dominus, sæpius refouetur. Sed & fidei iuxta cõparationem sinapis sancto odore perfruimur: sicut ait beatus apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. (2. Cor. 2.) Igitur sanctum martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare: qui diuersis attritus passionibus per totum orbem gratiam meruit sui fragrãte martyrij, qui antea constitutus in corpore erat humilis, ignotus, & vilis: posteaquã vexatus, laceratus, exustus est, vniuersis per totum mũdum ecclesiis odorem suę nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum sinapis, cùm teritur, accenditur: Laurentius, cum patitur, inflammatur. Illud feruorem attritionis suæ euomit: hic ignem plurima vexatione suspirat. Sinapis, inquã, vasculo calido vapore decoquitur: Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus martyr tyranni sæuientis incendiis, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torquebat. Et quãuis rex improbus ligna subijceret: incendia maiora supponeret: tamen sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sentit: & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne, quod patitur. Nec enim potest visceribus ignium torméta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat. Iacet licet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cælis. Extenditur ergo super flammarum ignitos globos: & sæpius vexatur in latera, sed quanto plus pœnarum patitur: tanto amplius Christum Dominum pertimescit: nouo admirationis genere alius illum torquet; & alij sæuientis tormenta proficiunt: deuotiorem Laurentium saluatori supplicia atrociora fecerunt.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 2.*

Ex serm. 72. BEatissimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo, & quanta in persecutione pertulerit; dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim martyrio eius gloria extitit, vt passione sua mundum illuminauerit vniuersum. Illuminauit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipse succensus est, & flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Christo ardere cum Laurentio: vt possit à Christo cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam sustinere Laurentij ignem, vt æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentij prouocamur exemplo ad martyrium, accēdimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem. Et si nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subjicit mihi persecutor ignem sed suggerit mihi ignem desiderium saluatoris. Esse autem saluatoris ignem, legimus in euangelio, dicente
Luc. 12. eodem Domino; Nescitis, quia ignem veni mittere super terram? & quid volo, nisi vt accen-
al. Amaus. datur? Quo igne succensi Amaus, & Cleophas di-
Luc. 24. xerunt; Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cum aperiret nobis Iesus scripturas? Hoc igitur etiam sanctus Laurentius igne succensus, flammarum non sensit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœna non ardet. Inquantum enim in illo fidei ardor feruet: intantum supplicij flamma frigescit. Corporali enim beatus Laurētius dū laborat incendio, hinc amore Christi succenditur, inde persecutoris flamma torquetur: sed diuinus saluatoris ardor materialem tyranni restinguit ardorem. Quãuis enim in fauillam membra soluantur, fidei tamen fortitudo non soluitur. Corporis detrimentum sustinet: sed lucrum salutis acquirit. Non enim, fratres, beatus Laurentius cita, vel simplici passione perimitur: Nam qui gladio percutitur, semel moritur: hic autem longa, & multiplici pœna cruciatur: vt mors differatur: & non desit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo sæuissimo persecutore hæc illi constituta pœna, vt ardentium exposita mole carbonum insuper eum ferrea crate distentum lenta flamma consumeret: vt non tam inflāmando cito interimeret hominē quamdiu exurēdo torqueret: ita cum vnum latus exustum persecutor cerneret, aliud latus ignibus ob-
Dan. 3. jiceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam, & Misael beatissimos pueros à rege in camino ignis inclusos, in pœnarū suarū deambulasse flammis, & igneos globos pedibus cōculcasse. Vnde & beatus Laurētius non minori est gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarū suarum flammis ambulant, hic in ipso supplicij sui igne discumbit. Illi vestigijs pedum conculcant incendia: hic laterum suorum deuotione restinguit. Illi inquam stantes in pęnis eleuatis manibus orabant Dominum: hic autem prostratus in sua pęna toto corpore Deum deprecatur. Iterum ergo beatus Laurētius exustis lateribus, in dorsum supinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur Psalmi pro-
Psal. 138. phetia, quæ dicit ex persona Laurentij: Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meū. Duplici se vtique postulat igne comburi. Nam si de vno, & solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incendiis obtulisse: cor autem nisi Christi flamma nō vrer: sicut Amaus,
al. Amaus. & Cleophas dixerūt; Nonne cor nostrum erat ar-
Luc. 24. dēs in via, cū aperiret nobis Dominus scripturas? Atque ideo ad comprobandam deuotionem suā, geminum sibi ignem postulat: vt luctamine habito, ostendat in se plus posse amorem Christi, quā pœnam tyranni. Honoremus igitur, fratres, beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, & amore Christi diem iudicij non timere.

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponens. in idem festum, *Homilia 1.*

BEatissimi Laurentij martyris, cuius natalem *Serm. 30. de*
hodie celebramus, passionem nosse vos cre- *Sanct.*
do, & quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, vt passione sua mundum illuminauerit vniuersum. Illuminauit mundum planè Laurentius eo lumine quo ipse accēsus est, & flammis quas ipse pertulit, omniū Christianorum corda calefecit. Quis nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium, & accendimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem, & si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidē corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subiicit mihi persecutor ignem, sed subiicit mihi desiderium saluatoris. Esse autem saluatoris ignē legimus in Euāgelio, dicente eodem domino, Nescitis quia veni *Luc. 12.*
ignem mittere in terram, & quid volo nisi vt ac- *& 24.*
cendatur? Quo igne succensi illi duo discipuli dixerunt, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus, flammarum non sentit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. Inquantum enim in illo fidei ardor fuerit, intātum supplicij flamma frigescit. Corporali enim beatus Laurentius laborat incendio, sed diuinus saluatoris ardor materialem tyranni restinxit ardorem. Quanuis enim in fauilla membra soluantur, fidei tamen fortitudo non soluitur. Corporis quidem detrimentum sustinet, sed lucrum salutis acquirit. Non enim fratres beatus Laurētius breui vel simplici passione perimitur. Nam qui gladio percutitur, semel moritur: qui in flammarum camino mergitur, vno impetu liberatur: hic autē lōga & multiplici pœna cruciatur, vt mors ei assit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo sæuissimo persecutore hæc beato Laurentio constituta pœna, vt ardentium exposita massa carbonum, insuper eum ferrea crate distentum lenta flamma cōsumeret, vt non tam inflammando cito interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret, ita vt cum vnum latus exustū persecutor cerneret, aliud latus ignibus obiiceret ex-
urendum. Legimus Ananiam, Azariam & Misaë- *Dan. 3.*
lem

lem beatissimos pueros à rege in camino ignis inclusos, in pœnarum suarum deambulasse flāmis, & igneos globos pedibus conculcasse. Vnde & beatus Laurentius non minori est gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum suarum flammis ambulabant, hic & in ipso supplicij sui igne discumbit. Illi vestigiis pedum conculcarunt incendia, iste laterum suorum diffusione extinguit. Illi inquam, stātes in pœna eleuatis manibus orabant ad dominum, hic autem prostratus in sua pœna, toto corpore dominū deprecatur. Iterum ergo beatus Laurentius in dorsum supinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur psalmi prophetia, quæ dicit ex persona Laurentij, Proba me, domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Vre, inquit, renes meos, & cor meū: duplici se postulat igne cōburi. Nā si de solo mūdi igne loqueretur, sufficeret renes tantū exurendos incendiis obtulisse. Cor autem nisi flamma Christi non vrit, atque ideo ad comprobandam deuotionem suam geminum sibi ignem postulat, vt luctamine habito ostēdat in se plus posse amorem Christi, quàm pœnam tyrāni. Oremus igitur, fratres, beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostēdit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superari, & amore Christi diem iudicij non timeri. Nos vero, fratres dilectissimi, si ad consortium sanctorum martyrū peruenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. Debemi enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, vt pro nobis dignentur domino supplicare. Si enim tormenta, quæ sancti martyres pertulerunt, sufferre non possumus, vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus. Et quia non desunt quotidiana peccata, nō desint etiam quotidiana remedia. Nemo se credat aliquam fœlicitatē, aut aliquod verum gaudium in hoc seculo possidere. Beatitudinem hic sperare potest, possidere non potest. Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo se circumueniat, fratres, non est in hoc mūdo tempus ridendi. Scimus, fratres, quòd omnis homo gaudere desiderat, sed non toti ibi quærunt gaudium, vbi oportet inquiri. Verum in hoc mundo gaudium, nec fuit, nec est, nec esse poterit. Sic enim ipse dominus in Euangelio suos discipulos admonet dicēs, In hoc mundo pressuram habebitis. Et iterum, Mundus gaudebit, vos autem cōtristabimini, sed tristicia vestra vertetur in gaudium. Ac sic in hac vita cum labore, & dolore quod bonum est, auxiliante domino, faciamus, vt in futuro seculo bonorum fructus colligere cum gaudio, & exultatione possimus, præstante domino nostro Iesu Christo, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Psal. 25.

Martyres pro nobis ... supplicant.

Eccles. 3.

Ioan. 16.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 2.*

Serm. 31. de Sanct.

DIcit dominus in Euangelio, Cui simile est regnum Dei? Et cui simile illud æstimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Mouet fortasse sensus vestros, quare regnū Dei tam præclarum, atque magnificum grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostræ in se tam grāde solatium rei vilissimæ simile esse dicamus, præsertim cum alibi idē dominus discipulis suis dicat, Si habueritis fidē sicut granū sinapis, diceris huic mōti tollere, & iactare in mare, & fiet. Igitur, si fides tālis est, quæ potest ab ipsis sedibus montium fundamenta transferre, necessario & granum sinapis magnum est, ad cuius similitudinem fidem haberе compellimur. Magnum autem diximus, non specie, sed virtute, & fidei non æqualitate oletis comparandum, sed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam, si diligenter intendamus, inueniemus à domino rectè hanc similitudinem comparatam. Sicut enim granum sinapis prima fronte speciei suæ est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicās suauitatem. At vbi teri cœperit, statim odorem suum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto caloris feruore succenditur, vt mirum sit, in tam friuolis tantū ignē fuisse conclusum. Cuius etiam semen in cibum homines hyemis præcipue tempore magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt, si quid inualidum, si quid ægrotum fuerit, sinapis igne curetur. Ita ergo & fides Christiana prima fronte videtur esse parua, vilis, & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans. At vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorē suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ferueat & participantes sibi ardere compellat. Sicut in sancto Euangelio duo ex discipulis dixerunt dum cum ipsis post passionē suam dominus loqueretur, Nónne cor nostrum erat ardens in nobis in via, dū aperiret nobis scripturas dominus Iesus? Ergo granū sinapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata cōburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet, hęc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta consumit. Et per illud medicina capitis procuratur: per fidem autem spiritale caput nostrum, quod est Christus dominus sæpius refouetur. Sed & fidei iuxta comparationem sinapis sancto odore perfruimur, sicut ait Apostolus beatus, Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Igitur sanctum martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritus passionibus, per totum orbem gratia meruit sui fragrare martyrij. Qui antè constitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis, postea quā vexatus, laceratus, exustus est, vniuersis per totū mundum Ecclesiis odorem suæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum sinapis cum teritur, accenditur. Laurentius cum patitur, inflammatur. Illud feruor attritionis suę mouet, hic ignem pulsus vexatione suspirat. Sinapis, inquam, in vasculo calido decoquitur, Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus Laurentius martyr tyranni sęuientis incendiis, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quanuis rex improbus li-

Matth. 17.

Luc 24.

2. Cor. 2.

gna subiiceret, incendia maiora supponeret, tamen sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sentit: & dum Christi præcepta cogitat, frigidū est illi omne quod patitur. Nec enim potest in visceribus ignium tormenta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat. Licet iaceat ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cęlis. Extenditur ergo super flammarum ignitos globos, & vexatur in latera, sed quantum plus pœnarum tormenta patitur, tanto amplius Christum dominum pertimescit. Nouo admirationis genere alius illum torquet, & alius sæuientis tormenta proficiunt. Deuotiorem Laurentium saluatori supplicia atrociora fecerunt.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 3.*

Serm. 32. de Sanct. CVm omnes beatos martyres, quos nobis antiquitas tradit, honorificentia digna miremur, præcipue tamen beati Laurentij martyris triumphum debemus tota deuotione suscipere. Maiorem ergo affectum ibi debeo, vbi credulitatem meam cogit contemplatio, quàm vbi fidem meam hortatur opinio. Maiorem, inquam, affectum ibi debeo, vbi per ea, quæ vidi, cōpellor deuotione credere etiam illa, quę non vidi. Nam, cū audio aliquanta, mihi impossibilia videbātur, sed cœpi ea credere potuisse fieri, dum similia facta esse conspexi. Et ideo temporis nostri passio, hanc nobis tribuit conferre gratiam, vt fidem præteritam confirmaret. Supradictum igitur virum beatum tota debemus deuotione suscipere. Primum quia preciosum sanguinem suum propter dominum tradidit. Deinde quòd prærogatiuam nobis apud dominū nostrum non minimam tribuit, ostēdens qualis esse debeat in Christianis fides. Tertiò quòd idem tam sanctę cōuersationis fuerit, vt coronam martyrij tempore pacis inuenerit. Sed cum sanctitate tanta beatum Laurentium pro Christi nomine vidissent certare gentiles, errorésque eorum manifestos rationabili castigatione conuinceret: tunc illi inebriati furore rapuerunt eum, & cæde crudelissima sauciatum, tunc beati viri corpus flammis in craticula tradiderunt. Vere beatum corpus, quod nō ad pœnam funestus ignis, vel tormenta à fide Christi immutauit, sed ad requiem dominicam sancta religio coronauit. Sed & ipsa flamma ideo suscepit martyrem, non vt eum à fide sua ignis mutaret, sed vt probatum domino suo redderet. Tali enim incendio beata consecrata sunt viscera, nō condemnata. Conuenit huic passioni quod ait Apostolus, 1. Cor. 3. Ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem. Saluus enim iste factus est, dum venerabilis confessionis est incendio concrematus. Hæc est ergo tota causa passionis, fratres, propter quam morti addictus est sanctus vir, quòd sui similes cæteros hortaretur. Nam exhortatio illa in tantum profecit, vt illo à seculo recedente, fides eius regionis ipsius loca vniuersa peruaserit. Ita Christus tunc in beato martyre suo Laurentio persecutiones passus est, nunc illic plurimi Christianorum exultant in populis. Sufficere nobis debent ad profectum salutis nostræ martyrum exempla sanctorum, qui propter adipiscendam cælestem coronam omnibus se mandatis dominicis subdiderunt, & ita cunctis deuinxerunt se legibus saluatoris, vt propter anteactam vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam peruenire. Non enim illo in tempore tantum perfecerunt præceptum domini, quo cōfessionis supplicium pertulerunt: sed necesse fuit illis prius secundum Euangelium vixisse, vt Christi passionibus participarentur. Necesse est, inquam, vt initia bona fierent quorum finis est optimus subsecutus, & martyres eos non solum fuisse cum passi sunt, sed etiam tunc martyres Christi esse cum viuerent. Martyr enim Græce, Latine testis dicitur. Igitur quotiescunque bonis actibus mandatum Christi facimus, totiens Christo testimonium perhibemus. Vnde & crux domini non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur saluator dicere, Qui vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. Nūquid enim omnes martyres, qui secuti sunt dominum, crucifixi sunt cum domino? Nunquid omnes virgines, quę iuxta Apocalypsim sequuntur agnum Dei, crucifixæ sunt vt sequantur? Nunquid Paulus Apostolus crucifixus fuerat cum dicebat, Mihi autem Galat. 6. absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Hoc autem dicit, vt intelligas crucem nō ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutísque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, crux est, atque martyrium.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 4.*

CVi simile est regnum cælorum, & cui simile Sermo 35 de Sanct. ęstimabo illud ait dominus, Simile est grano sinapis. Luc. 13. Multa perstrinximus quibus probaremus regnum Dei grano sinapis non immerito comparari, & distantiam in sola æstimatione esse verborum, non in collatione virtutum. Siquidem Christiana fides, quæ regnum Dei est, eandem virtutem obtinet, quæ sinapis natura depromit. Nam, sicut sinapis granum cum sumimus vultu contristamur, fronte cōtrahimur, ad lachrymas permouemur, & ipsam salubritatē corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus. Illinc enim amaritudo nos exasperat, acrimonia penetrat: hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tunc magis sani efficimur, cum amplius deploramus. Ita ergo & cum fidei Christianæ mandata percipimus contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam salutem nostrā cum quodam fletu, ac mœrore consequimur. Inde enim nos ieiunia exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat. Hinc patrimonij iactura perturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur si amplius defleamus, secūdum quod ait dominus, Vos plorabitis, & flebitis; seculum autem gaudebit. Ioan 16. Sicut autem cum sinapi caput forte curandum est, iubemur ad rasum capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina perueniat. Ita & cum anima per fidem

fidem turanda est, præcipimur à nobis substantiam auferre seculi, impedimenta auri, argentique deponere, vt & nudæ, & soli animæ congruentius spiritalis medicina conueniat. Quisquis enim rebus mundi, & diuitiis seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. Sed, quoniam in eadem dominica sententia scriptum est, Quod acceptum homo misit (Luc. 13.) in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius: diligentius requiramus quis iste sit cui hæc cuncta conueniant. Diximus superius sanctis martyribus, qui diuersis attriti sunt passionibus, naturam sinapis posse congruere. Sed quoniam dicit scriptura, Et creuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius, arbitror hoc ipsi Christo domino dicere, & rectius comparari, qui nascendo in homine humiliatus vt granum est, ascendendo ad cælum exaltatus vt arbor est. Granum plane est Christus dum patitur, arbor est dum resurgit. Granum, inquam est cum famis esuriem sustinet, arbor est (Matth. 4. Luc 9.) cum quinque millia virorum quinque panibus saturat. Ibi sterilitatem humana conditione patitur, hic satietatē propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim dominum cum cæditur, cum contemnitur, cum increpatur: arborem autem cum cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata condonat. Ramos autem huius arboris si requiras inuenies. Ramus est Petrus, ramus est Paulus, ramus est beatus Laurentius, cuius hodie natalitia celebramus. Rami sunt omnes apostoli, vel martyres saluatoris, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus seculi minime mergitur, quin potius sub vmbra illorum latitans gehennæ non patietur ardorem, securúsque de diabolicæ tempestatis procella erit, & de die iudicij exurentis incendio, ipso adiuuante qui viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per infinita secula seculorum, Amen.

S. MAXIMI EPISCOPI
Taurinensis in eodem festo, Homil. 1.

SAnctum est, fratres, ac Deo placitum, vt natalem beati Laurentij præcipua deuotione veneremur, cuius radiantibus flammis, victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi coruscat ecclesia. Qui cum in sede gloriosissimi patriarchæ (pa-pæ.) diaconatus fungeretur officio puritate innocentis vitæ, fortissimæque mortis triumpho, apostolicose consortio copulauit. Nec immerito cum apostolorum supparem prædicamus, cui & castitas animi leuiticum ministerium dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem. Quem venerabilis Xystus Romanæ vrbis antistes, cum impietatem sæuientis mundi per tormenta superaret, & regnis esset cælestibus iam vicinus, videretque eum paterna de morte tristissimum, ita illum spiritu præscientiæ compellasse narratur. Noli, fili, mæstus esse; post triduum me sequeris. Vnde apparet, charissimi, beatum Laurentium non de sacerdotis sui victoria habuisse tristitiam, sed doluisse, quia non etiam ipse mundum eum suo pariter sacerdote vincebat. Noli (inquit) fili, mæstus esse, post triduum me sequeris, hoc est, noli tristis esse, velut apud seculum derelictus.

Nam nec te fides, vitaque tua tali morte priuabit. Nulla te de meo transitu, quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox & tu habiturus es de tua passione lætitiam. Vere beati Laurentij gloria singularis, qui tantum de Deo suo consequutus est gratiæ vt ei martyr de martyrio prophetaret, quem pro suorum prærogatiua meritorum antè victoria lætificauit quàm pugna terreret. Ergo vt comperit ore sacerdotis & martyris se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis, ecclesiasticum censum religiosa liberalitate diuisit. Quam profundum spiritalis viri, & quàm cæleste consilium, vt & egenis consuleret, & multitudine consumente, quæ dederat, inueniri non possit, quod raperet persequutor: Illam nimirum sequutus sententiam: dispersit, dedit (Psal. 111.) pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Misericordiæ fuit, quod alimoniam pauperibus dedit; iusticiæ autem, quòd vt vir prudentissimus procurauit, ne sanctorum substantiam auaris manibus sacrilegus occuparet. Iustitia (inquit) eius manet in æternum. Quomodo non hęc ei in ęternum manebit iustitia, quod & sancto impleuit opere, & gloriosissimo martyrio consecrauit? Hoc itaque dolore furor gentilis accensus, craticulam continuo parat ignitam, super quam cremandum Laurentium per membra discinderet, vt indignationis suę flammas impiis ignibus vindicaret. Ardet profecto totis visceribus fortissimus martyr, & vritur, sed regnum cęli, promissaque Dei fideli mente pertractans, refrigerio conscientię victricis exultat. Nec pœnali flexus incendio est, cuius in pectore insuperabili sancti spiritus flamma feruebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneę corporis vstioni, cuius fides ęternum gehennę extinguebat ardorem. Superatis itaque flammarum ministris, omne mundanę insanię restrixit incendium, & ad hoc vsque diabolica profecit intentio, vt & vir fidelis ad Deum suum gloriosus ascenderet, & crudelitas persequētium cum suis ignibus confusa torpesceret.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 2.

SIcut patrum nostrorum, fratres charissimi, non incerta relatione didicimus, cum venerabilis Xystus apostolicæ sedis sacerdotio fungeretur, & sanctissimo Laurētij archidiaconi ministerio Romana floreret ecclesia, inuidia ardēte diaboli, aduersus nomen, & fidem Christi flamma durissimæ persequutionis incanduit, atque vt perniciosius dominicum gregem feralis bestiæ rabies insatiata laniaret, nocendi artifex, inimicus peruigilis prius molitur custodiam pastoris eripere. Et ideo Xystum ante omnes summū domini sacerdotem furor gentilis aggreditur, vt ecclesiastica membra tam valido trūcata capite, velut munimine præsidij cœlestis amoto, cruentus persequutor inuaderet. Sed magnus ille Xystus qui commissis sibi à Deo ouibus astiterat pastor in terris, aderat patronus è cœlo. (Sancti in cælo sunt patroni nostri.) Denique sanctum Laurentiū quasi iam pontificis sui solatio destitutum, ad subeunda supplicia manus pagana perquirit, quē mirabilis Xystus aduersus omnia sæuientis mūdi mala vaticinio prophetici sermonis armauit. Nam, cum idem Laurentius passionem paternam vt

pussimus filius incósolabili mœrore defleret, Xystus præscientia sancti spiritus edocente, futura dignoscens ait illi: Depone omnem, fili, de mea morte tristitiam. Nec enim diu mea te contristabit absentia, post triduum me sequeris. Quo responso mens deuota percepto, indubitatam suscipiens optimo ab antistite Christi martyre veritatē, nihil magis præ omnibus curat, quàm vt auaritia persequentis quod de morte sanctorum cótristabat ecclesiam, de præda ecclesiæ gaudium non haberet. Inuenit vir prudentissimus, vnde acrius suum possit torquere tortorem. Omnem igitur ecclesiæ censum, cunctáque sacri vasa ministerij, ne ea sacrilegus macularet aspectus, conuocatis inopum turbis, pia erogatione distribuit, vt futurus martyr in retributione cælesti pariter & mercede sui sanguinis, & tantæ liberalitatis præmio ditaretur. Non dubitans & in semetipso se fidem Christo suo, & ecclesiasticas opes in pauperibus seruaturum. Propter quod protinus ad tribunal rapitur impiorum, vir simplicitate innocens, virtute fortissimus. Nihil fanè aliud deferēs iudicanti, quàm viuæ mentis constantiam, & illęsæ conscientiæ puritatem, deuotam Deo offerens animam, & castissimum tradens persequenti corpus ad pœnam, illud euangelicum seruans. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animā autem non possunt occidere. Exeogitatur itaque in Laurentium ferale tormentum, vt, qui metu mortis non mouebatur, acerbitate supplicij frangeretur. Sed quem suarum confortabat multitudo virtutum, non poterat vincere magnitudo pœnarum. Paratur ergo craticula igne succensa, quæ triumphalis martyris & animum fatigaret, & corpus exureret. Sed ignara veri turba persequentium, & diabolicis obcæcata tenebris, non videbat quòd adustio illa membrorum, fidelis animi esset æterna purgatio, & corpus, quòd corrumpentibus flammis præsens vita desereret, ad incorruptionem viuendi, damnata morte transiret. Vere incomparabile salutaris fidei huius sacramentum, quo per tormenta beatitudo quæritur, & flammis refrigerium preparatur, vt ait patriarcha Dauid verbis martyrum dicens, transiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Transibat per ignem, & aquam beatus Laurentius, eum hinc eum morusera mūdi flamma torreret, hinc cælestis irrigui vitalia vnda perfunderet. Transibat per ignem, & aquam, cum vim furentis incendij diuini fontis elementia temperaret. Ardebat ergo Laurentius, sed vincebat ignis ille, de quo ait saluator. Ignem veni mittere in terram, & quam volo vt ardeat! O nouum mirandúmque certamen vnius, eiusdémque viri! & flāmis corpus vrebatur, & ardentis fidei calore mēs ignita feruebat, sicut loquebantur adinuicem Euangelici illi viri dicentes. Nónne cor nostrum erat ardens in nobis in via? Vbi ergo cor ardet flammam membra non sentiunt, vbi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium, & vbi Dei spiritus feruet, frigida fit flamma mortalium. Et hinc est, charissimi, quòd triumphum beati Laurentij totus vbique mundus consona hodie deuotione concelebrat, hinc, quòd insuperabilem fidem eius lætior Roma miratur, quia radiis æterni solis accensus, ignem sæculi patienter sustinuit, & confidenter euasit.

Mat. 10.

Psal. 65.

Luc. 12.

Luc. 24.

EIVSDEM DE EODEM

Homilia 3.

Beatissimi Laurentij, fratres charissimi, annua, semperque noua festiuitas ecclesiam Dei iugiter in gaudia lætitiæ spiritualis accēdit, admonens vniuersitatem credentium, vt, sicut ille perfectę deuotionis ardore feruentibus non cessit incendiis, ita nos diuersarum tribulationum ignis, & malorum sæcularium flamma à Christi societate non moueat, vt ait ille mysteriorum cœlestiū doctor, ac totius virtutis exemplum gloriosissimus Paulus, quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius? Et vere nullis pręsentium persequutionū potest inclinari periculis, qui semel promissa omnipotēris Dei æterna largissimi redēptoris præmia, fide stabili, & incócussa mente concepit. Neque enim potest arduum illud præcelsumque bonorū immortalium iter debilis animus, & fidea clauda conscendere. Ideo & fortissimū martyrem incumbentium tormenta pœnarum, & sæuissimi persequutoris superare flamma non potuit, quia longe ardentius veritatis radiis mens eius accensa feruebat. Vnde nec potuit de infatigabili eius pectore calorem diuinitus infusum corporeus ille, & mortalium ministratus manibus ignis excludere. De hoc validissimo Christi milite, illud credendum est dictum, quod ante multa annorum milia prænunciatum est per prophetam dicentem. Et si trāsieas per ignem, flamma te non comburet. Ecce enim beatus Laurentius transiuit per ignem, quo non adustus inhorruit, sed illuminatus effulsit, transiuit per ignem momentaneum, atque terrenum, sed flammam gehennæ perpetuo exurentis euasit. Quid hoc beatius viro, qui miserantis Dei dispensante gratia arsit, ne arderet, vt ne vreretur, exustus est? Qui si nullis esset ignibus, ac suppliciis traditus, fuerat quidem securitas libertatis, sed nulla extiterat gloria dimicātis. Ad hoc enim nos exēplis, atque doctrinis in ecclesia sua Christus erudit, non vt nihil mali patiamur in mundo, sed vt mundum multimoda passione vincamus. Cecinit quondam variis tribulationibus coarctatus ille clarissimus prophetarum patriarcha Dauid dicens; Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Quæ sententia etiam venerabili Laurentio conuenire manifestū est, cuius cor tanta in fide Christi magnanimitate concaluit, vt despectis proprij corporis cruciatibus insanissimo tortori suo, triumphatis eius ignibus, lætus illuderet. Vere in meditatione eius insuperabilis exarsit ignis, qui odio perfidię, & amore veritatis accensus, appositam sibi extrinsecus flammam, aut non sensit, aut vicit. Propter quod charissimi exultemus, & lætemur in domino, nō dubitantes & persequutorem martyris pro ignibus quos accendit præparata impiia incendia sustinere, & ipsum beatissimum martyrē pro flamma quam pertulit, apud omnipotentem Deum incorruptę lucia illuminatione fulgere.

* * *

Rom. 8.

Esa. 43.

Psal. 38.

S. LEONIS PAPAE IN *natiuitate S. Laurentij mart. Ser.*

CVm omnium, dilectissimi, summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus, proximusque diligitur, in nullis profectò hic amor sublimius excellere, clariúsque fulgere, quàm in beatissimis martyribus inuenitur, qui domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis. Quamuis enim illi dilectioni, qua dominus nos redemit, nulla cuiusquã benignitas possit æquari, quia aliud est pro iusto mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro impiis occumbere à debito mortis alienũ: multum tamẽ vniuersis hominibus etiam martyres cõtulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est dominus, vt pœnam mortis, & atrocitatem crucis, nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus, nec cuiusquam sapientis, sibi tantum sapientia est amica, & hæc veratum natura virtutũ est, vt multos à tenebroso abducat errore, qui earom clarus est lumine, ad erudiendum Dei populum, nullorum est vtilior forma quàm martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadẽdum, validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est, opere docere, quàm voce. In quo excellentissimo genere doctrinæ beatus martyr Laurentius, cuius passione dies hodiernus illustris est, quam gloriosa polleat dignitate, etiam persequutores eius sentire potuerũt, quum illa mirabilis animi fortitudo, de Christi principaliter amore concepta, non solum ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret. Quum enim furor gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra fruiret, ac præcipuè eos, qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret, in leuitam Laurentium, qui non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de vnius viri cõprehensione promittens: quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus, auaritia, vt rapiat aurum; impietate, vt auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarij præsule opes Ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat, inferri. Cui leuita castissimus, vbi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu, atque vestitu inamissibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant saluæ, quanto sanctius probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vsum instituisset, ardescens, direptione thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset, vt illud depositum, quo sacratius erat dines, auferret. Renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere suppliciis. Quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione conscissos, subiecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in se haberet vrendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis, sæua crudelitas. Subtrahitur * tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitatis Christi flamma non potuit, & segnior fuit ignis, qui foris vssit, quàm qui intus accendit. Sæuisti, persecutor, in martyrem, sæuisti, & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoriæ gloriam ingenium tuũ reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicij? Gaudeamus igitur, dilectissimi, gaudio spiritali, & de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis & præsidium constituit, & exemplum, atque ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, leuiticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Cuius oratione, & patrocinio adiuuari nos sine cessatione confidimus, vt, quia omnes, sicut Apostolus ait, quicunque volunt in Christo piè viuere, persequutionem patiuntur, corroboremur spiritu charitatis, & ad superandas omnes tentationes, constantia fidei perseuerantia muniamur, per dominum nostrum Iesum Christum viuentẽ, & regnantem cum patre, & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Rom. 5.

* inuentis.

Psal. 67. Deus in Sanctis constituit nobis præsidium.

Oratione, & patrocinio S. Laurentij adiuuamur.

1. Tim. 3.

PETRI CHRYSOLOGI *Episcopi Rauenens. in S. Laurentium, Sermo.*

HOdiernus dies beatissimi martyris Laurentij corona illustratur: cuius egregij martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat. Passus est in ipso capite gentium, id est, in ipsa vrbe Romana. Ibi enim diaconus ministrauit: & in ipso iuuentutis suæ flore decorem iuuentutis suæ sanguine purpurauit. Passio eius insignis est, multumque mirabilis: hanc breuiter, domino adiuuante, narrabo. Illo tunc Archidiacono beatus Sixtus erat Episcopus, cuius triumphus martyrij ante triduum fuit. Cùm ergo sanctus Laurentius Episcopum suum Sixtum pergentem ad martyrium sequeretur, fide fultus, tristis affectu, non, quia ille patiebatur; sed, quia ab illo ipse deserebatur, respexit venerabilis senex venerabilem iuuenem, & ait illi; Noli esse tristis, fili, post triduum me sequeris. Tũc ille, ebibita Prophetia, iam corde paratissimus, ex spiritu ebrius certum spectauit futurum, quod prædixerat ille, qui nouerat. Deinde apprehensus est adductus: &, quoniam erat Archidiaconus, apud illum esse vtique credebantur opes Ecclesiæ, quas desiderabat persecutor, non tam auarus, quàm furiosus. Oderat quem occidebat; sed amabat apud eum, quod ille contemnebat. Erat autem sanctus Laurentius pauper opibus, diues moribus; non se negauit Ecclesiæ habere diuitias, sed, vt eas ostenderet, tridui dilationem petiit, deinde mandauit congregari agmina pauperum. Tunc deinde ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tanquam demonstraturus, quod ille quærebat, demonstrauit, quod habebat. Tunc ait persecutor; Vbi sunt Ecclesiæ facultates?

Sermo 135.

At ille manum extendens in pauperes; Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. Quid autem mirum, si veritas auait odium? Irrisum se dolens crudelis tyrannus, & auarus inimicus, qui fortè mitiorem pœnam cogitauerat, ferro interficere venerabilē iuuenem, parari flammas præcepit. Plus ardebat, quam vrebat: vrebat in carne, ardebat in corde. Supplicium eius tantò erat grauius, quantò interius. Tunc oblata est torrenda, & vt verius dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula: astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicij, lectum quietis putabat: supplicium dixi, secundum animum punientis, non secundum conscientiam patientis. Nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati. Itaq; beatissimus martyr ostendens quàm quietè iaceret in illo ignito ferro, ait circunstantibus; Iam me versate; &, si vna pars cocta est, vorate. Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non solùm non arsit, sed & consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentē? Quia fidelem tenebat promittentem. Vt fides non deficeret, vt spes nō auerteretur, vt charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant. Fratres mei, nemo arroget potentiæ suę, quod non dat nisi Deus. Meritò Apostolus alloquens martyres, vt in epistola eius, hodie cum legeretur, audistis: Vobis, inquit, donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo. Ergo martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non præuenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas: ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est, qui timeat volens? quis est, qui amet nolens? Ferueat oratio, & festum martyris celebretur: Sed, vt non sit inanis, qui celebrat, imitemur. Philip. 1.



IN ASSVMPTIONE BEATAE MARIAE VIRG.



LVC. 10.



IN illo tempore: intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam sedens secus pedes domini audiebat verbum illius. [a] Martha autē satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, & [b] ait: Domine, nō est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus: Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est [c] necessarium. [d] Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

a Ministrans necessaria mortali carni, qua indutus erat Dei filius.

b Conquerens de sorore.

c Deo iugiter inhærere.

d Mariæ factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



INTRAVIT est *dum.* Habito sermone de dilectione Dei & proximi, supponitur exemplum vtriusque dilectionis, non tam in solo verbo, quam in operis exhibitione. Per istas enim duas sorores, duæ significantur vitæ spirituales. Per Martham, operibus actuosa deuotio, qua proximo in charitate sociamur. Per Mariam, religiosa mentis intentio in Dei verbo, qua in Dei amore suspiramus. Actiua panem vel corporalem esurienti, vel doctrinæ ignoranti tribuit: errantem corrigit, superbum ad humilitatem reuocat: quæ singulis expediant dispensat. Contemplatiua, charitatem Dei & proximi retinet: sed ab exteriori actione quiescit, soli conditoris desiderio inhæret: & calcatis omnibus curis ad videndū faciē creatoris inardescit: & desiderat misceri supernis ciuibus, de æterna in conspectu Domini incorruptione gaudentibus. *In domum suam.* Intrante Iesu in domum, vita iniqua, & si aliquando fuerat aufugit, remanent duę vitę innocentes, laboriosa & ociosa, inter eas medius est ipse fons vitæ. *Sedens secus.* Quanto humilius sedet, tantò amplius capit: Aqua confluit ad conuallem de tumoribus collis. Maria sedet, quia contemplatiua pacatis vitiorum tumultibus, optata iam in Christo mentis quiete fruitur. Martha stat, quia actiua laboriosa desudat in certamine. *Martha autem.* Intenta erat Maria quomodo pasceretur à Domino: intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum: hęc conuiuium parat Domino: in conuiuio Domini illa iam iocundatur. *Domine non est tibi cura.* Ex illorum persona loquitur, qui

qui adhuc diuinæ contemplationis ignari,solum quod didicere,fraternę dilectionis opus Deo placitum dicunt:ideoque cunctos,qui Christo deuoti esse velint,huic mancipandos autumant. *Et respondens.* Maria non respondet, sed causam suam tanquam ociosa committit iudici. Si enim pararet respondendi sermonem remitteret audiendi intentionem. *Martha. Martha.* Repetitio indicium est dilectionis:vel fortè mouendæ intentionis, vt audiret attentius. *Porrò vnum est.* Præponitur vnũ multis. Non enim à multis vnum, sed multa ab vno:& tamen multa sunt necessaria tendentibus ad vnum. *Maria optimam.* Non reprehenditur pars Marthæ, quia & ipsa bona,sed laudatur pars Mariæ. Quæ quare sit optima, subinfertur, *Quæ non aufe.* quia contemplatiua hic incipit, & in cælesti patria perficietur,quia amoris ignis,qui hic ardere inchoat,cũ ipsum quem amat viderit,in amore amplius inesset. Non ergo aufertur contemplatiua quæ subtracta luce præsentis seculi perficitur. Actiua cum corpore deficit, quia in æterna patria panem non porrigit esurienti: quia nemo esuriet, nec cetera pietatis opera agei, quia non erunt necessaria, cum præsenti ergo sęculo aufertur actiua. Merito igitur contemplationi omnia iustificationum merita, immensa virtutum studia postponuntur. *Quæ non auferetur.* Ex opposito intellige quod à Martha auferetur pars quam elegit, quia transit labor multitudinis, remanet charitas vnitatis.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

BEd. dilectio Dei & proximi, quæ superius verbis & parabolis continebatur, hic ipsis rebus & veritate designatur, dicitur enim: *Fact. est autem, &c.* Orig. Cuius quidem nomen Lucas hic tacet,sed Ioan.exprimit vocans ipsum Bethaniam. August. de verb.do.Sed dominus qui in sua propria venit, & sui eum non receperunt, susceptus est tanquam hospes, sequitur enim, *Et mu. quæ Martha. &c.* Sicut solent suscipi peregrini, sed tamen suscepit famula dominum, ægra saluatorem,creatura creatorem.Ne quis autem dicat,O beati qui Christum suscipere in domũ propriam meruerunt, noli dolere, cum inquit, Quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Accepta autem forma serui in illa pasci à seruis voluit dignatione, non conditione. Habebat carnem in qua quidem esuriret: sed in eremo esurienti angeli ministrabant, ergo quo pasci voluit,pascenti præstitit. Martha igitur dominum pascere disponens & præparans, circa ministerium occupabatur. Maria verò soror eius pasci magis elegit à domino. Sequitur enim. *Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius.* Amb. Nõ simpliciter dicitur de Maria quòd sederet propè Iesum, sed secus pedes illius: vt ostendat diligentiam, assiduitatem,& solertiam erga auditionem, & multam reuerentiam quam habebat ad dominum. Aug. de verb.dom. Quantò autem humilius ad pedes sedebat, tantò amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Bas. Omnis autem operatio & verbum saluatoris, regula est pietatis & virtutis, ob hoc enim induit corpus nostrum, vt nos conuersationem illius imitemur pro posse. Chry. Exemplo igitur suo docet discipulos qualiter se gerere debeant in domibus eorum qui eos suscipiunt, vt scil. cet applicantes ad domum non resupini quiescant, sed potius repleant suscipientes sacris & diuinis doctrinis:hi verò qui domum parant, eacant obuiam hilariter & feruenter duabus de causis.Primò quidem ædificabuntur in doctrinis eorum, quos suscipiunt, deinde & recipient charitatis mercedem. Vnde & hic sequitur, *Martha au. satag.&c.* Augu.de verb.do. Bene Martha circa corporalem domini necessitatem vel voluntaté ministrabat quasi mortali,sed qui erat in carne, or tali in principio erat verbum. Ecce quod Maria audiebat, Verbum caro factum est.Ecce cui Martha ministrabat, laborabat illa, vacabat illa, veruntamen Martha laborans multum in illa occupatione & negocio ministrandi interpellauit dominũ, & de furore conquesta est. Sequitur enim: *Et ait, domine, non est,&c.* Erat enim Maria intenta dulcedini verbi domini, à Martha cõuiuium domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iam iocundabatur. Cum ergo suauiter audiret verbũ dulcissimum & corde iocundissimo pasceretur, interpellato domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse ne diceret ei dominus:Surge & adiuua sororem tuam? Mira enim suauitate tenebatur, quæ profectò maior est mentis quam ventris: sed causam suam tanquam ociosa iudici maluit committere, nec in respõdendo voluit laborare, si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respondit ergo dominus qui in verbo nõ laborabat, quia verbum erat.sequitur enim: *Et res.di.il.do. Martha, &c.* Repetitio nominis indicium est dilectionis, aut fortè mouendæ intentionis, vt audiat attentius. Bis vocata audit. Turbaris erga plurima, id est, circa multa es occupata, vult enim homo occurrere quando ministrat & aliquando non potest, quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus, nam si Martha sufficeret, adiutoriũ sororis nõ posceret,multa sunt,diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt. Præponitur autem vnum multis, non enim à multis vnum sed multa ab vno:vnde sequitur: *Porrò vnum est necess.* Circa vnum se voluit occupari, secundum illud: Mihi adhærere Deo bonum est, vnum sunt pater & filius & spiritus sanctus,ad hoc vnum nõ nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum.Cyril. Vel ali. Cum susceperint aliqui fratres Deum, non solicitentur erga multum officium, nec poscant quæ præ manibus non sunt & opus exuperant, grauat enim passim in qualibet re quod superfluit, generat enim volentibus cooferre tædiũ, conuiuis autem videtur quòd sunt illis causa laboris. Basil. Absurdum etiam est cibos ad sustentationem corporis sumere, ac per eos iterum officere corpori, & impedire ipsum erga mandatorum diuinorũ officium. Si ergo aduenerit aliquis pauperum, sumat formam & exemplar moderatiæ ciborum, nec causa viuere volentium in deliciis mensam propriam præparemus: vniformis enim est Christiani vita ad vnam inter idens intentioné, scilicet ad gloriam Dei.Multiformis verò & varia vita eorum qui de foris sunt: pro libito variata. Tu verò cur dum cupiam ciborum & causa delectationis fratri præparas mensam, criminaris enim voluptatis,

voluptatis, & diffundis in eum gulositatis opprobria, arguens delicias eius in eo quod præparas? non commendauit dominus Martham occupatam circa frequens ministerium. Aug. de verb. do. Quid ergo, putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ tanto hospite lætabatur? hoc si verum est, dimittant homines quòd ministrant egentibus, vacent verbo, occupentur circa scientiam salutarem: nihil sit cura eis, quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane: vaceut opera misericordiæ, vni instetur scientiæ. Theo. Non ergo dominus hospitalitatem prohibet, sed plurimorum turbationem, scilicet abstractionem & tumultum, & vide consilium domini, quòd prius dominus nihil dixerat Marthæ, sed postquam illa sororem ab auditu studebat auellere, tunc dominus occasione habita increpauit eam. Vsque enim adeò honoratur hospitalitas, donec ad necessaria nos attrahit: Cum verò incipit ab vtilioribus impedire, manifestum est quòd honorabilior est diuinorum auditus. August. de verb. do. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit: sequitur enim, *Maria optimam partem elegit, &c.* Non tu malam, sed illa meliorem, vnde meliorem? quia ab ea non auferetur, à te auferetur aliquando onus necessitatis. Non enim cum veneris ad illam patriam inuenies peregrinum quem suscipias hospitio, sed bono tuo auferetur, vt quod melius est, detur: auferetur à te labor vt requies detur. Tu nauigas, illa in portu est: æterna enim est dulcedo veritatis, in hac tamen vita augetur, in illa perficietur, nunquam auferetur. Amb. Agat ergo te sicut Mariam desiderium sapientiæ: hoc enim maius, hoc perfectius opus, ne ministerij cura cogitationem verbi cælestis auertat. Nec arguas eos & ociosos iudices, quos videas sapientiæ studere. Aug. de quæ. eu. Mysticè autem quòd Martha excepit illum in domum suam, significat ecclesiam quæ nunc excepit dominum in cor suum. Maria soror eius quæ sedebat ad pedes domini & audiebat verbum eius significat eandem ecclesiam, sed in futuro seculo, vbi cessans ab opere ministerióq; indigentiæ, sola sapiétia perfruitur. Quòd autem conqueritur, quòd soror eius eam non adiuuet, occasio datur sententiæ domini, qua ostendit istam ecclesiam solicitam esse & turbari erga plurima, cùm sit vnum necessarium, ad quod per ministerij huius merita peruenitur. Mariam verò dicit optimam partem elegisse, quia per hanc ad illam tenditur, & non aufertur. Greg. vi. mor. Vel per Mariam quæ verba domini residens audiebat contemplatiua vita exprimitur: per Martham exterioribus obsequiis occupatam, actiua vita significatur: sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora: vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur; quia actiuæ vitæ opera transeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fide conualescunt.

S. MELITO EPISCOPVS
Sardensis de Transitu Virginis Mariæ.

Refertur in Bibliotheca MElito seruus Christi, Episcopus Ecclesiæ Sardensis, venerabilibus in Domino fratribus Laodiceæ cóstitutis, in pace salutem. Sæpè scripsisse me memini de quodam Leucio, qui nobiscum cum Apostolis conuersatus, alieno sensu & animo temerario discedens à via iustitiæ, plurima de Apostolorú actibus in libris suis inseruit: & de virtutibus quidem eorum multa varia dixit, de doctrina verò eorum plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse, & stabiliens quasi ex eorum verbis sua nefanda argumenta. Nec hoc solùm sibi sufficere arbitratus est: verum etiam Transitum beatæ semper virginis Mariæ genitricis Dei, ita impio deprauauit stilo, vt in Ecclesia Dei, non solùm legere, sed etiam nefas sit audire. PP.tt.[illegible] Cap. 1. Nos ergo vobis petentibus, quæ ab Apostolo Ioanne audiuimus, hæc simpliciter scribentes, vestræ fraternitati direximus, credentes non aliena dogmata ab hæreticis pullulantia: sed Patrem in filio, filium in Patre deitatis, & indiuisæ substantiæ Trina manente persona, neque duas hominis naturas conditas, bonam scilicet, & malam, sed vnam naturam bonam, à Deo bono conditam, quæ dolo serpentis est viciata per culpam, & Christi est reparata per gratiá. Cap. 2. Igitur cùm Dominus noster, & saluator Iesus Christus pro totius seculi vita confixus clauis crucis penderet in ligno: vidit circa crucem, matrem suam stantem, & Ioannem Euangelistam, quem præ cæteris Apostolis peculiarius diligebat: eò quòd ipse solus ex ipsis virgo degeret in corpore. Tradidit igitur ei curam sanctæ virginis matris Mariæ dicens ad eum: (Ecce mater tua.) Et ad illam, inquit, (Ecce filius tuus.) Ex ex illa hora sancta Dei genitrix in Ioannis specialius cura permansit, quandiu vitæ istius incolatum transegit. Et dùm Apostoli Mundum suis sortibus in prædicatione sumpsissent, ipsa in domo parentum illius iuxta montem Oliueti consedit. Cap. 3. Secundò itaque, & vicesimo anno postquam Christus deuicta morte cœlum coscenderat, dùm die quadem desiderio Christi succensa Maria, sola intra domus istius receptaculum, lacrymaretur: ecce Angelus magni luminis habitu resplendens ante cá astitit: & salutationis verba persoluit, dicens: Aue benedicta à Domino: suscipe illius salutem, qui mandauit salutem Iacob per Prophetas suos. Ecce, inquit, ramum palmæ de Paradiso Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum: cùm in die tertia assumpta fueris de corpore: Ecce enim expectat te filius tuus, cum Thronis & Angelis, & vniuersis cœli virtutibus. Tunc Maria dixit ad Angelum: Peto te ergo, vt congregentur ad me omnes Apostoli Domini mei Iesu Christi. Cui Angelus dixit: Ecce, inquit, hodie per virtutem Domini mei Iesu Christi omnes Apostoli assumpti, huc ad te venient. Et ait illi Maria: Rogo vt mittas super me benedictionem tuam, vt nulla potestas Inferni occurrat mihi in illa hora qua anima mea fuerit egressa de corpore, & ne videam principem tenebrarum, ait autem Angelus ad eam: Potestas quidem Inferni non nocebit tibi: benedictionem autem æternam dedit tibi Dominus Deus tuus, cuius ego seruus sum, & nuncius: Non videndi autem principem tenebrarum, effectum non à me tibi dandum existimes: sed ab illo quem tu in tuo sancto vtero baiulasti, ipsius est enim potestas omnium in secula seculorum. Et hæc dicens Angelus cum magno splendore discessit. Palma autem illa fulgebat nimia luce. Tunc

Maria

Maria exuens se prioribus indumentis, induit meliora. Et accipiens palmam quam susceperat de manu Angeli, egressa est in montem Oliueti, & cœpit orare, & dicere. Non ego fueram digna Domine, suscipere te: nisi tu misertus fuisses mei, Sed tamen ego custodiui thesaurum tuum quem commendasti mihi, ideóque peto à te Rex gloriæ, vt nó noceat mihi potestas gehénæ. Si enim cæli, & Angeli ante te tremunt quotidié: quátò magis homo de terra conditus, cui nihil residet boni, nisi quantum acceperit à tua bonitate? Tu es enim Dominus Deus semper benedictus in secula. Et cùm hæc dixisset, reuersa est in hospitium suum.

Cap.4. Et ecce subitò dùm prædicaret beatus Ioannes in Epheso die Dominica hora diei tertia, terræmotus factus est magnus. Et nubes eleuauit eum, & suscepit eum ab oculis omnium, & adduxit eum ante ostium domus, vbi erat virgo Deipara Maria. Et pulsans ostium statim ingressus est. Cùm videret autem eum sanctissima virgo Maria, exultauit in gaudio, & dixit: Rogo te fili Ioannes, memor esto verborum Domini mei Iesu Christi magistri tui, quibus me commendauit tibi. Ecce enim die tertio decessura sum de corpore: Audiui autem consilium Iudæorum dicentium; Expectemus diem quando moriatur, quæ portauit illum seductorem, & corpus eius igni comburamus. Vocauit ergo sanctum Apostolum Ioannem, & introduxit eum in secretum domus, & ostendit ei vestimentum sepulturæ suæ, & palmam illam luminis quam acceperat ab Angelo, præmonés eum, vt illam faceret ferri ante lectum suum, cùm duceretur ad sepulturam, *iret ad monumentum*.

Cap.5 Cui beatus & dilectus Apostolus Ioannes ait; Quomodo ego solus parabo tibi Domina exequias, nisi venerint fratres mei discipuli, coapostoli Domini nostri Iesu Christi ad reddendum honorem corpusculo tuo? & factum est, & ecce subitò per imperium Dei, omnes Apostoli de locis in quibus prædicabant verbum Dei, eleuati in nube rapti sunt, depositi ante ostium domus in qua habitabat Maria Domini mater, & salutantes se inuicem mirabantur, dicentes. Quæ causa est ob quam Dominus nos hîc in vnum congregauit? Aduenit autem cum eis Paulus, nec dum scientia fidei plenè instructus, ex circuncisione conuersus, qui assumptus fuerat cum Barnaba in ministerium gentium. Cúmque inter eos esset pia contentio, quis ex eis prior oraret ad Dominú, vt ostéderet illis causam ipsorum, & Petrus Paulum hortaretur, vt prior oraret: Paulus respódit dicens: Tuum est istud officium, primus inchoare, maximè cùm sis electus à Deo columna Ecclesiæ, & tu præcedis omnes in Apostolatu, meum autem minimè, Nam ego minimus sum omnium vestrûm, & tanquam abortiuo visus est mihi Christus, nec me vobis æquare præsumo, tamen gratia Dei sum id quod sum.

Cap.6. Tunc omnes Apostoli gaudentes super humilitate Pauli, vnanimiter consummauerunt orationem suam. Et cùm finé orationis fecissent, & dixissent, Amen: Ecce subitò venit ad eos Deo dignus Apostolus Ioannes, & indicauit eis omnia hæc. Ingressi ergo Apostoli domum, inuenerunt matrem Domini nostri Mariam, & salutauerunt eam dicentes: Benedicta tu à Domino, qui fecit cœlum & terram. Quibus illa ait: Pax vobiscum sit, fratres electi à Domino: & interrogauit eos dicens: Quomodo huc venistis? Qui illicò narrauerunt ei quomodo vnusquisque ex ipsis à spiritu Dei eleuatus in nube, & depositus ibidem aduenissent. Quibus ipsa dixit: Dominus vos huc adduxit in solatium ferendum angustiis, quæ venturæ sunt mihi. Nunc ergo deprecor vos, vt sine intermissione, omnes vnanimiter vigilemus vsq; in illam horam, qua Dominus venturus est, & ego de corpore hoc sum recessura. Cap.7.

Cúmque consedissent, & consolantes eam, triduo in Dei laudibus perstitissent, ecce die tertia, circa horam tertiam diei, super omnes qui erant in domo illa repente sopor irruit, & nullus omnino vigilare potuit, nisi soli Apostoli, & tres tantummodo virgines, quæ sacræ virgini comites erant. Et ecce subitò aduenit Dominus Iesus cum magna multitudine Angelorum, & splendor magnus in locum illum descendit, & erant Angeli hymnum dicentes, & collaudantes Dominum. Tunc Saluator locutus est, dicens: Veni electa mea, preciosissima Margarita: intra in receptaculum vitæ æternæ. Tunc Maria prostrauit se in pauimento, Cap.8.

adorans Dominum, quæ dixit. Benedictum nomen gloriæ tuæ Domine Deus meus, qui dignatus es me humillimam ancillam tuam eligere, & arcanum tui mysterij mihi commendare. Memor igitur esto mei, Rex gloriæ. Tu enim scis quia in toto corde meo, dilexi te, & custodiui thesaurum à te mihi creditum. Suscipe itaque me Domine ancillam tuam, & libera me à potestate tenebrarum: vt nullus Sathanæ impetus occurrat mihi, nec videam teros spiritus occursantes: cui saluator respondit: Cùm ego missus à patre pro salute mundi fuissem suspensus in cruce: ad me princeps tenebrarum venit. Sed dùm nullum sui in me operis vestigium inuenire præualuit, victus, & conculcatus abscessit: Vidi, & tu ergo videbis eum quidem communi lege humani generis, per quam sortiris finem mortis, nocere autem non poterit tibi, quia nihil te habet, & quia tecum sum, vt eruam te. Veni igitur iam secura, quia expectat te cælestis vitæ militia, vt te introducam in Paradisi gaudia.

Morituris apparet Dæmo.

Et hæc dicente Domino exurgens beatissima Virgo de pauimento, accubuit super lectum suum, & gratias agens Domino Deo, emisit spiritum. Viderunt autem Apostoli tantum lucis candorem, vt nulla mortalium lingua dignè possit effari. Vincebat enim omnem candorem niuis, & vniuersi metalli, & argenti radiantis magni luminis claritate. Cap.9

Tunc Saluator locutus est, dicens: Surge Petre, tu & reliqui Apostoli, & corpus Mariæ dilectę meæ accipite, & deferte illud in dexterá partem ciuitatis ad oriétem, & inuenietis monumétum nouú, in quo ponentes eam expectare, donec veniam ad vos. Et hæc dicens Dominus tradidit animam sanctæ matris nostræ Mariæ, Michaëli Archangelo suo, qui est prępositus paradisi, & princeps gétis Hebręorum: & Gabriel Archágelus ibat cum ea. Dominus autem saluator noster, statim in cælum cum Angelis receptus est. Tres autem virgines quæ ibidem erant, & vigilabant: susceperunt corpus beatissimæ parentis Mariæ, & lauerunt illud funerum more: Cap.10.

Cadauerum abluendorum mos.

Cúmque exuissent illam vestibus suis: sacrum corpus illud tanta claritate resplenduit, vt tangi quidem posset pro obsequio, videri autem species præ nimia luce coruscante, non posset: & nihil nisi splendor apparuit magnus, & sentiebatur, dùm lauaretur corpus múdissimum, & nullo

horro

horrore sordis infectum. Cúmque vestissent eam linteis & indumentis mortalibus paulatim lux illa euanuit. Et erat facies beatæ genitricis Dei Mariæ similis floribus lilij, & odor suauitatis magnæ egrediebatur ex ea, ita vt ei similis suauitas inueniri nulla posset. Tunc igitur sanctum corpus imposuerunt feretro, dixeruntque ad inuicem Apostoli. Quis Palmam hanc ante feretrum eius portabit? Tunc Ioannes ait ad Petrum. Tu qui præcedis nos in Apostolatu, debes Palmam hanc ante feretrum merito ferre. Cui Petrus respondit: Tu solus ex nobis virgo es electus à Domino: & tantam gratiam inuenisti, vt super pectus eius recumberes. Insuper dùm ipse pro salute nostra in crucis stipite penderet, hanc tibi ore proprio commendauit: Tu igitur portare debes hanc Palmam, & ego suscipiam ad sostinendum sacrosanctum hoc & venerabile corpus vsque ad locum monumenti. Cui Paulus ait: Et ego qui iunior sum omnium vestrum, portabo tecum. Cúmque consensissent omnes, Petrus eleuans à capite feretrum, cæpit psallere, & dicere. Exiit Israel de Ægypto, Alleluia. Sustinebat autē cum eo Paulus, sacrum beatæ semper virginis Mariæ corpus, & Ioannes ante feretrum præferebat Palmam luminis. Cæteri verò Apostoli psallebāt voce suauissima. Et ecce nouum factum est miraculum. Apparuit enim corona nubis super feretrum magna valde, sicut apparere solet magnus circulus iuxta splendorem Lunæ. Et Angelorum exercitus erat in nubibus, canticum suauitatis emittentium, & resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ. Tunc egressus de ciuitate populus fere quindecim milia hominum, mirabantur, dicētes: Quis est sonitus tantæ suauitatis? Tunc stetit vnus, qui diceret illis. Maria mater Iesu exiit modo de corpore, & discipuli Iesu circa eam laudes dicunt. Et respicientes viderunt coronatum feretri lectulum magna gloria, & Apostolos cantantes voce magna. Et ecce vnus ex illis, qui erat princeps sacerdotum Iudæorum in ordine suo, repletus est furore & ira, & dixit ad reliquos. Ecce tabernaculū illius qui nos turbauit, & omne genus nostrū, qualem gloriam nunc accipit. Et accedens voluit euertere feretrū, & corpus ad terrā deijcere. Et statim aruerūt manus eius à cubitis, & adhæserūt lectulo. Et eleuātibus Apostolis feretrum, pars eius pendebat, & pars hærebat ad feretri lectulum, & torquebatur supplicio vehementi, ambulantibus Apostolis, & psallentibus Domino: Angeli verò qui erant in nube percusserunt populum cæcitate. Tunc princeps ille clamabat dicens: Deprecor te dilecte Deo Petre, ne me despicias in tāta necessitate, quia tormētis magnis crucior valde. Memor esto quod quādo in prætorio ancilla ostiaria te recognouit, & dixit cæteris, vt calumniarētur tibi, tunc ego locutus sum pro te bona. Tunc respondens Petrus ait. Non est meum auxiliari tibi, si autem credideris toto corde in dominū Iesum Christum, quem in suo sancto vtero hęc cui calumniatus es, virgo portauit, & post partum virgo permansit clementia Domini, & larga eius pietas quę saluat indignos, dabit tibi salutem. Ad hęc ille respondit: Nunquid non credimus? sed quid faciemus, quia inimicus humani generis excæcauit corda nostra, & confusio operuit vultum nostrum ne confiteamur magnalia Dei, maximè cùm ipsi malediximus contra Christum palam clamantes.

Cap. 11. — *Psalmodia in funere Deipara.* — Cap. 12. — Cap. 13.

Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tūc Petrus ait: hęc maledictio tis solis nocebit, qui infideles permanserint. Conuertentibus autem se ad Deum, misericordia non negatur. Et ille ait, omnia credo quæ dicis, tantum precor miserere, ne moriar. Tunc Petrus fecit stare lectulum, & ait illi: Si credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, soluentur à feretro manus tuæ. Et cùm dixisset, hoc credo: statim solutæ sunt manus eius à feretro, & cœpit stare pedibus suis, sed erant brachia eius arida, & non discessit ab eo supplicium. Tunc Petrus ait illi: Accede ad corpus, & osculare lectulum, & loquere, & dic: Credo in Deum, & in Dei filium, quem ista portauit Iesum Christum, & credo omnia quęcunque locutus est mihi Petrus Apostolus Dei. Et accedens, osculatus est lectulum, & statim omnis dolor abscessit ab eo: & sanatę sunt manus eius. Tunc cœpit laudare, & benedicere Deū largiter, & de libris Moysi testimonium reddere laudibus Christi: ita vt etiam ipsi Apostoli mirarētur, & flerent præ gaudio laudantes sub illa nomen Domini. Petrus verò dixit ad eum. Accipe palmam hanc de manu *fratris nostri Ioannis, & ingrediens ciuitatem inuenies populum multum cæcatum, & annuntia eis magnalia Dei, & quicūque crediderint in Dominum Iesum Christum: impones palmam hanc super oculos eorum, & videbunt cæci: Qui autem non crediderint, permanebunt cæci. Qui cum fecisset ita, inuenit populum multum plangentem, & dicentem: Væ nobis, quia similes facti sumus Sodomitis cæcitate percussis. Nil superest iā nobis nisi vt pereamus. Cùm autem audissent verba principis loquentis, qui sanus fuerat, crediderunt in Dominum Iesum Christum, & imponēte eo palmam super oculos eorum, receperunt visum. Quicūque tamen ex eis permanentes in duritia cordis, cæci mortui sunt. Et regressus princeps sacerdotū ad Apostolos, retulit palmam referens omnia quæ fuerant facta. Mariam autem portantes Apostoli peruenerunt ad locum vallis Iosaphat, quem ostenderat illis Dominus. Et posuerunt eam in monumento nouo, & clauserunt sepulchrum. Ipsi verò sederunt ad ostium monumenti, sicut mandauerat eis Dominus. Et ecce subito aduenit Dominus Iesus cum innumerabili exercitu Angelorum magnæ claritatis radio coruscante, & dixit apostolis, Pax vobiscum. At illi respondētes dixerūt: Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodū sperauimus in te. Tūc saluator locutus est eis, dicens. Antequam ascenderem ad patrem meum, pollicitus sum vobis dicens: quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super Thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Hanc ergo ex tribubus Israel elegit iussio Patris mei, vt habitarem in ea. Quid ergo vultis vt faciam ei? Tunc Petrus, & alij Apostoli dixerunt: Domine prælegisti hāc ancillam tuam heri immaculatū tibi thalamum, & nos seruulos tuos in ministerium tuum. Omnia ante sęcula pręsciuisti cum Patre, & spiritu sancto: cum quibus tibi est vna deitas, æqualis & infinita potestas. Si ergo visum nobis fuerat, famulis tuis etiam rectum esse, vt sicut tu deuicta morte regnas in gloria, ita resuscitans matris corpusculum, tu tecum duceres eam lætam in cælum. Tunc saluator ait: Fiat secundum verbum vestrum. Et præcepit

Cap. 14. — Cap. 15. *al. fratris. — Cap. 16. — Cap. 17.

pit Michaeli Archangelo, vt animam sanctæ Marię deferret. Et ecce repente Gabriel Archangelus reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & ait Dominus: Surge amica mea, & proxima mea. Quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulchro. Et statim surrexit Maria de tumulo, & benedicebat Dominũ. Et prouoluta ad pedes Domini, adorabat eum, dicens. Non ego tibi condignas gratias possum rependere Domine pro impensis beneficiis tuis, quæ mihi ancillæ tuæ, conferre dignatus
Cap 18. es. Sit nomen tuũ, Redemptor mundi, Deus Israel benedictum in sęcula. Et osculatus eam Dominus recessit, & tradidit eam Angelis, vt deferrent eam in Paradisum. Et ait Apostolis: Accedite ad me. Et cùm accessissent, osculatus est eos, & ait. Pax vobis: quoniam ego semper vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi. Et statim cùm hęc dixisset Dominus, eleuatus in nube receptus est in cęlum, & Angeli cum eo, deferentes beatissimam Dei genitricem Mariam in Paradisum Dei. Apostoli autem suscepti sunt à nubibus, & reuersi sunt vnusquisque in sortem prædicationis suæ, narrantes diuina magnalia, & laudantes Dominum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum patre, & spiritu sancto, in vnitate perfecta, & in vna diuinitatis substantia, in sæcula sæculorum, Amen.

S. ATHANASII EPISC.

Alexandrini in eodem festo de sanctissima Deipara Sermo: qui extat in operibus eius.

QVandoquidem ipse rex est, qui natus ex virgine, idemque & dominus & Deus, ea propter & mater, quæ eum genuit, & regina, & Domina, & Deipara propriè & verè censetur, licebitque nobis ita congruenter dicere, dum ad ipsam & ad eum, qui ex ea genitus est, carniferũ filium
Psal. 44. respicimus: Nunc scilicet adest regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumamicta, variegata, eò quòd secundùm sexum fœmineum regina, &
S. Maria regina & Domina. domina, & mater Dei appellari debeat. Eaque nunc vt regina assistens à dextris filij vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis & immortalitatis circumamicta & variegata, sacris & solennibus verbis celebratur: non quidem secundùm spiritualem simplicitatem, aut quasi sine corpore & carne assistat, sed quòd induta sit, quantum spectat ad sanctissimam eius carnem, incorruptibilitate & immortalitate. Variegata rursus est, quantùm attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirùm istam incarnationem, eámque semel indutam perpetuò gestat. Ac proinde ista noua Eua mater vitæ appellatur, variegatáque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam igitur iterum atque iterum, & semper & vndequaque beatissimam. Sicuti ergo cùm ad ipsum respicimus, regem, dominum & Deum appellamus: ita quoque cùm ad eam oculos reijcimus, reginam, Dominam & Deiparam esse animaduertimus, idque contemplatione oculi mentalis. Adest regina à dextris tuis, vestitu deaurato circumamicta, variegata. Et iam scilicet audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia & domo patris tui. Innocat S. Mariam.
Parentes enim tui sumus secundùm generis prosapiæque rationem, nostráque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te matrẽ, regeneratricẽ, Dominam ac heram cognominari, eò quòd ex te prodiit rex, Dominus ac Deus noster: assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnémque gratiam largienti: qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè quæ omni gratia abundares: idque per superuentum in te spiritussancti. Ideóque vultum tuum deprecantur Psal. 44.
omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo, quę etiam à partu virgo permansisti, & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. Nam ideò his vocibus, vt ex re ipsa desumptis, & natura laudatoriis, præcipuè in tuum encomium vtimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue à nobis, siue ab vniuersa creatura offertur: Tibi, inquam, gratiosæ dominæ nostræ, reginæ, heræ, matri Dei, arcæ sanctuarij. Ecce iam nunc & in exordio diei, vt primitias laudes tibi hoc encomium Archangelus contexuit: dicens: Aue gratia plena, dominus tecum: beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ, & hie- Omnes Angelica Hierarchia laudant S. Mariam.
rarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quę & in cælis benediceris, & in terris beata prædicaris: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quę ex Thronis, Cherubinis & Seraphinis constat: qui aut flammei, aut magni regis Dei cognitores appellantur, Beata tu in mulieribus, & beatus vterus tuus Dei gestator, & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, quæ in se dominationes, Virtutes, Potestatésque complectitur, ad te respectans clamat, vtpotè quæ hæc didicerit à sublimiori Hierarchia, priusquã initiata sit, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum cõcepit, & mammillę, quę Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus, Angelis & Archãgelis acies, quibus mandatum & permissum fuit à Deo emittere, vt per vnũ Gabrielem Archangelum ederet splẽdidissimum & capacissimum hymnum, in hęc verba, Aue gratia plena, dominus tecum. Ab istis deinde nos Psal. 149.
hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quòd didicimus, siue quòd mutuò hæc verba sumpserimus, exaltamus te, magna & canora voce, dicentes, Aue* gratia plena, dominus tecum: intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis. Quoniã ex nobis tu oriunda es, & is qui editus est ex te, carnigerus Deus, noster est: quem decet gloria & magnificentia, omnisque honor & adoratio, & gratiarum actio, cum patre initij experte, & cum sancto, bono, viuifico spiritu, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

* gratiosa habet eadem.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS

Episcopi in superius Euang. expositio.

Et ipse intrauit in quoddã, &c. Subijcitur Marthæ exemplũ, & Mariæ, alterius operibus actuosa deuotio, alterius religiosa mentis intẽtio Dei verbo. Quæ, si cum fide congruat, etiam ipsis operibus antefertur, iuxta quod scriptũ est. *Maria optimam partem sibi elegit quæ non auferetur illi.* Studeamus igitur & nos habere quod nemo nobis possit auferre. non vt persunctoria, sed diligens audientia deferatur. Solent enim ipsius semina verbi cælestis auferri, si secus viam sint seminata. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ: hoc enim maius, hoc perfectius opus, nec ministerij cura a cognitione verbi cælestis auertat, nec arguas eos, & otiosos iudices, quos videas studere sapientiæ. Hanc enim sibi cohabitantem, Salo-
Sap. 9. mun ille pacificus asciuit: nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quia meliorem partem sibi elegerit, antefertur. Iesus enim multis abundat, & multa largitur. Et ideo
Act. 6. sapientior iudicatur, quia, quod principale aduertit, elegit: denique Apostoli optimum non putauerunt relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, sed vtrumque munus sapientiæ est. Nam & Stephanus plenus sapientiæ minister electus, & ideo qui ministrat doctori deferat, & ministrantem doctor inuitet, & prouocet. Vnum enim corpus ecclesiæ, & si diuersa membra, alterum altero eget. Non potest dicere oculus manui, opera tua non desidero, aut iterũ caput pedibus, & auricula se negare esse de corpore. Nã, etsi alia prin-
Eccles. 2. cipalia, tamen alia necessaria. Sapientia in capite, actus in manibus. Oculi enim sapientis in capite eius: quia ille vere sapit, cuius animus in Christo est, & cuius interior oculus ad superna erigitur. Et ideo sapientis oculi in capite ipsius, stulti autem in calcaneo.

S. EPHRAEM DIACONUS

Ecclesiæ Edissenæ, de sanctissimæ Dei matris laudibus.

Intemerata, prorsusque pura, Virgo Deipara, regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eadémque optima, sublimior cælicolis, purior Solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubim, & polyommatis, idest multoculis spiritibus, sanctior Seraphin; & nulla comparatione cæteris omnibus supernis exercitibus gloriosior, spes patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, & lumen studiosorum Abraham, Isaac, & Iacob, decus Aaron, Mosis splendor, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum, ac Virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Ac certa aurea, lucerna micãtissima, vrna cæli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus; arca vera, e harta diuinissima, omnium princeps, circumspecta, & lucifera Virgo, consolatio sanctissima, & omnium dux, sacratissima puella. O rube incombuste, & patens prædium, & viridans Aaron illius virga. Virga profectò extitisti, & flos filius tuus. E radice Dauid, & Salomonis germinauit Christus noster creator, Deus & Dominus omnipotens, altissimus & solus. Tu quò ad corpus Deum, & Verbum genuisti, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Claues non excussit Deus creator tuus in tuo virginali vtero absque semine carnem indutus, te, ô celeberrima, talem præseruans, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, filio tuo. Tu peccantium, & auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus pro-
cellę vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotãtium exultatio, & omnium salus. Tu solitariorum stabilimentum, & spes mundanorum. Tu virginum decus, corona, & gaudium. Tu mundi lætitia, ô domina princeps, regina præstantissima, & per quam benedicta, puella veneranda, dominorum domina purissima. Sub alis tuis custodi me, & protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quam plurimis creatorem Deum meum, & iudicem offendi, ne aduersus me glorietur Satanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne seruum tuum a tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, ô Virgo syncera. Ex vlnis equidem maternis tibi, domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum, ne maleuolus Satanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præses auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima mater imploro, & aduoluor tibi, domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa, quæ patraui, scelera, tollat me de medio, & miseram animam, ceu leo, diripiat, vel velut sterilem ficum infelicem me excidat. Sed obsecro, vt Christum meum adeam, & subeam aulas illas beatorum, vbi non sunt lachrymæ, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiæ; sed lætitia inexhausta, voluptas iustorum, deliciæ, & exultatio, gloria, & splendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ. Illumina mentem, ô gratia plena. Moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri, & læto animo canendas, & præcipuè melos illud Angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te Virginem, & matrem Dei mei integerrimam clamás cecinit, salutationem maximè congruam, & dignissimam, mundi salutem, cunctarúmque animarum tutelam. Dignare, Virgo, te tuum seruum laudare, & dicere: Aue Dei splendidissimum, & luculentissimum vas; aue Domina Maria gratię plena; aue in mulieribus Virgo beatissima; aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt; aue illustrissima lux, mater, & Virgo, aue quæ mirificè Regem omnium peperisti; aue per quam nobis sol præclarissimus illuxit; aue Domina cunctis sublimior; aue canticum Cherubin, & hymnus Angelorum; aue pax, gaudium, & salus mundi; aue generis humani lætitia; aue patrum præconium, & prophetarum decus; aue martyrum pulchritudo, & corona sanctorum; aue piorum gloria, & in solitudine degentium hymnus; aue præclarissimum Hierarcharum cælestium ornamentum; aue hymnigraphorum omnium oratio; aue præstantissimum orbis terræ miraculum;

Ecce quomodo sanctissima Virgo est humani generis refugium, & totius mundi salus post Deum.

Inuocat sanctam Dei genitricem pro consequenda peccatorũ venia à filio, & beatitudinis gloria adipiscenda.

aue

aue terrigenarum omnium delectatio; aue paradise deliciarum, & immortalitatis; aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas; aue vallū fidelium, & mundi salus; aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix; aue nostra periclitantium auxiliatrix; aue progenitoris illius Adam resurrectio; aue iucunda libertas; aue omnium parens; aue flos gratiæ, & consolationis: aue refugium peccatorum, & hospitium; aue propitiatorium laborantium; aue refugium in Hierosolymis; aue throne mei creatoris gloriosissime; aue æni splendor illustrissime, & micantissime; aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum; aue conuersorum refugium; aue virorum iuxta mulierúmque regina, & tutela, aue mundi mediatrix gloriosissima; aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix; aue Domina sceptrum fidelibus tuis impertans; aue gloria, & lætitia omnium sacerdotum; aue Virgo solatium; aue porta cælorū, ascensus omnium; aue reseramentum portarum paradisi; aue quæ mœrores sedasti, adornatrix omnium; aue eadem quæ leniisti oppressorum molestiam; aue clauis cælorum, & regni Christi; aue portus optime huius vitæ nautarum; aue animæ meæ spes bona, & fida; aue Christianorum omnium firma salus; aue lumē præfulgens, quo mundus illustratur; aue mater Christi filij Dei viui; aue nostra genitorum protectio luculenta, & gloria; aue quæ nullo spatio comprehensum in sinu comprehendisti; aue quæ Christum vitæ datorem educasti, Christum pientissimum omnium creatorem, Deum, dulcem Iesum meum, altorem mundi, hominum amantissimum, omnipotentem patrem meum, cui competit gloria, honor, & potestas in secula, laus, & magnificentia, cum æterno Patre, & Spiritu sancto nunc & semper, & in secula seculorum. Precibus Dei genitricis semper Virginis, & exercitus cælestium, ac cœtua Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, Sanctorum studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus, miserere tuæ creaturæ, Deus mi clementissime. A dextris in hora iudicij colloca humiles seruos tuos. Ne, ô Domine vitæ author, ad opera, quæ nos mortales legem præuaricati commisimus, aspexeris, quin potius aspice ad mitissimam humanitatem, & misericordiam tuam, Amen.

Vide quomodo sanctis intercedas pro nobis.

S. EPIPHANII EPISC.

Constantiæ Cypri, de Laudibus sanctæ Mariæ Deiparæ, Serm.

Ioanne Pico interprete.

Habetur in bibliotheca SS. Patrum.

MIser ego sum, qui effulgentes splendore deiparæ radios, terribiles & incomprehensas facultates; cæli & terræ inhabitatæ mysterium, admirandumque propitiatorium verbis consequi tentaui. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ: & altissimæ speculationis Miraculum. Veruntamen, charissimi, & timor multus & grauis continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam maximæ contemplationis, ac velut incomprehensi mysterij memoria, nempe quę illud eloqui minimé possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? Quale verò os pronūciaret, quæve lingua proferret? Nequaquam potest dicere quod latet. Iam verò audebo, dicā de sola deipara, quatenus assequor, denuò tamen vereor, vtpote qui lingua non sim præditus idonea, ad ea dicenda, quæ sunt valde magna: sum enim exili voce, tardáque lingua: & minimè disertus, vt sic verba facere possim de perecelebri, sancta, innupta, & deipara Maria matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua, pertenuem enim habet vocem illius habita ratione, & imminuta est lingua, quæ pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Ita siquidem vel cælorum virtutes in stuporem conuertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Archangeli, principatus, potestates, Throni, dominationes, Cherubim, ac Seraphim, & Angelorum vniuersa exercitia, timore, tremoréque graui detenti: quia cernebant illum qui habitat in cælis, per eam versari in terra, & exhorrescebant. Spectabant virginem, cælum, & Thronum, & formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à Throno Cherubico, in vtero virgineo sedere. O beata radix, quæ hanc produxit, de hac Esaias Propheta Turturis more gemendo submurmurat ignea lingua exclamans. Exurget virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet, & requiescet super eum Spiritus timoris Dei. De radice Iesse ortus est Rex Dauid & de tribu Regis Dauidis sancta Virgo: sancta inquam, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum eiusmodi germinarunt, sanctam virginem Mariam, Templum simul & Matrē Dei. Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit Templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur: propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperūt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent sanctam virginem adepti. Ioachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo. Anna verò grauida effecta, cælum & Thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur esse cælum, Templum, & Thronus: quia Mariam interpretari solemus dominam: atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiā aio) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmā immortalem, in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet vniuersum mundum, cui virgo serenitatem & trāquillitatem contulit, dum portū peperit Christū. Rursum itaque præclarę puellę Mariæ beatū nomē interpretatur illustrata, vtpote quę illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ credētes Trinitati illuminauerit. Sācta enim puella Virgo Maria est spōsa Trinitatis, & thesaurus dispēsationis plane arcanus, cui Gabriel inquit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Subiunxit Gabriel. Et pater misit arrabonem de cælo Spiritum sanctum, præparauit virginem vnigenito filio cælesti spōso, quam

B. Mariæ excellentia.

Esa. 11.

Ioachim. & Anna parentes B. Mariæ.

Luc. 1.

Pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa est enim sponsa & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus. Virgineum indumentum, iuxta suauem Dauidis Prophetæ cantionem. *Psal. 18.* In sole posuit Tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de Thalamo suo. O sponsi desiderium summæ puritatis, propriam ancillam propensione affectu constituit sponsam & Matrem. Gabriel effectus hospes virginis, cæli & terræ incensum atque suffimẽtum vnà copulauit. quam quidem Virginem prophetæ clarè descripserunt, dum prædicarunt seriem nuptiarũ. Quomodo Virgo inuenitur esse cælestis sponsa & mater quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia, cælum vnà cum paradiso? Quærebat igitur virgo conspicere quem desiderabat inquiens. Vbi est sponsus cuius pulchritudinem exopto? vbi est pulchritudo Sole splendidior? vbi totius formæ gloria ineffabilis? vbi lumen quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro? vbi Sol qui radium exquirit? vbi ipsorum Cherubim cithara? vbi oculus Seraphim nunquam dormiens Christus? Vbi angelorum adoratio quam Gabriel indicauit? vbi solus ac solius patris vnigenitus filius, quem virgo, exoptans redamat, perquirens saluiat? Cui Gabriel, ait: *Luc. 1.* *Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gratia plena.* Gratia Sanctæ virginis est immensa. *Aue gratia plena.* multis virtutibus exornata virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splẽdidiorem. *Aue gratia plena.* hami esca spiritalis in te siquidem hamus diuinitas. *Aue gratia plena,* gloriæ spiritalis. *Aue gratia plena*, quæ es vena aurea continens manna cæleste. *Aue gratia plena*, quæ sitientes perẽnis fontis dulcedine satias. *Aue gratia plena*, mare spiritale habens gemmam cælestem Christum. *Aue gratia plena*, splẽdidum cælum, quæ in cælis incomprehensum contines Deum. *Aue gratia plena*, quæ Cherubicum Thronum diuinitatis fulgore superas. *Aue gratia plena* quæ cæli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimum loco in te ipsa contines. *Aue gratia plena*, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dico? & quid proloquar? quo pacto beatã prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis: natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prędicandæ cęlestis ac terrena lingua minimè sufficit, immò vero nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli tanquam ipsi duntaxat Deum haberent, quibus sanctissima virgo superior nata, Deum habitantem in cęlis concepit in terra: vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est cęli & terrę mediatrix, quę vnionem naturaliter peregit. O beata virgo, columba pura, & sponsa cælestis Maria, cælum, Templum, & Thronus diuinitatis, quæ coruscantem in cælo & terra Solem habes Christum: nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cęlestis, quę Tonitruum Spiritus Sancti in seipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem spiritus sancti in vniuersam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit. *Aue gratia plena*, porta cælorum, de qua Propheta vociferatus est, his verbis,

B. Maria sua excellentia superemenet Angelis omnibus.

Ecce porta clausa, & nullus ingredietur per eam: *Ezech. 44.* nec egredietur, præter quàm Dominus Deus solus, & erit porta clausa duci: quia dux ipse vocabitur, & in ipsum sperabunt omnes gentes. De hac porta etiam in canticis Propheta in discursu orationis planè & apertè proloquitur inclamans. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *Cant. 4.* Mansit in virginitate sancta & præclara puella Maria, quę est nubes lucida habens intus Deum Verbum: ad quam vocalissimus Esaias. Ecce nubes leuis, & veniet in Aegyptum *Esa. 19.* mons nullatenus incisus, præruptam habens petrã Christũ: de qua sapiẽtissimus Daniel ait, Abscissus est lapis de monte sine manibus, hoc est absq; *Dan. 2.* viro solidã Petrã Christum virgo peperit ipsa templum minime compositum, quæ lapidem cælestem habet Christum, ipsa nubes tonitrui formis, quæ fulgur interius in vtero gestat: sermonique meo attestatur diuina scriptura, dum ait, Veni ter *Cant. 7.* tuus aceruus frumenti vallatus in liliis. Ipsa est ager minimè cultus, quæ verbum velut granum frumenti suscipiens etiam manipulum germinauit. Ipsa clibanus intellectualis, quæ ignem & vitæ panem habebat. Ipsa est sancta mater Saluatoris, quæ Verbum patris ex te incarnatum peperisti, *Ioan. 12.* Ad quã Esaias. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabũt nomẽ eius Emanuel. O virgo pura, sancta mater Domini, beata sponsa Trinitatis indiuiduæ, *Psal. 7.* beata tu inter mulieres, quæ Deum & hominem omnium creatorẽ velut infantem in terra peperisti, beata tu inter mulieres, quæ sola in terra Deum cælestem concepisti, beata tu inter mulieres, cuius vbera suxit is qui alit vniuersa. Sancta Maria virgo deipara beata tu inter mulieres, quæ nunc genuisti eum qui olim in Paradiso formauit Adam è luto. Tu enim es deipara, quæ verbum ex te incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ Deum verbum in forma serui concepisti. Deipara existis, quia Deum verbum suscipiens incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filium genuisti, non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum: sed æternum, qui ante te est, & ante omnia. Ouis immaculata, quæ peperit agnum Christum. Iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit. Fidei mensa intellectualis quæ panem vitæ mundo suppeditauit. Quid dicam; & quibus verbis explicabo gloriam radiantis fundatam? De hac sancta puella, semper inquam puella & virgine, Deus per Prophetam ait, Ex te mihi exibis *Mich. 5.* dux qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis: propterea dabit eos vsque ad tempus parientis, pariet, & reliqui filiorum eius conuertentur ad filios Israel, Astabit, & videbit, & pascet ouile suum in potentia Dominus. O virgo sancta lucis æternæ mater, lucis, inquam, quæ in cælis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipsorũ Seraphim incomprehensum oculum: lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit; *Ioan. 8.* Ego sum lux mundi: lucis, quæ dixit. Ego lux in mundum veni: lucis, quæ assumpta est, & illuminauit cuncta quæ sunt in cælis & in terra. O virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est Miraculum in cælis, mulier amicta Sole: stupendum Mi-

raculum

raculum in cælis, mulier gestans lucem in vlnis, stupendum Miraculum in cælis, alter thronus Cherubicus. Stupendum Miraculū in cælis, mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater. Stupendum Miraculum in cælis, thalamus virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Stupendum Miraculum in cęlis, Dominus Angelorum, infans virginis effectus est. O sanctissima virgo mater Saluatoris, quæ genuisti principio carens Verbum, filium scilicet eundem cum Patre habentem thronum, cōsubstantialem patri, & spiritui sancto, qui cum Patre & Spiritu sancto est ante sęcula, qui concamerauit cęlos, & terrā condidit. Aue sanctissima virgo, quę velut rubus intellectualis absque combustione diuinitatis ignem tenes. Clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitę calidum mundo in esum attulit, de quo saluator mundi Christus ait. Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. in remissionem peccatorum. Locuples est, charissimi, virtutibus plena mensa virginea, optimis quibuscunque cibis abūdans, quibus terra fruatur. Largita est sancta virgo & mater Christi, quę splendidam lucernam relucentem in cęlo & terra Christum gestante, ad quam Propheta Zacharias,

Zach. 4. Psal. 118. Ecce candelabrum aureum, & facula super ipsum. Quinetiam Dauid canticum hoc suauissimum inclamat, Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. O candelabrum virgineum, quod illustrauit tenebris inuolutos. O candelabrum virgineum repellēs tenebras, & lucem splendere faciens. O candelabrū virgineum, quod ignem & oleum inseparabile ad illuminandum intulit. O candelabrum virgineum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem, vnū inextinguibilem, cōsubstantialem, & ad illustrādam terram resplenduit. O candelabrūm virgineum, de quo per Prophetam, Deus inquit, Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chri-

Psal. 131. sto meo. Corona regia pretiosissimum habēs lapidem & gemmis similem Christum, Purpura regia, quę cęli terręque regem induit, vniuersale corporis indumentum purpuram referens, constantissima Christianorum fides: liber incomprehensus, quę verbum & filium patris mundo legendum exhibuisti. Beata inter mulieres, quę Verbum ex te incarnatum peperisti, Verbum inquam patris, filium verbum, ante secula Deum, verbum initio carens & ęternum, verbum cum Patre & Spiritu sancto vnitum, verbum eundem cum patre habens thronum, verbum sedens super Cherubim, verbum quod glorificant animalia quadruplicem faciem habentia, verbum quod creauit Angelos, verbum quod fecit vt principatus & potestates essent, verbum quod extendit cęlos, & terram condidit, verbum verum Deum ipsum Christum Dominum nostrum, quem sanctissima virgo peperisti, & denuo post partū virgo, quæ gemmam produxisti, & coronam regiam plexuisti. O beata virgo, quæ gloriam cælestem portasti, & ex multis floribus Paradisi mundum odore bono replesti. Virgo est lilium immaculatum, quę rosam immarcessibilē genuit Christum: vitis veritatis fertilissima, & quod ad virginitatem minimè vindemiata, quæ licet non fossa, vuarum tamen feracissima, nempe quæ maturam vuam germinauit Christum. Quamobrem sanctissima virgo fac nobis fidem, qua ratione germinaueris, quo pacto suscipiens verbum, quod est ante sæcula, mater Dei visa sis super terram. Ego virgo incorrupta, quæ in vtero gestaui, effecta sum Templum impollutum habitantis in me verbi Dei nuptiarum expertis. Emanuelem gestans in vtero incorrupto, in ventre impolluto, similis effecta throno cherubico: in qua caro factum est verbum Patris, qui Deus est initio carens: & licet inuisibilis, spectabilis tamen per dispensationem assumptæ carnis factus est. Non experta nec cognoscens virum, peperi Deum, qui est ante sæcula, ipsum Christum, Nam etiam nunc sum Virgo post partum, purior (si dicere licet) quàm antea: sine labore peperi, non vt omnes mulieres. dissimiles enim fuerunt res meæ ac illarum inter pariendum. Non nouit natura humana partum meum, excepto solo Deo qui in me habitauit. O virginem, stupendum Ecclesiæ thesaurū, qui adeptus est ingens Mysterium. Virginē appellat velut sacerdotem pariter & altare, quæ quidē mensam ferens, dedit nobis cęlestem panem Christū in remissionem peccatorum. *D. Virginis Mariæ encomia.* O vterum impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti. O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti. O vterum, qui cælum es septem circulis constans, & capacior illis existis. O vterū septem cęlis sublimiorem atque latiorem. O vterum, qui es octauum cælum, septem firmamentis celsiorem. O vterum habētem inextinguibile lumen septies lucētis gratiæ. Quid dicam, aut quid loquar de præclara, & sancta virgine? Desiderium me trahit vt de Deipara verba faciam, & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergo ab vtroque distinear, expedit mihi vt sermonem habeam de percelebri & sancta virgine. Dico enim illam esse cælum, thronum, simul & crucem: extendens enim sanctas vlnas Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cælestis: de qua per scripturas in cælos incumbo, & conspicio illam ab Angelis adorari, hinc Gabriel in primis salutat virginem. *Aue gratia plena,* quæ es splendidum cælū. *Virgo Maria ab Angelis adoratur. Luc. 22.* *Aue gratia plena,* quæ habes radium de cælo lucidis facibus coruscātem, vt pote solem Christum. Virgo plurium nominum & multocula, effecta est. Seraphim incōprehensæ visionis: quę inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritalem ignem diuinitatis, fixis oculis intueri: hęc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem & summi expertem oculum Christi, cum desiderio & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes nec videre possunt nec contingere, hæc verò labra labris coniungens, incomprehensum salutabat. O virgo incomprehensi Mysterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicasti. Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim & Seraphim, placens Christo regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & mater. Sancta mater immaculata, quæ genuisti Christum, qui est ante te, & dixit, Prius quàm Abraham fieret, ego sum, quæ stabulum gloria exornasti, & præsepe illustrasti. Virgo siquidem spelūca & præse- *Ioan. 8.*

pe, cæli circulum præ se ferentes, Deum incomprehensum gestabant vt pote tres Trinitati aperte ministrantes quando virgo in spelunca circa laborem prægnās, cæli & terræ Dominū deposuit in præsepio, tunc etiam ordines Angelorū circunstabant virginem cum clamore dicētes. Gloria in
Luc. 2. altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Quapropter etiā pastores qui tunc pernoctabant, huiusmodi glorificationem Angelorum audierūt de Saluatore, & celeri cursu properantes, lucem adorauerunt, spectātes miraculum insolens: ancillā Domini & virginē in terra versantem, euasisse spōsam & cælestem. Ipsa enim & sponsa, & thalamus, & Dei mater visa est in stabulo, quando peperit infantem Christum. Iuxta propheticā Esaiæ vocem, nempe: Puer natus est
Isa. 9. nobis, & filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius, & vocatur nomen eius magni consilij Angelus, Deus fortis, potestate pollens, Princeps pacis, pater futuri sæculi. Tum post hæc & Magi à partibus Orientis, à stella splendi-
Matth. 2. da illustrati & deducti, peracta itineris ab Oriēte longitudine, venerunt Bethleem ad adorandum partum. Vnde cùm ad Ciuitatem Hierusalem peruenissent, occultati cœpit stella: illi verò tumultuantes, eo quod viæ ducem perdidissent, necessitate cogente interrogabant incolas Ciuitatis, & sciscitabantur ab eis vbi natus esset Christus, quod quidem miraculum inauditum omnes existimabant. De quo eùm audisset Herodes, turbabatur vehementer, & vocatis sacerdotibus, percontabatur eos, vbi Christus nasceretur. Illi autem dixerunt, & non negauerunt: confessi sunt, & non sunt mentiti. Solis radios abscondere non poterant, vocem scilicet per Prophetam de Saluatore clarè pronunciatam, testatò dixerunt, in Bethleem nasci Christum. hunc enim in modum
Mich. 5. per Prophetam clamat: Et tu Bethleem nequa-
Matth. 2. quam es minima in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux qui sit dominator in Israel. O infidelem Israelem, confessus est legis effectum, & legislatorem denegauit; testificati sunt ipsi vbi nasceretur Christus, & hi rursus Christum natum abnegarunt. Cur igitur Magi, quorum vis animi proptia immutata erat, quorum cor admodum turbabatur, & extinguebatur præ dolore: quorum suspiria fluctuum violentorum instat nauem submergebant: quorum oculi, lachrymis gemmas præ se ferentibus, terram irrigabant: quorum afflictio intolerabilis erat, ductorem ab Oriente requirentes, quem nō habebant, habentes, quæritabant, vbi esset Magorum dux stella. At verò perpende veritatem, quónam pacto occultatur eis stella, & intuere miraculum, & eius significationem, hac de causa absconditur eis stella, vt dum percontarentur incredulos sacerdotes, manifestum redderetur omnibus cæli & terræ mysterium. quapropter vbi cognouerunt omnes, rursum apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potius in cęlo. (Vbi enim Christus, ibi & cælum.) Nam stabulum visum est esse cęlum in terra. Illi verò cùm vidissent stellam, immo potius Saluatorem, gauisi sunt gaudio magno, & incuruantes se adorauerunt, obtulerūntque dona, aurum, thus, & myrrham, aurum quidem velut Regi, thus autem tanquam Deo, & myrrham tanquam mortali, vel potius vt iudicarent sepulturam creatoris, & opificis omnium Christi, quam peperit sponsa cælestis Maria, quæ est cælum, templum, & thronus diuinitatis, inexplicabile Paradisi monile. Angeli accusabant Euam, nunc verò Mariam gloria prosequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, quæ lapsam Euam erexit, & Adamum è Paradiso deiectum in cælos misit: quæ Paradisum clausum aperuit, & per Latronem rursum Adamum complantauit. Per te enim, ô sancta virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit, per te pax cælestis donata est mundo, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt amici, serui, & filij Dei, per te homines meruerunt esse conserui Angelorum, & cum eis familiariter conuersari, per te notitia cœlestis, à terra transmittitur in cælos: per te homines fiduciam habent in cælo erga altissimum: per te crux resplenduit per vniuersam terram, in qua quidem cruce pependit filius tuus Christus, Deus noster: per te mors conculcatur, & spoliatur per te infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia cęlestis: per te cognouimus vnigenitum filium Dei, quem, sanctissima virgo, peperisti, Dominum nostrum Iesum Christum, quem omnes Angeli, atque homines adorantes, dicimus principio carentem patrem, carentem principio filium, & principio carentem Spiritum sanctum, Trinitatem indiuiduam, & consubstantialem glorificantes in secula seculorum, Amen.

S. HIERONYMI PRESbyteri in eodem festo, Sermo.

Cogitis me, ô Paula, & Eustochium, imò charitas Christi me compellit, qui vobis dudum tractatibus loqui consueueram, vt nouo loquendi genere sanctis, quæ vobiscum degunt virginibus, Latino vtens eloquio, exhortationis gratia sermonem faciam de assumptione beatæ, & gloriosæ semper virginis Mariæ, more eorum, qui declamatoriè in ecclesiis solent loqui ad populum: quod vtique genus docendi necdum attigetam. Sed quia negare nequeo quicquid iniungitis, nimia vestra deuictus dilectione experiar quæ hortamini, affectu infantium more balbutientium, qui quæcunque audierint, fari gestiunt, cùm necdum possint ad plenum verba formare: maxime quia propter simpliciores quasque id me depromere compellitis, vt habeant sermone latino, quibus se occupent laudibus eadem die, quibúsve diuinis vacent lectionibus: præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus, multorum sanctorum patrum studia miro cuderint eloquio, quæ de hac quidem vberiùs vbique in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud sonant euangelia, nisi nascentem Dominum ex Maria virgine? & omnia incrementa eius quousque fuit in mundo duntaxat, diuinis efferunt præconiis. Porrò ab exordio sancti euangelij Gabrielem archangelum colloquentem Mariæ audistis, & deinceps reliqua omnia pleniùs legistis. Ad præsepe quoque, ô Paula, te teste, nato puero, multitudinem angelorum inter crepūdia noui partus, & querelas nescij plorantus, pro fescenninis, Gloria in excelsis Deo, & in Luc. 2. terra pax hominibus bonæ voluntatis, cantantem audisti, & radiantem stellam vidisti, pastoribus insuper euangelizantibus credidisti. Magos prætere-

rea tria deferentes munera in viſione beatis oculis conſpexiſti, ipſa eadem munera bene intelligendo, votis omnibus fide Deo obtuliſti. Nam & cum eiſdem Magis Deum puerum in præſepi adoraſti. Sed forte conqueſta, me delatorem quòd te prodiderim, clamabis. Ad quod ego; Si celatum eſſe volebas teſte conſcientia, mihi narrare ante præſepium, vbi plurimùm lachrymata es, non debebas: quod vt verum fatear, Chriſti præcoula, etiam ſi voluero adiuratus, neq; tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco tuæ te interrogẽt filiæ, quas lacte nutris, tu ea meliùs reſerabis, quæ neſcio ſi per ſpeciẽ aliquã, aut certe in ſpiritu vidiſti. Vnde vos, ó filiæ, pulſate matrẽ precibus, pulſate ad oſtiũ inuitátis amici, ſi quo modo vobis tandẽ aperiátur, quæ reſerata ſunt matri. Veruntamen de his quid plura dicam? Omnia ſaluatoris geſta, & beatę Mariæ obſequia, nec non & actus vitæ ex euangelio didiciſtis. Et nunc quid ſupereſt, vt ab aliquo doctorum requiratis? De aſſumptione tamen eius qualiter aſſumpta eſt (quia veſtra id depoſcit intentio) præſentia abſens ſcribere vobis curaui, quæ abſentia præſens deuotius obtuli: vt habeat ſanctum collegium veſtrum in die tantæ ſolennitatis munus latini ſermonis, in quo diſcat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare: qualiter, fauente Deo, per ſingulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur: ne fortè ſi venerit veſtris in manibus illud apocryphum de tráſitu eiuſdem virginis, dubia pro certis recipiatis: Quod multi latinorum pietatis amore, ſtudio legendi chariùs amplectuntur: præſertim cùm ex his nihil aliud experiri poſſit pro certo, niſi quòd hodierna die glorioſa migrauit à corpore. Monſtratur autem ſepulchrum eius cernentibus nobis vſque ad præſens in vallis Ioſaphat medio, quæ vallis eſt inter montem Sion, & montem Oliueti poſita, quam & tu, Paola, oculis conſpexiſti: vbi in eius honorem fabricata eſt eccleſia miro lapideo tabulatu, in qua ſepulta fuiſſe, vt ſcire poteſtis, ab omnibus ibidem prædicatur, ſed nunc vacuum eſſe Mauſoleum cernentibus oſtenditur. Hæc idcircò dixerim, quia multi noſtrorũ dubitant, vtrùm aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an obierit relicto corpore. Quomodò autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus inde ablatum fuerit, vel vbi tranſpoſitum, vtrúmque reſurrexerit, ne ſcitur: quamuis nonnulli aſtruere velint eam iam reſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in cæleſtibus veſtiri. Quod & de beato Ioanne euangeliſta eius miniſtro, cui virgini à Chriſto virgo cõmiſſa eſt, plurimi aſſeuerant, quia in ſepulchro eius, vt fertur, non niſi manna inuenitur, quod & ſcaturire cernitur. Veruntamen quid horũ verius cenſeatur, ambigimus, melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quàm aliquid temerè definire velimus authoritate noſtra, quod non probamus: ſicuti & de iis, quos cum domino, teſte euangelio, reſurrexiſſe credimus, ſed vtrum redierint in terræ puluerem, certum non habemus: niſi quòd legimus, quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, ac venerunt in ſanctam ciuitatem, ſcilicet Hieruſalem, & apparuerũt multis. De quibus profectò nonnulli doctorum ſenſerunt, etiam & in ſuis reliquerunt ſcriptis, quòd iam in illis perpetua ſit completa reſurrectio. Ferentur enim, quòd veri teſtes non eſſent, niſi & vera eſſet eorum reſurrectio. Vnde & B. Petrus dixiſſe legitur, cum de Dauid loqueretur in teſtimonium; Et ſepulchrum, inquit, eius apud nos eſt, quaſi non ſit auſus dicere, quòd ipſe, aut corpus eius apud nos eſt, ſed tantùm ſepulchrum, quo conditus fuerat. Hinc aiunt reſurrexiſſe & ipſum cum cæteris ſanctis, & ideò vacuum remanſiſſe Mauſoleum, vti nunc beatę Marię cernitur. Quod ſanè factum & de aliis quibuslibet locis ſcripturarum affirmare conãtur, quòd hi iam cum Chriſto regnent, reſuſcitati in æterna ſocietate. Quod; quia Deo nihil eſt impoſſibile, nec nos de beata Maria factum abnuimus: quanquam propter cautelã ſalua fide pio magis deſiderio opinari oporteat, quàm inconſultè definire, quod ſine periculo neſcitur. Vnde de his, ex quibus certi ſumus, tantiſper loquamur, ad exhortationem veſtram qualicunque ſermone ad ædificationẽ & laudem nominis Dei, vt & religio conſeruetur pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu: quoniam hæc eſt virgo, quæ ſola interemit vniuerſam hæreticam prauitatem, ſola poſt Deũ, quæ nos confirmet in omni veritate, ſuíſque commẽdet meritis, & precibus auxilietur, vt & ipſi digni inueniamur in eius laudibus. Quòd ſi quæritur poſt aſcenſionem Domini quid egerit, vnum pro certo eſt, quia virgo ſancta corpore ac mẽte permanſit. Quam ſanè angelus Gabriel, ac cæleſtis paranymphus intactam cuſtodiuit, & Ioannes Apoſtolus; atque Euãgeliſta, cui Chriſtus eam de cruce commiſit, virgo virginem ſeruauit, ſuíſque ei deſeruiuit obſequiis: non quòd eam eximius ille ſanctorum chorus Apoſtolorum deſeruerit, inter quos poſt reſurrectionem Domini intrans, & exiens familiariùs contulit de Chriſti incarnatione: tanto ſiquidem veriùs, quanto ab initio pleniùs per ſpiritum ſanctum cuncta didicerat, & perſpexerat oculis vniuerſa: licet & Apoſtoli omnia per eundem ſpiritum ſanctum cognouerint, & in omnem edocti peruenerint veritatem. Quam ſanè beatam virginem & ſi omnes venerati ſunt diſcipuli, eíque famulabantur officio dilectionis, Ioannes tamen ampliùs, ac ſpecialiùs vſque ad finem vitæ, qui ſibi commiſſam accepit in ſuam, quaſi matrem filius, cui benignus magiſter de cruce; Mulier, inquit, ecce filius tuus: ad diſcipulum autem; Ecce mater tua: vt virgo virgini cohęreret, & deſeruiret officioſiſſimè tota adoptionis. Non enim pudiciſſima virginitas alicui diſcipulorum rectiùs, quàm virgini commendaretur: vt eſſet adinuicem grata ſocietas, & floridus aſpectus, nec non & venuſtus conuerſandi vultus, vernánſque alternatim pudicitiarum ſplendor decoratus. Vna ſiquidem virtus virginitatis in ambobus, ſed altera proportio in Maria: altera quidem, quia fœcundior, ſed ipſa: ipſa verò, ſed altera: quia etſi ipſa eadémque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis longè glorioſior quàm virginitas. Idcircò & fœcunditas in illa tota deifica eſt, & virginitas. Alioquin nuſquàm ſecundùm naturam naſcendi virginitas vbi fœcunditas prædicatur, neque fœcunditas vbi virginitas integra conſeruatur: ideóque totum ſuperexcellit de illa, quæ dicuntur, quia ſunt diuina, atque ineffabilia. Vnde virginitas, & fœcunditas prolis, ſupereminens nouitas eſt, quanquam humanum cernatur, ex carne quod naſcitur. Ve-

Templum in Mariæ honorem constructum.

Ioan.19.

Sed postea renunciatum fuit, id mentiri.

Matth.27.

Act.2.

Inſignis præconia B. Mariæ, qualia nouatoribus non admodũ probantur.

Intercesſio B. Mariæ.

Ioan.19.

Ioan.19.

tamen & si magnificentior multùm virginitas in Maria propter gratiæ excellentiam, vna tamen integritas carnis, & vna virtus, quæ adinuicem quasi cognata sociatur. Hinc quoq; Ioannes quicquid est, quod Maria genuit, euangelizando suo commendat eloquio, dicens. *Ioan. 1.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc quippe verbum, quod erat in principio, & apud Deum erat, & Deus erat, ipsum genuit beata, & gloriosa virgo Maria ex se carnem factum. Idcircò & virginitas longe sacratior, & fœcunditas (vt ita dicam) multo ineffabilior, quam suo potuerit ille explicare eloquio. Veruntamen quanto virginitas cognatior virginitati, tanto B. euangelista cæteris excellentior, & vicinior verbo. Ideo quicquid est quod virgo genuit, totum prout potuit homo per spiritumsanctum nobis reserauit manifestiùs & docuit. Cæterùm ad exẽplum humanæ vitæ, conuersatio eius post ascensionem Christi generaliter cum Apostolis fuit, quousque dispergerentur, sicuti Lucas meminit, dicens quod regressi quidem à monte Oliueti, *Act. 1.* Hierosolymam venerunt, & ascenderunt in cœnaculum, vbi manebant Paulus, & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus, & Thomas, & Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes, inquit, erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Ecce, Iesu ascendente, cum quibus virgo vacat in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis virginibus. Conuersatur autem cum testibus sanctæ resurrectionis, & ipsa testis: conuersatur cum senatoribus cæli infra curiam paradisi, sub sancti spiritus disciplina, & magisterio totius diuinæ maiestatis. Inuenitur prima inter primas summi regis cohortes, quorum vita iam non erat de terris, in quibus Christus præliabatur, sed de cælis. Hinc ascẽdisse leguntur in cœnaculum, quo pascha dignissime celebratur. Ibi quippe manebãt cum Maria matre Iesu vnanimiter aspirati in charitate, perseuerantes in oratione, donec induerentur virtute ex alto. Cœperant enim iam orare, qui dudũ cũ Domino conuersantes, virtutibus, & miraculis pascebantur. Et bene perseuerãtes in oratione, nihil hęsitãtes, donec acciperẽt munera spiritussancti, quæ poscebãt. Quos *Virgines & istum vouebis virginitatem.* & vos, ô filię, imitamini, quę in schola Christi permanere vouistis: perseuerate in orationibus vnanimiter viuentes, quousque intrare possitis gaudia æternæ vitæ, quo B. Virgo feliciter hodie introiuit, alternantibus hymnidicis angelorũ choris intra pascua æternæ viriditatis: vbi vna societas omnium supernorum, vbi dulcis solennitas angelorum, vbi post labores, & ærumnas felix, & suauis refectio animarum. Hodie namque gloriosa semper virgo Maria cęlos ascendit: rogo gaudete, quia vt ita fatear, ineffabiliter sublimata, cũ *B. Maria regina mundi.* Christo regnat in æternum. Regina mundi hodie de terris, & de præsenti seculo nequam eripitur: iterum dico, gaudete, quia secura de sua immarcessibili gloria, ad cœli iam peruenit palatium. *Interuentu B. Mariæ salutem nobis auget. Psal. 150.* Exultate, inquam, ac gaudete, & lætetur omnis orbis, quia hodie nobis omnibus eius interueniẽtibus meritis, salus aucta est. Vobis quoque diligentibus eam honor & virtus, vna cum reliquis virginibus sacris, amplior præstatur & gratia. Idcirco dilectissimæ, lætamini & laudate, quia si Deũ ore prophetico in sanctis suis laudare iubemur, multo magis eum in hac celebritate B. Virginis matris eius oportet eum hymnis, & canticis spiritualibus diligentiùs extollere, & dignis Deo iubilare præconijs, & mysticis honorare muneribus. Nulli dubium, quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quicquid dignè genitrici suæ impẽsum fuerit, atque solenniter attributum. Ex quo timeo satis, & valde pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne forte sicut improbus, ita & indignus laudator inueniar: profectò cum nec sanctitas, vel facundia suppetat, vt beatam, & gloriosam virginem digne laudare queam: quoniam, vt verum fatear, quicquid humanis dici potest verbis, minus est, à laude cæli, qua diuinis est, & angelicis excellentiùs prædicata & laudata præconijs. A prophetis quidem prænunciata, à patriarchis figuris, & ænigmatibus præfigurata, ab euangelistis exhibita, & monstrata, ab angelo venerabiliter, & officiosissimè salutata, Præterea qualis, & quanta esset, ab eodem diuinitùs declaratur, cum ait; Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. *Luc. 1.* Talibus namque decebat virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, pacémque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam, Et bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. Vnde in carne angelicam gloriam acquirere, maius est meritum, quam habere. Esse enim angelum, felicitatis est: esse verò virginem, virtutis: dum hoc obtinere viribus virgo nititur cum gratia, quod habet angelus ex natura. Vtrumque tamen & esse virginem vel angelum, diuini muneris est officium, non humani. Aue, inquit, gratia plena. Et bene plena, quia cæteris per partes præstatur. *Virginitatis eximiæ laudes quales non agnoscunt Nouatores.* Marię verò simul se tota infudit plenitudo gratię. Hoc quippe est, quod Dauid canit; Descendet sicut pluuia in vellus. *Psal. 71.* Vellus itaque cùm sit de corpore, nescit corporis passionem. Sic & virginitas cùm sit in carne, vitia carnis nescit. Cælestis planè imber in virgineum vellus placido se infudit illapsu, & tota diuinitatis vnda se contulit in carnem, quando verbum caro factum est: ac deinde per crucis patibulũ expressum, terris omnibus pluuiam salutis effudit, & stillicidia gratię humanis præstitit mentibus. Dominus tecum, inquit. Mira res: Et iam erat cum virgine, qui ad virginem mittebat angelum, & præcessit nuntium suum Deus, sed à Deo non recessit. Nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis; & totus vbique est, sine quo nihil. Totum ergo verbum patris nũquam à patre discedens, homo pro nobis fieri dignatus est, secreto suo mysterio quo ipse nouit. Qui quoniam totum suscepit, quod est hominis, homo totus est: & totum retinens quod Dei est, omnino aliud quam Deus, qui natus est ex Maria, esse non potuit. Scit enim Deus omnia, & potest. Propterea quia ita est, sciuit se, ac potuit in vtero virginis sine sui corruptione miscere, atque vnire, vt vnus esset Christus Deus, & homo, vna persona, vnáque subsistentia. Ob quod Dei genitrix electa, & præelecta, iure ab angelo gratia salutatur, & prędicatur plena. Vere plena, per quam largo sancti spiritus imbre superfusa est omnis creatura.

tota. Et ideo satis eam deuotissime primum angelus veneratur, & salutat. Miratur itaque & ipse, qualis aut quanta sit, quam salutat. Non enim simplex fateor, vel consueta fuit illa salutatio, sed omni admiratione digna. Siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij: quia & si in sanctis patribus, & prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam verò totius gratiæ, quę in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter. Et ideo inquit; Benedicta tu inter mulieres, id est, plùs benedicta quàm omnes mulieres. Ac per hoc quicquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper & gratiam refudit Christi ortus, quā non habuit priùs omnis mundus. Igitur quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, stupet terra, creatura omnia etiam cælestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Marię diuinitùs nūciatur, & per Christum adimpletur. Qua de causa, de tali, tantáque loqui me indignum fateor. Sed & puto quod nemo præsumat, nisi qui quanta sint, quæ panduntur, penitùs ignorat. Tamen & si ad hæc nemo idoneus inuenitur, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator à laudibus, quamuis explere non queat, quod sentitur. Vnde sermo diuinus, cùm de peccatore ageret in Psalmis, Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me, protinùs addidit; Et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei: ac si patenter diceret; Illic iter est laudis ad æternā laudem sine fine mansurā, sed nemo apprehendit illud, nisi qui præmōstrauero. Propterea, charissimæ, quia iter salutis nostræ in laudibus est saluatoris, hortor vos, & cōmoneo in hac sacra solennitate genitricis Dei Mariæ, nolite cessare à laudibus. Quod si virgo es, gaude quia meruisti esse & tu, quod laudas: tantum cura vt sis, quę digne laudare possis. Quòd si continēs, & casta es venerare, & lauda: quia nō aliunde cōstat, vt possis esse casta, quam de gratia Christi, quæ fuit plenissime in Maria, quam laudas. Quòd si coniugata es certè, aut peccatrix, nihilominus confitere, & lauda: quoniam inde misericordia omnibus profluat, & gratia, vt laudent. Et quamuis nō sit speciosa laus in ore peccatoris, noli cessare à laude: quia inde tibi promittitur venia, vnde & omnibus, vt laudes. Alioquin nisi iuxta modulum ingenij nostri Deum laudare in sanctis suis studeamus, quomodo eum secundum quod canimus, iuxta multitudinem magnitudinis eius laudare poterimus? Omninò prætermittendum non est, quod impleturi sumus quandoque secundum quod dicitur; Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Interim verò quia immensus est, quod voce non possumus, nec facundia valemus, exequamur votis, & medullis cordis: quia magnus, & bonus est, atque immensus, tantus, ac talis, quantum, & qualem ipse se nouit, ore, ac spiritu confiteamur ad iustitiam, & salutem. Hinc ergo omnes pariter festiuitatem gloriosæ semper virginis Mariæ deuotissimè celebremus: quia hæc est dies omni seculo veneranda, in qua meruit exaltari super choros angelorum, & peruenire vltrà, quàm nostræ humanitatis est natura. Vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur, cùm eleuatur in dexteram patris, vbi Christus pro nobis introiit pontifex factus in

Psal. 49. — Eccles. 15. — Psal. 83. — Beata Maria exaltata super choros angelorum.

æternum, ad cæli palatium. Hæc est, inquam, dies, in qua vsque ad throni celsitudinem intemerata mater, & virgo processit, atque in regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit. Sic itaque vbique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, vt vltra angelorum, vel archangelorum merita transcenderit: quia & si similitudo repromittitur sanctis, veritas tamen negatur. Hoc quippe priuilegium non naturæ est, sed gratiæ beatæ virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus, & homo. Idcirco & ipsa plus est meritis, & non natura, quàm virgo, & homo. Vnde etsi cæteræ virgines imitantur illam vsque ad conceptum partus, & Gabrielis nouę salutationis obsequium, deinceps totum diuinum est, quod operatur in ea, teste angelo, quia Spiritu sancto, & virtute altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sanè viscus Mariæ virginis quanuis mundus, quanuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quanuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis indutum (vt ita dicam) ac si lana candidissima, suóque colore dealbata. Ad quam sanè cùm accessisset Spiritus sanctus, quasi ipsa, eadémque lana cùm inficitur sanguine conchylij, vel muricis, vertitur in purpuram: versa est & ipsa sine coitu in matrem, vt non sit iam amodò quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum, & gloriam summi Regis diuinitus aptissimè dedicata, vt nulli deinceps ea vti fœmineo liceret, nisi Deo. Quippe, vt ita loquar, beata, & gloriosa virgo Maria eo modo, quanuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admirationem, salua vtraque natura: tamen cùm gratia repletur: cùm spiritusancto perfunditur, cùm virtute altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum: ita vt nullis iam vsibus ipsa eadémque mancipanda, nisi diuinis. Vnde, ô sanctissimæ virgines, & si imitari oportet tantam, ac talem virginem, támque præclaram: venerari multum conuenit, & vltra angelicam quodammodo dignitatem, quantum fas est, cum gaudio laudibus dignissimè efferre. Quæ, vt diximus, nō temerè per Christi gratiam super choros angelorum exaltata, deuotissimè hodiè prædicatur: quia præcessit eam Dominus, & saluator noster ex ea vera fide genitus, ad cælestia, vt pararet ei, sicut ipse suis promisit discipulis, in æthereis mansionibus locum. Hinc quoque Dauid Propheta olim gratulabundus Christo canit; A summo, inquit, cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Ascendit ergo eandem gloriam resumpturus, licet non amiserit, quam prius habuerat, antequam mundus fieret. Ascendit, & præparauit huic sanctissimæ, & gloriosissimæ virgini locum immortalitatis, vt cum eo regnare possit in perpetuum. Et hæc est præsentis diei festiuitas, in qua gloriosa, & felix ad æthereum peruenit thalamum. Quæ profectò festiuitas, sicut & virgo incomparabilis est cæteris virginibus, ita incōparabilis est omnium sanctorum festiuitatibus, & admiranda etiam virtutibus angelicis. Propter quod ex persona supernorum ciuium in eius ascensione admirans spiritussanctus, ait in Canticis; Quæ est ista, quæ ascēdit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus? Et bene

Heb. 6. — Luc. 1. — Ioan. 14. — Psal. 18. — Festū B. Mariæ cæteris festiuitatibus præstantius. — Cant. 3.

benè quasi virgula fumi: quia gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus. Nimirum quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem de deserto præsentis sæculi, virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animæ præ gaudio, quænam esset, quę etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem spiritussanctus in eisdem [Cant. 6.] Canticis, Quæ est ista, quæ ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Admiratur autem spiritussanctus, quia omnes de ascensu huius virginis admirantes facit, quòd quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta, & vallata sanctorũ agminibus. Vnde dicitur; Terribilis vt castrorum acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, vt castrorum acies admodùm ordinata, hinc inde sanctorum angelorum fulta præsidiis. Pulchra, inquit, vt luna, immò pulchrior quàm luna: quia iam sine defectu sui coruscat, cælestibus illustrata fulgoribus: electa vt sol, fulgore virtutum, quia ipse eam elegit sol iustitiæ, vt nasceretur ex ea. Ad cuius prof.ctò exequias, quantùm fas est credere, famulabantur angeli, & vniuersæ cælorum congratulabantur curiæ. Nec mirum, quia honor maternus eius est, qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo veneratur, & adorat super se eleuatum, cum patre in sede maiestatis Domini. Legimus enim quàm sæpè ad funera, & ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos aduenisse, & ad exequias eorum obsequia præstitisse, nec non & animas electorum vsque ad cælos cum hymnis, & laudibus detulisse, vbi & vtriusque sexus chori commemorantur frequẽter audiri, laudésque cecinisse, interea & quod perspicacius est, nimio nonnunquam lumine eosdẽ resplenduisse, insuper & adhuc viuentes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutiùs persensisse. Quòd si ad recreandam spem, dilectissimæ, & corroborandam fidem interdum assistẽtium saluator noster Christus, ob merita suorum ampliùs comprobanda, talia, & tanta dignatus est exhibere per suos cæli ministros circa defunctos: quanto magis credendum est hodierna die militiam cælorum cum suis agminibus festiuè obuiam venisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum, olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus, & canticis spiritualibus perduxisse? Nulli dubium, omnem illam cælestem Hierusalem tũc exultasse ineffabili lætitia, tunc iucundatam esse inæstimabili charitate, túncque cum omni gratulatione iubilasse: quoniam festiuitas hæc, quæ nobis hodiè reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua: nec immeritò. Creditur enim, quòd saluator omnium ipse, quantùm datur intelligi, per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Aliàs autem quomodò impleuisse creditur, quod in lege ipse [Exod. 20.] præcepit; Honora patrem tuum, & matrẽ tuam? Porrò quòd patrem honorauerit, ipse sibi testis [Ioan. 8.] est, cùm ad Iudæos ait; Ego gloriam meam non quæro: est qui quærat, & iudicet: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. De matre verò Euangelista cùm diceret, veniens, ait, Nazareth, erat subditus illis. [Luc. 2.] Sed alia est natura, qua Deus pater secũdùm se hominaturalia, qua idem parentibus subditur, in vtraq; tamen vnus, idémque Christus rectè creditur, eò quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis: vnus Emmanuel, quod est, Nobiscum Deus. [Ioan. 1.] Hanc quippe vnionem diuinitatis, atque humanitatis, inconfusam, indiuisamq; catholica fides seruat. Quam sanè intelligendo cognoscit naturalis, atque secundùm subsistentiam conuenitio vnitatis, vt neque conuersio in alterutram duarum substantiarum partem reciperetur, neque diuisio. Sic namque credere, honorare est matrem Domini, quæ & Deum nobis genuit & hominem: neq; sine Deo hominem, neque sine homine Deum, sed Deum & hominem, vnum, & verum Iesum Christum. Alioquin Dei genitrix dici nõ posset (quod multi hæreticorum negare conati sunt) nisi Deum verè genuisset incarnatum, & propterea in Christo duas rectè confitemur natiuitates, vnam videlicet de patre sine initio, & sine tempore sempiternam, & coæternam Deo patri: aliam de matre cum tempore, quando miserationem induens, & misericordiam, spontanea voluntate ad nos descendit natus homo Deus: ac per hoc idata veritatem, & matris gestatur vtero, qui semper Deus agnoscitur. [Nestorius scilicet qui post obitũ S. Hieronymi regnat.] Hinc etiam Theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem: necnon & Christotocon, non quòd verbum carnem secum detulerit, neque olim præfatæ carni copulatum sit: sed tunc quando verbum caro factum est ex carne virginis, diuinitatis, atq; humanitatis substantia in vtero ita inconfusè vnitur, vt vna persona sit Deus, & homo Christus. Ex duabus siquidem naturis, sine confusione alterius, non nisi vnus inuenitur Iesus Dominus, manens Deus in forma Dei, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: manens vnus, idémque in forma [Philip. 2.] serui quam suscepit. Totus quippe Deus in carne virginis, de qua natus est, & totus homo: Hinc quoque Apostolus: In quo habitat, inquit, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. [Coloss. 2.] Quapropter, o filiæ, estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: [Matth. 10.] vt ea prudentia perfectæ intelligentiæ annulum fidei vestræ, & margaritam, pro qua omnia reliquistis, integram, inuiolatámque seruetis, ne dotem simul, & arrham spiritus sancti, quod absit, perdatis. Diligentius itaque procurate, si quomodo simplicitas columbæ, quę fuit in Maria, illæsa, inuiolataq; custodiatur. De qua Salomõ in Canticis, quasi in eius laudẽ, Veni (inquit) colũba mea, immaculata mea, iam enim hyems transiit, imber abijt, & recessit. [Cant. 2.] Ac deinde inquit; Veni de Libano, veni, coronaberis. [Cant. 4.] Non immeritò igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus cãdidatio interpretatur. Erat enim candidata beata virgo Maria multis meritorum virtutibus, ac dealbata niue candidiùs spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quoniam quicquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum misericordia & iustitia, [Psal. 84.] quæ de cælo prospexit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Circundedit enim virum in vtero, sicut Ieremias sanctus testatur, & non [Hier. 31.] aliunde accepit. Faciet, inquit, Dominus nouum

super

super terram, & mulier circundabit virum. Verè nouum, & omnium nouitatum supereminens (Exod. 33.) nouitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis vt viuere possit, sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustra nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset: & sic inde exiuit, vt esset, sicut (Ezech. 44.) Ezechiel fatetur, porta omninò clausa: Vnde (Cant. 4.) canitur in eisdem Canticis de ea; Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuę paradisus. Verè hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramēta virtutum: sicque conclusus, vt nesciat violari neque corrompi vllis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videmus lumen: quia, iuxta (Ioan. 1.) Ioannem, ipse est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius profectò emissio vteri, supernorum ciuium omnium est paradisus. De isto nanq; ventris agro patriar- (Gen. 27.) cha Isaac longè odorans, aiebat; Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Quamuis putent parum intelligentes, quòd priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, cum & ipsi eadem saluati sint gratia. Vndè constat tempus non præiudicasse sacramento vniti hominis, ac Dei, ita vt iam esset in illo per vnitatem personæ ab initio seculi, qui necdom erat natus de Maria virgine: quod multis scripturarū declaratur indiciis. Vnde Dominus ad Iudæos; Antequàm Abraham (Ioan. 8.) fieret, inquit, ego sum. Quibus vtiq; verbis ostendit se, qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio vnitatis: quam vt commendaret, Antequàm Abraham fieret, inquit, ego som. Nam Abraham, antequàm fieret, humanitatis est breuitas: Ego autem sum, æternitas naturæ declaratur. In qua nimirum æternitate iam se fuisse qui loquebatur, per sacramentū suę incarnationis insinuat. Quod Apostolus Iudas volens dilucidare apertiùs, Iesus, inquit, populum ex Ægypto saluans, secundò eos qui non crediderūt, perdidit: sic alibi Pau- (1. Cor. 10.) lus; Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt: non quòd iam esset Iesus, aut Christus natus ex Maria virgine, sed quia in illo vnico filio Dei, iam vnitas personæ commendabatur, quæ occulta erat in mysterio. Quod & ali- (Ephes. 1.) bi euidenter; Qui elegit nos, inquit, ante mundi constitutionem in ipso, quia profectò quicquid Deus fecit ab initio, Christus fecit totum per vnitatem sacramenti. Et ideò iam Iesus erat in filio, qui populum edocebat, & Christus in eo, qui tentabatur, quoniam semper per sacramenti vnitatem in Deo fuisse non dubitatur. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omninò, aut contra prophetam Deus recens vi- (Psal. 80.) debitur. Sed ne talibus quatiamur calūniis, scrutandæ sunt scripturæ, in quibus vnitas in Christo commendatur personæ, quoniam non præiudi- (Act. 15.) cat tempus, ne vnus semper dicatur. Hinc quoq; beatus Petrus loquens de patribus, ait; Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Nanque illos Dominus (Deut. 32.) solus ducebat, & non erat cum eis Deus alienus. Vnde nec nobiscum Deus recēs, quia vnus idémque est, qui eorum ductor fuit, & noster per passionem carnis suæ redemptor. Vnus siquidem sua in carne, vnus in sacramento, atque vnus in spiritu: nec admittit ratio, vt alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur, qui nec tempore præscribitur nec passione separatur, sed totus Deus in Christum, & Christus in Deum transiit: vt, quicquid Dei filius est, Christus dicatur: & quicquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse rectè credatur. Alioquin si ad rationem respicias, & ad sensus humanos, nequaquàm ita catenus potuerunt inter se conuenire deitas, & humana conditio. Conuenerunt tamen in Christo, & vnus ex ambabus Emmanuel. Rogo vos, ô virgines, rogo & viduæ, imitamini Paulam matrem viduam exemplar continentiæ, & castitatis: imitamini Eustochium, quam habetis vobiscum, virginem, & formam perfectæ integritatis. Quòd si minus est in illis, quàm in matre Domini, imò quia est, habetis prole fœcundam, & virginem perpetuam: quia sicut in comparatione Domini nemo bonus, ita in comparatione matris Domini nulla inuenitur perfecta, quamuis eximia comprobetur. Vnus est pater noster, qui in cælis est, vnus & magister: vna est & forma virginitatis in Maria, cui vos omnes vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculptura spiritus sancti. Quoniam hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium: ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici: sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegiis sublimata. Idcirco hanc imitamini moribus, sequamini castitate, huius implorate auxilium.

HESYCHII PRESBYT.

Hierosolymitani de S. Maria deipara, Homil. 1.

Ioanne Pico interprete.

OMnis profectò memoria iustorum totis votis est celebranda, & omnis solennitas amicorum Dei, gloriosa. Cuncti enim religionis ergò (*Habetur in Bibliotheca SS Patrum. Sanctorū eius festa celebranda.*) fortiter fecerunt, cuncti pro Confessione vera susceperunt labores: cūcti, vt coronas veritatis consequerentur, veluti numine diuino ducti, periculis sese obiecerunt. Hic autem dies festus qui nunc agitur, omnem gloriam superat, vtpote qui contineat soleonitatē Virginis quæ vsque adeò om- (*Solennitas Virginis.*) nibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem ipsa citra vllam loci angustiam comprehendit. Ad quam ante omnia Gabriel Archangelus primus exclamauit, *Aue gratia plena, Dominus tecum: Ecce enim concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Emanuel.* Fausta Gabrielis nuntia, fuerunt illi mox initium lætitię. (*Luc. 1.*) Cùm enim prima Virgo * concluderetur mole- (* *Virginē dicit, quasi virginem, intelligens Euam. Genes. 3.*) stiis per sententiam condemnatoriam ob transgressionē inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent, omnísque mulier, illius causa, in dolore esset constituta, & partus omnis propter eā acerbitatem pateretur: secunda Virgo ex denominatione etiam Angelica miseriam omnem fœminei sexus repulit, omnémque tristitiæ fontem qui inter pariendum adesse solet, obstruxit: & nubem desperationis, qua premuntur mulieres in partu, dissipauit: & lumina lætitiæ apud contribules coruscare fecit. Dum audiret itaque à Gabriele, *Aue gratia plena, Dominus tecum*, non excepit salutationem

nem tranquillo animo, sed cùm talem vocem ex- Luc. 1. audisset, & Gabrielem Archãgelum intuita domi ex insperato, & ob vocem de pariendo, cogitatione perturbata esset, tales quasdam (vt verisimile est) abiiciebat Gabrielis locutiones: omnia, inquiens, præter opinionem, & peregrina video in te hodie. Et istud: Quo pacto ausus es temere accedere ad Virginem non despousatam, & incredibilia verba prædicare? Ais enim me parituram puerum absque semine, concepturam dixisti nullis nuptiis interuenientibus: loculum vteri absque vlla cum viro cohabitatione & conuersatione editurum fructum. Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum naturę peritus, antea agrum inocultum produxisse spicam, aut terram non plantatam germinasse vuam, vinum sine vite, aut fluuium absque fonte prodeuntem? Quod quidem nemo ex primis seculis audiuit auribus, aut oculis conspexit accidisse. Qua ratione tibi fidem habebo me suggilanti? Quid ergo Gabriel ei hæsitanti respondit? Dixi quod didici, quod audiui loquor. Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* tanquam is sit à quo, & veluti is ad quem omnis creatura, tanquam creator & opifex omnium, tanquam seculorum Pater, tanquam seculi parens, tanquam omnium conditor, tanquam cælis antiquior, tanquam Angelorum opifex, & humanitatis formator: tanquam denique eorum, qui alioqui perituri essent, Saluator: præter hæc nihil possum denunciare. Non enim, ó Virgo, mandatum habeo, vt per singula dicam. Quo pacto: sed vt earum rerum minister sim, quæ faciunt ad faustum erga te nuntium. Admirare igitur mecum mysterium, & bona nuntia absque dubitatione excipe. Illa verò ait, *Ecce ancilla* Luc. 1. *Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Nos igitur natiuitatem dominicam edocti Archangelicis sermonibus Gabrielis, incedamus à tergo semitis eius. Ego, quemadmodum ille, vim partus circa disquisitionem curiosam, diuinam agnosco & censeo: didicimus à Magis, imò verò instructi su- Matth. 2. mus, vt eam rem religiosè colamus, qui quidem inquirentes infantem stella duce, non dixerunt his quos interrogabant, quomodo fit conceptio diuina, quomodo vterus sine semine, quomodo partus incorruptus, quomodo mater post partum est Virgo, quomodo subiicitur annis, qui prior illis est: quomodo est in tempore, qui est ante secula: quomodo natura vteri comprehendere potuit eum, qui est incomprehensus: quomodo is qui est incorporeus, sine conuersione factus est caro: quomodo Deus verbum seipsum exinaniens Phil. 2. in vtero virgineo, cùm esset insignis & gloriosus, instar serui, modo indicibili ex eo incarnatus est: quomodo id quod est perfectum, infans esse potest: quomodo lac sugit is qui nutrit: quomodo is qui tegit, & complectitur vniuersa continetur in vlnis: quomodo Pater futuri seculi fit infans: quomodo sursum & deorsum est: quomodo is qui est in cęlis, est etiam in terra: quomodo pannis inuoluitur, qui auriga est Cherubicorum curruum: quomodo iacet in præsepio, qui est in sinu Patris: quomodo fasciis continetur, qui educit vinctos Ioan. 1. in fortitudine: & cuncta alia quæ vel referre hor- Psal. 67. rescimus. Sed cùm taciturni peruenissent ad stabulum, vbi inquisierunt, decentem cultum exhibuerunt Regi & Deo cum muneribus, cupientes cum gaudio reuerti in suam Regionem, qui declarati sunt erga gentes esse primitiæ cognitionis diuinæ: quos gentes quidem æmulatæ sunt; Iudæi autẽ inflexibiles, vel potius obdurata ceruice, eos qui ministerio stellæ è longinquis regionibus erãt adducti, neglexerũt imitari, vt cognoscere possent Solem iustitiæ in propriis eorum locis apparentem. Ego verò, charissimi, animaduertens vestram animi promptitudinem ad audienda eloquia diuina, & intimum amorem erga illorum interpretes, vestro audiendi studio victus, excitor ad docendi desiderium, congratulatione charitatis vestræ delectatus. Vos enim continenter cum plausu excipitis eos, qui sermonem habent, perinde ac discipuli, multarum rerum enarratores: vos velut vectores, gubernatorem ipsi componitis: vos gubernacula linguæ, precibus continetis. Quis zelum vestrum pro dignitate poterit enarrare? quis verbis explicabit vestrum aduersus Græcos infideles odium? quis contra hæreticos vestram patefaciet animosam fiduciã? quis vestras in Iudæos inimicitias commemorare poterit? execrãdi enim cum reliquis re vera sunt Iudæi, qui nihil aliud perpetuo esuriunt & sitiunt nisi cædes innocentium, nulla re magis oblectari quàm vt Prophetas in foueas proiiciant, in terram protrahãt, lapident iustos, gladios exerant in religionis pręcones, serris in frusta concidant, partes manuum ac pedum piorum virorum amputent, & cruentis manibus teneant instrumenta ad supplicium idonea, continua iustorum interfectione palmas sanguine perfundant: qui quidem aduersus Saluatorem nostrum tantam & tam impiam effutierunt audaciam, vt impudenter eo præsente exclamarent in illum, Nos scimus quòd Moysi locutus est Deus, Ioan. 9. hunc autem nescimus vnde sit. O res audacter gestas! O odium in Iudæos, quod me declinare non sinit! Quoties enim abominationem eorum effugere desidero, toties palam mihi occurrunt, vel Prophetarum verba calumniantes, aut in syllabas legis contumeliosi, aut libros adorãdorum Euangeliorum perturbantes, ita vt chartæ diuinæ nouam suspicionem nobis ingesserint, ipsos imprudentes voces obiecisse in dominum omnium, & audacter dixisse quæ audistis, Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit. O manifestam imprudentiam! O ęgritudinem linguę latronum detectam! O cęcam sermonum contrarietatem! Matth. 2. Nam cùm Herodes percunctaretur eos, vbi Christus nasceretur, cum fiducia dicebãt, in Bethleem Iudę: & ostendebant conclusionem Propheriæ adducentes sacrarum rerum interpretem testificantem his verbis, Propheta magnus excitatus est in Israel. Luc. 7. Nunc autem velata facie clamant, Moysi locutus est Deus, hũc autem nescimus vnde sit. Haud dubiè non cognouerunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Verè populus Ioan. 9. iste stultus & minimè sapiens: vnde merito Christus exclamat in eos, Cecinimus vobis, & non saltastis: Psal. 81. Lamentati sumus vobis, & non planxistis. Quis contra eos ex aduerso stabit ad impugnan- Matth. 11. dam tam iniquam sententiam? Quis arguet con- Matth. 11. tentiosas eorum inimicitias? Tot apud eos Christus miraculosas operationes circumquaque exhibuit, corroborans paralyticos, mundans leprosos, male habentes sanans, curãs vexatos à dęmonio, aperiens palpebras oculorum, mortuos illo- Ioan. 2. rum excitans è sepulchris, aquam in vinum mutans,

tans, & alia pręstans infinita, quę laboriosum esset recensere. Et tamen nusquam apud eos est vel tantillum fidei. Esto, non credis nobis, ô Iudęe, lege sacros Antistites, euolue libros, qui sunt apud te: neque velis leuiter detestari sanctos, Petrũ aut Paulum Euangelistas. Audi saltem vel Moysem
Deut.18. qui præscripserit in lege. Prophetam suscitabit dominus Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis. Intuere quid Esaias prophe-
Esa.7. tans inclamet, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel. Audi Hieremiam vociferantem ingentia, Hic est
Baruch 3. Deus noster, non reputabitur alius præter eum: & deinde, inquit, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Vide rursum quid innuat Zacharias. Ecce vir, nomen ei Sol iustitiæ, &
Malach.4. *Matth.9.* sanitas in pennis eius. Et mulier quæ fluxu san-
Mar.6. guinis laborans multos post annos sanata est,
Luc.8. vnà cum aliis sermonem confirmauit, & sigillo notauit, solo fimbriæ tactu recipiens sanitatem. Quid? lege studiose Ezechielem, & virum deside-
Ezech.44. riorum, quo pacto ille quidem dicebat, Hæc est porta Domini, & ingredietur Dominus per eam, & egredietur, & erit porta clausa. Da-
Dan.10 niel autem inquit, Et ecce in nubibus cæli velut filius hominis veniens. Adsta ipsi Iacob, & disce
Genes.40. quid dicat in benedictionibus emittendis: Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat qui repositus est, & ipse expectatio gentium. Pulsa citharam sancti Spiritus, &
Psal.86. perspice quid Dauid accuratè decantauerit, Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Virgo enim est mater, & post partum permãsit sigillum virginitatis, quod natura indidit, inconcussum custodiens.
Psal.71. Rursum inspice quid ait Dauid, Orietur in diebus eius iustitia, & deinde dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos terræ. Num quis præceptorum nostrorum hęc pronunciauit? Nam quis discipulorum Saluatoris in tabulis aut chartis talia circumscripsit? Nónne quicunque de eo antea prædicarunt, ij erant filij circuncisionis, qui hæc præcinebant? His forte non tibi liber credere. Reuerere dæmones exclamantes his verbis, Quid nobis & tibi, fili Dei viuentis? Reuerere angelorum, hominum, dæmonum, ac simul vniuersæ creaturæ cõfessionem de Chri-
Matth.8. sto domino. Sin etiam hæc auersaris, excipe testatricem Patris vocem, illius gratia è superis instar
Matth.17. tonitrui resonantem, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM *Homilia 2.*

IVre proculdubio omnis grati animi lingua salutat Virginem & deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum Principem imitatur. Itaque
Luc.1. hic quidem dicit ei, *Aue*: ille verò acclamat, *Dominus ex te*, eo quòd dominus editus assumpta carne apparuerit humano generi. Iste cognominat eam, Matrem lucis. Ille, Stellam vitæ: alius Dei thronum appellat: alius, Templum maius Cælo: alius, Cathedram non inferiorem cathedra cherubica: alius item, Hortum non seminatum, fertilem, incultum, vitem vuarum feracem, valde flo-

Deus non tecum, sed ex te. … fermenta … Cant 5. Inclusũ dicit, quia præter humanam cohabitationem. Dan.2.

rentem, intactam: turturem mundam, columbam impollutam, nubem pluuias incorruptas continentem, specimen cuius gemma Sole splendidior, fodinam vnde prodiit lapis totam terram tegens, à nullo incisus; nauem mercibus refertam, nullóque egentem gubernatore: thesaurum locupletantem. Alij similiter, Lucernam oris expertem, quæ à se ipsa iugiter ardeat. Arcam arca Noe latiorem, longiorem, illustriorem. Illa erat animalium arca, hęc autem arca vitę: illa corruptibilium animalium, ista verò vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noe, hæc verò ipsius Noe factorem portauit: illa duas & tres contignationes & mansiones habebat, hæc autem vniuersum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat atque hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero gestatus inhabitabat. *Spiritus enim sanctus*, ait, *superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque quod nascetur ex te* *Luc.1.*
sanctum, vocabitur Filius Dei. Vides quanta & qualis est Deiparæ virginis dignitas, vnigenitus enim Dei filius Mundi conditor, velut infans gestabatur ab ea, & Adamũ reformabat, Euãq; sanctificabat, excludebat Draconẽ, & Paradisum aperiebat, *Luc.3.*
sigillum vteri muniens. Meritò sanè vtrumque & *Genes.3.*
iusta ratione. Aperiebat enim Paradisum, quoniã *Clausura Virginis pudoris*
latronem introducturus erat in eum, cunctósque *non aperuit*
regni hęredes deducturus. Sigillũ vteri muniebat, *Christus.*
eo quòd is, qui carnem assumebat, esset Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingre- *Ezech.24. & 26.*
diendi causa aut egrediendi. Tibi igitur, ô Virgo Prophetę tribuũt laudes, & quisquam Deiferam dicit, qui miraculorum mysteriis fidem habuerit. Et ille quidem te virgam Iesse vocitat, vt obscurè *Esa.7.*
declaret virginitatem, quæ nullo modo vulnerari aut ineruari potuerit. Iste verò comparat eum *Exod.3.*
rubo ardente, qui tamen non exuritur: vt subindicet carnem vnigeniti, & Virginem Deiparam. Hęc enim ardebat, & non consumebatur: peperit *Maria Deipara.*
siquidem, & vterum nõ aperuit: concepit, & vuluam non corrupit: eduxit infantem, & vterum signatum reliquit: lac suppeditauit, vbera tamen intacta conseruauit: portabat puerum, pueri tamen Patrem non agnoscebat: mater effecta est, *Matth.1.*
quę minimè sponsa fuit: nutriebatur filius, & non *Luc.3.*
inueniebatur Pater: ager fructum edebat, & fructus carebat cultore: messis reddebat quę semen non acceperat: currebat fluuius, & fons quacunque ex parte clausus erat, vt perspicuum fieret te matrem esse factam, & tamen non esse passam ea quę mulieribus accidunt. Peperisti tanquam mulier non tamen vt mulier corrupta es: iuxta legem naturalem gestabas in vtero, quoniam tempus pariendi pręscriptum expectabas: veruntamen concepisti pręter legem naturalem, Alius te ap- *Luc.1.*
pellauit Portam clausam in Oriente sitam, quæ introduxit clausarum portarum Regem: nec non *Ezec.44.*
etiam Portam emittentem te vocauit, quoniam porta pręsentis vitę vnigenito effecta es. Portam in Oriẽte sitam, quia lux vera, quę illuminat om- *Ezec.1.*
nem hominem venientem in mundum ex vtero *Ioan.1.*
tuo processit, velut è quodam thalamo regio. Tu regem portarum clausarum introduxisti atq; iterum eduxisti. Nequaquam enim Rex glorię, dum conciperetur aut ederetur, valuæ tuę portas prorsus aperuit, neque virginitatis vincula laxauit. Vocauit te Hortum conclusum, & Fontem signatum, is qui ex te ortus est sponsus, prædixit

Cant.4. in Canticis, Hortum conclusum, ob id quod falx corruptionis, aut vindemia te non attigit: florem autem, qui ex radice Iesse hominum generi purè Esa.11. exhibetur, exculsus tibi à puro intemerato Spiritu. Fontem conclusum, quia flumen vitæ ex te prodiens repleuit terram, alioqui tamus nuptialis fontem tuum nequaquam exhausit. Dauid sine intermissione cithara celebrat eum qui ex te Psal 131. natus est, Surge Domine in requiem tuam, tu & Ioan 1. arca sanctificationis tuæ. Surge, vnde è sinu Patris non vt à Patre separeris, (hoc enim dicere vel cogitare nefas est) sed vt dispensationem peragas, Esa.35. vel quidpiam è cælis ante secula, & ante generationes tibi præfinitum. Surge, vt lapsos erigas, vt claudicantes rectà incedere facias, vt possessionẽ tuam recipias, quæ ab hoste ad hoc vsque tempus tyrannico modo occupatur. Surge Domine in requiem tuam, quam super terrã præscripsisti, & in Bethleem constituisti, vt potè stabulum, præsepe, & fascias. Non enim eges in cęlis requie, sed ipse es requies vniuersæ creaturę: at in terra, nostra causa pateris, quę ad carnem pertinent. Non enim erat esuries aut sitis vera, quam habebas, quinimò esuriens, panis es vitę: & sitiens ipse es consolatio laborãtium siti, cum sis fluuius incorruptionis, & dum fatigabaris obambulando terram, per fluctus maris iter pedibus faciebas absque labore. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, quæ est haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, meritò illa est arca, & quia Sol existis, necessariò Virgo vocabitur cælum, cùm sis flos immarcessibilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, & Paradisus immortalitatis, in quam Esaias hæc prospiciens nuper acclamabat, dicẽs, Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomeñ eius Emmanuel. Ecce virgo, quænam? mulierum egregia, e Virginibus electa, præclarum naturæ nostræ ornamentũ, gloria luti nostri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam Draconis abscidit: quam concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læsit. Ecce virgo in vtero cõcipiet. vndẽnam ô Propheta? non dico, ait, hoc enim reseruatum est Gabrieli. Permulti distinctè declarare nituntur miracula Virginis, pleraque tamen eorũ prætermissa sunt. Cęterùm ego de partu semper Virginis fidem facio, Michęas de regione, & loco in quo miraculum peractum est. Dauid de tempore. Ipse enim Propbetiæ Psalmorum inseruit istud, Ex vtero ante Luciferum genui te. Gabriel igitur dicturus est vnde. Ille enim de Cælo descendit, ille ad hoc ipsum mittitur ad Virginem, ille tempore partus adest, & substantiam partus creditur necessariò declarasse. Sin cupis & à me discere, quæ sequuntur in Propbetia percurre: Et pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel. Quid porro est Emmanuel? Nobiscũ Deus. Nunquid ergo Deus ex nuptiis & corruptione concipitur, & ex viro atque concubitu editus aut incarnatus esse potest? Nequaquam, sed operatione diuina, seminatione superna, & aduentu Spiritus sancti. Quamobrem cum Virgo Gabrieli diceret, *Quomodo fiet istud apud me, quia virum non cognosco*, percellit me miraculum, quod dixisti, me perterret: & oraculum Angeli Virginem obstupefacit, mirãda dicis, ideóque mihi dubiã, quia peregrina, extimesco nũtij fausti nouitatem: perturbor ob ea quæ dicuntur à te admodum insolita. *Quomodo mihi fiet istud, quia virum non cognosco?* qua ratione fiam mater, quæ non sui sponsa? flos ætatis vigentis non est corruptus: cingulum virginitatis non solui: vincula volũe non laxaui: vteri non dissolui sigillum. Angelus confestim subiunxit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: hoc est, si cognosceres virum, non pateres Deum, cui visum est ex te, propter te citra corruptionem, serui formam sumere: nunquam fieres instrumẽtum incarnationis eius, qui omnia produxit. Verùm quia munda es à cõcubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conseruasti: & Patet hospitatur apud te, & Spiritus sanctus obumbrat, & assumpta carne vnigenitus ex te nascitur, eam ob rem, ne dubites vllo modo de reliquis mysteriis: ne sis anxia, si parias in stabulo vniuersæ creaturæ opificem: ne hæsites, si sedere facias in præsepio eum qui sedet in dorso Cherubim, si non habeas locum in diuersorio, cùm sis mater Regis eorum quæ sursum sunt & deorsum. Libens enim qui ex te natus est pauper efficitur, vt diuites testænet, & egenis patientiæ sit argumentum, & gratiarum actionis magister. Libens reconditur in præsepi, vt qui sunt pecuini accurrant & repetant λόγον, id est, sermonem & rationem in præsepi constitutam: vt ex eo recipiãt dignitatem rationalem: vt qui currunt ad paleas frumentum nanciscantur: vt bestiarum more sistinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos ordei, & panem verum manducaturos, alimẽtum vitæ, cęnam lucis, escam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem, vnde oritur notitia regni, atra adoptionis filiorum, Cælorum hæreditas, societas cũ Patre & Filio & Spiritu sancto. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Margin notes (left): Luc.1. — Sacra intelligi tam Christus vere esurijt, & passus est cætera humana, sed iuxta humanitatem, non iuxta diuinitatem. — Matth.14. — Esa.7. — Luc.1. — Mich.5. — Psal.2.

CHRYSIPPI PRESBYTERI *Hierosolymitani de Sancta Maria Deipara, Homil.*

Ioanne Pico interprete.

Virgam Iesse semper virentem, quæ cuncto generi humano, vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore beatam prædicare, admirari, & laudibus extollere conuenit. Iis tamen, qui hymnis celebrant eam, est quoddam tempus præscriptum, quo & vt plurimum pręclara solennitas hæc peragitur: cúmque planè circa mysterium istud quippiam gestum sit, quod sensum multorum effugiat. Agite ergo, & nos, & si munera digna offerre nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem adferamus. Mox verò sumamus initium à verbis quęGabriel apud eam fecit, *Aue gratia plena, dominus tecum.* Aue, inquit, tuum Luc.1. enim est vera auere & gaudere: tuum est verissimè audire istud, *Gratia plena*, quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ & gratiæ Rex cum ancilla, cum speciosa inter mulieres, Cant.4.& 3. Psal.4. speciosus forma præ filiis hominum? cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia. Tecum est cõditor omnium, tecum, inquam, vt ex te signatur, tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur, tecum velut Deus, vt ex te sit Deus & homo. Hactenus Gabriel verbis salutationis finem imponit

imponit. Nos autem peropportunum est modo vt plurimarum prophetiarum faustas acclamationes illi adscribamus & dedicemus. Aue igitur *Beata Maria coelis amplior.* semper, Aue gratia plena, aue quæ vuluā adepta es præter naturam, vel ipsis cælis latiorem: quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne Cæli quidem capiunt. *Ioan. 1.* Aue fons lucis omnem hominem illuminantis. *Cant. 4. 5.* Aue Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Aue armarium vitæ. Aue quæ es hortus Patris. Aue quæ es pratum totius fragrātiæ sancti Spiritus. Aue radix omnium bonorum. Aue specimen gemmæ omne precium excedentis. Aue vitis vuas pulchras producens. Aue nubes pluuiæ potum animis Sanctorum exhibentis. Aue quæ es puteus semper viuentis aquę. *Exod. 3.* Aue quę es rubus ardens igne spirituali, nusquam tamen adureris. *Ezec. 44.* Aue porta clausa soli Regi aperta. *Dan. 2.* Aue mons vnde lapis angularis abscissus est sine manibus. His enim atque aliis multis huiusmodi cuncti qui Deum gestant particulatim eam alloquuntur. Cæterum nobis sufficit nunc admetiri sermonem cum his quæ in mediū adduxerunt illi, qui suppeditāt ea quæ ad festum pertinent, quod celebramus. Quapropter dico in *Esa. 7.* primis quod me vultis dicere, quo pacto Esaias laudibus prosequitur partū feminis expertē, sed fertilem: incultū, & nihilominus pulchros fructus producentem, præter naturam simul & secūdum naturam, quia quæ nostra sunt accepit: pręter naturam quia digressus est à superis: secundum naturam propter tempus conceptionis, insuper & propter legē generationis præter naturā, eo quòd is qui supra nos est, hęc omnia suscepit nostra gratia. *Gal. 4. Luc. 1. & 2.* Dico porro quæ & Paulus exclamauit, dico etiā quæ Lucas prędicat, aut placet vobis vt antea dicam qualia nunc decantauit Dauid, dū pulsaret liram Dei imitatricem: scio quòd hoc anteponitis & vultis. Quæ enim quispiam vehementius expetit, hæc audire magis desiderat. Mauultis vos merito cantica Dauidis, eo quòd in ipsis omnem vitam ducatis, quòd hymnorum cantionem conti- *Nocturna preces.* nuam obseruetis, quòd diu noctuque eorum gratia chorum congregati solitū non deseratis: quòd eorum dulcedinem ore semper hauriatis, atque ex eis viuificas delitias absque satietate in animis recondatis. Agite ergo agite, denuo illa cum clamore pronuntiate quæ prodeunt ex tam grata *Psal. 131.* vobis cithara. Surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Arca enim verè regia. Arca preciosissima est virgo deipara. Arca quæ excepit totius sanctificationis thesaurum. Arca non ea in qua erāt omnium animalium genera, quemadmodū in arca Noe, quæ fluctuātis vniuersi mū- *Genes. 6.* di effugiebat naufragium. Arca nō ea in qua erant tabulæ lapideæ, quemadmodum in arca, quæ per *Iosue 4. 5. & 6.* totum desertum vnà cum Israele perambulabat: sed arca cuius architectus & incola, gubernator & mercator, comes viæ & dux erat opifex omnium creaturarum quas in se ipse vniuersas portat, sed à cunctis ipse non comprehenditur. Surge domine in requiem tuam: tua enim requies, inquit, est Virgo & vterus tua requies, quia tibi cubile efficietur *Ioan. 1.* & habitatio. Surge domine. Nam nisi tu exurgas è sinu paterno, inquit, genus nostrum quondam lapsum non resurget. Surge domine, quia etiam si exurgas non separaberis à gloria paterna, & versans in terra, non relinques Cælos, & licet appareas in carne, nō imminues potestatem quam habes ante secula, Tu & arca sanctificationis tuæ. Cùm tu enim inde surrexeris, sigillabis arcā sanctificationis tuæ, vtramque arca cum omnibus exurget a lapsu, in quo vel illam constituit Euę cognatio. Talia præclamabat & exorabat illius gratia, quæ ex eo germinare debebat, imò verò totius generis humani nomine. Age verò alteram etiam recolite Psalmorum cantionem, quæ illustriorem hymnis præ se ferat honorem. Audisti quę fuerint hymnorum, iam audi quæ sint odæ verba. Audi *Psal. 44.* filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quia est ipse dominus tuus, & adorabis eum. Tractemus igitur quantum licet etiam in his latentem sensum. Audi, inquit, filia, hoc est, de cętero sermo meus dirigitur ad te, quæ à me ortum accepisti: sermo, inquam, ad te, per quem eadem etiam euangelizo Ecclesiæ gentium: sermo meus ad te, quæ desponsanda es Regi magno: sermo est ad te, quæ Deum verbum, prout ipse nouit, conceptura es. Audi filia, & vide: adeò diligenter ausculta, vt etiam ipsis notitiæ oculis intuearis effectum. Audi etiam hæc mecum inclinatione prædicentem, atque Gabrielem eadem tibi indicaturum, Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: hoc enim faustum nuncium est de redemptione Mūdi. Inclina aurem tuam, & auscultatio diriget cor tuum. Et obliuiscere populum tuum & domum Patris tui: populus enim à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert. Populus impendens tibi irreprehensæ natura propagini familiaritate iunctus est: & cultura spinarum feraa totam tuam producit: obliuiscere autem vnà cum populo, etiam ipsam domum paternam. Audi paulisper dignitatem quam adeptura es è conceptione indicibili. Etenim Propheta & Rex sum ego, qui tibi semen suppeditabo, tu verò declarabere mater Regis, qui Dominus est sceptrorum non *Psal. 44.* terrenorum, at cælestium: Et obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Ne posthac attendas animum huic inferiori cognationi, quoniam in Reginam transmutaberis. Et audi, inquit, quanto te amore prosequetur is, qui & conditor omnium est, & potestatem habet. Concupiscet enim, ait, Rex decorem tuum. Ipse Pater te sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus coefficiet ea, quę ad desponsationem pertinent, & Filius ipsum templi tui decorem assumet. Itaque ne existimaueris te parituram infantem humanum, quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum. Ipse formator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies, & cum cæteris adorabis vt dominum. Animaduertite quodnam Epithalamium Dauid obtulit Deiparæ, dum velut modulator quispiam hymnum decantat, quo etiam velut Pater congratulatur tantæ puellæ beatitudini. Cæterùm quis circunstantias partus, quis inquam, vt par est explicare possit? Inde clangere incipiat tuba Esaiæ, & opportunè subministret vocem resonanti verba: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & *Esa. 7.* vocabunt nomen eius Emanuel. Nunc primum, inquit, vobis reuelo mysterium quale non viderunt anteriores nationes, imo verò quale ne ipsa quidem lex naturæ nouit. Ostendito mihi virginitatem & conceptionem, ostēdito mihi partum nullis demonstratis nuptiis. Itaque, ne diffidat quis infantem esse Deum. Quòd si Deus est simul

& infans, horum concursus appellationem Emmanuelis exposcit. Et vocabunt nomen eius Emmanuel, hoc est Deum, & eundem indiuiduè hominem, Deum & hominem ipsum. Etenim partus secundum carnē humanus est: qui verò natus est Deus, partus secundum carnem humanus, & ob id, quæ pertinent ad partū humanę legi subiecta sunt: natus verò est Deus, propterea & vuluæ sigillum permansit ei, quæ peperit. Est Deus qui natus est, alioqui quo pacto stella natiuitatem eius in Gentes euulgasset? Est Deus * qui natus est, sed ex muliere natiuitā habet humanam. Misit enim Deus filium suum natū ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt filiorum adoptionē reciperemus. Audiamus hæc Pauli verba dicentis conuenientia cum his, quæ dicta sunt ab Esaia: O sermonem superantem omnem intellectum, vt ego efficiar filius Dei, vnigenitus Dei filius factus est ad similitudinē meam. Ad similitudinem autem meam dico participatione carnis, in qua tamen nulla sit communicatio peccati. Quænam igitur, quænam verisimile est hostem humani generis secum loqui, dum videt nos per mulierē reuocatos ad filiorum adoptionem, quam initio habebamus? Nónne hæc dicit & quæritur? Qui fit vt instrumentum, quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi aduersetur? Mulier mecum effecit, vt in genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier me è tyrannide deturbauit. Antiqua Eua me erexit in altum, & noua deiecit. Ipsa etiam est Eua secundum naturam, licet non sit Eua secundum generandi rationem. Quæ enim mulier possit edere partum adeò alienum ab omnium opinione? nulli coitus inseruiens corruptioni impręgnata mater effecta est citra solutionem virginitatis. Lac edidit, quæ nullas nouit nuptias: nutriuit infantem, cuius tamen infantis nullus sit Pater in terra. Quamobrem meritò immutatæ sunt res meæ ab eo, qui immutat naturam: & per quam captiuitati subiiciebam, in captiuitatem redactus sum: per quam vincebam, succubui, Ego verò frustra in eam malignè moliebar insidias, & ipsi etiam Ioseph suadēs, vt de ea malè suspicaretur, consilium ei subieci, vt occultè eam dimitteret, & hac ratione declararet ex adulterio proficisci conceptionem. Angelus autem astans in somnis apertè reuelauit ei quod latebat in cōceptione mysterium. At verò quantum mihi tempus sufficere possit ad prosequendum verbis, quibus modis triumphauit de me qui partum ex ea subiit? In his quæ attentabam deprehensus, in his quæ impugnabam pudefactus, dum ab ipsis qui mecum sunt dæmonibus frequenter audirem ipsum appellari Dei filium: Eripuit mihi cunctos variis morbis laborantes: eripuit omnes à malignis spiritibus perturbatos: eripuit etiam eos, quos ipsi morti tradidi, tandem etiam consiliis meis in crucē actus, multo maiore me verecundia perfudit, & mecum deuuò mortem, dum è Cruce concussit vniuersa, quæ sunt in terra, ex motu patefaciens omnia sub terra iacebant, decerpens tam me hîc, quàm mortem ibi, resurgentibus cum eo mortuis. Horum igitur omnium quę mihi causa est? Quæ alia præter eam, quę genuit huiusmodi miraculorum opificem? profectò præstabat mihi, vt Euam illam antiquam non inducerem in dolum: satius erat mihi etiam per Serpentem illam non decipere.

Per humani legem intelligo infirmitatē humanā citra peccato.

** Intellige Deum pro Christo per communicationem idiomatum.*

Gal. 4

1 Cor. 15.

Demptq̃ scilicet peccato.

Matth. 1.

Luc. 4.

Matth. 27.

Gen. 3

Nam quid lucri mihi accessit ex circumuentione? siquidem eos, quos in seruitutem redegi, modò video priscam libertatem recipere, imo verò vnà cum præcedente libertate etiam ipsum regnum cælorū hæreditario iure possidere. Talibus equidem communis omnium nostrûm inimicus apud seipsum vsus esse sermonibus videtur. Nos verò denuò recurrentes ad ea, quorum superius fecimus mentionem, laudemus virgam Iesse, beatam prædicemus, & faustis ominibus prosequamur sacrum Dauidis surculum: Ascendit enim & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazaret in Iudæam ad Ciuitatem Dauid, quæ quidem vocatur Bethleem, eo quod ipse esset de domo & familia Dauid, cum Maria sibi desponsata & grauida. Ista Lucas nobis nunciauit per historiam Euangelicam, testificans familiam, & propinquitatem Dauidis non solùm ad Ioseph, sed etiam ad Deiparam, & semper Virginem pertinere. Quid igitur, posteaquā ascenderunt, quid accidit? Impleti sunt, inquit, dies vt ipsa pareret, & peperit filium suum primogenitum. Peperit filium suum, qui & illius simul, & Patris cælestis est primogenitus & vnigenitus. Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat locus in diuersorio. Inuoluit panniculis illum, qui amictus est lumine sicut vestimēto. Fasciis inuoluit eum, qui sua ipsius potentia omnem creaturam inuoluit. Reclinauit in præsepio eum, qui proprio arbitrio cælos inclinat. Reclinauit in præsepio eum, qui sedet super solium. Hæc porro non frustra contingebant, sed in præsepi animalium irrationalium proponebatur ὁ λόγος, id est, verbum & ratio, vt pro instituto accurrentes homines irrationales, sensus rationalis participes efficeret. In mensa bestiarum proponebatur panis cælestis, vt ex hominum genere, his qui bestiales erant, communicationem escæ mysticæ exhiberet. Et non erat locus ipsi in diuersorio. Locum in quo habitaret non habet, is qui domum totius mundi construxit. Non habet locum habitationis, quia cum esset diues, sponte pauper effectus est. Locum non habebat: quis enim locus capere posset eum qui locum excedit? Quare peropportunum est, vt hoc etiam è Psalmis dicamus, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, Vnde enim hæc? Vnde enim nisi ex tua, qui gratia nostra descendisti, bonitate? Vnde tanta ipsius humilitas, nisi ex ipsius erga naturam nostram clementia? Cæterùm quemadmodum quę spectant ad Dominum omnium, resplendere solent in eius honorem, per ea quæ geruntur in cælis, ita & per ea, quæ gesta sunt apud nos eo super Cherubim sedente, circunstare solent exercitus Angelorum. Verùm & in præsepio choreæ circumsteterunt: illic à virtutibus cęlestibus cōtinuam habet adorationem: hîc à gentibus, stella obtemperante, illic vniuersa elementorum turba, quæ habent à natura offerunt: hîc & pastores pro muneribus exhibent tripudia, & magis thesauros; illic præterquam, quod sedet in solio super Cherubim, etiam est in sinu Patris; hîc non solum residet in pręsepio, sed etiam sedet in vlnis maternis. Iste porro thronus verè regius, thronus iste gloriosus, thronus sanctus, thronus solus dignus qui sanctum sanctorum gestaret in terra. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Matth. 1.

Luc. 2.

Philip. 2.

Psal. 30.

S. TITI

S. TITI BOSTRENSIS

Episcopi eiusdem Euang. expositio.

D*Vm irent, intrauit in quoddam castellum.* Magna virtus, magnúmque & illustre bonum & donum est hospitalitas, quo Martha ornata, Dominũ ipsum hospitio suscipere meruit. Interim quod Maria complexa fuerit, illud, Domino nostro Iesu Christo teste, excellentius erat. Maria enim quæ ad pedes Iesu considebat, verbaque eiusdem audiebat, Marthę prælata est: ad hanc enim dictũ est. *Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima, &c.* Non ea de causa huc venimus, vt superuacaneis escis ventrẽ impleamus: natura enim paucis contenta est. Ad illam verò, *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Ecquænam erat pars illa? eloquiorum veritatis perceptio, diuinorumque mysteriorum cõtemplatio: veruntamen verò licet Dominus Mariam ob id in quod ex instituto incumbebat, cõmendarit, Martham tamen ab eo, quod familiariter tractabat, non submouit: Ex quo coniectura fit, per duas has mulieres geminã nobis vitæ sortem, ob oculos ponere voluisse: Alteram minorem, tametsi vtilissimam, alteram sublimiorẽ & spiritaliorẽ. Hæc circa cælestia & spiritalia versatur, illa circa externa corporis ministeria. Quilibet proinde nostrum vtrum ex his voluerit, sibi deligat: Cui egenis ministrare, aut aduersa valetudine laborantes curare placuerit, Marthę exemplum secutus hoc vitę institutum complectatur? Quodcumque enim quispiam in Christi seruũ contulerit, hoc in Christum ipsum redundat. Qui autem Mariam æmulari maluerit, quę corporali ministerio posthabito, ad rerum spiritalium considerationem se contulit, animoso candidóque pectore rem adoriatur. Contulit hac re Christus non parum quoque suis discipulis, ostẽdit enim quomodo, quáue ratione in illorum ædibus gerere sese debeant, qui dum terrarum orbem prædicationis causa percurrent, eos hospitio excepturi sunt.

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponens. in idem Euang.

Homilia 1.

[...9. de ...] VErba Domini nostri Iesu Christi, quæ modo ex Euãgelio recitata sunt, admonẽt nos, esse vnum aliquid quò tendamus, quando in huius seculi multitudine laboramus. Tẽdimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes, adhuc in via, nondum in patria adhuc desiderando, nondum fruendo. Tamen tendamus & sine pigritia, & sine intermissione tendamus, vt aliquando peruenire valeamus. Martha & Maria duæ sorores erãt, ambæ non solum carne, sed etiam religione germanæ, ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti concorditer seruierunt, Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. (Luc.10.) Sed tamen suscepit famula Dominum, ægra saluatorem, creatura creatorem. Suscepit autem spiritu pascenda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam serui accipere, & accepta forma serui in illa pasci à seruis, dignatione non conditione. Nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem, in qua esuriret quidem, & sitiret, sed nescitis quia in eremo esurienti angeli ministrabant? Ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit. Quid autem mirum si & de sancto (3.Reg.17.) Helia præstitit viduæ, quem prius coruo ministrãte pascebat? Nunquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non, Sed religiosam viduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est Dominus tanquam hospes, qui in sua propria venit: & sui eum non receperunt: sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, adoptans seruos, & liberos * faciens, redimens captiuos, & faciens cohæredes. (* aliàs fratres.) Ne quis tamen vestrum forsitan dicat, O beati qui Christum suscipere in domum propriam meruerant. Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando iam Dominum non vides in carne, non tibi abstulit istam dignationem, Cum vni, inquit, ex minimis (Matth.25.) meis fecistis, mihi fecistis. Hæc de Domino pascẽdo pascente in spiritu, pauca pro tempore diximus, Veniamus ad causam, quam de vnitate proposui. Martha Dominum pascere disponens, & præparans, circa frequens ministerium occupatur, Maria soror eius pasci à Domino magis elegit. Deseruit quodam modo sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes domini, & vacans audiebat verbum eius. Aoris fidelissima audierat, Vacate, & videte, quomo- (Psal.45.) do * ego sum dominus. (* aliàs, quoniam.) Illa turbabatur, ista epulabatur, Illa multa disponebat, ista vnum aspiciebat. Vtrumque officium bonum, sed tamen quod sit melius, quod nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quid sit melius, iam cum Euangelium legeretur, audiuimus, & bene commemorantem audiamus. Interpellat Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarũ, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adiuuare neglexerit. Non respondente illa, sed tamen præsente, iudicat dominus. Maria causam suam tanquam ociosa iudici maluit committere, nec in respondẽdo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respondit ergo dominus, qui in verbo non laborabat, quia verbum erat. Quid ergo dixit? *Martha Martha.* Repetitio nominis est indicium dilectionis, aut forte mouendæ intentionis, vt audiret attentius, Bis vocata est Martha Martha, Audi, tu circa multa es occupata, *Vnum autem opus est*, Id est, vnum necessarium est. Non vnum, quasi singulare opus, sed opus est, expedit, necessarium est. Quod vnũ elegerat Maria? Vnum cogitate, fratres mei, & videte in ipsa multitudine si delectat nisi vnum. Ecce Deo propicio quam multi estis. Quis vos ferret, nisi vnum saperetis? Vnde in multis ista quies? Da vnũ, & populus est. Tolle vnum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum, Obsecro autem vos, fratres, Multitu- (1.Cor.1.) dini dicebat, sed omnes in vnum facere volebat. Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Et alio loco, Vnanimes vnum sentientes, nihil per con- (Philip.2.) tentionem, neque per inanem gloriam, Et Dominus ad patrem de suis, Vt sint vnum, sicut & nos (Ioan.10.) vnum sumus. Et in actibus Apostolorum, multi- (Act.4.) tudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum. Ergo magnificate Dominum mecum, & (Psal.33.)

exaltemus nomen eius in vnum, quia vnum est necessarium, vnum illud supernum, vnum vbi pater, & filius, & spiritus sanctus sunt vnum. Videte nobis cōmendari vnitatē. Certe trinitas est Deus noster. Pater non est filius, filius non est pater, spiritus sanctus nec pater est nec filius, sed amborum spiritus, & tamen ista tria non tres dij, non tres omnipotens, sed vnus omnipotens, & ipsa trinitas vnus Deus, quia vnum necessarium est. Ad hoc vnum non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maxime circa sanctos Dei seruitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, nō dantur, dicente Apostolo, 1.Cor.9. Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnū est si carnalia vestra metamus? Bona sunt, exhortamur ad hæc, & in verbo Domini ædificamus vos, nolite pigri esse ad suscipiendos sanctos. Hebr.13. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciunt angelos susceperunt. Bona sunt hæc, melius est tamen quod elegit Maria. Illud enim habet ex necessitate occupationem, illud ex charitate suauitatem. Vult homo occurrere, quando ministrat, & aliquando non potest. Quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus. Nam si Martha illa sufficeret, adiutorium sororis nunquam posceret. Multa sunt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt, & si bona sunt, transitoria sunt. Mariæ autem quid, ait Dominus, *Maria autem meliorem partem elegit.* Non tu malam, sed illa Luc.10. meliorem, Audi vnde meliorem, quia non auferetur ab ea. A te auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea, quod elegit. Non auferetur, sed tamen augetur. In hac vita augetur, in alia vita perficietur, nunquam auferetur. Cæterum in Martha, pace tua dixerim, in bono ministerio benedicta pro isto labore tuo mercedem quæris quietem, modo occupata es circa multum ministerium, pascere vis mortalia corpora, licet sanctorum, Nunquid, cum veneris ad illam patriam inuenies peregrinum, quem suscipias hospitio? Inuenies esurientem, cui panem frangas, sitientem cui potum porrigas, ægrum quem visites, litigantem quem concordes, mortuum quem sepelias [Omnia ista ibi Sepelire mortuos opus misericordiæ. non erunt: sed quid ibi erit?] quod Maria elegit. Ibi pascimur, non pascimus. Ideo hoc erit plenum, atque perfectum, quid hic elegit Maria? De illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat. Nam vultis nosse quid ibi erit? Dominus Luc.12. ipse dicit de seruis suis, Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & transibit, & ministrabit illis. Recumbere quid est nisi vacare? Recumbere quid est, nisi requiescere? Quid est, transibit, & ministrabit illis? Prius transibit, & sic ministrat. Sed vbi? In illo conuiuio superno de quo Matth.8. dicit, Amen dico vobis, multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorū. Ibi Dominus pascit, sed prius hinc trāsit. Nam vt noueritis, Pascha trāsitus interpretatur. Venit Dominus, fecit diuina, passus est humana. Nūquid adhuc conspuitur? Nūquid adhuc expalmatur? Nūquid adhuc spinis coronatur? Nūquid adhuc flagellatur? Nūquid adhuc lācea vulneratur? Trāsiuit. Denique & Euāgeliū sic loquitur, quando Pascha fecit cum discipulis suis. Quid dicit Euangelista? Cum autē venisset Ioan.13. hora, vt Iesus trāsiret de hoc mūdo ad patrē. Ergo ille trāsiuit vt pascat, nos sequamur vt pascamur.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Sanctum Euangelium cum legeretur, audiuimus Sermo.17. de Verb. domini. a fœmina religiosa susceptum esse Dominum hospitio, eáque Martha vocabatur. Et cum esset ipsa occupata in cura ministrandi, soror eius Maria sedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum eius. Laborabat illa, vacabat ista. Illa erogabat, hæc implebatur. Verumtamen Martha, laborans multum in illa occupatione, & negotio ministrandi, interpellauit Dominum: & de sorore sua conquesta est, quòd eam laborantem non adiuuaret. Dominus autem pro Maria respōdit Marthæ, & ipse eius factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. *Martha*, inquit, *circa multa es occupata: quando vnum est necessarium. Maria meliorē partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Audiuimus enim interpellationē interpellātis, & sententiā iudicis. Quæ sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi domini, intenta erat Martha quomodo pasceret dominum, intenta Maria, quomodo pasceretur à domino. A Martha conuiuium domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iam iocundabatur. Cum ergo Maria suauiter audiret verbū dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur, interpellato domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei dominus, Surge, & adiuua sororem tuam? Mira enim suauitate tenebatur, quæ profecto maior est mentis quàm ventris. Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata est attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus. Pascamur & nos. Quid enim? Putamus nos reprehēsum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupauerat, quę ipsum dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis, vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupentur circa scientiam salutarem, nihil eis curę sit, quisque peregrinus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus, vacent opera misericordiæ, vni insteiur scientiæ. Si melior pars est, cur non omnes hoc faciūt, quando ipsum dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiam, cum patronam teneamus eius sententiam: Et tamen ita non est, sed sicut dixit dominus, ita est. Quomodo intelligis non est, est autem quomodo intelligere debeas, Ecce aduerte, Circa multa es occupata, quando vnum est necessarium, Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, sed ista meliorem. Sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa vnum. Præponitur vnum multis. Non enim a multis vnum, sed multa ab vno. Multa sunt, quæ facta sunt, vnus, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Quàm multa sunt, quis ista enumeret? Quis horum multitudinē cogitet? Quis hoc fecit? Deus Gen.1. omnia. Ecce bona valde. Bona valde quæ fecit, quanto melior ille est, qui fecit? Attendamus igitur occupationes nostras circa multa, necessarium est ministerium corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur, misericordia miseris

necessa

necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem, cui præparas vestem? Non sit ægritudo, quem visitas? Non sit captiuitas, quẽ redimis? Non sit rixa, quem concordas? Non sit mors, quem sepelis? In illo seculo futuro nõ erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Bene ergo Martha circa corporalem domini, quid dicam necessitatem an voluntatem, ministrabat carni mortali.
Ioan. 1. Sed quis erat in carne mortali? In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce quod Maria audiebat: Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis, Ecce Martha cui ministrabat. Ergo Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod semper manebit, ideo non auferetur ab ea. Circa vnum se voluit occupari, iam tenebat. Mihi autẽ
Psal. 72. adhærere Deo, bonum est. Sedebat ad pedes capitis nostri, Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. *Circa multa es occupata, porrò vnum est necessarium.* Iam hoc sibi Maria elegit. Transit labor multitudinis, & remanet charitas vnitatis. Ergo quod elegit, non auferetur ab ea, à te autem quod elegisti, vtique hoc sequitur, vtique hoc subintelligitur, à te quod elegisti, auferetur. Sed bono tuo auferetur, vt quod melius est detur. Auferetur enim à te labor, vt requies detur. Tu nauigas, illa iam in portu est. Videtis ergo, charissimi, & quantum arbitror, iam intelligitis in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ. Videtis ergo, & magnum aliquid intelligitis, quicunque intelligitis, quod audire, & scire debetis, etiam qui nõ intelligitis, in his duabus mulieribus, duas vitas esse figuratas, præsentem, & futuram, laboriosam, & quietam, ærumnosam, & beatam, temporalem, & æternam. Duę sunt vitę, de illis vos copiosius cogitare. Quid habeat hæc vita, non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, non impia sed laboriosa, ęrumnis plena, timoribus castigata, tentationibus solicita: hanc ipsam innocẽtem vitam dico, qualem decebat habere Martham: hanc ergo, quantum potestis, inspicite, & de hac, vt dixi, copiosius quàm loquimur cogitate. Vna vero iniqua aberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria. Et si aliquando fuit, domino intrante fugit. Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat dominum, in duabus fœminis duæ vitæ, ambę innocentes, ambæ laudabiles. Vna laboriosa, altera ociosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa. Ambæ innocentes, ambæ, inquam laudabiles, sed vna laboriosa, âltera ociosa, nulla facinorosa, quam cauere debet laboriosa, nulla desidiosa, quã cauere debet ociosa. Erant ergo in illa domo istæ duæ vitæ, & ipse fons vitæ. In Martha erat imago præsentium, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, ibi sumus: quod agebat Maria, hoc speramus. Hoc agamus bene, vt illud habeamus plene. Nam quid inde habemus? Inquantum habemus? Quamdiu hic sumus, quantum est, quod inde habemus? Nam & modo inde aliquid agimus, remoti à negociis, sepositis familiaribus curis, conuenistis, statis, auditis. Inquantum hoc agitis, Mariæ similes estis. Et facilius vos intenditis quod agit Maria, quàm ego qui prærogo. Si quid tamen dico, Christi est. Ideo vos pascit, quia Christi, quia panis communis est, vnde & ego vobiscum viuo.
Nunc autem viuimus, si vos, fratres, statis in domino, Nolo in nobis, sed in domino, quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 3.*

ADest nobis, dilectissimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium sanctorum solennitates præcellens. Adest, inquam dies inclyta, dies præclara, dies in qua è mundo migrasse creditur virgo Maria. Et ideo laudes intonet vniuersa terra cum summa exultatione tantæ virginis illustrata excessu, quia indignum valde est, vt illius recordationis solennitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus authorem vitæ suscipere. Satisque præposterum iudicãdum est, vt, cum sanctorum celebramus victorias martyrum illius solennitatem illis non præferamus, quæ huic mundo edidit principem martyrum. In hac siquidem die competenter sponso illi cælesti proclamat beata virgo, Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. Hodie, inquam, & ipsa à sponso filio, & domino congrue audiuit: Iam hyems transiit, imber abijt, & recessit: Surge, proxima mea, sponsa mea, & columba mea, & veni. Hæc ideo dicimus, fratres, quia sicut iam in consuetudinem suscepit ecclesia, hodierna die ad cęlos assumpta fuisse creditur virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Non solum autem respuere apocrypha, verumetiam ignorare dicitur hæc eadem ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine authoris nomine de eius assumptione conscripta, quæ, vt dixit, ita cauentur, vt ad confirmandam rei veritatem legi minime permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur, nec assumptio eius cum carne, vt in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia. Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus non inuenitur ab homine in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem, illius quærere dementię est, per quam idem maiestatis Deus incarnatus effulsit in terris. Neque enim dignum est de corporis eius notitia solicitum quempiam esse, quam non dubitat super cælos eleuatum cum Christo regnare. Sufficere debet tantum notitiæ humanæ hanc vere fateri reginam cælorum, pro eo quòd regem peperit angelorum. Sed nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quippiam dixisse aperte. Nam illum Euangelij versiculum quem Simeon dixit ad domini matrem, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, beatæ recordationis Ambrosius cum tractaret, ait, Nec historia, nec litera docet Mariam gladio vitam finisse. Hinc & Isidorus, incertum, inquit, per hoc dictum, vtrum gladium spiritus, an gladium significet persecutionis. Et quid de his, de quibus loquor dicam, cum nec ipse, qui hanc accepit ante crucem domini in sua, id est, Ioannes Euangelista de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandauerit? Nullus enim hoc

Sermo 15. de Santi.

Psal. 72.

Cant. 2.

Sed modo eadem catholica ecclesia nõ dubitat de eius assumptione etiã corporali.

Deut. 34.

Exod. 33.

Luc. 2.

Hinc patet [illegible] non esse S. August. [illegible] & pleraque tota decime.

fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille vtique, qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem reliquit. Restat ergo vt homo mêdaciter non fingat apertum, quod Deus voluit maneret occultum. Vera autem de eius assumptione sententia hæc
1. Cor. 12. esse probatur, vt, secundum Apostolum, siue in corpore, siue extra corpus ignorátes, assumptam super angelos eam esse credamus. His igitur præmissis, loquamur aliquid in laudibus sacratissimæ virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cum & si omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Hęc est enim, quæ sola meruit mater, & sponsa vocari. Hæc primæ matris damna resoluit, hęc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti
Genes. 3. Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando
Luc. 1. profuit. Illa percussit, ista sanauit. Hęc enim mirabili, atque inæstimabili modo omnium rerum & suum peperit saluatorem. Quæ hęc virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur spiritus sanctus? Quæ tam speciosa, vt eam Deus sibi eligeret sponsam? Quæ tam casta vt esse posset virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons
Cant. 4. ille signatus, & porta in domo Dei clausa. Ad hác
Ezech. 44. nanque, vt dixi, spiritus sanctus descendit, hanc virtus altissimi obumbrauit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, virgo lactans, angelorum & hominum cibum nutriens. Merito nanq; beata singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cæli fastigia subleuault, vt verbum in principio apud Deum, de superna cæli arce susciperet. O fœlix Maria, & omni laude dignissima. O virgo Dei genitrix gloriosa, ô sublimis puerpera, cuius visceribus author cæli, terræque committitur. O fœlicia oscula lactentis la-
Luc. 2. biis impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, vt pote verus ex te filius tibi matri alluderet, cum verus ex patre dominus imperaret. Nam authorem tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberem, quem habebat ante tempora conditorem. O fœlix puerperium, lætabile angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis, Qui post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris,
Matth. 27. potatus felle, affixus patibulo, vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo
Mira B. Virginis præconia, quæ nouo sensu deridet. monstrauit. Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero minor laus est quàm dignitas tua meretur? Si cælum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si dominam angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. Quid ergo de te digne dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes sileat lingua carnis, quas semper ardenter profert anima: Nunc nostras peto vt aures doctrinarum tuarũ demulceas organis. Plaudat nunc tympanis scena tuus, & veloces articulos puerperæ concrepent. Concinnant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audiamus, fratres, audiamus pio mentis affectu, audiamus quemadmodum tympanistriarum doctrinis cócrepet beata virgo Maria. Audiamus, inquam, & huic harmoniæ moribus respondeamus. Denique cum hæc mulier beatissima ab angelo iam salutata, spiritu sancto repleta, plenitudine diuinitatis afflata, ad Helizabeth venisset cognatam, post exultationem Ioannis in vtero matris, hæc domino decantauit cantica laudis, Magnificat anima mea dominum. Et
exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Primo igitur in hoc loco quærendum est, quid sit magnificare dominum: Neque enim magnus fit à creatura creator. Sed sciendum nobis est duobus modis dici magnificari, id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cum magnificari dignatur à nobis. Sed nunquid sic in nobis sicut in beata Maria eãdem carnem assumpsit pro nobis? Aue, inquit ad eam angelus, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Quęcunq; tamen anima sancta verbum concipere potest credẽdo, parte prædicando, magnifica amando. Vnde & Dauid Propheta dicit, Magnificate dominũ mecum, Luc. 1.
& exaltemus nomen eius in inuicem. Ac si diceret, Magnitudinem domini mecum prædicate, Psal. 33.
& nominis eius præconia magna voce attollite. Hinc iterum dicit, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Vnde autem magnificatur in nobis idem Propheta ait, Magnificata Psal. 103.
est vsque ad cælos misericordia tua. Hinc nanque optandum est in singulis, vt nostra anima Psal. 56.
magnificet dominum, concipiat Dei verbum, pariat, & nutriat, recordetur saluationis suæ pia commercia, quo modo nullis suis præcedentibus meritis sit ab iniquitate saluata, sed sola Dei bonitate gratuita Christi sanguine redempta & dicat. Magnificat anima mea dominum. Sic enim Deus dilexit mundum, ait euangelium, vt filium suum Luc. 1.
vnigenitum daret. Hinc nanque & Apostolus. Qui Ioan. 3.
proprio, inquit, filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. O miræ pietatis affectus! ô inæstimabilis ardor charitatis! Quis ante tantæ pietatis Rom. 8.
diuitias non obstupescat? Quis ante tam ineffabilem charitatem non contremiscat? Quis vnquam posset sperare, vt ex Deo ante tempora natus, nasceretur pro hominibus in tempore ex fœmina homo factus? Vnde scriptum est, Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum Gala. 4.
ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quis inquam posset æstimare, vt portaretur manibus fœmineis portator orbis, panis angelorum aleretur, virtus cælorum infirmaretur, vita omnium moreretur? Magnificet ergo in his anima gloriosissimæ Mariæ dominum, magnificet & nostra. Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoramus, gratias illi agamus, quoniam per eiusdem redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de lucto ad gaudium, de terris ad cæleste regnum vocati sumus. Qualiscunque igitur anima sancta talibus fuerit incitamentis occupata, nihil concupiscit terrenum, nihil transitoriũ, nihil quod ad tempus arridet, nihil quod

ad

ad præsens delectat. Hæc risum luctum computat, & gaudium in mœrorem commutat, cui mundus carcer, cœlumque habitatio est: cui exultatio de præsentibus nulla est, quia in illo tantum gaudere appetit, qui super omnes est. Vnde in sancto can- *Luc. 1.* tico, cum diceret virgo gloriosa, Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus: signanter addidit, in Deo salutari meo. Ac si diceret: Anima mea, quę magnificat dominum, non in quolibet alio, sed in illo tantum exultat quem amando magnificat. Nouerat enim esse aliam vituperabilem exultationem, qua mundus gaudere dicitur tendens ad luctum. Et de qualibus *Prouer. 1.* Salomon ait, Lętantur cum malefecerint, & exul- *Philip. 4.* tant in rebus pessimis. Hinc & Apostolus non *Psal. 31.* quodlibet gaudium in sanctorum cordibus esse *& 70.* describit, sed in spiritu sancto. Hinc Dauid cum diceret, Gaudete iusti: subiunxit, in domino. Hinc cum domino diceret, Gaudebunt labia mea, dum cantauero: addidit, tibi. Hac enim exultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præsentibus tantum exultat, æternisque bonis interesse non concupiscit, cui exilium patria esse creditur, & *Philip. 3.* mors vita æstimatur, cui Deus venter est, & ornatus non in moribus, sed in actu est, qui cum laudatur extollitur, & cũ vituperatus fuerit magnis iracundię stimulis agitatur, qui cum mansuetis non humiliatur, sed in superbię fascibus eleuatus cęteros quasi ex alto montis supercilio contemplatur. Sed quis hęc ad plenum ita potest calcare vt ab hac exultatione eisdem vitijs interpellantibus, nec ad momentum se credat abstrahi, cum *Sapien. 9.* scriptura pronunciet, Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem? Ingemisce ergo, ô sancta anima, quæcunque in domino exultas, & quoties te ab hac exultatione abstractam *Psal. 50.* videris esse, dicito, Ne proiicias me, domine, à facie tua, & spiritum sanctũ tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali cõfirma me. Et hic attentius intuere, quam exultationem petierit. Quod enim Hebraice Iesus, hoc Latine salutaris dicitur. Quæ enim hæc lætitia est Iesu, nisi cõtemplatio eius, qualis venturus est in gloria sua? Sciendum vero est, quia illi tunc hac claritate potientur, qui hic positi redemptoris sui vestigia imitantur. Et quidem *Ioan. 4. & 11.* dominum Iesum legimus doluisse, fleuisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria, & iniurias sustinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse, nunquam tamen legimus eum risisse, prosperatum in terra *Matt. 27.* fuisse. Hinc planè, hinc in spe gaudent omnes electi, cum cœperint aduersitatibus mundi fatigari, & nullis eius prosperitatibus fallaciter decipi, scientes aliam vitam superesse, per quam possint cælos penetrare. Hinc est, quod iisdem dominus *Matth. 5.* ait discipulis suis, Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælis. Sed in his pressuris, atque angustiis nequaquã possent subsistere, & quod his maius est gaudere, nisi veraciter in conspectu Dei & hominum humiles essent. Quibus dominus eorum ait, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, *Matth. 11.* & inuenietis requiem animabus vestris. Hinc ite- *Matth. 5.* rum dicit, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hinc etiam hæc virgo gloriosa beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat, eo quòd eius humilitatem Deus respexit. Nam subdit, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce *Luc. 1.* enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cęlos innouauit, mũdum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit, O, inquam, vere gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certe humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terras. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et quid est dicere, Respexit: nisi comprobauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per Prophetam Dominus dixit, Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, *Esa. 66.* & humilem, & trementem sermones meos? Hinc Dauid domino dixit, Quia respexisti humilitatẽ *Psal. 30.* meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Multi siquidem videntur in conspectu hominum humiles esse, vt ab eis beatificentur, sed eorum humilitas à Domino non respicitur, quia falsò, & non vere de humilitate gloriantur. Si enim veraciter humiles essent, Deum ab omnibus, & non se vellent laudari. Nunc in hoc mundo eorum spiritus exultaret, sed in Deo salutari. Humilitatem suã nõ ab hominibus conspici, sed à Deo optarẽt. *Luc. 1.* Sequitur in hoc sancto Cantico: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Quæ tibi magna fecit, domina, nostra, gloriosa virgo, vt dici beata merearis? Puto enim imò veraciter credo, vt creatura ederes creatorem, famula dominum generares, vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. Hucusque virgo beata de te ipsa, quæ non ad amorem Dei accenderent, fideliter protulisti, ea vero, quæ sequuntur humano generi prophetasti. Meum autem votum extitit ea tantum inde transcurrere, quæ ad tui laudem nominis pertinebant. Sed hæc, quæ de te ipsa narrasti, neque tu vt dignitas tua meretur dicere potuisti. Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persoluet quę solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: Accipe quod offerimus, impetra quod *B. virginis intercessio quã efficax apud Deum.* rogamus, excusa quod timemus: quia nec potiorem meritis inuenimus, quam te ad placandam iram iudicis, quæ meruisti esse mater redemptoris, & iudicis. Succurre ergo miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro monachorum chorô, exora pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum leuamen, quicumque deuote celebrant tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit prius affectus super cælorum peregrinis. Et cum te lætantem semper aspicias, fletus nostros quæsumus ipsa ad Deum admittas, eúmq; vt proprium filium pro nobis interpelles. Nos enim adhuc in hac terra affligimur, persequimur, iniuriis lacessimur, opprobriis afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur. Tu vero in cæ

in cælestibus regnis prælata es cunctis virginum choris, tu agnum, quocumque perrexerit, sequeris. Tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos per albentia lilia, rosásque vernantes, ad fontes perennis vitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorum fœlicissima regia primi ordinis dignitatem adepta plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatem, gramineósque crocos tenero poplite pergis, fœlicique palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinis sine fine choris coniuncta summis angelis, archangelísque sociata, indefessa voce sanctus clamare non cessas. Tu in cubiculo Regis beatitudinem gemmis, ac margaritis ornata assistis. Tibi thronus regius ab angelis collocatur in aula æterni Regis, téque ipse Rex Regũ, vt matrem veram, & decoram spõsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat. Nec mirum si dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties osculata es in terris. Has ergo tuas fœlicitates possidens conuertere ad nostrarum miseriarum salutem. Inter hæc igitur, fratres cum toto mentis affectu beatissimę virginis nos intercessionibus committamus, omnes eius patrocinia omni nisu imploremus, vt, dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus? Curemus ergo, dilectissimi fratres, vt cum huius diei festiuitati interesse cupimus, vestimentis humilitatis, atque charitatis induti appareamus. Non nos inuidia alienæ fœlicitatis torqueat, non ira vsque ad diuisionem dilaniet, non cupiditas Christum à nobis excludat, non seculi tristicia cauterat, non prosperitas eius incaute decipiat, non luxuria inquinet, non immundicia polluat, non elatio corrumpat, non superbia inflet, vt, dum nos virtutibus ornatos, charitate coniunctos, humilitate fundatos beata Dei genitrix suæ nos interesse festiuitati prospexerit, ardentius nobis subuenire festinet apud filium, & Dominum suum Iesum Christum, Deum, & saluatorem nostrum, qui coronis perennis regni glorificat sanctos suos, & est æterna laus, & expectatio omnibus electis eius, ipsi gloria, virtus, potestas æterna, & nunc, & semper per immortalia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil. 4.*

Habetur tom. 9. operũ eius: & vel stylus ipse indicat eius esse, & viri doctissimi de eo nihil dubitant.

Psal. 15.

AD interrogata de virginis, & matris Domini resolutione temporali, & assumptione perenni, quid intelligam responsurus, te, Deus omnipotens pater, voto supplici exoro, vt qui mandas nubibus, & pluunt imbres, qui tangis montes, & fumigant, qui aperis terram & germinat: quid dicam iubeas, quid proferã præbeas, ad quid sermonem dirigã aperias. Venerabile est enim mihi, Domine & præcordiis meis reuerendissimũ, de matre filij tui loqui, & de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, quæ sola meruit Deum, & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, & aula regis æterni, secundùm quod nos docuisti per sanctos tuos patriarchas, prophetas, & apostolos, figuris, & sermonibus: quibus credimus, & certi sumus, quia nunquam fefellisti, qui nec fallere nec falli nouisti, ostendens filium tuum coæternum tibi, & consubstantialem incarnandum, & incarnatum per virginis vterum, de qua carnem assumpsit, qui corporalia cuncta tecum creauit, author, administrator, & Deus: ab homine factus est homo, ab ea naturam sumens, non originem, sanctificante spiritu sancto tuo in ea vterum humanum, & purificante, atque mundante ad conceptionem filij tui, cuius dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. Non enim talis conceptus, talisque partus nisi Deum decuerat, qui venerat redimere, quos voluit creare, creare profecto potestate, redimere humilitate: humilitatis naturam sumens sanctam de sanctificato corpore, & immaculatam de immaculato. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam, quam concipiendus præbuit, conceptus & natus non abstulit. Quæ quantum in corpore valuerit virginis, illi soli notissimum est, qui de eius natura naturam suscepit, quam cõdidit. Per quem te, quæso Domine, quia per illum bona cuncta tribuis, quæ vt tribuas elegis, vt me inoffensè de tanta sanctitate loqui tribuas: & si non totum, vt est, quod impossibile omni linguæ humanę est, tamen ipsum ex parte quod est, dicatur vt est. Sonet ergo preciosissimũ sui preciositate, sanctissimum certa sanctitate, inæstimabilissimum fidelissima veritate. Quę quia humanam rationem excedunt, spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine induat nos in omnem dicendorum veritatem. Et quia de eius corpore, & anima loquendum est, quod ipse præter naturalem vsum sanctificauit, & gratiam contulit, non aliena nos dicere patiatur, sed propria, ad laudem, & gloriam tuam, Deus omnipotens pater, & ad honorem filij tui per virginem nati, & eiusdem spiritussancti Dei, & Domini nostri, cum quo est tibi regnum & imperium in omnia secula seculorum, Amen. Quia profundissimę, & sua dignitate altissimæ sum responsurus quæstioni, lectorem meum obsecro, vt pro me deprecetur, & si quę à me pleniter dicta cognouerit, donis Dei gratus existat: sin autem minùs, nostræ compatiatur humilitati: quia licet minùs valeamus, vera tamen proculdubio volumus. De sanctissimo igitur corpore perpetuæ virginis Mariæ, eiúsque sacræ animæ assumptione, quantum Dominus donauerit, loqui suscipientes, hoc primùm dicimus, quod in diuinis scripturis, postquàm Dominus in cruce matrem discipulo commendauit, vt castia castitas tueretur obsequiis, nihil de ea repetitur præter id, quod Lucas commemorat in Actibus Apostolorum, commemoratis eisdem Apostolis nominatim, dicens: Hi omnes erãt perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Hoc dicimus, quia tanto quæ magna existunt, cautiùs tractanda sunt, quanto specialibus authoritatum testimonijs non sic possunt ad liquidũ roborari. Sed quia quædam scriptura sancta indagationum studijs quærenda relinquit, non sunt superflua æstimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis authoritas, & dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est, cognoscitur. Sæpe enim discussa veram conuenientiam parit, quàm manifestis sermonibus abscõditi

Apoc. 14. *Ioan. 19.* *Act. 1.*

& sæpe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil præter id, quod sonat, quærendum inuitat: vt est illud, quod Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam, & fratres eius, & cætera talia, in quibus sola tenenda est litera. Quædam autem sic commendat, vt pariter literam, & mysticum intellectum insinuet, vt in transitu maris rubri, manna cælesti, & tabernaculo Dei, atque arca testamenti, vbi futurorum figura, baptismi scilicet Christi, & ecclesiæ ostensa est prærogatiua. Quædam tantùm mistice, vt cùm Deum dicit insufflasse in faciem Adæ spiraculum vitæ, qui tamen os ad spirandum non habet, nec manus ad operandum, licet dicat propheta: Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me. Sunt etiam quædam, quæ quamuis commemorari ex toto omissa sint, vera tamē ratione creduntur: ad quod ipsa conuenientia rei quodammodo * quemadmodū dux, & præuia creditur. Nihil enim de Melchisedech sacerdotis Dei excelsi iustitia loquitur, cùm ipsa præcellsse tantæ laudis meritis cognoscatur. Nihil de Eliæ, & Enoch, postquam rapti sunt, vitæ felicitate commendat, cunctis liquido scientibus eos beate viuere, quos Dominus hinc in futurum saluandos voluit rapere. Quid ergo de Mariæ morte, quid de eius assumptione dicendum est, vnde diuina scriptura nihil commemorat, nisi quærendum ratione, quod conueniat veritati, fiatque ipsa veritas authoritas, sine qua nec est nec valet authoritas? Memores enim conditionis humanæ, mortem eam subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem certe eius filius, qui & Deus, & homo est, lege sortis humanæ sustinuit, & hoc, quia homo de eius susceptus & profusus est vtero. Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis, & resolutam in communem materiam vermium, ac cinerum, librandum est, si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogatiuæ. Scimus enim dictum primo parenti. Quia puluis es, & in puluerem ibis. Quod si de morte dicitur, generalis est sententia: si de resolutione in puluerem, hanc conditionem Christi caro euasit, de carne Mariæ sumpta, quæ corruptionem non sustinuit. De hoc enim scriptum est per Prophetam, dicentem: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De quo autem sancto dictum sit, Archangelus prodidit, qui ad Mariam ait: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Verè sanctum, & sanctum sanctorum: vnde & illa sancta sanctorum dicuntur, quæ illa seruabāt, quibus ille figurabatur, qui veraciter solus sanctus sanctorum dicitur. Hic enim est, de quo idem Archangelus Gabriel Danieli loquitur, inter cætera quæ futura ostendit, dicens: Et impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Hic enim sanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho de inferis rediens resurrexit. Caro eius, quæ de Maria sumpta est, & si mortua est ex infirmitate, reuixit ex Dei virtute. Sed hoc ille, qui quando voluit, mori, quando voluit, resurgere potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de virgine sumpta natura. Quod si non Mariæ congruit, congruit tamen filio, quem genuit, Iesu. Pòst hæc, quæ Adæ dicta sunt, de quibus excipitur Mariæ filius, cōtuenda sunt, quæ etiam Euæ dicta sunt, si cunctis fœminis sint generalia, & si in aliquo excipiatur Maria, scriptum quippe est: Mulieri quoque dixit Deus: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Ærumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit: sed conceptus non multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate deguit, quæ integerrimis visceribus de spiritusancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manente, virgo permansit. Quem quia sine peccati colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permansit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo etsi cōmunicat ærumnis Euæ, non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas eius & singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter æstimata est digna. Non immeritò ergo excipitur à quibusdam generalibus vera æstimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua. Quantùm enim Christi potestas possit, mundi ostendit vniuersitas: quantùm gratia, Mariæ monstrat integritas: quæ sicut diuersa est à natura, ita diuersa est ab vsu. Quid ergo, si in tanta diuersitate eam dicimus humanæ sortis mortem obiisse, nec tamen eius vinculis retineri, per quā Deus voluit nasci, & carnis substantiam communicare, nunquid impium erit? Scimus enim Iesum omnia posse, qui de seipso ait, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Si ergo voluit integram matrem virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore? Dicat ergo, qui cognouit sensum Domini, & qui consiliarius eius fuit: nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere? Lex enim sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere, singulari saluatione eam in morte, & speciali gratia honorasse. Potuit enim eam à putredine, & puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginē relinquere. Putredo nanque & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cùm Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Iesu, caro est Mariæ, & multo specialius, quàm Ioseph Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat, Frater enim & caro nostra est. Caro enim Christi quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit, & manet natura, quæ suscepta est de Maria. Ipse enim est, qui conceptus, genitus, atque à mortuis suscitatus est per gloriam patris: sicut profectò ipse testatur post resurrectionem, quādo Apostolis dicit: Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Quid enim est, Ego ipse sum, nisi quia alter non sum, quàm tunc eram, quando passus sum? Et hoc siquidem cognoscere potestis, qui in manibus, & pedibus meis clauorū signa clarè videtis. Ipse ergo, idémque cælos ascendit, & carnem, quam de matre suscepit, super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, sed multo magis maternam. Si igitur natura matris est filius, conueniens est,

Marginal notes: Mat. 1. — Gen. 2. — Iob 10. — * quemadmodum, vel ducta videtur. — Gen. 3. — Luc. 1. — Dan. 9. — Rom. 6. — Gen. 3. — Matth. 28. — Matth. 5. Exod. 20. — Gene. 37. — Luc. 24.

vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantùm pertinet ad eandem reciprocam substantiam: vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturę & substantię. Si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturę, quanto magis vbi gratię vnitas, & corporis est specialis natiuitas? *Ioan. 17.* Vnitas nanque gratię est, vt discipulorum in Christo, de quibus ipse dixit, Pater sancte, serua eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, volo vt sint vnum, sicut & nos, & iterùm de omnibus iustis: *Ibidem.* Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te: hoc est, vt ipsi sint per gratiam, quod nos sumus per diuinitatis naturam. Hæc quippe gratiæ vnitas, quæ cunctis in Christum credentibus seruatur, si Mariæ etiam minùs sapientiam æstimatione non tollitur, quantò magis cùm gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem, & filium, & filium, & matrem? Videndum est etiam, quid de his, quos secum per gratiam vnum esse voluit, consequenter adiunxit. Ait enim: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illic sint mecum, vt videãt claritatem, quam dedisti mihi. O magnam, & inæstimabilem bonitatem Dei, qui habere secum suos in gloria vult, vt sua claritate fruantur, qui hic sua fide iuncti, vnà cum eo esse digni iudicantur! Si igitur eos secum habere vult, & hoc potest qui omnia potest: quid æstimandum est de matre, vbi digna sit haberi, nisi in præsentia filij? Quantùm igitur cõtueor, quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima claritate fruitur Christi, & gloriosis conspectibus eum semper videre sitiens, & semper conspiciens, dum inæstimabiliter pascitur, excellentiori quadam, specialique prærogatiua à filio honoratur, possidens in Christo corpus suum quod genuit, clarificatum in dextera patris, & si non suum per quod genuit, tamen suũ quod genuit. *Hic habet, quod vir sanctus crediderit de assumpto corpore Beatæ Mariæ.* Et quare non suum, per quod genuit? Si non obuiauerit necdum perspecta authoritas, verè credo, & per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior cælo est quam terra. Thronũ Dei, Thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est. Tam preciosum enim thesaurum dignius est cælo seruari, quàm terra. Tantam integritatem meritò incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Istud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, vt verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escam vermibus traditum, in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. De quo si nihil altiùs sentirem quàm de proprio, nihil dicerem, nisi quemadmodum de proprio, quod absque vlla ambiguitate soluẽdum est in mortem, post mortem est futurum putredo, post putredinem vermis, post vermem, vt dignum est, abiectissimus puluis. Quod de Maria credendum non videtur, nec æstimabile: quia æstimationem procul pellit incomparabilis gratiæ munus. Quod me dicere, multarum consideratio rerum inuitat, quarum & illa quidem est, quam suis alibi ministris ipsa veritas ait: *Ioan. 12.* Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si enim hæc est generalis sententia omnium, per fidem, & bonam operationẽ Christo ministrantium, quanto magis quodammodò, & specialius est Mariæ? Maria namque operis exhibitione, & fidei rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis, qui sanè sapit intelligit. Absque dubio enim omni opere ministratrix extitit, qui hunc in vtero gessit, partúque profusum aluit, & fouit, atque vt Euangelium ait, in præsepio reclinauit, & à facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, *Luc. 2. Matth. 2.* & omnem infantiam eius matris affectu ita prosecuta est, vt vsque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pẽdentem, ab eius indubitanter ministerio non recesserit, consecuta non solùm gressibus pedum, tanquam pro amore filij, verumetiam imitatione morum, tanquam pro reuerentia Dei. Maria ergo ministra Christi spiritalium operum qualitatibus sicut deuotissima extitit, ita absque dubio religionis fide, & veræ credulitatis charitate secutrix fuit. Non enim potuit eius diuinitatis non esse credula, quæ se nouerat hunc non virili semine secundum ordinem naturæ, sed diuino spiramine, nunciante Archangelo, concepisse: vidẽs semper famulantium angelorum ei adesse frequentiam, vt concepto & nato, quando videlicet facta est cum angelo multitudo cælestis exercitus, clamantium & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis, *Luc. 2.* & in Ægyptum fugitare, atque inde iterũ redituro, quibus liquido cognoscere potuit, quia talia obsequia non nisi Deum decuerant. Vnde & stellę demonstratio, & Magorum de longinquis partibus insperata adductio maximum illi extitit indicium veritatis. *Matth. 2.* Similiter & Simeonis, & Annę prophetali dignitate insolitus cęteris, & huic specialis occursus. *Luc. 2.* Quę omnia profectò Maria conseruans, his cunctis arctiùs ad fidem roborata, pio corde conferebat, intantùm omnino non nutabunda, sed certa de filij potestate, tanquàm de Dei vera virtute, deficiente in nuptiis vino dixerit: Vinum non habẽt, sciens planè hoc illum potuisse, quod eum mox contigit diuino miraculo cõpleuisse. *Ioan. 2.* Ecce igitur Maria fide & opere Christi administratrix, & deuota vsque ad eius mortem secutrix, non plus gressu, quàm imitationis affectu, vt credendum est, si ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos vult esse, vbi ergo erit? Et si ibi erit, nunquid æquali gratia? Et si ęquali gratia, vbi ęqua Dei censura, quę vnicuique reddit secũdùm sua merita? Si ergo meritò Marię viuenti prę omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda? Absit. Quia si omnium sanctorum mors est preciosa, *Psal. 115.* Marię sanè est preciosissima: quam tanta comitata est gratia, vt mater Dei dicatur, & sit. Cõsideratis igitur his vniuersis, vera ratione confitendum credo, Mariam in Christo, & apud Christum esse. In Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: *Act. 17.* apud Christum gloriosè ad ęternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam cęteris, quàm hic gratia honorauit prę cęteris, nec vsque ad communem humilitatem esse adductam post mortem, putredinis videlicet, & vermis, & pulueris, quę summum & omnium genuit saluatorem: in cuius si potestate est, sanctorum de capite capillum non perire, *Luc. 21.* est & illam anima, & corpore integram posse

seruare

seruare. De cuius potestate si nullus dubitet Ecclesiasticorum, quin possit matrem, sine corruptione in perpetuum seruare, cur dubitãdum est voluisse, quod attinet ad tantę benignitatis gratiam? Si elegit diuina voluntas sola gratia inter
Dan. 3. crepitantes vehementium ignium flammas, non solùm puerorum corpora seruare illęsa, verùm & ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat in
Ionae 1. matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam seruate in ventre ceti pręter naturalem visum voluit incorruptum sola misericordia, Mariam incorruptam pręter naturam non seruabit
Dan. 6. & 14. gratia? Seruatus est Daniel ab intemperantissima fame leonum, non seruanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum? Hæc cuncta, quæ diximus, quia naturam non seruasse cognoscimus, in Mariæ integritate plus potuisse gratiam quam naturam non dubitamus. Diuinitatis enim sunt opera, quæ dicimus, & ideò possibilia, quia sunt
1. Cor. 1. ab omnipotentia. Christus autem Dei virtus est, & Dei sapientia, cuius omnia, quæ patris sunt, sua sunt, & velle: velle autem omnia, quæ sunt iusta,
Anima & corpore Maria lætatur in cælis. & digna. Sic per hoc dignè videtur lætari Maria lætitia inenarrabili anima, & corpore, in proprio filio, per proprium filium, nec vllam sequi debere corruptionis ærumnã, quam nulla secuta est tantum filium pariendo integritatis corruptio: vt sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia: sit integraliter viuens, quæ omnium integram, perfectámque genuit vitam: sit cum illo, quem in suo gessit vtero: sit apud illum illa, quæ genuit, fouit, & aluit illum, Maria Dei genitrix, Dei ministratrix, & Dei secutrix. De qua, vt iam dixi, quia aliter sentire non audeo, aliter dicere non præsumo. Suscipiat igitur hũc sensum charitas vestra, quem sanctus spiritus inspirauit. Ostensa sunt in parte, quæ taliter hortata sunt me dicere. Si quis autem refragari his elegerit, cùm dicere non velit, hoc non posse Christum, proferat quare non conueniat velle, ac per hoc non esse. Et cùm se veraciter consilium Dei de his nosse manifestauerit, incipiam credere, de quibus aliter non possum sentire: mirabórque illum altitudinem consilij diuini inuestigasse, quam me cum Apostolo digna reue-
Rom. 11 rentia videor debere admirari, dicente: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius! Et quia secundum eundem Apo-
1. Cor. 13. stolum, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: dixi de his, etsi non quantum est, tamen quemadmodum me dicere debuisse credidi. Si ergo vera sunt quæ scripsi, tibi gratias ago, Christe, quia de sancta virgine matre tua, nisi quod pium est ac dignum visum, sentire non potui. Si ergo dixi vt debui, approba, Christe, tu & tui: Si autem non vt debui, ignosce obsecro tu, & tui: Qui cum Deo patre, & spiritusancto viuis, & regnas per omnia secula seculorum, Amen.

S. HILDEPHONSI EPISC.
Toletani in Assumptione beatissimæ, & gloriosæ virginis Mariæ, Sermo I.

HOdie, dilectissimi fratres, natalitia beatæ Mariæ celebramus, etiam & in cælis vestris meritis, ac precibus adiuuemur: quatenus ipsa interuenire dignetur, vt & ego vos solenniter exhortari queam ad profectum salutis vestræ, vosq́; deuotè percipere valeatis, vt simul nos omnes in eius laudibus digni inueniamur. Non enim ab omnipotente Deo tam effectus tantarum rerum, quam voluntas requiritur. Et ideo vt credo pro bona voluntate, dilectissimi, præstabit vires loquendi, quas imperitia denegat: qui & vobis plenissimè gratiam intelligendi dedit, quoniam læti ad eius festiuitatem, deuotéque celebrandam occurrimus, ante cuius thorum olim multitudo cælestis exercitus decantauit: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in prouectu, vt & competenter intelligere possimus, quam laudamus: & laudare religiosè virginem, cuius hodie solennia colimus. Ante cuius thorum profectò, quo puer reclinatur in stabulo inuitãt nos vt dixi angeli, canentes, Gloria in excelsis Deo, vt insinuent vocibus, quòd idem, qui natus est in carne, Deus, & homo est. Et quia Deus est, Gloria in excelsis, vbi peccatum non est, sed perpetua laus amplius prædicatur. Quod autẽ idem homo, in terris, vbi seditio, & bella sunt indesinenter, propter reconciliationem mediatoris pax hominibus bonæ voluntatis nunciatur: ac sic vnus, idémque Christus vtrúmque complectitur. Et ideo sursum in cælis nõ minuitur gloria superiorum ciuium, sed augetur: nec deorsum in terris propter discordias frustratur pax hominibus bonæ voluntatis, sed præstatur. Propter quod ad huius cunas infantiæ, quas angeli frequentant, inuitat nos sanctorum prophetarum chorus, imo & sapientia Dei patris, inuitat nos & Spiritus sanctus. Ante thorum, inquiunt, huius virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis. Drámaton enim, charissimę, genus est carminis, quo genere Cantica canticorum edita leguntur. Et iubemur vt charitas amplior commendetur, eo genere canendi dulcia cantica in huius honore virginis frequentare, vbi interdum angeli canentes celebrant laudes. Archangelus Gabriel euangelizat: stella occurrens refulget. Magi veniunt, & adorant, munera deferunt,
suísque muneribus prophetant. Pastores audiunt, Luc. 2.
& loquuntur, veniunt, vident, & intelligunt Verbum Matth. 2.
incarnatum, quod dominus ostendit eis. Idcirco, dilectissimę, vbi talia, & tanta ostenduntur,
surgite cum hymnis, & cãticis spiritualibus psal- Ephes. 5.
lentes in cordibus vestris domino, & cum angelis decantate dicentes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quoniam hæc est mater Domini, per quem vita redonatur. Hæc est virgo fœcunda, multis prophetarum indiciis prædicata. Hæc est, quæ hodierna die, completis omnibus, cælo assumitur. Exuitur carne, cælesti gloria vestitur. Hæc ex genere Abrahæ orta virgo, in cuius semine benedicebantur omnes gentes de tribu Iuda. Vnde dictum est. Non deficiet princeps de Iuda, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ipsa est virga de radice Iesse, de cuius
nimirum rursus radice flos ascendit Christus. Ipsa Genes. 49.
est virgo clarissima, stirpe Dauid progenita, cuius Isa. 11.
Deus pater olim in spiritu; De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam. Ecce ad quam concur- Psal. 31.
runt, ô filij, omnia eloquia prophetarũ: ad quam

omnia ænigmata conenrrount scripturarũ: de qua natus est Christus, Deus, & homo pridem in terris, vt ipsa hodie assumpta de corpore renascatur in cælis. Vnde & filia Hierusalem esse iure cantatur, licet natus sit ex ea, qui eam olim fundauit altissimus: quæ reuera, mater illa cælestis hodie aduenit obuiam ornata monilibus suis, de qua dicitur. *[Psal. 86.]* Vidi Hierusalem descendentem de cælo à Deo ornatam * a viro mundo, & lapidibus preciosis intextam. *[* lege auro.]* Quo profectò hodie decorata ideo descendit, vt reginam mundi, beatam scilicet Mariã secum eueheret ad ad sublimia, & collocaret in throno regni: alioquin officiosissimè prætexta non occurreret, nisi festiuitas magna esset. Propterea, o filij, seu quicunque pueri, & puellæ, senes cum iunioribus, omnes vos moribus festiuos præparate in festiuitate tantæ virginis. Producite choros lætitię spiritualis: quatenus dicere possint cantica, quæ audistis, vel quæ canitis. Alias autem, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, ad hæc festa, donec vos vitiis exuatis, non congruitis. Ipsa igitur stella maris, quam hodie cælum suis recepit sedibus, appellatur: quia secundum verbum Hebraicum, Maria ita interpretatur. *[Vide S. Bernardum ho. 2. sup. Missus est.]* Hinc agite, dilectissimæ, vt Lucifer ille, qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc seculo estis. Nam mare præsens, seculum est: Stella autem beata virgo Maria, de qua ortus est ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc securius accedite ad laudem virginis, & illuminamini: quoniam ipsa est, per quam vera lux in mare huius seculi refulsit. Ipsa est ancilla domini, iuxta quod ait ipsa post ineffabilia Gabrielis promissa: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *[Luc. 1.]* Quapropter discite, charissimę, humiliari, discite, mites esse: quoniam hęc est sola virtus, quam in se dominum respexisse præcipuè gloriatur, vt & vos ex eadem humilitate gloriari possitis. Nam & ipsa regina nostri orbis dicitur. Agite cum ea, vt regnare valeatis, vbi exaltantur humiles, & deijciuntur superbi, vbi dominantur mites, & seruituti rediguntur obnoxij, qui ad præsens eleuantur elati. Ecce iam beatam illam dicũt omnes generationes seculorum, quæ se dudum tantis insigniuit virtutibus, ita vt & sponsa iure dicatur, ac mater sui creatoris. Ante cuius thorum, quæso rursus ad exequias, non threnos doloris, non lamenta fletus, sed carmina Deo dulcia modulata vocibus: quoniam hodie iam læta peruenit ad regis thalamum. Peruenit itaque puerpera, vbi angelorum melliflua indesinenter sonant organa, vbi hinc inde hymnidici sanctorum vicissim cantica nuptiarum alternant chori: vbi epitalamia sponsi, & sponsæ, suis suauia redduntur melodiis. Ad quas itaque nuptias, hodie beata Dei genitrix cum gaudio introiuit, quæ fuit olim conditoris templum, Spiritus sancti sacrarium: sacrarium, inquam, Dei, quia omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in eius vtero sunt reconditi, quo & Verbum caro factum est, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. *[Colos. 1. Ioan. 1.]* Sed tamen longè aliter Christus templum Verbi, aliter beata virgo: quia vterus virginis ac si hospitium fuit, ex quo Christùs Deus ad nos, quasi sponsus de thalamo suo, potentia fortis vt gigas exiit. Porrò Christus Deus & homo, vnus mediator Dei, & hominum fuit. Non alter Deus alter homo, vt templum, & Verbum duo essent: sed vnus, idémque Christus Iesus. *[1 Tim. 2.]* Qui, dum resoluitur in mortem, Deus in suo homine, cùm sit immortalis, propter vnitatem subsistentiæ mortuus prędicatur: ac per hoc non alius, qui templum, alius, qui Verbum, sed Verbum, & templum vnus est Christus. Et quia vnus, idémque, nec in passione diuidi potest secundum substantiam, nec in maiestate: sic & Dei genitrix speciosa prædicatur, quia columba illa, quæ super Christum mansit, eam totam repleuerat: idcirco ob hanc speciem decoris non immeritò formositate virtutum speciosa laudatur. *[Matth. 3. Luc. 3.]* Pulchra vt luna, quinimò pulchrior quàm luna, quia in eius specie gens omnium ecclesiarum resplendet, quæ sole iustitiæ illustratur, vt caliginem præsentis vitæ destruere possit: & ad ea peruenire nos omnes faciat, quo beata virgo peruenit, vbi nullum iam patitur defectum luminis: quia laborum eius, & gratiæ gloriosus est fructus. Ideo, dilectissimi, imitamini illam, dum vacat, & tempus est, quam collaudant omnes sancti, & diligunt: quæ hodie processit electa de terris ad cælum, electa vt sol. Et ecce in perpetuum clarior sole coronata triumphat ante dominum. In qua nimirum virgine olim quasi in sole, posuit rex tabernaculum suum: ac processit sponsus ad nos de thalamo suo, rex virtutum, rex gloriæ, vt omnes regnent per eum. O quam pulchra est, admirabilis, casta generatio cum charitate! *[Sap. 4.]* Quod si præclara est in virginibus, & præclara cum præconio bonæ famæ, multo magis in Dei genitrice Maria: quæ virgo permansit, & fœcunda mater: in cuius sanè memoria inclita virtutũ apud Deum, & homínes immortalis regnat. Qua de causa, filij, imitamini illam, & desiderate illam, quæ hodie iam ornata thalamo, sponsa, & coniunx, mater, & virgo introiuit ad nuptias. Introiuit itaque integrè sigillata signo pudoris, quia & virginitas, atque castitas omnis insignitor apud Deum, vt accepta sit, & probabilis. Qui autem imitãtur illam, erunt ex parte eius: & beata, quæ nesciens thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *[Sap. 3.]* Vnde quæsu vos, ô filij imitamini signaculũ fidei vestræ beatam Mariã, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in ea spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei. *[Cant. 4.]* Hæc nanque est ortus conclusus ille deliciarum, fons signatus, puteus aquarum viuentium, reparatio vitæ, ianua cæli, decus mulierum, fastigium omnium virginum: quæ vt cedrus libani quotidie in terris multiplicabitur, dilatabitúrque ramis, & in cælo, radicibus, vt crescat ampliùs, solidatur. *[Eccles. 24.]* Exaltatur vt palma, floret velut oliua speciosa in campis, & fructificabit in domo Dei in æternum. In qua nimirum domo, hodie læta introiuit, & sequuntur eam omnium electorum animæ, quæ sunt ex parte illius. O si permitteretur vobis scire, quæ illius vitæ gaudia, ad quæ intrauit hodie; quæ illa florentis paradisi amœna; quæ illa societas angelorum, quantus famulatus cælorum, & sanctarum animarum innumerus exultans occurrit; quanta illi hodie monstrata sunt secretorum arcana; quàm ineffabilia sunt gaudio referata: non dico explicare verbis, saltem quis nec dignè cogitare poterit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. *[Esa. 64. 1. Cor. 2.]* Idcirco, filij, perpendite matrem Domini, quæ quasi

vitis

vitis froctificauit suauitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis, & gratiæ. *Eccles. 24.* Floruit vt mater honorificata, vt mater pulchræ dilectionis, & timoris, vt mater agnitionis Dei, & spei, in qua gratia omnis, spes vitæ, & virtutis: & *Maria Virgine accepta.* quæ sola refulsit virgo sancta inter filias, ac si lilium inter spinas. Virgo prudens, virgo pudicissima, virgo pulcherrima, & fœcunda: corpore decora, atque integra, animo fulgida, fide perspicua, vitæ præclara, amore virginitatis deuota, in omni obedientia virtutum parata, & in ministerio sibi credito cautissima: cuius animam in passione Christi pertransiuit gladius, & in cunctis angustiis decuxit feruor diuini amoris. Ipsa est ergo, quæ à prophetis est prædicata, & à philosophis etiam prædicata, ab archangelo salutata, à Spiritu sancto fœcundata, & ab eodem obumbrata. Virilis seminis ignara, prole fœcundata, virgo innupta, in filio glorificata, quòd fide concepit, & cum *Esa. 66.* gaudio peperit. Virgo siquidem ante partum, virgo in partu, & virgo post partum: quem totus itaque non capit orbis, in eius se clausit viscera Deus factus homo. Qui cælum, & terram adim- *Esa. 40.* plet, cui cælum thronus est, terra autem scabellum pedum eius; qui palmo cælos tenet, & ap- *Luc. 2.* pendit tribus digitis molem terræ, ac pugillo cõcludit; hunc virgo sancta pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit. Ergo, qui cuncta pascit cælestia & terrestria, simul & regit, hunc sacratissima virgo lacte casto aluit, & nutriuit: ad cuius deinde nutum vniuersi reguntur, sub eius disciplina, vel arbitrio infans Deus versatur: &, quod mirabilius est, defensor omnium, & creator quasi pro- *Matth. 2.* fugus in Ægypto fugit. Quid plura? qui cuncta quasi in statera suspensa tenet, cruce suspenditur. Super quem beata virgo multum doluit, multúmque perpessa est, & gladio passionis Christi vulnerata in anima, telóq; transfixa. O sanctissima omnium fœminarum, quæ cum Deo tale tantúmque contubernium habuit in terris: & ecce hodie exaltatur apud eum, quem genuit, vt permaneat sine fine gloriosa in cælis. Quæ cum *Act. 1.* Apostolis degens vixit, & quandiu simul fuere, vnanimiter in oratione permansit, conse- *Luc. 1.* rens cum eisdem, donec omnia complerentur mysteria repromissionis Christi, & ipsi longè, latéque causa prædicationis dispergerentur. Deinceps verò quàm fœliciter sub præsidio angelorum, & Ioannis diligentia fuit! O inclita virgo, ecce remoraris in terris, quæ filium tuum redemptorem nostrum Iesum Christum præmittis ad cælos! beatius, atque fœlicius, & tu angelis commeantibus penetras gloriosa. Secura igitur, ac gaudens iam peragis: quia eundem filium tuum dominum nostrum iam diuinitatis gloria considere ad dexteram patris non ignoras. Vnde quàm beatissima, & laudabilis diei huius celebratio rectè colitur, in qua virgo mirabilis cum laudibus cælestis militiæ, infra polorum aulam vna cum ingenti triumpho excipitur? Ex cuius nimirum carne Dominus Iesus verbum caro efficitur, qui cunctis in se credentibus ianuas paradisi aperire dignatus est. Qui matrem secum in throno regni *Christus secum in throno regni matrem collocauit.* collocauit, & in immortalitatis gloriã eam transposuit, ac super choros angelorum supersolenniter euexit: Quapropter, dilectissimæ, solennitatem huius diei dignanter celebrate, de qua exultant angeli, lætantur archangeli, de qua gaudet omnis illa cælestis Ierusalem Ciuitas gloriosa. O si permitteretur nobis scire, quanta iocunditas, vel quanta ineffabilis lætitia illic est, vel quanta exultatio animarum sanctarum, de visione tantæ claritatis: quãtus famulatus beatorum spirituum, quantúsque numerus angelorum hodie genitrici verbi Dei gratulabundus occurrit, ad quanta, vel qualia gaudia fœliciter hodie intrauit, quæ profectò, nec oculus vidit, nec auris audiuit! Sunt enim inuisibilia, atque ineffabilia, quæ percepit; &, vt iam dictum est, filium suum Dominum Iesum Christum, quem pendentem in cruce olim doluerat, multúmque perdoluerat: super omnia eleuatum in dextera patris regnantem iam conspicit. Quem gaudens adorat omnis ordo cælorum, cui venerantes inhærent, & inhærentes immortali Deo immortaliter viuunt. Cui hodie lęta canit ipsa, eadémque beata mater, & virgo: Adhæsit anima mea post te, ideirco suscepit me dextera tua. Nihil enim lætius, nihilque iocundius, *Psal. 72.* quàm quæ ipsa canit: Tenuisti, inquit, manum dexteram meã, & in volũtate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Sed & alibi. Quid enim est in cælis, & absque te, quid volui super terram? Ac si dicat: Nihil, nisi te vnicum dominum vt viderem, quem amaui, quem colui, quem cupiui, quem de toto corde diu quæsiui, vt es. Et ecce iam video, iámque teneo, cui me olim tota deuotione commisi, nec dimittam, quem amaui. Et quia iam præ amore defecit cor meum, & caro mea, ideo tu, Deus cordis mei, deinceps pars mea *Psal. 47.* in æternum eris. Porrò ad sodales conuersa, fortè & ad reliquos gratulabũda sanctos hodie inquit. Sicut audiuimus, ô dilectissimi, ita iam videmus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri, quam Deus fundauit in æternum. De qua nimirum nobis dudum gloriosa dicebantur, iam *Psal. 149.* conspicimus, & fruimur plenissimo charitatis intuitu. Igitur pro talibus, & huiuscemodi gaudiis, quibus exultant cum ea sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis: lætemur & nos, charissimæ, in spe filiorum Dei: & ad ea, imploremus *Inuocatio sanctorum.* suffragiis eorum, pertingere, ad quæ illos per- *Rom. 4.* uenisse cum beata virgine credimus corde ad iustitiam, & ore profitemur ad salutem: quia tunc veri laudatores sumus, si ea sectamur, quæ & ipsi sectati sunt, & ad eam fidem, quæ per dilectionem est, festinemus venire quamtocyus. Alioquin incautè vani inspectores sumus, & laudatores improbi: cum ipsi coronantur, & accipiunt palmas, eo quòd in agone legitimè certauerint, si non & ipsi pro modulo nostro dignè ad ea pertingere laboramus. Qui enim dicit se in Christo manere; *1. Ioan. 2.* debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Propterea, vt sæpe dictum est, imitamini matrem domini, quę vobis sponsum genuit immortalem: Imitamini & sanctos, quorum exempla, fauente Deo plurima leguntur. Sequimini sponsum, & festinate ingredi, quo hodie ingressa est beata virgo ad æternas nuptias. Præparate lãpades vestras, vt, cùm venerit sponsus, & pulsauerit, vos vigilantes inueniat: quia beati sunt serui illi, quos, *Matth. 25.* cùm venerit dominus, inuenerit præparatos, ac peruigiles, sicuti hodie hanc vigilantem inuenit. Hodie namque nimia læta meruit audire illud de *Cant. 2.* Canticis: Surge, veni, proxima mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea: quoniam ecce hyems transiit, pluuia abiit, & recessit. Cui fortè

illa læta respondit, propter aduentum superno-
sum ciuium: Flores apparuerunt in terra nostra:
Psal. 16. quia tẽpus putationis aduenit. Ac deinde, Credo
videre bona domini, in terra viuentium. Bona
siquidem olim sanctis repromissa; bona, quæ sunt
in Christo Iesu; quem genui, quem alui, & nu-
triui. Ad quem longè diu sitiuit anima mea venire
Psal. 42. ad Deum fontem viuum. Et ecce hodie tandem
aliquando gaudens vocata venio, & parebo ante
faciem Dei. Vnde paratum, inquit, cor meum
Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam
in gloria mea. Ac si patenter dicat: Cantabo, &
Psalm 56. & 107. psallam in Christo, qui est gloria mea, quem de-
disti mihi filium: ex quo non solũ gloria amplior,
verùm & omnibus adoptio præstatur. Ideo iam
læta, iam secura conuertere, anima mea, in re-
quiem tuam: quia dominus benefecit tibi: vnde
placebo ei in regione viuorum. Beata igitur vi-
Psal. 114. mium, & fœlix virginitas, quæ talibus, tantísque
** Forte bonoribus, aut aliquid simile* in extremis decoratur * oculis, & tantis coacer-
nata virtutibus exaltatur, ita vt cum iubilo istud
Dauidicum hodie iocundans decantet. Quàm di-
Psal. 83. lecta tabernacula tua, domine virtutum! concu-
piscit, & deficit anima mea in atria domini. Cor
meum, & caro mea exultauerunt prius in Deum
viuum, dum eum in carne parerem, dum lacta-
rem, dum nutrirem, dúmque ad incrementa per-
ducerem. Nunc autem ipse est Rex meus, & Deus
meus, quem genui, & fide credidi, corde deside-
raui. Quapropter & vos, ô filij, facite voluntatem
patris, vt sorores Christi, & matres sitis, sicut ipse
Matth. 12. ait: Quicunque fecerit voluntatem patris mei,
qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater
est. Facite ergo voluntatem patris mei. Quia iam
Votum virginitatis. sponsæ estis, amate sponsum, cui vos vouistis: &
quia filij per adoptionẽ estis, vos cognoscat sum-
mi Regis filius. Sed, ne fortè inde aliqua vestrum
magis lasciuire velit, quia altum nomen est, quod
quæsistis: meminisse decet: quia eius sanguine
magno pro dote emptæ estis. Et ideo iuxta Apo-
1. Cor. 6. stolum, Glorificate, & portate Deum in corpo-
re vestro. Imitamini sponsum, & amate: quia
sponsæ estis. Imitamini matrem virginem, & san-
ctos omnes, quos laudatis: quoniam non tantum
illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eo-
rum imitatio. Vnde sponso magis placet imitator
deuotus, quàm laudator otiosus. Tamen vera
laudatio cordis, imitatio est operis. Nam verè lau-
dare Deum, & sanctos in ipsum, iam opus virtu-
tis est, dũ proficit mens, & accenditur igne diuini
amoris, solidatúrque fundamento veræ humili-
tatis. Qua profectò humilitate in Christo beata
mater virgo fundata, post omnia sibi diuinitus
repromissa, Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi
secundum verbum tuum. Hinc quoque ipsa in
Luc. 1. Cantico: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ;
ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes ge-
nerationes. Fœlix igitur, & beata mens, quæ inter
virtutes eximias, & donorum exuberantiam, tan-
tum se humiliauit: quoniam Dominus humilia
respexit in cęlo, & in terra, & alta à longè cognos-
cit. Quòd si in cælo humilia requirit inter ange-
Ecclesi. 10. & 17. los, quid putatis, ô filij, in terris, vbi non nisi cum
peccato cinis, & vermes sumus? Idcirco imita-
mini matrem domini, & obedite patribus: hu-
Pudicitia, & reliquæ virtutes ex gratia Dei sunt, sed miliamini inter virgineos flores, quia ex gratia
Dei sunt pudicitiarum dona, muneráque virtu-
tum. Implorate precibus, dicite cum Propheta:

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo *non ex clausa nostra cooperatione.*
da gloriam. Quodcunque estis, si estis, quod no-
uistis, Dei muneris est, & gratia redẽptoris. Eius, *Psal. 113.*
inquam, sunt dona, cuius hodie mater cælos glo-
riosa conscendit, & penetrauit locum tabernaculi
admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exul-
tationis, ac lætitiæ, vbi iugiter sonus est epulan- *Psal. 41.*
tis. Ergo vnde prius cecinerat, gustate, & videte, *Psal. 33.*
quoniam suauis est dominus: inde nunc epula-
tur eum sanctis omnibus, & lætatur. De qua, ni-
mirũ fruitione deliciarum dominus per Esaiam:
Ecce, inquit, qui seruiunt mihi, & qui compor-
tant illud, bibent in atriis sanctis meis, vos autem *Isa. 65.*
sitietis. Ecce, qui seruiunt mihi, lætabuntur: vos
verò confundemini. Ecce, qui seruiũt mihi, exul-
tabunt pre gaudio: vos verò clamabitis ob dolo-
rem cordis, & propter contritionem spiritus vlu-
labitis. Habetis igitur, filię, gaudia æternæ vitæ, ad
quæ peruenit hodie beata, & intemerata virgi-
nitas. Contendite & vos intrare per angustam
portam, ad thalamum sponsi vestri: cuius dotem, *Matth. 7.*
& arrhas pro munere accepistis. Satagite, ac
procurate promereri bona, quæ vobis sunt re-
promissa, vt accipiatis eum reliquis, de qui-
bus profectò 10 Psalmo canit quisque fidelis.
Vnam petij à domino, hanc requiram: Et, Credo *Psal. 26.*
videre bona domini in terra viuentium. Quæ ni-
mirum bona, beata virgo Maria hodie lætissima
percepit, fruitur, & sine fine eum angelis hodie
coronatur in regno, quod olim ei præparatum
est, vna eum sanctis à constitutione mundi. Ho- *Maria cum angelis coronatur, à dextris Dei.*
die collocatur in throno à dextris Dei, sicut cani-
tur in Psalmis: Astitit regina à dextris tuis in ve-
stitu deaurato, circundata varietate virtutum. *Psal. 44.*
Hinc, quæso, ciues Ierusalem, quicunque estis
viri, quæcunque virgines, quæcunque viduæ,
pueri, vel puellæ, venite, & videte eum omni pu-
ritate cordis: conspicite diligentius matrem do-
mini in æthereis sedibus, cum corona diadematis
renitentem. Venite, inquam, mente, fide, deuo- *Cant. 3.*
tione, & videte coronatam in die solẽnitatis eius,
ac lętitiæ, corona iocunditatis, & decoris, qua
coronauit eam dominus sponsus virginum, rex
glorię, ac remunerator omnium bonorum. Veni-
te, quæso, & videte, quoniam hodie translata est
arca testamenti Dei ad superos, exteriùs inaurata *Exod. 25.*
virtutibus, & fabricata interiùs auro purissimæ
maiestatis, in qua lex testamenti Dei, & manna
fuit: quæ de cælo fluxerat? virga quoque Aaron, *Numer. 17.*
quæ floruerat. De qua nimirum virga Dauid in
Psalmis; Emittet dominus ex Sion (inquit) virgam
virtutis tuæ. Deinde faciens apostrophen ad ean- *Psal. 110.*
dem; Dominare (inquit) in medio inimicorum
tuorum. Quę profectò virga nobis florens, attulit
fructum salutis pacatissimum; qui ad tempus in-
tra vterum virginis mysticum germinauit sacra-
mentum. Hinc quoque de ea in Canticis: Vmbi- *Cant. 7.*
licus tuus tornatilis, non indigẽs poculis: & ven-
ter tuus aceruus tritici, vallatus liliis: eo quòd cõ-
einat sibi in omnibus Christi ortus ex virgine.
Verè aluus ille tornatilis fuit, quia in eo sapientia
se influxit, quæ miscuit in cratere vinum suum,
indeficientem cognitionis gratiam habens, & di-
uinitatis suæ plenitudinem subministrãs: in quo
nimirum virginis vtero simul aceruus tritici, & li-
lij flores Christi gratia germinant: quoniam & *Prouerb. 8.*
granum tritici Christus erat, & lilium. Granum
quidem, secundum quod ait: Amen amen dico *Ioan. 12.*
vobis

vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Verùm, quia de vno, eodémque grano tritici acerui creuerunt frumẽti: hoc completum est illud propheticum, (*Psal. 64.*) & valles abundabunt frumento: quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum manna fuit, & ideo omnes homines perpetua cælestium munerum messe saturauit. (*Psal. 80.*) Vnde Dauid; Cibauit eos (inquit) ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. In hoc ergo grano, etiam lilium esse testantur diuina (*Cant. 2.*) eloquia. Ego, inquit, flos campi, & lilium conuallium. Propter quod vterus eiusdem virginis per arcam figuratur, quæ cuncta Sacramentorum arcana in se habuit. Habuit enim panem viuum illum, qui de cælo descendit. Habuit & legem testamenti noui, quia legislatorem genuit, in quo (*Colos. 1.*) sunt omnes thesauri sapientiæ, atque scientiæ. Et ideo rectè arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, supra quam sanè propitiatorium, & (*Peccatum nullum fuit in B. Virgine Maria.*) Cherubin hinc inde obumbrantia figurantur quia Mariæ nullum extrinsecus obrepsit peccati contagium: sed intus omnis custodia legis, & manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, ac propitiatio humanæ salutis. Supra quidem propitiatorium rectè positum est, quia ipse propitiatio nostra super omnia est benedictus Deus. Et ideo, charissimæ, sursum corda erigite: quo hodie, vt ita fatear, arca testamenti ab angelis gloriosissimè ad sublimia deportatur. Illò mente fugite, quò peruenit sexus fœmineus, & virginitas domino consecrata: habens supra se illum, à quo diuinitus de medio Cherubin responsa dantur fidelibus, & in quo repropitiatio præstatur rectè credentibus. Et ideo quodcunque Deo mente offerre vultis, illuc fide transmittite, illuc vota inferte, inde precibus impetrata reportate; (*Matth. 17.*) quoniam non aliunde est, ex quo Deo patri placere possitis, nisi in quo pater totum constituit placitum suum. Hinc rogo de propitiatorio vobis quotidie loquẽtem audite, quia in ipso, & ex ipso est summa redẽptionis nostræ. Et, si qua sunt fide, quę offerimus, & totũ per eũ offeramus, in quo sibi Deus placere decreuit: quoniã aliunde non est, vnde placere possimus. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Propterea audite ipsum loquentem in euangelio, audite in scripturis sacris, in quibus ab initio voluntas patris per filium monstratur. Et, quia hodie introducta est arca testamenti Dei in Hierusalem illam cęlestem, cum gaudio exultationis: quæso cum hymnis, & canticis deuotissime agite diem festum, cum omni frequentatione populi. (*2. Reg. 6.*) Quod si Dauid vna cum omni populo, dignum duxit arcam veteris testamenti, cum tanto honore prosequi, vt scriptura testatur, multo religiosiùs est, hanc dignis laudibus commendari. Ait namque sermo diuinus, quòd ascendit Dauid, & omnis populus cum eo, vt ferrent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Dei exercituum sedentis super Cherubim. Ac deinde Dauid, inquit, & omnis populus ludebant coram Domino omni virtute, in canticis, cytharis, & psalterijs, tympanis & sistris, cum cymbalis, & tubis. Rogo, si in figura officiosissimè tanta confertur gloria, quid hodie ante beatam virginem, quando illa in cælestem Hierusalem euehitur, quantus exercitus sanctorum præcucurrit cum hymnis, & canticis? Nec dubium, quin illa centum quadraginta quatuor milia, qui in conspectu throni, & seniorum sunt, tenentes cytharas suas, cecinere cum omni fragore cæli, canticum nouum: quod nemo potest dicere, nisi ipsi, qui hodie festini veniunt obuiam cum (*Apoc. 14.*) cytharis suis, ac læti in suo beatam choro excipiunt virginem, non qualemcumque, sed vnam ex numero prudẽtium, & primam omnium inter primos, quæ vadit post agnum proximior, quo- (*Matt. 25.*) cumque ierit. Canit autem & ipsa cum eisdem cãticum dramatis nouum: quod nemo nisi eo in choro dicere valet. Dramaton enim genus est carminis, quo genere Cantica Canticorum edita leguntur. Et iubemur, vt charitas amplior commẽdetur, eo genere canendi dulcia cantica in huius honore virginis frequentare: vbi interdum angeli canentes concelebrant laudes. Habent igitur sancti organa sua in cælestibus, quibus dulcia canant carmina, habent psalteria, & tympana, habent & tubas cum cymbalis, & sistris, in quibus personant in Deo dignè laudes singuli in cordibus suis. Vnde vna virtutum harmonia Deo quotidie offertur cum iubilo, in voce exultationis, ac lætitiæ. Quæ omnia hodie musici generis cantica sonuerunt fragosè in cælis obuiam virgini, tanquam voces cytharisantium. Forte occurrit pri- (*Sanctorum omnium ordine B. Mariæ in assumptione obuiam venerunt.*) mùm ei Virginum chorus, inter quas, vt reor, flos purpureus, Tecla scilicet, & Cecilia, Agnes quoque, atque Perpetua: deinde, viduarum laudabilis (*Luc. 2.*) numerus: vbi * vidit & Anna filia Phanuelis, vna (** forte fuit.*) cum cæteris omnibus: Sara quoque mater nostra, Rebecca, atque Rachel cum pronubis sanctis. Quid plura? cuncti greges vniuersi ordinis, hodie læti eam suscipiunt. Osanna pręcinentes sub dramate iubilationis ante matrem summi regis, quę verum fuit templum Dei viui, & arca testamenti. Ante quam sane arcam in figura Christi, regem deuotissime nudum saltasse legimus, & post sex passus, hostias immolasse. Quod si Dauid gloriam (*2. Reg. 6.*) illius, quę euacuatur, tanto tulit honore, quoniam hæc rerum figuratarum gesta sunt, quanto magis arca Dei viuentis, de qua natus est Christus, Dei virtus, & Dei sapientia, huc hodie cum laudibus effertur? Illa namque omnia vmbra sunt futurorum; in Maria vero manifesta veritas, ante quam Christus rex subsiliendo perrexit de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem: sicque ecclesiam vna cum matre reduxit ad superos, (*Maria Dei templum, & arca noui testamenti.*) quoniam ipsa est Dei tẽmplum, & arca noui testamenti, in qua verus Deus versatur, non in figura, & ænigmate, sed in veritate, pro salute omnium Deus homo immolatur. In cuius profecto sanguine, testamentum confirmatum est nouum, quod testatus est cum patribus nostris, & reconditũ in vtero virginis, inde ad nos vsque translatum. Quæ nimirũ virgo, ac si arca hodie de captiuitate huius seculi, angelorum exequiis glorificata reducitur, non in Hierusalem, quam decoxit, vel euastauit Chaldæorum exercitus, sed in illam veram, & cælestem, quam fundauit Deus, & non homo, collocatur. Vnde velim vos diligen- (*Heb. 8.*) tiùs considerate, dilectissimi, cum quantis laudibus prosequi debeamus Dei genitricem, ad cæli palatium procedentem: quam hodie cælestis veneratur exercitus, cui comitantur legiones angelicæ, in cuius aduentu tripudiat ordo cælorum, & exultat sanctorum numerus: quia, si gaudium est in cælo super vno peccatore cõuertente in terris,

Luc.15. multò magis gaudere credendum in cælo de aduentu, & gloria tantæ virginis. Ideo & nos, quæſo, gaudeamus in hymnis, & cáticis ſpiritualibus, iubilemus Deo cum exultatione, qui tantùm dilexit nos, vt ipſe fieret, propter quod nos ſumus, homo. Ac deinde, qui eramus filij iræ omnes, iuxta Apoſtolum, fecit filios Dei per gratiam, quod ipſe *Epheſ.2.* eſt per naturam. Quapropter, obſecro, accedite ad tantam gratiam per fidem, indeſinenter accedite, & videte viſionem magnam cum Moyſe, quam *Exod.3.* vidit in rubo. Videte, inquam, iam completum: & admiramini, quod præuidebat ipſe tantus patriarcha in ſpiritu futurum. Alioquin niſi in ſpiritu videri non poteſt, etiam res geſta: quia viſio magna eſt, quam digne præuidere, & annunciare nemo poteſt. Vnde Moyſes ait. Ibo, & pertranſibo, & videbo (inquit) viſionem hanc magnam. Videbat enim, quòd arderet rubus ſilueſtris, & non conſumebatur, quod erat multum mirabile. Sed longè mirabilius erat, quia Deus erat totus in rubo, & angelus vocabatur. Erat quippe viſio corporea valde mirabilis, ſed longè mirabilius, quod intelligebatur in ſpiritu: quia præſens totus erat in flamma: & quod per flammam futurum monſtrabatur, ita vt nec flamma deficeret, nec rubus ignibus conſumeretur innocuis. Quo nimirum incombuſto manente, virginitatem beatæ Mariæ conſeruatam credimus corde, confitemur ore: quoniam Spiritusſanctus, quia Deus ignis conſumens eſt, totam inflammauit, & incanduit, ita vt mater fieret Chriſti, & templum diuinæ maie*Deut.4.*ſtatis. Non enim præbebat calori iuncta materies rebus alimenta incendij: neque ſentiebat frutex damna naturæ poſſeſſa flammis. Ita & beata vir*Exod.33.*go Maria, quamuis nemo, qui Deum videat, ipſo teſte, viuere poſſit: tamen totam deitatem in ſe ſuſcipiens, per Chriſtum, quem genuit, vixit intacta, fœlicius deinceps virgo, & incorrupta permanſit. Hæc erat viſio magna, quam pertranſiens Moyſes in ſpiritu præuidebat: vnde tremefactus non audebat accedere: quoniam ineffabile erat totum viſu, quod cernebat. Propterea & vos Sanctimoniales Chriſti, nolite paruipendere viſum intelligentiæ, ignem diuinitatis, quem reſplendere recolitis in Maria: quoniá ipſe eſt Deus Abra*Exod.3.*ham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, vt vox de rubo *Matth.22.* ſonuit, qui natus eſt ex ea. Ergo pluris eſt res, quá completam cernimus, & permanet in ſalutem, quàm figura, quæ pertranſiit ad tempus, veritate exhibita. Hinc quoque beatum dicimus Moyſem, qui talia à longe, & magna conſpexit: ſed beatior Mariæ ipſa viſio fuit. De qua ſanè viſione prophe*Abacuc.3.*tarum eximius Abacuc, tremens factus canit dicens. Domine, audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui. Expauit autem tale aliquid vt vidit, expauit & Moyſes, eo quòd incomprehenſibile erat homini, quod vterque videbant. Paueamus ergo & nos, ne forte pereffluamus à tanto myſterio redéptionis noſtræ, & adeamus mente, cum fiducia per interuentum ſacratiſſimæ virginis, vſque ad thronum ſummi pontificis: vbi pro nobis eſt hoſtia ipſe, & ſacerdos, aduocatus, & iudex. Et, quia minùs idonei ſumus ad hoc, per ipſam rogemus Chriſtum, cuius hodie feſtum colimus. *Inuocatio B. Mariæ.* Rogemus votis omnibus, imploremus precibus, vt ipſa pro nobis rogare dignetur apud eum, quem genuit: quia, ſi non ſumus *Ioan.21.* tanti meriti vt Moyſes, & Prophetę, aut Apoſtoli: beati tamen, qui non viderunt, & crediderunt. Credamus ergo & nos, & laudemus, vt ad ea, quæ repromiſſa ſunt, pertingere valeamus. Sed, quia laudare dignè nequimus beatam virginem, quia inferior eſt ea noſtra laus, veneremur, & amemus, quantum poſſumus. Adoremus Deum patrem, *Ioan.4.* adoremus vt veri adoratores, vt ſaluator ait, in ſpiritu, & veritate: quia Deus ſpiritus eſt, & qui adorant eum, oportet adorare in ſpiritu. Aliàs autem niſi in ſpiritu non adoratur, nec ei rectè ſeruitur. Idcirco egredimini ex iis anguſtiis carnalibus, exuite vos veterem hominem, & induite nouum, *Col.3.* qui ſecundum Deum creatus eſt. Egredimini ex hac dilectione carnali, ne ſolicitudo præſentis vi*Matth.13.*tæ, ac voluptatis ſuffocet in vobis verbum vitæ, quod ſeminatum eſt in corde. Peregrinamini ma*2.Cor.5.*gis à corpore, vt cũ Deo adeſſe poſſitis: quoniam, *Rom.8.* qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem, chariſſimæ, iam in carne non eſtis, quæ carnis opera in vobis mortificatis, ſed in ſpiritu. Quicunque ergo ſpiritu Dei aguntur, ij filij ſunt Dei. Et ideo dilatamini vos, & erigite mentem ad ſublimia, vt poſſitis comprehendere ea, in quibus Chriſtus ſponſus veſter in dextera patris ſedet, & glorificatur: quatenus ibi adoretis eum in throno, vbi eſt ipſe, quia extra iam múdum eſt, vbi in circuitu throni eius viginti quatuor ſeniores ſedere *Apoc.4.* leguntur ante conſpectum Dei in ſedibus ſuis, & adorant Chriſtum regem viuentem in ſecula ſeculorum, mittentes coronas ſuas ante pedes eius, quas ab ipſo acceperunt, dicentes; Gratias tibi agimus, domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, qui accepiſti virtutem, & regnaſti in ſecula ſeculorum. Ergo vbi adorant hi, & quomodo adorant, quantum fas eſt mortalibus etiam in pręſentiarum adorare eum oportet, quoniam Chriſtus in patre veritas eſt, veráxque pater in Chriſto vero filio totus eſt, qui vnus, & verus Deus eſt, qui in Spiritu ſancto adoratur: quia Deus Trinitas eſt, & ipſe Deus Trinitas in templo ſuo, & nó in ma*Act.7. et 17.*nufactis hominum eſt. Templum autem Dei, eccleſia eſt, ſicut Ioannes teſtatur in ſua Apocalypſi. *Apoc.11.* Et apertum eſt, (inquit) templum Dei in cælo, & arca teſtamenti eius viſa eſt. Quæ profecto arca non illa Moyſi fabricata, ſed beata virgo Maria eſt, quæ hinc iam tranſpoſita erat; quá beatus Ioannes euangeliſta teſtis veritatis, cui commiſſa eſt, fortè recognoſcens venerabiliter affatur, quia in cælo viſa eſt, monſtratur ſpecies in genere, ſicuti & genus per ſpeciem declaratur; quoniam beata Maria in templo Dei viſa eſt, ſcilicet in eccleſia Dei. Eccleſia verò in eius virginitatis fructu, penitus domino dedicatur; ac per hoc arca teſtamenti Dei, ipſa videlicet Dei genitrix, in templo eius non immeritò viſa eſt, quia eccleſia & ipſa virgo eſt. Vnde Apoſtolus. Deſpondi enim vos vni viro, *2.Cor.11.* inquit, virginem caſtá exhibere Chriſto. Et ideo, dilectiſſimæ, illuc mentem dirigite, vbi ſponſus veſter pro nobis introiit, & beata virgo viſa eſt: quoniá ibi eius feſtiuitas rectè colitur, vbi Chriſtus eſt ſponſus, & æternæ vitæ gaudia celebrantur. Vnde, quæſo, egredimini fide, moribus, mente, atque omni deſiderio æternæ viſionis actibus, & pollutum nolite tangere. Aſcendite ſurſum per contemplationem, & per conuerſionem bonæ vitæ, donec apertum eſt templum Dei in cælo, quatenus ingredi poſſitis, omnia vbi vobis repromiſſa bona ſeruantur: & virgo ſancta cæleſti iam

immor

Matth.6. immortalitate veſtitur. In cæleſtibus namque ſint corda veſtra erecta, vbi eſt & theſaurus veſter. Immo idem & theſaurus æternæ hæreditatis ſit in corde veſtro, quatenus quod eſt in cælo, in vobis *Apoc.3.* ſit per fidem. Coronam itaque veſtram nemo accipiat alter, donec veniat ſponſus: quinimmo vos *Eſa.62.* corona decoris eſſe poſſitis in manu Domini per gratiam eius, qui vos ad æterna vocauit gaudia, Ieſus Chriſtus filius virginis dominus noſter, qui cum æterno patre, vna cum Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM *aſſumptione Beatæ Mariæ, Serm.2.*

INter præcipuas ſanctorum feſtiuitates, chariſſimę, hodierna nobis refulſit inſignis, & glorioſa genitricis Dei Mariæ ſolẽnitas, in qua ipſa beata & venerabilis virgo aſſumpta eſt glorioſiſſime ad æthereum thalamum: in quo, vt canimus, rex *Maria virgo aſſumpta in cælum.* regum filius beatæ Mariæ virginis ſtellato, immo ineffabili ſedet ſolio. Vbi milia milium miniſtrãt *Dan.7.* angelorum iuxta Danielis vaticinium, & decies centena aſſiſtunt milia: quorum cum laudibus, & exequijs, glorioſa Dei genitrix hodie de terris exaltata, & de carne euecta cũ triumpho, & exultatione ſuſcepta eſt in cælo, & collocata in paradiſo. Hæc eſt namque ſacra, & venerabilis ſolennitas, fratres, ante mundi conſtitutionem præſcita, & præordinata; ſed hodierna die exultanter eſt impleta. Nobis quidem, dilectiſſimi, hodierna eſt & annua, ſed angelis in cælo, & ſupernis ciuibus eſt continua, & perpetua. Sed, quia in præſentiarũ nobis continua eſſe non poteſt, debet tanto celebrior fieri præ omnibus ſanctorum feſtis, quanto ineffabili vtitur priuilegio mater Domini ſaluatoris & donum poſſidet perpetuæ virginitatis. Quia & ſi impartit præmia iuſtus iudex Chriſtus Do- *Rom.2.* minus ſecundum Apoſtolũ, vnicuique iuxta opera ſua, huic tamen ſacratiſſimæ virgini genitrici ſuæ, ſicut incomparabile eſt, quod geſſit, & ineffabile donum, quod percepit; ita & ineſtimabile, atque incomprehenſibile præmium, & gloria: non dico inter cæteras ſacras virgines, verumetiam vl- *Maria virgo à dextris Dei collocata.* tra omnes ſanctos, quã promeruit. Peruenit namque ad cæli palatium beata, & glorioſa, vbi Chriſtus ſponſus eccleſiæ, intra thalamum collocauit eam, in dextera maieſtatis. Ibi ſiquidem eam aſſumpſit præcellentiſſimam inter primos, vbi iuxta *Pſal.44.* Dauid vocem, ſtat regina in dextris Dei in veſtitu deaurato, circundata varietate. Hæc igitur dies eſt, in qua renata inter filias Hieruſalem ſpecioſa reſplenduit: in qua glorioſa Dei genitrix quaſi aurora proceſſit, & vadit poſt agnũ glorioſior, quo- *Aſſumptionis feſtus dies in cælis celebrior eſt, quàm in terris.* cũque ille pergit. Hæc namque eſt, vt dixi, fratres, feſtiuitas hodierna præcipua, & venerabilis nobis, ſed venerabilior in cælo eſt angelis, & ſanctis omnibus, quorum lætitia, & gaudium proculdubio *Pſal.18.* ex huius adimpletur diei exultatione: quando beata Dei genitrix clarior ſole refulſit in throno claritatis. Nam Chriſtus, ſicut legimus, in ſole poſuit tabernaculum ſuum: de quo ipſe vt ita loquar tabernaculo, proceſſit tanquam ſponſus de thalamo ſuo. De quo ſane tabernaculo, ac ſi ex voce ge- *Eccl.24.* nitricis Dei dicitur. Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Idcirco abſque dubio, fratres chariſſimi, beata virgo pro tanta gratia, tantique honoris priuilegio materno hodie reſedit ſublimata in throno, quoniam, etſi duodecim leguntur throni, in quibus duodecim Apoſtolorum *Matth.19.* ſeſſurus eſt numerus, quando iudex omnium ſacratiſſimę huius virginis filius ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, cum ſenatoribus ſuis; non deſunt tamen ibidem quàm plurimi alij, inter quos in conſpectu Dei etiam viginti quatuor dicũtur reſidere ſeniores, & adorare ante thronum Dei viuen- *Apoc.4. Daniel.7.* tem in ſecula ſeculorum. Sed & Daniel teſtatur, quòd throni poſiti ſint: nec eorum tamen explet numerum. Vnde liquido cõſtat, dilectiſſimi, quia thronus beatiſſimæ virginis paratus ante mundi conſtitutionem, hodie celſior glorificatur, & inuenitur, etiã ab angelis: nec immerito igitur, quo- *Ioan 1. Sap.7.* niam & ipſa facta eſt thronus Dei, & thalamus in cuius vtero veniens ſapientia Dei patris, Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Quòd ſi anima iuſti cuiuſlibet ſedes eſt ſapientiæ, teſte ſcriptura, multo magis huius anima, fratres chariſſimi, quam Spiritus ſanctus ſic impleuit, etiam ante conceptionis horam, vt ſalutaretur ab angelo. Ait enim. Aue, Maria, gratia plena, Dominus tecũ, *Luc.1.* benedicta tu in mulieribus. Ad quam ita mox ingreſſus filius Dei, qui eſt virtus, & ſapientia patris, ſic repleuit, ſicque poſſedit, vt in ea Verbum caro fieret: & habitauit totus Deus in homine. Et ideo totus in nobis, quia totus Deus in ea fuit: ac per hoc quem cæli, & terra non capiunt, totum concepit virgo de Spiritu ſancto, & peperit pro ſalute mundi, Deum, & hominem. Ideo, dilectiſſimi, cogitate cum omni integritate fidei, cogitate, inquam, animam huius virginis, quia commertium tanti muneris non fide dignè nec cogitare poſſu- *Sanctorũ vniuerſi ordines Mariam venerantur.* mus. Idcirco huius virginis animam Dominum magnificantem glorificemus, quam hodie paradiſus excepit gaudens, quam angeli cum laudibus *Luc.1.* proſequuntur, quam Apoſtolorum chorus veneratur, quam martyres candidati beatificant, quam ſanctorum confeſſorum ſtolatus concelebrat numerus, cui hodie ſanctarum virginum cum ſuis palmis victricibus exultanter occurrit exercitus. Quoniam hæc eſt anima illa beata, per quam auctor vitæ ingreſſus eſt mundum, per quam omnis maledictio ſoluta eſt priorum parentum, & cæleſtis benedictio in toto venit mundo. Hęc eſt virgo, in cuius vtero omnis eccleſia ſubarrhatur, coniuncta Deo fœdere ſempiterno creditur. Pro *Aſſumptionis Mariæ feſtiuitas annua veneranda.* talibus, & huiuſcemodi Sacramentis, veneranda eſt, fratres, hodierna feſtiuitas ſic annua, vt ſemper nobis continua maneat, & venerabilis in mente: quoniam poſt Chriſtum, qui caput eſt, & Deus totius eccleſię: hęc virgo glorioſa refulget etiã ſuper choros, vt cantatur, exaltata angelicos: clariſſima inter virgines, candidior inter martyres. Quia & *Apoc 7.* ſi illi martyrio coronati dealbarunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni; nihilominus hæc beata, & venerabilis virgo candidior dignè prædicatur: eo quòd, etſi corpora martyrum pro domino ſupplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis virgo in anima paſſa, teſte domino, comprobatur. Ait enim Simeon, vel *Luc.2. Ioan.19.* dominus ad eam. Et tuã ipſius animam pertranſibit gladius. Quòd ſi gladius vſque ad animam *Mariã pluſquã martyrẽ vocat etiam Hiero. Ser. de aſſumpt.* peruenit, quando ad crucem ſtetit, fugientibus Apoſtolis, cùm videret dominum pendentem, etiam pluſquam martyr fuit: quia in animo non

minus amoris quàm mœroris est intus gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix iure plusquã martyr mater est, quæ nimio amore vulnerata, testis extitit saluatoris: Et pro mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis. Propterea igitur, quia hæc virgo, & mater ineffabilis est, donis in præsentiarum munerata, priuilegiis sublimata diuinis credere oportet, quòd hodie omnimodo cælesti rex illustratur gloria: vt nullis in terris possit dignè laudibus venerari. Vnde, quantum debemus, quia non possumus, implorandus est Spiritus sanctus, qui eã repleuit, & ornauit immensis largitatis suæ muneribus, implorandus etiã ipse vnigenitus Deus Dei filius; vt pro modulo infirmitatis nostræ suscipere dignetur laudes, vtcunque pro ipsa, quas offerimus: quia nemo mortalium est, qui dignè possit huius sacratissimæ virginis laudes dicere, neque possit mysteria, quæ in illa completa sunt, verbis explicare. Tamen admodum quanta colenda, ostendit Gabriel Archangelus ad eam missus venerabiliter, dum eam prior salutat ex officio debitæ venerationis, & collaudat gratia plenam, quam benedictam prædicat inter omnes mulieres, mòxque matrem afuturam domini. Alioquin, charissimi, nisi esset non tantum vltra mulieres, verumetiam meritis vltra homines, tantus archangelus non tantam el exhiberet salutationis gratiam: nec tales, tantásque inferret laudes. Quòd si adhuc in carne mortali, & iam completis mysterij Sacramentis, archangelus Dei exhibuit reuerentiam, & attulit laudis præconia, quid putatis, charissimi, hodie in cælo quantas deferunt laudes, & glorificant filium Dei, qui natus est ex ea? Hæc est namque, dilectissimi, Mariæ virgo, de qua se natum Christus, quàm sæpe filium hominis testatur ex Euangelio, vbi ait. Filius hominis venturus est in regno patris sui. Necnon & cùm diceret beato Petro, vnà cum cæteris. Quem dicunt homines esse filium hominis? Ac deinde refert. Vos autem, quem me esse dicitis? Ait ergo Petrus pro omnibus. Tu es Christus filius Dei viui: nõ quòd eum negaret filium beatissimæ virginis Mariæ, quod ait Christus, sed vt demonstraret vnum, eundémque filium hominis esse filium Dei: quam fidem iam in Petro quàm in cæteris Apostolis requirebat dominus. Et ideo, charissimi, veneremur sicut matrem domini, & saluatoris nostri Iesu Christi, prædicemus, ac si matrem domini, & perpetuam virginem, quę hodie peruenit ad thalamum æterni regis, ad easdem nuptias, quæ in vtero sunt dedicatæ. Pro quibus arrhas accepit sponsa Christi in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ Spiritum sanctum. Sed, qui minus idonei sumus de tantis dignè loqui, aut cogitare mysteriis, redeamus ad ipsius verba beatæ Virginis, ad ipsius rudiméta virtutum, quatenus ex eius tirocinio humilitatis meliùs ediscere videamur, cur de imis ad tantæ peruenerit humilitatem claritatis. Ait enim inter cætera: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Hinc, quæso fratres mei, audite matrem Prophetissam Dei. Prophetissam dico, imo, vt ita dicam, Euangelistam. Audite, quæso, virgines, audiat omnis fœminarum ordo, humilitatem tantæ virginis; & nolite credere, si non iam completa sunt omnia, quæcunque prędixit per eam, qui ipsam repleuerat, Spiritus veritatis. Ecce enim, inquit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ergo quando hęc sancta, & venerabilis virgo dicebat, nescio, fratres, vel si paucis in eadem gente Iudæorum nota fuisset, loquebatur tamen eum fide, & prędicabat, quę futura nouerat. Dicebat autem humilis, & ancilla, quę se beatam nouerat, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quapropter, quęso, respicite terras, quascunque sol suo illustrat lumine, & videte, quoniam nulla iam penè est natio, nulláque gens, quę Christum non credat: & vbicunque Christus colitur, & adoratur, venerabilis Dei genitrix Maria beata, & fœlix, necnon & virgo perpetua prędicatur. Et ideo, fratres, parum est, ab vno, vel à paucis, dicere, quod ab omnibus vbique prędicatur, & creditur. Hoc itaque est, dilectissimi, quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem terrarum vbique in omni gente, & in omni lingua, beata Maria virgo pronunciatur: & quot sunt homines, tot habet testes. Verùm, siquidem dixerim, quia credunt, dum prędicatur. Prędicatur autem, quia verè beata creditur esse apud Deum, & nunc fiducialius vbique pronunciatur, quia verè, & fideliter beata creditur. Tamen, quod prędictum est, in omnibus adimpletur, quia in terris beata, & gloriosa dicitur: in cęlis verò ab omnibus sanctis conspicua collaudatur, & pręclara. Inde enim, charissimi, hęc festiuitas gloriosa, vnde illa sublimatur, & beata etiam ab angelis veneratur, Quia respexit, inquit, humilitatem ancillę suę, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Mira etenim deuotione plena vox, qua dicitur, Quia respexit humilitatem ancillę suę. Non enim ait; Quia respexit virginitatem meam, aut innocentiam: aut aliam quamlibet virtutum gratiam, sed solam humilitatem suam respexisse dominum humiliter fatetur. Mira itaque disciplina virtutis, & admirabilis Philosophia. Siquidem mira, & circumspecta professio virginis, vt & veritas panderetur in sermone, & in nullo offenderetur diuina virtus, quę magnificabatur in professione. Vnde, cùm audisset omnia, quę sub angelo ei deferebantur, incomprehensibilia, & credidisset inaudita, necnon etiam & quę ab Elizabeth dicebantur credita: Magnificat, inquit, anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Deinde intulit: Quia respexit humilitatem ancillę suę: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Verumtamen in nullo de se præsumpsit, in nullo aliquid de se altum sapit, sed tota in Deo exultat: totúsque spiritus eius in Deo gaudet, & tota eius anima dominum magnificat, & collaudat. Nihil sibi attribuit meritorum, nihil sibi ad se adplaudit: sed solummodo ea, quę Dei sunt, requirit, & sapit. Idcirco in illo tota exultat, tota gaudet, & lętatur, solam sibi vendicat humilitatem ancillæ, quæ mater veneratur ab angelo salutata. Nec tamen, eandem humilitatem à se aliquid esse dixit, sed quia altissimus eam respexit, & acceptam sibi fecit. Ideo, inquit, beatam me dicent omnes generationes. O mira confessio, & mira humilitas! Cõfitetur humilitatem, quam solam in se respexisse dicit, qui cuncta respicit, & continuò prædicat ut beatitudo ipsius, de qua hodie totus testis est mundus, Quæ beata etiam, & cum Christo in æternũ regnare creditur, quia completa

Marginal notes: *Luc. 1.* — *Matth. 16.* — *Ephes. 1.* — *Esa. 8.* — *B. Maria Prophetissa est, & Euangelista.* — *Vbique terrarum B. Maria excellentia prædicatur.* — *Luc. 1.* — *Luc. 14. & 12.*

completa ſunt, quæ prædixit. Scriptum quippe eſt; Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Exaltata eſt autem ſancta Dei genitrix, non ſolum, quia humilis inuenta eſt, verumetiam ineffabiliter gratia repleta eſt. Quam deprecantes veneramur, & venerantes deprecamur: vt ipſa pro nobis intercedere dignetur apud dominum noſtrum Dei filium, quem de ſe genuit incarnatum: qui cum Deo patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Deprecanda, & veneranda eſt S. Dei genitrix.

EIVSDEM DE EADEM

aſſumptione Beatæ Mariæ, Sermo 3.

ADeſt nobis, dilectiſſimi fratres, hodierna feſtiuitas beatæ Mariæ virginis glorioſa, plena gaudiis, & immenſis de aſcenſu eius repleta muneribus. Illuſtris ſiquidem de meritis: ſed illuſtrior valde pro gratia, qua illuſtratur non tantum beata ipſa virgo, verumetiam per eam omnis Chriſti eccleſia. Nec enim gratiam ex meritis glorioſa virginitas promeruit: ſed præmia meritorum ex gratia percepit. Et ideo celebritas hodierna inde glorioſior eſt cæterorum ſanctorum natalitiis, quo illuſtratur beata virgo, & mater Domini ineffabilibus diuinorum ſacramentorum priuilegiis, quia inde creuerunt merita, vnde pleniſſimè referta eſt gratia. Et ideo apud Dominum quanta penſanda ſint eius merita, vel cogitanda præmia, puto quòd nemo eſt, qui ad purum ediſſerat, niſi qui poteſt verè perpendere, qualis, vel quanta ſit iſta gratia, qua repletur ipſa, per quam venit in mundum Dei maieſtas. Idcircò, fratres mei, veneranda eſt hæc ſolẽnitas cum omni deuotionis obſequio, & venerandum, quod canitur etiam ſuper choros exaltata angelorum. Nam nulli hominum vnquam cõceſſum eſt, tanti vti priuilegio muneris, etiam angelo, vt vna perſona eſſet in Trinitate, quòd de ſubſtantia ſua genuit, & eſſet Deus. Ideò, quæſo, ſileat inſipiẽtia carnis: & celebretur dignè cum laudibus feſtiuitas matris domini, & ſaluatoris noſtri, tanto honore digniſſima, quantum eſt veneranda ex gratia, quia eius honor, & gloria laus, & gratiarum actio eſt redemptoris. Hodie quippe vocata proceſſit, & immarceſſibilem de manu domini cũ palma virginitatis percepit coronam. Hodie in throno regni ſuſcepta eſt, & reſedit. Hodie thalamum intrauit, quia ſimul virgo, & ſponſa fuit. Hodie ſiquidem audiuit illam vocem blandiens à ſeſe maieſtatis, qua dicitur. Veni, electa mea, & ponam te ſuper thronum meum; quia concupiuit rex ſpeciem tuam. Ad quam ſanè vocem credimus, quod gaudens, & exultans ſoluta eſt beata illa anima, ac perrexit ad dominum, vbi facta eſt ipſa thronus, quæ fuerat in carne templum diuinitatis. Tantò ſpecioſior præ cunctis, & ſublimior, quantò & gratia glorioſior refulſit. Hæc igitur diuina eſt recompenſatio, fratres, de qua dicitur. Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Fundata enim erat profunda humilitate, & dilatata in charitate, propterea hodie iam ſublimiter eſt exaltata. Sed, quia celſitudinem, & magnificentiam throni perſcrutari non poſſumus: ſaltem theſauros eius humilitatis interdum perſcrutemur, vt deinceps, eius interuenientibus meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus. Nam humilitas, cuſtos reliquarum virtutum eſt: & ideò venerabilis virgo, quia virtutes multas ſibi aggregauerat, cuſtodem earum humilitatem in animo ferebat. Quam poſt perceptam gratiam ampliauit, & confeſſa eſt, ſe eſſe ancillam, quæ mater erat creatoris. Nihil nobilius, fratres, Dei matre inuenitur, quæ ſe profitetur ancillam: nihil ſplẽdidius, quam ſplendor elegit gloriæ. Nouerat enim beata virgo, quia humilitas Deo ſemper placet: ideo ex nuncio cũ ſalutatur, nihil altum de ſe ſapit, nihil præſumit: ſed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat, quod eſt, & quod audit. Quapropter & nos diſcamus Deo deferre: diſcamus de nobis humilia ſentire ſemper in omnibus. Diſcamus humiliari, quia auctor vitæ ideo ad nos, cùm eſſet altiſſimus, humilis venit vt nos humilitatem de ſe doceret magiſter veritatis. Quia, ſi quis ſine humilitate virtutes congregat, quaſi qui in vento puluerem portat. Vnde ait ipſe in euangelio. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Nec ſine cauſa igitur præcipuè mortales, & fragiles humilitatem diſcere iubet, qui etiam in cælis, vbi immortalis regnat, inter angelos humilia requirit. Vnde Dauid propheta ait. Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra? Quod ſi ab ipſis angelis in cælo manſuetudo exigitur, quid putatis hic, fratres, vbi ſuperbia regnat, vt humiliemus, quantum neceſſe eſt nobis? Hinc quoque dictum legimus, Quanto magnus es humilia te in omnibus. Quoniam humilem ſpiritu, ſicut Salomon ait, ſuſcipiet gloria. Hoc quippe * non erat beata Dei genitrix, fratres mei, quòd ad humilem, & quietum, & trementem ſermones ſuos, reſpiciat diuina dignatio. Idcirco continuò ait ad angelum. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Non enim ſuperbit, ſed creſcit ex dono deuotionis obſequium, humilitatis priuilegium augetur in omnibus, ſed in nullo ſubripit arrogantia: quoniam non intumeſcit ad vanam gloriam, quæ beatam ſe prædicat mox futuram, propter humilitatis indulgentiam. Ideo non diſcurrit, quia humilis: nam quantũ mãſuetus eſt quiſque, qui iuſſis obtemperat diuinis, tantùm immitis, qui aut nõ credit, aut differt obedire, quod audit. Iam humiliat ſe beata virgo in cũctis, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam largitoris: quia quod per partes aliis datum eſt, tota ſimul venit in ea gratiæ plenitudo. Hinc quoque ait Euangeliſta. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Magna ſiquidem gratia, dilectiſſimi, beatæ Mariæ virginis: Magna promeruit præmia æternę remunerationis, quia multum ſe humiliauit inter immenſa dona, inter diuinitatis commercia. Hodie à domino multum exaltatur glorioſa. Denique ideo Chriſtus humilis ad humilem virginem venit, quam elegit, vt de tam profunda humilitate triumphum erigeret ſalutis, & exaltaret eam, vt cantauimus, etiam ſuper choros angelicos. Quæ nimirum exaltatio, priuilegium eſt gratiæ. Vnde cum timore, & tremore perfectæ dilectionis, recolenda ſunt hæc myſtica donorum ſacramenta: ſicque ex his compenſanda eſt huius celebritatis gratia. Quapropter æſtimate, fratres, qua reuerentia, quo deuotionis obſequio, nos tantis intereſſe deceat ſacramentis. Cui angelus ipſe nõ ſine metu

Merita B. Mariæ ex præuenti gratia ſequuntur.

Gloria B. virginis laus eſt redemptoris.

Luc. 14. & 18.

Merita B. Mariæ nobis vtilia.

Vide S. Grego. in Pſal. 3. pæni.

Matth. 11.

Pſal. 112.

Eccl. 3.

Prouerb. 29.

** Lege non erat.*

Eſa. 66.

Luc. 1.

Hieronymus ſer. de aſſũpt.

Ioan. 1.

mento sancto, nec sine honore debito, impendit reuerentiam euangelizandi. Sentiebat enim angelus in beata virgine iam specialiter Dominũ inesse, & futura nouerat diuini mysterij sacraméta. Ideo tã reuerẽter ait: Aue gratia plena. Deinde attendite quàm eximium sit, mox quod infert: Dominus tecum. Non enim dixit, dominus sit tecum, quasi visitandi gratia: sed dominus tecum, quia in te nouo nascendi illabitur sacramento. Sicq́ue totus vadẽs in salutationem, propter maledictionem priorum parentum, magnum detegit benedictionis oraculum. Benedicta tu, inquit, inter omnes mulieres. Quomodo igitur nunc benedicta, charissimi? Ecce de auditu gratia adimpletur, de auditu fides genita, contra fidem credidit, De conceptu deferre honorem cognatis didicit: de ortu filij pudor creuit. Aucta est castitas, integritas roborata, virginitas quoque solidata, omnes per̃ euexauerunt virtutes. Extremuit omnia, quæ & prima mirabilis eius refulsit humilitas. Quæ cum omnia ab angelo didicisset, & repleta donis celestibus fuisset, ait. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum: quam vocem mox secutus est effectus. Fit itaq; grauida mox beata virgo, quæ hodie assumpta est in cælis cum gaudio: fitque sacrarium Spiritus sancti, &* consilium Verbi. Quæ ideo beata iure dicitur inter omnes mulieres; quia omnes ex ea beatificantur. Collata quippe est gratia, & beatitudo in specie, vt diffunderetur in omne genus ecclesiæ. Vnde nec immeritò beata, & venerabilis hodie præcellit in genere totius corporis: quæ vltra omnes fœcundata est in specie prolis. Interea iure antefertur in cælestibus: quæ ita ditata est, ac repleta præ omnibus in terris, diuinis muneribus. Quapropter festiuitas hodierna celebritas est omnium supernorum ciuium gratissima, quia eius est assumptio de corpore, ex qua orta est veritas, & iustitia, quæ de cælo prospexit, in qua omnes iustificamur, & exultant sancti in gloria. Hinc, fratres quæso, iungamus vota cum supernis ciuibus, & iuxta modulum infirmitatis nostræ exequamur laudibus: quoniam quod natum est ex ea, commune est omnium gaudium. Illi siquidem hodie occurrunt lætantes, & suscipiunt eam gaudentes cum hymnis, & laudibus nos prosequamur cum omni deuotione cordis, & integritate fidei. Sicq́ue prosequamur, vt ad illa ineffabilia dona, quæ percepit beata Dei genitrix, quandoque pertingere valeamus. Fortè igitur hodie interrogauerunt quidam sanctorum eminus prospicientes, illud de Canticis. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Quoniam in ascensu eius, multa flagrabant * ornamenta virtutum incendio diuini concremata amoris. Quæ ideo quasi virgula fumi, quia ipsa est virga illa de radice Iesse, quę hodie ascendit. Gracilis quidem, & delicata ex aromatibus vniuersi pigmentarij pulueris: sed conflagrata incendio charitatis. Et ideo benè in modum fumi virgulę ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum Dei, quæ odoramenta virtutum spargebat de se vsque ad cælos: & non qualiacunque, sed vniuersi pulueris pigmentarij. Vnde, fratres, admiratio illa angelica non de virginitate sola, quę fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratię venit: quia vniuersę virtutes in ea respergebant ex incendio diuini amoris suauitatem odoris, ita vt in ea esset forma, non solum virginum, verum etiam omnium ecclesiarum Dei. Quoniam virginitas, & vita beatæ Mariæ, speculum, & species fuit totius castitatis, & integritas virtutum, decus pudicitię, & magisterium valde eximium probitatis. In qua, rogo videant virgines, quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant honestatis: quia primus discendi amor, vt ita fatear, nobilitas est magistri. Habetis ergo virgines, egregij magisterij formam: habetis exemplar in ea perfectæ virginitatis. Ecce via, qua pergere debetis: ecce beatitudo, & gloria, ad quam peruenire vultis. Illuc indesinenter votis, & desiderio anhelare oportet, vt ad ea quandoque fœliciter perueniatis. Verùm, quia de propagine carnis, nulla nobilior Dei matre refulsit, nulla splendidior ea processit quam splendor paternæ gloriæ ineffabiliter diuinitùs illustrauit, quam virtus altissimi obumbrauit, vt virgo pareret; quam diuina gratia repleuit, vt virgo conciperet; quam sapientia Dei patris præ omnibus elegit, vt placeret; quæ corpus Christi sine contagione sui corporis generauit; quæ omnes virgultos in odorem suauitatis, ardore charitatis domino concremauit, vt tota holocaustum Deo fieret. Cuius caro, & sanguis origo fuit benignissimi saluatoris, cuius anima templum extitit, in quo factum commercium nostræ redemptionis est. Bona siquidem domus, charissimi, in qua tota simul diuinitas illabitur Verbi, in qua sapiẽtia Dei patris septem sibi columnas erexit, super quam omnis innititur domus, & fabricatur ecclesia. Quid dicam, fratres mei, quidve loquar de iis rebus mysticis, in quibus omnis humanus sermo silendo, & admirãdo, potiusquam loquendo crescit, pro quibus angeli gratulantur, & decantant; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? Quòd si tunc ad partũ virginis talia cantarũt, credimus, dilectissimi, quòd hodie dignas concelebrant exequias, & suscipiunt eum gloria matrem sui creatoris gaudentes: quam spiritus sanctus adimpleuit, quam sapientia patris, scilicet filius Dei, possedit. Vnde & nos gratias agamus creatori nostro, quia donorum eius priuilegia, nostra sunt munera; Nostráque conspersio, quam fermentum, quod conspersum est in specie, redundauit in genere, donec fermentaretur totum. Et factum est vnum corpus, vnáque conspersio noua, Christus, & ecclesia. Vnde necesse est, charissimi, festiuitas, quæ per fidem flagrat in mente, vt habeatur, & contempletur ab omnibus in specie; sicq́ue in nostris oculis gloriosa: quæ nunc tantum in cordibus resplendet credita. Tunc quippe illa nobis erit festiuitas continua, & sempiterna, quæ nunc est in mente hodierna, & diurna: ita vt sit illa iure, quæ nunc flagrat in fide, anhelat in spe, vt permaneamus; pulsat in charitate, vt ingrediamur ad eam festiuitatem, in qua est beata, & gloriosa Dei genitrix, regina, hodierna die assumpta, per Iesum Christum dominum nostrum, qui cum Deo patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Marginal notes: Luc. 1. — * Fortè, domicilium. — Assumptio B. Mariæ festiuitas est ciuiũ supernorum. — Psal. 84. — Psal. 149. — Cant. 3. — * Fortè, odoramenta. — Isa. 11. — B. Maria forma omnium ecclesiarum. — Ambros. lib. 1. de vir. — Nulla de omnes propagine splẽdidior aut nobilior Dei matre. — Prouerb. 8. — Luc. 2. — Angeli B. Mariæ celebrãt exequias. — Luc. 13.

EIVSDEM DE ASSVMptione B. Mariæ, Serm. 4.

FRatres dilectissimi, cùm aliquid pro amore creatoris, in creatura eius dignis laudibus prædicatur, aut excolitur, ad Dei proculdubio laudé refertur, qui auctor ipsius creaturarum opera inuenitur. Sicuti & in quodam laudabili, ac mirabili artificio, quicquid in eo magis laudibus celebratur, ad laudem artificis iure colligitur. Hinc quoque in propheta scriptum est: Laudate dominum, inquit, in sanctis eius. Vnde in primis, dilectissimi, gratiæ vestræ dignitatem humiliter imploro, vt veniam detis præsumptioni, vel imperfectioni meæ, qui, cùm sim tardus ingenio, indoctus eloquio, tamen ex amore eius, quod in assumptione sanctę Dei genitricis, ac semper virginis Marię matris domini legitur, more infantium balbutientium susurrare conatus sum, qui se sponte ad hoc ingerunt, quod dignè explere nequeunt. Sed ab omnipotente domino non tam effectus, quàm voluntas requiritur, secundum quod scriptum est; Gloria in excelsis
Luc. 2. Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Est igitur sancta, & venerabilis virgo Maria mater domini nostri Iesu Christi, secundum carnem ex semine Abrahæ orta ex tribu Iuda, virga de radice Iesse, clara ex stirpe Dauid, filia Hierusalé, stella maris, ancilla Dei, regina géttum, domina regum, sponsa domini, mater Christi, conditoris téplum,
Cant. 4. Spiritus sancti sacrarium, velut columba speciosa, pulchra vt luna, electa vt sol, signaculum fidei, reparatio Euæ, introitus vitæ, ianua cęli, decus mulierum, caput virginum, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium. Multiplicabitur vt cedrus Libani, florens vt palma,
[illegible] velut oliua fructifera in domo Dei. Virgo sancta, virgo prudens, & vna ex numero prudétium virginum. Virgo pulcherrima, virgo pudica, corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente præclara, amore virginitatis deuota, ad obediendum parata, ministerio sibi credito cauta, in persecutione pacifica, in passione Christi mente compassa est. A prophetis Dei prædicta, à Philosophis sanctis præfata, ab archangelo salutata, à Spiritu sancto fœcundata, atque ab eodem obumbrata, seminis viri ignara, prole filij fœcunda, virgo innupta, ex filio læta, fide concipiens, gaudio pariens, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Quem mundus totus non capit, in suo sacro aluo hæc virgo inclusit: Qui mundum pugillo continet, eum beatissima virgo pannis inuoluit, & qui præsentia maiestatis suæ in cælis angelos pascit, virgo hunc sacra, sacrato vbere matris aluit lacte. Et insuper, ad cuius arbitrium totus orbis terrarum regitur, huius gloriosæ virginis vberibus conditor mundi infans nutritur. Et sub cuius defensione proteguntur regna terrarum, cum ipso virgo Maria fugit in Ægyptum. Et qui totum mundum quasi in statera suspésum tenet, in cruce confixum virgo Maria cernens aspexit. Qui præsentia maiestatis è cælis nũquam defuit: ascendentem etiam in cęlum oculis propriis contemplata esse virgo Maria creditur. O beatissima,
Vigilia [illegible] & sanctissima omnium fœminarum Maria, quàm fœliciter in terra remanes, quæ filium tuum, immo & dominum, redemptorémque nostrum Iesum Christum in cælos præmittis! Immò enim tu multò beatiùs, & fœliciùs cælos penetrans, quia filium tuum in sua gloria sedere ad dexteram patris non ignoras. O beatissima, & gloriosa celebratio noctis huius! in qua virgo venerabilis Maria, cum laudibus cęlestis militię poli aulam cum ineffabili triumpho excipitur; ex cuius carne dominus Iesus verbũ caro efficitur: quã ad immortalitatis gloriam transmutatam, ac super angelos eleuatam nullus fidelium ambigit. O dilectissimi, si permitteretur scire nobis, quod tamé, quia nec mens humana corde concipit, nec ore promit, quantus famulatus animarum sanctarum, quę reuerentia gaudens sanctorum angelorum spirituum in aduentum animæ beatæ Mariæ supernis sedibus impenditur, atque excolitur, cuius filium dominum nostrum Iesum Christum super se eleuatum, gaudentes cernunt, cernentes inhærent, inhærendo immortali immortaliter viuunt. Agitè ergo nunc gaudentes, quod agitis, celebrate solenniter, quod celebratis, & à cordibus vestris pigritiam mali corporis excludite. Quo excluso, animos vestros flamma sancti amoris accendite, voci cantilenæ sensum accommodate, sapienter psallite. Et inter hæc, vt inserat precibus vestris apud intercessionem beatæ Mariæ, quam summo Inuocatio B. Mariæ.
cordis desiderio amantes colitis, veniam mihi, obsecro, impetretis. Et quia illa mater meruit effici creatoris nostri, nos mereamur habere illam apud filium suum, immo & dominum suum, redemptoremque nostrum interuenientem, & in omnibus auxiliatricem. Et, quia illa meruit virtute altissimi obumbrari: nos mereamur eius precibus adiuuari, ipso adiuuante, qui viuit, & regnat Deus, in vnitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM assumpt. B. Mariæ, Serm. 5.

I*Ntrauit Iesus in quoddam castellum, &c.* Congruè satis, & conuenienter videtur à patribus fuisse sancitum, vt in memoria Dei genitricis recitetur Euangelica lectio, quæ narrat illas duas mente, & carne sorores, dominum Iesum excepisse hospitio. Cui enim illa venienti in mũdum, templum præparauit in virtute sacratum, & perpetuæ virginitati dedicatum: huic istæ, vt euangelium loquitur, temporalis habitationis præparauerũt hospitium, & piæ humanitatis, ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita, & actus, ita fuerunt mirabiles, & fidelium recordatione celebres: vt duarum vitarum figuram, eas tectè tenere asserant diuinarum literarum Catholici, & doctissimi viri. Martha igitur, quæ curam domus gerebat, & tanto, talique hospiti ea, quæ necessaria erant, præparabat, actiuæ vitæ figuram, vt diximus præferebat. Per Mariam verò, quæ ad pedes Domini sedens, instantissimè sermonis eius audiebat colloquia, vita perspicuè præmonstratur contemplatiua. Eia, fratres charissimi, videamus, si domina nostra, imo domini nostri, & Dei genitrix, & semper virgo Maria, vtramque vitam ad plenum exercuit, actiuam laudabilem, quam opere Martha excoluit, & contemplatiuam optimam, quam Maria audiendo, & eligendo obtinuit. Sanè, sicut dilectum domini

Ioannem, Theologum de humanis, & corporalibus actibus domini Iesu pauca dixisse; & multa de naturæ diuinitatis eius, potentia, & maiestate dixisse, & scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis eius, cognoscimus: ita Domini genitricem non adeo fuisse credimus intentam actiuæ conuersationi, quoniam se totam contulit diuinæ speculationi. Non enim ad actiuam, vltra quàm matrem Domini decuit, se contraxit: sed toto mentis affectu, & desiderio ad vitam se contemplatiuam erexit. Et ne ex toto esset vitæ exors actiuæ; postquam electa est à Domino, salutata ab angelo, obumbrata à Spiritu sancto, fœcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter deuium & abrupta montium, veniens vt deferret amica actualis vitæ laboriosum officium; Zachariæ vatis ingreditur domum, Elizabeth salutans, cognouit in spiritu, in sinum eius nobile pignus depositum: & in iis paucis, vt diximus, Marthæ compleuit actum. Si Martha fœlix, quæ actiuæ vitæ præferebat figuram, quanto magis istæ sanctissimæ, de quibus loquimur, personę extiterunt fœlices, quæ tantorum gaudiorum, & munerum meruerunt fieri compotes? Quę maior potest esse fęlicitas, quàm in matre Domini, &, vt ita dicam, in aula regali, in aula virginali, fęcunditas regnet, & virginitas? quàm cùm infœcunda, & vetusta generat, & parit sterilitas, & cùm ætas senectutis, & antiquitatis nomen promeruit nouæ paternitatis? Et, vt beatus Hieronymus iocũdo sermone prosequitur, Ioannes etiam ad introitum Mariæ exultauit, & lusit, & per os virginis audiebat verba Domini, & de vtero matris gestiebat in occursum eius erumpere. Quomodo, quantum, & qualiter, officiis, & obsequiis speculatiuæ vitæ, cum altera Maria se subdidit, Gabrielis archãgeli profiteatur assertio; sermonis Euangelici prosequatur oratio: quia ad hæc narranda nostræ paruitatis deficit sermo. Vnum profecto scimus: quia omnis eius vita, & actio intenta fuit sermoni dominico. Et, sicut de altera Maria dictum est; ista optimam partem elegit, quæ prima omnium fœminarum, Deo virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, vt Dei filius, angelo nunciante, ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. Diximus enim eam semper intentam fuisse speculationi diuinæ, sed oportet nos hoc ipsum Catholicis verbis astruere. Vt enim humano vsu loquamur, vbi erat corpore, quando angelus à Deo mittebatur ad eam? Vtique in domo parentum. Vbi spiritu? Verùm, vt diximus, in illo diuinæ speculationis intuitu. Quid agebat? Sine pręiudicio alicuius irreprehensibiliter viuens, vt suæ professionis propriũ erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? Canticum, quod cecinit tympanisans, & exclamans. Quid legebat? Forsitan occurrebant ei diuinæ scripturæ testimonia, ad illud ineffabile sacramentum, quod in ea gerebatur, sine dubio pertinentia. Nónne in pignore, quod gerebat, illud impleri posse credebat Mosaycum; Prophetam, inquit, suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis? Et multas alias in aperto cernebat Prophetarum sententias, per quas tanti sacramenti, atque mysterij præmonstrabatur, & ad liquidum declarabatur veritas. Nónne ad hoc pertinere videbatur illud Iacobi Patriarchæ testimonium dicentis; Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fęmore eius, donec veniat, qui mittendus; & ipse erit expectatio Gentium? Quid manifestius, quàm quod ille fatebatur Balaam ariolus, & falsiloquus, Dei nutu veridicus? Orietur, inquit, stella ex Iacob, & exurget homo de Israel. Sciebat enim Dei genitrix in arcem diuinæ cõtemplationis assumpta, Dauidicis edocta testimoniis, processurum de se dominum tanquam de thalamo suo sponsum: & ipsum speciosum, vt idem Propheta pręcinit, præ filiis hominum. Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam Prophetam recolebat dixisse: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Quid apertius? quid iocundius? Et virginem parituram, & virgam de radice Iesse processuram, nobilissimus Prophetarum pronunciat. Placuit igitur inserere huic nostrę declamatiunculæ sententiam Psalmi octogesimisexti, quem ad memoriam Dei genitricis, & mysterium dominicæ incarnationis, & natiuitatis, Beatus Ambrosius vir per cuncta laudabilis, & verus assertor fidei Catholicæ, adeo festiuè voluit exponere. Et idcirco, vt dixi, sententiam tanti pontificis paupereulo nostro operi apponere volui, vt, quod dignè non potuit prosequi ingenioli nostri paupertas; sententiæ tanti pontificis nobilitet, & commendet authoritas. Ait enim secundum antiquam interpretationem iam dictus doctissimus Doctor. Mater Sion, dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Matrem autem secundum diuinitatem habere non potuit: quia author est matris. Ille homo factus est, non diuina generatione, sed humana: quíque homo factus est, Deus homo natus est. Sed & alibi habes. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. In puero enim nomen ætatis: in filio est plenitudo diuinitatis. Factus est ex matre, natus est ex patre: Idem tamen & natus, & datus, non diuisum, sed vnum putes. Vnus enim Dei filius, & natus ex patre, & ortus ex virgine, distanti ordine, sed in vno concurrente nomine, sicut & pręsens lectio docet: quia homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Homo vtique corpore, altissimus potestate. Etsi Deus, & homo diuersitate naturæ, idem tamen, non alter in vtroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud nobiscum commune, sed in vtroque vnus, & in vtroque perfectus. Non igitur mirandum est: quia & dominum eum, & Christum fecit Deus. Fecit ergo Iesum eum vtique, qui ex corpore nomen accepit: fecit enim de quo etiã Patriarcha Dauid scribit; mater Sion, dicet homo, & homo factus est in ea. Quasi homo ergo factus dissimilis, vtique non diuinitate, sed corpore: nec discretus à patre, sed exceptus in munere. Huius muneris gratiam, angelo nunciante, virgo Maria, dominum concipiendo, promeruit, pariendo obtinuit, & post partum virgo perpetua permanẽs incorrupta possedit. Eiusdem gratiæ muneribus conferta, vt fas est credere, omne tempus dominicæ infantiæ, pueritiæ, & adolescentiæ cum ipso peregit: & obsequium maternæ dilectionis, & dulcedinis, vt vera mater, humanitatis suę filio ministrauit. Quæ fuerunt inter se illorum colloquia, quàm dulcia, quàm amabilia, quando in matre fulgebat virginitas, & lætabatur fœcunditas? in filio apparebat humanitas, & latebat diuinitas? Quantum, vel quale illud

Luc.1. — Luc.10. — B. Maria prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit. — Deut.18. — Gen.49. — Num.24. — Psalm.18. & 44. — Isa.7. & 11. — Ambr. Oratione funebri de excessu fratris sui Satyri. — Isa.9. — Psal.86.

illud erat deificum, ac virginale consortium, non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde, idem ipse, qui erat vnigenitus virginis matris, cùm voluit apparere vnicus Dei patris, tempore sui baptismatis hoc ipsum ostendit maiestas Trinitatis: cùm pater auditur in voce, filius videtur in homine, Spiritus sanctus in specie dignatus est apparere columbæ. Est enim huius rei magnitudinis testis magnus præ cæteris homo nomine Ioannes à Deo missus. Iste verò tantus homo, qui hactenus erat dominicæ incarnationis, & natiuitatis arcanorum mirabiliter conscius cum sanctis, factus est minister mirabilis mysterij huius. Nos ergo, fratres, vt corde credamus, & ore confiteamur, tres denominatas, & discretas personas Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnius esse diuinitatis, æternitatis, vniuersitatis, & gloriæ: admoneât nos, & doceant veritatis veracissima verba Prophetarum, & Apostolorum, & Euangelistarum veridica testimonia. Et vt in tribus personis summa, simplex, æterna, & incomprehensibilis credatur, confiteatur, & adoretur Trinitas, iuuret nos Sanctarum Scripturarum sinceritas, & Catholicorum patrum, eorum videlicet fidelis authoritas nos doceat, in quorum itellectu, & scriptis, fidei pietas, & veritas non vacillat. Mysterio itaque baptismatis peracto, ac præsentia totius Trinitatis consecrato, Iesus non alieno, sed suo spiritu, & propria volûtate desertum petiit, vbi ad tentandum eum malignus spiritus inuenit: qui ipsius virtute superatus, angelis ministrantibus, recessit ab eo confusus. Postea à beato Ioanne inuenitur, & ob incomparabilem innocentiam ab eo agnus mundi, peccata tollens appellatur. Et, ne lumen diuinitus accensum sub modio poneretur, exiuit ad publicum: & quia totum inuenit mundum criminibus, & peccatis obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium, in suo aduentu appropinquare dixit regnum cœlorum. Et, vt illud Isaiæ impleretur vaticinium, Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Deinde, ipso diuinitatis suæ lumine præeunte, ex diuersis huius vitæ conuersationibus, & officijs, vt Euangelia loquuntur, discipulos vocauit, & ex illis duodecim elegit, quos Apostolos vocauit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum semper conuentui, nobili contubernio, semper adhærebat sanctissima virgo: cum illis semper habitabat, seséque dominicis conspectibus frequenter præsentari gaudebat. Eam vero optimam partem, quam soror Marthæ Maria in specie, & figura gerebat, Dei genitrix iure vera firmissime retinebat, & cum Apostolis de humanis Christi actibus, vt veriùs, ac specialiùs cognoscebat, veriùs, ac specialiter conferebat: vt ab ea discerent, qualiter arcanum tâti mysterij & ipsi crederêt, & lucidius alus enarrarêt, &, cùm opportunû fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Ipsa vero, vt sanctus euangelista Ioannes refert, Domini miraculis nonnunquam interfuit: in iis, & in cæteris diuinitatis eius operibus, & virtutibus, vltra quam dici potest, gloriabatur. Et, si Maria quondam peccatrix, cui donando peccata, erat propitius, intente audiebat verba ex ore eius: quanto magis hæc, quæ erat mente ac corpore sancta, audiebat ardentiùs, cuius idem ipse & Dominus erat, & filius? Cæterum, vt Simeonis iusti prophetia impleretur dicentis, Tuam ipsius animam pertransibit gladius, tempore dominicæ passionis cum dilecto discipulo ante crucem stabat, &, vt verbis dulcissimis vtar Ambrosij, piis oculis expectabat, nô pignoris mortem, sed mundi salutem, vbi audire meruit; Ecce filius tuus. Et dilecto discipulo de ea dictum; Ecce mater tua. Circa sepulturam vero dominicâ, multo magis quàm mulieres illas sanctas, quidam dicunt, fuisse sollicitam, quorum opinionem, nisi fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius poëta euangelicus, orator facundus, scriptor catholicus. Si enim scire volumus, quid Dei genitrix post resurrectionem Domini, antequam ipse cælos ascenderet, agebat, sine dubio loca dominicæ natiuitatis, passionis, sepulturæ, & resurrectionis frequenter circumiens inuisere cupiebat. In eisdem etiam locis lachrymas fundebat, & sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium apostolicum videlicet contubernium: post intuitum dominicorum locorum, cum gaudio remeabat. Credimus eam interfuisse gaudijs dominicæ ascensionis, & in die sanctu Pentecostes, cum sanctis Apostolis percepisse gratiam Spiritus sancti, quem constat eam plenissime habere, ab ipsa côceptione Christi. Si quis vero adhuc studio pietatis, vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post ascêsionem Domini egerit, quàm sancte, & iuste vixerit, & cum quibus habitauerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli archangelo, cui eius tota causa commissa esse prædicatur à Domino; & angelis sibi conlætantibus, secúmque loquentibus; Ioâni etiam dilecto domini discipulo, qui ab ipsa cruce eam suscepit in sua sollicitudine, & cura; videlicet, vt virgo virgini deseruiret, & domini nostri rependeret seruitutis, & dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris sua dilectione fecerat dignum. Beatissimo etenim Petro Apostolorum principi, cæterisque Apostolis, non incognita fuit eius purissima vita, & actio; sancta quoque, & admirabilis, & prædicabilis conuersatio: quippe quia cum eis semper fuit, ab ipsorum conuersionis initio, vsque ad illum diem, in quo vnigenitus Dei filius homo ex ea vera fide genitus, à laboribus huius vitæ, illam voluit eripere; & ad gloriam sibi à seculis præparatam, vt creditur, & prędicatur, super choros angelorum dignatus est eleuare. Huius diei lętitiam hodie totus mundus concelebrat: Hodie namque ob venerationem assumptionis Dei genitricis, angeli lętantur, virgines gratulantur, patriarchæ, & prophetę Deo laudes referunt; quia pręsagia, & vaticinia sua per eandem Dei genitricem completa esse cognoscût. Apostoli, & Euangelistæ tripudiant, cùm in carne Deum venisse, & de virgine natum vera fide scriptis suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie matres, genitrici Dei sui solennia dignis laudibus celebrantes. Gaudent summi pontifices, confessores, & doctores catholici, dum per eorum doctrinam fideles Dei credunt, & colunt Dei filium suscepisse, quod non erat, & non amisisse, quod erat. Et genitricem Dei prædicant virginem peperisse, & post partum virginem extitisse. Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli pręsumptione: dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna iubilatione lętatur, & gaudet: tartarus tantummodo vlulat, fremit & submurmurat: quoniam gaudium,

Matth. 3. Luc. 3.

Patrum authoritati obediendum.

Matth. 4.

Ioan. 1.

Luc. 11. Mar. 4.

Matth. 3. Isa. 9.

Luc. 6.

Ioan. 2. Luc. 7. Maria soror Lazari erat mulier illa in ciuitate peccatrix licet aliqui contrariū sentiant.

Ioan. 19.

Lib. 10. in Luc. c. 33.

Loca redemptionis nostræ B. Maria inuisebat.

Ioan. 19.

Assumptionē B. Mariæ vniuersi ordines sanctorum celebrant.

dium, & letitia huius diei claustris infernalibus inclusis, aliquod remedium, & refrigerium præstat. *Prudenter lege, nihil enim asserimas.* Non audent, vt opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captiuos: quos reculunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de virgine. De cuius virginis meritis, & gloriosissima hodierna eius assumptione diuinę legis interpres, sanctus videlicet Hieronymus, & alij egregij doctores, tanta, ac talia potuerunt, & noluerunt dicere, quibus nos nec audemus aliquid, nec debemus adjicere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriā solennitatis hodiernę, sermonem, quem supradictus pater Hieronymus edidit ad sanctam Paulam, & ad Eustochium *Hieronymus author Ser. de assumpt. ad Paulam.* filiam eius virginem, & ad cęteras virgines, non solum pręsentes, sed etiam ad superuenturas transmisit, legat. In eodem vero sermone non solum possunt addiscere virgines fœminę, sed etiam masculi, quomodo debeant virginum virgini, virginaliter, ac viriliter militare. Hodie, reuerendissimi patres, & charissimi fratres, domini, & seniores, matres, & sorores, celebremus deuotissimè beatæ Dei genitricis, & semper virginis Mariæ celeberrimum festum, *Inuocatio B. Mariæ virginis.* vt per eius singulare meritum, & orationes omnium sanctorum, sanctorúmque virginum, pium mereamur habere, atque propitium virginis filium, & virginum sponsum, Dominum nostrum Iesum Christum: qui viuit, & regnat cum Deo patre, & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE ASSVMptione Beatæ Mariæ, Serm. 6.

HOdie, fratres, charissimi, gloriosa, & perpetua virgo Maria, cælos ascendit: hodie de terris, & de præsenti seculo nequam erepta, secura de immarcessibili gloria ad cœli peruenit palatia. Hac, inquam, die meruit exaltari super choros angelorum: quoniam, vt credimus, in dextera patris sublimata in cęlis, regni solio, post Christum gloriosa residet: quę merito domini templum, Spiritus sancti sacrariū & appellatur, & creditur. Hęc est illa virgo gloriosa, cuius ineffabile meritum longe ante & figuris legalibus, & prophetarum oraculis prænuntiabatur. Nam quid aliud præfigurabat virga illa Aaron, quæ in tabernaculo domini posita, tertia die inuenta est germinasse? Iamque dilatatis folijs erumperant flores, qui, turgentibus gemmis, in amygdalas deformati sunt. Virga
Num. 17. ista sacra est virgo Maria, quæ neque sata, neque radicata, siue vllo cultore, tertio die, hoc est, tertio seculi tempore, sancto spiritu est fœcundata, nobisque Deum genuit, & hominem Christum: cuius vtraque substantia, bene per amygdalam est figurata. Amygdala namque, ex carne, osse, & nucleo constat. Sic Deus, & homo in vna persona est Iesus Christus. Et in amygdala quidē, caro exterior amarissima est: nucleus vero interior vescentes grata dulcedine reficit. Sic & Christus per humanitatem passionis amaritudinem sensit: per di-
Isa. 11. uinitatem impassibilis mansit. De hac virga Isaias propheta prædixerat. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virgo nāque Maria, cuius hodie ad cęlos ascensionē colimus, de de stirpe Dauid regis, qui filius fuit Iesse, nobilissima prosapia, & regali stēmate exorta processit, & flos de radice eius ascendit, quia verus ille Nazareus, & flos mūditię Christus, per eā, ex ea incarnatus, in mundum venit. Hic est ille flos sacerrimus, qui de seipso in epithalamium Ecclesiæ loquitur: Ego flos campi, & lilium conuallium. *Cant. 2.* Flos enim campi, qui nō aratus, nec seritus fuit, quia de virgine sine virili ministerio natus apparuit. Lilium autem conuallium extitit, quia ad insinuandum humilitatis exemplum, pauperes parētes, de quibus nasceretur, elegit: dignatus pro nobis ipse pauper fieri, vt nos sua potestate diuitiarum, & diuinitatis suæ donaret esse participes. Beatus quoque Ezechiel propheta huius sacræ virginis se conscium fuisse prophetico spiritu testatur dicens. Vidi portam in domo domini clausam: & *Ezech. 44.* dixit ad me angelus. Porta hæc, quam vides, non aperietur. Princeps in ea sedebit: vt comedat panem coram domino. Porta namque in domo domini clausa, virgo est Maria semper intacta. Vir non transiet per eam, quia Ioseph non cognouit eam. Clausa fuit in æternum: quia Maria virgo est ante partum, virgo in partu, & virgo post partum. Princeps in ea sedit, vt comederet panem coram domino: quia Dei filius in vtero illius nouē mensium spatio moratus est: indéque egressus, & tanquam sponsus de thalamo suo, vt comederet panē coram domino, iuxta quod ipse dixit. Meus cibus *Ioan. 4.* est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, patris. Tot igitur, & tantis hęc sancta virgo, & mater domini prophetarum prænunciata vaticiniis, hodie ad cælos assumpta est, meritorum fructus, & laborum præmia perceptura. Ascendens namque Dei filius in cælum, matrem castissimam ad tempus ad hoc dimisit in terris, vt ei locum immortalitatis in æthereis mansionibus præpararet: vt cum eo in perpetuum regnaret. Et hæc est præsentis diei solennitas, in qua gloriosa, & fœlix ad cælestem assumpta est thalamum. Quæ profectò eius festiuitas tantò excellentior est omnium sanctorum festiuitatibus, & incomparabiliter admiranda, quantò & ipsa Dei genitrix cæteris sanctis incomparabilis, magisque habetur mirabilis. Vnde & ea persona supernorū ciuium in eius ascensione admirans, Spiritus sanctus ait in Canticis *Cant. 3.* canticorum. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi? De deserto enim præsentis seculi, hęc virgo hodie ascendit, atque ideo mirabantur animæ electorum, quænam hæc esset, quæ virtutibus meritorum etiam dignitatem superuinceret angelorum. Quasi virgula autem fumi ex aromatibus ascendit, quia delicata, & diutinis extenuata disciplinis, multis virtutum erat repleta odoribus, per quas quotidie se in holocaustum domino concremabat incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Nec diu hæc sancta sacratissima virgo post Domini ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cælum etiam & ipsum de eius ascensione querebatur: atque ideo Spiritus sanctus inuitabat dicens. *Cant. 2.* Veni, columba mea, immaculata mea, iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. Quódque ardentissimè vellet assumere, ostendit crebra ingeminatione inquiens. Veni de Libano, sponsa *Cant. 4.* mea: veni de Libano, veni. Et pulchrè de Libano venire iubetur, hoc est, de candidatione. Libanus enim cādidatio interpretatur. Et hæc virgo sancta candidata erat virtutibus, & dealbata Spiritus sancti muneribus, columbæ, & lacteam seruans

simpli

simplicitatem, & virginitatis immaculatam eandorem; atque ideo sola digna fuit, per quam, & ex
Luc.1. qua Dei filius ad reconciliationem humani generis veniens, carnem assumeret. Vnde & ei soli angelica illa salutatio conueniens fuit, Aue, Maria, gratia plena. Cæteris enim electis ex parte gratia datur, huic vero virgini tota se infudit plenitudo gratiæ. Quod considerans propheta Da-
Psal.71. nid, ait; Descendet sicut pluuia in vellus. Vellus enim virginitatem præsignat. Sicut enim vellus cùm sit de corpore, corporis non sentiacet passioni: ita virginitas cū sit in carne, vitia carnis ignorat. Descendit ergo sicut pluuia in vellus, quia cælestis imber, hoc est, vnda diuinitatis, virgineo vel-
Ioan.1. leri placido se infudit illapsu, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nec sanè illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissimè amplectuntur, eam hodierno die à
Non certa filio suo domino Iesu Christo, ad cæli corporaliter subleuatam palatia. Quod licet pium sit credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere. Verum enim hoc sit, necne, nos tamen credere conuenit, eam filio suo in cælestibus conregnare, nósque post Deum in omni veritate confirmare, meritis, & precibus præmunire. Si autem vultis scire, quid post domini ascensionem egerit, hoc vnum certum est, quia virgo sancta corpore, & mente permansit, conuersata cum Apostolis, donec ipsi per diuersas regiones prædicaturi sunt missi. Et, licet omnes Apostoli eam venerarentur, eique officio dilectionis famularentur, plus tamen, & specialiùs cæteris Ioannes, vsque ad finem vitæ dilexit, & coluit, quique sibi commissam virginem virgini accepit in suam: & sic ei quasi filius matri, astitit, & obsecutus est, recordans illud, quod à benigno magistro in cruce audierat. Mulier, ecce filius tuus.
Ioan.19. Huius igitur sacrosanctæ virginis, & matris Domini hodiernam festiuitatem spirituali lætitia celebremus: quę, sicut euangelium loquitur, optimam partem elegit, quę nō auferetur ab ea. Quod quamuis historialiter de illa Maria sorore Lazari
Luc.10. ardentissima dilectrice Christi, dictum intelligitur, specialiter tamen beatę Dei genitrici conuenire creditur. Quę optimam partem elegit; quia ei singulariter datum est, matrem esse, & sigillum castitatis non perdere: Prolem suscipere, & incorrupta virginitate gaudere. Nā, cùm sint in ecclesia tres ordines fidelium, coniugatorum videlicet, continentium, atque virginum hæc sola superexcellenti, & incommutabili dono mater potuit esse virgo, seruare pudorem, & intactis suis visceribus edere Deum, & hominem: vnde meritò eam Dei confitemur genitricem. Iam ergo ad eam, de qua loquimur, preces, & vota vertamus, opem intercessionis eius poscamus singuli, poscamus omnes.
Inuocatio B. Mariæ. Oremus, vt sit protectrix in prosperis, summoueat noxia, suggerat profutura, admittat preces supplicantium intra sacrarium diuinitatis: nobisque impetret consortium suæ beatitudinis, fauente, & adiuuante Domino nostro filio eius Iesu Christo: cui est cum Deo patre imperium, & immortalitas, per infinita secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE ASSVMPT. *B. Mariæ virginis, Sermo 7.*

Celebritas hodierni diei nos admonet, vt in laude virginis Mariæ immorari debeamus, quia reuera indignum est, vt in die tantæ Dei genitricis, laudes domini nostri sileat lingua carnis. In hac siquidem die competéter beata virgo Maria sponso illi cælesti liberè proclamat: Tenuisti Psal.72. manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. Hodie inquam & ipsa congruè ab sponso audit. Veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hyems trāsijt, pluuia abijt. Ipsáque iam beata respondit. Flores visi sunt in terra nostra, Cant.2. tempus sectionis aduenit. Anima mea exultabit Psal.34. in domino, & delectabitur super salutari suo. Et in domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Et, Credo videre bona domini Psal.33. in terra viuentium. Videamus itaque, fratres, quæ sit hæc virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quæ tam speciosa, quam Psal.26. Deus elegit sponsam: quæ tam casta, vt possit esse virgo post partū. Hæc est, inquam, Dei templum, Luc.1. fons ille signatus, & porta Dei clausa. In eam itaque sanctus descēdit spiritus: hanc virtus obumbrauit altissimi, & ex ea potēs virtutum Christus egreditur. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, virgo castitate: hæc concepit virgo, non ex viro, sed de Spiritu sancto. Hęc peperit, non dolore, sed gaudio: hęc nutriuit angelorū, & hominū cibum. Fœlix certè, & omni laude dignissima: quę sine humano semine cęlestem seculo protulit panem, & mūdi genuit saluatorem. O fidei pactum! O fidei secretū! Promittit angelus virgini filium nasciturum: virgo gaudet, cupitque effici mater. Vnde magnum, & salutare mysteriū, quę sic peperit, vt mater, & virgo possit dici. Lacta, Maria, creatorem tuum, lacta panem cęli, lacta præmium mundi. Præbe lambenti mammillam, vt ille pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi vt mater, temporalem ministra substantiam. Lacta ergo eum, qui fecit te, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te. Lacta eum, qui fructum fœcunditatis tibi dedit conceptus: & decus virginitatis non abstulit natus. Videte, fratres, quàm dignè domino consecrata virginitas famulatur: quàm sic amare dignatur, vt vna, eadémque fœmina & virgo dici possit, & mater. Quàm præferenda gratia, & cunctis seculis prædicanda, quæ sola & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit. Electa est, quæ authorem suum ederet. Denique viro inexperta, se parituram obstupuit, quæ thalamum ignorauit. O quàm beata mater ista, quæ sine contaminatione concepit, & sine dolore peperit medicinam! Fœlix, inquam, mater, per quam generis nostri vita est reparata, quæ de cælo suscepit prolem, & mundi genuit saluatorem. Hæc enim mirabili, & ineffabili modo omniū rerum, & suum peperit saluatorem. Electa quippe est virgo integra, cui fœcunditas matris daretur: & facta est fœcunda mater, in qua virginis integritas seruaretur. Si enim cogitemus virginem, quæ sine concupiscentia carnis concepit carnem, & sine viro concepit virum: & si voluerimus quærere rationem, in ipsa nostra inquisitione succumbimus:

Esa. 53. cum scriptum sit, Generationem eius quis enarrabit? Nam & ipsa beata Maria, cuius hodie natalitia celebramus, quem credendo peperit, credendo conceperat. Denique cum dominicum illi partum angelus nunciasset, at illa quippe castitatis conscia, diuinæ dispensationis gratia angelo respondisse fertur. *Natalitia capiuntur pro die dormitionis, natalem, martyrum.* *Luc. 1.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Angelus ei placido vultu respondit. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus [illegible] obumbrabit tibi. Non expauescas partum, [illegible] nec metuas: neque multum sis inexperta formidine. Tantum crede, & concepisti; ama, & peperisti. Spiritus enim sanctus superueniet in te: proinde non est, quòd metuas: & virtus altissimi obumbrabit tibi, nec est, quòd gaudeas. Tunc enim sequeretur dolor partum, si præcederet libidinis conceptum: nunc verò Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, refrigerabit tibi te, sub sua vmbra Spiritus idē sanctus ne in furore concupiscentiæ terrearis. Ideòque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. His Maria auditis, iam fidei semine grauida, priùs & Christum mente, quàm ventre concipiens, respondit angelo; Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Ibidem.* Nec mora, vt assensus virginis panditur, sponsus immaculatum corpus ingreditur: &, qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Nam audite, fratres, quomodo porta, per quam ingressus est dominus semper fuit clausa: quam Ezechiel Propheta in visione diuina respexit. *Ezech. 44.* Conuerti me, inquit, ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem: & hęc erat clausa. Et dixit dominus ad me. Porta hæc, quam vides, clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam: quia Dominus Deus Israël ingredietur, & egredietur per eam, & semper erit clausa. Quæ * vbi euidenter ostendit nobis, quia sancta Maria semper virgo fuit, virgo permansit; ** forte, verba Hieronymi.* Virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum. Concepit, & virgo est: generat, & virgo est: lactat, & virgo est. Mater quippe esse potuit beata Maria, mulier esse potuit. Magnum mysterium! magnum donum! magna gratia! Ancilla peperit dominum, creatura peperit creatorem. Visceribus fœcundis, & genitalibus integris virgo mater, Dominum effudit in terris. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo grauida, virgo fœcunda, virgo perpetua. Quid miraris, ô homo? Deum sic nasci oportuit, quando dignatus est esse homo. *Inuocatio B. Mariæ.* Interea toto affectu ad auxiliū beatæ virginis nos conferamus, nos vnanimes eius omni nisu patrocinia imploremus: Et, dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis apud dominum Deum nostrum: qui in Trinitate viuit, & regnat Deus, per infinita secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM *assumptione Beatæ Mariæ,* *Sermo 8.*

SCientes, fratres dilectissimi, authori nostro vel multum nos debere conditos, plus redemptos, redemptionis nostræ commercium veneremur: & illum sacratissimum vterum, ex quo homini Deus vnitus apparuit, & si non honorificamus meritis, saltem celebremus obsequiis. Erroris nostri tenebras, partum eius fulgore tersperſas, quiá quod protoplastorum negligentia primæ matris cōtumax tam arrogantia, quam gula perdiderat, huius sacræ virginis partus non solum restaurauit diruta, sed etiam tribuit sempiterna. Et idcirco cunctis præconiis veneremur auctricem, quæ, dum authorem suum concepit, excelsum nobis redemptorem ostendit in seculo. Et, quia ad vicem matris eius, matris nostræ ecclesiæ forma constituitur, ipsa eam inter procellas seculi frementes aspiciat, ipsa inter cursus mundiales continua oratione confoueat. Neque enim dubium, illa, quæ meruit pro liberandis dare precium, possit liberatis impartiri suffragium. Nostra inter hæc oratio iugis ad Deum dirigatur, vt, qui pro honore nominis sui viscera illa, quæ sanctificauit, intrauit, nos sedulitate debita veneramur: *Viscera beatæ Mariæ sancta beata.* profit vobis ad remedium, quod per eam se nobis dedit in precium. Merito beata Maria a nobis præconio attollitur, quæ singulare commercium mundo prębuit. Merito inter fœminas tunc etiam lętabatur, cùm singularem medicinam pudico aluo gestabat. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non perdiderat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla nouerat viri contagia. O benè fœcunda virginitas, quæ nouo, inauditóque genere, & mater dici possit, & virgo. Peperit eum, à quo cœpit: portauit, à quo creata extitit. Siquidem ipse est author Mariæ, qui est ortus ex Maria. Sic inenarrabili modo beata Maria, & mater, & virgo est, dum fructus peregrinationis extitit, & integritatis dispendiū non incurrit. Apud quā ita cælestis prouidentia negotij ipsius conditionem disposuit: vt magis obedientiam exhiberet in mandato, cùm honorificentiam agnosceret ex angelo. Neque enim fidem detogat nuncij, quæ dignitatem intelligit, nunciante sibi angelo, & dicente. Spiritus enim sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideòque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei. Credidit admonita, quod audiuit: meruit sanctificata, quod credidit. *Luc. 1.* Deinque tantum te ad cæli fastigium subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum, id est, Dei filium de summa arce susciperet. Cúmque tempore mysticum diuinitatis arcanum carnis nostræ, fragilitatémque commisisset, latuit in homine diuinitas, vt diuinitati humanitas non periret: & sub velamento assumptæ carnis absconditus, preciosius redemit perditos, quàm si defendisset ab imminente hoste captiuos. Immensa pietas, & supra quam fari possit, prædicanda maiestas, viscera puellæ aula sancti Spiritus replebātur, innupta virginis vulua Verbi semine crescente tegebantur. Replebantur inquam arcana viscerum, sacri spiritus fœcunditate repleta: & erat spes in partu, quia non erat voluptas in coitu. Stupebat speciosissima genitrix, & apud se tacita, rerum nouitate obstupescebat mirabiliter. Sciens enim suam integritatem, mirabatur ventris vbertatem. O fœlix Maria! O genitrix gloriosa! O puerpera sublimis, cuius visceribus authot cæli, terræque committitur! O fœlicia oscula labiis impressa lactātis, cùm inter crebra indicia reptantis infantiæ, vt poté verus ex te filius tibi matri adluderet, cùm ex patre dominus imperaret. Nam authorem tuū ipsa

conci

concipiens edidisti in tempore puberem, quem habueras ante tempora conditorem. O fœlix puerperium, delectabile angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis, qui post multas assumptę carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, patibulo affixus: vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstrauit. Tu verò, beata, gloriosaque Maria, inter ista, & propter ista laudabilis: quæ sic fœcunditatis meruisti donum, virginitatis quod non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres, tu præclara cunctis virginum cateruis, tu sequeris agnum, quocunque perrexerit. Tu virgineos choros, & ab incentiuis carnis illecebris alienos, per albētia lilia rosasque vernantes, ad fontem * per huius vitæ potandos inuitas: Tu in illarum beatarum virtutum fœlicissima regione, primi ordinis dignitatem adempta plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatis gramineos choros tenero poplite pergens, fœlicique palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinentibus sine fine coniuncta choris, angelis, archangelisque sociata: indefessa voce, Sanctus, clamitare non desinis. Sed quid dicam, pauper ingenio, cùm, de te quicquid dixero, minùs profectò est, quàm dignitas tua meretur. Si matrem gētium te vocem, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutricem cælestis panis te vocitem, lactis dulcedine reples. Lacta ergo mater cibum nostrum: lacta panem cælestem: lacta cibum angelorum: lacta eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te: qui tibi munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui, priusquam nasceretur, te matrem creauit, ex qua nasceretur: vt illinc procederet tanquam sponsus de thalamo suo, qui mortalibus oculis posset videri. Quanta fuit hæc dignatio, vt crearetur ex te, quam creauit; portaretur manibus, quas formauit; sugeret tua vbera, quæ ipse impleuit? Quas itaque laudes charitati Dei dicamus? quas gratias ei agamus? qui nos ita dilexit, vt propter nos homo fieret, vt * veterem nostræ conditionis initiaret: vt contumelias nati infantis subiret, atque cuncta humanitatis necessaria sustineret. Agēres ergo, quantū sufficimus, creatori nostro gratias, natalē preciosissimæ illius genitricis cum gaudio celebremus. Dignum namque est, cum summa ei gratulatione famulari, per quā virginitatis insignia pullularunt. Siquidem ipsa virgo extitit ante coniugium, virgo in coniugio, virgo prægnans, virgo pariēs, virgo lactans. Et data marito, & mater non de marito. Sanctæ quippe matris omnipotens filius, nullo modo natus, virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum: nihil ex eo, quod nouerat, putent exterminatum: quia mansit virgo post partum. Exultent viduæ, natalem virginis celebrantes, Anna vidua, virginem matrem agnouit: exultent coniugatæ solennia beatæ matris frequentantes, Elizabeth coniugata virginem matrem Domini est salutata: exultent pueri, continentiam vouentes puero: ipse verò integritatem continentiæ pueritiæ consecrauit, qui suæ matri fœcunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Ipsi honor, gloria, & potestas, per immortalia secula seculorum, Amen.

** forte, perennes.*

Vide August. Serm. 2. de assumpt.

Psal. 18.

** forte, veterem intraret.*

Natalis festum præcedenti pro dormitione accipitur.

Continentia votum.

EIVSDEM DE ASSVMptione B. Mariæ, Serm. 9.

Videtur c[illegible] natus ex diuersis fragmentis B. Augustini.

MErito itaque sancta, & venerabilis Dei genitrix virgo Maria, cælorum regina, mundi domina, singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo prębuit. Denique tantum se ad cæli fastigium sublimauit, vt verbum in principio apud Deum, de summa cæli arce susciperet. O fœlix Maria, & omni laude dignissima! O genitrix gloriosa! O sublimis puerpera, cuius visceribus author cæli, terræque committitur. Hęc est immaculata coitu, fœcunda partu, virgo lactās dominum cęli: angelorum cibum, & hominum nutriens. O fœlicia oscula lactantis labris impressa! O fœlix puerperium, lætabile angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis! Quas ergo laudes, ô domina, totius mundi saluatrix, fragilitas generis humani tibi persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenisti? O quam venerandum, & præ cæteris honorandum hunc diem: in quo Dei genitrix virgo Maria de mūdo migrauit ad Christum: quæ dolori non subiacuit post partum, non labori post transitum! O admirabilem thalamum de quo speciosus forma prodiit sponsus! O lux gentium, spes fidelium, tabernaculum gloriæ, templum cæleste, cui apostoli sacrum reddunt obsequium: ad cuius angeli canunt triumphum, quam Christus amplexatur! O beata Maria, gaudens ingredere paradisum, quæ de terris ad cælestem vitam lata es ab angelis, & inter choros virginum sicut sol fulgens, suscepisti principatum super archāgelos in cælo. O excellētissima, quam hodie paradisus excepit gaudens, quam Cherubim, & Seraphim cum laudibus prosequuntur, quam martyres candidati beatificant, quam sanctorum stolatus concelebrat numerus, cui omnium sanctarum virginum cum suis psalmis victricibus exultans occurrit exercitus! O charissima inter virgines, quæ cum laudibus, & exequiis hodie exaltata, & magno cum triumpho in cælū gloriosissime euecta? Accipe itaque, piissima, ac misericordissima, quascunque exiles meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum vota susceperis, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium tuæ exauditionis, & retribue nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, accipe quod offerimus: impetra quod rogamus, quia potentiorem ad placandam iram iudicis inuenire non possumus, quàm te, quæ meruisti mater existere eiusdem redemptoris, & iudicis: succurre ergo, genitrix Christi piissima miseris ad te confugientibus: adiuua, & refoue omnes, qui in te confidunt. Ora pro totius mundi piaculis, interueni pro clero, intercede pro monachorum choro, ora pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuam clementiam, quicunque inuocant tuum nomen gloriosum. Sit tibi compassio super afflictionem captiuorum, sit pius affectus super cælorum peregrinos. Et, quia te sine fine in cælis gaudentem, atque lætantem aspicis, quatenus vt preces nostras, quas tibi cum fletibus fundimus, ad Deū ipsa admittas, eūmque vt proprium filium pro nobis interpelles: vt, cum illo in fine seculi iudex aduenerit, cum ipso & nos appa-

Virgo Maria ab angelis delata in vitam cælestem.

Inuocatio B. Mariæ.

teamus in gloria. Qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

ANDREAE CRETENSIS,

Episcopi Hierosolymitani de dormitione sanctissimæ Deiparæ, Homilia 1.

Est apud Metaphrasem.

MYsterium est festum præsens, cuius argumentum est Deiparæ dormitio orationis facultatem superans: mysterium (inquam) quod nó apud multos quidem iam celebrabatur, apud omnes autẽ nunc honoratur, & amatur. Et hoc est nostrum festũ, mysterij declaratio, seu explicatio. In qua te nos vellemus quidem silẽtium præferre orationi, cogimur tamẽ a desiderio; quibus parũ quid dicere conceditur, quãuis consideare nó possimus, & nostrã imbecillitatem non ignoremus. Non igitur committendum est quominus longi silentij secretum compensemus. Celebrandúmque est donum, & non obruendum obliuione: non quòd recenter sit inuentum, sed quòd sit suo decori restitutum. Non enim quoniam a nonnullis, qui nos præcesserunt, non fuit cognitum, iam etiam est tacendum: sed quod non omnino effugit, id est, sanctè prædicandum. Sit ergo hodie vnum commune festum cælestium, & terrestrium; & cum Angelis collætentur homines; Omnísque lingua choros ducat, & Deiparæ occinat, Aue. Hoc Gabriel prius sumpsit exordium mysterij, quando id quod est totius Theologiæ clarissimum diuina Iesu secundum nos formatio, ineffabili consilio & dispensatione, noua quadam, & præclara ratione effingebatur in virginali naturæ officina. Et nos quoque rursus oportet hoc tãquam comparatum ad agendas gratias, offerre Reginæ generis. Illi enim etiam post excessum conuenit dicere illud χαῖρε. Sola enim nobis introducto gaudio, expulit dolorem primæ parentis. Tubis ergo canamus in Sion. Accipiamus Psalterium, & citharam. Canamus matri Dei nostri, canamus, non epithalamium, sed funebre canticum. Rogauerit autem meritò quispiam eorum, qui diligenter considerant: Quanam de causa Sion fecisti mentionem, O qui canis hymnum sacræ præsentis lætitiæ? Sed non ab instituto est hoc alienum, et ego dixerim, si memini sanctissimæ Sió. In ea enim peractum est hoc magnum Deiparæ mysterium. In ea, sacrorum castissimi corporis genuum inflexiones, tanquam clara voce testantur tabulæ, quæ sunt humi constratæ. Toto enim tempore incolatus in ea est versata. Et illic naturæ seruiens legibus vitæ finẽ accepit. Hic quoque latuit principem tenebrarum, quomodo in pariẽdo ea effugit, quæ accidunt matribus, illa sanctissima & à Deo vocata, quæ gloria, & gratia cælum, & terram impleuit magnitudine diuinæ suæ translationis. Cuius si omnia vellem deinceps persequi, quomodo extiterit, aut concepta, vel nata sit, non inuenerim tempus, quod respondeat orationi; aut dicendi facultatem, quę factis exæquetur: nisi quòd præclara eius omnia quæ narrantur, possunt summatim recenseri. Dico autem generis claritatem; parentum vtrinque insignem nobilitatem, qui hinc sacerdotalem, illinc Regiam nacti erant dignitatem; liberorum egestatem; & sterilitatem; pro eo frequentes interpellationes, & crebra sacrificia; in quibus Deum rogabant, orabant, supplicabant, vt vincula solueret sterilitatis, & vt qui carebant liberis fœcundi fierent ex sterilibus, & ex infertilitate datum fructum producerent. Deinde amotionem sterilitatis; implementum promissionis; & paulo ante ea; quæ visa sunt in somnis; & quæ re vera audiuerunt, & quæcunque ambo communiter & priuatim, visione præstantioribus diuinis exauditis vocibus, diuina illuminatione sancti accepere respõsa. Deinde ad generandum aptitudinem, & ad eam progressionem; facias; aduentum ad Dei templum; quomodo sit pulchrum munus Deo dedicatum, quomodo in adytis, tanquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum sumebat. Deinceps verò educationem; & quomodo crescens, à puerili ætate peruenerit ad adolescentiam; & quæcunque declarant perfectam illam conditionem, quibus vt par est pubescens, augebatur conuenienter iis, quæ sunt supra naturam. Mitto dicere occulta plusquam ignotæ conceptionis mysteria, & supra modum admirabilem, & ineffabilem partum Iesu apparitionis: vt verbi causa, quod ea non fuerit corrupta; quod sine dolore, & obstetrice peperit; quod ea fuerit sine macula; quod inuiolatum fuerit claustrum virginis; quod nouo, & admirabili modo lac produxerit; quod ex lege fuerit purgata, & quæ in templo fuere prophetias, quibus à Propheta, qui legem, & Deum suscipiebat, Symeone prædicta sunt futura. Deinde rursus persecutiones; fugam in Aegyptum; ex Aegypto reuersionem; quemadmodum circumierit, & in terra morata sit; quæ ante crucem probra subierit; quos iuxta crucem passa fuerit dolores; quos post crucem terrores; & postremo quæcunque ab ea in vita & facta, & dicta sunt. Quæ cum esset immaculata & impolluta, & supra modum plena purissimæ castitatis, eum, quem totus mundus, neque capere, neque verbis explicare poterat, conseruauit perpetuò arcanum, & ineffabilem, tanquam Regis mysterium, quæ ex eo capiuntur, iis solis vota faciens, qui diuina diuinè conferre didicerunt. Quibus maximè purgans ea, quæ est ad Deum, appropinquatione, per loquendi egestatem, & ignorationem eo modo, qui omne superat silentium, intelligentem eutem aperiẽs sanctissima, ostendit aliquam partem occulti, qui intus latet mystici splendoris. Vtinam autem nobis quoque, qui sumus præsente splendore illuminati, liceat longè clarissima dignatis effusione luminis, purè videre, aut modicè accipere radium mysticæ contemplationis, & ita imbui, si non in iis, quæ ad planè inexplicabilem illam vitam pertinent (sicut enim ignota) at vt doceamur saltem quoad eius fieri potest ea, quæ hodierno die dicenda suscipimus. Adeste ergò, O verbi chari mystæ, & rerum honestarum amatores, & spectatores. Vos enim voco magno & alto præconio, vt orationis aperta contemplatione, quæ est velis adhuc tecta symbolicis, vobis ostendamus eum, qui est intus, decorem, qui Solis superat splendorẽ pulchritudine nitoris. Postquam autem ad hunc locum peruenit oratio, non alienum arbitror nonnullos ex iis, qui hic sunt, præmunire, ne fortè illotis, vt dicitur, aut immundis pedibus sancta adeant. Non enim ex æquo ab omnibus ingrediendus sanctorum locus: sed ab iis, qui propter

mentis

mentis puritatem transcenderunt omnia materialia, & transilierunt omnia, quę cadunt sub sensum; quibus maximè sanctissimum Dei Verbi tabernaculum parans, ingressum concedit liberaliter. Si enim iis, qui ad Sina montē indignè progredi audacter contendebant, imminebant fulgura, & tonitrua, & terrores, & sonitus tubarum, & minæ horribiles. Si autem templi quoque parietes non erat tutum vulgò tangere, & ideo secundis extrinsecus opus erat parietibus; magnáque res erat ante sanctorum cōtactum prius expiari, & ante sacra, quæ peragebantur præparari, idque cùm adhuc Deum colebant in vmbra, & à velis dependebant typicis, quantò magis oportet eos, qui veritatis lucem habent resonantem studium adhibere, vt ad hoc magnificum, & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum accedāt diligenter? In quod cum ineffabili quodam, & qui nec cognosci potest, & intelligētiam omnem superat, modo, se demisisset ad exinaniendum, in terris est versatus; & is qui nusquam capi potest, nullis compressus angustiis habitauit in vtero virginis, quæ vniuersam, quæ est in generatione naturam superauit puritate, & hinc, tanquam ex sacris quibusdam adytis, suæ carnis peregit mysterium. Quis autem? Is qui nullo indiget, & sibi attribuit omnes fines humanos. In hoc à Deo formato tabernaculo vniuersa lex, & Prophetæ re ipsa sunt adimpleti; & in eo, adumbratæ typicorum characterum formæ sorte deletæ, speculis veritate dissolutis. His autem oratione satis iam præparatis, agè typo dimisso ad ipsam accurramus veritatem, vel in ipsa potius adyta ingrediamur. Quousque enim in verbi immorabimur vestibulis, eam, quæ est ante ingressum admirantes pulchritudinem, cum liceat ingredi vnà cum matre verbi, & velo discisso introspicere sancta sanctorum, & imitari in iis, quæ sunt maiora, & perfectiora? Si enim sunt talia sanctorum vestibula, & templi porticus excellunt pulchritudine mentis oculos præstringentes, qualis fuerit locus adytorum? Et eorum, quæ non licet aspicere, & ad quæ non datur aditus, intima: quæ solis illis oculis, & labiis, aspici, & dici possunt, qui gloriam Domini contemplantur euidentissimè, & quæ carbone calculi Seraphici sunt expurgata, & ad summam peruenerunt impatibilitatem? Si mihi ergo rectè vobis consulenti credatis, iubentes quidem valere carnis perturbationes cum & materialem omnem amicitiam, & quæ est infernè, commixtionem expurgaueritis, & deinde eius, quæ ex alto procedit, diuinæ illuminationis luce vos circundederitis, accurratis simul ad Deiparam. Iam enim illustratos, & actione, orationéq; & virtutum pulchritudine omni ex parte refulgentes, Christus ipse, qui est purum mysterium, lux semper vna, ex Sole, hoc est, patre sine principio, & absque egressione tanquam ex luce radius refulgens, volet nos simul congregatos mystico conuiuio accipere. Hoc autem apertè ostendit, ex eo quod suam matrem semper Virginem, ex cuius vtero supra quàm verbis dici possit, cum esset Deus, formatus est (quod ad nostram conditionem pertinet) hodie è terræ locis, vt humanę naturę Reginam transtulit, non prædicabilem quidem, sed non omnino incommunicabilem relinquens vim mysterij. Neque enim præter terminos, qui nobis desuper fixi sunt, neque nouá præter naturā lege deducta est ad generationem, aut vixit, quatenus versata est nobiscum sanctissima in iis locis, quæ sunt supra terram. Etiam si in hoc quoque, sicut in aliis, habuerit rationem valde admirabilem: vt quæ nobis præstantius vixerit, & conceperit, & tandem hinc excesserit, & re vera omnes superauerit, qui sunt in generatione, naturæ magnitudine. Sed iam habeamus, eo modo, qui tempori conuenit, festum celebraturi. Omnia enim cum celebritate pulchrè concurrūt, & simul exultant. Ecce enim quilibet auditor eorum, quæ à me dicuntur, talis est, qualia quæ nunc eueniuntur. Regina tribuum, ecclesia fidelium, Reginæ generis, quæ à Deo Rege, omnium Principe, in cæli regiam regaliter hodie assumitur, pompam celebrat, & ex se dono ei offert quicquid est pulcherrimum, atque iucundissimum. Quæ puluerem reddidit cælestem, puluere exuitur: & quod à generatione acceperat, deponit operculum: & terræ reddit id, quod est ei cognatum. Quæ cùm vitam conciliasset, in vitalem statum denuo reuertitur; & in locum introducitur, ex quo vitæ ducitur principium, & qui vinci non potest, & qui ab omni materiali, & patibili disiūctus est posituta ac habitudine. Et in summa ex iis, quæ apparent id, quod apparet assurgit: & cū eo, quod intelligentia percipitur, intelligendi ratione congreditur, iis rationibus, quas nouit is, qui prius colligauit, & soluit, deinde rursus colligauit, Nisi fortè nimia sum ego audacia, qui ea attingo, quæ non licet assequi. Quibus nemo sit qui non credat, aut qui de eis dubitet, Eliam, & Enoch in animo cogitans. Qui postquam ea, quæ videntur, superarunt, obstructis sensibus, à carne, & mundo remoti, ille quidem in curru, hic verò sublimis raptus est, non disiunctis eis partibus, non dissolutis: sed eousque productis vitæ eorum terminis, quos nobis, quæ omnia sapienter definit, fixit prouidentia, à qua & quæ olim fuere, & quæ nunc sunt, similiter simul & conuenienter formantur, & deducuntur. Quòd si hęc parua videantur, si conferantur cū exemplo eius, quæ à nobis laudatur, ipsa certè sibiipsi sufficiet, sua conferens, & assimilans. Considerandum autem est, an inter miracula inueniendum sit maius eo, quod admirabiliter, & pręter opinionem in ea factum fuit. Deprehensum est legem naturalem euasisse imbecillam, quæ vix tandem concidit, Omnino aboletur, & euertitur acerba mortis condemnatio, soluta est vis maledicti. Sed nemo vicerit ea, quę olim à Deo fuere definita, nisi sit Deus secundum naturam, qui omnia mutat, & transformat nutu suę bonitatis. Ei autem conuenienter nunc quoque decuerit ea in matre innouare. Sic enim ostendet eam non solùm esse matrem suam secundum naturam, sed etiam confirmabit eam, quę est ex ipsa, dispensationem; per quam maximè eas, quę sunt in ipsa, magis mysticas rationes modo excellēti extollimus, quia Verbum vitę principium ea ratione, quę comprehendi non potest, eius subiit vterum; & naturam hominis susceptā superessentialiter induit. Propterea quæ olim quidem in ea facta sunt, à nobis autem nunc celebrantur: etiam si videantur esse vtique admirabilia, & pręter opinionem, & longè esse remota à naturæ legibus; si tamen consideretur, quæ naturam superat, inexplicabilis ratio conceptionis, ad eam relata facilius erit illa assequi.

Erat ergo tūc quoque Verbum præsens, & legem fecit cessare, legē, inquā, mortis, cui nihil poterat afferri detrimenti. Erat autem spectaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cęlorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quę sunt in cęlis, sancta commeans, & ingrediens. Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum Opificē omnium generationis, mater quę ipsum viuere pepererat, consecuta vitę finem partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum. Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interiit. O miracula, Partus effugit corruptionē, & sepulchrum non admisit interitum. Sanctos enim nō attingit. Quomodo potest hoc demonstrari? Vultis dicam? Nemo autem ex iis, qui adsunt, me irrideat. Quomodo est monimentū inane? Vos enim alloquar. Quomodo corpus euanuit? Quomodo non sunt in ea vestes, in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id, quod sepultum fuerat: si translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodo non est vera, & à mendacio aliena translatio? Nam alia quoque concurrerunt? animæ à corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, cōcretio, & eò discessio vt nihil appareat. Stat enim sepulchrum inane vsque in hodiernum diem, quod & testimonio est approbatum, & approbat factam translationem. Nescio autem an id factum sit partibus rursus inter se collatis, & concretis in vnam compositionem (de his enim parum philosophabor) tū sic fortè visum esset Creatori arcano hoc excogitato modo honorare parentem; an vno ex his alteri imposito, & vno quidem extra, altero verò intra fines sortito constitutionem, postquam fuerunt à se inuicem separata: an noua quadam & aliqua cōsequentia supernaturaliter in ea concurrentia, vt fiant re vera omnia noua, quæ ad eam pertinent, apposiè admittentia rationem, quę superat naturam, vt quibus cedat omnis ratio, & cognitio. Nos ad hoc spiritale cōuocat verborum conuiuium, quæ est Verbi mater secundum carnem. Proponuntur autem hodie hæ mysticè epulæ, & verborum argumentum diuinis abundans mysteriis. Harum ego sum hodie epularum conuiuator, qui sum hospes & peregrinus expositor sublimium spectaculorum. Nemo autem intuens ad nostram humilitatem, & abiectionem, renuat conuiuium. Non enim à nobis, sed ab ipsa Deipara, sunt diuinarum harum contemplationum mysticæ paratæ narrationes. Quarum quoniam plena est mensa, spiritales inuitans conuiuas, eamus conuenienter dignitati spiritus, ad profunda spiritus. Iam enim sapientiam, quæ ipsam sapientiam secundum carnem genuit, apposité imitans, cum totam seipsam, tanquam mensam mysticam cælestémque pararetit, eos qui mente sunt in diuinis initiati mysteriis, benignè inuitat ad conuiuium, non victimas mactans, aut crateri liquores infundens: cuiusmodi fuerunt olim beatæ illæ victimæ, & crater ille, qui beatū illud, & à Deo perfectum nectar suscepit. Sed suorum mysteriorum illa planè admirabilia, & diuina re vera spectacula. Ad quæ quidem maximè, eos, qui sunt congregati inuitans festi Domina, sapientiæ quidem domum, quantacunque sit, hinc nobis ex seipsa ostendit. Ostendit autem suam quoque sanctissimam mensam, vtpote quæ ipsum totum viuificum panem Dominum nostrum Iesum, qui est vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicę cōspersionis panem factum, in vtero gestauit Oeconomicè: qui eos, qui sanctè ad eum accedunt, reducit ad vitam recentiorem, & reddit in Deo perfectos. Quo quidē modo eos quoque expurgat, & reddit immortales, qui participatione nouæ illius, & pulchræ eius communionis ei coniunguntur, fiúntque familiares. Quæ autem suis amatoribus in conuiuio apponit, hæc sunt apertè, per quæ vita illa constat excellens, & ineffabilis, quæ nihil ex iis, quæ considerantur in natura, est excelsius: per quam is, qui omnem superat Theologiam, per arcanam exinanitionem, hominis, cuius curam gerebat, flexus misericordia, vt qui vniuersa produxerit, se consultò demisit ad nostram vsque mendicitatem, & implicatus fuit in nostra conspersione, & similiter atque nos, fuit particeps carnis, & sanguinis: Qui nullius indiget: qui est summè plenus, & diues: Qui non recedendo à sua superessentiali diuinitate, elegit eam, in qua non erat, substantiā, integras in se seruans, etiam post vnionem inexplicabilem, rationes eorum, quæ conuenerunt, nulla vtique intercedente confusione, aut diuisione. Qui ne supermundanis quidem cælestium ordinum præfectis significauit, quidnam esset quod ab eo fieret, præterquam vni ex primis Angelis, qui ministrauit in progressione cælestis mysterij. Sic enim, qui erat incorporeus, intercedente mente, & carne, nobiscum est versatus, vt omnino commixtus toti nostræ conspersioni, renouaret id totum, quod ex nobis sumpserat. Hæc quidem est, vt mea consequitur scientia, & vt res sic in promptu offert intelligens mensa diuino mysterio traditæ sapientiæ. Talia sunt etiam, quæ in ea mysticè peraguntur, quę sunt à Deo tradita arcana, in quibus meritò oportet adnotare præsentis quoque diei mysteria, in quo Dei mater, nullo mutato ex iis præscriptis, quę sunt secundum naturam, nostrę legi seruiit; & sub eisdem, quibus nos, terminis, quę in carne erat, vitam finiit, miraculo plenum mundo relinquēs suum ortum, & decessum. Si quid ergo, quòd nos superat, in ipsa à diuina dispensatum est natura, nemo miretur, intuens ad nouum & inexplicabile quod in ea peractum est mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum. Et sint hęc quidem perpetuò complicata, & arcana, & habentia suam rationem immobilem. Nos autem sanctissimę, ex quo principium vitę ductum est, corporis sepulturę memoriam splēdidi splendidè celebremus. Ad quam, cum eo quod est aspectabile, quicquid percipitur intelligētia, & quicquid est cæleste, & terrestre simul congregatum, Reginam honorat, & deducit ante tabernaculum. Ex quo commune hoc propitiatorium, quod ex ea absque manuum sectione tanquam templum effectum, Dominicum & salutare acquisiit corpus, eius qui tam naturalis quàm intelligentis motionis cuius nos, est particeps, excepto solo peccato. O miraculū! Quę Deum, qui est infinita magnitudine, & ab omni circumscriptione seiunctus, in paruo sui vteri spatio cępit superessentialiter; ei hodie circumscripto lecto vectę, sanctis manibus iusta fiunt. Quę in suo sinu habuit collocatum eum, qui tergis vehitur Cherubicis, in-

sculptę petrę finibus sepelirunt. Et cuius partum admirati sunt Angeli, huius tabernaculum deducunt Angeli choros ducentes. Et quis eorum, quę illic peracta sunt, rationes fuerit interpretatus? Quis pro dignitate in hoc extollerit mysterio? Quis menti dabit alas, vt vnà volet cum miraculo, & eius accipiat communionem? Quis (vt aliquid dicam magis mediocre, & fortasse ex iis, quæ sunt secunda) nostræ concretionis fluxionem descripserit, & affluxionem? Quam cum non posset consequi natura, & quam comprehendere non poterat superet constitutionem, appetitione conuersa in admirationem, ea, quæ Dauid, diuino spiritu afflata eloquitur ad Deum vniuersorum: Mirabilis facta est, dicens, scientia tua ex me; valida effecta est; non potero ad eam: propemodum nostram admirans compactionem, vel compositionem, aut contra, eam quæ fit in membris disiunctionem. Quinetiam quod huic intemeratę & clarissimæ Reginæ eius matri cōiectu difficillimum factum est miraculum, tanquam diuinum celebrans, quod communiter in nobis & propriè in ipsa ipsi soli vt omnium opifici & talium operatori ante secula est agnitum. Hoc est nostra formatio, hoc concretio, hoc solutio, quod etiam hodie celebramus. Hinc ego me reprimens, ac contrahens, & metu honorans mysterium, cum eo, qui ex omnibus Prophetis maxima voce vtitur, Esaia simul loquor: O miser ego, dicens, quòd sum compūctus, quòd homo cum sim, & habeam labra immunda, audeo aliquid dicere de pura & impolluta, & quæ summè plena est omni sanctitate; & eam aggredior funebri laudare oratione, cuius nubes tegunt ascensum ad contemplationem; intelligens autem quædam caligo circumfusa est theologicis quæ sunt circa ipsam, conuersionibus, quæ non sinunt apertè explicari complicatam mysterij comprehensionem, quam est Dei tantùm laudare pro dignitate, qui, quas ipse nouit, rationibus in ea fecit miracula. Tantum abest vt sit meum, qui humi iaceo, & nihil amplius scio quàm quod est ante pedes, quòd desit mihi egregius ad res honestas animus. Non etenim buerim igitur quæ sunt supra facultatem meam, etsi non possum pro dignitate, ea dicere, cum reijciendum non sit quod fit pro viribus. Itaque loquendo silentium amouimus, Deo sermonem dedicantes. Cui gloria, & potentia in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM *festo, Homil. 2.*

AD concionem nos rursus vocat continuatio orationis; & oportet nos omnino iis, quæ deinceps coniungentur, ea, quæ iam dictis deerant, supplere, vt sit perfecta, & indissolubilis oratio, vt quæ nihil disiunctum vlla ex parte habeat. Atque in iis quidē, quæ pręcesserunt, quo ad eius fieri potuit, paucis à nobis est dictum de admirando illius corpore, ex qua vitæ processit initium. Dico autem de virginali Dei matris tabernaculo. Restat, vt dicamus, quisnam sit hymnus, & quænam sint ea, quæ in eo laudantur. Nemo autem mihi nunc inurat labem arrogantiæ, aut audaciæ, quòd aliquid audeam, quod sit vastę magnitudinis: non enim ex dicendi facultate, sed ex sola precum promissione incitatus, hanc composui orationem quæ nunc est in manibus, submissionis, & modestiæ semper curam gerens pro viribus. Sed non ideo vult mysterium minuere oratio, etiamsi hoc tanquam non tritum, & minimè exercitatum ex arrogantia id sit primum aggressa. Si quid autem ex iis, quæ non sunt à multis considerata, hæc nunc est habitura oratio, nemo miretur. Ex coniectura enim, & vt mens ea potuit conijcere (rem enim ipsam exactè vix Angeli potuerint consequi) hæc sunt à nobis considerata. Iam ergo illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant, classis, sicut prius diximus, frequens erat congregata: & vniuersus supermundanarum potestatum qui intelligentia percipitur pulchrè instructus cœtus, à nullo conspectus, desuper aduolans, ad spectaculum confluebat admirabile. Aderant quoque sanctorum, quas Deus, vt arbitror, inspirauerat, animæ, choros ducentes circa lectum: quas liber Canticorum vocat adolescentes ex mystica contemplatione. Oportebat enim cum Regina naturæ vnà adesse diuinas eorum, qui vixerant, animas in exitu pręcedentes, & eam deducere, & ea canere cantica quæ cani solent exeuntibus. Erat ergo in medio propositum illud triclinale, & luminosum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidem dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore perfundebat totam creatam naturam. Quę mens, & quęnam lingua, eorum, quę illic fuere conspecta, rationes inuestigauerit? Omnia enim plus quam in infinitum inuaserat omnis ignoratio, & videndi egestas. Hinc certe factum est, vt diuinorum sapientum pręcipui, à diuino spiritu arrepti, ex insigni lætitia diuini tunc oblectantis splendoris, vel quod superetat illuminationis in ecstasim traducentes, illos hymnos diuinitus inspiratos, illam, inquam, quæ est in hymnis tropologiam, vt poterat vnusquisque, attingerent, alius alium excipiens. Erant autem ea, non qualia ipsi inducimur vt mente agitemus, aut vt quis fortè descripserit: sed vt eos ad dicendum informabat spiritus, & audire iubebat: ita & ipse hymnus, & quæ in hymno celebrabantur, ab ijs, qui hymnus dicebant, dicebantur, & exaudiebantur, quę ab inferiore quidem, & nostra harmonia, & consonantia erant infinito interuallo seiuncta: parum autem, aut nihil aberant à sono Angelorum, qui in cælis festum celebrant. Quorum altitudinem, & profunditatem, & infinitam pulchritudinem non est nostrum velle temere describere, qui in tali dulcedine nullo modo sumus exercitati, sed silentio potius honorare, vt quæ nec possint comprehendi, nec verbis explicari. Ea autem sola tuto possumus aggredi, quæ & iucundum est assequi, & si non assequaris, nullum est periculum: quæ neque scienti afferunt molestiam, neque rudem cruciant. Hymnus autem, & quæ hymno celebrabantur, etiam si nostram effugiant comprehensionem, quantum tamen possumus assequi, vt rem vtcunque exprimam, sint eiusmodi. Hic est finis testamentorum, quæ nobis fecit Deus. Hæc est declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehensibilitatis. Hic est scopus, qui excogitatus fuit ante secula. Hęc est summa diuinorum oraculorum. Hoc est ineffabile, & quod plane cognosci non potest, eius, quæ est ante principium, curatio-

nis

nis hominum, consilium. Hæ sunt primitiæ communionis, & coniunctionis omnium genitoria Dei cum suo figmento. Hæc est diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiussio; Eximia pulchritudo; A Deo sculpta statua; Recte descripta diuini Archetypi imago; Totius contemplationis, & ascensus sustentaculum. Sanctissimum Verbi omnium creatoris tabernaculum; Qui Deum suscipit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri, crater; Vitæ, cui nihil potest auferri, penarium; Fons qui non potest exhauriri diuinarum illuminationum; Potentia, quæ nequit labefactari; quatenus nequaquam vincebatur ab animi perturbationibus, vt quę erat puritate omnibus superior. Per hanc fuere nobis data pignora salutis. Et quod vsque ad nostram quidem processerit mensuram, quę fui habita in tanta admiratione, commune exoluerit debitum, est proprium naturę. Quod autem ita viueret, vt non haberet omnino easdem, quas nos proprietates, erat proprium eius, quę illi cum Deo intercedebat propinquitatis: quinetiam aperta quoque est probatio summę eius impatibilitatis. Quid enim ex ijs, quę sunt longe maxima, non in ea processit cum maxima virtutis abundantia? Quid vero ex ijs, quę spectant ad ostendenda miracula, non productum est admirabile; adeo vt omnium miraculorum, quę quomodocunque facta sunt, aut fiunt, eam esse effectricem in omnium resonet auribus. Quorum pars est extrema id, quod nunc adest: etiamsi ante omne tempus id fuerat prædestinatum, cum diuinum consilium fic altius definierit vniuscuiusque nostrum transitum. Et ô prouidentiam, ad cuius extrema nemo venit eorum, qui nati sunt, aut potest inuenire vestigium. Cuius opus est etiam, quod nunc peragitur, virginis mysterium. Est enim mysterium, etiamsi circa nostrum finem consideratur. Et hoc est pars, quę ab initio hominis naturę sorte est attributa. Sed ô quomodo discissa est sepes, quę peccato fuerat colligata? Quomodo diuulsum est vinculum, quod complexum fuerat transgressione? Quî quod contemptui mors est habita, tanquam diei somnium. Abiit metus: non amplius terret eos, qui sunt in Christo, infantes. Sed nunquid nisi mortuum fuisset Dei receptaculum, non dissoluta fuisset corruptio, quæ seminata fuerat inobedientia? Dissoluta certe fuit Christo priùs mortuo. Iam enim excesserat natura à condemnatione, quæ erat in corruptione, suscepto statu, qui est per incorruptionem. O nouas remunerationes. O diuinas permutationes. Produxit natura liberũ arbitrium spinis obseptum. Ipsa contra produxit eum, qui impleret paternam voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem voluntariam. Ipsa contra peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam. Sola seruiit opifici vniuersæ naturę. Quoniam ergo nunc proponitur hæc diuina capsa eius, quod à Deo sumptum est, tabernaculi, quę tanquam larga bonorum largitrix, inuitat eos, qui sunt honesti studiosi, nemo cunctetur vocatus. Non indiget enim labore gratia, præter quam sola voluntate. Eat ergo prompto, & alacri animo vnusquisque, qui certam, & minime dubitantem habet fidem, eat ad thesauri virginis repositorium; & discat experientia euentum eorum, quæ desiderat. Propositum est hoc commune reconciliatorium. Omnes Deo reconciliemini. Ecce fons immortalitatis, qui non potest exinaniri. Venite, qui morte affecti estis, haurite; Ecce vitæ fluuij perennes. Adeste omnes, efficimini immortales. O filia Adam, & mater Dei. O Mater sine viro, & virgo quæ filium paris. O opus eius, qui in te factus est tẽporaliter, & nõ excessit à sua ęternitate. De te resonarũt omnes spiritua interpretes. Moses primus cũ vidisset rubum, te prędixit. Transiens videbo magnam hanc visionem. De te Dei pater Dauid Christum rogauit, dicens: Exurge Domine tu, & arca sanctificationis tuæ. De te idem tuum præsignans egressum, prędixit: Vultui tuo supplices erunt diuites populi. Ecce enim, inquit, omnis gloria filię Regis intrinsecus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietate. Te Canticorum sanctus liber prædescribens, mystice præsignificauit. Quæ est hæc, quæ ascendit ex solitudine, tanquam rami fumi, suffita myrrha & thure ex omnibus pulueribus vnguentarij? De te rursus idem priùs scripsit liber. Ecce, dicens, lectus Salomonis. Columnas eius fecit argentum, & reclinatorium eius aurum; ascensus eius purpura est intra ipsum, constratus charitate ex filiabus Hierusalem. Et rursus, Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in corona, qua coronauit eum mater eius, in die desponsationis suæ, in dię lætitiæ cordis sui. Videte eam filiæ Sion, & beatam eam prædicate Reginæ, & pellices laudate eam; quoniam odor vestimentorum eius est supra omnia aromata. Te præuidens diuino spiritu afflatus exclamauit Esaias. Ecce virgo in vtero concipiet: & erit radix Iesse: & flos de radice ascendet. De te magnus prædixit Ezechiel: Ecce porta, dicens, in oriente; & erit porta clausa, & nemo ingredietur per eam; & Dominus Deus solus ipse ingredietur, & egredietur; & erit porta clausa. Te quoque prophetans vir ille desideriorum magnum vocauit montem, & lapidem sine manibus viri ex te sumptum, non excisum; ablatum, non diuisum assumptione nostræ humanitatis. Tu es res illa magna venerandæ Oeconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli. Tu es diuinę demissionis pulchrum habitaculum. Terra quæ es vere desiderabilis. Rex enim desiderauit gloriam tuæ pulchritudinis; & amauit diuitias tuæ virginitatis; & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula; & per te Deo & patri nos reconciliauit. Tu es thesaurus absconsi ante secula mysterij. Tu es liber vere viuus eius, qui in te tacite fuit inscriptus, verbi paterni, viuifico calamo spiritus. Tu sola vere es noui testamẽti volumen à Deo scriptũ, quod Deus ante fecit cum hominibus. Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quę millia locupletum adduxisti ad eum carne tectum. Tu es mons Sion, mõs coagulatus, mõs pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare. Ex quo in carnẽ cõcretus, quæ sicut mos est intelligenter animata, is fuit coagulatus qui est supersubstantialis. O diuinum templum, & homo terrestris. O columna mortua, & columna viuifica: non carnalem per lucem deducens Israelem qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbrosus non adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed delectum Dei populum, gentem

sanctam

sanctam maternis tuis tedis illustrans! O quouis auro purior, & quauis sensili, & immateriali natura!O terra virginalis, ex qua fecundus & vetere antiquior processit Adam! Quodná sepulchrum te teget? Quęnam te terra accipiet, quæ cæli, & cælorum naturam superasti sanctitate? Quęnam erunt vestes, quibus sepelieris? Quęnam fasciæ? Qui amictus? Quibusnam autem vnguentis vngent tuum corpus odoriferum, impollutum, & plenum sanctificatione, ex quo scatet remissio; ex quo manat immortalitas; ex quo est Deificatio; in quo est perfectio? Tu enim verè es, quę es te vera pulchra, & macula non est in te. Paruum quid tibi quoque accinat diuinissimus Salomon. Formosa vt Hierusalem, & odor vestimentorum tuorum, tanquam odor Libani. Tu es nona theca vnguenti, quod minimè exinanitur. Tu es olei vnctionis exultatio. Tu es aromarum, quę intelligentia apprehenduntur, suffitus. Tu es flos incorruptionis; Terra, quę fers aromata; Lucerna luminosa; Quę à Deo es contexta purpura; Indumentum regale; Amictus à Deo variatus; Aurea specie diplois; Verbi purpurę, quę intelligentia percipitur, quæ nō potest nominari tinctura. Manu non factum regni diadema; Thronus excelsus; Porta sublata supra cælos cælorum; Regina omnia humanæ naturę; Quę habes non comparabilem cum altis appellationem; Quæ excepto Deo solo es omnibus altior. Quænam te manus ad sepulchrū component? Quibusnā vlnis portabimus eam, quæ eum portauit, qui minimè potest contineri? Quasnam sepulchrales preces in te fundemus? Quibusnam te deducemus cāticis? Quibusnam autem labris tuum laudabimus decessum? Qua voce, quibus verbis magnalia tua ornatè cōnuntiabimus? Quamobrem pro omnibus tales tibi voces offerimus. Beata es in mulieribus, & benedicta in generationibus; benedicta in cælis, & glorificata in terra. Te enim gratè omnis lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Impletum est quicquid est creatum tua gloria. Sanctificatum est vniuersum vnguento boni tui oduris. Per te deleta est peccati occasio; transmutata est in lætitiam primæ parentis exectatio. Omnes propter te nobiscum canunt: Gloria in cælo, pax in terra. Te nequaquam potest habere sepulchrum. Corpua enim Dominicum non delent ea, quæ intereunt. Aduersus te non valebunt inferi. Animam enim regiam non attingunt ea, quæ seruiunt cum aliis. Abi ergo, abi in pace. Migra ex iis, quæ sunt in natura creata mansionibus. Placa dominum pro communi figmento. Nam quandiu quidē versabaris in terra, te habuit parua terræ portio. Ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. Supra Enoch magnificare. Supra Eliam in altum extollere, in lætitia, in gaudio ineffabili, in æterna luce; vbi est verè viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorum chorea. Præterea fruere pulchritudine filij tui; exple te deliciis, quæ non possunt exinaniri, & beatitudine, in quam non cadit senectus: illic vbi est torrens æternarum deliciarum, vbi sunt prata incorruptionis, fontes vitæ æternæ, fluenta lucis, quę ex Deo scaturit, fluenta semper viuentis lucis effusionis. Illic est finis eorum, quę sunt sperata, & quę nunc sperantur; propalatio eorum, quæ occulta fuerunt, & tūc solum conspiciuntur; comprehēsio omnium bonorum,

Sanctissima Dei genitrix totum mundi continere post Christum propitiatorium.

vltimus finis, vltra quem nihil est omnino. Illic patet adoratur, & filius glorificatur, & spiritus sanctus laudatur, vnica natura vnius, quæ est in trinitate, diuinitatis. Hæc & quę sunt huiusmodi, arbitror, diuinos illos viros diuino spiritu afflatos tunc & dixisse, & hymnis celebrasse, & quę etiam sunt his superiora. Nescio enim quid dicam amplius, cū sim terra, & cinis, & in summa putredo, & non secus atque serpentes serpam super ventrem. Atque orationis quidem debitum pro viribus est a me exolutum, nullo, vt arbitror, ex iis prætermisso, quæ ad præsens festum pertinent. Quod si quis his aliquid sublimius conferat, & ad nos hoc contulerit, & is festo fuerit conducibilis. Cum pauca autem dixero, sistam remos huius orationis. Atque vt pro dignitate quidem rem exequamur, ex æquo nullus assequitur. Vt autem pręster quod possit pro viribus, est vniuscuiusque par alacritas. Scio autem fore, vt hanc nostram suscipiat orationem ea, quæ verbum peperit, & reddet non ea quidem quæ petimus, sed quę meremur accipere. Solet enim sanctissima, vt quæ sit munficentissima, maxima reddere pro minimis. Et hęc quidem ita se habeant. Vos autē, ô clarissimi & illustrissimi cœtus, vos rursus voco ad conclusionem orationis, agè in sacra virginalis thesauri deductione pręeuntes canamus carmina funebria: & eam, quæ festo præest, quibus possumus, coronemus honoribus. Vt hoc vero fiat insignius, adsit hodie omnis cætus terrestrium, & cælestium, & vnà mecum compleat hymnum decessui accommodatum, qui constat his verbis: Mota sunt castra Dei à tabernaculis Cedar, ad materiæ experria, & rediuiua tabernacula. Tabernaculum legia exemplar accepit arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id, quod est supra supernas fores, vt summam cæli portam cęlestium regia regio sinu accipiat. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli; Laudate celi; glorificate terrigenę. Attollite ciuitatem Dei, Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus; narra quæ sunt gloriosa Virginis, partus, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo trāslata; quemadmodū cernitur inane sepulchrū, quod adoratur. Iudęa cōgrega tuos filios; Prędica eā, quę est ex Iuda Reginā; esto bono animo; noli timere; celebra tua festa. Hierusalē exclama; iubila; deduc Dei metropolim; canta Danidice; aperte dic, In exitu Israel de Ægypto. Mater Sion, quam adsciuit dominus, quam elegit, voca tuas filias, ecclesias ex gentibus; Cane canorum aliquid; sed non tragicum, iubilans, non gemens. Lætus enim est, non lugubris præsens cœtus. Gethsemane, suscipe nouam reginam, para sepulchrum, produc ea, quæ sunt viui ad sepeliendum; orna thecam vnguentis. Sit arca ubi custos thesauri. Cautè, & diligenter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidem, manens in ipso, erit communis possessio, quæ adorabitur ab Angelis, & hominibus. Si quid autem contigerit admirabile, & præter opinionem, & translatum fuerit id, quod est impollutum, esto prædicans miraculum. Narrato traslationem iis, quę sunt postea cōsecuturę generationibus, supernis quidem spiritibus concedens spiritum Dei matris; nobis autem dans quasi ex perenni fonte, instar vnguenti sanctificationem corporis. Accurramus simul omnes ad Deiparam, chori patrum, & Patriarcha

Sepulchrum Sancta Dei genitricis manet adoratur.

triarcharum, spiritus Prophetarum, & conuentus sacerdotum; cœtus Apostolorum; populi Martyrum; Doctorum congregatio, iustorum animæ, piorum ordines, dignitas quælibet, & ætas; Reges, & potentes; Principes, & qui parent imperio adolescentes, & virgines senes cum iunioribus, laudate, supplicate, Dicite Dei matri, dicite: Quã beata est domus Dauid, ex cuius lumbis germinasti Dei mater? Matres, & virgines glorificate eam, quæ est sola mater, & semper virgo. Sponsæ præcedite eam, quæ inter adolescentulas sponsa quidem fuit, sed planè incorrupta; & sola sine dolore peperit eum, qui non potest comprehendi. Steriles, viduæ plaudite, eam deducentes, quæ virum nõ est experta, & liberorũ egestatis effugit vincula. Filię exultate, eã quæ filium peperit, prosequentes incorruptione. Benedicite gentes; linguæ beatam prædicate. Cantate matri Dei omnes tribus terræ; cantate, deducite eum canticis & cymbalis; iubilitate, magnificate, psallite. Tolle, tolle, Maria, Tympanum, & procede ante virgines; moue Lyram Dauid; extolle vocẽ tuam; lauda reginam; duc chorum, extolle modos citharę, voca virgines; congrega choros canentium; ordina choreas. Post lectum currant, ante lectum, cum lecto, præcedant, circa capsam choreas ducant. Ecce enim Dei gloriæ noua arca, in qua est vrna aurea, & virga Aaron, quæ germinauit, & tabulæ testamenti. Ecce summam, de qua clamarunt oracula Prophetarum. Ecce scalam, quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus: in qua vidit Angelos Dei ascendentes, & descendentes: quicunque is esset ascensus, & descensus. Hæc est porta cælorum, de qua dixit ille; Quam terribilis est locus iste. Non est is aliud quàm Domus Dei; & hæc est porta cæli. Ecce propitiatoriũ, quod sanctum supra sancta est positum mystici tabernaculi, & adytorum, tunc quidem alis adumbratum Seraphicis; nunc autem nostra peccata expians per mysticam Iesu contemplationem. Legalis seruitutis iugum non amplius verò imponitur Israeli, cum Christus nobis sua manu ascripserit libertatem per cultum, qui est in spiritu, in corpore, quod ex Deipara sumpsit, tanquam in charta. Non amplius anniuersarius Pontificum cursus sanctis applicatur. Ipse enim magnus Pontifex Christus, qui cælos assumpta carne penetrauit, quæ habebat animam ratione pręditam, & intelligentem, tanquam in templo, in Virginis sanctuario nos adiens, suffit, & sacrificat, & sacrificatur, & offerens oblationes, offertur, & pro nobis seipsum sanctificans, sanctificat eos, qui ipsum sanctificant. Talia sunt, O Deipara, supermundanæ tuæ dormitionis mysteria. Hæc sunt sacræ tui, cui Deus iusta facit, tabernaculi deductionis epitaphia. Hi sunt hymni, & laudationes, quæ celebrantur in decessu. Hæc quę ante, & post sepulturam fiunt, monimenta ad prosequendam eam, quæ planè ignoratur, translationem. Hæc sunt diuinarum, & beatarum, quæ in te fiunt, illuminationum simulachra per ænigmata. Non enim potest mens nostra plura assequi quàm ea, quæ dicta sunt. Hæc breuis tibi à nobis elaborata est oratio, quę eadem simul agit gratias, & supplicat. Si habeat quidem aliquid dignum tua maiestate, pro eo tibi sunt agendę gratiæ, quæ dedisti promptum, & alacrẽ animi studium. Sin autem (quod necesse est omnino cõtingere iis, qui aggrediuntur de te aliquid dicere) longè abfuerit, vt pro tua dignitate rem tractauerit, ignosces omnino, cùm tibi sit omnino innatum misereri, pro ea, quæ tibi cum filio, & creatore omnino intercedit propinquitate. Accipies autem hanc, satis scio, orationẽ vt donum pulcherrimum, à me ex pauperibus compositum laboribus. Nihil enim vltra habui quod offerrem excellentissimæ omnium matri verbi, nisi orationem, quæ ex arcanis fontibus gratiæ quę est in te promanat, O Deo gratissima. Atque tuę quidem, quę nunquam senescet, beatitudinis venerandus, & planè ignotus status, vt qui nec omnino discerni, nec dici possit, honoretur silentio. Æquum est enim, cum nostrum non sit ea aggredi, quę sunt supra nos, & quę propterea quòd comprehendi nequeant, arceãt omnem perscrutationem. Atque tibi quidem, O sanctissima, ter regina, Dei genitrix, quę à nobis debebantur, qui à te, & tuis liberis ad Deum precibus informati sumus arcanis tuis rationibus, hęc nũc sunt à nobis mediocriter composita pro viribus. Nobis autem quis præbebit vocem, & dicendi vires, quæ æquali proportione respondeant altitudini, & magnitudini longè gloriosissimorum de te cogitatorum? Sed, O omnium hominum Domina, & capax ipsius sapientiæ, & verbi quo consistit, quod est primum, & principale, & causa omnium; O vitæ suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ; O sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure; O pars, quæ insolubiliter, & non per diuisionem Deo vniisti hominem, O regnum è terrenis quidem sumptum sed ex superna gloria potentiã habens inexpugnabilem; O Christianorum fidei propugnaculum, & propugnatrix eorũ, qui in te spem collocarunt; accipe à nobis, qui veritatis lucem per te accipimus, ea quæ de te honorificè dicimus, quæ ex obscuris imaginibus à nobis, quoad eius fieri potuit, sunt mysticè considerata. Nobis autem, qui te, O Dei mater, ornamus, da vicissim hanc parui doni remunerationem, nempe, vt habeamus quibusuis thesauris, & diuitiis pretiosiores, & splendidiores, ad filium tuũ, & nostrum Dominum, & Regem, & Deum, & Dominũ, preces supplices: Per quas & peccantes Deum placamus; & nos rectè gerentes, ad nos melius attrahimus: Per quas arma barbarorum, insanientium tela ducimus, lanceæque, & galea, & iaculatio inutilia manent, & inefficacia: Et (vt in summa dicam) per quas omne bonum rectè geritur à Christianis, & quæ fit Deo assimilatio. Habes, ô dilecte, rationem mysterij, etiam si spe longè inferiorum, qua tamen nihil maius præstare potuit promotum nostri animi studium. Magis autem mysticam, & sublimiorem quæsieris à Verbo, qui propter te fuit exinanitus, & carne incrassatus, & te totum sibi propter suam vniit clementiam, & vt melius dicamus, homo quoque factus est, vt te totum Deum faceret spiritu, & id, quod est deterius, eo quod melius est consumeret; & humo ad se attolleret, & in spiritalibus sedibus collocaret. Ad quem semper erigaris per puram vitã & contemplationem, vitam agens in diuinis sermonibus, & moribus, Deumque videns, quoad eius fieri potest, & visus. Qui quidem vt tibi manifestus euadat, stude iis, quæ per contemplationem fiunt illuminationibus, & in virtute ascensionibus; vt vtrinque, ex actione, inquam, & contemplatio

plarione, sis perfectus, & solidus, enadés in vnum absolutissimnm, in mensuram ętatis plenitudinis Christi; Cui glotia, & potentia in secula seculorum, Amen.

S. IOANNIS MONAchi & Presbyteri Damasceni, de dormitione Sanctißimæ Dominæ nostræ Deiparæ, Serm.

Vt apud hos aspiratione.

NEmo qnidem homo est, qni possit pto dignitate landare sactosanctum decessum Dei matris, non si lingnæ innomerabiles, neqne si totidem essent ora. Sed neque si conuenerint omnium linguæ hominum multis in locis dispersorum, laudes, quas decet, assequutur. Superat enim omnem legem encomiorum. Quoniam antem Deo gratum est, quod pto viribus ex desiderio, & zelo offertur, & bona voluntate; matri autem Dei grata sunt, quæ filio sunt chara, & iucunda: agè encomia rursus aggrediamur, vestris iussis parentes, O pastores optimi, & Deo in primis beneuoli, qui ex ipsa caroem suscepit, Deum Verbum innocaotes; qui impler omne os, quod ad ipsum aperitur: qui ei solos fuit ornamētū, & gloriosum encomiom: vt qui sciamus, quod qoando laudea incipiemns, debitū exoluemus, & cùm id exolnerimus, debere rursus incipiemus. Sit autē propitia ea, quæ à nobis laudatur, quæ res omnes creatas superat, quę omnibus dominatur operibus; vt quę sit Dei mater, qni est creator, & opifex, & omniom Dominus. Igooscite autē vos qooq;, O cœtus, qoi diuinos audiēdi sermones tenemini desidario, & promptitudinē qoidem accipite, & desiderio applaudite; imbecillæ autem misereat orationis. Quomodo eoim si qois Impetatori, & cui sunt à Deo credita cōtriboltum gubernacula, qui plenam quidem semper haber mensam, & omnigeois cibis affluentem, regiam autem sumptuosorum vnguentorum delinitam exhalationibns, tempore non consueto offerat violam purpuræ concolorem, aut rosam, spinę germen odoris suauissimi, quæ viride habet floris receptaculum, & ex eo procedentem florem gemini coloris, & peruenieotem ad roborem speciosum, & elegantem, aut maturum aliquem fructum dnlcissimum; non atteodet Imperator vilitatem monetis, sed coosiderabit, qnàm id sit nouum, & alienum, & admirabitur quod sit inusitatum, optimè iudicans, & rectè intelligens, magnis autem, & gratis donis Agticolam temunerabitur: Ita nos quoque qoi hyeme, dictorum flores Reginæ offerimus, & quę iam consenuit, dicendi facultatem, ad suscipienda certamina encomiorum armamus, & mentis desiderium tanqoam ferro lapidem affricamus, atque immaturo botro expresso, nempe mēte, quæ parit osrrationem, exiguam quandam orationis scintillam vobis tribuimus, quibus placent orationes, & qui audiendi tenemini desiderio, longè magis admittemur. Verbi eoim matri quid alind offeremus, quàm sermonem? Simile enim simili delectatur. Et id ei quidem certè gratum est, quod fit pro viribus. Iam ergo orationum apertis carceribus, orationem, tanquam equum aliquem parum laxatis habenis, ad eursum dirigētes emittamus. Sed mihi fer opem, O Dei verbum, & effice vt mea cogitatio, quæ est expets rationis, fit ratione prædita, lenémque, & planam ei fac semitam, & eius cursum dirige ad hoe vt tibi placeat, ad quod quidem ditigitur sapientis oratio omnis, & eogitatio. Hudie sancta, & sola virgo supermundaoo, & cælesti templo offertnr; quæ virginitatem adeò desideranit, vt ab ipsa tanquam ab aliquo igne purissimo qualitatem acceperit. Quęuis enim virgo partu amittit vlrginitatem. Ipsa autem & ante partum, & pariens manet virgo, & post partum. Hodie sacra, & animata atca Dei viuentis, qoæ suum io vtero gestauit artificem, tequiescit in templo Domini, quod nullis est excissum manibus, & Danid exultat eius parens, & cum eo choros ducunt Angeli, virtutea glorificaot, princlpatus simul exultant, potestates collætantur, gaudent dominationes, throni festum celebrant; laudāt Cherubin, gloriam eius prædicant Seraphin. Non parum enim glorificāt, qui matri gloriæ gloriam attribuunt. Hodie sacratissima columba, pura, & innocens anima, & diuino cōsectata spiritui, ex arca euolans, ex corpore, inqnam, quod Deum suscepit, & vitæ dedit principinm, inuenit requiem suis pedibus, vt quę peruenerit ad mundum, qoi percipitur iotelligentia, & in immaculata terra supernæ hæreditatis fixerit tabernacula. Hodie Edem noui Adami paradisum soscipit rationalem, in quo soluta est condemnatio, in quo plaotatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas. Non somoa enim amplius nudi, & veste carentes, & non ferentes splendotem diuinæ imaginis, & copiosa priuati gratia spiritus. Non amplius tragicè veterem deflentes ouditatem, dicemus: Exui me tunica, quomodo me ea induam? In eum enim non patet aditus serpenti: cuius cùm falsam apperiissemus diuinitatem, cum eo facti sumus similes iomentis insipientibus. Ipse enim Dei filius vnigenitus, eùm esset Deus, & eiusdem cum patre essentiæ, ex hac virgine, & pura terra seipsum formauit hominem. Et factus quidem sum Deus, qui etam homo, qui mortalis autem, euasi immortalis, & pelliceis sum exutus tunicis: exui enim corruptiooem, & indutus sum incortuptionē, amictu diuinitatis. Hodie Virgo intemerata, quę non est versata io terrenis animi perturbationibus, sed fuit in cælestibus educata cogitationibus, non abijt io terram: sed animatom verè cælum appellata, io cælestibns collocatur tabernaculis. Quis enim eam cælom vocans à veto aberrauerit? Nisi fortè dixerit aliquis rectè intelligens, ipsam extolli incomparabiliter supta cælotum excelleotiam. Nam qui cęlos est fabricatus, & omoia cootinet tam mundaoa, quàm supramundana, & quę sub aspectu cadunt, & quæ non cadūt, cuius nullus est omnino locus, siqnidem locus definitur, id, qood quæ insuot cootioet, in ea est à seipsa fabricatus insans sine semine: & eam effecit spaciosum receptaculum eius, quæ omnia implet, & à nullo circunscribi potest, diuinitatis, totus in ea contractus impatibiliter, & totus manens extrinsecus, & sibi habens locum, qui non potest comprehendi. Hudie vitæ thesaurus, gratiæ abyssus (uescio quomodo dicam audacibus, & non trementibus labris) vitali morte tegitur & ad eam sine metu accedit illa quæ eū peperit, qui ipsam fregit, & dissoluit: si mortem tamen vocare oportet, eius sacratissimum, & vitalem è vita excessum.

Animam sanctißimæ Virginis in cælo collocat, contra quosdam qui audēt dicere, animas sanctorum vsque ad diē iudicij nō esse in cælo nec videre Deum.

sum. Quæ enim omnibus eam, quæ vere est vita, edidit; quemadmodū morti fuerit obnoxia? Sed cedit legi latæ ab eo, quem peperit, & tanquam filia quidem veteris Adam, paterna soluit debita. Nam eius quoq; filius, qui est ipsa vita, ea non recusauit. Vt quæ autem fuerit mater Dei viuentis, indignè ad ea adducitur. Si enim dicit Deus: Ne si manum extenderit is, qui primus est formatus, & acceperit de ligno vitæ, & gustauerit, viuat in æternū: quomodo quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio, & fine, quæ neq; principij, neque finis seruiuit terminis, nō viuet in infinitū seculū? Olim quidem Dominus Deus eos, qui fuerunt Principes humani generis, & se impleuerunt mero inobedientiæ, & magnitudine transgressionis cordis clauserunt oculum, & peccati crapula grauatos habuere mentis oculos, & somno in mortem fuere sopiti, exterminauit ex paradiso Edem. Nunc autem hanc, quæ omnis vitij repulit insultus, & produxit germen Dei patris obedientiæ, & vniuerso generi fuit vitæ principium, nō suscipiet paradisus non cælum gaudens portas aperiet? Maximè. Nam Eua quidem, quæ aures præbuit nuncio serpentis, & inimici audiit suasionem, & falsæ deceptricisque voluptatis insultu fuit delinita sensibus, accipit sententiam doloris, & molestiæ; Et partus subit dolores; & cum Adamo mortis damnatur supplicio; & in inferorum collocatur penetralibus. Hanc autem omni ex parte beatā, quæ aures inclinauit Dei verbo, & repleta fuit operatione spiritus, & per archangeli hymnum spiritalem, & patris voluntate absque voluptate, & viri coniunctione concepit omnia implentem Dei verbi personam, & appositè peperit absq; doloribus, & tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuorauerit? Quomodo susceperint inferi? Quomodo audebit interitus in corpus, quod vitam suscepit? Sunt hæc aliena, & omnino remota à diuina anima, & corpore. Hanc mors tantùm aspiciens extimuit. Eius enim filium aggressa, didicit ex iis, quæ passa est: Et cùm ipsa didicisset experientia, fuit castigata. Et clausum quidem, & obseptum fuit iter tenebrosi descēsus inferorum: recta autem plana, & trita parata est via, quæ ducit in cęlum. Si enim, Vbi ego sum, illic sit meus minister, inquit Christus, qui est vita, & veritas; quemadmodum non mater cum eo habitabit? Priusquam dolorem sensisset, peperit; absque dolore fuit eius quoque è vita excessus. Mors peccatorum est mala. In qua autem mortis stimulus, nempe peccatum, fuit morte affectus, quid eam dicemus aliud, quàm vitæ principium perennis, & melioris? Verè quidem venerāda est mors sanctorum Domini a Dei potestatibus. Longè autem magis veneranda est matris Dei migratio. Nunc lætentur cęli, & plaudant Angeli. Nunc exultet terra, & præ gaudio exiliant homines. Nunc præ lætitia resonet aer canticis; & nocti obscuræ auferantur atræ tenebræ, & deformes; eáque diei splendorem alacriter imitetur, procedentibus ex igne fulgoribus. Viuens enim ciuitas Domini Dei exercituum sublimè attollitur; & Reges ex templo Domini gloriosæ, & illustris Sion, ad supernam Hierusalem, quę est libera, & sua mater, munus offerunt preciosissimum, qui sunt constituti Principes ab vniuersa terra: Apostoli, inquam, Dei matrē semper virginem. Non videtur autem mihi alienum pro viribus describere, & figura vtcunque exprimere, quę ab hac sacrosancta Dei matre facta sunt miracula; quę moderatè & valde considerate, filius à patre, vt dicitur, ex alto repetita accepimus. Videor enim mihi videre hanc sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, & piis magis piam, dulcem mannę vrnam, aut, vt verius dicam, fontem, super aliquem lectum recumbentem in diuina, & inclyta ciuitate Dauidis; in qua lex quidē fuit impleta Prophetarum, pronuntiata autem fuit lex spiritus; in qua typicum pascha peregit Christus Legislator; & verum pascha qui Deus est veteris, & noui Testamenti tradidit; in qua cęnam mysticam suis Discipulis, Agnus Dei, qui mundi tollit peccatum, celebrauit, & eis seipsum, tanquam vitulum saginatum, sacrificauit; & veræ vineæ botrum calcauit; in qua Christus aspicitur ab Apostolis surgēs à mortuis; & fidem facit Thomę, & per eum finibus terrę, quòd sit Deus & Dominus; duas in se ferēs naturas, etiam postquam surrexit à mortuis, & eis conuenienter, duas operationes, & liberas voluntates, quæ durabunt in seculum infinitum. Hęc est arx Ecclesiarum. Hęc est habitaculum Apostolorum. In hac, sanctissimi spiritus, in variis sonis, & linguis, & in specie ignis, effusus fuit aduentus Apostolis. In hac cum ille Theologus accepisset Deiparam, subministrabat ei ea, quibus opus habebat. Hæc est mater Ecclesiarum, quæ sunt per vniuersum orbem terræ. In hac vitam egit Deimater, postquam filius surrexit à mortuis. In ea ergo beata virgo iacebat super aliquem felicissimum lectum. Sed cum ad hunc locū peruenit oratio (vt enunciem meum animi motum) ardentissima accensus face desiderij, à quodam horrore occupor, & lachrymis, quæ pariunt lætitiam, ipsum beatum, & amabilem lectum amplectens, qui est plenus miraculis; qui accepit tabernaculum, quod est vitæ principium, & eius accessione fuit particeps sanctificationis. Ipsum sacrum, atque adeò sacratissimum tabernaculum, & spectatu dignissimum mihi videbar propriis cōplecti manibus, oculos, labra, & frontem, & collum, & genas membris admouens. Et contactū sensi, perinde acsi cōstaret ex pręsenti corpore. Sed cùm essem contemplatus, non potui videre oculis quod desiderabam. Quomodo enim, quod sublime raptum est in templa cęlestia? Et hęc quidem nunc. Quinam autem ei habiti sunt honores ab eo, qui lege sanxit esse honorandos parentes? Eos quidem, qui dispersi erant per vniuersum orbem terræ multiplicibus, & variis, sed numerosis linguis spiritus; & verbi sagenæ captos homines deducebant ex profundo erroris ad spiritalem, & cęlestem mensam cœnæ mysticæ; sacri, inquam, communi spiritalium sponsi cęlestis nuptiarum, quas pater filio, qui est eiusdem naturæ, & potentiæ, splendidè celebrat, & planè regiè. Eos, inquam, iussus diuinus, nempe nubes, tanquam quoddam rete, vrgebat ex finibus terræ, veluti quasdam aquilas cogens, & congregans. Vbi enim cadauer, illic congregandas esse aquilas, dixit veritas. Nam etsi de ipsius, qui hęc dixit, magno & glorioso aduentu id prædictum fuit, non absurdè tamen, tanquam quoddam condimentū orationis, hic quoque assumetur. Aderant ergo ij, qui verbum, & ipsi viderant, & ei seruierant, eius quoque matri vt debebant ministraturi, & tanquam pręclaram, & preciosam hæreditatem ab ea hausturi benedictionem

Vide esse verū quod vulgò dicitur, omnes Apostolos interfuisse dormitioni sacratissimæ Virginis.

ctionem. Cui enim dubium est, eam esse fontem benedictionis, & omnium bonorum scaturiginem? Simul autem aderant eorum quoque asseclæ, & successores, & ministerij, & benedictionis simul futuri participes. Quorum enim labor communis, conueniens erat, vt fructus quoque essent communes. Aderat verò eorum quoque, qui erant in Hierusalem, quicunque erat cœtus à Deo electus. Oportebat autem iustos quoque, & Prophetas, qui olim fuere, vnà sequi futuros huius sacri conuentus participes; qui prius annunciarunt, fore vt ex ea, propter nos carne suscepta, benignus Deus verbum nasceretur. Sed neque cœtus Angelorum aberat. Quicquid enim Regi sua sponte obediebat, & ideo ei assistendi honore dignum habebatur, id tanquam satellites adesse oportebat, ad honorandam eius matrem secundú carnem. Et omnes aderant, resplendente face spiritus, & præclaris illustrante splendoribus eos, qui reuerentia, & metu, & immobili desiderio synceros mentis oculus in eam defigebant. Nullus enim ordo ex iis, qui in cælo sunt, qui non vnanimiter affuerit; nec quisquam inuentus est qui eò quòd in supernis versatetur, & cum inferioribus non comparandus esset, descendere, & omnia, quæ diximus, munera obire recusarit. Hic fuerunt verba inspirata, & dicta diuinitus. Hic hymni diuini, qui dicuntur in decessu. Oportebat enim propterea quoq; laudare Dei plusquam infinitam bonitatem, & quæ est omni magnitudine superior, magnitudinem; & infinitam potentiam; & quæ omnem sublimitatem, & altitudinem exuperat, eius in nos moderationem: plusquam infinitas diuitias eius, quæ comprehendi non potest, benignitatis; inexplebilem abyssum charitatis; quemadmodum à sua maiestate non discedens, ad eam, quæ in altum extollit, descendit exinanitionem, id cum eo, Patre quoque comprobante, & spiritu, quemadmodum qui est superior essentia, ex vtero mulieris supercssentialiter accepit essentiam; quemadmodum Deus est, & homo factus est, & simul manet vtrunque quemadmodum neque excessit ex essentia diuinitatis, & similiter atque nos fuit particeps carnis, & sanguinis, quemadmodum qui implet omnia, & est super omnia, & vniuersa simul fert verbo oris sui, habitauit in loco angusto; quemadmodum materiale, & quod erat instar fœni, corpus insignis huius Virginis, accepit cõsumentem ignem diuinitatis; & tanquam aurum purum, & minimè adulteratum, nequaquam cõsumptum fuit, Deo hæc volente. Nam si Deus quidem velit, possunt omnia fieri. Sin autem nolit, minimè possunt. Post hæc autem inter eos quoque mota est dicendi contentio non vt se inuicem superarent (hoc enim est mentis laborantis vanæ gloriæ cupiditate, & procul remotæ à diuina voluntate) sed vt de prompto, & alacri animi studio & viribus nihil remittentes, Deum celebrarent, & matrem eius honorarent. Tunc tunc Adam, & Eua nostri generis primi parentes, exultantes clarè suis labiis exclamarunt: Tu beata filia, delenisti pœnas nostræ transgressionis. Tu cum quod corrumpi poterat, tanquam hæreditarium, corpus à nobis accepisses, in vtero nobis gestasti indumentum incorruptionis. Tu cum à nobis originem duxisses, vt benè simus vicissim reddidisti; dolores partus soluisti; mortis fascias perfregisti, nobis antiquum restituisti habitaculum. Nos clausimus paradisum; Tu ligni vitæ viam aperuisti. Per nos, ex iis quæ bona erant, venere quæ erant molesta; Per te, ex iis, quæ erant molesta, rediere quæ erant meliora. Et quomodo morti es obnoxia, quæ es intemerata? Tu es pons ad vitam, & scala ad cælos. Tibi mors quodammodo erit cymba, qua traiiciaris ad immortalitatem verè beata inter mulieres & vndique beãda: Ecquisnam talis, nisi verbum hoc passum, quatenus fuit oblatum, quod dum pateretur, mortem ipsum vicit? Plaudebat vniuersus quoque chorus sanctorum, dicens: Tu nobis adimplesti prædictiones. Tu nobis eam, quæ expectabatur, adimplesti lætitiam. Per te enim soluti sumus à vinculis mortis. Age dum huc ad nos veni, O diuine, & qui vitá affers, thesaure. Veni ad nos desiderátes, quæ finem nostro imposuisti desiderio. Sed non paucioribus verbis eam vicissim retrahebat multitudo sanctorum, qui adhuc erant in corpore dicens: Mane nobiscum, quæ es nostra consolatio; quæ es nobis vnicum in terra solatium. Ne nos relinquas Orphanos, quæ es mater misericordiæ, venientes in periculum. Habeamus te laborum requiem, & sudorum refrigerationem. Tibi si velis manere, in tua est potestate; & si velis recedere, nihil est impedimenti. Si recedis, quæ es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus tuus populus propter tuum filium. Te solam in terra relictam habemus recreationẽ. Tecum viuente simul viuere, & cum moriente mori est beatum. Quid autem dicimus Moriente? Nam tua quidem est vita mors; & vita es melior, & hanc vitam superasti incomparabiliter. Nobis autem quemadmodum erit vita vitalis, si te non habeamus cum qua versemur? Hæc mihi videntur Apostoli cum tota ecclesiæ congregatione dicere beatæ Virgini. Sed cum ad excessum è vita festinantem, & illum desiderantem vidissent Dei matrem, conuersi sunt ad hymnos, qui dicuntur in excessu, diuina impleti gratia, & os commodantes spiritui, & à carne excedentes, & vnà cum emigrante Dei matre emigrare cupientes, & quoad eius fieri poterat, vehementi animi studio præmigrantes. Postquam autem omnes desiderio simul, & debito satisfecerunt, & ex multis floribus, variisque hymnis contextam sacram contexuere coronam, benedictionem, tanquam aliquẽ à Deo datum thesaurum, accepere, quæ in exitu postrema dicuntur, verba dicentes. Ea autem, quãtum ego possum scire, fluxam, & inanem vitam præsentem enunciabant, & quæ erant occulta, in apertum producebant futurorum mysteria. Deinde quædam his conuenientia, & consequentia tunc videntur esse facta. Aduenit enim Rex, vt mihi quidem videtur, ad suam parentem, diuinisque, & ab interitu alienis manibus suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam. Et ea quidem dixit, vt est consentaneum; In manus tuas, fili, commendo spiritum meum, suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terræ. Custodi saluum, quod tibi placuit habitare, & cum natus esses, conseruasti virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es, fœtus meorum viscerum, ego quoque tecum degam. Ad te enim propero, qui ad me ventitasti citra vllam spatij distantiam. Tu meis filijs maximè desiderabili-

bus, quos tibi placuit vocare fratres, esto mei discessus solatium. Benedictioni eorum adijce benedictionem, per mearum manuum extēsionem. Deinde cum manus sustulisset, vt erat consentaneum, eis benedixit, qui erant congregati. Cum hæc autem fecisset, & audisset à filio: Veni, benedicta mater mea, in requiem meam: Audi, surge propinqua mea, pulchra inter mulieres. Ecce hyems præterijt, venit tēpus putationis. Pulchra es propinqua mea, & macula non est in te. Odor vnguentorum tuorum supra omnia aromata: Hęc (inquam) cum audisset sancta, deponit spiritum in manibus filij. Quid deinde fit? Elementorum, vt mihi quidem videtur, factus est motus, & alteratio, vocésque, & strepitus: Laudésque dignas canebant Angeli, præcurrentes, deducentes, consequentes; partim quidem sanctissimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes, & simul ascendentes, donec regali throno stitissent Reginam; partim autem diuinum, & sacrum corpus circundantes, & canticis, quæ Angelis digna erāt, Dei matrem celebrantes. Quid verò ij, qui aderant sanctissimo & sacratissimo corpori? Metu & desiderio, & lachrymis exultationis * diuinissimum, & sanctissimum circunsistentes tabernaculum, amplectebantur, osculabantur, omnibus membris os admouebant, ex contactu repleti sanctificatione, & benedictione. Tūc autem morbi quidem fugiebant; fugabantur turbæ dæmonum, omni ex parte compulsæ ad sola loca subterranea. Aër, æther, & cælum ascēsu spiritus sanctificabantur; terra autē depositione corporis. Sed neque aquæ natura erat expers benedictionis. * Lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, immo verò ipsa sanctificabatur. Hic surdis quidem perficiebatur auditus: claudis autem integer reddebatur ingressus, firmæque, & solidæ fiebant bases pedum; cæcis restituebatur visus; accedentibus peccatoribus disrumpebantur chirographa. Deinde quid? Mundum in mundis inuoluitur sindonibus, & in lecto rursus Regina imponitur. Deinde lampades *, & vnguenta, & hymni, quibus eam prosequebantur. Angelis quidem suis linguis canentibus hymnum eis conuenientissimum, Apostolis autem, & à Deo inspiratis patribus, Deo grata canentibus cantica & quibus applaudebat spiritus. Tunc tunc arca Domini sublata ex monte Sion, vecta inclytis humeris Apostolorum, in cæleste templum transmittitur per mediam ciuitatem, tanquam quædam sponsa speciosa, decorata splendore spiritus, ad quem non patet aditus; & sic fertur in sacratissimum prædium Gethsemanes; Angelis præcurrentibus, consequentibus, alijs contegentibus; & Ecclesiæ tota congregatione. Et quomodo rex Salomon, propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Hierusalem vocauit ad concionem in Sion, vt transferret arcam testamenti Domini de ciuitate Dauid, quæ erat Sion: & sustulerunt Sacerdotes arcam, & tabernaculum testimonij, ipsi verò, & Leuitæ, & Rex, & vniuersus populus ante arcam sacrificabant boues, & oues innumerabiles; qui & intulerunt ipsam arcam testamenti Domini in locum eius, in Daber domos, in sancta sanctorum, sub alas Cherubin: Sic tunc propter requiem arcæ intelligentis, non testamēti domini, sed ipsius hypostasis Dei Verbi, ipse

* Ecce quam multa dicit in honorē diuinissimi, & sanctissimi corporis beatæ Virginis: & quā sancta & delicata fuerit ab omnibus venerāta.

* Vide morem lauandi mortuorum corpora.

* Sancta Dei genitrix cum lampadibus, vnguentis, & hymnis etiam Angelicis, sepelitur, & quidem honorificentissimè.

nouus Salomon, qui est Princeps pacis, & vniuersi optimus architectus, mentium cælestium supermundanos ordines, & noui testamenti proceres, Apostolos, inquam, cum vniuerso populo sanctorum, qui erat Hierosolymis hodie congregauit: & animam quidem per Angelos in sancta sanctorum, quæ sunt exemplaria vera, & cælestia, introducit, sub ipsas alas quadruplicis formæ animalium, & suo sitam throno in interiori tabernaculo, in quod præcursor ipse Christus ingressus est corporaliter; Portatur autē corpus manibus Apostolorum; Rege Regum id tegente splendore suæ, quæ sub aspectum non cadit, diuinitatis, & toto cœtu populi præcurrente, & sacras voces emittente, & sacrificante sacrificium laudis, donec in sepulchro, tanquā in thalamo, & per ipsum in delicijs Edem, & in cælestibus repositus fuit tabernaculis. Aderant autem forte ex Iudæis nonnulli. Operæpretiū est enim, tanquā obsonio cōdimentum, id quod multorum labris profertur, admiscere narrationi. Aiunt cum fuissent in descensu montis, ij, qui tollebāt beatum corpus Dei matris, Hebræum quendam seruum peccati, & qui fœdus inierat cum errore, imitantem seruum Caiphæ qui Dominico, & diuino Christi Dei vultui impegit colaphum, cū effectus esset instrumētum Diaboli, audaci & considerato impetu, & infelici impressione irruisse in diuinissimum illud tabernaculum, ad quod timentes accedunt Angeli; & cū ambabus manibus furiosè grabatum apprehendisset, id in humum deijcere voluisse, inuidia illius, qui est auctor malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus. Sed laborem præuenit fructus, & amaram collegit vuam, & dignam sui animi instituto. Aiunt enim ei defecisse manus. Et licebat videre eum, qui sua manu audax & nefarium fecerat facinus, repente carere manibus, donec mētem conuertit ad fidem, & pœnitentiam. Cum primùm enim constitissent ij, qui grabatum portabant, & mutilata brachia imposuisset infelix tabernaculo, quod vitæ dedit principium, & petit admirabiliter, ex manco manibus sanus, & saluus euasit. Solent enim magna ex parte calamitates quoq; sapientia, & salutaria parere cōsilia. Sed reuertamur ad propositum. Hinc ad sacratissimam deducunt Gethsemane. Rursúsque amplexus, & rursus encomia, hymni sacri, & genuum inflexiones, & lachrymę, & ex animi mœrore, & desiderio sudorum fontes circunfluentes. Licebátque videre sudores, & lachrymas de fluxu contendentes. Sic igitur sanctissimum corpus pręclarissimo imponitur monimento. Sed hinc tertio die ad cursus cœlestes in cœlestia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum; fontem, qui non potest exhauriri, atque remissionis; cęlestis panis terram inarabilem, botri ambrosię terram inirrigabilem, semper florentem, & fertilem oleam paternę misericordiæ, coerceri in sinu terræ. Sed quomodo quod ex ea constitit, Verbi Dei corpus sanctum, & integrum, & interitui minime obnoxium, tertio die surrexit ex monimēto; ita etiam eam eripi è sepulchro decebat, & matrem transferri ad filium; & quomodo ipse ad eam descendit; ita etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in maius, & perfectius tabernaculum, nempe in ipsum cœlum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in suo vtero hospitio exceperat, collocari in diuinis sui filij tabernaculis:

Anima sanctissima Virginis in throno sistitur filij Dei.

culis: & quomodo dixit Dominus debere se esse in ijs, quæ sunt sui patris; ita etiam matrem oportebat habitare in regia filij, in domo Domini, & in atriis domus Dei nostri. Si enim in ipso est habitatio omnium, qui lætantur, vbi est causa lætitiæ, oportebat eius, quæ in pariendo integram conseruauit virginitatem, incorruptum conseruari corpus etiam post mortem. Oportebat eam, quæ Creatorem in sinu gestauit infantem, in diuinis versari tabernaculis. Oportebat spõsam, quam pater despõdit, degere in thalamis cælestibus. Oportebat eam, quæ suum filium in cruce aspexerat, & doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre sedentem cum patre. Oportebat Dei matrem possidere ea, quæ sunt filij, & tanquam Dei matrem, & ancillam, adorari ab omni creata natura. Nam & si semper quidem à parentibus ad filios descendit hæreditas; nunc (vt dicit quidam sapiens) ad fluuiorum caput fontes procedunt. Filius enim vniuersam creatam naturam redegit in matris seruitutem. Agedum ergo nos quoque hodie Dei matris diem festum celebremus, qui solet in discessu; non tibias aliquas ferentes, & Corybantes, & matris falsorum, qui vocantur, Deorum, vt ipsi dicunt, peragentes orgia: quam etiam multis filiis fœcundam stulti confingunt; sermo autem veritatis ostendit carere filiis. Dęmones sunt hæc adumbrata spectra, qui id quod non sunt, temere simulant, ac repræsentant, eorum, qui falluntur, ignorationem habentes adiutricem. Quemadmodum enim gignit ex coniunctione id, quod est incorporeum: & quonammodo coibit? & quis Deus est, id, quod priùs quidem non erat, deducitur autem ad generationem. Quod autem Dæmonium genus sit incorporeum, est cuiuis manifestum, vel iis etiam, qui mentis oculis cæcutiunt. Alicubi enim dicit Homerus, se dignorum Deorum statum exponens. Nun esca iis panis, calidum nec potto vinum est. His deest hinc sanguis, immortalésque vocantur. Non est eis, inquit, esca panis, neque quod calefacit vinum est eis potus: Ea de causa deest eis sanguis; hoc est, non habent sanguinem: & nominantur immortales. Proprie autem, & vere dixit illud, Vocantur. Nam vocantur quidem immortales, non sunt autem id, quod vocantur. Sunt enim mortui morte vitij. Nos vero quibus est verus Deus id, quod colitur, Deus, qui non ex iis, quæ sunt, productus est ad hoc vt esset, sed qui semper est ex eo, qui est semper, supra causam, & rationem, & notionem, temporis & naturæ matrem Dei colimus, & veneramur, non enim eius diuinitatis ex ipsa describentes generationem, quæ est sine tempore: Dei enim Verbi ex Deo generatio est sine tempore, & patri coæterna. Sed secundam confitentes generationem, per voluntariam carnis susceptionem, atque eius causam & scientes, & dicentes. Carne enim induitur is, qui est sine principio, sine corpore, propter nos, & propter nostram salutem, vt simile seruet simili. Et cum carnem suscepisset ex hac sacra Virgine sine coiũctione, nascitur ipse manens totus Deus, & totus factus homo, ipse totus Deus cum carne sua, & totus homo cum eius plusquam diuina diuinitate. Sic Dei matrem cognoscẽtes hãc Virginem, celebramus eius dormitionem: non hanc Deam appellantes (Absit: est enim gentilium nugarum hæc fabulari: nam eius quoque mortem annunciamus) sed Dei carne induti matrem cognoscentes, hanc hodie sacris prosequimur canticis, nos, qui hoc adepti sumus, vt Christi populus & simus, & dicamur. Hanc nocturnis honoremus stationibus. Hãc animi, & corporis castitate oblectemus, quę re vera post Deum casta est supra omnes. Solent enim naturaliter similia gaudere similibus. Hanc colamus egenorum commiseratione. Si enim Deus nulla re æquè colitur, atque misericordia; quis contradicet matrem quoque non lætari similibus? Hæc publicauit ineffabilem Dei in nos abyssum. Per eam nobis cum eo magno plausu intra fuit reconciliatio, páxque, & gratia fuit donata: & simul cum Angelis choreas ducunt homines; & filij Dei sumus effecti, qui priùs eramus contemptui, & notati infamia. Ex hac botrum vitæ decerpsimus. Ex hac collegimus germen incorruptionis. Hæc nobis bona conciliauit. In hac, Deus quidem homo, & homo Deus factus est. Et quid hoc admirabilius? quid beatius? Caligo meu, timens id quod dicitur. Cum Maria Prophetissa, O animæ iuuenes, choros ducamus cum tympanis, mortificãtes membra, quæ sunt super terram: hoc enim est mysticum tympanum. Iubilemus in arca Domini Dei, animæ iubilationibus; & muri cadẽt Hierichuntini, cõtrariarum, inquam, potestatum infestæ munitiones. Post Dauid exultemus spiritu. Arca Domini hodie requieuit. Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos: Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gaudij pelagus, quod non potest consumi. Aue vnicum molestiarum leuamen. Aue medicamentum, quod medetur cordis doloribus. Aue per quam mors quidem fuit expulsa, vita autem introducta. Tu verò ô sacrorum sepulchrorum sacratissimum, post Domini quidem sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons resurrectionis (etenim loquar, tanquam cum animato) vbi est aurum purum, quod manus Apostolorum in te recondiderunt? Vbi sunt diuitiæ, quæ consumi nequeũt? Vbi est, qui Deum suscepit, thesaurus? Vbi est mensa animata? Vbi est nouus liber, in quo ineffabiliter Deus Verbum inscriptus fuit sine manibus? Vbi est abyssus gratiæ? Vbi est pelagus curationum? Vbi est valde desiderabile, & animabile corpus Deiparæ? Quid quæritis in sepulchro eam, quæ ad cælestia translata est tabernacula? Cur à me custodiæ rationem exposcitis? Non licet mihi iussis diuinis resistere. Corpus sacrũ, & sanctum relictis sinodibus, cum me impertijsset sanctificatione, & vnguento, bonóque odore repleuisset, & templum diuinum effecisset, abit raptum sublime, comitantibus Angelis, & cælestibus omnibus. Nunc me defendunt Angeli. Nunc diuina in me habitat gratia. Ego quasi officina medicinæ ægrotantibus. Ego sum fons perennis curationum. Ego remedium aduersus dęmones. Ego sum refugium omnibus confugientibus. Fide populi accedite, & tanquam ex fluuio haurite charismata, fidem habentes non hæsitantem. Accedite, qui sititis; venite ad aquam (iubet Esaias) & qui non habetis pecuniam, properate, emite sine pretio. Ego omnibus exclamaui Euangelicè: Qui sitit morborum medicinam, à perturbationibus animi liberationem, peccatorum abstersionem, ab omne genus insultibus alienationem, regni cælorum requiem, ad me fide veniat, & hauriat fluen-

Ecce quot, & quantis virtutibus decoratur Matris Dei sepulchrum.

matris festum [illegible]

tum gratiæ, quod magnæ est virtutis, & vtilitatis. Quomodo enim aquæ operatio, quæ est simplex & vnica, terræ quoque, & aeris, & solis omni ex parte lucentis, mutat ut vnicuique eorum, qui eam participantur, conuenienter eorum naturæ; & in vite quidem fit vinum, & in olea oleum: ita etiam gratia, licet sit simplex, & vna, variè tamen & habita ratione vsus vniuscuiusque, beneficio afficit eos, qui sunt participes. Ex mea natura non habeo gratiam. Sepulchra fœtere solent, tristitiam concitare, lætitiæ esse aduersa; Ego autem quasi vnguentum pretiosum, & boni odoris particeps, vnguentum, inquam, tam odoriferum, & tantæ efficaciæ, vt vel parua sui portione donet defensionem, quæ auferri nequeat. Sunt enim re vera eiusmodi charismata diuina, vt ea nullam vnquam inducant pœnitentiam. Lætitiæ fontem excepi hospitio, & diues remansi perenni eius scaturigine. Videtis, amici patres, & fratres, quæ nobis porrigit sepulchrum gloriosissimum? Quòd autem hæc ita se habeant, in Euthymiacæ quoque historiæ libro tertio, capite quadragesimo, his verbis scriptum est. Superiùs quidē dictum est, quòd Constantinopoli multas Christo erexit ecclesias sancta Pulcheria. Ex his autem vna est, quæ in Blachernis fuit ædificata in principio imperij diuinæ memoriæ Marciani. Ij ergo, scilicet Pulcheria, & Marcianus cum illic ædificassent domum venerabilem maximè celebrandæ, & sanctissimæ Deiparæ, & semper virgini Mariæ, & eam omnibus exornassent ornamentis, quærebāt eius sanctissimum corpus, quod Deum susceperat. Et cum accersiuissent Iuuenalem Hierosolymitanum Archiepiscopum, & Palæstinæ Episcopos, qui in regia vrbe versabantur, propter synodum, quæ tunc facta est Chalcedone, dicunt eis: Audimus esse Hierosolymis primam & egregiam sanctissimæ Deiparæ, & semper virginis Mariæ ecclesiam in prædio quod vocatur Gethsemane, vbi eius, quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depositum. Volumus ergo eius huc adduci reliquias ad custodiam huius regiæ ciuitatis. Excipiens autem respondit Iuuenalis: In sancta quidem, & diuinitus inspirata scriptura de decessu sanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur. Ex antiqua autem, & verissima accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ eius dormitionis, vniuersi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium obibant momento temporis sublimè sublati conuenerunt Hierosolymis. Et cum apud eam essent, eis visio extitit Angelica; & audita fuit diuina hymnodia præstantiorum potestatum: & sic eum diuina gloria, & supercælesti, in manus Dei sanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili. Quod verò Deum suscepit, eius corpus, cū Angelica & Apostolica hymnodia elatum, vestis ei factis in loculo fuit depositum Gethsemane. Quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post tres dies autē Angelica cessante hymnodia, qui aderant Apostoli, cum vnus abfuisset, & post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat corpus adorare voluisset, loculum aperuerunt, sed intemeratum quidem, & omni ex parte laudandum corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cum ea autem sola inuenissent, in quibus fuerat compositum, & positum, & ineffabili, qui ex iis proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Qui mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum poterant cogitare, quod cui placuit in propria persona carne indui, & ex sacrosancta Virgine homo fieri, & nasci in carne Deus Verbum, & Dominus gloriæ; & post partum, eius incorruptam conseruauit virginitatem; ei quoque visum est, postquam ea è viuis excessit, intemeratum eius, & impollutum corpus honorare translatione, ante communem, & vniuersam resurrectionem. Tunc autem adorant cum Apostolis sanctissimus Timotheus Apostolus, & primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita: sicut hic ipse magnus testatur Dionysius in iis, quę de beato Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, conscripsit ad dictum Apostolum Timotheum, sic dicēs: Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quādo nos quoque, sicut ipse nosti, & multi ex sacris nostris fratribus, ad spectaculum corporis, quod vitę principium dedit, & Deum suscepit, conuenimus, (Aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus suprema, & antiquissima Theologorum summitas) & post- *De Hierotheo intelligit.* quam eam vidissemus, visum fuit, vt omnes sacerdotes hymnos canerent, & laudarent, prout poterat vnusquisque, infinitam bonitatem diuinarum virtutum; post Theologos, ille vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui planè excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate, & communione, & ab omnibus, à quibus audiebatur, & videbatur, & cognoscebatur, & nō cognoscebatur, iudicaretur esse a Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorum. Et quid tibi amplius dixerim de iis, quę illic diuinè dicta sunt. Etenim nisi mei quoque sum oblitus, scio me sępius, multósque alios à te audiisse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Hęc cum audissent Imperatores, petierunt ab ipso Archiepiscopo Iuuenale, vt sanctus ille loculus cum vestibus clarissimę, & sanctissimę Deiparę Marię sigillo munitus ad eos mitteretur. Quę cum missa fuissent, ea deposuerunt in veneranda ęde, quę ędificata fuerat in Blachernis. Et hęc quidem sic. Quid nos autem dixerimus sepulchro? Tua quidem gratia est perennis, nec vnquam deficit. Sed non diuina virtus iis circumscribitur; neque Dei matris beneficia habitant in solo monumento. Si enim solo sepulchro circumscriberentur, donum paucis suppeteret diuinitus. Nunc autem in omnibus mundi finibus est abundè distributum. Nostram ergo memoriam efficiamus repositoriū Deiparæ. Hoc verò quomodo erit? Ea fuit virgo, & amatrix virginum: Ea fuit casta, & amatrix castorum. Si ergo cum corpore mentem quoque castam habuerimus, inhabitantem eius gratiam possidebimus. Fugit enim omnem limum, & omnes cœnosos declinat animi motus. Abhorret ingluuiem turpissimæ fornicationis infesta est vitiis, ac execrandas eius cogitationes fugit, tanquam fœtus viperarum. Turpia verba & scurrilia repellit, & cantica, Vnguenta meretricia reijcit. Odit iræ tumores; Inhumanitatem, & inuidiam, & lites non admittit. Auersatur vanam gloriam, quæ ponit studium in rebus inanibus. Ampullis superbiæ hostiliter aduersatur. Odium & iniuriæ acceptæ recordationem odit, vt salutis aduersariam. Omne vitium reputat, tanquam virus letiferum. Delectatur autem horum contrariis. Contraria enim contrariis curantur. Iucundum est ei ieiunium, &

conti

Hæ virtutes, quæ ſunt gratæ beatæ Virgini, diſplicent noſtri tẽporis hæreticis: non ergo hi amabuntur ab ea.

continentia, & Pſalmorum Cantica. Caſtitati, & virginitati moderationique, & temperantiæ aſſentitur; & cum eis pacem agit perpetuam: & eas benignè amplectitur. Moderatum, & manſuetum diligit, & fouet Animum. Charitatem, & miſericordiam, & humilitatem in honore habet, tanquam ſuas nutrices. Et (vt ſemel dicam) moleſtum quidem eſt ei omne vitium: Omni autem virtute delectatur, vt quæ ſit ei nota, & familiaris. Si ergo quæ priùs quidem dicta ſunt, omni animi impetu declinauerimus: virtutes autẽ omni ſtudio dilexerimus, & eas habuerimus nobis familiares, veniet frequẽter ad ſuos ſamulos, omnium bonorum cœtum ſecum ſimul attrahẽs, & Chriſtum ſuum filium, & omnium Regem, & Dominum vnà aſſumet, vt in noſtris cordibus inhabitet. Cui gloria, honor, potentia, maieſtas, & magnificentia, Cum patre principij expertè, & ſanctiſſimo, & viuifico ſpiritu, Nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

S. BERNARDI ABBATIS
Claraeuallenſis in idem Euang.
Sermo 1.

INtrauit Ieſus in quoddam, &c. Virgo hodie glorioſa cælos aſcendens, ſupernorum gaudia ciuium copioſis ſine dubio cumulauit augmentis. Hæc eſt enim cuius ſalutationis voce & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quòd ſi paruuli necdum nati anima liqueſacta eſt, vt Maria locuta eſt: quid putamus quænam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt? Nobis verò chariſſimi, quæ in eius aſſumptione ſolennitatis occaſio, quæ cauſa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò vt & ipſa iam cæleſtis patria clariùs rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Meritò proinde reſonat in excelſis gratiarũ actio, & vox laudis, ſed plangendum nobis quàm plaudendum magis eſſe videtur. Quantum enim de eius præſentia cælum exultat, nunquid non conſequens eſt vt tantum lugeat hîc noſter inferior mũdus eius abſentiam? Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis hîc eſt manens ciuitas: ſed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta peruenit. In quam ſi conſcripti ciues ſumus, dignum profectò eſt etiam in exilio, etiam ſuper flumina Babylonis eius nos recordari, eius communicare gaudiis, eius participare lætitiam, maximéque eam quæ tam copioſo impetu lætificat hodie ciuitatem Dei: vt ſentiamus & ipſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominam ſeruuli clamantes, Trahe nos poſt te: in odore vnguentorum tuorum curremus. *Cant. 1.* Aduocatã præmiſit peregrinatio noſtra: quæ tanquam iudicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negocia pertractabit. Precioſum hodie munus terra noſtra direxit in cælum, vt dãdo & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cæleſtibus, ima ſummis. Illuc enim aſcendit fructus terræ ſublimis, vnde data optima & dona perfecta deſcendũt. Aſcendẽs ergo in altũ virgo beata dabit ipſa quoq; dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cælorum eſt, miſericors eſt. Deniq; mater eſt vnigeniti filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius ſeu pietatis magnitudinem commendare: niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem: aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo eſt charitas, nouem mẽſibus corporaliter requieuit. Et hæc quidem propter nos dixerim fratres, ſciens difficile eſſe vt in tanta inopia charitas illa perfecta non quærens quæ ſua ſunt, valeat inueniri. Vt tamen interim ſileam beneficia quæ pro illius glorificatione cõſequimur: ſi eam diligimus, gaudebimus vtique, quia vadit ad filium. Planè inquam congratulabimur ei, niſi forte (quod abſit) inueniamur ingrati. Quẽ enim in caſtellum mundi huius intrantem prius ipſa ſuſceperat: ab eo ſuſcipitur hodie ſanctam ingrediens ciuitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior vteri virginalis tẽplo in quo filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cælis regali ſolio in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimauit. Fœlix nimirũ vtraque ſuſceptio: ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis eſt. Vt quid enim ea hodie in eccleſiis Chriſti Euangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepiſſe intelligitur ſaluatorẽ? Credo vt hæc quam celebramus, ex illa ſuſceptione aliquatenus æſtimetur, imò vt iuxta illius inæſtimabilem gloriam inæſtimabilis cognoſcatur & iſta. Quis enim etiamſi linguis hominum angelorúmque loquatur, explicare queat quemadmodũ ſuperueniente ſpiritu, obumbrante virtute altiſſimi caro ſanctum ſit verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & Dominus maieſtatis, quem non capit vniuerſitas creaturæ, intra virginea ſeſe clauſerit viſcera factus homo? *Ioan. 1.* Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie mundi regina proceſſerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quam placido vultu, quam ſerena facie, quam diuinis amplexibus ſuſcepta a filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantũ decuit filium? Fœlicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non fœliciora cenſebimus quæ ab ore ſedentis in dextera patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cum aſcenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens & dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui? *Cant. 1.* Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: quod præparauit gignenti ſe, & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? *1. Cor. 2.* Fœlix planè Maria, & multipliciter fœlix, ſiue cum excipit ſaluatorem, ſiue cum à ſaluatore ſuſcipitur: vtrobique mira dignitas virginis matris: vtrobique amplectenda dignatio maieſtatis. *Intrauit*, inquit, *Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam excepit illum*

lum in domum suam. Sed laudibus magis vacandum est, quòd festiuis præconiis hæc dies debeatur. Quia verò copiosam nobis materiam lectionis huius verba ministrant: cras quoque conuenientibus nobis in vnum communicandum erit sine inuidia quòd fuerit desuper datum, vt in memoria tantæ virginis non modò affectus deuotionis excitetur, sed & mores ædificentur ad prouectum conuersationis, in laudem & gloriam filij eius Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

EIVSDEM IN EADEM *solennitate, de euangelica lectione,* *Sermo 2.*

I*Ntrauit Iesus in quoddam castellum.* Opportunè satis hoc mihi in loco prophetica exclamatio assumenda videtur: *Baruc.3.* O Israël quàm magna est domus Domini, & ingēs locus possessionis eius! An non ingēs, cuius comparatione castellum dicitur terræ huius spatiosissima latitudo? An non ingēs patria & regio inæstimabilis, quando ab ea saluator adueniens, cùm ingrederetur orbem terræ, introiret castellum? Nisi fortè castellū quis aliud intelligendum putet quàm atrium fortis armati principis mundi huius, cuius vasa diripere *Luc.11.* fortior superuenit. Festinemus in illam ingredi beatitudinis amplitudinē, fratres, vbi nemo aliū coangustat: vbi possimus cum omnibus sanctis comprehendere quænam sit longitudo & latitu- *Rom.9.* do, sublimitas & profundum. Neque id desperemus, quandoquidem ipse cœlestis habitator patriç etiam & creator, nostri huius castelluli angustias non refugit. Sed quid intrasse eum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis vteri diuersorium introiuit. Denique & mulier quædam excepit illum in domū suam. Felix mulier, quæ iam non exploratores Hiericho, sed potiùs fortissimum illum expoliatorem stulti illius qui verè vt luna mutatur, non legatos Iesu filij Naue, sed ipsum magis suscipere meruit verum Iesum filium Dei. Felix inquam mulier, cuius domus saluatore suscepto inuenta est mū la quidem sed planè non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam? Neque hoc solùm: sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi vt etiam superimpleat eā? Ad quid nisi vt adueniente iam spiritu plena, sibi eodem superueniente, nobis quoque superplena & superfluens fiat? Vtinam fluāt in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum: vt de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa per quam & nos Dominum Iesum in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, & singulæ domus: & sapientia pulsat ad ostia singulorum. Si quis ei aperuerit, introibit, cœnabitque cum eo. Est vulgare prouerbiū, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur: Bonum, inquiunt, seruat castellum, qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis *Prou.4.* inquit; Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Esto tamen, cedēdum sit multitudini: bonum castrum custodiet, qui custodierit corpus suum. Illud sanè quærendum, quænam huic sit adhibēda custodia castro. Rectène custodisse tibi videtur anima illa corporis sui castrum, cuius membra velut coniuratione facta inimico eius dominium tradidere? Sunt enim qui cū morte fœdus inierunt, pactum pepigerunt cum inferno. Incrassatus est, inquit, dilectus, & recalcitrauit *Deut.32.* incrassatus, impinguatus, dilatatus. Hęc planè custodia, quæ laudatur à peccatoribus in desideriis carnis suæ. Quid vobis videtur fratres? Num & in hac parte cedendū est multitudini? Absit; Paulum magis interrogemus, vtpote ducem strenuum militiæ spiritualis. Dic nobis Apostole, quæ sit tui *1.Cor.9.* custodia castri? Ego, ait, sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërē verberans. Castigo corpus meum, & in seruitutē redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. *Rom.6.* Et alio in loco: Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius. Vtilis profectò custodia, & felix anima quæ sic custodierit corpus suum, vt nunquam sibi vendicet illud inimicus. Fuit enim aliquando cùm hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat, sibi potestatiue membris imperans vniuersis. Quātum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indicat desolatio & egestas. Heu nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminauit vineas, messuit segetes, arbores extirpauit: quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia *Psal.93.* Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, vbi nulla cōfessio, vnde nemini datur exire. Cæterùm etiam tunc nec carcer illi deerat, nec infernus. Ab ipso nempe coniurationis & perditionis pessimæ deprehensa principio, non alibi quàm in domo propria carcerali est mancipata custodiæ, nec aliis quàm suæ illius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio & memoria: atque hi quidem crudeles, austeri & immisericordes: sed longè minus rugientibus illis præparatis ad escam, quibus erat iamiamque tradenda. Sed benedictus Deus qui *Psal.124.* non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedictus inquam Dominus qui visitauit & fecit redemptionem. Cùm enim inferiori eam carceri tradere malignus & tortoribus acceleraret, sed & castrum ipsum ignibus cremare perpetuis, vt digna periuris fieret retributio membris: fortior superuenit. Intrauit in castellum Iesus: qui fortem alligans, eius vasa diripuit: vt quæ priùs erant in contumeliam, faceret in honorem. Contriuit portas æreas, & confregit ferreos vectes, vinctum de domo carceris & vmbra mortis educens. Porrò egressus eius in confessione. Ipsa est enim scopa qua mūdatus carcer & ornatus, deinceps regularium institutionum iūcis quibusdam pulchrè virentibus de carcere redit in domū. Habet ergo mulier iam domum suam, habet vbi suscipiat eum cui super tātis beneficiis extat obnoxia. Alioquin væ ei si eum excipere renuit, si non detinet, si non cogit manere secum, quoniam aduesperascit. Rediens enim qui priùs eiectus est, mundatam quidem & ornatam domum inuenit, sed vacantem. Relinquitur siquidem mulieri domus sua deserta, quam saluatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodo? inquis. Poteritne domus mundata confessione priorum delictorum, & obseruatione regularium institutionum ornata,

ornata, indigna adhuc iudicari habitaculo gratiæ, saluatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, & iuncis (vt dictum est) strata virentibus, interiùs plena fit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulchris, quæ videntur à foris speciosa, intrinsecus autem spurcitia & sanies vniuersa repleuit? Esto siquidem vt aliquando tanquam ipsa superficie delectatus incipiat primum apponere pedem, ei qui huiusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo; nunquid non resiliat illicò cum indignatione? Nunquid non effugiet clamitans: Infixus sum in
Psal.68. limo profundi, & non est substãtia? Virtutis enim species & non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque verò ingressum eius exterioris potest conuersationis tenuis superficies sustinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio est. Quòd si nequaquam spiritus disciplinæ subditum manifestè peccatis corpus inhabitat, fictum vtique non modò declinat, sed & effugit, atque elongatur ab eo. An verò aliud est quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certius esto quoniam pullabit vberiùs: & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem qui eiectus fuerat hostis malignus intrabit. Reuersus enim ad vomitum canis, odibilis erit multo plus quàm antè: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes inciderit, vt sus lota in volutabro luti. Vis videre mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confessus est, & deseruit manifesta peccata præcedentia ad iudicium, & nunc solas mouet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, planè quasi vitula Effraim docta diligere trituram, Exteriorum quæ ad modicum valent, nec vnum iota præterit, sed camelum glutit dùm culicem liquat. In corde enim seruus est propriæ voluntatis, cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia aut singula quæque intus vitia fouens: & mentitur iniquitas sibi: sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominẽ, vt seducat etiam semetipsum, penitùs non attendens vermem qui interiora depascitur. Manet enim superficies, &
Osea 7. falsa sibi omnia arbitratur. Comederunt (ait propheta) alieni robur eius: & ignorauit. Dicit, quia diues sum, & nullius egeo: cùm sit pauper & miser & miserabilis. Nam & inuẽta occasione ebullire saniem quæ latebat in vlcere, & excisam non extirpatam arborem in siluam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inueniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens: sed inueniatur vtilis ad omnia pietas, & exercitium spirituale. *Mulier*, inquit, *Martha nomine* excepit *illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria.* Sorores sunt, & debent esse contubernales. Occupatur hæc circa frequens ministerium, illa dominicis est intenta sermonibus. Ad Martham spectat ornatus, sed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino, vt nõ sit domus vacans. Sed mundationem cui possumus attribuere; Erit enim, si & hoc inuenerimus, domus in qua saluator suscipitur, & munda & ornata, & non vacans. Demus eam Lazaro, si & vobis ita videtur. Et ei siquidem fraternitatis iure cum sororibus est domus ista communis. Dico autem Lazarum quem quatriduanũ iamiãque fœtentẽ à mortuis excitat vox virtutis: vt videatur satis congrue formam gerere pœnitentis. Intret ergo domum saluator, & frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi. Sed forte curiosius quisquam requirat cur in præsenti euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane ne id quidem à proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cùm omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam: quippe cùm & nunc in baptismate sola hanc maculam lauet gratia, & sola eam raserit olim petra circuncisionis: vt omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis cõscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, vt in thalamo virginali inueniantur Martha & Maria tantum. Ipsa est enim quæ Elizabeth grauidæ & grandæuæ quasi mensibus tribus humili deseruiuit officio: ipsa verba omnia quæ de filio dicebantur, conseruabat conferens in corde suo. Neminem ergo moueat quod suscipiens mulier dominum, non Maria, sed Martha vocatur: quando in hac vna & summa Maria, & Marthæ negotium, & Mariæ non otiosum otium inuenitur. Omnis quidem gloria filiæ regis ab intus, nihilo minus tamen in fimbrijs aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum prudens virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An forte excidit vobis euangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat equidem domus earum mũda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est fatuæ cum prudentibus lampades ornauerunt: sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est quod nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus cęlestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contriuit. Habes enim post multa in laudibus eius, quia nõ extinguetur in nocte lucerna ipsius. In suggillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur sero, & dicunt, Quia lampades nostræ extinguuntur. Processit igitur gloriosa virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent: Quę est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Clariùs enim cæteris rutilabat, quam repleuit oleo gratiæ præ participibus suis Christus Iesus filius eius dominus noster.

Luc.2. Psal.44. Gen.3. Matth.25. Cant.6.

EIVS

EIVSDEM IN IDEM *Euang. Sermo 3.*

Luc. 10. INtrauit Iesus in quoddam castellum, &c. Quid est fratres, quod è duabus sororibus altera tantùm dominum legitur excepisse, & ea ipsa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit: sed prior natu Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio quam contemplatio noscitur vendicare. Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur.
Gen. 29. Amat Rachelem Iacob, sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude quæritur, audiat non esse consuetudinis vt iuniores priùs tradantur ad nuptias. Quod si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse quemadmodum in ea Dominum Mar-
1. Cor. 6. tha magis excipiat quam Maria. Quod enim ait Apostolus, Glorificate & portate Deum in corpore vestro: Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc nimirum corporis vtitur instrumento, cùm illi po-
Sap. 6. tiùs sit impedimento. Denique corpus, inquit, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nunquid & operantem? Martha igitur in domum suam excepit saluatorem in terris, Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta æterna in cœlis. Forte tamen & ipsa dominum suscepisse videtur, sed in spiritu. Dominus enim spiritus est. *Huic*, inquit, (haud dubium quin Marthæ) *soror erat nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Iesu, audiebat verbum illius.* Vides quod vtraque suscepit verbum, hæc in carne, illa in voce. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. quæ stetit & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Putas in domo in qua Christus suscipitur, vox murmurationis auditur? Felix domus, & beata semper congregatio est, vbi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin vbi legitur Mariam causantem, quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit absit, vt qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrũ officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minus idonea videatur, aliisque magis id operis quod administrat, optet imponi. Respondit autem ei Iesus: *Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima.* Vide prærogatiuam Mariæ, quem in omni causa habeat aduocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam discipuli murmurant: vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam*, inquit, *partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea*, in æternum. *Hoc vnum illud necessarium est*, hæc vna quam propheta tam se-
Psal. 26. dule requirebat: Vnam, inquit, petij à domino, hanc requiram. Quid tamen sibi vult, fratres, quod optimam partem Maria dicitur elegisse? Vbi iam erit quod aduersus eam proferre solemus, si quando forte administrantis Marthæ turbationem inæqualitatem diiudicare voluerit: Melior est ini-
Eccl. 42. quitas viri, quàm benefaciens mulier? Vbi erit &
Ioan. 12. illud: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit
Matth. 20. eum pater meus? & illud: Qui maior est vestrum, erit minister vester? Postremo quæ consolatio est laboranti, quasi in eius suggillationem, partem sororis attollere? Vnum ergo arbitror è duobus, vt aut de electione Maria laudetur, quod pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda: aut certe vt neutrum dicatur defuisse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in vtrumlibet sit parata. Quis enim sicut Dauid fidelis ingrediens egrediẽs & pergens ad imperium regis? Denique paratum, Psal. 56.
inquit, cor meum, paratum cor meum, non semel tantùm, sed & secundo, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc plane pars optima, quæ non auferetur, hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaueris eam. Bonum, inquit, acqui- 1. Tim. 3.
rit gradum, qui bene ministrauerit: forte meliorem, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque. Vnum adhuc dico, si tamen id de Martha licet suspicari. Nonne enim quasi otiosam reputasse videtur, quã sibi dari petit adiutricem? Sed carnalis est, & omnino non percipit quæ sunt spiritus Dei, si quis forte vacantem animam sua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid non rudis quodammodo videtur anima quæ diuinæ contemplationis penitus expers, illam ignorauit regionem, vbi hoc vnum omnium opus, vnum studium, eadem vita? Sed consideremus fratres quemadmodum in hac domo nostra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Marthæ administrationem, Mariæ contemplationem, Lazaro pœnitentiam. Habet hæc simul quæcunque perfecta est anima, magis tamen videntur ad singulos singula pertinere, vt alij vacent sanctæ contemplationi, alij dediti sint fraternæ administrationi, alij in amaritudine animæ suæ recogitent annos suos tanquam vulnerati dormientes in sepulchris. Sic plane sic opus est, vt Maria pie & sublimiter sentiat de Deo suo, Martha benigne & misericorditer de proximo, Lazarus misere & humiliter de seipso. Gra- Ezech. 14.
dum suum quisque consideret. Si inuenti fuerint in ciuitate hac Noe, Daniel, Iob, ipsi iustitia sua liberabuntur, ait Dominus: sed filium aut filiam non liberabunt. Nemini nos blandimur, vtinam nec vestrum quispiam se seducat. Quibus enim nulla credita est dispensatio, administratio nulla commissa: his omnino sedendum erit aut secus pedes Iesu cum Maria, aut certe cum Lazaro intra septa sepulcri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ sollicita est pro multis? Tibi ergo, cui necessitas hæc non incumbit, è duobus vnum est necessarium, aut non turbari penitus, sed delectari magis in Domino: aut si id needum potes, turbari non erga plurima, sed (vt de se propheta loquitur) ad teipsum. Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem: Oportet te frater ad quem de fabricanda seu regenda inter vndas diluuij arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, vt Daniel erat: aut cum beato Iob virum dolorum, & scientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te & nauseam prouocantem euomat ex ore suo qui te inuenire cupit aut sui consideratione calidum, charitatis igne flagrantem: aut tua ipsius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli iacula restinguentem. Sed & ipsam quoque Martham admonitam esse necesse est id maxime quæri inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Iesu Christi, vt sit intentio pura: nec suam faciat, sed Domini voluntatem, vt sit actio ordinata.

nata. Sunt enim quorum non simplex est oculus & recipiunt mercedem suam. Sunt qui feruntur proprijs motibus animorum, & contaminata tunc vniuersa quæ offerunt, quippe cùm voluntates eorum inueniantur in eis. Veni tunc mecum ad nuptiale carmen, & consideremus quemadmodum sponsus sibi sponsam vocat, nec vllum omittit ex his tribus, nec addiderit vltrà. Surge, inquit, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, & veni. An non amica est, quæ dominicis lucris intenta, fideliter ipsam quoque pro eo ponit animam suam? Quotiens enim pro vno ex minimis eius spirituale studium interponit, totiens pro eo spiritualiter ponit animam suam. An non formosa, quæ reuelata facie gloriam domini speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à domini spiritu? An non columba; quæ plangit & gemit in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ, tanquam sepulta sub lapide? Mulier, ait, Martha nomine excepit eum in domum suam. Certum est huius tenere locum fratres officiales, quos fraternæ charitatis intuitus varijs administrationibus deputauit. Vtinam autem & ego ipse inter dispensatores fidelis merear inueniri. Quibus enim conuenientius videtur aptandum quod dominus ait, Martha Martha sollicita es, quàm prælatis, si tamen dignè in sollicitudine præsunt? Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui & Mariæ vacantis & Lazari pœnitentis, sed & ipsorum quibus onera sua partitur, vniuersa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam, apostolum loquor, qui prælatos sollicitudinis admonens, gerit ipse sollicitudinem omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nō vror? Suscipiat igitur Martha dominū in domum suam, cui nimirum credita est dispensatio domus. Mediatrix est, vt sibi pariter & subiectis salutem obtineat: suscipiat gratiam: sicut scriptum est: Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Suscipiant & cæteri coadiutores eius, singuli pro qualitate ministerij sui, excipiant Christum, seruiant Christo, ministrent ei in membris suis: ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus & peregrinis. Quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, & videat quoniam suauis est dominus. Videat, inquam, quàm deuota mente, quàm tranquillo sedeat animo secus pedes Iesu, prouidens eum semper in conspectu suo, & verba ex ore eius excipiens, cuius & aspectus delectabilis, & eloquiū dulce. Diffusa est enim gratia in labiis eius, & est speciosus forma præ filiis hominum, immo etiam super omnem gloriam angelorum. Gaude & gratias age Maria quę partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audire quod audis. Beata planè quæ venas susurri diuini percipis in silentio, in quo vtique bonum est homini dominum expectare. Simplex esto, non tantum sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, vt tecum sit sermocinatio eius, cuius & vox dulcis, & facies decora. Vnum caue, ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sapere quàm oportet sapere: ne forte dùm lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano: de quo nouum est huius temporis disputare. Nam Lazarus quò deuenit? Vbi posuistis eū? Sorores alloquor, quæ sepelierunt fratrē pęd catione & ministerio, exemplo & oratione. Vbi ergo posuistis eum? Absconditus est fossa humo, sub lapide iacet, non facilè inuenitur. Propterea non erit incongruum quatriduano quartum reseruare sermonem, vt iuxta saluatoris exemplum audientes. Ecce quem amas, infirmatur: & nos maneamus hic die isto.

Cant. 2. (margin) — Cor. 11. (margin) — Psal. 71. (margin) — Ioan. 11. (margin)

EIVSDEM IN EADEM *solennitate de Euangelica lectione, Sermo 4.*

Luc. 10. INtrauit Iesus in quoddam castellum. Quod dominus ac saluator noster semel & in vno loco visibiliter tunc temporis dignatus est operari: hoc etiam nunc vbique terrarum in cordibus electorum operatur quotidiè inuisibiliter. Ecce enim euangelio loquēte audiuimus quòd in quoddam castellum intrauit Iesus, & mulier quædam Martha nomine excepit illum: & reliqua. Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muróque obstinationis clauditur, atque in interiori latitudine sua Babylonica turre erigitur? Tria certè in omni oppidu sunt maximè necessaria: victualia quibus sustententur, munitio qua protegantur, arma quibus hostibus resistant. Sic ergo & huius castelli incolæ victum habent voluptatem corporis, & seculi vanitatem, quibus pascuntur. Habent & qua teguntur proprij cordis duritiam: vt verbi Dei sagittis potentibus vix aut nunquam penetrari valeant. Accinēti sunt armis, carnalis scilicet sapientiæ argumentis, quibus cōtra hostes repugnāt. Vnde scriptum est: Filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. At verò Christo visitante & intrante castellū hoc euertitur, & pro eo nouū aliud pulchrum ac spirituale construitur, impleturque quod dicitur: Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt: & ecce facta sunt omnia noua. Sublata quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderij: vt ad eius aduentum multò magis anhelet mēs ad cœlestia, quàm priùs terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & crescit per dilectionem proximi vsque ad charitatem Dei, quæ est in superiori tabulatu, & in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiæ, quando in vnitate fidei cum proximis communiter viuētes, non supplicij metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo diuini amoris obtentu à peccatis nos cōtinemus. Vel certè ideo charitas Dei (qua scilicet nos diligit) super murum esse videtur, vt pro continenti suo pugnare significetur, & quia cōtinentia crebris validisque tentatoris ictibus resistere non possit nisi eius gratia protegatur. Idcirco enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam cōtinentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter viuunt: ipsi benè cum Apostolo protestantur & dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Vides quam solidus sit continentiū murus, quos neque mors, neque

Luc. 16. (margin) — 2. Cor. 5. (margin) — Rom. 8. (margin)

neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poteſt ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Christo Ieſu. Sed iam pulſemus ad eius portas, portas ſcilicet iuſtitiæ: vt aperiantur nobis, ingreſſiq; per eas videamus intus magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius. Ibi enim operante ipſo conſtruitur tanquam in monte Sion, euangelica illa turris, per quam humiliato corde aſcendunt in cœlum ſancti de conualle plorationis. Aſcendunt, inquam, non virtute ſua, ſed auxilio & gratia Dei: ſicut ait ſpiritus ſanctus per prophetam Dauid: Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Quæris vbi? In conualle plorationis, hoc eſt in humilitate vitæ præſentis. Et eandem ipſam gratiam replicat dicens;
Psal.83. Etenim benedictionẽ dabit legiſlator. Quò autem pertingat aſcenſus, vel ad quem fructũ perducat aſcendentes ipſa gratia, protinus ſubiun-
Ibidem. git. Ibunt, inquit, de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Hæc eſt merces & hic eſt finis & fructus noſtri laboris, viſio ſcilicet Dei. Quis non hunc tantum fructum rebus omnibus viſibilibus & inuiſibilibus incõparabiliter præferat? Quis eſt cuius vel gelidum pectus hoc deſiderium non accendat? Hæc eſt enim illa gratia quam nobis commendat beatus Ioannes euan-
Ioan.1. Triplex gratia. geliſta dicens: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ex quibus ſcilicet verbis innuitur quòd triplicem gratiam diuinitùs accepimus: vnam qua conuertimur: aliam qua in tẽtationibus adiuuamur: tertiam qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quã vocamur: ſecunda prouehit, qua iuſtificamur: tertia conſummat, qua glorificamur. Et prima quidẽ beneplacitũ eſt, ſecunda meritũ, tertia pręmiũ. De prima dictũ eſt, Et de plenitudine eius oẽs accepimus: de duabus reliquis dictũ eſt, Et gratiã pro gratia, id eſt, munera gloriæ æternæ pro merito tẽporalis militię. Sit ergo prima gratia in muro cõtinentiæ ad quã vocamur, ſit ſecũda in aſcẽſu turris quã aſcendimus, ſit tertia in eius culmine quò peruenimus. Hic itaq;, id eſt in hoc culmine, cũ ad illud perueniũt qui benè proficiunt, fiunt iam locus & ſedes Domino, de qualibus ſcriptum eſt: Illuc enim aſcenderunt
Psal.121. tribus, tribus Domini teſtimonium Iſrael, ad cõfitendum nomini Domini: quia illic ſederunt ſedes in iudicio. Et quidem dùm adhuc erãt in muro continentiæ, & in acie ſtabant, impugnari poterant, & primò tanquam adiutor notus erat in Iudæa Deus: cum verò iam in iſta ſtatione conſiſtunt vbi Dominum ſpeculantur, in Iſrael magnum nomẽ eius, & factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, & gladium, & bellum: quia ibi nullus motus carnis reſiſtit, ſed omnimodis ſubiecta eſt ſpiritui. Hunc locum ardenter deſidera-
Psal.131. bat propheta cùm diceret: Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inueniam lo-
Psal.54. cum Domino. Huc etiam volare cupiens, quis, inquit, dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Iam verò ſi quæratur de caſtelli huius habitatoribus quis cibus ad ſuſtentandum, quod munimen ad protegendum, quæve arma ſuppetant ad repugnandum, poſſumus ſatis rationabiliter reſpondere, quòd quemadmodum carnalibus carnis opera fuerunt victus: ita his multò melior cibus ſit fructus ſpiritus. Cibus etiam eorum eſt vt faciant volũtatem patris omnipotentis. Cibus eorum eſt verbum Dei, quo paſcuntur omnes ſancti, tam homines quàm angeli. Vnde ſcriptum eſt: Non in ſolo pane viuit Deut.8.
homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Matth.4.
Dei. Munimentum eorum eſt (ſicut dictum eſt) murus continentiæ, & antemurale patientiæ. Habent contra hoſtes arma quæ deſcribit Apoſto- Ephes.6.
lus, loricam iuſtitiæ, ſcutum fidei, galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Nec quenquam moueat, quòd idem verbum diximus eſſe & cibum & gladium, quaſi impoſſibile vel abſurdum ſit. In rebus quidem materialibus aliud hoc, aliud eſt illud: & alibi quæritur hoc, alibi illud. In rebus verò ſpiritualibus non aliud hoc eſt, quàm illud: nec alibi quæritur hoc, alibi illud, ſed omnia ſunt nobis in Deo, & eſt Deus omnia in nobis. Ecce enim in natura rerum quid tam diuerſum quàm panis & lapis? & tamen ſi ad intellectum myſticum referas, vtrunque idem ſignificat. Nam idem Chriſtus eſt dictus & panis & lapis: panis ſcilicet viuus: & lapis quem reprobauerunt ædificantes. Vtrunque quidem eſt per ſignificationem, licet neutrum ſit per proprietatem. Sed iam reuertamur ad propoſitum; *Intrante Ieſu in hoc caſtellum*, duæ ſorores *Martha & Maria*, id eſt, operatio & intellectus, excipiunt illum. Excipiunt dixerim: an excipiuntur? Sed ſiue hoc ſiue illud dicatur, vtrunque prodeſt illis, non Ieſu. Et Ieſus quidem cum ad illas venit, duo confert eis congruentia ſingulis: virtutem & ſapientiam. Virtutem operationi, ſapientiam intellectui. Vnde etiam ab Apoſtolo prædicatur Dei virtus, & 1.Cor.1.
Dei ſapientia. Sed quid eſt quòd intrantem eum Martha excipit, diſcurrit, miniſtrat: Maria verò ſecus pedes ſedens ingreſſi, in eius verbum cor ſuſpendit: niſi quòd prius eſt actio, poſteà verò contemplatio? Quiſquis enim ad intelligentiam peruenire deſiderat, profectò neceſſe eſt vt prius per omnia bona ſeſe diligenter exerceat, ſicut ſcriptum eſt: Fili concupiſcens ſapientiam, con- Eccles.1.
ſerua iuſtitiam: & Deus præbebit illam tibi. Et Psal.118.
alibi: A mandatis tuis intellexi. Et fide purgans Acto.15.
corda eorum. Qua fide? Fide per dilectionẽ operante. Habet Martha dùm agit, formam bene operantis, Maria verò ſpeciem exprimit contemplantis, dùm ſedet, dùm tacet, dùm interpellata non reſpondet: ſed tantùm in Dei verbum toto mentis ſtudio intẽdit, ac ſolam quam diligit gratiam diuinæ cognitionis cætera reſpuens medullitùs haurit: foriſque velut inſenſibilis redditur, dùm intus ad contemplanda domini ſui gaudia feliciſſime rapitur. Sine dubio talis eſt illa quæ in canticis loquitur. Ego dormio, & cor meũ vigilat. Cant.5.
Duobus autem modis Martha excipit Dominum & duplex ei conuiuium parat, quia duobus modis excluſerat eum. Duo quippe ſunt in operatione quæ nobis Deum auferunt, flagitia ſcilicet, & facinora. Flagitia dicimus, ſcilicet quæ in nobis, facinora quæ in proximos peccando committimus. Item ſunt duo quæ Deum reddunt, continentia & beneuolentia: vt ſcilicet ex contrariis contraria curentur. Hinc enim ſcriptum eſt: Sicut Rom.6.
exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ

& ini

& iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem. Dùm ergo parandis talibus epulis occupatur Martha multum satagens pro parte sua, vult etiam Mariam, id est intellectum & omnia interiora sua actioni insistere, operique suo perficiendo operam dare. Itaque conqueritur de sorore quòd ab ea non adiuuetur, nó tamen ad ipsam, sed potiùs ad Dominum querelam dirigens. *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet.* Vbi sanè aduertenda est delatio quædam, & honoris obsequium erga Dominum: quod scilicet ipso præsente non sit ausa Martha euocare Mariam, quinimmo & apud ipsum querelam deposuerit, ipsúmque Dominum vocauerit, in cuius potestate sit imperare sorori quicquid necesse fuerit. Non ergo miremur si quempiam laborantem & bene operantem aduersum fratrem vacantem murmurare videamus, quia hoc in euangelio legimus Martham fecisse aduersus Mariam. Quòd autem Maria quãdoque murmurauerit aduersus Martham, eò quod eius actionibus implicari vellet, nusquam omnino reperitur. Neque enim vtrunque simul agere competenter sufficeret, & curis scilicet exterioribus deseruire, & internis sapientiæ desideriis vacare. De ipsa Eccl.38. quippe sapientia scriptum est: Et qui minoratur actu, percipiet illam. Propterea Maria sedet, immotáque manet, nec vult interrumpere silentij quietem, ne iucundam amittat contemplationis dulcedinem: præsertim cùm intus ipsum audiat Dominum dicentem: Vacate & videte quoniam Psal.45. ego sum Deus. Hic sanè considerandum est tria esse quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ nostræ oculus, intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea & cætera quæque corporalia videntur: ita Deus qui est lumen incircumscriptum, & eius inuisibilia vtcunque intellectu percipiuntur. Differunt autem in hoc exterior & interior oculus, quòd exteriori quidem corporea lux extrinsecus vt videat admouetur, interiori verò creatoris lumen intrinsecus vt discernat infunditur. Vtrunque vero oculum tria sunt quæ ad videndum impediunt. Primum ergo de exteriori atque visibili disserat ratio nostra, vt de rebus visibilibus (ordine disputandi) facilius adsurgat ad intelligibilia. Potest sanè fieri vt ille sanus sit & pateat: sed quoniã lux exterior ei desit nil videat. Econtrario fit aliquando vt præsens quidem ei lux sit: sed fortè sanguine seu quolibet humore concreto turbatus, cernere minimè possit. Iterum solet plerumque contingere vt neutrũ desit ei, nec lux nec salus, sed tamẽ aliqua pulueris iniectione lædatur, quo fit vt eius acies retundatur. Sunt ergo tria quæ hunc oculum impediũt tenebræ, humor concretus, puluis iniectus. Hæc ipsa sunt etiam quibus interior oculus impeditur; sed alia nomina sortiuntur. Nam quod hîc tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipsa verò peccata confluunt in memoriam quasi in quandam sentinam: & hic est ille humor concretus. Quod autem hic puluis dicitur, hoc ibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorum: recordatio eorundem peccatorum, cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbarum se plangebat propheta cùm diceret: Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum Psal.37. meorum & ipsum non est mecum. Cùm enim luce institiæ destituimur, nil aliud quàm peccatorũ nostrorum tenebras inuenimus. Item secundò se grauari sentiebat cum dicebat: Conuersus sum in Psal.31. ærumna mea dùm configitur spina: peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur cùm dicit: Quia cinerem tanquam panẽ manducabam. Cinerem scilicet actionis pro pane cõ- Psal.101. templationis. Quicunque ergo mentis oculum diuinæ contemplationi vult intendere, profectò necesse est vt eum priùs ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, nouerit contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per confessionem, secundus per orationem, tertius curatur per quietem. Hoc tertio, id est, cura actionis poterat ab intentione sua præpediri Maria. Ideóque ministrante Martha sedet ipsa, manetq; quieta. Illa igitur conquerente, & ista tacente, audiamus quid Dominus pro Maria responderit: *Martha, Martha, inquit, solicita es, & turbaris erga plurima.* Erga plurima quidem turbaris, dum & tibi continentiam, & proximis paras necessitatis impensam. Nam vt continentiam habeas, solicita es vigilare, ieiunare, corpus tuum castigare. Vt cæteris præstes, instas operi, vt habeas vnde tribuas necessitatem patienti. Porrò erga hæc plurima turbaris, sed vnum est necessarium. Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo qui vnus est, acceptum (teste ipso) profectò non erit. Scriptum Psal.13. quippe est: Non est qui faciat bonum, non est vs- Ioan.5. que ad vnum. Hinc est quòd in illa piscina moue- Luc.17. batur aqua, & sanabatur vnus. Hinc est quòd decem leprosis mundatis, vnus regressus est cum magna voce magnificans Deum: cui etiam Dominus cæteris reprobatis, testimonium laudis ascribit dicens: Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret & 1.Cor.9. daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Paulus quoque ait: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. His itaque & aliis quamplurimis scripturarum eloquiis perspicuè docemur quàm vnitas probabilis sit, maximè autem ex præsenti loco, vbi Dominus ait: Porro vnũ est necessariũ. Sed sciendum quòd alia est vnitas sanctorum, quam ex scripturis commendauimus. Alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex eisdem scripturis ostenditur & improbatur. De hac enim Psal.2. scriptum est. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. De hac iterum euangelista: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt ca- Matth.22. perent Iesum in sermone. Et iterum: Collegerunt Ioan.11. pontifices & Pharisæi concilium. Vt quid hoc? Sicut Ioannes testatur, vt interficerent Iesum. Quàm vero pertinax sit ista reproborum vnitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Iob loquitur dicens: Corpus illius quasi Iob.41. scuta fusilia, & compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Talis vnitas, imò vero peruersitas solet esse aliquorum fratrum tepidè ac remisse conuersantium: quibus si quid honestatis, aut insigne cuiusquam bonæ cõsuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate grauiori resiste-

te, quàm facili compendio assequi velle quod rectum esse constiterit. Peruersa & execranda talis vnitas. Hæc ergo à cordibus & sermonibus nostris exclusa, illam quæ bona est, & tantùm bonorum est, prosequamur. Et ipsa quidem gemina est. Alia est enim quæ iustificat, alia quæ glorificat, illa meritum, ista præmium est. Denique de *Act. 4.* illa scriptum est: Multitudinis credentium erat *1. Cor. 6.* cor vnum, & anima vna. De hac autem: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Et quoniam in futuro magis spetáda est (res est enim futuri temporis magis quam præsentis) eam interim omittamus, & à Deo speremus potiùs quàm tractemus. Illam verò quæ iustificat, quæ etiam nunc potissimum necessaria est, in vsum nostri operis assumamus. Ipsa est enim decus suauitatis, quam *Psal. 132.* dulcedine sacra insonat psalmista: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Cuius vnitatis cùm descripsisset sermo propheticus pulchritudinem, eius etiam non tacuit vtilitatem: quoniam illic, inquiens, mandauit Dominus benedictionem & vitam: hic scilicet benedictionem, & in futuro seculo vitam æternam. Ipsa est, inquam, vnitas quam summa diligentia obseruandam tradidit Apostolus, dicens; Soliciti seruate vnitatem spiritus in vincu- *Ephe. 4.* lo pacis. Seruatur autem hoc vnitatis bonũ duobus modis ab his qui curam gerunt seruandi. Debet quisque perfectus vnitatẽ habere ad seipsum: debet & ad proximum. Ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet suũ principium imitari. Si ergo Deus noster vnus est, *Deut. 6.* dicente Moyse: Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est: sed & ille cùm sit vnus & idem, atque in seipso perfectus, nec vllo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex beneuolentia in nos veniens: debemus & nos quisque sibi vnus esse per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem loquens de charitate commendat nobis *1. Ioan. 4.* Apostolus Ioannes dicens: Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Sed hanc vnitatem, quam quenque sibiipsi diximus habere debere, tria sunt quæ solent impedire: nimietas, pusillanimitas, leuitas. Et nimij quidem sunt qui putant se posse quod non possunt: & quod non acceperunt, præsumunt: quorum speciem tenebat *Luc. 22.* Petrus in Passione Domini, cum diceret: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Pusillanimes contrarij sunt nimiis. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cùm dice- *Ibidem 5.* ret: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Leues sunt & inconstantes, qui circumferuntur omni vento doctrinæ: quibus quod paulò antè placuit, nunc displicet: & quod nunc eligunt, post paululum reprobant. Sed quid prodest hæc vitia enumerasse, nisi etiam doceamus quibus remediis ea possit quisque in semetipso curare? Persequamur vnitatis inimicos, nec conuertamur donec deficiant. Igitur contra nimietatem opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa enim est quæ odiosam præsumptionem potissimum deiicit. Contra pusillanimitatem habenda est diuinæ fiducia potestatis, vt quod tuis viribus non posse putas, ex illius adiutorio possis, & *Philip. 4.* cum Apostolo dicas: Omnia possum in eo qui me confortat Domino Iesu Christo. Cõtra leuitatem adhibenda est consultatio senioris, scilicet ne doctrinis variis & peregrinis abducatis: sed facias quod lex diuina præcipit: Interroga patrẽ tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Diximus de illa vnitate quam habet quisque ad seipsum, dicamus & de illa quam habet ad proximum. Sed illa duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum: & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hęc etiam duobus modis impeditur, obstinatione, & suspicione. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Ita fit, vt dùm nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab aliis diligi suspiciosi putamus: vnitas quæ cum proximis habenda est, impediatur. Verùm huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet quæ nõ sua quærit, & iterum illa quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem non quærentem quę sua sunt, & alios diligat. Habeat suspiciosus charitatem omnia credentem, & ab aliis se diligi sine dubio credat.

EIVSDEM IN EODEM *festo, de verbis Apocalypsis S. Ioannis, Sermo 5.*

Apoc. 12. Signum magnũ apparuit in cęlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Vehemẽter quidem nobis dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere: sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod cassatum fuerat, non confregit, sed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostrę reparationi sexus vterque, quorũ corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium: quia etsi didicit ex his quæ passus est compassionem vt misericors fieret, habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique *Deut. 4.* Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur *Heb. 12.* peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Iam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur ociosa: inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quàm Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quę salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem. Quid ad

Mariam

Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Reuolue diligentius euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere vereatis. Quod si (vt verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiāt vniuersi: captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam: denique tota trinitas gloriam, filij persona carnis humanę substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Putásne ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem vt de præsenti ecclesia intelligendum propheticæ visionis series ipsa demonstret, sed id planè non inconuenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirum ea est quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam & defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cęteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius luna esse dicatur. Alioqnin nihil magnum dixisse videbitur, vt sit luna ista sub pedibus eius, quam super omnes angelorum choros, super Cherubim quoque & Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed & stultitiam mentis, nonnunquam verò ecclesiam huius temporis designare. Illam quidem propter mutabilitatem, hanc sanè propter susceptum aliunde splendorem. Vtraque verò (vt ita dixerim) luna sub Mariæ pedibus congruè satis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem stultus vt luna mutatur: sapiens autem permanet vt sol. In sole nimirum & feruor & splendor stabilis, in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantū sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus: cuius omnia tam excellēter irradiata noscuntur, vt nihil in ea nō dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari. Insipientia verò omnis longè sub pedibus eius est, vt penitus absit hæc ab insipiētium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Imò verò & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus vt luna sapientiā perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat: alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius vel post partum viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen theotocos, impiissime suggillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati detractores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuò per Herodem draco insidiatus est parienti, vt nascentem excipiens filium deuoraret, quòd inimicitiæ essent inter semen mulieris & draconis. Iam si ecclesia lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quòd videlicet non ex se splendeat, sed ab eo qui dicit: Sine me nihil potestis facere: habes mediatricem quam tibi paulò antè commendauimus, euidenter expressam. Mulier, inquit, amicta sole, & luna sub pedibus eius. Amplectamur Marię vestigia, fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eā, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem & aream, mulier inter solem & lunam, Maria inter Christū & ecclesiam constituta. Sed fortè miraris nō tam vellus opertum rore, quàm amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit? Meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri. Verontamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. Vadam, inquit, & videbo visionem hanc magnam. Magna planè visio rubus ardens sine combustione, magnum signum mulier illęsa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum vndique flammis manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia vt sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem: sublimior quædam necessario est. Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te. Et tanquam respondeat illa quoniam spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est: Virtus, ait, non mea, non tua, sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere substineatur amictus. Mulier, inquit, amicta sole: planè amicta lumine tanquam vestimēto. Non percipit fortè carnalis, nimirū spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo qui dicebat: Induimini dominum Iesum Christum. Quàm familiaris ei facta es domina, quàm proxima, imò quam intima fieri meruisti! quantam inuenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis enim substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ maiestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris. Nouum enim fecit dominus super terram, vt mulier circundaret virum, nec alium quàm Christum, de quo

Margin notes (right column): Gen. 3. — Matth. 2. — Ioan. 15. — Apoc. 12. — Exod. 3. — Luc. 1. — Rom. 13. — Hier. 31. (left column, beside "alio modo"): [illegible]

Zach. 6. quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cœlo, vt mulier sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Cant. 3. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua. Verum hoc aliàs. Interim sanè ingredimini magis, & videte reginam in diademate quo coronauit eam filius suus. In capite, inquit, eius corona stellarum duodecim. Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Quidni coronēt sidera quam sol vestit? Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum: & lilia conuallium. Nimirum læua sponsi sub capite eius, & iam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ huius rationem exponere, indicare compositionē. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinentes à periculoso scrutinio secretorum, nō incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidē inuenire est in Maria prærogatiuas cæli, prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis: & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginæ nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor primò quidem in Mariæ generatione: secundò in angelica visitatione: tertiò in spiritus superuentione: quartò in filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque sidereum planè irradiat decus, quòd virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fœcunda, quòd sine grauamine grauida, quòd sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Vestræ quidem sedulitatis erit singula quæque diligentiùs intueri. Nos interim satisfecisse videbimur, si breuiter ea potuerimus demonstrare. Quid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ea regibus orta, quòd ea semine Abrahæ, quòd generosa ea stirpe Dauid. Si id parum videtur, adde quòd generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis diuinitùs noscitur esse concessa, quòd longè antè eisdem patribus cœlitùs repromissa, quòd mysticis præfigurata miraculis, quòd oraculis prænunciata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga dū sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in medio siccæ areæ maduit, hanc in Ezechielis visione Orientalis porta quæ nulli vnquam patuit, præsignabat. Hanc denique præ cæteris Esaias nunc virgam de radice Iesse orituram promittebat, nunc euidentiùs virginem parituram. Meritò signum hoc magnum in cælo apparuisse scribitur, quod tantò antè de cælo noscitur fuisse promissum. Dominus ait: Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo cōcipiet. Magnum profectò signum dedit: quia & magnus Esa. 6. ipse qui dedit. Huius ergo prærogatiuæ fulgor, quorum non vehementer reuerberat aciem oculorum? Iam in eo quòd tam reuerenter atque officiosissimè ab archangelo salutata est, vt iam in regali solio supra omnes cœlestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulo minus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari, excellentissimum nobis virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur. Nihilominus fulget etiā nouus ille conceptionis modus, vt non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente spiritu sancto sola, & de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quòd verum Deum & Dei filium genuit, vt idem ipse Dei atque hominis filius vnus omnino Deus & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, nec facilè dixerim quòd vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget. De cætero sanè & virginitatem carnis, & propositū virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas euidēter illustrat: quod videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vouit. Probat enim propositi inuiolabile fundamentum, quòd tam constanter promittenti filiū angelo respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Fortè enim propterea primò turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quòd benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et extunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio, quòd iam videretur esse suspecta. Vbi verò in promissione filij manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit vltrà dissimulare quin diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: vt longè gloriosior fiat & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis sese radiis illustrate hæc duo sidera videantur. Magnum enim virginem esse: sed virginem matrem esse, longè ampliùs per omnem modū. Iure etiam illud molestissimum tædium quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ cōceptionis initio, quādo potissimùm cæteræ mulieres miserabiliùs affligūtur, Maria tota alacritate montana cōscendit, vt Elisabeth ministraret. Sed & ascendit Bethleem imminēte iam partu, portās preciosissimū illud depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur. Sic & in partu quàm lucidum est quòd noua exultatione nouā edidit prolem, sola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena? Si rerum precia de raritate pensamus, nihil his potest rariùs inueniri. Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed deuotionem, sed consolationem. Cæterum quæ restāt adhuc, & imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifariè multisque modis promitti diuinitùs, cælitùs prænunciari: sed nec ab archangelo Gabriele tam nouæ salutationis obsequiis honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis: planè secretum suum sibi. Sola enim est de qua dicitur: Quod in Matth. 1. ea natum est, de spiritu sancto est: sola cui dicitur: Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Offerantur regi virgines, sed post eam: nam primatū sola vendicat sibi. Multò magis autē sola sine corruptione cōcepit, sine grauamine tulit, sine dolore filiū parturiuit. Itaq; nihil horum a nobis exigitur, sed exigitur plane nonnihil. Nūquid enim

enim si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis: negligentiam nostram munerum singularitas excusabit: Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, robor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quòd hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua filius loquebatur. In omni denique textu quatuor euangeliorum (si benè meminimus) non nisi quater Maria loquens auditur. Primò quidem ad angelum, sed cum iam semel atque iterum allocutus eam fuisset. Secundò ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero, & ea magnificante Mariam, ipsa magis dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cum iam esset annorum duodecim, quod ipsa & pater eius dolétes quæsissent eum. Quartò in nuptiis ad filiū & ministros. Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecūdiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Vbi saepè increpata à filio, tanquam mitis & humilis corde, nec illi respondit, nec tamen desperauit, ministros admonēs facere quod diceret eis. Nūquid non ab initio venisse pastores, & primam omnium Mariam inuenisse leguntur? Inuenerunt, ait Euangelista, Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Sic & magi quoque, si recolis, non sine Maria matre eius puerum inuenerunt: & inducens in templum domini, templi dominum, multa quidem à Simeone audiuit tam de eo quàm de seipsa, ad loquendum tarda, velox ad audiendū. Et quidem Maria cōseruabat omnia verba hæc cōferens in corde suo: sed in his omnibus neque de ipso incarnationis dominicæ sacramento quodcunque verbum fecisse reperies. Væ nobis qui spiritum habemus in naribus, væ qui totum proferimus spiritum, qui iuxta illud Comici, plenirimarum rimarum hac atque illac perfluimus vndique. Totiens denique Maria filium audiuit non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria reuelantem: vidit miracula facientem: vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascēdentem: sed in his omnibus quotiens verecundissimæ virginis, quotiens pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus apostolorū, quòd redeuntes à mōte Oliueti vnanimiter perseuerabant in oratione. Quid? Si fortè Maria affuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tam filij prærogatiua, quàm suæ priuilegio sanctitatis. Petrus & Andreas, ait, Iacobus & Ioannes, & cæteri qui sequūtur: hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Itáne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cum Maria quanto maior erat, humiliaret se non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerāt septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos filioli, æmulamini hanc virtutē. si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam eius: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéq; monachum nihil adeò decet. Et quidem manifesta satis in virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactanec sunt humilitas & mansuetudo, in eo confœderatæ gemanins qui dicebat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tantùm Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed euidētiùs resonat in sermone. Audierat: Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur filius Dei. Et nihil aliud, quàm ancillam eius se esse respondit. Inde vérum est ad Elizabeth, & continuò virginis gloria singularis eidem per spiritum reuelatur. Denique & mirabatur personam venientis, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Commendabat & vocem salutantis adiiciens: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. & beatificabat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à domino. Magna quidem præconia, sed & deuota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas matrē domini, sed magnificat anima mea dominū. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoq; tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quę credidisset: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Veruntamen nunquid putamus, fratres, Elizabeth sanctā in eo quod per spiritum loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus diuinę respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio spiritus superueniēs tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, vt (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæ quoque nihilominus sint stellæ ex respectu mutuo clariores, quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cùm in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis, vt quæ nihil aliud quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, & admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum, gratiæ prærogatiua diuinæ, vt eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes: magis autem cooperentur sibi, vt non solùm nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè proueniatur humilitas, vt inueniantur eò amplius

Marth. 12.
Luc. 2.
Terent. in Eunucho.
Act. 1.
Matth. 11.
Luc. 1.
Ibidem.

plus honorati, & largitori munerũ nõ ingrati: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla surrepat, sed quo minus de sua quisque vel in minimis præsumere consueuit, eò amplius etiam in magnis quibusque de diuina virtute confidat. Martyrium sane virginis (quam nimirũ inter stellas diadematis eius, si meministis, duodecimam nominauimus) tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa dominicæ passionis historia cõ-

Luc. 2. mẽdatur. Positus est hic (ait sanctus senex de paruulo Iesu) in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam (ad Mariam aut dicebat) pertrãsibit gladius. Verè tuam, ô beata mater, animam gladius pertransiuit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquàm emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plus quàm gladius fuit sermo ille reuera pertransiens animam, & pertingẽs vsque ad diuisionem animæ & spiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit? Non miremini fratres

Rom. 1. quòd Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, lõgè sit à seruulis eius. Sed fortè quis dicat: Nunquid non eum præsciebat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut vnde tibi hæc sapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. Iam te mater misericordiæ per ipsum syncerissimæ tuæ mentis affectum, tuis iacẽs prouoluta pedibus luna, mediatricem sibi apud solem iustitiæ constituam deuotis supplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amauit præ omnibus & ornauit stola gloriæ induẽs, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, delicijs affluens. Ciba hodie pauperes tuos domina: ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta & præparata altissimi filio, qui est super omnia benedictus in secula, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyt. in superius Euangel. expositio.

Ex commentariis in Lucam.

FActum est autẽ dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, &c. Hæc lectio, superiori pulcherrima ratione connectitur. Quia videlicet illa dilectionem Dei; & proximi verbis, & parabolis, hæc autem ipsis rebus, & veritate designat. Duæ quippe istæ domino dilectæ sorores, duas vitas spiritales, quibus in præsenti sancta exercetur Ecclesia, demonstrant. Martha quidem actualẽ, qua proximo in charitate sociamur: Maria vero cõtemplatiuam, qua in Dei amore suspiramus. Actiua enim vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocare, infirmãtis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, & commissis nobis qualiter subsistere valeant præuidere. Contemplatiua verò vita est, charitatem quidem Dei, & proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, vt nihil iam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad vidẽdam faciem sui creatoris animus inardescat, ita vt iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desiderijs appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cælestibus ciuibus, de æterna in cõspectu Dei incorruptione gaudere. *Quæ etiam sedens secus pedes domini, &c.* Hæc vtrique vitæ congruere, nemo qui dubitet. Et contemplatiuæ quidem vniformis perfectio est, exutam mentem à cunctis habere terrenis, eámque, quãtum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo. Actiuæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister edocet, qui creberrimis epistolarum dictis, suos pro Christo terra, marique labores, sua pericula commemorat: In quibus etiam visiones, & reuelationes domini commendans, non minus se in speculatiua virtute, quòd per paucis est imitabile, consummatum fuisse significat. Vnde dicit; Siue enim mẽte excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. *Quæ stetit & ait: domine non est tibi, &c.* Ex illorum persona loquitur, qui adhuc diuinæ contemplationis ignari solum quòd didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducũt, ideoque cunctos, qui Christo deuoti esse velint, huic mãcipatos autumant. Et bene Martha stetisse, Maria secus pedes domini sedisse describitur, quia vita actiua laborioso desudat in certamine, contemplatiua vero pacatis vitiorum tumultibus, optata iam in Christo mentis quiete perfruitur. *Et respondens dixit illi dominus, Martha Martha, &c.* Et beatus Dauid solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo iugiter inhærere desiderat dicens; Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam. Et alibi; Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem domini, & visitem templum sanctum eius. Vna ergo, & sola est theologia, id est, contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur. Neque enim

enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, vt etiam pars Marthæ indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima, subinfertur, cum dicitur; *Quæ non auferetur ab ea.* Actiua etenim vita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, vbi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti, vbi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat, vbi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur actiua. Contemplatiua autem hic incipitur, vt in cælesti patria perficiatur. Quia amoris ignis, qui hic ardere incboat, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. Contemplatiua ergo vita minime aufertur, quia subtracta præsenti sæculi luce perficitur.

S. ANSELMI EPISCOPI
in eadem festiuitate, Homil.

In Anselm. o Amm. IN scriptura sacra res vna & eadem multoties inuenitur diuersa significare, sicut leo, hœdus, ignis & aqua, vel etiam sol & alia multa. Est enim
Apoc. 5. leo de tribu Iuda, est leo qui circuit quærens
1. Pet. 5. quem deuoret. Et hœdus emissarius, qui peccata
Leuit. 16. nostra portauit: est hœdus à sinistris, qui damna-
Matth. 25. tur. Est ignis quem misit dominus in terram, &
Luc. 12. quem vult vt ardeat, est ignis, qui super im-
Psal. 57. pios cadit, vt non videant solem. Est aqua, cu-
Ioan. 7. sus flumina fluunt de ventre credentis: est aqua,
Psal. 68. cuius tempestas non nos demergat. Est sol iusti-
Mal. 4. tiæ, qui nos illuminet: est sol, qui nos non vrat per
Psal. 120. diem. Licet ergo castellum alias malum significet, vt illud de quo dicitur, Ite in castellū: vbi & additur. Quod contra vos est, planè manifestat quid significat: tamen hic castellum, in quo intrauit Iesus, singularem & intemeratam virginem, eiusdem Iesu genitricem salua scripturarum regula, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius. Quæ duo inuicem sese defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongruè virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis & corporis quasi murus ita vndique vallauit, vt nullus vnquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra. Et quia virginitatem, cùm libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem virgine turris humilitatis, quæ a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem cùm superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis, & turris humilitatis, ab alterutro muniūtur, vt nunquam in humili virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas, sed semper in ea permanserit & humilis virginitas, & virginalis humilitas. Quamuis autem quod dicitur ita verum sit, vt nihil verius fides Christiana credere possit, ponamus tamen aliqua de Euangelio virginitatis ipsius & humilitatis testimonia. Quippe cùm ab angelo filius ei promitteretur, respondit:

Matth. 21. (margin)

Turris humilitatis. *Murus virginitatis.* (margin)

Luc. 1. Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Si cuilibet virginis desponsatæ, in animo suo disponenti nubere diceretur, Filium habebis, non miraretur, neque interrogaret quomodò illud fieret, vtpote quia se desponsatam, & in proximo nupturam sciret, & à viro fœcūdari vsu speraret naturæ. Hæc autem non immeritò mirata est, & quomodò quod promittebatur fieret, sciscitata: quoniam quamuis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissimè sciebat. Hoc de virginitate. De humilitate autem dicendum, quòd cùm ab angelo salutaretur, mater Dei eligeretur, quomodò fieret salua virginitate, cui tantùm timebat, doceretur, benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respōdit: Ecce ancilla domini. Et in alio loco: Quia *Ibidem.* respexit humilitatem ancillæ suæ. O sublimis virgo, mater Dei: ô humilis mater, ancilla Dei. Quid sublimius esse posset? quid humilius de se sentire posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum esse arbitrātur, à quo Maria Magdalena cognominatur. Quod si verū est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalus enim turris dicitur, et humilitati comparatur: hic verò nō nominatur, sed tantùm quoddā dicitur, quod indiscussum præterire non debemus. Quoddam, id est, singulare castellū fuit *Maria castellum singulare.* virgo Maria. Quamuis enim multę alię & murum virginitatis habeant, & turrim humilitatis, id est, virgines sint & humiles: tamen salua virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod ista sola fecit. Et ideò castellum hoc meritò quoddam, id est, singulare dicitur, quia ista singulariter & virgo & mater fuit, quod nulla alia potuit vel poterit. Verùm concedamus aliquam posse & matrem esse & virginem, quamuis sit impossibile, etiam sic virgo Maria erit singularis, quia vnicum Dei filium genuit, qui sicut est vnicus vnico patri, ita est vnicus vnicæ matri. Et ideò etiamsi virgo pariat, nulla vel eundem vel alium talem generabit. Est ergo castellum quoddam, in quod intrauit Iesus. Porta verò per quam intrauit, fides est. Quia enim credidit, perfecta sunt ei *Porta fidei.* à domino quæ ab angelo dicta sunt, sicut ait ad *Luc. 1.* eam Elizabeth. Nec quia Iesus intrauit in castellum hoc, violatum est. Iesus enim saluat, non violat: confracta solidat, nec cōfringit solida. Secundum nomen eius, ita & opus eius. *Et quædam mulier Martha nomine excepit illum in domum suam, &c.* Duæ sorores istæ, sicut sancti patres nobis plenissimè exposuerūt, duas in Ecclesia sancta vitas de- *Duæ vitæ bonorum.* signant. Martha scilicet actiuam, Maria contemplatiuam. Ista laborat ad exhibēda indigenti omnia humanitatis officia: illa vacat & videt, quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur, illa interiora contēplatur. Sicut aūt mater Dei est singularis, ita & istarū effectus vitarū, quarū istæ duę sorores typum tenēt, in ea extitit singularis. Nunquam in aliqua persona Martha sic operata est, nunquam alias Maria sic contemplationi vacauit, nunquam illa vel hæc alias quod suum est sic exhibuit. Cùm Martham vel Mariam dico, earum significata intelligo. Sed iam videamus actionem huius Marthæ, deinde conijciamus contemplationem huius Mariæ. Et vt planiùs id faciamus, quid alij per Martham operentur, & quid ista ope- *B. Maria vt Martham se præstiterit.* rata sit conferamus. Alij quemlibet hospitem in domo suscipiūt, ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, qui non habet vbi caput suum reclinet, non in domo, sed in vtero suscepit. Alij nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili vndelibet composita operiunt: verbum Dei in eadem virgine carnem in vnitate personæ as-

sumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis permanebit. Alij quemlibet esurientem & sitientem cibo vel potu exteriori reficiūt: Ista Deum hominem humanitùs indigentem, non solùm exterioribus cibis vel potibus pauit, verùm etiam vberi sui lacte aluit, & vt breuiter sex illa misericordiæ opera percurramus, quæ cùm vni

Matth. 25.

ex minimis eius fiunt, Deus sibi facta confitetur: ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pauit, sitientem lacte potauit, infirmum per infantiam & iacentem non solum visitauit, sed etiam balneando, fouendo, leniendo, gestando frequentauit, vt merito de ea dicatur, *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Comprehenso & crucifixo quasi in carcere posito astuit, sicut scriptum est: Stabat autem iuxta

Ioan. 19.

ta crucem Iesu mater eius. Inter hæc autem turbabatur & sollicita erat, cùm fugeret in Ægyptum

Matth. 2.

à facie Herodis, qui suum talem filium adeo persequebatur, vt multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur cùm Iudæos insidiantes, &

Luc 2.

mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad vltimum turbata est valde, & iuxta Simeonis vocem, suam ipsius animam pertransiuit gladius, cum videret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Vnde bene ei congruit, quod dicitur: Martha Martha, solicita es & turbaris erga plurima. Nemo vero dubitet, quod

B. Maria vt Martham se præbuerit.

beata virgo Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, & seipsam adiuuari in turbatione à diuinitate, quam eidem filio sciebat inesse per theoriam, quæ est pars Mariæ. Hoc est, quod Martha conqueritur, quod eam soror reliquerit solam ministrare, & eius auxilium in ministerio flagitat. Hęc de parte Marthę. Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis in beata fuerit Maria quis digne loquatur? Si talis est, vt diximus, immo quia melior est quàm diximus, in beata Maria pars Marthę, quæ quidem à domino non laudatur, sed tamen non vituperatur: qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, vt ab ea non auferri dicatur? O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata virgine, quando spiritussanctus in eam superuenit, & virtus altissimi obumbrauit ei, & de eodem

1. Cor. 1.
Coloss. 2.

spiritusancto concepit. Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & in cuius vtero sibi corpus aptabat? Christus est, vt ait Apostolus, Dei virtus & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscōditi. Christus autem in Maria: ergo Dei virtus & Dei sapiētia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. Hæc non tantùm ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens audiebat verbum ex ore eius. Hęc conseruabat omnia verba angelorum, pastorum, magorum, nec non ipsius filij sui, cōferens in corde suo. Nemo vnquam, sicut ista, gustauit, quam

Psal. 33.
Psal. 35.

suauis est Dominus. Inebriabatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, immo intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ. Circa plurima vero vt Martha occupabatur, circa vnū vt Maria delectabatur, quia vnum est necessarium: plurima auferuntur, vnum manet. Singulariter igitur partem Marthę peregit, singulariter optimam partem Mariæ elegit. Sed pars Marthæ ei aufertur. Iam enim non erit solicita vt ministret ei sicut puero, cui omnes angelorum ordines ministrant sicut Domino. Iam non turbabitur fugiens in Ægyptum cum eo à facie Herodis, quia ipse ascendit in cælum & Herodes descendit ad infernum à facie eius. Iam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio suo Iudæi, quia omnia subiecta sunt ei. Iam filius Mariæ à Iudæis vel militibus non flagellabitur, nec occidetur: quia Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Pars ergo Marthæ ei aufertur, sed bono suo: pars

Rom. 6.

verò Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros angelorum. In bonis repletum est desiderium suum: videt Deum facie ad faciem sicuti est, gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea, cuius & nos participes simus meritis & precibus eius, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni in eodem festo, Homil.

OMnia opera Saluatoris nostri plena sunt sacramentis: quicquid vbique agit: significatio est. Quod enim tunc temporis in quodam castello corporaliter egit, quotidiè in sancta Ecclesia spiritualiter agit. Nam hæc Ecclesia, castellum est: & non qualecunque, sed forte & insuperabile, vtpote super montem positum, muro circūdatum, turribus munitum, & angelorum exer-

Ecclesia castellum.

citu virtutúmque præsidiis armatum. In hoc igitur castellum dominus Iesus quotidiè ingreditur, hoc assiduè visitare nō dedignatur: in hoc à Martha suscipitur, eiúsque in domum inducitur. Videamus itaque quid significet Martha, videamus quid significet Maria. Vtraque enim magnum aliquid significat. In his enim duabus Ecclesia consistit. Altera enim actiuam, altera contemplatiuam vitam designat: Et actiuam quidem Martha, Maria verò contemplatiuam. Vnde non

Martha & Maria quid significent.

Maria, sed Martha Christum in domum suam suscepisse dicitur. Maria enim non habet domum: quia vita contemplatiua omnē huius seculi spernit habere possessionem. Sufficit ei ad pedes domini sedere, sufficit ei semper legere & orare, & in Dei contemplatione vacare. Sufficit ei præterea verbum Dei semper audire, & mentem potius quàm ventrem nutrire. Tales enim prophetę fuerunt, tales & Apostoli, tales & multi alij, omnia relinquentes, mundum fugientes, domino adhærentes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Hanc autem vitam non habent nisi boni. Actiuam verò habent simul & boni & mali. Inde enim & actiua dicitur, quia semper in actu est, semper in fatigatione & labore est, & vix aliquādo in quiete esse potest. Sed nos de illa actiua non dicimus, quæ latrones exercet, tyrānos mouet, auaros solicitat, adulteros inquietat, & omnes iniquos ad iniquitatis opera incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha, nisi de illa quæ soror est Mariæ: ita non loquimur de alia vita actiua, nisi de illa cui proxima est contemplatiua. Illa enim actiua, quæ munda & sine peccato est, contemplationi proxima est. Quòd enim Apostolus

Act. 20. 2. Thess. 3. 2. Cor. 11. ſtolus prædicat, quòd baptizat, quòd manibus propriis laborat vnde viuat, quòd diſcurrit per ciuitates, quòd ei ſolicitudo eſt omnium Eccleſiarum, ad quam vitam niſi ad actiuam pertinet? Vnde & hic de Martha dicitur, quia ſatagebat circa frequens miniſterium. Videmus enim vſque hodie eccleſiarum præpoſitos & miniſtros ſollicitè diſcurrere, laborare, æſtuare, & multis modis fratrum neceſſitatibus inſudare, vt eos quoque non immeritò circa frequens miniſterium ſatagere dicamus. *1. Cor. 9.* Quamuis igitur contemplatiua vita melior ſit quam actiua, quia ſine ſolicitudine eſt, & nunquã fallit: actiua tamẽ tã neceſſaria eſt, vt ipſa cõtẽplatiua quoq; in hac vita ſine ea eſſe non poſſit. Altera igitur indiget altera. Hæc enim orat, illa laborat: altera mẽtem, & altera ventrem replet; Vnde Apoſtolus: Si nos, inquit, vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnũ eſt ſi carnalia veſtra metamus? Qui enim ſic ſeminat, ad ſupernæ felicitatis contemplationem mentes audientium eleuat. Dicatur ergo: *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Sæpè enim ſtat actiua, & (ſi dici poteſt) inuidet contemplatiuæ. Qui igitur ſoli contemplationi vacare deſiderat, ſolitariam vitam eligat, ne dum in conuentu multorum à contemplatione ſurgere non vult, cæteros ſtare faciat, & opus cunctis neceſſarium impediat. Quamuis enim Mariæ partem Dominus laudat, in Eccleſiis tamen & multorum congregationibus plùs Martha quàm Maria vtilis eſt. *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnũ eſt neceſſarium.* Sed quod vnum? Vis audire quod? *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Illud igitur neceſſarium eſt, quod non aufertur, & æternum eſt. Veruntamen neque Martham à ſolicitudine Dominus ceſſare iuſſit, neque Mariã eam adiuuare præcepit. Oſtendit autem eis quid neceſſarium ſit, & ad quem finem vtriuſq; intentio tẽdere debeat. *2. Cor. 11.* Bona eſt enim omnium Eccleſiarũ ſolicitudo, quam ſe Apoſtolus quoque habuiſſe dicit: ſed non illa, quæ ab ęternę dulcedinis cõtemplatione mentem penitùs extorqueat. Fruſtra enim ſolicitus eſt, qui nõ pro amore Dei, ſed pro vana gloria, & lucro temporali, & huius ſeculi dignitatibus ſolicitus eſt. *Matt. 6.* De talibus enim Dominus ait: Quia receperunt mercedem ſuam. Benè verò ſolicito quid dicit? Euge ſerue bone & *Math. 25.* fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Bona eſt igitur ſolicitudo Marthæ, ſi tamẽ nõ mundo, ſed Domino miniſtret. Debet autẽ Maria aliquando ſurgere, & ſororem ſolicitam adiuuare. Surgens autem videat, ne aſſuetę contemplationis penitùs obliuiſcatur: ne fortè dum aliis prodeſſe deſiderat, ſui ipſius detrimentum faciat. Quum enim viri religioſi, ſolitarij & quieti, & diuinę contemplationi dediti, multorum precibus Eccleſiaſtica regimina ſuſcipiunt, tunc vtiq; ſurgit, & ſororem ſolicitam Maria adiuuare venit. Sic igitur fit, vt illa quæ priùs quieta, ſterilis, & infœcunda erat, iam laborare incipiat, multóſque Deo filios pariat & nutriat. *Gen. 29. Gen. 3.* Hoc igitur ſignificauit Rachael, priùs quidem ſterilis, ſorore eius fœcunda & in multorum filiorum progenie gloriante: ſed poſteà ipſa quoque concepit, & filios parere cœpit. Hæ autem duæ mulieres prudentiſſimæ, totius Eccleſiaſtici exercitus duces & præuiæ ſunt. Has cætera turba ſequitur. Alij poſt Martham, alij poſt Mariam vadunt. Nulli enim cœleſtem illam patriam ingrediuntur, niſi qui hanc vel illam ſequuntur. Meritò ergo ſancti patres conſtituerunt, vt in hac ſolennitate beatæ virginis Mariæ hoc Euangelium legeretur, quæ ſpecialiter quidem per has duas mulieres ſignificatur. Ipſa enim inter omnes creaturas beatiſſima virgo vtriuſque vitæ, actiuę videlicet & contemplatiuæ plus cæteris omnibus priuilegia cuſtodiuit. Ipſa quoque ſicut Martha, immò meliùs quàm Martha, ſuſcepit Chriſtum, non ſolùm in domum ſuam, verùm etiam intra clauſtra vteri ſui. Ipſa eum concepit, ipſa eum genuit, ipſa eum peperit, & portauit, & plùs quàm Martha & frequentiùs ei miniſtrauit. Ipſa denique ſicut Maria eius verbum non ſolùm audiebat, verùm etiam in corde ſuo conferebat, nobiſque ad legendum & audiendum cuſtodiebat. Sic enim ſcriptum *Luc. 2.* eſt: Maria autem conſeruabat omnia verba hęc, conferens in corde ſuo. Ipſa eum non ſolùm ſecundùm humanitatem, verùm etiam ſecundum diuinitatem, contemplari & plùs omnibus cognoſcere meruit. Ipſa igitur optimam partẽ elegit, quæ non auferetur ab ea.

THEOPHYLACTI EPI-
ſcopi Bulg. ſuperioris Euang. expoſitio.

F*Actum eſt autem, dum iret, vt ipſe intraret in quoddam oppidulum, &c.* Magna quidem hoſpitalitatis virtus eſt (id quod Martha oſtendit) & non reijcienda: maior autem, attendere verbis magis ſpiritualibus. Per illam enim corpus paſcitur, per hoc anima viuificatur. Nõ enim propter hoc aſſumus inquit, vt ventrem impleamus variis cibis, ſed vt animabus vtiles ſimus. Vide item, & domini ſententiam; Nihil prius dixit Marthæ, quam ab illa perſtringendi ſumeret occaſionem. Poſtquã enim illa auellere tentauit ſororem ab auditu, tum denique dominus arrepta occaſione illam verberat. Eatenus enim hoſpitalitas veneratione digna eſt, quatenus nõ abſtrahit, & abducit nos à magis neceſſariis. Et quoniam cœpit nos prohibere a curioſa, tunc illi præferendus diuinorum auditus: imo ſi accuratius dicendum non hoſpitalitatem prohibet dominus, ſed varietatem, ac turbam, hoc eſt, diſtractionem, & turbationem. Laudat enim frugale hoſpitium. Quare enim, inquit, *Martha ſollicita es, & turbaris circa multa,* hoc eſt, diſtraheris, turbaris? *Quo nobis opus eſt,* nempe vt comedamus qualitercunque, non variis. Quidam autem exponunt, *vno eſt opus* non de eſu, ſed attentione doctrinæ. Porro dictis illis dominus docet Apoſtolos, vt, quum venerint in domum cuiuſdam, non varia inquirant, ſed contenti ſint frugali hoſpitalitate, nihil plus quærentes quàm vt attendãt doctrinæ. Intellige quoque per Martham virtutem practicam, per Mariam contemplationem. Practicæ enim diſtractiones, & turbationes fert; contẽplatio vero domina fit affectionum. Maria enim domina interpretatur, ac in ſola diuinorum eloquiorum, & iudiciorum contemplatione occupata eſt. Animaduerte autem & hoc, quod aſſidet iuxta pedes Ieſu, & audit ſermones eius. Etenim

per pedes intelligunt virtutem practicam: motum enim, & incessum ostendunt. Porro sessio firmitatis symbolum est. Quisquis igitur sederit iuxta pedes Iesu, & confirmatus fuerit in practica ac imitatur vitam, & conuersationem Iesu, ille postea venit ad auditum diuinorum sermonum, videlicet contemplationem; quia & Maria primum sedet, deinde audit sermones. Tu igitur, si quidem potes, in ordinem Mariæ ascende, & fias Dominus affectionum, & ad contemplationem venies; At, si hoc tibi non fuerit possibile, Martha esto, practicæ parti addictus, & per hoc Christum suscipiens. Vide autem hoc; *Quæ non auferetur ab ea.* Practicus enim habet, quod à se auferatur, hoc est, distractionem, & occupationem; proficiendo enim venit ad contemplationem, liberatúrque à turbatione, & distractione, & ita aufertur aliquid ab eo. Contemplator vero non priuatur hac bona parte, contemplatione scilicet. In quod enim maius aliud proficeret, vbi in hoc venerit fastigium, diuinam dico visionem, id quod est deificari? Qui enim Dei visioné assequitur, Deus fit. Simile enim simili comprehenditur.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

F*Actum est autem dum irent, vt ipse intraret in quoddam castellum, &c.* Castellum hoc Bethania erat:
Ioan. 11. hanc enim Ioannes castellum dixit Mariæ & Marthæ. *Martha vero distrahebatur circa frequens ministerium.* Præparans, quæ necessaria erant ad conuiuium, & obsequium eius, ac discipulorum ipsius. *Quæ adstitit, & ait; Domine, &c.* Tanquam præceptor curam illi committe, vt vnà mecum ministerio manum admoueat. *Martha Martha sollicita es, & tumultuaris circa multa.* Tumultus hoc loco distractio est, & turbatio. *Circa multa* vero, puta, quæ ad conuiuium, & obsequiū necessaria sunt, vt dictum est; *Atqui vnum est necessarium.* Videlicet meorum auscultatio sermonum. Neque enim vt epuler veni, sed vt vos doceam. *Maria vero bonam partem elegit, &c.* Duæ partes conuersationis laudabiles sunt, nempe practica, siue operatiua, & theorica, siue contemplatiua: has duæ sorores istæ elegerant: Martha quidem operatiuam, ministrando circa corporale domini obsequium; Maria vero cōtemplatiuam, audiendo sermones illius. Et quia bipartitus erat Christus: illa quidem refocillabat partem eius visibilem, hæc autem colebat partem eius inuisibilem: ipse vero illius quidem promptitudinem nō vituperauit, huius autem electionem laudauit. Siquidem illius opus vtile certe ad-
Matth. 25. modū erat, huius tamen sublimius. Tu ergo, quam volueris, imitare, aut curam habe corporis domini, dico sane pauperum. Nā quatenus, inquit, vni de his minimis fecistis, & mihi fecistis. Aut occupare circa auscultationem sermonum ipsius, circa contemplationem dogmatum illius. Aut etiam vtrumque exerce congruis temporibus. Bonā vero partem dixit, non quod altera mala sit, sed bonam hic appellauit eā, quæ melior est. Potest enim fieri, vt duorum bonorum vnū altero melius sit; Bonum siquidem est hospitalem esse, verum melius est, Deo assidere: illud enim corporale est, hoc autem spirituale.

GVERRICI ABBATIS
Igniacensis, in festo Assumptionis Sermo 1.

VEni electa mea & ponā in thronum meum. Multi vocati, pauci electi. Beati quos elegisti, Domine, habitabūt in atriis tuis, imò tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronúmque regni tui in eis collocabis. Sanè omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum, singulariter est electa, & præelecta: quoniam elegit eam Dominus, & elegit eam Psal. 131.
in habitationem sibi, dicens: Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Habitauit in decem mensibus, habitauit cum ea, & sub ea annis pluribus. Habitans in ea, replebat eam singulari gratia charismatum, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suauitate morum, & diuinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem & in ea & cum ea, sicut interminabili æuo: sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum: foris quidē glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam verbi glorificantis imprimēs. O Maria, nō vocaberis, ait dominus, Esa. 62.
vltrà derelicta, & terra tua nō vocabitur vltrà desolata, vt quia virgo, ideò sis infœcunda. Sed vocaberis voluntas mea, id est dilectus meus filius in ea, quia cōplacuit domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, immò si magis placet, vt non recedamus à verbis scripturæ, habitabunt in te filij tui. Quid hæretice caput erigis? Quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Vnum quidem genuit, qui sicut vnicus est patri in cælis: ita vnicus est matri in terris. Neque enim sicut tu impiè blasphemas, alios postea filios genuit: sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre: ita sacramentum catholicæ vnitatis in prole. Ipsa tamen vnica virgo mater, quæ se patris vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniúmq; in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eua verus illa, non tam mater quam nouerca, quæ filiis ante propinauit præiudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viuentium, sed inuenta est verius interfectrix viuētium, seu genitrix morientium: cùm suū generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomē suum, ista impleuit mysterium, quæ & ipsa sicut Ecclesia, cuius forma est mater, est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi, quam dùm ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo generatio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adā fuimus ab initio propter semen carnalis generationis: sic in Christo ante initium, maximè propter semen spiritalis regenerationis. Porrò beata mater illa Christi, quia matrem Christianorum se agnoscit ratione mysterij: cura quoque se matrem eis præstat, & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi

non

non sint sui, cuius viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, núquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, grauidam te ô pia mater, inexhausta pietate reliquit: ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluens, & in orto concluso castitatis, fontem signatũ charitatis semper abundare faciens: qui licet signatus sit, foris tamen deriuatur, & in plateis aquæ eius nobis diuiduntur. Licet nanq; fons charitatis propiùs Ecclesiæ incommunicabilis sit alicuis, beneficium tamẽ eius impartire gaudet etiam inimicis. Denique si ser-
Gal. 4. uus Christi filios suos iterum atque iterum parturit, cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quãtò magis ipsa mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longè diuiniùs atque sanctiùs verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium; sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium. Vide autem si non & filij matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius, primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam paruuli ad sinum matris. Vnde nimirum de his filiis puto non absurdè intelligi, quod per prophetam promissum est ei, habitabunt in te filij tui: saluo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio matris altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius: & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur. Tunc erit vox vna læ-
Psal. 86. tantium, & aggratulantium matri: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. Nullatenus autem credideris maioris eius esse fœlicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ quàm in sinu Mariæ, cùm thronum suum in ea posuerit rex gloriæ. Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Non poterat significantiùs, aut elegantiùs describi prerogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua spiritaliter præ
Matth. 19. cæteris residere delegerit. Discipulis quidem dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur: In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes. Alibi quoque promittit idem agonotheta noster, de cælo spectans, & incitans decertantes: Qui vicerit, inquit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi in throno patris mei. Matri vero cuius longè differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. Veni, inquit, electa mea, & ponam te in thronum meum. Parum est, inquit, vt iudicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias, vt maiestatem regnantis eò fœliciùs quo familiariùs in te contineas, & specialiùs præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo. Fuisti diuersorium peregrinantis, eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris soliũ triumphantis in cælo. Fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus regis coronati. O fili Dei, nihil tibi nihil in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetis, támque affluenter remuneratur tua dignatio? Nihil vtique in illo sordi- c
dum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adorna thalamũ virgo prudentissima, regem Christum non solum hospitem suscepta, sed & sponsum habitura. Adornauerat inquam multiplici decore virtutum & gloria, tantò fortasse locupletiùs, quantò pauperior erat: tantò vtique tutiùs & veriùs, quantò interiùs totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat: Omnis gloria eius filiæ regis ab in-
tus in fimbriis aureis circumamicta varietate. Et Psal. 44.
alius: O quàm pulchra es casta generatio cum charitate. Domum tuam decet domine huiusmo- Psal. 92.
di sanctitudo & decor. Is decor te inuitauit vt intrares, illuxit vt redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti, sed rediens cumulasti. Cùm intrasti, homo natus es in ea: cùm redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ, nunc autem thronum gloriæ. Dicuntur quidem & sunt alij throni: quidam scilicet spiritus diuini, præ aliis vt putamus subiectis ordinibus præsidentis maiestate pleni, quorum quæ sit prærogatiua scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cuiuslibet iusti dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profectò tũc erit & gloriæ. Sit igitur illud cæli palatium plenum sedibus & thronis, sedeátque Deus in omnibus, accommodans se, & aptans cuique pro meritis. Non immeritò tamen creditur, sine iniuria vel inuidia cæterarum sedium quoddam esse speciale regis solium, excelsum & eleuatum super gloriam omnium. Mariam dico exaltatam super choros angelorum, vt nihil contempletur supra se mater nisi filium solum, nihil miretur supra se regina nisi regem solum, nihil veneretur supra se mediatrix nostra nisi mediatorem solum, cui nos ipsa precibus suis conciliet, commẽdet, & repræsentet vnico filio suo Iesu Christo, cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM
Sermo 2.

Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore Cant. 2.
langueo. Verba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad assumptionẽ beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus si placet cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo secularium, sed etiam Ecclesiasticarum auctores literarum nonnunquam vsi sunt, maximè in tractandis canticis, vnde hæc sunt sumpta. Hoc nanque genus sermonis, salua veritate quadam, ampliori vtitur libertate: cùm videlicet sumpto themate causæ, vt beatus Hieronymus ait: non tam loquitur quæ reuera facta vel dicta sint, quàm eiusmodi fuisse negocium ostendit: vt ea quæ dicuntur, & si facta, vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse: aut eti ã in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurdè credi possint. Maria igitur

igitur migratura à corpore decúbebat, vt est humana infirmitas. Porro filiæ Hierusalem, quæ sursum est, id est angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis matris captáda est gratia filij, visitabant satis officiosè ac deuotè dominá suá matré Domini sui. Et fortasse aliquid huiusmodi primò post salutationis officia locuti sunt ei angeli: sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel vsui. Quid est obsecro, mi domina, quod sic ægra videris, & languida? Quid est quod præter solitum tristis & pigra, ab heri & nudiustertius sicut solebas nó sancta reuisis loca, quorú contemplatione amorem tuum pascebas? Iam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Caluariæ ascendentem, vt ibi locum crucis impleres lachrymis, aut ad sepulchrum filij adorátem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliueti deosculatam extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Iosaphat commorata (vbi & sepulchrú eius monstratur, vt ait beatus Hieronymus) in ecclesia mirto lapideo fabricata tabulatu: ne scilicet à sanctis locis lógiùs recederet, sed sæpius ea inuisens, licet omnia memoria teneret, formam tamé gestorú velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulcius amplecteretur, & vel sic suum aliquatenus amorem solaretur. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, & ex toto decumberet? langueo, inquit. Papè langues? Languor enim quem locum in corpore tuo repperit, in quo salus mundi tam diu habitauit? De corpore illius filij tui virtus exibat, & sanabat omnes, adeo vt etiam fimbria vestiméti Aemorroissam sanaret. Et tu quæ tam diu ipsum in vtero, in sinu, in gremio continuisti: quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quòd id miremini, sed illud ipsum corpus filij mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quàm infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit voluntate: tamen ego noui quæ ipsum in vtero alui, vberibus lactaui, sinu foui: nec solius infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis vt potui ministraui: ad extremum non sine passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens quàm verè de eo noster Esaias dixerit: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Cur ego doleam: non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba, vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sanè aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento. Sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique vt minus miremini languoré meum, amore láugueo. Langueo plus ita, patientia amoris, quàm passione doloris. Plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate. Heu inquiunt illi, quàm frequentes immo continuæ causæ languoris? Bone Iesu quomodo hæc mater tua postquàm te genuit, nunquam fere nisi in languore fuit? Primò languit timore, postea dolore, nunc amore. Timore à natiuitate vsque ad passionem, cùm semper vitam insidiis appeti videret: dolore, toto tempore passionis, donec rediuiuum reciperet;

Esa. 53.

nunc amore & desiderio, fœliciùs sed mirabiliùs cruciatur, quia sedentem in cœlo tenet. Quomodo Iesu bone qui summi fructus es gaudij, tam longi factus es illi causa martyrij, vt charissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertransfeant gladij? Sed obsecramus te domina, quid vis faciamus tibi: vis saltem vt resideat hic iste Gabriel symmistes tuus, vt assideat & ministret tibi, qui ab initio cóscius & minister mysterij tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit: Sufficit mihi virgo meus nouus in carne angelus, discipulum dico quem diligebat Iesus, cuius me dilectionis hæredem reliquit, cùm illum mihi & me illi in cruce commendauit: cuius obsequio nihil mihi gratiùs, quia conuersatione & affectu nihil castiùs, moribus nihil suauiùs, nihil synceriùs fide, nihil sanctiùs sermone. Nos ergo, aiunt illi, in quo tibi esse poterimus officiosi? Filiæ, inquit, Hierusalé nunciate dilecto, quia amore langueo. Ipse nouit quomodo meo medendum sit languori. An nosti, inquiút, quia cùm sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat? Si ergo quæsierit quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respódebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus, paranymphus meus, nó puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicá igitur tamen ne iudicer temeraria, quòd maiora me quærere videar: Osculetur me osculo oris sui. Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalenæ osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formauit ipse conditus & conditor? Cum paruulum tenebam inter brachia, quotiens osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat, nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Et si forsassis in patientia desiderij etiam nimia, ipse tamen more suo morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labiis eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderium castarum scilicet animarum. Vnde sicut ipse de se confitetur. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient: quantò gratiam oris illius gustaui suauius, tantò nimirum repeto nunc ardentius. Creuit quidem gloria & maiestate, sed nihil ab illa ingenita mutatus est mãsuetudine & bonitate. Nihil ad illum superbiæ secularis elogium, honores mutant mores. Sublimior est, sed non superbior. Gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrem quam elegit, nec æternam electionem suam nouo iudicio reprobabit. Ne timeas Maria, ait Gabriel more suo, inuenisti enim gratiam apud Deum. Etiam in cæteris qui longè iacét sub vestigiis tuis, probare consueuit improbitatem huius affectus & precis, qui nihil nimium, aut iniuriosum sibi deputat, quod in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conuersus ad sociam multitudinem, eamus, inquit eamus, ne ipsi filio facere videamur iniuriam, si gloriam matris differamus. Cùm ergo reuersi nunciassent hæc Domino suo, quid putamus Iesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem & matrem filiis

Cant. 1.

Eccles. 24.

hono

honorandos commendaui, ego vt facerem quod docui, & exemplo essem aliis, vt patrem honorarem in terram descendi: nihilominus vt matrem honorarem in cælum reascendi. Ascendi & præparaui ei locum, thronum gloriæ, vt à dextris regis regina coronata consedeat, in vestitu deaurato, circundata varietate. Psal. 44. Neque hoc dico quod in patre thronus ei collocetur, quin potiùs ipsa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quandam regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea, nulli abundantiùs ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi præter alia quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabis osculum oris, quinimmo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili. Quia côcupiui speciem tuam, etiam desiderantiùs quàm tu meam: nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. Gloria tibi domine Iesu, subintulit chorus angelorum. Gloria tibi domine Iesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam, te præstante cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 3.

[illegible] IN omnibus requiem quæsiui. Grata quies fessis. Gratæ igitur & opportunæ vobis qui fessi estis dies iste quietis & feriationis interuenit, vt dùm sanctæ Dei genitricis requiem celebramus, non solum corpora recreentur hac diurna quiete à labore messis, sed etiam corda respirent in recordationem, & amorem illius æternæ quietis. Et ibi tamen ô fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem huius messis seminatis: fructus huius laboris illa requies erit: requies a labore, merces pro labore, cuius etiã recordatio fidelis vires reparat in labore: Vmbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim ait illa, quæ memoriam abundãtiç suauitatis eius eructabat: Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. 2. O qui laboratis, ô qui portatis pondus diei & æstus, sub vmbra alarum Iesu inuenietis requiem animabus vestris, firmamentum, vt scriptum est virtutis, regimen ardoris, vmbraculum meridiani: vt ex sententia cordis sit illa confessio oris: Psal. 17. Domine domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli, in die æstus & laboris, certaminis & tentationis. Cùm enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solùm ab æstu tentationum refrigerat, sed etiam ad laborẽ animos innouat: iuxta illud quod scriptum est de asino forti Ysachar: Gen. 49. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum ad portandum: id est desiderio illius quietis & hæreditatis, sponte humiliauit se ad laborandum. Et iste ergo dicere potuit, in omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate domini morabor. Fœlix qui in omnibus laboribus & viis suis requiem quærit beatam: semper festinans ingredi, vt Apostolus monet, in illam requiem, eius desiderio corpus affligens, animum autem iam illi requiei parans & componens: cum omnibus hominibus, quod ex ipso est, pacem habens, requiem & otium Mariæ voluntate præeligens: laborem autem & negotium Marthæ necessitate quidem suscipiens: sed quanta præualet pace & quiete spiritus adimplens, & semper ad illud vnum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligens. Homo huiusmodi etiam cùm laborat, quiescit: sicut è diuersò impius etiam cum quiescit, laborat. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit Psal. 94. totam malorũ: quibus iurauit in ira sua si introibunt in requiem meam? Extra illam non est nisi afflictio & miseria, & in circuitu eius tempestas valida: sicut & in natura rerum fit, vt quicquid extra simplicitatem & vnitatem puncti fuerit, in motu & agitatione sit: tantóque côcitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quantò ab immobilitate principij sui, id est à medietate centri recesserit longiùs. Sanè in circuitu impij ambulant, quibus Deus immittit totam malorum, idcóque in illam internam, & æternam requiem intrare non possunt. Ideo contritio & infœlicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognouerunt: quia nec quæsierunt, vt dicere possint in omnibus requiem quæsiui: vt videlicet in multiplicitate actuum suorum quibus turbantur & turbant, vnum quod est necessarium, cogitent aut requirant. Iustorum potius est vox illa, qui & dicere possunt: vnam petij à domino hãc requiram: vultum tuum domine quæsiui, vultum tuum requiram: qui non nisi quietis illius amore laborant, qui omnino præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, vt requiescant in die tribulationis, quàm in bonis ducere dies suos, & in puncto ad infernum descendere. Si quis tamen curiosius inquirere velit, cuius potissimum vox illa sit in omnibus, requiem quæsiui: & vox est vtique sapientiæ, vox est ecclesiæ, vox est Mariç, vox est cuiuslibet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsiuit, sed in solis humilibus inuenit. Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsiuit, sed in solis credentibus inuenit. Maria sicut & quælibet sapiẽs anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsiuit, sed hodie demum inuenit, cùm post persecutionem Herodis, & fugam Ægypti, post tot insidias & atrocitates Iudaicæ impietatis, post tot passiones suas, passione & morte filij: postquam tot & iam acerbi ipsius animam pertransierunt gladij, tandem hodie dicere datum est ei: Conuertere anima in requiem Psal. 114. tuam, quia dominus benefecit tibi. Qui creauit me, creatus est ex me: requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cæli sui. Qui enim gratiam vltrò cumulat aliis, par pari quomodo non referat matri? Perge Maria, perge secura: in bonis filij tui, fiducialiter age tanquam regina, mater regis & sponsa. Requiẽ quærebas, sed amplioris gloriæ est quod tibi debetur regnum & potestas. Indiuiduum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne tua, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis & vnitatis mysterium, dùm scilicet saluo honore naturæ, geminato munere gratiæ, iuncta est mater in matrimonium. Requiesce igitur ô fœlix inter brachia spõsi, replicabit tibi ni fallor inter amplexus & oscula: quàm suauiter requieueris in tabernaculo corporis tui, quàm suauius in cubiculo cordis tui. Non est iniustus Deus ô fratres, vt obliuiscatur operis

boni, viuit semper apud eum memoria beneficij semel accepti. Beatus apud quem Deus vel semel requiem inuenerit, in cuius tabernaculo vel hora vna requieuerit. Ecce nunc quoque sapientia clamitat in plateis: in omnibus requiem quæsiui: pulsaui, nec fuit qui aperiret: vocaui, nec fuit qui responderet. Filius hominis factus secūdum propheiam velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendū, non habet vbi reclinet caput suum, foris stat plenus rore, & capit cincinnos guttis noctium. Quis ille in nobis, tam humanus atque hospitalis, vt surgat & aperiat ei, & inducat in cubiculum suum, aut certe ostendat ei cœnaculum grande stratum, vbi cum discipulis pascha manducet nouū? Hoc enim dico fratres, nisi requiem quam quærit inuenerit apud nos, nec nos optatam requiem inueniemus in illo. Ait quidem dominus per prophetam: *Psal. 40.* Hæc est requies mea reficite lassum, & hoc est meum refrigerium. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala parabit ei dominus, vicissitudine debita, requiem & refrigeriū. Si ergo humanitatem membris suis exhibitā Deus imputat sibi, quantò magis quod ipsius fit spiritui, cum gratiarum actione recolet: *Matth. 25.* Hospes, inquiens, fui & suscepistis me. Nunquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit: domino, qui magis apud pauperes hospitari consueuit, inhumana & inhospitalis erit? Super quem autem requiescam, inquit, nisi super humilem *Esai. 66.* & quietum, & trementem verba mea? O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati, pauper & insufficiens tibi: sufficiens ei quem non capit orbis, copiosè ac deliciosè reficiens illum qui & angelos pascit. Super quem, inquit, requiescam nisi super humilem. In omnibus requiem quæsiui, sed apud humilem ancillam inueni. Non est inuenta similis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo diuinitatis. Quanquam aliter requieuerit in filio, quia & si mater humillima, longè tamen filius humilior. Idcirco spiritus septiformis non solùm super ipsum requieuit, sed etiā omnibus qui mites & humiles ab eo esse didicerint, diuersas in eo fœlicissimæ quietis mansiones præparauit, immò totum ipsum quoddam aureum fecit inclinatorium ad quiescendum. Huius nimirum reclinatorij beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus eius meruit in cœna recumbere. Sed adhuc libet intueri: quàm plenum rationis & congruentiæ sit quod ait: super quem requiescam, nisi super humilem & quietum? Quomodo nanque super inquietum aliquid quiesceret: quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? Quis autem nisi humilis, quietus esse potest? Quis nisi humilis in pace quieti & modesti spiritus seipsum possidere *Psal. 1.* potest? Impium proiicit ventus à facie terræ, circumfertur omni vento doctrinæ. Impius, inquit, propheta quasi mare feruens, quod quiescere nō potest: feruet ira, ęstuat auaritia, intumescit superbia, seipsum iugiter pugna quatit intestina, ac seditione collidit domestica. Vt ergo requiescat in vobis ô fratres mei amator ille largitórque quietis, date operam iuxta consiliū Apostoli, vt quieti sitis. Quonam modo istud erit? Dico, inquit, vobis: Vt vestrum negociū agatis, & operemini manibus vestris. Opus est onus quo veluti pondus nauibus, ita quies & grauitas inquietis additur cordibus: sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Magnorum initium malorū est, sicut legistis, mulier vaga, quietis impatiens: nec valens consistere in domo pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidiās. Nec sine causa est quod magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum, vt nō solum correptione, sed etiam separatione censeat illud persequendū. Rogamus, inquit, vos fratres, *1. Thess. 5.* corripite inquietos. Et item in secūda ad eosdem Thessalonicenses inter alia quæ super inquietos velut è cęlis tonabat, audiuimus, inquit, inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, *2. Thess. 3.* sed curiosè agentes. His qui eiusmodi sunt denūciamus, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Si quis fortè, quod absit, eiusmodi inuenitur inter vos, pulchrius & honestius, antequam tam grauiter & publicè notetur, vltro confundetur, inde scilicet, quia notabilis est, & dissimulatur: reprehēsibilis est, & toleratur. Sic autem confundatur, vt concione corrigatur, correptione lætetur, lætificéique non modo nos, sed spiritum Dei: qui cum dicat, in omnibus requiem quæsiui, non inuenit eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis. Vnde & inquietos per prophetam reuocat, & compescit, si reuertamini, & quiescatis, salui eritis. Omnes ergo pariter sic operam demus, vt quieti simus, vt in quiete nostra semper in meditatione æternæ quietis occupemur, ac desiderio illius ad omnem parati laborem inueniamur. Hoc nobis impetret beata Dei genitrix cuius requiem celebramus, ab eo qui requieuit in tabernaculo corporis & cordis eius. Ipse est requies æterna Christus Iesus, cui est honor, & gloria per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo 4.

MAria optimam partem elegit. Hoc de Maria *Luc. 10.* sorore Marthæ scriptum est: sed in Maria matre Domini hodie plenius & sanctius impletū est. Hodie namque beata virgo Maria optimam partem elegit, immò quam dudum elegerat, hodie perpetuò possidendam accepit, vt scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perennitérque fruatur Dei verbo, Nec alienum aut incongruum si quod de illa Maria dictum est, in istam transsumatur, cum ad conuenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit vteri: Et qui creauit me, *Eccles. 24.* inquit, requieuit in tabernaculo meo. Illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, hæc sedula circa curam humanitatis eius conseruabat omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo. Sed & cùm euangelizans circumiret Iesus ciuitates & castella, Maria comes indiuidua vestigiis eius adhærebat, pendebátque ex ore docentis, adeò, vt nec procella persecutionis, nec horrore supplicij à cōsectatu filij & magistri potuerit absterreri. Stabat, inquit, iuxta crucem Iesu *Ioan. 19.* Maria

Maria mater eius. Planè mater quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, immo fortior quam mors erat. Planè iuxta crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suámque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius: quantis cõfossum cuspidibus filij cernebat vulneribus. Merito igitur ibi mater agnita est, & cura ipsius idoneo tutori delegata est, vbi maximè probata est: & matris ad filium synceta charitas, & filij de matre vera humanitas. Nam aliàs velut dissimulasse matrem visus est, siue cum in nuptiis flagitanti miraculum ait, quid mihi & tibi mulier? siue cum in mediis sermonibus euangelij diceret cuidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: quæ est, inquit, mater mea? Sed & matri cùm miraculum posceret, sic respondendum erat, vt alinnde quàm à matre se miracula habere significaret, & illi qui sermonem euangelij parentes annunciando interrumpebat, meliùs responderi non poterat: vt videlicet spiritalia carnalibus præferenda monstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negocio euangelij quærentibus. Quid est quod me quæritis? Nesciris, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Absit enim vt matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Absit inquam, vt in terra fastidierit matrem, cuius è cælo concupiuit decorem. Immo potius ordinabat in nobis charitatem, iam verbis quàm exemplis nobiscum agens, vt carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi patris adoptauit dignatio, quo fideliter dicamus cum ipsius vnigenito: Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est. Prorsus filiis Dei competit vox ista, nec vllum fidelius testimonium reddit ipse spiritus spiritui nostro quod simus filij Dei, quam vt sonet de cordibus nostris hæc vox vnigeniti Dei. Itaq; Mariam quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat, quandoquidem & ipsa voluntatem patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret pater, vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eã filius negligere videtur, ibi amplius honorasse inuenitur, dùm ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quòd eundem filium quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum. Cæterum cùm dilexisset eam Iesus in finem dilexit eam, vt non solùm propter ipsam finem viuendi, verum & in ipsam finem penè faceret loquendi: dùm velut inter vltima verba testamẽti curam matris, cuius debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, & Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus diuisit; vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam. Huic planè competebat hæc portio non solùm iure propinquitatis, sed etiam amoris priuilegio testimonióque pudoris. Decebat namque vt non nisi virgo virgini deseruiret, quatenus & virgo beata diuino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis: & virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, & de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris, mysteria quoque diuinitatis, & arcana verbi incorruptibilis sibi eredi promeruit. Decebat inquam, vt matri Domini non alius obsequeretur quam dilectus filij, quatenus & mater semper suspirans filiũ in dilectum filij suauius respiraret, & discipulus magistrum sibi conquerens nimis citò subtractũ magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commodè prouisum, vt scripturus euangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium, quippe quæ ab initio omnia filij sui diligentius obseruauerat, conseruans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo. Sic nempè se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi, vt nihilominus Mariæ partes executa credatur, in studio verbi cognoscendi. Maximè tamen postquam idem filius ascendit vbi erat priùs, mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque spiritu quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis acceperat pleniùs illuminata: gaudebat nimirum, vacare & videre quoniam Iesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudij, summæque delectationis omnibus qui diligunt Iesum, sed præ omnibus illi quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta gratia Deum generandi, sic & prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria virginis matris, videre Deum regem omnium in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoscat & adoret corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, vt opinor contemplationibus pascebatur, Maria hanc optimam partem elegerat, quæ non ablata, sed perfecta est in ea. Quia enim negligens; aut segnis non extitit in opere Marthę nequaquã vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. Propterea, inquit, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Vobis hæc dicimus, fratres, vt si quis desiderio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius quæ in Martha non improbatur, nec æquum est, vt præmium ante meritum requiratur. Iacob priùs oportet iungi Liæ quàm fruatur amplexibus Rachel, sed & ipsum priùs vocari & esse Iacob, quàm Israel. Rectorem, inquit, te posuerunt, curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipies coronam. Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis semina iustitiæ, pro quibus gaudia metenda sont ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait propheta: Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ. Ait enim, qui parcè seminat, parcè & metet. Et qui seminat in benedictione, de benedictione & metet. Nullus sane tam profusa benedictione seminauit, sicut illa benedicta in mulieribus quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam an fructum? Melius vtrumque. Qui enim semen est operantibus iustitiam, fructus erit metentibus gloriam. Semen in passione, fructus in resurrectione. Potens in terra semen istud, quod cadens in terram mox excitauit potentiam suam, vt multum fructum afferret, & in semine illo benedi-

Psal. 111. nedicentur omnes gentes. Vnde & ibi sequitur, generatio rectorum benedicetur. De benedictionibus suis itaque Maria meiat, & quæ benedictionem omnium gentium seminauit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. Beatam me dicent, inquit, omnes generationes. Parum est hoc : Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. Luc. 1. Viderunt hodie ascendentem filiæ Syon cælestis, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerût eam. Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quæ refusa est spiritaliter in eam omnimoda benedictio illa quam de se profudit. Date ei, inquit spiritus sanctus de fructu ventris sui, & fateatur illo quem genuit. O mater misericordiæ saturare gloria filij tui, & dimitte Psal. 122. reliquias tuas paruulis tuis. Tu iam ad mensam, nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicauimus in mensa præsentium sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicabimus in mensa perennium gaudiorum, Iesum benedictum fructum ventris tui, cui est honor, & gloria per omnia secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI DE *Assumptione sanctissimæ Mariæ virginis, Sermo.*

Est apud Lippomanum. HIc totum decurrat ingenium, & auteus sermo tota reluceat maiestate : voluntaria oris nostri beneplacita faciat sibi genitrix Dei, domina mundi, cæli regina : Ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio : Illustret lucem hanc lumine clariori, & suo conuentui suam præsentiam donare dignetur. Sublimis ista dies, & splendidiori sole refulgurans, in qua virgo regalis ad thronum Dei Patris euchitur, & in ipsius trinitatis sede reposita, naturam etiam angelicam solicitat ad videndum. Tota conglomeratur angelorum frequentia, vt videant reginam sedêtem à dextris domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circundatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam. Hæc est illa dies, quæ cælorum officinas sublimiori gaudio cumulauit, annua mûdo, Angelis continua, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione coniungens. Intuere mentalibus oculis filium ascendentem, & matrem assumptam, & videbis aliquid excellentius in Ascẽsione filij exhiberi, & aliquid gloriosius in Assumptione virginis demonstrari. Ascendit enim saluator in cęlum potestatiuæ virtutis imperio, sicut dominus, & creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus; assumpta est Maria in cælum, sed gratiæ subleuantis iudicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quam subleuabat gratia, non natura; Ideo dies hæc Assumptio, Ascẽsio illa vocatur, cum aliud sit potentia, aliud misericordia, solúmque soli sit priuilegium creatori, naturam rerum propria potestate supergredi. Hoc est illud excellentius, quod sibi vendicat super creaturam Creator, vbi etiam superabundans, & singularis gratia, non audeat aspirare; sed si diligenter attendamus Ascensionẽ filij, & matris Assumptionem, inueniemus profectò aliquid, quod nos inuenisse gaudebimus. Ascendenti quippe Domino egressa est obuiam omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas, quando naturæ superiori prætulit inferiorem, & inconuertibili sacramento susceptum hominem in ipsa diuinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem Angelis electorum animas, quas secû educebat, adiunxit, & sic vtrúmque triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet ad dexteram Maiestatis. Attolle iam oculos ad assumptionem Virginis, & salua Filij maiestate, inuenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò cælorum palatia penetranti Filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quàm iustorum solenniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis, & ait : Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Tota pulchra, quia tota deificata; macula non est in te, quia Spiritus sanctus superuenit in te, qui te mundauit. Sed & Virgo gratiosis cumulata muneribus, tantæ benignitati Dauidico sermone respondet, summæ dignationis claritatem admirans : Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Nota verborum positionem differenti graduum distinctione signatam. Tenuisti, inquit, manum dexteram meam, quia etsi leua tua sub capite meo, dextera tua iam amplexatur me. Et in voluntate tua deduxisti me, non in mea sublimitate, quia totum opus gratiæ est, non naturæ. Et cum gloria suscepisti me; gloria vtique gloriosa, quam non nouit, nisi qui dedit, & cui donare dignatus est. Attende autem diligentiam, & consequentiam scripturarum. Spiritus enim sanctus in cuius fabrica, tam veteris, quàm noui testamenti fuit compositio fabricata, Ascensionem Filij, & Matris Assumptionem simili stylo perambulans, ter interrogat : Quis est iste? & tertiò repetit: Quæ est ista? Primùm de Filio, postea de Matre videamus. In spiritu fortitudinis Saluator ad inferos descendens contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & gehennalis ollæ dissipatis fragminibus, totum illud infelix habitaculum ruinosa concussione succussit. Conclamantibus Angelis : Attollite portas principes vestras: illi, qui superbiæ lapsu irremediabili corruerunt, ignoratione dedignatiua retorquẽt : Quis est iste Rex gloriæ? Hic est ille insipiens, qui dixit in corde suo : Non est Deus, & Nescio Dominum, & Israël non dimittam. Angeli pacis confidenter ingeminant : Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio : fortis ad vestram fortitudinem infirmandam; potens ad vestram potentiam vacuandam; in prælio, illo vtique singulari, quo potestates aëreas singulariter debellauit. Resurgens ab inferis, & solennis victoriæ vexilla reportans, hominem vnitum sibi, quem nunquam dimisit, resuscitauit, & triumphatrici palma cælis inuectus, Patri ouem centesimam, quam perdiderat, repræsentans audit ab Angelis : Quis est iste Rex gloriæ? Sed & eisdem conclamantibus: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ: cælorum insonuere palatia, & tota supercælestis domus profusioribus gaudiis inundauit. Verè Dominus virtutum, in resurrectione virtutem faciens, quam ante non fecerat, redimens seruum, & pro seruo filium efficiens. Clarissima autem Ascensionis die, quando, videntibus discipulis, est eleuatus in cælum, sum-

mum

mum illud, reuerendúmque collegium venit obuiam Redemptori, & omnis illa iam assistétium, quàm ministrantium Angelorum auctoritas encurrit ad Filium, & ascendentem demirans ait: Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de bosra? Videntes enim eum sanguinei ruboris vnda perfusum, mirantur eius patientiam, & sæuitiam Iudæorum, qui non sunt veriti Filium Dei Crucis ignominia condemnare. Gradiens, inquiunt, in multitudine fortitudinis suæ, non solùm in fortitudine, sed etiam in multitudine fortitudinis, quia nulla fortitudo fortior fuit, quam redimere seruum, & in diuinitatis dextera perpetuò collocare. Hæ sunt illæ voces, quæ descendenté ad inferos, ab inferis resurgenté, ascendentem ad cælos, multiformi præconio prosequuntur. Sed iam vertendus est stylus ad Sanctam sanctarum, & illorum verborum enodanda proprietas, quæ Virgini Matri sunt specialiter dedicata. Sed vti superliminarem titulum in fronte futuri ædificij proponamus, dicamus breuiter; quia prima interrogatio conuenit eius natiuitati, secunda eius conuersationi, tertia assumptioni. Quæ est ista (inquit Spiritus sanctus de eius natiuitate) quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Hæc est, quæ nesciuit thorum in delicto, Virgo Dei Filio singulariter consecrata, specialiter sancto coniugata Spiritui. Quæ progreditur, inquit, sicut aurora consurgens. Quàm elegans, & clara similitudo, & ex illius disciplina descendens, qui summum sapientiæ fontem in Canticis affluenter inclusit. In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem, & similitudinem Conditoris. Quid enim clarius, quàm creatum Creanti non esse dissimilem? Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Imaginem dedit ei in æternitate, similitudinem in moribus, vt sit similis Creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiecta, apostatæ spiritui falsa promissione delinitus inhæsit, & se cum posteritate sua perpetuæ morti destinauit, & tenebris. Ab illa hora tenebræ factę sunt super vniuersam terram vsque ad Virginem, nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente, concreuit & tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili sepeliuit. Hæc est illa nox solitaria, nec laude digna, de qua scriptum est: Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertransierant omnes bestiæ syluæ, quia crudeles, & indomiti spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obtinuerunt. Sed nata Virgine, surrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis, natiuitate sua mane clarissimum serenauit. Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Hæc est aurora, quam sequitur, immò de qua nascitur Sol iustitię, solius Solis claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime, & orat beatus Iob vt ei multa suppressione claudatur, dicens: Non videat ortum surgentis auroræ. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus; tua est nox, in qua Adam à die est eiectus; tu fabricatus es auroram, id est Virginem Matrem, & Solem, Solé videlicet iustitiæ; qui de virginali thalamo consurrexit. Ná sicut aurora terminum noctis, diei principiú adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem de terra suę virginitatis exortum, terris infudit. Progreditur, inquit, quasi procul egreditur, quia procul, & de vltimis finibus pretium eius. Aurora, quia noctis finis, & lucis initium. Consurgens, quia de cadente supersurgens materia. Pulchra vt luna. Quid Luna pulchrius, cùm stellis coruscantibus in signifero limite, reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quàm stellaris, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet. Sic & Virgo inter animas sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & erecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet alię stellę reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet, & splédore. Sic vtráque naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratię, & fulgore virtutum. Electa vt sol: Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellétius, cui excellentiam Virginis cópararet. Multò enim altius aliquid habet claritas Solis, quàm Lunæ, quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic verò lucidius incandescens, ita sibi siderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint, quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse, veri pręuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere. An putas, quòd non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis? Considera & quę in cælis, & quæ in terris, in Virgine refabricata, Deum, qui cælum palmo metitur, virginei ventris breuitate conclusum, redemptionem hominum, Angelorum restaurationem, denique quicquid est, fuit, & erit, per Virginis vterum ren..uatum, & tunc tibi cogitatio suggeret, quod locutio demóstrare non potest. Electa, inquit, sed & prælecta. Vt Sol, quia sicut Sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine & Angelos, & homines illustrat. Terribilis vt castrorú acies ordinata, terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor ciuium beatorum. Sequitur de eius conuersatione. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Ista est speciosa inter filias Hierusalem. Desertú est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentiùs ludunt, vbi princeps ille nequissimus omni fortitudine principatur. Desertú autem dicitur, quasi derelictum à virtutum administratione, cùm earum conuentus, abundante iniquitate, ad proprios ortus reuolauerit. Quæ ascendit, inquit. In huius seculi vanitates omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarusque qui non vel descendat, vel cadat in huius turbulentissimæ profunditatis Oceanum. Sola illa Mater, & filia Creatoris, nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? Sicut virgula, inquit, fumi. Sed & hæc operatio quàm significanti si-

militudine ſit ſignata, recollige. Virgula ſumi tecta eſt, ſubtilis, odorifera, & quanto magis in aëra extenditur, tanto ampliùs dilatatur. Sic & Angelorum Reginæ, recta eſt in ſublimitate conuerſationis, quia virga directionis, virga regni domini. Subtilis in Deitatis contemplatione, quia ipſa eſt, quæ conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odore vnguentorum ſuorum. Anguſta in temporalibus, quia non erat ei locus in diuerſorio. In ſpiritualibus dilatata, quia aſtitit Regina à dextris Domini. Hęc eſt virga illa, qua retunduntur impetus aduerſantiũ dæmoniorum, virga Aaron, per quam fiunt ſigna, & mirabilia. Baculum autem Crucis intellige, quo non ſolùm verberatus eſt, ſed & occiſus ille inſanabilis homicida, qui mortibus hominum paſcitur, & nutritur. In Virgine virga, & baculo Cruce, miſerorum ſpes, & conſolatio continetur, ſicut ſublimis Propheta clara voce declarat. Virga, inquit, tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt: Sequitur. Ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Nominantur ſpecies, de quibus aromatica virgula ſubleuatur, myrrhæ, & thuris. Myrrha corpora diſſoluta conſolidat, & cadauer exanime ſibi vendicat, ne putreſcat. Thus autem Deo in oratione accenditur, ſicut multiplicibus ſcripturarum teſtimoniis edocemur. In myrrha continentiam, in thure deuotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt. Porrò quis eius deuotionem votiuis laudibus poterit adæquare, cùm rememoret miſſum Archangelum, ſuperuenientem Spiritum, Filium conceptum, Deum natum, ſtellam nouam, Magorum gloriam, munerum gratiam, & ſuper hæc omnia teſtimonium conſcientiæ ſuæ? Hæc ſunt duo, quæ virginalem ſubſtantiam tota circundedere virtute, continentia ſcilicet, & deuotio, quorum alterum carnem, alterum mentem ita poſſedit, vt caro mundiſſima, mens puriſſima genitricem Domini ſingulariùs conſecrarent. Sed ne putares his duabus ſolis virtutibus inſignitam Dominam orbis, & Reginam cælorum, ſubſequitur ſcripturarum auctoritas. Et vniuerſi pulueris pigmentarij. Hìc expreſſum eſt quicquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddunt, ſed non tantum, quantum confractæ. Crebris enim tonſionibus ſupertritæ, remotiorem etiam locum odorifera conſperſione refundunt. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, ſed fortiùs in tribulatione, quia virtus in pace acquiritur, in perſecutione probatur, approbatur in victoria. Vniuerſus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes Spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Nec integræ fuerunt in ea ſpecies, ſed in ſubtiliſſimum comminutæ, quia ipſa eſt, quæ fortioribus tribulationum malleis ſuperpreſſa, vidit ſuum & Dei filium affigi Cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones poſitum expirare. Sequitur de eius aſſumptione. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Hæc eſt Regina illa, quam videntes filiæ Sion, beatiſſimam prędicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam. Aſcendit autem hodie de deſerto, id eſt de mundo ad Regalis throni celſitudinem ſublimata. Delicijs, inquit, affluens. Vere affluens, quia multæ filiæ congregauerunt diuitias, hæc ſupergreſſa eſt vniuerſas. Deliciarum autem eius non eſt numerus, quia dum Spiritum ſanctum ſuſcipit, concipit Dei Filium, Regem gloriæ generat, penetrat cælos, cumulata diuitiis & deliciis affluens ad Regnum euolat ſempiternum ſuum. Innixa ſuper dilectum ſuum. Rex virtutum dilecti Pater eſt, in quo ſibi bene complacuit. Super hunc innititur Mater illa felicior, & in aureo reclinatorio diuinæ maieſtatis incumbens, intra ſponſi, immo filij ſui brachia requieſcit. O quanta dignitas, quam ſpecialis potentia, inniti ſuper illum, quem Angelicæ poteſtates reuerentur aſpicere. Hæc ſunt ergo, quę præſenti feſtiuitati ſub vmbris, & imaginibus dignanter alludunt, & ſacratiore tegmine velata, gratioſiùs lucent, cùm potuerint reuelari, Amen.

IN FESTO S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

LVC. 6.


IN illo tempore: exiit Ieſus in montem orare: & erat [a] pernoctans in oratione Dei. Et cum [b] dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos & elegit [c] duodecim ex ipſis, quos & apoſtolos nominauit: Simonem quem [d] cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius:

a Formâ præſcribitur, quam debeas æmulari.
b Non ſeculi.
c Vt quadratum orbem fide trinitatis inſignirent.
d Scilicet vocauit.

cius: Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Scarioth, qui fuit proditor.

Reliqua quære 2. in comm. plur. Mart. vsque ad, Sanabat omnes.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



XIIT *in montem orare.* Mons in quo apostolos eligit & docet, altitudinem significat iustitiæ: quia instituendi erant & prædicaturi, ne in infimis remaneant sed ad superna erigantur. Sic & lex in monte data fuit. Apostolos præeminentius adducit, vt à monte prius montes suscipiant pacem populo annunciandam. Sic & Moyses solus legem spiritualiter intelligeos, montis verticem in quo Deus erat ascendit. Moraliter. Qui Deum orando quærit, ad superiora progreditur, verticem curiæ sublimis ascendit. Orat autem dominus, non pro se quasi impotens: sed pro me sicut clemens. Vnde statim subditur: *Et cum dies factus esset.* omnes qui eius magisterio discunt itet tegni. *Discipulos*; De quibus elegit xij. *quos apostolos.* id est, suo loco missos nominauit; vnde: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. In montem ascendens ad se vocat: eligit quos vult, quia nō illorum est studij, sed diuinæ gratiç, vt in apostolatum vocarentur: vnde: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non sapientes, non diuites, non nobiles elegit, ne duxisse pro prudentia, ne redemisse diuitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate aliquos ad gratiam traxisse videretur. *Cogno.* Non modo primum, sed longe prius cum ab Andrea adductus dicitur: Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus. Sed volens Lucas nomina xij. apostolorum nominare, cum necesse haberet Petrum dicere, breuiter voluit innuere, quod non antea vocaretur: sed ita dominus cognominauit, vt non casu factū putetur sed ex communicatione sacramentum petræ audientibus commendaretur. *Matthæum.* Matthæus compari suo Thomæ, in ordine causa humilitatis se supponit, cum à cæteris euangelistis prælatus sit.

Ioan. 1.

Ioh. 15.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

GLoss. Insurgētibus aduersariis contra Christi miracula & doctrinam, apostolos elegit quasi defensores veritatis & testes, quorum electioni orationem præmittit: vnde dicitur: *Factum est autem, &c.* Ambr. Noli insidiatrices aperire aures, vt putes filium Dei quasi infirmum orare vt impetret quod implere nō possit, potestatis enim obedientiæ magister ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Cyril. Scrutemur igitur in his quæ Christus egit, qualiter nos doceat orationibus diuinis insistere, semotim scilicet & secretò nemine vidente: amota quoque mundana sollicitudine, vt sursum ad diuinæ speculationis intuitum erigatur intentio, quod designatur in hoc quòd semotim orabat Iesus exiens in montem. Amb. Vbique etiam solus obsecrat. Dei enim consilium humana vota non capiunt. Nec quisquam interiorum potest esse particeps Christo, non autem omnis qui orat ascendit in montem, sed qui orat à terrenis ad superiora progrediens, sed non ille qui de seculi diuitiis aut de honore sollicitus est. Omnes sublimes in montem ascendunt, quare in euangelio inuenies solos in montem cum domino ascendisse discipulos. Species autem tibi, Christiane, datur, forma præscribitur quā debeas æmulari, cùm sequitur: *Et erat pernoctans, &c.* Quid enim te pro salute tua facere oportet, quãdo pro te Christus in oratione pernoctat? Cyril. Exurge igitur & tu tempore noctis. Purior est enim tunc temporis anima, ipsæ tenebræ silentium nimium possunt sufficienter ad compunctionem perducere. Cæterum si ipsum quoque cælum inspicias punctatum stellis quasi infinitis luminibus, si consideres quòd qui per diem saltant, innitantúrque, hi tunc nihil à mortuis discrepant: detestaberis quemlibet ausum humanum. Hæc omnia sufficiunt ad animam exigendam, tunc non vexat inanis gloria, nō acedia, non concitatio occupat: non sic ignis ferri sequestrat rubiginem, velut nocturna oratio æruginem peccatorum. Quem de die solis æstus percussit, nocte refrigeratur: quemlibet rorem superant nocturnç lachrymæ, & contra concupiscentiam valent & quemlibet timorem, si verò prędicto rore non foueatur homo, arescit sub die. Quapropter licet non multum ores noctu: semel ora vigilando, & sufficit, ostende quòd non solùm ad corpus nox pertinet, sed etiam ad animam. Ambr. Quid autem te facere conuenit cùm vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus apostolos prius orauit? Sequitur enim, *Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, &c.* Quos scilicet ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinauit. Simul aduerte cæleste consilium: non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret elegit: ne diuitiis aut potentiæ nobilitatisque authoritate traxisse aliquos ad suam gratiā videretur: vt veritatis ratio: nō disputationis gratia præualeret. Cyril. Attende autem maximam euangelistę sedulitatem, non solum dicit electos fuisse sacros apostolos, imò nominatim eos enumerat, ne quisquam audeat alios inscribere apostolorum catalogo, *Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius.* Beda, Non modò primum eum cognominauit, sed longè prius eum ab Andrea adducto dicitur, Tu vocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus. Sed volens Lucas nomina apostolorum enumerare, cùm necesse haberet Petrum dicere, breuiter voluit innuere quòd non hoc antea cognominaretur, sed ita dominus cognominauerit. Euseb. Secunda autem combinatio est Iacobi & Ioannis: vnde sequitur

quitur, *Iacobum & Ioannem*, ambos, ſcilicet filios Zebedæi, qui etiam piſcatores fuerunt. Poſt hoc autem dicit, *Philippum & Bartholomæum*: Philippum dicit Ioannes fuiſſe de Bethſaida conciuem Andreæ & Petri, ipſe quoque Bartholomæus vir ſimplex & expers ſcientiæ mundanæ & amaritudinis, Matthæus verò ex his qui prius cenſus exibant vocatus eſt: de quo ſubdit Matthæum & Thomam. Beda, Matthæus compari ſuo Thomæ in ordine, humilitatis cauſa ſe ſupponit, cum à cæteris euangeliſtis prælatus ſit. Sequitur: *Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes*. Gloſſ. Quia ſcilicet fuit de Chana Galilææ qui interpretatur Zelus, quod additur ad differentiam Simonis Petri. Sequitur: *Iudam Iacobi & Iudam Scarioth qui fuit proditor*. Auguſt. de con. euan. In nomine Iudæ Iacobi Lucas videtur diſcrepare à Matthæo qui eum Thadæum appellat. Sed quis vnquam prohibuit duobus vel tribus nominibus vnum hominem vocari? Eligitur autem Iudas proditor non per imprudentiam, ſed per prouidentiam: ſuſceperat quidem hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ: voluit ab apoſtolo ſuo tradi, vt tu a ſocio proditus moderatè feras, tuum erraſſe iudicium, periſſe beneficium. Beda, Myſticè autem mons in quo apoſtolos elegit, altitudinem deſignat iuſtitiæ, qua inſtituendi erant & eam predicaturi: ſic & lex in mõte data fuit. Cyril. Quòd ſi libet interpretationem apoſtolicorum nominũ ſcire, ſcito quòd Petrus dicitur diſſoluens vel agnoſcens, Andreas decora potentia vel reſpondens, Iacobus autem ſupplantator doloris, Ioannes domini gratia, Matthæus donatus, Philippus os magnum vel orificium lampadis, Bartholomæus filius aquas ſuſpendẽtis, Thomas abyſſus vel geminus, Iacobus Alphæi ſupplantator greſſus vitæ, Iudas confeſſio, Simon obedientia.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.

Psal.108. F*Actum eſt autem in illis diebus, &c.* Non omnis, qui orat, aſcendit in montem. Eſt enim oratio, quæ peccatum facit: ſed, qui bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curæ ſublimis aſcendit. At ille non aſcendit in montem, qui de ſæculi diuitiis, aut de honore ſolicitus eſt: non aſcendit in montem, qui fundi ius optat alieni. Aſcendit ille, qui Deum quærit; aſcendit ille, qui curſus ſui dominica adiumẽta depoſcit. Omnes magni, omnes ſublimes montẽ aſcendunt. Non enim
Esai.40. cuicunque propheta dicit; Aſcende in montem excelſum, qui euangelizas Sion: exalta in virtute vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem. Non veſtigiis corporalibus, ſed factis ſublimioribus in hunc montem ſi aſcendas, ſequeris Chriſtum: vt ipſe eſſe mons poſſis. Mõtes enim in circuitu eius.
Psal.124. Quære in euangelio, inuenies ſolos cum domino mõtem aſcẽdiſſe diſcipulos. Orat ergo dominus, non vt pro ſe obſecret, ſed vt pro me impetret. Nam, etſi omnia poſuerit pater in poteſtate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obſecrandum patrem putat eſſe pro nobis: quia aduocatus eſt noſter. Noli inſidiatrices aperire aures, vt putes filium quaſi infirmum rogare, vt impetret quod implere non poſſit. Poteſtatis auctor, obedientiæ magiſter ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem. 1.Ioan.2. Si aduocatus eſt, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quaſi infirmus, ſed quaſi pius obſecrat. Vis ſcire, quia omnia, quæ velit, poſſit? & aduocatus, & iudex eſt. In altero pietatis officium, in altero inſigne eſt poteſtatis. *Et erat*, inquit, *pernoctans in oratione Dei*. Species tibi datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet: quãdo pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri: quando Chriſtus miſſurus apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit? Nec vſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe eum apoſtolis reperitur: vbique ſolus obſecrat. Dei enim conſilium humana vota non capiunt: nec quiſquam interiorum poteſt eſſe particeps Chriſti. Vis ſcire, quia mihi, non ſibi orauerit. *Vocauit* (inquit) *diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis*; Quos ad propagandum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret. Simul aduerte cæleſte conſilium: non ſapientes aliquos, nõ diuites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentiæ, nobilitati que auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur: vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret. Eligitur & Iudas, non per imprudentiam, ſed per prouidentiam. Quanta eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat? Quanta moralitas domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum, quàm affectum maluit? Suſceperat enim hominis fragilitatem: & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri: voluit prodi: voluit ab apoſtolo ſuo tradi: vt tu, ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderate feras, tuum erraſſe iudicium, periſſe beneficium.

S. TITI BOSTRENSIS Epiſcopi eiuſdem Euang. expoſitio.

F*Actum eſt autem in illis diebus, exiit orare in montem, & erat pernoctans in oratione* DEI. Per hæc, vt placet Cyrillo, Euangeliſta oſtendere voluit, Chriſtum dominum omnia, quæcunque faciebat, ad noſtram ædificationem, communémque eorum vtilitatem, qui in illum credituri erant, feciſſe. Voluit per hæc rurſum ſpiritualis vitæ formã ſeipſum proponere; quique inter veros adoratores cenſendi ſint, patefacere. Voluit tandem exemplo hoc docere, preces, quæ ad Deum tranſmittuntur, ſecretò, hoc eſt, nemine, quoad eius fieri poteſt, cernente, vel obſeruante, tranſmitti debere. Huc enim tendit, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus ſeorſim in monte, & quaſi in otio oraſſe ſcribitur; id quod antè quoque verbis expreſſè tradiderat. Tu, inquit, quando oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito. Matth.6. Qui ergo ſalubriter precari cupiunt, ſanctas puráſque, & ab omni ambitione alienas manus ad Deum ſubleuent; cúmque in modum ſeſe cõponant oportet, quaſi diuinam maieſtatem corãm aſſiſtere conſpiciant. Debent ad hæc mentem ab omni tumultu, mundanáque cura, & cogitatione abducere & ſeuocare. De

te. Debent æquè, non remissè, aut ignauè, hoc est, cum quodam mentis tædio, & animi inconstantia illud ipsum facere, sed constanter & studiosè; debent postremò opus, si quod forsan præ manibus est, in secundis habere; neque mirari, aut frangi, si non statim audiantur. Audiuimus enim dominum nostrum, non quouis modo, hoc est, obiter orasse, sed in oratione Dei pernoctasse.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

In comment. in Lucam.

F*Actum est autem in illis diebus, exiit in montem orare.* Non omnis qui orat ascendit in montem. Est enim oratio, quæ peccatum facit. Sed qui bene orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimioris ascendit. Qui vero de diuitiis, aut de honore sæculi, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit pater in potestate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Aduocatum enim, inquit, habemus apud patrem Iesum Christum. Si aduocatus est, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quam omnia, quæ velit, possit? & aduocatus, & iudex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Forma tibi præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? quid te facere conuenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos, prius orare curauit? Vis scire quam mihi non sibi orauerit? *Et cum dies*, inquit, *factus esset, vocauit discipulos suos, &c.* Vbi notandum, quòd Euangelica, & Apostolica scriptura non solum illos duodecim appellat discipulos Christi, sed & omnes, qui in eum credentes magisterio eius ad regnum cœlorum erudiebantur. Discipuli quippe à discendo sunt vocati, ex quorum multitudine quos ipse voluit, elegit. Quos & Apostolos nominauit. Apostoli Græce, Latinè missi dicuntur. Cuius sacramentum nominis exponens Euangelista Marcus, ait; Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare Euangelium. Et ipse dominus dicit, Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Qui bene duodecim sunt electi, vt videlicet mundi salutem, quam verbo prædicarent, suo quoque numero mystice commendarent. Ter enim quaterni, decus dispondius. Hinc est enim quod & superius dixi, quia cum In typo Ecclesiæ Salomon domino templum cōderet, fecit & mare æneum, in quo sacerdotes lauarentur, duodecimque illud boum clunis imposuit, quorum tres aquilonem, tres occidentem, tres meridiem, & tres aspicerent orientem: Figuraliter insinuans, quoniam Apostoli Apostolorúmque successores, cunctas orbis quadrati plagas fide, & cōfessione sanctæ Trinitatis essent à peccatorum labe purgaturi. *Simonem, quem cognominauit Petrum, &c.* Non nunc primum Simoni

Locus corruptus.

Petri cognomē indidit, sed longe ante eum à fratre Andrea ad se adductum intuitus dixit; Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Sed cum volens Lucas nomina duodecim Apostolorum enumerare, necesse haberet Petrum dicere, breuiter innuere voluit, quod non hoc ante vocaretur, sed ita eum dominus cognominauerit, quamuis non tunc, sed quando Ioannes ipsa domini verba posuit, intentos videlicet reddens auditores. Nam si hoc ante vocaretur, non ita videres mysterium petræ, putans eum casu sic vocari, non prouidentia Dei. Ideo voluit eum prius aliud vocari, vt ex ipsa cōmutatione nominis sacramenti viuacitas commendaretur. Idem ergo Latine Petrus, quod Syriace Cephas, & in vtraque lingua nomen à petra deriuatum est, aut dubium quin illa, de qua Paulus ait; Petra autem erat Christus. Nam sicut lux vera Christus donauit Apostolis, vt lux mundi vocentur, sic & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Cuius alius alludens etymologiæ dixit; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Violenter ergo quidam Latino, vel Græco nomini Hebræam quærentes etymologiam, dicunt Petrum dissoluentem, siue discalciantem, vel agnoscentem interpretari: cum & expositio Ioannis euangelistæ, cuius memini, & ipsa lingua Hebræa, quę P, litteram omnino non sonat, Hebręum hoc nomen non esse restetur. Abusiue enim Fetrum pro Petro, sicut & Faulum pro Paulo, & Filatum pro Pilato scribentes, violenter ficto nomini falsam interpretationem subnectunt. Simon autem obediens interpretatur. Porro Andreas, Græcum nomē est, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς hoc est à viro, virilis appellatur. Quibus recte vocabulis Apostolorum primi decorantur, qui mox agnum Dei à Ioanne cognouerunt, eum videre, & audire curauerunt. Quod vero Simon ponens mœrorem, vel audiēs tristitiam interpretatur, illi tempori congruit, quando post resurrectionem viso domino, vel mortis illius, vel suæ negationis mœrorem deposuit, sed suæ confestim mortis tristitiam audiuit, dicente domino; Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis. *Iacobum, & Ioannem, Philippum &c.* Pulchre, ac reuerenter Lucas in catalogo Apostolorum vsitato nomine Matthæum, in prima vero de Teloneo vocatione, vt superius admonui, Leuin appellare maluit. Ipse vero Matthæus iuxta quod scriptum est; Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris, & manifeste Matthæum de Teloneo vocatum, & in ordine se Apostolorum publicanum cognominat, sed & compari suo Thomæ eum à cæteris euangelistis sit prælatus, se in ordine supponit. Iacobus sane & Ioannes qui ob eximium virtutis, & animi culmen filij tonitrui, hoc est, *βοανεργὲς*, siue, vt emendatius scribitur, banereen sunt à domino cognominati. Nec frustra. Quorum vnus è cœlestibus intonans vocem illam theologicam, quam nemo prius edere nouerat emisit; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & cætera, quæ tanto robore grauida reliquit, vt, si aliquanto plus intonare voluisset, nec ipse capere mundus posset. Sed & ambo sæpe seorsum, & in montem à domino duci, & aliquando sonum de nube terrificum percipere metuerunt; Hic est

filius

filius meus dilectus. Prisca quoque nomina meritis aptissima gestarunt. Iacobus enim supplantator, Ioannes, in quo est gratia, vel domini gratia dicitur. Nam ille & carnis curam domino vocante supplantare, & ipsam carnem Herode trucidante, gauisus est contemnere. Iste ob amoris præcipui gratiam, quam virginali gloria meruerat, super redemptoris sui pectus in cœna recubuit. Philippus os lampadis interpretatur. Et recte, quia & vocatus à domino, mox inuento Nathanaheli lumen, quod agnouerat, prædicauit dicens; Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et postmodum quod se de lumine minus scire sentiebat, suppliciter quæsiuit, Domine, inquiens, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Bartholomæus Syrum est non Hebræum, & interpretatur filius suspendentis aquas, hoc est filius Dei. Qui prædicatorum suorum mentes ad cælestia contemplanda, suspendit, vt quo celsa liberius peruolant, eo terrenorum corda feracius dictorum suorum guttis inebrient. Vnde bene Moyses de Ecclesia mystice differens ait; Quia non est terra ad quam ingredimini possidendam similis terræ Ægypti, de qua existis, vbi iacto semine in hortorum more aquæ ducuntur irriguæ, sed de cælo pluuias expectans, quam Deus suus inuisit omni tempore. Sæcularis enim sapientia quasi coluber per humum serpit, diuina autem de cælestibus intonat. Matthæus donatus dicitur. Videlicet, quia magno domini munere de Telonario publicano, in Apostoli est, & Euangelistæ delegatus officium. Thomas, abyssus, vel geminus. Vnde & Græce Didymus appellatur, quia quo cæteris diutius dubitauit, eo dominicæ resurrectionis veritatem altius didicit. De quo pulchre Paulinus Nolæ antistes cecinit;

Sed est Græcum potius nomen significans amatorem equorum.

Sed est potius ex Syro, & Græco conflatum, significans filium Ptolemæi.

HIC DVBIVS GEMINO DIDYMVS COGNOMINE THOMAS
ADIACET: HVNC CHRISTVS PAVIDÆ CVNCTAMINE MENTIS
PRO NOSTRA DVBITARE FIDE PERMISIT, VT ET NOS
HOC OVES FIRMATI DOMINVMQVE, DEVMQVE TREMENTES,
VIVERE POST MORTEM VERO FATEAMVR IESVM
CORPORE VIVA SVÆ MONSTRANTEM VVLNERA CARNIS.

Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes, Hos cum additamento posuit; ad distinctionem Iacobi Zebedæi, & Simonis Petri, vel etiam Iudæ traditoris. Nam & hunc Simonem fuisse dictum, Ioannes ostendit, qui ait, Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Scariothis. Et Iacobus quidem Alphæi, ipse est, qui in Euangelio frater domini nominatur, quia Maria vxor Alphæi soror fuit Mariæ matris domini, quam Mariam Cleopæ, Ioannes Euangelista cognominat. Fortasse quia vel idem Alphæus etiam Cleopas est dictus, vel ipsa Maria defuncto post natum Iacobum Alphæo, Cleopæ nupsit. Cui Simeonem filium genuisse, eumque consobrinum domini existentem, eo quòd Cleopas frater fuerit Ioseph, Hierosolymæ post Iacobum rexisse ecclesiam, historia ecclesiastica tradit, siue hic apostolus Simon, seu quilibet alius Simeon fuerit. Quia verò Iacobus merito filius Alphæi, id est, docti, sit cognominatus, ipsi testantur apostoli, qui eum post domini passionem statim Hierosolymorū ordinauerunt Episcopum. Quia & ante sanguinis effusionem vetus etiam ipse carnalis desiderij sit supplantator, testatur Hegesippus vicinus apostolorum temporum historicus. Suscepit, inquiēs, Ecclesiam Hierosolymę post Apostolos frater domini Iacobus cognomento iustus. Multi quidem Iacobi vocantur, hic de ventre matris sanctus vocatus fuit, vinum, & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, neque vnctus est vnguento, neque vsus est balneo. Huic solitum erat ingredi sancta sanctorum. Siquidem vestibus laneis non vtebatur, sed lineis, solusq; ingrediebatur in templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur. In tantum, vt camelorum duritiam traxisse eius genua crederentur. Simon autem Zelotes, ipse est & Simon Chananæus de vico Galilææ chana, vbi aquas dominus conuertit in vinum. Chana quippe zelus, Chananæus zelotes interpretatur. *Iudam Iacobi, & Iudam Scarioth, &c.* Et horum distinctionis gratia, nomina duplicauit. Quorum vnus, vt ipse in catholica scribit epistola, frater est Iacobi, qui etiam Thaddæus vocabatur. Alter, aut à vico, in quo ortus est, aut ex tribu Issachar præsagum suæ condemnationis vocabulū sumpsit. Issachar quippe quod dicitur merces, precium proditionis insinuat. Scarioth, autem quod memoria mortis interpretatur, arguit eum non repente persuasum, sed meditatum diutius dominicæ traditionis subisse piaculum. Qui non per imprudentiam, sed per prouidentiam inter apostolos eligitur. Quanta enim est veritas, quam nec aduersarius minister infirmat? quanta moralitas domini, qui periclitari apud nos iudicium suum, quam affectum maluit? Susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humanæ. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi, vt tu à socio desertus, à socio proditus, moderate feras tuum errasse iudicium, perisse beneficium.

Vide vitæ austeritatem, à qua tantum monatores abhorrent.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

FActum est autem in illis diebus, exit in montem ad orandum, &c.* Dominus docet nos, vt opera sua imitemur, & sicut ipse fecit, ita & nos faciamus. Ecce oraturus erat, & ascendit in montem. Etenim oportet etiam nos à negociis ociosos orare, & non in medio multorum, sed pernoctantes, ne statim, vt cæperimus, cessemus. Post orationem autem elegit discipulos, vt doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, vt doctis à Deo & ab illo petentibus reuelet, quis idoneus sit. Assumpsit ergo duodecim, descenditque cum illis de monte, vt eos, qui ex vrbibus venerant, sanet, & geminis beneficiis prosequatur, in anima scilicet, ac corpore. Audi enim quid dicat; *Venerunt vt audirent eum*, quod ad animæ curam pertinebat: *& sanarentur à morbis suis*, hoc de corporibus dicit. *Etenim virtus ab illo egrediebatur,*

Diligentia ad habenda in ordinādis ad sacra ministeria.

& sana

& sanabat omnes. Nam prophetæ,& alij sancti non habebant virtutem à se egredientem. Non enim fuerunt fontes virtutum. At dominus habuit virtutem à se egredientem,quandoquidem ipse fons virtutum. Et ita prophetę,ac sancti virtutem suam superne acceperunt.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

QVia virtus de illo exibat. Virtus ab illo egrediebatur,diuina,sanans illos,qui vel tetigissent ipsum.

PETRI DAMIANI DE
S. Bartholomæo Apostolo, Sermo.

Ex quad. Epiphanium.

LÆtamur,& gloriamur in Domino, dilectissimi, de sancto vestræ dilectionis affectu, quia quantò vbertiùs diuini verbi poculum bibitis,tantò feruentiùs in idipsum desiderij,faucibus æstuatis. Nec immeritò. Nam ita est omnis Apostolici culminis beatitudo coniuncta,& tot gratiarum compage,vt glutino,probatur vnita,vt cùm vnius eorum festiuitas *a* colitur, protinus omnium Apostolorum non diuersa sublimitas interioribus obtutibus ingeratur. *b* Vna scilicet inter eos excellentia iudiciariæ potestatis, eadem dignitas ordinis,nec diuersa in ligando, siue soluendo virtutis habetur auctoritas. Hæ sunt enim illæ pretiosæ margaritæ, quas in Apocalypsi beatus Ioannes se conspexisse pronunciat, ex quibus etiam cælestis Hierusalem portas perhibet esse constructas. Singulæ, inquit, portæ erant ex singulis margaritis. Ipsi omnium portę,ipsi sunt nihilominus margaritæ, quia dum signis, atque prodigiis quosdam diuini splendoris radios mittunt,ad supernę Hierusalem gloriam cõuersis ad fidem Gentibus aditum pandũt. Et quicunque saluatur,per hos quasi portas ad vitam viator ingreditur. Quorum mysticam tenuere figuram & lapides illi,qui,Deo iubente Moysi, rationali summi Sacerdotis legũtur impressi; quod quidem rationale Sacerdos ferebat in pectore, cùm ingrediebatur sancta sanctorum. Praeceptum est ergo,vt in eo ponerẽtur duodecim lapides,terni per quatuor angulos, inclusi auro, quia nimirum sancti Apostoli per quadrifidum orbem,de Trinitate,quæ Deus est, prædicarunt catholicæ fidei veritatem. Qui etiam lapides auro referuntur inclusi,quia & beati Apostoli in sapientiæ cælestis arcano perseuerant inuiolabiliter cõfirmari. Legitimum ergo est, vt Sacerdos,cùm ingreditur sanctuarium, duodecim pretiosos lapides in rationali pectoris deferat,quatenus quisquis sacris altaribus appropinquat,Apostolicæ sibimet rectitudinis exempla proponat,vt quorum ministerio fungitur,eorũ vitam,in quantum preualet,imitetur,& quorum gerit officium, in eos sanctæ æmulationis studio mentis defigat obtutum. Et quid mirum, si nos imbecilles, & parouli, beatorum Apostolorum, qui sanctæ Ecclesiæ bases sunt, & columnæ, iubeamur imitari mores, sanctámque tenere doctrinam, cum & ipsi Apostoli priorum suorum, antiquorum scilicet patrum, sint auctoritate firmati? Vnde & in constructione tabernaculi, vt columnæ argenteæ interiùs starent, paxilli ærei figi per circuitum exteriùs iussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnę itaque argẽteæ interiùs, paxilli verò ærei in circuitu figũtur, atque in ipsis funes ligati sunt, vt tabernaculum fixum maneret,quia videlicet vt sancti Apostoli in luce sermonis sui solidi starent, vtque totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia,in fidei integritate consisteret, tanquam paxilli ærei in circuitu patres testamenti veteris,ac Prophetæ exteriùs fixi sunt, qui verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate constringerent, atque hoc habitaculum Dei fidei stabilitate ligarent. Extra verò paxilli sunt, quia ante tempus huius sanctæ ecclesiæ fuerunt. Sed tamen eos ligant, qui in ipsa sunt, quia dum cęlestia mysteria ventura prędicant,hęc postquam ostensa sunt,credibilia omnia fecerũt. Vt ergo intus columnę immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia vt sancti Apostoli perfectę incarnationis Dominicę mysterium crederent, illorum prędicatio obtinuit, qui hoc, priusquam fieret,& videre,& prędicare potuerũt. Vnde rectè quoque ipse primus Apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi,loquitur dicens: Habemus firmiorem propheticum sermonem,cui benefacitis intendentes,quasi lucernę in caliginoso loco. In quibus verbis indicat(quamuis ad alta surrexerit)ex culmine, vbi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis iam quidẽ intelligentibus lucet,sed adhuc non intelligentibus coopetta allegoriarũ obscuritatibus permanet. Vnde etiam per Psalmistam de eisdem dictis Prophetarum dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aëris: quia videlicet occulta est sapientia in Prophetis. Nec immeritò columnæ argenteæ, paxilli verò ærei facti sunt, quia quod elatè iam Apostoli prædicant, hoc Prophetæ sub intellectu mystico obscurè locuti sunt. Rectè verò per æris metallũ signati sunt,qui clati in suis prędicationibus non fuerunt. Sancti verò Apostoli, quia de Redemptoris nostri mysterio lucem prædicationis habuerunt,argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quia argentum sonat,& lucet,æs verò sonat,& non lucet,quia prædicatores noui testamenti apertè locuti sunt, quæ etiam monstrare potuerunt; prædicatores verò testamenti veteris, quia per allegoriarum vmbras de cælesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt; quanquam æs & sanctis aliquando congruere reperiatur Apostolis,de quibus sub Asser specie per Moysem in Deuteronomio dicitur; Ferrum,& æs calceamentum eius. Calceamentum quippe in scriptura sacra munimentum prædicationis accipitur, sicut scriptum est: Calceati pedes in prædicatione Euangelij pacis. Quia ergo per ferrum virtus, per æs autẽ perseuerantia longanimitatis exprimitur, ferrum,& æs Apostolorum dicitur esse calceamentum, necnon & sanctorum quorumlibet prædicatorum. Per ferrum scilicet aduersantia mala patienter tolerant, per æs verò bona proposita longanimiter seruant. De quibus Apostolis,siue Apostolicis viris,prædicatoribus scilicet sanctis,ad eundẽ Asser, cùm præmisisset: Ascensor cæli auxiliator tuus:illico subdidit: Magnificentia eius discurrunt nubes. Quis enim est ascensor cæli,nisi Saluator noster,qui postquam mortis imperium moriẽs perdidit,cælum Angelis comitantibus, & Discipulis suspi

a Sanctorum Apostolorum festa colenda.

b Apostolorũ tamẽ omnium caput est Petrus, vnus aliquis eorum.

Petrus primus Apostolorũ prædicatur. Ergo eius successor est primus Episcopus, qui est Romanus. Vnde agnoscas istos Pontifices Romanos primatum.

Nõ ergo promiscue mares, & fœminæ sunt sacerdotes, vt asserunt hæretici.

ſuſpicientibus, penetrauit? Huius magnificentiæ nubes diſcurrunt, quia eius auctoritate Doctores ſancti per mundum ſalutiferæ prædicationis imbrem pluunt. De quibus & Propheta; Qui ſunt, inquit, iſti, qui vt nubes volant? Iſtæ nubes reſoluuntur in aquam, cùm terrã cordis noſtri doctrinæ ſuæ fluentis inebriant, vt eam ad proferenda pij operis germina fertilem reddant. Vnde & Bartholomæus (quod vtique Syrum nomen eſt, non Hebræum) interpretatur Filius ſuſpendentis aquas, filius vtique Dei, qui prædicatorũ ſuorum mentes ad cæleſtia contemplanda ſuſpendit, vt quanto liberiùs ſe ad intelligendum Creatorem ſuum pennis virtutum librant, tanto feraciùs, & vberiùs imbrem cæleſtis eloquij noſtris cordibus infundere valeant; vtque ex illo fonte ſuſpenſi bibant, quod in nos poſtmodum propinando transfundant. Vnde bene Moyſes myſtice de ſancta dicit eccleſia: Non eſt terra, ad quam ingredimini poſſidendam, ſimilis terræ Ægypti, de qua exiſtis, vbi iacto ſemine, in hortorum morem aquæ deducuntur irriguæ, ſed de cœlo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tempore. Secularis enim prudentia, quaſi coluber per humum ſerpit, & huc illúcque lubrica varietate declinat, diuina verò ſapiẽtia de cæleſtibus intonat. Hortus etiam hîc ſiniſtram habet ſignificationem. Nam carnalis ſcientiæ videtur deſignare laſciuiam. Sicut & illic, vbi Achab petijt vineam Naboth. Da mihi, inquit, vineam tuam, vt faciam mihi hortum oleũ. Ille quippe in hortum conatur vineam vertere, qui rigorem virtutis iucunda carnalis illecebræ vult amœnitate mutare. Et Pſalmiſta ſuperbos oleribus comparat, dicens: Tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum cito cadent. Terra itaque repromiſſionis, hoc eſt ſancta eccleſia, de cælo pluuias præſtolatur, quia ſapientiæ cæleſtis imbre perfunditur, & nubes eius, ſcilicet Doctores, de cæleſti vno fonte inuiſibiliter hauriunt, quod in nos poſtmodum ſuauiter eructando trãsfundunt. Vnde Propheta; Memoriam, inquit, abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. An non ad illum fontem Paulus, magna ſcilicet nubes, redijt, cum ſupra tertium cælum raptus, verba, quæ loqui non licebat, audiuit? An non ad eundem fontem reuerſus eſt Petrus, cùm in extaſim ſubito rapitur, & non modo diuerſa animantium genera, ſed & ſerpẽtia mactare, & manducare iubetur? Nam hæc quidem nubes non erat tunc aqua ſapientiæ pleniter grauida, quia communis omnium gentium vocationis erat ignara. Sed acceſſit ad fontem, & hauſit limpidiſſimam, atque perſpicuã de ſalute gentium puritatem. Nunquid & beatus iſte Bartholomæus de plenitudine fontis huius hauſtum cæleſtis gratiæ non percepit, quando ſuper eum cum coapoſtolis ſuis omnibus venit Spiritus ſanctus in igneitatum diuerſitate linguarum? Sed qui ignem audis, aquam forſitan non intelligis. Audi quomodo Dominus eundem Spiritum ſanctum, qui in igne ſuper Apoſtolos venit, aquam vocauit. Si quis, inquit, ſitit, veniat ad me, & bibat. Moxque ſubiungit: Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem (ait Euangeliſta) dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. De quibus credentibus per Prophetam dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ. Philoſophi dicunt, ſpatium aëreæ craſſitudinis non pluſquam decem ſtadijs à terra diſtendi, quæ nobis aliquando Solis ſplendorem ſubtrahit, & pluuias fundit. Iſtæ vero, de quibus nunc loquimur, nubes cælorum celſa tranſcendunt, & lumen veri Solis non auferunt, ſed oſtendunt. De quibus etiam ſub fluuiorum nomine per Salomonem dicitur: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Inter quos vtique fluuios beatus Bartholomæus inſignis eſt, atque conſpicuus, qui quodam præſagio futurorum, huius myſtici vocabuli titulo cernitur inſignitus. Nam cùm dicitur filius ſuſpendentis aquas, dicitur proculdubio filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, ſed propenſioris gratiæ dignitate. Erat enim vere Dei templum, cæleſtis gratiæ ſanctuarium, arca fœderis, tabernaculum teſtimonij. Nam ſicut arca illa legalis ex imputribilibus lignis ſethim myſtica fuerat arte compoſita, auro quoque puriſſimo reſplendebat, intus & extrinſecus inaurata; ita vir iſte mirabilis, qui ſpẽ ſuam in æternitate poſuerat, & exteriùs radiabat imitandæ vitæ ſplendore, & intrinſecus prælucebat diuinæ ſapientiæ claritate. In illa quoq; arca erat vrna aurea, in qua mãna ſeruabatur, tabulæ nihilominus teſtamenti, & virga Aaron, quæ fronduerat. Quid eſt autem vrna aurea, niſi caro Chriſti munda, ſyncera, atque ab omni reatus contagione puriſſima? Quæ reconditum habet manna, Angelicum videlicet panem, hoc eſt diuinitatis æternæ dulcedinem. Duæ verò lapideæ tabulæ inuiolabilem, vtriuſque teſtamenti ſignificant firmitatem. Quid autem Aaron virga, niſi ſummi, verique Pontificis noſtri ſalutare vexillum, & viuificæ Crucis exprimit ſacramentum? Quæ etiam in eo quod germinaſſe perhibetur, præfigurauit beatam Crucem immortalis memoriæ viriditate vernantem. Hæc ſunt ſacramenta vniuerſalis eccleſiæ, hæc etiam ſalutaris inſtructio cuiuſcumque fidelis animæ Chriſtianæ. Quod enim arca per adumbratam prætendebat imaginem, hoc nunc eccleſia, vel quæque mens iuſti per efficaciſſimam, & apertam poſſidet veritatem. Hæc beati Apoſtoli myſticæ refectionis alimenta portabant, hæc tanquam panem paruulis exponendo frangebãt. Nam poſtquam Euangelicus ille ſermo prurupit, quoniam aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, prophetica querela ceſſauit, qua dicitur: Paruuli petierũt panem & non erat qui frangeret eis. Hic eſt panis ille quotidianus, fratres mei, quem nos Veritas docuit inhianter expetere; hoc cæleſtis ſapientiæ pabulum, quod debemus iugiter eſurire. Audiamus itaque per os Salomonis ſapientiam nos ad menſam ſpiritualis alimoniæ claris vocibus inuitantem. Sapientia, inquit, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam; miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, veniat ad me; venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Chriſtus enim, qui ſapientia Patris eſt, victimas immolauit, cùm ad noſtræ imitationis exemplum beatos Martyres occidi permiſit. Miſcuit vinum, quia propinauit credentibus Spiritum ſanctum. Propoſuit menſam, quia cæleſtem parauit hominibus

bus gloriam. Misit ancillas suas, id est sanctos Verbi ministros, qui se infirmos, & fragiles asseuerant. Quid ergo iam restat, nisi vt, relicta fame seculi, properemus ad mensam Dei? Sed ad hanc ingrediendi aditum repetire non possumus, nisi per sanctos Apostolos, quibus claues commissæ sunt Regni cœlorum. Vnde scriptum est, Sapientia foris prędicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum. Ipsi quippe sunt caput turbarum, forésque portarum, quia ipsi sunt populorum principes, ac supernæ Hierusalem, sublimioris excellentiæ priuilegium, ianitores. Ipsi sunt regales illæ sedes, de quibus in libro Sapientiæ dicitur: Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus, Domine, de cęlo à regalibus sedibus venit. In aduentu quippe domini medium silentium omnia continebant, quia iam & Prophetę cessauerãt, & nondum Apostoli ad prædicandum nouæ fidei gratiam veniebant. In quodam plane mundus meditullio consistebat, dum nec Prophetarum oracula superessent, & Apostolica nondum prædicatio coruscaret. Quid autem hîc nox intelli[illegible], nisi diabolus, qui auctor est tenebrarum [illegible] nimirum quodammodo tunc ambulat, cùm non facile valet implere quod optat; tunc vero currit, cùm malitiæ suę vota absque vllo contradictionis obstaculo perficit; & non iam vię marginem, sed medium iter tenet, dum nihil sibi videt occurrere, quod sui cursus impetum valeat retardare. Cùm igitur sub tam noxio mundus silentio conticesceret, & hęc ad perdendos homines occasio diabolum prouocaret, ille non modò medium iter habebat, sed currebat, quia quicquid nequitię suę mente conceperat, efficaciter adimplebat. Nam & cuncta iam Romanum occupabat imperium, & necesse erat eos, qui legem Dei eatenus saltem vtrumque tenuerant, iam subesse legibus paganorum: sub hoc igitur pereuntis mundi silentio, sermo domini à regalibus sedibus venit, quia de pectoribus Apostolicis, quę regis ęterni veraciter sedes, quas Deus inhabitat, ipsi reges, & patres ecclesiæ sicut dicitur, omnis gloria eius filię regum ab intus: Isti sane reges armati gladio spiritus, quod est verbum Dei, debellarunt principem mundi. De quo nimirum apostolorum gladio legitur; Durus debellator in mediam exterminij, terram prosiliuit, gladius acutus in simulatũ imperium tuum portans; & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra; Istorum itaque regum, dilectissimi, subdamur imperijs; eorum magisterijs instrui, eorum patrocinijs elaboremus absolui, quatenus absoluti per concessam beatis Apostolis auctoritatẽ, ad ipsum Apostolicæ dignitatis introducamur, auctorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo Patre, & spiritu sancto viuit & regnat, in secula seculorum, Amen.

IN DECOLLATIONE
S. IOANNIS BAPTISTAE.



MARC. 6.



IN illo tempore: Misit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum, in carcerem propter Herodiadem vxorem [a] Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem [b] fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat eum occidere nec poterat. Herodes [c] autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset Herodes natalis suæ cœnã fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi simúlque recumbentibus, rex ait puellę: Pete à me quoduis, & dabo tibi. Et iurauit illi: quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei: Quæ cùm exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: [d] caput Ioannis Baptistæ. Cúmque introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens: Volo vt protinus des mihi in disco [e] caput Ioannis Baptistæ.

a Bed. Tetrarchæ Itureæ & Traconitidis regionis.

b Adhuc viuentis.

c Ideo, vel enim.

d Bed. Timebat, ne Herodes aliquando resipisceret vel fratri amicus fieret.

e Dignum saltatione sanguinis præmium.

f Opinione non re. g Bed. vult omnes simul scelestis sui esse consortes vt in luxurioso conuiuio cruentæ epulæ deferrentur.

ptistæ. Et [f] contristatus est rex. Propter iusiurandum, & [g] propter simul recumbentes noluit eam contristari: sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius

h Christum. i Legis.

in disco: & decollauit eum in carcere. Et attulit [h] caput eius in [i] disco, & dedit

k Ecclesia de gentibus. l Synagogæ.

illud [k] puellæ, & puella dedit [l] matri suæ: Quo audito, discipuli eius venerunt,

m Literam.

& tulerunt [m] corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



HILIPPI *fratris sui.* Beda. Vetus historia narrat Philippum maioris Herodis fuisse filium, & fratrem Herodis, sub quo passus est dominus, & duxisse Herodiadem filiam Arethæ, & postea Aretham ortis simultatibus filiam suam tulisse, & Herodi inimico Philippi in dolorem ipsius nuptiis copulasse. Egesippus vel Iosephus tamen
3 Reg. 18. & 21. longè aliter. *Non licet tibi ha.* Beda. Qui venerat in spiritu & virtute Eliç Herodem arguit, & Herodiadem, sicut Elias Achab, & Iezabel, mallens apud regem periclitari, quam immemor esset præcepti Dei. Beda Soli Herodes & Pharao leguntur natalis sui diem celebrasse, & vterque solennitatem sanguine fœdasse. Sed Herodes tãto nequius, quanto sanctum & veritatis doctorem & regis cælestis preconem occidit: & pro voto saltatricis
Genes. 40. caput occisi ante conuiuas inferre non puduit.
Iob. 5. Pharao peccantem Eunuchum occidit. Vtriusque tamen exemplo melius est & vtilius nobis, diem mortis semper commemorando timere, quam diem natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur, & sancti per mortem transeunt ad requiem. *Et iura* Bed. Non excusatur à periurio periuramentum. Ideo enim forte iurauit, vt occasionem inueniret occidendi. Et si illa patris aut matris interitum postulasset, non vtique côcessisset Herodes. *Et contristatus.* Bed Consueto more scripturæ côtristatus, non re, sed multorum opinione. Sicut & ipse Ioseph ab ipsa quoque Maria dicitur pater Iesu: sic contristatus Herodes, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator mentis suç tristitiam preferebat in facie, letitiam celabat in mente. Scelus iuramento excusabat, vt sub occasione pietatis impius fieret. *Caput eius in di.* Bed. Hieron. Caput legis quod est Christus, à corpore absciditur: proprio, id est, à Iudaico populo, & datur puellę de gentibus, id est, Romanę ecclesię, & puella dat matri suę, adulteræ, id est, synagogæ in fine crediturę. Corpus Ioãnis sepelitur, caput in disco locatur: litera humo tegitur, spiritus in altari honoratur ac sumitur. Beda. Ioannes capite minoratur, id est, fama illius qua Christus à populo credebatur minorari ostenditur. Christus in cruce exaltatur: quia qui propheta tantum credebatur, Deus & dominus
Ioan. 3. prophetarum est cognitus. Vnde & ipse Ioannes: illum oportet crescere, me autem minui. Ioannes autem, quem oportebat minui, cum dies decrescere incipiunt, natus est. Christus autem, qui est
Iosephus anti. Iuda. lib. 18. cap 14. lux mundi, cũ incipiunt crescere dies. *Et tule.* Bed. Iosephus narrat Ioannem vinctum, in castellum Macheronta adductũ, ibique trũcatum. Ecclesiastica narrat historia, in Sebasthe vrbe Palæstinæ, quæ dicta est quondam Samaria: Tempore verò Iuliani paganos inuidẽtes Christianis, qui sepulchrum eius solicitudine frequentabant, monumentum inuasisse, & ossa eius per campos dispersisse, & rursus collecta igni cremasse, ac denuo per agros sparsisse. Affuisse tamen ibi de Hierosolymis monachos, qui immixti paganis ossa legentibus, maximam eorum partem congregauerunt, & ad Philippum Hierosolymam detulerunt, & ille misit ea Athanasio Alexandriæ vrbis episcopo, & [illegible] postea seruata Theophilus iubente Theodosio omnibus gentium phanis destructis, expurgato à sordibus tẽplo Serapis, ossa eadẽ ibi posuit, & basilicam in honore sancti Ioãnis consecrauit.

CATENA AVREA
in idem Euang.

I*Pse enim Herodes misit ac tenuit Ioannem & vinxit eum, &c.* Theo. Ex præmissis Marcus Euangelista occasionem sumens, hic de morte commemorat præcursoris, dicens: *Ipse enim Herodes misit ac tenuit Ioannem, &c.* Beda, Vetus narrat historia Philippum Herodis maioris filium, sub quo dominus fugit in Ægyptum, fratrem huius Herodis sub quo passus est Christus, duxisse Herodiadem vxorem filiam regis Arethæ, postea vero socerum eius exortis quibusdam contra generum simultatibus tulisse filiam suam, & in dolorem mariti prioris inimici eius nuptiis copulasse, ergo Ioannes Baptista arguit Herodem, & Herodiadem, quòd illicitas nuptias fecerint, & non liceat fratre viuente germano illius vxorem ducere. Theoph. Lex etiam præcipiebat quòd frater vxorem fratris acciperet cùm defunctus prolem non haberet. Ibi autem erat filia, propter quod erant nuptiæ scelerateę. Sequitur, *Herodias autem insi. illi &c.* Bed. Timebat enim Herodias, ne Herodes aliquãdo resipisceret, vel Philippo fratri suo amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio soluerentur. Sequitur, *Hero. autem metu. Io. qui sciebat eum virum iustum & sanctum.* Glo. Timebat inquam eum reuerendo, sciebat enim eum esse iustum, quo ad homines, & sanctum quo ad Deum. *Et custodiebat eum*, ne scilicet ab Herodiade interficeretur: *Et audito eo multa faciebat*, quia putauit eum spiritu Dei loqui. *Et libenter eum audiebat*, quia reputabat vtilia, quæ ab eo dicebantur. Theo. Vide autẽ quantum operatur concupiscentiæ rabies, quia cum Herodes tantam circa Ioannem haberet reuerentiam & timorem, horum fit immemor, vt suæ fornicationi prouideret. Remi. super Matth. Libidinosa

dinosa enim voluntas eum coëgit in illum manum mittere, quem sciebat iustum & sanctum. Ac per hoc datur intellig. quòd minus peccatum factum est ei causa maioris peccati, secundum illud: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Sequitur, *Et cum dies opportunus, &c.* Beda, Soli mortalium Herodes & Pharao leguntur diem natalis sui gaudiis festiuis celebrasse, sed vterque rex infausto auspicio natiuitatem suam sanguine fœdauit: verū Herodes tanto maiore impietate, quanto sanctum & innocētem doctorem veritatis occidit, & hoc pro voto ac petitione saltatricis. Sequitur enim, *Cúmque introisset, &c. Rex ait: Pete à me quod vis & dabo tibi.* Theo. Dum enim conuiuium fit, Satanas per puellam saltat & iusiurandum perficitur sceleratum. Sequitur enim, *Et iura, illi quia, &c.* Beda. Non excusatur ab homicidio per iuramentum, ideo enim fortè iurauit vt occasionem inueniret occidendi: & si patris aut matris interitum postulasset, non vtique concessisset Herodes. Sequitur: *Quæ cum exis. di. mat. suæ quid petam. At illa dicit; Cap. Ioan. Ba.* Digno operi saltationis, dignum postulatur sanguinis præmium. Sequitur. *Cúmque introisset statim cum festi. &c.* Theo. Maligna mulier protinus sibi caput Ioannis dari petit, id est, statim in illa hora. Timebat enim ne Herodes resipisceret. Sequitur: *Et contri. est rex.* Beda, Consuetudinis est scripturarum vt opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur: sicut & Ioseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Iesu: Ita & nunc Herodes dicitur cōtristatus, quia hoc discumbentes putabant: dissimulator enim mentis tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mente: scelúsque excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret. vnde sequitur: *Propter iusiurandum & propter simul discumbentes, noluit eam contristare.* Theo. Herodes quidem non sui compos, sed voluptuosus iusiurandum impleuit, & iustum interemit. Decebat autem magis in hoc peierare & non tantum scelus operari. Beda, Quòd autem subdit, *Et propter simul recumbentes*, vult omnes sceleris sui esse consortes, vt in luxurioso impuróq; conuiuio, cruentæ epulæ deferrentur. Vnde sequitur. *Sed mis. spi. præ. af. ca. Ioan. di.* Theo. Spiculator carnifex dicitur, qui constituitur ad homines interficiēdum. Bed. Non autem Herodem puduit caput occisi hominis ante conuiuas inferre. Pharao verò nihil talis vesaniæ commisisse legitur. Ex vtroque tamen exemplo probatur vtilius esse nobis diem mortis futuræ timendū, & castè agendo sæpius in memoriam reuocare, quam diem natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, & electi ad requiem per mortem transeunt è mundo. Sequitur: *Et decol. eum in carcere, &c.* Greg. iij. moralium. Non sine grauissima admiratione perpendo, quòd ille, prophetiæ spiritu, intra matris vterum impletus, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltu capite truncatur, & vir tantæ austeritatis pro vsu turpium moritur. Nunquid credimus aliquid fuisse quod in eius vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locustas solummodo & mel syluestre edit? Quando conuersatione sua offendere potuit qui de eremo nō recessit? Quid est quòd omnipotens Deus sic vehementer in hoc seculo despicit, quos sic sublimiter ante secula elegit? nisi quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis, & foras vsque ad despecta deiicit, quia intus vsq; ad incomprehensibilia perducit. Hic ergo vnusquisque colligat: quod illic passuri sint quos reprobat: si hic se cruciat, quos amat? Beda, Sequitur: *Quo audito disci. eius ve. & tul. corp. eius & pos. illud in monumento.* Narrat Iosephus vinctum Ioannem in castellum Macheronta adductum: ibíque truncatum, narrat verò ecclesiastica historia sepultum eū in Sebaste Palæstinæ vrbe, quæ quondam Samaria dicta est. Decollatio autem Ioannis minorationem famæ illius, qua Christus à populo credebatur insinuat, sicut exaltatio saluatoris in cruce profectum designabat fidei, quia & ipse qui prius à turbis propheta esse credebatur, Dei filius à cunctis fidelibus est agnitus: vnde Ioannes quem oportebat minui, cum diurnum lumen decrescere incipit, natus est: dominus autem eo tempore anni, quo dies crescere incipit. Theo. Mysticè autem Herodem qui interpretatur pelliceus, populus est Iudæorum qui habebat vxorem, scilicet inanem gloriam, cuius filia saltat & mouetur etiam nunc circa Iudæos, scilicet falsus intellectus scripturarum, decapitarunt siquidem Ioannem, id est verbum propheticum, & sine capite Christo habent eum. Hieron. Vel aliter: Caput legis quod est Christus de corpore abscinditur proprio, id est Iudaico populo, & datur gentili puellæ, id est Romanæ Ecclesiæ, & puella dat matri suæ adulteræ, id est synagogæ credituræ in fine. Corpus Ioannis sepelitur: caput in disco collocatur. Litera humana tegitur: Spiritus in altari honoratur & sumitur.

ANONYMI SVB NOmine S. Hieronymi presbyt. in idem Euang. expositio.

PEr Ironiam expresse pronunciat Herodes pelliceus. Caput legis quod est Christus de corpore absciditur proprio, id est Iudaico populo, & datur gentili puellæ, id est Romanæ Ecclesiæ: & puella dat matri suæ adulteræ, id est synagogæ credituræ in fine, Corpus Ioannis sepelitur: caput in disco collocatur; litera humo tegitur: spiritus in altari honoratur ac sumitur.

S. IO. CHRYSOSTOMI *Episcopi Constantinopolitani, de amputatione capitis venerandi præcursoris, & Baptistæ, Oratio.*

RVrsus furit Herodias; rursus perturbatur; rursus saltat; rursus quærit caput Ioannis Baptistæ sceleratè ab Herode amputari. Rursus ambit Iezabel vineam Naboth rapere, & sanctum Eliam persequi ad montes. Existimo autem non solum me esse in estasi: sed etiam omnes vos, qui auditis vocem Euangelij, mecum admirari Ioannis quidem loquendi libertatem; Herodis autem leuitatem: & impiarum mulierum belluinam insaniam. Quid enim audiuimus? Herodes enim apprehendit Ioannem, & posuit in carcere, pro- *Habetur apud Metaphrasten.*

pter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Hic meritò vituperauerit aliquis Herodis leuitatem ab ioselicibus discerptã, & cõuulsam mulieribus. Quid verò dixerit, aut quomodo explicauerit quispiam intemperantẽ mulierũ illarũ improbitatẽ? Mihi quidẽ videtur nulla esse in mundo fera, quæ possit conferri cum mala muliere. Sed nũc à me verba fiũt de mala. Scio enim esse multas moderatas, & bonas, quarũ me vitæ oportet meminisse ad ædificationem, & amorem earum, quæ sunt bona, & honesta. Nulla ergo fera est in mundo conferenda cum mala muliere. Quid inter quadrupedes est leone vehementius? Sed nihil est. Quid vero inter serpentes est Dracone crudelius? Sed nihil est. Immo verò & leo, & Draco illi in malo cedunt. Ei autem, quod dico, fert testimonium sapiẽtissimus Salomon, qui dicit se malle habitare cum Leone, & Dracone, quam cum mala muliere, & loquaci. Et ne putes Prophetam dixisse ironicè, accuratè & diligenter disce ex rebus ipsis. Danielem in lacu Leones sunt reueriti: Iustum autem Naboth Iezabel occidit. Cetus Ionam seruauit in vtero: Dalida autem Sampsonem tradidit alienigenis. Dracones, & aspides, & Cerastæ Ioannem formidarunt: Herodias autem ipsum in cœna interfecit. Corui Eliam in monte aluerunt: Iezabel autem ipsum post beneficium persequebatur ad cædem. Quid enim dicebat? Si tu es Elias, & egn Iezabel: hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, si non cras hac ipsa hora ponam animam tuam, tanquam vnius ex mortuis. Et timuit Elias, & ambulauit pro anima sua: & abiit in desertum, viam quadraginta dierum; & venit sub Armathen; & petiit vt anima sua moreretur; & dixit: Domine Deus sufficiat mihi nunc; accipe animam meam, quoniam non sum melior, quàm patres mei. Hei mihi, Propheta Elias timuit mulierem, qui pluuiam orbis terræ gestabat in lingua. Qui ignem è cœlo deiecit, & precibus suscitauit mortuos, timuit mulierem? Certè timuit. Nullum enim vitium cõfertur cum muliere mala. Ei autem, quod dico, fert testimonium sapientia, dicens: Non est caput super caput serpentis; & nõ est malitia super malitiam mulieris. O malum, Diaboli arma acutissima. Is per mulierem ab initio Adamum sauciauit in paradiso. Per mulierem, Dauid, qui erat mitissimus, incitauit ad dolo occidendum Vriam. Per mulierem, sapientissimum Salomonem vulnerauit ad trãsgressionem. Per mulierem, filios Eli Sacerdotis humi prostrauit. Per mulierem, Ioseph vinctum inclusit in carcere. Per mulierem, totius mundi lucernam Ioannem occidit. Quid autem dico de hominibus? Per mulierem, Angelos è cœlo deiecit. Per mulierem omnes interficit. Mulier impudens nulli parcit. Non honorat Leuitam; non colit Sacerdotem; non reueretur prophetam. O malum quouis malo peius mulier praua. Etiam si sit pauper, plena est improbitate. Quòd si habeat opes opem ferentes improbitati, duplex malum. Fera est, quæ non potest curari. Scio aspides blanditiis mansuefieri, & leones, & tigres, & pardos cicures fieri, & mites. Mulier autem mala si afficiatur cõtumelia, insanit; adulatione autem, & blanditiis insolescit. Si maritum habeat diuitem, eum verbis labefactans, ad cædem fraude faciendam incitat, sicut Herodias Herodem: & si maritum habeat pauperem, ad iras, & pugnas eum excitat. Et si sit vidua, omnes præ se habet contemptui. Domini enim metu lingua non frenatur. Non ad futurum aspicit iudicium; non ad Deum intuetur; non nouit seruare leges amicitiæ. Malæ mulieri nihil est maritum suum tradere ad mortem. Iustum quidẽ certè Iob eius vxor tradidit ad mortem blasphemia, dicens: Dic aliquod verbum aduersus Dominum, & morere. O improbam naturam. O impiam voluntatem. Non misertta est videns sui mariti viscera à feruẽtibus pustulis, tanquam à carbonibus scintillas emittentibus, vstulata, & totas carnes possessas à vermibus. Non inflexa est ad misericordiam, videns eum omnino circumagi, & laborare, patiq; difficultatem crebri, & interrupti spiritus. Non mota est miseratione, videns eum, qui aliquando fuerat in regia purpura, tunc iacentem in sterquilinio nudo corpore. Non meminit veteris cum eo consuetudinis, neque quàm multa, & gloriosa per eum fuerat consecuta; & quantum propter ipsum floruerat. Sed dic aliquod verbum aduersus Deum, & morere. O gratia mulieris. O malagma dolores præmolliens. O lex amicitiæ coniugalis. Cum tu ægrotares, tale ne vnquam verbum est locutus; & non precibus, & benefactis morbum abstersit, & expurgauit? Non enim sufficiebat ei, quæ erat ad tempus, disciplina: sed etiã & æternũ conciliabat supplicium per blasphemiam. Nescis quòd omne peccatum dimittetur hominibus: Quod autem est contra spiritum sanctum, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro? Vis videre aliam quoque coniugem eiusdem improbitatis. Vide mihi Dalidam. Illa enim cum virum fortissimum totondisset Sampsonem, tradidit suum maritũ alienigenis; suum tori consortẽ, quem fouebat, cui blãdiebatur, cui assentabatur, quem simulabat se plus quàm se amare; quẽ heri fouebat diligens, hodie sepelit decipiens: quem heri diligebat, hodie decipiebat. At non erat formosus. Et quis fuit illo tempore formosior? Qui septem capillos ferebat in capite, portans imaginem gratiæ, quæ habet septem lumina. At non erat fortis. Et quis eo fortior, qui terribilem leonem solus in via suffocauit; & vna asini maxilla decem millia prostrauit? Quinetiam erat sanctus & adeo sanctus, vt ipse aliquando sitiens, in aquæ inopia precatus fuerit, & ex mortua, quæ ab eo tenebatur, maxilla aqua scaturierit, & ex ea sitis hauserit medicinam. Et eum, qui erat tam formosus, tam fortis, tã sanctus, cùm propria vxor vinxisset, tanquam hostem, cum tradidit alienigenis. Quomodo autẽ factum est, vt eum, qui erat tam fortis superaret mulier? Ex ipsius mariti bonitate. Mysterium enim eius virium noctu suffurata, eũ nudum loris validis alligauit. Et ideo tibi præcipit sapientia: Caue à tua tori consorte ne ei aliquid reueles. Quænam, dic mihi, fera aduersus suum masculum talia est machinata? Quænam Draconis fœmina suum maritum tradit ad cædem? Vides quam aptè dixerit sapientia. Non est caput super caput serpentis; & non est malitia supra malitiam mulieris. Et vt semel dicam: Qui mulierem habet malã, sciat se iam accepisse mercedem suarum iniquitatum. Neque hoc dicitur sine teste. Audi sapientiam dicentem. Mulier mala dabitur viro iniquo pro malis operibns. Sed de malis mulieribus hæc hucusque dicta sint. Oportet autem nos quoque meminisse bonarum, maximè

xime propter eas, quæ adsunt. Cur ergo bonæ? Quod bonorum virtutes vident tanquam proprias, & illorum labores tanquam suos reputant. Bona mulier, & hospitalis fuit illa beata Sunamitatis, quæ cum rogasset maritum, Elisæo ædificauit domunculam, vt transiens absque impedimẽto posset requiescere, ei posito lecto, & candelabro, & mensa; lecto, inquam, non sine vestibus, sed qui stragulas vestes habebat Prophetæ conuenientes, candelabro non sine candela, sed cum oleo, quod lucem irrigabat. Mensa, non defecta panibus, sed cibis abundante. Quid autem dixerit quispiam de beata illa vidua, quæ suscepit Eliã Prophetam? Cui nihil impedimenti attulit pecuniæ inopia propter opes bonæ voluntatis. Cui non aderat frumentum, non vinum, non aliquid aliud terrenum ad consolandam paupertatem. Non ager frumenti fertilis ei semen panis afferebat. Non botrum suauissimum ei vitis producebat. Non dulcissimum fructum arbor ei ferebat. Quomodo enim, cui ne erat quidem agri locus ad serendum vnius palmi, neq; solum vnius cubiti ad plantandam vineam. sed in tempore messis per agros curua incedẽns, spicas, quæ è manibus messorum excidebant, colligens, pro modo temporis vnius anni reponebat alimentum. Ad hanc abiit Elias tempore famis, quando vniuersa terra propter humoris egestatem propemodum scindebatur, & siccitate aperiebatur, quando cœlum inflammabatur, & aër erat æneus; & nubes refrenabantur; quando non erat herba, non flos, non germen baccarum, nõ aura roscida summas aristas aspirabat: quando fuerunt attenuati fluuij: & fontes vbera aquarum nimio æstu constrinxerunt: & mare salsum penitus effectum est, repressis, quæ id ingrediebãtur, dulcibus aquis, & pluuiis; tunc, inquam, abiit Elias ad pauperculam, ad viduam. Qualia autem patiatur vidua etiam lætis rebus, scitis. Dimisit Propheta diuites, quibus erat copia panis; & è monte descendens venit ad ipsam. Cur autem qui ignem de cœlo verbo demisit, non ad se potius panes detulit? Non poterat? Poterat certe. Sed hoc non fecit. Quambrem? Ne hospitalitatis fructibus priuaret viduam, & vt alioqui pugillum farinæ, & modicũ olei multiplicaret per benedictionem. Non enim tantũ venit Propheta vt aleretur, quantũ vt aleret pauperculã, & probaret cor occultũ, & bona volũtate præditũ. Hoc facit Deus. Nam cùm possit omnes, qui sunt in mundo, per se nutrire, sustinet dationem, vt corda quæ sunt bona voluntate prædita, in tempore hospitalitatis per fructus discernat. Quando autem nulli fuerint, qui ipsos debeant excipere, aut nutrit per aues, vt Eliam in monte; aut per Prophetam peregrinum, vt Danielem in lacu, aut per animal marinum, vt Ionã per Cetum; aut ipse per se pluit alimentum, sicut Patribus nostris. Nam cum non essent, qui eos deberent excipere, manna pluit è cælo, & aqua è petra scaturiit. Quando antẽ fuerint sancti in mundo versantes cum aliis, dexteram suam manũ retrahit: & si eos videt afflictos, emittit, vt per id, quod in ipsos confertur beneficium, det locum multis volentibus adipiscendæ salutis. Abiit ergo Elias ad viduam, quæ nihil aliud habebat nisi pugillum farinæ, qui vix ei, & eius filio sufficiebat in tempore prandij. Et quid ei dicit; Sume mihi parum aquæ in vase, & bibã.

Cùm ea autem iret, clamauit post eam: Sumes etiam mihi frustum panis in manu tua. Illa autem id, quod non habebat quidem dixit; quod verò habuit est confessa. Viuit Dominus, si est mihi panis, nisi pugillus farinæ, & paruum olei in lecytho. Mirandum est, quòd in tali ciborum inopia, non negauit eas, quæ ei aderant, reliquias paupertatis. Quàm multi nunc, qui aurum habẽt, & argentum, si rogentur, renuunt amicis benefacere, & si etiam blanditiis deliniantur, inficiantur se habere. Quàm multi, qui si rogando inflexi fuerint ad dandum, conscribunt literas ferro valentiores, & manum, quæ suscipit, alligãt schedulis, satisdatores & fideiussores auri requirẽtes. Illa autem vna voce pugillum farinæ non negauit. Et quid ei dicit Propheta? Festina, & fac mihi primum panem subcineticium; postremò autem tibi, & filio tuo. Tentatio erat verbum Prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Erat autem cor illius beatæ quodammodu positum in trutina, & dubium quónam vergeret; ad filij ne sui beneuolentiam, an ad hospitalitatem erga Prophetam. Illa verò elegit potius se, & filiũ adducere in angustias, quàm prophetam non suscipere. Sciebat enim quòd qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: Et qui dat poculum frigidæ in nomine Discipuli, non perdet mercedem suam. Quid est autem quod dixit Propheta; Festina? Adeò ne esuriebat, vt opus esset festinatione? Non omnino. Sed tacitè significabat beneficentiam hilariter, & spontaneè, & non cum dolore, & necessitate impendi debere. Hilarem enim datorem diligit Deus. Festina, & fac primum mihi, quomodo Abraham in aduentu Angelorum festinauit ad boues, & tulit vitulum, vt acciperet agnum. Et quomodo Sara festinauit ad panes subcinericios, vt acciperet panem, qui est occultus in cælis. Festina, & fac, sicut Abraham, Deo sacrificia. Non priùs tibi, & tũc mihi, sicut Cain, & Ophni, & Phinees filij Eli Sacerdotis, qui Deũ contemnebant primi accipientes primitias donorum, quæ Deo offerebantur. Tunc ipsa quidem festinanter fecit, quod iussa fuerat. Ille autem cum illum diuitem accepisset panem subcinericium, & gustauit, & eius domum impleuit bonis. Non deficiet enim, inquit, pugillus farinæ ex hydria, & oleũ ex lecytho, donec dederit Dominus pluuiam super terram. Quare eo vsque? Oportebat enim cùm nona gratia venisset, tanquam pluuia, veterem legem finem accipere. Vides quemadmodum fructus hospitalitatis perceperint bonæ mulieres? Bonorum enim laborum sunt gloriosi fructus; & non potest radix excidere prudentiæ. Audiuistis, mulieres, malarum mulierum actiones, & bonarum virtutes. Illas ergo odio habete, has verò diligite; vt earum cursus insistentes vestigiis, annumeremini in eundem chorum sanctorum. In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria, & potentia, in secula seculorum, Amen.

***

S. ANDREAE EPISCOPI

Cretæ Hierosolymitani oratio de amputatione capitis venerandi Prophetæ, præcursoris & Baptistæ.

Ipsa etiam senectus vt plurimum exilit, roborata à prompto & alacri animi studio. Imbecilla quoque roboratur, & confirmatur oratio, quæ vires cœpit ab incitatione auditorum. Hoc ipsum nunc quoque nostræ vsuuenit orationi, quæ ad suscipiendum quidem argumētum encomiorum impellitur ab iis, qui sunt congregati. Sed quando considerat eum, qui est laudandus, veretur suas educere copias. Et oratio quidem (vt dicam Apostolicè) est imbecilla, & contexta ex instrumentis, quæ sunt planè debilia. Encomiorum autem argumentum, eò magis cuiuslibet orationis superat facultatem, quòd ex illa cum natis mulierum comparatione maiorem præstantiā adeptus est: adeo vt sola, & prima illa voce opus habeat primi, & solius secundum naturam Dei verbi, virtutisque, & potentiæ. Atque eiusmodi quidem est argumentum, & sic se habet. Nostræ autem orationis imbecillitas quanta sit, fuit vtcunque ostensum. Et nobis quidem proponit argumentum Ioannem, qui est maximus inter natos mulierum; quo ex iis, qui à seculo extiterunt, nullum maiorem, nec ex Patriarchis, nec ex Prophetis, pronunciauit Verbum salutare. Oratio autē, Verbi, quod fuit ante secula, Vocem laudare aggrediens, ad suas verò vires respiciens, illud propemodum amplectitur silentium, quod Zacharias sustinuit in adytis propter incredulitatem: donec ipsa nostrum præueniens sermonem soluerit silentium, vt quæ verè sit vox Verbi, quod est secundum naturam. Hoc autem dabit omnino, tanquam vox ipsius Verbi, non vt ipse maiorem gloriam consequatur, (Quænam enim ei gloria accesserit, cui à Domino talis fuit cōtexta corona, quali ex terrigenis nullus fuit redimitus?) Sed vt nos illius laudibus deducamur ad imitationem. Hoc enim vult Deus, qui glorificat eos, qui ipsum glorificant, & extollit eos, qui ipsum extollunt. Consequenter autem procœmio æquum esse arbitror, vt præsentis dici scopum explicemus pro viribus, ne inutiles, ac sine fructu hinc domū reuertamur. Is autem est, Baptistę loquendi libertas ad Herodem, quam hodie aperiēs liber Euangelicus, apertè enuntiat. Illam dico loquendi libertatem, in quam nulla cadit reprehensio, vt quę tota apparuerit pura, & minimè mixta iis, quæ sunt creatæ naturæ. Libertatem, inquam, quę tam plena fuit, & tam redundans, vt nihil interesse arbitraretur inter priuatum, & Regem (Est enim in vtrisque communis redargutio, quando actio ipsa similem exigit reprehensionem) quinetiam illam, vt quæ esset Dei prophetæ, conueniens erat despicere (quid enim aliud faceret, qui zelo incitabatur eius præceptorum?) purpuram, thronum, diadema, & omnia, quibus se iactant, qui sunt inflati tumore inanis gloriæ: liberè autem dicere veritatem, & absque vllo timore, & nihil reticendo, aperire legis auctoritatē; quoniam volebat ostendere optimam esse legis constitutionem. Quomodo enim qui est inter legem, & gratiam intercessor, legis gloriam despiceret, cùm legem defenderet? Quod autem legis defensor fuerit diuini Baptista, quis est adeo stolidus, vt non hoc, quod reliqua præcedit, statuat esse primùm caput eorum, quæ ab illo rectè facta sunt? Qualis verò esset ei Zelus, & quàm vehemens, & inflammatus, declarabit Euangelium. In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha de Iesu, & dixit pueris suis: Hic est Ioannes Baptista; ipse surrexit a mortuis: & ideo virtutes operantur in eo. Ipse enim Herodes tenuit Ioannem, & ligauit ipsum, & posuit in carcere, propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim ei Ioānes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Et cùm vellet eum occidere, timebat turbam, quoniam eum habebant tanquam Prophetam. Cùm ageretur autē dies natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Quamobrem cum iureiurando est ei pollicitus se daturum quod petiisset. Illa verò inducta à matre sua, Da, inquit, mihi hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus est Rex. Propter iusiurandum autem & propter eos, qui simul accumbebant, iussit dari. Et misso spiculatore, decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est eius caput in disco, & datum est puellæ, & illa tulit ad matrem suam. An non tibi videtur Zelo fuisse incitatus, & omnium, qui Zelo mouentur, Zelo incitatissimus? adeo vt ne vsque ad occisionē quidem prodiderit veritatem, neque de Zelo remiserit aliquid, idque apud Regem contendens. Cogita enim quanta res erat videre hominem pilis cameli indutū, & Zona pellicea succinctum; Regem autem superbum, supercilia attollentem, in alio sedentem, sed quem vinctum tenebat tyrannis voluptatum. Cogita quantum intersit inter Regem, & priuatum, inter bellatorem, & Eremitam, inter eum, qui concionatur in ciuitatibus, & eum, qui versatur in solitudinibus. Si vis, aliquem ex iis, qui ante hunc virum in lege refulserunt, producamus; vt videamus, quis Zelo fuerit feruētior. Vt, verbi causa, illum, qui inter Zelo accensos est magnus Phinees, qui Scortum illud Madianitidem confixit vnà cum Israelita. Sed res nō sunt pares, nec in similibus rebus fuit contentio. Nam ibi quidem & si ad multos scelus perueneat, non erat tamē vir aliquis eximius, & excellēs, in quem ille suum Zelum intē[illegible]it. Hic autem, Rex; & quid aliud, nisi in lingua ferens mortis sententiam & accepta occasione spirans cędem in eos, qui erant in eius potestate? Quid verò ille magnus, & magno Zelo accēsus Elias, qui quadriiugem igneum currum egit, & super terrā sublimis sublatus est; & cælo quidem frenū imposuit, vt diuturno tempore non plueret, & in terra esset fames trium annorum; & semper clamabat, Zelans zelaui Domino; Et quomodo iram non ferens, exilium, & fugam, tanquam domum propriam; & solitudinem amplectebatur, non secus atque ciuitatem? Cuius autem mulieris? libidinosæ, furore percitæ, quæ colebat idola, Deósque & Dæmones adorabat: In quibus etiam fecit infelicissima mulier, vt peccaret Israel. Sed hucusque quidem nobis currens oratio, Ioannem ostendit æmulatorem præstantiorem, quàm ij, qui præcesserunt, quòd illi quidem impreuisam, hic verò manifestam, & ante oculos mortem habebat. Sed rogabunt fortè aliqui ex iis, qui festis delectantur, quid sibi vult, quòd loquendi libertate, & Zelo, tanquam magnifico aliquo, & splendido ornamento, coronatur sacrosanctum caput Baptistæ, perinde ac si desit vir

sit virtus aliqua, aut actio gloriosior, quæ possit ornare Domini Præcursorem. Et quis æquè fuit virtutibus supra modum plenus, atque magnus ille Ioannes: qui solus ex omnibus inter natos mulierum, Sacerdos, & Baptista fuit electus ab eo, qui est solus, & primus Pontifex, & qui omnes purgat spiritu, & igne baptismatis? Habet quidē, o dilecte, oratio multa argumenta recte factorum Ioannis; sed non vacat, relicto diei argumento, ad alia nunc excurrere; quoniam non est hæc lex encomiorum. Ego autem magnarum, & admirabilium, quæ illi insunt rerum, & quibus insigniter cognoscitur, dimisso splendore, ad quem accedi non potest, statui veluti quoddam paruum condimentum oportere nobis proponere, qui festo delectamini, explicationem priùs lectæ historiæ. Mauult enim Baptistam suis ornari ornamentis, quàm alij externis. Agè ergo percurrentes ostendamus tanquam in tabula, multis laudibus celebrandam præcursoris decertationem, quam audacter, & strenuè peregit pro eo, quod bonum est. In illo, inquit, tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam de Iesu, & dixit pueris suis. Hic est Ioannes Baptista. Ipse surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in eo. Hæc quidem postea. Quæ autem antea fuerunt, qualia? Herodes quidem adulterabat vxorē fratris Philippi. Ioannes autem Herodem arguens, prohibebat ne se inique gereret. Quomodo, & quanam ratione? Non licet tibi, dicebat, habere vxorem Philippi fratris tui. Hoc Herodem ad furorem concitauit. Hoc effecit, vt is cædem spiraret. Sed non celebris ille, & magnus inter Prophetas, aut timore est repressus, aut cessauit reprehendere. Sciebat enim legem, quæ hanc de medio tollebat libidinem. Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Legi, inquit, Dei resistis, tabulis quæ sunt à Deo impressę characteribus; repugnas pręscriptis Mosis. Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Et ille quidem à ratione alienæ voluptariæ congressionis obrutus delitiis, neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucē veritatis: sed mansit grauatus crapula libidinis. Hic autem perseuerauit corrigere, docere, admonere, vt consentaneū fuit Dei Prophetam facere. Ille verò, etsi, vt dicit Euangelium, sciret eum esse virum iustum, & sanctum, & eum libenter audiret, & audiēs eum multa faceret nihil eorum aut intellexit, aut voluit intelligere. Non Prophetam iis, quos oportuit, affecit honoribus. Non legis grauitatem vel tantillum est reueritus. Neque, si nihil aliud, supplicia quidem certè, quæ ab illa aduersus eos, qui sunt tales, intentat, ipsum vllo pudore affecerunt. Dicam id, quod est maius, & maximè cognitum. Ne illum quidem Achab, alterum mulieris mancipium, est imitatus, qui tūc habebat Iezabel magistrum multorū Deorum cultus; sicut nunc hic Herodiadem libidinis & intemperantiæ. Nam ille quidem, cùm audiisset ab Elia Thesbita iram quę accendebatur in eum à domino; & mala, quæ ei, & suis erant apertè euentura; & reprehensionibus apertè esset consauciatus, propter improba, & nefaria, quæ perpetrarat facinora, non succensuit, non se insolenter gessit; nō probrū duxit, aut contumeliam Prophetæ reprehensionem: sed vt Dei Prophetam, & diuina loquentem, illum quidem in honore habuit; hæc verò, tanquam Dei pręcepta, prosecutus fuit reuerentia. Quid autem facit? Audi libros Regum. Et dixit, inquit, Dominus Eliæ Thesbitæ. Surge, & descende in occursum Achab Regis Israel, & loquere ei dicēs: Hæc dicit Dominus. Quoniam tu occidisti Naboth, & fuisti eius hæres, propterea hæc dicit Dominus. Inducam super te mala & inflammabo post te, & exterminabo ex Achab mingentem ad parietem. Et alia, quibus iram minis intentat, non aduersus illum solum, sed etiam aduersus Iezabel. Quomodo tentauit, inquit, facere malum coram domino: & quomodo eum transtulit Iezabel vxor ipsius. Is, inquam, cum hęc audijsset, quid facit? Non cædem spirat; non ad iram incitatur: sed mœrore affectus ad tristem se conuertit habitum: & suū magis agnuscit vitium, non se superbe, & insolenter gerens aduersus reprehensionem prohibitam. A sermone enim, inquit, compunctus est Achab à facie Domini. Et egressus est flens; & scidit tunicam suam; & ieiunauit; & sacco est indutus. Quid ergo, qui omniū nostrum cōuersionem expectat Deus, qui tardus est ad percutiendum, & velox ad seruandum? Audi scripturam. Et dixit dominus. Vidisti, Elia, quomodo compunctus fuit Achab à facie mea? Propterea non inducam malum in diebus eius. Vidisti summam iram. Vidisti celerem mutationem. Non oportebat Herodem hæc scientem hoc modo se gerere? Non, si hoc nolebat suum saltem de Ioanne reuereri testimonium? Certè non ita se gessit. Quid ergo? Ad cædem transtulit libidinem. A nuptialibus ad cędis instrumenta mentem traduxit sceleratam. Mali mores; scopus, & institutum, quod non potest castigari. Oportebat enim, si suum nolebat vitium dimittere, at Prophetam saltem non tangere, cùm sciret eum esse iustum, & sanctum; & sæpe eum audiret, & multa propter ipsum faceret; & lubenter ab eo doceretur. Sed qualis fuit ei finis cōsiliorum; & ad quem improbitatis impetum, eum ducens incitauit cædem spirans libido, audiamus Euangelistas. Et cùm fuisset, inquit, dies opportunus, quando Herodes in eius natalibus faciebat cœnam suis proceribus, & tribunis, & primis Galilææ; & ingressa esset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, & iis, qui simul accūbebant, dixit Rex puellæ: Pete à me, quod volueris, & dabo tibi, vsque ab dimidium regni mei. Quamobrem cum iureiurandō promisit ei dare, quod petijsset. Illa verò egressa dixit matri suæ: Quid petam? Illa autem dixit, Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa cum festinatione ad Regem, petiuit dicēs; Volo vt mihi des protinus, in disco caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus est Rex: propter iusiurandum, tamen & propter eos, qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Et statim misso speculatore, iussit Rex afferri eius caput. Ille autem eum decollauit in carcere; & attulit caput eius in disco, & dedit ipsum puellę; & puella dedit matri eius. O acerbos natales, & cænam cæde plenam. Consecuasti tibi hunc honorem? Has ad tuum natalem adduxisti delitias? Tale tibi parasti conuiuium? Eiusmodi fluentis sanguinis oportebat cænam temperare conuiuiis? Sic honorasti tribunos, & tam benignè excepisti amicos? Tu neque Dauidem es imitatus, qui à Natham fuit reprehensus, & pœnitentia, non autem insolentia à se peccatum depulit: Neque Saulem, qui à magno Samuele, præsente toto Israe-

litico populo, fuit quidem reprehensus, sed propter suam in Prophetam reuerentiam nil ei mali fecit. Non animaduertisti, O miser, te Achab in Naboth, scelus conduplicasse, quòd ille quidem propter vineæ cupiditatem, tu autem propter mulieris adulterationem, & fraterno cubili paratas insidias, & quod est omnium extremum, cædem Prophetæ; idque in die delitiarum, & in mysterio natalium, quod tunc celebrabatur? Vtinam non esses natus, neque in lucem venisses super terram. Vtinam perisset semen ex quo germinasti; & vterus, ex quo es egressus. Dic enim: Qua de causa interfecisti Prophetam, qui vera tibi dixerat, & te reprehenderat de iis, quę non erant facienda? Cùm in promptu habere posses, vt malum cogitans resipisceres, & declinares à scelere, aut mentem ad arguendi libertatem dirigens, temperanti cogitatione adhibita, id, quod est pręstantius, amplectereris, & in hoc ipso victor fieres; prolapsus es ad contrarium, malo malum addés, non vt oportuit repellens. Et si reprehensionem quidem ęgre ferens, eò deductus es, hoc apertè arguit te fuisse alienum à disciplina. Diligere enim oportebat, non occidere, vt videtur Salomoni, eũ, qui reprehendit: ne ipse quoque audires: Odio habuerunt in portis eum, qui reprehendit, & sermonem sanctum sunt abominati. Si autem eum velles seruare iusiurandum, cædem præposuisti vt qui fugeres barathrum periurij; at oportebat regiam prudentiam, rusta intelligentiæ trutina, alterius cum altero expendere comparationem; & stare à meliori parte. Inconsiderata autẽ mente factum est a te contrarium. Quis fuit, qui ab initio te coegit iurare? Quid puellæ Mænadis saltationi commune est cum occisione Prophetę? Quænam est societas iræ cum lætitia? Sin verò propter iusiurandum, vt ipse opinaris: at ne sic quidem oportebat calculum sententię permittere ebrietati. Lętitię enim erat tempus, non cędis. Resque erat planè absurda, & peruersa. Opus erat tempore sobrio, & mente quieta, ac tranquilla. Futura enim erat non leuis rei iactura. Verumenimuero si quid ex tuis malis in te latens erat antea occultum, id aduersus te manifestum reddidisti, cęde aperiens flagitium, cuius arguebaris. Quid enim necesse erat eum, qui in occulto prohibebat adulterare, reprehendentem ducere in triumphum? Tu igitur dũm cędẽ facis, argueris libidinis. Ordinem conuiuij confudisti, O homo. Nam cùm conuiuio statuisses excipere, consulto conuiuas affecisti molestia. Quid facis, O miser? Pro cibo, hoc ad esum caput Baptistę introducis? Pro cratere, tale merum fundis conuiuis? Tale poculum Rex suis temperat consiliariis? An non vides, quantum sit malum intemperantia, & actio libidinosa? Ad te parum redi, si vis, & intellige, quòd nihil hominem tanto afficit detrimento, aut externum taorùm depascit hominẽ, quantùm ira ei dominans. Tu autem cum ex redundanti quadam copia his mentem coniunxisses, animæ sensum redegisti in seruitutem. Atqui omnium earum, quę sunt in nobis animi perturbationum, has duas maximè generales definiunt ij, qui sunt in his rebus tractandis sapientes; nempe iram, & cupiditatem. Quarum vtraque in te dominatum obtinens, tyrannico, non privato impetu, regnauit infeliciter; Cupiditas quidem sine vllis machinis adhibitis obsessam tuæ mentis arcem capiens, & animi, qui regi non potest, effecta veluti præses; Ita autem te tandiu in seruitutem redigens, donec in profundum inferorum, & in profundum malorum charybdim præcipitauit. An non hæc est via eorum, qui iniqua perpetrãt? Aliterne putas eos, qui sic capti fuerunt, à iustitia puniendos examinati? Sed rursus audiamus vocem Euangelij. Cùm enim, inquit, agerentur natales Herodis, saltauit Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi. O amentiam. Saltatio adolescentulæ, Regis cepit prudentiam. Fracti manuum motus, & pedum celeritas, & membrorum tractus, firmum, & validum Regis sensum eneruarunt. Non audiuisti Alexandrum Philippi filium, septem Darij filias ad se ad consuetudinem esse adductas, regaliter ægrè tulisse, & magnum illud & temperantiæ plenum dictum esse elocutum: Turpe est nos, qui viros vicimus, vinci à mulierũ pulchritudine. Adeò es incautus? adeo intemperans? Non audiuisti diuinam vocem, quę dicit. Videte ne mors ascendat per fenestras? Dico autem sensus, quibus homo internus illaqueatur. Quid eorum, quæ ad voluptatem pertinent, non habet saltatio Corybantica? aut musica instrumenta ad demulcenda comparata, sambuca, & cythara, & nabla, & tibia? Qua autem non est plenum turpitudine corpus, quod celeriter mouetur, & membra, quæ tanquam turbo rotantur? quæ sunt reuera simulachra eorum qui sunt correpti à dæmone. Tu autem cum his tanquam cerui hinnulus esses telis confossus, & tanquam volucris visco implicatus, neque vt caprea seruatus es ex retibus, neque vt auis liberatus es à laqueo: sed tibi fuit laqueus mulieris saltatio, & fouea præceps, furor ille, quo in eam fuisti concitatus. Et saltauit, inquit, filia Herodiadis in medio; & placuit Herodi, & dixit: Pete à me, quod volueris, & dabo tibi. Et cum iureiurando pollicitus est se ei daturum, quod petierit vsque ad dimidium regni sui. Esto, placuit tunc tibi puella, quæ saltauit: oportebat te aliquid munifice largiri puellæ, sed eorum, quæ licent, & dari possunt, non eorum, quæ sunt nimis excellentia eorum, quæ voluptate afficiunt conuiuas, non eorum quæ molestia; non caput sancti Prophetæ. Sed propter iusiurandum, inquit, & eos qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. O amentiam, & prætextum, qui est planè sine ratione! Si enim petiisset, vt à regno excederes, quemadmodum esses executus quod ei iuraueras? Si autem petijsset etiam vt matris effoderentur oculi, aut etiam imperasset vt omnino recederes ab eius consuetudine, impleuissesne quod petijsset? Sed propter iusiurandum, inquit, & eos, qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Id enim, quod dicitur, eo deducit necessitatem inexcusabilem. Quid ergo fecisses, si ex iis, quæ dicta sunt, vnum proposuisset? Sed, vt videtur, omnis qui facit peccatum, est seruus peccati. Nam qui voluptati suam subiecit rationem, fit quidem, sed non aperte, seruus motuum animi. Qui autem iræ impulsione vtitur vt ei deseruiat, suam aperte indicat affectionem, vt qui motom euentu illud aperiat, quod suggerebat affectio, cui subiectus fuerat, ita non priùs desinente donec voluptatis rete inscium hominem cõdemnauerit. Vides in quantam tibi prolapsa sit absurditatem prolatio iusiurandi? Magna insania, mentis cæcitas, & vecordia hanc tibi peperit stultitiam.

tiam. Pete à me, quod velis, & dabo tibi vsque ad dimidium regni mei. Adeo eras incautus: adeo leuis, & facilis, vt non dimoueretis à suscepta cogitatione, neque perspiceres te id, quod nõ oportebat, admittere citra examinationem: Considera quo tibi redierit, & quam parum in te esse consilij arguerit, quod temere iuraueris. Facile autem abripi ad assentiendum, dico non esse Regis indicium. Profusi autem oris morbus intempeians, quem cùm ipse subjisti, quod non erat iudicatum tanquam iudicatum suscepisti (talis enim est mẽs effrenis, & incauta oratio), nõ est eius quod bonũ est, & honestum iudicij, cogitationes moderantis: sed mentis non prohibentis facere, quæ sunt contraria; quæ est etiam priuata sensu, qui est secundum naturam. Sed Herodes quidem, qui tam leuiter, & misere est inductus, hoc retulit, vt eius semper fieret misera commemoratio. Quid vero puella iniquitatis, esca adulterij, hamus Herodis, laqueus, in quem ille prolapsus offendit, & captus non effugit? Dixit, inquit, matri suę, quid petam? Cùm vero ab illa docta fuisset: Da mihi, inquit, hic statim in disco caput Ioannis Baptistæ. Vide Euangelistam ea semper, quæ vera sunt, addocentem. Quid enim dicit? Herodias autem ei insidiabatur; & volebat eum occidere, & non poterat. Herodes enim timebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum; & eum audiens multa faciebat; & lubenter eum audiebat. Vides etiam ante iusiurandum sceleratæ isti fœminæ mentem fuisse inimicam, & infestam Prophetæ? Et quid hoc testimonio possit esse euidentiùs? Libertatem enim loquendi, & zelum Ioannis ostẽdit, propterea quod Herodem reprehenderet: &, quæ longo tempore in profundo ab ea alebatur iram produxit in conspectum auditorum. Hoc enim simul significat, & ostẽdit illud, insidiabatur. Nam illud quoque; Non poterat; ostendit Herodis in Ioãnem honorem, & reuerentiã, & quod eum sanctum habebat, & iustum, & eum audiens multa faciebat; & lubenter eum audiebat. Si autem superiorum fiat comparatio cum inferioribus, ea magnam in se habent differentiam, & tes non sunt æquales, vt quas temerè ageret is, in cuius eæ erant potestate. Nam prima quidem, nempe loquendi libertas, & Zelus, & reprehensio, Regis increpabant amentiam, & ipsum se inique gerere, & fratris violare cubile, eõducibiliter aperte arguebant: & tamen in honore habere, & reuereri Dei prophetam, tanquam iustum, & sanctum, tunc locum habuit. Quæ autem deinceps sunt consecuta, sunt dissimilia omnino, & discrepantia, & nullo modo consentanea cũ prioribus. Quanam autem de causa, & propter quid? Temulentus enim diuertit ad leuem, & friuolum prætextum, quasi propugnaculum ebrietatis. Quo factum est vt propter frigidum iusiurandum, & conuiuarum reuerentiam, nefario concubitu maiorem pareret iniquitatem; vt qui tanquam in scena ludens actum illum exerceret, tatus fore vt lateret oculum, qui minime falli potest. Quonam modo Dolore, inquit, affectus est Rex. Sed propter iusiurandum, & eos, qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Qu d hac simulatione est magis abominandum? Quid autem illo iusiurando est nilterius ad impietatem? Nam cum ei liceret magis pio prętextu, & regio sensu iusiurandum expellere, malum malo perfecit. Misso enim spiculatore, iussit abscindi caput Ioannis; & dari puellę. Vidisti hebetudinem summam, & lenitatem? Non oportebat potiùs pulchrè peierare, quàm improbe seruare iusiurandum? aperte mentiri, & Prophetam non tangere? Delicti veniam petere, quam iniste vera dicentem effici iniustum occisorem prophetę, & sibi iustum recondere iudicium, & geheunę fieri filium? Si enim perijsset, vt in Deum peccaret, & idola erigeret, & eorum, qui eius patebant imperio, sanguinem libaret, filiosque, & filias, matresque, & fratres, & vxores etiam sacrificaret, quomodo de his factum repulisset iusiurandum? Quomodo autem id ausus esset implere, cùm Iudęa esset Romanis subiecta, cuius ipse male gerens tetrarchatum rex erat? Sed ille quidem sic incitatus, fuit irretitus à misera puella. Illa autem cùm esset instrumentum ad improbitatem inuentum, & in se haberet impressam totam matris malitiosam, & sceleratam mentem, induit personam eius, cui deberet, & tanquam debitum inexcusabile petit à Rege petitionẽ: Da mihi hic, & protinus in disco, dicens. Quid dabo? Non aurum, inquit, non gemmas pellucidas; non si quid ex ijs, quæ sunt in regia, est sumptuosum, & pretiosum: sed caput Ioannis Baptistæ. Quid dicis? Das caput, quod vel ipsi reuerentur Angeli? Das illud caput, super quod, cùm verbum baptizaretur, spiritus in specie columbæ sedens volauit? Das pro paruæ voluptatis remuneratione illius caput, cuius dextera, eum, qui sedet à dextera Patris, baptizans sanctificata est? Illud caput nefarij ludi exoluis mercedem, cuius lingua in hodiernum vsque diem stetit clamãs: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui? Hoc tu caput das in disco puellæ, quoniam tuum amorem accẽdit ad adulterium, & fauerauit cot saltationibus? Quid facis miser? Fers has leges, quas qui seruat, se iniquè gerit? Ea decernis, quæ à Deo separant, & ei, quod est iustum, damnum afferũt? Vnde tibi hoc impium, & nefarium iussum? Quęnam lex impia hæc dictauit? A page. Hæc non sunt Dei mei aut legis Mosaicæ. Non audiuisti dicentem Prouerbiorum scriptorem: Libera eos, qui abducũtur ad mortem, & eripe eos, qui occiduntur? si dixeris: Nescio hoc: Scias, quod Dominus nouit corda omnium; & reddet vnicuique secundum opera sua. Quid tibi congregas maternam ad æterni ignis conflagrationem? Sed propter iusiurandum, inquit, & eos qui simul accumbunt, hoc facio, Pulchrè. Et quis te ab initio coëgit hoc polliceri? Quis te autem vlla ratione admiserit, aut leniter laudauerit? Non præuisa enim res est, quæ in rebus obscuris, & incertis fit cum iureiurando promissio, quando sine distinctione profertur, quòd ratio non acceperit vtrinque examinationem ad cõferendum id, quod est bonum, & malum. Quod priùs quoque visu venit Iephte magno illi, & celebri indici, qui inconsideratè vouit, & illud Deo promisit, quod inopia consilij non potuit præuidere, propter inopiam indicantis rationis, & mentis discretionis, quæ fit in rebus agendis. Oportebat ergo te, cum puellæ iurasses, distinguere quoque, & definire aliquid, quod esset dignum saltatione, non autem caput Præcursoris, quod nullis potest exæquari diuitiis, prodere, mercedem nefarij spectaculi. Quid enim tibi, qui Rex eras, volenti pretiosum, aut magnificum deerat, quod dares saltatrici pro mercede salta

saltationis? Sed cùm alio modo velles à te depellere reprehensionem nefarij concubitus maluisti permittere puellæ, vt illam peteret mercedem, quæ, vt tu putas, tollebat reprehensionem. Id autem erat caput Baptistæ: Cuius, cùm esset Propheta, fuisti interfector, præter expectationem quidem, & voluntatem duorum conuictus scelorum, adulterij, & cędis, cum malo vnà inducens id, quod est longè pessimum. Quænam est hæc amentia? Quis te induxit, vt sic Deum offenderes, & cædem faceres in tempore lætitiæ? Tu quidem existimabas, de medio tollens Baptistam, simul etiam, cum eo sublaturum esse reprehensionem. Ille autem & si habitet in sepulchro, & lateat sub terra nihilominus in te expromit reprehensionem, dupliciter propter duplex crimen in tuam exclamans vanitatem. Existimabas quoque te illius cæde esse animi motum vehementiùs accensurũ, œstrúmq; amoris, quo eras stimulatus, aucturum, & inflammaturum esse voluptatem vehementiùs. Huius autem rei est apertum indicium, quòd non statim quidem obstruxeris aures ad abominandam illam petitionem, neque citò resilueris, & deploraueris, ægrè ferens impudentem saltatricis appetitionem, nec valde eiulaueris, dicens: Veh mihi, si tam breuis, & tam nullius momenti delectationis tantam tradidero mercedem, cui nullus in regia possit par esse thesaurus. Cur enim, cùm oporteret, ad te redeundo, confidenter contraria obiectione negare petitionem, non repugnasti, O Rex, puellæ petitioni, dicens: Non per Deum qui in Mose loquebatur; non dabo; neque pro vili, & breui spectaculo talem dabo mercedem. Pretium enim meretricis est tanquam vnius panis; vt dicit prouerbium. Quam ob rem ne tantillum quidem ægrè tulisse, aut renuisse, erat signum animi sua sponte assentientis. Oportebat enim vocem statim emittendo vehementer deplorare, & flebiliter eiulare. Facillimè enim pœnam iurisiurandi abiurasses, & illata negatione depulisses periculum periurij. Quonam modo? Contra iusiurandum intulisses iusiurandum, & prius secundo euertisses. In sanguinem autem Baptistæ & Prophetæ nolle tale iusiurandum admittere, nedum exequi, fuerit profectò viri sobrij, ac temperantis, & qui scit absq; ita ferre reprehensionem: quomodo rursus nõ ęgrè tulisse, nec tristem vultum ostendisse, aut, quod fuisset modestius, de re parumper deliberasse, arguit te cupidè iusiurandum admisisse. Quod cùm nolles, aut vt verius dicam, non posses intelligere, protinus immitem tulisti sententiam, vt illud caput amputaretur, quod in hodiernum vsque diem tuam arguit summam iniquitatem. Nam cùm liceret non iurare incautè, neque iusiurandum permitteret ebrietati: sed toruè & asperè impudentem illam puellam & oculos perstringentem aspicere, vt terrore vultus ei timorem incutiens, eò redigeres infelicem, vt ne ea quidem, quæ sunt pro pedibus, posset intueri, nedum impudenter exigere ea, quæ sunt abominanda, fecisti contrarium: Tam faciles aures præbuisti Mœnadi, perinde ac si hanc, & non aliam expectares ab ea peti mercedẽ sceleris. Ita captus fuit Rex Iudæorum. Sic in eum est debacchata illius mentis præceps amentia, ad hunc stuporem ebrietatis eum deducens dæmon, pręcipitauit infeliciter, impellens, vt illud caput amputaret, quod longo tempore nõ tulerant latibula terrę in sinu occultare; quod adhuc distillans sanguine, non est veritus Herodes appositum, tanquam cibum, in disco aspicere. Sed illud quidem etiam amputatũ clamat, & non sustinet tacere, sed adhuc liberè te arguẽs adulterantẽ. clamat, Nõ licet tibi habere vxorẽ Philippi fratris tui. Frustra ergo scelus est à te perpetratum. Inanis fuit consiliaria. Vana etiã fuit petitio saltatricis. Et tu quidem, qui seruasti iusiurãdum, semper fuisti condẽnatus. Iniquitates enim virũ apprehendũt. Illa autẽ pręter flagitium adulterij, cædis quoque perpetrauit facinus. Mulier enim insipiens, inquit, nescit pudorem, sed occurrit ad portam inferni. Libidinosæ autem fœminæ lena saltatrix, vna cum matre in cæde petulanter insultans, nullam hinc aliam adepta est vtilitatem nisi flammam gehennæ, in qua meritò luit pœnas. Insipientiæ enim pedes deducunt eos, qui ea vtuntur, post mortem ad inferos: vestigia autem eius non firmantur. Tales sunt actus eorum, qui se iniquè gerunt: hunc fructũ dat libido suis amatoribus: hæc præmia largitur impudicis vehemẽs voluptatum intemperantia. Hæc audite, quibuscunque vsus, & congressio intercedit cum cæteris, & quicunque vitam agitis cœlibem, & separatam; & prouerbiorum pascamur sermonibus, & eis aures nostræ personent. Quid autem oportet dicere apud eos quibus vt ea non ignorent, est innatum? Sumus enim omnes docibiles Dei in Christo; vt ait Euangelista Ioãnes. Vtinam nos quoque, qui hîc sumus sacer collectus conuentus, talem essemus assecuti gratiam, vt non egeremus eo, qui sit docturus, aut increpaturus: sed solum sufficeret exemplum, vt Herodis amentiæ omnem effugeremus imitationem, & neque præ otio, ac socordia, turbulentarum appetitionum vehementibus mentem dederemus impetibus; neq; rursus voluptatum blanditiis inescatus animus attraheretur ad consensum; qui quidem peccati mortem concipiens, mortem ipsam parit. Quod ne nobis accidat, nos semper cõseruemus, perpetuò effecti oculus, qui nullã clauditur dormitatione, ne nobis non animaduertẽtibus Diaco suffuretur thesaurum. Accipiamus ergo omnes simul doctorem Salomonem nos munientem verbis præseruantibus, & fusius persequentem offensiones, quas accipiunt simpliciores ab insidiis mulierum. Dicit itaque; Noli adhibere animum mulieri malæ: Mel enim distillat à labris mulieris meretricis, quatenus ad tempus pinguefaciat gutrur tuum: Senties autem postea felle amarius, & magis acutum, quam gladium anceipitem. Sed ne aut satietatem afferat, aut molesta videatur oratio, adijciam pauca quædam iis, quæ dicta sunt, quæ iis quidem, qui norunt, in memoriam reuocent, iis autem, qui ignorant, non leuem præbeant cautionem. Bibe, inquit, aquas è vasis tuis: & ex puteis fontis: & simul delectare cum muliere à iuuentute tua. Nam si in eius amicitia simul versans vitam traosigas, multiplicaberis. Et rursus. Ne sis multùm apud alienam, neque te vlnæ complectantor non propriæ. In conspectu enim oculorum Dei sunt viæ viri. Ne dederis somnum tuis oculis, neque dormitaueris tuis ciliis; vt serueris tanquam caprea ex retibus, & tanquã auis ex laqueo. Et rursus. Ne te vincat cõcupiscentia pulchritudinis, neq; palpebris tuis cõfidas, ne attraharis ab eius oculis. Mulier

liet enim virorum pretiosas venatur animas. Viæ autem inferorũ domus eius, deducẽtes ad promptuaria mortis. Tu autem fili audi me; neque declinet ad vias tuas cor tuũ; & ne aberres in semitis eius. Multos enim vulnerauit, & deiecit, & sunt innumerabiles, quos occidit. Tu autem ne oculos tuos in eam defixeris, sed resilias; neque diu illic moreris. Sic enim transilies aquam alienam. Ab aqua autem aliena abstine, & à fonte alieno ne bibas; vt viuas longo tempore, & adiicientur tibi anni vitæ. Atque sufficiunt hæc quidem ad castigandum eos, qui sunt hebetiores, quibus nos satis communiit oratio prouerbiorum, quæ viri illius diuini linguam defendit modestam, venerandi, inquam, Baptistæ, qui hanc nobis mensam apposuit, non sanguine conspersam, non recenter occisi caput proponentem, tãquam cibum, non simul cum cruore effundẽtem vinum in crateribus. Hæc sunt præmia Herodia violentiæ. His rebus ille instruit conuiuium. Ille conuiuis talia miscet pocula. Sed non ita is, qui nostro præest conuiuio. Absit. Contra enim animi magnitudinis, & temperantiæ cœnam nobis apposuit; cuius impleti obsoniis euasimus meliores. Quoniam autem Ioannis erga Herodem cõstantiæ magno trãsmisso pelago, in portum tranquillum, secundis eius ad Deum precum auris peruenimus; tempus est, laxatis velis, intra portum sistere remos orationis. Aequum est autem, vt arbitror, nam hoc solent etiam nautæ facere, vt nos quoque iusta facientes, epilogo paruam adnectamus orationem, scripturæq; floribus virum coronemus. Si is tamen vir est dicendus, qui inter natos mulierum apparuit maior. Hic enim est, quem in multis scripturæ locis variè contineri inuenimus, si eam vt apis diligenter obeamus. Multas enim eius appellationes attulit nobis rerum consideratio, quarum vnicuique adiecto quod par est testimonio, ostẽdit quàm meritò ei nomina fuerint imposita. Atque prima quidem est eius appellatio, Filius. Ne timeas, inquit, Zacharia, ecce Elizabeth pariet tibi filium: & multi in natiuitate eius gaudebunt. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Infans. Et factum est postquã audiuit Elizabeth salutationẽ Mariæ, exultauit infans in vtero eius, & impleta est spiritu sancto Elizabet, &, Ecce enim postquam facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Puer. Et tu Puer, Propheta altissimi vocaberis. Puer autem crescebat, & inualescebat spiritu: Et erat in desertis; & quæ deinceps sequuntur. Magnus. Hic erit magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Ioannes. Et factum est in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit. Nequaquam: sed vocabitur Ioannes. Et Zacharias pater eius petitis pugillaribus scripsit: Ioannes est nomen eius. Homo. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Propheta. Quid exiistis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis plusquam Prophetam. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetarunt. Elias. Et si vultis suscipere, ipse est Elias, qui est venturus. Et ipse præcedet in spiritu, & virtute Eliæ. Magister. Venerunt autem Publicani quoque vt baptizarentur & dixerunt ei: Magister, quid faciemus? & cætera. Præparator. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Et, Parate viam Domini. Præco. Fuit Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptisma pœnitentię in remissionem peccatorũ: Et prædicabat dicens: Venit post me, qui est me fortior. Et quæ sequuntur. Vox. Quis es, vt responsum demus iis, qui nos miserunt? Quid dicis de te ipso? Dixit: Ego sum Vox clamantis in deserto. Baptista. Venit Iesus a Galilæa ad Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo. Erat autem Ioannes baptizans, & accedebant omnes & baptizabantur. Confessor. Et confessus est, & non negauit; & confessus est, Non sum ego Christus. Testis. Non erat ille lux sed vt testimonium perhiberet de lumine. Trinitatis subscriptor. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentẽ super ipsum, is est, qui baptizat in spiritu sancto, & igne. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quod hic est filius Dei. Iustus & sanctus. Herodes autem timebat Ioannem, sciens eum esse virum iustum & sanctum. Apostolus, hoc est missus. Vos ipsi mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Euangelista. Multa quoque alia admonẽs euangelizabat populo. Pronubus. Qui habet sponsam, sponsus est, Amicus autem sponsi, qui stat, & audit ipsum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Lucerna. Ille est lucerna ardens, & lucẽs: Vos autem voluistis exultare ad horam in lumine eius. Reprehensio Herodis. Dicebat enim ei Ioannes: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Herodes autem cùm reprehenderetur ab ipso propter Herodiadem, inclusit ipsum in carcere. His Ioannes vocatus est nominibus, his fuit honoratus. Habuit autem actiones conuenientes his appellationibus, Ioannes ille, quo non surrexit maior inter natos mulierum. Hic est verè lucerna, de qua magnus canit Dauid, dicens tanquam ex persona Dei patris. Paraui lucernam Christo meo. Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Hic est magnus ille Elias, nõ Thesbites, sed qui fuit medius inter legem & gratiã; &, licet tempore sit ab illo secundus, prioris tamen Christi aduentus præcursor; qui cum eadẽ, qua ille, præcessit inspiratione, & virtute; vt Archangelus prædixit Zachariæ, Cui Zachariæ? Cuius sanguis clamat plusquam Abelis. Hic est, qui priùs exultauit: & priusquam prodiret in lucem, agnouit suum Dominum in vtero. Hic instrumento vtens lingua suæ matris, fœtum sine patre, cum adhuc in vtero gestaretur, priùs est allocutus. Vnde hoc mihi, dicens, vt veniat mater Domini mei ad me? Hic cùm conuertisset corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parauit Domino plebem perfectam. Fructus ex promissione. Bonus Gabrielis nũcius. Germen præter ætatem. Sterilis flos genitalis. Propheta ex propheta. Ciuis deserti. Aliptes orbis terrarum. Astrum Solis. Lucerna lucis. Regis miles. Sponsi pronubus. Serua Domini. Vox verbi. Sacerdos eius, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedec; quãdoquidem dignus est habitus vt sacerdotis officio fungeretur in eius baptismate. Qui patrem audiuit, filium baptizauit, spiritum aspexit. Legis silentium. Gratiæ intercessor.

tercessor. Coronis prophetiæ. Prophetarum conclusio. Regis præco. Præcursor veritatis. Porta pœnitentiæ. Virginitatis nutator. Salutis præparator. Temperantiæ legislator. Frenum eorum, qui se iniquè gerunt. Dux eorum qui iustè viuunt agnor. Ioannes ille magnus, nomen a Deo vocatum. Quæ è cœlis per vocem Archangeli scriptis mandata fuit nominis appellatio. Vox orta ex tacente. Qui per id quòd voce carebat pater, sterilitatis sustulit infœcunditatem. Qui loquenti digito agnum ostendit. Magna gloria continentiæ. Qui erat in corpore expers carnis. Qui in luto margarita. Qui in vase fictili pretiosus thesaurus. Qui inducit securim ad secandam animarum sterilitatem. Quæ solitudine gaudet turtur ecclesiæ. Os, quod non potest tacere. Quæ vbique tonat vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quæ Deum effatur lingua: cuius vox etiam post decessum reprehendet Herodem, & eum, qui venit, prædicat, dicens: Regnum cœlorum appropinquat. Et gloria, & potentia in secula seculorum, Amen.

VICTORIS ANTIOCHENI eiusdem Euang. expositio.

Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem. Modum, quo Herodes Ioannem peremit, & causam propter quam illud fecit, Euangelista breuiter hoc loco exponit; non quòd prophetæ cædes in illud tempus incidisset: sed quia narrationis series, quã instituebat, commodè id ferebat. Cùm enim narraret Herodem (quòd admirabilia quædam de Christo Domino audiuisset) existimasse Ioãnem, quem paulò ante interfici curarat, ex mortuis resurrexisse, mox cædis causam subiungit, quæ fuit huiusmodi: Cùm Herodes fratris sui Philippi etiamnum superstitis vxorem ex qua filiam ille ante diuortium susceperat, rapuisset: raptámque domui suæ detineret, Ioannes nefarium flagitium non ferens, palàm propter improbam, fœdámque præuaricationem illum reprehendit. Herodes autem eiusmodi reprehensionẽ periniquè accipiẽs, voluit illum occidere: Verùm turbã, apud quam Ioannes in summa existimatione erat, veritus, mortem illi inferre non audebat, etiamsi, propter Herodiadem, summopere id desideraret. Nam ad se quod attinebat, nôrat illum virum iustum & sanctum esse, multáque iuxta illius præscriptum faciebat. Tandem improbis Herodiadis precibus victus inclusit illum in carcere, mandato dato, vt diligenter custodiretur. Interea accidit, vt Herodes magna cum pompa & apparatu, natalis sui diem celebraret. Cùm autem filia Herodiadis inter epulas elegantiùs saltasset, Herodíque eo nomine placuisset, cõtinuò se id totum illi daturum iurauit, quodcunque illa ab illo petiuisset. Hæc autem à matre edocta, subornatáque, caput Ioannis Baptistæ sibi donari postulauit. Herodes ergo, ne promissionis fidem fallere videretur, caput Baptistæ auferri, ablatúmq; puellæ offerri iussit immani sceleri iurisiurandi religionem & vim, propter præsentes, obtendens, seséque propter id, quod acciderat, contristatum assimulans. Colligimus hinc autem tria, inter cætera, Ioãnem Baptistam capite mulctasse: nimirum adulterium, falsationem, & Iusiurandum. Quare si mentis iudicio valemus, tria hæc auersemur, vt quàm maximè; si non propter aliud, certè ne cum iis communicemus, culpæque obnoxij euadamus, qui mortis præcursoris auctores & causæ extitere. *Quo audito discipuli eius venerunt.* Hæc exponit, quò ostendat beneuolentiam, qua discipuli Ioannis, Magistrum prosequebãtur, per mortem illius extinctam non fuisse: sed vsque constantem, perseuerantémque constitisse.

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponens. in eodem festo, Homilia I.

Qvum sanctum Euangelium legeretur, crudele spectaculum ante oculos nostros constitutum est. Caput sancti Ioannis in disco feralia *Ser. 10 libr. vrq. Homil.*
missus crudelitatis propter odium veritatis, puella saltat, & sæuit mater, & inter lasciuias, & delicias conuiuantium temere iuratur, & impiè quod iuratur, impletur. Factum est Ioanni, quod ipse prædixerat. De domino enim Iesu Christo dixerat, Illum oportet crescere, me autem minui. Iste *Ioan. 3.* minutus est in capite, ille creuit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, quod homo Dei sanctus monebat, qui vtique salutem eorum quærebat, quos sic monebat: Responderunt illi mala pro bonis. Quid enim ille diceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi respõderent, nisi quo pleni erant? Ille triticum seminauit, sed spinas inuenit. Dicebat regi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Vincebat enim regem li- *Mar. 6*
bido, tenebat apud se prohibitam vxorem fratris sui. Sed eum tamen sic libebat, vt non sæuiret. Honorabat eum à quo verum audiebat, sed mulier detestabilia odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando parturiebat, peperit filiam, filiam saltantem. Et rex ille, qui sanctum virum habebat Ioãnem, qui eum propter dominum timebat, etsi ei nõ obediebat, posteaquam ab illo petitum est caput Ioannis in disco, contristatus est. Sed propter iurationem, & propter conrecumbentes misit spiculatorem, & impleuit quod iurauit. Admonet nos locus iste, charissimi, vt propter vitam, & mores vestros aliquid vobis de iuramento tractemus. Falsa iuratio, non est leue peccatum, immò tam magnum peccatum est falsum iurare, vt propter reatum falsæ iurationis dominus prohibuerit omnem iurationem. Ait enim: Dictum est, Non periurabis. *Matth. 5.*
Reddes autem domino iusiurandum tuum. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, neq; aliud quodcunque iuramentum, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes facere capillum album, aut nigrum. Sit autem in ore vestro est est, non nõ. Si quid amplius est, a malo est. Inuenimus autem in sanctis scripturis dominum iurasse, quando ei vsque ad immolationem dilecti filij obediuit Abraham. Locutus est ei angelus de cælo, Per *Gen. 22.*
memetipsum iuro dicit dominus, quia obaudisti vocem meam, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicens, benedicam te, & implebo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam maris. Et benedicentur in semine tuo omnes gẽtes.

tes. Quod videtis totum orbem terrarum Christianos implere, exhibet verax iuratio Dei. Itemq; in Psalmis de domino Iesu Christo prophetatum est, Psal. 109. Iurauit Dominus, & nō pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech. Qui nouerunt scripturas, sciunt quid protulerit Melchisedech sacerdos Dei excelsi, quādo benedixit Abraham. Non oportet vt hoc memoremus propter catechumenos. Fideles tamē agnoscunt quemadmodum ante prophetarū sit, quod modo videmus impleri. Et vnde hoc? Quia iurauit dominus. Et iurauit dominus, & non pœnitebit eum, non quomodo Herodem pœnituit, quia iurauerat. Quum ergo dominus iurauerit, quare dominus Christus suos iurare prohibuit? Dico quare: Non est peccatum verum iurare. Sed quia grāde peccatum est falsum iurare, longe est à peccato falsum iurandi, qui omnino non iurat. Propinquat falsæ iurationi, qui vel verum iurat. Dominus ergo, qui prohibuit iurare, supra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur, & cadas. Sed dominus iurauit, inquit. Securus iurat, qui mentiri nescit. Non te moueat, quia dominus iurauit, quia forte nō debet iurare nisi dominus. Tu enim, quando iuras, quid facis? Testem Deum adhibes. Tu ipsum ipse scipsum. Sed homo, quia in multis falleris, plerunque adhibes testem veritatem ad tuam falsitatem. Aliquando & nolens homo iurat, quum verum putat esse quod iurat. Non est quidem tantum peccatum, quantū eius, qui scit esse falsum, & tamen iurat. Quanto melior, & à peccato isto graui omnino longè fit qui audit dominum Christum, & non iurat. Scio graue esse consuetudini vestræ. Sed & graue fuit cōsuetudini nostræ. Timendo Deum, abstulimus iurationem de ore nostro. Ecce vobiscum viuimus. Quis nos audiuit aliquando iurantes? Nunquid non consueueram quotidie iurare? At vbi legi & timui, luctatus sum contra cōsuetudinem meam, in ipsa luctatione inuocaui dominum adiutorem. Præstitit mihi dominus adiutorium non iurandi. Nihil mihi facilius est, quam non iurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? O si Deus timeatur! ô si periuri expauescant! lingua frænatur, veritas tenetur, iuratio tollitur.

EIVSDEM IN EODEM
Homil. 2.

Serm. 11. libr. … Homil.

PRopter hunc locum, quem hodie audiuimus, cum Euangeliū recitaretur, dico charitati vestræ. Videtis miserum istum Herodem, Ioannem sanctum virum, & Dei hominē dilexisse. Sed quoniam temere iurauit, ebrius lætitia, & delectatione saltātis, daturū se promisit, quicquid illa puella, quæ saltando placuerat, poposcisset. At vbi poscit rem crudelem, & nefariam, contristatus est quidem. Videbat enim tantum scelus fieri, sed positus inter iurationem suam, & puellæ petitionem vbi videbat cruentum facinus, ibi rursus timebat reatum periurij. Ne Deū offenderet periurando, Deum offendit sæuiendo. Dicit mihi aliquis, Quid ergo debuit facere Herodes? Si dixero non debuit iurare. Quis non videat hoc eum non facere debuisse? Sed non consulor de homine, vtrum iurare debeat, sed quid facere debeat, qui iurauit: ipsa est magna deliberatio. Temere iurauit. Quis nesciat? Tamen lapsus est, iurauit. Ecce puella petiuit caput sancti Ioannis. Quid facere debuit Herodes? Demus illi consilium. Si dixerimus, Parce Ioāni, ne facias scelus, periurium suademus. Si dixerimus, noli periurare: ad scelus implendum prouocamus. Mala conditio, antequam veniatis ergo ad istum bicipitem laqueum, tollite de ore vestro temerarias iurationes: antequam veniatis ad istam consuetudinem malam, moneo fratres meos, moneo filios meos. Quid opus est, vt veniatis ad hunc articulum, vbi non possumus inuenire consilium? Tamen scripturis diligentius perscrutatis, occurrit mihi vnum exemplum, vbi video pium hominem, & sanctum in temerariam iurationem cecidisse, & maluisse non facere, quod iurauerat, quam iurationem suam, fuso hominis sanguine, implere. Commemoro ergo charitati vestræ, quando Saul sanctum Dauid persequebatur ingratus, ille cum suis ibat, quocunque poterat, ne inueniretur à Saule, & occideretur. Et quodam die ab homine diuite, qui vocabatur Nabal, 1.Reg.25. & tondebat oues suas, petiuit sustentaculum victus sibi, & eis, qui cum illo erant: immisericors dare noluit, & quod est grauius, contumeliosè respondit. Iurauit sanctus Dauid eum occisurum se esse. Erat enim armatus. Et quod facile fuerat, & iuste se facere ira persuadente videbatur, incautus iurationem fudit, & cœpit ire vt faceret quod iurauerat. Occurrit Abigail vxor Nabal, & tulit ei necessaria, quæ poposcerat. Suppliciter eū rogauit, flexit, & à mariti sanguine reuocauit: iurauit temere, sed non impleuit iurationem maiore pietate. Proinde, charissimi, iterum redeo ad monendos vos: Ecce sanctus Dauid, non quidem iratus, sanguinem hominis fudit, sed eum falsum iurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minus, sed minus fuit illud in comparatione maioris. Nam per seipsum appensum, magnum malum est falsa iuratio. Prius ergo laborare deberis, & confligere aduersus consuetudinem vestram malam, malam, malam, & valde malam, & tollere iurationem de oribus vestris. Si quis autem prouocauerit te ad iurationem, vt forte sic sibi æstimet satisfieri posse: si iuraueris de illa re, quam putat te commisisse, aut fecisse, & forsitan nō fecisti, ne remaneat in illo mala suspicio; si iuraueris tu, non sic peccas quo modo ille, qui te prouocauit: quia dixit dominus Iesus, Sit in ore vestro est est, non non. Si quid amplius est, à malo est. Loquebatur autem de iuratione, vbi nos intelligere voluit, ipsam iurationem à malo esse. Si ab alio prouocatus fueris, ab ipsius malo erit, quod iures, nō Matth.5. à tuo. Et hoc est prope à malo communi generis humani, quoniam corda nostra videre nō possumus. Nam, si corda nostra videremus, cui iuraremus? Quando à nobis exigeretur iuratio? Quando videretur oculis proximi ipsa cogitatio? Scribite in cordibus vestris quod dico, Ille autem, qui hominem prouocauit ad iurationem, & scit eum falsum esse iuraturum, vincit homicidā, quia homicida corpus occisurus est, ille animā, imò duas animas; & eius, quem iurare prouocauit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum esse, quod ille dicit, & iurare compellis? Ecce iurat, ecce peierat, ecce perit, tu quid inuenisti? Imò quia & tu peristi, qui de illius morte te satiare voluisti. Aliquid dicam, quod nunquam dixi charitati vestræ

in hoc populo, quod cõtigit in hac Ecclesia: Fuit hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis, à multis vestrum, id est, Hipponensibus, imò ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus: Tutuslymeni quis vestrum non nouit, qui estis ciues? Ab illo audiui quod dico, Nescio quis negauit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fidei se commisit. Commotus prouocauit eum ad iusiurandum, Iurauit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo grauis, & fidelis, ipsa nocte se exhibitum fuisse ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore se peruenisse ad præsidentem excelsum quendam, & admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, iussum fuisse perturbatum retro reuocari, & interrogatũ fuisse his verbis, Quare prouocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse iuraturum? Respondit ille, Negauit mihi rem meam. Respõsum est illi, Et nónne melius erat, vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam hominis istius falsa iuratione perimeres? Prostratus est, iussus est cædi. Cæsus est tam grauiter, vt in dorso euigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi: posteaquam emendatus est, Parcitur innocentiæ tuæ, de cætero caue ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, & emẽdatus est. Sed multo grauius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, & istam meam admonitionem, & exhortationem tale aliquid fecerit. Cauete à falsa iuratione, cauete à temeraria iuratione. Ab his duobus malis securissimi cauebitis, si consuetudinem iurandi à vobis abstuleritis.

S. FVLGENTII EPISC.

Ruspensis in eodem festo,

Sermo.

EVangelicæ lectionis, fratres, hodierna narratio, opportunam collationem sensibus nostris attribuit. Audiuimus vitiis obuiasse virtutes, cum Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, sancti vero Ioannis veneranda iustitia demonstrata est: intantum vt libenter susciperet mortẽ, nec videretur contemnere veritatẽ. Vide quę tria in vnam conuenerint causam. Mirandæ res, si rectè discusias grauitatem Prophetæ, luxuriem muliebrem, & Herodis sæuissimam feritatem. Dicite mihi quid habetis cum Ioãne Baptista Herodes, & Herodias: quos ad cõsortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu caditis in luxuriá, ita vno nomine suscipietis sententiam. Tenetis in carcerem iustum, quia vobis legaliter interdixit incestum: quasi possit veritas alligari. Et si omnia membra vinculorum nexibus astringat, sola lingua non potest custodiri: cui liberum est veritatem ab impiis contaminari. At inquies: Quare impedit desiderium nostrum? Ille potest desiderium impedire, cui licet in tempore flagitia remouere. Nunc vero cũ hoc tibi denuntiat Propheta, quia domini voluntati displiceat, nemo fere sapiens erubescit audire, quod non piguerit sine verecundia perpetrare. O humana dementia, vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Nunquid Propheta suo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res est extremæ dementiæ, odisse loquentem, nec metuere iudicantem: quasi idcirco iam non timeas iudicem reticendum, si præconem possis necare clamantem, de quo Esaias testatus est, dicẽs: Hic est vox clamãtis in Eremo: Parate vias domini & facite rectas semitas eius. Iam veniendum est ad passionis fastigium. Paratum est conuiuale theatrum: producitur lasciua carnifex fœmina, quæ prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidiũ peritura, & adultero placitura: alienum in pedibus portans sanguinem, & sceleris postulatura mercedem. Sic saltat vt placeat, sic placet vt occidat. Prò nefas, vt luxum corporis sui mulier periculum petat capitis alieni? Quid agimus Ioannes? quem non terruit vasta Eremi solitudo, terrebit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier peritura est. Sed melius est, inquit dominus, vt vnum ex membris tuis abscidas: quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas. Et iterum: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Ecce iam diabolo procurãte ludens cępit delectari puella, ad hoc solum vt possit occidere prophetam. Nescio quid habet muliebre semper nomen cum sanctis. Et Elias, in cuius spiritu venisse Ioannem testatus est dominus, Isabel reginam grauem passus est inimicam, quam dum fugit, totam vitã suam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium: vt viuus fugisset in cælum. Quocunque pacto persequitur mulier, si placeat, iugulat, si displiceat, peius excruciat: sed melius displicet cũ corporis morte, ne animę tollat quod maius est sanitatem. Quod iam dudũ dicere perhorresco, placuit & saltatrix: sed quid mirũ, si inter dapes largas, & poculorum frequẽtes procellas puella lasciuiens mulceat sensus, incliuet affectus? Vinum & saltatio duplex incendium voluptatis. Insuper offertur luxuria quodcunque poposcerit præmium statim esse donandum, etiam si dimidium regni fœmina petiisset, Salomone attestante, quia non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris: & iterum: Commorari leoni & Dracom placebit in eremo: quá habitare cum muliere nequam. Culmine igitur regni contempto, caput Ioannis petiuit in disco, plus odiens eum qui interdixit Incestum, quàm diligens eum qui promiserat regnum. Execratur magistrũ disciplinæ, præsumit de mercatore luxurię. O nequitia fœminæ, elegit cõtemnere honorem; vt lucrum faceret sanguinem! Vere quia nõ cogitat de imperio, cui charior est turpitudo. Recens exteri capitis sanguis fluebat in disco, ad pietatem prouocãs bonos, terrorem malis incutiens, hoc solum defuit scilicet regalibus mensis. Multorum credo iam capita piscium pecudúmque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Potuit hoc forsitan & priuata mensa cõspicere. Nihil actum, nihil denique procuratum esset, si defuisset regio prandio humano caput humanum. Et hoc nõ passim aut forte vulgare, sed de carcere ad mensam caput est allatum prophetale. Solent reges solennitatibus suis magnas & terrenas epulas quærere, Herodi cæpit & carcer delitias ministrare. Et ideo semper est Deo grata paupertas, cuius cibus nõ habet sanguinem, sed olusculum vile mansuetam supplet esuriem. Nam tribus pueris cibus, holus & legumina fuit. Alioquin nunquam vincerent flammas, si vellent

amare

amare delitias. Vere quia nescit quid agat impietas, cum eum quem odis plus honoras quam damnas, utique cum argéteo disco caput exhiberi iubes ad mensam, non est vt cedis memoria crudelitatis, sed illius iam monstratur decus honoris. Ita enim portabitur & ad cælum, vt inde tibi infensum iudicem excitet Deum, cui est gloria in seculorum secula.

PETRI CHRYSOLOGI *Episcopi Rauenens. de eodem Euang. Serm. 1.*

Est ex Ser. 127. Si iudicat mens oppressa crapulis, soluta vino, & toto quodammodo ebrietatis demersa naufragio. *Volo: vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Sed penitus germen capitis hominis petit, cui suum caput sententia principali seiebat addi-Genes. 3. ctum, dicente Deo; Ipse seruabit caput tuum, & tu illius obseruabis calcaneum. In longum nos trahit prolixitas lectionis, & satis in altum promouit loci ipsius immensa profunditas. Differamus hodie, quæ sequuntur, ne, dum sermo festinat ad finem, quæ sunt prolixè dicenda, transmittat. Id in clausula nostri commendamus eloquij, quod sine causa cucurrerit serpens: nam tota germina serpentis antiqui iste Ioannes noster interemit, & effusione sui sanguinis extinxit occisus.

EIVSDEM IN IDEM *de decollatione S. Ioannis Baptistæ, Serm. 2.*

Serm. 174. HErodianæ cœnæ cruentas epulas, cóniugium sic fœtale, tunc terra, tunc cælum, hodie mecum vester horruit, & expauit auditus. *Herodes,* inquit, *natalis sui cœnam fecit.* Bene cœ-ná, quia nó lucei, sed tenebris addictus est hie natalis, in quo noctis filius natus est, non diei. *Natalis sui,* inquit, *cœnam fecit principibus, tribunis, & primis Galilææ.* Quid egit incania. & cæca semper impietas? Omnes euocat potestates, vt non tam multos conuiuij sui socios, quàm innumeros, criminis sibi testes assumat, & tot habeat facinoris sui arbitros, quot habuit præsides disciplinæ. *Cumque intrasset filia ipsius Herodiadis, & saltasset,* inquit, *& placuisset Herodi.* Respondit suo turpi generi, dum Patri complacet turpiori: de adulterio námque non nisi turpis debuit procreari: quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disiúcta compage mébrorum, fluentibus ex arte visceribus, tota patri fieret deformitate formosior. Et re vera suam credidit tunc Herodes, cùm talem vidit: nam putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum perudisset. Serpens tunc latebat in fœmina, quç reptans gressibus flexuosis lethale toto corpore virus effudit: vt discumbentium mentes, furor venenum corpora sauciaret; homines verterétur in bestias, nec vino iam tales, sed sanguine potarentur; nec pane rabidi, sed carnibus vescerétur humanis. Tales vtique, tales reddidit, quibus, adhuc fumante sanguine, caput intulit tunc Ioannis: vt illud Psal-Psal. 78. mistæ canticum probaretur; Dederunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam. Ecce quid patitur totis noctibus protracta conuiuia: ecce quid generat, quod eum mensura emitur, & sine mensura bibitur vinum: ecce quo præcipitatur caro, cùm ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis! Rogo quid tantis eunctis arctatur? Sufficit infelix caro sibi suis casibus ad ruinam, attestante Propheta, cum dicit; Vt quid irruitis in ho- Psal. 61. minem, interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsç? Iacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiua, quæ, titillante luxuria, & non tam laudante, quàm illudente lasciuia, promitteret quicquid turpitudo peteret se daturam. *Pete à me, quod vis,* inquit, *& dabo tibi: & iurauit illi.* Iurat miser, dum, quicquid honestatis est, & virtutis, abiurat. *Pete à me, quod vis.* Quid peteret luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sibi semper contrariæ sanctitatis? *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Si caput viri est, iuxta Apostolum, Christus, iam tūc 1. Cor. 11. nouello ore antiquissimus serpens Christi domini tendebat ad mortem. *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Iam tunc auidus draco in serui capite domini degustabat sitiens passionem. *Volo, vt des mihi in disco.* Cur in disco, cur preciosè gestas, quem viliter occidis, nisi quia, Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius? Hoc ipsum, quod vis, Psal. 115. non agis, quomodo ipsa vis: quia agit te superna ratio aliter quàm vis: in illo quidem tunc ferali antro, non aula Regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cùm caput martyris vidit: totum suum sensit, cùm liquorem sacri sanguinis sitiens, aspexit: ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur absorbere. Sed Ioannes venit in sublimi positus, vt lucerna super candelabrum, tenebras vt fugaret, dicente Domino, Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ve- Ioan. 5. nit Ioannes, vt iudex in tribunali resplendens, vt qui arguit adulterium, exponeret, & damnaret homicidam: & qui piè viuens incestum vocarat ad pœnitentiam, reseruauerat ad veniam, homicidium etiam damnatet occisus. Quam, quæso, meretur veniam, qui in morte Ioannis ipsam pœnitentiam tam crudeliter interemit? Gratis eucuristis Herodes, Herodias; nomina nó affectione sociata, sed crimine; quæ vocem intercipi posse stultissimè credidistis. Ego sum, inquit, vox cla- Esai. 1. mantis in deserto. Vox occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporeis absoluta. Sic vox Abel in suo iam effusa sanguine magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cælum. Sic nunc Genes. 4. Ioannes toto orbe clamat, totis seculis facinus vestrum conctis refert, & ostentat in gétibus. Ecce Ioánes Christi capite gloriatur, qui capite putabatur* addictus. Ecce eo die, quo tu finisti * forte, vestituum, ille sibi natalem cæli conquisiuit: quia, tum, vel aliquando tuus ortus mersit in finem, tunc illius quid simile. finis ortus est in natalem. Iustus enim tunc inchoat viuere, cum pro Christo meretur occidi: transfertur ista morte vita martyris, non aufertur, morte magis clarutt, qui ob hoc mortuus est, vt viueret in æternum. Ecce tu iaces in morte; Ioannes viuit occisus. Tu fucatam muriee purpuram perdidisti; Ioannes cruore suo fulgéti purpura semper gloriatur indutus. Tui conuiuæ nunc participes efficiútur in pœnis; Ioánes cælesti mésa cú choris vescitur Angelorú. Ille audit cæleste iugiter symphoniam; tu audis inferni semper gemitú, & stridoré. Ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in precium; túe regno, nune

præmiis cælestibus honoratur; tu mercedem sententiæ tuæ cum tua filia in tartaro percepisti. Vestimentum Ioseph, cùm adulteram fugeret: dereliquit; Ioannes, ne videret adulteram, ipsum proiecit & corpus. Ioseph, ne adulterium faceret, libens carcerem suscepit; Ioannes vt argueret adulterium, eremum carcere cõmutauit. Ioseph, somnia dum reuelat, euasit ex morte; Ioannes, vt Dei filium reuelaret, suscepit & mortem. Ioseph, dum panem præparat temporalem, ex auro torques meruit, & honorem; Ioannes, vt ostenderet cælestem credentibus panem, martyrij torquem meruit ex cruore. Meritò in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes: qui non solum adulteras arguit, sed & licita mulierum consortia virginitatis amore calcauit. Et, si Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non euasit; quis est, qui inter fœminas viuens, euasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is, qui sancto alitur spiritu? Qui cũ genitore, natóque vnà cuncta disponit sæcula per æuum omnia spatia.

Genes. 39

Matth. 11.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex comment. in Marcum.

Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, &c. Verus narrat historia, Philippum Herodis maioris filium, sub quo dominus fugit in Ægyptum, fratrem eius Herodis sub quo passus est Christus, duxisse vxorem Herodiadem filiam regis Aretæ. Postea vero socerũ eius, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, & in dolorẽ mariti prioris inimici eius nuptiis copulasse. Quis sit autem hic Philippus, Euãgelista Lucas plenius docet. Anno decimoquinto imperij Tyberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis. Ergo Ioannes Baptista, qui venit in spiritu, & virtute Heliæ, eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat, & Iezabel, arguit Herodem, & Herodiadem, quòd illicitas nuptias fecerint, & non liceat, fratre viuente germano, illius vxorem ducere, mallẽs periclitari apud regem, quàm propter adulationem esse immemor præceptorum Dei. *Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cænam fecit principibus, &c.* Soli mortalium Herodes, & Pharao legũtur diem natalis sui gaudiis festiuis celebrasse: sed vterque Rex infausto auspicio festiuitatem suam sanguine fœdauit. Verum Herodes tantò maiore impietate, quanto sanctum, & innocentem doctorem veritatis, & præconem vitæ, ac regni cælestis occidit, & hoc pro voto, ac petitione saltatricis, neque eum caput occisi ante cõuiuas inferre puduit. Nam Pharao nihil talis vesaniæ commisisse legitur, sed tantum peccantem sibi Eunuchum vita priuari iubens, quo longius à verę cultu religionis aberat, eo leuius in violatione suæ festiuitatis deliquit. Attamẽ ex vtriusque exemplo probatur vtilius esse nobis diem mortis futuræ timendo, & caste agendo sæpius in memoriam reuocare, quam diem natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, & electi ad requiem per mortem transeunt è mundo. *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, &c.* Non excusatur Herodes, quòd inuitus, & nolens propter iuramentum homicidium fecerit, quia ad hoc forte iurauit, vt futuræ * occisioni machinas præpararet. Alioquin, si ob iusiurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? Quod in se ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit & in propheta. *Quæ cum exisset, dixit matri suæ. Quid petam? Et illa dixit Caput Ioannis Baptistæ, &c.* Herodias timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio soluerentur, monet filiam, vt in ipso statim cõuiuio caput Ioannis postulet, digno operi saltationis, dignum sanguinis præmium. *Et contristatus est rex, propter iusiurãdum, &c.* Consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorũ sic narret historicus, quomodo eo tẽpore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa quoq; Maria appellatur pater Iesu: ita & nũc Herodes dicitur cõtristatus, quia hoc discũbentes putabãt. Dissimulator enim mentis suæ, & artifex homicida, tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mẽte. Scelúsque excusat iuramẽto, vt sub occasione pietatis, impius fieret. Quod autem subiicit, *Et propter simul recumbentes*, vult omnes sceleris sui esse consortes, vt in luxurioso, impuróque cõuiuio, cruentæ epulæ deferrẽtur. *Et attulit caput eius in disco, &c.* Hoc iuxta literam factũ sit: nos autem vsque hodie cernimus in capite Ioannis prophetæ, Iudęos Christum, qui caput prophetarum est, perdidisse. Aliter. Decollatio Ioannis minorationem famæ illius, qua Christus à populo credebatur, insinuat, sicut exaltatio in cruce Domini Saluatoris, profectum designabat fidei, quia ipse prius à turbis propheta esse putabatur, Dominus prophetarum, & Christus Dei filius à cunctis fidelibus est agnitus. Minutus ergo capite Ioannes: exaltatus est in cruce Dominus: quia, sicut idem Ioannes ait, illũ oportebat crescere, Ioannem autem minui. Illum autem, qui propheta æstimabatur, Christum cognosci, & eum, qui Christus pro virtutum sublimitate putabatur, Christi esse prophetam, & præcursorem decebat intelligi. Quod ipsum quoque distinctione temporis, quo vterque illorum natus est, satis aperte signatum est: quia Ioannes quidem, quem oportebat minui, cum diurnum lumẽ decrescere incipit, natus est. Dominus autem, qui vera lux mundi est, eo anni tempore, quo dies crescere incipit, lucisflua nobis suæ dona natiuitatis exhibuit. *Quo audito, discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.* Narrat Iosephus vinctum Ioannem in castellum Macheronta abductum, ibique truncatum. Narrat historia ecclesiastica sepultum eum in Sebaste vrbe Palæstinæ, quæ quondam Samaria dicta est. At tempore Iuliani principis inuidentes Christianis, qui sepulchrum eius pia sollicitudine frequentabant, paganos inuasisse monumentum, ossa dispersisse per campos, & rursum collecta igni cremasse, ac denuo dispersisse per agros. Affuisse tunc temporis ibidem de Hierosolymis monachos, qui mixti paganis ossa legentibus maximam eorum partem congregauerunt, & ad patrem suum Philippum Hierosolymam detulerunt. Et ille misit ea beato Athanasio Alexandriæ episcopo, ibique seruata vsque ad tempora Theophili eiusdem vrbis episcopi, quando, iubente Theodosio Principe, omnia

** occasioni.*

Vides antiquitus Christianos sanctorum sepulchra veneratos esse, eorum reliquias magna cum religione seruasse.

nia gentium fana destructa sunt. Tunc expurgato à sordibus templo Serapis, ibidem illata, & basilicam pro ædicula Serapis in honorem sancti Ioannis esse consecratam. Lege vndecimum historiæ ecclesiasticæ librum.

EIVSDEM DE EODEM

Homil.

NAtalē, fratres charissimi, beati Ioannis diem celebrantes oportet, vt non solum constantiā passionis illius pia deuotione recolamus, sed et & eorū à quibus passus est, malitiā nobis in arma vertamus salutis. Tunc etenim scripturis sanctis vtiliter animū intendimus, cum non solum in eis virtutes ac præmia iustorum, verumetiam vitia vindictámque reproborum ad incitamentum nobis bene agendi proponimus. Hoc siquidem & ipsius Domini docemur exemplo, qui vt humanę superbiæ ceruicem frangat, ac sublime nobis humilitatis iugum imponat, non suæ tantum humilitatis formam quam sequamur insinuat, dicens, Matth. 11. Luc. 10. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, sed etiam angelicæ superbiæ deiectionem, quam caueamus ad memoriam nobis reuocat, dicens, Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem, quatenus non solo nos suæ diuinæ bonitatis, sed dæmoniacæ prauitatis exemplo ad obseruantiam summæ virtutis accendat. *Audiuit ergo Herodes Tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Qui bene intellexit mortuum posse hominem resuscitari ad vitam, bene de resurrectionis gloria sensit, qui iustos post resurrectioné maioris potentiæ quàm mortalis fragilitas capit futuros esse perspexit: sed misere desipuit, qui quod de homine puro sponte credere potuit, hoc de Deo homine credere tot miraculis attestantibus, tantis prædicatorum præconiis consonantibus, nulla ratione consensit. Quare hoc, fratres charissimi, nisi vt nos aperte intelligamus, non incredibile resurrectionis miraculum, sed prauorum animos à credendi gratis peccatis obstantibus esse præpeditos, maiorésque illi gratias referamus, qui nostris cordibus ablato erroris velamine lucem veritatis aperire dignatus est. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam.* Impletum (Luc. 1.) videmus in Ioanne, quod de illo angelus Zachariæ priusquam nasceretur prædixit, quia præcederet ante Dominum in spiritu & virtute Helię. Ambo namque continenter viuentes, ambo habitu inculti, ambo in solitudine degentes, ambo præcones veritatis, ambo regis & reginæ persecutionem propter iustitiam perpessi sunt, ille Achab (3. Reg. 19. 4. Reg. 2.) & Iezabel, iste Herodis & Herodiadis. Ille ne ab impiis occideretur, igneo curru est raptus in cælum: iste ne ab impiis vinceretur, perfecto martyrij certamine spiritu cælestia regna petiuit, angelorum vtique subuectus auxilio, de quibus scriptum (Psal. 67. Psal. 103.) est: Currus Dei decem milia multiplex milia lætantium, Dominus in illis. Et iterum: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos igné vrentem. Sed quærit forte aliquis, quis sit iste Herodes, quive frater eius, quæ etiam Herodias, de quibus sermo est. Herodes iste qui & Ioannem decollauit, & in passionem redemptoris nostri Pilato assensum præbuit, filius est Herodis illius, sub quo Dominus natus est. Qui cum post natiuitatem dominicam pauco tempore regnaret, sicut euangelica testatur historia, Archelaus eius filius successit in regnum. (Matth. 2.) Quo cum vix decem annis potiretur, accusantibus insolentiam eius Iudæis, pulsus est regno ab Augusto, ac perpetuo damnatus exilio. Deinde Augustus vt regni Iudaici minueret potentiam, diuisa in quatuor partes prouincia, quatuor fratres Archelai eidem regendæ præfecit, qui singuli à principatu quartæ partis Græco sermone sunt tetrarchæ vocati. E quibus Philippus Herodiadem filiam Arethæ regis Arabum acceperat vxorem, quam idem Aretha post modum ablatam ab eo dedit Herodi, eo quod ipse esset maioris potestatis & famę, factúmque est adulterium publicum. Sicut perfidis causa est pereundi, ita fidelissimo præconi nostræ redemptionis materia triūphandi, qui prohibendo regis iniusti scelera, morte quidem iniusta meruit plecti, sed post mortis gustum à rege iustitiæ cui testimonium perhibebat, iustam vitæ perennis coronam accepit: Dicebat ergo illi Ioannes: *Non licet tibi habere eam. Et volens*, inquit, *illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.* Non populus tantum, sed ipse etiam Herodes Ioannem sicut prophetam habebat, teste euangelista Marco, qui (Marc. 6.) dicit: Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sed vicit amor mulieris, eúmque in illum quem sanctum esse nouerat, & iustum, manus mittere coegit. Qui quoniam noluit cohibere luxuriam, ad homicidij reatum prolapsus est, minúsque illi peccatum maioris erat causa peccati, cui districto Dei iudicio contigit, vt propter appetitum adulteræ quam detestādam sciebat, sanguinem funderet prophetæ, quem Deo acceptum esse cognouerat. Hæc namque est illa diuini dispensatio examinis, de qua dicitur: Qui nocet, (Apoc. 22.) noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. At contra quod sequitur, Et sanctus sanctificetur adhuc, ad beati Ioannis personam conuenienter aptatur, qui sanctus existens sanctificabatur adhuc, dum per officiū euangelizandi ad martyrij palmam peruenit. *Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo.* Tria pariter impiorum scelera audiuimus celebrationem natalis infaustam, saltationem puellæ lasciuam, iuramentum regis temerarium. Quibus singulis oportet nos, ne talia geramus instrui. Non enim festis diem nostri natalis in memoriam reuocare, nō vllum tempus illecebris indulgere carnalibus, sed diem potius exitus nostri demus lachrymis, precibus, crebrisq; præuenire ieiuniis. Hinc etenim vir sapiens admonet, (Eccl. 7.) dicens in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sed nec membra nostra, quæ iam Domino cōsecrata sunt, lusibus atque ineptis dare motibus decet. Dicit namque Apostolus: Nescitis quoniam corpora (1. Cor. 6.) vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. (Rom. 12.) Vnde & alibi obsecrat per misericordiam Dei, vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem. Quantum vero temeri-

tatem iurandi vitare debeamus, & ipse in euangelio Dominus, & Iacobus in epistola sua docet, (*Matth. 5. Iacob. 5.*) dicens: Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est est, non non, vt non sub iudicio decidatis, illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel ob periurium cauendum aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid incautius forte nos iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum, libere illud cōsilio salubriore mutandū nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quā pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per dominum occidere Nabal virum stultum, & impiū, (*1. Reg. 25.*) atque omnia quæ ad illum pertinent demoliri, sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio cōtraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici quodcunque postulasset ab eo, & ne periurus diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum prophetæ mortem saltationis præmium fecit. Non solum in iurando, sed in omni quod agimus, hæc est moderatio solertius obseruanda, vt si talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidijs, ex quo sine aliqua peccati contagio surgere non possimus, illum potius euadendi aditum petamus in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus, iuxta exemplum eorum qui hostilibus clausi muris, dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentes incurrant. Sequitur: *At illa præmonita à matre sua, da mihi*, inquit, *hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex.* Tristitia regis non absolutio est, sed confessio sceleris. Hæc etenim est superni iustitia iudicij, vt plerunque reprobi & agnoscant se & fateantur errasse, certámque erroris sui pœnitudinem gerant, nec tamen ab errore quiescāt, quatenus eadem confessione ac pœnitentia contra se ipsi testimonium dent: quia non nescij delinquunt dum à peccato quod culpant prohibere detrectant, eóque iustius pereant, quo foueam perditionis quam præuidere valuerant, declinare neglexerant. Talis quippe est tristitia Herodis, (*Exod. 9.*) qualis pœnitentia Pharaonis, & Iudæ: quorum (*Matth. 27.*) quisque facinora sua postquàm accusante con- (*Act. 1.*) scientia inuitus prodidit, vecors augmentauit. Itaque Herodes caput Ioannis petitus, tristitiam quidem prætendebat in vultu qua se ipse damnaret, ostendendo cunctis liquide, quia insontem & sanctum nouerat quem erat neci daturus. Verum si diligentius cor nefandum inspicimus, lætabatur occulte, quod ea petebantur quæ & antea facere si excusabiliter posset, disponebat. Qui si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium, quoniam illud dare veraciter tristis abnueret. *Propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iussit dari: misitque, & decollauit Ioannem in carcere, & allatum est caput eius in disco.* Indignum quidem natali suo rex spectaculum præbuit, qui conuocatis ad epulas principibus, tribunis, ac ducibus gentis, spectandum in disco caput occisi protulit. Indigni æque conuiuæ, an potius inuitatori suo condigni, è quibus nullus inuentus est, qui hominem inter festa discumbentium puniri, qui ab adulteris iustum, qui iudicem à reis capite plecti vetaret: præsertim cum rex assumpta specie mœstitiæ, coactum se hoc facere protestaretur, essétque opportunum quo hortatu conuiuantium à promisso scelere reuocari deberet, si non illum hæc de industria præstruxisse cognoscerent, imò ipsos quoque par eiusdem sceleris amor irretiret. Sed dignam supernis aspectibus (*Sapien. 3.*) virtutum suus certaminis beatus præcursor dominicæ natiuitatis, prædicationis & mortis ostēdit, qui vt scriptura ait, & si coram hominibus tormenta passus est, spes illius immortalitate plena est. Cuius diem natalis merito festa celebritate repetimus, quem ipse propria passione nobis solennem reddidit, quem roseo sanguinis sui fulgore decorauit: merito memoriam illius cum spiritali gaudio veneramur, qui testimonium, quod domino perhibuit, martyrij signaculo conclusit. Neque enim dubitandum est, quia beatus Ioannes pro redemptoris nostri, quem præcurrebat, testimonio carcerem & vincula sustinuit, & pro ipso animā posuit. Cui non est dictum à persecutore, vt Christum negaret, sed vt veritatem reticeret, & tamen pro Christo occubuit. Quia enim (*Ioan. 14.*) Christus ipse ait, Ego sum veritas, ideo vtique pro Christo, quia pro veritate sanguinem fudit: & cui nasciturо, prædicaturo, baptizaturo, prius nascendo, prædicando ac baptizando testimonium (*Hebr. 13.*) perhibeat, hunc etiam passurum prior ipse patiendo signauit. Quorum tamen passiones diuerso ordine consummari, certa supernæ prouisionis dispensatione gestum est: vt videlicet redemptor noster extra portam ciuitatis cuncto assistente populo subleuaretur in crucem: præcursor vero eius collectis in domum conuiuij magistratibus atque optimatibus plebis, misso tantum spiculatore, in abdito carceris capite truncaretur. Et quidem congruum videbatur, vt mysterium dominicæ crucis crucifixus præfiguraret Ioannes: sed quia idem Ioannes testimonium domino perhibens aiebat, Illum oportet crescere, me autem minui, hoc est, illum quem (*Ioan. 3.*) prophetam magnū esse miramini, Christum dominum, ac Deum verum oportet intelligi: me autem quem Christum esse arbitramini, non Christum, sed esse prophetam Christi patebit, disparem vtriusque qualitatem, dispar modus passionis insinuat, non in carnificum potestate constitutus, sed cælesti ratione prouisus. Quia enim iterū dicit idem Ioannes, Qui est de terra, de terra est, & de (*Ibidem.*) terra loquitur: qui autem de cælo venit, super omnes est, præfatam minorationem eius qui de terra est, decollatio illa in carcere & in obscuro patrata capitis ablatio designat. Porrò crementum eius qui de cælo venit, & supra omnes est, illa in cruce exaltatio quæ sub diuo & omni spectante populo facta est, aperte denunciat. Exaltatus quippe in cruce, caput erectum ad cælos tenuit, manus super terras ad aquilonem terēdit, & austrum, vt & cæli se esse dominum & vniuersam terram, omnésque potestates aereas suæ ditioni subditas, ipso etiam corporis situ figuraret. Infima crucis ipsius terræ abdita penetrabant, vt infernorum regnum passione illius transfixum ac destructum esse signaretur. Regem hunc esse credendum scripto in cruce titulo astantes, Hebræi, Græci, & Romani

lege

legebant, vt videlicet eius imperium appareret per omnes gentes esse dilatandum. Quæ cuncta Apostolus breuiter vna sententia complectitur, dicens: Factus est obediẽs vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Decollato autẽ Ioanne, & allato capite eius in disco, sequitur: *Et datum est puellæ, & detulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud.* Et hoc ad minorationem præcursoris domini pertinet, quod corpus eius sepulturæ absque capite datur. Nanque vt in ecclesiasticis inuenimus historiis, corpus eius in ciuitate Samariæ, quę nunc Sebaste vocatur, caput autem in Hierosolymis humatum est: decollatus vero est in castello quodã Arabiæ, quod Macherunta nominant. In quibus videlicet historiis hoc quoque reperimus, quod caput eius sanctissimum longo post decollationem tempore ab ipso reuelatum sit duobus monachis orientalibus, qui orationis gratia venerant Hierosolymã, atque inde in Edessam Phœnicię ciuitatem perlatum, debito fidelium sit honore frequentatum. At vero ossa eius tempore procedente de Samaria Hierosolymã translata, ac mox Alexandriã missa, nunc ibidem in ecclesia quæ nominis ipsius est honore consecrata, seruantur. Quod diuina prouidentia constat actum, vt scilicet per plura loca deportatis beati martyris reliquiis, plura virtutũ signa fierent, plurésque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem ac dilectionem eius quem prædicabat confluerent. Inter hæc sane considerandum est, & attentius memoriæ commendandum, quomodo omnipotens Deus electos, dilectósque suos famulos quos ad vitam, regnúmque prædestinauit æternum in tãtum in hac vita prauorum patitur persecutione conteri, tot ac tantis pœnarum mortiúmque generibus consumi, quatenus perspectis perfectorum virorum passionibus, minus de his quæ nobis forte aduersa contigerint doleamus, ac potius discamus omne gaudium existimare, cum in tentationes varias inciderimus: memoria retinentes, quia quem diligit dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Nam & si principali sententia constat, quia in multis offendimus omnes, quis tamẽ nostrum dicere audeat, beatum Ioannem in actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccasse? cuius austeritatem indumẽti, cuius parsimoniam alimenti euangelica laudat historia, cuius omne quod loquitur aut veritati testimoniũ reddit, aut eos qui contradicũt redarguit, cuius opera iustitiæ etiam qui non amabant, venerationi habebant? Quis in eis præcordiis peccato poterat esse locus, quæ & ante natiuitatem spiritus sancti consecrauit aduentus? Quando saltem humanæ conuersationis intuitu valuit à virtutis via vel ad modicum deflecti, qui totam ab ineunte pueritia vitam solitarius peregit? Et tamen talis ac tantus vir præsentis vitæ terminum post longam vinculorum afflictionem sanguinis effusionem suscepit. Ille, qui libertatem supernæ pacis euangelizabat, ab impiis in vincula conijcitur: clauditur obscuritate carceris, qui venit testimonium perhibere de lumine: quique ab ipsa luce, quæ Christus est, lucerna ardens & lucens appellari meruit, quo in natis mulierum maior nemo est, ad petitionem mulierum turpissimarum capite plectitur: & ipse proprio cruore baptizatur, cui redemptorem mundi baptizare, cui vocem patris super illum audire, cui spiritus sancti gratiam in eum descendentis videre donatum est. Sed non erat graue, imò leue, ac desiderabile erat talibus tormenta pro veritate temporalia perpeti, quæ perpetuis nouerant remuneranda gaudiis. Optabile habebat mortem, quæ naturæ necessitate ineuitabilis imminebat, confesso Christi nomine cum palma vitæ perennis excipere. Vnde bene dicit Apostolus: Quia nobis donatum est à Christo, non solum vt in eo credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Qui ideo donum esse dicit Christi, vt pro illo patiantur electi, quia sicut idem dicit, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuẽturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. Cum ergo tam eximios regni cælestis hæredes tanta in huius exilio mortalitatis pati viderimus, quid nobis inter hęc, fratres charissimi, restat agendum, nisi vt tanto magis humiliemur in conspectu pij conditoris & redemptoris nostri, quãto nos patentet animaduertimus eos, nec vitæ imitatione sequi posse, nec mortis. Itaque iuxta vocem primi pastoris, humiliemur sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis: humiliemur cum Ioanne, ieiunemus, & obsecrationes faciamus assiduas: exultemus minui coram hominibus, exerceamur & deficiat paulisper spiritus noster vtique, id est, carnalis & superbus, qui solebat inflari, vt bonæ actionis profectibus ante illum crescere, & cum illo exaltari valeamus, qui de cælo ad terras venire dignatus est, vt nos qui de terra sumus, subleuaret ad cælos Iesus Christus dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Philip. 2. | Iosephus lib. 18. antiquitatum cap. 9. & Ruffinus lib. 1. ecclesiasticæ ca. 13. | Euseb. lib. 11. ecclesiast. historiæ cap. 28. & Cassiod. in 9. tripartitæ historiæ cap. 43. | Iacob. 1. Hebr. 12. Iaco. 3. | Matth. 11. Marc. 1. Luc. 7. | Ioan. 5. Matth. 11. Luc. 7. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. | Philip. 1. | Rom. 8. | 1. Petr. 5.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberst. superiorũ Euang. Homilia.

M*isit Herodes & tenuit Ioannem, & alligauit eum in carcerem, &c.* Ex occasione commemorationis Ioannis inserit Euangelista qualiter idem præcursor passionem sustinuerit. Vetus enim narrat historia Philippum istius Herodis fratrem, filium autem maioris Herodis sub quo Dominus natus est, duxisse in coniugium filiam Arethæ Regis Arabum, sed postea quibusdam simultatibus, & discordiis inter Philippum & Arethem ortis, abstulit ab eo filiam suam, & dedit Herodi adhuc viuente Philippo fratre eius. Ergo Ioannes qui in spiritu Heliæ erat eadem authoritate qua Helias, Achab & Iesabel pro fornicatione, eadem ipse authoritate fultus, corripuit Herodem & Herodiadem, mallens pro veritate periculum subire, quàm ipsius veritatis notitiam reiicere. Ipse autem est Philippus de quo legimus in Euangelio secundum Lucam 3, Anno 15. imperij Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autẽ Galileę Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Traconitidis. Maior enim Herodes sub quo Dominus natus est, qui & infantes occidit, legitur quatuor filios habuisse. Sed illo mortuo, successit Archelaus in

principatum. Quo accusato apud Tiberium propter insolentiam morum, exilio apud Viennem Ciuitatem Galliarum deputatus periit. Augustus autem, vt infirmius faceret Regnum Iudæorum, diuisit Imperium in quatuor Tetrarchas, id est, in quatuor Principatus, & quartã partem dedit singulis filiis Herodis. Potestatem autẽ quæ erat Iudeæ, quartã dedit Pontio Pilato. Iste est Philippus filius Herodis, cuius vxorem Herodes duxerat. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam; subauditur fratre tuo viuente, mortuo autem fratre, concedebatur in lege fratre defuncto vxorem illius accipere. *Et volens illum occidere timuit populum, &c.* Non solum Herodes, sed etiam omnis populus Ioannem sicut Prophetam habebant. Quod Marcus Euangelista plenius manifestat dicens: Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & Sanctum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sed qui in causis plus homines, quàm Deum timet, facilè labitur: quia enim Herodes amorem adulteræ mulieris prætulerit amori præcursoris Domini, diuino iudicio & permittente Deo de peccato fornicationis & adulterij, peruenit ad peccatum homicidij, vt adimpleretur in eo quod Ioannes dicit: Apocalyp. 22. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: cùm enim Herodes esset in sordibus, in peccatis præteritis adhuc sorduit, cùm manus in præcursorem Domini ad interficiendum misit. Quod verò subsequutus est: Et qui sanctus est sanctificetur adhuc, in Ioanne adimpletum est: qui quum esset sanctus præteritæ conuersationis longinquitate, sanctior effectus est perfusus proprio sanguinis cruore. *Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi, &c.* In tota serie veteris testamenti solos istos duos, Herodem videlicet, & Pharaonem legimus diem natalis sui gaudiis celebrasse. Sed vterque eorum epulas natiuitatis suę ministerio infausto officio fędauerũt. Herodes præcursorem Domini interficiendo, Pharao ministrum suum patibulo suspendendo. Sed tantò iste amplius peccauit, quantò magis maiorem cognitionem Dei habens, præcursorem & Baptistam Domini interfecit. Ex qua re datur nobis intelligi: quia vnusquisque diem mortis suæ cum lachrymis, & fletu debet expectare, quàm diem natiuitatis votiuis gaudiis recolere. Quia homo ad laborem nascitur in mundo, & electi ad gloriam per mortem transeunt ex hoc mundo. *Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcũque postulasset ab eo.* Non excusatur Herodes quod iuramento cõstrictus necem præcursori Domini inferret. Forsitam enim hoc iurauerat, vt occasionem futuræ malitiæ præpararet, quin potius si peteretur à puella caput patris, vel matris nulli dubium est, quod non erat ei daturus. Sed quod repudiaturus erat in illis, sine dubio debuit repudiare, & in præcursore Domini. *At illa præmonita puella à matre sua da mihi*, inquit, *in disco caput Ioannis Baptistæ.* Metuens Herodias ne illicitæ nuptiæ soluerentur prædicatione Ioannis, & Herodes monitis illius acquiesceret, petiuit, vt illa lingua sua, suis manibus traderetur, quæ f[illegible]s illicitum prohibebat, sciens se licitè optato coniugio postmodum frui. *Et contristatus est rex.* Consuetudo est eorum qui historias scribunt, vt quomodo rex tũc temporis apud homines putabatur, ita etiam sua narratione inserant. Sicut sæpe legimus ab euãgelistis Ioseph patrem domini appellari, non quia sic erat, sed quia sic putabatur. Sic Matth. Euangel. dicit contristatum Herodem, quia sic putabant illi qui cum eo vescebantur. Tamen ille rex vt erat perfidus, & omni caliditate fraudulentus, cum tristitiam perferret in vultu, lætitiam tamen in corde tenebat, gaudens se occasionem inuenisse patrandi quod diu deliberauerat. *Misitque & decollauit Ioannem in carcere.* In hoc loco datur intelligi, quia inculpabiles non sunt conuiuæ Herodis de morte Ioannis Baptistæ. Si enim regem impiissimum prohibere voluissent, à scelere nequaquam in conuiuio caput abscissum Ioannis ferre præcepisset. Nunc autem consortes eiusdem sceleris extiterunt, vt omnium epulæ præcursoris sanguine fœdarentur. Allegoricè in decollatione Ioannis minorationem famæ illius significat, quia Christus credebatur. In exaltatione Christi in cruce diffamationem illius significat, quia is, qui tãtummodo propheta putabatur, Christus & dominus totius orbis esse innotuit. Caput Ioannis Christum significat, quia per corpus illius prophetæ intelliguntur. In decollatione Ioannis, figuratur quòd Iudæi Christum, qui est caput omnium prophetarum, amissuri erant. *Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & tulit matri suæ.* Allegoricè puella significat ecclesiam ex gentibus, mater eius synagogam. Non enim semper bonis boni figurantur, nec malis mali, sed aliquãdo boni malis, & mali bonis. Vndè & in libris patrum legimus in Dauid Christum figurari, qui Vriam occidit, & vxorem eius abstulit. Et in Vria viro sancto & innocenti diabolus intelligitur, quum potiùs congruum esset, vt per Dauid contraria fortitudo intelligeretur, & per Vriam Christus. Si enim semper boni bonis figurarentur, nunquam liceret nomen Christi, nisi aureis scribi literis. Et si semper mali malis figurarentur, nunquam nomen diaboli liceret nisi teterrimo fuco depingi. Sic per adulteram synagoga, & lasciuam puellam Ecclesia intelligitur. Caput ergo Ioannis puella susceptum matri suæ dedit, quia videlicet ecclesia gentium quæ modò Christi fidem & operationem habet, eandem fidem circa finem seculi Ecclesia largitura est synagogæ. *Et accedentes discipuli Ioannis tulerunt corpus eius, &c.* Et sepultura Ioannis abolitionem legis signat, sepulto Ioanne Christus prædicabat: quia lex finem accepit, & euangeliũ in toto mundo prædicari cœpit.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioru Euang. expositio.

MIsit Herodes, &c. Interserit hoc loco Marcus narrationem de morte Ioannis Baptistæ occasione sumpta. Dicunt autem quidam quod Herodes rapuerit Herodiadem, viuente Philippo: & quod reprehensus fuerit vt præuaricator, qui abduxerit viuentis fratris vxorem. Alij autem quod mortuus quidem fuerit Philippus, reliquerit autem filiolam, & quum filiolam reliquerit, non debebat Herodes vxorẽ fratris ducere, etiam post mortem, Lex enim iubebat tunc fratrem fratris ducere vxorem, quum non superesset puer,


nunc

nunc autem illi erat filia, illegitimæ igitur erant nuptiæ. Vide autem quid faciat amoris rabies, & quantum valeat. Ecce enim Herodes Ioannem quem in tanto honore & reuerentia obseruabat, vt libidini satisfaciat, côtemnit. *Et cum dies opportunus accidisset.* Mira collusio. Saltat per puellam diabolus, fit iusiurandum impium,& nepharium, immo stultum. Nequam autem mulier dicit; Da mihi protinus,hoc est,statim, hac hora. Insipiens vero, amore captus Herodes iusiurandum implet, & iustum propter illud occidit. Oportebat hic periurium fieri, & non tam abominabile facinus perpetrare. Non enim vbique honestum est seruare, quod iuraris. Spiculator miles carnifex est, deputatus in hoc vt occidat. Cadauer, id est, corpus. Postquã enim detrūcatum est caput, corpus,quod decidit, cadauer dicitur. Accipere hæc potes & spiritualiter. Herodes enim dicitur populus pelliceus Iudæorum. Duxit autem vxorem, vanam, & emeritam gloriam, cuius filia adhuc saltat, & tripudiat apud Iudæos, nempe scripturarum cognitio, qua seducuntur. Videntur enim sibi cognoscere scripturas: veruntamen non sic haberes. Nam Ioannem detruncarunt, hoc est, propheticū sermonem, & absque capite, hoc est, Christum illum habent.

IN NATIVITATE BEATAE MARIAE VIRG.

MATTH. I.

a Liber, apotheca gratiæ in qua omnis anima, quod necesse habet inueniat. b Saluatoris non perditaris. c Coi promissum est: in semine tuo be. om. gen. & Christus est semen illud in hoc gentes quærunt benedici.



a IBER generationis b Iesu Christi filij Dauid, filij c Abraham:

d Fides. e Spes. f Spes. g Charitas.

d Abraham genuit e Isaac: f Isaac autem genuit Iacob: g Iacob

h Confessio, Iudas confitens: & de Christo dicitur: Confitebor tibi pater cæli & terræ. i Diuisio.

autem genuit Iudam,& fratres eius: h Iudas autem genuit i Phares, & k Zaram de l Thamar: m Phares autem genuit n Esrom: Esrom autem

k Oriens. l Amaritudo. m Diuisio. o Sagitta vel acute.

n Christus electus vel excelsus. p Spontaneus vel voluntarius.

genuit o Aram: Aram autem genuit p Aminadab: Aminadab autem genuit

q Augurium vel serpentinus. ¶ Iste fuit princeps tribus Iuda. r Sensibilis. s Fortis.

q Naason: Naason autem genuit r Salmon: Salmon autem genuit s Booz de

t Latitudo Raab Hebraicè. Rachab Græcè. v Festinans. Christus, seruiens vel seruitus quia non venit ministrari, sed ministrare.
x Incendium vel incensum. Christus est sacrificium vel incensum qui pro nobis hostia factus est.

t Raab: Booz autem genuit v Obeth ex Ruth: Obeth autem genuit Iesse: x Iesse

y Manu fortis, vel aspectu desiderabilis.

autem genuit y Dauid regem: Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ

z Latitudo populi.

fuit Vriæ: Salomon autem genuit z Roboam: Roboam autem genuit Abiam:

a Pater dominus. b Attollens.

a Abia autem genuit Asa: b Asa autem genuit Iosaphat: Iosaphat autem genuit

c Excelsus. d Robustus domini. De quo dicitur: Fortitudo mea dominus. e Profectus, id est, Christus: de quo ecclesia quotidie in melius proficit.

Ioram: c Ioram autem genuit Oziam: d Ozias autem genuit Ioathan: e Ioathan

f Comprehendens, id est, Christus, quia nemo nouit patrem nisi filius.

autem genuit Achaz: f Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem genuit

g Obliuio.

Manassen: g Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Iosiam: Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post

h Iechonias præparatio domini: quod conuenit Christo qui dicit: vado parare vobis locum.

transmigrationem Babylonis, h Iechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliachim: Eliachim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar

i Supplantatori vel luctator.

zar autem genuit Mathan : Mathan autem genuit Iacob : i Iacob autem genuit

k Stella maris. l Non de quibus, quia hæc viris: contra de sola virgine natus.

Ioseph virum k Mariæ, de l qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euangel.

IBER *generationis*. Hierony. Hebræi voluminibus suis à principiis nomen imponunt, vt liber Genesis ex suo principio nominatur, vbi dicitur : Liber generationis Adæ : & hæ sunt generationes cæli & terræ. Qui liber principium est veteris Testamenti, secundum quod in principio noui dicitur : *Liber generationis Iesu Christi* : quamuis in hoc sit parua pars libri : sed sic nouum Testamentum consonat veteri. Et sicut vetus carnali proponitur Israeli, ita nouum spirituali : & vtriusque vnus, & idem autor ostenditur. Plenior sensus esset: Hic est liber generationis : sed hic mos est in multis, maximè in Prophetis, vt visio Isaiæ, subaudis, hæc est. Hiero. Ra. In principio satis declarat se agere de humanitate Christi, cum incipiat à carnali generatione. Hiero. Generationis singulariter dicit, quamuis multi per ordinem replicentur : quia vnius tantum Christi generatio quæritur, propter quam cæteræ hic inducuntur. Non diuinam proponit narrare generationem, quòd impossibile
Isa. 53 est, vt Isaias ait : Generationem eius quis enarra-
Ioan. 1. bit? sed humanã, quamuis & hæc ex magna parte sit inenarrabilis. Sed illa tota inenarrabilis est: quia etsi dicitur filius à patre genitus, tamen qualiter, nec Apostolus, nec Propheta nouit, nec an-
1. Par. 1. gelus. *Iesu Christi.* Id est, Saluatoris, non perdito-
Gen. 25. ris, quod fuit Adam. Christus ipse est, qui & Messias. Ideo hoc nomine retunditur Iudæorum infidelitas, qui Messiam, id est, Regem suum nondum venisse ariolantur. Hunc verò esse Christum consequenter sic probat Euangelista, quoniam hic est qui de Patriarcharum, & Regum stirpe progenitus, de virgine mirabiliter est editus, sicut eisdem fuerat ante promissus. *Iesu Christi.* vt per regiam & sacerdotalem personam natura Dei, & hominis monstraretur. Olim Iesus rector typicè, nunc essentialiter, secundum quod Deus potens saluare. Christus nomen officij est, non naturæ: quia vnctus est in sacerdotem ad interpellandum pro nobis, qui bene in terram promissionis inducit. *Filij Da. filij Abr.* Ordo præposterus, ne præmisso Abraham, generationis contextio interrumperetur. Horum duorum specialiter dicitur filius: quia vnus primus inter Patriarchas, alter inter Reges ad quos facta est de Christo promissio, vt Iudæis Christum ex lege venturum aperiret, in quo viderent vaticinia impleri. *Filij Dauid, filij Abraham.* Hos duos de omnibus elegit quorum filius dicitur Christus, vt Iudæis quibus scribit, scientibus ex lege Christum venturum, appareret hic esse qui diu erat promissus, in quo viderentur impleri omnia vaticinia. His enim solis in veteri Testamẽto legitur facta promissio Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes.
Gen. 22. Cui consonat Dauid : Benedicẽtur in ipso omnes
Psal. 71. tribus terræ. Vnde Zacharias : hoc est, subaudis:
Luc. 1. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem
Psal. 131. nostrum daturum se nobis. Dauid autem: Iurauit
Ibid 88.
Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Item, Semel iuraui in sancto meo, scilicet Christo, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, &c. Quæ nullatenus de Salomone accipi possunt, sed de Christo, ex Dauid orto. Item in libro verborum dierum : Cùm dormieris cum patribus tuis dabo se- *1. Par. 17.*
men tuum post te: quòd nullatenus de Salomone dicitur: qui viuo patre cœpit regnare, sed de Christo, vnde Hieremiæ : Suscitabo Dauid germen *Hier. 63.*
iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit. Abraham & Dauid sunt duæ columnæ versantes in lege, quasi in vestibulo ante ostium, quòd est Christus: quos ambit funiculis duodecim cubitorum, id est, fides Apostolorum. Amplectitur hos in genealogia patres de quorum medio ostium Christus aperitur credentibus. *Abraham genuit Isaac : Isaac autem genuit Iacob.* Ab eo congruè fit generationis exordium, cui promissus est primum, in quo est benedictio omnium. Matthæus generationem incipit ab exordio promissionis. Et etiam vsque in finem libri hæc agitur, vt qui ex hac generatione natus est, Deus, & homo intelligatur. Ab initio ab eo, cui primum facta est promissio fidei incipit, vt in hoc patre discant cui primum facta est promissio, qui est, quales esse debeant, qui volunt in eius semine benedici. Matthæus generationem descendendo incipit vel computat : quia humanitatem Christi ostendit, per quam Deus ad homines descendit. Lucas ascendẽdo referens formam sacramenti aperit. A baptismo enim incipiens vsque ad Deum ascendit, ostendens baptizatos ascendere ad hoc, vt sint filij Dei. *Genuit.* Matthæus ponit, *genuit*: qui naturæ filios tantum numerat. Lucas : Qui fuit, qui aliquos secundum legem, vel per adoptionem filios interponit. Matthæus ponit, *genuit*, & non, generauit : forsitan vt ille cognosceretur in fine ostensus, de quo di-
citur : Ego hodie genui te. *Iudam & fratres.* Ideo *Psal. 2.*
solus Iudas nominatim exprimitur, vt eum cognosceres qui ex eius stirpe fuerat promissus. Fratres Iudæ memorat prætermissis fratribus Isaac & Iacob, quia illi à populo Dei quasi alieni sunt repulsi : hi velut hæredes in libro vitæ scripti, & quasi Patriarchæ duodecim, in quibus & numerus Apostolorum signatur. Sed nominatim non exprimuntur, ne vltra numerum sacramenti generatio extendatur. In semine prædictorum patrum Christus intrauit in Aegyptum, quod præsagiens inimicus populum premebat, & non fœminas, sed mares interimebat, vt eum extingueret. De Iuda Christus, quem omnes Gentes susceperunt : quo veniente iam Herodes alienigena principabatur. *Iudas autem.* Iudas genuit Phares, & Zaram, antequã intraret Aegyptum, in quam ambo postea cum patre transierunt. Zara cum de vtero præmisit manum, obstetrix coccino ligauit
dicens : hic prior egredietur, illo manum retra- *Gen. 38.*
hente, alter exiuit. Cui obstetrix : Quare propter
te diuisa est maceria? Vnde & Phares, id est, di- *Infra 25.*
uisio dictus est, significans illum, qui segregabit oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris:

hædos

hædos autem à sinistris. *Phares autem genuit Esrom.* In Aegypto genuit Phares Esrom, & Esrō Aram, & Aram Aminadab, & Aminadab Naason: & tunc Moyses eduxit eos de Aegypto. Naason fuit Dux sub Moyse in tribu Iuda per desertum, in quo genuit Salmon. Iste Salmon fuit Princeps in tribu Iuda, qui cum Iosue in terram promissionis intrauit. Iste Salmon in terra promissionis genuit Booz de Raab. Christus est Phares, id est, diuisio: quia separabit oues ab hædis. Ipse est Esrom; id est, sagitta, vel atrium: quia penetrat corda auditorum. Habet etiam latitudinem charitatis, qua & inimicos dilexit. *Aram autem genuit.* Aram Christus electus, vel excelsus interpretatur: Electus de quo Propheta: Ecce puer meus quem

Osea 11. elegi. Et alibi: Excelsus super omnes Gentes
Psal. 112.
Ibid. 53. Dominus. Ipse est Aminadab, id est, voluntarius, qui dicit: Voluntariè sacrificabo tibi. Idem est Naason, id est, augurium, qui nouit præterita, præsentia, & futura, vel Naason serpentinus; quia Christus more serpentis omnes cauit insidias. *Salmon autem genuit Booz.* Christus est Salmon, id est, sensibilis, quia omnia sensit, ipse accipit Raab, id est, ecclesiam de Gentibus. Raab, fames vel beatitudo vel impetus: quia ecclesia Gentium esurit & sitit iustitiam, & dilata per orbem terrarum impetu doctrinæ Philosophos, & reges conuertit. Raab ostendit coccinum in fenestra, id est,

Iosu. 2. in ore per cōfessionem Christi passionem declarat. Raab meretrix quæ nuncios Iosue suscepit, quam Salmon princeps tribus Iudæ sibi copulauit, significat ecclesiam de Gentibus, quæ principi ex Iuda, id est, Christo copulatur. Et sola cum suis saluatur, dum Iericho, id est, præsens seculum septem muris vitiorum vallatum, septem dierum tempore tubis prædicationum circumuallatur, donec in nouissima tuba omnes muri corruant, & nouissima mors destruatur. *Booz au-*

1. Cor. 15. *tem.* Booz Christus. De quo dicitur: Dominus in fortitudine veniet. *Booz de.* Nota nullam de sanctis fœminis in genealogia Christi assumi, sed quas scriptura reprehendit. Debuit enim de peccatoribus nasci, qui pro peccatoribus venerat, vt discerent sui, peccata patrum sibi non obesse. Vnde agnus in Pascha immolandus iussus est assumi ex capris, & ouibus, id est, ex iustis, & pecca-

Ruth. 1. toribus generandus. Historia. Elimelech fuit de tribu Booz, & vxor eius Noemi, qui cum vxore sua iuit ad Moabitas, vbi filij sui duxerūt vxores: sed mortuo patre, & filiis sine semine, Ruth cum Noemi socru sua venit in Iudæam, & genuit ex ea

Esa. 16. Booz, Obeth. *Ex Ruth.* Moabitide, vt ostendat impletum vaticinium Isaiæ: Emitte agnum, domine, dominatorem terræ. Per hanc semen Abrahæ ad Christum deducitur. Ecclesia de Gentibus per Ruth significata, priusquam ad Booz, id est, ad Christum veniret, ex patre diabolo erat. Mysticè: Ruth significat ecclesiam, quæ est de Moab (id est, de Gentibus quæ ex patre diabolo) & penitus deserti, propter idololatriam, de qua Deus suscitauit filios Abrahæ: Oblita prioris Gentis venit ad Booz qui fortis dicitur, id est, ad Christū qui suscitat semē fratris sui, id est, Moysi qui obiit sine liberis, quia neminem ad perfectum duxit

Heb. 7. lex. Ruth, videns vel festinans: quia ecclesia puro corde Deum videt quæ festinat ad brauium supernæ visionis, & diffinit perseuerare in fide & dilectione Dei. *Iesse autem.* Pater Dauid sæpius nominatur Isai, sed binomius fuit. Hic autem ideo dicitur Iesse, vel Isai, quia scires eū venisse, de quo Esa. Egredietur virga de radice Iesse, &c. Hic est flos quem odorat Isaac, dicēs: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quia spiritus eum replebit odoratissimè repleuit. *Regem.* Non quòd solus in hac genealogia rex, sed quia primus rex de Iuda & regum principium, propter quem & cæteri in solio regni seruantur: & per istum ordo generationis decurrit, ad Christum qui habet regnum Dauid. *Dauid autem rex.* Historia. Dauid in solario sedens, vidit Bethsabee se lauantem: placuit ei, & vocauit, iacuitque cum ea: qua grauida reuocauit Vriam de expeditione, vt sic intraret in domum, vt sic partus ascriberetur ei, qui nolens intrare iacuit in vestibulo, dicēs, quod dum arca esset in tabernaculis, non intraret in domum suam. Acceptis igitur literis mortis suæ, ad expeditionem reuersus est, & sicut Dauid præceperat occisus est Ioab. Dauid in solario Christus est, qui in sole posuit tabernaculum suum. Bethsabee, puteus satietatis septimus, scilicet lex per cuius cognitionem spiritualis gratia monstratur. Vrias, Iudaicus populus, qui per legē de luce Dei gloriatur: Sed huic Christus legem abstulit, quam de se loqui docuit. Ille verò dum mandata legis implere nititur, quasi epistolas fert vnde damnetur. Vrias etiam Iudaicus populus qui noluit intrare in domum, id est, in spiritualem legis intellectum, dicens, quia arca domini, id est, ecclesia est in tabernaculis, id est, in figuris. Ideo non intrauit in domum, id est, non accipit alium intellectum, sed accipit literas suæ mortis, id est, intellectum literalē qui ducit eum ad mortem. Mysticè Dauid, id est, Christus qui Goliam, id est, diabolum superauit. Ipse est manu fortis, vel visu desiderabilis. De eodem dicitur: Dominus fortis & potens, &c. Et iterum: Specio-

Psal. 23. sus forma præ filiis hominum. Bethsabee, puteus
Ibidem.
Ioan. 4. satietatis, id est abundantia gratiæ spiritualis quæ munere septiformi est puteus satietatis, in quo est fons aquæ salientis in vitam æternam. Tres prædictæ sine pudore nominis ponuntur, quia non solum culpari, sed etiam laudari meruerunt. Iustus autem nomine dignus est. Sed in hac quia loquendo nequit, saltem silentio nominis quod turpe est tegi. Nomen viri quasi iusti ponitur, vt in hoc immanitas sceleris verecundius memoretur, dum eius causa est occisus. Vxor tamen propter sacramentum ecclesiæ dicitur, quæ occiso diabolo in coniugium veri regis asciscitur. *Vria.* Vrias, lux mea, Dei scilicet, id est, diabolus, qui dixit: Similis ero altissimo: cui ecclesiam coniugatam Christus de solario paternæ maiestatis adamauit, & pulchram factam sibi matrimonio copulauit. Vrias qui est figura diaboli, lux mea Deus interpretatur, qui adhuc transformat se in ange-

2. Cor. 11. lum lucis, & lucem Dei se facit. *Salomon autē.* Chri-
Eph. 2. stus est Salomon, id est, pacificus, quia ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Ipse est Roboam, id est, impetus populi qui velociter populos conuertit ad fidem. *Roboam.* De isto dicitur: Dabo ipsi

3. Reg. 11. Roboam tribū Iudam, vt remaneat lucerna Dauid cunctis diebus in Israel. Quod ad literam non potest accipi, quia nec Israel cunctis diebus extitit, nec de Dauid post Christum dux aliquis in Israel fuit. Sed Christus lucerna est æterna in cælesti Israel, & ideo seruatur semper. Super solium autem Dauid dicitur sedere Christus, quia regnū

Dauid

Dauid temporale figurauit æternom Christi regnum. *Abia.* Pater dominus: ad est Christus, qui
2. Reg. 7. dicit: Ego ero illi in patrem, qui tanquam domi-
Psal. 113. nus omnia quæcunque voluit fecit. Qui etiam est Asa, id est, attollens, quia ipse abstulit peccata
Joan. 1. mundi. *Iosaphat & cætera.* Iudicaos vel iudicium Dei, scilicet Christus qui iudicat orbem terræ in
Psal. 95. æquitate. *Ioram autem genuit.* Christus est Ioram, id
Joan. 3. est excelsus, qui ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qoi de cælo descendit. Nota quòd Ioram non genuit Oziam, sed potius genoit Ochoziam, Ochozias genuit Ioas, & Ioas Amasiam, & Amasias
4. Par. 21. Oziam, qui & Azarias. Ioram duxit filiam Iezabel & fornicatus est, & fratres suos occidit. Vnde
Ibidem. Ibid. 24. infirmatos est dolore vteri vt viscera egereret, quem sequutus Ochozias ingressus est per vias domus Achab, Ioas autem adorauit sculptilia, & Zachariam filium Ioiadæ qui eum outrierat, & regem fecerat, occidi præcepit: quia eum de idololatria increpauit. Amasias quoque coluit deos Seir. Ideo & ibi tres de generatione Christi sunt
Exod. 20. exclosi, secúdum illud: Visitabo peccata patrum, vsque in tertiam & quartam generationem. Sed hoc dictum est de illis qui peccata patrum sequuntur, nam & bonus de malo genitus misericordia
4. Reg. 5. est dignus: & malus de bono natus punitur. Alij qui ponnntur quamuis mali fuerint, vel bonos generant, vel à bonis generantur, vt Ioram filius Iosaphat viri iusti. Ozias pene in omnibus rectum fecit, nisi quòd incensum adolere voluit, vnde & in fronte lepra percussus est. Hic tres reges snot, intermissi: vel ideo quia propositum fuit Euangelistæ tesseradecades ponere: vel quia Ioram miscuerat se geneti Iezabel: & dictum est per prophetam in throno regni quemquam non esse
3. Reg. 21. sessurum de domo Achab, nisi in quarta generatione: ideo memoria eius à sancta generatione tollitur vsque ad tertiam generationem: purgata verò labe gentilis familiæ, in quarta origo Christi numeratur. *Ozias autem.* Sub Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia, prophetauit Isaias de Christo, Propter peccata principum claudebâtur ora prophetarum. *Ezechias.* Fortis dominus, ipse est qui
Infra 10. dicit apostolis: Nolite timere. Ezechiæ cum esset
Esa. 38. sine liberis dictum est: Dispone do. tuæ: quia mo. Ideo fleuit non propter longiorem vitam, cum sciret inde placuisse Deo Salomonem, quod non
3. Reg. 3. petiisset ampliores annos. Sed quia dubitabat ne promissio Dei impleretur cú se sciret esse de Dauid, per quem oportebat venire Christum: & ipse
Esa. 38. erat sine liberis, vnde & dicebat: Non videbo Deum, non aspiciam hominem? Econtra credebat quia fidelis est, qui promiserat. Deus autê sententiam, quam dederat, ad probationem fidei immotat, & spacium generandi dat. *Manasses.* Obliuiosus. Ille est qui quasi conuerso peccatori dixit. Omnium iniquitatú eius non recordabor. *Amon.*
Ezech. 18 id est, fidelis vel nutricius, significans Christum, de quo dicitur: Fidelis dominus in omnibus viis suis, qui conuocat filios, vt gallina pullos suos. *Iosias.* id est, salus domini vel incensum. Ille est qui
Psal. 44. dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspe.
Ibid. 140. *Iosias,* tea ioftus, quod non filij eius quos genoit, non in transmigrat onc: quia nunquam transmigrauit: sed secundum prædestinationem Dei ad transmigrandum. Iechoniam, & fratres eius simul ponit, vt quorum est communis iniquitas, similis sit & miseria. Iechonias præparatio domini, quia ram patrem quam filium dominus ad transmigrandum præparauit. Legitur in libro Regum, quòd Iosias genuit Ioachaz, & Ioachim: qui & Heliachim & Sedechiã. Ioachaz successit pa- 4. Reg. 23. & 24.
tri in regnum, quo capto à rege Ægypti substitutus est loco eius Ioachim frater eius. Quo mortuo, regnauit Ioachim (qui & Iechonias dictus est) filius eius pro eo: quo capto à rege Babylonis loco eius Sedechias positus est. Isidorus. Veritas hystoriæ habet, quod duo fuerunt Iechoniæ, vt vnus scilicet pater sit in fine præcedentis tessera decadis, alter in principio sequentis. Sed mysticè secundum Augu. vnus & idem est in fine præcedentis & in principio sequentis. Sed quare prætermissus est Ioachim pater Iechoniæ, forsitam vt typum Christi faceret Iechoniam bis numerauit: & Ioachim ne numerus augeretur prætermisit. Rab. Quæritur, quare Iechonias dicitur filius Iosiæ, cú Iosias Ioachim, & Ioachim genuit Iechoniam? Si autem eundem Iechoniam bis numeremus in fine, scilicet, præcedentis tesseradecadis & in principio sequentis ad hoc vt tres plene tesseradecades ineoniantur: iam non erunt xlij. patres. Duobus modis soluitur hoc. Hier. dicit quod vterque, pater & filius Ioachim & Iechonias vocabatur: & ita vnum habemus in fine præcedentis tesseradecadis & alterum in principio sequétis, vt cum dicit, *Iosias genuit Iechoniam,* Ioachim intelligamus. Cum verò dicit: *Iechonias genuit Salathiel,* Ioachim accipiamus. Aug. verò dicit quòd vnus bis numeratur, scilicet, Iechonias, qui & Ioachim dictus est: à quo facta est quædam in externas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Vbi ergo ordo à rectitudine deflectitur & in diuersum tendit, angulum facit: & id quod in angulo est bis numeratur. Transmigratio in Babyloniam, significat translationem apostolorum ad Gentes. In qua transmigratione Christus factus lapis angularis, vtrumque populum complectitur quod ostendit per Iechoniam bis positum. Omnes, qui à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis numerãtur, reges fuerunt. *Iechonias.* Prior Iechonias, resurrectio domini, sequés Iechonias præparatio domini dicitur: Vtrúque congruit Christo, qui est resurrectio & vita. *Salathiel.* Petitio mea Deus Christo conuenit, qui Ioan. 17.
dicit: Pater sancte, serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Hoc in multis scripturis legitur: sed in Paralipomenon filij Iechoniæ: Assir, Salathiel, Melchiram & Phadaia: & de Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Sed tradunt Hebræi Trinomium 1. Para. 3.
fuisse Assir, Salathiel Melchiram, & Phadaia. Vel Salathiel & Phadaia fratres filios quos genuerũt vterque suum vocauit Zorobabel. Cùm de isto dicat Euangelista Abiud genitum. Paralippomenon, dicit quòd Zorobabel Mosollem genuit, & reliquos inter quos Abiud non numeratur: sed multa vitio scriptorum in Paralipomenõ deprauata fuot. vnde multæ & interminatæ genealogiæ inueniuntur quas iubet apostolus vitari. *Zorobabel autem genuit Abiud.* Magister Babylonis, idest confusionis. Illi conuenit qui mundum ab errore idololatriæ ad viam veritatis reuocauit. Fuerunt viri studiosi ex Iudæis dicti Heriles propter propinquitatem generis Christi, erant que Nazaræi, qui ordinem genealogiæ Christi partim memoriter, partim ex libris dierum, partim ab auis

auis, & proauis retinétes secūdum ordinem scripserūt. *Abiud.* id est, pater meus. Iste Christo cōue-
Psal. 68. nit, de quo dicitur: Ipse inuocauit me: pater meus
es tu, &c. De Abiud vsque ad Ioseph nulla historia
inuenitur in Paralipomenō: sed annales fuerunt
apud Hebræos, de quibus Herodes multos cōburi
fecit, vt cōfunderetur ordo regię stirpis: & forsitan
Ioseph nomina patrū ibi legerat, vel aliquo
modo ibi reinuenerat per quē euāgelista seriē hanc
generationis posuit. Sed siue hoc siue alio modo,
euangelistæ fuit hæc certa generationis successio.
Ioan. 6. *Eliachim.* Dominus resuscitans. Ille qui dicit: Omnis,
qui videt filium, & credit in eum, habebit
vitam æternam, & ego resuscitabo eum, &c. *Azor.*
Psal. 53. adiutus, Ille est, qui dicit: Ecce Deus adiuuit me
dominus susceptor est animæ meæ. *Sadoch.* Iustus,
id est Christus: de quo dicitur: Iustus dominus, &
Ioan. 10. iusticias dilexit. Achim, id est, frater meus iste.
Quis alius quàm ille qui homo fieri voluit, vt
possit habere fratres, de quibus diceret: Nunciabo
Iud. 21. nomen tuum fratribus meis. *Eliud.* Id est Deus
Iosu 27. meus: conuenit Christo qui dicit: Deus meus, vt
quid dereliquisti me? *Eleazar.* id est, Deus meus
adiutor. Ille est, qui ex persona hominis dixit:
Psal. 90. Deus meus sperabo in eum. *Mathan.* Donans vel
donatus. Ille est qui dedit dona hominibus: Et
Ioan. 3. de quo dicitur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium
suum daret. Per hos patres Christus in mundum,
& omnium horum in se gerebat officium.
Et dignum est, vt per eandem lineam sanctitatis
ad eum ascendamus, per quam ad nos descendere
est dignatus. *Ioseph.* Apponens Christus qui
Iudæis Gentes opposuit, qui & pater Christi dicitur,
quem de sua coniuge natum adoptiuè suscepit:
sed & putatiue pater dicitur Ioseph. Mattheus
dicit Ioseph filium Iacob, & Iacob filium
Luc. 3. Mathan. Lucas Ioseph filium Heli, & Heli filium
Mathat: sed Mathan, & Mathat de eadem vxore
Hesta nomine singulos genuerunt. Mathan qui
per Salomonem descendit eam prius duxit & relicto
vno filio Iacob obiit, & postea Mathat qui
per Nathan descendit de Dauid, eandem duxit &
genuit Heli: sic Iacob & Heli fratres sunt vterini,
Iacob autem vxorem Heli fratris sui sine liberis
defuncti ad suscitandum semen eius accipiens
genuit Ioseph natura suum, sed secundum legem
Heli filium. Quòd dicitur filius nomine eius vocari
eni suscitatur, non est verum, cum Booz enim,
quem genuit ex Ruth, non Elimelech, cui suscitatur,
sed Obeth vocauit. *Virum Mariæ.* Quid ad
Christum generatio ex Dauid deducta ad Ioseph,
cum Christus non ex semine Ioseph? Sed non
est consuetudo scripturarum, vt ordo mulierum
in generationibus texatur: & ideo non per Mariam,
sed per Ioseph inducitur, cū de vna Ioseph,
& Maria tribu fuerint. Vnde & eam quasi propinquam
cogebatur accipere, ne tribus in aliam
se confunderet: vnde etiam simul tanquam de
vna stirpe profitentur in Betleem redire cum singulis
in suam ciuitatem. Exemplo Mariæ liquet
fidelibus coniugatis seruato pari consensu, continentiam
posse permanere, coniugiumque vocari
non permixto corporeo sexu, sed custodito
mentis affectu. Vnde & Ioseph vir Mariæ dicitur,
quia coniugium verum est, vbi conseruatur amoris
affectus, & in Maria fructus nuptiarum inuenitur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Quia faciē hominis Matthęus significat, quasi de homine exorsus est scribere, dicens. *Liber generationis.* Raba. Quo exordio satis ostendit generationem Christi secundum carnem suscepisse narrandam. Chrysost. Iudæis enim Euangelium scripsit, quibus superfluum erat exponere diuinitatis naturam, quam cognoscebant: necessarium autem fuit eis mysterium incarnationis ostendere. Ioannes autem cùm gentibus euangelium scripsit, quæ non cognoscebant si Deus filium habet, ideo necessarium fuit primum illis ostendere, quia est filius Dei Deus, deinde quia carnem suscepit. Raba. Cùm autem paruam libri particulam teneat generatio, dixit: *Liber generationis.* Consuetudo enim Hebræorum est, vt voluminibus ex eorum principiis imponant nomina: vt est Genesis. Glo. Planior autem sensus esset, hic est liber generationis, sed hic est mos in multis, vt visio Esaiæ subandis hæc est. *Generationis,* autem singulariter dicitur, quamuis multæ per ordinem replicentur, quia propter Christi generationem, cæterę hic inducuntur. Chrysost. in ho. Vel ideo librum hūc generationis nominat, quia hæc est totius dispensationis summa, & radix bonorum omnium, Deum hominem factum esse: hoc enim facto alia secundum rationem sequebantur. Remi. dicit autem: *Liber gene. Iesu Christi,* quia nouerat scriptum esse. Liber generationis Adæ, & ideo sic exorsus est, vt opponeret librum libro, Adam nouum Adæ veteri, quia omnia per istum sunt restaurata, quæ per illum sunt corrupta. Hierony. In Esaia autem legimus: generationem eius quis enarrabit? nō ergo putemus euangelistam prophetæ esse contrarium, vt quod ille impossibile dixit esse effatu, hic narrare incipiat, quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione dictum est. Chrysost. in hom. Nec tamen parua æstimes te audire, hanc audiens generationem, est enim valde ineffabile quòd Deus ex muliere nasci dignatus est, & habere progenitores Dauid & Abraham. Remig. Si autem aliquis dixerit, quia propheta de natiuitate humanitatis dixit, non est respondendum. Nullus generationem domini narrauit, sed perrarus: quia Matthæus & Lucas. Rab. In hoc autem quod dicit. *Iesu Christi,* regalem & sacerdotalem in eo exprimit dignitatem, nam Iesus qui nominis huius præsagium prætulit, primus post Moysen in populo Israel ducatum tenuit. Aaron verò, mystico consecratus vnguento, primus in lege sacerdos fuit. August. de quæst. no. & vet. testam. Quod autem per olei vnctionem præstabat Deus illis, qui in reges vel sacerdotes vngebantur, hoc præstitit spiritus sanctus homini Christo adita expiatione. Spiritus enim sanctus purificauit quod de Maria virgine in corpus saluatoris profecit, & hæc est vnctio corporis saluatoris, quare Christus est appellatus. Chrysost. super Matth. Quia verò impia prudentia Iudæorum negabat Iesum de Dauid semine esse natum, subdit. *Filij Dauid, Filij Abraham.* Quare autem non sufficiebat debere illum filium Abrahæ solius, aut Dauid solius? Quia ad ambos de Christo nascituro ex eis

promissio fuerat facta, ad Abraham quidem, sic. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ad Dauid autem ita. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ideo ergo vtriusque filium dixit, vt vtriusque promissiones in Christo adimpletas ostenderet, deinde quia Christus tres dignitates fuerat habiturus, Rex, Propheta, Sacerdos. Abraham Propheta fuit & sacerdos, sacerdos sicut Deus ad illum dixit in Genesi. Accipe mihi vaccam rufam, sicut ait dominus ad Abimelech de illo. Propheta est, & orabit pro te. Dauid rex fuit & Propheta, sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborũ filius nominatus est, vt vtriusque patris triplex dignitas originali iure cognosceretur in Christo. Ambros. super Lucam. Ideo etiam duos generis auctores elegit, vnum qui de cognatione populorum promissum accepit, alterum qui de generatione Christi oraculum consecutus est. Et ideo licet sit ordine successionis posterior, prior tamen describitur, quia plus est promissum accepisse de Christo, quam de Ecclesia, quæ est per Christum, potior est enim qui saluat eo quod saluatur. Hierony. Ordo etiam præposterus, sed necessario commutatur, si enim primum posuisset Abraham, & postea Dauid, rursus ei repetendum fuit Abraham, vt generationis series texeretur. Chrysost. super Matth. Altera autem ratio est, quia regni dignitas maior est, quàm naturæ. Nam & si Abraham præcedebat in tempore, Dauid præcedebat in dignitate. Glo. Quia verò ex hoc titulo, apparet totum hunc librum conscribi de Iesu Christo, necessarium est præcognoscere quid sit sentiendum de ipso, sic enim melius exponi poterunt quæ in hoc libro de eo dicuntur. August. de quæst. euang. error autem hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur, aut de diuinitate, aut de humanitate, aut de vtroque falluntur. August. de hæret. Cherinthus ergo & Ebion Iesum Christũ hominem tantum fuisse dixerunt, hos secutus Paulus Samosatenus Christum non semper fuisse, sed eius initiũ ex quo de Maria natus est asseuerat nec enim aliquid amplius quàm hominem putat, & hæc hæresis postea à Photino confirmata est. August. contra hære. Ioannes autem Apostolus istius insaniam longe antè, spiritu sancto cõspiciens, eum alto imperitiæ sopore demersum suæ vocis præconio excitat, dicens. In principio erat verbum. Et ergo quod in principio erat apud Deum, non relinquitur in nouissimo tempore, vt originis suę ab homine principium sumpserit. Item inquit. Pater glorifica me illa gloria quam habui apud te priusquam mũdus fieret, audiat Photinus eam gloriam ante principium possidere. Aug. de hær. Nestorij autem peruersitas fuit, vt hominem tantummodo ex beata Maria virgine genitum prædicaret, quem verbum Dei non vnitatem personæ & in societatem separabilem recepisset, quod catholicorum aures nequaquam ferre potuerũt. Cyrillus ad mona. Ægypti. Ait enim Apost. de vnigenito, quòd cum in forma Dei esset; non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo. Quis est ergo ille qui est in forma Dei? aut quomodo exinanitus est, & descendit ad humilitatem secundum hominis formam? Et quidem si prædicti hęretici in duos diuidentes Christum, id est, in hominem & verbum, & hominem dicunt sustinuisse exinanitionem, separantes ab eo Dei verbum, præostendendum est, quia in forma & in æqualitate intelligatur, & fuit patris sui, vt exinanitionis sustineret modum. Sed nihil creaturarum est, si secundum propriam intelligatur naturam in patris æqualitate, quomodo ergo exinanitus dicitur, & ex qua eminentia, vt esset homo descendit? aut quomodo intelligitur assumpsisse, tanquam non habens in principio serui formam? Sed aiunt quòd verbum patri æquale existens, habitauit in homine nato per mulierem. Et hęc est exinanitio. Certè audio filium dicentem sanctis Apostolis. Si quis diligit me, verbum meum custodiet. Audis quomodo in eis qui se diligunt, se & sibi cohabitare dixit Deum patrem. Putas ergo ipsum exinanitum & vacuatũ, dabimus & serui formam accepisse, quia in diligentium se animabus sanctis facit mansionem: Quid antẽ spiritus habitãs in nobis putatis, & ipse humanationis dispensationem adimplet? Abbas Isidorus ad Atribium presbyterum. Verum ne vniuersam annumeremus, vnum ad quod vniuersa intendũt dicemus, quia illum qui Deus erat, humilia loqui & dispensatiuum simul & vtile est, & nihil inuiolabili naturæ præiudicat. Eum verò qui homo est, diuina & supernaturalia quædam loqui summæ præsumptionis est malum. Nam regi quidem licet etiam & humiliter agere, militi verò non licet imperiales voces emittere. Si igitur Deus erat huma natus, etiam humilia locum habẽt. Si verò homo tantũ erat, excelsa nõ habent locum. Aug. de hær. Sabellum discipulum Noëti quidam perhibent, qui dicebat Christum eundem & patrem & spiritum sanctum. August. contra hær. Huius autem insanissimi furoris audaciam cælestium testimoniorum auctoritate frenabo ad demonstrandam propriæ substantiæ filij personam, non illam quæ homini suscepto congruere cauillatur assumens, sed illa in medium proferens testimonia, quę sine vllo ancipitis intelligentiæ scrupulo diuinitati eius cõpetere omnes pariter cõfitentur. In Genesi enim Deum dixisse legimus. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Ecce pluraliter dicit. Faciamus, alium videlicet, indicans ad quem loquentis factus est sermo. Si vnus est, ad imaginem suam fecisse diceretur, nunc autem alius & alterius imaginem apertius fecisse describitur. Glo. Alij verò veram Christi humanitatem negauerũt. Valentinus enim dixit Christum à patre missum spiritoale vel cæleste corpus attulisse, nihilque assumpsisse de Maria virgine, sed per illam tanquam per riuum, aut fistulam sine assumpta carne transisse. Nos autem nõ ideo credimus natum ex Maria virgine quòd aliter in vera carne existere atque hominibus apparere non posset: sed quia sic scriptum est in ea scriptura, cui nisi crediderimus nec Christiani, nec salui esse poterimus. Si autem de cælesti vel aerea vel humida creatura corpus assumptum vellet commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem, hoc eum potuisse facere quis negaret? August. de hær. Manichæi verò dixerunt, phantasma esse dominum Iesum Christum, nec fœmineo posse nasci ex vtero. August. 83. quæst. sed si phantasma fuit corpus Christi: fefellit Christus, & si fallit, veritas non est. Est autem veritas Christus, non ergo phantasma fuit corpus eius. Gloss. Et quia principium huius Euangelij, & etiam Euangelij secundum Lucam, manifestè ostendit Christum

natum

natum ex fœmina, ex quo apparet vera Christi humanitas, ergo vtriusq; Euangelij principia negant. August. contra Faustum. Vnde Faustus dicit Euangelium quidem à prædicatione Christi & esse cœpit & nominari, in quo ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At verò genealogia à Deo non est Euangelium, vt nec eius scriptor ausus fuerit eum Euangelium nominare. Quid enim scribit? *Liber generationis Iesu Christi filij David.*: non ergo liber Euangelij Iesu Christi, sed liber generationis. At verò Marcus quia generationem scribere non curauit, sed tantum prædicationem filij Dei, quod est Euangelium, vide quàm competenter sit exorsus. Euangelium inquit Iesu Christi filij Dei, vt hic satis appareat genealogiam non esse euangelium, cumque & in ipso Matthæo post inclusum Ioannem in carcere, tunc legitur Iesum cœpisse prædicare euangelium regni. Ergo quicquid ante hoc narratur genealogiam esse constat, non euangelium. Ad Ioannem ergo & Marcum me contuli, quorum mihi principia non immerito placuerunt, quia nec David nec Mariam inducunt, nec Ioseph contra quem Aug. Quid ergo respondebit apostolo dicenti. Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David secundú euangelium meum? Quod autem erat apostoli Pauli euangelium, hoc etiam cæterorum apostolorum & omnium fideliú: hoc enim alibi dicit: siue ego, siue illi euangelium prædicauerunt. Aug. de hær. Arriani autem patrem & filium & spiritum sanctum nolunt esse vnius eiusdémque substantiæ, naturæ, aut existentiæ, sed esse filium creaturam patris, spiritum vero sanctum, creaturam creaturæ, hoc est ab ipso filio creatum volunt. Christum etiam sine anima carnem suscepisse arbitrantur. Aug. primo de tri. Sed Ioannes in eo declarat filium non tantum Deum esse, sed etiam eiusdem cum patre substantiæ, quia cum dixisset. Et Deus erat verbum, addidit. Omnia per ipsum facta sunt: vnde apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia: & si factus non est creatus nó est, & sic eiusdem cum patre substantiæ est, omnis enim substantia quæ Deus non est, creatura est. Aug. contra Feli. Nescio enim quid nobis mediatoris persona cótulerit, qui medius nostrum, non re limens carnem, quę sine anima, nec beneficium possit sentire, suscepit. Si enim venit Christus saluum facere quod perierat: quia totus homo: qui periit, totus beneficio saluatoris indiget, & ideo Christus veniendo totum saluat, corpus & animam assumendo. Aug. in li. 83. q. Quomodo etiam ipsi respondent tam manifestis obiectionibus ex euangelica scriptura, in qua contra eos Dominus tam multa commemorat? vt est illud, Tristis est anima mea vsque ad mortem: &, potestatem habeo ponendi animam meam, & multa huiusmodi, qui si dicant in parabolis eum locutum esse, habemus euangelistarum rationes, qui res gestas narrantes, sicut eum corpus habuisse testantur, sic eum indicant habere animam per affectiones, quę non possunt esse nisi in animatis: enim narrantibus legimus. Et miratus est Iesus, & iratus, & multa huiusmodi. Aug. de hære. Appollinaristę autem sicut Arriani Christum dixerunt carnem solam sine anima suscepisse. In qua quæstione testimonijs euangelicis victi, inuenerunt, quia rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi. Sed pro hac, ipsum verbum in ea fuisse dixerút. Aug. in lib. 83. q. Sed si ita est, belluam quandam cum figura humani corporis Dei verbum suscepisse crederetur. Aug. de hær. De ipsa vera eius carne sic à recta fide dissensisse perhibentur, vt dicerent carnem illam & verbum vnius eiusdemque substantiæ esse, contentiosissime asseuerantes verbum carnem factum, hoc est, verbi aliquid in carnem fuisse mutatum, atque conuersum, non autem carnem de Mariæ carne suscepisse, conuersum atque mutatum, non autem in carnem de Maria susceptam. Cyril. in epi. ad Ioannem Antio. Furere autem arbitrabamur eos qui suspicati sunt, quod mutationis obumbratio circa diuinam verbi naturam potest contingere: manet enim quod est semper, & non mutatur: nec conuersionis est capax. Leo ad Constantinopolitanos. Nos autem non ita dicimus Christum hominem vt aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, siue animam, siue mentem rationabilem, siue carnem quæ non de fœmina sumpta sit, sed facta de verbo in carnem conuerso atque mutato. Quæ tria falsa Apollinaristarum hæresis, tres varias protulit partes. Leo ad Palesti. Eutyches quoque tertium Apollinaris dogma delegit, vt negata humanæ carnis atque animæ veritate totum dominum nostrum Iesum Christum vnius assereret esse naturæ: tanquam verbi diuinitas ipsa sese in carnem animámque verteret, & concipi, nasci, aut nutriri, &c. huiusmodi, eius tantum essentiæ fuerit, scilicet diuinæ: quæ nihil horum in se sine carnis recepit veritate, quoniam natura vnigeniti, natura est patris, natura est spiritussancti: simúlque impassibilis & sempiterna. Verum si ab Apollinaris peruersitate hæreticus iste discesserit, ne conuinceretur deitatem passibilē sentire atque mortalem, & tamen verbi incarnati, id est verbi & carnis vnam audet pronunciare naturam, non dubiè in Manichæi & Martionis transit insaniam: & dominum Iesum Christum simulatorie omnia credit egisse, nec humanum ipsum corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. Idem ad Iulianum. In eo verò quod Eutyches in episcopali iudicio ausus est dicere ante incarnationem duas fuisse in Christo naturas, post incarnationem autem vnam, necessarium fuit, vt ad reddendam rationem professionis suæ sollicitis interrogationibus vrgeretur. Arbitror enim eum talia loquẽtem hoc habere persuasum: quod anima quam saluator assumpsit, prius in cælis sit commorata, quam de Maria virgine nasceretur. Sed hoc catholicæ mentes auréisque non tolerant, quia nil secum dominus de cęlo veniens nostræ conditionis exhibuit. Nec animam eius, quæ anterior extitisset, nec carnem quæ non materni corporis esset, accepit. Vnde quod in Origene meritò damnatum est: qui animarú antequam corporibus insererentur, non solum miras, sed & diuersas fuisse asseruit actiones, necesse est, quòd in isto plectatur. Remi. Has igitur hæreses in principio euangelij sui euangelistæ destruunt: nam Matth. cùm narrat eum duxisse originem per reges Iudæorum: verum hominem eum ostendit, & veram carnem habuisse. Similiter & Lucas qui sacerdotalem stirpem & personam describit. Marcus autem cum ait. Initium euangelij Iesu Christi filij Dei: & Ioannes cum ait. In principio erat

verbum, manifestant eum ante omnia secula semper fuisse Deum, apud Deum patrem. *Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Augustinus de concordantia euangeliorum. Matthæus euangelista ostendit generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam, quia genealogiam Christi exorsus est. Lucas autem tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans non ab initio euangelij sui, sed à baptismo Christi generationes enarrat, vbi testimonium Ioãnes perhibuit, dicens. Ecce qui tollit peccata mundi. In generationibus etiam Matthęi significatur nostrorum susceptio peccatorum domino Christo. In generationibus autem Lucæ significatur abolitio nostrorum peccatorum ab ipso, ideo generationes Christi Matthæus descendens enarrat. Lucas autem ascendens. Humanam autem Christi generationem Matthæus descendẽdo describens ab Abraham generationes cõmemorat. Aug. super Lucam. Prior enim Abraham meruit fidei testimonium, quia credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: ideo etiam auctor generis debuit significari, quia instaurandæ ecclesiæ sponsionem primus emeruit, cum dicitur: Benedicentur in te omnes tribus terræ. Et iterum Dauid, delatum est quod Iesus filius eius diceretur, vnde huic prærogatiua seruatur, vt ab eo generationis dominicæ manaret exordium. Chry. Euangelista igitur Matthæus generationem dominicæ carnis per seriem parentum volens commendare memoriæ, ordiens à patre Abraham dicit. Abraham genuit Isaac. Cur nõ dixit Ismael, quem primitus genuit? Sequitur. *Isaac autem genuit Iacob.* Cur non dixit Esau, qui eius primogenitus fuit? Quia, scilicet per illos ad Dauid peruenire non posset. Glo. Omnes tamen fratres Iudæ cum ipso in generatione computat, quod etiam ideo factum est, quia Ismael & Esau non remanserunt in cultu vnius Dei, fratres verò Iudæ in populo sunt computati. Chry. vel propterea 12. patriarcharum meminit, vt eam quę ex progenitorum nobilitate est, elationem auferret. Etenim multi horum ex ancillis nati fuerunt, sed omnes similiter erant patriarchæ & tribuum principes. Glo. Ideo autem Iudam nominatim posuit, quia de illo tantum dominus descendit. In singulis autem patribus non solum debet notari historia, sed allegoria & moralitas. Allegoria quidem, in quo vnusquisque patrum Christum præfiguret. Moralitas in hoc notatur quòd ex singulis patribus in nobis aliqua virtus, per significationem nominis vel exemplum, ædificetur. Abraham ergo in multis locis figuram Christi portat, & propterea in nomine. Abrahã enim pater multarum gentium interpretatur, & Christus est pater multorum fidelium. Abraham etiã de cognatione sua exiit, & in terra aliena demoratus est, & Christus derelicto iudaico populo ad gentes per prædicatores suos exiuit. Chry. super Matth. Isaac autem interpretatur risus, risus autem sanctorum est non stulta cachinatio labiorum, sed rationabile gaudium cordis quod fuit mysterium Christi. Sicut enim ille parentibus in vltima senectute donatus est lætitia suis, vt cognoscatur, quia non erat filius naturæ, sed gratiæ, sic & Christus in nouissimo fine productus est à matre Iudæa, qui gaudium cunctis, sed iste per virginẽ, ille de anu, ambo contra spem naturę. Remig. Iacob supplantator interpretatur, & de Christo dicitur. Supplãtasti insurgentes in me subtus me. *Iacob genuit Iudam & fratres eius.* Chry. super Matth. Et Iacob genuit 12. apostolos in spiritu non in carne, verbo, non in sanguine. Iudas autem interpretatur confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessur patris erat futurus, dicẽs. Cõfiteor tibi pater domine cæli & terrę. Glo. Moraliter autẽ Abraham nobis virtutem fidei per exempla Christi significat, cum de eo legatur. Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Isaac significat spem, quia interpretator risus, fuit enim gaudiũ parentum, spes verò similiter est gaudiũ nostrũ, dũ ęterna bona sperare facit, & de eis gaudere. Abraham ergo genuit Isaac, quia fides generat spem. Iacob autem significat charitatem. Charitas enim amplectitur duas vitas, actiuam per dilectionem proximi, contemplatiuam per dilectionem Dei. Actiua per Liam, cõtemplatiua per Rachel significatur. Lia enim laborans interpretatur, quia actiua in labore est. Rachel visum principiũ, quia per contemplatiuam principium, id est Deus videtur. Nascitur ergò Iacob de duobus parẽtibus, quia charitas nascitur de fide & spe, quod enim credimus & speramus, diligimus. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, &c.* Glos. Prætermissis aliis filiis Iacob, euangelista Iudæ prosequitur generationem, dicens: *Iudas autem genuit Pha. &c.* Aug. de ciui. Dei. Nec Iudas primogenitus, nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Iudæ: sed ante illos iam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad Dauid atque inde quo intenderet, perueniret. Hiero. Notandum autem in genealogia saluatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret, vnde & in sequentibus Ruth Moabitis ponitur. Ambr. super Lucam. Lucas autem hic declarauit, vt immaculatam sacerdotalis generis seriẽ declararet, sed sancti Matthæi consilium à rationis iustitia non abhorret, nam cùm euangelizaret secundum carnem generatum esse, qui omnium peccata susciperet subiectum iniurijs, subditum passioni: nec hoc quidem putauit exortem asserendum esse pietatis: vt maculatæ quoque originis non recusaret iniuriam: simul ne puderet ecclesiam de peccatoribus congregari, cum Dominus de peccatoribus nasceretur. Postremo, vt beneficium redemptionis etiam à suis maioribus inchoaret, ne quis putaret originis maculam impedimẽto posse esse virtuti, nec se insolens de sui nobilitate iactaret. Chry. in ho. Post hoc monstrauit omnes obnoxios fuisse peccatis, instat enim Thamar fornicatio Iudã accusans: & Dauid à fornicaria muliere genuit Salomonem. Si autem à magnis lex nõ est impleta, nec à minoribus, & sic omnes peccauerunt, & necessaria facta est Christi præsentia. Amb. super Lucam vide autem quia non ociosè Matthæus vtrumque significauit, cum Phares tãtummodo commemorationum causa deposceret: quia hic in vtroque mysterium est: per geminos enim gemina describitur vita populorum, vna secundum legem, altera secundum fidem. Chry. super Mat. Per Zaram enim significatur Iudaicus populus, qui primus apparuit in luce fidei, quasi de vulua tenebrosa mundi, procedens, & ideo signifi

g...flatus est cocco citecificionis putantibus omnibus, quod ipse populus D... etar fut... sed posita est ante faciem eius ... quasi sepes vel maceria. Sic ... ped ... est populus Iudaicus per legem ... tempore ... Christi rupta est sepes legis, ... Iudæos, & gentiles sicut ... patrem ... fouens ... factum ... per Phares significatus, postquam ... per Christi mādata, primus ad fidem ... & postea sequitur iudaicus populus. Sequitur. *Phares autem genuit Esron.* Glo. Iudas genuit Phares, & Zaram, antequam intraret Ægyptum, in quam ambo postea cum patre transierunt. In Æ... pro vetu Phares genuit Efron. Efron autem genuit Aram. Arā autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naha$\!$sson: & tunc Moyses eduxit eos de Ægypto. Nahassō autē fuit dux sub Moyse in tribu Iuda per desertum, in quo genuit Salmon. Iste Salmon fuit princeps de tribu Iuda, qui ... Iosue terrā promissionis intrauit. Chry. super Mat. Quoniam autem ex aliqua causa secundum prouidentiam Dei posita, horum patrum nomina credimus. Sequitur. *Nahasson autem genuit Salmon.* Iste Salmon mortuo patre suo princeps in tribu Iuda, qui cum Iosue terram promissionis intrauit. Chry. super Mat. Accepit autem vxorem nomine Raab. Hæc autem Raab dicitur fuisse Raab meretrix de Hierico, quæ suscepit exploratores filiorum Israel, abscondit eos, & seruauit incolumes. Cum autem Salmon nobilis esset inter filios Israel, quia de tribu erat Iuda, & quia filius principis erat, vidit Raab sic fidelem: quasi magnam animam constitutam meruit accipere in vxorem. Forsitan autem & ideo interpretatur Salmon, quasi per ipsum nomen inuitaretur à prouidentia Dei, vt acciperet vas electionis Raab. Interpretatur enim Salmon accipere vas. Sequitur. Salmon autem genuit Booz de Raab. Glo. Iste Salmon in terra promissionis genuit de illa Raab Booz. Booz autem genuit Obeth ex Ruht. Chry. super Mat. Quomodo autem Booz accepit vxorem Moabitidem nomine Ruth: exponere æstimaui superfluum, cum de his scriptura sit omnibus manifesta. Hoc autem dicimus solum quoniā Ruth pro merito fidei suæ, nupsit Booz: quia deos patrum suorum repulit, & Deum viuentem elegit. Et Booz pro merito fidei suæ illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali sanctificato, genus nasceretur regale. Amb. super Lucam. Quomodo autem Ruth, cum esset alienigena, Iudæo nupsit: & qua ratione in Christi generatione eius putauerit Euangelista copulæ commemorationem esse faciendam, quæ legis serie mœchabatur? Quis ergo non de legitima saluator generatione manauit, videtur esse deforme, nisi ad Apostolicam sententiam reuertatis: quia non est lex posita iustis, sed iniustis. Hæc enim cum esset alienigena, & Moabitidis, præsertim cū lex Moysi prohiberet has nuptias Moabitidis: quia excluderet & ab Ecclesia, quo introiuit in Ecclesiam, nisi quia sancta & immaculata moribus supra legem facta est. Diffinitionem ergo legis excessit, & meruit inter maiores dominici generis computari, propter cognationem mentis electa, non corporis. Magnum autem nobis exemplum est, quod in illa nostrum omnium, qui ex gentibus collecti sumus, ingrediendi in Ecclesiam Domini figura præcessit. Hieronymus in Epistola ad Paulinum. Ruth etiam Moabitidis Esaiæ explet vaticinium, dicentis: Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion. Sequitur: *Obed autem genuit Iesse.* Glo. Iesse pater Dauid binominis est: qui a treq; ... vocatus est Esai: sed quia Propheta vocat eum nō Esai sed Iesse, dicens: Egredietur virga de radice Iesse, vt ostenderet illam prophetiam completam in Maria, & in Christo, Euangelista posuit Iesse. Sequitur: *Iesse autem genuit Dauid Regem.* Remi. Sed quærendum est quare sanctus Euangelista solum Dauid nominauerit Regem? quod ideo dixit, vt ostenderet eum primum fuisse Regem in tribu Iuda. Ipse autem Christus est Phares diuisor, vt est illud. Diuidet agnos ab hœdis: est & Zaram oriens, vt est illud. Ecce vir oriens nomen eius est. Efron sagitta, vt est illud. Posuit me sicut sagittam electam. Raba. Vel alterum propter abundantiam gratiæ, & latitudinem charitatis. Aram electus secundum illud. Ecce puer meus electus, vel excelsus secūdum illud. Excelsus super omnes gentes Dominus ipse est. Aminadab, id est, voluntarius, qui dicit: Voluntariè sacrificabo tibi. Ipse est & Nahasson, id est, augurium, qui nouit præterita, præsentia, & futura: vel serpentinus secundum illud. Moyses exaltauit serpētem in deserto. Et est Salmon, id est, sensibilis, qui dicit: Ego sensi de me virtutē exisse. Glo. Ipse accepit Raab, id est, Ecclesiam de Gentibus. Raab enim fames, vel latitudo, vel impetus: quia Ecclesia Gentium esurit, & sitit iustitiam, & impetu doctrinæ Philosophos, & Reges conuertit. Ruth etiam interpretatur videns, vel festinans, & significat Ecclesiam, quæ puro corde videt Deum, & festinat ad brauiū supernæ vocationis. Remi. Est & Booz: in quo robur, vt est illud. Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Est & Obeth seruiens, vt est illud. Filius hominis non venit ministrari: sed ministrare. Est & Iesse incensum, secundum illud. Ignem veni mittere in terram. Ipse est Dauid manu fortis, secundum illud. Dominus fortis, & potens. Desiderabilis, secundum illud. Veniet desideratus cunctis Gentibus. Pulcher aspectu, secundum illud. Speciosus forma præ filiis hominum. Glos. Interim videamus, quas virtutes isti patres in nobis ædificent: quia fides, spes, & charitas omnium virtutum sunt fundamentum. Sequentes virtutes sunt quasi superadditiones. Iudas interpretatur confessio: duplex est autem confessio, est altera fidei, altera peccatorum. Si ergo post tres supradictas virtutes peccatur, necessaria est non solum fidei, sed peccatorum confessio. Post Iudam sequitur Phares & Zaram, Phares diuisio, Zarām oriens interpretatur, & Thamar amaritudo. Confessio enim generat diuisionem à vitiis, & ortum virtutum, & amaritudinem pœnitentiæ. Post Phares sequitur Efron, qui sagittat interpretatur, postquam enim aliquis diuisus est à vitiis, & seculatibus, debet fieri sagitta, vt in aliis vitia precando perimat. Sequitur. Aram qui interpretatur electus, vel excelsus: quia postquam aliquis à mūdo remotus est, & aliis proficit: necesse est, vt à Deo electus hominibus celebris, excelsus in virtutibus habeatur. Nahasson interpretatur augurium: hoc autem augurium non est seculare, sed cæleste. De hoc gloriabatur Ioseph fratribus mandans: Vos detulistis scyphum Domini mei, in quo augurari

ſolebat. Scyphus eſt diuina ſcriptura, vbi eſt potus ſapientiæ, in hac auguratur ſapiens, quia ibi videt futura, id eſt, cæleſtia. Sequitur: Salmon, id eſt, ſenſibilis, poſt quam enim aliquis ſtudet in diuina ſcriptura, fit ſenſibilis, id eſt, diſcernens guſtus rationis, quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarum. Sequitur: Booz, id eſt, fortis, inſtructus enim in ſcripturis fit ad omnia aduerſa toleranda fortis. Auguſtinus ſuper Matthæum: Iſte autem fortis, eſt filius Raab, id eſt, Eccleſiæ. Raab enim interpretatur latitudo, vel dilatata: quia enim ea omnibus finibus terræ vocata eſt Eccleſia, ideo Gentium latitudo appellatur. Rab. Sequitur: Obeth, id eſt, ſeruitus: non enim idoneus eſt ad ſeruitutem, niſi qui fortis eſt, quæ ſeruitus generatur ea Ruth, id eſt, feſtinantia. Oportet enim promptum eſſe ſeruum, non pigrum. Chryſoſtomus ſuper Matth. Nunc autem qui diuitias, & non mores: pulchritudinem, & non fidem, & quod in meretricibus quæri ſolet, hoc in coniugibus optauit, non generant ſubditos filios, vel ſibi, vel Deo, ſed contumaces, & contra Deum, vt filij eorum ſint pœna irreligioſitatis eorum. Iſte Obeth genuit Ieſſe, id eſt, refrigerium. Nam quicunque eſt ſubditus Deo, & parentibus ſuis tales filios generat Deo præſtante, à quibus refrigeratur. Gloſ. Vel Ieſſe, id eſt, incenſum. Si enim ſeruimus ea amore, & timore: erit deuotio in corde, quæ ea igne, & deſiderio cordis ſuauiſſimum incenſum offert Deo: poſtquam autem aliquis idoneus eſt ſeruus, & ſacrificium Deo factus, ſequitur, vt ſit Dauid, id eſt, manu fortis, qui contra hoſtes fortiter dimicauit, & idoneos tributarios fecit. Similiter ipſe debet carnales, id eſt, homines verbo, & exemplo Deo ſubiugare. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Aſa: Aſa autem genuit Ioſaphat.* Gloſ. Secundi quaternarij generationis ſeriem Euangeliſta decurrit, quæ à regibus continetur: & ideo à Dauid incipit, qui primus in tribu Iudæ regnauit, dicens: *Dauid Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.* Auguſtinus de concor. Euangel. Quia enim generationibus Matthæi ſignificatur noſtrorum ſuſceptio peccatorum: ideo ipſe à Dauid per Salomonem deſcendit, in cuius matre ille peccauit. Lucas verò ad Dauid per Natham aſcendit, per quem Prophetam Deus peccatũ illius expiauit: quia in generationibus Lucæ ſignificatur abolitio peccatorum. Auguſt. in lib. retra. Dicendum tamen fuit cuius nominis Prophetam, ne putaretur idem fuiſſe homo, cum alter fuerit, quamuis & ipſe hoc nomine vocaretur. Remig. Quærendum eſt autem quare Euangeliſta Berſabee proprio nomine non nominauit: ſicut cęteras mulieres, quod ideo eſt: quia cæteræ mulieres quamuis reprehenſibiles fuiſſent, tamen laudabiles erant virtutibus. Berſabee verò non ſolum fuit conſcia adulterij, ſed etiam homicidij mariti ſui: & ideo proprio nomine eam non nominauit in genealogia Domini. Gloſ. Tacet etiam nomine Berſabee, vt nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximũ ſcelus, quod in eam fecit Dauid. Ambroſ. ſuper Luc. At verò Sanctus Dauid in eo eſt præcellentior, quòd hominem ſe ipſe cognouit, & commiſſum ſuper arrepta Vriæ vxore peccatum pœnitentiæ curauit lachrymis abluendum, oſtendens nobis neminem propriæ virtuti debere confidere. Habemus enim aduerſarium magnum, qui vinci à nobis ſine Dei adiutorio non poſſit, & plerunque in illuſtribus viris grauia peccata reperies, vt quaſi homines tentationi potuiſſe ſuccumbere cognoſcas, virtutibus egregiis pluſquam homines crederẽt. Chry. ſuper Matth. Salumon autem interpretatur pacificus, quoniam omnibus in circuitu gentibus pacificatis, & tributa reddentibus, pacificatum habuit regnum. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam interpretatur a multitudine populi. Multitudo enim, mater eſt ſeditionis, quia quod à pluribus peccatur, plerũque manet inuindicabile. Paucitas autem magiſtra eſt diſciplinæ. *Ioſaphat autem genuit Ioram: Ioram autem genuit Oziam, &c.* Hieron. In quarto autem Regum volumine legimus de Ioram Ochoziam fuiſſe generatum. Quo mortuo, Ieſabeth filia Iorã regis, ſoror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris ſui, & eum internitioni, quæ exercebatur ab Athalia, ſubtraxit. Cui ſucceſſit in regnũ filius eius Amaſias, poſt quem regnauit filius eius Azarias, qui appellatur Ozias, cui ſucceſſit Ioatham filius eius. Cernis ergo quòd ſecundum fidem hiſtoriæ, tres reges in medio fuerunt, quos Euangeliſta prætermiſit. Ioram quoque non genuit Oziam, ſed Ochoziã & reliquos, quos enumerauimus: Verum quia Euangeliſtę propoſitum erat tres teſſeradecades, & in diuerſo temporis ſtatu ponere, & quia Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimę Iezabelis, idcirco vſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur. Hilar. Purgata verò labe familiæ gentilis, iam regalis in quarta generationum conſequẽtium origo numeratur. Chry. ſuper Matth. Quod ſpiritus ſanctus prophetiam conteſtatus eſt, dicens vt diſpergeret omnem maſculum de domo Achab, & Iezabel impleuit Iehu filius Namſi, accepit promiſſionem, vt vſque ad quartam generationem ſedeant filij eius in ſede regni ſuper Iſrael. Quanta ergo benedictio facta eſt ſuper Iehu, qui vindictam fecerat ſuper domum Achab & Iezabel, & vſque ad quartam generationem præcidantur filij eius regum numero, & ſic peccatum eius deſcendit in filius eius, ſicut fuerat ſcriptum. Reddam peccata patrum in filios vſque ad tertiam & quartã generationem. Videte ergo quam periculoſum eſt inire coniugia ex genere impiorum. Auguſt. de quæſt. no. & vete. teſtamenti. Vel non immeritò ſublati ſunt de numero cæterorum Ochozia, & Ioas, & Amazias. Sic enim eorum continuauit impietas, vt nullum interuallum haberet. Salumon autem meritò patris demiſſus in regno eſt. Roboam autem merito filij, illi autem tres malignè agẽtes ſublati ſunt. Ad perditionem enim generis exemplũ eſt, quando iugiter malignitas pandit[ur]. Sequitur. *Ozias autem genuit Ioatham: Ioatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam*, cui, cum eſſet ſine liberis, dictum eſt. Diſpone domui tuæ, quia morieris. Ideo fleuit non propter longiorem vitam, cum ſciret inde Salomonem placuiſſe Deo, quòd non petiſſet ampliores annos. Sed quia dubitabat, ne promiſſio Dei impleretur: cum ſe ſciret eſſe de Dauid, per quẽ oportebat venire Chriſtum, & ipſe erat ſine liberis. Sequitur. *Ezechias autem genuit Manaſſem: Manaſſes autem genuit Amon: Amon autem genuit Ioſiam: Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius, in tranſmigratione Babylonis.* Chryſoſt.

ſuper

super Matth. Sed non sic positum est in libro regum, vbi talis est ordo: Iusias genuit Eliachim, postea vocatum Ioachim: Ioachim autem genuit Iechoniam: sed Ioachim sublatus est de numero Regum: quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sed Pharao per potentatum. Si enim iustum fuit, vt propter solam commixtionem generis Achab tollerentur tres reges de numero regum, quare non erat iustum, vt similiter tolleretur Ioachim, quē Pharao vi hostili fecerat regem. Et sic Iechonias, qui est filius Ioachim, nepus autem Iosiæ, sublato patre de numero regū, ipse est positus pro eo, quasi filius Iosiæ. Hier. Vel aliter sciamus Iechoniam priorem ipsum esse, qui Ioachim, secundum autem filium non patrem quorum primus per k. & m. secundus per ch. & n. scribitur. Quia scriptorum vitio, & longitudine temporum, apud Græcos Latinosque confusum est. Ambr. super Lucam. Duos enim fuisse Ioachim, Regum libri indicant. Sic enim scriptum est: dormiuit Ioakim cum patribus suis, & regnauit Ioachin filius eius pro eo, filius autem est cui Ieremias nomen imposuit Iechoniam. Et bene sanctus Matthæus à propheta noluit discrepare, vt non Ioachim & Iechoniam vocaret simul: quia maiorem fructum dominicę pietatis astruxit. Generis enim nobilitatem dominus in hominibus non requisiuit, sed de captiuis peccatoribus congruè nasci voluit, qui remissionem veniebat prædicare captiuis. Non igitur suppressit alterum euangelista, sed vtrunque significauit, quòd vterque Iechonias dictus sit. Rem. Sed quæri potest, quare dicat euangelista eos natos in transmigratione, cum nati fuissent antequam transmigratio fuerit facta? ideo autem dicit hoc quia ad hoc nati sunt, vt de regno totius populi pro suis, & aliorum peccatis captiui ducerentur. Et quia pręscius erat Deus eos esse ducendos captiuos, idcirco dixit eos natos in transmigratione. De his autem, quos sanctus euangelista in genealogia domini simul ponit, sciendum quia aut similes fuerunt fama, aut infamia, Iudas, & fratres eius laudabiles fuerunt fama: similiter Phares, & Zaram: Iechonias & fratres eius notabiles fuerunt infamia. Glossa. Mysticè autem Dauid est Christus, qui Goliam, id est, diabolum superauit. Vrias autem, id est luxuria, id est, diabolus, qui dicit. Similis ero altissimo: cui ecclesiam coniugatam Christus de solario paternæ maiestatis adamauit: & pulchram factam sibi matrimonio copulauit. Vel Vrias, id est, iudaicus populus, qui per legem de luce gloriatur. Sed huic Christus legem abstulit: quam de se loqui docuit. Bersabee autem est puteus satietatis, id est, abundantiam gratiæ spiritualis. Remi. Vel Bersabee interpretatur puteus septimus, siue puteus iuramenti: per quod significatur fons baptismatis, in quo datur donum spiritus septiformis, & fit ibi adiuratio contra diabolum. Est & Christus Salomon pacificus secundum illud apostoli. Ipse est pax nostra. Et Roboam latitudo populi secundum illud. Multi venient ab oriente & ab occidente. Rab. Vel impetus populi: quia velociter populos conuertit ad fidem. Rem. Ipse est Abia, id est, pater dominus, secundum illud. Vnus est pater vester, qui in cælis est, & iterum: Vos vocatis me magister, & domine. Est & Asa, id est, attollens: secundum illud. Qui tollit peccata mundi. Est & Iosaphat, id est, iudicans; secundum illud. Omne iudicium dedit filio. Est & Ioram, id est, excelsus: secundum illud. Nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit. Est & Ozias, id est, robustus domini: secundum illud. Fortitudo mea & laus mea dominus: Est & Ioatham consummatus vel perfectus: secundum illud apostoli. Finis legis Christus est & Achaz conuertens: secundum illud: conuertimini ad me. Rab. Vel comprehendens: quia nemo nouit patrem nisi filius. Remi. Est & Ezechias fortis dominus: vel dominus cōfortator: secundum illud. Confidite, ego vici mundum. Ipse est Manasses obliuionis siue oblitus, secundum illud. Peccatorum vestrorum nō recordabor amplius. Est & Amon fidelis: secundum illud. Fidelis dominus in omnibus verbis suis. Est & Iosias: vbi est incēsum domini: secundū illud. Factus in agonia prolixius orabat. Rab. Quòd verò incensum orationū significat Psal. testatur, dicens: Dirigatur oratio mea sicut incēsum in cōspectu tuo. Vel domini salus: secūdum illud. Salus autē mea in sempiternum erit. Remig. Ipse Iechonias præparans, vel domini præparatio: secundum illud. Si abiero, & præparauero vobis locū. Glo. Moraliter autem post Dauid sequitur Salomon: qui interpretatur pacificus. Tūc enim aliquis fit pacificus, motibus sedatis illicitis, & quasi iam in æterna tranquillitate positus cum Deo seruit: & alios ad eum conuertit. Sequitur. Roboam, id est populi latitudo: postquam enim non habet quod in se vincat, amplecti alios debet & latè populum Dei ad superna trahere secum. Sequitur. Abia, id est pater dominus. His enim præmissis potest se profiteri filiū Dei: & tunc esse Asa, id est attollens, vt virtute in virtutem ad patrem suum ascendat: & tunc erit Iosaphat, id est iudicans: vt alios iudicet, & à nemine iudicetur. Ita fit Ioram, id est excelsus quasi in cælestibus habitans. Vnde efficitur Ozias, id est robustus domini, quasi robur suum Deo attribuens: & in suo proposito perseuerans. Et sequitur. Ioatham, id est perfectus: quia quotidie in maius perficit. Et sic fit Acham, id est cōprehendens: ea operatione enim augmentatur agnitio: secundum; Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Sequitur. Ezechias, id est fortis dominus: quia Deum fortem esse intelligit: & ideo in amorem eius conuersus, fit Manasses, id est obliuiosus temporalia tradens obliuioni: & ex hoc fit Amon, id est fidelis, qui enim temporalia cōtemnit, neminem in re sua defraudat. Et sic fit Iosias, id est salutem domini securè expectās. Iosias enim salus domini interpretatur. *Et post trāsmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel, &c.* Chry. super Mat. Post transmigrationem inter priuatas personas, primò ponit Iechoniam, quasi priuatum & ipsum. Ambro. super Lucam. De quo Hieremias dicit. Scribe virum istum abdicatum, quia non exurget ex semine eius sedens in throno Dauid. Quomodo autem ex semine Iechoniæ nullus regnaturus dicitur per prophetam? si enim Christus regnauit: ex semine autem Iechoniæ Christus est: propheta mentitus est. Sed illic futuros ex semine Iechoniæ non negatur, & ideo de semine eius Christus est: & quod regnauit Christus, non contra prophetam est, non enim seculari honore regnauit. Ipse enim dixit. Regnum meum non est de huc mundo. *Iechonias autem genuit Salathiel* Chry. super Mat. De Salathiel quidem nihil legimus vel boni

boni vel mali, tamẽ putamus sanctum eum fuisse, & in captiuitate assiduè Deum petisse pro ipsa captiuitate, quæ contigerat Israel, ideo petitionem Dei eum appellatum fuisse, interpretatur enim petitio Dei. Salathiel autem genuit Zorobabel, qui interpretatur fluxio postposita, vel ex commixtione. Vel hic doctor Babyloniæ legitur. Si verum est, nescio: quia sacerdotale, & regale genus mixtum est in Zorobabel. Reuersi sunt filij Israel in terram propriam: quia cum contenderent tres pro sua sententia vicit Zorobabel, & pronunciata est omnibus fortior veritas esse: propter quod Darius concessit ei filios Israel redire in sua, & ideo rectè secundum prouidentiam Dei nominatus est Zorobabel, id est doctor Babyloniæ. Quæ enim maior doctrina quam ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? Glo. Sed hoc videtur esse contrarium generationi, quæ legitur in Paral. Dicitur enim ibi Iechonias genuisse Salathiel & Phadaia, & Phadaia Zorobabel, & Zorobabel Mosollam, Ananiam, & Salomith sororem eorum. Sed scimus multa in Paralipomenon vitio scriptorum deprauata. Vnde multæ & indeterminatæ genealogiarum veniunt quæstiones, quas iubet apostolus euitari. Vel potest dici, Salathiel & Phadaia eundem esse quasi binnomium, vel Salathiel & Phadaia fratres esse, & filios eiusdem nominis habuisse, & historiographum secutum fuisse generationẽ Zorobabel filij Salathiel. De Abiud vsque ad Ioseph nulla historia inuenitur in Paralip. sed alij multi annales legnotur fuisse apud Hebræos, qui dicebantur verba dierum, de quibus Herodes rex alienigena dicitur multos combussisse, vt ordo regiæ stirpis confunderetur. Et forsitan Ioseph nomina parentum ibi legerat, vel alio quomodo retinuerat: vnde euangelista seriem istius generationis poterat scire. Notandum tamen quod post Iechonias Domini resurrectio, sequens Domini præparatio dicitur. Vtrumque autem conuenit domino Christo, qui dicit. Ego sum resurrectio & vita, & vado parare vobis locum. Salathiel, id est, petitio mea Deus, illi conuenit qui dicit. Pater sancte, serua illos, quos dedisti mihi. Remi. Est etiam Zorobabel, id est, magister confusionis secũdum illud. Magister vester cum publicanis & peccatoribus manducat. Ipse est Abiud, id est, pater meus iste, secundum illud. Ego & pater vnum sumus. Est & Eliachim, id est, Deus resuscitans, secundum illud. Resuscitabo eum in nouissimo die. Est & Azor, id est, adiutus. Qui me misit mecum est. Ipse est & Saduch iustus siue iustificatus: secundum illud. Traditus est iustus pro iniustis. Est & Achim. id est, frater meus iste, secundum illud. Qui fecerit voluntatem patris mei, hic meus frater. Est etiam Eliud, id est, Deus meus iste, secundum illud. Deus meus & dominus meus. Glo. Est & Eleazar, id est, Deus meus adiutor. Est & Natham, id est, donans vel donatus, secundum illud. Dedit dona hominibus: &, sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum. Remi. Est & Iacob supplantatus: quia non solum ipse supplantauit diabolum, sed & huius potestatem suis filiabus dedit, secundum illud. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes. Est & Ioseph, id est, apponens, secundum illud. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Raba. Sed videamus quid moraliter isti patres significent: quia post Iechoniam qui dicitur præparatio Domini, sequitur Salathiel, id est, petitio mea Deus, qui enim præparatus est, non petit nisi solum Deum. Sed iterum fit Zorobabel, id est, magister Babylonis, scilicet terrenorum hominum, quos facit cognoscere de Deo, quod sit pater est, quod sonat Abiud, & tunc ille populus resurget à vitiis, vnde sequitur Eliachim qui resurrectio interpretatur, & idem & bene operandum adiutus, quod sonat Azor. Fit Saduch, id est, iustus, & tunc dicit fidelis per dilectionem proximi: ipse est frater meus, quod sonat Achim. Et per dilectionem Dei dicit Deus meus, quod sonat Eliud, & sequitur Eleazar, id est, Deus meus adiutor, quia recognoscit Deum suum adiutorem. Ad quid autem tẽdit, ostendit Natham, qui dicitur donum vel donans: expectat enim Deum datorem, sicut luctatus est in principio & vitia supplãtauit: sic & in fine vitæ quod ad Iacob pertinet, & sic peruenitur ad Ioseph, id est ad augmentum virtutum. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Glo. Post omnes generationes patrum ponit vltimo generationem Ioseph viri Mariæ, propter quam omnes aliæ introducuntur, dicens. *Iacob autem genuit Ioseph.* Hier. Hunc locum obijcit nobis Iulianus Augustus dissonantiæ Euãgelistarum, cur Matthæus Ioseph filium dixit Iacob, & Lucas filium eũ appellauerit Hely, non intelligens consuetudinem scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysem, Deo iubẽte, præceptum, vt, si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius eius acciperet vxorem ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Super hoc Aphricanus temporum scriptor & Eusebius Cæsariensis plenius disputauerunt. Ex ecclesiastica autem historia; Nathan enim & Melchi diuersis temporibus ex vna eadémque vxore Iesca nomine singulos filios procrearunt: quia Nathan, qui per Salomonem descendit, vxorem eam primum ceperat, & relicto filio vno, Iacob nomine, defunctus est, post cuius obitum, quoniam lex viduam alij viro non vetat nubere, Melchi qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Nathan accepit vxorem, ex qua ipse suscepit filium nomine Hely, per quos ex diuerso patrum genere efficiuntur Iacob & Hely, vterini fratres: quorum alter, id est Iacob fratris Hely sine liberis defuncti vxorem ex mandato legis accipiẽs genuit Ioseph, natura quidem genens suum filium: propter quod scribitur. Iacob autem genuit Ioseph. Secundum legis verò præceptum, Hely efficitur filius Iacob, quia frater erat, & ad suscitandum fratris semen eius vxorem acceperat, & per hoc recta inuenitur atque integra generatio, & ea quam Matthæus enumerat, & ea quam Lucas, qui legalem successionem, quæ velut adoptionis quædam erga defunctos constat, competenti satis per hoc designauit iudicio, obseruans ne in huiusmodi successionibus genuisse aliquem nominaret. Aug. de consen. euan. Commodius enim filius eius dictus est, à quo fuerat adoptatus, quam si diceretur ab illo genitus cuius carne nõ erat natus. Matthæus autem dicens. Abraham genuit Isaac, & in hoc perseuerans donec diceret. Iacob genuit Ioseph: satis expressit eum patrem produxisse secundum ordinem generationum à quo Ioseph non adoptatus, sed genitus erat: quamquam si etiam Lucas

Lucas genitum diceret Ioseph ab Hely, ne sic nos hoc verbum perturbare deberet: neque enim absurde, quisquam dicitur non carne sed charitate genuisse, quem sibi filium adoptauerit. Ea ecclesiastica historia. Hæc autem non nobis ad subitum reperta, aut absque vllis auctoribus commentata sunt: sed ipsi saluatoris nostri secundum carnem propinqui, seu studio tanti seminis demonstrandi, seu edocendi quæ secundum veritatem gesta sunt, hæc tradiderût. Aug. de cons. euan. Merito autem Lucas qui non ab initio euangelij sui, sed a baptismo Christi generationes enarrat, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis, magis assignans adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei, credendo in filium Dei. Per carnalem vero generationem quam Matthæus prosequitur, filius Dei potius propter nos homo factus est. Satis autem ostendit Lucas se dixisse Ioseph filium Hely, quod illi fuerit adoptatus, cùm Adam filiû dixerit Dei, qui per gratiam quam postea peccando amisit: tanquam filius in paradiso constitutus sit. Chry. in ho. Positis igitur progenitoribus vniuersis & finiens in Ioseph, addit. *Virum Mariæ*, monstrans quod propter illam & hunc in genealogia posuit. Cùm autem virum audieris, tibi suspicio nô subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, quod sponsæ vxores, & sponsi viri vocantur. Genadius de ecclesiasticis dogmatibus. Natus est autê Dei filius ex homine, id est, ex Maria, & per hominem, id est, non ea Maria, & non per hominem, id est, ex viri coitu, sicut Ebion dicit: vnde signanter subdit. *De qua natus est Iesus.* Aug. de hæ. Quod est contra Valentinum, qui dixit Christum nihil assumpsisse de virgine, sed per illam tanquam per riuum, aut fistulam pertransisse. Augu. contra Faustum. Cur autem carnem ea vtero fœminæ assumere voluerit, summa consilij penes ipsum est: siue quod vtrumque sexum hoc modo honorâdum iudicauit: assumendo formam viri, & nascendo de fœmina, siue aliqua alia causa, quam non temere dixerim. Aug. de quæst. no. & vet. testa. Quod autem per olei vnctionem præstabat Deus his, qui in reges vngebantur: hoc præstitit spiritus sanctus homini Christo, addita expiatione, qua natus est Christus est appellatus. Et hoc est quod dicitur. *Qui vocatur Christus.* Aug. de cons. euan. Non tantum erat fas vt eum ob hoc à coniugio Mariæ separandum putaret, quòd non ex ea eius côcubitu, sed virgo peperit Christum, hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, & seruata pari consensu continentia: posse permanere coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim quia nasci eis filius potuit sine vllo complexu carnali. Aug. de nup. & concu. Omne autem nuptiarum bonum, impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, & sacramentum: prolem cognoscimus Christum dominum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium. Hier. Quærat autem diligens lector, & dicat: cum Ioseph non sit pater domini saluatoris: quod pertinet ad dominû generationis ordo deductus vsque ad Ioseph? Cui respondebimus primò non esse consuetudinis scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur: deinde ex vna tribu fuisse Ioseph & Mariam: vnde ex lege eam accipere cogebatur vt propinquã, & quod simul censentur in Bethleem, vt de vna videlicet stirpe generati. Augu. de nup. & concu. Fuit & series generationis vsque ad Ioseph perducenda: ne in illo coniugio virili sexui vtique peccatorum potiori fieret iniuria, cum veritati nihil depereret: quia ex semine Dauid erat & Maria. Aug. contra Faustum. Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione Dauid, quia eius scripturis credimus, quæ vtrunque dicunt & Christum ex semine Dauid secundum carnem, & eius matrem Mariam non cum viro concumbendo, sed virginem. Ex gestis concilij Ephesini: Cauendus autem est hic Nestorij error, qui sic dicit, cum diuina scriptura dictura est aut natiuitatem Christi quæ ex Maria virgine est, aut mortê, nusquam videtur ponens Deus, sed aut Christus, aut filius, aut dominus, quoniam hic tria naturarum significatiua, duarum aliquando quidê huius, aliquando verò illius, aliquando autem & illius & istius. Accipe autem ad hoc testimonium, *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.* Deus enim verbum secunda ea muliere non eguit natiuitate. Augu. contra Felicianum. Sed nô alius Dei & alius hominis, sed idem Christus Dei, & hominis filius fuit, & sicut in vno homine aliud animus & aliud corpus, sic in mediatore Dei & hominum, aliud Dei filius, aliud hominis filius fuit, vnus tamen ex vtroque Christus dominus fuit. Aliud inquam pro discretione substantiæ, non alius pro vnitate personæ. Sed obiicit hæreticus, nescio quomodo natum doceatis ea tempore, quem coæternû patri dicitis iam fuisse? nasci enim est velut quidam motus rei non extantis, antequam nascatur id agens beneficio natiuitatis, vt sit. Quo colligitur eum qui erat, nasci non potuisse, si nasci potuit non fuisse. Ad quod Aug. Fingamus sicut plerique volût esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili motu semina cuncta viuificet: vt non sit concreta cum genitis, nempe cum hæc in vterum passibilem materiam ad vsus suos formatura peruenerit, vnam facit secum esse personam eius rei, quam non candem constat habere substantiam, & fit operâte anima, & patiente materia ea duabus substantiis, vnus homo: cum anima aliud doceatur, aliud caro, sicque animam nasci fatemur ex vtero quam ab vtero venientem vitam dicimus côtulisse concepto. Nasci itaque â matre dicitur, qui ea hac sibi corpus aptauit, in quo nasci posset, non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, imo multò incomprehensibilius fit, atque sublimius natus est susceptione perfecti hominis de matre filius Dei, qui per omnipotentiam singularem omnibus genitis est causa nascendi.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Liber generationis Iesu Christi. In Esaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Non ergo putemus Euangelistã Prophetæ esse contrarium: vt quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, vt per hominem Deum discere incipiamus. *Filij Dauid, filij Abraham, &c.* Ordo præposte-

rus,

rus,ſed neceſſario commutatus. Si enim primum poſuiſſet Abraham, & poſtea Dauid, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis ſeries texeretur. Ideo autem cæteris prætermiſſis, horum filium nuncupauit: quia ad hos tantum eſt facta de Chriſto repromiſſio. Ad Abraham: In ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes,
Pſal.131. quod eſt Chriſtus. Ad Dauid: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Iudas autem genuit Phares, &c.* Notandum in genealogia ſaluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum: ſed eas quas ſcriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde in cōſequentibus, Ruth Moabitis ponitur: & Bethſabee vxor Vriæ. *Naaſſon autem genuit Salmon, &c.* Iſte eſt Salmon princeps tribus Iudæ: ſicut in Numeris legimus. *Ioram autem genuit Oziam, &c.* In quarto Regum volumine legimus de Ioram Ochoziam fuiſſe generatum: quo mortuo, Ioſabeth filia regis Ioram, ſoror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris ſui, & eum interniscioni quæ exercebatur ab Athalia, ſubtraxit. Cui ſucceſſit in regnū filius eius Amaſias: poſt quem regnauit filius eius Azarias, qui appellatur & Ozias: cui ſucceſſit Ioatham filius eius. Cernis ergo quod ſecundum fidem hiſtoriæ tres reges in medio fuerint, quos hic Euangeliſta prætermiſit: Ioram quippe nō genuit Oziam, ſed Ochoziam, & reliquos quos enumerauimus. Verum quia Euangeliſtæ propoſitum erat tres teſſaradecades in diuerſo temporum ſtatu ponere, & Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Iezabel, idcirco vſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur. *Et poſt tranſ. Baby. Ie. &c.* Si voluerimus Iechoniam in fine primæ teſſaradecadis ponere, in ſequenti non erunt quatuordecim, ſed tredecim. Sciamus igitur Iechoniam priorem ipſum eſſe quem & Ioakim: ſecundū autem filium, non patrem: quorum prior per k & m, ſequens per ch & n, ſcribitur: quod ſcriptorum vitio & longitudine temporum apud Græcos Latinóſque confuſum eſt. *Iacob autem genuit Ioſeph.* Hunc locum obiecit nobis Iulianus Auguſtus de diſſonantia Euangeliſtarum: cur Euangeliſta Matthæus Ioſeph dixerit filium Iacob: & Lucas eum filium appellat Heli, nō intelligens cōſuetudinem ſcripturarum: quòd alter ſecundum naturam, alter ſecundum legem
Deut.25. ei pater ſit: Scimus enim hoc per Moſen Deo iubente præceptū: vt ſi frater aut propinquus abſq; liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorem ad ſuſcitandum ſemen fratris vel propinqui ſui. Super hoc & Aphricanus temporum ſcriptor, & Euſebius Cæſarienſis in libris διαφωνίας εὐαγγελίων plenius diſputarunt. *Virum Mariæ, &c.* Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare cōſuetudinis ſcripturarum quod ſponſi viri, & ſponſæ vocentur vxores.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Epiſcopi Conſtantinop. in ſuperius Euang. Homil. 1.

Homil.2.in Matth. *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Igitur meminiſtis admonitionis eius, qua ad vos ſuperiori die ſumus vſi, cùm hortaremur, vt ſummo cum ſilentio, & quiete, tantis congruente myſteriis, omnibus Euangelij verbis accommodaretis auditum. Siquidem iam incipimus cæleſtes adire ianuas, propter quod vos præteritæ denunciationis admonui. Etenim, ſi Iudæi acceſſuri ad montem, & ignem, & caliginem, & tenebras, & procellas, imò non acceſſuri ad illa, ſed ea & audituri eminus, & viſuri, triduum ante ſe continere iubebātur à fœminis, ac veſtes abluere, & tamen in timore erant maximo tremoréque, cùm certè illos plurimum Moyſi præſentia confoueret: multò magis nos, qui talia incipimus audire verba, & non procul à monte fumante conſiſtere, ſed in ipſum omnino introire cælum, maiorem Philoſophiam debemus oſtendere, non indumenta corporis abluentes, ſed ſtolas animæ candicantes, nóſque ab omni ſeculi huius commixtione purgantes. Non enim caliginem hìc, non fumū videbitis, nō procellam, ſed regem ſedentem ſuper thronum illius ineffabilis gloriæ, & angelos ei, atque archangelos pariter aſſiſtentes, & ſanctorum populos innumeris illis angelorū cohortibus copulatos. Talis quippe eſt ciuitatas Dei, habens Eccleſiam primitiuorum, & ſpiritus iuſtorum, & frequentias angelorum, & ſanguinem aſperſionis, per quem reconciliata ſunt omnia. Nam & cælum ea, quæ in terra ſunt accepit, & terra ea, quæ in cælo, & deſiderata olim angelis, atque ſanctis pax aliquando donata eſt. In hac vrbe triphæum conſtitit crucis, clarum ſcilicet, atque cōſpicuum. In hac item ſpolia ſunt Chriſto parta humanæ, ſcilicet naturę exuuiæ, regis noſtri præda: quæ omnia diligenti Euangelij lectione diſcetis. Et, ſi cum ſilentio, & moderata ſequaris quiete, circunducere te per cuncta poterimus, ac diligenter oſtendere, vbi quidem mors iaceat crucifixa, vbi peccatum ſuſpenſum, vbi plurima illa, atque præclara ex hoc bello fulgeant monumenta victoriæ. Videbitis & hic tyrannum reuinctum, & multitudinem captiuorum ſequentem, & arcem, ex qua ſceleratus ille dæmon omni retro tempore in perniciem hominum procurrebat, repentè ſubuerſam. Videbitis etiam reuulſas latronis ſpeluncas, antráque pateſacta: nam ibi quoque præſentia regis affulſit. Sed nihil eſt, dilectiſſime, quòd horum fatigeris auditu. Neque enim, ſi quis iſtius temporis victorias tibi, trophæáque recenſeret, vlla vnquam caperere ſatietate, ſed neque cibū, neque potum illi narrationi aliquando præponeres: At verò deſiderabilis illa narratio, quātò potius eſt audienda? Cōſidera enim, quam ſit audire magnificum, quòd Deus ſurgens de ſede regali, è cælo venit ad terras, & ad ipſum deſcendit infernum: in acie dimicans ſtetit. Quemadmodum autem illi diabolus repugnauit: imò nō ipſi manifeſto, ac nudo, ſed Deo in natura hominis abſcondita. Quódque mirabile eſt, videbis mortem morte peremptam, & maledictum eſſe maledicto extinctum: & per quæ diabolus iam antè maximè valebat, per ea ipſa tyrannidem illius eſſe deſtructam. Exurgamus igitur, & ſomnū animi longius repellamus: ecce enim video portarum nobis clauſtra reſerata: ſed tamen cum omni moderatione, & tremore mentis ipſas continuo ianuas intremus. Quæ vero ſunt iſtæ ianuæ? *Liber generationis,* inquit, *Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Quid ais? De vnigenito Dei filio dicturum te eſſe promiſeras,

miseras,& Dauid mentionem facis,eiúsque illum filium esse commemoras hominis, qui post mille generationes natus traditur,ipsúmque esse,& patrem Christi dicis,& proauum? Verùm cohibe te paulisper,& comprime, nec velis repentè omnia, simúlque discere,sed sensim, atque paulatim. Siquidem adhuc in vestibulis constitisti, ante ipsa prorsus initia portarum. Quid igitur ad penetrãda interiora festinas? Necdum bene omnia, quæ foris sunt, considerasti. Neque enim nunc tibi ipsam generationem domini conor exponere, imò verò nec, cùm ista narrauero: est enim inexplicabilis tota, neque vlli prorsus effabilis: & hoc tibi ante me Esaias Propheta denunciat. Siquidem ipsius prædicans passionem, & plurimam pro toto orbe terrarum piissimam curam, atque admirans, qui tum esset, qui factus sit, quóve descenderit, maximo sono vocis exclamauit, & dixit; Generationem eius quis enarrabit? Verùm nobis non de diuina generatione nunc sermo est, sed de hac inferiore, quæ in terra facta est, quæque testibus celebrata innumeris. Sed super ista quoque, prout accipientes Sancti spiritus gratiam, potuerimus effari, ita profectò narrabimus. Neque hanc enim perspicue satis explicari possibile est, quippe quum sit etiam ipsa maxime stupescenda. Non igitur exigua te aliqua opineris audire, quum hanc generationem audis edisseri: sed totam in te mentem prorsus exuscita. Et continuo totus horresce, quum Deum venisse audis super terras. Vsqueadeo enim istud mirabile erat,& nulli ante prorsus auditũ, vt etiam Prophetæ porro ante cum admiratione prædicerent. Quoniam super terram visus est,& inter homines conuersatus est. Valde etenim audire mirabile est, quod ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus cõprehendi, patríque per omnia coæqualis, per virginis ad nos venit vterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores Dauid, & Abrahã. Et quid dico Dauid, & Abrahã? etiam illus, quod horribilius est, fœminas, quas paulò antè memoraui. Hæc igitur audiens, mẽte consurge: verùm nihil humile suspiceris, sed potius propter hęc ipsa maximè mirare, quia, quum filius sempiterni esset Dei, etiam filius Dauid esse dignatus est, modò vt te filium faceret Dei: seruum patrem habere dignatus est, vt tibi seruo patrem faceret Deum. Vides arbitror ab ipso statim principio, quam læta sint hæc nuncia. Quòd si ambigis de iis, quæ ad tuum spectant honorem, de illius humilitate disce credere etiam, quæ super tuam dignitatem dicuntur. Quantum enim ad cogitationes hominũ pertinet, multò est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filium consecrari. Quum ergo audieris, quia filius Dei, filius sit & Dauid, & Abrahæ, dubitare iam desine, quum tu, qui filius es Adæ, sis filius Dei. Non enim frustra, nec vanè ad tantam humilitatem ipse descendit, sed vt nos ex humili sublimaret. Natus est enim secundum carnem, vt tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, vt tu desineres filius esse mulieris. Propterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quòd enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quòd verò non ex voluntate carnis, & viri, sed ex spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futurámque,& spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diuersitate constabant. Nam & baptisma profectò tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & noui. Quòd enim baptizatus est à Propheta, expressit vetus: quòd autem descendit spiritus, adumbrauit nouum. Nam, vt si quispiam in arena consistens, duos aliquos inuicem dissidentes, extenta manu vtraque coniugat: ita fecit & Christus veteri nouum, diuinam naturam humanæ, suis nostra iungendo. Vides nũc puto fulgorem vrbis procul coruscantis, vides quanto inter ipsa principia splendore lucet, quomodo tibi regem ipsum humana specie, sic mortalibus, velut exercitui admixtum ostendit. Neque enim in bello semper propriam habere rex cernitur dignitatem, sed purpura,& diademate relictis, militis habitum frequenter induitur. Sed illic, ne cognitus hostes in se conuertat, hîc contrà, vt ne ante congressum subitò omnes auertat, suosque maiestatis fulgur conturbet: saluare enim non terrere studuit. Et idcirco illum hac appellatione continuò nominauit, Iesum vtique nuncupando. Iesus enim non est Græci sermonis vocabulum, sed Hebraica lingua Iesus dicitur, quod est in nostro sermone, saluator, saluator autem ab eo, quòd salutem populo suo præstaturus aduenerit. Iámne igitur intelligis, quemadmodum Euangelista auditorem in excelsa subuexerit: & ea certè, quæ in vsu esse viderentur loquutus, per quæ tamen ipsa longè nos maiora, quàm omnes sperare poteramus, edocuit. Vtriusque igitur istius nominis apud Iudæos erat celebrata notitia. Quia enim incredibilia erant, quæ promittebantur, futura: etiam nominum præcesserunt figuræ, vt porrò antè omnis ex inuidia nouitatis tumultus oriturus extingueretur. Iesus nanque etiam ille dicitur, qui post Moysen populum in terram repromissionis induxit. *Iosue.1.* Vides figuram, perspice veritatem. Ille in terram repromissionis, hic verò introduxit in cælum, & ea, quæ sunt in cælis bona. Ille, postquam Moyses mortuus est: iste, postquam lex per Moysen lata cessauit. Ille ducis dignitate pollens, iste verò regis maiestate præfulgens. Sed, ne Iesum audiens, de societate nominum patereris errorem, continuò subiunxit & Christum: *Iesu Christi*, inquit, *filij Dauid.* Ille enim non erat ex Dauid, sed ex alia tribu. Cuius verò rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, vbi non sola vtique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatio continetur? Quia totius scilicet dispensationis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Vt enim Moyses librum cæli appellauit, ac terræ, quum certè non de cælo solum, terraque loqueretur, *Gene.1.* sed de cunctis, quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Euangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librum vocauit. Omni siquidem admiratione plenissimum est, & super spem, expectationémque mortalium, quòd Deus homo factus est. Hoc autem impleto, illa omnia, quæ sequuntur, iuxta ordinem, & rationem consequuntur. Qua verò de causa non eum antè filium Abrahæ, & postea filium Dauid nuncupauit? Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Cæterum fecisset, quod fecit & Lucas, nunc autem econtrario facit: cur ergo commemorauit priorem Dauid?

Baruc.3. (margin note beside "Quoniam super terram visus est")

Quia

Quia ipse proculdubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris, & gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia iunctiora. Non enim olim defunctus fuerat, sicut Abraham: Etsi enim vtrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc verò quasi nouum, & re-
Ioan. 7. cens ab omnibus celebrabatur. Ipsi namque Iudæi dicunt, nunne ex semine Dauid, & Bethleem castello, vnde erat Dauid, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium Dauid nominabant. Etenim propter tempus, vt dixi, propterque regnum hic magis in hominum memoria vigebat. Qui etiam honorabiliores quosq; de sanctitate reges, qui post Dauid fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solum, verumetiam Deus. Nam & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt Dauid surrecturum esse, atque venturum: non de illo vtique mortuo iam loquentes sed de iis; qui illius virtutem erant imitaturi. Et
4. Reg. 19. & 20. Ezechiæ quidem dicit; Protegam ciuitatē istam
propter me, & propter Dauid puerum meum. So-
3. Reg. 11. lomoni verò dicebat: Quoniam propter Dauid regnum eius, ipso viuente, non dirumperet. Multa enim illius viri & coram Deo erat, & coram hominibus gloria. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore persona sumit exordium: & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem, superfluum quantum ad Iudæos spectat, esse iudicans, sermonem superius ordiri. Isti enim erant præcipuè maximéque mirabiles: ille quidem quòd esset rex & Propheta, hic verò quod Propheta, & Patriarcha. Et vnde, inquis, manifestum est, ex Dauid esse Christum? Si enim non ex viro, sed tantummodo est natus ex virgine, de cuius certè generatione reticetur, quomodo scire poterimus illum ex Dauid stirpe descendere? Duo sunt enim, quæ pariunt quæstionem. Vnum, quæ causa sit, vt in generationum catalogo virgo sileatur: alterum verò, qua ratione Ioseph memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & vnum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? Quod vtique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex Dauid virgo descenderit. Vnde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Do-
Luc. 1. minum: Vade ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, ex domo, & familia Dauid. Quid igitur vis audire manifestius, quum ex domo, &
Deut. 7. familia Dauid illam virginē esse cognoscas? Vnde patet, quòd inde vtique erat etiam Ioseph. Fuerat quippe in lege præceptum, ex diuersis tribubus non licere vsurpari coniugium. Et Propheta Iacob de Iudæ stirpe illum venturum esse prædixit; Non deficiet, inquit, princeps de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniat, cui paratum est
Gen. 49. & ipse erit expectatio gentium. Hæc ergo Prophetia ex tribu quidem Iuda illū fuisse declarat, non tamen, quòd ex Dauid genere descendat: Putasne igitur ex tribu Iuda, vnius familiæ tantùm, id est, solius Dauid, propagatum genus? Imò quū multæ essent ex tribu Iuda familiæ, non vtique omnes à Dauid genus trahebant. Sed, ne istud hic diceres, præueniens Euangelista prorsus exclusit suspicionem tuam, non solum ex domo, verumetiam ex familia Dauid illum esse confirmās. Si verò nunc aliunde quoque vis istud addiscere, nec altera probatione deserimur. Nō solùm enim de alia tribu, sed ne de familia quidem altera fas erat coniugia copulari. Ita istud, quod dicitur, ex domo esse, & familia Dauid, siue virgini copuletur cōstabit dictum, siue ipsi Ioseph potius aptetur, illud idem conficitur. Si enim ex domo Dauid, atque familia erat, non aliunde acciperet cōiugem, nisi ex ea tribu, de qua etiam ipse descenderat. Quid verò, inquis, si legem ille transgressus est? Sed idcirco Euangelista præueniens, Ioseph iustum esse testatus est, ne tu ei temerè crimen impingeres: sed, vt virtutem eius potius agnoscēs, suspicionem transgressionis abiiceres. Ille siquidem tam modestus, & praua cupiditate liber, vt nec, suspicione cogente, vellet in virginis inquirere supplicium: quomodo propter libidinem præcepta legis violasset? Qui enim supra legem sapiebat: dimittere enim, & occultè dimitteret, sine dubio erat supra legem profecti; quomodo contra legem aliquid admitteret? & hoc nullius causæ necessitate cogente? Sed quoniam, quod ex genere Dauid fuerit hæc virgo, ex iis, quæ dicta sunt, manifestum est: necessarium est dicere, cuius rei gratia Ioseph in generationibus Euangelista memorauit, quum virginem prorsus omiserit? Quænam igitur hæc causa est? Nō erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fœminas texere. Vt ergo & morem custodiret, ne in ipso statim principio videretur antiqua destruere, & nobis virginem certius indicaret, parentes eius reticens, atque maiores, de Ioseph generatione non tacuit. Siue enim hæc fecisset in virgine, nouitatis non effugisset inuidiam: siue Ioseph reticuisset, non agnouissemus, ex qua tribu virgo subsisteret. Vt ergo & nos discerneremus, quæ esset Maria, vel vnde, & consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum vsque ad sponsum eius perduxit, ac de domo illum Dauid esse monstrauit. Hoc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quòd scilicet inde esset & virgo: quia vtique nequaquam iustus iste pateretur vxorem sibi aliunde, quam vnde lex præcipiebat, eligere. Possumus verò aliam quoque, & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes virginis prætermissi sunt: quod nunc exponere minus opportunum videtur, eò quod multa iam dicta sunt. Et idcirco hic iam sermonem de quæstionibus terminantes, teneamus interim diligenter ea, quæ nobis absoluta patuerunt: quam ob causam Dauid nominauerit priorem, deinde qua ratione librum ipsum, librum generationis vocarit, vel etiam cur dixerit, Iesu Christi: deinde quomodo generatio eius & communis sit, & non sit per cuncta communis: tum vnde Maria ad Dauid pertinere monstretur: ad extremum: quamobrem Ioseph quidem in generationum catalogo collocetur, Mariæ autem parentes omnino sileantur. Si enim custodieritis ista, promptiores nos facietis ad reliqua, sin verò hoc respueritis, & expuleritis è mentibus, pigriores erimus in cæteris. Neque enim terræ, quæ semina priora corruperit, curam adhibere delectabit agricolam: propter quod obsecro, vt hæc quæ seminata sunt, versetis. De tali enim studio, taliq; cura ingens quoddā animabus bonū, ac salutare cōquiritur. Nam & Deo placere possumus, ista curando, & ab iniuriosis, obscœnisque sermonibus munda ora seruabimus, dum spiritualibus exercemur eloquiis, & dæmonibus terrori esse poterimus, linguam nostram talium armis munien

moniendo verborum, & tunc maiorem Dei gratiam valebimus promereri. Hinc enim mentis vestræ, & acumen augetur, & lumen. Nam & oculos, & os, & auditum propterea posuit in nobis Deus, vt omnia ipsi membra seruirent: vt, quæ ipsius sunt, audiamus: quæ ipsius, loquamur: quæ ipsius, semper operemur: eique laudes canamus assiduas, & gratias per cuncta referamus, perque hæc omnia cóscientiæ nostræ secreta mundemus. Sicut enim corpus, quod aëris puritate perfruitur, sanius fit: sic profectò etiam anima fit sapientior, tali meditatione innutrita. Nonne vides etiam corporis oculos, quum in fumo fortè remorantur, lachrymas semper effundere: si verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multóque maiore aciei fulgore rutilare? Talis profectò est, & mentis oculus. Si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perlustrans: si verò in fumum secularium negociorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur, ac flebit, & in hoc quidem seculo, sed multò amarius in futuro. Fumo enim sunt humana negocia cóparanda. Propterea & ille ait; Defecerunt sicut fumus dies mei. Sed ille quidem de breuitate hoc, & fuga quædam huius dixit ætatis. Ego verò non ad hoc solum, verumetiam ad turbulentiam rerum præsentium dici posse istud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contristat, ac turbat, vt secularium conditio curarum, & quasi obuolitantia quædam multiplicis cupiditatis examina. Hæc enim sunt istius fumi ligna. Nam, sicut ignis iste communis vbi humidam corripit, cóspersamque materiam, plurimum sine dubio fumum suscitat, sic etiam concupiscentia vehemés illa prorsus, ac flammea, quando humentem alicuius, ac palustrem succendit animam multú in ea fumum gignit, ac nutrit. Propter hoc etiam rore opus est Sancti spiritus, & potentis illius auræ flatu, vt huiusmodi extinguat ignem, fumumq; dispergat, & cogitationem nostram expeditam reddat, ac volucrem. Non potest enim quis omnino, non potest tantis prægrauatus, atque in terram defixus malis, ad cælorum euolare fastigium. Et ideo studendum nobis est, vt parati semper, & accincti iter hoc conficere possimus: imò nec sic quidem possibile est, nisi alis spiritus subuehamur. Si igitur mente ab omnibus libera, & spirituali opus est gratia, vt excelsum illud valeamus ascendere: qui nihil horum, sed & omnia quotidie aduersa colligit, & diabolico se pódere opprimere festinat, quonam, quæso, pacto volare poterit, tam importabili onere depressus? Etenim, si quis vt in quibusdam iustis stateris nostros velit cogitatus sistere, inter mille secularium sermonum talenta vix centum denarios spiritualiú poterit inuenire verborum, imò nec decem quidem obolos. An verò non turpe, maximéque ridiculum sit, res necessarias, certásque magna plerunque parte, seruis, quos habemus, demandare: oris verò, quod proprium, nostrumque possidemus, viliora quæ mancipus, nempè inutilia quædam, & superuacua committere: vtinam verò superuacua tantum, non etiam damnosa, & noxia, nihilque profutura. Quòd si meliora loqueremur, etiã Deu proculdubio verba nostri oris placerent. Nunc verò quæcunque hostis antiquus suggerit loquutiones, loquimur, tum quidem ridentes ipsi, tum verò in aliorum risum facetia aliqua, & verbaoa dicentes: & nunc quidem maledicta iaculantes, & iniurias inferentes: nunc verò mentientes, iurantes, & nunc quidem de rebus friuolis cóquerentes, nunc verò multiloqua vanitate deliros omnes, delirasque superantes, ea, quæ ad nos omnino non pertinent, absque vlla in medium ratione proferimus. Quis enim vestrûm, respondete, quæso, qui assisti, vnum, si exigatur, psalmum potest memoriter edicere, aut scripturarũ vllam aliam portionem? Nullus omnino est: nec tamen solùm istud est malum: sed, quoniam ad spiritualia desides, ac remissi, ad diabolica prompti, ignem ipsum ardore superatis. Etenim, si quis vos de theatralibus aliquid voluit interrogare canticis, & meretricios illos, fractósque modulos audire: multo, qui illa etiã diligentissimè didicerint, poterit inuenire, & qui ea maxima etiã pronunciẽt voluptate. Sed est ne horum criminum tandé aliqua defensio? Non sum, inquit, ego monachus, vxorem habeo, & filios, & curam domus. Hoc enim est, quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit, quoniam lectionem diuinarum scripturarum ad solos putatis monachos pertinere, quum multò magis vobis, quàm illis sit necessaria. Qui enim versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine. Itaque multò est grauius, atque deterius superfluam esse legem Dei putare, quam illam omnino nescire. Hęc enim verba sunt, quæ de diabolica prorsus meditatione promũtur. Non audis Paulum loquentem; Quoniam ad correptionem nostram hæc omnia scripta sunt? Tu verò Euangelium etiamsi illotis, vt aiunt, manibus contractare dareter, ne attingere quidem cupias: tantum abest, vt penitus penetrare iudices operæpretium: itaque fit, vt sursum hodie, hodie deorsum omnia ferantur. Quòd si discere cupis, quantus ex scripturis diuinis nascatur profectus, temetipsum diligenter examina: qualis quidem efficiaris, quum psallis Deo: qualis cùm diabolo, & quemadmodum quidem affici soleas, quum in Ecclesia steteris, quemadmodum verò, si steteris in theatro, & videbis quàm sit grande istius animæ, illiúsque discrimen, licet vna semper in te anima sit. Idcirco enim Apostolus ait; Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Itaque assiduè potentibus spiritus Dei carminibus egemus. Etenim istud est, quo irrationalibus præstamus animantibus, quum certè inferiores simus in cæteris. Hoc est enim nutrimẽtum animæ, hoc ornamentum: vt è regione, Dei non audire verbum, fames, atque internecies. Dabo, inquit, eis non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Quid igitur infœlicius esse possit, quàm vt, quod Deus in pœnam minatur, hoc tu iam sponte in caput tuum attrahens corroges malum, & inferens animæ tuæ sæuissimam famem, atque pestiferam, per quam miseriorem illam cunctis omnino rebus efficias? Verbis enim nunc sanari illa soler, nũc corrumpi. Nam & sæpe in iram sermone succenditur, & ab ipso incendio alio rursus sermone restinguitur: & ad concupiscentiam sermo illam obscœnus inflammat, & ad pudicitiam verbum honestatis reducit. Si autem hoc facit sermo iste communis, responde, quare tu scripturarum eloquia contemnas? Nam si admoni

Per exaggerationem dictum, quasi diceret: vos, cùm in maioribus versemini periculis, maioribus quoque spiritualibus opus habetis præsidiis.

1. Cor. 7.

Amos 8.

monitio sola tantum valet, quantò magis si etiam per Spiritussancti gratiam ipsa admonitio proferatur? Ex scripturis nanque diuinis Matthæi sermo prolatus, ipso igne vehementius animam audientis accēdit, atque in omnium illam præparat vsum bonorum. Sic etiam Paulus ad Corinthios, quos inflatos esse cognouerat, ac tumentes, castigatione sermonis reddidit mitiores. De quibus enim erubescere, seque occultare potius debuerant, ob ea ipsa superbum quiddam subliméque sapiebant: sed, postquam Pauli epistolam susceperunt, audi quanta illorum sit facta mutatio de qua ipse certè illis testimonium reddit magister.
2.Cor.7. Hoc ipsum, inquit, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò æmulationem, imò vindictam. Ita ergo & seruos, & filios, & coniuges moderemur, & amicos, ita & de inimicis quoq; amicos facere curemus. Sic etiā illi quondam admirabiles viri, postquam ad amicitias venerunt Dei, facti sunt profectò meliores. Nam &
2.Reg.12. Dauid post peccatum, quoniam & sermonem audiuit Dei, ad salutarem illam pęnitentiam conuolauit. Et Apostoli eodem pacto facti sunt tales, quales eos fuisse miramur: eodem pacto vniuersum illi mundum attraxerunt. Et quid, ais, lucri est, quando quis audit, & non accedit ad implenda, quæ dicta sunt? non paruus est etiam ex ipso profectus auditu. Nam qui audit & semetipsum reprehendit, sępe & altius ingemiscit, & eò quandoque peruenit, vt studeat etiam implere, quod didicit. Qui verò nec quia peccauit intelligit, quando à peccatis recedet? quando se ipse culpabit, quando etiam emendare conabitur? Non igitur contemnamus scripturas audire diuinas. Hæc enim diabolicæ inspirationis operatio est, non sustinentes nos aspicere thesaurum, ne diuitias acquiramus. Propterea ille suadet, nihil omnino esse commodi, diuinas audire leges, ne quando ex auditu sequi etiam videat actionem. Deprehendentes itaque hanc illius artem malignam, vndique nos muro scientiæ muniamus, vt spiritualibus circumsepti pati armis, & ipsi permaneamus intacti, & caput deiiciamus inimici, sicq; victoriæ insignibus adornati, futurorum gaudio potiamur bonorum, gratiâ, & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum Patre, & Sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

Homil.3 in Matth. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham, &c.* Ecce iam tertia disputatio vertitur, & necdum à nobis sunt euangelij absoluta principia. Non frustra ergo prædiximus, quoniam eiusmodi intellectuum natura multa continet profunda. Agè verò hodie sequentia disseramus. Quid ergo nunc in quæstione versatur? Cuius videlicet rei gratia Ioseph in generationum catalogo ponatur: & vnam quidem causam recensuimus, necesse verò & alteram magis arcanam illam, edocere. Sed quæ ea est? Noluit euangelista recenti adhuc tempore noui illius admirandique partus Iudæis esse manifestum, quòd Christus natus fuisset ex virgine. Sed nemo quasi de inusitata expositione turbetur. Neque enim proprius noster hic sermo est, sed à nobis de patrum, atque insignium virorum traditione susceptus. Si enim ipse dominus multa in primis obumbrauit, atque operuit, filium se hominis vocās: nec illam, quam cum patre possidet ęqualitatē, vbique nobis ad liquidum reuelauit: quid miraris, si hoc quoque interim texit: magnum quiddam, atque mirabile dispensando? Et quidnam hoc est mirabile, inquies? Vt scilicet, & saluaretur virgo, & maligna suspicio pelleretur. Si enim ab initio Iudæi ista audissent, lapidassent virginem, indignè propter eam famam tractantes & adulterij illam crimine condemnassent. Qui Ioan 8. Matt.12. enim etiam illis operibus, quorum sæpe in veteri Ioan.7. testamento exempla præcesserant, manifesta impudentia repugnabāt, nunc dęmonia eiicientem dæmonium habere dicentes, nunc in sabbato signa facientem, quasi Dei aduersarium iudicantes, quum certè liquidò constaret sabbatum sine crimine frequenter solutum: quid illi, hoc audito dicere, quid facere aliquādo dubitassent, cùm vtique omni occasione, quanquam nullam ille præbuisset, ad huius calumniam abuterentur: Si enim etiam post tot signa adhuc illum Ioseph filium nuncupabant, quomodo ante signa natum ex virgine credidissent? propterea igitur Ioseph in generationibus ponitur, virginémque ducit. Nam, si iste quoque vir certè admirādus, & iustus, multis rebus indiguit, vt, quod factum erat, verum esse susciperet, admonitus ab angelo, admonitus reuelationibus somniorum, & prophetico testimonio confirmatus: quando illi praui animo, & corrupti, támque hostiliter Christo repugnantes hanc opinionem probassent? Quin immo rem nouam, atque inter admirabilia cuncta peregrinam, & quæ nunquam prioribus accidisse seculis diceretur, omni contentionum tumultu confundere, ac perturbare curassent. Nam ille quidem, qui enim Dei filium semel credidisset, nihil de hoc possit ambigere: qui verò seductorem illum, Deoque putaret esse contrarium, quomodo non ex hoc scandalizaretur magis, atque ad suspicionem illam turpissimam duceretur? Propterea & apostoli inter initia euangelij prædicandi, non continuò istud annunciant, sed fidem resurrectionis præcipuè inculcant, cuius iam in prioribus præcesserant exempla temporibus, & si non per omnia fuisse docerentur ęqualia: quoniam verò natus sit ex virgine parumper occultant, sed nec ipsa quidem hoc mater temerè est ausa proferre. Itaque considera quid etiam ad ipsum loquatur: Ecce, inquit, ego, & pater tuus quærebamus te. Cæ- Luc.2. terum, si hęc passim fuisset opinio vulgata, nequaquam illum Dauid filium credidissent: quòd si non putaretur, mala etiam hinc plurima nascerentur. Ideirco istud ne angeli quidem, nisi ipsi Ioseph tantummodo loquuntur, & Mariæ: euangelizantes verò pastoribus, cùm dominum esse natum palam nuncient, quo tamen sit natus modo, prorsus occultant. Cuius verò rei gratia cùm meminisset Abrahæ, atque dixisset, quia genuerit Isaac: & Isaac Iacob, nec fratris eius mentionem facere curasset, ad Iacob veniens, non solùm Iudam, sed etiam fratres eius annumerat? Quidam sanè propter malignitatem morum Esaū, & aliorum id factum esse voluerunt: ego verò istud omnino non dixerim. Si enim hoc obseruandum

puta

putauit, qua ratione paulò pòst talium meminit fœminarum? Hic autem à contrario refulget dignitas Christi: non quia magnos progenitores habeat, ac potentes, sed quia potius exiguos, ac viles. Sublimium quippe illa maxima, & amicabilis gloria est, humiliari spontè submissius. Qua ergo de causa non meminit cæterorum? quia scilicet nihil habebant cum Israelitarum genere commune, Saraceni, & Hismaelitæ, & Arabes, & quotquot sunt ex illorum patribus procreati. Propterea igitur illos quidem reticuit: festinat verò ad eos, ex quibus nascitur Christus, & vnde propagatur populus Iudæorum. Propter quod ait; *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* Hic iam Iudæorum designatur genus. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Quid agis, ô homo? Quid nobis talis recordationem infers historiæ, qua adulterium turpe continetur? Quid hoc verò rei est? quia, si nudi tantummodo hominis describeretur genus, meritò hæc reticuisset. Quia verò de incarnati mysterio scribimus Dei, non modò non tacere ista, verum ostentare debemus: sic enim magis virtus eius, ac pietas refulgebit. Venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret. Sicut enim admirabilis iudicatur, non quia mortuus tantùm, verumetiam quia crucifixus, ac sepultus est: quanquam est certè res ista per se exprobratione plenissima: sed, quanto magis exprobrabile istud est, tanto magis illum ostendit de misericordia gloriosum: Sic etiam in generatione illius dici potest, quod non solùm, quia suscepit carnem, & homo factus est, admiratione sit dignus: sed quia etiam natus tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescens. Idque ex ipsis nascendi primordiis ostendit, quam nil hunc pudeat omnino nostræ carnis assumptæ: per ista proculdubio docens: vt nos quoque nunquam erubescamus de vitiis parentum: sed vnum quæramus illud, atque omnibus studiis assequamur, nobilitati propriarum honore virtutum, huiusmodi enim etiam si alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quòd si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum, nequaquam prior vita commaculat: multò magis è meretrice natus, & adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis. Neque vero, vt tantummodo nos doceret, hoc fecit, sed etiam vt reprimeret Iudæorum tumorem. Quia enim illius nobilitatis, quæ ad animam pertinet, insignia negligebant, nimiumque insolenter de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem suorum rati esse vitiorum: idcirco in ipso euangelij principio docet, non alienis, sed propriis esse gloriandum virtutibus. Simul etiam illud agit, vt ostendat omnes quoque progenitores eorum subditos esse peccatis. Siquidem patriarcha eorum ipse ille, à quo nomen accepiunt, non exiguum aliquod legitur admisisse delictum. Vrget enim Thamar fornicationem accusans. Dauid quoque Solomonem ex muliere, quæ illi est adulterio iuncta, suscepit. Quòd si à maioribus custodita lex non est, multo potius à minoribus. Si ergo non est impleta lex, omnes vtique peccauerunt, & satis necessaria facta est Christi præsentia.

a Hom. a Gene- ... Iudam eum ... omni cri- ... oberrat.

Propterea igitur & duodecim patriarcharum intulit mentionem, vt hinc quoque humiliaret immodicam de progenitorum nobilitate iactãtiam. Multi enim eorum ex ancillis matribus nati sunt, nec tamen differentia parentum fecit differentiam filiorum. Siquidem illi omnes similiter & Patriarchæ, & tribuum Principes extiterunt, priuilegiũ enim ecclesię ista iam designabat æqualitas. Hæc quippe nostræ nobilitatis est prærogatiua, cuius olim figura præcesserat, vt, siue seruus sit aliquis, siue nobilis, nihil huic plus minúsve accedat. Sola enim hic requiritur voluntas, mentísque generositas. Suprà hæc verò, quæ diximus, etiam aliud adiungit, propter quod ipsam commemorauit historiam. Siquidem non otiose ad Phares addidit, & Zaram. Erat enim abundans, atque omnino superfluum, commemorato Phares, per quem Christi erat decursura generatio, Zaræ quoque facere mẽtionem. Qua igitur illum ratione memorauit? Paritura istũ cũ esset Thamar, iámque partuum doloribus concussa proferret, prior Zara emisit manum ex vtero, tunc obstetrix vidẽs, quòd iam se primogenitum indicasset, cocco eius alligauit manum, quam ille vinctam retraxit, quo toto iam intra aluum recepto, processit Phares, & tum demum Zara: Quos quum obstetrix natos videret, dixit ad Phares; Quare propter te incisa est sepes? Vidisti ne signatissimam mysteriorũ figuram? Non enim incassum hęc tantò antè scripta sunt, sed neque sacra dignũ fuisset historia dicere, quid obstetrix fuisset loquuta: nec huiusmodi narrationem decebat notam facere, quòd manum ille protulerit, qui secundus egressus est. Quid igitur hoc iterum ęnigmate designatur? Prius de ipso pueri vocabulo, quod latet in quæstione, discamus. Phares enim concisio est, atque diuisio. Secundò autem ex ipsa nouitate facti. Neque enim erat consequẽtiæ naturalis, vt is, qui emisisset manum, eandem postquam esset vincta, reuocaret. Neq; enim cõsueti motus hoc fuit, ordinísve naturæ. Nã, præmissa quidẽ huius manu, alterum egredi, naturale fortasse sit: retrahi verò istam, & transitum alteri cedere, non iam fit lege nascentium, sed profectò ex Dei gratia, quæ tunc pueris aderat, ista dispensans, & nobis quandam imaginem futurorum in eorum natiuitate depingens. Quid igitur? aiunt quidam, diligenter ista pensiculati, duorum populorum typum esse puerulos, eóque pertinere, vt intelligas, posterioris populi Rempublicam præluxisse ortui prioris. Manum prętentam habens, haud vniuersum spectandum se præbet puerulus, sed eam corripit rursus. Mox fratre toto effuso apparet ipse quoque totus: quod ipsum in vtroque contigit populo. Nam republica illa spiritali, quæ temporibus Abrahæ fuit, illucescente, & medio cursu subitò reuocata, Iudæorum populus venit & legalis respublica: rursus post legem, nouus ille totus iam prodit populus: quod etiam obstetrix exclamat: Cur rupta per te sepes est? quod cœptam spiritu libertatem subingressa legis sepes interclusit dissecuitque. Sepem enim scriptura vocare legem solet. Sic propheta, inquit; Sustulit sepem eius, carpuntque quotquot hac faciunt iter: Item; sepem circumposui; & Paulus; intersti- tium maceriæ diruit. Alij vero totum hoc; cur rupta per te sepes est? de nouo legemque sequuto populo intelligunt: veniens enim ille, legem sustulit,

Genes. 38.

Psal. 79.
Matth. 21.
Ephes. 2.

stulit. Vides, quia non ad exigua quædam, & vilia, eam, quæ de Iuda est, commemorauit historiam. Nam Ruth, & Raab non frustra intulit mentionem, quarum vnam alienigenam; aliam etiã meretricem fuisse constat: sed vt disceres idcirco venisse Christum, vt nostra mala deleret omnia. Nõ enim quasi iudex, sed quasi medicus aduenit. Sicut igitur illi coniuges accepere meretrices: sic etiam Deus fornicatricem hominum naturam sibi copulauit. Quod prophetæ quoque olim in synagoga dixerunt factum esse: sed illa quidem cohabitatori suo fuit ingrata semper: ecclesia vero semel à malis suis liberata, in sponsi amore permansit. Itaque considera etiam ea, quæ in Ruth facta sunt, nostri figuram fuisse. Hæc enim erat alienigena, & in extremam delapsa pauperiem: sed videns eam Booz nec ob ipsius paupertatem despexit, nec ob impietatem gentis exhorruit: sicut etiam & Christus ecclesiam suscipiens, & alienigenam, & magnorum oppressam egestate bonorum, suo consortio copulauit. Sed quemadmodum Ruth illa ex alienigenis mulier, nisi prius reliquisset parentes, nisi domum contempsisset, & gentem, & patriam, atque cognatos, nunquam profecto tali fuisset nobilitata connubio: ita ecclesia etiam non ante amabilis efficitur sponso, quam priorem conuersationem relinquat. Quod

Psal. 44. Propheta quoque ad ipsam loquens, ait, Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & cõcupiscet rex decorem tuũ. Hoc enim Ruth etiam fecisse legitur, & idcirco in ecclesiæ similitudinem mater regum effecta est. Ipsius enim ex stirpe Dauid, aliique reges fuerũt, qui de eadem familia germinarunt. Vt igitur iis omnibus eos, qui ex Iudæis crediderant, hortaretur, non sapere superbũ: & generationũ catalogum texuit, & mulieres ista produxit in medium. Nam Dauid regem certe illum magnum, alienigena ista per suos posteros genuit: neque tamen ille ignobilitatem eiusmodi matris erubuit. Non est enim omnino, non est nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laude aliquis dignus, aut culpa: nemo inde vere aut obscurus, aut clarus estimo, vt quod incredibile videtur, dicamus, nescio quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in superbiam de gloria parentum eleuetur, sed considerãs progenitores Domini, omnem reprimat mentis tumorem, & de solis virtutibus glorietur, imo nec de ipsis quidẽ. Sic enim etiam Pharisæus publicano deterior effectus est. Si autem vis sublime ostẽdere virtutis, noli sapere sublime: & tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse, quum feceris, & plenissime cuncta fecisti. Si enim etiam, quum peccatores simus, hoc nos arbitrãdo quod sumus, iustificamur, sicut etiam publicanus quanto magis, si, quũ iusti fuerimus, esse nos peccatores tantum putemus? Siquidem ex peccatoribus quoque iustos humilitas facit: quum tamen non sit illud humilitas, sed vera confessio. Si igitur tantum valet in peccatore confessio, considera quantum humilitas possit in iusto. Noli itaque ipse tuorum corrumpere fructus laborum, noli sudores tuos in vacuum effundere, noli cursum inane dirigere, ne post mille circuitus mercedem laboris amittas. Nouit enim Dominus tuus, & quidem longè te melius, tuarum merita virtutum, etiam si calicem aquæ frigidæ dederis, nec hoc quidem irremuneratum relinquet. Nummũ quoque si dones vnum, vel si etiam, quum nihil omnino donare poteris, ingemiscas: omnia cum ingenti benignitate suscipiet, ac mercedem pro his largam parabit. *Nota bonorum operum mercedem.* Cuius autem rei gratia tua diiudicas, nobisque ea studes frequenter ingerere? An ignoras, quod si te ipse laudaueris, nequaquam laudetis à Deo? ita è regione, si te ipse quasi inopem planeque miserum lugeas, nunquam te prædicare cessabit. Non vult enim laborum tuorum fructus perire, quinimo omnia in tuum commodum facit tibique rem augere festinat, vt etiam pro exiguis te coronet, vndique occasiones requirens, per quas te de gehennæ possit liberare supplicio. Et idcirco etiam si vndecima diei opereris hora, integram tamen tibi est mercedem daturus. Et, si nulla, inquit, fuerit tibi salutis occasio, propter meipsum facito, ne nomen meum vtique polluatur. Et si ingemueris solum, atque lachrymaueris, rapit ista confestim in tuæ occasionem salutis. Non igitur in superbiã intumescamus, sed dicamus nosmetipsos inutiles, vt in partem vtilium transeamus. Si enim te laudãdum esse dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueras ante laudabilis. Si verò inutilẽ te esse fatearis: factus es vtilis etiãsi fueras antè culpabilis: propter quod necessaria nobis est præteritarum obliuio virtutũ. Et quomodo, inquis, possumus ignorare quod nouimus? Quis ais tu, cum quotidie offendas dominum, nihilominus delitiatis ac rides & inter magna peccata nec te peccasse nosti obliuioni cuncta tradendo: solam verò non potes rectè factorum abjicere memoriam? Et certè cũ multò sit fortior pars timoris, nos econtrariò quotidie offendentes dominum, nec reuocamus quidem ad memoriam peccata, quæ fecimus. Si verò paruam aliquam inopi porrigamus stipẽ, sursum id, deorsumque iactamus: quod extremæ omnino dementiæ est, & grande illius, qui spiritualia debet colligere, detrimẽtum. Satis certus enim thesaurus, rectè factorum obliuio. Quia sicut aurũ, vestẽmque pretiosam cùm in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus: si verò ea recondamus, atque occulamus domi, in tuto cuncta seruabimus: sic sunt etiã diuitiæ virtutum, vt eas in memoria, quasi venales assiduè portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtum. Sin verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistẽt. Nequaquam igitur huiusmodi bona frequenter euentiles, ne quis ea fortè diripiat. Quod etiam Pharisæus passus est, in lingua illa circunferens: vnde ea & diabolus rapuit: quãquam certè illa cum quadam gratiarum actione memorabat, atque ad dominum cuncta referebat. *Luc. 18.* Sed ne hoc quidem profectò suffecit ei. Nõ enim gratiarum actio est, aliis exprobrare delicta, sibi à plurimis gloriam quærere, & super eos qui peccauerũt iactanter insurgere. Quòd si gratias agis Deo, sufficiat tibi ipse pro cunctis, nec velis eas in hominum proferre notitiam, neque proximum iudicare. Nõ est nanque istud actio gratiarum. Vis autem quemadmodum veræ Deo gratiæ referantur, agnoscere? Audi tres pueros in medio ignis loquẽtes: peccauimus, iniquè gessimus; iustus es, domine, in omnibus, *Dan. 3.* quæ fecisti nobis, quoniam in vero iudicio omnia

indu

induxisti super nos. Hoc est enim referre gratias Deo, peccata et propria confiteri, vt, cùm mille se aliquis reùm fateatur malorum, nulla tamen pro his magna satis se arbitretur ferre supplicia. Caueamus igitur de nobismetipsis dicere gloriosa: hoc enim nos & hominibus, & Deo abominabiles facit. Et idcirco, quantò maiora fecerimus bona, tantò de nobis minora dicamus. Hoc enim modo maximam & coram Deo, & coram hominibus gloriam consequemur: nec solum gloriam, quæ à Deo est, verumetiam mercedem, retributionémque plenissimam. Noli ergo mercedem reposcere, vt merearis accipere. Tu saluari te Dei gra-

Vide quomodo omnia sint nobis accepta ferenda diuinæ gratiæ, neque tamen ideo bonis operibus derogetur.

tia confitere, vt se ille tibi debitorem fateatur, nec modò pro operibus tuis, verumetiã pro hac gratia, humilique sententia. Quando enim aliqua fecerimus, habemus eum proculdubio debitorem: quando verò nihil arbitramur nos operatos, amplius etiam de tali mereamur affectu, quam propter opera ipsa quæ facimus. Minimum itaque de se sensisse tam magnum est, quàm maximas res fecisse: quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. Nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maximè comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsequuti, nihil se grande arbitrantur egisse. Itaque si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim ma-

Matth. 8. gna esse non possunt. Sic enim Centurio dixit; Non sum dignus, vt intres sub tectum meum: &

1. Cor 15. propterea dignus effectus est, supráque omnes Iu-

Matth 3. dæos iure mirabilis. Sic & etiam Paulus ait; Non

Ioan. 1. sum dignus vocari apostolus: & omnium primus inuentus est. Sic & Ioannes; Non sum, inquit, idoneus soluere corrigiam calceamenti eius: & idcirco amicus factus est sponsi. Et manum Christus,

Luc. 5. quæ se indignam calceamentis esse ducebat, à pedum obsequio ad caput suum subleuauit. Sic etiã Petrus ait; Exi à me, domine, quia homo peccator sum: & propterea factus est ecclesiæ fundamen-

Petrus est factus ecclesiæ fundamentũ. tum. Nihil enim sic est amicum Deo, quàm si quis se minimis annumeret: hoc est enim caput totius philosophiæ, atque fastigium. Qui enim humiliatur corde, atque conteritur, non efferetur in gloriam: non inuidiæ liuore, nõ iracundiæ furore vexabitur: non vllis aliis vitiis subiacebit. Nanque, vt contritam manum, etiamsi millies in altum leuare velimus, non possumus: ita etiam si animam conteramus, quamlibet innumeræ illam inflando eleuare voluerint passiones, ne tantulum quidem poterit extolli. Si enim etiam qui externarũ luget damna rerum, omnes à se fugat animæ languores: multò magis, qui hoc pro peccato facit, plena philosophiæ sanitate potietur. Et quis, inquis, ita non conterere cor suum potest? Audi verò Dauidem, qui per hoc præcipuè refulsit, & vide quam eius anima contrita sit. Nam post virtutes innumeras, cum domo excidisset, & patria, & vitam ipsam postremũ periclitaretur amittere, cum tempore ipso discriminis sui militem vilem, & prorsus abiectum, insultantem sibi, & maledicentem videret, non modò ipse non retulit maledictionis vicem, sed etiam quendam militum suorum volentem eum interimere, non siuit, dicens; Dimitte vt maledicat, quoniam dominus manda-

2. Reg. 16. uit ei: forsitan respiciet Deus humilitatem meam. Et rursus, quum sacerdotes rogarent, vt cum illo

Reg. 24 & 26. circunferretur arca, nõ passus est: sed, Stet, inquit, in templo, &, si liberauerit me Deus de istantibus malis, videbo pulchritudinem eius: si verò dixerit mihi; Nolo te: ecce ego, faciat mihi, quod placeat in conspectu eius. Illud verò erga Saulem semel, iterúmque & multoties factum, nónne cumulum philosophiæ ingentis ostendit? Veterem quippe supereminet legem, & propè ad apostolica præcepta peruenerat. Idcirco quæ Dei erant, per omnia diligebat: non ipse se de iis, quæ fecerat, laudans, sed vnum, & solum studet sequi ab ipso positas leges, eísque in omnibus obedire. Quod post tot certè illa merita virtutum, quum illum tyrannum, fratricidam, patricidam, iniuriosum, atque furiosum pro se regnantem videret, nec sic quidem scandalum mente concepit: sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem exagitari, & errare semper, ac fugere, illum verò regnare, amplector, atque suscipio: & habeo pro innumeris, quæ à Deo mihi referuntur, tribulationibus gratiam. Longè aliter plurimi impudentes pariter, & arrogantes, qui, quum ne minimam quidem partem de illius virtute possideant, si inter prosperitates suas vel parum quid viderint admixtum esse tristitiæ, mille animam suam non metuunt vulnerare blasphemiis. At non etiam Dauid talis fuit, sed inter maximas tribulationum procellas, omnem modestiam, ac patientiam mentis ostendit: pro-

pter quod dixit Deus; Inueni Dauid filium Iesse, *Psal. 88.*

virum secundum cor meum. Talem igitur etiam nos possideamus animam: & quicquid patimur, facilè feremus, ac fortiter: atque ante regnum futurum, hic quoque fructum de humilitate capie-

mus. Discite (inquit dominus) à me, quia mitis *Matth. 11.*

sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vt ergo hic, & ibi optata requie multa cum gloria perfruamur, humilitatem (matrem bonorum) nostris penitus mentibus inseramus. Sic enim & istius vitæ pelagus absque vllo rumore fluctuum transire poterimus, & tranquillissimum illum portum enauigare, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui est gloria, & imperium, cum patre, & sancto spiritu, in sempiterna secula seculorum, Amen.

AVTHORIS DICTI IMperfecti in Matth, eiusdem Euang. expositio.

Homil. 1. in Matth.

L*iber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abrahæ.* Liber est quasi apotheca gratiarum. Sicut enim in apotecha diuitis alicuius omnis homo, quod desiderat, inuenit: sic & in isto libro omnis anima, quod necessarium habet inuenit. Quid est quod ait: *Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid, fi-*

lij Abrahæ? Et quomodo dicit Esaias propheta: Et *Esa. 53.*

generationem eius quis enarrabit? Sed ille diuinam generationem eius inenarrabilem esse pronunciat: iste autem carnalem exponit. Propterea non dixit: Iesu Christi filij Dei, sed, *filij Dauid, filij Abrahæ.* Et quare Ioannes statim in principio Euangelij sui, diuinitatis eius monstrauit natu-

ram, dicens: In principio erat verbum, & verbum *Ioan. 1.*

erat apud Deum? Quoniam Ioannes inter Gentes in exilio constitutus, Græco sermone euangelium causa Gentium scripsit, quæ non cognoscebant si Deus filium habet, aut quomodo genitum habet. Idcirco superfluum erat primum incarnationis eius mysteriũ Gentibus demonstrare,

quum illum ipsi quis esset nesciebant: ideo necessarium fuit primum illis ostēdere, quia est filius Dei Deus: deinde in sequentibus, quia carnē suscepit, Ioan.1. dicēs: Quia verbum caro factū est, & habitauit in nobis. Matthęus autē euangeliū Iudæis Hebraico sermone conscripsit, sicut iā diximus supra, vt Iudęi legētes ędificarētur in fide. Iudęi enim semper cognoscebant, quia est filius Dei, & quomodo est filius Dei. Superfluum ergo erat exponere eis diuinitatis eius naturā, quam ipsi optimè cognoscebant: necessarium autem fuit mysterium incarnationis eius ipsis ostendere. Quare autem non illi sufficeit dicere illum filium Abrahæ solius, aut Dauid solius? quia ad ambos de Christo nasciturо ex eis, promissio fuerat facta. Ad Abraham quidem sic: Et in semine tuo benedicentur omnes tribus terrę: quod intelligi nō potest nisi in Christo, quoniam inter cæteros Iudæos, & gentes Gen.22. nunquam amicitia stabilis fuit. Ad Dauid autem Psal.131. ita: Iurauit dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ideo ergo vtriusque filium dicit, vt vtriusque promissiones in Christo impletas ostenderet. Deinde quia Christus tres dignitates fuerat habiturus, rex, propheta, sacerdos. Abraham autē habuit duas dignitates, propheta enim fuit, & sacerdos: sacerdos, sicut Deus ad illam di-Gen.15.& 20. cit in Genesi: Accipe vaccam triennem, &c. Propheta autem, sicut ait Dominus ad Abimelech de illo: Quoniam propheta est, & orabit pro te, & saluus eris tu, & domus tua. Ideo ergo dictus est filius Abrahæ, & Dauid, vt propheta quidem intelligatur, & sacerdos ex Abraham, rex autem ex Dauid. Item ideo non dictus est tantummodo Dauid filius, quia Dauid rex fuit, & propheta: sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus est, vt vtriusque patris triplex dignitas originali iure cognosceretur in Christo. Sed quare prius Dauid nominauit, cùm Abraham præcedat in tempore? Prima ratio, & simplex hæc est. Cùm propositum esset euangelistæ ex Abraham generationes Domini numerare, si prius dixisset eum filium Abrahæ, postea autem Dauid: necesse habebat iterum reuerti ad Abraham, & in ipso lo-* nominari co bis cum numerare. * Altera autem ratio est, quia regni dignitas maior est quam naturæ. Nam & si Abraham præcedebat in tempore: Dauid ta-Psal.7. men præcedebat in dignitate. Et quomodo maior fuit Dauid, quam Abraham, cùm quandoque Dauid reprehensus est in peccato? Sed audi, quoniam Dauid de nimia iustitia sita confidens dicebat: Domine Deus meus, si feci istud, si est iniqui-Psal.66. tas in manibus meis. Item iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiet Deus. Ergo dimissus est, vt circumueniretur à carne non vt iniustitia ostenderetur eius, sed vt eius iactantia compe-Gen.12. sceretur. Abraham pater fidelium, quem Deus voluit exemplum esse sanctorum, dicens ad eum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam tibi demonstrabo, vt sciant omnes Psal.26. homines, quicunque voluerint esse filij Abrahæ, & terram illam promissionis accipere: de qua scriptum est, Credo videre bona domini in terra viuentium; quoniam bona sua debent contemnere, sicut Abraham terram suam contempsit: & parentes suos carnales dimittere, sicut ille cognationem suam dimisit. Qui antè Abraham imitari noluerint, non possunt esse filij Abrahæ. *Abraham autem genuit Isaac*, qui interpretatur risus. Risus autem sanctorum est, non stulta cachinnatio labiorum, sed rationabile gaudium cordis, qui fuit per omnia mysterium Christi. Sicut enim ille Isaac despectantibus iam parentibus, in vltima senectute donatus est lętitia suis, vt cognosceretur, quia non erat filius naturæ, sed gratiæ: sic & noster Isaac in nouissimo fine productus est à matre Iudæa gaudium cunctis, sicut dicit angelos ad Luc.2. pastores; Ecce euangelizo vobis gaudiū magnum, Galat.4. quod erit omni plebi. Vnde apostolus: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum * ex muliere, natum sub lege. Sed iste per * Factum. virginem, ille de anu, ambo extra spem naturæ. Ille postquam mater eius parere posse cessauerat, iste priusquam mater eius parere posse inciperet. Sed ille de anicula ideo iam deficiente, iste autem de virgine incorrupta: quia ille Isaac filios fuerat genitorus in lege corrumpenda, iste autem in gratia permansura. Sicut illum mater nesciuit, quando ducebatur ad immolandum, sed postquam reuersus est, cognouit, quia erat oblatus: Sic istum synagoga non cognouit esse filium Dei, quum duceretur ad mortem: sed postquam resurrexit à mortuis, non tunc cognouerunt eum Iudæi. Sicut ille ligna portauit, vbi fuerat incendendus: sic & iste lignum portauit, vbi fuerit crucifigendus. Sicut ille non restitit Abrahæ, quum vellet eum occidere, sed dixit: Pater liga mihi manus, & pedes, ne quando insurgam in impugnationem, sic & iste non contradixit Patri, sed paratus respondit: Si possibile est, Matth.26. transeat à me calix iste: sed non sicut ego volo, sed sicut tu pater. *Isaac autem genuit Esau & Iacob*, in figura duorum populorum. * Esau à capite vsq; ad pedes totus pilosus, * seculum primum, * seculorum. hoc significat, quòd ab initio vsque ad finem totum quasi asperrimos pilis iniquitatū repletum est. Iacob autem totus speciosus, & nitidus, futurum seculum significat, quòd totum pietatis decore fulgebit, & non inuenitur in illo aliqua asperitas, aut nigredo peccati. Et quemadmodum quom de vtero matris suæ exiret Esau, tenuit plantam eius Iacob: vnde Hebraice Iacob appellatus est, id est, supplantator: mox enim vt illius pedes egressi sunt istius caput apparuit. Sic & in fine seculi istius, statim illius seculi principium apparebit. Et quemadmodum Esau persequebatur Iacob, sic filij seculi huius persequuntur filios seculi illius: & sicut ipse, ita & filij eius non resi-Gene.27. stendo, sed fugiendo superant malos. Nam quemadmodum tunc mater admonuit Iacob, dicens ei: Fili, audi me, & fuge in Mesopotamiam, donec quiescat ira fratris tui: sic & ecclesia filios suos quotidie docet, quum persecutionem patiuntur, Matth.10. dicens: Si vos persequuti fuerint in ciuitate ista, fugite in alteram, & date locum iræ. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius*. Et noster Iacob genuit duodecim apostolos in spiritu non in carne: verbo, non sanguine. Nam sicut ille cum suis duodecim descendit in Ægyptum, vt multiplicaretur: sic & Christus cum suis duodecim Apostolis descendit in mundum, & multiplicatus est per totum mundum, sicut res ipsa testatur. Item * cut ille descendit, vt medullam Ægypti manducaret: sic & Christus cū suis apostolis intrauit in istum mundum, vt medullam huius mūdi manducaret, id est, acquireret sibi. Medulla enim huius mundi suot

sunt hominea sancti. Sicut enim medulla quandiu in arbore fuerit sana, semper floret: quum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur: sic & quandiu sunt fideles, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus Israelitis de Ægypto, exterminata est Ægyptus: sic & sancti quum de isto mundo defecerint, casurus est iste mundus. Iudas autem interpretatur confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessor patri, erat futurus, dicens: Confiteor tibi, pater domine cæli, & terræ. Quia sicut Iudas meretrici coniunctus est, & dedit illi virgam, & annulum: sic & Christus Ecclesiæ meretrici ex Gentibus se coniunxit, & dedit illi pro mercede coniunctionis virgam * crucis, & annulum spiritus sancti per baptismum, quasi signaculum fidei præcedentis, quem etiam alibi lasciuo filio reuertēti dari præcepit pater benignus. Et ideo forsitan Thamor vxor eius interpretatur immutata, vel exacerbatio: quia & in ipsa habet intellectum conuenientem & in ecclesia. In ipsa quidem, quia quū esset casta, in meretricē se immutauit, & facta est exacerbatio Iudæ in ira, sicut Gen. liber testatur. In ecclesia autem, quia fuerat ecclesia meretrix, & exacerbatio Dei: postmodum autem immutata per fidem Christi facta est casta. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram*, in mysterio Iudaici populi, & Gentilis. Zara enim primus ex vtero egressus apparuit: obstetrix autē ligauit illi coccum ad manum, signans populum Iudaicum rubricatū sanguine circuncisionis. Retracto autem Zara, processit Phares, interclusa est enim cato, in qua Zara erat inclusus: hæc autem in qua Phares erat inclusus, adaperta est, ideo & processit primum. Sic Iudaicus populus primus apparuit in luce fidei, quasi de vulua tenebrosa mundi procedens: & ideo signatus est cocco circuncisionis, putantibus omnibus, quia ipse populus Dei erat futurus primus. Sed quid? posita ante faciem eius lex quasi sepes, vt impediret iustitiam eius. Nam lex impedit, fidem non adiuuat, sicut scriptum est: Priusquam veniret mandatum, peccatum quidem mortuum erat, ego autem viuebam: postquam venit mādatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum. Sic ergo impeditus est populus Iudaicus per legem, vt non ad iustitiæ lucem veniret: sed subitò temporibus Christi rupta est sepes legis, quæ erat inter Iudæos & Gentiles, sicut ait Apostolus, medium parietem maceriæ soluēs, sic factum est, vt Ethnicus populus, qui primum Iudaico populo apparente, quasi in vulua tenebrosi mundi tenebatur inclusiuè: postquā rupta est lex per Christi mandata, excluso Iudaico populo, iste primus processit ad fidem: & postea sequitur Iudaicus populus, sicut ait Apostolus: Ecce mysterium vobis dico. Ea parte cæcitas in Israël contingit, donec plenitudo Gentiū intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Siue autem Zaram quis dicat in figuram populi fuisse Gentilis, qui primum per prophetas demonstratus apparuit, & ab eisdem prophetis dominici sanguinis cocco signatus est. Dum enim per Christi sanguinem regenerandus prophetizabatur, cocco dominici sanguinis signabatur. Phares autem in figura Iudaici populi, qui, sepe legis exclusus populo Gentili primus processit, illo postea sequuturo materia * legis sublata, non congruè dicitur: propter quod & nominatus est ille Zaram, quod est oriens, vel nobilis: iste autem Phares, quod est præcisio, quoniam populus Christianus semper oriens erat futurus, semper illustris: Iudaicus autem interiectu legis præcisus ab eo. Et videtur quidem Iudas ea incesto nurus suæ Thamar coniugio filios suos suscepisse: tenera autem neque ex nuru, neque ex meretrice. Meretrix enim nō fuit, quia propter amorem seminis Israel finxit se meretricem, quum non esset. Nurus autem non fuit, quia nullus filiorum Iudæ habuit eam: * nam primus filius Iudæ, quum Iudas suo ipsius experimēto exterritus, noluisset ei accipere cōiugem ex filiabus Cananæorum, sed dedisset ei Thamar ex filiabus Aram. Mater autem eius quum esset Cananæa hortaretur eam * accipere ex genere suo ille consilio matris vsus non contigit eam, propter quod percussit eum dominus malignantem. Alter autem filius audito quod fratri suo semen fuerat suscitatura, * non sibi, semen suum effudit in terram, propter quod & ipse percussus est. Sic factum est, vt Thamar virgo maneret. Hæc autem tia de filiis suis gesta, quum nesciens Iudas diu lamentaretur, & plangeret, pœnitens quia nephandum opprobrium cū nuru sua, vt putauit, fecisset in Israel, & diu precaretur Deum, nec luctus sui terminum faceret: adstitit ei angelus, & hæc omnia exposuit ei, sicut fuerant gesta, & consolatus est eum. Iudas autem tantæ fuit religionis, vt & postquam cognouit eam non fuisse vxorem filiorum suorum, non acquieuerit ei appropinquare: quoniam etsi quantum ad Deum, ipsa non erat nurus, tamen quantum ad scientiam hominum nurus videbatur. Prouidebat enim bonum, non tantùm coram Deo, sed coram hominibus. *Phares autem genuit Esron.* Quoniam quidem causa, & ratione, prouidentiaque Dei posita sunt hæc nomina, credimus, maximè quum essent hi principes generis electorum: qua autem causa, & ratione posita sunt, verè ipsi sciebant, qui posuerunt, & Deus cuius prouidentia ponebantur. Nos verò quod intelligere possumus in nominibus ipsis, hic loquimur, maximè quum nullam scripturam canonicam de istis personis habeamus. Esron enim (sicut Hebræorum sermonum nominum interpretes dicunt) interpretatur iaculum videns. Iacula autem sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsecus diabolus iaculatur in animam, & omnes tentationes aduersitatum, quæ prouenerint fidelibus extrinsecus iaculante diabolo. Omnes deinde homines iniqui, quos vel contra veritatem, id est, Dei voluntatem, vel contra seruos eius excitat inimicus, iacula eius sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: Ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula maligni ignea extinguere. Qui ergo videns est iaculum, vigilans est contra versutias inimici, & de longe prospicit iacula eius, & cauet, aut scuto fidei suscepto retorquet ad dominos. Vult ergo Dominus omnes seruos suos videntes esse iacula superuenientia. Qui autem non videt ea super se venientia, quomodo ea declinet? Potest & aliter homo iustus iaculum videns intelligi, vt sit ipse iaculum videns Christi, quum & ipse Christus dicatur iaculum patris, Esaia dicente. Qui posuit me sicut sagittam electam in pharetra sua. Iste ergo vir fidelis, iaculum Christi, & missus à Christo: & iaculum est, non irrationabile, sed rationabile: & videns, vt sciat

Marginal notes (left): Luc. 10. — * verbum. — Gen. 38. — Rom. 7. Siue intelli- [illegible] quo de [illegible] ad C[illegible] — Ephe. 2. — 1 Cor 15. Rom. 11. — * materia

Marginal notes (right): * nō primus dat eum suo ipsius, &c. — * eum. — * suscitaturus. — Id nō habetur ex canonico aliquo libro, sed ex apocrypho. — 1. Cor 8. — Ephes 6. — Esa. 49.

ipse, quæ debet configere, & quæ pertransire. *Esron autem genuit Aram.* Aram interpretatur visio eorum, vel irritatio eorum, vel elatus, aut lux eorum. Sicut nominum istorum significatio dat intelligere: æstimo, quòd in tempore istius Aram, filij Israel in Ægypto valde erant multiplicati, & elati, refulgentes. Et multiplicatio eorum zelabilis facta erat in oculis Ægyptiorum, & irritatio erat facta ipsorum secũdum quod in Exodo scri-

Exod.1. ptum est: Ecce genus filiorũ Israel multiplicatum est super nos, venite ergo circumueniamus eos, Et in tempore eius forsitan gemẽtes eos sub depressione Ægyptiorum dominus vidit, sicut scriptum

Exod.3. est: Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eius audiui. Idcirco secundum prouidẽtiam Dei tale nomen ei impositum est, vel quia irritauerunt Ægyptios valde crescentes, atque elati: vel quia vidit eos dominus ingemiscentes & laborantes. Et ex consideratione temporis ipsius credibilis res est. Nam tribus modis circumuenerunt filios Israel. Primum in opere luti, deinde per obstetrices, tertia vice vt expositos facerent infantes suos, in quo tempore natus est Moses. Denique ipse Aram Aminadab filiam accepit vxorem sororem Naason. Inter circumuentionem ergo vnam, & inter circũuentionem alteram * non nisi vt aliquot transacti sint anni. Et ita fit, vt rectè multiplicatio filiorum Israel in tempore Aram zelabilis facta fuisse intelligatur, & afflictio ei superuenisse, & Dei visitatio eum perspexisse. Conuenienter autem Aram qui erat irritatio Ægyptiorum, vel visitatio ipsorum, vel lux eorum, *genuit filium Aminadab*, qui interpretatur, vel gens desiderata, vel populi mei voluntarij. Nec enim facta fuisset super eos visitatio Dei, nisi gens desiderata fuisset, & populus voluntarius. Neque fuisset irritatio Ægyptiorum, nisi desiderabiles, & voluntarij Deo fuissent: & vsque nunc qui desiderabiles sunt, & voluntarij Deo, illi sunt zelabiles, & irritant ad inuidiam sui tenebrarum viros. Idipsum est autem voluntarium esse populum, & gentem esse desiderabilem. Qui enim voluntarius est Deo, & dicit, vo-

* non nisi vt aliquot transacti sint anni, &c.

Psal 53. luntariè sacrificabo tibi, ipse est & desiderabilis apud Deum: & qui desiderabilis est Deo, sine dubio voluntarius est: quia non omnino subiectionem hominum diligit Deus, aut famulatum: sed voluntariam subiectionem, & voluntarium famulatũ. Natura enim omnes sub Deo sunt, quoniam & à Deo creati sunt. Voluntate autem non omnes sunt Dei, quia secundum opera diabolo se substernunt. *Aminadab autem*, quia erat voluntarius populus, vel gens desiderata, *genuit Naason*, qui interpretatur refectio, id est, requies. Verè enim quicunque est voluntarius Deo, & præbet se desiderabilem apud Deum, generat sibi & refectionem & requiem. Congruè autem Naason, in cuius tempore filij Israel de Ægypto exierũt, qui & princeps factus est super tribum Iudæ, refectio, & requies est nominatus, quoniam in tempore illius de seruitute Ægyptiorũ violentorũ, & de laboriosis operibus luteis liberati requieuerũt, & refectionem consequuti sunt in deserto, & corporis, & animæ: corporis quidem, quia ad libertatem venerunt corporalem: animæ autem, quia post immundas culturas Ægyptiorum, ad notitiam perducti sunt Dei viuentis. Sed & columbinus, & serpentinus interpretatur Naason: forsitan quia prudens erat in bono, sicut serpens: simplex autem in malo, sicut columba. Hic ergo Naason, vt diximus, exiuit de terra Ægypti, qui fuit prin- Matth.10.

ceps tribus Iudæ: sicut res ipsa ostendit. Nec enim poterat iste fieri princeps, si pater eius vixisset; nisi forte aliquis dicat sic Aminadab senem extitisse, vt non posset gerere principatum: quod non æstimo verum. Quod ergo dicitur in Exodo, quoniam quinta generatione filij Israel de Ægypto exierunt, secundum generationes inuenitur tribus Leui. Iacob autem genuit Leui, Leui autem genuit Gad, Gad autem genuit Amram, Amram autem genuit Mosen, & Aron. Quatuor itaque 1.Para.6.

generationibus defunctis in Ægypto vsque Amram: exiuit generatio quinta, id est Moses, & Aaron. Secundum generationes autẽ tribus Iuda, septima generatio de Ægypto videtur exisse, sex generationibus defunctis in Ægypto: id est Iacob, Iuda, Phares, Esrom, Arã, & Aminadab, septimus autem egressus est Naason. Puto autem hoc quod tribus Iuda magis multiplicabatur præ omnibus tribubus. Tribus autem Leui non sic multiplicabatur, quia Leuitæ circa templi obsequium vbi pauci suffecerunt necessarij tantum erant, sicut & numerorum liber testatur. Tamen si rationis est, quòd Enoch, qui translatus est in septima generatione sit natus: si rationis est quòd Noë in generatione decima ab Adam, qui mysterium fuit Christi. Si rationis est, quòd scilicet in decima generatione natus est Abraham à Noë: si rationis est, quòd de Abraham vsque ad legem, id est, vsque ad Mosen septem generationes habentur. Sine dubio & hoc rationis est, quoniam secundum quidem tribum Leui in quinta generatione egressi sunt de Ægypto, secundum autem tribum Iuda in septima. In tribu ergo Leui, quia generatio quinta exiuit, defunctis in Ægypto quatuor: hoc puto mysterium, quoniam omnis homo ex quatuor elementis creatur secundum corpus, id est, ex terra, ex aëre, ex igne, ex aqua: post hæc autem per baptismum regeneratus, fit filius Dei. In quo ergo quatuor elementorum generationes moriuntur in mundo, ille verò per baptismum in quinta generatione spiritus exit de mundo: hoc est, qui mortificauit membra sua super terram (sicut ait Apostolus) quæ ex quatuor elementorum generationibus consistunt, vt non iam in carne sit, sed in spiritu, ille exiuit ad perfectum de mũdo. Et nemo egredietur verè de mundo, nisi qui mortificatis illis quatuor generationibus cœperit esse in quinta: vt etiã ad eum dicat Apostolus, Tu autem in carne non es, sed in spiritu. Hic ergo in tribu Iuda alta quidem videtur esse species: rationis tamen penè eadem ratio est. Sextus enim numerus mysterium habet operis & laboris, propter quod & Deus omnia visibilia in sex diebus operatus est, & requieuit in septima. Septimus autem numerus mysterium indulgentiæ, & ocij, & requiei, sicut in multis diximus locis. Qui ergo transit omnia visibilia, & relinquit post se quæcunque infra sex dies creata sunt, hoc est, vniuersum mundum hunc corruptibilem, & implet quod mandat Ioannes in epistola sua canonica, dicens: Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: Ille in septima die est, hoc est, in Christo & requie est: Christus enim est requies nostra, sicut dicit de Iudæis minimè intraturis in eam Propheta Dauid:

Coloss. 3. Nisi qui membra sua mortificauerit, non saluabitur.

1.Ioan.2.

Psal.94.

uid: Iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Ille ociatur ab vniuerſo opere mundi, qui & ſabbatizat à malis ſabbatum ſanctum, ille & meretur indulgentiam: & ſi aliquid geſſit humanum, ille exiuit de mundo. Quia autem in mundo eſt, nunquam in ſeptima requie eſt, nec ociatur à malis vnquam, nec ſabbatizat. Et qui in ſeptima requie eſt, ille non eſt de mundo: qui autem in mundo eſt, indulgentia dignus non eſt. Vide quàm prudenter ſecundum rationes quas diximus. Leuitæ quidem in quinta generatione exeunt de Ægypto: regales autem in ſeptima, quoniam regales modicum aut multum plerumque delinquunt ipſa poteſtate cogente, & difficile eſt eos eſſe ſine delicto perfectos: propterea ſi moderate deliquerint, indulgentia digni ſunt. Leuitæ autem & viri religioſi, ſacerdotales, perfecti, & ſpiritales, & ſine macula eſſe debent. Ideo quæritur in illis, vt quatuor generationibus illis omnino mortificatis in corpore, in quinta generatione mundi conſiſtant: nihil, ſi poſſibile eſt, carnis habentes in ſe, niſi quod vitam ſuſtentet, ſicut dicit Apoſtolus: Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. 1. Tim. 6. *Naaſſon autem genuit Salmon.* Salmon autem interpretatur, accipe vas. Iſte Salmon accepit vxorem nomine Raab. Hæc autem Raab ipſa dicitur fuiſſe meretrix de Hierichu, quæ ſuſcepit exploratores, & legatos filiorum Iſraël: & cùm quærerentur à rege Hierico, vt occiderentur, abſcondit eos in ſuperiori parte domus ſuæ, & ſeruauit incolumes. Audiẽs autem facta filiorum Iſrael, dilexit Iſrael amplius quam propriam gentem. Et dupliciter mihi res iſta credibilis eſſe videtur. Primum, cùm eſſet Salmon nobilis inter filios Iſrael, & quia de tribu Iuda erat, & quia filius principis, vidit Raab illam fidelem ſic conuerſam ad bonum, & à Deo dilectam, & deductam de Hierichoſecundum Dei præceptum, & computatam inter filias Iſrael, quaſi magnam illam aliquam conſtitutam meruit accipere Salmon in vxorem. Deinde credo, & propter rationem ſpiritualis myſterij: quoniam Raab illa meretrix figura fuit eccleſiæ. quæ cum fuiſſet ex Gentibus meretrix, & culturis idolorũ commaculata, ſuſcipiens ſpeculatores Ieſu Chriſti, id eſt, apoſtolos in domũ pectoris ſui per verba ipſorũ, abſcondit eos ſurſum in memoria capitis ſui, vt non inueniret eos princeps mundi diabolus, nec perderet eos, qui ſigno rubri ſparſi, & per feneſtram demiſſi, quaſi per indicium dominicæ paſſionis ſaluata, & educta de mundo, & caſtificata facta eſt ſponſa Chriſti. Salmon ille decimus eſt ad Abrahã. Semper autẽ decimus numerus, quia numerus eſt perfectionis, myſterium habet Chriſti perfecti: propter quod & prima litera nominis Ieſu iotam habet decem denotans. Ergo & quia Salmon numero fuit myſtico Chriſti, & illa in myſterio fuit eccleſiæ, non ſine ratione credimus ipſam fuiſſe Raab, & accepiſſe eam Salmonem. Forſitan autem ideo & interpretatur Salmõ, accipe vas, quaſi per ipſũ nomen inuitabatur à prouidentia Dei, vt acciperet vas electionis Raab. Nam ſicut Paulus, quum fuiſſet perſequutor, dignus probatus in apoſtolatu, vas electionis factus eſt Deo. Sic & Raab, quũ fuiſſet meretrix, & Gentilis, digna æſtimabatur à populo Iſrael, vt eſſet coniũcta Salmoni. Vel ſpiritualiter, coniugio Chriſti, quia vas electionis facta eſt Chriſto: huic myſterio vtrũque meretricis illius conuenit nomen. Prius enim dicebatur Raab, quod interpretatur latitudo, vel dilatata: aut quia ex omnibus finibus terræ vocata eccleſia, gentiũ latitudo appellabatur: aut dilatata quia credens ex toto orbe terrarũ, in toto fundata eſt mũdo. Hęc autẽ Raab poſtquã nupſit Salmõ, nominata eſt Rachab, quod interpretatur aſcenſio. Vere enim ſicut corporaliter Rachab illa aſcẽdit, facta vna ex filiabus Iſrael, & dignificata cõiugio talis viri ſic & ſpiritualiter iſta aſcendit: quia quũ fuiſſet eccleſia cultrix antea idolorũ, facta eſt ſocia angelorũ, & ſpõſa Chriſti, & filia Dei. Salmon ille, qui interpretabatur, accipe vas, qualem filium genuit ex Rachab? Booz, qui interpretatur in virtute: vel, virtus in ipſo, ſiue præualens, qui ſecundum imperium Dei accepit vxorem Ruth à Deo prouiſam: in virtute generat filios, & in ſeipſis virtutem habentes, & præualentes. Ruth. 4. Qui autem accipiunt vxores ex prouiſione diaboli, id eſt, non religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec præualẽtes vnquam, nec fortes niſi in malo, & ad pœnam irreligionis ſuæ, non ad gaudium, nec ad conſolationem videntur filios genuiſſe. Hic itaque Booz accepit vxorem Moabitidem nomine Ruth. Quomodo accepit eam, exponere æſtimaui ſuperfluũ, quum de his ſcriptura ſit omnibus manifeſta, hoc autem dicimus ſolùm, quoniam & Ruth pro merito fidei ſuæ nupſit Booz, quia propriam gentem contempſit, & terram, & genus, & elegit Iſrael, & non deſpexit ſocrum viduam ſimul, & peregrinam deſiderio ducta generis eius magis quàm ſui. Deos patrum ſuorum repulit, & Deum viuentem elegit: talibus verbis dicens ad ſocrum ſuam: Noli obuiare mihi, vt relinquam te, quoniam vbicunque ieris, ibo: Ruth. 1. & vbicunque manſeris, manebo. Populus tuus, populus meus eſt: & Deus tuus, Deus meus eſt: vt vbicunque mortua fueris, moriar, & ibi ſepeliar. Hoc faciat mihi Deus: & hoc augeat, ſi non ſola mors ſeparauerit inter ſe & me. Ergo Booz pro merito ſuæ fidei illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali ſanctificato genus naſceretur regale. Nam Booz ſenior conſtitutus, non ſibi vxorem accepit, ſed Deo: non propter paſſionem corporis ſui, ſed propter iuſtitiam legis, vt ſuſcitaret ſemen proximo ſuo: non magis amore quàm religione feruentior, ætate ſenex, iuuenis autem fide: & ideo forſitan nominatus eſt in virtute, vel virtus in ipſo præualens. Quoniam qui ſecundum ætatem ad ineundum coniugium eſt in virtute, non eſt nominabilis, & laudãdus, quia eſt in virtute: ſed qui extra ætatem coniugalem iam factus, accepit ex religione virtutem ad coniugium ineundum, ſicut iſte Booz, ille laudabilis, & nominabilis eſt, quia exiſtit in virtute, & illius talis viri virtus in ipſo eſt. Iuuenis enim virtus non eſt in ipſo, ſed in iuuentute corporis eius, ideo & poſtmodum exhauſta marceſcit. Qui autem in anima ſua fidei habet virtutem, ſicut & habebat Booz: illius virtus in ipſo eſt, & ideo inſeneſcibilis eſt. Conſequenter & Ruth inſpiratio eſt appellata. Nam niſi inſpiratio Dei fuiſſet in ea, nõ dixiſſet quæ dixit, nec feciſſet quæ fecit. Quid primum laudatur in ea: Dilectio generis Iſrael, aut ſimplicitas, aut obedientia, aut fides. Dilectio quidem generis Iſrael, quia ſic deſiderabat filios ſuſcipere ex ſemine Iſrael, & vna fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri

deſi

desideraſſet, quaſi puella laſciua, aliquē iuuenem potius appetiiſſet. Quoniam autem non laſciuiæ ſuæ, ſed religioni ſatisfacere cupiens fuit, familiam potius ſanctam elegit, quàm iuuenilem ætatem. Simplicitas autem, quia vltronea ſub pallium eius ingreſſa eſt, nec cogitauit, ne fortè ſperneret eam, quaſi vir iuſtus laſciuam puellam, aut ne deluderet eam: & quod grauius erat, contemneret deluſam, ſicut faciunt multi: ſed obaudiens facta ſocerus ſuæ conſiliis confidenter credidit: quia proſperaturus fuerat Deus actum ipſius, ſciens conſcientiam ſuam, quia nō libido ad hoc eam compulerat, ſed religio erat hortata. Quid autem & in Booz prædicatur? Humilitas, caſtitas, & religio. Humilitas quidem, & caſtitas, quia non contigit eam quaſi laſciuus puellam, nec abhorruit eam quaſi caſtus laſciuam: ſed mox vt verbum eius de lege proximitatis audiuit, nihil horum omnium laſciuiæ imputauit, ſed vniuerſa religioni adſcripſit. Nec deſpexit quaſi diues pauperem, nec veritus eſt quaſi maturus adoleſcentulam, ſed paratior fide quā corpore, mane proceſſit ad portam, & prouocauit quēdam ex genere, quem iure proximitatis æſtimabat propinquiorē: obtinuit, præualuit non tantum iure proximitatis, quantum Dei eligentis fauore, idcirco fortè præualens dictus eſt. Talis ergo Booz ex tali cōiuge Ruth qualem filium genuit? Obeth, qui interpretatur ſubditus. Nunc autem qui diuitias eligunt, & nō mores: pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus ſolet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non generant filios ſubditos vel ſibi, vel Deo, ſed contumaces & contra ſe, & contra Deum, vt filij eorum non ſint fructus iuſtæ coniunctionis eorum, ſed pœna condigna irreligioſitatis ipſorum. Iſte autem Obeth, qui ſubditus dicebatur, quid genuit? Ieſſe, id eſt, refrigerium. Ieſſe enim Latino ſermone refrigeriū appellatur. Nam verè quicunque ſubditus eſt Deo & parentibus ſuis, tales filios generat, Deo præſtante, à quibus refrigeretur: quoniam qui honorat patrem, honorabitur à filiis ſuis: qui autē contumaces exiſtunt, aut in Deum, aut in parentes, generantes non refrigeria ſibi generant, ſed dolores, vt à filiis ſuis recipiant, quod fecerunt in parētibus. Adhuc æſtimo propter Obeth, qui ſubditus eſt nominatus: & propter Ieſſe, qui refrigerium eſt dictus: ne fortè in diebus Obeth filij Iſrael propter delicta ſua traditi erant ſub poteſtate gentis cuiuſdam, ſicut in libro Iudicum frequenter legimus factum. Et quoniam ſubditi facti fuerant cuidam genti, conuenienter in tempore illo natus Obeth ſubditus eſt appellatus. Ieſſe autem, ſicut ex parte colligere de ſcriptura regnorum poſſumus, quot annorum Dauid appropinquare cœpit Sauli, tam tot annis regnante, pene ſecundum tempus extitit Samuel, ſub quo iudice, & prophetis placentes per omnia Deo filij Iſrael, & corporaliter refrigerati ſunt, & ab Allophylis liberati, & ſpiritualiter bene agentes: & ideo fortè Ieſſe refrigerium eſt appellatus.

Pſal.13.& 111. *Ieſſe autem genuit Dauid regem.* Quia Deus in generatione multorum eſt, & generatio rectorum benedicetur. De Dauid autem nunquid tantum dicere poſſumus, quantum ſcriptura regnorum? idcirco prætermittentes omnia, hoc dicimus ſolum, quia & Ieſu Chriſti imago fuit Dauid. Dauid autem interpretatur ſufficiens manu, vel dilectus, ſicut & Chriſtus fuit, & in bello fortis, & potens, & patri dilectus, & actibus ſuis, & in miſericordia, & in māſuetudine ſua prophetatio fuit Chriſti. Et quid dicam, in actibus ſuis iuſtis, aut in perſecutionibus ſuis iniuſtis? In ipſo etiam peccato ſuo peſſimo, Chriſti & eccleſiæ myſterium fuit. Sicut enim Dauid cùm eſſet in ſolario ſuo excelſo lætus, vidit ſpecioſam Berſabee quum lauaretur, & concupiuit eam, & habuit, quum adhuc eſſet in coniugio viri alterius Ethei: ſic & Chriſtus quum eſſet in cælo ſuo altiſſimo, adhuc lætus in ſua diuinitate, vidit Eccleſiam gentium ſpecioſam ſecundum cor, diſplicentem ſibi in ſordibus errorum ſuorum, & bonis operibus ſe diluētem, quum adhuc diaboli eſſet coniunx, vidit eam, & concupiuit, & habuit prius. Poſt hęc autem deſcendens in mundum, ſicut Dauid poſtea interfecto Vria, vxorem eius ſibi in coniugem ſumpſit: ſic & Chriſtus deſtructo diabolo, ſubditas ei gentes trahit in coniugium ſuum. Nam ſicut Dauid primum Berſabee habuit, quum adhuc eſſet ſub proprio viro, poſtea eam legitimam vxorem accepit, ſic & Chriſtus, & tunc fecit eccleſiæ, & modo facit omni ſummæ rectæ. Niſi enim Deus prius habuit, aut Iudæum, aut Gentilem, impoſſibile eſt vt adducat eum ad fidem ſuam: vt puta Cornelium duxit ad fidem ſuam per miniſterium Petri: ſed ante habuit animam eius operās in ea orationes aſſiduas, & eleemoſynas multas, ſicut Actus apoſtolorum teſtantur. Centurionem vocauit ad fidē ſuam, ſed prius quum adhuc eſſet ſub diabolo, habuit animam eius, operans in ea dilectionem gētis Dei, & ædificans ſynagogas: ſic quod diabolum facere vidèmus. Impoſſibile eſt, vt aliquem Chriſtianorum ad perfidiam trahat, niſi prius quum adhuc ſub Chriſto eſſet, habuerit animam eius, & operatus fuerit in ea proprium opus, & probauerit conſenſum ipſius. Ecce Iudam, priuſquam diſiungeret eum à Chriſto, & ſibi coniungeret, prius habuit eum, operans in eo cupiditatem pecuniarum, & furta. Poſtquam verò delectatus in conſcientia ſua ſibi cōuenientia, tunc compulit eum tradere Chriſtum, & tranſire ad ſua. Berſabee autem interpretatur filia puteus, quod nomen ſecundum myſterium eccleſiæ habet idoneam rationem. Eccleſia enim nupta noſtro Dauid, filia facta eſt Dei omnipotentis, quæ prius filia diaboli videbatur fuiſſe. Adhuc interpretatur Berſabee, e, litera duplicata in fine, puteus ſeptimus, quod corporaliter, & ſpiritualiter habet interpretationem conuenientem. Quoniam ſicut dat nobis intelligere ſcriptura Paralipomenon, vxores ſeptem habuit Dauid, ex quibus filios generauit. Sex quidē quas accepit in Ebroo: ſeptimam autem in Hieroſolymis Berſabee. Putei autem in prouerbiis Salomonis, quāuis & alterum interiorem habeant intellectum, tamē in prima facie vxores ſignificantur: vbi docet eum vxoribus propriis vitam debere permanere, dicens: Bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus. Si ergo putei vxores intelliguntur, conuenienter Berſabee ſeptimus puteus interpretatur, quia & ſeptima extitit vxor. Sed & Chriſtus ſeptē eccleſiarum ſponſus habetur. Nā quāuis innumerabiles ſint eccleſiæ ſecūdū diuerſitatē locorū, tamen omnes ſeptē dicuntur propter ſpiritus ſeptē, quibus ſuſtentatur omnis eccleſia. Vnde & Ioannes, & Paulus apoſtolus ad ſeptem Eccleſias ſcribunt, quaſi ad omnes. De regibus autem reſiduis dicere aliquid, viſum eſt mihi

2.Reg.11. Act.10. 1.Par.3. Prou.5.

mihi superfluum, cùm desiderantibus dicere, vel audire de eis sufficiat scriptura regnorum. Sed tamen secundum quod Hebraicorum sermonom interpretes tradiderunt, nomina eorum actibus coaptare tentabimus, vt Dei prouidentiam, & in ipsis hominum nominibus ostendamus, & spiritalem delectationē audienti populo acquiramus. *David autem genuit Salomonem.* Salomon autem interpretatur pacificus. Pacificus est autem appellatus: quoniam omnibus in circuitu Gentibus, & pacificatis, & tributa reddentibus pacificum habuit regnum, ita vt & templum Deo ędificaret, vtens etiam ministerio Gentium: quoniam in figura fuit nostri pacifici Christi, qui confugientibus ad se per fidem Gentibus vniuersis, & bonorum operum spiritalia tributa soluentibus pacificum habuit regnum, ita vt es viuis lapidibus non solùm Iudæis, sed etiam Gentibus viuum templum Deo ædificaret viuenti. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam autem interpretatur, in multitudine populi. Aestimo quòd pater quidem eius, sicut omnium Regum patres, ex bono proposito ei nomen imposuit Roboam: Dei autem prouidentia, sicut & omnium Regum nomina secundum actus eorum proprio dispensauit nomine, siue in bono, siue in malo. Salomon ergo quum haberet regnum valde multiplicatum meritis patris sui Dauid, & suis: quia dilexerat eum Deus in primis, natum sibi in tempore illo filium appellauit Roboam, id est, in multitudine populi, quasi factum in multitudine populi, vt secundum statum regni sui multiplicati nominaretur filius eius: prouidentia autem Dei: quia fuerat peccator futurus, & dissidiū regni sui passurus, dispēsauit, vt diceretur in multitudine populi: quoniam quod fit in multitudine populi, statim facile seditionem multitudinis patitur. Multitudo enim mater est seditionis, & contumaciæ: quia quicquid à multis peccatur, plerunque manet inuindicabile: paucitas autem magistra est disciplinæ: Aestimo quod Salomon, & Roboam in mysterio Christi fuerunt: quod si in mysterio Christi fuerunt, consequenter & in mysterio populi Christiani. Nanque quum sint omnes Christiani corpus Christi, rectè vniuersus populus Christianus accipiendus est Christus: sic & Salomō in mysterio populi fuit Christiani bene incipientis, Roboam autem in mysterio populi male finientis. Nam sicut circa senectutem Salomone peccante, excitauit Dominus Satan super eum, & detruncauit ex parte modica regnum eius: in tempore autem Roboam abiiciētis consilium seniorum, & sequentis consilia iuuenum coętaneorum suorum, tam plenum scissum est regnum, ita vt decem tribubus secedentibus, & proprium sibi facientibus Regem, duæ tribus tātummodo manebant sub Roboam. Sic populus Christianus in primis quasi bene agens prosperatus est, sicut Salomon: procedente autem tēpore quum cępisset delinquere populus Christianus, & amare, quæ carnis sunt & mundi, quasi filiā Pharaonis, quam diabolus ministrat princeps carnis, & mundi, ad tētationem Christianorum, excitauit Deus super populum Christianorum spiritum schismatis. In primis quidē debilitatus est Christianus populus in quibusdam schismatibus. In nouissimo autem populi Christiani quasi in tēpore Roboam abundante iniquitate, & charitate refrigescente, plenius confusus est populus Christianus, ita, vt maxima pars Christianorum diuideretur in hæreses, & faceret sibi proprios Episcopos quasi proprios Reges, & vix paucissimi Christiani remanerent in Ecclesia Christi sub Christo. Et sicut tunc Roboam abiiciens consilia seniorum, & coætaneorum suorum sequēs, occasionem præbuit dissidii illi: sic & circa finem episcopi relinquentes consilia seniorum Apostolorum, & Prophetarum, secūdum quod consiliati fuerant Episcopos conuersari debere, vel Episcopatum suum tractare, & sequuti sunt consilia coætaneorum suorum, & iuuenum consiliantium Episcopum oportere diuitem fieri, & inhospitalem, & timorem Dei non habere, & talia quædam alloqui, quæ moueant plausum: & dederunt occasionem diabolo præcisionum faciendarum, non attendentes, quæ Dominus dicit: Si autem cœperit dispensator dicere: quia dominus meus moram facit, & cœperit castigare pueros, & ancillas, & manducare, & bibere cum ebriosis, veniet Dominus eius in die, qua nescit, & hora qua ignorat, & diuidet eum. [Luc. 12.] Iterum quod præcepit Petrus: Non vt dominantes, sed quasi Episcopatum tenentes. Item Paulus: Nouitates vocum deuita, generant enim lites, & sermo eorum sicut cancer serpit. [1. Pet. 5.] [2. Tim. 2.] Item: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. De qua prosperatione prima populi Christiani, & de aduersitate nouissima prophetatur in Psalmo. De prosperatione prima sic: tunc loquutus es in aspectu filiis tuis, & dixisti, & cętera quæ sequuntur. [Psal. 88.] De aduersitate autem nouissima sic: Tu verò repulisti, & pro nihilo deduxisti, & distulisti Christum tuum, & cætera quæ sequuntur. Vide quia quomodo tunc in regno Iudæ quidam Reges extiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores: in regno autem Israel nemo Regum inuentus est iustus: Sic & in Ecclesia Christi inueniuntur quidem Episcopi boni, & peccatores: in hæresibus autem nemo inuenitur omnino rectus, sed omnes peruersi: quia in auro quidem inuenitur scoria, & sordes: in sordibus autem non inuenitur aurum. *Roboam autem genuit Abiam.* Abias autem interpretatur pater veniens, vel patris mei hic. Forsitam hic Abias similis natus fuerat patri suo in corpore, ideo appellauerunt eum pater veniens, quasi alter pater nascens, vel patris mei hic, quasi patris sui hic esset imago. Prouidētiaa utem Dei sic ordinauit eum vocari: quia sicut Roboam cœpit rectè, postea autem extitit peccator in Deum, sic & Abias. *Abias autem genuit Asa.* Asa autem interpretatur vnguentum. Iste enim Asa valde perfectus fuit corde, & placens Deo sicut Regnorum liber ostendit. Propter hoc fortè à Deo est ordinatum, vt appellaretur vnguentum: Quia sicut vnguentum, & in hyemę floridum est, & boni odoris, & homines suo odore delectat, atque impinguat, quum ea eo vncti fuerint: sic & iustus, & in hyeme tentationis immarcescibilis est, & fidelis manet. Sicut fuit in Asa, qui & bonæ opinionis est, & historia ascripta de eo delectat legentem, & ædificat, & impinguat, & ad desiderium suæ sanctitatis excitat viros prudentes. *Asa autem genuit Iosaphat.* Iosaphat autem interpretatur Dominus iudex: puto quòd Asa pater eius, quum propter iustitiam eius eum Dominus prosperasset in omnibus, & inimicos eius confregisset ante faciem eius, sicut scriptura

resta

testatur Regnorum, quasi in ipso nomine filij sui, confessionem offerens Deo iudici iustu, vocauit eum Dominus iudex. Nam verè iusti iudicis est bene agentem remunerare, & negligentem corripere, sicut fecit Deus Asa. Nam postquam Aethiopum, & Lybium virtutem innumerabilem Deus deposuisset ante faciem eius, postea aduersante sibi Rege Israel Basa, Syrorum auxilium petiit aduersus eum, propter quod, & misit ad eum Ananiam Prophetam dicentem hæc: In quo confidis te Regem, & non confidis in Dominum Deum tuum: propterea labefacta est virtus Syriæ de manu tua. Nonne Aethiopes, & Lybies erant in virtute magna, & in curribus, & equites, & multitudinem copiosam? & quum confideres in Dominum, tradidit illos in manus tuas: quoniam oculi Domini respiciunt in omnem terram, ad conseruandum illum qui est perfecto corde ad eum, & euanuisti de isto. Propter quam diffidentiam puto quod, & in senectute doluit pedes: quia Dominus iustus iudex per omnia fuit in eo. Nam nec modicam iustitiam seruorum suorum sine remuneratione relinquit, nec modicam culpam sine correctione dissimulat. Sed & in filium eius Iosaphat, qui hoc nomine vocabatur, iustus extitit iudex: quoniam & ipse consummatus fuit, sicut pater eius Asa, & adhuc amplius. Propter hoc & Dominus iustus iudex, amplius adhuc exaltauit, & glorificauit Iosaphat, quàm patrem eius Asa, ita vt omnes reges in circuitu munera ei offerrent, quemadmodum Salomoni. Sed tamen quum fecisset amicitias cũ Achab, & dedisset ei auxilium ascendenti ad bellum, circumdederunt eum curribus: & quum iam periclitaretur occidi, exclamauit ad Dominum, & eripuit eum. Quum autem interfecto Achab reuerteretur in Hierusalem, misit Deus ad eum Iehu Prophetam filium Ananiæ dicentem: Si peccatorem illum adiuuisti, & illis qui oderunt Deum, amicus es, & in hoc super te ira à facie Domini descendisset, nisi sermones boni inuenti fuissent tecum: quoniam abstulisti lucos de terra Iuda, & parasti cor tuũ ad requirendum Dominum. Vides quia nec dare oportuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere? Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supradicta historia de Asa. Quoniam verò nec dare, instruit nos hæc scriptura de Iosaphat. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat * vtiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, aduersatur Deo. Deo enim volente conterere inimicũ suum, ipse eum defendere tentat. *Iosaphat autẽ genuit Ioram.* Ioram autẽ interpretatur, Dominus altitudo. Hic Iorã similiter sicut pater suus Iosaphat, prosperatus est nimis, & exaltatus in regno: quasi confidens in Domino, vocauit filium suum natum: Dominus altitudo, tanquam si dicat Dominus est altitudo mea, qui me non merito meo, sed misericordia sua fecit in altitudine. Forsitan & prouidentia Dei, quia impius erat futurus, & superbus, sic eum nominari disposuit. Nam iste Ioram in magnitudine diuitiarum elatus est, & valde impiè gessit in Deum, sicut libri Regnorum, & Paralipomenon testantur. Habens vxorem nomine Godoliam, filiam Iezabelis & Achab eius consilio vtẽs, valde extitit iniquus in Deum, & elatus, ipsam altitudinem sibi quasi Deum vel dominum fecit, confidens in altitudine. Omnis enim homo malum ipsum, cui [illegible] dominum sibi facit. Nam ita elenatus est [illegible] fratres suos omnes occideret, quos ei quasi [illegible]tores, & consiliarios reliquerat pater. Propter [illegible] omnia percussit eum dominus passione grauissima, & diutina, ita vt ante biduum mortis [illegible] intestina sua putrefacta iactaret. *Ioram autem genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Ioam. Ioas autem genuit Amasiam. Amasias autem genuit Oziam.* Sed iustè vsque ad tres generationes ex eo sanctus spiritus per Matthæum præcepit de numero regum tollere, de immundo, & maledicto semine natos, in generationibus Christi spernẽs connumerare. Ioram autem ex semine Achab, & Iezabel, accipiens sibi vxorem Godoliam nomine, genuit ex ea Ochoziam. Ochozias autem genuit Ioam: Ioas autem Amasiam, in quo completur generatio quarta seminis iniqui, & maledicti. Achab enim rex Israel accipiens sibi vxorem Iezabel filiam Sidonij regis, contra Dei præceptum impiam nimis, multas impietates commisit in dominum, illa se instigante. Propter quod spiritus sanctus per prophetiam contestatus est, dicens: Vt disperderet omnem masculum de domo Achab. Quam prophetiam impleuit Iehu filius Namsi vnctus à puero, qui missus erat ab Elizæo, & accepit promissionem, vt vsque ad quartam generationem sedeant filij eius in sede regni super Israel. Quanta ergo benedictio facta est super Iehu, qui vindictam fecerat super domum Achab: tanta maledictio super domum Ioram, propter filiam iniqui Achab, & Iezabel, vt vsque ad quartam generationem præcidantur filij eius de numero regum, & sic peccatum eius descendit in filios eius, sicut fuerat scriptum: Peccata patrũ reddam in filios vsque in tertiam, & quartam generationem. Videte ergo per istam scripturam, quàm periculosum est inire coniugia ex genere impiorum, sicut Ioram: & quàm gloriosum est vindictam in impios facere, sicut fecit Iehu. Quantum ergo ad historiam regnorum pertinet, Amasias genuit Oziam. Vnde Ozias interpretatur filius nobilis. Qua autem causa vocauerit eum pater filium nobilem, non potui æstimare. nisi fortè si quis æstimet eum speciosum fuisse natum, aut fortè primitiuũ fuisse: quoniam tunc primitiui apud illos clari & honorabiles habebantur: tum & secundum Deum, quantum ad alios, qui ex maledicto semine descenderant reges. Etiam secundum Deum, nobilis fuit, quia fecit Ozias quod placitum erat Deo, & in omnibus à Deo adiutus est, propter quod quum fuisset à Deo prosperatus, elatum est cor eius, & dignum se æstimauit etiam sacerdotali officio fungi. Nam, quum vsurpasset sibi thuribulum inferre in templum, & resisterent ei filij Aaron, & Leuitę, quasi illicita appetenti, cõminatus est eis quasi rex potestate subnixus. Confestim autem Deus percussit eum lepra, & visa est lepra bis in fronte eius, & exiliuit foras, & sedit domi vsque ad mortem suam leprosus. Videte quàm illicitũ est vsurpare opus, quod à Deo non est commissum. Quale facit peccatum laicus vsurpans sibi opus clericale, tale facit peccatum & lector, si vsurpauerit opus diaconi: & diaconus, si vsurpauerit sibi presbyteri opus: & presbyter, si episcopalem appetierit potestatem. Vide quomodo secundum quod prolongabatur generatio orta de illa maledicta

familia

Marginal notes: 3. Reg. 18. — Deus nec modicã quidẽ iustitiã sine remuneratione relinquit. — * validiores. — Exod. 20. — 2. Pa. 26. — Illicitum vsurpare quod à Deo non est commissum.

familia, sic paulatim per generationes minuebatur in eis iniquitas. Ecce enim Ochozias peior fuit omnibus post Ioram patrem suum. Interpretatur autẽ Ochozias possessio inuisibilis. Patrem autem eius quum fuisset impius, non possumus suspicari secundum Deum posuisse filio suo vocabulum possessio inuisibilis, nisi fortè secundum diabolum à quo seductus variis fluctuabatur erroribus. Huius autem filius Ioas iam melior fuit eo, sed non ad plenum. Nam quandiu vixit Ioiada sacerdos, qui vnxerat eum in regem, valde puerum dilexit, & eripuit eum de manu Athaliæ auiæ suæ, quæ occiderat omnes nepotes suos, & ipse fecit quod placitum erat Deo: Postquam autem mortuus est Ioiada, quem fortè erubescebant quasi sanctum sacerdotem, & quasi authorem vitę suę & regni, mutatus est, & fecit malum ante Deum. Denique quũ induisset spiritus sanctus Zachariã filiũ ipsius Ioiadę, & dixisset ei: Hęc dicit dominus quare prętetiisti mandatũ domini? Non erit vobis in prosperum, quoniam dereliquistis dominũ, & ille derelinquet vos. Insurrexerunt in eum: & dilapidauerunt eum ex præcepto regis: propter quod & conuenienter nomen eius interpretatur temporis prolongatio, quia prolongatio temporis mutauit eum in peius. Item Amazias paulò melior extitit, quàm Ioas. Nam Amazias filius eius in primis placuit Deo, sicut Ioas, sed postea malignatus est sicut Ioas, secundum hoc fuit melior quàm Ioas pater suus, quia Ioas corripientem se prophetam lapidibus interfecit, & hoc ob filium Ioiadæ sacerdotis regificatoris sui. Amazias autem quum misisset ad eum Deus Balaam prophetam, dicentem: Quare quæsiuisti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? non interfecit, sed comminatus respondit ei: Nunquid consiliarium regis dedi te? Caue tibi ne flagelleris. Itẽ Ozias filius Amasiæ melior fuit omnibus illis præcedentibus ante se: & si non fuit irreprehensibilis, quia opus sacerdotij affectauit. Vide nunc secundum hoc & Dei iudicium iustum. Sicut enim Ozias prolongato numero generationum minus malus extitit cæteris & generatione maledicta progenitis, non tamen perfectus fuit, quia adhuc aliquid habuit generationis illius: sic & Deus non eum præscidit de numero regum, quia fecit quod placitum est Deo. Percussit autem eum lepra propter iactantiam eius, vt domi sederet: vt videretur non de numero generationis Christi præcisus, sed fruitionis regni ex parte fraudatus. *Ozias autem genuit Ioathan.* Ioathã interpretatur perfectus, vel Dominus immaculatus. Et vere perfectus fuit hic Ioathan, & quãtum ad reges se præcedentes Dominus immaculatus: quia fecit quod placitum erat Deo, & nulla reprehensio eius legitur in scriptura Regnorum. *Ioathan autem genuit Achas.* Achas autem interpretatur firmamentum Domini, aut virtus. Ioathan autem quum esset rectus & fidelis Deo, firmamentum suum, & virtutem credens Dominum esse, à quo & fuerat prosperatus in regno, quasi confidens firmamentum suum, & virtutem credens Dominum esse, vocauit filium suum Achas & firmamentum Domini, vel virtutem. Ille autem non fuit firmamentum Domini, neque virtus. Neque enim firmauit eum Deus in bonu, sed diabolus in malo, qui fuit Dominus eius. Nã valde impie gessit in Deum, sicut testatur scriptura Regnorum, & Paralipomenon. Quod autẽ appellatus est Achaz firmamentũ Domini, vel virtus, religionem quidem patris eius ostendit, ipsius autem * duritiam? *differentiam.
quia sicut à conuersatione patris factus est longe, sic & à proprietate nominis sui seipsum præcidit, nisi fortè quod apud Esaiam prophetam positum Esa. 7.
est hoc modo: Et factum est in diebus Achaz filij Ioathan regis Iuda, ascendit Rasim rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel ad Hierusalem, expugnare eam, & non potuerunt debellare eam. Et annunciatum est in domo à dicentibus: Consensit Syria cum Effraim, & expauit anima eius, & anima plebis eius, sicut in sylua * arbor, quum *arundo.
à vento commouetur. Et dixit dominus ad Esaiã: Exi in obuiã Achaz tu, & qui relictus est Iasub filius tuus, ad piscinã superioris viæ villæ Fullonis, & dicens ei: Vide vt quiescas, & noli timere, neque anima tua lãguescat à duobus titionibus fumigantibus istis. Quum enim ira furoris mei facta fuerit, iterum sanabo: quoniam filius Aram, & filius Romelię, qui cogitauerunt cogitationem pessimam, dicentes: Ascendamus in Iudæam, & colloquẽtes eis, conuertamus eos ad nos, & regẽ statuemus eis filium Thabeel. Hæc dicit Adonai dominus Sabaoth: Nõ manebit cogitatio ista, neque sic fiat. Forsitan sic confortatus Achaz, quum genuisset filium, vocauit nomen eius Ezechiam. Ezechias autẽ interpretatur, cõfortauit dominus. Vere cõpleta est in Ezechia cõfortatio domini, cui animus extitit sanctus super omnes reges qui fuerũt ante eum. Nã inter cætera bona, quæ merito præstitit ei Deus, quum misisset ad eum Sennacherib rex Assyriorum, Rabsacem principem malitiæ suæ, & libellum plenum improperiis & blasphemiis contra Deum, sicut exponit Esaias propheta: Ezechias accepit libellũ illum & ingressus in templum apparuit ante dominũ, & orauit, & cõfestim missus est ad eum Esaias propheta annuncians ei protectionem Dei, & consolans eum, & exiit ad preces Ezechiæ angelus à facie domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorũ. Qualia autẽ fuerint verba Rabsacis, vel qualis oratio Ezechię, vel qualis cõfortatio Esaiæ, lege in Esaia, & profer causam excitationis in populo. *Ezechias autẽ genuit Manassen.* Manasses autem interpretatur ab insurgente, vel ex obliuione: quam interpretationem commendat & liber Genesis, vbi quum natus fuisset in Ægypto filius Ioseph, vocauit nomen eius Manasses, Gen. 41.
dicẽs: Obliuisci me fecit dominus laborum meorum, & locorum omnium domus patris mei. Si ab insurgente intelligatur, sic possumus dicere: quia fortè ab insurgente Sennacherib super eum liberauit eum dominus: ideo quasi gratias agens Deo postea in nomine filij sui, vocauit eum Manassen. Si autem intelligatur ex obliuione, rationem alio modo possibile est existimare: quoniam non faciebat filium, propter quod quum genuisset filium, vocauit nomen eius ex obliuione, quasi ex desperato filium sibi natum. Hoc secundum propositum bonum æstimamus patris, alioqui secundum actum pessimum Manasses est æstimandum: quoniam quidem pater eius in illo prædicto proposito vocauit eum Manassen. Prouidentia autem Dei: sic eum dispensauit vocari, quia obliuisciturus fuerat omnem conuersionem patris sui sanctam, & omnia beneficia Dei pro merito eius collata in ipsum, & stimulatus ab insur-

gēte diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad euertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam prouocarent. Deniq, quum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, & venisset ad eum Esaias propheta visitandum, vocauit Ezechias filium suum Manassen, & cæpit ei mandare, quod debeat Deum timere, quomodo regere regnum, & alia multa. Et dixit ad eum Esaias: Verè quia non descendunt verba tua in cor eius, sed & meipsum oportet per manum eius interfici. Quòd audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicens: Quia melius est me sine filio mori, quàm talem filium relinquere, qui & Deum exasperet, & sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Esaias propheta, dicens: Irritum faciat Deus consilium tuum hoc, videns Ezechiæ religionem, quia plus amabat Deum, quàm filium suum. Tamen quum multa gessisset impiè hic Manasses, adduxit super eum Deus principes virtutis regis Assur, & comprehenderunt Manassen in vinculis, & ligauerunt eum in compedibus, & perduxerūt eum in Babyloniam, & erat ligatus & catenatus in domo carceris, & dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus, & aqua cum aceto modica ad mensuram, vt viueret tantum, & erat constrictus in doloribus valde. Et ideo cum vehementer affligeretur, quæsiuit faciem domini Dei sui, & orauit Deum, qui omnibus adstat, & exaudiuit dominus vocē eius, & misertus est ei. Et facta est circa eum flamma ignis, & liquefacta sunt omnia vincula eius. Liberauitque dominus Manassen ex omni tribulatione eius, & reuersus est in Hierusalem in regnum suum, & cognouit dominum Manasses, dicens: Ipse est solus Deus. Et seruiuit soli Domino Deo in toto corde suo, & in tota anima sua omnibus diebus vitæ suæ, & reputatus est iustus: & ideo fortè vocatus est ab insurgente, vel ex obliuione, quia liberauit eum dominus ab insurgente, & ex obliuione Dei factus est memor Dei. *Manasses autem genuit Amos.* qui interpretatur fortitudo. Et siquidem ante pœnitētiam genuit Amos, quum malignaretur in idolis, non possumus æstimare quasi religionis causa vocauerit eum fortitudinem, sed causa audaciæ corporalis: sicut solēt & barbaræ Gentes nomina filiis imponere ad deuastationem respicientia bestiarum ferarum, vel rapacium volucrum, gloriosum putantes filios tales habere, ad bellum idoneos, & insanientes in sanguinem. Si autem post pœnitentiam genuit eum, credibile est, quod causa religionis vocauerit eum fortitudinem. Adhuc interpretatur Amos & aliter, onerantia, vel populum abrumpentis. Quod si ante pœnitentiam genuit filium, non animaduerto qua causa sic nominauerit eum, si autem post pœnitentiam idonea ratio est. Memor enim gestorum suorum malorum humilitatis causa, ad suspicius argutionem vocauit eum, onerantis, vel populum abrumpentis: ac si dicat, filius peccatoris: quoniam rex qui peccat, & seipsum onerat, & abrumpit à Deo, etiam populum suo exemplo onerat peccatis, & obrumpit à Deo, sicut fecit Manasses, onerans & abrumpens populum à Deo exemplo suæ impietatis. Nam ipse Amos non fuit fortitudo secundum Deum, sed fortitudo secūdum diabolum. Fuit enim valde iniquus, vt extant opera sua maligna, quibus imitatus fuerat Manassen, vt etiam Deum posse se fallere æstimaret, dicens: Pater meus multa ex iuuētute sua iniqua fecit, & in senectute sua pœnituit: & ego nunc ambulabo secundū quod desiderat anima mea, & postmodum conuertar ad dominum. Sicque factus est fortitudo maligna, & onerauit seipsum perniciosioribus oneribus, & suæ malignitatis exemplo abrupit populum suum magis à Deo, quam pater eius. Ideóque forsitam sic est nominatus secundum prouidentiam Dei, & exterminauit eum dominus Deus velociter. Attendite ergo laici, ne quis ea vobis cogitationem Amos in corde suo ponat: quoniam qui talia cogitans peccat, non ex infirmitate carnis deuictus delinquit, sed ex proposito malo, qui amicus est mali ipsius. *Amos autem genuit Iosiam*, quod interpretatur, vbi est hostia domino, aut salus domini. Forsitan Amos secundum cor suum auersum à domino vocauit filium suum, vbi hostia domino, aut salus domini est, hoc est, quia quod nusquam est, neque prodest. Prouidentia autem Dei secundum quod futurus fuerat Iosias, dispensauit ei nomen imponi, vbi est hostia domino, aut salus domini: quoniam verè in isto fuit hostia domini. Tale enim sacrificium obtulit domino Deo, quale nec ante eum aliquis regū, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo, secundum quod mandat Apostolus: Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo à domino salus. De cuius laudabilibus factis nihil tale dicere possumus qualia testatur scriptura Regnorum, & Paralipomenon. Vide qualis fuerit, vt etiam ante multas generationes nascituri eius nomen prophetaretur, quia Iosias est nomen eius. Tertius enim Iosias est, cuius nomen prophetatum est priusquam nasceretur, Iji tes sunt, Sanson, Iosias, Ioannes. *Iosias autem genuit Iechoniam.* Sed non sic positum est in libro Regnorum, sed post mortem Iosiæ rex factus est Ioachas filius eius, quem veniens Pharao propter peccata eius adduxit in Ægyptum, & in loco eius posuit Eliachim regem fratrem ipsius alterum filium Iosiæ, qui interpretatur Dei adiudicatus: & vocauit eum alio nomine Ioachim, quod interpretatur domini præparatio. Cùm autem & ipse Ioachim malignatus fuisset in Deum, quasi verè * impius in condemnationem adiudicatus à Deo, & postea præparatus ad euersionem Iudææ, secundum iracundiam Dei veniens rex Assyriorum adduxit eum in Babyloniam, & factus est in loco eius rex Iechonias filius eius, quod interpretatur præparans * domino. Cùm autem & ipse malignatus fuisset in Deū præparans seipsum Deo ad iram, adductus est & ipse à rege Assyriorum in Babyloniā cum omnibus suis: & factus est rex in loco eius à rege Assyriorū frater eius Sedechias, sub quo totus transmigratus est Iuda: ergo talis est ordo. Iosias genuit Eliachim, postea vocatum Ioachim. *Ioachim autem genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Salathiel post transmigrationem.* Secundum ergo Regnorum scripturam, Ioachim est quartusdecimus à Salomone, & ipse est filius Iosiæ. Iechonias autem primus vsque ad Christum, qui verè non fuit filius Iosiæ, sed nepos: filius autem Ioachim secundum euangelium quidem, in quo Iechonias filius dicitur esse Iosiæ: si inter præcedentes generationes computetur Iechonias, quasi quartusdecimus reliquæ generationes vsque ad Christum

Hoc ex aliqua historia apocrypha est presumptum.

Amon & sic deinceps.

Rom. 12.

* *vere & proutipse.*

* *Deo.*

stum à Salathiel computatæ, inueniũtur tredecim esse: si autem inter reliquas quasi primus ponatur, ipsæ præcedentes generationes à Dauid computatæ vsque ad Iosiam, inueniuntur tredecim esse. Quid ergo? Ioachim sublatus est de numero regum, & iustè, quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sicut erat consuetudo in regibus constituendis: sed Pharao per potentatum, ideo quantum ad Deum non fuit rex Ioachim. Si enim iustum fuerit, vt propter solam commixtionem gentis Achab & Iezabel tollerentur de numero regum supradicti tres reges, quamuis à populo legibus fuerant constituti in regno: quare nõ erat iustum, vt similiter tolleretur & Ioachim,
hostili. quem Pharao in regno * hostili fecerat regem, & non populus Dei prauio iure? Et sic Iechonias iste, qui est filius quidem Ioachim, nepos autem Iosiæ sublato patre suo Ioachim, de numero regum, ipse positus est pro eo quasi filius Iosiæ. Et bis nominatur in euangelio, semel quidem ante transmigrationem, videlicet pro numero quartodecimo. Iterum nominatur post transmigrationem quasi pro numero primo, hoc modo: Iosias autem genuit Iechoniam, videlicet quartumdecimum. Iechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, videlicet quasi primus. Et inuenitur Iechonias hic duorum numerum tenere, patris sui, & suum. Hic enim Iechonias quum esset vnus, duas habuit conditiones. Fuit enim & rex ante transmigrationem, quasi regificatus à populo Dei: factus est & priuatus post transmigrationem, quasi ductus captiuus. Ideo ante transmigrationem quidem computatur inter reges quasi rex, post transmigrationem autem computatur inter priuatos quasi priuatus. Quomodo autem vis vt posuisset Euangelista? Si dixisset. Iosias genuit Ioachim in quartadecima generatione, Ioachim autem genuit Iechoniam: Iechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, extra quod a Pharaone regificatus cõputabatur Ioachim inter Reges Iuda,
** Iuste.* iustè [a] adhuc inueniebantur ante transmigrationem quidem quatuordecim Reges, post transmigrationem vnus Rex, & tredecim priuati. Et si Iechoniam posuisset inter Reges priores, inuenirentur quidem quindecim generationes regales ante transmigrationem, tredecim autem priuatæ post trãsmigrationem. Et siue illo, siue hoc modo irrationabile aliquid dicere videbatur Euangelista, & mysterium quod proposuerat non ostenderet. Vides quia sapienter voluit Euangelista Iechoniam dupliciter esse. Primùm quidem inter Reges quasi quartumdecimum, & ipsum deinde post transmigrationẽ inter priuatas generationes primum, quasi priuatum & ipsum. Nam, quum constet computatio etiam Ioachim à Dauid vsque ad Christũ viginti & octo esse generationes: quid impedit, vt Ioachim sublato, rationabiliter filius eius Iechonias dupliciter nominetur, vt mysterium quod Euangelista proposuit, explicet, & de numero generationum non mentiatur? Nec obest quod filius Iosiæ dictus est, quum sit nepos: quoniam & nepotes rectè filij appellantur. Iechonias autem genuit Salathiel, quod interpretatur petitio Dei. De Salathiel, quidem nihil legimus, vel boni, vel mali: tamen putamus eum Sanctum fuisse, & in captiuitate assiduè Deum petiisse pro ipsa calamitate, quæ contigerat Israel, & inde petitionem Dei eum appellatum fuisse. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Interpretatur autem Zorobabel fluuio postposita, vel ex commixtione, vel hic doctor Babylonis. Legi, si verum, nescio: quia sacerdotale, & regale genus mixtum est in Zorobabel, sicut inferius exponemus. Et fortè ergo propter hoc dictus est ex commixtione. Per istum autem Zorobabel dimissi sunt omnes filij Israel, & reuersi sunt in propriam terram cum magno gaudio, sicut Esdras Propheta exponit: Quum *3. Esd. 3. & 4.*
enim esset Zorobabel in ministerio Darij Regis, controuersia facta est inter eũ & duos alios Regis ministros, quid esset fortius in mundo: & vno dicente: quia nihil est fortius, quàm vinum: altero autem, quia nihil fortius est, quàm Rex: Zorobabel dixit, nihil fortius est, quàm mulier & veritas. Quibus de hoc sine fine certantibus, ventum est vsque ad sententiam Darij Regis, quo residente cum principibus suis ad iudicandum, contenderunt tres, singuli pro sua sentẽtia. Verba contentionis eorum, qui vult scire, legat Esdram Prophetam. Tamen dicit Zorobabel, & iudicio Darij, & omnium principum pronunciatum est, omnibus fortior veritas est. Quum autem diceret ad eum Darius Rex cum iuramento: Pete a me quod vis, vsque ad dimidium Regni mei. Respondit Zorobabel: Ego non peto Regnum tuum: sed ipse vtere eo in æternum, sed hoc peto, quod cœpit pater vester Cyrus Rex ante vos, & dimittatis captiuitatem filiorum Israel redire in sua. Darius concessit, Exiens autem Zorobabel, gratias egit Deo, dicens: Benedictus es Deus & pater veritatis, quòd sapientiam hanc in os meum misisti. Et ideo inuentus est rectè secundum prouidentiam Dei nominatus Zorobabel, id est, hic doctor Babyloniæ. Quæ autem maior doctrina, quàm ostendere veritatem dominatricẽ esse omnium rerum? Et impletum est in eo quod fuerat scriptum. Super inimicos meos prudentem me fecisti manda- *Psal. 118.*
to tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisiui. Vel fluuio postposita, id est, quia defluitionem regni ad se decurrentem postposuit, & elegit redemptionem populi sui. De residuis autem generationibus, nec scripturam aliquam me recordor legisse, nec fabulã aliquam aliquando audisse. Hoc autem in fine notandum est, quòd quicunque Regum placuerunt Deo, diutius regnauerunt, & prosperati sunt, & inimicos eorum humiliauit Deus sub manibus eorum. Quotquot autem malignè gerunt: velociter & à regno, & à vita eum amara morte præcisi sunt, & humiliauit eos Deus sub inimicis eorũ. *Omnes ergo generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim.* Quum potuisset Euangelista breuiter numerum generationum explicare, dicens: Ab Abraham vsque ad Christum generationes sunt quadragintaduæ, qua ratione ter generationes præcidit, & in tres partes diuisit per generationes quatuordecim? Quia ter completis quatuordecim generationibus, mutatus est in Iudæis hominum status. Ab Abraham enim vsque ad Dauid fuerunt sub iudicibus: à Dauid vsque ad transmigrationem, sub regibus: à transmigratione vsque ad Christum, sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare: quoniam sicut semper completis quatuordecim generationibus, mutatus est ho

hominum ſtatus: ſic completis quatuordecim generationibus à tranſmigtatioue vſque ad Chriſtum, neceſſe eſt Chriſto mutari ſimiliter hominum ſtatum, quod & factum eſt. Poſt Chriſtum enim iam non ſub iudicibus multis, nec ſub regibus multis, nec ſub pontificibus multis fuerunt: ſed omnes generationes ſub vno Chriſto, & iudice, & Rege, & Pontifice factæ ſunt, quia trium illorum ſtatuum ſolus habuit dignitatem. Vnde quoniam & Iudices, & Reges, & Pontifices tres Chriſti dignitates præfigurabant, ſemper principia eorum in figura fuerunt Chriſti. Primus Iudicum * Ioſue, primus Regum Dauid, primus Pontificum Ieſus filius Ioſedech. Eos in figura Chriſti fuiſſe dubitat nemo. Fortè ideo quatuordecem generationes ponuntur, id eſt, quater decim, hoc eſt quater Chriſtus. Iota enim litera Chriſti myſteriú habet. Ideo quatuordecim: quoniam ter quidem figuratus Chriſtus oſtenſus eſt: quarto autem verus Chriſtus apparuit. Qua ratione apud Lucam ſeptuaginta ſeptem generationes ponútur Chriſti renaſcentis ex baptiſmo, in proprio exponemus loco. Hic autem dicamus, qua ratione quadragintaduæ generationes ponuntur Chriſti ſecundum carnem naſcentis in mundum. Quadragintaduo enim, ſex ſeptimanarum numerus eſt. Sex autem numerus operis, & laboris numerus eſt: quoniam in ſex diebus factus eſt mundus, qui poſitus eſt in opere, & labore & dolore. Conuenienter ergo Chriſti naſcentis in mundum ad laborem & dolorem quadraginta duæ generationes ponuntur, myſterium continentes operis & laboris.

** Ieſu Naue.*

S. HIDELPHONSI EPIſcopi Toletani in natiuitate Sanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, Serm.

AVdite, fratres, & intelligite, conſiderate qualiter omnipotens Deus per ineffabilem pietaté ſuam condidit mundum:* & proprietate ſua maxima, hominem ad imaginem ſuam plaſmauit, & conſtituit eum colonum paradiſi, vt vita perpetua perfrueretur, & angelorú coſortio quotidie congauderet qui per infirmitatem carnis, quam acceperat promiſſionem quam accepit, non cuſtodiuit ſuadente aduerſario, qui per ſuperbiam perdidit, quod habebat, & per inuidiam homini nocuit. Vbi enim infirmiorem partem inuenit,* Vbi prius ſuaſit. Per ipſum lapſum, quo ipſe cecidit, in ipſó genus humanum proſtrauit. Dixit enim ad mulierem. Si comederitis ex hoc fructu, eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum. Hoc initium peccati ſuperbia fuit, vt homo de terra factus in mente conciperet, vt fieret æqualis Deo. Scire enim voluit, quod nequaquam habere potuit. Tunc enim deiecti ſunt de paradiſo in hoc mundo, in iſtam conuallem lachrymarum, vbi cum labore, & ſudore vitam ſuam finierunt, & in ipſa ærumna poſteros ſuos reliquerunt: quia ſcriptum eſt: Mors dominata eſt in Adam, & ita dominabitur in omnes eius filios. Dum códitor mundi omnia per ſapientiá ſuá creeſſet, & iá fragilem* mundú, & caducum in omnibus, & pronú ſemper ad deteriora cerneret, lapſum de bonis, tuere in malis doluit, per magnam pietatem ſuam, & quem ille pro benignitate ad imaginem ſuam condiderat, & ipſe ſponte perierat, qualiter reuocaret in priſtinum locum, vbi enim conſtituerat, procurauit. In longinquo ergo diſpoſuit per ſapientiam ſuam, vt per ſemetipſum redimeret, quod per ſemetipſum plaſmauit. Voluit per pietatem ſuam, & omnipotétiam ſuam viſitare mundum, vt ipſe, qui hominem fecerat, per viſitationem ſuam redimeret. Præparauit ſibi vas, vt per ipſum potuiſſet apparere hominibus. Scriptum eſt enim, Sapientia ædificauit ſibi domum, vel templum, hoc eſt, Mariam virginem. Conſideremus, inquantum poſſumus, quia nec lingua ſufficit loqui, quod voluntas cupit proferre, quanta ſint benignitas Dei, vt de tam longinquo inquireret ſibi templum, vbi habitaret: quia Maria virgo non ſic eſt nata, ſicut ſolent pueri, vel puellæ naſci. Sed de Anna ſterili, & patre iam ſene, extra cóſuetudinem mulierum, poſt refrigeſcétem calorem, & ſanguinem iam tepidum in pectore refrigeſcentem, & omnem amorum libidinis diſceſſum, mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta eſt. Sic enim Dominus voluit vt de tali vaſculo mater ſua naſceretur. Quod nunc ſcimus, quia per Spiritum ſanctum, illo ordinante, & benigniter præcipiente, præparauit ſibi matrem, quæ præceſſit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea viſa eſt, nec habebit ſequentem. Honorabilis dies, & ſacra feſtiuitas, in qua nata eſt virgo Maria Dei genitrix. Hoc eſt gaudium noſtrum, hæc eſt feſtiuitas noſtra: quia, quando voluit fecit, vt nos per ſuam magnam miſericordiam per virginem viſitaret. Exultemus, & lætemur omnes in celebrationem hodiernæ feſtiuitatis beatæ Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, quia præclara, & ſancta eſt, in qua inchoauit redemptor omnium viſitationem mirabilem, & nos de captiuitate ad priſtinum locum reuocare dignatus eſt. Adiuuet nos, quæſumus, ipſe omnipotens Deus per glorioſam interceſſionem ſuæ matris, in qua fœlix eius eſt inchoata natiuitas: vt per eius interceſſionem cum eo viuamus, qui propter nos dignatus eſt mortem ſuſcipere, vt nos cum ipſo vitam perpetuam mereamur habere. Præſtante ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

** pro pietate.*

Homo in paradiſo perpetua vita, & angelorú conſortio perfruiturus erat.

** forte ibi mānſit.*

Geneſ. 3.

** forte hominem.*

Prouer. 9.

Natiuitas B. Mariæ nó vulgaris fuit, ſed omnis pollutionis expers.

B. Mariæ inuocatio

ANONYMI APVD METAPHRASTEM ORATIO, quæ tractat à venerando ortu, & educatione ſanctiſſimæ dominæ noſtræ deiparæ, & ortu Chriſti Dei noſtri, & quæcunque contigerunt ad viuificum eius deceſſum: Et præterea quomodo in apertum prolata ſit pretioſa eius veſtis: & quemadmodum hæ magnæ opes fuere Chriſtianis reconditæ.

OPortebat re vera Virginem, ſicut ipſa Dei ad homines venturi inuenta eſt dignum: & Deo conueniens habitaculum, ita nunc illam ad Encomij argumentum nobis propoſitú, dignam linguam eſſe conſecuram, quæ res eius eleganter narraret, & conuenientem ei laudem afferret. Sed

quoniam

quoniã quò hoc eſt maius, eo difficilius explicari poteſt, pro viribus ſaltem alacri animo danda eſt opera, vt texamus eius laudationem. Scit enim ipſa quoque filij cedens legibus, gratum habere id, quod fit pro viribus. Dicendum eſt ergo, & diligenter narrandum, & vnde orta ſit, & quos parentes habuerit, deque educatione eius, & tunc vitæ: Quinetiam quæcunque illi contigerunt ex diuina prouidentia, & arcanis rationibus. Quod ſi Oratio alia quoque comprehendit, & neceſſariò perſequitur, non eſt à ratione alienum, quod factum eſt: omnia enim ad eam referuntur, eiuſque ſunt gloria, & encomia. Quorum narratio non erit nobis abſque fide dignis teſtibus, nec ſumetur ex perſonis quibuslibet; ſed quam viri, quibus iure credendum eſt, & qui ſimul cum doctrina egregiam quoque vitam attulerunt, diligenter compoſuerunt. Gregorius, inquam Nyſſenus, Athanaſius Alexandrinus, Dionyſius Areopagita, & multi alij, qui nec ſunt vulgaris, vt diximus, eruditionis, & ſunt vita admirabiles: Et, quod maius eſt, quam ipſum quoque diuinum refert Euangelium. Iam enim diuinus Gregorius in oratione, quæ de ortu Chriſti ab ipſo eſt compoſita, hæc de ea tractat: Audiui, dicens, arcanam quandam, & occultam hiſtoriam de ea hæc narrantem. Erat inſignis in accurata vitæ, quæ eſt ex lege, inſtitutione, & inter optimos apprimè notus, Pater Virginis. Conſenuerat autem ſine liberis, quòd non erat eius coniunx apta ad procreandos filios. Erat verò ex lege quidam honor matribus, quem non adipiſcebantur, quæ carebant filijs. Imitatur ergo ea quoque illa, quæ narrantur de matre Samuelis. Et cum fuiſſet intra templum ſanctorum, fit ſupplex Deo rogans, ne excideret ab ea, quæ eſt ex lege, benedictione, cũ in legem nihil peccaret; fieret autem mater, &

[illegible] quia ob voti [illegible] natam, & [illegible] ſicut Deo promiſerat, templo [illegible] abduxiſſe.

Deo conſecraret id, quod pareret. Cum voto autem diuino confirmata eſſet ad gratiam, quam petierat, poſtquam peperit puellam, eam quidem nominauit Mariam; vt vel ipſum nomẽ ſignificaret, à Deo datam eſſe gratiam. Cum verò iam creuiſſet puella, vt non amplius opus haberet ſugere mammillam, eam Deo tradidit, & promiſſum impleuit, & ad templum adduxit. Sacerdotes autem interim quidem, ad ſimilitudinem Samuelis, inter ſanctos educabant puellam. Cum verò creuiſſet, conſilium ceperunt, quidnam ſacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent. Eam enim legi naturæ ſubiungere, & eam dare in ſeruitutem ei, qui illam duceret, videbatur abſurdiſſimum. Exiſtimatũ eſt plane ſacrilegium, ſi diuini donarij homo fieret Dominus; quandoquidem à lege eſt conſtitutum, vt maritus eſſet Dominus coniugis. Vt autem in templis verſarentur mulieres cum ſacerdotibus, & inter ſanctos viderentur, neque lege permittebatur, nec res erat honeſta. Eis verò de his conſultantibus à Deo datur conſilium, vt eam quidem dent viro nomine deſponſationis: Is autem talis eſſet, qui ad virginitatis aptus eſſet cuſtodiam. Inuenitur eſt itaque Ioſeph, qualem quærebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat virgo; & ex conſilio ſacerdotum ſibi deſpondet Virginem. Coniunctio autem proceſſerat vſque ad deſponſationem. Tunc Virgini à Gabriele aperitur myſterium. Erant autem verba Myſterij benedictio. Aue gratia plena, inquit, Dominus tecum. Contraria illi primæ voci quæ facta eſt mulieri, nunc verba fiunt Virgini. Illa doloribus in partu condemnata fuit propter peccatum: In hac autem per lætitiam expellitur triſtitia. In illa partum præceſſerunt dolores: Hic verò lætitia eſt obſtetrix partus. Ne timeas, inquit. Quoniam enim omni mulieri metum affert partus expectatio, metum expellit dulcis partus promiſſio. In vtero cõcipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Quid autem Maria? Audi puram vocem virginis. Angelus partum annunciat, & illa adhæret virginitati, non corrumpi iudicans eſſe præſtantius quam apparitionem Angeli. Et neque poteſt Angelo non credere, neque diſcedit ab iis, quę ſtatuerat. Eſt, inquit, mihi prohibita cum viro conſuetudo. Quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognoſco? Hæc vox Marię, eſt demonſtratio eorum, quę arcanè, & occoltè narrantur. Si enim eam Ioſeph acceperat in matrimonium; quemadmodum ei viſum eſt alienum, quòd partum ei ante ſignificaret, ſi ipſa omnino expectabat fieri mater lege naturæ? Quandoquidem carnem, quæ Deo fuerat conſecrata, veluti quoddam ſanctum donarium, intactam conſeruari oportebat: propterea, Etſi ſis Angelus, inquit, etſi de cælo venias; etiam ſi ſit ſuper hominem id, quod apparet, non poteſt tamẽ fieri, vt virum cognoſcam. Quomodo ergo ero mater abſque viro? Nam Ioſeph quidem noui ſponſum, virum autem non cognoſco. Quid ergo paranymphus Gabriel, qualem thalamum parat puro, & impolluto matrimonio: Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. O beatam illam carnem, quæ propter inſignem puritatem, animæ bona ad ſe attraxit. In alijs enim omnibus vix anima pura ſancti ſpiritus aduentum acceperit? hic autẽ fit caro ſpiritus receptaculum. Quin etiam virtus Domini obumbrabit tibi. Quid hæc per arcana ſignificat oratio? Chriſti Dei virtus, & Dei ſapientia, loquit Apoſtolus. Altiſſimi ergo Dei virtus, quæ eſt Chriſtus, per aduentum ſancti ſpiritus formatur in Virginitate. Quomodo enim vmbra corporum cõformator figuræ eorum, quæ præcedũt, ita etiam character, & ſigna, quibus filij Dei cognoſcitur diuinitas, apparebunt in eius, qui paritur, virtute, vt qui imago, & ſignaculum, & adumbratio, & ſplendor primi exemplaris, per admirabiles oſtendatur operationes. Et hæc quidem diuinus Gregorius. Alia autẽ & ſacrũ Euangelium, & alij viri pij, ac Dei amantes, quos nominauimus, & quorum nominatim non meminimus, verè docent. Hæc ergo poſtquam Virgo audiuit, ſtatim mente illuſtrata à ſpiritu qui ei inhabitabat, lubenter accepit promiſſum; &, Ecce Ancilla Domini, ait Angelo, Fiat mihi ſecundum verbum tuum: ſimul & ad Angeli vocem ea vtens, qua par eſt, cautione, & poſtquam fide digna viſa eſſent ea, quæ dicta fuerant, noluit amplius eſſe incredula; ſed illo quidem euaſit primæ matris deceptionem, hoc autem vitauit Zachariæ incredulitatem, quæ vltrà quam deceret, proceſſit. Atque Angelus quidem ab ea receſſit. Conſecuta eſt autem paulopoſt & Mariæ cum ſtudio ad montana aduentus, & eius in domum Zachariæ ingreſſus. Magno enim ſtudio contendit gratulari Elizabethæ, vt quæ ab Angelo didiciſſet nouam eius conceptionem. Accedit ergo, & benignè ſalutat. Fit autem ſalutatio dulcis exultatio infantis qui erat in vtero Elizabethæ. Iam enim ex

ventre sciebat seruus Dominum, qui erat in vtero; & cùm sensisset eius in mundum aduentum, mirandum in modum lætabatur. Hoc enim apertè significabat illa exultatio. Non te autem lateat Elizabethæ reuerentia, & submissio cum prædictione admirabili. Virginis enim aduentum admiratur, quippe qui eius superaret conditionem: Vnde hoc mihi: dicens; Sicut etiam illius filius de Domini aduentu in tempore Baptismi. Iam verò hanc quoque matrem, & dominam suam nominat, sed etiam benedictam dicit in mulieribus, & eum, qui in vtero gestabatur, fructum ventris vocat admirabiliter, vt qui cum viri semine nihil habuisset commune. Cuiusmodi verò est illa quoque rursus admirabilis Mariæ prædictio, fore vt celebraretur ab omnibus generationibus? Non enim se beatã prædicat vana mota arrogantia, neque lingua communi hæc loquitur, sed diuino spiritui seruiens, & id quod fit in æternum diuinans. Magnificat autem Deum Maria, se & credere ostendens propter vocem Elizabethę: Beata enim, inquit, quæ credidit fore, vt ea perficiantur, quæ ei dicta sunt à Domino; & se ei iam magnæ rei inseruire. Sed hæc quidem sic habent. In domo autem Elizabethæ circa tres menses habitauit Maria. Deinde sic, inquit, reuersa est in domum suam. Sic enim me docet Euãgelium. Quid autem sibi voluit Mariæ hæc mansio? Fortassè quidem, vt eius rei admirabilis videret exitum, de qua non mediocri tenebatur admiratione. Est autem in more positum, vt virgines secedant, cùm quæ fert vterum est paritura. Oportet enim hoc quoq; cõsiderare. Ea de causa cũ iam instaret tẽpus, vt pareret Elizabeth, & si re vera esset prægnans, recedit tamen, tanquã virgo, & in domum suam reuertitur. Postquam autem reuersa est, nusquam quidem alibi, sed domi deinceps degebat, donec cognouit iam tempus adesse partus. Cæterùm Iosephum tumens virginis vterus (nesciebat enim id esse opus sancti spiritus) in dubias induxit cogitationes. Et ideo eã clanculũ dimittere habebat in animo: Vt qui esset iustus, inquit, & eam nollet traducere: adeo iustus, vt non solum nollet punire, etiam si hoc lex iuberet; sed neque rem vellet propalare, & in publicum proferre. Hoc enim sibi vult illud traducere. Cùm hæc autem, inquit, cogitasset, venit Angelus promptè soluens dubitationem. Nihil enim probri, nec contumeliæ eam subire oportebat, quæ ab omni probro, & dedecore erat longè purissima. Qualis autem fuit vox Angeli ad Iosephum? Ioseph fili Dauid, ne timeas accipere Mariam vxorem tuam. Filium Dauid illum vocans, quidnam vult aliud, quàm ei reuocare in memoriam, vndenam sit Christus processurus? Dicẽdo autem, Ne timeas, ostendit eum timuisse, ne Deum offenderet, si adulteram domi suæ haberet. Ea de causa, Vxorem tuam, purè nominat, tollens suspicionem. Neque enim si ei omnino fuisset allatum vitium, vxor illius diceretur. Quòd autem vxorem hic dicat sponsam, tibi persuadeat scriptura, quæ ante matrimonium generos vocat sponsos. Quomodo verò præcipit accipere eam, quæ iam erat accepta, & quæ intus manebat? Clarum est, quòd in animo suo iam dimissa fuerat, & erat extra fores. Visus est ergo ille eam Angeli voce Iosepho modò tradere, qui etiam eam postea in Cruce tradidit discipulo. Quod enim (ait) in ea est genitum, ex spiritu sancto est. Ex redundanti quadam copia soluit eius angorem. Non solum, inquit, virgo est intacta à coitu illegitimo, sed etiam natura est præstantior, & hominem superat conceptio. Quamobrem nõ est solùm soluendus metus, sed etiam oportet esse plenum lætitia. Tua sunt hæc magnalia, ô Virgo, & te glorificans qui potens est, fecit dispensationem rerum admirabilium, & supernaturaliũ. Verumenimuero quomodo exitum habuit prophetia, quæ nõ defecturum Principem ex Iuda, neque ducem ex fœmoribus illius, donec venerit, cui est repositum; ipsum autem esse expectationem gentium (de Christo videlicet hoc dicit) explicare aggredimur. Tunc enim ille aduenit, quando deinceps defecerant Iudaici principes, & Romanis erant sceptris subiecti. Simul enim & Christus nascitur, & fit illa prima descriptio; cùm Romani scilicet dominatum obtinerent in gentem Iudæorum, & eos suo subiunxissent Imperio. Antipater enim pater Herodis, qui postea princeps fuit in Iudæa, vxorem duxit ex Arabia Cyprim nomine; quæ eum patrem effecit quatuor filiorum, quorum erat hic vnus Herodes. Satius est autem, vt quàm apertissimè possumus rem declaremus. Cùm enim Hircanus frater Aristobuli, post interemptum Aristobulum Pontificem, qui etiam diadema regium sibi imposuerat, vinctus à Pompeio duce Romanorum cum filiis Romam turpiter esset transmissus (quo tempore constitutum quoque est, vt Iudæi tributa penderent.) Cúmq; posteà Hircanus ipse creatus Pontifex ab eodem Pompeio, a Parthis fuisset postremò captus, & Antipater dolo fuisset interemptus, qui erat pater Herodis, qui fuit postea Rex Iudææ, & nemo esset qui res Iudæorum obtineret; hic Herodes Antipatri filius, cùm dedisset plurimas Romanis pecunias, & fœdus cum eis iniuisset, obtinet Imperium. Quænam autem huius rei data sit ei occasio, dicemus quam fieri potest breuissimè. Cùm Augustus Cæsar in Ægyptum cũ maximis copiis iret, ad bellum, inquam, Cleopatræ. (Erãt enim in eius potestate res Ægypti, vt quæ genus traheret ex Ptolemæis: sicut etiam videtur Iosepho) accedit ad eum hic Herodes, & exercitus, & impensas ei suppeditando, non mediocri fungens apud eum munere. Cùm autem & Cleopatra, & Ægyptus essent in manibus Augusti, qui iam duodecim annos imperauerat, ipse Romam reuertens, memor, vt est consentaneum, officij quo in eum vsus fuerat Herodes, senatusconsulto Iudææ eum Regem eligit, ei quoque imposito diademate. Qui cùm venisset Hierosolyma, quoniã sciebat Iudæos non esse bene in eum affectos, sed quòd esset alienigena, & alioqui asper, & difficilis, eius ægrè ferre imperium, eorum quidem nonnullos occidit, plurimis autem malefecit, ciuitatémque & Dei templum stolidè, & improbè redegit in seruitutem. Ille ergo malè vtens potestate, quiddam insigniter sceleratum adjicit, & quod erat sui vitij apertũ iudicium. Tribuum enim, & familiarum quæ erant in Iudæa, plublicas scripturas à tempore Esdræ, rem faciẽs inuidia plenam, & insania, igni tradit. Scopus autem erat improbissimus, nempe ne notum esset Iudæis, ex quanam ij sunt tribu, & quinam ex eis sunt indigenæ, & quinam ex iis, quos ipse solebat appellare γειώρας id est, aduenas. Præter alia autem, cùm sacerdotalem vestem in quodam

vase

vase reposuisset, viris indignis, pecuniis (proh dolor) emptum mandabat Pontificatum. Et hęc quidem iste. Cùm autem Cæsar Augustus quadragesimumsecundum sui Imperij ageret annum, exit ab eo edictum, vt fiat descriptio vniuersi urbis terræ. Abiit itaque vnusquisque in suam ciuitatem, vt ibi describeretur. Oportebat enim in descensu eius, qui regnat in cælis, terræ quoque principes cõferre munera. Quoniã autẽ edictum, scilicet descriptionis, vnumquẽque in suã cõpellebat patriã, Ioseph quoque ei parens, ex Galilęa, ex ciuitate, inquam, Nazareth, venit in Iudæam, in Bethleem ciuitatẽ, quę est ciuitas Dauid. Causa verò erat eo, quòd esset (inquit) de domo, & familia Dauid, hoc est cognatione. Venit autem ad descriptionem cum hac ex mulieribus maximè admirabili Maria, quæ erat grauida. Etenim Galilæa quidem est quædam regio Palæstinæ. Nazareth autem est ciuitas Galilææ. Rursus autem Iudæa est quædam, quæ sic dicitur, regio: Bethleem verò ciuitas Iudææ. Atque Christum quidem omnes Prophetæ, non ex Nazareth venturum dicebant, sed ex Bethleem, & fore vt illic pareretur. Ecce enim tibi è vestigio proposita est prophetia: Et tu Bethleẽ terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda. Et quæ sequuntur deinceps tibi declarat Euangelium. Quoniam ergo manifestum erat omnibus, Christum venturum ex Bethleem; idcirco Iosephum, & Mariam, qui, etsi ciues essent Bethleemitæ, ea terra dimissa (quod multis sæpe accidit, vt dimissis iis, quæ ipsos tulerunt, malint in aliena habitare ciuitate) ipsi quoque habitabant in Nazareth; compellebat, vt dictum est, eos vel inuitos in Bethleem edictum Deo admirabiliter, & præter opinionem hæc dispensante, & versante. Cùm illic ergo fuissent propter descriptionem, Impleti sunt, inquit, dies, vt virgo pareret; & parit filium suum primogenitum: & fasciis inuoluit eum, qui nullis potest terminis circunscribi; & propterea quòd non esset eis locus in diuersorio. (O tuam ineffabilem, Christe, propter me paupertatem!) in præsepi reclinat eum, qui omne alimẽtum suppeditat, eum, qui nequaquam capi potest, ea, quæ ipsum arcana ratione cœperat. Cùm enim multi ex multis locis ad descriptionem confluerent (vt est consentaneum) & loca scilicet præoccuparent, & ex eo eos, qui postremi veniebant, in magnas abducerent angustias, illum sic eum aliis loco egentem præsepe suscipit; illum, inquam, qui paupertatem elegit ab initio, & eam honorauit in seipso. Sed pastores quoque, inquit, erant in hac regione agentes in nocte custodias. Ad quos Dei quoque aduenit Angelus, & eos Domini gloria circunfulsit. Cùm autem exterriti fuissent spectaculo: Timuerunt enim, inquit, timore magno; Angelus timorẽ, vt qui non decenter reus inuasisset, expellit: Nolite timere, dicens; Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod erit vniuerso populo, non Iudæis solis, sed omnibus. Adijce adhuc apertiorem gaudij significationem? Quoniam, inquit, natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Vt autem à Deo profecta, & vera vox iudicaretur, eius statim sequitur confirmatio. Repente enim cum Angelo laus quoque auditur à multitudine Angelici exercitus dicentis: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. Quænam verò erant ea, quæ tu admirabilis conseruabas Maria, & in tuo corde conferebas? Num omnino & id, quod tibi dixerat Angelus, & quęcunque rursus dixerunt pastores? Hęc ipsa in tuo corde componens, & cum illo ipso conferens, videbas omnia ad vnum conuenire, quòd Deus re vera sit is, qui est ex te natus, & te fecit miraculum, quod cælo & terra non capitur. Qui etiam suscipit circuncisionem, confirmans suam cum Iudęis cognationem, ne illis occasionem præberet eum negandi. Circuncidiitur autem octauo die, seu die Dominico, quo fuit etiam resurrectio; Et Iesus nominatur. Significat verò hoc salutem populi. Quod etiam Virgini prædicit Angelus ante conceptionem, Et vocabis, inquiens, nomen eius Iesum. Idémque Iosepho postea, atque subiungit. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Deinde etiam rursus expectat tempus purificationis. Postquam enim impleti sunt, inquit, dies purgationis eius secundum legem Moysi (implementum autem dictum erat dies quadragesimus) tulerunt infantem Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur; & vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini; par turturum, aut duos pullos columbarum. Sed satius fortasse fuerit id soluere, quod videtur repugnare inter Euangelistas. Matthæus nanque dicit Iesum, postquam natus esset, profectum in Ægyptum: hic autem, diuinus scilicet Lucas, ipsum post quadraginta dies venisse Hierosolymam. Sed nihil dicunt, quod inter se discrepet, neque quod rei obstet consequentię. Cùm enim, postquam natus esset, secundus annus præterijsset, Christus abducitur in Ægyptũ. Lucas ergo ea, quæ interim facta sunt, & quæ prætermisit Matthæus, circuncisionem scilicet tractat, & purificationem. Et ecce, dicens, homo erat in Hierusalem, cui nomen Symeon, & homo erat iustus, & spiritus Domini erat in ipso. Quin etiam venit, inquit, in spiritu in templum, & ei vlnas præbuit ad eum suscipiendum. Quodnam est autem salutare, quod senex suis vidit oculis? Ipse qui desiderabatur Iesus. Hoc enim nomen quoque significat. Paratum verò fuerat eius mysterium omnino ad salutem, non solis Iudæis, sed mundo etiam vniuerso. Hoc enim sibi vult illud; Omnium populorum; sicut etiam illud; Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Israel. Vide verò quàm accuratè loquitur Euangelista. Erant autem, inquit, Ioseph & mater eius admirantes propter ea, quæ de ipso dicebantur: Matrem quidem dicens, vt quæ verè esset, & ab ipsa vocans habitudine; illum autem nudo nomine, vt qui videretur quidem pater, non esset autem re vera. Ea quoque ratione ambobus quidem benedixit Symeon: relicto autem Ioseph, alloquitur Mariam solam, vt quæ fuisset ministra diuini consilij: Ecce enim, inquit, hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Quomodo autem à te, studiose auditor, accipitur illud, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius? Quidnam ergo existimare oportet hunc esse gladium? Num dubitationem, offensionem, tentationem, quæ in tempore crucis tuam, ô Virgo, peruaserunt animam? Te ergo ipsam quoque, etiam si desuper Domini

pulchrè res didicisti, attinget aliquid. Conuenientius est autem, quòd dolorem ipsum gladij nomine significauerit, qui quidem tempore passionis eam inuasit. Nam id quod dicitur, Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ad discipulos magis quàm ad eā pertinere videtur; nempe quòd post tentationes, & dubitationes, quæ cor eorum concussèrant, non multum temporis intercessit, & velox quædam illuxit à Deo curatio, eorum animos replens tranquillitate, & ad fidem suā cōfirmans magnitudine resurrectionis. Sed id, quod cœpit, persequatur oratio, & rursus accipiat ea, quæ prætermisit. Cùm enim, inquit, natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis. Vides? Et tempus nobis Euangelista, & locum, & authoritatem similiter significat. Authoritatem quidem, vt eum ab altero Herode discernat, ac distinguat, qui Ioannem interfecerat. Ille enim erat Tetrarcha, hic autem Rex. Locum vero, & tempus, nos transmittens ad prophetias. Quarum alteram quidem prædixit Michæas; Et tu Bethleem, dicens, terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda. Alteram vero Iacob Patriarcha; Non deficiet enim, inquit, princeps ex Iuda, & dux de fœmoribus eius. Quomodo autem magis venit in mentem, vt tantum iter conficerent, & venirent ad adorandū infantē, qui erat adhuc in fasciis, idq; cū esset eius mater pauper, & nullius nominis, & quæ nihil habebat præter solum tugurium? Nunquid planum est Deum eorum animos ad hoc mouisse? Vide enim eorum quoque elatam fuisse virtutem, non solùm eo quod venerint, sed etiā quod audacter, & libere loquantur. Ne enim existimarentur fuisse suppositi, & vix ducem ostendūt; Vidimus enim, dicentes, eius stellam; Et vix magnitudinem; In oriente scilicet. Deinde etiam addunt insignem fiduciam, cum dicunt: Et venimus ad eum adorandum. Neque iræ populi, neque Regis tyrannidis vllam ducunt rationem. Quæ cum audisset Herodes, conturbatus est, inquit. De imperio enim eum metus cœperat. Et ideo ad se quoque congregat pontifices, & scribas populi, & eos diligenter interrogat, vbinam Christus nasceretur. Considera autem admirabilem rerum dispensationem, & quemadmodum veritas etiam suorum inimicorum vtitur auxilio. Cum enim interrogarentur Iudæi, vbinam Christus nasceretur, ij, In Bethleem Iudæ, vt res se habebat dixerunt, & statim testem adduxerunt prophetam, qui & Bethleem magnifacit, & ex ea ducem exiturum, & populum Israeliticum ab eo esse pascendum prædicit. Sic ij, qui erant re vera inimici, necesse habebant vel inuiti aperire prophetiam, & si non omnem. Quod enim deinceps sequitur, reticuerunt; quod est: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Cur sic fecerunt? quod Regi loquerentur ad gratiam. Ille autem quid facit? Clanculum vocat Magos; diligenter perscrutatur stultus tēpus stellæ, quæ apparuit eis, iam aggrediens de medio tollere id, quod natum fuerat. Quod quidem non solùm erat amentiæ, sed etiam insaniæ. Cuiusmodi enim erant ea, quæ clam cum Magis vocatis loquitur? Ite, & diligenter inquirite de puero; postquam autem veniens inueneritis, renunciate mihi, vt ego quoque veniens eum adorem. Euidens, & aperta insania. Si enim vera quidem sunt verba, & non insidiosa, cur eum eis latenter congredetis? Sin autem vis aliquid sinistrum celare, & dolosum, quomodo ne hoc quidem potuisti perspicere, quod sie à Magis deprehendetis, malignè & sceleratè gerere, quòd quæras latere? Hinc cum stella eis rursus apparuisset, eis dux efficitur, sicut ab initio. Abscōnsa enim erat, postquam apparuerat ad Orientem; vt cum illi ducem perdidissent, necessario Iudæos interrogarent & sic res euaderet manifesta omnibus. Postquam verò vel ipsos inimicos habuere magistros, eis rursus apparet. Vide autem à quammultis fit eius rei fides. Nam nunc quidem stella, nunc populus Iudæorum; deinde etiam Regis insidiæ, & præterea propheta, docent id, quod quærebatur. Deinde eum eis rursus stella accepisset ex Hierosolymis, postquam eum Rege collocuti essent, deducit in Bethleem, non simpliciter vadens, sed eos trahens, & ducens meridie, vt vel ex co notum esset omnibus, eam non esse stellam vnam è multis, neque omnino similis eum aliis ordinis. Ideo enim vadens ex Hierusalem non priùs constitit, donec ad ipsum venerit præsepe. Postquā autem stetit supra puerū, statim constitit. Et propterea quod nunc quidem abscondèretur, nunc autem appareret, & deinde eum apparuisset, rursus staret, ostēdebat se esse maioris virtutis, quàm quæ in stellam caderet: & eis faciebat accessionem fidei. Certè longe maxima afficiuntur lætitia quòd & inuenissent id, quod quærebatur, & iter non frustra confecissent, & quod fœtus esset diuinus, & quòd fuissent nuncij veritatis. Quæ quidem omnia sunt illius admirabilis puellæ encomia propter Deum, qui ex ipsa natus est: & eorum magnitudine illam vt præcipuam eximunt à mulieribus. Postquam autem fuerunt intra domum, viderunt, inquit, infantem eum Maria matre eius. Quid autem magnum viderunt, quòd eum adorarunt, eum omnia essent eiusmodi, vt nihil posset esse vilius? speluncámne, præsepe, fascias; an matrem, quæ tanta erat simplicitate? Quid ergo eos tanta affecit admiratione, vt non solùm adorarent, sed etiam dona offerrent, eáque huiusmodi, quæ ipsum esse Deum, & Regem, significarent? Hoc enim sibi volunt, nempe Regem quidem aurum, thus vero Deum; Mirrha autem præsignificabat mortem, quam pro me erat subiturus. Quidnam ergo eos mouit? Illud, quod etiam effecit, vt domo excitarentur, & tantum iter conficerent; stella omnino, & quæ eorum animis inerat à Deo illuminatio. Sed quid consentaneum erat animo versare matrem, hæc cernentem? Cuiusnam filij esset mater, ad quem viri tam insignes sic accessērat, stella duce venientes, qui eum adorabant in fasciis, & dona offerebant, tanquam ei se conciliare studentes, & sibi aliquid magnum, quod hinc erat secuturum, procurantes. Vel quantum eam gaudere par erat ac quantō illustrari, quantæque spei fructum iam percipere non ex his solùm, sed ex illis etiam, quæ præcesserant, admirabilia, colligente? Hæc puer ille dat ei præmia, sic opponit humilibus ea, quæ sunt illustria; ne solam videns speluncam, & tugurium, & præsepe, & viles fascias, panna, vt consequens, videbatur, opinaretur, & distraheretur cogitationibus; sed vt & hæc magna considerans, rursus in altum extolleretur, & propter hunc nonum partum se posse beatam ducere. Quod enim ab initio consueuit Dominus facere, vt quæ sunt vilia,

vilia, & humilia extollat præter opinionem, sicut econtra, vt ea, quæ sunt superba, deprimat: hoc quidem certe videtur etiam facere in seipso. Sed cur Magis est imperatum, ne rursus redirent ad Herodem? Et quorsum illa abiecta, & minus decora in Ægyptum fuga Christi; perinde ac si nō posset aliter esse saluus? Futurum est enim, inquit, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Num vt per hæc parua, & humana, & cerneretur ipse carnem sumpsisse, & dispensationis illius crederetur magnitudo? Maxime propterea nec primo statuit in omnibus facere miracula. Quæ enim ab initio facta sunt, propter matrem omnino facta sunt, propter Ioseph, propter pastores, propter Magos, Qua de causa Magis quoque datum est responsum, ne reuerterentur ad Herodem, vt & doctores cito mitterentur in Persarum regionem, & Tyranni furor interrumperetur, sciretque se ea aggredi, quæ effici non possent. Quod si non euasit melior, non in eum, qui hæc prouidit, & qui hæc eo fecit consilio; sed in summam illius insaniam culpa est conferenda. Præterea vt tu quoque, qui ex Christo viuere elegisti, non paruas ad philosophiam ea eo inuenias occasiones; nempe vt & statim ab initio expectes tentationes, & sis paratus aduersus insidias. Iubetur autem assumere puerum, & matrem eius, & fugere in Ægyptum. Non sicut prius. Nam tunc quidem dicit vxorem tuam: nunc vero hanc vocat matrem, cum esset egressus partus, & emota suspicio. Fugę autē causa est metus insidiarum. Vide ergo rursus cum magnis, & suspiciendis coniungi humilia, & cum iucundis ea, quæ sunt molesta. Post illam per stellā deductionem; post illorum tanquam Regi, vel potius tanquam Deo exhibitam adorationem, & donorum oblationem; in eo fuit metus mortis, & fuga occulta. Et de quo priùs renunciatum fuerat fore, vt saluum faceret populum, ne se quidē videtur posse saluum facere. Quę quidem quomodo rursus animum Virginis affecerunt? Et quid consentaneum est eam interea cogitasse? Sic etiam in omnibus sanctis consequenter inuenies, cum iis, quæ sunt ex animi sententia, misceri quoque molesta. Verumenimuero sic quidem Christus venit in Ægyptum. Herodes autem eum à scopo aberrasset, in infantes, qui nullam fecerant iniuriam, tota ira erumpit, eo modo eos vlciscens qui illum illuserant; vel potius propter suam in Christum insaniam, quam concepit ob metum Regni communiter aduersus omnem irruit naturam, & interficit omnes infantes, qui erant in Bethleem, in hac vniuersa cæde infantium, existimans se & vnum illum omnino assecuturum, & vt ille solutus esset à metu, omnes lugere procurans immisericorditer; quod vel in rebus inanimatis abstinuisset facere alius, & teneras plantas aspiciens, misericordia ductus eas noluisset excindere. Sed videte vos qui imperium amatis, & estis à vana superati gloria, in quantam ea insaniam adigat amatores, & quonam eos ferri persuadet, & quænam eos cogit facere. Hanc autem infantium cædem Hieremias quoque multis ante annis prænunciat, & prædicit tragœdiam, & introducit Rachelem flentem suos filios, & consolationem minimè admittentem. Quocirca nō ignorante scilicet Deo hæc fiebant, sed & sciente, & valēte quidem arcere, permittente autem arcanis quibusdam rationibus. Sed Herodes quidem percipiens eorum, quæ fecit, fructus conuenientes, diuinitus immissā plaga, toto corpore sauciatur, & vere malus male perit, eius Regno in quatuor partes diuiso; Archelao quidem imperiū obtinente in Iudæa; Herode autem, & Philippo, & Lysania, illo quidem Galilææ, hoc verò in Ituręę, & Trachonitidis, postremo autem tetrarchatum sortito Abilinæ. Postquam autem excessit Herodes ex humanis, Angelus rursus in somnis Iosepho apparet in Ægypto, & iubet infantem accipere, & profici in terram Israel. Quam multæ, ô Christi mater, fuerunt tibi casuum inæqualitates? quàm multæ rerum mutationes? Ecce enim rursus quidem fuisti soluta ab exilio, & ad propriam reuerteris regionē; & eum, qui tibi male facere aggressus fuerat, ipsa potius eum vidisti malè periisse. Cum domum autem venisses, rursus inuenis malorū successionem; & vides filium Tyranni, qui fuit tui filij (proh dolor) insidiator, pro eo regnantem. Sed rogauerit quispiam ex studiosis, quomodo Archelaus Iudææ imperabat Pontio Pilato tunc Præsidente. Num quòd nuper decessisset Herodes, & nōdum in multa Regnum esset diuisum, illius filius interea habebat imperium? Non est autem Euangelistæ superuacanea patris quoque adiectio. Pro Herode enim, inquit, patre eius; vt scilicet eum à fratre distingueret, vt qui ipse quoque Herodes vocaretur similiter. Venit ergo Ioseph Nazareth, vt qui in somnis responsum accepisset (ita enim diuinus ait Matthæus) simul & periculum fugiens, & volens habitare in patria. Vt autem posset magis confidere, responsum accipit ab Angelo. Atqui non dicit Lucas illum venisse ex responso, sed cum omnem implessent purificationem, statuisse rursus reuerti Nazareth. Quomodo ergo est à nobis soluenda controuersia? Quòd tempus, quod fuit ante descensum in Ægyptum narrans Lucas (neque enim ante purificationem eos illuc duxisset, vt nihil omnino fieret contra legem) hæc dicit. Erat enim omnino purificandus, deinde venturus Nazareth, & tunc descensurus in Ægyptum. Deinde cum sic ex Ægypto reduxissent, iubētur rursus in Nazareth venire. Antea enim, nullo accepto responso vt illuc venirent; sed cum lubenter habitarent, vt diximus, in patria, sua sponte hoc faciebant. Cum enim ascensus non fuisset propter aliam causam, quàm propter descriptionem, & nusquam stare possent, eo impleto, propter quod venerant, descenderunt in Nazareth. Angelus certè, qui postea eos reddebat quieti, domi restituit. Nec hoc ab re; sed cum prophetia hoc ipsum multis ante annis significasset. Vt enim, inquit, implerētur, quod dictum fuerat à Prophetis, Nazarenus vocabitur. Puer autem, vt ait Lucas, crescebat, & inualescebat, spiritu repletus sapientiæ; & gratia Dei erat in ipso. Hæc accipienda sunt, vt dicta sint, quòd attinet ad humanitatem. Cum autem esset natus annos duodecim, ascendit quidem simul cum parentibus Hierusalem, festum Paschę celebraturus. Cum verò illud finem accepisset, ipsi quidem reuersi sunt. Iesus autem manet eos latēs. Et illi quidem quærebant. Hic verò tres dies latuit. Deinde eis fit manifestus, in templo quidem sedens, simul autem audiens doctores, & cum illis disserens, & in responsis auditores afficiens admiratione. In hoc enim implebatur quod de illo scriptum est: Quod puer confortabatur spiritu & proficiebat sapientia

tia & gratia apud Deũ, & homines, eò quòd mulieris talis esse declararetur. Latet autem parentes, ne ab eis prohiberetur disserere cum iurisperitis, vt qui scirent eum non didicisse literas, & cauerent ne laberetur in sermone: aut fortasse cauens, ne viderentur parentes habere cõtemptui, eò quòd non parentibus pareret iubentibus ea, quæ sunt hominibus consequentia. Vide autem quemadmodum ea facit, quæ puero conueniũt. Non enim docet legis peritos, etiamsi esset suppeditator sapientiæ, sed audit, & interrogat, vtrunque cum magna sapientia. Sed cur non primò, nec secundò, sed tertiò inuenitur, qui quæritur à parentibus? Hinc fortasse sepulturam, & quæ post tres dies futura erat, resurrectionem præsignificans. Tunc enim, cum sepulchro contectus esset, apparet. Sed quomodo rursus mater admirabilis à maternis victa visceribus, & cum magna affectione vocat filium, & tanquam reprehendens adducit eam, quæ cum dolore fiebat, inquisitionem? Ecce, dicẽs, pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. Et ideo cum illa dixisset de patre, tanquam de eo, qui videbatur, Christus veluti corrigẽs id, quod dictum fuerat, dicit de eo, qui est verè pater, ei veritatem reuocans in memoriam, & prouidens, vt non humi serpat, sed in altum extollatur: Nescitis, dicens, quòd me oportet esse in iis, quæ sunt patris mei? Sic se ostendit, Deum esse natura, siquidem filius eiusdem est naturæ cum patre. Quoniam autem illud templum patris erat, in iis, quæ sunt patris ille versabatur. Quod verbum nondũ manifestum illis erat. Ille autem descẽdit cum eis in Nazareth, & mansit eis subiectus, ex se docens honorare parentes, & quod ipse iusserat, hoc primus implens, honorare autem omnino post Deum, illisque esse præferendum Dei cultum. Ideo enim eis relictis, manet in templo, remanserat, ostẽdens Dei amorem naturali, & paterno validiorẽ esse debere. Sed mihi rursus vide mulierũ sapiẽtissimam Mariam, matrẽ eius, qui est verè sapientia, & arcana cognitio. Cõseruabat enim, inquit, omnia verba hæc in corde suo; sicut etiã priùs in aduentu pastorum, & iis, quæ illi visa, & audita narrabant. Et tunc Lucas similiter hæc omnia dixit Mariam conseruare. Non enim ei, tanquam alicui infanti attendebat, sed quæ dicebantur, plurimi faciebat: & nihil erat ex iis, quæ ab ipso dicebantur, & fiebant, quod non ea magno studio dignum duceret, & corde diligenter celaret, diuinarum quarundam rerum, & arcanarum ea esse semina, easque illis pręmonstrari rectè iudicans. Post hęc baptisma; post quod miracula quoque: Sed (vt diuinus dicit Ioannes) id quod primum fecit (in nuptiis, inquam, aquæ in vinum mutationem) fecit matre præsente. Illa quidem certè prima admonet vinum deesse, filio præbens occasionem, & materiam faciendi miraculum. Is autem quamuis ægreferre videatur, & ideo recusare, facit tamen ea, quæ à matre suggerebantur, honorans omnino vt matrem, & veluti ei reddens mercedem, quòd ipsum in aluo gestauerit. Vide autem hic quoque Dei matris insignẽ moderationem, & prudentiam. Nec enim iubet audacter, tanquam mater filio, vt faciat miraculum, sed cum solummodo admonet, idque cum quadã magna reuerentia, & submissione, & quantum sufficeret ad suam declarandam voluntatem. Quid enim est, quod dicit filio? Vinum non habent. Nam etsi ea illum esse suum cognoscebat filium, non ignorabat tamen eum esse suum quoque effectorem. Et ideo simul quidem volens ostendere cuiusnam esset mater, & simul etiam referre gratiam iis, qui inuitauerant, prudenter ei suggerit miraculi effectionem. Deinde etiam ministris, Quodcunque dixerit, inquit, vobis facite; hoc dicens de filio, iam enim veniebat ad notitiam virtutis filij, vt quæ vidisset multa admirabilia, quæ etiam paulatim in corde conferebat, vt rectè cognouimus ex iis, quæ præcesserũt. Quoniam autem non alio spectat argumentum propositum, quàm solum ad ostendenda Virginis magnalia, erit hoc quoque vnum ex iis, quę illius sunt bona, & præclara, si ostenderimus eam fuisse perpetuò versatam cum filio, & ei semper assedisse, & nec in tempore quidem rerum aduersarum, nec in passione fuisse ab eo separatam, quãdo & discipuli, & amici, & omnes noti, alij quidem ipso omnino relicto, se in pedes coniecerũt; alij verò, cum paululum expectassent, negauerunt. Itaque quoniam hæc ita se habent, aliis relictis, nos ea dicamus. Cum enim tempus iam adesset passionis, & ille seipsum traderet, & staret in medio eorum, qui in eum cædem spirabãt, & iam abduceretur ad Pilatum, & ante Caipham sisteretur, & ad Herodem mitteretur examinandus, & tandem in eum ferretur sententia, & Cruce condemnaretur, mater, sicut in aliis superabat mulierem, ita etiam hic quoq; videtur plusquam mulier, quæ ab illo minimè recedit, sed propius sequebatur nihil timens, quod esset formidabile; non quòd tantum maternis vinceretur visceribus, quàm quod potius diuino induceretur iudicio, adeò vt alias quoque duas mulieres, duas, inquam, Marias, vt docet Euangelium, ad hoc adhortata sit, & vt secum versarentur, persuaserit: vt quæ essent forti, & generoso animo, & vellent adhærere huic sponso, qui non videtur, & tamen eum non cernatur, appropinquat. Erant enim, inquit, mulieres quoque, quæ consequebantur à Galilæa, & ministrabant ei. Ea ratione videntur ne abfuisse quidem à tempore mysteriorum: sed cum duodecim quidem minimè accubuisse, fuisse tamen eius domus consequenter participes. Nam discipulos quidem, cum mysteria, & humilitatis summæ traderet doctrinam, vnà habuit accumbentes; matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ministrabant, tanquàm per eam ipsas benignè accipiens, & adimplens officium humanitatis, & simul cum eis vescens, & sic pro ministerio eis referens gratiam. Sic autem vnà quoque ingressa est in atrium Annæ, & Caiphæ, cernens vnumquodque eorum, quæ gerebantur, & apud eum quidem manens, dum iudicaretur, vnà autem proficiscens, dum abduceretur ad mortem, eorúmque, qui ibant egressus, & ingressus considerans, & omnium ora attendens, vt sciret quænam in eum ferretur sententia, quinam verò erãt ij, qui ei assentiebantur, aut qui reprehendebant; vnà autem proficiscens, dum abduceretur ad mortem. Nulli enim obscurum est eam hæc vidisse omnia, quandoquidem in cruce quoque vnà aderat, quando ab ipso crucifixo filio fuit commendata discipulo. [illegible] eo licet considerare, cuiusmodi illa esset, quæ hæc difficilia cernebat, & molesta, illusiones, flagella, alapas, purpuræ amictum, coronę impositionem, contumeliosam traductionem. Oportet quoque conside

considerate, quemnam habet animum, siue ex filio eam simpliciter iudices; naturalem ferentem vim passionis, siue quòd eum cognosceret homine superiorem, admirans summã eius tolerãtiam, aut potius vtrunque, adeò vt & naturali affecte-tur affectione, & miraculo afficeretur. Postquam autem scelerati venerunt in locum Caluariæ, & fixa quidem fuit crux, in ea verò pendebat eius filius, quomodo erat animo affecta, cum videns sic patientem? Quomodo videbat eum nudatum vestibus, qui cęlum tegit nubibus? Quomodo habentem puras carnes clauis confixas? Quomodo non in eius potius carnes tela immittebantur? vt etiam hinc finem acciperet, quod dixerat admirabilis Symeon: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Quomodo sanguinis guttis effluentibus non acerbiores lachrymarum aquæ ductus fluebant ex illius oculis? Quomodo illum tulit videre in cruce distensum, ipsam, & eos qui aderant, aspicientem aspectu benignissimo? Quid verò irrisiones, quid impia transeuntium scommata, ingratorum subsannationes, probra eorum, qui circũstabant? Quæ quidem omnia eam transuerberabant profundiùs, quàm vlli claui. Et innumerabilibus quidẽ plagis sauciabatur, stimulis autem confodiebatur innumerabilibus. Hoc verò erat ei omnium molestissimum, quòd ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat, repellebatur autem à multitudine canum eam circundantium. Sic enim diuinus ille pater eos priùs nominauit. Postquam autem quæcunque volebant, impleta fuerunt a Dei parricidis, & non expectabant amplius fore, vt ab eis euaderet; cum proximi quidem amici effugissent, aut potiùs (vt dicam cum Propheta) à longè starent, ipse autem esset clauis cõfixus, custodia ab eis omnino negligebatur; Tunc verisimile est Deiparam, sibi data facultate, ad eum accessisse, & intemeratos quidẽ eius pedes, & impressas eis plagas lubenter esse deosculatam, & sanguine miscentem lachrymas, oculos & genas atriuisse; cum maximo autem animi motu eum aspicientem dixisse: Quid hæc sunt, ô Domine, & Deus? suntne hæ remunerationes tuæ inexplicabilis in homines clementiæ? Estne hæc retributio tuæ benignitatis? siue, quos tu affecisti beneficio, tales tibi gratias retulere? Te purpura induunt irrisiones, quos tanquam filios pater ornasti stola gloriæ, & tanquam aquila nidum tegens, alis expansis, suscepisti, & in dorso tuo portasti. Contumeliæ coronam tibi imposuerunt, quos bonæ voluntatis armis ipse coronasti, & vt aduersus inimicos caput tollerent, confirmasti. Clauis tibi dolores afferũt, qui à laboribus Ægyptiacæ seruitutis, & ab innumerabilibus afflictionibus sunt liberati. Arundine tuum caput feriunt, quibus mare virga percussum cessit fugientibus. Sed loquere aliquid modicum ad tuam matrem recreandam: non fero enim dolores, quæ te peperi sine dolore. Vbi te videbo postea? Quod erit mihi solatiũ? Quis mei curam geret, ac defendet? Cum eam vidisset tam acerbe affectam, & stãtem propè dilectũ discipulum, illud (sicut erat consentaneum) est omnino elocutus, quod diuinum narrat Euangelium. Eam enim primùm aspiciens; Mulier, inquit, ecce filius tuus; ostendens discipulum. Sic vel cruci affixus curam gerebat matris, & eam commendauit dilecto discipulo, nos docens, non negligere parentes vsque ad extremum spiritum; quãquam priùs videbatur etiam repellere, vt quæ non in tempore ei esset molesta. Quid enim mihi, & tibi (in nuptiis inquit) mulier? Et postea. Quæ est mater mea? Hic autem apertam ostendit dilectionem, & discipulo quidem eam commendat, sic cõsolans; illum autem magis honorans commendatione, & quòd valde eum diligeret, hoc vtens testimonio. (Quid enim aliud faciens, aut dicẽs, illum tali honore est dignatus?) simul quoque quòd permansisset, ei referens gratias. Deinde cum etiam aspexisset discipulum. Ecce, inquit, mater tua. Hoc autem erat coniungentis ad dilectionem, & simul etiam ostendentis amborum authoritatem. Ab eo ergo tempore, inquit, discipulus eã accipit in propria intelligens quorsum tenderet oratio, & domini voluntati syncerè inseruiens. Postquam autem finem acceperunt omnia, sitio, inquit Saluator. Qui verò erant veloces ad malum, & ingratorum ingratissimi, ei acetum felle commixtum, qui aqua (proh dolor) in sitis æstu in terra arida sunt potati; & qui melle saturati fuerunt, fel porrigunt: Quorum vua vua fellis, & ira draconum domus. Sed quomodo rursus illam hæc videntem oportebat cruciari animo? Quando autem mortuum quoque vidit, quomodo tulit, quomodo non etiam ipsam vnà abrupit animam? Quomodo sustinuit videns inimicos, qui ne post mortem quidem adhuc erant reconciliati filio; sed cędem adhuc in eum spirabant, & gladio eius latus confodiebant? Sed hæc quidem diuinum narrat Euangelium. Dicuntur autem hæc quoque à linguis, quæ plurimi faciunt veritatem, quòd cum hæc noua, & admirabilia percepta essent oculis Deiparæ, & post mortem filij, perinde ac si viueret, ex eius latere aqua, & sanguis scaturiret, illa eum quidem haurit reuerenter, & diligenter. Deinde ea sic se totam dedit parandæ sepulturæ, & quemadmodum diuinum illud corpus è ligno deponeretur, & aptum monimentum consequeretur. Cum autem non posset hęc per se efficere, eius mentem mouet omnino eius filius, vt scrutaretur in loco Caluariæ. Quod cum factum esset, concedit vt eius scopus facilè succederet. Inuenitur enim quoddam monimentum recentissimum, & pulcherrimum, & elegans locus, in quo erat situs, illo quidem nequaquam dignus: Quid enim omnino ex rebus terrenis? Sed nõ indignus eius, quę quęrebat, desiderio. Atque erat quidem sepulchrum planè, vt dixi, nouum & omnino intactum, vt in quo nullum adhuc esset sepultum; ne si alia posita fuissẽt corpora, dubitaretur quod nam resurrexisset, & locus in optimo aere positus, & in horti speciem ornatus. Postquam autem sciscitata intellexit, non solùm esse amicũ horti Dominum, sed etiam discipulum, verum occultum (hoc enim docet Euangelium) vt qui Dei timeret parricidas, venit ad eum Virgo, & verbis ei suadet accommodatis, vt in suo monimento, tãquam in aliquo armario, magnam vim opum reponat, & sic domum custodientem apud se vitam habeat. Finem enim, inquit, acceperũt res aduersariorum, & maximè probrosam hi mortem Magistro attulerunt, nulla quantumuis magna iniuria, & ignominia, in eum priùs prætermissa. Cæterum nunc quoque in ligno iacet mortuus, & nudus, mihi, & creatæ naturæ horrendum spectaculum, vt quem potius irrideant, quàm eius misereantur. Da ergo

mihi

mihi gratiam,& communi, inquã,huic magistro. Audacter pete illius corpus,vt deponatur,& mandetur sepulturæ;si non etiam post mortem sit illis Iesus inuisus.Sic nobis omnibus magnam afferes cõsolationem, qui in omnem redacti sumus egestatem, & quorum nemo mouetur misericordia; Amici enim mei,& propinqui mei ex aduerso appropinquauerunt, & steterunt. Et proximi mei à longè steterunt.Ea me non possum quicquam facere,vt vides,cum sim sola,& hospita,& cum vno solo ex discipulis attenta sim crucifixo. Sic mihi sistes dolorem, sic reprimes lachrymas. Cum Iosephum Deipara talibus verbis inflexisset, & incitasset,emittit ad Pilatũ. Ille autem expulsa omni timiditate, & ab illo, qui mortuis vitam inspirat, mortuo audacia inspiratus,Audacter (inquit Marcus) ingreditur ad Pilatum,& iis vsus, quibus opus erat, verbis, petitum accipit diuinum illud corpus,& cui nihil potest exæquari,ostẽdens animum Inde tanquam ex diametro contrariũ.Nam ille quidem cum haberet, tradidit iis,qui erãt interfecturi;hic autem ab iis,qui interfecerãt,petiit, & accepit. Verumenimuero rursus persequatur oratio, quomodo mater se haberet. Dicunt enim ij,qui de his rebus tractarũt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter,& constanter gessisse,honestè quidem, & non indecorè vtentem motu animi, factis tamen ostẽdentem se esse matrem, sed omnino matrem illius,qui amico mortuo & ostendit amorem,& motum animi certis finibus cõtinuit. Mortuum itaque vidẽs filium, ea motu animi vsa est, vt oportuit. Quinetiam in eo à Cruce deponendo maternis manibus inseruit,& clauos, qui extrahebantur,suo sinu accepit, & membra illius amplexa est, partim quidam vlnis stringens, partim autem suis quoque lachrymis plagas emundans, deinde etiam tota toti corpori circunfusa. Ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsque venit,ô Domine;placida voce dicit. Et Iosepho in manu tradens sindonem; Tibi autem, inquit, deinceps erit curæ, vt in hac eum honestè componas, myrrhaque pulchrè condias, & ei iusta facias. Cum sic ergo nouo monimento diuinum corpus tradidissent, Ioseph, & qui cum eo erat, Nicodemus, & alij,qui cum eis aderant, ipsi quidem statim recedunt à sepulchro; mater autem sola remansit sepulchro adhærens,minimè dormientibus oculis perseuerans. Nam etsi Mariam Magdalenam Matthæus ex aduerso cum altera significauit assedisse, solum tamen ad videndum venisse innuit, neque ausas esse accedere eò tempore,quo mandabatur sepulturæ. Certè nanque eis succurrit, vt recederent propter metum Iudæorum, & aduentum custodiæ. Inquit enim ipse Matthæus:Vespere autem sabbati,quæ lucescit in prima sabbati venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Non dixisset autem venisse,quæ remansissent, nisi eæ quoque similiter vt cæteri recessissent à monimento. Atque alij quidem alteram,quæ dicitur,Mariam, quam ipse dixit,qui præcessit, & Marcus clarè aperit,dicens; Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant,vbi poneretur;alij verò Mariam, quæ appellata est Iacobi, existimarunt esse Deiparam, non rectè, neque accuratè veritatem coniectãtes. Vbique enim in Euangeliis ipsa post arcanum illum ortum apertè & propriè nominatur Mater,& hanc omnino maximè notam habet appellationem. Accepit (Inquit) Infantem, & matrem eius. Et rursus,Erat mater Iesu illic. Et alibi,Dicit mater eius ministris. Et, Descendit in Capharnaum ipse,& mater eius. Et,Mater tua,& fratres tui steterunt foris. Quinetiam,steterũt ad Crucem Iesu mater eius,& soror matris eius. Habes,si vis,etiã Lucam in Actibus suffragãtem iis,quæ sunt proposita. Hi omnes erant perseuerantes in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Iesu.Et in summa difficillimè inueniri potest eã esse aliter nominatã,aut ex patre,aut ex aliqua alia cognationis habitudine;vt diximus.Quocirca nulla ex his illa est. Nam aliæ quidem tota nocte ad sepulchrum ingressæ sunt, & egressæ, & ea, quæ fiebant, Apostolis nunciarunt. Quamobrem nec eis contigit videre plura miracula resurrectionis. Illa autem, quæ indiuulsa assidebat sepulchro, omnia vidit B. Maria prima filium resurgentem vidit.
apertè, & non statim, sed postea protulit in lucem,& renunciauit. Nam quomodo simul terræmotum,& Angeli in momento temporis descensum, & lapidis reuolutionem, & custodum profundum soporem, & expergefactionem, & quorundam in vrbẽ reuersionem,potuissent abeuntes mulieres,& rursus reuertentes integrè perspicere? Sed clarum est hæc fuisse materni, & ardentis amoris, quæ perpetuò assidens, & acriore spiritu vigilans omnia perfectè vidit,vt se habebãt,quòd ne tantillum quidem,vt diximus, à sepulchro recesserit, donec ipsam viuificam vidit resurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & Angelus ei insidens, ab aliis quoque visus est mulieribus. Quando autem, & quemadmodum hæc facta sunt, illæ quidem omnino nesciebant, ipsa verò sola, vt quæ assideret, omnia accurate perspexit. Videntur ergo ei primæ esse dati boni nuncij resurrectionis,& quoad eius fieri potuit,ab ea conspectus fuisse splendor filij. Sed sic quidem Dei mater, & ipsa clarius aspicit filij resurrectionem, & eius prædicatores de ea magis cõfirmat, quàm eæ, quæ vnguenta attulerunt; etiam si, dum loquerentur de Domini resurrectione, nullam eius mentionem fecerint,cauentes fortasse maternum afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionem fides ei minus haberetur. Sed Deipara, cum filij resurrectionem & visu, & internis oculis sic accepisset,postea habitauit cum dilecto discipulo, expectans tempus Christi assumptionis. Postquam autem finẽ accipere oportebat quæcunque ad carnis susceptæ pertinebant Oeconomiã, & ita in cœlum extolli quod assumptum fuerat,amicis apparẽs Saluator. (Non enim sæpe post resurrectionem spectabilem se illis præbebat) & multa alia cum eis differit, & boni spiritus aduentum annunciat. Deinde etiam cum eduxisset parum extra ciuitatem, & illos, vt eum decebat, impertiisset benedictione, videntibus ipsis in cælum extollitur.Sed ne ea res ipsis afferret molestiam,& dolorem eis procrearet magistri priuatio,eius quoque curam gessit bonus pastor. Ad eos mittit Angelos,qui & illius ascensum explicarent, & eos ineffabili, & admirabili implerent consolatione. Cùm autem adorassent,rursus domum læti sunt reuersi, simul quidem agentes in superiore cœnaculo, sicut constitutum fuerat, paracleti expectantes aduentum. Erant autem in oratione vnanimiter perseuerãtes. Sicut etiã Lucas Euangelista narrat.Cũ enim nominatim Christi enumerasset discipulos,deinde subiungit:Et hi omnes

omnes perseuerabant vnanimiter in oratione, & precatione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus eius. Semper enim ipsa quoque cum eis conuersabatur, à rebus pulcherrimis, & honestissimis nunquã omnino desistẽs. Postquam autem in tempore Pentecostes Apostoli impleti diuina gratia paracleti, ad Euangelij doctrinam alius alio mittebantur, & iam prædicatio fidei annunciabatur, Virginem, tempore dilecto discipulo, & virgini commendatam, quæ erat in Sion eius domus, eam habebat illic degentem: Cui tanquam matri Dei honor ab omnibus exhibebatur. Cum verò, & mortis eam participem fieri necesse foret (cur enim hoc passura nõ esset, quanuis Dei filius ex ea genitus re vera esset homo) cum longam, ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus præsens esset, per Angelum se migraturam esse à filio edocta est, sicut & antea, quo tempore in eius ventrem ingressurus erat, nunciatum illi fuerat. Cùm igitur excessus sui mysterium didicisset, eam sem lætitiæ tantæ quanta verbis explicari non potest, materiam iudicans. (Quid enim illi suauius euenire poterat, quàm cum filio suo esse, & vnà regnare) statim iussit plurima lumina domum afferri. Idque factum est. Tota verò domus mundata est. Lectus item, & thalamus ornabatur: & conuocabantur quotquot erant cognati, & vicini, vt eum ea lætitiæ fierent participes. Deinde parata erant omnia ad excessum. Significat itaque iis, qui conuenerant, id quod ei filius per Angelum nunciauerat. Ostendit autem brauium, quod sibi ab eo datũ fuerat. Id verò erat ramus palmæ, vt linguæ assuefactæ vera loqui de eo dixerant; signum victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis. Sicut etiam Hebræorum pueri id eius faciebant filio inspirati diuinitus. Illi enim appropinquanti ad passionem ij ramos palmarum offerebant, eum futurum victorem mortis ante significãtes. Cum autem iam adesset tempus excessus, illa quidem veræ vitæ mater in Sion iacebat in grabato: aderat verò is, qui eam domo exceperat, Ioãnes. Aderant etiam quicunque erant electi in Hierusalem, amicæque, & cognatæ simul astabant. Virgo ergo ad Ioannem aspiciens virginem, cum pauca cum eo esset locuta, deinde, Duas, inquit, tunicas quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus. Hęc illa quidem dixit: Qui aderant verò videntes signa decessus, ex oculis multas fundebãt lachrymas. Quis enim tali priuari muliere tulisset sine dolore? Deinde è cælo quidem descendit eius filius, illius diuinam assumpturus animam. Per nubem autem suos congregat discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ. Postquam verò vidit eos Deipara, cognouit autem causam, propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuscuiusque audit petitiones, eos quidem, vt par erat, impertiit benedictionibus. Cum verò omnibus dixisset verba, quæ in decessu dici solent; Vos, inquit, valete filij; meum autem hinc decessum ne luctu, sed lætitia potius prosequimini, quandoquidẽ vobis est persuasum, nos transire ad gaudium: & videte, vt corpus meum mandetis sepolturæ in hac figura, in qua ego me composuero. Hæc est enim, inquit, mea voluntas. Accersit autem Petrum, deinde alios; & cum lucernas ipsi accendissent, illa in spiritu exultans, ductis labris; Benedico tibi, inquit, datori omnis benedictionis, causæ luminis, qui meum ventrem inhabitasti. Benedico tuæ charitati, qua nos dilexisti, Domine, & magnifico verba tua, quæ nobis data sunt in veritate; & credo mihi affutura quæ dixisti. Cum sic dixisset, se reclinat in lecto, & manibus in altum sublatis, cum nulli reprehensioni affine suum corpus in honestam & decoram figuram cõposuisset, & os venerandum aperuisset; etenim videbat iam Dominum ad ipsam venientem cum multitudine Angelorum; tota impletur gaudio, & voluptate. Et cum rursus dixisset: Fiat mihi, Domine, secundum verbum tuum, emittit tanquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit filij manibus. Ne autem videatur esse inane quod dictum est de congregatione Apostolorum, quę facta est in dormitione Virginis, satius fuerit ea summatim addere, quę à Dionysio Areopagita dicuntur in tertio libro. Et caput quidem, Quæ sit vis orationis, & de beato Hierotheo, de pietate, & de Theologica inscriptum est conscriptione. Dicuntur autem ea cuidam Timotheo Ephesi Episcopo. Ea verò sunt in hoc capite sic ad verbum posita. Quandoquidem apud ipsos quoque nostros à Deo afflatos sacrorum principes, quando nos quoque, vt ipse nosti, & multi ex nostris sacris fratribus ad videndum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenimus (aderat autem Dei quoque frater Iacobus & Petrus, qui erat Theologorum suprema, & antiquissima summitas) visumque est, vt post illud spectaculum, omnes sacrorũ Principes hymnum canerent, & laudarẽt, prout poterat vnusquisque, infinitam bonitatem diuinatũ virium; post Theologos, ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui planè excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate, & communicatione, & ab omnibus, à quibus audiebatur, & videbatur, & cognoscebatur, & non cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorũ. Et quid tibi amplius dixerim de iis, quæ illic de Deo diuinè dicta sunt? Etenim nisi sum mei quoque oblitus, scio multos à te audisse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Sed hæc quidem sacer Dionysius. Nobis autem pergat oratio ad ea, quæ deinceps sequuntur. Cum autem in orbem sanctum Virginis corpus circũdedissent Apostolorum chorus, & quicquid erat electum ex viris, & mulieribus, & hymnis honorabant qui illud deducebant, & omnia membra reuerenter simul & amanter amplectebãtur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem. Fidem autem consecuta quoq; est operum demonstratio. Cæcis oculi illuminabantur, surdis aures aperiebantur, claudis bases pedum confirmabantur, & quodlibet morborum, & ægritudinum genus facile dissoluebatur. Cur non dico, quæ sunt perfectiora? Aër quidem, & cælum ascensu spiritus sanctificabatur: Terra autem similiter depositione sacri corporis. Cęterum nec aquæ quidem natura erat expers benedictionis; sed ipsa quoque lauacro purissimi corporis fuit particeps sanctificationis. Neque enim illud habebat opus purgationibus (Quis enim hoc diceret, nisi æmotæ mentis?) sed suo contactu potius sanctificabat id, quod attingebatur. Deinde quid? Mundis sin-

Ecce quã splẽdidũ, & quã honorifice funus immaculatæ virginis ducitur cũ lucernis, vnguentis, hymnis, et canticis etiam angelicis, ipsis Domini Apostolis lectum corporis deferentibus.

donibus mundum corpus inuolutum rursus in lecto ponitur. Deinde cum lucernis, & vnguentis, intelligentibus quidem desuper laudantibus virtutibus, Apostolis autem, & diuinis patribus Deo digna cantica canentibus, diuina arca ex Sion vecta Apostolicis manibus, & humeris, ad Gethsemane sacrum prædium exportatur, Angelis, vt est consentaneum, præcurrentibus, circumcursantibus, sequentibus, Angelicis pennis adũbrantibus, longè, inquàm, splendidiore, & venerabiliore facta deductione, quam propter translationem veteris illius arcæ testamenti Domini; vt sacra narrant eloquia. Accidit huic pulchræ, & diuinæ rei graue quidem quid, & odiosum, non tamen silentio, sed memoriæ mandandum, & ad gloriam quidem, & laudem piorum, dedecus autem improborũ, qui infidelitatis malũ semper sectantur. Cum hoc sacrum & impollutum corpus in Gethsemane efferretur, vbi sepulchro tradi Deipara ipsa præceperat. Iudæis, qui semper fuerunt repleti inuidia, ne in hoc quidem succurrit tacere, sed ad eius, quod fiebat, splendorem claudere oculos, & ad eis innatum motum animi erumpere. Qui erat ergo alius insanior, & impudentior, & is cum venerandum portaretur grabatum, in id irruit plenus inconsiderato impetu, & furore. Eius autem scopus erat, hunc sacrum lectum in terram allidere, & tali afficere iniuria, vt qui esset vir insigni audacia. Non neglexit autem diuina iustitia, sed manus, quæ grabatum apprehenderant, ex vlnis protinus fuerunt abscissæ. Verum quæ in partu gaudio totum orbem terrarum repleuerat, non erat vlli omnino in morte futura causa molestiæ. Cúmque qui passus fuerat, esset quidem improbus, non tamen omnino eius improbitas videretur insanabilis, ex his, quæ erat passus, iustam eorum, quæ malè senserat, petiit pœnitentiam. Et quoniam carebat manibus, nec eas poterat ad preces extendere, emittit lachrymas ex oculis, & sic petit curationem. Disciplinam autem vide, simul & medicationẽ. Statim enim ij quidem, qui lectum ferebant, constiterũt: Accedit verò is, qui passus fuerat sectionem; & quæ amputatæ fuerant, partibus vlnis applicatis (hoc autem iusserat Petrus) statim consecuta est manuum curatio. Hinc ad sacratissimam abducitur Gethsemane, & illic sanctissimum quidẽ corpus mandatur sepulturæ. Quidni enim, cum etiã qui erat Deus eius filius more hominum sepelitur? Per ipsum autem ad cælestia, & diuina transmittitur tabernacula. Quod dicimus confirmat Iuuenalis diuinus Hierosolymorum Episcopus. Fuit autem hic vir sanctus, & à Deo inspiratus, qui ab antiqua, & vera traditione narrationem dicens ad se sic fuisse deductam, ait; Quòd tres totos dies ad sepulchrum sancti permanserũt Apostoli, diuinas hymnodias ex alto audientes: Deinde post tertium diem, cum vnus ex Apostolis tardius venisset ad exequias, vel quòd ita contigisset, vel quod diuinum ita prouidisset cõsilium, vt nota esset omnibus translatio admirabilis, tũc & ipse quidem accessit, & vt est consentaneum, magnum ex eo cœpit dolorem, quòd tanti boni mansisset expers, idque omnino tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apostolorum nó iustum esse iudicans, vt ipse quoque viuificum illud corpus non videret, & amplecteretur, iubet statim aperiri sepulchrũ. Et illud quidem fuit apertum, Thesaurus autem nequaquam erat in eo; sed solæ erant vestes, in quibus fuerat conditus, quomodo etiam eius filij in resurrectione. Quas cum ipse esset amplexus, & qui cum eo aderant, & repleti essent inexplicabili odore, & gratia, rursus quidem claudunt sepulchrum. Miraculum autem posteris filius à patre accipiens deinceps tradit. Atque viuifici quidem corporis diuinæ sepulturæ ita se habet narratio. Siquidem quod ex ea natum erat, totam eam Verbum ad se transtulit, & voluit eam apud se, & esse, & perpetuò simul viuere. Verum enim vero pro eius impolluto corpore suam vestem, boni nostri magnam semper ducens rationem, veluti quandam dat huic ciuitati hæreditatem. Quemadmodum autem hoc factum sit, & quomodo beatum illud donum ad nos venerit, & sacrosancto hoc thesauro ditata sit Constantinopolis, iam declarabit oratio. Leo ille magnus, qui illo tempore optimè Romanorũ administrabat imperium, duos sub se habebat, qui curam gerebant exercitus, quorum vni quidem erat nomen Galbius, alteri autem Cãdidus, fratres genere, fratres virtute, & vt semel dicam in cæteris quidem valde insignes, & paucis similes; sed vnum eis deerat, idque maximum; Siquidem non rectam habere fidẽ, est laborare in rebus maximis, & præcipuis: Arrianæ enim pestis erant participes, cum ex paterna forte traditione malum hoc, tanquam quædam hæreditas ad eos venisset. Dicebantur enim fuisse proximi genere Ardaburio, & Aspari, qui illis temporibus in regia obtinuere tyrannidem; quos cum Arrio sensisse apertè arguit veritas. Verum enim vero Galbium, & Candidum, qui alioqui se rectè gerebant, & Deo placebant, non siuit diuina gratia nõ esse illuminatos in eo quod est præcipuum salutis: sed eos ab errore traducit ad veritatem adeò constanter, & stabiliter, vt non solùm rectè se haberent, & tuti essent, quod attinet ad pietatem, sed etiam alios, quos nossent non recto pede ingredi ad veritatem, studerent pro viribus efficere, vt eiusdem essent secum sententiæ. Ii enim piè essent affecti, magno quoque, & excelso animo se dedunt misericordiæ exercendæ in pauperes, vt qui pro agnitione veritatis satagerent Christo reddere gratias. Castissima ergo mater illius magni Dei & Saluatoris nostri, sacrosanctum thesaurum, nempe suam vestem, volens suæ largiri ciuitati, vt hoc fiat, per dilectos illos viros prouidet quodã modo diuiniore. Modus autẽ ita habet. Immittit eis desiderium adorãdi sancta loca, quæ sunt Hierosolymis. Quod planè & ab illis factum est. Cúmque Leoni & Verinæ rem aperuissent, comitatum non exiguum eorum familiarium, & amicorum secum adduxerunt. Cum autem iter ingressi essent, & iam venissent Palæstinam, viam quæ ducit in Galilæam, pręferunt maritimæ, pluris facientes contemplari Nazareth, & Capernaum, quàm maritimis frui delectationibus: Ex quibus illa quidem fuit sacrum Deiparæ habitaculum, & in ea multo tempore vidit Deum Verbum ex se genitum. Hæc autem eius filij charum, & consuetum diuersorium. Cum hic ergo fuissent, vt diximus, quoniam non permittebat tempus, vt vlterius progrederentur, (Iam enim erat vespera, & nox obscura; prouisum autem omnino hoc quoque fuerat diuinitus) vicus quidem eos excipiebat, isque paruus. In eo autem habitabant

bant & alij non pauci, & muliercula quoq; quædam inſignis caſtitate, & planè honeſtiſſima, & moderatiſſima; quæ propter profundum quidem ſenium, & canos honorata, ſed propter magnum virtutum ornamentum longè honoratior erat. Apud eam autem veſtis, diuinus fuerat hic theſaurus recõditus. Quomodo verò fuiſſet illa tantæ rei cuſtos, niſi & virtutum fuiſſet ornata pulchritudine, & animi puritate? Quanquam enim Hebræa quidem erat illa mulier (eſt namque amica veritas) illius tamen animam locum dixiſſes qui eſt in præſentia quidem obſcurus, aptus eſt autem ad lumen excipiendum, & valde accommodatus. Diuinum verò erat in hoc quoq; apertè conſilium, vt res apud eam mulierem recondita, quæ ſic affecta erat, vt eam totis viribus celare ſtuderet, poſtea in lucem prolata maiorem fidem haberet. Vide ergo quàm eleganter proceſſerit diuinum conſilium. Nam apud eam veniẽtes excipiuntur hoſpitio Galbius, & Candidus ſapientes, eos ſic diuina deducẽte gratia. Erat verò propter id ſolùm, quod in ea latebat, domus admirabilis; alioqui autem nihil habebat magni; ſed erat planè vilis, & abiecta. Cum eos autem tempus vocaret ad cœnam, vbi accubuiſſent, vident interius aliam domunculam, quæ multo quidem lucernarum lumine illuſtrabatur, multis verò ſuffitibus, & vnguentis ſuauè ſpirabat, in ea autem ſitam magnam ægrotorum multitudinem. Ex quo diuinum quidem quippiam ſuſpicabantur eſſe, & venerabile, rei tamen veritatem omnino excogitare non poterant. Inuitant itaque ad conuiuium egregiam illam aniculam, cupientes ex ea aliquid ſcire eius, quod deſiderabant, illa autem hoc recuſabat, cauſans religionem, & quòd non fas ſit ei, cum ſit Hebræa, veſci cum Chriſtianis. Illi vero, cum propter magnam ſitim cognitionis eius, quod erat propoſitum, nihil de propenſo ſuo ſtudio remitterent, eam adhuc inuitant ardentius, & illius non parendi pertinaciæ obijciunt aliud validius: Quid, dicentes, obſtat, ſi cum tu acceperis cibos, quibus pro more veſceris, nobiſcum quidem colloquaris, ſola autem tuis alimentis vtaris? His itaque paret mulier, & congreditur. Poſtquam autem comediſſent, apud eam viri illi precibus egerunt, vt eis id ſignificare non recuſaret, quænam eſſent ea, quæ fiebant in domo interiori. Exiſtimabant enim eſſe aliquid legale, & ex vmbratilibus illis, & veteribus. Illa autem ea quidem dicit, quæ fiebant, cauſam verò, quamobrem ea fierent, minimè perſuadetur, vt aperiat. Videtis enim, inquit, ô viri diuiniſſimi, ægrotorum multitudinem. Etenim cum Deo ita videatur, in hoc quidem loco dęmones expelluntur; cæcis autem vt liberè videant; claudis vt ambulent; ſurdis vt audiant; & mutis vt loquantur, efficitur mirabiliter, & alij morbi, & corporum mutilationes, quæ medicorum artibus nullo ſunt modo medicabiles, curantur facilè. Illi autem. (Non enim erant imprudentibus hominibus ſimiles, neque quod interrogare oportebat ipſi prę ſimplicitate prætermittebant.) Vndénam verò, rogabant, principium cœpit locus talia operandi? Illa verò, Apud nos, inquit, Hebræos à patribus tradita habetur narratio, quòd Deus in hoc loco viſus ſit cuidam ex patribus, ex quo factum eſt, vt loco hæc ſeruaretur gratia. Hæc cum ea diceret, illi ei corde minimè aſſentiebantur; ſed videbatur eis muliercula, ſicut res erat, probabiliũ verborum pulchra ſpecie celare veritatem. Ipſi ergo eam quidem adhuc rogabant vehementius, vt eis rem, vt ſe habebat, aperiret, reſpiciens, ſi nihil aliud, laborem ſaltem tanti itineris, qui nulla alia de cauſa erat ſuſceptus, niſi vt viderent ſancta loca, & audirent ea, quæ à piis, & ſanctis dicuntur hominibus. Illa autem ne ſic quidem cedebat, ſed manebat vt ſtatuerat, apertum religionis exiſtimans eſſe dedecus, ſi aperiretur veritas, & dicens ſe nihil ſcire amplius, quàm quòd locus ſit plenus diuina gratia. Cùm autem illi pulchrè ſenſiſſent eam optimè quidem ſcire, vitare autem ne eam ſcire eſſet apertum, & ideo præ ſe ferre ignorationẽ, euadunt auidiores inueniendi eius, quod quærebatur, & ſicut Cleophas & ille alius diſcipulus, corde cœperunt ardere. Eos enim Virgo beatiſſima incitabat, volens Byzantinis diuinum hunc, & ſacroſanctum largiri theſaurum. Omnem ergo ſtatim mouebant lapidem, vt mulier remittens immobilem hanc occultationem, eis id quod tacuerat, in apertũ proferret. Quinetiam iuſiurandi neceſſitatem adhibebant, eiúſq; adeo validi, vt animum quantumuis inexpugnabilem ſuo poſſent loco mouere. Cum ſic eam omni ex parte aſtrinxiſſent, & tãquam ineuitabilia ei vincula impoſuiſſent, vix tandem perſuadent, vt eis rem aperiat. Cum itaque ex alto, & cum lachrymis ſuſpiraſſet, & in terram fixiſſet oculos, perinde ac ſi eam puderet enunciare; O viri, inquit, nunquam in hodiernum vſq; diem diuinum hoc myſterium viro euaſit manifeſtum. Quæ enim in genere meo me præceſſerunt, iureiurando adhibito, vni mulieri, eique virgini ita tradiderunt, vt ſingulis ætatibus ea res ſic traderetur, ſed quoniam video vos eſſe viros reuerendos, & pios; & alioqui (nam hoc quoque vobis ſignificabo) ad me vſque redactæ ſunt mei generis fœminæ: nec vlla ſupereſt alia poſt me virgo, cuius fidei à me credi poſſit cognitio myſterij, rem modo vobis aperiam. Exiſtimo enim fore, vt quod à nobis dicetur, apud vos conſeruetis. Mariæ illius Deiparæ (hoc enim eſt nobis ab alto traditum) hic cuſtodita ſita eſt veſtis. Obſtupuerunt viri illi, cum ſolùm rei audiſſent principium. Deinde adijciens mulier: Etenim hæc, inquit, Deipara vitam finiẽs, duabus mulieribus virginibus duas ſuas veſtes donauit loco benedictionis. Ex quibus vna fuit ex mei generis maioribus, quæ id accepit, quod donatum fuerat, & in arca depoſuit; & omnino iuſſit iis, quæ erant ſui generis, vt eſſet virgo vnaquæque, quæ eam acciperet. Eſt ergo arca recondita in interiore domo, quam nunc videtis; & quę in ea eſt veſtis, eſt cauſa omnium, quæ fiunt miraculorum. Hæc, ô viri, eſt vera narratio eius, quod à vobis quæritur: Et videte, vt ad vos vſque ſolum deducta ſit cognitio, & nemo ſciat ex iis omnibus, qui ſunt Hieroſolymis. Cum hæc audiſſet, adhuc maior metus viros ſubijt, & lætitia. Metus quidem propter magnitudinem eorum, quæ audita fuerant; lætitia autem, quòd eſſent participes talium ſacramentorum. Quid ergo, deinceps conſequitur? Viri ſeipſos humi deijciũt, & pedes illius prehenſantes; Nulli quidem, inquiunt, ex iis, qui ſunt Hieroſolymis, notum erit id, quod nobis dictum eſt: ne dubites domina; dominam enim iam te vocamus, quæ ſis talibus dignata myſteriis: ipſam tibi huius rei teſtem ci-

tamus Deiparam. Vnum autem aliud concede nobis rogantibus; Rogamus verò vt dormiamus in eo loco, in quo hic diuinus reconditus est thesaurus. Cum hoc autem statim concessisset mulier, stragulæ quidem vestes portatæ sunt in eum locum. Illi verò non se somno dederunt, sed cum nocturnū accepissent silentium, totā noctem perseuerabāt in oratione, & cum lachrymis agebant gratias deiparę, quod talibus auditionibus, & spectaculis digni essent habiti. Cum autem eos, qui ægrotabāt, vidissent somno oppressos, metiuntur ex omni parte ambitū areæ, in qua erat diuinum sepositum indumentum, ipsāmque ligni speciem, & habitudinem, ex quo erat arca, accuratè admodum, & diligēter considerant. Deinde mane egressi, & honestam salutarunt mulierem, & eum rogassent, vt andacter iuberet, si quid sibi opus esset Hierosolymis; se enim rursus ad ipsam venturos per eandem viam; inierāt iter versus Hierusalem; cum illa dixisset, se nullo alio egere, nisi eorū precibus, & vt eos rursus lætos videret, & alacres. Cū fuissent itaque Hierosolymis Galbius, & Candidus, & partim quidem Deo preces fudissent, partim autem pauperibus, & egenribus liberaliori dextera eleemosynam erogassent, secretè vocant quosdam fabros lignarios, quibus iubent, vt eis construant arcam, & forma, & figura, & magnitudine illi, quam viderant, similem, mandantes prætereà, vt formaretur etiam ex ligno veteri, quo nihil in ea cerneretur, quod non esset omuiex parte simile prædictæ. Excogitant deinde aliquid aliud idoneum ad celandū id, quod erat futurum. Comparant sibi auratum operculum, vt eo arca tegeretur. Postquam autem & precatio, & erogatio eis satis benè habere visa fuit, eo accepto, quod fuerat fabrefactum, redeūt in vicum sani, & alacres; aromatibúsque, & suffitibus aptis ad sacrificium, venerandam donant mulierem. Et illa quidem rursus viros, tanquam sibi familiares iucūdè accipit. Illi autem rursus ab ea petunt, quod priùs, vt scilicet in sacro habitaculo totam noctem transfigerent. Illa verò rursus quoque permittit nihil omnino suspicans. Qui ingressi summo otio vtebantur precibus ad inculpatā, & ab omni reprehensione alienam Dei matrem, eas tanquam sacram hostiam lachrymis pinguefacientes: Non ignoramus nos serui tui, dicētes, ô diuinissima, & in primis illustris Domina, quænam olim Oziæ euenesint, qui ausus est tangere arcam, quæ erat secundum legem. Quomodo ergo nos; qui sumus multis obnoxij peccatis, te non iubente, ausi fuerimus diuinam hāc arcam omnino tangere, intra quam est talis thesaurus repositus, & non solum tangese profanis manibus, sed etiam eam alio transferre? Annne ergo voluntati nostrarum animarum, ô boni filij boua mater. Ad tuam enim ciuitatem est translatio, quæ est omnium aliarum Regina, & te semper magno studio statuit honorare. Ad eam nos hoc diuinum donum exportare statuimus, ad eius tutelam, & gloriam, quę nunquam exstinguatur. Hæc tota nocte dicentes in oratione, & solùm lachrymis madefacientes, repente implentur fiducia, fiducia, inquam, contemperata cum tenesentia. Deinde ad diuinam accedunt arcam simul læto & tremente animo, & cum omnes, qui illic erant, efficeret somnus nullo sensu prædiros (O beatas manus; ô furtum, in quod nulla potest omnino cadere reprehensio) hanc accipiunt, eis quoque omnino hac in re fauente gratia. Et eam quidem sic tollunt; apponunt autem quam Hierosolymis ad eius similitudinem fabricari fuerāt, cum ei etiam imposuissent operculum. Quod quidem erat aureum, vt diximus. Cum primum autem illuxisset, sanctam mulierem quidem iubent valere, & rogant vt non cesset pro eis orare, & eorum facere commemorationem. Deinde ei quoque digito ostendunt operculum, quasi veram illam tegeret, & primam arcam, quod mulieri quoque visum est ab illis allatum esse honoris gratia. Et cum prætereà iis, qui fuerant inuenti, pauperibus suppeditassent quæ erant necessaria, valde læti protinus iter ingressi sunt, domū reuersuri. Postquam autem venissent Byzantium, non honestum esse statuerunt, iis, qui illo tempore erant, Imperatoribus mysterium priùs communicare, quàm Patriarchæ. Eos enim subibat timor, ne quod ipsi suum esse bonum statuerant, eo ab illis priuarentur. Cum ergo multa consultassent, eis hæc visa est optima sententia, lateutet eos ad hoc quoque mouente Deipara, Erat eis prædium apud muros ciuitatis, propinquum marini sinus cornui (Huic loco nomen erat Blachernæ) in eo extruunt quidem domum oratoriam. Cum autem eis magnæ esset curæ, vt laterent, Petri Apostolorum principis, & Marci domum nominant. Cum in eo certè sacrum illum thesaurum posuissent omne statim studium adhibuerunt, vt in templo esset perpetua hymnodia, perpetuus odor aromatum, & assiduus splendor luminum. Et sic quidem longo tempore hoc diuinum mysterium fuit semper re vera mysterium. Quoniam autē ei, quæ per ipsum honorabatur, & cuius erat ille amictus, visum est, tantum bonum ad solos duos testes non debere contrahi, & tanquam profundo aliquo contegi silentio, & communes diuitias esse eorum tāum proprias, & communi epulo eus se solos explere, mouet ipsos ad id, quod facerant, proferendum in lucē, & accedentes annunciant iis, qui tunc erant, Imperatoribus, & aperiunt quale sit miraculum, & declarant quemadmodum sit allatum. Eos autem, cum audiissent, magnum iuuasit gaudium, & protinus fit publicum, quod fuerat occultum. Et beati quidem inter omnes reputantur Galbius, & Candidus propter tale ministeriū, & publicis honorantur honoribus. Diuina autem ædes in eo loco Regiis impensis Deiparæ ædificatur, & capsa ex argento, & auro constructa sacrum illum thesaurum excipit; & plurimis aliis muneribus, & donis domus honoratur. Leo verò, & Verina, ij enim tunc imperabant, quorum tempore hoc quoque magnum & reuelatur mysterium, & ad Regiam vrbem exportatur, cū pulchrè, & piè imperassent; & Galbius, & Cādidus, qui hoc ministerium pulcherrimè obierunt, transferuntur postea ad securā & nulli obnoxiam vitæ cōditionem. Cum ergo hæc sacra arca nobis contineat non quasdam tabulas manu Mosaica politas, sed vestem plane diuinam, & summè venerandam, quæ non solùm intemeratum & ab omni labe alienū corpus texit, sed in qua (vt audacter dicam) cū esset infans, Deus verbum fuit inuolutus, & auctus; adeo vt ea sæpe cōspersa sit guttis lactis venerabilis, quo nutritus fuit is, qui est omnium alimentum, & vita; ad eam quidem verè laudandā nulla sufficit oratio; Sola autem gratiarum actione res est prosequenda; & ipsi Deiparæ sunt agendæ gratiæ, & eius

Ecce antiquā ... quod in templo ... rem tum, & splendor luminum.

Vides quomodo etiā vestis beata Virginis sit planè diuina & veneranda?

eius filio communi Saluatori, & Regi, qui omnia ad nostram vtilitatem & salutem dispēsat. Et gloria, & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

S. BERNARDI ABBATIS

Claræuallensis, in natiuitate Mariæ, de aquæductu, Sermo.

FOecundæ virginis amplectitur cælum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hic nomen. Domine,
Psal. 101. inquit, nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione & generationem. Generatio & generatio, non angelorum profectò, sed hominum est. Vis scire quia nomen & memoriale eius in nobis est, præsentia in excelso? Sic
Matth. 6. orabitis, inquit: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Fidelis oratio, cuius ipsa primordia & diuinæ adoptionis & terrenæ peregrinationis admoneant, vt hoc scientes quod
Rom. 8. quandiu non sumus in cælo, peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam vtique patris. Signanter proinde & de Christo propheta loquitur dicens: Spiritus ante faciem nostram Chri-
Thren. 4. stus Dominus, in vmbra eius viuemus inter gentes. Nam inter cælestes quidem beatitudines non in vmbra viuitur, sed potiùs in splendore. In
Psal. 109. splendoribus sanctorum, inquit, ex vtero ante luciferum genui te. Verum id quidem pater. At mater sane eundem ipsum in splendore non genuit, sed in vmbra, non nisi ea tamen qua obumbrauit altissimus. Merito proinde canit ecclesia, non illa quidem ecclesia sanctorum quæ in excelsis & in splendore est: sed quæ interim peregri-
Cant. 2. natur in terris. Sub vmbra eius, ait, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Lucem quippe meridianam vbi pascit sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis vmbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait; Sub vmbra eius quam desideraueram: sed, sub vmbra eius quem desideraueram, sedi. Neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. Et fructus, ait, dulcis gutturi meo: ac si dicat, gustui meo. Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam sali-
Psal. 33. uam meam? Quousque manet illa sententia: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus? Et quidem suauis gustui, & dulcis gutturi, vt meritò etiam super hoc sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis & laudis. Sed quando dicetur: Comedite amici & bibite, & inebriamini charissi-
Cant. 5. mi? Iusti epulentur (ait propheta) sed in conspectu
Psal. 67. Dei, vtique non in vmbra. Et de seipso: Satiabor
Luc. 22. cum apparuerit gloria tua. Sed & Dominus ad Apostolos ait: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam. Sed vbi? In regno meo, inquit. Beatus plane qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque nomen tuum per quod vtcunque interim in nobis eas Domine per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum iam inuocatum est super nos: Adueniat regnum tuum. Veniat vtique quod perfectum est, & euacuetur quod est ex parte. Habe- Rom. 6.
tis (ait Apostolus) fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Vita æterna fons indeficiens, qui vniuersam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat. fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluūt
impetu de Libano: & fluminis impetus lætificat Psal. 45.
ciuitatem Dei. Quis vero fons vitæ, nisi Christus
dominus? Cùm Christus (inquit) apparuerit vita Colo. 3.
vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Sane ipsa sese plenitudo exinaniuit, vt fieret nobis iustitia & sanctificatio & remissio, necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Deriuatus est Prou. 5.
fons vsque ad nos, in plateis deriuatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquæductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis vero minus. Plenus equidem aquæductus, vt accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Aduertistis iam, ni fallor, quem velim dicere aquæductū qui plenitudinem fontis ipsius de corde patris excipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit: Aue gratia plena. An vero inueniri potuisse miramur vnde talis ac tantus fieret aquæductus, cuius nimirum summitas instar
profectò scalę illius quam vidit patriarcha Iacob, Gen 28.
cęlos tāgeret, imo & transcenderet cælos, vt viuidissimum illum aquarum quæ super cælos sunt,
posset attingere fontem? Mirabatur & Salomon, Prou. 31.
& velut desperanti similis aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nimirū propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod necdum intercederet is de quo loquimur tam desiderabilis aquæductus. Nec mirabere diutiùs expectatum, si recordaris quot annis Noe vir iustus in arcæ fabrica laborarit, in qua paucæ, id est, octo animæ saluæ factæ sunt, idq; satis ad modicum tempus. Sed quomodo noster hic aquęductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementia desiderij, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptū
est: Oratio iusti penetrat cœlos. Et quis iustus, si Eccl. 35.
non Maria iusta, de qua sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Deniq; & quod quærebat, inuenit: cui dictum est: Inuenisti gratiam apud Deum. Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed quemad-
modum scriptum est: Qui bibit me, adhuc sitiet: Eccl. 24.
petit superefluentiam, ad salutem vniuersitatis. Spiritus sanctus, ait, superueniet in te, & preciosum illud balsamū tanta tibi copia tantáque plenitudine influet, vt copiosissima effluat circūquaque. Ita est, iam sentimus, iam exhilarantur facies
nostræ in oleo, iam clamamus: Oleum effusum Cant. 1.
nomen tuum, memoriale tuum in generatione & generationem. Verùm id quidem non in vanum, & si oleum effunditur, sed non perit. Propterea siquidem & adolescentulæ, paruulæ scilicet animę, sponsum diligunt, idque non parū: & vnguentum descendens de capite non modo barba, sed & ipsa vestimenti ora suscepit. Intuere ô homo consiliū Dei, agnosce consilium sapientię, consilium pie-

tatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanū genus, pretiū vniuersum contulit in Mariam. Vt quid hoc? Forte vt excusaretur Eua per filiam, & querela viri aduersus fœminam deinceps sopiretur. Ne dixeris iterū, o Adam, Mulier quam dedisti mihi dedit mihi de ligno vetito, dic potiùs, Mulier quā dedisti mihi, me cibauit fructu benedicto. *Gen. 3.* Pussimū sane consiliū, sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Verum id quidem, sed parum est (ni fallor) desideriis vestris. Dulcedo lactis est, elicietur forte, si fortiùs premimus, & pinguedo butyri. Altiùs ergo intuemini quando deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratię, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit deliciis affluēs. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens auster ille diuinus, vt vndique fluant & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarū. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi: quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorū affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam, hęc inquam voluntas eius est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad patrem verebaris accedere solo auditu territus ad folia fugiebas: Iesum tibi dedit mediatorē. Quid non apud talem patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia sua: pater enim diligit filium. *Heb. 10.* An vero trepidas & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret. Hūc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso maiestatē vereare diuinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Aduocatum habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli, hæc peccatorū scala, hæc mea maxima fiducia est, hęc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potéstne filios aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri filius potest? Neutrū plane. Inuenisti (ait angelus) gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inueniet gratiam, & sola est gratia qua egemus. Prudens virgo non sapientiam, sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, inuenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus. Quid enim? Nonne gratię est quod hic sumus? Profectò misericordię Domini est, quod non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos periuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta vtique mundi huius. Consulite conscientias vestras fratres, & videte quia vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. *Rom. 5.* Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit. Denique vsqueadeo fidit gratiæ, & non altum sapit, vt salutationem angelicam vereatur. Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur. Vnde hoc mihi, vt veniat angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris angelū venientē, & maior angelo venit. Ne mireris angelū Domini, & Dominus angeli tecū. Postremò quidni videas angelū, cū iam angelicè viuas? Quidni visitet angelus vitæ sociā? Quidni salutet ciuē sanctorum, & domesticam Dei? Angelica planè vita virginitas: & qui non nubent neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. Vidésne quòd & hoc nihilominus modo aquæductus noster ascendit ad fontem, nec sola iam oratione cælos penetrat, sed etiam incorruptione quę proximum Deo facit, sicut sapiens ait; Erat enim virgo sancta corpore & spiritu, cui specialiter esset dicere: Cōuersatio nostra in cęlis est. *Sapient. 6. Philip. 3.* Sancta inquā corpore & spiritu, ne quid forsitā super hoc dubites aquæductu. Sublimis equidē valde, sed nihilo minus integerrimus manet. Hortus cōclusus, fons signatus, templū domini, sacrarium spiritus sancti. Nec enim est fatua virgo, cui nō modò oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascēsiones in corde suo disposuit, conuersatione pariter (sicut iam diximus) & oratione ascendēs. Denique abiit in mōtana cum festinatione, & salutauit Elizabeth, & in ministerio eius erat quasi mensibus tribus, vt iam tunc posset dicere matri mater quod tantò pòst filio dixit filius: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Planè montana conscendens, cuius iustitia sicut montes Dei. Tertius enim hic ascensus virginis fuit, vt funiculus triplex difficilè rumperetur. Feruebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat, exaltabitur: quid hac humilitate sublimius? Venisse eam mirabatur Elizabeth, & dicebat: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? *Luc. 1.* Sed iam magis miretur quòd instar vtique filij & ipsa non ministrari venerit, sed ministrare. Meritò proinde cantat ille diuinus in ipsius admiratione præcinens, aiebat: Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? *Cant. 6.* Ascendit planè supra omne humanum genus, ascēdit vsque ad angelos, sed & ipsos quoque trāscendit, & cœlestem omnem supergreditur creaturam. Nimirū supra angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam viuam. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Verè sancta corpore & spiritu, & integritatem carnis habens, & propositum integritatis. Respōdens autem angelus, dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ne me interrogaueris, inquit: supra me est, & non potero ad illud. Spiritus sanctus, nō angelus, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris vel inter angelos virgo sancta, sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinādum terra sitiens prętolatur. Paululum cùm pertrāsieris eos, inuenies quem diligit anima tua. Paululum inquam, non quia non incomparabiliter

ter supereminet, sed quòd inter eû & ipsos medium nihil inuenias. Transi ergo virtutes & dominationes, Cherubim quoque & Seraphim, vt ad eum peruenias de quo vociferantur adinuicem, *Esa.6.* Sãctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Fons sapientię verbum patris in excelsis. hoc verbũ mediante te caro fiet: vt qui dicit, Ego *Ioan.14.* in patre, & pater in me: dicat nihilominus, quia *Ioan.1.* ego à Deo processi & veni. In principio, inquit, erat verbum. Iam scatet fons: sed interim tantùm *Ierem.29.* in semetipso. Denique & verbũ erat apud Deum: lucem profectò habitans inaccessibilem, & dicebat Dominus ab initio: Ego cõgito cogitationes pacis, & nõ afflictionis. Sed penes te est cogitatio tua, & quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius *Ioan.1.* erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis. Verbum caro factum est, & habitat iam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione: quia vsque ad ipsam descẽdit imaginationem. Quid enim priùs cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaretur? Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, inuisibilis & inexcogitabilis omnino. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo inquis? Nimirum iacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicãs, in oratione pernoctans, & in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans: seu etiam tertia die resurgens, & apostolis loca clauorum victoriæ signa demonstrans, nouissimè coram eis cęli secreta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quicquid horum cogito, Deũ cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudẽtiam iudicaui eructare memoriam suauitatis: quoniam in huiuscemodi nuceis virga sacerdotalis copiosè produxit, quam in supernis hauriens, vberiùs nobis Maria refundit. In superis planè, & vltra angelos: quæ verbum ex *Psal.18.* ipso patris corde suscepit, vt scriptum est: Dies diei eructat verbum. Vtique dies pater: siquidem dies ex die salutare Dei. An non etiam virgo dies? Et præclara. Rutilans planè dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. Intuere igitur quemadmodum vsque ad angelos plenitudine gratiæ, supra angelos superueniente spiritu sancto peruenit. Est in angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superius, vt quidem à nobis ostendi potuit: supereminentiam prosequamur. Cui enim angelorum aliquando dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei? Denique veritas de terra orta est, non de angelica creatura, nec angelos: sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est angelo, vt Minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater. Fœcunditas itaque virginis, supereminens gloria est: tantóque excellentior angelis facta munere singulari, quantò differentius prę ministris nomen matris accepit. Hanc inuenit gratiam plena iam gratia, vt charitate feruida, virginitate integra, humilitate deuota, fieret nihilominus sine viri cognitione grauida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est, quod ex ea natum est, Sanctum vocatur, & est filius Dei. De reliquo fratres curandum nobis summoperè est, ne verbum quod de ore patris ad nos egressum est virgine mediante, vacuum reuertatur: sed per eãdem nihilominus virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præsentiam suspiramus, & suæ reddantur origini fluenta gratiæ, vt vberius fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, & infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Modicum planè memoria ad præsentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longè infra desiderium, sed nihilo minus supra meritum. Sapienter proinde sponsa, & pro hoc modico non modicè gratulatur. Cùm enim di- *Cant.1.* xisset, Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie: recipiens exigua pro immensis, & pro pastu meridiano libans sacrificium vespertinum, minimè tamen (vt solet fieri) murmurat aut tristatur, sed gratias agit, & in omnibus sese exhibet deuotiorem. Nouit enim quod si fidelis fuerit in vmbra memoriæ, lucem præsentiæ sine dubio obtinebit. Itaque qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Nimirum qui præsentem habent Dominum, exhortatione non indigent: & quod ait Propheta alius: Lauda Hierusalẽ Do- *Psal.147.* minum, lauda Deum tuum Sion: congratulationis est potius, quàm commonitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant, & ne dederint silentium ei. Loquitur enim, & loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Cæterùm cum *Psal.17.* sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & audientem sese audiet, & loquentem sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti, si ta- *Esa.62.* ceas. Sed vnde si taceas? A laude? Ne taceatis, inquit, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra. Laus Hierusalem iucunda, & decora laudatio. Nisi fortè angelos ciues Hierusalem mutuis opinamur laudibus delectari, & decipere de vanitate in idipsum. Fiat voluntas tua pater, sicut in cælo & in terra, vt laus Hierusalem stabiliatur in terra. Quid enim modo est? Non quærit angelus ab angelo gloriam in Hierusalem, & homo ab homine laudari cupit in terra? Execranda peruersitas, sed eorum sit qui ignorantiã Dei habent, qui obliti sunt Domini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis à laude eius, donec stabiliatur & perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imò & laudabile magis. Est & sermo *Thren.3.* non bonus. Alioquin non diceret Propheta bonum esse homini præstolari cum silentio salutare Dei. Bonum silentium à iactantia, bonum à blasphemia, bonum à murmure & detractione. Alius enim ob laboris magnitudinem, & pondus diei exasperatus, animo murmurat, diiudicat eos qui pro anima sua peruigilant, tanquam reddituri vtique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium: clamor iste animi obdurati silere facit (quam auditu non patitur) vocem verbi. Alius pusillanimitate spiritus in expectatione deficit, pessimumque hoc verbum blasphemiæ est, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat, & in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa, putans se aliquid esse, cùm nihil sit. Quid loqueretur huic qui lo-

quirit pacem? Dicit enim quia diues sum, & nullius egeo. Porrò veritatis sententia est: *Luc.6.* Væ vobis diuitibus, quia habetis hîc consolationẽ vestram. *Matt.5.* Contra verò: Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini præstolari, vt dicas: *1.Reg.3.* Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Eiusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed aduersus eum, sicut legislator murmurantibus ait: *Exod.16.* Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra iactantiam in confessione, vt obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, vt ampliorem inuenias gratiam in præsenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, vt consequaris, & gloriam in futuro. Confitere inquam præterita, & pro præsentibus gratias age, ac deinceps ora studiosius pro futuris, vt ne ipse quidem sileat à remissione, ab immissione, à promissione. Ne taceas inquam, ne dederis silentium ei, loquere vt & ipse loquatur, & dicere possis: *Cant.2.* Dilectus meus mihi, & ego illi. Iucunda vox, & eloquiũ dulce. Nimirum non vox murmuris hæc, sed vox turturis est. Et ne dixeritis: *Psal.136.* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? non iam aliena reputabitur, de qua sponsus ait: *Cant.2.* Vox turturis audita est in terra nostra. Audierat enim dicentem: Capite nobis vulpes paruulas: & fortè ea eoin vocem exultationis erupit, vt diceret: *Ibid.* Dilectus meus mihi, & ego illi. Planè vox turturis, quæ tam viuenti, quàm mortuo singulari vtique castimonia suo compari perseuerat, vt eam neque mors, neque vita à Christi separet charitate. Intuere etenim vtrumnam aliquid hunc dilectum auertere potuerit à dilecta quo minus ei, & peccanti, & auersæ perseueraret. Glomeratæ nubes radios solis offendere contendebant, vt iniquitates nostræ separarent inter nos & Deum, sed incaluit sol, & vniuersa dissoluit. Alioquin quando redisses ad eum, nisi ille perseuerasset, nisi clamasset: *Cant.6.* Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te? Esto ergo illi & tu nihilominus perseuerans, vt nullis ab eo flagellis, aut laboribus auertaris. Luctare cum angelo, ne succumbas: *Matth.11.* quia regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. An non lucta, Dilectus meus mihi, & ego illi? Notam fecit dilectionem suam, experiatur & tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat sæpius, auertit faciem, sed non in ira. Probationis istud est, non reprobationis. Sustinuit te dilectus, sustine tu dilectum, sustine, viriliter age. Non illum vicerunt peccata tua, te quoque ipsius flagella non superent, & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cùm aurora fuerit, cùm aspirauerit iam dies, cùm stabilierit Hierusalem laudem in terra. *Genes.32.* Ecce, inquit, vir luctabatur cum Iacob vsque mane. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia speraui in te Domine. Non tacebo, nec dabo tibi silentium vsque mane, vtinam nec ieiunium. Nimirum dignaris & pasci, sed inter lilia. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Nimirum & supra, si meministi, in eodem cantico euidenter expressum est, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende quòd locum non cibum indicare videtur, nec quibus pascitur exprimit, sed inter quæ. Fortè enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum, nec liliis vescitur, sed versatur. Nimirum odore potius, quàm sapore lilia placent, & visui magis sunt apta, quam esui. Ita ergo pascitur inter lilia donec aspiret dies, & venustati florum fructuum succedat vbertas. Interim quippe florum non fructuum tempus est, dum in spe magis, quàm in re sumus: & per fidem non per speciem ambulantes, expectatione magis, quàm experientia gratulamur. Considera denique floris teneritudinem, & memento verbi quod ait Apostolus: *2.Cor.4.* Quia habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Quanta enim videntur imminere pericula floribus? quàm facilè spinarum aculeis lilium perforatur? Meritò proinde canit dilecta: Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias. An nõ erat inter spinas, qui dicebat: *Psal.119.* Cùm his qui oderunt pacem, eram pacificus? Cæterùm etsi iustus germinat sicut lilium, sed non ad lilium sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem: *Matth.18.* Vbi, inquit, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Amat semper media Iesus, diuerticula semper & reclinatoria reprobat filius hominis, Dei & hominum mediator. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Curemus habere lilia fratres, extirpare spinas & tribulos, & inserere lilia festinemus: siquando fortè, & ad nos pascendus dignetur dilectus descendere. Apud Mariam vtique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Erũt tamẽ & nobis lilia, quamuis inferiora valde, sed nec inter hæc quidem dedignabitur pasci sponsus: si quidẽ eas quas prędiximus actiones gratiarum, deuotionis hilaritas illustrauerit, orationem intentionis puritas candidauerit, confessionem indulgentia dealbauerit, sicut scriptum est: *Esa.1.* Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Cæterum quicquid illud est quod offerre paras, Marię commẽdare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit prouidere. Fortè enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti; Ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inuentum, quicquid illud sit quod inter Mariæ manus inuenerit.

INCERTI AVTHORIS,

prout habetur in Homiliario Alcuini, in eodem festo, Sermo.

CReatoris matrem omnis creatura magnificet, eius gloriosæ maiestati se inclinent cælum & terra, & omnis plenitudo eorum. Exaltent matrem in ecclesia filij, dicántque ei qui redempti sunt à Domino: Mentem & oculos pariter

eum

cum manibus ad te regina mundi attollimus, & coram tuę celsitudinis gloria genu flectimus, ceruicem inclinamus, ac plenas suspiriis ad te preces in cælum transmittimus. Tu de altitudine cæli beatus oculos tuos, quibus incomprehensibilem illam gloriam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi sentinam de alto proiectos, inclinare non despicias. Ecce coram tremendo iudice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis auertet eam? Nemo Domina tam idoneus, vt gladio Domini manum pro nobis obiiciat, vt tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu mater clementiæ benignissimi cordis tui ianuam suspiriosis precatibus filiorum Adam, qui ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis vmbraculum confugimus à facie formidinis Domini. Ad te Domina stillant oculi nostri, téque cum deuotionis clamore valido obsecramus, vt filij tui iram, quam grauiter peccando succendimus, erga nos
Esa.53. mitiges, eiúsq; gratiam à qua ingrati excidimus, nobis tua prece concilies. Eius liuore sanati su-
Psal.37. mus, eius iterum medelam deposcimus, quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerum animæ nostræ, quia tibi reuelauimus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis fœminam, & tenera matrē misericordiæ esse cognouimus. ex eo quòd tu, quæ mundum hunc immundum & lubricum impolluto calle transisti, & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate claruisti, vt sola solio æterni regis approximare mereris: tamen peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspirauerit, tuúmq; interuentum pœnitenti corde flagitauerit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo iudici miserum reconcilies. Famosum huius tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum, ô Domina, si tam copioso misericordiæ oleo, tui cordis perfusum est sanctuarium, cùm illud inestimabile opus misericordiæ, quod prædestinauit Deus ante secula in redemptionem nostram, primùm in te à mundi artifice fabricatum sit. Quando enim complacuit gratiæ supernæ, vt habitaret in nobis, à quibus diu elongata fuerat: tu sola digna inuenta es, vt in tua virginali aula rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum erat Deo habitare in te, quando ex ipsa illibatæ carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, ineffabili architectura domum sibi ædificauit
Prouerb.9. Dei sapientia. Suffulsit eam septem columnis argenteis, reclinatorium aureum in ea collocauit. Hi sunt septem spiritus Dei, & hæc est vnica illa,
Eccles.24. in qua sola quæsitam in omnibus requiem inuenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Benè in te spiritui sancto complacuit, ô Maria, cùm ad tam diuina mysteria vterum tuum consecrare dignatus est.
Hebr.12. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam in seipso inflammauit, ac splendore diuinæ maiestatis impleuit, tuúmque vterum ineffabili modo imprægnauit, fecítque vt Deum & hominem clausa conciperes, clausa pareres, & post partum virgo permaneres. Iam ergo vterum tuum Domina velut sacratissimum Dei viui templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initiata est. Ibi decorem indutus est Dei filius, ac prælectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formo- *Psal.92.* sus in stola candida exultanter occurrit, desideratum diù osculum porrexit, ac preordinatas à seculo nuptias virgo cum virgine in virgine prelibauit. Ibi primùm ruptus est paries inimicitiarum, quē inter cælum & terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confœderata sunt *Psal.84.* terrenis cælestia, & obuiauerunt sibi in osculo pacis misericordia, & veritas, quando in vnam eandémque personam concurrerunt diuinitas & humanitas, factúmque est nouum illud super terram, vt esset Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Eliseus in mensuram suscitandi pueruli sese *4.Reg.4.* contraxit. Ibi antiquus dictum patriarcha prælecto filio suo tunicam induit polymitam. Ibi *Gen.37.* Rebecca futurorum prescia, magnificādi filij ma- nibus pelliculas hœdorum circundedit, & colli *Gen.27.* nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia spiritus sancti, filius à Deo patre hereditandus in omnibus gentibus, diuinæ maiestatis potentiam si- *Psal.81.* militudine carnis peccati cooperuit, qua absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Ibi alti consilij prouidentia inescatus est hamus, *Esa.53.* qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cælo traiectus est. Inde egressa *Iob 40.* est armilla aurea, vnde perforaretur maxilla Le- *Ibidem.* uiathan, vt euomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi securè deglutiuerat. Hortus deliciarum nobis est tuus sacratissimus vterus, ô Maria, quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mēte recolimus, quam magna multitudo dulcedinis vniuerso orbi inde profluxerit. Hortus conclusus tu es sancta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam *Cant.4.* introiuit. Tu sanctorum areola aromatum à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt, quorum odore suauissimo totam domum Dei reples, o Maria, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de tali areola flos ille speciosus forma præ floribus pa- *Esa.11.* radisi egressus est, super quem requieuit spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, ô mater pulchritudinis? Verè paradisus Dei tu es, quia lignū vitæ *Ioan.6.* mundo protulisti, de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore altissimi prodiit, de medio ventris tui exiliuit, atque inde in quatuor capita sese dispertiens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanauit, lætificans ciuitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum. Ecce plusquàm paradisus hic. De *Ioan.4.* illius enim aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quanta mundo contulisti; quę tam salubris aquę, aquęductus esse meruisti! O lampas luculētissima, quantos lætificasti, quando splendore gloriæ Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma decima, sedentibus in tenebris & vmbra mortis protulisti? Te nimirùm ille diuini epithalamij præcentor à longè intuitus est, cùm in admirationis vocem ita prorupit, dicens: Quæ *Cant.6.* est

est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Sicut aurora valdè rutilans in mundum progressa es, ô Maria, quando veri solis splendorem, tantæ sanctitatis iubar præcurristi, vt verè diem salutis, diē propitiationis, diem quā fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora, felicis diei nuncia extitisti. Talem auroram talis dies, & talem diem talis aurora decuit. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol iustitiæ de te processurus, ortum suum quadam maturitua irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eua induxerat, in fugam conuertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo innexisti. Tu pulchra vt luna diceris, eique non immeritò compararis. Illa enim astrorum omnium sola soli simillima, & candore venusta argenteo, cæteris in cælo præmicat sydetibus. Tu veri solis Imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium, virginali puritate in cælis gloriosa præfulges. Illa transfuso in se solari lumine noctem illuminat: tu virtutum à Deo tibi inditarum, magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, sicque nostram noctem illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulabit

Cant.4. in tenebris, sed lumen vitæ inueniet. Tu ergo pulchra es vt luna, immò & pulchrior luna: quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa vt sol, ille, inquam, sol solis conditor. Ille enim electus ex millibus virorum, tu electa ex millibus fœminarum.

Cant.5. Ille electus ex omnibus, quæ per illum sunt: tu terribilis vt castrorū acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere fœminam? Fœminam fortem, & ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos: & in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum, suo se inuicem ordine tuentium: siqui-

Psal.118. dem ordinatione perseuerat dies. Sed & innumerabilem beatorum spirituum militiam, ad ministerium tanti principis delegatam nullatenus ambigimus, vtpotè qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno regi hospitium, alienus hospes inuaderet. Nimirùm timor & tremor venerunt super eos, ita vt dicerent. Ecce plusquàm Eua hîc

Gen.32. Castra Dei sunt hæc. Fugiamus Israelem. Tu ergo

Exod.14. bellatrix egregia, primò eum, qui primus Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es. Tu enim spiritum elationis ex virtute humilitatis

* fregisti, explosisti. * complosisti, quam in te respexit Dominus, vt ipsius merito supra omnes choros angelorum te sublimari dignam æstimauerit. Nunquam enim supra omnes angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua virginea carne catenùs extinxisti,

Iob.25. vt is, in cuius conspectu & astra munda non sunt, tantæ munditiæ carnem tuam iudicauerit, vt etiam diuinæ puritati eam agglutinare non despexerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam malitia spiritualium nequitiarum in fugam conuersa est. Gloriosa dicta sunt de te genitrix Dei, sed adhuc

locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones in omni natione, quæ sub cælo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria. Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine diuinitùs tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nūc sequimur te, ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adiuua imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circundedit? Tunica Euæ parentis nostræ hæc est, quam olim ad nos transmisit, ac supervestiuit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione sua. De manu quippe illius duplicis mali seminium terra nostra suscepit, & concepit & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitates in corpore, & per hanc mortem vtrobique. O infelix hæreditas, ô dira humanæ carnis infirmitas, vsquequò patie-

mur te? Multum dorsa nostra incuruasti, quia gra- Psal.48.
uis es valdè, & diu te portauimus: multùm nos minuisti ab angelis, quos & iumentis insipientibus comparasti. Nimis inualuisti, quæ non nisi morte filij Dei sanari potuisti. Nimis supra nos te extulisti, quando & vsque ad eum qui super om-

nia est, incautè ascendisti. Et quis nos liberabit à Osee.13.
corruptela miserrimæ huius pelliculæ? Gratia saluatoris nostri filij tui, ô Maria: qui vt infirma nostra tolleret, spōtè infirmatus est: & vt mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, vt pro nobis loquatur ad cor Domini nostri Iesu Christi, sicut tu felix Maria, quę in secretissimis amplexibus amātissimi filij tui suauiter cubas in meridie sempiterno, eiúsque familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris? Loquere Domina, quia audit filius tuus. Inuoca bonum nomē eius super nos, vt careamur à lepra carnis & spiritus. Exurge virus hoc mortiferum, quod de pomi sui reliquiis Eua nobis propinauit. Vtinam poculum suum ebria illa aut totum ebibisset, aut

totum effudisset. Te exorante omne iugum no- Esai.10.
strum computrescat à facie olei misericordię Dei. Psal.102.
Renouetur vt aquilæ iuuentus nostra, vt noui, noua voce, nouum canticum nouis ciuibus aggregati, illic vbi noua sunt omnia, iubileum sempiternum celebrantes, in cymbalis iubilationis concinamus. Tollatur crassa hæc nebula ab oculis nostris, vt reuelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus diuini luminis absorbeamur à Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti, vnus cum ipso spiritus efficiamur. Præster hoc nobis, ô Maria, filius tuus Dominus noster Iesus Christus, cui laus & gloria & gratiarum actio in sempiterna secula, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in eodem festo, Homil.

Liber generationis Iesu Christi. Secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissimè appellat, commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna & æterna generatio, secundum quam

quam filius Dei vnigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita est ineffabilis, vt de illa dictum à propheta Esaia intelligatur: *Esa.53.* Generationem eius quis enarrabit? Quanquam & de temporali eius natiuitate dictum sit, qua verbum caro factum est, & virgo spiritusancto grauida filium peperit, & virgo permansit. *Filij Dauid, filij Abraham.* Ordo præposterus, sed necessariè commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, & posteà Dauid rursus ei repetendus foret Abraham, vt generationis series texeretur. Ideo autem cæteris prætermissis, horũ filium nuncupauit, quia ad hos tãtum facta est de Christo repromissio. *Genes.22. Psal.131.* Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ad Dauid verò ait; De fructu vẽtris tui ponam super sedem tuam. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* Exequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab ipso promissionis Christi exordio, hoc est, ab Abraham genitores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Christus. Mysticè autem quomodò de gentilitatis caligine, quasi de Ægyptiaca seruitute, per quadraginta duos viros demonstrat, acsi per eiusdem numeri mansiones ad virginem Mariam, plenam sancti spiritus gurgite fluentem, ac si intelligibilem Iordanem duce Domino Iesu Christo, vel vt Iosue filio Nun ventũ sit, ipsumq; Christum de Maria natum esse testatur: qui velut hamus in retis capite, sic in fine genealogiæ positus, & in mare huius mundi à patre missus, tortuosum serpentem aduncatum occisus occidit, atque humani generis mortẽ mortuus mortificauit. Et ideò velut fune duplicato, iterato videlicet vniuscuiusque nomine, in retis similitudinem genealogiæ ordo contexitur, donec ab huius principio, hoc est, ab Abraham vsque ad hamũ, id est, ad Christum adueniatur, de quo ad sanctum Iob dicitur: *Iob.40.* Nunquid adunceabis Leuiathan hamo tuo, aut armilla perforabis maxillam eius? In hamo ergo incarnationis Christi iste captus est, qui dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Notandum quòd in genealogia saluatoris nullam sanctarum assumit mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens, omnium peccata deleret. Vnde & in sequentibus Rahab meretrix, & Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabee vxor Vriæ. Ad interiorem verò intellectum in omnibus istis quatuor, ventura ad Dominum Ecclesia de gentilitatis errore figuratur: quæ priùs aliena, ignominiis plena & sterilis habebatur, sed ad Christum vt legitima coniuncta est matrona, & plures adoptiuos parit filios Deo, quàm synagoga, quæ priùs vt propriũ videbatur habere Dominum virum. Thamar ergo interpretatur amaritudo, vel commutans, siue palma. Et meritò hæc omnia conueniunt sanctæ Ecclesiæ: quæ amara priùs fuit in idololatria & turbida conuersatione: sed modò dulcis est per fletum compunctionis, & studium pij laboris. Hæc commutans rectè dicitur, quia ex peccatrice commutata est in iustam, & ex odiosa in amatam. Quæ palmæ ritè assimilatur, propter certamen laborum, & victoriæ præmiũ. De illa quippe benè per Psalmistam dicitur: *Psal.91.* Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Rahab quoque latitudo, vel fames, seu impetus interpretatur. Et quid in hoc, nisi sanctæ Ecclesiæ nobilitas prædicatur? *Esa.54.* Cui Esaias dicit: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Habet ergo famem ista, non famẽ panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, & faciendi voluntatem eius. *Amos 8.* De quo quidem impetus ingreditur, quia velocitas prædicationis flante spiritusancto in totam mundi latitudinem dirigitur. Denique Ruth, quæ vel videns, vel festinans, seu deficiens interpretatur, meritò Ecclesiam significat, quæ in puritate cordis Deum contemplatur, & secundum Psalmistam, festinat manus eius dare Deo. *Psal.67.* Hæc definit id est, firmiter in fide & dilectione Dei persistere decernit. Bersabee verò, quæ interpretatur puteus septimus, *Pro Bethsabee, lege Bersabee.* abundantiam gratiæ spiritusancti in Ecclesia fieri designat. Dono denique spiritali, hoc est, septenario facta est Ecclesia puteus satietatis, quia factus est in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. *Naazon autem genuit Salmon.* Ipse est Naasson princeps tribus Iuda, sicut legimus in numeris. *Num.1.* *Iesse autem genuit Dauid regem.* Regem dicit Dauid, non quòd ipse solus in ista genealogia regum fuerit positus, cum ab ipso vsque ad transmigrationem Babylonis qui scribuntur, plures regnauerint, sed quia Dauid primus de tribu Iuda rex fuit, per quem ordo decurrit genealogiæ. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.* Quæritur, cùm tres reliquę extraneæ mulieres nominibus propriis sint positæ, cur solummodo non nominetur Bethsabee, sed hoc solum dicatur, quòd vxor fuit Vriæ. Ideo hoc putatur factum, quia tres aliæ supradictæ licet criminosæ fuerint, in partubus tamẽ filiorũ, per quos currit genealogia non solũ non culpari, sed etiã laudari meruerunt. Hæc verò adulterio & homicidio perpetrato, Dauid regi genuit filium, intantùm culpabili coniugio, vt merito in saluatoris genealogia non videatur nominata. Nomen verò viri eius, id est, Vriæ, quasi iusti hominis ponitur, vt ex hoc etiam sceleris immanitas memoretur, dum vxoris causa occisus, in memoriam reuocatur. Mysticè autem Dauid Christum significat qui interpretatur manu fortis, & desiderabilis. Et quid fortius leone, qui vicit de tribu Iuda, radix Dauid? *Apoc.5.* Quomodò verò sit desiderabilis, scriptura ostendit, dicens: *Agg.2.* Ecce veniet desideratus cunctis gentibus. *1.Pet.1.* Et Petrus ait: In quem desiderant angeli prospicere. Vria verò, qui interpretatur lux mea Dei, significat diabolum, qui transfigurat se in angelum lucis, audens Deo dicere: *Esa.14.* Lux mea Dei, & ero similis altissimo. *Ioram autem genuit Ioatham.* In quarto regum volumine, de Ioram Ochoziam *4.Reg.11.* fuisse legimus generatum, quo mortuo, Iosabeth filia regis Ioram, soror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris sui, & eum internecioni quæ exercebatur ab Athalia, subtraxit. Cui successit in regnum filius eius Amasias, post quem regnauit Azarias filius eius. Cernis quòd secundùm fidem historiæ tres reges in medio fuerunt, quos hic euangelista prætermisit. Ioram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam, & reliquos quos enumerauimus. Verùm quia euangelistæ propositum erat, tres tessaradecades in diuerso temporũ statu ponere, & Ioram generi se miscuerat impiissimæ Iezabel, idcircò vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine ponere

neretur. Dictum quoque ita erat per prophetam, nō nisi quarta generatione in throno regni Israel quemquam de domo Achab esse sessurum. Purgata igitur labe familiæ gentilis, tribusque prætertrix, tam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur. *Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel.* Si voluerimus Iechoniam in fine primæ tessaradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus ergo Iechoniam priorē ipsum esse, quem & Ioakim, secūdum autem, id est, Ioachim filium, nō patrem. Quorum prior per κ & μ, sequens per χ & ν, scribitur: Quorum numen scriptorum vitio & longitudine tempotū apud Græcos Latinosque confusum est. Hęc beatus Hieronymos historiam sequens ita exposuit. Nam & ipse Iechonias interpretatur pręparatio Dei. Sic ergo iam non quadragintaduo, quę faciunt ter quatuordecim, sed propter vnam bis numeratam quadraginta generationes fiunt, si ipsum Christum adnumeremus, qui huic regendę vitę nostrę temporali atque terrenæ tanquam numero quadragenario regaliter præsidet.

IN EADEM SOLEMNITATE, *idemque* Euang. *Homilia Albini Anglici Leuitæ Bedæ discipuli.*

Zach.1. BEatus Matthæus euangelista, dilectissimi, non immeritò inter cætera cælestiū secretorū animalia, facie hominis describitur: quia longè ab antiquis patribus exordium euangelij sumens, lucidiùs cæteris genealogiam dominicę humanitatis prænotauit. Sed sciendum est, quia horum omnium nomina allegorici, & moralis sensus pleniter in se contineant intellectus. Abraham pater multarum gentium, Isaac gaudium, Iacob supplantator, Iudas confessio interpretatur, Phares diuisio, Zara oriens, Esrom sagittam videns, Thamar palma dicitur, Aram electus, Aminadab populus spōtaneus, Naason augur fortis, Salmon sensibilis accipitur. Booz in ipso fortitudo, Rahab lata, Obeth seruiens, Ruth festinans subauditur. Iesse incendium, Dauid manu fortis, vel desiderabilis, Salomō pacificus, Vrias lux mea Deus, Bethsabee filia iuramēti subintelligitur. Roboam latitudo populi, Abia pater dominus, Asa tollens, Iosaphat dominus iudicauit exprimitur. Ioram excelsus, Ozias robustus domini, Ioathan perfectus, Achaz apprehendens dicitur. Ezechias fortitudo Domini, Manasses obliuiosus, Amon fidelis, Iosias salus Domini interpretatur. Iechonias præparatio Domini, Salathiel petitio mea Deus, Zorobabel iste magister, Abiud pater meus iste subauditur. Eliachim Dei resurrectio, Azor adiutus, Sadoch iustus, Achim frater meus subintelligitur. Eliud Deus meus, Eleazar Deus adiutor, Mathan donum, Iacob supplantator exprimitur. Ioseph appositus siue auctus, Maria illuminatrix, siue stella maris, Iesus saluator, Christus vnctus interpretatur. Igitur per hos patriarchas Christus Dominus Deus noster veniens in mundum, horum omnium in seipso allegoricè gessit officium, & in eorum interpretatione omnium nostram salutem designauit. In Abraham, pater est cūcto- Rom.8. rum credētium, in quo, iuxta Apostolum, clamamus Abba pater. In Isaac gaudium est omnium fidelium, de quo angelus dixit; Ecce annuntio Luc.2. vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. In Iacob supplantator est: quia ipse subneruauit, & contriuit diabolum vastatorem humani generis, & vasa eius diripuit. In Iuda confessio, Matth.12. quia ipse dixit; Confiteor tibi pater Domine cæli, Matth.25. & terræ. In Phares diuisio quia segregat oues ab hœdis, id est, bonos à malis, electos à reprobis. In Luc.2. Zara oriens, sicut scriptū est; Visitauit nos oriens ex alto. In Thamar palma victoriæ, sicut ipse dixit; Confidite, ego vici mūdum. In Aram electus, Ioan.16. de quo pater loquitur; Ecce puer meus, quem ele- Esa.42. gi, electus meus: dedi super eum spiritum meum. In Aminadab populus spōtaneus, qui spontè posuit animam suam, vt nos efficeret populum sibi spontaneum, Deoque acceptabilē. In Naason augur, id est, propheta fortis, cū dicit; Cùm venerit Matth.25. filius hominis in maiestate sua, tūc sedebit vt iudicet vrbem terræ in æquitate. In Salmone sensibilis, id est intellectualis, de quo scriptum est; Luc 11. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum: & ite- Psal.93. rùm: Dominus nouit cogitationes hominum: & scrutans corda, & renes Deus. In Booz fortitudo in ipso est, quia à nemine fortitudinem accepit, Psal.23. de quo dictum est; Dominus fortis, & potens, Do- Ioan.12. minus potens in prælio. Et ipse in Euangelio; Omnia traham ad meipsum. In Rahab latitudo potentiæ eius exprimitur, quem totus non capit orbis, & cuius regni non erit finis. In Obeth ser- Luc.1. uiens, quia non venit ministrari, sed ministrare, formam serui accipiens. In Ruth festinans ad sa- Matth.4. lutē nostram, qui festināter volt omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dicens in Euangelio: Pœnitentiam agite: appro- Luc.12. pinquabit enim regnum cælorum. In Iesse incendium agnoscitur, vt ait; Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? & sicut Ioan- Matth.3. nes dixit: Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igne. In Dauid desiderabilis, quia speciosus erat forma præ filiis hominum. In eodem manu fortis quando flagellum de funiculis in manu tenens, immensam vendentium, & ementium multitu- Ioan.2. dinem eiecit de templo: vel quando diabolum vicit, & calumniatorem nostrum contriuit. In Salo- Ioan.14. mone pacificus, sicut ipse dixit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, & Apostolus: *Ipse* Ephes.2. est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. In Bethsabee filius iuramenti, de quo dictum est; Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in Psal.102. æternum. In Roboam latitudo populi est, cùm di- Matth.8. cit, Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent, cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorū. In Abia pater dominus, qui ait; Noli- Matth.23. te vobis patrē vocare in terra: vnus est enim pater vester, qui in cęlis est. In Asa tollens, de quo Ioannes; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In Iosaphat iudex, quia ipse est iudex viuorum Ioan.1. & mortuorum, sicut ipse ait; Pater non iudicat Ioan.5. quenquam, sed omne iudicium dedit filio. In Ioram excelsus, quia ipse ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia: & sicut Psalmista dicit; Excelsus super omnes gentes Dominus, & Psal.112. super cælos gloria eius. In Ozia robustus Domini, quia ipse captiuitatem humani generis in manu robusta liberauit, & in alta cælorum deduxit. In Ioathan perfectus, sicut in Euangelio ait: Nos Matth.3. enim decet implere omnem iustitiam. In Achaz apprehendens, qui cælum palmo ponderauit, &

terram

pugillo concludit. In Ezecbia fortitudo Domini,
1.Cor 1. quia iuxta Apostolum Christus est Dei virtux, &
Dei sepientia. In Manasse obliuiosus iniquitatis,
Ezech.18 sicut scriptum est; In qua die conuersus peccator
fuerit ab iniquitate sua, omnium iniquitatum
Heb.2. eius non recordabor. In Amon fidelis, iuxta Paulum; vt misericors fieret & fidelis pontifex ad
Apoc.1. Deum: & iuxta Ioannem. Qui est testis fidelis. In
Iosia salus domini: quia omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. In Iechonia
Ioan.14. præparatio Domini, qui ait: Si abiero & præparauero vobis locũ. In Salathiel petitio mea Deus
Ioan.17. ait; Pater sancte, serua eos in nomine tuo,
quos dedisti mihi. In Zorobabel magister peccatorum & publicanorum, vt eos ab errore viæ
suæ reuocaret, & sicut ipse ait: Nec vocemini
Matth.23. magistri: quia magister vester vnus est Christus.
In Abiud pater meus, quia ipse est pater & caput
omnium credentium. In Eliachim Domini resur-
Ioan.11. rectio, vt ait; Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum: sed ego resuscitabo eum in nouissimo die. In Azor adiutus,
Ioan.8. vt ait; Qui me misit, mecum est, & nó reliquit me
solum. Et iterùm; Opera quæ ego facio, à meipso
Ioan 14. non facio: sed pater qui mecum est, ipse facit ope-
Rom 3. ra. In Sadoch iustus, sicut scriptum est; Vt sit ipse
iustus, iustificans eos qui ex fide Abrahæ sunt. In
Matth.12. Acbim frater meus, vt ait; Si quis fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater
est. In Eliud Deus meus: quia ipse est Deus ex substantia patris ante secula genitus, qui in patibulo
Matth.27. crucis dixit: Eli, Eli, hoc est, Deus meus, Deus
meus. In Eleasar Deus adiutor: quia ipse adiutor
Psal.9. in opportunitatibus, in tribulatione, & protector
omnium sperátium in se. In Mathan donum: quia
ipse ascendens in altum, captiuam duxit captiui-
Psal.67. tatem, dedit dona hominibus: & quia per ipsum
pater Deus omnia dona perdonauit. In Iacob, vt
suprà diximus, supplantator est hostis antiqui, qui
fidelibus dedit potestatem calcandi super serpen-
Psal.2. tes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. In Ioseph auctus, cui dedit pater gentes in
hæreditatem suam, & in possessionem suam terminos terræ. Vel augmentum vitæ æternæ est, si-
Ioan.10. cut ipse dixit; Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeát. In sancta & perpetua virgine Maria stella maris ipse est, id est, lux mundi, sicut ipse
Ioan.8. ait, Ego sum lux mundi, & Ioannes, Erat, inquit,
lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. In proprio nomine Iesu
salutaris vel saluator est, angelo exponẽte, qui ait;
Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis
Matth.1. eorum. Idem verò Christus, id est, vnctus appellatus est, quem vnxit Deus in humanitate oleo lætitiæ, id est, vnctione sancti spiritus in sacerdotem,
Psal 44. & regem sempiternum: quatenùs Christianos, ex
suo nomine vocatos, per id, quòd saluator est, à
peccatis saluaret: per id quòd sacerdos est, Deo
patri reconciliaret: per id quòd rex est, in regnum
sempiternum collocaret. Moraliter hę quoque interpretationes nominum ad nostram ædificationem multimodis pertinere noscũtur. Sicut Christus vbique nostræ salutis gerebat causam, ita &
patriarcharum nomina nostrum profectum designant: In Abraham, vt patres simus multarũ virtutum, & hæreditatis iure multiplicationem bonorum possideamus. In Isaac, vt gaudium habeamus in Domino, & non in hoc mundo, iuxta hoc

quod ipse dixit. Gaudete quòd nomina vestra scri- Luc.10.
pta sunt in cælo, & iuxta Apostolum: Gaudete in Philip.4.
Domino semper. In Iacob, vt supplãtatores simus
vitiorum nostrorum, & carnale desiderium viuaci pede à diaboli potestate calcemus. In Iuda, vt
secundùm Psalmistam præueniamus faciem Do- Psal.94.
mini in confessione, & cõfiteamur nomini sancto
eius. In Phares, vt diuidamus nos ab impiis, & abstrahamus ab omni fratre ambulante inquietè, &
non communicemus operibus eius malis. In Zara, vt lucifer verus oriatur in cordibus nostris, &
sol iustitiæ splendeat in nobis vbique, & vt luceat Matth.5.
lux nostra coram hominibus, vt videãt opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in
cælis est. In Esrom, vt sagittæ simus salutis Domini, vt de nobis dici possit: Sagittæ potentis acutæ.
In Thamar, vt cum palma victoriæ pompas dia- Psal.119.
boli & cõcupiscentias mundi superemus propter
eum, qui dilexit nos. In Aram, vt simus genus ele- 1.Petr.2.
ctum, regale sacerdotium, gens sancta, populus
acquisitionis, & annunciemus virtutes eius, qui
de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suũ.
In Aminadab, vt spontaneus Domini populus simus, in ædificationem corporis Christi. In Naason, vt auguriis gentium derelictis, diuinis promissis fidem adhibeamus. In Salmon, vt sensibiles, id est, intellectuales veritatis Dei & factores
inueniamur: quia non auditores legis, sed facto-
res iustificabuntur. In Booz, vt iuxta Apostolum, Luc.2. Ephes.6.
confortemur in Domino, & in potentia virtutis
eius, succincti lumbos nostros in veritate, induti
lorica iustitiæ, sumentes scutum fidei, & galeam
salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.
In Rahab, vt latum mandatum Domini nimis, diligenter obseruantes, Dominum Deum ex toto
corde, tota anima, tota virtute diligamus, & proximũ sicut nosmetipsos amplectamur. In Obeth,
vt seruiamus Domino per spiritum timoris, & dilectione sancta, quatenùs rationabile sit obse- Rom.12.
quium nostrũ, & acceptabile fiat sacrificium nostrum. In Ruth, vt festinantes ingredi in illam requiem, id est, in cælestem Hierusalem, dum tem- Galat 6.
pus habemus, operemur bonum ad omnes: quia Hebr.13.
non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. In Iesse, vt incensum orationum
nostrarum in ara cordis nostri, in spiritu contribulato, & humiliato Domino offeramus, cũ Psal-
mista dicentes; Dirigatur, Domine, oratio mea si- Psal.140.
cut incensum in conspectu tuo. In Dauid, vt manu fortes contra Goliam spiritualem pugnantes,
& exhibentes corpora nostra hostiam viuentem, Rom.12.
sanctam, Deo placentem, desiderabile templum
efficiamur spiritui sancto. In Salomone, vt, quantum ex nobis est, cũ omnibus hominibus pacem
habeamus, illud dominicum intendentes; Beati Matth 5.
pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In Bethsabee, vt iuramentum omnimodis custodiamus, ne
periurio incidamus in laqueum diaboli. In Vria,
vt lux nostra Deus sit, videlicet vt eum sequentes,
nó ambulemus in tenebris mortis, sed habeamus
lumen vitæ. In Roboam, vt longè, latéque per orbem terrarum populus dispersus, vnitatem spiritus in vinculo pacis, & charitatis habeamus, vnũ
Dominum, vnam fidem, vnum baptisma profitea- Ephes.4.
mur, de corde puro, & conscientia bona, & fide 1.Tim.1.
non ficta. In Abia, vt charitate fraterna inuicem
diligentes; vnum patrem habeamus, Dominum
in cœlis, qui nos voluntariè genuit verbo verita-

Iacob.1. tis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, & be-
nedictionem hæreditate possideamus, & glorie-
mur in spe gloriæ filiorum Dei. In Asa, vt tolla-
mus membra nostra de luto, & sterquilinio vitio-
Rom.6. rum, ne seruiant immunditiæ, & iniquitati ad ini-
quitatem, sed iustitiæ in sanctificationem: quia
non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in
Psal.57. sanctificationem. In Iosaphat, vt rectè iudicemus.
Matth.7. nulli personæ, sicut scriptum est; Rectè iudicate
filij hominum: & quodcunque volumus, vt fa-
ciant nobis homines, faciamus & illis similiter,
scientes quia mensura, qua mensi fuerimus, reme-
tietur nobis. In Ioram, vt excelsi vel sublimes effe-
Col.3. cti, quæ sursum sunt quæramus, vbi Christus est
in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt sapiamus,
non quæ super terram: quoniam omne datū opti-
Iaco.1. mum, & omne donum perfectum desursum est,
descendens à patre luminum. In Ozia, vt robusti
in Domino effecti, in omnibus persecutionibus
nostris, & tribulationibus, quas sustinemus, exē-
Iaco.5. plum accipiamus laboris, & patientiæ prophetas,
qui locuti sunt in nomine domini Iesu. In Ioathā,
Matth.5. vt perfecti simus, sicut & pater noster cœlestis per-
fectus est, in omnibus nosipsos exemplum præ-
bentes, & docentes omnem hominem in omni
sapientia, vt exhibeamus omnem hominem per-
Psal.2. fectum. In Achaz, vt apprehēdamus disciplinam,
nequando irascatur Dominus, & pereamus de via
Ioan.14. iusta, quæ Christus est, qui dixit: Ego sum via, ve-
ritas & vita. In Ezechia, vt fortes Domini resista-
mus aduersario nostro diabolo, qui tanquàm leo
rugiens circuit, quærens quem deuoret: non in
Psal.117. nostra virtute confidentes, sed Domini fortitudi-
nem cum Psalmista collaudantes, Fortitudo mea,
& laus mea Dominus, & factus est mihi in salu-
tem. In Manasse, vt obliuiosi simus iniuriarū no-
strarum, & eis, qui cōtra nos agunt, propter nomē
Domini ignoscamus, ne illud maledictū incurra-
mus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di-
Ephes.6. mittimus debitoribus nostris. In Ammō, vt fideles
in fide radicati, & fundati, in omnibus sumamus
scutū fidei, in quo possimus omnia tela nequissi-
mi ignea extinguere. In Iosia, vt salutē Domini, &
animarum semper deposcamus, ne obcæcemur in
infidelitate, ne claudicemus in vijs mandatorum
eius, ne surdi ad audiendum verbum Dei efficia-
mur, ne moriamur in peccatis: sed vt semper sal-
uemur ab eo, qui saluos facit sperantes in se. In Ie-
chonia, vt præparati simus in aduentu Domini se-
cundo, vigilantes & orantes ne intremus in ten-
tationem, sed cum illis intrare ad nuptias merea-
Luc.12. mur, de quibus ipse dicit: Beati sunt serui illi, quos
cùm venerit Dominus, inuenerit vigilātes. In Sa-
lathiel, quatenùs petitio nostra ad Deum semper
dirigatur, vt gaudium nostrum sit plenum: nō hu-
ius seculi mœrore permixtum, sed infinita beati-
tudine sempiternum: & hoc in nomine saluatoris;
vt impetrare possimus quod petimus. In Zoroba-
bel, vt magistri simus veritatis, prohibentes magi-
steria, & confusiones hæreticorum, & quæ verbis
docemus, exemplis commendemus, ne de nobis
Psal.49. dicat Deus; Quare tu enarras iustitias meas, & as-
sumis testamentum meum per os tuum? Tu verò
odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos
retrorsùm. In Abiud, vt sit nobis Deus in patrem,
& nos illi in filios, habentes spiritum adoptionis,
Rom.8. in quo clamamus, Abba pater. Si autem filij, &
hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem

Christi. In Eliachim, vt resurgamus à tumulis vi-
tiorum ad celsitudinem virtutum, de terrenis ad
cælestia, de morte ad vitam, de Gaza ad Galilæam, Psal.83.
id est, de inferno ad æternam transmigrationem;
vbi sancti ibunt de virtute in virtutem, donec vi-
debitur Deus deorum in Sion. In Azor, vt adiuti
diuina gratia, cuncta nobis aduersantia patienter
supportemus, & Dominum adiutorem nostrum
cum Psalmista collaudemus, dicentes, Dominus Psal.27.
adiutor, & protector meus, & in ipso sperauit cor
meum, & adiutus sum. In Sadoch, vt iusti appa-
reamus ante Deum, incedentes in omnibus man-
datis, & iustificationibus Domini sine querela, vt
cum iustis mereamur audire vocem dicentis; Ve- Matth.25.
nite benedicti patris mei, percipite regnum, quod
vobis paratum est à constitutione mundi. In Ioa-
chim, vt fratres Iesu Christi mereamur appellari,
non per cognationem carnis, sed per vnctionem
spiritus sancti, quem effudit in nos abundè: vt fa-
cientes voluntatem ipsius, sobriè, & iustè, & piè
viuēdo in hoc seculo, ad patrem suum, & patrem
nostrum, ad Deum suum, & Deum nostrum ascen-
dere possimus in futuro. In Eliud, vt nullum ha- Philip.2.
beamus Deum, nisi Dominum Iesum Christum,
cui omne genu flectitur, & omnis lingua confite-
tur: & vt ipsi soli sacrificium laudis immolemus,
& vota nostra reddamus, ipsúmque solùm adore- Ioan.4.
mus, quem oportet adorari in spiritu, & veritate.
In Eleazar, vt nullum quæramus adiutorem, nisi
Dominum Iesum Christum, qui potens est omnia Ephes.3.
facere superabundanter, quàm petimus aut intel-
ligimus: & vt quodcunque facimus in verbo, aut Col.3.
in opere, omnia in nomine Domini faciamus, di-
centes cum Propheta; Adiutoriū nostrum in no- Psal.123.
mine Domini, qui fecit cęlū, & terram. In Mathan,
vt donum supernæ gratiæ, spiritū scilicet sapien- Esa.11.
tiæ, & intellectus, spiritū consilij, & fortitudinis,
spiritum scientiæ, & pietatis, spiritúmque timoris
Domini retinentes, discretionem habeamus inter
bonum, & malum, quæ est mater omnium virtu-
tum: In Iacob, vt supplantemus à nobis zizania
vitiorum, & plantemus in nobis aromata virtutū:
vt sicut cinnamomum, & balsamū aromatizans,
& quasi myrrha electa odorem demus, & planta-
ti in domo Domini, floreamus in æternum ante
Dominum. In Ioseph, vt de die in diem virtuti
virtutem, sanctificationi sanctificationem appo-
nentes, merito, & numero augeamur, & in eo cre-
scamus in salutem: & vt per scalam in cælum ere-
ctam quotidie de gradu in gradum ascendamus,
donec spiritaliter formetur Christus in nobis. In
sancta, & perpetua virgine Maria, quæ stella ma-
ris, vel illuminatrix interpretatur, vt illuminato-
res mundi, id est, doctores sanctæ ecclesiæ simus,
& in cordibus credentium lumen fidei, & amo-
rem Christi per doctrinam veritatis & exempla
sanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculū præ-
paremus. In Iesu Domino nostro, vt saluatores
animarum nostrarū esse valeamus, manifeste de-
claratur. Quisquis enim in fide, spe, & charitate,
vigilijs, ieiunijs, & orationibus, castitate, sobrieta-
te, eleemosynarum largitione, dilectioneque Dei, Iacob.5.
& proximi vsque in finem perseuerauerit, & con-
uerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salua-
bit animam eius à morte, & operit multitudinem
peccatorum. In Christo autem, vt ita Christiani
simus, quatenus, sicut ille ambulauit, & nos am-
bulemus: & sicut ille pro nobis animam suam po-
suit,

fuit, ita & nos pro fratribus nostris animas ponamus: & sicut ipse horum nominum interpretationes in se naturaliter gerebat, ita & nos in omni activa, & contemplatiua vita, vt dictum est spiritualiter recolamus. Ad hoc enim Christus passus est, nobis exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius, & abnegemus nosmetipsos, & tollamus crucem nostram, & sequamur eũ perducentem nos ad gloriam sempiternam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se. Ipsi honor, laus, & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRUTHmari eiusdem Euang. expositio.

HUnc titulum non fecit euangelista, sed interpres, qui ipsum interpretatus est. Nam Matthæus libri sui titulum: *Liber generationis* imposuit: iuxta consuetudinem Iudæorum ad quos scribebat, qui soliti sunt libris suis ex principijs nomina imponere: vt Genesis, hoc est generationis: quia ibi scriptũ est. Istæ sunt generationes cæli & terræ. Similiter Exodus, id est exitus, & Numerorum & reliqui. Similiter beatus Matthæus quoniam de generatione domini primitus scripsit: *Liber generationis* nomen imposuit. *Incipit*, hoc est inchoat. Cõpositum verbum ex, in, præpositione, & capio verbo, mutata a, in i. Euangelium Græcum nomen est, & dicitur Latine bonum nuncium. Eu bonum angelum, nũcium. Vnde & angelus dicitur. Tamẽ sciendum est, quia apud Græcos per duo gamma scribitur. Et angelus similiter per duo gamma, sicut & Priscianus dicit. Sed quia apud nos absonum videbatur: apud Latinos prima per, u: secunda syllaba per, g. Et non est iungendum, n, cum, a: sed cum, e, est iungendum: quia eu bonum dicitur. In omnium principiis librorum tria quærenda sunt, tempus: locus: persona. Similiter de isto euangelio, hæc tria tenenda sunt. Locus Iudæa extitit, vbi conscriptum est Hebraica lingua ad Hebræos, qua in Christum crediderẽ. Tempus Caij imperatoris qui singularẽ monarchiã vniuersi orbis Romæ tenebat. Persona Matthæus, leuita genere, & sacerdos extitit dignitate, cuius nomen interpretatum in nostra lingua donatus dicitur. Digno vaticinio sic vocatus quia in præscientia Dei ordinatus fuit & donatus, ad narranda gesta Christi ante multa secula ostensus à prophetis in specie hominis. Quę gesta, quæ dominus noster in carne iuxta humanam carnem gessit, narraturus erat, ob hoc in effigie hominis visus est. Marcus quoq; in specie leonis apparuit: quia euangelium suũ ab actu leonis inchoauit cui proprium est in deserto rugire. Dixit enim. Vox clamantis in deserto. Lucas nihilominus ore iuuenci similatus apparuit: quia ab eo cœpit, qui vitulos frequentius offerre solitus fuit: videlicet à Zacharia sacerdote. Ioãnes vero more aquilæ volans, illum qui supra astra sedet, verbo petijt, inquiens. In principio erat verbum, & ver. &c. Requirendũ vero quare cũ multa euangelia ordinata fuisse legamus: & in nomine duodecim apostolorum, & etiam aliorum doctorũ: sicut Lucas refert: nullum illorum placuit Deo legi, vel suscipi in ecclesia sua nisi hæc quatuor: neque plus, neque minus. Nam hæc quatuor euangelia propter quatuor climata mũdi à Deo ordinata sunt & ante multa secula ostensa à prophetis. Appellata autem sunt animalia: quoniam propter animam hominis euangelium prædicatur. Idcirco vero plena oculis ante & retro, intus & foris à prophetis prędicta sunt: quia & pręsentia domini gesta & futura de iudicio venturo narrauere: Certa dicũtur recta habere, quia nihil prauum in euangeliis inuenitur. Erat rota in rota: quia subnixum est de veteri testamento: & quicquid euangelium adnũtiat, in veteri prædictum fuit: & ambo in simile concordant. Quod dicit, vbi erat spiritus impetus illuc gradiebantur: ostendit nihil aliud euangelistaa narrasse: nisi quæ spiritus in cordibus eorum profudit. Figurę illorum animalium etiam Domino conueniunt, qui homo factus est nascendo, vitulus moriendo, leo factus est resurgendo, aquila extitit ascendendo. Quia sic ordinata à Deo, & ostensa sunt ista quatuor Euangelia longo ante tempore: ideo respuit Ecclesia Catholica aliorum pseudodoctorum deliramenta, & suscepit hæc quatuor: in similitudine quatuor fluminum, quæ profluunt de vno fonte ex paradiso, similiter hæc ex ore Domini Iesu Christi. Per Geon, qui dicitur terrenus, significatur Matthæus, qui terrena acta de Christo narrauit. Per Tygrin, qui velocitas interpretatur Marcus, qui cursim acta Domini exposuit. Per Euphraten, qui fertilitas interpretatur Lucas, qui vbertius & latius Domini gesta decurrit. Per Phison, qui insufflatio potest dici Ioannes, qui excellẽtius afflatus Spiritu sancto de Domini dignitate attigit. Sicut ista quatuor flumina irrigant omnem mundum, sic quatuor Euangelia irrigant omnem Ecclesiam. Multa Sacramenta inueniuntur in Scriptura sacra, quæ hunc numerum sacratum reddunt. Quatuor sunt elementa, per quæ mundus subsistit, cęlum, terra, ignis, & aqua. Per aquam, Marcus, qui dixit: Vox clamantis in deserto. Per terram, Matthæus, qui dixit: *Liber generationis*. Per ignem, Lucas, qui ait: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis? Per cælum, Ioannes, qui transiit omnes creaturas dicens: In principio erat verbum. Homo ex quatuor elementis constat superius comprehensis. Adam ex quatuor litteris compositum nomen habet, quæ principia sunt in quatuor climatibus mundi. In Græca lingua a, anotole, id est, alpha Oriens: d, delta dysis, id est, Occidens: item a, arctos, id est, Septentrio: m, mesimbria, id est, Meridies. Archa Noe quadrata legitur ex lignis facta. Archa testamenti quatuor circulis aureis portabatur: & per vectes quatuor ex auro coopertos, quatuor Euangelia significantur. Archa Ecclesiam, vectes Doctores. Sicut illi circũdati erant anulis, ita sacerdotes de veteri, & de nouo Testamento docti, & de quatuor Euangeliis defendunt Ecclesiam ab hæreticis. Vas linteum, quod vidit Petrus significat Ecclesiam. Quatuor lineæ per quas dimittebatur quatuor Euangelia significant: munda, & immunda animalia habebat: quia Ecclesia de omnibus gentibus colligitur. Etiam apud Paganos iste quaternarius numerus sacratus fuit: quia in omnĩ parte solidus stat, seu propter quatuor virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque iustitiam. Quare placuit Domino duos Apostolos Euangelistas fore, & duos Discipulos Discipulorum?

rum? vt ostenderet seipsum esse, qui elegit filios Iacob in populum peculiarē sibi de duabus vxoribus, & de duabus concubinis aggregatum & natum. Sicut in ordine habentur, sic editæ sunt. Primum Matthæi Euangelium: quoniam tempore Caij factum est. Secundum Marci, quod Claudij tempore in Roma Græco sermone scriptum fuit. Tertium Lucæ, in Achaia Græco eloquio. Quartum Ioannis, in Asia in ciuitate Epheso Græco eloquio nihilominus tempore Neruæ Imperatoris. Quia Romani, qui omni mundo dominabantur, lingua Græca loquebantur, & de Romanis habebant per omnes Gentes qui tenebant terras: propterea illi tres Græcè scripserunt. Ipsa quoque sonorior omnibus linguis habetur. Potest ipse ordo Euangeliorum ideo sic haberi, vt vnus Apostolus sit in capite, alter in fine. Et illi duo qui inter ipsos habentur, auctoritatem ab ipsis duobus habeant. Vidi tamen librum Euangelij Græcè scriptum, qui dicebatur Sancti Hilarij fuisse, in quo primi erāt Matthæus & Ioannes, & post alij duo. Interrogaui enim Euphemium Græcum cur hoc ita esset, dixit mihi. In similitudinem boni agricolæ, qui, quos fortiores habet boues, primo iungit. Habet autem vnumquodque Euangelium tres titulos. Vnum qui ostendit qui canon sit, qui vsque ad decem ascendit non amplius: secundum in quo Euangelistæ concordatio continetur, de quibus habet Matthæus 355. Marcus 234. Lucæ 342. Ioannes 131. Tertium vniuscuiusque proprium, in quo ostendit in quo ordine sententiæ habeantur in ipso Euangelio. De quibus sunt Matthæi 81. Marci 47. Luc 79. Ioan. 14. Tria genera Philosophiæ apud omnes sapientes fuerunt, quæ & ipsa inueniuntur in scriptura diuina, videlicet Physica, Ethica, Logica: hoc est naturalis, moralis, rationalis. In Physica, id est, in naturali scientia, ordo inquirendi per naturam rerum, & per conditionem: quia & ipsam Physicam diuiserunt sapientes in quatuor virtutes, hoc est Arithmeticam, Geometriam, & Musicam, atque Astronomiam. Dicuntur autem numeralis, mensuralis, cantilenaris, sideralis: quia istæ artes naturales nobis, & sine istis mundus non potest consistere, nec nos aliquid boni scire. Ethicam autem, id est, moralem, similiter diuisere in quatuor virtutes: hoc est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem atque temperantiam: & præceperunt sapientes, vt vnusquisque homo secundum istas virtutes aptaret mores suos, videlicet studeret quantum posset esse prudens de diuinis, & humanis rebus, & in ipsa prudentia esset iustitia, & post fortitudo animi, vt siue euenirent ei aduersa, siue prospera, super vno modo esset tranquillus, vt neque aduersa eum deiicerent, neque prospera in superbiam eleuarent. Post omnia ista, & in omnibus istis teneret temperantiam, & in prudentia, & in iustitia, & in fortitudine, vt in neutris modum excederet. Logicam quoque, hoc est rationalē, diuiserūt in tres diuisiones, id est, in Grammaticam, & Rhetoricam, & Dialecticam: vt post naturales, & morales causas quæreret per rationem, & morales, & superas causas quantum discendo, & disputando plus posset scire. Et omnes istæ diffinitiones inueniuntur etiam in diuinis scripturis. Inuenitur etiam Physica, id est, naturalis genesi, vt vnusquisque in lege naturæ habuit facere proximo, quod sibi vellet: & non faceret alteri quod pati nollet. Moralis quoq; in prouerbiis inuenitur, vt Dominum time, & mādata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Logica in cāticis canticorum: quia omnia quæ ibi dicuntur super sponsum, & super spōsam, super Dominum & super Ecclesiam eius, rationabiliter & per Logicam interpretantur. Et est locus in scripturis, vbi singulæ istæ sapientiæ inueniuntur separatim: & locus vbi duæ solummodo, & locus vbi tres. Vtputa de vno exemplo sufficiat quærere, simili modo in aliis, quæ superius diximus. De duabus in Adam dormiente, secundum historiam & Physicam sic fuit: & secundum Logicam Christum intelligere debemus dormientem in cruce, hoc est morientem: quia & mortui dormientes vocantur, vt Paulus ait: Nolumus autem vos ignorare de dormientibus. Et sicut dormiente Adam formata est vxor: sic Christo moriente, formata est Ecclesia. De tribus vt in Noe. Secundum Physicam, qui fecit voluntatem Domini, eripuit eum Dominus à perditione impiorum. Iuxta Ethicam, quicunque studuerit mores suos ita componere, liberabitur à perditione futura, quæ comprehensura est impios. Secundum Logicam, id est, rationalem, in Noe Christum, in archa Ecclesiam. In tribus filiis Noe, omne hominum genus, qui Trinitati crediderint, & de eius numero esse studuerint. Vbicunque ergo fuerint istæ intelligētiæ, prout Dominus dederit, deducemus ad notitiam. *Liber*, duobus modis dicitur: quia & liber dicitur à libertate, hoc est absolutus à seruitio, siue de alia re liber, quod Græce eleutheros dicitur: & liber interior pars corticis dicitur de aliqua arbore, vnde apud antiquos ante inuentionem pergameni libri fiebant: & ab illa consuetudine descendit, vt libri eo nomine vocentur etiam si sunt de alia re, pergameno, vel papyro. Vnde & Virgil. de illo dicit: Liber hæret in vlmo. Est autem & synonymum hoc nomine: quia & volumen à voluendo, & codex quasi caudex dicitur. *Generationis*, deriuatum est hoc nomen à Græco quod est γεν. inde genus, & inde generatio dicitur: quia qui generantur, de terra sunt. (*Iesu*) Iesus Hebræum nomen est: & dicitur Latine saluator, vel saluaturus. Et hoc nomen Moyses Iosue primitus imposuit, quando de bello victor regressus est. Sed tamen per omnes litteras scribitur, istud autem cum tribus litteris, id est, iota, & e, longo, & sigma: vt significet quia trinitas litteris non potest, nec comprehendi, nec explicari: sed ineffabilis est, vel cum iota & sigma, & apice desuper, vt ostēdat quæ suprà diximus. Si nominatiuus casus fuerit sic scribitur. Si autem alius, in fine v, debet scribi. Et Græci non coniungunt ipsum iota cum e, sed separatim proferrur, vt sit vocalis semper iota: dicitur enim Iesus Christus Græcum nomen est, & interpretatur Latine vnctus, & Hebraicæ dicitur Messias. Non autem habebat istud nomen ante Latinitas, sed habere poterat. Vocati sunt autem in Iudæorum Gente hoc nomine sacerdotes & Reges: quia ipsi vngebantur de chrismate quando ordinabantur, vnde & propter ipsos dicitur in Psalmis: Nolite tangere Christos meos. Et sicut in Romanorum regno omnes vocati sunt Cæsares, & Augusti ab Iulio, & Octauiano, qui primi sic vocati sunt: ita illic omnes Reges Christi vocantur, vnde & Dauid de Saule dicebat: Non mittam manum meam in

Christum

Christum Domini. Quando vero de Domino per chi, & ro, & sigma, & apice desuper, vt hic illa significet quę de Iesu nomine diximus, hoc est ineffabile esse. Similiter Deus & Dominus quando de homine per litteras, quando de Deo comprehensiue fieri debet: quia nullũ nomen proprie potest Deo dici, quod eius maiestatẽ valeat ostendere. Non est autem vinctus Christus Dominus noster oleo vel chrismate corporali, sed spirituali sicut scriptum est, vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ: quia nec regnum terrenum aliter habere voluit, nisi sicut modo habet cum patre in potestate: ideo noluit vngi oleo temporali. *Filij David.* Quatuor modis dicuntur filij, id est natura, vt Isaac filius fuit Abrahæ, secundo imitatione, vt Iudæi dicuntur filij diaboli imitando eum: vt ad eos dominus dixit. Vos ex patre diabolo estis. Et item. Cuius opera facis, eius filius & vocaberis. Tertio adoptione, vt Hester dicta est filia Mardochæi, quarto doctrina vt Paulus dicit. Per Euangelium ego vos genui. *David.* David dicitur fortis manu quia præualuit Goliad. *Abraham* dicitur pater multarum subauditur gentium futurus per fidem. Quare autem istorum dicitur filius? Quia ad hos facta est repromissio de Christo. Ad Abraham quidem dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad David autem. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Quare primum posuit David, & postea Abraham? Quia de illa gente, nullus excellentior fuit quam David. Et quia narraturus erat & repetiturus in generationis ordine Abraham: ideirco primum posuit David, & postea Abraham, vt diceret. *Abraham genuit Isaac.* Filius autem istorum dicitur quia non solum dicuntur filij qui generantur à patre, sed & hi qui de eadem progenie sunt, sicut filij Israel dicuntur omnes Iudæi: & filij Ismahel omnes Sarraceni. *Filij Abraham.* De Abraham & Isaac & Iacob, non est necesse quicquam dicere, quia notum vobis est qui fuerint, & quam iuste vixerunt, & quia Dominum in suis actibus præfigurauerunt. *Abraham genuit Isaac.* Abraham Dominum patrem significauit, Isaac Dominum Iesum Christum. Et sicut Abraham obtulit filium suum: sic Dominus pro nobis obtulit filium suum immolandum. Et sicut Isaac non est immolatus, sed aries pro eo: sic nec diuinitas passa, sed humanitas: corpus videlicet, quod inter peccatores conuersabatur, quasi aries inter spinas. Isaac risus interpretatur, quia mater eius risit, quando promissus ei fuit nascendus. *Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Et Iacob supplantator interpretatur, & ipse figuram Domini gessit, habens duodecim filios, sicut Dominus postea habuit duodecim discipulos, quasi duodecim filios. *Iudas autem genuit Phares & Zara de Thamar.* Iudas interpretatur confessor seu confitens, quia mater eius dixit quãdo eũ peperit. Nunc cõfitebor Domino. Et ideirco dicitur confitens, seu confessor, & ipse & fratres Dominũ præfigurauerunt. *Iudas genuit Phares & Zara de Thamar.* Requirendum est quare peccatrices mulieres commemorentur in genealogia Domini, & non iustæ, vt Sara, & Rebecca & aliæ quæ ibi multæ fuere, vt mater David, & Iosaphat. Sed propterea illę peccatrices mulieres ponuntur, vt ostendatur illum, cuius genealogia est, propter peccatores venisse: sicut ipse dixit. Non veni vocare iustos, sed peccatores, & vt nullus peccator desperaret conuerti ad Dominum. Veruntamen nec illæ fœminæ nimis vituperandæ, si quis earum causam velit diligenter animaduertere. Siquidem ipsa Thamar secundum litteram inspecta, optimam fidem marito mortuo custodiuit, quæ tanto tempore fratrem expectauit, & non est nupta alteri. Et cum vidit quòd non ei daretur, non quæsiuit de alio genere filium, sed de ipso vnde maritum habuerat. Et hoc etiam non ante de Iuda, nisi cum vxor ipsius mortua fuit. Omnes enim tunc desiderabant filios habere, quia mundus vacuus erat, & volebat vnusquisq; dici populos de se & regna: quia nec dum erat præcepta virginitas, nec viduitas: nec ipsa amplius quæsiuit, nisi vt conciperet: propterea non est iam vilis vt a multis æstimatur. Thamar interpretatur palma vel amaritudo. Palma propter sanctos qui de eius progenie orti sunt: de quibus scriptum est. Iustus vt palma florebit. Amaritudo ipsi conuenit propter virum quem cito perdidit. Peperit quoque filios mysticum præfigurantes populum, videlicet Iudaicum & Gentilem. Zara enim interpretatur oriens: quia de ipsa plures sancti fuerunt. Phares autem interpretatur diuisio, à quò Pharisæi dicti sunt. *Phares autem genuit Esrom.* Esrom interpretatur sagittam vidit: hoc est Christum in carne præuidit venturum, à qua sagitta vulneratus est diabolus. *Esrom autem genuit Aram.* Aram dicitur excelsus; significans in suo nomine Dominum Iesum Christum: de quo dicit Propheta: quia excelsus reputatus est ipse: Et Psalmista. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut dominus Deus noster qui in altis habitat, &c. *Aram autem genuit Aminadab.* Aminadab spiritus meus spontaneus dicitur, & in hoc nomine Dominus Iesus significatur: qui spontanea voluntate spiritus sui natus est in mundo. *Aminadab autem genuit Naason.* Naason serpentinus interpretatur, & Dominus figuratus est, sicut ipse dixit. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis. *Naason autem genuit Salmon.* Salmon autem dicitur pax: & ipse in nomine suo Dominum prætendit: qui est pax nostra, & qui pacificauit ea, quæ in cælo, & in terris erant: interficiens inimicitias in semetipso. *Salmon autem genuit Boos de Raab.* Raab ascendens dicitur, in qua Ecclesia præfiguratur de gentibus, quæ ascensura erat de lauacro baptismi: munda & immaculata à pristinis erroribus facta. Quæ nec nimium vituperanda sed laudanda: cum per exploratorum susceptionem præuidit sibi salutem, & studuit vniri populo Dei, sicut & Ecclesia postea ex gentibus. Salmon iste est princeps Iudæ cui præceptum est numerari in eremo populum cum aliis. Boos sonat in quo virtus, siue in fortitudine: Et his nominibus, quis alius rectius quam Dominus noster Iesus exprimitur: qui est Dei patris virtus? Ipse quoque in fortitudine fecit: quia resurrexit à mortuis vt leo, & confregit claustra inferni. *Boos autem genuit Obed ex Ruth.* Et hic Ruth commemoratur alienigena: quia & ipsa licet alienigena fuerit: tamen bonam fidem habuit: reliquit enim deos suos: & quæsiuit Deum Hebræorum, & seruiuit, & propter amorem viri sui dereliquit parentes suos, & adhæsit parentibus viri sui. Et nequaquam ad peiores, aut vagabundas: sed ad meliores & legitime se coniunxit non luxuriando,

xuriando. Vnde & mulier virtutis appellata fuit. Interpretatur quoque festinans vt nomine suo signet ecclesiam. Et Boos Christum prætendit, qui accepturus erat sponsam ex gentibus. *Obed autem genuit Iesse.* Obed seruiens dicitur: in quo ille significatur qui dixit. Filius hominis non venit ministrari: sed ministrare. Iesse binomius fuit: qui Isai vocatus est. Iesse aperiens, sonat illum nihilominus annuncians in nomine suo: de quo scriptum est; aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas. Isai etiam sacrificium dicitur, siue incensum, patenter illum ostendens esse venturum qui seipsum sacrificium faceret pro multis in odorem suauitatis. *David autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ.* Et hic peccatrix mulier memoratur: Vt ostendat illum pro peccatoribus de hominibus natum, & Vrias de alienigenis erat, non erat de Iudæis. Qui quamuis bonus esset, diaboli expressit typum cuius contagio erat prius copulata Ecclesia, quam Christus concupiuit, cum vidit illam lauantem, hoc est semetipsam à sordibus seculi per lauacri vndam purificantem. De istis qui modo in medio interponuntur, non est necesse aliud dicere, quia nota est historia in libro Regum, qui fuerint vel quid fecerint: nisi tantummodo interpretationes nominum ponere. Dauid interpretatur fortis manu, qui iecit manu lapidē de funda: vnde occidit Goliath, & significat in hoc facto Dominū Christum qui vicit diabolum per suā patientiam, & hic passus est persecutiones Saulis, sicut Christus Iudæorū, & sicut Dauid derelictus fuit à suo consiliario, & proditus similiter Christus à Iuda discipulo suo, & sicut Dauid deiectus est à regno à filio suo: ita dñs eiectus est à populo Iudæorum: quia filius eius dictus est per adoptionem: extra ciuitatem Hierusalem eiectus & occisus: siue etiam quia idem dominus Christus ex eius stirpe processit, Salomon interpretatur pacificus: & ipse dominum præfigurauit pace sua, quam in regno habuit quia Dominus & pax nostra & pacificus noster est: quia de ipso dictum est, orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec extollatur luna & quia ædificauit domum domino Salomon: sic & dominus ædificauit cælestem Hierusalem de lapidibus viuis. *Roboam autem genuit Abia.* Roboam interpretatur latitudo populi: sed per antiphrasin, hoc est per cōtrarietatem. Est enim quidā modus, qui antiphrasis dicitur apud grammaticos, quando aliter est res, quam sonat in nomine, vt bellum dicitur eo quòd sit minime bellum. Similiter & hic dictus latitudo per contrarium: eo quod ab illo defecerunt decem tribus: & eo angustatum est in illo regnum Iuda: Abia interpretatur pater dominus: & non debet coniungi b, cum i, sed ab, per se, & ia, per se, quod est nomen domini, Et recte hoc nomine vocatus est, quia cognouit patrem dominū esse creationis & salutis suæ. *Abia autem genuit Asa.* Asa dolens: siue sustollens interpretatur. *Asa autem genuit Iosaphat.* Iosaphat domini iudicium: & hic domino adhæsit. *Iosaphat autem genuit Ioram.* Ille enim Iosaphat qui coniunctus fuit Achab malo regi, & abiit cū illo in bellum, & debuit ibi mori: quia contra voluntatem domini adiutor erat illius, pro qua re & à propheta increpatus est: eo quod præberet ei auxilium. Sed & naues fecit quæ irent in Asion Gaber cum nauibus illius & domini nutu cōfractæ sunt Quod intelligens Iosaphat: voluit vlterius naues suas coniungere cum nauibus illius: *Ioram autem genuit Oziam.* Non filius eius sed nepos eius fuit: sed dicuntur filij qui de longinqua progenie exierūt alicuius. Nam Ioram genuit Ochoziā. Ochozias Ioas, Ioas Amasiā, Amasias Osiā. Sed quia Iorami accepit filiam Iezabel: qui occidit Naboth, & persecuta fuerat Heliam & prophetas, & sacerdotes domini & cultum eius: propterea quia de prole eius nati sunt, tolluntur de genealogia domini vsque in tertiam generationem. Etiam & propositum erat Euangelistæ tres ordines ponere; vnum ante legem de patriarcharum tempore: alium sub prophetarum æuo. Tertium sub sacerdotum dominio, hoc est per tres vices quatuordecim: hoc sunt tres tessares, & decades, id est, quatuor, & decem, & septem, propter septenarium numerum sabbati, quia septem & septem quatuordecim faciūt. Et sicut filij Israel per quadraginta duas mansiones venerunt ad terrā promissionis duce. Mose: ita & nos duce domino qui per istas venit ad nos, perueniemus ad vitam æternam. Matthæus qui generationem domini terrenam narrauit, ostendit qualiter ille de cælo descenderit, per generationem terrenam. Lucas vero specialem ordinem tenens, ostendit qualiter illi omnes qui studuerint eius membris incorporari, ascēsuri essent in cælum. Et ideo per quinquaginta generationes, quæ significant requiem iubilei: seu per septuaginta duas generationes, in quo numero gentes leguntur in initio esse diuisæ vt ostenderetur de omnibus gentibus credituros in Christo & ascensuros in cælum: siue si per septuaginta septem generationes velis computare, quæ sunt de Christo ad Adam, quem numerum dominus in peccatorum remissionem posuit, quando dixit non dico tibi Petre dimittere septies, sed vsque septuagies septies, vt ostenderet se omnia peccata nostra in baptismo remissurum. Et sicut nulla generatio prætermissa est non numerata ab Adam vsque ad ipsum, sic nullum peccatum esse, quod non remittatur in baptismo. Et sub hoc exemplo præcipitur vt in nos peccantibus septuagies septies remittamus. Matthæus autem laborem certaminis quod dominus sanctique sui habituri essent ostendit per quadraginta duas, quæ præteoderunt labores in Eremo. Ioram autem excelsus. Hoc etiam per antiphrasim: quia deiectus fuit propter Achab & Iezabel. Ozias fortitudo domini, & iuste sic vocatus est quia confisus est in domino, & fecit quæ placuerunt ei: excepto quia per se voluit hostias offerre: quod sacramentum erat. Et ob hoc percussus lepra: & habitauit liber à se in domo seorsum extra ciuitatem & populum: habuit autem duo nomina. *Ozias autem genuit Ioatham.* Ioathan perfectus dicitur: & pulchra etymologia & conueniens illi est: quomodo ipse perfectus fuit coram domino, & ædificauit portam templi. *Achas autem genuit Ezechiam.* Achas sonat apprehendens: subauditur nequitias omnes: quia dereliquit dominum & vidit altare in Dammasco & veneratus est illud: & iussit simile fieri in Ierusalem. Ecce pater malus genuit filium bonum. Ezechias fortitudo domini dicitur: quia ipse in domino visus est: & in diebus eius dominus centum octuaginta quinq; milia de Assyriis occidit, & cum decem viris fugit Sennacherib de terra eius: & occisus est à filiis suis

ſuis cum adoraret Neſrac Deum ſuum, & diceret, quare me dimiſiſti fugere ſic de Iudæa qui etiam filios meos immolaſſem tibi, ſi iuſſiſſes? Et cum audiuiſſent filij eius hæc, occiderunt eum timentes ne occideret eos pro tali voto, & fugerunt in montem Ararat, *Ezechias autem genuit Manaſſen.* Manaſſes dicitur obliuioſus: quia ipſe per multa ſcelera oblitus eſt domini, in tantum vt filium ſuum transferret per ignem dæmonibus, & ecce iterum malum filium bonus pater genuit: ſed poſtea tamen ſuſcepit dominus preces eius propter patrem, & liberauit eum de Babylone vbi fuerat ductus captiuus propter peccata ſua. *Manaſſes autem genuit Amon.* Amon ſonat infidelis. Siquidem Ammon per duo, m, ſonat filius populi mei: per vnum, m, infidelis dicitur: & iſte propterea infidelis dicitur quia receſſit à via domini. *Amon genuit Ioſiam.* Ioſias dicitur: vbi eſt incenſum domini, & hoc digne dictus eſt, quia ipſe digne ſeruiuit domino: & deſtruxit idola & cultores idolorum, & pbaſe domini mirabiliter celebrauit. *Ioſias autem genuit Iechoniam.* Iechonias præparatio domini ſonat, Iechonias autem primus pater intelligitur: & Iechonias poſt tranſmigrationem filius eius fuit: & dicitur alio nomine Ioachim; primus per c, & h, & m: ſecundus per k, & n: & primus Ioachim præparatio domini: ſecundus præparatio Dei dicitur. Nam ſi voluerimus vnum Iechoniam computare non erunt niſi tredecim generationes. Sed ſic eſt verum, quia primus Iechonias is eſt: quem rex Ægypti regem conſtituit. Sed venit ſuper eum Nabuchodonoſor & exegit ab eo iuſiurandum & tributum. Et quia mentitus eſt ei, occidit eum, & proiici iuſſit corpus eius in plateá, Sed filius iſtius cui Nabuchodonoſor occurrit, antequam veniret Hieruſalem cum matre & vxore: & dedit ei Nabucbodonoſor beneficia in terra ſua: & tradidit fratri eius Sedechiæ. Sed quia mentitus eſt ei ſacramentum quod ei iurauerat: venit iterum Hieruſalem: & comprehendit eum, & occidit filios ſuos in oculis eius, & eruit oculos eius, & miſit eum in caueá more ferarum: quia dixerant propbetæ eius, vt leo eſſet: & duxit eum in Babylonem & miſit eum in carcerem, & dimiſit eum ibi vſque quo ipſe Nabuchodonoſor mortuus eſt: & ibi etiam habuit ne potem ſuum cum illo Euilmerodar quem in regno inuenerat quádo de beſtiis reuerſus fuit. De quo etiam ſcriptú eſt, quòd ſubleuauit Euilmerodar caput Ioachim de carcere, & locutus eſt cum eo benigna, & dedit ei villas, & conſtituit cibos menſę eius, quia ſocij erant in carcere. Quod dicit fratres eius: ille eſt vnus, quem Nachor rex Ægypti iunxit, & duxit in Ægyptum. Et alius Eliachim qui regnabat in Iudæa quádo primum Nabuchodonoſor ad Hieruſalem venit: quando per tres vices deprædatus eſt ipſam terram: & tres reges inde abſtulit: illum, quem modo dixi Eliachim: quem Nechao conſtituerat poſt interfectum fratrem: & alium, quem cum matre eduxit: & tertium Sedechiam. Tranſmigratio autẽ fuit in Babylone: quia migrare cogebátur à Nabuchodonoſor de ſua terra in Babylonem. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Salathiel petitio dicitur domini: & recte petitio domini dicitur: vt oſtendat omnes antiquos patres, petiſſe dominum venire ad redemptionem generis humani. *Zorobabel autem genuit Abiud.* Zorobabel ipſe qui cuſtodiebat Aſſuerum regem dormientem cum alijs duobus: dixerũtque ad inuicem, dicamus ad inuicẽ ſinguli ſententias: & apparebit quis meliorem ſententiam dicat. Vnus dixit, rex eſt fortior ſub cælo. Alius dixit, vinum eſt fortius ſub cælo: tertius Zorobabel dixit: veritas eſt fortior & mulieres. Et exurgẽs rex approbauit cum ſuis hominibus, quia Zorobabel melius dixiſſet, & tunc dedit ei principatum ſuper omnes Iudæos, qui erant in regno eius, & licentiam reuertendi cum omnibus Iudæis in Hieruſalem. Et Zo, iſte; ro, magiſter; babel, Babylonis, hoc eſt iſte magiſter de Babylone: & ſignificat ipſe dominum Chriſtum: quia Babylon confuſio dicitur, quia ſignificat iſtum mũdum: vnde dominus Chriſtus auctor eſt ipſe & magiſter: vnde & educit populũ ſuum in terram repromiſſionis: hoc eſt in vitam æternam. De his qui in medio ſunt, qui in captiuitate fuerunt, non habemus ſcriptum quid fecerint: niſi tantummodo interpretationes dicamus. *Abiud autem genuit Eliachim.* Abiud patris robur: & per ipſum dominus Chriſtus oſtenditur: qui eſt Dei virtus per quã facta ſunt omnia. Et ab, per ſe debet, quia ab, pater dicitur. Eliachim reſurrectio interpretatur: quia videlicet ipſum ſignificabat, per quem reſurrecturus erit omnis mundus. *Eliachim autem genuit Azor.* Azor interpretatur adiutor, illum præfigurãs, de quo ſcriptum eſt, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. *Azor autem genuit Sadoc.* Sadoc dicitur iuſtus: illum profecto prætendens, qui eſt iuſtus abſque comparatione: de quo pater iuſtus dominus iuſtitias dilexit. *Sadoc autem genuit Achim.* Achim ſonat frater meus. Et ipſe illũ prætendit in nomine qui dicit. Nunciabo nomen tuũ fratribus meis. Ille videlicet qui Deus erat per maieſtatẽ, frater factus eſt populo Chriſtiano per humilitatẽ, & reſurrectionem. *Achim autem genuit Eliud.* Eliud dicitur Deus adiutor, & el, per ſe & iud, poſtea. Et ipſe etiam ex nomine futurum annunciat ſaluatorem, qui vocandus eſſet Emmanuel, hoc eſt nobiſcum Deus. *Eliud autem genuit Eleazar.* Eleazar adiutorium domini ſonat: illum de quo Pſalmiſta ait. Adiutoriũ noſtrũ in nomine domini, qui fecit cælum & terram. *Eleazar autem genuit Mathan.* Mathan dulcedo, ſiue ſaturans: recte dulcedinem ſonat, pręfigurans illum, de quo euangeliſta poſtea dixit. Mirabantur omnes ſuper his quę dicebantur de illo. Saturans autem, & hoc ad ipſum pertinet, de quo ſcriptum eſt; Saturauit dominus quinque milia hominum. *Mathan autem genuit Iacob.* Iacob ſupplantator dicitur, & hic ſuo nomine dominum pręnunciat: qui ſupplantauit vicia, & erexit virtutes: de iſtis vero qui in fine generationis ponuntur videndum eſt: quare Mathęus dicat. *Iacob genuit Ioſeph.* Et Lucas dicat: quia Ely genuit Ioſeph. Sed hoc ſciendum quia lex pręcipiebat, vt quando frater moriebatur, & non relinquebat filium. Acciperet frater alius ipſius vxorem cũ ſua vxore, & generaret filios in vxore fratris ſui, & illi qui naſcerentur filij fratris mortui dicerentur. Tali ergo cauſa eſt varietas in euangeliſtis: & Matthæus ordinem naturalem ſequens, dicit eum filium eſſe Iacob, Lucas autem ſecundum legem veterem dicit eum filium Ely fuiſſe. Ely dicitur aſcendens. Iacob interpretatur ſupplantator, Ioſeph augmentum. Et ipſe etiam illum intonat venturum qui auxit populum ſuum dicens. Et alias oues habeo: quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meã

audient:& fiet vnum ouile & vnus pastor. *Virum Mariæ.* Cum audis virum, require, inuenies in scriptura, quod & sponsi vocantur viri:& sponsę vxores: & etiam consuetudo historiographorum est historiam sic scribere, sicut eo tempore putatur quando res agitur. Vnde de Herode dicitur, quia contristatus fuerit ad petitionem capitis Ioannis: non quod vere contristatus: sed quia sic putatum est ab his, qui viderūt eū. In tertio ordine generationis Christus quartusdecimus est: quia ista generatio sic facta fuit ad capiendum diabolum, sicut hamus ad capiendos pisces, sicut in fine occultatur hamus per escam sic diuinitas Christi abscondita fuit de carne: quia misit hamum Deus pater, qui filium incarnari præcepit. Momordit diabolus & transfixus est à diuinitate eius: hoc est fecit carnem crucifigi:& comprehensus est & religatus ab ipsa diuinitate, quæ latebat sub carne. Virga in qua hamus insertus est Abraham extitit: qui origo huius generationis fuit. Diximus iam quare per tres ordines diuisit istam generationem videlicet propter tria tempora, ante legem; sub lege:& prophetis & sub sacerdotibus: siue propter trinitatem: Quatuordecim autem propter septenarium numerum, qui est sacratus apud Iudæos pro sabbato, quia septem & septem quatuordecim faciunt. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Sicut scitis, Matthæus domini post ascensum in cælis tempore Caij Caligulæ euangelium scripsit: propterea sic vtroque nomine dicit illum vocari: id est, à credentibus in eum. Quid pertinuit narrari generationē Ioseph, cum Christus eius filius non fuerit: videlicet pro quatuor causis. Prima: vt per generationem Ioseph Mariæ nosceretur origo, quia de vna generatione fuisse noscuntur, quia præceptum erat, vt vnusquisque homo de sua tribu vxorem sumeret, quod Ioseph qui iustus erat hoc custodiebat. Sicut apparuit in censu professione, quia cum præceptum esset, vt vnusquisque reuerteretur in terram & in patriam suam:& ibi profiteretur nomen suum, & aetem, & solueret censum: ascendit Ioseph & Maria de Galilæa in Bethleem, ad profitēndum nomen in patria sua. Nec enim consuetudo est scripturæ historias de fœminis texere. Licet enim Adam multas filias habuerit:& ne vel alij: de nullis tamen scriptura sic refert sicut de Abel & Cain, Sem, Cham, & Iapheth, & regnorum libro. Fuit vir vnus de Ramatham Sophim: similiter in aliis historiis. Secūda causa, ne lapidaretur à Iudæis, si esset sine viro, & habuisset filiū. Omniū enim incredibiles Iudæi lapidassent eam, si Ioseph ab illa se separasset. Maluit enim de otio suo dubitare quōsdam: quam matrem suam falsis suspicionibus infamari: vel etiam per tormenta cruciati: quæ erat & tenere nutrita, & inferior sexus. Tertia causa, vt in Ægyptum iens, vel reuertens, is qui vir erat procuraret quæ necessaria fœminæ erant, locum vel victum: & vt infantem tanto itinere ferret ac referret. Quarta causa, vt partus eius diabolum lateret: qui si eum de virgine natū sciscet: nunquam eum crucifigere suasisset Iudæis. Vnde & hoc requisiuit per tentationes, si esset filius Dei. Sciebat namque per scripturas quia nasceretur sed in hoc deceptus est, quia de muliere putauit eum fuisse natum.

INCERTI CVIVSDAM

sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni in eodem festo, Homil.

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Quare beatus Matthæus Euangelista à Christi generatione initium sumat, hanc maximam & principalem causam esse putamus, vt saluatorem nostrum de progenie Dauid & de tribu Iuda secundum carnem descendisse ostendat. Incipiens itaque ab Abraham, & per Iudæ lineā veniens ad Dauid, totam sibi succedentium genealogiam ea ordine texit, vsque dum veniat ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Nam & Abrahę & Dauid Christus Dominus noster promissus fuerat: & quòd de tribu Iuda originem duceret, prophetatum fuerat. Dixerat enim Dominus Abrahæ, In semine tuo hæreditabo omnes gentes. Hoc autem Apostolus exponens, ait: Non dixit in seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, Et semini tuo, quod est Christus. Iudæ quoque filio suo Iacob patriarcha benedicens, ait: Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, & adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. In hoc quoque euangelio (sicut in sequentibus) legitur, quum Herodes principes sacerdotum & populi interrogaret vbi Christus nasceretur, responsum illi est ab illis: In Bethleē Iuda: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Vides igitur, quia saluator noster Abrahæ fuerat promissus, & secundum prophetatum dicta de tribu Iuda nasciturus expectabatur. Videamus igitur, quid regi Dauid de eodem dictum fuerat. Dicat hoc ipse Dauid: Iurauit (inquit) Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, De fructu ventris tui ponam super sedem tuā. Itemque: Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit. Ecce enim non solum promittitur, verùm etiam & iuratur, quod de stirpe Dauid secundum carnem Christus oriatur. Vnde non immeritò factum est vt pluribus in locis filius Dauid Christus vocetur. Hoc enim & pueri clamabant. Hosianna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc & mulier Chananæa dicebat; Miserere mei Domine, fili Dauid, Vnde ipse quoque Iudæos interrogans, ait: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Quis igitur Christum esse aliquem credere posset, nisi priùs de stirpe Dauid certissime natum esse constaret? Meritò igitur euāgelista de Christo loquuturus, statim in principio suæ locutionis eum de semine Abrahæ, de tribu Iuda, & de progenie Dauid natū esse ostendit. Ostensa autē causa, cur tale exordium euangelista scripserit. Iudæis & hæreticis cæterisque respondeamus, quibus hanc eandem causam nihil ad rem pertinere videtur, nisi filium Ioseph Christum credamus esse. Non enim hoc loco Mariæ, sed Ioseph generatio texitur. Quid enim ad

Gen.22. Gal.3. Gen.45. Gen.49. Matth.2. Mich.5. Psal.131. Psal.88. Matth.21. Matth.15. Matth.22.

ad Christum pertinet, quod Ioseph probatur esse filius Dauid, quum non de Ioseph, sed de Maria natus sit Christus? Sicut enim secundum diuinitatem saluator noster nullam habuit matrem, ita & secundum humanitatem nullum habuit patrem. Andiant igitur isti hoc, quod in lege præcipitur, vt videlicet omnes viri ducant vxores de tribu & cognatione sua, & cunctę fœminę maritos de eadem tribu accipiãt, vt hęreditas permaneat in familiis, nec sibi commisceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. Probatum est igitur legis testimonio, virginem Mariam atque Ioseph de eadem tribu & cognatione fuisse. Neque enim aliter secundùm legem coniungi potuissent, nisi de eadem tribu ambo fuissent. Si enim aliquis mihi obiiciat, multos de alia quoq; & non tantum de propria tribu duxisse vxores: respondeo, non solum hoc, sed multa alia plerunque contra legẽ Iudæos fecisse. Ioseph verò contra legem agere non poterat, vtpotè qui iustus erat, & Deum in omnibus offendere timebat. Hæc autem lex & si forrasse non ad plenum ab aliis custodiebatur, ab illis tamen mulieribus custodiri necessarium erat, quæ quando fratres non habebant, parentibus suis in hęreditatẽ succedebant. Sic enim præcipit Moyses, immò Dominus per Moysen, vt si aliquis sine filiis defunctus fuerit, ad filias eius transeat illius hęreditas. Quę si de alia tribu maritos acceperit, hęreditatem quoque in aliam tribum transire oporteret. Tales igitur necesse est aut de sua tribu accipere, aut omninò viros non accipere: ne si de alia accipiant, possessiones & hęreditates commisceantur, quod quidem nullatenus fieri licet. Vnde manifestum est beatissimam virginem Mariam, quæ nobilissima hæres parentibus suis in hęreditatem successerat, siquidem nec fratres habuit nec habuisse legitur, neminem de alia tribu coniugem accipere potuisse. Sed fortasse dicis eam non habuisse hæreditatem. Lege ergo in Leuitico & inuenies quòd nemo hæreditatem suam ex toto vendere poterat etsi vsum eius vendere potuisset. Veniente nanque Iubileo, omnis hæreditas ad proprium dominum reuertebatur. Quomodò ergo sine hęreditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parentibus orta fuerat? His igitur rationibus manifestissimè comprobatur, & Ioseph & beatam virginem Mariam de eadem tribu fuisse. Sed ideò per Ioseph euangelista generationem texere voluit, quoniam vsus est sanctarum scripturarũ vbique per viros, & nusquam per mulieres generationis seriem ordinare. Omnes ergo generationes ab Abrahã vsque ad Dauid, generationes quatuordecim. Et a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babilonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. Hoc autem verum est, si vna eademque persona bis numeretur, sitque alterius ætatis initiũ, quę alterius finis fuerat. Aliter autem non procedit. Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritusancto.

Num.36. — Num.27. — Leui.25.

* * *

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Liber. Quam ob causam non dixit, visio, vel sermo, sicut Prophetæ, qui suos libros sic inscripserunt? Visio, quam vidit Esaias, & sermo, qui factus est ad Esaiam. Quæris vt discas quare? Prophetæ loquebantur ad duros corde, & inobedientes, & ideo dicebant: Diuina est visio, & sermo est ea Deo, vt timeret populus, & non contemneret dicta. Matthæus autem sermonem habebat ad credulos, gratos, & obedientes, & propterea nihil tale prędixit, quale Prophetę. Possem autem & aliud dicere, quòd Prophetæ mente videbant ea, quæ videbant, Spiritu sancto apparitionem faciente, & propterea visiones vocabant. Matthæus autem non mentaliter, & per apparitionem Christum vidit, sed corporaliter cum eo fuit, & sensibiliter audiit eum, videns eum in carne: & idcirco non dicit; Visio, quam vidit, hoc est, apparitio, sed, *liber generationis Iesu*. Nomen Iesu non est Græcum, sed Hebraicum, & interpretatur Saluator. Iesua enim salus apud Hebręus dicitur: *Christi*. Christi dicebantur Reges, & sacerdotes. Inungebantur enim oleo sancto à cornu, quod superponebatur capiti, & distillabat. Dicitur igitur Dominus Christus, & vt Rex: quia contra peccatum regnauit, & vt sacerdos: Obtulit enim semetipsum sacrificium pro nobis. Inunctus autem est, & ipse oleo illo vero, & præcipuo, nẽpe Spiritu sancto. Quis enim alius habuit spiritum, vt Dominus? In Sanctis gratia Spiritus sancti efficax fuit, in Christo autem non operabatur gratia spiritus, sed Christus cum spiritu consubstantiali operabatur miracula. *filij Dauid*. Quia dixerat *Iesu*, ideo, ne putes, quod de alio Iesu dicat, adiecit, *Filij Dauid*. Erat enim & alius Iesus celebris, qui post Moysen ducatum populi Israel suscepit, & militauit, sed is filius Naue dicebatur, non Dauid. Fuitque ante Dauid multis seculis, nec fuit ex tribu Iuda, de qua descendit Dauid: sed ex alia. *Filij Abrahæ*. Quare apposuit Dauid, *filij Abrahæ*? Quia apud Iudæos celebrior erat Dauid, & posterior fuit Abrahamo, regnóque clarior. Nam inter Reges ipse primus Deo placuit, & promissionem accepit à Deo, quòd ex semine suo surrecturus esset Christus, ea propter omnes Christum filium Dauid dicebant. Et ferebat Dauid verum typum Christi. Sicut enim ipse post Saul reprobatum à Deo & odibilem, regnauit: ita & Christus, postquam priuatus est Adam regno, & principatu, quod habebat in omnia tam animantia, & dæmonia, incarnatus venit, & regnauit. *Abraham genuit Isaac*: Ab Abraham incipit genealogiam, eo quòd ipse pater Hebræorum fuerit, & quòd ipse primus acceperit promissiones: quoniam in semine eius benedicendæ essent omnes Gentes. Decenter autem ab hoc Christi generationem recenset. Christus enim est semen Abrahæ, in quo benedicti sumus omnes, qui ex Gentibus, quique prius eramus maledicti. Abraham autem interpretatur pater Gentium: Isaac vero risus & gaudium. Non meminit autem Euangelista filiorum Abrahæ ex concubinis, vtpote Ismaelis, & aliorum, eo quod Iudæi non ab illis descenderunt, sed ab Isaac. *Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem*

Prophetæ mentaliter, non corporaliter videbant ea, de quibus vaticinabantur.

genuit

genuit Iudam, & fratres eius. Vides quòd propter hoc memor fuerit Iuda, & fratrum eius, quòd ab

Genes. 25.29. 30.36. ipsis duodecim tribus descenderint. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Thamarem Iudas desponderat vni filiorum suorum Her: illo autem sine liberis mortuo, sociauit eam Onan, qui & ipse filius eius: extincto autem & hoc propter malitiam suam, Iudas nulli eam copulauit. At ipsa desiderans ex semine Abrahæ prolem, depositis vestibus viduitatis, vestem sumpsit scorti, & quasi scortum esset, rem habuit cum socero suo, concepitque ex eo duos pueros gemellos. Porrò quum pareret, primus manum præmisit ex vtero, quasi primum proditurus, & obstetrix coccineo funiculo protinus extentam pueri manum signauit, quo dignosci posset, vt primogenitus: sed puer manum statim corripuit intra vterum, & alius prior natus est. Deinde ille, qui manum præmiserat, vocatus est Phares, quod est dissectio: dissecuit enim naturalem ordinem. Qui autem corripuit manum, Zara dictus. Significat autem hæc historia sacramentum quoddam. Nam, sicut

Gen. 12. Zara ostendit quidem primum manum, & retraxit: ita in Sanctis, qui erant ante legem, & sub

Sanctis ante legem Euangelicam vitam vixerunt. circuncisione, apparuit vita Christiana. Omnes enim illi non ex obseruationibus, & mandatis legis iustificati fuerunt, sed quia Euangelicam vitam vixerunt. Et obserua quomodo Abraham patrem, & domum propter Deum reliquit, & naturam obnegauerit. Considera Iob, Melchisedech. Vbi autem lex venit, contracta est talis vita. Quemadmodum autem illic, nato Phares, posterior iterum exiit Zara: ita, lege data, iterum apparuit, quæ coccineo fasciculo, nempe sanguine Christi signata fuit. Propterea & Euangelista memor fuit duorum, quasi declarans natiuitatem illorum sacramentis plenam. Et aliter dicere potes: Memor est Thamar, tametsi non laudanda videatur, eo quòd dormiuerit cum socero: vt ostendat, quòd Christus, quum susceperit omnia propter nos: & hoc suscepit, vt tales habeat progenitores: immò vt per hoc ipsum, quòd ex eis natus est, eos sanctificaret: non enim venit vocare iustos, sed peccatores. *Ex Rachab.* Rachab putant quidam Raab scortum, quæ exploratores Iesu Naue suscepit, seruauitque suos, & seruata est etiam ipsa. Mentionem autem facit eius, vt declaret, quòd sicut ipsa scortum fuit, ita & Gentium congregatio. Fornicabantur enim in studiis suis, sed, susceptis exploratoribus Iesu, Apostolis inquam, omnes, qui illorum crediderunt sermonibus, saluati sunt. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Ruth hęc alienigena fuit, coniuncta autem Booz: ita & Ecclesia ex Gentibus alienigena existens, & à testamentis extraria, oblita autem populi sui, & cultus simulachrorum, & diaboli, cui iuncta erat, nupsit filio Dei. *Ex ea, quæ fuit Vriæ.* Hic quoque eius, quæ fuit Vriæ, mentionem facit: vt doceat, quòd nemo debeat erubescere propter progenitores, sed dare magis operam virtute sua illos clariores efficere, & quod omnes accepti sint Deo, etiam si e scorto nati, modo virtute sint præditi. *In migratione in Babylonem.* Migrationem in Babylonem, vocat captiuitatem, quam tulere abducti simul in Babylonem. Et alias quoque belligerati sunt Babylonij, sed mediocriter eos afflixerunt: tunc autem ipsi à patria sua migrare fecerunt. *Ioseph virum Mariæ.* Quare genealogiam Iosephi narrat? quæ enim communio Iosephi, & partus sine semine nati? neq; enim vere erat pater Christi Ioseph, vt à Ioseph Christi genealogia censeatur. Audi igitur, quòd vere neque communionem habet Ioseph cum natiuitate Christi, sed oportebat eam propter genealogiam matris Dei censeri. Verum, quia lex erat, mulierum genealogiam non ponere, propterea non virginis genealogiam ponit: sed, posita genealogia Iosephi, & huius genealogiam posuit. Erat enim lex, non ducendam vxorem ex aliena tribu, neque ex aliena familia, hoc est, cognatione, sed ex sua cognatione, & familia: atque adeo quia talis erat lex, manifestum quod & Iosephi genealogia posita, genealogiam colligat matris Dei. Nam ex eadem planè tribu, & familia erat mater Dei. Nam, si non fuisset, quomodo fuisset ei desponsata? Atque ita obseruauit Euangelista legem præcipientem non ponendam mulierum genealogiam, & nihilominus genealogiam matris Dei posuit. Virum autem Mariæ nominauit eum, iuxta communem consuetudinem. Etenim mos est sponsum adhuc procum agentem, virum dicere sponsæ, etiam si nondum habitæ sint nuptiæ. Num. 36.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Liber generationis &c. Per generationem intelligit hic Ioannes Chrysostomus, natiuitatem. Dictio siquidem γένεσις quum sit generalis, etiam hoc significat. Quidā autem dicunt, quòd, ea quo Christus supernaturaliter natus ex virgine, naturalem renouauit natiuitatem; reliquum est, vt etiam Euāgelista naturale natiuitatis vocabulum renouauerit, generationem ipsam vocans. † Iesus autem nomen Hebraicum est, significat autē saluatorem. Ipse enim, ait, saluum faciet populum suum à peccatis eorū. Ne autem fallaris in nomine varia significante, cū Iesus audis: siquidem & alius fuit Iesus: idcirco non simpliciter ipsum dixit Iesum, sed Iesum Christum, hunc ab illo distinguēs. Verum dubitare quispiam poterit, eo quòd hic liber non solam contineat Christi natiuitatem, sed & omnem eius conuersationem, ac viuendi rationem. Hanc dubitationem dissoluimus, dicentes omnis eius conuersationis, modíque viuendi caput, & præcipuum, ac radicem nostræ salutis, fuisse natiuitatem. Id enim stupore, & admiratione replet, estque supra omnem spem, ac expectationem, vt Deus fiat homo: quo facto, omnia, quæ post hoc facta sunt, ex consequenti, suóque ordine consequūtur. Reliquum est ergo, vt ab hac magis pręcipua parte, totum librum, generationis librum vocauerit. Ita nēpe Moses quoque primum suum librum vocauit Geneseos, hoc est, creationis cæli, & terræ: quum non solum de cælo, & terra, verum etiam de omnibus loquatur creaturis. †

† *Vel. Quum Christus & supernaturaliter natus sit, puta sine semine, & ex virgine, & naturaliter, puta ex muliere, & vberibus lactatus; ideo dixit, generationis, insinuans id, quod erat supernaturale. Infra autem dicit; Iesu Christi natiuitas sic fuit, manifestans id, quod fuit naturale. Quidam vero dixerunt, generationem Iesu, ipsius in mundum descensionem, quomodo videlicet factus sit, vel natus.* †

Filij David, filij Abraham. Filium quidem David vocauit

vocauit Christum, filium vero Abraham ipsum David, auditorum mentes erigens ad promissionum memoriam. Gen.2. Olim enim promiserat Deus Psal.131. Abraham, ac Dauid, è semine ipsorum nasciturum esse Christum. Quum autem auditores essent Iudæi, vt prædiximus, nouerant illas promissiones. Primum, autē Dauid posuit, quod in ore omnium ferretur, vtpote propheta magnus, & tanquam rex gloriosissimus: quique non tanto ante tempore obiisset. Abraham autem, quanquam insignis fuerit, nempe patriarcha, attamen, quum ante multa secula è viuis excessisset, tanta memoria non colebatur. Et si etiam vtrique promiserit, de illo tamē quasi vetustiori silebatur: hoc autem tanquam recentius, in omnium ore circumferebatur: propter Ioan.7. quod etiam dicebant, Nonne è semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venturus est Christus? Itaque nullus eum filium Abraham, sed omnes Dauid filium vocabant. Sic ergo ab eo quod notius erat, incipiens, ad id quod erat vetustius, ascendit. Verum Matthæus quidem, quum ad eos, qui è circuncisione erant, scriberet, non altius quàm vsque ad Abraham genealogiam reduxit; sed, ab hoc sumpto principio, vsque ad ipsum Christum descendit, ostendans solum, quod è semine Abraham & Dauid natus esset, secundum promissa ad illos facta. Nihil enim æque delectabat eos, qui ex Iudæis crediderant, atque audire, quod è semine Abraham ac Dauid natus esset Luc.3. Christus, vtpote qui inde semper ipsum expectassent. Lucas vero quasi per medium Theophilum simul omnibus loquens fidelibus, perfectam trabit generationem: inferne magis ab ipso inchoans Christo, & ad ipsum vsque Adam ascendens, vt demonstraret, quot generationibus separatus sit nouus Adam à veteri: & super quot generationes regnauerit peccatum. Differētia igitur rerum demonstratarum, differentiam fecit demonstrationum. Siquidem Matthæus Abraham necessario faciens mentionem, ab hoc metro descendit ad Christum, cuius genealogia describitur. Lucas vero, qui ad huiusmodi necessitatē mentionis Abrahæ faciendæ non inducebatur, necessario à Christo inchoans, quid apud Hebræos cōsuetum esset, diligēter inquisiuit, & iuxta id quod inquisiuerat, genealogiam contexuit. *Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Moris erat per maros texere genealogias: Vir enim semen infundit, & ita principium est, & radix prolis, caputq; mulieris, vt inquit Apostol⁹, mulier autē semen fouens, enutriēs, ac coagulans, in adiutoriū viro data est. Iudā verò præ filiis aliis Iacob posuit, licet primogenitus nō esset, eò q̀ ex tribu eius Christus descenderet. Quū autē in generationū serie vnus semper ab vnoquoque successor ponatur: studiose obseruādum est, quādo plures ponuntur successores; nō enim frustra plurium fit additio, sed statim causa agnoscitur. Fratrum siquidem Iudæ hic fecit mentionem: quia vnus erat Israeliticus populus, ad duodecim radices relatus, qui sunt duodecim filij Iacob: & videntur etiam hi quasi progenitores Christi nūnc cupari, tanquam qui tribuum Israelitici generis principia sunt, à quo generatus est Christus. *Iudas autem genuit Phares, & Zara de Thamar.* Iudas quartus fuit filiorum Iacob. Accepit autem primogenito filio suo vxorem: quo absque liberis de- Gen.38. functo, iunxit eam secundo: hoc autem similiter mortuo, promisit se tertium filium illi coniuncturum: timens autem, ne & hic statim moreretur, nuptias distulit; mulier vero cupiens vehementer ex genere Abraham, vtpote celebri, ac præclaro, semen suscipere; vbi socerum Iudam promissum differre vidit hoc pacto illum decepit. Habitū enim scorti induta ante portas ciuitatis cōtecta sedit: quam videns Iudas, nec agnoscens, ingressus est ad eam, quasi ad scortum, quæ cognita, geminam concepit prolem. Accedentibus autem partus doloribus, quum Phares, & Zara pariendi essent: vbi vidisset obstetrix Zara primum efferentem manum, volens primogenitum signo notare, coccino manum, quam extulerat, ligauit; alligatam autem retraxit infans: qua retracta, Phares processit, deinde Zara. Et hæc quidem rei gestæ historia est. Solum autem Phares accepturus erat Euangelista in genealogiam, vtpote per quem ad Dauid genus procedebat. Nunc vero cum ipso etiam Zara posuit, quasi typum populi Christiani: siquidem Phares Israelitici typus erat. Sicut enim Zara, primum quidem manum efferens, retraxit eam: deinde Phares egresso, tūc & ipse integre exiuit. Ita quoque vitæ euangelicæ pars quidem temporibus Abraham apparuit: qua retracta, processit legalis: & post hanc perfecte apparuit euangelica: Vides igitur non frustra fuisse Zaram assumptum. Gen.38. Reliquum est ostendere quod ipsius quoque Thamar non abs re me- Iosue.2. minerit, sicut & trium postea aliarum. Ruth.1. 2.Reg.11. Sed quia Thamar quidem illicite nupta erat, vtpote socero nupta: Raab autem meretria erat, & Ruth alienigena, vxor verò Vriæ adultera, quemadmodum ipsarum docent historiæ: adduxit eas in medium, vt manifestum faceret. Christum non erubuisse ab huiusmodi descendere progenitoribus: quorum vnus quidem ex illicite nupta natus erat: alius autem ea fornicaria: & rursum hic ab alienigena descenderat, ille vero ab adultera. Neque enim virtuti dedito, nocet progenitorum iniquitas. Quisque enim à propriis operibus, non ab alienis probus iudicatur, aut improbus. Nam ob id etiam venit Christus: non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea susciperet, suisque virtutibus perimeret. Vt medicus namque aduenit Christus, non vt iudex. Hæc igitur prima est causa. Altera vero, quia, eo quod Iudæi virtutis, quæ cites animam vacsatur, nulla habita cura, de progenitoribus plurimum gloriabantur; generositatem illorum sursum, ac deorsum circunferentes, reprimit rumorem ipsorum, ostendens etiam illos ea illegitimis natos nuptiis. Statim enim patriarcha eorum, eiúsdemque nominis Iudas, ex ea, quæ sibi scelesto modo copulata est, progenitorem ipsorū Phares & Zara genuit, Dauid quoque ille adeo celebris, ex adultera Solomonem generauit. Restat itaque vanam esse de progenitoribus iactantiam. Opinor autem ob hanc etiam potissimum causam, fratrum quoque Iudæ meminisse. Gen.3. Quatuor enim ipsorum ab ancillis Iacob nati sunt, & tamen nulli eorum generis obfuit differentia: omnes namque similiter & patriarchæ fuerunt, & capita tribuum. Tertia vero causa est, quod mulieres illæ fuerunt figura ecclesiæ, quæ ex gentibus congregata est. Quemadmodū enim illas diuersis subiectas peccatis viri prædicti duxerunt: ita quoque Christus humanam naturam, varijs oppressam peccatis, sibi ipsi vniuit. Et sicut genus talium

lium mulierum nequaquam indignum reputauit: ita nec eccleſię ſecum deſponſationem. Simul quoq; per talia docemur, non de progenitorum peccatis, ſed de proprijs erubeſcere, neque de maioribus gloriari, ſed propriæ curam habere virtutis. Neque viros egregios talibus * copulatos nuptijs propter huiuſmodi matrimonia vilipendere. Neque eos repellere, qui à diuerſis iniquitatibus ad fidem accedunt. *Ioram autem genuit* † *Oziam: Ozias autem genuit Ioathā: Ioathā autē genuit Achaz: Achaz autē genuit Ezechiam, &c.* Quartus certe Regum liber, ac ſecundus Paralipomenon tres Ioſiæ filios ponunt Ioacham, Ioacim qui & Eliacim vocabatur, ac Sedeciam, qui & Matthanias dicebatur: ab vno autem horum, puta Ioacham deſcendiſſe Iechoniam dicunt. Liber autem Eſdræ Iechoniam filium Ioſiæ fuiſſe dicit, ſicut & præſens Euāgeliſta. Quid ergo dicemus? Quod quem illi Ioachim dixerunt, hic Iechoniam appellat: binominis enim erat, ſicut & fratres ſui. Etenim, quæcunque illi circa Ioacham dixerunt, hæc omnia Eſdræ liber inuariabiliter de Iechonia dixit: & quod matrem habuit Hamital filiam Hieremiæ: & quod viginti trium annorum erat, quum regnare cœpiſſet: & tribus tantum menſibus regnauit. Eiectus eſt enim à Pharaone rege Ægypti, & captiuus migrauit in Ægyptum. Reliquum eſt igitur, vt alius fuerit Iechonias filius* Ioacim, cuius fratres nullus liber poſuit. Veriſimile eſt autem poſtquam Ægyptij à Nabuchodonoſor rege Babylonis fugati ſunt, tranſlatum eſſe & Iechoniam in Babylonem, & in ea genuiſſe Salathiel. *Ioſias*, inquit, *genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonica.* Et quidem hoc ante Iudæorum in Babyloniam tranſmigrationem Ioſias genuerat. Reliquum eſt ergo, vt, *in tranſmigratione*, capiatur pro eo quod eſt, circa tēpus tranſmigrationis. Meminit quoque fratrum eius: eo quod omnes ipſi ſimiliter regnauerunt, & pariter à Nabuchodonoſor captiui in Babylonem tranſlati ſunt.

Senſus tamen ſortè ut legam' muliere & mox, pro matrimonia, legendū, virtus. † *2. Par 36. 4. Reg. 23.* * *forte Ioacham legendū eſt.* †

† *Quomodo autem circa mediam hanc partem tres prætereyt reges, nēpe Ochoſiam filium Ioram, & Ochoſiæ filiū Ioas, & ipſius Ioas filium Amaſiam? Amaſias enim genuit Azariam, quem ſecundus Paralipomenon Oziam nominauit: binominis enim erat. Quomodo ergo Mattheus ait Ioram genuit Oziam? Nam quod Ioram genuerit Oziam tanquam abnepotem aut poſterum ſuum, non tanquam filium manifeſtum eſt. Qua igitur cauſa tres reges, vt dictum eſt, prætermiſſi ſint, nullus hactenus dixit. Valde enim perplexa eſt ratio ijs: qui noſtris nati ſunt temporibus. Reuerentia autem, quam erga maiores noſtros habuerunt, in cauſa fuit, vt ab hac abſtinerent quæſtione.*

Aliqui tamen id referunt in deſtabile ſemen Achab.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Marię, ex qua genitus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Ad Ioſeph deueniens, non in hoc verbo ſeriem terminauit, ſed addidit, virum Mariæ, docens nos, quod ob hanc ipſam generationis ordinem Mariæ contexuit. Quia enim moris non erat mulierum genealogias ponere, ſtuduit, vt & morem ſeruaret, & alio modo Chriſtum demonſtraret ex genere Abraham, & Dauid deſcendere. Ideo ſponſi matris Dei genealogiam contexuit: & per hunc, quod intendebat, demonſtrauit. Ex quo enim Ioſeph de genere illorum eſſe demonſtratus eſt, manifeſtum quoque eſt, Dei matrem inde deſcendere. Nam aliunde ſponſam ducere non licebat, niſi quæ ex eadem eſſet tribu, eadémque familia, & ita conſanguinea. Ipſum autem Ioſeph, virum quoque eius dicit, hoc eſt, ſponſum. Nam & poſtmodum in ſequentibus, eam vocat vxorem, hoc eſt, ſponſam. Ita enim conſuetum erat vocari etiam, antequam coniungerentur.

GVERRICI ABBATIS
Igniacenſis, in natiuitate B. Mariæ, Sermo 1.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, &c. Eccleſ. 24. Natalem beatiſſimæ virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata eſt hodie virgo de qua ſalus omnium voluit naſci, vt natis ad mortem, daret ad vitam poſſe renaſci. Nata eſt hodie mater noua, quæ primæ matris maledictionem diſſoluit, vt per iſtam benedictionem, hæreditatem poſſideant, qui per illam ſub præiudicio maledicti æterni fuerāt nati. Prorſus noua mater, quæ nouitatem attulit, filiis inueteratis, vitiúmque ſanauit, tam ingenitæ, quam ſuperadditæ vetuſtatis. Prorſus noua mater, quæ tam nouo miraculo parit vt pariat & virgo ſit, ipſúmque pariat, qui omnia matrémque ipſam inter omnia creauit. Mirabilis quidem nouitas fœcundę virginitatis, ſed lōgè mirabilior nouitas editæ prolis. Nulli enim incredibile iam erit virginem permanſiſſe quæ peperit qui Deum agnouerit eſſe qui natus fuit. Nullatenus ſiquidē cùm iniuria maternę naſceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare conſueuit, nec veritas aſſumpti corporis potentiæ præiudicauit creatoris, quo minus ſeruaret ſibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas inuenies naſci ſine corruptione gignētium, & quadam voce ſua creatori ſuper inuiolabili partu ſuo perhibere teſtimonium. Sed loquatur mater ipſa quę ſui conſcia eſt myſterij, & nos edoceat, quomodo vel quid ipſa genuerit. Loquatur autem non nouæ aſſertionis argumēto, ſed antiquo prophetiæ oraculo: quia vt ait Petrus Apoſtolus, etiā miraculis firmior teſtis eſt propheticus ſermo. 2. Pet. 1. Quid enim minus patet calumniæ, aut ſuſpicionem admittit falſitatis, quàm teſtimonium diuinitùs de nondum natis prolatum? Longè igitur antequàm naſceretur Maria, vocem ipſius aſſumebat ſpiritus, qui in ea futurus erat: & tam diuinitatem filij, quàm integritatem matris, opus videlicet ſuum contra blaſphemias impiorum defendebat, & in perſona ipſius (ſi modo communem intellectum ſequimur) quod nunc audiſtis dicebat: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Quod enim perſonæ ſapientiæ, id eſt, ipſius filij tribuit hæc verba contextus lectionis, ſicut ipſi ſcitis qui regulas noſtis ſcripturarum: nihil huic præiudicat intellectui, quò minus ſicut alia multa, poſſint aptari perſonæ quoque virginis matris. Sed neque illud ignoratis quod ſatis ſupérque ſupperant alia teſtimonia, familiarius, ac manifeſtiùs huic negocio ſcruientia, ſed non erat fraudanda expectatio veſtra, de his quæ lectio propoſuit hodierna. Reſpondeat ergo Maria blaſphemis tā pro ſe quàm pro filio, cunctáſque hæreſes ſolo interimat verbo, & dicat: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Ac ſi apertè dicat: Partus quidē meus non habet exemplum in ſexu mulierum, ſed habet ſimilitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo

do virginitas genuit saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit saluatorem. Quid potest calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quàm flos inuiolati corporis? Quid aliud est filius virginitatis, quàm suauitas odoris?
1.Cor.2. Tu tamen caue ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his, qui scilicet salui fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt: nimirum tanquam odor vineæ florentis animalibus venenatis. Sanè suauitate huius odoris refocillabatur spiritus patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ suauitatis il-
Genes.27. lius eructabat, dicens: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Suauitatem huius odoris odoratus est Deus pater & delectatus, repropitiatus est humano generi, cum filius offerret semetipsum oblationem & hostiam
Cant.1. Deo in odorem suauitatis. Hoc suaui odore trahimur, cùm per cõuersionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cum per deuotionem currunt post ipsum. Quamquã alius sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur: alius odor iste qui de vestimentis vel vnguentis, vel de ipso fortassis corpore eius quodammodo efflatior aspergitur. Qui vtrique non est aliud quàm virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & feruorem amoris innuat, vt ad currendam viam mandatorum exultare faciat. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, gloriatur Maria & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Pulchrè quasi vitis, iam non botrus cypri dilectus suus illi, de quo non solùm torcular passionis rubens mustum expressit preciosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat, sed quotidiè deuorio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudij & amoris. Verùm non priùs inebriat gustus saporis, quàm trahat suauitas odoris: nec lætificat gaudiũ visionis, nisi priùs alliciat pietas opinionis: quia nisi credideritmus non intelligemus, nec gustabimus quoniam sua-
Psal.33. uis est Dominus. Fides siquidem est quæ odoratur, experientia quæ gustat & fruitur. Ideo fortassis Maria Iesum suũ describens per virtutes ipsius & efficientias, primò suauitatem odoris eum hominat: quia videlicet hoc initio Iesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ, ad se nos trahat. Quis sit autem fructus vnde iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit cum subdit: *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* Prorsus iste est Iesus suauitas odoris inuitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suauitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas per quam deducimur: honor ad quem perducimur. Pulchrè autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ, statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc sicut nunc passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec vllus honestus sine honore. Hic est ergo Iesus primò suauitas odoris, his quos vocat, deinde honestas, his quos iustificat, demum honor illis quos magnificat. Nam quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos voca-
Rom.8. uit hos & iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Talis est igitur dilectus meus, ait Maria, & iste est filius meus ô filiæ Hierusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificauerunt flores mei. Non ait flos, sed flores, quia cùm virgo sancta est, flus virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris tota vernabat quadam florulentia & venustate pudoris. Nam & in te quoque si castimonia perfecta sit, non solùm reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam diuina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitia floridus: non sermo lasciuus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi noua vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus sed modestus: non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, immo religiosus, totúsque hominis tui status, sanctimoniæ gratia florulentus, vt rectè sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum inuitaueris, lectus noster floridus. Quinimmò ipse totus erit quidam flos pulcherrimus, qualibet sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia Cant.2.
amore langueo. Huiusmodi iustus etiam cum senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius ad odorem aquæ viuæ in resurrectione, id est in refloritione iustorum germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium sponsum, & coronam virginum, florem inquam quo coronanda est, non solùm integritas virginum, sed & castitas continentium: ipsi gloria per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM *lectione*, *Sermo 2.*

Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei. Meminisse potestis cum Eccles.24.
præterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconuenienter, vt arbitror beatæ Dei genitrici nos istud assignasse, saluo tamen intellectu illo, quo tota lectio filio eiusdem propriè competit, id est Dei sapientiæ. Multò autem manifestiùs in eo quod modo de eadem lectione proposuimus, eiusdem virginis se demonstrat vox & persona: si tamen aduertamus in eo quod ait. *Ego mater pulchræ dilectionis, &c.* Quàm pulchrè & commodè filium his virtutum nominibus describit. Notus erat matri filius: nec minus vtrique quàm illi qui dicebat: Et si cognoui- 2.Cor.5.
mus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Primò nouit eum secundum formam carnis in qua eum ipsa genuit, sed lõgè hoc à cognitione illius formæ in qua pater eum genuit. In illa visus est aliquando, & non erat ei species neque decor, in ista splendor est gloriæ & candor lucis æternæ, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Visio il- Iacob.1.
lius formæ incredulis auxit peccatum, visio istius iustis seruatur in præmium. Igitur inter formam carnis & formam verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est quædam alia forma Christi, spiritalis quidem, sed quã in carne palam exhibuit, forma scilicet vitæ quam in corpore gessit: ad in-

 formatio

formationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ & morum quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus, tunc demum idonei erimus videre non formam solùm quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formauit nos. Est itaque in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater est, in morali magister est, in intellectuali Deus noster est. Corporalem suscepit vt impleret sacramentum, moralem exhibuit vt præberet exemplum, intellectualem seu diuinam reuelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam angeli cócupiscút prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ huius, quæ in exemplum est proposita, nam qui scrutator est illius quæ in præmium est reposita opprimetur à gloria. Huius formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat. Psal.44. Speciosus forma præ filiis hominum. Vis scire quia non formam corporis sed cordis, non pulchritudinem membrorum sed morum prædicabar, Ibidem. Audi sequentia. Specie tua inquit, & pulchritudine tua, intende, prospere procede & regna. Adhuc fortassis dubium est, nisi addat. Propter veritatem, inquit, & mansuetudinem & iustitiam. Prorsus hæc est species tua & pulchritudo tua, qua regnum adquisiuisti pulcherrime regum, veritas vtique sermonum mansuetudo morum, iustitia iudiciorum. Hac pulchritudine facili illexisti & subiecisti tibi etiam corda inimicorũ, quippe totus concupiscentia & desyderium. Mirabilis triumphus gratię omnino nouum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed conuertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris eius, non quia faciem eius viderit, sed quia tam multa amabilia de Esa.2. mansuetudine, veritate & iustitia eius audiuit. Ex Syon species decoris eius, quia de Syon exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem, vnde scilicet euangelium ad nos missum est in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est, forma scilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in se expressit exemplo. In hac forma nosse Christum interim pietas est Christianorum, cum nosse in forma carnis scandalum fuerit Iudæorum: nam nosse in forma diuinitatis fœlicitas est, & gaudium angelorum. Ideo & Paulus sciens quia caro non prodest quicquam sine spiritu, videlicet qui viuificat, nosse iam Christum secundum carnem repudiat: nimirum vt spiritui viuificanti studiosius totus intendat. Hoc ipsum & Maria sapere videtur: quæ dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundum spiritum quasi diceret & ipsa: Et si cognoui Christum 2.Cor.5. secundum carnem, sed nunc iam non noui. Cupit nanque & ipsa formare vnigenitum suum in omnibus filiis adoptionis, qui & si geniti sunt verbo veritatis, nihilominus tamé parturit eos quotidiè desiderio & cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum in mensuram plenitudinis ætatis filij sui, quem semel parturiuit & peperit, immo Esa 66. vt Esaias ait. Antequam parturiret peperit, quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem & molestiam parturitionis, cùm pareret gaudij fructum æterni. Hunc igitur commendans nobis sic ait. *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei.* Ergóne est iste filius tuus ô virgo virginum? Ergóne talis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Planè talis est dilectus meus, & ipse est filius meus ô filiæ Hierusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in seipso; dilectus meus est pulchra dilectio, timor & spes & agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solùm quem diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus, sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus velut quibusdam membris & partibus in nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfectè pro modulo huius vitæ Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius vitæ expressa est, si veritatem quæ ipse est agnouisti, & agnitam glorificasti, timore videlicet & spe, & ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui indicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel profectuũ, & alius ordo positionis nominum, non enim ait: *Ego mater agnitionis & timoris & spei & dilectionis*, sed ait: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & spei sanctæ, fortassis & in hoc ordine ipso quem ponit inueniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem ne in desperationé concidat, spes adiuncta consolatur, ipsique spei ne confundat, dilectio suffragatur, ita versa vice dilectio castum parit timorem, timorque cũ dilectione illuminat agnitioné: secundum illud sapientis: Qui timetis Dominum diligite illum, Psal.21. & illuminabuntur corda vestra. Quantò autem veriùs illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eum speratur. Vnde est illud: Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum do- Psal.9. mine. Spes verò sancta est, sicut Ioannes de spe videndi Deum loquens ait: Omnis qui habet hãc spem in illum sanctificat seipsum: sicut & ille sanctus est. Pulchrè autem & proprie dicta est pulchra dilectio cũ charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo, sitque virtus ista fere tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse sponsus eius in cantico amoris inuenitur tantum ac totiens in ea mirari & extollere. Prorsus dilectio pulchra: quæ de corde puro est, & conscientia bona, & fide non ficta. Vbi enim cor purum est, nulla est ruga, vbi conscientia bona, nulla est macula, vbi fides non ficta, nõ est aliquid eiusmodi quod oculis sponsi displiceat, quo minus sibi ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine dilectio sanctorum ab amore hominum, siue turpi, qui nec nominãdus est inter fideles, siue naturali quo amãtur parentes, siue seculari quo se inuicem amant propter seculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo, procul, immò nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis, seorsum autem interim cedat amor necessitudinis, solúsque regnet amor internæ & æternæ pulchritudinis, quo solum Deum vel propter Deum amant verè pulchri. Tu Psal.44. beate Iesu pulchritudo sanctorum, speciosus forma non modo præ filiis hominum, sed & præ virtutibus cælorum: Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede & regna, tamque latè regnet pulchra dilectio tua, vt turpem de finibus rerum proturbet & eliminet, secularem ad se conuertat & inclinet, naturalem sub se regat & ordinet, vt illa pulchra & vera dilectione te dili-

gat

gat mundus, qua dilexisti mundum saluator mũdi, qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI DE *eodem festo, Sermo I.*

DE gaudiis properamus ad gaudia, & feruentẽ stylum gloriosa materia facit feruentiorem. De Virgine venimus ad Virginem, & de Maria ad Mariam recurrimus. Bonum est nos hic esse, melius immorari, optimum permanere. Felices Angelici spiritus, qui beatæ Virginis habent præsentiam. Nos interim memoriam abundantiæ suauitatis suæ eructamus. Illi præsentiam, nos memoriam. Si sic dulcis est memoria, quid est præsentia? Et illi quidem abundantiori rore diuinitatis infusi, Genitum, & Genitricem visione mirabili contuentur, Regis & Reginæ gloria cumulati. Nos verò, quos carcerariæ mortalitatis ærumna contorquet, memoria pascimur, scripturis releuamur, & quod illi vident, nos legimus. Vtinam veniat, qui nos in lucem reponat, dies, vbi non legere liceat, sed videre. Interim consolemur nos suauitate memoriæ, donec dulcedine præsentiæ satiemur. Hodie nata est illa, per quam omnes renascimur, cuius speciem concupiuit Omnipotens, & in qua Deus posuit thronum suum. Ipsa est thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum historia legitur in hæc verba: Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis. Per sex gradus ascendebatur ad eum. Rotundus erat in posterioribus. Duodecim leunculi stabant super gradus, respicientes ad thronum. Porrò duæ manus tenebant hinc, & inde sedile. Duo leones stabant iuxta brachiola. Non est factum simile opus in vniuersis Regnis. Sed iam verba proposita producamus in lucem, & aquam eliciamus de petra, ipsa loquente in nobis, de qua loqui vobis proponimus. Fecit, inquit scriptura, Salomon Rex thronum de ebore grandem. Tribus nominibus in scripturis Salomonẽ vocatum legimus, & vbique regio nomine titulatum, videlicet Salomonem, Ecclesiasten, Ididam. Filius Regis, immò & Rex, nec solum Filius Dei, sed etiam Deus, Salomon, id est, pacificus, est nobis in hoc exilio; Ecclesiastes, id est, cõcionator, erit in iudicio; Idida, id est, gloriosus, erit in Regno: in exilio amabilis, in iudicio terribilis, in Regno admirabilis; in exilio pius, in iudicio iustus, in Regno gloriosus. Vide autem si non vbiq; Rex. In exilio rector morũ, in iudicio discretor meritorum, in Regno præmiorũ distributor, simúlq; considera, quia nõ Ecclesiastes, nõ Idida, sed Salomon tam gloriosum opus facere prænotatur. Auerte oculos tuos ab illius terreni Regis deliciis, qui licet fuerit sapiẽtia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, nõ tamen tale opus facere potuerit, quale factum non sit in vniuersis regnis. Nunquid sacræ scriptor historiæ omnia opera mundi, & gloriam eorum intuitu diligenti prospexerat, vt hoc statim tota deliberatione, non vni, sed omnibus anteferret? Inania sunt hæc, si non recurramus ad intimos cælestis disciplinæ recessus, si non deuiemus à via literatoriæ qualitatis. Salomon noster non solum sapiens, sed & sapientia Patris, non solùm pacificus, sed & pax nostra, qui fecit vtraque vnũ, fecit thronum, vterũ videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Maiestas, quæ nutu cõcutit orbem. Hanc sessionẽ Filij & probauit, & cognouit Pater, ipso dicẽte: Tu cognouisti sessionẽ meã: &, Thronus tuus Deus in seculũ seculi: &, Thronus iste sicut Sol in cõspectu tuo. Sedes, inquit scriptura, super thronũ, qui iudicas æquitatẽ. Quid enim iustius, quàm vilem, & transfugam seruum, & conserui sui sedulum deceptorem, perpetuis ignibus assignare, & illum, quem fefellerat, suo resignare principio? Ait ille alter filius Virginis: Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius: Ex hoc throno laus Angelorum prorumpit, & hominum, quia dum hic restituitur, & ille resarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem. Nosti quidnam dicat, qui sedet in throno? Ecce, inquit, noua facio omnia. Felix thronus, in quo sedet dominator Dominus, in quo, & per quem non solùm omnes, sed omnia renouantur. Parco verbis, quia quosdam vestrum sentio præuolare, & currentis styli præuenire pauperiem. Meritò ergo tale opus non eloquenti, non glorioso, sed pacifico scribitur assignatum, quia venit Iesus instaurare & quæ in cælis, & quæ in terris, pacemque & concordiam inter homines, & Angelos, mediante Virgine, reformare. De ebore, inquit. Quid est, quòd aurum, & argentum, & lapides pretiosi & omnis denique pretiosioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis, & fabricatur in ea quod omnibus operibus præferatur. Ebur enim & mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia supercælestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obumbrauit virtus Altissimi, & ab æstu peccati defendit superuenientis Spiritus plenitudo? Ex hoc ebore (nisi fallor) fiunt illæ domus eburneæ, de quibus dicit Psalmista, Myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis. Sequitur, Grandem. Quid grandius virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis infra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. Et vestiuit eum auro fuluo nimis. Aurum omnibus metallis pretiosius, intellige diuinitatem Dei, omni præeminentem mundo, omnia gubernãtem. Hac vestita est, immò superuestita Mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indiuisibilis natura largiori gratia superfudit. Quid est autẽ quod dicit, Fuluo nimis? Hic aliquid requirendum reliquit nobis Spiritus ille multiplex; & vtinam possim explicare quod sentio. Quatuor modis inest Deus omnibus creaturis. Primo modo essentialiter tam bonis, quam malis, nihilque intercludit Deitatis essentiam, per quam esse omnia acceperunt. Inde est, quòd nusquam, & in omni loco esse legitur, cùm omnibus præsentialiter assistat, & à nullo comprehendatur. Habent etiam & mali Dei præsentiam, sed non gaudent, cùm Inanimata quælibet hoc possint priuilegio

gloriari. Secundo modo inest bonis operatione: agit enim in eis virtus operatiua, vt operentur opera Dei; nec otiose creati sunt inter creaturas sicut & mali, qui elegerunt arescere, vt sempiternis ignibus alimenta ministrent. Inest & plerisque bonis illuminatione, quos de futurorum cognitione nobilitat, & participes suorū efficit secretorum: Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Mariæ virgini identitate, quia idem est quod illa. Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem. Dominus tecum, inquit, Archangelus. Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cū illis eiusdem nō est essentiæ. Habitat Deus in virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Hoc est ergo aurū fuluum nimis, quo thronus est vestitus, quia tali modo Deus virginem induit, & in virgine indutus est, vt meliori non posset. Sequitur. Per sex gradus ascendebatur ad eum. Elige meditari quæ sancta sunt, quia peruersæ cogitationes separant à Deo, & primum gradum ascendisti. Insuesce linguam tuam bene loqui, & subsilisti ad secūdum. Iuste quod iustum est operare, & tertium ascendere meruisti. Doce iniquos vias domini, & consolare omnes lugentes, & ad quarti sublimitatem raptatus es. Relinque mundū, & ea, quæ in mundo sunt, & ad quinti cacumen euolasti. Teneat te perseuerantia in motu, perseuerantiā non relinquas, & sextum gradum viriliter attigisti. Ex hoc subsilire licet in cælum, & ad illam gloriam aspirare, in qua Regina gloriosior angelicam reuerberat dignitatem. Sequitur. Rotundus erat in posterioribus. Posteriora virginis Assumptionem eius intellige, in qua finem vitę mortalis accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota cum quanto sacramento transitum virginis scriptura comparet rotunditati. In rotūdo nec principium, nec finem poteris inuenire. Ita & gloria, quæ eam de hoc mundo transeūtem accepit, principium ignorat, nescit finem; de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei. Sequitur. Duodecim leunculi stabant super gradus. Duodecim leunculi duodecim Apostoli sunt, qui præfixis gradibus validiùs insistentes, Reginam cæli non sine maximo stupore demirantur, & dicunt: Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Porrò duæ manus, quę tenebant hinc & inde sedile, actiuam, & contemplatiuam vitam significant, quæ Matrem virginem propensiori diligentia ambierunt, adeò vt nec actio contemplationem minueret, & cōtemplatio non desereret actionem. Recordare, quia non erat ei locus in diuersorio, quomodo filium suum propriis vberibus lactauerit, & omnes denique vagientis paruuli sustinuerit actiones, & tunc intelliges, quia plurimum ministrauit. Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus. Leua, inquit, eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Duo Leones stabant iuxta brachiola. Duo Leones sunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangelista, quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est. Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili solicitudine seruauerūt. Qui benè Leones dicūtur propter rugitū altisonæ vocis; duo enim verba nūciauerunt orbi terræ, qualia nec dicta sunt, nec dicentur, & in quorum comparatione omnia muta debeant apparere. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: ait Archangelus. Audis ne in hoc verbo incarnationem Dei, redemptionē hominum, renouationem mundi? In principio erat Verbum dicit Euangelista. Animaduertis hic Verbi diuinitatem, Ecclesiæ fidem, hæreticorum silentium, locū quietis, secretū solitudinis, luminis arcanū, habitaculū pacis? Ob hanc fortassis causam vocauit Iacobū, & Ioānē Boanerges, id est filios tonitrui. Nō est factū simile opus in vniuersis regnis. Nihil verius, nihil sublimius, nihil dulcius misetæ mortalitati, & mortali miseriæ. Nā etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamē tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Subueni, Domina, clamantibus ad te iugiter. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Tu benedicta, & superbenedicta, reuertere primò per naturam. Nunquid quia ita Deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui; non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci: quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura; non enim ita memoraris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas; neque ita est impassibilis, vt sis incōpassibilis. Naturam nostram habes, non aliam; & iustum est, vt de rore tantæ pietatis diffusius infundamur. Reuertere secundò per potentiam. Fecit in te magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem de luto fecis, & miseriæ subleuasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis reuelare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moueat: quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis; potestati enim cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle, cùm possit. Reuertere tertiò per amorem. Scio, Domina: quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te, Filius tuus, & Deus tuus, summa dilectione dilexit. Quis scit, quoties refrigeras iram iudicis, cùm iustitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? Reuertere quartò per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit vt cesset manus tua, cùm occasionem quæras saluandi miseros, & misericordiam effundendi, neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cùm pœnitentes ad veniam, iustificati ad gloriam assumuntur. Reuertere ergo Sunamitis, id est, despecta, cuius animam pertransiuit gladius, quæ fabri vxor appellata fuisti. Ad quid? Vt intueamur te. Summa gloria est, post Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos; nam & Filius nihil negans honorat te.

Mirarer, & qua virginis præconia in immensum augeat. Deus idē est quod illa.

Vide [...] Virgo inuocatur, vt subueniat humano generi.

Nota dotē B. Virginis omnē potestatem in cælo, & terra, & ei negatū est.

Ecce dotem manibus sacratissimis Virginis [...] thesauri [mi]serationū [...]

Qui

Qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 2.*

Orthodoxi patres beatissimæ Virginis festiuitates suam tum cultum, tum religionem prosequuti sunt.

Quod ergo humanæ nostræ redemptionis gerebat diu sanctissimum consilium ...

NAtiuitas beatissimæ, & intemeratæ genitricis Dei, fratres charissimi, meritò præcipuum, & singulare præbet hominibus gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium. Sicut enim omnipotens Deus ineffabili prouidentiæ suæ intuitu antequam homo fieret, hominem petiturum diabolica machinatione præuidit, sic etiam redemptionis humanæ consilium ante secula in immensæ pietatis suæ visceribus habuit. Et non solùm qualiter redimeret, modum, & ordinem in profundissima sapientiæ suæ ratione constituit, verumetiam quando redimeret, certum temporis articulum præfiniuit. Sicut ergo impossibile erat, vt humani generis redemptio fieret, nisi Dei filius de Virgine nasceretur, ita etiam necessarium fuerat, vt Virgo, ex qua verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius ædificari domum, in quam descendens cælestis Rex habere dignaretur hospitium, illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Septem itaque Virginalis hæc domus suffulta columnis extitit: quia venerabilis mater Domini septem Spiritus sancti donis, id est, sapientiæ & intellectus, cõsilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, atque timoris Dei dotata fuit. Quam vtique æterna sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, talem construxit, quæ dignificaretur illum suscipere, & de intemeratæ carnis suæ visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctæ Ecclesiæ susciperet sponsum. Cui Dauid exultãs in spiritu epithalamium canit, dicens: Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Meritò ergo hodie profusis gaudiis totus vbique terrarum orbis exultat, meritò vniuersa sancta Ecclesia, nascente sponsi sui genitrice (vt ita præ gaudio dixerim) fescennini carminis laudes alternat. Exultemus, inquam, in hac die præcipua, & totis visceribus in Domino delectemur, in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum festiuitatũ celebramus originem. Quę enim cunctis solennitatibus est antiquior tempore, nequaquam esse debet inferior dignitate. Nam si Salomon cum Israelitico populo in dedicatione templi ex lapidibus facti tam copiosum, & magnificum sacrificium solenniter celebrauit, quale, quantumque gaudium beatæ Mariæ natiuitas populo Christiano debet afferre, in cuius vterum, velut tenera sacratissimum templum, Deus ipse descendens, & humanam naturam ex ea suscepere, & eum hominibus dignatus est visibiliter habitare? Licet enim & in illud Salomonis templum Deus descendisse credendus sit, in hoc tamen rationabili sanctuario, hoc est in beatissimæ Virginis vtero, multò mirabiliùs, multóque felicius dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. De illo quippe, antiquo videlicet templo, scriptum est: Factum est, cùm exissent sacerdotes de sanctuario, impleuit nebula domum Domini, & non poterant sacerdotes stare prope propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quæ omnia (sicut egregius Prædicator dixit) in figura contingebant illis. Gloria quippe Domini intelligitur Christus, cuius fide repletus est mundus. De qua gloria, cùm pro obdurato Iudæo deprecaretur Dominum Moyses, vt parceret populo peccatori, respondit Dominus: Propitius ero illi. Veruntamen viuo ego, & viuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra. Et Psalmista; Implebitur, inquit, gloria eius omnis terra. Quòd autem nebula impleuit domum Dei, & non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam, hæc sententia superbos Iudæorum pontifices, ac doctores insinuat, qui dum incarnationis Christi sacramenta inuestigare despiciunt, debitum fidei suę ministerium per erroris nebulam perdunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, vt propriis exigentibus meritis, non agnoscant debitum credulitatis. Ad illud ergo templum Dominus in nebula descendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caliginem designaret; in hoc (sicut scriptum est) in Sole posuit tabernaculum suum, vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret. Illi denique templo Deus omnipotens gloriam quidem sui aduentus contulit, sed nihil ex eo in sua natura suscepit, in beatissimæ autẽ Virginis vterum non solùm dignatus est descendere, sed ex eo etiam perfectam sibi substantiam nostrę mortalitatis vnire. Quantò igitur nostri templi maior est dignitas, tantò gloriosior debet esse solennitas. Sed quo pacto eius solennitatem dignè celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudiũ parere meruit Angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortale hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum? Quæ lingua in eius laude inueniatur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & eum tremore obediũt elementa? Nam dum cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutis eius insignia ad Redemptoris gloriã prædicamus, etiam si ad cogitandum tardior sensus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat, verborum tamẽ copiam ipsius rei materia subministrat. Cùm verò Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia noua, & inaudita sunt quę tractanda suscepimus, nulla inueniuntur verba, quibus ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis. Quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cùm cogitare cœperit, quia Creator oritur ex creatura, Factor fit ex factura? Quòd in Virginea puellæ matrice concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur? Quòd iacet intra materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre rerum omniũ iura gubernat immensus? O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labiis infundunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt. Exiguum exprimũt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Hic, dilectissimi fratres, hîc (rogo) perpendite, quàm debitores sumus

Solennitates festiuitatum celebrandæ.

huic beatissimæ Dei genitrici, quantásque illi post Dominū de nostra salute gratias agere debemus. Illud siquidem corpus * Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, absque vlla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramentū nostræ redemptionis haurimus. Hoc catholica fides haber, hoc sancta Ecclesia docet. Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua Mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de semetipso perhibet dicēs: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi; si quis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum. Per cibum nanque à Paradisi sumus amœnitate deiecti, per cibum quoque ad Paradisi gaudia reparati. Cibū comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit; cibum Maria ædidit, qui nobis cœlestis conuiuij aditum patefecit. Hic etiam (obsecro) dilectissimi fratres, hic lineam nostræ redemptionis attendite, & quàm circa nos diuinæ pietatis viscera fuerint intenta, cordis aure pensate. Fecit Deus hominē (vt ita dixerim) mortaliter immortalem, videlicet vt si custodire vellet præceptum obedientiæ, in æternum viueret, si verò contēmneret, mortis mox imperio subiaceret. Quid plura? Peccauit homo, diabolo suadente, & tota humani generis arbor venenata est in radice. Cecidit infelix pater per gulam, & eius progenies rea facta est per naturam, dicente Apostolo: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Factus est itaque Adam fermentum, & vniuersam corrupit multitudinem filiorum, quia dum ille pestifero serpentis vitiatur afflatu, tota in illo humani generis massa corrumpitur. Vnde mediante iam nouæ gratiæ splendore, per egregium nobis Prædicatorem dicitur: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Sed pius, & misericors Deus noluit omnimodo perire creaturam suam, quam formauerat ad imaginem, & similitudinem suam. Ex omni itaque multitudine nationum vnū sibi elegit, Israëliticum videlicet populum, cui & legem dedit, & sacrificia sibi diuersorum animalium offerre præcepit. Sed lex illa, vt homo per eam perfectè saluaretur, nequaquam erat idonea. Sicut enim per Paulum dicitur, Nihil ad perfectum adduxit lex. Quia enim rudis adhuc ille populus, superbus, & rigidus erat, ad portandum perfectæ legis iugum ceruicem cordis humiliare non poterat. De quo nimirum populo ad Moysem Dominus dicit: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit. Danda ergo illi fuerat huiusmodi lex, quæ nec omnino à diuinis obsequiis liberum ire permitteret, nec tamen præcipiendo summa, & grauia, deterreret. Sacrificia autē, quæ tunc offerebantur, ad emundationem carnis aliquatenus prodesse poterant, ad conferendum verò animabus salutem, sufficere non valebant, dicente Apostolo: Si enim sanguis taurorum, aut vitulorum, aut cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum se obtulit immaculatū Deo, emundabit conscientias nostras ad seruiendum Deo viuenti? Cùm enim ad emundationem carnis sacrificia illa prodesse denunciat, purgationem animabus conferre nequaquam potuisse designat. Neq; enim irrationalis creatura ad sanctificandam rationalem esse poterat valida. Sed nec ipsi sacerdotes sanctificare populū poterant, quia & ipsi pro suis reatibus offerre hostias indigebāt. Neque delictis obnoxij delictorum valebant vincula soluere, vel peccatores peccatorem iustificare. Necesse ergo erat, vt talis sacerdos inueniretur, qui dum in aliis peccatorum sordes ablueret, ipse in se abluendum aliquid non sentiret, & dum alieni reatus contagia tergeret, in semetipso aliquam lepræ maculam non haberet. Sed huiusmodi homo in humano genere inueniri non poterat, quia vnusquisque cum Propheta hunc versiculum veraciter decantabat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: & sicut per Apostolum dicitur: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Obsecro, dilectissimi fratres mei, hanc vestræ, immò nostræ salutis historiam diligenter attendite, & humanæ restaurationis ordinem etiam in vestris cordibus ordinate. Corda vigilent, oculi non dormitent. Cùm igitur huiusmodi homo in humano genere inueniri non posset, ne in peccato suo periret homo, Creator hominum de beatissima Virgine carnem sumens, sine peccato factus est homo, sine peccato cōceptus in Virginis vtero, sine peccatu est conuersatus in mundo. Eia, fratres, intendite. Intendite, inquam, & ineffabile redemptionis nostræ mysterium vigilanter audite. Ecce iam Sacerdos, fratres, nulla ipse habens peccata, & idcirco dignus, & potens, vt sacrificiū offerens aliena mundaret peccata. Ille videlicet, cui per Prophetam dicitur: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sed, sicut per Paulum dicitur, necesse est sacerdotem aliquid habere quod offerat. Veruntamen (sicut superius dictum est) impossibile erat, vt brutorum carnes animalium sanctificarent animas hominum, & irrationalis hostia ratione vrentium sufficeret abolere peccata. Vnde ex persona Filij ad Patrem per Psalmistam dicitur: Sacrificium, & oblationem noluisti: Holocausta etiam pro delicto non postulasti; tunc dixi: Ecce venio. Oportebat ergo, vt rationalis hostia fieret, quæ creaturam rationabilem expiaret. Sed peccator aliquis humo, sicut indignus erat vt sacrificium offerret, sic etiam nihilominus vt ipse sacrificium fieret. Quid ergo Sacerdos noster faceret? Quò se verteret? Quod redemptionis nostræ consilium inueniret? Vnde Mediator Dei, & hominum placationis hostiam sumeret, qua pacem inter Deum, & hominem reformaret? Omnis quippe terrena creatura, si rationalis erat, peccati virus de primi parentis radice contraxerat; si irrationalis, rationalem iustificare non poterat. Quid ergo faceret Mediator pacis, & pax ipsa? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorū decretis euacuans, vt duos conderet in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt recōciliaret ambos in vno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem his qui lōgè, & pacē his qui prope. Quid, inquā, faceret? Cōsiderate, fratres mei, diligenter cōsiderate ineffabilis viscera pietatis, perpēdite immēsum, & inæstimabile pōdus diuinæ charitatis. Quia enim

in

* Nota veritatem corporis Christi in Eucharistia.

in rebus inueniri nō poterat pretium nostræ redemptionis, Redemptor noster semetipsum obtulit Patri pro nobis hostiam in odorem suauitatis. Sic ipse factus est Sacerdos, & sacrificium, ipse Redemptor, & pretium. Vnde rectè per Paulum dicitur: Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerendo Dominus noster Iesus Christus. Audistis itaque nunc, dilectissimi; breuiter reparationis nostræ mirabile sacramentum, audite etiam salutis nostræ opportunum valde consilium. Tradidit semetipsum pro nobis Christus ad mortem, mortificemus & nos pro eius amore omnem in nobis terrenæ concupiscentię voluptatem. Quod enim subire Crucis patibulum voluit, viam nobis, qua redire valeamus ad patriam, strauit, vt qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus; & qui per illicita defluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos astringendo surgamus; & quod deiecerat elatio superbiæ, erigat dilectio humilis vitæ. Vnde & Pastor Ecclesię clamat dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et Paulus; Imitatores, inquit, Dei estote, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationē, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Degustemus ergo nunc, dilectissimi, cum Christo temporalem momentaneæ mortis amaritudinem, vt ad æternam postmodum resurrectionis eius mereamur peruenire dulcedinem. Quod enim fecit pro nobis, hoc etiam fieri quærit à nobis, testante Propheta, qui dicit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pro nostra etenim redemptione non aurum dedit, non argentum appendit, non pecuniam numerauit, sed semetipsum tradidit, pretiosum sui corporis sanguinem fudit, propriam pro nobis animam posuit. Vnde & Petrus ait: Nō corruptibilibus argento, & auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi. Expedit ergo, vt Redemptori suo semetipsum offerat quicunque ad eius cōsortium peruenire festinat. Illius vestigia imitetur in via, qui cum eo gaudere anhelat in patria. Illum sibi ducem faciat in itinere, qui ei particeps esse desiderat in peruentione. Si enim compatimur, & conglorificabimur. Si commorimur, & conuiuemus. Et iterum idem dicit Apostolus: Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Nemo se, fratres mei, inaniter seducat; nemo se vanæ spei securitate decipiat. Non enim possumus hîc gaudere de seculo, & illic regnare cum Christo. Ecce intemerata, & gloriosa Virgo Maria, cuius hodie splendidissima natiuitate vniuersa per orbem sancta illustratur Ecclesia, in lege præsignata, in Patriarchatum, & Prophetarum oraculis prænunciata, ab Angelo singulari honorificentiæ priuilegio salutata, thronus Dei, solium diuinitatis, palatium Regis æterni, gazophylacium thesauri, quo sumus de cruenti prędonis seruitio comparati, nobis proponitur

[illegible]

in exemplum. Hæc tam singularis, tam incomparabilis Virgo, si non sequeretur humilitatē Christi, nūquam pertingeret ad celsitudinem Christi; si iniuncta * mandata contemneret, ad promissa præmia nullatenus perueniret. Nam dum, prædicante eo, quædam mulier extolleret vocē de turba, dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti: respondit: Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiūt illud. Alibi etiam cùm quidam sibi propinquos secundùm carnem adesse nunciaret, dicens: Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: respondit: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manus in Discipulos suos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Notate, fratres, notate dignitatem vestram, si adimplentes legem Dei, frangitis voluntatem vestram. Ecce beata, & venerabilis Virgo Maria secundum carnem quidem Mater Christi fuit, frater non fuit, soror non fuit. Nam quicunque aliquid horum secundum carnalis iura propinquitatis extiterit, aliud sibi esse omnino non valebit, vt nimirum si mater fuerit, frater, vel soror esse non possit; si verò frater extiterit, mater non sit. Nos autem hæc simul omnia Christo per Spiritum sumus, si voluntatem Christi, quæ illi semper cum Patre communis est, adimplere satagimus. Sed quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, quia Deus Spiritus est. Ex illa ergo parte, qua redemptor noster Deus est, propinqui sibi tam multipliciter sumus, quantum illi beata Virgo, ex qua nasci dignatus est, secundum carnem esse non potuit. Proprium & singulare fuit illi beatissimę Virgini Christum in vtero concipere, commune vero, & vniuersale est omnibus electis in cordis eum deuotione portare. Felix illa, & nimium beata fœmina, quæ illum nouem mensibus gestauit in ventre. Felices etiam nos, si illum assiduè portare studeamus in mente. Mirabile quidem fuit Christum concipi in vtero carnis; sed non est inferius, si deferatur in ergastulo pectoris. Vnde & per Ioannem testatur, dicens: Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabò ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Notandum verò, quia priùs se cœnaturū narrat, deinde cœnam daturum grata vice pronuntiat, quia cuius nunc bonis operibus pascitur, cū eo simul postmodum in æterni conuiuij dapibus epulatur. Hîc etiam, dilectissimi, considerandum est, quanta sit dignitas nostra, quātáque nobis sit proportio cum Maria. Concepit Maria Christum in matrice carnis, deferimus & nos in visceribus mentis. Reficiebat Maria Christum, cùm teneris labris lac exprimeret vberum; reficimus & nos variis bonorum delitijs operum. Libet autem nunc, dilectissimi, pro ædificatione nostra in regula diuinæ iustitiæ parumper radios mentis infigere, & qualiter omnipotens Deus electos suos deprimi temporaliter sinat, quos extollere in æternum decreuerit, indagare. Vt enim nunc de cæteris sileam, hæc eadem beatissima Virgo, cuius hodiernam natiuitatem debitis veneramur obsequijs, ante constitutionē mūdi in cōsilio ęternæ sapiētię electa & pręelecta, licet de regali fuerit stirpe progenita, nulla tamen humanæ dignitatis altitudine floruit, nullis rerū temporalium diuitiis abūdauit. Præsepium quippe

Mandata obseruanda, sine quorum obseruatione nec beata quidē Virgo, alioqui verissima Dei Mater, salutis cōpos fuisset.

Christus bonis hominum operibus pascitur.

pe parturientis indicat, quia diuersorium, in quo pareret, non habebat. Solent autem homines nascentibus pueris futuri successus læta promittere, & ex eorum auspiciis prospera matribus nunciare. Beata vero Maria, cùm Filium ad templum deferret, & hunc Symeon in vlnis acciperet, audiuit: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: ac si aperte diceret: Dum filius tuus senserit passionem Crucis in corpore, te etiam transfiget gladius compassionis in mẽte. Studeamus & nos, dilectissimi, seculi huius blandimenta despicere, rerum terrenarum affluentiam deuitare, carnis incentiua reprimere. Crucem Christi assidue in mẽte portare, quatenus dum nunc gladio Mariæ transfigimur, cum ipsa postmodum de æternæ felicitatis dulcedine satiemur. Quod ipse præstare dignetur, qui ex Patre ante secula genitus, ex ipsa nasci dignatus est in fine seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 3.*

AVdistis, fratres charissimi, Dominicæ incarnationis ineffabile sacramentum. Audistis in genealogia beatissimæ Genitricis Dei, reparationis humanæ mysterium. Audistis, qui Creator Angelorum dignatus est propagari de stirpe mortalium. Audistis, quia proauos habere est dignatus in terris, qui fons, & origo omnium rerum intra gubernat in cælis. Ait enim beatus Euangelista: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.*

Desiderantur nonnulla.

Hinc, fratres, hinc (rogo) perpẽdite, quibus laudibus digna sit beata, & gloriosa Virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture audissimi draconis eripuit. Ad eius namque digne efferenda præconia nõ Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriacharum chorus, nõ prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium patrum, huic beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? Sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audiuit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid (rogo) vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli, plenitudini totius diuinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim (sicut per Paulum dicitur) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nec mirum, si cũctorum merita transcendat mortalium, quę & ipsam supercxcedit celsitudinem Angelorum. Per hanc enim beatissimam Virginem non solùm amissa ulim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur. Hoc nempe Angelorũ multitudo illa signauerat, quæ pastoribus audientibus in Redemptoris nostri natiuitate clamabat: Gloria in excelsis, &c. Cum enim priùs dicitur, Gloriam esse Deo in excelsis, deinde additur, Et in terra, patenter ostenditur, quia ineffabilis intemeratæ Virginis partus, non solum terris, sed & ipsis nihilominus generabat gaudium cælis. Hoc etiam illa beatorum puerorum indoles asserebat, qui, veniente ad passionem Domino, concordi voce cantabant: Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini. O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo & Mater dici possit, & Virgo! Qui toto mundo non capitur: puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia, quę nulla nouerat viri contagia. Erat spes in partu, cùm non fuisset voluptas in coitu. Immensum concepit, ęternum genuit, genitum ante secula parturiuit, qui sibi & munus fœcunditatis attulit cõceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui antequam nasceretur, talem creauit eam, vt ipse dignè nasci posset ex ea: De qua Propheta Dauid multo ante prædixerat. Mater Siõ dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. Creatus est ex ea, quã creauit, portatus est manibus, quas formauit, suxit vbera, quę repleuit. Puellę confouebatur in gremio, quem vastissima cęli non recipit latitudo. Puerilibus fasciis cingebatur, qui immensitatẽ orbis terrę pugillo complectitur. Matris patebat arbitrio, qui omnium rerum intra suo gubernat imperio. Vagiebat in cunabulis, qui Angelorum gaudium est in cęlis. Vilibus tegebatur crepundiis, qui electos suos stola induit immortalitatis. Imperabat illi puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa. Sic namque in Euangelio scriptum est: Quia venit cum parentibus Nazareth, & erat subditus illis. Meritò itaque beata Maria dicitur Parens Parentis, fons fontis viui, origo principij, quia ille ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput est, & initium omnium rerum per essentiam Deitatis. Hæc est porta illa, de qua Ezechiel testatur dicens: Conuerti me ad viam portæ sanctuarij exterioris: quæ respiciebat ad Orientem, & hæc erat clausa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides, clausa erit, & non aperietur, vir nõ transibit per eam, & semper erit clausa. Verè semper clausa, quia semper incorrupta. Incorrupta ante partum; incorrupta post partum; conciepiẽs virum, nesciens virum, sicut per Hieremiã dicitur: Faciet Dominus nouum super terram, & ecce mulier circundabit virum. Gaudeamus itaque dilectissimi, & exultemus in natiuitate Virginis Dei Genitricis; quæ nouum mundo nunciauit gaudium, & totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus inquam, & sicut gaudere solemus in natiuitate Christi, ita etiam gaudeamus in natiuitate Matris Christi. Hodie nata est Regina mundi, fenestra cæli, ianua Paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundo, per quam Sol iustitiæ illuxit mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de

de Israel. Hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit speciosus forma prę filiis hominum, tanquam sponsus de thalamo suo. Hodie prodiit ex vtero matris, quę templum fieri meruit diuinitatis. Hodie impleta est prophetia illa, quā eximius Prophetarum ille Esaias, quasi preco factus ad aduentum Reginę mundi, magna voce clamabat dicens: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet. Et bene hęc incomparabilis Virgo virga dicitur, quę per intensionem desiderij ad superna emicuit, non per siccitatem boni operis distortæ nodositatis vitium incurrit. De qua virga Redemptor noster, quasi flos ascendit, qui Martyribus, & Confessoribus suis totius orbis campos, velut rosis, & liliis decorauit. Singularis nanque flos sanctæ Ecclesiæ ipse est, sicut de semetipso in Canticis cāticorum loquitur, dicēs: Ego flos campi, & lilium conuallium. Hoc lilium non in mōtibus, sed in conuallibus nascitur, quia superbis Deus resistens, in humilium cordibus inuenitur. Lilium vocatur Christus, lilium dicitur & Mater Christi, sicut in eodem Cantico subinfertur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut lilium inter spinas, sic beatissima Virgo Maria enituit inter filias; quæ de spinosa propagine Iudæorum nata, candescebat munditia virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente; fragrabat passim odore boni operis; tendebat ad sublimia intentione continua cordis.

Deest aliquid.

Aue, inquit Angelus, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. O dulce, ô admirabile nuncium. O nouum, & inauditum Angelicæ salutationis obsequium. Plenam appellat gratia, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia, Dominus, inquit, tecum, quia ille in te est, qui talem fecit te, vt & ipse fieret ex te. Benedicta tu in mulieribus. Per mulierem infusa est maledictio terræ, per mulierem redditur benedictio terræ. Per cuius manus potus mortis amaræ porrigitur, per eam quoque dulcis vitæ poculum exhibetur. Largissimum benedictionis nouæ fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagium. Sed quid ad hæc Maria? Nunquid, delato sibi cælitus nuncio, in immoderatæ se lætitiæ risum soluit? Nunquid in superbiæ fastum ceruicem mentis erexit? Nunquid non, antequam responderet, ipsum Angelicæ salutationis pondus librata mentis lance pensauit? Ait enim Euangelista: Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Vbi sunt illæ, quæ dicunt: Ego sum virgo, ego sum virgo: ventosæ, contentiosæ, suspiciosæ, deliciosæ, veste compositæ, motibus dissipatæ? Ego sum virgo. Nescio enim virum, ignoro coniugium. O virgo, quàm felix esses, si quod habes in carne, seruares in mente, custodires in actione. Quid enim prodest solius carnis integritatem seruare, & malignorum spirituum stupris, mentis interiora corrumpere? Quid iuuat virginem esse, & exigentibus actionum meritis nequaquam ad virginale prœmiū peruenire? Virgo carne, non animo, virginitatis prœmio non potitur. Aliud enim est, tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blandè irrepentibus, & si non corpore, mente tamen eneruiter cedere. Non ergo cuiquam sufficit ad capessenda prœmia solus pudor virgineus, nisi & aliis fuerit ditata virtutibus. Ioanni quippe in Apocalypsi per Angelum dicitur: Ij sunt, qui cum mulieribus coinquinati non sunt; sequuntur Agnum, quocunque ierit. Agnus enim noster, ille videlicet, qui tollit peccata mundi, charitatem habuit, quia pro salute hominum proprium sanguinem fudit. Gratia humilitatis emicuit, quia humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Patientiam seruauit, quia cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, nō comminabatur. Mundanæ dignitatis altitudinem spreuit, quia (sicut per Ioannem dicitur) cùm vellent illum Regem constituere, montis latibulum petiit. Inimicos dilexit, pro quibus & in Cruce positus exorauit, dicens; Pater ignosce illis, &c. Ille itaque Agnum, quocunque ierit, sequitur, qui non sola virginitate eius vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas, in quantū præualet, imitatur. Ille Agnum sequitur in peruentionis requie, qui illum imitatu studuerit in itineris aduersitate. Sed plerunque conuersatione coniugatorum vita confunditur virginum, cum illi vltra habitum assumunt opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde & per prophetam dicitur: Erubesce Sidon, ait mare. Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitę secularium, atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus, & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominum post carnis peccata redeuntes, tantò se ardentiùs in bonis operibus exhibent, quātò damnabiliores de malis videntur. Et sæpè quidam in carnis integritate perdurantes, dum minus se respiciunt habere quod defleant, plenè sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, atque ad feruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit plerúmq; Deo gratior amore ardēs vita post culpam, quàm securitate torpens virginis innocentia. Vnde & voce iudicis dicitur. Remittūtur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et iterum: Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Illa ergo virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur, quæ non solùm illibatam se seruat in carne, sed etiam pudicam custodit in ore. Vnde & beata virgo Maria, audito Angelicæ legationis mysterio, solitum modesti silentij rigorem tenuit, & licet ipsa intra se discutere non posset, qualis esset illa salutatio, verbis tamen inquirere superfluum deputauit. Sed mox tacendo audire meruit, quod inquirere non præsumpsit. Ait enim Angelus ei: Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Quod Propheta multò ante venturum prędixit, hoc præsens adesse eisdem verbis Angelus nunciauit. Dicit enim (vt præmissum est) Esaias: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Illic Iesus, qui Saluator dicitur, hic Emanuel, qui nobiscū Deus interpretatur. Qua lætitia, quo tripudio, fratres mei, Mariæ mens impleta esse potuerat, quando hæc Prophetica, & Angelica verba intra se inui-

Sanguine Christi vt causa primaria, non tamē sine nobis saluamur. Ideo necesse est, vt illū imitemur in operibus humilitatis, patiētiæ, charitatis.

cem conferebat. Maria enim (inquit Euangeliſta) conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. In quanta ſe excellentia ſuper humanum genus ſublimari conſpexerat, quæ ſe Creatoris ſui Matrem fieri audiebat? Sed quæ tanto apud Deum faſtigio creſcere meruit, quanta ſe apud ſe ipſam humilitatis deiectione ſubſtrauit? Ait enim: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Dei Mater ab Angelo dicebatur, & ipſa ſe ancillam Domini fatebatur. Et verè Mater, ſimul & ancilla. Ancilla ſiquidem per communem conditionis humanę naturam, Mater verò per ineffabilem diuini muneris gratiam. Mater in eo quòd genuit, ancilla in eo quòd genita fuit. Nondum Euangelium ſcriptum erat, & iam Euãgelica præcepta ſeruabat. Præcepit enim Dominus: Quantò maior es, humilia te in omnibus. Quid enim maius Matre Domini? Quid humilius ancilla Domini? Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Aliquid deſideratur.

Ecce (inquit Propheta) Dominus aſcendit ſuper nubem leuem. Sol quippe cùm nube tegitur, ab humanis viſibus occultatur. Sic nimirum, ſic Saluator noſter, ſumpta ex Virgine ſe carne veſtiuit, in qua diuinitas latens humano intuitu videri non potuit. Quæ nubes idcirco leuis dicitur, quia beatiſſima Virgo nullo viri ſemine grauida, ſola ſancti Spiritus gratia fœcundatur. Quę & dignitatem genitricis obtinuit, & virginalem pudicitiam non amiſit. Quæ ſine contaminatione concepit, & ſine dolore Filium procreauit. Non ſecutus eſt dolor partum, quia non præceſſit libido conceptum. Dictum nanque fuerat Euæ: In dolore paries filios. Quæ ſententia in aliis matribus viguit, in Maria verò modum ſui iuris amiſit. In mulieribus fixa perſtitit, in Virgine præualere non potuit. Quæ enim Virgo permanſit concipiendo, dolorem ſentire non potuit pariendo. Ille quippè, qui ex ea ineffabiliter prodiit, clauſtrum virginalis pudicitiæ non corrupit. Virginem denique veniens introiuit, Virginem nihilominus exiẽs dereliquit. Hæc enim eſt hortus concluſus, fons ſignatus, quæ & fructum fœcunditatis ædidit, & virginitatis meritum non imminuit. O mirabilis, ô ſingulariter nobilis caro beatiſſimæ Virginis, in qua mulieribus natura mutatur, humana conditio non tenetur. Per coitum quidem eſt genita, ſed non per efficaciam coitus enixa. Ædita communi naſcentium iure, ædidit ſingularis gratiæ nouitate. In humano denique genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis inſignitur. Beata verò Maria, licet de generoſa ſit patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illa eſt nouo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam ſobolem omnem humani ſtemmatis excedit nobilitatem. Clara proauorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis. Filia ſiquidem Regum, ſed Mater Regis Regum. Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Sed quicquid de te à mortali homine dicitur, celſitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia ſuper Angelos eleuat, ad eius dignè efficiẽda præconia humana fragilitas non aſpirat. Rogamus te, clementiſſima ipſius pietatis, & miſericordiæ Mater, vt qui tuæ laudis inſignia frequẽtare gaudemus in terris, tuæ interceſſionis auxilia habere mereamur in cælis, quatenus ſicut per te Dei Filius dignatus eſt ad noſtra deſcendere, ita & nos per te ad eius valeamus conſortium peruenire, qui cum Patre, & ſpiritu ſancto viuit, & gloriatur per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Ecce quo animi ardore implorãda ſit beata virgo.

IN FESTO EXALTATIONIS
SANCTAE CRVCIS.

Euang. Ioan. 12. Nunc iudicium eſt mundi, &c.

Require ſuprà Tom. 2. Sabbatho poſt Dominicam Paſſionis.

S. ANDREAE EPISCOPI

Cretenſis Hieroſolymitani, de pretioſæ & viuificæ Crucis venerabili exaltatione.



CRVCIS feſtum celebramus, & illuſtratur totus Eccleſiæ cœtus. Crucis feſtum celebramus, & gaudij fulgoribus reſplendet facies orbis terræ. Crucis feſtum celebramus, per quã expulſæ ſunt tenebræ, & lux eſt introducta. Crucis feſtum celebramus, & ſimul cum crucifixo extollimur, inferius terra relicta cum peccato, vt ſuperna poſſideamus. Crux extollitur, & ſimul extollit humi iacentem humanitatem. Crux extollitur, & terreſit dæmonum elatio. Crux extollitur, & ſathanæ aduerſa potentia decidens cedit, & contrahitur. Crux extollitur, & ciuitates feſtum diem agunt: & populi libãt lætitiam. Crucis enim meminiſſe, eſt apertum gaudij argumentum, & contractio triſtitiæ. Vel crucis autem cerni figuram, quãtum eſt? Fit enim magnanimitatis conciliatrix, & à timore liberatio ei, qui eam aſpicit. Talis eſt magna illa crucis poſſeſſio; & qui eam poſſidet, poſſidet theſaurum. Auri fortaſſe putatis me dicere theſaurum, aut margaritarum, & Indiæ gemmarum longè pretioſiſſimarum? Ego autem id, quod eſt omnium bonorum optimum, ac pulcherrimum,

mum, teque, & nomine longè magnificentissimum, meritò thesaurum appellauerim, in quo, & per quem, & in quem vniuersa nostrę salutis summa reposita, fuit correcta, & in statum pristinum restituta. Si non fuisset crux, Christus non fuisset actus in crucem. Si non fuisset crux, nō fuisset vita ligno affixa, & si non fuisset affixa, nō ex latere scaturientes riui incorruptionis manassent sanguine, & aqua, quæ mundū expurgāt; nō fuisset ruptū peccati chirographū; nō assecuti fuissemus libertatē; non ligni vitæ fructum percepissemus; non apertus fuisset paradisus; non versatilis rhōphæa cessisset è via Edem; non latro habitasset paradisum. Et quid hæc dico? Si non esset crux, non fuisset Christus in terra. Si non fuisset Christus in terra, non fuisset virgo; & si non fuisset virgo, nō fuisset Christi secunda generatio; non fuisset Deus in homine; non partus; non præsepe; non fasciæ; non octauo die circuncisio; non parentibus subiectio; non ætatis processus; non corporis incrementum; non apparitio; non baptismi participatio; non effectio miraculorum; non Iudas proditor; non Pilatus iudicans; non Iudæorum audacia clamans crucifigi innocentem. Si non esset crux, mors non fuisset conculcata; non fuissent spoliati inferi; non morte affectus fuisset serpens acerbus. Propterea crux res est magna, & pretiosa. Magna quidem, quòd multa bona per ipsam rectè gesta fuerint, & eò plura, quòd Christi miracula, & perpessiones, aduersus omnem rationem obtinent victoriam. Pretiosa autem, quòd Dei passio, & trophæum est crux. Passio quidem, propter voluntariam in ea mortem eius, qui est impatibilis. Trophæum autem, propterea quòd per ipsam sauciatus fuerit diabolus; cum illa verò fuerit quoque victa mors; contrita autem fuerint etiam claustra inferorum; & postremò fuerit crux commune totius mundi salutare. Crux, spes Christianorum; seruatrix desperatorum; portus eorum, qui tempestate iactantur; medica infirmorum; expultrix vitiorum; datrix sanitatis; eorum, qui morte affecti fuere, vita; pietatis proscriptio; blasphemiæ obstructio. Crux, arma contra inimicos; sceptrum regni; diadema pulchritudinis; figura non scripta; virga potentiæ; fidei propugnaculum, baculus senectutis; dux cæcorum; lux eorum, qui sunt in tenebris; eruditrix insipientum; magistra infantium; peccati deletio; pœnitentiæ indicatio; vitæ conciliatrix; mortis solutio; interitus alienatio; ignis extinctio; apud Deum fiducia; clauis regni cælorum. Crux, custos in nocte; in die turris; in tenebris deductrix, reconciliatrix, refugium supplicibus; solatium amicis; patrona, tutatrix, adiutrix, in tentationibus opitulatrix; in periculis seruatrix, in necessitatibus auxiliatrix, in mari gubernatrix, in ærumnia refrigeratio. Crux noctu seruat dormientes; simul vigilat cum vigilantibus; vna quiescit cum iis, qui laborarunt. Crux, robur imbecillorum; requies laborantium; alimentum esurientium; vires ieiunantium; aliptes Athletarum; tegumentū nudorum; comes hospitū; castigatrix diuitū; pauperum procuratrix, protectrix viduarum; turris orphanorum. Crux, honor Magistratuum; potentia Regum; belli ducum victoria; sacerdotum gloria; monachorum adiutrix; virginum cohabitatrix; signaculum castitatis; vinculum coniugij. Crux, custos ciuitatum; tutela domorum, quæ amicitiam coniungit; inimicos vlciscitur; resistit hostibus; Gentes persequitur, quæ est stimulus Barbarorum; pacis distributrix; charitatis administratrix; mundi reconciliatio; finium descriptio; cæli altitudo; terræ profunditas; creatæ naturæ coagmentatio; terræ, quæ apparet, longitudo; latitudo orbis terræ; &, vt paucis dicam: Crux, caput, & summa Christi perpessionum, miraculorum, quæ in nos facta fuere, coronis. Hæc & Christi gloria vocatur, & Christi appellatur altitudo. Hæc & desiderabilis calix intelligitur, & pro nobis susceptarum perpessionum cōclusio. Quòd autem sit crux Christi gloria, audi eum dicentem. Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit ipsum. Et rursus: Clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælis dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo: illam innuens clarificationem, quæ tunc facta est propter crucem, elementorum, inquam, mutationem, & commiserationem, ac cōsensionem. Oportebat enim simul cum creatore per consensum res quoque creatas affici. Quòd autem Christi quoque altitudo sit crux, audi quid ipse dicat: Quando ego exaltatus fuero, tunc omnes ad me traham. Quomodo etiam alibi dicit: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis? Quamobrem? Vt omnis, qui credit, inquit, in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vides crucē esse Christi gloriam, & fortitudinem. Vis scire, quòd vbi est altitudo, illic adest etiam gloria? Audi Dauid dicētem: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terrā gloria tua. Et Esaiam rursus, tanquam à facie Christi: Nunc exurgam, dicit Dominus; nunc exaltabor; nunc glorificabor. Quoniam ergo gloria est altitudo; Crux autem hodie in altum extollitur; Christus profectò glorificatur. Si enim Crux est gloria Domini, Christus ergo est altitudo crucis. Crux ergo hodie in altum extollitur, vt Christus glorificetur. Non in altum extollitur Christus, vt crux glorificetur. Glorificatur Christus, vt nos secum simul extollat. Crux ergo in altum extollitur, & piorum spiritum, ac mentem simul extollit. Glorificatur Christus, & simul glorificat eos, qui ipsum glorificant. Crux in altum extollitur, & dæmonum detrahit supercilium. Glorificatur Christus, & eorum, qui propter peccata ceciderunt, delet ignominiam. Crux in altum extollitur, & cadunt simulachra. Glorificatur Christus, & feritur diabolus. Crux in altum extollitur, non solùm quod Christus fuit in altum elatus; sed quod manifestius euasit tempore Imperatorum, qui crediderunt in Christum. Hoc autem non ita fecit, vt qui antea simulatione, & probabilitate quadam ad se multos attraxerunt, sed diuina, & syncera virtute, ac veræ fidei solida, & stabili firmitate. Postquam enim post mortem in cruce susceptam, vitæ, & mortis Dominus post tres dies reuixit, inuidię stimulis puncti Iudæi, & timore affecti, ne quid ex rebus illis sacrosanctis, quæ fuerunt in illa veneranda, & beata passione seruatum, Iudæos quidem vlciscendi esset instrumentum, custodiendi autem eos, qui crederent in Christum, ea defoderunt in intimis terræ finibus, illic deponentes in primis pretiosum thesaurum, Crucem, inquam, & omnia, quæ ad crucem pertinēt, nempe clauos, & lanceam,

lanceam,& quem in Cruce Pilatus scripsit,& affixit, titulum. Deinde cùm Deus tradidisset Christianis sceptra Imperatoria, & totum Romanorum Imperium ei tunc placuit per piam mulierem, mulierem regiam,& quæ regios habebat spiritus,tunc filiu imperante Christianis, sine labore,& diuino,vt ita dicam,instinctu sapientem reddere; quæ partim quidem grauitate principali, partim autem nonnunquam communibus blandiijs,regaliter autem omnia faceret, quæ inflexibile Iudæorum poterant cor flectere.Et cito quærenti Imperatrici communis apparuit thesaurus, Deo celeriter donum porrigente mulieri,hanc dico Domini crucem, quæ in vniuerso mundo hodie extollitur;cum qua etiam omnia,quibus beata illa, & toti mundo salutaris fuit passio dispensata extolluntur. Propterea ergo hodie diem festum celebramus;propterea frequentes conuenimus,quod sanctum illud,quod olim latebat, hodie euasit manifestum;quod thesaurus,qui fuerat absconsus, ex terræ metallis refulsit,sicut aurum; quòd id, quòd erat in terra infossum, reuelatum est maxime insigne opus Imperij Christianorum; quod cessauit procella dæmonũ,cùm crux euasisset manifesta;quod qui aduersus inimicos à Christo fabricatus fuerat gladius,è terra enasit manifestus;quod suũ ornamentũ hodie accepit ecclesia; quod quam illa perdiderat drachmam regale inuenit imperium. Hæc est Crux Domini; signum dominicum;arma salutaria;regia potentia, victoriæ trophæum;inter superna, & inferna intermedium;eorum,qui firmiter credunt, vexillum; coronis apostolica; specula prophetica; Martyrum corona; eorum, qui Christum adorant,arra. Ex quo enim Crux,Christus adoratur. Ex quo Crux filius Dei est agnitus. Ex quo Crux,cum patre filium adoramus.Ex quo Crux,abolitę sunt res Iudæorum,extinctæ res gentilium,liberati sumus à sanguine,qui fundebatur in altaribus,cultum gustauimus incruentum. Ex quo Crux, liberati sumus à nidore dæmoniorum; participamus spiritalem bonum odorem vnguenti effusi. Ex quo Crux, euanuerunt fabulosæ deorum genealogiæ, Ex quo Crux,principio superius principiũ, quod processit ex principio, quod est expers principij, didicimus. Ex quo Crux,didicimus fidem in patrem, & filium, & spiritum sanctum; & inanium fabularum gentiũ excussimus perniciem. Ex quo Crux,typicorum signorum vmbras expulimus,& luci veritatis,quæ est in gratia, sumus reconciliati.Ex quo Crux,mors fuit habita contemptui;obstupefacti sunt dæmones; confracta sunt simulachra, conculcata fuerunt animalium sacrificia, euersa sunt idola:vbique ecclesiæ,altaria,psalmodię,stationes nocturnę,theologiæ, baptismata,fidelium consensio,scripturarum agnitio;terræ cõtemptio, cæli acquisitio, Dei participatio.Quid opus est multa dicere? Ex quo Crux,versantur homines simul cum Angelis,& ipsum cælum patet iis,qui sunt in terra,& Deus ab hominibus capitur, & cum eis congreditur, ac coniungitur. Sed ô Crux,Christi, & nostra valde pretiosa gloriatio. O lignum insigne, in quo Christus est extẽsus,Planta immortalitatis, ex qua Christus botrus nobis potum produxit vinificum. O Crux, per quam peccati ruptum fuit chirographum, & scriptus fuit contractus libertatis. O Crux,thesaure bonorum innumerabilium, paradisi conciliatrix,regni largitrix,peccatorum solutrix, recte factorum datrix.Te Christus in te crucifixus effecit lignum immortalitatis. Te Christus in te affixus effecit scalas viæ, quæ ducit ad cælum. Te Christus in te suspensus benedictionis fecit conciliatricem. Te Christus in te extensus fecit relaxare vincula eorum,qui erant in cathenis, In te Christus sua sponte in altum eleuatus, mundum quoque vna secum extulit,In te Christus pro nobis in altum sublatus,in altum sublatum æneum serpentem publice notauit. Non ampliùs mordens in via serpens obseruat calcaneum.Non ampliùs serpens æneus, si prospiciatur, facit cessare morsus mordentium serpentium. Non est ampliùs maledictus omnis,qui pẽdet in ligno.Quomodo,& quanam ratione? Cùm benedictus filius Dei Iesus maledictionem mutarit in benedictionem.Non est ampliùs Crux execranda,cùm maledictum Cruci fuerit affixum? & Christus maledictum abstulerit, & eius loco nobis induxerit benedictionem. Hæc Crux Domini omnia nobis bona introduxit. Hæc Crux Domini fuit multis appellata nominibus.Vocatur Crux virga rectitudinis, regni, virtutis, hæreditatis: Thronus tuus Deus in seculum seculi, Virga rectitudinis, virga regni tui.Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion. Baculus: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Lignum vitæ:Lignum vitę est omnibus suscipientibus eam, vt quæ in Domino sit firma,ac stabilis.Lignum plantatum, dicit alicubi Dauid, secus decursus aquarum. Quos decursus? Quarumnam aquarum? Scripturarum à Deo inspiratarum.Scabellũ: Exaltate Dominum Deum nostrum,& adorate scabellum pedum eius quoniam est sanctum.Locus: Ingrediemur in tabernacula eius,adorabimus in loco,vbi steterunt pedes tui Domine. Si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationem,Et requiẽ temporibus meis, donec inuenero locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.Hanc Crucem tacite significans Iacob Patriarcha,vicissim aliquãdo manus imponens nepotibus,symbolice pręsignificauit.Hanc idem præfigurãs in fastigio virgę Ioseph adorauit. Crucis figuram obtinuit virga eiusdem Patriarchę Iacob,quando transiit Iordanem. Dixit enim:In virga mea transij Iordanem.Et paulo ante Crucis signum Abrahę ostendit id,quod erat signatum in medio cornuum Arietis,quãdo eam hostiam, quę erat in figura posita ad indicandum Crucifixum,per ouem mystice peregit. Crucis figuram Isaac quoque impleuit,qui acceptis lignis sacrificij,patrem, qui properabat eum sacrificare, alacriter sequebatur.Crucis potestatẽ habuit virga Mosis mutata in serpentem,& transformãs virgas Ægyptiorum, quę has quidem scilicet deuorauit,illis autẽ fluuij fluentũ effecit cruentũ,ne biberent,& aliquando quidẽ ranas ex aquis proferpere, aliquando autem locustas, & bruchos, & palpabiles tenebras,& quæcunque Ægyptiorum ostendunt calamitates. Crucis figuram obtinuit ipsa virga Mosis quando mare rubrum dissecanti murus ei,& populo solidus, ac firmus fuerunt aquæ.Crucis figurã obtinuit columna ignis, & nubis, quibus errantem Israelem, qui fugiebat ex Ægypto, deduxit Deus. Crucis figuram conseruabat ipse quoque Moses, in mõte manua in altũ extollens,quando oppugnante Iesu Amalec alienigenam, ille quidem sustentabatur ab

Aarone,

Aarone,& Hur:confirmatus autem, & corroboratus Israel euasit superior. Crucis figuram obtinuit virga,quæ petram percussit in solitudine, & effecit, vt ipsa pareret fluuium. Quid verò virga, quæ produxit nuces, Crucem non apertè describit? Quid verò Esaias, qui serra lignea in duas partes diuiditur, non typum Crucis significabat? Mitto dicere Aggæum fuisse in crucem actum; & Sisaram fuisse palo affixum; quæ Crucem apertè præsignificant. Quinetiam Eliæ pellem ouillam dixerim ego Crucis virtutem, indicare, quando, Iordanis fluento diuiso in duas partes, ingressus est, tanquam super terram aridam. Elisei autem vbinam ponam miraculum,quando,aquæ imposito ligno, securis ex profundo fluuij ferrum sustulit,id,quod est graue,tollens eo,quod est leue. Re vera res magna est Crux, de qua & multis in locis fert scriptura testimonium, & eorum, quæ in ea præfigurantur, quæque per ipsam quotidie peraguntur,miraculorum prius describit indicia.

Crux est adoranda. Est itaque Crux adoranda, quoniam per ipsam Dominum cognouimus.Crux est adoranda,quoniam in ipsa Dominum benediximus. Crux est adoranda,quoniam cùm per ipsam amarum ligni inobedientiæ gustum euomuissemus, dulcedinem salutis gustauimus. Benedictum est lignum, per quod benedictæ sunt gentes.Benedictum est lignum, in quo Deus extensus fuit corporaliter. Quid est autem admirabilius, quàm Deum videre in Crucem actum,idque cum Latronibus? Benedictum est lignum, per quod Latro paradisum habitauit; & ligni gustus amarum gustum expulit. Quid est admirabilius, quàm quod quę clausit deceptus Adam,eum aperuit Latro cùm agnouisset? & à quo ille fuit exterminatus, hic vocatus inscriptus fuit eiuis? O conuenientem mutationem. Egressus est fur, & in eius locum introductus est Latro; ille quidem propter transgressionem, hic autem propter agnitionem: ille quidem seductus ab eo, qui supplantauit, hic autem simul crucifixus cum eo,qui creauit.Benedictum est lignum,ex quo qui comedit Latro,dignus fuit habitus deliciis; ex quo Adam, qui non gustauit mortem prius cum vita commutauit, vt qui nimia temeritate attigisset lignum cognitionis. Verùm cum huius fuisset particeps, sensit postea dulcedinem;& accepit reuocationem. Benedictũ est lignum,per quod Reges excitant trophæa, & Duces exercitus simul inferunt spolia: & Barbarorum bello capitur multitudo. Benedictum est lignum,per quod vires arcuum contritę confringuntur, & clypei ab igne consumuntur. Benedictum est lignum, per quod brachium superbum inflectitur;& colla inimicorum submittuntur; & terga vertit Barbarus:& fugit Scita nemine persequente.Hodie ergo mihi vocem extollite:& cum scriptura Crucis thesauro acclamemus scripturæ eloquia. Thesaurum autem Crucis dico Christum filium Dei, ad quem magis decet nostra dirigi eloquia, dicendo: Omnes gentes,quas fecisti,venient,& adorabunt ante te,Domine,& glorificabunt nomen tuum;quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; tu es Deus solus.Muneamus hodie,ô dilecti,labra tanquam lyram;assumamus psalterium, & citharam; Psallamus Deo, psallamus sapienter; canamus quæ sunt gloriosæ exaltationis. Ostendamus in quot locis scripturæ effertur exaltatio,vt videamus,quomodo hinc possumus discere Crucis exaltationem, quæ est & magna, & super mundana, & eius inuentionem non temere celebrari in Dei ecclesiis, quæ sunt in vniuersa terra. In altum ergo è terra Crux manifesta extollitur. Quæ paulò antè propter inuidiam celabatur, in altum Crux extollitur. In altum Crux extollitur, non vt gloriam accipiat, (Quam nam enim maiorem consequi posset gloriam, cũ in ea Christus fuerit affixus?) sed vt Deus in ipsa glorificetur,& per ipsam prædicetur.Crux ergo in altum extollitur, vt cornu nostrum simul in ipsa ille erigat, & extollat. Crux in altum extollitur, vt superbum deprimat & humilem efficiat.Crux in altum extollitur, vt liget fortem; & per nos vasa eius diripiat. Crux in altum extollitur,vt ostendat inanem Iudæorum inuidiam; ne lateat sepultus in terra vitæ thesaurus;vt nos margaritam accipiamus, quam qui in Crucem egerunt,vel inuiti manifestam reddiderũt.Quoniam enim fieri non poterat, vt perpetuò lateret vitæ thesaurus, multifariam autem; multisque modis miseri examinati, & à sua ipsorum conuicti malitia,non poterant perpetuò latere oculũ,quem nihil latet;quid facit Deus,qui in ipsa,& per ipsam, totius mundi salutem fecit in terræ medio? Impetratrici quidem, vt paulo antè diximus, ardens immisit desiderium; illis autem immittit timorem, totam eorum vitam conturbant. Qui postquam viderunt fieri non posse, quin perquireretur,ostendentes se sua sponte facere, quod faciebant inuiti,in primis venerandum Domini signũ manifestum reddiderunt.Illa autem,tanquam ex aliquo alio processit firmamento, nempe terræ penetralibus, instar Solis emittens radios Dominicos. Processit itaque è terrę adytis signum Domini, per quod inferorũ concussa latibula,absoluerunt animas,quę illic detinebantur. Processit, tanquam ex thalamo sponsus,ex terrenis,inquam cubilibus Crux Domini, per quam Christo desponsa,quę est ex gẽtibus ecclesia,deposuit multiplicem gentium impietatem.Processit,intelligibilis illa fideliũ margarita,coronę Christi,tanquam lampas,infixa,vt vniuersam faciat coruscare.Processit ornamentum ecclesię Crux Christi, vniuersam omnem terrenam creatam naturam decorãs. Processit veluti è custodia innocens,vt reos reuocaret. Ex vinculis is,qui nec vinci,nec teneri potest,vt vinctos redderet facile solubiles. Ex tenebrosis locis lucerna lucis,vt,ablata nocte ignorãtiæ,luceret lux agnitionis. Merito ergo ecclesia gaudens Cruce Domini suam ornat tunicam, & aperiens sponsi pulchritudinem,de huius diei facie gloriatur,eamque iactat,& magnifacit.Merito hic quoque populus frequens hodie conuenit, vt & videat Crucem in apertum prolatam, & Christum in ea elatum in altum adoret suspiciens. In apertũ enim prolata fuit, vt extolleretur. In altũ autem tollitur,vt in apertũ proferatur. Quænam ea? Quæ paulo ante quidem in loca abscondebatur,nunc autem vbique adoratur.Hũc diem festũ hodie celebramus.Hac de causa frequentes conuenimus.Hoc est caput,& summa festi pręsentis. Hęc est mysterij declaratio. Sed iam tempus est ipsius Crucis in altum elationem scripturę confirmare testimoniis. Hoc enim sumus paulo ante polliciti.Nã pręcurrens oratio pręter misit ea,quę media erant. Cùm enim oporter illud occultum, & viuificum lignum, in apertum prolatum, & Nota diem festum exaltationis sanctæ Crucis.

sublime sublatum, tanquam ciuitatem aliquam super montem positam, aut lucernam super candelabrum, toti mundo ostendi, ea de causa cùm primi primitus Christiani prima regni sceptra suscepissent, cum triumpho totius simul ecclesię veluti ex excelsa quadam specula, iusserunt eam in altum extolli, & ostendi toti cœtui. Et hoc est, quod nunc faciunt, qui clauum suscipere pontificium. In excelsum ecclesiæ locum conscendentes, & hanc gloriosissimam, & vel maximè adorandam Crucem in altum extollentes, & sæpe sublimè extendentes, ostendunt populis, propemodum clamantes. Ecce inuentus est, qui fuerat absconsus salutis thesaurus. Ecce signaculum, in quo signati sumus. Ecce Crux, per quam cogniti sumus crucifixo. Ecce cornu, in quo inimicos nostros ventilabimus; in quo illæsi transimus laqueus inimici; quo freti infantium tela putamus plagas dæmonum. Ecce hodie videmus oculis vitā ex aduerso pendentem. Audiamus ergo Prophetam dicentem: Extollite vocem in virtute, extollite, ne timete. Extollite Dominum Deum nostrum; & adorate scabellum pedū eius, quoniam est sanctum. Rursus cum Dauide modulemur. Exaltare super cælos Deus, & super omnē terram gloria tua. Exaltare qui iudicas terram. Exaltetur manus tua; ne obliuiscaris pauperum tuorum in finem: sed in beneplacito tuo exaltetur cornu nostrum. Ingrediamur in ipsum scripturæ paradisum. Colligamus veluti flores tempori cōuenientissimos. Accipiamus viæ duces Prophetas, qui præsignificāt Crucis exaltationem. Sit autem primus Moses Dei seruus, & legislator, qui in altum æneum illum extulit serpentem; non vt glorificaretur; sed vt publicè notaretur; & vt cum æris rubigine vitij virus opponendo conferens, velut in iudicio ostenderet mali conuenientiam. In altum ergo sublatus fuit serpens ille æneus; non vt qui esset præfiguratio, aut figura Crucis; sed vt exemplar figuræ, aut figura sumpta tropicè. Extulit ipse quoq; Moses aliquando manus in figuram Christi Crucifixi, & Crucis, quæ nunc in altum extollitur. Sicut Sol in Gabaon, & Luna in valle Aiīon, precatus est aliquando Iesus confirmens Amalec; non vt solum diem Crucis significaret, in quo tenebrę fuerunt diffusę per totam terram; neque solum vt Dei virtutis altitudinem, & aduersus inimicos elatum brachium illo die probaret: sed etiam vt Crucis pręsignificaret exaltationem; & in ipsam Solis glorię ascensum pręfiguraret. Adduxit etiam Abraham in figuram mystici miraculi sacrificium: sed ex alto data voce statim persuasus arietem, qui aspectus fuit in planta Sabec, in excelso mōtis fastigio symbolicè sacrificauit, pręsignās Crucis in altum elationem. In altum manus extulit Azarias cum suis, orans in igne fornacis Babylonię & flammam ignis in altum elatam extinxit, manuum extensione Crucem in altum elatam significans. Extulit Ionas aliquando vocem, manibus quoque in altum sublatis; & ex alto statim attraxit virtutem illęsus è bellua euomitus. Extulit aliquando pręclara Iudith Acinacem aduersus caput Holofernis dormientis, Crucis pręfigurans exaltationem; & effecit salutem Israeli. Extulit aliquando Daniel vocem in lacu leonum ad altissimum, pręfigurans Crucis exaltationem, quando prandium ei attulit Propheta Habacuc raptus momento temporis. Quid autem videtur Hieremię cùm loqueretur ex persona eorum, qui Dominū occiderunt, dicentium. Venite inijciamus lignum in panem ipsius, & deleamus è terra vitam eius? Quid autem Esaię sibi volunt ea, quę dicit similiter, aliquando quidem: Tanquam ouis ductus est ad occisionem; & tanquam agnus coram ipsum tōdentibus obmutuit; &, In humilitate eius sublatum est iudicium; quoniam tollitur è terra vita eius. Aliquando autem: Et ipse tulit peccata multorum? Vbi, nisi in ligno Crucis, in quam cùm panem immisissent, non priùs dimiserunt, quàm in altum sustulissent ad testimoniū videntium, & figuram propositę exaltationis? Hoc autem quidnam esse dixerimus, nisi exaltationem Crucis, & ostensionem? Quomodo etiam ouis occisionem in Crucem sublatę, quę mundi peccata elisit. Quod ipsius quoque Crucis apertè ostendit exaltationem. Et satis quidem fuerit hactenus adduxisse scripturæ testimonia, quæ significant Crucis exaltationem; ne oratio multis afferat satietatem. Nos autem Christiani in ea adorantes, consideremus eius virtutis magnitudinē, & quæ per ipsam in nos salutaria perfecta sunt miracula. Sicut dicit diuinissimus Dauid: Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Quòd autem in medio terræ positus fuerit Caluarię locus, nemo dubitet. Oportebat enim tanquam in plani circuli descriptione, per mediam vniuersam terram infigi lignum salutare; vt veluti quidam alius Sol lucens in cælo, tanquam ex quodam Crucis firmamento, luminosos suos radios emitteret in Cruce occidens, iis, qui in terræ tumulis detinentur. Hæc Crux & lignum est aspectabile, & signum vocatur in scriptura multis in locis. Quid enim est, quod dicit Dauid: Fac mecum signum in bonum; &, Signetur super nos lumen vultus tui, Domine; Et, dedisti significationem timentibus te, vt fugiant à facie arcus? Et quod ipse quoque Dominus clamat in Euangeliis: Et tunc videbunt signum filij Dei; Et ante hoc: Signum quærit hæc generatio, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ? Quod ipsum quoq; per Crucem ostenditur, Simeon autem Dei susceptor, quod dicit virgini benedicens, quando infantili specie Dominum suscepit, quid sibi vult; Hic positus est, inquiens, in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur? An non per signum Crucem vult apertè significare? Quinetiam Crux vocatur potentia. Quid enim dicit Dauid? Notam fecisti in populis potentiam tuam. Sed & brachium quoque: Redemisti in brachio tuo populum tuum. Quòd autem Christi virtus sit Crux, audi Paulum dicentem: Verbum Crucis percuntibus quidem est stultitia; nobis autem, qui salui sumus, virtus Dei est. Porrò autem ipsum quoq; Christum audi dicentem Mosi: Indurans indurabo cor Pharaonis, vt in ipso ostendam omnem meam virtutem: Virtutem hic significans, eam, quæ per virgam Mosis in figuram Crucis demonstrata fuit, multæ magnæq; virtutis ostensionem; per quam ei ostendit miracula, quæ superant opinionem. Sic nos de Cruce intelligere, & sentire didicimus. Sic fidelem Dei populum Crucem honorare, & colere perpetuò adhortamur. Per eam in sagenam inductæ sunt gentes; & fides vbique fuit dissemina

seminata. Hac enim cum Discipuli, veluti aratro, humanam naturam coluissent, & vberem Ecclesiæ segetem ostendissent, eorum, qui in Christum crediderunt, magnam messem reportarunt. Hac confirmati, & huic procidentes Martyres verberarunt eos, qui feriebant. Per ipsam Christus fuit agnitus; & fidelium ecclesia scripturam perpetuò explicans eundem inducit Christum Dei filium, & ipsum per se Deum, & ipsum per se Dominum, magna voce clamantem: Si quis vult post me venire, tollat Crucem suam, & sequatur me. Per ipsam florent res Christianorum, & in omnem partem extenduntur. Per ipsam regnum roboratur; Respublica stabilitur; cadunt inimici; supercilium Barbarorum deprimitur; Ismahel interficitur; dæmones fulmine feriuntur. Quoniam in ipsa & per ipsam nos saluos esse credimus; & in ipsa omnis, sicut scriptum est, caro videbit salutare Dei nostri, & videbunt Iudæi, in quē confixerunt. Nos autem, qui in eius lumine ambulauimus, cum ipso glorificabimur, & cum Deo regnabimus, circa Trinitatem cum Angelis choreas ducentes; Quæ adoratur in patre, & filio, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

PETRI DAMIANI SERmo de exaltatione sanctæ Crucis.

DE Virga Iesse deuenimus ad virgam Crucis, & principium redemptionis fine concludimus. Ex illa Iesus Christus Virgo virga virgine mirabiliter est generatus; in ista Martyr martyrū caput, & martyrij forma turpiter est appensus. Illa virga directionis, virga regni tui: ait illud familiare Spiritus sancti organum, quia nihil Virgine rectius, subtilius nihil. Audi & de alia: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Siō. Profectò Crux fuit virga virtutis, in qua Dominus virtutum viriliter pugnauit, & vicit. Assumpsi mihi duas virgas (ait Propheta) vnam vocaui decorem, & alteram funiculum. Virga pulchritudinis, vterus Virginis, (Pulchra, inquit, vt Luna) virga funiculi, lignum patibuli, determinans vtraque regnum Dei, & diaboli, imponens frenum malitiæ eius, latamque eius peruagationem validissima potestate coërcens. In hac confossum est latus innoxium, & ad horam crucifixus est innocens manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plenæ sunt sanguine, in hac item confossus est, & confectus. Sed Christus aliter, aliter ipse; Christus ad momentum, ille in æternum. Debellauit aëreas potestates (ait Apostolus) & affixit eas Cruci suæ. Ex altera parte crucifixus est Redemptor noster, ex alia summus ille præuaricator. Rex Hai (vt narrat historia) suspensus est in gemino patibulo: ita reus mortis in duplici patibulo suspenditur, quia dum Christum interficit, in ipsa Cruce crucifigitur, quam inuenit. Magnum sacramentum Crucis, nec est aliquid hoc sacramento sacratius. Respice Crucem stantem, & vide quàm recta cacuminatione de terris erigatur ad cœlum, & veritatem rei ipsa imagine protestetur. Nóone tibi videtur figura eius cœlum, & terram sublimi continuatione coniungere? Hæc est firmissimum, ac indissolubile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtrisque fiat illa ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Vide etiam quomodo quadrifaria ratione quatuor mundi climata comprehendat, & omnem ad se pertrahat creaturam. Astat Iesus in medio, quadrifaria sui corporis parte distentus, & expansis manibus, omnibus ad se ex omni parte venientibus amplissimum misericordiæ sinum ostendit. Nam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Prorsus copiosa, non stricta, quia largiter vnda sanguinis de corpore Christi per quinque partes emanauit. Sufficeret ad redemptionem orbis vel vna pretiosissimi sanguinis gutta; sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat. Sed ne fortè occurreret tibi, vt vbique terrarum currens, Redemptorem tuum inuenire non posses, à quaque mundi parte procedas, siue ab Oriente, siue ab Occidente, seu à Meridie, vel à Septentrione, paratus est ipse suscipere veniētem & blanda confouere dulcedine. Sed attende quid tibi exprimitur de corde Altissimi. Venis ad hominem crucifixum? Crucifixus venias, aut crucifigendus. Qui enim Christi sunt, crucifixerunt carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis. Sic dignum Christo, necessarium tibi. Sed iam ascende mecum ad Verbi huius celsiora fastigia, & vide quidnam sit quod egreditur. Scriptum est in Regnorum historia, quia beata illa mater ait ad Eliam: En colligo duo ligna. Duo ligna, duo Crucis brachia sunt. In his duobus humanam, & Angelicam naturam intellige. Et illud quidem lignū, quod recta sublimitate tendit ad cœlos, superiorem accipe naturam, quæ stetit in rectitudine, & officiosissima deuotione voluntati Dominantis adhæsit. Illud verò, quod transuersum est, humanam designat, quæ transuersa, immò (vt veriùs dicamus) euersa, status sui perdidit æquitatem. Intuere cum quanto sacramēto iunguntur. In vtroque ligno fit scissio, & ex occasione vulnerū iunctior iunctura cōponitur. Supercœlestes spiritus non mediocre vulnus acceperunt, cùm Deus in Angelis suis reperit prauitatem; nec contemnenda plaga, cùm eam resarciri oporteat, quia non restituto sociali numero, numerositas cadens facta videtur in vanum. Inferior verò natura à planta pedis vsque ad verticem, ita venenifera fermentatione infecta est, vt nesciat vnde veniat, aut quò vadat. Vtrorumque spirituum igitur vtrisque vulneribus non mediocriter hiantibus, impressio facta est iuncturalis, quæ Christo coniungente ita est resarcita, vt nihil vulniferum videatur inesse. Christus enim in vtrisque, & pro vtrisque confixus, vtrosque cauilla corporis sui validiùs nectit, & corpus proprium iuncturis opponit, ne valeant resilire. Crux igitur iungit cœlū, & terrā, Christus in Cruce trahit omnia; leo rugiēs ibi ligatur; Angelus confœderatur, & homo; totumque per eam reficitur, quicquid fecit manus Altissimi. Excede ergo paulisper sensus carnis, & irruentia corporearum phantasmata voluptatum, & intuere diuinæ naturæ bonitatem, suauitatem, dignationē. Meditare positionem crucifixi corporis. Vide si aliquid est in eo, quod non peroret pro te apud Patrem. Diuinum illud caput multiplici spinarum densitate densatum, vsque ad cerebri teneritudinem confixum est, dum configitur spina. Spinis peccatorum suorum, ait Dominus per Prophetam, circundedit me populus iste. Ad quid

hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vulneraretur intentio. Caligauerunt in mortem oculi sui, & illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt per vniuersam terram, & illa duo magna luminaria cum illis luminaribus submota sunt? Hoc autem totum factum est, vt auerterentur oculi tui, ne viderent vanitatem, & si viderent, non adhærerent. Aures illæ, quæ in cœlis audiunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: audierunt in terris: dæmonium habet, & crucifige, crucifige eum. Vt quid istud? Ne aures tuæ obsurdescerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus apertis, propitiisque auribus susciperent. Speciosa illa facies speciosi forma præ filiis hominū, sputis illita est, afflicta colaphis, addicta delusionibus, sic nanque scriptum est: Cœperunt conspuere in eum, & percutere faciem eius, & illudere ei, dicentes: Prophetiza qui est, qui te percussit? Quare hoc? Vt facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te: Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Os illud, quod docet Angelos, homines instruit, quod dixit, & factum est, parumper obmutuit, vt veritatem, & iudicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum suum. Manus illæ, quæ fundauerunt cælos, extensæ sunt in cruce, clauisque trāsuerberatæ durissimis, vt manus tuæ extenderentur ad inopem, & dicere posses: Anima mea in manibus meis semper. Quod tenemus in manibus, nō facilè obliuiscimur: sic & qui animam suam bonæ operationi imprimit, non tradit eā obliuioni. Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, lancea militari perfossum est, vt pectus tuum à prauis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, cōseruaretur sanctificatum. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus: quia sanctum est, dura transfixione confixi sunt, ne pedes tui festinarent ad malum: sed currerent viam mandatorum Domini. Quid plura? Foderunt eius manus, & pedes, & dinumerauerunt omnia ossa sua: pro te carnem, & animam suam posuit, vt corpus, & spiritum tuum sibi vendicaret. Toto se totum te comparauit. Quid vltra debuit facere, & non fecit? Absoluit vinctum, illuminauit cæcum: quia Dominus soluit compeditos, Dominus illuminauit cæcos. Reduxit erroneum, reconciliauit reum, qui te portauit in humeris suis, qui pro te Patri proprio sanguine satisfecit. Attende ergo consilium Dei tui, non solùm cum Patre regnantis, sed & dulcissimi amici tui in cruce pendentis, nec enim falli potest: quia sapientia est, nec fallere te vult, pro quo ignominiosam sustinet pœnam. Si quis, inquit, vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Audi consilium, non præceptum. Si enim præceptum esset, quicunque effectui non manciparent, cruciatus possent expectare perpetuos: sed cùm dicit: Si quis vult, in nostra posuit voluntate, vtrum ex æquo cū eo currere festinemus. Grandis profectò labor, sed præmium incomparabile. Post me, inquit. Post eum eundum est: quia ipsa est veritas, ne decipiamur; per eum: quia ipse est via, ne aberremus; ad eum, quia ipse est vita, ne moriamur. Ego sum, ait, via, veritas, & vita. Sequitur, Abneget semetipsum. Primus ille parens præfixis obedientiæ legibus coarctatus, in campum malę libertatis exiuit. Acceperat in præcepto, vt voluntatem creatoris præponeret suæ, sed vsus, immò abusus propria voluntate, cùm habere se voluit, perdidit semetipsum. Depulsus ergo ab illa felici hæreditate, exilium sortitus est pro patria, mortem pro vita, pro gloria ignominiam. Si vis ergo ad tuam hæreditatem reuerti, tuam abnega volūtatem. In hac abnegatione duo solummodo sunt, aduersus quæ pugnare, & expugnare oportear, elatio in mente, voluptas in corpore. Fuge Regem, & Regis exercitum, superbiam, & superbiæ prolem, & illum secutus, imò consecutus es, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Pretiosa vestis, epulæ lautiores, & voluptas secretior longè sint à te, & carnes tuas timore Domini confixisti. Abnegatio igitur voluntatis, hæreditatis est recuperatio. Sequitur: Tollat crucem suam. Si non cecidisset Adam, & in illa sui status dignitate mansisset, esset tamen aliàs euocandus, & in ordinem promouendus angelicum; ob duplicem enim causam factus erat, & ad resarciendum numerum imminutum, & ad illum implendum, qui deerat, si angelus non cecidisset. Quia igitur per abrenūciationem propriæ voluntatis nobis hæreditas redditur, consequenter per crucis portationem grata illa beatorū spirituum societas reparatur. Duo verò notabilia sunt, quæ in hac crucis portatione nos habere oporteat, vt læsi non lædamus, & benefaciamus lædentibus. Magnum quidem, & vltra hominem est, asperitatem verborum, & verberum non solùm pati, sed & non reddere. Illud verò maius est, & diuinum quiddam sapit, benefacere his, qui oderunt te. Magister noster, & Dominus, Christus filius Dei, & lædentes patienter pertulit, & benefecit lędentibus, dicens: Pater, ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt. Considera beneficium: dum fel ori, claui manibus, lancea lateri apponerentur ab inimicis, os, & manus, & latus agebant pro inimicis. Vide ergo, si angelicæ dignitati iustè hæc assignamus. Hæc enim duo illorum proprietati sunt propria. Quotidie illos ad nostri custodiam deputatos multipliciter offendimus, & offensam negligentia cumulamus. Ipsi autem licet à nobis frequenter iniurias patiantur, sustinent tamen, & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos custodia, immò maior sollicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis, quàm sanis operam exhibere. Subiungitur, Et sequatur me. Cùm in sui abnegatione reuocetur hæreditas, & in tollendo crucem dignitas angelorum, in imitatione Christi summa nobis felicitas reseruatur. Hic est virtutum consummatio, finis cursus, principium præmiorum. Sed in hac imitatione duo sunt adimplenda, videlicet vt magistrorum subdaris imperiis, & perseuerantiam non amittas. Ita planè poteris sequi Christum, qui non venit facere voluntatem suam, sed eius, qui misit illum, & qui pro eadem voluntate non timuit ponere animam suam. Quo fructu, qua vtilitate, quo præmio? Vt vbi ego sum, inquit, illic sit & minister meus. Quanta dignitas esse cum Deo, beatis interesse spiritibus, & in illum cælestem conuentum perpetuò numerari. Vide ergo, ne rursus tibimetipsi crucifigas Filium Dei, & hostem tui habeas, rursus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis iam non moritur.

moritur. Intuere ne mortiferam crucem efficias, in qua facias filium Dei amaris doloribus interire. Superbia superius, inferius luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis, à sinistris aduersitatis desperatio, spinas, clauos, & lanceam filio Virginis repræsentant. Cùm enim eleuans te, & ambulans collo extento, caput altissimi spinarum multiplicitate contorques, & hic à superioribus superari molestè fers, immò superiores potius superare contendis, illi similis es, qui se similem altissimo cogitauit. Scriptū est enim. Deus superbis resistit, illis videlicet, qui eū eo ex æquo stare contendūt. Cùm ponis oculos tuos, vt non respicias cælum, & voluptuosis carnis tuæ motibus moueris, & traheris, durioribus clauis tuis pedes omnipotētis transuerberans, ab inferiori inferis supplicium, dum momentanea voluptate voluntatem Dominantis excludis. Cùm prosperaris in iniquitate, & fœdiori cursu te in peccata peccatis accumulas, clauum ponis in illius dextera, quem de suis bonis persequi non desistis. Cum verò abundantiori tristitia absorberis, & tuam impietatem pietati Dei præponderas, sinistram eius transfigis, & conceptum furorem furore tuæ desperationis amplificas. Denique cùm præsumis defendere, quod fecisti, lancearem ictum lateri Saluatoris intorques, nihilque grauius iogeris crucifixo, quàm tueri quod odit: de hoc enim peccato scriptum est: Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Vides iam quanta differentia inter vtramque crucem perambulet. Relinque ergo crucem, quam tibi fabricasti, & gloriare in cruce Domini Dei tui, qui est benedictus in secula, Amen.



IN FESTO S. CYPRIANI EPISCOPI ET MART.

Euangelium vide II. in comm. plur. Mart.

S. GREGORII NAZIANZENI Episcopi in eodem festo, Oratio.

Iacobo Billio interprete.

CYPRIANVS fere nobis effluxit (ô graue damnum! idque vos passi estis, qui eum omnium maximè suspicitis annuísque honoribus festisque celebratis. Cyprianus, inquam, cuius, vel etiā si alioqui obliuionis vitio laboraremus, meminisse tamē necesse fuerat: si quidem optimi potissimum viri memoria colendi sunt, itque quos memoria complecti non modò pium est, sed etiam vtile ac fructuosum. Verùm hoc debitum cum fœnore dissoluamus: si tamen pares huic saltem rei facultates habemus, ac non omnium rerum egestate ac penuria conflictamur. Quòd si etiam admodū pauperes inueniamur, nō dubito, quin ille pro eximia sua animi magnitudine atq; æquanimitate tū nostræ moræ tū inopiæ facile sit veniam daturus: modo hoc nomine gratias Deo agamus quòd memoria illius ex animis nostris haudquaquam effugerit. Quamobrē ad eum iā, vt æquum est, accingamus, atque hinc principium ducamus. Quàm cōmodè atque opportunè egregiúsque Dei

Sap. 11. mēsuris, qui omnia cum libra & mensura constituit ac moderatur, ad vos redimus: à silentio & quiete ad sermonem: à Martyrū studiosa ad Martyres, à corporea relaxatione ad spirituales epulas! Desiderabamus vos, filij, parique, vt mihi persuadeo, desiderij affectu à vobis expetebamus (videte paterni animi candorem: nam & quid mihi acciderit narro, & vestro erga me affectui testimonium præbeo) atque hactenus inter nos disiuncti atque diuulsi, vt desideriū nostrum vtrinque perspectum reddere, atque ipsa locorum distantia & interuallo, quemadmodum pictores tabulas explorare possemus, rursus conuenimus. Quā magnus est memoriæ igniculus, vel breuis familiaritas vitæque consuetudo, iis duntaxar, qui moribus sunt ad amandum propensis, Deique erga genus humanum amorem imitantur!

Quidni autem, cùm Christi, qui ad formam vsque Philip. 2.
seruilem nostræ salutis causa seipsum exinaniuit & à cælestibus alienos auersósque ad sese collegit, discipulos nos profiteremur, mutuo amoris complexu inter nos hæreremus, fideique vnitatem in vinculo pacis, quæ legis & Prophetarum Ephes. 4.
mysterium seu caput est, seruaremus? Iam igitur hoc vnum beneficium, & primū habemus, quod quàm celerrime ad mutuos amplexus ipsi accurrimus, Neque enim procrastinationem fert zelus, totiusque vitæ instar est vnius diecula spatium desiderio laborantibus. Alterum est, idque maximum, quod non post festum accessimus, seriusque quàm vt Martyrum sacris interesse queamus, Martyrū sacra.
eóque oblectamento animique iucunditate frui, quæ hinc nobis comparatur. Nam cæteris quidem in rebus me quouis homine segniorem ac languidiorem esse non inficior, omnemque cupiditatem tum abiecisse, cùm ad Christi ordines me contuli, neque ex omnibus rebus, quæ aliis iucundæ atque expetendæ videri solent, vlla teneri atque inflammari, non opibus, quæ humi distrahuntur, ac sursum deorsumque voluuntur non ventris voluptatibus, non satietate flagitij & contumeliæ parente, non veste molli & diffluēte, non gemmarum splendore & gratia, non auditu præstigijs illudente, non olfactu animum emolliente, non populi theatrique applausu in furorem agente, quem iis iampridem, qui eius rei desiderio afficiuntur, haud grauatim relinquimus

Gen. 3.

non iis denique, quę in primo illo gustu, qui nobis pestem exitiumque attulit, originem traxerunt: quin potius magna in stultitia vęcordiaque eos versari existimo, qui ab huiusmodi rebus sese vinci patiuntur, ac vili & sordido circa eas studio nobilitatem animę labefactant, fluxisque & fugacibus quasi certis & stabilibus totos se tradunt. Huius verò rei inexplebili quadam auiditate teneor, nec ab ea vnquam diuelli possum: mihique etiam hunc affectum inesse facile patior: Martyrum honoribus oblector, pugilum cruore gestio & exulto, atque aliorum quidem certamina & victorias, coronas autem meas esse iudico. Vsque eò gloriam hanc pręripio, mihique eorum egregia facinora vendico! Atque omnium quidē Martyrum memoria lęta solennitate colenda est, omnibúsque & linguæ & aures & mentes promptè aperiendę, vt de eorum laudibus libenter aliquid dicamus & audiamus, omniáque alia eorum certaminibus inferiora esse censeamus. Nā cùm multa nos ad melioris vitæ studium ducant, atque ad virtutem erudiant, Ratio, Lex, Prophetæ, Apostoli, Ipsáque adeò Christi primi Martyris supplicia, qui crucem cōscendit, méque eodem secum duxit, vt peccatum meum affigeret, ac de serpente triumpharet, lignóque sanctitatem afferret, voluptatem vinceret, Adamum salute donaret, prolapsámque imaginem erigeret atque instauraret: cum tot inquam, tantáque habeamus, non minus tamen ad vitam rectè instituendam nobis vtilitatis afferunt Martyres, holocausta ratione prędita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ & acceptæ, veritatis præcones, falsæ doctrinæ sugillatores, legis, quæ spirituali sensu intelligitur, expletores, erroris oppressores, vitij insectatores, peccati diluuium, mundi lustratio. At tu mihi, Cypriane te nominéque charissime, supra cęteros Martyres celebrandus occurris (nec enim verendum est, ne Martyres Martyribus inuideant) atque & virtute tua maiorem in modum afficior, & memoria recreor, ac præ gaudio quasi lymphatus feror, quodámque modo in eodē mecum martyrio versor, sociúmque me certamini ascribo, totúsque ad te transeo: siue me tibi doctrina tua atque eloquentia conciliet, quâ tu tantò reliquos mortales anteibas, quantò nos brutis animátibus præstamus (fit enim nescio quo pacto vt non minus inter eos, qui studij cuiusdam atque instituti coniunctione sociati sunt, quàm qui affinitatis & cōsanguinitatis vinculo inter se copulati sunt, amor coalescat) siue id repentinæ & inopinatæ mutationi tuę, quę vim omnem oratorię facultatis excedit, omnique exemplo præstantior est, assignari debeat. Nam iucundior quoque post nubem, qua prius obducebatur, Sol illucescit, & ver dulcius est post hyemis tristitiam, & suauior arridēs tranquillitas, atque in modum stagni fusum ęquor, littoribúsque alludens post ventorum tumultum fluctúsque tumescentes. Hic Cyprianus, auditores, vt & ij qui vitam illius perspectam habent, submonitione ipsa magis oblectentur, & ij quibus incognitæ atque inauditæ sunt ipsius virtutes, historiam omnium nostrarum pulcherrimam communémque Christianorum laudem atque ornamentum discant. Hic inquam Cyprianus Carthaginensium quendam, nunc autem totius orbis eximium decus, opibus conspicuus, potentia illustris, genere clarus, (si quidem maximum est nobilitatis argumentum, Senatorem esse, primatúmque in eo ordine sedem obtinere) flos iuuentutis, elaboratum naturę opus, doctrinę principatus, tam philosophiæ quàm cuiusvis alius generis disciplinę, idque quacunque eum parte censere volueris: adeo vt in eo & plurimarum artium cognitio mirabilior esset, quàm vniuscuiusque exacta & perfecta scientia, & rursus vniuscuiusque exquisita & modis omnibus absoluta perceptio plus admirationis haberet, quā variarum artium collecta scientia: & vt apertius distinctione hæc explicem, alios multiplici rerum cognitione, alios excellentissima & absolutissima singularū artium perceptione, alios vtraque laude, omnes autem omnibus nominibus facilè superaret. Ac eruditionem quidem libri ipsi testantur, quos ille complures & egregios pro religione conscripsit: posteaquam Dei, qui omnia facit atque in melius commutat, benignitate ac misericordia, doctrinam suam transtulit, bonamque literarum peritiam veritatis verbo subiecit. Quæ vero mihi iam dicendi ratio tenenda sit, planè incertus sum. Partim enim vereor, ne nimis prolixum, penitúsque intempestiuum sermonem habeam, si omnes Cypriani laudes mihi commemorandas duxero, partim ne maximo eos qui adsunt, detrimento mulctem, si quid prætericro. Vt igitur inter temporis breuitatem studiúmque auditorum medium quendam cursum teneam, hæc mihi ineunda ratio videtur, vt cætera quidem scientibus relinquam, iis qui ea ignorant, si qui tamen tales sunt, exponenda: vt & illi eò vtrique parem vtilitatem capiant, tum qui illius virtutes docent, tum qui addiscūt, (quemadmodum huius viri vel sola recordatio sanctitate animum imbuit, maximúmque pondus ad studium virtutis excitandum habet oratio:) Ego verò ex illius rectè factis vnum aut alterum breuiter commemorem, quæ etiam huius sunt generis, vt ea ne si maximè quidem velim, præterire queam. Dicam porrò quę prioris ipsius vitæ ratio fuerit, quę sanctis via, quę vocatio, quę in meliorem vitæ statum mutatio. Equidē eos admodū ignauos socordésque animi esse existimo, qui rerū minus laudādarum commemoratione Martyri contumeliam inferri censent. Hac enim ratione nec magnus ipse Paulus laudem mereatur, & Matthæus in sceleratissimorum hominum numero habēdus fuerit, ac noster etiam Cyprianus: quippe cùm & ille pristinarum suarum persecutionum, immutatique [illegible] mentionem faciat, vt videlicet ex vtriusque collatione Dei beneficentiam magis concelebret: & alter in discipulorum albo Publicani cognomentum sibi ipsi, perinde atque aliud quoddam nobilitatis insigne atque ornamentum adiungat: atque hic denique superioris vitæ turpitudinem longa oratione proscindat, vt ipsam quoque scelerum confessionem Deo muneris loco offerat, ac multis eorum, qui ab obscœna & flagitiosa viuendi ratione ad salubriora consilia animum appellunt, sese velut signum quoddam ad bene sperandum attollat. Quod igitur illius scelus fuerit, quámque magnum & atrox expendite. Dæmonum cultor erat, qui Christi postea discipulus fuit, & persecutor acerbissimus, qui postea magnus veritatis propugnator extitit, atque & re & verbis (nā vtrisque summam vim ac facultatem habebat) viam nostram doctrinámque perturbabat, qui postea

vtra

Martyrū honores, & memoria.

Martyres ad vitam rectè instituendā cōducunt. Cypr. supra cæteros celebrandus.

Philip. 3. Gal. 1. 1. Cor. 15. 1. Tim. 1. Matth. 9. 10.

que te peregregiam Christianis operem neuauit. Iam quantus huic malo ex arte magica cumulus accedebat, à qua potissimum ad hominū famam peruenerat? quantóque item hæc crimine exaggerebat corporis intemperantia & libido, quæ tantam vim habet, vt sapientes etiam alioqui viros mentis errore afficiet, deteriúsque sentire cogat, equulei petulantis & indomiti more retionem secum ebripiens. Ad ipsum iam meli caput se confert oratio: nec verò quisquam priora Cypriani flagitia intuens, voluptatibus indulgeat: verùm sequentis potius vitæ exemplo ad pudicitiam temperantiamque reuocetur. Virgo quædam erat peritiso genere nata, honestisque moribus prędita (audite virgines ac simul exultate, immo etiam quæcunque pudicitiam in matrimonio colitis, ac pudicarum amore flagratis: nam vestræque communi ornamento est ista narratio (ac virgo hæc forma erat perquàm liberali & egregia, vt

Psal. 44. ipsi hæc verba accini commodè possint, Omnis gloria filiæ regis interna, germane Christi sponsa, pulchritudo recondita, viua statua, donariũ sacrilegas manus non metuens, fanum inaccessum,

Cant. 4. hortus clausus, fons obsignatus (vt non nihil quoque Solomon ipsi accinat) soli Deo seruata. Huius amore magnus Cyprianus captus est: vnde, & quo modo haud scio, quippe virginis, omni ex parte tutæ & morum grauitate præditę. Nam res quoque non attrectandas lasciui oculi atque procaces pertingũt, organum nempe omniũ promptissimum atque inexplebilis auiditatis. Nec tantùm captus est, sed eius quoque pudicitiam attentabat. O prædicandam stultitiam, si quidem futurum sperabet, vt eam per sacrilegum raperet, vel potius singularem illius impudentiam, qui Cypriano in mentem immittebat, vt hoc facinus aggrederetur! ille enim est qui aduersus primum hominem iam inde à principio in

Gen. 3. Paradisum irrepsit, & tandem inter Angelos stetit

Iob solum ad cruciatum deposcens, ac postremo ne

Matth. 4. Dominum quidem ipsum, à quo profligan-

Luc. 4. dus & conterendus erat, adoriri dubitauit, eique, qui nulli tentationi obnoxius est, tentationem admouit (quoniam eã Dei partem quę aspectu sentiebatur, Adamo similé esse videbat) quasi ipsum quoque deiecturus. Nec enim fore suspicabatur, vt humanitatem aggressus in diuinitatem incurreret. Quid igitur eundem per Cyprianum quoque sanctam animam, corpúsque nullo modo contrectandum attentasse mirandum est? Solicitabat ergo eam Cyprianus, atque ad huiusmodi lenocinium non aniculam quandam ad hos vsus accommodatam, sed dæmonem quendam libidinis ac voluptatis amantem asciscit. Rebelles quippe atque inuidi spiritus ad obeunda huius generis ministeria celeres esse solent, multos nimirum casus exitijque sui socios habere cupientes. Huius porro lenocinij premia victimę, & libamina erant, affinia que ea, quę per sanguinem & sacrificiorum nidorem cum eo contrahitur. Talem enim iis mercedem persolui oportebat, qui talia in talibus rebus beneficia contulissent. At puella simulatque vim mali persensit, atque insidias intellexit (purę etenim diuinæ animæ diaboli technas celeriter peruestigant, quamlibet versipellis ille sit, atque in conatibus suis varius ac multiplex) quid facit, & quid aduersus malitię parentē & architectum molitur? Deploratis omnibus aliis remediis ad Deum confugit, atque aduersus nefarium & execrandum amatorem sponsum suum patronum ac defensorem assumit, qui & Susannam mortis periculo liberauit, & Teclam seruauit, illam à sæuis presbyteris falso crimine circũuentam, hanc à tyranno ipsius proco, peiíreque magis tyrannico: quem tandem sponsum illum intelligo? Christum, qui & spiritus increpat: & pes-

Dan. 13. sum euntes subleuat, & per mare pedibus iter facit, & spirituum legionem in profundum mittit, quique & iustum virum è lacu eripit leonibus in escam obiectum, manuúmque extensione victoriam de feris consecutum, & fugitiuum Prophe-

Matth. 17. Luc. 4. Matth. 14. Luc. 8. Dan. 14. Ionæ 2. Dan. 3. tam à ceto voratum, in ipsisque præcordijs fidem integram seruantem ex imminenti vitæ discrimine extrahit, & Assyrios pueros inter flammas incolumes seruat, Angeli opera ignis ardorem refrigerans, ac tribus illis quartum adiungens. Hæc atque his plura commemorans, Virginémque Mariam supplex obsecrans, vt periclitanti virgini auxilium ferret, ieiunij atque humi cubitationis pharmaco sese communiit: partim vt

Iustina Mariam virginem obsecrat. Ieiunij pharmacum.

formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicque flammæ materiam subtraheret, ac libidinosi faciem absumeret: partim vt humiliate sua propitium sibi Deum & exorabilem redderet. Neque enim vlla re perinde, atque corporis animique afflictatione conciliatur Deus, lachrymísque misericordia vicissim rependi solet. Non est apud me dubium, quin reliquam huius historiæ partem auide expectetis. Virginis enim nec minus amantis ipsius causa laboratis, animóque solicito estis, ne vtrisque funestum tandem & exitiosum finem hic amor habuerit. Verùm bono animo estote. Fidem enim hic amor conciliat, ac dum procus virginis nuptias ambit, à Christo ipse despondetur, atque extincta libidinis flamme igne veritatis flemma suscitatur. Quo pacto id acciderit, quæritis? (hic iam in iucundissima parte narrationis versor) virgo superat, dæmon superatur: ad amantem accedit tentator, victum se recessisse indicat; eámque ob causam ab eo contemnitur. Quam rem indigne acerbéque ferens contemptorem suum hac ratione vlciscitur. In eum si quidem ipsum, à quo ante colebetur, immigrat (quo videlicet malum malo extruderetur, furorique medicinam furor afferret) atque à virgine quidem non secus ac tormentaria quædam machina à firmo & valido muro repellitur, precibus nimirum & oratione fusus ac fugatus: cum eo autem à quo missus fuerat, colluctatur (ô rem miram & inauditam!) ad eum, à quo telis cuiusdam instar iactus fuerat, rediens, ipsúmque velut alterum Saulem præfocans. Quid hic igi-

1. Reg. 16. 18. tur demens ille amator, & pudicus ac prudens arreptitius? Meli depulsionē quærit, & inuenit. Ingeniosus enim & industrius esse solet, quisquis diuexatur. Quænam autem depellendi mali ratio fuit? Ad virginis Deum, quemadmodum Saul ad Dauidis citharam, filiúmque pulsus confugit: ad huius pastorem se confert, atque vt amore per acceptam plagam, ita malo spiritu per fidem in Christum purgatur, amorémque commutat. Quæ res adeo noua atque insolens Episcopo visa est, vt multo tempore fides illi abrogaretur, ac repelleretur: quod incredibile, ac miraculi simile videretur, Cyprianũ aliquando inter Christianos nomen suum profiteri, quamuis etiam alij

omnes homines Christianam fidem amplecterentur. Cæterùm commutat, mutationémque luculento argumento confirmat. Magicos enim libros publice proponit, de imbecillitate pretiosi thesauri triumphum agit, amentiam prædicat, ingentem ex illis flammam excitat, diuturnamque imposturam, quæ ne vni quidem carnis flammæ opem afferre potuerat, igne absumit, à dæmonibus secedit, Deo adiungitur, atque (ô insignem diuinæ gratiæ magnitudinem!) per sceleratum amorem ac spiritum, Deum inuenit, ac sacri gregis ouis sacra efficitur, & quemadmodum ex quodam intellexi, euertendi quoque templi munere fungitur, cum id videlicet multis precibus contendisset, vt ad expiandum anteactæ vitæ fastum humilitatis studia coleret. Pastor deinde creatur, ac Pastorum optimus, & probatissimus. Neque enim Carthaginensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ ab eo & propter eum etiam nunc illustri celebríque præficitur, verùm etiam Occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam ipsi Orienti, necnon Australi & Septentrionali oræ, quocumque illius fama & admiratio peruagata est. Sic Cyprianus noster efficitur. Hæc signorũ & prodigiorum Deus facit: hæc, inquam, ille, qui Iosephũ fratrum scelere atque iniuria venalem in Ægyptum duxit, & in fœmina explorauit, & in frumẽti largitione nobilitauit, & per insomnia erudiuit, sapientiáque instruxit, vt in externa regione auctoritate floreret, atque à Pharaone ornaretur, paréque maximarum illarum copiarum fieret, propter quas Ægyptus excruciatur, mare scinditur, panis pluuiæ instar funditur, Solis cursus inhibetur, promissa terra per sortem distribuitur. Diuina enim sapientia magnarum rerum fundamenta multo ante iacere, ac contraria per contraria procurare nouit: vt maiorem sui admirationem mortalibus excitet. Si iam nihil haberem, quod adiicerem: hæ tamen Cypriani virtutes ad numeros omnes laudationis explendos abundè sufficerent: nunc vero tot tantáque mihi dicenda restant, vt etiam si nihil eorum, quæ superius allata sunt, illi ad laudem suppeteret, his tamen quæ sequuntur, omnes post se relicturus sit. Nam vt media incidam, pecuniarum contemptum, fastus compressionem, corporis frenationem, & puritatem cum prioris vitæ cupiditatibus ex diametro pugnantem, in vestitu frugalitatem, in congressibus grauitatem cum humanitate coniunctam, pari interuallo à vilitate atque arrogantia remotam, asperas item humi cubitationes & vigilias, quibus, homo alioqui huiusmodi rerum studium sero ingressus, eos qui priores hoc vitæ genus amplexi fuerant, multùm faciléque superabat, vt etiam doctrinæ vbertatem silcam qua vt omnium mores instruxit, & dogmatum inscitiam sustolit, & clarorum hominum vitam exornauit, & principis ac regiæ Trinitatis diuinitatem, quam nonnulli scindebant, nonnulli etiam contrahebant, ad priscam integritatem renocauit: piæ videlicet vnionis connumerationísque finibus sese continens: vt hæc, inquam, omnia vitandæ prolixitatis causa, missa faciam, eius vitæ fine, oratio nostra concludetur. Furebat aduersus nos Decius, omniáque tormentorum genera conquirebat, ac grauissima quæque supplicia partim iam inferebat, partim intentabat, parique contentione in vtrumque horum incumbebat, vt & Christianos opprimeret, & priores omnes persecutores crudelitate superaret, immo potius vt vel Christianos omnes, vel Cyprianum vnum vinceret, atque in potestatem redigeret. Nam quanto illum pietate & gloria reliquis præstare intelligebat: tanto præclariorem quoque & illustriorem victoriam suam fore perspiciebat, si eum superasset. Illo enim modo nihil aliud se perficere posse, quam vt Christianos vinceret: hac autem ratione, vt philosophiam quoque ipsam, & doctrinam extingueret. Porrò linguam prius amputare, atque ita mutos & elingues eos, qui ab ea fulciri solebant, abducere, præstantissimi ducis esse censebat: non rectè quidem ille nec piè hæc cogitans, non tamen omnino temerè & inconsultè, quantum quidem ad eius consilium & conatus attinebat, quemadmodum res ipsa declarauit. Nam cùm, vt scopulus quidam incursantes fluctus, sic ille impetus omnes assultúsque magno animo strenuóque propulsasset, tandémque ab eo in exilium actus esset, haudquaquam in priuata salute sua vir egregius acquiescebat, aut præclarè secum agi putabat, quòd vita ipsi erepta non fuisset, nec securitatem corporis potius hanc ignominiã, quam animæ periculum interpretabatur, si otio & silẽtio indulgeret, eorúmque salutem negligeret, qui grauissimo tempore periclitabantur, vt qui neminem haberet, qui ipsos ad certamen erudiret, animisque obfirmaret. Nec enim ad augendum animi robur leue momentũ iis affert oratio, qui ad virtutis stadium accinguntur. Proinde quamuis corpore abesset, spiritu tamen aderat, eodémque cum his, qui pugnabant, certamine versabatur: & quibus lingua opitulari non poterat, iisdem per literas succurrebat. Abiiciens enim, iamersi in exilio positus, sese præstat, cohortatorias orationes conscribens, pietatémque literarum monumentis consignans, pluresque propemodũ solus ipse per epistolas ad subeundũ martyrium inducit, quàm cæteri omnes, qui tum dimicantibus præstò fuerant. Admonet enim, ne patriam, ne genus, ne facultates & copias, ne principatum & potentiam, aut aliud quidpiam humi iacentium rerum atque caducarum veritati præmiisque illis, quæ virtutis causa periculum adeuntibus in cœlo recondita sunt, anteponamus. Hanc enim negociationem omnium præstantissimam esse, qua perexigui sanguinis pretio cœleste regnum emitur, ac breuia & fragilia bona & cum sempiterna gloria commutantur. Vnam enim magnis & excelsis viris spiritualem illam ac mente sola perceptibilem Hierusalem patriam esse, non eas, quas hîc angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis hominibus subinde incoli videmus: vnum item generis splendorem in eo consistere, vt diuinam imaginem tueamur, atque exemplar nostrum imitemur, quantum quidem iis, qui carnis vinculis astricti sunt, ac perexiguos duntaxat primarij boni riuulos accipere queunt, assequi datur: vnum porrò principatum in hoc positum esse, vt pestiferum spirituum imperio teneamus, ne in iis certaminibus, quæ pietatis causa suscipiuntur, animos nostros frangi atque expugnari sinamus, vbi vitium cum virtute confligit, & fluxus ac fragilis mũdus cum firmo & stabili, & truculentus certaminis præses cum generosis athletis, & Belial aduersus Christum aciem instruit. Ob

Gen. 37. Gen. 39. Gen. 40. 41. Exod. 7. 8. 9. 10. 11. Exod. 14. 16. Jos. 10. 13.

Ob eásque causas & gladios contemnere, & frigidum ignem, ac feras quamlibet immanes & acerbas, mites existimare, & famem pro summis deliciis ducere, amicorum autem & propinquorum lachrymas & luctus ac gemitus vt diaboli illecebram, viæque ad Deum ferentis obicé prætcrire suadebat. Hæc enim generosarum fortiúmque animarum esse, grauisq; consilij atque prudentis. Atque harum rerum propinquum exemplum ille ipse erat, qui hæc dicebat ac scribebat, vt pote qui omnia pro stercoribus duxit, vt Christum lucraretur. Hoc animo præditus Cyprianus, atque huiusmodi sermonibus Christianos ad certamen armans, permultos ad mortem pro Christi nomine oppetendam impellebat. Quodnam autem huius rei præmium tulit? quàm copiosum atque profusum. Post eos etenim omnes, quos præmiserat, capitis obtruncatione martyrij palmam adipiscitur, multisque tormentis hanc coronidem imponit. Sic Christo offertur, sic ad Christum migrat ille impietate affluens, pietate affluentior, Cyprianus, inquam, ille tum persecutor magnus, tum laureatus pugil, non minus ob vitæ mutationem quàm ob virtutem admirandus. Neque enim tam honorificum est virtutis formam effigiémque conseruasse, quàm mutata vitæ ratione animum ad pietatis studium contulisse. Illud enim consuetudinis est, hoc consilij & prudentiæ: illud frequés ac vulgare, hoc rari omnino exempli. Iam quale illud quoque ipsius miraculum est! (Libet enim in Martyris gratiam paulisper adhuc in oratione immorari.) Hæc fuit ipsius vitæ ratio: hic certaminis modus. Cùm autem extremum vitæ diem egisset (si tamen hoc verbo vti fas est, ac non potius res ea vel discessus ad Deum, vel desiderij cumulus, vel vinculorum solutio, vel oneris excussio appellanda est) hic quoque dignum vita sanctissimè acta miraculum designatur. Nam quanquam Cypriani nomen apud omnes non modò Christianos, verùm eos quoque qui doctrinæ nostræ aduersantur (omnes enim æquè veneratione sui virtus afficit) clarissimum ac celeberrimum esset: corpus tamen obscurum erat: atque hic thesaurus apud mulierem quandam acri atque ardenti pietate præditam occultabatur, idque perdiuturno tempore: siue hoc eò fieret, quòd Deus piam mulierculam honoraret, ac propterea illa Martyrem complexu suo teneret: siue etiam vt desiderij nostri periculum faceret, atque experiretur, num hac iactura discruciaremur, acerbissiméque ferremus nos sacrosanctis reliquiis defraudari? Ea verò posteaquam ille Martyrum Deus commune omnium bonum alicui priuatim concedere, ac singulari erga illam gratia publicis commodis detrimentum afferre minimè sustinuit, per reuelationem corpus in apertum profert, atq; hunc rursus honorem probæ cuidam mulieri confert: vt mulieres ex eo quoque sanctificentur, quòd quemadmodum Christum ante pepererunt, resurrectionisque ipsius nuncium discipulis attulerunt, ita hunc etiam Cyprianum, hoc est publicum orbis bonum partim indicarunt, partim tradiderunt. Hæc laudum illius postrema est. Sic in medium prodit, qui indignus erat, vt in obscuro delitesceret: nec sui furtum tolerare siuitur. Quandoquidem præstantiori atque excelsiori animo erat, quàm vt eos honores ambiret, qui corporibus haberi consueuerunt. Hæc sunt, quę dicenda habuimus, atque haud scio, an plura dicere necesse sit. Neque enim, etiam si orationem in longum produxerimus, quicquam tamé afferre queamus, quod illius virtutibus, & existimationi, quam de eo vnusquisque concepit, vlla ex parte respondeat. Atque hæc etiam eò differuimus, vt debito illi honoris officio vtcunque defungeremur. Vestræ iam partes sunt, ea quæ restant, à vobismetipsis adiungere, vt nonnullum ipsi quoque Martyri munus offeratis, dæmonum profligationem, morborum depulsionem, futurarum rerum præscientiam: quæ quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani, modò fides adsit, efficiunt: quemadmodum norunt, qui huius rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos vsque transmiserunt, eiusdémq; memoriam posteris quoq; tradituri sunt. Quin potius ita vos comparate, vt his maiora offeratis, qualiáq; eos offerre decet, qui eum veris honoribus afficere instituerint, corporis nimirum extenuationem, animi subiectionem, vitij fugam, virtutis incrementum: virgines carnis cōtemptum, vxores virtutis potius quàm corporis concinnitatem & elegantiam, iuuenes in comprimédis animi perturbationibus fortitudinem, senes consilium & prudentiam, principes egregiam legum constitutionem, præfecti militares clementiam, eloquentię cultores aptam & rationi congruentem orationem, atque, vt de nostra disciplina aliquid dicam, sacerdotes mysticam initiationem ac disciplinam, populares obedientiam, mœrentes consolationem, læti atque hilares timorem, diuites largitionem, pauperes gratiarum actionem, omnes denique muneris cuiusdam instar, belli apparatum aduersus peruersum illum & amarulentum persecutorem afferant: vt nec aperto marte nos vulneret, nec obscuris sagittis impetat. Nec vt caligo bellō inferat, nec angelus lucis fallat, furtimq; ad sempiterni exitij barathrū præcipites agat. Graue & perniciosum est per oculos capi, per linguā sauciari, per aures inescari, per ebullienté iram inflammari, per gustum deiici, per tactum emolliri, atque arma salutis in mortis arma conuertere: cùm contrà nobis faciédū sit, vt fidei clypeo cōmuniti aduersus diaboli astutias in procinctu stemus, victoriámq; cum Christo assecuti, simúlque cum Martyribus collaudati magnam illam vocem audiamus, Venite benedicti Patris mei, regnū vobis promissum hæreditate percipite, in quo lætantium omnium choreámque sempiternam agentium habitatio est, in quo sonus festum celebrátium, & vox exultationis, & diuinitatis, ac plenior illuminatio, qua nunc in ænigmatis duntaxat & vmbris fruimur. Hoc bonorū genere magis oblectatur Cyprianus, quàm cunctis aliis in vnum coagestis. Hęc & cùm apud homines versaretur, vita moribúsque præstabat, & absens per nostram vocem omnibus præcipit, quam obsecro ne contemnatis ac pro nihilo ducatis, si tamen aut illius in dolorum acerbitatibus tolerantiæ, ac certaminum pro veritatis defensione susceptorum, aut etiam mei, qui hac legatione fungor, apud vos vlla est ratio. Habes, vir diuine & sacrosancte, meorum sermonum primitias: Habes tum doctrinæ præmium, tum certaminis, non oliuam Olympicam, nec poma, delphicas nugas, aut Isthmicam pinū, aut Nemæum apium, quibus miseri adolescentes

Philip. 3.

Cypr. corpus occultatum. [illegible]

Luc. 2. Matth. 28. Cypr. corpus publicum orbis bonum.

Cæterum Cyp. virtus.

Matth 26. Psal. 86.

Psal. 117. 1. Cor. 13.

Cyprianum alloquitur.

tes olim ornabantur, verùm orationem, qua nihil est quod Verbi cultoribus magis conueniat: quæ si certaminum tuorum doctrinæque meritum assecuta est, Verbo id acceptum fero. At tu nos è cælo benignus aspicias, sermonésque nostros & vitam gubernes, sacrúmque hunc gregem pascas, aut pascentē adiuues, cum in cæteris rebus, quo-ad eius fieri poterit, eum ad optima quæque dirigens, tum graues lupos, syllabarum verborúm-

D. Cyp. inuocat. que captatores amolliens, sanctæque Trinitatis, cui nunc adsistis, pleniorem clarioremque splendorem nobis conciliāns, quam adoramus, quam celebramus, cui munere nostro fungimur, in Filio Patrem, in Spiritu sancto Filium adorantes, cui vtinam etiam post confectum huius vitę curriculum puri, & ab omni offendiculo liberi adstemus, eáq; perfecti perfectè fruamur, in ipso Christo domino nostro, cui omnis gloria, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

S. AVGVSTINI EPIScopi Hipponensis in eodem festo, Homil.

Ser. 12. libro xvij. Homil. SErmonem à nobis debitum auribus, & cordibus vestris exigit tam grata, & religiosa solennitas, qua passionem beati martyris celebramus. Tristis proculdubio tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis semper cupiens videre præsentem tam bonum rectorem, atque doctorem. Sed quos afflixerat solicitudo certaminis, consolata est corona victoris. Et nunc non solum sine vlla tristicia, verumetiam cum ingenti lætitia cuncta, quę tunc gesta sunt, legendo recolimus, diéque isto gaudere nobis concessum est non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, sed expectamus hilariter redeuntem. Placet itaque vniuersam illam fidelissimi, & fortissimi, & gloriosissimi martyris passionem cum exultatione recordari præteritā, quam tunc fratres cum solicitudine sustinuere futuram. Primo igitur quòd pro fide cōfessionis Christi in exilium Curubin missus est, non sancto Cypriano aliquid nocitum, sed multum illi præstitū ciuitati, Quò enim ipse mitteretur, vbi ille non esset propter cuius testimoniū mittebatur. Christus ergo qui ait, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, in omni loco membrum suum excipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O stulta infidelitas persequentis, si quæris exilium, quo Christianus iubeatur ire, priùs si potes inueni, vnde Christus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquam exulem in carne, vbique peregrinum. Sed iam considerare, & commemorare delectat post illud, quod Cyprianus non senserat, sed inimicus putabat exilium quid ex ordine passionis ipsius consecutum sit. Cum enim Cyprianus sanctus martyr electus à Deo de ciuitate Curubitana, in quā exilio præcepto Aspasij Paterni proconsulis missus fuerat, regressus esset, in hortis suis manebat, Et inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut ostēsum erat illi. Quid iam fremeret persecutoris impetus aduersus cor semper paratum, accedente etiam domini reuelatione firmatum? Quando enim desereret patientem, quem non est passus præoccupari nescientem? Iam ergo quod ad eum passioni exhibendum duo missi sunt, qui eum etiam secum in curriculū leuauerunt, in medióq; posuerunt, & hoc diuinæ admonitionis fuit, vt gaudens recoleret ad eius se corpus pertinere, qui inter iniquos deputatus est. Christus namque inter duos latrones ligno suspēsus, ad exemplum patientiæ præbebatur. Cyprianus autem inter duos apparitores, ad passionem curru portatus Christi vestigia sequebatur. Quid illud, quod quū in alium diem dilatus apud custodes esset, atque illuc se multitudo fratrum ac sororum congregans, pro foribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit. Quanta intentione considerandum? Quanta laude prædicandum? Quantó præconio commendandum est? Vicina corporis morte nō moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, & cura tuendi dominici gregis vsque ad extremum vitæ huius diem mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus tam proxima cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat futurum, vt esse non obliuisceretur episcopum, magis curans quam rationem pastorum principi de commissis sibi ouibus redderet, quàm quid infideli proconsuli de fide propria responderet. Amabat quippe eū, qui Petro dixerat, Amas me? Pasce oues meas. Ioan. 21. Et pascebat oues eius, pro quibus sanguinem fundere illum imitās præparabat. Custodiri puellas præcepit sciens non solum se habere simplicem dominum, sed etiam versipellem aduersarium. Itaque aduersus leonem aperte frementē in confessione virile pectus armabat, aduersus lupum insidiantem gregi sexum fœmineum muniebat. Ita vere sibi consulit, qui Deum iudicem cogitat, apud quem causam gestæ huius vitæ atque ab illo sibi muneris iniuncti quisque dicturus est, Vbi omnis homo recipit sicut testatur Apostolus, 2. Cor. 5. quæ per corpus gessit siue in bonum siue in malum: ita sibi consulit, qui ex fide viuens & satagēs ne ab extremo præoccupetur die, extremum cōputat omnem diem, & sic Deo placitos mores perducit vsque ad extremum diem. Ita sibi beatus Cyprianus Episcopus misericordissimus & & martyr fidelissimus consulebat, non sicut eum lingua subdola diaboli per os possessi à se impij iudicis monere videbatur dicens, Consule tibi: quum enim eius immobilem mentem videret quando ei dixit, Iusserunt te principes ceremoniari. Respondítque ille: non facio, adiecit & ait, Consule tibi. Ipsa est lingua subdola diaboli: & si non huius, qui nesciebat quid loqueretur, illius tamē qui per eum loquebatur. Loquebatur enim proconsul non tam secundum principes homines, quorum iussa sibimet iniūcta iactabat, quàm secūdum principem potestatis æris, de quo Apostolus dicit, Qui operatur in filiis diffidentiæ, Ephe. 2. quem per huius quoque linguam operari Cyprianus nouerat, quod ipse non nouerat. Nouerat, inquam, Cyprianus, quum à proconsule audiret, consule tibi, quod caro, & sanguis diceret stolide hoc diabolum dicere subdole: atque intuebatur in vno opere duos istum oculis, illum fide: nolebat eum iste mori, nolebat ille coronari, proinde circa istum placidus, circa illum cautus. Huic aperte respondebat, illum occulte vincebat. Fac, inquit, quod tibi præceptum est. In re tam iusta nulla est consultatio. Dixerat quippe

ille

ille consule tibi. Ad hoc responsum est, In re tam iusta nulla est consulratio. Consulit enim qui consilium vel impertit vel quærit, sed proconsul non à Cypriano consilium accipere volebat, sed eum potius vt à se acciperet monebat: at ille, In re, inquit, tam iusta nulla est consultatio. Non adhuc consulo quia nō adhuc dubito, abstulit enim mihi dubitationem ipsa iustitia. Iustus autem vt securus moriatur in carne, certus viuit in fide. Præcesserant Cyprianum multi martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat, & erat vtique iustum, vt quos veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur, ergo in re tam iusta nulla est consultatio. Quid ad hæc dicamus? Quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum, in quid erumpat cor nostrum & os nostrum, nisi in ipsam venerabilis martyris vltimam vocem? Quum enim Galetius Maximus decretum ex libello recitasset, Inclytum Cyprianum gladio animaduerti placet, Respondit ille Deo gratias. Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festiuitatem solēnissimi diei, propositionem saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris dicamus & nos, Deo gratias.

S. MAXIMI EPISCOPI
Taurmensis in eodem festo, Homilia 1.

SAncti Cypriani festiuitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, & natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem eius martyrij procuramus. Cōueniunt igitur vota nostra, & mundi. Mundus vindemiarum vbertate lætatur, nos sanctorum passione gaudemus. Quæ quidem passio vindemiis comparāda est. Sicut enim vuarum expressione vinum funditur, ita & sanctorum martyrio vini vice sanguis effunditur, nisi quòd vua temporales fructus præstat, passio sempiternos. Recte ergo martyrium vindemiis comparatur, habet enim & ebrietatem suam, habet & calicem suum, de quo dicit Propheta Dauid: *Psal. 22.* Et calix tuus inebrians quàm præclarus est! *Matth. 26.* Et ipse Dominus in passionis suæ exitu constitutus ait: Pater, si possibile est, transeat calix iste à me. Et iterum Propheta: Calicem salutaris accipiam, & nomē Domini inuocabo. Recte, inquam, calix martyrio comparatur, quia sicut calix, cum bibitur, omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita & martyrij poculum cum hauritur, omnes peccatorum feces passionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam salutare martyrij est, quod cordi lætitiam præstat, calorem fidei, animæ puritatem. Vinum plane est spiritale Dei illa vua, quæ pro salute omnium pependit in ligno. Sicut enim botrus redditurus vinum prius in vinea quadam naturæ arte suspenditur, ita & Christus editurus vinum spirituale martyrij in cruce quadam prouidentia diuinitatis aptatur. *Num. 13.* Ipse est plane botrus, quem duo exploratores illi, hoc est, Iesu Naue & Caleph filius Iephone in phalanga ad filios Israel propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum iam tunc præfigurabat aduentum Domini saluatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Duo autem in phalanga portantes vuam, duo populi demonstrantur, Christianus vtique & Iudæus. Et, sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter subsequens, ita prior Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedens, quod portat, non videt, & retrorsum idem semper habens quadam dorsi auersione contemnit, qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur, ita ergo Iudæus, & Christianus populus. Iudæus enim prior est, Christum in lege portat, & nescit, & retrorsum eū ponens quadam dorsi auersione contemnit. Vnde ait Propheta. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. *Psal. 68.* Christianus vero sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum vicinitate complectitur, & quanto eum ille populus prauo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.

EIVSDEM VNDE
supra, Homil. 2.

IN martyrio beatissimi Cypriani, fratres charissimi, vniuersa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium & cælestis eruditione sermonis instruxit, & munere triumphalis sanguinis decorauit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, & contra errores diaboli spiritalis sapientiæ plenitudo, & aduersum persequutiones mundi Christiani pectoris infatigata constantia. Quis non huiusmodi virum, quantis valet præconiis, prosequatur, cuius eloquentia inspirata diuinitus & Ecclesias docuit, & sæculum confutauit? Vere hic mirabilis, atque omnium vbique studiis celebrandus, quem sanctitas sacerdotem, peritia doctorem, fides martyrem consecrauit. Preciosa, inquit Dauid, in conspectu domini mors sanctorum eius. Videte, charissimi, in quantum venerabilis Cyprianus, etiam propheticam supergressus est laudem, cuius in conspectu domini non solum mors, sed & vita extitit preciosa. Moriendo nanque proprium Christo sanguinem dedit, viuendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cælo martyres acquisiuit. Quid hoc clarius sacerdote, qui inter hominum turbas gloria cælestis conuersationis eminuit, atq; inter angelicos cœtus, & sua factus est, & aliorum morte conspicuus? Iustissime hic cum patriarcha Dauid cantauit Domino Deo suo dicens: Cor meum, & caro mea exultauerūt in Deo viuo. *Psal. 83.* Exultauit itaque cor eius in Deo viuo, cum morientis ac morituri sæculi vanitate despecta, totum se diuinis mancipauit obsequiis. Exultauit & caro eius in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris, sed piis pro religione suppliciis consecrata migrauit. Hic est ille euangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo *Matth. 13.* noua, & vetera, qui veteris, nouique testamenti vnum, atque idipsum mysterium prædicans Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditauit. Incorruptibilis, atque indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam domini sui nummulariis fœnerans, quotidie in corde fidelium cælestium diuitiarum sanctam cōquirit vsuram. *Matth. 25.* Quid igitur, fratres, tanto speciosius viro, cuius hæc est regula,

regula, & mensura sermonis, vt inter varias hominum causas, moresque diuersos, nunc affectione patris, nunc authoritate doctoris consuletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles. Tantóq; deniq; decore sacerdotium, vitámque suam vir fidelissimus adornauit, vt doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, dominicam illam sententiam tenens, qui docuerit, & fecerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Quàm magnus hic, quámque præcipuus in regno cælorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, & mors Deo deuota sublimat? Nec immerito, fratres, tanto cum honore nominis eius memoria per amplissima mundi spatia celebratur, quia per vniuersum orbem ad firmamentum fidei nostræ, & passio eius & doctrina profecit. Matth. 5.

S. FVLGENTII EPISC.

Ruspensis in eodem festo, Sermo.

CLarum tanti martyris natalis diem, beati scilicet Cypriani, quo terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigrauit, & sacerdotij eius doctrinam & martyrij nobis victoriam commendauit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis & gloriam deuoti certaminis episcopus confitendo patitur, ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, ac potius prudenti cõsideratione cognoscit, hũc ipsum qui nunc annua circunstitutione festus nobis reuoluitur dies, Christianis ac religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse sollicitum, dum aduersus diabolum ab antistite suscepto culmine, pia plebis expectatio trepidaret, atque ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti, ita pastor præcederet, nec ouile desereret, deserto q́ue (quod absit) lupus inuaderet: dolebat ecclesia subtractum interim suo consortio tam clarissimum sacerdotem: sed tamen gaudebat prostrato aduersario Christi martyrem extitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quando tantus Deo seruabat quod docuerat, & quid cæteri facere deberent, non iam verbis, sed operibus demonstrabat, fidem sermonum exemplis, rerum valida soliditate confirmans, credens & confidẽs pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro eius nomine non subtrahere occidendum. Cuius enim sanguine tunc indignus redemptus fuerat, dignum suum sanguinem pro illo fundebat, & cuius sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat. Dedit enim benedictionem qui legem dederat, vt ambularent de virtute in virtutem. De virtute fidei sincerissimæ, in virtutem conflictionis constantissimæ, de virtute charitatis flagrantissimæ, in virtutem passionis gloriosissimæ. Credidit enim, loquutus est, dilexit & sequutus est. Audierat enim à Domino dictum, Qui me diligit, sequitur me. Et iterum: Qui credit in me, non morietur in æternum. Et pater fidelis sequutus est vestigia saluatoris. Interritus contempsit principum iussa & iudicum edictum. Paratus excepit percussoris ictum, & animum soli Deo subditum, etiam ipsa mors seruauit inuictum. Denique nihil eum reuocauit pastoris gregisque custodia, exilij locus, apparitor violentus, persequutionis tempus, iudicis metus, imminens gladius, proximus mortis occasus. Nam & in exilio constitutus, atque ab ecclesia sibi commissa corpore tantum non mente separatus, pauperum alimenta, & in occulto absconditus disciplinæ censuram, & à principe detentus virginum pudicitiam, & ad tribunal exhibitus clericorum tutelam, & minis actus robustam cõscientiam, & subdole consumptus spiritualem cautelam, & iniquè iudicatus Christianam patientiam custodiuit. Plebem frequentibus literis admonens, inopes largioribus eleemosynis fouit, martyres hortamentis pariter & exemplis ad subeundum prælium præmonuit, & donec ponat animam non deserit curam. Denique custoditur & custodiuit, proprij doloris securus contemptor, alieni pudoris solicitus conseruator, plus metuens luxuriæ quam tristitiæ, magísque cauens diaboli oblectamenta, quam pertimescens multa tormenta. Pro fide aduersus leonem vigilat rugiẽtem, pro castitate aduersus sibilantem dimicat. Vincit in suo corpore nequitiam sæuientis, in puellarum carne mollitiem blandiẽtis; calcans minas persequutoris, vitat fallaciam deceptoris, nec in quoquam furenti cedit, nec quicquam furari violento concessit. Proinde considerantes eius luctam, perseuerantiam, victoriam pariter & coronam, & quid euaserit & quo peruenerit, dulci mentis speculo refouentes annua deuotione cantemus; Benedictus Dominus qui non dedit nos in venatione dentibus eorum, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauenens. in S. Cyprianum Martyrem, Sermo.

QVoniam hodie Deo in natali sancti Cypriani Martyris conuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum; idem exultare nos conuenit & lætari. Natalem ergo sanctorũ cùm auditis, charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas, de mundanis risibus ad coronam, & gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur. Cùm ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare, charissime, quod in solis prandiis, & profusioribus epulis natales martyrum celebrentur: sed imitandum tibi proponitur, quòd in memoria martyris celebras. Aspice ergo, charissime, alacritatem populi circunstantis. In hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cùm sanctus Cyprianus iussu tyranni feriretur, turbæ erãt malorum, expectantium chori, nunc multitudo fidelium ad collætandum deuota confluxit: tunc turba sæuientium, nunc exultantium; tunc desperatorum, nunc sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua lætitia celebrantur, vt, quod semel actum est, per omne æuum in memoria maneat deuotorum. Gesta res est, charissime, ne te diceres ignorare, celebrantur annua, ne dicas, Ser. 129.

oblitus,

obliuus sum. Ad hæc ergo imitanda vos animare, charissimi, hanc magnanimitatis gratiā concupiscite: hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci. Omnes enim cælestia cupiētes, terrenorum bonorum laqueis irretiri nō possunt, quia cōuersationem suam in cælestibus statuerunt. Sicut ait Philip.3. sanctus Apostolus; Nostra autem conuersatio in cælis. Dirigatur ergo cordis nostri desiderium ad habitationem cælestem, vbi, quom dispersus fuerit pauperibus thesauros vester, illic erit & cor vestrum. Thesaurus autem bonorum omnium Christus est, qui vos cum Patre, & Filio, & spiritu sancto donis cælestibus, & nunc, & in æternum cumulare, & replere dignetur.

IN VIGILIA S. MATTHÆI APOST. ET EVANG.

LVC. 5.

a Non tam corporeo conspectu quam misericordiæ intuitu. b Leui, additus vel assumptus, quia diuina eum electio assumpsit, & in numero Apostolorum addidit. c Pertinaciter lucris inhiantem.



IN illo tempore: [a] Vidit Iesus publicanum nomine [b] Leui [c] sedentem ad [d] teloniū, & ait illi: [e] Sequere [f] me. Et relictis omnibus [g] secutus est eum. Et fecit ei conuiuium Leui in domo sua. Et erat [h] turba multa publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Et [i] murmurabant [k] Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et respondens Iesus dixit ad illos: Non [l] egent qui [m] sani sunt medico, sed qui [n] malè habent. Non enim veni vocare [o] iustos, sed [p] peccatores ad pœnitentiam.

d Telos Græcè vectigal. e Amodo. f Non lucra. g Non Leuitate doctus, sed virtute operum, & diuina potentia intus operante. Sequitur tam corpore quam mente.
h Bed. Videtant publicanum, à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ: & ob id etiam ipsi non desperant salutem.
i Dupliciter errant, quia & se iustos putant cum sint superbi, & illos reos cum iam pœniteant.
k De ieiunio gloriantes.
l Ideo vos declino, quia putatis vos non egere. m Qui gratiam non quærunt. n Hos leuo, qui pœnitendo lucrum dant gratiæ.
o Qui iustitiæ suæ confidunt. p Conuerti volentes.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euangel.*

LEV I, *&c.* Beda. Idem Leui qui & Matthæus. Sed Lucas & Marcus propter honorem Euangelistæ, nomen vulgatum tacent. Matthæus autem in sermonis principio, accusator sui factus, se Matthæum, seu Publicanum nominat, ne quis à salute Matth.9. desperet pro immanitate peccatorum, cùm ipse de Publicano in Apostolū, de teloneario in Euangelistam sit mutatus. Ambrosius. Reliquit propria, qui rapiebat aliena. Nec solùm lucra reliquit vectigalium, sed & periculum contemnit, quod poterat venire à principibus seculi: quia rationes vectigalium incompositas reliquerit. Et quia in nullo prorsus, huius vitæ respectum, vel cogitationum sibi reseruauit, dominicorum talētorum fidelis dispensator esse meruit. Beda. Per Matthæi electionem, fides Gentium, quæ prius mundanis inhiabant, sed nunc corpus Christi sedula deuotione reficiunt, exprimitur. Per superbiam Pharisæorum, insinuatur Iudæorum inuidia, quæ de Gentiū salute torquetur. *Quare cum Publicanis, &c.* Ambrosius. Omnis quæstio ex lege, quæ tenax iustitiæ, non habet misericordiam. Omnes ergo declinauerunt, sed eius austeritatem missus filius Dei, gratia Euangelica temperauit. Prouocat ergo ad pœnitentiam peccatores, cuius cibus & potus, & ambulatio, & omnia quæ gessit saluti seruiunt. Ambrosius, Beda. Qui domicilio Christum recipit interno, maximis exuberantium pascitur delectationibus voluptatum. Itaque Dominus ingreditur, & in eius qui credidit recumbit affectu. Sed rursus accenditur inuidia perfidorum & futuræ pœnæ species præfiguratur. Epulātibus enim fidelibus, & in regno cælorum recumbentibus, perfidia ieiuna torquebitur. Ostēditur etiā quantum intersit inter æmulos legis & gratiæ: quia qui legem sequuntur, mentis famem patientur æternam. Qui vero in interioribus verbum receperunt, alimenti cælestis, & fontis vbertate recreati, esurire & sitire non possunt, & ideo quia animo ieiunant, murmurant dicentes: Quare cum Publicanis, &c. Filij diaboli venenum serpentis diffundunt. Serpens primam vocem emisit, dicens Euæ, quod vtiq; Deus dixit: Nolite mandu- Genes.3. care

cate ex ligno. Hunc imitantur isti. *Medico, &c.* Christus medicus, qui miro medicandi genere, vulneratus est propter iniquitates nostras. Hoc medicamine serpentis venenum excluditur. Qui hoc medicamento vtitur, non remanet ieiunus. *Vocare iustos, &c.* Beda. Iustos vocat eos, qui Dei iustitiam ignorantes, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei nolunt esse subiecti: & de lege præsumentes, gratiam Euangelij non quærunt. Peccatores qui sua mala attendentes, nec per legem se posse iustificari putantes, Christi se gratiæ pœnitendo submittunt.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ET *post hæc exiit, & vidit Publicanum nomine Leui, &c.* Aug. Post paralyticum sanatum de conuersione publicani subiungit, dicens: *Et post hæc exiit & vi. pu. no. Le.* Ipse est Matthæus qui & Leui. Beda. Sed Lucas & Marcus propter honorem Euangelistæ nomen tacent vulgarum. Matthæus autem in sermone principio accusator sui factus, Matthæum se & publicanum nominat, ne quis à salute desperet pro immanitate peccatorum cùm ipse de publicano in Apostolum sit mutatus. Cyril. Publicanus enim fuerat Leui, vir auarus, effrenis erga superflua, alieni amator. Hoc est enim publicanorum officiũ, sed ab ipsis officinis malitiæ detrahitur, Christo eum vocante. Vnde dicitur, *Et ait il. Sequere me.* Amb. Sequi iubet nõ corporis gressu, sed mentis affectu. Itaque ille verbo vocatus, propria dereliquit qui rapiebat aliena. Vnde sequitur, *Et relict. om. sur. sec. &c.* Chryso. Vbi & vocantis virtutem, & vocati obedientiam considera. Neque enim obstitit, neque vacillauit, sed protinus paruit: nec in propriam domum ire voluit vt suis hoc intimaret, sicut nec piscatores. Basil. Nec solum fœnora telonei postposuit, sed etiam contempsit pericula quæ sibi ac suis accidere poterant, dum calculos telonei dimitteret imperfectos. Theo. Et sic ab accipiente censum à transeuntibus, Christus sensum accepit: non quidem eius accipiens pecuniam, sed totaliter eum transferens ad suum consortium. Chr. Vocatum autem Leui Dominus honorauit, dùm cum eo confestim epulatus est: hoc enim ei maiorẽ præstabat fiduciam. Vnde sequitur: *Et fe. ei. con. ma. Le. in do. sua.* Nec solùm cum eo discumbit, imo cum pluribus. Vnde sequitur: *Et erat tur. mul. pu. & ali. qui cum il. erant di.* Conuenerant enim publicani ad eum sicut ad collegam & hominem eiusdem officij, sed & ipse glorians de præsentia Christi cõuocauit omnes. Christus etiam quodlibet genus remedij exhibebat & non solum disputando & præstando sanitatis remedia, vel etiam redarguendo æmulos, sed etiam comedendo nonnullos errantium corrigebant: inde nos instruẽs, quòd quodlibet opus & tẽpus potest nobis vtilitatem afferre. Sed nec publicanorum participationem vitauit propter vtilitatem sequentem, more medici; qui nisi tangeret saniem, non liberaret à morbo. Ambr. Cum peccatoribus enim manducando etiam cum gentibus non prohibet nos inire conuiuium. Chry. Sed tamen Dominus inculpatus est inde à pharisæis inuidentibus & volentibus à Christo discipulos separare. Vnde sequitur, *Et mur. pha. &c.* Ambr. Serpentina vox est: hanc primam vocem serpens emisit, dicens Euæ: Quid dixit Deus, nolite manducare, &c. ergo patris sui venena diffundunt. August. de con. Euan. Videtur autem Lucas hoc aliquando differentius ab aliis Euangelistis cõmemorasse: non enim dicit tantum Domino obiectum esse, quòd cum publicanis & pharisæis manducaret & biberet, sed discipulis quòd de ipso ac de ipsis acciperetur. Propterea enim Matthæus & Marcus de Christo discipulis obiectũ narrant, quia quòd discipuli cum publicanis & peccatoribus manducabant magistro magis obiiciebatur, quem sectando imitabantur: vna ergo sententia est tantò melius insinuata, quantò quibusdam verbis manente veritate varia. Chr. Ipse autem Dominus in contrarium earum sermonem conuertit, ostendens non esse culpã cum peccatoribus cõuersari, sed etiã consonũ misericordiæ propriæ. Vnde sequitur: *Et resp. Ie. dixit ad il. Non egent me, qui sa. sunt, sed qui malè habent.* In quo commonet eos cõmunis infirmitatis, & de numero languentium eos esse ostendit: se verò medicum esse latenter subiungit: *Non enim ve. vo. iust. sed peccatores.* Greg. Nise. Quasi dicat; Adeò peccatores nõ abominor, quia eorũ tantum gratia veni, non vt maneant peccatores, sed vt conuertantur & boni fiant. Aug. de con. Euang. Vnde addidit: *In pœnitentiam*: quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quòd peccatores sunt diligi arbitretur à Christo, cùm & illa similitudo de ægrotis benè intimet quid velit Deus vocando peccatores tanquam medicus ægrotos, vt ab iniquitate tanquã ab ægritudine salui fiant. Amb. Sed quomodo dum iustitias dilexit, neque vidit Dauid iustũ derelictum, si iustus derelinquitur, peccator asciscitur? non intelligas quòd eos iustos dixit qui ex lege præsumant, & Euangelij gratiam non requirant. Nemo autem iustificatur ex lege, sed redimitur ex gratia, non vocat ergo eos qui se iustos dicunt: vsurpatores enim iustitiæ non vocantur ad gratiam, nam si gratia est ex pœnitentia, vtique qui fastidit pœnitẽtiam, abdicat gratiam. Bed. Peccatores autem vocat eos qui sua mala attendentes, nec per legem iustificari se posse putantes, Christi gratiæ se pœnitẽndo deiiciunt. Chr. Ironicè autem dicit illos iustos, sicut quando dicitur: Ecce Adam factus est, quasi vnus nostrûm. Quòd autem nullus erat iustus super terram ostendit Paulus, dicẽs: Omnes peccauerunt & egent gratia Dei. Greg. Nis. Vel dicit non egere sanos & iustos medico, scilicet angelos: sed malè habentes & peccatores, id est, nos, qui morbum peccati incurrimus qui in cœlis non est. Beda. Per Matthæi autem electionem fides gentium exprimitur, qui priùs mundanis inhiabant, sed nunc Christi corpus sedula deuotione reficiunt. Theo. Vel publicanus est qui principi mundi seruit & debitum carni reddit, cui gulosus reddit escas, adulter voluptatem, & alius aliud. Cùm autem viderit eum Dominus sedentem in teloneo, id est non mouentem se ad maiorem nequitiam, tunc à malo erigetur & sequetur Iesum, & suscipiet in domo animæ Dominum. Ambr. Qui autem domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuperantium pascitur voluptatum. Itaque libenter Dominus ingreditur, & in eius recumbit affectu,

sed

sed rursus accenditur inuidia perfidorum, & futuræ pœnæ species præfiguratur: epulantibus enim fidelibus in regno cœlorum perfidia ieiunia torquebitur. Bed. Vel per hoc designatur Iudæorum inuidia, quæ de gentium salute torquetur. Amb. Simul etiam ostenditur quantum sit inter æmulos legis & gratiæ, & quòd illi qui legem sequuntur, mentis famen patientur æternam, qui verò verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cœlestis & fontis vbertate recreati, esurire & sitire non possunt. Et ideo qui animo ieiunabant, murmurabant.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI SUPERIORU EUANG. EXPOSITIO.

Ex lib. 5. comment. in Lucam. ET *post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedentem ad telonium, &c.* Mystica est hæc vocatio publicani, quẽ sequi iubet non corporis gressu, sed mentis affectu. Itaque ille priùs auara de mercedibus, dura de laboribus periculisque nautarum emolumenta conuerrens, verbo vocatus, propria derelinquit qui rapiebat aliena; ac vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit. Conuiuij quoque magni exhibet apparatum. *Apoc. 3.* Qui enim domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius qui credit, recumbit affectu. *Matth. 8.* Sed rursus accenditur inuidia perfidorum & futuræ pœnæ species figuratur. Epulantibus enim fidelibus, & in illo cælorum recumbentibus regno perfidia ieiuna torquebitur. Simul ostenditur quantum intersit inter æmulos legis & gratiæ, *Esai. 65.* quòd illi qui legem sequuntur, ieiunæ mentis famen patiantur æternam: *Ioan. 4. & 6.* qui verò verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti *Apoc. 3.* cælestis & fontis vbertate recreati, esurire & sitire non possunt. *Et murmurabant Pharisæi, &c.* Iudæi quia animo ieiunabant, murmurabant, dicentes, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* Serpentina vox illa est. Denique hanc primam vocem serpens emisit, dicens Euæ, Quid *Gen. 3.* vtique dixit Deus, Nolite manducare ex omni ligno? Ergo patris sui venena diffundunt, qui dicunt, Quid vtique cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? *Et respondens* *Matth.* *Iesus, dixit ad illos, Non egent qui sani sunt, medico, &c.* Dominus cum peccatoribus manducando, etiam cum gentibus non prohibet nos inire conuiuium, dicens: *Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.* Nouum medicamentum nouus magister aduexit. Hoc de terra non pullulat. Imprudens enim est omnis creatura huius *Luc. 7.* confectionis. Venite omnes qui incurristis peccatorum varias passiones, vtimini peregrino medicamento, quo venenũ serpentis excluditur: quod non solùm passionum abstulit cicatricem, sed etiam causam diri vulneris amputauit. Hoc medicamentum non famem indicit, sed cibum animæ subministrat. Venit enim filius hominis mãducans & bibens. Et ideo mens nostra non est ieiuna. Ieiunant hi, quibus abest Christus, quique bonorum meritorum copiis egent. At verò cui virtus suppetit, qui sua domo recipit Christum, conuiuium magnum exhibet: hoc est bonorum operum spiritale conuiuium, quo diues eger, pauper epulatur.

BEDAE VENERABILIS PRESBYTERI IN HUIUS DIEI EUANG. EXPOSITIO.

ET *post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedentem ad teloneum, &c.* Idem Leui qui Matthæus est: sed Lucas Marcúsque propter verecundiam, & honorem Euangelistæ noluerunt nomen ponere vulgatum. Ipse autem Matthæus iuxta illud quod scriptum est, Iustus accusator sui est, in primordio sermonis Matthęum se & publicanum nominat. Vt ostendat legentibus nullum debere conuersum de salute diffidere, cùm ipse de publicano in Apostolum, de telonario in Euãgelistam sit repente mutatus. *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.* Intellegens Matthæus quid sit veraciter dominum sequi, relictis omnibus sequitur. Sequi enim, imitari est. Ideóque vt pauperem Christum nõ tam gressu, quàm affectu consectari potuisset, reliquit propria qui rapere solebat aliena. Perfectámque nobis abrenunciationis sæculi formam tribuens, non solùm lucra reliquit vectigalium, sed & periculũ contempsit quod euenire poterat à principibus sæculi: quia vectigalium rationes imperfectas atq; incompositas reliquerit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, vt in nullo prorsùs huius vitæ respectum, vel cogitationem sibimet reseruauerit. Propter quod iusta mercede dum humana sedulus negotia deserit, Dominicorum fidelis dispensator meruit esse talentorum. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua.* Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuperantium pascitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius qui crediderit recumbit affectu, & hoc est bonorum operum spiritale conuiuium, quo diues populus eger, pauper epulatur. *Et erat turba multa publicanorum, &c.* Viderant publicanum à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ, & ob id etiam ipsi non desperant salutem. *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum dicentes ad Discipulos eius, &c.* Conuiuantibus cum Domino publicanis, Pharisæi murmurantes de ieiunio gloriantur. Vbi primò legis & gratiæ quanta sit distãtia declaratur. Quia qui legem sequuntur: ieiunæ mentis famem patiantur æternam. Qui verò verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cęlestis, & fontis vbertate recreari, esurire & sitire non possint. *Legis & gratiæ differẽtia.* Deinde retributionis futurę species pręfiguratur, quando epulantibus cum Christo electis perfidia superborum ieiuna torquebitur. Quibus dicitur: Meretrices & publicani præcedunt vos in regno Dei. Quòd si per Matthæi electionem fides Gentium, quæ prius mundi lucris inhiabant, sed nunc corpus Christi sedula deuotione reficiunt, exprimitur, profectò supercilium Pharisęorum, Iudæorum inuidiam, qua de gentium salute torquẽtur, insinuat. *Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, &c.* Suggillat Scribas & Pharisæos, qui iustos se putantes, peccatorum cõsortia declinabant. Seipsum namque medicum dicit, qui miro medicãdi genere vulneratus est propter iniquitates nostras, & liuore eius sanati sumus. Sanos *Esa. 53.*

Desumpta est ex lib. 2. comment. in Luc.

autem & iustos appellat eos, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, qui ex lege præsumentes, Euangelij gratiam non quærunt. Porrò malè habentes & peccatores vocat eos, qui suæ fragilitatis conscientia deuicti, nec per legem iustificari posse videntes, Christi se gratiæ pœnitendo submittunt. Vbi simul ostenditur quòd non in pristinis vitiis permanentes, vt Pharisæi & scribæ murmurabant, sed pœnitentiam agentes publicani venerint ad Iesum: & ipse quoque Iesus conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos, adire dignatus sit. Denique cùm frequenter pergere ad conuiuium describatur, nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit, vt & humilitas Domini eundo ad peccatores, & potentia doctrinæ eius in pœnitentium conuersione monstretur.

Huius Euangelij copiosiorem habebis explicationem in die S. Matth. cum plurium authorum allegatione. Supernacaneum enim erat, hic illos adducere, propter Euangelij præsentis & sequentis diei concordiam, & consensum: eo ergo te remitto.



IN FESTO S. MATTHÆI
APOST. ET EVANG.



MATTH. 9.



a Non tam corporeo quam misericordis intuitu. b Pertinaciter lucris inhiantem.

N illo tempore: [a] vidit Iesus hominem [b] sedentem in telonio.

c Amodo. d Non lucra.

Matthæum nomine: & ait illi, [c] Sequere me. [d] Et surgens sequu-

e Eius Matthæi.

tus est eum. Et factum est discumbente eo in [e] domo, ecce mul-

f Qui publica vectigalia exigunt, & conducunt, & qui lucro sæculi per negocia sectantur. g Vt abeo spiritualiter pascerentur.

ti [f] publicani & peccatores venientes [g] discumbebant cum Iesu & discipu-

h Duplicitèr errabant: quia & se iustos putabant cum sint superbi, & illos reos, cum iam pœniteant. i Quos lex damnat.

lis eius. Et videntes [h] Pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cum [i] Publica-

k Quasi dicat: Vos declino, quia non egere vos putatis.

nis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens, ait: [k] Non est

l Qui gratiam non quærunt. m Hos lucro, quia pœnitendo dant locum gratiæ sed si sanari vultis, Eun. &c. n A temeritate vituperationis. o Diligentibus scripturas inquirite.

opus [l] valentibus medicus, sed [m] male habentibus. [n] Euntes autem [o] discite,

p Testimonium de propheta. q Sine misericordia. ¶ Sine compassione delinquentium.

quid est, [p] misericordiam volo, & non sacrificium. [q] Non enim veni vocare

¶ Misericordiam sequuntur sicut ego. r Falso sese iustificantes, dum in hoc sunt. s Peccata attendentes.

[r] iustos, sed [s] peccatores.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



IDIT *hominem*. Hîc probabilius videtur, quod prætermissa memoretur, cum 12. elegit ante sermonem. *In telonio.* Telonos Græce, Latine vectigal. Matthæus, Hebraice, donatus, qui tantum munus gratiæ accepit: Leui, additus vel assumptus, quia diuina electio eum assumpsit, & numero apostolorum addidit. *Matthæum.* Cæteri euangelistæ propter verecundiam non appellant eum vulgato nomine, sed Leui. Binomius enim fuit. Ipse autem publicanum se nominat, ne quis à salute desperet. Vocationem suam prætermissam hîc videtur recordari, quia Lucas dicit 12. apostolos in monte fuisse electos vbi sermo supradictus fuit. *Surgens.*

Luc. 5. Be. Lucas plenius dicit, relictis omnibus sequutus est eum tam corpore quam mente. Non leuitate ductus, sed veritate operum, & diuina potentia intus operante tractus. Perfecta obedientia, & perfecta abrenunciatio, & lucra reliquit, nec periculum à principibus timuit, quia rationes vectigalium imperfectas reliquit, cupidus sequendi Christum. *Indo.* Non dicit cuius sed Lucas exprimit: quia fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Quod congruit. Qui enim Christum intus recipit, pascitur multis delectationibus. Itaque dominus ingreditur & in eius recumbit affectu. Ecce magna humilitas domini eundo ad peccatores. Etiam potentia doctrinæ conuersione pœnitentium ostenditur. *Ecce mul. pu.* Bonum præsagium: iam eius exemplo multi conuertentur. Iam post se multos trahit, apostolus & doctor gentium futurus. Hier. *Pub. & pec.* Tertullianus dicit hos fuisse ethnicos, dicente scriptura: Non erit vectigal e. Par. Sr pendés ex Israel. Quasi dicat, Matthæus nõ fuisset

Luc. 5. Iudæus,& ille qui eum Pharisæo templum ascen-
Luc. 8. dit,quod non faceret Gentilis.Et Lucas ait:Om-
Ibi. 7. nis populus audiens , & Publicani iustificaue-
sunt Deum baptismo Ioannis baptizati. Domi-
nus autem qui venit ad oues domus Israel, qui
Infr.15. dixit : Non est bonum sumere panem fi. & mit.
ca.non conuiuatur cum ethnicis,cum id maxime
caueret,ne legem soluere videretur , qui & disci-
pulis præcepit.In viam gentium ne abieritis. *Pec-*
Infr.10. *catores venientes discum.* Pœnitentes,exemplo Mat-
Mar.2. thæi veniam sperátes:vnde Marcus dicit hic,quia
multi sequebantur eum.*Quare cum Publicanis.*Om-
nis quæstiu ex lege, quæ est iustitiæ tenax,miseri-
Psal.13. cordiam non habet.Omnes enim declinauerunt.
Sed eius austeritatem missus filius euangelij gra-
tia temperauit. Prouocat ergo ad pœnitentiam
peccatores,cuius cibus & potus & ambulatio, &
omnia quæ gessit, saluti seruiunt. *At Iesus audiens*
*ait.*Et susceptos pœnitentes amplius in fide con-
fortat, & superbos ad humilitatis & pietatis gra-
tiam prouocat.*Non est opus valentibus medicus ,sed*
male habentibus. Medicus est Christus. Valentes,
qui ignorantes Dei iustitiam suam volunt astrue-
re.Male habentes,qui conscientia victi non ex le-
ge, sed ex gratia quærunt iustificari. Per Matthæi
& Publicanorum vocationem fides gentium ex-
primitur,qui prius lucris mundi inhiabant,& nūc
spiritualiter cum domino reficiuntur. Per super-
biam Pharisæorum inuidia Iudæorum de salute
gentium.Hi enim de ieiunio gloriantur,dum Pu-
blicani cum domino cōuiuantur, quia qui legem
sequuntur , famem cordis patiuntur : sed qui Dei
verbum recipiunt , esurire non possunt. *Euntes.*
Tumentibus de falsa iustitia consilium correctio-
nis dat,vt ,scilicet per opera misericordiæ miseri-
cordiam quærant , & non contemptis paupe-
rum curis per sacrificia Deum placare confidant.
Vnde & suum misericordiæ exemplum dat. *Non*
Lucas 15. *enim.* Vnde tres parabolæ adduntur apud Lucam
de Oue,& Drachma,& duobus filiis.*Non enim ve-*
Luc.5. *ni vocare iu.* Nonne Nathanael & Petrum & An-
dream & alios iustos vocauit ? Lucas apertius di-
cit : Non enim veni vocare iustos,sed pec.in pœ-
nitentiam. Vocat ergo iustos ire, vt magis profi-
ciāt : peccatores,vt corrigantur.Vel non vocat iu-
stos , dum iustitiæ Dei non sunt subiecti : sed qui
peccata confitentur.Non enim ve.vo. Lucas ex-
pressius dicit,in pœnitētiam : quia quos operibus
iustitiæ deditos inuenit,vt Nathanael , & Petrum
& Andream, non ad pœnitentiam præteritorum
inuitat,sed ad perfectum vitæ perfectioris vocat:il-
lis vero ad pœnitentiam qui peccatis grauioribus
inuoluti erant. Vel non eos vocat qui iustos se
reputant,quia & hi si conuertuntur , iam non iu-
sti sibi videntur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

E*T cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem*
*in teloneo,Matthæum nomine,&c.*Chry.in ho.Cū
Christus fecisset miraculum non permansit in eo-
dem loco,ne Iudæorum zelum accenderet am-
pliorem:hoc & nos faciamus,non obstinate obsi-
stentes eis qui insidiātur.vnde dicitur:*Et cum tran-*
siret inde Iesus, scilicet à loco vbi miraculum fece-
rat. *Vidit ho.sed.in telo.Mat.nomine.* Hiero. Cæteri
euangelistæ propter verecundiam & honorē Mat-
thæi , noluerunt eum nomine appellare vulgato,
sed dixerunt Leui. Duplici enim vocabulo fuit:
ipse autem Matthæus secundum illud Salomonis:
Iustus accusator est sui : Matthæum se & publica-
num nominat,vt ostendat legentibus,nullum de-
bere salutem desperare, si ad meliora conuersus
sit, cum ipse de publicano in apostolum sit repen-
te mutatus.Glo.Dicit autem:*Sedentem in teloneo*,id
est in domo vbi vectigalia congregantur. Erat
enim telonearius dictus,à teolon Græce,quod est
vectigal. Chry.10 ho.Per hoc etiam monstrat vo-
cantis virtutem,quoniam non desistentem à peri-
culoso officio ex mediis ipsum euulsit malis,sicut
& Paulum adhuc insanientem. Et ideo sequitur:
Et ait illi:Sequere me. Sicut vidisti vocantis virtu-
tem,ita disce vocati obedientiam:neque enim re-
stitit,neque domū abire rogauit & suis hoc com-
municare.Remi.Humana etiam pericula,quę ei à
principibus accidere poterant,paruipendit , dum
officij sui rationes imperfectas reliquit : vnde se-
quitur:Et surgens secutus est eum,& quia terrena
lucra deseruit , ideo iure factus est dominicorum
talentorum dispensator. Hiero. Arguit autem
in hoc loco Porphyrius & Iulianus Augustus vel
imperitiam historici mentientis, vel stultitiam
eorum , qui statim secuti sunt saluatorem , qua-
si irrationabiliter quemlibet vocantem homi-
nem sint secuti , cum tantæ virtutes tantaque si-
gna præcesserint,quæ apostolos antequam crede-
rent vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse &
maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in facie
refulgebat humana , videntes ad se trahere po-
terat in primo aspectu. Si enim ex magnete lapi-
de hæc esse vis dicitur , vt ferrum trahat, quanto
magis dominus omnium creaturarum ad se tra-
here poterat quos volebat? Chr.in ho.Sed cur nō
cum Petro & Ioanne & aliis eum vocauit : quo-
niam durus adhuc dispositus erat,sed post multa
miracula & multam Christi famam , quando ap-
tiorem eum ad obedientiam sciuit , qui intima
cordis nouit.Aug. de con.euang. Vel probabilis
videtur quòd hæc prætermissa recordando Mat-
thæus commemorat , quia ante sermonem habi-
tum in monte credendum est vocatum esse Mat-
thæum,in eo quippe monte tunc Lucas comme-
morat omnes duodecim electos , quos & aposto-
los nominat. Glo. Matthæus enim vocationem
suam refert inter miracula : magnum enim mira-
culum fuit quòd publicanus factus est apostolus.
Chr.in ho. Quid est autem quòd de aliis aposto-
lis nobis non dicitur , qualiter & quando sunt
vocati nisi de Petro & Andrea & Iacobo, Ioanne
& Matthæo ? Hi enim maximè erant in inconue-
nientibus & humilibus studiis. Neque enim te-
lonei officio est aliquid deterius , neque piscatio-
ne vilius. Glos. Congruam autem cælestis bene-
ficij , vicem impendens Matthæus , Christu ma-
gnum conuiuium in domo suo parauit , vt illi
commodaret sua temporalia , à quo expectabat
perpetua bona, vnde sequitur : *Et fa.est , discum.*
eo in do .Aug.de con.euang. Hic Matthæus non
expressit in cuius domo discumbebat Iesus, vnde
posset videri non hoc ex ordine subiunxisse , sed
quod alio tempore factum est recordatus inter-
posuisse, nisi Marcus & Lucas qui hoc omnino
similiter narrant, manifestarent in domo Leui,
hoc est Matthæi discubuisse Iesum.Chryso. in ho.

Honoratus autem Matthęus ob ingressum Christi in domo eius, omnes publicanos qui erant eiusdem artis cōuocauit, vnde sequitur. *Ecce multi publicani, &c.* Glo. Publicani enim vocantur, qui publicis negotiis implicantur quæ sine peccato aut vix aut nunquam possunt tractari, & pulchrū fuit præsagiū, quia qui apostolus & doctor Gentium erat futurus, in prima sua conuersione peccantium gregem post se trahit ad salutem: & vt iam perficeret exemplo, quod perficere debebat & verbo. Hier. Tertullianus hos dicit fuisse ethnicos, dicente scriptura: Non erit vectigal pendens ex Israel: quasi Matthæus non fuerit Iudæus, dominus autem non conuiuatur cum ethnicis, cum id maximè caueret, ne legem soluere videretur, qui & discipulis præcepit: In viam Gentium ne abieritis. Viderant autem publicanum à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ, & ob id etiam ipsi non desperant salutem. Chris. in ho. Vnde accesserunt ad redemptorem nostrum: & non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuescendum recepti sunt: non solum deponens aut curans aut arguens inimicos, sed etiam conuescens emendabat multoties eos qui malè dispositi erant, per hoc docens nos, quoniam omne tempus & omne opus potest nobis tribuere vtilitatem, hoc autem videntes pharisæi indignati sunt, de quibus subditur. *Et videntes pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis, &c.* Notandum quòd cùm discipuli visi sunt peccare, Christum alloquuntur, dicentes: Ecce discipuli tui faciūt, quod non licet facere in sabbato. Hic apud discipulos Christo detrahunt, quæ omnia malignantium erant & volentium separare à doctore corda discipulorum. Raba. Duplici autem errore tenebātur; quia & se iustos arbitrabantur, qui superbiæ fastu à iustitia longè discesserant: & eos criminabantur iniustos, qui resipiscendo à peccatis iustitiæ appropinquabant. Aug. de con. euang. Lucas autem aliquanto differentius hoc videtur commemorasse, secundum quem pharisæi dicunt discipulis, Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Christo & discipulis eius hoc obiectum insinuans, Sed cum discipulis dicebatur, magis magistro obiicitur, quem sectādo imitabantur. Vna est ergo sententia, & tanto melius insinuata, quantò quibusdam verbis manente veritate mutata. Hier. Neque verò in pristinis permanentes veniunt ad Iesum, vt pharisæi & scribæ murmurant, sed pœnitentiā agentes: quod & præsens sermo domini significat, vnde sequitur: At Iesus audiens ait: *Non, &c.* Raba. Seipsum medicum dicit, qui miro medendi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, vt vulnus peccatorum nostrorum sanaret. Sanos quidem eos appellat, qui suam volētes statuere iustitiam, veræ Dei iustitiæ subiecti non sunt. Male habentes eos vocat qui suæ fragilitatis conscientia deuicti, nec per legem videntes se iustificari, pœnitendo se submittunt gratiæ Dei. Chr. in ho. Postquam à communibus opinionibus eos allocutus est, alloquitur eos ex scripturis, cum dicit: *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.* Hiero. De propheta, scilicet Osee sumens testimonium sugillat scribas & pharisæos, qui se iustos æstimantes peccatorum & publicanorum consortia declinabant. Chry. in ho. Acsi dicat: Cur accusatis me, quando peccatores corrigo? ergo & Deum patrē ex hoc incusate. Sicut enim ille vult peccatorum emendationem, ita & ego. & sic ostendit non solum non esse prohibitum quod incusabant, sed & secundum legem maius esse sacrificio, non enim dixit: Misericordiam volo, & sacrificium: sed hoc iniunxit, illud autem eiecit. Glo. Non tamen despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia, faciebāt autem pharisæi sæpe sacrificia in templo, vt iusti apparerent coram populo: sed non exercebant misericordiæ opera, in quibus probatur vera iustitia. Raba. Admonet itaque eos vt per opera misericordiæ sibimetipsis supernæ misericordiæ præmia requirant, & non contemptis pauperum necessitatibus per oblationem sacrificiorum se Deo placere confidant, vnde dicit: *Euntes*, scilicet, à temeritate stultæ vituperationis, ad diligentiorem scripturæ sanctæ meditationem, quæ misericordiam maximè commendat: vnde & summ de misericordia exemplum eis proponit, dicens: *Non enim veni vocare iustos, sed pec.* Aug. de con. euang. Lucas addidit in pœnitentiā, quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores, ob hoc ipsum quòd peccatores sunt, diligi arbitretur à Christo: cùm & illa similitudo de ægrotis bene intimet quid velit Deus, vocando peccatores, tanquam medicus ęgros, vtique vt ab iniquitate tanquam ab ægritudine salui fiant, quod fit per pœnitentiam. Hila. Omnibus autem Christus venerat, quomodo ergo non se iustis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat vt veniret, sed nemo iustus ex lege est: ostendit ergo inanem iustitiæ iactantiam: quia sacrificiis infirmis ad salutē, misericordia erat vniuersis in lege positis necessaria. Chry. in ho. vnde ironicè videtur ad eos loquēs, sicut cum dicitur: Ecce iam Adam factus est quasi vnus ex nobis. Quoniam enim nullus iustus erat in terra, Paulus significat, dicēs: Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. In hoc autem illos mitigauit, qui vocati erant, quasi dicat. Tantum tenuo abominari peccatores, qui propter eos solos adueni. Raba. Vel quia qui iusti erant sicut Nathanael & Ioannes Baptista, non erant ad pœnitentiam inuitandi. Vel non veni vocare iustos falsos, qui de iustitia sua gloriantur vt pharisæos: sed illos, qui se peccatores recognoscunt. Per Matthæi autem & publicanorum vocationem, fides Gentium exprimitur, quæ prius mundi lucris inhiabant, & nūc spiritualiter cum domino reficiuntur: per superbiam pharisæorum, inuidia Iudæorum de salute Gentium, vel Matthæus significat hominem terrenis lucris inhiantem: quem videt Iesus, dum oculo misericordiæ respicit. Matthæus enim interpretatur donatus, Leuita, assumptus: pœnitens autem à massa perditorum assumitur, & gratia Dei ecclesiæ donatur. Et ait illi Iesus, Sequere me, vel per prædicationem, vel per scripturę admonitionem, vel per internam inspirationem.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris Euang. expositio.*

ET cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & reliqua. Matthæum publicanum sedentem

tem in teloneo sequi se iubet, & cōcedens in domum conuiuium instruit, & cum eo publicanorum & peccatorum turba discumbit: pharisæis discipulos obiurgantibus, cur magistro eum publicanis cibus esset. Quibus respondit: Sanis medico opus non esse, sed curatione ægrotos indigere: euntesque iubet discere quid sit, misericordiam malle quam sacrificium. Publicanorum nomen ex vita est, qui telōctis legis operibus, gerere se vsu communi & publicu malueruut. Ergo è domo, id est, ex peccatis corporis, Matthæum Dominus euocauit, in cuius mentem ingressus recumbit. Hic enim idem Euāgelij istius scriptor est, & de peccati sui domo exiens, Dominum ipse suscepit, interiore eius habitatione illuminatus, intra quem Euāgelicis cibis peccatoribus & publicanis conuiuium diuite copia præparatur. Aemulatio deinde agitat Iudæos, Dum eum publicanis & peccatoribus communicare, quibus ille, operto infidelitatis velamine verba legis exprōpsit. Si quidem ęgrotis opem ferre, & medicinam egentibus præstare: eis autem qui se sanos existimarent, necessariam curationem nullam esse. Sed vt intelligerent, neminem suorum sanom esse, admonuit vt scirent quid esset: *Misericordiam volo, non sacrificium*: legem scilicet sacrificiorum obseruatione deuinctam opem ferre non posse, sed salutem vniuersis iu misericordiæ indulgentia reseruari. *Non enim veni iustos vocare sed peccatores in pœnitentiam.* Omnibus veneras, quomodo ergo non se iustis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat vt veniret? Sed nemo iustus ex lege est. Ostendit ergo iactantem iustitiæ esse iactantiam: quia sacrificiis infirmis ad salutem misericordia erat vniuersis in lege positis necessaria. Nam si iustitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

ET *cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telo. &c.* Cæteri euangelistæ propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerūt Leui: Duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus
Prouer. 18. secundum illud quod dicitur à Salomone: Iustus accusator est sui in principio sermonis. Et
Esa. 43. in alio loco: Dic tu peccata tua vt iustificeris: Matthæum se & publicanum nominat: vt ostendat legentibus nullum debere salutem desperare, si ad meliora conuersus sit: cum ipse de publicano in apostolum sit repente mutatus. Arguit in hoc loco Porphyrius & Iulianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sint saluatorem: quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominē sint secuti: cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequàm crederent vidisse, non dubium est. Certe fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quę etiam in humana facie relucebat: ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide & succinis hæc esse vis dicitur: vt anulos, & stipulam, & festucas sibi copulent: quanto magis dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat? *Et factum est discumbente eo in domo: ecce multi publicani & peccatores venientes discum. &c.* Videbant publicanum à peccatis ad meliora cōuersum, locum inuenisse pœnitentiæ: & ob id etiam ipsi non desperant salutem: neq; vero in pristinis vitijs permanentes, veniūt ad Iesum, vt Pharisæi & scribæ murmurant: sed pœnitentiam agentes, vt sequens domini sermo significat, dicens. *Misericordiam volo, & non sacrificium, non veni vocare iustos, sed peccatores.* Ibat autem Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi: & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter pergere ad conuiuia describatur: nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit: vt & humilitas domini eundo ad peccatores: & potentia doctrinæ eius in conuersione pœnitentium demonstraretur. Quod autem sequitur: Misericordiam volo, & non sacrificium: Et: Non veni vocare iustos sed peccatores: de propheta proferens testimonium, sugillat scribas & pharisæos: qui iustos se æstimantes, peccatorum & publicanorum consortia declinabant.

S. IO. CHRYSOSTOMI *Episcopi Constantinop. in superius Euang. Homil.*

ET *cum transisset inde Iesus, vidit hominem, &c.* Ex homil. 31. in Matth.
Quum ingens signum mirabili curatione paralytici fecisset, nullam ibi moram contraxit, ne scribæ maiori, videntes ipsum, arderent inuidia: Author hic.
sed recessit vt turbationē eorum mitigaret, quod & Gratis fere
nobis quoque faciēdum est. Non enim debemus omnes Patres
cominus in aduersarios insurgere, sed vlceribus Dei vocatio-
eorum mederi cedentes, vt dolor eorum mitige- nem, iustifica-
tor. Sed cuius rei gratia non cum Petro, sicut ac tionē, & præ-
Ioanne, & aliis Discipulis ipsum vocauit? Certè destinationem
quemadmodum tunc ad illos accessit, vocauit- meritis ho-
que, quando obtemperaturos sciebat: sic Mat- minum prauis-
thæum quoque nunc vocauit, quando miraculo- sis, vel saltem
rum fama per Dominum minimè relectaturum bona disposi-
videbat. Qua de causa etiam Paulum post resur- tioni volūta-
rectionem piscatus est. Nam, qui corda scrutatur, tis attribuūt,
& occulta mentium perspicit, is etiam quando quæ sententia
vnusquisque ad obediendum paratus erat, non est postea dam-
ignorauit: propterea non continuò incipientes, nata in Con-
quando durior fuit, sed post mille miracula, & cilio Milleui-
insignem, atque prouulgatam famam, aptiorem tano.
iam ad obtemperandum vocauit. Sed non est abs re, grandem Euangelistæ philosophiam admirari, qui antea ctam vitam suam non celauit, & nomen suum adscripsit, quod alij, mutata appellatione, occultauerūt. Sed cur dixit in teloneo sedisse? Vt virtutem vocantis voluit ostendere, qui non inposito adhuc fine prauæ publicanorum conuersationis, è medio malorum pelago ipsum abstraxit, sicut beatum Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem, reduxit, quam vocantis virtutem, ad Galatas scribens expressit, quum dicat: Audistis, fratres, aliquando conuersationem meam in Iudaismo: quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam ipsam. Piscatores quoq, à medijs operibus suis vocauit. Sed piscatura quoddam artificium est, quod quamuis rudiorum hominum sit, nihilominus non vituperatur: publicanorum autem studia, & exercitatio impudentiæ, ac crude-

Paulus facit. Nam à communibus primũ & pro- *1.Cor.6.* babilibus re cõfirmata, vbi dicit; Quis pascit gregem, ac ex lacte eius non comedit? tunc scripturarum testimonium adduxit; In lege namque Moy- *Deut.25.* si scriptum est, inquit; Non frenabis bouem triturantem: sic dominus euangelium annunciaturis concessit ex euangelio viuere: at verò ad discipulos aliter dicit: in signorum memoriam reducit, dicens; Obliti estis panum, & hominum quin- *Matth.16.* que milium, & corbium, quos tulistis? Non sic autem ad istos nunc ait, sed communis imbecillitatis meminisse facit, vt ex ipsorum numero eos etiam esse ostendat: quippe qui nec scripturarum peritiam habebát, & omnem virtutem negligentes, plurimum in sacrificiis confidebant, id enim occultius significás, breuiter tetigit, quod passim *Osee.6.* ab omnibus dicitur prophetis, cum dicat: *Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium:* quibus verbis probat illos esse, qui iniquiter agant, non se: quasi dicat, cuius rei gratia incusatis me, quòd peccatores ad virtutem reduco? aut cur patrem propter idipsum non incusatis? Quemadmodum igitur alibi simili argumento vtens, dicebat; Pa- *Ioan.5.* ter meus vsque modo operatur, & ego operor: sic in hoc loco; *Euntes*, inquit, *discite quid est misericordiam volo, & non sacrificium:* vt enim ille hoc vult, inquit, sic & ego. Vides illa quidem superflua, hanc verò necessariam. Neque enim misericordiam volo, inquit, & sacrificium, sed misericordiam volo, & non sacrificium. Alterum enim comprobauit, alterum reprobauit, ostenditque non modo non esse prohibitum, quod illi vituperabant, sed longè multò, quam sacrificia cautum. Quum igitur & à communibus, ac probabilibus sententiis, & à scripturis ipsos compressisset, adiecit, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Quæ ironice dicere videtur, sicut illud; Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Et iterum; *Psal.49.* Si esuriero, non dicam tibi. Nam neminem in terris iustum fuisse aperuit Paulus, vbi dicit; Omnes *Rom.3.* enim peccauerunt, & egent gratia Dei. Verùm quod hic dicitur, vocatorum conciliationem respicere videtur: adeò enim procul abest, ne peccatores abominetur, vt eorum causa solum aduenisse testetur: &, ne his verbis resupinus, ac desides faceret, quia peccatores appellauit, *ad pœnitentiam* confestim adduxit. Non enim, vt in peccato permaneremus, aduenit, sed vt commutati meliora eligeremus.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauen. in superius Euang. de Matthæo, & Christo cum publicanis manducante, Serm. 1.

Ser.28. QVòd sit virtutibus cognata paupertas, terrena, & cælestis comprobat disciplina. Athleta ad luctamen nudus accedit; confligit cum fluctibus nauta nudus; miles in acie non nisi expeditus assistit; qui tendit ad philosophiam, totum, quod in rebus est, antè contemnit. Est ergo virtutibus cógnata paupertas: &, si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur, sapere conuenit, quare Christus ad virtutis officium paupertate sic elegit. Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioánes, germanitas combinata, imò cógeminata paupertas, in Apostolatum principes eliguntur, pauperes cẽsu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, iniuriis dati, præsidio retis, solo piscium captu victum, vestitumque cõquirentes. Sed in illis quantum vilis mundanus videbatur aspectus, preciosas tantum animas Dei intuitus, tunc videbat. Erant censu pauperes, sed innocentia locupletes; loco humiles, sed sanctitate sublimes; viles arte, sed simplicitate preciosi; obscuri vita, sed vitæ merito perlucentes; labore communes, sed proposito singulares; addicti vigiliis, sed ad cælestes victorias iam vocati; fluctibus mãcipati, sed fluctibus nõ demersi; negati honoribus, sed dicam magis honoribus, non negati; iniuriis dati, sed iniuriis non relicti; captores piscium, sed piscatores hominum iam decreti. Venite, inquit, & *Matth.4.* faciam vos fieri piscatores hominum; vt vitalis escæ iactu, vt hamo cælestis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tolleres sempiternam. Captores piscium fiunt hominum piscatores; de labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lassescere mediatus. Omnia, quæ de vsu veniunt, non fatigát. Virtus exercitio perseuerat. Hinc est, quod Apostolos suos Christus humanis laboribus exerceri voluit, vt eos indefessos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem: &, quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, sed mutare: ipse autè illis vsum laboris indulsit, qui postea eis toleratoriam dedit virtutis. Hinc est, quòd regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sæuientes homines terris omnibus sic vicerunt. Diximus quòd in Apostolis amica virtutum, Deo chara sit electa paupertas. Matthæum de telonio diuitem, de vsuris locupletem, lucris sæculi onustum, quòd in Apostolatum Christus elegerit, quid dicemus? Hodie Matthæus de seipso sic cœpit. *Et, cùm transiret inde Iesus, vidit hominem, &c.* Matthæus publicanus generat nobis ob patuá suis quæstionibus quæstionem, & magnum nobis negotium sua negociatione proponit. Sed dicit aliquis; Quam quæstionem? Quod negocium? Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit. Habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes. Abraham diues, diues Iob, Dauid diues. Et quid Abrahá beatius? Quid fortius Iob? Quid Dauid sanctius? Nam & Abraham post terrenos mœrores pias animas, & reuolantes ad cælum in gremium suæ consolationis includit. Et Iob in ipsis diuitiarum machinis *Gen.14.* diabolum & ipse vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum. Abraham sic possedit diuitias, vt eas sæpè & oblatas contemneret, & calcaret indultas: & sic diligeret possidere diuitias, non à diuitiis possideri: habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium. Sed ad hæc respondetur: fuerunt sanctis innocentes diuitiæ, vtpote à Deo datæ, non turpiter acquisitæ; concessæ ad vsum vitæ, non ad mortis vsuram. Matthæum verò publicanum diuitiæ sic cupiditatis *publicant magistrum, furnace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sæculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi nõ valeret. Vnde & sedere eius erat iam subsidere, non sedere. Hunc ergo talem ad sua cur vocauerit Christus, cur elegerit ad diuina, nisi

** forte, implicabat laqueis, vel aliquid cuiusmodi.*

quæratur

quæratur altius, facit altissimam quæstionem, & non tantum quæstionem, sed & scandalum: sicut illo tempore circunstantium patefecit intentio. Quomodo enim infirmitas non laboraret humana, quádo videbat apud Christum pecuniá sic valere, vt daret fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, doctori fœnoris magisterium sanctitatis, publicano sæculi cæleste secretum? Vrebat videntes, quòd vsura, quæ vastat terram, tollebatur ad cælum; & hanc, quam detestantur homines, deitas aduocabat. Sic autem sensisse túc videntes, aperit Matthæus ipse, qui dicturus vera de se, nó potuit hæc tacere. *Pharisæi autem videntes, dicebant discipulis eius; Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Et hoc dicebát Pharisæi, vt esset magnum malum, quod & malis poterit displicere: &, si erat nefas, publicanos Christo participes vel in cibo esse; diuinis sociare, quid erat, publicanum? Fratres, in quæstione hac ingenium laboraret interpretis, si non ipse Dominus, cui sit ipsa quæstio, totum, quod est quæstionis, auferret. Repetamus ergo ordinem lectionis: Christus quare ad Matthæum venerit, audiamus; *Cùm transiret*, inquit, *Iesus*. Non dixit, cùm staret ibi; transiuit, & pertransiuit inde Iesus, ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde Iesus, ne Matthæus ibi taliter permaneret. *Vidit hominem*. Non dixit, vidit Matthæum; quia in Matthæo hominem liberarat, hoc est, homines, quos pecunia possidebat, seruire Deo nequeunt pecuniæ seruientes. Non potestis, inquit, Deo seruire, & mammonæ. *Veni, sequere me.* Non dixit, affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat. *Veni, sequere me.* Hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solue laqueos. *Me sequere*. Quære te, perde vsuram, vt te valeas inuenire. Sed iam Pharisæis quid respóderit, audiamus; *Non est opus*, inquit *sanis medicus, sed malè habentibus*. Ecce quare ad Matthæú venerat Christus, vt auaritiæ curaret vulnera, vt sauitē sanaret vsuræ. *Euntes*, inquit, *discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium?* Misericordiam voluit,
* forte, immisericordiam. vt Matthæus, quod tulerat per * miseriam, in misericordias prorogaret; & inde redimeret pœná, vnde comparauerat culpam. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Sic dicens, non repulit iustos; sed iniustos, qui se iustos mentiebantur, exclusit. Christus ergo, quòd ad peccatores venit, peccata delere voluit, non peccatoribus voluit commanere. Quod est dare vitam mortuo, hoc largitatem tribuere est auaro. Itaq; Christus, quòd Matthæum vocat, non est illa pecuniæ ratio, sed est ratio tota virtutis. Denique Matthæus mox factus est terræ pauper, vt diues haberetur in cælo.

EIVSDEM DE EISDEM

Sermo 2.

Serm. 30. HOdierna Euangelica lectio Matthæum publicanum sic in Apostolum commutauit, vt, qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor: & de impietatis schola ad pietatis magisterium perueniret, fieretq; doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor. *Dum transiret Iesus.* Bene, *transiret inde*: trásibat Iudæam, vt veniret ad gentes: præteribat synagogam, vt ecclesia permaneret: prætergrediebatur carnis patriam, vt deitatis suæ remearet ad sedem. In Christo, fratres, transitoria est carnis iniuria, in quo diuinitatis honor est sempiternus. *Dum transiret inde, vidit hominem.* Vidit plus diuinis oculis, quàm humanis. *Vidit hominem.* Vt peccata hominis non videret. Vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, vt ille videret Deum. Vidit illum Christus, vt ille pecuniæ latebras amplius non videret. Vidit illum Christus sedentem, quia pressus cupiditatis pódere, surgere non valebat. Fratres, deterius sedebat in telonio publicanus iste, quàm paralyticus, de quo antè diximus, iacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralysim; iste mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum; in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus: ille iacebat captus carne; sedebat corpore, & animo iste captiuus: ille doloribus succumbebat inuitus: iste viriis voluntaries seruiebat: iste sibi innocens auaritiæ videbatur in crimine: ille se cognoscebat inter vulnera peccatorem: iste lucrorum cumulabat peccata: ille dolorum gemitibus peccata delebat. Meritò igitur paralytico dicitur; cófide, fili, dimittútur tibi peccata tua, quia cópensatat delicta doloribus: publicano autē dicitur; *Veni, sequere me.* Hoc est, vt, sequēdo me, repares, quod, cósequendo pecuniá, perdidisti. Sed dicit aliquis; Quare publicanus, q maior videtur in crimine, maior habetur in munere? Ná mox apostolatus * certa præditus dignitate, * forte clara.
non solum ipse accepit, sed aliis indulgétiam tribuit peccatorum; totum orbem splendore Euangelicæ prædicationis irradiat, & paralyticus sola dignus venia * lux habetur. Vis nosse, quare plus * forte vix.
consecutus sit publicanus? Quia iuxta Apostolum, vbi abundauit peccatum, superabundauit & Rom. 5.
gratia. Simul vt publicanus gentilis populi typum teneat, paralyticus Iudaici populi sit figura,
qui * hodiéque malę valetudinis tenetur in lecto, * forte, talitur, vel aliquid simile.
vt nisi portatus fuerit fide gentium, oblatus Christo miseratione sanctorum, Christiani populi credulitate saluatus, ad domum fidei, ad domum patrię nó possit peruenire. *Videntes autē Pharisæi dicebát discipulis eius; Quare cum publicanis, &c.* Arguitur Deus, quare inclinat se homini, quare cuniacet peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare acceptat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis. Fratres, venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros, iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent, qui iacebát, decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam, venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitaté veniret humanitas, venit iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam, venit ad languentes medicus, vt reficeret conuescendo defessos, inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reportaret ad caulas. Sed hoc Pharisæus detestatur, & arguit, qui prandium dominicum putat nō virtutis esse, sed ventris, non spiritus, sed carnis, non diuinæ bonitatis, sed voluptatis humanę, terreni luxus, non gratiæ cælestis. Sic, sic se videt, qui Deum non videt. Quis arguit medicum iacentibus cuniacentem; nisi humanæ salutis inimicus? quis pastorem subnixum lasso pecori reprehendit, nisi qui luctosi gregis amorem nescit? quis iudicem de pietate iudicat, nisi ille, qui fuerit desperatus? quis communionem Dei, nisi sacrilegus

spet

ſperni? indulgentiam quis, niſi crudelis horreſcit? *Quare magiſter veſter cum publicanis, & peccatoribus manducat?* Et quis eſt peccator, niſi qui ſe peccatorem negat? Magis ipſe peccator eſt, &, vt verius dicam, ipſe iam peccatum eſt, qui ſe iam non intelligit peccatorem. Et quis iniuſtus, niſi qui ſe iudicat iuſtum? Legiſti, Phariſæe, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. (*Pſal. 142.*) Quandiu ſumus in mortali corpore, & fragilitas dominatur in nobis, & ſi actu peccata vincimus, vincere peccata cogitationum non poſſumus, & iniuſtitias fugere: & ſi corporea poſſumus euitare, & ſi conſcientiam malam deuincere valemus, culpas negligentiæ, ignorantiæ peccata quemadmodum poſſumus abolere? (*Sic intelligit de peccatis venialibus, quæ per voluntatē cō*[illegible]*, ſed de primis motibus ſuggeſtionum.*) Phariſæe, confitere peccatum, vt Chriſti venire poſſis ad menſam: vt ſit tibi panis Chriſtus, & panis ipſe frangatur in tuorū veniam peccatorum: vt fiat tibi poculum Chriſtus, qui in tuorum delictorum remiſſionem funditur. Phariſæe, prāde cum peccatoribus, vt poſſis prandere cum Chriſto: agnoſce te peccatorem, vt tecum prandeat Chriſtus: intra cum peccatoribus conuiuium domini tui, vt poſſis non eſſe peccator: intra domum miſericordiæ cum Chriſti venia, ne cum tua iuſtitia extra domum miſericordiæ puniaris excluſus: agnoſce Chriſtum, audi Chriſtum, audi dominum tuum, audi cæleſtem medicum, calumnias tuas peremptoriè confutantem. *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus.* Si vis curam, agnoſce languorem. (*Oſee. 6.*) *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Si cupis miſericordiam, confitere peccatum. *Euntes, inquit, diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Chriſtus miſericordiā vult, & non ſacrificium: aut quod ſacrificium quæreret, qui, vt te quæreret, ſacrificium factus eſt ipſe? *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Non repulit iuſtos, ſed, quia ſine Chriſto innocens non habetur in terris. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* (*Pſal. 13.*) Sic dicendo non repulit iuſtos, ſed, quia omnes reperit peccatores, audi Pſalmiſtam, Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Fratres, ſimus, ſimus peccatores confeſſione noſtra, vt Chriſti venia non ſimus peccatores.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri de eadem lectione, Homilia.

(*Rom. 3.*) LEgimus Apoſtolo dicente, quia omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Qui & iterum inæſtimabilem eiuſdem gratiæ magnitudinem commendans, ait: (*Rom. 5.*) Vbi autem abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia: quia nimirum quanto grauiorem dominus in electis ſuis peccatorum languorem enrauit, tanto ampliorem cunctis gratiæ medentis potentiam monſtrauit. Vnde & ex lectione euangelica audiuimus, quia ſedentem in telonio Matthæum, ac temporalibus curis intentum, repente miſeratus dominus vocauit, & de publicano iuſtum, de telonario diſcipulum fecit, quem etiam proficientibus eiuſdē gratię incrementis, de communi diſcipulorum numero ad apoſtolatus gradum promouit, nec ſolum prædicandi, verū etiam ſcribendi euangelium illi miniſterium commiſit: vt qui curam terreſtrium omiſerat negotiorum, cæleſtium talentorum diſpenſator eſſe inciperet. Quod ob id vtique prouidentia ſuperna fieri diſpoſuit, vt nullum enormitas peccatorum ſuorū, nullum numeroſitas ſcelerum, à ſperanda venia reuocaret, cum hunc tantis mundi nexibus abſolutum: tam cæleſtem factum conſpiceret, vt communicato cū angelicis ſpiritibus vocabulo, euāgeliſta nominaretur & eſſet. *Vidit, inquit, Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me.* Vidit autem non tam corporei intuitus, quam interuę miſerationis aſpectibus, quibus (*Luc. 22.*) & Petrum negantem vt reatum ſuum cognoſcere ac deflere poſſet, reſpicere dignatus eſt quibus populum ſuum Ægyptia ſeruitute depreſſum, vt eriperet aſpexit, dicens ad Moyſem: Videns vidi af- (*Exod. 3.*) flictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eius audiui, & deſcendi liberare eum. Vidit ergo hominem & miſeratus eſt eum, qui humanis tantum ſtudiis deditus, nedum angelico nomine dignus extiterat. Vidit ſedentem in telonio, pertinaci videlicet animo temporalibus lucris inhiantem, *Matthæum*, inquit, *nomine*. Matthęus Hebraice, Latine dicitur donatus, quod profectò nomen illi apte cōgruit, qui tantum gratię ſupernæ munus accepit. Nec prętereundū eſt, quod idē Matthæus erat binominis: nā & Leui vocabatur, quod etiā nomē eidē gratiæ qua donatus eſt teſtimoniū perhibet. Interpretatur enim additus ſiue aſſumptus, ſignificans quia aſſumptus eſt per electionem à domino, & additus ad numerū gradus Apoſtolici. Hunc autem illum nomine Marcus & Lucas in hac lectione magis appellare noluerunt, (*Marci 2. Luca 5.*) ne conſortem operis Euangelici, de priſca conuerſatione palam notabilem redderent. At verò vbi ad deſcribendum duodecim Apoſtolorum catalogum peruenerunt, tacito Leui vocabulo, (*Marci 3. Luc. 6.*) Matthæum illum aperte nuncupauerunt. Porrò ipſe Matthæus, iuxta hoc quod ſcriptum eſt: Iu- (*Prou. 18.*) ſtus prior accuſator eſt ſui, venit amicus eius, & inueſtigauit eum, vulgato ſe nomine vocat, cum de telonio vocatum narrat. Sed & in decalogo (*Matth. 10.*) Apoſtolorum cum additamento ſe publicanum cognominat. Thomas, inquit, & Matthæus publicanus, quatenus maiorem per hoc publicanis, & peccatoribus adipiſcendę ſalutis confidentiam præbeat. Quam docendi formulam Paulus quoque ſecutus, ait: Quia Chriſtus Ieſus venit in (*1. Tim. 1.*) hunc modum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad exemplum eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Vidit ergo Ieſus publicanum, & quia miſerando atque eligendo vidit, ait illi: Sequere me. Sequere autem dixit imitare. Sequere dixit non tam inceſſu pedum, quàm executione morum. Qui enim dicit (*1. Ioan. 2.*) ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare: quod eſt non ambire terrena, non caduca lucra ſectari, fugere honores, contemptum mundi omnem pro cęleſti gloria libenter amplecti, cunctis prodeſſe, amare, iniurias nulli inferre, at ſibi illatas patienter ſufferre, ſed & inferentibus à Domino veniam poſtulare, nunquam ſuam, ſed conditoris ſemper gloriam quærere, quotquot valet ſecum ad amorem ſupernorū erigere. Hęc & huiuſmodi gerere, Chriſti eſt veſtigia ſequi. *Et ſurgens, inquit, ſecutus eſt eum.*

Non est mirandum, quod publicanus ad primam iubentis Domini vocem, terrena quæ curabat lucra reliquerit, opibúsque neglectis illius comitatui, quem nil diuitiarum habere cernebat, adhæserit. Ipse enim Dominus qui eum foris verbo vocauit, intus inuisibili instinctu, vt sequeretur eduxit, infundens menti illius lumẽ gratię spiritalis, qua intelligeret: quia is, qui à tẽporalib⁹ vocabat in terris, incorruptibiles in cælis dare thesauros valeret. Surgens, inquit, secutus est eum. Surrexit, vt sequeretur: dimisit caduca quę gerebat, vt consequeretur æterna, ad quę illum veritas inuitabat, quale est illud: Surge qui dormis, & exurge à

Ephe. 5.

mortuis, & illuminabit te Christus: *Et factum est discumbente eo in domo, ecce publicani & peccatores venientes, discũbebant cum Iesu & Discipulis eius.* Vnius publicani conuersio, multis exemplum pœnitentiæ ac indulgentiæ publicanis, & peccatoribus tribuit. Non enim dubitandum: quia publicani ac peccatores esse desierant, qui cum Iesu & discipulis eius discumbebant: nec si in peccatis perseuerare decernerẽt, ei qui sine peccato est conuesci auderent. Publicani quippe vocantur, qui vel publice sceleribus fœdantur, vel publicis implicantur negotiis, quæ sine peccato, aut vix, aut nullatenus valent administrari. Et pulchro satis præsagio, qui Apostolus & doctor Gentiũ erat futurus, in prima sua conuersione peccantium post se gregem trahit ad salutem: officiumque Euangelizandi, quod proficiente merito virtutum erat expleturus, à primis iam fidei suæ rudimentis incipit. Neque enim solum qui fratrem verbo erudit: sed etiam qui exemplo ad meliora conuertit, ministerium gerit doctoris. Deniq; iidem publicani non tunc solummodo cum Domino discumbebant, verum & deinceps abiectis secularibus ne-

Marci 2.

gotiis, ad imitationem Matthæi illum sequi gaudebant, teste Euangelista Marco, qui dicit: Multi publicani & peccatores discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi, qui & seque-

Luc. 5.

bantur eum. Notandum autem quod Lucas hæc referens dicit: quia Dominus in domo eiusdem Matthæi cum publicanis discubuerit, & quia ipse conuiuium illi magnum parauerit. Qui quidem Matthæus quãtum ad generale iudicium respicit, congruam beneficiis cælestibus vicem rependit, vt à quo perennia bona sperabat, illi sua temporalia commodaret: eúmque corporalibus epulis reficeret, quo ipse donante gustum spiritalis acceperat suauitatis. Porrò si altiore intellectu, quæ gesta sunt, indagare cupimus, non tantum in domo sua terrestri conuiuium Domino corporale exhibuit, sed multo gratius illi conuiuium in domo pectoris sui per fidem ac dilectionem parauit,

Apoc. 3.

ipso attestante, qui ait: Ecce ego sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Stat quippe ad ostium Dominus, & pulsat: cum memoriam suæ voluntatis, vel per os docentis hominis, vel per suam intus inspirationem nostro cordi infundit. Audita autem voce eius, ianuam vt recipiatur aperimus, quãdo illius siue secretis, siue apertis admonitionibus libenter assensum præbemus, & his perficiendis, quæ facienda cognouimus operam damus. Intrat vero, vt & ille nobiscum, & nos cum illo cœnemus: quia in cordibus electorũ per amoris sui gratiam inhabitat, vt & ea semper luce suæ præsentiæ reficiat, quatenus ad superna desideria magis magísque proficiãt, & studiis eorum cęlestibus quasi gratissimis dapibus ipse pascatur. Sequitur: *Et videntes pharisæi, dicebant Discipulis eius: Quare cum peccatoribus & publicanis manducat Magister vester?* Duplici errore tenebantur pharisęi, cum magistro veritatis de susceptione peccatorum detrahebãt: quia & se iustos arbitrabantur, qui superbiæ fastũ à iustitia longe discesserant: & eos criminabantur iniustos, qui resipiscendo peccatis non parum iam iustitiæ propinquabant. Inuidia nanque fraternæ salutis obcæcati recolebant, quia publicanus erat Matthæus, publicani & peccatores erant multi alij, qui cum Domino discumbebant: sed meminisse nolebant, quia idem Matthæus, sicut

Luc. 5.

Lucas scribit, relictis omnibus quæ gerebat, secutus est eum. Sed & alij publicani ac peccatores eo animo cum illo discumbebant, quod illi deinceps adhærere disponebant. Errabant ergo pharisæi, qui nec aliena, nec sua saltem corda nouerant.

Luc. 19.

Sed qui nouit occulta cordis, qui venit quærere, & saluum facere quod perierat, & eos quos iam pœnitentes susceperat, amplius in fide confortat: & eos quos adhuc superbos tolerat & impios, ad humilitatis gratiam ac pietatis prouocat. Nam sequitur: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* In eo etenim quod male habentibus medicum se aduenisse testatur, auget spem obtinẽdæ sanitatis, & vitæ eis, qui de peccatorum suorum languore turbati, saluatoris ac viuificatoris magisterium iam sequi cœperant. In eo autem quod valentibus non opus esse medico dicit, illorum temeritatem redarguit, qui de sua iustitia præsumentes, gratiæ cælestis auxilium quærere detrectabant. Quis nanque iustus esse poterit, vt diuina opitulatione non egeat, cum ille, quo in natis mulierum maior nemo est, de se Ioannes apertissime dicat: Non potest homo à se accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cælo. Dum

Ioan. 3.

vero subiungit: *Euntes autem discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium.* Itidem pharisæis de falsa iustitia tumentibus, etiam consilium correctionis ostendit. Admonet nanque eos, vt per opera misericordiæ sibimetipsis supernæ misericordiæ præsidia conquirant, & non contemptis pauperum necessitatibus, per oblationem se sacrificiorum dominum placare confidant. Proposuit autem eis testimonium de propheta, & hoc illos euntes discere iussit, euntes videlicet à temeritate stultæ vituperationis, ad diligentiorem scripturæ sanctæ meditationem: vt qui eum peccatores suscipientem cõtra scripturarum decreta facere calumniabantur, ipsi se potius intelligerent quæ essent Dei præcepta nescisse, vel agnita non fecisse. Qui enim quotidianis in templo oblationibus instãtes, nulla delinquentibus compassione miserabantur, pater profecto quia contra sermonem propheticum sacrificium potius quàm misericordiam quærebant. At vero dominus qui, sicut scriptum est, pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos

Actor. 10.

à diabolo, & quotiens templũ intrauit, magis verbi languentes curare, erudire nescios, contumacea redarguere, vel etiã foras deturbare, quàm victimas studuit offerre, liquet vtique quia voluntatis diuinæ, quam propheta monebat, iussa perfecit, misericordiæ scilicet opus exequendo, & non sacrificium celebrando. Qui etiam repre-

hensorib

hensoribus suis quare cum publicanis, & peccatoribus manducaret, rationem reddere non despexit, vt vel sic eos à supernacua murmuratione cohiberet, atque ad sequenda suæ pietatis dona prouocaret. *Non enim, inquit, veni vocare iustos, sed peccatores.* Idcirco igitur peccatorum conuiuia frequentabat, vt insidiatores suos docendo cœlestes inuitaret ad epulas. Sed mouet fortè aliquem, quomodo dominus dixerit non se venisse ad iustos, sed magis ad peccatores vocãdos, cùm cunctis legentibus cõstet, quòd etiam illos, quos secundum Mosaicæ legis instituta iustos inuenit, ad euangelicæ perfectionis culmen plurimos vocauit. Si enim solos peccatores, & non etiam iu- Ioann.1. stos vocaret, nequaquam Nathanael discipulatus illius consors existeret, quem ad se primo venié-tem tanta laude dignum putauit, vt diceret: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Si non iustos vocaret, Petrum & Andream in Apostolatus arce non haberet, qui quanto amore iusticiæ flagrauerint, docuerunt cum ad testimonium præcursoris continuo dominum videre & audire gauisi Ibidem. sunt. Quomodo ergo non venit vocare iustos, sed peccatores, nisi quia, sicut Lucas hæc referens Lucæ 5. apertius dicit, Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Omnes nanque electos ad regnum cœleste dominus vocat, sed illos solum ad pœnitentiam vocat, quos peccatis grauioribus inuolutos inuenit. Quos vero iustitiæ operibus deditos reperit, non eos ad pœnitẽtiam præteritæ conuersationis, sed ad profectum magis vitæ perfectioris inuitat. Vocat peccatores, vt per pœnitentiam corrigantur: vocat iustos, vt magis magisque iustificentur. Quamuis & ita rectè possit intelligi quod ait, *Non veni vocare iustos, sed* Rom.10. *peccatores*, quia non illos vocauerit qui suam iustitiam volentes cõstituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, sed eos potius qui fragilitatis suæ conscij nõ erubescunt profiteri, quia in multis offen- Iacob.3. dimus omnes. Si quos autem & de illis qui fallaciter sunt iusti, correctos vocat ad veniam, etiam in illis implebitur eius sermo, quia non venerit vocare iustos sed peccatores, id est, non elatos, sed humiles: non de sua iustitia inflatos, sed ei qui iustificat impium deuota mente substratos. Nam & tales vbi conuertuntur, nequaquam se iustos, sed peccatores necesse est syncero corde testentur. Libet autem meminisse, fratres charissimi, ad quantam Dominus arcem iustitiæ Matthæum, quem de publicanis actibus elegit, vt spẽ remissionis peccatoribus ampliaret, aduexerit. Qualis nãq; sit factus ipse Apostolorũ numerus, cui insertus est, docet: docet & ipsa gens Aethiopum, quam de finibus terræ vltimis ad sanctæ ecclesiæ societatem prædicando conuertit, ablutámque fonte baptismatis, de fusca formosam reddidit, quã vitiorum nigredinem exuit, ac virtutum decorauit ornatu: docet ipsum Euangelium, in quo scribendo noui testamenti consecrauit exordiũ, cui speciali priuilegio donatum est, vt dominicæ incarnationis mysteria, quę cuncti à seculo prophetæ futura præcinebant, ipse primus omnium iam facta descripserit, & credentibus legenda transmiserit. Quod videlicet Euangelium ad ædificãdam fidem ecclesiæ primitiuæ, quæ ex Hebręorum maxime populo collecta est, Hebræo sermone composuit. Dilatata autem per orbem ecclesia, & Græcis ac barbaris in eiusdem fidei vnitatem confluentibus, curauerunt præsules fideliũ, vt idem etiam Græcum, Latinúmque transferretur eloquium: quomodo etiam Marci, Lucæ, & Ioannis euangelia, quæ principes Græca lingua ediderunt, mox in Latinum transfudere sermonem, quatenus hæc omnes per orbem nationes legere & intelligere possent. Testatur & Ezechiel Ezech.1. propheta, quantum idem Matthæus inter præcipua sanctæ ecclesiæ membra effulserit, dum sub figura quatuor animalium admirabiles omnium Euangelistarum virtutes, quas cœlesti visione didicerat, plenissimo sermone describit. Sed & Ioã- Apoca.5. nes apostolus, qui erat vnus ex eis, & ipse visione doctus spiritali, inter prima ecclesiæ sacramẽta eorundem Euangelistarum facit mentionem. Tantæ quippe erãt dignitatis illi, qui redemptoris nostri facta, & dicta scribendo memoriæ tradiderunt, vt non solum prophetico, sed & Apostolico essent testimonio commendandi. Tantæ erant dignitatis, vt vtriusque testamenti scriptora eis merito testimonium daret, eorúmque gloriam cœli ciues non ante exortum tantummodo eorum, verum etiam post inchoatum vel expletum sanctissimi muneris operis, hominibus ad memoriam referrẽt, & quanti apud Deum habeantur, ostẽderent. Multa ergo de illis Ezechiel, multa eximius ipsorum commemorauit Ioannes: sed nos in præsenti, quia sermo claudendus est, vnum Ioannis testimonium commemorare sufficiat: Et Apoca.4. cum darent, inquit, quatuor animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum. Oportet nanque, vt quotiens regis æterni magnificentiam in sanctis Euãgeliorum libris prædicari cognouerimus, procidamus humiles ante illius misericordiam, & deuotis precibus imploremus, & quicquid boni operis habere possumus non nostris hoc meritis, sed eius gratiæ semper tribuamus, qui sedens in throno patris vnà cum spiritu sancto, viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHMARI *eiusdem* Euang. *expositio.*

E*T cũ transiret inde Iesus*, videlicet de Capharnaũ *vidit hominem sedentem in Teloneo.* In Teloneo dicitur, ad Teloneum, ad curam vectigalium. Telos enim Grece, Latine vectigal dicitur: Et vectigal census qui portari potest: à vehendo dictus. Sedebat: quia ipse magister erat, & habebat iuniores qui circumibant mercatum, & accipiebãt vectigal, & reportabant illi: seu etiam intus sedebat: quia mercatum super aquam erat: & accipiebat quod de nauibus soluebatur: quia & illud Teloneum dicitur. *Matthæum nomine.* Alij euangelistę Leui eum nominant: quod non erat vulgatum. Fuit enim binomius, & propter verecũdiam & honorem & de vulgato nomine, & de ministerio, quod agebat, silent. Sed & ipse secundum dictum Salomonis, iustus in primordio accusator est sui: non solum Matthæum se nominat: sed & ministerium confitetur, vt & iustificari mereatur secundum illud. Dic tu iniquitates tuas, vt iustifi-

ceris: & exempla omnibus conuicti volentibus dei: quando ipse de publicano mutatus sit in euãgelistam: *Et ait illi; Sequere me.* Non solum gressibus corporis: sed etiã imitatione actionis. Quod intelligens beatus Matthæus secundum euangelium Lucę: relictis omnibus, secutus est eum, nec expectauit recipere cẽ(n)sum, vel rationem reddere domino suo: sed ex toto reliquit quod agebat: & qui solebat rapere aliena, reliquit propria. Agnoscens reatum suum: quia ipse de tribu Leui (vnde & Leui dictus est) ad templum domino seruire debuerat. & pro philargyria vili ministerio adhęserat. Perfectam ergo formam dominum sequendi beatus Matthęus innotuit: qui nec damnum nec periculum suum, quod ei euenire ex damno terreno poterat, quòd imperfectam rationem vectigalium relinquebat, curauit. Nec mirum si tanta cupiditate dominum secutus est ad vnius iussionis vocem: cum & audierit, & viderit eum multa miracula fecisse: cum intus fuerit diuina inspiratio, quę inuisibiliter eum accendit ad sequendum: etiam & maiestas & fulgor, quæ in facie vocantis domini relucebat. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores discumbebant cum Iesu.* Publicani hi, qui publicam rem cum aliis vsque tunc exegerant: seu conductores publicarum; vt Matthęus. Peccatores hi, qui seculi huius lucra per negocia sectabantur vt negociatores: vel diuersa ministeria exercẽtes. Sunt denique negocia quę non exercentur absq; peccato: videlicet cum quis in vno loco comparat aurum, vel argentum, vel aliud simile, & nihil in eo impendit operis, neque pro eo iter conficit, & cum venerit proximus eius ad emendum, duplicat precium. Quantum superrogationẽ suam accipit, totum defraudat à proximo suo. Accumbebant ergo cum domino, qui quidem fuerant publicani & peccatores, sed iam mutato officio, & mente mutati erant. Ibat enim dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi: & posset spiritales cibos ingerere inter corporeos inuitatoribus suis: etiam & humilitas eius nobis commendatur, & locus pœnitentię. Denique vbicunque legitur inuitatus, statim refertur, quòd ibi docuerit, vel quòd aliquid virtutis fecerit: non autem quod aliquis eum aut coëgerit, aut ebriauerit bibere, aut ipse aliquem: cum Lucas referat conuiuium magnum factum fuisse ei a Matthęo. *Et videntes pharisæi dicebant discipulis eius.* Quia magistro dicere propter venerationem signorum & sapientiam non audebant, discipulos increpabant. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Quia enim videbant & audiebant esse locum pœnitentię, & exemplum habebant in magistro suo Matthęo: propterea ad magistrum confluebant. *At Iesus audiens ait: Non est opus valentibus medico: sed male habentibus.* Dat dominus comparationem, quòd sicut medici ministerium ad sanum hominẽ nullum opus habent: similiter medicus animarum nullum profectum potest impendere, qui se ęgrotum non confitetur, id est, peccatorem in anima. Medicum seipsum dicit, qui vulneratus est propter peccata nostra: & cuius liuore sanati sumus. Sanos dicit scribas, & pharisęos: non quòd veraciter sani essent in anima: sed quia ipsi se sanos esse dicebant. Infirmi erant publicani, qui se peccatores fore fatebantur. Nequius malum apud

Cautè legere dotur omnino improbare negociationem.

Deum non est, quam peccatorem esse, & iustum se putare: qui si nõ est peccator, ex eo quod se iustificat, iniustus fit. Vbi enim non est confessio, nec remissio. Cum enim Dauid iustus esset in facto, cœpit esse elatus in corde. Quod malũ Deus intantum abominatus est: vt sineret labi in adulterium, & homicidium, manifesta probra: quatinus dum horresceret manifesta, castigatus fieret de occulto in anima. *Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo & non sacrificium.* Euntes vel ad vos in vos inuicem, vel ad vestros libros: qui non creditis meã doctrinã. Discite quia adhuc nõ intelligitis, quod vos putatis intelligere. Deus omnipotẽs hoc dicit per prophetam, quia amabilius est ei, misericordiam faciat aliquis proximo suo, quam sibi offerat holocausta: & qui sacrificium offerebat, alterius carnem immolabat: Qui autem misericordiam alicui impendit; seipsum in eius contritione mactat. Sacrificia enim antiquitus concessa, non pro alia re sunt instituta: nisi ne dæmonibus fierent, sicut dicit, holocaustomata vestra nolui. *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quando Deus in hunc mundum venit, nullus iustus erat: sed omnes detinebamur sub conditionis peccato. Ergo hic iustos, non vere iustos: sed putãtes se iustos. Non enim peruenit nec per Christum nec per apostolos ad remissionem peccatorum, qui se iustum putauit, & noluit accipere baptismum: sed qui superius sani dicti sunt ipsi hic dicuntur iusti. Vtrique falso modo.

INCERTI CVIVSDAM
sub nomine Eusebij Episcopi Emissenis, in eodem festo, Homil.

SIc enim de se beatus Matthæus quasi de alio loquitur. Quod & Moysen & quosdam alios fecisse legimus, humilitatem docentes, & vanam gloriam amputantes. Vocatur autem alio nomine Leui, quod penè idem significat. Matthæus enim donatus, Leui autem appositus interpretatur. Appositus namque Apostolorum ordini, pro magno munere sanctæ Ecclesiæ donatus est. Et bene quidem de telonio vocatur, vt qui publica vectigalia colligebat, nos quoque tributa soluere doceat. Quid enim aliud nos in hoc euangelio docet, nisi quę & qualia & quomodo tributa nostra Domino reddamus? In cunctis enim quæ iubente Domino agimus, nihil aliud facimus, nisi quòd tributa persoluimus. *Et factũ est, discumbente eo in domo, ecce, &c.* Ait enim Lucas, Quia fecit illi magnum conuiuium Leui in domo sua. Vnde factum fuisse puto, vt publicani & peccatores & cæteri eiusdem ordinis homines illuc ad conuiuium conuenirent. Veruntamen neque illud cõuiuium, neque illum conuentum publicanorum, sine aliqua significatione fuisse intelligendum est. Illud enim conuiuium, quod tunc Leui Domino præparauit, hoc euangelium significabat, quod postea scripsit, cuius deliciis nunc in Christo animæ nostræ reficiuntur. Ad hoc autem quia Iudæi venire noluerunt, publicani & peccatores introire compulsi sunt. Vnde alibi Dominus ait: Quia nemo illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. *Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis, &c.* Similiter enim & fideles aduersùs beatum Petrũ posteà scandalizati sunt,

Matth. 9.

Luc. 5.

Luc. 14.

cō

eò quòd Cornelio incircuncisō communicauerit. Act. 11. Quibus & ipse rationem reddit, sicut & Dominus istis rationem reddere non est dedignatus. Ait enim: *Nō est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Ac si dicat: Ad sanandū veni, non ad manducandum: Medicus sum, non conuiua, immò ideo cōuiua, quia medicus. Hoc genus morbi nusquam tam bene sicut in conuiuio sanatur, in illo vtique conuiuio, quod per hoc cōuiuium significatur. Tale namque conuiuium quotidie in ecclesia fit. Hoc conuiuium animorū est. Quoties enim Conuiuium animorum. episcopi & sacerdotes in ecclesia prædicant, toties hoc conuiuium præparatur. In hoc autem conuiuio tales potiones, taliaque antidota infirmis anteponuntur, quibus cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, mortui suscitantur, omnésque morbi & omnes infirmitates sanantur. Tale igitur cōuiuium beatus Matthæus Apostolus & Euangelista nobis præparauit, tale nos quoque aliis præparare docuit. Et talis quidem conuiuij præparandi, talis potionis & antidoti dandi peritissimus medicus Apostolus fuit, 1. Cor. 9. qui ait: Factus sum infirmis tanquam infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem. Hæc igitur est causa, quare Dominus & saluator noster cum publicanis & peccatoribus manducare venit, vt eos videlicet sanaret, & veri medicaminis rationem monstraret. Non enim dedignatur Christus eos in conuiuio recipere, quorum mortalitatem non est dedignatus assumere. Reficit exteriùs corpora, Ioan. 6. reficit interiùs mentes. Non potest ibi esse fames, 3. Reg. 2. vbi est panis viuus, qui de cælo descendit. Panis igitur deest famelicis, de quibus dicitur. Et famelici saturati sunt. Medicus subueniat infirmis, qui aliter sanari non possunt. *Euntes discite quid est: Mi-* Osee 6. *sericordiam volo, & non sacrificium.* Hoc enim in Osea scriptum est. Quod si Pharisæi intellexissent, hæc talia non loquerentur. Quæ sit autem hæc misericordia, subdidit dicēs: *Nō enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quod enim peccatores vocantur & saluantur, misericordia est: quod vero illi reprobantur, qui se iustos esse iniuste arbitrantur, iustitia est. Non potuit autem saluari mundus per sacrificium, saluatus est vero per misericordiam: quia Christi sacrificium misericordia fuit.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgar. superioris Euang. expositio.

Vidit hominem sedentem in telonio, qui Matthæus Act. 10. *dicebatur.* Non post Petrum, & Ioannem hūc vocauit, sed quando vidit obtemperaturum. Sic & Paulum vocauit postea suo tempore. Admitare autem Euangelistam, quomodo vitam suam inuulgat, quam occultarunt alij, eum appellantes Leui. Dei autem opus fuit, solo verbo eum conuerti. *Publicani & peccatores venerunt, &c.* Gaudens Matthæus, quòd ad se diuertisset Iesus publicanos alios vocauit. Christus autem simul vescebatur cum eis, vt eis prodesset, tametsi propter hoc male audiret. Pharisæi enim volentes discipulos ab eo auellere, accusabant publicanorum conuiuium. *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Non veni, inquit, nunc tanquam iudex, sed medicus: vnde & fœtorem fero. Arguit autem illos vt imperitos, dicens, *Ite, & discite*, hoc est, quia hactenus non didicistis, vel saltem nunc ite & discite, quòd Deus magis facit misericordiam in peccatores, quàm sacrificium. Quod autem dicit, *non veni vocare iustos*: per ironiam dicit, hoc est, vos, qui iustificatis vosmetipsos: quia nullus hominum erat iustus, sed peccatores, non vt maneant peccatores, sed ad pœnitentiam.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Et præteriens inde Iesus vidit hominem, &c. Præteriens, hoc est, pergens. Considera autē Euangelistam, quomodo non erubuerit ob priorem vitam suam. Sed Marcus quidem, & Lucas, ob Marc. 2. Luc. 5. condiscipuli reuerentiam, prætermittentes manifestum eius nomen, Leui hunc vocauerunt: sic enim etiam appellabatur: ipse vero aperte seipsum publicanum fatetur. Siquidem neq; Christum eius puduit. Simul autem hinc illius ostendit virtutem, qui se ad discipulatū vocauit: quam facile e medio telonio lucri maxime auidos, ac impudentissime cauponantes abstraxerit. Telonium vero dicit huius commerciarij (vt ita loquamur) prætorium, aut domum. Quum autem prius ostendisset Christus, quòd peccata remittere posset, tūc etiam ad Publicanum venit, ne turbentur aliqui, videntes eum discipulis annumeratum, sed cogitent potius, quòd, qui soluit aliorum peccata, multo magis suorum peccata absoluit. *At ille † surgens sequutus est eum.* Admirare † perfectam eius, qui vocatus est, obedientiam: quomodo neque consultauit apud se, quomodo nullum super ea re consuluit amicum: quomodo nō disposuit quę domus, atque substantiæ suæ erant: sed confestim surgens, sequutus est, relicto vniuerso mundo: solam autem adduxit mentem ad omnia paratam, quæ iussisset is, qui eum vocauerat, sicut & qui antea vocati fuerāt. Verum quam ob causam de Petro, & Andrea, Iacobo, Ioanne, ac Matthæo, non solum ipse Matthæus, sed & Marcus, ac Lucas scripserunt, vnde & quomodo vocati sint: de reliquis vero discipulis nihil tale docuerunt? Quia hi inter alios abiectissima habebant vitæ instituta: neque enim quippiam peius Publicano, neque vilius piscatore. Propter quod etiam Euangelistæ in omnibus fide digni habentur, quia neque ea, quæ probrum adferre videbantur, prætermiserunt; nec id solum de discipulis, verumetiam de præceptore faciunt. Statim namque plurima reliquerunt miracula: nihil autem de iis, quæ passus est, prætermiserūt: quum de discipulis ostenderint, quòd adeo abiecti, tanta gratia digni habiti sunt: de præceptore verò, quòd, quum tantus esset, talia propter nos passus sit.

† *Tanquam de altero narrat, quæ circa se contigerunt, iactantiam abhorrens: magna siquidem laude dignus erat quod continuo sequutus est eum.* †

Et factum est quū ipse in domo accūberet, &c. Intuitus Christus syncerissimam, ac promptissimam huius obedientiam accedit, vt & illum honoret, & se illi familiarem præbens, liberéque tribuens, iis, qui eo venerant, aliquam correctionem tradat. Ille autem tantum assequutus bonum, libe-

ralior efficitur: &, sicut ait Lucas, fecit ei conuiuium magnum in domo sua; id est, officiosum epulum. Publicanos vero appellat etiam peccatores, propter obtrectationem, qua male audiebant: ipsi enim calumniam sustinebant, tanquam iniusti, & auari, ac raptores, omnique compassione carentes, & impudentes. Aut fortassis & alij quidam erant, nobiliora quidem vitæ instituta habentes, eisdem tamen obnoxij affectibus: nam simile suo cōgaudet simili. Et hos ergo Matthæus conuiuio accepit, vtpote qui sibi in gaudio communicabant, & eius artis, eorundémque erant morum. Christus autem tolerabat, vt etiam pariter cum eo tales accumberent, propter venturam simul accumbētibus vtilitatem: & particeps cum eis erat ferculorum iniuste paratorum, ob grande lucrum, quod inde erat prouenturum: nec curabat multorum indignationem, sciens quòd, nisi medicus putredinem toleret, ab ea non liberabit ægrotantes. Atqui plane nouerat prauam inde suspicionem de se exorituram, quòd ad epulum venisset, & quòd ad publicani epulum, quódque simul cum multis publicanis accumberet. Vide enim postmodum Iudæos improperantes ei, ac
Infra 11. dicentes; Ecce homo vorax, & potor vini, amicus Publicanorum, & peccatorum: sed tamen hæc omnia despicit, vt, quod conatur, efficiat. Vt autem scias, quòd simul accumbendo, rem maximam operetur, audi quid dicat Zachæus Publi-
Luc. 19. canus. Postquam enim Christum audiuit dicentem, Hodie in domo tua oportet me manere: animo gestiens, & præ gaudio in sublime eleuatus ait; Ecce dimidium substantiæ meæ, Domine, do pauperibus: &, si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Dixit autem ad eum Iesus; Hodie
1. Cor. 5. salus huic domui facta est. Quomodo ergo dicit Paulus; Si quis dictus frater est fornicator, aut auarus, cum huiusmodi nec cibum sumatis? Paulus in hoc non præceptores, sed simpliciter fratres adhortatur. Præterea de fratre hoc dicit ille; hi autem Publicani nondum facti erant fratres. Ad hæc, dum permanserint in peccatis hoc faciendum est: isti vero potius ex hoc conuertendi erant. *Et videntes Pharisæi dixerūt discipulis eius, &c.*
Infr. 12. Marcus, & Lucas dixerunt etiam Scribas simul cum Pharisæis hoc dixisse. Vide autem, quod, quando discipuli peccare videntur, præceptori aduersus illos dicunt; Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis. Quando vero præceptor, vt nunc, apud discipulos illum calumniantur: dolose agentes, vt eorum discipulorum à præceptore separent. Quid ergo ait profunda sapientia? *Quo audito Iesus dixit: Non opus est, &c.* A communi exemplo os illis oppressit: & accusationem hanc potius ad virtutis opus conuertit: ostēdens non solum irreprehensibile esse, sed magis laude dignum. Deinde à scriptura quoque prophetica persuadet, dicens. *Euntes autem discite quid sibi velit, &c.* Improperat quoque illis scripturarum ignorantiam, reuocans ad modestiam fastum ipsorum, & id, quod agit, supra sacrificia extollēs, Est autem tantumdem, ac si dicat. Non est contra scripturam sacram, quod facio. Deus enim per
Ose. 6. prophetā dicens, *Misericordiam volo non sacrificium:* ostendit meliorem esse misericordiam quam sacrificium. Ideo & ego misericordiam præstans iis, qui peccatis sunt morbidi, insero me illis, & cum eis conuersans, omnem curādi modum adhibeo. *Neque enim veni vt vocem iustos, &c.* Non veni vt cū iustis conuerser: nam ipsi sibi ad salutem sufficiūt: sed fateor propter solos peccatores me venisse, qui pœnitentia indigent: quomodo ergo hoc abominabor, propter quos veni? Dicit autem Chrysostomus hoc ironice Christum dixisse, *Non veni vt vocem iustos*, quales vos estis, iustificātes vosipsos.

PETRI DAMIANI EPIscopi Ostiensis & Cardinalis in eodem festo, Sermo.

SOlēnitatis hodiernæ lætitia, dilectissimi, omnem desperationis aculeum de nostris mentibus amputat, ad præsumendū de diuina misericordia titubantia corda cōfirmat, atque vt adeamus cū fiducia thronū gratiæ, sicut & Apostolus hortatur, inuitat. Quis enim audiens publicanum Hebr. 4.
à Domino non modò in clientelam discipulatus electum; sed in senatus insuper Apostolici conscendisse fastigium, non protinùs animetur ad consequendam suorum veniam peccatorum? De telonio quippe cumulandæ pecuniæ, in cathedram transfertur ecclesiæ, & qui priùs exigendi vectigalis fungebatur officio, constitutus est fidei diuitiarumque cælestium ministrare thesauros: quique tunc turpis lucri quæstu satagebat implere marsupium, nunc per mundi latitudinem spargit cælestis eloquij sacramentum. Inter omnes S. Matthæus extollitur.
planè sanctos, qui cælesti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, beatus Matthæus mihi videtur insignis atque conspicuus, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum atque vt clariùs dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta vniuersalis Ecclesia. Nam quòd mundus viuit, hæc est causa, quia lux nobis Euangelica coruscauit. Constat autem, quia primus omnium Matthæus Hebraico stylo Euan- S. Matthæus Hebraicè scripsit Euangelium.
gelium scripsit, sicque his, qui erant ex circuncisione, fidelibus neotericæ fidei quoddam quasi speculum procurauit. Quia igitur ad sanctum Euangelium describendum primus iste prorupit, scribendi cæteris Euangelistis viam præcessor aperuit, & tanquam dux vexillum sequentibus prætulit, suoque eos exemplo vt scriberent incitauit. Illi ergo debemus Euangeliū, quem Euangelicæ narrationis constat intulisse principium, & quem aliorum nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum. Vnusquisque nimirum trium Euangelistarum beati Matthæi librum, antequam suum inciperet, nouit, & sicut sibi diuinitus inspiratum est, nō superfluam cooperationem sui laboris adiunxit. Eorum quippe fuerat præparare fideliter animos ad scribēdum: Dei autem erat in id, quod vellet, dirigere stylum. Porrò sicut Moyses & prophetis non absurdè præponitur, & omnibus qui aliquid scripserunt in veteri testamento: ita beatus euangelista Matthæus omnes iure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in nouo. Sicut enim ille nascentis mundi texit originem: sic iste tanquam spiritalis cuiusdam mundi, oriētem describit Ecclesiæ nouitatem. Vnde spiritusancto calamum temperante prouisum est, vt vterque non diuersum, sed vnum idémque suis libris præmitteret initium, dicens: Liber generationis. Sed illa generatio filios protulit iræ, ista filios parturit gratiæ.

Illa

Illa generatio sortita est paradisum terræ, fertilium quidem arborum & herbarum decore vernantem: sed ista cælestem meruit paradisum, incomparabilium deliciarum copiis affluentem. Ex illo tamē paradiso primus homo per lignum posteritatem sui generis expulit: secundus homo per Crucem cælestibus nos pascuis introduxit. Ille

Gen. 1. dum narrat Deum dixisse, Fiat lux, ostendit conditam lucem: iste Christum de virgine natu perhibens, exortum lucis insinuat cunditorem. Moyses itaque veterem Adam atque terrenum, veterem mundum, vetus digerit testamentum: Matthæus autem pro veteribus noua, pro terrenis sed carnalibus spiritualia, pro temporalibus introducit æterna. Pro Adam siquidem Christum, pro lege veteri Euangelium, pro mundo vel terra herbis arboribúsque florente, sanctam describit Ecclesiam, diuersa spiritualium fructuum victualia germinantem.

1.Cor. 15. Primus enim homo, sicut Apostolus ait, de terra terrenus, secundus de cælo cælestis. Factus est primus Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Non enim prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Moyses ergo describit, quomodò visibilia quæque sunt originaliter condita: Matthæus autem docet non modò terrena, sed & cælestia per mediatorem Dei & ho-

Ephes. 1. minum gratiam nouiter instaurata, sicut idem dicit Apostolus: vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt in ipso. Hanc mundi renouationem Dauid præuidebat, cùm aliquando coram Domino constitutus oraret.

2.Reg. 7. Nam cùm illi per Nathan prophetam clementia diuina promitteret, ex eius semine nasciturum, qui sibi sacrosanctum construeret templum, & Christum manifestè denuncians, adiecisset: Ego ero illi in patrē, & ipse erit mihi in filiū: moxque Ecclesiam, quæ corpus est Christi, qualiter esset futura depromeret, dicens: Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter: ille gratias agens, inter cætera orationis suæ verba sic ait: Sed & parùm visum est in conspectu tuo Domine Deus meus, quia dilexisti me, nisi loquereris etiā de domo serui tui in lōginquum, moxque subiunxit; ista est enim lex Adam, Domine Deus. Ac si perspicuè dicat: Sicut in terreni mundi huius exordio Adam constituisti posteritatis secuturæ parentem, atque ex hac radice totius humani generis decreuisti pullulare propaginem: ita nunc mundum renouare disponens, me quasi nouum Adam facis, dum Christum ex meo semine nasciturum, qui est author & caput Ecclesiæ, polliceris. Ista est, inquit, lex Adam: quia sicut ille erat in filiis suis hūc mundum visibilem possessurus, ita & ego populi spiritualis in Christo pater efficior, cum illo qui in cælis est, perpetuò regnaturus. Sicut enim de costa illius formata est viuentium mater Eua, ita de latere Christi, qui ex me nasciturus est, victura perenniter egre-

2.Reg 1. dietur Ecclesia. De hoc nouo & spirituali mundo scriptū est: Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Orbis enim super terræ cardines ponitur, cùm sancta Ecclesia tanquam super bases doctrinis Euangelicis solidatur. De qua & alibi dicitur: Fundamenta eius in montibus sanctis. Qui enim illic cardines, hic appellati sunt montes. Euangelistarū plane numero congruit &

Numerus euangelistarum. mundi situs, & temporū cursus: quia & quatuor mundi partes, & totidem sunt temporū diuersitates. Non igitur mirum si spiritualis mundus iis nihilominus huic conferatur, cùm nonnullis inuicem habere similitudines vterque dignoscitur. Et notandum summus architectus, videlicet omnipotens Deus, dum huius spiritualis mundi, hoc est,

S. Ecclesia columnis quatuor. sanctæ vniuersalis ecclesiæ fabricam super quatuor Euangelistas, quasi super columnas totidem cōstruit, duas potiores & egregias altrinsecùs ordinat, quibus scilicet omne surgentis machinæ pondus incumbat; duas autem minores in medio statuit, sicque cælestis fabricæ pulchritudinem alterna varietate distinguit, vt pluralitas ad fundamentum, diuersitas pertineat ad ornatum: & di-

Exod. 27. uinum opus sic robore permaneat inconcussum, vt sit etiam varietate conspicuum. Hæ denique quatuor sunt columnæ, de quibus ad Moysem dicitur, cùm in typo ecclesiæ tabernaculum figeretur: Facies columnas quatuor, & bases earum ve-

Psal. 11. stitas argento. in argento enim quid aliud, quam claritas diuini sermonis accipitur? sicut scriptum est: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ. Bases ergo argento vestitæ, quatuor columnas tabernaculi sustinēt: quia prædicatores ecclesiæ diuino eloquio decorati, vt in cunctis se exemplum præbeant, quatuor euangelistarum dicta & ore & operibus portant. Matthæus itaque primum obtinet locum, Ioannes vltimum. Qui nimirum in Apostolico sunt culmine constituti, & in iis quæ scripserunt, non

1.Ioan. 1. auditu duntaxat, sed visu potiùs, atque contactu sunt præsentialiter informati: sunt vnus eorum dicit: Quod audiuimus, quod vidimus, quod oculis nostris perspeximus, quod manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ. Marcus autem & Lucas; qui Euangelici catalogi medioullium sortiuntur, non quidem sunt Apostoli, veruntamen præcipuorum apostolorum, alter Petri, alter Pauli relationibus sunt edocti. Omnes nihilominus sancti Euangelistæ vnius sunt auctoritatis, vnius sunt fidei, nec in aliquo dispares in texenda syncerissimæ lineæ veritatis, ac per omnem suæ descriptionis articulum inexpugnabile simul erigunt propugnaculum; aduersùs omnia quarumlibet hæreseon ia-

Psal. 18. & 23. cula præmunitum. Hæc est enim quadriga illa, in qua rex gloriæ exultāt vt gigas, & fortis in prælio principi mūdi huius, qui genus hominum captiuum tenebat, occurrit, & lorica carnis armatus, il-

Luc 11. lum superuaniens vicit, eiúsque vasa distribuit.

Ezech. 1. Hanc porro quadrigam, verúmq; Cherubim Ezechiel propheta se conspexisse commemorat, cùm ait: Similitudo autē vultus eorū, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorū quatuor: facies au-

Gregorius in hunc Ezechiel. locum. tē bouis a sinistris ipsorū quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Quos profectò nonnulli catholicorum patrum hoc ordine discreuere, vt quia ab humana generatione cœpit, iure per hominem Matthæus: quia vero à clamore in deserto, rectè per leonem Marcus: quia à sacerdotio exorsus est bene per vitulum, Lucas quia à diuinitate verbi cœpit, dignè per aquilam Ioannes videatur designari. Qui nimirum dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū: dum in ipsam diuinitatis substantiam

intendit quasi more aquilæ oculos in solem fixit. Sed ij, qui sanctos Euangelistas per animalium figuras sub hac varietate distinguunt, magis considerare videntur Euangelij cuiusque principium, *Prou. 30.* quàm continuum sequētis historiæ textum. Nam *Aug. de consensu Euang. lib. 1. c. 6.* qui seriatim cuncta Euangelicæ narrationis curiosius atque minutius indagauere sententias, B. Matthæo non hominis, sed figuram decreuerunt adscribendam esse leonis. Leo enim, vt ait scri- *Apoc. 5.* ptura, potentissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum: & quia Rex animalium dicitur, non incongruè beato Matthæo, qui Regiam Christi cernitur texuisse personam, leonis species deputatur. Vnde & in Apocalypsi Dominua cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, vbi dictum est: Vicit leo de tribu Iuda. Matthæus igitur in declaranda regia stirpe Domini familiarius vacat, & sicut ab hac narrationis exordiū sumpsit, sic in eadem intentione totam styli sui seriem ad finem *Matth. 2.* vsque perducit. Generationis quippe lineam texens, ad Dauid peruenit: deinde per Salomonem transiens cæteros Reges in enumeranda generis successione percurrit. Et paulò post refert, quod *Matth. 12.* ab Oriente Magi veniunt, & Iudæorum Regem natum solerter requirunt: simul etiam quod Rex Herodes turbatus est, dum audit quod Rex præ- *Matth. 25.* ter se in Iudæorum populo natus est: Deinde subiungit parabolam, vbi Dominus ait: Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Sed instante salutiferæ passionis articulo, narrat eum dixisse: Quia cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes Gentes: & quia tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Postremò destructo per mortem suam mortis imperio, & beatę resurrectionis coruscāte triumpho, narrat eum dixisse Discipulis: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. His & huiusmodi clarescentibus in Euangelica descriptione sententiis, liquet beatum Matthæum in prosequenda regia stirpe Domini tenacius, quàm cæteris, fuisse versatum. Vnusquisque siquidem sanctorum Euangelistarum, proprium ac specialem ordinem seruat, & in eius qua cœpit intentionis custodia perseuerat. Nam Ioannes propensius occupatur ad declarandam in Christo diuinitatis essentiam. Matthæus autem, vt dictum est, ostendit tegiam dignitatem. Marcus verò, tanquam assecla siue breuiator eius esse videtur, dum per eius vestigia subsequens graditur, & sic ille siue eisdem verbis, siue eodem sensu in omnibus penè concordat, vt tanquam à præcedentis se tramite non recedat. Lucas etiam proprium modum & ordinem tenet, dum sacerdotalem Domini stirpem describit atque personam, & sic per totam styli sui seriem in hac intentione perdurat, vt diuersari circa templum & sacerdotia vsque ad finem Euangelij non omittat. Nam ipsum quoque suæ narrationis exordium, quid aliud concernat, quàm diuersorum nomina *Luc. 1.* sacerdotum? Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron. Eundem postmodum Zachariam in templo ante altare constituit. Mariam quoque Virginem domui sacerdotis inducit. Quadragesimo autem natiuitatis die puerum cū muneribus ad templum portat, Duodennem quoque in templo audien- *Luc. 2.* tem, & interrogantem, cum doctoribus inthronizat. Deinde parentes Domini narrat per omnes annos ascendisse Hierusalem ad templum in die *Luc. 24.* solennitatis Paschæ. Demùm Euangelium suum hoc fine conclusit, vt diceret: Ipsi adorantes regressi sunt Hierusalem, & erant quotidie in tem- *Christus Rex & sacerdos.* plo, laudantes Deum & benedicentes Dominum. Mediator quippe Dei, & hominum, secundum humanam naturam vnus idémque Rex esse voluit & sacerdos, vt per vires nos regalis apicis regeret, & per sacerdotis officium expiaret. Hæ siquidem duæ personæ in figura Christi specialiter sunt à patribus commendatæ, cui principaliter ac singulari prærogatiua dedit Deus sedem Dauid *Psal. 109.* patris eius, vt regni eius non esset finis, & vt sacerdos esset secundum ordinem Melchisedech. Vtriusque ergo ministerij dignitatem Matthæus & Lucas ita inter se inuicem diuidunt, vt alter Christi regnum, alter describat sacerdotium. Spiritus enim sanctus per organa sua sic propriæ potestatis iura dispensat, vt dum per duos vnus eloquitur, idem sententium quædam in verbia diuersitas exprimatur. Vnde enim Matthæus, qui regalem Domini personam susceperat describendam, in genealogiæ contextu Reges enumeret, Lucas ad ipsum Dauid, non regium schema prosecutus, sed per eos, qui Reges non fuerant, ascendit ad Nathan filium Dauid, qui nec ipse Rex fuit. *Heb. 9.* Vnde diuinitus actum est, vt non habeat socium subsequentem, qui styli sui teneat seriem: quoniam sacerdos in sancta sanctorum solus intrabat: atque idcirco hic sine comite est, quia se circa Domini sacerdotium specialiter occupat. Matthæus autē, vt prædictum est, breuiatorem Marcum atque pedissequum habuit: quia Christi regiam dignitatem, Reges enumerando, descripsit. Regiæ quippe sublimitatis est, vt non sine comitum gradiatur obsequio. Hunc ducem & nos sequamur, dilectissimi fratres mei, nō Euangelium breuian- *Matth. 9.* do, sed Euangelica præcepta seruando. Hunc ad vitam sequamur itineri præuium. Huius salutiferum imitemur exemplum, qui mox, vt vocantis se Saluatoris audiuit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsiuit inducias, non amicorum petenda cōsilia: sed ilico diuitias spreuit, necessarios abdicauit, carnalium affectuum nexus abrupit: sicque solutus, post Christi vestigia lætus, & impiger properauit, & tanquam post naufragium delatus in portum, diuinum illud celeuma cantauit: Dirupisti Domine vincula mea: *Psal. 115.* tibi sacrificabo hostiam laudis. Vel illud, quòd sponsa modulator in Canticis Canticorum: Pau- *Cant. 3.* lulum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima: tenui, nec dimittam eum, Amen.

IN FESTO DEDICATIONIS S. MICHAELIS ARCHANG.

MATTH. 18.



N illo tempore: accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis-
a In collegio iustorum. b Contra ambitionem gloriæ, humilitatem proponit.
putas maior est in [a] regno cælorum? Et [b] aduocans Iesus
paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen
c A vestra elatione.
dico vobis, nisi [c] conuersi fueritis, & efficiamini sicut
d Innocentes & humiles per virtutes. ¶ Non sensibus, sed malitia. e Qui de se maiora non senserit, innocens erit. f Quia aliter non intraitur. Talem per virtutem qualis iste per naturam.
[d] paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. [e] Quicunque ergo [f] humiliaue-
g Quem præpono, vel qui me imitatus fuerit, qui me exinaniui formam serui accipiens.
rit se sicut [g] paruulus iste, hic est maior in regno cælorũ. Et qui susceperit vnum
h Humilem meæ innocentiæ imitatorem. i Ne putent se honorari.
[h] paruulum talem in [i] nomine meo me suscepit. Qui autem scandalizauerit
k Magnus enim non potest moueri.
vnum de [k] pusillis his, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asina-
l Ergo. m Quæ non cauet.
ria in collo eius, & demergatur in profundum maris. [l] Væ mundo ab [m] scanda-
n Tamen vtile. o Vt qui probati sunt, meliores fiant.
lis: [n] Necesse est enim, vt [o] veniant scandala: Veruntamen væ homini, per quem
p Quantumcunque vtilis aduiuat. ¶ Lædit te in causa animæ. q Discursor in tuos vsus. r Scandalizat qui dicto vel facto minus recto occasionem dat ruinæ. s Rumpe affectu.
scandalum venit. Si autem [p] manus tua, vel [q] pes tuus [r] scandalizat te, [s] absci-
t Deuita eius societatem quem castigare nequis. v Sine pernicioso adiutore vel discursore.
de eum, & [t] projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi [v] debilem vel clau-
x Cum his.
dum, quàm [x] duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.
y Prouisor in consiliis in errorem vult te inducere.
Et, si [y] oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum tibi est
cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehen-
z Deputat eis custodiam.
nam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. [z] Dico enim vobis, quia
angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.

GLOSSA ORDINARIA

in superius Euang.

IN *illa ho. &c. Quis pu.* Ex qualitate precij qua in tributi redditione domino fuerat comparatus arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis prælatum. *In regno cæ.* Vel regnum Dei, doctrina est Euangelij, cui obedire simpliciter & sine vlla retractatione debemus, sicut puer non contradicit doctori-
Mar. 9. bus. *Et aduocans.* Secũdum Marcum puerum Iesus complectitur, significans humiles dignos suo cõplexu & dilectione. *Paruulum, &c.* Paruulum ætate, vt similitudinem demonstraret. Vel se statuit, in medio, qui non venit ministrari, sed ministrare. Vel *Paruulum*, id est, Spiritumsanctũ posuit in cordibus eorum, vt humilitate superbiam vitarẽt. *Quicunque ergo hu. &c.* Inuitat discipulos suos, & omnes alios dominus, vt quod puer habet per naturam, id est, innocẽtiam, & humilitatem, hoc habeant discipuli & omnes alij per virtutem. *Sicut paruulus iste.* Innocens erit sicut iste paruulus, qui non perseuerat in ira, lesus non meminit, visam mulierem non cupit. *Qui autem scandali.* Et si hoc generaliter dicitur contra omnes, tamen hic spiritualiter cõtra Apostolos qui hic de dignitate videntur contendere & in hoc poterãt alios perdere. Mola asinaria secundum ritum dicitur prouinciæ, vbi ista pœna est maiorum criminum. *Expedit ei:* quia multo vtilius est innoxium grauissima pœna vitam finire, quam lædẽdo fratrem mereri mortem perpetuam. Vel per molam asinariam secularis vitæ circumitus, & labor exprimitur: per profundum maris, extrema damnatio. Quicunque ergo speciem sanctitatis habens verbo, vel exemplo cæteros destruit, melius esset ei, vt eum sub exteriori habitu ad mortem terrena

acta constringerent, quam sacra officia cæteris in culpa imitabilem ostenderent: quia si solus eadem ecet tolerabilior eum pœna cruciaret. *Aliter.* Asinus ad molam, gentilis cæcus ad lapidem, quem adorat. Hic enim persecutionem Christiano inuleris, hac pœna plectitur, vt eo sui sacrilegij mole iudicandi seculi fluctibus mergatur. Nota quòd inquantum potes sine peccato, vitare scandalum proximi, debes. Quia si de veritate est, pro scandalo veritas relinqui non debet. Quicunque speciem sanctitatis habens, verbo vel exemplo elationis vel alterius vitij, caussa ruinæ infirmo fuerit, cui maximè nos oportet cõsulere, expedit, &c. *Expedit.* Quia multò melius est pro culpa breuem suscipere pœnam, quam æternis seruari cruciatibus. Non enim iudicabit Deus bis in id ipsum. *Væ homini.* Quia non iudicatur secundùm vtilitatem quæ inde prouenit, sed secundum exitum quem intendit. *Si autem manus tua.* Docuit supra ne scandalizemus credentes, nunc quantum cauere debemus eos qui scandalizare nos possunt: quia parum distat in vitio fallere vel falli, scandalizare vel scandalizari, si ex negligentia: si ex inuincibili ignorantia distat, quia tunc falli peccatum non imputatur. Inemendabiles amici sunt à nobis alienandi, ne per immunditiam eorum, & ipsi polluti pereamus. Omnis affectus, omnis propinquitas amputetur, ne per occasionem pietatis pateas scandalis. *Bonum tibi est, &c.* Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria vitam æternam perdere. *Videte ne contemnatis.* Sic præcipio vobis seueritatem dimittendi omnes amicitias, vt admisceam clementiam, vt quæratis eorum salutem. Sed si persistant in malis, melius est solum saluari, quam damnari cum pluribus. Quamuis pro scandalis omnis tũpendus est affectus: quærite tamen salutem infirmorum, quantum potestis. *Quia angeli eo.* Cur non sunt contemnendi: quia pro eis quotidie mittuntur angeli. Hierony. Magna dignitas animarum, vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. *Semper vident, &c.* Visione Dei manifesta perfruuntur, ideò non est spernendum ab homine, quod apud Deum tantæ curæ est: ergo vos nolite spernere, quantum in vobis est. Et si enim missi veniant, sic exteriorem implent ministerium vt nunquam intus desint per contemplationem. Mittuntur ad hominum salutem. & tamen semper vident faciem patris: quia quolibet missi veniant, intra ipsum currunt, qui vbique est.

Nauar.I.4.secũdum aliam trãslationem.

CATENA AVREA
in idem Euang.

IN *illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est, &c.* Hiero. Quia discipuli viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum: ex æqualitate precij, arbitrati sunt omnibus apostolis Petrum esse prælatum. Chrysost. Vnde passi sunt aliquod humanum, quod euangelista designat, dicens: *In illa hora accessi disci. ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?* Verecundati siquidem passionem cõfiteri, quam passi sunt, non dicunt manifestè: Petrum cur præhonorasti nobis? sed indeterminatè interrogant: Quis maior est? Quando autem tres præhonoratos viderunt, scilicet Petrum, Iacobum & Ioannem in transfiguratione, nihil tale passi sunt: quando verò in vnum solum contulit honorem, tunc doluerunt. Tu autem considera primum quidem, quòd nihil eorum, quæ sunt in terris, quærunt: deinde quòd postea hanc passionem deposuerunt. Nos autem neque ad defectus eorum contingere possumus: neq; enim quærimus quis maior est in regno cælorum, sed quis maior est in regno terræ. Orig. In his autem imitatores discipulorum esse debemus; si quando aliquid in nobis dubium quæritur & non inuenitur, vt cum omni consensu accedamus ad Iesum, qui potens est illuminare corda hominum ad intelligendam solutionem omnium quæstionum. Interrogemus etiam aliquem doctorum, qui præpositi habentur in ecclesiis. Sciebant autem discipuli hoc interrogantes, quia non est æqualitas sanctorum in regno cælesti: sed quomodo maior, & qualiter inueniatur minimus, hoc discere cupiebant. Vel sciebant quis esset minimus & quis magnus, ex eo quòd supra dominus dixerat: sed ex multis magnis quis esset maior, hoc eis non erat manifestũ. Hier. Videns autem Iesus cogitationes eorum, voluit desiderio gloriæ humilitatis contentionem sanare, vnde sequitur: *Et aduocans, &c.* Chrys. Mihi videtur valde paruulum in medio statuere omnibus passionibus exutum. Hier. Vt in eo & ætatem quæreret, & similitudinem innocentiæ demonstraret: vel certè paruulum statuit in medio eorum seipsum, qui non venerat ministrari, sed ministrare, vt eis humilitatis tribueret exemplum. Alij paruulum interpretantur spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, vt superbiam in humilitatem mutaret, sequitur: *Et dixit, Amen dico vobis, &c.* Non præcipit Apostolis vt ætatem habeant paruulorum, sed innocẽtiam: & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam: vt malitia, non sapientia paruuli sint. Ac si dicat: Sicut iste paruulus cuius vobis exemplum tribuo, non perseuerat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur: sic & vos nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, in regnum cælorum non poteritis intrare. Hila. Pueros etiam credentes omnes per audientiæ fidem nuncupauit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant: velle malum nesciunt, curam operum negligunt, non insolescũt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent, littera ergo sic legitur. Glo. Nisi conuersi fueritis ab hac elatione & indignatione in qua modo estis, & efficiamini omnes ita innocentes & humiles per virtutem sicut paruuli sunt per ætatem, non intrabitis in regnum cælorum: & quandoquidem aliter non intratur. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorũ. Quãtò enim quis erit humilior, tantò maior efficitur in regno cælorũ. Remig. id est, In cognitione gratiæ, vel ecclesiastica dignitate, vel certè in æterna beatitudine. Hiero. Vel aliter. *Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste.* id est, qui se in exemplũ mei humiliauerit, hic intrabit in regnum cælorum. Sequitur: *Et qui susceperit vnum, &c.* Chrys. Ac si di. Non solum si tales efficiamini, mercedem accipietis, sed & si alios tales propter me honorabitis: & honoris qui est ad illos retributionem, vobis

bis determino regnum. Magis autem quod multò maius eſt ponit, dicens: *Me ſuſcipit.* Hieronym. Qui enim talis fuerit, vt Chriſti imitetur humilitatem & innocentiam, in eo Chriſtus ſuſcipitur, & prudenter (ne cùm delatum fuerit Apoſtolis, ſe putent honoratos) adiecit, non ſuo illos merito, ſed magiſtri honore ſuſcipiendos. Chryſoſt. Deinde facilè ſuſceptibilem hunc ſermonem facit, pœnam inducens; vnde ſequitur: *Qui autem ſcandalizauerit, &c.* Ac ſi diceret, Sicut qui hos honorant propter me mercedẽ habẽt: ita & qui hos dehonorant, vltimam ſuſtinebũt vindictã. Si autem conuitium ſcandalum vocat, ne mireris, multi enim puſillanimes ex eo quòd deſpiciũtur, ſcandalizati ſunt. Hieronym. Nota quòd qui ſcandalizatur, paruulus eſt: maiores enim ſcandala non recipiunt. Et quanquam generalis poſſit eſſe ſententia aduerſus omnes qui aliquem ſcandalizãt, tamen iuxta cõſequentiam ſermonis etiam contra Apoſtolos dictum intelligi poteſt, qui interrogando quis maior eſſet in regno cælorum, videbantur inter ſe de dignitate contendere: et ſi in hoc vitio permanſiſſent, poterant eos quos ad fidem vocabant per ſuum ſcandalum perdere, dum Apoſtolos viderent inter ſe de honore pugnare. Origen. Quomodo autem qui conuerſus eſt & factus quaſi puer, & minimus eſt potens ſcandalizari? hoc ſi poſſumus explanare. Omnis, qui filio Dei credit, & conuerſatur ſecundum euangelicos actus, cõuerſus ambulat: quaſi puer: qui autem non conuertitur vt fiat ſicut puer, hũc impoſſibile eſt intrare in regnum cælorum. In omni autem credentium multitudine, ſunt quidam nuper conuerſi vt fiant ſicut paruuli, nondum autem ſunt facti, hi puſilli habẽtur in Chriſto, & ſunt ſcandali receptores. Hieronym. Quod autem dicitur; *Expedit ei vt ſuſpendatur, &c.* Secundum ritum prouinciæ loquitur, quo maiorum criminum iſta apud veteres Iudæos pœna fuerat, vt in profundum ligato ſaxo demergeretur. Expedit autem ei, quia multò melius eſt pro culpa breuem recipere pœnam, quàm æternis ſeruari cruciatibus. Chryſ. Conſequens autem erat prioribus dicere, Me nõ ſuſcipit: quod erat omni pœna amarius. Sed quia craſſi erant, & prædicta pœna eos non mouebat, comparatione exempli cogniti manifeſtat præparatam pœnam: propter hoc enim dicit, quòd expedit ei hoc ſuſtinere: quoniam eos alia grauior pœna expectat. Hilar. Myſticè autem molæ opus labor eſt cæcitatis. Nam clauſis iumentorum oculis aguntur in gyrum: & ſub aſini quidem nomine, frequenter gentes cognominatas reperimus, qui cæci laboris ignorãtia continentur, Iudæis autem ſcientiæ iter in lege præſtitum eſt: qui ſi Chriſti Apoſtolos ſcandalizauerint, rectius alligata collo mola aſinaria demerſi in mare fuiſſent, id eſt, gentium labore depreſſi, ignorantia ſeculi demonſtrarentur: quia illis tolerabilius fuerat neſciſſe Chriſtum, quàm Prophetarum Dominum non recepiſſe. Grego. 7. Mor. Vel aliter, Quid per mare, niſi ſeculum? quid per molam aſinariam, niſi actio terrena ſignificatur? quæ cùm colla mentis per ſtulta deſideria ſtringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt vtique nonnulli, qui dum terrenas actiones deſerunt, & ad cõtẽplationis ſtudia humilitate poſtpoſita vltra intelligentiæ vires ſurgunt, non ſolùm ſe in errorem deijciunt, ſed infirmos quoſq; de gremio veritatis diuidunt. Qui ergo vnum de minimis meis ſcandalizat, melius ei fuerat, ligata collo mola aſinaria in mare proijci, quia nimirum peruerſæ menti expedientius eſſe potuiſſet, vt occupata mũdo terrena negotia negeret, quàm per contemplationis ſtudia ad multorum perniciem vacaret. Auguſt. de quæſt. euang. Vel aliter: *Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis*, id eſt, ex humilibus, quales vult eſſe diſcipulos ſuos, non obtemperando, vel etiam contradicendo: ſicut de Alexandro Apoſt. dicit, *Expedit illi vt mola aſinaria ſuſpendatur collo eius, & præcipitetur in profundum maris*, id eſt, congruit ei vt cupiditas rerum temporalium, cui ſtulti & cæci alligantur, eum deuinctum pondere ſuo deducat ad interitum. *Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala, &c.* Glo. Dixerat Dominus quòd expedit ei qui ſcandalizat, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius. Cuius rationem aſſignãs, ſubdit: *Væ mundo à ſcandalis*, id eſt propter ſcandala. Orige. Hoc non de elementis mũdi intelligamus, ſed hîc homines qui ſunt in mundo, dicuntur mũdus. Non ſunt autem diſcipuli Chriſti de hoc mundo, vnde non poteſt eis eſſe à ſcandalis væ. Nam etſi multa ſunt ſcandala, non tangunt eum qui non eſt de hoc mundo. Si autem adhuc eſt de hoc mundo, propterea quòd diligit mundum & quæ ſunt in eo: tanta ſcandala comprehendent eum, quamuis fuerat obligatus in mundo. Sequitur: *Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala.* Chryſoſt. Cùm autem dicit, *Neceſſe eſt*, non deſtruit libertatem arbitrij, neque neceſſitati aliquarum rerum ſupponit: ſed quod omnino futurum eſt, prædicit, ſcãdala quidem ſunt prohibitiones rectæ viæ: non autem prædictio Chriſti ſcandala inducit, neque enim quia prædixit, propter hoc fit: ſed omnino futurum erat, propter hoc prædixit. Sed dicet aliquis, Si omnes corrigantur, & nullus ſit qui ſcandala afferat, nónne mendacij arguetur hic ſermo? Nequaquam, quia enim præuidit inemendatos futuros homines, propter hoc dixit: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala*, id eſt, omnino venient: ſi autem corrigendi eſſent, non dixiſſet. Glo. Vel neceſſe eſt vt veniant ſcandala, quia ſunt neceſſaria, id eſt, vtilia: vt qui per hoc probati ſunt, manifeſti fiant. Chryſoſt. Scandala enim erigunt homines, & acutiores eos faciunt: & eum qui cadit, velociter erigunt: inquantum ſcilicet ingerunt, ſolicitudinem. Hilar. Vel humilitas paſſionis ſcandalum mũdo eſt, quòd ſub deformitate crucis æternæ gloriæ Dominum voluit accipere. Et quid in mundo tam periculoſum, quàm non recepiſſe Chriſtum? Ideò verò neceſſe ait venire ſcandala, quia ad ſacramentum reddendæ nobis æternitatis omnis in eo paſſionis humilitas eſſet complenda. Orig. Vel venientia ſcandala, ſunt angeli Satanæ: nec tamen putes ſecundum naturam vel ſubſtantiam eſſe huiuſmodi ſcandala: ſed libertas arbitrij in quibuſdam genuit ſcandalum: nolens ſuſcipere pro virtute laborem. Non poteſt autem eſſe verum bonum, niſi habeat impugnationem mali. Sic ergo neceſſe eſt venire ſcandala, ſicut neceſſe eſt ſuſtinere malitiam cæleſtium: qua magis irritantur, quantò magis verbum Chriſti in hominibus inualeſcens, expellit ab eis malignas virtutes. Quærunt autem organa per quæ ſcandala operentur, quibus eſt magis væ. Nam multò peius erit ei, qui ſcandalizat,

quam

quam ei qui scandalizatur. Unde sequitur: *Veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Hiero. Ac si dicat, væ homini illi, qui vitio suo facit vt per se fiat, quod necesse est vt in mundo fiat. Simúlque per generalem sententiam percutitur Iudas, qui proditioni animum præparauerat. Hila. Vel sub hominis nuncupatione, authorem scandali huius quod est contra passionem Christi, Iudaicum populum designat, per quẽ omne huic mundo periculum comparatur, vt Christum in passione abnegent, quem lex & prophetę passibilem prædicauerunt. Chry. Vt autem discas quod non sunt absolutæ necessitatis scandala, audi quę sequuntur: *Si autem manus tua, vel pes tuus, &c.* Non autem hoc de membris corporalibus dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus, nihil est enim ita nocuum, vt conuersatio mala. Scandalum quippe sermo Græcus est, quod nos offendiculum vel ruinam & impactionem pedis dicere possumus. Ille ergo scandalizat fratrem, qui ei dicto factóue minus recto occasionem ruinæ dederit. Hier. Igitur omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis vnusquisque credentium scandalis pateat. Si (inquit) ita est tibi coniunctus vt manus, pes, oculus, & est vtilis atq; solicitus & acutus ad prospiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter morum dissonantiam te pertrahat in gehennam, melius est vt propinquitate eius careas, & emolumentis carnalibus: quàm dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causam habeas ruinarum. Nouit enim vnusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus ac sæpe tentetur, melius est enim vitam solitariã ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria vitam æternam perdere. Orig. Vel sacerdotes rationabiliter possunt dici ecclesiæ oculus, quoniam speculatores habentur, Diaconi autem cæterique, manus: quia per eos opera spiritualia geruntur, populus autem, sunt pedes corporis ecclesiæ, quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum ecclesiæ facti fuerint. Vel actus animę peccans manus intelligitur, & incessus animę, peccans pes: & visus animę, peccans oculus: quos oportet pręcidere, si scandalũ prębent. Frequenter ipsa opera membrorum, pro membris in scriptura ponuntur. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, &c.* Hiero. Supra dixerat dominus per manum & pedem & oculum, omnes propinquitates & necessitudines quę scandalum facere poterant, amputandas, austeritatem itaq; sententię subiecto pręcepto temperauit, dicens: *videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Ac si dicat, Quantum in vobis est, nolite contemnere, sed post vestram salutem etiam illorum quęrite sanitatem. Si autem perseuerantes in peccatis videritis, melius est vos saluos fieri, quam perire cum multis. Chrys. Vel aliter, Sicut fugere malos, ita honorare bonos magnum habet lucrum. Suprà ergo docuit scandalizãtium abscindere amicitias: hìc autem docet exhibere sanctis honorem & procurationem. Glo. Vel aliter, Quia tantum malum prouenit ex scandalizatis fratribus, videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Orig. Pusilli autem sunt, qui nuper Christo sunt nati, aut tales qui permanent sine profectu, quasi nuper nati. Non autẽ habuit necesse mandare Christus de perfectioribus fidelibus nõ contemnendis, sed pusillis: sicut & suprà dixerat, *Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis istis.* Alius autem fortè dicit pusillum, hic dicit perfectum, secundum quod alibi ait, Qui minimus fuerit in vobis, hic erit maior. Chrysost. Vel quia perfecti paruuli apud multos ęstimantur, scilicet, pauperes & contemptibiles. Origen. Sed huic expositioni non videtur conuenire quod dicitur, *si quis scandalizauerit vnum de pusil. &c.* Perfectus enim non scandalizatur, nec perit. Sed qui hanc expositionem ęstimat veram, dicit quòd iusti hominis anima vertibilis est, quòd scandalizatur aliquando, etsi non facilè. Glo. Ideo autem non sunt contẽnendi, quia adeo chari sunt Deo, quòd angeli sunt eis ad custodiam deputati. Vnde sequitur: *Dico enim vobis, quia, &c.* Orig. Quidam volunt ex eo dari hominibus angelum adiutorem, ex quo per lauacrum regenerationis nati sunt infantes in Christo, dicentes non esse credibile incredulis & errantibus præesse angelum sanctũ, sed tempore infidelitatis & peccatorum est homo sub angelis satanæ. Alij autem volunt mox cùm quis fuerit natus, eorum qui pręcogniti sunt à Deo accipere sibi præpositum angelum. Hier. Magna enim dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. Chry. Hic autem non de quibuscunque angelis loquitur: sed de superioribus. Cùm enim dicat: *Vidẽt faciẽ patris mei,* nihil aliud ostendit quàm magis liberam præsentiam & maiorem eorum apud Deum. Greg. in hom. Dionysius autem dicit quòd ex minoribus angelorum agminibus ad explendum ministerium vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur: nam superiora illa agmina vsum exterioris ministerij nequaquã habent. Grego. 2. Mora. Et faciem ergo patris angeli semper vident, & tamẽ ad nos veniunt: quia & ad nos speciali præsentia foras exeunt, & tamẽ ibi se vnde recesserant per internam contemplationem seruant. Neque enim sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur. Hierony. Saluandorum igitur per Christũ orationes angeli Deo quotidie offerũt: ergo periculosè ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deũ angelorum famulatu ac ministerio prouehuntur. Aug. vlti. de ciuita. Dei: Vel angeli nostri dicuntur, qui sunt angeli Dei. Dei sunt, quia Deum non reliquerunt: nostri sunt: quia suos ciues nos habere cœperunt. Sicut ergo nunc illi vidẽt Deum, ita & nos sumus visuri facie ad faciem: de qua visione dicit Ioannes: Videbimus eum sicuti est. Facies enim Dei manifestatio eius intelligenda est: non aliquod tale membrum quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus.

ORIGENIS PRESBYT.

de eodem Euang. Homil.

CVm posset Matthæus nostræ eruditionis causa, hoc solum exponere, quid accedentes discipuli Iesu interrogauerunt eum, & quomodo ad interrogationem eorum respondit: addidit secundum quædam quidem exemplaria, *In illa hora accedentes discipuli Iesu*: secundum alia autem, *In illa die.* Et necesse est vt non indiscussam voluntatem relinquamus euangelistæ, Propter quod exponentes in primis quod ait, *in illa hora,* *Est Homil. in Matt.*

vel

vel, *in illa die*, videamus, si necessaria est adiectio ista diei, vel horæ. Venerunt enim in Capharnaũ Iesus cum discipulis suis, vbi & didrachma exigentes accesserunt ad Petrum, & interrogantes dixerunt, Magister vester non soluit didrachma? Ita Petro respondente ad eos, etiam, faciens verbum de didrachmis Iesus, misit Petrum cum hamo comprehendere piscem, in cuius ore dicebat inueniendum esse staterem, vt daret pro se & Petro. Ego arbitror, quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum à Christo collatum, quasi per hoc iudicasset eum cæteris discipulis meliorem: cupiebant quod suspicabantur, caute cognoscere. Simul autem sperabant quòd & causam ipsam reuelationis interrogantibus indicaret. Hoc ergo ostendere volens Matthæus, adiicit propter illud quod ait, Hunc accipiens da propter me & te: *In illa die, vel hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Quis putas maior est in regno cælorum?* Forsitam autẽ & dubitabant etiam propter illud quod superius tres discipuli magis erãt dignificati assumpti in montẽ cũ ipso, vt viderent trãsfigurationẽ gloriæ eius. Dubitabãt autẽ quis de tribus illis melior iudicatus esset à Christo. Distrahebatur autem æstimatio sensus eorum, per varias causas. Interdum quidem Ioannem forsitam meliorem putabant esse, eo quod recubuerat super pectus saluatoris in cœna, & secreta consilia ei præ cæteris fuerant declarata. Interdum autem arbitrabantur Petrum maiorem in regno cælorum, vel propter staterem hunc, qui datus est pro Christo, & Petro, vel propter illud, quod Petrus dixit ad Iesum præ cæteris, Tu es Christus filius Dei viui: & Christus ad eum, Beatus es, Simon Bar-iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis: & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferorum non præualebunt ei, & cætera. Iterum autem forsitam eorum reuocabatur opinio propterea quod dixerat Christus ad Petrum, quod aliis non dixerat discipulis, vade post me, Satana, scandalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominũ: ne forte non esset maior Petrus, sed vnus ex filiis Zebedæi. Hæc diximus, propterea quod ait, *in illa die*, vel *hora*, quando de statere sermo fuerat factus; Post hoc autem videamus quod ait, *Et accesserunt discipuli ad Iesum* quasi discipuli ad magistrum proponentes interrogationem, *quis esset maior*. In his autem imitatores discipulorum Christi esse debemus, siquãdo aliquid in nobis quasi dubium quęritur, & non inuenitur, vt cum omni consensu accedamus ad Iesum semper præceptorem vbicumque duo, vel tres in nomine eius fuerint congregati, qui potens est illuminare corda omnium, qui ex toto corde discere volunt ab eo, ad intelligendum solutionem omnium quæstionum. Non est autem absurdum, vt secundum Christi exemplum interrogemus aliquem eorum doctorum, qui prępositi habentur in ecclesiis. Quid ergo iam sciebant discipuli secundum hanc interrogationem, quid autem adhuc ignorabant, videamus. Nam quod non est æqualitas sanctorum in regno cęlesti, sciebant, & quia cum non sit æqualitas, est aliquis maior, & minor: sed quomodo maior: & qualiter viuens minimus, hoc discere cupiebant, Nisi forte cautius est dicendum, quoniam quis esset quidem minimus sciebant ex eo, quod alibi docuerat ipse: si quis soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cęlorum. Et quis esset maior sciebant ex eo quod ait, Si quis fecerit, & sic docuerit, hic magnus vocabitur. Sed ex multis magnis quis esset maior, hoc eis non erat manifestum. Et quod multi quidem sunt magni, non autem æqualiter magni, indicat nomen magni positum in persona Isaac, qui proficiens magnus fiebat, donec efficeretur magnus valde valde. Scriptum est autem id ipsum etiam in Moyse, & in Ioanne Baptista, & ipso etiã saluatore. Et omnibus constat, quoniam & si omnes hi magni fuerunt secundum scripturas, tamẽ maior eis erat saluator. Ex eo ergo, quod est propositum in Isaac, donec fieret magnus valde valdę non simpliciter, sed cum additamento duplici valde valde, cognoscere possumus quoniam differentię sunt magnorum: & alius quidem est magnus, alius autem magnus valde valde. Ergo discipuli quidem quęsierunt quis esset maior: ipse autem pleniorem facit sermonem, demonstrans eis etiam quomodo quis actibus maior efficiatur in regno cęlorum, sicut subsequens sermo demonstrat dicens, *Et vocans Iesus puerum: statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis vt efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste hic erit maior in regno cælorum. Et qui acceperit puerum talem in nomine meo, me accipit.* Primũ simpliciter exponamus propositum verbi: hoc est si quis vir constitutus vsque eo mortificauerit viriles concupiscentias suas in spiritu mortificans corporales actus, & semper mortem Iesu circumferẽs in corpore suo, vt puer qui muliebria nondum reorauit, nec sensit motus viriles: iste talis conuersus factus est sicut puer. Et quanto amplius appropinquauerit pueris, recedens ab huiusmodi motibus, tanto amplius cæteris conuertentibus, & ad perfectum conuersionis ascendere non valentibus maior habetur. Quod autem propter muliebres passiones dictum de paruulis est, hoc ipsum dicere conuenit & in cæteris passionibus & languoribus, & cæteris infirmitatibus animæ; in quas omnes pueri non incurrunt prius quam incipiant absolutum proferre sermonem: vtputa, vt conuersus quis fiat sicut paruulus puer in ira, cum vir: & sicut est paruulus puer ad tristitiam qui interdum in tempore mortui patris, vel matris, vel alicuius amici ridet, & ludit: talis fiat vir habitudinem puerilem circa tristitias repellendas perfectioris animæ ratione commutans. Similiter dices circa extollentias, quibus irrationabiliter extolluntur homines, qui non sunt Dei: quas pueri non patiuntur, nec qui conuersi fuerint, sicut pueri. Et nulla pene passio cadit in pueros, antequam absolute incipiant loqui. Si autem nulla manifestum est, quod nec timor, nisi forte secundum æstimationem cæterarum passionum leuis & transitorius. Pueri enim malum timorem non patiuntur, vtputa si quis puero comminetur, ne mammam petat, vel ne ploret: terretur quidem sed timor eius stabilis non est. Si quis autem terreat puerum talem, & dicat, nisi hoc feceris, occido te, incendo te, aut simile aliquid: nunquid timet huiusmodi puer? Sicut ergo cæteræ passiones non sunt firmæ in pueris, sic neque timor. Si autẽ quis & humiliet se sicut puer: nec enim magnum aliquid sapere cadit in puerum, neque ia-

ctantia

ctantia generis, vel diuitiarum, vel aliarum rerum quæ existimantur bonæ, non autem sunt, cadit in puerum: vnde videmus quod infantes vsque ad tertium, vel ad quartum annum, licet fuerint generosi, similes se præbent pueris degeneribus, nec amplius diligunt diuites pueros quam pauperes. Si quis ergo vir habitudinem, quam habent pueri ex ætate, in se ratione susceperit, expellens ea, quæ mouent insensatos, factus est sicut puer: non se extollens in honoribus, neque efferens se in diuitiis, neque eleuans se claritudine generis, iste talis suscipiendus, & honorandus in nomine Iesu, quoniam præcipue in talibus est Iesus. Ideo dicit, *Si quis susceperit vnum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis credentibus in me, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Hoc exponere laboriosum est, secundum consequentiam prædictorum. Dicet enim aliquis: quomodo qui conuersus est, & factus est sicut puer, & humiliauit seipsum quemadmodum puer, quem statuit Iesus in medio discipulorum minimus est, & potens scandalizari, cum sit scriptum: Pax multa diligentibus legem tuam & non est illis scandalum? Vide autē si rationabiliter hoc possumus explanare. Omnis qui Iesu quasi filio Dei credit, & conuersatur secundum euangelicos actus ad viuendum recte conuersus, ambulat quemadmodum puer. Qui autem non conuertitur, vt fiat quemadmodum puer, hunc quidem impossibile est intrare in regnum cælorum. Multi enim conuertuntur vt fiant quemadmodum puer, sed non omnes, qui conuertuntur, vt fiant quemadmodum puer, iam perueniunt vsque eo, vt fiant similes pueris: sed vnusquisque tanto minus habet de similitudine puerorum, quanto longius est de habitudine puerili erga passiones carnales. In omni ergo credentium multitudine sunt quidam quasi nuper conuersi, vt fiant quemadmodum pueri. Hi propter hoc ipsum quod sic conuersi sunt, vt fiant quasi pueri, nondum autem sunt facti, sed videntur nuper esse conuersi, pusilli habentur in Christo, & paruuli sunt, scandali receptores, quibus occasionem scandali non debemus præbere. Alioquin qui scandalizauerit vnum de pusillis, quos Christus ostendit credentibus in se, expedit ei quasi vtile ad medelam peccati, vt suspendatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. Sic enim reddens dignā vindictam in mari, vbi & draco habetur, quem formauit Deus ad illudendū ei, & sic quod expedit passus, qui punitus est, postea erit extra dolores, qui sunt in profundo maris, quos pertulit tractus ab asinaria mola. Sunt autem & molarum differentiæ, vt sint quædam earum (vt sic appellem) humanæ, aliæ autem asinariæ. Et humana quidem est illa, de qua scriptum est, Duæ erunt molentes ad vnam molam, vna assumetur, & altera relinquetur. Asinaria autem, quæ imponitur scandalizanti vnum de pusillis in Christum credētibus, vt demergatur in profundum maris. Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum hominis mali, quod semper deorsum trahit, quod suscipiet in resurrectione vnusquisq; peccator, vt demergatur in abyssum, quæ dicitur profundum maris. Introducimus autem extra eam, quam diximus, alteram expositionē, siue dogmatis causa, siue exercitationis. Quærimus enim quem puerum vocans Iesus constituit in medio discipulorum: & vide si possumus puerum hunc intelligere spiritum sanctum, qui seipsum humiliauit. Hunc Iesus accepit, & posuit in medio sensus discipulorū. Vult ergo Iesus omnes nos, vt auertamur ab omnibus, & conuertamur secundum exemplum spiritus sancti, vt efficiamur sicut pueri id est Apostoli, qui & ipsi conuersi facti sunt similes spiritui sancto, qui positus erat in medio sensus eorum. Quos pueros Christo Deus pater dedit, secundum quod scriptum est in Esaia dicente, Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Deus, Et non est intrare in regnum cælorum nisi qui à rebus secularibus auersus fuerit, & similis fuerit factus pueris illis, qui spiritum sanctum in se habuerunt. Quem spiritum sanctum vocans Iesus à sua perfectione descendens ad homines quasi puerum, statuit in medio discipulorum suorum, vt vnusquisque humiliet se, nō simpliciter sicut puer, sed quemadmodum scriptum est, sicut puer iste: ita tamen vt propter Deum quis humiliet se, sicut & spiritus sanctus propter salutem hominum se humiliauit. Quoniam autem & Iesus, & spiritus sanctus à patre missi sunt in hunc mūdum propter salutem hominum, manifestum est apud Esaiam prophetam ex persona saluatoris ipsius dicentem; Et nunc dominus me misit, & spiritum suum. Quoniam autem in Græco spiritus sanctus neutri generis est, & non masculini quemadmodū apud nos, & tres casus habet similes, nominatiuum, accusatiuum, & vocatiuum, propterea transferentes in Latinum sermonem nominatiuum pro accusatiuo casu transtulerunt, & dixerunt; Et nunc dominus misit me, & spiritus eius: cum sit verius sic esse in Græco; Et nunc dominus misit me, & spiritum sanctum. Tamen si quis violenter contra rationem veritatis defendere vult quòd ita sit dictum; Et nunc dominus misit me, & spiritus eius, sine dubio ita intelligimus filium Dei missum à spiritu sancto, quemadmodum & ductum à spiritu sancto in desertum secundum humanam naturam, quam Christus suscipiens per omnia imitatus est, vt etiam à spiritu sancto agatur, quemadmodum omnes homines Dei. Maior ergo est in regno cælorum qui se humiliauerit præ omnibus humiliantibus se, secundum imitationem illius pueri: & multi sunt qui nolunt se humiliare sicut puer ille, sed qui præ omnibus factus fuerit propinquior puero illi, ille erit omnibus maior. Debemus ergo suscipere puerum talem in nomine Iesu, quoniam in eo habitat Iesus. Et quemadmodum Iesum suscipit, qui susceperit vnum puerum talem in nomine eius, sic Christum refutat, & pellit, qui non vult suscipere puerum talem in nomine Iesu, licet sit minimus, ita vt possit scandalizari propter ea quòd non plenius humilitatem imitatus est puerilem. Et conferamus euangelistarum dicta de capitulo isto, si forte manifestior fiat sensus, propter spiritum sanctum, quem diximus puerum illum intelligi posse. Et Marcus quidem dicit; Et accipiens puerum statuit in medio discipulorum, & complexus eum dixit eis, Si quis vnum puerum talem receperit in nomine meo. Lucas autem ita, Et accepit puerum & posuit eum non solum in medio eorum, sicut ait Matthęus, & Marcus, sed apud se: & dixit discipulis suis non ita, si quis acceperit vnum puerum talem

Violēta interpretatio, & caute legenda, ne in Macedonij dogma impingamus.

talem, vel vnum de talibus pueris: sed ita, si quis acceperit puerum hunc in nomine meo. Secundum Matthæum ergo & Marcum, potest quis dubitare, vtrum puerum spiritum sanctum dicat, quia sic dixerunt, Si quis acceperit vnum puerum talem. Secundum Lucam autem quis ambigit posse intelligi puerum illum spiritum sanctum, cum dicat, Si quis acceperit puerum hunc in nomine meo? Secundum Lucam ergo debemus puerum illum, id est spiritum sanctum, quem accipiens Iesus posuit, apud se suscipere in nomine Iesu. Viuit enim puer ille quasi immortalis, & debemus eum ab ipso Iesu constitutum apud Iesum suscipere in nomine Iesu: quoniam cum sit Iesus nunquam recedens à puero illo, fit apud eum, qui receperit puerum in nomine eius. Et quoniam nec pater recedit à filio, si quis receperit filium recepit apud se simul & patrem. Qui autem recepit & puerum in nomine Iesu, & Iesum in nomine patris, in omnibus minorem se præbet discipulis Christi seipsum minorans: & quanto magis se minorauerit, tanto maior efficitur ab eo, qui ei minorationis dedit mandatum. *Væh huic mundo à scandalis. Necesse est enim venire scandala. Veruntamen væh homini illi, per quem scandalum venit.* Digna est res quærere in hoc loco, quid dicit esse mundum, cui promittitur *væh*, cui omnia scandala afferunt *væh*. Intelligere autem aliquid poterimus, si congregemus scripturarum exempla, in quibus nominatur mundus. Arbitror ergo, quod non cæli, & terræ spatium secundum scripturas diuinas dicitur mundus, sed terrenus iste tantummodo locus, vel homines, qui sunt habitatores loci istius. Sic enim intelligitur illud, quod ait. In mundo enim erat verum illud lumen, id est in loco terræ nostræ quam habitamus: & mundus per ipsum factus est, id est, orbis terræ, & mundus eum non cognouit, id est, homines habitatores terræ istius. Incongruum enim est, Et mundus eum non cognouit referre ad elementa cæli, & terræ: vt dicat aliquis, quoniam sol, & luna, & stellæ, vel aqua, vel terra, vel angeli, qui sunt in vniuerso hoc mundo, lumen illud verum non cognouerunt, & non cognoscentes eum conseruauerunt ab eo sibi ordinem constitutum. Secundum hunc enim sensum intelligitur etiam illud. Et nunc honorifica me, tu pater, eo honore, quem habui, antequam mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos mihi dedisti de mundo. Et post pauca, Ego (inquit) pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi. Item post pauca, Et hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Et iam non sum in mundo, & isti in mundo sunt. Item post pauca, Et ego ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum plenum. In se ergo mundus dicitur, vel locus iste terrenus, vel homines, qui sunt in eo. Etenim mundo dedit filio homines pater, pro quibus rogat filius patrem solis, & non pro omnium hominum mundo. Nam vbi magis necessarium est, vt seruemur à patre, quam in mundo, de quo dicit Ioannes, & mundus totus positus est in maligno? Item in sequentibus, Vt mundus credat, quia tu me misisti. Ergo locus iste, & homines, qui sunt in eo dicuntur mundus, quibus væh à scandalis. Omnibus enim hominibus, quos tamen scandala vincere possunt, væh est à scandalis. Quod non procedit vt de elementis mundi intelligamus. Si autem væh est mundo à scandalis, non autem sunt discipuli Iesu de hoc mundo, sicut nec magister eorum de mundo est, nemini discipulorum Christi potest esse à scandalis væh, quoniam pax multa diligentibus nomen Dei, & non est illis scandalum. Si autem aliquis videtur quidem esse Discipulus Christi, adhuc autem est de mundo, propterea quod diligit mundum, & quæ sunt in eo, id est, aut vitam istam carnalem, aut possessiones terræ istius, aut pecunias, aut speciem qualemcunque, vt non conueniat ei, quod dictum est Discipulis Iesu, quoniam non sunt de mundo, sine dubio possidebit, quasi de mundo constitutus, væh, quod mundo accidere solet. Si ergo volumus declinare hoc væh, suscipiamus in nobis affectum Apostoli Pauli dicentis: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nemo autem amator corporalium specierum, vel iumentorum, vel aliquarum concupiscibilium rerum, vel vitæ istius carnalis, potest vere dicere: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sancti enim, qui sunt in hac habitatione, ingemiscunt corpore humilitatis grauati, & omnia faciunt, vt digni efficiantur in illo resurrectionis mysterio inueniri, quando transformabit Deus corpus humilitatis non omnium, sed tantum discipulorum fidelium Christi, vt fiat conforme corporis gloriæ Christi. Sicut ergo nihil eorum, ex quibus væh contingere solet, contingit discipulo Christi: nam & si mille sint scandala, non tangunt eum, qui non fuerit de hoc mundo: sic qui receptor fuerit factus scandali, aut propter inconstantiam fidei suæ, aut quia non ex toto corde consentit salutaribus Christi mandatis, vt iam non videatur discipulus Christi, tanta scandala comprehendent eum quantis fuerit obligatus in mundo. Necesse est enim venire scandala. Aliud enim sunt ipsa scandala, aliud autem homines, per quos veniunt scandala. Ergo venientia scandala sunt angeli satanæ, & malignus chorus dæmoniorum, qui quærunt organa digna, per quos operentur: & plerunque quidem inueniunt, qui omnino extranei sunt à cultura Dei: interdum autem & eos, qui videntur fideles: quibus maius væh, per quos contigit, quàm mundo, cui contingit. Nam multo peius erit, qui scandalizat, quam qui scandalizatur: si quidem verum est esse differentiam tormentorum, secundum illud quod ait: Remissius erit Tyro, & Sidoni, quam ciuitatibus, in quibus fecit virtutes, & correctæ non sunt. Si enim væh mundo à scandalis, ei quidem, qui scandalizatur iuste est væh: quia miscens se mundo, voluntarie receptor scandali factus est. Ei autem grauius erit væh, per quem scandalum venit, quoniam præbuit se spiritibus immundis scandalizantibus ministrum ad scandalizandum homines infirmos, & mundiales. Si autem hæc diligenter intelligeremus, quæ dicuntur: Væh, per quem veniunt scandala, & qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt alligetur mola asinaria collo eius, & demergatur in profundum maris: quoniam sic vindicat Deus eos, qui scandalizati fuerint ab eis, qui scandalizauerunt, & quæ intelligeremus, timeremus: nunquam peccaremus in fratres, nec percuteremus conscientias eorum infirmas, pro quibus Christus mortuus est, propter quos quasi in Christum peccantes subibimus pœnas, cum requisitæ fuerint animæ, quæ propter nos

perierunt ex nobis. Deinde videamus quomodo intelligere debeamus quod ait: *Necesse est vt veniāt scandala.* Similiter enim exponit etiam Lucas dicens: Impossibile est vt non veniant scandala. Et sicut necesse est mortalem mori, & impossibile est, vt non moriatur: & sicut necesse est manducare hominem in corpore constitutum, & impossibile est, vt sine esca, qui corporalis est, viuat: sic necesse est venire scandala, & impossibile est, vt non veniant. Et vide, si potes accipere ad exemplum malitiam, quæ est in cælestibus, necessarie copulatam esse virtutibus. Impossibile est enim inueniri hominem omnino sine peccato, & absq; peccato suscipere posse virtutes: quia nec potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. Sicut ergo necesse est sustinere malitiam cælestium, & impossibile est eam non sustinere: sic necesse est venire scandala, & impossibile est, vt non veniant. Maxime si intellexeris malitiam malignarum virtutum principalem esse malitiæ isti, quæ in hominibus est, & semper quærentem organa quędam, per quæ operetur aduersus homines mundi. Forsitan autem & irritantur malignæ virtutes, quanto magis verbum Christi in hominibus inualescens expellit ab eis malignas virtutes, quæ prius consueuerant habitare in animis eorum: & dæmones, qui delectabantur in sanguine sacrificiorum, irascuntur, dum eorum cultura minuitur, nec offerūtur eis sacrificia consueta: ideo scandala venire necesse est. Et scandala quidem ipsa venire necesse est, non tamen per illum nescio quem venire necesse est: propter quod ei, per quem venerint, erit væh, quoniam dedit locum malignæ operationi in se volenti scandalizare. Ne putes in natura aliqua, vel in substantia esse scandala, quæ homines querunt, per quos operantur. Sicut enim Deus mortem non fecit, sic nec scandala creauit, sed libertas proprij arbitrij in quibusdam genuit scandalum nolens pro virtute suscipere laborem. *Quod si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, excide eum, &c.* Docet nos per parabolam sermo: quoniam nec proximis nostris, nec adhærentibus nobis debemus parcere scandalizantibus. Superius cùm dixisset: Antiquis dictum est, non adulterabis: ego autem dico, si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Post hæc verba statim subiunxit: Si dexter oculus tuus, vel manus scandalizauerit te, ostēdens quoniam de illis membris scandalizantibus loquebatur, quæ sunt intra nos. Propterea voluntates animæ exposuimus ibi esse scādalizantia membra. Hic autē cùm dixisset: *Væh mundo à scandalis, necesse est enim venire scandala, sed væh per quem veniunt*, videlicet hominem, statim subiungit: *Si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizauerit te*: ostendens quoniam non de membris scandalizantibus, quę sunt intra nos, loquitur, sed de hominibus, qui sunt extra nos, pertinentes ad nos, ita vt manus, aut pedes, aut oculi existimētur gratia charitatis coniuncti. Et vere quędam scandala ex nobis ipsis nascuntur, sicut ait Iacobus in epistola sua: Deus neminem tentat, sed vnusquisque tentatur in concupiscentiis suis. Quędam extrinsecus veniunt, vel ab extraneis, vel à proximis, de quibus pręsens loquitur sermo. Et bonum quidē erat, vt laudabilis esset & oculus, & manus, vt ne possit iuste dicere oculus manui, necessaria mihi non es. Si autem aliquis ex toto Ecclesiæ corpore videatur manus propter aliquem actum, conuersus autem factus fuerit scandalizans, oculus dicat huiusmodi manui, necessaria mihi non es, & dicens, pręcidat eam, & pellat à se: Sic bonum est, vt sit & caput beatū, & pedes tali capite digni, vt ne possit caput iuste dicere pedibus, necessarij mihi non estis. Si autem aliquis fuerit in Ecclesia pes, scandalum faciens corpori vniuerso, dicat caput huiusmodi pedi, necessarius mihi non es, & pręcidēs repellat eum à se. Melius est enim, vt residuū corpus intret in vitā sine mēbro scandalizante, quā totum corpus Ecclesiæ morbo scādali per omnes currente mittatur in gehēnā. Sic bonū quidē erat, vt & ille, qui factus est oculus, dign⁹ esset capite Christo, & toto ecclesiastico corpore. Si autē cōuersus oculus ille factus fuerit scandalum corpori vniuerso, eiiciatur oculus scandalizans, & extra omne corpus expellatur, vt sine illo oculo residuum corpus saluetur, quam cum illo oculo debilitato totam ecclesiam mittat in gehennam intenebratam videlicet per oculum malum. Christum autem ecclesię caput esse, non ego, sed Apostolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter possunt dici ecclesię oculus, quoniam & speculatores habentur: Diaconi autem; cęterique ministri manus, quoniam per eos opera spiritalia vniuersa geruntur. Populum autem esse pedes ecclesię: quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum ecclesię fuerint facti. Possumus autem hoc textu vti etiam de domesticis nostris, & quasi membris ita nobis dilectione coniunctis: siue de parētibus, siue amicis quadam familiaritate dilectis, quibus parcere non oportet animę nostrę nocentibus. Præcidamus ergo à nobis quasi manum, vel pedem, vel oculum, patrem, aut matrem volentes nos agere contraria pietati, aut filium, vel filiam, qui quorum ad se faciunt nos recedere ab ecclesia Dei, & à Christi dilectione. Sed & si vnut gremij nostri, vel amici vnanimes, facti fuerint, scandala nobis præcidamus eos ab anima nostra, quasi non amicos, sed aduersarios nostræ salutis. Qui enim non oderit patrem, & matrem, & cætera quando tempus fuerit eos odire quasi aduersarios, & insidiatores, vt Christum lucretur, hic non est dignus filio Dei, & istis est dicere, quoniam claudus saluator, qui perdiderit pedem, id est, fratrem, & solus hæreditans regnum Dei saluatur. Et sicut sine manu quis saluatur perdens patrem, vel matrem vt illis pereuntibus, solus saluetur: sic & sine oculo quis saluatur, præcidens oculum suum à se, id est coniugem fornicantem, vt ne cum tali oculo duos oculos habens intret in ignem. Potest autem & sic intelligi, vt actus animæ peccans, manus intelligatur: & incessus animæ peccans, pes: & visus, animæ peccās, oculus, quos oportet præcidere, si scandalum faciunt. Frequenter enim ipsa opera membrorum pro membris in scriptura ponuntur: quale est illud, Et tuli manus meas ad mandata tua. Non ipsas manus, sed opera manuum tollimus ad mandata Dei, quando facimus opera digna Deo. Et, Ad te leuaui oculos meos. Non oculos istos, sed mentem, quæ per oculos videt. Item, Conuerti pedes meos in testimonia tua. Non pedes, sed motus animæ conuertuntur ad testimonia Dei, quando cœperimus velle conuersari secundum Deum. Quos omnes, id est, vel visum, vel actum, vel incessum, oportet abscindere, si

ſe, ſi fuerint mali: vt potius ſine illis intremus in vitam non ſacientes, quod volumus, quam vt intremus in ignem, facientes proprias voluntates. Et primum quidem beata eſt res ab omni ſcandalo abſtinere, vt nulla virtus animæ comprehendatur in malo, ſed omnibus vtamur bonis. Sic enim cum duobus pedibus, & duabus manibus, & duobus oculis animæ, corporiſq; intrabimus in vitam æternam. Si autem ſuturum eſt male vtentes quadam virtute animæ perire propter illam, melius eſt præcidere, id eſt repellere vſum virtutis illius ſcandalizantis, quam vt eum reliquis virtutibus pereamus in toto. *Videte ne contemnatis vnum de puſillis iſtis. Dico enim vobis, quoniam angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt.* Primum videamus, qui ſunt puſilli, quos non oportet contemnere. Arbitror autem quoniam ſicut in corporibus differentia eſt, vt quidam eorum ſint puſilli, alij autem magni, alij vero mediocres: ſic in animabus ſunt quædam puſillæ, aliæ autem magnæ ſecundum ſpiritalem menſuram, ſecundum quam videt ſolus Deus, & iudicat. Sed in corporibus non culpa hominis, ſed propter rationes aliquas ſeminis eſt alius breuis, alius magnus, alius vero mediocris. In animabus autem ea nobis eſt eſſe aliquem vel paruum, vel magnum aut ſecundum opera, aut ſecundum fidem, aut ſecundum aliquos motus: & arbitrij noſtri eſt, ſi proficere volumus in ſtatu animæ, & fieri magni: aut non proficere, & paruuli remanere. Sic audio & Christo ſuſcipienti naturã humanam, & ſecundum naturalia incrementa creſcenti, quod ſcribitur, Ieſus autem creſcebat ſapientia & ætate, & gratia coram Deo & hominibus. Vnde conſequenter Apoſtolus ait, Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Christi. Occurrere enim in virum, & hoc perfectum, ſecundum interiorem hominem intelligendus eſt ille, qui tranſcenderit, quæ paruuli ſunt, & euacuans ea peruenerit in virum perfectum. Hoc modo intelligenda eſt eſſe menſura ſpiritalis ætatis in ſingulis animabus, per quam proficit anima vnaquæque & ex eo, quod magnificat Deum, magnificatur à Deo. Secundum hanc magnitudinem ſpiritalis ætatis, & ſpiritalium incrementorum, & Moyſes dicitur fuiſſe magnus, & Ioannes, & ipſe dominus Ieſus, de quo Gabriel proteſtatur, Et erit magnus. Puſilli autem ſunt, qui nuper in Christo ſunt nati, aut tales permanent ſine profectu, quaſi nuper nati, quibus rationabile lac neceſſarium eſt, qui adhuc carnales ſunt, ſicut ait Apoſtolus, & paruuli ſunt in Christo: nec capere poſſunt eſcam vitalem: Puſilli enim quamuis ſint hæredes, tamen quia puſilli ſunt quaſi nihil differentes à ſeruis, quandiu puſilli ſunt, ſeruitutis habent ſpiritum in timore. Qui autem per dilectionem Dei perfectam, miſerit foras timorem, iam non habet ſeruitutis ſpiritum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum in dilectione Dei. Item ſequitur puſillorum iſtorum angeli, qui præſunt eis, quando incipiunt curam eorum habere: vtrum ex quo per lauacrum regenerationis geniti ſunt in Christo, quaſi tunc naſcentes infantes, & vltra non ſubiecti cuidam aduerſariæ poteſtati: an ex tempore natiuitatis eorum carnalis, ſecundum præſcientiam Dei, & præordinationem ipſius, quos præſciuit, & prædeſtinauit, vt ſint conformes gloriæ Christi. Vides quoniam qui eantè vtrunque diſcuſſerit, illius eſt affirmare vtrum eorum ſit verum, & ad teſtimonium proferre ſcripturam vni ex duobus conſentientem. In vtraque enim parte multus quidem ſermo fieri poteſt, tamen ex multo paruum aliquid proferamus. Qui enim volũt, mox vt quis fuerit natus eorum, qui præcogniti ſunt à Deo, accipere angelum præpoſitum ſibi, vtentur Apoſtoli voce dicentis, Qui me ſegregauit ab vtero matris meæ, vt reuelaret filium ſuum in me, quaſi ex eo neceſſarium habeat angelum ſe regentem, quoniam ſegregatus eſt ſecũdum præſcientiam Dei. Item in Epiſtola Iudæ ſcriptum eſt ita, In Deo patre dilectis, & Ieſu Christo conſeruatis, & vocatis. A quo conſeruatis, niſi ab angelis, quibus traditi fuerant, vt conſeruentur, & eruantur ab omni malo, qui præcogniti, & præordinati habebantur? Item profert & illud, quod in Pſalmis eſt dictum, De ventre matris meæ tu es meus protector: vt ſit protector præcognitorum Deus per angelos, ad hoc ipſum miniſterium deputatos. Sic & illud accipiet, Suſcepiſti me de vtero matris meæ. Item, Ad te proiectus ſum ex vtero, & alia mille huiuſmodi habentia ſenſum. Qui autem vult ex eo hominibus dari angelum adiutorem, ex quo per lauacrum regenerationis facti ſunt tunc nati infantes in Christo: dicet non eſſe credibile, inſenſatis, & incredulis, & errantibus, & ſeruientibus deſiderijs varijs, & immundis in malitia & in inuidia degentibus, odibilibus, & odientibus inuicem, fornicatis, & adulteris, interdum autem & maſculorum concubitoribus, latronibus, & ebrioſis, atque rapacibus præeſſe angelum ſanctum, vt maculetur in huiuſmodi actibus hominis, cui datus eſt cuſtos. Sed eſt homo quidem in tempore infidelitatis ſuæ, & peccatorum ſuorum ex infidelitate naſcentium, ſub angelis Satanæ, & ſpiritibus malignis, & immundis dæmoniis. Cum autem ſuſceperit fidem, tunc Christus qui eſt redemptor, qui precio ſui ſanguinis eum redemit à malignis dominis, credentem in Deum tradit cũ angelo ſancto, & propter munditiam ſemper videnti faciem patris. Secundum ea quæ ſumus interpretati de puſillis diſcipulis conueniens eſt dicere: quoniam non habuit neceſſarium Christus mandare de magnis & perfectioribus fidelibus non contemnendis, ſed de puſillis, propterea non ſimpliciter dictum eſt, *Ne contemnatis vnum de iſtis omnibus diſcipulis quos videtis*: ſed ita, *vnum de puſillis iſtis*, quos cognoſcebat eſſe puſillos qui videre poterat modicitatem, & magnitudinem inuiſibilium animarum. Talia & ſuperius diximus, Si quis ſcãdalizauerit vnum de puſillis iſtis credentibus in me. Alius autem forſitan dicit puſillum hic dici perfectum, ſecundum illud quod alibi ait, Qui autem minor fuerit in omnibus vobis, hic erit maior. Qui enim humiliauerit ſe, imitator exiſtẽs illius qui ſemetipſum humiliauit pro ſalute humana in medio omnium credentium, ſiue ille apoſtolus fuerit, ſiue epiſcopus, ipſe eſt puſillus quem Christus oſtendit. Talem ſe puſillum etiam Paulus oſtendit dicens, Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc. Sed huiuſmodi expoſitioni illud quod dicitur, *Si quis ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, & cætera*, non videtur conuenire: vult illud quod dicitur ſic, Non eſt voluntas patris mei qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis:

Liberũ hominis arbitriũ.

quoniam talis pusillus qui vere perfectus est non scandalizatur, nec perit. Pax enim multa diligentibus legem Dei, & non est illis scandalū. Et quoniam non perit pusillus huiusmodi, dicere potest, Quis nos separabit à charitate Dei quæ est in Christo Iesu? & cætera. Sed qui hanc expositionem existimat veram, dicit quoniam & iusti hominis anima vertibilis est, & scandalizatur aliquando & si non facile, sicut testatur Ezechiel, dicens etiam iustum à mandatis Dei posse recedere, ita vt non imputetur ei iustitia prior. Propterea dicit, Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis: & quia non est voluntas patris mei vt pereat vnus de pusillis istis. Qualis autem expositio sit verior, & tu sicut potueris iudicabis. Post hanc parabolam sequitur de ouibus centum, & vna ex eis errante pariter & inuenta. Hanc sicut potuimus tractauimus, exponentes euangelium quod est secundum Lucam, quoniam & ille memor fuit parabolę huius. Ne ergo repetere videamur, hic prætermittentes transmittimus ad expositionem euangelij secundum Lucam, omnem volentem cognoscere quid senserimus in ista parabola.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioru Euangelij expositio.*

IN *illa die accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? & reliqua.* Non nisi reuersos in naturam puerorum introire regnum cælorum Dominus docet, id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque reuocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupauit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, nō oderunt, nō mentiūtur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum assumpta nobis & consuetudo & voluntas, cælorum iter peruium præstat. Reuertendum igitur est ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati, speciem humilitatis dominicæ circumferemus. Si qui autem in Christi nomine tales receperint, Christi recepti præmium cōsequentur. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis*: id est, qui offendiculum tentationis intulerit: *expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Tot tantæque res non ociose comparatæ sunt: & mola, & asinaria, & cum ea in mari mergendus, & hoc ei expediēs. Commune omnium sensu; quod expedit, vtile est. Quid ergo vtilitatis est, mola asinaria collo suspēsa demergi? Mors enim tam gratis proficiet ad pœnam: & nescio quomodo erit vtile, id expetere, quod vltimū sit malorum. Quid ergo sentiri oporteat, quærēdum est. Molæ opus, labor est cæcitatis: nam clausis iumentorum oculis aguntur in gyrum. Et sub asini quidem nomine, frequenter gentes cognominatas reperimus. Igitur gentes quod agunt, nesciunt: & in vitæ suæ opere detentæ, cæci laboris ignorantia continentur. Iudæis autem scientiæ iter in lege præstratum est. Qui si Christi Apostolos scandalizauerint, rectius illigata collo mola asinaria demersi in mari fuissent, id est, gentium labore depressi, in ignorantia sæculi demorarentur: quia illis tolerabilius fuerit nesciisse Christum, quàm istis prophetatum non recepisse. *Væ huic mundo ab scandalis. Necesse est enim venire scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Humilitas passionis scandalum mundo est. In hoc enim maximè ignorantia detinetur humana: quod sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum noluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quàm non recepisse Christum? Veruntamen sub hominis nuncupatione, autorem scandali huius Iudaicum populum designat, per quem omne hoc mundo periculum comparatur: vt Christum in passione abnegent, quem lex & prophetæ passibilem prædicauerunt. Ideo verò necesse esse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda. Superius autem in abscindendis manu vel pede, propinquitatum continetur nomina expositimus: atque ideo cognationem generis Israelitæ relinquendam, veluti quasdam membrorum recisione significat, quia per eum mundo scandala comparentur. *Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis, qui credunt in me.* Aptissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipuè qui verè in Domino credidissent. Pusillorum enim angeli quotidie Deum vident: quia filius hominis venit saluare quæ perdita sunt. Ergo & filius hominis saluat, & Deum angeli vident: & angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse angelos absoluta autoritas est. Saluatorum igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deum, ambitioso angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS *Episcopi in idem Euangelium, de eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cælorum, Homilia.*

SI diligenter audistis euangelicam lectionem, intelligere potestis, quæ ministris, ac sacerdotibus Dei reuerentia debeatur: vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate oportest præuenire. Ait enim Dominus percunctantibus discipulis, quis eorum in regno cælorum maior esset futurus, *statuto coram omnibus puerulo, quicunque humiliauerit se, sicut puer iste, hic maior erit in regno cælorum.* Vnde intelligimus, quòd humilitate peruenitur ad regnum: simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunque vult fraternitatem obtinere: præueniat obsequendo: sicut ait Apostolus; Honore inuicem præuenientes. Vincat eam officiis: vt possit vincere sanctitatem. Si enim te non læsit frater: obsequium meretur, vt diligas. Quia si forsitan læsit, magis obsequium meretur, vt vincas. Hæc enim nostra Christianitatis summa est: vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui enim fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cælorum peruenitur superbia, diuitiis, præfectura

Est serm. 10. *Matth. 18.* *Rom. 12.*

fectura: sed humilitate, paupertate, lenitate: Arcta autem, & angusta via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus: tanquam onustum, & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit: simul etiam vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens repercussam limine retrorsum redire cogit: Iam enim angusta est diuiti porta cœlestis: quam est camelo acus foramen exiguum: Vnde ait Dominus; facilius est camelũ per foramen acus transire: quam diuitem in regnum cœlorum. Sicut enim camelum animal tortuosum, atque deforme exigua acus cauerna præterire non patitur: ita & diuitẽ auarum, atque mendacem arta cœli ianua minime intrare permittit. Nam ideo nudi in seculo nascimur: nudi etiam accedimus ad lauacrum: vt nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus: Quia autem incongruum, & absurdum est: vt, quem nudum mater genuit, nudum suscepit ecclesia, diues intrare velit in cœlũ. Propterea adulescenti illi diuiti in Euangelio à saluatore dicitur, qui sibi iustus videbatur, & sanctus, & omnia legis mãdata complesse; si vis perfectus esse, vende omnia tua, & da pauperibus. Vsque adeo enim nuda virtus apta cœlo est: vt quamuis iustus, quamuis sanctus aurum, vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adulescentem illum dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerit de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit. Denique post peccatum nuditatem suam videns, foliis pudenda contexit. Prius enim quam peccaret, honestatis erat colore vestitus: atque ideo nuditatem inhonestam, non natura instituit: sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti Angeli in splendidissimo habitu constituti, non quòd tunicis operiuntur, & palliis, sed cum sit in illis Natiuitatis suæ nuda substantia, vestiri videtur esse, quod sancti sunt: sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatẽ, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus: Nihil prauum respiciebant eius oculi: non cor eius turpe aliquid cogitabat; erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio concupiscens vestibus non arcetur. Ita apud sanctos viros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate non trahitur: sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia; ita religiosis ad castimoniam operta sunt vniuersa. Quod autem ait Euangelica lectio; *qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius: & mergatur in profundum maris*: pusillus hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit. Sicut Apostulus ait; Malitia paruuli estote: vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti, nisi clerici idonei, & monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur his irreuerens, aut contumeliosus extiterit, hac velut pœna plectetur: vt informi saxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare, sed videamus, cur scandalizantibus Christianis ista pœna data sit: aut quid sibi velit ipsa sententia: puto enim illã aliquid mysterium continere. Quasi verò non sufficeret in mare homini demergendo, saxum qualecunque. Nõ magnum, aut enorme, sed molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum: vt eum periuuro homine, pereat res vsui necessaria, sed puto, homo magis esse, quod in scripturis asini figura populus gentilium nuncupatur: qui clausis oculis, circa ignorantiæ molam erroris sui gyro pertrahitur: & in illa cursus directione vestigiis sæpe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus, quamdiu imperitiæ suæ labore versatur? Naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum Dei mulat, Deum cœli quærat: sed opertæ mentis cæcitate suffusus, vt vultus animi erigere ad Deum, cordis oculus leuare non possit ad cœlum. Sed, quoniam mola asinaria saxum esse constat: videamus & si paganorum talis est mola. Talis planè est. Saxi enim mola est Paganorum Iupiter, Herculesq; lapideus circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcus inquam dixerim eorum oculos, qui putant se videre, quod nõ vident. Aspicientes enim saxum Deum se videre confingunt. Attamen, qui molam voluit: consummandi aliquem finem operis habet: exeundi spẽ gerit laboris. Cui verò mola asinaria ad collum suspenditur, portat lapidem, qui portare iugum Domini recusauit. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum, quem non videt, nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat: nec in metallo, aut saxo cognoscitur. Hic ergo gentilis populus cum persecutionem Christiano intulerit: hac pœna plectetur: vt cum sua sacrilega mola iudicãdi sæculi fluctibus demergatur.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Quod sæpe mõnui, etiam nunc obseruãdum est. Causæ quærendæ sunt singulorum Domini dictorum atque factorum. Post inuentum staterem, post tributa reddita: quid sibi vult Apostolorum repẽtina interrogatio? In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Quia viderant pro Petro & domino idem tributum redditum: ex æqualitate pretij, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatũ: qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant; quis maior sit in regno cœlorum? Vidénsq; Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens: vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare. *Et aduocans Iesus paruulum, statuit, &c.* Vel simpliciter quemlibet paruulum: vt ætate quæreret, & similitudinem innocentiæ demonstraret. Vel certe paruulum statuit in medio eorum seipsum: qui non ministrari, sed ministrare venerat: vt eis humilitatis tribueret exemplum. Alij paruulum interpretantur spiritum sanctum: quem posuerit in cordibus discipulorum, vt superbiam in humilitatẽ mutaret. *Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut par. &c.* Non præcipitur Apostolis: vt ætatem habeant paruulorum, sed vt innocentiam: & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam: vt malitia, non sapientia paruuli sint. *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste: hic est maior in regno cælorum.* Sicut iste paruulus, cuius vobis exemplum tribuo: nõ per-

seuerat in iracundia: non læsus meminit: non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat, & aliud loquitur: sic & vos nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis regna cælorum intrare. Siue aliter: Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Qui imitatus fuerit me & se in exemplum mei humiliauerit: vt tantum se deiiciat, quantum ego deieci, formam serui accipiens: hic intrabit in regnum cęlorum. *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Qui talis fuerit vt Christi imitetur humilitatem & innocentiam, in eo Christus suscipitur. Et prudenter, ne cum delatum fuerit apostolis, se putent honoratos, adiecit: non illos sui merito, sed magistri honore suscipiendos. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, &c.* Nota quod qui scandalizatur, paruulus est: maiores enim scandala non recipiunt. *Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius: & demergatur in profundum maris.* Quamquam hæc generalis possit esse sententia aduersus omnes qui aliquem scandalizant: tamen iuxta consequentiam sermonis, etiam contra apostolos dictum intelligi potest: qui interrogando quis maior esset in regno cælorum: videbantur inter se de dignitate contendere: & si in hoc vitio permansissent poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere: dum apostolos viderēt inter se de honore pugnare. Quod autem dixit: Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius: Secundum ritum prouinciæ loquitur: quo maiorum criminum ista apud veteres Iudæos pœna fuerit, vt in profundum ligato saxo demergerentur. Expedit autem ei: quia multo melius est pro culpa breuem recipere pœnam, quam ęternis seruari cruciatibus. Non enim vindicabit domi-

Naum. 1. nus his in idipsum. *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala. Verumtamen væ homini per quem scandalum venit.* Non quod necesse sit venire scandala: alioquin sine culpa essent qui scandalum faciunt, sed cum necesse sit in isto mundo fieri scandala, vnusquisque suo vitio scandalis patet. Simúlque per generalem sententiam percutitur Iudas, qui proditioni animum præparauerat. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te: abscide eum, & proiice abs te, Bonum est tibi ad vitam ingredi, &c.* Necesse est quidem venire scandala: Væ tamen ei est homini: qui quod necesse est vt fiat in mundo, vitio suo facit vt per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur: ne per occasionem pietatis vnusquisque credētium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus: & est vtilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest à regno cælorum, amori domini præponatur. Nouit vnusquisque credentium, quid sibi noceat: vel in quo sollicitetur animus ac sæpe tētetur. Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria, æternam vitam perdere. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis: quia angeli, &c.* Supra dixerat per manum, & pedem, & oculum omnes propinquitates & necessitudines quæ scandalum facere poterant amputandas: austeritatem itaque sententiæ, subiecto præcepto temperat, dicens: Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio seueritatem, vt commisceri clementiam doceam. Quantum in vobis est, nolite contemnere: sed per vestram salutem etiam illorū quærite sanitatem. Sin autem perseuerātes in peccatis videritis & vitiis seruientes: melius est solos saluos fieri quam perire cum pluribus. Quia angeli eorū in cęlis vident semper faciem patris. Magna dignitas animarum: vt vnaquęque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. Vnde legimus in Apocalypsi Ioānis: Angelo Ephesi, Thyatiræ, & ange- Apoc. 2. & 3.
lo Philadelphię, & angelo quatuor reliquarum ecclesiarum scribe hęc. Apostolus quoque pręcipit velari capita in ecclesiis fœminarum propter 1. Cor. 11.
angelos.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia 1.

IN illa hora adierunt discipuli Iesum, dicentes; Quis Ex Hom. 59.
putas maior est in regno cælorum? Humanum quid in Matth.
passi discipuli sunt, quod Euangelista quoque significāuit, dicens; *In illa hora,* quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam, quum ex Iacobo, & Ioāne alter primogenitus esset, nihil tamen tale pro ipsis fecisse videtur: veriti autē turbationem profiteri suam, non apertè Petrū præponi sibi, sed confusè, *Quis ergo maior est,* interrogarunt. Quando tres illos præferri conspexerunt, nihil tale passi sunt: quum verò ad vnum delatus est honor, tunc mirum doluerunt: quamuis non ex hac re solùm, sed ex aliis quoque multis inflammati fuerunt. Tum quia dixit illi; Dabo tibi claues regni cælorum: tum quia; Beatus es, Simon Bar-Iona: tum etiam hîc; Da eis pro me, & te: tum denique, quia liberius eum multò Christo colloqui conspiciebant. Quòd si non interrogasse, sed secum id cogitasse Marcus scribit, non sunt opposita profectò hęc, sed valde inter se consonant: nec semel, sed bis, ac tertiò hæc eos cogitasse crediderim, & tunc demum interrogasse. Tu vero non solummodo crimen considera, sed illud quoque tecum verte primum, quod nulla eis de rebus huius seculi quæstio est: deinde quod postea, hac quoque turbatione superata, alteri alteris in primatu cedebāt. Nos verò neque ad hos quidem defectus eorum deuenire possumus, nec quis futurus sit maior in regno cælorum, sed quis in terris maior sit, quis ditior, quis potentior quærimus. Quid autem Christus? Reuelat arcana eorum, nec simpliciter ad verba, sed ad passionem respondet. *Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorū, &c.* Curiose, inquit, scrutamini vos, quis vestrum maior sit, & de primatus honore contenditis: ego autem, si quis humiliorem se cæteris non effecerit, ipso ingressu cælesti omnino indignum assero. Rectè autem ante oculos mōstratione paruuli totam rem posuit, ipso actu eos conuertens, ac persuadens, vt absque simulatione aliqua humilitatē āplectātur. Paruuli autem nō inuidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem nouerunt

neruut. Non ergo fortitudine tantùm, ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, & simplicitate nobis opus est: quę si non adest, salus nostra certè claudicat. Paruuli enim nec, si contumeliantur, aut verberantur, afficiuntur odio: nec si laudantur, & honorãtur, ulla commouentur arrogantia. Vides quomodo rursus ad hæc nos prouocat, vt ostendat posse nos voluntatem istam nancisci, & perniciosam Manichæorum rabiem acuto concidit gladio. Si enim natura per se mala est, cuius gratia philosophandi exempla inde trahit? Paruulum autem ætate, & quidem mea sententia, valde paruulum qui ab omnibus esset passionibus liber, in medio statuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni liuoris insania, omni contentionis cupiditate, cæterisque huiusmodi immunis est. Quúmque præcipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet, ac humilitatis, de nulla istarum superbit, ita duplici philosophia ornatur. Nam & hæc bona possidet, & nihil sibi præter hæc arrogat, his de causis in medio paruulum statuit: nec sermonis finem hîc fecit, sed vlterius admonitionem producit, dicens: *Et quicunque susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscepit.* Non enim solum, inquit, magna erit merces vestra, si tales effieiemini, verumetiam, si alios propter me honorabitis, propter vestrum erga illos honorem regnum vobis retribuetur, quódque omnium extremum est, meipsum suscipietis. Ita vehementer humilitate, & moribus, qui procul ab omni simulatione absint, afficior. Paruulos quidem hic simplices homines, atque humiles, quos multi spernunt, appellauit: hunc autem sermonem non præmiis solùm in animum penetrare facit, verumetiam terrore pœnarum corroborat, dicens: *Qui autem scandalizauerit vnum de paruulis istis, &c.* Nam quemadmodum, qui hos paruulos propter me honorant, cælum possidebunt, inquit, imò verò cælo quoque ipso maius aliquid, atque præstantius: sic & qui despiciunt, atque vituperant, hoc enim scandalizare hic significat, maximo plectuntur supplicio. Nec mireris, si scandali vocabulo, contumeliam, & vituperationem intellexit, quum multi propter pusillanimitatẽ non parum, si contempti vituperatique sint, scandalizantur. Detrimentum autem quod huius criminis causa homines inuadet acerba supplicia, & ab iis, quæ nobis notissima sunt, præ oculis posuit. Nam, quum rudiores commouere summopere velit, sensibilioribus vtitur exemplis. Quare in hoc etiam loco atrocitatem punitionis exprimens, qua contemptores paruulorum possit commouere, sensibilem pęnam molæ, ac submersionis in medium attulit. Et quamuis secundum rerum consequentiam, qui non susceperit vnum horum paruulorum, non suscipiet me, dici conueniebat, quæ res omne punitionis genus excedit: tamen, quia nec rudes, atque insensatos, nec inuidos multum id mouere potest, molam potius, & submersionem posuit: nec dixit molam collo eius suspensum iri, sed expediet huiusmodi, si hoc patietur: vt ostẽdat grauius quoddam, atq; acerbius malum istum expectare. Quòd si hoc intolerabile iure videtur, quanto magis illud? Ita vtrinque terribilem in tẽtationem effecit, consolationem quidem exempli notissimi ante oculos adducens, excessum verò multo maiorem hac illos cogitare compellens. Vides quomodo

Eadem ferè à maioribus confirmata sententia ... rationibus confutatur.

radicitus arrogantię tumorem euulsit? quomodo edocuit nulla in re primatus dignitatem expetendam? quomodo animos primatus honorem desiderantium induxit, vt vbique, ac semper in vltimo se velint ordine collocare? Nihil certè arrogantia, atque superbia peius, quę mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiiciat, vt amentes ex prudentia, ac animo stolidos efficere videatur. Nam, quemadmodum, si quis cùm statura tricubitali sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ eius quęremus. Sic, quum inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemníque opinetur, si cęteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosior iis est, qui natura insaniunt, quantò ipse sponte hunc sibi morbum iniecit: nec hac re solùm miser, verumetiam: quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quãdo enim is peccata sua, vt oportet, cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certè quasi vile mancipium, & miserum, captiuum diabolus eum abducit, agitátq; verberibus, & mille contumeliis, quocũque velit. Nam in tãtam amentiam plerunq; impelluntur, vt persuadeat aduersus liberos, ac vxores præ tumore insolescere, atque etiam aduersus suos maiores. Nonnullos autem maiorum excellentia inflari nimium facit. Ita contrariis causis febricitant. Nam alij quoniam parentes, auos, proauos humiles ipsi habuerunt, alij quoniam claros, & nobiles, efferuntur: quomodo igitur quispiam vtriusque poterit tumorem deprimere? Si ad alteros scilicet dixerit: tu, qui magna de nobilitate maiorum te iactas, vltra proauos, atque atauos tuos si progredieris, inuenies multos è genere tuo agasones forsan, aut caupones fuisse: ad alteros è contrario, progrediaris tu aliquantulum vltra parentes, & inuenies multos te clariores fuisse: hoc enim cursu genus ferè humanum etiam à scripturis comprobari potest. Salomon Rex erat, & Regis illustrissimi filius, cuius pater abiectus, atque ignobilis: maternus etiam auus adeò vilis, vt nec gregario militi filiã collocare posset: hæc ipsa si altius repetes, inuenies rursus horum vilium genus illustre, ac regium. Hoc de Saul, hoc de multis aliis dici potest. Non igitur multum hinc extollamur. Dic enim, quæso quid genus est? Nihil aliud certè quàm verbi sonitus ab omni re destitutus, quod in extremo illo die probè scietis. Verùm quoniam nondum dies illa adest, rationibus quantum in nobis situm est, nullam in genere fieri præstãtiam vobis persuadebimus. Considera igitur, quando bellum irrumpit, quando fames premit, quando cætera huiusmodi mala incumbunt, quomodo vniuersus nobilitatis huius flatus euanescit: nescit inter diuitem, & pauperem vllo modo morbus discernere gloriosum, & ingloriosum, nobilem & ignobilem non cognoscit. Mors quoque, aliæque humanarum rerum mutationes pariter omnes aggrediuntur, imò verò, quod mirabile fortassis videbitur, multò magis diuites inuadere solent. Quo enim minus ad ferendas mutationes exercitati sunt, eò magis quũ inciderint, pereunt. Timor etiã ditiores maximè terret. Nam & Principes summopere formidant, & liberos populos non minus, quàm Principes metuunt. Multas

quippe diuitum ædes modo impetuosa ira populi, modo Principis furor euertit, quorum pauper fluctuum immunis omnino est. Hac igitur nobilitate omissa, si nobilitatem tuam ostentare placet, libertatem mihi animi ostende, libertatem dico eam, quam ille vir beatus habebat, quum esset pauperrimus, à quo iterum, atque iterum Herodes audiuit; Non licet tibi fratris tui Philippi vxorem habere, quam is quoque habuit, qui ante istum, huic similis fuit, qui dicebat Achab:
3.Reg.18. Non ego, sed tu & domus patris tui Israelem peruertis. Mentis igitur nobilitatē possidere propera, quā Prophetæ, quā Apostoli omnes possidebant. Quales eorum animi, qui diuitiis seruiunt, esse non possunt: sed, quemadmodum, qui sub mille pædagogia degunt, quique à lictoribus detinentur: sic non audent extollere oculos, nec liberè quicquam dicere de virtute. Acris enim cupiditas gloriæ, ac aliarum rerum auiditas, tantū terrorem eis inferunt, vt seruiles, abiectos, adulatorésque constituant. Nihil prorsus libertatem animi sic tollit, quemadmodum secularium rerum cupiditas, & eorum, quæ videntur esse præclara. Non enim sibi viuunt, sed alteri, & mille crudelibus dominis huiusmodi homines premuntur: quos recensere placet, aliquem ex iis, qui apud Reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriæ splendor, maiorum nobilitas, ad quem vniuersa penè respiciat ciuitas. Consideremus igitur, an iste seruus omnium abiectissimus sit: quod vt facilius demonstremus, non simpliciter seruum, sed seruum serui ei conferamus. Is igitur serui seruus, & si non liberum, vnicū tamen habet dominum, ad cuius nutum omnia refert: quem si bene agendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quietè viuit. Ille verò, quem admiraris, non vnum, aut alterum, sed multos, & importunos sibi dominos conquisiuit. Dominatur enim ei primò Rex ipse. Non est autem æquale obiectum habere dominum, & Regi seruire, cuius aures multorum verbis expositæ sunt, & modo hi sibi, modo illi persuadent. Quare, quamuis nullus sibi mali conscius sit, qui Regi seruit, omnes tamen timet, tam pares quàm sibi subiectos, & tam amicos quàm inimicos: sed hic etiam, inquies, domini terrore agitatur, at non est æquale vnum, & multos timere, imò verò si quis voluerit diligentius inuestigare, multos ille, neminem hic formidat. Cur, & quo pacto? Quoniam isti nemo est, qui inuideat, quiq; velit, isto expulso, ad eandem se intrudere seruitutem. Quare fit, vt nullus inueniatur, qui sibi velit insidias tendere: multi verò sunt, qui nulli alij rei studēt, quā illū, qui proximus regi est, à statu euertere: quare omnibus adulari cogitur, maiori, æquali, amicis. Nā, vbi gloriæ cupiditas est, ibi, quia liuor vires suas exercet, nulla syncera potest amicitia inueniri: sed quemadmodum qui eodem artificio quæstum habēt, sic omnes, qui vnā rem in seculo appetunt, syncero, aut puto nequeunt amore cōiungi, vnde fit, vt bellum intus sine induciis semper geratur. Vidisti acerborum multitudinē dominorum? vis grauiores alios afferamus? omnes, qui eo minores sunt, maiores fieri diligentissimè student. Qui verò excellunt, quoniam timent, ne iste anteueniat, apertè ipsi aduersantur. Proh fidē hominum! Quid dicā? video me pollicitum fuisse dominorum horum multitudinē recensere. Oratio verò consequenter progressa magis, quàm polliciti sumus, attulit, cùm hostium ingentem aceruum, non dominorum recensuerit: imò verò & dominos, & hostes eosdem esse probauerit, quippe qui ceu domini diligenter coluntur, & ceu hostes nimium terrent, ceúque inimici occultè insidiantur. Nescio enim quid peius excogitari possit, quàm vt eosdem quispiam & dominos, & inimicos habeat. Nam serui, etsi iussa capessere coguntur, diligenti tamen cura dominorum proteguntur. Illi verò & iussa vt serui facessunt, & vt hostes impugnantur: & tantò peius quàm qui aperto prælio certant, alter in alterum insurgit, quantò occultius pungunt, quantúque personas amicorum induti quasi hostes aggrediuntur, & aliorum calamitatibus fœlicitatem sibi componunt. Nostra verò non sunt huiusmodi: sed si quis aduersa opprimitur fortuna, multi secum patiuntur, & dolent, in secundis rursus multi congratulantur, sicut Apostolus ait, Siue vnum membro- 1.Cor.12.
rum patiatur, omnia compatiuntur; siue vnum 1.Thess.2.
glorificatur, omnia membra congaudent. Et modo quidem dicebat; Quæ autem mea spes, vel lætitia est, an non vel vos? Modo autem ex multa tribulatione, & compressione cordis scripsi vobis, &c. Quis infirmatur, & ego nō infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? cuius igitur rei gratia exteriores fluctus sustinemus, nec volumus ad trāquillissimum nauigare portum? Quare nominib' omissis, res, oro, amplectamur. Gloria enim, & potentia, diuitiæ, ac nobilitas, cæteráque huiusmodi nomina sunt apud exteros nuda, apud nos res firmæ atque perpetuæ. Ecomtrà verò, mors, ignominia, cæteráque, quibus dolor, ac mœror efficitur, nuda sunt apud nos nomina, res autem apud illos verissimæ. Quod vt oculis ipsis cernas, gloriam in medium primò adducamus, quæ magna, expetendáque illis videtur. Nō dico igitur, quia breuissimi est temporis: non dico, quia citò extinguitur, sed quādo maximè floret, tunc mihi (rogo) ipsam ostende. Non auferas à scorto picturam, & fucos, sed ornatum inducas, & tunc magis deformitatem ipsius deprehēdam. Vestitum igitur expone, lictorū multitudinem, præconis vocem, populi subiectionem, silentium omnium, & quod admirantes aspiciunt. An igitur, inquies, hæc præclara non sunt? Age, perscrutemur ne sint superflua, & potius inutili quadam ac falsa opinione quàm veritate rerum comprobentur. Quid enim melius aut corporis, aut animę inde accidit, an maior statura huic erit aut sanior, aut velocior, aut acutiores, perspicacioresque sensus acquiret? Minimè. Consideremus ergo ne fortè anima quicquam lucrata sit. Num igitur modestior, aut prudentior, aut mansuetior eo cultu hominum erit? Nequaquam, imò verò contrà: non enim quemadmodum corpori nihil eueniebat, sic & animæ accidit. Sed, quod grauissimum est, non solùm nihil tum proficit anima, sed magnum insuper vitiorum cumulum attrahit: hinc enim ad arrogantiam, hinc ad inanem gloriæ dementiam, iram, milléque alias passiones impellitur. Sed gaudet, inquies, iactat, atque gloriatur. Incurabilem morbum, & malorum apicem ei attribuis. Nam, quia lætatur his rebus, non volet, nec poterit facilè liberari, cùm hac voluptate viam remedij omnino absciderit. Id igitur pestiferum penitus est, quòd non dolet,

sed

ſed lætatur magnitudine ac multitudine malorũ. Non enim ſemper lætari bonum eſt. Nam & fures furto lætantur, & adulteri matrimonij ſordibus, auarus rapina. Non ergo, ſi lætatur, ſolùm conſidera, verumetiam, ſi rectè lætatur. Animaduertendum enim eſt, ne talis lætitia eius ſit, qualis adulteri, & furis. Cur enim, dic obſecro, lætatur? Quoniam à multis honoratur, circunſpicitur, & extolli, atq; inflari poteſt? Et quid hac elatione leuius excogitari poteſt? Nam, ſi id malum non eſt, cur inanis gloriæ cupidos vituperantes, mille opprobrijs laceramus? Cur arrogantes, & aliorum hominum cõtemptores odimus? Quòd ſi rectè ab hominibus fit, quamuis mille iſti habeant lictores, accuſandi tamen iniuria non ſunt. Hæc de modeſtioribus mihi principibus dicta ſunt. Multi enim eorum maiora quàm latrones, quàm homicidæ, quàm adulteri, & ſepulchrorũ violatores plerunque committunt, cùm principatu non rectè vtantur. Nam & furantur aliena impudentius, occidũt crudelius, multò iniquius petulãtia efferuntur, nec parietem vnum, ſed innumeras domos effodiunt facilius, omnia principatus licentia peragentes. Ita durißima eſt eorum ſeruitus, quum paßionibus dediti neminem vereantur. Verè igitur liber, & ſolus princeps, ac rex regum ille eſt, qui paßionum immunis eſt. Quæ omnia intelligentes, veram libertatem amplectamur, & perniciofam virtutem fugiamus, nec principatus magnitudinem, nec diuitiarum pondus, nec aliud huiuſmodi præter virtutem beatificandum putemus: ſic enim & hic iucundè viuemus, & futura bona conſequemur, gratia, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

Ex Hom. 60. in Matth.

V*Æ mundo ab ſcandalis. Neceſſe enim eſt venire ſcandala, &c.* Sed, ſi neceſſe eſt, vt ſcandala veniant, quiſpiam opponet, cur mundum quaſi miſerum deflet, cùm manũ ei porrigere, atque opitulari potius oporteret? Hæc quippe prudentis medici, dominique prouidentißimi, illud cuiuſuis opus eſſe non iniuria poteſt: quid igitur ad eam impudentiſſimam linguam reſpondebimus? Quod licet nihil diligentiſſimæ illius curæ par excogitari queat? Cum enim Deus ſit, homo quoque propter te factus eſt, &, ſerui aſſumpta forma extrema omnia paſſus, nihil quod ad ſe pertineret, prætermiſit: cæterum, quoniam nihil hinc vtilitatis ignauiſſimi homines conſecuti ſunt, idcirco eos deflet. Quia etiam poſt tot, tantàque ſibi allata remedia in morbis eorum perſeuerarunt. veluti ſi quis febricitantem, cui licet peritus medicus aſſuerit, tamen quia præcepta eius contempſit, complorãs diceret; Væ illi homini à graui ægrotatione, quam per ignauiam plurimum, atque plurimum auxit. Verùm ibi nihil ploratus conducere poteſt. Hoc genus quoddam orationis eſt futura mala prædicere, & deflere non poenitentes, præſertim cùm multi nullam ex cõſilio, nullam ex fletu vtilitatem habuerunt. Ideo, væ, dolẽtis vocem adhibuit, vt dolore ſuo ipſos incitaret, ac diligentiores, vigilantioréſque faceret. Ad hæc beneuolentiam quoque ſuam erga illos, & clementiæ magnitudinem oſtendit, quia vel contradicentes deflet. Ita non modò nullam moleſtiam ex duritia aduerſariorum capiebat, verumetiam & flendo, & prædicando, ad ſanam eos mentem reuocare conabatur. Sed quomodo, inquies, id fieri poteſt? Nam, ſi neceſſe eſt, vt ſcandala veniant, quo pacto ea euitare poterimus? Quia videlicet neceſſe quidem eſt, vt ſcandala veniant, perire autem nõ omnino neceſſe eſt, ceu ſi medicus quidem dixerit; ſi nulla medicina vteris, neceſſe eſt, vt in hũc rurſus incidas morbũ: non omnino perire neceſſe eum erit, qui vigilanter attendit. Accedit quòd diſcipulos etiã hac ratione nõnihil exuſcitat. Nam, ne quaſi dormitantes, quoniam ad profundam pacem, & trãquillam vitam mittantur, negligẽtiores ſint, multa vndique aduerſus eos tam deforis quàm intus inſurrectura bella oſtendit: quod Paulus quoque ſignificauit, dicens; Foris pugnæ ſunt, intra timores, & pericula in falſis fratribus. & ad Mileſios diſſerens dixit; exurgent quidam ex vobis loquentes peruerſa. Ipſe quoque dicebat; Inimici hominis domeſtici eius. Quum autem neceſſitatem ſic dicat, non quia voluntatis libertatem, poteſtatémque liberi arbitrij tollat, nec quia neceſſitati rerum humanam ſubijciat vitam hoc dicit, ſed quod omnino ventụrum eſt, prænunciat, quod Lucas aliis verbis expreſſit, non eſſe ſuſceptibile dicẽs, quòd non veniant ſcandala. Quæ porro ſunt ſcandala? Rectè, ac probè vitæ cõfuſio, atque peruerſio. Sic etiam, qui verſantur in ſcena, eos, qui corpora peruertunt, ſcandala vocant. Non ergo prædictio ipſius ſcandala inducere putanda eſt. Non enim, quia futura ſcandala prædixit, idcirco venerũt: ſed, quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, ſi nollẽt ea excogitare nequam homines, atque peſtiferi: quòd ſi ventura non fuiſſent, nec ipſe futura prædixiſſet. Ventura verò erant quia multi erant grauiter ægrotantes, qui noluerunt non agere malignè, & ipſe, quod futurum erat, prædixit. Sed, ſi illi curati fuiſſent, quiſpiam dicet, ac nemo eſſet qui ſcandala faceret, nõne hic ſermo falſitatis crimine teneretur? Certè ſi curari, ſanaríque omnes voluiſſent, non dixiſſet, *neceſſe eſt ſcandala venire.* Sed, quia ſua ſponte incurabiles futuros perſpiciebat, ideo ventura omnino prædixit. Sed quam ob rem ipſe non eiecit ſcandala, inquies? Et cuius rei gratia tollenda erant, an propter eos, qui detrimento afficiuntur? Sed non, quia qui inde detrimentum patiuntur, pereunt, ſed deſidia, & ignauia ſua: quod virtutis cultores verum eſſe oſtendunt, qui non modò nullam à ſcandalis iniuriam patiuntur, ſed præcipuos etiam quæſtus nanciſcuntur. Qualis certè Iob ille erat, qualis Ioſeph, quales iuſti denique omnes: Quod ſi multi pereunt, propter negligentiam eorum id accidit. Niſi enim ita res ſe haberet, ſi propter ſcandala ipſa homines perirent, vniuerſi ſanè homines id paterentur: quoniam verò multi euadunt, qui non effugit, ſibiipſi culpam attribuat. Nam ſcandala quidem vt iam retigimus, excitant etiam, atque acuunt, & perſpicaciorem faciunt non ſolùm eum, qui ſibi diligenter cauit, verumetiam eum, qui forte incidit: nam poſteaquam inde ſe eripuerit, cautior, atque tutior redditur. Quare, ſi diligentiores ſumus, non paruum fructum ex re capiemus, quare vigilare ſemper compellimur. Quòd ſi in ipſo congreſſu hoſtium, quum tot, tantæque incumbant tentationes,

1. Cor. 7.
Act. 20.
Mich. 7.
Contra nouatores, qui hominẽ libero arbitrio ſpoliãt. vide totã huius orationis ſeriẽ.
Vides Dei præſcientiam, aut prædictionem non eſſe cauſam peccati.

tiones, quasi somno dissoluti iaceremus: quid de nobis sperandum esset, si magna in tranquillitate rerum viueremus? Quod, si vis, à primo statim homine id considera. Nam, si, quum breui tempore, nec die fortassè integra in paradiso deliciarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit, vt æqualitatem Dei falsa cogitatione sperauerit, & seductorem huius beneficij autorem opinatus, vnum præceptum seruare non potuit: quid ille non fecisset, si longissimo in tranquillitate illa tempore vixisset? His ita dictis, alia rursus interrogantes opponunt; & cur, inquiunt, Deus talem ipsum effecit? Non fecit quippe Deus talem: non enim pœnis afflixisset, si talem ipsum fecisset. Nam, si nullius nos rei, quum ipsi causa sumus, seruos nostros, & vernas criminamur, multò minus creator omnium criminaretur. Vnde igitur hoc factum est? inquiunt ab eo sanè ipso, & negligentia eius. Quid porro est, inquiunt, ab eo ipso? Diligenter abs te ipso require. Nam, si malignitates à seipsis non sunt, noli tuos seruos castigare, nec vxorem, si peccat, increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendentibus inimicis infensus sis. Nam hi omnes, nisi spontè delinquant, non punitione, sed miseratione digni sunt. Non possum, inquies, ita philosophari: certè, si non illorum culpa quicquam factum conspexeris, sed quadam alia necessitate incumbente, minimè non poteris philosophari. Nam, quando seruus ægritudine oppressus, iussa non fecerit, non modò non criminaris, verumetiam valde cõmiserescens. Quare tu ipse testimonium perhibes, nõnihil ab ipso, nõnihil aliunde, ac non ab ipso fieri. Similiter ergo etiam hic, si scires primum hominem prauũ fuisse, quia talis fuerat factus, non solùm non accusares, verumetiam veniam facilè dares. Nam, si morbo serui conditioni ignoscis, Cur creaturæ Dei non ignoscis, si talem factũ à principio arbitraris? Verùm inde quoque ora istorum obtruere facilè possumus: nã vndique veritatis affluunt adminicula, si eos interrogabimus, quã ob rem nunquã seruos criminantur, si facie formosi non sint, si non proceres statura, si nõ quasi volucres in eundo, cæteráque huiusmodi: quia videlicet natura hæc, non volũtate conceduntur: immunis est ergo ipse eius culpæ, quam sibi natura inuexit: nec vllus vnquã huic orationi contradicet. Quum igitur accusas, tũc ostendis profectò non à natura, sed à volũtate mali quippiam processisse. Nam, si, quæ minimè culpamus, ea naturæ delicta esse, aut saltem non voluntatis testamur, patet ea solùm culpari, quæ voluntate committuntur. Noli ergo peruersas in medium ratiocinationes inferre, non sophismata, & orationis contextum telis araneatum viliorem. Verùm illud mihi rursum respondeas, nónne omnes homines à Deo creati sunt? Quis dubitat, inquies? quomodo igitur virtutis, ac vitiositatis rationes omnes æquales non sunt? Nam, si naturæ sunt hæc, & non voluntatis, quomodo virtutem alij eligunt, alij vitiositatem sequuntur, quũ certè si natura omnes vitiosi essent cõcreati, nemo virtutem colere posset? Sin verò econtrà natura boni omnes prodiremus, nullus vnquam malus inueniretur. Nam, si, vna, eadémque natura omnium est, hac ratione vnum vniuersos esse oportet, siue bonos quis dicat, siue malos: si putaris natura alios bonos, alios malos, id (vt diximus) præter omnem rationem est. Nã, quum, quæ natura fuerint, immobilia sint, nunquam profectò hæc mouentur: quod hoc pacto considera: mortales omnes sumus, atque passibiles, quare nemo impassibilis erit, etiam si quis contendendo disrũpatur. Nũc verò multos à probis moribus ad improbos, & econtrà à malis ad bonos conuerti, & illos negligentia delinquere, hos diligẽtia proficere, quotidie videmus, quod maximè non naturæ hæc esse, facilè demonstrat. Quippe quum naturalia nec vllo modo mutentur, nec studio, ac diligentia hominum acquirantur: & quemadmodum nulla indiges ad videndum, audiendũmque opera, sic nullo tibi labore ad colendam virtutem opus esset, si natura nobis insita esset. Cuius autem rei gratia malos natura nos ab initio creasset, præsertim quũ posset bonos creare? Nullius profectò. Vnde igitur mala, inquies, ortum habuerunt? tu tibi ipsi responde. Meum enim opus est, nõ à natura hoc, neque à Deo inditum nobis fuisse. Casu ergo, inquies? Minimè, minimè inquam. An igitur nullum eorum principium est, sed ab æterno semper fuerunt? Meliora dic verba homo, & immanissimum hunc furorem execrare, quo vnum Deo, & peccato cultum attribuis, & cultum præcipuum, imò verò supremum, meo iudicio. Præterea, si mala ingenita sunt, tantas vires possidebunt, vt nec euelli, nec omnino non esse possint. Nam quod ingenitum & absque principio est, nulli corruptioni subijcitur. Ad hæc, si nequitia sic inuicta esset, quomodo tam multi homines virtutem colere potuerunt, aut quomodo mortales, & caduci æternam, & immortalem vitiositatem superauerunt? Sed Deus, inquies, vires eorum eneruat: quomodo eneruabit, aut omnino quomodo destruet coæterna vitia, nec minus pollentia, sed æqualium virium, & eiusdem (vt ita dixerim) ætatis? O acutam diaboli malitiam, quantum, quámque perniciosum malum excogitauit, qua impietate, ac blasphemia inuoluit homines! Simulatione nanque pietatis, ne à Deo peccatum esse videatur, pestiferum dogma introductum est, quo ingenitum esse peccatum asserunt. Vnde igitur orta sunt, inquies? Ex eo profectò, quod est velle, & nolle. Ipsum autem velle, & nolle vndenam est? Sanè à nobisipsis. Verùm hæc crebra interrogatio tua ita profertur, quemadmodum si à me quæreres, vnde homines videant, quúmque ipse responderem, ex eo quòd est oculos claudere, ac non claudere: rursum tu interrogationibus me fatigando diceres, hoc ipsum autem claudere oculos, & non claudere, vnde est? at, si ego à nobisipsis dicerem, & voluntate nostra, huius rei responsum, voluntatis causas quæreres. Nihil enim aliud malũ est, quàm Deo nõ obedire. Sed hoc ipsum, inquies, vnde homines inuenerunt? Dic quæso, putásne difficile adinuentu fuisse? Non dico, inquies, quia difficile hoc sit: sed vnde inductus est, vt obtemperare nollet? Ex desidia sanè, atq; ignauia. Nam, quum Dominus ad vtrumlibet sit, pronior ad hoc propter desidiam fuit. Quòd si adhuc ancipiti mente vagaris, & obstupescis, quũ hæc audias, ego abs te non arduũ quiddam, ac multiplex, sed simplex, & perspicuum quæram. Fuistíne vnquam malus, quum antea probus esses? vtputà fuisti aliqua passione superior ante, deinde ab eadem ipsa superatus? Sopitúsne vnquam vino fuisti, & rursus bibendi voluntatem depulisti? Aut nonnunquã ira cõmotus, nónnunquam in te conuersus

Gen. 3.

Neque vitium neque virtus insunt nobis à natura.

Nostra quoque diligentia opus est ad virtutes parandas vna cum diuina ope.

Mirum, quomodo causam non attendant peccatum Originale.

uersus, nihil, aut parum passus ab ira es? Despexisti pauperem aliquando, & aliquando fouisti. Fuisti fornicatus aliquando, quum impræsentiarum modestissimè viuas? Responde igitur quæso, vndénam hæc omnia sunt? quod si non facis, ego pro te libenter faciam, quia videlicet studio, ac diligentia voluisti à malo nónunquam abstinere, nonnunquam verò desidia dissolutus cecidisti. Hæc ad te: nam iis, qui bene agendi desperatione quasi furore quodam adacti, ita semper in peccatorum sordibus inuoluuntur, vt nec audire quicquam de virtute velint, nullum de viuendi Philosophia verbum committam: cum iis verò, qui modò rationem secuti rectè agunt, modò cupiditate superati delinquunt, iucundè disseram. Rapuisti aliquando alienum, deinde pœnitentia flexus, non modò restituisti, verumetiam de tuis egeno contulisti? Vnde igitur hæc tanta mutatio? nónne à voluntate, atque consilio tuo?. Nemo profectò dubitabit. Quare, obsecro, studete, inquam, virtuti, & friuolas quæstiones has relinquatis. Mala enim, quum nullam rem habeant, nomina solùm sunt. Non ergo quæras vnde sint, nec ancipiti mente pédeas, sed, quum audieris ex negligentia nostri proficisci, quasi venenű ea fugito, & si quis dixerit nó esse à nobis ipsa, quum eű videris seruo iratű, infestű vxori, etiminantem liberos, improbantem iniustos, dic ad eum; Quomodo igitur dicebas hæc non esse à nobis? Ná si à nobis non sunt; cur illos criminaris? ac rursum ad ipsum dicas; abs téne ipso ad obiurgandű, & contumeliandű procedis, an non? Nam, si nullo pacto abs teipso, nec tibi alius, nec tu aliis irascaris: sin verò abs te ipso, iam vides abs te, ac negligentia tua originem vitia traxisse. Quid porrò? non opinaris nonnullos esse probos? Si nemo enim probus est, vnde tibi hoc nomen inuentum est? vnde hortatio ad virtutem? vnde bonorum laudes? Sin verò probi aliqui sunt, proculdubio iure improbus increpatur, & increpantes ipsi hac ratione, quoniam iniuria increpant, boni non erunt. Quid enim peius excogitari possit, quàm innocentem criminibus falsò accusare? Quòd si prauos idcirco boni reprehendant, quia possent esse non praui, hoc certè non paruum probitatis eorum argumentum dixerim. Vnde vel mente captis patere arbitror, neminem vnquam necessariò malum fuisse. Si verò post hæc omnia, vnde sint mala, quæsieris, non dubitabo sæpius dicere, à desidia, ac ignauia tua: quia enim prauis conuerseris, quia virtutem spernas, hinc certè & mala sunt, & hoc ipsum, vt vnde sint mala quæras, hinc omnino est. Nemo enim rectè viuentium, nemo eorum, qui modestiam, atque humilitatem colűt, friuola ista quærit, sed audaces, atq; proterui, qui desidiam suam defendere conantur, has aranearum consimiles telis rationes frustra confingunt, quas non verbis solùm, sed multò magis opere nos destruamus. Nam, si ex necessitate mala fierent, non dixisset profectò Christus; *Væ homini illi, per quem scandala veniunt.* Illos enim solos quasi miseros deflet, qui sponte sua malis adhærent. Noli autem admirari, si, *Per quem*, scriptum est. Consueuit quippe scriptura, *Per quem*, nonnun-

1.Cor.1. quam pro, à quo dicere: sicut quando dicitur, Possedi hominem per Deum: nű enim secundam quandam causam, sed primam omnino posuit. Et rursus, Nónne per Deum manifestatio earum est: & fidelis est Deus, per quem vocati estis in communicationem filij sui? Cæterùm, vt discas, non necessariò nos malos esse, quæ sequuntur considera: nam, posteaquam malos, quasi miseros defleuit; *Si manus, vel pes*, ait, *tuus te scandalizauerit, abscinde, &c.* Non enim hæc de membris tibi dicta sunt, sed de amicis, ac necessariis, quos quasi membra nobis coniunctos ducimus: quod & si superius ab eo tactum sit, tamen etiam nunc dicitur. Nihil enim ita perniciosum, ac pestiferű est, vt cósuetudo prauorű hominum, & conuersatio: quippe cùm amicitia, atque necessitudo, & ad nocendum, & ad iuuandum plus nonnunquam efficit, quàm necessitas potuisset, ac ideo magna quadam cum vehementia iussit nocentes à nobis propinquos depellere: eos verò amputandos, atque proijciendos esse, consequentia ipsa rerum significat, qui scádali authores sunt. Vides quemadmodum futurum è scandalis detrimentum exterminat: tum quia prædixit omnino ventura, vt nullus otio possit marcescere, sed expectatione scandali cómotus, iugiter vigilet: tum quia ostenderit extrema, & maxima esse mala. Non enim solummodo simpliciter, *væ*, dixit, *mundo à scandalis*, verumetiam vt maximam ab illis sequi perniciem monstret, authorem scandali multò magis, quasi miserum deplorauit dicens; *Verumtamen væ illi homini.* Quibus verbis magnum ostendit supplicium sibi futurum, nec id ei satis fuit, sed similium adiectione terroré in maius extulit, & viam monstrauit, per quam hæc scandala fugere possimus. Quæ autem hæc via est? Praui homines, inquit, etiam si valde tecum amore, aut necessitudine coniuncti sint: abscindendi sunt ab amicitia tua. Nam, nisi etiá hoc feceris, nec illos lucraberis, & tu ipse simul peribis: sin verò procul abs te illos abieceris, tu saltem salutem consequeris: quare si cuius coniunctio saluti tuæ obest, reijce ipsum abs te. Nam, si nostra plerunque membra rescindimus, cùm incurabili morbo & ipsa tabescunt, & reliquis officiunt: multò magis in amicis, atque cognatis id faciendum. Sin autem à natura nobis mala insita essent, hæc sanè admonitio, atque consilium frustra omnino daretur, cùm omni cura, & diligentia nihil posset prodesse: sin verò vanum hoc consilium non est, sicut certè non est, patet à voluntate hominum improbitatis opera proficisci: *Videte, ne contemnatis vnum de paruulis istis: dico enim vobis, &c.* Paruulos hîc non ætate, sed multorum æstimatione appellauit: pauperes dico, ignotos, cætcrósque huiusmodi, quos multi contemnere solent, qui nec ita vera paruuli, cùm creatori omnium amici sint, sunt, sed multorum æstimatione tales esse putantur: hinc iterum detrimẽtum scandali quasi materiá quãdam semouet, atque disterminat. Ná, quemadmodum si quis proteruos homines fugiat, sic si probis adhæret, vberes fructus inueniet: ac duplici quadam tutela; & firmiore securitate vtetur: altera, quia scandalizantium coniunctionem aspernatur: altera, quia probos, ac sanctos viros colit, atque honorat, quos multò magis venerabiliores facit, dicens; *Quia eorum angeli patris mei faciem semper aspiciunt.* Hinc manifestum est, quia omnes sancti angelos habeant. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter angelos. Et Moyses, statuit fines, inquit, gentium secundum numerum angelorum Dei: hîc verò

1.Cor.11. *Multis potius placet Apostolũ intellexisse de angelis metaphoricè dictis.*

verò non de angelis ſimpliciter dicitur, ſed de angelis excellentibus, atque ſupremis. Nihil enim aliud deſignatur, cùm *faciem*, dicat, *patris mei aſpiciunt*, quàm ſumma fiducia eorum, & honor præcipuus.

SOPHRONII HIERO-*ſolymorum Epiſcopi, Sanctorum Archangelorum, & Angelorum, cæterarumq́ cæleſtium virtutum, encomion.*

Theodoro Peltano interprete.

Ex libello inſcripto ἀνῳ *Declamationes patrum.*

O Diuini, materięque expertes Dei exercitus: ò mentes, rationéque præditæ intelligentiæ: At præſtat gradatim, & ex ordine vos prædicare, magnificare, & inuocare. O Seraphin, quæ ſex alis exornata, inque prima cæleſtium exercituum acie collocata, veſtro ardore cæteros omnes incenditis. Vos eſtis, quæ propter inconcuſſam ſtabilitatem, corporeæque concretionis vacuitatem: tum ob æternitatem vobis communicatam, cognoſcendíque, & inflammandi virtutem, expreſſum quoddam diuinæ ſimilitudinis ſimulachrum præ vobis fertis: Vos ſecundaria lumina, emanatione planè beata, è prima luce prodeuntia, rectè appellamini, vt quæ immenſum, infinitúmque trini, vnicíque principatus illius, numeris omnibus abſoluti, ſplendorem, quantum fas eſt, citra vllum medium excipiatis, exceptúmque cæteris mentibus, & intelligentiis communem faciatis. Cùm vos ergo ob incendendi, expiandíque vim qua polletis, quæque omnem malitiam, omnémque fœditatem abſumere, & expiare conſueuiſtis, incenſorum, & calfactorum nominibus deſignemini, internos, obſecro, animæ meę receſſus à vitiorum ſordibus expiate, ſpinoſáque materia, quæ eidem cohæret, incenſa, abſumptáque, diuinum ſermonem pectori meo inſerite; ac cordis mei tenebris penitus eliminatis, diſcuſſiſq́;, intimos mentis meæ ſenſus illuminate.

Seraphim inuocantur.

Inuocantur Cherubim.

O vos Cherubim oculis plena, & quadriformia, quæ interiorum viribus formæ veſtrę cognatis, appoſitáq; proportione reſpõdentibus, vi ratiocinante nimirum, & iraſcente; fortitudine rurſum, & cæleſti celſitudine, amplè, magnificéque exculta, omníque ſapientia plena eſtis (quare etiam cognitionis fontes, & ſcaturigines appellamini) diuini verbi cognitione me expolite, itáque contra veterem ſerpentẽ incendite, & è terra in ſublime potenter euehite.

Inuocantur Throni.

O Throni ardore accenſi & incenſi, qui Dei Opt. Maximi ſedes, vehiculum, & requies eſtis, omníque humili, abiectáque ſeruitute ſuperiores; vtpote ſummum illum omnium Regem inter vos complexi, me ab omni fraude, & execrando opere liberate. Deique gloria, & maieſtate dignum efficite.

Inuocantur Dominationes.

O venerandæ Dominationes, hoc nominis ea de cauſa ſortitæ, quòd diuinam authoritatem veſtro munere exprimatis, cæleſtiúmq; bonorum communicationem verè, propriéque citra vllum prorſus impedimentum excipiatis; donate mihi, vt animi perturbationibus, quæ mentem corrumpunt, imperare, dæmoníſque inſidiis, quæ animum grauiter lædunt, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum dominari queam.

Inuocantur Poteſtates.

O Poteſtates, quæ appellationem functioni veſtræ conſentaneã conſecutæ, nulla prorſus ſeruitute valetis premi, nullo turbine concuti quæque ab illo ſolo principatu, à quo omnis poteſtas fluit, poteſtatem, & firmitatem nactæ eſtis; impertiamini mihi poteſtatem contra aſpectabiles, & inaſpectabiles hoſtes, qui contra animam meam inſurgunt, mentémque meam in captiuitatem redigere contendunt, & greſſus meos, ne ſecundum Deum dirigantur, euertere nituntur.

Inuocantur Virtutes.

O immotæ maſculæque Virtutes, quæ propter animi robur, & fortitudinem, inuictámque virtũ præſtantiam, diuinam potentiam, & vim adumbratis, me debilem ac infirmum diuino robore, & fortitudine circumcingite, & quo ſpiritales illos angues, & ſcorpios viriliter propulſem, proterámque, idoneum reddite.

Inuocantur Principatus.

O flecti, mouerique neſcij Principatus qui à diuino principatu, omnis principij experte, omníſque principatus auctore, & nomen, & dignitatem principatus citra controuerſiam accepiſtis, quique tertio Angelorum choro prælati eſtis; fidi adeſte; & quò de infeſtiſſimis hoſtibus triumphem, iiſdémque ad finem vſque imperterritè, & ſine vulnere reſiſtam, ſedulam operam nauate. O ter ſanctiſſime, ſumméque amande, & venerande ſacræ militiæ princeps, & adminiſter Michael, Angelorum coryphæe, omni cultu, omníque laude, & celebratione digniſſime; Qui Iudaici populi ductor quondam extitiſti, ipſique pleniam ad meliora, ſalutíque viciniora viam, ſumma fide oſtendiſti. Quíque ingenti illa, horrendáque, ac longè, latéque per omnia ſonitum ſpargente tuba, olim perſonitorus es: Cuius quidem terribili clangore, qui à ſæculo mortui fuerant, ex abditis terræ receptaculis reſurgent; & terra veluti funda rotata, è fundamentis mouebitur; & elementa diſſoluentur; & Sol atro colore perfundetur, & in cilicinũ ſacci modum obſcurabitur; & luna tota in ſanguinem conuertetur; & ſtellæ perinde ac groſſus è ficu, dum valida vi venti agitatur, è cælo in terram decident; & vniuerſus aer, quaſi tetris nubibus obductus, in noctem vertetur; & cælum inſtar libri inuolutum è medio faceſſet; & mons omnis, & vallis, & inſula, & ciuitas è ſedibus ſuis emouebuntur; & magnates, & Potẽtes, & Duces, & terræ Iudices, & reliqui populi humiliabuntur; & quòd grauiſſimorum dolorum, & gemituum, ſtridorúmque dentium, ac omne genus ſuppliciorum, tempus iam adeſſe cernent, præ timore, & horrore exanimabuntur.

Veni tẽpore vsque in ipſo reprę morientur. & immutabũtur. Alioqui tamen ſentiunt, nõ morituros, ſed tãtum immutandos.

Quando ergo omnes, qui in viuis adhuc degunt in momento, & quaſi in ictu oculi emorientur ſtatimquè immutabuntur: Quando mare, & flumina, & infernus ingenti impendentium malorum formidine metuque concuſſa, quos detinebant, mortuos emittent: Quando iuſti quidem, aëris nubibus ſubuecti, obuiam Chriſto Domino rapientur, in omnem æternitatem vitam cum eo acturi; peccatores autem ad ſupplicia, quæ in illos conſtituta ſunt, amandabuntur: Quando tandem omnia illa admirabilia, quæ expectantur per ſonitum, quem daturus es, cõſummabuntur, tunc, ô ſancte Archiſatrapa, errantium ductor, prolapſorum excitator, animorum propugnator, corporum conſeruator, dæmonum exterminator, vniuerſæque creaturę illuſtrator; tunc, obſecro te, tunc fidus cauſæ meæ patronus adeſſe ne grauere. O ſanctiſſime Michaël, qui populum Iſraeliticum

ticum Dei mandato per mare traiectum, in terra promissionis constituisti, & Iesum Naue contra aduersarios armasti, & Moysi tabernaculum à sanguinario hoste liberasti, & multorum aliorum Sanctorum animas illuminasti, meos quoque internos sensus illustra, internumque animæ meæ oculum illumina; & cor meum, vitæ huius fluctibus agitatum, confirma; & mentem meam, ad terrena inclinatam, sursum ad cælestem prudentiam subleua; & remissas manus meas, contra bello assuetos hostes confirma; & emortuos pedes meos, ne semitam, quæ ad cælos ducit, deserant, corrobora; & ceruicem meam, peccatis onustam subrige; & cicatrices meas, quæ grauecolentiam exhalant, planeque computrescunt, sana; & ardentium libidinũ, perturbationũque incendium seda; & cæteros tandem miseriarum, & laborum meorum molestias enta. Iterum te, & nomine Michael te oro, & quanto possum sensu obtestor, vt è vitæ huius curriculo exituro, lætus, pacatúsque appareas, méque sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustiis, obscuriśque inferorum locis ereptum, in loca tabernaculi admirabilis constituas, deducens vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis & soni festum celebrantium. Tu quoque diuinissime, Angelorumque præstantissime Gabriel, qui mundi es exoptatissimus, gaudiique, & lætitiæ dator optimus; Qui diuinorum arcanorum interpres es scientissimus, bonorúmque omnium administer, & procurator primarius; Qui sacrorũ tãdem ministrorum Dux, & princeps es augustissimus; agedum mentem, & cor meum instrue, & ad vniuersa Dei iudicia, & iustificationes dirige. Qui Danieli in Chobar visionẽ illam planè diuinam patefecisti, sterilitatis meæ labem dissolue. Qui infœcundum antè Elizabetis vterum à vinculo, quo tenebatur, Dei iussione soluisti, eandémque fructuosam effecisti, meã quoque infœlicem, afflictámque animam, grata quadam venustate, internáque lætitia, & luce perfunde: Qui beatissimam, inculpatissimámque, sacratissimæ, purissimæque dominę nostrę Genitricis Dei Marię animã, læta, salutarique annunciatione ingenti gaudio imbuisti; Euæque tristitiam, eiusdémque luctum, certæ salutis spõsione in lætitiam transformasti: Pauci, qui totius mundi mœrorem in gaudium conuertisti, vestéque luctuosa discissa, omnes lætitiæ stola induisti; te etiam, atque etiam, ô Gabriel, veræ lætitiæ conciliator, & dator, rogo, obtestórque, vt me, graui ægritudine pressum, clementer visites, diuinaque virtute, atque animi iucunditate impleas, necnon à tormentis Belial, aspectabiliumque, & inaspectabilium hostium periculis exemptum, per tuam auctoritatem, & apud Deum intercessionem, iustorum, & sanctorum cœtui adiungas, & tandem in locis illis, quæ omnibus deliciis afluũt, totò colloces. O vos reliqui omnes Angeli, & Archangeli, cætus cælestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, multitudo immensa, exercitus innumerus, celsitudo inaccessa, magnitudo incomprehensa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione superior, lętitia inexplicabilis, pompa summè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, subtilitas mensuram ignorans, agilitas, cui alia nulla est similis, ordo infinitè multiplex, celeritas infanda, substantia, quæ circũscribi nequit, gloria mentis cogitatione comprehendi nescia, vis omni virtute, & robore maior. Vos omnipotẽtis Regis estis administri, vos vẽti, & spiritus & aquę; & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangelistæ, & rerum diuinarum interpretes, & custodes, & præsides, & conseruatores, & abactores, & conductores, & viæ duces, & inquisitores, & libripẽdes, & calculatores, & curatores, & illuminatores, & opum datores, & luminaria, & lucernæ, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & iudices, & susceptores, & relatores, & defensores, & decertatores, & propugnatores, & diuina specula, & simulachra, & imagines, & nautę, & naues, & gubernatores. Vos ij estis, qui cœlum cursu expeditissimo transmittitis; qui motu celerrimo, incitatissimóque per aërem discurritis; qui cœlum, & æthera repletis; qui nulli non homini custodes & comites adestis; qui creatoris voluntatem indefleæ perficitis; qui vocem sermonum eius citra intermissionem auditis; qui semper crescitis, & proficitis, perpetuáque incrementa sumitis; (solus enim Deus est, in quem nulla cadit mutatio) qui cœlestia corpora vocamini; qui mentes, Deiq; tabernacula appellamini, qui carbones, & turbines, & flammæ nominamini; qui mystæ, mysteriorúmque interpretes, & omnium Regis amici, & musici, necnon sacrorum ministri, & Diaconi dicimini. Cùm igitur tali, tantáque gloria sitis exornati, totque prærogatiuis cumulati, meritò vestram benignitatem rogo, & obsecro, ô boni, omnisque maculæ exortes Angeli, & Archangeli; vestræ, ô impolluti spiritus, magnificentiæ supplico, conseruate vitam meam inoffensam, spem rustactam, mores inculpatos, dilectionem erga Deum, & proximum integram, & ab omni offensione liberam. Manu me, quæso, docite, & deducite, & ad omnem salutarem, Deóq; acceptam semitam dirigite. Iterum, ô diuini spiritus, vos rogatos plurimúmque obtestatos cupio, quando in vltimo vitæ meæ biatu, ex luteo hoc vase excedere compellar, vósque omnes actiones meas trutina expẽsuri estis, cunctáque, quæ vel palam, vel clam designaui, calculaturi, vt tunc vel omnes, vel ij certe, quos Deus ex vestro ordine tum mittet, quò infelicem, miserámque animam meam excipiát, placidos, clementesque vos mihi exhibeatis, bilancémque, quam prauis meis operibus perditè grauaui, dexterè subleuetis, eandémque tanquam solius clementis Dei ministri, quauis ratione, & arte exonerare studeatis. Porrò autem bonorum, honestorúmque operum loco, de quibus spem concipere licebat, immensam Domini misericordiam, in medium proponite, beneficum, clementémq; Deum, ô laudatissimæ, præstantissimæque mentes, orantes, vt per vestram intercessionem, omnes afflictiones, & morbos, & calamitates, quæ vnquam in vita pertuli, in criminum meorum compensationem, condemnationisque, & cruciatuũ nõ vulgarium; quos forstè promeritus fueram, relaxationẽ & cõdonationem admittere, eorundémq; vice, & loco habere, & calculare dignetur; quò, inimico per diuinã gratiã perfectè semel superato, debellatóq;, ob seruatam miseram animam meam, ingens gaudium oriatur in cœlo; Conditore ter benignissimo vos conuocante, & dicente: Congratulamini mihi amici, quia inueni ouem

Loquitur de beatitudine accidentali.

Illustris Angelorum inuocatio.

Angeli merita hominum trutinant.

Hoc de bilance habetur in visione Petro Eleemosyn.

Ex bonis operibus salutis spẽ concipere licet.

Vitæ præsentis afflictiones cedunt in meritum vitæ, & condonationem pœnæ.

Luc. 15.

ouem, quæ olim in montibus aberrauerat. Denique, cùm cõsummationis dies aduenerit, & mundi finis iam præ foribus vrserit, & cœli contremiscent, & firmamentum nutabit, & terræ fundamenta quatientur, & abyssus abyssi præ timore obrigescet, & inferi formidine horrebunt, & immensi maris diuisiones in ignem vertentur, & elementa omnia à facie ignis, vt cera, dissoluentur, & qui in terræ recessibus obruti iacebunt, exuscitabũtur, & mundi huius figura pertransibit, & tremendus Iudex in limine ipso assistet, vósque aduentum illius anteuertentes, terminos finésque terræ percurretis, quò vniuersos mortales, qui à seculo mortem obierant, in vnum cogatis, illósque incorrupto Iudici simul omnes sistatis, quò singuli de omni opere, omnique cogitatione, & animi conceptione rationem reddant; tunc, obsecro vos, neque vnquam vsque ad vitæ finem obsecrare desinam, qui omnia lustratis, publicáque Dei ministeria non absque auctoritate obitis, & hoc ipso regiam quandam dignitatem præ vobis geritis, quòd & sceptra, & virgas, & hastas defertis (per hæc enim coërcendi, & puniendi vim, qua polletis, euidenter ostenditis) tunc, inquam, tunc, obsecro, propitij adeste, miseróque, & infœlici tãquam ter optimi Regis illius Principes parcite, & me à tristi illa, iracundáque sententia, quæ in ignem æternum amandat, per vestram apud Deum intercessionem liberate. Contrà verò lætæ, & iocundæ illius vocationis, vitæque, quæ omni mœrore caret, nulláque re indiget, me vnà cum meis synergis, & cognatis, quorum nomina, & vocationem nouit is, qui nihil nescit, participem efficite, & gaudij tandem, quod nunquam finem facit, hæredem declarate. O Domine, Seruator, Deus, & verbum, qui dominatũ in excelsis obtines, qui principio cares, vniuersaque contines; qui ingenti robore polles, omnibus vitam, omnibus thronem adfers; qui cœlũ, & terram, omniáque, quæ illorum ambitu continentur, solo nutu condidisti; qui primùm quidem Angelos mente cõcepisti, tuúsque cõceptus opus fuit; quod enim mente conceperas, id solo verbo explêsti, & absoluisti. Mox pari arte & facilitate hominem è terræ puluere, secundùm tuam imaginem & similitudinem formâsti, efformatúmque, & modicum qui ab Angelis diminutum, & libero arbitrio ornatum, omnium creatarum rerũ Regem, & Dominum constituisti; nempe quò bonis illis, quę illi in Paradiso pręparaueras, frueretur, quibus etiam tãtisper fruitus est dum a serpente, & vxore captus, atque seductus, diuina tua mandata præuaricatus est, degustando nimirum lethiferæ arboris pomum: Quare e regia dignitate è vestigio excidit, Paradisóque exclusus, in pœnam factis suis dignam incurrit; Puta in fletum, & seruilem habitum, in sudorem, laborem, & molestiam, in tristitiam, & dolorem, &, quod suppliciorum omnium verè est acerbissimum, in iustá tandem mortem, dissolutionémque in terram, ex qua primò susceptus, productúsque fuerat. Tu autem Domine verè clemens, & misericors, peculiũ, quod præ cæteris omnibus tibi charum, Diaboli tyrannis oppresserat, nequaquam aspernatus es; verùm tremendum illud mysterium, quod ante omnia sæcula definieras, expleturus, teipsum, qui Patris es sapientia, & mens, & Verbum, & character, & terminus, & imago, & sigillum, & filius, & forma expressa, exinaniuisti. Nam & in casta virgine per Spiritum sanctum inhabitâsti, & ortum ex ea, qui omnẽ rationem excedit, sumpsisti. Nec enim virginea claustra omnino soluisti; sed carnis expers, modo, quem tu nôsti, in eam ingressus, carne indutus ex ea denuo egressus es, vteri ostio clauso, vt ante erat, relicto. Mox crucem subiisti, felle, & aceto inter se permixtis, potatus, lanceáque ad latus tuum adacta, confossus. Mortem tandem sponte perpessus, mortem ipsam peremisti, mundúmque vniuersum immortalitate donâsti; & prolapsam, deformatámque imaginem, in integrum instaurasti, & veterem maledictionem, quæ per lignum irrogata fuerat deleuisti. Tu ergo vniuersorum rex & conditor, qui vnum tantarum, tamque admirabilium rerum architectus es, cunctáque, quę vsque extant, in communem mortalium vtilitatem condidisti, ac pœnæ obnoxios non sine paternæ affectione punire consueuisti, quando pro tribunali sedens, omnes ad iudicium es adducturus, statione dextera cum iis omnibus, quorum memoriam in mente habeo, me dignare. O omnium inspector, occultorúmque cognitor, criminibus, quæ vllo vnquam tempore perpetraui, obliuioni traditis, immortalis thalami ostium, hoc est, cœlestem gloriam mihi pandè. O Immortalis sponse, benedictionis vocem fac nos audere. O benefice, iustorum numero me accense, tuique gaudij, inculpatæ matris tuæ, Angelorumque sanctorum, & apostolorum, & Prophetarum, & martyrum, & iustorum omnium, qui à seculo fuerunt, precibus intercedentibus, consortes nos effice: qui cum patre tuo, & spiritu sancto es benedictus nunc & semper, & in sęcula sęculorũ, Amẽ.

Angelis sua intercessione liberat a damnatione.

Sancti omni ordine inuocantur.

IN EODEM FESTO,

Homilia Beati Maximi Episcopi.

SI diligenter, fratres, audistis Euangelicam lectionem, intelligere potestis, quæ ministris ac sacerdotibus reuerẽtia debeatur, vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate se oporteat præuenire. Ait enim Dominus percontantibus discipulis, quis eorum in regno cęlorũ maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo: *Quicunque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cælorum.* Vnde intelligimus, quòd humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunque vult fratrem pręuenire regnando, prius illum præueniat obsequendo, sicut ait Apostolus: Honore inuicem præuenientes. Vincat eum officiis, vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur, vt diligas. Quòd si forsitan læsit, magis obsequium meretur, vt vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cęlorum peruenitur superbia, diuitiis, præfectura, sed humilitate, paupertate, lenitate. Arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal, per angustũ regni iter transire

Humilitas iter ad gloriã.

Rom. 12.

Summa Christianismi.

Matth. 7.

non

non poterit. Simul etiam, vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogetur. Tam enim angusta est diuiti porta cælestis, quàm est camelo acus foramen exiguum. Vnde ait Domi- Matth.19. nus: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Sicut enim camelum animal tortuosum atq; deforme, exigua cauerna præterire non patitur: ita diuitem auarum atque mẽdacem arcta cæli ianua minimè intrare permittit. Nam ideò nudi in seculo nascimur, nudi etiã accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque, & expediti ad cæli ianuam properemus. Quàm autem incõgruum & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, diues intrare velit in cælum? Propterea adolescẽti illi diuiti, qui sibi iustus videbatur & sanctus, & omnia mandata legis complesse, in Ibidem. Euãgelio à saluatore dicitur: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus. Vsque adeò enim nuda virtus apta cælo est, vt quauuis iustus, quanuis sanctus, aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit Gen.3. adolescentem illum Dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat nondum de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit: denique post peccatũ nuditatem suam peruidens, foliis pudenda contexit. Prius enim quàm peccaret, honestatis erat colore vestitus: Nuditatem turpem fecit peccatum. atque ideò nuditatem inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti angeli in splendidissimo habitu constituti, nunquid tunicis operiuntur & palliis? Sed cùm sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse, quòd sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiẽs honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mũdanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat. Erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio à concupiscentia vestibus nõ arcetur: ita apud sanctos viros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate non trahitur. Sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operta sunt vniuersa. Quid autẽ ait: Marc.18. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in* Paruuli non ætate, sed malitia. *me credunt, &c.* Pusillos hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui 1.Cor.14. sunt isti, nisi clerici idonei, monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur his irreuerens, aut contumeliosus extiterit, hac belluina pœna plectetur, vt informi saxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed videamus cur scãdalizantibus Christianos ista pęna decreta sit, aut quid sibi velit ista sententia. Puto enim illam aliquod mysterium cõtinere. Quasi verò nõ sufficeret in mare homini demergendo saxum qualecunque non magnum, aut enorme, sed molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse, quod in scripturis asini populus gentilium nuncupatur, Asinus typus Gentilium. qui clausis oculis circa ignorantiæ molam erroris sui gyro pertrahitur, & sine vlla cursus directione, vestigiis in se sæpè redeuntibus, inuitus vsui alieno. Nónne enim tibi videtur, molam asinariam voluere Gentilis populus, quandiu in imperitiæ suæ labore versatur, naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum Dei molat, Dominum cęli quærat: sed opertæ mentis cæcitate suffusus, vultum animi erigere ad Deum, oculos cordis leuare non possit ad cælum? Sed quoniam molam asinariam, saxum esse constat, videamus, si & paganorum talis est mola. Talis est planè. Saxea enim mola est Paganorũ Iupiter, Herculesq; lapide', circa quos cęcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos, inquam, dixerim eorum oculos, qui putant se videre quod non vident. Aspicientes enim saxum, Deum se videre confidunt. Attamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, exuendi spem gerit laboris. Cui verò mola asinaria ad colla suspenditur, portat lapi- Act.17. dem, qui portare debuerat iugũ Domini. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt, nec agnoscit. Deus enim nõ in manufactis habetur, nec in metallo, aut saxo cognoscitur. Hic ergo Gentilis populus, cùm persecutionem Christiano intulerit, hac pœna plectetur, vt cum sacrilega mola sua, iudicandi seculi fluctibus demergatur.

S. BERNARDI ABBAtis Claræuallensis, in festiuitate S. Michaelis, Serm. 1.

ANgelorum hodie memoria celebratur, & exigitis debitum pro tanta solennitate sermonem. Sed quid de angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sanè & indubitata fide tenemus diuina eos præsentia & visione beatos sine fine lætari in bonis domini, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur 1.Cor.2. hominibus, quę nec ipse quidem cogitare, nec illi saltem audire sufficiant? Profectò si ex abundãtia cordis os loquitur, sileat nihilominus lingua necesse est ex inopia cogitationis. Attamẽ si multum est ad nos loqui de ea claritate & gloria qua in semetipsis, imò in Deo suo angeli sancti nostris omnino supereminent cordibus: de ea loquamur quam nobis exhibẽt gratia & charitate. In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis inuenitur. Dignum est proinde, fratres, vt gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimirũ constat nihilominus abundare domesticos Dei, cœli ciues, principes paradisi. Testatur denique Apostolus ipse qui raptus vsque ad tertium cœlũ, Heb.1. beatæ illi curiæ meruit interesse, atque eius nosse secreta: quoniam omnes administratorij sunt spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quãdoquidem ipse quoque creator & rex angelorum venit non ministrari, sed Matth.20. ministrare, & animam suam dare pro multis. Vt quid ergo ministerium illud angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos qui in excelsis tota eum auiditate & fœlicitate ministrant? Si & hinc dubitas, vtique qui vidit, testimonium perhibuit: Milia inquiens, milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Alius quoque Dan.7. propheta ad patrem de filio loquens, ait: Minuisti eum paulo minus ab angelis. Sic planè sic decet vt vincat & humilitate qui sublimitate vincebat, Psal.8.

sitque tanto minor angelis, quanto inferiori sese ministerio mancipauit: qui tanto excellentior est, quantò differentius præ eis nomen hæreditauit. Sed quæras fortasse in quo minoratus videatur ab angelis cum ministrare venit, quandoquidem (vt supra meminimus) in ministerium mittuntur & illi? In eo vtique, quod non modo ministrauit, sed ministratus est, eratque vnus & idem qui ministrabat, & qui ministrabatur. Meritò proinde sponsa in Canticis canticorum, Ecce (inquit) venit is saliens in montibus, transiliens colles. Ministrans enim saliit inter angelos, sed & ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera non sua, sed nostra, ac nobis eius gratiam referentes. Vnde & scriptura dicens, Quoniam ascendit fumus aromatum in cõspectu domini de manu angeli: solicitè præmisit data ei fuisse incensa multa. Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lachrymas offerũt Deo: nobis quoque eius munera referunt, & non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior vniuersis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui patri offerens animã suam, nobis ministrat vsque hodie carnẽ suã. Huius vtique tãti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis imò & libenter angeli sancti ministrẽt. Ipsi enim amãt nos, quia nos Christus amauit. Dicitur certe vulgari quodã prouerbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos verò ó beati angeli catelli sumus Domini illius quem tãto affectu diligitis, catelli inquam cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim fratres, vt ampliorem de cætero erga beatos angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum inuocetis auxilia: sed & dignius in eorum præsentia conuersari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare beneuolentiam, exorare clementiam studeatis. Cuius rei gratia necessarium duco alias quoque charitati vestræ exponere causas, quæ ipsos beatos angelos pro nostra infirmitate reddant sollicitos: absque sua sanè anxietate, sed non absque vtilitate nostra, nec ad detrimentum felicitatis suæ, sed ad nostræ salutis augmentum. Constat sine dubio, rationis participes, & capaces beatitudinis humanas animas angelicæ (si dicere id audeamus) cognatas esse naturæ: nec decet vos, ó beati spiritus, contra legis præceptum dedignari quam visitare debetis speciem vestram, licet in multam (vt ipsi cernitis) deiecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos superni ciues, ciuitatis vestræ excidio delectari, & ruina murorum quos semirutos ipsi videtis. Cuius instaurationem si desideratis (vt dignum est) frequenter quæso ante thronum gloriæ verbum precis iterate dicentes: Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Si diligitis decorem domus Dei (imò quia diligitis) expectantur zelum vestrum viui & rationales lapides, qui soli in instaurationem eius vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adiuuandos nos attrahitur supereminens charitas angelorum propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (vt dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim paruulorum qui lacte modò vescuntur, & nondum solido cibo perficienda est laus illa maiestatis diuinæ, cuius habentes primitias angelici spiritus beata nimirũ delectatione fruũtur: sed tanto auidius nos expectant, quanto consummationis eius expectatione & cupiditione sollicitantur. Quæ cum tamen ita sint, pensate quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, siquando prouocati peccatis & negligentiis nostris indignos nos iudicauerint præsentia & visitatione sua, vt iam necesse habeamus & nos plangere, & dicere cum propheta: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Elongatis nimirum eis quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. Quòd si tam necessariam habemus familiaritatẽ dignationis angelicæ, cauenda nobis eorum offensa, & in his maximè exercendum quibus eos nouimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, & quæ in nobis iocunde delectat: vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his quæ formam quandam ciuitatis suæ repręsentant in nobis, vt mirentur Hierusalem nouam in terra? Dico autem vt quomodo ciuitatis illius participatio est in idipsũ: sic & nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: sed magis omnes simul vnum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Econtrà verò nihil æquè offendit & ad indignationẽ prouocat eos, quomodo dissensiones & scandala si fortè inueniantur in nobis. Audiamus siquidem quid loquatur ad Corinthios Paulus: Cùm enim sit inter vos zelus & cõtentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis, In epistola quoque Iudę Apostoli legimus sic: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Videre est animam hominis, quemadmodum vniuersa corporis membra viuificet cohęrentia sibi. Separa ergo quiduis à iunctura cęterorum, & vide an de cętero illud viuificet. Sic est omnis qui dicit anathema Iesu: quod nemo dicit loquens in spiritu Dei: quia anathema separatio est. Sic & inquã omnia qui ab vnitate diuiditur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitę. Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetipsos; apostoli carnales vocant & animales, spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi & beati spiritus, vbi scandala inuenerint & dissensiones: Quid nobis & generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus, per eum vtique charitas diffunderetur, & vnitas non scinderetur. Et dicunt: Non permaneamus cum hominibus istis in ęternum, quia caro sunt. Quę enim conuentio luci ad tenebras? Nos de regno vnitatis & pacis sumus, & homi-

Margin notes: Cantic. 2. — Apoc. 8. — Angeli solliciti pro nobis. — Psal. 50. — Psal. 37. — 1. Cor. 3. — Iudæ 1. — 1. Cor. 12. — Gen. 6.

nes istos in eandem vnitatem & pacem spetabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis? Videtis quā congruat huic solennitati euangelica lectio, quę sic detestetur nos à scandalo paruulorum, quandoquidem iam vehementer angelis displicent scandala? Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, durum est quod sequitur. Sed iam præterit hora, ad missas nobis eundum est. Peto ne sit vobis molestā dilatio, quę poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermone altero diligentius prosequamur.

Matth. 18.

EIVSDEM IN EADEM *solennitate, Sermo 2.*

AVdistis, fratres, euangelicam lectionem aduersus eos qui pusillos scandalizauit, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuncians, quoniam Vę homini illi per quem scādalum venit. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Natus sanè denuò, natus ad vitam, natus de spiritu, & nimirum carne postmodum consummatur. Expedit ei, si quis est qui scandala suscitat in hac domo, in hac sancta Deo placita, & angelis eius admodum grata ac familiari congregatione, vt suspendatur in collo eius mola asinaria, & pro suaui iugo & leui onere saluatoris graui mole terrenæ cupiditatis humeris eius imposita demergatur in profundum maris huius, magni & spaciosi manibus, quod est sine dubio seculum nequam. Minus enim damnabile erat ei in seculo magis perire quam in monasterio. Perire siquidem necesse est hominem qui charitatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita vt ardeat. Et hoc dicerim fratres, non quasi minus benè de vobis sentiā, aut tegere videatur in vobis nequissimum istud vitium: sed vt in ea charitate & vnanimitate & pace in qua statis in domino, sollicitis sitis perseuerare, & abundare magis. Quæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? Nónne vnitas & vnanimitas vestra, in qua gaudeo vos inueniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? Propter quod obsecro vos sic state in domino charissimi. In hoc enim cognoscunt omnes etiam angeli sancti, quòd Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Denique si tenetis memoria quam vobis præcedenti sermone tradidimus triplicem angelicę erga nos charitatis & sollicitudinis causam, potest hinc quoque fraternæ dilectionis vtilitas magnificè commendari. Facile siquidem considerare est, homini qui non diligit proximum, nullam ex his quas tunc diximus, suppetere causam. Nunquid enim Christi gratia diligemur ab angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognouerint nequaquam eius nos esse discipulos? Nunquid diligemur ab eis propter nosipsos, id est, spiritualis naturæ similitudine, si inuenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes: imò verò si ea eis quæ inter nos sunt contentionibus, carnales nos magis quam spirituales esse constiterit? Denique nunquid diligent nos propter seipsos: & futuram de nobis ciuitatis suæ restaurationem, si (quod absit) vnum, quo solo vniri & coædificari eis possumus, defuerit glutinū charitatis? Qūomodo sperabunt reædificandos de nobis perpetuos ciuitatis illius muros, si cognouerint, si viderint nos non lapides esse viuos qui possint inuicem cohærere: sed magis puluerem quem proiiciat ventus à facie terræ, quem vnius verbi flatus in turbinem excitet, & suspicionis cuiuslibet leuissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat pro eo quod ait Dominus: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis. Credo enim quòd maiori sollicitudine deinceps ab hac tam nequissima peste cauebitis. Iam verò quem nō moneat quod sequitur in euangelio? Si oculus tuus scandalizauerit te, erue eum, & cætera. Nunquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut vnam ex manibus istis, similiter & vnum abscindere pedem? Absit à nobis huiusmodi carnalis omnino & nimis ridiculosa cogitatio. Sed postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo diuinus asperè satis, sicut audistis, consilium dat quid de eo nobis agendum sit scandalo quod interiùs patimur contrariam inueniences legē in membris nostris. Ipse enim nouit figmentum nostrum, quòd eiusmodi scandalum nō tam facile à nobis valeat euitari. Porrò tripliciter fieri scandalum istud, quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdū enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quàm noster dicēdus sit: sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dùm volūtas nostra aliam minus castam importunè ingerit intētionem. Sed habemus iam super hoc salubre cōsilium saluatoris. Erue eum, inquit, & proiice abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abiicias; si resistas. Simili modo de manu se pede est intelligendum. Cum enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est quæ scandalizat nos: sed abscindi debet, & proiici à nobis, vt nō ei cōsentiamus. Sic etiā proficere in sancta cōuersatione, & ascēdere per gradus scalæ quæ Iacob apparuit, ac iuxta quod ait Psalmista: De virtute in virtutem ire desiderantes, sæpius scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis & negligentię nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissius inconatur: sed abscindi eū necesse est, vt pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimēto. Quod autē dicit, bonum nobis esse ad vitam intrare cum vno oculo, aut manu, aut pede, quàm duos habentes ire in gehennam ignis, eos notat qui voluntatem suam, siue bona, siue mala sit, æquè sequuntur, & ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala sectantes, secundum quod variantur desideria sua. Quibus meritò vtilius fuerat gratiæ in omnibus inhærere, & vbi obuiat propria voluntas, abscindere & à seipsis abiicere eam. Est autem cum multo tempore in abscissione proprię voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, vt discat iam non superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subiecta sit anima nostra, nec iam abiicere necesse sit oculū nostrum, nempe qui simplici adhærens oculo factus est & ipse simplex, aut certe iam nō alter est oculus, sed vnus cum eo, Apostolo teste: Quoniā qui adhæret domino, vnus spiritus est cum eo. Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque & pede

Matth. 18.

Matth. 5.

Ibidem.

Psal. 83.

1. Cor. 6.

Pet. ...

pade eodem modo est intelligendum. Cuius enim voluntas ex affectione & cum desiderio gratiæ cohæret, vt nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus benè quàm gratia suggerit: hic planè perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis: abscissio verò scandalorum, & tentationum victoria, fortitudinis: illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

DE DEDICATIONE

Basilicæ S. Michaelis, & miraculis ostensis Relatio. Habetur autem in peruetustis manuscriptis Codicibus in homiliario Alcuini.

MEmoriam Beati Michaëlis Archangeli toto orbe venerandam, ipsius & opere condita, & consecrata nomine demonstrat Ecclesia, quæ non metallorum fulgore, sed priuilegio est commendata signorum: vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute, vtpotè quam fragilitatis humanæ memor archangelus, è cælo veniens, ad promerendam ibi mortalibus supernorũ ciuium societatem, propria manu condere dignatus est. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpora eiusdẽ saxi speluncæ instar præcauata ostenditur. Est autem locus in Apuliæ finibus, vbi inter sinum Adriaticum & montem Garganum ciuitas Sipontina sita est. Qui à mœnibus ciuitatis ad duodecim millia passuum erectus, in cacumine supremo beati archãgeli, quàm præfatus sum, gestat Ecclesiam. Hanc mortalibus hoc modo cognitam libellus in eadem Ecclesia positus indicat. Erat in ea ciuitate vir prædiues quidã Garganus nomine, qui ex euentu suo monti vocabulum indidit. Huius dum pecora, quorum infinita multitudine pollebat, passim per deuexi mõtis latera pascerentur, contigit taurum armenti gregis consortia spernentem, singulatem incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non esse regressum. Quem Dominus collecta seruorum multitudine per deuia quæque requirens, inuenit tandẽ in vertice eiusdem montis foribus cuiusdam assistere speluncæ. Itaque ira permotus, cur soliuagus incederet, arrepto arcu appetit illum sagitta toxicata: Quæ veluti venti flamine retorta, eum à quo iacta est, mox reuersa percussit. Turbati ciues & stupefacti qualiter res fuerit effecta (non enim accedere propiùs audebant) consulunt episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto ieiunio triduano, à Deo monuit esse quærendum. Quo peracto, sanctus Domini archangelus episcopum per visionem alloquitur, dicens: Iam benefecisti, quod homines latebat, à Deo quærendo mysterium, causam videlicet hominis suo telo percussi, sciatis autem hoc mea gestum voluntate. Ego enim sum Michael archangelus, qui in conspectu Domini semper assisto, locúmque hunc in terris incolere, tutúmque seruare instituens, hoc volui indicio probare, omnium quæ ibi geruntur, ipsius quoque loci me esse inspectorem atque custodem. Hac reuelatione comperta, consuetudinem fecerunt ciues hic Dominum precibus, sanctúmque deposcere Michaëlem. Duas quidem ibi ianuas cernentes, quarum vna australis, quæ & maior erat, aliquot

S. Michael apparet Episcopo.

gradibus in occasum vergentibus adiri poterat: sed nec vltra cryptam intrare ausi, pro foribus quotidiè orationi vacabant. Inter hæc Neapolitani paganis adhuc ritibus obseruantes, Sipontinos & Beneuentanos, qui centum quinquaginta millibus à Siponto distant, bello lacessere tentãt. Qui antistitis sui monitis edocti, tridui petunt inducias, vt triduano ieiunio liceret eis, quasi fidele patrocinium, sancti Michaëlis implorare præsidium. Quo tempore pagani ludis scenicis falsorum inuitant auxilia deorum. Ecce autem nocte ipsa, quæ belli præcessit diem, adest in visione sanctus Michaël antistiti, preces dixit exauditas, victoriam spopondit affuturam, & quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrẽdum. Læti ergo mane, & de angelica certi victoria, Domini cordati Spiritu, obuiant Christiani paganis. Atq; in primo belli apparatu Garganus mons immenso tremore concutitur, fulgura crebra volant, & caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit, impleta prophetia, quæ Dominum laudans ait: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Fugiunt itaque pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis, ad Neapolim vsque sequentibus, atque extrema quæque cædentibus aduersariis, mœnia tandem suæ vrbis moribundi subintrant. Qui autem euasere periculum, comperto quòd angelus Dei in adiutorium venerit Christianis: nam & sexcentos fermè suorum fulmine videbant interemptos: regi regum Christo continuò colla submittentes, armis induuntur fidei. Cúmque domum reuersi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent archangeli, vidẽt manè iuxta ianuam septẽtrionalem (quã prædixi instar posterulæ pusillæ) quasi hominis vestigia marmori arctiùs impressa: agnoscũt beatum Michaëlem hoc præsentiæ suæ signum voluisse monstrare. Vbi posteà culmen appositum, & altare impositum, ipsa ecclesia ob signa vestigiorum * Podonia est vocata. Multa dubitatio fuit inter Sipontinos quid de loco agerent, vtrùm intrare & dedicare ibi debeant ecclesiam. Vnde collatione facta, ad meridiem loci illius Beati Petri Apostolorũ principis nomine condunt Ecclesiam & dedicant: In qua etiam beatæ semper virginis Mariæ, sanctique Ioannis Baptistæ altaria statuunt. Tandem antistes salubri reperto consilio, Romanum Episcopum, quid de his agendum sit, per nuncium sciscitatur, qui tunc fortè in monte Soracti, quinquagesimo ferè milliario à Romana vrbe distante, fuerat, quem incolæ sancti Syluestri cognomine vocant, eò quòd ipse ibi quondam exul, pro fidei persecutione delituerat cum suis. Taliáque mandata remittit, Si hominis est, illam dedicare basilicam, hoc maximè die, quo victoria data est, fieri oportet. Sin autem aliud sancto prouisori loci placuerit, eodem præcipuè die illius in hoc voluntas est inquirenda. Hoc ergo tempore imminente, agamus ambo triduanum cum ciuibus nostris ieiunium, sanctam Trinitatem rogantes, vt munera, quę per summum suæ sedis ministrum conferre dignatus est, ad certum vsq; finem perducat. Factum est, vt suggesserat antistes. Nocte verò constituti ieiunij suprema, angelus Domini Michaël Episcopo Sipontino per visionem apparens: Non est, inquit, vobis opus hanc, quam ego ædificaui, dedicare Ecclesiam. Ipse enim qui condidi,

Rursus Episcopo apparet.

Psal. 103.

* Apodinus.

Tertia S. Michaelis apparitio.

didi, etiam dedicaui. Vos tantùm intrare, & me assistente patrono, precibus locum frequentare. Et te quidem ibi eras missas celebrante, populus iuxta morem cõmunicet. Meú autem erit ostendere, quomodò per memetipsum locum sacrauerim illum. Illi aduenιũt manè cum oblationibus, & magna infinita precum intrãt regiam australem: & ecce longa porticus in aquilonem porrecta, atque illam attingẽs posterulam, extra quam vestigis marmori diximus impressa. Sed priusquam huc peruenias, apparet ad orientem basilica, qua per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu quingentos ferè homines capere videbatur, altare venerandum, rubróque contectum palliolo, prope medium parietis ad meridiem ostendẽs. Erat autem ipsa domus angulosa, non in more operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ præruptis & sæpiùs eminentibus asperata scopulis, culmine quoq; diuersę altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi. Credo docente Archangelo, Deum non ornatum lapidum, sed cordis quærere & diligere puritatem. Vertex verò montis extrinsecus partim cornea sylua tegitur, partim virenti planicie dilatatur. Missarum itaque celebratione completa, magno attoniti gaudio, quique redierunt in sua. Episcopus autem delegato ministrorum, cantorum, sacerdotúmque officio, & mansione constructa, omnem ibidem quotidiè Psalmorum, Hymnorum, missarúmque cursum congruo præcepit ordine celebrari. Nullus autem huc nocturno est tempore ausus ingredi, sed aurora transacta matutinos ibidem canant hymnos. Ex ipso autem saxo, quo sacra tegitur ædes, ad aquilonem altaris, dulcis & nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas, eiusdem receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum, morísque est populo communicato singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, donúmque cælestis degustare liquoris. Nam & gustu suauis est, & tactu salubris. Denique nonnulli post longas febrium flammas hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque & aliis modis ibi & crebrò sanantur ægroti, & multa quæ angelicæ tantùm congruunt potestati, gesti illic miracula comprobantur: maximè tamen eiusdem diei natali, cùm & de prouinciis circunquaque positis plùs solito confluа turba recurrat, & angelicæ virtutis maior quodammodò credatur adesse frequentia, vt quod spiritualiter dixit Apostolus, etiam corporaliter agi videatur: Quia angeli sunt administratorij spiritus, in ministe-
Hebr. 1. rium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, in Christo Iesu Domino nostro, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

IN illa hora accesserunt discipuli dicentes ad Iesum: Quis putas maior est in regno cælorum? Quod dicit Euangelista, *in illa hora*, videlicet cum viderunt redditum tributum à Petro, simul cum Domino: & quia viderant eum ante separatum à ceteris in monte, & audierant ei dictum Petro, tibi dabo claues regni cœlorum: & nunc viderãt eum Domino comparatum in datione tributi, orta est inter eos contentio, quis eorum videretur esse maior, intantum vt Deum interrogarent. Et Dominus sicut pius magister eorum animositatem eorum humilitate placare. Quasi dicerent, quem æstimas meliorem in regno cœlorum faciẽdum. *Et aduocãs paruulum, statuit eum in medio eorum.* Paruulum quendam de turba, infantem ætate. Qui nesciret concupiscere neque locum neque aurũ, neque inuidere, neque mentiri. *Et dixit eis. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis regnum cælorum.* Nisi per meam doctrinam & ex voluntate vestra fiatis tales, qualis iste est per ætatem, vt non concupiscatis rem alterius, non odiatis aliquem, non quęratis honorem in isto seculo, nec mentiamini, neque decipiatis proximos vestros, in vitam æternam non intrabitis. Dicit Origenes, quia quando infans est quis, tunc est verus Adam, & talis qualis Deus Adam esse voluit, vsque quo inter homines initiatur non curat nisi de victu, & de frigore, non curat de delitiis, neque de preciosis vestimentis, nescit quid est aurum, æqualiter diligit petras, & gemmas, amabilius est ei ouum quam aurum, nescit aliquem fallere, omnia bono animo facit, nihil in occulto. Hæc est simplicitas columbarum, quam nos imitari per innocentiam debemus. Postquam vero cœperit crescere infans, videns illos, quos diligit, amplecti aurum, delitias, & reliqua mala: & tunc efficitur nobis similis. Potest & de ipso Domino accipi, quòd de se dixerit, qui talis erat per innocentiam. Sed tamen multo rectro habebat eis seipsum datum ad imitandum: & propterea eum sequebantur, vt imitarentur eum. *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Vt quod iste per naturam, ille sit per doctrinam: hic maior est in regno cœlorum. *Et qui susceperit vnum paruulum talem.* Subauditur qualem modò esse præcepi, *in nomine meo, me suscipit.* Pro certo quicunque talis efficitur pro Dei pręcepto, Deus habitat in eo. Videant autem qui suscipiũtur vt tales sint, quales Dominus pręcepit. Nam qui eos susceperint, licet illi indigni sint, si in nomine Domini eos susceperint, talem mercedem à Deo accipiẽt, qualem acciperent, si ipsi sancti essent: si tamen ipsi publice mali non sint: quia in vestimentis ouium Christi veniunt ad eos: & pro Christo eis impenditur, quicquid datur. Sic enim dicit ipse. *Me suscipit, qui in nomine meo illum suscipit.* Secundum morem prouinciæ loquitur: in qua hi qui maiora crimina committebant, tali modo puniebantur: videlicet religato saxo ingẽti ad collum eius, demergebatur in aquam. Mola asinaria, id est, quam asinus apportabat. Quod dicit expedit: id est cõuenit. Siue melius est ei, vt temporaliter pereat, quam augẽdo peccata sua deputetur pœnis æternis. Ex hoc loco colligere possumus, quòd omnes, qui pro homicidiis, & furtis puniuntur, si cognouerint peccatum suum, & easdem digne super se cognouerint venire: & confiteantur peccata sua, & deprecentur Deum, vt pro istis pœnis fiat eis remissio peccatorum: saluabuntur in alia vita. Dicant sicut dixit latro. Nos quidem digne ita punimur: quia peccauimus in Deo, & in christianos. *Væ mundo ab scandalis.* Vę erat mundo: quia pacem habebant in malo, & nulla contradictio

eis erat in adorandis idolis. *Necesse est enim vt veniant scandala.* Quia nolunt pagani cognoscere Deum, qui eos creauit, veniunt eis aduersitates, & tunc requirent Deum, qui eos adiuuet in aduersitatibus: quia hi, quos colunt mortui, non possunt adiuuare eos. Sic fecit Constantinus, cum habere deberet bellum cum Maxentio: requisiuit quem Deum potuisset habere adiutorem: quia sui opera manuum erant. *Veruntamen væ homini per quem scandalum venit.* Quicquid mali est in hoc mundo per diabolum est, & suos ipsius, qui voluntatem eius faciunt, diabolus flagellat: quia omnis Dei castigatio & in hoc seculo, & in futuro per diabolum fit; quia Deus inuentator malorum est: sed immissiones malæ per Angelos malos fiunt. Exemplum possumus capere de Nabochodonosor: cui cum preceptum esset & populo eius vt castigaret populum Domini: quia crudeliter super eos egerunt, ipse & populus eius: postea traditi sunt simili pœnæ. Propterea debent se custodire omnes homines, ne sint aliquibus scandalum. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te.* Per manum vel pedem amici intelliguntur: quorum ope, atque consilio quotidie indigemus. Si tales nobis in via Dei obsistere voluerint, relinquendi sunt, vt amor Dei firmus in corde custodiatur: ne si cum perditis in hac vita partem habere voluerimus, in futuro pariter cum ipsis pereamus. *Et si oculus tuus scandalizat te.* In oculo quoque amici carnales intelliguntur: qui si scandalum in via Dei nobis fuerint, & ipsi relinquendi sunt. Ille enim scandalizat fratrem, qui ei causa ruinæ est in dicto, vel in facto. Scandalum quippe Græcum nomen est: & potest Latine dici offensio siue ruina. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Nunc superius omnes affectus carnales abstulit, per quos oberrare possumus à via Dei: quia melius est in præsenti seculo tribulationem sustinere quam æternam vitam perdere. Nunc quoque præcipit, vt omni conatu vnusquisque caueat scādalum inferre eis, qui propter Deum pauperes, & humiles esse in hoc seculo delegerūt. *Dico enim vobis quòd Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei.* Ex hoc loco, & ex aliis inuenimus quòd vnusquisque homo duos Angelos habet sibi deputatos à die ortus vsque ad diem mortis suæ bonum, & malum. Legimus enim in Apocalypsi, Angelo Ephesi, & reliquis scribe hæc, vel illa. Et apostolus præcipit velari capita mulieribus in ecclesiis propter Angelos. Idcirco studendum est vnicuique, ne iniusta alicui malum inferat, quia & Deum aduersum se irritat: & Angelos bonos, suum, & illius contristat.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberst. in superius Euang. Homil.

Ex Homiliario Albini nō tamen eadē cum exemplari Parisiensi.

QVoties legimus discipulos Domini de ordine prioratus inter se contendisse vel interrogasse, non liuori & inuidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati, quippe qui rudes erant ac nouelli. Quis enim audieranteum suam resurrectionem prædicantem, & nōdùm spiritus sancti gratia illuminati, cæleste regnum perfectè amare didicerant: quia, vt ait Euangelista Ioannes, nondùm erat spiritus datus, *Ioan.17.* quia Iesus nondùm fuerat glorificatus: putabant quòd ipse resurgens à mortuis, corporaliter regnum teneret, & ipsi honoribus sublimarentur. Vnde passionis illius tempore facta est contentio *Luc.22.* inter eos, quis eorum maior esset in regno cælorum. Hac suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad Dominum, dicens: Domine, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus *Matth.20.* ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam in *Luc.24.* regno tuo. Hinc Cleophas & alius discipulus, cùm Dominus post resurrectionem in specie peregrini eis apparuisset, dicebant: Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israel. Et quidam discipulorum interrogantes eum, dicebant: Domine si in tēpore hoc restitues regnum Israel? Occasio autem interrogandi Dominum, *Act.1.* quis illorum maior esset in regno cælorum, fortassis ex superioribus acciderat. Nā vt supra euangelista retulit, accesserūt ad Petrū qui didrachma *Matth.17.* accipiebant, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cùm intrasset domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tri- *Ibidem.* butum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij. Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscē qui primus ascenderit, tolle, & aperto eius ore inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te. Quia ergo alij discipuli viderant Petrum in redditione censua domino coæquari, computantes eum illis omnibus esse prælatum, *in illa hora accesserunt ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?* Sed *Matth.18.* magister humilitatis, qui ait in euāgelio: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: vt ostenderet regnum cælorum non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendum, illúmque fore maiorem in eo, qui propter Deum se humiliat, *Aduocans paruulum statuit eum in medio eorum &c.* Quod *Psal.144.* duobus modis potest intelligi. Possumus enim paruulum hic Dominum Iesum Christum accipere, qui cùm sit magnus & laudabilis nimis, & *Esai.9.* magnitudinis eius nō sit finis, vt nos excelsos faceret, paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et est sensus: Nisi meo exēplo vos humiliaueritis, qui non veni ministrari, sed ministrare, & factus sum in medio vestrum sicut qui ministrat, sed non qui vel quasi recumbens, regnum cælo- *Matth.20.* rum, quod humilibus est præparatū, intrare non *Luc.22.* potestis. Si autē simpliciter quemlibet paruulum intelligamus, facilè patet, quia non solum ad humilitatem, sed etiam ad simplicitatem seruandam hoc exemplo nos hortatur. Ac si diceret: Si- *Paruulorum imitanda innocentia.* cut paruulus iste, cuius vobis exemplum proposui, videns pulchram mulierem non concupiscit, non alienas diuitias appetit, læsus non rælædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias; ita & vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cælorum, quod humilibus & simplicibus est præparatum, intrare nequaquàm potestis: cuius viam nemo superbus graditur, nemo tumidus incedit: quia ardua via est & augusta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Cùm ergo ait: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in re-* *Matth.7.* *gnum cælorum,* tale est, ac si dixisset: Iam si vos delectat

lectat locus sublimis, priùs exerceat humiliatio
vitæ innocentis: non quòd Apostolos corpore
vellet esset paruulos, sed vt innocentiam paruu-
lorum in mente possiderent. Huiuscemodi par-
uulos Dominus suos volebat esse discipulos, qui-
bus dicebat: Sinite paruulos venire ad me, talium
Matth. 19. est enim regnum cælorum. Et Paulus Apostolus
talium innocentiam paruulorum suos volebat
habere discipulos, quibus per epistulam præci-
1. Cor. 14. piebat: Nolite pueri effici sensibus sed malitia
paruuli estote: sensibus autem perfecti sitis. Ta-
lem se nouerat rex ille propheticus, qui in regali
solio sublimis, sed mente humilis, dicebat: Cu-
Psal. 114. stodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, &
liberauit me. Et iterùm: Ludam, & vilior fiã plùs
quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.
2. Reg. 6. Paruulus enim est, qui sibi displicet, vt Deo pla-
ceat: tantóque ante Deum erit pulchrior, quanto
apud semetipsum erit humilior. Vnde & subditur.
*Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic
maior est in regno cælorum.* Habeamus ergo virtu-
tem humilitatis, si volumus habere in regno cæ-
lorum locum celsitudinis: quoniam sicut saluator
Luc. 14. ait in euangelio: Omnis qui se humiliat, exaltabi-
tur: & qui se exaltat, humiliabitur. Vnde & nos
Eccles. 3. alibi scriptura admonet, dicens: Quanto magnus
es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies
1. Pet. 5. gratiam. Et iterum: Humiliamini sub potenti
manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitatio-
nis. Et ne putares illum esse contemnendum,
qui propter Deum hic se humiliat, congruam
sententiam adiunxit, dicens: *Et qui susceperit vnum
paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Hoc est,
Matth. 25. quod dominus in futurum se promisit dicturum:
Quamdiù fecistis vni ex minimis meis, mihi feci-
stis. Et signanter ait: Qui susceperit vnũ paruulum
talem in nomine meo, me suscipit. Quáuis enim
non sit eligendum, cui iuxta scripturæ vocem be-
nefacere debeamus: illis tamen qui propter Deũ
parui & humiles esse eligũt, in quorum vitæ mo-
ribus Christum esse cognoscimus, specialem be-
Tob. 4. neuolentiam impendere debemus. Vnde cùm
pius pater filium instrueret, ait: Panem tuum &
vinum tuum super sepulturam iusti constitue, &
ne communicaueris ex eo cum peccatoribus. Et
Eccles. 29. iterùm: Desudet eleemosyna in manu tua, donec
inuenias iustum, cui tradas eam. Hinc & Aposto-
Gal. 6. lus ait: Dum tempus habemus, operemur bonum
ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei.
Qui enim bona temporalia illis impẽdit, in quo-
rum vita & moribus Christum habitare cogno-
scit profectò illi tribuit, pro cuius amore impen-
dit. Vnde benè dicitur, In nomine meo. Multi
enim bona temporalia non in nomine Christi,
sed vt laudem hominum captare possint, tribuũt:
Ioan. 12. De quibus scriptum est: Quæsierunt gloriam ho-
Matth. 23. minum magis quàm Dei. Et dominus alibi: Om-
nia enim opera sua faciunt, vt videantur ab ho-
Matth. 6. minibus. Et iterum: Amẽ dico vobis, receperunt
mercedẽ suam. Et ne ad suscipiendos hospites vel
peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his su-
scipi promisit, cùm ait: Qui susceperit vnum par-
Matth. 10. uulum talem in nomine meo, me suscipit. Vnde
& ipse alibi dicit: Qui suscipit prophetam in no-
mine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: &
Ibidem. qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iu-
Luca 10. sti accipiet. Et iterùm: Qui vos recipit, me reci-
pit: & qui vos spernit, me spernit. Sicut autem su-
scipientibus merces promittitur, ita duris & aua-
ris pœna indicitur, cùm subinfertur: *Qui autẽ scan-
dalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, &c.*
Vbi considerandum est, quam graue peccatum sit
scandalizare fratrem, quando etiam scandalizan-
tibus talis vindicta comminatur. Quòd autẽ ait:
Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in col-
lo eius, & in profundum maris demergatur: iux-
ta morem prouinciæ loquitur, vbi apud veteres
Iudæos capitalia crimina hoc supplicio puniebã-
tur. Nemo ergo arbitretur leue peccatum esse scã-
dalum fratris, cùm scandalizantibus talis pœna
prædicitur: quoniam sicut alibi in euangelio ait: Matth. 5.
Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ
ignis. Quod se cauere omnino Apostolus osten- Rom. 14.
dit, cùm ait: Melius enim mihi est non manduca-
re carnem, neque bibere vinum, neque aliquid in
quo fratrem scandalizem. A quo peccato etiam Ibid.
discipulos suus compescit, dicens: Quare tu scan-
dalizas fratrem tuum, aut quare spernis illũ? Igi-
tur inquãtùm possumus, iuxta Apostoli admoni-
tionem scandalum fratris vitare debemus. Si autẽ
pro veritate scandalum oriatur, magis veritas eli-
genda est, quàm scandalum vitandum. Vel certè
per molam asinariam, quæ pondus habet, sed
nullum iter explicat, volubilis amor seculi expri-
mitur. Cùm ergo ait: Expedit ei, vt suspendatur
mola asinaria in collo eius, & demergatur in pro-
fundum maris: carnales quosque & mũdi amato-
res à regimine ecclesiastico prohibet: quoniã me-
lius est quòd mundi amator in seculo viuens car-
naliter, se solum perdat, quam in regimine ec-
clesiastico constitutus, se & alios peruersè viuen-
do ad interitum trahat: quia cuius vita despici-
tur, restat vt eius prædicatio contemnatur: quo-
niam dum infirmi discipuli patroni sequuntur
exemplum & ipsi pereunt, & illorum perditio in
eius caput redundat, qui author est criminis. Siue
certè per molam asinariã doctores intelliguntur,
quia sicut mola granũ tritici frangitur, vt medul-
la eius ad sustentationem vel refectionẽ humanæ
naturæ ostendatur: ita quoque & doctores occul-
tas sententias scripturæ sacræ aperientes, interio-
riorem sensum earum manifestant, * vel vitam si- * legendum
ue refectionem animarum sanctarum. *Væ mundo* puto, ad
ab scandalis. Mundus cui vę dicitur, non ille est quẽ 1. Ioan 5.
venit filius hominis quærere & saluare, sed ille
qui in maligno positus est, id est, mũdi amatores,
de quo Dominus alibi ait. Pater iuste, mundus te Ioan. 17.
non cognouit. Qui enim mente & desiderio secu-
lum incolunt, rectè mundus appellantur, de qui-
bus Ioannes ait: Mundus transibit, & concupiscẽ- 1. Ioan 2.
tia eius. Mundi enim amatores dum propter cu-
piditates seculi alios non metuunt scandalizare,
tamen ipsi scandalum sustinent, aliquando quidẽ
corpore, semper autem mente. Et ideò væ illis, Iob. 21.
quia ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad
inferna descendunt. Quibus per Iacobum dicitur: Iac. 4.
Qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus
Dei constituitur, ad quos pertinet, quod adhuc
subiungitur: *Necesse est enim, vt veniant scandala, &c.*
Quod autem ait, Necesse est; tale est, ac si diceret: 1. Cor. 11.
Non potest esse, vt scandala non veniant. Opor- Eccle. 27.
tet enim & hæreses esse, sicut ait Apostolus, vt
probati manifesti fiant. Et alia scriptura: Vasa fi-
guli probat fornax, & homines iustos tentatio
tribulationis. Pacis autem tempore non facilè
decerni potest, quis bonus malúsue sit. Sed cum
scan

scandalizatorum flauerit ventus, faciles & tenues proiiciet, quasi paleas ante faciem venti, grana verò congregabit in horrea Christi. Væ ergo homini illi, qui talem se exhibet, vt malum quod venturum est, per eius ministerium impleatur, de quibus Dominus ait: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & tradent ea in caminum ignis ardentis. *Matth. 13.* Quod facilius intelligimus, si vnum ad medium deducamus, Iudam scilicet Domini proditorem, *Matth. 26.* de quo ipse tẽpore passionis suæ ait: Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem tradetur. Necesse enim erat, vt filius Dei pro nobis passionem sustineret: sed væ Iudæ, qui nostrum bonum, suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum vel amicorum à via Dei sibi recedendum putaret, omnem magister veritatis errorem tollit, cùm subiungit: *Si autẽ manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, &c.* Iuxta literam quantum abhorreat hoc, facilè patet. Sed cùm à litera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc, quòd *Manus, pes oculus scãdalum afferētia.* manus, pes, oculus, nostris vtilitatibus necessariora sunt propinquorum, & charissimorum affectus his membris in hoc loco designatur: ac si diceret dominus: Si quis tibi fuerit pretiosus vt oculus, propinquus vt pes, necessarius vt manus, & à via Dei te recedere persuaserit, huius amorem abscinde, & abs te proiice. Melius est te solum intrare ad vitam, quàm cum multa turba propinquorum mitti in ignem æternum. Quid proficit *Marc. 8.* homini, si totum lucretur mũdum, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Verbi gratia: Blanditur vxor, minatur pater, persuadet mater, lachrymatur frater & soror: tu autem in via Dei sta firmus, ne illos inutiliter amando à Dei amore re- *Matth. 8.* cedas: sed iuxta illud, quod alibi ait, Sine mortuos sepelire mortuos suos: tu autem sequere me. Neque hoc dicimus, quòd parentibus & amicis ingrati & inobedientes esse debeamus: sed quando nos à via Dei remouere voluerint, tunc eorum amorem abscindamus à nobis. Cæterum cùm eos Deum amare cognouerimus, dupliciter nobis amandi & honorandi sunt: Primum, quia iusti sunt: deinde, quia propinqui, Domino dicen- *Deut. 5.* te in lege: Honora patrem tuum & matrem, vt be- *1. Tim. 5.* nè sit tibi, & longo viuas tempore. Hinc & Apostolus ait: Si quis suorum curam nõ habet, & maximè fidelium, fidem negauit, & est infideli deterior. Quantam autem solicitudinẽ & curam Dominus de his habeat, qui totã spem in eo ponunt, manifestat cùm subiungit: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Qui enim pusilli & humiles in præsenti vita propter Deum sunt, nequaquàm cõtemnendi sunt: Pusilli namque sunt, vt diximus, qui coram oculis suis humiles sunt & despecti, de quibus saluator ait in euangelio: Noli timere pu- *Luc. 12.* sillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Quisquis ergo tales scandalizare non metuit, offendit Deum qui habitat in illis, sicut ipse per prophetam dicit: Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Et iterùm: Nolite *Zach. 2.* tangere christos meos, & in prophetis meis noli- *Psal. 104.* te malignari. De quibus valdè dulce est, quod adhuc subinfertur, quarè non sint contemnendi. *Dico autem vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* In hoc loco discimus, quia vnusquisque fidelium angelum ob sui custodiã deputatum habet qui eum & à tentationibus defendit, & in virtutibus iuuat, Sicut Apostulus in Epistula ad Hebræos ait: Sunt admi- *Heb. 1.* nistratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et Psalmist. *Psal. 90.* de iusto quolibet: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te omnibus viis tuis: & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Hinc de Petro in Actibus Apostolorum *Acto. 12.* legimus quia cum ab angelo de carcere eductus, ianuam pulsare cœpisset, fideles qui conueverãt dicebant: Non est Petrus sed angelus eius. Angeli ergo paruulorum, semper vident faciem patris, quia sic propter nos foras exeunt, vt ab eius visitatione nũquam recedant, sicut ipse angelus Raphael ad Tobiam ait: Ego sum vnus de septem *Tob. 12.* spiritibus, qui assistimus ante Deum. Et Daniel: *Dan. 7.* Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Angeli enim qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes & opera nostra Deo nuntiare creduntur, sicut angelus ait Tobiæ: Cùm orares, ego obtuli orationes tuas ante Deũ. Et Daniel: Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.

INCERTI CVIVSDAM

sub nomine Eusebij Emisseni, in eodem festo Homilia.

ACcesserunt vtique Discipuli ad Iesum, non loquendo, sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorum cogitationes non minus, quàm loquutiones, quoniam simili modo in eius auribus vtraque sonabant. Vnde & cogitationibus sæpè respondet. Hoc autem ideò præmisi: quia alij *Marc. 9.* Euangelistæ Discipulos ad Iesum non accessisse, *Luc. 9.* sed cogitasse & inter se in via tractasse dicũt, quis eorum maior esse videretur. Hanc autem disceptandi siue litigandi occasionem ex eo præcipuè Apostoli sumpsisse videntur, quòd Romanis ministris tributum exigentibus, Beato Petro Apostolo Dominus præcipiens, ait: Vt autem non *Matth. 17.* scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & pro te. Quia enim dixerat: Da eis pro me & te, cæteris eũ prætulisse arbitrati sunt. Vnde & dicebant: *Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum, & dixit: Nisi conuersi fueritis, &c.* Meritò paruulum Dominus vocat, vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volunt. Videtis, inquit, hunc paruulum? Nisi ab hac stulta dignitate, quę vestros animos perturbat, ad huius patientiam & humilitatem conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli sine inuidia, sine odio, sine superbia, sine ambitione, non solùm maiores in *Luc. 1.* regno cælorum non eritis, verum etiam illuc non intrabitis. Ideò enim diabolus inde eiectus est: quia maior ibi esse voluit. Deponit enim Dominus potẽtes de sede, & exaltat humiles. *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.* Quicunque, inquit, ex vobis plus se humiliauerit, plus exaltabitur, & maior fiet. Et si ad huius paruuli similitudinem omnes vos

humilia

Humilitas exaltat. humiliaueritis, omnes inter maiores ibi eritis. Non igitur ambitio, sed humilitas maiores facit: ille maior, qui humilior. *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Talem videlicet non ætate, sed conuersatione, vt quod illi attulit ætas, hoc illi afferat sanctitas & humilitas. Sit igitur humilis & patiens, sit absque odio & inuidia, sit sine dolo & simulatione, sit sine superbia & ambitione: sine his paruuli sunt, sine his & Apostoli fuerunt. Qualescunque enim prius fuerunt, magistri tamen monita non surdis auribus suscipientes, tales posteà facti sunt, quales eos fieri monuit. De his igitur paruulis Dominus dicit: *Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Quid est in nomine meo, nisi propter nomen meum? quia Christianus est, quia discipulus meus est, Quia meo nomine insignitus est. Qui autem hunc in Christi nomine suscipit, nó solùm suscipit istum, verum etiam Christum habitantem in isto. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c.* Multis enim modis scan- *Multiplex scandalum.* dalizantur homines, multisque modis dicuntur scandala: quocunque * in modo aliquem offen- ** for. eorum.* das, & ad iram, & indignationem commoueas, scandalum est. Tale autem * scandalum non est *Matth. 11.* ** Deleat. eum mortem dicit.* ad mortem. In fide verò scandalizare aliquem, qualiter Iudæi & hæretici sæpè Ecclesiam scandalizât, ad mortem est. De hoc autem Dominus ait: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Melius est igitur homini, vt moriatur, & non qualicunque morte, sed illa, quæ magis tremenda videtur, videlicet, vt cum magno lapide in profundum maris demergatur, quàm simplicem aliquem, & pusillum in Christum credentem scandalizet, & à fide Catholica deuiare faciat. Melius est enim occidi, quàm occidere: qui enim occiditur, non ideò beatitudine priuatur. Legimus enim quosdam sanctorum martyrum lapidibus collo ligatis in profundum maris fuisse demersos: non ideò tamen eos credimus esse beatitudine priuatos, qua priuantur illi, qui aliquem scandalizant. Melius est igitur homini, vt in corpore occidatur, quàm vt in fide aliquem scandalizet. *Væ mundo à scandalis.* Væ illis qui scandala concitant, & qui scandalizantibus credunt: vt hæreticis & schismaticis, & his qui illorum sequuntur errores. *Necesse enim est, vt veniant scandala.* Vnde Apostolus *1. Cor. 11.* ait: Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt, *Hæretici vt* manifesti fiant. Quod igitur hæreticis & schisma- *necessarii Ecclesiæ.* ticis fuit væ, hoc viris Catholicis necessarium, & vtile fuit. Per hoc enim Ecclesiæ fides magis claruit: & illi multo amplius nocuissent, si semper occulti latuissent. Necesse igitur fuit bonis, vt venirent scandala. *Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Quamuis enim multa bona ex hoc malo subsequuta sunt, væ tamen illi, per quem scandalum venit. Non ideò mala faciebat malus, vt bona venirent: quæ si fecisset, non tamen pro se, sed contra se fecisset. Sicut & illi, de quibus *Rom. 3.* Apostolus ait: Faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, &c.* Quid enim *Manus & pes mysticè.* per manum & & pedem intelligimus, nisi amicos & propinquos nostros, quos velut propria membra diligimus, qui etiá quasi manus & pedes nobis necessarij sunt? Isti autem si nos in fide scandalizant, & eorum iniqua conuersatione animas nostras perire sentimus, abscindamus eos à nobis, & à nostro consortio separemus. Nihil enim est quod contra animam diligere debeamus, non patrem, non matrem, non fratrem, neque vxorem vel filios. Melius est enim nobis, vt sine his ad vitam intremus, quàm vt simul cum eis ad pœnas, & mortem ducamur æternam. Idipsum autem & *Item oculus.* per oculum significatur. Sic enim dicere solemus de his, qui nobis aliquem valdè amicum, & necessarium auferunt: Oculum mihi eruit, pedem mihi abscidit, manum mihi abstulit: non tamen ipsa re, sed quadam rei similitudine. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* De illis pusillis dicit, qui à superba altitudine se humiliantes, patientia & humilitate pusilli, & paruuli sponte sua fiunt. Tales autem contemnendi non sunt. De quibus adhuc subditur: *Dico autem vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* De Angelis eorum Apostolus ait: quia sunt admi- *Heb. 1.* nistratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Venit enim *Luc. 19.* filius hominis saluare quod perierat. Valdè igitur timendum est, ita qui eos scandalizat & in errorem inducat, pro quibus Dei filius in mundum veniens, & carnem suscipiens semetipsum humiliauit, factus obediens vsque ad mortem.

THEOPHYLACTI EPI- *scopi Bulgar. superioris Euang. expositio.*

IN *illa hora accesserunt discipuli Iesu dicentes, &c.* Quia viderant à Christo Petrum honoratum (honoratus enim erat hic dando staterem pro Christo, & pro se) & propterea humanum quiddam passi, inuidiáque incessiti, obliquè accedunt interrogantes dominum, quis maximus esset? *Et accersitum ad se puellum statuit in medio illorum, & dixit, &c.* Quum vidisset Iesus discipulos inanis gloriæ vitio teneri, compressit eos, ostendens illis per puerum fastus expertem humilitatis viam. Oportet enim nos humilitate mentis pueros esse, non sensu pueriles, & innocentia, non insipientia. Dicens autem, Nisi conuersi fueritis, indicat, quòd ab humilitate in superbiam venerimus, opus igitur iterum illuc conuerti, hoc est in humilitatem, à qua egressi estis. *Et qui receperit vnũ puellum talem in nomine meo me recipit.* Non solum, inquit, oportet vos humiles esse, sed etsi alios humiles propter me in honore habueritis, mercedem accipietis. Me enim accipitis, quando pueros, hoc est, humiles suscipitis. Deinde & à contrario inquit, Qui offenderit, hoc est, iniuria affecerit vnũ ex his pusillis, hoc est, ex iis, qui se humiliât, & paruos putât, tametsi magni sint: expedit ei vt mola asinaria suspendatur in collũ eius. Sensibilé enim pœnam in medium affert, volens ostendere multis suppliciis obnoxios, qui in Christo humiles iniuria afficiunt, & offendunt. Tu autem intellige, quod etsi quis reipsa paruum, hoc est, infirmum offenderit, & non omnibus modis patienter eum sustinuerit, punietur. Nam, qui magnus est, haud facilè scandalizatur, sed paruus. *Væ mundo ab offendiculis.* Luget vt misericors mundum præ offendiculis damna acceptorũ. Et dicis, Quid oportet lachrymari, vbi opus succurrere, & manum porrigere? Dicimus igitur, quòd & ipsum lugere, quædam iuuan

iuuandi species est. Sæpe enim quibus admonitio nostra non profuit, illis prosumus, dum eos lugemus, quòd sensum mali sui accipiat. Et, si necesse, inquit, vt eueniant scandala, quomodo effugiemus ea? Necesse quidem est, vt eueniant: sed non necesse vt nos perdant. Possumus enim & offendiculis obluctari. Per offendicula intelliga eos, qui bono obstant: per mundum autem, mundanos homines, & humi repentes, qui facilè impediuntur. *Quod si manus tua vel pes tuus tibi obstaculo fuerit, &c.* Per manum, pedem, & oculos, intellige amicos, quos membrorum loco habemus. Etenim, si hi tales fuerint, qui nobis noceant, hoc est, si familiares amici fuerint, oportet contemnere eos vt membra putrida, & exsecare, ne & aliis noceât. Atque ita ex his manifestum est, licet necesse sit euenire scandala, non tamen necesse esse, vt vobis noceant: etiam si amici sint, nihil inde nobis damni. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Præcipit ne contemnantur ij qui parui putantur, hoc est pauperes spiritu, magni aūt apud Deum. Adeo enim, inquit, diliguntur à Deo, vt & angelos habeant præsides, ne damnum illis fiat à dæmonibus. Omnes enim homines, & maxime fideles, suos angelos habent. Pusillorum autem, & humilium in Christu angeli, vsque adeo familiares sunt Deo, vt faciem eius per omnia videant coram ipso stantes. Appatet autem ex hoc, quod licet omnes angelos habeamus, peccatorum tamen angeli quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam liberè videre faciem Dei, & peccati forsitan pro nobis. Humilium autem angeli, hi semper vident Dei faciem, & forte pro nobis orant.

Nō esse necesse vt nos perdāt scandala.

Non affirmat hoc, cū nec sit admodū probabile, angelis enim nōn nocēt nostra peccata.

EVTHYMII ZIGABONI

superioru Euang. expositio.

IN *illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicētes, &c.* Humanum quiddam discipuli tunc patiebantur. Intuiti siquidem præpositum fuisse Petrum: nam & Iacobus primogenitus erat, & alij: sed nihil tale pro eis dixit, doluerunt: & tamen affectū suum confiteri erubuerunt, sed indistinctè præceptorem interrogant, quisnam maximus esset eorum. Nec id solum affectum hunc excitauerat, sed & alia multa. Nam & prius quoque beatificauit eum, multáque illi promisit: alibi etiam, visa illius libertate, subtristes effecti sunt. Marcus vero ait, quòd primum inter se disputauerant, quis maximus esset: & huic consonat etiam Lucas: & id quidem priusquam ad Petrum accessissent, qui didrachma accipiebant, sed tunc videntes rursus Petrū præhonorari. Magis irritati sunt, & ita demum interrogauerunt. Videntur autem de eo interrogare, quod iam nouerant, non tamē est ita. Siquidem ex iis, quę videbant, sciebant quòd in terra Petrus sibi præponeretur: volebant autem scire, vtrum etiam in cœlo præhonorandus esset. Sed tunc quidem de his dolebant: verum postmodum, quum effecti essent perfecti, primos honores inuicem concedebant. *Et accersito puero, statuit eum Iesus in medio illorum.* Marcus autem ait; Et amplexatus illum dixit eis. Lucas vero, quòd statuit eum iuxta se. Omnia autem facta sunt. Primum siquidem statuit eum in medio illorum: deinde iuxta se: postmodum amplexatus

Marc. 9.
Luc. 9.

est illum. Vult autem per exemplum de puero sedare hunc illorum affectum. *Et dixit, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, &c.* Vos quidem de primatu in regno cœlorum interrogatis: ego autem dico vobis, quòd, nisi conuersi fueritis a prauitate ad synceritatem, & efficiamini innocentes vt pueri, in illud omnino non ingrediemini. Puer siquidem est simplex, non curiosus, neque vanæ glorię cupidus, sine fasto, liber est & ab inuidia, æmulatione, sui amore, contentione, &, vt semel dicam, solutus est ab omni voluntario affectu, nō per exercitium, sed per simplicitatem. Si quis ergo discesserit à voluntatis affectionibus, efficietur sicut pueri, habens per exercitium, quod habent pueri per simplicitatem. *Quisquis ergo sese demiserit sicut puer iste, &c.* Quisquis voluntarie seipsum vehementer deiecerit, sicut puer istę non voluntarie vehemēter deiectus est: oportet enim, vt dictum est, imitari puerum, qui multas habens virtutes, ob nullam illarum extollitur. *Et quicunque susceperit vnum talem puerum, &c.* Et quicunq; hospitio exceperit vnum talem puerum, qualem dixit, videlicet vnum aliquem factum sicut talis puer, dico sane humilem, vilem, & abiectum. Quod autem dicit; *In nomine meo*, hoc est, propter me, & quia talis est meus. Vide ergo, quantum talem amet: hunc, inquit, suscipiens, me suscipit. Marcus vero addidit; Quisquis autem me suscipit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. Est autem sensus omnium dictorum talis. Quicunq; susceperit eum, qui factus est veluti puer, per illū quidem me suscipit, per me autem patrem meum qui misit me. Pater siquidē appropriat sibi eum, qui mihi defertur, honorem: ego vero delatum illi, qui factus est veluti puer. Quid igitur tali susceptione beatius, per quem suscipit quis beatam trinitatem? Nam si filium, & patrem, vtique & spiritū sanctum; inseparabilis siquidem est beata trinitas. Nondum autem tempus tunc erat docēdi de spiritu sancto. Quod vero addit; Non me suscipit, per vsum loquendi dictum est. Frequenter enim dicere solemus: Quod mihi facis, non mihi facis, sed Deo. Ideo etiam Lucas, reliquis positis, illud reliquit tanquam loquendi proprietatem. *Quicunque autem offendiculo fuerit vni de pusillis istis, &c.* Offendiculum vocat hic contumeliam. Dicit enim: Sicut, qui hos honorantes, suscipiunt illos propter me, excelsa digni sunt beatitudine: ita sane & qui ipsos cōtumelia afficientes, despiciunt illos, extremum luent supplicium. *Vni autem de pusillis istis*, videlicet, qui pusilli apparent, & viles. Dicit autem de illis, qui facti sunt veluti pueri. Dicens vero, quòd expedit ei, vt miseram sustineat vltionē, ostendit quòd miseriorē passurus est in futuro seculo. *Væ mundo ab offendiculis.* Prædicit damnum, quod ab offendiculis proueniet, vt expectantes ea, semper vigilent non soli Apostoli, sed & omnes. Mundum siquidem eos dicit, qui in mundo sunt. Offendicula vero impedimenta rectæ conuersationis. Deplurat autem mundum propter offendicula, vt qui ab illis multa passurus sit. *Necesse est enim, vt veniant offendicula.* Propter hoc dicunt quidam. Si necesse est vt veniant offendicula, necesse est vt fiant peccata. Si autem necesse est, vt fiant peccata, iniuste pœnas luunt peccatores: Nam, quod ex necessitate fit, culpa caret. Quibus dicimus, quod necesse est, vt veniant offendicula, propter necessitatem

dæmo

dæmonum; non est autem necesse, vt virtuti debiti offendiculum patiantur: id enim in sua voluntate situm est, quum liberum habeant arbitrium. Vt ergo veniant offendicula, non in nobis situm est: vt autem offendiculum patiamur, omnino in nobis situm est. Sciens ergo Christus, quòd omnino futura sint offendicula, prædicit de illis, vt, sicut dictum est, caueamus: non tamen ideo ventura sunt, quod prædixerit: sed propterea prædixit, quia ventura erant. *Veruntamen væ homini illi, per quem offendiculum venit.* Offendiculum quidem à dæmone seminatur: ab homine vero alitur, & augetur, ac recipitur, qui prauam, & corruptam habet voluntatem, quem etiā nunc deplorat, tanquam dæmonis ministrum. Deinde etiam docet, quomodo offendicula deuitemus. *Si autem manus tua vel pes tuus est tibi offendiculo, &c.* Nun de membris corporis hoc dicit, sed de cognatis, & amicis, ac ministris, quos bonorum membrorum loco habemus: quemadmodum & alibi dixit. Sed ibi de affectu erat sermo, hic autem de qualicunque nocumento. Vide autē nunc quod κυλλὸν, hoc est, mutilum vocat, eum, qui manibus caret. *Et, si oculus tuus offendiculo est tibi, &c.* Vere ergo nihil est adeo noxium, sicut prauorū consortium. Quòd si etiam in membris nostris amputamus frequenter quædam ex illis, quando & ipsa immedicabilia manserint, & cætera corrumpunt: multo magis in cognatis, & amicis, ac ministris facere hoc oportet, vbi nobis obstaculo fuerint aut impedimento ad rectam conuersationem. Præstat enim sine illis saluum fieri, quàm cum illis perire. Postquam ergo prauos fugere admonuit, bonos honorare iubet. Ait enim; *Videte, ne contemnatis vnum ex pusillis istis.* Qui hominibus quidem pusilli videntur propter abiectionē, & simplicitatem, vere tamen magni sunt propter virtutem. Ne vnum quidem borum despicere oportet: manifestum est ergo, quòd neque duos omnino, neque plures. Deinde etiam aliunde venerandos illos facit. *Dico enim vobis, quòd angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est* †. Inde manifestum est iustos habere angelos custodes. Dicit enim Dauid; Castra metabitur angelus Domini in circuitu timētium eum, & eripiet eos. Quos autem seruāt angeli, qui tantam apud Deum habent libertatē, vt semper videāt Deum, qui in cœlis est, vere hos despicere non oportet: & si nō propter illorum virtutem, at saltem propter custodes eorum. *Faciem vero patris,* hoc est, patrem meum:

Liberum arbitrium asseritur.

Vide quomodo Deus malum prouideat, & non quod futurum causa sit.

supra 5.

Psal. 33.

† *Vident autem illum non perfecte, sicut est in essentia, sed prout eis permittitur. Deum enim (ait) nemo vidit vnquam, nō materialis solum creatura, sed etiam immaterialis.*

Ioan. 1.

PETRI DAMIANI
in eodem festo, Sermo.

Circa rerum cardinem versamur, & magnificentiam operum Domini stylo prosequimur impolito; nec est præsumptio, sed deuotio, quia non temerarij scrutatores, sed pij pulsatores accedimus. Honorauerunt siquidem stylum maiestas Virginis, & dignitas Crucis, & vtrunque præsumpsimus vtroq; saluati. Nunc ad Angelos sermonem conuertimus, & illius purioris naturæ contemplamur originem; & hoc quidem conuenienter. In primis nanque locis illa duo prima posuimus, quæ sibi primatum vendicant in rerum creatoris. Tertium autem locum sortiuntur Angeli, sicut in cælo, ita in scripto, sentirque anima, quod continet pagina, & auctoritas ratione munitur. Beata illa regio supernarum virtutum, in qua felices spiritus circumuolant Dominum Sabaoth; & sublimi pennarum applausu in plateis supernæ Hierusalem Sanctus, Sanctus, Sanctus, clara voce decantant. Vidi (inquit Propheta) Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Singula ista verba suo pondere librata sunt, & diligentissimam quærunt expositionem, cuius nos immunes insipientis, & inelo-quētia fecit. Aliquid nihilominus exculpere tentabimus, si non ita sollenniter, veraciter tamen. Visio hæc corporalis non est, vel fantasticis inuoluta præstigiis, sed spiritalis & pura, purioris intelligentiæ desiderans sanctitatem. Hanc non vident nisi videntes, & qui mundi caliginem supergressi, splēdorem diuinitatis lucidissima mente suscipiunt. Et, vt breuiter eam diffiniamus, Spiritus Dei nostro spiritui dulciter applicatus hanc efficit visionem, cùm nos de præscientia cumulat futurorū. Hoc igitur modo ille totius prophetalis eloquentiæ gloria vidit Dominum, & sedentem. Filius Dei triginta & tribus annis seruus fuit, non Dominus, minister non magister, vilis non gloriosus, & licet dixerit Discipulis: Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, Sum etenim: &, Ego sum lux mundi: pauci tamen verborū altitudinem notauerunt, Pharisæis inuidentibus, Iudæis non credentibus, & illum arguentibus præsumptionis. Sed postquam resurrexit à mortuis, & in triumphali sede receptus est, imperatoria decreta propalata sunt orbi, fixitque Crucifixus in totam mundi latitudinem suæ dominationis insigne. Iam maiestatiuis nominibus circunfunditur ille pauper, & vilis; & seruilium nominū vtilitate dimota, Rex regum, & Dominus dominantium multa luce præfulgurat. Vidit ergo eum filius Amos, non humilem, sed sublimem, non iudicatum, sed iudicem, non opprobrium hominum, sed gloriam Angelorum. Sedentem, inquit. Triplicem legimus Creatoris sessionem, vnam post mundi creationem, quando requieuit ab omni opere, quod patrarat; aliam post Ascensionem, quando assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei; tertiam post resurrectionem, cùm sederit in sede maiestatis suæ, & nos cum eo sedebimus. Solet quietem labor præcedere, statio sessionem. Sed quando laborauit illa Maiestas, quæ nec afficitur passione, nec labore distringitur? Audi quomodo plurimus ei labor incubuit, cùm illum pessimum præsumptorem de cælis ad inferna detrusit, & hominem peccato penè similī comprehensum, de paradiso voluptatis in ærumnosum immisit exilium. Quantum putas tumultum in cælestibus effecit illi palatiis, cùm mortifer ille vastator irreparabile dissidium in illa cælesti curia fabricauit, conuentum proscidit Angelicum, & agmina stellantia secum traxit in mortem? Deseuit tunc Omnipotentis indignatio, totáque diuinitatis dextera percussus est inimicus,

 & in

& in perditionis deuolutus est abyssum. Huic tam graui damno, tam grauiter vindicato, successit & aliud. Peccauit nanque ille, qui huic resarciendæ ruinæ fuerat subrogatus, propter quem omnia subcælestia fuerant constituta. Peccante autem illo, multum splēdoris sidereis detractum est luminaribus, totámque elementorum maeriam infectio deploranda cōfudit. Nondum auersus erat furor Domini, sed adhuc manus eius extenta, & dexteram eius singulari vulnere fatigatam prouocauit in se fragilis, & lutosa substantia, sensitq; reliquias fulminei furoris miser homunculus, & personale delictum proscripsit vniuersos. Deturbatus igitur tumultibus frequentibus rationabilium creaturarum, Dominus maiestatis, & super suis hostibus vindicatus, cadentes Angelos cum desperatione damnauit, & hominem castigauit in spe, præuidens quanta bona de illius peccato esset facturus. Et ob hoc forsitan angelicū peccatum in scripturis non inuenitur expressum, ne scripturæ mandaretur, quod emendari non poterat. Requieuit ergo Deus, rationabili fine tantis malis imposito. Sed rursus tactus dolore cordis intrinsecus, & peccantium hominum enormitate grauatus, deleuit quem creauerat hominem, & diluuium inhabitare fecit; nec hoc cōtentus, super Sodomam, & Gomorrham ignem pluit, & sulphur, Ægyptios submersit in fluctibus, Israëlitarum cadauera prostrauit in eremo, vbique turbulentioris Domini repræsentās imaginem. Ad extremum venit ipse nube nostræ carnis obtectus, & dolorum particeps, & laborum, didicit obedientiam ex his, quæ passus est. Consummata autem carnis susceptione, eleuatus est in cælum, & sedet à dextris Dei; nec tamen sedet ad plenum, quia assistit adhuc vultui Dei pro nobis. Erit autem ei tertia sessio gloriosa, cùm bonos, & malos diuerso fine, diuersisque clausuris incluserit. Sedebit in sede maiestatis suæ, cùm nos traxerit ad se, & erit Deus omnia in omnibus. Prima sessio est gratiæ, qua gratis omnia fecit. Secunda misericordiæ, qua nos misericorditer redemit. Tertia gloriæ, cùm nos glorificabit. Attende autem sedentis gloriam, & excellentiam sessionis, vbi nulla creatura consedere præsumit. Seraphin, inquit, stabant, non sedebant. Vidi Dominum, & vniuersam militiam cæli assistentem ei (ait Propheta) assistentem dicit, non sedentem. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, Daniele restante. Omnes angeli stabāt in circuitu throni, ait Euangelista. Et alibi: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus populis, & linguis, stantes ante thronum. Sed & Virgo singularis astat à dextris in vestitu deaurato. Moyses, vt videat transeuntem Dominum, stat in petra, & Elias stat in conspectu Domini, & omnis creatura imperatoriæ maiestati assistit. Solus ille transfuga spiritus, dissensionis principium, princeps malitiæ, malorum summa, voluit consedere. Sedebo, inquit, in monte testamenti. Omnes stant, omnes ministrant, & tu, pacis inimice, sedere præsumis? Ipse Filius idem, quod Pater, sedere nescit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis. Talem vidit eum Esaias, & Dominatorem vniuersæ terræ, & in aureo throno suæ diuinitatis sedentem, in illa secunda sessione, qua carnem nostram cælis inuexit. Sequitur, Super solium excelsum. Excelsum solium, Angelicam naturam intellige primam, Omnipotentis creationem, & primaria dignitate præditam potestatem. Super hanc sedet, & superuehitur Filius Virginis, susceptum hominem ordinibus prouehit Angelorum, quia etsi melior est natura, fortior est gratia, si magna dignitas, maior Dei volūtas, quam omni nexu naturę summus ille Philosophorū astruit altiorem. Eleuata est ergo magnificentia Dei non solum super cælos, sed & super Angelos, quia tāto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Et plena erat maiestate eius omnis terra. Ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra iudicia eius, ait Psalmista. Et quomodo nunc post hanc eius eleuationem asserit Propheta omnem terram maiestate eius esse repletam? Sed cùm dicit, Plenam maiestate, Intelligit dicere maiestatis cognitione, quā ante eius incarnationem aut nulli meruerunt, aut pauci. Sed nunc ab ortu Solis vsque ad occasum nomen Dei magnum prædicatur in gentibus, suntque omnes docibiles Dei, quos eius vnctio docet de omnibus. Nam & si in Israel magnum nomen eius, non tantum iam vni angulo, sed toti mundo noticia se diuinitatis infudit. Sequitur, Et ea, quæ sub ipso erant, replebāt templum. Templum accipe ciuitatem Dei viuentis, sponsam eius, quæ non habet maculam, neque rugam. Sub ipso sunt incarnatio, passio, mors, & omnis illa horariæ dispensationis molestia, quia resurgens ex mortuis iam non moritur. Hæc sunt, quæ replent Ecclesiam, quorum recordatio nobis annuas parit solennitates. Replebimur in bonis domus tuę, sanctum est templum tuum; quod tunc profectò mirabile est, in æquitate, cum Ecclesia personas non accipit, respuit munera, veritatem eligit, diligit rationem. Sequitur, Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duo Seraphin, Angelum, & hominem accipe. Qui incendentes, vel ardentes dicuntur, cùm ille ardeat præsentia, hic memoria. Primum de alis Angelorum videamus, & quali volitatione ferātur. Et quia nota est sententia illa, quomodo caput, & pedes velent, & tantum media videantur, id est, quod fuit ante mundum, & quod post eum erit, his, quæ in præsentia sunt, aliquantulum apparētibus, Ezechielem adducamus in medium, qui animalium alas hoc modo distinguit dicēs: Duabus alis volabāt, & duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant eorum corpora. Prima eorū ala est, dignitas suæ productionis. Transi parumper in arcanum huius intelligentiæ, & dignitatem huius considera creaturæ. Ipsa est principium viarū Dei ait scriptura. Quātum priuilegium, quòd illa cogitatio Altissimi in hoc primum opus prorupit. Decebat profectò, vt singulari gloria pręfulgeret, quod de manibus Dominantis primitiua creatione processit. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti: dicit Propheta. Non solum similitudo, sed & signaculum similitudinis, vt tantò subtilius imago Dei Insinuetur expressa, quantò differentius signaculum similitudinem pręcedit. Vbi autem plenitudo sapiētiæ, decoris perfectio, paradisi deliciæ nominantur, tota simul iungitur beatitudo. Subdit autem scriptura, quod supersuperexcellit, & quod totius eloquentiæ superat facultatem: Quem pretiosiorem fecit Deus. Hîc

dictum

dictum est quicquid dici potuit. Secunda ala, gratia est confirmationis. Hæc ala feliciori volatu lassitudinem nescit, per omnia similis præcedenti nec inferior. Cadentibus quippe præsumptuosis, & istis in humilitate durantibus, incircumscripta ille Spiritus remanentes summa prosecuta est largitate, dans eis in munere, ne possent ampliùs aliqua labefactione corrumpi. Confirmati igitur, & de sui status stabilitate securi, lucidioris gratiæ subiere fastigium. Seruiunt ergo illi, cui seruire, regnare est, & felici securitate, & secura felicitate. His duabus alis volant Angeli, volatione vtique indefessa, & creati digniter, & fortiter confirmati. Tertia ala est, singularis amor sui Creatoris & hæc quidem felicissima, subtilibúsque pennulis totetexta. Amant enim, & ardent, & desiderant in eum prospicere, cuius amore feliciter incenduntur. Quantò enim propiores, tantò feruentiores, & in lumen maiestatis absorpti indicibili modo & semper ardent, & semper satiantur. Quarta est, assidua visio diuinitatis. Sed & hæc pennis floridioribus interpicta. Quantæ dignitatis est, assiduè videre Deum? Et illi quidem spiritus, etiam cum mittuntur, non fraudantur gloria visionis, quia vbique occurrit diuinitatis essentia, quæ intus est omnia continendo, gubernando exterius. De his duabus scriptum est: Duæ pennæ singulorum iungebantur, cùm singularis amor ex assidua visione nascatur, & assiduam visionem singularis amor efficiat. Quinta est, gaudium nostræ redemptionis, & ipsa multiplici picturata varietate. Quis verborum copia comprehendat, quantum gaudium Deus homo virtutibus Angelicis ingenerauit, cum & eorum collegam, qui ab eis exierat, sed non erat ex eis, vexillo Crucis inuicto confregit, & hominem perditum ad regna reuocauit cælestia? Nec mirum, quia videbant materiam repurgatam, de qua superna illa ciuitas reædificatur, cuius participatio eius in idipsum. Sexta est, restitutio supernæ ciuitatis. Sed & hęc picturis pulchrioribus colorata. Quid enim erit, cùm illo terribili iudicio peracto, Dominus virtutum homines Angelis sociabit, resarciens damnum, redintegrãs numerum, & vnumquenque ordinem ex meritis hominibus ad summam reuehet numeralem? Tunc sicut lætantium omnium habitatio erit in ciuitate Dei, quia varietate partium ordinata, nil erit ampliùs quod repugnet, vel quod à statutis locis valeat elocari. De his duabus dicitur: Duæ tegebant corpora eorum: quia gaudium nostræ redẽptionis, & restitutio supernæ ciuitatis beatorum spirituũ corpora contegunt, & resarciunt, ne tam ruinosa diminutio in illa superiori gloria cognoscatur. Et attendendũ, quanta benignitas gratiæ genus humanum in ista administratoriis spiritibus accumulet, quia pugnant pro nobis, vt illud: Factũ est prælium magnum in cœlo: vincunt pro nobis, sicut ibidem subiungitur: Nunc facta est victoria: gaudẽt pro nobis: Quia est gaudium Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: flent pro nobis, sicut scriptum est: Angeli pacis amarè flebunt. Hæ sunt felices pennę, quibus ille numerosos ordo superuolat, stans immutabiliter, alacriter volans, & in æternitatem. Sed iã redeundum est ad nos, & stylus ad nostram retorquendus humanitatem, quos ab Angelico cõsortio corporeæ voluptates, & iniquæ voluntates diuidunt, & abiungunt. Et licet in hanc degenerauimus vanitatem, portamus tamen imaginem Creatoris, quæ etsi obscurari potest, nequit tamẽ deleri. Vniuersa vanitas omnis homo viuẽs (ait iustus) sed & in imagine pertransit homo. Assignemus ergo sex alas homini, etsi non tales, qualescunque tamen. Prima hominis ala reuertentis ad Deum, amaritudo cordis est. In multis offendimus omnes, & nõ est numerus offensionum nostrarum. Sed cùm accedente, & accẽdente gratia Dei cor nostrum, recogitamus omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ, obscuratam reclaramus imaginem, & in nostrum principium reformamur. Sed quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sequitur secũda penna, confessio videlicet oris. Ante omnia confessio (dicit scriptura) nihilque Deo gratius est, quàm confiteri, & accusare quod fecisti. Plena est omnis scriptura sacra tantæ virtutis testimonio, cui tã veteris testamenti, quàm noui tota seruit auctoritas. Istæ siquidem duæ virtutes sunt, quæ multiplicẽ cumulum scelerum nostrorum ante Dei oculos abscondunt. De his dicitur: Duæ tegebant eorum corpora. Beati enim, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatum. Imputauit, dixit, non fecit. Qui enim peccatũ non fecerit non est, nisi vnus, & hic Filius Dei. Omne autẽ, quod ipse nobis non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit. Tertia ala est spes. Hæc est, quæ fragiles animos erigit ad superna, quæ tædium expectationis leuigat, quæ præsumit de misericordia Iudicis, & in diuinæ pietatis obseruatur palatio. Quarta est timor. Iste est, qui subcuit carneã vestem nostram, ossa penetrans, & ipsis se infundẽs medullis. Offert paululum oculis cordis imaginẽ Domini, & illius Domini, qui fecit cœlum, & terram, qui potestatem habet corpus, & animã mittere in gehennam, cuius patientiam prouocasti, thesaurizans tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Cùm hæc intuitu diligentiori prospexeris, timor, & tremor venient super te, & formido mortis interiorem hominem validiùs interueniet. Quia igitur spes multùm præsumit, & timor diffidit nimis, vtrumque iungere non moreris, vt in commune faciant, quod diuisa nõ possunt. Disce sic sperare, vt timeas; sic timere, vt speres. De his scriptum est: Duæ pennæ singulorum iungebantur. Quinta est humilitas. Prope est Dominus his, qui obtriuerunt cor, ait scriptura. Humilitas est mater virtutum, superbia vitiorum regina. Hæc sola virtus virtutum nutrix, quam solã in Virgine Matre respexit Altissimus; cuius, quãdio conuersatus est in terris Filius Dei, & executor extitit, & magister. Discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde. Sexta est charitas. Hæc est principium, & finis, bonorum clausula, singularis filia summi Regis. Superfluum est eam verbis prolixioribus commẽdare, cui alludit tam secularium, quàm diuinarum literarum tota facundia. De his dicitur: Duabus alis volabant. His geminis alis illi pennati euolant ad superna, de quibus dicitur: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quòd si istis volauerimus, nec defecerimus, quandoque etiam pennis Angelorum volabimus, & videbimus illum in decore suo, qui est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

IN FESTO S. HIERONYMI

CONFESSORIS ET DOCTORIS ECCLESIÆ.

Euang. Matth. 4. Vos estis sal terræ, &c.

Vide explicationem in communi Confessorum Doctorum infra eodem Tomo.

IN FESTO S. FRANCISCI

CONFESSORIS.

Euang. Matth. 11. Confiteor tibi domine pater, &c.

Quære eodem Tomo in communi Martyrum.

IN FESTO S. LVCÆ

EVANGELISTAE.

Euang. vide in festo S. Marci Euangelistæ.

ANONYMI, QVI EXTAT *in Homiliario Alcuini in hoc festo, sermo.*



CVM in diuinis atque sacris voluminibus studiosè lectitando perquirerem, ex qua ortus prosapia, à quibus instructus, quosq; imitatus sit viros, quibusue in partibus beatissimus Lucas Euangelista scripserit atque docuerit, quóue pausauerit, eiúsque sacrum deportatum fuerit cadauer loco, singulis singula reperi: & pòst pauca de pluribus carpens, prout sensu capere potui ingenioli mei, partim stylo proprio explicare conatus sum, partim autem sicut à quibusdam reperi scripta doctoribus exarans, vestræ intentis charitatis auribus noster subsequens sermo declarabit. Igitur gloriosissimus Apostolus & Euágelista Iesu Christi Lucas, natione Syrus Antiochensis, arte medicus, Apostolorum Discipulus, almificos eorum actus prout vidit, lucido disertóque sermone prosecutus, in breui libello ad charissimum scripsit Theophylum. Deinde Paulum secutus egregium doctorem Gentium vsque ad triumphum passionis eius, quem cũ Apostolo Petro Romæ excepit, indiuiduus comes peregrinationis eius existens, vbique cum eo permansit. Cuius præcipuè peregrinationis, & sacræ doctrinæ gesta, eorundem (*S. Lucæ patria & professio.*) annectens Apostolorum libello, ad laudem nominis & memoriam ipsorum, & vniuersalis Ecclesiæ stabilimentum texuit. Dúmque eundem gloriosissimum Paulum idem venerabilis Lucas sequeretur in plurimis terræ marísque tribulationibus, dignè ab illo huiusmodi testimonij elegãtia meruit laudari. Sic enim Collossensibus scribens, ait de eo: Salutat vos Lucas medicus charissimus meus in Domino. (*Col. 4.*) Et Timotheo illustri viro scribens, ait: Lucas solus mecum est. (*2. Tim. 4.*) Et in alio loco epistolæ suæ ait de illo inter reliqua salutationis Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi: Misimus etiam fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. (*2. Cor. 8.*) Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis, comes peregrinationis nostræ. Verè enim (vt ita dicam) omnium ore laudabilis est hic Domini Euangelista, qui meruit à tanto Apostolo & doctore Gentium prædicari. Laudemus ergo eum cum ipso, & nos pariter charissimi, & consona voce, corde & ore extollamus, & verum à Deo missum medicum animarum prædicemus eum. Cuius omnia doctrinæ verba nihil aliud resonare videntur, nisi animæ languenti medicinam. Propterea non immerito iste tale sortitus est nomen: Lucas siquidem Aeolicè, in nostra autẽ lingua interpretatur consurgens siue eleuans: Rectè itaque consurgens siue eleuans dicitur, qui terrenis despectis, sese ad cęlestia consurgendo eleuauit, & toto mentis conamine

namine liber expediuisset, est Dominum secutus. Vnde & eius prædicare Euangelium adhuc in ergastulo corporis retentus, & suis sequacibus scribere est dignus habitus, multósque etiam verbo suę prędicationis ad Iesu Christi domini perduxit fidem. O Luca sanctissime Euangelista, dominica atque veridica personans longè latéque verba, cuius fragor Aeolicis quidem primum intonans auribus, gyrat peruertalia cælorum adinstar tonitrui: ac demum, vt psalmographus ait vates, non solùm occiduas vsque protenditur partes, vox omni suauitate melliflua, sed in omnibus terræ

Psal.18. finibus personuit. O insignis pręconij & almitatis Euāgelicę lucifer, ab Orientalibus partibus emittens nobis lumen fidei, & cælestis itineris patenter scandere volentibus callem demonstrans. O animæ salubre medicamentum, beatissime Luca, qui velut nardi pisticę preciosum vnguentum redolens, & interiora pectoris nostri arcana permulsens, ad semper mansura gaudia, vbi nullus languor, nullus dolor, nullúsque gemitus innotitus, voce incessabili nos inuitare omnimodò

*huic. non desistis. Rectè enim * hinc versiculus poëtæ cuiusdam epigrammatis potest aptari. Viuere post obitum vatem vis nosse viator? Quod legis, ecce loquor, vox tua nempe mea est. Hic prorsus cùm descripta essent Euangelia, per Matthæum quidem in Iudæa, per Marcum verò in Italia, instigante Spiritusancto, magis auditu, quàm visu, in Achaię Bithyniæq; partibus historicè suum composuit Euangelium Attico sermone, sicut ab his traditum habuit, qui ab initio viderunt, eique magistri fuerunt sermonis Dei. Incipiénsque à sacerdotum Regúmque temporibus, in hunc videlicet

Luc.1. modum: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, eam historiam plena digestione prosequitur. Huius quoque strenuissimi Euangelistæ Lucæ librum, cum quatuor Euangeliorum libris intelligēdum, arbitrati sunt doctores per vituli speciem figurari. Vitulus denique sacerdotalis est victima, quæ in redemptoris nostri immolatione completa est, qui pro salute totius mūdi in patibulo crucis suspēsus, semetipsum patri hostiam viuam exhibuit. De quo Euangelista pulchre Sedulius presbyter in paschalis descriptione carminis, heroico percurrens carmine ait: Iura sacerdotis Lucas tenet ore vitenti. Et Paulinus Nolanæ sedis præsul de isto Domini venerabili viro, benè ludens versibus canit:

Bis medicus Lucas, prius arte, deinde loquela.
Bis medicus Lucas, vt quondam corporis ægros
Artus consolidat, & nunc in mentibus ægris,
Composuit geminos vitæ medicaminis libros.

Nam quid plura referam de tam veridico eximióque Euangelista, qui meruit à tantis ac talibus laudari doctoribus, hoc est, Hieronymo, Ambrosio, aliísque plurimis, qui muri sunt Ecclesiarum, & eloquentiæ fontes? Quid ne dignè resonem ignoro, cùm mihi si ferrea esset vox, & omnium membrorum meorum artus verterentur in linguas, pleniter in eius laude minimè explere valerem, quæ meretur. Sed amore tanti viri ductus, & non præsumptionis temeritatem gerens homo imperitus, sed quorundam fratrum victus precibus charitatis, hæc vestræ dilectioni compulsus sum exarare. Nunc autem quæ omisimus prosequamur. Ecce enim vt nostri oris ratio roboretur,

eiusdem luculenti Doctoris Ambrosij exempla nostro huic compendioso opusculo annectemus. *Ambrosius in præfatione in commentaria in Lucam.* Sic enim dicit: Sanctus Lucas velut quendam historicum tenens ordinem, plura nobis gestorum Domini miracula reuelauit: ita tamen, vt omnis sapientiæ virtutes Euangelij sui complecteretur historia. Quid enim præcellentius ad sapientiam naturalem, quam quod Spiritum sanctum creatorem etiam dominicæ incarnationis extitisse reseruauit? Vnde & Dauid naturalem sapientiam docens: Emitte, inquit, spiritum tuum, & creabuntur. *Psal.103.* Docet moralia in eodē libro, cùm me in illis beatitudinibus docet mores, quemadmodū non referire & repercutere verberantem, quemadmodum benefacere, mutuum dare cum despectatione recuperationis, & eum remuneratione mercedis. Merces enim facilius sequitur non expectantem. Docet etiam rationalia, cùm lego: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. *Luc.16.* Quid adhuc de naturalibus dicam, quod docuit virtutes cælorum moueri, Dominum solum esse vnigenitum Dei filium, in cuius passione tenebrę per diem factæ sunt, terra tremuit, sol refugiens radios suæ claritatis abstraxit? Ergo omnē, quem mundana sibi prudentia falsò vendicat principatum, sapientia verè possidet spiritalis: præsertim cùm audacius, vt aliquid vsurpemus, ipsa fides nostra, ipsum mysterium Trinitatis sine hac triplici sapientia esse non possit, nisi credamus, & illum naturalem patrem, qui nobis genuit redemptorem: & illum ethicum, qui patri vsque ad mortem secundum hominem obediens, nos redemit: & illum rationabilem spiritum, qui rationem colendæ diuinitatis, & vitæ regendæ humanis pectoribus infudit. Nulla ergo operationum distantia, nulla discretio est, vbi vel in patre, vel in filio, vel in spiritusancto, nulli secunda plenitudo virtutis est. Nunc ad narrationis ordinem redeamus: Omnis ait Dominus, qui petit, accipit: & qui quęrit, inuenit, & pulsanti aperietur. *Matth.7.* Aperi ergo nobis pulsantibus Domine, qui tenes clauem scientiæ, vt aliquid adhuc congruē in laudem tanti Euangelistæ tui beati Lucę, ad ædificationem audientium dicere valeamus. Igitur, vt idem Domini Apostolus in proœmio Euangelij sui testatur, plures fuerunt qui Euangelicam conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis, vt superius diximus, qui ab initio viderunt sermonem filij Dei, & ministrauerūt ei, & perseuerantia vsque ad pręsens tempus monumenta declarant, quæ diuersis authoribus edita, diuersarum hęresum fuerunt principia, vt est illud quod appellatur Euangelium iuxta Aegyptios, secundum Thomam & Matthiam, & Bartholomæum, duodecim quoque Apostolos, ac Basilidem atque Apellem, *Vide Ambrosium in proœmium Lucæ.* & cęteros, quos enumerare longum est, dum hoc tantùm in præsentia necesse est dicere, extitisse quosdam qui sine spiritu & gratia Dei conati sunt ordinare magis narrationē, quàm historiæ texere veritatem. Quibus iure illud propheticum congruit: Væ qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritum suum, qui dicunt: Hæc dicit Dominus, & Dominus non misit eos. *Ezech.13.* De quibus & saluator in Euāgelio dicit: Omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerūt. *Ioan.10.* Qui venerunt, dicit Dominus, non qui missi sunt. In venientibus pręsumptio temeritatis, in missis obsequium ser-

nituris est. Ecclesia autem, quæ supra petram Domini est voce fundata, quam adduxit Rax in accubitum suum, & ad quam per foramen descensionis occultę manum suam misit, similis hinnulo
Cant. 5. ceruorum, quatuor fluminum paradisi instar, eructans de vno fonte quatuor Euangelia, quatuor & annulos, & angulos habet, per quos quasi arca testamenti Domini lignis imputribilibus vehitur.
Zach. 6. Hæc est & illa in Zacharia quadriga, quæ per orbem euecta, iugo fidei colla cunctarũ Gentiũ subiicit. Quatuor pręterea flumina pulchrè dicuntur
Gen. 2. de vno paradisi procedere fonte, per quę quatuor Euangelistarum numerus demonstratur, & quatuor perfectæ virtutes, id est, prudẽtia, temperantia, fortitudo, atq; iustitia designantur. Nam sicut à quatuor saluberrimis luculentísque fluminibus domini irrigatur paradisus, ita & cor nostrum irrigatur à quatuor Euangelistarum instrumẽtis. Ex quo perlucido Iesu christi domini fonte, sanctus iste velut Euphrates procedens, de quo nobis sermo est, Apostolus Lucas, euangelici disputator libri, cor nostrum sæpius rigare, & madefacere non cessat. Et vt Euphrates fertilis, seu fertilitas, & vbertas nũcupatur, ita & iste magnę fertilitatis & vbertatis, seu euangelij dogmate sanctæ ecclesię, toto terrarum orbe diffusæ, augens verbo doctrinæ suæ, fidei incremẽtum radio suæ claritatis veluti iubar ab æthere veniens, ac multorum hominum pectora illustrans, quotidie illuminare non desinit, cum eius verba veluti bonum nuntium in ecclesia leguntur: Euãgeliũ quippe Atticè, Romanè bonum nuntium dicitur, seu bona annuntiatio: nuntiat enim incarnationem, sanctámque natiuitatem Christi, passionem quoque ac resurrectionem, nec non & in cælos ascensionem, venturumque eum esse ad iudicium cum gloria, & regno. Hæc sunt quippe septem sigilla, quibus Ioannes dicit librum esse signatum, quem nullus potest aperire neque in cęlo, neque super terram, neque sub terra, & signacula eius soluere, nisi solummodo leo de tribu Iuda, id est Christus. Vel ideo Euangelium bonum dicitur nuntium, quia annuntiat regnum post laborem, vitam post mortem. Recte ergo hoc ipsum Euangelium iste Euangelista Lucas, ad eundem, vt præfati sumus, scripsit Theophilum, ad quem & librum Actuum Apostolorum, id est ad Dei dilectum. Ergo & nosse te cõuenit, quisquis es, ô homo, quia si Deũ diligis, ad te scriptum est Euangelium. Et si ad te scriptum est, suscipe pretiosissimam margaritam, munus Euangelistæ, & pignus amici in penetralibus animi diligenter obserua. O quale munus, vel quale pignus! Si consideres, si attendas, si mente pertractes, si bene & peruigil obseruaueris, ad sẽper mansura gaudia te felicem perducet, vbi sociatus Angelorum choris incessabiliter exultabis. Hic etiam B. Lucas examussim Græco fuit eloquio eruditus, cui extra ea, quæ Euãgelicæ disputationis ordo deposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, & primum Græcis fidelibus incarnationem domini nostri Iesu Christi fideli narratione ostenderet, ne vel Iudaicis genealogiis intenti, solo legis desiderio tenerẽtur, vel hæreticis fabulis, & studiis solicitationibus seducti excedendo laberentur. Deinde velut cælestis agricola semina doctrinæ euangelij sui innumerabilium mentibus hominum serens, ac vomere suæ insignis linguæ nunciando sulcans, ad creatoris sui fidem conuerteret. Duplicatis etenim talentis domini sui, & centesimum secum adferens fructum, ad gemina cæli palatia perenniter regnaturus, ardenti animi desiderio satagens properauit. Nã martyrium siue corpori assiduis lamentationibus, crebrísque vigiliis membra sua macerans indixit. Hic etiam ab ipso pueritiæ suæ tempore castus omnimodo perseuerans, neque vxorem, neque filios perhibetur habuisse. Ideóque non immerito inter Angelorum agmina, & gloriosum Apostolorum chorum, inter laudabilem prophetarum numerum atque candentia lilia virginum, & immarcessibiles martyrum rosas, & flores coruscat, omniúmque beatorum perfruitur consortiis sanctorum. Tradunt præterea nonnulli hunc Euãgelistam vnum esse ex illis duobus discipulis, quibus in castellum Emaus euntibus Dominus se sanauit, atque in peregrino habitu se ostendẽs, illis sensum aperuit, & in fractione panis vt eum cognosceret mirabiliter patrauit. Hic dũ octuagesimum, & quartum ætatis suæ annum ageret, obiit in Bithyniæ partibus XV. Calend. Nouembris; & à viris catholicis corpus eius humatũ est. Cuius sanctũ cadauer pluribus euolutis iã annorũ circulis, Constãtio Augusto regnante, ad Constantinopolitanam vrbem cum gloria est translatum, & decenter locatum. Vbi quanta, & qualia prodigiorum miracula ad nominis sui laudem per merita huius gloriosissimi euangelistæ Lucæ Dominus Iesus Christus frequenter efficiat, quia ad notitiã nostrã minime peruenerit, omitto retexere. Hoc autem diuina prouidentia constat actum, vt scilicet per plura deportatis loca huius Lucæ Euangelistæ venerabilibus reliquiis, plura virtutum signa fecerit, pluresque per memoriam doctrinæ, & virtutis eius, ad fidem, ad dilectionem domini nostri IesuChristi, quem prædicauit, confluerẽt: Qui cum Deo patre, sancto spiritu viuens, regnat per immensa sæcula sæculorũ, Amẽ.

PETRI DAMIANI IN
eodem festo, Sermo.

QVia per Euãgelium, dilectissimi, de tenebris ad lucem reductus est mũdus, meritò Euangelistarum gloriã celebrat populus Christianus. Sed inter cęteros beatus Lucas, cui pręsens famulaturus est sermo, dũ gemina styli specie & Euangelicam, & Apostolicam contexit historiam, tanquam diuersis agrum Ecclesiæ frugibus ditat, vnde videlicet populus esuriẽs viuat. Hæ planè sunt fruges, quas Ioseph fratribus contulit; hæc pecunia, quam in ore sacci præcepit imponi. Hæc pecunia nunc in Ecclesiæ mensa proponitur, vt vsum postmodum à negociatoribus requiratur. Sed & Ben-jamin hoc etiam præ cæteris additur, vt in sacco eius etiam scyphus cum pecunia reponatur. Quem enim Ioseph per mysterium indicat, nisi Redemptorem nostrum, quem suo iam tũc ille mysterio præfigurabat? Ait enim scriptura: Quia vertit nomen illius Pharao, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Quid per fratres, nisi sancti designantur Apostoli? Quid per Ben-jamin, nisi Paulus, qui de tribu Ben-jamin originem duxit? Omnes ergo fratres fruges prædicationis accipiunt, quas serere per mundum debeant, & pecuniam, quam ad vsuræ lucrum

erum in mensa proponant. Soli verò Ben-jamin etiam scyphus adjicitur, vt per Paulum, quem ille signabat, non tabernaculi cyathus Gentibus, sed amplum, & patulum verbi poculum propinetur. Hinc est enim quòd ait: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, non angustamini in nobis. Ac si dicat: Quia me vobis verbi potum per vberem scyphum largè videtis afferre, & vos sitibundi cordis ad hauriendum ora laxate, vt decurrens vnda non inaniter fluat, sed capacia vasa, in quæ transfundatur, inueniat. De quo videlicet potu per Esaiam Dominus dicit, Glorificabit me bestia agri, dracones, & strutiones quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darē potum populo meo, electo meo. Quid enim bestia designat agri, nisi gentilitatē vtique rationis expertem? Quid per dracones, nisi malitiosi? Quid verò per strutiones, qui pēnati sunt, sed volare nequeunt, nisi hypocritæ figurantur? Hæ ergo bestiæ Deum glorificant, dum Christus gentili populo, qui desertus erat, & inuius, exuberantis euangelij verba propinat. Scyphus itaque Euangelicæ prædicationis, in Ben-jamin datus est Paulo, vt ipse desertum gentilitatis specialiter excolat, & aridítates eius largo sanctę prædicationis imbre perfundat. De quo scilicet imbre scriptum est: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Vnde & ipse Paulus, qui se Apostolum, & magistrum gentium esse testatur, ait ad Galatas, Cùm vidissent quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circūsionis, operatus est & mihi inter Gētes. Vbi notandum, quanta beati Pauli dignitas, quanta sit gloria. Nimirum qui beatum Petrum, & cæteros Apostolos adhuc passibilis, ac mortalis edocuit, ipse Paulum iam glorificatus, & super Angelos exaltatus instruxit. Magister Apostolorū extitit Christus, cum hominum subiaceret iniurijs; Paulum docere non dedignatus est, cùm iam virtutum cœlestium vallaretur obsequiis. Cum alijs degebat Apostolis, dum nostræ mortalitatis adhuc infirma perferret; Paulum sibi familiarē fecit, cùm, calcato, ac potenter euerso mortis imperio, paternæ maiestatis solio præsideret. Hinc est quod ait: Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici sed per reuelationem Iesu Christi. Ideóque licet sancti Apostoli per corporales obtutus cuncta Saluatoris nostri gesta perspexerint, in nullo tamen beati Pauli præcessere notitiam, dum idem hunc de cælo Magister instruxit, qui ante cum illis in terra corporaliter habitauit. Vnde est, quòd ad Corinthius per interrogationem dicit: Non sum Apostolus? Nónne Iesum Dominum nostrum vidi? Nónne opus meū vos estis in Domino? Deo itaque reuelante, ad tantam peruenit scientiæ plenitudinem, atque ita perductus est in omnem Euangelicæ regulæ veritatem, vt cùm omnes superessent, Apostolorū magisterio non egeret. Hinc est, quòd ad Galatas dicit: Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum Gentibus, continuò non acquieui carni, & sanguini, neque veni Hierosolymā ad antecessores meos Apostolos. Quando autem scrit, apertuit

Non egebat aliorum magisterio Paulus à Christo edoctus. Hoc tamen peculiare illi fuit.

cùm subiungit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. Videre non discere. Sed dicat aliquis: Hic sermo non Lucam Euangelistam, sicut promiseras loquitur; sed in Pauli Apostoli disputatione versatur. Verùm planè nec possumus diffiteri. Sed cùm beatus Lucas eiusdē Apostoli indiuiduus comes extiterit, atque ab eo didicerit omne quod scripsit, vbi dignitatem pręceptoris exprimimus, alumni quoque pręconium non tacemus. Et doctoris laus redundat in discipulum, dum Euangelicæ veritatis historiam, quā ille diuinitus didicit, hic ex eius ore percipiens, fideliter apicibus exarauit. Quantæ ergo dignitatis, quantæque sit excellentiæ beatus Lucas, in hoc liquidò deprehenditur, quia cùm Marcus à beato Petro eductus, & Matthæus, atque Ioannes, qui Euangelium descripserunt, Redemptoris nostri gesta in terra didicerint, iste solus (vt ita loquar) hoc Euangelium scribere meruit, quod de cælo descendit, dum scilicet, hoc Spiritus sanctus Paulo cœlitus reuelauit, & postmodum per eundem Paulum, quasi per organum suum, beato Lucæ, Christus innotuit. Hinc est quod ipse Paulus ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? De cælo ergo Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eademque per Paulum in Lucam, velut aurea fistula mediante, transfudit; vt huic beato viro non immeritò congruere videatur quod per Esaiam dicitur: Primus ad Sion dicit, Ecce adsum, & Hierusalem Euangelistam dabo, Ideoque non casu, sed Spiritusancti magisterio factum est, vt beatus Matthæus, quia conuersante in terra Domino Euangelium didicit, quadraginta generationes enumerando descendat. Per quadragenariū quippe numerum labor exprimitur, quo videlicet Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, per diuersa vitæ huius tempora fatigatur. Hinc est, quod Moyses, & Elias per quadraginta dies continuauere ieiunium. Sed & ipse Dominus sub eodem numero abstinuit à perceptione ciborū. Per Moysem itaque lex, per Eliá prophetia, per Christū verò noui testamenti patenter intelligitur gratia. Per afflictionem ergo legis, prophetiæ, simul & gratiæ, labor innuitur vniuersalis Ecclesiæ per vniuersa mortalis huius vitæ secula fatigatæ. Hinc est, quod filij Israel ærumnis, atque laboribus diutinæ peregrinationis attriti, post quadraginta annos terram sunt promissionis ingressi, quia videlicet omnes electi post emensum huius peregrinationis excursum, mox hæreditario iure terram viuentium possidebunt. Per numerum ergo quem Matthæus ordinat, susceptio laboriosæ mortalitatis nostræ; per illum vero, quem Lucas posuit, indubitanter exprimitur mysterium nostræ redemptionis. Per illum similiter numerum edocemur, quia Christus iuxta Prophetiam peccata nostra ipse portauit; per istum verò consequenter addiscimus, quia secundum Apostolum omnia nobis delicta donauit. Ipse quippe est Agnus, qui oblatus est, quia ipse voluit; ipse est, qui & abstulit peccata mundi. Septuagenarius quippe septimus numerus, quem Lucas posuit, remissionem significat peccatorū, sicut ipse Dominus innuit, cùm Petro quærenti, quotiēs essent dimittenda fratri peccata, respōdit: Dico tibi, non tantùm septies, sed vsque septuagies septies. Nec mirum si per hunc numerum, qui ab vndenario,

& denario nascitur, humanæ prauitatis abolitio designatur. Vndenarius quippe numerus si septies multiplicatur, profectò septuaginta septem summa completur. Sed denarius, qui perfectus est numerus, decalogum signat. Per vndenarium verò, qui hunc transgreditur, quid nisi legalis transgressio figuratur? Cùm ergo in tota illa summa legis, simul & transgressionis, vterque numerus comprehendatur, quid mirum, si per eam scelerú remissio designetur? Septenarius planè numerus, qui supra dominum in columba descendit, nostrę prauitatis vndenarium aboleuit. De quo scilicet charismatum numero per Esaiam dicitur: Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & implebit eum spiritus timoris Domini. Vnde beatus Lucas, vt expiari nos à nostris sceleribus per aduentum nostri Saluatoris ostendat, non ab Euangelicæ narrationis exordio, sed à baptismo duntaxat, Christi cognationis ordinem inchoat. Quod etiam in libro Geneseos euidenter ostenditur, vbi Lamech vxoribus suis dixisse narratur: Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Vltio quippe de Lamech septuagies septies danda dicitur, quia septuaginta septé homines de fœmoribus eius perhibétur egressi, ac postmodum diluuio vorante referuntur absorpti. Sed quia Lamech Percutiens, siue percussus exprimitur, quid per hunc nisi primus parens humani generis figuratur, qui nimirum peccati telum, quo primus ipse percussus interiit, vniuerso quoque generi successuræ posteritatis infixit? De hoc ergo Lamech septuagies septies vltio data est, quia peccatum, quod primus homo contraxit, per septuagintaseptem generationes in humano genere viguit. Vsque ad Christum siquidem peccatú originale permansit, quod ipse per baptismi sui (vnde Lucas incipit) sacramenta deleuit: Vbi videlicet de illo dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Redemptionis ergo nostræ materiam vterque sanctus Euágelista sic inuicem diuidunt, & narrationis partem sibi quisque congruam sumunt, vt Matthæus per generationum lineam descendendo, Christum ad nos peccatores de cælis aduenisse perhibeat, Lucas autem à sacramento Baptismatis ad patrem vsque conscendens, traxisse nos secum ad cælestem gloriam peccatorum sordibus ablutos ostendat. Ille siquidem astruit Christum ad terram misericorditer descendentem, iste fatetur enim nos ad cælestia subleuantem. Ostendit ille pastorem nonagintanouem oues in deserti pascuis relinquentem, docet iste quam perdiderat oué scapulis impositam ad ouile proprium reuocantem. Ille perhibet descendisse medicum ad ægrotos; fatetur iste ad incolumitatis æternæ gaudia secum nos reduxisse sanatos. Ostendit ille solum vnigenitum à Patre ad nos missum; docet iste quoniam ad cælestem patriam multitudinem transtulit electorum. Porrò vtriusque Euangelistæ intentionem vnà beatus Paulus comprehendit, dicens: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Nam cùm dicit: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati: ostendit susceptionem mortalitatis nostræ, quam Matthæus apertè declarat, cùm ab Abraham descendendo, quadraginta generationes enumerat. Cùm verò subiungit: Et de peccato damnauit peccatum in carne: abolitioné perhibet peccatorum, quam Lucas indubitanter exprimit, cùm septuaginta septem cognationum lineam texit. Quam videlicet vtranque sententiam idé Paulus vno alibi versiculo cóplexus est, dicés: Iesus Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationé nostrá. Descendit enim Christus vt nos a peccatis eriperet, surrexit autem, vt candore iustitię nitidos exhiberet. Quę nimirum vtriusque beati Euangelistę diuersitas etiam in hoc euidenter ostéditur, quia Matthæus per Salomonem, in cuius matre David per adulterium corruit, dominicæ generationis lineam descendendo producit; Lucas autem per Nathan ascendit, per cuius videlicet æquiuocum Prophetam hoc ipsum eiusdem David peccatum dominus expiauit, & sic quasi lapsum miseratus erexit. Ille itaque docet, Dei filium ad nos humiliter inclinatum; Iste pronunciat nobiscum simul cum triumphali gloria cælitus exaltatum. Descendit enim Christus ad iacentes, vt eos secum proueheret in astra victores. Vnde non sine diuino factum præsagio creditur, quòd beatus hic Euangelista tali vocabulo nuncupatur. Lucas enim Hebraicè, Ipse consurgens, siue eleuás, vertitur in Latinum. Hoc igitur in proprio nomine pretulit, quod ipse postmodum de Saluatore cóscripsit. Redemptor enim noster & ipse de morte surrexit, & nos ad cælestia viuentes de mortuis eleuauit. Vnde & & per Apostolum dicitur: Qui nos conresuscitauit, & consedere fecit secum in cælestibus. Ipse itaque principaliter consurgens, siue eleuans dicitur, quoniam ad hoc de morte resurrexit, vt nos in morte prostratos erigeret; ad hoc ascendit in cęlum, vt secum nos ad cęlestia subleuaret. Quod igitur beatus Lucas de Christo scribendo perhibuit, hoc quasi propheticè proprio nomine designauit. Et hoc magnum certè mysterium, quod beatus Lucas à baptismo Saluatoris incipit, & vsque ad Deum Patrem generationum lineam ascendendo producit. Per lauachrum quippe sancti baptismatis a peccatis abluimur, & sic Deo Patri per Mediatorem Dei & hominum reconciliamur. In baptismo itaque est nostræ ascensionis initium, & sic ad Deum à viuentibus peruenitur per boni operis incrementú. Nec prætereundum, quia cùm Redemptor noster verus vtique sit Rex, & sacerdos, sicut beatus Matthæus regiam eius texuit describendo progeniem, sic è diuerso Lucas sacerdotalem indicat per omnem textum sui voluminis dignitatem. In sacerdotali quippe plerunque versatur officio, & dum diuersa Dominici operis gesta percurrit, ab his tamen, quæ ad sacerdotium pertinent, non recedit. Modò enim sacerdoti delegatum narrat officium, modò progeniem, modò vicem, modo sacrificium, modo nominat templum, & cùm plurima intra sacræ historiæ seriem comprehendat, in intentione tamen, qua experat, prosequendi sacerdotij perseuerat. Nam in ipso sui narrationis initio sic exorsus est, dicens: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, Deinde ipsum sacerdotem ad adolendum ante altare sacrificium statuit. Postmodum quoque ad eiusdem sacerdotis domum Mariam Virginem dirigit. Tria quoque cántica in Ecclesia cantanda

tanda describit (quod nullũ Euangelistarũ præter eũ fecisse reperitur) vnũ scilicet Zachariæ, secundũ Mariæ, tertiũ Symeonis. Quadragesimo verò die, postquam natus est, Dominũ cum muneribus in templo narrat oblatum. Deinde duodenẽ in eodem templo inter doctores constituit residẽtem. Parentes quoque Domini narrat per singulos annos in solennitate Paschali orationis gratia Hierusalem ascendere solitos. Postremò Euangelium suum hoc fine concludit, vt dicat: Ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Vnde fit, vt beatus Lucas vituli speciem teneat, sicut & Ezechiel Propheta, & Ioannes Euangelista se vidisse pronunciant. Vitulus siquidem in templo solebat offerri. Et benè vitulus, quia sacræ linguæ vomere cordis nostri arua prosulcat, eáque Euangelici seminis iactu vitali fruge fœcundat. Vel certè idcirco beatus Lucas vituli prætendit imaginẽ, quia dum Euangelicam, atque Apostolicam describit historiam, hostes Christi, atque aduersarios veræ fidei, tanquam duobus cornibus ventilat, eosque, ne aream catholicæ Ecclesiæ depopulẽtur, expugnat. His autem cornibus præmunitur, quibus & Iudæos feriat non credentes, & hæreticos hinc inde concludat à regula veræ fidei declinãtes. Scripsit itaq; beatus Lucas Apostolorum labores, & actus, quibus & ipse collaborator interfuit. Scripsit & Euangelium, quod quasi signatum magni thesauri pondus de cœlo percepit. Cui videlicet illud Esaiæ vaticinium congruenter aptatur, quo dicitur: Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum: & respondet: Non possum, signatum est enim. Quis est enim liber ille signatus, nisi sanctum Euangelium mysticis figurarum sententiis obuolutum, & ab humanæ mentis intelligentia procul arcana quadam profunditate remotum? Hic profectò liber ille est, de quo Ioãnes ait: Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Quæ sunt autem sigilla, quibus liber Euangelicus obsignatus dicitur, nisi septem illa sacramenta, quibus vtique totus ordo Dominicæ dispensationis impletur, videlicet incarnatio Domini, natiuitas, passio, resurrectio, ad cœlos ascẽsio, deinde iudicium, postremò regnum? His itaque sigillis liber Euangelicus ita signatus est, vt nisi eum Christus aperuisset, cuilibet omnino patere non posset. Vnde subiungitur: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. In actibus verò Apostolorum dum quasi nudã narrat historiam, quodammodo nascentis Ecclesiæ teneram lactat infantiam. Sed, si diligenter attendimus, quia medicus est ille, qui scribit, nil aliud in illa reperimus historia, nisi dumtaxat animarum languentium medicinam. Humanæ quippe conuersationi quasi quandam rectitudinis lineam tendit, & per eam nos quasi semitam dirigit, vt sicut primitiuam Ecclesiam vixisse perpẽdimus, in quantum facultas suppetit & ipsi viuere studeamus, quatenus eadem puritas, quæ de origine fontis emanat, etiam per declinia nihilominus postrema decurrat, & qualis oriendo progreditur, talis in fine seruetur. Vnus est enim ipse de quatuor fluminibus Paradisi, qui videlicet vberibus doctrinæ suæ fluentis vniuersam mundi latitudinẽ irrigauit. De quibus videlicet aquis per Esaiam dicitur: Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Recurramus itaque, dilectissimi, ad innocentiam primitiuæ Ecclesiæ, vt discamus & possessa relinquere, & in regiæ paupertatis simplicitate gaudere. Non ad ima nos terrenæ substantiæ pondus deprimat, quos ad supernæ Hierusalem gloriam Rex cœlestis inuitat. Non nos ab hoc itinere carnalis illecebræ retrahat lenocinium, quibus vtique per præcedentis nostri Redemptoris introitum patet aula cœlorum. Nam dum generationis eius ordo ab humilitate baptismatis ad Patrem vsque producitur, liquet procul dubio, quia patriæ cœlestis ingressum se sequentibus pollicetur; & quò prior introiuit, sibi ministrantibus viam strauit. Volo, inquit, Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus: vt nimirum ad caput se membra colligãt, &(sicut eodem spondente promittitur) vbi fuerit corpus, & aquilæ congregentur. Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Nam (sicut idem dicit Apostolus) talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & veri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo. Illic itaque se iam noster spiritus dirigat, illuc diruptis terrenæ concupiscentiæ vinculis æstuanter euolare contendat, & vbi caput eminere considerat, se quoq; secuturũ esse confidat. De quo videlicet dicitur: Nõ in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Illic ergo habemus Pontificẽ, qui iustificet peccatores. Illic habemus Regem, qui coronet post victoriam triumphantes; qui nimirum ad hoc dignatus est de summis ad ima nostra descendere, vt nos secum ab infimis ad propria subleuaret, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

IN

IN VIGILIA SS. APOSTOLORVM SYMONIS ET IVDAE.

Euang. Ioan. 15. Ego sum vitis vera,&c.

Quære in communi Martyrum tempore Paschali infra eodem Tomo.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SYMONIS ET IVDAE.

IOAN. 15.



N illo tempore:dixit Iesus discipulis suis, Hæc mando vobis,vt dili-
a Qui odit quæ diligo. b Grandis consolatio membris, ex capite.
gatis inuicē. Si [a] mundus vos odit,scitote quia [b] me priorem vobis
c Contempto. d Damnato.
[c] odio habuit. Si de [d] mundo fuissetis, mundus quod suum erat
e Falsa dilectione, qua se falso diligit, sed vere odit se: quia naturam odit, diligit vitium. f Nunc. g Quia tunc de eo fuistis. h Gratia.
[e] diligeret. Quia verò de mundo non [f] estis, sed ego elegi vos [g] de [h] mundo,
propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis:
i Quia. k Sic ita.
[i] Non est seruus maior domino suo.Si me [k] persequuti sunt, & vos persequen-
l Non potest placere seruus, cui displicet dominus. ¶ In quibus ego. m Vt in eo caperent & calumniarentur. n Qui etiam meus.
o Quæ dixi, odio habebant, persequentur, sermonem contemnent.
tur.[l] Si sermonem meum [m] seruauerunt,& [n] vestrū seruabunt. Sed hæc [o] om-
p Id est, me in vobis oderunt, & persequuntur sermonem, & quia meus est, contemnunt. q Ex scientia, qua scriptum est: Scire autem te sensus est consummatus.
nia facient [p] vobis propter nomen meum, quia [q] nesciunt eum qui me misit:
r Sed si non venis. s Illud quod tenetur, &c. & sine quo dimittuntur, id est, credere in Christum, qui ideo venit vt crederetur in eum.
t De quibus supra. Si me persequuti sunt, &c.
[r] Si non venissem & loquutus eis fuissem, [s] peccatum non [t] haberent. Nunc
v Quia veni & loquutus sum eis.
autem [v] excusationem non habent de peccato. Qui me odit, & patrem meum
x Non inter eos vel coram eis, sed in eis, quia eos sanauit, pro quibus debuerunt eum amare non odisse. y Illud magnum.
odit.Si opera non fecissem [x] in illis,quæ nemo alius facit, [y] peccatum non ha-
z Illa opera. a Et si nescientes.
berent. Nunc autem & [z] viderunt, & [a] oderunt & me & patrem meum.Sed vt
b Quæ est eis data. c In psalmis.
impleatur sermo, qui in [b] lege eorum [c] scriptus est: quia odio habuerunt
me gratis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Æ c *man.* Hic ostendit quis sit fructus quem dixerat: pro quo & dabit pater quod petimus, qui & hoc dedit, vt diligamus. *Vt di.* Aug. Merito sæpe dilectionem commendat, quasi sola præcipienda sit sine qua non possunt cætera, quæ sine cæteris non potest haberi. Pro hac autem patienter debemus sustinere etiam omnia aduersa mūdi. Vnde subdit: *Si mundus.* Nomine mundi aliquando boni, aliquando mali designantur: quia vna massa est quæ tota in Adam periit, de qua sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam. *Mundus quod suum.* Si malus punit scelus mali ex parte odit mūdus quod suum est: Dum punit ex parte amat, quia

quia malus fauet malis. *Sermonis mei.* Hoc scilicet, *Non est.* Et illius superioris. Scitote, quia me priorem vobis, odio habuit. Et subdit causam: *Non est ser. &c.* Quia exemplo sui (quo aliud melius non est) monuit adferenda odia mundi, subdit quare debeant eum in hoc imitari: quia ipse Dominus, illi serui. *Si non venissem.* Hic expressius Iudæos ostendit, ad quos venit, de quibus sub nomine mundi superiora dicebat. Et quia ad eos venit, hic inexcusabiles de omnibus malè ostendit. *Excusa.* Illi quibus non venit, nec loquutus est, habent excusationem non de omni peccato: sed de hoc, quòd in Christum non crediderunt. Hi vero quibus in apostolis venit & loquutus est non excusantur. Priores verò qui sine lege peccauerant,
Rom.2. sine lege peribunt. *De peccato.* Quod non credunt me, sed oderunt, & persequentur in meipso & in meis: sed hoc peccatum in me etiam redundat in patrem quia qui me odit, & patrem meum odit. Et quod est grauissimum, non solum veni & loquutus sum, sed opera feci, quæ videntes oderunt & me & patrem. Nec est causa quare, sed vt impleatur ser. qui in le. eo. scrip. est. Quod est: Sed gratis oderunt sicut scriptum est:
Psal.34. *Qui me.* Quæstio non dissimulanda hic nascitur, quomodo, id est, poterant odisse quem nesciunt. Si enim Deum nõ (quod est ipse, sed nescio quid aliud suspicantur esse) credunt & hoc oderunt, vtique non ipsum oderunt, sed quod sua suspitione mendaci, vel falsa credulitate concipiunt. Si verò quod est hoc de illo sentiũt, quomodo eum nescire dicuntur? & quod est de hominibus vel in hominibus hoc fieri potest, Non enim viros possumus diligere vel odisse, sed non ignotos, quia & si non visi, fama vel literis nota est eorum probitas vel improbitas, quòd si diligimus bona & odimus mala, & ita non erramus in iudicio rerũ, veniale est. Si non vera sentimus de occultis hominum, quæ est humana tentatio: si suspicemur aliter esse quam sint, quæ suspitiones si sint humanæ, iudicium de talibus, id est, diffinita certáq; sententia prohibetur. Ex suspitionibus autem euenit, vt bonus bonum si putet malũ nesciens oderit, qui etiam nesciens malum diligit. Sic & malus cui displicet bonitas, bonum odit: & si putet malum nesciens diligit. *Quæ nemo alius fecit, pec.* Aug.
Ioan.6. Quod pauit tot milia de paucis, quod super aquas
Matth.14. iuit, & Petrum ire fecit, & alia huiusmodi. Sed &
Exod.14. Moyses in diuiso mari, in manna, & Iosue in diui-
Iosue 3. Iosue 10. so Iordane, in stato sole: & alij patres fecerunt quæ nec Christus nec alius fecit. Non ergo de talibus hic dicit. Superat etiam Christus miracula omnium, quòd natus de virgine, quòd de morte surrexit: sed hæc non sunt facta in eis, nec coram eis.
Ioan.2. Dicit ergo de sanitatibus, quot & quantas nullus
Ioan.14. fecerat in eis, & quia ipse per seipsum fecit, nemo sine eo. *Oderunt & m.* Iudæi dicũt se diligere Deũ, & tamen nescientes oderunt: quia qui volunt esse mali, nolunt esse veritatem qua damnantur. Et sicut oderunt suam pœnam: oderunt veritatem, quæ irrogat pænam nesciẽtes eum esse veritatem. Et si oderunt veritatem, oderunt eum, de quo nata est veritas, & ita patrem nesciẽtes de eo natam veritatem oderunt. *Quia odio.* Gratis odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit. Sic impij oderunt Christum. Sic iusti diligunt gratis, non propter aliud, sed propter ipsum.

CATENA AVREA
in idem Euang.

HÆc mando vobis vt diligatis inuicem. Aug. Dixerat Dominus, Posui vos vt eatis & fructum afferatis. Charitas autẽ fructus noster est, de quo itaque fructu mandans nobis dicit, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Vnde & apostolus, Fructus (inquit) spiritus charitas: ac deinde cætera tanquã ex illo capite exorta & religata contexuit. Meritò itaque sic dilectionem sæpe commendat, tanquã sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Chr. Vel aliter continua: Dixi quoniã animam meam pro vobis pono: & quia primum vos elegi. Hæc autem omnia non exprobrans dixi, sed ad dilectionem vos inducens vt diligatis inuicem, deinde quia persecutionẽ pati, & a multis exprobrari difficile erat, ostendit cõsequenter quòd nõ dolere, sed lætari oportet, vnde sequitur: Si mũdus vos odit, sci. quia me pri. vo. od. hab. quasi dicat, Scio hoc esse durum: sed propter me patiemini. Aug. Cur enim se membra supra verticem extollunt: recusas esse in corpore: si non vis mundi odium sustinere cum capite? Pro dilectione autem patienter debemus etiam mundi odium sustinere: necesse est enim vt eos oderit, quos cernit nolle quod diligit: vnde sequitur, *Si de mũdo fuissetis, &c.* Chry. Quia enim propter Christum pati nondum erat eis sufficiens mitigationis causa, illa causa dimissa hanc adiecit, ostendens quòd hoc est virtutis argumentum à mundo odio haberi, vnde dolere oporteret, si à mundo diligeremini, hoc enim est malitiæ vestræ ostensiuum. Aug. Vniuersæ autem hoc dicit ecclesiæ, quam plerumque mundi nomine appellat: sicut est illud: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Totus ergo mundus ecclesia est: & totus mundus odit ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, inquinatus mundatum. Quæri ergo potest si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impij reges & iudices, cum essent persecutores piorum, vtique & homicidas & adulteros puniebant, quomodo intelligendum est quod dominus ait: *Si de mundo essetis mun. quod suum est, diligeret?* Nisi quia mundus est in eis à quibus talia scelera puniuntur: & mundus est in eis à quibus diliguntur. Mundus ergo odit quod suum est, ea ex parte hominum qua sceleratis nocet: & diligit quod suum est, ea ex parte qua ipsis fauet. Si etiam quæratur, quomodo se diligat mundus, qui odit modum redemptionis? Diligit vtique falsa dilectione, non vera, quoniã quod ei nocet, hoc diligit: odit naturam, diligit vitium, vnde & nos prohibemur diligere in illo quod ipse diligit, & iubemur diligere quod ipse odit in seipso. Vitium quippe in illo diligere prohibemur: iubemúrque naturam. Vt autem de hoc mundo damnato non essent, electi sunt inde: non meritis suis, quorum nulla bona præcesserant opera, non natura, quæ tota fuerat in ipsa radice vitiata: sed gratia. Vnde sequitur, *Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus:* Gre. super Ezechielem in ho. 9. Nam peruersorum detractio, vitæ nostræ approbatio est, quia iam ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis

si illis displicere incipimus qui non placent Deo. Nemo enim potest in vna eadémque re omnipotenti domino atque eius hostibus gratus existere. Nam se Deo amicum denegat, qui eius placet inimico: & inimicis veritatis aduersabitur, qui eidem veritati in mente subiugabitur. Aug. Exhortans autem dominus suos seruos ad mundi odia perferenda patienter, nullum eis maius & melius quàm de seipso proponit exẽplum. Vnde sequitur, *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis. Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, &c.* Glo. Idem obseruauerunt vt calumniarẽtur: iuxta illud: Obseruabit peccator iustum. The. Vel alit. Si dominum (inquit) persecuti sunt, vos etiam seruos multò magis. Si non persecuti fuissent, sed sermonẽ custodiuissent, vestrum etiã custodirẽt. Chry. Quasi dicat, Non vos turbari oportet si cõmunicabitis meis passionibus, quia vos non estis potiores. Aug. Hic autem vbi dicitur: *Non est seruus maior domino*, illum significat seruum pertinẽtem ad timorem castum qui permanet in seculum seculi. Chry. Deinde & aliam mitigationem ponit: quoniam & pater cum eis cõtumeliam patitur cui iniuriantur. Vnde sequitur, *Sed hæc omnia facient vobis, &c.* Aug. Quæ omnia nisi quæ dixit odio habebunt & persequentur sermonémq; contemnent? Quid est autem aliud dicere, *Propter nomen meum*, quam me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, & sermonem vestrum quia meus est, ideo non seruabunt. Tantò igitur miseriores qui propter hoc nomen ista faciunt, quantò beatiores qui propter hoc nomẽ ista patiuntur. Faciũt autem & ista mali malis, sed vtrique miseri, & qui faciunt, & qui patiuntur. Quomodo autem hoc erit verum, *Hæc omnia facient vo. propter nomen meum*, cùm illi non propter nomen Christi faciãt, hoc est propter iustitiam, sed propter iniquitatem suam? Hæc quæstio ita soluitur. Si totum referatur ad iustos tanquam dictum sit: Hæc omnia patiemini ab eis propter nomẽ meũ. Si autem, *Propter nomen meum*, sic accipitur, id est, quod in vobis oderũt & propter iustitiam, quam in vobis oderunt. Similiter rectè dici possunt & boni, cum persecutionem faciunt malis, & propter iustitiam facere quam diligendo persequuntur malos, & propter iniquitatem quam oderunt in ipsis malis. Quòd autem addidit, *Quia nesciunt eum qui misit me*. secundum eam scientiam dictum est, qua dicitur, scire te, sensus est consummatus. *Si non venissem & locutus non fuissem eis, &c.* Chry. Ponit iterum dominus aliam discipulorum mitigationem, ostẽdens quoniam iniustè & in ipsum & in discipolos talia operabuntur. Vnde dicit, *Si non veni. & locutus eis, &c.* Aug. Iudæis locutus est Christus non aliis gentibus: in eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum & discipulos eius. Immò verò non in eis solis, sed nos quoque ad eundem mundum pertinere monstrauit. Nunquid ergo sine peccato erant Iudæi, quibus Christus locutus est, antequam Christus in carne venisset? Sed magnum quoddam peccatum: non omne peccatum sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc autem est, quia non crediderunt in Christum: qui propterea venit vt credatur in eum. Hoc ergo peccatum si nõ venisset, non vtique haberent. Aduentus enim eius quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitialis factus est. Sequitur, *Nunc autem excusationem nõ habent, &c.* Si autem hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, excusationem non habent de peccato suo: cur hic dictum est propterea istos non habere: quia venit & locutus est eis. Si autem habent, vtrum ad hoc habent vt à pœnis alienentur: aut vt mitius puniãtur? Ad hæc inquisita respondeo eos habere excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato suo, quòd in Christum non crediderunt. Sed non in eo sunt numero, ad quos per discipulos venit: non sunt enim in pœna leniori ponendi qui omnino legem Christi accipere noluerũt: & eam quãtum ad ipsos attinet omnino nullam esse voluerunt. Hanc etiam excusationem possunt habere, qui prius quàm Euangelium Christi audirent, vitæ huius fine præuenti sunt, sed nõ ideo possunt effugere damnationem. Quicunque enim homines nisi in eo Saluatore saluentur, qui venit quærere quod perierat: ad perditionem sine dubio pertinebunt: quamuis dici possit alios leniores, alios grauiores pœnas passuros. Ille enim perire Deo dicitur, qui ab illa beatitudine quam dat sanctis suis per supplicium separatur. Tanta est autem diuersitas suppliciorum: quanta est diuersitas peccatorum: quæ quomodo se habeat, altius iudicat sapientia diuina quam coniectura scrutatur, aut effatur humana. Chry. Quia verò hinc inde causabãtur, quoniam propter patrem eum persequebantur, destruens eorum excusationẽ dicit, *Qui me odit, &c.* Alc. Sicut enim qui diligit filium, diligit & patrem: quia vna est dilectio patris & filij sicut vna natura, ita & qui odit filium, odit patrem. Aug. Sed cùm superius dixerit: Nesciunt eum qui me misit, quomodo possunt odisse quem nesciũt? Si enim Deum non quod est ipse: sed nescio quid aliud eum suspicãtur aut credunt, non vtique ipsum oderunt, & de hominibus quidem fieri potest vt eos sæpe quos nũquam vidimus oderimus vel diligamus, fama de aliquo sermocinante, vel bene vel malè. Sed quomodo de quo natura nobis intimatur dicendus est ignotus? Non enim eius facie corporali nobis intimatur, sed tunc nobis ad cognitionem patet, quando eius mores & vita non latent, alioquin nec seipsum nosse quisquam potest qui videre faciem suam non potest. Sed plerunq; in eis nostra credulitas fallitur, quia nõnunquam & historia: & multò magis fama mentitur. Pertinet autem ad nos: vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certámque sententiam. Quando ergo non erratur in rebus vt recta sit improbatio vitiorum virtutúmque approbatio, si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Proinde sicut fieri potest vt homo bonus hominem bonum oderit, nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum vel potius diligat, nesciẽs cùm bonum diligit, quod est ille: ita fieri potest vt homo iniustus hominem oderit iustum, & tamen dum eum credit iniustum, diligat non ipse sed quod putat esse ipsum, quemadmodum autem homines: sic & Deum. Deinde sic interrogarentur Iudæi, vtrum diligerent Deum, se diligere responderent, non ex animo mentientes, sed errando potius opinantes: quomodo enim diligerent patrem veritatis qui habent odio veritatem? Nolunt

luit enim sua facta dănari: & hoc habet veritas. Tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas quas talibus irrogat. Nesciunt autem illam esse veritatem, quæ tales quales ipsi sunt damnat, ac per hoc quia veritatem qua iudicante damnantur, de patre Deo natam nesciunt, etiam ipsum & sciunt & oderunt. Chry. Sic igitur non habent (inquit) excusationem, per hoc quod eam quæ à sermonibus doctrinam tribuebant, sed & eam quæ ab operibus adieci secundum Moysi legem? qui ab eo quod hoc facit persuaderi vniuersos iussit, cùm ad pietatem ducat, & miracula tribuat, vnde subdit: *Si opera non fecissem, &c.* Aug. Hoc scilicet peccatum quòd in eum loquentem & operantem non crediderunt. Sed quid est, quod addidit, quę nemo alius fecit. Nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora quam suscitatio mortuorũ: quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas, fecit tamen aliqua Christus quæ nemo alius fecit. Sed respondetur nobis & alios fecisse quæ nec ipse nec alius fecit. Sed quòd tam multa vitia & malas valetudines vexationésque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum: vt enim taceatur quòd iubendo sicut occurrebant, saluos singulos fecit. Marcus dicit quòd quocũque introibat in vicos vel in villas aut in ciuitates, in plateis ponebãt infirmos, & deprecabãtur vt vel fimbriã vestimenti eius tangerent & quotquot tangebant eum salui fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est, quod ait, *In eis*, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos, nemo tamen alius fecit, quicũque tanta opera in eis fecit, quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit ipso faciente fecit, hæc autem ipse non illis facientibus fecit: sed hæc & si pater spiritus sanctus fecit, nemo alius fecit, quia totius trinitatis vna substantia est, his ergo beneficiis amorem non odium retribuere debuerunt, & hoc eis exprobrans adiungit, dicens, *Nunc autem vide, &c.* Chry. Hoc autem dicit ne discipuli dicant; Cur igitur intra tot nos induxisti mala? Nónne prælia & odium præuidisti? sed & prophetiam in locum: eum subdit: *Sed vt adimpleatur sermo, &c.* Aug. 12. de tri. Legis nomine aliquando simul omnia veteris testaméti sanctarum scripturarum significantur eloquia, & ita dominus hic dicit, *In le. eo. scriptus est*: cùm legatur in psalmis. Aug. su. Io. Eorum autem legem dicit non ab ipsis inuentam, sed ipsis datam. Gratis autem odit qui nullum ex odio commodum quærit vel incommodum fugit: sic oderũt Deum impij, sic diligunt iusti, vt alia præter illum bona non expectent, quoniã ipse erit in omnibus omnia. Greg. 25. mo. Aliud est autem bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est ex præcipitatione, aliud ex deliberatione peccare. Ex infirmitate enim plerunque solet accidere amare bonum: sed implere non posse. Ex studio autem peccare est bonũ nec facere nec amare. Sicut ergo nonnunquam grauius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse iustitiam quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in ecclesia qui non solum bona non faciunt: sed etiam persequuntur, & quæ ipsi facere negligunt etiam in aliis detestantur. Horum peccatum non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex solo studio perpetratur.

S IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia.

AVdistis de regno, gauisi estis, vt impleatur lætitia vestra, hæc locutus sum vobis, *hoc est* Ex Hom. 76 in Ioan.
præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Intuere Dei dilectioné, tãquàm catena quadàm nostræ dilectioni connexam: ideirco nunc duo, nũc vnum mandatum dicit: nemo enim primum sine altero assequi potest. Nunc inquit, in hoc & Math. 22.
leges, & prophetæ pendent: nunc; quæ vultis vo- Ibid. 7.
bis homines faciant, eadem & vos eis facite. Hæc est enim lex, & propheta, dilectio, vt hoc in loco testatur. Nam, si perseuerantia à dilectione, dilectio à mandatorum obseruatione prouenit, mandatum autem est, vt diligamus inuicem, perseuerantia à mutua oritur dilectione. Neque simpliciter dilectionem dicit, sed & modum docet diligendi. *Sicut ego dilexi vos*, inquit, iterum ostendit Supr. 10.
non odio aliquo discedere, sed dilectione. Quare magis admirari me debetis, pro vobis ánimam meam pono, vt superius inquit, optimum pastorem describens: hoc autem in loco eos admonet, & dilectionis suæ magnitudinem, & qualis ipse sit ostendit. Sed qua gratia semper dilectionem extollit? quoniam hoc est discipulorum argumentum, hoc virtutem corroborat. Propterea Paulus tantopere dilectionem laudauit, vtpote verus Christi discipulus, qui eius vim sit expertus. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre*
meo, nota feci vobis. Cur ergo inquit; Multa habeo Infr. 16.
vobis dicere, sed non potestis portare modò? Nihil aliud ex his verbis innuit, quam nihil alienum à patre locutum, cùm maximi amoris iudicium sit, quòd arcana patris cum eis & communicauerit, & dixerit. Cum autem, *omnia*, dicit, intelligendum de iis est, quæ eos audire conueniat; inde aliud neque paruum amoris argumentum adducit. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos*, hoc est, in amore præcurri: neque hoc contentus. *Et posui*, inquit, *vos*: id est plantaui, vt me diligeretis: adhuc in vitis translatione perstat, *Vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quòd si fructus manebit, longè magis & vos manebitis. Neque vos tantùm amaui, inquit, sed & multa contuli beneficia, palmites vestros vbique terrarum propagans. Ecce quot modis suam proponit dilectioné, cùm & secreta patris eis aperuerit, cum in amore præuenerit, cum pro ipsis tot mala patiatur, ex quo se perpetuò cum ipsis, qui allaturi sunt fructum, permansurum ostendit. Necesse nanque vt diuino freti auxilio, fructum faciant. *Vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Atqui eius, qui petitur, est facere: quòd si pater petitur, quomodo filius facit? Vt non minorem patre intelligas. *Hæc locutus sum vobis, vt diligatis inuicem*, hoc est non exprobrandi gratia dico, me animam meam ponere, quòd amare prior cœperim, sed vt in amorem meum vos traham: inde cùm persecutionem pati multis molestum, & intolerabile videretur, & par esset etiam generosum animum deijci, ideo multis propositis, & eorum placato animo, ad hoc venit, & hæc eorum gratia, vt alia ex abundantia dicta significet. Vt enim Supr. 14.
superius dixit, non solum non dolendum, sed lætandum, quòd iret ad patrem non deserendi, sed

vehementis amoris gratia: ita & in hoc loco lætandum ostendit. Et considera quo pacto eos præparat, non enim ait; Scio rem molestam: sed, cùm propter me hoc patiamini, propter me etiam perferatis. Non enim sufficiens consolationis causa hæc fuisset: quare ea omissa, alias duas adducit, & quia prioris virtutis hoc est argumentum, & contrarium esset dolendum, non quòd odio nunc habeamini, sed dilegemini: hoc autem significat, inquiens; *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret.* Quare si diligemini, malū de vobis præbetis argumentum. Inde cum his verbis rem non effecisset, iterum prosequitur; *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ostendit per hoc maximè futuros imitatores. Quousque enim Christus fuit in carne, contra ipsum certabatur: post eius in cælum ascensionem, aduersus discipulos pugnatum est. Et cùm pauci tanti populi bellum suscepturi perturbarentur, eorum animos erigit, quòd maximè eis lætandum sit, si ab illis odio habentur: ita enim passionis meæ participes eritis. Non ergo perturbari debetis, non enim me meliores estis: nam, vt prædixi; *Non est seruus maior domino suo,* inde tertio eos consolatur, quod patet vnà cum ipsis iniuriam accipit. *Quia nesciunt eum, qui misit me.* Hoc est, illum offendunt. Ad hæc omnem eis veniam aufert, & aliam affert cōsolationem: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent,* & causam affert, quòd iniustè & in se, & eos facient. Sed quid in hæc nos mala adduxisti? Nónne persecutionem, & odium præuidebas? Cui his verbis occurrit, *Qui me odit, & patrem meum odit.* Ex quo nō paruum etiam prædicit supplicium. Cum enim frequenter propter patrem Christum persequi dicerent, omnem nunc ipsis tollit excusationem, quam ne haberent, primùm, inquit, doctrinam proposui, inde eam operibus confirmaui secundum Moysi legem, qui omnes præmonuit, vt ei parerent, qui talia faceret, & diceret, quæ & Dei cultum erudiret, & maximis clareret miraculis. Neque simpliciter signa dixit, sed quæ nemo alius fecit: & ipsi horum testes sunt, cum dicant;
Supr.9. Nusquam sic apparuit in Israël: neque auditum est à seculo, quod quis aperuit oculos cæci na-
Supr.11. ti, & Lazari resurrectio, & alia multa huiusmodi, & modus ipse miraculorum nouus, & admirabilis. Sed qua gratia & te, & nos persequuntur? *Quia de mundo non estis. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret.* Præcommemorat eis verba, quæ ad fratres suos dixerat, sed illic quidem moralius, vt eis purgaret: hic contra totum aperuit. Et vnde constat propterea odio nos habendos fore? Ex iis, quæ in me facta sunt: quòd factum, aut dictum attulerunt, ne me acciperent.
Psal.68. Inde cùm res stupēda nobis esset, adducit & causam, hoc continens, prophetam adducit, ostēdens eum iampridem his verbis prædixisse. *Quia oderunt me gratis,* quod & Paulus faciebat. Multis enim admirantibus, quomodo Iudæi non crediderint, prophetarum nititur testimonio, quòd malitia & stultitia eorū incredulitatis causa fuit. Quid ergo? Si sermonem tuum non seruauerunt, neque nostrum seruabunt: si te persecuti sunt, & nos persequentur. Si signa, qualia nemo viderūt, si verba qualia nemo audierunt, & nihil tamen profecerunt, si patrem, & te odio habent, cur nos eis relinquis? Quomodo apud eos vllam iam habebimus authoritatem? Quis gentilium nobis aures adhibebit?

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponen. in superius Euang. Homilia 1.

IN lectione euangelica, quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis: de quibus verbis iam nos quod Dominus dedit, disseruisse meministis. Hic autem dicit, sequenti scilicet lectione, quam modo cum recitaretur, audistis. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ac per hoc intelligere debemus hunc esse fructum nostrum de quo ait: Ego vos elegi vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et quod adiunxit, vt quodcūque petieritis patrem in nomine meo, det vobis, tunc vtique dabit nobis, si diligamus inuicē, cùm & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructū, quia nō eum nos elegeramus; & posuit nos vt fructū afferamus, hoc est, inuicē diligamus: quem fructū sine illo afferre non possumus, sicut palmites facere sine vite nihil possunt. Charitas ergo est fructus noster, quem definit Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hac diligimus inuicem, hac diligimus Deum, neque enim vera dilectione diligeremus inuicē, nisi diligētes Deum. Diligit enim vnusquisque proximum suum tanquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis charitatis, tota lex pendet, & prophetæ: hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, *Hæc mando,* inquit, *vobis, vt diligatis inuicem:* vnde & Apostolus Paulus, cum contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, à capite hoc posuit: Fructus, inquit, spiritus, charitas est: ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta, & religata contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit, vnde gaudet? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseueranter manendo, nisi ferueat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis vtiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet vnde turpatur, nisi diligat vnde honestatur? Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam mundi odia sustinere: necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle quod diligit: sed plurimum nos de seipso Dominus cōsolatur, qui cum dixisset, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem:* adiecit atque ait, *Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit.* Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. *Si de mundo,* inquit, *essetis, mundus quod suum*

Tract. 87. in Ioan. — 1.Timoth.1. — Matth.22. — Galat.5.

suum erat diligeret. Vniuersæ vtique hoc dicit Ecclesiæ, quam plerunque etiam ipsam mundi nomine appellat, sicut est illud, (2. Cor. 5.) Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Itémq; illud: (Ioan. 3.) Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mũdus per ipsum: & in epistola sua Ioannes ait, (1. Ioan. 2.) Aduocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum, & ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tãtum nostrorum, sed etiam totius mundi: totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus recõciliatum, damnatus saluatum, inquinatus mundatum: sed iste mundus, quem Deus in Christo, reconciliat sibi, & qui per Christum saluatur, & cui per Christũ peccatum omne donatur, de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. (Rom. 9.) Ex eadem quippe massa, quæ tota in Adã periit, fiũt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem, quam mundus odit, ex eadem massa, pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem: denique cum dixisset, si de mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret: continuo subiecit, *Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ergo & ipsi inde erant, vnde vt non essent, electi sunt inde, non meritis suis quorum nulla bona præcesserant opera, non natura, quę tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata, sed gratuita, hoc est vera gratia: qui enim de mundo mundum elegit, fecit: quod eligeret, non inuenit: quia reliquiæ per electionem gratię saluæ factæ sunt: si autem gratia, inquit, iam non ex operibus, alioquin (Rom. 11.) gratia iam non est gratia: si autem quęratur quomodo se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemptionis, diligit se vtique falsa dilectione, non vera. Proinde falso se diligit, & verè (Psal. 10.) odit: Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suã: sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem qua iniquus est diligit: & rursus odisse se dicitur quoniam quod ei nocet hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium: odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem. Vnde nos quoque illum diligere & prohibemur, si recte intelligimus, & iubemur: prohibemur scilicet vbi nobis dicitur, (1. Ioan. 2. Luca 6.) Nolite diligere mundum: iubemur autem vbi nobis dicitur, Diligite inimicos vestros. Ipsi sunt enim mundus qui nos odit. Ergo & prohibemur diligere in illo quod ipse diligit in seipso, & iubemur diligere in illo quod ipse odit in seipso, Dei scilicet opificium, & diuersas bonitatis suæ consolationes. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, iubemurque diligere naturam, cum ipse in se diligat vitium, oderitque naturam, vt nos eum & diligamus, & oderimus recte, cum se ipse diligat oderitque peruerse.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

(Tract. 88. in Ioann.) EXhortãs dominus seruos suos ad mundi odia perferenda patienter, nullũ eis maius, & melius quam de seipso proponit exemplum, quoniam, sicut dicit Apostolus Petrus (1. Petr. 2.) Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quod vtique si facimus, ipso adiuuãte facimus, qui dixit, sine me nihil potestis facere: denique iam dixerat, *Si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit:* & nunc in eo quod audistis cum legeretur euangelium, *Mementote, inquit, sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est seruus maior domino suo si me persecuti sunt, & vos persequẽtur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.* Dicendo autem, *non est seruus maior domino suo:* nónne euidenter ostendit quemadmodum intelligere debeamus quod superius dixerat, Iam non dico vos seruos: ecce enim eos seruos dicit, (Supra Tractatu 85.) nunquid est aliud, Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequẽtur? Manifestum est igitur illum seruum, qui non manet in domo in æternum, illum pertinentem ad timorem, quem foras charitas mittit, esse intelligendum, (1. Ioan. 8. 1. Ioan. 4.) vbi dictum est, Iam non dico vos seruos: hic autem vbi dicitur, *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur:* Illum significari seruum pertinentem ad timorem castum qui permanet in seculum seculi: hic enim seruus est auditurus, Euge, serue bone, intra in (Psal 18. Matth. 25.) gaudium domini tui. *Sed hæc, inquit, omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Quæ omnia facient nisi quæ dixit; odio habebunt, scilicet & persequẽtur, sermonemque contemnent: quoniam si sermonem non seruarent eorum, nec tamen odissent eos, neque persequerentur, vel etiam si odissent, nec tamen persequerentur, non omnia facerent: hæc autem omnia facient vobis, inquit, propter nomen meum: quid est aliud dicere, quàm me in vobis odio habebũt, me in vobis persequentur, & sermonem vestrum, quia meus est, ideò non seruabunt: hæc enim omnia facient vobis propter nomen meum: non vestrum, sed meum, tanto igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur, sicut ipse alio loco dicit, (Matth 5.) Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: hoc est enim propter me vel propter nomen meum, quia sicut Apostolus (1. Cor. 1.) docet, Factus est nobis sapientia à Deo iustitia, & & sanctificatio, & redemptio, vt quẽadmodũ scriptum est, (Hierem. 6.) Qui gloriatur, in domino glorietur: faciunt quippe ista mali malis, sed non propter iustitiam,* & ideo miseri vtrique, & qui faciunt, & qui patiuntur: faciũt & mali bonis, vbi etsi nõ faciunt isti propter iustitiã, tamen illi propter iustitiam patiũtur. * Sed dicit aliquis. Si mali quando persequũtur bonos propter nomen Christi, propter iustitiã boni patiuntur, profecto propter iustitiã hæc eis mali faciunt: quod si ita est, ergo & quãdo boni malos propter iustitia persequuntur, propter iustitiam etiam mali patiuntur: si enim possunt mali persecutionem facere bonis propter nomen Christi, cur non possint mali persecutionem pati à bonis propter nomen Christi? Et quid est propter nomen Christi, nisi propter iustitiam? nam si non propter quod boni faciunt, propter hoc mali patiuntur, quia faciunt boni propter iustitiam, patiuntur mali propter iniustitiam: nec mali ergo propter hoc possunt facere propter quod boni patiuntur, quia faciunt mali propter iniustitiam, patiuntur boni propter iustitiam: quomodo ergo erit verum, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, cum illi non propter nomen Christi faciant, id est non propter iustitiam, sed propter iniquitatem suam? Hæc quæstio ita sol-

(* al. sed propter iniustitiam.)

(* al. faciunt & boni malis. vbi etsi faciunt isti propter iustitiã non tamen illi propter iustitiam patiuntur.)

uitur, si eo modo intelligamus dictum, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum*: vt totum referatur ad iustos, tanquam dictum sit, hæc omnia patiemini ab eis propter nomen meum: vt hoc sit *facient vobis*, quod est patiemini ab eis: si auté, *propter nomen meum*, sic accipitur tanquam diceret, propter nomen meum, quod in vobis oderunt, ita potest accipi, *& propter iustitiam*, quam in vobis oderunt: ac per hoc boni eum persecutionem faciunt malis, possit recte dici & propter iustitiam facere, quam diligendo persequuntur malos, & propter iniquitatem, quam oderút in ipsis malis: ita ergo & ipsi mali possunt dici pati, & propter iniquitatem, quæ in illis punitur, & propter iustitiam, quæ in eorum pœna exercetur. Item quæri potest, si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impij reges, & iudices, cum essent persecutores piorum, vtique & homicidas, & adulteros, & quosque maleficos, quos contra leges publicas fecisse cognoscerent, puniebant: quomodo intelligendum est, quod ait dominus, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret?* Neque enim quos punit, diligit mundus, à quo videmus supra dicta scelerum genera plerunque puniri, nisi quia mundus est in eis, à quibus talia scelera vel puniuntur, vel patiuntur: & mundus est in eis, à quibus talia scelera diliguntur: mundus itaque ille, qui intelligitur in malis atque impiis, & odit quod suum est, ex ea parte hominum qua sceleratis nocet, & diligit quod suum est ex ea parte hominum, qua eisdem ipsis sceleratis fauet: Ergo *hac omnia facient vobis propter nomen meum*, vel ita dictum est, propter quod vos patimini, vel ita propter quod & ipsi faciunt, quia & hoc in vobis dum persequuntur, oderunt: & addidit, *Quia nesciunt eum qui misit me.* Hoc secundum eam scientiam dictum intelligendum est: de qua & alibi scriptum est, Scire autem te, sensus est consummatus. Hac quippe scientia qua sciunt patrem, à quo missus est Christus, nullo modo persequuntur quos colligit Christus, quia & cum ipsi cum eis colliguntur à Christo.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 3.

Tract. 79. in Ioan.

SVperius dixerat dominus ad discipulos suos, *Si me persecuti sunt: & vos persequentur si sermoné meum seruauerût, & vestrum seruabunt, sed hac omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eú qui misit me.* De quibus autem hoc dixerit si quæramus, inuenimus eum ad hæc verba venisse, ab eo quod dixerat, *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*: nunc vero quod addidit. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Iudæos ostendit expressius, de his ergo & illa dicebat, nam hoc indicat verborum ipsa contextio: de his ergo dicit, *Si non venissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent*: de quibus dicebat; Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabút, *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me*: his enim verbis & ista subiungit: *si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum nó haberent.* Iudæi ergo persecuti sunt Christum, quod euidentissimè indicat Euágelium, Iudæis locutus est Christus, non aliis gentibus. In eis ergo voluit intelligi mundum qui odit Christum & discipulos eius, imò vero non eos solos, sed hos quoque ad eundem mundum pertinere monstrauit. Quid est ergo, *si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent?* Nunquid sine peccato erant Iudæi, antequá Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi: hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata: hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, vt credatur in eum: hoc peccatum, si non venisset, non vtiq; haberent. Aduentus quippe eius quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitialis factus est, tanquam & ipse caput, & Princeps Apostolorum, quod de se ipsi dixerunt, extiterit: Quibusdam quidem odor vitæ in vitam, 2.Cor.2. quibusdá vero odór mortis in mortem: sed quod adiunxit atque ait: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: potest mouere quærentes, vtrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo: si enim nó habent, cur hic dictum est, propterea istos nó habere, quia venit & locutus est eis? Si autem habent, vtrum ad hoc habeant, vt à pœnis alienentur, an vt mitius puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum nó crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in Discipulis venit, & quibus per Discipulos est locutus, quod & nunc facit: nam per Ecclesiam suam venit ad Gentes, & per Ecclesiam suá loquitur Gentibus: ad hoc enim pertinet, quod ait: Qui vos recipit, M… me recipit: & qui vos spernit, me spernit. An vul- L… tis, inquit Apostolus Paulus, experimentum acci- 2.Cor. pere eius, qui in me loquitur Christus? Restat inquirere, vtrum hi, qui prius, quàm Christus veniret in Ecclesiam ad Gentes, & priusquam Euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti sunt, seu præueniuntur, possunt habere hanc excusationem? possunt planè, sed non ideo possunt effugere damnationé. Quicunque enim sine lege Rom 2 peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Quæ quidem Apostoli verba, quoniam id quod ait, peribunt, terribilius sonat, quàm quod ait, iudicabuntur: non solum nihil adiuuare hanc excusationem videntur ostendere, verumetiam plus grauare: qui enim se, quia non audierunt, excusabunt, sine lege peribunt. Sed vtrum hi, qui cum audierunt, contempserunt, vel etiam restiterunt, nec tantum contradicendo, sed & eos, à quibus audierunt, odiis persequendo, in eis deputandi sunt, de quibus aliquid leuius videtur sonuisse, quod dictum est, per legem iudicabuntur, merito quæritur: sed si aliud est perire sine lege, aliud iudicari per legem, & illud est grauius, hoc autem leuius: procuidubio non sunt isti in hac pœna leniore ponendi, qui neque in lege peccauerunt, sed omnino legem Christi accipere noluerût, & eam quantum ad ipsos attinet, omnino nullam esse voluerunt. Illi autem peccant in lege, qui sunt in lege, id est, qui eam suscipiunt, eamque sanctam, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum fatentur, sed infirmitate non implent, quod ab ea

rectissi

rectissime præcipi dubitare non possunt, hi sunt qui aliquo modo forsitan possunt ab eorum, qui sine lege sunt, perditione discerni: si tamen quod Apostolus ait, per legem iudicabuntur: sic accipiendum est tanquam dixerit, nō peribunt: quod mirum si ita est. Neque enim de infidelibus & fidelibus erat sermo, vt hoc diceret, sed de Gentibus & Iudæis, qui certe vtrique, nisi in eo saluatore saluentur, qui venit quærere quod perierat, ad perditionem sine dubio pertinebunt: quamuis dici possit, alios grauius, alios leuius perituros, id est, alios grauiores, alios leuiores pœnas in sua perditione passuros. Ille enim perire Deo dicitur, quisquis ab illa beatitudine, quam dat sanctis suis per supplicium separatur. Tanta est autem suppliciorum, quanta diuersitas peccatorum, quæ quomodo sese habeat, altius indicat sapientia diuina, quàm cōiectura scrutatur, aut effatur humana. Isti certe, ad quos venit, & quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere, non vidimus, non audiuimus, siue non acceptaretur ista excusatio ab illo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, siue acceptaretur, & si non vt ab omni damnatione liberarentur, certè vt aliquanto lenius damnarentur. *Qui me odit*, inquit, *& patrem meum odit*. Hic nobis fortasse dicatur: Quis potest odisse quem nescit? & vtique antequam diceret: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, dixerat Discipulis suis: Hæc facient vobis, quia nesciunt eum, qui misit me. Quomodo ergo nesciunt, & oderunt: si enim non quod est ipse, sed nescio quid aliud de illo opinantur, non vtique ipsum, sed illud inueniuntur odisse, quod fingunt, aut errando potius suspicantur, & tamen nisi possent homines odisse, quod nesciunt, non veritas vtrunque dixisset, quòd eius patrem, & nesciunt, & oderunt. Sed quomodo si fieri possit, si adiuuante Domino per nos demonstrari potest: quia hæc disputatio est iam claudenda, nunc non potest.

Rom. 7.

Supra Tract. 15.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 4.

AVdistis Dominum dicentem: *Qui me odit, & patrem meum odit*, qui superius dixerat: *Hæc facient vobis: quia nesciunt eum qui misit me:* non itaq; dissimulanda nascitur quæstio, quomodo possint odisse, quem nesciunt. Si enim Deum non quod ipse est, sed nescio quid aliud eum suspicantur, aut credunt, hoc oderunt, vtique non ipsum oderunt, sed quod sua mendaci suspicione, vel vana credulitate concipiunt: si autem quod est, hoc de illo sentiunt, quomodo eum nescire dicuntur? Et de hominibus quidem fieri potest, vt eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus, ac per hoc nec illud econtrario impossibile est, vt eos, quos nunquam vidimus, oderimus. Fama quippe de aliquo sermocinante seu bene, seu male, fit non immerito, vt amemus, vel oderimus ignotum. Sed si fama sit verax: quomodo est de quo vera didicimus, dicendus ignotus? An quia eius faciem non vidimus? Quam cum & ipse non videat, nulli tamen potest notior esse, quam sibi: non igitur in eius facie corporali nobis intimatur cuiusque notitia: sed tunc nobis ad cognitionem patet, quādo eius mores & vita nō latent, alioqnin nec seipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem suam non potest. Sed vtique tanto certius, quàm notus est alius ipse se nouit, quanto certius interiore conspectu potest videre quod sapit, videre quod cupit, videre quod viuit: quæ cum aperiuntur & nobis, tunc verè fit cognitus nobis. Hæc itaque quoniam plerunque ad nos de absentibus, vel etiam mortuis, siue fama, siue literis perferuntur, hinc fit, vt sæpe, quos nunquam facie corporis vidimus, non tamen quos omnino nescimus, vel oderimus homines, vel amemus. Sed plerunq; in eis nostra credulitas fallitur, quia nonnūquam & historia, & multo magis fama mentitur. Pertinet autē ad nos ne perniciosa opinione fallamur, vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram, certamque sententiam, hoc est, vt si ille, vel ille homo vtrum sit impudicus pudicúsve nescimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & si illum vel illum iniustum esse, iustúmve nescimus, amemus tamen iustitiam, & iniustitiam detestemur, non quas nobisipsi errando confingimus, sed quas fideliter hanc appetendam, illámque vitandam in Dei veritate cōspicimus: vt cum de ipsis rebus, quod appetendum est, appetimus, quod deuitandum est, deuitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imò assidue nō vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita, ita vt Apostolus diceret: Tentatio vos nō apprehendat nisi humana: quid enim tam humanum, quàm non posse inspicere cor humanum, & ideo non eius latebras perscrutari, sed plerunque aliud, quàm id, quod ibi agitur suspicari? Quanquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere * non possumus: quia homines sumus, indicia tamen, id est, definitas, firmásque sententias continere debemus, nec ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscōdita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Quando ergo non erratur in rebus, vt recta sit improbatio vitiorum, virtutúmque probatio, profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Per has autem humanorum cordium tenebras, res multum miranda, & multum dolenda contingit, vt eum nonnunquam, quem iniustum putamus, tamen iustus est, & iustitiam in eo nescientes, quem diligimus, deuitemus, auersemur, à nostro prohibeamus accessu, communem cum illo vitam, victúmque habere nolimus, cúmque etiam si disciplinæ imponendæ necessitas cogat, siue ne aliis noceat, siue vt fiat ipse correctior, asperitate salubri persequamur, & hominem bonū tanquam malum affligamus, quem nescientes amamus. Hoc fit si quis, verbi gratia, cum sit pudicus, à nobis creditur impudicus: sine dubio enim si pudicum diligo, hoc est ipse quod diligo: ergo etiam ipsum diligo & nescio: et si impudicum odi, non ergo ipsum odi, quia non est quod odi, & tamen dilecto meo, cum quo simul in charitate pudicitiæ habitat anima mea, facio ignarus iniuriam, non errans in discretione virtutum atque vitiorum, sed in cordium tenebris humanorum. Proinde sicut fieri potest, vt homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel po-

1. Cor. 10.

* al. vitare.

1. Cor. 4.

tius diligat nesciens, ipsum enim diligit, eum bonum diligit, quia id quod est ille, hoc iste diligit, oderit autem nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum: ita fieri potest, vt etiam homo iniustus, oderit hominem iustum, & dum æstimat se sui similem iniustum diligere, nesciens diligat iustum, & tamen dum eum credit iniustum, diligit non ipsum, sed quod putat esse ipsum: quemadmodum autem hominem, sic & Deum. Denique, si interrogarentur Iudęi, vtrum diligerent Deum, quid se aliud quàm diligere responderent, nec ea animo mentientes, sed errando potius opinantes. Quomodo enim diligerent patrem veritatis, qui haberent odio veritatem? Nolunt enim sua facta damnari, & hoc habet veritas, vt talia facta damnentur: tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas: nesciunt autem illam esse veritatem, quæ tales, quales ipsi sunt, damnat. Oderunt ergo, quam nesciunt, & cùm illam oderunt, profectò & eum, de quo nata est, nisi odisse non possunt: ac per hoc quia veritatem qua iudicante damnátur, de patre Deo natam nesciunt, vtrique etiam ipsum & nesciunt, & oderunt. O miseros homines, qui eum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali: nolunt enim eam esse quod est, cum ipsi debeant nullo modo esse * quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur.

[* *al. debeant nolle esse.*]

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 5.

[*Tract. 91. in Ioan.*]

Dixerat dominus, *Qui me odit, & patrem meum odit.* Vtique enim qui odit veritatem, necesse est oderit & à quo veritas nata est, vnde iam quantum datum est locuti sumus: deinde addidit, vnde nobis nunc loquendum est. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Peccatum illud, scilicet magnum, de quo superius ait, *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent:* hoc est, peccatum, quòd in eum loquentem & operantem non crediderunt, neque enim nullum habebant peccatum, antequam loqueretur ei, & operaretur in eis. Sed hoc peccatum quo in eum non crediderunt, ideo sic commemoratur, quia ipso peccato tenētur & cætera: hoc enim si non haberent, & in eum crederent, dimitterentur & cætera. Sed quid est hoc quòd cum dixisset, *Si opera non fecissem in eis*: mox addidit, *Quæ nemo alius fecit?* Nulla quippe in operibus Christi vidētur esse maiora quàm suscitatio mortuorū, quod scimus etiam antiquos fecisse Prophetas. Fecit hoc etiam Helias, fecit Helisæus, & cum in hac carne viueret, & cum in suo monumento sepultus iaceret, nam quidam portantes mortuum, cum irruentibus hostibus eò refugissent, eúmque ibi posuissent, continuo resurrexit. Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit, quòd quinq; milia hominum de quinque, & quatuor milia de septem panibus pauit, quòd super aquas ambulauit, & Petro vt hoc faceret præstitit, quòd aquā mutauit in vinum, quòd aperuit oculos cæci nati & alia multa quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis & alios fecisse quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecit: quis enim nisi Moyses Aegyptios plagis tot, tantisque percussit,

[*3. Reg. 17. 4. Reg. 4. 4. Reg. 13. Matt. 4. Marc. 15. Matt. 14. Ioan. 1. Ioan. 9. Exod. 7. & c. sequentes.*]

diuiso mari populum duxit, manna de cœlo esurientibus impetrauit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Iesus Naue populo transituro Iordanis fluenta diuisit, & currentē solem emissa ad Deum oratione frænauit & fixit? Quis præter Sampson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis præter Heliam curru igneo in alta subuectus est? Quis præter Helisæum, quod paulo ante commemoraui, sepulto suo cadauere, cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora inclusorum secum leonum esurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Misaëlem, in flammis ardentibus & non vrentibus deambulauit illæsus? Prætereo cætera, quoniam hæc satis esse arbitror, quibus demonstretur & alios sanctos quædam opera miranda fecisse; quæ nemo alius fecit. Sed quid tam multa vitia & malas valetudines vexationésque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorū: vt enim taceamus quos iubendo sicut occurrebant, saluos singulos fecit: Marcus Euangelista quodam loco ait, Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa eiiciebat? Id autem cum commemorasset Matthæus, etiam testimonium propheticum addidit, dicens, Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem; Ipse infirmitates nostras accepit, & ægritudines portauit: item alio loco dicit Marcus, Et quocunq; loco introibat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimēti eius tāgerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant: hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, in eis, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis quia sanauit eos. Hæc quippe intelligi voluit, quæ non solum facerent admirationem, verumetiam manifestam conferrent salutem, pro quibus beneficiis vtique amorem, non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem cæterorū miracula superat, quòd est natus ex virgine, matrísque integritatem solus potuit nec conceptus violare, nec natus: sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis: ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatem, non communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu Apostoli peruenerunt. Iam vero illud quod die tertia, in carne, in qua occisus fuerat, de sepulcro se reddidit viuum, & nunquam deinde moriturus cum illa ascendit in cœlum, superat etiam cuncta, quæ fecit: sed neque hoc factum est in Iudæis, neque coram eis: & nondum hoc fecerat, quando dicebat, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit*, nimirum ergo sunt illa, quæ in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta in illis antea nemo donauit; hæc enim viderunt, & hoc eis exprobrans adiungit, & ait, *Nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meum, sed vt impleretur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis.* Eorum legem dicit, non ab ipsis inuentam, sed ipsis datam: sicut dicimus, Panem nostrum quotidianum: quem tamen à Deo petimus, addendo, da nobis. Gratis autem odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum

[*Exod. 14. Exod. 16. Exod. 17. Iosue. 4. Iosue. 10. Iudicum 15. 4. Reg. 2. 4. Reg. 13. Daniel. 3. Daniel. 6. Marci 1. Matth. 8. Esa. 53. Marci 6. Lucæ 1. & 2. Psalm. 34. Matth. 6.*]

modum fugit: sic oderunt dominum impij, sic diligunt iusti, hoc est gratis, vt alia præter illum non expetant bona, quoniam ipse erit in omnibus omnia. Quisquis vero altius attēderit Christum dicentem. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit*, sed hæc & si pater, aut spiritus sanctus fecit, quia totius trinitatis vna substantia est, inueniet ipsum fecisse, si quando quispiam Dei homo tale aliquid fecit. Potest quippe in seipso cuncta per seipsum, nemo autem potest aliquid sine ipso. Christus nanque cum patre & spiritu sancto non sunt tres dij, sed vnus Deus: de quo *Psalm. 71.* scriptum est, Benedictus dominus Deus Israël, qui fecit mirabilia solus: Nemo ergo alius fecit, quæcunque opera in eis fecit, quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit: hæc autem ipse, non illis facientibus fecit.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alex. superioris Euang. expositio.

H*Aec mando vobis, vt diligatis inuicem.* Quis vnquā ambiget supremæ dilectionis esse omni studio, atque opera ad cognitionem veritatis, & obsequium Dei errantes homines conuocare? *2. Cor. 5.* Hoc Paulus faciebat: pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo; recōciliamini Deo. Pe- *Act. 3.* trus quoque ad Iudæos dicit, Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri: pœnitentiam igitur agite, & baptizentur singuli vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi. Vides, quomodo doctrinam nolentibus afferunt. Sed videamus, quid significet, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Fructum igitur arbitror esse manentem, nō legalis, sed Euangelicæ disciplinæ iusticiam: Antiquata enim illa: nihil perfecit: pro ea vero noua iam floret, & verum, ac permanētem fructum *Phil. 3.* producit. Quare non iniuria Paulus legalis se iusticiæ iacturam dicit fecisse, vt Christum lucri faceret, id est, vt in Christo fide adhætēs, iusticiam, & Euangelicum fructum produceret, qui animā hominis cumulata pietate perficiens, perpetuus est: Per nullam enim aliam disciplinam Euangelica prædicatio antiquabitur, sicut Mosaica per Euangelium antiquata est: sed saluatoris sermo *Luc. 21.* durabit in seculum, vt ipse dicit, cœlum, & terra transibit, verba autem mea non transient. *Si mundus vos odit, &c.* Mirabili quodam, atque diuino in conformandis, firmandisque animis vtitur artificio. Nam, quemadmodum periti medici futuris nonnunquam remediorū præparatione morbis se opponunt, sic ipse discipulorum, ac omnino fidelium animos non à præsentibus solum liberat, verum etiam à futuris malis doctrina, & mandatis suis præseruat. Nam, quoniam non ciuitatis, aut regionis vnius, sed totius orbis terrarū doctores futuri erāt, ad Euangelicā vitam homines traducentes, quos vbiq; omnes quasi Euangelij legem, ac regulam imitaturi erant, necessario nullam curam sibi faciundam esse monet, ne à mundo, id est ab hominibus voluptati, impietatique deditis odio habeantur, Sed num dicet quispiam ad acquirenda odia hęc oratio nos hortatur? Nequaquam: non enim simpliciter, sed pro salutari doctrina contemnendum esse odium dicit. Quod autem bene consulentibus, atque docentibus improborum odium immineat, atque ideo corroborandi apostoli fuerant facile perspicies, si naturam huius rei considerabis. Solent enim, qui mundanis sordibus inhærent, vt licentius voluptates suas persequantur, ad probitatem reducentes acerbius inuadere. Nam & Iudæi, legis litteræ toto animo affixi, reuocantes ad spiritum hostes ducunt, & gentes à cultu creaturarum abduci propter consuetudinem iniquo animo ferunt. Quæ cum ita se habeant, futurum erat, vt tam à Iudæis quam à Gentibus odio discipuli haberentur. Quare monendi fuerunt, ne molestum id putantes, aut morem vnicuique gerere studentes, prædicandi libertatem amitterent. Monendi enim sunt homines propter charitatem, hortandique, vt ad veritatem conuertantur, etiam si hac de causa odio nos persecuturi sint. Vnde Paulus *Gal. 1.* de seipso dicebat. Si placere hominibus vellem, Christi seruus non essem: & ad Corinthios; Si *2. Cor. 2.* enim ego vos contristo, & quis est; qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Patet ergo nō prodesse, sed adulari auditoribus eum, qui non ad vtilitatem, sed ad voluptatem loquitur. Qui vero saluatoris doctrinam sequitur, saluatori solummodo gratus esse studebit, & odio haberi à viciosis hominibus, spiritales diuitias, nec paruas arbitrabitur. Cum ergo inquit mundi odium vobis opponitur, cum salutaria verba multitudo non feret, non turbabimini si mundi honores penitus contemnetis, si hoc mihi ipsi (qui & dominus & magister sum) accidisse memoria tenebitis, Quod autem Christus odio fuerit mundo, verbis non eget. Sed ipse quoque ait; non potest mūdus odis- *Ioan. 7.* se vos; me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de ipso, quod opera eius mala sunt, exemplum igitur etiam in hoc seipsum præbuit. Alibi *Matth. 5.* quoque ait; Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me: gaudete in illa die, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim etiā prophetas multo ante vos persecuti sunt. *Si de mundo essetis, &c.* Facilè, imo vero iocūdum esse ostendit, quod natura sui molestissimū est. Quid enim acerbius, & plerumque damnosius, quam odio haberi? suaue tamen id efficitur propter Deum. Et quando gratia pietatis accidit, argumētū est non inhiare rebus caducis eum, qui odio habetur. Vt enim corporum, ita morum cognatio quędam *Eccl. 13.* est: quorum similitudo longe sanguinis vincit cognationes: omne namque animal, simile sibi diligit, vt scribitur, & simili sibi homini homo adhęret, sic sanctus cum sancto, & peruersus cum peruerso iocunde conuersantur. Idcirco longe à sancto profanum distinguitur, & mores probi conuersatione improba peruertuntur: alicutri enim suis inhærentes studiis, mores alterius accensant. Quas ob res necesse est, vt studiosus (qui viuendi probitate turpitudinem improborum, collatione morum denudat) minime à viciosis diligatur. Vnde non dolendum, sed gaudendum potius nobis esse, Christus asserit: quā, etsi detrimentum in rebus caducis multorum odium afferat, maximo tamen apud Deum est emolumēto; imo vero velut qui odio habetur à mundo, extra mundum est: sic qui à mundo diligitur, malis mundi

ſubjicitur. Efficitur autem à Chriſto his verbis
vt libere & abſque odii formidine diſcipuli præ-
dicatione vtantur, cum nihil dilectioni Dei præ-
ponendum eſſe doceantur. Non quæro placere
Gal.1. hominibus, Paulus ait: ſi hominibus placerem,
Chriſti ſeruus non eſſem. Non enim poſſunt, qui
prauitatem eligunt, Deo placere. Quare, qui Deo
ſeruire vult, ab eo mundum offendi neceſſe eſt,
maxime cum à ſordibus mundi alios reuocare
conetur, quod ſic amarum eſt voluptuoſis, quem-
admodum morbo affectis corporibus, quæ vti-
liſſima remedia ſunt, acerbiſſima videtur. *Memen-
tote ſermonis, quem ego dixi vobis, &c.* Cum etiam
odio haberi propter Deum, & euangelicam præ-
dicationem, bonum atque iocundum eſſe oſteo-
derit; modo, quod ex odio ſequitur, exemplo ſui
breuiter mitigat, Paratos enim eſſe iubet ad fe-
rendas perſecutiones: quibus increduli eos vexa-
turi erant. Prædicit autem hæc, & exemplo ſui
animos roborat; ne maiora deſiderantes confun-
dantur: ſed quaſi neceſſario domini veſtigia ſe-
quentes, nihil plus appetant. Futuras autem om-
nino perſecutiones ideo oſtendit, quia non eſſe
maiorem ſeruum Domino ſuo confirmat. Vidiſtis
igitur, inquit, atque audiſtis, quomodo me perſe-
cuti ſunt: quomodo furioſa, infrenique oratione
dæmoniacum, temulentum, ſamaritanum, cæte-
raque huiuſmodi me vocabant, & vocant. Sed
nunquam ego vices reddidi, nec ſalubri ſermone
illos alloqui deſiui. Quare nec vobis aliter in per-
ſecutionibus faciundum eſt: nec maior quædam
conditio quærenda. Ita eos ſuperiores omni odio,
Hier.20. & omni perſecutione reddit. Hæc Hieremias
exercitatus vidit. Vires enim meæ, inquit, defece-
1.Cor.4. runt me, in maledicentibus mihi. Et Paulus ſimi-
liter, maledicti benedicimus, inquit, perſecutio-
nem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, &
obſecramus. Et certe magni animi, atque probi
eſt, clementer omnia ferre. Nam, qui nullam pa-
tiuntur iniuriã, puſillanimes ſunt, & huius mundi
gloriæ cupidi: humilẽ enim contumelia non mor-
det, & contemptorem mundanæ gloriæ vitupera-
tio non offendit. Quare nõ iniuria, ſuper omnem
inanem gloriam mentes apoſtolorum euehere
ſtudet; vt, veſtigia ſua ſequentes, dilectionem fra-
trum non deſerant, & ſemper errantes reducere
ſtudeant. *Si me*, inquit, *perſecuti ſunt: & vos perſe-
quentur*; iuncta hæc ſuperioribus ſunt: iocundas
enim potius perſecutiones illis facit, recordanti-
bus non aliter dominum ſuum perſecutionibus
exagitatum fuiſſe. Si ergo creator omnium, qui
omnia cum poſſim, non refrenaui perſequen-
tium impetum, inquit, ſed permiſi, vt libere vnuſ-
quiſque voluntatem ſuam ſequerentur: nonne,
quando vos perſequentur: ad imitationem meam
ferendum eſt? ita certe. Nam ſimilia pati debetis;
ſi regnare mecum deſideratis. Cum vero tertium
quoddam addat; ſi ſermonem meum ſeruarunt
& veſtrum ſeruabunt, æquo animo eſſe monet,
quando ſermo docentis contemnitur. Putaret
enim quiſpiam amiſſum eſſe prædicationis labo-
rem; ſi auditoribus non perſuaſit. Quod ita non
eſt. Nam, qui probe conſuluit, & conſulere non
deſinit; fecit quod potuit, & præmio non ca-
rebit. Credere autem, aut non credere non
in ipſo, ſed in audientium voluntate poſitum eſt.
Non ergo in ſeminando verbo Dei deſperare de-
bemus, ſed quæ nobis poſſibilia non ſunt diuinæ
maieſtati relinquẽda ſunt. Quod probe figura ta-
lentorum didicimus. Alius enim quinque, alius Matth.25.
duo acceperunt, alius vnum. Qui mercaturæ,
commutationique date opera renuens, in terram
domini ſui pecuniam obruit. Et idcirco audiuit;
nequam ſerue, ac piger, oportuit te nummularijs
talentum meum commendare, & ego veniens
cum vſura exegiſſem. Et certe, quemadmodum
qui agrum colunt, terram aratro ſcindunt, ſemi-
na deponunt, nihil, quod ſuum eſt, non faciunt,
Dei autem gratiæ relinquunt, vt inde fructus ve-
niat: ſic prædicantibus verbum Dei diligenter ſe-
minandum eſt. Vtrum autem fructus ſequatur,
nec ne, quamuis optandum ſit; diuinæ tamen
gratiæ relinquendum; præſertim cum agri ſterili-
tas detrimentum agricolis afferat; prædicantes
autem laboris, & propoſiti mercedem amiſſuri
non ſint. Quare, quamuis etiam, inquit, ſermo ve-
ſter contemnatur; memores tamen, quia meus
etiam contemnitur, nolite maiorem vos gloriam
quærere. Talibus Apoſtolos muniuit ſaluator;
quos doctores orbis conſtituit. Quæ omnia bea-
tus quoque Paulus ad Apoſtolatum à Chriſto 1.Cor.4.
miſſus, apprime ſeruauit; vos, inquit, prudentes
eſtis in Chriſto; nos autẽ ſtulti propter Chriſtũ:
nos infirmi; vos autem fortes: nos ignobiles; vos
nobiles: vſq; in hanc horã eſurimus, & ſitimus, &
nudi ſumus. Vides quomodo gloriam mundi cal-
cauerat propter Chriſtum. Robur etiam animi
oſtendens dicit; quis nos ſeparabit à charitate Rom.8.
Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nudi-
tas, an periculum, an gladius? Et alibi; eadem in-
quit dicere nec mihi moleſtum, & vobis tutum. Philip.3.
Et ad Galatas, filioli, quos iterũ parturio, quouſq; Galat.4.
Chriſtus in vobis formetur. Vides, cum non ad-
miſſus primum penitus ſermo fuerat, quomodo
eadem reuoluere nequaquam eum pigebat, ſed
omnem laborem, & dolorem ferebat, quouſque
Chriſtus in eis formaretur. *Sed hæc omnia facient
vobis, &c.* Non aliam ad perſequendos Apoſtolos
quam nomen Chriſti futuram impiis cauſam aſ-
ſerit, hoc enim crimen, & hæc culpa credentibus
ab incredulis datur. Sed retributionis ſpe non in-
certa, magno cuncta toleranda ſunt animo, quæ
propter Chriſti nomen nobis inferuntur: hoc
enim ſolum, vel auditu terribilia, iocunda cre-
dentibus reddit. Vnde, cum à Iudæis Apoſtoli cæ- Act.5.
ſi fuiſſent, exibant (vt ſcribitur) gaudentes, quia
pro nomine Ieſu Chriſti digni habiti ſunt con-
tumeliam pati. Idcirco nobis quoque ſimiliter
conſulebant; nullus veſtrum, dicentes, quaſi ho- 1.Pet.4.
micida, quaſi fur, quaſi malignus vexetur; ſi vero
vt Chriſtianus, non confundatur, ſed Deum hoc
in nomine glorificet. Suaue igitur nimium eſt pe-
riculum, quod pro Chriſto ſuſcipitur, quando ex
dilectione Dei procedit. Conſiderandum autem
diligenter eſt, quomodo etiam hic in vnam ſe na-
turam cum patre conſtringens, ignorari patrem
à perſecutoribus ait. Qui enim filium vituperat,
filium ignorat; & qui filium ignorat, is profecto
patrem quoq; ignorat, propter identitatem ſub-
ſtantiæ. Et contra, qui non ignorat, quid pater re
ipſa ſit, is filium ignorare non poteſt; ignorari er-
go à perſecutoribus patrem, argumento eſt, quia
in filium delinquunt. Verum, quoniam non dicit,
patrem meum, ſed, *eum, qui miſit me*: duplicem per-
ſecutorum iniquitatem eſſe ſuboſtendit. Non
enim ſolummodo eum ignorant, ex quo eſt, nec
huius

huius tātum impietatis damnabuntur, sed ipsam quoque sapientiam, & bonam Dei voluntatem incusant. Nam, cum Deus proprium filium ad suscitandos lapsos, ad restituendos corruptos, ad vitam mundo dandam miserit, omnibus illis viribus, huius dispensationis ministris opponere se non dubitarunt. Ita mittendi verbo totum incarnationis mysterium significauit. Qui autem eum, qui misit, ignorauit; simul & Deum ignorauit, & mittendi, id est, incarnationis contemnit mysterium. *Si non venissem, &c.* Dupliciter intelligendum hoc est; nam, si ad gentes, & Iudæos pertinere arbitrabimur, nisi omnibus, dicemus, euangelica esset audita prædicatio, viam iustitiæ, atque salutis vnicuique ostendens: satis firma ratio forsan ad deprecandum impiis hominibus ignorantia esset. Verum, quoniam ad vniuersos doctrinæ huius fama peruenit, quæ ratio satisfactionis relinquitur, aut quibus rebus à placato iudice veniam petemus, turpiter post veritatis cognitionem viuentes? Sin vero Iudæos solummodo respicere sermo videbitur, qui quamuis sæpius Christum audissent, nihilo tamen meliores effecti sunt; hoc modo intelligemus. Spernēt, ait, vestram doctrinā, & omni modo vos cruciabūt, iniquo in vos odio inflammati. Quippe qui nihil aliud crimini vobis dabūt: nisi quod me nimium diligatis. In defensionem vero suæ crudelitatis Mosem, & Mosis legem vlcisci clamabunt. Quod si ego non venissem, & meliora, perfectioráque, quàm Mosaica sint, docuissem, si multis tam signis, quàm verbis non ostendissem, tēpus iam esse, vt figuræ transeant, & veritas rutilet; si hoc authoritate Mosis nō firmassem, cui si credidissent, mihi quoque credidissent, de quo ille scripsit; si prophetarū testimoniis doctrinā, & aduentū meū non approbassem, haberent sane causam tā in me quàm contra vos insurgere, Sin vero nihil relictū est, sed omnia dicta, factaque sunt, quibus moneri debeant; nulla sibi tā manifesti peccati relinquitur excusatio: hunc loco huic accōmodari oportere sensum contenderim. Cum vero absque venia suos persequi, & vexari ab illis dicat; mœrorem audientiū minuit, qui facilius iniurias nonnunquam perferunt, quando certiores sunt non
Rom. 12. impune iniuriantes euasuros: ideo dicitur; mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. Beatus
Act. 23. quoque Paulus à pontifice quodam cæsus, hanc habuit consolationem. Quid enim dixit? cædet te Deus, mure dealbate. Humanæ igitur imbecillitatis hæc etiam cura est; vt credas non vitaturos supplicia iniuriantes. Sed humana pusillanimita-
1. Pet. 2. te præstantior Dominus, qui, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, & cæsus non minatus quidem fuit cædēti,
Ioan. 18. sed clementer admodum, atque mansuete, si ma-
Psal. 88. le, inquit, locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem bene, cur me cædis? vera igitur Prophetæ oratio est. Quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis Domino similis erit in filiis Dei? *Qui me oderit, &c.* Impietatis crimen odio habentibus eum inurit. Non enim possunt in patrem non delinquere; qui filium odisse comperiuntur: &, quemadmodum, qui solis radios floccipendunt solem ipsum omnino vituperant, & qui odore floris aspernantur, florem ipsum contemnunt: eodem modo, qui vnigenitum despicit, genitorem eius non suscipit: non enim possibile est, non est, inquam, possibile, si germen vituperas, illud abs te laudari, ex quo germen est: idcirco Christus Iudæis dicebat; non posse arborem bonam prauos fructus facere, nec contra. Aut Matth. 7.
igitur arborem, & fructum eius malum putate, aut contra. Quod enim de altero dicitur, de vtroque dicendum est; nam quæ identitate naturæ vniuntur; eadem laude, aut vituperatione afficiuntur. Propterea, inquit, qui me oderit; odit & patrem meum. Ita certiores nos facit, idem se natura esse cum patre: vehementérque terret, attente audientes, cum ostendat delinquentes in eum, nec eum adorantes, in ipsam patris personam delinquere, qui nullo modo patitur, filium suum secum non adorari. Hac etiam re confirmatiores fieri discipulos, quis non videat? Sed ad hæc illud quoque etiam sublime subapparet, quod modo dicam. Tanta mentis insania nonnulli tenebantur, vt putarent, si saluatori restitissent, legis conditorem Deum non paruo afficere gaudio, Nam Mosaicam litteram defendētes, diligi à patre opinabantur. Hunc igitur illorum tumorem deprimit, orbem terrarum per Apostolos docens, contemptum filij in ipsam deitatis naturam ascendere. Non autem, qui Christum tantummodo contemnit, Deum contemnit, verum etiam, qui prædicantem Euangelium negligit. Impius ergo ille quoque inuenitur, & delictū eius in ipsum Deum ascendit, qui discipulis Christi, veritatem prædicantibus aduersatur. Nō enim seipsos, sed Deum verum, & Dominum nostrum Iesum Christum magna cura, & studio prædicant. *Si opera non fecissem in eis, &c.* Nullam satisfactionis rationem, nullam veniam relinqui Iudæis, per hæc etiam demonstrat, Nihil enim prætermissum fuit, quo possent ad fidem adduci: nam & verbis monuit, & miraculis (quæ nullus vnquam sanctorum tanta fecit) cum potestate ad fidem trahebat: illi autem tantum a diligendo eum aberant, vt etiam odio persequerentur. Quomodo igitur acerba supplicia eis non imminent? Melius sane illis esset, si neque doctrinam eius audissent, nec tam mirāda signa vidissent, fortassis enim hac de causa verisimilem quandam excusationem inuenissent, Nunc autem quid dicent? qui nec prophetarum prædicatione, nec Christi doctrina, vel miraculis persuasi sunt, quódque peius est tam filium, quàm patrem odisse inueniūtur. Nam, cum doctrinam patris per filium eis propositam non receperint, & miraculis, quæ non ab alio, quàm a Deo fieri poterant, aperte detraxerint, nónne aduersus naturam Dei fecisse comperiuntur? Ingratitudinis ergo magno crimine puniuntur, saluatoris prædicationē spernentes, & præclara facinora, quæ à patre per filium gerebantur, non admirantes. Adimpletus igitur sermo legis eorum est: Scribitur enim, *quia oderut me gratis:* & in Psal-
mis; iniuste me, inquit, odio oderūt. Quam enim Psal. 34.
causam odij habuerunt, nunquam dicere quispiam poterit. Quid enim odio dignum fecit? ab Psal. 24.
interitu eripuit, à diaboli tyrannide liberauit, peccati vires extinxit, à seruitute humanum genus ad adoptionem filiorum Dei adduxit, spiritus sancti participes homines effecit, cælum nobis in domicilium largitus est. Quomodo ergo non dico odio non habendus, sed iugi ab hominibus oratione laudandus non est? Sed nihil horum mouere Iudæos potest, gratis enim oderunt,
quem

quem admirari, & amare summopere debent. Quam ingratitudinem eorum quamuis Dominus præuiderit, ac per Prophetas futuram prædixerit, clementia tamen sua vsus, omni pacto illis consuluit. Discunt igitur etiam hinc discipuli clementer tractare iniuriantes exemplo Christi, in quo primo omne bonum est, deinde ad nos ex eo deriuatur.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri superioris Euang. expositio.

Ex comment. in Ioan. HÆc mando vobis, vt diligatis inuicem. *Ac per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum de quo ait; Ego vos elegi vt eatis, & fructū afferatis, & fructus vester maneat, & quod adiunxit; Vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis: tunc vtique dabit nobis, si diligamus inuicem: cum & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia nō eum nos elegeramus. De fructu itaque nobis mandans, *Hac mando*, inquit, *vobis vt diligatis inuicem.* Vnde & Apostolus Paulus cum contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, à Galat. 5. capite hoc posuit. Fructus, inquit, spiritus est charitas, ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta, & religata contexuit. Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quę non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam odia mūdi sustinere. Necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. Sed plurimum nos de seipso dominus consolatur, qui cum dixisset; *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem,* adiecit atque ait, *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. *Si de mundo,* inquit, *essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Vniuersę itaque hoc dicit Ecclesię, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat, sicut illud est, Deus erat in Christo mundum re- 2. Cor. 5. concilians sibi. Itémque illud, Non venit filius Ioan. 3. hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mū- 1. Ioan. 2. dus per ipsum, & in Epistula sua Ioannes ait; Aduocatum habemus ad patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio peccatorum nostrorum: non tantum nostrorum, sed & totius mundi. Totus ergo mundus ecclesia est, & totus mundus odit ecclesiam. Mundus igitur odit mūdum, inimicus reconciliatū, damnatus saluatum, inquinatus mundatum. Sed iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum saluatur, & cui per Christum peccatum omne donatur, de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. Ex eadem quippe massa, quæ Rom. 9. tota in Adam periit, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationē: quem mundus odit ex eadem massa pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionē. Denique cum dixisset; *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret:* continuò subiecit; *Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi, &c.* Ergo & ipsi inde erant, vnde vt non essent, electi sunt inde, non meritis suis, quorū nulla bona præcesserant opera: non natura, quæ tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata: sed gratuita, hoc est, vera gratia. Qui enim de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non inuenit: quia reliquię per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, inquit, iam nō ex operibus, alioqui gratia iam nō est gratia. Si aūt quæratur quomodo se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redēptionis: diligit se vtique falsa dilectione, non vera: proinde falso se diligit, & vere odit. Qui enim, diligit Psal 10. iniquitatem, odit animam suam. Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem qua iniquus est diligit. Et rursum odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium. Odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit, quod in eo factum est per liberam voluntatem. Vnde nos quoque illum diligere & prohibemur, si recte intelligamus, & iubemur. Prohibemur scilicet vbi nobis dicitur: Nolite di- 1. Ioan. 2. ligere mundum. Iubemur autē vbi nobis dicitur: Matth. 5. Diligite inimicos vestros. Ipsi sunt enim mundus, qui nos odit. Ergo prohibemur diligere in illo, quod ipse diligit in seipso: & iubemur diligere in illo, quod ipse odit in seipso. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, iubemúrque diligere naturam, cum ipse in se diligat vitium, oderitque naturam: vt nos eum & diligamus, & oderimus recte: cum se ipse diligat oderitque peruerse. *Mementote,* inquit, *sermonis mei, quem ego dixi vobis, &c.* Manifestum est igitur illum seruum, qui non ma- Ioan. 8. net in domo in æternum, illum pertinentem ad 1. Ioan. 4. timorem, quem foras charitas mittet, esse intelligendum vbi dictum est; Iam non dico vos seruos. Hic autem vbi dicitur: *Non est seruus maior Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur:* illum significari seruum pertinentem ad timorem ca- Matth. 25. stum, qui permanet in seculum seculi. Hic enim seruus est auditurus: Euge, serue bone, intra in gaudium Domini tui. *Sed hæc omnia,* inquit, *facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui me misit.* Quæ *omnia facient,* nisi quæ dixit, odio habebunt scilicet, & persequentur sermonem, quem contemnunt: quoniam si sermonem seruarent eorum, nec tamen odissent eos, neque persequerentur, vel etiam si odissent, nec tamen persequerentur, non omnia facerent. *Hæc autem omnia facient vobis,* inquit, *propter nomen meum.* Quid est aliud dicere, quàm, me in vobis odio habebunt: me in vobis persequentur: & sermonem vestrum, quia meus est, ideo non seruabunt? Hæc enim omnia facient vobis propter nomē meum: non vestrum, sed, *meum.* Tanto igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur: sicut ipse alio Matth. 5. loco dicit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hoc est enim propter me, vel propter nomen meum. Si eo modo intelligamus dictum: *Hæc omnia facient vobis propter nomē meum,* totum referatur ad iustos, tanquam dictum: Hæc omnia patiemini ab eis. Si autem, *propter nomen meum,* sic accipitur, tanquam diceret, propter nomen meum, quod in vobis oderunt: ita potest accipi, & propter iustitiam, quam in vobis oderunt. Ac per hoc & boni cum persecutionem faciunt malis, possunt recte dici & propter iustitiam facere, quum diligendo persequuntur malos: & propter iniquitatem, quam oderūt in ipsis malis.

Ita er

Ita ergo & ipsi mali possunt dici pati, & propter iniquitatem, quæ in illis punitur: & propter iustitiam, quæ in eorum pœna exercetur. Item quæri potest, si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impij Reges, & iudices, cum essent persecutores piorum, & vtique homicidas, & adulteros, & quoscunque maleficos, quos contra leges publicas fecisse cognoscerent, puniebant: quomodo intelligendũ est, quod ait Dominus: Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret? Neque enim quos punit, diligit mundus, à quo videmus supra dicta scelerum genera plerunque puniri: nisi quia mundus est in eis, à quibus talia scelera puniuntur: mundus & in eis, à quibus talia scelera diliguntur. Mundus itaque ille, qui intelligitur in malis, atque impijs, & odit, quod suum est, ex ea parte hominum, qua sceleratis nocet: & diligit quod suum est, ex ea parte hominum qua eisdem ipsis consceleratis fauet. Ergo *hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, vel ita dictum est, propter quod vos patimini: vel ita propter quod & ipsi faciunt: quia hoc in nobis dum persequuntur, oderunt. Et addidit: *Quia nesciunt eum, qui me misit.* Hoc secundum eam scientiam dictum intelligendum est, de qua & alibi scriptum est: Scire autem
Sap. 6. te, sensus est consummatus. Hac quippe scientia qui sciunt patrem, à quo missus est Christus, nullo modo persequuntur eos, quos colligit Christus: quia & ipsi cum eis colliguntur à Christo. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Iudæos ostendit expressius. De his ergo & illa dicebat. Iudæi ergo persecuti sunt Christum, quod euidentissime indicat Euãgelium. Iudæis locutus est Christus, non alijs Gentibus. In eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum, & Discipulos eius. Immò verò non in his solis, sed hos quoque ad eundem mundum pertinere monstrauit. Quid ergo? *Si non venissem, peccatum non haberent?* Nunquid sine peccato erant Iudæi, ante quàm Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata: quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, vt credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non vtique haberent. Aduentus quippe eius quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus est. Sed adiunxit atque ait: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Potest mouere quærentes, vtrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur dictum est, propterea istos non habere: quia venit, & locutus est eis? Si autem habent, vtrum ad hoc habeant, vt à pœnis alienentur, an vt minus puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino dante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato: quia in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus: sed non in eo sunt numero, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus, quod & nunc facit. Nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per ecclesiam suam loquitur
Luc. 10. gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait; Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. An vultis, inquit Apostolus Paulus, experimentũ accipere eius qui in me loquitur? 2. Cor. 13. Restat inquirere, vtrum ii, qui prius quàm Christus in ecclesia veniret ad gentes, & prius quam euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti sunt, seu præueniuntur, possint habere hanc excusationem. Possunt plane: sed non ideo possunt effugere dãnationem. Rom. 2. Quicunque enim sine lege peccauerũt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Isti certe, ad quos venit & quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possent dicere; Non vidimus, non audiuimus: siue non acceptaretur ista excusatio ab illo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, siue acceptaretur: & si non ab omni damnatione liberarentur, certe aliquanto leuius damnarentur. Audistis dominum dicentem; *Qui me odit, & patrẽ meum odit.* qui superius dixerat; Hæc facient vobis, quia nesciunt eum, qui misit me. Si interrogarentur Iudæi, vtrum diligerent Deum, quid se aliud quam diligere responderent, nec ex animo mentientes sed errando potius opinantes? Quomodo enim diligerent patrem veritatis, qui haberent odio veritatem? Nolunt enim sua facta damnari: & hoc habet veritas, vt talia facta damnentur. Tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem, quæ tales quales ipsi sunt damnat. Oderunt ergo, quã nesciunt: & cum illam oderunt, profecto & eum, de quo nata est, nisi odisse non possunt. Ac per hoc quia veritatem, qua iudicante, damnantur, de patre Deo natam nesciũt, vtique etiam ipsum nesciunt & oderunt. *Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberẽt.* Peccatum illud, scilicet magnum, de quo & superius ait; *Si non venissem & locutus eis fuissem peccatũ non haberent.* Hoc est peccatum, quod in eum loquẽtem, & operantem non crediderunt. Hoc peccatum, quo in eum non crediderunt, ideo sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur & cætera. hoc enim si non haberent, & in eum crederent, dimitterentur & cætera. Sed quid est hoc, cũ dixisset; *Si opera nõ fecissem in eis,* mox addidit, *quæ nemo alius fecit?* Nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora, quã suscitatio mortuorum: quod scimus etiã antiquos fecisse prophetas. Fecit enim Helias, fecit Heliseus & cũ in hac carne viueret, & cum in suo 3. Reg. 17. monumento sepultus iaceret. Fecit tamen aliqua 4. Reg. 4. Christus, quæ nemo alius fecit, quod quinq; millia hominũ de quinq;, & quatuor millia de septẽ Luc. 9. panibus pauit: quòd super aquas ambulauit, & Marc. 8. Petro vt hoc faceret præstitit: quòd aquã mutauit Matth. 14. Ioan. 2. in vinum: quòd aperuit oculos cæci nati, & alia Ioan. 9. multa, quæ cõmemorare longũ est. Sed responde- Exo. 7. 8. tur à nobis & alios fecisse quæ ipse nõ fecit, & quæ 9. & deinc. nemo alius fecit. Quis enim nisi Moyses Aegy- Exo. 14. Exo. 16. ptios plagis tot tantisq; percussit? diuiso mari populũ duxit? mãna de cælo esurientibus impetrauit? aquã de petra sitiẽtibus fudit? Quis nisi Iesus Naue populo transituro Iordanis fluenta diuisit? & Iosue 3. currentẽ solẽ emissa ad dominũ oratione frænauit, & fixit? Quis præter Sãson propter suam sitim Iudic. 15. maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis præter Heliam curru igneo in alta subuectus est? Quis præter tres viros, Ananiã, Azariã, Misaelem 4. Reg. 2. in flammis ardentibus, & non vrentibus deambulauit Dan. 3.

bulauit illa sua? Praeterco caetera: quoniam haec satis esse arbitror, quibus demonstretur & alios sanctos quaedam opera miranda fecisse, quę nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesque mortalium tanta potestate sanarit, nullus omnino legitur antiquorum. Vt enim taceantur, quos iubendo sicut occurrebant, saluos singulos fecit: Marcus euangelista quodam loco ait, Vespere autem facto, cum sol occidisset, afferebant ei omnes male habentes, & daemonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam: & curauit multos qui vexabantur variis languoribus: & daemonia multa eiiciebat. Id autem eum commemorasset Matthaeus, etiam testimonium propheticum addidit dicens; Vt adimpleatur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem; Ipse infirmitates nostras accepit, & aegrotationes portauit. Item alio loco dicit Marcus: Et quocunque introibat, in vicos, vel in villas, aut in ciuitatem, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriā vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant. Haec nemo alius fecit in eis, Sic enim est intelligendum: quod ait, *in eis*, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos. Haec quippe intelligi voluit, quae nō solum facerent admirationem, verumetiam manifestam conferrent salutem, pro quibus beneficiis vtique amorem non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem caeterorum miracula superat, quod est natus ex virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare, nec natus. Sed hoc non coram eis factum est, nec in eis. Ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatē, nō communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu apostoli peruenerunt. Iam vero illud, quod die tertio in carne, in qua occisus fuerat, de sepulchro se reddidit viuum, & nunquā deinde moriturus cum illa ascendit in caelum, superat etiam cuncta quae fecit. Sed neque hoc factum est in Iudaeis, neque coram eis: & nondum hoc fecerat quando dicebat; *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit*. Nimirum ergo illa sunt, quę in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta illis antea nemo donauit. haec enim viderūt: & hoc eis exprobrans adiūxit, & dicit, *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrē meū: sed vt impleatur sermo qui in lege eorum, &c.* Eorū legem dicit, nōn ab ipsis inuentam, sed ipsis datam: sicut dicimus panem nostrum quotidianum, quem tamen à Deo petimus, addendo, da nobis. Gratis autem odit, qui nullum ex odio commodum quaerit vel incommodum fugit. Sic oderūt Deum impij, sic diligunt iusti, hoc est gratis, vt alia praeter illum non expectent bona quoniam ipse erit in omnibus omnia. Quisquis vero altius attēderit Christum dicentem: *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit*, inueniet ipsum fecisse, si quispiam Dei homo tale aliquid fecit. Potest quippe ipse cuncta per seipsum, nemo autem potest aliquid sine ipso: Christus namque cum patre & spiritu sancto, non tres dij, sed vnus Deus: de quo scriptum est, Benedictus dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Nemō ergo alius fecit quaecumque in eis opera fecit: quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit ipso faciente fecit: haec autem ipse non illis facientibus fecit.

Marc. 1.

Matth. 8.

Esa. 53.

Marc. 6.

Matth. 6.

Colo. 3.

Psal. 71.

INCERTI CVIVSDAM

Sub nomine Euseb. Episc. Emisseni in superius Euang. Homil.

HAEc mando vobis, &c. Magna est virtus charitas, quae toties discipulis à Domino commendatur. Qui hoc vnum mandatum custodit, legem & prophetas adimpleuit. De hoc enim per prophetam dicitur: Quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Nolite (inquit) mirari, si mundi amatores vos persequūtur & perdere nituntur: sed potiùs scitote, & memores estote, quia me priorem vobis, quia me omnium hominum maiorem & Dominum, non solùm odio habuerint, verum etiam occiderint. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Quomodò enim de mundo non sunt, qui de hominibus nati sunt, & de terra facti sunt? Fuerunt, inquam, de mundo, sed iam nunc non erant de mundo: quia nullum amorem habebant in gloria & voluptate mundi. Vnde subditur: *Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Nō enim dixit, Quia de mundo non fuistis, sed potiùs quia de mūdo non estis: quoniam & si tunc de mundi huius amatoribus non erant, de mundo tamen assumpti & electi erant: Et idcircò mundus, id est, mundi amatores eos non diligebant, quia sibi operibusque suis contrarios esse videbant. Vnde & de saluatore nostro dicebant: Venite & interficiamus iustum: quoniam contrarius est operibus nostris. *Memento te sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo.* Hoc autem ad quid dixerit, audiamus. *Si me (inquit) persequuti sunt, & vos persequentur: Si sermonem meum seruauerunt & vestrum seruabunt.* Nec in vobis fieri dubitetis, quod in me fieri videtis. *Sed haec omnia facient vobis*, non propter vos, *sed propter nomen meum*, quod praedicabitur à vobis. Et hoc ideò, *quia nesciervnt eum, qui misit me.* Si enim scirent patrem, scirent & filiū cuius est pater, Sed quare nesciunt? quia scire noluut. Scire autem, credere est. Venit ad eos, locutus est eis, scripturas aperuit, veritatem reuelauit, signa multa & inaudita miracula fecit, & tamen credere noluerunt. Nolla igitur eis est excusatio. Hoc est, quod ait: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, &c.* Quid est hoc, Si non venissem, peccatum non haberent? Ergo non habebant Iudaei peccatum, priusquàm veniret ille, qui venit peccata tollere? Habebant quidem peccata: hoc tamen peccatum non habuissent, si Christus non venisset. Non enim de quolibet peccato hoc debet intelligi, sed de peccato infidelitatis, quòd in Christum credere noluerunt, quòd eum oderunt & occiderunt. Vnde & subditur: *Qui me odit, & patrē meum odit.* Non parum igitur & leue videtur eis qui me oderunt, quia simul mecum & patrem oderunt. Ego enim & pater vnum sumus. *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hoc enim Iudaeis solum sufficere debuit, quòd Dei filium se esse dicebat, & tanta miracula faciebat. Quae vtique facere non posset, si menti etur. *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.* Sed dicet aliquis: Quid igitur ad eos, si ideò hoc Iudaei fecerunt, vt se[illegible] legis adimpleretur? Multum quidem: eorum enim iniquitas

Esai. 10.
Rom. 9.

Sap. 2.

Iudas iscariot fabulas.

Ioan. 10.

Psal. 34. & 68.

quitas fuit causa, vt hoc de eis propheta prædicaret. Quod si ille non prædixisset, tamen nihilominùs euenisset. Quamuis igitur quod ille prædixit, non euenire non potuit: non tamen propheticus *Apostolos quàm sint ho-norandi.* sermo, sed eorum iniquitas huius tanti mali causa fuit. Considerate verò, fratres mei, quanta deuotione sanctos Apostolos honorare debeamus, quos ipse Dominus iam non seruos, sed amicos vocat. De quibus ipse ait: Quia non sunt de hoc mundo, sed de mundo electi, mundum vicerunt eum principe mundi. Quibus ipse testimonium *Matt. 5.* perhibet, dicens: Vos estis sal terræ. Vos estis lux *Luc. 8.* mundi. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Isti sunt illi duodecim, quorum affluentia omnis terra sanatur. *Exod. 15.* Venit (inquit Moyses) populus in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum. O quantus fons iste est, qui hæc scripsit beatus Ioannes Euangelista. *Ioan. 11.* Isti sunt duodecim horæ diei, & duodecim portæ *Apoc. 21.* cœlestis Hierusalem, de quibus dicitur: Ab oriente portæ tres, ab occidente portæ tres, à meridie *Psalm. 86.* portæ tres, ab aquilone portæ tres. De quibus Propheta ait: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Et reuerà magis diligit solas Ecclesiæ portas, quàm omnia ædificia synagogæ. Isti sunt lapides viui, qui voluuntur su-*Exod. 39.* per terram. Qui positi in rationali summi pontificis, etiam sine voce docent & prædicant. Prædicant enim non clamando, sed significando. Hos semper in pectore habere debemus, quibus corda nostra & instruantur & muniantur. Ad hos totus populus respiciat, & quid significent diligenter inquirat. Isti sunt fundamentum, turres, *Psalm. 113.* & columnæ Ecclesiæ. Isti montes, qui exultauerunt vt arietes. Isti cedri libani, isti cerui qui venenum non timebunt, & serpentem interficient. *Prouer. 30.* Isti galli in nocte cantantes, & leones sæuientes, qui succinctis renibus & fortissimi bestiarum, ad *Psalm. 18.* nullius timebunt occursum. Sed quid dicam? Isti sunt cœli, qui enarrant gloriam Dei.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

HÆc mando vobis, &c. vt ne opinentur Apostoli, quòd Dominus opprobrans proferat eis, quòd animam suam pro illis ponat, & quòd electi sint, ideo dixit, *Hæc mando vobis*, non vt exprobrem, neque vt de bono quodam opere arroganter loquar, sed vt animas vestras firmiores faciam in charitate mutua: idcirco enumero meæ erga vos charitatis opera. *Hæc* enim *mãdo vobis, vt diligatis inuicem.* Quia autem res ardua, & valde molesta est, persequutionem pati, & odio haberi, consolatur eos, dicens; *Et vos odio habent*, nihil nouum est: nam & me primum odio habuerunt, atque ita quia hoc commune mecum habetis, vt odio habeamini, sit vobis magno consolationis loco. Subdit autem & alium consolandi modum consolantem maxime. Propterea dicit, oportebat vos mœrore affici, si mundus vos non haberet odio. Mundus, hoc est, mali homines. Ex eo enim quod non haberemini odio, ostenderetur, quòd & ipsi illorum malitiæ, & iniquitati communicaretis: nunc autem, quia odio vos habent mali, gaudete. Nam propter virtutem vestram vos oderunt. Alioqui, si non essetis virtute præditi, mundus, quod suum est, amaret. Quia autem ego vos elegi de mundo iniquitatis, propterea odio vos habet mundus vti eos, qui operibus suis non communicant. *Mementote sermonis mei, quem ego, &c.* Hoc, quod superius dixit, id nunc dilatans, maiorem illis consolationem affert, dicit enim, *Memores sitis sermonis mei, quod non sit seruus maior domino suo.* Igitur neque vos me maiores. Videte igitur, quo pacto me vsi sint. Si persequuti fuerunt dominum, & vos seruos multo magis: si me nõ persequuti fuissent, sed meum sermonem seruassent, & vestrum seruaturi essent: id quod non fiet. Neque enim meum, neque vestrum seruabunt, sed omnia hæc vobis facient propter me: atque ita si diligeretis me, sustineretis vtique propter me, quẽ diligitis, vt dicitis. Sed & aliter consolatur, quia iniuria afficiunt & eum qui me iussit: itaq; si nihil aliud, certe hoc sit vobis in cõsolationẽ, quod ipsi & vestri, & mei, & Dei sint inimici. *Si non venissem, &c.* Num autem iuste, inquit, hæc faciunt, & odio habent & me, & patrem meum & vos? num propterea, quæ dixi, vel feci, hanc mentem insumpserunt? Non, inquit: Peccatum enim hoc condonabile est. Nunquid enim non veni, & docui? Si non venissem, si non fuissem loquutus, potuissent dicere, non audiuimus: nunc autem prætextu caret eorum malitia, dein quia nihil aliud prætexebant in omnibus quam quod propter patrem vlciscantur: (sic enim dicunt, homo hic non est à Deo, & similia) idcirco subdit, *Qui me odit, & patrem meum odio habet:* Atque ita nihil tale relictũ est eis in excusationem. Non solum autem doctrinam exhibui, sed & opera adieci, qualia nullus alius, vt est miraculum de cæco, miraculum de Lazaro, & alia similiter. Quam igitur habebunt excusationem? doctrinam sermonum præbui, adieci & opera, sicut & Moses præcepit illi obediendum mandans, qui & signa faceret, & pietatem doceret, nunc autem viderunt talia opera, & nihilominus me, atque patrem odio habuerunt, deinde subdit & prophetam testem, *Oderunt me gratis.* Nam propter solam malitiam, & nullã aliã causam natum est hoc odium. Legem autem non solum libros Mosis, sed & prophetarum (vt supra dixi) nominauit. Igitur Dauid spiritu prædicit qualis futura esset illorum malitia, & vt ipsi mali dictum à propheta impleuerunt, & prophetiam veram esse comprobauerunt. *Ioan. 9.* *Deut. 18.*

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

HÆc annuntio vobis, vt diligatis vos inuicem. Hæc loquor vobis, puta, quòd morior pro vobis, & quod ego ad amicitiam vestram accurri, non improperans, sed incitans vos ad mutuam inter vos dilectionem. Quia vero turbabantur tanquã iam ab omnibus Iudæis odio habiti, deinceps consolatur etiam eorum tristitiam. *Si mundus vos odit, scitote, quod me priusquam vos odio habuerit.* Mũdum dicit malos Iudæos. Sit, inquit, vobis in consolationẽ, quòd ego, priusquam vos, fuerim odio habitus: & gaudete magis, quia mecum in odio malorum communicatis. Deinde aliam quoque ponit consolationem: quod si è numero malorum essent, mali vtique eos diligerent. *Si de mũdo essetis,*

mundus, quod suum esset diligeret, Quod suum esset, hoc est, sibi simile: gaudet naoque simili simile. *Quia vero de mundo non estis, &c.* Itaque odio haberi vos à malis, demuustratio est virtutis, quemadmodum etiam à talibus amari, signum est malitiæ, Quia vero abiectam eorum mentem eteait: rursum ipsos ab iis, quę euotra se fiebant cousolatur. *Memētote sermonis, quem ego dixi vobis.* Et quis
Sup. 13. Matth. 10. sit ille sermo aduerte. *Non est seruus maior domino suo.* Nam huue sermooem io pręcedeotibus dixit eis: uec id semel, sed vatiis io locis. Ait ergu; Non estis vos me meliores. *Si me persequuti sunt, & vos persequentur.* Consequeos enim est, vt, si mei estis discipuli, booo sitis animo ad similis eum pręceptore sufferenda, & per vestigia me sequendum. *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.* Neque grauiter feratis, quòd vos persequsntur, aut quòd vestros eootemnāt sermooes: quę euim in me ostenderont, hęc etiam in vos ostendent: & sufficit, inquit, seruo, vt sit sicut dominus eius. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Hęc omnia: puta persequeotes, & sermooem vestrum noo seruaotes. Si ergo diligitis me, gaudebitis omnino, quia hæc propter me patimini, quia & ego propter vos: & vos quidem pro Domioo, ego vero pro seruis. Deinde pooit & aliam consolationem. *Quia non nouerunt eum, qui misit me.* Quia contemnunt eum, qui me amandauit, hoc est, patrem quoque contumelia afficiunt. Gaudete itaque nobiscum affecti contumelia. Post hæc Iudæos omoi priuat venia, quòd de iodustria peram opersti sint, taliáqoe perpetrauerint. *Si non venissem, & loquutus fuißem eis, &c.* Si nou docuissem eos, peccatum oou haberent persequendo, ac contumeliis afficiendo & me, & vos, qoi mei estis, vt pote ooo dicentem quis essem, nec id à scripturis ostendentem. *Qui me odit, is & patrem meum odit.* Explanat, & áuget peccatom illorum dicens, quòd filij iniuria, patris est ioiuria. Postqosm autem dixit de doctrina sua, dicit etiam de signis suis. *Si opera non fecissem inter eos, qua nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et vere ipsi testes erant diceotes, Nunquam apparuit sic in Israel, Matth 9.
aliáque similia. *Nunc autem, & viderunt.* Huiusmodi opera. *Et oderunt, & me & patrem meum.* Supe- Supr. eodem. Sup. 5.
rius nanque dixit, Qui me odit, is & patrem meú odit. Et rursom alibi; Qui uon honorat filium, nō honorat patrem, qui misit illom. *Sed vt compleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, oderunt me gratis.* Etiam hic dictio, vt non est causalis, sed futuri significatioa, quod futorum sit, vt hic sermo compleatur. Legem vero dicit librum psalmorum in quo scriptuio est, Et sermonibus odij circū dederunt me, & oppognauerunt me gratis, siue frustra Psal. 108.
absque ratione, propter suam malitiam. Ne autem dicant Apostoli, Si te persequuti sunt, & sermonem tuom non seruauerunt: si quum talia educti sunt, taliáque viderunt, oihil illis profuit: si te, & patrem tuum oderunt: similia quoque aduersum nos demonstrabuot: quam igitur ob causam ad tales nos mittis? inducit cōsolationem dicens, quòd spiritus sanctus cooperabitur illis.

IN VIGILIA OMNIVM SANCTORVM.

Euang. Luc. 6. Descendens Iesus de monte, &c.

Require infra Tomo eodem in communi plurimorum Martyrum.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

MATTH. 5.

IN illo tempore: Videns Iesus turbas [a] ascendit in montem: Et cùm [b] sedisset, [c] accesserūt ad eū discipuli eius. Et [d] aperiens [e] os suum, [f] docebat eos, dicens: Beati [g] pauperes [h] spiritu; quoniam ipsorū est [i] regnum

a Quasi multitudinem vitans vt solis discipulis loqueretur.
b Dignitas magisterij notatur. Sessio est incarnatio in qua docet. c Vocati per fidem interius. d Hæc ... longiorem promittit sermonem. e Significat se multa & magna dicturum. Thesaurum sapientiæ aperit, vt bona diuidat suis. Oris apertio mysteriorum quæ in prophetis est reseratio
f Non tantum verbo, sed ... vt Os ... qui ... aperuit ora prophetarum.
g Humiles Deum timentes. Vnde bene incipit, quia initium sapientiæ timor domini. ... Superbia est initium ... regnum terræ, hic regnum cælorum. h Voluntate. i In spe, quæ beatos facit.

k Pauperibus conuenienter in præsenti promittuntur diuitiæ cælestes. l Sine asperitate mentis & sine liuore. m Viuentium pro stabilitate & soliditate. n Pro peccatis suis, & aliorum spretu mundo, mundo desiderio cælorum.

gnum [k] cælorum. Beati [l] mites, quoniã ipsi possidebunt [m] terrã. Beati qui [n] lugent,

o Spiritu paracleto de æterna lætitia. Propter consolationem, beati. p Esuries iustitiæ spiritu fortitudinis suscitur. q Ne in vanis satiantur.

gent, quoniam ipsi [o] consolabuntur. Beati qui [p] esuriunt, & [q] sitiunt iustitiam,

r Adepto quod desiderant. s Qui aliis in quibus libet assistunt, quibus hoc à Deo rependitur, vt liberentur à miseria. ¶ Misericordia est dare & dimittere. t Iudicium sine misericordia fiet ei qui noluit misereri.

quoniam ipsi [r] saturabuntur. Beati [s] misericordes, quoniam ipsi [t] misericor-

v Quos non arguit conscientia peccatorum. Templum enim Dei sanctum est. x Hic per speciem, illic per rem.

diam consequentur. Beati [v] mundo corde, quoniam ipsi [x] Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persequutionem patiun-

y Non propter scelera, vbi non est fides: nec est iustitia, quia iustus ex fide viuit.

tur propter [y] iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm

z Ex odio in faciem contumelias dixerint. a Persequi est vim inferre, vel insidiis appetere. b Cum absentium famam læserint. c Omnia genera verborum malignantium.

[z] maledixerint vobis homines, & [a] persequuti vos fuerint: & [b] dixerint [c] omne

d Qui mendaciter blasphematur, & propter Deum beatus est, sed si alterum deest, non merces est beatitudinis. e Et quia pro iustitia ergo. f Mente. g Corpore.

malum aduersum vos mentientes [d] propter [e] me. [f] Gaudete, & [g] exultate: quo-

h Hoc est quod supra regnum cælorum. i Quia tanto merces vberior, quanto gaudio & exultatione in tribulatione fides erit deuotior. k Superioribus partibus mundi.

niam [h] merces vestra [i] copiosa est in [k] cælis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Luc. 6. IDENS *autem &c.* Hoc rei consentit Lucas dicens: Factum est autem in illis diebus exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei: & cũ dies factus esset vocauit discipulos & elegit xij. ex ipsis quos & apostolos nominauit. Sed Lucas dicit post descensum de mõte in loco cãpestri eundem sermonẽ turbis prædicasse stãdo, quæ Matth. dicit habitum in monte discipulis sedendo. Potuit autem esse vt in mõte xij. eligeret, quod Matthæus tacet, Lucas dicit & electis sermonem illũ tunc haberet quem Matthæus dicit, Lucas præterit. Et postquam descendit: & alterum sermonẽ similem turbis faceret quem Matthæus tacet, Lucas dicit. Vel potuit dominus primò esse cum solis discipulis in eminentia montis, quando ex eis, xij. elegit, deinde cum eis descendisse in aliquam æqualitatem, quæ tamen esset in monte, & multas turbas capere posset, & ibi stetisse donec turbæ congregarentur, & post cum sedisset, propius discipulos venisse: & ita illis & cæteris vnum ser-
Luc. 6. monem habuisse: quem dicit Matthæus & Lucas diuerso narrãdi ordine, sed eadem rerum veritate. Turba quæ sequebatur non ascendit. Vnde alius
Vergelius in Euan. sermo eis fit in campestri. Non enim omnes omnia possunt: quod verius putatur, quamuis idem vtrique similiter possit videri factus. *Ascendit.* Docẽs suos ascẽdere nec in turba remanere, altiorem docturus iustitiam quam illam quæ est scribarum & Pharisæorum. Ascendit ipse mons in montem, vt altiora virtutum culmina doceret, & ecclesiam supra quam sedet, prædicans præceptum domini sublimius erigendam ostenderet, quam eadem doctrina vsque ad finem seculi plenius erudiret. Apostolos præeminentius abducit, vt à monte prius suscipiant montes pacem populo. *Se.* Sessio humanitatis per quam cognoscitur. Vnde: Et
Ioan. 1. mundus eum non cognouit ante incarnationem. *Ac.* Vt vicinius audiant, qui adimplendum animo propterant. *Et ap.* Apertio oris, profunditatem significat sacramenti. Quasi abyssum, quasi thesaurum aperuit, quasi fluuium paradisi. In hoc monte nouum testamentum in cordibus filiorum scribit, incipiens à beatitudine: qui in monte Sinaï vetus Testamẽtum in lapidibus seruis dedit Exo. 31. incipiens à terrore. *Be. paup.* Sententiarum numerus diligenter est attendendus. Incipit enim beatitudo ab humilitate. *Be. paup. sp.* & in. vij. est sapiẽtia, id est contemplatio veritatis pacificans totum hominem, suscipiens Dei similitudinem. *Be. paci.* Octaua ad caput redit: quia consummationem ostendit, In prima igitur & viij. regnum cælorum nominatur. Septẽ ergo sunt, quę perficiũt. Octaua clarificat, & quod perfectum est demonstrat. His vij. gradibus congruit septiformis operatio spiritus sancti quem Isaias describit. Sed ille à summo, Isa. 11. hic ab imo: quia ibi docetur filius Dei descensurus ad ima, hic homo de imis ad similitudinem Dei ascensurus: In his primus, est timor, qui hic cõgruit hominibus humilibus, de quibus dicitur: *Beati pau.* id est, non inflati: non alta sapientes, sed timentes. Secunda est pietas quæ conuenit mitibus. Qui enim pie quærit honorat sancta, non reprehendit, non resistit, quod est mitem fieri. Tertia, scientia, quæ conuenit lugentibus qui didicerunt quibus malis nũc vincti sunt, quæ quasi bona petierunt. Quarta fortitudo, quę conuenit esurientibus & sitientibus: quia desiderantes gaudiũ laborant de veris bonis, à terrenis cupiẽtes auerti. Quinta, consilium, quod conuenit misericordibus: quia vnũ remedium est de tãtis malis erui, dimittere aliis & cõmodare sicut nobis volumus fieri. Sexta, intellectus, quę conuenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre quod oculus non videt. Septima, patientia, quæ conuenit pacificis in quibus nullus motus est rebellis, sed omnia obtemperãt spiritui. Vnum præmium diuersè nominatur pro competentia singulorum. Pauperibus regnum cælorum quod est perfectæ sapientiæ, quasi diceretur. Initium sapientiæ timor do- Prou. 9. mini, Mitibus, hæreditas quasi testamentum patris cum pietate quærentibus. Lugentibus consolatio: quasi scientibus quibus mersi sunt. Esurientibus & sitientibus, saturitas: quasi certantibus & laborantibus refectio. Misericordibus, misericordia quam aliis impendunt. Mundis corde, quasi

purgato oculo visio Dei. Pacificis, Dei similitodo quasi formatis ad imaginem Dei. Hę singulę beatitudines vt impleantur postulant suffragium vij. donorum: quæ dona vt habeantur in oratione dominica vij. precibus, oramus. Ecce qualiter sapientia Dei cuncta præuidit. Virtus beatitudinis percipitur ex dono spiritussancti: donum, prece orationis quam Christus composuit impetratur. Septem quippe sunt dona, sed vnus spiritus. Septem petitiones sed vna oratio. Vnam petiit à domino, hanc requiram. Septem virtutum beatitudines, vna charitas. Hierony. *Psal. 26.* *Beati pauperes spiritu.* Quia non necessitas sed fides, & deuotio paupertatis beatos facit, vt contemptis omnibus Deo viuant. Hæc habet duas partes, rerum abdicationem, & spiritus contritionem, vt etiam bonus se inutilem, & cæteris reputet inferiorem. Beatitudo iam in spe perueniendi. Pauperes spiritu hi sunt, qui omnia habent, & nihil possident. Pauper spiritu, est humilis corde pauperē habens spiritum: nutrix cuius est humilitas, Sicut initium sapientiæ timor domini, sic paupertas est principium beatitudinis. *Beati mites.* Mites sunt, qui malis moribus dominantur: perfecta virtus est morum possessio. Mitis est, quem mētis asperitas seu amaritudo non afficit sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter. Mitis est, quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. Huius virtutis quasi magnæ magistrum se facit dominus: quod non faceret nisi via summæ perfectionis ista virtus esset. *Infr. 11.* vnde dominus: Discite à me, quia mitis, &c. hæc possidet terram viuētium & delectabitur in multitudine pacis. Mansuetus non irritat vel irritatur, non nocet vel nocere cogitat. Qui cedūt improbis, & vincunt in bono malū, hi possidebunt terram viuētium. Immites de terrenis rixantur. Cōgrua ascensio. Prius est contēptus sæculi, cui dantur æterna: inde mores temperat mansuetudo & lenitas: & non est mitis qui prius pauper nō fuerat. Impossibile est enim secundum gradum ascēdere, nisi primum apprehenderis: quia inter diuitias, curas, odia, animus non est mitis. Sed huius incendij materia vix ad purum delebitur: & ideo hæc lenitas sæpe corrumpitur vel extrahitur. vnde subditur; *Beati qui lugent*, pro suis vel aliorum peccatis, qui est ab irriguo inferiori: sed qui fit ab irriguo superiori est ex desiderio cælestis patriæ. Ille lauat præsentes sordes, hic accendit acrius æternorum amatores. Qui autem peccata deposuit, mores mansuetudine correxit: fleuit etiam, iā potest esurire & sitire iustitiam quod prius non poterat. Hæc virtus sine spiritu fortitudinis non impletur: quia per eum esuriendo ad satietatē quandoq; veniemus. *Be. qui l.* Restat post prædicta ruinarum colluuionem luctu purgare. Luctus pro peccatis vel pro desiderio cælesti consolationem meretur, & non alius. Hi scientiæ spiritu illustrātur, vt sciant quibus malis inuoluantur. *Bea. qui e.* Amatores veri boni, quibus non satia est quòd iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiæ. Iustitia est sua cuique tribuere. Sibi, & proximis, & Deo. Hæc iustitia non pleuè implebitur, donec Deus sit omnia in omnibus: ideo hîc possumus esurire, non saturari. Iustitiæ lumen est misericordia: misericordiæ virtus iustitia. hæc misericordia eget spiritu consilij, sine quo nemo circunspectè miseretur. Initium est sui misereri, finis est pro alio mori. Ordo enim est miserendi, vt vnusquisque incipiat à se. finem Christus insinuat, pro peccatoribus mortuus ex misericordia. *Beati mi.* Misericordia nascitur de præcedentibus, quia si præcesserit vera humilitas & animus mansuescat, & suos & aliorum casus fleat, & iustitiā esuriat, post nascitur vera misericordia. Tunc enim miserias alienas faciet suas & pro viribus iuuabit: & si iuuandi facultas deest, compassio non deerit. De hac dicitur: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, *Luc. 6.* id est ad hoc misereamini ad quod & Deus vt bonitas redundet in omnibus. Misericordia sine iustitia, remissio & tepiditas. Iustitia sine misericordia, sæueritas & austeritas dicitur: *Beati mun. cor.* Mundicia cordis sexto loco ponitur, vt homo sexta die conditus per hanc restituatur, & depulsis vitiis præceptum domini illuminet oculos, vt Deus possit videri. Præmissis ergo quinque gradibus, purgandus est mentis oculus, ne in vno mandatorum offensus animus fiat omnium reus. Ideo homo se à mundo exuat, æterna diligat, amplectatur Deū quoadusque possit videre eū quem tantum videt quantum seculo moritur. In futuro sicut est, oculo mentis videbitur. Ideo spiritus intelligentiæ huic gradui aptatur, quia intellectus mentis oculus est, & expletio mandatorum Dei aperit intellectū. *Beati paci.* Rab. Pacifici sunt, qui omnes motus animi componunt, & rationi subiiciunt, quia his nihil repugnat qui similes patri suo sunt qui est summa quies. De hac pace eiectus est qui peruersis dominatur. hac pace intus firmata, quæcunque interius concitauerit qui eiectus est foras auget gloriam, & cum deficit, innotescere facit quanta firmitas interius sit. vnde sequitur: *Beati qui persequutionem &c.* Hæc pax non nisi bona voluntate nutritur. *Luc. 2.* vnde: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Ioan. 4.* Hanc mundus dare non potest, sed Iesus qui ait: Pacem meam do vobis. *Phil. 4.* Hæc pax superat omnem sensum, sed fide capitur: *Ephes. 1.* vnde & ea illustramur, & ei reconciliati ab omni qui ab ea dissentit nos abducimus. Cum autem Deus erit omnia in omnibus, tunc beatitudo adoptionis dabitur. In præsenti verò homo pacatus: & si bellum gerat cū vitiis in nullo pacem abrumpit, quam Deus dedit, vnde: Pax multa diligentibus legem tuam, &c. Qui autem ab ea diuiditur, iræ est filius. Per hāc filij efficimur, quo *Psal. 118.* nihil amplius promittitur. In hac est sapiētia donorum maxima secundum incrementum virtutum: sunt & incrementa præmiorum, quia & alia claritas solis, &c. Pax est vnigenitus Dei filius. De *Ephes. 2.* quo dicitur: qui est pax nostra. Qui pacem diligit, filius est pacis. *Beati pacifici.* Pax à nobis incipit: quia dum lex carnis repugnat legi mentis non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici. Sed postquā intus spiritus imperat, vt totus homo spiritui seruiat, tunc pax ad alios deriuatur, vt pacem cum omnibus habeamus. Vera quidē pax est vbi nihil repugnat. Pax Dei omnem sensum *Phil. 4.* superat: quæ & si capi non potest vt est, tamen pro capacitate nostra capi potest, non quanta est, sed quantum ad recōciliationem adoptionis sufficit. Infinitas æternę pacis, & si non potest intelligi, & quomodo filiis iræ pax conueniat, & quomodo Deus pax seuerè iudicat, & quanta & qualis sit pax totius trinitatis, vbi vna virtus, vna operatio: tamen quòd est, & quòd tanta & talis est, quanta prædicatur fide capimus. Ad gradum pacis qui

purga

purgatus est, intendit & dirigitur. *Beati qui persequutionem.* In prædictis septem est perfectio. In octaua perfectionis ostẽsio, & probatio. Qui prædicta habent, pati possunt persequutionem: & rectè tenet prędicta quę accepit qui pro eis paratus est mori. Qui vsque ad sapientiam per prædicta conscendunt perfecti & roborati, non cedũt persequutioni: quia nec mors nec vita potest separare à Christo. Quorum mentes præmissarum beatitudinum illustrant exercitia, earum mundicia cor ad Deum gubernat, vt reformetur imago pro peccato deleta. Octaua sententia, quæ ad caput redit perfectúmque hominem declarat, & significat circuncisionem octaua die: & resurrectionem domini post sabbatum, qui est octauus & primus dies, & octauas quas in nouo Testamento celebramus, & numerum pentecostes. Nam in septenario numero, septies multiplicato, quo fiũt aliæ quasi octauus additur vnus vt quinquaginta cõpleantur: & tanquam redeatur ad caput: quo dimissus est spiritussanctus: quo in regnũ cælorum ducimur, & hæreditatem accipimus: consolamur, & pascimur, & misericordiã consequimur, & mundamur, & pacificamur: & iis persequutiones exterius illatas & molestias pro veritate & iustitia sustinemus. Octaua veræ circuncisionis beatitudo martyrio terminatur: quæ probatum reddit, & suppletur præcedentibus donis. Octaua promissio non est alia quam prima, verbis iterata. Mysticum est in numero quod iteratur in promissione infrà vij. prius sonat: & postea connumeratur catra: vt gloria resurrectionis his octo gradibus consecretur. Octaua est dies resurrectionis, quæ & prima in qua & lux creata. Generaliter omnium dicitur regnum cælorum; & si specialitas numeratur meritorum: quia licet illius iure possit dici qui nouissimus erit, tamen vniuersorum dignitas omnibus communis erit, dum per charitatem quod in aliis est, etiam vltimus possidebit. Beatus dicitur, qui nihil mali vult: & omnia habet quæ vult. Et ideo omnis ibi beatus, quia non vult amplius, cum nihil iniustè vult. *Beati estis cum maledixerint.* Hucusque generaliter sententias posuit quasi ad absentes, cum & ad præsentes pertinerent, nunc ad eos verba cõuertit (quamuis & hoc aliis conueniat) prædicens quanta pro nomine eius essent passuri: quia dignitatem gradus eorum eis intimare volebat, dicens: Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi: vt ex tristitia humilitatem, ea lætis acciperent consolationem. Sicut Moyses decem præcepta proponẽs, postea per partes explicat: sic Christus quasi virtutum genera octo beatitudines proponit, ea quibus pendent omnia quæ in monte dixit dominus. Sed quia obscurè plura paucis verbis concluserat exponit istius vnde de octaua beatitudine latius prosequitur partes persequutionum, specialiter apostolos & eorum sequaces pro iusticia passuros exprimens. *Maledixerint.* Antiqua translatio habet: *Cum oderint vos homines, & dixerint omne malum, & expulerint.* Idem tamen sensus in nostra, cum maledicta ex odio cordis fiant. Qui gloriam cæli optat, non timet opprobrium in terra: quantum quisque de laude hominum lætatur, tantum de opprobrio tristatur. Quem laus extollit, vituperatio deprimit: vbi quis quærit laudari tantum apud Deum, non timet cõfundi in conspectu hominum. *Mentientes.* Hoc addit, ne glorietur de quo verè mala dicuntur. Etiam addit: *Propter me:* quia aliquando falsa dicũtur, quod accidit temeritate hominum: non tamẽ propter Christum hoc patiuntur, quem non sequuntur. *Quoniam merces copiosa est in cælis.* Hæc sententia videtur ad hoc respicere, quod dictum est ibi: docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est, &c. Necnon & ad hoc: Vos estis sal terræ. Et: Vos estis lux mundi. *In cælis.* Non in volubilibus, cum non in rebus volubilibus merces æterna esse debeat, sed in spiritualibus firmamẽtis vbi habitat sempiterna iusticia. Iam ergo sentiunt hanc mercedem qui spiritualibus bonis gaudẽt. Sed perficietur cũ mortale hoc induet immortalitatem.

Rom. 8.

CATENA AVREA
in idem Euang.

V*Idens autem Iesus turbas ascẽdit in montem, &c.* Chrysost. super Mat. Omnis artifex secundum professionem suam opportunitatem operis videns gaudet. Carpentarius enim, si viderit arborem bonam, cõcupiscit eam præcidere ad opus artificij sui. Et sacerdos cũ viderit ecclesiam plenam, gaudet animus eius, & delectatur vt doceat: Sic & Dominus videns magnam cõgregationem populi, excitatus est ad docendum; vnde dicit: *Videns autem turbas Iesus ascendit in montem.* Aug. de concor. Vel hic potest videri multas turbas vitare voluisse, & ob hoc ascendisse montem, vt solis discipulis loqueretur. Chryso. in hom. Per hoc autem quòd non in ciuitate & foro, sed in monte & solitudine sedit, erudiuit nos, nihil ad ostentationẽ facere, & à tumultibus abscedere, & maximè cum de necessariis disputare oporteat. Remi. Hoc enim sciendum est, quòd tria refugia legitur Dominus habuisse, nauim, montem, & desertum, ad quorum alterum quotiescunque à turbis opprimebatur, conscendebat. Hier. Nonnulli autem simpliciorum fratrum putant Dominum ea, quæ sequuntur, in oliueti monte docuisse, quod nequaquam ita est. Ex præcedentibus enim & sequentibus in Galilæa monstratur locus, quem putamus esse Thabor, vel quemlibet aliũ mõtem excelsum. Chry. super Mat. Ascendit autẽ in montem. Primò quidem vt impleret propheriã Esaiæ, dicentis. Super montem ascende tu, deinde vt ostendat quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet, qui docet Dei iustitiam pariter & qui audit: nemo enim potest in valle stare & de mõte loqui. Si in terra stas, de terra loquere. Si autem de cælo loqueris, in cælo consiste. Vel ascendit in montem, vt ostendat quòd omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem ecclesiæ debet ascendere, de quo Propheta: Mons Dei, mons pinguis. Hilar. Vel ascendit in mõte, quia in paternæ maiestatis celsitudine positus cælestis vitæ præcepta constituit. August. de ser. Domini in monte. Vel ascendit in montem, vt significet quia minora erant præcepta iustitiæ, quæ à Deo data sunt per prophetas populo Iudæorum, quem timore adhuc alligari oportebat. Per filium autem suum maiora populo, quem charitate iam conuenerat liberari. Sequitur: *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Hiero. Ideo autem non stans, sed sedens loquitur: quia non poterant eum intelligere in sua maiestate fulgentem. August. de ser. Domini in monte. Vel

quòd sedēs docebat, pertinet ad dignitatem magistri. Accesserunt autem ad eum discipuli eius, vt audiendis verbis illius hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis implendis animo appropinquabant. Raba. Mysticè autem sessio Domini incarnatio eius est: quia nisi Dominus incarnatus esset, humanum genus ad eum accedere non potuisset. August. de con. euang. Mouet autem quòd Matthæus in monte dicit hunc habitum esse sermonem à Domino sedente: Lucas autem in loco campestri à Domino stante. Hæc igitur diuersitas facit videri alium fuisse illum, alium istum. Quid enim prohibet Christum quædam alibi repetere, quæ ante iam dixerat: aut iterum facere, quæ antè iam fecerat? Quanquam etiam possit illud occurrere in aliqua excellentiori parte montis, primò cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis duodecim elegit: deinde cum eis descendisse non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locū, id est in aliquam æqualitatem quæ in latere montis erat, & multos capere poterat, atque ibi stetisse, donec ad eum turbæ congregarentur, ac postea cùm sedisset accessisse propinquius discipulos eius atque ita illis cæterisq; turbis præsentibus vnum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucásque narrant diuerso narrandi modo, sed eadem veritate rerum. Gregor. 4. moral. Sublimia autem præcepta Domini in monte dicturo præmittitur. *Et aperiens os suum docebat eos, &c.* qui dudū aperuerat ora prophetarum. Remi. Vbicunque autem legitur Dominus aperuisse os, inspiciendum est quia magna sunt quæ sequuntur. Aug. de ser. Domini in monte. Vel dicit: *Aperiens os suum*, vt ipsa mora commendet aliquanto longiorem futurum esse sermonem. Chrysost. in hom. Vel hoc dicit, vt discas quoniam nunc quidem docebat os aperiens in loquendo: nunc autem vocem, quæ est ab operibus emittens. August. in serm. Domini in monte. Si quis autem piè sobriéque considerauerit, inueniet in hoc sermone quātum ad mores opportunos pertinet perfectum vitæ Christianæ modum. vnde sic ipse sermo concluditur: Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti. August. 9. de ciuit. Dei. Nulla autem est causa philosophandi nisi finis boni, quod autem beatū facit, ipse est finis boni. Et ideo à beatitudine incipit, dicens: *Beati pauperes spiritu.* Augu. in serm. Domini in monte. Præsumptio quidem spiritus audaciam & superbiam significat. Vulgò etiam magnum spiritum superbi habere dicuntur, & rectè. Nam spiritus ventus vocatur. Quis verò nesciat superbos inflatos dici quasi vento distentos? Quapropter rectè hic intelliguntur: Pauperes spiritu humiles, timentes Deum, id est, non habentes inflatum spiritum. Chrysost. in homil. Vel spiritum hic elationem & animū dicit. Quia enim sunt multi homines nolentes, rerum necessitate coacti: non est laus: vnde illos beatificat qui se ex electione humiliant. Ideo autem hic incidit radicitus euellens superbiam: quia hæc fuit radix & fons malitiæ vniuersæ: contra quam ponit humilitatem, velut quoddam stabile fundamētum: qua subiecta cum stabilitate alia superædificantur. Hac autem destructa, pereunt quæcunque congregaueris bona. Chrysost. super Math. Ideo autem dixit manifestè: Beati humiles spiritu, vt sic humiles ostendat, vt semper adiutorium Dei sint mendicantes; vnde in Græco dicitur: *Beati mendici vel egeni.* Sunt enim multi naturaliter humiles & non ex fide, qui non pulsant adiutorium Dei, sed solum qui secundum fidem sunt humiles. Chrysost. in hom. Vel quia pauperes spiritu hic dicit formidantes & trementes Dei iussiones, Quomodo dominus per Esaiam cōmendat. Quid autem amplius quàm simpliciter humiles? Humilium enim hic quidem mediocriter est, hic autem superabundanter. August. Superbi ergo appetant regna terrarum, sed humilium est regnum cælorum. Chrysost. super Matth. Nam sicut cætera vitia deponunt ad inferos, maximè tamen superbia: sic & omnes virtutes inducunt in regnum cælorum, maximè tamen humilitas: quia proprium est, vt qui se humiliat, exaltetur. Hiero. Vel *beati pauperes spiritu*, qui scilicet propter spiritum sanctum voluntariè sunt pauperes. Ambr. de offi. Inde autem incipit beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æstimatur humana. Gloss. Pauperibus autem in præsenti cōuenienter promittuntur diuitiæ cæli. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Ambro. super Lucam: Cùm simpliciter contentus fuero inops, superest vt mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere secularibus, nisi fuero mitis? Congruè igitur sequitur: *Beati mites.* August. Mites sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt in malo, sed vincunt in bono malum. Ambros. super Lucam. Mitiga ergo affectum tuum vt non irascaris, aut certè iratus ne peccaueris. Præclarum est enim motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur prohibere iracundiam quàm omnino non irasci, cum plerunque istud lenius, hoc fortius æstimetur. Rixentur igitur immites, & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus. Sed beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram, de qua euelli non possunt. Illam, inquam, terram de qua in Psal. dicitur: Portio mea in terra viuentium. Significat enim quandam stabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquam loco suo requiescit sicut corpus in terra. Et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies & vita sanctorum. Chrysost. super Matth. Vel terra hæc, sicut quidam dicunt, quandiu est in hoc statu, terra mortuorum est, quia vanitati subiecta est: cum autem liberata fuerit de corruptione, fit terra viuorum, vt mortales hæreditarent immortalem. Alterum exponentem legi, quasi cælum in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra viuorum: quod quantum ad inferiorem regionem cæli est, quantum autem ad superius cælum dicitur terra. Alij dicunt quia corpus nostrum terra est, & quādiu subiacet morti, terra est mortuorum. Cùm autem fuerit conforme factum gloriæ corporis Christi, erit terra viuorum. Hiero. Vel hæreditatem terræ mitibus Dominus pollicetur, id est, eius corporis quod ipse assumpsit habitaculum, quia per mansuetudinem mentis nostræ habitat Christus in nobis, nos quoque clarificati corporis eius gloria vestiemur. Chrysost. in hom. Vel aliter: Christus hic spiritualibus sensibilia immiscuit: quoniam enim æstimatur qui mitis est omnia sua perdere contrarium promittit, dicens: quod cum stabilitate sua possidet, qui non est proteruus: qui autem aliter est, multoties animam & hæreditatem paternam perdit. Quia verò propheta dixerat: Mansueti hæreditabūt terram,

à con

à consuetis verbis contexit sermonem. Glo. Mites etiam qui seipsos possederunt hæreditatem patris in futuro possidebunt. Plus autem est possidere terram quam habere regnum cælorum: multa enim habemus quæ statim amittimus. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ambro. super Lucam: Cum hoc feceris, vt scilicet sis pauper & mitis, memento quia peccator es, luge peccata tua, vnde sequitur: *Beati qui lugent.* Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia trinitas est, quæ peccata condonat. Hilar. Lugentes enim hîc dicuntur non orbitantes, aut contumelias, aut damna mœrentes, sed peccata vetera flentes. Chr. super Matth. Et qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, sed mediocriter: beatiores autem sunt qui aliena lugent peccata, tales conuenit esse omnes doctores. Hieron. Luctus enim hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis & vitiis mortuorum. Sic fleuit Samuel Saulem, & Paulus eos qui post immunditiam pœnitentiam non egerunt. Chryso. super Matth. Cum autem consolatio lugentium sit cessatio luctus, qui sua peccata lugent, consolabuntur indulgentiam consecuti. Chrysost. in hom. Et licet talibus sufficiat venia frui, non terminat retributionem in peccatorum remissione, sed & multarum facit participes consolationum, & hîc in futuro. Semper enim maiores laboribus Deus dat retributiones. Chrysost. super Matth. Qui verò aliena peccata lugent, consolabuntur: qui cum in seculo illo prouidentiam cognouerint Dei & intellexerint quòd qui perierunt non fuerunt Dei, de cuius manu nemo rapere potest, de eis luctu derelicto in sua beatitudine lætabuntur. Vel aliter. August. in sermone Domini in monte: Luctus est tristitia de amissione charorum. Conuersi autem ad Deum ea, quæ in hoc mundo chara habebant, amittunt, non enim gaudent his rebus quibus ante gaudebant, & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœstitia sauciantur. Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maximè propterea paracletus nominatur, id est, consolator, vt temporalē amittentes æterna lætitia perfruantur. Et ideo dicit: *Quoniam ipsi consolabuntur.* Glos. Vel per luctum duo genera compunctionis intelliguntur, scilicet pro miseriis huius mundi, & pro desiderio cælestium. Vnde filia Caleph petiuit irriguum superius, & inferius: huiusmodi autem luctus non habet nisi pauper, & mitis, qui cum mundum non diligat, quod miser est recognoscit, & ideo cælum concupiscit: conuenienter ergo lugentibus promittitur consolatio, vt, qui tristatus est in præsenti, gaudeat in futuro. Maior est autem retributio lugentis, quàm pauperis & mitis. Plus enim est gaudere in regno, quàm habere & possidere: multa enim cum dolore possidemus. Chrysost. in hom. Notandum autem, quòd hanc beatitudinem cum intētione quadam proposuit, ideo non dixit: Qui tristantur, sed qui lugent: in quo etiam perfectionis sapientię magisterium dedit. Si enim qui filios, vel alios defunctos lugent, secundum illud tempus nō desiderant pecuniam, nec gloriam, nec contumeliis exacuuntur, neque aliqua alia passione capiuntur, multo magis hæc seruare debent, qui lugent sua peccata. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ambrosius super Lucam: Postquam delicta defleui, esurire incipio, & sitire iustitiam: æger enim cum in graui morbo est, non esurit. Vnde sequitur: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Hieron. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem, vt sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus. Chrysostō. super Matthæum. Quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Esurit autem iustitiam, qui secundum iustitiam Dei desiderant conuersari: sitit autem iustitiam, qui scientiam eius acquirere cupit. Chrysost. in hom. Iustitiam autem dicit, vel vniuersalem, vel particularem auaritiæ contrariam. Quia enim de misericordia dicturus erat, præmōstrat qualiter misereri oporteat: quia non ex rapina, neque ex auaritia. Vnde etiam quod est auaritiæ proprium, scilicet esurire & sitire, iustitiæ attribuit. Hilar. Sitientibus autem & esurientibus iustitiam beatitudinem tribuit, significans extensam in Dei doctrinam Sanctorum auiditatem, perfecta in cælo satietate repleri. Et hoc quod dicitur: *Quoniam ipsi saturabuntur.* Chrysost. super Matthæum: Scilicet largitate remunerantis Dei: quoniam maiora erunt præmia Dei, quàm Sanctorum desideria. August. Vel illo cibo saturabuntur in præsenti, de quo Dominus dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, quod est iustitia: & illa aqua de qua quisquis biberit, fiet eis fons aquæ salientis in vitam æternam. Chrysost. in hom. Vel in hoc terrenum præmium determinat: quia enim æstimator auaritia abundantes facere, ipse cōtrarium dicit, quòd iustitia hoc operatur. Qui enim iustitiam cupit, omnia cum stabilitate habet. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Gloss. Iustitia & misericordia ita coniunctæ sunt, vt altera ab altera debeat temperari: iustitia enim sine misericordia crudelitas est: misericordia sine iustitia dissolutio. Vnde de misericordia post iustitiam subdit, dicens: *Beati misericordes.* Remig. Misericors dicitur quasi miserum habēs cor, quia alterius miseriam quasi suam reputat, & de malo alterius quasi de suo dolet. Hieronymus. Misericordia hîc non solùm in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus. Augustinus. Beatos autem dicit esse, qui subueniunt miseris, quoniam eis ita rependitur, vt de miseria liberentur, vnde sequitur: *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hilar. Intantum enim Deus beneuolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, vt suam misericordiam sit solis misericordibus præstaturus. Chrysostomus in hom. Videtur autē esse æqualis retributio, sed est multo maior: non enim est æqualis humana misericordia & diuina. Glossa. Meritò ergo misericordibus misericordia impenditur, vt plus accipiant, quàm meruissent, & sicut plus recipit qui vltra saturitatem habet, quàm ille, qui habet tantum ad saturitatem, sic maior est gloria misericordiæ, quàm præcedentium. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ambrosius. Qui misericordiam defert, misericordiam amittit, nisi mundo corde misereatur. Nam si iactantiā quærit, nullus est fructus, vnde sequitur: *Beati mundo corde.* Glossa. Conuenienter autem sexto loco ponitur cordis munditia, quia sexto die homo cōditus est ad imaginem Dei, quę quidem obtenebrata erat in homine per culpam, sed in mundis corde reformatur per gratiam. Meritò autem post prædicta sequitur, quia

nisi illa præcedant, mundum cor in homine non creatur. Chrysostomus in ho. Mundus autem hîc ait, vel eos qui vniuersalem virtutem possident, & nullius sibi malitiæ conscij sunt: vel eos qui temperantia consistunt, quæ maximè necessaria est ad videndum Deum, secundum illud Pauli: Pacem sequamini cũ omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum. Quia enim multi miserentur quidẽ, sed impudica agunt: monstrans quod non sufficit primum, scilicet misereri, hoc de mundicia apposuit. Hieronymus. Mundus autem Deus à mundo corde conspicitur. Templum Dei non potest esse pollutum. Et hoc est quod dicitur: *Quoniam ipsi Deum videbunt.* Chrysostomus super Matthæum. Qui enim omnem iustitiam facit & cogitat, mẽte sua Deum videt, quoniam iustitia figura est Dei: Deus enim iustitia est. Sciendum ergo quòd aliquis eripuerit se à malis, & fecerit bona secundũ hoc Deum videt, aut parum, aut amplius, aut interdum, aut semper secundum possibilitatem humanam. In seculo autem illo mundi corde Deum videbũt facie ad faciem, non in speculo, non in ænigmate sicut hîc. Augustinus in sermone Domini in monte: Stulti autem sunt, qui Deum videre istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: In simplicitate cordis quærite illum, hoc est enim simplex & mundum cor. Augustinus vlt. de Ciuitate Dei: Si autem tantum poterunt in corpore spirituali oculi etiam ipsi spirituales quantum possunt isti, quales nunc habemus: proculdubio per eos Deus videri non poterit. Augustinus in primo de Trinitate: Hæc autem visio merces est fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est: Mundans fide corda eorum; hoc autem probatur illa maximè sententia: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide.* Augustinus super Genesim ad literam. Nemo autem videns Deum, viuit vita ista, qua moraliter viuitur istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisq; funditus moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut ait Apostolus, vtrum in corpore an extra corpus sit, non in illam subuehitur visionem. Gloss. Maiorem autem remunerationem isti habent, quàm primi: sicut qui in curia Regis non solùm prandet, sed etiam faciem Regis videt. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ambrosius super Lucam: Cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionésque ex affectu tuo prodeant: à te pacem incipe, vt sic pacem aliis feras, vnde sequitur: *Beati pacifici.* Augustinus 19. de Ciuitate Dei: Est autem pax tranquillitas ordinis. Ordo autem est parium dispariũque sua loca tribuens dispositio. Sicut autem nemo est qui gaudere noluerit, ita nemo est qui pacem habere noluerit: quandoquidem & ipsi qui bella volũt, nihil aliud quàm ad gloriosam pacem cupiunt bellando peruenire. Hieronymus. Pacifici autẽ dicuntur beati, qui primum in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes faciunt pacẽ. Quid enim prodest alios per te pacari, cùm in tua anima sint bella vitiorum? August. in ser. Domini in monte: Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita ordinata sunt omnia, vt quod est in homine præcipuum, & excellens, imperet cæteris reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiisque commonia: atque ad ipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio subiiciatur superiori, quod est ipsa veritas filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest: nisi superioribus subiiciatur. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis. August. in lib. retract. Non tamen cuiquam prouenire potest in hac vita, vt lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Sed hoc nunc pacifici agunt domando concupiscentias carnis, vt ad pacem plenissimam quandoq; veniatur. Chrysost. super Matth. Pacifici autem, ad alios sunt non solum qui inimicos in pace reconciliant, sed etiam illi qui immemores malorum diligunt pacem. Pax enim illa beata est quæ in corde posita est, non tantum in verbis. Qui autem pacem diligunt, filij sunt pacis. Hilar. Pacificorum autem beatitudo adoptionis est merces. Et ideo dicitur: *Quoniam filij Dei vocabuntur.* Parens enim omnium Deus vnus est, neque aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi fraternæ inuicem charitatis pace viuamus. Chrysost. in hom. Vel quia pacifici dicuntur, qui nec litigant, nec oderunt adinuicem, sed & congregant litigantes, rectè filij Dei vocantur, quia vnigeniti hoc est opus, congregare dispersa, & pacificare contra se præliantia. Aug. Vel quia in pace perfectio est vbi nihil repugnat, pacifici filij Dei dicuntur, quoniam nihil resistit Deo. Et vtique filij similitudinem patris debent habere. Glo. Maximam ergo dignitatem habent pacifici, sicut qui filius regis dicitur, in domo regia summus est. Septimo autem loco beatitudo hîc ponitur, quia in sabbato veræ requiei dabitur vera pax sex ætatibus transactis. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Chrysost. in homil. Posita pacificorum beatitudine, ne aliquis existimaret, quòd semper pacem sibi quærere sit bonum, subdit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam:* hoc est propter virtutem, propter defensionem aliorum, propter pietatem. Iustitiam enim consueuit pro omni virtute animæ ponere. Aug. in serm. Domini in monte. Pace enim intrinsecus constituta, ac firmata: quascunque persecutiones ille, qui foras missus est, forinsecus concitauerit, aut gerit: auget gloriam quæ secundum Deum est. Hieronym. Signanter autem addidit *propter iustitiam.* Multi enim propter peccata persecutionem patiuntur, & non sunt iusti. Simúlque considera quòd octaua veræ circuncisionis beatitudo martyrio terminetur. Chrysost. super Matth. Non autem dixit: Beati qui à Gentilibus persecutionem patiuntur: ne putes illum solum beatum, qui persecutionem patitur propter idola colenda: ideò & ab hæreticis persecutionem patiens propter veritatem non relinquendam, beatus est, quia propter iustitiam patitur. Sed & si quis ex potentibus, qui Christiani videntur, forsitan propter sua peccata correctus à te, fuerit te persecutus: beatus es cum Ioanne Baptista. Si enim verum est quòd prophetæ martyres sunt, qui à suis occisi sunt, sine dubio qui propter causam Dei aliquid patitur, & si à suis patitur, mercedem martyrij habet. Et ideo non posuit scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis: vt non aspicias quis te persequitur, sed propter

quid.

quid. Hilar. Si ergo ad postremum eos in beatitudine numerat, quibus omnia pro Christo pati, qui iustitia est, pronus affectus est. His igitur & regnum seruatur quia in contemptu seculi sunt pauperes spiritu; vnde dicit: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Augustinus. Vel octaua beatitudo tanquam ad caput redit: quia cũ summatum perfectũmque ostendit & probat. Itaque in prima & octaua nominatum est regnum cœlorum. Septem enim sunt quæ perficiunt. nam octaua clarificat, & perfectum demonstrat, & per hos gradus perficiuntur & cæteri, tanquam accipiatur rursus exordium. Ambros. super Lucam. Vel aliter: Primum regnum cœlorũ sanctis propositum est in absolutione corporis, secundum post resurrectionem esse cum Christo. Post resurrectionem enim terram tuam incipies possidere absolutus à morte, & in ipsa possessione consolationem reperies. Consolationem sequitur delectatio: delectationem diuina miseratio. Cui autẽ miseretur dominus & vocat, & sic vocatus videt vocantem. Qui autem Deum viderit, in ius diuinæ generationis assumitur, & tunc demum quasi Dei filius cœlestis regni diuitiis delectatur. Ille igitur incipit, hic replet. Chry. in ho. Ne autem miretis, si secundum vnamquamque beatitudinem regnum non audis, quia cùm dicit: Consolabuntur: misericordiam consequentur, & cætera huiusmodi. Per hæc vniuersa nihil aliud quam regnum cœlorum occultè insinuat, vt nihil sensibile expectes. Neque enim beatus est, qui in his coronatur, quæ cum præsenti vita discedunt. August. Diligenter autem attendendus est numerus harum sententiarum. His enim septem gradibus congruit operatio spiritus sancti septiformis, quã Esaias describit: sed ille à summo, hic ab imo: quia ibi docetur filius Dei ad imam descensurus, hîc homo de imis ad similitudinem Dei ascensurus. In his primus est timor, qui congruit hominibus humilibus, de quibus dicitur: Beati pauperes spiritu, id est, non alta sapientes, sed timentes. Secunda est pietas, quæ conuenit mitibus: qui enim piè quærit, honorat, non reprehendit, non resistit, quod est mitem fieri. Tertia est scientia, quę conuenit lugentibus, qui didicerunt quibus malis nunc vincti sunt, quæ quasi bona petierũt. Quarta est fortitudo quæ congruit esurientibus & sitientibus, quia desiderantes gaudium de veris bonis laborant, à terrenis cupientes auerti. Quinta consilium cõuenit misericordibus: quia vnicum remedium est, de tãtis malis erui, dimittere aliis & dare. Sexta est intellectus & conuenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre quod oculus non vidit. Septima est sapientia quæ conuenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperant spiritui. Vnum autem præmium quod est regnum cœlorum, variè nominatum est. In primo sicut oportebat, positum est regnum cœlorum quod est perfectæ sapientię initium, ac si diceretur: Initium sapientiæ timor domini. Mitibus hæreditas, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus. Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserunt, & in quibus mersi sunt. Esurientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus ad salutem. Misericordibus misericordia tanquam optimo consilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur, quod exhibent. Mundis corde, facultas videndi Deum tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. Pacificis Dei similitudinem. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus. Nam quod post hanc vitam promittitur nullis verbis exponi potest. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, &c.* Raba. Superiores sententias generaliter dirigebat, iam incipit loqui præsentes compellãs, prędicens eis persecutiones quas pro nomine eius passuri erant, dicens: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, &c.* Aug. Quęri autẽ potest quid intersit quod ait; Cum vobis maledicent, & dicent omne malum, cum maledicere hoc sit malum dicere. Sed aliter est maledictum iactatum cum cõtumelia coram illo qui maledicitur, aliter cum absentis fama læditur. Persequi autem est vim inferre, vel insidiis appetere. Chry. super Matt. Si autem verum est quoniã qui calicem aquæ porrexerit, merces eius non perit: consequenter qui vel vnius leuissimi verbi iniuriam fuerit passus, vacuus non erit à mercede. Vt autem blasphematus sit beatus, duo conuenire debent: vt & mẽdaciter blasphemetur, & propter Deum: alioquin si vnum defuerit, non est beatitudinis merces. Et ideo dicit: *Mentientes propter me.* Aug. Quod propter illos additum puto, qui volunt de persecutionibus & de fama suæ turpitudinis gloriari: & ideo dicere ad se pertinere Christum, quòd multa de illis dicuntur mala, cùm & verè dicantur quando & de errore illorum dicuntur: & si aliquando falsa iactantur, non tamen propter Christum ista patiuntur. Greg. super Ezechielem. Quid autem poterit obesse si homines vobis derogent, & sola vos conscientia defendat? Sed tamen linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant: ita quòd suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat. Vnde & hîc dicitur: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Glo. Gaudete mente quidem, & exultate corpore: quia merces vestra non tantum magna est sicut aliorum, sed copiosa est in cœlis. Aug. Non hîc cœlos puto dici superiores partes huius visibilis mundi. Non enim merces vestra in rebus visibilibus collocanda est, sed in cœlis dictum puto, in spiritalibus firmamentis, vbi habitat sempiterna iustitia. Sentiũt ergo iam istam mercedem qui gaudent spiritualibus: sed ex omni parte perficietur, cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Hie. Gaudere igitur & exultare debemus vt merces nobis in cœlestibus præparetur, vt qui vanam sectatur gloriam implere nõ potest. Chry. super Matt. Quia quantum aliquis lætatur de laude hominum, tantum de vituperatione tristatur, qui verò gloriam concupiscis in cœlo, opprobria non timeas in terris. Greg. super Ezechielem. Aliquando tamen detractores debemus compescere: ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant corda innocentium corrumpant.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum in superius Euang. expositio.*

CONgregatis igitur pluribus turbis, montem conscendit & docet: in paternæ scilicet maiestatis

iestatis positus celsitudine cœlestis vitæ præcepta constituit. Non enim æternitatis instituta, nisi in æternitate positus tradidisset. Denique ita scriptum est; *Aperuit os suum, & docebat eos*. Locutum eum fuisse promptius erat dicere. Sed quia in gloria paternæ maiestatis institerat, & æternitatem docebat: idcirco ad motum spiritus eloquentis obedisse ostenditur humani oris officiũ. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Exemplo dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquẽdam, dicens, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, Et cum se per prophetas populum humilem, & ad verba sua trementem præmonuit esse lecturum, in spiritus humilitate perfectæ beatitudinis posuit exordium. Igitur humilia spirantes, id est, se homines recordantes, in cælestis regni passione constituti, conscij sibi ex sordentibus ac tenuissimis se principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, & in hunc sentiendi, contuendi, iudicandi, agendi sensum, Deo profectum ministrante procedere: nihil quicquam suum esse, nihil proprium, sed cunctis dono parentis vnius eadem & veniendi in vitam tribui primordia, & vtendi eadem substantiam ministrasti, ac nos optimi illius, qui nobis sit ista largitus, exemplo, perfunctę in nos bonitatis esse æmulos oportere, vt boni omnibus simus, communia omnia omnibus existimemus. Nulla nos nec secularis fastus insolentia, nec opum cupiditas, nec inanis gloriæ ambitio corrumpat: sed subiecti Deo simus, & de communione viuendi in omnes communis vitæ charitate teneamur. Magnum etiam in eo quod nati sumus, diuinæ bonitatis futurum profectum existimantes, cuius præmium atque honos præsentis vitæ operibus sit merendus: atque ita per hanc spiritus humilitatem, qua à Deo nobis meminerimus & indulta omnia, & deinceps potiora speranda, cælorum regnum erit nostrum. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Mitibus, terræ hæreditatem pollicetur: id est, atius corporis, quod ipse Dominus assumpsit habitaculum. Et quia per mansuetudinem mentis nostræ habitauerit Christus in nobis, nos quoque gloria clarificati eius corporis vestiemur. *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Lugentibus æternæ consolationis solatia repromittit: non orbitates aut cõtumelias aut damna mærentibus, sed peccata vetera flentibus, *& criminum quibus obsordescimus, conscientia ærumnosis hæc sedula in cælo consolatio præparatur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sitientibus & esurientibus iusticiam, beatitudinem tribuit: significans extensam in Dei doctrinam sanctorum auiditatem bonis perfectæ in cælo satietatis expleri. *Beati misericordes, quia ipsis misericordiam præstabit Deus.* Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim Deus beneuolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, vt misericordiam suam sit solis misericordibus præstaturus. *Beati mundo corde, quoniam Deum ipsi videbunt.* Mundis corde conspectum Dei spondet. Nihil enim pollutum & sordidum ad occursum diuinę claritatis insistit, & ad conspectum Dei acies obsoletæ mentis hebetatur: eos scilicet & visui & occursui Dei esse patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas eius sit contuendi. Non enim nisi spiritu perfecti, & iam mortalitate immutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacificorũ beatitudo adoptionis est merces, vt filij Dei maneãt, parens enim omnium vnus Deus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi obliuione earum rerum assumpta, quibus possimus offendi, fraternæ inuicem charitatis pace viuamus. *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, & reliqua.* Perfecta ad postremum beatitudine eos muneratur, quibus omnia pro Christo pati promptus affectus est: quia ipse iusticia est. His igitur & regnum reseruatur, & merces in cælo copiosa promittitur, qui in cõtemptu seculi pauperes spiritu, & damnis rerum præsentium iacturisque probrosi, & aduersa maledicta hominum cęlestis iusticię confessores, ac deinceps gloriosi promissorum Dei martyres, omnem vitæ vsum testimonio veritatis eius impenderint.

CHROMATII EPISCOPI Aquilegiensis in superius Euang. Sermo 1.

VIdens autem Iesus turbam, ascendit in montem, & sedente eo, accesserunt ad eum discipuli eius, &c. De terrenis, & humilibus, ad alta, & excelsa discipulos suos dominus ducturus, montem conscendit, & quidem Oliueti, vt per ipsius vocabuli significationem diuinę misericordię suæ munus ostenderet. Ascendit igitur dominus in montem vt discipulis suis, terrena iam relinquentibus, & superna petentibus, velut in alto iam positis, pręcepta traderet cęlestium mandatorum, & * pronisa solæ benedictionis diuino munere largiretur, secundum quod Dauid ante testatus fuerat, dicendo; Etenim benedictiones dabit, qui legem dedit. Et vt apertius & gratiam Apostolorum, & autoritatem tantæ huius benedictionis ostenderet, addidit dicens; Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion, filius scilicet Dei, qui in Sion Apostolis benedictiones donauit. Idem enim in hoc monte benedictionẽ Apostolis dedit, qui iamdudum in monte Sina Moysi legem tradiderat, probans se esse vtriusq; legis autorem, secundum quod per Hieremiam ipse dominus manifestat dicendo; & dabo illis testamentum nouum, non tale, quale iamdudum dedi patribus eorum, cum edocerem eos de terra Ægypti, sed hoc est testamẽtum, quod dabo illis: scribam leges meas in cordibus eorum, & in sensu eorum scribã eas. Et iamdudum quidem, cum lex daretur, iuxta montem populus prohibebatur accedere; nunc, domino docente in monte, nemo prohibetur, imò potius omnes inuitantur, vt audiant; quia in lege seueritas est, in Euangelio gratia. Illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionum munus infunditur. Si vis ergo & tu benedictiones à domino accipere, relinque terrenam conuersationem, pete vitam supernam, ascende in altitudinem fidei tanquam montem, vt benedici iure à domino merearis. Sed quæ iam ipsa verba benedictionum sint, videamus. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, &c.* Plures quidem nouimus pauperes, sed non quia tantum pauperes, idcirco beatos, quia vnumquẽque

Forte. promissa.

Psal. 83.

Hier. 31.

que

quoe nostrum non necessitas paupertatis facit esse beatum, sed fides deuotæ paupertatis. Nam multos scimus egere quidem seculi facultate, nihilominus tamen à peccatis non desinere, atque à fide Dei esse alienos, quos vtique manifestum est, beatos dici non posse, & ideo debemus requirere, qui isti beati sint, de quibus ait dominus; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hos vtique pauperes significat esse beatos; qui, contemptis mundi d uitiis, spretáque seculi facultate, vt Deo fierent diuites, mundo esse pauperes voluerunt. Hi tales pauperes quidem seculo videntur, sed Deo diuites sunt, egentes seculo, sed Christo locupletes. Cuius beatæ paupertatis exemplum nobis primum se Apostoli præbuerunt, qui, contempta omni facultate, statim secuti domini vocem, ipsius esse discipuli meruerunt. Hos tales pauperes etiam Apostolorum temporibus inuenimus, qui primi credentes, vniuersis rebus suis, possessionibúsque distractis, sub hac deuota paupertate domini diuitias quæsierunt. Vnde & Apostolus in tali paupertate diuitias inesse cœlestes ostendit, dicens; Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Inde denique Petrus, eum ascédens ad templum à claudo eleemosynam peteretur, ait; Argétum, & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do; in nomine domini Iesu Christi surge, & ambula. O vere beata paupertas, quæ, cum nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur! Non dat quidem argentum, vel aurum, sed, quod plus est diuitiis omnibus, reddit corporis sanitatem; imaginem Cæsaris in nummo quæ dare non habuit, sed Christi imaginem in homine reformanit. De huiusmodi pauperibus in præsenti loco dominus loquitur, de quibus & Dauid multis locis testatur dicendo; Edent pauperes, & saturabuntur; &, viuit cor eorum in seculum seculi: Et iterum, Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Talium ergo pauperum dominus docet esse regnum cœlorū, qui se causa religionis, ac fidei, seculo pauperauerunt, vt locupletem sanctum spiritum possiderent, vel certe beatos pauperes dicit, qui nulla superbia diaboli inflantur, nulla ambitione seculi extolluntur, sed humilitatem spiritus cum fide deuotione custodiunt. Vnde dicitur à Dauid in Psalmo; Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit. Tales ergo pauperes spiritu beati sunt apud Deum. Deinde ait, *Beati qui lugent, &c.* Sicut de pauperibus superius, ita & hic de lugentibus loquitur: non eos beatos appellans, qui aut dilectæ alicuius cōiugis orbitatem, aut amissionem charorum pignorum, filiorúmque grauiter lugent, sed eos potius beatos esse significat, qui aut propria commissa peccata iugi lachrymarū fletu expiare contendunt, aut qui pio legis affectu iniquitatem seculi, ac peccantium delicta lugere non desinunt. His ergo sanctè lugentibus non immerito à domino consolatio exultationis æternæ promittitur. Eum denique Dauid sanctus expectans, etiā stratum suum iugi lachrymarum fletu rigauit, dicendo; Lauabo per singulas noctes lectū meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum; Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; vbi est Deus tuus? Et iterum; Quia cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabā. Et iterum; Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis in lachrymis in mensura. Vis autem scire planctum sanctorum, audi dictum de Samuele Propheta, quia vsque ad diem mortis eius luxerit regem Saulem. Hieremias quoque, cum populi peccata defleret; ita vt flumen aquarum transiret oculi mei super contritionem plebis meæ. Et iterum; Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo hanc plebem die, ac nocte. Daniel etiam graui luctu pro populi peccatis afficitur, secundum quod ipse testatur, dicens; Et iterum, inquit, lugens tribus hebdomadis dierum panem non manducans, & vinum non bibens. Sanctus quoque Apostolus quosdam Corinthiorum luctu similt deflet dicendo; Et veniam ad vos, vt lugeamus multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam in immunditia, quam gesserunt, & fornicatione, & immunditia. Huiusmodi ergo luctum dominus perpetui gaudij consolatione compensat, secundum quod Esaias tenatur, dicens; Dare iis, qui lugent Sion, gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ pro spiritu mœstitiæ, amictum gloriæ. Vnde & Dauid ait; Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, disrupisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia. Deinde ait; *Beati mites, &c.* Diuersæ sunt gratiæ promissionum diuinarum, quia diuersi gradus meritorum, ait ergo, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites sunt homines mansueti, humiles, & modesti, in fide simplices, & ad omnem iniuriam patientes, qui præceptis euangelicis instituti, dominicę mansuetudinis imitantur exemplum, qui ait in Euangelio; Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Denique Moyses iamdudum idcirco maximam gratiam apud Deum habuit, quia mitis erat, hoc enim de eo scriptum est; Et erat Moyses mansuetus præ omnibus, qui erant super terram. Vnde Dauid in Psalmo ait; Memento, domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Huius ergo modi mites beatos ostendit, quibus non in præsenti vita, sed in futura possessionem terræ illius felicis repromisit, de qua dictum legimus in Psalmo; Mansueti autem possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et iterum; Qui expectant dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram. De qua & per Salomonem spiritus sanctus testatur, dicēs; Quoniam recti habitabunt in terra, & sancti habitabunt in ea. Hos ergo mites dominus beatos ostēdit, qui lenitatem mansuetudinis dominicæ sequentes, beatæ illius terræ hæreditate perpetua possessione fruentur. Maxime tamen de terra nostri corporis loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum, æterna felicitate regnabunt. Deinde ait, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, &c.* Non facili desiderio, nec leui cupiditatis ardore expetendam à nobis esse iustitiam docuit: Siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam esuriendi, ac sitiendi modo, interni desiderij cupiditatibus inardescūt: quia, si eam vnusquisque nostrum esuriens, ac sitiens desiderio concupiscat, nō potest aliud semper quam iustitiam cogitare, iustitiam quærere, quia esuriens, ac sitiens necesse est id, quod sitit, atque esurit, concupiscat. Merito igitur his taliter esurien

Marginalia (left): Videas locum hunc de voluntariis pauperibus non interpretari, sed facultatem intelligi. — 2. Cor. 6. — Act. 3. — Psal. 21. — Psal. 71. — Psal. 50. — Psalm. 6. — Psal. 41.

Marginalia (right): Hiere. 9. — 2. Cor. 12. — Esa. 61. — Psalm. 29. — Matth. 11. — Psal. 131. — Psal. 36. — Pro. 2.

esurientibus, ac sitientibus, qui panis cælestis, ac fons aquæ viuæ est, satietatem refectionis illius perpetuæ repromittit dicendo; *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*: illam vtique iustitiam fidei, quæ Dei, & Christi est, de qua & Apostolus retulit; Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt. Vel certe ipsum dominum, ac saluato-
1.Cor.1. rem nostrum, qui nobis secundum Apostolum, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio factus est, cuius desiderio, velut cibi, ac potus, modo beati semper exæstuant, secundum quod ipse dominus per Solomonem testatur dicens ex persona sa-
Eccl.24. pientiæ; Qui me manducant, esurient; & qui mo bibent, adhuc sitient. Hanc ergo iustitiam etiam nos semper esurire, ac sitire debemus, vt saturari cibo refectionis perpetuæ mereamur. Bene autem cum additamento dictum est in loco præsenti; *Beati, qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, qui non iniustitiam, sed qui iustitiam esuriút, non scilicet, qui aurum, & argentum desiderant, qui diuitias, vel honores seculi concupiscunt, & qui nunquam terrenis opibus, vel carnis desideriis satiantur: Sed ij tales non beati, sed infelices sunt, quia eis non spes promissæ gloriæ, sed damnationis pœna debetur. Deinde ait; *Beati misericordes quoniam ipsis miserebitur Deus*. Plurimis quidem testimoniis tam in veteri Testamento, quã etiam in nouo, ad faciendam misericordiam à Domino prouocamur, sed ad compendiũ fidei arbitramur satis, supérque sufficere, id, quod in præsenti loco ipse dominus propria voce deprompsit dicendo; *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus*. Dominus misericordiarũ misericordes dicit esse beatos, ostendens vnumquenque misericordiam Dei promereri nõ posse, nisi & ipse misericors fuerit,
Luc.6. vnde & alio loco ait; Estote ergo misericordes, sicut & pater vester, qui est in cęlis, misericors est. Deinde ait; *Beati mundo corde &c.* Hos mundo corde esse significat, qui, deposito corde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgauerint, & per opera fidei, atque iustitiæ Deo placuerint, secun-
Psal.23. dum quod Dauid in Psalmo testatur, dicens; Quis ascendet in montẽ domini aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Merito & Dauid sciens Deum non nisi mundo corde posse
Psal.50. videri, ita in psalmo precatur, dicens; Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Huiusmodi ergo mundo corde dominus beatos esse ostẽdit, qui pura mente, & integra conscientia sub fide domini viuentes, Deum gloriæ in futuro cœlesti regno conspicere merebuntur, non iam per speculum, & in
1.Cor.13. ænigmate, sed facie ad faciem, vt Apostolus retulit. Modo enim licet oculis fidei Deum contemplemur, claritatem tamẽ eius præ infirmitate carnis videre non possumus, tunc autem videbimus eum, accepta immortalitate in cælestem gloriam transformati, cum immortalem Deum immortalibus oculis conspicere cœperimus. Et tunc ve-
Psal.74. re implebitur in nobis illud, quod scriptum est; Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum. Non immerito idem Dauid cum futuri temporis gloriam ostenderet, in qua sancti
Psal.139. cum Deo habitabunt, ita retulit; Attamen iusti confitebuntur tibi, & habitabunt recti cum facie tua. Deinde ait; *Beati pacifici, &c.* Pacifici sunt, qui à dissensionis, & discordię scandalo separati, dilectionem charitatis fraternæ, & pacẽ ecclesiæ sub catholicæ fidei vnitate custodiunt. Quam pacem tuendam discipulis suis dominus in Euangelio peculiariter commendat, dicendo; Pacem meam Ioan.14.
do vobis, pacem meam relinquo vobis: Quam pacem dominum ecclesiæ suæ daturum, Dauid ante testatus est, dicens; Audiam, quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem, & super sanctos suos, & in eos, qui cõuertuntur ad ipsum. De qua pace custodienda & Apostolus commonet, dicẽs; In omnibus seruantes vnitatem spiritus enim vinculo pacis. Et ite- Ephes.4.
rum; Pax Dei, quæ superat omnem intellectum, Phil.4.
custodiat corda vestra, & corpora à malo. Nihil enim tam necessarium seruis Dei, tam salutare ecclesiæ, quàm charitatem seruare, quàm pacem diligere, sine qua Deum videri non posse, ad Hebræos Apostolus docet, dicendo; Ante omnia diligite pacem, sine qua nullus nostrum Deum videre poterit. Vnde omni studio, ac deuotione pacem ecclesiæ seruare nos conuenit, & eos, qui à pace dissentiunt, ad ecclesiæ charitatem, quãtum in nobis est, pacis, ac fidei studio renocare, exemplo Prophetæ, qui ait; Cum his, qui oderant pa- Psal.119.
cem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Merito & in Euãgelio in exultatione Angelorum natiuitatem domini nuntiantium, hæc vox sancta reperitur; Gloria in altissi- Luc.2.
mis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. De qua pace & Dauid retulit; Pax, inquit, Psal.118.
multa est diligentibus te, & non est illis scandalum. Et Esaias similiter: Et ponam in multa pace filios tuos, & in æquitate ædificaberis. Si enim ad hoc filius Dei carnem suscipere, & pati dignatus est, vt pacificaret nos Deo per sanguinẽ crucis suæ vtique, secundum quod Apostolus retulit, per omnia vtique pacifici esse debemus, vt vere ipsum Deum pacis in nobis habere mereamur, hoc enim scriptum est; Factus est in pace locus Psal.75.
eius, & habitatio eius in Sion: & sic vere non solum filij Dei erimus, sed & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Deinde ait; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.* Non immerito esuriendam, ac sitiendam iustitiam Dominus superius memorauit, cuius desiderio in tantum sitire nos docet, vt propter eam & persecutionem mundi, & pœnas corporis, & ipsam mortem contemnere debeamus. In qua significatione martyres maxime declarantur, qui propter iustitiam, fidem, & nomen Christi persecutiones in seculo sustinent, quibus spes magna promittitur, id est, possessio regni cælorũ. Cuius beatitudinis Apostoli principes extiterunt, & omnes iusti, qui propter iustitiam legis diuersis persecutionibus afflicti, merito fidei suæ ad regna cælestia peruenerũt. Deinde ait; *Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, &c.* Omnia, quæ tẽpore persecutionis propter nomẽ Christi aduersus iustos persecutorum excogitare potest nefanda perfidia, vel diuersa opprobria ingerere, vel corpori pœnas inferre, nõ solum patienter ferre debemus, sed etiam cum gaudio exultationis accipere, propter futuram gloriam. Hoc enim ait; *Gaudete in illa die, & exultate, dico vobis, quia merces vestra multa est in cælis.* Quã gloriosa est persecutionis huius tolerantia, cuius mercedem dominus reposita in cælo dicit in cælis! Et ideirco propositæ gloriæ præmium cõsiderantes,

derantes, ad omnem tolerantiam passionis deuota fide parati esse debemus, vt consortes gloriæ Prophetarum, atque Apostolorum effici mereamur, per Christum dominum nostrum, qui est benedictus in secula.

EIVSDEM CHROmatij in idem Euangelium

Sermo 2.

DAt nobis conuentus hic populi, & mercatus frequentia occasionem proponendi sermonis Euangelij. Solent enim secularia esse spiritualibus exempla, & terrestria imaginem præbere cœlestibus. Nam & dominus, ac saluator noster frequenter admonet nos per terrestria de cælestibus cum dicit; Simile est regnum cęlorũ reti misso in mare: Vel certè, Simile est regnũ cęlorum homini negocianti, quærenti bonam margaritam. Si ergo mercatus hanc ipse continet rationẽ, vt vnusquisque pro vtilitate sua, aut vẽdat, quę sibi superflua sunt, aut emat, quæ desunt, non incondite & ego proponam mercem, quam commisit Deus, prędicationem vtique cælestis: siquidem me minimum quoque, & sic indignum, tamen de seruis illis, quibus Dominus talenta distribuit ad negociandum, lucrúmque faciendum. Nec sanè deerunt mercatores, vbi per gratiam Dei tales, ac tanti sunt auditores. Magis autem necesse est lucrum cæleste captari, vbi terrestre commodum non negligitur. Cupio, fratres charissimi, proponere vobis illas beatitudinum margaritas ex sancto preciosas Euangelio; aperite cordis vestri thesauros, atque emite, percipite auidè, feliciter possidete. Dominus, ac Deus noster vnigenitus summi patris, qui de Deo homo, de Domino magister dignatus est fieri, cum turbæ multæ ex diuersis confluerent regionibus, assumptis discipulis suis, id est, Apostolis suis, ascendit in montem, & aperto ore suo, docebat eos dicens: *Beati pauperes spiritu, &c.* Gradus quosdam firmissimos ex lapidibus preciosis sternit quodãmodo Dominus saluator, per quos sanctæ animæ, & fideles repere possint, & ascendere ad summum illud bonum, id est, regnum cælorum. Breuiter igitur, fratres charissimi, qualitates graduum cupio demonstrare, vestra modo mens tota, & anima sit intenta; quia non sunt parua, quæ Dei sunt. *Beati pauperes spiritu, &c.* Mirum principium, fratres, doctrinæ cælestis: non à terrore incipit, sed à beatitudine, non terrorem faciens, sed potius desiderium. Vice enim agonothetæ, vel munerarij, certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande proponit, vt, dum aspiciunt pręmium, nec labores timeant, nec pericula perhorrescant. *Beati ergo pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Non simpliciter, neque confuse beatos pauperes dixit, sed addidit, *pauperes spiritu.* Nec enim omnis paupertas felix est: quia fit sæpe ex necessitate, fit nonnunquam per pessimos mores, fit etiã ex indignatione diuina. Beata ergo paupertas est spiritalis, eorum scilicet hominum, qui spiritu, & voluntate pauperes se faciunt propter Deum, renunciãdo seculi bonis, substantiam suam vltro erogando, quos merito beatos appellat: quia pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: per voluntariam enim paupertatem cælestis regni diuitias adsequuntur. De-

Renuncians seculi bonis sponte, regnum cælorũ meretur.

inde ait: *Beati mites, &c.* Mire post primum gradum secundos ostendit: *Beati, inquit, mites, quia ipsi poßidebunt terram.* Sed, sicut impossibile est, extra ordinem secundo consistere gradu, nisi ascenderis primum, sic homo mitis esse nõ poterit, nisi prius pauper spiritu fuerit factus. Quomodo enim inter diuitias positus animus, inter curas, & sollicitudines seculares, ex quibus negocia, lites, prouocationes, iræ, exacerbationes sine intermissione nascũtur: quomodo enim inter hæc animus poterit esse mitis, & lenis, nisi prius à se omnes causas iracundiæ, occasionésque rixarum abrenuntiando præciderit? Non fit mare tranquillum, nisi cessauerint venti, non extinguitur ignis, nisi materia incendij, spinarum sarmenta detraxeris: Sic nec animus erit mitis, & quietus, nisi ea, quæ exuscitant, & inflammant fuerint abdicata. Bene ergo gradus iungitur gradui: quia pauperes spiritu, ipsi incipiunt iam esse mites. Accidit & tertius; *Beati qui lugent, &c.* Quis nobis iste luctus intelligendus est salutaris? vtique non ille, qui ex rerum nascitur detrimentis, non qui ex amissione charorum, nec qui ex iactura secularium dignitatum; quæ vtique omnia iam pauper factus spiritu non dolebit. Hic est luctus salutaris, qui agitur pro peccatis, pro recordatione diuini iudicij. Nam quia prius inter innumeras seculi occupationes, & asperitates animos constitutus, de se ipso cogitare non poterat, iam securus, & mitis effectus, incipit seipsum propius intueri, examinare actus suos diurnos, atque nocturnos, & sic præteritorum criminum vulnera incipiũt apparere, & tunc luctus ac lachrymæ aderunt salutares, & adeo salubres, vt mox cælestis consolatio subsequatur; verus enim qui dixit: *Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur.* Accedamus, fratres, ad quartum; *Beati, inquit, qui esuriunt, &c.* Vere enim post pœnitentiam, post luctus, & lachrymas peccatorum, quæ alia nascitur esuries, & quę sitis, nisi iustitiæ? Sicut enim, qui caliginem noctis emẽsus est, iam gestit proximam lucem, & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit, & potum. Sic & mens hominis Christiani, postquam per luctus, & lachrymas sua peccata digesserit, iam solam Dei iustitiam esurit, atque sitit. Et merito eius, quam desiderat, satietate gaudebit. Occurrat gradus quintus. *Beati misericordes, &c.* Nemo alteri præstare poterit, nisi prius ipse sibi præstiterit. Postquam sibi ergo misericordiam impetrauit, satietatémque iustitiæ, incipit iam dolere de miseris, incipit iam pro aliis peccatoribus exorare, factus misericors in ipsos etiam inimicos: maiorem sibi cumulum misericordiæ per huiusmodi pietatem in aduentum Domini præparabit, ideo dicitur: *Beati misericordes quia ipsi misericordiam consequentur.* Adest ecce gradus sextus: *Beati, inquit, mundo corde, &c.* Planè iam mundo sunt corde, planè iam Deum videre poterunt, qui pauperes spiritu, qui mites, qui lamentati peccata, qui iustitia refecti, qui misericordes, in aduersariis quoque tam syncerum oculum cordis, & lucidum gerunt, vt sine aliqua maliciæ lippitudine inaccessibilem Dei claritatem sine impedimento conspiciant. Munditia enim cordis, & conscientiæ puritas, nullam nubem ad intuendum Dominum patietur. Sequitur, fratres, *Beati pacifici, &c.* Magna dignitas paci studentium, cum filiorum Dei appellatione censentur. Bona quidem & hæc pacificatio, quæ fit inter

Declamatorie dictum: est autem reuera difficile, sed non impossibile.

fratres, propter substantiam seculi litigantes, aut propter vanam gloriam, aut simultates. Sed parua hæc merces, quia dixerat Dominus in exemplum Luc. 12. nostri: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Iam enim præmiserat, ablata tua ne repetas. Et alio loco: Quomodo potestis credere, gloriam abinuicem accipientes? Potior ergo, & sublimior pacificatio intelligenda est à nobis, illam dicam, qua homines Gentiles, qui inimici sunt Dei, per instantiam doctrinæ adducuntur ad pacem, qui peccatores emendantur, & Deo * forte, pœnitentiam. per* patientiam reconciliantur. Qua rebelles hæretici corriguntur, qua Ecclesiæ discordantes ad vnitatem, pacémque formantur. Vere enim, qui tales sunt, pacifici, non solum beati sunt, sed digni merito filij Dei vocabuntur: ipsum enim Dei filium Christum imitantes, qui pax nostra, & reconciliatio ab Apostolo prædicatus est, societate nominis eius. *Beati, qui persecutionem patiuntur, &c.* Non est dubium, fratres, quia bono facto comes est semper inuidia: nam, salua persecutorum crudelitate, vbi cœperis rigidam tenere iustitiam, insolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare, vbi cœperis denique à mundanis hominibus, & erroneis discrepare, statim persecutiones oriuntur, necesse est surgant odia, æmulatio laceret: quia sic deniq; ad illum summum gradum, ad ipsum caput, atque fastigium suos Christus auditores adducit, non tantum vt sustineant patiendo, sed etiam vt moriendo congaudeant. *Beati*, inquit, *estis, cum vos persequuntur, &c.* Perfecta virtus est, fratres, post totius iustitiæ ministrationem, propter veritatem opprobria sustinere, affligi cruciatibus, morte denique affici, nec terreri, proposito nobis exemplo Prophetarum, qui diuersis modis propter iustitiã lacerati, passionum Christi conformes, & præmij esse meruerunt. Hoc gradu celsior non est, in quo Christum Pau- Phil. 3. lus aspiciens, dicebat; Vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea, quæ in primo sunt, me extendens, sector ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Et adhuc apertius ad 2. Tim. 4. Timotheum; Certamen, inquit, bonum certaui, cursum consummaui. Quasi qui omnes gradus ascenderat, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Vere enim, vniuerso cursu completo, hoc supererat, vt per tribulationes, & passiones gaudens Paulus ad gradum sublimiorem martyrij perueniret. Digne ergo dominicus sermo persuadeat; *Gaudete*, inquiens, *& exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Crescere per incrementum persecutionum euidenter ostendit. Ostensi sunt, Fratres, octo gradus Euangelij, extructi ex lapidibus, vt dixerant, preciosis. Ostensa Gen. 28. est illa scala Iacob, cuius cacumen de terra pertingebat ad cælum, per quam qui ascendit, portam inuenit cæli, ac per eam ingressus, sine fine in conspectu domini lætus adstabit, laudaturus dominum cum sanctis Angelis in æternum. Hic noster mercatus, hæc nundina spiritalis: Demus, benedicti, quæ habemus, offeramus spiritus paupertatem, vt accipiamus secundum promissionem regni cælestis vbertatem. Offeramus mansuetudinem, vt terram possideamus, & paradisum. Defleamus peccata nostra, & aliena, vt consolationem de domini bonitate mereamur. Esuriamus, & sitiamus iustitiam, vt copiosius vtique saginemur. Demus misericordiam, vt veram misericordiam consequamur. Viuamus pacifici, vt filij Dei vocemur. Mundum cor, & castum corpus offeramus, vt lucido sensu Deum videre possimus. Persecutiones propter iustitiam minime timeamus, vt cælestis regni efficiamur hæredes. Opprobria, cruciatus, mortem denique, si euenìat, propter Dei veritatem gaudentes amplectamur, & læti, vt merces nobis cum prophetis, & Apostolis copiosa præsletur in cælo. Vt autem verbi finis cum præfatione concordet, si est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia, & caduca, magis gaudeamus omnes pariter, & lætemur, quia tales domini hodie inuenimus margaritas, quibus nulla possint bona seculi comparari. Quas vt acquirere, obtinere, possidere mereamur, auxilium nobis, & gratia cum virtute ab ipso domino postulanda est, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Videns autem, &c. Dominus ad montana conscẽdit, vt turbas ad altiora secum trahat. Sed turbæ ascendere non valent. Et sequuntur discipuli, quibus & ipsis, non stans sed sedens & contractus loquitur. Non enim intelligere poterant in sua maiestate fulgentem. Secũdum literã, nonnulli simplicium fratrum putant eum beatitudines & cętera, quę sequuntur in Oliueti mõte docuisse: quod nequaquam ita est. Ex pręcedentibus enim & sequentibus in Galilæa monstratur fuisse locus, quem putamus esse, vel Thabor, vel quemlibet alium excelsum montem. Denique postquã finiuit sermones suos, statim sequitur: Cũ autem introisset Capharnaum. *Beati pauperes, &c.* Hoc est Psal. 33. quod alibi legimus: Et humiles spiritu saluabit. Ne quis autem putaret paupertaté, quę non nonnunquam necessitate portatur, à domino prædicari: adiunxit spiritu, vt humilitatem intelligeres, non penuriam. Beati pauperes spiritu, qui propter spiritum sanctum volũtate sunt pauperes. Vnde super huiuscemodi pauperibus & saluator per Esaiã Esa. 61. loquitur: Dominus vnxit me propter quod euangelizare pauperibus misit me. *Beati mites &c.* Non Gen. 3. terram Iudæ, nec terram istius mundi: non terrã maledictam, spinas & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisq; & bellator magis possidet: sed terram quam psalmista desiderat, dicens, Cre- Psal. 26. do videre bona domini in terra viuentium. Huiuscemodi possessor, & post victoriam triumphator, etiam in quadragesimoquarto psalmo describitur: Et intende prospere, procede, & regna: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiã. Nemo enim terram istam per mansuetudinem, sed per superbiam possidet. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur*: luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis, & vitiis mortuorũ. Sic fleuit & Samuel Saulem: quia 1. Reg. pœnituerat Deum quod vnxisset eum regem super Israel. Sic & Paulus apostolus flere ac lugere 2. Cor. 12. se dicit eos, qui post fornicationem & immunditiam non egerunt pœnitentiam. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c.* Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem: vt sub hoc exemplo nũquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus. *Beati misericordes,*

des, &c. Misericordia nó solum in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris: si alter alterius onera portemus. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Quos non arguit conscientia vlla peccati. Mundus mundo corde conspicitur: templum Dei nó potest esse pollutú. *Beati pacific, &c.* Qui primum in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tuo animo sint bella vitiorum? *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.* Signanter dicit, propter iustitiam. Multi enim persecutioné propter sua peccata patiuntur & non sunt iusti: simulque considera, quod octaua veræ circuncisionis beatitudo martyrio terminatur. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me.* Illud maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur. Vnde & specialiter definiuit quæ sit beata maledictio: omne dicent maledictum aduersum vos, mentiétes, propter me. Vbi ergo Christus in causa est, ibi & optáda maledictio est, *gaudete & exultate, &c.* Nescio quis hoc nostrum possit implere, vt laceretur opprobriis fama nostra, & nos exultemus in domino. Hoc qui vanam sectatur gloriá implere non potest. Gaudere igitur & exultare debemus, vt merces nobis in cœlestibus præparetur. Eleganter in quodam volumine scriptum legimus: Ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia.

Hom. 15. in Matth. operis perfecti in Matth.

VIdens turbas Iesus ascendit in montem. Et, quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, &c. Cósideremus, fratres, contemptum honoris, & gloriæ. Neque enim circunducebat sequentes, sed, quando quidem petebat ratio curádi, ipse omnia circumibat, visitans turbas, atque regiones. Quádo verò plurima ad eum multitudo collecta est, vno in loco residet, & non in vrbis, foriq; medio, sed in monte, atque deserto, nos videlicet erudiés, nihil ad ostentationem nostri facere, sed à cunctis potius tumultibus liberari, & præcipuè cùm philosophandum est, ac de rebus seriis differendum. Quum ascendisset, atque sedisset, cótinuò ad eum accessère discipuli. Vidisti certè virtutis augmentum, & quemadmodum sint facti repentè meliores. Nam signorum quidem spectatores erát plurimi, isti verò etiam audire magnum aliquid, ac sublime cupiebant. Quod certè illum & ad magisterium prouocauit, & ab his fecit inchoare sermonibus. Non enim corpora sola curabat, sed etiá animas medicabatur, à quarú cura rursus ad corporum remedia tráfibat, ipsas quippe vtilitatum vices sæpe variabat, & doctrinæ verborum suorú, salutarium operum dona miscebat. Simul etiam impudentissima hæreticorú ora claudebat, vtriusque curam gerendo substantiæ, seque integri animalis esse creatorem docédo. Propter quod plurima vtrique naturæ sua prouidentia conferebat, nunc illam, nunc istam medendo. Quod hoc etiá facit loco. *Aperiens*, inquit, *os suum docebat eos.* Et cuius rei gratia videtur adiunctum, *aperiens os suú?* vt proculdubio disceres, quia non cùm loquetur modò, verumetiam quum taceret, docebat. Nunc quidem os aperiens, núc verò ipsis vocem operibus emittens. Quum verò audis, *docebat*, ne opineris solis eum loquutum esse discipulis, sed propter illos & cæteris. Quia enim erat adhuc multitudo illa vulgaris, totaq; terrena, cóstituens ante se discipulorum chorum, ad ipsos verbum facit, vt ex sermone, quo eos docet, etiam his plurimum à talibus distantem faciat philosophiæ disciplinam. Quod igitur & Lucas significando dicebat, quia sermonem ad eos verterit, idipsum etiam Matthæus manifestiús ait: Quoniam accesserunt ad eum discipuli, & docuerit. Vnde igitur incipit? Quæ fundamenta nouæ nobis collocat disciplinæ? Audiamus itaque quæ dicuntur. Dictum est namque præsentibus, scriptum verò his omnibus, qui postea essent futuri. Propterea docens quidem ad discipulos respicit, verum nequaquam in eis sua dicta determinat, sed infinitè, & incircunscriptè cunctas beatitudines in commune proponit. Non enim dicit, beati estis vos, si pauperes. Et certè etiamsi ad illos hoc directè, signateque dixisset, futura nihilominus fuisset omnibus doctrina communis. Nam & quum dicit; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: non ad eos tantummodo loquitur, sed per eos ad vniuersum prorsus orbem. Et quádo eos beatificat persequutionem ferentes, exagitatos vndique, & intolerabilia illa patiétes, non eis solum, sed & cunctis eadem implentibus texit coronam. Veruntamé vt istud magis, magisque lucescat, & discas ea, quæ dicuntur à Christo, tibi quoque, & cunctis generaliter hominibus, si attendere velint, esse communia: audi quodnam his mirabilibus verbis ponat exordium. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Qui sunt pauperes spiritu? Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu. Spiritum hîc enim posuit pro anima, & voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi non sua sponte ducti, sed necessitate rerú coacti, relinquens huiusmodi: neque enim hoc inter laudanda numerandum est, eos, qui se humiliant, & comprimunt voluntate, primos beatos appellat. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed pauperes? Quia hoc loco vtiq; præstantius est, siquidem illos hic humiles memorat, qui Dei præcepta metuunt, atque etiam contremiscunt. Quod per Esaiam prophetam Deus amanter excipiens dicebat; Super qué requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Multi quippe sunt humilitatis modi: Et hic quidem est humilis mediocriter, alter verò cumulatè. Hanc igitur humilitaté etiá propheta collaudat, non vtcúq; cópressam designando mentem, sed omnino contritam. Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, Deus non spernit. Sed etiam tres pueri pro magno sacrificio hanc offerunt Deo, dicentes; Sed in anima contrita, & spiritu humiliato suscipiamur. Hunc ergo nunc etiam Christus beatum vocauit. Quia enim profecto mala maxima, & quæ toti ferè orbi intulere perniciem, de superbia mentis exorta sunt: quandoquidem ille, qui talis certè ante non fuerat, per hoc diabolus effectus est: quod etiá Paulus significando dicebat; Ne in superbiam elatus in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. Et

Luca 6. Matth. 28. Esa 66. Psal. 50. Dan 3. 1. Tim 3.

primus ille homo his à diabolo ſpebus inflatus, poſtquam ſe arroganter extulerat, cecidit in mortem: dominum enim ſe credens futurum, etiam, quod habebat, amiſit. Hoc enim ei & dominus exprobrans, ac ſtultitiæ eius inſultans, ait: Ecce Adã factus eſt ſicut vnus ex nobis. Cæterique poſtea hinc ad impietatis præcipitia deuiarunt, æqualitatem Dei cogitationum ſibi phantaſmate mentiendo. Quia, inquam, hanc eſſe conſtat cauſam malorum, & radicem, fontémque peccati, contrarium ægritudini remedium docendo conficiens, quaſi fundamentum quoddam forte, atque monitum, hanc primùm ſententiam collocauit. Si quidem vnuſquiſque, humilitate ſuppoſita, tutiſſimè cuncta alia ſuperponit ædificans: hac verò ſubducta, etiamſi ad ipſum vſque cælũ conuerſationis ſublimitate peruenias, ſimul omnia ſubtrahuntur, atque in finem peſſimũ relabuntur. Nam ſiue orationẽ, ſiue ieiuniũ, ſiue miſericordiã, ſiue pudicitiã, ſiue aliud quid bonorũ abſque humilitate congreges, ſtatim cuncta defluunt, cunctaque depereunt. Quod etiam phariſæo legimus accidiſſe, qui, cum ad ipſum virtutis cacumen aſcenderet, amittens ſimul vniuerſa deſcendit, quia ſcilicet non habuit matrem bonorum. Sicut enim ſuperbia omnium fons malorum eſt, ita humilitas cunctarum origo virtutum. Inde igitur hinc incipit, vt arrogantiam radicitus de auditorum pectoribus euellat, & hoc ad diſcipulos ait, qui humiles ſemper extiterant, quippe qui ne occaſionem quidem habuerant inſolentiæ, quum eſſent vtrique piſcatores, ac pauperes, nec minus de imperitia, quam de ignobilitate deſpecti. Etſi ergo non hoc propter diſcipulos diceret: dicebat tamẽ propter cæteros, qui vel tunc aderãt vel poſtea erãt futuri, ac diſciplinã ipſam per apoſtolos recepturi, ne illos per ſuperbiã fortè euerterent, imò etiam propter ipſos profectò diſcipulos. Et ſi enim tunc forſitan minimè, ſed poſtea tamen hac indigebant maximè cautione, poſt tot certè illa mirabilia, poſt ſigna, poſt honorem ab vniuerſo ſibi penè orbe delatum, poſt illam poſtremo fiduciam, quam ſe apud Deum habere gaudebant. Non enim diuitiæ, non potentia, non ipſum omnino regnum ita quenquam poterant efferre, vt ea, quę Apoſtolis ſuppetebant. Quinimo etiã, antequam facultatẽ acciperẽt ſigna faciendi, abundè extolli quibãt, quum viderẽt magiſtrum theatro illo vndique admirante circundari, per quod certè pati poterant aliquid humanum. Idcirco in primis mẽtes eorum humiliat, & comprimit doctrinam ſuam non ſub ſpecie mãdatorum, atque exhortationis inducit, ſed ſub præmiis beatitudinem, vt ſcilicet ſermonem ipſum faciat gratiorem, & ſtadium doctrinæ ſuæ cunctis recludat. Non enim dixit, ille & ille, ſed, quicunque iſta fecerint, omnes beati: ſiue ignobilis atque pauper, ſiue plebeius, ſiue peregrinus, nihil te fieri beatum vetat, ſi iſtius virtutis æmulator extiteris. Hinc igitur, vnde maximè oportebat, exorſus progreditur ad mandatum aliud, quod videtur contra totius mundi pugnare ſententiam. Quum enim omnes putent gaudentibus inuidendum, eos verò, qui in mœrore, paupertie, luctuque verſantur miſeros exiſtiment, hos ipſos pro illis appellat beatos, dicens; *Beati qui lugent.* Et certe iſti infœlices ab hominibus iudicantur, ſed idcirco ante doctrinam ſigna pręmiſit, vt facillimè credentiali decreta ſcirent. Verùm hic quoque non ſimpliciter lugẽtes poſuit, ſed propter peccata lugentes. Quippe quum illud aliud etiam vehementer vetetur, de ſecularium ſcilicet rerum diſpendiis, quod ſignificabat & Paulus dicendo; Quoniam ſeculi quidem triſtitia mortem operatur: quæ autem ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Iſtos igitur hic beatos vocat, qui vtilem voluerunt habere triſtitiam. Et non ſimpliciter poſuit triſtes, ſed omnino cum cumulo, non vtcunque mœrentes, ſed lugentes. Siquidem præceptum iſtud totius philoſophiæ magiſterium eſt. Si enim illi, qui vel filios mortuos lugent, vel coniuges, vel alium quempiam proximorum, toto illo doloris ſui tempore, non pecuniarum tenentur amore, non corporum, non gloriam concupiſcunt, non cõſumuntur inuidia, non iniuriis permouentur, non aliis vitiis obſidentur, vtpote ſolis luctibus mancipati, multò magis, qui propria peccata lugent, ſicut ea lugere dignum eſt, celſiorem philoſophiam mẽtis oſtendunt. Deinde præmium illis aptiſſimum ponens; *Quoniam ipſi, inquit, conſolabuntur.* Vbi verò, dic mihi, vbi conſolabuntur? Et hic profectò, & quod eſt amplius in futuro. Quia enim præceptum ipſum valde videbatur oneroſum, ac vehementer moleſtum, hoc ſe promiſit daturum, quod aliud quam maximè leue poſſit efficere: itaque, ſi velis conſolari, luge. Neque putes exempli gratia allatum eſſe, quod dixi. Quando enim conſolatur Deus, etiamſi millia mœrorum irruant, cunctis ſuperior exiſtis. Siquidem ipſis doloribus præmia Deus ampliora conſtituit: quod certè hoc ipſo quoque deſignat loco, beatitudinem lugentibus depingendo, non ſecundum dignitatem operum, ſed iuxta ſuorum munerum largitatem. Perpende verò, quòd non eſt hoc operis humani, ſed indulgentiæ Dei. Nonne lugentes iſti ob peccata lugent? At verò iis ſufficit, ſi Deum ſatisfactione placauerint, vt ab eo veniam conſequantur. Sed, quia ipſe magno homines amore miſeratur, neque in ſummotione pœnarum, neque in remiſſione culparum retributionem ſuam terminat: ſed eos, qui ob peccata lugent, & beatificat, & multa conſolatione donat: non autem de propriis tantùm, verumetiam de alienis iubet lugere delictis. Quales etiam ſanctorum animæ fuerunt, vt Moyſi, vt Samuelis, vt Pauli: iſti quippe omnes aliena peccata lugebant. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Dic, quæſo, quam terram? terram quidam intelligibilem dicunt, verum iſtud omnino falſum eſt, nec in ſcripturis vſpiam reperimus intelligibilem terram. Quidnã hoc ergo eſt, quod dicitur? Senſibile hic præmium ſtatuit, ſicut & prius; Honora, inquit, patrem tuum & matrem tuam, ſic enim eris longæuus ſuper terram: & rurſus dominus ipſe latroni; Hodie mecum eris in Paradiſo. Neque enim de futuris ſolummodo bonis, verumetiam de præſentibus cohortatur, propter tardiores ſcilicet auditores, & antequam futura veniant, præſentia requirentes. Propterea igitur in proceſſu Euangelij dicit; Eſto conſentiens aduerſario tuo citò. Deinde iſtiuſmodi philoſophiæ ponens præmium, ait; Ne tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro. Vides ne vnde terruerit, à præſentibus ſcilicet, & quæ frequenter eueniunt? Et rurſus; Quicunque dixerit fratri ſuo racha, obnoxius erit concilio. Paulus quo

1.Cor 7.

... na ſunt ... ga- ctio pro peccatis.

Immo contraria ... reperitur, ... auctor ... tis fuit allegorys atque eo nomine ... optime ... uit, tanquam ... pulus Theodori Mo... Epiſcopi.

quoque crebetrime & præmia sensibilia proponit, & de præsentibus adhortatur, vt cum de virginitatis bono disserit: nihil enim ibi super cælesti honore commemorat, sed de præsenti vtilitate rem commendat dicens; Propter instantem necessitatem. Et rursus; Ego autem vobis parco, & iterum; Volo autem vos sine solicitudine esse. Sic igitur Christus spiritalibus sensibilia miscebat. Quia ergo mitis quisque, propria putatur amittere, contrarium pollicetur, dicens: quòd ipse sit, qui tutissimè cũcta possideat, non audax scilicet, ac protervus. Aliter verò quia in veteri testamento sæpe propheta cecinerat; Mansueti autem hæreditabunt terram à familiaribus iam illi populo, notisque verbis sermonem texuit, vt nõ in omnibus inusitatè loqueretur. Hęc vero dicit, non tantum ad præsens vsque tempus sua promissa perducens, sed cum futuris etiam ista promittens. Nam quum & spiritalia pollicetur, hæc certè nobis quæ sunt in pręsenti vita, non eripit. Et rursus, cum præsentia repromittit, non tamen magnitudo promissionum solummodo vsque ad ista pertingit. Quærite, inquit, primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Et rursus; Quicunque dimiserit domum, aut fratres, centuplum accipiet in seculo isto, & in futuro habebit vitam æternã. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Quam verò iustitiam? Vtique rationalem istam, quæ ex aduersu auaritiæ collocatur. Qui enim commendaturus erat misericordiam, ostendens quomodo misereri oporteat, id est, non ex auaritia, nec rapina, opportunè beatificat iustitiam acquirentes. Et considera quanta idipsum exaggeratione cumulauerit. Nõ enim dixit; Beati qui iustitiam seruant: sed, *beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, vt non vtique mediocriter, sed cum omni illam cupiditate teneamus. Quia enim hoc est auaritiæ proprium, neque sic cibum desideramus, ac potum, vt possidere latius, indiuque preciosius, concupiscentiam istam, quæ habendi amore flagrat, iubet in meliora conuerti: deinde rursus sensibile præmium statuens, ait, *Quoniam ipsi saturabuntur.* Quia enim plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit hoc esse contrarium, magisque id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare paupertiem, neque famem timere, cum certè illi magis omnibus donis excidant, qui aliena diripiunt: vt ex aduerso ille, qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet. Si enim qui aliena non inuadunt, tanta rerum vbertate potiuntur: quantò magis, qui propria fideliter largiuntur? *Beati misericordes.* Hîc non pecuniarum solummodo erogatores designare mihi misericordes videtur, sed idipsum cum aliorum quoque mandatorum obseruatione facientes. Varij sunt enim miserationis modi, latum quoque hoc omnino mandatum est. Quod igitur huius virtutis est præmium? *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et videtur æqualis quidem esse retributio, sed est tamen longè ipsa virtute præstantior. Isti enim quasi homines profectò miserentur, cùm ab omnium Deo misericordiam consequantur. Par autem non est humana miseratio, atque diuina: sed quantum beneuolentiæ, malitiæque discrimen est, tantum ab illa ista decernitur. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ecce rursus præmium spiritale. Mundos verò hîc appellabat, aut vniuersalem virtutem tenentes, & nullius sibi mali conscios, aut continentia conspicuos. Nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis, propter quod Paulus ait; Pacem sectamini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Videre autem dixit, quemadmodũ hominibus videre possibile est. Quia enim sunt plurimi, qui se à rapina quidem, auaritiaque contineant, fornicentur tamen, atque luxurientur ostendens, quia primum illud minimè sufficiat, etiam istud adiecit. Sicut & Paulus ad Corinthios scribẽs, Macedonibus testimonium reddidit, quia non solùm misericordia essent diuites, verùm aliis quoq; virtutibus abundarent. Cum enim illorum in pauperes liberalitatem dissereret, intulit, quoniam seipsos dederunt primum Deo, deinde nobis. *Beati pacifici.* Hic non modò dissentire illos prohibet, atque aduersum se mutuò dimicare: sed aliud quiddã maius inquirere, scilicet, vt etiam alios dissidentes in sacram studeant reuocare concordiam, ac rursus præmium spiritale subiungit. Quòd verò istud est? *Quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Siquidem vnigeniti hoc præcipuum opus fuit, distantia copulare, conciliare pugnantia. Deinde, ne opineris bonam esse vbique pacem, addidit; *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, id est, pro virtute, atque pietate, pro defensione cæterorum. Solet quippe iustitiam omnem prorsus animi appellare virtutem. *Beati estis, quum exprobrauerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes.* Siue enim seductores, siue maleficos, siue pestiferos, siue aliud vos tale quippiam vocent, estis, inquit, beati. Quidnam possit his præceptis inusitatius inueniri, per quæ illa nobis desideranda dicit, quæ alij putant esse fugienda? Egere dico, atque lugere, persequutionem pati, audire maledicta. Ea nihilominus non modò dixit, verumetiam facilè persuasit, nec duobus aut decem, nõ viginti aut centum hominibus, aut mille, sed vniuerso iam penè mundo. Cúmque dicerentur illa, quæ videntur onerosa, & grauia, contráque multorum cõsuetudinem venientia, nihilominus admirabatur veneransomnia illa audientium multitudo, tanta quippe erat virtus docentis. Attamen, ne putares, quia quolibet modo audire maledicta præstaret beatos, duos tantùm separauit modos, cùm scilicet vel propter ipsum audiuntur, vel falsa iactantur. Si verò ista nõ fuerint, non modò non est beatus hæc audiens, verumetiam miserrimus. Deinde respice rursus in præmium. *Quoniam merces vestra multa est in cælis.* Tu verò, etiamsi non per singulas beatitudines regnum audias repromitti, nequaquam tamen mœrore turberis. Etsi enim retributiones ipsas indifferenter appellat eas, tamẽ profectò cunctas ad vnum cælorum regnum adducit. Quando autem dicit: & lugentes consolabuntur, & misericordes misericordiam consequentur, & mundi corde Deum videbunt, & pacifici filij Dei vocabuntur: nihil omnino aliud nisi cæleste regnum per hęc cuncta designat. Qui enim horum dicuntur potiri, illud sine dubio consequentur. Ne igitur tantummodo pauperum spiritualium hoc esse præmium suspiceris, sed & esuriẽtium iustitiam, & mitium, & prorsus omnium, quos idem beatitudinem textus includit. Propterea enim in cunctis virtutibus, & promissionibus beatudinem posuit, vt ne quid sensibile sperandum putares. Neq; enim

1. Cor. 7.
Psal. 36.
Matth. 6.
Matth. 19.
Hebr. 12.
1. Cor. 8.

esse: beatum talibus coronari, quæ in præsenti vita continuò soluuntur ac desiunt, & fugacius quàm vmbra prætereuolant. Quum verò dixisset, *quoniam merces vestra multa est in cælis*, aliam quoque consolationem intulit, dicens: *Sic enim persequuti sunt & prophetas qui fuerunt ante vos.* Quia enim regnum cælorum adhuc erat in spe, atque expectatione, solam consolationem illis de eorum societate præstat, qui ante illos afflictiones varias pertulerunt. Ne, inquit, putetis, quòd mala aliqua docentes, & noxia sancientes, ista patiamini, vel ab eis, quasi prauorum sitis magistri dogmatum persequendi. Non enim de prauitate doctorum, sed de malignitate auditorum pericula ista, insidiæque contingent. Non ergo vobis obtrectabitur, qui talia patiemini, sed illis profectò qui inferent passionem, in testimonium verò vobis est tempus paratum. Neque in prophetis iniquitatem aliquam, Deóque aduersam culpando doctrinam, alios quidem eijciebant, alios verò lapidabant, alios malis innumeris obruebant, neque hoc vos ergo perturbet. De eadem quippe sententia nunc quoque perficient. Vidisti quemadmodum eorum sensus erexerit, iuxta Moysen illos, atque Heliam omnino constituens? Sicut

1.Thess.2. etiam Paulus ad Thessalonissensea scribens ait; Vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo, quia eadem passi estis & vos à cõtribulibus vestris, sicut & illi à Iudæis, qui occiderunt Dominum Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placét, & omnibus hominibus aduersantur, quod hic quoque Christus impleuit, & in aliis quidem beatitudinibus; Beati, inquit, pauperes, beati misericordes: hic verò non infinitè posuit, sed ad ipsus prorsus dirigendo sermonem dicens; *Beati estis, quum exprobrauerint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos.* Videlicet ostédens ipsorum hoc esse præcipuum, & proprium super omnes prorsus magistros. Simul etiam suam hic prodidit dignitatem, & honorem, quæ æqualiter cum patre communicat. Sicut enim illi, inquit, propter patrem, sic etiam vos propter me ista patiemini. Quando enim dicit persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos, istos quoque iam Prophetas factos esse declarat. Deinde ostendens, quia hoc eos maximè iuuet, ac faciat clariores, non dixit, maledicent vobis quidem, vósque etiam persequentur: sed ego tamen fieri istud vetabo. Neque enim discipulus suos non audiendo maledicta, sed audiendo, ac fortiter sustinendo, & persecutores suos ipsis operibus arguendo, vult esse munitos. Hoc autem multò est illo vtique præstantius: Nam longè potius est percuti, nec tamen malum aliquod pati, quàm omnino non percuti. Hic igitur dicit; *Quia merces vestra multa est in cælis.* Lucas verò etiam cum additamento maiori consolationis cumulo hoc eum dixisse commemorat. Non solum enim illos, qui propter Deum maledictis expositi sont, beatos dicit à Christo vocari, sed etiam eos, quibus à cunctis benedicitur, infœlices. Væ inquit, vobis, quum benedixerint vobis omnes homines. Et certè etiam Apostolis benedicebant homines, sed profectò non omnes. Et idcirco non ait: væ, quum benedixerint vobis homines, sed quum benedixerint omnes. Hoc enim impossibile est, eum virtute vincentibus cunctorum ore benedici. Et rursum ait; *Quum eiecerint nomen vestrum tanquam malum, gaudete & exultate.* Non enim pro periculis solùm, quæ passi sunt, verumetiam pro maledictis retributionem maximam pollicetur. Propterea non dixit, quum vos exagitauerint, atque interfecerint, sed, *quum exprobrauerint vobis.* Nescio quo enim modo omnibus pene rebus amarius solent mordere maledicta. In periculis quippe multa sunt quæ laborem ipsum faciunt leuiorem: vt multorum exhortatione succendi, vt habere plurimos applaudentes, dignísque passionem ipsam præconiis coronantes. In maledictionibus verò etiam consolatio ipsa subducitur. Neque enim creduntur cunctis periculis sæuius mordere certantem, nec omnino magna esse quippiam virtus putatur, fortiter sustinere maledictum, quũ certè multi etiam ad laqueum conuolarint, famæ opprobria non ferentes. Et quid hoc miraris in cæteris, cùm proditorem illum impudentissimum pariter, & crudelissimum, atque contra omnia flagitia nequitiæ fronte duratum, hoc præcipuè ad laqueum ire compulerit? Iob quoque ipse certè omni lapide, atque adamante tolerantior cum quidem patrimonium amitteret, maláque innumera sustineret; quúmque subitò numerosa sobole esset orbatus, cùm quasi fontem quendam vermium toto videret corpore bullientem, supráq; hæc vxorem sibi molestius imminentem, persacilè cuncta superauit: vbi verò exprobrare sibi amicos, atque insultare vidit, & malignam illam de se existimationem fouere, & dicere, quòd talia propter peccata pateretur, ac malitiæ suæ solueret vltionem: tunc demum vtique turbatus est ille vir maximus, ille fortissimus. Dauid quoque omittens 1.Reg.16. cuncta, quæ pertulit, pro maledicto patienter audito vicem à Domino reposcebat; Dimitte, inquit, vt maledicat, quoniam Dominus mandauit ei: vt videat afflictionem meam, & reddat mihi pro maledictione hac in die illa. Et Paulus non solùm pericula sustinentes, nec tantum- Hebr.10. modo propriis spoliatos bonis laudat, & prædicat, verumetiam maledicta tolerantes. Rememoramini, inquit, dierum priorum in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti. Propterea & mercedem huius patientiæ plurimam proposuit Christus: ac, ne quis diceret; hic ergo non reddis maledicentibus vicem, neque illorum ora consuis; quam mercedem promisisset futuram, commemorauit propheta, ostendens quoniam nec propter illos in præsenti Deus exegerit vltionẽ. Si vero tunc quoque, quum adhuc præsentium tribulationum tempus esset, tamen de futurorũ illos promissione solatus est, quanto nunc magis, quando & hæc ipsa spes solidior effecta est, & philosophia profectò sublimior? Considera vero etiam, post quot mandata idipsum locarit, non enim hoc absque certa ratione fecit, sed, quia voluit ostendere, quòd nisi quis illis, quas superius posuit, armatus fuerit, ornatúsque virtutibus, ad hæc nequaquam possit prodire certamina. Propterea de priore semper etiam mandato sequentis viam strués, auream quandam nobis catenam texuit. Quum enim quis humilis fuerit, erit consequenter & mitis; qui autem mitis, etiam peccata lugebit; qui vero ob peccata luget, esurit, sititque iustitiam; qui iustus est, iste etiam misericors;

qui

qoi & miſericors fuerit, & iuſtus, idem etiam cõpunctis, & mundo corde; qui vero talis eſt, erit etiam profecto pacificus. Porro qui iſta perfecerit, erit abſque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta prorſus vlla terrebitur, necnon mala quoque mille patietur.

AVTHORIS. IMPERfecti in Matth. eiuſdem Euang. expoſitio.

Hom. 9 in Matth.

VIdens autem Ieſus turbas multas, aſcendit in montem. Omnis artifex ſecundum profeſſionem ſuam opportunitatẽ operis videns, gaudet. Carpentarius, ſi viderit arborem bonam, concupiſcit eam præſcindere ad opus artificij ſui; agricola, ſi viderit terram pinguem, deſiderat eam arare. Et quid dico de rationalibus hominibus? ipſe irrationalis equus de ſtabulo exiliens ſi viderit campos patentes, rapit frænum, & excitatur ad curſum: ſic & dominus videns magnam congregationem populi, excitatus eſt ad docendum. Sic & omnis ſacerdos, quum viderit eccleſiam plenam, gaudet animus eius, & delectatur vt doceat: ſi autem viderit eccleſiam vacuam, confunditur, & nihil dicere poteſt. *Aſcendit in montem.* Nunquid non poterat ibi docere, vbi iam populus erat? Sed propter duas rationes aſcendit in montem. Primùm, vt impleret prophetiam Eſaiæ dicentis: Super montem excelſum aſcende tu, qui bene annuncias Sion. Deinde vt myſterium pietatis oſtẽderet. Aſcenſio enim eius eſt altitudo virtutum. Aſcendit ergo in montem, vt oſtẽdat nobis quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei, pariter &

Eſa. 40. qui audit. Qui docet, verborum ſuorum ſit ipſe

Nota. exemplum, vt magis opere doceat quàm ſermo-

1. Tim. 4. ne. Sicut ait Apoſtolus ad Timotheum. Exemplo eſto omnium fidelium. Qui autem ambulat per conuallia vitæ terrenæ, obſcuras ſemitas calcat, & loquitur alios ſermones: non alterum inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui: ſed aut vbi ſtas, inde loquere: aut vnde loqueris, ibi ſta. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cœlo loqueris? Si ergo in terra tu ſtas, de terra loquere: ſi autem de cœlo loqueris, in cœlo conſiſte, vt dicas cum Apoſtolo: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Ille autem populus qui audit iuſtitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum conſiſtere: quia diſcipulus imitator debet eſſe magiſtri. Si autem in peccatis viuas, & audias iuſtitiæ verba docentem, iudicium tibi, non ſalutem acquiris. Audis enim, vt ne ignorantiæ excuſationem habeas ante Deum. Ecce homo, ſi quancunque artem ex toto corde voluerit diſcere, puta pingere, aut ædificare, quum frequenter magiſtrum ſuum audierit, aut viderit, tollit ſe in ſecreto, & accipit ferramentum, & ipſe tentat, ſi poteſt iam facere, quod frequenter audiuit vel vidit. Sic & tu ſi facere iuſtitiam non vis, vt quid prædicatorem iuſtitiæ audis? vt quid doctorem illum appellas, cuius non vis eſſe diſcipulus? Intellige ergo, dico tibi rem naturalem, ſecundum loci iſtius ſcripturam. Si tu es ſuper montem, & prædicator in valle, tu ſurſum conſtitutus audis vocem illius, quia vox melius ſurſum aſcendit: ſi autem tu ſteteris in valle, & doctor tuus ſuper montem loquitur, non multum tibi proficit loquela ipſius. Ergo in primo loco populus ſe debet conſiderare qualis ſit, in ſecundo loco qualem habet ſacerdotem: quia doctor malus bono populo non multũ nocet: bonus autem doctor malo populo non multum prodeſt. Nunc autem populus ſeipſum non videt, quem primum videre debet: ſed ſemper ſedens iudicat de moribus ſacerdotum. Ideo ergo præſens ſcriptura nõ docet, vt tam doctor quàm populus ſuper montem ſanctitatis aſcendat, qui vult audire pietatis doctrinam. Aut certè ita.

Mons eccleſia appellatur, de quo dicit propheta: Pſalm. 67.

Mons Dei, mons vber. Aſcendit ergo Chriſtus in montem, vt illic diſcipulis ſuis myſteria traderet veritatis, oſtendens, quoniam omnis qui vult diſcere myſteria veritatis, in montem eccleſiæ debet aſcendere: ſed quia non in omnem montem, ſed in montem vberem. Sunt enim & hæreticorum montes, non autem vberes, ſed coagulati, in quibus non veritatis myſteria traduntur, ſed mendacia expugnantia veritatem. Ideo & eos qui in tales montes aſcendunt reprehendit ſpiritus ſan-

ctus per prophetam, dicens: Vt quid ſuſpicatis Pſalm. 67.

montes coagulatos? coagulati enim dicuntur hæreſum eccleſiæ, quia coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. *Beati pauperes ſpiritu.* Quamuis ipſas beatitudines exponat ex parte euangeliſta Lucas, tamen iſtæ beatitudines perfectiores illis intelli-

gendæ ſunt: quoniã illæ in loco campeſtri dictæ Scripſit ergo in Lucam

ſunt, iſtæ autẽ perfectis ſuper montẽ. Illæ mediocribus, iſtæ autẽ perfectis & rectoribus populorũ ſicut fuerũt apoſtoli, ad quos dicta ſunt hæc, cuius differentiæ rationẽ largius expoſuimus ibi. Ideo illic ſimpliciter pauperes dixit: hic autẽ, *pauperes ſpiri.* Pauper ſpiritu, eſt humilis corde: id eſt, pauperem ſpiritum habens, qui non magna ſapit de ſe. Sicut ex diuerſo, diues ſpiritu, intelligitur magna de ſe ſapiens & ſuperbus, qui non implet mã-

datum Chriſti, dicentis: Niſi conuerſi facti fueri- Matth. 18.

tis ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cælorum. Qui enim iam cõuerſus factus eſt ſicut puer, ille eſt & pauper ſpiritu. Et qui pauper eſt ſpiritu, ille conuerſus factus eſt ſicut puer. Et ſecundum

teſtimonium quidem Chriſti, & apoſtoli plenito- Rom. 15.

do legis dilectio eſt, tamen nutrix dilectionis humilitas eſt, & odij mater ſuperbia. Ergo totius boni initium humilitas, & totius mali ſuperbia. Denique & perditionis initium à ſuperbia cœpit per diabolum, initiumque ſalutis ab humilitate per Chriſtum: propterea conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non manifeſtè dixit, Beati humiles ſpiritu? Ego hunc potui tantummodo rationis inuenire colorem, vt non ſolum humiles oſtendat, ſed indigẽtes humiles, qui ſic ſunt humiles, vt ſemper adiu-

torium Dei ſint mendicantes. Vnde in Græco nõ Vel hinc pateat, authorẽ hũc Latine ſcripſiſſe.

dicit, *Beati pauperes*: ſed *beati egeni*, vel *beati mendici.* Nam pauper eſt qui anguſtiam quidem habet, nõ autem tantam, vt mendicare cogatur. Secundum quã differẽtiã & propheta dicit: Beatus qui intelligit ſuper mendicum, & pauperem. Ergo ideo dicit, *Beati mendici ſpiritu*, vt in vltima neceſſitate humiles oſtendat. Si ergo dixiſſet, Beati humiles ſpiritu, nihil amplius ſignificaſſet quàm humiles: nunc autem & humiles, & ſecundum fidem, &

intelligentes vnde ſit adiutorium hominis. Sunt Pſal. 40.

enim multi naturaliter humiles ſpiritu, & non ex

fide. Hi tales non pulsant adiutorium Dei. Qui autem secundum fidem humiles sunt, & intelligentes, dum nimis timent de se, adiutorium Dei pulsare non cessant. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid enim aliorum virtutes alia studentium, non est regnum cælorum? Etiam. Nam sicut cętera vitia deponunt ad inferos, maximè tamen superbia, quia radix omnium malorum superbia est: sic & omnes virtutes inducunt in regnum cęlorum, maximè tamen humilitas: quia radix omnium malorum superbia est, sine dubio, & radix omnium bonorum humilitas est: & quia proprium est, vt qui se exaltat, humilietur: sic & qui se humiliat, exaltetur. *Beati, qui lugent.* Et qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, sed mediocres beati: beatiores autem sunt, qui aliena lugẽt peccata: quoniam qui aliena lugent peccata, certum est quia non habent sua, quæ lugeant. Tales conuenit esse doctores omnes, & qui sunt super mōtem. Nam quū sint omnes doctores populi Christiani patres, quomodo possunt esse sine luctu, quum videant quotidie Christianorum animas vsque ad infernum cadentes? Nam de angelis, qui exituri sunt in fine seculi, vt signent seruos Dei, qui lugent de alienis peccatis, sic scriptum est per
Ezec. 9. Ezechielem: Ite per Hierusalem, & signate omnes, qui lugent super iniquitates, quæ fiūt in medio Hierusalem. Hierusalem enim verè est ecclesia Christi, cuius fundamentum est in montibus
Psal. 86. sanctis. *Quoniam ipsi consolabuntur.* Si consolatio lugentium est cessatio luctus pœnæ, quoniam qui sua lugent peccata, consecuti indulgentiam, consolabuntur in seculo illo: qui aliena lugent peccata, quomodo in seculo illo consolabuntur? Nunquid desinẽt dolere de peccatis? Etiam. Quoniam quandiu sunt in mundo, nescientes prouidentiam Dei, nec intelligẽtes ad plenum qui diabolo compellente delinquunt, & qui nō ex proposito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent, omnes à diabolo circumueniri, & cogi putantes: quum verò in seculo illo prouidẽtiam Dei
Ioan. 10. cognouerint & intellexerint manifestè, quoniam qui Dei fuerunt, perire non potuerunt: qui autem perierunt, non fuerunt Dei: quia de manu Dei nemo rapere potest: deposito de eis luctu, consolabuntur: & sine mixtura alicuius doloris, in sua sola beatitudine lætabuntur. Nam quandiu charitas est sanctorum ad peccatores, & luctus est. Ibi autem nec charitas erit sanctorum ad peccatores, nec luctus, etiam si propinqui fuerint: sicut docet parabola, in qua diues dicit ad Abraham: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia grauiter crucior in hac flamma. Nunquid misertus est ibi Abraham super fi-
Luc. 16. lium suum ardentem? Nam qui fuerat epulator, in qua parte corporis sui plus peccauerat, id est, in gula, in ea amplius torquebatur. *Beati mansueti.* Mansuetus enim neque irritat malum, neque irritatur à malo, neque aduersus eum præualet causa peccati, neque aduersus alterum ex illo nascitur causa peccandi, sed magis contentus est iniuriam pati quàm facere. Nam nisi cōtentus fuerit homo, vt noceatur: nunquam potest esse sine peccato: quia sicut & zizaniæ nunquam sunt minus in agro, sic non sunt minus irritatores in mūdo. Ille est ergo verè mansuetus, qui quum nocitus fuerit, nec cogitat malum facere, nec facit.

Quoniam ipsi hæreditabunt terram. Sine dubio terram viuorum, de qua scriptum est: Credo videre *Psal. 26.*
bona domini in terra viuentium. Terra autẽ hæc sicut quidam dicunt, quandiu est in hoc statu, terra est mortuorum, quia vanitati subiecta est, quum autem liberata fuerit de corruptionis seruitute, in libertatem gloriæ filiorum Dei, terra fit viuorum, vt immortales hæreditent immortalitatem. Alterum exponentem legi, quasi cælum, in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra viuorum: quæ quantum ad nostram regionem inferiorem cælum est, quantum autem ad illud superius cælum, terra dicitur. Alij dicunt, quia corpus nostrum terra est, & quādo quidem subiaceat morti, terra est mortuorum: quum autem fuerit transformatum, & conforme factum corpori gloriæ Christi, erit terra viuorum, & hæreditabunt eam æternam æterni: & spiritualem, & sanctam spirituales & sancti. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Esurire, & sitire iustitiam, est desiderare iustitiam Dei: Vt siue faciant homines iustitiam Dei, siue audiant, non quasi inuiti audiant, vel faciant iustitiam Dei, sed ex desiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciūt homines, ingratum est ante Deum. Vnde dominus per Ioannem, non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodo sitientes; dicens: Qui sitit veniat ad me, & bibat. Æstimo quòd nō *Ioan. 7.*
sine ratione esurire dixit iustitiam, & sitire. Nunc ergo esurit iustitiam, qui secundum iustitiam Dei desiderat conuersari, quod est recti cordis. Sitit autem iustitiam, qui scientiam eius acquirere cupit, quam potest cōsequi ex studio scripturarum, quod est docilis viri. *Quoniam ipsi saturabuntur.* Videlicet largitate remunerationis Dei. Quoniam maiora erunt præmia Dei, quàm desideria auara sanctorum. *Beati misericordes: quoniam ipsis miserebitur Deus.* Non tamen ille misericors est, qui miseretur pauperi, aut pupillo, aut viduæ, hæc enim misericordia & apud illos inuenitur frequenter, qui non cognoscunt Deum. Ille autem verus misericors est, qui inimico proprio miseretur, & benefacit ei, secundum quod scriptum est: Diligite *Luc. 6.*
inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt. Nam & Deus non solùm super gratos pluuiam dat, aut solem suum iubet oriri, sed etiam super ingratos. Vnde & ita dicit: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, &c. Et verè beatus est ille talis, quoniam misericordia eius, si quidem non habet peccatum, quod difficile est in hominibus, proficit illi ad additamentum iustitiæ: si autem habet, ad remissionem peccati, quoniam potest fiducialiter dicere: Dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Dupliciter est videre Deum, & in hoc seculo, & in illo. In hoc quidem seculo, secundū quod scriptum est: Qui videt me, videt & patrem meū. Mundo enim corde sunt, qui non solum non faciunt malum nec cogitant: sed adhuc etiam qui omne bonum & faciunt semper & cogitāt. Quia *Ioan. 14.*
est interdum facere bonum, & non cogitare, vt qui non propter Deum faciūt bonum, & tale bonum non remunerat Deus: quia non remuneratur à Deo bonum quod fit, sed id quod bene fit. Qui autem propter Deum facit bonum, sine dubio & cogitat bonum. Qui ergo omnẽ iustitiam facit, & cogitat mente sua, Deum videt, quoniam

iustitia

iustitia signata Dei est. Deus enim iustitia est. Secundum ergo quod expurgauerit se quis a malis, & fecerit bona, secundum illud & Deum videt, aut turbulenter, aut munde, aut modicè, aut amplius, aut ex parte, aut perfectè, aut interdum, aut semper, aut secundum possibilitatem humanam. Hoc ipso modo & qui male agit, & cogitat, diabolum videt: quia omne malum diaboli est figura. In seculo autem illo, hoc modo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, iam non per speculum in ænigmate sicut hic. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pax est vnigenitus Deus, de quo dicit Ephe. 2. Apostolus: Ipse enim est pax nostra. Qui ergo pacem diligunt, filij sunt pacis. Pacifici non solum dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant: sed etiam illi qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur. Isti tales illusores sunt pacis, non amatores. * bona. Pax enim illa * beata est, quæ in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere, quis est verè pacificus? Psal. 33. audi prophetam dicentem, Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Id est, lingua tua malum sermonem non dicat. Sicut enim ignis de modica scintilla magnum conflat incendium: ita & sermo malus de leui occasione magnam succendit inimicitiam. Illius labia dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, & malitiam seruat in corde. Si Christianus es, aut quod loqueris hoc cogita, aut quod cogitas, hoc loquere. Diuerte à malo, & fac bonum. Non dixit, noli accedere ad malum, sed recede à malo. Ille autem iubetur recedere, qui accessit. Sciens ergo misericors Deus incontinentiam nostram, quoniam si dixisset, noli accedere ad malũ, aut pauci, aut nullus hoc poterat adimplere: nam penè omnes homines parati sunt ad malum, ideo sic dicit: Bonum quidẽ fuerat, si nec accederes ad malum, si autem quasi homo naturæ carnalibus motibus excitatus accessisti ad malum, saltem vel propter considerationem diuini timoris recede à malo. Quoniam accedere ad malum, forsitan secundum carnem humanæ infirmitatis est: permanere autem in malo, & exequi malum, malignitatis est, & nõ infirmitatis. Inquire pacem & sequere eam. Non dixit: Si te pax sequatur suscipe eam: sed, Si te fugerit, sequere eam. Vtputa si (quod humanum est) cum aliquo feceris litem, si quidẽ ille te prius inuitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe eam. Quòd si ille quasi malus permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis: tu quasi filius pacis pulsa ianuam pacis, & hoc est inquirere pacem. Ne dicas, ille mihi prior iniuriam fecit, & prius me debet rogare. Gloriosior es tu, si nocitus pacem petieris, quàm si vindictam desiderares. Quære ergo pacem, vt inuenias præmium pacis. *Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Non dixit: Beati, qui à gentibus persecutionem patiuntur, ne putes illum solum beatum, qui persecutionem patitur propter idola non colenda. Ideo & qui ab hæreticis persecutionem patitur propter veritatem non relinquendam, beatus est; quia propter iustitiã patitur. Gentiles enim Christum denegant, hæretici autem veritatem Christi. Qui autem veritatem Christi denegat, ipsum denegat Christum. Christus enim veritas est. Et ideo hæretici, qui non propter Christum persecutionem faciunt, sed propter veritatem Christi, in prima facie Christiani videntur, reuera autem Gentiles sunt. Non solum hæreticus, sed & si aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani, forsitan propter peccata sua correptus, factus fuerit tibi inimicus, & persecutus te fuerit, beatus es cum Ioanne. Nam & Ioannes Baptista neque propter Gentilitatem, neque propter hæresim interfectus est, sed quia corripiebat Herodem propter Marc. 6. adulterium eius. Sed omnes Prophetæ neque à Gentilibus Regibus, sed a suis occisi sunt, non propter Gentilitatem, sed quia corripiebant eorum peccata. Si autem qui à suisipsis propter causam Dei aliquid patitur, nõ debet mercedem, nec Prophetæ habuerunt. Si tamen verum est, quod Prophetæ martyres sunt, sine dubio, & qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi à suis patitur Rom. 8. mercedẽ habet. Ideo non posuit scriptura personas persequentiũ, sed solã causam persecutionis, vt tu nõ aspicias, quis te persequitur, sed vt quid te persequitur. Quid ergo, si quis te persecutus fuerit, non propter causam Dei, sed propter priuatam rem? vtputa, vt auferat aliquam rem tuam: ille quidem, qui te sine causa est persecutus, reus est: tu autem beatus non es: quia non propter iustitiam persecutionem passus es, sed propter priuatam causam. Planè si volueris illud implere, quod dictũ est. Qui percusserit ad maxillã vnam, Matth. 5. præbe illi & alteram, & qui volt auferre quæ tua Luc. 6. sunt, noli vetare, tunc verè beatus es; quoniam etsi ab initio non propter causam Dei persecutionem patiebaris, postea tamen aut damnum, aut iniuriam passus es propter Deum. Si autem restiteris etiam cum peccato, & nõ potueris pati, beatitudinis perdidisti mercedem. *Beati eritis, quum vos exprobrauerint homines.* Postquam loquutus est de persecutionibus sustinendis, tanquã si respondeat quis ad Deũ. Domine, quid si persecutionem quidẽ passi non fuerimus propter te, vel propter iustitiam tuam, in opprobrium autem venerimus, & in blasphemiam hominum iniquorum? Beati, inquit, eritis non solum, quum persecutionem passi fueritis, sed etiam quum vos exprobrauerint homines. Ecce multi homines propter causam quidem Dei fiunt nobis inimici, sed non apertè nos persequuntur, forsitan quia nec possunt, tamen circumeuntes omnia, blasphemant nos, & dicunt de nobis, quæ sunt probrosa. *Beati eritis, quum vos exprobrauerint homines, & dixerint omne verbum malum aduersus vos mentientes propter me.* Sicut enim verum est, quoniam qui calicem aquæ nobis porrexerit, merces eius non perit: sic qui vel vnius leuissimi verbi nobis iniuriam fecerit, anima nostra vacua non erit à mercede. Vt ergo blasphematus sit beatus, duo hæc conuenire debent. Vt mendaciter blasphemetur, & propter Deum blasphemetur: alioqui si vnum defuerit, iam non est beatitudinis merces. Vtputa si quis dixerit de te, quod est turpe mendacium, sed non propter causam Dei, sed propter priuatã aliquam inimicitiam dolens, ille quidem peccauit, tu autem mercedem iustitiæ nõ habes, nisi forte quum possis reblasphemare, non reblasphemasti propter iustitiam Dei, aut quum possis te reuindicare, non reuindicasti: & tunc beatus es, & causa priuata facta est tibi causa Dei. Quod si propter causam quidem Dei blasphematus es, tamẽ quod dictum est

est de te malum, verum est: iterum non es beatus, quia verum dictum est de te: illa & illa blasphemia pertinet tibi, non ad mercedem iustitiæ, sed ad vindictam peccati. Ideo vtrunque posuit, & *mentientes*, & *propter me. Gaudete & exultate.* Quare? *Quia merces vestra multa est in cælo.* Ponderate confusionem terrenã cum gloria cælesti, & videte si nõ multo leuius est, quod patimini super terram, quam quod expectatis in cælo. Sed forte dicis: Quis potest blasphematus mẽdaciter, non dicam gaudere, sed vel magnanimiter ferre? Quisquis vana gloria non delectatur. Qui enim concupiscit quæ in cęlo sunt, opprobria nõ timet in terris: nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet Deus de ipso. Qui enim lætatur de laude hominum, & quantum lætatur, tantum contristatur: ille & de vituperatione hominum contristatur, & tantum contristatur, quantum lætatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Vniuscuiusque vbi gloriam quærit, illic timet confusionem. Qui gloriam quærit in terris, confusionem timet in terris. Qui autem gloriam nõ quærit, nisi tantummodo apud Deum, ille non timet confu-

** in corpore.* sionem, nisi tãtummodo Dei. Si miles periculum belli sustinet, dũ spectat victoriæ * prædam: quanto magis vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni cælestis præmium expectatis?

S. AVGVSTINI EPIscopi Hipponen. in idem Euang. Homilia.

Ex lib. 1. de serm. Domini in monte.

SErmonem, quem locutus est Dominus noster Iesus Christus in monte, sicut in Euangelio secundum Matthæum legimus, si quis pie, sobriéque considerare voluerit, puto quòd inueniet in eo, quod * ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum. Quod polliceri non temere audemus, sed ex ipsis eiusdem Domini verbis coniicientes. Nam sic ipse sermo concluditur, vt appareat in eo præcepta esse omnia, quæ ad informandam vitã pertinent. Sic enim dicit: Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabo eum viro sapienti: & reliqua vsque ad eum locum, Et facta est ruina eius magna. Cùm ergo non dixit, qui audit verba mea tantum: sed addidit, dicens: Qui audit verba mea hæc, satis, vt arbitror, significauit, hęc verba quę in mõte locutus est, tam perfecte instruere vitam eorum, qui voluerint secundum ea viuere, vt merito comparentur ædificanti super petram. Super petram autem dixit, vt appareat istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum. Nam de hoc capitulo diligentius suo loco tractabitur. Huius igitur sermonis initium sic assumitur: *Cùm vidisset autem Iesus turbas multas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens.* Si quæritur quid significet mõs, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt. Vnus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat: & per filium suum maiora populo, quem charitate iam liberari conueniebat. Cùm autem minora minoribus, Maiora maioribus dantur, ab eo dantur, qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est, quod dantur præcepta maiora propter regnum cœlorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem vno Deo, qui fecit cœlum, & terram.

** al. quãtum.* *Matth. 7.* *Matth. 5.*

De hac ergo iustitia, quæ maior est, per Prophetam dicitur, Iustitia tua sicut montes Dei: & hoc bene significat, quod ab vno magistro, solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterij. Et accedunt ad eum discipuli eius, vt audiendis illius verbis, hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis implendis etiam animo propinquabant. *Et aperiens os suum docebat eos dicens.* Ista circunlocutio qua scribitur, *Et aperiens os suum*, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem, Nisi forte nõ vacet, quòd nunc dictum est eum aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri aperire solebat ora Prophetarum. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, Omnia vanitas, & præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus, audaciam, & superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur, & recte, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Vnde scriptum est, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. Quis vero nesciat superbos inflatos dici tanquã vento distentos? Vnde est etiam illud Apostoli, Scientia inflat, charitas vero ædificat. Quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles, & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem. Siquidem peruentura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientię timor domini. Quoniam & econtrario, Initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem appetunt, & diligunt regna terrarum. *Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Illam credo terrã, de qua in Psalmo dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium. Significat enim quandam soliditatem, & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra: & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies, & vita sanctorum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & nõ resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus. *Beati* autem *mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*, de qua pelli non possunt. *Beati lugentes quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus est tristicia de amissione charorum: conuersi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœsticia sauciantur. Consolabuntur ergo spiritu sancto, qui maxime propterea paracletus nominatur: id est, consolator, vt temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Iam istos amatores dicit veri, & inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse dominus dicit, Meus cibus est,

Psalm. 35. *Eccles.* *Psalm. 148.* *1. Cor. 8.* *Eccle. 1.* *Psal. 110.* *Eccl.* *Psalm. 141.* *Rom. 12.* *Ioan. 4.*

est, vt faciam voluntatem patris mei: quod est iustitia: & illa aqua de qua quisquis biberit, vt idē dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Beatos esse dicit, qui subueniunt miseris, quod eis ita rependitur, vt de miseria liberentur. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quā ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est, Et in simplicitate cordis quærite illum. *Sapien. 1.* Hoc est enim mūdum cor, quod est simplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur nisi mūdum sit illud quo videri potest. *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* In pace perfectio est vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subijcientes rationi: id est, menti, & spiritui; carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiísque communia. Atque idipsum quod excellit in homine: id est, mens, & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori seipse subijciat. *Luc. 2.* Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita consummati, perfectīque sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo, & ordinatissimo missus est foras princeps huius seculi, qui peruersis, inordinatísque dominatur. Hac pace intrinsecus constituta, atque firmata, quascunque persecutiones ille, qui foras missus est, forinsecus concitauerit, auget gloriam, quę secundum Deum est, Non aliquid in illo ædificio labefactās, sed deficientibus machinis suis, innotescere faciens quāta firmitas intus extructa sit. Ideo sequitur, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Iam enim cætera compellans loquitur ad illos, qui aderant dicens, *Beati eritis cum vobis maledicent, & persequentur vos.* Superiores autem sententias generaliter digesserat. Non enim dixit, beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum: sed, *quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cælorum.* Neque beati mites, quoniam vos possidebitis terram: sed, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Et ita cæteras vsque ad octauam sententiam, vbi ait, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Inde iam incipit loqui præsentes compellans, cum & illa, quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerēt, qui præsentes audiebant: & hæc postea quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui absentes, vel post futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate. *Beati pauperes spiritu:* id est, non inflati, dum se diuinæ authoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiam si forte in hac vita beata sibi esse videatur. Inde venit ad diuinarum scripturarum cognitionem, vbi oportet eum se mitem præbere pietate, ne id, quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde iam incipit scire quibus nodis seculi huius per carnalem cōsuetudinem, ac peccata teneatur. Itaque hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, vbi vehementer incumbitur, vt sese animus auellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur & sititur iustitia, & multum necessaria est fortitudo, quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseuerantibus in labore datur euadendi consilium, quia nisi quisq; adiuuetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, vt sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuari vult, adiuuet & infirmiorem, in quo est ipse potentior. Itaque beati misericordes, quia ipsorū miserebitur Deus. Sexto gradu est cordis mundicia de bona conscientia bonorum operum valens ad cōtemplandum summum illud bonum quod solo puro & sereno intellectu cerni potest. Postremo est septima ipsa sapientia: id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem & suscipiens similitudinē Dei, quæ ita concluditur, *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Octaua tanquam ad caput redit, quia consummatum, perfectúmque ostendit, & probat, Itaque in prima, & in octaua nominatum est regnum cœlorum, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et, *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorū est regnum cælorum:* Cum iam dicitur, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum an gladius? Septem sunt ergo quæ perficiunt, nam octaua clarificat, & quod perfectum est demonstrat, vt per hos gradus perficiantur & cæteri, tanquam à capite rursum exordiens. *Roma. 8.* Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio spiritus sancti, de qua Esaias loquitur, his gradibus, *Esaia 11.* sententiisq; congruere: sed interest ordinis, Nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi nanque incipit à sapientia Dei, & desinit ad timorem Dei, sed initium sapiētiæ timor domini est. *Eccl. 1.* *Psal. 110.* Quapropter si gradatim tāquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit, Noli altum sapere, sed time: id est, noli extolli. *Roma. 11.* Pietas congruit mitibus. Qui enim pie quærit, honorat sanctam scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse. Vnde hic dicitur, *Beati mites, quoniā ipsi hæreditate possidebunt terram.* Scientia congruit lugentibus, qui iam cognouerunt in scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona & vtilia ignorantes appetierunt, de quibus hic dicitur, Beati qui lugent nunc. Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes. De quibus hic dicitur, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Consilium congruit misericordibus: hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadēdi vt

di, vt dimittamus sicut nobis dimitti volumus: & adiuuemus, in quo possumus alios, sicut & nos in quo non possumus cupimus adiuuari. De quibus hic dicitur, *Beati misericordes, quoniam ipsorum mi-*

Esa. 64. *serebitur Deus*: & reliqua. Intellectus congruit

1. ad Cor. 2. mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec

1. Retra. cap. 19. auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. De quibus hic dicitur, *Beati mundi corde*: & reliqua. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullúsque motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, et eum & ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur, *Beati pacifici*: vnum autem præmium quod est regnum cœlorum, pro his gradibus varie nominatum est. In primo sicut oportebat positum est regnum cœlorum, quod est perfectæ, summæque sapientiæ animæ rationalis. Sic itaque dictum est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: tanquam diceretur, Initium sapientiæ timor domini. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cũ pie-

Ecclesia. 1. tate quærentibus. *Beati mites, quoniam ipsi hæredi-*

Psal. 110. *tate possidebunt terram.* Lugentibus consolatio, tan-

Prou. 9. quam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sunt. *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* Esurientibus & sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus, fortitérque certantibus ad salutem. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur.* Misericordibus misericordia, tanquam vero & optimo consilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur à potentiore quod inualidioribus ipsi exhibent. *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Mundis corde facultas est videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Pacificis Dei similitudo est, tanquam perfecte sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renouati homi-

1. Rom. 9. nis. *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis, credimus. Nam illa omnimoda & in angelicam formã mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest. *Beati ergo qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit perfectumq́; hominem declarat, significatur fortasse & circumcisione octaua die in veteri testamento: & domini resurrectione post sabbatum qui est vtique octauus, idemq́ue primus dies: & celebratione octauarum feriarum quas in regeneratione noui hominis celebramus: & numero ipso pentecostes. Nã septenario numero septies multiplicato, quo fiũt quadraginta nouem, quasi octauus additur vt quinquaginta compleatur. Et tanquam redeatur ad caput, quo die missus est spiritus sanctus, eo in regnum cœlorum ducimur, & hæreditatem accipimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur. Atque ita perfecti, omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate & iustitia sustinemus. *Beati eritis*, inquit, *cum vobis maledicent & persequentur vos, & dicent omne malum aduersum vos, mentientes, propter me Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Animaduertat quisquis delicias huius seculi & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut de anima eccle-

siastica ore prophetico dicitur, Omnis gloria eius Psal. 44.

filiæ regis ab intus: nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cœlis, quæ sentitur in corde patientium, eorum, qui iam

possunt dicere; Gloriamur in tribulationibus, Roma. 5.

scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non cõfundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum, beati, qui persecutionem patiuntur: sed additum est, *propter iustitiam.* Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia.

Quia iustus ex fide viuit. Neque schismatici ali- Aba. 2.

quid sibi ex ista mercede promittant, quia simi- Roma. 1.

liter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam si haberent, non dilaniarent corpus Chri-

sti, quod est Ecclesia. Quæri autem potest quid in- Roma. 13.

tersit, quod ait, *Cum vobis maledicent, & omne malũ dicent aduersum vos*: cum maledicere, hoc sit, malum dicere. Sed aliter maledictum iactatur cum contumelia corã illo cui maledicitur, sicut domino nostro dictum est, Nónne verum dicimus, quia Samaritanus es & dæmonium habes? Aliter eum absentis fama læditur, sicut de illo item scribitur, Alij dicebant, quia Propheta est, alij autem dicebant, non: sed seducit populum. Persequi autem est vim inferre, vel insidiis appetere, quod facit qui eum tradidit, & qui eum crucifixerunt. Quid est sanè quod etiam hoc non est nude positum, vt diceretur, *Et dicent omne malum aduersum vos*: sed additum est, *mentientes*: additum est etiã, *propter me*? Propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus, & de famæ suæ turpitudine gloriari: & ideo dicere ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala: cum & vera dicantur, quando & de illorum errore dicuntur: etsi aliquãdo etiam nonnulla falsa iactãtur, quod temeritate hominum plerunque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundum veram fidem, & catholicam disciplinam Christianus vocatur. *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Non hic cœlos dici puto superiores partes huius visibilis mũdi. Non enim merces nostra, quæ inconcussa, & æterna esse debet, in rebus volubilibus, & temporalibus collocanda est: sed in cœlis dictum puto, in spiritalibus firmamentis, vbi habitat sempiterna iustitia: in quorum comparatione terra dicitur anima

iniqua, cui peccanti dictum est, Terra es, & in Gene. 3.

terram ibis. De his cœlis dicit Apostolus, Quo- Philip. 3.

niam conuersatio nostra in cœlis est. Sentiunt ergo iam istam mercedem qui gaudent spiritalibus bonis, sed tunc ex omni parte perficietur, cum etiam hoc mortale induerit immortalitatem. *Ita enim persecuti sunt*, Inquit, *& Prophetas qui ante vos fuerunt.* Nunc persecutionem generaliter posuit, & in maledictis, & in dilaceratione famæ. & bene exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solẽt

perse

persecutionem pati? nec tamen ideo Prophetæ antiqui timore persecutionis à veritatis prædicatione defecerunt.

EIVSDEM IN EODEM festo, Homilia.

Ex Serm. 17. de sanctis qui ad Albinum est scribuntur.
Terra sanctorum patrociniis lætatur.

HOdie, dilectissimi, omnium sanctorum sub vna solemnitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cælum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis ecclesia sancta coronatur, quorum cōfessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria, & martyrij triumphus multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta grauiora fuere & præmia, dumque catholica mater ecclesia per totum orbem longe, lateque diffusa, in ipso capite suo Christo Iesu edocta contumelias crucis, & mortem didicit non timere, magis, magisque roborata est non resistendo, sed perferendo. Vniuersos autem, quos agmine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari, & simili calore virtutis ad gerendum certamen gloria triumphalis inspirauit. O vere beata mater ecclesia, quā sic honor diuinæ dignationis illuminat, quā vincentium gloriosus martyrū sanguis exornat, quam inuiolatæ cōfessionis cādida induit virginitas: Floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Certēt nunc, charissimi, singuli ad vtrosque honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cælestibus castris pax, & acies habēt flores suos, quibus milites Christi coronantur. Dei enim ineffabilis, & immensa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus & agonis non extēderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicam, momentaneum, vt in hac breui, & exigua vita agones essent & labores, in illa vero, quæ æterna est corona & præmia meritorum, vt labores quidem cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent, vt post huius mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem, testante hoc Apostolo vbi ait, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quam læto sinu de prælio recurrentes ciuitas cælestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit, cum triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum seculo sexum quoque vicerunt, & geminata gloria militiæ virgines cum pueris teneros annos virtutibus transeuntes, sed & cætera fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intrabit, qui syncoritatem fidei inconcussis præceptorum cęlestium disciplinis vnita pace obseruauerunt. Ergo agite nunc, fratres, aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cælestem, in qua scripti sumus, & ciues decreti. Non sumus hospites, sed ciues sanctorum, & domestici Dei, etiam illius hæredes, cohæredes autem Christi. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus ergo inclytam vrbis illius fœlicitatem, inquantum considerare possibile est. Vt enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de ea in quodam

Rom. 8.
Ephes. 2.

loco sic, quòd aufugiet ibi dolor & tristicia, & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, irascitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardescit, nullum ibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita iocunda. Nulla erit tunc vsquam discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia, quia omnium sanctorum vna concordia, pax cuncta, & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta. Iugis splendor non iste qui nunc est, sed tāto clarior quanto fœlicior, quia ciuitas illa, vt legitur, nō egebit lumine solis, sed dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Vbi sancti fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui ad iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris, ardorisque asperitas vlla, sed talis quædam erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum, qui ea perfrui digni inueniuntur, quorū nomina scripta sunt in libro vitæ, qui & lauerunt stolas suas in sanguine agni, & sunt ante thronum Dei, seruiūntque ei die, ac nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Verum super hæc omnia est consociari angelorum, & archāgelorum cœtibus, thronis etiam, & dominationibus, principatibus, & potestatibus omniúmq; cęlestiū, supernarúmque virtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina sanctorum splendidius syderibus micantia, patriarcharum fide fulgentia, prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem iudicantia, martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, virginum quoque choros candentia serta gestantes inspicere. De rege autem, qui horum medius residet, dicere vox nulla sufficit. Effugit enim omnem sermonē, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificētia, illa maiestas. Vltra enim omnem sanctorum est gloriam ipsius inæstimabilem aspicere conspectum, & splendore maiestatis eius irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christū videre digni possemus in gloria venientem, & sanctorum eius numero sociari, nōne erat dignum pati omne, quod triste est, vt tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Quæ erit illa, fratres charissimi, iustorum gloria, quam grādis sanctorum lætitia, cum vnaquæque facies fulgebit vt sol, cum ordinibus distinctis populum suum dominus in regno patris sui cœperit recensere, & meritis, atque operibus singulorum præmia promissa restituere, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, adducere sanctos in visionem paternæ gloriæ, & facere in cælestibus cōsedere, vt sit Deus omnia in omnibus, æternitatémque amatoribus suis, & immortalitatem largiri, atque eos, quos sanguinis sui viuificatione reparauit, denuo ad paradisum reducere, regna cælorum fide, & veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant fir-

Esaiæ 35.
Apoc. 21.
Dan. 12.
1. Cor. 2.
Apoc. 22.
Ephes. 4.
Meritis, & operibus singulorū Deus reddet præmia.
1. Cor. 15.

miter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indesinentium [Matth. 11.] operum magnanimitate acquirantur. Reposita est in potestate facientis, quia regnum cælorum vim patitur. Res ista, ô homo, id est, regnum cæleste aliud non quærit precium, quàm teipsum. Tantum [1. Cor. 15.] valet, quantum es tu. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de precio? Christus semetipsum tradidit, vt acquireret te in regnum Deo patri, ita & tu teipsum da vt sis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acqui- [Rom. 6.] sitionem vitę. Ad hanc igitur operum saltationem, dilectissimi, palmam libenter, ac prompte certemus, omnes in agone iustitię Deo, & Christo spectante curramus. Et qui seculo, & mundo maiores esse cœpimus, à cursu nostro nulla seculi cupiditate retardemur. Si expediti, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies vltimus inuenerit, nusquam dominus meritis nostris ad pręmium deerit remunerator. Qui coronã in persecutione purpuream pro passione donauit; ipse in pace viuentibus pro iustitię meritis dabit cãdidam. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei, & iustitię meritis honorari inter patriarchas primi esse meruerunt. Ad quorum congregatur conuiuium, quisquis fidelis, & iustus, & laudabilis inuenitur. Memores esse debemus voluntatem nõ nostram, sed Dei facere debere: quia qui fecerit eius voluntatem, ipse manebit in ęternum, quo modo & ille manebit in æternũ. Quapropter, charissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, charitate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei simus, conseruantes fortiter Domini mandata. In simplicitate seruate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defensa veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum in nobis desit. Hæc sunt vestigia, quæ nobis sancti quique reuertentes in patriam reliquerũt, vt illorum semitis inhærẽtes sequeremur ad gaudia. Patriam quoque nostram paradisum cum illis computemus, parentes patriarchas iam habere cœpimus. Cur non properamus, & currimus vt patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum complexum, & conspectum venire, quanta illis, & nobis in cõmune lætitia est? Qualis illic cælestium voluptas conseruorum societatem expectantium? Quàm summa, & perpetua fœlicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus insignis, ibi martyrum populus innumerabilis ob certaminum victoriã coronatur, illic clarissima virginum turba lætatur, illic etiam confessorum fortitudo laudatur. Sed & illorum remuneratio censetur, qui præcepta dominica seruantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos electos Dei auida cupiditate properemus, vt cum his cito esse, & cito nos ad Christum peruenire contingat, ad eum, quem huius itineris ducẽ habeamus, salutis authorem, lucis principem, lætitiæ largitorem: Qui viuit, & regnat cum Deo patre omnipotente, & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homilia.

SOlennitatẽ sanctæ virginis, quæ testimonium dixit de Christo, & testimoniũ meruit à Christo, palam occisæ, occulte coronatæ, admonemur charitati vestræ de illa exhortatione loqui, quam modo Dominus ex Euangelio proferebat, dicens multas causas beatæ vitæ, quam nemo est, qui non velit. Nemo quippe inueniri potest, qui beatus esse non velit. [Serm. 14. de verb. [illegible]] Sed ô si homines quo modo desiderant mercedem, sic opus mercedis non recusarent! Quis non alacriter curriat, quum ei dicitur, beatus eris? Libenter audiat & quum dicitur, si hoc feceris. Non recusetur certamen, si diligitur præmium, & accendatur animus ad alacritatem operis commendatione mercedis. Quod volumus, quod desideramus, quod petimus, post erit. Quod autem iubemur vt faciamus, propter illud, quod post erit, modo fit. Ecce incipe diuina dicta recolere, & ipsa Euangelica præcepta, vel munera: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Postea erit tuum regnum cælorum, modo esto pauper spiritu. Vis vt postea regnum cælorum tuum sit? Vide modo tuipse cuius sis. Esto pauper spiritu. Quæris à me fortasse quid sit esse pauperem spiritu. Omnis inflatus non est pauper spiritu. Ergo humilis pauper est spiritu. Altum est regnum cælorum, sed qui se humiliat, exaltabitur. [Luc. 14. & 18.] Attende quod sequitur, *Beati, inquit, mites: quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Iam vis possidere terram: vide ne possidearis à terra. Possidebis mitis, possideberis immitis, nec cum audis præmium propositum vt possideas terram, extendas auaritiæ sinum, qua vis possidere modo terram, excluso etiam vtcunque vicino tuo: non te ista fallat opinio. Tunc vere possidebis terram, quando inhæseris ei, qui fecit cælum & terram: hoc est enim esse mitem, non resistere Deo tuo: vt in eo quod benefacis, ipse tibi placeat, non tu tibi: in eo quod male, iuste pateris: ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est quia placebis ei displicens tibi, displicebis autem ei placẽs tibi. Attende tertium. *Beati lugentes quoniam ipsi consolabuntur.* In luctu opus est, in consolatione merces est. Nam qui lugent carnaliter, quas consolationes habent? Molestias metuendas: ibi cõsolatur lugens, vbi timet rursus ne lugeat: verbi gratia: Contristat filius elatus, lætificat natus: illum extulit, hunc suscepit: in illo tristitia, in isto timor: in nullo ergo cõsolatio. Ergo illa erit vera consolatio, qua dabitur, quod non amittatur, vt illi se postea gaudeãt consolari, qui modo se lugent peregrinari. Accedat ad quartum & opus, & munus, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Saturari vis. Vnde? Si caro saturitatem concupiscit, digesta saturitate, famem iterum patieris. [Ioan. 4.] Et qui biberit, inquit, ex aqua hac, sitiet iterum: medicamentum, quod ad vulnus ponitur, si sanauerit iam non dolet. Quod autem ponitur contra famem, hoc est, esca, ita ponitur vt ad modicum releuet. Transacta enim saturitate, redit fames.

Accedit

Accedit quidem quotidie remedium saturitatis, sed non ad sanatum vulnus infirmitatis. Esuriamus ergo, sitiamusque iustitiam, vt ipsa iustitia saturemur, quam nunc esurimus, & sitimus. Vnde enim saturabimur quod esurimus, & sitimus, interior homo noster esuriat, & sitiat, habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, inquit, panis, qui de cęlo descendi. *Ioan. 6.* Habes panem esurientis, desidera & potum sitientis, quoniam *Psal. 35.* apud te est fons vitæ. Attende quod sequitur. *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Fac & fiet. Fac cum altero vt fiat tecum, quia abundas & eges: abundas temporalibus, eges æternis: mendicum hominem audis, mendicus ipse Dei es: petitur à te, & petis. Quod egeris cum petitore tuo, hoc aget Deus cum suo. Et plenus & inanis es. Imple inanem de plenitudine tua, vt de Dei plenitudine impleatur inanitas tua. Attende quod sequitur, *Beati mundi corde:* hoc est, qui mundi corde sunt, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Hic est finis quo perficiamur non quo consumamur. Finitur cibus, finitur vestis. Cibus, quia consumitur edendo. Vestis, quia perficitur texendo: & illud finitur, & illud. Sed finis iste pertinet ad consumptionem, ille ad perfectionem. Quicquid agimus, quicquid bene agimus, quicquid nitimur, quicquid laudabiliter æstuamus, quicquid inculpabiliter desideramus, ad Dei visionem quum venerit, plus non requiremus. Quid enim quæret cui adest Deus, aut quid sufficiat ei cui non sufficit Deus? Videre Deum volumus, videre Deum quærimus, videre Deum inardescimus. Quis non? Sed vide quid dictum est, *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc para vnde videas: vt enim secundum carnem loquar, quid desideras ortum solis cum oculis lippis? Sani sint oculi, & erit illa lux gaudium. Non sint oculi sani, erit illa *Matth. 5.* lux tormentum. Non enim corde non mundo videre permitteris, quod non videtur nisi corde mundo: repelleris, auferteris, non videbis. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quoties beatos iam numerauit, quas beatitudinis causas, quæ opera, quæ munera, quæ merita, quæ præmia? Nusquam dictum est, *ipsi Deum videbunt. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, ipsi hæreditate possidebunt terram. Beati lugentes, ipsi consolabuntur. Beati esurientes & sitientes iustitiam, ipsi saturabuntur. Beati misericordes, ipsi misericordiam consequentur.* Nusquam dictum est, *ipsi Deum videbunt.* Ventum *Ephes. 1.* est ad mundos corde, ibi visio Dei promissa est. Nō sine causa, nisi quia ibi sunt oculi, vnde videtur Deus. De his oculis Paulus Apostolus loquēs ait, Illuminatos oculos cordis vestri. Modo ergo isti oculi pro sua infirmitate illuminantur fide; postea pro sua firmitate illuminabuntur specie. *2. Cor. 5.* Quandiu enim sumus in corpore peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus non per speciem. Quandiu autem in hac fide sumus quid *1. Cor. 13.* de nobis dicitur? Videmus nunc per speciem in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Non hic corporea facies cogitetur: nam si accensus desiderio videndi Deum, faciem tuam præparaueris corporalem ad videndum Deum, talem faciem desiderabis & Dei. Si autem iam saltem de Deo spiritaliter sapis, vt Deum non cogites esse corporeum, Vnde diutius heri egimus, si tamen aliquid peregimus, si in corde nostro tanquam in templo Dei formæ humanæ fingimus simulachrū, si iam nobis bene venit in mentē & viscera nostra interiora possedit, vbi detestatur Apostolus eos, qui dicentes se esse sapientes stulti facti *Rom. 1.* sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Si iam tale malum detestamini, si auersamini, si creatori mundatis templum suum. Si vultis vt veniat, & mansionem apud vos faciat, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. *Sapient. 1.* Videte cui dicatis. Si tamen dicitis, si vere dicitis, Tibi dixit cor meum, quæsiuit *Psal. 26.* faciem tuam. Dicat & cor tuum, & adde, Vultum tuum, Domine, requirā. Bene enim requiris, quia corde requiris. Dicitur Dei vultus, dicitur Dei brachium, dicitur Dei manna, dicuntur Dei pedes, dicitur Dei sedes, dicitur scabellum pedū eius, sed noli membra humana cogitare, si vis esse tēplum veritatis, frange idolum falsitatis. Manus Dei potentia Dei, Facies Dei notitia Dei, Pedes Dei præsentia Dei. Sedes Dei, si vis, tu es. An forte negare audebis Deum esse Christum? Non inquis, Concedis & hoc, Christum Dei virtutem, & sapientiam Dei? Concedo, inquis. Audi, Anima iusti sedes est sapiētiæ. *1. Cor. 1.* Vbi enim sedem habet Deus, nisi *Sapient. 1.* vbi habitat? Vbi autem habitat, nisi in templo suo? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Vide ergo quomodo excipias Deum. *1. Cor. 6.* Spiritus est Deus, in spiritu, & veritate oportet adorare *Ioan. 4.* Deum. Iam in cor tuum si placet, intret arca testamenti, & ruat Dagon. Audi ergo nunc & disce Deum desiderare, disce vnde Deum videre possis præparare. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deū videbunt. Quid præparas oculos corporis? Si sic videbitur in loco erit, quod videbitur, non est in loco qui vbiq; totus est. Munda vnde videatur, audi & intellige si ipso iuuante, potero explicare. Adiuuet nos ad intelligendum omnia supradicta opera, & munera quemadmodū congrua congruentibus apposita sint. Vbi enim dictum est de præmio, quòd non congrueret operi & consonaret? Quia humiles quasi à regno videntur alieni: *Beati,* inquit, *pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum.* Quia mites homines facile excluduntur de terra sua. *Beati,* inquit, *mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Iam cætera aperta sunt, clara sua sponte cognoscuntur, disputatore non egent, cōmemoratore opus habent. *Beati qui lugent.* Quis lugens non consolationem desiderat? *Ipsi,* inquit, *consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Quis esuriēs & sitiens non satietatem requirit? *& ipsi,* inquit, *saturabuntur. Beati misericordes.* Qui misericors nisi qui optat ex ipso opere reddi sibi à Deo vicem, vt circa se fiat, quod circa pauperem facit? *Beati,* inquit, *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Quomodo per ipsa singula singulis propria apposita sunt, & nihil adhibitum est in pręmio quod nō congrueret præcepto. Præceptum est enim, vt sis pauper spiritu: pręmium est, vt habeas regnum cælorum. Præceptum est, vt sis mitis: præmium est, vt possideas terram. Præceptū est, vt sis lugens: pręmium, vt consoleris. Præceptum est, vt esurias, & sitias iustitiam: præmium, vt saturetis. Præceptum est, vt sis misericors: præmium, vt misericordiam consequaris. Sic præceptum est, vt mundes cor: præmium, vt videas Deum: non ergo ita sapias in his præceptis, & præmiis, vt quum audis: Beati

mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt, putes pauperes spiritu non visuros, aut non visuros, mites, non visuros lugentes, non visuros esurientes & sitientes iustitiam, non visuros misericordes. Non arbitreris eos tãtum quasi visuros, qui mũdo sunt corde, illis à visione separatis. Omnia enim hæc idem ipsi sunt. Ipsi videbunt, sed non ideo videbunt, quia pauperes spiritu sunt, quia mites sunt, quia lugentes, quia esurientes, & sitientes iusticiam, quia misericordes, sed quia mundi sunt corde. Quemadmodũ si corporalia opera membris corporalibus coaptaret ac diceret, verbi gratia quisquam: Beati qui pedes habent, quia ipsi ambulabunt: beati qui manus habent, quia ipsi operabuntur: beati qui vocem habẽt, quoniã ipsi clamabũt: beati qui os & linguã habẽt, quoniam ipsi loquentur: beati qui oculos habent, ipsi enim videbunt. Sic tanquam spiritalia membra componens docuit quid ad quid pertineat. Apta est humilitas ad habendum regnum cælorum, apta est mansuetudo ad possidendam terram, aptus luctus ad consolationem, apta fames, & sitis iustitiæ ad saturitatem, apta misericordia ad impetrandam misericordiam, aptum mundum cor ad vidẽdum Deũ. Si ergo desideramus videre Deum, oculus iste vnde mundabitur? Quis enim non curat, quis non quærat vnde mundet quo videre possit quem toto affectu desiderat? Expressit hoc

Act. 15. diuina testatio: Fide, inquit, mundans corda eorum. Mundat cor fides Dei, mundum cor videt Deum. Sed quia ipsa fides aliquando ab hominibus, qui seipsos fallunt, talis determinatur, quasi sufficiat tantummodo credere. Promittunt enim sibi quidam etiam conspectum Dei, regnúmque cælorum credentes, & male viuentes. Contra hos succensus & spiritali charitate quodammodo stomachans Iacobus Apostolus in epistola sua dicit:

Iac. 2. Tu credis quoniam vnus est Deus. Plaudis tibi de fide, attendis enim multos impios æstimare multos esse deos, & tu tibi gaudes credẽdo quòd

Fides sine operibus non prodest. vnus est Deus. Bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt: Nunquid & ij Deum videbunt? Videbunt qui mundo sunt corde. Quis autem mundos corde dicat spiritus immundos? & tamen credunt & contremiscunt. Discernenda est fides nostra à fide dæmonum. Fides enim nostra mundat cor, fides autem illorum reos facit. Male quippe operantur, & ideo Domino dicunt: Quid nobis & tibi est? Quum audis hoc dæmones dicere, putas eos nõ agnoscere? Scimus, inquiunt,

Luc. 4. Matth. 16. qui sis: Tu es filius Dei. Dicit hoc Petrus, & laudatur, dicit hoc dæmon & damnatur. Vnde hoc, nisi quia vox par, & cor impar? Discernamus ergo fidem nostram, nec credere sufficiat.

Act. 15. Gala. 5. Non est talis fides quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorum. Sed qua fide, quali fide nisi quam definit Apostolus Paulus vbi ait: Fides quæ per dilectionem operatur? Ista fides discernit à fide dæmonum, discernit ab hominum flagitiosis ac perditis moribus. Fides, inquit, Quæ fides? Quę per dilectionem operatur, sperat quod Deus pollicetur. Nihil ista definitione propensius, nihil perfectius. Ergo tria sunt illa. Necesse est, vt in quo est fides, quæ per dilectionem operatur, speret quod Deus pollicetur. Comes est ergo fidei spes: necessaria quippe spes est, quandiu non videmus quod credimus: ne forte non videndo, & desperando deficiamus. Contristat nos, quia non videmus: sed consolatur nos, quia visuros nos speramus. Adest ergo spes, & fit comes fidei. Deinde & charitas, qua desideramus, qua pertingere conamur, qua inardescimus, qua esurimus & sitimus. Adhibetur ergo & hæc: & erit fides, spes, charitas. Quo modo enim non erit ibi charitas, quum nihil sit aliud charitas, quàm dilectio? Ipsa autem fides definita est, quæ per dilectionem operatur. Tolle fidem, perit quod credis. Tolle charitatem, perit quod agis. Fidei enim pertinet vt credas: charitati vt agas. Si enim credis & non amas, non te moues ad bonum opus. Et si moues, vt seruus moues non vt filius, timendo pœnam, non amando iustitiam. Illa ergo fides, inquam, mundat cor, quæ per dilectionem operatur. Et *1. Cor. 13.* modo ipsa fides quid agit tantis testimoniis scripturarum, tam multiplici lectione, tam varia copiosaque exhortatione quid agit, nisi videamus per speculũ in ænigmate, postea facie ad faciem? Sed non iterum tu redeas ad istam faciem tuam. Faciem cordis cogita: coge cor tuum cogitare diuina, compelle, vrge. Quicquid simile corporis cogitanti occurrerit, abiice. Nondum potes dicere, hoc est, saltem dic nõ est hoc. Quando enim dices, hoc est Deus? Nec cùm videbis, quia ineffabile est quod videbis. Raptum se dicit Apostolus *2. Cor. 12.* in tertium cælum, & audisse ineffabilia verba. Si sunt ineffabilia verba, quid est, cuius sunt verba? Cogitanti ergo tibi de Deo, occurrit aliqua fortasse in humana specie mira, & amplissima magnitudo, constituisti eam conspectu cogitationis tuæ, tanquam magnum aliquid amplissimum, grande, ingẽtissima mole diffusum, finisti alicubi. Si finisti, Deus non est. Si non finisti, facies vbi est? Cogitas molem, & vt membra distinguas definis molem. Aliter enim membra distinguere non potes, nisi moli dederis finem. Quid agis stulta & carnalis cogitatio? Grandem molem fecisti, & tanto grandiorem quanto te putasti Deum amplius honorare. Addit alius vnum cubitum, & facit maiorem. Sed legi, inquis, Quid legisti qui *Esa. 67.* nihil intellexisti? Et tamen dic quid legisti? Non repellamus paruulum corde ludentem. Dic quid legisti, Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Aio, Legi & ego, sed tu forte potiorem te putas: quia legisti & credidisti. Credo & ego quod dixisti. Simul credamus. Quid dico? simul quæramus. Ecce tene quod legisti, & credidisti. Cælum mihi thronus est, id est, sedes: thronus enim Græce, Latine sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Non legisti, & aliud qui palmo mẽsus est cælum? Puto te legisse, *Esa. 40.* cognoscis, & te credere cõfiteris. Ibi enim vtrunque legimus: vtrunque credimus modo iam cogita & doce me, adhibeo te doctorem, me paruulum facio. Doce obsecro te. Quis est qui sedet in palmo suo? Ecce figuras, Liniamenta membrorum Dei à corpore humano duxisti. Sed forte *Gen. 1.* surrepit tibi, vt secundum corpus putares nos factos ad imaginem Dei. Interim accipio considerandum, discutiẽdum, requirendum, disputando excutiendum. Si placet, audi me, quia in eo quod tibi placuit, audiui te. Sedet Deus in cælo, & palmo metitur cælum. Idem cælum fit latum, quum sedet, & angustum, quum metitur, an ipse Deus tantus est in sedendo, quantus in palmo? Si hoc ita est, non ad similitudinem suam nos fecit. Nos enim palmum angustiorẽ valde habemus, quam partem

partem corporis qua sedemus. Ille autem si tam latus est in palmo suo, quam latus in sessione sua, disparia membra nobis fecit: non est ista similitudo. Erubesc at ergo tale idolum in corde Christiano: proinde cælum accipe pro omnibus Sanctis: quia & terra dicitur pro omnibus, qui sunt in terra, Omnis terra adoret te. Si bene dicimus secundum eos, qui habitant in terra, Omnis terra adoret te: bene dicimus etiam secundum eos, qui habitāt in cælo: Omne cælum portet te. Nam & sancti ipsi qui in terra habitant, carne terram calcant, corde in cælo habitant. Non enim frustra admonentur sursum habere cor, & quum admoniti fuerint ita esse respondent, aut frustra dicitur: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Inquantum ergo ibi conuersantur, & ipsi Deum portant, & cælum sunt: quia Dei sedes sunt. Et quum annunciant verba Dei: Cæli enarrant gloriam Dei. Redi ergo mecum ad faciē cordis: ipsam præpara, intus est cui loquitur Deus: aures, oculi, cætera membra visibilia, interioris cuiusdam, vel habitaculum, vel organū sunt. Interior est homo vbi habitat Christus interim per fidem ibi habitaturus præsentia diuinitatis suæ quum cognouerimus, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, profundum, cognouerimus etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Nunc ergo si tibi intellectus, hic non displicet, aduoca te comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundum. Non discurras imaginatione cogitationis per spacia mundana, & molis huius tam magnæ incomprehensibilem granditatem, in te attende, quod dico: Latitudo est in bonis operibus, longitudo in longanimitate, & perseuerantia bonorum operum, altitudo in supernorum expectatione præmiorum. Propter quā altitudinem tibi dicitur, vt sursum cor habeas. Bene operare, & in bonis operibus perseuera propter beneficia Dei. Terrena pro nihilo æstimes, ne, quum tibi aliquo sapiētis illius flagello terra ista fuerit perturbata, dicas te sine causa Deum coluisse, sine causa bona opera fecisse, sine causa in bonis operibus perseuerasse. Faciendo enim bona opera, quasi habuisti latitudinem. Perseuerando in eis, quasi habuisti longitudinem. Sed terrena conquirendo, non habuisti altitudinem. Attende profundum: Gratia Dei est in occulto voluntatis eius. Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Et iudicia tua sicut multa abyssus. Hanc conuersationem bene operandi, in ea perseuerandi, superna expectandi, gratiam Dei occulte dandi, sapientia non stultitia, nec reprehendendi quare alius sic, alius autem sic: nō enim est iniquitas apud Deum. Hanc ergo cōuersationem, si placet, coapta etiam cruci Domini tui. Non enim frustra talem mortem elegit, in cuius potestate erat, vel mori, vel non mori. Si in potestate erat mori, & non mori, quare non in potestate sic, vel sic mori? Non frustra ergo crucem elegit, vbi te huic mundo crucifigeret. Nam latitudo est in cruce transuersum lignum, vbi figuntur manus propter bonorum operum significationem. Longitudo est in ea parte ligni, quæ ab ipso trāsuerso ad terram tendit. Ibi enim corpus crucifigitur, & quodam modo stat: & ipsa statio perseuerantiam significat. Altitudo autem in illo ligno est, quod ab eodem transuerso sursum versus ad caput eminet, & ea significatur supernorum expectatio. Vbi profundum, nisi in ea parte, quæ terræ defixa est? Occulta est enim gratia: & in abdito latet. Non videtur, sed inde eminet quod videtur. Post hæc si comprehenderis hæc omnia, non solum intelligendo verumetiā agendo, intellectus enim bonus omnibus, qui faciunt eum, tunc iam extende te si potes ad agnoscendā agnitionem charitatis Christi supereminentem scientiæ. Quum peruenneris, impleberis in omnem plenitudinem Dei. Tunc erit illud facie ad faciem. Impleberis autem in omnem plenitudinem Dei, non vt tu sis plenus Deus, sed vt sis plenus Deo. Quære ibi, si potes, faciem corporalem. Iam tollantur nugæ à mentis aspectu. Abiiciat paruulus ludicra, discat tractare maiora. Et nos in multis paruuli fuimus, & cum plus, quàm sumus, essemus, à maioribus tolerati sumus. Pacem sectamini enim omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Hac enim & cor mundatur, quia ibi est fides, quæ per dilectionem operatur. Hinc beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Marginal references: Psal. 65. — Col. 3. — Psal. 18. — Ephes. 3. — Rom. 11. — Psalm. 35. — 2. Par. 19. — Rom. 9. — Psalm. 110.

S. LEONIS PAPAE *de gradibus ascensionis in beatitudinem, Sermo 1.*

PRædicante, dilectissimi, domino nostro Iesu Christo Euangelium regni, & diuersos per totam Galilæam curante langnores in omnem se Syriam virtutum eius fama diffuderat: & multæ ex vniuersa Iudæa turbæ ad cælestem medicum confluebant. Quia enim tarda est humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt, & speranda quæ nescit, oportebat diuina eruditione firmandos, corporeis beneficiis, & visibilibus miraculis incitari: vt cuius tam benignam experiebantur potentiam, non ambigerent tam salutarem esse doctrinam. Vt ergo exteriores medelas dominus ad remedia interiora transferret, & post sanitates corporum, curationes operaretur animarum, segregatus à circunstantibus turbis, secessum vicini montis ascendit, aduocatis Apostolis, quos sublimioribus institutis ab edito mysticæ sedis imbueret, ex ipsa loci, atque operis qualitate significans se esse, qui Mosen quondam suo dignatus fuisset alloquio: illic quidem terribiliore iustitia, hic autem sacratiore clementia, vt impleretur quod fuerat prophetæ Hieremiæ promissum, Ecce dies veniunt, dicit dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouū. Post dies illos dicit dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribā eas. Qui ergo locutus fuerat Mosi, locutus est & Apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis verbi manus, noui testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circunfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos, atq; fulgores populo ab accessu mōtis absterrito: sed patente ad aures circonstantiū tranquillitate colloquij, vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis. Qualis igitur doctrina sit Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur: vt qui ad æternam beatitudinem perue-

Marginal reference: Hier. 31.

nire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorum.* De quibus pauperibus veritas loqueretur, forte esset ambiguum, si dicens; *Beati pauperes*, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & sufficere videretur ad promerendum regnum cælorum ea sola inopia, quam multi sub graui, & dura necessitate patiuntur. Sed cum dicit: *Beati pauperes spiritu*. Ostendit eis regnum cælorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quam indigentia facultatum. Dubitari autem non potest, quod humilitatis istius bonum; facilius pauperes quàm diuites assequãtur: dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitiis familiaris elatio. Verumtamen & in plerisque diuitibus, inuenitur hic animus, qui abundantia sua non ad tumoré superbiæ, sed ad opera benignitatis vtatur, idque pro lucris maximis numeret, quod ad releuandam miseriam alieni laboris impenderit. Omni generi, atque ordini hominũ datur in hac virtute consortium: quia possunt proposito esse pares, & impares censu: Nec interest, quãtum sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritalibus bonis inueniuntur æquales. Beatã igitur illa paupertas quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit: sed cælestibus bonis ditescere concupiscit. Huius nobis magnanimę paupertatis exemplum primum post *Matth. 4.* dominum Apostoli præbuerunt, omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cælestis magistri, à captura piscium in piscatores hominum alacri conuersione mutati sunt, & multos sui similes fidei suæ imitatione fecerunt, quando illis primitiuis Ecclesiæ vnum cor omnium, & anima vna erat credentium: qui vniuersis suis rebus, *Act. 4.* possessionibúsque distractis, per deuotissimam paupertatem bonis ditabãtur æternis, & ex Apostolica prædicatione gaudebant, nihil habere de *Act. 3.* mundo, & omnia possidere cum Christo. Hinc B. Petrus Apostolus, cum ascendens in templum, à claudo eleemosynam posceretur, Argentum, inquit, & aurum non est mecum, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ: quem debilem edidit mater ex vtero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in nummo non dedit, imaginem Christi in homi- *Act. 5.* ne reformauit. Huius autem thesauri opibus, non solum ille adiutus est, cui gressus est redditus: sed etiam quinque milia virorum; qui tũc ad exhortationem Apostoli ob eiusdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat, quod petenti daret, tantam dedit diuinę gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrarat in pedibus: sic tot milia credentium sanaret in cordibus, faceretque eos in Christo alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Post prædicationem huius felicissimæ paupertatis, addidit dominus, dicens; *Matth. 5.* *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus hic, dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quenquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatorum causa lachrymarum. Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate cõmittitur: vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens: quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam. Deinde ait dominus, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Mitibus, atque mansuetis, humilibus, ac modestis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidẽda terra promittitur. Nec parua est æstimanda hæc, aut vilis hæreditas, tanquam à cælesti habitatione discreta sit, cum regnum cælorum alij non intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis; caro sanctorum est: quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur: in nullo iam spiritui futura contraria; & cum voluntate animi, perfectæ vnitatis habitura consensum. Tũc enim exterior homo, interioris hominis erit quieta, & intemerata possessio: tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impedietur obstaculis, nec iã dici necesse erit. Cor- *Sapien. 9.* pus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitãtem: Quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatũ aliquid contra imperium sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur: cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, sit honori. Post hæc addit dominus, & dicit, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Nihil hæc esuritio corporeũm, nihil expetit sitis ista terrenum: sed iustitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum: quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiẽs autem dicentem sibi propheticum spiritum; Gu- *Psal. 33.* state, & videte, quoniam suauis est dominus, accepit quandam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit: vt, spretis omnibus temporalibus, ad edendam, bibendámque iustitiam, toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem dicentis; Diliges dominum Deum tuum ex to- *Deut. 6.* to corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota vir- *Matth. 22.* tute tua: quoniam nihil est aliud diligere Deum, *Marc. 12.* quàm amare iustitiã. Denique sicut illic dilectio- *Luc. 10.* ni Dei, proximi cura subiungitur: ita & huic desiderio iustitiæ, virtus misericordiæ copulatur, & dicitur; *Beati misericordes quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Agnosce, Christiane, tuæ sapientiæ dignitatem, & qualium disciplinarũ artibus ad quæ præmia voceris, intellige. Misericordem te misericordia, iustum vult te esse iustitia: vt in creatura sua creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplẽdeat. Secura esto operantium fides, ade[illegible] tibi desideria tua, & iis, quæ amas, sine fine potieris. Et quoniam tibi per eleemosynam omnia mũda sunt, ad eam quoque beatitudinem, quæ consequenter est promissa, per[illegible] dominus; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Magna

gna felicitas, dilectissimi, cui tantum præmium præparatur. Quid ergo est habere cor mundum, nisi eis, quæ supra dictæ sunt, studere virtutibus? Videre autem Deum, quantæ sit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc consequetur, cum transfor- (1.Cor.13.) mabitur humana natura, vt non iam per speculum (Ioan.1.) in ænigmate, sed facie ad faciem, ipsam, quam (1.Tim.6.) nullus hominum videre potuit, sicuti est, videat (Esa.64.) (1.Cor.2.) deitatem: Et quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat. Meruo hæc beatitudo cordis, promittitur puritati. Splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit: & quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis, oculi tergantur interiores: vt serenus intuitus tantum Dei visione pascatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere, quod sequitur; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Beatitudo ista, dilectissimi, non cuiuslibet consensionis, aut qualiscunque concordiæ est, sed illius, de qua dicit Apostolus; (Rom 5.) Pacem habete ad Deum. Et de qua dicit propheta (Psal.118.) Dauid; Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula, & indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vindicant: si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem pacis sunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit: nec ad societatem filiorum Dei peruenit, qui se a genera- (Ephes.4.) tione carnali nō diuidit. Qui autem semper cum Deo mente sunt solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, nunquam ab æterna lege dissen- (Matth.6.) tiunt, fideli oratione dicentes; Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Hi sunt pacifici, hi bene vnanimes, sanctéque concordes, vocandi æterno (Rom.8.) nomine filij Dei, cohæredes autem Christi: quia hoc merebitur dilectio Dei, & proximi, vt nullas iam aduersitates sentiat, nulla scandala pertimescat: sed finito omnium tentationum certamine, in tranquillissima Dei pace requiescat. Per dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

S. BERNARDI ABBA-
tis Claræuallēsis in festiuitate omnium sanctorum, Sermo 1.

FEstiuitatem hodiernam sanctorum omnium cum omni deuotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur, & est, beati Petri solennitas, seu beati Stephani, aut cuiuslibet cæterorum, quanta ista est, quæ non vnius tantùm est, sed vniuersorum? Verùm non ignoratis fratres secularibus id moris esse, vt diebus festis festiua sibi conuiuia parent: & quanto fuerit solennitas clarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergo? Nónne & his qui conuertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ, & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea iam paratum est conuiuium nostrum, fratres, iam cocta sunt omnia, & epulandi tempus aduenit. Dignum est enim vt prius anima satietur, quòd hæc portio sine dubitatione & sine comparatione sit potior, præsertim cum sanctorum solennitates manifestum sit ad animas magis quàm ad corpora pertinere: & quæ animarum sunt, animæ plus accepta, quippe naturali quadam eis cognatione coniunctæ. Quibus propterea quoque sancti isti, compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, & plus earum refectionibus delectantur, quoniam & ipsi similes nobis fuere passibiles: & ipsi peregrinationis huius, & exilij miserabilis deplorauere molestias: & ipsi graue huius corporis onus, & tumultus seculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium quin gratior eis sit, & multo acceptabilior illa festiuitas qua intenditur epulis animarum, quàm sit ea quæ celebratur à secularibus curam carnis perficientibus in desiderijs voluptatum. Veruntamen vnde nobis animarum panis in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis? Vnde nobis sub sole spiritualis cibus, vbi nihil est nisi labor & dolor, & afflictio spiritus? Sed scio quis (Matt.7.) dixerit: Petite, & accipietis. Et illud: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis è cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Nec ignoro quàm obnixè tota hac nocte & die petieritis mendicantes dari vobis panem de cœlo viuum: non enim qui corpus corroborat, sed qui confirmat cor hominis. Nam conuiuas quidem non ausim dicere, sed mendici sumus, præbenda Dei viuentes. Mendici, inquam, iacētes ante ianuam regis prædiuitis, vlceribus pleni, & cupientes saturari, imò & sustentari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quorum celebramus hodie solennitatem. Nempe delicijs affluunt, & mēsuram accipiunt bonam & confertam, & superefluentem. Confidimus autem quoniam erit qui det nobis. Chaos enim magnum & distantia est multa nimis inter liberalitatem & benignitatem Dei, & auari diuitis crudelitatem. Propterea dedit hodie pater noster panem. Patrem enim misericordiarum, patrem esse necesse est etiam miserorum. Dedit (inquam) nobis panem de cœlo, & cibaria in abundantia: quorum vtinam ego fidelis coquus, vtinam anima mea coquina vtilis videatur. Siquidem ad præparanda fercula vestra, tota hac nocte cōcaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis: ille sine dubio quem dominus Iesus misit in terram, & voluit vehemēter accendi. Nam spiritualem cibum, & coquinam, & ignem habere necesse est spiritualem. Superest iam vt distribuam quæ parata: vos autem considerate potius dantem dominum quàm ministrum distribuentem. Ego enim, quantum in me est, nihil aliud sum quam conseruus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse dominus nouit) mendico panem de cœlo, & alimoniam vitæ. Propterea non ego vobis, sed pater vester ipse est qui dat vobis panem de cœlo viuum: ipse vos pascit & operibus, & sermonibus, etiam & carne filij sui, qui est verè cibus. Nam & de operibus lego: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei, & de verbis: (Ioan.4.) Quoniam non in solo pane viuit homo, sed in (Deuter.8.) omni verbo quod procedit de ore Dei. Ergo nūc quidem cibati habemus factis eius & verbis, post hæc etiam illibatum dominici corporis sacra-

menium in altaris mensa sacrosancta (ipso propitio) percepturi. Legimus in Euangelio hodie, *Matt.5.* quoniam videns turbas Iesus, ascendit in montem. Prædicantem enim dominum, de ciuitatibus & castellis populi sequebantur: quorum saluabat animas, sanabat corpora: & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectari: cuius nimirum vox suauis, & facies decora, sicut scri- *Psalm.44.* ptum est: Speciosus forma præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed & ipsi quoque angeli sancti desiderant prospicere. Quid vobis suauius apponemus? Nimirum hæ sunt deliciæ angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suauis est dominus. Et huic suauitati, huic sapori, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem? Sed à Deo hæc vniuersa donata sunt: nec dubium quin multo amplius reseruauerit sibi, quàm dederit creaturis. Iam ne hoc quidem otiosum putemus, quòd ascendit in montem: nimirum quod tanto ante prædictum *Esa.40.* est, tanquam à longe clamante propheta: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Hierusalem. In qua ascensione si vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto quod in initio Actuum apostolorum beatus *Act.1.* Lucas meminit, dicens: Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere. Vtique non iuxta Pharisæorum morem, qui alligabant onera grauia & importabilia, & imponebant ea in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea mouere. An non bonus animæ panis est iste, & plurimum cōfirmans cor hominis? Fiducialiter sequor te Domine quocunque ieris, & securè incedo viā mandatorum tuorum, sciens quòd per eam præcesseris ipse. Securè, inquam, viam mandatorum tuorum curro, quandoquidem noui quòd à summo *Psal.18.* cœlo egressio tua ad currendam hanc viam: & occursus tuus vsque ad summum eius fuerit per hanc viam. Non possum modo fratres in hunc modum singula masticare: vos estote animalia munda & ruminantia, vt fiat sicut scriptum est: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapien- *Prouer.21.* tis. Cogit enim succingere, forsitam & præscindere verbum, tam breuitas horæ, quàm materiæ magnitudo. *Videns turbas Iesus ascendit in montem.* Videns miserationis intuitu, quoniam erant sicut oues errantes, non habentes pastorem. Quid est quòd priusquam docere inciperet, ascendit in montem, nisi quòd in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei, desideriis animi, & conuersione sancta ad sublimia tēdere, & virtutum conscendere montem? *Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Cùm sedisset, inquit. Alioquin quis ad excelsum illum gigantem posset accedere? Benignissime prorsus inclinauit se, & exinaniuit vsque ad sessionem, vt dicat patri: *Psal.138.* Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionē meam. Sedit enim, vt ad eum quem ne ipsi quidem angeli stantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant: accedat Maria Magdalene, accedat & latro de cruce. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Accesserunt non tam incessu pedum, quam affectu cordis, & imitatione virtutum. Benè autem non turbæ, non quilibet de populo, sed discipuli accessisse dicuntur: quatenus sicut testamentum vetus *Exod.24.* datum legitur in monte Sina, solo Moyse ascendente, & populo expectante deorsum: sic & modò suscipere montes pacem populo, & colles iustitiam: & velut in tenebris quibusdam & in occulto dicerentur Apostolis, quod postea dicerent in lumine: & audirent in aure, quod prædicarent postmodum super tecta. Vnde & sequitur: *Et aperiens os suum, docebat eos.* Aperuit nunc os suum, qui prophetarum priùs aperuerat ora. Hinc est quod legitur in Psalmo, propheta dicente: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Nunc autem qui multifariè mul- *Psalm.50.* tisque modis olim locutus fuerat in prophetis, *Heb.1.* demum suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: Ego qui loquebar, ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne sapientiam: beati, qui verbi Dei verba quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Veruntamen quod audierunt illi, adhuc reseruatur nobis: quia & nos audire possumus, quanuis non ab ipso. *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* Verè apertum est os eius, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi. Et verè eius hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: Ecce noua fa- *Apoc.21.* cio omnia, qui per prophetam ante prædixerat: *Psal.77.* Aperiam os meū, eructabo abscōdita à constitutione mundi. Quid enim tam abscōditum, quam paupertatem esse beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli nec fallere potest: & ipsa est quæ dicit, quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adam diuitias quæritis, diuitias desideratis vsque adhuc: cùm iam beatitudo pauperum diuinitùs commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus diuitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædi- *Psal.4.* cauit? Quousque filij altem, quousque vani- *Psal.143.* tatem loquetur os vestrum, vt beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cùm filius Dei os suum aperiens, locutus sit veritatem beatos esse pauperes, & væ diuitibus? Sed diligenter attende quòd non simpliciter pauperes nominat, propter plebeius pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud diuinæ bonitatis misericordiam, hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum pro- *Psal.53.* pheta: Voluntariè sacrificabo tibi. Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. nam & philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius: & nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, spiritu, id est spirituali voluntate. *Beati verò pauperes spiritu,* spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solùm beneplacitum Dei, & animarum salutem: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed quis est qui sic loquitur, qui sic

beatifi

beatificat pauperes, & sic dicat? Putas poterit verum esse? Erit sine dubio: siquidem verax & potens est qui promittit. Si murmurat inimicus, respondebitur ei: An non licet mihi facere quod volo? Nónne oculus tuus nequam est, quia ego bonus? Si tu iure humiliatus es pro eo quòd adversum me exaltare te voluisti, nónne qui se humiliant propter me, meritò sunt exaltandi? Et vere, fratres, si misertimus ille è cœlo deiectus est quoniam affectauit celsitudinem, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit, nónne cõsequens est beatos esse qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt: & iuxta domini promissionem; *ipsorum est regnum cælorum*, quod perdidit iste? Et attende quàm sapienter ordinauerit sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertius dicat: Vis obtinere cœlum quod perdidit superbiens angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Sequitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram.* Benè, optimè. Sic enim oportebat commendata paupertate etiam mansuetudinem prædicari: quoniam relinquentibus omnia, prima solet esse tentatio de molestiis corporis, & afflictione carnis insolita. Quid verò paupertas prodetit, si (quod absit) pauper in murmurationem deueniat, factus es asperans, & impatiẽs disciplinæ? Optimè quoque post regni promissionem minus aliud regnum velut in arram datur, vt secundum scripturam, promissionem habeamus vitæ eius quæ nunc est, pariter & futuræ, & de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Hanc ergo terram corpus nostrum intelligo. Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est vt sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam creatoris. Et ideo nonerit anima quæ rebellem sibi inuenit carnem suam, se quoque minus quàm oportear, superioribus potestatibus esse subiectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu Dei altissimi, subiecta sit Deo, & his pariter quibus vice eius habet obedire prælatis: & cõtinnò corpus suum inueniet obediens & subiectum. Veritas enim est quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et vide si non aduersus secundi peccati ruinas, secunda processerit medicina. Prima siquidem post angelicæ prævaricationis ruinam Eua peccauit, inquietudine spiritus agitata, & interdicti dominici iugũ suaue & leue onus abiiciens: quoniam expectare noluit vt de manu domini vnde iam cætera acceperat, perfectionem quoq; beatitudinis mereretur, sed præripere illam serpentis consilio attentauit. Propter hoc paradisum perdidit, terram deliciarum: propter hoc in ipso corpore contrariam legẽ inuenit. Sed iam fortassis ad hanc Domini vocẽ desiderio mansuetudinis æstuas, & conquereris super asperitate cordis tui, & belluinis quibusdam moribus, atque indomita feritate. Attende ergo quod sequitur; *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus, & assiduitas lachrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, mortis horrorem, iudicij tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ: cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam: & in huiusmodi cogitatione si perseueraueris: dico tibi, parum senties quicquid foris videtur esse molestum, dùm toto corde circa interiorem molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine consolatione te esse, quoniam pater misericordiarum est, & Deus totius consolationis, & complebitur omnino quod veritas pollicetur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Concordat autem huic sententiæ eris illud quod in Salomone legisti: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Propterea beata esses Eua, si post culpam consolationem quæreres lachrymarum, & conuersa ad pœnitentiam veniam eius obtineres. Nunc autem miserrimam quæsisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio, totam infecisti posteritatem tuam: vt vsque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsus Euæ consolatio, & eorum qui miseriam hanc imitantur: sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Verum quid aliud est hæc consolatio, quàm procedens de spe veniæ gratia deuotionis, & suauissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? Sed gustus ille nihil aliud est quam irritamentum desiderij, & incentiuum amoris: sicut scriptum est: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibũt me, adhuc sitient. Propterea illicò subinfertur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur.* Qui esurit, esuriat amplius; & qui desiderat, abundantiùs adhuc desideret: quoniam quantumcunque desiderare potuerit, tantum est accepturus. Imò verò non secundum imperfectionem modúmve desiderij, quoniam, quis donec perfectè habeat, perfectè desiderare non potest: sed nec & perfectè habere, donec perfectè desideret: sed mensuram accepturus est bonam, & cõfertam, & coagitatam & supereffluentem. *Beati qui esuriunt, &c.* Infirmiori palato cordis, & animæ languenti adhuc dura & insipida res videtur esse iustitia: sed qui gustauerunt, ecce ipsi sciunt quàm beati sunt qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur. O verè felix & gloriosa satietas, ô sanctum conuiuium, ô desiderabiles epulæ: vbi nimirum anxietas nulla, nullũ poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium. *Beati qui esuriunt, &c.* Iam verò hoc verbum aduersus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse iustitiæ, in eo quòd mulieri quidem compassus est: sed si esuriisset iustitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modò vxori, sed multo magis creatori. Debebat enim vxori compassionem vtique & disciplinam tanquam inferiori (Caput enim mulieris vir) Debebat autem Deo obedientiam atque subiectionem. Sed quid putamus fratres, quàm plurimi vsque hodie factum illud grauiter diiudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur aduersus Adam quòd obedierit voci vxoris suæ plus quàm Dei, & ipsi quotidie Euã suam, carnem videlicet, audiunt plus quàm Deũ. Fratres si modo præsentem videremus Adam in eo ar

Matth. 20.
1. Tim. 4.
Eccle. 7.
Eccl. 24.
Ephes. 5.

eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem vxoris, & præceptum creatoris, nónne clamaremus aduersus illum dicentes: Caue tibi miser, vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei? Vt quid ergo quoties apprehendit nos tẽtatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? *Beati enim qui esuriunt, &c.* Sed quid potest esse omnis iustitia
Esa.64. nostra coram Deo? Nónne iuxta prophetam velut pannus menstruatæ reputabitur: & si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra, & minus habens? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respõdere iustitia? Propterea obnixè cum Propheta
Psalm 142. clamantes: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, tota humilitate ad misericordiam securramus, quæ sola potest saluare animas nostras: & sollicitè pensemus quod sequitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et attende quemadmodum Zachæus breuiter vno verbo vtrunque complectitur dicens:
Luc.19. Dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quempiam defraudaui, reddo quadruplum. Vides quantum esuriuit iste iustitiam, cui non sufficit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum. Misericordia quoque magna est, quòd dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Veruntamen non silebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum: domini planè, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini eius do gloriam. Zachæus certè cuius laus est in Euangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hîc video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Euangelium de Zachæis istis, imò de Petris
Matt.19. istis? qui fiducialiter loquantur Domino: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Sed scriptũ est iam in Euangelio æterno, in libro vitæ scriptũ est & signatum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Iam verò fratres Adæ crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur vxoria amore peccasse. Ecce enim scimus ô Adam quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & eius amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in vltionem præuaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic: Domine, mulier infirmior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum: in me solum vindicta proce-
Gen.3. dat. Sed non loquitur sic: Mulier (inquit) quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & cætera. O peruersitas, pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodo, próh dolor, omnia confudisti, perniciosè misericors, vbi seuerus esse debueras: & perniciosiùs crudelis, vbi misericordiam impẽdere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere verò pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri fratres, vt nunquam propter alium homo peccet, quod est iustitiæ: & libenter aliena peccata portet, quod est misericordiæ. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sequitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Beati planè & omnino beati qui videbunt in quem desiderant angeli prospicere; quem videre vita æterna est. Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram. Quid enim est in cœlo, & à te [illegible] super terram? Defecit caro mea & cor [illegible]m, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei, quæ impedit ne necdum merear ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine fratres, quanto studio danda est opera vt mũdari possit oculus quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentia carnis, & cõcupiscentia gloriæ temporalis, & præteritorum conscientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam vtrorumq; desideriorum, quos nec ratione nec viribus extinguere possum quandiu sum in hoc seculo nequam, & in corpore mortis
Psalm.122. teneor alligatus. Attamẽ contra sordes istas orationis oppono remediũ: & propterea sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri: qui solus mundus est, & potest facere mundum de immundo conceptum semine. Sic & contra peccati cõscientiam remedium cõfessionis est institutum, & omnia in confessione lauantur. Ecce hæc sunt quæ mũdant oculum cordis, oratio, & confessio. Porro beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt quidem in fine facie ad faciem: videbunt etiam nunc, sed per speculum in ænigmate, & nunc cognoscentes ex parte, perfectè posteà cognituri. Omnis enim in cuius conscientia clausum adhuc peccatum viuit, aut peccat in spe, & ita sentit de Deo tãquam si minus ei peccata displiceant: aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum.
Psalm.49. Ibid.16. Quorum vtrique meritò dicitur: Existimasti inique quòd ero tui similis: quoniam neuter Deum videt, sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. *Beati verò mundo corde, quoniam ipsi soli Deum vident*, soli de eo sentiunt in bonitate: sicut verè bonus est, ita vt nemo bonus sit nisi ipse. *Beati mundo corde, &c.* Miseri proinde Adam & Eua, qui conuersi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dùm cõfessionis mundationẽ fugiunt, immundo semanent corde, & à facie Domini ejiciuntur. Sequitur: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Meritò filij nomine vocabũtur, qui filij opus impleuerint. Ipse enim est per quẽ recõciliati pacẽ habemus ad Deum. Ipse qui pacificauit in sanguine suo quæ in cælis sunt, & quæ super terram, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibi ipsi recõciliatur anima, in duobus quæ sequuntur, proximo, in sexto Deo. In septimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mansuetudine, fletu, renouatur in anima similitudo quædam & imago æternitatis omnia tempora complectentis, dùm paupertate futura mereatur, mansuetudine sibi præsentia vendicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recu-
Esa.38. peret, sicut scriptum est: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Porrò iustitia & misericordia perfectè proximo cohærentes, dum quicquid volumus nobis fieri, aliis non faciamus per iustitiã: & quæcunq; volumus, vt faciãt nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiam. Iam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam

cor

cordis reconciliantur Deo. Beati verò qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè soliciti, eos quoque quantum præualent, & sibi & Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quantò amplectendum putas affectu fratrem illum qui sine querela conuersans inter fratres, tota sollicitudine cauet ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat: & quicquid in aliis est onerosum, patientissimè portat: singulorum scandala sua reputat; qui & cum Apostolo
1.Cor. 11. loquitur: Quis scandalizatur, & ego non vror?
Matth. 5. quis infirmatur, & ego nō infirmor? *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Non est enim Deus dissensionis, sed pacis: ideóque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari. Iam quæ sequitur octaua beatitudo, martyrum est prærogatiua: cuius nobis tolerantiæ nec tempus videtur esse, nec virtus. Honoratur nunc iustitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinēt persecutionem. Felices tamen si qui sunt, quoniam ipsorum est regnum cælorum, vt eos nemo persequatur. Quòd si multiplex fuerit tribulatio, tunc quoque multipliciùs exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda, sed præmia quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. *Beati*, inquit, *eritis cum vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & eiecerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis*, copiosior longè quàm sit labor in terris. Veruntamen quid sibi vult quod eadem promissio facta est pauperibus & martyribus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria
Eccles. 31. est? Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abijt, nec sperauit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & preciosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur qui sic certauerit, mundum abijciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur: sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

EIVSDEM IN EADEM *solennitate, Sermo 2.*

QVia sanctorum omnium festiuam hodie dilectissimi omnique dignissimam deuotione memoriam celebramus, operæprecium puto de communi eorum felicitate, in qua beata iam requie perfruuntur, & futura quam præstolantur consummatione, adiuuante spiritu sancto sermonem facere charitati vestræ, ita sanè, vt non opinionis propriæ cōiecturas, sed diuinorum librorum sequar auctoritatē, ne prophetare videar de corde meo, sed innitar quoad potero testimoniis scripturarū. Erit enim præstante Domino triplex sermonis vtilitas, quatenus agnita vel ex parte aliquā felici retributione sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis, ac feruentiori desiderio ad eorum suspirare consortia, propensiori quoque deuotione eorundem nos cōmendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, & omni acceptione dignus vt quos solenni veneratione prosequimur, etiam simili conuersatione sequamur: quos beatissimos prędicamus, ad eorum beatitudinem tota auiditate curramus: quorum delectamur preconiis, subleuemur eorum patrociniis. Nec sanè parum fructuosa inuenitur memoria festiua sanctorum, languorem, teporem, errorémque depellens, cum eorum intercessione iuuetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis. Propterea cum perfectè eruditos vos ad imitanda sanctorum vestigia, hodierna sancti euangelij lectione, & ipsius Domini sermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos vestros scala per quam vniuersus quem hodie veneramur sanctorum chorus ascendit, nec ignorem implorandis eorum suffragiis totum paulo minus noctis & diei huius religiosa deuotione tempus expensum, iam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donauerit ipse qui eos & magnificat iam & glorificat, quos vocauit prius atq; iustificauit. Legimus
in propheta: Cōuertere anima mea in requiē tuā, Psalm. 114.
quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animā meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Et in alio psalmo: Anima nostra si-
cut passer erepta est de laqueo venantium. Multa Psalm. 123.
quoque similia in diuinarū reperisse mihi videor scripturarum verba hominū qui liberatos se esse non sine multa admiratione lætantur, verba perfectæ securitatis, & felicitatis immensæ, vocem gratiarum actionis & lætitiæ, quam pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, & in sudore vultus sui comedunt panem suum, omnino non arbitror conuenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? Quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes à lapsu, reclamante nimirum apostolo & dicente:
Qui stat, videat ne cadat: Vnde & de semetipso; Io 1.Cor. 10.
felix, inquit, ego homo, quis me liberabit de cor- Rom. 7.
pore mortis huius? Et alio in loco: Fratres, in- Phil. 3.
quit, ego me non arbitror comprehēdisse. Vnum autem, quæ retrò sunt obliuiscens, & in ea quæ ante
me sunt extēsus, sequor ad palmam, &c. Itémque, 1.Cor. 9.
Ego, ait, sic curro nō quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hæc tamen planè tuba militiæ est, hæc verba ducis strenui fortiter dimicantis. Nam superiora quidem, potius triumphantis sunt, aut certè necdum quidem triumphantis, sed cum victoria iam redeuntis de prælio, & futuram magni triumphi diem læta ac secura conscientia prestolantis. Quid enim loquitur reuersus de prælio fortis miles, seruus fidelis?
Conuertere iam, inquit, anima mea in requiem Psal. 114.
tuam. Dum enim in corpore mortis domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbēdi metus grauius sollicitabat. Habebat tamen fratres & tunc gloriam miles Christi, licet & requiem

quiem non haberet. Ait ſiquidem ſtrenuus ille & fortis miles, cuius & paulò ante fecimus mentionem: *1. Cor. 1.* Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniũ conſcientię noſtrę. Quod conſcientię teſtimonium non ſic intelligendum puto, tanquam ipſa ſibi conſcientia atteſtetur. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. *2. Cor. 10.* Eſt ergo teſtimonium conſcientiæ in quo gloriatur Apoſtolus, non quod perhibet conſcientia, ſed quod loquitur ſpiritus veritatis in ipſa, teſtimonium perhibens ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus. Eſt enim teſtimonium conſcientię non perhibentis, ſed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cùm iuſtitia atteſtatur, Dei ſine dubio commendantis vox eſt, & ſpiritus ſancti teſtimonium perhibentis: ac ſi decertanti viriliter militi rex ſuus, pro cuius amore & honore decertat, propè aſſiſtens ipſius applaudat, laudet fortia facta, proximam clamitet eſſe victoriam, parata iam pręmia, & coronam polliceatur ęternam. In quo teſtimonio gloriatur quidẽ probatus & ſtrenuus miles, minime tamen quieſcit, ſed tanto actius viriliuſque decertat. Itaque dùm adhuc militant gaudent vtique electi Dei, ſed tantum de primitiis ſpiritus, qui & infirmitatem eorum adiuuat virtute ſua, & puſillanimitatem ſua conſolatur atteſtatione. Vnde & is de quo loquebamur Apo- *Rom. 14.* ſtolus: Non eſt, inquit, regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudiũ in ſpiritu ſancto. Iam verò conſummato militiæ tempore gaudium habent ſancti etiam in ſpiritu ſuo, donec adueniat dies illa qua introire mereantur in gaudium domini ſui, gaudium habituri & in ipſo corpore ſuo. *Pſal. 4.* Sic habemus in pſalmo: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine, dediſti lætitiam in corde meo. Vnde? Plane ex his quę ſequũtur. A fructu frumenti, vini, & olei ſui. Audiuit enim eiuſmodi *Prouer. 31.* anima vocem dicentis: Date ei de fructu manuum *Apoc. 14.* ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Vnde & Ioannes ſcribere iubetur in Apocalypſi, quoniam beati mortui qui in domino moriũtur. Quare beati? Amodo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Vnde & in ipſo de quo paulo ante loquebamur pſalmo, eis quæ ſupra poſuimus verbis adiunctum eſt: In pace in *Pſal. 4.* idipſum dormiam & requieſcam. Et de operibus *Apoc. 14.* habemus in Apocalypſi: Opera enim illorum ſequuntur illos. Ad quid verò ſequuntur, niſi vt laudent eos in portis? Ad quid ſequuntur, niſi vt multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum ſuarum, ſaginentur vituli quos ex prophetico teſtimonio cum reædificabuntur muri Hieruſalem, ſuper altare Domini noueris *Pſal. 50.* imponendos? Interim quippe ſub altari eos eſſe, & non ſupra, ipſe nos doceat, cuius teſtimonium *Apoc. 6.* credibile factum eſt nimis, qui (vt ſcribit in Apocalypſi) ſub altari ipſo eorum etiam voces audiuit. Adhuc ergo ſignatum eſt ſuper eos lumen vultus dominici, & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde ſuo, donec veniat dies illa qua implebit eos lætitia cum vultu ſuo. Interim inquam conuertantur animæ illæ in requiem ſuam, donec veniat dies qua introire mereãtur in requiem domini. Adhuc laudãt eas in portis operatiua, donec veniat cum erit vnicuique laus à Deo. Videtis fratres quanta eſt vnitas ſcripturarum, quàm vno ſenſu & eiſdem penè verbis de beatitudine loquantur animarum? Iam verò nemo ex vobis paruam aliquam requiem aut lætitiam ſuſpicetur eorum qui ab omni penitus moleſtia liberi recogitant annos ſuos in dulcedine animæ ſuæ: lætantur pro diebus quibus humiliati ſunt, annis quibus viderunt mala: cum iucunda admiratione & mira iucunditate conſiderant pericula quę euaſerunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt, & pro his omnibus certa & indubitata fide expectant beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & ſaluatoris ſui, qui reſuſcitabit corpora eorum configurata proprij corporis claritati. Quanta eſt felicitas eorũ, quàm immenſa lætitia, qui nimirum triplici gaudio de recordatione tranſactæ virtutis, de exhibitione præſentis quietis, de certa expectatione futuræ conſummationis exultãt? Nam de futura illa conſummatione habemus vocem eorum in fine eius pſalmi de quo ſuperius loquebamur. Dicũt enim *Pſal. 4.* ſingulæ animæ quibus iam datũ eſt ad hanc rem peruenire: In pace in idipſum dormiam & requieſcam; Quoniam tu domine ſingulariter in ſpe cõſtituiſti me. Singulariter inquam in ſpe, non iam inter ſpem & metum, vbi prius non ſine ſollicitudine & anxietate plurima fluctuabam. Sic & de præſenti ſanctorum requie habemus in alio pſalmo ſcriptum: Conuertere anima mea in requiem *Pſal. 114.* tuam, quia dominus benefecit tibi. Benè inquam fecit, quamuis necdum optimè. Denique audi quàm benè: Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu: id eſt, à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque & à periculo recidendi penitus liberauit. Hoc eſt ſuauiſſimum animæ ſtratum, quod nullis iam lauet aut riget lachrymis, quando abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eius. Hoc cubile in quo iam non compungitur, nec conuertitur in ærumna ſua dùm configitur ſpina. Exiit enim de terra illa quæ ſpinas ei & tribulos germinabat. Hoc planè ſtratum animæ, quod minimè iam verſatur in infirmitate eius; quoniam vniuerſa quæ infirmitatis erant, pariter tranſierunt. Hæc eſt, inquam, animæ ſuauiſſima & ſaluberrima requies, conſcientia mũda, quieta, ſecura. Sit ergo beatę animę culcitra, cõſcientię ſuæ puritas, ſit capitale trãquillitas, ſit opertoriũ eius ſecuritas: vt in hoc interim ſtrato dormiat delectabiliter, feliciter requieſcat. Iam vero de recordatione tranſactæ virtutis habes in Pſalmo 123. manifeſte verba eorũ, quę ſuperius quoque cõmemoraui. Cõſiderant enim & multa cũ admiratione recogitãt à quibus laqueis quãtiſue periculis diuino meruerint auxilio liberari, & exultãtes in Domino dicũt: Niſi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia dominus erat in nobis: cùm exurgerent homines in nos, forte viuos deglutiſſent nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Et addunt: Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Sed & verba quæ iam tempore ſuæ reſolutionis inſtante loquebatur Apoſtolus, de eo in quo nunc fœliciter requieſcit ſtatu præſumpta, videntur & nunc ei multò meliùs conuenire: nunc enim iam ſecurè loquitur: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: *2. Tim. 4.* de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus in illum diem iuſtus iudex. Hæc ſunt dico vobis fratres, hæc modò ſunt

vni

vniuerſa ſanctorũ negocia, hic cibos, hic ſomnus eorum: & propterea voluit ſpiritus ſanctus ſcribi verba ea quæ protulimus, cæteráque ſimilia, vt ex his aliquatenus innoteſceret nobis ſtatus eorum. Longè aliter tamen afficiuntur in huiuſmodi meditationibus, & multò amplius delectãtur quàm noſtra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo laborat Propheta inculcans & multiplicans verba, nec tamen ſic *Pſal.30.* dignè magnificare valens quod intendit. Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quid tamen addidit? Perfeciſti, inquit, eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum. Eſt ergo multitudo dulcedinis quę abſcondita eſt, magna quidem, & magna valde, necdum tamen perfecta: quoniam in manifeſto perficietur, non in abſcondito, quando non ſub altari requiſcent ſancti, ſed ſuper thronos tanquam iudices reſidebunt. Ad requiem enim exutæ à corporibus animæ ſanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam *Pſal.141.* regni non ita. Me expectant iuſti (ait Propheta cùm adhuc detineretur in cuſtodia corporis huius) donec retribuas mihi. Et vox diuina ad animas ſanctas corporum ſuorum reſurrectionem *Apoc.6.* flagitantes: Suſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum. Sed iam ſermo claudendus eſt: vocant enim nos miſſarum adhuc celebranda ſolennia. Quod ergo reſtat adhuc de eadem materia, ſermoni alteri reſeruemus.

EIVSDEM IN EADEM *celebritate, Sermo 3.*

ADuertiſtis, niſi fallor, ex his quæ præcedente ſermone ſunt dicta, tres eſſe ſanctarum ſtatus animarũ. Primum videlicet in corpore corruptibili, ſecundum ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata. Primum denique in tabernaculis, ſecundum in atriis, tertium in domo Dei. *Pſal.83.* Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ! multò magis tamen atria concupiſcibilia, ſecundum quod addit: Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Sed quoniam in ipſis quoque atriis nonnullus (vt audis) defectus eſt, beati omnino qui habitant in domo tua Domine. Lætatus ſum planè in his quæ dicta ſunt mihi *Pſal.121.* fratres, quoniam in domũ Domini ibimus. Quòd ſi quæritis vnde id tam fiducialiter præſumam, inde ſine dubio, quòd iam multi ex nobis in atriis ſtent expectantes donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt nec ſancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. Neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam. Propterea cùm reſurrectionem expeterent corporum, ſicut priore ſermone iam diximus, acceperunt diuinum reſponſum di*Apoc.6.*cens: Suſtinete modicum tempus donec cõpleatur numerus fratrum veſtrorum. Acceperunt iam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus donec veſtiamur & nos: quomodo de patriarchis & *Heb.11.* de Prophetis ait Apoſtolus: Deo meliùs aliquid prouidente pro nobis, vt non ſine nobis conſummarentur. Stola enim prima ipſa eſt quam diximus felicitas & requies animarum, ſecunda verò immortalitas & gloria corporum. Vnde & dicũt: Vindica Domine ſanguinẽ ſanctorum tuorũ qui effuſus eſt: nõ tanquã vindictę cupidi, nec de propriæ vltionis zelo: ſed ex deſiderio reſurrectionis, & glorificationis corporum ſuorum, quam omnium vſque in diẽ iudicij differendam eſſe non dubitant. Sed vnde hoc tibi ô miſera caro, ô fœda, ô fœtida, vnde tibi hoc? Animæ ſanctę quas propria Deus inſigniuit imagine, te deſiderant: quas redemit proprio ſanguine, te expectant: & ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, cõſummari beatitudo non poteſt. Adeò ſiquidẽ viget in eis deſiderium hoc naturale, vt necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, ſed contrahatur quodammodo, & rugam faciat dum inchoantur deſiderio tui. Vnde & beatus Ioannes qui multa nobis de eo ſtatu in quo feliciter beatæ animæ requieſcunt, per ſpiritum reſerauit: Sine macula, inquit, ſunt ante thronum Dei. Sine macula in*Apoc.14.*quam, ſed necdum ſine ruga: donec veniat dies, cùm ſibi glorioſam Chriſtus exhibebit Eccleſiam non habentem maculam neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec ſine macula quidem eccleſia eſt: quoniam nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram: quam vtique vitam beatus Iob militiam eſſe te*Iob.7.*ſtatur. In his verò qui ſub altari domini requieſcunt, iam quidem ſine macula eſt eccleſia, ſicut habes in pſalmo: Domine, quis habitabit in ta*Pſal.14.*bernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo: Qui ingreditur, inquit, ſine macula. Hic ergo requieſcet in monte domini, qui ingreditur ſine macula: qui verò fuerit ſine ruga, exaltabitur ſupra montem. Sed ſi vis ſcire quando erunt ſine ruga animæ ſanctæ, quando extendentur cœli ſicut pellis, quæ dilatatur penitus, vt nec minima quidem ruga inueniatur in ea: tunc ſine dubio, quando iam ſequentur agnum quocunque ierit. Verè enim extendi & dilatari neceſſe eſt animas quibus vbique ſequendus eſt agnus. Quò enim vadit? Attingit profectò à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Vis adhuc noſſe quò eat agnus, & quò neceſſe habeant beatæ animæ ſequi eum? In omnibus requiem quæſiui. Hæc eſt plane requies domini, non interciſa, non circa aliquid certum reſtricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & inuenit. Nam & bona ei placent in ſeipſis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit miſericordiam & iudicium: nec modò in bonorum gloria ſibi cõplacet, ſed in ipſis quoque (vtpote iuſtis) ſuppliciis impiorum. Quid ergo? Putáſne poterit humana anima in hoc gaudium domini ſui, & in hanc eius requiem intrare, vt & ipſa quoque in omnibus delectetur: nec aliqua iam priuata affectione contrahatur in rugam, ſed tranſeat in affectum quendam generalem atque diuinum? Poterit ſine dubio ſi fidelis inueniatur ſuper pauca quæ accepit militiæ ſuæ tempore, id eſt ſuper actus, ſuper ſenſus, ſuper appetitus ſuos quos ſuſcepit regendos, vt in his probetur quàm fidelis ſit Domino ſuo. Sciat igitur ſeruus Chriſti vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, glorificet & portet Deum in corpore ſuo: nec dubium quin fidelem in modico ſeruum ſupra multa conſtituat domi-

nus liberalis & diues. Supra multa planè, quando constituet eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur fratres, tanquam à meipso id loquar, quoniam veritas ipsa manifeste id pollicetur, cuius de promissione omnino dubitare non *Matth.24.* licet. Beatus, ait, seruus ille, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua cóstituet eum. Tunc enim fidelis seruus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium eius meretur intrare, & cum eo deinceps lætari in vniuersis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. *1.Cor.6.* Etenim qui adhæret Deo (Apostolo teste) vnus cum eo spiritus efficitur, & voluntas eius omnino diuinæ adhærens voluntati fit vna cum ea, vt nihil iam quod contra eam sit, inueniatur in omnibus creaturis, sed vniuersa fiant vel magis maneant pro eius arbitrio. Hæc est ergo beata spes quam expectant animæ sanctæ: & licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate in qua requiescunt, adhuc tamen orant & clamant ad Deú pro ea consummatione quam præstolantur. Vnde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse: sic ad gratiarum actionem iam peruenisse videntur, sed needum ad vocem laudis, quoniam perfectum perfectos laudare decet, vt laudetur cum hæreditate sua, quando iam & ipsi laudabunt eú, *Psal.83.* & erit vnicuique laus à Deo. Vnde & propheta signáter futuri temporis verbo vsus videtur: Beati, inquiens, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Nam & beatus Ioannes in Apocalypsi non vocem laudis, sed potius vocem precis audiuit. Sic enim habes: Sub *Apoc.6.* altari Dei audiui voces occisorum. Quas voces? Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est. Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque à longe circundamus altare istud, & veremur accedere? Desiderat, nisi fallor, charitas vestra audire sacramentum altaris huius, & sacrú secretúmque nosse mysterium. Sed quis ego sum qui sanctorum cubiculum facilè audeam temerarius perscrutator irrumpere? Quasi verò non legerim scrutatorem maiestatis opprimendum à gloria. Verumtamen pausemus hîc, si placet, hodie, si forte pulsantibus nobis aperire dignentur mysteriú altaris illius inhabitatrices animæ sanctæ, non nostro merito sanè, sed propter eum qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: agnoscentes & nos inter ciues & domesticos Dei, nec tanquam hospites & aduenas à secreta illa habitatione censeant propulsandos.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 4.*

Apoc.6. CVm de altari illo cœlesti sub quo beatus Ioannes sanctorum voces audiuit, sermo incidisset, distulimus (sicut meminisse arbitror charitatem vestram) vt oratione præmissa securior nobis ad tam sacrum secretúmque cubiculú pateret accessus. Tempus est vt iam dicamus quod de eo nobis sentire datum est, sine præiudicio sanè si cui forte aliter fuerit reuelatum. Illud ergo primum mouere potest, quid sibi velit quid beatus Ioannes sub altari Dei audisse se perhibet sanctarum voces animarum, cùm saluator in euangelio de Lazari anima loquens, non sub altari *Luc.16.* Dei, sed in sinú Abrahę dicat eam ab angelis deportatam. Nam & sanctus Iob, vt apparet, nequaquam ad altare Dei ausus est aspirare, cùm diceret: Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno prote- *Iob.14.* gas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Sed iam venerat tempus, fratres, illud quod beatus Iob postulabat, iam recordádi tempus, iam venerat tempus miserendi, quando sanctorum voces sub altari Dei beatus Ioannes audiuit. Donec enim veniret desideratus ille qui sanguine suo deleret chirographum damnationis nostræ, & flammeum accingens gladium aperiret credentibus regna cælorum, nullus omnino cuiquam sanctorum ad ea patebat accessus, sed prouiderat eis Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerij, chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, & animas impiorú. Quanuis enim vtręque in tenebris essent, non vtręque erant in pœnis, sed cruciabantur impij, iusti verò *Iob.10.* consolabantur. Quòd autem in tenebris essent, beati Iob testimonio didicimus: qui se quoque in locum tenebrosum & opertum mortis caligine perhibebat iturum. Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahę Dominus vocat: pro eo, vt arbitror, quòd in fide & expectatione quiesceret saluatoris. Abrahæ enim fides tam manifeste probata est & approbata, vt primus ipse futurę incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum saluator descédens contriuit portas ęreas, & vectes ferreos confregit, eductósque vinctos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris & vmbra mortis, iam tunc quidem sub altari Dei collocauit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus in quo procedant completo iam numero fratrum, & percipiant regnum quod eis paratum est ab origine mundi. Iam verò sicubi fortè pręsens quoq; sanctorum requies Abrahę sinus vocatur, certum est de euangelio hanc inoleuisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare longè alium hunc sinum esse quàm illum, quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa: in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongruè tamen etiam nunc dictum videtur patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortiú ab hoc seculo transire meruerint. Porrò altare ipsum de quo nobis habédus est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud arbitror esse quàm corpus ipsum domini saluatoris. Credo autē quòd & ego super hoc sensum eius habeam, pręsertim cú audiam eú *Luc.17.* in euágelio promittenté: Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilę. Interim ergo sub Christi humanitate feliciter sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus quando iam nó sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonā igitur modo super altare dixerim exaltādos eos qui nunc sub altari quiescunt? Visione vtique & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis

bis filius (vt pollicitus est) semetipsum, non in forma serui, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis patrem & spiritum sanctum: sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: quoniam hæc
Ioan.17. est vita æterna, vt cognoscamus patrem verum Deum, & quem misit Iesum Christum, & in eis (quod non est dubium) etiam spiritum vtriusque. Transiés quippe ministrabit nobis, nouas vtique & vsque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suę contemplationis. Vnde
1.Ioan.3. & beatus Ioannes in Epistola sua: Nunc, inquit, filij Dei sumus, sed nódum apparuit quid erimus. Et addit: Scimus autem quoniam cùm apparuerit similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Audi denique sponsam in Cantico Canticorum fiducialiter loquentem, & spe quidem iam super
Cant.2. altare locatam: Læua eius (haud dubium quin sponsi) sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Transcendit enim beata anima Christi incarnationem & humanitatem, quæ nimirum læua eius iure vocatur: vt diuinitatem eius, & maiestatem eius (quam non incongruè dexteram nominat) sublimius contempletur. Tripliciter enim fratres, in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, vidétes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobisipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem & gloriam illam sine vllo ænigmate mundo cordis oculo contéplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, vt cognoscamus patrem & filium cum sancto spiritu, & videamus Deum sicuti est, id est, non modò sicut inest, nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Vnde duo illa velut circuniacétia esse videtur quæ prædiximus, & quasi cortex tritici: hæc verò cognitio summæ beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum ciuitas sancta Hierusalem satiatur. Verùm quàm magna est beatitudo illa tam abscon-
1.Cor.2. dita ab oculis nostris? Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suauitas, quanta iucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quanto magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum
Luc.6. est experiri, nullus conetur effari. Mensuram, ait Dominus, plenam & confertam, & coagitatam, & supereffluenté dabunt in sinus vestros. Plenam vniuersitate creaturarum, confertam in interiore homine nostro, coagitatam in exteriore, & supereffluentem in Deo ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus, vel ex parte conijcere, ex ipsis nimirum quas accepimus iam primitiis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, vt non possimus ad eam. At verò quemadmodum in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum eum & modo videatur in ipsis: vnde & Philosophi
Rom.1. (Apostolo teste) per ea quæ facta sunt, Dei inuisibilia conspexere. Verùm quantumcunque proficiat quis intelligendo conspicere, quàm potentissimè, quàm prudentissimè, quàm benignissimè maiestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creet omnia, nunc regat, ordinet vniuersa: prorsus modicum ab eo quod est comprehendit.

Veniet autē quando iam (vt in precedenti sermone diximus) sequemur agnum quocunque ierit: & in omnibus consequemur creaturis, vt in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sanè in omnibus, sed non aliunde quàm de ipso: sicut & ipse non aliis fruitur, sed semetipso. Iam verò quemadmodum in nobis habendus sit, & hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: vnde & sapientes mundi huius animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderũt. Quam vtique triplicem vim animæ ipsa quoque natura, & quotidiana experimenta nos docent. Porrò quemadmodum circa rationale nostrum, & scientia & ignorantia constat tanquam habitus & priuatio: sic & circa concupiscibile, desiderium & contemptus: & circa id quod dicitur irascibile, & lætitia pariter & ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ: ita vt penitus nobis nihil desit in vlla sapientia. Implebit concupiscibile nostrum fonte iustitiæ, vt omnino desideremus eam, & ea penitus repleamur: sicut scriptum est: Beati qui Matth.5.
esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter iustitiam beatificare animam potest. Cùm ergo repleuerit Deus cócupiscibile nostrum iustitia: quicquid respuere debet anima, respuet: quicquid debet concupiscere, concupiscet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Meritò denique concupiscibili nostro iustitiam attribuimus, ex quo nimirum aut iusti, aut iniusti reputamur. Iam verò quod dicitur in nobis irascibile, cùm repleuerit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in summam iucunditatem atque lætitiam replebitur pace diuina. Et vide si nó etiam in his tribus perfecta, quantum sanè ad animam spectat, beatitudo consistat: quando scientia iam non inflat propter iustitiam, iam non contristat propter lætitiam, vt cesset prouerbium illud: Qui Eccles.1.
apponit scientiá, apponit & dolorem: quoniam iustitia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam: quando lętitia nec inepta erit propter scientiam, nec imputa propter iustitiam. Sed in his omnibus nihil adhuc exte- Psalm.71.
rior homo noster accepit. Ipsi ergo, vt inhabitet gloria etiam in terra nostra, & iuxta alium Prophetam repleatur maiestate Domini omnis terra, quatuor sunt quærenda, quem nimirum constat ex elementis quatuor esse compactum. Nec mireris quòd pluribus indigere videtur qui miserior est, cum & in Psalmo legeris dicente Propheta: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi Psalm.62.
caro mea? Habeat ergo terra nostra immortalitatem, ne iam timeat denuo se in puluerem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sed quid proderit si forte contingat in æternum viuere in miseriis & ærumnis passibilitatis huius qua nimirum incessanter corruptibile hoc corpus affligitur: & si non semel, vtique semper moritur? Habeat certè etiam aliquádo omnimodam impassibilitatem, ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed iam desiderat corpus nostrum etiam leuitatem, secundum eam nimirum quam habet ex aëre portionem. Tanta itaq; futura credéda est corporum

leuitas & agilitas beatorum, vt possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Quid vltra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola vtique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immeritò possumus attribuere ei parti quam habemus ab igne. Saluatorem enim expectamus (vt ait Apostolus) qui [Phil.3.] reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, exhibens quod pollicitus est, quoniam fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorũ. [Matth.13.] Sic ergo replebit animas nostras Deus, cum perfecta in eis scientia fuerit, perfecta iustitia, perfecta lætitia. Sic replebitur maiestate omnis terra, cùm fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Et vide ne fortè isti sint septem panes quibus quatuor hominum milia saluator legitur satiasse, è quibus eiusdem numeri sportas plenas Apostoli reseruandas sustulerunt. Nunc enim reficimur panibus istis, cum iucunda meditatione beatam spem ruminamus, donec veniat cùm iam non de spe, sed de re ipsa & exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Sermo 5.*

FEstiua nobis est dies hæc, & inter præcipuas solennitates hodierna solennitas numeratur. Quid ergo dicimus, cuius Apostoli, cuius Martyris, cuius Sancti? Non vnius alicuius singulariter, sed pariter vniuersorũ. Omnes siquidẽ nouimus festiuitatem omnium sanctorũ dici & esse quam hodie celebramus. Omnium inquam, siue cælestium siue terrestrium. Sunt enim sancti de cælo, & sunt sancti de terra: itémque eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui iam in cælo. Celebratur ergo festiuitas omnium horum communiter, sed forsitan non vniformiter. Neque hoc mirum, cùm non sit ne ipsa quidem sanctitas omnium vniformis, sed inter sanctos & sanctos distet, idque non parum. Nec modò dico: quia alius alio sanctior (hæc enim quantitatis potius, quàm qualitatis distantia est) sed quòd non modò magis & minus, verumetiam aliter atque aliter sanctos dici, & verè dici inueniamus. Et fortè inter angelos atque homines assignari possit ista diuersitas sanctitatis pariter & celebritatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari posse videntur, qui nunquam pugnasse noscuntur. [Psal.139.] Aliter tamen honorandi sunt nimis etiam ipsi tanquam amici tui Deus, cuius nimirum voluntati semper adhæserunt, tanta vtique felicitate, quanta facilitate. Nisi fortè in eo pugnasse creduntur, quòd peccantibus aliis viriliter persisterunt, non abeuntes in concilio impiorum, sed singuli quique dicentes: [Psal.72.] Mihi autem adhærere Deo bonum est. Celebranda ergo in eis gratia præueniens in benedictione dulcedinis, honoranda benignitas Dei non ad pœnitentiam adducens, sed abducẽs ab omnibus quibus pœnitentia deberetur: non eripiens à tentatione, sed à tentatione conseruãs. Aliud sanè in his sanctitatis genus, & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, & dealbauerunt stolas suas in sanguine agni: qui post multos agones iam nũc triumphant in cœlis coronati, quoniam legitimè certauerunt. Estne adhuc sanctorum tertium genus? Est, sed occultum. Sunt enim sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant, currunt, necdum comprehẽderunt. Temerariè forsitan huiusmodi videar dicere sanctos, sed tamen noui vnũ ea his non veritum dicere Deo: Custodi animã meam, [Psal.85.] quoniam sanctus sum. Sic & Apostolus diuinorũ [Roma.8.] conscius secretorum, euidentiùs ait: Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secũdum propositum vocati sunt sancti. Hæc nimirum diuersitas appellationis in nomine sanctitatis: vt alij quidem iam secundum consummationem sancti vocentur, alij iuxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo huiusmodi sanctitas penes Deum, clausa est, & clausè quodammodo celebratur. Siquidem nescit homo [Eccle.9.] vtrum amore an odio dignus sit, sed in futurum omnia reseruantur incerta. Sit ergo istorum celebritas sanctorum in corde Dei: quoniam nouit Dominus qui sunt eius, & ipse scit quos elegerit à principio. Sit etiam apud administratorios illos spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Nos in vita sua laudare hominẽ prohibemur. Quomodo namque secura laudatio, vbi nec ipsa vita secura? Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit (ait tuba illa cœlestis) & legẽ certaminis ab ore ipsius [2.Tim.2.] legislatoris ausculta: Qui perseuerauerit vsque in [Matth.10. & 24.] finem, hic saluus erit. Nescis quis sit perseueraturus, nescis quis sit legitimè certaturus, nescis quis coronam sit accepturus. Illorum lauda virtutem, quorum iam certa victoria est: illos deuotis extolle præconiis, quorum securè potes * [* al. congaudere.] adgaudere coronis. Cantauimus sanctis hac nocte, dicentes: Timete Dominum omnes sancti [Psal.33.] eius. sed non istis. Non, inquam, eos qui perseuerauerunt vsq; in finem, timere hortabamur, quia scriptum est: Iam non erit timor in finibus nostris. Illis potiùs dicebamus sanctis, quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudine periculorum. Siquidem non est eis colluctatio ad- [Ephes.6.] uersus carnem & sanguinem tantum: sed aduersus principatus quoque & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Egent planè custodia, qui tam multipliciter non modo comminùs, sed eminùs appetũtur: & vbi tot pugnæ foris, non debent intus deesse timores: vt meritò his dicatur: Timete Dominum omnes sancti eius. Tota [Psal.33.] interim beatitudo nostra est, timere Deum, dicente scriptura: [Prouer.28.] Beatus homo qui semper est pauidus. Et item psalmista ait: [Psal.127.] Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Cæterùm longè aliter beati in quibus perfecta charitas foras misit timorem, nec iam timent ambulantes in viis eius, sed laudant potiùs habitantes in domo, sicut idem ait: Beati qui habitant in do- [Psalm.83.] mo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Nostra ergo felicitas, nostra interim festiuitas in timore Dei: nam illorum magis in exultatione & laude versatur. Inde est quòd securè laudantur homines qui non sua iam viuunt vita, sed Dei: nam hominum vtique vita tentatio est. Est autem gemina quædam securitas laudis huius, nisi quòd fortè videbitur, si diligenter attendimus,

nius, intra alteram alteta comprehendi. Siquidem non est quòd laudare vereamur verissimè certissiméq; laudabiles: non est quòd glorificare cunctemur sic absurptos in gloria, vt nostra omnino nequeant laudatione muneri. Non enim est quò vanitas intret, vbi veritas iam totum occupauit. Sed quænam, inquies, gloria sanctis? Neque enim singuli sese glorificant, quia scriptum est: Non te laudet os tuum. Nõ vicissim alter alterum laudat, quia in laudem conditoris intenti & extenti, in quo nimirum tota eis reposita est beatitudo, nunquam nunquam vacare laudibus possunt, dicente

Psal. 83. propheta, sicut supra quoque meminimus: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Veruntamen non acquiesco expertes gloriæ credere sanctos, maximè propter

2. Cor. 4. illud quod Apostolus ait: Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternum gloriæ

Psalm. 105. pondus operabitur in nobis. Et propheta: Visita nos in salutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandū in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua. Non enim ait, vt lauderis ab hæreditate tua: sed, cum hæreditate tua, vt communis intelligatur futura laudatio. Quòd si ipsa laudat hæreditas Dominū, hæreditatem quis laudet, ab Apostolo audiamus: Tunc,

1. Cor. 4. inquit, vnicuiq; laus erit. A quo? A Deo. Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio. Felix cõmutatio laudis, vbi & laudare beatum est,

Psal. 105. & laudari. Ad quid ergo sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solennitas? Quò eis terrenos honores, quos iuxta veracem filij promissionem honorificat pater cœlestis? Quò eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est dilectissimi, bonorum nostrorum sancti non egent, nec quicquam eis nostra deuotione præstatur. Planè quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum intersit nostra? Ego in me (fateor) ex hac recordatione sentio desiderium vehemẽs inflammari, & desiderium triplex. Vulgò dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea: & cogitare de sanctis, quodammodo eos videre est. Sic nempè portio nostra in terra viuentium, nec modica sanè portio, si tamen vt decet memoriam affectio comitetur: sic inquam conuersatio nostra in cælis est. Veruntamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando & nos addemur ad patres nostros? quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis sanctorū memoria vel excitat, vel incitat magis, vt eorum tã optabili societate fruamur, & mereamur conciues & cõtubernales esse spirituũ beatorũ, misceri cœtui patriarcharũ, cuneis prophetarũ, senatui Apostolorum, martyrũ exercitibus numerosis, cõfessorum collegiis, virginũ choris: in omnium deniq; colligi & collætari communione sanctorum. Singulorum quippe recordationes quasi scintillæ singulæ, imò quasi ardentissimæ faces deuotos accendunt animos, vt eorum & conspectum sitiant & complexum, adeò vt plerumque etiam inter eos esse se reputent: modò ad omnes simul, modò ad hos vel ad illos tota auiditate & vehementia corda vibrãtes. Alioquin quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imò quid vecordiæ est, vt non crebris suspiriis & feruẽtissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina iaculari animos studeamus? Ve nobis à duritia cordis no- *Rom. 1.*
stri, ve à peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse. Præstolatur nos ecclesia illa primitiuorum, & negligimus: desiderant nos sancti, & paruipendimus: expectant nos iusti, & dissimulamus. Excitemur aliquando fratres, resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communione securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: & tamen hic quoque quam bonum & quam iucũdum, habitare fratres in vnum! Quicquid enim siue interius siue exterius molestum occurrit, ipso quoque tam germanorum consortio fratrum cum quibus est nobis cor vnum & anima vna in Deum, tolerabilius inuenitur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior vnio, vbi nulla suspicio esse poterit, nulla dissentionis occasio, vbi omnes perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit: vt sicut pater & filius vnum sunt, sic & nos vnum simus in ipsis? Non tantummodo societas, sed etiam felicitas nobis est optanda sanctorum: vt quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferentissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ vllatenus periculosa est. Nam quod dicimus; *Psalm. 113.*
Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam: huius temporis vox est, quãdo & ipsi angeli clamant: Gloria in excelsis Deo, & in terra *Luc. 2.*
pax hominibus bonæ voluntatis. Noli me tange- *Ioan. 20.*
re, ait, nondum enim ascendi ad patrem meum. Verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens, gloria patris. Noli ergo, ait gloria, noli me tangere. Noli interim quærere gloriam, fuge potiùs, & vide omnino ne me tetigeris donec perueniamus ad patrem, vbi sit gloriatio omnis iam secura. Ibi, ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mãsueti, & lætentur. Nunquid non videtur audisse di- *Cant. 8.*
centem, Noli me tangere, nondum ascendi ad patrem meum, quæ in cantico clamat: Fuge dilecte mi, fuge? Hoc est enim quod suprà meminimus. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Vnde & in hymno hodie nos canimus: Des pacem famulis, nos quoque gloriam. Per cuncta tibi secula: iuxta angelicam scilicet di- *Iob. 10.*
stributionem. Quia enim tentatio est vita homi-
nis super terram, meritò in terra homini non glo- *Ibidem.*
ria, sed pax est quærenda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipso. O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Vicina nimirum lucta & intestina seditio, bellum non ciuile, sed domesticũ, spiritus aduersus carnem, & caro aduersus spiritũ concupiscens. Vnde hoc, nisi quia posuisti me cõtrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo: ego pauper & miser & miserabilis, confusus & humiliatus vsquequaque, mortuus propter peccatum, venundatus sub peccato. Denique tu perfecta & sancta voluptas, & requies spirituum beatorum posuisti me ab initio contra Eden (quod voluptatem sonat) in labore vtique & ærumna. Attamen dicis: Conuertimini ad me in toto corde vestro. Liquet *Ioel. 2.*

quia sumus auersi, quos vt reuertamur hortaris. Liquet quia contrarij, quos reuocas vt conuertamur. Sed quomodo? In ieiunio, inquit, & fletu & planctu. Mira res. Itáne in ieiunio tu versaris, & fletu degis, & in planctu habitas? Procul à te omnia ista: procul ipse ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Hierusalem, quam satias adipe frumenti: nec ibi luctus & clamor, sed nec vllus dolor: magis autem gratiarum actio, & vox laudis. Psal. 67. Iusti, inquit, epulentur in conspectu Dei, & delectentur in lætitia & exultatione. Quomodo ergo in ieionio & fletu & planctu cóuertemur ad ipsum? An verò iustus eum in lætitia & exultatione: qui verò nondum iustus est, non nisi in ieiunio & fletu & planctu reperiet? Ita planè, sed iustus qui iam conspectum meruent, non qui adhuc viuat ex fide. Nimirum quod ait Dominus; Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione, ad eum pertinet qui per fidem ambulat: non autem qui ad faciem iam peruenit. Equidem vtrisque est caput vnum, sed non vno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, vt humilientur pariter, pariter & compugnantur. Quibusdam gloriosum apparet, vt ab ipso glorificentur, vt in ipso glorientur facta ei similia, quem videnr sicuti est. Hoc ergo secundum desiderium, quod ex sanctorum commemoratione flagrat in nobis, vt sicut illis sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, & nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempè non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis repræsentatur, non coronatum gloria, sed peccatorum nostrorũ circundatum spinis, dicente scriptura: Egredimi-Cant. 3. ni filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua. O regem, ó diadema. Mater siquidem synagoga, non matrem sanè se exhibens, sed nouercam, regem nostrũ corona spinea coronauit. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid eiusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est pacificus, sanè quod in præsenti est: non vtique beatificus, aut glorificus: vt in omnibus angelicum illud elogium commendetur, quo terris pacem, cælis gloriam tradiderunt. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisionis. Videre est tamen hodie multis in locis non sine multa ambitione & comessatione præsentem diem honorari. Honorari, an dehonestari dicam? Ipsi viderint qui hæc agunt. Ipsorum est enim huiusmodi celebritas, non sanctorum, quòd sibi libet faciunt, non quod sanctis. Erit cùm venerit Christus, nec mors eius vltra annunciabitur, vt sciamus quoniã ipsi quoque mortui sumus, & cum eo abscondita est vita nostra, apparebit caput gloriosum, & cũ eo membra glorificata fulgebunt: cum videlicet reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum gloriæ capitis, quod est ipse. Hanc ergo gloriam tota & tuta ambitione cócupiscamus, ne fortè audiamus & nos: Quia gloriam quæ abinuicem est quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis. Sanè vt eam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summopere nobis desiderãda sunt suffragia quoq; sanctorũ: vt quod possibilitas nostra nó obtinet, eorũ nobis intercessione donetur. Miseremini mei, misere mini mei, saltẽ vos amici mei. Iob. 19. Nostis ipsi periculũ nostrũ, nostis figmentum nostrum, nostis ignorãtiam nostrã, & dolos aduersariorũ: nostis eorum impetus, & nostram fragilitatem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatione fuistis, qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos euasistis, qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem. Confido equidem & de angelis quòd nec ipsi suam visitare speciem dedignentur, maxime quia scriptum est: Visitabis speciem tuam, & non peccabis. Iob. 5. Cæterùm etsi de eis mihi arbitror præsumendum ob spiritualis substantiæ & rationalis formæ similitudinem, ampliori tamen fiducia ad eos mihi teor vtendum, quos habere me nouerim & in ipsa humilitate consortes, vt oporteat eos familiarius & specialius misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua. Denique transeuntes ex hoc múdo ad patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorũ in pace sepulta sunt, quorum nomina viuent in seculum, id est, quorum nũquam gloria sepelitur. Absit absit à vobis Genes. 40. animæ sanctæ Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Ioseph sancti qui in carcere tenebatur. Non enim erant vnius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infidele, aut vlla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptius tenebrę, Israel verò videns Deum: atque ideo vbicunque Israel erat, lux erat: Non sic noster Iesus crucifixi secum latronis potuit obliuisci: factum est vtique quod promissum est: ipsa die qua compassus est, & conregnauit. Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra cuius & sancti, vnde eis tam solennibus hodie votis & tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit: Si glorificatur vnum 1. Cor. 12. membrum, cógaudent omnia membra: hoc quoque nihilominus ait; Quòd si patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia membra. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, vt nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos deuotã meditatione regnemus in eis: ipsi in nobis, & pro nobis militẽt pia interuentione. Nec est quòd de eorum pia erga nos solicitudine dubitemus, quãdoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, expectant nos vsque dùm retribuatur nobis: vt videlicet in nouissimo die magno festiuitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant & laudetur cum hæreditate sua Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus & laudabilis & gloriosus in secula, Amen.

RABANI PRESBYTERI

in hoc festo, Sermo.

Legitur in Ecclesiasticis historiis, quòd sanctus Bonifacius, qui quartus à Beato Gregorio Est in Hilario Alcuino. Romanæ vrbis episcopatum tenebat, suis precibus à Phoca Cæsare impetrauerit donari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon anteà vocabatur, quia hoc quasi simulachrum omnium videbatur esse deorum. In quo eliminata omni spurcitia, fecit Ecclesiam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ atque omnium martyrum Christi: vt, exclusa multitudine

dæmonum, multitudo ibi sanctorum in memoria haberetur, & plebs vniuersa in capite calendarum Nouembrium, sicut in die natalis Domini, ad Ecclesiam in honore omnium sanctorum consecratam conueniret. Ibique Missarum solennitate à præsule sedis Apostolicæ celebrata, omnibusque ritè peractis, vnusquisque in sua cum gaudio remearet. Ex hac ergo consuetudine sanctæ Romanæ Ecclesiæ, crescente religione Christiana, decretum est, vt in Ecclesiis Dei, quæ per orbem terrarum longè latéque construuntur, honor, & memoria omnium sanctorum in die, qua prædiximus haberetur: vt, quicquid humana fragilitas per ignorantiam, vel negligentiam, seu per occupationem rei secularis in solennitatibus sanctorum minùs plenè peregisset, in hac obseruatione solueretur: quatenùs eorū patrociniis protecti, ad superna polorum gaudia peruenire valeamus. Nunc ergo, fratres charissimi, in omnium primordiis sanctorum nos nominare, laudare, & glorificare condecet eum, qui cunctos condidit sanctos, per quem omnia facta sunt, per quem cuncta subsistunt elementa, cuius maiestas nec incipit, nec definit in seculum. Vnde meritò omne principium, ac finis creaturæ nominatur, vt de eo per quendam prudentem dictum est; Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Ipse solus inuestigare [illegible] menti, ac dinumerare omnia potest, qui cælū ambitum sua circumiit sapientia, & profundum abyssi sua penetrat virtute. Vnde egregius ille versificator Dei sapientiam omnia posse, atque nosse considerabat, dicens; Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus, signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti. Cuius principatum, atque virtutem Apostolus spiritusancto pręuentus, supra modum esse humanum inuestigare commemorat, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehēsibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor, & gloria in secula seculorum, Amen. Qui superna cælorum regna spiritibus angelicis ad laudem, & gloriam, atque honorem sui nominis, ac maiestatis in perpetuum miro ordine collocauit: de quibus loqui plura pertimescimus, quia soli Deo scire est, quomodò, vel quemadmodum eorum nobis inuisibilis, & absq; vlla cognitione, seu diminutione in sua sola puritate consistat natura. Sed tamen nouem esse ordines angelorum ad Dei iudicia, ac ministeria complenda, testante sacro eloquio, cognouimus: quorum principatus atque potestates subtiliter ac mirabiliter Dei omnipotēns nutu distinguuntur. Alij ex illis ad nos in mundum missi, futura prædicando perueniunt: alij ad hoc sunt constituti, vt per eos signa & miracula frequentiùs fiāt: alij subiectis angelorum spiritibus præsunt, eisq; ad explenda diuina ministeria disponendo principantur. Alij mira potentia cæteris præeminent, pro eo quòd eis ad obediendum alia angelorum agmina subiecta sint. Alij tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat. Alij verò tantò perfectiore scientia pleni sunt, quātò claritatem Dei vicinius contemplantur. Alia verò ita Deo coniuncta sunt angelorum agmina, vt inter hæc & Deum nulli alij spiritus interfint: qui tantò magis ardent amore, quantò subtiliùs claritatem diuinitatis eius aspiciunt. Talibus, vt diximus, à primordio incipientis vitæ beatorum spirituum distinctionibus, superna cælorum regna à Deo conditore in perpetuum mirabiliter collocata subsistunt. His omnibus, fratres, tam decoris, ac Deo dilectis angelorum agminibus, huius diei solennitatem credimus consecratam. Sed ecce, dum cælestium ciuium secreta rimamur, supra modum nostræ fragilitatis digressi sumus. Taceamus interim de secretis cælestibus, & ante conditoris oculos tergamus peccatorum maculas, vt ad eos, de quibus loquimur, peruenire valeamus. Adhuc tamen aliquid de hac eadem tam pulchra, atque præclara solennitate loqui incipiamus: quæ non solùm angelorum (vt prædiximus) spiritibus, verumetiam sanctis omnibus, qui in terra sunt ab exordio mundi creati, honorabiliter dedicata consistit. E quibus primi fuerunt patriarchæ, viri religiosi in vita sua, patres Prophetarum, & Apostolorum: quorum memoria non derelinquetur, & nomē eorum manet in æternum, quia Deo digni inuenti sunt, fide prælati, hospitalitate præcipui, astuti in sensu, sapientes in opere, rebus secularibus locupletes, separatores orbis, ac rectores, iustitia insignes, longanimes in spe, obedientes in præceptis, creduli in promissionibus, susceptores angelorum effecti, facie ad faciem Deum videntes, in consilio prudentes, in præliis victoriosi, statum mundi regentes, sceptrum regni obtinentes. Quorum imperij posteritas non cessauit, quoadusque Christus ex eorum germine per vterum intactæ virginis Mariæ (qui spes est omnium gentium) natus in mundo coruscans apparuit, & primatum totius orbis atque monarchiam capiendo retinuit. Hos sequitur electio Prophetarum, cum quibus locutus est Dominus, & ostendit illis secreta sua, vt ea, quæ ventura sunt, quasi præsentia illuminati spiritu sancto, agnoscere, atque annuntiare possent, principes populorum ventura prædicando facti, alij in vtero, alij in pueritia, alij in iuuentute, atque alij in senectute Deo cogniti & sanctificati inuenti sunt. Fide pleni, deuotione summi, industria solertes, acuti sensu, excellentes ingenio, scientia prædìti, in exercitatione disciplinæ sanctæ instructi, in sancta meditatione assidui, metúque mortis intrepidi. Verberauerunt tyrannos, sacrilegos interfecerunt, clauserunt refrenatis imbribus cœlum, iterùm parcendo aperuerunt. Peccata populi plangentes, eorum se vltioni opponentes, multis quoque miraculorum signis effulsere. Hominum nanque infirmitates curabant, mortuorum corpora resuscitabant: Christi verò per virginem natiuitatem, passionem, ac resurrectionem siue ascensionem, spiritussancti aduentum, futurum in consummatione mundi iudicium educti, clara voce prædixere. Hos omnes proculdubio veneranda huius diei festiuitate, nullo modo priuatos credimus, sed consortes esse eius intuendo speramus. Nos ergo, fratres charissimi, antiquorum memoriam pręcedentium patrum, quos ante legem, & sub lege scriptura sacra demonstrante cognoui

Ffff 4

gnouimus, ad hoc tantùm protulimus, vt faciliùs intelligere valeatis, quanta, vel qualis sit huius sacratissima præsentis diei festiuitas. Nunc ergo reuertamur ad eos, quos vnda baptismatis, & effusio sanguinis Christi ab errore paterni delicti, ab squalore vetustę gentilitatis, in nouo testamento per gratiam spiritussancti abluendo purgauit: quorum oculi beati, qui Christum in carne videre meruerunt. *Luc. 10.* Huic tam præclarę visioni Ioannes Baptista sociatur, qui eodem angelo, quo *Ioan. 1.* Christus, denunciante conceptus, in exordio prędicationis atque baptismatis primatum tenebat: *Matt. 11.* qui Christum peccata mundi tollentem videndo agnouit, & digito demonstrauit: quo inter natos mulierum non surrexit, Christo attestâte, maior: qui meritò præcursor Domini, præco iudicis, propheta altissimi nuncupatur: quia *Luc. 1.* nondùm editus, Christum mundo venturum prophetauit, & ad redemptionem animarum ad inferos descendentem, gloriosa præcucurrit passione. Huic athletę Dei electo concordat duodenus Apostolorum numerus, quos primos miraculorum virtutibus ad componendum nouæ fidei fundamentum, erigendúmque adhuc tenerę *Psalm. 18.* statum Ecclesię, prouidentia diuina ex omnibus quos capiebat mundus elegit, vt in omnem terram sonus eorum prædicationis exiret, & in fines orbis terræ eorum procederent verba. Qui veræ viti, id est, Christo tanquàm palmites adhęserunt, quorum fructus in sempiternum permanens, nô marcescet, quibus ipse Dominus locutus est, dicens: *Matt. 5.* Vos estis lux mundi, &: Non potest ciuitas *Ibid.* abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super cãdelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, *Ioan. 15.* qui in cœlis est. Et iterùm: Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quęcunque audiui à patre meo, nota *Matt. 18.* feci vobis. Et quæcunque ligare voluissent super terram, ligata esse in cœlis, & quæ soluerent super terram, *Matt. 19.* soluta esse promisit. Et iterùm cùm venerit ad iudicandum seculum, eos super sedes duodecim sessurus, & secum iudicaturos orbem terrę prædixit. Talibus, vt credimus, patronis hęc dies subiecta declararunt. His subiectũ est triomphale martyrum nomen, qui per diuersa tormẽtorum genera, Christi passionem non lassescentibus præcordiorum mentibus imitabantur, alij ferro perempti, alij flãmis exusti, alij flagris verberati, alij vectibus perforati, alij patibulo cruciati, alij pelagi periculo submersi, alij viui decoriati, alij vinculis mancipati, alij linguis priuati, alij lapidibus obruti, alij frigore afflicti, alij fame cruciati, alij verò truncatis manibus, siue cęteris cæsis membris, spectaculum angelis, & hominibus facti, contumelias in populis nudi propter nomen Dei portantes. Hi sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes sceleratorum iussa principum, modò coronantur, & accipiunt palmas laborum: quia fundati erant supra petram firmam, id est, Christum. De talibus, & eiusmodi Apostolus mente compunctus, & ingemiscens, *Heb. 11.* ait, Sancti ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, & cętera, quæ sequuntur. *Homil. 17. in Euang.* Et beatus Papa Gregorius in expositione cuiusdam Euangelij, de istiusmodi bellatoribus memoriam faciendo, Ecce, inquit, electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscãt, præsentia despiciunt, æternam patriam vocibus, motibúsque prædicant: eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingũt: occidi possunt, & flecti nequeunt. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, *Sapien. 3.* & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Nunc ergo martyrum Christi certamina & victorias audiuimus. Eis nimirùm hunc diem tantò credimus sanctificatum, quanto in semetipsis vt sanctificarentur, laborare per tormenta non cessauerunt. Christi verò sacerdotibus, atque doctoribus siue confessoribus huius festiuitatem diei non ignotam esse credimus: qui corda fidelium spiritaliter quasi imbribus irrigauere cœlestibus, vt feliciter proferre immarcessibilem bonorum operum possent fructum: qui talenta sibi credita nõ solùm reddere, verumetiam sine fraude amplificare procurauerunt: quia bonum, quod per gratiam spiritussancti intelligendo didicerunt, non sibimet tantummodò, sed & aliis subiectorum mentibus profuturum tradiderunt, atque secundùm Apostoli præceptum, *2. Tim. 4.* arguendo, obsecrando, increpando, curámque faciendo, inserere nitebantur. Quorum mens lucidissima, manus verò plenæ fuere munditia, eò quod in mensa altaris sacrosancta Christi corporis, & sanguinis mysteria celebrãtes, & in sui cordis penetralibus hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, id est, semetipsos sine macula, absque admixtione praui operis, offerre non destiterunt. Et licet persecutorum non sensissent gladium, tamen per vitę meritum Deo digni, martyrio non priuantur: quia martyrium non sola sanguinis effusione, sed abstinentia peccatorum, & exercitatione præceptorum Dei perficitur. Beata quoque Dei genitrix & semper virgo Maria, tẽplum Dei, sacrarium spiritussancti, virgo ante partum, virgo post partũ, præsentis solennitatis diei cum suis virginibus expers nullo modo credenda est: quæ Dei populum faciendo monebat spernere perituri luxus seculi, & lenocinia mortalis naturæ declinare, carnis pudicitiam cum virginitatis honore intra cordis hospitia obseruare, eámque omnium virtutum reginã, fructum salutis perpetuæ, sociam esse angelorum, suis affirmabat exẽplis: ita vt innumerabilis multitudo vtriusque sexus, eius sequatur vestigia, vt relictis nuptiarum copulationibus, spretáque liberorum propagine, sponso, qui in cœlis est perenni, mente, actu, habitu, & gestu sese applicare maluerint: orationibus instãtes, ieiuniis adhærentes, vigilias sacras adamantes, eleemosynas sectantes, pauperes recreantes, nudos vestientes, infirmos visitantes, in tribulatione gaudentes, in verbis calumnię, vel contumeliæ patientes, in augmento suæ profectionis humiles, in damno rerum temporalium Deo gratias agẽtes. Hęc omnia, & his similia pro desiderio regni cœlestia, & propter spem

æternę remunerationis, ardentissimo amore indesinenter, atque libenter insistunt: & sic in charitate Dei, ac proximorum amore perseuerantes, Deo soli gaudent vitam finire. Anachoretarum singulare propositum ab huius diei solennitate non separatum esse confidimus, qui per singula loca eremi, speluncis, & exiguis cellarum tuguriis muniti, modico contenti pabulo demorabantur, bestiis sociati: multi auibus subministrati, ciborum spernentes delicias, luxus seculi calcantes, laudem temporalem non amantes, visus hominum fugientes, angelorum assueti loquelis: pluribus virtutum effulsere signis. Cæcis visum innouabant, claudis gressum firmabant, surdis auditum tribuebant, superabant dæmonia, mancis manus restituebant, mortuos suscitabant. Ergo, fratres charissimi, tantorum patrocinia intercessorum, de quibus locuti sumus, tota mentis intentione quæramus, vt per temporalia festa, quæ gerimus, eorum meritis intercedentibus, ad æterna peruenire solennia valeamus. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiuè celebrantur. Curate qui his solennitatibus interestis, nec ab æterna solennitate separemini. Quid enim prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? Nolite ergo pensare in vobis temporalia, quæ possidens, sed considerate quid estis. Ecce mundus, qui diligitur, fugit. Sancti isti, quorum hodiè mentionem facimus, florentem mundum toto mentis despectu calcauerũt. Tunc enim erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace: & tamen cùm in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam in seipso mundus aruit, & adhuc in cordibus nostris florescit. Vbique est luctus, vbique desolatio: vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines amamus. Fugientem sequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est, vt ipse iam nos inuitet ad Dominum. Pensate ergo, quia nulla sunt, quæ temporaliter currunt. Finis enim temporalium ostendit, quia nihil sit, quod transire potest. Casus rerum indicat, quia res transiens, & tunc propè nihil fuit, cùm stare videretur. Hæc igitur vobiscum agite, hæc in mente sedula cogitatione versate. Etsi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, tamen ad eos, de quibus loquimur, toto corde tendamus, vt cum ipsis postmodùm in æterna secula gaudere mereamur, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

Sanctis patrocinia & intercessores.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

V*Idens autem Iesus turbas, ascendit in montem.* Tria refugia sibi dominus elegit, quandocunque turbę multę ad audienda verba ipsius conuenerunt. Montem istum Thabor, & lacum Genesar, & templum Domini. Sex quoque tribæ sequebantur eum, diuersa voluntate: primo discipuli propter amorem ad prædicationem eius audiendam: Alij propter sanitatem, Alij propter admirationem: videre eum cupientes miracula facere; Alij propter indigentiam cupientes saturari ab illo, vel aliquid eleemosynæ in denariis, aut in alia re accipere, Pharisæi verò vel ministri eorum ob reprehensionem. *Ascendit in montem.* Insuper in mõtis secretiora loquens discipulis: in inferioribus autem, turbis: vbi etiam quinque milia feminum satiauit. *Et cum sedisset.* Videlicet segregatus à turbis, sedere Dei, est spiritaliter incarnatum eum esse, quia quasi contractum eum esse incarnatum, hoc est, nõ esse talem, qualis est in sua diuinitate: *Discipuli eius accesserunt ad eum.* Sicut alacres, sicut domestici, sicut electi de turbis, digni audire mysterium regni cælorum: quod turbæ audire nequibant. *Et aperiens os suum.* Qui prius ora aperuerat prophetarum. *Docebat eos.* Qui docuerat aliquando per legislatores & prophetas: nunc per semetipsum, dicens, *Beati pauperes spiritu.* Non dicit absolute *pauperes*, sed addit, *spiritu*, quia multi inuiti sunt pauperes: sed de his dicit qui cũ possint esse diuites, propter Deum paupertatem sectantur, siue non habent voluntatem habendi: sicut Apostoli, ad quos hęc loquebatur, siue pauperes spiritu, humiles; de quibus scriptum est: & humiles spiritu saluabit. Et de his per Esaiam: spiritus domini super me: ad annuntiandum pauperibus misit me *Quoniam ipsorum est regnum cęlorum.* Vita scilicet æterna. *Beati mites*, id est, mansueti: Hanc virtutem dominus à se discere iussit, dicens; Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Mansuetus manu assuetus dicitur, hoc est qui nõ despiciunt alios: sed omnes vt proximos amant & recipiunt: qui non sunt superbi, nec dedignantur cæteros. *Ipsi possidebunt terram.* Non istam, quæ spinas, & tribulos profert: quam crudelissimi, & superbi magis possident: sed illam, de qua dictum est, Credo videre bona domini, in terra viuẽtium. Cuius possessorem describẽs psalmista, quasi pro triumpho à diabolo dicit. Intende prospere, procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, &c. Per tria ista illa terra dominii possidetur: videlicet veritatem, mãsuetudinem, & iustitiam. *Beati qui lugent.* Est luctus malus pro terreno damno lugere: quia tristitia huius seculi mortem operatur Et beatus Gregorius dicit. Absit vt aliquis fidelium de interitu mundi lugeat: nec de mundo, nec de mundana re Christianus lugere debet. Est autem luctus bonus, quem debent habere christiani. Lugere eorum est, in quibus memores sunt Dei præcepta præterisse, vel non egisse, quæ Dei sunt: vel proximos suos debent lugere, qui à Deo exorbitant. Sicut Samuel lugebat Saul præterisse mandata Dei: Perfectorum quoque lugere est pro dilatione vitæ æternæ, & pro desiderio visionis Dei: Qui ergo aut pro recordatione peccaminum suorum aut proximorum: seu pro futuro iudicio, vel pro peregrinatione à cælesti patria lugent, isti consolabuntur consolatione æterna: quæ terminum nõ habebit. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Qui semper faciunt iustitiam: hoc est, iusta operantur, & semper plus cupiunt facere: & quasi faciendi famem patiuntur: isti saturabuntur de æternis bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quæ pręparauit Deus diligẽtibus se. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

quentur. Misericordia, non solum est in re terrena: sed etiam in spirituali: vt adiuuemus proximos, vbicunque possumus. Qui autem pereunti non subuenit, si potest, occidit: & æqualis ille, qui facit, & qui facienti consentit, vt faciat. Misericordia autem à misero corde vocatur, si aliquid non possumus, vel in corde condoleamus: hoc de terrenis damnis, & erga nos commissis. Cęterum qui peccat in Deum: non est nostrum remittere: donec Deum credamus dimissum habere. Exemplũ nobis est resuscitatio Lazari, quem discipuli non antea soluerũt, quam dominus habuisset resuscitatum: nec pastor ecclesiæ peccatorem potest absoluere à peccatis, donec resuscitatus, hoc est immutatus fiat in anima. Quam diu aut in voluntate aut in opere talis est qualis fuit: frustra illi veniam promittit peccatorum. De talibus dominus dicit: personam in iudicio cognoscere, nõ est bonum. Et iterum: non declines cor ad dexteram, neque ad sinistram. Item: si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deũ peccauerit vir: quis orabit pro eo? *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Illi sunt mundo corde, quos non remordet conscientia criminalis peccati: vel qui non cogitant aliud, nisi quod bonum est. Mundus enim Deus à mundis corde videbitur in hoc seculo oculis cordis, & sub quadã imagine in futura vita facie ad faciem. *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacifici compositum verbum est, ex pace & facio. Illi sunt pacifici, qui primum faciunt pacem in se viciorum: vt non pugnent vicia contra virtutes: sed habeant pacatum Deum: deinde studeant pacificare proximos suos in bono, non in malo. Non enim est bona pax, quam mali habent: nec eam iustus debet consentire, vel consors illius esse: quoniam proximum diligere vicium debemus odire. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Qui bona faciunt, & mala pro eisdem bonis recipiunt: vt sanctus Lamperius, & sanctus Leodegarius, vel alij innumeri. Sed & qui pro Christo persecutionem patiuntur: vt fecerũt omnes martyres. *Beati estis cum maledixerint vobis homines: & persecuti vos fuerint: & dixerint omne malum aduersum vos mentientes: propter me.* Exponit istam octauã beatitudinem: quomodo instiocatur persecutio propter iustitiam. Si male dicant nobis iniuste, & mentiantur: si persequãtur iniuste: si dixerint omne malum mentientes: nam si verum dixerint, non erimus beati. Et si propter peccata nostra persecutionem patiamur, non continuo erimus beati: sed si patienter sustineamus, & recognoscamus quia iuste: & non tantum quantum meriti sumus: perueniemus quandoque ad beatitudinem si futura non adcumulemus. *Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.* Si bona facientes aduersis tundamur, certi esse possumus si patienter sustinemus, quia in futuro mercedem recipiemus. Si vero aliquid boni facimus, & prospera nobis arridens: timere debemus ne pro bonis, quæ fecimus, hic mercedem recipiamus. Si autem & mala facimus & prospera habemus de inferno certi esse possumus. Si etiam & male habemus: & tamen de ipsis malis murmuramus: certi sumus, quia de his malis ad peiora perueniemus. Omnes istas beatitudines Christus compleuit: quia nihil docuit, nisi quæ ante ipse compleuit. Pauper fuit & rebus & corde: qui ait. Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Mitis fuit, qui dixit, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Luxit aliorum peccata: qui videns ciuitatem, fleuit super illam. Esuriuit, & sitiuit iustitiam qui dixit, meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Misericors fuit: qui dixit, misericordiam volo, & non sacrificium. Mundo corde fuit: qui dixit. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Pacificus fuit: qui dixit, pacem meam relinquo vobis. Persecutionẽ passus est: qui dixit, si me persecuti sunt, & vos persequentur. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. Samuel de principatu eiecerũt, Esaiam secuerũt, Heliam de terra eiecerunt, Hieremiam lapidauerunt: & non fuit bonus à seculo qui persecutionem non sustinuit in seculo. Ideo gaudete in persecutionibus, si vultis esse socij in beatitudinibus.

HAYMONIS EPISCOPI

Halberstatensis in eodem festo, Homilia.

VIdens Iesus turbas ascendit in montem, &c. Prædicante Domino Euangelium regni per vniuersam Iudæam, & sanante vniuersos langnores, & infirmitates eorum, conueniebant ad eum vndique non solùm ex Iudæa: sed et ex externis nationibus. *Videns ergo Dominus turbas*, circa se confluentium *ascendit in montem*, docturus Dominus Discipulos ascendit in montem, vt monstraret mandata sublimia esse, quæ suis Apostolis erat mandaturus: *Et quum sedisset.* Sessio Dei humilitatem incarnationis eius designat. Qui enim sedet contracta videtur habere mẽbra. Dominus enim quandiu ab initio stetit, id est, quandiu in deitate patris inuisibilis mansit nequaquam turbę multæ ad eum accesserunt, quia tãtummodo notus erat in Iudæa Deus. Pòst quam sedit, id est, pòst quam humiliauit semetipsum, factus patri suo obediens vsque ad mortem, *accesserunt ad eum Discipuli eius*, scilicet in eum credentes, cupientes doctrinę eius participes existere. Vel sessio dignitatem magisterij signat: quia sedere magistri est: accesserunt ad eum Discipuli eius, tanquam mites & familiares, & conscij secretorum illius. Dignum enim erat, vt qui verbum Dei deuotius, & familiarius erant impleturi, propius & vicinius ei apparerent. *Et aperiens os suum.* Non sine causa tali circumloqutione Euãgeliũ vtitur. Poterat enim absolutè dicere, docebat eos, sed non frustra addit. Aperiens os suum. Quotiescunque in sacro eloquio apertio oris præmittitur, sequens sermo prolixior fore designatur, sicut in Iob dicitur: Tunc aperuit Iob os suum, quia multa scilicet in sequentibus loquitur. Et in multis aliis locis tale quid inuenitur. Vnde & Psalmista dicit: Aperiam in parabolis os meum, quum multa esset loquuturus de miraculis Dei in populo Iudæorum. Siue apertio oris designat Domini sermonem aptum esse futurum: quia apertum est ad intelligendum. *Beati pauperes spiritu.* Nisi Euãgelista addidisset, spiritu, dubium esset de quibus pauperibus dixisset. Nũc autem addens spiritu, omnem ambiguitatem abstulit. Pauperes spiritu sunt humiles, mansueti, qui erecta ceruice contra Dominum nõ gradiuntur. Multi enim pauperes sunt, quos ipsa paupertas

tas bestos non facit: quia non sponte, sed coacti eandem paopertatem sustinent, nec etiam in paupertate diuitiis diutum carent. Et multi sont diuites, quos ipsa paupertas reficit: quia à paupertatis nomine non excluduntur. Qualis pauper erat Abraham, qui dicebat: Loquar ad Dominum meum quum sim puluis & cinis. Talis etiam fuit Dauid, qui licet amplissimæ potestatis fuit: tamen in Psal. 69. cantabat: Ego verò egenus & pauper sum. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hanc mercedem consequentur pauperes Christi. Non dicit: Quonism ipsorum erit regnũ cælorũ, quia licet adhuc mole carnis grauentur, tamen iam per fidem, & spem regni cælorum sunt possessores. *Beati mites.* Mites sunt mansueti nõ reddentes malum pro malo, sed vincentes in bono malum. In bono etenim malum vincunt: quia illatas proximi iniurias non reprehendunt, sed æquanimiter tolerant. *Quoniam ipsi poßidebunt terram.* Non hanc terram quam oculis corporeis videmus quæ spinas & tribulos gignit, sed terram viuentium dicit, ad quam suspirans Psal. 118. dicebat: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et, Portio mea in terra viuentium. Beatitudo enim cælestis terra dicitur, non quod ibi terra sit: sed propter soliditatem. Terra etenim præ cunctis elementis solidius elementum est, ita etiam cælestis beatitudo omnibus possidentibus solida, & perpetua permanebit. Vel mites, id est, mansueti, qui aduersa æquanimiter tolerant, possidebunt terram, hoc est, peracto die iudicij recipient corpora sua incorrupta, vt sicut Domino corpore, & anima seruierunt: ita etiam post hanc vitam & anima & corpore beatificentur. *Beati qui lugent.* Multi sunt qui bona temporalium rerum, & amissiones parentum deflent, quos talis luctus beatos non efficit, quin potius tristitia huius seculi mortem operatur. Sed ipsi sunt beati lugentes, qui propria peccata deflent, vel etiam proximorum, sicut lugebat Samuel Saulem eò quod Deus abiecisset eum: Sicut & Paulus Cor. eò quod post fornicationem pœnitentiam non egissent. *Quoniam ipsi consolabuntur.* Consolatione scilicet illa quæ dabitur sanctis, cùm viderint Dominum facie ad faciem. Vnde & Spiritus sanctus per quem mentes electorum consolabuntur paracletus, id est, consolator dicitur. Quicunque ergo semetipsos deflent, vel qui fratribus digna compassione condescendunt, & in præsenti, & in futuro æterna consolatione donabuntur. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Congrua differentia addidit iustitiam. Multi sunt qui temporales cibos esuriunt, & temporales potus sitiunt, quos beatitudo ista non consecrat, sed beati sunt illi qui esuriunt iustitiam. Iustitiam in hoc loco duobus modis possumus intelligere. Iustitia quidem prima intelligentia Dominum Iesum Christum signat, de quo Paulus Apostolus dicit: Qui factus est nobis iustitia & sanctificatio. Vel etiam iustitiam possumus iusta omnipotentis Dei mandata intelligere. Quæ ideo iusta dicuntur, quia iustos obseruant, & res suas faciũt. Beati sunt enim illi qui esuriunt & sitiunt iustitiam, qui quantumlibet iusti sunt, non satis se esse iustos æstimant, sed quotidiano profecto iusti esse laborant, vt eant de virtute ad virtutem, donec videant Deum deorum in Syon: *quoniam ipsi saturabuntur.* Non illa saturitate quam fames subsequitur, sed potius quam Psalm. suspirans aiebat: Ego in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua, contemplatione scilicet sanctæ Trinitatis, *beati misericordes*, misericors dicitur à misero corde. Cùm enim aliquis miserescit alterius imbecillitati, vel etiam compatitur, misericors dicitur. Misericors etenim omnis homo primum in semetipso debet esse, ne quid scilicet admittat propter quod postmodum crucietur, iuxta quod per virum sapientẽ dicitur: Fili miserere animæ tuæ placens Deo. Cùm ergo in semetipso didicerit misericordiam habere, tunc ipsum fontem misericordiæ in aliis extendat, vt quibuscunque potuerit per passionem subueniat *quoniam ipsi misericordiam consequentur*, dignum nanque est, vt ipsi a Deo misericordiæ largitate donentur, qui aliis miserescunt, *beati mundo corde*, mundum cor est & simplex, & nulla malitiæ duplicitate fœdatum: *quoniam ipsi Deum videbunt.* Dominus enim spiritus est. Deum ergo nisi cor mundum homo habuerit, videre non potest: quia purus est spiritus, & spiritualibus oculis, id est, munditia videri potest. Videbunt enim eum omnes sancti in substantiæ suæ humanitatis oculis corporeis, diuinitatem verò eius, nequaquam, nisi oculis cordis intuebuntur. Nam humanitas nequaquam potest videre diuinitatem. *Beati pacifici.* Pacifici dicuntur qui pacem faciunt ad primum in semetipsis, deinde in cæteris. Et pacifici dicuntur, qui in semetipsis pacem faciunt, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, deinde verò inter dissidentes curant facere pacem, qui possunt dicere cum Psalm. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. *Beati sunt ergo huiusmodi pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Qui enim filium Dei specialiter in pacis obseruatione imitantur, rectè filij illius vocantur. Quonism sicut filius Dei patienter cuncta sustinuit, ita & illi pro modulo suæ fragilitatis inter proximos laborant, vt pacem possint facere inter virtutes, & vitia inter fratrem & proximum. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Signanter addidit Dominus, propter iustitiam. Multi enim sunt qui persecutionem patiuntur, sed non propter iustitiam eam sustinent, sed propter sua peccata, sicut passi sunt falsi Prophetę ab Helia, quos non solum persecutus est, sed etiam super vnum lapidem putei eos interfecit. Sicut latrones & adulteri, qui non solum pro sceleribus in præsenti patiuntur, sed etiam futuris suppliciis cruciantur. Et beati non sunt: quia non propter iustitiam patiuntur, sed illi solummodo beati sunt qui propter iustitiam, id est, propter Deum, & pręcepta illius ea patiuntur, sicut Apostoli & Martyres, multa passi sunt pro nomine Christi. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Dignũ est itaque, vt, qui pro Deo temporalia bona abnegant, regni cælorum hæredes efficiantur. *Beati estis quum maledixerint vobis homines.* Superiores octo beatitudines generaliter ad vniuersorum ordinem pertinent. Ista autem nona, quæ à Domino additur, specialiter sanctis Apostolis & Martyribus conuenit. *Beati*, inquit, *estis quum maledixerint vobis homines.* Super quod notandum: quia aliud est maledicere, & aliud est malum dicere: maledicere, est præsentibus iniurias inferre: malum dicere, est absentibus derogare. Quia ergo persequutores Martyrum, & præsentibus illis malum inferrent, & absentibus detraherent, ideo vtrunque dixit: *Quum maledixerint*

rint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes. Et persequuti vos fuerint. Persequi, est vim inferre. *Mentientes.* Ostendit quare sancti martyres beati essent, scilicet ideo, quia persecutores mendaciter de eis maledicerent. Illi enim de quibus veraciter mala dicuntur, non sunt beati. Quare diceret beatos & persequutionem passuros subiunxit: *Propter me*, quasi dicat; Hæc omnia, non vestri odij causa, sed vobis ingerunt causa nominis mei. *Gaudete & exultate*, quando societati sanctorum adiuncti fueritis. *Quoniam merces vestra.* Id est, merces vestri laboris; *Copiosa est in cælis.* Quia quo plura certamina pro nominis mei amore pertuleritis, eò copiosioribus à me coronis post finitos istius seculi labores donabimini.

INCERTI CVIVSDAM *sub nomine Eusebij Episc. Emisseni in superius Euang. Homil.*

Videns Iesus turbas ascendit in montem. Multa turba sequebatur Iesum, & non solùm sequebatur, verùm etiā opprimebat & tangere conabatur, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Fugant se contraria, & qui inimici sunt, se vicissim impugnāt. Ideoque languores & infirmitates in eis manere non poterant, qui ad Christū accedebant, & eum tangebant. Ipse est enim salus & vita, de quo quia virtus exibat, & sanabat omnes, ideo post eum accurrebant omnes. *Videns autem turbas ascendit in montem.* Quòd enim in montem Christus ascēdit, magnum aliquid se loquuturum esse significat. Ideo enim Propheta ait: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Ibi enim discipulos docet, quos maioris intelligentiæ esse sciebat. Sed quid est quod ait, aperiens os suum docebat eos. Nunquid enim clauso ore loqui Dominus consueuerat? Ipse enim qui olim ore prophetarum locutus fuerat, nunc proprio ore discipulis loquebatur. Magna igitur veneratione euangeliorum verba suscipi debent, quæ nō per alium sed per seipsum & proprio ore Dei filius locutus est. Sed quid dicebat. *Beati pauperes spiritu.* Non dicit simpliciter, Beati pauperes, quoniam nec omnes pauperes beati, nec omnes diuites miseri sunt. Multos enim pauperes latrones, homicidas, adulteros, periuros, & proditores videmus, qui & in hac vita miseri sunt, & post hanc vitam infœlices erunt. Diuites autem plures fuisse legimus, qui in sancta conuersatione domino placuerunt. Talis fuit Abraham, talis Iacob, & Dauid, talis postea Zachæus publicanus. Beati igitur, pauperes spiritu, sed non omni spiritu. Est enim spiritus bonus, & est spiritus malus. Beati igitur sunt qui spiritu malo pauperes sunt. Illi quoque beati sunt, qui spiritu bono diuites sunt. Est enim spiritus superbiæ, spiritus fornicationis, spiritus discordiæ, & multi alij spiritus sunt, quibus cùm pauperes sunt, beatos esse non dubium est. Beati sunt quoque qui spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris domini diuites esse meruerunt. Sed quare beati? *Quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Qui enim sunt mites, nisi patientes & humiles? Perit omnis virtus sine patientia. Vnde & Dominus ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Qui igitur impatiens est, nec animam suā, nec terram suam possidere potest. Quomodo animam suam possidet, qui animi sui furorem, & iram cohibere non valet? Quomodo autem terram suam possidet, qui neque oculos ab illicito visu, neque aures ab illicito auditu, neque nares ab illicito odoratu, neq; os ab illicito gustu, neque manus ab illicito tactu cōpescere valet? Possumus tamen per hāc terram, terrā viuentium intelligere. Ac per hoc nō minus possiderent mites quàm possiderēt pauperes spiritu: quoniam cum illi cælum, isti verò terram possideant, idem tamen per cælum & per terram significatur. Quando verò fidelibus suis Christus dominus noster talia promittit, nónne tibi in mōte, & in regia sublimitate sedere videtur? Sequitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quid enim si pro amissione rerum temporalium lugeant? Quid si pro morte pignorum lugeant? Quosdam enim flere videmus, quoniam illatas sibi iniurias vindicare non possunt. Quas quidem quādo vindicant, nequaquam tunc beati sed miseri sunt. Sic igitur dicatur: Beati qui lugent peccata quæ fecerunt. Beati qui sua & aliorum peccata plorant. Sic enim Samuel flebat Saulem cunctis diebus vitæ suæ. Nam & Dauid quia pœnituit & fleuit, beatus est. Ait enim, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ipse quoque saluator noster pro morte Lazari lachrymatus est. Videns etiam perituram Ierusalem, fleuit de miseriis eius. Fleuit beatus Petrus & beatitudinem non amisit. Beati igitur qui sic lugent, quoniam ipsi æterna lætitia consolabuntur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Illi autem iustitiam esuriunt & sitiunt, qui sic in obseruanda iustitia delectantur, ac si magnis epulis reficiantur. Vnde Psalmista ait: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore. Hoc audiant reges & principes, hoc audiant potentes & iudices. Hoc & nos audiamus, nos inquā episcopi & sacerdotes. Huius capituli semper memores simus, sine quo cætera capitula tractare nequimus. Sed nota quia non solùm illi qui faciunt iustitiam, sed etiam qui eam esuriūt & sitiunt, id est qui eam facere concupiscunt, & si non possunt facere quod desiderant, tamen beati sunt, quia quantum in ipsis est, faciunt quod desiderāt. Et isti quidem saturabuntur, quando illorum desideria complebuntur. Sicut enim cibo saturatur corpus, ita satiatur suo desiderio anima. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Statim post iustitiam misericordiam posuit. Vnde Psalmista ait: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Bona est iustitia, bona est & misericordia. Habet illa suum locum, habet & ista suū. Neque verò perit iustitia, si in quibusdam causis misericordia temperatur. Est autem misericordia quædā affectio animi qua affligimur alienis malis. Cui inuidia contraria est, per quam homo affligitur alienis bonis. Siue igitur in nos delinquentibus parcimus, siue miseris & indigentibus subuenimus, siue errantes ad viam veritatis reducimus, misericordia est. Qui autem misericordiā non habuerit, misericordiam non inueniet. Eadē enim mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Sequitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ex corde enim, vt ait Dominus, exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, falsa testimonia & similia. Hæc sunt quæ coinquinant

quinant hominem. Tale autem cor mundum non est. Si enim mundum esset, totum hominem suo stercore non coinquinaret. Illud igitur cor est mundum, ex quo talia non procedunt. Ideo & Dauid rogat Dominum, dicens: Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Si enim cor fuerit mundum à prauis cogitationibus, totus homo erit mundus ab iniquitatibus. Ibi enim oriuntur peccata, ibi radices figunt: quæ ibi succisæ fuerint, non est vbi crescãt. Vnde scriptum est: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Vnde & sacerdotes comam nutrire interdicuntur. Qualiter autem mũdi corde dum videant, vel quibus oculis Deũ videant, dubitari quidem potest, facile autem solui non potest. Apostolus tamen dicit: Videmus nũc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Et Ioannes Apostolus: Scimus, inquit, quia cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Magnus erit ille oculus, qui claritate sui visus eum qui continet omnia comprehendere poterit. *Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.* Pacifici sunt enim qui discordes pacificant, qui mundum Deo reconciliãt, qui inter cæteros pacem & concordiam seminãt. Apostolus enim dicit: Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit Deum. Itemque: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus pacem hominibus habẽtes. Et Psalmista: Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus. Et bene quidẽ filij Dei vocabuntur pacifici: quia ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Ipse est rex pacificus, qui in seipso angulari lapide duos parietes cõiungens, pacem fecit his qui longè erant, & his qui prope: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Propter iustitiã dicit, non propter mundi honores, non propter diuitias, non propter superbiam & iniquitatem. Multos enim vidimus qui propter hæc & similia persequuntur alios, & persequuntur ab aliis. Propter iustitiam enim Apostoli & Martyres persecutionem ab impiis passi sunt. Si enim à prædicatione iustitiæ cessare voluissent persecutionẽ passi non essent. Vsque hodie quoque in sancta ecclesia persecutionem patiuntur quicunque iustitiam prædicare & tenere nituntur. Non igitur omnes qui persecutionem patiũtur, beati sunt: siquidem iniqui se inuicem persequuntur: sed illi soli propter persecutionem sunt beati, qui eam propter iustitiam patiuntur. Videat autem vnusquisque hæc audiẽs si in aliqua istarum beatitudine continetur. Quod si in aliqua se inuenerit, sit securus, beatus erit. Hoc enim veritas dicit. Veritas autem mentiri non potest. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines &c.* Beati, inquit, estis, cum vos homines maledixerint, ne timueritis eorum maledictiones, sed potius gaudete & exultate: quoniam eorum maledictiones, eorũ persecutiones, eorum maledicta & mẽdacia gaudium vobis præparãt in cælis, & exultationem, magnámque mercedem & retributionem. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. Non est hoc nouum, non est inusitatum, sic Esaiam, sic Hieremiam, sic & alios prophetas persecuti sunt. Illorum igitur exemplum vos doceat, si illorum beatitudo vos delectat.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

ET quum vidisset turbas, ascendit in montem. Docet nos, nihil ad ostentationem facere. Ascendit in montem, quia docturus erat: docuit nos à media secedere turba, quando docẽdum. *Et quum sedisset ipse, accesserunt ad eum discipuli eius.* Aliæ quidem turbæ propter miracula, discipuli autẽ propter doctrinam accedunt, vnde postquam curauit corpora & fecit miracula, curat & animam: vt discamus, quod & animarum, & corporum sit opifex. *Et aperto ore suo.* Quare additum est, aperto ore suo? videtur quod superfluat. Minime: docuit enim etiam non aperiendo os suum. Quomodo? per vitam & miracula, nunc autem aperiens os, docet. *Docebat eos, dicens.* Non tantum discipulos, sed & turbam. Incipit autem à beatitudinibus, sicut & Dauid à beatitudine incepit. *Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cælorum.* Primum modestiam & humilitatem animi, seu fundamentum facit. Nam quoniam propter superbiam Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Christus, quandoquidem Deus fieri sperabat Adam. Contriti autem anima, sunt pauperes spiritu. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.* Qui propter peccata lugent non propter temporalia. Lugentes autem dixit, semper & non semel, & non pro nostris peccatis tantum, sed & pro peccatis proximorum. Consolationem verò accipient & hîc. Qui enim luget propter peccata, gaudet spiritualiter, & illic quoque multo magis. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient terra.* Aliqui spiritualem terram dicunt, cælum videlicet, verum tu & hanc terram intellige: quoniam enim putantur mites, despecti, & inopes, dicit quod hi magis omnia habeant. Mites autem sunt, non qui prorsus non irascuntur, tales enim insipientes sunt & insensati, sed qui iræ vim habent, continent autem, & quando oportet irascuntur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã illi saturabuntur.* Quandoquidem de misericordia dictura est, ostendit primum seruandam iustitiam, & eleemosynam non ex rapina dandam. Porro iustitia omni cum alacritate exercenda est, quod significat, cùm dicit: Esurientes & sitientes. Quoniam autem auari quidam abundantes esse videntur, & saturati, dicit, quod iusti magis etiam hic satientur, quia propria secure possident. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Non in solis diuitiis est misericordia, sed & in sermone, & si nihil habet, etiam in lachrymis. Misericordiam autem consequentur & hîc ab hominibus. Qui enim heri misericors fuit, etiam si hodie inops sit, ab omnibus misericordiam consequitur, & alibi multo maiorem à Deo. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Multi sunt non rapientes, sed & misericordes, veruntamen scortantur, & alias immundi sunt. At Christus iubet cum aliis virtutibus etiam mundos, hoc est castos esse: non solum corpore, sed & corde. Nam absque sanctificatione, hoc est castitate, nullus videbit Deum. Sicut speculum, si fuerit mundum, accipit imagines: ita & anima pura faciem Dei, & scripturarum scientiam suscipit. *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Nõ solum illi qui cum aliis

pacem habent, sed & qui seditiosos alios conciliant. Pacifici autem sunt, & qui per doctrinam inimicos Dei conuertunt. Filij autem Dei fiunt tales. Etenim vnigenitus conciliauit nos Deo. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Non soli martyres, sed & multi persecutionem patiuntur, quia iuuant iniuria afflictos, & in summa omnem virtutem fouent. Iustitia enim est omnis virtus. Fures autẽ & homicidæ, tametsi etiam ipsi persecutionẽ patiuntur, non tamen sunt beati. *Beati estis, quando exprobrauerint vos, & persecuti fuerint.* Ad ipsos Apostolos se cõuertit, ostendens, quod maximè opprobrium sit doctoribus opprobria audire. *Et dixerint omne malum verbum contra vos, mentientes, propter me.* Non simpliciter qui exprobratur, beatus est, sed quando & propter Christum, & falso: si autem duo hæc non affuerint miser ille est, vt pote multis existens offendiculo. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Quum de alijs loqueretur, non dixit mercedem multam: hic autem ostendit quod sustinere opprobrium magnum sit, & grauissimum. Multi enim suspenderunt seipsos. Et Iob quamuis sustinebat multas tentationes alias, tunc tamen maximè turbabatur, cũ exprobrarent ei amici, quasi propter peccata sua pateretur.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

† QVum vidisset autem turbas, ascendit † in montem. In montem proximum ascendit: simul quidem tumultus, qui in imo erant, declinans: simul etiam absque vlla distractione docere cupiens. Transit enim à cura corporum ad curam animarum. Nã ita semper ab illa transit ad istam, & rursus ab hac ad illam, vt variam præstet vtilitatem.

† † *In monte altitudines exposuit Dominus, docens ex hoc oportere cupientem attingere beatitudinem, à depressis humi rebus abstrahi, & ad sublimia eleuari.*

Cumque sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Simul quidem turbæ ascenderunt, discipuli autem accesserunt, tanquam familiarius erga eum affecti, & quippiam ab eo discere cupientes. *Et aperto ore suo: docebat eos.* Quam ob causam dicit, quod os suum aperuerit? Quia etiam non aperto ore docebat eos operibus. Ad discipulos quidem dirigit sermonem, ne turbis molestus esse videatur: communiter tamen illum proponit ad vniuersos, ac singulos homines. *Beati † pauperes spiritu, &c.* Non dixit, pauperes possessionibus, sed, *pauperes spiritu*, hoc est humiles animo ac voluntate: animum nanque πνεῦμα, id est, spiritum nominauit. Neque enim, qui infortunio quouis humiliatur, hic beatus est: quia nihil, quod inuoluntarium est, beatificat. Omnis enim virtus per id, quod voluntarium est, imprimitur. Pauperem autem hic vocauit animo humilem, vt πτωχὸς, id est, pauper dicatur ἀπὸ τοῦ κατεπτηχέναι, quod est, timuisse, siue territum esse. Siquidem humilis, aut modestus animo, Deum semper timet, tanquam qui nihil vnquam iuxta illius beneplacitum peregerit. Considera vero, quale fundamentum doctrinæ suæ substernat. Quia enim superbia diabolum deiecit: ac protoplastum, putantem, quòd, postquam de ligno comedisset, Deus fieret, continuo prostrauit: radixque, & fons omnium facta est malorum: cõtrarium ipsi præparat pharmacum, animi videlicet modestiam: & hanc radicem, ac fundamentum substruit virtutum: quo deiecto, reliqua omnia, etiam si ad cælum vsque pertingant, detrabuntur, ac decidunt: quemadmodum in Pharisæo ostensum est. Aptum quoque præmium huic rependitur: pro extrema videlicet abiectione summus honor: & quo nullus maior reperiri potest. Per modum autem beatitudinum præcepta hæc induxit, inuidiosum deuitans sermonem. Oportebat enim, vt in principio mansuete cum eis loqueretur: & ita paulatim ad præcipiendum deueniret.

† *Quam ob causam dixit pauperes, & non humiles?* † *Quia pauperem esse, plus est, quàm humilem esse. Sunt enim varij humilitatis modi: hic quidem mediocriter animo modestus est, ille vero cum excellentia: quam humilitatem etiam Dauid commendat, dicens; Cor contri-* Psal. 50. *tum, & humiliatum, Deus, non despicies.*

Beati, qui † lugent, &c. Quia omnes putabãt eos † esse beatos, qui in gaudio essent; miseros vero, qui in afflictione, huiusmodi opinionem radicitus euellit, contrariam substituens. Lugentes autem dicit, non qui simpliciter lugent, sed qui pro peccatis lugent. Miserum enim, ac prohibitum est lugere ob ea, quæ quis patitur. Tristitia enim mundi, ait Paulus, mortem operatur: ea vero, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem. Quo modo ergo alio loco dicit Paulus; 2. Cor. 7. Gaudete in domino semper? Quia & ille gaudiũ Phil. 4. dicit, quod è luctu oritur. Habet nanque luctus repensum sibi gaudium. Quemadmodum enim, postquam vehemens pluuia impetuose descenderit, serenitas stabilior esse solet: Ita quoque, deductis lachrymis, tranquillitas, & gaudium animi succedit. Vult autem hic sermo, nõ modo de proprijs nos lugere delictis, verum etiam de alienis: & talis erat Mosis animus, Dauidis, Danielis, Pauli, cæterorúmque huiusmodi. *Consolationem* vero *accipient*, siue, *lætabuntur*. Vbi? Et in præsenti, & in futuro. In præsenti quidem ea spe, quòd peccata sua luctu redimãt; in futuro vero non sola horum remissione, verumetiam beatitudine.

† *Nam qui filios, aut vxores mortuas lugent, non possessiones, aut propria amant corpora, nec eo turbinis tempore, vllo modo concupiscunt, non iniurijs exasperantur, nec alia obsidentur affectione: quanto magis, qui suas lugent ægritudines, eo modo quo eas lugere dignum est?*

Beati † mites, &c. Quoniam olim ab hominibus † magno studio affectabatur terræ possessio, hanc etiam pro virtutis præmio ponit. Quidam sane terram intellectualem; cælum esse dicunt. Chrysostomus vero ait, quòd & sensibilem pro præmio posuerit, propter crassiores, qui sensibilia potius quàm intelligibilia quærunt. Toto nanque euangelio ad virtutem solet adhortari: quandoque per futura, interdũ quoque & per præsentia. Quanquam neque, vbi intelligibilia ponit præmia priuat sensibilibus; neque è diuerso, quũ sensibilia pollicetur, intelligibilia aufert. Quærite, Matth. 6. enim, inquit, primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et rursus: Nemo est, qui reliquerit domum, aut patrem, & cætera, qui non fruatur multo pluribus in hoc Luc. 18. tempore, & in futuro seculo, vita æterna.

† *Mites dicuntur, non qui penitus non irascuntur; hu-* † *iusmodi*

huiusmodi enim insensati sunt, sed . qui iram quidem sentiunt, sese tamen continent : quando autem oportet irascuntur, sicut dixit David, Irascimini & nolite peccare. Ephe. 4.

† *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam : quoniam* † *ipsi saturabuntur.* Quia de eleemosyna dicturus est: aufert primum auaritiam, vt postea fiat misericordia. Iustitia enim auaritiæ contraria est. Dixit autem, Esurientes, & sitientes, hoc est, plurimũ concupiscentes : vt vehemens auaritiæ amor in iustitiam translata, illam perimat. Saturabuntur autem, omni videlicet bono.

† † *Quia auari abundantes esse videntur, & saturati: ideo ait iustos potius saturandos esse.*

† *Beati* † *misericordes, &c.* Adeo certe, sed non tantam duntaxat, quantam ipsi præstiterint. Quantum enim interest inter malum, & bonum, aut potius quantum inter hominem, & Deum; tantum humana misericordia distat à diuina.

† † *Non possessionibus tantum præstatur misericordia, sed & sermonibus. Quod si nihil habueris, etiam lachrymis præstatur : varius est enim eleemosynæ modus, latumque præceptum. Misericordiam vero consequentur hic ab hominibus, & in futurum à Deo.*

† *Beati* † *mundi corde, &c.* Puros enim hic intelligit, qui nullius peccati sibi conscij sunt : aut qui cor seruant à voluptatibus impollutum, quam sanctimoniam vocat Paulus, dicens; Pacem sectamini ad omnes, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Videbit autem Deum dixit, * tanquam humana natura potentem. Hanc vero beatitudinem post eleemosynam posuit : nam multi iustitiam, ac eleemosynam assequuti, circa voluptates deuicti sunt. Ostendit itaque solas illas non sufficere virtutes. Hebr. 12.

* Sic videtur reperire prius fidei humanæ natura.

† † *Mundi corde sunt, qui continenter degunt : sine continentia autem nemo videbit Deum. Quemadmodum enim speculum, si purum sit, figuras recipit : ita & anima pura Dei suscipit visionem.*

† *Beati* † *pacifici, &c.* Qui non solum ipsi seditiones non mouent, sed & alios mouentes ad pacem reducunt, filij Dei vocabuntur : vtpote filium eius vnigenitum imitantes : cuius opus fuit, dissidentia ad vnum reducere, ac inimicos reconciliare. Erit profecto etiam beatus pacificus, hoc est, in pace seruans voluntatem propriæ carnis cum voluntate animæ suæ ; & quod prauum est, meliori subijciens.

† † *Non solum pacem cum omnibus habentes, verum etiam seditiosos mutuo inter se pacificantes. Dicuntur autem pacifici, & qui per doctrinam inimicos ad Deum conuertunt : qui filij Dei appellantur. Nam & vnigenitus Deo nos reconciliauit.*

† *Beati qui persecutionem* † *patiuntur propter iusti-* † *tiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* †. Hoc dixit ne putes vbique pulchram esse pacem, iustitiam autem hic vniuersaliter omnem virtutem nominauit. Quòd si huius quoque egregij facinoris præmium posuit regnum cælorum : ne his indignetis, quasi præmium alienum sumentibus. Quanquam enim variæ videntur acceptæ retributiones, propter nominum varietatem : omnes tamen regnum cælorum designant : Siquidem omnes, qui his digni habentur retributionibus, regnum quoque cælorũ fruũtur : ideo etiam omnes beati dicti sunt.

† † *Non soli martyres persecutionem sustinent, sed plurimi quoque alij, quia illis sunt auxilio, qui afficiuntur iniurijs, & vniuersaliter propter quancunque virtutem. Iustitia siquidem omnis virtus est. Fures vero & etiam homicidæ persequutionem patiuntur, non tamen beati dicuntur.*

† *Regnum cælorum, alij quidem dicunt, vitam quam in cælis degunt. Alij vero, æqualem angelis statum in cælis : Tertij autem, speciem diuinæ visionis, quæ cuique rependitur iuxta qualitatem, ac quantitatem suæ iustitiæ. Quarti verò regnum cælorum dicunt remunerationem, quæ secundum habitam gratiam datur ijs, qui ex se ad Deum bonum accedunt.* †

Beati estis, quum vos probris affecerint, &c. Ad Apostolos, qui aderant, sermonem dirigit; ostendens doctoribus propriũ esse, probris affici. Ne autem suspicetis, quòd simpliciter verbis malis impeti sit beatum : idcirco addidit, quæ plane distinctionem faciunt : videlicet, vt quæ dicuntur, mendacia sint, & propter Christum ea dicantur. Quod si hæc non ita se habent : miser potius est, qui male audit, vtpote plurimos suis malis operibus offendens. Quid ergo his admonitionibus mirabilius esse potest? Vtinã vero, quæ ab omnibus euitãtur, præmiorũ magnitudine fiãt omnibus desiderabilia. Nã, qui grauia, ac molesta, & hominum consuetudini ad id vsque tẽporis cõtraria præscripsit, persuasit tamẽ & persuadet vniuerso ferè orbi. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra* † *multa est in cælis.* Gaudete, & exultate spiritu quicũque probra, ac persequutiones sustinetis, & modo, qum dictum est, male auditis, dicens autem *merces vestra multa est in cælis* : aliam quoque consolationem induxit. †

† *Nam opprobria sustinere, magnum est, & graue admodum. Vnde & Iob, postquam alias tentationes patienter tolerauerat, tunc maxime, turbatus est, quando ab amicis opprobrijs afficiebatur, tanquam propter peccata sua pateretur.* †

GVERRICI ABBATIS
Igniacensis in Euang. huius festiuitatis, Serm. 1.

B*Eati pauperes spiritu.* Agnosco notum illud, ac nobile prognosticum, quod in testimonium sui, nec dum natus in carne Dei filius protulit: iam vero natus, sed nondum notus, sibi competẽte docuit, Spiritus, inquit, Domini super me, euãgelizare pauperibus misit me. Ecce pauperes euangelizantur, ecce pauperibus regni euangelium nuntiatur *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Lætum prorsus, ac nouę plenum gratię noui testamenti principium, & quantũlibet infidelem aut pigrum prouocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum, cum scilicet beatitudo miseris, exulibus, & egenis promittitur regnum cælorum. Gratum inquam & auspicatum nouæ legis initium, quando in ipso statim initio tot beatitudinum benedictiones dat legislator, quibus delectati eant de virtute in virtutem : per istos videlicet octo gradus ascensionis, quos in corde nostro disponit structura euãgelij, secũdum exemplar & imaginem cælestium, quod Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifeste quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum euangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum Luc. 4. Esaia 61. Psal. 83.

Zach. 40. in Syon ingrediatur templum, de quo propheta dicit: Et in octo gradibus ascensus eius. Prima siquidem virtus inchoantium est renunciatio seculi, qua pauperes efficimur spiritu: secūda mansuetudo, qua nos obedientiæ subdimus, & assuescimus: deinde luctus quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum gustamus, vnde amplius esuriamos, & sitiamus iustitiam, tam in nobis quam in aliis, zeloque contra peccantes incipimus moueri. Sed ne zelus immoderatior in vitiū feratur, sequitur misericordia qua tēperatur. His ergo studiis, vel exercitiis cum quis iustus & misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare & mundando cordi, quo Deus videatur operam dare. Exercitatus autem & probatus tam in actione, quàm in contemplatione: tum demum dignus erit, qui nomen & officium filij Dei gerēs, pater & minister factus aliorum, tanquam mediator, & sequester pacificet inter ipsos, & Deum: pacificet ipsos adinuicem, vel etiam ad eos qui foris sunt: sicut scriptum est, in laude sanctorum patrum pacificantes in domibus suis. In hoc officio, qui fidelis & constans fuerit, sæpe virtutem & meritū sancti martyrij comparabit, persecutionem patiens propter iustitiam aliquando & ab his pro quibus pugnabit, vt sit ei dicere filij matris meę pugnauerunt contra me, & cum his qui oderunt pacem eram pacificus,
Psal. 119. cum loquebar illis impugnabāt me gratis. Quantæ autem gloriæ, quamque copiosæ mercedis in cęlo sit culmē huius perfectionis, vnde vtcunque licet ęstimare, quod ipsa etiā abrenūciantiū seculo primordia tantæ dominus prędicat fœlicitatis, vt dicat: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnū cœlorum.* Plane beati qui proiectis vilibus, sed grauibus sarcinulis huius mundi nolunt ditiores fieri, nisi de solo creatore mundi, propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem, & disponentem omnia, quorum Deus portio est & hæreditas, qui vt nihil desit timentibus eum: cætera prout expedire nouit dispensat ad vtendum, seipsum seruat ad fruendum? Cum hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus & emancipatus introducetur in plenariam possessionē expectatæ hęreditatis: tunc pro-
Gal. 4. fectò ius absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modo quanto tempore paruulus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & apparitoribus est vsque ad tempus pręfinitum à patre. Tunc mundus agnoscet iustum, ac legitimum hęredem Dominum suum, propter quem creatus est: agnoscet inquam, quia iam non conformē sibi, sed reformatum in nouitate sensus sui ad imaginem Dei ad quam factus est. Sed & nunc quoq; fideli homini totus mundus diuitiarum est, non solùm, quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus vtitur tanquam ad hoc sibi datis: & in via testimoniorum Dei quoę videt se facturum, sicut & scripturam perhibere facto, delectatur sicut in omnibus diuitiis: sed etiam, quia ita sufficiens, & gratus esse didicit, vt quasi totius mundi diuitias computet illud propè nihil quod habet, siue hoc ipsum quod nihil habet. Ideo iure beatificat ecclesiam sanctorum Salomon, quę pauper pro Christo tam diues est
Prouer. 31. in Christo. Multę, inquit, filię congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas: alij siquidem rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: sancti diuidunt propria, & ditiores fiunt. Diuites enim Psal. 33. eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Auarus quò plura possidet, pluribus eget. Quanquam nil minus habeat, quàm quod habere se putat: cùm habeat vt non habeat, seruus pecunię, mācipium auaritiæ cultórque crumenæ, idololatra detestā- Auari descriptio. dus, cui nummus est Deus. Pulchrè autem iam nunc quoque vindicat in peccatores iustitia diuina, res ipsas quas amant conuertens eis in tormēta, & vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim quæ iustum ampliùs iustificat, & veriùs ditat dispensata vel semel data: auarum cruciat seruata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, vt solus, qui is sit optimus diuitiarum vsus inuenerit: quòd videlicet diuitiæ pauperem faciunt & miserum, si diliguntur: tunc demum faciunt diuitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi pater domine cœli & ter- Matth. 11. ræ, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: id est homilibus qui vtique non sunt alij quàm pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur. Hæc enim licet scientes tamen commonere vos velim fratres quòd vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quàm in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quàm in contemptu substantiæ. Substantia nonnunquā vtiliter habetur, superbia nunquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola vel maximè superbia damnat. Parùm igitur prodest renunciare seculi possessionibus, nisi renuncietur & moribus: nimis stultum, ac ridiculosum est nudari diuitiis, pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, iuuare partes Antichristi. Planè Antichristi partes adiuuat, quisquis superbię militat, nomēque sanctū, quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia, vel potius capitis eius diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur, fratres, quia pauperes sumus pro Christo: sed operam demus, vt humiles simus, cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius, cùm eum & paupertas nunc affligat, & superbia in perpetuum abdicat. Pauper autem humilis, & si vritur & purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ diuitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei, quod iam intra seipsum velut in semine vel radice gerit primitias, scilicet spiritus, & pignus æternæ hæreditatis. An non vestrum est, fratres, vnde toties sicut vobis conscij estis, fructus suauissimos, & beata gaudia decerpitis quorum gustus amarescere vobis iam omnem fecit dulcedinem mundi. Gustastis enim, Prouer. 31. ni fallor, & vidistis quoniam bona est negociatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac proiicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Si hęc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronunciemos

mus intrantis esse regnum Dei. Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est, quia nobis inuitis eripi non potest. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait ipsorum erit, sed est regnum cœlorum: non solùm propter ius firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum vtúmque fœlicissimum: non solùm, quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam, quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, iam puttantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quàm beata gens cuius est dominus Deus eius, quàm vicini sunt Dei regno qui regem ipsum cui seruire regnare

Psal.15 est, iam possident, & gestant in corde suo. Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Litigent alij de diuidenda hæreditate huius mundi, Dominus pars hæreditatis meę & calicis mei. Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt inuideo, ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hęreditas pauperũ, o beata possessio nihil habentiũ, quomodo nõ solũ omnẽ sufficientiã nobis subministras, sed etiã ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt diuitiæ & gloria, opes, superbiæ & iustitia. Superbiat ô pauperes, superbiat ô humiles anima vestra, glorians in humilitate sua, omnémque altitudinem huius mundi, longè sub pedibus suis iacentem despiciat: indignúmque iudicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædę, suam vlterius maiestatem inclinare. Quid, tantùm tollenda es in cœlum, & núc te demergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna: & præeligeres transitoria, somnóque similia? Te præstolatur curia sanctorum, & præponeres

Psal.48. societatem dæmoniorum? Quàm miser homo qui cùm in honore esset non intellexit, ac perinde comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. An non manifeste hoc illis contingit, quos cùm beata paupertas fecisset honorabiles cælo, mirabiles mundo, & vt nihil prætermissum sit, etiam formidabiles inferno: posteà arbitrantes miseriam cæcato sensu paupertatem, hu-

1.Tim.4. militatem ignauiam, voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & in laqueos diaboli: cumque essent Domini vniuersorum vendiderũt se ipsos sine precio, propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, scientes fecit de possidendo regno cælorum incommutabilis veritas, vestrum illud asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens, si tamen & vosipsi spem in sinu vestro repositam firmiter custodiatis vsque in finem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

PETRI DAMIANI
in eodem festo, Sermo.

HOdie dies serenior arrisit nobis, & Sol solito lucidior terris illuxit. Non enim vnus, sed vniuersi sancti sanctificant eam, & splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa cælorum solemnitas, quæ non annuis, sed continuis gaudiis inclarescit; vbi lumen vi[d]etur in lumine, & ipsius Trinitatis substantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoscitur Gignentis, Genitique, & Procedentis ratio sempiterna, quæ hîc credi potest, comprehendi non potest. Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum, & vtriusque naturis gloriam eius admirantibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum est mysterium hoc, quod cernitis, diuinum profectò, non humanum, nec humanis vnquam rationibus comprehensum. Ibi numerosus Angelorum exercitus sacrans diuisionibus insplendescit, & volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed reuelat Domini maiestatem. Illic Patriarcharum electio primitiua, reuerenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida Confessorum, candida Virginum turma, Monachorum numerus infinitus. Sedet in medio Dominus virtutum, & de refusione gloriæ suæ inebriat intuentes. Inebriabuntur namque, ait Propheta, ab vbertate domus tuæ. Ibi pax secura, requies voluptuosa, vita perpetua, sapientia mentis, agilitas corporis, cordis illuminatio. Beati qui habitant in domo tua, Domine. Sicut lætantium omnium habitatio est in te, ciuitas Dei: & in plateis tuis vox exultationis dulcioribus modulis intonatur? Quare tristis es, anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Confitebor illi, ibi; nam hic stadium, illic præmium; hic pugna, ibi corona. Vanum est ante lucem surgere. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus, & vtriusque substantiæ materia repurganda, si ad propitios ortus volumus euolare. Amanda est interim tenuitas paupertatis, sermo suspendendus amarior, elatio fugienda, sustinendi labores, cum vitiis congrediendum, eliminandæ diuitiæ seculares. Hoc est, quod ille pauper, & vnicus, in hodierna sancti Euangelij lectione pauperibus, quos de mundi paupertate vocauerat, ait: Beati pauperes spiritu. Hæ sunt octo, immò septem beatitudines, quia octaua eadem quæ & prima. Felicissimi gradus, quibus itur ad Dominum, quos omnes in persona sua priùs ascendit, Qui ascendit in montem, & aperuit os suum, vt doceret Discipulos suos. Denique quis pauperior illo, qui non habuit vbi caput suum reclinaret? Quis illo mitior, qui mitis est, & humilis corde? Quis vidẽs ciuitatem fleuit super illam, fleuit Lazarum, iustitiam docuit, iustitiam fecit, in cuius ore non est inuentus dolus? Quis illo misericordior, qui mulierem adulteram liberauit? Peccatricem sanauit septem dæmonibus cumulatam? Quis mundior illo, qui peccatum non fecit? Pacificare venit & quæ in cælis, & quæ in terris; pacem reliquit Discipulis suis; persecutionem pro iustitia passus est, flagellatus in carne, suspensus in Cruce, morte turpatus. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Canta ergo cãticum graduum, & gradatim ascende, nec præpropero saltu aliquẽ prætermittas, quia qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Sis ergo pauper spiritu, nec putes hunc primum gradum leuiter attingendum,

[illegible]

Nota hunc sermonem [illegible]

Vides quod viriliter nobis agendum est, & non otiosè degendum, si volumus ad cœleste regnũ peruenire?

cùm multæ solicitudinis sit, mundum, & mundana relinquere, & à consuetudinario cursu cor, corpus, & studium reuocare. Qui enim pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatem amplectitur, desideria terrena conculcat. Sed quia illa paupertas execrabilis est, quæ regio spiritu intumescens discordias seminat, inseruit litibus, detractoriis sermonibus iucundatur, euolandum est ad secundi gradus sublimitatem, vt sis mitis. Mitis est, qui nulli reddit malum pro malo. Læsus veniam petit, & benefacit lædentibus. Nec plenam iactet victoriam, quisquis huc fortassis ascēdit, cùm sit omni lachrymarum fonte plangendū, quòd tandiu luto, & lateri sub Pharaonis seruiérimus potestate; & ideo Beati, qui lugent. Luctus autem sanctorum non est de diminutione rerum, de corporum infirmitate, de ferocitate sublimioris potestatis; lugent enim peccata vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimētum fidei, contemptum iustitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem Regni. Nec hìc consummationis terminus imponendus, cùm perfecta iustitia sit diligere proximum, sicut se ipsum, & eius excessus libera discretione, & discreta redarguere libertate. Qui enim pro persona, quam gerit, non resistit peccantibus, de suo se nouerit silentio esse damnandum. Esurit ergo, & sitit iustitiam, qui vitia destruit, construit virtutes, sobrius sibi, iustus proximo, pius Deo. Cuius animam vrit zelus domus Dei; qui cantat cum iusto: Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Sed quia secundum vocem Oratoris, plerunque summum ius malitia est, & inconsiderata iustitia præcipitiū parturit, ideo sequitur: Beati misericordes. Misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Est autem vera misericordia, cum superexaltatur misericordia, iudicio cum vel largitate substantiæ, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus, & animam refouemus. Cùm autem iam à claritate in claritatem sic cœperimus ambulare, à claritate cordis nostri ad clarificandum cor proximi, mundandi sumus ab omni inquinamento carnis, & spiritus, ab omni huius mundi aspersione purè, presséque tergendi, sicut subiungitur: Beati mundo corde. Quis gloriabitur, castum se habere cor? Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Difficile est illud mondare, cùm in suis abditis delitescens, irruentium recipiat agmina cogitationum, plurimùm etiam renitentibus nobis, sed nequaquam obniti valentibus. Ille igitur mundum cor habet, qui vtriusque hominis motibus mitigatis, passiones non modò reprimit, sed ignorat, naturali cursu bonorum operum communitus, crucifixus mundo, & cui crucifixus est mundus. Pauci autē, quibus se infuderit tātæ gratiæ plenitudo. Quicūq; autē illi sunt, iā sunt prope palmā supernæ vocationis, si pace, qua refecti sunt, pacificare studeāt dissidentes, & dicere cum Propheta: Cū his, qui oderūt pacem eram pacificus. Ideirco subinfertur: Beati pacifici: non solùm pacati, sed pacifici, facientes pacem, cōcordiæ semina seminantes. Sed quia sæpius vel adulatione potētium, vel amore temporalium, iustitiam aut dimittimus, aut nō defendimus dimissam, ad metam cursus porrigenda est dextera, vt pro iustitia non solum nostra, sed & alterius, persecutionem patiamur, & resistamus vsque ad sanguinem, vel vsque ad mortem. Et hoc est, quod subsequitur: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Post hæc autem quid? Hìc adhæremus domino, & vnus cum eo spiritus efficimur. Hìc disrumpitur nubes, & transit oratio. Hìc reuelata facie gloriam Domini speculamur. Hìc dulcedo spiritus, cordis suauitas, iubilatio mentis. Beatus populus, qui scit iubilationem. Videamus, si fortè aliqua sermonis consequentia beatitudines istas septem donis sancti Spiritus possimus assignare. Paupertatē spiritus generat timor Dei, qui pungit animam, & sanguinem elicit, & cogit nos quęrere medicinam. A timore tuo, Domine, concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis fecimus super terram, hoc est spiritum paupertatis: dicit Esaias Propheta, immò per Esaiam dominus. Hic facit nos mundana vel relinquere, vel non concupiscere, clauus clauum expellēs, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Pietas autem mites facit, dum nos dulciori spiritu superfusos, ad mansuetudinis thalamum introducit. Qui enim efferati sunt superbia, sublimes in oculis suis, ardentes inuidia, inuicem mordentes, & inuicem consumpti, quomodo mitigatoria possunt indui pietate? Porrò scientia luctum parit. Scimus enim quia singularis scientia est, recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostrę, & multiplicibus lachrymarū riuulis propria deflere delicta. De fortitudine verò nascitur fames, & sitis iustitiæ, cùm virium sit nō paucarum, pro libertate iustitiæ mori, ne dum loqui, & vbi Deus in causa est, nec allici blanditiis, nec terrore moueri. Consilium autem misericordiam parit, cùm summa totius consilij sit consulere omnibus, & infirmitates tam animarum, quàm corporum benigna manu misericordiæ subleuare. Munditia cordis ab intellectus puritate descendit, qui cordis receptacula purgat, & latebrosos eius affectus acutissima circumspectionis falce succidit. Porrò pacificus ab ipsius Sapientiæ nascitur summitate, conformis illi Sapientiæ, quæ pretio sanguinis sui & terram pacificauit, & cælū. Fortassis etiam, si diligentiùs perscrutemur, septem petitionibus, quæ in oratione Dominica continentur, eas iterum concatenare poterimus. Illi etenim de timore Domini paupertatem spiritus amplectuntur, qui volunt vt sanctificetur in eis nomen Domini, & dicunt cum Psalmista: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Qui verò sunt mites, nisi quos pietas imbuit, qui cum patientia & mansuetudine frequenter postulant, vt adueniat regnum Dei, cupientes dissolui, & esse cum Christo? Quorum vniuersitati Sanctus eructuat dicēs: Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: terra enim viuentium promittitur possidenda. Qui autem lugent, nisi quos instruit scientia salutaris, qui piarum vndis lachrymarum voluntatem Dei volunt fieri sicut in cælo, ita in terra, sicut in Angelis, ita in hominibus? Porrò fames, & sitis iustitiæ de mentis fortitudine generatur, quæ quotidianum panem ab ipsis Dei manibus quærit, panem illum videlicet, qui cor hominis confirmat. Qui etiam misericordes sunt, nisi qui pro facultate consulunt omnibus, & audaci cōscientia pactum faciunt cum Deo dicentes: Dimitte nobis debita

nostra,

noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Mundum autem cor non niſi lucidiſſimus percipit intellectus, qui non inducitur in tentationem, rogans à patre luminum, non vt non tentetur, ſed vt non inducatur, excutiens lattocinantium turmas negociorum. Pacificatio verò à ſapientia ipſa deſcendit, vbi liberamur à malo, & ab omnium iniquitatum mundamur influxu. Hæ ſunt ſeptem beatitudines, ſeptem dona, ſeptem petitiones, ſeptem candelabra, ſeptem lucernæ, ſeptem infuſoria, ſeptem ſpicæ, & ſi qua ſunt alia, quæ in arce ſeptenarij numeri ſcripturarum conſecrauit auctoritas. Adoleſcētulus ego auſus ſum totam lectionis huius ſeriem explanare, illorum rogatus, immò compulſus precibus, & pręcepto, quibus nec velle, nec poſſe fuerat obuiare. Sed vt præſenti ſolennitati aliquantulum inſiſtamus, fauorabili, & mellita dulcedine redundans tanta feſtiuitas eſt, in qua laudem dicunt Deo omnes ſancti eius, & totus orbis clara voce reſultat. Iſti ſunt aduocati, quos apud Iudicem habemus. Pro quo iſti intercesſerint, ſententiam non timet capitalem. Confugiamus ergo ad probata ſuffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum, quia maior eſt illorum pietas, quàm impietas noſtra. Conſiliarij ſunt Regis noſtri, & ipſius iræ ſępè reſiſtunt, nec nos deſerunt in tempore malo. Sciunt enim, vbi nos reliquerint, quantis hoſtium inſidiis pateamus. Suſpiremus igitur ad illorum memoriam, vt protegant nos ſub vmbra alarum ſuarum, donec tranſeat iniquitas, & perducant nos ad ſponſum Eccleſiæ, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Ecce quomodo ſancti ſunt aduocati noſtri apud Iudicem noſtrum Dominū Ieſum Chriſtū, & intercedūt pro nobis.



IN COMMEMORATIONE

OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

IOAN. 5.



N illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis, & turbis Iudęorum. Amen
a Poſt per apoſtolos. b Noli expectare nouiſſimam. c Per ipſum. d Sine fide in peccatis.
amen dico vobis, quia [a] venit [b] hora & [c] nunc eſt, quando [d] mor-
e Credendo. f Obediendo. Nunc & ſemper. Per vocem filij Dei, quia, ſicut enim pater.
tui [e] audient vocem filij Dei, & qui [f] audierint viuent. Sicut enim
g Ad animarum viuificationem.
pater habet [g] vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo. Et
h Quod filius hominis habet poteſtatem iudicij, vt & malis poſſit videri, mirum enim videtur: cum hoc magis conueniret filio Dei.
poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite [h] mirari hoc,
i In fine ſeculi. k Tam boni quam mali. l Corpora non animæ. m Non vt viuant ſicut ſupra, ſed vt reſurgant.
quia veniet [i] hora in qua [k] omnes qui in [l] monumentis ſunt, audient [m] vocem
n Adhuc indiſcretio. o Ecce diſcretio iudicij. p Vt videant Deum ſicuti eſt.
filij Dei: & [n] procedent, qui [o] bona fecerunt, [p] in reſurrectionem vitæ, qui verò
q Damnationis.
mala egerunt, in reſurrectionem [q] iudicij.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

QVia venit. Dixi quia filius ſuſcitat & viuificat, quod verum eſt: quia venit hora, &c. Et oſtenſio patris ſui, hic enim de ſuſcitatione animæ à peccatis agitur. *Vocem filij*. Hoc ſolum iuſtis conuenit, qui ſic audiunt de incarnatione eius, vt credant: quia filius Dei eſt. *Sicut enim pater*. Auguſtinus. Vita quæ eſt ipſe pater & filius, pertinet ad animam, non ad corpus. Corpus enim non ſentit vitam ſapientiæ, ſed anima rationalis, quæ illuminatur à lumine: quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Auguſt. Super animam rationalem, quæ eſt imago Dei, nihil eſt niſi Deus cuius eſt imago: huius ipſe Deus eſt vita, & ipſa eſt vita corporis. *In ſemetipſo*. Non aliunde, ſed ipſe eſt vita, ſic & filius in ſemetipſo eſt vita. Sed differunt: quia pater eſt vita non naſcendo, filius eſt vita ex patre naſcendo. Vnde ait. *Dedit*. Non quod aliquando filius fuerit ſine vita, ſed naſcitur ex eo vita. Dedit ergo, id eſt, vita genuit vitam. *Et poteſtatem*. Poſtquam dixit de reſurrectione animæ, ſubdit de reſurrectione carnis. Et poteſtatem quam habet filius cum patre in occulto, dedit pater ei: quia filius hominis eſt, in qua forma iudicans bonis & malis videbitur. Viſio enim formæ Dei ſolis mundis corde promittitur, vnde: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Auguſtinus. Chriſtus in eo quòd eſt filius Dei, eſt vita quę viuificat

animas, in eo quòd filius hominis, Iudex. Dedit ergo ei pater vitam generando, vt viuificet. Dedit ei potestatem iudicij in carne mittendo. Per verbum enim filium Dei, fit animarum resurrectio. Per verbum factum in carne filium hominis, fit corporum resurrectio. *Quia veniet hora.* Sicut supra est autor de resurrectione mentis in vitam æternam, ita etiam hic est autor de resurrectione carnis, aliter nemo crederet.

CATENA AVREA
in idem Euang.

AMen amen dico vobis: quia venit hora, & nunc est, &c. Augustinus. Posset aliquis dicere: Ex patre aliquis viuificatur qui credit: quid tu, non viuificas? vide quia & filius quos vult viuificat, vnde dicat: *Amen amen dico vobis, quia, &c.* Chrysostomus. Cùm autem dicat: *Venit hora*, ne fortè longum suspiceris tempus, addidit: *Et nunc est.* Sicut enim in resurrectione futura vocē audientes præcipientem suscitabimur, ita & tunc fuit. Theo. Hoc enim dixit pro his quos à mortuis suscitaturus fuit, scilicet filia Archisynagogi, filio viduæ, & Lazaro. Augustinus. Vel aliter. Ne fortè quia dixit: Transit de morte ad vitam, intelligamus hoc in futura resurrectione, ostendere volens quomodo transit qui credit, subiungit: *Amen amen dico vobis, quia venit hora*, quæ hora? *Et nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.* Non, inquit, quia viuunt audiunt: sed audiendo reuiuiscunt. Quid est enim audient, nisi obedient? Qui enim credunt, & secundum veram fidem agunt, viuunt & mortui non sunt. Qui autem vel non credunt, vel credunt malè viuentes, & charitatem non habentes, mortui potius deputandi sunt: & tamen adhuc agitur hora ista, & vsque ad finem seculi ipsa hora vna agitur, vt Ioannes dicit: Nouissima hora est. Augustinus de verbo Domini: Quando mortui, id est, infideles, audient vocem filij Dei, id est, Euangelium. *Et qui audierint*, id est, qui obedierint, *viuent*, id est, iustificabuntur, & infideles iam non erunt. Augustinus super Ioannem: Sed quæret aliquis: Habet filius vitam vnde viuāt credentes? Audi ipsum dicentem: *Sicut enim habet pater, &c.* Viuere quippe suum in illo est, non aliunde, non alienum est: non quasi particeps sit vitæ, quæ non est quod ipse, sed habet vitam in semetipso, vt ipsa sibi sit ipse. Quid tu? anima mortua eras. Audi patrem per filium: Surge vt in eo recipias vitā, quā non habes in te. Qui habet vitam in semetipso: & sic agitur prima resurrectio. Hęc enim vita quòd pater & filius est, ad animam pertinet. Non enim vitam illam sapientiæ sentit corpus, sed mens rationalis. Hilarius in libro de Synodis. Conclusi quidem hæretici scripturarum authoritatibus, hoc solum tribuere solent filio, vt patri tantum virtute similis sit, tollunt autem ei similitudinem naturæ: non intelligentes non nisi ex naturæ similitudine, similitudinem esse virtutis: neque enim aliquando inferior natura superioris à se potiorísque naturæ virtutē consequitur. Non autem potest negari quin filius Dei idem possit, cùm dixerit: Quæcunque pater facit, eadem & filius facit similiter: sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit, cùm dixit: *Sicut habet pater vitam in semetipso, ita & filio dedit habere vitam in semetipso.* In vita naturæ & essentiæ significatio est, quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. Quod enim in vtroque vita est, id in vtroque significatur essentia: & vita quæ gignitur, est vita, id est, essentia, quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet quia vita ex vita est, tenet in se originis suæ indissimilem naturam. Augustinus 15. de Trinitate. Intelligitur autem pater non sine vita existenti iam filio vitam dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, vt vita quam pater filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ eius qui dedit. Hilarius 7. de Trinit. Quod enim ex viuo viuum natum est, habet natiuitatis perfectionem sine nouitate naturæ: non enim nouum est quod ex viuo generatur in viuum: quia nec ex nihilo ad natiuitatem vita quæsita est: & vita quæ natiuitatem sumit ex vita, necesse est per naturæ vnitatem, & perfectæ natiuitatis sacramentum, vt in viuente viuat, & in se habeat vitam viuentem. Et quidem naturæ humanæ infirmitas ex disparibus comparatur: & ex inanimatis continetur ad vitam, nec statim in ea quod gignitur viuit, neque totum viuit ex vita, cum in ea multa sint, multa quæ sine naturæ sensu eum excreuerint deficerentur. In Deo verò totū quod est, viuit. Deus enim vita est, & ex vita non potest quicquam esse nisi viuum. Augustin. Ergo quod dicitur: *Dedit filio*, tale est ac si diceretur: Genuit filium: generando enim dedit. Quomodo dedit, vt esset? sic dedit vt vita esset in semetipso, vt non aliundè vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ: vnde credentes alij viuerent dum viuerent. Quid interest? quia ille dedit, iste accepit. Chrysostomus. Vides indissimilitudinem in vno solo differentiam ostendentem in essendo, hunc quidem patrem, illum verò filium. Hilarius de syn. Discernitur enim persona accipientis & dantis. Non enim potest intelligi ipse atque vnus à se accepisse qui dederit, quia alius est ibi viuens, alius profitens se viuere per authorem. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis, &c.* Theo. Non solum pater dedit filio quod viuificet, sed etiam quòd iudicium faciat, vnde dicitur: *Et potestatem dedit ei, &c.* Chrysostomus. Cuius autem gratia circa hæc continuè vertitur: iudicium dico & resurrectionem & vitam: quoniam hæc maximè omnium sunt, quæ introducere possunt, & inflexibilem facere auditorem. Qui enim persuasus est, quoniam resurget, & filio dabit noxas eorum quæ deliquit, & si nihil aliud viderit, signum hoc suscipiens curret benignum sibi iudicem faciens. Sequitur: *Quia filius hominis est, &c.* Paulus quidem Samosatanus non ita ait, sed sic: *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*: sed nullam conuenientiā habet hoc dictum ita. Non enim propterea suscepit iudicium, quia homo est: quia quis prohibet omnes homines esse iudices? sed quia ineffabilis Dei filius est, propterea & iudex est. Ita igitur legendum: *Quia filius hominis est: nolite mirari hoc.* Quia enim videbatur audientibus obstare his quæ dicebantur, quoniam nihil plus æstimabant esse Christum, quàm purum hominem, quæ verò dicebantur, erant maiora, quàm secundum hominem, & etiam quàm secundum angelum, & erāt filius Dei: ideo hanc opinionem soluens dixit: Ne miremini, quia filius hominis est: & subdit causam quare non sit

miran

mirandum, dicens: *Quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei.* Et cuius gratia non dixit: Ne miremini quia filius hominis est? etenim & ipse filius Dei si resurrectionem posuit, quia scilicet opus, dicens quod Dei proprium erat, dat audientibus ex eo syllogizare de reliquo, quoniam Deus erat, & Dei filius. Etenim qui augmenta complicant, cùm partes ponentes nobiliter demõstrauerint quod quæritur, multoties non inducunt ipsi conclusionem, sed clariorem facientes victoriam, dimittunt illi qui contradicit, vt pro eis sententiam ferat. Igitur eius quidem quæ secundum Lazarum resurrectionis suprà reminiscens de iudicio tacuit, non enim propter iudicium surrexit Lazarus. Vniuersalem verò resurrectionem inducens iudicium posuit, vnde sequitur: *Et procedent qui bona fecerunt, &c.* Quia enim suprà dixerat: Qui audit sermonem meum, & credit ei qui misit me, in iudicium non venit, vt non æstimet quis quod credere sufficit ad salutem. Adiecit hic & de vita dum dicit: *Et qui bona egerunt, & qui mala egerunt.* Augustinus. Vel aliter: In quantum verbum in principio apud Deum dedit ei vitam habere in semetipso, sed quia verbum caro factum est ex Virgine Maria, homo factus filius hominis est. Et quia filius hominis est, accepit potestatem iudicium facere, quod scilicet erit in fine seculi. Et ibi erit resurrectio corporum mortuorũ. Animas ergo suscitat Deus per Christum filiũ Dei, corpora suscitat per eundem filium hominis, vnde additur: Quia filius hominis est. Nam secundum quòd Dei filius est, semper habuit. Augustinus de verbo Domini: Ad iudicium enim forma hominis ventura est, forma illa iudicabit, quæ iudicata est: sedebit iudex qui stabat sub iudice. Damnabit verò reos, qui factus est falsò reus. Rectum enim erat, vt iudicandi viderent iudicem: iudicandi autem erant boni & mali, restabat vt in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur, forma Dei solis bonis seruaretur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Augustinus super Ioannem: Omnes autem qui instituerunt alicuius etiam falsæ religionis sectam, negare resurrectionem mentium non potuerunt, sed multi carnis resurrectionem negauerunt: & nisi tu Domine Iesu dixeris eam, quid opponemus contradictoribus? Ad ipsam igitur ostendendam subdit: *Nolite mirari hoc*, scilicet quòd dedit potestatem filio hominis iudicium faciendi, quia venit hora. Augustinus de verbo Domini. Hic non addit. *Et nunc est:* quia ista hora in fine seculi erit. Nolite inquam mirari, quia dixit: Oportet homines ab homine iudicari: sed quos homines? non solum quos inueniet viuos, vnde sequitur: *Quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt.* Augustinus super Ioannem: Quid euidentius? corpora sunt in monumentis, non animæ. Superius etiam cùm diceret: *Venit hora:* & adderet: *Et nunc est*, subiecit, *quando mortui audient vocem filij Dei.* Non dixit: Omnes mortui: mortuos enim iniquos voluit intelligi: sed non omnes iniqui obediunt Euangelio. At verò in fine omnes, qui sunt in monumentis audient vocem eius, & procedent: noluit dicere: *Et viuent*, quod suprà dixit, vbi vitam æternam intelligi voluit & beatam, quam non omnes habebunt qui de monumentis procedent. Accepisti certè potestatem iudicandi, quia filius hominis es. Resurgent corpora de ipso iudicio: dic aliquid, & hoc audiat: *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*, viuere scilicet cum angelis Dei: *qui malè egerunt, in resurrectionem iudicij.* Hic iudicium pro pœna posuit.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia.

AMen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, &c. Verba re comprobat. Nam, cùm dixisset; Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat. Ne viderentur superbè, & arroganter loqui, etiam operum veritatem enarrat, cùm, inquit; *Venit hora:* quam ne longo post tempore futuram arbitreris, subdit; *Et nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & viuent.* Intueris incredibilem eius potestatem? Sicut in resurrectione, ita & nũc erit, inquit, tunc enim, audita imperantis voce, resurgemus. In præcepto Dei, inquit, mortui resurgent. Et vnde constat non perperam dictum? quoniam nunc adesse dicit. Nam, si futura tantùm annunciaret, non immeritò esset dubitandum: sed, se in terris cum ipsis conuersante, hæc ventura dicit. Neque enim nisi potestatem habuisset: id polliceretur, ne ridiculus omnibus esset. Inde firmissima ratione comprobat; *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Ecce quomodo in nullo prorsus differunt, præterquam quòd alter pater est, alter filius. Verba hanc tantum videntur facere differentiam, cætera æqualia & indiscreta, vnde perspicuum est, tam potenter omnia filium, quàm patrẽ facere. Sic enim habet vitam vt pater, propterea statim additur, vt ex hoc illud intelligamus. Quid deinde? *Et potestatem dedit ei iudicium facere.* Et qua gratia resurrectionem, & iudicium frequẽter meminit? Sicut pater, inquit, suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat. Et iterum; Neque pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: & sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Et iterum; Qui audiunt vocem filij Dei, viuunt. Et in hoc loco; *potestatem dedit ei iudicium facere.* Quænam, inquam, tam frequens iudicij, vitæ, resurrectionis commemoratio? quoniam hæc omnium maxima sunt, & quæ possint difficilem etiam auditorem ad credendum adducere. Qui enim credit resurrectionem, & scelerum pœnas, etiam sine aliis signis hoc solo assentietur, & beneuolum sibi iudicem reddere curabit. *Quia filius hominis est, nolite hoc admirari.* Paulus Samosatensis non sic legit: sed, *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est:* quod minimè sequitur. Non enim propterea accepit iudicium, quia homo est, nam nihil prohibuisset omnes homines iudices esse: sed quoniam ineffabilis illius substantiæ filius est, ideò iudex. Quamobrem ita legendum; *Quia filius hominis est, nolite hoc admirari.* Nam, cùm videretur id repugnare, & nihil aliud quàm purum hominem esse arbitrarentur, verba autem supra hominem, ac etiam angelos, & solius Dei: hanc tollens obiectionem, addit; *Nolite mirari hoc, quia filius hominis est: Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, &c.* Et quánam gratia non dixit; Nolite mirari, quia filius hominis est:

Ex Hom. 38. in Ioan.

Alij patres sic ita legunt, nec quidquam ambigunt.

nis est: etenim Dei quoque est, vt superius; *Audient vocem filij Dei*: sed resurrectionis tantùm meminit? Ne admiteris nullam hic Dei mentionem habitam. Qui enim, quod proprium Dei est, narrat, satis admonet auditores, vt reliquum intelligant: quòd scilicet, & Deus, & Dei filius est. Nam, si verbis frequéter repetisset, quòd miraculis ostendebatur, visus esset causæ tanquam imbecilliori diffidere. Etenim qui syllogismos faciunt, positis partibus sine conclusione, sæpenumero apertè demonstrant, quod quæritur, & cum attentiores auditores reddant, & magis laudentur, ipsum repugnantem in suam adducunt sententiam. Itaque præsentes melius iudicium ferre possunt, cùm aduersarij se victos profitentur. Et Lazari resurrectionem memorans, iudicium tacuit, non enim propterea suscitatus est. Huic autē vniuersali resurrectioni addidit; *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ, &c.* Hac iudicij appellatione Ioannes auditorem compellit, atque etiam dicendo, quòd qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Sic & ipse Nicodemum, dicens ei; qui credit in filium, non iudicatur; qui autem non credit iam iudicatus est: ita & in hoc loco & iudicij, & malorum supplicij meminit. Nam, cùm dixisset, Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, non iudicatur, ne quis hoc solum satis esse ad salutem arbitraretur, & opera addidit; *Qui bona fecerant, procedent in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponen. in superius Euang. Homilia.

Ex Tract. 19. in Ioan.

AMen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, Nos expectabamus in fine resurrectionem mortuorum, nam ita credimus. Imò nō expectabamus: sed planè expectare debemus: neque enim falsum credimus in fine mortuos resurrecturos. Cum ergo vellet Dominus noster Iesus insinuare nobis quandam resurrectionem mortuorum, ante resurrectionem mortuorum, non sicut Lazari, vel filij illius viduæ, vel filiæ archisynagogi, qui surrecturi morituri: nam & ipsorum mortuorum quædam resurrectio facta est ante resurrectionem mortuorum: sed sicut hic dicit. *Habet*, inquit, *vitam æternam & in iudicium non venit, sed transijt à morte ad vitam.* Ad quam vitam? ad æternam: non autem sicut corpus Lazari: transijt enim & ille à morte sepulchri ad vitam hominū, sed non ad æternam, iterum moriturus: resurrecturi autem in fine sæculi mortui, in vitam æternam transibunt. Cum ergo vellet Dominus noster Iesus Christus magister cælestis, verbum patris, & veritas demonstrare nobis quandam resurrectionem mortuorum in æternam vitam, ante resurrectionem mortuorum in æternam vitam. *Venit hora*, inquis, tu proculdubio imbutus fide resurrectionis carnis expectabas horam: illam finis seculi, diem iudicij, quam me in isto loco expectares, addidit, *& nunc est.* Quòd ergo dicit, *Venit hora*, non dicit de illa hora nouissima, vbi in iussu, & voce archangeli, & in tuba Dei Dominus ipse descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primi, deinde nos viuentes, qui

Ioan. 11.
Luc. 7.
Marc. 5.

1. Thess. 4.

reliqui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Et veniet illa hora, sed non est nunc. Hora verò ista quæ sit, aduertite. *Venit hora & nunc est.* Quid in ea fit? Quid nisi resurrectio mortuorum? Et qualis resurrectio? Vt qui resurgunt, in æternum viuant? Hoc erit & in nouissima hora. Quid igitur, quomodo intelligimus duas istas resurrectiones? Nunquid forte, qui nūc resurgunt, tunc non resurgent, vt aliorum fiat tūc resurrectio, aliorum nunc? Non est ita, nam ista resurrectione si rectè credimus, resurreximus: & nosipsi, qui iam resurreximus, alteram in fine resurrectionem expectamus. Sed & nunc in æternam vitam resurreximus, si in fide ipsa perseueranter manemus: & tunc in æternam vitam resurgemus, quando angelis coæquabimur. Ipse ergo distinguat: ipse aperiat, quod loqui ausi sumus, quomodo fiat resurrectio ante resurrectionem, non aliarum, & aliorum, sed eorundem: nec talis qualis Lazari, sed in vitam æternam. Aperiet planè. Audite dilucescentem magistrum, & illabentem cordibus nostris solem nostrum, non quem desiderant oculi carnis, sed cui æstuant aperiri oculi cordis. Ipsum ergo audiamus, Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui. Videte exprimi resurrectionem. *Quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.* Quare addidit, *qui audierint viuent*? Possent enim audire, nisi viuerent? Sufficeret ergo; *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei.* Iam nos si intelligeremus viuentes eos, quando nisi viuerent, audire non possent: non inquit, quia viuunt audiunt, sed audiendo reuiuiscunt. *Audient, & qui audierint viuent.* Quid est ergo *audient*, nisi obaudient? Quantum enim pertinet ad auris auditum, non omnes qui audiunt, viuent: multi enim audiunt, & non credunt. Audiendo, & non credendo non obaudiunt, nō obaudiendo non viuent. Itaque hic, qui audient, nihil est aliud quàm qui obedient. Qui ergo obedierint viuent, certi sunt, securi sunt, viuent. Prædicatur Christus verbum Dei, filius Dei, per quem facta sunt omnia, certe dispensationis gratia, assumpta carne natus ex virgine, infans in carne, iuuenis in carne, patiens in carne, moriens in carne, resurgens in carne, ascendens in carne, promittens resurrectionem carni, promittens resurrectionem menti: menti ante carnem, carni post mentem. Qui audit & obaudit viuet: qui autem audit, & non obaudit, id est, qui audit, & contemnit, audit, & non credit, non viuet. Quare non viuet? quia non audit. Quid est non audit? non obaudit. Ergo qui audierint, viuent. Attende nunc quid dicturus differendum, vt nunc si fieri potuerit aperiatur. Subiecit continuò de hac ipsa resurrectione. *Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Quid est, *habet vitam pater in semetipso*? Non alibi habet vitam sed in semetipso: viuere quippe suum in illo est, & non aliunde. Et non alienum est, non quasi mutuatur vitam, nec quasi particeps sit vitæ, eius vitæ quæ non est quod ipse: sed habet vitam in semetipso, vt ipsa vita sibi sit ipse. Si potuero adhuc modicum quid inde dicere exemplis propositis ad intelligentiam vestram informandam, Domino adiuuante potuero, & pietate intentionis vestræ. Viuit Deus, viuit & anima: sed

vita

vita Dei immutabilis est, vita animæ mutabilis est: Deus nec proficit, nec deficit, sed est ipse semper in se, est ita vt est, nō aliter nunc, aliter postea, aliter antea: animæ vero vita, valde aliter, atq; aliter. Viuebat stulta, viuit sapiēs, viuebat iniqua, viuit iusta. Nunc meminit, nūc obliuiscitur: nūc discit, nūc discere non potest. Nunc perdit quod didicerat, nūc recipit quod amiserat. Mutabilis vita animæ, & eā viuit anima in iniquitate mors eius est. Cum autem fit iusta, fit particeps alterius vitæ, quæ non est quod ipsa: erigendo se quippe ad Deum, & inhærendo Deo, ex illo iustificatur. Dictum est enim; Credenti in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad illum, fit iusta. Nónne videtur tibi quasi aliquid frigidum, igni admotum feruescere, remotum ab igne torpescere? Nónne videtur tibi quiddam tenebrosum, admotum luci clarescere, remotum à luce nigrescere? Tale quiddam est anima, non tale aliquid Deus. Potest & homo dicere habere se lucem nunc in oculis suis: Dicant ergo quasi quadam voce propria oculi tui si possunt, Habemus lucem in nobisipsis. Contra dicitur, non proprie dicitis, habere vos lucem in vobisipsis: habetis lucem, sed in cælo. Habetis lucem, si forte nox est, sed in luna, in lucernis, non in vobisipsis: nam clausi amittitis, quod aperti percipitis. Non in vobisipsis habetis lucem, sole occidente, tenete lucem, si potestis. Nox est, & lumine nocturno perfruimini: subducta lucerna, tenete lucē. Cum vero subducta lucerna in tenebris remaneatis, non lucem in vobisipsis habetis. Hoc est ergo habere lucem in semetipso, non indigere luce ex altero. Ecce vbi, si quis intelligat, ostendit filium æqualem patri, vbi ait: *Sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Vt hoc solum intersit inter patrem, & filium, quia pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit. Filius autem habet vitam in semetipso, quam pater dedit. Sed etiam hic oritur aliquod nubilum discutiendum. Non deficiamus, intenti simus: pascua mentis sunt non fastidiamus, vt viuamus. Ecce, inquis fateris ipse, quòd vitam filio pater dedit, vt habeat eam quidem in semetipso, sicut habet pater vitam in semetipso. Non indiget ille, non indigeat & iste: vt sit ille vita, sit & iste, & vtrunq; coniunctum vna vita, nō duæ: quia vnus Deus, non duo dij, & hoc ipsum sit esse vitā. Quomodo ergo dedit filio vitā pater? Nō sic quasi ante fuerit filius sine vita, atq; vt viueret, à patre acceperit vitam, nam si hoc esset, nō haberet vitam in semetipso. Ecce de anima loquebar. Est anima etsi non sit sapiens, etsi nō sit iusta, anima est: etsi non sit pia, anima est. Aliud illi ergo est esse animam: aliud verò, esse sapientem, esse iustam, esse piam. Est ergo aliquid, quod nondum est sapiens, nondum iusta, nondum pia, non tamen nihil est, non tamen nulla vita est: nam ex operibus quibusdam suis ostendit se viuam, etsi non se ostendit sapiētem, piam, iustam. Nisi enim viueret, corpus nō moueret pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum, non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum nō moueret. His itaque operibus viuere se ostendit, & esse aliquid, quod sit corpore melius. Sed nunquid his operibus, sapientem, piam, iustam se ostendit? Nónne ambulant, operātur, vident, au-

Rom. 4.

diunt, loquūtur & stulti, & impij, & iniusti? Cum vero se erigit ad aliquid, quod ipsa nō est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est: percipit sapientiam, iustitiam, pietatem, sine quibus cum esset, mortua erat, nec vitam habebat, qua ipsa viueret, sed qua corpus viuificaret. Aliud est enim in anima, vnde corpus viuificatur, aliud vnde ipsa viuificatur. Melius quippe est quàm corpus, sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa etiam si sit insipiens, iniusta, & impia, vita corporis, Quia verò vita eius est Deus, quomodo eā ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorū: sic cum vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatē, iustitiam, charitatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de anima: aliud, quod præstatur animæ de Deo. Viuificat, & viuificatur: mortua viuificat, sed ipsa non viuificatur. Veniente itaque verbo, & infuso audientibus factísque illis non solum audientibus, sed etiā obedientibus, resurget anima à morte sua ad vitam suam, hoc est, ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate ad Deum suum, qui est illi sapientia, iustitia, charitas. Resurgat ad illum, illuminetur ab illo. Accedite, inquit, ad Deum. Et quid nobis erit? Et illuminamini. Si ergo accedendo illuminamini, & recedendo tenebramini, non erat in vobis lumen vestrum, sed in Deo vestro. Accedite vt resurgatis: si recesseritis moriemini. Si ergo accedendo viuitis, recedendo morimini, non erat in vobis vita vestra: Ipsa est enim vita vestra, quæ est lux vestra. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Non ergo sicut anima aliquid aliud est, antequam illuminetur, & fit melius, cum illuminatur participatione melioris: ita & verbum Dei, filius Dei, aliquid aliud erat, antequam acciperet vitam, vt participando habeat vitam, sed vitam habet in semetipso, ac per hoc ipse est ipsa vita. Quid ergo ait, *dedit filio vitam habere in semetipso*? Breuiter dixerim, genuit filium. Neque erat sine vita, & accepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo: filius vita est nascendo. Pater de nullo patre, filius de Deo patre. Pater quod est, à nullo est: quod autem pater est, propter filium est. Filius vero, & quod filius est, propter patrem est: & quod est, à patre est. Et hoc ergo dixit, *vitam dedit filio, vt haberet eam in semetipso*, tāquam diceret, pater, qui est vita in semetipso, genuit filium, qui esset vita in semetipso. Pro eo enim, quod est genuit, voluit intelligi dedit, tanquam si enitquam diceremus dedit tibi Deus esse. Cui dedit? Si alicui iam existenti dedit esse, non ei dedit esse, quia erat antequā ei daretur, qui posset accipere. Cum ergo audis, dedit tibi esse, non eras qui acciperes, & existendo accepisti vt esses. Dedit structor domui huic vt esset, sed quid ei dedit? Vt domus esset. Cui dedit? Huic domui. Quid ei dedit? vt domus esset. Quomodo potuit dare domui vt domus esset? Etenim si domus erat, cui daretur vt domus esset, quid ido iam domus erat? Quid est ergo, dedit ei vt domus esset? Fecit vt domus esset. Quid ergo filio dedit? Dedit ei vt filius esset. Genuit vt vita esset, hoc est, dedit habere ei vitā in semetipso vt esset vita, nō egēs vita, ne participando intelligatur habere vitā. Si enim participando haberet vitam non in semetipso, posset & amittendo esse sine vita: hoc in filio ne accipias, ne cogites, ne credas. Manet ergo pater vita, manet & filius

Psalm. 33.

Psal. 35.

Vide quantū Caluino repugnet, quo facit filiū a se non a patre Deum.

filius vita. Pater vita in semetipso, non à filio: filius vita in semetipso, sed à patre. A patre genitus, vt esset vita in semetipso: pater vero non genitus, vita in semetipso, nec minorem filium genuit, qui crescendo fieret æqualis. Non enim ad sui perfectionem adiutus est tempore, per quē perfectum creata sunt tempora. Ante omnia tempora patri coæternus est: non enim vnquam pater sine filio. Æternus autem pater est, ergo coæternus & filius. Quid tu, anima? Mortua eras, amiseras vitam, audi patrem per filium, surge, recipe vitam, vt in eo recipias vitam quam non habes in te, qui habet vitam in semetipso. Viuificat ergo te pater, & filius, & agitur prima resurrectio, quando resurges ad participandam vitam, quod tu non es, & participando efficeris viuens. Resurge à morte tua ad vitam tuam, qui est Deus tuus, & transi à morte in vitam æternam. Habet enim vitam æternam pater in semetipso, & nisi filium talem generaret, qui haberet vitam in semetipso, non sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vellet, viuificaret. Quid ergo de illa resurrectione corporis? Nam & isti qui audiunt, & viuunt, vnde nisi audiendo viuunt? Amicus enim sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi, non propter vocem suam, hoc est, participando, non existendo audiunt, & viuunt, & omnes, qui audiunt, viuunt, quia omnes, qui obediunt, viuunt. Dic aliquid, domine, etiam de resurrectione carnis: fuerunt enim qui eam negarent, & dicerent quia ista sola est resurrectio, quæ fit per fidem: cuius resurrectionis modo dominus fecit commemorationem, & inflammauit nos, quia quidam mortui audient vocem filij Dei, & viuent. Non eorum qui audierint, alij morientur, alij viuent: sed omnes, qui audierint, viuent, quia omnes, qui obedierint, viuent. Ecce videmus resurrectionem mentis, non ergo amittamus fidem de resurrectione carnis. Et nisi tu, domine Iesu, dixeris eam, quem opponemus cōtradictoribus? Omnes enim sectæ, quæ se aliqua religione hominibus inferere præsumpserunt, non negauerunt istam mentium resurrectionem, ne diceretur eis: si non resurgit anima, quare mihi loqueris? Quid in me facere vis? Si non facis ex deteriore meliorem, quare mihi loqueris? Si non facis ex iniquo iustum, quare mihi loqueris? Si autem facis ex iniquo iustum, & ex impio pium, & ex stulto sapientem, & fateris resurgere animam meam, si tibi obtemperauero, si tibi credidero. Volentes ergo sibi credi omnes, qui instituerunt aliquas etiam falsæ religionis sectā, negare istam mentium resurrectionem non potuerunt, omnes de illa consenserunt. Sed multi carnis resurrectionem negauerunt, dixerunt in fide iam factam

2. Tim. 2. esse resurrectionem. Talibus resistit Apostolus dicens; Ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui circa veritatem aberrauerūt, dicētes resurrectionem iam factam esse, & fidem quorundam subuerterunt. Iam factam esse resurrectionem dicebant, sed eo modo vt alia nō speraretur, & reprehendebant homines, qui sperabant resurrectionē carnis, velut iam resurrectio, quæ promissa erat, credendo impleretur in mente. Reprehendit eos Apostolus. Cur eos reprehendit? Nonne hoc docebant quomodo dominus loquebatur; *Venit hora & nunc est quādo mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent?* Sed de vita mentium loquor adhuc: tibi ait Iesus; Nondum loquor de vita corporum, sed loquor de vita vitæ corporum, id est, de vita animarum, in quibus est vita corporum: nam scio esse corpora in monumentis iacentia, scio & corpora vestra in monumētis futura. Nondum de illa resurrectione loquor. De ista loquor, de ista resurgite, ne ad pœnam in illa resurgatis. Sed vt noueritis, quia de illa loquor, quid addo? *Sicut enim habet pater vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Hæc vita quod pater est, quod filius est, ad quid pertinet, ad animam, an ad corpus? Non enim vitam illam sapientiæ sentit corpus, sed mens rationalis. Nam nec omnis anima potest sentire sapientiam: habet enim & pecus animam, sed pecoris anima non potest sentire sapientiam. Ergo anima humana potest sentire istam vitam, quam habet pater in semetipso, & dedit filio vitā habere in semetipso, quia illud est verum lumen quod illuminat non omnem animam, sed omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum enim ipsi menti loquor, audiat, id est, obediat & viuat. Noli itaque domine tacere de resurrectione carnis, ne nō eam credant homines, & remaneamus nos argumentatores non prædicatores. Ergo sicut habet pater vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Intelligant qui audiunt, credant vt intelligant, obediant vt viuant. Audiant adhuc aliud, ne hic finitam esse resurrectionem putent. *Et dedit ei potestatem, & iudicium facere.* Quis dedit? pater. Cui dedit? filio. Cui enim dedit habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei & iudicium facere. *Quia filius hominis est.* Iste enim Christus, & filius Dei, & filius hominis est. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Ecce quomodo dedit ei vitam habere in semetipso. Sed quia verbum caro factum est & habitauit in nobis, ex virgine Maria homo factus, filius hominis est. Proinde quia filius hominis est quid accepit? Potestatem, & iudiciū facere. Quod

iudiciū? In fine seculi, & ibi erit resurrectio mortuorum, sed corporū. Animas ergo suscitat Deus per Christum filium Dei: corpora suscitat Deus per eundem Christum filium hominis. Dedit ei potestatem. Hanc potestatem non haberet, nisi acciperet, & esset homo sine potestate: sed ipse est filius hominis, qui & filius Dei. Hærēdo enim ad vnitatē personæ, filius hominis filio Dei, facta est vna persona, eademq; filius Dei, quæ & filius hominis. Quid autē propter quid habeat dignoscēdū est. Filius hominis habet animā, habet corpus: filius tamen Dei quod est verbū Dei, habet hominē, tanquā anima corpus. Sicut anima habēs corpus, non facit duas personas, sed vnum hominem: sic verbum habens hominem, non facit duas personas, sed vnum Christum. Quid est homo? Anima rationalis, habens corpus: quid est Christus? Verbum Dei habens hominem. Video de quibus rebus loquar, & quid loquar; & quibus loquar. Nunc audite resurrectionem corporum non me, sed Dominum locuturum, propter eos qui resurrexerunt surgendo à morte, inhærendo vitæ. Cui vitæ? Quæ non nouit mortem. Quare non nouit mortem? quia nescit mutabilitatem. Quare nescit mutabilitatem? quia vita est in semetipso. *Et potestatem dedit ei, & iudicium facere, quia filius hominis est.* Quod iudicium, & quale iudicium? *Nolite mirari hoc.*

4. sen. dis. 48. sed carn.

hoc. quia dixi, dedi ei potestatem & iudicium facere. *Quia venit hora.* Non addidit, & nunc est. Ergo horam quandam vult insinuare in fine seculi. Hora autem nunc est, vt resurgant mortui, hora erit in fine seculi, vt resurgant mortui. Sed resurgunt nunc in mente, tunc in carne. Resurgunt nunc in mente, per verbum Dei filium Dei: resurgent tunc in carne, per verbum Dei carnem factum filium hominis. Neque enim ad iudicium viuorum, & mortuorum pater ipse venturus est, nec tamen recedit à filio pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? quia non ipse videbitur in iudicio. Videbunt in quem pupugerunt. Forma illa erit iudex, quæ stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est: iudicata est enim inique, iudicabit iuste. Veniet ergo forma serui, & apparebit: etenim forma Dei quomodo apparebit iustis, & iniustis? Nam, si iudicium non fieret nisi inter solos iustos, appareret tanquam iustis forma Dei. Quia vero iudicium futurum est iustorum, & iniquorum, nec licet vt iniqui videant Deum. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt: talis apparebit iudex, qualis videri possit & ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est. Forma ergo serui videbitur, occulta erit forma Dei. Occultus erit in seruo filius Dei, & apparebit filius hominis, quia potestatem dedit ei & iudicium facere, quia filius hominis est. Et quia ipse solus apparebit in forma serui: pater autem nō apparebit, quia nō est indutus forma serui: ideo superius ait; *Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio.* Bene ergo dilatū est, vt ipse esset expositor, qui propositor: superius enim occultū erat: nunc autē, vt arbitror, manifestum est, quia dedit ei potestatem, & iudiciū facere, quia pater nō iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, quia iudicium per illam formam futurum est, quam non habet pater. Et quale iudiciū? *Nolite mirari hoc, quia venit hora*, non ea, quæ nunc est, vt resurgant animæ: sed quæ futura est, vt resurgant corpora. Expressius hoc dicat, vt calumniam hæreticus negator resurrectionis corporis non inueniat, quanquam iam intellectus elucescat. Cùm superius dictum est, *venit hora*: addidit, *& nunc est*. Modo autem, *venit hora*: non addidit, & nunc est. Tamen omnes ansas, omnes clauiculas calumniarū, omnes nodos laqueorum aperta veritate dirumpat. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt.* Quid euidentius, quid expressius? Corpora sunt in monumentis: animæ non sunt in monumentis, nec iustorum, nec iniquorum. Iusti anima in sinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur in monumento, nec illa, nec illa. Superius quando ait; *Venit hora, & nunc est*, obsecro intēdite. Nostis, fratres, quia ad panem ventris cum labore peruenitur, quanto magis ad panem mentis? Cùm labore statis, & auditis, sed nos cum maiore stamus, & loquimur. Si laboramus propter vos, collaborare non debetis propter eosdem vos? Superius ergo cum diceret, venit hora, & adderet, & nunc est, quid subiecit? *Quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.* Non dixit, omnes mortui audient, & qui audierint viuent: mortuos enim iniquos volebat intelligi: & nunquid omnes iniqui obediūt Euangelio? Aperte dicit Apostolus, sed non omnes obediūt Euangelio. Tamen qui audiunt, viuent: quia omnes, qui

Rom. 10. obediunt Euangelio, transeunt ad vitam æternam per fidem: non tamen omnes obediūt, & hoc nūc est. At vero in fine, *omnes qui sunt in monumentis*, hoc est, iusti & iniusti, *audient vocem eius, & procedent.* Quomodo noluit dicere, *& viuent*? Omnes enim procedent, sed non omnes viuent. Ideo quippe quod supra dixit; *Et qui audierint, viuēt*, in ipsa obeditione vitam æternam intelligi voluit, & beatam quam non omnes habebunt, qui de monumentis procedent. Iam ergo & commemoratione monumentorum, & expressione processionis de monumentis aperte intelligimus corporum resurrectionem: audient omnes vocem eius, & procedent. Et vbi iudicium, si omnes audient, & omnes procedent? Quasi totum confusum est, nihil video discretum. Certe accepisti potestatem iudicandi, quia filius hominis es. Ecce aderis in iudicio, resurgent corpora: de ipso iudicio dic aliquid, hoc est, de discretione malorum, & bonorum. Et hoc audi, *Qui bene fecerunt, in resurrectionē vitæ: qui male egerunt, in resurrectionem iudicij.* Superius cum de resurrectione mentium, & animarum loqueretur, nunquid fecit discretionem? Sed omnes qui audient, viuent, quia obediendo viuent: at vero resurgendo, & procedendo de monumentis, non omnes ad vitam æternam ibunt, sed qui bene fecerunt: qui autem male, ad iudicium. Hic enim iudicium pro pœna posuit, & erit diremptio, & non qualis modo est: nam & modo separamur nō locis, sed moribus, affectionibus, desideriis, fide, spe, charitate: simul enim cū iniquis viuimus, sed nō vna vita est omnium. In occulto dirimimur, in occulto separamur, quomodo grana in area, non quomodo grana in horreo. Et separātur grana in area, & miscētur. Separātur, cum à palea expoliantur: miscentur, quia nondū vētilantur. Tūc aperta erit separatio, sicut morū, sic & vitę: sicut sapiētię, ita & corporū. Ibunt qui bene fecerūt, viuere cum angelis Dei: qui male egerunt, torqueri cum diabolo, & angelis eius, & transiet forma serui. Ad hoc enim se præsentauerat vt faceret iudiciū: post iudicium perget hinc, ducet secum corpus, cui caput est, & offeret regnum Deo, tunc plane videbitur forma illa Dei, quæ non potuit videri ab iniquis, quorum visioni forma serui exhibenda erat. Dicit & alibi sic; Ibunt isti in combustionem ęternam de quibusdam sinistris: iusti autem in vitam æternam: de qua alio loco dicit, Hęc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Tunc ibi apparebit, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: tunc se ostēdet, quomodo se dilectoribus suis ostensurum promisit. Qui enim diligit me, ait, mandata mea custodit: & qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi. Ioan. 14. Quibus loquebatur, præsens eis erat: sed formam serui videbant, formam autem Dei non videbant. Per iumentū ad stabulum ducebantur curandi, sed sanati videbunt: quia ostendam, inquit, meipsum illis. Quomodo ostēditur æqualis patri, cum dicit Philippo; Qui me videt, videt & patrem meum?

EIVSDEM IN IDEM
Homilia.

SPes nostra, fratres, non de isto tempore, neque de hoc mundo, neque in ea fœlicitate, qua ex- Serm. 64. de verb. domini.

cæcantur & homines, qui obliuiscuntur Deum. Hoc nosse primitus & Christiano corde tenere debemus, non ad præsentis temporis bona nos factos esse Christianos, sed ad nescio quid aliud quod Deus iam promittit, & homo nondum ca-
Cor.1.2. pit. De hoc enim bono dictum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Ergo quia hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tam ineffabile, nõ inuenit hominem perceptorem, tenebit Deum promissorem. Nunc enim quod ei promissum est, homo cæcus corde non percipit, nec ei potest ostendi in præsenti, quid ipse cui promittitur sit futurus: quia & infans natus si possit verba loquentis intelligere, cum ipse loqui non possit, nec ambulare, nec aliquid agere, sed sicut eum videmus infirmum iacentem, indigum opis alienæ, tantummodo intelligere possit eum qui sibi loqueretur & diceret ei, Ecce sicut me vides ambulantem, operantem, loquẽtem, post paucos annos talis eris: attendens se & illum, quamuis quod promitteretur videret, tamen suam considerans infirmitatem, non crederet, & videret tamen quod promittebatur. Nobis autem tãquam infantibus in hac carne atque infirmitate iacentibus, & magnum est quod promittitur & non videtur, & exigitur fides, qua credimus, quod non videmus vt mereamur videre quod credimus. Quicunque irridet hanc fidem, vt ideo putet non sibi esse credendum, quia non videt, quando venerit quod non credebat erubescit, confusus separatur, separatus damnatur. Qui autem crediderit segregatur ad dexteram, & stabit cum magna fiducia, & lætitia inter illos, qui-
Matt.25. bus dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Conclusit autem dominus cum hæc verba diceret sic, Ibunt isti in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Hæc est vita æterna, quæ nobis promittitur. Quia amant homines viuere in hac terra, promissa est illis vita, & quia multum timent mori, promissa est illis æterna. Quid amas, viuere? Hoc habebis. Quid times, mori? Non patieris. Hoc sufficere visum est humanæ infirmitati, vt diceretur, habebis vitam æternam. Capit hoc mens humana, vtcunque ex hoc quod agit quod futurum est capit. Sed quantum capit ex hoc paruo quod agit, quia viuit & mori non vult, amat vitam æternam, vult semper viuere, nũquam mori. Sed & illi qui torquebuntur in pœnis, velle habent mori, & non possunt. Non ergo magnum est diu viuere, aut semper viuere, sed magnum est beate viuere. Amemus vitam æternam, & ea eo nouerimus quantum pro vita æterna laborare debemus, cum videmus homines amatores præsentis vitæ temporalis, atque finiendæ sic pro illa laborare, vt quando venerit metus mortis, quicquid possunt faciant, non vt auferant, sed vt differant mortem. Quantum laborat homo, quando mors imminet fugiendo, latendo, quicquid habet dando & se redimendo, laborando, cruciatus molestiasque sustinendo, medicos adhibendo, & quicquid aliud homo potest. Videre quam consumptis laboribus & facultatibus suis, vt aliquantum viuat potest facere, vt semper viuat, non potest. Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta instantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur vt aliquantum plus viuatur, quomodo agendum est vt semper viuatur? Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, vt differant mortem, & viuant paucos dies ne perdant paucos dies, quàm stulti sunt, qui viuũt vt perdant diem æternũ? Hoc solũ ergo nobis promitti potest, vt dulcescat nobis vtcũque munus Dei ex hoc quod habemus modo, quia de munere ipsius habemus vt viuam⁹, vt salui simus. Ponamus ergo nobis ante oculos talem vitã, cum promittitur æterna, vt remoueamus ab illa quicquid hic molestum patimur. Facilius enim inuenimus, quid ibi nõ sit, quam quid ibi sit. Ecce hic viuimus, viuemus & ibi: Salui sumus, quando non ægrotamus, neque aliquid dolet in corpore, salui erimus & ibi. Et quando nobis est bene in hac vita, nullas pœnas patimur, nullas patiemur & ibi. Pone ergo hic hominem viuentem saluum, nullas pœnas patientem, si ei donaret quisquam vt semper sic esset, & hoc bonum non desineret, quantum gauderet, extolleretur, quomodo se nõ caperet lætitia sine pœna, sine cruciatu, sine fine vitæ? Si hoc solum nobis promitteret Deus, quod dixi modo, quibus potui verbis descripsi & commendaui, quanti erat emendum si venale esset, quantum dãdum erat vt emeretur? Sufficeret quicquid haberes, etiam si totum mundum possideres? Et tamẽ venale est: Eme si vis. Nec multum exæstues de re magna propter precij magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Ad aliquid ergo magnum & preciosum comparandum comparares aurum, & argẽtum, vel pecuniam, vel fructus aliquos pecorum, aut frugum, qui in tua possessione nascerentur, vt emeres nescio quid hoc magnum, & præclarum, quo viueres in hac terra fœlix. Et hoc eme si vis. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista tanti valet, quantũ es tu. Te da, & habebis illã. Quid æstuas? quid turbaris? Nunquid quæsiturus es te, aut empturus es te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi rei, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & forte me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Vt huic fidei, promissionique te des, hoc est bonum esse. Cum autem bonus fueris, precium ipsius rei eris, & habebis, non hoc dixi, solum salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam, non hoc solum habebis: adhuc talia tollo. Non ibi erit lassari, & dormire, non ibi esurire, & sitire, non ibi erit crescere, & senescere, quia nec nasci erit, vbi numeri integri manent. Numerus, qui est ipse est, nec opus est, vt augeatur, quia non ibi fit vt minuatur. Ecce quanta tuli, & nondum dixi quid ibi erit, Ecce iam vita est, Iam incolumitas est, iã nulla pœna, nulla fames, nulla sitis, nullus defectus, nihil horum, & tamen nondum dixi, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: si enim dixi, falsum est quod scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Vnde enim ascenderet in cor meum, vt dicerem, quod in cor hominis non ascendit? Creditur, & non videtur, non solum non videtur, sed nec dicitur, Quomodo ergo creditur, si non dicitur? Quis credit quod non audit? Si autem audit aut credit dicitur: si dicitur, cogitatur, si cogitatur & dicitur, & in auribus hominum intrat. Et quod nõ diceretur, nisi cogitaretur, & in cor hominis ascẽdit. Iam ecce ista quæstio tantæ rei conturbat nos, vt non possimus verbis explicare quæstionem: Quis explicat rem? Attendamus itaque Euangelium,

lium, modo dominus loquebatur, & faciamus quod ipse dixit. *Qui credit in me*, inquit, *transitum* Ioan. 5 *facit à morte in vitam, & in iudicium non veniet. Amen dico vobis: quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & cū audierint viuēt: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Generando dedit: quia genuit, dedit. Filius enim de patre est, pater non est de filio, sed pater filij pater est, filius patris est filius. Veruntamen filius de patre genitus, non pater de filio, & semper filius: Semper ergo genitus. Quis hoc capiat, semper genitum? Omnis enim homo cum audit genitum, occurrit illi, Ergo erat tempus, quando non erat iste qui genitus est. Quid ergo dicimus? Non fic erat tempus ante filium, quia omnia per ipsum facta sunt. Si omnia per ipsum facta sunt, & tempora per ipsum facta sunt: Ioan. 1. Quomodo possent esse tempora ante filium, per quem facta sunt tempora? Tolle ergo omnia tempora, semper cum patre filius. Si semper cū patre filius, & tamē filius semper genitus. Si semper genitus, semper cū genitore erat qui genitus est. Nūquam hoc vidi, inquies tu, aliquem generātem, & semper cū illo quē generauit, sed præcessit ille qui generauit, & secutus est tēpore ille qui generatus est. Bene dicis, nūquam hoc vidi, quia hoc ad illud 1. Cor. 2. pertinet quod oculus nō vidit. Quæris quomodo dicatur: non potest dici, quia nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Credatur & colatur. Cum creditur colitur: cum colitur creditur, cum creditur capitur. Adhuc enim in ista carne quandiu peregrinamur à domino, ad angelos sanctos qui hoc vident infantes sumus, lactandi fide, pascendi specie: sic enim dicit Apostolus, Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per 2. Cor. 5. fidē enim ambulamus, non per speciē. Venturi sumus ad speciē, quę nobis sic promittitur per Ioannem in epistola eius, Dilectissimi, filij Dei sumus, 1. Ioan 3. & nondū apparuit quid erimus. Filij Dei sumus iā per gratiā, per fidem, per sacramentū, per sanguinem Christi, per redemptionē saluatoris, filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit ei similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ecce ad quod nutrimur capiendum, ecce ad quod nutrimur percipiendū, comedendum, vt tamen quod comeditur non minuatur, & qui comedit vegetetur. Non modo cibus vegetat comedendo, sed minuitur cibus, qui comeditur. Quando autem cœperimus comedere iustitiam, comedere sapientiam, comedere illum immortalem cibum, & nos vegetamur, & cibus non minuitur. Si enim nouit oculus pasci luce, nec tamen minuit lucem: non enim minorerit lux, quia videtur à pluribus, plurīū oculos pascit, & tamen tanta est quanta erat, & illi pascuntur & illa non minuitur. Si Deus dedit hoc luci, quam facit ad oculos carnis, quod est ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur tibi aliquis cibus magnus, quem prāsurus esses, parares ventrem: Laudatur tibi Deus, para mētem: ecce quid tibi dicit dominus tuus, *Veniet hora*, inquit, *& nunc est.* Veniet hora, & ipsa hora nūc est. *Quando*, quid? *Quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Qui ergo non audierint non viuent. Quid est, *qui audierint*? Qui obedierint. Quid est, *qui audierint*? Qui crediderint, & obtemperauerint, ipsi viuent. Ergo antequam crederent, & obędirent mortui iacebant, & ambulabant, & mortui erant. Quid valebat quia ambulabant mortui? Et tamen si quis inter illos moreretur corpore, curreterent, sepulchrum pararent, inuoluerent, portarent, sepelirent mortui mortuum: de quibus dictum est, Sine mortuos sepelire mortuos suos. Tales mor- Matth. 8. tui sic suscitantur verbo Dei vt viuāt in fide. Qui mortui erant in infidelitate, verbo excitantur: de ipsa hora dicit dominus, *Veniet hora, & nunc est.* Verbo enim suo suscitabat mortuos infideles: de quibus dicit Apostolus, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hæc re- Ephes. 5. surrectio mentium est, hæc resurrectio interioris hominis est, hæc resurrectio animæ est. Sed non ista sola est, restat & corporis. Qui resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore. Non enim 1. Thes. 5. omnes resurgunt in anima, omnes resurrecturi sunt in corpore. In anima, inquam, nun omnes resurgunt, sed qui credunt & obediunt, quia qui audierint, viuent: sicut autem ait Apostolus, Non omnium est fides. Si ergo non omnium est fides, non omnes resurgunt in anima. Cum venerit hora resurrectionis corporis omnes resurgent: Boni sint, mali sint, omnes resurgent, Sed qui prius resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore: Qui non resurgit in anima, malo suo resurgit in corpore. Qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad vitam. Qui non resurgit in anima, resurgit in corpore ad pœnam. Quia ergo dominus commendauit nobis resurrectionem istam animarum, ad quam omnes debemus festinare, in qua laborare vt viuamus, & viuendo vsque ad finem perseueremus, restabat vt commendaret nobis etiam resurrectionem corporum quæ futura est in fine seculi. Sed audite quomodo & ipsam commendauit, cum dixisset, *Amen dico vobis, quia veniet hora & nunc est quando mortui*, id est, infideles, *audient vocem filij Dei*, id est, Euangelium: *& qui audierint*, id est, qui obedierint, *viuent*, id est, iustificabuntur, & infideles iam non erunt: cum ergo dixisset, quoniam vidit docendos nos esse & de resurrectione carnis, non sic relinquendos, secutus est & ait, *Sicut enim habet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso*: hoc ad suscitandas mentes, hoc ad viuificandas mentes: Ioan. 5. deinde adiecit, *Et potestatem dedit ei facere iudicium, quoniam filius hominis est.* Iste filius Dei, filius hominis est. Etenim si filius Dei filius Dei maneret, & filius hominis non fieret, filios hominum non liberaret. Ipse qui fecerat hominem, factus est, quod fecit, ne periret quod fecit. Sic autem factus est homo, vt maneret filius Dei. Factus est homo suscipiendo, quod non erat, non perdendo quod erat. Manens Deus, factus est homo. Accepit te, non consumptus est in te. Talis ergo ad nos venit filius Dei filius hominis, faciens & factus, factor & creatus: creator matris, creatus ex matre. Talis ad nos venit. Secundum id quod filius Dei est, ait, *Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei.* Non dixit filij hominis. Veritatem enim commendabat, in qua æqualis est patri. *Et qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitā in semetipso*, Non participādo, sed in semetipso. Nos enim non habemus vitam in nobisipsis, sed in Deo nostro. Ille autē pater vitam in semetipso habet, & talem genuit filium qui haberet vitam in semetipso. Non fieret vitæ particeps, si ipse vita nō esset cuius nos vitæ participes essemus. Planè vt

haberet vitam in ſemetipſo, & eſſet ipſe vita. Vt autem fieret filius hominis, à nobis accepit. Filius Dei in ſemetipſo, filius hominis vt eſſet a nobis accepit. De ſuo filius Dei, de noſtro filius hominis, Quod minus eſt, à nobis ſuſcepit: quod plus eſt, nobis dedit. Nam & mortuus eſt ea illo quo filius hominis, non ſecundum illud, quod filius Dei. Mortuus eſt tamen filius Dei, ſed ſecundum carnem mortuus, non ſecundum verbum, quod caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ergo quod

Ioan. 1. eſt mortuus, de noſtro mortuus eſt. Quod viuimus, de ipſius viuimus. Nec ille potuit mori de ſuo, nec nos viuere de noſtro. Hoc ergo tanquam Deus, tanquam vnigenitus, tanquam genetanti æqualis, cõmendauit nobis dominus Ieſus, quod ſi audierimus viuemus. Sed & *Poteſtatem*, inquit,

4. ſen diſ. 48. cap. 3. *dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis eſt.* Ergo

Ioan. 5. ad iudicium illa forma ventura eſt. Forma hominis vẽtura eſt ad iudicium, ideo ait. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis eſt.* Iudea hic erit filius hominis, forma illa hic iudicabit, quę iudicata eſt. Audite & intelligite: iam hoc Prophetæ dixerat, Videbunt in quem pupugerũt. Ipſam formam videbunt quam lancea percuſſe-

Zacha. 12. & Ioan. 19. runt. Sedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice. Damnabit veros reos, qui factus eſt falſus reus. Ipſe veniet forma illa veniet. Hoc & in Euangelio habes, Cum ante oculos diſcipulorum ſuorum iret in cælum, ſtabant illi & attendebant, & ſonuit vox angelica, Viri Galilæi, quid ſtatis, &c. Hic Ieſus ſic veniet quomodo vidiſtis eũtem in cælum.

Act. 1. Quid eſt, ſic veniet? In ipſa forma veniet. *Poteſtatem* enim *dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis eſt.* Videte autem qua ratione hoc oportebat, & hoc rectum erat vt iudicandi viderẽt iudicem. Iudicandi autem erãt & boni, & mali. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Matth. 5. Reſtabat vt in iudicio forma ſerui & bonis, & malis oſtenderetur, forma Dei ſolis bonis ſeruaretur. Quid enim accepturi ſunt boni? Ecce iam dico quod paulo ante non dixi, & tamen dicendo nõ dico. Dixi enim, quia erimus illic ſalui, erimus incolumes, erimus viuentes, erimus ſine pœnis, erimus ſine fame & ſiti, erimus ſine defectu, erimus ſine orbitate oculorum noſtrorum. Totum hoc dixi, & quid habebimus plus? Nondum dixi, Videbimus Deum. Hoc autem tãtum erit & tanta res erit, vt in eius comparatione nihil ſit totũ. Dixi quod viuentes erimus, quòd ſalui & incolumes, quòd famem, ſitimq́ue nõ patiemur, quòd in laſſitudine non cadimus, quòd ſomnus nõ nos premit. Totum hoc quid eſt ad illam fœlicitatem qua Deum videbimus? Quia ergo Deus ipſe vt eſt modo oſtendi non poteſt, quem tamen videbimus, ideo quod oculus non vidit, nec auris au-

1. Cor. 2. diuit, hoc videbunt boni, hoc videbunt pij, hoc videbunt miſericordes, hoc videbunt fideles, hãc videbunt bonam ſortem in reſurrectione corporis, qui habuerunt bonam obedientiam in reſurrectione cordis. Ergo & malus Deum viſurus eſt, de quo dicit Eſaias; Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Ergo & pij & impij videbunt formam Dei, & cum fuerit dicta ſententia, tolletur impius ne videat claritatem Dei, reſtat vt circa pios, & bonos impleatur quod dominus ipſe promiſit, cum hic in carne eſſet, & videretur non ſolum à bonis, ſed etiam à malis. Loquebatur inter bonos, & malos, & conſpicuus omnibus, Deus occultus, homo manifeſtus, Deus regens homines, homo apparens inter homines loquebatur: ergo inter illos & dicebat, Qui diligit me, mãdata *Ioan. 14.* mea cuſtodit, & qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Et quaſi diceretur illi, & quid ei dabis? Et oſtendam meipſum illi. Quãdo hoc dixit? Quando ab hominibus videbatur. Quando hoc dixit? Quando & ab eis videbatur, à quibus non diligebatur. Quomodo ergo ſe oſtẽſurus erat dilectoribus ſuis, niſi quia talem, qualem non videbant dilectores ſui? Ergo quæ forma Dei ſeruabatur, forma hominis oſtendebatur. Per formam hominis hominibus loquens, conſpicuus & viſibilia & bonis & malis omnibus oſtendebat ſe, dilectoribus ſuis ſeruabat ſe. Quãdo ſe demonſtraturus eſt dilectoribus ſuis? Poſt *1. Ioan. 3.* reſurrectionem corporis quando tolletur impius ne videat claritatem Dei. Tunc enim cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eũ, ſicuti eſt. Ipſe eſt vita æterna. Nam totum, quicquid dicebamus, nihil eſt ad illam vitam, qua viuimus quidem, qui ſalui ſumus, quia videbimus Deum magnum. Ipſe eſt vita æterna: ipſe hoc dicit, Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te *Ioan. 17.* vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant, videant, capiant, norint, quod crediderant, percipiãt, quod nondum capere poterant. Iam videat mens, quod *1. Cor. 2.* oculus non viderat, nec auris audierat, nec in cor hominis aſcenderat: hoc illis dicetur in fine, Ve- *Matth. 25.* nite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab initio mundi. Ibunt ergo illi mali in combuſtionem æternam. Iuſti autem quo? In vitam æternam. Quid eſt vita æterna? Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum ve- *Ioan. 17.* rum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. ¶ Loquens ergo de futura reſurrectione corporis, & non ſuos dimittens, ait, *Poteſtatem dedit ei iudicium* *Ioan. 5.* *facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora.* Ibi non addidit, *Et nunc eſt*, quia iſta hora poſtea erit: quia iſta hora in fine ſeculi erit, quia iſta hora nouiſſima erit, in nouiſſima tuba erit. *Nolite mirari.* quia hoc dixi, Dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia filius hominis eſt, *Nolite mirari:* Ideo dixi, Quia hominẽ ab hominibus oportet iudicari. Quibus hominibus iudicaris, quos inuenerit viuos non ſolum: Sed quid? *Veniet hora quando hi, qui ſunt in monumentis.* Quo modo expreſſit carne mortuos, qui ſunt in monumentis, quorum iacẽt ſepulta cadauera, quorum fauillæ ſunt tectæ, quorum oſſa diſperſa ſunt, quorum caro iam non eſt, & tamen Deo integra eſt? *Veniet hora quando omnes qui ſunt in monumentis audient vocem eius, & prodient omnes.* Boni ſint, mali ſint, audient vocem, & exeunt. Rumpuntur omnia vincula infectorum, omne quod periit, imò periiſſe putatur, reſtituetur, Si enim Deus fecit hominem, qui nõn erat, non reparare poteſt quod erat? Puto quia cũ dicitur, Deus mortuos ſuſcitaturus eſt, non res incredibilis dicitur, quia de Deo non homine dicitur. Magna res eſt, quæ fiet, & incredibilis res eſt, quæ fiet ſed non incredibilis, quia vide qui facit. Ille dicitur quod ſuſcitabit te, qui creauit te. Non eras & es, & factus non eris? Abſit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus quando fecit quod non erat, & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipſis quos fecit quod non erant? Hoc eſt quod rependimus Deo, qui non eramus, & facti

cti sumus? Hoc illi rependimus, vt eum resuscitare quod fecit non posse credamus? Hæc est merces quam illi reddit creatura sua? Ideo te feci dicit tibi Deus, ô homo, antequam esses, vt non mihi credas futurum te esse, qui eras, qui potuisti esse, quod non eras? Sed ecce, inquit, in sepulchro quod video fauilla est, cinis est, ossa sunt, & hoc item accipiet vitam, cutem, pulpas, carnem, & resurget? Quid fauilla ista, quæ video in sepulchro? Vel in sepulchro vides fauillam, vides ossa, in vtero matris tuæ nihil erat. Hoc vides, vel fauilla sunt vel ossa sunt, tu antequam esses, nec fauilla erat, nec ossa erant, & tamen factus es, cum omnino non esses, & nō credis quia ossa ista quoquomodo sunt, qualiacunque sunt, sunt tamen, recipient formam, quam habebant, cum tu acceperis quod non habebas. Crede, quia si credideris hoc, tunc suscitabitur anima tua. Et sic suscitabitur anima tua, tunc veniet hora, & nunc est. Tunc bono tuo resurget caro tua, quando veniet hora, vt omnes, qui sunt in monumentis audiant vocem eius, & procedant. Non enim quia audis & prodis, iam gaudere debes: audi quod sequitur, *Qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Conuersi ad dominum, &c.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia.

Ser. 34. de verb. Apost. ADmonet nos Beatus Apostolus, vt de dormientibus, hoc est, mortuis charissimis nostris non contristemur, sicut & cæteri, qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nā ideo & dormientes eos appellat scripturæ veracissima consuetudo, vt cum dormientes audimus, euigilaturos minime desperemus. Vnde etiā cantatur in Psalmo: Nunquid
Psal. 40. qui dormit, non adiiciet vt resurgat? Est ergo de mortuis eis qui diligūtur, quædam tristitia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret, non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœna, quā præcesserat culpa. Quapropter si animalia, quæ ita creata sunt, vt suo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam, quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset sine termino viueret? Hinc itaq; necesse est, vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus: quia & si nouimus eos, non in æternū relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos: tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo admonuit Apostolus non, vt non contristemur, sed non sicut cæteri, qui
1. Thess. 4. spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturę, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunq;
Eccl. sacrificia, cæteráque suffragia pro defunctis, contra Nouato- solatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogātur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis, & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrātur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam, qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiúsque sacramentis de corporibus exierint, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dū hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurisantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis boni aliquid impendunt sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim dictum est, nisi cum viuerent, vt eos hæc aliquid adiuuarent, cum hic viuere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. Permittantur itaque pia corda charorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, & cōsolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire. Consoletur eos etiam fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur, siue quæ dolentibus adhibentur, ne sit iusta querela dicentium, Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inueni. Sed pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solum in corporibus patriarcharum, aliorúmque Sanctorum, & humanis cadaueribus quorúmque iacētium, verumetiam in ipsius Domini corpore prędicati, atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimēta mœroris. Verum illa, quæ adiuuent spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant* qui suos carne non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.

Margin (right column): ret, qui ea impugnant. — Gala. 5. — Psal. 68. — Gen. 49. — Ioan. 19. — * al. verū illi vtiq; ablaturi spiritus, &c. qui oblationes, &c. impendunt.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia.

Ser. 35. de verb. Apost. QVando celebramus dies fratrum defunctorum, in mente habere debemus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundum hoc enim sperandum est: quia preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: secundum hoc autem timendum est, quia mors peccatorum pessima. Ideoque propter spem in memoria æterna
Psal. 115. erit iustus, propter timorem ab auditu malo non
Psalm. 111. timebit. Erit enim auditus, quo nullus sit peior, quando dicetur sinistris, Ite in ignem æternum. Ab hoc auditu malo iustus non timebit. Erit enim ad dexteram inter illos, quibus dicetur: Venite
Matth. 25. benedicti patris mei, percipite regnum. In hac

autem vita, quæ media ante summa bona, & ante summa mala ducitur, in medio bonorum, malorúmque mediorum, id est, in natura parte summorum: quia & bona quæcunque hic fuerint homini, in comparatione bonorum æternorum nulla sunt: & mala quæcunque in hac vita experitur homo, in comparatione ignis æterni, nec comparanda sunt. In hac ergo mediocritate vitæ illud, quod audiuimus, nunc ex Euangelio tenere debemus: *Ioan. 11.* Qui credit, inquit, in me, licet moriatur, viuit: & vitam pronunciat, & mortem non negat. Qui credit in me, licet moriatur, viuit. Quid est moriatur, viuit? Licet moriatur corpore, viuit spiritu. Deinde adiungit: Et qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Certe licet moriatur, quomodo si non morietur? Sed licet moriatur ad tempus, non morietur in æternum. Sic ista soluitur quæstio, vt non sint inter se contraria verba veritatis, & possint instruere affectum pietatis. Ergo licet corpore morituri simus, viuimus, si credimus. Est autem fides nostra maxime discreta ab omni fide Gentilium in resurrectione mortuorum. Hanc enim illi omnino non recipiunt: quia vbi recipiant, non habent. A Domino enim præparatur voluntas hominis, vt sit fidei receptaculum. Dicit Iudæis Dominus: *Ioan. 14.* Sermo meus non capit in vobis. Ergo in his capit in quibus inuenit quod capiat. In his enim inuenit quod capiat sermo qui capit, quos Deus pol- *Luc. 15.* licendo non decipit, ille enim qui quærit ouem perditam, & quam quærit nouit, & vbi quærat, & quomodo eius membra dispersa colligat, & in vnam salutem reducat, & ita constituat, vt eam vlterius non perdat. Consolemur ergo nos inui- *1. Thess. 4.* cem, & in his sermonibus nostris. Potest non dolore cor humanum defuncto charissimo, melius tamen dolet, & sanatur cor humanum, quàm non dolendo fit inhumanum. Maria Domino cohære- *Ioan. 11.* bat, & mortuum fratrem dolebat. Sed quid miraris: quia Maria dolebat, tunc cum ipse Dominus flebat? Mouere autem quenuis potest, quomodo flebat mortuum, si cótinuo iubet victurum? Non mortuum flebat quem suscitauit, sed mortem quam sibi homo peccando comparauit. Si enim peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ. Mors animæ præcessit deserente Deo, & mors corporis secuta est, deserente anima. Deseruit volens, & coacta est deserere nolens. Tanquam illi diceretur, Recessisti ab eo, quem diligere debuisti, recede ab eo, quem dilexisti. Quis enim vult mori? Prorsus *Ioan. 21.* nemo, & ita nemo, vt Beato Petro diceretur: Alter te cinget, & ducet quo tu non vis. Si ergo nulla esset mortis amaritudo, nó esset magna martyrum fortitudo. Ideo & Apostolus de dormientibus, *1. Thess. 4.* inquit, Nolo vos ignorare, fratres, vt non contristemini, sicut & Gentes, quæ spem non habent. Non tantum ait, vt non contristemini, sed vt non sic contristemini quemadmodum Gentes, quæ spem non habent. Necesse est enim vt contristemini. Sed vbi contristaris? Vbi corpus quod viuit ex anima fit exanime. Discedéte anima, qui ambulabat tacet, qui loquebatur, tacet, oculi lucé non capiunt, aures nulla voce patescunt, omnia membrorum officia conquieuerunt, non est qui moueat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nónne ista est domus, quam nescio quis inuisibilis habitator ornabat? Discessit, qui non videtur, remansit quod cum dolore videatur. Ista est causa tristitiæ. Si hęc est causa tristitiæ, est & huius tristitiæ consolatio. Quæ consolatio? Quia ipse Dominus in iussu, & *Ibidem.* in voce archangeli in nouissima tuba descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primi, deinde nos viuentes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Pereat contristatio, vbi tanta est consolatio, detergatur luctus ex animo, fides repellat dolorem. In tanta spe non decet esse triste templum Dei. Ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit promissor. Scio vt mortuum diu plangamus: quoniam mors amara est, per illam transiuit & Dominus. Sufficiant hæc pauca charitati vestræ, consoletur vos abundantius, qui non migrat de corde vestro, sed ita dignetur habitare, vt nos dignetur etiam in fine mutare.

EIVSDEM DE EODEM

die de igne purgatorij, Homil.

IN lectione apostolica, fratres charissimi, audiuimus Apostolum dicentem, *Sermo 41. de Sanct.* Fundamentú aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, *1. Cor. 3.* quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis comprobabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamé quasi per ignem. Multi sunt, qui lectioné istam male intelli- *distin. 25. Nunc circa medium.* gentes, falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quod si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificent, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iste, fratres charissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui taliter sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostulus. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Et quamuis, quod peius est, non solum maiora, sed etiam minuta, si nimium plura sint, mergunt. De ipsis maioribus, siue minoribus peccatis, & si non omnia, vel aliqua commemoranda sunt, ne aliquis se inanitèr excusare conetur, & dicat nescire se, quæ sint minuta peccata, vel quæ crimina capitalia. Et quamuis Apostolus capitalia plura commemorauerit, nos tamen, ne desperationem facere videamur, breuiter dicimus, quæ sunt illa, Sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia: &, si longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicunque enim ali- *Pœnitentia diu est agenda.* qua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi digne se emendauerit: & si habuerit spacium, longo tempore pœnitétiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine vllo remedio cruciabit. Quę autem sint minuta peccata

cata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, vt omnia replicentur, opus est vt ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quàm necesse sit, ad minora peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperem importune petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, alijs ieiunantibus, prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, vxorem suã cognouerit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardius requisierit. Quoties infirmos tardius visitauerit, Si discordes ad cõcordiam reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filiũ, aut seruũ exasperauerit quam oportet. Si amplius fuerit blãdities quã expedit. Si quicunque maiori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum nõ dederit, aut nimium deliciosa, aut sumptuosa sibi conuiuia præparauerit. Si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis ociosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupauerit. Si dum incaute iuramus, & cum hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, vtique periuramus, Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, cum scriptũ sit,

1.Cor.6. Neq; maledici regnum Dei possidebunt. Et cum aliquid suspicamur temere, quod tamen plerunque non ita vt credimus, comprobatur, sine vlla dubitatione delinquimus. Hæc enim, & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & a quibus nõ solum populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eã velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformẽ faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cælestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De quo scriptum est, *Ephes.5.* Aptauit sibi Ecclesiam nõ habentem maculam, aut rugam. Et ideo continuis orationibus, & frequentibus ieiunijs, & largioribus eleemosynis, & præcipue per indulgentiam eorum, qui in nos peccant assidue redimantur, ne forte simul collecta cumulum faciant, & demergant animam. *Purgatorius ignis peccata purgat.* Quicquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, *1.Cor.3.* Quia in igne reuelabitur. Et si cuius opus arserit, detrimentũ patietur. Aut enim dum in hoc mundo viuimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certe volente, aut permittẽte Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, & si Deo gratias agimus, liberamur. Quod ita fit, si quotiens maritus, aut vxor, aut filius moritur, vel si substantia à nobis plus quàm oportet amatur, aufertur. Licet plus Christum quàm ipsam substantiam diligamus, & si necessitas fuerit, malimus ipsam substantiam perdere quàm Christum negare: tamen, quia, sicut iam diai, si plus eam, quàm oportet diligimus, amittere eam autẽ dum viuimus, aut dum morimur, sine grandi dolore non possumus, & tamen si Deo, qui illam à nobis auferri velut pius pater permittit, tanquam boni filij gratias agamus, & minus nos pati quam meremur cum vera humilitate proferamus. Ita peccata ipsa in hoc seculo purgantur, vt in futuro ille ignis purgatorius aut non inueniat, aut certe parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur. Sed dicit aliquis, Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternã perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit quàm quid potest in hoc seculo pœnarũ videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cũ de die iudicij scriptum sit, *Psal.89.* quòd erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tãquam dies vnus, vnde scit vnusquisq; vtrũ diebus, an mensibus, an forte etiam & annis per illum ignẽ sit transiturus? Et qui modo nec vnum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est vel tunc paruo tempore cum anima, & toto corpore cruciari. Et ideo totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere quod ille ignis possit absumere. Illi autem, qui capitalia crimina committunt, si quamdiu viuunt, ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus, Ipse autem *1.Cor 3.* saluus erit, sic tamen quasi per ignem: sicut iam dictum est, venire non poterunt, sed magis illam duram, & irreuocabilem sentẽtiam audituri sunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Matth.25.* Et ideo, qui ab ista perpetua pœna, & ab illo purgatorio igne desiderant liberari, crimina capitalia non admittant, aut, si iam commiserunt, fructuosam agant pœnitẽtiam, & illa parua, vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis insinuare desidero.

Opera satisfactoria pro minutis peccatis. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos & positos in vinculis requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto Ecclesiæ ieiunio ieiunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter conuenimus, eleemosynã ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, veniam indulgemus. Istis enim operibus, & his similibus minuta peccata rediṁuntur quotidie. *Opera satisfactoria pro capitalibus criminibus.* Pro capitalibus vero criminibus hoc non solum sufficit, sed addẽdæ sunt lachrymæ, rugitus & gemitus, continuata longo tempore ac protracta ieiunia, & largiores eleemosynæ erogandæ, vltro nosipsos à communione Ecclesiæ remouentes, in luctu, & in tristitia multo tempore permanẽtes, & pœnitentiã etiam publice agentes: quia iustum est, vt, qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat. Ad extremum non est impossibile, vel incongruum quod suggero, vel sic lugeamus extinctam nostram animam quo modo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut vxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, in luctu, & pœnitentia, vel in lachrymis non paruo tempore perseuerant. Rogamus, fratres, exhibeamus nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienę carni. Et hoc videte, fratres, quàm malum sit, vt lugeamus, quod nõ possumus suscitare. Carnem, quam non possumus suscitare, plãgimus, & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitẽtiam ad statum pristinum reuocare. Sed quod nobis

peius eſt,corpus mortuũ plangimus, quod amamus, animam vero mortuam, quam non amamus,non dolemus,non plangimus. Et ideo mutata vice incipiamus plus Dominũ amare quàm ſeruum,id eſt, plus factorem corporis quàm corpus: plus dominam quàm ancillam, id eſt, plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam, vt cum die vltimo caro noſtra putreſcere,& à vermibus deuorari cœperit in ſepulchro, anima in Abrahæ gremio angelorum manibus eleuetur, & in die iudicij recepto
Matth.25. post reſurrectionem corpore audire mereatur, Euge,ſerue bone,& fidelis,intra in gaudiũ domini tui.Et vt hæc,quæ ſupra diximus,cordibus veſtris tenacius valeant inhærere,& ipſa Apoſtolica lectio plenius poſſit intelligi, breuiter ea charitati veſtræ volo repetere. Omnes ſancti,qui Deo fideliter ſeruiunt,lectioni,vel orationi vacare,& in bonis operibus perſeuerare contendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata, id eſt,ligna, fœnum,& ſtipulam ſupra fundamentum Chriſti, ſed bona opera,id eſt, aurum, argentum,lapides precioſos superædificantes, per ignem illum,de quo dicit Apoſtolus, Quia in igne reuelabitur, abſque vlla violatione tranſibunt. Illi vero, qui quamuis capitalia crimina non admittant; & ad perpetranda minuta peccata ſunt faciles, & ad redimenda ſunt negligentes, ad vitam æternam, pro eo quòd in Chriſtum crediderunt, & capitalia peccata non admiſerunt, venturi ſunt:ſed prius aut in hoc ſeculo per Dei iuſtitiam, vel miſericordiam,ſicut iam dictum eſt, amariſſimis tribulationibus ſunt coquendi, aut illi ipſi per multas eleemoſynas, & præcipue dum inimicis ſuis clementer indulgent, per Dei miſericordiam liberandi,aut certe illo igne, de quo dicit Apoſtolus, longo tempore cruciandi, vt ad vitam æternam ſine macula,& ruga perueniant. Illi vero, qui aut homicidium,aut ſacrilegium,aut adulterium,vel reliqua his ſimilia commiſerũt, ſicut iam dictum eſt, ſi eis digna pœnitentia non ſubuenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur ad vitam, ſed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem. Et ideo quoties in lectione Apoſtolica audieritis, Si quis ſupra fundamentum Chriſti ſuperædificat aurum, argentum, lapides precioſos,de ſanctis hoc, & perfectis Chriſtianis accipite,qui velut aurum purgatũ merebuntur ad æterna præmia peruenire: Illi verò,qui ſuperædificant ligna,fœnum, & ſtipulam, de bonis Chriſtianis, ſed negligentibus minuta peccata purgare, vt ſæpe dictum eſt,intelligite,quæ peccata ſi nec diuina iuſtitia multis tribulationibus purgauerit, neq; vnuſquiſq; eleemoſynarum largitate redemerit, non ſine grandi dolore in illis implebitur illud, quod dicit Apoſtolus, Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur,ipſe autem ſaluus erit ſic tamen quaſi per ignem.Nemo tamen,ſicut iam ſupra dictũ eſt,ſeipſum circumueniat, vt hoc etiam pro capitalibus criminibus, ſi incurata remanſerint,poſſe fieri credat.Et ideo, ſicut iam ſæpe dixi, quantum poſſumus, cum Dei adiutorio laboremus, vt & maiora peccata poſſimus euadere, & minuta, ſine quibus eſſe non poſſumus, iugiter amore inimicorum, & eleemoſynarum largitate redimere, præſtante Domino Ieſu Chriſto, qui cum patre,& ſpiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum,Amen.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexand. ſuperioris Euang. expoſitio.

Amen amen dico vobis, &c. A morte ad vitam tranſituros in ſuperioribus fideles dixit:modo ſeipſum huius rei eſſe authorem affirmat, occulte ſignificans mirabilem quandam fuiſſe rem, quod omnibus mẽbris antiquo diſſolutus morbo æger, verbo eius ſanatus ſit, ſed maiora ſe verbo ſolũmodo factutũ:non ęgrotationes corporũ,ſed ipſam mortem depellendo, & ab interitu in vitam humanum genus reducendo,hoc ipſum illis verbis ſignificabatur: pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe faciat: & maiora his Ioan.5.
ei demonſtrabit opera, vt vos miremini. Maior enim admiratio illa in ſuſcitatione mortuorum fieri videtur.Occulte autem non paruum eis terrorem incutit, ſuſcitaturum ſe mortuos oſtendens, & in iudicium deducturum: vt audientes ſe reddituros illi omnium harum rerum rationem, tardiores hac formidine ad perſequendum facti, quietiore animo doctrinam eius audiant. Credimus igitur omnes fideles tempus aliquando fore, in quo ſuſcitantis vocem omnes mor- Ioan.11.
tui audient. Sed nunc etiam tale adeſt tempus; aut quia (vt communiter dicitur) ſaluatoris vocem Lazarus audiuit; aut quia fideles mortui erant, antequam ſaluatoris doctrinam reciperent, hæc veriſimiliora nobis magis videntur, quàm exquiſita. Quare eiſdem iterum propoſitis verbis,cõuenientiorem ſenſum ſcrutemur. *Venit*, inquit, *hora,& nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei,& qui audierint,viuent.* Cum igitur vocem filij Dei audituros mortuos dicat, tempus illud ſignificat, quo ad reddendã huius vitæ rationem, voce,volũtate, & poteſtate ſua omnes reſurgent, ſic (veluti iam diximus) hac formidine, vt ad rectam viam conuertantur, impellit. Cum autem ſubijcitur;*& qui audierint, viuent*: tempus itaque credendi iam adeſſe oſtendit, & huius obedientiæ mercedem æternam vitam fore promittit, ita illud quaſi clamans teſtatur. Venietis omnino in iudicium,reſurrectionis tempore:vbi ſi condemnari amarum ducitis,ſi æternas mihi dare pœnas formidatis, nolite idoneum iſtud credendi tempus omittere:ſed præſentẽ iam doctrinam meam complectamini, ſi ad æternam vultis vitam peruenire.*Sicut enim pater habet vitam, &c.* Vide rurſus,vide,inquam,horum diſpenſationem verborum:& huius orationis habitum miratus, imperitorum cogitationes effugies, & extremam perditionem vitabis,Homo enim vnigenitus Dei filius factus,& in terris viſus vt ſcribitur,ac multis, varijſque modis ad ſalutẽ Iudæos inducens, duas res magnas, ac Deo dignas ſibi accommodauit. Nam & ſuſcitaturum ſe mortuos,& pro tribunali ſuo ad iudicium deducturum, non obſcure dicebat. Turbabantur ergo hæc illi audientes, ac Baruch.3.
variis ad perſecutionem cogitationibus mouebantur: quia & ſuum eſſe patrem Deum dicebat, & ęqualem ſe illi faciebat.Quare poteſtati,ſplendorique deitatis,humanitatis orationem coniungens,cum ſummiſſius de ſeipſo loquatur, irã eorum mitigat.*Sicut enim pater*,inquit *habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo.* Nolite,inquit, mirari, ſi, cum me hominem eſſe videatis,

videatis, suscitaturum tamen mortuos me pollicear, & in iudicium deducturum minister. Dedit enim mihi viuificandi virtutem pater; dedit iudicandi potestatem, sed, vt lubricã Iudæorum mentem his retinere studuit, sic aliorum quoque curam non paruam habuit. Quapropter causam, quare hæc sibi data à patre dixerit, illico subiecit dicens; *quia filius hominis est*, vt intelligamus omnia ei data fuisse vt homini: qui, cum creatura sit, nihil habet à seipso, vnigenitus vero filius, non vitæ particeps, sed vita naturaliter vt pater est, quod latius, illud exponentes; quod factum in ipsu vita erat, ostendimus. *Nolite mirari hoc, &c.* His verbis: resurrectionis omnium tempus significatur, quãdo (vt diuinus Paulus scribit) ipse dominus in iussione, in voce archangeli, in tuba Dei ad iudicandum in iustitia orbem, de cælo descendet, redditurus vnicuique secundum merita eius, Repetitur autem hoc paulo quoque antea dictum: vt tarda Hebræorum mens, maiora factarum possit intelligere, quàm vnius ægroti curatio sit, propterea nolite inquit mirari hoc, quòd vnus longo morbo dissolutus, verbo corroboratus, grabatum etiam tulit, & abiit: cum mortem omnino destructurus sim, & orbem terrarum iudicaturus. Non debemus tamen putare: splendorem illius miraculi à Christo ipso diminui. Non enim prohibet, ne hoc mirentur: sed paruum hoc esse ostendit, cæteris comparatum. Credere itaque illos hortabatur: non à morbo solom, sed etiam à morte posse ipsum liberare: ideo maiora hæc narrat, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Nam, qui à nihilo cuncta produxit: quomodo non poterit, quæ semel producta sunt, ab interitu ad vitam rursus reuocare? eiusdem certe vtrumque, ac immensæ potestatis est, processuros autem vtilissime de monumẽtis subiecit, peccatores quidem in supplicia sempiterna, iustos vero contra in vitam æternam. Sic harum rerum omnium iudicem, moderatoremque se futurum demonstrat, & partim à vicio terrore deterret, partim ad virtutem magnitudine præmiorum inuitat.

1. Thes. 4.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri superioris Euang. expositio.*

In comment. in Ioan.

Amen amen dico vobis, quia veniet hora, &c. Hoc proprium est piorum, qui si audiant de incarnatione eius, vt credant quia filius Dei est, id est, sic eum propter se factum accipiant, minorem patre in forma serui, vt credant quia æqualis est patri in forma Dei, & ideo sequitur, & hoc ipsum commendans dicit; *Sicut enim pater habet vitam in semetipso.* Quod ergo ait; *dedit filio vitam habere in semetipso*, breuiter dicar, genuit filium vitam in se habentem. Neque enim erat sine vita, & accepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita est & non nascendo, filius vita nascendo. Pater de nullo patre, filius de Deo patre. Pater propter filium est, filius vero & quòd filios est, propter patrem est, & quòd est, à patre est. Hoc ergo dixit, *vitam dedit filio, vt habeat eam in semetipso*, tanquam diceret, Pater, qui est vita in semetipso, genuit filiũ, qui est & vita in semetipso. Pro eo enim quòd genuit, voluit intelligi, *dedit*: tanquam si cuiquam diceremus, dedit tibi Deus esse. Sequitur enim, & dicit; *Et dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* Puto nihil esse manifestius. Nam quis filius Dei est æqualis patri, non accipit hanc potestatem iudicium faciendi, sed habet illam cum patre in occulto. Accipit autem illam, vt boni, & mali eum videant iudicantem, quia filius hominis est. Visio quippe filij hominis exhibebitur & malis. Nam visio formæ Dei, nõ nisi mundis corde (quia ipsi Deum videbunt) id est solis piis exhibebitur: quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia ostendet seipsum illis, & ideo vide quid sequitur; *Nolite mirari hoc*, inquit. Quid nos prohibet mirari? nisi illud quod reuera miramur? Omnis qui intelligit, vt video, non diceret patrem dedisse ei potestatem iudicium facere, quoniam filius hominis est, cum magis hoc expectaretur vt diceretur, quoniam filius Dei est: sed quia filium Dei secundum id, quod in forma Dei æqualis est patri, videre iniqui non possunt: oportet autem vt iudicem viuorum, & mortuorum, cum coram iudicabuntur, & iusti videant, & iniqui: *Nolite*, inquit, *hoc mirari, quoniam veniet hora, &c.* Ad hoc ergo oportebat vt ideo acciperet illam potestatem, quia filius hominis est, vt resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab omnibus potest, sed alij ad damnationẽ, alij ad vitam æternam. Quæ est autem vita æterna, nisi illa visio, quæ non conceditur impiis? Vt cognoscant te, inquit, vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, nisi quamadmodum vnum verum Deum, qui ostendit seipsum illis, non quomodo se ostendet etiam puniendis. In forma filij hominis secundum illam visionem bonus est, quam visionem Deus apparens exhibet mundis corde: quoniam quam bonus Deus Israel rectis corde. Quando autem iudicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omnes tribus terræ, in numero vtique malorum hominum & infidelium. Propter hoc etiam illi, qui eum dixerat magistrum bonum, quærens ab eo consilium consequendæ vitæ æternæ, respondit; Quid interrogas de bono? Nemo bonus nisi vnus Deus, cum & hominem alio loco dicat bonum ipse dominus; Bonus homo, inquit, de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Sed quia ille vitam æternam quærebat, vita autem æterna est in illa contemplatione, qua non ad pœnam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum: duas hic resurrectiones ipse dominus Christus in his verbis nobis demõstrat; Primam, quæ in fide est, resurgendo à peccatis, de qua ait; *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, in qua mortui audient vocem filij Dei.* Alteram, vbi ait; *Amen amen dico vobis, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.* Illa prior est resurrectio animarum, ista sequens resurrectio erit corporum. Qui vero in hac prima resurgit, in secunda resurget ad gloriam. Qui vero in hac prima non resurgit, in secunda tamen resurget, sed ad pœnam. Vtrunque facit Deus per Christum. Qui hic resurgit per eum, ibi resurget ad eum: qui hic per eum non resurgit, nec ibi ad eum resurget. Hora autem nunc est, vt resurgant mortui. Hora erit in fine seculi, vt resurgant mortui: sed resurgãt nunc in mente, tunc in carne. Resurgant nunc in mente per

Matth. 5.

Ioan. 17.

Psal. 72.

Matth. 24.

Matth. 10.

Luc. 6.

re per verbum Dei filium, resurgant nunc in carne per verbum Dei carne factum filium hominis. Neque enim ad iudicium viuorum, & mortuorum pater ipse venturus est: nec tamen recedit à filio pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? quia non ipse videbitur in iudicio. Videbunt, in quem compunxerunt. Forma illa erit iudex, quæ stetit sub iudice. Illa iudicabit, quæ iudicata est. Iudicata est enim inique, iudicabit iuste. Talis apparebit iudex, qualis videri possit & ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est. Distinctio est inter illud verbum, quod superius dixit, quod mortui audient vocem filij Dei: & inter illud, quod hic ait; *Venit hora qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.* Ibi enim adiecit, *& qui audierint, viuent:* hic vero simpliciter ait; *audient vocem filij Dei.* Ideo illa resurrectio est ad vitam: ista vero quæ futura est, de qua dicit; *Audient vocem filij Dei*, audient inquam vt resurgant ad iudicium, non addidit hic, ad vitam: quia non omnes ad gloriam resurgent, sed multi ad pœnam, ideo addidit de futura resurrectione; *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui mala egerunt, in resurrectionem iudicij:* id est damnationis, quia hic iudicium pro pœna posuit. Tunc erit vltima palea, & separabit bonos à malis, triticum à paleis. Tunc ibunt impij in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam.

THEOPHILACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

A*Men amen dico vobis, quod venit hora, &c.* Dixerat superius, quod qui non honorat filium, non honorat patrem, sublimia quædam de se loquutus: quæ vt ne videantur per arrogantiam, & inanem gloriam dicta: adiungit & demonstrationem per opera, dicens, quod venit hora, deinde vt ne longum suspicentur tempus, inquit; *Et nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei*, hoc est, meam, qui vobiscum conuersor. Dicit autem hæc de ijs, quos suscitaturus erat: vt de filio viduæ, filia archisynagogi. Deinde & rationem affert dictorum demõstratiuam: dicit enim, *Sicut pater vitam habet in semetipso, ita dedit & filio vitam habere in semetipso.* vt viuificet audientes vocem eius. Non solum autem potestatem dedit ei viuificandi, sed & faciendi iudicium, & puniendi. Sæpe autem in medium affert sermones de iudicio, vt auditores excitet. Cui enim persuasum est, quod suscitandus sit recepturus delictorum pœnas, omnino currit ad ipsum, placátque vt suum futurum iudicem. Ne admiremini autem, quod filius hominis est: nam, quamuis filius hominis sit, est tamen & Deus. Et ita iudicium merito habet sicut filius Dei. Si autem & homo appareat, ne admiremini. Sciendum autem, quod Samosatenus docens Dominum purum esse hominem, sic legit hunc locum, *Et potestatem dedit ei, iudicium faciendi, quia filius hominis est.* Hoc autem loco punctum faciens, ab alio principio legit. *Ne admiremini hoc,* Valde autem stultum est sic legere. Non enim dedit pater filio iudiciũ, quod filius hominis sit, sed quia Deus, Vnde ille non recipiens vt Christus dicatur Deus, sed filius hominis, sic cogitabat iudicem illum esse, non vt Deum, sed vt filium hominis. Nos autem sic intelligimus, vt dictum est. Postquam autem dixit de particulari resurrectione, Lazari videlicet, & aliorum, qui iterum mortui sunt: nunc dicit de vniuersali, *Quia venit hora, in qua ij, qui in monumentis sunt, audient vocem Dei.* Nam de vniuersali resurrectione hic loquitur. Quoniã dixerat superius, Qui credit, in iudicium non venit: ne putemus quod fides sola ad salutem sufficiat, dicit, quod resurgent ij, qui mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis: qui autem bona, in resurrectionem vitæ. Non igitur sola fides absque operibus iusti- *Nõ sola fides*
ficat, sed oportet etiam opera adesse: tunc enim *iustificat.*
proprie fides est. Vide autem geminam doctrinam *Fides enĩ sine*
fieri per metum, & lætitiam. Nam, quum dicit, cõ- *operibus pro-*
demnari impia facientes, deterret. Quum autem *prie fides est,*
dicit resurgere ad vitam eos, qui bona fecerunt, *licet nõ nunc,*
per lætitiam exhortatur. *quicquid au-*
ctor dicat.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

A*Men amen dico vobis, quod venit tempus, &c.* Promittit nunc quod non longo post tempore viuificaturus sit mortuos, sermonemque opere comprobaturus. Ad Samaritanam quoque dicẽs similiter; Venit tempus, siue hora, pari modo addidit, Et nunc est, significans futuræ rei propinquitatem. Mortui autẽ audituri sunt vocem eius: quomodo? Simulac ipse voluerit, conuersa cuiúsque anima ad propriũ corpus, mortui qui audierint, vita rursus in mundo viuent. Hic ergo, vbi dixit excelsa, seipsum Dei filium vocando, rursum sermonem obscurat attexens humilia. *Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit, &c.* Verbum dedit, humile est, & dispensatorium. *Habet*, autem *vitam in semetipso*, hoc est, ad modum fontis scaturire facit vitã. *Et potestatem dedit ei iudicium faciendi.* Iudicium eorum, quæ ab vnoquoque in vita peracta sunt. Frequenter autem repetit iudicium, magis eos exterrens, vt paulatim iudicem hunc esse credentes, ad eum accurrant, mansuetum sibi iudicem inde parantes. *Quia filius hominis est, nolite mirari hoc.* Quia homo est, qui iudicium sumpsit hominum, & prædicta de seipso docuit, quæ magna, & non tantum supra hominem sunt, sed supra angelos quoque, & ad solũ Deum pertinent, nolite mirari: prædictum est enim, quod etiam filius Dei sit: Non ergo offendi oportet: nam quæ odiosa apparent propter humanæ naturæ humilitatem ea appareant tolerabilia propter diuinę naturæ celsitudinem. Deinde aliam quoque de seipso proponit tremẽdam, & arcanam potestatem, *Quia veniet tempus, in quo omnes qui in monumentis sunt, &c.* Tempus dicit consummationis seculi, & vniuersalis iudicij; eos autem, qui sunt in monumentis dicit mortuos, quos simul omnes repente, ac virtute arcana cosptabit, animabit, ac excitabit voce sua siue iussu, quo tunc per archangelum clamabit, In iussu, inquit, in voce archangeli, *1. Thess. 4.*
& in tuba Dei. Atqui non omnes sunt in monumentis, sed ab ijs, qui sunt in monumentis, etiam eos significauit, qui non sunt in monumentis, ab ijs videlicet, qui naturaliter sepulti sunt, eos etiam qui naturaliter sepulti non sunt. Ex monumentis autem prodibunt hi quidem in resurrectionem vitæ æternæ, illi vero in resurrectionem condemnationis: isti ad fruitionem sempiternam, illi ad supplicium perpetuum. Alibi autem dixit; Et abi- *Matth. 2*
bunt hi in supplicium æternum, iusti vero in vitam æternam.

IN FESTO S. MARTINI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Euang. Nemo accendit,&c.

Quære in communi Confeſſorum.

S. BERNARDI ABBATIS *Claræuallenſis, in feſto S. Martini Sermo.*

PVTO, ſermonem à nobis expetit tam veſter iſte conuentus, quam aduentus harum honorabilium perſonarum quas de longinquo gratulamur adeſſe. Sanè audirem eos ipſe libentius: ſed quoniam eligunt, imò & exigunt magis vt loquar, mihi ſi non licet audire eos, eis neceſſe eſt obaudire. Et quidem viuus eſt nobis ſermo tam multa manſuetudo eorum, qua videlicet meritis ſanctiores, dignitate ſuperiores, ſapientia locupletiores, non modo ad viſitandos, ſed etiam ad audiendos nos dignati ſunt declinare. Efficax eruditio, & omni digna acceptione doctrina. Siquidem non verbo & lingua, ſed opere & veritate nos admorēt imitatores ſuos eſſe, ſicut ipſi ſunt Chriſti, & diſcere quod ab ipſo vtique didicerunt, mites eſſe, & humiles corde. Sic Maria Elizabeth petiit, coniugatam virgo, ancillam domina, præcurſoris matrem iudicis mater, Dei genitrix ſerui genitricem. Sic poſtmodum Ieſus etiam ipſe Ioannem adiit, & adiit baptizandus, vtpote quem decebat implere omnem iuſtitiam. Vos quoque reuerendi patres deteriorem nobis non facitis partem veſtram. Ad audiēdum quippe quàm ad loquendum velociores, etiam inter ipſos qui veſtro magis eguerant documēto. Nam nos quidem quia omnem nō poſſumus implere iuſtitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus, iuſtū eſſe non ignorantes, inferiorem ſuperioribus obedire. Sed vnde loquemur? Ioan. 3. Qui de terra eſt, de terra loquitur: ait vox illa clamantis. De terra ergo loquamur, quia de terra ſubſiſtimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filij hominum, vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, reuertentes in eam vnde ſumus aſſumpti. Hic nobis anguſtus introitus, mora breuis, ſola mors certa. Cogitur totus Adam iudicium portare quod meruit. Dilatatus eſt vehementer, multiplicatus eſt, & repleuit terram. Attamen velit nolit, quantumcunque recalcitret, vniuerſus adhuc fert ſententiam quam excepit. Terra, inquit, es, & in terram ibis. Gen. 3. Grauis equidem ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento. Dura admodum ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena. Siquidem non minus iuſtè peccanti diceretur, Terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis. Iuſtus foret etiam tunc iuſtus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus plane qui laudaretur, ſed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilo minus verè dicerem, ſi tamen dicere poſſem: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Psal. 118. At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: Psal. 113. ſed nos qui viuimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ nominis tui, vt deſcendentem de Hieruſalem, minime tamen vſque in Hiericho patereris abduci. Semiuiuus adhuc relictus in via ſemilaudare poſſum: vbi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia oſſa mea: Domine, quis ſimilis tibi? Propter hoc nempè cùm iratus fuiſſes, miſericordiæ meminiſti, non damnas hominem in loco perditionis, ſed in loco afflictionis humilians. Quid cauſaris homo, quid ſententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus è terra, vt ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit. Sed audire, inquies, vellim, Quia ſpiritus es, & ad ſpiritum ibis. Siquidem etiam ſpiritus ſum, quod ad animam pertinet, nec portionem hanc mei dubitauerim potiorem. Audiui ſane ab Apoſtolo, quia Dominus ſpiritus eſt: 2. Cor. 3. & ab ipſo Domino, quia ſpiritus eſt Deus. Ioan. 4. Nec modo ſpiritus, ſed ſpirituum pater. Vt quid ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte: ſpirituum pater non recipit, cùm ex parte ſim ſpiritus? Scio, ſcio, agit hoc non tam ſubſtantia ipſa, quàm culpa. Sicut enim peccatores ſpiritus inter cælum & terram ventoſum hoc medium tenent vnde & poteſtates huius aëris nominantur: ſic peccata noſtra inter nos & Deum ſeparant, inter creatorem patremque ſpirituum, & ſpiritualem vtique creaturam. Traxit animam corpus in regionem ſuam, & ecce præualens opprimit peregrinam. Factum eſt nempe talentum plumbi, non aliunde tamen niſi quia ſedet iniquitas ſuper illud. Corpus enim aggrauat animam, Sap. 9. ſed vtique quod corrumpitur: corrūpitur autem, imò etiam Rom. 8. Apoſtolo teſte mortuum eſt propter peccatum. Itaque licet quodāmodo cælum ſit homo, cęleſtibus ſine dubio ſpiritibus ſimilis, ſubſtantia ſimul & forma, ſubſtantia quidem, quoniam ſpiritualis, forma verò, quia rationalis eſt, minimè tamen leuare eum duo iſta ſufficiunt vt mereatur audire, Quia cælum es, & in cælum ibis. Fruſtra glorietur de libertate arbitrij, quæ in mente eſt: captiuus ducitur in legem peccati, quæ in carne eſt. Nam etſi forſitan videretur duplex funiculus poſſe alteri æquè duplici præualere, vt videlicet quem ſibi terra gemino quodam iure tanquam patria pariter & materia vendicat; ob geminam nihilo minus quæ prædicta eſt, ſubſtantiæ ſcilicet & for-

ma

mæ similitudinem, cælum quoque recipiat vt cęlestem: sed iam triplicatus inferior ille & deorsum trahens peccato equidem accedente funiculus, nisi illinc quoque occurreret gratia, non rumperetur. Sanè vbi illa affuerit, haud dubium quin soluatur facilè grauis iste quo trahimur, imò quem trahimus, funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos & Deum non separans interuenit, sed reparans & coniungens. Itaque ibo mihi ad montem gratiæ, & colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ & veritatis, si fortè accipiam aliquid de plenitudine illa, imò si forte accipiar in plenitudine illa: vt cũ cęteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis pleni- Ioan.3. tudinis Christi. Nemo quippe ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo. Fidelissimus plane & benignissimus mediator, qui quidem non discreuit, sed fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ soluens, donans nobis omnia delicta, delés quod aduersum nos erat chirographum decreti: quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palã triumphans illos, pacificansque per sanguinem suum quæ sunt in cælo, & quæ super terram. Propter hanc nempe salutẽ quã in medio terræ erat operaturus, nõ confestim sub terra posuit hominem, sicut peccãdo meruerat, sed in terra. Siquidẽ respirãdũ est nobis & nullatenus desperandũ donec in terra adhuc interim cõstituti & suspicere cælum possumus, & suscipere data optima & dona perfecta desursum à patre luminum, à patre spirituum, à patre misericordiarum. Nam & propterea rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cùm prona vtique spectent animantia cætera terram: vt attollens ad sidera vultus, illicò suspiret, vbi tam beatam & perennem cõspicit mansionem. Nónne enim piè & fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentiuum amoris, & prouocatio flagrãtissimi desiderij est visio ipsa tam lucidissimæ regionis? Non sunt stellæ cæli similes glebis terræ. Inter splendorem Solis, & caliginem soli huius, non parua distantia est. Fortè tamen hîc quoque nonnulla, sed in suo genere pulchra videntur & hæc ipsa vndique mixta nõ pulchris, vt aurum in luto, gemma in sterquilinio, lilium inter spinas. Tota pulchra es patria mea, & macula non est in te: tota pulchra es, absque eo quod intrinse- Psal.42. cus latet. Quid illud? Nempe illi beati angelici spiritus, & animæ sanctorũ, quæ iam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domũ Dei. Sicut enim sunt corpora terrestria, sic sunt & corpora cælestia, sed longè verò alia cælestium gloria, quàm terrestrium: sic sunt cęlestes spiritus & terrestres, nec minor sanè distantia inter eos. Angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, dominationes, throni, Cherubim & Seraphim. Bene nomina noui, forte hoc totum est. Quid enim amplius capiam terrigena de cælestibus, carnalis homo de spiritualibus & diuinis? Verumtamen & si ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissimè noui, quòd magnum & mirabile aliquid sub hac tanta verborum maiestate clausum sit & signatum. Non sine causa cælum hoc dicitur: planè eximium nescio quid celatur in eo. Celatus inquam, sed tamen non negatur fidei vsquequaque. Videre enim nobis datur in terra ipsam exteriorem cæli pulchritudinem, non adire: internam quoque gloriam secretorum eius & si non comprehendere conceditur, vel audire. Videmus patriam, sed à longè salutamus: odoramus illas delicias, non gustamus. Enimuero non sine causa vnigenitus qui est in sinu patris, ipse nobis in regione hac vmbræ mortis quam inhabitamus, cęlestium gloriam spirituum sanè per fidem enarrat, corporum verò per speciem manifestat. Audi, inquit, filia & vide. Et factum est. Quorsum ista? Psal.44. Inclina, ait, aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Vult nos ponere contumaciam, discere obedientiam, apprehendere disciplinam. Vult nos etiam obliuisci posteriora, despicere inferiora, terrenos mores & vitia genuina deserere, cælestia sapere, superna quærere, anterioribus inhiare. Vult & illum tãtum decorem domus suæ ingenuam concupiscere creaturam: quò scilicet in eandem imaginẽ transformetur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, ac proinde cõcupiscat etiã rex decorem illius, vtique spiritualem. Sed in quo visus ille, inquies, vel auditus inclinare me aurem & obaudire monet? nam quòd desiderium pariat, manifestum est. Sanè ergo considera vniuersam hanc cælestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare diuinis, nec vnquam sibi positas in tam continuis motibus metas excedere temporũ, aut locorum terminos transgredi cõstitutos. Sed Heb.1. & ipsos spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, & in ministerium mitti dignantissimum, vt ne indignum dicam: minimè tamen puto reperies in scripturis aliquando quenquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministeriũ mittebantur, saltem tenuiter fuisse commotũ. Exempla sunt obedientiæ, si diligẽter attendas, eò sanè acceptabiliora, quo in materia digniori. Sed noui quid ad ista submurmurat sensus hominis, & cogitatio prona semper ad malum. Quid tu mihi, inquit, elementorum proponis obedientiam supernorũ? Quasi verò aut sensus vllus in eis, aut vlla vigeat deliberatio rationis, & non potius agi ipsa, quàm agere videantur. Quid verò vel ipsorum angelorum obedientiam sic commendas? Sentiũt quidem angeli, sed delectabilia sola, obedientes equidẽ creatori, sed tam felici quàm facili voluntate. Quidni obediant? Semper enim vident faciem patris, quem videre, perfecta beatitudo, æterna gloria, summa voluptas est. Produc nobis Domine patriarchas & prophetas, viros obedientes præceptis tuis, obedientes ex voluntate, obedientes contra propriam voluntatem. Factum est. Exhibetur nobis (vt cæteros breuitatis causa prætercam) exhibetur inquam nobis Abraham ad præceptum Domini exiẽs de terra sua, eiiciens ancillam & filium eius, etiam charissimum filium Isaac immolare paratus. Quid hîc humana astutia poterit cauillari? Fortè respondeat, quoniam multipharię multisque modis apparens eis Deus, suscipiebatur hospitio, participabat conuiuio, animabat alloquio, instruebat consilio, donabat filiis, illustrabat victoriis, diuitiis cumulabat. Quid dices cùm venerit Christus factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis? Multum, inquit, per omnem modum. Quando enim

vnigẽ

vnigenitum Dei patris, Dei virtutem, & Dei sapientiam Christum, quando præsumeret æmulari? Oblatus est quia ipse voluit, quando & quantùm voluit passus est, vtpote verus quidē homo, sed verus nihilo minus Deus. Imò verò ne ipsam Apostolicam obedientiam afferas velim: quos nimirum iuxta Propheticam promissionem oculis suis vidisse constat præceptorem suum, & au-
1.Ioan.1. ribus suis vocem audisse monentis. Vnde & vnus eorum expressius scribens ait: Quod audiuimus, quod vidim' oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpauerūt de verbo vitæ. Quidni relinquerent omnia, quidni ad omnia sequerentur tantæ præsentiam maiestatis? Quid ego non facerem si mihi omniscopia præstaretur? Sed non fecit taliter omni nationi, non præeunti vtique, non sequenti. Siquidem vt multi Reges optauerunt videre & non viderunt, sic nihilo minus venerunt iam dies quādo desideremus videre diem vnum filij hominis, nec tamen mereamur. Opportunè ergo iam Martinus ad medium veniat, vt de medio fiat occasio peccatorum. Hodie enim ille per omnia similis nobis planè & sensibilis, & passibilis, sed & longè post illa patriarchalium & propheticarum tempora visionum, & homo purus, nihil de natura diuinitatis habens: credens autem in eum quem non vidit, plenus fructu obedientiæ, & virtutum locuples, solùm deserui:, polum subit, terræ commendans quod habebat è terra, spiritum dirigens ad patrem spirituum, cui fideliter in adoptionis spiritu deseruiuit. Non fuit cæleste corpus, sed nec spiritus quidem cælestis, rationale animal, etiā & mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus est, in terra educatus, in terra exercitatus & probatus, in terra etiam consummatus. Nec verò patriarcha erat, aut vnus ex Prophetis, de quibus sanè in Euangelio veritas
Matth.11. ait: Quia lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Multò magis non erat ipse Christus, sed erat tamen Christus in ipso, haud aliter vtique, quàm per fidem. Enimuero iuxta hunc modum etiam modò propè est verbum in corde tuo, & in ore tuo, tātùm si recto quæsieris corde. Nempe Apostolo interpretante verbum fidei istud est, de quo
Heb.13. Moyses ait. Vnde & alibi idem Apostolus: Iesus Christus, inquit, heri, & hodie, & in æternum. Hesternum quidem ab initio seculi vsque ad ascensionem dominicam, hodiernum verò diem exinde vsque ad seculi consummationem, porro æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli bonum deest Christus, nulli deest Iesus, nulli deest vnctio, nulli salus. Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est, Apostolis in humanitate, Martino in fide, angelis iam in specie. Quam sanè speciem, & electis omnibus ostensurum sese promiserat, non quidem hodie, sed in æternum. Denique iam transierat heri, iam illud nostrum illuxerat hodiernum, cùm Apostoli
2.Cor.5. loquerentur: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam nunc nō nouimus. Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus agni nonnihil esse seruatum: sed quod residuum est, vtique iam datur igni: quòd videlicet vsq; hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter vtique non carnaliter exhibeatur. Neque enim est quod causemur nostro huic negatam tempori siue eam, quæ ad patres veteris Testamenti facta est apparitionem, siue eam, quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis eius. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in sacramento. Adsunt reuelationes, sed in spiritu & virtute: vt tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in vlla gratia deesse probetur. Denique 1.Cor.2.
nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis tamen reuelauit per spiritum suum. Nec mireris quòd carnales eis manifestationes exhibuit, qui carnalem eius præstolabantur aduentum. Nobis enim tantò efficacior gratia, & reuelatio dignior necessaria est, quantò nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus. Itaque (vt suprà diximus) Martinus iste Christus non fuit, sed tamen Christum habuit: non quomodo angeli in præsentia maiestatis, non quomodo Apostoli in visione humanitatis, non quomodo olim locutus est in visione sanctis suis, sed quomodo eum etiam nunc habet Ecclesia in fide, & sacramentis. Non erat ille lux, sed lucerna plane ardens & lucens, de Ioanne dictum est. Sed si illum protulero, puto dicetis: Maximus hominum est, plusquam Propheta est, etiam angelus est Dei
patris, sicut ipse testatur: Ecce mitto angelum Luca 7.
meum, &c. Et Martinus lucerna erat ardens, & lucens: eum saltem non pigeat imitari. Sed imitari in eo, quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. Ad mensam diuitis sedes hodie, diligenter considera, quæ tibi apponuntur. Discerne inter cibos, & vasa ciborum. Illos enim iuberis tollere, sed non illa. Diues est iste Martinus, diues in meritis, diues in miraculis, diues in virtutibus, diues in signis. Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi, quænam videlicet ad admirationem, quæ verò ad imitationem. Aut certè quia sequitur in scriptura illa, quoniam talia oportet te præparare: diligenter cōsidera quid apponitur, & in quo. Suscitauit Martinus tres mortuos, quot nimirum saluatorem legerat suscitasse. Reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Euasit diuina virtute pericula, proprij corporis obice flammas repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem columna parili è cælo descendente prostrauit, leprosum mundauit osculo, curauit oleo paralyticum, dæmones vicit, angelos vidit, futura præuidit. Verùm hæc quidem cæteráque eiusmodi altissima, quæ fecit magnalia, quidni mirifica quędā vasa dixerim diuitis huius, auro grauia, gēmis micātia, pariterq; materia, & opere pretiosa? Noli in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in huiusmodi lucerna nostra, vt in lumine eius videamus lumen, quod quidem purum prout in se est, necdum præuales intueri. Non enim est iste lux, sed vt testimonium perhibeat de lumine: & appareat tibi interim gloriosus Deus in sancto suo, dum non potes ad gloriam eius, sicut est in seipso. Cæterùm ne putaueris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inueniri, non est fatua virgo: habet in vasis oleum, habet vinum in phialis: habet intra paropsides istas ciborum copiam, delicias vtique spirituales: vt non modò videant & mirentur, sed edant pauperes, & saturentur: atq; in illis quidem Dominum laudent: porro in his viuant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te Domine? Vt ergo sit iucunda decoráque laudatio

in admirationc, etiam viuant ex imitatione: & vt auidius sumant delicias, ipsas quoq; diuitias curiosius contemplentur. Sic nimirum inter splendorem, & feruorem lucernæ huius vicarius quibusdam affectibus discurrendum, vt nobis alter ex altero commendetur, & ex mutua collatione vterque complacitior fiat. Siquidem humilis fuit & spiritu pauper iste Martinus, sicut euidentissimè probat effectus ipse diuinæ gratiæ, quam profectò tam multam, nisi multum humili non dedisset. Vt tamen pauca virtutum eius indicia promam, pauperem illum spiritu beatus nouit Hilarius, cùm imponeret ei Diaconatus officium, tentans, nec præualens, quòd indignum sese vociferaretur: exorcistam eum esse præcepit, in quo quidem locus iniuriæ videretur, sciens nimirum quòd humiliorem ordinationem minimè repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis, quæ quidem licet in electione eius à quibusdam maleuolis obiecta fuissent, & in ipso tamen episcopatu, sicut scriptum est, penitus non mutauit. Denique quia verè pauper fuit spiritu Martinus, pauper & modicus meruit nominari. Audi verò mansuetudinem eius, suo illo Sulpitio sic scribente: Tantá aduersus omnes iniurias patientiam assumpserat, vt cum esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos, aut loco vnquam amouerit, aut à sua quantum in ipso fuit charitate repulerit: quod quidem in Brixio manifestè probatum, omnes vos arbitror meminisse. Eum nępe ex omnibus sibi successorem elegit, & de tanta pòst futura aduersitate præmonuit: postremò in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum: ad cuius os aures suę fuerant cum responderet homini qui de eo sciscitabatur: Si illum delirum quæris, prospice eminus: Ecce cælum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, vtpote terram despicens, cælum suspiciebat. Nempè sciebat ad hoc sese (vt suprà meminimus) rectam in corpore accepisse staturam, sciebat illic esse thesaurum suum, sciebat illic sedere in patris dextera Christum suum, sciebat nunquam sese donec illuc perueniret, quod desiderabat assecuturum. Vnde & hoc ipsum, quòd delirus vocabatur in terra, meritò nó attendit cuius nimirum conuersatio esset in cælis, cuius oculi in capite suo. Sanè illuc etiá lachrymæ eius à maxilla ascendere consueuerant, quibus sic abundabat, vt soleret pro illorum quoq; qui obtrectatores sui videbantur, flere peccatis. Sane quantum iustitiam esurierit, tum in cęteris eius actibus, tum specialiter in idololatriæ persecutione probatú est, in templorum destructione, in statuarum deiectione, in succisione lucorum. Vbi se quoque aliquando non est veritus date discrimini, vt occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam misericordem eum in pauperie se expertum saluator ipse apud angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans. Vtinam nobis etiam miseris apud summum iudicem (in cuius admirabile tabernaculum introiuit) misericordiam illam exhibere dignetur, qua & illos olim morti destinatos, & tormentis variis deputatos eripuit, pro quibus ante terreni iudicis ianuam nocte media scribitur iacuisse. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoq; fecit audiri? Porrò munditiam cordis eius illud, vel maxime indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta: Nihil in me funeste reperies; Abrahæ me sinus recipit. Nam in opere pacificorum feliciter planè consummans labores suos, licet dierum suorum finem non ignoraret, clericos tamen adhuc dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quieuit. Cęterùm persecutiones quas sustinuit propter iustitiam, longum est numerare, quomodo apud Iulianum Augustum in Ciuitate Vangionum intrepidus, imò & illato terrore constantior, custodiæ mancipatus est, vt inermis postera die Barbaris opponeretur: quomodo circa alpes sub securi quam in verticē eius latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arrianus grauiter insectatus, multisque appetitum iniuriis, tandem de ciuitate exturbauit: quomodo & alibi prius aduersus sacerdotum perfidias acerrimè pugnans, supplicius fuit affectus, publicè virgis cęsus, inde quoque exire compulsus est: quomodo item in cuiusdam fani euersione cùm Gentilis eum stricto gladio peteret, nudam ceruicem præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus: quomodo alter eum cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus eius elapsum, repentè disparuit. Pro quibus omnibus dubiú non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed totiens martyr fuit affectu deuotissimæ voluntatis. Comedite iá amici & bibite, & inebriemini charissimi. Sic enim viuitur, & in talibus vita spiritus vestri. Nisi fortè beatos prędicat sermo diuinus, qui mortuos suscitant, cæcos illuminant, morbidos sanant, leprosos mundãt, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænunciant, miraculis coruscant: & non magis pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes, & sitientes iustitiam, misericordes, mundicordes, pacificos, persecutionem propter iustitiam sustinentes. Ignoscite mihi fratres, exemplum obedientiæ paulo minus prætermisi, quod quidem vel solum iuxta prępositum ordinem in Martino quoque nobis conuenit exhiberi. Sanè moram facimus, sed vt arbitror, bonú est nos hic esse: tardius enim hodie venimus ad Martinú. Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, nó recuso laborem: fiat voluntas tua. O verè sanctissimam animam, ô inæstimabilem claritatem, ô obedientiá singularem. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, de reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi Dominus hodiè iustus iudex: & adhuc dicis: Non recuso laborem, fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac, vnicum illum quem diligis, quod in te est, iugulasti: immolasti singulare gaudium tuum pia deuotione, paratus redire iterum in pericula, innouare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in huius mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ reuocari: postremò (quòd maximum est) a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Nec sane dubium quin ampliorem gratiam mercatur qui paratum se exhibet etiam ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obedientia vestra angeli sancti, sed quod dicere audeam pace vestra nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale

ali

aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem patris. Magnum est Petre quòd Dominum secutus, omnia reliquisti, sed audiui te in monte dicentem vbi transfiguratus est coram vobis: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc, Si adhuc populo tuo sum necessarius: non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas, magna in visione Christi desideranda & tam feruenter ac singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longè amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, viuere quoque non renuis, & expectatione molestissima fatigari. In quo enim alio non obedire poterat, qui in hoc tanto articulo tam deuote clamabat, Fiat volūtas tua? Hæc ergo pars nostra sit fratres in conuiuio hodierno, hanc nobis obedientiam in mensa pauperis imò iam diuitis huius appositam diligenter consideremus, scientes quoniam ipsa est quæ à nobis exigitur, ipsa quam oportet nos præparare, vt singuli quique dicamus: Quia paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Nec modo semel aut in parte, sed paratum cor meum Deus, paratum cor meum, paratum ad vtrumque, & in nullo tuam præscribens dispositionem. Forte hoc cupio & specialiter & vehementer, sed ne quidem illud recuso: sicut fuerit voluntas in cęlo, sic fiat. Desidero requiem, sed non recuso laborem, fiat voluntas tua.

PETRI DAMIANI
in hoc festo, Sermo.

Solemnis dies Sancti Martini episcopi.

NObilis ille confessor, Sacerdotum gloria, gemma Pontificum, Clericorum forma, lumen Monachorum, solemnem diem vniuersitati nostræ præfixit. Hic est Martinus miraculorum potestate sublimis, qui terrarum orbem lumine suę cognitionis impleuit. Ægyptus religionis mater, & eremitarum fœcundissima nutrix, Martinum tantis filijs posuit in exemplum. Creuit in immēsum fama nominis eius, & ausa est in ipsam Apostolicam irrumpere dignitatem, quorum manus tractauerunt de Verbo vitæ, qui filium hominis inter filios hominū felici vocis officio diuulgarunt. In omnem terram peruagata est memoria tanti Pontificis, & vbicunque resonat fides Christi, sonat vita Martini. Glorificatur Imperator in milite, laudatur miles in Imperatore. Testatur hoc Turonensis ecclesia thesaurum corporis eius continens, quæ possessiones * suas extendit à mari vsque ad mare, quam fœcundauerunt Reges, & ornauerunt Principes, cui Romani Pontifices summæ libertatis fastigia prouiderunt. Accedit etiam ad gloriam Confessoris, quia in ipsius honore * nonnulla sedium episcopalium fundamenta locata sunt, quod (nisi fallor) de alio non legitur Confessore. Scintillat longe, lateque fulgor claritatis illius, & de remotis mundi partibus ad præsentiam sancti corporis festinatur. Clemens à diuinitatis & Regibus, & regno nostro prouidit misericorditer, vbi tantum lumen ad remedium peccatorum in seculum collocauit. Actus eius, & vitam Seuerus insignis orator ita suo nobilitauit eloquio, vt & historiam relatione plena veritate proponeret & rethoricis legibus multipliciter insigniret. Et nunc arida, vel ieiuna lingua nostra quid audeat de laudibus eius immurmurare, cuius laudis plena est terra? Ne tamen in tantis gaudijs cuiusque sermonis videamur immunes, recurrendum est ad Euangelicam lectionem, in qua sub trium breuitate verborum Sapientia Dei Patris totius humanæ perfectionis summam inclusit, ait enim: Videte, vigilate, & orate. Ille, qui videt omnia, hortatur nos vt corporalibus oculis postpositis, mentis lumine videamus, oculis illis, de quibus per Salomonem dicitur: Oculi sapientis in capite eius. Præcipit ergo, vt soli solitudinē nostri cordis ingrediamur, & reuoluamus veterum sarcinas peccatorum, quibus polluti sumus, & obuoluti. Primum ergo videamus apud nos peccatorum abundantiam. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim: ait vnicus ille consecrarius Regis æterni. Peccauimus super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata nostra. Tu innumerabilia numerare contendis, & in summa ponere, quod summam exuperat. Ecce grandis aceruus, impetuosus torrens, nec potest discuti tanta miseria, quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum. Ambulauimus collo extento, oculi nostri pleni sunt vanitate, aures detractione. Odoramus non odorem vnguentorum, in quo sponsa se currere gloriatur, sed odorem mortis in mortem, quorum os maledictione, & amaritudine plenum esse describitur. Manus nostræ plenę sunt sanguine, pedes veloces ad sanguinem effundendum, contritio, & infelicitas in vijs nostris, & via pacis abiecta, non est timor Dei ante oculos nostros. Quid igitur faciendum, in quo spectandum, quóve confugiendum? Standum est in hoc aeterno, non nouarum, sed veterum frugum, & videnda visio timescenda, vt statuamus nos ante oculos nostros, ne Iudex quandoque arguat nos, & statuat nos ante faciem nostram. In hac visione Dei videtur à nobis ventus turbinis, quia secundùm virum iustum, hîc inuolutæ sunt semitæ gressuum eorū. Ne putes autem hanc visionem inter parua connumerandam, cùm hæc perducat ad visionem Cherubim, & animalium pennatorum, & ad ipsius Dominantis introducat aspectum. Visa igitur abundantia peccatorum nostrorum, videamus secundo negligentiam nostram. Traximus peccata nostra sicut restem longam, & sanguis sanguinem tetigit, & dissimulauimus, vulnus, & liuor, & plaga tumens, & non aspeximus. Zelus Dei recessit à nobis, & nos contempsimus. Sic peccatorum multitudini negligentiam cumulantes, obstruximus nobis iter confessionis, semitas iustitiæ euitauimus, non solùm negligentes, sed & de negligentia gloriantes, iuxta illud viri sapientissimi: Qui cùm male fecerint, lætantur, & exultant in rebus pessimis. Vis scire, quia de peccatorum abundantia, negligentia pessima filia generatur? Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. E contrario autem, qui Deum timet, nihil negligit, quia, Qui modica spernit, paulatim decidet. Peccatorum multitudo negligentiam, negligentia contemptum, contemptus mortem interminat sempiternam. Vide & tertio patientiam & longani

** Non improbat beatus auctor latitudinem possessionum, quas habet ecclesia Turonens. Sancto Martino intuitu illi cōsignatas, vt faciūt nostris temporis hæretici.*

** Ecce quomodo in honorem S. Martini aliquæ sedes episcopales fundatæ sunt, & talis est Maguntina in Germania celeberrima.*

ganimitatem Dei nostri. Hæc fecisti, & tacui. Omnia videt, & omnia audit, nihilque remotum ab oculis eius, de quo dicitur: Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos, & malos. Oculos hominum timuisti, oculos autem Altissimi non expauisti? Ecce ipse cognouit omnia nouissima, & antiqua, neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus locus est fugiendi, quoniã Deus Iudex est. Vidit opera tua, recursus, & excursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam. Cęlum non fulminauit, aqua non submersit, non absorbuit tellus, & cum omnis terra plena sit gloria Domini, in gloria eius tuam miseriã euomuisti, nec reueritus es præsentẽ Dominum, & corã tanta munditia tuas immunditias exercere. Ipse autẽ quid? Ego, inquit, quasi nô videns. Nunquid alicui ministrorũ suorum, qui vindices sunt iræ eius, in hoc ipsum constituti, reuelauit ignominiam tuam? Ecce videt, & tacet, videt, nec manifestat, videt, nec iudicat, videt, nec vindicat, videt, & videre dissimulat, vocat & non audis, promittit, & contemnis, minatur, nec metuis, & thesaurizas iram tibi in die iræ. Cùm ergo sit Iudex iustus, & fortis, multum est patiens, nec irascitur per singulos dies. Ecce continet iram, reprimit furorem, auertit oculos, peccantibus parcit, & illi omnia hæc in suum iudicium congregant, omnium rei. Nunquid qui ita tacuit, & siluit, semper ita tacebit? An non legisti, quia ad iudicium veniet, patientiam abiiciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam? Attendisti patienter tacentem, attende & impatienter loquentem; Sicut parturiens, inquit, loquar. Vidisti dissimulantem, vide etiam quæcunque minima numerantem. Vestigia, inquit, pedum meorum dinumerasti. Quis locus erit spei, cùm venerit Iudex, qui stetit sub iudice, præcinentibus tubis, conclamantibus Angelis, elementis ardentibus? Ad cuius fugiemus auxilium, cùm ventis ex transuerso furentibus, mundialis machina diuelletur, & ignis incandescens, cęlum, & terram finalibus immiscebit incendiis? Veniet ipse cum potestate magna, & maiestate, non cum dulcedine, & humilitate: quia illic iustitia plena est dextera eius, quæ hìc misericordiam seminauit, & sparsit. Tunc ille misericors oculus nõ parcet, & non miserebitur, sed percutiet, & occidet indutus iram, furore repletus, plenus crudelitate. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, sed incorrigibili, audientes illud horrendum tonitruum: Ite, maledicti, in ignem æternum. Quanti putas, doloris erit excludi à facie Dei, videre, & perdere Deum, cùm Rex gloriæ ciuitatem sublimem intrabit, miseris peccatoribus omni spe misericordiæ in perpetuum sigillata? Quisquis ergo es, qui contemnis diuitias bonitatis, & patientiæ Dei, relege textum epistolæ ad Romanos, & illa tibi pleniùs dicet, quia nõ euasisti iudicium Dei. Aspice & quartò misericordiam eius. Licet peccaueris, licet neglexeris, & prouocaueris patientiam Dei, paratus est tamen misereri, cùm volueris, & reuerti ad reuertentem, obliuisci, & tegere peccata tua, & proiicere in profundum maris. Nec erit mora inter confitentem, & remittentem, inter gementem, & gemitus exaudientem, quia benignus, & misericors est. Sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam. Deus autem & ad irascendum difficilis, & facilis ad miserandum. Reuoluant illi ad opprobria, quæ remiserunt; iste cum remiserit, sic est, quasi non fuerit. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, non habentes liberos accessus ad colloquendum, & si quid deliquimus, supplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerunque superbo oculo, & humero dedignãti, pedibus suis prouolutos vel respicere nolunt. Nõ sic Dominus Iesus, qui libentiùs loquitur mecũ, quàm ego secum, quem inuenio, quoties quæro, qui occurrit eum passibus fugienti, qui vultum lætum ostendit mihi, qui meam pœnitentiam, sicut innocentiam amplexatur, vbique lætus, vbique bonus, vbique pius, vbique dulcis cum magna multitudine dulcedinis suæ, Non facit supercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba resonat ampullosa, sed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus, flens super collum meum, & iubet proferri stolam primam, dari annulum intelligentiæ, & calceari pedes in præparatione Euangelij, in choro, & symphonia ad superna gaudia reuocari, & occidi vitulum saginatum in remissione peccatorum meorum. Vides ergo, quàm longa patientia sit in Deo, quàm velox misericordia? Longanimis, ait Sanctus, & multum misericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Iesu, qui diutius pateris, & velociter misereris, quia tu es Deus, & non homo (sicut Propheta dicit) qui seruet iram, abscondat malitiam, vindictam inquirat. Ad hæc & istud considerandum in misericordia miserantis, quia seculi homines semel, aut bis, aut vt multum septies, vel decies dimittunt; hic autem millies in die, si fieri posset, quæ committimus dimittit, & hoc quandiu viuimus, quandiu peregrinamur ab ipso. Visis igitur his, quæ enumerauimus, attolle oculos etiam ad videndum Domini largitatem, siue familiaritatem. Si cui maximè potenti fecimus, quod ei displiceret, nunquid ampliùs nobiscum loqui, nedum aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? Graues sumus ei etiam ad videndum, & pro magno beneficio computat, si saltem à nostra læsione desistat, & licet, multiplicibus, & deuotis obsequiis defendamus offensam, semper tamen iniuriæ memoria præteruolat oculos illius, nec obliterari valet vel beneficio, vel obsequio, vel ipsa etiam vetustate. Nunquid ita Deus meus, misericordia mea? Absit. Consueuit enim honorare pœnitentes, magis quàm innocentes, reuertentes plusquam remanentes, quia deuotior est feruidus pœnitens, quàm tepidus innocens, cùm ille materiam feruoris habeat, hic tepiditatis. Fortassis præsumptionis arguar, qui contra præceptum Apostoli verborum nouitates induco, sed habeo ad manum testimonia, nec parua, nec pauca, quæ & ipsa credibilia facta sunt nimis, & quæ possint satisfacere murmuranti. Petrus Apostolus, non quilibet Apostolus, sed princeps Apostolorum, cui traditus est principatus cæli, & terræ, nunquid non de choro pœnitẽtium est, & de sorte grauiter iniustorum? Nónne ipse est, qui Deum negauit, reliquit magistrum, amicum deseruit, fefellit promissum? qui cœpit detestari, & iurare, quia non noui hominem, negationi periurium addens, crimini crimen adiiciens? Cecidit, sed non est collisus, quia Dominus supposuit manũ suam. Vide quid dicat scriptura. Respexit, inquit, Dominus

minus Petrum. Respectum Christi sequitur fletus Petri, & lachrymarum amaritudo dulcedinē antiquæ dignitatis instaurat. Felices, sancte Apostole, lachrymæ tuæ, quæ culpam abluunt, gradum restituunt, debita dimittunt, amphora committunt. Respexit pietas, & impietas cessit, & accessit prisca familiaritas. Denique, Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce oues meas: & his similia, quid sunt, nisi magna documenta familiaritatis? Illud etiam singulare sancti Spiritus organum, quem inuenit Dominus secundum cor suū, cui reuelata sunt incerta, & occulta sapiētiæ Dei, nónne enim homicidio, & adulterio insignitus est nota, & nomine proditoris? Sed vide, quam celeri pœnitentiæ saltu resiluit ad arcem innocentiæ & grandia vulnera sic reuinxit, vt non solum vulneris, sed nec etiam cicatricis vestigia remanerēt. Redargutus enim à Propheta, & retorsione parabolica sugillatus, dixit: Peccaui: & ille ex thesauro diuinæ misericordiæ statim subintulit: Transtulit Dominus peccatum à te, & non morieris. Translatum est peccatum, & ablatum, quod diuidebat inter Dauid, & Deum, & sublato eo, Dauid idem qui prius. Sed & ille vas electionis, qui volauit super pennas ventorum, qui plus omnibus laborauit; cui credita sunt eloquia Dei, nonne primus in primitiuam Ecclesiam cæteris ardentiùs fertur efferbuisse? Actus Apostolici sunt in testimonium quanta mala fecerit sanctis Dei in Hierusalem. Hic autem, qui tanta mala fecit, tanta postea passus est pro nomine Christi, & lucet in firmamento cæli, nec est aliqua gemma pretiosior in corona Regis æterni. Accedat & illa mulier, quæ septem dæmoniis, id est vniuersis vitiis, cumulata fuit, cui multum amanti multum dimittitur, quæ prima videt Dominum à mortuis resurgentem, Apostolorum Apostola, dilecta propriè Saluatoris. Veniat nunc omnis innocentium chorus, & tota virginea puritas adunetur, quis erit, qui ad istorum gloriam aspirare, nedum transcendere audeat? Propterea confitebor tibi, Domine Iesu, & laudem tribuā nomini tuo, quia apud te propitiatio est, & propter legem tuā sustinui te, Domine. Quæ est ista lex, quæ propitiatio? Quia offensus, te clementem promittis, pœnitentem admittis, punire prætermittis. Magna est igitur virtus pœnitentia vera, cum Ambrosius dicat: Facilius inueni eos, qui innocentiam seruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam. Vide & sextò custodiam eius, quia nisi ipse custodierit, nos frustra vigilamus. Decursis igitur sex visionibus istis, transeamus ad secūdam Saluatoris vocem dicentis: Vigilate. Vigilandum omnino & somnus ab oculis auferendus, quia latrones multi obsident iter nostrum toxicatis missilibus formidādi, nullū prorsus intentatū transire sustinentes. Tres enim hostes præcipuos habemus, & præcipitiū suadētes, carnē, diabolū, & mundū, ex quibus duo, & si aliquādo intermittūt, aliquā rō dimittunt, tertius autem, diabolus videlicet, ita inexorabile odium aduersum nos exercet, vt nunquam ab eo inducias vel in ictu oculi poterimus extorquere. At vt verba illius Oratoris ponamus, qui vbique redolet Ciceronem: Cum hoc quotidianus, & anceps congressus; ex hoc innumerum vulnus, & nec facilis cicatricem promittens; sub hoc casus frequens, & respiratio difficilis; de hoc rara, & nunquam secura victoria; huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus. Quis aduersus hunc poterit vigilare, nisi custos ille de nocte venerit in auxilium nostrum? Per nos nanque non sufficimus, immo deficimus, si confidamus in nobis. Attende autem de hoste isto inuisibili, quantus ingrediatur ad singulare certamen, qualia gerit arma, quàm fortia, quo turbine torqueat hastam. Recole librum Iob, & historiam Regum, & armatum, & arma considera, quia qui Golias in libro Regum, idē est diabolus in regno Christianorum. Habet enim hastam delectationis, obdurationis clypeū, desperationis loricam, gladium occisionis, armigerum superbiam, qui antecedit eum, & exprobrat agminibus Dei viuentis, & dicit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Tu autem quid? Assume Apostolicam armaturam scutum fidei, loricam iustitiæ, gladium spiritus, circumspectionis hastam, & præcedat te humilitas, & dic: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. O Domine Iesu, nunquid æqua pugna est hominis, & dæmonis, duplicis, & simplicis, fortis & imbecillis? Inuoca me in die tribulationis (ait Dominus) & eruam te, & honorificabis me. Inuoco te, Saluator; apprehende arma, & scutū, vt videam contra fortem armatum, fortiorem armatum, & cōteras Assyriū in terra tua. Facta ergo cōgressione, inimicos tuos cōminuet vt puluerē ante faciē vēti, & vt lutum platearum delebit eos. Sic autem contra istum vigilandum est, vt semper de tediuiuo certamine timeas, & de victoria non desperes. Caro autem sub necessitatis specie furiosi tumultus sui velat imaginem, & nunc ferculorum varietate repleta, nunc pretiosa vina commutans, incipit lasciuire, laxatisque frenis tota fertur in præceps. Statim recrudescunt affectus, cogitationes rebellant, visæ proponuntur imagines, & pingimus in cordibus nostris, quod nullis dicbus deleri non possit. Ingurgitati enim, non confortati, impleti, nec nutriti, & torpore, & corde distendimur, completurque illud satyricum: Inguinis, & capitis nullum discrimen habetur. Parco sermonibus, quia turpis sententia non nisi verbis turpibus explicari potest, & vnicuique nostrum notum est, vel quod tacemus, vel quod volumus preterire. Tenuis autem mēsa, cibus asperior, simplicior potus, corpus firmant, confirmant animū, & vtriusque hominis statum reddunt alacriorem. Mundus verò quid facit? Offert nobis quicquid pulchrum est visu, & concupiscentiam carnis, & oculorum, & ambitionem seculi, vt illaqueet miseros, illaqueatos strangulet, strangulatos sempiternis inuoluat incendiis. Tentat nos multiformibus insidiis, superiùs per superbiam, per luxuriam inferiùs, à dextris per prosperitatem, per aduersitatem à sinistris, anteriùs per mundi concupiscentiam, posteriùs per præteritorum vitiorum recordationem, in orbiculari motu per inuolutionem sensuum. Vigilare igitur necesse est aduersus huiusmodi latrunculos, manumque ficatiam, & cum Esaia dicendum: Super speculam Domini ego sum: stans iugiter per diē, & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Nec solum stare conuenit, sed armatum stare armatura illa, quam Apostolus dicit: Induite vos armaturam Dei. Alter nostrorum temporum Tullius, de quo superius mentionem feci, vernans vbique flore

Ecce quo modo laudat tenuitatē mēsæ, asperitatē cibi, & potus simplicitatē.

sermonum, armaturam in hunc modum lucidissimis capitulis inaurauit; Si fabulosi spiritus, & ineantatores motus carnis circa te obstrepuerint confide, & dic: Discedite à me, maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Si recalere carnem senseris & velle reuolare ad ineptias suas, esto constans, & dic: Confige timore tuo carnes meas, Domine. Si paupertatē odisse cœperis, & desiderio diuitiarum incœperis suscitari, expergiscere, & dic: Væ vobis, diuites, qui habetis hîc consolationem vestram. Si te demulceat adulator, & ad plebiculæ laudes animus hilarescat, cōfortare, & dic: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Si tibi suggeratur, in futurum tempus bonum differre propositum, consurge, & dic: Dies Domini, sicut fur, ita in nocte veniet. Si gula deseuiens lautiores ibi commendauerit apparatus, recalcitra, & dic: Non est regnum Dei esca, & potus. His velut quibusdam increpationibus diffugiunt inimici, delabitur memoria voluptatū, carnis gurgulitas conticescit, sanctæ conuersationis initia conualescunt, mundus contemnitur, superatur hostis antiquus. Sic igitur videns, & vigilans fac funiculum triplicem, qui difficile rumpitur, & transi ad orationem, ingrediens interiora veli cum summo Pontifice Domino nostro Iesu Christo, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui assistit vultui Dei pro te. Admissus autem non sic audacter, & frontose ingeras te oculis Maiestatis, sed humillima trepidatione concussus, saltem quomodo ad tanta miracula admitti poteris, admirare. Sit ergo oratio verecunda, vt erubescamus peccata nostra, & tantæ reuerentiæ deferamus; pura, vt nihil ab ipso præter ipsum quæramus; deuota, vt in pinguedine spiritus eam protendamus; ampla vt extendamus eam vsque ad inimicos; sit continua, ne intermissione fiat remissior; sit pacata, ne turbulentis cogitationum fluctibus submergatur. Fateor excessi modum, & magis solito vestras aures onerare non timui, dum stylus in longinquitatem extenditur. Sed scio, quia patiéter audistis me de illius patientia disputantem, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. MARIAE VIRG.

Euang. Vt in Natiuitate eiusdem.

IN FESTO S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Euang. Matth. 25. Simile est regnum cælorum decem virg. &c.

Quære in communi Virg. Tomo eodem.

IN FESTO S. CLEMENTIS PAPAE ET MARTYRIS.

Euang. Matth. 24. Vigilate quia nescitis, &c.

Infra eodem Tomo in communi Confessor. Pontificum.

S. BERNARDI ABBATIS *Clarauallensis, de sancto Clemente Papa & martyre, de tribus aquis, Sermo.*

Psal. 115. PRaesosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Audiat peccator & irascatur, dentibus suis fremat & tabescat. Deprehensus est in astutia sua, cecidit in foueam quam fecit, in laqueum incidit quem tetendit. Inuidia siquidem diaboli mors intrauit in orbem terrarum, sed ecce preciosa facta est mors sanctorum. Audi igitur hostis vitæ, mortis auctor attēde. Quid valet iam fraus tua? versutia tua quid nocet? Imò verò, vt plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Neque enim aliter quàm ipsa (quæ tui est operis) Rom. 8. de

de te hodie beatus martyr cuius solemnia celebramus, morte corporis triumphauit, fecit siquidem de necessitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutauit: fidelem se probauit in modico, vt dignus inueniretur supra multa constitui. Modicum namque erat, & omnino modicum, quicquid prius acceperat anima illa beata, quantum ad eam gloriam quam præsenti promeruit passione. Omnis enim delectatio huius mundi, vniuersa eius gloria, quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius fœlicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis comparatione: si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperat beatus Clemens nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam, scientiam quoq; quamplurimam, ita vt optimus quidem illius temporis Philosophus haberetur. Acceperat hæc vniuersa à Domino; Dei enim dona sunt etiam hæc. Fidelem ergo se probauit ei qui dederat, cum pro eius amore vniuersa contempsit omnia detrimentum faciens, & arbitratus vt stercora, vt lucrifaceret Christum. Sed fortè mur-
Iob 2. murat etiam nunc inimicus, Pellem inquiens, pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. Quid ergo? Putas quòd in ipsa corporis sui vita quam accepit à Domino infidelis inueniatur, vt vel ipsam præferat illi? Ecce habes potestatem iterum in eum per satellites tuos vt coarctetur è duobus, aut à Domino necesse habens, aut à corpore separari. Varia & immania exquire genera tormentorum, sed nouerit te martyri nostro fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ huius ornamenta & adiumenta contempsit, sic contemnit & ipsam: corpus omne tibi exponit in mortem, & in faciem maledicit tibi, atque idola tua sacro ore blasphemat, dominum Deum suum etiam inter tormenta libere prædicat, in igne cõfitetur. Coronabitur ergo, quia legitimè certauit, quia fideliter vicit, quia nec blandimẽtis vitæ huius, nec mortis horrore à charitate Christi potuit separari. Dic quæso nobis anima sancta quæ sic corpus tuũ supplicijs exponebas, obsecro dili-
Ephes. 5. gebas illud, an non? Vtique diligebam, inquit, nemo enim vnquam odio habuit carnem suam. Diligebam ergo eam, sed parùm diligebam tanquam ancillam, & multò magis diligebam Dominum Deum. Vtque probatio esset dilectionis, operis exhibitio: libenter ipsam quoque pro eius gloria mortem corporis amplectebar. Quid nos ad hæc dicimus fratres? Congratulamur martyri, sed iam gloria eius non sine nostra confusione est. Ecce enim beatus Clemens homo erat similis nobis passibilis, eadem circundatus infirmitate, & carni suæ eodem vinculo naturalis af-
Psal. 115. fectionis inhærẽs. Si ergo ille sic glorificauit Christum in corpore suo, & calicem salutaris accepit: quid nos retribuimus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Eadem certe insigniuit imagine, eodem sanguine nos redemit, & vocauit in eandem hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam æternam conseruatam in cælis. Vt quid ergo non possumus & nos cum beato Clemente Christi bibere calicem? Sed fortè respondent aliqui! Possemus si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessauit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie cedimus punctioni acus vnius, & mucioni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus quàm viriliter in maiori certamine stare possitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis, & viuite: aut si hoc non vultis, oportet vos diuersis suppliciis interire. Nouit dominus figmentum nostrum, nec dat nobis tã forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit, vt vinceret, & disceret quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris; Frange ordinem tuum; murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, responde ei qui fortè durius locutus est, vt satisfaciat desiderio tuo: nec dicitur cuiquam, Nisi hæc feceris, morieris: sed vt multum, cum difficultate & labore resistes animo tuo. Et quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc respondere consueuimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus spiritui sancto. Si ergo in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam graui certamine faceremus? Si iunceis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus: & sicut solent mulieres aut paruuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi nõ possumus. Quid tamen agimus? Omnes certe ad nuptias agni vocati sumus, & in conspectu eius vacuos apparere non licet. Diligenter ergo consideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Considerauit beatus Clemens vinum sibi appositum esse à Domino, & ipse quoque quoniam diues fuit ad nuptias illas vinum nihilo minus proprij sanguinis effusione portauit. Sed nos pauperes sumus, & vinum Domine non habemus. At ille, implete, inquit, hydrias aqua. Ergo ne & ipsa suscipietur aqua si attulerimus eam? Vtique suscipietur. Nam & ipsam cum vino nobis appositam inueniet, qui secundum monita sapientis diligenter considerauerit quæ sibi apponuntur, ab eo nimirum qui venit non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Testimonium enim perhibuit qui vidit, quod aperto latere Domini dormientis in cruce exiuit sanguis & aqua. Et nos ergo fratres, vt vel fideles nos probemus Deo nostro, si martyriũ sanguinis non habemus (martyrium enim testimonium est) quæramus vel testimonium aquæ, & ne ipsum quidem despiciet Deus. Tres sunt enim qui testimoniũ dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Beati quibus triniũ suppetit testimoniũ, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur. Nos si sanguinis testimonium non habemus, habeamus spiritũ & aquam: quoniam sine spiritu nec sanguis nec aqua sufficiet: imo vero si spiritus ipse sine aqua aut sanguine inueniretur, sufficit testimonium eius: quoniam spiritus veritatis est, nec sanguis nec aqua quicquã proderunt à seipsis, sed spiritus est qui testificatur in illis. Sane tamen aut vix aut nunquam sine aqua aut sanguine spiritum arbitror inueniri. Propterea charissimi quæramus vel aquam, qui sanguinem non habemus. Et quoniam hydriarum supra fecimus mentionẽ, quæramus mensuras binas vel ternas quas hydriæ capiebant. Nam & Christus triplicem nobis apponit aquam, & perfectus omnis qui fuerit in nobis sicut ipse, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim sub distinctione dicitur, binas vel ternas, vt duas ad minus constet necessarias esse, tertiam non ab

omnibus

omnibus exigendam. Accipe igitur triplicem aquam quã tibi saluator apponit. Plorat super Lazarum & super ciuitatem Hierusalem, & hæc est aqua prima. Sudauit imminente iam passionis hora, & hæc est aqua secunda, non ab oculis tantùm, sed à toto corpore manans. Hæc autem rubea est,
Luc. 22. sanguineique coloris, sicut scriptum est: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Iam vero tertia est aqua quam & prædiximus de latere eius vna cum sanguine emanasse. Et tu ergo primam quidem habes si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compũctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restringis concupiscentiæ flammam. Est autem sanguinei coloris siue propter laborem, seu etiam propter ipsum quem extinguit concupiscentiæ ignem. Iam verò si proficere potes vsque ad deuotionis gratiam, potaberis aqua sapientiæ salutaris, & spiritus Christi qui super mel dulcis est, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hãc esse aquam quæ procedit de latere dormientis, & sine omni molestia fluit. Oportet enim iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo vt breuiter repetam, prima quidem à præteritis delictis abluit conscientiam: secunda vt futura caueas extinguit concupiscentiam; tertia si ad eam peruenire merueris, potat animam sitientem.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Euang. Matth. 25. Simile est regnum cælorum decem, &c.

Require infra eodem Tomo, in communi virg.

FINIS PROPRII SANCTORUM.



EVANGELIORVM, QVÆ IN PLVRIMIS SANCTORVM FESTIS COMMVNITER DICI SOLENT, VT IN ROMANO

Missali digesta habentur, expositiones.

* * *

Varij item Sanctorum Patrum sermones qui pluribus possunt sanctis ritè accommodari.

IN VIGILIA VNIVS APOSTOLI.



IOAN. 15.

a Non aliud quia in hoc sunt omnia: & dilectio Dei, & fides.
IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, Hoc est [a] præceptum
b Non sicut homines se inuicem diligunt, sed vt Deum habeatis. c Vt sicut posui animam meam pro vobis ita & vos pro fratribus, vt me imitemini, sed non mihi comparemini.
meum vt diligatis inuicem, sicut [b] dilexi vos. [c] Maiorem hac di-
d Ponere animam pro amicis non est dilectio, sed effectus dilectionis. e Et per charitatem estis amici.
lectionem nemo habet, quàm vt [d] animam suam ponat [e] quis
pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego pręcipio
f Et si prius. g Scilicet ille qui solo timore seruit, non ille de quo dicitur: Euge ser. &c. qui seruit ex amore.
vobis. Iam nō dicam vos [f] seruos quia [g] seruus nescit quid faciat dominus eius.
h Ego homo ad opus hominum.
Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque [h] audiui à patre meo, nota feci
i Qui non elegit nondum diligit. k Misericordia præueni vne cum effectis mali. l Inspicans fidem. m Id est, ad gratiam plantaui. n Per me viam: & hoc iterum gratia.
vobis. [i] Non vos me elegistis, sed [k] ego [l] elegi vos, & [m] posui vos, vt [n] eatis, &
o Volendo, Perseuerando. Quem non afferrent nisi prius electi. p Id est, dilectio quæ est fructus noster: quæ modo est in desiderio, nondum in satietate, & ipso desiderio quodcunque pe. &c.
[o] fructum afferatis &, [p] fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis patrem
q Quodcunque petierimus in nomine Iesu, dabit nobis pater.
in nomine meo, [q] det vobis.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



HOc est præceptum. Et supra de dilectione proximi, sed repetitio est confirmatio, ibi tamen dicit mandatum do, quasi non ante fuerit, hic autem hoc est, quasi non aliud sit. Ibi nouum, ne in vetustate remaneamus, hic meum, ne contemnatur. *Maiorem hac.* Diffinit plenitudinem mutuę dilectionis, quam habere præcipit. *Iam non di.* Commendata dilectione addit quod dignationis est, vt bonos seruos (qui sciunt faciendo quæ præcipit) dicat amicos, & eis tollit nomen serui, qui est ex timore foras mittendo, qui nescit quid faciat dominus. Quia cum aliquid facit, sic extollitur quasi ipse faciat, non dominus. Sunt tamen serui timore permanente in æternum, qui intrant in gaudium domini, hi sciunt quòd faciat eos dominus non solum homines, sed & iustos & quidquid boni est. *Nota se.* Non quòd iam quis omnia sciat, 1. Ioan. 4. Matth. 25.

cum post etiam dicat, Multa ha. v. d. q. n. p. p.m. Sed dicit se fecisse nota quæ scit se facturum in resurrectione, vbi plenè erunt beati in anima & corpore: & hæc est gloria nõ ex vobis, sed ex me: & hoc est; Non vos me elegistis.

CATENA AVREA in idem Euang.

THeo. Quia prædixerat, quod si mandata mea custodieritis tunc in me permanebitis, hic ostendit quæ mandata obseruare oporteat dicens. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Greg. in ho. Cum autem cuncta sacra eloquia dominicis sint plena præceptis, quid est quod de dilectione quasi de speciali mandato hic dicit, nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia præcepta vnum sunt, quia quicquid præcipitur in sola charitate solidatur, vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeũt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis si non manet in radice charitatis. August. Vbi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi autem nõ est: quid est quod possit prodesse? Discernitur autem ista dilectio ab ea qua se inuicem diligunt homines sicut homines: vnde adiunctum est. *Sicut dilexi vos.* Vt quid enim nos dilexit Christus nisi vt possimus regnare cum Christo. Ad hoc ergo & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se inuicem diligunt vt Deus diligatur, quia nec vere diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt: ipsi se diligũt. Greg. Vna autem & summa est probatio charitatis, si & ipse diligatur qui aduersatur: vñ & ipsa veritas & crucis patibulum sustinet, & tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit dicens. Pater ignosce illis quia nesciunt quid fa. cuius dilectionis summam exprimit cum subiungit. *Maio. hac dilec. ne ha. quam vt ani. suam po. quis pro amicis suis.* Mori pro inimicis Dominus venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat, vt nobis ostenderet quia cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus: etiam ipsi amici sunt qui persequuntur. Aug. Quia ergo superius dixerat. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: fit ex hoc consequens quod idem Ioannes in epistola sua dicit, vt quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Hoc martyres ardenti dilectione fecerunt, ideo ad mensam Christi non sic eos commemoramus quemadmodum alios, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt eorum vestigijs hæreamus. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt. Greg. Qui vero trãquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, qualiter in persecutione daturus est animã suam? Virtus ergo charitatis vt inuicta sit in perturbatione nutriatur per misericordiã in tranquillitate. Aug. 8. de tri. Ex vna autem eademque charitate Deũ proximúmque diligimus, sed Deum propter Deum: nos autem & proximum propter Deum, Cum ergo duo sint præcepta charitatis in quibus tota lex pendet, & prophetæ, dilectio Dei, & proximi, non immerito plerumque scriptura pro vtroque vnum ponit, quia qui diligit Deum, consequens est vt faciat quæ præcepit Deus, cõsequens ergo est vt proximum diligat, quia & hoc præcepit Deus, vnde & hic sequitur. *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vo.* Greg. 27. mora. Amicus quippe quasi animæ custos dicitur, vnde non immerito qui voluntatẽ Dei custodit in præceptis illius dicitur, eius amicus vocatur. Aug. Magna dignatio cum seruus bonus esse non possit, si præcepta Domini sui non fecerit, hic amicos suos voluit intelligi, vnde boni serui possunt probari. Potest igitur esse & seruus & amicus, qui seruus est bonus. Quomodo autem intellecturi sumus & seruum & amicum esse, seruum bonum declarat cũ subdit. *Iam non dicam vos ser. quia ser. nescit quid fa. do. eius.* Itaque tunc serui non erimus, quando boni serui fuerimus. Nũquid seruo bono & probato Dominus eius non etiam sua secreta committit? Sed sicut sunt duo timores, sic sunt duæ seruitutes. Est timor, quem perfecta charitas mittit foras, in quo etiam est seruitus simul foras cum ipso timore mittenda. Et est alius timor castus permanens in seculũ seculi. Ad primam ergo seruitutẽ seruos pertinentes intuebatur Dominus dicens. *Iam non dicam vos ser. quia ser. ne. quid fa. do. eius.* Non ille vtique seruus ad timorem pertinens castum, cui dicitur. Euge serue bone: intra in gaudium Domini tui, sed ille seruus pertinens ad timorem foras à charitate mittendum, de quo alibi dicitur? Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, vt miro modo serui non serui esse possimus, hoc Dominum facere scimus, hoc seruus ille nescit qui nescit quid faciat Dominus eius: & cum aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat & non Dominus eius, & in se & non in Domino gloriatur. Sequitur. *Vos autem di. ami. quia omnia, quæcumque audiui à pa. meo, nota feci vo.* Theo. Quasi dicat, Seruus non nouit consilia sui Domini, vos autem cum amicos reputem, secreta mea vobis communicaui. Aug. Quo autem pacto intellecturi sumus, omnia enim nota fecisse discipulis, quæcumque audiuit à patre, cum propterea multa non dicat eis, quia scit eos modo portare non posse. Sed omnia se nota fecisse discipulis dicit, quæ se nouit nota esse facturum, in illa plenitudine de qua dicit apostolus. Tunc cognoscã sicut & cognitus sum, sicut enim immortalitatem carnis & salutem animarum futurarum expectamus, ita omnem notitiam quæcũque vnigenitus audiuit à patre futuram expectare debemus. Greg. Vel omnia quæ audiuit à patre, quæ nota fieri voluit seruis suis, sunt gaudia internæ charitatis: & festa supernę patrię, quę nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit, dum enim audita superna cœlestia amamus amata iam nouimus: quia amor ipse notitia est. Omnia ergo nota eis fecerat: quia à terrenis desiderijs immutati, amoris summi facibus ardebãt. Chry. Vel omnia dicit quæcumque eos audire oportebat. Per hoc autem quod dicit se audisse, ostendit quod nihil alienum loquitur: sed quę patris. Greg. Sed quisquis ad hanc peruenit dignitatem vt amicus Dei vocetur, dona quæ percipit super se, non suis meritis tribuat: vnde subditur. *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* Aug. Hęc est ineffabilis gratia: quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, nisi iniqui & perditi. Neque enim credideramus in eum vt eligeret nos, nam si

credentes elegit, eligentes elegit, hic certe vana illorum ratio, qui ideo nos Dominum electos ante mundi constitutionem quia præsciuit nos Deus futuros bonos non seipsum nos facturum bonos, quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse præsciebat, simul etiam præscisset quod eum nos fuissemus prius electuri: non enim aliter possumus esse boni, nisi forte dicendus est bonus qui non elegit bonum. Quid ergo elegit in non bonis; Non est vt dicas. Ideo electus sum: quia iam credebam. Si enim credebas in eum, iam elegeras eum. Nec est vt dicas. Antequã crederem iam bona operabar: ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem? Quid ergo dicturi sumus, nisi quia mali eramus: & electi sumus, vt boni per gratiam nos eligentis essemus. Augu. de prædestinatione sanctorum. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit, electi autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod prædestinauit impleuit, quos enim prędestinauit: hos & vocauit. Aug. super Ioannem. Et videte quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit faciat bonos: nam sequitur; *Et posui vos vt eatis & fructum afferatis.* Iste est fructus de quo iam dixerat. Sine me nihil potestis facere, ipse est via in qua nos posuit vt eamus. Grego. in ho. *Posui ergo vos*, scilicet ad gratiam plantaui. *Vt eatis.* quia velle iam mente, ire est. *Et fructum afferatis* operando. Qualem vero fructum afferre debeant. *Et fructus vester maneat.* Omne enim quod secundum pręsens seculum laboramus: vix vsque ad mortem sufficit, mors nanque interueniens fructum nostri laboris abscindit: quod vero pro æterna vita agitur, etiam post mortem seruatur: & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus cęperit non videri. Tales ergo fructus operemur, qui maneant, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordiũ à morte sumant. Augu. Dilectio ergo est fructus noster, quæ nunc est in desyderio, nondum in saturitate. Et ipso desyderio quodcunque petierimus in nomine vnigeniti filij, dat nobis pater. vnde sequitur; *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Hoc petimus in nomine saluatoris quod pertinet ad rationem salutis.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia 1.

Est fragmentũ Homil. 76. in Ioan. ca. 15. **H***Oc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Omnia bona tunc mercedem habent, cùm debitum finem consequuntur. Quòd si interim quis deciderit, naufragium incurrit: quemadmodum nauis innumeros vehens, nisi ad portum appellat, sed in medio pelago submergatur, non modò nihil ei longa proficit nauigatio, sed tantò maiorem facit iacturam, quantò maiores labores subierit. ita quę in medio certamine corruunt animæ, grauiori casu concutiuntur. Ideo Paulus gloriam, & honorem, & pacem eos sequi *Rom. 2.* ait, qui per bonorum tolerantiam currunt, quod nunc Christus Apostolos admonet. Cùm enim ipso accepto gauisi, inde propter passionem & verborum molestiam tristitiam cõcepturi essent, post debitam doctrinam & consolationem: Hæc inquit, locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur: hoc est, ne discedatis à me, néve à cursu desiliatis. Gauisi estis in me & quidem vehementer: sed incidit tristitia, hanc eximam, vt ad finem vsque lætitia perducet: ostendens in præsentibus non mœrorem, sed lætitiam capiendam. Vos ego perturbatos vidi, non contempsi, non dixi, cur non perseuerastis in fortitudine? sed vos consolatus sum, & hanc dilectionem meam volo perpetuò seruetis. Audistis de regno, gauisi estis, vt impleatur lætitia vestra, hæc locutus sum vobis, hoc est, præceptũ meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Intuere Dei dilectionem, tanquam catena quadam nostrę dilectioni cõnexam: idcirco nunc duo, nunc vnum mandatum dicit: nemo enim primum sine altero assequi potest. Nunc inquit, in hoc & leges, & prophetæ pendent: nunc, quę vultis vobis homines faciant, eadem & vos eis facite. Hæc est enim lex, & prophetæ, dilectio, vt hoc in loco testatur. *Matth. 22. Ibid. 7.* Nam si perseuerátia à dilectione, dilectio à mandatorum obseruatione prouenit: mandatum autem est, vt diligamus inuicem, perseuerátia à mutua oritur dilectione. Neque simpliciter dilectionem dicit, sed & modum docet diligendi. Sicut ego dilexi vos, inquit; Iterum ostendit non odio aliquo discedere, sed dilectione. Quare magis admirari me debetis pro vobis animam meam ponito, vt superius inquit, optimum pastorem describens: hoc autẽ in loco eos admonet, & dilectionis suæ magnitudinem, & qualis ipse sit ostendit. *Supr. 10.* Sed qua gratia semper dilectionem extollit? quoniam hoc est discipulorum argumẽtum, hoc virtutem corroborat. Propterea Paulus tantopere dilectionem laudauit, vtpote verus Christi discipulus, qui eius vim sit expertus. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis, &c.* Cur ergo inquit, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò? Nihil aliud ex his verbis innuit, quam nihil alienum à patre locutum, cùm maximi amoris iudicium sit, quòd arcana patris cum eis & cõmunicauerit, & dixerit. Cùm autem omnia dicit, intelligendum de his est, quæ eos audire conueniat, inde aliud neque paruum amoris argumentum adducit. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos*, hoc est, in amore præcurri: neque hoc contentus. *Et posui* inquit, *vos*: id est plãtaui, vt me diligeretis: adhuc in vitis itar statione perstat, *Vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* *Inf. 16.* Quòd si fructus manebit, longè magis & vos manebitis. Neque vos tantùm amaui, inquit, sed & multa contuli beneficia, palmites vestros vbique terrarum propagans. Ecce quot modis suam proponit dilectionem, cùm & secreta patris eis aperuerit, cum in amore præuenerit, cum pro ipsis tot mala passus, ex quin se perpetuò cum ipsis, qui allaturi sunt fructum, permansurum ostendit. Necesse nanque vt diuino freti auxilio, fructum faciant. *Vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Atqui eius qui petitur est facere: quòd si pater petitur, quomodo filius facit? Vt non minorem patre intelligas.

EIVSDEM IN IDEM Homilia 2.

Habetur post Hom. in Ioan. sed stylus ipse aliquem Latinũ scriptorẽ refert.

DOminus Christus in euangelio suo loquitur, dicens; *Vos amici mei estis, si feceri-*

tis, quæ mando vobis. Dominus Christus clementer suos alloquitur: beneuolè, atque amanter suo nomini dicatos hortatur. *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.* Non es, inquit, seruus, sed amicus: si quæ tibi mando, perfeceris. Non es famulus, sed amori nostro coniunctus; si quod impero, instãter impleueris. Transies enim in amicum ex seruo, in familiarem ex famulo, migrabis in amabilem de externo. Non enim peccatum seruituris tibi notam inussit; sed indulgentia, amicitiæ nostræ coniunxit. Nec peccata facient te iam tamque obnoxium, quę donando tibi, meum te destinaui in regnum. Serua igitur amicitiæ fidem: coniunctam nobis obtine charitatem. Vnum sumus, vtérque par sit iubentis, & facientis assensus: vt par sit in cælestibus dominatus: vt enim hominem nascendo ipse suscepi, & coniunctus homini Deus apparui: ita tu homo, per gratiam me suscepto, & mihi redemptori coniunctus, eris sociatus in cælo, vt nunc es mihi copulatus in mundo. Amicitiæ tibi nomen indulgentia mea, non tua merita contulerunt, te amabilem mihi benignitas nostra, non tua præstiterũt officia. Nihil meruisti, & amicus es, quod mereri incipies, si fueris, vt iubeo, obsecut᷑. Quinimo amicus esse non poteris: nisi quod iubeo, studiose, ac beneuolè perpetraris, vt enim ego te redimerem, ad terras descendi, ita vt tu mecum permaneas, ad me migrabis ad cælum. Nam inter homines amicitiæ cum amantibus copulantur: & inter socius, dum seruatur fides, perseuerans societas inuenitur. Denique tolle amorẽ, & amicitiæ nomen sustuleris, tolle fidem, & societas inter homines nõ erit. Vt enim amore, amicitia; ita fides, societate consistit. Nec cõtemptor amicum, nec societas perfidum poterit retinere. Sic amicitiæ cælestis fastigium sancti omnes Apostoli adepti sunt. Sic in amorem domini patriarchæ venerunt: sic inquam, Abrahã, dum diuinis iussis obtemperat, dum cælestia præcepta cõseruat, & Hebræorum primò, & Christianorum postremò pater esse commeruit: vt arenæ maris, & syderibus cæli æquaretur duplex semen ei promissum, & vtrunque pro meritis haberet effectum: dum obtineret cæleste semen per Christum, & terrenum semen deficeret per contemptum: vt fuisset æternum, quòd pręcepta seruaret: & temporale fieret, quod contemptui subiacuisset: vt Abrahæ cæleste semen inchoaretur, vt dixi per Christum: quia terrenum cessaturum fuerat per Hebręum. Igitur nascitur Christus Abrahæ semen ex Abraham, qui ipsum fecerat Abraham. Nascitur, inquam, ex patre, qui prior genuerat patrem: vt esset filius patre anterior, esset Christus genitore prior. Nec enim nasci corporaliter potuisset, nisi genitori originem tribuisset: vt esset genitoris genitor, &

Ioan. 8. suæ originis fabricator. Vnde Dominus dicebat Iudæis; Amen dico vobis, ante Abraham ego sum. Quare tu, quisquis es, qui de semine Abrahæ, Christiane, descendis: quisquis eius te filium gloriaris: si filius es, serua quod pater: si amicus, imple quod præcipit Christus: vt possis lætari de amicitia domini, si tuis actibus eum feceris gloriari. Si quis te de potentibus mundi, aut hæredem vellet cõscribere, aut amicum sibi coniungere, aut in filium voluisset forsitan adoptare: nónne admiratus, & stupens totũ illi dicares obsequium? Nónne eum omni cultu suscipere religionis parares, officia impartires, ne in aliquo ille offensus, aut voluntatem reflecteret, aut dispositionem mutaret, aut in meliorem te forsitã quod decreuerat, transtulisset? Nunc verò hæredem te Deus, amicum Christus cõstituit, & per eundem, genitoris factus es filius. Si hæres es, testatoris delegata conserua: si amicus, amicitiæ fœdera inuiolata ostenta: si filius es, lineamenta patris demonstra. Vt enim hæres testamento, amicus officio, amore filius comprobatur: ita Christianus esse, quod dicitur, potuerit, si quod profitetur, impleuerit. Qui sibi placet de amicitia Christi, propositæ respõdeat conditioni. *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.* Mandatorum obseruatio, amicitiæ est confirmatio. Non potest quis & amicus esse, & mandata contemnere, quia qui contemnit mandatum, amicus esse non poterit. Primùm igitur, bene tibi Dei cultor hoc contigit. Vnde tibi munus tantum venit: vt ad Christi amicitias posses accedere, vt ad familiaritatem posses domini peruenire? Si ex merito nullum in nobis meritum, nisi quod contulit Christus. Si ex precibus; nullus precum effectus, nisi quas dominus Deo patri commẽdat. Igitur, si neque ex merito, neque ex precibus, neque vlla prærogatiua istud nobis potuerit prouenire, restat, vt benignitas Dei hoc nobis per Christum contulerit: qui pro nobis corpus induit, crucem pertulit, inferos penetrauit, & resurgens victor in cœlum ascẽdit, & nos in amicitias suæ benignitatis elegit, dicens; *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.* Benignitas Christi proponit præmium, vt exigat officium: confert dignitatem, vt de nobis exigat seruitutem: beneficiis prouocat, vt officia nostra eliciat. Nec est gratuitum, quod seruitur: quia præmium est, quo seruitus ista pensatur: vt iam negociatio sit ista, non seruitus: mercatio sit, non famulatus. Per vsuram enim redditur, quicquid in isto tempore per nostra obsequia fœneratur: vt contemptus in homine confundatur, qui ad cultum Christi eius amicitiis noluit prouocari. Erubesce igitur, quisquis es: erubesce, qui in amicitias Christi vocaris, nec obsequeris: qui familiaris diceris, nec eius mandatis intendis. Nam qui præmiis in obsequium cogeris, qui donis ad officia inuitaris, quid faceres, si gratuitum subires seruitium, qui tam liberale Christi cõtemnis imperium: vt iam qui amicitiis noluit pensare obsequium, contemptus sui gratuitum incurrat supplicium? Non enim tibi seruus, ô homo, præmiis inuitatus obsequitur, aut donis, & muneribus illectus quispiam famulatur: quem conditio subiicit, famulatus addicit, seruitus ipsa compellit: cùm discreta ista, separatáque cõsistant: dum alius est dominus, alius seruus, alius imperans, alius qui dignitate suscipitur, alius qui cõditione subiici demonstratur. Denique tunc & homo ipse beatus est, si imperanti animo seruiat corpus, si virtutibus subiecta sint vitia, si contraria prosperis cedant, si bonis aduersa succumbant. Vnde tibi, homo, ex teipso nascetur iudicium, dum imperas seruo, & non pares domino, dum famulis dominaris, & dominanti ipse non seruis: & tu tamẽ sine præmio imperas, ille tibi præmiis, quod desiderat, suadet. Denique volo, inquit Christus: & amicum asciscere te: volo te familiarem allegare: volo tibi amabilem me exhibere: si tamen tu, quæ mando, perficias, si quæ iubeo, compleas: si quæ tibi

Phrasis hæc sæpe tẽpora, quæ Pelagij hæresim sunt subsequuta.

tibi persuadeo, studiosè, instanterque adimpleas. Cæterum amari non potes, si contemnis, contemni non potes, si seruies, seruus non eris, si parueris: amicus firmaberis, si quæ mando, perfeceris. Da quod exigo: & accipe quod promitto. Imple, quod iubeo: & posside, quod dispono. Etenim quid obseruanti promittitur, si contemnenti præmium dispensatur? Aut quomodo poterit in obsequium quispiam prouocari, si contumax indignè cœperit numerari. Tunc enim amicus dignus est nuncupari, si mandata implere contendit Christi.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 3.

Non dicendi à hac atque à præcedente.

VOs amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis. Cùm in hominem collatos considero diuinos affectus, & cælestis potentiæ magnificos fructus, ad postremum illi impartitos attendo: tunc & supernam benignitatem admiror, & familiaritatem Christiano concessam dum cogito, stupeo: dum tracto, hæsito: dum recolo, perhorresco: vt quantum natura homo sit preciosius, tantum sit indulgentia Christi magnificus. Nam, si quoties hominis qualitas retractatur, totias redemptoris sublimitas cogitetur: inuenies ex redéptore præcellentem, quem ex proprio nosti degenerem. At cùm cælestia forte iura seruauerit, & quid redemptori debeat, cognouerit: inuenies ita merito dignum vt redemptione noris præcipuum: vt tunc mireris in homine Deum, cùm Dei opus in homini a moribus fulgere vitæ splendore perspexeris. Dominus loquitur dicens, *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ mando vobis.* Pendet amicitiæ Christi promissio, certo conditionis obsequio. Proponitur enim familiaritatis sublimitas, officiorum fœnore comparanda: cùm domino certa negociatio copulatur. Promittit enim, & exigit, & sublimat, & subiicit, benignus est, & cópellit. Christiano enim diuinæ amicitiæ promittuntur, vt ab eo obsequia debita repetantur. Famulatu dignitas quæritur, officio sublimitas cóparatur, ad amicitiarú verò cælestiú potentiá, seruitutis obsequio peruenitur. Inuitaris amicitiarú præmio, Christiane, nec inobediétiæ excusari poteris, cuius officia tanto precio * expunguntur, cuius officia liberalitate tanta pensantur: vt qui obsequi sponte debueras, præmio ad obedientiam inuiteris: nec te à bonis debere vacare obsequiis, cui promittit benignitas Christi præmium. Considera enim quanta sit apud Deum liberalitas, benignitas quanta: vbi obsequia sine præmio patrari non possunt, vbi seruitus dignitate expungitur, & amicitia Christi officio comparatur: cui seruire, promoueri est, & obsequi, sublimari. O veneranda pietas Christi, qui præmia tibi, vt obsequaris, promittit, dignitatem, vt famuleris, ostendit: amicitiis inuitat, vt seruitutem extorqueat. Suos esse, quod ipse, desiderat: si modò, vt patri ipse, sic Christianus obtemperet genitori. Nam si deriuationem nominis à Christo, Christiane, sumpsisti: nec aliter tibi competit amicitiarum coniunctio, aut hæreditatis participatio: nisi par fuerit officiorum communio. Qui dicit se, inquit, in Christo manere: debet, quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. Nam, si Christus patré obsequendo promeruit, & obsequio fastigium tantæ maiestatis accepit: cur non imitaris Dominum: cur non eius iubentis seruas imperium? Nam si Dominus Deo patri seruiuit, cur seruus Domino obsequia seruitutis non reddit? Non potest amicus existere, qui amicitiæ iura non seruat. Non potest ad familiaritatem Christi accedere, qui eius mandata noluerit obseruare. Adeptio amicitiarum, est obseruatio mandatorum. Amicitia, amoris est est vinculum: * vnde nominis ducit exordium. Frustrà tibi amici nomen imponis: si amici iussa non feceris. Frustrà numen vsurpas, si nomini per contemptum repugnas. Aut enim factis, quod vocaris, ostende: aut obseruantibus nominis vocabulum cede. Præuaricationis crimen incurris, si aliud feceris, quam vocaris. Quinimo amicitias respuis Christi, qui in te & fœdera pietatis contulit, & amicitiæ iura donauit. Noli ingratus existere: noli dona collata contemptu sacrilego repudiare. Ad inuitádam te Christus publicè suum patrem exorat. Pater, ait, volo, vt vbi ego fuero, & isti sint mecú: & videant claritatem, quá mihi dedisti, priusquá mundus fieret. Si te quispiam diues in amicitias asciscere vellet, si in familiaritatem suam potés aliquis voluisset te charitatis vinculo copulare: quanto seruitutis obsequio, quanióve famulatu insisteres, ne in aliquo fortè offensus amicitiarum iura mutaret? Deus te in familiaritatem vocat, & eius mandata non seruas? Christus te amicum nuncupat: & eum contemnere non formidas? Nec vereris, ne ea familiaritate hostis, ea amico inimicus existas: vt qui in æternú cum Christo posses gaudere, cum diabolo incipias gehennę ignibus cóflagrare? O stupenda benignitas Domini! ô veneranda pietas Christi! quæ antè tibi in amicitias obuenit, quàm te sibi amicum constituit. Antè se tibi Dominus familiarem exhibuit, quàm te in familiaritatem vocauit. Propter nos corpus induit, crucem pertulit, mortem excepit. Nos peccauimus, & Christus sanguinem fudit. Nos deliquimus, & iugulari filius Dei voluit. Immortalis pro mortalibus mortuus est: innocens pro reis occisus est: iustus pro peccatoribus interemptus est. Vnde cognoscitur quantùm præstabit seruientibus, qui tantùm peccatoribus pręstitit. Tantum in te Christi amorem, quo amore, Christiane, pensabis? Tantos in te beneuolentiæ fructus, quo officio comparabis? Quicquid in eius obsequium erogaueris, parum est. Quicquid in eius seruitutem impenderis, minus est. Nec, si animam dederis, aut sanguinem fuderis, compensabis. Nó enim sanguis noster proderit Christo, vt Christi profuit nobis: aut nostra passio beneficium collatura est Domino, vt Domini passionem nobis contulisse gaudemus. Sed idcirco passiones nostras libenter acceptat: quia sibi fieri deputat, quicquid propter se à nobis geri aspectat: quia nec ipsum virtute nostra sustinemus, quod patimur: pro eius potentia aggredimur, & eius victoria coronamur. Denique ipse in suis pugnat, ipse dimicat, & victoriam Christianis assignat. Nec poterit quisquam sibi vendicare, quod Dei est; licet Deus, quod suum est, homini dignetur adscribere. Quare cælestis amicitiæ dignitas, mandatorum obseruantia teneatur: ne noster eā terminet contemptus, quod pollicetur beneuolentia Dominus. Custoditio enim præceptorum, perceptio est promissorum. Vt enim contemptor amicus esse non poterit, ita amicitiæ gloria per-

** Id est, soluuntur, verbum Tertulliano familiare.*

Ioan. 14.

Hi loquendi modi sunt diuersi, ubi quare vel homilia hac Arrianu alicui, & forte auctori operis imperfecti in Mat. tribuendi, vel ad Christi humanam naturam referendi.

** Etymologia hæc est apud Latinos, non autē Græcos.*

Sane intelligendum propter Lutheranos, qui liberú arbitrium negant.

fruetur, qui Christi mandata seruauerit, sicut ipse
dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.*

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponen. in superius Euang. Homil. 1.

Ex tract. 83. in Ioan. HOc est, inquit, *præceptum meum, vt diligatis in-*
uicem sicut dilexi vos. Siue dicatur præceptum,
siue mandatum, ex vno verbo Græco vtrunque
Supra Tracta- interpretatur, quod est ἐντολὴ. Iam vero istam sen-
tu 65. tentiam & antè dixerat de qua me vobis vt potui
Ioan 13. disputasse, meminisse debetis. Ibi enim sic ait,
Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inui-
cem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.
Huius itaque mandati repetitio, commendatio
est, nisi quòd ibi, mandatum, inquit, nouum do
vobis: hic autem, *hoc est*, inquit, *mandatum meum.*
Ibi tanquam non fuerit antè tale mandatum: hic
tanquam non sit aliud eius mandatum: sed ibi
dictum est nouum, ne in vetustate nostra perse-
ueremus: hic dictum est, *meum*, ne cõtemnendum
putemus. Quod autem hic ita dixit, *hoc est manda-*
tum meum: velut non sit aliud, quid putamus, fra-
tres mei? Nunquid nam solum eius de ista dile-
ctione mandatum est, qua diligimus inuicem?
Nónne est & aliud maius, vt diligamus Deum?
Aut vero de sola nobis dilectione mandauit, vt
alia non inquiramus? Tria certe commẽdat Apo-
1. Cor. 13. stolus dicens, Manent autem fides, spes, charitas,
tria hæc: maior autem horum est charitas. Et si in
charitate, hoc est, in dilectione cõcluduntur duo
illa præcepta, maior tamen dicta est esse non so-
la. De fide igitur nobis quàm multa mãdata sunt,
quàm multa de spe, quis potest cuncta colligere,
quis enumerando sufficere? Sed intueamur quod
ait idem Apostolus, Plenitudo legis charitas. Vbi
Rom. 13. ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi
3. sen. dist. 36. cap. 2. autem non est, quid est quod possit prodesse? Dæ-
Iaco. 2. mon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non cre-
dit. Frustra quidem sed tamen potest sperare ve-
niam qui non diligit: nemo autem potest despe-
rare qui diligit. Itaque vbi dilectio est, ibi necessa-
rio fides, & spes: & vbi dilectio proximi, ibi ne-
cessario etiam dilectio Dei: qui enim non diligit
Deum, quomodo diligit proximum tanquam se-
ipsum, quandoquidem non diligit & seipsum? Est
quippe impius & iniquus: qui autem diligit ini-
quitatem, non planè diligit, sed odit animã suam.
Psal 10. Hoc ergo præceptum domini teneamus, vt nos
inuicem diligamus: & quicquid aliud præcepit,
faciemus: quoniam quicquid est aliud, hic habe-
mus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dile-
ctione qua se inuicem diligũt homines sicut ho-
mines: nam vt discerneretur, adiunctum est, *sicut*
dilexi vos. Vt quid enim diligit nos Christus, nisi
vt regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo &
nos inuicem diligamus vt dilectionem nostram
discernamus à cæteris, qui non ad hoc se inuicem
diligunt, quia nec diligunt: qui autem se propter
habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt: ergo
vt se diligant, Deum diligunt, non est hæc
dilectio in omnibus hominibus:
1. Cor. 15. pauci se propterea dili-
gunt, vt sit Deus
omnia in om-
nibus.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

PLenitudinem dilectionis qua nos inuicem di- Tract. 84. in Ioan.
ligere debemus, fratres charissimi, definiuit
dominus dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo ha-*
bet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.
Quia ergo superius dixerat: *Hoc est mãdatum meum,*
vt diligatis inuicẽ, sicut dilexi vos: quibus verbis ad-
didit quod nunc audistis: *maiorem hac dilectionem*
nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro ami-
cis suis. Fit ex hoc consequens, quod idẽ iste Euan- 1. Ioan. 3.
gelista in epistola sua dicit: Vt quemadmodum
Christus pro nobis animam suam posuit, sic &
nos debemus pro fratribus animas ponere, dili-
gentes vtique inuicem sicut ipse dilexit nos, qui
pro nobis animam suam posuit. Nimirum hoc est
quod legitur in Prouerbiis Salomonis: Si sederis Prouer. 23.
cœnare ad mensam potentis considerans intelli-
ge quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum
tuam, sciens quia te talia oportet præparare: nam
quæ mensa est potẽtis, nisi vnde sumitur corpus,
& sanguis eius, qui animam suam posuit pro no-
bis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter acce-
dere? Et quid est considerare & intelligere quæ
apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam co-
gitare? Et quid est sic mittere manũ, vt scias quia
talia te oportet præparare, nisi quod iã dixi, quia
sicut pro nobis Christus animã suã posuit, sic &
nos debem' animas pro fratrib' ponere? Sic enim
ait etiã Apostolus Petrus: Christus pro nobis pas- 1. Petr. 2.
sus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur
vestigia eius: Hoc est talia præparare, hoc beati
martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum
si non inaniter memorias celebramus, atque in
conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam
domini accedimus, oportet vt quemadmodum
ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad
ipsam mensam non sic eos commemoramus,
quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt
etiam pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro
nobis; vt eorum vestigiis adhæreamus, quia im-
pleuerunt ipsi charitatem, qua dominus dixit non
posse esse maiorem. Talia enim suis fratribus ex-
hibuerunt, qualia de domini mensa pariter acce-
perunt: neque hoc ita dictum est, quasi propterea
domino Christo pares esse possimus, si pro illo
vsque ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille Ioan. 10.
potestatem habuit ponendi animam suam, & ite-
rum sumendi eam: nos autem nec quantum vo-
lumus, viuimus, & morimur etiam si nolumus.
Ille moriens mox in se occidit mortem, nos eius
morte liberamur à morte. Illius caro nõ vidit cor- Act. 2.
ruptionem, nostra post corruptionem, in fine se-
culi per illum induetur incorruptione. Ille nobis
non indiguit, vt nos saluos faceret, nos sine illo
nihil possumus facere. Ille se nobis palmitibus
præbuit vitem, nos habere præter illum non pos-
sumus vitam. Postremo etsi fratres pro fratribus
moriamur, tamen in fraternorum peccatorum
remissionem nullius sanguis martyris funditur,
quod fecit ille pro nobis: neque in hoc quid imi-
taremur, sed quid gratularemur contulit nobis.
Quatenus ergo martyres pro fratribus sanguinem
suum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qua-
lia de mensa dominica perceperunt. Imitari quis
potuit morientem: nemo autem potuit redimen-
tem.

tem. In cæteris autem quæ dixi, quanuis nec omnia dicere potui, martyr Christi longe impar est Christo. Quod si quisquam se, non dico potentiæ Christi, sed innocentiæ comparabit, non dicam & aliena se putando sanare, sed suum saltem nullum habere peccatum, etiam sic auidior est quam ratio salutis exposcit, multum est ad illum, non capit tantum. Quod & bene quidem ista Prouerbiorum sententia commonetur, quæ continuo subiũgit, atq; dicit, quòd si auidior es, noli concupiscere cibos eius, satius est enim vt nihil inde sumas, quã tibi plusquã oportet assumas. Hęc enim, inquit, vitã habent fallacẽ, hoc est, hypocrisim: dicendo enim se sine peccato esse, iustũ non potest exhibere, sed fingere: ideo dictum est, hæc enim habent vitam fallacem. Vnus est solus, qui & carnem hominis habere, & peccatum potuit non habere. Merito quod sequitur nobis præcipitur, ac tali verbo atque prouerbio humana infirmitas conuenitur, eique dicitur: Noli extendere te cum sis pauper, contra diuitem. Diues enim qui nec hæreditario nec proprio vnquam debito obnoxius, & ipse iustus est; & alios iustificat Christus. Noli contra eum te extendere, intantum pauper, vt remissionis peccatorum appareas quotidianus in oratione mendicus. Tuo autem consilio, inquit abstinete, vnde nisi à præsumptione fallaci? Ille quippe quia non tãtum est homo, sed etiam Deus, ideo nusquam reus: si enim direxeris oculum tuum ad illum, nusquam parebit. Oculum tuum, oculum videlicet humanum, quo cernis humana, si direxeris ad illum, nusquam parebit, quia videri non potest, quemadmodũ videre te potest, parauit enim sibi pennas sicut aquilæ, & vadit in domum præpositi sui, vnde ad nos vtique venit, nec tales qualis venit inuenit. Diligamus ergo inuicem, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Maiorem quippe hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Eũque sic imitemur pia obedientia, vt ei nos comparare nulla præsumamus audacia.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 3.

Tract. 85. in Ioan. CVm dominus Iesus commendasset charitatem, quam exhibuit nobis moriendo pro nobis: atque dixisset, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos* inquit, *amici mei estis, si feceritis quę ego pręcipio vobis.* Magna dignatio, cum seruus bonus esse non possit, nisi præcepta domini sui fecerit. Hinc amicos suos voluit intelligi, vnde serui boni possunt probari. Sed, vt dixi, ista dignatio est, vt dominus quos nouit seruos suos, dignetur dicere amicos suos: nam vt sciatis ad seruorum officium pertinere præcepta domini sui facere, alio loco

Luc. 6. seruos vtique obiurgat dicens: Quid autem vocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico? Cum ergo dicitis, inquit, domine, iussa faciendo quid dicatis ostendite. Nonne seruo obedienti

Matth. 25. ipse dicturus est, Euge serue bone, & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui? Potest igitur esse & seruus & amicus, qui seruus est bonus: sed quod sequitur attendamus, *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius.* Quo modo ergo intellecturi sumus, & seruum & amicum esse seruum bonum, cum dicat, *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius?* Ita nomen constituit amici, vt auferat serui, non vt in vno vtrumque maneat, sed vt alterum altero decedente succedat. Quid est hoc? Itáne cum præcepta Domini fecerimus: serui non erimus? Itane tunc serui non erimus, quando boni serui fuerimus? Et quis contradicere potest veritati, quæ ait, *Iam non dicam vos seruos?* Et cur hoc dixerit, docet: *Quia seruus*, inquit, *nescit quid faciat dominus eius.* Nunquid nam seruo bono, & probato dominus eius non etiam secreta sua committit? Quid est ergo quod ait, *Seruus nescit quid faciat dominus eius?* Verum, esto, nescit quid facit: nunquid nescit etiam quid præcipiat? Nam & si hoc nescit, quomodo seruit? Aut quomodo seruus est, qui non seruit? Et tamen Dominus loquitur: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis, iã non dicam vos seruos.* O rem mirabilem, cum seruire nõ possimus, nisi præcepta Domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo serui non erimus! Si seruus non ero, præcepta faciendo, & nisi præcepta fecero, seruire non potero, ergo seruiendo seruus non ero. Intelligamus, fratres, intelligamus, & hoc in nobis Dominus faciat vt intelligamus, faciat etiam vt intellecta faciamus. Hoc autem si scimus, profecto scimus quod facit Dominus, quia nos ipsos tales non facit nisi Dominus, & per hoc ad eius amicitiam pertinemus. Sicut enim duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium, sic duæ sunt seruitutes, quæ faciunt duo genera seruientium. Est timor, quem perfecta charitas foras mittit, & est alius timor castus permanens in seculum seculi. Illum timorem qui non est in charitate, attendebat Apostolus, cum dicebat, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Illum autem timorem castum attendebat cum dicebat, Noli altum sapere, sed time. In illo timore, quem foras charitas mittit, est etiam seruitus simul foras cũ ipso timore mittenda: vtrumque enim iunxit Apostolus, hoc est seruitutem, & timorem, dicendo: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Ad hanc seruitutem seruum pertinentem intuebatur & Dominus dicens, Iam non dicam vos seruos quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: non vtique ille seruus pertinens ad timorem castum, cui dicitur: Euge, serue bone, intra in gaudium Domini tui: sed ille seruus pertinens ad timorem, foras à charitate mittendus: de quo alibi dicit, Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum: quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, vt non serui sed filij simus, vt miro quodam & ineffabili, sed tamen vero modo serui, nõ serui esse possimus, serui scilicet timore casto, ad quem pertinet seruus intrans in gaudium Domini sui: non serui autem timore foras mittendo, ad quem pertinet seruus non manens in domo in æternum. Vt autem tales serui nõ serui simus, Dominũ facere scimus. Hoc autem seruus ille nescit qui nescit quid faciat Dominus eius: & cum aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat, non dominus eius, & in se, non in domino gloriatur, cum se ipse deceperit, quia sic gloriatur quasi non acceperit: nos autem charissimi, vt amici domini esse possimus, quid noster

Marginal notes (right column): *1. Ioan. 4.* (beside "Est timor, quem perfecta charitas foras mittit"); *Psal. 18.*, *Rom. 8.*, *Rom. 11.* (beside "Non enim accepistis spiritum seruitutis"); *Matth. 25.* (beside "intra in gaudium Domini tui"); *Ioan. 8.* (beside "Seruus non manet"); *1. Cor. 4.* (beside "quasi non acceperit").

dominus faciat sciamus, non solum enim homi-
nes, verumetiam iustos ipse facit nos, & non ipsi
nos. Et vt hoc sciamus, quis nisi ipse facit? Non
enim spiritū huius mūdi accepimus, sed spiritum
qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt
1.Cor.2. nobis. Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergo
quia & hoc bonum est, ab ipso vtique donatur, vt
sciatur à quo bonū omne donetur, vt omnino de
omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino glorie-
1.Cor.1. tur. Quod vero sequitur: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Ita
est profundū, vt nullo modo sit isto sermone coar-
ctandum, sed in alium differendum.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 4.

Tract. 86. in Ioan. MEritò quæritur quomodo accipiendum sit
quod ait Dominus: *Vos autem dixi ami-
cos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota fe-
ci vobis.* Quis autem audeat affirmare, vel credere
vllum hominum scire omnia quæcunque à patre
audiuit vnigenitus filius, quādo nec hoc quidem
quisquam capit, quomodo à patre audiat vllum
verbum, cum ipse sit patris vnicū verbum? Quid
est quod aliquanto post in hoc ipso tamen ser-
mone, quem post cœnam ante passionem ad di-
Ioan.16. scipulos habuit: Multa, inquit, habeo vobis dice-
re, sed non potestis illa portare modo? Quo igitur
pacto intellecturi sumus omnia eum nota fecisse
discipulis, quæcunque audiuit à patre, cum pro-
pterea quædam multa nō dicat, quia scit eos mo-
do portare non posse? Sed nimirum quod factu-
rus est, fecisse se dicit, qui ea quę futura sunt fecit:
Psal.21. sicut enim dicit per Prophetam, Foderunt manus
meas, & pedes meos: nec ait, fossuri sunt: velut
præterita dicens, & ea tamen futura prædicēs: ita
& hoc loco ait, omnia se nota fecisse discipulis,
quæ se nouit nota esse facturum, in illa plenitu-
1.Cor.13. dine scientiæ: de qua dicit Apostolus; Cum autem
venerit quod perfectū est, quod ex parte est eua-
cuabitur. Ibi quippe dicit, nūc scio ex parte, tunc
autem cognoscam sicut & cognitus sum, & nunc
per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad
faciem: nam & ipse Apostolus saluos nos dicit
Tit.3. esse factos per lauacrū regenerationis, qui tamen
Rom.8. alio loco: Spe, inquit, salui facti sumus. Spes autē,
quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis,
quid sperat? Si autem quod non videmus, spera-
1.Petr.1. mus, per patientiam expectamus: vnde etiam eius
coapostolus Petrus, In quem modo, inquit, non
videntes creditis, quem cum videritis, exultabi-
tis gaudio inenarrabili, & honorato, percipiētes
mercedem fidei, salutem animarum vestrarum: si
ergo nunc tempus est fidei, salus autem anima-
Gala.5. rum merces est fidei, quis dubitet in fide quæ per
dilectionem operatur, peragendū diem vltimum,
atque in fine diei recipiēdam esse mercedem, non
solum redemptionem corporis nostri, de qua di-
cit Apostolus Paulus, verumetiam salutem ani-
marum nostrarū, de qua dicit Apostolus Petrus?
Vtriusque enim rei fœlicitas isto tempore atque
in hac mortalitate in spe potius habetur, quam
in re tenetur. Verum hoc interest, quod exterior
noster homo, id est, corpus adhuc corrumpitur:
interior autem, id est, anima iam renouatur de die
2.Cor.4. in diem. Itaque sicut immortalitatem carnis, &
salutem animarum futuram expectamus, quam-
uis iam pignore accepto salui facti esse dicamur:
ita omnium notitiam quęcunque vnigenitus au-
diuit à patre, futuram sperare debemus, quamuis
hoc iam se fecisse dixerit Christus: *Non vos me ele-
gistis*, inquit, *sed ego vos elegi.* Hæc est illa ineffabi-
lis gratia: quid enim eramus quando Christum
nondum elegeramus, & ideo non diligebamus?
Nam qui eum non elegit, quomodo diligit? Nun-
quid iam in nobis erat, quod in Psalmo canitur:
Elegi abiectus esse in domo domini, magis quàm Psal.83.
habitare in tabernaculis peccatorum? Non vti-
que. Quid ergo eramus nisi iniqui, & perditi? Ne-
que enim iam credideramus in eum, vt eligeret Psal.58.
nos: nam si iam credētes elegit, electos elegit: cur
ergo diceret, non vos me elegistis, nisi quia mise-
ricordia eius præuenit nos. Hic certe vacat vana
illorum ratiocinatio: qui præscientiam Dei de- Ephes.1.
fendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt nos
electos ante mundi constitutionem, quia præsci-
uit nos Deus futuros bonos, non seipsum nos fa-
cturum bonos: non hoc dicit qui dicit; *Non vos
me elegistis*: quoniam si propterea nos elegisset,
quia bonos futuros esse nos præsciuerat, simul
etiam præscisset quòd eum nos fuissemus prius
electuri. Non enim aliter esse possemus boni, nisi
forte dicendus est bonus qui non eligit bonum.
Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi
sunt, quia boni fuerunt, qui boni non essent nisi
electi essent: alioquin gratia iam non est gratia, si
præcessisse contendimus merita: hæc quippe ele-
ctio gratia est de qua dicit Apostolus: Sic ergo & Rom.11.
in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ
Dei saluæ factæ sunt, vnde subiungit, Si autē gra-
tia, iā non ex operibus, alioquin gratia iam nō est
gratia. Audi, ingrate, ingrate, audi: *nō vos me elegi-
stis, sed ego elegi vos.* Non est vt dicas, ideo electus
sum quia iam credebā: si enim credebas in eū, iam
elegeras eum: sed audi, *non vos me elegistis*: non est
vt dicas, antequam crederem, iam bona opera-
bar, ideo electus sum: quid enim est boni operis
ante fidem, cum dicat Apostolus, Omne quod Rom.14.
non est ex fide, peccatum est? Quid ergo dicturi
sumus audiendo, *non vos me elegistis*, nisi quia ma-
li eramus, & electi sumus, vt boni per gratiam nos
eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesse-
rant merita: Est autem gratia, Hæc igitur non in-
uenit, sed effecit merita, & videte, charissimi, quē-
admodum non eligat bonos, sed quos elegit, fa-
ciat bonos. *Ego*, inquit, *elegi vos: Et posui vos, vt ea-
tis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Nōn
ne iste est fructus, de quo iam dixerat, sine me ni-
hil potestis facere? Elegit ergo & posuit vt eamus,
& fructum afferamus: nullum itaque fructum
vnde nos eligeret habeamus. *Vt eatis*, inquit, *&
fructum afferatis.* Imus, vt afferamus, & ipse est via
qua imus, in qua nos posuit vt eamus. Proinde in
omnibus misericordia eius præuenit nos. *Et fru-
ctus*, inquit, *vester maneat: Vt quodcunque petieritis
patrem in nomine meo, det vobis.* Maneat ergo dile-
ctio, ipsa est enim fructus noster: quę dilectio nūc
est in desiderio nondum in saturitate, & ipso de-
siderio quodcunque petierimus in nomine vni-
geniti filij dat nobis pater: quod autem accipere
saluandis non expedit nobis, non existimemus
nos petere in nomine saluatoris, sed hoc petimus
in nomine saluatoris, quod pertinet ad ratio-
nem salutis.

CYRIL.

S. CYRILLI EPISCOPI

Alexand. superioru Euang. expositio.

Hoc est preceptū meū, &c. Apertius modo ante oculos ponit superioris loci sensum, quem diximus, iubens talem inter se dilectionem habere, qualem ipse te, atque opere consummauit, quæ mensuram non habet cum suprema, cumulatáque sit. Maiorem enim hac, inquit, nemo habere potest: nulla enim maior est: per hæc omnia discipulis præcipit: adeo non esse fugienda pro salute hominum certamina, & dolores, vt ipsa quoque mors carnis abiicienda non sit; ad hanc enim vsque charitas peruenit. Ita his verbis tum ad extimiam fortitudinem, tum ad mirabilem charitatem hortatur: talésque facere studet, vt nec mortis quidem periculo Christum deserere velint. *Philip.1.* Talem se Paulus nobis ostēdit, dicens. Mihi enim & viuere Christus est, & mori lucrum. Et rursus; charitas enim Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam, si vnus pro omnibus mortuus est, ergo *2.Corinth.5.* omnes mortui sunt. Et ad hæc quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fa- *Rom.8.* mes, an nuditas, an periculum, an gladius? Audis quod nihil affirmat se posse à dilectione Christi seiungere: quod si oues, & agnos Christi pascere nihil aliud est, quàm ipsum diligere, patet, quia omnis persecutio, omnéque periculum pro prædicatione veritatis subeundum est. Et, vt summatim, atque breuiter dicam, absque formidine iubet Christus discipulis Euangelium orbi prædi- *Esa.40.* care: quod etiam Esaiæ quondam voce similiter iussit; super excelsum, dicens, montem ascende, qui Euangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Hierusalem, quod posse facere, iugi oratione petiisse ipsos videmus; *Act.4.* dicebant enim orantes; & nunc, Domine, respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuū. Multi enim certe sunt, qui Euangelium Christi prædicantibus impie aduersantur: qui etsi quasi fluctus insurgant, nihilo tamen minus veris Christi discipulis incumbendum est, quousq; charitatis opus perficiant. Charitatis, inquam, talis, qualem erga nos saluator ostendit, qui summo cum gaudio cruci affigi non erubuit, vt peccatoribus salutem afferret. Nam, si noluisset pro nobis pati, mortui adhuc essemus, cæci, ac stulti, omni bono indigentes, diaboli, peccati, voluptatísque serui, sine aliqua spe in profundo impietatis iacentes, nunc autem cum animam suam ex dilectione saluator pro nobis posuerit, & misericordiæ suę magnitudinem aperuit, & nos beatos effecit, nullo penitus bono indigentes. Ita hic sensus diuinis discipulorum capitibus conuenit. Si vero hæc verba ad omnes transeunt, vt omnibus sic dici credamus; *hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* ingens certe cunctis adhibenda cura, & studium *Rom.13.* est. Nam, si præceptorum Christi consummationem dilectio fratrum operatur, quomodo non erit huic virtuti summopere incumbendum, quæ *Matth.22.* cæterarum omnium origo, & caput est? Hęc enim fratrum dilectio alterum immediate locum post Dei dilectionem obtinet. Nempe in illo vniuersa erga Deum pietas breuiter concluditur, diliges proximū tuū sicut teipsum. *Vos amici mei estis, &c.*

Amicitiam suā futuris opponit periculis: vt eius magnitudine, atque gloria nihil penitus pericula videantur. Dulces enim admodum labores sunt, cum merces copiosa proponitur. Quid autē maius, quid clarius, quàm Christi amicum & esse, & appellari? Excedit hæc certe dignitas naturæ humanæ terminos. Omnia enim seruiunt creatori, vt ait Psalmista: nec quicquam est, quod iugo ser- *Psal.118.* uitutis eius non subiiciatur. Quod cum ita sit, ad supernaturalem gloriam seruantes mandata sua Dominus redigit, non seruos sed amicos appellans, & vt amicos in omnibus tractans: magna & splendida ista præmia sunt. Sed illud non ab re dixerim. Si enim amicitia filij, qui serui natura sunt ad liberam amicorum dignitatem perducit; quomodo ipse vt creatura seruus erit, vt quidam ea imperitia dicunt? An aliis poterit libertatem largiri, eius ipse natura expers? Minime. Sed sanctis quidem Apostolis, cæterísque fidelibus, qui ad amicitiam eius ascendunt, extrinsecus honoris gratia, libertatis accedit dignitas: ipse vero natura liber est, quod enim aduentitium est, ab insito, & naturali distinguitur; libertas vero nostra cum aduētitia sit, per gratiam habita, alia est certe ab eius libertate. Sed immorari in hoc loco paululū iuuat. Dicimus igitur legali iustitia multo antiquiorem illam esse, quæ per fidem Christi habetur, & ad hæc addimus, qua credentibus, & obsequētibus Christo, diuinorum reuelatur mysteriorum cognitio, & consilium patris à filio, qui probe illud nouit, exponitur, incredulis autem minime. Hæc authoritate scripturæ nobis confirmanda sunt. Scribitur ergo in Genesi, credidisse *Genes.15.* Abraam illum Deo, & cōputatam ei fuisse fidem ad iustitiam, amicúmque Dei hac de causa vocatum. Quomodo autem amicus Dei, credens ap- *Genes.12.* pellatus est? Dictum ei fuit, exeas de terra, cognationéque tua, & veni in terram, quam ego monstrabo tibi. Cúmque filium suum in figuram immolare Christi iubebatur, tunc incarnatio- *Genes.22.* nem Dei abditam docebatur. Vnde Christus ad Iudæos de ipso dicebat; Abraam pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Obedientia ergo, & immolatione amicitiā *Ioan.8.* Dei consecutus est: & cōsilium eius in nouissimis temporibus futurum cognouit. Sed cōsidera quęso, quomodo similia fiunt in iis, qui ad amicitiam Christi conscendunt. Audiuerunt & ipsi, exeatis de terra vestra. Quod quam libēter fecerint, Paulum audi; Non enim habemus hic ciuitatem stabilem, sed futuram inquirimus, cuius artifex, & conditor est Deus. Peregrini enim, & aduenę sunt in terris: qui ciuitatis Dei ciues esse cupiunt, quā *Ioan.14.* saluator monstrauit dicens; vadam, & præparabo vobis locum. Cum autem venero, accipiam vos mecum; vt vbi ego sum, ibi & vos sitis. Sed à cognatione quoque sua exire, eis dictū est: vbi hoc scribitur: Christum audi; Qui diligit patrem, *Matth.10.* aut matrem super me; nō est me dignus. Nec ambiget vnquam aliquis, præpositum omni cognationi carnali Christum à discipulis fuisse: & nunc quoque præponi ab omnibus, qui diligunt eum, & beatus quidem Abraham proprium filium in *Gene.22.* odorem suauitatis Deo adducere iubebatur: fideles autem, non alios, sed seipsos, exhibeatis enim inquit Paulus corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium *Rom.12.* vestrum. Sed Christi quoque mysterium etiam isti

isti cognouerunt. Non enim ignorant futura, sed certiores sunt, quia laborum præmia, & mercedem pro pietate Christi suscipient; iusti ergo sunt & amici Dei non aliter quam Abraam. Antiquior autem nimirum euangelica disciplina quã legalis est. Per fidem enim, & amicitiam Dei constitit: quæ priscis temporibus in Abraam figurata, à figura modo ad veritatem peruenit, in discipulis primum consummata, qui acquisitionis populi origo fuerunt. Quem quidem populum, gẽtem sanctam, regale sacerdotium scriptura solet appellare. Quapropter ad Iudæorum matrem, id est, ad synagogam psalmistæ verbis dicitur; pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Nam, & si filij Iudæorum, discipuli fuerint, & legi Mosaicæ dediti, patres tamen facti sunt, ac Abrahæ locum obtinuerunt, spiritalium Iudæorum origo constituti, principesque totius orbis ordinati, euangelium Christi prædicãtes, & ipsum Christum mystice immolantes, vt in figura Christi Abraam filium suum. Hæc dicimus, nõ quia minorem gloria Abraham illum velimus ostendere; sed vt, quę nobis in his temporibus per Christum dispensata sunt, in illo figuris & adumbrata fuisse ostendamus, vtque amicitiam Dei libertati, quæ per fidẽ est hærere probemus. Hæc nos diuinus Paulus docuit, qui Iudæis persuadebat antiquiorem esse fidem iusticia legali. Nam, cum de circuncisione verba faceret, ideo Abrahę datam fuisse asserit, vt signum eius fidei esset, quam in præputio Abraã habuit. Quod si præputium ante legem fuit; si fides cum præputio fuit, circuncisio post legem, gloriam fidei non habuit. Si Abraam denique in præputio credidit, quomodo disciplina legali iusticia fidei non erit antiquior, quæ per amicitiam Dei iustificat homines, atque liberat, sicuti Abraã fuit iustificatus: sic enim pater multarum gẽtium, non secundum carnem, sed ex repromissione esse comperitur. Hæc apte crediderim dicta; quia dominus dixit, *non dico vos seruos sed amicos: quia quæcunque audiui à patre meo, nunciaui vobis. Non vos me elegistis, &c.* Nec duro admodum sermone discipulus onerat; ne imbecillitate humani animi demergantur: nec læto nimium effundi permittit; morbus enim etiam hic est, & non est ferendus: sed mediocritatem ex vtrisque commistam tenẽs ad cognitionem optimæ disciplinę inducit. Cum igitur consolatus dolentes fuerit, & charitatis vicissitudine necessariam eis ostenderit, hortatur iterum, atque iterum, vt omni cura reducere ad pietatem homines studeant: ac huius rei exemplum seipsum proponit dicens, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* Ac si diceret; cum imitari me debeatis, ô discipuli, quæ ipse in vobis feci, ea in alijs facienda vobis sunt: ego elegi vos, non vos me, ego me notum vobis ignorantibus feci, humanitate, clementiaque commotus, ego vos adeo roboraui, vt procedere, progredique ad tantam erga Deum fiduciam possitis, vt, quodcunque petieritis in nomine meo, vobis concedatur. Quare non debetis vos, qui mei discipuli estis, sedentes expectare, vt vltro ad fidem homines veniant, sed errantibus manus porrigenda; & audire nolentibus salutaris sermo à vobis est prędicãdus, etiam si vos acerbissime persequantur. Sic enim tãdem ipsi quoque vos imitari, ac ad meliora progressi, immarcessibilem edent fructum, & quodcunque petierint in nomine meo, consequentur. Talem igitur (vt breuiter repetamus) dilectionem habere persuadet: & ita diligentes ad reducẽdus in fidem ceteros esse, qualem ipse in nobis ostendit. Quod autem à Christo discipuli electi fuerunt, omnibus apertissimum est. Hunc huius loci sensum esse, à sequentibus etiam perdiscemus.

Sancti laborũ præmia & mercedem pro pietate Christi suscipient. Ergo nostra bona opera merentur vitam æternam.

Psal. 44.

Rom. 4.

Gen. 17.

S. GREGORII PAPAE
in superius Euang. Homil.

CVm cuncti sacra eloquia dominicis plena sint præceptis, quid est quòd de dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit; *Hoc est preceptũ meũ, vt diligatis inuicem,* nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt? Quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis: si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica, & multa sunt & vnum. Multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque scripturæ suæ sententiis & amicos iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se. Ille enim veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Nam sunt nõnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod spontè impenditur naturæ, aliud quod pręceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur: quia amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt. Proinde cùm Dominus diceret: *Hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem:* Protinus addidit; *Sicut dilexi vos.* Ac si aperte dicat; Ad hoc amate, ad quod amaui vos. Qua in re, fratres charissimi, solerter intuendum est, quod antiquus hostis dum mentes nostras ad rerum temporalium dilectionem trahit, infirmiorẽ contra nos proximum excitat, qui ea ipsa, quæ diligimus, auferre moliatur. Nec curat antiquus hostis hæc faciens, vt terrena tollat, sed vt charitatem in nobis feriat. Nam in odium repentè exardescimus, & dum foris inuicti esse cupimus, intùs grauiter ferimur. Dum parua foris defendimus, intùs amittimus maxima: quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem. Omnis quippe, qui nostra tollit, inimicus est. Sed si odio cœperimus habere inimicum, intus est, quod perdimus. Cùm ergo aliquid exterius à proximo patimur, contra occultum raptorem interiùs vigilemus: qui nũquàm meliùs vincitur, nisi cùm raptor exterior amatur. Vna quippe, & summa est probatio charitatis, si & ipse diligitur, qui aduersatur. Hinc est, quòd ipsa veritas & crucis patibulum sustinet, & tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit, dicens; Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciũt. Quid ergo mirum, si inimicos diligant discipuli dum viuunt, quando & tunc inimicos diligit magister, cùm occiditur? Cuius dilectionis summam exprimit, cùm subiunxit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis*

Ex Hom. 27. in Euang.

Luc. 23.

cis

cis suis. Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat: vt profectò nobis ostenderet, quia dum diligendo lucrum de inimicis facere possumus, etiam ipsi amici sunt, qui persequuntur. Sed ecce nos vsque ad mortem nemo persequitur. Vnde ergo probare possumus, an diligimus amicos? Sed est quòd in pace sanctæ Ecclesiæ fieri debeat, vnde clarescat, si persecutionis tempore mori pro
1.Ioan.3. dilectione valeamus. Certè idem Ioannes dicit; Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit proximum suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei ma-
Luc.3. net in eo? Hinc etiam Ioannes Baptista ait; Qui habet duas tunicas, det non habenti. Qui ergo tranquillitatis tempore nō dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutionis tempore daturus est animam suam? Virtus ergo charitatis vt inuicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenus omnipotenti Deo primùm discat sua impendere, postmodum se. Sequitur: *Vos amici mei estis.* O quanta est misericordia conditoris nostri, serui digni nō fuimus, & amici vocamur. Quāta est dignitas hominum, esse amicos Dei? Sed audistis gloriam dignitatis, audite & laborem certaminis. *Si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Amici mei estis, si ea, quæ præcipio vobis, facitis. Ac si apertè dicat; Gaudetis de culmine, pensate quibus laboribus peruenitur ad culmen. Certè dum filij Zebedæi, interueniente matre, quærerent, vt vnus à dextris Dei, & alius
Matth.20. à sinistris sedere debuissent, audierunt: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Iam locum celsitudinis quærebant, ad viam illos veritas reuocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac si dicatur; Iam vos delectat locus celsitudinis, sed priùs via exerceat laboris. Per calicem pertingitur ad maiestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, priùs bibite quod dolet. Sic sic per amarum poculum confectionis peruenitur ad gaudium salutis. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos meos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Quæ sunt omnia, quæ audiuit à patre suo, quę nota fieri voluit seruis suis, vt eos efficeret amicos suos, nisi gaudia internæ charitatis, nisi illa festa supernæ patrię, quæ nostris quotidiè mentibus per aspirationem sui amoris imprimit? Dum enim audita supercælestia amamus, amata iam nouimus, quia amor ipse notitia est. Omnia ergo eis nota fecerat, quia à terrenis desideriis immutati, amoris summi facibus ardebant. Istos verò amicos Dei aspexerat propheta, cùm dicebat: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Amicus enim quasi animi custos vocatur.
Psal.138. Quia igitur Psalmista prospexit electos Dei à mūdi huius amore separatos, custodire in mandatis cælestibus voluntatem Dei, miratus est amicos Dei, dicens; Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Et tāquam si ab eo protinùs causas honoris tanti nobis insinuari quæreremus, illicò adiunxit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce & moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo confortatus est principatus eorum. In ista ipsa passione, qua ceciderūt in morte carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Vnde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed sic magni forsitan pauci sunt, subiunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Totum mūdum, fratres, aspicite, martyribus plenus est. Iam penè tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quāti sint, à nobis comprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc peruenit dignitatem, vt amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat: dona autem quæ percepit super se, nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat. Vnde & subditur; *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis.* Posui ad gratiam, plantaui, vt eatis volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere, iam mente ire est. Qualem verò fructum afferre debeant, subditur: *Et fructus vester maneat.* Omne quod secundum præsens seculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors nanque interueniens, fructum nostri laboris abscindit. Quod verò pro vita æterna agitur, etiam post mortem seruatur, & tunc apparere incipit, cùm laborum carnalium fructus cœperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Quisquis igitur iam æterna cognouit, apud eius animum temporales fructus vilescant. Tales ergo fructus operemur, qui maneant. Tales fructus operemur, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordium à morte sumant. Nam quòd à morte incipiat fructus Dei, testatur propheta, qui ait, Cùm dederit Psal.126.
dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Omnis, qui dormit in morte, perdit hæreditatem. Sed cùm dederit dilectis suis somnum, hęc est hæreditas Domini: quia electi Dei, postquam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hæreditatem: Sequitur; *Vt quodcunque petieritis patrem meum in nomine meo, det vobis.* Ecce hic dicit, *Quod-* Ioan.16.
cunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Rursum alibi per eundem euangelistam dicit; Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Si omne, quod petimus in nomine filij, dat nobis pater, quid est quòd Paulus ter Dominum rogauit, & exaudiri non meruit, sed dictum est illi; Sufficit tibi gratia mea: nam vir- 2.Cor.12.
tus in infirmitate perficitur? Nunquid ille tam egregius prædicator in filij nomine non petiit? Quare autem non accepit quod petit? Quomodo ergo verum est: quia quicquid petierimus patrem in nomine filij, dat nobis pater, si auferri à se angelum sathanæ petiit Apostolus in nomine filij, & tamen quod petiit non accepit? Sed quia nomen filij iesus est, Iesus autē saluator, vel etiam salutaris dicitur, ille in nomine saluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit, petitur, non in nomine Iesu petitur pater. Vnde & eisdē Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Ac si apertè dicat: Non petistis in nomine saluatoris, qui nescitis quærere æternam salutem. Hinc est, quòd & Paulus non exauditur: quia si liberaretur à tentatione, ei non prodesset ad salutem. Ecce vidimus, fratres charissimi, quàm multi ad solennitatem

nitatem martyris conuenistis: genua flectitis, pectus tūditis, voces orationis, ac confessionis emittitis, faciem lachrymis rigatis. Sed pensate quæso petitiones vestras: videte, si in nomine Iesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Iesu Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importunè pro temporalibus exoratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cùm hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt. Sed meminisse continuè debemus, quod ex mandato
Luca 6. eiusdem redemptoris nostri accepimus: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Et hæc itaque ab Iesu petere, non est errare, si tamen non nimiè petantur. Sed adhuc, quod est grauius, alius postulat mortem inimici, eúmque quem gladio non potest persequi, persequitur oratione. Et viuit adhuc, qui maledicitur, & tamen is, qui maledicit, iam
Matth. 5. de morte illius reus tenetur. Iubet autem Deus, vt diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus, vt occidat inimicum. Quisquis itaq; sic orat, in ipsis suis precibus contra conditorem pugnat. Vnde & sub Iudæ specie dicitur: Fiat oratio eius in pecca-
Psal. 108. tum. Oratio quippe in peccatum, est illa petere, quæ prohibet ipse qui petitur. Hinc veritas dicit:
Marc. 11. Cùm statis ad orandum, remittite si quid habetis in cordibus vestris. Quam virtutem remissionis apertius ostendimus, si vnum testimonium veteris Testamenti proferamus. Certè cùm Iudæa conditoris sui iustitiam culpis exigentibus offendisset, Prophetam suum ab oratione Dominus
Ierem. 7. prohibet, dicens: Non assumas laudem, & ora-
Ierem. 15. tionem pro eis. Si Moyses, & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est quòd intermissis, relictísque tot patribus, soli Moyses, & Samuel in medium deducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi intercedere posse dicuntur: Ac si apertè Dominus dicat: Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum minimè contemno. Quid ergo est, quòd Moyses, & Samuel cæteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quòd duo hi tantummodò in cuncta Testamenti veteris serie, etiam pro inimicis suis leguntur ex-
Exod. 17. orasse? Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu deiicitur, & tamen pe-
1. Reg. 12. titus, vt exoraret, fatetur dicens: Absit à me hoc peccatum in Dominum, quò minus cessem orare pro vobis. Dicit ergo: Si Moyses, & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istū. Ac si apertè dicat: Nec illos modò pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis, est celsitudo charitatis: & tunc quisque quod rectè petit adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed plerunq; reluctantem animum vincimus, si etiam pro inimicis oramus. Effundit os pro aduersariis precem, sed vtinam cor teneat amorem. Nam sæpè & orationem pro inimicis nostris impendimus, sed hãc ex præceptione potius fundimus, quàm ex charitate. Nam & vitam inimicorum petimus, & tamen ne exaudiamur, timemus. Sed quia internus index mentem potius, quàm verba considerat, pro inimico nil postulat, qui pro eo ex charitate nõ orat.

Sed ecce nobis inimicus grauiter deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Aduocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit, & ipse eiusdem causæ iudex est, qui aduocatus. Preci antè, quam composuit, conditionem inseruit, dicens: Dimitte Matth. 6.
nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quia ergo ipse index venit, qui aduocatus extitit, ipse precem exaudit qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus: aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem quam composuit non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio, quam feci. Quid ergo nobis agendum est, fratres, nisi vt veræ charitatis affectum impendamus fratribus? Nulla in corde malitia remaneat. Consideret omnipotens Deus erga proximum charitatem nostram, vt nostris iniquitatibus impendat pietatem suam. Mementote quod mone- Luc. 6.
mur: Dimittite, & dimittetur vobis. Ecce & debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, vt dimittatur quod debetur à nobis. Sed ad hæc mens reniritur, & vult implere quod audit, & tamen reluctatur. Ad martyris tumbam consistimus, qui ad cæleste regnum ex qua morte peruenerit scimus. Nos si pro Christo corpus non ponimus, saltem animum vincamus. Placatur Deus isto sacrificio: approbat iudicio pietatis suæ, victoriam pacis nostræ. Certamen enim cordis nostri aspicit, & qui post vincentes remunerat, nunc decertantes iuuat Iesus Christus Dominus noster, qui viuit, & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri superioris Euang. expositio.

HOc est, inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Siue dicatur præceptum, Ex comm. in Ioan.
siue mãdatum, ex vno verbo Græco vtrunque interpretatur, quod est ἐντολή. Iam vero istam sententiam & ante dixerat; Mãdatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vt & vos inuicem diligatis. Huius itaque mãdati repetitio, commendatio est: nisi quo ibi mandatū nouum, inquit, do vobis: hic autem, *hoc est*, inquit, *mãdatum meum.* Ibi tanquam non fuerit antea tale mandatum, hic tanquam non sit alius eius mandatū. Sed ibi dictum est nouum, ne in vetustate nostra perseueremus, hic dictum est, *meum*, ne contemnendum putemus. Quod autem hic ita dixit, *hoc est mandatum meum*, velut non sit aliud, quid putamus, fratres mei? Nunquid non solum eius de ista dilectione mandatū est, qua diligimus inuicem? Nonne est aliud maius, vt diligamus Deum? Aut vero de sola nobis Deus dilectione mandauit, vt alia non inquiramus? Tria certe commendat Apostolus dicens; Manent autem, fides, spes, charitas, tria hæc; maior autem his est charitas. Etsi in charita- 1. Cor. 13.
te, hoc est, in dilectione, concludũtur duo illa præcepta, maior tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quã multa de

ta de ſpe? quis poteſt cuncta colligere? quis enumerando ſufficere? Sed intueamur quod ait idem
Rom. 13. apoſtolus; Plenitudo legis charitas. Vbi ergo charitas eſt, quid eſt, quod poſſit deeſſe? Vbi autẽ non
Iacob. 2. eſt, quid eſt, quod poſſit prodeſſe? Dæmon credit, nec diligit. Nemo diligit, qui non credit. Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit. Nemo autem poteſt deſperare, qui diligit. Itaque vbi dilectio eſt, ibi neceſſario fides, & ſpes: & vbi dilectio proximi, ibi neceſſario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam ſeipſum? Eſt quippe impius, & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem,
Pſal. 10. non plane diligit, ſed odit animam ſuam. Hoc ergo præceptum Domini teneamus, vt nos inuicem diligamus, & quicquid aliud præcipit, faciemus: quoniam quicquid eſt aliud, hic habemus. Diſcernitur quippe iſta dilectio ab ea dilectione, qua ſe inuicem diligunt homines ſicut homines. Nam, vt diſcerneretur, adiunctum eſt *ſicut dilexi vos.* Vt quid enim nos dilexit Chriſtus, niſi vt poſſimus regnare cũ Chriſto; Ad hoc ergo & nos inuicem diligamus, vt dilectionem noſtram diſcernamus à cæteris, qui non ad hoc ſe inuicem diligunt, quia nec diligunt. Plenitudinem dilectionis, qua nos inuicem diligere debemus, fratres chariſſimi, definiuit Dominus dicens; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Quia ergo ſuperius dixerat; *Hoc eſt mandatum meum, &c.* Quibus verbis addidit, quod nunc audiſtis, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* fit ex hoc conſequens, quod idem iſte euangeliſta Ioannes in epiſtola ſua dicit, vt, quemadmodum Chri-
1. Ioan. 3. ſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debeamus animas pro fratribus ponere, diligentes vtique inuicem, ſicut ipſe dilexit nos, qui pro nobis animam ſuam poſuit. Neq; hoc ita dictum ſit, quaſi propterea Domino Chriſto pares eſſe poſſimus, ſi pro illo vſque ad ſanguinem martyrium duxerimus. Ille poteſtatem habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumẽdi eam. Nos autem nec quantũ volumus viuimus, & morimur etiamſi nolumus. Ipſe ſe nobis præbuit palmitibus vitem: nos habere præter illũ non poſſumus vitam. Poſtremo & ſi, fratres, pro fratribus moriamur, tamen in peccatorum fraternorũ remiſſionem nullius ſanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis: neq; in hoc quid imitaremur, ſed quid gratularemur, cõtulit nobis. *Vos, inquit, amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Magna dignatio, cum ſeruus bonus eſſe non poſſit, niſi præcepta Domini ſui fecerit: hinc amicos ſuos voluit intelligi, vnde boni ſerui poſſunt probari. Sed, vt dixi, iſta dignatio eſt, vt Dominus, quos nouit ſeruos ſuos, dignetur dicere amicos ſuos. Nam vt ſciatis ad ſeruorum officium pertinere præcepta ſui Domini facere, alio loco ſeruos vtique obiurgat di-
Luc. 6. cens; Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? Cum ergo dicitis, inquit, Domine, iuſſa faciendo, quid dicatis, oſtendite.
Matth. 25. Nonne ſeruo obediẽti ipſe dicturus eſt, Euge ſerue bone, quoniã in paucis fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Poteſt igitur eſſe & ſeruus, & amicus, quia ſeruus bonus. Sed quod ſequitur, attendamus. *Iam non dico vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius.* Ita nomen conſtituit amici, vt auferat ſerui: non vt in vno vtrumque maneat, ſed vt altero diſcedente ſuccedat. Quid eſt hoc? nec cum præcepta Domini fecerimus, ſerui non erimus? Itane tũc ſerui non erimus quando boni ſerui fuerimus? Et quis poteſt contradicere veritati, quæ ait; *Iam non dico vos ſeruos?* & cur hoc dixerit docet, *quia ſeruus,* inquit, *neſcit quid faciat Dominus eius.* Nunquid nã ſeruo bono, & probato Dominus eius non etiã ſua ſecreta committit? Quid eſt ergo, quod ait; *Seruus neſcit quid faciat Dominus eius?* Verũ eſto neſcit, quid faciat: nunquid neſcit etiã, quid præcipiat? Nam & ſi hoc neſcit, quomodo ſeruit? aut quomodo ſeruus eſt, qui non ſeruit? Et tamẽ ipſe Deus loquitur, *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos ſeruos.* O rem admirabilem! Cum ſeruire non poſſimus, niſi præcepta domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo ſerui non erimus? Si ſeruus non ero præcepta faciendo, & niſi præcepta fecero, ſeruire non potero: ergo ſeruiendo ſeruus non ero. Sicut enim duo ſunt timores, qui faciunt duo genera timentium: ſic duæ ſunt ſeruitutes, quæ faciunt duo genera ſeruorum. Eſt timor, quem perfecta charitas foras mittit, & eſt alius timor caſtus, permanens in ſeculum ſeculi. Illum timorem quĩ 1. Ioan. 4.
non eſt in charitate, attendebat apoſtolus cum Pſal. 18.
dicebat, Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis Roma. 8.
iterum in timore. Illum autem timorem caſtum attendebat cum dicebat; Noli altum ſapere, ſed
time. In illo timore, quem foras charitas mittit, Rom 11.
eſt etiam ſeruitus ſimul foras cum ipſo timore mittenda. Vtrunque enim iũxit apoſtolus, hoc eſt ſeruitutem, & timorem, dicendo; Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. Ad hanc ſeruitutem ad ſeruum pertinentem intuebatur & dominus dicens; *Iam non dico vos ſeruos quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius.* Non ille vtique ſeruus ad timorem pertinens caſtum, cui dicitur; Euge, ſerue bone, intra in gaudium domini tui: ſed ille ſeruus pertinens ad timorem foras à
charitate mittendum: de quo alibi dicit; Seruus Ioan. 8.
non manet in domo in ęternum: filius autem manet in ęternum. Quoniam itaque dedit nobis po-
teſtatem filios Dei fieri, vt nõ ſerui, ſed filij ſimus: Ioan. 1.
miro quodam, & ineffabili, ſed tamen vero modo, ſerui, non ſerui eſſe poſſumus. Serui ſcilicet timore caſto, ad quem pertinet ſeruus intrans in domini ſui gaudium: non ſerui autem, timorem foras mittendo, ad quem pertinet ſeruus non manens in domo in æternum. Vt autem tales ſerui non ſerui ſimus, dominum facere ſcimus. Hoc ſeruus ille neſcit, qui neſcit quid faciat dominus eius: & cum aliquid boni facit, ſic extollitur, quaſi hoc ipſe faciat, non dominus eius: & gloriatur in ſe, non in domino gloriatur, cum ſe ipſe decepit, quia ſic gloriatur quaſi non acceperit. Nos autem, chariſſimi, vt amici domini eſſe poſſimus, quid noſter dominus faciat ſciamus. Non ſolum enim homines, verum etiam iuſtos ipſe facit nos, & non ipſi nos. Et vt hoc ſciamus, quis niſi ipſe facit? *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Quis enim audeat affirmare, vel credere vllum hominum ſcire omnia, quæcunque à patre audiuit vnigenitus filius, quando nec hoc idem quiſquam capit, quomodo audiat à patre vllum verbum, cum ipſe ſit patris vnicum verbum? Quid, quod aliquanto poſt, in hoc ipſo tamen ſermone; Multa, inquit, habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo?

Quo igitur pacto intellecturi sumus omnia eum
nota fecisse discipulis quæcunque audiuit à patre,
Eccles.1. cum propterea quædam multa non dicat, quia
scit eos modo portare non posse? Sed nimirum
Psal.21. quod facturus est, fecisse se dicit: quia ea quæ futura
sunt, fecit. Sicut enim ait per propheta, foderunt
manus meas, & pedes meos: ita & hoc loco
ait, omnia se nota fecisse discipulis, quæ se nouit
nota esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de
qua dicit Apostolus; Cum autem venerit quòd
perfectum est, quod ex parte est euacuabitur. Ibi
quippe dicit; Nunc scio ex parte: tunc autem cognoscam
sicut & cognitus sum: & nunc per speculum
in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.
Tit.3. Nam & ipse Apostolus saluos nos dicit factos per
lauacrum regenerationis: qui tamé alio loco; Spe,
Rom.8. inquit, salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur,
non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?
Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam
expectamus. Vnde etiam eius coaposto-
1.Pet.1. lus Petrus; In quem modo, inquit, non videntes
creditis: quem cum videritis, exultabitis gaudio
inenarrabili, & honorato, percipientes mercedem
fidei salutem animarum vestrarum. Itaque sicut
immortalitatem carnis, & salutem animarum futuram
expectamus; quamuis iam pignore accepto
salui facti esse dicamur: ita omnium notitiã quæcunque
vnigenitus audiuit à patre, futuram sperare
debemus: quamuis iam se hoc fecisse dixerit
Christus. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi
vos*. Hæc est illa ineffabilis gloris. Quid enim eramus
quando Christum nondum elegeramus, &
ideo non diligebamus? Nam qui non eum eligit,
Psal.83. quomodo diligit? Nũquid iam in nobis erat quod
in Psalmo canitur? Elegi abiectus esse in domo
Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum?
Non vtique. Quid ergo eramus, nisi iniqui,
& perditi? Neque enim iam crediderámus in
eum, vt eligeret nos. Nam si iam credentes elegit,
electos elegit. Cur ergo diceret; *Non vos me elegistis*,
nisi quia misericordia eius præuenit nos?
Psal.58. Non est vt dicas; Ante quam crederem, iam bona
operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni
operis ante fidem, cùm dicat Apostolus, Omne
quod non est ex fide, peccatum est? Quid ergo dicturi
sumus audiendo; *Non vos me elegistis*. nisi quia
mali eramus, & electi sumus, vt boni per gratiam
nos eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesserunt
merita. Est autem gratia. Hæc igitur
non inuenit, sed efficit merita. Et videte, charissimi,
quemadmodum non eligat bonos, sed quos
elegit, faciat bonos; *Ego*, inquit, *elegi vos, & posui
vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*.
Nonne iste est fructus de quo iam dixerat;
Sine me nihil potestis facere? Elegit ergo nos, &
posuit vt eamus, & fructum afferamus. Nullum
itaque fructum vnde nos eligeret habebamus.
Vt eatis, inquit, *& fructum afferatis*. Imus vt afferamus,
& ipse est via, qua imus: in qua nos posuit
vt eamus. Proinde in omnibus misericordia eius
præuenit nos. *Et fructus*, inquit, *vester maneat: Vt
quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis*.
Maneat ergo dilectio: ipse est ergo fructus noster:
quæ dilectio nunc est in desiderio, nondum in saturitate:
& ipso desiderio quodcũque petierimus
in nomine vnigeniti filij, dabit nobis pater. Quod
autem accipere saluandis non expedit nobis, non
existimemus nos petere in nomine saluatoris: sed
hoc petimus in nomine saluatoris, quod pertinet
ad orationem salutis.

EVSEBII EPISCOPI *Emisseni in superius Euang. Homil.*

HOc est præceptum meum, &c. Decem sunt mandata
legis: Quorum primum illud est de
quo dicitur: Non habebis Deum alienum absque
me. Secundum autem: Non habebis simulacrum
in domo tua. Tertium verò: Non accipies nomen
Dei tui in vanum. Quartum autem: Cole diem
sabbathi. At vero quintum: Honora patrem tuum
& matrem. Alia verò quæ sequuntur hæc sunt:
Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies:
Non falsum testimonium dices: Non concupisces
rem proximi tui. In his autem omnia legis
& prophetarum præcepta continentur. Quare
autem decem sunt mandata legis: quare decem
cortinę tabernaculi: quare decé virgines in euangelio:
quare quoque decem talenta: quare decem
plagis flagellatur Ægyptus: quare decem diebus
sancti tribulationem patiuntur, eadem ratio, eadémque
significatio est. Cùm igitur decem sunt
præcepta legis, quid est quod in hoc loco dominus
ait: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem,
sicut dilexi vos*. Nisi quia omnia in decem, & decem
in hoc vno, præcepta concluduntur. Vnde &
apostolus ait, quia plenitudo legis est dilectio: dilectio
vtique qua dominum & proximum diligimus.
In his enim duobus præceptis vniuersa lex
pendet & prophetæ. Sed hæc quoque ideo vnum
sunt: quia quicunque diligit Deum, diligit & proximum.
Secũdum illud: Qui enim non diligit fratrem
suum quem videt, Deum quem non videt
quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus
à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem
suum. Similiter autem qui proximum diligit,
& Deum diligit: si tamen vera dilectione eum
diligat. Non est enim vera dilectio quæ temporales
vtilitates attendit, & non ad æternæ beatitudinis
gloriam tendit. Si enim pro talibus vtilitatibus
diligas fratrem tuum, sic diligis eum sicut
equum tuum & asinum tuum. In his enim simul
cum ipsis vtilitatibus deficit amor. At verò charitas
nunquam deficit. Vnde scriptum est, Aquæ
multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec
flumina obruũt eam. Quia fortis est vt mors dile- 1.Cor.2.
ctio, dura sicut infernus, æmulatio: de qua æmulatione
apostolus ait: Æmulor enim vos Dei ęmulatione.
Vera igitur dilectione proximum diligit,
qui non carnis affectione, nec terreno commodo
eum diligit, sed propter Deum & præcepta Dei.
Talem enim dilectionem se habere ipse dominus
ostendebat, cùm diceret: Quæ est mater mea, & Matth.12.
qui sunt fratres mei? Et qui fecerit voluntatem
patris mei qui in cælis est, ipse mea mater, & soror
& frater est. Diligo, inquit, matrem meam, & fratres
meos: non quia mater mea est, & fratres mei,
sed quia faciunt voluntatem patris mei. Apparet
igitur quod quicunque diligit proximum, diligit
Deum: siquidem proximũ diligit propter Deum.
Similiter autem & qui Deum diligit, proximum
diligit: quoniam qui Deum diligit; præceptum
eius custodit. Et hoc est præceptum eius, vt nos
inuicem diligamus, sicut ipse dilexit nos. Quo-
modo

modo ipse dilexit nos? plena & perfecta dilectione. *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Hanc autem dilectionem erga nos habuit Iesus. Hanc igitur & nos habeamus. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Non sunt igitur eius amici, qui eius præcepta non custodiunt. *Iam non dicam vos seruos*. Quare? *quia seruus nescit quid faciat Dominus eius*. Quid igitur: *Vos autem dixi amicos*. Et hoc quare? *Quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis*. Meritò eis mutat nomina quibus mutat officia. Non qui serui desierunt esse, sed quòd magis familiares esse cœperint. Iam non solùm ad laborem mittuntur vt serui, sed ad secreta consilia vocantur vt amici. Quid tamen vult quòd Dominus sibi ait: *Iam non dicam vos seruos*. Cùm vnicuique suorum fidelium in fine dictus sit: Euge bone serue? Quandam mihi inter bonum & malum seruum differentiam facere videtur. Seruus enim non ideo quia seruus est, sed quia amicus est & fidelis, ad Domini sui secreta & consilia vocatur. Serui nanque nomen opprobrij est, amici verò, & honoris & dignitatis. Possumus autem intelligere quòd Dominus & saluator noster fideles suos non increpando vel imperando, sed blandiendo & congaudendo seruos dicat, si quádo seruos eos dicit. Multa de bono & malo seruo loquitur Moyses. Multa de seruo Hebræo qui post multum laborem Dominum reliquit. Multa de illo bono seruo, qui, quoniam Dominum relinquere noluit, aures ad audiendum habet perforatas. Bonus ille seruus Abrahæ, qui duxit vxorem Domini sui Isaac. Bonus ille seruus Dauid qui ait, Ego sum seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. De malo autem seruo quod dicitur: Serue male & piger, quia non dedisti pecuniam meam ad misericordiam. Itémque: Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Tales autem serui non sunt amici: & ideo tales serui non dicuntur, qui Dei sunt serui. Sequitur: *Quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*. Omnia enim quæ audiui à patre nota feci eis: illo tamen tempore notificanda eis, quando & necessaria eis. Vnde & in sequentibus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem. Sic multa determinanda sunt, quæ vniuersaliter dici vidētur. Quale est illud: Cum exaltatus fuero à terris, omnia traham ad meipsum. Itémque: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Apostolus de charitate: Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et multa alia his similia. Ná & id quod modò diximus: Docebit vos omnem veritatem similiter determinãdum est. Alioquin verum non esset quod ait Apostolus: Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Nemo enim in hac vita cognoscit omnem veritatem. Dicit ergo Iesus discipulis suis: Quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Hic igitur subauditur necessaria vobis & reuelanda vobis. Non enim sunt modò omnia dicenda vobis: quia non est vestrum nosse tempora & momenta: quæ pater posuit in sua potestate. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos & posui vos vt eatis, &c.* Quid est quod in Canticis Canticorum Ecclesia dicit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: si ipsi eum non elegerūt? Quid est etiam quod Psalmista ait: Et cum electo electus eris? Elegit igitur Dominus discipulos suos, elegerunt & discipuli Dominum. Sed ipse prius elegit eos, & ipsi postea elegerunt eū. Quod vtique non fecissent, nisi prius eos elegisset. Et ipse quidem elegit eos, vt eius discipuli essent: ipsi verò elegerunt eum, vt eorum Dominus esset. *Ego*, inquit, *elegi vos*. Ad quid? *vt eatis* in vniuersum mundum, & prædicetis Euangelium omni creaturæ. *Et fructum afferatis*. Iste fructus omnium fideliū multitudo intelligitur: De quo bene subditur. *Et fructus vester maneat*. Hoc est enim quod alibi ait: Qui credit in me, non morietur in æternum. Et quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sic tamen, si talia petieritis quæ sint necessaria & vtilia vobis, quæ Dei dispositioni non sint contraria, vestræque saluti inimica. Quod Dominus promisit futurum, nos videmus esse completum. Scimus enim Apostolos in nomine Iesu Christi cæcos illuminasse, paralyticos curasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, & alia omnia suscepisse pro quibus patrem deprecati sunt in nomine filij. Apostolus tamen 1.Cor.12.
dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, vt me colafizet. Propter quod & Dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Ac si diceret, aduersum te rogas & contraria postulas, virtutis lorica expoliari petis. Et mox Apostolus cognita ratione, lętus valde quòd exauditus non fuerat, ait: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Benè igitur exauditus est, qui modo lætatur quod exauditus non sit.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioru Euang. expositio.

Hoc est præceptum meum, &c. Quia supra dicēs; si mandata mea seruaueritis, tunc manebitis in me, non ostendit quæ mandata debeant seruare, nunc ostendit & suam charitatem, dicit enim; *Vt diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos*. Non fortuito, neque simpliciter vult nos diligere inuicem, sed sicut ipse dilexit. Obserua autem, quomodo supra quidem in plurali dixit, mandata, hic vero dicat; *hoc autem mandatum meum est*, in singulari numero. Hoc ideo factum opinor, quia dilectio omnia mandata complectitur & caput est. Dicitur autem & mandata, & mandatum. Porro interim ostendit nobis viam, qua seruemus mandatum, nempe perseuerationem vnius mandati, charitatis. Quando autem dixit, *sicut ego dilexi vos, diligatis & vos inuicem*; ostendit modum, & summitatem charitatis. Maioré enim hac charitatem nemo habet, vt ponat animam suam pro amicis. Atque ita & vos pro vobis inuicem animam ponatis, quia & ego pro vobis morior. Igitur, ne putetis ex odio erga vos fieri discessum hunc: fit enim ex summa charitate. *Vos mei amici estis, si feceritis, &c.* Sursum, deorsumque versat charitatis doctrinam, ostenditque nobis multis verbis, quòd istud mandatum maioris sit momenti, & plus curandum quàm alia. Commendat autem & charitatis suæ signum maximum. Nam intantum, inquit, diligo vos, vt & occulta vobis reuelauerim. Seruus enim nescit mysteria Domi-

ni, vos autem, quum nunc sitis amici mei, mysteriis digni facti estis. *Omnia enim quacunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Quomodo igitur inquit alio loco, multũ habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo? Omnia nota fecit eis, quæ illi poterant audire, & quorum erant capaces. Quãdo autẽ dicit; *Quacunque audiui à patre meo*, ne suspicetis, quòd doctrina filius opus habeat, sed ostendit, quòd nihil alienum à patre loquatur, sed ea, quæ patris sunt, & quæcunque dixerit, illius sunt. Dicens autem, indicium charitatis meæ erga vos est, vt nota sint vobis mea mysteria: subdit & aliud charitatis indicium. *Ego*, inquit, *elegi vos*, hoc est, non vos meam accessistis amicitiam, sed ego vestram, hoc est, ita plantaui vos, vt me diligeretis. Quomodo igitur relinquerem vos in posterum? Sed & *posui vos*, hoc est, plantaui vos, *vt eatis*, hoc est, vt crescatis, & expandamini, & extendamini, *fructúmque afferatis.* Hoc autem loco manifeste agricolam se esse introducit. Et superius quidem quando dicebat, Mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, ostendit seipsum purgantem: nunc autem manifestius per hoc, quod dicit; *Ego elegi vos, & posui vos.* Nam agricola hoc facere dicitur, & ponit sub terram palmites. Vides æqualitatem patris, & filij. Et pater agricola, & filius nunc ostenditur agricola. Confusionem induere, Ariane, cum iis, qui tecum ad impietatem prosiliunt. Vide autem & aliud; *Vt quicquid petieritis patrem in nomine meo, dem vobis*, hoc est, ego dabo vobis. Tametsi oportebat iuxta consequentiam ita dicere, Quæcunque petieritis patrem, dabit vobis: sed dixit; *Ego dem vobis*, eo quòd omnino sit eiusdem potentiæ, quia & pater, qui dat, per dexteram suam dat: dextra autem eius est filius. Considera autem hoc loco, quòd, quando plantati fructum afferimus, tunc quæcunque petiuerimus, dabit nobis. Si autem non afferimus fructum, non recipimus, quia fructum non afferens, neque animæ petit vtilia, sed omnino mundana, & inutilia: idcoque non accipit. Quæritis enim, inquit, & non accipitis, eo quòd male petatis.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos. Vt diligatis vos inuicem adeo vehementer, vt etiam pro vobis inuicẽ moriamini: ego enim sic dilexi vos, vt etiam pro vobis iam moriar. Frequenter autem talia dicit, vt cordibus eorum charitatem indelebiliter insculpat. Vide autem admirandum vinculũ: siquidem ostensum est, quod mansio in Christo procedit ex eius dilectione, & obseruatione mandatorum illius: præceptum vero eius est, vt diligamus nos inuicem. Itaque diligere nos inuicem, est in Christo manere: & seruare Dei præcepta, est diligere Deũ, suntque inter se connexæ dilectio, quę est erga Deum, & quæ est erga nos inuicem. Dicens autem; *Sicut dilexi vos*, ostendit quod voluntarie propter illorum dilectionem moriatur. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt quis animam suam ponat pro amicis suis.* Maiorem hac, quæ adeo magna est, vt etiam animam pro amicis relinquat, sicut ego nunc facio. Itaque non ex imbecillitate, sed ex vestri dilectione morior, ac dispẽsatoriè à vobis separor: nolite ergo contristari. Et quia amicos eos ostendit, nunc etiam dicit quomodo sint amici sui. *Vos amici mei* † *estis, si feceritis, &c.* O incomparabilem humanitatem! Nunquam quispiam seruum benignum facit sibi amicum: Christus autem etiam hoc facit: magis autem & fratrem eum efficit, Nunciate, inquit, fratribus meis, vt abeant in Galilæam: atque patri hunc in filium asciscit: simúlque regni cęlorum hæredem constituit. †

† *Etiam hoc loco præsens* ἐστὲ *estis, pro futuro* ἔσεσθε *eritis accipitur veluti post pauca dicet autor: sicut paulo ante dixit* ἐδοξάσθη *glorificatus est, capi pro glorificabitur, &* φέρητε *adferatis, pro attuleritis, & frequenter alibi.* †

Iam non dicam vos seruos. Et quando illos dixit seruos? Quando docens occultabat suæ diuinitatis potentiam. In præcedentibus etiam dixit; Vos vocatis me Dominum, & magistrum, & bene dicitis: sum etenim. *Quia seruus nescit quid faciat Dominus eius.* Quid faciat occultum. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, &c.* Renunciaui vobis omnia tanquam amicis, quæcumque videlicet ferre potuistis: quæcunque æquum erat vt audiretis: amico namque, & non seruo credit quispiam arcana. Atqui superius quum diceret; Vos amici mei estis, si feceritis, quæcunque ego pręcipio vobis, ostendit quod nondum erant, sed futuri tunc, quum ea facerent: quomodo ergo hic ait, *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre nota feci vobis;* Verbum estis hic eritis, pro permanebitis accipere, ac si dicat, Quum iam sitis, etiam in futurum permanebitis si feceritis, &c. Deinde & aliud ponit signum, quod eos haberet amicos suos. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Negatiue sermo pronunciandus est, non interrogatiue; Vos non elegistis me, sed ego elegi vos in amicos, ego ad amicitiam vestram accurri. *Et posui vos.* Et plantaui vos in dilectione mea in fide, quæ in me est, *Vt vos eatis*, vt extendamini crescentes *vt fructum adferatis*, veluti superius significatum est. Aut fructum spiritalia charismata, aut multitudinem eorum, qui studio illorum saluandi sunt. *Et fructus vester maneat.* Maneat incorruptus perpetuus. *Vt, quidquid petieritis patrem nomine meo det vobis nomine meo*, hoc est tanquam mei, tanquam Christiani. Vel inuocato nomine meo. Hinc ostenditur potentiæ æqualitas patris, & filij.

IN COMMVNI SANCTORVM DVODECIM APOST.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. Encomium sanctorum duodecim Apostolorum.

Idem ut apud Metaphrast.



ERITO hodie quoque aduẽtu sancti spiritus impleta est hæc sagena Piscatorum, nobis rationis compotibus piscibus in eam nostra sponte insilientibus. Sermo enim verbi, qui erudiit illiteratos, & eos, qui erant tardæ, & impeditæ linguæ, linguis acutis igneis, traduxit eorum artem ad id, quod est diuinius, dicens: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Dixit: Venite post me, & mutati statim sunt in id, quod est melius. Duodecim electi sunt Athletæ, & nullus eorum mansit non coronatus. Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis, & cum eis concurrebat, & vniuscuiúsque victoriam reddebat magis probatam. Solus miser Iudas seipsum à tali choręa separauit, cum osculo lupis ouem ostendisset, & triginta argenteis vẽdidisset Dominum, cuius sanguis emit mundum. Sed ô beatum & præclarum vestrum, ô Apostoli, cœtum, quòd omnia facti estis omnibus Dei gratia, non arundine, sed sermone greges hominum peritè capientes. Vos enim estis immobiles columnæ rectæ fidei, sceptra Ecclesiæ, & huius maximè Pastoris vigiles defensores, morbi humanitatis gratuiti medici, & nostræ ad Deum pœnitentiæ susceptores misericordes. Cum enim essetis veluti quædam animatæ incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus * Romam accipit in disciplinam. Paulus illine mundo annũciat Euangelium. Andreas corrigit Græciæ sapientes. Simon Barbaros Deum docet. Thomas baptismate dealbat Æthiopes. Iacobi cathedram honorat Iudæa. Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria. Lucas, & Matthęus scribunt Euangelia. Ioannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiã, tanquam viuus curat Ephesum. Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam. Philippus faciens miracula, seruat Hieropolin. Nõ cessant omnes omnibus vbique benefacere. Puluerem immortalem reliquerunt in sepulchris; nunc quidem pij cultores; paulopost autem sedentes mundi Iudices. Cum huic appropinquasset claudus, reuersus est sanus, & integris pedibus. Cum in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos; illi verò ei statim obtemperarunt. Alterius autem vmbra sola fugabat morbos. Alterius inuocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabant medicinã. Erant enim discipuli illius, cuius fimbria furto surrepta cõtactu eius, quę sanguinis laborabat profluuio, exsiccauit rubrum mare sanguinis. Sed ego reuertor ad principes Apostolorum, & memini vocis illius propheticæ: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Incipiet ergo Petrus orationem, quoniam is quoque fuit conductus prior in vinea Domini. Petrus gregis boni pastoris ouis primogenita. Petrus, qui ex lacu transiit in cælum; Qui relictis nauis, dignus fuit habitus, vt loqueretur cum Angelis; Qui relicta naue oneraria, gubernandã assumpsit Ecclesiam; Qui electus est clauiger cælorum, & in terra accepit potestatem ligandi, & soluendi; Qui est velox ad vocationem, & in fide minimè dubitãs, & magistri feruidus defensor in omnibus; Qui dixit: Tu es Christus filius Dei viui; Qui vnà cum Domino mori proposuit, & vsque ad atrium Caiphæ vnà vadit cum redemptore; Qui etiam negans fuisti dignus venia, & pœnitentia ductus admirabilis. Neque enim tam fuisti reprehendendus propter negationem, quàm beatus censendus propter pœnitentiam. Nobis enim fuit errans quoque vtilis, quòd cum cito fleuisset, obruit delictum, & parũ labefactatus, inuentus est in æternum fundamentum fidelium. Si enim consideraueris, ô dilecte, id quod tunc erat tempus, non inuenietis in Petrum magnam cadere reprehensionem. Quando enim sol fugiebat, cælũ abscondebatur, terra mouebatur, petræ frangebantur, vt quæ ferre non possent contumeliã eius, qui creauerat, tunc primus cespitauit, tunc princeps negauit, & ratione vacuum dici nuncium, inuenit statim probationem eius, quę prędicta fuerat, negationis, Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Sed cum primus negasset, primus cucurrit ad sepulchrum; primus vitæ datorem vidit resurrexisse à mortuis, cum è Maria didicisset, & quod ei non erat ausus dicere Angelus, qui sedebat supra lapidem. Sed post eum in medium veniat Paulus sapientissimus orator orbis terræ, qui factus est ex lupo agnus, ex spinis botrus, ex zizaniis frumentum, ex inimico amicus, ex Hebræis manens firmus, ac stabilis; Qui apud illos Saulus cædem spirans, & minas, apud nos autem Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus; ex blasphemo Theologus, ex persecutore Euangelista, ex prædone gubernator, ex proditore miles; Qui cum Petro Romam sortitus est ad sepulchrum, & cum eo hanc quoque Sychem nõ despiciebat: Qui in Beniamin fuit frater Ioseph, & in Thecla, & filiis pater, & magister; Qui ante Damascum cæcus, & in vnaquaque ciuitate oculus prædicationis, Qui è cælo est vocatus, & raptus fuit in cælum; Qui aspexit paradisum, antequam hic abiret, & victoriæ coronam accepit adhuc luctans, & rursus, vt dicit, ei debetur. Quid enim dicit? Quam reddet mihi Dominus in illo die. Paulus qui ex vltimis

** Nota quòd Petrus Romã accipit in disciplinã, contra quosdam, qui illud nunc mendacissimè negant.*

Et hic habes Petrũ Romã sortitũ sepulchrum.

primus; Qui ex abortionibus vir perfectus; Qui etiam persequens est suauis, & dum patitur persecutionem dulcis; Qui est Romanus, & Pharisæus, & omnia omnibus factus propter fidem. Christus enim, qui dixit Petro, Oportet te pati, de Paulo etiã dixit, Quàm multa oporteat eum pati pro nomine eius; vt ille quidem crucifixus, hic autem truncatus capite, cum vnam fidem prædicauerint, vnum cursum consummauerint, in vno sepulchro habitauerint, sint veri testes resurrectionis eius, qui passus est, & mortuus, & resurrexit eo modo, quo nouit, & venit in sinum patris, quem quidem nunquam reliquit. Quos ipse Dominus alloquitur prophetice: Circundate hanc nouam Sion, & comprehendite eam; hoc est, seruate, confirmate, & munite precibus, vt quando in tempore irascar, & mouebo vniuersam terram, aspiciens vestrum, quod nũ definet sepulchrum, & quæ vestra sponte simul propter me fertis stigmata, vincam iram clementia, & propter hanc, vestram percipiam intercessionem. Sacerdotium enim, & regnum quando video lachrymans, statim tanquam misericors inflector ad misericordiam; & memini illius meę vocis: Protegam hanc ciuitatẽ, propter Dauid seruũ meũ, & Aaron sanctum meum. Qui quidẽ eum sicut vos fide essent concordes, & voluntaria humilitate texissent authoritates, & vestitu ostendissent animi abiectionem, multas mihi obtulerunt myriadas discipulorum, me ferentes, & à me mundo petentes placationẽ. Dixi enim: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis. Domino sit gloria in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponensis in eodem festo, Homilia.*

(Sermo 43. de Sanct.) SI omnium Sanctorum martyrum grata nobis debet esse solẽnitas, fratres charissimi, quanto gratior eorum, qui præsentem secuti sunt principem martyrum? Si agnorum, quanto magis arietum? Illorum enim filij non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posterius vsq; ad mortem confessi sunt Christum. (Psal. 28.) Hos obtulerunt populi Gentium, de quibus Psalmus ante cantauit, dicens: Afferte Domino filios arietum. His primum Dominus cum ad confessionem sui nominis hortaretur, non solum se promisit victoriæ coronatorem, sed & certaminis adiutorem: etiam in ipsis & posteros admonebat, quoniam quod dicebat, scriptum posteris relin- (Matt. 10.) quebat. Illis ergo ait, exhortans eos: Cùm autem adducent vos ad Principes, & potestates, nolite cogitare quid respondeatis, vel quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præsumptionem humanam, & gratiam dare diuinam, vt in semetipsis timidi, & mundo essent audaces. Vnde & in alio Psalmo vox martyrum dicit, quasi ex parte humanæ fragilitatis verendo: (Psal. 58.) Eripe me de inimicis meis, Deus me', & ab insurgẽtibus in me libera me. Et paulo post de auxilio diuino confidens dicit: Fortitudinem meam ad te custodiam. Supra cęteras enim turbas fidelium pecnun antiquorum iustorum, & Prophetarum eminentes Apostolos suos volẽs Dominus ostendere dixit ad eos: Beati oculi, qui vidẽt, quę vos vi- (Matth. 13.) detis, & aures, quæ audiũt, quæ vos auditis. Multi enim Prophetæ, & iusti voluerũt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quę auditis, & nõ audierunt. Item alibi: Iam, ait, non dicam vos (Ioan. 15.) seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Item ait idem alio loco: Quæcunque alligaueritis su- (Matth. 18.) per terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Item alibi sciscitanti Petro quid sibi, & sociis suis profuisset reliquisse omnia, & sequi redemptorem, respondit, dicens: Amen dico vobis, quòd (Matth. 19.) vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes (Matth. 5.) duodecim tribus Israel. Isti sunt lux mundi: quia per ipsos lumen fidei, & veræ scientiæ primum Dominus huic mundo tradidit, & ab errorum, ac peccatorum tenebris Gentes, & populos eruit. Isti sunt sal terræ: quia per eos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, vt restringerent carnis lasciuiam, & à putredine peccatorum & vitiorum vermibus seruarent illæsi. Isti sunt lapides pretiosi, quos in fundamento cœlestis ędificij positos Ioannes in Apocalypsi sua de- (Apoc. 21.) scribit, quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamenta locauit. Vnde & Paulus ait, Vos estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super (Ephes. 2.) fundamentum apostolorum & prophetarum. Isti sunt duodecim portæ Hierusalem nouæ, quæ de cælo descendit, quia per ipsos ianuam fidei primum intrauimus, & inter ciues sanctorum annumerari sumus. Hoc ergo considerantes, fratres charissimi, quæ tanti duces populi nos docuerũt, studeamus factis implere, quæ illi iusserunt, Discamus eorum exemplo mundi diuitias contemnere, præsentis seculi voluptatem non amare, regnum cæleste desiderare, Christo nihil præponere, sed eius mandatis in omnibus obedire, paupertatem præsentium rerum diligere, virtutum diuitias habere, sapientiæ thesaurum appetere, spirituales delicias quærere, nulli inuidere, sed omnes homines diligere, amicos in Deo & inimicos propter Deum, quia hæc est vera, & sola dilectio: nam amor carnalis & vitiosus in præcipitium trahit, & comparabitur odio: vnde scriptum est, Qui vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei (Iac. 4.) constituitur. Isti ergo Principes nostri in amore Dei perfectissimi, & in proximorum dilectione repleti, hinc potuerunt mundi impetum vincere, & cruentum seculum domare: quia nihil amauerunt in omni re, nisi Dei voluntatem. Ita & nos, fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam vero in conditore suo, & sic habebimus ordinatissimã charitatem: quia Deus (1. Ioan. 4.) charitas est, & qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum. Et si ita dilexerimus, diligit nos ipse Deus, diligunt nos & sancti Apostoli iudices nostri, & exorant pro nobis, vt in vniuersali iudicio (Sancti Apostoli exorant Deum pro nobis.) Christi cũ ipsis in perpetuum coronemur. Quod præstare dignetur ipse iudex, & Dominus noster, qui cum Patre, & sancto Spiritu viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

S. FVL

S. FVLGENTII EPISC.
Ruspensis de eodem, Sermo.

DElectat taorotnm tractare margaritas Sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum. Nec modus in colore, nec numerus in virtute, splendor varius, & diuersus ornatus. Hos lapides si cæcus aspexit, illuminatus effulsit. Si gestauit surdus, verbo Domini claros percepit auditus. Si aspexit hos lapides claud' in porta speciosa, cursum recepit, & templũ fortiter intrauit. Testis est Petrus ad Thabitam, qualis sit splendor harum margaritarũ, quando tantus exultauit numerus viduarum. Ergo & nos singulis singulos contemplemur. Quis eligens Petrum, respuat Paulum? Quis quærens Andream, contemnat Iacobum & Ioannẽ? Nulla est diuersitas nominum: quia vna est corona gemmarũ, vnus natalis Apostolorum, vna est lætitia populorũ. Remotum est omne naufragium, timor excluditur Piratarum: quia barcæ subuenerũt dulcium piscatorum. Tuta sunt littora per Apostolica retia. Petrus in capite scaphæ cælestis triumphat in litore, si Andream contempleris, vnus est uterus, vnus visus, vnus innocens captus. Per pisces piscatorum paupertas tollebatur, per animas in capiura conclusas gratia demonstratur, & regni cælorum diuitiæ publicantur. In scapha Petri quis numerat pisces? Quis in Euangelio Pauli numerat Gentes? diuersa nomina, & vna captura. Ecce Iacobus & Ioannes neglecto patre, contempta matre, dimisso reti, sequuti sunt pijssimum redemptorem. Fiat itaque in solẽnitate Sanctorum tam grande conuiuium. Ecce Matthæus præparat prandium, & Christus pressor ingreditur cum multitudine peccatorum. Pransor innocens, & rei conuiuæ, vnde conuiuij sui societate peccatores facere in suo sacramento gaudere. Iudæi dicebant: Quomodo cum publicanis, & peccatoribus mãducat? Nemo peccator secernitur, nemo reus auellitur. Omnes hospites Christi sunt, commune conuiuium est omnibus. Præparat prandium gaudiorum solemnitas Apostolorum, iustus pascitur de gratia, peccator reficitur de indulgentia. Et si murmurant Iudæi, sed ditantur rei facti securi. Parasti in conspectu meo mensam; aduersus eos qui tribulant me. Simon ille Chananæus, qui mutauit nomen Gentis, & inseruit florem suum coronæ virtutis, aptatus manibus saluatoris, fulget de ista corona igneo vigore decoratus. Iudas Zelotes zelãs Domino, non commercium quærens Christum vendendo, pro illo zelabatur, non de illo paciscebatur. Inuenimus etenim ibi denigrato colore separatum lapillum, Iudam Domini traditorem speciem cum commercio defendẽtem. O nomen & nomen ille dicebatur, zelans zelaui Domino omnipotenti, & Iudas proditor pacta crudelia deducebat. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Ille zelatus est affectu Domini, iste excluditur dominici nota conuiuij: sed delectat magis primum cernere Petrum piscatorem, quia horrescit nouissimũ aspicere traditorem. Exclusus est de corona, complenda est ipsa corona, qui elegit ascendit, qui tradidit male pependit, quis suppleat numerum in ista corona gẽmarum, proponitur sortis diuinæ iudicium. Christus Matthiam dirigit de cælo, qui duodecim ordinauit in campestri palatio. Aperiuntur Sancta Sanctorum, profertur vrna aurea, vt vere de cælesti auro decorata. O sors bona quæ elegit Discipulum, vt integra permansisset corona gemmarum qua Iudas solus pependit in laqueo. Ecce duodecima vestris oculis fulget picta corona, de cuius aspectu, vt visa flata scintillis fulget cõgregatio vestra. Vbi est ille vas electionis? Claudat coronam pietatis, & lapidem Euangelij toto mundo tonantis. Bonus vltimus quem elegit, primus, & nouissimus, Saulus durus factus est, Paulus mansuetus, quibus loculis aurificis iste est lapis aptatus. Testantur fundamenta carceris nocte commota, reorum vincula soluta, optioni donata gratia, & Apostoli probata corona. Pedes eius erãt in neruo & gressus eius in cælo. Dicebat per carceris tenebras canticum nouum, vt vltimo neruo chordarum tredecim citharæ lectorum cantet vobis lætitiam sempiternam Apostolica corona Sanctorum.



I. IN COMM. VNIVS MARTYRIS.

LVC. 14.



a Diligamus quòd sunt, odio habeamus, quòd in Dei itinere nobis obsistunt.

IN illo tempore: dixit Iesus turbis. [a] Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui

b Crux à cruciatu dicitur: quæ semper est portanda, vt amor Christi ostendatur.

non b aiulat [b] crucem suam & venit post me, non potest meus esse

c Per assumptam patientiam. d Humilitatis. e Quiescens à ... ibus mundi.

discipulus. Quis enim ex vobis [c] volens [d] turrim ædificare, nonne prius [e] sedens

f Omne quod agimus, præuenire per studium considerationis debemus. g Terrenum ædificium, congregando expensas construitur, cæleste autem expensas dispergendo.

[f] cõputat sumptus, qui [g] necessarij sunt, si habeat ad perficiendũ: ne postquam

h Fides. i Non habens consummationem operum quæ conueniunt fidei. k Maligni spiritus qui gratulantur de nostro defectu. l Ideo debet sollicitus esse in ædificando, ne deficiens, derisionem ab inimico patiatur.

posuerit [h] fundamentum, & non [i] potuerit perficere [k] omnes qui vident [l] incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare? Aut quis rex [m] iturus committere bellum aduersus alium regem,

m Quasi dicat. Committere bellum cum Deo, est intelligere aliquem se ex meritis iuste ab eo saluari.

non sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei qui cum

n Id est, si intelligit se ex æquo non posse occurrere. o Patienter expectante.

[n] viginti milibus venit ad se? Alioquin adhuc illo [o] longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



I quis ve. Simul & odisse & diligere possumus: Vt & cognatione coniũctos, ex diuino præcepto diligamus: & quos aduersarios in via Dei patimur, odiẽdo & fugiendo nesciamus. Et vt hoc odium non de affectione, sed de charitate videatur procedere, addit: *Adhuc.* Tunc bene animam odimus, cũ eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, sed reluctamur & frangimus. Hoc odium qualiter exhiberi debeat, subditur: *Et qui baiu.* Crux duobus modis baiolatur: Cum vel per abstinentiam caro afficitur: Vel per compassionem proximi affligitur animus. *Et qui non.* Ita debetis odisse, crucem baiulare, venire post me: quia ita consummabitur ædificium, per quod venitur ad regnum. *Et ve. post.* Aliquis enim carnem lacerat pro inani gloria, vel proximo carnaliter compatitur, vt culpæ faueat: hic crucem ferre videtur, sed Deum nõ sequitur: *Quis enim.* Postquam dominus sequentibus se in Ierusalem dedit sublimia præcepta de contemptu mũdi, & de abiectione corporis, supponit præceptum de perseuerantia, ad quam necessaria est cum humilitate patientia. Et hoc per simile ædificantis. *Turrim ædifi.* Quia sublimia præcepta dedit, ædificandæ sublimitatis comparationem subiungit. *Computat.* Ille computat sumptus, qui discernit esse erogandam temporalem pecuniam, & cor auertendum à cupiditatibus mundi, & animam præparandam contra aduersa mundi.

1. Cor. 4. *Omnes qui vi.* Sicut ait Apostolus. Facti sumus spectaculum mũdo, angelis & hominibus. Et in omni quod agimus, considerare occultos aduersarios debemus, qui nostris operibus insidiantur: & nisi contra eos vigilemus, patimur irrisores quos habemus ad malum suasores. *Aut quis.* Post similitudinem de turre ædificanda, supponit similitudinem maioris rei, de rege pugnaturo. In quo ostenditur, per impletionem præcedentium mandatorum, nullum ad gloriam posse pertingere, nisi seueri iudicis sententia temperetur per misericordiam. In conspectu enim Dei omnis homo imperfectus, Ergo sicut in superiori præmeditatio erat necessaria, ad cauendum inimici derisionem, sic est & ad impetrandam iudicis misericordiam. *Si posit.* Quasi cum decem milibus occurrit Deo, qui offert opera decem mandatorum quæ exterius gessit: Sed Deus quasi cum duplicato numero contrauenit, cum vix illum præparatum in solo opere, discutit simul de opere & cogitatione. Et ideo dum adhuc longè est per dilationem iudicij, nos fragilitatis nostræ insufficientiam attendentes, ad impetrandam seueri iudicis pacem debemus præmittere legationem lachrymarum bonorum operum, piorũ affectuum. *Sic ergo, &c.* Infert à præmissis similitudinibus. Quandoquidem non bene potest ædificare, qui non computat sumptus nec secure potest occurrere qui nõ præmittit legationem, ergo nec meus potest esse discipulus, qui non renunciat omnibus: Hac igitur conclusione ostẽditur, quòd ædificare turrim, facere pacem cum fortiore, nihil aliud est quam esse discipulum Christi. Præparare verò sumptus vel mittere legationem ad faciendam pacem, nihil aliud est quam renunciare omnibus quæ possidemus. Hoc tamen distat inter renunciare omnibus & relinquere omnia: quia renunciare conuenit omnibus qui ita licitè vtuntur omnibus mundanis, quæ possident, vt tamen mente tendant ad æterna. Relinquere est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant.

CATENA AVREA
in idem Euang.

THeophylactus: Quia enim multi comitantium ipsum non ex toto affectu, sed tepide sequebantur, ostẽdit qualem deceat esse suum discipulum. Grego. in hom. Sed percontari libet quomodo parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse qui iubemur & inimicos diligere? Sed si vim præcepti perpendimus vtrunque agere per discretionem valemus: vt eos qui nobis carnis cognatione cõiuncti sunt, & quos proximos nouimus diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur qui carnaliter sapiens dum praua nobis ingerit, non auditur. Ambr. Etenim si propter te Dominus suæ renunciat matri, dicens: Quæ est mater mea, & qui fratres mei? cur tu Domino tuo cupias anteferri. Sed neque ignorare naturam neque seruire Dominus iubet, sed ita indulgere naturæ, vt venereris authorem,

thorem, nec à Deo patētum amore desistat. Greg. in ho. Vt autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere sed de charitate, addidit dicens: adhuc autem & animam suam. Constat ergo quia amando debet odisse proximum qui sic eum odit sicut seipsum: tunc enim bene animam nostram odimus, cum eius carnalibus desiderijs non acquiescimus: cùm eius appetitum frangimus, eius voluntatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur quasi per odium amatur. Cyril. Non est autem fugienda vita qua in corpore viuitur, sed seruanda sicut & Paulus seruauit, vt Christum adhuc viuens in corpore prædicaret. Sed vbi oportebat vitam contemnere vt cursum cōsummaret, nec animam preciosam sibi esse fatetur. Greg. in ho. Hoc autem animæ odiū qualiter exhiberi debeat, manifestat subdens: *Qui non baiulat crucem suam &c.* Chry. Non autem hoc dicit vt trabem super humeros apponamus, sed vt semper mortē prę oculis nostris habeamus: sicut & Paulus moriebatur quotidie, & mortem contemnebat. Basil. Crucem etiam tollens mortem Domini annuntiabat, dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: quòd etiā nos in ipso baptismate anticipamus, vbi vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Greg. in ho. Vel quia crux à cruciatu dicitur, duobus modis crucem Domini baiulamus: cum aut per abstinētiam carnem affligimus; aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostrā putamus. Sed quia nónnulli carnis abstinentiam non pro Deo sed pro inani gloria exhibent, & compassionem non spiritualiter sed carnaliter impendūt, rectè additur: & venit post me. Baiulare enim crucem & post dominū ire, est vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximorum pro studio æternæ intentionis exhibere. *Quis enim ex vobis volens; turrim ædificare, nónne prius sedens computat sumptus, &c.* Greg. in ho. Quia sublimia pręcepta data sunt, protinus comparatio ędificandæ sublimitatis adiungitur cùm dicitur: *Quis enim ex vobis, &c.* Omne enim quod agimus præuenire per studium considerationis debemus. Si igitur humilitatis turrim construere cupimus, prius nos præparare ad aduersa huius seculi debemus. Basil. Vel turris est alta specularia ad custodiam ciuitatis, ad perceptionem hostilium occursuum apta: ad huius instar nobis datus intellectus cōseruatiuus bonorum, pręmeditatiuus contrariorum: ad huius ædificationem præcipit Dominus sedentes ponere calculum, si supperat facultas ad finem. Greg. Nis. Insistendum est enim vt cuiuslibet ardui oppositi terminus attingatur varijs argumentis mandatorum Dei consummando opus diuinum, nam neque lapis vnus est tota turris fabrica, neque vnicum mandatū ducit ad animæ perfectionem. Sed fundamētum oportet subsistere, & secundum apostolum insuper apparatus est auri, & argenti & pretiosorum lapidum apponendus: vnde subditur: *Ne postea quam posuerit fundamentum, &c.* Theoph. Nos enim debemus ponere fundamentum, id est, sequi Christi initium, & finem non imponere, sicut illi de quibus Ioannes dicit quòd multi ex discipulis eius abierunt retrorsum. Vel fundamentum intellige doctrinalem sermonem, puta de abstinentia. Opus est igitur prædicto fundamento operationis ędificium, vt perficiatur nobis turris fortitudinis à facie inimici. Alioquin deridetur homo à videntibus cum tam hominibus quàm dæmonibus. Greg. in hom. In bonis enim operationibus intenti nisi contra malignos spiritus solicitè vigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. Sed ex minori ad maius similitudo subditur, vt ex rebus minimis maiora pensentur. Nam sequitur, *Aut quis rex iturus com. bel. aduer. alium regem nónne prius sedens, &c.* Cyril. Incumbit enim nobis prælium contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Vrget autem nos & aliorum hostium multitudo carnale flagitium, lex sęuiens in membris nostris, & variæ passiones, hoc est dira hostium multitudo. August. de quæst. euang. Vel decem millia præliaturi cum rege qui habet viginti millia significant simplicitatem Christiani hominis dimicaturi cum duplicitate diaboli. Theoph. Est autem rex peccatum regnans in nostro mortali corpore, sed & noster intellectus creatus est rex: ergo si repugnare velit peccato, toto animo cogitet secum. Nam dæmones sunt peccati satellites, qui videntur viginti millium numero præcellere decem millia nostrûm: quia cum incorporei sint, nobis comparati, corporis multò maiorem fortitudinem habere censentur. August. de quæst. euang. Sicut autem de turri non perfecta per opprobrium deterruit dicentium, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare: sic in rege cum quo dimicandum est ipsam pacem accusauit cùm subdit: *Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Significans etiam minas imminentium tentationū à diabolo nō sustinere eos qui renūciant omnibus quæ possident, & pacem cum eo facere cōsentiendo illi ad committendum peccata. Greg. Vel aliter: In illo tremendo examine cum rege nostro ex ęquo ad iudicium non venimus, decem millia quippe ad viginti millia, simplum ad duplum sunt. Cùm duplo ergo exercitu contra simplum venit, quia nos vix in solo opere præparatos simul de opere & cogitatione discutit. Dum ergo adhuc longè est, quia adhuc præsens per iudicium non videtur, mittamus ad eum legationem lachrymas nostras, misericordiæ opera, hostias placationis: hæc est nostra legatio, quæ regem venientem placat. August. ad Lætum, Quomodo autem pertineant istæ similitudines ipsa conclusione satis aperuit, dicens: *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Itaque sumptus ad turrim ædificandam, & valentia decem millium aduersus regem qui viginti millia habet, nihil aliud est quàm vt renunciet vnusquisque omnibus quæ sunt eius. Prælocutio autem superior, cum extrema locutione concordat: in eo enim quòd adhuc renunciat omnibus quæ sunt eius, etiam illud continetur; vt oderit patrem suum aut matrem, & vxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam. Omnia enim hæc propria alicuius sunt quæ plerunque implicant & impediunt ad obtinenda non ista propria temporaliter transitura, sed in æternum mansura communia. Basil. Est autem intentio Domini per exempla prædicta non vtique præbere potestatem eius discipulum fieri vel non fieri sicut licet, vel non inchoare fundamentum, vel tractare pacem, sed ostendere impōssibilitatem diuini beneplaciti obseruandi inter distrahentia animam, inter quæ periclitatur,

chitatur facta venalis ab astutiis dæmonis. Bed. Distat autem inter renunciare omnibus & relinquere omnia, paucorum enim perfectorum est relinquere omnia, hoc est curas mundi postponere: cunctorum autem fidelium est renũciare omnibus, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo.

S. AMBROSII EPISC.
Mediolan. superioris Euang. expositio.

Matt. 12. *SI quis venit ad me, & non odit, &c.* Etenim, si propter te dominus suæ renunciat matri, dicens, quæ est mater mea, aut qui fratres mei? tu domino tuos cupis anteferre? Sed neque ignorare naturam, neque seruire naturæ, dominus iubet, sed ita indulgere naturæ, vt venereris auctorem, nec ab eo parentum amore decíseas.

TITI BOSTRENSIS EPIscopi eiusdem Euang. expositio.

SI quis venit ad me. Cum hominũ amator Christus dominus hoc loco dicit; *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c.* Neque naturam vult nos ignorare, neque naturæ rursum vult nos seruire, sed natura ad meliora, salutique viciniora, vult nos vti; Etenim vt liberi parentes venerentur, eorundémque mandatis obsequantur; parentes vero liberos alant & instituant, hoc expressum domini decretum est. Pari modo, vt vxores maritos suos timeãt, mariti verò vxores suas diligant, id diuinus apostolus disertè pręcipit. Neque enim fidei domesticis, fidei domesticos odio persequi licet. Domini autem oratio aliud nihil à nobis exigit, quàm vt eos auersemur, qui fidem nostram in Deũ impedire, aut ab iis rebus auertere nos student, quę ad animę salutẽ sunt necessaria, tũ, ne eò vsquã nos abduci sinamus, vt propter qualẽcunque amorem carnalẽ, eam dilectionem negligamus, aut contemnamus, quam debemus Christo. *Quis ex vobis volens ædificare turrim, &c.* Quod per turris ædificationẽ nobis hic adũbratur, eiusmodi est: Qui præclarã illam, inculpatámque viuẽdi rationẽ capessere in animo habent, illi próprietudinem, quantũ sat est, mente concipiant; nec non in medium adferant, oportet: debentque beatum illud vitæ institutum ea ratione complecti; vt dictum illud sapientis, subinde secum pertractent:
Eccl. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, deprime cor tuum & sustine.* Quòd si qui sunt, quibus ea animi promptitudo nũ adest, quomodo, quæso, illi ad scopum sibi propositum aliquando peruenire poterũt? *Aut quis rex iturus, committere prælium aduersus alium regem.* Per hæc indicatur, certamen nobis esse cum aduersis po-
Ephes. 6. testatibus. Non est nobis colluctatio, scribit Apostolus, aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates. Tum rursum cum prudentia sensuque carnis, hoc est, cum lege illa, quæ in membris nostris grassatur, plurimásque animi perturbationes intestinaque prælia, quotidie istic excitat. Cum his ergo assidua nobis est lucta. Hæ efferæ illæ, sæuæque hostium copiæ sunt, quæ nobis aduersantur. Quomodo autem hos superabimus? si certo credemus, in Deo nos facturos virtutem; ipsumque eos omnes; qui nos vexant, in nihilum redacturum. Hac ratione S. Propheta Dauid seipsum solabatur: Dominus, Psal. 117.
inquit, mihi adiutor, & ego despiciam inimicos Psal. 26.
meos; & alio rursum loco: Dominus illuminatio mea, quem timebo? Ipse enim nostra est fortitudo. Ipsum proinde adiutorem nacti, nullam cum inimicis nostris dæmonibus pacem ineamus (nam cum dæmone, vel carne pacem habere aliud nihil est, quam dæmoni, vel carnis sensui obsecundare) Quin potius præpotentis Dei nostri auxilio, toto animo, indefesseque implorato, viriliter illi obsistamus.

S. GREGORII PAPAE
in superius Euang. Homil.

SI quis venit ad me. Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sunt, quę nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substãtia, supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidiũ. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid aliud est quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lętari. Sed ad hæc audita inardescit animus, iámque illic cupit assistere, vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitime cer- 2. Tim. 2.
tauerit. Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Vnde ad se venientibus veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suũ, & matrem, & vxore, &c.* Sed percontari libet, quomodò parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere? Et certe de vxore veritas dicit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Matth. 19.
Et Paulus ait: Viri, diligite vxores vestras, sicut Ephes. 5.
Christus ecclesiam. Ecce discipulus vxorem diligendam prædicat, cùm magister dicat: Qui vxorẽ non odit, non potest meus esse discipulus. Nunquid aliud iudex nuntiat, aliud præco clamat? An simul & odisse possumus, & diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus: vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Vt autem Dominus demõstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere, sed de charitate, addit protinùs, dicens: *Adhuc autem & animam suam.* Odisse itaque pręcipimur proximos, odisse & animam nostram. Constat ergo, quia amando debet odisse proximũ, qui sic eũ odit, sicut semetipsum. Tunc enim bene nostram animam odimus, cùm eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cum

eius

eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic sic nimirum exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus quòd sunt, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obsistit. Certe dùm Paulus Hierusolymam pergeret, propheta Agabus zonam illius apprehendit, suísque pedibus, alligauit, dicés: Virum, cuius hęc zona est, sic alligabuot Iudęi in Hierusalem. Sed is qui animam suam perfectè oderat, quid dicebat? Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu: nec facio animam meam pretiosiorem quàm me. Ecce quomodo amando animam suam oderat, immò odiens amabat, quam cupiebat pro Iesu nomine morti tradere, vt hanc ad vitam de peccati morte suscitaret. Ab hac ergo discretione odij nostri, trahamus formam ad odium proximi. Ametur quilibet in hoc mundo aduersarius, sed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus. Quisquis enim iam æterna concupiscit, in ea quam aggreditur causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra vxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, vt eo veriùs cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit. Multum namque est, quod carnales affectus intétionem mentis diuerberant, eiúsque aciem obscurant. Quos tamen nequaquam noxios patimur, si eos premendo teneamus. Amandi ergo sunt proximi, impendenda charitas omnibus, & propinquis & extraneis, nec tamen pro eadem charitate à Dei amore flectendum. Scimus autem, quia cùm de terra Philisthinorum arca Domini ad terram Israelitarum rediret, plaustro superimposita est, & vaccæ plaustro subiunctæ sunt, quæ fœtæ fuisse memorantur, quarum vitulos clauserunt domi. Et scriptum est: Ibát autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsamis. Vno itinere gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram. Quid igitur vaccæ, nisi fideles quosque in ecclesia designant? Qui dum sacri eloquij præcepta considerant, quasi superimpositam sibi Domini arcam portát. De quibus hoc etiam est notádum, quòd fuisse fœtæ memorantur: quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecùs positi, foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinát à recto itinere, quia arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe domus solis dicitur, & propheta ait: Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol iustitiæ. Si igitur ad æternì solis habitationem tendimus, dignum profectò est, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus nó declinemus. Tota enim virtute pésandum est, quòd vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt & gemunt, dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non deflectunt gressus. Sic nimirùm prædicatores Dei, sic fideles quique esse intra sanctam ecclesiam debét, vt compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. Hoc ipsum verò odium animæ qualiter exhiberi debeat, veritas subdendo manifestat, dicés: *Et qui non baiulat crucem suam, &c.* Crux quippe à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini baiulamus, quum aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius, nostram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Sciendum verò est, quod sunt nonnulli, qui carnis abstinentiam non pro Deo, sed pro inani gloria exhibent. Et sunt plerique, qui compassionem proximo non spiritaliter, sed carnaliter impendunt, vt ei non ad virtutem, sed quasi misetando ad culpas faueát. Hi itaque crucem quidem videntur ferre, sed Dominum non sequuntur. Vnde rectè hæc eadem veritas dicit: *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Baiulare etenim crucem, & post Dominú ire, est, vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximo studio æternæ intétionis exhibere. Nam quisquis hæc pro temporali intentione exhibet, crucem quidé baiulat, sed ire post Dominum recusat. Quia verò sublimia pręcepta data sunt, protinùs comparatio ædificandæ sublimitatis adiungitur: cùm dicitur: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessary sunt si habeat ad perficiendum? &c.* Omne quod agimus, præuenire per studium considerationis debemus. Ecce enim iuxta veritatis vocem, qui turrim ædificat, priùs ædificij sumptum parat. Si igitur humilitatis turrim ædificare cupimus priùs nos præparare ad aduersa huius seculi debemus. Hoc enim inter terrenum & cæleste ædificium distat, quòd terrenum ædificium expensas colligendo construitur, cæleste verò ædificium expensas dispergendo. Ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus: ad istud sumptus facimus, si & habita relinquamus. Istos sumptus diues ille habere non potuit, qui multas possessiones possidés, magistrum requisiuit, dicens: Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? Qui cùm pręceptum relinquendi omnia audisset, tristis abscessit, & inde est angustatus in mente, vnde foris fuit latior in possessione. Quia enim in hac vita amabat sumptus celsitudinis, tendendo ad æternam patriam habere noluit sumptus humilitatis. Considerandum verò est, quod dicitur: Omnes qui viderint, incipiant illudere ei: quia, iuxta Pauli vocem, spectaculum facti sumus mũdo, angelis, & hominibus: Et in omne quod agimus, cósiderare occultos nostros aduersarios debemus, qui semper nostris operibus insistunt, semper ex nostro defectu gratulantur. Quos intuens Propheta, ait: Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. In bonis enim operibus intenti, nisi contra malignos spiritus solicitè vigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. Sed quia de construendo ædificio comparatio data est, núc ex minore ad maius similitudo subditur, vt ex rebus minimis maiora pensentur. Nam sequitur: *Aut quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, &c.* Rex contra Regem ex æquo venit ad prælium, & tamen si se perpendit non posse sufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis sunt postulat. Quibus ergo lachrymis nos spetare veniam debemus, qui illo tremendo examine cum Rege nostro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirum conditionis infirmitas, & causa inferiores exhibet? Sed fortasse iam mali operis culpas abscidimus, iam praua quæque externa declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis nostræ sufficimus? Nam cum viginti millibus venire dicitur is, contra quem minimè sufficit iste, qui cum decé millibus venit. Decem millia

Margin notes: Act. 21. — 1. Reg. 6. — Malach. 4. — Matth. 19. — 1. Cor. 4. — Psal. 24.

millia quippe ad viginti millia, simplum ad duplum fuit. Nos autem si multum proficimus, vix exteriora nostra opera in rectitudine seruamus. Nam etsi iam luxuria carnis abscissa est, tamen adhuc a corde funditus abscissa nō est. Ille autem qui iudicaturus venit, exteriora simul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes pensat. Cum duplo ergo exercitu contra simplum venit, qui non vis in solo opere præparatos, simul de opere, & cogitatione discutit. Quid igitur agendum est, fratres, nisi vt dum nos eum simplo exercitu contra duplum illius sufficere nō posse conspicimus, dum adhuc longè est, legationem mittamus, rogemus ea quæ pacis sunt? Longè enim esse dicitur, qui adhuc præsens per iudicium non videtur. Mittamus ad hūc legationem lachrymas nostras, mittamus misericordiæ opera: mactemus in ara eius hostias placationis, cognoscamus nos eum eo in iudicio non posse contendere. Pensemus virtutem eius fortitudinis, rogemus ea quæ pacis sunt. Hæc est nostra legatio, quæ Regem venientem placat. Pensate fratres quàm benignum sit, quòd is qui suo aduentu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc, vt diximus, legationem nostram, flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter nanque ad absolutionem nostram, oblata cum lachrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterùm patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus. Multos, vt arbitror, vestrû, fratres charissimi, contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longè à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hostibus captus, longè traductus est. Cúmque diu teneretur in vinculis, eum vxor sua eùm ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius cōiuge hostiæ fuissent oblatæ pro animæ eius absolutione. Nam longa post tempora reuersus, admirans valdè suæ indicauit vxori, quòd diebus certis hebdomadis singulis eius vincula soluebantur. Quos videlicet dies eius vxor atque horas discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra quantùm in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero soluere vincula corporis. Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis vrbis Episcopum nouerunt: cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valdè etiam concordabat vita: nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum eum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitā & exitum quodam venerabilis vitæ diacono, qui ab eo fuerat nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, quòd quadam nocte eius presbytero per visum Dominus astitit, dicēs: Vade, & dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: in natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit presbyter: sed quia è vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiúsque inobedientiam vehementer increpauit, atque eadem iussionis suæ verba retexuit. Tunc presbyter surrexit vt pergeret, sed rursus infirmitas cordis, impedimentum facta est indicandæ reuelationis. Ad admonitionem quoque iteratæ iussionis obduruit pergere, & quæ viderat, negleait manifestare. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ maior solet sequi ira vindictæ, visione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verbera, & tam districta cæde mactatus est, vt in eo duritiam cordis emolliret vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, eúmq; iam ex more iuxta Beati Iuuenalis martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum à circunstantibus petiit, séque eius pedibus strauit. Cúmque eum vbertim flentem Episcopus vix ad se leuare potuisset, lachrymarum causas cognoscere studuit. Ille verò relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris deuoluto, detexit plagas corporis (vt ita dicam) testes veritatis & culpæ: monstrauit quanta animaduersione districtionis membra illius accepta verbera liuore inflicto sulcauerāt. Quæ mox vt Episcopus vidit, exhorruit, & quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisiuit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excreuit cum terrore admiratio. Sed nullas iam presbyter inquisitioni eius moras adiiciens, secretum reuelationis aperuit, eique iussionis dominicæ, per ea quæ audierat verba narrauit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus: in natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis Episcopus in oratione se cum magna cordis cōtritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine, ad horam nonam vsque protelauit: atque ex ipso iam die magis magísque aucta sunt ei larga pietatis, factúsq; est tam fortis in opere, quàm certus ex munere: quippe qui eum cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cœperat habere debitorem. Hunc autem consuetudo fuerat, singulis annis natalitio Apostolorum die Romam venire, iámque ex hac reuelatione suspectus, venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore sollicitus fuit: secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto quintóque & sexto similiter. Qui desperare iam de veritate reuelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cùm ecce anno septimo vsque ad expectati natalis sacras vigilias incolumis peruenit: sed lenis hunc in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se expectantibus, Missarum solénia implere se posse recusauit. Illi verò quia de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese vnanimiter adstringentes, vt die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solennia celebrare, nisi pro eis ad Dominum idem antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopi oratorio Missas

Exemplum memorabile.

Missas fecit,& manu sua corpus Dominicum,pacémque omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificij peracto,ad lectulum rediit,ibique iacens, dum sacerdotes suos ac ministros circumstetisse se cerneret, quasi vale vltimum dicens: de seruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuissent cócordia inter se vniri,prædicabat: cùm subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora est: móxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientiú sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, emisit spiritum. Sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione soluta est. Quem fratres charissimi, quem vit iste in morte imitatus est, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim: Hora est,de corpore exiit: quia Ioan.19. & Iesus paractis omnibus,cùm dixisset:Consummatum est,inclinato capite tradidit spiritú. Quod ergo Dominus fecit ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianę hostię,illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio, quantam cum Rege veniente gratię pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui potest: qui autem omnia relinquere non potest, cùm adhuc Rex longè est, legationem mittat, lachrymarum, eleemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus,qui scit quia portari nó possit iratus. Quòd adhuc formam facit venire, legationem pacis sustinet. Venisset iam namque si vellet, & cunctos aduersarios suos trucidasset. Sed & quam terribilis veniat indicat,& tamen ad veniendum tardat, quia non vult inuenire quos puniat: sed reatum nobis contemptus nostri denunciat, dicens: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: & tamen sperandæ salutis remedium cósert, quia qui per iram non potest ferri, per postulatæ pacis vult legationem placari. Lauate ergo, fratres charissimi, lachrymis maculas peccatorú, eleemosynis tergite, sacris hostiis expiate. Nolite possidere per desiderium, quæ adhuc per vsum minimè relinquitis. Spem in solo redemptore figite, ad æternam patriam mente transite. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, & iam possidendo cuncta reliquistis. Ipse nobis gaudia desiderata concedat, qui nobis æternæ pacis remedia contulit, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Patre, &c.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri in superius Euang. expositio.*

Ex comment. in Lucam. Ibant autem turba multa cum eo, & conuersus dixit ad illos. *Si quis venit ad me,&c.* Percontari libet quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere. Et certe de vxore veritas dicit; Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Paulus ait, Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus ecclesiam. Ecce discipulus vxorem diligendam præcipit, cum magister dicat; *Qui vxorem non odit non potest meus esse discipulus*. Nunquid aliud index nunciat, aliud præco clamat? an simul & odisse possumus, & diligere? Sed, si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretioné valemus, vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Vt autem dominus demonstraret, hoc erga proximos odium non de inaffectione procedere, sed de charitate, addidit protinus dicens; *Adhuc autem & animam suam.* Tunc etenim bene animam nostram odimus, cum eius carnalibus desideriis non adquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic sic nimirum exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus, quod sunt, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obsistunt. Hoc ipsum vero animæ odium qualiter exhiberi debeat, sub lendo veritas manifestat dicens; *Et qui non baiulat crucem suam,&c.* Crux quippe à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem domini baiulamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi necessitatem illius nostram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Sciendum vero est, quòd sunt nonnulli, qui carnis abstinentiam nó pro Deo, sed pro inani gloria exhibent, & sunt plerique, qui compassionem proximo non spiritaliter, sed carnaliter impendunt, vt ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad culpas faueant. Hi itaque crucem quidem vidétur ferre, sed dominum non sequuntur. Vnde & rectè hæc eadem veritas dicit; *Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Baiulare etenim crucem & post dominum ire, est vel carnis abstinentiam vel compassionem proximo pro studio æternæ intentionis exhibere. Nam quisquis hæc pro temporali intentione exhibere, crucem quidem baiulat, sed ire post dominum recusat. Quia vero sublimia præcepta data sunt, protinus comparatio ædificandæ sublimitatis adiungitur cum dicitur; *Quis enim ex vobis volens turrem ædificare, &c.* Omne, quod agimus, præuenire per studium considerationis debemus. Ecce enim iuxta veritatis vocem qui turrem ædificat, prius ædificij sumptus parat. Si igitur humilitatis turrem construere cupimus, prius nos præparare ad aduersa huius sæculi debemus. Hoc enim inter terrenum, & cæleste ædificium distat, quòd terrenum ædificium expensas colligendo construitur, cæleste autem ædificium expensas dispergédo. Ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus: ad istud sumptus facimus, si & habita relinquamus. Considerandum vero quod dicitur; *Ne posteaquam posuerit fundamentum, &c.* Quia iuxta Pauli vocem, spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus. Et in omne, quod agimus considerare occultos aduersarios nostros debemus, qui semper nostris operibus intendunt, semper ex nostro defectu gratulantur. Quos propheta intuens ait; Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. In bonis enim operibus intenti nisi contra malignos spiritus sollicite vigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. Sed quia de construendo ædificio comparatio data est, nunc ex minori ad maius similitudo subditur, vt ex rebus minimis maiora pensentur. Nam sequitur; *Aut qui rex iturus committere bellum, &c.* Rex contra regem ex æquo

æquo venit ad prælium, & tamen ſi ſe perpendit non poſſe ſufficere, legationem mittit, & ea, quæ pacis ſunt, poſtulat. Quibus ergo nos lachrymis ſperare veniam debemus, qui in illo tremendo examine cum rege noſtro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirum cõditio, infirmitas, & cauſa inferiores exhibet? Sed fortaſſe iam mali operis culpas abſcidimus, iam praua quæque exterius declinauimus, nunquid ad reddendam rationem cogitationis noſtræ ſufficimus? Cum duplo ergo exercitu contra ſimplum venit, qui nos vix in ſolo opere præparatos ſimul de opere, & cogitatione diſcutit. Et ideo, dum adhuc longe eſt legationem mittamus, rogemus ea, quæ pacis ſunt. Longe enim eſſe dicitur, quia adhuc præſens per iudicium non videtur. Mittamus legationem lachrymas noſtras, mittamus miſericordiæ opera, mactemus in ara eius hoſtias placationis. Hæc eſt noſtra legatio, quæ regem venientem placat. *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat, &c.* Manifeſtiſſime dominus hac concluſione docet, quid ſit ædificare turrem, vel cum rege fortiore facere pacem, ſuum videlicet eſſe diſcipulum. Præparare autem ſumptus ad perficiendam turrem, & mittere legationem ad impetrandam pacem, nõ eſſe aliud quam renunciare omnibus, quæ poſſidemus. Inter quæ omnia & amor proximorum, de quo prædictum eſt, & ipſa anima noſtra, quam quidam pro temporali hac vita dictam putant, intelligatur neceſſe eſt, quã ſic poſſidere ad tempus oportet, vt non nos impediat ab æterna, ſi quis eam fuerit auferre minatus. Diſtat ſane inter renunciare omnibus, & relinquere omnia, paucorum enim perfectorumque eſt, relinquere omnia, curas mundi poſtponere, ſolis deſideriis æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium eſt, renunciare omnibus, quæ poſſident, hoc eſt, ſic tenere, quæ mundi ſunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalẽ in vſu, æternam in deſiderio, ſic terrena gerere, vt tamen tota mente ad cæleſtia tendant.

Opera ſatisfactoria, Deum propitiũ reddentia.

EVSEBII EMISSENI *in Natali vnius Martyris, Homilia.*

SI quis venit ad me, & non odit patrẽ ſuum, &c. Cum enim alibi dominus dicat: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, & non ſolùm hoc, verùm etiam diligite inimicos veſtros, benedicite his qui oderũt vos: quid eſt quod modò dicit, vt patrem & matrem, vxores & filios, fratres & ſorores, & ipſas animas noſtras odio habeamus? Ioannes quoque Apoſtolus ait: Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Et Pſalmiſta: Qui enim diligit iniquitatem odit animam ſuam. Concluditur ergo vt ſoli iniqui & homicidæ Chriſti diſcipuli eſſe poſſint. Siquidem ſoli ſunt eius diſcipuli & parentes ſuos & ſeipſos odio habẽt, quod eſt inconueniens. Dicit ergo ſi pater aut mater, vel aliquis propinquorum tuorum, te à Chriſti fide ſeparare voluerit, hunc fuge. Hunc quaſi hoſtem time, & quaſi membrum ſathanæ odio habe. Vnde & Matthæus manifeſtius ait: Qui amat patrẽ aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et alibi: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te. Animam autem pro vita poſuit.

Matth. 10. Math. 18.

Vitam enim ſuam odio habent, qui pro iuſtitia & Chriſti fide mori deſiderãt, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigentes, nullas huius vitæ voluptates ſequuntur. Iſti quoque poſt Chriſtum crucem baiulant: quia omnibus derelictis ſolam carnis mortificationẽ in corpore ſuo ferentes, toto mẽtis & cordis deſiderio poſt eum vadunt. Sed valde notandum eſt quod ait: Si quis hoc vel illud non fecerit, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Aliud eſt Chriſtianum eſſe, aliud Chriſti diſcipulum eſſe. Septuaginta nanque & duos diſcipulos Dominus elegit præter eos quos Apoſtolos nominauit. Iſti autem mundum ſpernentes, omnia relinquentes, domino adhærentes, Chriſti diſcipuli ſpecialiter dicti ſunt. Horum igitur nomen & locum illi tenent, qui eos vita & moribus imitantur. Vnde & in concluſione huius euangelij dicitur: Sic ergo omnis ex vobis qui renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Ipſi enim diſcipuli quamuis ſecundum nominis interpretationẽ, omnes Apoſtoli eſſent, non omnes apoſtoli tamen dicuntur. Interpretatur enim Apoſtolus miſſus. De ipſis autem ſcriptum eſt, quòd miſit eos dominus ante faciem ſuam. Miſſi igitur erant qui mittebantur. Quare ergo Apoſtoli non vocantur? Ideo quidem quoniam ſolos duodecim ex eis dominus elegit, quos & Apoſtolos nominauit. Similiter autem quamuis omnes Chriſtiani Chriſti diſcipuli ſint, ſoli tamen ſeptuaginta duo, & cæteri qui eos in vita & moribus imitantur, hoc tanto nomine digni habentur. His enim præcepit dominus, non ferre ſacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis habere. His præcepit vt nihil in hoc mundo poſſiderent, & de craſtino nõ cogitarent. His denique præcepit vt de euangelio viuerẽt, & alia non haberent. Si ergo hæc omnibus vniuerſaliter dicta ſunt, & nulli de craſtino cogitare licet, quare domos ædificamus? quare vineas plantamus? quare agros ſeminamus? cur frumenta in horrea colligimus? cur in cellaria vinum reponimus? cur denique animalia cuſtodimus, & alia in futurum nobis reſeruamus? Nam neque Zachæus omnibus quæ poſſidebat renuntiauit, ſed tantùm dimidium bonorum ſuorum pauperibus dedit, & factus eſt filius Abrahæ. Vnde manifeſtum eſt alia quibuſdam, & non omnibus, alia perfectis, & alia minùs perfectis dominum præcepiſſe. Poſſumus tamen intelligere eos etiam qui multa poſſident, omnia reliquiſſe, ſi tamen hoc ſecum & in corde ſuo propoſuerunt, vt ſi fortè neceſſitas incubuerit, omnia pro Chriſti nomine & fide tuẽda amittere parui pendant. Qui igitur Chriſti diſcipulus eſſe & dici deſiderat, ſedeat priùs & computet, ſi diſcipulorum vitam tenere, patientiam habere, laborem ſuſtinere, & ſimul cum eis turrim poſſit ædificare, contra hoſtes pugnare, & cætera quæ ſequuntur agere valeat. Hoc eſt enim quod ait: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, &c.* Magnam enim turrim ædificare incipit qui mundi honores, diuitias, & dignitates contẽnens, omnia relinquit, & apoſtolorum vitam & monachorum conuerſationem promittit. Sed iſte prius computare debet quàm arctam & laborioſam vitam ingrediatur, & quàm magnũ & difficile opus agere incipiat. Debet & cogitare ſi habeat ſumptus qui neceſſarij ſunt ad perficiendum: id eſt, ſi humilitatem, patientiam, obedientiam tenere & cuſtodire

Luc. 19.

struere valeas, sine quibus hoc ædificium ædificari non potest. Si enim aliter egerit, & à bono proposito declinare cœperit, omnes incipient ei illudere, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Sed quid ei cœpisse profuit? Non enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit. Sequitur, *Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, &c.* Hæc autem similitudo eadem est quæ est & superior. Nihil enim aliud his verbis admonemur, nisi ne vltra vires nostras nos extendamus. Vnde & Apostolus ait (1.Cor.7.): Qui se non continet, nubat: melius est nubere quàm vri. Vnusquisque proprium habet ex Deo. Probet igitur seipsum homo, & sic ad altiora conscendat. Sit vel seruus, qui non potest esse discipulus. Nec omnes episcopi, nec omnes sacerdotes, nec omnes monachi. Quamuis enim vt Apostolus ait, omnes vnum corpus sumus in Christo, omnia tamen membra nõ eundem actũ habent. Rex autem est vnusquisque fidelis, qui se ipsum & virtutum exercitum, qui in eo est, bene regere nouit. Hic autem aduersus regem alium bellum committit, per quem diabolum intelligimus. Quem quidem & si maiorem exercitũ habet, facile tamen superamus, si non in nostra, sed in Dei virtute confidamus. Sed sciendum est quia fortius eos diabolus aggreditur, quòd ad maiora & Deo propinquiora festinare cognoscit. Vnde scriptum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Ideo & fiduciam habere dicitur quòd influat Iordanis in os eius. Ad hanc autem legationem mittere & pacem cum eo facere, est eius tentationibus acquiescere. Et si quidem primæ tentationi homo succubuerit, adhuc eo longè agente, pacem facit. Multi enim sunt qui cum eo pacem non faciunt, quamuis prope sit, & multo tempore eos violenter impugnet. Sicut igitur isti de quibus modo diximus, neque turrim ædificare, neque contra hostem pugnare volent, nisi secũ diligenter prius pertractent si sumptus ad ędificandum & vires ad pugnandum habent. Sic omnis qui non renunciat omnibus quę possidet, non potest Christi esse discipulus. Omnibus enim renunciat, qui quamuis aliqua possideat, omnia tamen, si necesse sit, pro Christi nomine amittere paruipendat. Nam ipsi quoque apostoli & vestimenta, & calciamẽta qualiacunque habebant, quibus tamen iam sępe renuntiauerãt, quoties necesse esset, ea simul cum ipsa vita perdere non timebant.

THEOPHILACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

CONuersus dixit ad illos, Si quis venit ad me, nec odit patrem suum ac matrem, &c. Quoniam multi ibant cum Iesu, qui non cum omni alacritate, & obedientia sequebantur, sed frigidiores erant: docet eos, qualem oporteat esse discipulum suum, de quo affirmat, qualem illum depingat, asserens oportere eum odio habere non solum eos, qui externa familiaritate iũcti sunt, sed & suam ipsius animam. Vide autem ne litera abripiaris. Non enim inhumanitatem, & crudelitatem docet misericors, neque sibimpsi docet manum inferre, sed proprium suum discipulum vult tunc odio habere cognatos suos, quando ad pietatem ei obstaculo sunt, & propter necessitudinem à bonis operibus prohiberat: quoniam nisi obsisterẽt, magis honorandos doceret vsque ad extremũ spiritum. Et quomodo docet? Per maiorem doctrinam nunquam nempe per ea, quæ operatus est, ipse enim & Ioseph, quamuis non esset proprius parens, sed existimatus, obediens fuit (Luc.2. Ioan.19.): & matris suæ tantam semper egit curam, vt neque, cum crucifigeretur, eam negligeret, sed commendauit discipulo, quẽ diligebat. Quomodo igitur is, qui hæc per opera docuit, alia sermonibus assecrauit? At (sicut dixi) præcipit odio habere parentes, quando in cultu Dei periculum est, tunc enim non parentes censentur, neque familiares, si in hoc nobis obsistãt. Et hinc manifestum, quod dicimus. Nam, quum nostram animam odio habere præcipit, omninò non pręcipit, vt nobisipsis mortem cõsciscamus, sed vt renunciemus concupiscentiis animæ, quæ nos separant à Deo, etiam si perferendum martyrium, non curanda anima, quoniam perpetuum lucrum proponitur. Hoc enim est, quod nos docet, & non simpliciter vt quis seipsum occidat. Ostenditque illud iterum ipse per hoc, quod diabolus conatus fuit eum de summitate templi deiicere (Matth.4. Luc.4.), quando tentationem repulit: & non se Iudæis tradidit, sed secessit, atque per medium eorum transiens, ab illis se occultauit. Igitur cuicũque domestici, & amici obstant in pietate, & is illorum familiaritatem Deo, cui placere debet, præfert: vel etiam propter amorem vitæ, imminente martyrio, deficit & negat, ille non potest esse discipulus Christi. *Quis enim ex vobis, qui velit turrim ædificare, &c.* Per parabolam turris docet nos dominus vt ij, qui semel delegerint se sequi, ne solum iaciant fundamentum, hoc est, ne incipiant tantum sequi, & postea finem non imponant, vt ij, qui non habent sufficientem alacritatis præparationem. Tales fuerunt ij, de quibus Euangelista Ioannes dicit (Ioan.6.); Multi igitur ex discipulis eius abierunt retrorsum. Et omnis homo, qui virtutem quidem operari vult, & non eo peruenit, vt & diuinam cognitionem accipiat, eo quòd imperfectè, & absque ratione virtutem orditur, imperfectè ædificat, non volens absoluere turrim summæ cognitionis. Vnde & illuditur illi ab iis, à quibus videtur & hominibus, & diabolis. Vel aliter, per fundamentum quidem intelligas sermonem doctoris. Nam qui suscipit sermonem doctrinæ, vtpote de conscientia, comparatur ei, qui iecit fundamentum in anima discipuli. Opus est autem sermoni huic, hoc est, fundamento, superædificatione, opere dico: vt turris nostra fortis à facie inimici absoluta sit virtus illa, quam præmittamus. Quòd autem fundamentum quidem sit sermo, extructio autem opus, sufficienter dicit Apostolus (1.Cor.3.): Fundamentum posui Iesum Christũ, alius autem superextruit, & statim enumerat varia ædificia, hoc est, operationes vel bonorum, vel malorum operum. Timeamus igitur, ne forte illudant nobis dęmones, de quibus propheta dicit. Illusores dominabuntur eis (Esa.3.), iis, scilicet, qui à Deo repulsi sunt. *Aut quis rex proficiscens vt committat prælium aduersus alterum regem, &c.* Et hæc parabula docet nos, ne simus duplici anima, neque carni, & Deo adhæreamus: sed si volumus bellum contra malignos dæmones suscipere, vt feramur in eos tanquam hostes, & illis vere obluctemur. Rex igitur est & peccatum regnans in mortali

nostro corpore, si illud admittimus. Rex etiam & animus noster conditus est. Ne igitur quum resistendum est peccato, pusillanimiter illud impugnet. Grauis enim, & terribilis est eius exercitus, & maior, & numerosior videtur quàm nos sumus. Quippe dæmones sunt milites, qui censentur viginti millia contra nostra decem millia. Nã incorporei sunt, & pugnant contra nos, qui in corpore sumus: vnde & maiorem virtutem habere videntur. Quanuis autem videantur fortiores, nos tamen resistere poterimus. In Deo enim,
Psal. 59. inquit, faciam virtutem, &c. Dominus illumina-
Psal. 26. tio mea, & salus mea; quem timebo? Si constiterint aduersum me castra, non timebit cor meum. Dedit autem nobis Deus, qui propter nos incarnatus est, virtutem omnem calcandi hostem. Idcirco, & quoniam in carne existentes, non carnalia arma habemus, etiamsi decem millia videamur habere, eò quòd in corpore sumus, & illi viginti millia, eo quòd incorporeæ naturæ sunt: attamen dicere debemus, Domine Deus meus, virtus mea: nullámque vnquam cum peccato habere pacem (id, quod est seruire affectionibus) sed magis resistamus eis, & ostendamus nullas esse inducias odiorum erga illa: neque habere velimus concupiscibilia mundi, sed renunciemus omnibus. Non potest enim discipulus Christi esse, qui non renunciat omnibus, & pacem habet cum iis, quæ in hoc mundo animas damno afficiunt.

EVTHYMII ZIGABONI
superioru Euang. expositio.

S*I quis venit ad me, & non odit, &c.* Sciens ipsos quidem se sequi velle, quum tamen vinculis amicitiæ ad huiusmodi personas retinerẽtur, manifeste protestatur, quòd quisquis ad se per fidem venit, nec prædictas odit personas, quum ad dilectionem erga Deum sibi fuerint impedimento, & aditer ad Christum: vel quod infideles sint, vel quod mundana sapiant, non potest ipsius esse discipulus. Siquidem qui illis obedit, Christo inobediens est: illi namque carnaliter eum viuere volunt, ipse vero spiritualiter eum conuersari docet. Honorandi siquidem sunt pater, & mater, verum Deus prior illis in honore habendus est. Per propinquiores autem personas omnem dilectam personam significanit: Addidit & quòd maius est: *Adhuc autem & animam suam*, hoc est, suam quoque ipsius voluntatem, vbi diuinæ fuerit cõtraria voluntati. Oportet enim vere Christi discipulum in spiritualibus certaminibus, à carnis & animæ siue voluntatis amore penitus auelli. *Et quisquis non baiulat crucem suam, &c.* Quisquis nõ baiulat in memoria mortem suam, per crucem enim mortem significauit, quia tunc mortis instrumentum erat crux, Quisquis non baiulat sui mortificationem, eam videlicet, quæ est carnis suæ aduersus voluptates. Quia vero auersio vitæ à voluptatibus, quodammodo conuersio quædàm est ad laboriosam conuersationem, consolatur, & docet per exemplũ, quòd oporteat eum, qui vult eius esse discipulus, pręparare seipsum ad tolerãtiam omnis tẽtationis. Scriptum est enim; Matth. 16.
Si accesseris, vt seruias domino prępara animam tuam ad tentationem. *Quis enim est ex vobis qui velit turrim ædificare, &c.* Sicut is, qui turrim sensibilem cupit ædificare, debet primum sumptus pecuniarum numerare: ita quoque volens turrim intellectualem ædificare, puta virtutum compactionem, debet metiri primum sufficientiã, quam habet ad tentationes, vt pręparatus ferat facilius, quum inciderint. Deinde & alio exemplo ad tolerantiam excitat. *Aut quis rex proficiscens, vt committat prælium, &c.* Pari quoque modo quemadmodum rex ad pręlium proficiscens, debet primum consultare, ita & hic primum consultare debet, an possit cum paucis euangelij præceptis resistere satanę, qui cum multis dęmonibus, & machinis, ac affectionibus venit contra se. *Alioqui adhuc illo longe agente, legatione missa rogat ea, quæ pacis sunt.* Rursum ἐρωτᾷ significat precatur, aut petit. Hęc autem addidit, non adhortans, vt qui nõ possint occurrere, pacem ineant cum satana: quonam enim modo id fieri potest, quum ille homines enecet, ac perdat animas? Sed exempli consequentia vsus est, sicut etiam fecit superius: simul etiam ad confusionem eorum, qui postquam facti sunt discipuli, emolliuntur. Nam & hic est modus loquendi ad generositatem excitans quo dicere solemus; Melius est hoc, vel illud facinus non inchoare, quàm non perficere, posteaquam inchoaueris: pręsertim quum hic sit sermo de eo qui verè discipulus est, aut esse cupit. Qui enim nõ renuntiat, veluti docuit Christus, non est vere discipulus: qui autem non est vere discipulus, sed nomen ferens discipuli, opera vero habens, quę non respõdeant illius operibus, pacem facit cum satana, perpetrando, quæ illi grata sunt. *Ita ergo omnis ex vobis, qui non renuntiauerit, &c.* Ita sicut superius protestatus est dicens; Si quis non facit hęc & illa, non potest meus esse discipulus. Eccles. 2.

II. IN COMM. VNIVS MARTYRIS PONTIFICIS.

MATTH. 16.

a Quasi dicat. Ego verè patiar, &c. si quis vult me imitari, renunciet voluptatibus suis.
IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, [a] Si quis vult post me ve-
b Faciendo hoc ex charitate
nire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & [b] sequatur me.
c Hic. d In futuro. Quasi dicatur agricolæ, si frumentum seruas, perdis: si seminas, renouas
Qui enim voluerit animam suam [c] saluam facere, [d] perdet eam. Qui
e Non propter vanam gloriam vel aliud quodlibet, f Cum deest persecutio, custodiatur cor, quia pacis tempore licet viuere, licet & ambire.
autem perdiderit animā suam [e] propter me, inueniet eam. [f] Quid enim prodest
homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patia-
g Quasi dicat. Quid retribuam domino pro omnibus, &c. h Nihil dabit pro anima, quia filius hominis secundum opera dabit.
i Quam ipse redemit.
tur? [g] Aut quam dabit homo [h] commutationem pro [i] anima sua? Filius enim
k Qui prius venit humilis.
hominis [k] venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet
l Omni conditioni, omni sexui. Stella enim differt à stella in claritate. m Quod quia incertum est.
[l] vnicuique secundum opera eius. [m] Amen dico vobis: sunt quidam de hic stan-
n A sanctis mors, quasi libando gustatur, vitam vero possident in futuro.
tibus, qui non [n] gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem
o In ea claritate in qua erit peracto iudicio, quod completum est in transfiguratione, de qua statim ago evangelista,
in [o] regno suo.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

SI quis vult. Prædicta Apostolis passione & resurrectione hortatur ad sequendum iam eos quàm turbam. *Abneget semetipsum.* quod per vetustatem est, vt capiat quod vltra se est. Remotis vitiis, virtus sequatur: tollat crucem suam, & sequatur me. Quod erat per vetustatem, abnegauerat ille, qui dicebat: Galat. 2. Viuo autem ego, iam non ego. Quod verò vltra se erat cœperat: viuit verò in me Christus. *Tollat crucem suam.* Crux tollitur vel cum per abstinentiam corpus, vel cum per compassionem proximi animus affligitur. Crucem abstinentiæ habuit 1. Cor. 9. Paulus, dum dicebat: Castigo corpus meum, & in ser. &c. Compassionis quoque cum ait: Quis 2. Cor. 11. infirmatur, & ego non infirmor? *Quid enim prodest.* Ecclesia habet tempus persequutionis: habet & tempus pacis. Hæc tempora designat in præceptis. Nam tempore persequutionis ponenda est anima, & tempore pacis frangenda sunt terrena desideria. Nā quid prodest homini, &c. *Aut quam.* Nec lucra, nec timor, nec aliquid aliud retrahat à Psal. 115. salute: quia *quā commutatā. homo.* Calicē salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vel nihil terrenum pro anima perdita poterit homo dare. *Filius enim.* Nec durum videatur hoc pati, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ re. in nobis. *Sunt quidam.* Rom. 8. quia rudes erant Apostoli, etiam in præsenti vita promittitur eis aliqua consolatio, vt certius credant de futuro. *In regno suo,* in regno beatitudinis æternæ vel ostendendo suam potestatem in præsenti Ecclesia.

CATENA AVREA
in idem Euang.

TVnc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, &c. Chrysost. Postquam Petrus dixerat, propitius esto tibi, nequaquam erit tibi hoc: & audiuit, vade retro me Satana: non fuit Dominus hac solum increpatione cōtentus, sed ex superabundantia voluit ostēdere inconuenientiam dictorū à Petro & fructum suæ passionis; vnde subditur: *Tunc Iesus dixit discipulis suis, si quis vult post me venire.* Quasi dicat, tu dicis mihi, propitius esto tibi. Ego autem dico tibi, quoniam non solùm me prohibere à passione nociuum tibi est, sed neque saluari poteris nisi patiaris, & moriaris, & vitæ abrenuncies semper, & vide quòd non coactiuum facit sermonem: non enim dixit, si volueritis, oportet vos hoc pati, sed, *si quis vult*, hoc autem dicens magis attrahebat, qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit, qui verò violentiam infert, multoties impedit, non autem solis discipulis suis, sed & com-

m[illegible] ne[illegible] do[illegible]ma orbi terrarum proponit, [illegible] Si quis vult, id est si mulier, [illegible] rex, si liber, si seruus [illegible] Tria autem sunt quæ dicuntur, [illegible] *tollat crucem suam, & sequatur me* [illegible] Quia enim qui a semetipso de[illegible] ad [illegible] qui super [illegible]ium est, non appropinquat. Sed [illegible] quò ibimus extra [illegible] vel quis est qui vadit, si se deseruit? sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: tunc ergo nosmet ipsos relinquimus & abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur ad quod per nouitatem vocamur. Grego. super Ezech. Semetipsum etiam abnegat, quicúque mutatur ad meliora, & incipit esse quod nó erat, & desinit esse quod erat. Gregor. 23. Moral. Semetipsum etiam abnegat, qui calcato typo superbiæ, ante Dei oculos se esse [illegible] alienum demonstrat. Origen. Quamuis autem videatur aliquis a peccato abstinere: tamen [illegible] in Christi crediderit, non potest dici C[illegible] [illegible] cruci, vnde sequitur, *Et tollat crucem suam.* [illegible] Vel aliter: Qui negat alium, vel fratrem, vel famulum, vel quemcunque: & si flagellatum viderit, & quodcunque patientem non assistit, non adiuuat: ita vult corpori nostro nos non ignoscere, vt si flagellauerint vel quodcunq; aliud fecerint, corpori non parcamus, hoc enim est parcere, sicut patres túc ignoscunt filiis, cum magistris eos tradentes iusserint vt non parcant. Ne autem æstimes quòd vsque ad verba tantùm & contumelias oportet abnegare seipsum, ostédit vsq; ad quantum abnegare seipsum oporteat, quia vsque ad mortem etiam turpissimam, scilicet crucis: quod significat in hoc quod dicit, *Et tollat crucem suam, & sequatur.* Hilar. Sequendus enim est Dominus cruce assumpta passionis suæ, & si non sorte, tamen voluntate comitandus est. Chrys[illegible] Quia etiam latrones multa grauia patiuntur, vt non æstimes quòd passio malorú sufficiat, adiungit causam patiendi, cùm dicit, *Et sequatur me:* vt propter eum omnia sustineas, & alias eius virtutes addiscas: hoc est enim sequi Christum vt oportet, diligentem esse circa virtutes, & pati omnia propter ipsum. Gregor. Duobus etiam modis crux extollitur: cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Sed quia ipsis virtutibus quædam vitia mixta sunt, dicendum nobis est quòd abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet, quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur. Compassionem verò animi plerumque latenter obsidet pietas falsa, vt hanc nonnunquam vsque ad condescendendum vitiis pertrahat: vnde ad hæc excludenda subdit *Et sequatur me.* Hieronym. Vel aliter: Tollit crucem suam, qui mundo crucifigitur: cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum. Chryso. Deinde quia graue videbatur quod dictum est, per ea quæ consequuntur id mitigat, præmia ponens supereminentia laboribus, & malitiæ pœnas; vnde sequitur, *Qui enim volue. &c.* Orig. Quod dupliciter potest intelligi. Primùm sic: Si quis amator vitæ presentis parcit animæ suæ timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire, iste volés hoc modo saluare animá suam, perdet eam, alienam [illegible] faciens a vita æterna. Si quis contemnens vitam præsentem vsque ad mortem pro veritate certauerit, perdet [illegible] quantum ad vitam præsentem: [illegible] propter Christum perdet eam, magis eam sal[illegible] erit in vitam æternam. Alio modo sic: Si quis intelligit quæ est vera salus, & acquirere vult eam ad salutem animæ suæ: iste abnegans semetipsum perdit quantum ad voluptates carnales, animam suam propter Christum: & perdens animá suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis, dicendo enim, *Qui voluerit*, præcedentem & sequentem vnum sensum esse ostendit. Si ergo quod superius dixit, *Abneget semetipsum*, de morte corporali dixit, consequenter hoc de sola morte intelligere debemus dictum esse: si auté abnegare seipsum, est carnalem conuersationem reiicere: & perdere animam, est deponere voluptates carnales. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero, &c.* Chrysost. Quia dixerat, qui vult saluare, perdet: & qui perdet saluabit, vt ubique salutem & perditionem ponens: ne aliquis æstimet æqualem esse hinc inde perditionem & salutem, subiungit: *Quid enim prodest, &c.* Quasi dicat, ne dicas quod qui pericula, quę propter Christum imminent, effugit, saluet animam suam, id est, vitam temporalem. Sed pone etiam eum anima, id est, vita temporali totum orbem terrarum, quid ex his homini erit amplius anima in perpetuum pereunte? Si enim famulos tuos videas in lætitia, te autem in malis vltimis constitutum, quid lucraueris ex eorum dominio? Hoc etiam in anima tua reputa, cum carne lasciuiente ipsa futuram perditionem expectat. Orig. Puto etiam quod mundum lucratur, qui non abnegat semetipsum, nec perdit animam suam quantum ad voluptates carnales, & facit animæ suæ detrimentum. Ideo duobus nobis propositis, magis est eligendum vt mundum perdamus, & lucremur animas nostras. Chryso. Sed si regnaueris super vniuersum orbem terrarum, non poteris animam tuam emere; vnde sequitur: *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ac si dicat D[illegible]ias si perdideris, poteris dare diuitias alias ad eas redimendas: animam autem perdens, non poteris animam aliquam dare, sed neque aliquid aliud. Quid autem mirabile est, si in anima hoc contingit? Etenim in corpore hoc videtur contingere. Etsi enim decem millia diademata corpori insanabiliter ægroto circumposueris, non curat[illegible]. Orig. Et prima quidem facie commutatio animæ est in substantia, vt det substantiam suam homo pauperibus, & saluet animam suam. Sed puto quòd non habet aliquid homo, quod dans quasi commutationem animæ suæ liberet eam de morte, Deus autem pro animabus hominum dedit commutationem preciosum sanguinem filij sui. Gregor. Vel aliter potest continuari, quia sancta Ecclesia aliud habet tépus persecutionis, & aliud pacis redemptor noster ipsa eius tempora distinguit in præceptis: nam persecutionis tempore ponenda est anima: pacis autem tempore, ea quæ amplius dominari possunt frangenda sunt desideria terrena; vnde dicitur: *Quid enim prodest homini?* Hieronym. Prouocatis autem discipulis vt abnegarent se, & tollerent crucem suam, grandis fit terror audientium. Idcirco tristibus læta succedunt, & dicit, *Filius enim hominis, &c.* Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? ausculta angelorum ministeria. Origen. Quasi dicat

cat, Nunc qui ... gloria, non enim decebat ... tum peccata ... gloria, cum ante præp... factus sicut illi, vt illos fac... formes gloriæ suæ. Chrys... dixit in tali gloria in qua ... tatem gloriæ suscipiens, ... vt eadem gloria ostenda... vna est, manifestum quod ... Quid ergo times Petre, mortem au... me videbis in gloria. Si ego autem ... vos: sed tamen dicens gl... seuit in medium iudicium intr... sequitur, *Et tunc reddet vnicui...* Hiero. Non est enim distinctio Iudæi & Gentilis, viri & mulieris, pauperum & diuitum, vbi ... personæ sed opera considerantur. Chryso. Hoc autem dixit non solum peccatoribus pœnas commemorans, sed iustis brauia & coronas. Hiero. Poterat autem apostolorū tacita cogitatio istiusmodi scandalum sustinere. Occisionem & mortem nunc dicis esse futuram, quod autē promittis te affuturum in gloria, in tempora longa differtur. Præuidens ergo occultorū cognitor quid possent obiicere, præsentē timorē præsenti compensat præmio, dicēs, *Amen di. vo. sunt &c.* Chr. Volēs ergo mōstrare quid est illa gloria in qua postea ventura est, eis in præsenti vita reuelauit sicut possibile erat eos discere, vt neque in domini morte iam doleant. Remi. Quod ergo hic dicitur, impletum est in tribus discipulis, quibus dominus transfiguratus in monte gaudia æternæ repromissionis ostendit, qui viderunt eum in regno suo venientem, id est, in ea claritate fulgentem, in qua peracto iudicio videbitur ab omnibus sanctis. Chrys. Propter hoc autem non prædicit nomina eorum qui ascensuri erant in montem, quia reliqui valde concupiscerent sequi, exemplum illius gloriæ visuri: & grauiter tulissent velut despecti. Grego. Vel regnum Dei præsens ecclesia vocatur, & quia nonnulli ex discipulis eius vsque adeo in corpore victuri erant, vt ecclesiam Dei constructam conspicerent: & cōtra huius mundi gloriam erectam: consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de hic stantibus.* Orige. Moraliter autem verbum Dei his qui nouiter inducuntur ad fidem, formam habet serui, perfectis autem venit in gloria patris. Raba. Angeli autem illius sunt prophetarum sermones, quos non est possibile ante spiritualiter intelligere, nisi eum spiritualiter intellectum fuerit verbum Christi, vt videantur simul apparere in maiestate. Tunc autem dabit vnicuique de gloria sua secundum actum eius: quia quanto quis melior fuerit in actibus suis, tanto spiritualius intelligit Christū vel prophetas ipsius. Stantes autem vbi stat Iesus, sunt qui fundatas habent apud Iesum animæ bases. Ex quibus qui melius stat, dicuntur non gustare mortē, donec videant verbum Dei quod venit in regno suo, videns eminē... Dei, q... videre non possunt, qui diuersis inuoluti sunt peccatis, quod est mortem gustare quia peccans anima moritur: Sicut enim vi... est & panis viuus qui de cælo descendit, sic & inimica eius mors panis est mortuus. Ex istis aut... pa...ibus quidam modicum manducant, tantum gustantes, quidam autem abundantius, qui enim rarò & modicum peccant, tantummo-

... autem ... as f... ... autem ... postquam ... fuerat ... qui ... gloria eius, ... nequaquam ... Raba. Sanctos autem ... à quibus mors corporis ... gustatur, ... animæ possidendo tenetur.

ORIGENIS PRESBYTERI de eo... m Euang. Homilia.

QVoniam ... rius diximus magni boni esse ... ideo conferamus omnium ... Ex Hom. 3. in Matth. Euangelistarum de hoc loco concinentia verba. Et Marcus quidem dicit hoc modo, Et conuocans populum cum discipulis suis, dixit eis, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Lucas autem ita; Dicebat ad omnes, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suā, & sequatur me. Ergo per hos omnes manifeste cognoscimus, quoniam non est qualiscunque virtus ire post Christum, & sequi eum, Et nemo potest ire post Christum, nisi denegauerit se. Denegat autem seipsum, qui priorem vitam suam malam bona conuersione relinquit, vt puta aliquando luxuriosus denegat se luxuri..., com... sus ad castitatem. & qui erat iniustus, denegat se iniustum, cùm cœperit seruare i...stitiam. Sic & qui insipiens fuerat aliquando, denegat se ...pientē, sapientiam Dei suscipiens. Et timidus aliquando confirmatus in virtute Dei, timidum denegat se. Sic & in omni malitia est dicendum, qui se ab ea conuerterit, secundum quod præcepit Iesus, denegat quod fuerat. Consequenter autem est requirendum, ne forte quis, sicut denegat seipsum, sic & confiteatur seipsum: denegans se quidem iniustum, confiteos autem se iustū. Sed si iustitia Christus est, qui iustitiam suscepit non se confitetur, sed Christum. Sic & qui sapientia... inuenit, per hoc ipsum quod sapienter agit, confitetur Christum. Nam & is, qui corde credit ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem, & operibus Christo testimonium præbet, & verbis quasi qu... per omnia hæc confessus est Christum ... hominibus, & confiteatur illum coram patre omni... Christus. Sic & econtrario qui non denegat semetipsum, sed quidem confitetur, dene... tem Christum, & quasi qui denegauerit Christum, denegabitur & ipse à Christo. Propterea omnis cogitatio nostra, & intellectus & omnis sermo, & omnis actus, nostram quidem denegationem ..., Christi autem testimonium, atque cōfessionem. Credo enim hominis perfecti omnes actus, testimonium Christi esse, & ... negationem omnium peccatorum, denegationem hominis esse ducentis ... enim post Christum. Iste enim talis Christo confixus est, & tollens crucem suam sequitur eum, qui propter nos crucem suam portauit, secundum quod scriptum est in Ioanne. Receperunt ergo Iesum, & adduxerunt, & imposuerunt super eum crucem, & portans crucem suam egressus est in locum, qui dicitur Caluariæ. A... autem in eo quod dicit, *Abneget semetipsum,* vide-

 tur

tur mihi vtile exemplũ Pauli denegantis seipsum, & dicentis, Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus. Quod enim dicit, Viuo iam non ego, vox est denegantis seipsum, & quasi qui deposuit suam vitam. Suscepit autem Christum in se, vt ipse viuat in eo quasi iustitia, quasi sapientia, quasi sanctificatio, quasi pax nostra, quasi virtus Dei, in eo operans omnia hæc. Adhuc autem vide & hoc, quòd cum multi essent modi mortis, in ligno suspensus crucifixus est filius Dei, vt omnes, qui moriuntur peccato, non alio modo moriantur ei nisi secundum crucem, vt dicere possint, Christo confixus sum. Item, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Quamuis ergo videatur se abstinere aliquis à peccato, & sit mortuus quantum ad peccatum, tamen nisi in crucem Christi crediderit, & in fide eius, qui crucifixus est, abstinuerit se à peccato, nõ potest dicere, Ego autem Christo confixus sum. Forsitan autem & vnusquisque eorum, qui cum Christo crucifiguntur, exuit se principatus, & potestates, & traducit eas, & triumphat eas in ligno, magis autem Christus in eo hæc omnia facit. *Qui enim voluerit saluam facere animam suam, perdet illam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid autem proficit homo si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Dupliciter possumus intelligere hoc verbum. Primum hoc modo. Si quis amator vitæ præsentis, & putans hanc vitam præsentem esse optimam, parcit animę suę, timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire. Iste volens hoc modo saluare animam suam perdet illam, alienam faciens eam à vita æterna. Si quis autem contemnens vitam præsentem propter Christi verbum, & confidens de vita æterna vsque ad mortem pro veritate certauerit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam præsentem, tradẽs eam pro pietate in mortem, quæ abusiue dicitur mors, iste quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam faciet saluam in vita æterna. Alio autem modo sic intelligimus textum. Si quis intelligit, quæ est vera salus, & acquirere vult eam salutem animæ suæ iste abrenuncians hanc vitam, & denegans seipsum, & tollens crucem suam, & sequens Christum: perdit quantum ad voluntates carnales animam suam propter Christum, & propter omnem doctrinam eius: & perdẽs animam suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis. Denique quasi ad superiora reddens rationem, sic adiecit: *Qui enim voluerit saluam facere animam suam, perdet illam:* dicẽdo: *Qui enim voluerit;* præcedentem & sequentem vnum sensum esse ostendit. Si ergo quod superius dixit, *Abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me:* de morte sola dixit: & hoc quod dicit, *Qui voluerit saluam facere animam suam perdet illam:* consequenter de sola morte dictum intelligere debemus. Si autem abnegare, & tollere crucem, non solum est mori pro Christo, sed carnalem cõuersationem rejicere, sine dubio & perdere animã, non solum mori est, sed etiam deponere voluntates carnales. Simul autem cõsidera, quod in principio quidem non dicit, qui saluauerit animam suam, perdet illam, sed, *qui voluerit animam suam saluare perdet eam.* In sequentibus autem non dicit, qui autẽ voluerit animam suam perdere propter me, hic saluam faciet eam: sed ita *Qui perdiderit animam suam propter me, hic saluam faciet eam.* Volentes ergo saluare animam nostram, perdamus eã huic mundo, quasi crucifixi cum Christo, & habentes gloriationem in cruce Domini nostri Iesu Christi per quẽ nobis crucifixus est mundus, & nos mundo, vt cõsequamur salutem animarum nostrarum in conuersatione vitæ melioris. Itaque secundum ea, quæ diximus, videtur mihi simile esse hoc ei, quod dixit, *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Qui enim denegat se, & tollit crucem suam, ipse est, qui perdit animam suam propter Christum, & perdens, melius eam saluat. Et qui perdit animam suã, quantũ ad volũtates carnales, ipse est qui denegat se, & tollens crucem, sequitur Christũ. *Quid autem proficit homo, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat?* Puto quod mundum lucretur, qui non abnegat semetipsum, nec tollit crucem suam, & sequitur Christum, secundum ea quæ diximus, nec perdit animam suam, quantum ad voluntates carnales, vt saluet eam in conuersationibus spiritalibus, cui mundus non crucifigitur in cruce Domini nostri Iesu Christi. Cui autem non crucifigitur mũdus, ipse facit animæ suę detrimentum. Ideo duobus nobis propositis, vt, si voluerimus mundum lucrari, perdamus animas nostras, aut si animas nostras voluerimus lucrari, perdamus hunc mundum, magis est eligendum vt mundum perdamus, & lucremur animas nostras, ex eo quod propter Christum perdimus eas. *Aut quam dabit commutationem homo pro anima sua?* In prima quidem facie commutatio animæ est substantia, vt det substantiam suam homo pauperibus, & saluet animam suam. Puto autem quod non habet aliquis homo, quod dans quasi commutationem animæ suæ, quæ tenetur à morte, liberet eam de manu eius. Ergo homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem filij sui: nec enim empti sumus corruptibili argento, vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati. *Nam filius hominis venturus est in maiestate patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Nũc quidem filius hominis venit, sed nõ in gloria sua. Vidimus enim eũ, & nõ habebat speciẽ neque decorem: sed species eius inhonorata, & contemptibilis præ filiis hominum: homo cum esset in plaga, & dedecore, & sciens ferre infirmitatem, quoniam auersa est facies eius, & pro nihilo æstimata. Et vere oportebat eum talem venire, vt peccata nostra portaret, & pro nobis doleret. Nec enim decebat eum in gloria constitutum peccata nostra portare, neque dolere pro nobis. Sed & veniet in gloria sua, cum ante præparauerit discipulos suos per aduentum suum non habentem speciem, neque decorem, factus sicut illi, vt illos faceret sicut seipsum conformes imagini gloriæ suę. Quoniam prius factus est ipse conformis corporis humilitatis nostræ, quando semetipsum exinaniuit formam serui suscipiens vt restituat eam in forma Dei, quando ista prouenient, quando Apostolicum illud implebitur quod dicit: Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Si autem vnicuique secundum actum est redditurus, nec pro solis bonis actibus reddet sine malis, nec pro solis

malis

malis fine bonis, sed secundum omnem actum bonum, & secundum omnem actum malum recipiet vnusquisque. Arbitror autem in illis quidem credeos Apostolo, Ezechieli autem in illis, quoniam eius delentur peccata, qui perfecte conuertitur, & qui plenius ceciderint, eis præcedens iustitia non imputatur. Nobis autem, qui inter perfectos, & inter apostatas medij sumus, reddetur ante tribunal Christi secundum quod gessimus, siue bonum, siue malum: quia nec sic plenius conuersi sumus ad Deum, vt nobis omnino mali actus non imputentur, nec sic aucrsi sumus, vt obliuiscatur Deus, si quę fecimus opera bona. Si autem moraliter potueris intelligere differentias verbi, quod & in stultitia prædicationis annunciatur credentibus, & in sapientia inter perfectos, videbis quomodo verbum Dei eis quidem, qui nouiter inducuntur ad fidem, formam habet serui, vt dicant: Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem: perfectis autem venit in gloria patris sui, vt dicant: Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnici à patre plenum gratiæ, & veritatis. Perfectis enim apparet gloria verbi, & quod vnicũ est à patre, & quod plenum est gratia simul, & veritate: quod non potest capere, qui indigens est stultitiæ prędicationе. Nam filius hominis venturus est in maiestate patris sui non solus, sed eum angelis suis. Et si intelligere potes omnes cooperarios verbi, quod in sapientia demonstratur, quod est Christus, conuenientes ei: videbis, quomodo venit filius hominis in maiestate patris sui eum angelis suis. Angeli enim illius sunt Prophetarum sermones. Et vide, si potes dicere, quod Prophetarum sermones, qui prius sunt passi ante istius verbi aduentum contemptibiles erant non habentes speciem neque decorem secundum similitudinem huius verbi non habentis speciem, neq; decorem. Sicut autem venit filius hominis in gloria patris sui, sic Prophetarum sermones angeli facti veniunt eum eo in maiestate secundum similitudinem verbi venientis in maiestate: quia nec possibile est ante spiritaliter secundum veritatem intelligere Prophetarum sermones, nisi eom spiritaliter intellectum fuerit verbum Christi, vt videantur simul apparere in maiestate. Quando autem huiusmodi verbum venerit eum angelis suis ad sensum credentis: dabit vnicuique de gloria sua, & de claritudine angelorum suorum secundum actũ vniuscuiusque: quoniam quanto melior fuerit in actibus suis, tanto spiritalius intelliget Christum, vel Prophetas ipsius: Amen dico vobis, quoniam sunt quidam hic stantes qui nõn gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.

S. HILARII EPISCOpi Pictauorum superioris Euang. expositio.

TVnc Iesus dixit discipulis suis: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & reliqua; O beatũ dãnũ, & iactura felix, discere nos Dominus detrimento animæ & corporis voluit, & esse sui similes hortatur: quia ipse in figura Dei constitutus vsque ad mortem humilis & obediens factus, principatum potestatis totius, quæ in Deo est, accepit: sequendus igitur est cruce assumpta & passionis suæ si non forte, attamen voluntate comitãdus est. Quid enim prodest occupasse mundum, & toti terrenæ potestatis dominatu optibus seculi incubare, si perdenda anima, & suscipiendum vitæ detrimẽtum est? Quæ autẽm commutatio pro anima, eum fuerit amissa quæretur? Cum angelis enim Christus aderit, reddens singulis vt merebũtur. Quid offeremus ad vitam? pręparatos credo terrenarum opum futuris commertiis thesauros, ambitiosos dignitatum famæque titulos, aut veteres delegatæ nobilitatis imagines? Negaoda sunt hæc omnia, vt melioribus abundemus: & cõtemptu vniuersorum Christus sequendus est, & æternitas spiritualium, terrenorum est damno comparanda. *Amen, amen dico vobis, quoniam sunt quidam de adstantibus istis, qui mortem non gustabunt, donec videãt filium hominis venientem in regno suo, &c.* Docet Dominus & rebus & verbis: & fidẽ spei nostræ, æqualiter sermo atque opus instruunt. Graue enim onus infirmitati humanæ imposuerat, vt eùm sensum vitæ homines ex viuendi affectu habere cœpissent, fructum eius qui præsens corporibus blãdiebatur amitterent: negarẽtque se sibi, id est, quod esse cœpissent, esse se nollent: eum sensus huius exordium ex affectu voluntatis habuissent. Deinde opinionem spei ambiguæ incertæque sequerẽtur: eùm in his quæ præsentia haberentur, illecebrę gaudij blandientis existerent. Opus ergo erat veri ac manifesti exempli autoritate, vt eõtra vim sensũmque iudicij optabile fieret præsentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur postquam & tollendam crucem, & perdendam animam, & damno mundi commutandam vitæ æternitatem monuerat: conuersus ad discipulos, ait quosdam ex his futuros, qui gustaturi mortem non essent, donec filiũ hominis in regni sui gloria contuerentur. Ex conditione autem gustatus, tenuem quandam fidelibus libationem mortis ostendit.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. expositio.

TVnc Iesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, &c. Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, denegat semetipsum dicẽs: Viuo autem, non ego, viuit vero in me Christus: tollit crucem suam & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum; Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Pro Israel datur commutatio Ægyptus, & & Æthiopia, & Sitene: pro anima humana illa sola est retributio, quã Psalmista canit: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam & nomen domini inuocabo. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, &c.* Petrus ad prædicationem dominicæ mortis scandalizatus, sententia domini fuerit increpatus, prouocati sunt discipuli, vt abnegarent se, & tollerent crucem suam, & morientium animo sequerentur magistrum. Grandis terror audientium, & qui possit Principe apostolorum perterrito, etiam aliis mœrum inijcere: iecirco tristibus læta succedunt, & dicit, filius

lius hominis venturus est in gloria patris sui, cum angelis suis. Times mortem, audi gloriam triumphantis. Vereris crucem, ausculta angelorum ministeria. Et tunc, inquit, reddet vnicuique secundum opera eius. Non est distinctio Iudæi & ethnici, viri & mulieris, pauperum & diuitum, vbi non personæ, sed opera considerantur. *Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem: donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Terrorem apostolorum spe medicari voluerat promissorum, dicens, filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis. Insuper auctoritate iudicis addita, reddet vnicuique secundum opera sua. Poterat apostolorum tacita cogitatio, istiusmodi scãdalum sustinere. Occasionẽ & mortem nunc dicis esse venturam: Quod autem promittis te affuturum in gloria patris cũ angelorũ ministeriis, & iudicis potestate, hoc in dies erit, & in tempora longa differetur. Prouidens ergo occultorum cognitor, quid possent obiicere, præsentem timorem, præsenti compẽsat præmio. Quid enim dicit? sunt quidam de hic stãtibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, vt qualis est postea venturus, ob incredulitatem vestram, præsenti tempore demonstretur.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constant. in superius Euangelium, Homilia 1.

Hom. 56. in Matth. TVnc Iesus dixit discipulis suis; *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tunc* istud, ad quodnam est tempus referendum? ad illud videlicet, quando Petrus dixit, propicius esto tibi: & audiuit; Vade post me, satana. Nam, cum magis, atque magis horum verborum Petri absurditatem, & passionis vtilitatem voluerit ostendere, non fuit contentus increpasse solummodo. Sed tu, inquit, mihi dicis, propicius tibi esto, nec erit tibi hoc: ego verò tibi respondeo: quia si meam passionem prohibueris, aut molestè feras, quia patiar, nõ solum damnaberis, verumetiam nulla tibi prorsus spes salutis restabit, nisi & ipse ad passionem semper paratissimus sis. Nam, ne indignam eam passionem putarent, non contentus iis, quæ dicta sunt, alia etiam attulit consequẽter, quibus vtilitas enodatur, ac apud Ioannem quidem dicit; Nisi granũ frumenti cadens in Ioan.2. terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin vero mortuum fuerit, multum fructũ affert: apud istum vero, Matthæum dico, hoc ipsum magis probare studens, non se solummodo pati oportere ostendit, verumetiam & discipulos in id tandem deuenturos prænuntiat. Tanta enim istius rei vtilitas est, vt non bene vobiscum agatur, si hanc mortem effugiatis. Beatissimi autem sitis, si parati semper ad patiendum fueritis: sed hæc quidem postea, interim verò ex vna tantummodo parte hoc probat. Tu autem perpende, quomodo nullo pacto cogit oratio. Non enim dixit oportere ipsos pati, vellent, nollentque: sed quid? *Si quis*, ait, *post me venire vult*, non impello, non vrgeo, sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico, *si quis vult*. Non enim ad afflictiones, & onera, nec ad supplicia, & pœnas vt cogere mihi opus sit, sed ad ineffabilia bona conuoco, quorum ea natura est, vt facile per seipsa vos in[...] possint. His dictis vehementer eos attraxit. Nam, sicut qui vim affert, plerunque auertit: sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit: potentior enim omnino est oratio ioitis, quàm violenta: ideo dicebat; *Si quis vult*. Magna enim sunt, ait, quæ retribuo, ac talia, vt vltrò, ac sponte homines ad ea concursuros dubitare non debeas. Non enim, si quis aurum, atque argentum proponeret, vim inferret: quanto igitur magis in cælestibus bonis inferenda non est? & certe si rerum ipsa natura non persuadet, &, nisi spõte curras, nec accipere quidem dignus es: nec, si acceperis, quale, quantuncunque sit, quod acceperis, cognosces: ideo non cogit Christus, sed hortatur, indulgens nobis. Nam quia murmurãdo, turbari, & commoti propter dictum illud videbantur: Non est opus, inquit, turbari, si non putatis vobis commodum esse, quod dixi: nec ad similia vos descendere arceo, sed eos duntaxat voco, qui me sequi volunt. Nec istud sequi, quod modo facitis, post me venientes, intelligere me arbitremini, multis laboribus vobis opus erit, multa pericula vobis subeunda, si me illo modo sequi constitueritis. Non enim, ô Petre, quoniam me filium Dei confessus es, hac te solum coronæ tibi expectandæ sunt, & quasi hoc tibi ad salutem suffecerit, totaque res consummata sit, in otio, & voluptate viuendum. Nam, etsi facilè ipse queam, quia filius sum Dei, omnium te periculorum expertem facere: tuæ tamen gratia nolo, vt & ipse nonnihil afferas, & maiore probitate cõfirmeris. Quemadmodum enim, qui ludicrum instituit agonem, si cui athletarum amicitiæ vinculo iungitur, nunquam eum, nisi descenderit in certamine, coronabit, qui proprium illius videlicet laborem desiderat, & quò magis eum diligit, eò magis victorẽ videre cupit: sic etiam Christus, quos maximè diligit, eos non solùm auxilio duntaxat, verumetiam & à seipsis vult comprobari. Minimè autem onerosam orationem reddit, quia non sibi solis hæc imminere, sed communiter vniuerso terrarum orbi proponit, dicens; *Si quis vult*, siue vir, siue mulier, siue princeps, siue subditus, hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem vnum quid significare videtur, tria verò continet, abnegationem tuiipsius, & vt crucem accipias, & tertiò vt Christum sequaris: quorum duo coniuncta sunt, vnum per seipsum separatim ponitur. Consideremus igitur prius quidnam sit abnegare seipsum, si ergo intelligis, quid sit, alium abnegare, tunc rectè percipies, quid sit, abnegare teipsum. Quid igitur abnegare teipsum? Quid igitur abnegare alium? Qui aliũ iam abnegauit, fratrem puta, aut seruũ, aut quemuis alium, si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quicquid aliud mali pati eũ conspexerit, non occurrit, nõ auxiliatur, nõ flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, ceu ille, qui penitus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo pacto nos corpori nostro parcere vult, vt neque, si cæditur, neq;, si pellitur, neque, si vritur, nec, si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixit, nõ parcamus: cùm id profecto sit verè parcere? Nam etiam tũc patres maxime filiis parcunt, cùm magistris atque doctoribus tradentes, maximè rogant ne parcant. Sic igitur Christus, non dixit tantum non parcas, sed significantius, ac expressius, denega teipsum, pericula subi, certaminibus te offer, & quasi alius hæc patia

patiatur, sic afficiare. Nec dixit, neget: sed, *abneget:* at vt hac adiunctiuncula plurimum addat, quum abnegare multò plus quàm negare profectò sit. *Et tollat crucem suam:* Nam, ne quis putet ad verba vsque tantummodo, ac contumelias, & opprobria abnegationem hanc sui fieri oportere, id subiunxit, vt videas abnegandos nos esse vsque ad mortem, & mortem turpissimam: quam designans non dixit, abneget seipsum vsque ad mortem, sed, *tollat crucem suam*: non semel, nec bis, sed continuè per totam vitam hanc tecum mortem circumferas, & continuè ad necem paratissimus sis. Multi quidem pecunias contempsere, multi delicias vitæ, ac gloriam conculcauerunt, mortem autem despicere non potuerunt, sed pericula, & dolores formidarunt: ego verò ad effusionem vsque sanguinis volo certatores meos luctari, & ad necem vsque pugnam continuare. Quare, si mortem obire oporteat, & eam turpissimam & æstimatione hominum pessimam, ferenda omnia sunt æquo, imò potius læto animo. *Et sequatur me*, inquit. Nam quomodo posset quis sic talia pati, vt Christum non sequeretur, si nihil videlicet propter ipsum pateretur. Quippe latrones, sepulchrorum violatores, dæmonum inuocatores, multa plerunque talia patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam eius subiecit. Quam ipsam? Vt quæ dicta sunt, vniuersa faciens, atque patiens, ipsum sequatis: vt scilicet propter ipsum omnia sustineas, vtque omnem virtutis numerum habeas. Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris philosophiæ genus complectitur. Id enim est Dominum rectè sequi, vt & propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas. Multi diabolum sequêtes, multa patiuntur, & vitam propter ipsum perdunt, quam nos propter Christum, imò verò propter nosipsos perdamus. Illi hoc faciunt, & tam hic quàm in futura vita sibi obsunt: nos vtraque vita potiamur, faciamus obsecro. Summa enim ignauia est, non tantam saltem solertiæ magnitudinem animæ nos adhibere, qui fulgentibus coronis fruemur, quantam perditi homines ostentant: præsertim quum nobis Christus adsit, atque opituletur, illis verò nemo patrocinium præbeat. Verum hoc præceptum iam tunc dixit, quando mittebat eos, dicens; In viam gentium ne abieritis. (Luc. 10.) Mitto enim vos, inquit, sicuti oues in medio luporum, & ad principes, & reges ducemini. Nũc autem idipsum multò intensius, atque acrius expressit. Mortis enim tunc solummodo, nunc autem crucis mentionem fecit, & crucis iugis, atque perpetuæ. Tollat nanque, ait, crucem suam: id est, portet semper feratque secum. Illud porrò solitus est vbique conseruare, vt non à primis exordiis, sed paulatim progrediendo, ne audientes conturbentur, sublimiora præcepta edicat. Verùm, quoniam nimium videbatur quod dixit, vide quomodo ex consequentibus illud mitigat. Non enim solummodo præstantissima præmia, quæ labores excedant; sed vitiorum etiam supplicia ponit, in quibus multò magis immoratur: Quoniã non ita præmiorum retributione, quemadmodum pœnis, & cruciatu multi resipiscere solent. Quare considera quomodo & initium hic sumpsit, & exitum hùc tandem conducit. *Quicunque enim voluerit animã suam*, ait, *saluam facere &c.* Tale quid igitur est, quod dicit; Non, quia nolim vobis parcere, sed quia valde parcere volo, hæc impero. Nam & qui liberis parcit, is eos perdit: qui autem castigat, & non parcit, is salutem eis præbet, quod & sapiens quidam dixit; Si erudieris, inquit, filium tuum virga, non morietur, sed (Prouerb. 1.) animam eius eripies de morte, & rursus; Qui refrigerat filium suum, colligabit vulnera eius, hoc & in re militari fieri solet. Nam, si quando militibus dux parcat: & idcirco in vrbe semper eos detineat, tam milites quàm alios simul corrũpit, ac perdit. Quod, ne vobis accidat, inquit, necesse est, vt ad mortem semper expediti sitis: bellum enim graue indicitur: quare noli domi sedere, sed expeditus ad pugnã egrediaris: &, si cecideris in acie, tunc vicisti. Nam, si qui in his secularibus pugnis morte contempta magno aggrediatur hostes animo, is probatissimus inter alios, & inuictus plerunque permanet, & terrorem hostibus facilius inentit: quibus de causis, quamuis post mortem, imperator, cuius edicto arma capta sunt, suscitare neminẽ potest, multi tamen viri fortes inueniuntur: quanto magis in spirituali, & nostra pugna, vbi certa resurrectionis spes nobis proponitur, is inueniet animam suam, qui morti eam exposuerit. Primò quidem, quia citò non capietur: deinde, etiam si ceciderit, ad meliorem vitam perducit eam. Verum, quoniam dixit; *Qui vult animam suam saluare, perdet eam: & quicunque perdet, saluabit*, & salutem & perditionem in vtroque collocabit, ne quis & hanc perditionem illi æqualem putet, & saluti similem: sed certior sit tantò salutem à salutis discrimine differre, quantò perditio à salute simpliciter distat: à contrariis hoc comprobat. *Quid enim expedit homini*, ait, *si vniuersum lucrabitur mundum, & animæ suæ detrimentum patietur?* Vide salutem hanc animæ perditionem esse, imò perditione omni peiorem, quia nullo remedio sanari, nullo pretio amplius redimi potest: non ergo dicas, ait, animam suam eum seruasse, qui hæc pericula euasit. Nam, si orbem quoque terrarum lucratus fuerit, quid plus habebit? Dic, oro, quid lucraberis, si, dum seruos tuos magnificis dapibus delitiosè viuere videas, tu extremo inediæ malo debilitatus iaceas? An fortè, quia Dominus es, lucrati te quicquam dices? Nequaquam. Id ergo ipsum ad animam tuam transferas, cùm delitiatus corpore, & magna rerum affluentia ditaris, esuriente anima, & extremam expectante perditionem. Quid autem dabit homo in permutationem pro anima sua? Immoratur iterum, atque iterum in eodem. Num, ait, aliam habes animam, quam possis pro anima tua dare? Nam pecuniam qui amisit, aliam pro amissa potest afferre, similiter qui ædes, qui seruos, qui cætera huiusmodi amisit: animam verò si perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris: sed si rex orbis, atque Dominus esses, si omnia, quæ in orbe sunt, & ipsum orbem offerres, non posses animam eruere tuam. Non est autem mirum, si hoc in anima ita sit, quum & in corpore similia perspicere liceat. Nam, si natura debile corpus habes, non poteris si mille alia corpora, mille vrbes, mille regna, infinitam pecuniam impenderes, à debilitate illud vindicare. Pariter itaque de anima, imò multò magis quàm de corpore cogita, &, cæteris omnibus neglectis, omnem curam, omne studium, omnẽ operam tuam

ad

ad ipsam conferas. Noli igitur de alienis curare, & te, ac tua negligere: quod plerique omnes nūc faciunt. His similis es, qui metallorum operi traditi sunt, nullum enim illi emolumentum, nullas opes inde consequuntur, sed magno periculo, atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, ac labore, & morte, quam plerunque obeunt, ad fructum suum inde conuertentes. Hos igitur plurimi nunc imitantur, qui non sibi, sed aliis diuitias quærunt: Imò verò & his multò miseriores sumus: quoniam mors doloris finem illis, nobis autem, quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert. At, si dices, fruar laboribus, atque diuitiis meis. Animam fruentē ostende, quæ princeps omnium nostrarum est rerum, & mihi persuasisti: sin verò corpus pinguescit, atque florescit, illa tabescente, quid ad te pertinet hæc rerum copia? Nihil certè, sicut nec ancillæ voluptas mœrenti dominæ aliquid confert, nec vestis magnificentia imbecillitati corporis. Quare tibi Christus iterum, atque iterum dicit; Quid dabis, ô homo, in permutationem pro anima tua? Ita sursum, atque deorsum, & vbique ad conseruandam animam te impellit, & de ipsa solùm curandum admonet. Verum post hos terrores à retributione bonorum dolores mitigat. *Venturus est enim filius hominis*, ait, *in gloria patris sui. & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Vides vnam esse gloriam patris, & filij: quòd si gloria vna est, necessariò & substantia vna. Nam, si vna substantia,

1.Cor.15. gloriæ differentia inuenitur: Alia enim, inquit, gloria solis, alia lunæ, alia stellarum, &, stella à stella differt in gloria, quamuis ambarum vna substantia sit: quonam modo quorum gloria vna est, eorum aliam, atq; aliam substantiam esse putabimus? Non enim dixit, in tali gloria, qualis patris gloria est, ne discrimen aliquod esse suspiceris: sed exactissimè, ac exquisitissimè in ea gloria, inquit, adeò vt vna, & eadem sit. Cur igitur reformidas, Petre, quum moriturum me audias? videbis enim tunc me in gloria patris. Si verò ipse in gloria ero, & vos similiter. Nō enim præsens hæc vita terminum vobis apponet, sed vera beatitudo vos suscipiet. His dictis, non fecit hic finem, sed terribile illud iudicium, relationē rationum, ineuitabilem sententiam quæ flecti, & iudicium, quod decipi non potest, in mediū adduxit. Quam orationem rursus bona spe permiscuit, quia non dixit, tunc se peccatores puniturum, sed vnicuique secundum operationem suam redditurum. Hoc ita facit; vt & peccatores supplicij, & rectè viuentes coronæ, ac præmiorum recordentur. Et ipse quidem vt & bonos confirmaret, & alios reduceret, hæc dicebat. Ego verò, quum cognosco, quia non sum de numero eorum, qui coronantur, perhorresco, hæc audiens: puto autem in hoc timore, atque angustia nonnullos me socios habere. Quem enim non possent hæc verba in seipsum ita conuertere, vt, quum sibi conscius sit, non perhorrescat persuasus, quia cilicio nobis opus est, & longiore ieiunio, quàm Niniuitarum

Ionæ 3. populus olim adhibuit? Nō enim orbis euersio, & cōmunis mors nobis imminet, sed æterna supplicia, & ignis inextinguibilis intēatur. Quare illos monachos, qui eremum habitāt, & aliorum multorum causa, & maximè propter hæc verba & laudo, & admiror. Nā illi post prandium, imò verò post cœnam, prandium enim penitus ignorāt,

Monachorum institutū admiratur, qui singulis diebus ieiunabant.

quia videlicet certiores sunt, luctus, & ieiunij præsens tempus hoc esse: post cœnam igitur quosdam gratiarum actionis hymnos ad Deum dicentes huius etiam vocis meminerunt. Sed, si placet vniuersum sacratissimum illum cantum vobis exponam, vt assiduè illum vos quoque canatis. *Benedictus Deus, qui me pascis à iuuentute mea qui omni carni cibum præbes, reple lætitia. & gaudio corda nostra. vt semper satis habētes ad omne bonum opus abundemus, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, & imperium cum sancto spiritu in secula, amen. Gloria tibi, domine gloria tibi sancte, gloria tibi, rex: quoniam dedisti nobis escas gaudio, & lætitia reple nos in spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo acceptabiles sine verecundia, quādo vnicuique reddes secundū opera sua.* Omnia igitur huius hymni admiratione digna sunt, sed extrema multò magis. Nam quoniā mensa, & cibus diffundere solet, atque grauare, quasi frenum aliquod hæc euangelica verba tempore lætitiæ animo imponunt, vt diligenter illius iudicij recordentur: non enim fugit eos, quanta mala passus à mensa luxuriosa Israel fuit. Comedit enim, inquit, & incrassatus est, & calcitrauit dilectus. Ideo & Moyses scripsit; Quum manducaueris, atque biberis, & impleueris te, memento Domini Dei tui, post mensam enim iniquissimè agere ausi fuerant. Caue igitur etiam tu, ne tale quid patiaris: nam, si nec lapidi, nec auro, oues, ac vitulos sacrificaueris, caue tamen ne animā tuam, ne saluationem tuam fornicationi, aut huiuscemodi cæteris passionibus sacrifices: hac enim de causa etiam monachi hæc præcipitia, & prærupta metuentes, cùm mensa, imò verò ieiunio vsi fuerint, ieiunium quippe mēsa eorum est, in illius se diei, & terribilis iudicij memoriam reducunt. Si autem illi, qui ieiunando, humi dormiendo, vigilando, cilicium induendo, milléque aliis seipsos castigant, hac etiam admonitione indigent, quando nos moderatè, ac probè viuemus, quibus mēsæ mille naufragiis refertæ proponuntur? qui nec in principio manducandi, nec in fine ad orationem nos conuertimus? Quod ne faciamus, & vt naufragia mēsarum dissoluamus, totus ille hymnus in medio positus explanetur, & quantam vtilitatem afferat, non ignorantes, assiduè ipsum in mensa canamus, & ventris insultationes comprimamus, moribus, atque legibus illorum domi nostræ susceptis. Nam, quoniam ad illos vt oportet, vos ire non vultis, saltem nostris verbis huius spiritualis cantus fructum colligite, & post mensam singuli hæc verba canetis, sic incipientes: *Benedictus Deus.* Secundum Apostolicam legem, qua iubemur, vt quæcūque facimus, aut dicimus in nomine Iesu Christi, gratias Deo patri reddentes, agamus, statim incipiunt: & gratiarum hæc actio nō pro illa, & vna die solum, sed pro vniuersa vita effunditur. *Qui enim me pascis*, ait, *à iuuentute mea.* Ecce sublimioris philosophiæ doctrina: quū enim Deus te pascat, nulla tibi solicitudine opus est. Nam, si rege aliquo tibi pollicente quotidianum ex mensa sua cibum, ac refectus, cibum non quæreres; multò magis, quum omnia tibi diuina voluntate quasi è fontibus emanant, omni cura expers esse debes. Idcirco enim hæc dicunt, vt tam sibi ipsi quàm discipulis suis persuadeant, vt ab omni seculari cura immunes se conseruent: ac ne quis suspicetur, pro seipsis solummodo gratias Deo reddere, subiungunt; *Qui omni carni cibum præbes,*

Habetur hæc Eulogia apud Clementem constit. Apost. & fere similis apud Athanas. in instructione virg.

Deut.32.

Vides admirabilem vitam priscorum monachorum, qui non nisi coenati dormiebant.

1.Cor.10. Colloss.3.

prabes. ita quasi vniuersi orbis parentes pro omnibus gratias agunt,& ad fraternam omnium dilectionem seipsos hortantur, non enim possunt eos odisse,pro quibus, quia diuinitus nutriantur, Deo gratias agant. Perpendis in actione gratiarum & præcipuam charitatem adesse, & secularem calcari solicitudinem? Nam, si carnem omnem nutriat,multo magis alet eos, qui semper ei adhærent:& si eos, qui secularibus curis inuoluti sunt,quantò magis illos, qui omnia hæc mundana contemnunt? Quam rem Christus etiam confirmans dicebat; Quot passeribus meliores vos estis? His enim verbis induxit nos, vt non opibus & terræ seminibus nos iactemus, quoniam non his,sed verbo Dei alamur. Cæterùm,hoc exordio hymni, Manichæos quoque, ac Valentinianos, & vniuersum illorum morbum terrndunt. Non enim nequam,& prauus potest esse ille, qui omnibus ipsis etiam non adorantibus, imò blasphemantibus eum, affatim sua proponit. *Reple lætitia,& gaudio corda nostra.* De quánam lætitia dicũt de secularine? Minimè: non enim profectò,si hanc expectarent,deserta loca, & montium cacumina peterent,nec cilicio sibi opus esset: sed illã optant lętitiam, cui nihil cum vita præsente commune est. Illam dico, quæ angelorum est, quæ suprema omniũ est,nec simpliciter eam petunt, sed optãt. Non enim dicũt pręsta, sed,*reple*: nec dicunt nos, sed,*corda nostra.* Hęc enim maxima lętitia,& summum gaudium est, quæ cordis est. Fructus enim spiritus,inquit,charitas,lætitia,& pax. Et quoniã mœstitia peccato inducta est, orant vt per gaudium iustitia in cordibus eorum plantetur, nec sanè aliter lætitia vnquam vera potest generari. *Vt semper satis habentes, ad omne opus bonum abundemus.* Vide Euangelicum illud dictum ab ipsis impleti,quo dicitur; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quem panem etiam propter spiritualia quærunt; *Vt ad omne opus bonum abundemus*,subiungentes. Nec dixerũt vt faciamus,quòd debemus, sed vt vlterius etiam quam nobis iniũctum est,progrediamur: hoc enim significat,*vt ad omne opus bonum abundemus*, sic à Deo quidẽ,quod sibi satis sit,petunt: ipsi verò maiora, & plura quã sufficiãt,imò autẽ omnia offerre parati sunt. Hoc seruorum non ingratorum est, hoc virorum, qui verè philosophantur, vt semper, & in omnibus bonis abundare velint. Deinde vt imbecillitatis suæ memores sint,nec obliuiscantur, nihil absq; Dei nutu generosum fieri posse, quum dixerint, *vt ad omne bonum opus abundemus*,adiiciunt,*in Christo Iesu Domino nostro in secula, Amen.* Æqualem principio finem per gratiarum actionem texuerunt. Deinde videntur iterum exordiri, quũ eandem orationem continuent: sic & Paulus in quodam exorsu epistolæ, quum in glorificationem deuenisset dicens; Secundum voluntatem Dei patris, cui gloria in secula, Amen. Et alibi rursus: Et coluerunt creaturam præter creatorem, qui est benedictus in secula, amen: non absoluebat orationem,sed continuabat. Nemo igitur hos angelos incuset, tanquam sermonis seriem cõfundentes, qui leges apostolicas sequentes, quamuis in glorificationem exisse videantur, sacrum tamen hymnum continuant. Sed à glorificatione cœperunt, & in glorificationem diuerterunt, & post huiusmodi diuersorium ceu iterum exorsi dicunt; *Gloria tibi, Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas in lætitia:* non enim pro magnis solùm, verumetiam pro minimis gratiæ agendæ sunt,quamuis etiam hinc Manichæorum hæresim, & omnes, qui præsentem vitam malam arbitrantur, repellant,nam ne quis propter arduam eorum philosophiam, & ventris contemptum, suspicetur, quòd escas sicuti illi,qui se præcipirent,abominentur, his verbis docent omnes, quòd nõ abominatione creaturarum Dei,sed, quia sublimiori philosophia viuere statuerunt, à pluribus se abstinẽt. Tu autem considera, quomodo ab actione gratiarum propter illa,quæ iam data sunt,ad petitionem maiorem accedunt, nolentes ex cupiditate cœlestium in terris permanere. Dicunt enim; *reple nos spiritu sancto*: non enim probè,ac vt oportet,agere possumus, nisi gratia illa repleti fuerimus. Quis enim potest generosè quicquam facere, nisi Christi nutus accedat? Sicut igitur, postquam dixerunt, *Vt ad omne bonum opus abundemus, In Christo Iesu* adiũxerunt: ita hîc dicunt,*reple nos spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo acceptabiles sine verecundia*, ac si dicerent; Nulla cura est nobis, ne verecundemur in conspectu hominum, sed quæcunque de nobis homines aut ridentes,aut exprobrantes dixerint ad ea nec vertimur quidem: totum autem hoc certamen nobis est, ne tunc verecundemur. His dictis,ignei tandem fluuij recordantur, & præmiorum mentionem faciunt: nec dicunt, ne puniamur,sed,*ne verecundemur*: id nobis etiam gehenna ipsa terribilius est, si videbimur Dominum offendisse. Quod (quia multos,& rudiores non terret) addunt; *Quando vnicuique reddes secundum opera sua.* Vides quantum nobis aduenæ, ac peregrini profuerunt,hi,dico,eremi habitatores, imò verò cælorum ciues: nos certè, quia harum vrbium ciues sumus, peregrinamur à cælo; illi autem econtrà. Qui post huiusmodi orationem ac hymnum magna compunctione commoti, & largioribus lachrymis perfusi, ad somnum gradiuntur,tantum dormientes,quantum necesse ad requiem est: ac rursus ex noctibus dies facientes, in actionibus gratiarum, glorificatione, & psalmis viuũt: nec viri solùm, sed mulieres etiam hoc genere philosophandi exercentur, & naturæ infirmitatem magnitudine animi superant. Vereamur inuictum illarum robur,nos,qui viri sumus, & censemur aliquando præsentium rerum, imò verò vmbræ somniorum, ac euanescentis fumi cupiditate tabescere. Magna enim pars vitæ nostræ sensu quasi carere videtur. Iniens enim ætas multa dementia plena est: matura verò, & quæ iam senectuti admonetur, sensus aciem hebetiorẽ reddere solet. Ita parua illa vitæ particula est, quæ delitiarum voluptate potest potiri: imò verò nec illa syncerè hoc facere potest, quum mille curæ,mille labores impedimento sint. Quare,obsecro,stabilia, immortaliáque illa quæramus bona, & eam vitam, in qua nunquam senescimus. Potes enim & vrbes habitare, & monachorum philosophiam imitari. Potes & vxorem habere, & in magna familia versari,& orare,simul ieiunare, atque compungi. Nam & qui ab Apostolis in principio initiati fuerunt, vrbes quidem habitabant,& eorum, qui in eremo cõuersantur, vitam viuebant,quorum nonnulli,vt Priscilla,& Aquila officinæ præerant. Prophetæ quidem omnes & vxores,& domos habebant, sicut Esaias, & Eze-

Luc.12.
Gal.5.
Luc.11.
Ephes.3.
Gal.1.
Rom.1.

Vides quomodo delectus ciborum nõ includat in se infamat. creatura Dei.

Vides quã pie auctor sentiat de diuina gratia nobis necessaria ad opera bona facienda: nequaquam ergo Pelagio fauet.

Act.18.
Exod.2.
& 18.

chiel, & eximius ille Moses, & nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento. Horum igitur zelo cómoti, semper gratias Deo agentes, semper hymnis eum laudemus, & omne virtutis genus amplectamur, & eremi philosophiam in vrbes adducamus, vt cælestium bonorú participes in æternum gaudeamus, gratia, & misericordia Domini nostri Iesu Christi, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

Ex Hom. 17. in Matth. A*Men dico vobis, sunt quidam de hic adstantibus qui nunquam gustabunt mortem, &c.* Quoniam multa de periculis, multa de morte, multa de passione sua, & de cæde discipulorum loquutus est, & aspera complura, atque ardua eis iniunxit: quæ omnia quum præsentem vitam sequerentur, imminere iam, atque incumbere videbantur: bona verò, quæ pollicebatur, longiore spe erant expectanda, vt puta quia seruarent animam suam, si perderent eam: quia in gloria patris sui venturus sit, & pręmia redditurus: vt visu etiam certiores faceret, quantum capere possint, gloriam suam, qua cum venturus est, in pręsenti vita ipsis ostendere, & iam visuros pollicetur, ne aut sua, aut Domini morte doleant, & maximè Petrus. Et vide quid agit, quum de regno, & gehenna disseruerit:
Ioan. 12. Rom. 2. quando enim dixit; Qui inuenit animam suam perdet eam, & quicunque perdet eam gratia mei inueniet ipsam: & quia vnicuique secūdum opera sua reddet, regnum, & gehennam designauit. Quum igitur de vtrisque disseruerit, regnum quidem vt oculis cernatur, concedit, gehennam autem minimè. Quare sic? quoniam rudioribus, ac ineptioribus id necessarium erat, probis verò, & iam perspicacibus satis fuit à melioribus confirmari: præterea hoc multo magis ipsum decebat: non tamen omnino illam partem prætermisit, sed est, quando atrocitatem gehennæ quasi ante oculos oratione proponit: veluti quando Lazari effigiem descripsit, & eius meminit, qui denarios centum repetiit, & illius, qui sordida veste vestitus erat.

S. GREGORII PAPAE
in superius Euang. Homil.

Est Hom. 32. in Euangelia. S*I quis vult, &c.* Quia dominus ac redemptor noster nouus homo venit in mundum, noua præcepta edidit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ, contrarietatem opposuit nouitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? Sed cælestis medicus singulis quibusque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis: vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humi-
Luc. 14. litatem. Certè cùm se sequentibus noua mandata proponeret, dixit: Nisi quis renunciauerit omnibus quę possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitā veterem aliena concupiscitis, per nouæ cóuersationis studium & vestra largimini. Quid verò in hac lectione dicat audiamus: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Ibi dicitur, vt abnegemus nostra: hic dicitur, vt abnegemus nos. Et fortasse laboriosum nó est homini relinquere sua, sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valdè etenim multum est, abnegare quod est. Ad se autem nobis venientibus Dominus præcipit, vt renunciemus nostris: quia quique ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudo luctari debemus. Nam si vestitus quisque cū nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, ne vnde ad votum regitur, ad casum inde teneatur. Nec tamen sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos. Quid est quod dicimus, relinquamus & nos? Si enim nosmetipsos relinquimus, quò ibimus extra nos? Vel quis est qui vadit, si se deserit? Sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus: & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce enim qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus quisque ambire iam desiit, & largiri didicit propria, qui priùs rapiebat aliena, procul dubiò semetipsum reliquit. Ipse quidē est per naturam, sed nó est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: Verte impios, & non erunt. Conuersi namque *Prouer. 12.* impij non erunt, non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet nó erunt in impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc ipsos nos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quò per nouitatē vocamur. Pensemus quomodò se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Ex- *Galat. 2.* tinctus namque fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset qui priùs, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat: Viuo autem iam non ego. Vnde & post sancta verba, quæ per doctrinam veritatis clamat, protinùs subdit: Viuit verò in me Christus. Ac si apertè dicat: Ego quidem à meipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter viuo. Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat: Nec valet apprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantę transponuntur, vt proficiant, itaque (vt ita dixerim) eradicantur, vt crescant. Sic rerum semina in terrę admixtione deficiunt, vt in reparatione sui generis vberius assurgant. Vnde enim videntur perdidisse quod erant, inde accipiunt hoc apparere, quod non erant. Sed iam qui se à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt, in quibus crescat. Nam cùm di-

ctum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, protinus additur: Tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Duobus etenim modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroque modo Paulus

1. Cor. 9.

crucem suam tulerat, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis, audiamus nunc in compassione proximi crucem mentis, ait

2. Cor. 11.

enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prędicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore: Et quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde. Sed quia ipsis virtutibus quædam vitia iuncta sunt, dicendum nobis est, quod vitium abstinentiam carnis, & quod obsideat compassionem mentis. E vicino nanque abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet: quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur. Et tanto se celerius foras fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exit. Et plerunque fit, vt hoc quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis fauori-

Matth. 27.

bus agatur. Quod benè Simon ille significat, qui inuentus in itinere, crucem dominicam in angaria portat. Aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt? Crucem ergo dominicam in angaria Simon portat: quia cùm ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Vnde idem Simon crucem portat, sed non moritur: quia abstinentes & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo viuunt. Compassionem verò animi plerunque latenter obsidet pietas falsa, vt hanc nonnunquam vsque ad condescendendum vitiis pertrahat, dum ad culpas quisque non debeat compassionem exercere, sed zelum. Compassio quippe homini, & rectitudo vitiis debetur, vt in vno eodémque homine, & diligamus bonum quod factus est, & persequamur mala quæ fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamur. Sequitur: *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, &c.* Sic dicitur fideli: Qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam: ac si agricolæ dicatur: Frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quòd frumentum cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed vnde putrescit in puluere, inde viridescit in renouatione. Quia verò sancta Ecclesia aliud tempus habet persecutionis, atque aliud pacis, Redemptor noster ipsa eius tēpora distinguit in præceptis. Nam persecutionis tempore ponenda est anima, pacis autem tēpore ea, quæ amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena. Vnde & nunc dicitur. *Quid enim proficit homo, si lucretur totum mundum, se autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Cùm persecutio ab aduersariis deest, valdè vigilantius cor custodiēdum est. Nam pacis tempore, quia licet viuere, libet etiam ambire. Quæ profe- *Auaritiæ remedia.* ctò auaritia benè compescitur, si ipse status ambientis sollicitè consideretur. Nam cur insistit ad colligendum, quando stare non potest ipse qui colligit? Cursum ergo suum quisque consideret, & cognoscet sibi posse sufficere parua quę habet. Sed fortasse metuit, ne in huius vitæ itinere sumptus desint. Longa nostra desideria increpat via breuis. Incassum multa portantur, cùm iuxta est quò pergitur. Plerunque autem & auaritiam vincimus, sed adhuc obstat, quòd vias rectitudinis minori tenemus custodia perfectionis. Nam sæpè labentia cuncta despicimus, sed tamen adhuc humanæ verecundiæ vsu præpedimur, vt rectitudinem quam seruamus in mente, nondū exprimere valeamus in voce. Et tanto Dei faciem ad iustitiæ defensionem negligimus, quanto humanas facies contra iustitiam veremur. Sed huic quoque vulneri congruum subiungitur medicamētum, cùm Dominus dicit: *Qui me erubuerit, &c.* Sed ecce nunc apud se homines dicunt: Nos iam Dominum & sermones eius non erubescimus: quia aperta eum voce profitemur. Quibus ego respondeo: Quòd in hac plebe Christiana sunt nonnulli, qui Christum ideò confitentur: quia cunctos Christianos esse aspiciunt. Nam si nomen Christi in tanta hodie gloria non esset, tot professores Christi sancta Ecclesia non haberet. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit professionis, quam defendit à verecundia professio generalitatis. Est tamen vbi se quisque interroget, vt in confessione Christi se veraciter probet. Si non iā nomen eius erubescit, si plena virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certè enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis nudari, de dignitatibus deiici, verberibus affligi. Pacis autē tempore, quia hæc nostris persecutionibus desunt, est aliud vbi ostendamur nobis. Veremur sæpe à proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale dum vitæ huius gloriam quærit, humilitatem respuit. Et plerunque ipse homo qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pēsemus facta veritatis, vt videamus quo iaceant nostræ prauitatis actiones. Si enim membra summi capitis sumus, imitari eum cui cōnectimur, debemus. Quid *2. Cor. 5.* nanque ad nostræ eruditionis exemplum Paulus egregius prædicator dicit? Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce inter nos & Deum discordiam peccādo fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nosipsi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, vt ei reconciliari debeamus, & ipse qui offensus est, legatis *Tametsi reliquum coteriri ad Euangelium non spectat, nō tamē videbatur Hom. Gregorij resecanda.* interuenientibus obsecrat Deus. Sequitur: *Dico autem vobis: Verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Regnum Dei, fratres charissimi, non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nōnunquam præsens Ecclesia vocatur. Vnde scriptū est: Mittet *Matth. 13.* filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. In illo quippe regno scan-

dala non erunt, vbi profectò reprobi non admittuntur. Quo videlicet exemplo colligitur, quòd hoc loco regnum Dei præsens Ecclesia vocatur. Et quia nonnulli ex discipulis vsque adeò in corpore victuri erant, vt Ecclesiam Dei constructam conspicerent, & contra huius mundi gloriam tectam, consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regni Deum.* Sed cùm tanta Dominus subeundæ mortis præcepta ederet, quid necessarium fuit, vt ad hanc subitò promissionem veniret? Quod si subtiliter perpendamus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscimus. Discipulis enim rudibus etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit, vt possent robustius in futura solidari. Sic Israelitico populo ex Aegypti terra liberando, repromissionis terra promittitur, & cùm vocandus esset ad dona cælestia, terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc? Vt dum esset aliquid, quod è vicino perciperet, illud iam fidelius crederet, quod de longinquo audire potuisset. Carnalis etenim populus si parua non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet cælestia, vt percipiens quod videret, sperare disceret quod minimè videbat: & tanto solidior de inuisibilibus fieret, quanto eum ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent. Vnde rectè quoq; per Psalmistam
Psal. 104. dicitur: Dedit eis regiones Gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Sic ergo hoc loco rudibus discipulis veritas loquēs, videndum regnum cælorum promittit in terra, vt hoc ab eis fidelius in cælo præsumatur. Ex ipso itaq; regno, quod iam videmus in mundo esse sublimatum, speremus regnum quod in cælo credimus perci-
Christiani solo nomine. piendum. Nam sunt nonnulli, qui Christianitatis nomine censentur, sed Christianitatis nō habent fidem: sola esse visibilia æstimant, inuisibilia non appetunt: quia nec esse suspicantur. Ad sanctorum martyrum corpora consistimus, fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset esse vitam pro qua mori debuissent? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo viuunt illic vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hic, vbi mortui sunt? Rem, fratres, dico breuem verbo, sed non paruam merito, quam religiosis quibusdam se-
Exemplum de inuocatione Sanctorum. nioribus enarrantibus agnoui. Gotthorum tempore matrona quædam fuit valdè religiosa, quæ ad horum martyrum Ecclesiam crebro veniebat. Quadam autem die dum ex more ad orandum venisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu monachos inuenit: peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priusquam eius erogator eis ad largiendam eleemosynam propinquasset, astiterunt illi vicinius, & dixerunt: Tu nos modò visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, ab eius oculis ablati sunt. Territa illa ad orandum rediit, seséque in lachrymis prolixius effudit, & facta est post hoc tanto instantior in prece, quanto certior de promissione. Si autem
Heb. 11. iuxta Pauli vocem, est fides sperādarum substantia rerum, argumentum non apparentium: nequaquam iam dicimus, vt venturam vitam credatis: quia ecce ipsi qui in illa viuunt, humanis obtutibus visibiliter præsentantur. Quod enim videri potest, melius dicitur sciri, quàm credi. Venturam ergo vitam nos Dominus magis voluit scire, quàm credere, qui eos quos inuisibiliter recipit, apud se viuere nobis etiam visibiliter ostendit. Hos ergo, fratres charissimi, in causa vestri examinis, quam cum districto iudice habetis, patronos facite, hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Certè si apud quendam magnum iudicem causa quęlibet vestra esset die crastino ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur: patronū vestra fraternitas quæreret magnísque precibus ageret, vt apud tātum iudicem, sibi defensor veniret. Ecce districtus Iudex venturus est, tanti illius angelorum archangelorúmq; concilij terror adhibetur. In illo conuentu causa nostra discutitur, & tamen nos patronos modo non quærimus, quos tunc defensores haberemus. Assunt defensores nostri, sancti martyres, rogari volunt, atque (vt ita dixerim) quærunt, vt quærantur. Hos ergo auditores orationis vestræ quærite, hos protectores vestri reatus inuenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat. Vnde & tam longo tēpore cōminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoueat, vt nullo modo negligētes reddat: sic peccata nostra perturbent, vt mens in desperationem non proruat: quia etsi præsumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum regnum citius adepturi sumus per, eum qui viuit & regnat, &c.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri superioris Euang. expositio.

SI quis vult post me sequi, deneget seipsum, &c. Postquam discipulis mysterium suę passionis & resurrectionis ostendit, hortatur eos vna cum turba sequendum suæ passionis exemplum. Et omnibus quidem propter se tribulationem perpessis, salutem in futuro promittit animarum, nō tamē omnibus, verum perfectioribus quanta ipse passurus, quódve à mortuis esset resurrecturus, aperuit. Vbi formam dicendi ministris verbi præfixit, vt capacitatem considerantes auditorum, pro suo quenque modo instruere meminerint, neque infirmia auditoribus altiora quàm capiunt arcana committant. Si quis vult (inquit) post me sequi, deneget seipsum. Tunc autē nosipsos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatē fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat sęuus ille persequutor, & viuere cœperat piędicator pius. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est quòd sancta verba per doctrinā veritatis clamat. Protinus subdit. Viuit verò in me Christus. Ac si aperte dicat. Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter viuo. Dicat ergo veritas, dicat. *Si quis vult post me sequi, deneget seipsū.* Quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est non appropin- *Ex lib. 1. Cō. in Marc.*
quat,

quat. Nec valet apprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sed iam qui se à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt in quibus crescat. Nam cùm dictum est; *Si quis vult post me sequi, deneget seipsum.* protinus adiungitur. *Et tollat crucem suam, & sequatur me.* Duobus etenim modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: Ca-
1. Cor. 9. stigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis: nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in se trahebat damna infirmitatis alienę, crucem portabat in corde. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, &c.* Sic dicitur fideli. Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam eam faciet. Ac si agricolæ dicatur. Frumentum si seruas, perdis, si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quòd frumentum cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed vnde putrescit in puluere, inde virescit in renouatione. Quia verò sancta ecclesia aliud tempus habet persecutionis, atque aliud pacis: redemptor noster ipsa eius tempora designauit in præceptis. Nã persecutionis tempore ponenda est anima. Pacis autem tempore, ea quæ amplius dominari possunt, frangẽda sunt desideria terrena. Vnde & nũc dicitur. *Quid enim proderit homini si lucretur mundum totum, &c.* Cùm persecutio ab aduersariis deest, valde vigilantius cor custodiendum est. Nam pacis tempore quia licet viuere, libet etiam ambire. Plerunque autem & auaritiam vincimus, sed adhuc obstat quod vias rectitudinis minori tenemus custodia, perfectioni. Nam sępe labentia cuncta despicimus, sed tamen adhuc humanæ verecundiæ vsu præpedimur, vt rectitudinem quam seruamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce. Et tantum Dei faciem ad iustitiæ defensionem negligimus, quantum humanas facies contra iustitiam veremur. Sed huic quoque vulneri congruum subiungitur medicamentum, cùm Dominus dicat. *Qui enim me confessus fuerit, &c.* Sed ecce nunc apud se homines dicunt. Nos iam Dominum & sermones eius non erubescimus: quia aperta eum voce confitemur. Quibus ego respondeo, quod in hac plebe Christiana sunt nonnulli qui Christum ideo confitentur, quia cũctos Christianos esse conspiciunt. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit professionis: quam defendit à verecũdia professio generalitatis. Et tamen vbi se quisque interroget, vt in cõfessione Christi se veraciter probet: si nõ iam nomen eius erubescit: si plene virtuti mẽtis humanum pudorem subdidit: Certe enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis denudari, de dignitatibus deiici, verberibus affligi. Pacis autem tempore quia hęc à nostris persecutionibus desunt, est aliud vbi ostendamur nobis. Veremur sæpe à proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale dùm huius vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. *Et dicebat illis. Amen dico vobis, &c.* Regnum Dei hoc loco, pręsens ecclesia vocatur. Et quia nõnulli ex discipulis vsqueadeò in corpore victuri erant, vt ecclesiam Dei constructam conspicerẽt, & contra mundi huius gloriam erectam, consolatoria promissione nunc dicitur. Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute. Sed cùm tanta Dominus sub eandẽ mortis præcepta ederet, quid necessarium fuit vt ad hanc subitò promissionem veniret? Quod si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscemus. Discipulis enim rudibus etiam de pręsenti vita aliquid promittendum fuit, vt possent robustiùs in futura solidari. Sic Israelitico populo ex Ægypti terra liberando repromissionis terra promittitur, vt dùm vocandus esset ad dona cęlestia, terrenis promissionibus suaderetur. Vnde recte quoque per Psalmistam dicitur: Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Sic ergo hoc loco rudibus discipulis veritas loquens, videndum regnum Dei promittit in terra, vt hoc ab eis fideliùs in cęlo pręsumatur. Quod si regnum Dei in hac sententia futuram in cælis beatitudinem velimus accipere, & hoc quidam de astantibus non post multos dies in monte viderunt. Quod pia vtique prouisione factum est vt cõtemplatione semper manentis gaudij, tametsi raptim atque ad breue momentum delibata, fortiùs in stantia seculi transeuntis aduersa tolerarent. Decentissimo sane verbo sanctos mortem gustare testatur, à quibus nimirum mors corporis quasi libando gustatur, vita verò animę veraciter possidendo tenetur.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

SI quis vult post me venire. Si quis vult me imitari: sicut discipuli facere debent magistrum. Postquam prædixit de suis contumeliis, & morte, armat suos: vt pręparent se ad eadem perferenda. *Abneget semetipsum.* Desinat esse, quod hactenus fuit per malam conuersationem super Pharisæorum traditionem, & incipiat esse nouus per meam admonitionem. Deneget in suis actibus vetus homo esse, qui corrumpitur secundum desideria sua: & incipiat nouus Adam fore, qui renouatur de die in diem in agnitione Dei. *Et tollat crucem suam, & sequatur me.* Crux à cruciatu dicitur: & per crucem mortificatio vitiorum intelligitur. Et sicut is qui crucifigitur, huic mũdo moritur: sic is, qui Christum sequi vult, debet mortificare passiones membrorum suorum. Duobus autem modis crux tollitur: cum aut per abstinentiam corpus afficitur: aut per compassionẽ proximi animus affligitur. Quod Paulus aliis verbis idipsum clamat, inquiens: Mortificate mẽbra vestra: quæ sunt super terrã, irã, fornicationẽ, auaritiam: & reliqua. In seipso nobis exemplũ mõstrauit, qui ait. Castigo corpus meũ, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Ecce audiuimus de cruce corporis sui: requiramus de compassione proximi. Ait namque. Quis infirmatur, & ego non infirmor?

quis scandalizatur, & ego nō vror? *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* Qui sic voluerit animam suam saluam facere, vt nolit eam dare pro Christo perdet quando melius habere debet. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam.* Qui tradere non timuerit propter me animam suam in hoc seculo saluam faciet eam in futuro. Quasi agricolæ dicatur. Si vis saluum facere frumentum, perde illud in terra: quia si seruaueris in horreo, peribit: Si in terram ieceris, recipies duplo. Hoc illis tunc dictum est: qui inter persecutiones versati sunt paganorum: Nos similes esse martyribus, si volumus, debemus mala proximorum, & persecutiones malorum Christianorum æquanimiter ferre: quia non erimus consortes martyrum, si non erimus passionum vel in aliquo participes. *Qui autem perdidit animam suam propter me*, vel (sicut in alio euangelio habetur) propter euangelium meum, *inueniet eam*: vel sensu, quē superius diximus: vel per animam nostram voluptates huius seculi. Quicunque pro Dei amore delitias, & voluptates huius seculi abnegauerit sibi, in æterno seculo recipiet, quales nec oculus vidit, nec in cor hominis ascēdit: quæ præparauit dominus diligentibus se. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat?* Quid profuit illis imperatoribus, qui istum mundum habuerunt per viginti annos, vt Octauianus per quinquaginta tres annos, cum iam per octingétos iaceat in infernu? Nunquid non fuerat ei melius esse socium Lazari pauperis, quam modo esse socium diaboli? Transierunt omnes honores illius tanquam vmbræ, & tanquam somnium. Frequēter cum aureis curribus, & aureis scutis suscepti sunt à consulibus: & postea nudi, & rei excepti à nigerrimis demonibus, & in æterno igne religati. Quod peius est multi Christiani ibunt cum ipsis, qui viam veritatis scire debent. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nullam commutationem deberet homo dare pro anima sua: sed quod peius est multi sunt, qui præponunt corpus animæ: & temporalia æternis: & nō cogitant de anima, nec de vita perpetua: sed honoribus terrenis, & de caducis: & venundant se vt faciant malum, sicut de Achab dicitur. Qui venūdatus est, vt faceret malum. Quibus frequenter euenit vt Balaam. Qui cum prohibitus esset à Deo, ne iret ad maledicendum populum, ductus cupiditate muneris & iterum atque iterum interrogauit Deum, cum non esset vt homo, qui mentiri posset. Sed quia sic importune petiit, & accepit, quod Deus noluit, & illi nō profuit. Sic multi enim intrant in ecclesiam lingua alterius verba cantant, & animo de honoribus cogitant: sic per multos dies. Deus autem respicit ad cor, & videt quæ cor precatur: verba quæ lingua dicit, alterius verba sunt: Nisi verecundia illi esset, quod corde tegit, lingua caneret. Cum videt igitur Deus sępius ea magis nos optare in corde, & opere, iratus concedit, quod contra voluntatem ipsius, & contra salutem nostram est, atque tali modo dat quis commutationem pro anima sua: cum eligit terrena, & negligit æterna. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris cum angelis suis.* Quia prædixerat de se & de sequacibus suis oppido aspera, nūc temperat & pro qua causa talia sustinere debeant ostēdit: scilicet quia vēturus sit, id est ipse filius hominis in gloria patris ad iudicandum viuos, & mortuos: quia pater omne iudicium dedit filio. *Et tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Et tunc vos si fortiter & patienter sustinueritis, æternam remunerationem: & hi qui vos tribulāt ęterna recipient tormenta. *Amen dico vobis, sunt quidā de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Poterat apostolorum esse tacita cogitatio vt dicerent, in fine mundi ista erūt, quæ nobis promittit: & tali modo deficerent à spe. Nunc proxima promittit, videlicet, quòd aliqui nun sint ex his mortē gustaturi: quam paruo tempore quasi prælibando gustabunt. *Donec videant filium hominis venientem in regno suo*: hoc est in regia claritate, qualis post iudicium videndus est ab omnibus electis. Nā in iudicio videbitur in forma serui, sicut dictum est quando ascendit: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem: vt videant enim & boni & mali, quem contempserunt, sicut scriptum est: videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt. Videbunt autem eum iniusti terribilem, iusti mitem vna, eademque forma. Vel regnum eius præsens ecclesia intelligitur, quam multi viderunt fundatā in carne, antequam mortem gustassent, sicut Ioannes, qui ad septem ecclesias scribit, vt esset eis consolatio videre iam ex parte, in eum mundum crediturū. Rudes enim erant discipuli adhuc: & necessarium erat in præsenti aliqua promittere, vnde in præsenti roborarentur, & in futuro robustius consolarentur. Vel de transfiguratione eius potest intelligi in qua cum illi tres viderunt quasi in regno suo, hoc est in regis dignitate, qua ad iudicium videbitur.

Hunc patet authorē hunc vixisse octingētis annis paulo plus, aut minus à Christo passo.

EVSEBII EPISCOPI
Emissens in superius Euang. Homil.

SI *quis vult post me venire, abneget semetipsum, &c.* Paulo antè dixerat discipulis suis Dominus *Matt. 16.*
Iesus, quia oportet eū ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, dixit: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Et conuersus, dixit Petro: Vade post me satana. Scandalum es mihi, quia non sapis quę Dei sunt, sed quæ hominum. Inde verò volens ostendere, qualiter post eum ire, & qualiter illum sequi debeamus, subdidit dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* In eo enim, quòd Dominus futura prædixit, & se spontè pati ostendit, eorum fidem confirmat: secundum quod ipse ait: Et nunc dico vobis priusquàm fiat, vt cū factum fuerit credatis. Quòd verò beato Petro ait: Vade *Ioan. 14.*
post me satana, scandalum es mihi: tale est, ac si diceret: Vade post me, sequere & imitare me vt sicut ego moriar pro te, ita & tu moriaris propter me. Noli mihi esse contrarius, noli meæ voluntati resistere, noli diuinis consiliis obuiare. Sic enim oportet fieri, quia sic est ante tempora prædestinatum, & à prophetis prænunciatum. Hoc est enim, quod alibi ait: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. *Luc. 24.*
Nonne sic oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam? Sapiebat igitur Petrus quæ hominum sunt, quia hominum consilium dabat: sed non sapiebat quæ Dei sunt,

ſunt, quia hæc ſecreta diuini conſilij, quibus homo redimeretur, ignorabat. *Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Debet enim vnuſquiſque homo negare ſemetipſum, non quòd homo ſit, non quod fidelis & Chriſtianus ſit: Sed ſi idololatra fuit, ſi iniuſtus, ſi adulter, & fornicator, ſi cupidus & auarus, talem ſe eſſe neget, talem ſe non eſſe oſtendat. Oſtendat autem non voce tantum, ſed operatione. Dicat cum Apoſtolo: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Viuebat enim Apoſtolus, ſed non ipſe: viuebat non Saulus, ſed Paulus. Negauerat igitur ſeipſum, multum differens à ſeipſo. Sequitur: *Et tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Crucem enim ſuam tollit, qui carnē ſuam cum vitiis & cōcupiſcentiis cruciat & affligit. Sed quia non ſufficit crucem tollere, ideò mox ſubdit, dicens: *Et ſequatur me.* Qui enim dominum non ſequitur, ei quidem, neque crucem tollere, neque carnem affligere prodeſt. Et Dominus de iis, qui omnia opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus, quamuis multum ieiunent, & carnem crucient & affligant, dicit tamen, quia receperunt mercedem ſuam. Non prodeſt igitur Iudæo, non prodeſt hæretico & hypocritæ crucem portare. Quare? Quia non ſequuntur Chriſtum. Chriſtum enim ſequitur, qui eum imitatur. Vis ſequi Chriſtum? Eſto humilis, patiens & miſericors. Eſto ſine odio & ſimulatione. Sis Deo obediens & proximum diligens. Hac enim via Chriſtus incedit: per hanc igitur ambula, ſi vis eū ſequi. Niſi enim per hanc ambulaueris viam, non ſequeris eum, etſi ſequi videaris. Multi enim diabolum ſequuntur, qui Chriſtum ſequi videntur. *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.* Quis igitur ſaluabit animam ſuam, ſi ille eam perdit, qui eam ſaluare contendit? Quæ eſt iſta anima, quam perdere debemus? Iſta enim anima, vita præſens eſt. Qui igitur alterius vitæ oblitus, hanc ſolam præſentem vitam diligit, & hanc quidem perdit, & aliam non habebit. *Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Beati itaque Martyres, qui hanc vitam perdiderunt, & animas ſuas vſque ad mortem non dilexerunt. Iſti enim inuenient vitam, non qualemcunque ſed æternam vitam. *Quid enim prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur anima vero ſua detrimentum patiatur?* Quid enim prodeſt Romanorum principibus mundum ad tempus poſſediſſe, & pro animarum ſalute nihil egiſſe, cùm illorum cadauera in puluerem conuertantur, & animæ in inferno torqueantur? Si enim diceretur tibi, Sis toto hoc menſe diues & potens, facias quicquid velis, vtere carnis voluptatibus, ſicut placet, ea tamen conditione, vt tibi oculi poſtea eruantur, omne ſolatium tollatur, & toto tempore vitæ tuæ in fame & ſiti, in omni cruciatu, & omni miſeria viuas, nunquid tale illud bonum hoc tempore ſuſciperes? Et quidem tota hæc vita præſens, nec menſis eſt, nec vnius diei vel horæ ſpatium, ad illius æternæ felicitatis vel miſeriæ comparationem: Cui miſeriæ neque finis eſt, neque ſimilis pœna inuenitur. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Nulla enim commutatio eſt, nullum precium eſt, quo ſaluari poſſit anima, niſi fide & pœnitētia. Si enim quis ſine his de hac vita exierit, iam nullo precio vlteriùs redimi poteſt. Vnde Pſalmiſta ait: Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur: frater nō redimet: redimet homo? Nō dabit Deo placationem ſuam, & precium redemptionis animæ ſuæ: ideo que laborabit in æternum: & viuet in æternum vſque in finem. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Venit enim prius humilis, vt iudicaretur filius hominis. Veniet autem iterum ſublimis & excelſus in gloria, & honore, & maieſtate paterna, vt iudicet mundum, & reddat vnicuique ſecundum opera ſua. Deus enim manifeſtè veniet Deus noſter, & non ſilebit. Et quaſi aliquis diceret: Vtinam illam gloriam aliquando videamus, ſubdidit, dicens: *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Si enim de illo regno & de illa gloria hoc intelligamus, in qua modo cum angelis ſuis ſe iudicaturum venire promiſit, ſtare non poteſt. Nemo enim ibi erat, vbi Dominus dicebat, qui mortem iam non guſtauit, ipſe tamen ad iudicium nondùm venit. Qualiter hæc intelligi debeant, ſequentia manifeſtant: Et poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Iſti igitur ſunt, de quibus modò dixerat, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo, id eſt, apparentem in virtute & gloria regni ſui. Transfiguratus enim Dominus, talis tunc in monte tribus iſtis ſuis diſcipulis apparuit, qualis poſt hanc vitā in regno ſuo cunctis ſuis fidelibus apparebit.

Gal. 4. — *Matth. 6.* — *Chriſtū quis ſequitur.* — *Anima pro vita præſente.* — *Pſal. 48.* — *Pſal. 49* — *Matth. 17.*

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgarienſ. ſuperioris Euang. expoſitio.

T*Vnc Ieſus dixit diſcipulis, Si quis vult poſt me venire, &c.* Tunc, quando? quum Petrum increpaſſet. Volens enim oſtendere errare Petrum prohibentem ſe pati, dicit, Tu quidem me prohibes, ego autem dico tibi, non ſolum non damnoſum eſſe me pati, ſed neque tu ſaluari poteris, niſi & ipſe moriaris, & quiſquis alius, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue pauper, ſiue diues. Dicit autem, *Vult*, vt oſtendat liberum arbitrium, & non coactam virtutem. Poſt Chriſtum autem ſequitur non ſolum is, qui illum confitetur filium Dei, ſed & qui per omnia grauia tranſit, & illa ſuſtinet. *Abneget autem ſemetipſum* dixit, perfectam abnegationem per præpoſitionem ab, ſignificans: exempli gratia, ne habeat communionem quandam cum corpore, ſed contemnat ſeipſum: ſicut conſueuimus dicere, quòd quis quempiam negatit, hoc eſt, non habuit eum pro amico vel noto. Sic igitur omnes docet nullam cum corpore habere communionem, id eſt, amicitiam, ita vt & crucem tollāt, hoc eſt, mortem eligant, & cum ſtudio inquirāt etiam mortem ignominioſiſſimam, qualis crux apud veteres fuit. Sed *& ſequatur me*, inquit. Multi enim ſequuntur latrones & fures, at illi non ſunt diſcipuli mei. Sequatur igitur, hoc eſt, omnem aliam virtutem præ ſe ferat. Abnegat autem ſeipſum & qui heri quidem intemperatus erat, hodie autem caſtus, & ſobrius. Talis erat Paulus, qui abnegauit ſemetipſum, quum diceret, Viuo autem non iam ego, viuit autem in me Chriſtus. Tollit autem

Chriſtus oſtēdit liberū arbitriū, dicens: ſi quis vult. — *Galat. 2.*

rem cruce, qui mortificauit, & crucifixit seipsum mundo. *Qui enim voluerit animam suam seruare perdet eam, &c.* Ad martyrium adhortatur nos, inuenit enim animam ad præsens, hoc est, seruat, negans, qui & postea perdit. Perdit autem animam, sed propter Christum, qui de eo testificatur: qui & inueniet eam in incorruptione, & vita æterna.

Rom. 3. Eccles. 26. *Quid enim prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ iacturam fecerit?* Sit igitur, & fingamus, quòd totum mundum lucreris, sed quę vtilitas, si corpus bene habeat, & anima male afficiatur? quemadmodum, si materfamilias lacera veste: & ancillæ fulgido ornatu incedant. Neque in futuro seculo poterit quis dare commutationem pro anima sua: hic quidem potest dare lachrymas, & eleemosynam, & ieiunare, illic autem non. Iudex enim tunc nos excipiet, dona respuēs: vnumquemque iuxta opera sua iustificabit vnumquemque. Est autem & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum angelis, & non contemptibilis.

Lachrymæ, eleemosynæ, & ieiunia sūt cōmutationes pro anima nostra peccatrice.

Amen dico vobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem donec viderint, filium hominis venientem in regno suo. Dixerat venturum filium hominis in gloria sua, ne igitur incredulos sia, dicit quia sunt hic quidam, qui, iuxta quod capere possunt, videbunt in transfiguratione gloriam secundi aduentus. Interim autem ostendit in qua gloria erunt, qui propter ipsum passuri. Sicut enim tunc caro eius fulgurauit, ita pro sua portione fulgebunt sancti, significat autem obscurius hoc loco Petrum, & Iacobum, & Ioannem, quos in montem assumpsit, & ostendit illis regnum Dei, hoc est futurum statum, in quo venturus esset ipse, & iusti fulsuri. Dicit igitur, quòd quidam, qui hic sunt, non morientur, donec viderint me transfigurari. Vide autem quòd stantes in bono, & firmi, sunt illi, qui vident Iesum clarius transformari, & proficiunt semper in fide, & mandatis.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Marc. 8. Luc. 9. SI *quis vult post me venire, &c.* Marcus, & Lucas aiunt etiam ad turbas, & simpliciter ad omnes hæc illum dixisse. Dixit autem hæc, confirmans non solum nō esse indecens, vt ipse moriatur, sed neque posse quempiam suum esse discipulum, nisi & ille moriatur pro honesto. *Si quis*, inquit, *vult post me venire*, siue sequi me tanquam discipulus, & imitator, *abneget semetipsum*, dico sane suipsius voluntatem, voluptatū, ac vitæ amorem, aut suum proprium corpus, non parcens illi laboranti, & afflicto, sed exponat illud periculis: *& tollat crucem suam*, siue ferat in memoria suā mortem. Per crucem enim mortem significauit: quia tunc mortis instrumentum erat crux: semper simplius cædem expectet, semper ad mortem paratus sit, & quotidie volūtate moriatur. Vide autem quomodo dixerit. *Si quis* † *vult*, siue vir, siue mulier, siue præsidens, siue cui alius præsidet: Si velit: neminē enim inuitum cogit. Ne putes autem, quòd mala pati solum sufficiat: nam & latrones, & deprædatores, ac magi, aliique praui homines innumera mala patiuntur, addidit, *Et sequatur me*: docens non solū oportere talia pati, sed etiam se sequi, hoc est, per vestigia conuersationis ipsius incedere.

† *τίς enim Græcis tam femininum est quam masculinum: vt etiam, Quis interdum apud latinos.* †

Quisquis enim voluerit animam suam saluare, &c. Marcus autem dixit, Propter me, & euangelium, hoc est, propter me, & meā doctrinam. *Quid enim prodest homini, si totum mundum, &c.* Impossibile quidem est, quempiam totum mundum lucrifacere: si tamen possibile foret, nulla esset vtilitas. Siquidem omnia, quæ mundi sunt, mortalia sunt, anima verò immortalis: & horum sane delectatio temporalis, illius vero supplicium sempiternum. Deinde auget & terrorem. Inde enim plerūque meliores reddere solet auditores. *Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?* Si enim neque mūdus totus correspōdens est animæ rationali, quid dabit quispiam commutationis, vt hanc ab æterno supplicio eripiat? Certe nihil. Omnibus itaque relictis, huius curam habere solius oportet, cuius iactura est maxime mortalis, & ob quā perditam nulla potest dari commutatio. Vt autem discant, quod segnibus non sine vltione erit sua segnities, neque sedulis præmio carebit sua sedulitas: vtque illi amplius terreātur, hi vero maiorem accipiant consolationem, dicit; *Filius enim hominis venturus est in gloria, &c.* Simul demonstrauit, quod eandem habeat cum patre gloriam. *In gloria*, inquit, *patris sui.* Quod si eandem habet gloriam, einsdem vtique substantię est, & potentię, ac diuinitatis: quorū enim gloria est eadem, horū & cætera quoque sunt eadē. *Amen dico vobis. Sunt quidam de hic stantibus, &c.* Postquā de seipso dixit, quod futurū est, vt veniat in gloria cū satellitio, ac comitatu, & præmissione angelorum, cognito, quòd discipuli de hoc sermone diffiderent, confirmat illum: præmittens quod non multo post quidam se visuri essent in gloria: hanc enim regnum nunc vocauit. Significabat autem suæ transformationis splendorem, quem post breue tempus demonstraturus erat Petro, Iacobo, & Ioanni: Nam de his dixit, *Sunt quidam hic stantes.* Regnum autem suum siue gloriam suam, splendorem illum nominauit, cum quo postmodum descensurus est, quando reddet vnicuique iuxta id quod operatus est. Rom. 2. *Venientem* vero dixit, hoc est, apparentem.

IN

III. IN COMM. VNIVS MARTYRIS.

MATTH. 10.

a Sicut timor mortis non debet retrahere, sic nec carnalis affectus

N illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, [a] Nolite arbitrari, quia

b Non ad hoc inter homines veni, vt carnales affectus confirmem, sed spirituali gladio dissoluam.

[b] venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed

c Verbi Dei.

[c] gladiũ. Veni enim separare hominẽ aduersus patrẽ suum, & filiam

d Non possunt inter eos esse iura pacis, inter quos est bellum fidei. e Qui non credunt.

aduersus matrẽ suam, & nurũ aduersus socrum suam: & [d] inimici hominis [e] domestici eius. Qui [f] amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.

f Et huic religioni pietas non est anteponenda, quod facit, qui quod Deo minus amandum est plus amat quam Deum.

g Qui præponit carnalem affectum spirituali. h Vel carnem domando, vel proximo compatiendo, & hoc intuitu æternorum.

Et [g] qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non [h] accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. [i] Qui inuenit animam suam

i Nec aduersa timenda sunt, quia qui quærit inuenire temporaliter vitam, æternaliter perdet eam.

k Paratus est eam hic perdere, omnia postponens amori meo. l In futuro.

perdet illam: & qui [k] perdiderit animam suam propter me, [l] inueniet eam. Qui

m Qui in vobis sum. Quia non aliud recipit in Apostolis quam quod est in Christo. n Qui est in me.

recipit vos, [m] me recipit, & qui me recipit, recipit [n] eum qui me misit. Et qui re-

o Pro eo quod nominatur propheta.

cipit [o] prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui

p Ne et Pseudoprophetam timeant recipere. q Pro eo quod nominatur iustus.

recipit [p] iustum in [q] nomine iusti mercedem iusti accipiet. Et quicunque po-

r Ne quis se ab hospitalitate, per paupertatem excusaret, hoc leue præceptum dilatit. s Ne dicas, deesse vnde calefieret. t Pro eo quod nominatur discipulus.

tum dederit vni ex [r] minimis istis calicem aquæ [s] frigidæ tantum in [t] nomine

v Quum ex bono affectu meruit potius quam ex acto.

discipuli: amen dico vobis non perdet [v] mercedem suam.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

ACEM *mittere, &c.* Amissum est bellum bonum vt rumperetur pax mala. *Veni enim, &c.* Hic Lucas ait:
Luc. 12. Erunt quinque in vna domo diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur. Quomodo, ergo quinque? Cùm sex personarum nomina subiicit, patris, filij, matris, filiæ, socrus & nurus. Sed mater filij ipsa est socrus vxoris eius: ideoque illa ipsa, & in filiam suam & in nurum dicitur esse diuisa. Possumus & patrem intelligere diabolum, cuius eramus aliquando filij, non natura, sed
Ioan. 8. imitatione, vt Iudęis dictum est: Vos ex patre diabolo estis. Sed postquam vocem audiuimus mo-
Psal. 44 nentis: Obliuiscere populum tuum & domum
Matth. 6. patris tui; venit gladius Domini separare ab inuicem, & ostendere nobis aliud patrem, cui diceremus: Pater noster, qui es in cælis, Mater synagoga, filia primitiua Ecclesia, socrus eadem synagoga, Nurus primitiua Ecclesia de gentibus. Sponsus Ecclesiæ filius est, dicente Apostolo: Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem. Socrus igitur, id est mater sponsi, & in nurum & in filiũ diuisa, est synagoga carnalis, quia ecclesiam persequi nõ cessat, sed & ipsa in matrem & in socerum diuisa, est volens recipere circuncisionem, cæterásque carnales obseruantias. *Separare,* id est priuatos carnis affectus extinguere, quibus ita inuicem diligunt, vt Deo minus seruant. Vel penitùs auertantur, non quod nõ sunt pater & mater, sed post Deum, & hic est ordo charitatis. *Qui amat patrem, &c.* Post Deum amandi sunt, sed si vtrunque non potest seruari, odium in suos, pietas est erga Deum obseruãda. *Et qui non accipit, &c.*
Crux duobus modis portatur, vel cùm per abstinentiam corpus affiicitur, vel cùm per compassionem proximi, affligitur animus. Peccata proximorum, cruciatum sunt sanctorum. Crux semper est portanda, vt amor Christi ostendatur. *Et sequitur me, &c.* Aliquis enim macerat carnem pro inani gloria, vel proximo carnaliter compatitur, vt culpæ faueat: Hic crucem ferre videtur sed dominum non sequitur. *Qui inuenit animam suam, &c.* Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. & 17.

Nomi

Nomine animæ vita præsens designatur. *Qui recipit vos me recipit.* Cùm ad prædicationem mittit, æs zonæ tollit, pericula non timenda dicit, affectum subiicit religioni: Vnde ergo sumptus? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. *Qui recipit* (inquit) *vos, &c.* Ad susceptionem magistrorum prouocat discipulos. Dicit ergo aliquis: ergo & Pseudoprophetas, & Iudam proditorem suscipiemus? Hoc dominus procurans, dicit non personas esse suscipiendas, sed nomina: & mercede non carere suscipientem, licet indignus
Luc.10. sit qui suscipitur. Non ait mercedem de propheta vel iusto, sed prophetæ & iusti mercedem: quia dum eos sustentat, qui aliter non possent quod eorum est facere. Et ipse est qui in hoc nomine facit, non pro eis solùm, sed eorundem mercedem habebit, id est talem qualē & ipsi. Quia Christus in Apostolis, Deus autem in Christo: ergo qui Apostolos recipit Deum. Hoc dicit, ne Apostolorum susceptio vilis habeatur his de quibus supra dixit, debere stipendia accipere. *Et quicunque, &c.* Qui periculum non suscipientium, testimonio excussi pulueris denuntiauit, meritum recipientium vltro speratum commendat. Nota Deum magis ad pium affectum respicere, quam ad quantitatem rei exhibitæ. *Vni ex minimis, &c.* Minimi sunt, qui nihil penitus habēt in hoc mundo, & iudices erunt cum Christo.

CATENA AVREA
in idem Euang.

NOlite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, &c. Hiero. Suprà dixerat: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: nunc infert quid post prædicationem sequatur, dicens: *Nolite arbitrari quia, &c.* Glos. Vel aliter cōtinua: Sicut timor mortis non debet attrahere, sic nec carnalis affectus. Chr. Qualiter ergo eis iniunxit, vt in vnam quanque domum ingrediētes pacem indicerent. Qualiter etiam & angeli dixerunt, Gloria in ex-
Luc.2. celsis Deo, & in terra pax hominibus, quoniā hic maximè est pax, cùm id quod ægrotat, inciditur: cùm id quòd litem infert, separatur: ita enim possibile erit cælum terræ copulari. Nam & medicus ita reliquum conseruat corpus, cùm id quod insanabiliter se habet, absciderit. Ita quidem & in turri Babel gestum est: malam enim pacem, bona dissonantia soluit. Ita & Paulus eos qui aduersus eum consonabāt, diuisit. Non enim vbique concordia bonum est, nam & latrones consonant. Hoc autem prælium non est sui propositi, sed illorum cōsilij. Hieronymus. Ad fidem enim Christi totus orbis contra se diuisus est. Vnaquæque domus & infideles habuit, & credentes: & propterea bellum missum est bonum, vt rumperetur pax mala. Chr. Hoc autem dixit, quasi discipulos consolans, ac si diceret: Ne turbemini, quasi præter spem his contingentibus: propter hoc enim veni vt prælium mittam. Et non dixit prælium, sed quod difficilius est, gladiū. Voluit enim asperitate verborum, eorum excitare auditum: vt non in difficultate rerum deficiant, ne aliquis dicat, quòd blanda suasit, sed difficilia occultauit. Meliùs est enim in rebus mansuetudinē videre quàm in verbis: & propter hoc in his non stetit, sed exponens prælij speciem, ostēdit hoc esse ciuili bello difficilius, dicens: *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.* In quo ostēdit quòd non solum in familiaribus erit hoc prælium, sed in amantissimis & valde necessariis, quod maximè Christi virtutem ostendit: quia discipuli hæc audientes, & ipsi susceperunt, & aliis suaserunt. Quamuis autem non ipse Christus hanc separationem fecerit, sed illorum malitia, tamen dicit se facere secundum scripturæ consuetudinem. Scriptum est enim: Dedit eis Deus oculos vt non videant. Hoc autem maximè ostendit, vetus testamentum nouo esse cognatum. Etenim in Iudæis vnusquisque proximum interficiebat, quando vitulum fecerunt, & quando Beelphegor immolauerunt. vnde vt monstraret eundem esse cui hæc & illa placuerunt, prophetiæ meminit, dicens: *Et inimici hominis domestici eius.* Et in Iudæis tale aliquid contigit, erant enim prophetæ, & pseudoprophetæ: & plebs scindebatur, & domus diuidebantur: & hi quidem his credebant, alij autem illis. Hieronymus. Hic autem locus propè iisdem verbis in Michæa propheta describitur. Et notandum vbicunq; de veteri testamento testimonium ponitur, vtrùm sensus tantum an verba consentiant. Hila. Mysticè autem gladius telorum omnium acutissimum est, in quo est ius potestatis & iudicij, seueritas & animaduersio peccatorum. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus est in terram, id est *Verbum Dei gladius est.*
prædicatio eius hominum cordibus infusa. Hic igitur quinque habitantes in vna domo diuidit, tres in duo, & duo in tres, & tria ad hominem referimus; id est corpus & animam & voluntatem: nam vt corpori anima data est, ita & potestas homini vtendi vtroque vt vellet, indulta est. Atque ob id lex est proposita voluntati, sed hoc tantum in illis deprehenditur, qui primi à Deo figurati sunt. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequētibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas, voluntas autem sua vnicuique adiacet: ergo iam vnius domus quinque sunt. Cùm ergo innouamur baptismi lauacro, per virtutem verbi ab originis nostræ peccatis separamur, recisisque quadam abscissione gladij Dei, à patris & matris affectionibus dissidemus, fitque grauis in domo vna dissensio, & domestica nouo homini erunt inimica: quia illa manere in spiritus nouitate gaudebit, ea verò quæ ē prosapiæ antiquitate deducta sunt, consistere in his, quibus oblectantur concupiscunt. Aug. de con. euang. Vel aliter: Veni separare ho. aduersus patrem suum: quia renuntiat quis diabolo, qui fuit filius eius. Et filiam aduersus matrem suam, plebs Dei aduersus mundanam ciuitatē, hoc est perniciosam societatem generis humani, quam nunc Babylonia, nunc Ægypto, nunc Sodoma, nunc aliis atque aliis nominibus scriptura signat. Nurū aduersus socrum suam, Ecclesiam aduersus synagogam, quæ secundum carnem Christum peperit, sponsum Ecclesiæ. Diuiduntur autem in gladio spiritus, quod est verbum Dei. *Et inimici hominis domestici eius*, cum quibus antè consuetudine implicatus erat. Raba. Nulla apud eos iura custodiri possunt, inter quos fidei bellum est. Glo. Vel aliter: Hoc dicit, quasi dicat. Non ad hoc inter homines veni, vt carnales affectus cōfirmem: sed spirituali gladio dissecem,

cem. vnde rectè dicitur. *Et inimici hominis domestici eius.* Grego. 3. Mora. Callidus nanque aduersarius cum à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, eaquirit. Et per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amaniur: vt dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis eius gladius ad intimæ rectitudinis munimen irrumpat. *Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus, &c.* Hiero. Quia antè præmiserat, nó veni pacem mittere, sed gladium, & diuidere hominē aduersus patrem & matrem & socrum, ne qu pietatem religioni anteferret, subiecit, dicens: *Qui amat pa. aut ma. &c.* Et in Can-

Ordo charitatis. tico legimus canticorum. Ordinauit in me charitatem, hic enim ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem, ant matrem, aut filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum anr filiorum, Dei amori comparetur, & non possit vtrunque salnari: odium in suos, pietas in Deum est. Non ergo probibuit amari patrem aur matrem, sed signanter addidit: *Plusquam me.* Hila. Ille enim qui domesticas hominum charitates dilectioni eius prætulerint, futurorum bonorum indiguerunt hæreditate. Chry. Si autem Panlus iubet per omnia parentibus obedire, non mireris: in illis enim solum dicit obedieodum, quæ non nocent pietati: etenim sanctum est, omnem eis alium reddere honorem. Cum autem ampliùs debito eaegerint, non oportet assentire. Sunt autem hæc veteri testamento consunantia, etenim illic eos qui idola colebant, non odio habere solùm, sed & lapidare dominus iubet: & in Deute. dicitur: Qui diaerit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis ignoro illos, hi custodierunt eloquium tnnm. Glo. Videtur autem id in pluribus accidere, vt parentes plus diligant filios, quam filij diligāt eos: & ideo gradatim postquam suum amorem amori parentum esse præponendum docuit, docet consequenter præferendum esse filiorum amori, dicens: *Et qui amat fi. &c.* Raba. Per quod significat illum diuino consortio esse indignum, qui consanguinitatis carnalem amorem prępoint spirituali amori Dei. Chry. Deinde vt non molestè ferant illi, scilicet quibus amor Dei præfertur, ad altiorem adducit sermonem: anima enim nihil est familiatiùs alicui, sed tamen & hanc non simpliciter eam haberi odio iussit, sed vt eam quis tradat in occisiones & sanguines: ostendens quòd non solum ad mortem oportet esse paratum, sed ad mortem violentam & reprobatissimam, scilicet mortem crucis. vnde sequitur. *Et qui non acci. cru. &c.* Nihil autem adhuc eis de propria diaerat passione, sed interim in his eos erudit, vt sermonem de passione eius magis suscipiant. Hil. Vel qui Christi sunt, crucifixerunt corpus suum cum vitiis & concupiscentiis: & indignus est Christo qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, consurgimus, accipiens dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus nouitate victurus. Greg. in ho. Crux quippe à cruciatu dicitur, & duobus modis crucem domini baiulamus: cùm aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proaimi necessitatem illius nostram putamus. Sciendum verò est quòd sunt nonnulli, qui carnis abstinentiam nó pro Deo, sed pro inani gloria exhibent: & sunt nonnulli, qui compassionem proximo non spiritualiter sed carnaliter impendunt vt ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad culpas faueant. Hi itaque crucem videntur ferre, sed dominum nó sequuntur. Et ideo ait: *Et sequitur me.* Chry. Quia vero præcepta hæc quæ iniungnntur onerosa videbantur, ponit & vtilitatem eorum maaimam eaistentem, dicens: *Qui inu. ani. &c.* Quasi dicat. Non solum hæc quæ præmisit nó nocent, sed maximè proderunt, contraria verò nocebunt: & hoc vbique facit: ab his enim quæ homines concupiscunt inducit, sicut si dicatur: Propter quid non vis contēnere animam tuam? quia diligis eam? Quocirca propter hoc contēne: & tunc ei maximè proderis. Remi. Anima autem in hoc loco nó subiecta est intelligenda, sed hæc vita præsens, & est sensus; *Qui inu. ani. suam*, scilicet hanc præsentem vitam, id est qui hanc lucem & eius dilectionem & voluptates ad hoc desiderat, vt semper inuenire possit istam quam semper seruare cupit, perdet, & animam suam æternæ damnationi præparat. Rab. Vel aliter: Qui salutem animæ suæ quęrit æternam, perdere, hoc est in mortem dare non dubitat: vtrique autem sensui congruit aptè quod sequitur, *Et qui perdi. ani. suam, &c.* Remi. Id est, quæ hanc temporalem lucem & eius dilectiones & voluptatea tempore persecutionis, propter cōfessionem nominis mei cōtempserit, animæ suæ inueniet æternam salutem. Hil. Sic ergo proficit lucrum animę in mortem, & damnum in salutem: detrimento enim breuis vitæ, fœnus immortalitatis acquirimt. *Qui recipit vos me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit, &c.* Hiero. Dominus ad prædicationem discipulos mittens, docet pericula non timenda, affectum subiicit religioni, aurum supra tulerat, æs de zona excusserat: dura euangelistarum conditio. Vnde ergo sumptus? vnde victus? vnde necessaria & cætera. Et ideo austeritatem pręceptorū spe temperat promissorum, inquiens: *Qui rec. vos, me reci.* vt in suscipiēdis apostolis vnusquisque credētiū Christū se suscepisse arbitretur. Chr. Sufficiētia siquidem erant præmissa ad persuadendum eis quæ erant apostolos suscepturi. Quis enim eos, qui ita erāt fortes, & omnes contemnebant vt alij saluarentur, nó susciperet eum omni desiderio? & superius quidem pœnam comminatus est his, qui non reciperent, hic autem retributionem promittit recipientibus. Et primò quidem repromittit honorem suscipiētibus apostolos, vt Christum suscipiant & etiam patrem, vnde subdit: *Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Quid autem huic honori fiet æquale, vt quis patrem & filium recipiat? Hil. In quibus verbis docet etiam in se mediatoris officium, qui cùm sit receptus à nobis atque ipse profectus ex Deo sit, Deus, per illum transfusus in nobis sit, & per hūc ordinem gratiarum non aliud apostolos recepisse quā Deum: quia & in illis Christus, & in Christo Deus habitat. Chry. Promittit autem post hæc & aliam retributionem, dicens: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, &c.* Non autem simpliciter dixit: Qui suscipit prophetam, aut qui suscipit iustum, sed addit: In nomine prophetæ, & in nomine iusti, hoc est, si non propter vitæ huius eminentiam, neque propter aliud temporalium susceperit, sed quia vel propheta est, vel iustus. Hiero. Vel aliter: Quia ad susceptionem magistrorum discipulos prouocauerat, poterat credentium occulta esse responsio,

sio, ergo & pseudoprophetas & Iudam proditorem debemus suscipere: vnde Dominus dicit non personas suscipiendas esse, sed nomina: & mercedem non perire suscipientis, licet indignus fuerit qui susceptus sit. Chry. Dicit autem, *Mercedem propheta, & mercedem iusti accipiet*, id est, qualem decens est accipere eum qui suscipit prophetam vel iustum, vel qualem propheta aut iustus est accepturus. Chr. io bo. Nō enim ait mercedē de propheta vel iusto, sed mercedem prophetæ vel iusti. Iste enim fortasse iustus est: & quāto in hoc mūdo nihil possidet, tantò loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet, hunc cum ille sustentat, qui in hoc mūdo aliquid possidet, illius iustitię libertatem sibi participem facit: & cum eo pariter iustitiæ præmia recipiet, quem sustentando adiuuit. Ille prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento. Et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur Prophetæ alimenta tribuit, vires illi ad loquēdum dedit. Cùm Propheta ergo mercedem Prophetæ accipiet, qui hoc ante Dei oculos exhibuit quod audiuit. Hieronymus. Mysticè autem qui Prophetam recipit, vt Prophetam, & intelligit eum de futuris loquentem, hic Prophetæ mercedem accipiet. Igitur Iudæi carnaliter intelligentes Prophetas, mercedem non accipient Prophetarum. Rem. Nonnulli verò Prophetam intelligunt Dominum Iesum Christum, de quo Moyses dicit: Prophetam vobis suscitauit Deus, quem similiter per iustum intelligunt: quia incomparabiliter iustus est. Qui ergo in nomine iusti & Prophetæ, scilicet Christi Prophetam, vel iustum suscipit, ab eo recipiet remunerationem, pro cuius amore recipit. Hieronymus. Poterat autem aliquis causari & dicere: Paupertate prohibeor, vt hospitalis esse non possim, & hanc excusationem leuissimo exemplo diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus, dicens: *Et quicunque potum dederit vni ex, &c.* Frigidæ, inquit, non calidæ, ne & in calida paupertatis, & penuriæ lignorum occasio quæreretur. Rem. Dicit autem minimis, id est, non Prophetæ, non iusto, sed alicui ex minimis. Glossa. Vbi nota Deum magis ad pium affectum dantis respicere, quàm ad quantitatem rei exhibitæ. Vel minimi sunt, qui nihil penitus habent in hoc mundo: & iudices erūt cum Christo. Hilarius. Vel præuidens plures futuros tantùm Apostolatus nomine gloriosos, omni verò vitæ suæ opere improbabiles: obsequium quod ipsis sub religionis opinione delatum est, mercede non fraudat. Nam licet & ipsi minimi essent, id est, peccatorum omnium vltimi, non inania tamen in eos etiam leuia, sub frigidæ aquæ nomine designata officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est.

S. HILARII EPISCOPI Pictauorum superioris Euang. expositio.

Nolite arbitrari, quoniam veni pacem, &c. Quæ ista diuisio est? Inter prima enim legis præcepta accepimus; Honora patrem tuum & matrem tuam. Et ipse Dominus ait, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram, & separatus à patre filius, & filia à matre, & nurus aduersus socrum, & hominis domestici eius inimici? Igitur exinde publica autoritas impietati profertur. Vbique odia, vbiq; bella, & gladius Domini, inter patrem & filium & inter filiam matrémque deseuiens. Et in Luca quidem talis de hoc sermo est: Erunt enim ex hoc quinque in vna domo diuisi, tres in duos, & duo super tres diuidētur. Nunquid non in maiorem numerum potest agnationis domestica familia diffundi? Aut præscripto temporis continebatur. Vt ex hoc essent quinque tantum in domo vna, iidémque diuisi? Ergo qui sit gladius in terra, quę proprietas nominum, & in numero quinque quæ ratio, & quomodo tres in duos, & duo super tres diuidendi, & quatenus homini domestici eius inimici, conuertendum est. Singularum quidem rerum & vniuersæ quęstionis primùm natura est explicanda: nec minus intelligentiam nostram sensus & superior & consequens adiuuabit. Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit ius potestatis & iudicij seueritas & animaduersio peccatorum, & huius quidem teli nomine noui Euangelij prædicationem appellatam frequēs in Prophetis autoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, id est, prædicationem eius hominum cordibus infusam. Hoc igitur quinque habitatores in domo diuidit, tres in duos, & duos super tres. Sed tria tantum in homine reperimus, id est, corpus, & animam & voluntatem. Nam vt corpori anima data est, ita & potestas vtrique vtendi se vt vellet indulta est, atque ob id lex est præposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi à Deo figurati sunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus est, Non traductus aliunde: sed ex peccato atque infidelitate primi parentis sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas. Ab his enim ortum per transgressionem primi parentis accepimus. Nam voluntas vnicuique sua adiacet. Ergo iam vnius domus quinque sunt. Pater corporis peccatum, mater animæ infidelitas: & incidens voluntatis arbitrium, quod totum hominem quodam coniugij sibi iure adstringit. Huic infidelitas, socrus est, nos ex ea natos atque à fide, metúque Dei peregrinantes accipiens: vt inter infidelitatem, voluptatémque possessos, & ignoratione Dei & in omnium vitiorum oblectatione detineat. Cùm ergo innouamur baptismi lauacro per virtutem ab originis nostræ peccatis atque autoribus separamur. Recisiq; quadam exectione gladij Dei, à patris & matris affectionibus dissidemus: & veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, & per spiritum anima & corpore innouati, necesse est, vt ingeniti & vetusti operis consuetudinem oderimus. Et quia corpus ipsum per fidem mortificatum in naturam animæ quæ ex afflatu Dei venit, quamuis id ipsum adhuc in materia sua extet, euadat, quia communio ipsis inuicem conciliatur ex verbo, idcirco iam vnum atque idem cum anima velle cœpit effici, scilicet vt illa est spiritualis, quibus libertas voluntatis à socru sua, id est, ab infidelitate diuisa, ius suum omne concedit: vt quod erat libertas voluntatis, deinceps animæ sit potestas. Fitque grauis in domo vna dissensio, & domestica noua homini erunt inimica: quia ille per verbum

bũ Dei diuisus ab illis, manere & interior & exterior, id est & corpus & anima, in spiritus nouitate gaudebit. Ea verò quæ ingenita & à quadam prosapię antiquitate deducta, cõsistere in his quibus oblectata sunt cõcupiscent: & origo carnis, & origo animæ, & libertas potestatis in duo diuidẽtur, animam scilicet & corpus hominis nnui, quæ vnum atque idem velle cœperunt: diuisique tres duobus subiacebunt, in dominatum eorum de spiritus nouitate potiuribus. Et idcirco illi qui domesticas nominum charitates dilectioni eius prætulerunt, futurorum bonorum indigni erunt hæreditate. Pergit deinde eodem præceptorum & intelligentiæ decursu. Nam postea quàm relinquenda omnia quæ in seculo charissima sunt imperauerat, adiecit: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis & concupiscentia. Et indignus est Christo, qui non crucem suam in qua compatimur, commorimur, cõsepelimur, conresurgimus, accipiẽs Dominum sit sequutus, in hoc sacramento fidei spiritus nouitate victurus. *Qui inuenerit animam suam, perdet illam, &c.* Verbi scilicet potestate & veterum diuisione vitiorum proficiet lucrum animæ in mortem, & damnum in salutem; ergo suscipienda mors est in nouitate vitæ, & cruci Domini configenda sunt vitia: & aduersus persequentes contemptu præsentium gloriosæ confessionis retinenda libertas est, & damnosum animę lucrum refugiendum. Scientibus cuiquam ius in animam non relinqui & detrimento breuis vitæ fœnus immortalitatis acquiri. *Qui recipit vos me recipit, &c.* Vniuersis doctrinæ affectum & præceptorum sedulitatem impendit. Et qui periculum non recipientium Apostolos excussi pulueris testimonio denunciasset, recipientium meritum vltra gratiã sperati officij cõmendat: docétq; in se etiã mediatoris officium, qui cùm sit receptus à nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illũ trãsfusus in nos sit. Atq; ita qui Apostolos recipit, Christũ recipit, qui verò Christum receperit, patrem Deũ recepit: quia non aliud in Apostolis recipit quàm quod in Christo est, neque in Christo aliud est, quam quod in Deo est. Perque hunc ordinem gratiarum non aliud est, Apostolos recepisse quam Deum: quia & in illis Christus & in Christo Deus habitat. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, &c.* Qui Prophetam recipit, habitantem recipit in Propheta, fitq; Prophetæ mercede dignus, Prophetam Prophetæ nomine recipiens. Par quoque recepisse iustum merces deputatur, fitque iustus ex honore iustitiæ. Ac sic consummatur iustitia ex fide, & mercedem acquirit officium, plures consequendæ æternitatis occasiones Deo largiente, quando in recipiendo iusto & Propheta, ipse reuerẽtię affectus, & iusti honorem accipiat & Prophetæ. *Et quicunque potum dederit vni, &c.* Non inaneesse bonæ conscientiæ opus docuit, neq; spem fidei alienæ infidelitatis crimine laborat. Prouidens enim plures futuros tantum Apostolatus nomine gloriosos, omni verò vitæ suæ opere improbabiles, eosdémque diu fallere, diuque mentiri, tamẽ obsequium quod ipsis sub religionis opinione delatum sit, mercede operis sui, spemque non fraudat. Nam licet ipsi minimi essent, id est, peccatorum omnium vltimi (minimum autem est, quo minus nihil aliud est) non inania tamen in eus etiam leuia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitutus est. Atque ita probitatem obsequentis, fallentis se probra non lædunt: cum mercedem suam dantis fide, non assumentis mendacio consequatur.

S. HIERONYMI PRES-
byteri eiusdem Euang. expositio.

NOlite arbitrari *&c.* Suprà dixerât, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis prædicate super tecta: Nunc infert quid post prædicationem sequatur. Ad fidem Christi totus orbis contra se diuisus est: vnaquæque domus & infideles & credentes habuit, & propterea bellum missum est bonum, vt rumperetur pax mala. Tale quid est in Genesi aduersus rebelles homines qui moti fuerant de oriente & turrem extruere festinabant (per quam cæli alta penetrarent) fecisse scribitur Deus, vt diuideret linguas eorum. Vnde & in Psalmo Dauid precatur: Dissipa Domine gentes quæ bella volunt. *Veni enim separare hominem aduersus patrem, &c.* Hic locus prope eisdem verbis in Michea Propheta scribitur. Et notandum vbicunque de veteri testamẽto testimonium ponitur, vtrum sensus tantùm, an sermo consentiat. *Qui amat patrem aut matrem plus, &c.* Qui antè præmiserat, Non veni pacem mittere, sed gladium & diuidere homines aduersum patrem & matrem, nurum & socrum, ne quis pietatem religionis anteferret, subiecit dicens. Qui amat patrem aut matrem plùs quam me. Et in Cantico legimus Canticorum: Ordinate in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem; ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, & non possit vtrumq; seruari, odium in suos, pietas in Deum sit. Non ergo prohibuit amare patrem aut matrem: sed signanter addidit: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. *Et qui non accipit crucem suam, &c.* In alio Euangelio scribitur: Qui non accipit crucem suam quotidie. Ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, vt semper nos Christum amare doceamus. *Qui recipit vos, &c.* Ordo pulcherrimus, Ad prædicationem mittit: docet pericula non timenda, affectum subijcit religioni. Aurum suprà tulerat, æs de zona excusserat. Dura Euangelistarum conditio. Vnde ergo sumptus, vnde victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit: vt in suscipiendis Apostolis vnusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, &c.* Qui Prophetam recipit vt Prophetam, & intelligit eum de futuris loquentem, hic mercedem Prophetæ accipiet. Igitur Iudæi carnaliter Prophetas intelligentes, mercem Prophetarum non accipient: Aliter. In omni professione Zizanium mixtum est tritico. Præmiserat: Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Ad susceptionem magistrorum discipulos prouocauerat. Poterat occulta esse credentium responsio: ergo & pseu-

doprophetas & Iudam proditorem debemus recipere, & illis alimoniam ministrare. Hoc Dominus antè procurans dicit, non personas suscipiendas esse, sed nomina & mercedem non perdere suscipientes, licet indignus fuerit qui susceptus sit. *Et quicunque potum, &c.* Legimus in Propheta Dauid: Ad excusandas excusationes in peccatis: quod multi peccatorum suorum quasi iustas prætendant occasiones, vt quod voluntate delinquunt, videantur necessitate peccare. Dominus scrutator cordis & renum, futuras cogitationes in singulis contuetur. Dixerat: qui recipit vos, me recipit. Sed hoc præceptum multi pseudoprophetę & falsi prædicatores poterant impedire; medicatus est huic quoque scandalo dicens. Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Rursus poterat alios causari & dicere. Paupertate prohibeor: tenuitas me retinet, vt hospitalis esse non possim. Et hanc excusationem leuissimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ non calidæ: ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur. Tale quid & Apostolus (vt antè iam diximus) ad Galatas præcepit, Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis. Et discipulos ad magistrorum refrigeria cohortatur. Quia poterat quislibet obtendere paupertatem & præceptum eludere, priusquam ille proponat imminentem soluit quæstionem, dicens: Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Et est sensus, frustrà causaris inopiam cùm aliud habeat conscientia tua: me potes fallere cohortantem, sed scito quod quantumcunque seminaueris, tantum & messurus sis.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constant. in præcedens Euang. Homilia.

Est hom. 36. in Matth. operis perfecti.

NOlite arbitrari quia veni mittere pacē in terrā, &c. Iterum difficiliora magísque ardua, & quidē affatim atque copiosè proponit, quodq́ue ipsi obiecturi erant, id præueniendo prędicit. Nam ne superioribus auditis in talem sermonem erumperent, idcirco ergo aduenisti, vt tam nos qui te sequuti sumus, quam eos qui sermonem nostrum non repudiabunt interimas, ac orbem terrarum bellis & cædibus repleas: præuenit ipse, atque ait: *Non veni pacem in terram mittere.* Quomodo igitur præcipit, quum ad suscipientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? aut quomodo angeli clamabant, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? *Luc. 2.* Quomodo etiam omnes prophetæ pacem tempore ipsius futuram pręnunciarunt? Quia videlicet pręcipua, singularísque pax tunc præstatur, quando quod tabe vel sanie corruptum est, abscinditur atque proijcitur: quādo factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic certe cælis terra coniungi potest. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conseruat facile, si quod reduci ad sanitatem non potest, inciderit atque abiecerit: & militiæ dux ad soluendam militum conspirationem alterum in alterum concitat. Sic in turre factum videmus, quando perniciosa illa pax per discrepantiam dissoluta, trāquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui aduersus se conspirabant, diuidebat atque dissipabat. *Act. 23.* In bello verò Nabuthæ, nónne improba multorum concordia perniciosissima fuit? Nec enim semper concordia laudanda, quum etiam latrones magna inter se cōcordia conspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente animóque hominum vitioso bellum erumpit. Nam ipse certè vellet, vt omnes vno consensu veritatem amplecterentur: verùm quoniam resistunt atque reluctantur, bellum prorumpit. Quid igitur ait: *Non veni mittere pacem?* Nolite, ait, existimare harum rerum causam vos futuros. Ego sum, qui quoniam homines ad vitia, infidelitatémque procliues sunt, hæc præparo. Non ergo si præter expectationem vestram quicquam acciderit, turbatione aliqua moueamini, quum ideo venerim, vt bellum committam. Hæc voluntas mea est, nulla vos inuadat turbatio, quasi bello, atque insidiis orbe terrarum ferociùs exagitato. Nam si hoc modo peiorem partem conciderimus, tunc pars melior cælo copulabitur. His etiā verbis aduersus malam multorum existimationem ipsos facit firmiores. Non autem dixit bellum, sed quod atrocius est, gladium: quòd si acerbius hæc, & minus compositè dicta tibi videantur, nequaquam mireris. Nam ne suspicari quis possit verborū lenociniis allectos à Christo fuisse Apostolos, ac etiam vt asperitate verborum ad iniustas contumelias auditum præparet, non iucundè rem asperam, sed asperrimè atque durissimè protulit. Nec ista sibi sufficerunt, sed latiùs naturam istius belli, ac singulas partes amplificans, omni bello intestino, atque ciuili multò magis pestiferum ostendit, dicens: *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, &c.* Non enim ciues solùm, aut inimici, sed affines atque cognati alter in alterum insurgent, & natura ipsa disseparata, nunc semetipsam impugnabit. Separare namque hominem veni, vt filius patrem, filia matrem, & nurus socrum inuadat: ita non solùm inter domesticos bellum oriri prædicabat, verumetiam inter ipsos, qui necessarijs naturæ vinculis proximè colligati sunt: quæ res virtutem ipsius magnopere declarat. Magnum enim omnino, ac super hominē est, quòd qui primi hæc audierint, libenter suscipere, & aliis persuadere potuerunt. Et quanquam non ipse, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit. Talis quippe scripturarum est consuetudo, vt enim etiam alibi dicitur: Dedit ipsis Deus oculos ne videāt: sic etiam in hoc loco, vt quemadmodum diximus, hæc omnia præmeditati atque his verbis stabiliti, cum opprobriis & contumeliis peterentur, minus turbari possent. *Exod. 32. Ioan. 9.* Si autem grauiora hęc cuipiam videantur, priscam historiam animo verset. Hoc enim ipsum & superioribus temporibus contigit, quod maximo argumento est, cognata esse vetera nouis, & eūdem esse, qui hæc dicat, & illa imperauit. Iudæis enim tunc pepercit, quum singuli proximos suos interemissent, sic etiam quando vitulum consecrarūt, & quando Beelphegor dedicarūt. *Exod. 32. Num. 25.* Vbi ergo sunt, qui dicere audent, pestifer est ille Deus, hic propitius atque mitis? Ecce namque cognatis videmus sanguinibus orbem redundasse, & tamen

magnam

magnam in hoc [illegible] ordiam ac mansuetudinem Dei fuisse [illegible]. Quippe [illegible] piet vt ostendat seipsum esse [illegible] tam [illegible] gratia fuerit, prophetiæ mentionem fecit: quæ quamuis ad hoc propositum dicta non [illegible], hoc ipsum tamen significanter expressit. Sed quænam hæc est prophetia? *Inimici hominis domestici eius.* Nam quum pariter temporibus Iudæorum [illegible] ideret, vt populus propter prophetas, & pseudoprophetas scinderetur, & omnes diuisi, alii ad [illegible], alii ad illos sequerentur, monebat populum Propheta, dicens: Nolite credere amicis, nec sperare in principibus. A coniuge quoque tua te custodias, nec quicquam sibi committas. Inimici enim hominis sunt, qui in domo eius sunt. His verbis Propheta omnibus rebus superiorem facere conatur eum, qui dicta eius esset suscepturus. Nec enim mori, sed malè mori malum est: ideo dicebat: Ignem veni mittere in terrā, quibus verbis vult significare magnitudinem, ac ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideo singulari à nobis quoque charitate diligi desiderat. His quippe monitionibus Apostolos simul & muniebat, & sublimiores faciebat. Nam si à posterioribus vxores vnà, & liberi, & parentes propter me contemnerentur: quales oportet vos esse, a quibus illi quasi magistris fidem suscipient? Nec enim hæc, quę prędixi dura & ardua vobiscū finem habebūt, sed in posteriores quoque transfundentur. Sicut enim summam vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam affectumque à vobis postulo. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: &c.* Vidisti præcipuam docentis authoritatem? Intellexisti quomodo patris Dei filium se esse ostendit, quum iubet omnibus rebus charitatē suam anteponere? Sed quid de amicis, atque cognatis dispnto, quum etiam si animam tuam meæ charitati antepofueris, procul à discipulorum meorum numero, ait, te separaueris? Quid igitur, obiiciet quispiam, an hæc veteribus contraria non sunt? Nequaquā, imò verò valde consona, omninoque coniūcta. Sic enim etiam non odio solùm, verùmetiam lapidibus cultores idolorum persequendos iussit: & in Deuteronomio veritatis cultores admirandos, ait: Qui dicit patri, aut matri, non vidi te, & fratres suos non cognouit, & filios ignorauit, is custodiuit eloquia mea. Si autem Paulus multa disputat de parentibus, summam eis obediētiam volens præberi, non admireris. In omnibus enim obtemperandum parentibus est, præterquam in his quæ pietatis veritatem spectant. Ita quum sanctum sit omnem honorem parentibus afferre, eùm plùs quam oportet quærunt, veritati reluctantes resistendum est. Sic Lucas quoque scribit: Si quis venit ad me, & non habet odio patrem suum, & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres, & adhuc animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter iussit te coniunctos tibi homines insequi: id enim iniquum omnino, atque pestiferum est. Sed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipsum habeas, ait: Hoc enim tam diligenti, quam ei qui diligitur, perniciosissimum est: hac doctrina & credentes filios maioris animi fecit, & patres, ne ab amore Christi liberos detrahent admonuit, videntes tantas esse ipsius vires, vt facilè posset à parentibus filios eripere: quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non possunt. Dein [illegible] te, aut grauiter ferant fideles, animam [illegible] omnem deducit: quum enim dixerit: Qui non odit patrem & matrem, confestim intulit, & animam suam. Quid enim parentes, fratres, [illegible] res vxorē, pro me solum abiiciendos putas? Nihil est homini anima sua coniunctius, & tamen nisi hanc etiā oderis, non ea quæ diligenti, sed ea quæ odio habenti tibi retribuentur. Nec simpliciter odisse animam iubet, sed adeò vt ad bellum [illegible], ad cædem, ad sanguinem prodas. *Nam qui non portat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ita non ad mortem simpliciter paratos esse iubet, sed ad mortem etiam violentam: nec ad violentam solam, verùmetiam ad maximè omnium exprobrabilem. Nec tamen aliquid adhuc de sua passione disseruit, vt istis interea castigati, æquiori animo de passione ipsius verba facturum audiant. An non est dignum vehementer admirari atque stupere, quomodo anima à corpore illorum non euolauit, qui hæc audiebant, qui dura & tristia omnia iam sentire poterant, iucunda verò atque fœlicia spe sola consequebantur? Quomodo igitur non euolauit? Maxima erat ac ineffabilis virtus dicentis, audientium ergo charitas etiam non parua: hac de causa quum grauiora multò & duriora, quàm magni illi viri, Moyses atque Hieremias perpessi fuerant, audirent, ferebant æquo animò, imò persuasi nihil penitùs obiecerunt. *Qui inuenit animam suam, ait, perdet eam: &c.* Perspicis quantam iacturam faciant, qui animam suam plus quā oportet, diligant? perspicis quam vtilitatem consequantur qui oderint? Nam quum amarissima quędam illis, atque ardua præciperet, quum aduersus parentes, aduersus liberos, aduersus naturalem cognationem, contra vniuersum orbem terrarum, contra etiam ipsam animam pugnam indiceret, atque aciem esse instruendam, magnitudinem quoque vtilitatis ostendit. Non enim magna hæc atque aspera, quæ multis detestanda videntur solummodo non obsunt, sed summam quoque afferunt vtilitatem: horum autem contraria sunt, quę maxime obsunt: sic ab his quæ ipsi desiderant, quod sæpe facit, sibi persuadet. Cur enim, ait, tuā despicere animam non vis; an quia ipsam amas? Ideo ergo quia ipsam diligis, despice, vt summope re ipsi prosis. Animaduerte autem quomodo ineffabili prudentia hæc disposita sunt. Nam posteaquam de parentibus & liberis dixit, tunc ad animam opportunissime transiit: vt ab hoc vltimo illa priora minora animo videantur, ac etiam vt discant sic se parentibus maxime proficuos fore, quemadmodum animę suę prodesse possunt. Quę omnia satis poterant homines ad cultum Apostolorum inducere. Quis enim tam generosus animos, tam fortes viros, qui ceu leones cursu orbem circumibant, qui cuncta spreuerant sua, vt alios saluos facerent, libenti ac prompto animo non susciperet? Sed aliam quoque mercedem proponit, vt videant nō minorem sibi de suscipientibus hospitio curam esse, quàm de hospitio susceptis. Et primū quidem maximum honorem præbet, quum dicit: *Qui recipit vos me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Cui quidem rei quid vnquam æquale poterit inueniri? aut quid conferri omnino huic poterit? patrem enim ac filium vna susceptos esse vides, promitti tamen etiam alteram

rettributionem non paruam. *Qui recipit*, ait, *prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet, &c.* In superioribus quidem non parua supplicia non suscipientibus minatus est, hic verò bonorum requie ac fœlicitate ipsos condonat. Et discas maiori se habere curæ suscipientes, non dixit solùm qui prophetam, aut iustum suscipit: sed adiecit, in nomine prophetæ, & in nomine iusti: quod significat ne alia quidem de causa seculari, neque propter has caducas, mortalesque res, sed solùm quia propheta sit, vel iustus sit, suscipiat: tũc enim prophetæ vel iusti mercedem capiet, illum videlicet, quam decens est vt is capiat, qui prophetam aut iustum recipit, vel certe qualem ipse propheta aut
2.Cor.8. iustus consequetur, quod & Paulus dicebat: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantiæ vestræ inopiæ sint supplementum. Deinde ne quis inopia se possit excusare, ait: *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, &c.* Etiamsi frigidę aquę calicem dabis, quam rem nullo impendio facillime facies, erit tibi merces omnino reposita. Hæc enim vniuersa gratia eorum qui recipiunt. Animaduertis quot quibúsque causis persuadet, & domos totius orbis Apostolis aperit, quum plane his omnibus significet vniuersos sibi homines debitores futuros? Primum quia dixit, dignus est operarius cibo suo. Deinde quia nudos nihil habentes emisit. Tertiò, quia in bella & pugnas pro suscipientibus eos emisit. Quartò, quia mirabilibus, atque inauditis signis eos illustrauit. Quintò, quia quòd omnium bonorum causa pacem ipsorum ore ad domos recipientium adducit. Sextò, quia grauiora non suscipiẽtibus minatus supplicia, quã Sodoma mereantur. Septimò, quia ipsum etiam cum patre accipientes hospitari asseruit. Octauo, quia prophetæ mercedem ac iusti futuram recipienti pollicetur. Nonò, quod aquæ frigidæ calicem præbentes, non paruas sint retributiones habituri. Quorum vnumquodque per seipsum satis magnas vires ad attrahendum possidet. Quis enim militiæ ducem, quamuis vulneribus sanguinolentum videat, non magno gaudio tamen domi recipiat, quum ab acie redeuntem magnis trophæis, & singulari victoria videat? Sed quisnam talis modo est, inquies, & recipiemus ipsum? Propterea discipuli, prophetæ ac iusti denique nomen adiecit, vt discas non ex dignitate recepti, sed ex volũtate recipiẽtes mercedẽ omnẽ esse constitutam. Nã quod in hoc loco de prophetis, discipulis, ac iustis dicit, id alibi de recipientibus abiectos, ac minimos homines protulit. Inquantum enim, inquit, vni minimorum fecistis, mihi fecistis, & contrà rursus, si nulli horũ, nec mihi. Nam & si nihil habeat magni qui ad te refugit, homo tamen est, qui eundem quem tu terrarum orbem habitat, eiusdem radiis solis illustratur: immortalem sicut tu habet animam, eundem adorat conditorem, ad eãdem mysteriorum communicationẽ crebrò accessit, ad eosdem vocatus est cælos: & quod negligendum non est, iustè ideo petit, quia paupertate oppressus, necessariis eget viuendi alimentis. Nunc verò qui te à somno hyemis tẽpore tibiæ sonitu atque fistularum excitãt, quanquã ea res plerúmque tibi molesta sit, multa tamen onerati muneribus abeunt, histriones præstigiatoréśque, & qui fuligine obliti ne noscantur, turpia in omnes iaciunt scommata, & qui sagaciori versutia prodigia facere videntur, omnes harum rerum ex te non paruam mercedem accipiunt. Si autem mendicus ac pauper, ipsius etiam panis indigens te adierit, quibus tu non vteris maledictis, quæ crimina, quas contumelias, quæ conuitia, quas desidias non obiicies? cum nec tecum ipse reputas quanta etiam tu desidia vitam trahas, & cum Deus multa tibi bona in dies præbet. Nec volo mihi respondeas, nonnihil te quotidie facere. Sed illud mihi ostẽde, si earum rerum aliquid tractas, ac facis quæ necessaria sunt. Sin vero pecuniarum quæstus quasi diligentissimus caupo, & ingem quam de accumulandis opibus habes, curam mihi proponis: non verebor ipse tibi respondere, non esse opera hæc: quippe cum illa mea sententia, & quidem certè magnaque opera sint, misericordia erga pauperes, oratio iugis, cęteraque huiusmodi, eorumque protectio, qui maioris alicuius iniuria vexantur. Quæ omnia nullum apud nos habent locum, sed in maxima desidia, otioque viuimus semper, nec tamen vobis vnquam à Deo dictum est. Otiosus es atque deses. Nolo ergo tibi solem accendere, nihil quod sit necessarium operaris, lunam ergo tibi extingno, in sterilitatem gremium vertam terrarum, retinebo stagna, fontes recondam, flumina exiccabo, aerem in nihilum redigam, pluuias retardam: sed omnia nobis affatim atque copiose proponit. Quid quod multis non solum otio corruptis, verumetiam non parua peccatorum illuuie mersis, eorum omnium quæ diximus, vsum præstet? Quare cum inopem videris nulla dedignatione mouearis, si iuuenis, atque saluus abs te alimenta petat, ne siquidẽ sicut seruus sit fugitiuus: sed ea quæ diximus tecum versa, imo vero illi ad hæc dicenda libertatem concede, & clamabit ad te iustus magna se turbari dedignatione: quoniam quum sanus felixque iudicio tuo sis, nihil eorum agas, quæ à Deo nobis mandata sunt: sed quasi seruus à communi omnium Domino arrepta fuga in alienis, id est, in omni vitio versaris, temulentia, furto, rapina, cæterisque vitiis inquinatus aliorum domos subuertis. Deinde audes otium cæteris obiicere, qui tot delicta tibi non obiicis, non insidias, non periuria, non mendacia, non latrocinia, non alia mille tua huiuscemodi facinora & flagitia recordaris. Hæc autem dico, non quia velim legem pro otiosis condere, sed quia valde desidero bonis vos esse operibus occupatos. Omnium enim vitiorum quasi magistra quædam atque origo est otiositas. Itaque oro vos atque obsecro, ne misericordiam contemnatis, ne duri 2.Thess.3
& illiberales sitis. Nam & Paulus cùm multum conquestus fuerat dicens: Si quis operari non vult, non comedat, non facit hic finem, sed ad hæc addidit, Bonum facientes non deficiatis: quæ certè contraria esse videntur. Nam si iussisti ne comedamus: quomodo aliis dare otiosis mones? Itaque, inquit, iussi: remouere enim volens vos ab illis, & non conuersari cum illis, ac rursus monui ne inimicos eos putetis, sed continuè ac diligenter admoneatis, non discrepantia, sed consona nimium atque conuenientia ad vnius legia seriem deducens. Nam si ad misericordiam ambos procliues faciam, eitò & ille ab otio, & tu à metu illiberali reduces. Sed multa, inquies mendacia, multas fabulas pauperes fingunt. Ego verò hac etiam de causa maiori misericordia moueor,

cum in eam necessitatem incidisse homines videam, vt impudentissimè mendaciis viuere cogantur: quorum nos non modo non miseret, sed verbis etiam asperis eos laceramus, non accepistis dicentes semel iam atque bis? An ergo cibo rursus non indigent, quia semel atque bis acceperunt? Cur non tuo quoque ventri eandem legem imponis? Cur ad eum non dicis repletus hesterno die, atque nudiustertius fuisti quid amplius quæris? Sed ventrem quidem tuum etiam vltra mensuram replendo disrumpis, à paupere autem modica petenti, faciem auertis cuius vel hac de causa misereri debes, quoniam quotidie te adire non parua premitur necessitate. Nam si nulla esset alia ratio, quæ ad misericordiam flecteret, propterea tamen misericors erga pauperem esse deberes, quoniam necessitate coactus ad te venit. Tu verò non modò, benigno animo non es, quoniam illum impudentem vides, qui paupertate superatus est, nec solùm te illius non miseret, verumetiam paupertatem multis præsentibus exprobras. Quúmque Deus iubeat occultè, atque in abdito præbere: audes tu publicè pauperem afficere opprobriis, qui à te misericordia esset subleuandus. Dare misericorditer non vis? Quid igitur criminatis? quid tribulas ealamitosam atque miseram animam? Refugit ille ad manus tuas ceu in tranquillum portum. Cur tu omnem fluctuum vim in illum concitas, & maioris hyemis sibi reddis procellas? Cur miseriæ ipsum cõdemnas? Credis, quia si talia se putasset abs te percipere, venisset ad te? Quod si talia se auditurum abs te putauit, & tamen venit: multò magis tamen eius miserãdum est, quàm tuam illiberalitatẽ pertimescendum, qui quum ita inuictam necessitatem imminere illi videas, mitior factus non es, nec opinaris satis ipsi esse ad excusationem impudẽtiæ ingentes famis vires: sed impudentiam ei obiicis, qui maioribus in rebus impudentissimus sepè fuisti. Quippe pauperum impudentiæ venia iure conceditur. Nos autem plerúmque tanta impudentia feruemus, vt non modò veniam non mereamur, verumetiam acerbis suppliciis simus puniendi. Hæc, quæso, ita in memoria teneamus, vt humiliores facti non irrideamus miseros, nec vulneremus eos qui remedium à nobis quærunt. Nam si præbere non vis, cur cædis? Non est tibi animus largiendi, qui contumeliaris? Sed non vult aliter abire, inquies. Sic ergo fac, quemadmodum vir quidam sapiens iussit: pacificè ac mansuetè pauperi respondeto, qui certe inuitus ita impudens est: non enim est omnino, non est (inquam) homo, qui non inuitus impudentiæ crimine velis confundi. Nam si etiam mille quispiam afferat rationes, quibus oppositum probare contendat: nunquam tamẽ mihi persuadere poterit, eum qui victum facilè habeat, malle se ab aliis turpiter mendicare, quàm honestissimè suis vesci. Nemo ergo vos falsis orationibus decipiat. Sic autem Paulus
2. Thess. 3. scripsit; Si quis operari non velit, non manducet: pauperibus, non diuitibus, scripsit. Nam putentibus quidem contrariũ dicit, bonum facientes non deficiatis. Etenim quamadmodum nos sępè facimus, qui quãdo viderimus duos amicos, alterum in alterum acerbè insurgere, seorsum alterum deducentes, vtrũque admonendo culpamus: sic non Moyses solum, verumetiam ipse Deus fecit. Nam Moyses quidem ad Deum dicebat. Nisi dimittis Exod. 32.
ipsis peccatum, me quoque vna cum ipsis destruas. Ipsos autem iussit securissimè punire cognatósque à cognatis interimi. Quæ quamuis opposita videantur, ad vnum tamen finem concurrebant. Deus autem ad Moysen quidem Iudæis audientibus dicebat: Dimitte me, & conteram populum hunc. Nam etsi tunc non aderant Iudæi, quando hæc Deus Moysi dicebat, postea tamen hæc audituri erant: seorsum autem, atque priuatim contraria his Moysi committit: vnde Moyses coactus
exclamabat, dicens: Nunquid ego ipsos in vtero Num. 11.
concepi, quia dicis mihi: Leua eos, sicut leuat nutrix lactentem in sinum suum? Similia in magnis familiis quoque fiunt. Nam crebro paterfamilias pędagogum seorsum increpat, dicens: Nimium es acerbus in adolescentulum, atque durus. Adolescentem autem, quasi iure cæsum criminatur. Sic à contrariis eandem vtilitatem educandi honestè filij colligit. Pariter igitur Paulus quoque sanis quidem, ac inopibus scribit, vt ad operandum eos
excitet: Si quis noli operari, non comedat: his 2. Thess. 3.
autem qui possunt liberalitate vti, non sic, sed aliter scribit: Bonum facientes non deficiatis, vt eos
ad benignè dandum impellat. Eodem quoque Rom. 11.
modo in æpistola ad Romanos his qui à gentibus erant, consuluit, ne ceruices in Iudæos extollant, & oleastri similitudinem adduxit in medium, ita vt alia his, alia illis dicere videatur. Non ergo in tenacitatem incidamus, sed pareamus Paulo dicenti. Bonum facientes non deficiatis. Audiamus etiam Dominum, qui iubet omni petenti dare: &
alibi ait. Estote misericordes, sicut & pater vester. Luc. 6.
Ita quum pleraque alia dixit, de nullo id præter quàm de misericordia dixit. Sitis misericordes sicut pater vester. Nihil enim certè nos vsque ad similitudinem Dei sic effert atque extollit quemadmodum libera, benefica & copiosa collatio. Sed nihil est impudentius paupere, ais: Cur quæso? Quoniam huc atque illuc percurrens, aduersus omnes inuehitur, atque obtrectat. Vis ergo, vt facile tibi ostendam multò, impudentiores, molestioré̇sque nos illis esse? Veniat tibi (oro) in mentem, quoties ieiunij tempore mensa vesperi apposita, si minister vocatus tardiusculè accesserit, omnia euertisti contumeliando, calcitrando, atrociter miserum ministrum verbis ac pugnis mulctasti: quæ omnia parua mora incitatus fecisti, quum tamen certior esses paulò pòst vatiis posse ventrem tuum cibariis explere. Deinde non voeas teipsum, qui nulla de causa vel certè minima in bestiarum ferocitatem excidisti, impudentem atque importunum: pauperem verò, qui magno pondere premitur, qui non moram edendi, sed inopiam perhorrescit, importunum atque impudentem, cæterísque conuiciis audes petere. Et quomodo, dic mihi, nõ maximæ impudentiæ hoc est? sed hæc nec cogitare quidem volumus, ac ideo molestos esse illos arbitramur. Nam si nostra quoq; diligentius examinaremus, & cum factis eorum iustius conferremus, non putaremus illos esse importunos: noli igitur iudex esse iniustus. Nam etsi ab omni delicto liber esses, nec tamen etiam sic lex diuina tibi committit te-
meraria curiositate aliorum crimina rimari. Nam Luc. 18.
si Pharisæus hac de causa seipsum perdidit, quàm nos excusationem inueniemus? si recte viuentes non patitur aliorum crimina indagare, quantò

minus peccatores patietur? Nolite igitur duras atq; inexorabiles pauperibus aures præbere. Nolite ferarum immanitatem ſuperare. Non enim ſum neſcius ad tantam crudelitatem nonnullos deueniſſe, vt ex deſidia ſame percuntes neglexerint, & ad hæc verba impudenter eruperint, nullus impræſentiarum hîc famulus mihi adeſt, procul ab ædibus meis abſum, nullus hîc mihi argentarius cognitus eſt. O immanitatem ab humanitate omni alienã, maius facilè perfeciſti, & quod minus eſt non abſoluis: ne paululum itineris defatigeris labore, inedia mendicus peribit. O contumeliæ nouum genus, ô ſuperbiam inauditam? Nam ſi per decem milia paſſuum eundum eſſet, nonnihil rationis hęc excuſatio habere forſan videretur. Nec cogitas tantò maiorem mercedem tibi eſſe repoſitam, quantò magis laboras. Nam quando de tuo ſolummodo prębes, pro eo ſolùm quod dediſti: quando verò ipſe quoque ad dandum profectus es, huius etiam laboris retributio

Gen. 18. tibi debetur. Sic & patriarcham ideo magis admiramur, quoniam quum trecentos & decem & octo vernas haberet, non alium miſit, ſed curſu ad boues contendit, ac vitulum attulit. Nunc verò ita inflati nonnulli ſunt, vt non vereantur per famulos miſericordię vti virtute. Sed nónne ſi per me faciam, vt tu iubes (inquies) inanis gloriæ crimine captus videbor? imò verò nũc hoc crimine laborare mihi videris, quum te fruſtra pudeat ad pauperem venire, ac eum alloqui. Sed hęc nunc non diſputo, tantummodo per te tua prębeas, idq́ue vel per te, vel per alium facere tui arbitrij ſit: illud obſecro, atque obteſtor, ne contumeliis, atque criminibus inopem turpiter cædas: remedio indiget, qui te adiit, non vulneribus: miſericordiæ ope, non acuto gladio. Nam ſi quis lapide percuſſus, cęteris omnibus neglectis ad genua tua ſanguinolentus refugerit, alióne tu iterum lapide caput eius percuteres, & vulnus vulneri adderes? Nequaquam certè id faceres, ſed priori etiam vulneri mederi conareris. Cur igitur in paupere oppoſitum facis? an ignoras quantum prodeſſe iucunda, & quantum obeſſe amara poteſt oratio? Melius eſt, inquit, ſermo pius, quàm datio. Non putas aduerſum teipſum enſe abuti, grauioréque ictu confoſſum iacere, cùm dolore pauper commotus, gemens atque lachrymans, ſilentio abs te diſceſſerit, nempe à Deo ad te miſſus fuerat? Quare cogita nunc, quò illæ contumeliæ atque iniuriæ peruenerunt: quum Deus quidem ad te pauperem miſerit, quia dandi potẽtem fecit, præbere illi iuſſit: tu autem non modò non dederis, ſed conuiciis turpiter expuleris: huius delicti magnitudinem ſi facilè percipere non potes, conſidera id in his temporalibus rebus, & tunc vltrò intelliges, quàm atrox facinus commiſiſti. Nam ſi famulus tuus ad alium famulum ſimiliter tuum argentum repetiturus, quod illi dederis, iuſſu tuo profectus ſit, nec inde ſolùm inanis, verumetiam omni conuicio, atque contumelia pulſus redierit: dic, quo ſupplicio famulum tuum punires, quum teipſum ab eo contemptum atque ſpretum cenſeres? pariter ergo de Deo etiam cogita. Ipſe enim eſt qui ad nos pauperes mittit, nec noſtra, ſed Dei damus ſi quicquam dederimus, quòd ſi non dederimus, verumetiam iniuria laceſſitos repulerimus, ipſe tecum animo volue, quibus ſuppliciis, quo fulmine rem dignam egerimus. Hęc omnia, quęſo, cogitantes, & linguam domitam, quaſi freno teneatis, & omnem illiberalitatem eiiciatis, manúſque veſtras ad miſericordiæ munera porrigatis. Nec pecuniis ſolũ & rebus noſtris, verumetiam ſuauitate ſermonis conſolemur pauperes, hoc enim modo tam æterna, quæ contumelioſis hominibus impendentur, ſupplicia fugiemus, quàm beatiſſima illa regna, quæ miſericordibus & benignis conferentur, adipiſcemur, gratiâ & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

AVTHORIS IMPERFECTI in Matth. in idem Euang. Homilia.

Eſt Hom. 26. operis imperfecti.

NOlite arbitrari quod venerim pacẽ mittere in terram, &c. Cũ dixiſſet Dominus: Qui me confeſſus fuerit corã hominibus, &c. Quaſi cogitãtibus Apoſtolis, & dicẽtibus apud ſe, vſq; nũc ſub tyrannis & Gentiũ denominatione degimus, & nunc ſperauimus pacem nobis eſſe venturam, & quomodo hic nobis perſecutiones, & iudicia futura promittit? Reſpondit ita: *Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram.* Et eſt pax bona, & eſt pax mala. Pax bona eſt inter bonos fideles & iuſtos, vt in quibus eſt vnius fidei munus, vna ſit vitæ concordia. Nam fides per verbum quidem Dei naſcitur, per pacem autem ſeruatur, & per charitatem nutritur, dicente Apoſtolo: Fides eſt, quæ per charitatem operatur. Fides autem, quæ non habet charitatem nullum poteſt boni operis fructum perficere. Si ergo aliqua diſſenſione fideles fuerint ſeparati, hoc eſt mala diſcordia, ſicut ait Dominus: Omnis domus in ſe diuiſa non ſtabit: ſic & ſeparata fraternitas, à ſemetipſa conſumitur, ſicut ait Apoſtolus: Si autem inuicem mordetis & criminamini, videte, ne ab inuicem conſummamini. Pax autem mala eſt inter infideles, & iniquos, vt quibus vna malicia, vnus ad male faciendum conſenſus. Nam infidelitas & iniquitas ex ſuggeſtione quadam diaboli naſcitur, per pacem autem ſeruatur. Si ergo aliqua occaſione infideles & iniqui ab inuicem fuerint ſeparati, hoc facit diſcordia: quia ſicut in pace bonorum, fides & iuſtitia ſtant, infidelitas autem & iniuſtitia iacent: quum verò diſcordia venerit, fides & iuſtitia cadunt: infidelitas autem & iniuſtitia reſurgunt: ſic in pace iniquorum & iniuſtitia, & infidelitas ſtant, fides autem & iuſtitia iacent. Quum verò concordia venerit, infidelitas & iniuſtitia cadũt, fides autem & iuſtitia ſurgunt. Ideo ergo Dominus bonam miſit ſeparationem in terram, vt rumperet malam coniunctionem: Omnes enim tam boni, quàm mali, id eſt, qui diligentes malum erant in malo, & qui per ignorantiam boni ſtabant in malo: Omnes in ſimul, quaſi ſub vna domo infidelitatis tenebantur incluſi, ideo miſit Dominus ſeparationis gladium inter illos, id eſt, verbum veritatis, de quo ait Apoſtolus: Viuum eſt verbum Dei, & efficax, & acumen habens ſuper omnem gladium acutiſſimum, penetrans vſque ad interiora animæ & ſpiritus, artuumque & medullarum, ſcrutans corda, & cogitationes. Iſte eſt ergo gladius bis acutus, ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens, ex altera autem parte malos ab excuſatione, vt nec bonos

Eſt pax bona, eſt & mala pax.

Galat. 5. Fides ſine charitate, nihil poteſt boni perficere.

Matth. 12. Galat. 5.

Heb. 4. Verbum Dei gladius bis acutus.

bonos ignorantia perdat, nec malos excuset, vt & boni cognita veritate, qunm secuti fuerint veritatem, eum indicio & iustitia saluentur, & mali qnum veritate cognita secesserint à veritate, cum indicio, & iustitia puniantur. Hoc ergo gladio Dominns separauit bonum à malo, vt & bonum separatum à malo surgat, & malum separatum à bono cadat. Nam bonum quãdiu fuerit mixtum, cum malo iacet, & mortuum est: quia non potest bonum esse coniunctum cum malo: quum antem à malo fuerit separatum, tunc surgit & viuit: quia incipit esse bonum separatum à malo. Sic & malum qnãdiu fuerit mixtum eum bono, stat & viuit, quia sub se opprimit bonum, quum verò fuerit separatum à bono, tnnc eadit & moritur: quia manifestatum iam non potest sub se opprimere bonum. Sic & fideles, quandiu eum infidelibns fuerint iuncti, iacent, & mortui sunt: quia non possunt esse fideles cum infidelibus mixti. Quum autem fuerint ab infidelibus separati, tune resurgunt & vinunt: quia tune ineipiunt esse fideles cum fidelibus mixti. Item infideles quandin fuerint enm fidelibus mixti, stant, & viuunt: quia sub sua infidelitate tenenr fideles: Si verò à fidelibus fuerint separati, cadũt, & mortui sunt: quia manifestè infideles iam non possunt perdere fideles. Omnis enim res mala tandiu stare videtur, & vinere qnãdin bonæ rei potest nocere, qnum verò manifesta fuerit, iam non potest nocere, iacet, & mortua est. Omnis autẽ res mortua, & si est mala, tamen similis est rei, qnæ non est. Quid ergo infideles à fidelibns separati, alios quidem timore frangunt, alios antem promissione eorrumpnut? Hæc res non dicir perdere bonos, sed magis glorificare permanentes in bono, quum ille qui aut more frangitur, aut promissione eorrumpitur, nnnquam fuerit verè bonus. Tunc enim verè infideles dicuntur perdere fideles, quando fideles per ignorantiam veritatis eum infidelibus snnt. Seductionibus, aut persecutionibus fides non corrumpetur, sed purgarut. O mira virtus gladij separantis, qui nõ solum coniunctioni extraneorum resistere non potest, quos amicitia voluntaria iungit, sed nec ipsa dilectio violenta naturæ carnalis. Et ideò non solùm illos separat, qui dilectione coniũcti sunt, & natura disiuncti: sed etiam illos, quos carnalis necessitas dnleibus vineulis alligauit. Ideo dicit: *Veni enim separare filium aduersus patrem, &c.* Notanda res est, quoniam quos separat Christus, fideles sunt: à quibns separat infideles. Vnde ostendit, ex eo quod dicit: *Qui diligit patrem plusquam me, non est me dignus.* Qui enim plus diligit patrem quàm Deum, permanet iuxta patrem. Qui antem diligit Deum plusquam patrem, recedit à patre, fide, non corpore. Ideo autem diximus: quia quos separat Christus, fideles sunt, vt sciamus: quia semper fideles ab infidelibus recedunt, non infideles à fidelibus: quia semper diabolus desiderat infideles suos eum fidelibus esse, vt infideles eum fidelibus mixti, corrumpant fideles: & Christus semper fideles festinat ab infidelibus separare, vt ne fideles eonuenientes cum infidelibus, corrumpantur ab eis. Et vbicunque separatio inter bonos, & malos facta legitur in scripturis, semper boni secesserunt à malis, & non mali à bonis. Quum essent Iudæi in captiuitate, Deus per Prophetam non ad Assyrios dicit: Exite, exite de medio populi mei, sed ad populũ suum: Exite, exite de medio eorum, & immundum ne tetigetis: quia malum coinqninat bonũ, bonum autem non coinquinat malum. Vt puta, iunge lutum farinæ, non farina sordidat lutum, sed lutum farinam. Item iunge acetum vino, nõ vinum eorrumpit acetum, sed acetum vinum. Nec enim eorrumpi potest ab alio, quod naturaliter à seipso corruptum est. Ideo quum dixerint infideles. A nobis vos recessistis, non nos à vobis, crede, verum enim est: Semper bonum ante malum fugit, malum autem ante bonum non fugit. Item quum dicit: Ecce ille sacerdos hæreticus desiderat ore fucum fidelibus, & dare benedictionem fidelibus: crede, verum est enim. Scit enim dato suo coinquinare, non sanctificare accipientẽ. Si enim sciret sanctificare qui dat, vtique rogandus fuerat nõ rogaret. Nnne autem quia coinquinat datum eius, non expectat, vt quæratur, sed ipse quærit quẽ perdat. Ecce ille laieus infidelis, benedictionem desiderat accipere à fideli: non vt ipse sanctificetur accipiens, sed vt tu & quod dedisti & perdas: & quia dedisti sanctnm canibus, pereas. Non dixit separare filium à patre sed aduersns patrem: qnia non corporalem separationem inbet, sed spiritualem. Qui enim corporaliter separatur, à patre separatur, non contra patrem: qui autem spiritualiter separatur, corpore quidem eum patre est, fide autem aduersus patrem. Nam qui longè est à patre non potest stare contra patrem: qui antem ante patrem est, ille potest esse contra patrem, respondendo, blandiendo, disputando. Non enim eredibile est vt corporaliter iubeat relinquere patrem, qui dixit? Honora patrem tuum & matrem tuam. Si ergo habes patrem infidelem, obseqnere ei, & tu inuenies mercedem pietatis, & ipse infidelitatis suæ habebit damnationẽ suam. Et ideo non dixit: Qui diligit patrem, non est me dignus, sed ait; *Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Sicut enim post Deum diligere parentes, pietas est: sic plus quàm Deum diligere, impietas est. Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei. Si autem voluerit te in eandem foueam infidelitatis immergere, in qna ipse est: tnnc plus dilige Deum, quàm patrem: quia pater non est animæ, sed carnis. Solns autem Dens omnium animarum sanctarum pater est. Reddite ergo vnicuique quod suum est. Carnalibus patribus præbete carnis obsequium, spiritualibus autem patribus animæ sanctitatem. Et verè nihil est quod ampliùs diligere debeamus qnàm Deum. Amici enim recednnt, parentes deficinnt, solus autem Christus nec recedit aliquãdo, nec deficit, donec voluerimus & nos esse cum ipso. Quum de hoc mundo exierimus, vnaquæque anima ad locum suum recedit: & nemo recordatur amplius carnalem affectum, qunm de carne recesserit. Non pater filium, non filius patrem. Omne enim quod de terra suscepimns, in terra dimittetur, & neminem nobiscum habebimns, nisi opera nostra: si bona sunt, ad gloriam: si mala sunt, ad pœnam. *Qui non tulerit crucem suam, & secutus fuerit me, non est me dignus.* Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarium fuerit vsque ad mortem, magis quàm relinquere Christum, Ille talis, & si de misericordia Dei euadit, tamen qnãtum ad propositum suum quotidie cruciatur. Ideo & si nihil tale fuerit passus, mercedem

Res mala tandiu stat quandiu nocere potest.

Esa.52.

Exod.20.
Deut.5.

tamen accipiet. Voluntas enim remuneratur, non opus: quia voluntas ex nostro arbitrio procedit, opus autem per gratiam Dei consummatur. *Qui inuenit animam suam perdet eam.* Melius est propter Deum mori, & in perpetuum viuere, quam propter vos viuere, & in perpetuum mori. Si ille pro nobis mortuus est, qui mori non poterat, nisi voluisset: quanto magis nos pro eo mori debemus, qui & si nolumus, mortales sumus? Si Dominus pro seruis mortuis est, & hoc sine præmio, iustius est, vt seruus moriatur pro Domino & hoc cum præmio. *Qui vos recipit, me recipit.* Quoniam Apostoli & cęteri Christiani in persecutoribus Iudęorum & gentilium constituti, necesse habebant interdum declinare, & pericula fugere de ciuitate

Matth. 10.

in ciuitatem, secundum Christi mandatum: ideo honorem suum dedit eis, magis autem seipsum posuit in eis, vt ad susceptionem eorum omnem Christianum populum prouocaret, sibi imputans acceptum, quod illis fuerat datum, vt recipienti-

Matth. 25.

bus eos dicat in die iudicij: Venite benedicti patris mei, accipite regnum, quod vobis paratum est ante constitutionem mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Quod vni enim ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Si enim qui minimis de ecclesia facit, Christo facit: quãto magis qui Apostolos recipit, cęterásque passiones Christi circumferentes in corpore suo, ipsum recipit Christum? *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, &c.* Prophetæ doctores intelligũtur, sicut supra docuimus. Iusti autem omnes Christiani. Prophetæ ergo nomine voluit ostendere omnes prædicatores Christi. Iusti autem nomine, omnem hominem Christianũ, quia nõ solùm doctorum est, persecutionum causa va-

Vt habeat eleemosyna suam mercedem: duo concurrere debẽt.

gari de ciuitate in ciuitatem, sed omnium Christianorum perfectorum in Christo credentium. In nomine prophetæ, id est, quasi prophetã Christi, In nomine iusti, id est, iustum Christi seruum. Vt ergo habeat bonum opus mercedem, duo hæc occurrere debent, vt & Christianum recipiant, & quasi Christianum, siue sacerdotem, siue laicum. Si autem aliquis aut non Christianum recipit, aut Christianum quidem recipit, non autem quasi Christianum, mercedem Christiani non recipit. Quid verò est: *Qui recipit prophetã in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet? & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*: hoc est, qualem mercedem habet qui peregrinatur, talem mercedem habet & ille qui suscipit propter Deum peregrinantem. Et fiunt ambo æquales, & ille qui propter Deum laborat, & iste qui propter Deum laborantem refrigerat, Vtputa suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem. Suscepisti laicum iustum, iusti laici habes mercedem. Qui recipit Christianum ille qui Christianus non est, nõ habet mercedẽ Christiani illius: quia & Christianum si suscipit, tamen non eum nomine Christiani, aut propter honorẽ Christi, sed quasi quẽcumque hominem. Qui enim Christum non cognoscit, quomodo Christianum suscepisse intelligatur propter Christum? Et qui non credit veritati, quomodo confessorem veritatis intelligatur suscepisse propter veritatem? Non ergo recipit eũ in nomine Christi, quasi Christianum, sed quemadmodum cæteri Gentiles humanitatis causa recipiunt peregrinos, non propter Christum. Quod autem diximus, siue Christianum receperit, siue sacerdotem, siue laicum, non habet mercedem, quia nõ quasi sacerdotẽ suscepit, nec quasi Christianum: ita est intelligendum, vt suscipiens sacerdotem mercedem sacerdotis non habeat, & suscipiens Christianum mercedem Christiani non habeat. Alioqui habet mercedẽ propter hoc solum, quia bonum opus fecit, quamuis non fecerit propter Christum. Quoniam qui prophetam suscipit, non quasi prophetam, prophetæ quidem mercedem non habet, aliquam autem habet. Huius rei

Dan. 4.

testis est Daniel, dicens: Et tunc Domine rex consilium meum audi, & peccata tua eleemosynis redime. Si ergo ille rex idolorum cultor poterat eleemosynis peccata redimere, cui non profunt eleemosynę? Sed audi mysteriũ, quod Petrus apud Clementem exposuit. Si fidelis fecerit opus bonum, & hîc ei prodest liberans eum à malis, & in illo seculo ad percipiendum regnum cæleste, magis autem ibi quàm hîc. Si autem infidelis fecerit opus bonũ, hîc ei prodest opus ipsius, & hîc ei reddit Deus bona pro opere suo. In illo autẽ seculo nihil ei prodest opus ipsius. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum, & iuste, quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum. Ideo in corpus suum recipit mercedem operis sui, non in anima sua.

Qui natura li ductu, non ex fide facit bonũ in tempore hoc accipit mercedem suam

Item si Christianus dederit ei qui non est Christi, non magnam habet mercedem, quia nec Christiani dedit, nec quasi Christiano, dicente Tobia: Effunde vinum tuum super sepulchra iustorum, & nõ dederis peccatori. Item sapientia: Recipe, inquit, iustum, & ne dederis impio. Tamen quia scriptum est: Operemini bonum ad omnes, magis autem ad domesticos fidei: qui dat infideli, modicam quidem tamen habet mercedem: qui autem fideli dat, duplicem habet mercedem. Primùm quidem quia creatura Dei est, secundùm quia seruus Dei est. Qui autem infideli dat, vnam habet mercedem, quia creatura quidem est Dei, voluntate autem aduersus Deum. Quòd si Christianus non Christianum, sed infidelẽ in nomine Christi suscipit, nihilominus habet statutam mercedem, quia quantum ad se non Christianum suscipit, sed quasi Christianum.

Tob. 4.

Eccli. 12.

Galat. 6.

Infideli praebita eleemosyna apud Deum non frustratur mercede.

Et quicũque vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ dederit, tantum in nomine discipuli. Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Non peribit merces eius. Quoniam supra dixerat, Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustũ in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Hîc exaggerans mercedem suscipientium, supra modum ampliùs dicit. Hoc est quod dico, quia qui etiam vni ex minimis istis qui neque prophetæ sunt, neque iusti, sed tantum credentes in me, aquam frigidam porrexerit: hoc est, non dicam qui eos magnifice susceperit, sed qui vel aquam frigidã porrexerit eis, merces eius non peribit. Minimi autem sunt in ecclesia, qui modicæ iustitiæ sunt, aut modicæ fidei. Et vide quam proprie de minimis dicat. Non dicit: Qui vnum ex minimis receperit, sicut quum loqueretur de prophetis & iustis, quia minimi in populo Christiano non opus habent susceptione. Nec enim peregrinantur causa persecutionis, nec contẽti sunt persecutionis aliquam subire molestiam, sed statim scandalizantur. Vnde & alibi dicit propter eos: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Proprium autem prophetarum & iustorum virorũ est causa persecutionis peregrina-

Minimi in ecclesia qui.

Matth. 24.

ri

ri de ciuitate in ciuitatem: illos ideo suscipi mandat, his autẽ aliquid dari, ne forte propter ipsam leuem indigentiam scandalizentur. Vnde non dixit: Qui vnum ex magnis istis scandalizauerit: sed vnũ de pusillis istis, quia magnus nõ scãdalizatur, sed pusillus. Vere iustus iudex. Qui enim & pro verbo ocioso cõstituit pœnam, iustum erat vt pro aqua frigida daret mercedem. Tantum in nomine discipuli supra caute addidit, dicens: Sciens quoniam si quis non propter nomen Christi dederit, non habet mercedem. Frigidam aquam dicit, vt ne calefaciendi impendat laborem. Non quia aliquid est quod dat, ideo habet mercedem, sed ob id quia magnus est propter quem dat. Quid enim, si aliquis voluit dare, & non potuit? Nunquid iustum est, vt secundum modicum angustetur larga voluntas? Melius est ergo vt opus ostendatur secundum voluntatem, quàm larga voluntas angustetur secundum opus. Quomodo ergo omnes pauperes volentes benefacere confortat, nolentes autem benefacere inexcusabiles reddit. Qui enim aquæ frigidæ mercedẽ constituit, puto quod & sine opere nudæ voluntati reddet mercedem.

Nuda voluntas mercedem habet. *Matth. 10.*

S. AMBROSII EPISC. *Mediolan. superioris Euang. expositio.*

Lib. 7. in Lucam. *Cor. 3.*

IGnem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Non vtique illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem; qui aurea dominicæ domus vasa meliorat, fœnũ verò consumit & stipulam, ac sæcularia omnia mundi voluptate concreta, peritura&qacute; opus carnis exurit: ignis ille diuinus, qui flammigerabat in ossibus prophetarum, sicut sanctus Hieremias dicit; Quia factus est sicut ignis ardens: flammigerans in ossibus meis. Est enim ignis Domini, de quo dictum est; Ignis ante eum ardebit. Est & idẽ Dominus ignis, sicut ipse dixit; Ego sum ignis ardens, & non consumens. Ignis enim Domini, lumen æternum est. Quo igne illæ accenduntur lucernæ, de quibus suprà dixit, *Sint autem lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes.* Et ideo quia nox est dies huius vitæ, lucerna est necessaria. Hunc ignem in se etiam Amaõ & Cleophas à Domino missum esse testantur, dicentes; Nónne cor nostrum ardens erat in via, cùm aperiret nobis scripturas? Euidenter itaque docuerunt qualis istius ignis sit operatio, qui secreta cordis illuminat. Et ideo fortasse Dominus in igne venturus est, vt resurrectionis tempore vitia vniuersa consummat, suique cõspectu desideria compleat singulorum, meritorúmque & mysteriorum lumen accendat.

Hier. 20. *Psal. 96.* *Exod. 3.* *Luc. 24.* *2. Thess. 1.*

Putatis quòd pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem. Cùm in omnibus ferè Euangelij locis spiritualis intellectus operetur, tamen in præsenti maximè: & ne quem duritia nudæ expositionis offendat, spiritali altitudine sensus series temperanda est, præsertim cùm sacrosancta religio moralibus disciplinis & moribus pietatis exemplis etiam fidei exules ad reuerẽtiam tamen sui clementer inuitet, vt præuia fidei disciplina, mansuetudine sui superstitionum dura dissoluat, & obnoxias erroribus mentes cogat etiam fide credere, quas potuit pietate mulcere. Etenim cùm fidei alta pectoribus non capiuntur infirmis, per ea quæ præcepta sunt, ea quæ veneranda sunt æstimantur; vt iusta de iusto, sancta de sancto, bonorum suorum bonum testentur auctorem. Ergo Dominum illum qui simul diuinitatis reuerẽtiam, & pietatis gratiam sua lege complexus est, dicens; Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum: ita nunc mutatum esse opinabimur, vt abolere necessitudinum nomina, collidere pietatis affectus, charissimorum pignorum dissidia mandasse credamus? Et quomodo ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum? Quomodo ipse dicit; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, si parentes à filiis, filios à parentibus dissidio necessitudinis separaturus aduenit? Quomodo maledictus qui non honorat patrem, religiosus qui deserit? Sed si aduertamus quia prima causa religionis, secunda pietatis est, enodandam etiam hãc æstimabimus quæstionem. Oportet enim vt diuinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est; quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? Aut si illi omnino non recognoscunt parentem, quemadmodum tu recognoscas? Non igitur dicit renuntiandum esse pignoribus, sed Deum omnibus præferendum. Denique habes in alio libro: Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Non diligere parentes, sed Deo præferre prohiberis, etenim naturæ pignora Domini beneficia sunt. Nec quisquam debet plus amare beneficiũ quod accepit, quàm Deum à quo beneficium seruatur acceptum. Ergo etiam secundum literam piè intelligentibus expositio religiosa non deest; subest tamen quo altiùs referendum putemus hunc sensum, quia addidit; *Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur; pater in filium, &c.* Qui sunt enim quinque, cùm sex personarum facta videatur subiectio, patris & filij, matris & filiæ, socrus & nurus? Quãquam eadem mater quæ socrus accipi possit. Quæ enim mater est filij, socrus eius vxoris est: vt iuxta literam quoque numeri non absurda sit ratio, liquidóque clareat fidem vinculis nexam non esse naturæ, quia licet officio pietatis obnoxij, fide tamen liberi sunt. Non incongruum quoque videtur si mystica interpretatione enodemus hunc sensum. Domus vna, homo vnus est. Vnusquisque enim domus aut Dei est, aut diaboli. Itaque domus spiritalis, homo est spiritalis, sicut habemus in epistola Petri: Et vos tanquam lapides viui ædificamini domus spiritalis, in sacerdotium sanctum. In hac ergo domo duo in tres, tres in duos diuiduntur. Duos legimus frequenter, animam & corpus. Quòd si duobus in terra conuenerit, efficiuntur vtraque vnum. Et alibi; Castigo corpus meum, & seruituti redigo. Aliud est quod seruit, aliud cui subiicitur. Si duos agnouimus, etiam tres agnoscamus: quod procliuè ex illis duobus est intelligere. Tres enim animæ in corpore affectiones sunt; vna rationabilis, alia concupiscibilis, tertia irritabilis, hoc est, λογιστικὸν, ἐπιθυμητικὸν, θυμικόν. Non ergo duo in duos, sed duo in tres, & tres in duos diuidentur. Etenim per aduentum Christi homo qui erat irrationabilis, rationabilis factus est. Antè eramus similes bestiarum, quæ rationem nesciunt, eramus carnales, eramus terreni, iuxta Domini sententiam; Terra es, & in terram ibis. Venit Dei filius, misit spiritum

Deut. 6. *Luc. 10.* *Ephes. 2.* *Ioan. 14.* *Deut. 27.* *Matth. 19.* *Matth. 10.* *1. Pet. 2.* *Matth. 18.* *1. Cor. 9.* *Ephes. 5.* *Genes. 3.*

sirem suum in corda nostra, facti sumus filij spiritales. Possumus etiam dicere quia in hac domo sunt alij quinque, id est, odor, tactus, gustus, visus, auditus. Ergo si secundum ea quæ audimus aut legimus, separato sensu visus atque auditus, excludamus superfluas corporis voluptates, quæ gustu, tactúque & odore pariuntur, duos in tres diuidemus, eo quòd mentis habitus vitiorum nō capiatur illecebris, sed æmulatione virtutis à lenociniis se voluptatis abducat, ne fiat omnium vna consensio, quæ præcipitet in errorem, sed diuidendo se separēt desideria cordis; & officia vir-
Luc.16. tutis. Aut si quinque sensus accipimus corporales, vitia iam corporis & peccata se separant. Et fortasse quinque sunt quos fratres suos ille in
S. Aug. to.7. libr. 2. contra Iul. Pelag. c.5. Euangelio diues luxuriosus appellat, qui cruciari describitur apud inferos, quibus mandari rogat vt nouerint in hoc sæculo delicias abdicandas, vt possint requiem habere post sæculum studio virtutis. Possunt etiam videri caro atque anima ab odore, tactu gustúque luxuriæ separata, in vna domo se aduersus incursantia vitia diuidentes,
Rom.7. sed subiicientes se legi Dei, & remouentes se à lege peccati: quorum licet dissensio per præuaricationem primi hominis in naturam se verterit, vt nequaquam sibi paribus ad virtutum efficaciam studiis conuenirent; tamen per crucem Domini saluatoris, tam inimicitiis, quàm etiam mandatorum lege vacuatis, in societatis concordiam
Ephes. 2. coaluerunt: posteaquam Christus è cælo pax nostra descendens, fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis euacuans, vt duos conderet in vno nouo homine, faciens pacem, & reconciliaret vtrosque in vno corpore
2. Cor.5. Deo. Quis est vterque, nisi vnus interior, alter exterior? Alterum ad animæ spectat vigorem, alterum refertur ad corporis sensum. Quanquam inseparabilis affectus conspiratione cōcordet, cùm caro subiecta meliori, salutaribus obedit imperiis: non quia in naturam animæ subtilitate materiæ transfusa demigret, sed quia deliciis abdicatis ab omni defæcata labe vitiorum, cælestis cōuersationis tramitem obedientiæ affectione gra-
Rom.7. diatur, iam non vt anteà legi mentis repugnans, sed per legem mentis & spiritum vitæ liberata à lege peccati, vt animæ caro fiat appendix, nō iam lena viciorum, sed æmula quędam, & quasi pedisequa virtutis. Et rursus quando anima corporis non conniuet illecebris, nec carnalium voluptatum delectatione vincitur, sed mens pura, mundique huius exuta famulatu, sensus corporis in suas illicit & attrahit voluptates, vt audiendi legendique vsu incrementa virtutis epuletur atque interioris succi spiritualibus nescitura famem sa-
Aug. tom. 7. l. 2. cont. Iul. Pel. ca.5. tietur alimentis. Etenim ratio cibus mentis est, præclaraque alimonia suauitatis quæ membra non oneret, neque se in naturæ pudenda, sed in ornamenta conuertat, cùm libidinum voluptabrum commutatur in Dei templū; diuersoriumq́; vitiorum sacrarium incipit esse virtutum. Quod vtique tunc fit, cùm caro in naturam regressa, vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ coniugalit arbitrio, qualis fuit cùm inhabitanda paradisi se-
Genes. creta suscepit, antequam veneno pestiferi serpentis infecta [illegible] gam famem sentiret, di[illegible] que me[illegible] am præceptorum animę sensibus in-

hærentem, edacitatis studio præteriret [illegible] carum inanalli proditur, tanquam c[illegible] máque genitoribus, dum corporis nat[illegible] ntatur, anima mal[illegible] sana compatitur. Quæ si ap petentiam corporis refrænasset, in ipso ortu extincta e[illegible] t origo peccati, quam velut virili infusam, corporis motu, malè fœta anima etiam [illegible] vigore corrupto alienis grauis oneribus parturiuit. Etenim ille valentior & fortior sexus quod in valido impetu velut virilis fertur affectus, [illegible] mol[illegible] orem quàm vehementiorem studet tenere rationem. Ex his itaque diuersarum cupiditatum motus adoleuit. Sed vbi in se anima redit, deformis partus pudore commota, degeneres abiurat hæredes abdicans motus, exosa peccatum. Caro quoque grauium laborum defœnerata sorte, & vsura iniurię miserabilis fatigata, vbi se cupiditatibus suis, quas sibi ipsa generauit, tanquam sen- Coloss.
tibus mundi doluit esse confixam, veterem hominem festinat exuere, vt se sibi auferat, ne improuidam parentem successio peritura destituat. Rursus cupiditatum irrationabilis motus, quasi cuiusdam formæ decore fucato, voluptatis lenociniis illectans, eam sibi tanquam in vsum societatis adsciuit, ita velut quędam corporis atque animę nurus voluptas, mortui prauæ cupiditatis innubit. Ergo quamdiu mansit in vna domo conspirantibus vitiis indiuidua inseparabilisque consensio, nulla videbatur esse diuisio. Vbi verò Christus ignem quo delicta cordis exureret, vel Hebr. 4.
gladium qui significat exertæ aciem potestatis quò spiritus medullarúmque secreta penetrantur misit in terras, tunc caro atque anima regenerationis innouata mysteriis, oblita quod erat, incipit esse quod non erat: ac se à veteris vitij, quamuis sibi ante dilecti societate secernit, & quasi prodigæ copulam posteritatis eliminat, vt diuidantur parentes in filios, dum intemperans motus temperantia corporis abdicatur, & anima declinat consortium culpæ, nec extrariæ illi & foris sumptæ locus remanet voluptati. Filij quoque in parentes diuiduntur, dùm renouati hominis censuram senium [illegible] tia vetusta declinant, pietatisque normam voluptas adolescētior tanquam serię domus refugit disciplinam. Non incongruum quoque est, si putemus quòd & isti ideo se diuidant, vt meliores fiant parētibus, maximè cùm in poste[illegible] ioribus dixerit, Si quis venit Luc. 14.
ad me, & non odit patrem aut matrem, & filios, & fratres, & sorores, etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Et ideo secundum simplicem intelligendi formam, gentilibus parentibus qui Christum sequitur filius antefertur. Religio enim præstat pietatis officiis. Illud quoque secundum aliorem interpretationem, quia de carne peccatū nascitur, & velut in vtero omnis operatur, de quo ait Apostolus, Si au[illegible] Rom. 7.
nolo hoc ago, iam non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum. Cùm enim pro [illegible] Rom. 6.
mundi huius effusus Domini sanguis aboleue[illegible] vitia, in gratiam ex offensione c[illegible] uerterit. Su- Rom. 5.
perabundauit enim peccatum, vt superabundaret gratia. Itaque vt ex peccato orta p[illegible] ad conuersionem pro[illegible] & ad [illegible] n gratiæ spiritalis impellat. Itaque quod [illegible] hi ad mortem, hoc erit in salu[illegible] m. Ergo [illegible] pecca- Rom. 7.
tum irriguo fontis ablutum, a[illegible] ea vnde generatum est carne secernitur: & dum vnusquisque cupit

pit redimere delictum, fit ex serie culpæ studium disciplinæ: concupiscentia quoque rerum malarum, & quidam motus feruidior cupiditatis, Dei verbo in appetitum transfunditur diuinæ charitatis & amoris, atque in eadem natura fit varia disciplina, multóque meliorem quàm antea voluptatem sibi mysteriorum cælestium ille corporis atq; animæ appetitus acquirit. Alitur enim animus cognitione rerum; & comperta futuro- 1.Cor.2. rum repromissione sublimior animæ opera vetusta fastidit. Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim illi est. Spiritalis autem diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur.

PETRI CHRYSOLOGI

Rauenen. Episcopi in superius Euang. Sermo: qui seruit pro explicatione Euangelij præcedentis.

Ser. 164. SIcut febricitantibus amarus est semper salutaris cibus, ita & sæpè dominicus sermo contrarius imperitis: vtrisque tamen aliter, aut ex corporis, aut ex mentis infirmitate contingit. Hodie dominus exasperasse nonnullorum videtur auditum, dicendo; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Et infra, *Putatis, quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem.* Et Ioan.1. vbi est illud: Ecce agnus Dei. Vbi illud, Sicut ouis Esa.53. ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram Matth.21. tondente se mutus, sic non aperuit os suum? Sed & illud: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus? Et quid est quòd agnus iste tam durè in prædicatione percutit? Quid sic arietat in verbo, qui in passione tanta patientia tacet, in morte tota humilitate succumbit? Et re vera, fratres mundum suũ Christus per omnia mitis & mansuetus intrauit, dũ nascitur nostro dulcis in germine: dùm cunis blandè blandior ipse fouetur: dùm paruulus in gremio se fundit, & resoluit humano: dùm parentis in collo stringitur, & stringit toto charitatis amplexu: & vt enutriat toto dùm nutritur affectu, per omnes sensim currit & adolescit ætates: pauper agit semper, solitarius semper incedit, quia pauper communis est semper: pater omnibus solitarius semper. Et quid est quòd tantum verbis spargit ignem, quòd tanta & talia inflammat & dilatat incendia, dicendo, *Ignem veni mittere in terram?* Quid est? Ager quoties longa incuria syluescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur, & purgatur incendio: ac studio benigno cultoris ignis apponitur, vt exustis sentibus reueletur prima facies cãpi, præstetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, fit germinis ferax sterilis diu terra: & longa, ac mœsta otia læto lætissima iam rependet in fructu. Ergo vbi Iudaicus cespes continuo aratro legis & iugi cultu effectus ad inopiam, non respondit germini, non labori, sed pro tritico loliũ reddidit, protulit pro vitibus spinas, Christus ad sata gentium diuini cultus conuertit industriam: ac diu oppressa dumis nationum cupiens noualia purgare, ignem mittit primum maximus magister in terram, & quicquid naturalis squalescecerat luxus, quicquid arescecerat brumalis rigor, artificiali depurgat & consumit incendio: quatenus sola longo exhausta ieiunio ipso suo cinere saginata pinguescerẽt, & post diuturnam duritiem tenera redderentur & mollia: ac sic euãgelico apta cultro semini redderentur commoda: & fœlici sulco iam redderent tricesimum, sexagesimum, ac centesimum fructum, sed hic ipse cultus nõ est nouus agricolæ veteri & cælesti: nam legem pangere, gratiam serere, ignis semper opere consueuit. Daturus le- Exod.3. gem ignem præmisit in rubo: sed diuinum rubus portauit, non concepit incendium: iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præsignans: & nunc in arua gentium cum destinaret Apostolos, sic eos igneo imbre perfudit, & ignis consedit super eos, vt possent humecta siccare, sicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia: & in opere diuerso vno, atque eodem igne ad cælestem copiam tota percolere deserta terrarum, dicente Propheta: In omnem terram Psal.18 exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed ad illud iam quod sequitur transeamus. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Vrget aqua ignem: cogitanda est talis, tam diuisa cõiunctio. Vrget vnda flammam: multiplicat flamma vndam. Quæ est talis, tam concors ista discordia? Geritur hic, sicut diximus, agricolæ diuini species: plena nanque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus ignis, & aquæ commercio nos germinat, vos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæstuat, anhelat affectu. *Baptismo habeo baptizari.* Christus suo baptizatur in sanguine, vt quicquid ex nostra carne suscepit diluatur, renouetur, & totam suæ diuinæ maiestatis redigatur in formã. Baptizatur Christus suę baptismate passionis, qui totius peccatum mundi lauit, quod nõ nisi ab eo qui mundum fecerat, poterat aboleri. *Putatis, ait, quia pacem veni mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem.* Quare? Quia coniunctio cælestis est in ista separatione terrena. Nemo potest connecti terræ, & iungi cælo. Grata ergo & chara sit ista terrena separatio, quæ nos sic à terreni separat, vt inserat nos diuinis. *Erunt,* inquit, *ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres: diuidetur pater in filium, & filius in patrem: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.* Cùm quinque dixerit ex vna domo diuidendo numero, nomina sex diuidentur, pater, filius, mater, filia, socrus, nurus: sed quia est ipsa socrus quæ mater est, certum est quinque tantum personas in his nominibus inueniri. Diuidunrur autem tres in duo, dùm in sponso sponsa coniuncta, socrus quæ tertia est, diuisa remanebit in domo. Ergo ista in qua Ecclesia coniungitur Christo Synagoga, quæ mater est, & socrus, permanet, suo iam marito perdiuisa. Duo ergo in tres ita diuiduntur, dùm de isto Christi & ecclesiæ consortio altera hæres scinditur, & diuiditur synagoga: vt Christus & ecclesia diuisi ab hæreticis vno maneant & iungantur in spiritu. Diuiditur & pater in filium, & filius in patrem: dùm Iudaicus populus qui per carnalem Christi generationem paternum sortitus est nomen, à Christo filio per inuidiam separatur: pater liuidus in odium vertit affectum, cui filij gloria iugis est pœna: est continuus cruciatus, dicente Apostolo: Quorum pa- Rom.9. tres, ex quibus est Christus secũdum carnem: qui est

est super omnia Deus benedictus in sæcula. Diuiditor & mater in filiā: est nanque synagoga mater, ex qua per Petrum & cæteros Apostolos nascitur Ecclesia filia: quæ vbi diuini regis Christi meruit habere consortium, matrem & æmulam pertulit, & nouercam. Et quæ filiæ mater talis, qualis nurui socrus? Hæc nanque synagoga mater vbi Ecclesiam nurum vidit ex gentibus aduenisse, occidit scelesta filium, nurus consortium ne videret: occidit Christum, si vel sic amorem nurus furibunda valeret extinguere, sed ex morte totum resurrexit in ecclesiæ coniugium Christus: vt probaret charitatem non separari morte, sed crescere.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex lib. 4. comment. in Luc. cap 55. IGnem veni mittere in terram, & quid volo nisi accendatur? Ignem quippe dicit spiritus sancti seruorem, qui secreta cordis illuminans continuis motibus ad superna prouocat, vitia concupiscentiæ carnalis quasi spinas tribulósque comburit, aurea dominicæ domus vasa probando meliorat, & ligna, fœnum, stipulámque consumit, qui mox in terram missus illas centum viginti, quas in arce Sion reperit lucernas, intima sui luminis aspersione fœtauit. De quibus supra cùm diceret, Sint lumbi vestri præcincti, addidit, Et lucernę ardentes. Quæris ergo (inquit) vtrum omnes moneam lumbis accinctis & lucernis ardentibus Domini aduentum præstolari: sed qui ob hoc solum de sinu patris exiui, & veni in mundum vt homines à terrenis cupiditatibus in cælestia desideria succendam, quid putas volo aliud quam vt huius incendij iubar cunctas mundi plagas illustret, huius flamma deuotionis vsque ad finem sæculi fidelium semper augescat in corde, neque vllo infideliū vel fluctuum extinguatur incursu vel flatuum? *Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem.* Quomodo post baptisma suæ passionis, post ignis spiritalis aduentum, terra sit arsura declarat. Siquidem ad fidem Christi totus orbis contra se diuisus est, vnaquæque domus & infideles habuit & credentes, & propterea bellum missum est bonum, vt rumperetur pax mala. Quod & Esaias sub typo Aegypti prophetice præcinit dicens: Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius, & concurrere faciam Ægyptios aduersus Ægyptios: his videlicet contra fidem, illis pro fide dimicantibus. *Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur.* in duo & in tres, contra duo & contra tres significat. Et notandum quomodo quinque diuisos dicat, cum videatur sex personarum subiecisse vocabula, patris scilicet & filij, matris & filiæ, socrus & nurus. Intelligendumque eādem socrus, quam matris nomine designatam, quia quæ mater est filij, ipsa & socrus est vxoris eius, ideoque illa ipsa & in filiā suam & in nurum dicitur esse diuisa. Quas si qui diuisiones etiam allegorice quærat interpretari, tres in duo & duo in tres diuiduntur, quia boni malis, & mali bonis sentiunt atque agunt aduersa. Tria nanque ad eos qui fidem summæ Trinitatis seruāt, pertinere nemo est qui dubitet. Duo quoque illis congruere qui à fidei vnitate dissentiunt, & multis scripturarum locis, & ibi maxime probatur, quod & immunda in arca animalia sub hoc numero retinentur, & sola in Genesi secundi diei opera visa à Deo quia bona sit non dicitur. *Pater in filium, & filius in patrem suum.* Pater hic diabolus est, cuius aliquando filij non illo creante sed nobis imitantibus eramus, dicente Domino: Vos ex patre diabolo estis. Sed postquam vocem monentis audiuimus; Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, *Psal. 44.* venit ignis ille, id est gratia spiritalis separauit nos ab inuicem, ostendit alterum patrem, cui diceremus, Pater noster qui es in cælis? *Mater in filiam, & filia in matrem.* Mater Synagoga, filia est Ecclesia primitiua, quæ & ea de qua genus duxit Synagoga fidei persecutionem sustinuit, & ipsa eidem Synagogæ fidei veritate contradixit. *Socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.* Socrus Synagoga, nurus est Ecclesia de gentibus, quia sponsus Ecclesię Christus filius est Synagogæ, dicente Apostolo: Quorum patres & ex quibus Christus secundum *Rom. 9.* carnem. Socrus igitur, id est mater sponsi, & in nurum sicut prædiximus suam, & in filiam diuisa est, quia Synagoga carnalis siue de circuncisione, seu de præputio credentes persequi non cessat. Sed & ipsę in socrum matremque sunt diuisę, nolentes circuncisionem recipere carnalem, vt actus Apostolorum docent.

INCERTI CVIVSDAM
sub nomine Eusebij Episc. Emissení, Hom. in præcedens Euang.

NOlite ergo arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram, &c. Quid est ergo quod Psalmista ait: Orietur in diebus eius iustitia. & abundantia pacis, cùm ipse Dominus dicat: Non veni mittere pacem? Venit enim mittere pacem, venit & distribuere pacem. Venit mittere pacem inter bonos, & gladiū inter bonos & malos. Pacem enim habebant illi de quibus dicitur: Multitudinis au- *Act. 4.* tem credentium erat cor vnum, & anima vna. In talibus igitur orta est abundantia pacis. Sed quid est quod Apostolus ait: Si fieri potest quod ex *Rom. 12.* vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Si enim cum omnibus hominibus pacem habere debemus, inter quos gladium saluator noster mittere venit. Debemus quidem pacem habere cum aliis, vt eos diligamus, eos ad salutem animæ inuitemus, & nihil mali eis tractemus. Sit tamen gladius inter nos & illos, vt eos non imitemur, eorum fidem & facta non sequamur, eorúmque consiliis iniquis nō consentiamus. Venit igitur Dominus mittere pacem, sed non illam, qua mali inter se malo concordant. Vnde & subditur: *Veni enim separare hominem aduersum patrem suum, &c.* Omnes enim isti malo concordabant: omnes isti pacem, & concordiam in malo habebant. Hanc pacem non venit mittere Dominus, hanc concordiam non approbat Iesus. Istis fuit inter quos non pacem, sed gladium mittit: gladium vtique separationis, vt aliis in infidelitate persistentibus, alij ad fidem conuertantur. Vnde

fit

fit vt qui prius erant domestici hominis, eiusdem postea inimici fiant, & quasi eum hostem persequantur. Et ne fortè aliquis diceret: Rem valde difficilem, ô Domine, & quodammodo intolerabilem iubes, vt videlicet à fratribus & filiis, & parentibus tantopere separemur, subdidit dicens: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, &c.* Et amplius, ac si diceret super hæc: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Legimus filios Leui ex præcepto Moysi per medium castrorum transisse, & fratres, & filios, parentes, & propinquos, & magnam hominum multitudinem interemisse, qui à Domino viuo, & vero recesserant, & vitulum aureum adorauerant.
Exod.32. Quibus protinus ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Abraham quoque non pepercit filio suo vnigenito propter
Gen.22. Dominũ, vnde & à Domino audire meruit: Nunc cognoui quod timeas Dominum, eò quòd non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. Similiter autem & Iepte filiam vnicam interfecit, ne votum frangeret, & Dominum offenderet. Tales igitur sint nobis exemplum, vt Dominum plus omnibus diligamus, & neque filios, neque fratres, neq; aliquid aliud eius amori præponamus.
Matth.18. Audiamus ipsum dicentem: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Et siue pater sit, siue frater, siue vxor, siue filius sit, quis nos ab amore eius separare velit, hunc à nobis repellamus, & quasi hostem habeamus. Sequitur: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Qui enim accipit crucem suam, & sequitur Christum, non solùm plusquã patrem & matrem, & filium, & filiam Christum diligit, verumetiam plusquam seipsum: seipsum autem dico vitam suam. Qui enim vitam suam pro Christo ponere non timet, plus vtique diligit Christum, quàm vitam suam. Crucem autem accipere dicit, non lignum crucis portando, sed & eius passionem imitando, siue & per abstinentiam carnem domando, & cruciando. In cruce enim omnia tormentorum genera designantur: vnde & cruciari dicitur, qui quolibet modo affligitur. Crucem
Galat.6. autem ferebat Apostolus, qui ait: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. *Qui inuenit animam suam, perdet illam. Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Animam enim in hoc loco pro vita posuit: quoniam omnis vita nostra in anima est. Alij igitur in hoc seculo vitam suam inueniũt, quoniam amore huius vitæ, non quærunt aliam vitam. Et isti simul quidem perdunt vtranque vitam: quia amore alterius vitæ pro nihilo ducunt istam vitam. Et isti igitur quia perdiderunt hãc vitam, in vitam æternam custodient, & possidebunt æternam vitam. Quid enim vitam æternam, nisi in æternum? *Qui recipit vos, me recipit.* Dixit enim superius, quia tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati, quæ non receperit eos. Nunc autem quantam gratiam à Domino consequantur, qui eos recipiunt ostendit. Quia, inquit, vos mẽbra mea estis, & ego in vobis sum, qui recipit vos, me recipit. Similiter autem quia ego, & pater vnum sumus. Et ego sum in patre, & pater est in me: qui me recipit, recipit eum qui misit me. Vnde manifestum est: quia & patrem & filium totámq; Trinitatem recipit, qui Dei filium veneratur & recipit. Qui verò Dei ministro iniuriam facit, Deo omnipotenti, Trinitati inseparabili iniuriam facit. Mittitur autem filius à patre: quia vna est eadémque voluntas totius sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, qua Dei filius in mundum missus, & incarnatus est. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Ille enim recipit Prophetam in nomine Prophetæ, qui non affectu carnis eum recipit, sed quia Christi fidem prophetat & nuntiat: ideóq; accipiet mercedem Prophetæ: quia eãdem mercedem habebit iste de receptione, quam Propheta de prophetia. Qui igitur Dei sacerdotes pro Christi nomine veneratur & recipit, mercede sacerdotis non priuabitur. *Et qui recipit iustum in nomine iusti,* id est, quia iustus est, *mercedem iusti accipiet.* Meritò enim iustitiæ mercedem accipiet, qui in tantum iustitiam diligit, vt omnibus hominibus ex affectu seruiat, in quibus iustitiã esse cognoscit. *Et quicũque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, &c.* Non tantum, inquit, de maiori obsequio, sed de minimo quoque mercedem suscipient, quicunque in nomine discipuli vobis seruierint. Multi enim seruiunt Episcopis & sacerdotibus, neq; Episcopi & sacerdotes sunt: sed quia temporalem aliquam retributionem ab eis expectant. Isti autem in nomine discipuli non seruiunt. Si igitur hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

NE putetis quod venerim, vt mittam pacem super terram, non veni vt mitterem pacem sed gladium. Non vbiq; bona est concordia, sed bonum quandoque est, & dissidium. Gladius igitur est sermo fidei, qui nos auellit à consuetudine familiarium, & cognatorum ad pietatem impedientium. Non enim simpliciter dicit, vt ab his sequestremur & dissideamus: sed dùm non conducunt, & impediunt à salute. *Qui amat patrem vel matrem vltra me, non est me dignus, &c.* Vides quòd tunc oportet nos odio habere parentes & filios, quando volunt nos à Christo magis auellere. Et quid dico patrem & matrem & filios, quod maius est, audi: *Qui,* inquit, *non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus.* Quisquis, inquit, non renunciauerit præsenti vitæ, & tradiderit se in mortem contemptibilem (hoc enim prisci crucem vocabant) non est me dignus. Quoniam multi vt fures & latrones crucifiguntur, apposuit: Et sequitur post me, hoc est iuxta leges meas viuit. *Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam, &c.* Inuenire videtur animam suam, qui vitam, quæ in carne est custodit: sed perdit eam, quia mittit in æternum supplicium. Qui autem perdit animam suam & moritur, non vt latro, vel seipsum strangulãs, sed propter Christum ille seruat eam. *Qui recipit vos, me recipit, &c.* Excitat nos, vt suscipiamus eos, qui à Christo mittuntur. Nam qui discipulos suscipit, ipsum veneratur, & propter illum etiam patrem. Oportet autem suscipere iustos, & Prophetas in nomine iusti & Prophetæ, hoc est quia iusti sunt & Prophetæ, non propter præfecturam & subsidium à

regibus. Quod si quis fortè & Prophetæ figuram gerat, opere autem non idem præstet, tuque vt Prophetã ipsum susceperis, & Deus quasi iustum suscepisses tibi retribuet, hoc enim signat, mercedem iusti accipiet. Vel etiã aliter intelligas, quòd iustus existimetur etiam ille, qui suscipit & accipiat mercedem quam iusti capiunt. *Et quicunque potauerit vnum ex pusillis istis poculo frigidæ aquæ tantum nomine discipuli, &c.* Ne paupertatem quis prætexat dicit quòd & si poculum aquæ frigidæ des, eò quòd ille meus discipulus sit, & huius accipiet mercedem. Poculum autem aquæ frigidæ dat, & qui docet quempiam flagrantem igne Dei, vel concupiscentiarum. Et qui facit eum nominari discipulum Christi, nec id perdet mercedem.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

† *NE putetis quod venerim pacem missurus in terram: non veni pacem missurus, sed & gladium.* † Atqui nato eo dicebant angeli: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax. Et prophetæ pacem eius annunciauerãt, Ipse quoq; discipulis iussit, vt quamlibet domũ ingredientes, pacem ei optarent. Quomodo ergo nunc dicit: Non veni missurus pacem, sed gladium? Quia gladius hic, pacem illam facturus est de qua dixerunt angeli, & ante illos prophetæ. Gladium autem vocat dilectionem erga se, vtpote fideles ab infidelibus diuidentem: cuius inexpugnabili virtute ipsi quoque genere amicissimi, citiùs à mutua coniunctione sunt diuisi, facileque abstracti. Alibi præterea vehementem eius
Luc.12. actiuitatem demonstrans, dixit: Ignem veni missurus in terram: Siquidem primum abscindere oportebat quod erat immedicabile: deinde pacificare cætera, & erga seipsum & erga Deum. Propter hoc ergo duriùs ita loquutus est, vt his cognitis, postea nũ turbentur. Adhuc autem sermonem qui de hoc factus est explanat, breui verbo auditum eorum exercens, ne ob rerum difficultatem reclament.

† *Quid per gladium significatur, nisi lectio verbi, diuidens peius à meliori, & separans fidelem ab infideli: excitans filium & filiam ac nurum, aduersus patrem & matrem ac socrum: & noua ac recentia, aduersus antiqua & inueterata.*

Veni enim vt dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, &c. Rursus per hos charissimos, cognationem omnem significauit. Proprissime autem dixit: Vt hominem siue filium dissidere faciam aduersus patrem suũ, filiam autem aduersus matrem suam. Siquidem chariores sunt: filius quidem patri, filia vero matri, propter naturę similitudinem. Ad hæc nurum apte dixit aduersus socrum suam diuidendam esse: magnum enim cum obseruantia pudorem, reuerentiam, ac obsequium exhibebant nurus socribus. In nuru autem significauit & generum aduersus socerum suum separandum. Superiùs itaque simplicem fecerat enumerationem
Supr.eod.10. dicens: Prodet frater fratrem in mortem, & pater filium: hic vero alio modo enumerauit naturaliori, magísque proprio. Quod si dissidere facit hominem aduersus eum, qui ipso superior est, multo magis aduersus coniugem, quæ ipsi subiecta est: illud enim naturale, hoc autem ascititium est. Proinde hoc quasi manifestũ reliquit intelligendum.

In sequentibus verò etiam expresse de coniugibus commemorabit, dicens: Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centupla accipiet, & vitæ æternæ sortietur hæreditatem. *Et inimici hominis domestici eius.* † Hoc propheticum est verbum, dictum olim aduersus Iudæos, quando contra se inuicem dissentiones habebant. Christus autem opportune aptauit his quæ dicta sunt, significans quòd omnes domestici eius qui crediturus est, inimici eius efficientur. Infr.19. † Mich.

† *Micheę.7. Filius contumeliã faciet patri, & filia consurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis omnes domestici eius.* †

Qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus, &c. Hic quoque de solis ascendentibus & descendentibus in vnoquoque disseruit, tanquam magis proprijs & familiaribus. Qui amat, inquit, illos supra me: nam quando illi pij sunt, honestum est illos amare. Semper autem malum est amare illos supra Deum. *Et qui non accepit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Crucẽ vocat mortem ad ea quæ mundi sunt: quia mortis instrumentum erat crux. Oportet enim eum qui Christũ sequutus est, mortuum esse ad mundanas voluptates, sicut ille. Sequitur autem illum, quisquis per vestigia conuersationis eius incedit. *Qui inuenerit animam suam perdet eam.* Qui inuenerit, hoc est lucratus fuerit tempore martyrij, & non perdiderit per mortem, hic perdet eam in futuro seculo, hoc est, in supplicium inijciet, nempe perdita fide. *Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Cui ablata fuerit mea causa ab infidelibus, hic potius inueniet illam, siue lucrabitur, id est, seruabit. Hęc autẽ dicebat abducens illos ab ignauo vitæ amore, & ad martyrium prouocãs: Rursum alibi vario Luc.14. modo Christus mentem impellit: sæpiúsque id in multis facere solet. *Qui recipit vos, me recipit, &c.* Hæc dixit aperiens discipulis domos fidelium. Quis enim læta fronte illos non excipiet hospitio, per ipsos suscepturus filium, & per filium patrem? *Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, &c.* Etiam hæc propter eandem dixit causam. Generaliter autem primò simpliciter de propheta sentit, ac simpliciter de iusto intelligit: & deinde de discipulis infert. Dicit enim: Qui prophetam aut iustum hospitio excipit, non ad demonstrationem, aut alio quopiam simulato modo, sed ob nomen prophetæ vel iusti, id est, propter hoc ipsum, quod nominantur & sunt, ille propheta, & hic iustus: mercedem prophetæ & iusti accipiet. Id autem duplicem habet interpretationem. Vel quod æqualibus cum his honoribus dignus habebitur: Nam magna res est hospitalitas: & præcipue si Dei sint cultores qui excipiuntur. Aut quod dicendo, Mercedem prophetę & iusti, ostenderit discipulos, & prophetas & iustos futuros. Ne quis verò paupertatis velamentum obtendat, vide quousque sermonem demittat. *Et quicunque ad bibendum dederit vni ex his pusillis poculum aquæ frigidæ tantum, &c.* Pusillos dixit discipulos, docens eos modestiam seruare. ψυχρὸν communiter dicunt aquam frigidam, quanquam simpliciter aquam significare potest. Vnde & Marcus ποτήριον ὕδατος, id est, poculum aquæ Marc.6. absolute dixit.



IIII. IN COMM. VNIVS MARTYRIS NON PONTIF.

Euang. Matth. 10. Nihil opertum quod non reueletur, &c.

Euangelij huius explicationem inuenies suprà eodem Tomo in festo sancti Athanasij. Authorum verò expositiones, quæ tum temporis, propter exemplarium defectum, haberi nô potuerunt, hoc loco suppleuimus. Item vide infrà eodem Tomo in communi plurimorum Martyrum, Euangelio vltimo: Lucæ cap. 12. Attendite à fermento, &c.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris Euang. expositio.*

NIHIL *est occultũ quod nõ reueletur.* Diem scilicet iudicij ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet, & ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies iudicij nulla hæc fuisse, atque inania reuelabit. *Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.* Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse, sed quia omnis sermo eius carnalibus tenebræ sunt, & verbum eius infidelibus nox est. Itaque id quod à se dictum est cum libertate fidei & cõfessionis vult esse loquendum. Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari iussit in lumine, vt quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentiũ præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prædicationis Apostolicæ reuelandum non timentes eos, quibus cùm sit licentia in corpora, tamen in animam ius nullum est, sed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna, & animæ, & corporis sit potestas. *Nónne duo passeres asse veneunt, &c.* Non est (vt puto) criminis agere aucupium, neq; venditio passerum habet culpam, & quod ait: *Vnus ex illis non cadet super terram sine voluntate patris vestri*, contra Apostolicum dictum facere videtur, quod ait: Non est pecudum Deo cura. Et authoritati eius multum derogabitur, si sensisse aliter, quàm in Euangeliis traditum est, reperietur. Nec sanè Apostolis multum dignitatis tribuetur si passeribus antestabunt. Locus hic ex sensu superiore proficiscitur. Iniquitates enim eorum exaggerãtur, qui tradituri sunt, qui insectaturi, qui in fugam coacturi, quibus propter nomen Domini esse odio nos oportet, qui omne ius suum in solis corporibus exerceant, potestatem in animã non habentes. Hi igitur passeres duo asse veneunt. Et quidem quę sub peccato vendita sunt, redimit ex lege Christus. Ergo quod venditur corpus atque anima est, & cui venditur peccatum est: quia Christus & de peccato redemit, & animæ ac corporis est redemptor. Qui igitur duo passeres asse vendunt, seipsos peccato minimo vendunt natos ad volandum, & ad cælum pennis spiritualibus efferendos. Sed capti pretiis præsentium voluptatum, & ad luxum seculi vænales totos se talibus auctionibus nundinantur. Sed quærendum est, quomodo vnus ex illis sine voluntate Dei non cadet. Dei voluntas est, vt vnus ex illis magis euolet, sed lex ex constitutione Dei profecta decernit vnum ex eis potius decidere. Quemadmodum autem si euolarent vnum essent, id est, corpus in naturam animæ transiret, & grauitas illa terrenæ materiæ in profectum, & substantiam animæ aboleretur, fieretque corpus potius spirituale: ita peccatorum pretio venditis, in naturam corporum animæ subtilitas ingrauescit, & terrenam contrahit ex vitiorum sorde materiam, fitque vnum ex illis quod trudatur in terram. Plurimis autem nos antestare passeribus cùm dicit: ostendit multitudini infidelium, electionem fidelium præesse: quia his casus in terram sit, illis volatus in cælum. In numerum autem aliquid colligi, diligentiæ ac sollicitudinis cura est. Neque enim dignum negocium est peritura numerare. Vt igitur nihil ex nobis periturũ esse cognosceremus: quia multò passeribus meliores sumus, ipso capillorum nostrorum supputatorum numero, indicatur, saluis nobis ea solido futuris: cùm quod innumerabile in nobis sit, conseruandi, & affectu, & potestate numeretur. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque vllus interimendę carnis admittendus est dolor: quãdo pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur adiecit, negaturum se eum patri in cælis, qui se hominibus in terra negasset: eum porrò qui confessus coram hominibus se fuisset, à se in cælis confitendum. Qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum patrem testimonio eius vsuros.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in idem Euang. Homilia.

Est Hom. 35. in Matth. operis perfecti.

NIhil est opertum quod nō reuelabitur: nec occultum, quod non cognoscetur.* Hoc autem huiusmodi est: sufficere vobis debet illa consolatio, quòd me quoque magistrum similibus iniuriis, ac contumeliis lacerarunt. Si verò adhuc dolore vexamini, quoniā malè audituri propter me sitis: illud dolorem vestrum sedet, quod non multo posteà ab omni suspicione liberabimini. Cuius enim rei gratia grauiter contumelias fertis? An grauis iniuria est quia magos & seductores vos vocāt? Certè non multò post saluatores vos benefactoréśque totius orbis terrarum prædicabunt. Tempus enim quòd obumbrata omnia declarat, ac detegit, & illorum aduersus vos emētita verba redarguet, & virtutis vestræ splēdorem accendet. Nam quando re ipsa benefactores esse se cognoscemini, quando videbunt omnes veræ cultores virtutis vos esse, tunc aduersariorum vestrorum sermonem contemnent, veritati rerum adhærentes. Sic illi mēdaces, maledici, falsique aliorum accusatores videbuntur, vos autem vel sole ipso clariores eritis, atque illustriores: longa enim spatia temporis omnium tubarum clangorem, in prædicandis meritis vestris superabūt, testésque claritatis vestræ vniuersos simul habebitis homines. Nequaquam verò præsenti labore animus vester deiiciatur, aut inimicorum calumnia, aut vestræ virtutis latebra. Deinde quoniam ab omni terrore & solicitudine ipsos eripuit, atq; acriores omni calumnia effecit, opportunè nunc de libertate prædicationis disserit. Quid enim ait? *Quod in tenebris vobis dico, dicite in lumine, &c.* Quanquā enim non fuerint tenebræ, quando hæc illis committebat, nec in aure clam sibi loquebatur, superlatione quadam tamen sermonis vtitur. Solis enim ipsis, & in angulo Palæstinę dicebat, ideirco quasi ad futurum vbique ingentem Euangelij sonitum hæc conferendo ita dixit, non enim vni aut duobus, aut omnino paucis ciuitatibus, sed toti orbi terrarum maria, terras, loca inuia transeuntes ostendit. Nec pauperibus solùm, ac rudibus, sed regibus opulentis, potentibus populis, acutissimis philosophis, facundissimis oratoribus aperto ac nudo capite liberè, ac fidenter hæc dicturos prænunciat. Propterea dixit, in domibus & in lumine, ne aliquid subticendum aut celandum putent. Sed nónne satis erat, forsan quispiā obijciet, in domibus atque in lumine dicere: sed adiecit, quod in tenebris vobis dico, & quod in aure auditis. Nō erat certè satis maiores ipsorum animos reddere volenti, nam veluti quando dicebat,

Ioan. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, ille quoque faciet, & maiora his faciet: sic etiam in hoc loco, vt ostendat totum, aut certè multò maiorem partem per illos quam per se facturum, id posuit. Principia enim, ait, horum exorsus per me: quæ verò post principia sequuntur, per vos conficere statui. Hæc autem non imperando solummodo dicit, verumetiam multò antè futura prædicendo. His enim dictis, & omnium illos victores fore, & occultè contumeliarum molestiam sedauit. Nam veluti hoc euangelium in lucem ex tenebris prosiliuit, sic malitiosa Iudæorū, ac perniciosa de Apostolis existimatio citò cecidit. Verùm quum extulisset animos eorum, atque sublimiùs reduxisset, pericula rursus pronūciat. Quid enim dicit? *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c.* Crebrò id facit, sæpè enim ad oppositum cunctationē detorquet. Nam quid pertimescitis, inquit, mortémne aut eius terrore pulsi tardiores eritis ad prędicandum? At hac de causa potiùs vobis prædicandum est, quoniam mortem perhorrescitis. Nihil enim aliud a vera morte vos eripiet, quā salutaris euangelij prædicatio. Nam etsi interempturi vos sunt, meliorem tamen partem vestram nullo modo attingent, idcirco disertè non dixit animam non interficientibus, sed non potentibus animam interficere, vt intelligamus non posse ipsos etiamsi voluerint. Quare si vltima supplicia timetis, illa perhorrescite quæ multò grauiora sunt. Vides quòd non promittit ipsis huius vitæ perpetuitatem, mori autem promittit, vt maiora sublimioráque conferat, quàm si nunquam morti traderentur. Et certè multò melius est mortem omnino despicere, quàm eam effugere. Quocirca non in periculum mortis cùm nati essent homines ipsos introducit, sed terrore moriendi morte superiores facit. Ita breui oratione duobus, vel tribus verbis absoluta, salutarem de immortalitate opinionem in animis eorum fixit, atque locauit. Posteà ne putarentur quasi se derelictos ab eo, ad cædem & violentum peracturos inieritum, de prouidentia Dei disputat, dicens: *Nonne duo passeres asse venduntur, & vnus ex ipsis non cadit in laqueum sine patre vestro qui est in cælis, &c.* Quid enim vilius passeribus? ait, sed tamen nunquam ignorante Deo, capiuntur. Non enim cooperante Deo incidere in laqueum passeres ait, quod diuinæ maiestati indignum est, sed non esse clam Deo, etiam vilissimarum auiū causam ostendit. Quòd si nihil penitus Deus ignorat, at vos paterna charitate prosequitur, & ita amat, vt pillos capitis quoque vestri non negligat, quid timendum vobis est? Hoc autem dicebat, nō quia Deus aliquo humano more numerat, sed quia perfectā cognitionem rerum omnium, & summam de omnibus Dei prouidentiam ostendere voluit. Si ergo cuncta nouit quæ fiunt, si vult, potestque simul seruare vos, nolite quum tribulationes vobis acciderint, derelictos vos esse à Deo existimare. Non enim ab incommodis corporis liberare vos vult, sed ad eam perfectionem adducere studet, vt incommoda corporis contemnatis. Id enim est quòd maximè à corporis liberat incommodis. Nullus ergo timor animos vestros perturbet, *Cùm multis passeribus vos sitis præstantiores.* Vides quomodo timorem eorum depressit. Sciebat enim arcana mētis, ideo attulit: *Nolite ipsos timere.* Nam si vos vincent, inferiorem partem vestri, corpus videlicet, solummodo vincent: quod etiam si ab istis trucidatum non fuerit, natura tamen duce obrueretur: nam nihil isti à se vobis facient, sed quod duce natura fit, id isti ferocitate compulsi. Quòd si hos timetis, quantò magis ille timendus est, qui tam animam quàm corpus in gehennam perdere potest? Non expressit tamen apertè se illum esse, sed per ea quæ iam dicta sunt, neminem fugiet, quod de seipso dicit, quum iam ipsum iudicem fore significauerit. Nos verò contrarium omnino facimus: nam eum qui potest animam

perde

perdere, id est, æternis suppliciis punire, nequaquam timemus: eos autem qui corpus interimũt, perhorrescamus: atqui quum anima punitur, corpus quoque simul cruciatur. Hi verò quos nimium metuimus, non solum animam, sed ne corpus quidem punire possunt. Nam quæ pœna hęc est, quæ quanto maior fuerit, tanto illustriorem reddit patientem? Percipis qualiter hæc certamina faciliora facit: valde nanque adhuc terribilis mors videbatur, nondum contempta ac spreta erat. Nec qui eam neglecturi erant, spiritus sancti gratia potiebãtur. Terrore igitur mortis, quo mouebantur, repulso: timore iterum timorem eiicit, & spe præmiorum corroborat. Magna igitur cõminatur eis potestate, atque licentia. Ita vtrinque timore peiorum, & certa spe meliorum, ad liberam veritatis prædicationem impellit, dicens: *Quicunque igitur confitebitur me coram hominibus, confitebor eum & ego coram patre meo, qui est in cælis, &c.* Ita non spe meliorum solùm, sed ab oppositis etiam hortatur, & in acerbiora tandem desinit. Tu autem diligenter scriptum considera. Non enim dixit, qui confitebitur me, sed in me: vt tibi ostenderet non propria virtute, sed gratia superiore adiutum confiteri eum qui confitetur. Qua etiam de causa non similiter dixit de negante, qui in me negauerit, sed qui me negauerit. Nam qui negat, superioris patrocinio gratię priuatus negat. Sed cuius rei gratia, inquies, si priuatus quis gratia, derelictusque negat, quasi criminosè egisset, accusatur? quia videlicet, qui derelinquitur, culpa sua derelinquitur. Sed quamobrem, quispiã obiiciet, non sufficit animus solus, atque voluntas, verumetiam oris confessio flagitatur? Liberã certè petit confessionem, ad maiorémque charitatem nos adducit, & sublimes atque inuictos esse desiderat. Quapropter omnibus hæc præcipit: non enim ad personam solummodo spectant discipulorum, sed discipulorum quoque discipulis robur adiiciunt. Nam qui hęc rectè intellexerit, ac crediderit, is non liberè solũ prędicabit, verumetiam cũcta pericula magno & ęquo animo perferet. Id certè firma credentium fide multos fecit cõfluere ad apostolos. Nã vt in malis maiora supplicia sequũtur: sic in bonis maior erit retributio. Etenim quoniam qui confitetur in Christo, tempore primus est, & quia tarditate supplicij nonnihil se lucrari peccator putat: idcirco parem, imò verò multò maiorem tam mali quam boni retributionem habent: videlicet prior tu, ait, tempore me hîc confessus es, sed maiora tibi referam, & tanto maiora, vt omnem ad hæc quæ tu fecisti, comparationem effugiant, ibi enim te confitebor. Vides ibi nobis tam bona quam mala reseruata fore? Cur ergo festinas? cur properas? cur in hac vita retributiones quæris, qui ad spem regeneratus es? His de causis si quid boni hîc feceris, cuius retributionem non receperis, forti tranquilloque animo sis: maiora enim præmia in futura vita tibi reseruata sunt. Quòd si quicquam perperam gesseris, neque pœnã vnquam propter id dederis, noli credere iã te effugisse: futura enim te ibi, æternáque pœna expectat, nisi pœnitentia meliorem te feceris. Si verò parũ mihi credis, saltem à præsentibus futura conijcias. Nam si in certaminis laborisque tempore sic sunt illustres, qui confitentur; quales in coronæ retributionisque tempore futuros credis? Si hostes hîc superant te atque deprimũt, qui te magis diligit, quàm parens tuus dilexit: admirabitur te ibi & laudabit, vbi tam bonorum præmia quam malorum supplicia reseruantur. Quare qui Christum negant, & tunc vexabuntur, & tunc in æternum punientur. Nunc quidem quoniam conscientiæ stimulis exagitantur, nec vitam negatione cõsecuti sunt, qui paulò post morituri sunt: tunc autem etiam ipsi non dubitant vltimos se cruciatus perpetuósque subituros. Qui verò Christum confitentur, magnos & in hac vita, & in illa quæstus, & magna lucra inueniẽt. Cumque benè mortui sunt, & hic viui clariores sunt, & ibi bonis ineffabilibus perfruentur. Non enim ad puniendum solum, verumetiã multò magis ad bona largiendũ paratus est Deus. Sed cur nam, inquies, alterum semel, alterũ bis posuit? Nouit pœnarum timore magis, quàm bonorum spe homines castigari; idcirco quum dixisset; *Timete magis eum, qui potest & animam & corpus in gehennam perdere*; iterum intulit, *Negabo & ego ipsum.* Hac ratione Paulus quoque assiduè pœnarũ meminit. Verùm omni ex parte audiẽtes cõmmuniuit, cælos enim nobis aperuit, terribile iudicium monstrauit futurum, vbi angelici præconis tuba athletarum coronæ prædicantur, quibus magna incentiua nobis præbẽtur ad seruandã facilè pietatem ac fidem. Nam ne timiditate apostolorum euangeliũ retardari queat, ad armatas quoque expeditasque legiones paratos esse iubet, vt discamus infideles homines non solùm suæ perfidiæ, verumetiam insidiarum, quas aduersus fideles cogitant acriores pœnas daturos. Cùm simus igitur certiores ad meliorem vitam nos morte traiectuos, antequã tempus moriendi aduenerit, mortem contemnamus. Sed dolendum est, quispiam dicet, quoniam corpus post mortem protinus corrumpitur. Ego verò ideo gaudendũ nobis magis censeo, quoniã corruptione corporis mors ipsa corrũpitur, mortalitas destruitur, non substantia corporis; nam vt quando æs funditur, vt inde statua conficitur, nullam ęris perditionem tunc esse dicimus, quum ad meliorem vsum traducatur: similiter de corpore quoque tuo futurum est. Nullis ergo lachrymis, nullo mœrore, quoniam moriturus es, te lacera. Tunc enim flendum esset, quando in huiuscemodi cõditione ac pœna perpetuo corpus tuum permansurum scires. Sed melius esset, inquies, si nulla putredine corpora tabescerent, si integritatem suam semper conseruarent. Ego verò non video, quam hoc aut defunctis aut viuis vtilitatem afferre posset. Quousque hæc fœtida corpora diligetis? Quousque terræ affixã mentem habebitis? Quousque huius vmbrę ardenti amore laborabitis? Non enim intelligo quid emolumenti si corpora integra permanerent, cõsequeremur, imò verò econtra magna pernicies nos inde inuaderet. Nam si corpora nullo fœtore inquinata cõseruarentur, primum perniciosissimum superbiæ malum magis vigeret. Nam si etiam cum putredine tabescant, cum vermibus post mortem scatuiant, multi tamen deorum honoribus coli voluerunt: quam plures huiuscemodi homines futuros credis, nisi fœdissimo corporis fœtore ab hac insania deterrerentur? Deinde non facilè aliqui sibi persuaderent terrena esse corpora nostra. Nam si cùm in terram modo resoluũtur, nonnulli tamen an terrena sint ambigunt: quid non suspicarentur, nisi hoc ita fieret? Tertium, magis ab omnibus cor

pora diligerentur,& carnales magis, rudioresque multi hominum efficerentur. Nam si aliqui etiam fœtentibus sepulchris stulto suorum amore coniunguntur: quid facerent si corpus integrum detinere possent? Quartum, non valde homines futuræ vitæ statum desiderarent. Quintum, qui perpetuum fore mundum opinantur, quasi certior conseruatione corporis esset sua opinio, esse conditorem mundi aliquem pernegarent. Sextum, quanta sit virtus animi nō facile cognosceretur, nec quātum ipsi corpori affert, cùm ei cōiuncta sit. Septimum, multi amore suorū cœtibus hominū spretis, vt continuè suos viderent sepulchra mortuorum habitare non erubescerēt. Etenim si charissimorum effigies plerique depingentes, quoniam defluens corpus secū detinere non possunt, tabulis affixi vitam peragunt: quid non auderent excogitare, syncerum ac integrum corpus suscipiētes? Facilè mihi videtur ad condenda corpori templa multos cōspiraturos fuisse,& cultu dęmonū ariolos, qui talibus rebus dediti sunt, efficere, vt mortui sui quasi viui loquerentur, quando etiam nūc hi quos necromantas Græce appellamus, multa huiuscemodi solent excogitare. Quanta vero idololatrię cultus sęuitia fueret, quis ignorat, quum in puluerem ac cinerem corporibus redactis nonnulli contendere audeant, idololatriæ cultum restituere? Ne igitur omnia hæc mala, cæteraque huiuscemodi locum habeant, ac vt discamus non esse mentem in terrenis rebus retinendam, nostra ante oculos nostros corpora omnem fœtorem exhalantia tabescunt: sic qui nimium corporis formam admiratur, muliebri ardore perflagrás, si ratione deformitatem nostri corporis intelligere nollet, ipsis oculis cernere posset, cùm multæ pares atque æquales eiut quam ardet, ditiores etiam plerumque ac delicatiores morte præuentæ, post vnum vel alterum fœtida sanie fluentes, vermium materia factæ sunt. Qua ea te percipere debes, quali forma occupatus es, & quæ te petuerit cupiditas. Quòd si corruptionē corpora omnem effugerent, vnde id aliquis rectè perdisceret? Nóune quemadmodum ad sepulchra dæmones concurrere videntur, sic morbo cupidinis laborantes, sepulchris continue affixi, dæmonum suas animas efficerent habitacula, atque hoc sæuissimo insaniç furore animam emitterent? Nunc verò ad hęc omnia id etiam animum cupientis consolatur, quoniam cùm nullibi veram desideratæ imaginem rei videre licet, in obliuionem facile labitur; ego vero arbitror nec sepulchra quidem fuisse, si corpora illæsa remanerent: vrbes quippe non statuis, sed mortuorum corporibus plenas videres, quum singuli suos apud se retinerent. Qua ex re, magna quædam, & detestanda fieret confusio. Paucissimi animę curam haberent, quum plures nihil de immortalitate animi audire paterentur. Multa prætereo fœdiora: quæ silentio transeunda iudico. Ea ergo de causa confestim tabescant, vt tu pulchritudinem animi nudam perspicere queas: nam si talem formam,& talem vitam anima corpori prębet, qua ipsa in se pulchritudine, ac vita viuit? si corpus ita deforme, ac fœtulentum ipsa continet & conseruat, quantò magis seipsam conseruabit? Nulla enim alia corporis nostri pulchritudu est, nisi staturæ complexio, & flos qui ab anima corpori conceditur. Animam ergo dilige tuam, quę corpus tuum in pulchritudine ac in flore conseruat.

Sed nescio cur diai, in morte quanta sit vis animæ facile videri, quum in ipsa vita faciliùs hoc perspiciatur. Lætitia enim animus perfusus, roseo genas conspersit colore: dolore autem vexatus, omnem oris pulchritudinem statim deformauit: vnde qui assidua lætitia gaudent, in bonam corpora sua reducunt habitudinem: qui verò semper dolent, imbecilliora telis aranearum atque subtiliora reddiderunt. Ita perterritus animus, furibundum vultum efficit: tranquillitate autem stabilitus, iucundam constituit faciem. Si laborauit inuidia, tabidum pallorem per corpus effudit: honesto amore, ac moderato captus, formositatem corpori mirabilem largitus est. Quia ratione multæ deformes non paruam gratiam ab anima ad corpus traduxerunt: nonnullæ pręcipuam corporis formam animi vitiositate corruperunt. Veniat in mentem tibi, quomodo candida facies interiore rubro perfincta, quum pudoris affectus animam innasit, varietate coloris suauissimam reddit faciem: sicut etiam econtrà, impudēs animus coruinum visum efficit, atque immanem. Nihil enim est formoso animo formosius, nihil iucundius: nam corpora quidem absque dolore amari non possunt: animi autem pura synceráque voluptate amantur. Cur igitur regem omittis animum, & ad præconia corporis refugis? Cur Philosopho spreto interpretem nimia cupiditate ardes? oculos perspexisti formosos, quære quo animo reguntur, quem si turpem inueneris, oculos quoque despicies. Nam si mulierem deformem specioso velamine adopertam conspiceres, nullo affectu mouereris: sic econtra pati non posses, vt speciosa & pulchra velamine tegeretur. Idipsum igitur in anima etiam facias, cui quasi velamē corporis pondus circumpositum est: quod quidem vim sensitiuam omnino deponere non potest: animus autem citò à deformitate ad pulchritudinem transibit, dùm velit. Nam quum deformem, asperum atque durum habuerit oculum, facile potest eum in formosum, mitem, serenum iucundúmque reformare. Animi ergo nostri pulchritudinem quæramus, oro, huius decore gloriemur, vt Deus qui hunc decorem concupiscit, æternam beatitudinem nobis largiatur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberstatensis in superius Euang. Homil.*

Nihil opertum est quod non reueletur, &c. Quomodo autem multa abscondita sunt in præsenti tēpore, quę minime sciuntur? Sed dominus de die iudicij potius voluit intelligi, quando apparebit Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, tunc enim conscientiæ mutuò patebunt. Acsi aliis verbis dominus diceret: Nolite modo timere persequutores, quia veniet tempus quando & vestra patientia remunerabitur, & illorum sæuitia cōdemnabitur. *Quod dico vobis in tenebris*, id est, in secreto, *dicite in lumine*, hoc est in claritate, & aperte omnibus auditoribus prædicate. *Et quod in aure auditis prædicate super tecta*. More Palæstinorum loquitur hic Dominus, quorum tecta plano scemate sunt desuper facta, ita vt quis sine periculo in eis possit incede

cedere. Super quibus scribæ & pharisæi stâtes populo subiecto verbum prędicationis impendebát. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere.* Si corpus occidi potest, & anima non potest. Clarum est igitur animam incorpoream esse, quantum pertinet ad istam crassiorem corporis substantiam. *Sed potius eum timete, qui potest corpus & animã perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneũt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?* Assis genus ponderis est minimum & exiguum. Passeres pro quibuslibet auibus paruis posuit. Duo passeres eo tempore asse vendebantur, vt in templo Domini immolarentur. Et est sensus. Si illa parua animalia quæ cito decidunt & commoriuntur, corpore deficiunt & anima, sine Dei prouidentia mori & labi non possunt, quanto magis vos qui ad imaginem Dei facti estis & rationabiles, & immortales futuri estis, siue ad gloriam, siue etiam ad pœnam? Non discordat ab hac sententia quod Lucas ait: Nunquid quinque passeres dipondio veneunt, & vnus ex illis non cadet sub terram sine patre vestro? Congruum enim erat, vt duo passeres asse venderentur, & quinque passeres dipondio. Sed quærendum est, cur Paulus Apostolus dicat: Nunquid de bobus cura est Deo? Et hîc dicit Dominus: Vnus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro. Ad quod dicendum est: quia aliud est cura, atque aliud est prouidentia: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Magna cura, & prouidentia Dei circa homines est: quia quod apud nos vile, & contemptibile est, apud ipsum numerabile est. Ista ergo numeratio non est in actu computantis, sed in præscientia Dei omnipotentis. Quod enim dicit: *Vestri autem capilli capitis numerati sunt.* Tale est, ac si diceret: Nõn solum maiora membra vestri corporis sine meo iudicio à persequutoribus perire non possunt: sed capilli capitis vestri sine mea prouidentia non possunt minui. *Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Id est, carioris & valentioris precij. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus.* Cõfessio duplici sensu in scriptura accipitur. Signat enim laudem & confessionem peccatorum. Peccatorum confessionem signat, vt illud Danielis: Cúmque orarem & confiterer peccata populi mei. Signat etiam laudem, sicut in Psal. Confitebor tibi Domine, id est, laudabo te. Omnis ergo qui confitebitur &c. Confiteri Dominũ est fidem rectam congruis operibus ornare. Confessorem suum Dominus coram patre suo confitebitur, hoc ad visionem patris sui perducet, cum quo regnat in secula seculorum, Amen.



V. IN COMMVNI VNIVS MARTYRIS.

Euang. Ioan. 12. Nisi granum frumenti, &c.


Quære supra Tomo 2. Sabbatho post Dominicam in Passione.

IN COMMVNI VNIVS MARTYRIS TEMPORE PASCHALI.



IOAN. 15.

a Secundum quod homo caput Ecclesiæ, vnius naturæ cum palmitibus. b Quia est alia in amaritudinem conuersa. c Cum quo idem est & filius. d Non tantum extra operando, etiam intus incrementum dando.



EGO [a] sum vitis [b] vera, & [c] pater meus [d] agricola est. Omnem pal-
e Vt agricola.
mitem in me non ferentem fructum [e] tollet eum, & omnem qui
f Propter hoc mundatus est. g Amplius. Mundando corda, spiritum charitatis infundendo. h Mundi atque iterum plus mundandi, vt fructum plus feratis.
[f] fert fructum, [g] purgabit eum, vt [h] fructum plus afferat. Iam vos
i Meipsum scilicet. k Cum ego sim vitis vera. l A quo totum accipitis. Vt totum sacramentum afferetis
mundi estis propter [i] sermonem quem loquutus sum vobis. [k] Manete in [l] me,
m Vt amplius fructificetis. n Quia.
& ego in [m] vobis. [n] Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi

o Quia. p Totum vobis dans, nihil à vobis recipiens.
manserit in vite: sic nec vos, [o] nisi in me manseritis. [p] Ego sum vitis, vos palmi-
q Nec parum.
tes. Qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum: quia sine me [q] ni-
r Autem. s Quod est in potestate liberi arbitrij.
hil potestis facere. Si [r] quis in me non [s] manserit, mittetur foras sicut palmes, &
t Messores angeli. v Manete in me & si manseritis.
arescet, & [t] colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. [v] Si manseritis in me,
x Non tantum fuerint. y Quia manentes in Iesu non possunt velle nisi quod est salutis.
& verba mea in vobis [x] manserint, quodcunque [y] volueritis petetis, & fiet vobis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.


EGo *sum vi.* Et me præcedentem ad passionem debetis sequi: quia ego sum vitis, id est, caput vestrum eiusdem naturæ vobiscum, vt in me possit fructificare humana natura. *Et pater.* Ego etiam agricola cum patre, quia sum mundator palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium: qui est palmites operarios facit, licet non de suo, nec per ipsos, sed per meipsum. *Propter.* Non ait propter aquam baptismi: quia & ipsa sine verbo est solum aqua, per verbum fit sacramentum. *Ego sum.* Qui se à se ferre fructum existimat, non est in vite. Vnde cum repetitione & superiorum explanatione supponit. *Ego sum vi. vos pal.* mihi quasi viti adhærentes. *Qui ma.* Et ideo quicunque (non solum vos) manet in me credendo, obediendo, perseuerando: *Et e in e.* illuminando, subueniendo, perseuerantiam dando. *Hic fert.* Et si secundum hominem Christus est vitis, tamen hanc gratiam palmitibus non daret, nisi etiam Deus esset. *Si quis.* Sarmenta præcisa cæteris lignis sunt viliora, quia nullis vsibus deputantur, sed igni, vel in vite sunt vel in igne. *Et verba.* Verba Dei tunc dicuntur manere in nobis, quando facimus quæ præcipit, & diligimus quæ promittit. Qui autem hoc non facit, tangit, non cohæret, & ideo non sunt ei in beneficium, sed in testimonium damnationis. *Petetis.* Si quid petit fidelis & non fit, non petit hoc quod habet mansio in eo, nec quod habent verba eius quæ sunt in eo: sed quod habet cupiditas & infirmitas carnis.

CATENA AVREA
in idem Euang.

EGo *sum vitis vera, & pater meus agricola est.* Hyla. 9. de tri. Ad consummãdum corporeæ passionis sacramẽtum per dilectionem efficiendi mandati paterni festinat exurgens: corporeæ tamen assumptionis statim mysteriũ pandens, per quam ei tanquam in vite modo palmitis inessemus, adiecit, *Ego sum vitis vera.* August. Quod secundum hoc dicit quòd est caput ecclesiæ, nósque membra eius: homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites: sed cùm dicit ego sum vitis vera, nunquid vt adderet vera, ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo trãslata est? Sic autem dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: sicut agnus ouis, & c. huiusmodi, vt magis ipsa sint vera ex quibus dicuntur istæ similitudines. Sed dicendo, *Ego sum vitis vera*: ab illa se discernit cui dicitur, Quomodo cõuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est vt faceret vuam, fecit autem spinas? Hyla. 9. de tri. Sed à corpore huius humilitatis assumptione formam paternæ maiestatis alienans agricolam patrem curiosum huius vitis ostendit, dicens, *Et pater meus agricola est.* Augu. Colimus enim Deum, & colit nos Deus. Sed sic Deum colimus, vt non meliorẽ eum faciamus: colimus enim eum adorando, non arando. Quòd autem ille nos colit, meliores nos reddit. Cultura ipsius est in nos, quòd non cessat verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. Chry. Et quia Christus sibi sufficit, discipuli verò multo indigent agricolę auxilio, propterea de vite nihil dicit sed de palmitibus, cum subdit, *Omnem pal. in me non feren. fru. tollet eum.* Fructũ autem hic vitam occultè insinuat: ostendens quòd sine operibus non potest aliquis esse in eo. Hyla. 9. de tri. Inutiles autem & inuetaces palmites desecans deputabit arsuros. Chryso. Et quia etiam qui valde virtuosi sunt indigent agricolæ opere, adiungit: *Et omnem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat.* Hoc dixit propter tribulationes eorum quæ tunc inducebantur, ostendens quòd tentationes fortiores eos faciebant: sicut & purgare, hoc est circuncidere palmitem eum magis germinare facit. Aug. Quis autem est in hac vita sic mundus, vt non sit magis magisque mundandus? Vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. Mundat itaque mundos, id est fructuosos: vt tantò sint fructuosiores quantò sunt mundiores. Secundum hoc ergo vitis est Christus: quod ait, Pater maior me est: secundum illud autem quod ait, Ego & pater vnum sumus, & ipse agricola est. Nec talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis vt det etiam intrinsecus incrementum. vnde continuò etiam seipsum mundatorem palmitum ostendit, dicens: *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locu. sum vobis*: Ecce ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ non vitis officium. Sed quare non ait, Mundi estis propter baptismum quo abluti estis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbũ, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum, vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus immanens. Hoc verbum fidei tantum valet in ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem,

rem, tingentem mundet infantem quamuis credere non valentem. Chryſ. Vel dicit, *Mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*, id eſt interim lumen doctrinæ iam ſuſcepiſtis: & à Iudaico errore eruti eſtis *Manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, &c.* Chry. Quia iam mundos eos dixerat propter ſermonem quē locutus fuerat eis, docet quòd oportet de reliquo incipere ea quæ ab eis ſunt, & ideo dicit: *manete in me, &c.* Aug. Non eo modo illi in ipſo ſicut ille in illis, vtrunque enim prodeſt, non ipſi ſed illis. Ita ſunt quippè in vite palmites, vt viti non conferant, ſed inde accipiant vnde viuant. Ita verò vitis eſt in palmitibus vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, nō ſumat ab eis: ac per hoc vt manentem in ſe haberēt Chriſtum, & manerent in Chriſto, diſcipulis prodeſt vtrūque, non Chriſto: vnde ſubdit, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, &c.* Magna gratiæ commendatio, corda inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum. Nónne huic reſiſtunt veritati, ad bona opera facienda Deum ſibi neceſſarium non putantes, non aſſertores, ſed præcipitatores liberi arbitrij? Qui enim à ſemetipſo ſe fructum æſtimat ferre, in vite nō eſt. Qui in vite non eſt, in Chriſto nō eſt: qui in Chriſto nō eſt, Chriſtianus non eſt. Alc. Omnis enim fructus boni operis ab illa radice procedit, qui nos ſua gratia liberauit: & ſuo auxilio prouehit, vt fructum plus afferre valeamus: vnde enim repetitione & ſuperiorum explanatione ſubdit: *Ego ſum vitis & vos palmites. Qui ma. in me*, credendo, obediendo, perſeuerando. *Et ego in eo*, illuminando, ſubueniendo, perſeuerantiam donando. *Hic & non alius fert fructum multū.* Aug. Sed ne quiſquam putaret ſaltem paruum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre, ſubdit: *Quia ſine me nihil po. fa.* non ait parum poteſtis facere, quia niſi palmes in vite manſerit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à ſemetipſo non poteſt ferre. Quamuis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet, tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet, niſi etiam Deus eſſet. Chry. Vide ergo filium non minus patre conferentem ad diſcipulorum procurationem. Nam pater quidem purgat, ipſe vero in ſe tenet quod facit palmites fructificare. Sed tamen & purgare filij monſtratum eſt eſſe: & manere in radice eſt patris, qui radicem genuit. Igitur magnum quidem damnum eſt nihil poſſe facere: verum non vſque ad hoc ſiſtit, ſed vlterius producit ſermonem, dicens, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes*, id eſt agricolæ non potietur manu. *Et areſcet.* Hoc eſt, ſi quid habebat à radice amittet, denudatus eius auxilio & vita. *Et colligent eum.* Alcui. Meſſores angeli & in ignem æternum ſcilicet mittent: *& ardet.* Auguſt. Ligna enim vitis tanto ſunt contemptibiliora ſi in vite non manſerint, quanto glorioſiora ſi manſerint, vnum ex duobus palmiti congruit: aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit. Chryſo. Deinde oſtēdens quid eſt manere in eo, ſubdit. *Si manſeritis in me & ver. mea in vo. man. quodcūque volue. pe. & fiet vobis.* Eam enim quæ per opera oſtenſionē quærit. Auguſt. Tunc enim ſunt dicenda verba eius in nobis manere, quando facimus quæ præcepit: & diligimus quæ promiſit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Quid autem velle poſſunt manendo in ſaluatore, niſi quòd nō alienum eſt à ſalute? Aliud quippe volumus, quia ſumus in Chriſto, & aliud volumus, quia ſumus adhuc in hoc ſeculo. De manſione autem huius ſeculi nobis aliquando ſubrepit, vt hoc petamus quod nobis non expedire neſcimus. Sed abſit vt faciat nobis ſi maneamus in Chriſto, qui non facit quando petimus, niſi quod expedit nobis. Ad verba autem eius pertinet oratio. Pater noſter, ab huius orationis verbis & ſenſibus non recedamus in petitionibus noſtris, & quicquid petimus, fiet nobis.

S. IOANNIS CHRYSOſtomi Epiſcopi Conſtant. in ſuperius Euangelium, Homilia.

EGo ſum vitis, vos palmites. Quid vult hæc parabola ſignificare? Quod qui non vacat doctrinæ, viuere non poteſt, & quòd futura ſigna Chriſti virtute prouenirēt. *Pater meus agricola eſt*: Quid? Auxilio indiget filius? Abſit. Neque ſic intelligitur. Vide quàm diligenter hanc parabolam exequitur: non enim radici, ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quàm vt diſcerent ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe: & quòd ita ipſi fide vniendi ſunt, vt palmes viti. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater.* Hic ſignat vitam, oſtendēs ſine operibus neminem in ipſo eſſe poſſe. *Et omnem qui fert fructum, purgabit*: id eſt, incitabit ad virtutis curam. Atqui radix circumfoſſione, & cultu primùm indiget: ſed nihil de ea nunc dicit, ſed de palmitibus, ſibiipſi ſe ſufficere oſtendens. Diſcipuli autem multa præceptoris cura indigēt, etiam ſi ſtudioſi ſint: ideo inquit; *Omnē, qui fructum feret, purgabit eum*; qui fructum non facit, non poteſt eſſe in vite: qui fructum fert, eum reddet fœcundiorem. Hoc vrgentis mœroris gratia eos alloquutus eſt. Dicet aliquis, purgare palmitem, incidere eſt, vt fœcundiorem faciat: vnde oſtendit tentationibus effici fortiores, inde ne de quibus dicat interrogent, & iterum ſolicitarentur, inquit; *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Vides qualem ſe palmitum curatorem profiteatur? Ego vos purgaui, inquit. Atqui ſuperius hoc patris officium oſtendit: ſed nulla eſt inter patrem, & filium differentia, iam veſtra opus eſt diligentia. Inde ne ſe eorum miniſterij indigētia, ſed vtilitate hoc facere demonſtraret, addit; *Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic vos, niſi in me manſeritis.* Vt enim, metu laxato eorum animo, non diſcederent, eos cohibet, & ſibi conglutinat, & bonam ſpem habere iubet, radix enim manet. Incidi autem & auferri palmitum eſt. Ita vtrinque aggreſſus, & à bonis & moleſtis rebus priores à nobis partes exigit. *Qui manet in me & ego in eo.* Ecce filium non minoris eſſe quam patrem poteſtatis, ad diſcipulos excitandos. Pater purgat, filius in eo manet. Manere enim in radice, facit vt palmites fructum faciant. Quòd ſi non purgatus in vite palmes manſerit, feret quidem fructum, ſed non debitum: qui vero non manet in vite, nihil parit. Verùm purgare filij eſſe oſtenditur: manere in radice, patris, qui ipſam radicem generat. Vides quomodo omnia

Eſt Hom. 75. in Io.

comniu

communia sunt, & purgare, & à radice virtutem habere? Magnum quidem detrimentum etiam nihil posse facere, verùm alterius pœna procedit. *Mittetur* (inquit) *foras*. neque amplius ab agricola curabitur: *Et arescet*. hoc est, si quid habuit à radice, si quam gratiam amittet, & inde omni auxilio & vita spoliabitur, & tandem in ignem mittetur, sed nō talia, qui manet in vite. Inde ostendit, quid sit in ea manere, inquiens; *Si verba mea in vobis mā-serint*. Vides quidem superius meritò dicebam ipsa opera Christum exigere. Quum enim dixisset; si quid petieritis, faciam, addidit ; Si diligitis me, (Ioan. 14.) me, mādata mea seruate. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis: petetis, & fiet vobis*. Hæc autē dicebat, ostendēs reprobos concrematum iri, ipsos autem fructū laturos. Timorem ergo ab eis in illos transfert, & inuictos ipsus fore signat.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponensis in superius Euang. Homilia.

(Tract. 80. in Ioan.) ISte locus euangelicus, fratres, vbi se dicit Dominus vitem, & discipulos suos palmites, secundū hoc dicit quòd est caput ecclesiæ, nósq; membra eius, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. (1. Tim. 2.) Vnius quippe naturæ sunt vitis, & palmites. Propter quod cum esset Deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura cuius & nos homines palmites esse possemus quid ergo est; *Ego sum vitis vera*. Nūquid vt adderet vera, hoc ad eam vitem retulit vnde ista similitudo translata est? (Esa. 53. Ioan. 1. Apoc. 5. 1. Cor. 10. Ephe. 2. Hier. 2. Esai. 5.) Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera huiusmodi, quę magis ipsa sunt vera, ea quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates, sed cum dicit, ego sum vitis vera, ab illa se vtique discernit cui dicitur: Quomodo cōuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est, vt faceret vuam, facit autē spinas? Ego sum, inquit, vitis vera: *Et pater meus agricola est omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum & omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat*. Nunquid vnum sunt agricola & vitis? secundum hoc ergo (Ioan. 14.) vitis Christus secundum quod ait, pater maior me (Ioan. 10.) est: secundū autem id quod ait: Ego & pater vnum sumus: & ipse agricola est, nec talis quales sunt, qui extrinsecus operando exhibent ministerium, sed talis vt det etiam intrinsecus incrementum: nam neque qui plantat est aliquid, neque qui ri- (1. Cor. 3.) gat, sed qui incrementum dat Deus: sed vtique (Ioan. 1.) Deus est Christus quia Deus erat verbum, vnde ipse & pater vnum sunt, & si verbum caro factum est quod non erat manet quod erat: denique cū de patre tanquā de agricola dixisset, quod infructuo- (Ioan. 15.) sos palmites tollat, fructuosos autē purget vt plus afferant fructū. continuo etiam seipsum mū datorem palmitū ostendens: *Iam vos*, inquit, *mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Ecce & ipse mundator est palmitū, quod est agricolę, non vitis officium qui etiam palmites operarios suos fecit: nam & si nō dant incrementū, impendunt tamen aliquod adiumentū, sed non de suo, quia sine me, inquit, nihil potestis facere, audi etiam ipsos cōfitētes: quid autem est Apollo? quid autem Paulus? Ministri, per quos credidistis, & vnicuiq; sicut dominus dedit: ego plantaui, Apollo rigauit: & hoc (1. Cor. 3.) ergo, sicut vnicuique Dominus dedit non itaq; de suo: iam vero quod sequitur, sed Deus incrementū dedit non per illos sed per seipsum facit. Excedit hoc humanā humilitatem, excedit angelicā sublimitatē, nec omnino pertinet, nisi ad agricolā trinitatem. *Iam vos mundi estis*: mundi scilicet, atque mūdandi: neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent: & tamen omnē qui fert fructum purgat agricola, vt fructū plus afferat; fert fructum quia mundus est, atq; vt plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim est in hac vita sic mundus vt nō sit magis magisque mūdandus? Vbi si dixerimus quia (1. Ioan. 1.) peccatū non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui dimittet nobis peccata, & mūdet nos ab omni iniquitate. Mundet itaque mundos, hoc est fructuosos, vt tāto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. *Iā vos mundi estis propter verbū, quod locutus sum vobis*. Quare non ait, mundi estis propter baptismū, quo loti estis: sed, ait. *propter verbū quod locutus sum vobis*: nisi quia & in aqua verbum mundat: detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbū ad (1. q. 1. cap. Detrahe. 4. [illegible] 3. Cap. 1. Ioan. 13.) elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbū: nam & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit: qui lotus est, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est mūdus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur sed quia creditur: nā & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si con- (Rom. 10.) fessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illū suscitauit à mortuis saluus eris, corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: vnde in Actibus Apostolorū legimus: Fide mundans corda eorum: & in epistola sua beatus Petrus, Sic & (Act. 15. 1. Pet. 3.) vos, inquit, baptisma saluos facit, nō carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus quo sine dubio vt mundare possit, cōsecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum patre agricola, dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Lege apostolum, & vide quid adiungat: Vt eam (Ephe. 5.) sanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tātum valet in ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentē, benedicentem, tingentem etiam tātillum mundet infantē, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: *Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

VItē se dixit esse Iesus, & discipulos suos palmites, & agricolam patrem: vnde iam pridem sicut potuimus disputatum est, (Tract. 81. in Ioan.) In hac autem lectione cū adhuc de seipso, qui est vitis, & de suis palmitibus, hoc est, discipulis loqueretur,: *Manete*, inquit,

inquit, *in me, & ego in vobis.* Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Vtrumque autem prodest non ipsi, sed illis: ita quippe in vite sunt palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiant vnde viuant: ita vero vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrumque, non Christo: nam præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice nō potest viuere: denique adiungit, & dicit, *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Magna gratiæ cōmendatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce si qui au-
Rom. 10. dent respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ecce cui respondeant sibi placentes & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non
2. Tim. 3. putantes: Nónne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent & loquuntur iniquitatem dicentes: A Deo habemus quòd homines sumus, à nobisipsis autem, quòd iusti sumus? Quid dicitis, quid vosipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis per inania præsumptionis in profunda submersi? Nempe vox vestra est, quod homo ex semetipso facit iustitiam, hoc est altum elationis vestræ, sed veritas cōtradicit & dicit, *Palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi mãserit in vite.* Ite nunc per abrupta, & non habentes vbi figamini, ventosa loquacitate iactamini. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ: sed quid vos sequatur videte, & si est in vobis vllus sensus horrete, qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus nō est. Hæc sunt profunda submersionis vestrę etiam atque etiam considerate quid adhuc veritas adiungat & dicat; *Ego sum, inquit, vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum hæc dixisset, *hic fert fructum multum:* non ait, quia sine me parum potestis facere: sed, *nihil potestis facere.* Siue ergo parum, siue multū, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest, quia & si parum attulerit palmes, eum purgat agricola vt plus afferat, tamē nisi in vite mãserit, & vixerit de radice, quantúlibet fructum à semetipso nō potest ferre: quamuis autē Christus vitis nō esset, nisi homo esset, tamen istã gratiã palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset. Verum quia ita sine ista gratia non potest viui, vt & mors in potestate sit liberi arbitrij: *Si quis in me, inquit, non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora, si in vite non manserint, quanto gloriosiora si man-
Ezech. 15. serint, denique sicut de his etiam per Ezechielem prophetam dominus dicit, præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputātur. Vnum de duobus palmiti cōgruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: vt ergo in igne non sit, in vite sit. *Si manseritis in me, inquit, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Manendo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in salutare, nisi quod non est alienum à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, & aliud volumus quia sumus adhuc in hoc seculo. De mansione namque huius seculi nobis aliquando subrepit, vt hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit vt fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo cum verba eius in nobis manent, quodcunque voluerimus, petimus, & fiet nobis: quia si petimus, & non fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba eius, quę manent in nobis, sed quod habet infirmitas & cupiditas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent verba eius: nã vtique ad verba eius pertinet oratio illa quam docuit, vbi dicimus: Pater noster qui es in cælis.
Ab huius orationis verbis & sensibus non recedamus petitionibus nostris, & quicquid petierimus Matth. 6.
fiet nobis. Tunc enim dicenda sunt verba eius in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus, quæ promisit: quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Ad hanc differentiã valet quod Psal. 102.
scriptum est, Et memoria retinentibus mandata eius, vt faciant ea: multi enim memoria retinent, & contemnunt, vel etiam derident & oppugnant ea. In his verba Christi non manent, quia tangunt, & quodammodo non cohærent: & ideo illis non erunt in beneficium sed in testimonium, & quia sic insunt eis vt non maneāt in eis, ad hoc tenentur ab eis, vt iudicentur ex eis.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

DE sancto Euangelio præsenti tempori consonantem similitudinem audistis, de his qui Serm. 60. de verb. domini.
operantur in vinea. Est enim modo tempus vindemiæ temporalis. Est autem & spiritalis vindemia, vbi Deus gaudet ad fructum vineæ suæ. Colimus enim Deum, & colit nos Deus. Sed nos sic Deū colimus, vt nō eum meliorē faciamus. Colimus enim eum adorādo, non arādo, ille autē colit nos tanquam agricola agrū. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit, quia & agricola agrum colendo facit meliorem, & ipsum fructum in nobis quærit vt eum colamus. Cultura ipsius est in nos quod non cessat verbo suo extirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim istam culturam sic acceperimus in cor nostrum vt eum bene colamus, non existimus ingrati agricolæ nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores. Ecce audite quia sicut dixi, Colit nos Deus. Nam quia colimus nos Deum, non opus est vt probetur nobis. Omnis enim homo hoc habet in ore, quia homines colunt Deum, Quia vero Deus colit homines, ne expauescit auditor quando audit: quia non est in vsu hominum vt dicatur quia Deus colit homines, sed quia Deum colunt homines. Debemus ergo probare vobis, quia & Deus colit homines, ne forte putemur verbum indisciplinatum dixisse, & aliquis

in corde suo disputet contra nos, & nesciens quid dicimus reprehendat nos. Hoc ergo constitutum est demonstrare vobis, quia & Deus colit nos sed iam dixi, sicut agrum, vt meliores nos faciat. Dominus dicit in Euangelio, *Ego sum vitis, vos estis sarmenta, pater meus agricola.* Quid facit agricola? Interrogate vos, qui agricolæ estis, quid facit agricola. Puto quia agrum colit. Si ergo pater Deus agricola est, habet agrum, & colit agrum suum, & expectat inde fructum. Denique plantauit vineam

Matth. 21. sicut ipse dominus Iesus Christus dicit, Et locauit eam agricolis, qui redderent ei fructum temporibus propriis. Et misit ad eos seruos suos, vt peterent mercedem vineę. Illi autem contumeliis eos affecerunt, aliquos occiderunt, & fructum reddere contempserunt. Misit alios, talia perpessi sunt. Et dixit ille paterfamilias, cultor agri sui, & plantator & locator vineæ suæ, Mittam vnicum filium meum, forte vel ipsum reuerebuntur. Et misit, inquit, etiam filium suum, Dixerũt illi apud semetipsos, Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et occiderunt eum, & proiecerunt eum extra vineam. Cum venerit dominus vineæ, quid faciet illis malis colonis? Responsum est, Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis qui reddent ei fructum in tempore suo. Plantata est vinea, lege data in cordibus Iudæorum. Missi sunt Prophetæ, quærentes fructum, bonam vitam eorum. Prophetæ ab eis contumeliis affecti, & occisi sunt. Missus est Christus vnicus filius patrisfamilias, & ipsum occiderunt hæredem, & ideo perdiderunt hæreditatem. In contrariũ eis vertit malum consiliũ, Vt possiderent occiderunt, & quia occiderũt perdiderunt. Et modo audistis similitudinem ex Euangelio sancto. Quia simile est regnum cælorum patri-

Matth. 20. familias, qui exiit conducere operarios in vineam suam. Exiit mane, & quos inuenit, conduxit in vineam suam, & placuit cum eis mercedem denarium. Exiit & hora tertia, inuenit alios & adduxit ad opus vineę. Et sexta hoc fecit, & nona hoc fecit. Exiit etiã & hora vndecima propè ad finem diei, inuenit quosdam vacuos, & stantes, & ait illis. Quid hic facitis? Quare non operamini in vinea? Responderunt: Quia nemo nos conduxit. Venite, inquit, & vos, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Mercedẽ denarium placuit. Isti qui vna hora erant operaturi, quando sibi auderent sperare denarium? Sed tamen se aliquid accepturos gratulabantur. Adducti sunt, & ipsi ad vnam horam. Finito die, iussit omnibus reddi mercedem, à nouissimis vsque ad primos. Inde cœpit reddere ab eis, qui hora vndecima venerant, & iussit eis dare denarium. Illi qui prima hora venerant videntes illos accepisse denarium, quem cum ipsi placuerat, sperauerũt se plus aliquid accepturos. Ventum est & ad ipsos, & acceperunt denarium. Murmurauerunt aduersus patremfamilias, dicentes: Ecce nos, qui sustinuimus ardorem diei, & æstum diei, æquasti, & pares fecisti illis, qui vna hora operati sunt in vinea. Et ait paterfamilias, iustissimum responsum reddens vni eorum. Sodalis, non tibi feci iniuriam, hoc est, te non fraudaui, quod placui, reddidi tibi. Fraudem tibi non feci, quicquid pactus sum reddidi tibi. Huic non volo reddere, sed donare. Non licet mihi facere quod volo de meo? an oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum? Si alicui tollerem alienum, recte apprehenderet quasi fraudator, & negator alieni. Cùm vero debitũ reddo, & cui volo etiam dono, nec cui debebam potest me reprehendere, & cui donaui, debet amplius gaudere. Non erat quod responderetur, & æquati sunt omnes, & facti sunt nouissimi primi, & primi nouissimi: quia tantundem acceperunt, & primi, & nouissimi. Quid est ergo, quòd a nouissimis cœpit reddere? Nõne omnes sicut legimus simul accepturi sunt? Legimus enim in alio loco Euangelij, quod dicturus est eis quos ponet ad dexteram: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mũdi. Si ergo omnes simul *Matth. 25.* accepturi sunt, quomodo hic intelligimus priores accepisse illos, qui vndecima sunt operati, & posteriores illos qui prima? Si potuero sic dicere, vt perueniat ad intellectũ vestrum, Deo gratiam, illi enim debetis gratias agere, qui vobis per nos erogat. Non enim de nostro erogamus. Si interroges de duobus, verbi gratia, quis prior acceperit, qui post vnam horam accepit an qui post duodecimam, omnis homo respondet: quia prior accepit, qui post vnam horã accepit, quàm qui post duodecim. Si ergo quamuis vna hora acceperint omnes, tamen quia alij acceperunt post vnam horam, alij acceperũt post duodecim horas, illi dicti sunt priores accepisse, qui post modicum temporis acceperunt: primi iusti sicut Abel, sicut Noë, quasi prima hora vocati fœlicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Alij iusti post illos Abraham, Isaac, Iacob, & quicunque erant seculi ipsorum, quasi tertia hora vocati, fœlicitatem resurrectionis accepturi sunt nobiscum. Alij iusti, Moyses, & Aaron, & quicunque cum illis tanquam hora sexta vocati: fœlicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Post ipsos Prophetę sancti tanquam nona hora vocati, eandem fœlicitatem nobiscum accepturi. In fine seculi omnes Christiani tanquam vndecima hora vocati fœlicitatem illius resurrectionis cum illis accepturi sunt. Omnes simul accepturi sunt, sed videte illos primos post quantum tempus accipiunt. Si ergo illi primi post multum tempus, nos post modicum tempus, quamuis simul accipiamus, priores videmur accepisse: quia merces nostra non tardauit. Erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tãquam primi nouissimi, & nouissimi primi: quia denarius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamuis enim meritorum diuersitate fulgebũt, alius maius, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi. Alio modo ibi erit castitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis. Alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis. Illud alio modo, aliud alio modo: tamen quantum pertinet ad viuere in æternum, nec ille plus viuit illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine viuunt cum in suis quisque claritatibus viuat, & ille denarius vita æterna est. Non murmuret ergo, qui post multum tempus accipit, contra eum, qui post modicum tempus accipit. Illi redditur, illi donatur, vtrisque tamen vna res donatur. Est & in ista vita simile aliquid, & excepta illa solutione similitudinis huius qua intelliguntur prima hora vocati Abel, & ipsius seculi iusti, tertia Abraham,

Vides præmia æterna consequentibus ea distribuenda, aliis maiora, aliis minora.

ham, & ipsius seculi iusti, sexta Moyses, & Aaron, & ipsius seculi iusti, nona Prophetæ, & ipsius seculi iusti, vndecima tanquam in fine seculi Christiani omnes: accepta solutione ista similitudinis, & in hac vita nostra potest aduerti hæc similitudo. Tanquam enim prima hora vocantur, qui recentes ab vtero matris incipiunt esse Christiani quasi tertia pueri, quasi sexta iuuenes, quasi nona vergentes in senium, quasi vndecima omnino decrepiti. Vnum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi. Sed attendite & vos, fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam, quia securus est, quoniam quandocunque venerit, ipsum denarium accepturus est. Securus est quidem quod ipse denarius illi promittitur, sed differre non iubetur. Nunquid enim & illi, qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat paterfamilias, vt conduceret, quos inuenit hora tertia, & conduxit, verbi gratia, dixerunt illi, expecta, non illuc imus nisi hora sexta, aut quos inuenit hora sexta dixerunt, non imus nisi hora nona, aut quos nona inuenit dixerunt, non imus nisi vndecima? Omnibus enim daturus est tantundem, quare nos amplius fatigamur? Quid ille daturus sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est. Tu quando vocaris, veni. Merces enim cunctis æqualis promittitur, sed de ipsa hora operandi magna quæstio est. Si enim illi, verbi gratia, qui vocati sunt hora sexta, in hac ætate corporis constituti, vbi iuueniles anni feruent, sicut ipsa hora sexta feruet: si dicerent illi iuuenes vocati expecta, audiuimus enim in Euangelio, quia omnes vnam mercedem accepturi sunt, cum senes fuerimus, hora vndecima veniemus, tantundem accepturi, quare laboraturi? responderetur eis, & diceretur, Laborare non vis, qui vtrum viuas vsque ad senectam, nescis? Sexta hora vocaris, veni, Paterfamilias tibi quidem etiam vndecima venienti denarium promisit: sed vtrum viuas vsque ad septimam nemo tibi promisit. Non dico vsque ad vndecimam sed vsq; ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne forte quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc recte dicitur de infantibus tanquam ad horam primam pertinentibus, si recte dicitur de pueris, tanquam ad horam tertiam pertinentibus, si recte de iuuenibus, tanquam in horæ sextæ flagrantia constitutis, quanto magis recte dicitur decrepitis, Ecce iam hora vndecima est, & adhuc stas, venire piger es? An forte non exiit ad te vocandum paterfamilias? Si non exiit, quid est quod loquimur? Nempe nos serui de familia ipsius sumus, conducere operarios missi sumus. Quid ergo stas? Finisti iam annorum numerum, festina ad denarium. Hoc est enim exire patremfamilias, innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, non videtur ab eis, qui foris sunt. Cum autem exiit de domo, videtur ab eis qui foris sunt. Christus quando non intelligitur & non agnoscitur, in secreto est. Quando autem agnoscitur, exiit conducere: ex occulto enim processit ad notitiã, notus est Christus, vbique prædicatur Christus, gloriam Christi omnia, quæcunque sunt sub cælo, clamant. Fuit irrisibilis quodam modo, & reprehensibilis inter Iudæos, visus est humilis, contemptus est. Occultabat enim maiestatem, promptam habebat infirmitatem. Contemptum est in

illo, quod promptum erat, nec cognitum quod
occultum erat. Si enim cognouissent, nunquam 1.Cor.2.
dominum gloriæ crucifixissent. Nunquid adhuc
contemnendus est sedens in cælo, si contemptus
est, cum penderet in ligno? Agitauerunt caput, Matth.27.
qui eum crucifixerunt, & ante crucem eius stan- Marc.15.
tes, & tanquam ad fructum suæ sæuiciæ perue-
nientes, insultantes dicebant, Si filius Dei est, de-
scendat de cruce. Alios saluos fecit, seipsum saluũ
facere non potest. Descendat de cruce, & credi-
mus in eum. Non descendebat, quia latebat. Mul-
to enim facilius poterat de cruce descendere, qui
potuit de sepulchro resurgere. Ad nostram infor-
mationem demonstrabat patientiam, differebat
potentiam, & non est agnitus. Non enim tunc
exierat conducere operarios, non exierat, non in-
notuerat. Tertio die resurrexit, demonstrauit se Matth.20.
discipulis, ascendit in cælum, & misit spiritũ san-
ctum quinquagesimo die, Post ascensionem mis-
sus spiritus sanctus, impleuit omnes qui fuerunt
in vno conclaui, centum viginti homines imple-
ti illi spiritu sancto, cœperunt loqui linguis om-
nium gentium, & expressa est vocatio, exiit ille
conducere. Cœpit enim veritatis potentia omni-
bus innotescere. Nam tunc etiam vnus accepto Act.1.
spiritu sancto, etiam vnus loquebatur omnium
gentium linguis. Modo autem in ecclesia ipsa
vnitas tanquam vnus loquitur, loquitur omniũ
gentium linguis. Ad quam linguam religio Chri- Psal.8.
stiana non peruenit? Ad quos fines non perrco-
dit? Iam non est qui se abscondat à calore eius.
Adhuc fit mora ab eo qui stat in vndecima. Mani-
festum est ergo, fratres mei, omnino manifestum
est tenere, certi estote, quoniam Deus noster Ie-
sus Christus, quando quisque se conuerterit ad
fidem ipsius à via sua vel superflua vel nequissima
omnia illi præterita dimittũtur & omnino, iam-
que donatis debitis, fiunt cum illo tabulæ nouæ.
Prorsus omnia dimittuntur. Nemo sit solicitus,
quod aliquid ei non dimittatur. Sed iterum ne-
mo peruerse sit securus. Ista enim duo occidunt
animas, aut desperatio aut peruersa spes. De his
duobus malis pauca audite. Nam sicut liberat
bona spes, & certa spes, ita decipit peruersa spes.
Prius attendite quemadmodum decipiat despe-
ratio. Sunt homines qui eum cogitare cœperint
mala, quę fecerunt, non sibi putant ignosci posse,
(& dum non putant posse sibi ignosci.) dant ani-
mam iam perire desperationi, pereunt, dicentes
in cogitationibus suis. Iam nulla nobis spes, ne-
que enim tanta illa, quæ commisimus donari no-
bis, aut ignosci possunt. Quare ergo non satisfa-
cimus cupiditatibus nostris? Impleamus saltem
præsentis temporis voluptatem, quia nullam in
futuro habemus mercedem. Faciamus quicquid
libet, & si non licet, vt habeamus suauitatem vel
temporalem, quia percipere non meremur æter-
nam. Talia dicentes desperando pereunt. Siue
antequam omnino credant, siue iam Christiani,
& in aliqua peccata, & scelera male viuendo pro-
lapsi. Procedit ad eos dominus vineç, & tãquam
desperantes, & vacantes, tergum dantes, pulsat &
clamat in propheta Ezechiel, In quacunque die Ezech.18.
conuersus fuerit homo à via sua pessima, omnes
iniquitates eius obliuiscar. Hac voce audita, &
credita à desperatione recreantur, & ab illa altis-
sima, & profunda voragine, qua submersi fuerant
emergunt. Sed his timendum est, ne in aliam vo-

raginem incurrant, & peruerse sperando moriantur qui desperando mori non potuerunt. Mutant enim cogitationes longe quidem diuersas, sed tamen perniciosas, & rursus incipiũt dicere in cordibus suis, Si quacunque die conuersus fuero à via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per prophetas promisit, omnes iniquitates meas obliuiscitur, quare hodie conuertor, & non cras? Quare hodie, & non cras? Eat hodiernus dies sicut hesternus, sit in nequissima voluptate, sit in flagitiorum gurgite, voluetur in mortifera delectatione. Cras conuertar, & finis est. Respondetur tibi; Cuius rei finis? Dicis iniquitatum mearum, Bene gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid si ante crastinum tuus erit finis? Ergo bene quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas conuerso tibi indulgẽtiam Deus promisit, sed crastinum diem tibi nemo promisit. Aut si forte promisit Mathematicus longe aliud est. Quam ò Deus, multos mathematici fefellerunt, quia sibi plerunque lucra promiserunt, & damna inuenerunt. Ergo etiam propter istos male sperantes, procedit paterfamilias. Quemadmodum processit ad illos, qui male desperauerunt, & perierunt desperando, & reuocauit eos in spem: Sic procedit etiam ad istos, qui male sperando volunt perire, & dicit eis per alium librum, *Eccles. 5.* Ne tardes conuerti ad dominum. Quomodo il*Ezech. 18.*lis dixerat, In quacunque die iniquus conuersus fuerit à via sua mala, omnes iniquitates eius obliuiscar: & tulit eis desperationem, qua iam dederant animas suas perditioni, omni modo indulgentiam desperantes: sic procedit etiam ad istos, qui sperando, & differendo volunt perire, & loquitur ad eos, & increpat eos. Ne tardes conuerti ad dominum, neq; differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ergo noli differre, noli quod patet, contra te claudere. Ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium. Quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti. Non pulsasti & ape*Prouerb. 3.*rit, & foris remanes? Ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco scriptura dicit, Ne dixeris vade, & reuertere, cras ego dabo, cum possis continuo bene facere, Non enim scis quid contingat sequenti die. Audisti præceptum non differendi, vt in alium sis misericors, & differen*Eccles. 30.*do in te es crudelis? Non debes differre panem daturus, & differs indulgentiam accepturus? Si miserando alterum non differs, miserere & animę tuæ placens Deo. Exhibe & animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus vt ei des, sed ne repellas manum dantis. Sed aliquando homines inde sibi plurimum nocent, cum alios offendere timent. Multum valent boni amici ad bonum, & mali amici ad malum. Ideo dominus pro salute nostra potentium amicitias contemnens, noluit prius eligere senatores, sed piscatores. Magna artificis misericordia. Sciebat enim quia si eligeret senatorẽ, diceret senator, Dignitas mea electa est. Si eligeret diuitẽ, diceret diues, Opulẽtia mea electa est. Si prius eligeret imperatorẽ, diceret imperator, Potestas mea electa est. Si prius eligeret oratorẽ, diceret orator, Eloquẽtia mea electa est. Si eligeret philosophũ, diceret philosophus, Sapiẽtia mea electa est. Interim, inquit, differantur superbi isti, multũ tumẽt. Distat autem inter magnitudinẽ, & tumorem. Vtrunque grande est, sed nõ vtrunque sanum est. Differantur ergo, inquit, isti superbi aliquã soliditate sanandi sunt. Da mihi, inquit, prius istum piscatorem. Veni tu, pauper, sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper, sequere me. Non est, quod in te expauescatur, sed multum est, quod in te impleatur. Tam largo fonti vas inane admouendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator, & factus est diuinus orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo dicit Apostolus: Infirma mundi elegit Deus, *1. Cor. 1.* vt cõfundat fortia, & ignobilia mũdi elegit Deus, & ea quæ non sunt tanquam quæ sint, vt ea quæ sunt euacuentur. Denique leguntur modo verba piscatorum, & colla subduntur oratorum. Tollantur ergo de medio inanes vẽti, tollatur de medio fumus, qui crescendo euanescit, prorsus pro salute ista contemnantur. Si quisque in ciuitate aliquo periculoso morbo corporis ægrotaret, & esset in ciuitate peritissimus medicus amicus ægrotantis, potentibus inimicus, qui dicerent amico suo: noli eum adhibere, nihil nouit: dicerent autem, non iudicante animo, sed euidente, nónne ille pro salute sua remoueret amicorum potentium fabulas, & vt paucis diebus plus viueret eum illorum qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo, medicum illum, quem peritissimum commendauerat, adhiberet? Aegrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarum ab Oriente vsque ad Occidentẽ grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum descendit Omnipotens medicus. Humiliauit se vsque ad mortalem carnem, tanquam vsque ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur, qui audiunt, liberantur. Contemnitur, cum dicunt amici potentes, nihil nouit. Si nihil nosset, potentia eius Gentes non impleret. Si nihil esset, non esset antequam apud nos esset, Prophetas ante se non mitteret. Nónne modo implentur quæ ante prædicta sunt? Nónne probat medicus iste artis suę potentiam, promissa complendo? Nónne per totum mundum perniciosi euertuntur errores, & tritura mundi damnantur cupiditates? Nemo dicat: Antea melior erat mundus quam modo: Ex quo cœpit iste medicus artem suam exercere, multa hic videmus horrenda. Noli mirari. Antequam aliquis curaretur, munda à sanguine statio medici videbatur: imò iam tum hoc videns, excute vanas delicias, veni ad medicum, sanitatis tempus est, nõn voluptatis. Curemur ergo, fratres. Si nec medicum agnoscimus, non in eum tanquam phrenetici sæuiamus, non ab eo tãquam lethargici auertamur. Multi enim sæuiendo, multi dormiendo perierũt. Phrenetici sunt, qui non dormiendo insaniunt. Lethargici sunt, qui multum dormiẽdo premuntur. Prorsus tales sunt homines. Contra istum medicum alij sæuire in eum volunt: & quoniam ipse iam in cælo sedet, membra eius in terra persequuntur. Curat & tales. Multi ex eis conuersi ex inimicis facti sunt amici, ex persecutoribus facti sunt prædicatores. Tales etiam ipsos Iudæos, in seipsum cum hic esset sæuientes, tanquam phreneticos sanauit, pro quibus in ligno pendens orauit. Dixit enim: Pater ignosce illis, quia nesciunt *Luc. 23.* quid faciunt. Multi tamen eorum, sedato furore, tanquam phrenesi oppressa, cognouerunt Deum, cognouerunt Christum. Post ascensionem misso Spiritu sancto, conuersi sunt ad eum, quem crucifixe

cifixerunt,& in sacramento credentes sanguinem eius biberunt, quem sæuiendo fuderunt. Habemus exempla. Persequebatur membra eius iam sedentis in cælo Saulus, persequebatur grauiter in phrenesi mente perdita, morbo nimio. At ille Act.9. vna voce de cælo clamans ei: Saule, Saule, quid me persequeris? percussit phreneticum, erexit sanum, occidit persecutorem, viuificauit prædicatorem. Etiam lethargici multi sanãtur. Ipsis enim similes sunt, qui non sæuiunt in Christum, nec maliciosi sunt aduersus Christianos, sed tantum differendo languescunt verbis somnolentis, in lucem oculos extendere pigrescunt, & qui eos excitare volunt molesti sunt. Recede à me, inquit, languidus lethargicus, obsecro te, recede à me. Quare? Dormire volo. Sed ille, Morieris inde. Ille amore somni, mori volo, respondet. Et charitas desuper, Nolo. Plerunq; istum charitatis affectum exhiber etiam filius seni patri morituro post paucos dies, iam vtique ætate finita, si lethargicum vider, & lethargico morbo premi suum patrem à medico agnoscit dicente sibi: Excita patrẽ tuum, noli eum permittere dormire, si vis vt viuat: adest puer seni, pulsat, vellicat, pungit, pietate molestus est, nec mori cito permittit citò moriturum, & si viderit vt aliquando plures dies viuat, cum decessſerit successurus. Quanto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, sed apud Deum in æternum viuamus? Ament ergo nos, & faciant quod audiunt per nos, & colant quem colimus & nos, vt recipiant quem speramus & nos.

S. CYRILLI EPISCOPI *Alexand. superioris Euang. expositio.*

EGo *sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem, &c.* Vt quantum oporteat inhærere sibi, & ab eo pendere, & quantum nobis hoc prodest, ostenderet, vitem seipsum exempli ratione, & palmites affixos in eo credentes appellauit; qui participatione spiritus, per quem saluatori coniungimur, naturæ eius communicamus. Conglutinatio enim, sicut palmitum ad vitem, accedentium ad Christum, vt à nobis est, voluntaria est; vt autem à vite ad nos colligandos esse intelligitur, habitudinalis est. Proba enim voluntate nos per fidem accedimus: efficimur autẽ (vt ita dicam) de genere eius, dignitatem adoptionis filiorum Dei ab eo consecuti. Qui enim domino (vt ait 2.Cor.6. Paulus) adhæret, vnus spiritus est cum eo. Quemadmodum igitur voce prophetica basis, & fundamentum appellatur, in ipso enim ædificamur Esa.28. viui lapides, spiritalésque facti ad habitaculum Dei in spiritu, & sacerdotium sanctum; nec ædificari nisi per Christum possumus, sic vitis appellatur, vt mater, & nutrix palmitum. Regenerati enim ex Christo, & per ipsum in spiritu sumus ad ferendum fructum vitæ, non illius priscæ, sed huius nouæ, quæ est per fidem, & charitatem erga ipsum. Cõseruamur autem in hoc statu, & ad hoc (vt ita dixerim) insertí quodammodo ipsi sumus, id est, firmiter retinentes tradita nobis ab ipso mandata, studentésque huius nobilitatis bonum seruare. Quod fit, si spiritum sanctum, per quem in nobis Deus habitat, non offendamus. Ioannes enim ostẽdit aperte, quomodo in Christo sumus; 1.Ioan.4. in hoc, inquit, cognoscimus, quoniam in eo sumus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et rursus; qui dicit se in eo manere, debet, vt ille ambulauit, ipse quoque ambulare: & 1.Ioan.2. alibi clarius; qui mandata eius seruat, in ipso manet, & ipse in eo. Nam, si mandatorum seruatio charitatem erga eum efficit, & per charitatem ei coniungimur; quomodo verum non est, mandata seruantes in eo manere? Sed, quemadmodum radix qualitatem suã palmitibus immittit, sic vnigenitus Dei filius, patris, & suæ naturæ affinitatem (vt ita dicam) spiritu dato sanctis largitur, per fidem, & sanctitatem ei coniunctis, ad pietatem, & ad omne virtutis genus ipsos nutriens. Agricolam autem patrem appellat; ne à solo filio fieri hoc videatur, quod totius trinitatis mirabile opus est. Non modo enim salus nostra; verum etiam omnia, quæ à Deo fiunt, vna voluntate, ac potestate supremæ naturæ fiunt. Ac ideo gratias agentes Deo, quoniam nostri misertus est, saluatorem appellamus non patri, aut filio, aut spiritui sancto, sed deitati simpliciter hoc attribuentes. Pater igitur nos ad pietatem, & fidem per filium in spiritu nutrit, & agricolę opera facit, aspiciens, & souens, & omni ad virtutem redigens cura per filium similiter in spiritu. Sic enim iudicio meo rectius hoc intelligemus. Nam, si alia patri, alia filio seorsum accommudabimus, quoniam vitis filius nuncupatur, pater vero agricola, à solo filio contineri, & nutriri videbimur, à patre autem nuda solummodo visitatione coli; vitis enim palmites suos nutrit; agricola vero visitat solummodo vitem, & colit. Quare nec illud à patre, nec hoc à filio, nec vtrunque à spiritu separandum: omnia enim à patre per filiũ in spiritu fiunt. Idcirco enim patrem cultorem vitis appellauit; ne quis vnigenito soli, salutem nostram attribuat, & ad hæc, vt discamus visitatione nos diuina indigere. Commodissime igitur cum vitem, & palmites nominauerit, cultoris quoque fecit mentionem, cura, prouidẽtia, gubernationéque Dei adduci ad virtutem, continerique nos demonstrans. Si vero credimus filium in patre, & patrem in filio naturaliter esse, & ex ipsis esse omnia in spiritu, vt ab vna deitate, nec pater ab alendis nobis separabitur, nec filius à cultura erit alienus; & iure id quidem: vbi enim summa naturæ identitas est, ibi quanuis multis, variísque modis fieri nonnulla videantur, vna tamẽ est operatio nullo modo distincta, vna vero natura in patre filio, & spiritu sancto est. Quomodo igitur, quicquid diuinitus fit, vnius deitatis opus non erit? Quare dominus Ioan.10. etiam noster Iesus Christus cooperari se cum patre ostendere volens, ad impios Iudæos dicebat; Multa, & bona opera ostẽdi vobis ex patre meo, cuius eorum gratia me lapidatis? Et rursus; pater Ioan.5. meus vsque modo operatur, & ego operor. Nemo enim (vt puto) seorsum patrẽ à filio operari quicquam putabit. Nam, quoniam sapientia, & virtus patria est, per quem pater omnia facit; ideo dicit nihil à se facere, sed patrẽ, qui in eo manet, ipsum agere opera. Vitis igitur locum Christus tenet, nos vero palmitũ, qui ab eo pendentes, virtutem, & gratiam spiritus in alimoniam nostram, & ad fructum trahimus spiritalem. Sed nequeo propositum opus mihi ita sequi, vt negligam, quæ quidam ex hoc euangelij loco aduersus veritatem

contexit. Recte namque, inquit, vnigenitus deridendo ostendit omnes, qui se patri cōsubstantialem opinantur. Ecce enim, ecce vitem seipsum nuncupauit, patrē vero agricolam. Quemadmodum ergo vitis, atque agricola vnius naturæ non sunt (illa enim lignum, hic homo; quæ diuersa genere penitus sunt) sic filius consubstantialis patri non est, sed naturaliter, & longe ab eo separatus: siquidem alter quasi agricola, alter quasi vitis est. Nec rationabiliter quidā ad humanitatem Christi id conferunt. Non enim caro eius, sed deitas vitis ab eo nuncupata est. Patet enim, quia corpora nostra non dependēt à carne Christi vt palmites à vite, nec sanctorum fructus corporeus est, sed potius spiritalis, deitas ergo filij, vitis est, vnde per fidem pendemus. Hæc ille astute simul, atque impie, aliáque huiusmodi euomuit. Nos autem patrum, & ecclesiæ fidem sequētes (quantum in nobis situm fuit) loci huius sensum rimati sumus, nunc, ne, si silentio trāseamus, magnum deliramenta huius hominis detrimentum simplicioribus afferant: age spiritus armis freti, primum illud dicamus, longe ab omni ratione remotum esse, ad naturæ, substantiæque significationem illud traducere, quod per similitudinem dictum est.

Hāc interpretationem de suspsit ex Dionysio Episcopo Alex. quā ex calorefida, cū contra Sabelliū scriberet, ita locum hūc exposuit. Sed postea (vt testis est Athanas.) suā interpretationē correxit.

Ego enim arbitror, si volumus recte, quæ dicuntur, intelligere, intentionem semper nobis esse considerandam, & ad quod Christus propositum verba faciebat. Considerate igitur diligenter, oro, qui lecturi estis, Non intendebat Christus modo alium se à patre natura ostendere: neque hac de causa vitem se, illum vero agricolam nominauit. Cur enim, si hoc sibi propositum fuit, nihil aliud attulit? Aut cur similitudine omnino vsus est; cum multo breuius, atque clarius solis nominibus patris, & filij facere illud potuisset? Non igitur, quod isti à seipsis excogitarunt, sed istud ostendere voluit; quemadmodum ramis arborum à radice qualitas, nutrimentumque præbetur; sic spiritalium virtutem fructuum ab eo nobis concedi. Omne nanque bonum non à nobis, sed diuinitus datū habemus: Deo autem nihil datur; ipse enim origo omnium est, ideo radix, & quasi vitis est Christus; nos autem palmites. Si vero pater agricola est; non tamen propterea alienæ naturæ intelligitur, neque hoc significare voluit: sed radicem, & originem, supremam naturam omnium bonorum ostendens, charitatis visitationem, qua nos vt agricola visitat, ei attribuit. Verum, quoniā nulla nos ratione humanitati Christi posse ista attribuere arbitratur, quoniam fide, atque dilectione, nō carne illi coniungimur; age pauca de hoc dicamus, ac peruerse ab eo sacrarum litterarum sensum exponi ostendamus. Non tamen negamus recta nos fide, charitatéque sincera Christo spiritaliter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulū dicentē, quia omnes vnū corpus sumus in Christo: quia, etsi multi sumus, vnū tamē in eo sumus: omnes enim vno pane participamus. An fortassis putat ignotā nobis mysticæ benedictionis virtutē esse? quæ cum in nobis fiat; nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christū in nobis habitare?

Optima regula ad sacras literas intelligendas in locis præsertim cōtrouersis.

Iacob. 1.

1. Cor. 10.

Ecce agnoscit verā Christi carnem esse in Eucharistia, & nos vere.

cur enim mēbra fideliū membra Christi sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Christi? membra igitur Christi meretricis faciam membra? absit. Saluator etiam, qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam, quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur; sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Nō poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatē, & vitā traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo (te obsecro) fidem præbe; Amen amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Qui mādueat carnem meam, & bibit sanguinē meum, habet vitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis aperte clamantem non habituros nos vitam; nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus, in vobis autem ipsis dicit, id est, in corpore vestro. Vita autem in re ipsa vitæ caro intelligi potest, hæc enim nos in nouissimo die suscitat: & quomodo dicere non grauabor. Caro vitæ facta vnigeniti caro ad virtutem vitæ traducta est, non potest igitur morte superari. Propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus Dei filius. Vnde, quia vnus est cum carne sua, ego, inquit, suscitabo eum. Cur igitur secundum carnem palmites nos dici pernegat, an non conuenienter dici potest, vitem, humanitatē eius esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? eiusdem enim naturæ vitis, & palmites sunt; ita & spiritaliter, & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est. Aduersarius autem Christi deitatis solummodo ratione vitem dici Christum contendit: vt, quoniam agricola pater dicitur, substantiæ diuersitatem aduersus ecclesiæ dogmata possit ostendere. Sed miror, si alium à natura patris filium putat, quomodo patris, & filij nominibus vtitur. Quomodo enim erit vere filius si à substantia eius natus non est? Qui negat filium, patrem quoque negat, & qui confitetur filium, patrem quoque confitetur, Ioannes ait. Et certe ita est. Alterutro enim ablato, aut posito, alterum tollitur, aut ponitur: nec erit pater, nisi sit filius, nec intelligetur filius, nisi pater intelligatur. Qui vero diuersum substantia vnigenitum à patre opinatur, is filium esse negat: patrem igitur etiam esse negat, & vbi ecclesiæ fides est? vbi trinitatis gloria in nudis nominibus? non vides omnia deduci, quæ à scripturis de suprema natura dicta sunt? Sed forsan huius impietatis magnitudinem veritus, diuersum quidem natura filium dicet, sed tamen natum ea patre intelligit. Nam, si vt aliquam creaturarum per habitudinem, quæ est in dilectione secundum voluntatem, eo pacto, quo vniuersa ea Deo esse dicuntur, quod sit in eadem impietate affixus, non sentit. Sin autem vere natum ea patre dicit nec tamen ei consubstantialem, in ipsum quoque patrē impius erit, cum quod creaturarum natura pati non potest, solus ipse perpessus sit: quodque peius est, ad creaturas ipse pater deducetur. Vitem enim

& proprie, id est, ceranitis, non spiritualiter tātū, carnem Christi communicantem ad negabat Arianus. locus est insignus, quem aliorum sensum torquere non posse videtur.

Ioan. 6.

In … non caro … sed C. deitat.

1. Ioan. 2.

enim vnigenitum non secundum carnem, sed solummodo secundum deitatem dicit. Dicat igitur verum verum Deum filium putet, an adulteratum & solo nomine, si tantúmodo nomine, nec secundú naturam, audiat quid saluator clamet; ego sum veritas. Veritas autem nullo modo inania suscipit nomina: audiat etiá quid Ioánes iste alibi clamet; Et sumus in Deo vero, Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna. Si ergo verus Deus vnigenitus est, & ab eo pater distat natura, vt homo à ligno; erit pater creatura: nec erit filius solúmodo Deus, sed nos etiá; quoniá palmites cú vite vnius naturæ sunt, veri dij secundú naturam erimus, quæ omnia extremæ impietatis sunt. Præterea, quoniam filius, ego, & pater, inquit, vnum sumus, aut nos ad naturam patris cóscendemus, aut pater ad nostram detrudetur, vnum enim sumus cum filio, quoniam & palmites cum vite vnius naturæ sunt. Vide, quæso, quam absurda, & impia peruersa hæc expositio peperit. Quare ea omnino neglecta, spretaque vitem dici filium, & patrem agricolam modo, quo diximus, non dubitemus. *Omné palmitem in me non ferentem, &c.* Voluntaria est nostra cum Christo conglutinatio, & charitate, ac fide perficitur: & fides quidem in animo nostro consistit, veram Dei cognitionem efficiens, charitas vero mandatum eius seruare facit. Qui enim me diligit, is, inquit, mandata mea seruabit. Qui ergo per fidem Christo solummodo coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed nó fructuosi, ná fides absque operibus, mortua quædam res est. Huiusmodi autem palmites agricolæ falx seuerissime amputat, & igni tradit: hoc enim modo de infructuosis arboribus solet fieri. Exciduntur enim, ne terram frustra occupent, vt de ficu per parabolam dicitur. Voluit ergo, vt ipse arbitror, hac similitudine, quantú sit detrimentum eius animæ ostendere, quæ ab eo decisa est; inutilis enim cum sit, cumque nullum edat fructum probitatis, & æternæ punitioni tradita, igne cruciabitur. Hoc ipsum per prophetam Ezechielem clarius exposuit dicens, fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum? nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce, quod in annos amputatur de ea, igni datú est in escam: nunquid vtile erit ad opus? Ita quod semel decisum est, ad nullam penitus rem conferre potest, nisi forte ad ignem. Nihil ergo nobis conducet à sculptibilibus ad Christum translatis, si mandata contemnimus. T999demur enim omnino igni, si qualitatem viuificam, atque humoré vitis, id est, spiritum sanctum probis operibus non retinebimus, Nam quod Christus de illo dicit, qui talentum obruit, idin eis quoque inspicitur, qui decisi sunt, vt enim ab illo talentum auferetur, sic à palmite humor vitis quo alebatur, aufertur autem ab illis humor, id est, spiritus Domini, antequam igni tradantur. Nam, si honoribus huius seculi præditi, quando aduersus regem aliquid cómiserunt, non prius puniuntur, quam magistratu se abdicauerint; quomodo non erit necesse, vt antequam igni anima infructuosa tradatur, penitus à gratia spiritus decedat? Sed hæc quidem infructuosi palmites iure subituri sunt; fructuosi autem cura, & cultu agricolæ mainté producent fructú.

Ioan. 14. *1. Ioan. 5.* *Ioan. 10.* *Ezech. 15.* *Matth. 25.*

...go potest ...idêha ...fine cha... quod ... videtur ...sola abs ...operibus ...mo iuuat. ...c. 13.

Qui enim bene viuere malút; qui quam maxime possunt virtuti studét, iis, per spiritus gratiá quasi per falcem, modo voluptates, modo alias turbationes animi, quibus mens à statu suo deijcitur, Deus incidés est, ac amputans. Hæc est illa nó manu, sed spiritu intellecta circúcisio. Nó enim, vt ait Paulus, qui in manifesto Iudæus est; & circuncisio cordis in spiritu, non in littera. Et rursus; in quo credentes circuncisi non manu estis. Hæc spiritualis purgatio absque dolore nó fit; dolere namque sanctos, cum à Deo castigantur, Esaias quoque subaperit dicens; cum abluerit dominus sordem filiorum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Et ipse Paulus; si in disciplina perseueratis tanquam filij, vobis offert se Deus: quis est enim filius, quem nó corripiat pater? Nec multitudo ipsa sanctorum hác castigationem renuit: imo potius optat, dicens; Castiga nos, domine, in iudicio tamen non in furore: namque decisio infructuosorum palmitum in furore fit, in iudicio autem, id est, in consideratione, atque mésura fructuosi palmites depurgantur. Vnde aiunt, in tribulatione parua, domine, disciplina tua nobis. Parua enim purgatoria est tribulatio, quæ per superiorem disciplinam, beatos homines efficit, quod bene Dauid ille intellexit; Beatus, inquit, homo, quem tu corripueris, domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis. Dies enim certe nefasti, ac praui decisis palmitibus illi sunt, in quibus in ignem mittuntur æternum, quando correptis, & castigatis mitem se reddit Deus; non enim absolute tales damnantur; quoniam non omnino infructuosi palmites fuerunt. Ad confessionem igitur fidei feruens virtutis accedat operatio, nec verbis solum, sed multo magis etiam re Christo adhæreamus, si volumus decisionis euitare periculum. Hæc dicta sunt; quoniam spiritaliter Christus hæc intellexisse videtur, quanuis & aliter hæc interpretari pie possimus: palmes quidem, qui à communicatione Christi paterna falce deciduntur, sterilem iudæorú significat populú, cuius radicibus securim inhærere Baptista dicebat, palmites autem, qui purgantur, tam ex iudæis, quam ex gentilibus fideles sunt: quibus vna purgatio spiritus est, cuius tamen modi differunt, à Iudæis enim Mosaicæ legis ruditas tollitur; à gétilibus anté impuritas morum, & colendæ creaturæ voluntas. Hæc fiunt, vt euangelicæ doctrinæ fructum possint ferre mirabilem. Hæc Paulus ita esse confirmat: modo ad Iudæos, qui rursus ab euangelio ad vmbras delapsi fuerant scribens; abalienati estis à Christo, quicunque in lege iustificamini, à gratia excidistis. Et rursus; dico enim vobis, quia si circuncidamini, non proderit vobis Christus. Si vero à Christo abalienantur, qui lege student iustificari; patet depositionem legis, accessum esse ad Christum: modo ad gentes; si, cum inimici essemus, inquit, Deo, per mortem filij eius reconciliati sumus; multo magis iam reconciliati saluabimur in vita eius: & alibi ad eos, qui ad pristinum vomitum redibant; Nunc autem, inquit, cum cognouissetis Deum, imò vero cogniti sitis à Deo; quomodo rursus ad infirma mundi elementa reuertimini? Quando ergo, qui elementis, & creaturæ seruiunt, à Christo resiliunt; qui facere id non patiuntur, Christo certe coniunguntur. Purgatio igitur gentium est erroris idolorum abie-

Rom. 2. *Coloss. 2.* *Esa. 4.* *Heb. 12.* *Hier. 10.* *Hier. 26.* *Psal. 93.* *Matth. 3.* *Galat. 5.* *Rom. 5.* *Galat. 4.*

ctio, multa bona hominibus afferens: vitiis enim spretis, pulchritudo virtutis accipitur, nam, cum Ioan.1. sordes deterguntur, nitor statim apparet. Cum autem hæc circuncisio, qua purgamur, per spiritum fit, & spiritus largitor filius esse vere credatur, à cuius plenitudine omnes accepimus, qui ad nos dixit; accipite spiritum sanctũ, ex patre per filium in spiritu hæc purgatio, & circuncisio spiritalis Ioan.10. in nobis fit. Et sic aduersariorum argumenta friuola omnino inueniuntur, qui dicere ausi sunt, non esse consubstantialem patri filium, quia nec agricola, & vitis vnius naturæ sunt. Non enim pater solum, verum etiam filius in spiritali circuncisione agricola esse conspicitur. *Iam vos mundi estis, &c.* Certiores argumentis purgatiuæ artis suæ discipulos facit. Iam enim mundos esse asserit propter sermonem eius, id est propter euangelicam doctrinam, quam acceperunt. Quis igitur non amens non videbit facile, manum patris colentis agrum Christum dominum nostrum esse? Nam, quamuis patri vitis culturam attribuit, sed tamẽ omnia ex patre per filium sunt, vt per virtutem eius: ipse enim est viuum, & efficax eius verbum, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretiuum cogitationum, & intentionum cordis. Nam, cum vsq; ad profunda cordis penetret nostri, vanis quidem cogitationibus, atque studiis nostris Heb.4. acutam spiritus falcem immittit, quam purgationem esse intelligimus: cogitationes autẽ nostras, quæ ad virtutem tendunt, & multiplicat, & ad centẽdum vsque fructum corroborat. Iacet ergo aduersarij ratio, qui diuersitatem propter vitis, & agricolæ, vocabula in deitatis natura excogitauit. Nam, cum mundos esse discipulos dixerit, nullam mentionem patris fecit; sed suo ipse sermone purgatos esse affirmat. Quemadmodum ergo per filium, & in filio pater viuificat, eodem certe pacto nobis per filium prouidens agricola est. His Christi hostes persuasum esse velim, vt, omni contentione abiecta, catholice nobiscum veritati adhæreant. Sed nolunt vllo modo id facere: clamant enim non posse vitem, & agricolam eiusdem se naturæ confiteri: quam audaciam si nos quoque imitabimur, quid prohibebit eos interrogare; vtrum paternus iste cultus palmitibus solummodo, an toti potius conferat viti? non dubito, quin toti prodesse viti culturam respondeãt. Quoniam igitur vitem seipsum Christus appellauit, vitis autem, nisi colatur, non minus quam palmites perit; cur non putamus nõ minus quam nos ope ipsum diuina indigere? Ita, si quis intentionem dicentis non considerat, longe aberret necesse est. Sed valeant omnes huiusmodi nugæ, & verba Christi rursus considerentur. *Vos,* inquit, *mũdi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Spiritualis, inquit, purgationis, atque culturæ modus propter sermonem meum imprimis vobis apparet: à mundi enim fæditate iam separati, ad ferendum fructum Heb.9. parati estis. Eiecit ab animo vestro vanas Iudæorum obseruationes doctrina mea, ruditatem litteræ iam contemnitis: non cibo, & potu, non aspersione brutorum sanguinis, sed fide atque virtute (in quibus spiritalis cultus conspicitur) sanctificationem quæritis. Qui ergo purgari voluerint, vos sequantur. Sic enim excussa ex animo suo prima immundicia, fide, ac charitate vt palmites mihi inhærebunt. Vnde gratia spiritus ad pieta- Ioan.4. tem nutrientur. Spiritus enim Deus est; & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Ita & eorum, qui credituri sunt, discipulorum exemplo purgationẽ ante oculos ponit; & ipsos ad maiora hortatur; cum non frustra inhæsisse sibi, & sermonem suum audiuisse ostendat, sermonem dico euangelicum, quo vniuersum orbem ad imitationem sui traducturi erant: ita enim omnes hortabantur viuere, & ita credere, vt ipsi & viuebant, & credebant. Vnde Paulus quoque ad 1.Cor.4. imitationem sui sæpius fideles inuitat. *Manete in me, &c.* Manifestius iam ex hoc loco discimus, sincera fide palmites insertos viti fideles fieri. Sed non est minoris curæ iugiter per charitatem, id est, mandati seruationem Christo inhærere, illud psalmistæ clamantes; inhæsit anima Psal.62. mea post te. Non igitur sufficit ad perfectionem, id est, ad sanctificationem, quæ per Christum in spiritu est, in numero palmitum recipi, sed oportet ardenti charitate, atque continuo immaculate Christum sequi: qua in re maximè spiritalis coniunctionis virtus seruatur. Quoniam igitur dictum est, mũdos illos fuisse propter sermonem Christi; ne quis putet, nequaquam se posse, si semel purgatus fuerit, ad peiora delabi, in eo permanere imperauit, quod nihil aliud est, vt mihi videtur, quã illud Pauli: Qui putat se stare, videat 1.Cor.10. ne cadat. Mille namque pericula, nisi vigilanter studeamus, etiam stantibus imminent. Quare oportet omni cura, opera, studio ad maiora semper niti, quam magnum enim detrimentum patiatur, qui per negligentiam à Christo decidit, subiecit dicens, non posse illos fructum ferre, nisi in se manentes, sicut palmites à vite, sic inde humorem trahant, quo mirabiles alãt botriones. Vt enim palmes decisus à vite, nunquam fructum feret; sic nos à Christo decisi, nunquam secundum virtutem germinabimus. Christus enim est, qui nos per gratiam spiritus quasi per aquam irrigat & nutrit, vt possimus facile pietatis edere fructus. Si quis sitit, veniat, inquit, ad me, & bibat: quod ipse nobis euangelista, optimè interpretatur, dicens, id a Christo dictum esse de spiritu, quem ac- Ioan.7. cepturi fideles erant. Ideo Dauid quoque ad Deũ patrem clamabat; Quoniam apud te est fons vi- Psal.35. tæ, & deliciarum torrens spiritalium ipse filius est qui gratia spiritus per charitatem, & fidem animas nostras irrigat. *Ego sum vitis, vos palmites, &c.* Hinc ea de causa vitem se appellasse manifeste ostendit, vt quasi oculis hoc exẽplo cerneremus, manentes in eo vt palmites ex vite humore tracto, spiritalem posse fructum afferre. Resilientes vero ab eo, vel quia in fide, vel quia in seruatione mandati deficiant, non modo nihil fructus producturos, sed æternum etiam ignem passuros. Qui enim à pietate, vel charitate Christi decidit, suppliciis seipsum tradidit, sicut decisus palmes ad nihil aliud quam ad ignem vtilis est. Optimo nobis ipsi apostoli exemplo sunt, qui quoniã manserunt in Christo, nec vlla vi ab eo separari potuerunt, æternas laudes consecuti, fructum suæ virtutis conuersionem orbis attulerunt. Vnde immarcessibiles apud Deum habituros coronas nõ dubitamus. At auaritiæ seruus Iudas, à vite spirituali decisus, gratia spiritus amissa, foras eiectus, igni vt inutile sarmentum traditus est. Dupliciter igitur ad manẽdum secum Christus nos inducit,

partim

partim cupiditate gloriæ, quam fructuosi palmites cōsequentur, partim formidine ignis, cui traduntur, qui ab eo se separant. Agricolam autem patrem nominat, diuinæ id naturæ attribuens, vt *Esaia 66.* diximus. Nam ipse manus est patris, per quē omnia facta sunt. Manus mea, inquit, hæc omnia fecit; & per filium facta esse omnia, scripturæ, testantur. Quare manus patris filius dicitur. Hanc *Rom. 11.* incisionem, quæ hic intelligitur; Paulus quoque intellexit dicens: vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate; alioqnin & tu excideris. *Si manseritis in me, &c.* Radicem supernæ beniuolentiæ, ac firmamentum esse ait; si quasi spiritale depositū, euangelicæ disciplinæ dogmata, & mandata seruarint. Seruantibus autem sine mora, petita bona pollicetur affutura: *si manseritis*, inquit, *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Fieri enim potest, vt in Christo maneas, & verba eius in te nō habeas. Duplex enim via est, vt modo diximus, per fidem, & per charitatem, propter quam mandata seruantur. *Fieri potest, vt qui fidem retineat, charitate amissa.* Quæ cum ita sint, qui verbis nudis Christum confitentur, sed mandatorum obseruatione, id est, charitate ad perfectionem non conformantur; quamuis Christo fide inhæreant, inque ea hac ratione maneant, verba tamen eius non habent: nō obliti quidem illi prædicationis euangelicæ, sed illecebris voluptatum capti, spiritus gratiam abiiciūt. *Matth. 7.* De quibus ipse saluator ait; non omnis, qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est. Quod autem fides ad salutem non sufficiat; Christi etiam discipulus ostendit scribens; *Fides ad salutem nō sufficit.* tu credis, quia vnus Deus est; dæmonia etiam *Iac. 2.* credunt, & horrescunt. Si ergo fides sola sufficeret; multitudo dęmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere. *Psal. 118.* Nam, qui sic facit, is & in Christo per fidem manet, & in corde suo verba eius conseruat, vt in Psalmis dicitur; In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Nam veluti, qui ignem in æreo vase recondidit, caliditate ignis non caret: sic, qui verba diuina in animo retinet, & ea seruare conatur, virtutis semper ardet amore. *Psal. 118.* Scriptum est enim; ignitum est eloquium tuum vehementer; & seruus tuus dilexit illud. Qui ergo syncera fide in Christo manet, & mādata eius seruat ei, quidquid petit, confestim conceditur. Num ergo, inquies, si quicquam mali petierit, impetrabit? minime, minime inquam; non est tamen par, vt, qui manet in Christo, & mandata eius seruat, is quicquam petat, quod Deo non placeat. Propterea iis, qui doctrinam suam in animo retinent, atque seruant, istud pollicetur. Quare, si accipere volumus, cum petamus, recte viuamus, & quicquid petierimus, absque mora nobis Christus præstabit.

S. BERNARDI ABBATIS

Clareuallensis, super illud Ioan. 15. Ego sum vitis, &c. Tract.

Attribuitur D. Bernardo. EGo sum vitis vera. Ipso Domino Iesu Christo adiuuante videamus quasdam proprietates vitis terrestris, in quibus etiam illius supercælestis vitis proprietates nominare possumus: nec tantùm ea, quæ exterius ad culturam eidem exhibentur, consideremus. Et primò quidem, quòd plantari solet vitis in terra, nō seminari, translata de sua vite: quod ad conceptionem Iesu mihi pertinere videtur. Vitis enim primò nata de vite, est Deus genitus de Deo, filius de patre, coæternus & consubstantialis ei de quo genitus est. Sed vt maiorem faceret fructum, plantatus est in terra, id est, in virgine Maria conceptus, factus quod non erat, manens quod erat. Benedicta terra hęc, omnium Gentium proferēs benedictionem. Verè benedicta, quæ Deo dante benignitatem, tam benedictum protulit fructum. Hæc est terra de qua scriptum est: Terrām non operabatur quisquam, sed irrigabatur à fonte ascendente de paradiso. *Gen. 2.* Terra quippe hæc non accepit operationem humanam, vt conciperetur in ea filius Dei, sed aqua Spiritus sancti irrigata fuit. Ita enim legis: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. *Luc. 1.* Rursum de hac terra scriptum est: Aperiatur terra, & germinabit saluatorem. *Esaia 45.* Aperta quippe fuit per fidem, credens & obediens angelo: germinauitque vitam salutarem, saluatorem nostrum æternæ vitæ præmia largientem. Hac itaque vite nostra in lucem edita, quædam proprietates culturæ vitis attinentes adhibitæ sunt.

Solet enim vitis fructifera præcidi, quod & corporaliter & figuratiuè accipi potest. *De præcisione vitis.* Circuncisus enim fuit Iesus, non quòd hac circuncisione egeret, quæ in antiquis patribus delebat originale *Luc. 2.* peccatum, sicut baptismus in nobis. Nihil enim peccato originali per concupiscentię vitium contracto debebat, quia sine omni concupiscentia carnali conceptus erat: sed ne legem quam ipse dederat, soluere videretur. Moraliter verò docens *Matth. 5.* nos non oportere nun ægre ferre si quādo pœnas peccati patimur: quod in nobismetipsis non recognoscimus, cum ipse peccatorum purgator non fuerit dedignatus pro nobis subire remediū peccatorum. Consolemur ergo dolores nostros, qui nequaquam sine peccato sumus, doloribus illius liberati, qui non pro se, sed pro nobis doluit & vulneratus est, non pro se, sed vt nostris vulneribus mederetur. *Esaia 53.* Vide quantum ad suscipiendos dolores festinauit, quàm paratus & promptus sanguinem effundere, circuncisus pro nobis die *Luc. 2.* natiuitatis suæ octauo. Vtinam nos saltē, & anno octauo nōnihil pro Domino pateremur. Sed quid dicimus, cùm plures inueniamus, & post octo plantatoa, vel post octoginta annos, cùm naturaliter erit eorum labor & dolor, nec voluntate saltem ad Dominum conuerti, nec tam maturè impensi sanguinis preciosi tam diu * vanitati subiectam. *Psal. 89.* ** Deest hic quoddam.* Quid miserius? Christus octauam diem à natiuitate sua vix expectat, vt suum tibi sanguinem impendere incipiat. Tu post, non dico octo dies, sed nec post octoginta menses, imò & octoginta annos solam non rependis voluntatem: Ille vix natus sanguinem tibi effudit: tu iam moriturus voluntatem tuam non refundis? Bonus profecto Iesus, qui etiam in quarta vigilia venientem *Luc. 12.* seruum suscipit pœnitentem. Dedisti robur annorum iuuenilium hosti Christi? Christo saltem misericorditer expectāti infirmam tribue voluntatem: nec dubites quin illam accipiat. Puer enim natus est nobis, vt paruulis nonnullis consule- *Esaia 9.*

tur: quia paruum parua decent. Quod si quod esset, paruum non fuerit, id est, humile: per hoc ipsum ad ipsum humilem intrare non poteris, qui *Ioan.10.* *Matth.11.* de se dicit: Ego sum ostium. Et alibi: Venite ad me omnes, & discite à me: quia mitis sum, & humilis corde. Possumus & alio modo accipere præcisionem vitis nostræ: vt dicamus omnia ab eo præcisa, quibus caruit in hac vita, cum ea tamen habere potuisset: & accipiamus hanc *Philip.2.* præcisionem à verbo Apostoli dicentis: Qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Ipsa enim exinanitio quædam præcisio est. Sicut enim minuitur vitis quando præciditur: ita vera vitis Christus incarnatione minoratus ab angelis, imò & infra omnes homines humiliatus fuit. Quomodo amputata fuit in eo gloria cultro ignominiæ, potentia cultro abiectionis, voluptas cultro doloris, diuitiæ cultro paupertatis? Vide nunc quantum præcisa fuerit: ille cui famulatur omnis gloria cælorum, imò ipse qui solus vera gloria est, quasi abijcit gloriam. Seruuli circundatus indumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, vt te à confusionibus redimeret, & ad gloriã pristinam reuocaret. Ille cuius potenti nutui omnia Infer- *Esaia 53.* na, terrestria & supercælestia sunt subiecta, sic fit abiectus, vt reputaretur omnium virorum nouissimus. Subiicitur fami, siti, caloribus, frigoribus, doloribus, infirmitatibus, & post hæc tantæ *1.Tim.6.* mortis supplicium non euadit. Ille qui lucem in- *1.Petr.1.* *Cant.1.* habitat inaccessibilem, in quem desiderant angeli prospicere, cuius solius odor sanctorũ sic mentes inebriat, vt & mundi præsentis & suiipsorum obliti totis viribus currant post ipsum, tanto dolori subiicitur, vt in ipso veraciter noscatur im- *Thren.1.* pletum quod ante dixerat per prophetas: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte *Coloss.2.* si est dolor similis sicut dolor meus. Ille in quo omnes thesauri sapientiæ & scientię Dei sunt absconditi, rex regum, diues in omnes, solus nullius egens, sic fit pauper, vt, ipso teste, & vulpibus terræ & volucribus cæli pauperior inueniatur, *Matth 8.* *Luca 9.* cum dicit: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Pauper in natiuitate, pauperior in vita, pauperrimus in cruce. Natus enim pastum habet lac virgineum, tegmen pannos viles. In vita verò sic, tegumentum habuit, sæpius in victualibus defecit. In morte & nudum inuenies, & sitientem: nisi fortè ad sitis ipsius remedium velis adhibere acetum myrrha & felle mixtum. Postre- *Ioan.19.* mo autem cultro timoris amputati sunt ab ipso omnes amici & proximi, vt non esset qui consolaretur eũ ex omnibus charis eius, torcular enim calcauit solus, & de gentibus non erat vir cum eo: & cum sustineret cor eius improperium & miseriam, expectauit qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & nõ inuenit. Vide nunc quantum præcisa fuerit vitis nostra. Quę vitis vnquam tantum præcisa fuit? sed quæ est consolatio huius præcisionis? Multus fructus. Multam enim & incomparabilem præcisionem sustinuit. Videtur tamen signanter dictum esse: Et de gentibus non est vir mecum, tanquam intelligendum sit *Marc.17.* *Luc 23.* solas mulieres cum illo remansisse. Viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas, quæ etiam baiulantem sibi crucem, & in cruce morientẽ non derelinquerunt, sicut in persona Christi conquerẽtis loqui- *Iob.19.* tur beatus Iob: Derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos. Per labia quippe, quę cæteris sunt mẽbris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus, qui solus Christo discipulis fugientibus adhęsit, figuratur. Elegit enim dominus *1.Cor.1.* infirma mundi, vt confunderet fortia. Si verò fugam mentalem intelligimus, nec vir relictus est cum eo, nec mulier, præter illam quę sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissimè tota ecclesia in laudem & gloriam eiusdem virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrare cõsueuit. *A morte Christi vsq. sabbato sola virgo sit fide integra.* Verè & singulariter benedictus palmes qui à sua vite nullo potuit timore præcidi. Abscissi sunt viri qui dicunt: Nos autem sperabamus, quòd ipse re- *Luc.24.* dempturus esset Israel. Abscissæ sunt mulieres, quæ quamuis piè præuenerunt mortuo humani- *Luc.23.* tatis seruitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortasse propterea (quod tamẽ non asserendo dico, ne nouas videar assertiones introducere) illa mater quæ plus habuit pietatis, cum aliis ad vngendum non venit corpus Christi sepultũ, quia frustra putabat eum vngi, quem resurrecturum sciebat. Verè fortis hęc mulier, & prę cunctis post filium honoranda. Verè & virago dici potest, quæ à viro Christo per animi fortitudinem separata non est, sed eum quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloria sublimatum.

De circumfossione vitis. Circumfoditur vitis. Fossio hæc insidiantium fraus intelligitur. Quasi enim foueam fodit, qui dolo machinatur aliquem decipere. Vnde con- *Psal.56.* querens dicit: Foderunt ante faciem meam foueam. Non enim poterat illi aliquis dolus ab- *Heb.4.* scondi, qui oculatus est ante & retro, & qui præterita & futura tanquam pręsentia intuetur. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Ostendamus autem per exemplum aliquam fraudem istarum fossionum. Adducunt, inquit euangeliũ, *Ioan 8.* domino Iesu mulierem adulteram, dicentes quòd Moyses in lege præcepit huiusmodi lapidare. Tu autem quid dicis? Vide foueam qua beatam vitem nostram circumfoderunt illi pessimi agricolæ, non vt facerent eam germinare, sed magis arescere. Veruntamen in cõtrarium cessit eorum intentio, & circũfossa, fertilis magis facta est, & humorem misericordiæ distillans. Foueas verò videamus. Dixerunt apud se: Si secundum legem dixerit mulierem lapidandam, foueam incidet crudelitatis, qui de se dicit: Mitis sum, & humilis *Matth 11.* corde. Et iterum: Misericordiam volo, & non sa- *Osea.6.* crificium. Si verò dixerit absoluendam, foueam *Psal.93.* *Psal.36.* præuaricationis non euadet: & iure condemnabitur vt legis transgressor. Sic capiant in animam iusti, & obseruant peccatores iustum, & strident, Nescientes quòd frustra iacitur rete ante oculos *Prouerb.1.* pennatorum, & quòd qui fodit foueam, incidet *Ibid 26.* in eam. Sed leuiter transiuit has foueas nostra ibix, ipsósque fossores deiecit in illam. Ait enim: Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in *Ioan 8.* eam lapidem, quasi dicat: Legi meæ non contradico, pietatem meam nõ desero. Ista quidem meruit lapidari, sed non lapidabitur, quia qui lapidem iustè possit in eã mittere, non habetur. Nonne vis adhuc alias foueas videre? Licet, inquiunt, censum Cæsari dari, an non? Dixerant enim apud *Matth 22.* se

se:si dixerit, licet: tenebitur reus tanquam libertatis nostræ destroctor. Solutio enim census, seruitij signum est. Si dixerit, non licet, reus erit læsæ maiestatis. O stultos. Solet stoltus alios secundum se æstimare: & quod ipse ignorat, sapientes quosque credit similiter ignorare. Sed quid ait sapientia? Libertati Dei non derogo, maiestatem Dei non offendo, soueas vestras non incido. Red-
Vbi supra. dite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Non enim offenditur Deus iustus, qui volt eoique reddi quod suum est. Si reddatis Cæsari quod Cæsaris est, non offenditur Cæsar. Si Deo reddideritis quæ creauit, iostè quod iustum est facitis. Reddite ergo Cæsari denarium, Cæsaris habentem imaginem. Reddite Deo animā qoam ad imaginem & similitudinem soam creauit & ecce iusti fueritis. Longum esset nimis, omnes foueas quas veræ viti nostræ maligni isti foderont, edisserere: quia omnia illius & verba & facta calumniari nitebaotur. Sed cum viderent circumfossiones nil nocere viti, magis aoté seipsos dum fodiunt, in ipsas iocidisse, ipsam vitem circumfodere & perfodere laborabant, vt sic saltem ad modum aliarum arborum æternam incurreret ariditatem. Foderunt ergo & perfoderunt non solùm manus, sed & pedes, latus qooqoe & sanctissimi cordis intima furoris lancea perforauerunt, quod iamdudum amoris lancea fuerat vulneratom. Vulnerasti, inquit, in Canticis amoris
Cant. 4. sponsus, cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Vulnerat cor tuū domine Iesu sponsa toa, amica tua, soror tua. Quid necessariom fuit illud ab inimicis vltra volnerari? Quid agitis ô inimici? Si vulneratum est, imò quia volneratum est, cor dulcis Iesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis quòd vno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile? Mortuum cor domini Iesu, quia vulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris domini cor sponsi Iesu. Quomodo mors altera introibit? Fortis est vt
Cant. 8. mors, imò verè fortior quàm mors, dilectio. Non enim potest prima mors expelli, id est, dilectio malarum mortium mortificatrix a domo cordis, quam sibi inuiolabiliore, suo volnere acquisiuit. Si duo æquè fortes concurrunt, quorom vnus sit in domo, alter verò de foris, quis dubitet eum qui deintus est, obtinere victoriam? Et vide quanta sit vis amoris domom cordis obtinentis, & per vulnus dulcissimi occidentis non solùm in domino Iesu, sed & in seruis ipsius. Veniamus ad martyres. Terreaotur licet martyres, rident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte charitatis intus in corde iamdudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. Quid mirum? Mortui
Colos. 3. erant. Mortui enim estis, ait apostolus. Qualem mortem quidam stultus sapienter optabat, dicés: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant
Num. 23. nouissima mea horum similia. Bona mors, mortem contemnens: bona mors vitam conferens sempiternam. Sic ergo iam dudum vulneratum & mortuum fuit cor Iesu mortificati propter nos, tota die æstimati sicut ouis occisionis. Accessit
Psal. 43. autem & mors corporalis, & vicit ad tempus, vt
Osea. 3. *Rom. 7.* vinceretur in æternum. Victa est mors, quia resurrexit à mortuis, quia mors vltra ei non dominabitor. Sed quia semel venimus ad cor dulcissimū Iesu, & bonum est nos hic esse, ne sinamus, nos facile auelli ab eo, de qoo scriptum est: Recedentes à te, in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doce nos. Tu dixisti accedentibos ad *Hier. 17.*
te: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in *Luc. 10.*
cælo. Concordemus hæc, quia si sic hi qui in cælis scripti sunt: qoid ergo illi qui in terra scribentur? Lugebunt vtique. Sed quis nolit gaodere? Accedamus ergo ad te, & exultabimus & lætabi- *Cant. 1.*
mur in te memores cordis tui. O qoàm bonum *Psal. 32.*
& quam iucundum habitare in corde hoc! Bonos thesaurus, bona margarita, cor tuum bone Iesu, *Matth. 13.*
quam fosso agro tui corporis inueoiemus. Quis hanc margaritam abiiciat? Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, iactans *Psal. 54.*
omnem cogitatum meom in cor domini Iesu, & sine fallacia illud me enutriet. Ad hoc templum, ad hæc sancta saoctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, & laudabo nomen domini, dicens cū David: Inueni cor meum, inquit, vt orem Deum *2. Reg. 7.*
meum. Et ego inueni cor regis, fratris & amici benigni Iesu. Et nunquid noo adorabo? Orabo *1. Cor. 11.*
vtique. Cor enim illius mecum est. Audacter di- *Eph. 1. 4. 5.*
cam: Si, imo quia caput meum Christus est. Quomodo quod capitis mei est, non meum est? Sicut ergo corporalis capitis mei oculi, mei oculi verè sunt, ita & spiritoale cor, cor meom est. Bene ergo mihi. Ego verò cum Iesu cor meum habeo. Et *Act. 4.*
quid mirum? cum multitudinis credentium fuerit cor vnom. Hoc igitur corde too & meo dulcissime Iesu inuento orabo te Deum meum. Admitte tantùm in sacrariom exauditionis tuæ preces meas. Imò me totum trahe in cor tuom. Licet enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen quia cor illod incomprehensibili charitate dilatatum est & ampliatum, & tu qui solus potes facere mundum de immondo conceptum semine, vt deposita gibbi sarcina per foramen acus possim transire: O omnium pulchritudine *Matth. 19.*
speciosissime Iesu, amplius laoa me ab iniqoi- *Luc. 18.*
tate mea, & à peccato meo munda me: vt purifi- *Psal. 50.*
catos per te ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare: & vt videre simul semper & facere toam valeam voluntatem. Ad hoc enim perforatum est latus toum, vt nobis pateseat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum vt in illo & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, vt per vulnus visibile volnus amoris inuisibile videamus. Quomodo hic ardor melius *Ioan. 19.*
ostendi potest, nisi quòd nó solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnos, vulnos spirituale ostédit. Et hoc fortasse innuit ipsa auctoritas prælibata, in qua bis positū est vulnerasti. Vtriusq; enim vulneris ipsa soror & sponsa caosa est, ac si spósus apertè diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me: lancea quoq; militis vulneratus sum. Quis enim cor suū palo vulnerari permitteret, nisi prius amoris illios vulnus percepisset? Dicit ergo: Vulnerasti cor *Cant. 4.*
meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meū. Sed qoare soror & sponsa? an non poterat sufficiétem sponsi amantis affectum ostendere solius sororis vel solius sponsæ positio? Vel quare sponsa & non vxor, cum qootidie vel ecclesia siue quælibet fidelis anima sponso suo Christo bonorum ope-

sum

rum sobolem debeat generare? Paucis dico, solent sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo amari ardentius quàm postea. Tempore enim procedente amor ipse componitur. Sponsus ergo noster, vt magnitudinem insinuet sui amoris qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quòd illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiam carnaliter diliguntur: vt in amore sponsi nostri nil carnale sapias, ipsam sponsam suam sororem appellat, quia sorores iam nequaquam carnaliter adamantur. Dicit ergo: Vulnerasti cor meum, &c. Tanquam dicat: quia summè te diligo vt sponsam, castè vt sororem, vulneratum est cor meum propter te. Quis illud cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Diligit profectò vulneratū, quę nimio illius amore vulnerata proclamat: Vulnerata charitate ego sum. Nunquid non redamat sponsum amantem, quæ dicit: Nunciate dilecto, quia amore langueo? Fraterno se amantem amore complectitur, qui dicit: Quis mihi det te fratrē meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & complectar & deosculer, & iam me nemo derideat? Quid autem est foris? Æstimo quòd extra corpus. Quādiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Quis hanc peregrinationem patienter ferat? plena est dolore præteritorū, labore præsentium, timore futurorum: in qua etsi sponsus se aliquando gratia consolationis exhibeat, stat tamen longe quasi post parietem, corpore hoc peccati separante inter nos & ipsum: nec facile præbet se tangendum & osculandum, nisi illi animæ quæ in tantam altitudinem meritorum processit, vt dicat ei: Surge amica mea, columba mea, formosa mea, quæ sola licet raro aliquo modo arbitrans se comprehendisse proclamat: Inueni quem diligit anima mea: inueni illum, nec dimittam. Sed ad hunc gradum non facilè quis ascendit. Nos igitur adhuc intus, id est, in corpore manētes, quantum possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cuius impij agricolæ foderunt manus & pedes, latus & cor, tremúsque, vt cor nostrum durum adhuc & impœnitens amoris sui vinculo constringere & iaculo vulnerare dignetur.

Cant.8.

Cant.1.

De vinculis patri. Ligatur viris. Quis vincula nostrę vitis non videat? Videamus tamen hoc vinculum. Primum obedientia fuit. Obediuit enim patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Obediuit matri & Ioseph secundum illud: Venit Nazareth cum eis, & erat subditus illis. Obediuit etiam in terrenis, iudicibus soluens didrachmum. Secundum vinculum, vterus virginis, de qua canimus: Quia quem cæli capere nō poterant, tuo sancto gremio contulisti. Tertium in præsepio fuit, secundum illud: Vagit infans inter arcta conditus præsepia, Membra pannis inuoluta, virgo mater alligat, Pedes, manus atque crura stricta cingit fascia. Quartum vinculum fuit funis quo ligabatur cum caperetur. Ita enim habes: Tunc (videlicet cum traditus esset) iniecerunt manus in Iesum, & vinxerunt eum. O rex regum, & domine dominātium, quid tibi & vinculis? Ligantur vites, ne si iaceant in terra, aut minuantur, aut corrumpātur fructus earum. Incorruptibilis autem fructus fuit eius & est. Quare ergo ligatur? Bene quidā rex cum percussus humana sagitta peteretur vt se ligari permitteret, donec excideretur, quia leuissimo motu mortem posset incurrere: Non decet, inquit, vinciri regem. Libera sit regis & semper salua potestas. O Deus deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati & potētiæ tuæ? Tot adeò ligatis vinculis, qui solus ligandi & soluendi potestatem habes? Sed propter misericordiam tuam ligatus es, vt nos à miseriis nostris faceres absolutos. O quā immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus agnum mitissimum vinciebant? Video oculis mentis te domine Iesu tam duris nexibus adstrictum, tanquam latronem trahi ad iudicium principis sacerdotum, & inde ad Pilatum: video & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem, nisi quòd liquidè cognosco te prius in corde charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leuiter attraheret potuerunt. Gratia sit vinculis tuis bone Iesu, quæ nostra tam potenter dirruperunt. Quintum fuit vinculum quo ligatus fuit ad columnam cum flagellaretur. Quanquam & ipsa flagella quæ corpus eius circuibant, non incongruè possumus vincula appellare. Sed quamuis immitia, quamuis dura, quamuis iniusta, diligo flagellorum istorum vincula, quibus sacratissimum corpus tuum datum est contingere, quæ tuo pretiosissimo sanguine non mediocriter sunt imbuta ô bone Iesu. Si enim sanguis tuus in flagellatione fuit tam copiose effusus, vt columna guttis illius respersa adhuc (sicut asseritur) rubra fernet vestigia: quantum sanguinis credam ipsis flagellis corpus tuum mitissimum scindentibus inhæsisse? Tam dure flagellatus est Dominus, vt sanguis eius sursum in aëra resultaret. Vide antè quàm bene huic ligationi conueniat quòd vitis ad palum ligatur. Quid enim per palum aliud, quàm ipsa columna cui Dominus Iesus fuit alligatus, accipitur? Sicut enim vitis palo, ita Christus columnæ alligatur. Sextum vinculum fuit corona illa spinea cum magna amaritudine illud caput amabile complectens, & multorum aculeorum in illo signa relinquens, sanguineas vtrique guttas eliciens: &, vt puto, in faciem venerabilem transmittens vix adhuc de sputis Iudaicis exsiccatam. Crudele fuit vinculum hoc præter pœnas quas pertulit in ligno, honoris plurimum habens & decoris. O Rex gloriæ Domine Iesu Christe, corona omnium te confitentium, te sequentium, pugnantium pro te, vincentium pro te, manentium in te. Quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Eccę operit confusio caput tuum, & faciem tuam amabilem. Ingeritur tibi à generatione praua, & amaricante honor derisorius in corona, sed spinarum aculeis contendunt in te dolor & cōfusio. Nescio in vtro magis puniaris. Corona derisionem, spinæ ingerunt punctionem. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater eius in die despōsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius. Quæcunque autem anima confitetur se filiam Sion, id est, Ecclesiæ, egrediatur à curis secularibus, à cogitationibus vanis, & videat per contemplationem mentis Regem Salomonem, id est, Christum Iesum, qui est pax nostra, destruens inimicitias, amicitiásque reformans inter Deum & hominem. Vide hunc ô fœlix anima in diademate quo coronauit eum mater eius, synagoga videlicet, plebs Iudæorum. O mater amara! Quid peccauit hic bonus filius

Philip.2.
Luc.2.
Matth.17.
Matth.26.

tuus,

tuus, vt vinculis etiã vinciatur? Hic est qui soluit compeditos, qui erigit elisos, suscipiens aduenas, pupillos, viduásq; consolans, & meruit vinculari? Háuccine dotem, hæccine munuscula nuptiis illius impendis? Dies enim desponsationis illius, dies ista est, dies indignationis, & blasphemiæ, dies tribulationis & miseriæ, dies percussionis & doloris, dies vinculorum & mortis, dies desponsationis illius est. Hac arra ô fidelis anima sponsus tuus speciosus subarrauit te, & ipse tãquam sponsus hodie coronatus processit. Coronatus, inquam, non auro, non gemmis, sed spinis: nec defuit purpura vestis irrisoriæ. Chlamydem enim coccineam circundederunt ei, quamuis ipse vestem corporis sui, sanguinis sui preciosissimi effusione multo nobilius purpurauit. Purpura enim non plusquam bis tingitur, ipse verò purpuram corporis sui non solum bis, sed etiam tertiò sanguineo torrente pertinxit. Ecce sponsus tuus ô sponsa, rubricatur in sudore, in flagellatione, in crucifixione. Eleua mentis oculos, & vide si tunica sponsi tui hæc sit, an non. Ecce fera pessima condemnauit filium tuum, fratrem tuum, sponsum tuum. Quis hic gemitus lachrymásque contineat? Quis hic non doleat? Quia si est pium gaudere pro Iesu, ita est pium flere pium Iesum. Septimum vinculum fuit, quo ligatus fuit in cruce, nempe ferreum. Fuit hoc vinculum multo durius cæteris, quod non solũ manuum pedúmque sanctissimorum compagem diuisit, verumetiam illam purissimam animam à mundissimo corporis hospitio separauit. Nunc etiam ô filiæ Sion, egredimini, & videte pacificum nostrum, pugnantem pro libertate nostra, in bello occumbere. Videte vitæ nostræ auctorem pro nobis vitæ ianuas introire, vt nos ad vitæ viam reuocet. Videte vincula durissima, clauos ferreos, pedes & manus, quę salutem nostram operabantur in medio terræ, crudeliter penetrare. Vide lignũ crucis missum in panem nostrum, panẽ candidissimum, panem delicatum, panem angelorum, qui de cęlo descendit, vt se nobis daret in cibum, & animas nostras continuo subiectas labori, semetipso non alieno cibo reficeret, & se nobis incorporando, non se in nostram carnem, sed nos in suum spiritum reformaret. Videte quomodo iustus ligatur, quomodo cum iniquis deputatus est liberrimus, & optimus sponsus noster. Moritur vita nostra non pro suis necessitatibus, sed pro nostris. Date lachrymarum flumina in tantis vinculis morienti: quia & ipse prior lachrymatus est. Vacate & videte, quàm amara, quàm turpi morte condemnetur. Sustinet enim adhuc, & diligenter considerat si quis sit qui simul contristetur: si quem inueniat qui sanguinis riuos abstergat, & de cruce depositum munda sindone non panni, sed cordis inuoluat, & flens cum beatis mulieribus fletibus ad tumulum prosequatur. Quæcunque anima fecerit hæc assidue, spero etiam quòd lętissimæ resurrectionis quandoq; mereatur gaudio recreari. Si enim compatimur, & conregnabimus: quod hinc sponsa in Cantico amoris ostendit præmittens: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, & subiungit: Botrus Cypri dilectus meus mihi. Quid est fasciculus myrrhæ? Myrrha amara, amaritudinem passionis significat. Fasciculus verò coadunationem multarum passionum ostendit. Fit ergo spõsus sponsæ suæ fasciculus myrrhæ, quando ipsum multiplicibus affectum iniuriis ad mentem reducit, quarum quædam iam enumeratæ, aliæ verò enumerandæ sunt. Quæ sunt autem vbera sponsæ, inter quæ illum commoraturum affirmat? Duo vbera sponsę, prosperitas & aduersitas sunt. His tãquam vberibus nutritur, dum aduersitate fouetur, ne in prosperis eleuetur. Ponit autem dilectum suum inter hæc vbera, dum illius & in aduersis, & in prosperis recordatur. Ex quo euenit, vt ille qui modò fuerat fasciculus myrrhæ, id est, qui mentem sponsæ passionum suarum amaritudinibus amaricauerat, subitò fit botrus Cypri continens in se vinum iucunditatis & lætitiæ, quod fit dum sponsum quem tot viderat oppressum iniuriis, & morte turpissima condemnatum, per resurrectionis triumphũ gloria videt, & honore coronatum, & cum humanitate quam assumpserat, ad patris dextram considere, confidens se certissimè per diuersas tribulationes ad idẽ Domini sui gaudium intraturam. Exeamus igitur & nos secũdum monita Pauli Apostoli cum sponso nostro bono Iesu *Heb.13.* extra castra, id est, extra cõcupiscentias præsentis seculi, improperium crucis & vinculorum asperitatem cum illo portantes: quia non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo: nec ad capitis corpus se indicat pertinere mẽbrum, quod capiti compassum non fuit. Vinciamur ergo vinculis passionis boni Iesu, vt etiam vinculis charitatis cum illo vinciri possimus. Ipse enim vinculis charitatis deuinctus, ad suscipienda vincula passionis de cęlo tractus est in terra: & nos è contrario qui de terris trahi desideramus ad cælũ, prius passionis eius vinculum nostro capiti colligemus, vt per hoc ad charitatis vincula pertinẽtes, vnum efficiamur cum ipso, secundum quod orauit patrem dicens: Rogo pater, vt quos dedisti mihi, *Ioan.17.* confirmati in charitate sint vnum in nobis, sicut tu & ego vnum sumus. Quid hac vnitate gloriosius? Quid vltra, vel optare poteris, vel habere? Vnum cum sponso tuo eris. O felix, felicior, imò omniũ felicissima vnitas. Hac vnitate se Apostolus Christo vnitum sentiebat, cùm dixit: Quis se- *Rom.8.* parabit me à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate, quæ est Christi Iesu. Optemus totis desideriis, huius charitatis vinculis sponso & Domino nostro colligari: ita vt eius sequentes vestigia, illuc peruenire possimus, vbi est ipse qui dixit: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.

De cultura vitis. Visis ex parte his, quæ viti ad culturam exterius adhibentur, nunc ad ipsam vitem iam animum conuertamus, vt per quasdam similitudines illius, nostram vitem magis propè, & propius contemplemur. Totum corpus ipsius vitis aliis arboribus, & arbustis deformius inuenitur, & quasi penitus inutile videtur & abiectum, nec ipso aspectu amabile, aut visui accommodatum. Quid hìc dicemus? Corpus vitis nostræ, Domini Iesu corpus significare deberet, nisi quòd plurimum discordare videtur huius deformitas à forma illius de quo scriptum est: Speciosus forma *Psal.44.* præ filiis hominum. Sunt autem nonnulli, qui hæc

hæc verba non ad exteriorem, sed interiorem hominem retorqueant, id est, ad animam siue ad diuinitatem, in quibus nimirum non solum filios hominum, sed etiam filios Dei, id est, ipsos angelicos spiritus præcellebat. Tanto enim melior angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ne ergo nos huic sententiæ contradicere videamur, ad manum auctoritates habemus, licet plurimos esse sciamus, qui nondum omnino spirituales effecti, aliud sentiant, fingentes sibi quandam spiritualem pulchritudinem in corpore Domini: & si quando audiant Dominum ipsum despicabilem forma fuisse, non patienter sustinent: & si lingua taceant, rancore & motu animi contradicunt, non attendentes quod scriptum est: Spiritus est qui viuificat: caro autem non prodest quicquam. Esaiam quoque non audiunt, vel inuiti audiunt dicentem in eum: Ecce vidimus eum, & non erat illi species neque decor: aspectus eius non erat in eo, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus. Vnde nec reputauimus eum: & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ecce qualis describitur à Propheta. Quid apertius? Et verè talis erat in oculis infidelium, & carnalium, qui tantum carnem nouerunt intueri. Quod & nos manifestis rationibus possumus approbare. Primum quidem per affectum compassionis, deinde per defectum passionis. Et quia verè susceperat affectiones nostras, videamus quomodo affici soleant homines circa eos qui amant, vt per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat hominem circa amicum suum periclitantem sæpe tanto affectu, & dolore moueri, vt corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini, quantum Deum hominem Iesum putas homini præstitisse? Si tu pro vno homine per compassionem periculum corporale incurris, quid putas Dominũ Iesum pro omnibus hominibus tolerasse? Omnes enim sui erãt, & omnes moraliter infirmi erãt. Certe nouimus Paulũ Apostolum de se dixisse: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et verè eousque infirmabatur, vt sicut ipse de se fatetur, præsentia eius esset despicabilis, & sicut ait: Mũdus mihi crucifixus est, & ego mũdo. Mundus quippe ei crucifixus erat, qui omnia quę mundi erant, tanquam mortua reputabat. Ipse verò mũdo etiam crucifixus erat, qui ipsum propter crebras compassionum simul, & passionum infirmitates corpore extenuatum, & exterminatum abhorrebat, nihil in eo inueniẽs quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, quid benignus Iesus, cum esset conseruus & frater, cum conseruis & fratribus? Quid dominus & pater pro creatura & filiis? Ardebat Paulus quasi esset radio solis accensus: quantum ipsum solem putas exarsisse? Si vsque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accessit, qui scintillam charitatis habuit: quid sentiendum putas de ipsa charitate, de cuius plenitudine omnes acceperunt? Nec aliquo modo dubitandum, quin infirmitatem & exterminationem corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere, & præ cæteris tanto magis fuit confectus, quanto maior in eo fuit compassionis affectus: qui non solùm facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius domini sic dicentis: Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Videamus quid sibi hoc velit, quòd dominus se gallinæ magis quam alteri animali voluit comparare: quia vt à sanctis patribus tenetur, ideo factum est, vt exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos tãta compassione mouetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto feruens animo, & omnibus mẽbris infirma, & vsque ad supremum defectum perueniens. Si ergo intantum pullis suis gallina animal irrationale compatitur: quanto putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum? ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem peruenisse? Quanta ipsum putas macie confectum fuisse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Vnde Esaias: Vere languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Sed ad passionis iam defectum veniamus. Passionem autem non illum diem vnum appellamus quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breuiter ergo dicamus, sed meditando longius immoremur, quantæ fuerit parcitatis in abstinentia, quam prolixus fuerit in vigiliis, quam frequens in orationibus. In labore, in sudore vultus sui quam assiduus, cum circumiret vicos & castella euangelizans & curans vndique, & quàm crebro famem pertulit & sitim ille panis viuus, ille fons aquæ salientis in vitam æternam. Videamus illud ieiunium quadraginta dierum & quadraginta noctium, post quos esuriit: & iam à deserto ad homines redeunti occurramus, & vultum illum amabilem tantis ieiuniis consideremus afflictum. Et optime posuit euangelista, post ieiunium esuriit: vt scias Iesum non in virtute diuinitatis, sed humanitatis suæ natura ieiunasse. Quid enim magnum si in diuinitatis fortitudine quadraginta diebus ieiunasset, in qua nunquam esurit? Sed iam ad illum vltimæ diei agonem veniamus, & causas deformati corporis nequ:bimus ignorare. Incipiat ergo consideratio nostra in eodem loco, vbi ipso teste cum inciperet pauere & tædere, tristis fuit anima eius vsque ad mortem: sudor sanguineus orantis & agonizantis membra copiose perfudit, ita vt iam non solum distillaret, sed guttæ guttatim decurrerent in terram. Procedamus nunc, & illius noctis incommoda percurramus: quomodo tentus, vinctus, tractus, rursus, cæsus, consputus, colaphis alapisque percussus, spinis coronatus, arundine cæsum caput, flagellis acerrimis laceratus, propria cruce oneratus, primo portans eam, quæ ipsum postea statim fuit portatura. Talem inspice Iesum. Quis hic locus deliciarum? Qualis hic decor speciei? Quis in corpore sic tractato formæ pulchritudinem quærat? Sed veniamus ad finem. Nudatur Iesus. Quare? vt tu corporis purissimi deformationem valeas intueri. Nudatur ergo bonus Iesus. Heu mihi. Qui vestiuit cælos diuersis syderibus, ante crucem expoliatus, nudus etiam vt erat, liuidus cruci affigitur. Heu, candor lucis æternæ nigrescit in carne pro carne saluanda: Et facies quam Cherubim & Seraphim aspicere desiderant, erat ex lachrymis turgida. Nudatur dominus, qui ante secula regnans

deco

decorem induit & fortitudinem, cui canimus: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Spectaculum fit & opprobrium mundo & hominibus, fit tanquam prodigium multis, & commotio capitis in populis caput nostrum, gaudium nostrum honor noster bonus Iesus. Sed quid moror? Exaltato in crucem perforantur manus & pedes. Viri optimi, benigni Iesu elicitur sanguis, si quis superetat. Stat mediator noster in conspectu patris sui in confractione, vt auertat iram eius, ne disperdat nos. Verè non cadit mente: stat constanter etiam perseuerantia bonæ voluntatis. O qualem te intueor dulcis Iesu I O dulcissime atque amantissime bone Iesu: quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum antiquorum nostrorum vnice saluator: quis te vsque ad hæc non solum ditissima, sed etiam turpissima vulnera patienda detraxit? O vitis dulcissima, bone Iesu, hunccine fructum reddit tibi vinea tua, quã de Ægypto transtulisti? Expectaueras patienter vsque ad hunc diem nuptiarum tuarum, vt faceret vuas, fecit autem spinas. Spinis enim coronauit te: & spinis peccatorum suorum circundedit te. Ecce in quantam amaritudinem conuersa est vitis non iam tua, sed aliena. Negauit enim te dicens & clamans; Non habemus regem, nisi Cæsarem. Eiectum ergo te extra vineam ciuitatis & consortij tui, sacrilegi agricolæ occiderunt non subitò, sed longo crucis tormento confectum, & multis vulneribus flagellorum & clauorum pariter cruciatum. O quátos habes domine Iesu percussores? Percutit te pater tuus, qui proprio filio suo, id est, tibi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradit te. Percutis temetipsum: Tradis enim in mortem animam tuam, quã nemo potest tollere à te sine te. Percutit te discipulus impius traditione & osculo falso. Percutit te Iudæus colaphis & alapis. Percutiunt te gentiles flagellis & clauis. Ecce quantum percussus & humiliatus es. O quanti percussores, & quanti traditores tui. Tradidit te pater tuus cælestis: quia sicut dictum est, pro nobis omnibus tradidit te. Sic enim quidam seruorum tuorum gratulando dicit de te: Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. O verè admirabile commercium, tradidit se rex pro seruo, Deus pro homine, creator pro creatura, innocens pro nocente. Tradidisti ergo te in manus traditoris illius falsi discipuli: tradidit ille te Iudæis, & tradiderunt te illi pessimi traditores gentilibus ad illudendum & conspuendum & flagellandum, & crucifigendum. Dixisti & prædixisti tu hæc, & ecce facta sunt. Omnibus enim consummatis, ecce crucifixus es. Nec sufficit te vulneratum esse, quin & super dolorem vulnerum tuorum addũt, dãtes tibi sitienti vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum. Doleo super te Domine mi rex, magister & pater, imò & frater Domine mi Iesu Christe, amabilis valde super amorem mulierum. Cuius sagitta nũquam abiit retrorsum. Sagittæ enim tuæ, id est doctrinæ tuæ acutæ, quia viuus est sermo tuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Nec declinat clypeus tuus in bello. Scuto enim bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Hasta orationum tuarum non est auersa, quia etiã pro transgressoribus orasti vt non perirent. Quanto magis pro amatis? Tu leone fortior. Etenim tu leo de tribu Iuda superasti illum leonem qui circuit rugiens & quærens quem deuoret. Tu aquila velocior. Exultasti enim vt gigas ad currendam viam, ad implendum mysterium incarnationis tuæ, donec sicut aquila prouocans pullos suos expandisti alas brachiorum tuorum in cruce, & super nos volitans assumpsisti nos, & portasti in humeris tuis in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum in domum familiaritatis & charitatis tuæ, vbi de oue & drachma perdita & inuentã fecisti conuiuium vicinis & amicis tuis beatissimis spiritibus, ipsos hilariter ad tuam congratulationẽ inuitans, faciens in cælis gaudium de peccatore pœnitente: & cum talis sis ac tantus, morte turpissima condemnaris, spiritumque in manus patris commendando capite inclinato expiras. Venite, quæso, & condolete ei omnes qui gaudete desideratis in domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodo contritus est: desiderabilem nostrum, quomodo miserabiliter deformatus est: pacificũ nostrum, quomodo in bello peremptus. Vbi est rubor roseus? Vbi candor iuuenilis? vbi in corpore tam contrito decorem inuenies? Ecce defecerunt dies nostræ diei Domini Iesu, qui solus est dies sine tenebris, & ossa eius sicut cremium aruerunt. Percussus est sicut fœnum, & aruit cor eius, eleuatus est & allisus valde: sed in decore extrinseco decorem simul vere & decus intrinsecus retinebat. Noli ergo deficere pro ipso in tribulationibus tuis, quia hunc speciosum forma præ filiis hominum viderunt omnes in cruce qui tantùm exteriora intuebantur, & viderunt eum non habẽtem speciem neque decorem: sed facies eius abiecta est quasi deformis. De hac tamen deformitate redemptoris nostri manauit precium decoris nostri, sed decoris interni. Omnis enim gloria filiæ regis abintus. Senserat hæc, quæ in cãtico Salomonis proclamat: Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, sicut pellis Salomonis. Nisi corpus Domini Iesu deforme fuisset, cuius nigredinem supra pro parte executi sumus: formositatem intrinsecam (quia in ipso omnis plenitudo diuinitatis) quis enarrabit? Deformemur igitur & nos in corpore extrinsecus cum deformato Iesu: vt reformemur interius in anima cum formoso. Iesu. Conformemur corpori vitis nostræ in corpore nostro, vt reformet corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Imitatores simus Pauli apostoli, sicut ipse Christi, qui de se dicit: Christo confixus sum cruci. Et alibi: Ego stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto. Bene portabat characterem passionis Iesu Christi in corpore suo, cui mundus mortuus erat, & ipse mundo. Fuscus effectus est, quia decolorauit eum sol passionis & charitatis Christi. Sciendum tamen quod ea quæ diximus de deformitate corporis speciosi, non de naturali, sed de accidentali deformitate Domini diximus, non accusantes in ipso defectum naturæ, sed passionis charitatem commendantes.

Folia vitis pene omnium arborum foliis præstantiora sunt. Quid autem in foliis, nisi veræ vitis nostræ benigni Iesu verba commendantur? Præeminet in foliis vitis, præeminet in verbis dominus Iesus. Senserunt hoc Iudæorum ministri, qui missi vt adducerent Iesum reuersi & culpati dixerunt: Nunquam sic locutus est homo. Non accusauerunt defectum trunci, pulchritudinem foliorum *De foliis vitis.*

liorum videntes: imo per folia aliquid aliud quam quod videbatur, in corpore debili latere senserūt. Senserat etiam Petrus, qui multis à Domino Iesu recedentibus, & interrogatis ab ipso duodecim apostolis, Nunquid & vos vultis abire? respondit, Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos ad quem ibimus? absit, ac si diceret: Folia pulcherrima habes, quæ nos ab omni æstu protegant. Da nobis ergo alium pulchriorem, id est meliorem te, & ibimus ad illū abs te. Quem quia dare non potes, qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senserat borum foliorum, id est verborum benigni Iesu virtutem, quæ loquente ipso ad turbas, in foliorum pulchritudine singulari lętata, non cogitabat, nec tacite quidem, sed extollens vocem, dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Vere beata, imo beatissima terra, quæ talem tulerat vitem, virgo Maria mater Iesu: vere & tu beata quæ foliorum pulchritudine considerata, inter tot calumniantium insidias sola veritati testimonium audacter præbuisti. Sed credo quod iam nunc magnam habes, & maiorem habitura sis huius confessionis mercedem, ipsa veritate (cui testimonium perhibuisti) iam te confitente coram patre suo, & nunc nihilominus confessuro, cùm dicet calumniatoribus suis. Non noui vos: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Notis vero dicet: Venite benedicti patris mei. Viderunt virorem foliorum veræ vitis Petrus & Ioannes & Matthæus, qui ad vnam vocantis vocem illi retia, iste telonium, reliquerunt. Quis virtutem verborum benigni Iesu enumerare sufficiat? Quę virtus est verborum, quę verbis illius comparetur? Nulla profectò. Vis autem audire verba breuiter quæ tanquam folia refrigerium nobis ab æstu præstent vitiorum? Ad commendationem humilitatis dicit: Qui voluerit inter vos maior esse, sit vester minister. Et: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis, Et item: Qui se humiliat, exaltabitur. Ad commendationem mansuetudinis contra iram, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et item: Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram: Ad commendationem charitatis cōtra inuidiam: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ad commendationem alacritatis, ad exercitia spiritualia contra accediam, ait discipulis: Vigilate & orate ne intretis in tētationem. Et alibi: Quoniam semper orare oportet, & nunquam deficere. Vbi intelligitur orationem non tātùm esse vocis, sed deuotionis. Nō enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio feruere, quod ostendit dominus loquens ad Moysen tacētem. Quid clamas ad me? Desiderium viri sancti, clamorem appellat: quia lingua profectò tacebat. Vnde Dauid in Psalmo: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Ad commendationem largitatis contra auaritiam, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Et illud: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. De diuitiis iniquitatis, id est inæqualitatis, hoc est quæ nobis abundant, cum aliis deficiant, facimus nobis amicos, cum illas pauperibus erogamus, vt si modo in illos misericordes existamus, per illos post hanc vitam misericordiam consequamur. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Ad commendationem verò abstinentiæ contra gulam: Attendite, inquit, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate: & superueniat in vos repentina dies. Et parabolam contexuit de diuite epulante quotidie splendide, qui mortuus petebat guttam aquæ cum esset in tormentis, à Lazaro quiescente post mortem, nec poterat obtinere, recipiens perpetua mala pro voluptate temporali trāsacta. Ad commendationem castitatis contra luxuriam: Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Huius verbi folio tegātur oculi nostri, ne si forte minus caute reserentur, eueniat quod Hieremias dicit: Ascendit mors per fenestras nostras. *Hier. 9.* Fenestræ quippe animæ nostræ sunt foramina sensuum nostrorum, scilicet oculorum, aurium, narium, & oris, per quos quasi per fenestras quasdam mors ascendit, quotiens ad aliqua criminalia appetenda reserantur. His & aliis verbis plurimis tanquam quorundam foliorum vmbra per vitem nostram benignū Iesum ab æstu vitiorum refrigeramur, & in virtutum tempérie refouemur.

Sed quia gratior solet esse vmbra foliorum vitis, cùm ipsa leuata super quandam struem lignorum huc & illuc distenditur: videamus si vera vitis nostra aliquando eleuata fuerit & distenta: & si qua tunc ad nostram protectionem dulcium verborum folia emiserit, contemplemur. *De vmbra vitis.* Quod eleuata fuerit vitis nostra, ipsa testatur de se dicens: Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. Item, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Eleuatus ergo fuit, quia exaltatus. Manifestum est autem quod hæc exaltatio de cruce dicta est. Et vide quam apte lignorum strues super quam vites solent eleuari, crucem signet. Cancellantur enim, hoc est ex transuerso componuntur, & sic super hęc vitis eleuata distenditur quidem conuenientius. Cancellantur ligna crucis, eleuatur, in illam distenditur brachiis & toto corpore vitis nostra. Intantum enim in cruce distentus fuit, vt dinumerari potuissent omnia mēbra eius. Ita enim dixit per prophetā: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Quātum fossus fuit, supra dictum est: quantum autem distensus, nunc subiungitur: Dinumerauerūt omnia ossa mea, ac si diceret: Tantum distensus sum dextrorsum & sinistrorsum, & à summo deorsum, vt corpore nudo in modum tympanicæ pellis distenso, facile possent omnia ossa mea dinumerari. Respice in faciem Christi tui ô anima Christiana, & eleua oculos tuos ad tormenta illius non sine lachrymis, & cor contritum non sine singultu: & vide quantam tribulationem & dolorem inuenit, dum quæreret te vt inueniret te. Laxa igitur oculos tuos, vt respicias in faciem Christi tui. Ausculta auribus arrectis, sed in dolore tanto, quod proferat verbum: & semel auditum pro preciosissimo recondo thesauro in cubiculo cordis tui. Ecce positus est hic in immiti lectulo mortis suæ, etcnem dico. Extrema sponsi tui mandata conserua, si vis hæc

hæreditatem incoinquinatam & immarcescibilem obtinere. Nec multa sunt, quæ moriens locutus est, facile seruabuntur à voluntaria Christi sponsa.

Quæ de numero foliorum sequebantur studiosè prolixitatis euitandæ causa omissa sunt.

De floribus vitis. Deinde ad florum iucunditatem animum inclinemus, imò verè eleuantes videamus quomodo floruerit vitis nostra. Floruit enim, & tanto vberius iucundiúsque ceteris, quanto ipsa melior omnibus, cuius magnificentia eleuata est super cælos, sub cuius pedibus omnia sunt subiecta, quamuis nostra charitate deuinctus, ad tempus paulo minus ab angelis fuerit diminutus. Nam propterea exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & plantatus est in terra nostra, & corporis nostri deformitatem accepit. Fronduitque & floruit, & fructus plurimos attulit: vt per hoc quòd nostræ humanitati vnitus est, suæ diuinitati nos vniret. Sed quia sine flore non peruenitur ad fructum, floruit ille benignus Iesus. Qui sunt flores eius, nisi virtutes? Floruit enim mirabiliter & valde singulariter & excellenter vitis hæc, non vno florum genere sicut aliæ vites & arbores: sed omnium florum speciem in se continebat. Aliorum enim sanctorum alius alio castior, alius alio patientior, alius alio in charitate feruentior: ista verò vitis omnibus angelis & hominibus in humilitate, patientia, castitate, charitate, & cæteris virtutibus omnibus præeminebat. Habuit ergo vitis ista vera non vnius, sed omnium florum speciem. Violam humilitatis, lilium castitatis, rosam patientiæ & charitatis, & florē abstinentiæ quem crocum appellamus. Quàm iocundus putas erit fructus vitis nostræ tanta iucunditate florentis? Sed iam singula etiam de his floribus vitis nostræ ipso annuente aliqua disseramus, hoc tamen præmisso, quòd flores in iucunditate visus, & in suauitate odoratus maximè considerantur, comedi verò non solent, nisi quòd apes de quibusdam floribus cibum dulcissimum sugendo colligunt. Diximus autem quòd nullus flos, id est nulla virtus per quemcunque florem significata deest viti nostræ. Quæ enim virtus deesset domino virtutum?

Item de floribus vitis in specie & numero eorundem apud Bernardum videre poterit studiosus lector.

De odore florum. Iam odorem florum vitis nostræ accedamus, rogantes ipsum dulcissimum Iesum, vt sui odoris dulcissimi fragrantia corda nostra dignetur aspirare, vt de ipso dulcia & sentire & dicere valeamus. Quid autē dicere de hoc odore poterimus? Mirabilis & supra quàm potest credi aut cogitari, inæstimabilis est iste odor vitis nostræ. Floruerunt & alij sancti palmites, in quibus ipse profecto floruit: sed certissime viti illi soli caput nostro optimo Iesu clamabant, nempe illa spiritualis sponsa: Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomē tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Non est mirum si odor est inæstimabilis nimis, qui de hac vite nostra florente procedit: si nomina eius diligentius attendamus, quæ sunt Iesus, Christus, Nazarenus. Iesus autem, vt scitis, salutaris vel saluator interpretatur, de quo Psalmus: Conuerte nos Deus salutaris noster. Et iterum, Saluasti nos de affligentibus nos. Quis autem in afflictione positus saluari nolit? Si vis saluari & attrahi odore huius nominis salutaris, quòd effusum est sicut oleum: incipe delectari in dulcissimo Iesu, & confidenter require in vero salutari suo autem, non imitando illos qui lætātur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, in quibus salutem suam constare putant: sed potius eam, cuius spiritus exultauit in Deo salutari suo, quæ nominis huius salutaris odorem tanto suauius attraxerat, perfectiúsque senserat, quanto illi fide, spe, & charitate vicinior fuerat: quæ ipsum de suis visceribus genuerat, nempe verum & perfectum Deum & hominem, salutarem Iesum. Non ignorabat enim qualiter sine omni carnali concupiscentia conceptus, qualiter sine omni dolore ex ipsa natus, quomodo à pastoribus prædicatus, quomodo à Magis adoratus, quomodo virgineo lacte suo nutritus, quomodo à Simeone & Anna commendatus. Nouerat, inquam, hæc omnia, & multo plura virgo illa fidelissima & perfectissima fide salutarem veri salutaris sequebatur odorem. Nec poterat non sperare in eum, quem fide perfectissima cognoscebat & posse & scire & velle saluare omnes desiderantes salutem. Quantum enim quis credit, tantum sperat: quantum sperat, tantum amat. Quanto ergo hæc optima mater perfectior fuit in fide, tāto in spe fortior, & in charitate feruētior, omnem cogitatum suum iactans in eum. Oleum enim effusum est nomen tuum. Quare? Quia oleo nutriuntur infirmi, pascuntur famelici, lumina reparantur. Quis enim tam infirmus, qui hoc oleo salutari, nomine scilicet salutiferi Iesu curatus non fuerit, dummodo velit curari? Ita enim ait ipse saluator cuidam languenti, qui iacebat ad piscinam probaticam: Vis saluus fieri? Et ille, Domine, hominem nō habeo: vt cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Stulte, ecce oleum salutiferum salutaris Iesu, cuius nomen est sicut oleū effusum. Quid tibi cum aqua? Si vis recipere salutem, ecce fons olei misericordię in quo te nullus prohibet baptizari, cuius nomen est effusum oleum, id est omnibus gentibus manifestū, quo oleo vncti infirmi sanantur. Quomodo cum audis & intelligis supereminentem misericordiam optimi Iesu, qui propter te redimendum de sinu patris descendit ad terras, te misericordissima passione redemit: non oboritur tibi certa spes, quòd te redemptum tanto precio nolit perdere, quem de cælo venit redimere? Etiam ergo sic cogitanti, sic speranti oleum nominis Iesu tibi effusum est. Vnge te vt saneris, id est, spera in misericordia saluatoris, qui saluat omnes sperantes in se. Nihilominus autem & oleum hoc pascit te, si famelicus es. Si esuris, verbum est. In hoc verbo Dei optimi Iesu inuenis quod te faciet, si dictis & factis eius aurem cordis tui velis inclinare. Sanat enim animam esurientem, quicquid dixit vel fecit dulcis Iesus. Quod si esuris & sitis iustitiam, sanabit te verbum oris eius, qui dixit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Addet quoque ignem ad oleum, quod huic nomini Iesu optime conuenit: quia huius nominis virtute fides cōfirmatur, charitas exardescit. Pauci enim fidem habuerunt ante huius olei effusionem, id est ante prædicationē nominis tui ô bone Iesu: pauci igniculo charitatis arserunt. Sed ecce illa effusione quanti fide illuminati? quanti charitate conflagrarunt? Dedit

odorem, id est bonam famam oleum nominis tui effusum, oleum Iesu, & patuit te esse etiam Christum, id est vnctum. Sic enim ait psalmus de te: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię præ consortibus tuis. Ergo & oleum vnguentum est: quia vnguentum de oleo & aromatibus conficitur. Quid ergo mirum, si hæc vitis admirabilem dedit odorem, quæ & vncta est & florens? Nazarenus enim florens interpretatur. Vitis ergo nostra Christus, id est Nazarenus, id est salutaris, vncta & florens, qui non attraheret omnes qui salutem, gloriam, diuitias, vel delicias concupiscunt? Venient omnes ad vitem hanc. Dabit enim Iesus salutem, quia salutaris est: dabit Christus regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur, quia vnctus est, quod proprie ad reges pertinet. Dabit Nazarenus delicias, quia florens est. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imò omnes, id est omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter humilitatem, violæ eius sequuntur odorem: qui propter castitatem, lilij: qui propter charitatem passionis, rosæ: qui propter abstinentiam, croci sequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Iesu Christi vbique prædicatores tanquam quodam precioso vnguento effuso attraxerunt odorem eius, & adolescentulæ odore eius mirifico delectatæ cucurrerunt post vnctum Iesum. Et adhuc nimirum currunt clamantes in toto corde suo, Trahe nos post te, vt curramus in odorem vnguentorum tuorum: scientes quòd neque volentis neque currentis, sed solius Dei miserentis est. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Iesu, odor crucifixi, vbi perfectio præcipue efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Fracto enim alabastro mundissimi corporis virginalis dulcis Iesu, effusum est vnguentum sacratissimi sanguinis. Ipsa quoque anima iu qua sine dubio redolebat vnguentum spiritus septiformis, emissa, dilatatus & dispersus est odor vitis nostræ florentis non per terras solùm, sed & per inferos, & suscitati sunt mortui, qui tam ad vitam corporis quidem, quàm ad vitam animæ quotidie suscitantur: quia domus Christi, id est, ecclesia impleta est ex odore vnguenti nostræ vitis præcipue in passione florentis. Conscissus est saccus corporis domini Iesu, ceciderunt grana sanguinearum guttarum, quæ adhuc à fidelibus mente colligi possunt, & ab accedentibus ad crucem fideliter ac deuote colliguntur. Preciosissimus vero thesaurus & incomparabilis, guttæ sunt sanguinis Iesu Christi. Accede huc ô fidelis anima, & collige tibi reliquias epularum sponsi tui: micas gratissimas, folia rosarum. Ecce in quanta multitudine distillant de manibus simul & pedibus, necnon & de latere dulcissimi crucifixi Christi Iesu. Non est morbus animæ, cui his floribus mederi non possis. Collige tantùm folia florum florentis Iesu, stillas sanguinis rubicūdi: & tanquam pilulas sine quibus esse nolo, in cubiculo cordis tui recōde. Erit tibi illarum sapor & odor in medicinam salubrem, morbos si qui fuerint, repellentem, venturósque cauentem. Vide tantùm ne vnquam sine illis esse velis, quæ vere nomen habent, quolibet fideli dicente, sine quibus esse nolo. Hauri ergo toto cordis tui affectu odorem vitis veræ Iesu Christi Nazareni, & delectare in illo sicut pater cælestis in illo delectatus fuit: vt vere dicere poteris, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Vere plenus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi sunt. Est autem adhuc causa quare tanto crucifixus odore fragrauerit. Modicus vel nullus est odor corporis cuiuslibet animalis viuentis: sed cum igni cato apposita fuerit, quàm suauis, quàm delectabilis inde procedat odoris fragrantia, nullus ignorat. Attendamus ergo quis & quantus ignis corpori nostræ vitis appositus fuerit: fragrabat interius incendio charitatis immensæ, exterius passionis ardore verissimum & gratissimum & saluberrimum holocaustum in ara crucis crucifixus Iesus. Quod holocaustum simile isti? Nullum vero: quia nullum sic totum incensum dicitur: & si illud dicebatur vere holocaustum, quod totū ardebat, cū tamē ibi arderet sola caro, quanto verius nostra victima dicetur holocaustū, quod intus & foris incōparabiliter ardebat? Ardebat & totus Laurentius, Vincentius, aliique quàm plurimi, sed nihil ad hunc. Quis enim ardori fornacis crucis aliquod audeat supplicium cōparare? De quo superius nos multa meminimus posuisse exempla. De holocausto igitur nostro crucifixo Iesu incomparabiliter ardente inæstimabilis nimis odor processit. Odoratúsque est dominus Deus pater odorē suauitatis: & benedixit nobis, auertitque iram indignationis suæ longè à nobis pace integra reformata, & sanguine rubicundi Iesu tam nostro quàm ipsius participe pacis æternæ obside existente. Odorauerunt & alij plures ab oriente & occidente, ab aquilone & meridiano accurrentes, & ad hoc dulcissimi odoris corpus floridum congregati: vt de eo se satient, illo tamē integro permanente impleuerunt ipsius dulcissimi Iesu verbum dicentis: Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Sed iam non cruda caro ista comeditur, optime percocta cum sit duplici igne charitatis & passionis. Vnde tam delectabili odore inebriati non solùm viri natura fortiores, sed & virgunculæ tenerrimæ currunt toto cordis affectu omnibus viribus animi ad delicias crucis, hausturæ delicias cordis sui quantum in præsenti vita licet, vnguentorum defluentium largiter ab holocausto nostro tam validis ignibus ardente. Non parum enim delicatū ardentis corporis adauxit odorem spiritualium vnguētorum odor, id est, gratuitorum collatio, quæ post passionem à Domino Iesu Apostolis sunt collata. Ante passionem enim spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus: humiliato autem & exaltato pio Iesu defluxit vnguentum spiritus sancti à capite, id est, à Christo, id est, vncto, in barbam, id est, in eos qui viriliter egerunt & confortati sunt, vt sperarent in domino: & non solum in barbam Aaron, id est, non solum Christi Apostolis datum vnguentum hoc, quod liquefactum fuit igne passionis Christi, vt daret odorem bonæ opinionis per omnem terram: sed quod descendit in oram vestimenti, id est, in infima membra Ecclesiæ quæ est tanquam Christi vestimentum. Vnde scriptum est, Noult dominus, quia his omnibus tanquam vestimento indigens. Quod ita impletum est & adhuc impletur, vt etiam in nationes spiritus sancti gratia diffundatur, & sentiant Christi odorem spiritualia vnguen

vnguenti de summo capite omnium defluentem, quo mundæ fiunt adolescentulæ, vt attrahant & diligant vnctum nostrum, & currant in odorem vnguentorum illius. Nec mirum si vehementer delectentur duplici odore viris nostræ: vno qui ex vnguentis, altero qui ex floribus procedit. Odorantur & odoratum sequuntur Iesum, imitantes bestiam quandam quæ odore cocti panis & recentis ita delectatur, vt vbicunque illum inuenerit, illum sequatur etiam vsque ad interitum. Ecce ipso teste panis viuus, qui de cælo descendens, decoctus duplici igne charitatis & passionis odorem suum longe latéque dispergit. Quis hunc non sequatur? Sequitur irrationalis bestia odorem panis cocti & consumendi: non sequetur homo rationalis odorem panis bis cocti angelorum. Imò stultior est quàm bestia, qui illius odoriferi panis odorem non intelligit & honorem. Sed præterire non possumus, quòd transituri mare, panem bis coctum necessarium habent. Quicunque ergo se in hoc mari magno huius seculi esse cognouerit, quod quia spaciosum est, cito transiri non potest, & propter reptilia quorum non est numerus, periculosum est, quia & ventis & tempestatibus sæuit, si securus vult esse, habeat hunc panem coctum fortissimum Iesum in naue crucis suæ, quem comedat, quem odoret, quo reficiatur, quo consoletur, quo vt breuiter dicam, ab omnibus periculis eruatur. Si enim, vt ait psalmus, illic naues pertransibunt, id est, homines in crucibus suis Iesum sequentur, quæ nauis potius pertransibit, quàm nauis crucifixi Iesu? Secundum vero Pauli sententiam dicentis, Quia Christo confixus sum cruci, crucifigamur & nos cum Christo, crucem eius, imò ipsum in cruce indeficienti cordis affectu amplexemur, in viuifico odore delectemur ardentis Iesu, qui de se dicit: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis: cuius spiritus est super mel dulcis. Eius inquam odore delectemur, vnguentis charismatum eius foueamur, pane cælesti, id est corpore suo purissimo confortemur: vt corpus eius edentes, sanguinémque pro salute nostra effusum in nostram salutem bibentes gustare possimus, & videre liceat per speciem in ænigmate, quia suauissimus est Dominus, vt etiam ipsius promissio perficiatur in nobis, quantum in præsenti vita fas est, qui dicit: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Postremo videamus quia flores & visum delectant & odoratum, licet comedi non soleant, sugnntur tamen ab apibus, & de liquore è floribus expresso, dulcissima sibi mella conficiunt. Apes eiusmodi, vt puto, sunt illi qui pennis contemplationis eleuati sciunt & possunt, suáque ipsorum possunt alnearia, hoc est, corporis curam relinquere, & ad hortum deliciarum transuolare, in quo omnium florum diuitias & diuites delicias inueniunt. Hortus enim iste paradisus est. Ita habes enim in cantico amoris: Emissiones tuæ, ô virgo Maria fœcundissima, paradisus. Processit enim hic paradisus ab vtero virginali, omni flore, omnique fructu refertus, sed fructibus interim dilatatus. Flores istius paradisi videamus, legamus vel potius sugamus. Conuenit enim, vt talis modi apes simus, quæ sciant sugere mel de petra. Idem enim est hortus & petra, id est, Christus. Si ergo flores quærendi sunt, vbi potius quærentur, vbi promptius inuenientur, quam in dulcissimo Christo? Manifesti sunt flores virtutum & vulnerum eius. Stat ecce expansis manibus, nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Confortare nunc & eleuare anima mea misera & infirma, & alis fidei & spei ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitũ per varia dispersum in vnum collige, ac apum sedulitatem imitans, ad conficiendum tibi mel deuotionis, ad paradisum charitatis ascende, accedens ad cor altum: quia ecce quem quæris, exaltatus est, & humiliatus est. Non enim eleuatus est in crucem, vt se difficilem præberet accedere ad eum volentibus: sed magis vt omnibus posset paratior inueniri. Accedens ergo cum fiducia ad hunc paradisum, in extensione brachiorum cognosce, suscipe affectum paratum ad tuos, & te ad suos inuitantis amplexus, & quodammodo miserabiliter misericorditérque clamantis: Reuertere, reuertere: vt intueamur te. Reuertere a mala voluntate, à malis factis, ab obstinatione, à desperatione. Reuertere, inquam, ad me: quæ a me auersa fuisti, vt intueamur te intuitu gratiæ, quo mulierem peccatricem, Petrum, latronem respexi. Lege me librum vitæ scriptum intus & foris: & lectum intellige. Collige tibi flores meos sanguineos: vt paradisi illius possis ianuam introire, ante cuius fores Cherobim collocatus est cum gladio flammeo ac versatili. Valet enim scientia quam ex me plenarie discere potes, ad amouendum impedimẽtum Cherubim. Flores ergo sanguinis mei, gladij versatilis flammas horrendas ac tibi formidabiles extrahant. Intra ergo ô anima paradisum omnibus paradisis meliorem, nunc solo cogitationis quo potes affectu: vt postmodum anima & corpore & terrestrem & cælestem paradisum valeas introire. Nec breuiter amplexandus est hic paradisus, sed volandum est per singulos istius paradisi flores, & singulorum florum folia sunt sugenda: nunc ad dexteram, nunc ad sinistram riuulos & guttas sanguinis spargentem propius & interius accedendum. Vndelibet quærenda deuotio, & gratia lachrymosę compunctionis: vtrinque considerandum quàm immites fixuræ clauorum, quàm amara venarum ossiúmque perfractio in manibus illius qui cælum fabricauit, & terram, qui operatus est salutem in medio terræ, & inter horum considerationem frequenter repetendum: Redde mihi lætitiam salutaris tui: ad imitationem apis, quæ inter volandũ semper quendam sonum habet, nec conticescit donec intra florem intrauerit: vbi mellis optati dulcedinem colligit & exugit. O quàm felix eris, si postquam intra florentis paradisi nostri flores sanguineos, vulnera dico, fueris intromissus: ab huius mundi strepitu & tentationum incursibus per dimidiam saltem horam omnino valeas liberari, & soli ei ad quem introisti vacans, gustare & intelligere possis quàm bonus, quam dulcis est Dominus. Sic lustrandi sunt & pedes nõ minus sanguinis habentes, non minus, quàm manus perfossi, & ipsi, & perfracti, sanguineis manantes guttis. Tandem accedendum est ad cor humillimum altissimi Iesu per ianuam lateris lanceati. Ibi procuidubio thesaurus ineffabilis desiderabilis charitatis latet, ibi noua deuotio inuenitur, inde la-

chrysmatum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in aduersis, compassio in afflictis. Præcipue cor contritum & humiliatum ibi inuenitur. Ipse Iesus complexus tuos desiderat, talis vt complectatur expectat: caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, vt ad pacis osculum te inuitet, tanquam dicat tibi: Ecce quomodo cófiguratus sum, quomodo confossus, quomodo mactatus: vt te possim ponere super humeros meos, quæ aberrauerās ouis mea, & ad pascua reducere paradisi. Redde vicem, & super vulnera mea misericordia commouere, & pone me talem qualem nūc vides, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, vt in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachij tui mihi taliter, vt vides signato, passis similis inueniri. Conformaueram te imagini diuinitatis meæ cū te crearem, conformatus sum imagini humanitatis tuæ, vt te reformarem. Tu ergo qui non retinuisti formam diuinitatis meæ tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuæ mihi impressam in tua recreatione, id est, si non retines qualem te creaui, retine saltem qualem te recreaui. Si non capis quātas virtutum diuitias tibi dederim te creando: cape saltem quantas in humanitate tua miserias propter te acceperim recreando, & ad potiores, quam ad quas te formaueram delicias reformando. Nam propterea homo visibilis factus sum, vt à te visus amarer, qui in deitate mea inuisibilis non amabar. Date ergo præmium incarnationi & passioni meæ, pro quo incarnatus simul & passus dedi me. O dulcissime atque amantissime Iesu, pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, misericorditer respice humiliter tibi confiteotes, & vere sentientes: quia sine te nihil possumus facere: & qui dedisti te pro nobis in precium, da licet tanto precio minus simus digni, vt tuæ gratiæ tam integrè redlamus, vt conformari imagini passionis tuæ, ad eam quoque quam peccando amisimus tuæ diuinitatis imaginem reformemur. Nec prætereundum est, quòd apes de liquore florum collecto fauum conficiunt, id est, ceram in se mel continentem. Quid est hoc? Per ceram, tenacem memoriam accipe, quæ apta est ad recipiendum formam sigilli, & ad nutriendum ignem, si tamen in ea sit lignum, quæ cera mel in se continet dulcissimum, mondificatiuum, detersiuum. Nos vero si vere spirituales apes sumus, de floribus nostri paradisi Nazareni, id est, horti florentis floridissimi Christi nobis memoriam componamus tenacem, quæ non qualibet tentatione dissoluatur, sed apta sit illa memoria recipere impressionem sigilli, id est, crucifixi Iesu, vt illum semper in memoria habeamus, qui dicit: Pone me sicut signaculum. Signaculum enim regium crux est, quam si in cordis nostri memoria portauerimus, tanti regionem Regis, quæ finem non habet, secure poterimus transire. Habet hoc sigillum imaginem crucifixi Iesu in ipso sigillo crucis molris fossuris effossam & expressam, sicut in sigillis imago Regum exprimitur fodiendo. Habet & superscriptionem titulū à Pilato conscriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Huius superscriptionis significationem spiritualem cósequetur, si quis hoc sigillum crucis gestare curauerit tenaci memoriæ impressum: habebit Iesum, id est, salutem, quod primum est in superscriptione. Salus autem quæ ab omnibus sanæ mentis appetitur, in tribus consistit, vt quæ in tribus dictionibus exprimitur. In hac dictione Nazarenus (quod interpretatur florens) voluptatem siue delectationem intellige, quia florum pulchritudo delectat. Vnde in libro Sapientiæ luxuriosorum voluptas exprimitur his dictis. Nullum pratum sit quod non pertranseat voluptas nostra. Coronemus nos rosis antequam marcescant. In hac dictione Rex, diuitiæ exprimuntur. Reges enim diuites esse solent super omnes quos regunt. In hac dictione Iudæorum, gloria accipitur: quia vno modo Iudæus glorians interpretatur. Portator ergo voluptatius sigilli Regis nostri crucis crucifixi Iesu, fructum superscriptionis consequetur, vt sit salus, scilicet vt voluptatem consequatur sempiternam, torrente voluptatis summi Regis potatus: æternas quoque diuitias thesaurizet in optimo Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi: in ipso quoque glorietur sine termino, qui excelsus est super omnes Gentes, & cuius gloria super cælos. Illuminat quoq; domum cordis nostri, & fouet in eo ignem charitatis diuinæ. Cera tenacis memoriæ per lignum intelligitur, ita tamen, si sit in eo lignum, id est, exercitium spiritualis laboris, quod per lignum intelligitur, sumptū de ligno, quod multis laboribus conteri solet, vt ad vtilitatem aliquam perducatur. Si ergo in memoria nostra passionis Christi laborem habemus, potest accendi & ardere charitas eius in nobis, qui illuminat tenebras ignorantiæ nostræ, & accendit frigus tarditatis nostræ, vt & nos parati simus pati pro illo, & cum illo, qui prior pro nobis passus est. In tali cera memoriæ nostræ debet esse mel, id est, delectatio de recordatione crucis, quæ est mel dulcissimum. Quid tā amarum, quod in recordatione viuificæ passionis non possit dulcescere? Cum legimus Hebræos cùm exissent de Aegypto venisse ad aquam amarissimam, quam nollent gustare poterat: cui cum Moyses lignum intecisset, dulcorata est, sic vt eam delectabiliter biberent. Quid apertius per aquam amaram, quàm cuiuslibet aduersitatis amaritudo signatur? cui cum lignum crucis iniicitur, id est, cum passio dulcis Iesu consideratur, necesse est omnem passionem huminis leuem videri respectu passionis dominicæ quam pro hominibus voluit sustinere Deus & homo, mediator Dei & hominum Dominus Iesus. Est & mel mundificatiuum: quia vere nihil est quod ita ab omnium vitiorū impulsu, & contagione cogitationē nostram purificet, & in puritate conseruet, sicut iugis memoria crucis, & passionis Domini Iesu. Est & mel descensiuum: quia contra aliorum liquorum consuetudinem naturalem, quod in melle est purissimum, ad ima descendit, feculentum vero ascendit. Quid per talem descensum, nisi virtus humilitatis designatur? Quæ profectò virtus in passionis dominicæ memoria acquiritur & conseruatur: quia nón potest quis non humiliari, cum recordatur pro se humiliatum Dominū maiestatis. Indignum quippe esset, hominem lutum & cinerem per sui elationem illuc ascendere, vbi angelos perfectissimos in omni serenitate & decore: quia humilitate carent, non potuit remanere. Colligamus ergo nobis ex floribus vitis nostræ Domini Iesu talem memo

memoriam, talem delectationem, vt stigmata crucifixi nostri in memoria iugiter retinentes, ita in ipso qui solus est dulcis, delectemur, vt omnes per ipsum præsentis vitæ amaritudines superemus, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus iugiter per humilitatis custodiam conseruemur.

De virtute & efficacia florum. Superest, vt dulci Iesu adiuuante dicamus quid sit quòd per odorem florum vitis omnia venenata præcipue effugentur. Cuius rei ratio citius inuenitur, si quid serpentes significant, agnoscatur. Quod autem de serpentibus dicitur, de aliis quoque venenosis reptilibus accipiatur. Quid autem melius per serpẽtes, quàm diabolicas suggestiones accipiamus? Ad similitudinem enim serpentum reptãt occulte per mentes hominum, sed subito, nisi agnoscantur, morsus mortales incautis affigunt, quod præfiguratum accipimus in filiis Israel in deserto à serpentibus miserabiliter interemptis. Huius interemptionis causam ponit Apostolus dicens: Neque tentemus Deum, sicut quidam eorum tentauerũt, & à serpentibus perierunt. Quid est autem tentare Deum? Non credere Domino. Incredulitatis nanque vitio vrgebantur, eóque a serpẽtibus occisi sunt. Quid est autem desertum in quo occisi sunt, nisi hic mundus, in quo vagamur, per baptismum tanquam rubrum transeuntes mare, liberati per nostrum legislatorem dominum Iesum à seruitute Ægyptiaca, qua ante baptismi gratiam premebamur? Si autem diligentius consideremus, cuncta penè vitia ex incredulitatis vitio inueniemus oriri. Quis enim vanam mundi gloriam quæreret, si perfecte crederet aliam esse futuram in cælis immarcessibilem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt quæ humilibus conseruantur? Putásne huic gloriæ mũdanæ tam incertæ quàm transitoriæ animum inclinaret? Nequaquam. Sed quòd tales adserunt se Deo credere, prouenit ex quadam consuetudine, quia totum penè mũdum tali vident & audiunt fide teneri. Quòd si infidelium numerus exceresceret, & nomen Christi non possent sine pœna vel sine timore confiteri: citius audires eos quod corde gerunt, lingua propalare, & verbis etiam abiurare eum, quem factis denegare non timent. Simile est de auaris, qui cœlestes non curant diuitias: & de inuidis, qui charitatis laudem & præmium non attendunt: & de iracundis, qui in patientia animas suas non possident: & de acediosis, qui pro æterno commodo labores subire refugiunt temporales: & luxuriosis, qui cælestibus voluptatibus mentis oculum non intendunt: & de gulosis, qui panem illum delicatissimum angelorum suis epulis terrenis postponunt: quia si ea quæ futura promittuntur, vere crederent, nequaquam terrenis tam ardenter inhiarent. Propter ergo incredulitatem suam dantur non solùm vulnerandi per tentationes, sed etiam occidendi per veneni sui infusionem serpentibus ignitis, id est, dæmonibus illius maximi & tortuosi serpentis primi peruersoris ministris, qui illos secum pertrahunt, & incendiis æternis addicunt, quos in hac vita incendio suarum prauarum suggestionum corrumpunt. Sed remedium attendamus, per quod vitium incredulitatis correctum est. Dixit dominus ad Moysem: Fac serpentem æneum, & pone in ligno erectũ: quem qui intuiti fuerint, à serpentinis morsibus sanabuntur, cuius serpentis mysterium ipse dominus Iesus curauit exponere dicens, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in illo, non pereat. Vidésne quorsum feramur? prorsus ad exaltatum in cruce benignum Iesum: qui optime serpenti æneo & exaltato comparatur. Serpens enim dicitur mortifer, quia per suggestionem serpentis mors intrauit in orbem. Æneus verò, quia charitatis simul & passionis ignibus conflatus, passionis sanguine rubricatus, ad modum æris in resurrectione Induratus est, quia vltra non moritur. Exaltatio autem serpentis, exaltationem crucifixi Iesu figurat. Hic est serpens quem increduli à malignis spiritibus vulnerati, ad credulitatem conuersi, si volunt saluari, respicere commonentur. Est enim serpens iste de virga Moysi transformatus. Per virgam; quæ est insigne regium, Deum intellige: per serpentem vero, cuius suggestione primi parẽtes mortui sunt, hominem mortalem accipe. Mutata est virga in serpentem, quando verbum caro factum est, assumens quod non erat, id est humanitatem, manẽs quod erat, id est, Deus. Sicut ergo factus serpens magorum Ægyptiorum serpentes deuorauit: sic Deus factus homo inimicorum suggerentiũ peccata, fraudes euacuauit, maximè tamen cum esset exaltatus in crucẽ, cum sanguinis sui flores ostenderet, & florum scilicet virtutum suarum odorem per totum mundũ effunderet, & corda quibuscũque vitiis vulnerata sanaret. Respiciamus igitur & nos in faciem serpentis ænei, eleuati Christi, si volumus à prauorum dæmonum suggestionibus serpentinis liberari. Respicere autẽ, fide in ipsum tendere est: quod nõ infirma, sed forti & perfecta fide completur. Sunt autem qui quidem ore confitentur quoniam christiani sunt, factis autem negant, quos non puto fide tendere in crucifixũ piũ Iesum. Vt autem hoc per similitudinem aliquo modo ostendamus: similis est fides vino quod tantum colorem habet vini, sed à sapore veri vini & viribus est alienum: cuiusmodi vinum non credo fideliter Deo acceptum, sed quale in Cantico canticorum laudatur, vbi ipse sponsus ad sponsam ait, Guttur tuum sicut vinum optimum. Et illa statim respondet, Dignum dilecto meo ad potandũ, & dentibus eius ad ruminandum. Et post pauca, Dabo, inquit, tibi vinũ conditum & mixtum malorum granatorum meorum. Ecce quale vinum erit placens dilecto: & quod in amorem nostri illum accendat. Est itaque vinum optimum, quod est fides perfecta [illegible] & oris confessione pariter [illegible] quod subditur, Dabo tibi vinum conditum: fides bonis virtutum operibus condita & exercitata intelligitur. Talis fide tenditur & intenditur in pium Deum non fide ficta, operibúsque carente, sine quibus fides mortua est. Demus ergo dilecto nostro pio Deo vinum optimum, fidei perfectæ, & vinum diuersis aromatibus virtutum saporosum, & sic intueamur in faciem eius pro nobis ad similitudinem serpentis ænei in cruce suspensi. Et quotiens alicuius serpentinæ tentationis morsu nos cognouerimus vulneratos, ad crucem curramus, & ad thronum crucis quandoque ignominiæ, nunc summæ gloriæ accedamus, & fide & spe & charitate in liberatorem piissimum intenden-

 tes,

tes, per mortem nostri serpentis, qui mortem antiqui serpentis occidit, à serpentum morsibus petemus ac poterimus liberari.

De fructu & germine vitis

Quia ducente & docente (vt spero) nos pio Iesu duce optimo & ductore prolixiorem multo quàm sperauimus, sermonem habuimus de floribus vitis nostræ: nunc eodem nos adiuuante, qui vsque in finem diligit & dirigit suos, in cuius manu sumus & nos & sermones nostri: ad fructum eiusdem vitis animum acclinemus, florum dispendium fructuum compendio redempturi. Confortata est enim scientia fructus vitis nostræ huius, & non potest ad eam nostri ingenioli tarditas eleuari. Vt ergo omnes abscindamus ambages: fructus perquiramus. Præcipuè redemptio est plantata in terra benedicta, in virgine virginum Maria. Illa vitis vera dulcis Iesus apparuit in natiuitate, præcisa in circuncisione, circunfossa in insidiis, perfossa clauis, ligata vinculis multiplicibus: fronduit in virtutibus, fructificauit in passione: & redemit hominem, quem alio modo redimi non conueniebat. Sed dicis: Quomodo dicitur in passione fructificasse, qui paulò antè dictus est in natiuitate floruisse? Nunquid idem sunt flores & fructus? An ita subito sine interuallo temporis fructus suum florem secutus est? Non enim id videmus fieri in rerum naturis. Præcedunt enim flores, & intercedit multi temporis interuallum, vt fructus ad maturitatem perducatur: quod nos verum quidem esse fatemur. Verum ea quæ habemus præ manibus, non tantum humana, sed & diuina sunt, vnde non sequuntur rerum naturas in omnibus, sed naturæ magis suum sequuntur auctorem. Quod videlicet apertius intelliges, si diligentius volueris intueri in omni arborum genere, in ortu fructus florem decidere & perire: in hominibus quoque & ferè cunctis animantibus fructus solitorum florem virginitatis abscindit. Non sic erat in natiuitate vitis nostræ. Beatissima enim mater illius fructum quidem protulit benedictum nō amisso virginitatis flore: immo magis per partum mirabilem & mundissimum est decorata, vbi lex, vbi iura naturæ abscissa sunt. Non est igitur magnum si sine temporis interuallo flores vitis nostræ non pereuntes, fructus saluberrimus consecutus est. Protulit eum mater pulcherrima flore virginali non perdito, protulit & ipse fructum redemptionis nostræ floribus virtutum non marcescentibus. Nec tamen caret ratione maturitas fructus accelerata. Patet enim quia secundum augmentum & diminutionem caloris, maturitas fructus vel accelerat vel tardat. Vide ergo magnitudinem caloris, imò feruoris in patiente pio Iesu, & non miraberis fructus sui accelerationem. Ardebat incomparabiliter charitatis intrinsecus, & passionis extrinsecus igne: vt fructum nostræ redemptionis sine mora produceret. Productus est ergo botrus ille optabilis cunctis patriarchis, & prophetis aliisque iustis, scilicet redemptio nostra: quem fructum ecclesia non solum ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed à mundi principio iustè congregata, dulcem sibi fore gratulatur, dicens de sponso in cantico amoris, Sub vmbra illius quem desiderabam, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Quid mirum si redemptio iustorum à diabolica tyrānide, à tenebris & vmbra mortis, à carcere infernali, quo inclusi tenebantur, reductio in paradisum, angelorum custodiæ deputatur? Quid mirum præsentiam Christi [illegible] delectabilē atque votiuam tanto tempore expectati ac desiderati? In afflictis enim rebus constitutis tanto solet esse gratior liberatoris aduentus, quanto fuerit diuturnior afflictio. Quanto enim tempore primus Abel iustus, primus martyr, qui sua passione primus liberatorem præfigurauit, expectauerat? Quandiu ipse Adam & Eua parentes nostri adhuc etiam in inferno paradisi gaudia ad memoriam inuicem reuocantes, istam redemptionem sinuerāt cum aliis sanctis & iustis qui se liberandos sperabāt? Quanto putas eos exultasse tripudio, cū ille crucifixus aduenit, angelis præcedentibus & clamantibus, Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ? Quanta putas eos alacritate contremuisse, & consonis iubilis in communem lætitiam prosiluisse ac dixisse: Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris: vt educeres vinctos de claustris. Te nostra vocabāt suspiria, te larga requirebāt lamenta. Tu factus es spes desiderantibus, magna consolatio in tormentis. O quam dulcis fructus reductionis his qui in ista & tam amara seruitute fuerant constituti. Hic est fructus de quo sponsus loquitur in Cantico amoris: Dixi ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Quid est in palmam? in crucem, cuius vna pars de arbore palmæ dicitur facta fuisse. De quatuor enim generibus arborum facta fuisse refertur. De cypresso. De cedro. De oliua. De palmis. Cypressus in profundo, cedrus in longo, oliua in alto, palma in lato. vnde dicit Apostolus: Vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundū. Profundum verò in cruce vocatur illud lignum quod infixum erat terræ in quo stabat lignum erectum, & cui dorsum crucifixi Domini applicandum fuerat, quod est crucis longitudo. Lignum vero ex transuerso illo appositum, cui manus erant affixæ, latitudo crucis nominatur. Illud autem quod à Pilato fuit appositum, in quo titulus triumphalis fuit scriptus, altitudo nuncupatur. Habent autem horum lignorum singula suas mysticas significationes secundum naturas suas. Cypressus enim timorem siue humilitatem significat, vbi est radix crucis, per quam non solùm situs humilis, sed natura eius exprimitur: quia vt dicitur, fugat odore serpentes, id est diabolos, quorum proprius character superbia ab humilitatis virtute fugatur. Cedrus arbor longitudine præstans aliis arboribus, longitudinem crucis, id est perseuerantiam significat siue patientiam. Naturali enim sua virtute approbatur quia est valde durabilis, & corrumpi ex natura non potest. Oliua vero arbor oleum effundens, per quam misericordiæ opera significantur, charitatem significat: quæ arbor bene latitudinem habet crucis: quia lata est charitas, quæ etiam ad inimicos extendi præcipitur. Palma porrò arbor victoriam significans, altitudinem crucis optime significat, spē de superius habendam, non ad infima deprimendam. Hæc arbor habet in se titulum triumphalem scriptum, in quo inuenitur fructus crucis. Prima enim dictio est Iesus, per quam intelligitur saluatio, quæ idem est quod redemptio. Ecce fructus crucis. Propterea enim Christus crucifixus est, vt redimeret hominem. Quod autem ait, Ascendam in palmam,

mam, à parte crucis totam crucem significauit:& bene per palmam, in qua titulus signum redemptionis quę fructus crucis est, inuenitur. Sed dicet aliquis, dicturus eras de fructo vitis, & dicis de fructu palmæ? Quæ concordia est vitis & palmæ? Ad quod ego: Palma crucem, vitis vero significat crucifixum. Dic igitur, nunquid diuersus est fructus crucis & crucifixi? Nō puto. Ergo & idem est fructus & palmæ, & vitis. Ascendit vitis in palmam, apprehendit fructus palmæ, non quos palma habuit ex se, sed ex vite in palmam extenta. Quare ergo dicit ipsa vitis, Apprehendam fructus eius, & non potius dicit meos: cum palma fructum habuerit à vite, non vitis à palma? Christus non habuit bone fructum sine palma, imò & per palmam, id est per crucem: quia si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Apprehendit ergo Christus fructum crucis, illum profecto, quem ipse per crucem fuerat operatus. Sed habet hic botrus grana multa, scilicet impletionem scripturæ, victoriam de diabolo, resurrectionis gloriam, ascensionis mirabilem eleuationem, donorum spiritus sancti missionem. De impletione scripturæ ipse Dominus testimonium perhibet dicens Petro, Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri. Et in alio loco, Nónne oportuit adimpleri omnia quæ scripta sūnt in lege & prophetis & psalmis de me? Victoria de diabolo & si alio modo potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim desipit, qui sapientiam Dei & Domini aliud aliquid putat, nisi id quod præstantissimum fuit, ordinasse. Necessarium fuit eum per hominem vinci, & per lignum, qui hominem vicerat per lignum: vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Quare autem per hominem qui erat Deus, & non per simplicem hominem, satis manifestum est: quia omnes homines peccato erant obnoxij, & non poterat quisquam aliorum soluere vincula, qui seipsum soluere nō valebat. Christus enim fortis, qui originali peccato nihil debebat, eò quòd singulari priuilegio nascendi sine omni carnali concupiscentia conceptus erat, qui solus est inter mortuos liber, solus à morte poterat mortuos liberare, sicut ait Apostolus: Non habebat necesse pro se offerre sacrificium, quemadmodum alij sacerdotes tā pro sua, quàm pro populi ignorantia. Si autem quæritur quare Deus potius per se quàm per aliquam aliam creaturam hominem voluerit liberare, possumus hoc quidem charitati eius imputare, quam vt nobis commendaret, non solùm incarnatus, sed & mortuus est pro nobis. Tradidit nihilominus per hoc formam charitatis, vt parati simus, cùm necessitas exegerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere, cum regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus. Est & adhuc alia rationabilis causa quare per Dominum redempti sumus, scilicet quia nequaquam decuit nos per alium reformari, quàm per eum per quem formati eramus. Plus enim excitat nos ad charitatem reformatio, sicut sæpius supra dictū est, quàm formatio. Si ergo per alium quam per ipsum per quem sumus formati, reformati essemus: plus reformatori nostro quàm formatori deberemus, & sic plus diligeremus creaturam quā creatori ē: quod esset inconueniens. Vt ergo incitaret nos ad diligēdum ipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris, impendit nobis quidquid debuit creando & recreando nos optimus Deus, cuius beneficiis non communicat alienus. Fructum igitur redemptionis nostræ toto desiderio complectamur, & sæpius imò sine intermissione ad memoriam reuocantes, latentem in ipso dulcedinem lingua intellectus nostri degustemus, & in vase memoriæ nostræ recondamus sanguinem huius vuæ meracissimum, sanguinem inquam rubicundi Iesu: quia factus est nobis redemptio, quia per ipsum saluati & liberati sumus. His floribus, hoc fructu quo redempta est a tyrannide dæmoniaca, iugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie sine intermissione laborat suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans, Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Non ignorat ista quis & qualis fuerit fructus vitis ligni vitæ Iesu Christi. Nonnunquam enim lectum conscientiæ suæ floribus virtutum & passionis sponsi sui resperserat, quæ eidem in eodem Cantico amoris proclamat: Lectulus noster floridus, non de alienis, sed de tuis floribus dulcis Iesu. Veni ergo & agnosce tuos flores: requiesce in lectulo tuis floribus adornato. His ergo floribus petit à sociis sponsi, ab annūciatoribus verbi Dei se sponsa fulciri: sciens profecto quid virtutis habeant, qualem effectum operentur in ipsa tales flores per ministrum verbi ad memoriam reuocati, quantum ipsam in tentationibus & periculis præsentis vitæ confortent, quantum ad supernæ patriæ desiderium accendant: nec dubito quin eadem sponsa in hortum sanctarum scripturarum sui sponsi quandoque fuerit introducta, vbi proculdubio lignum vitę vitem veram inuenit, cuius alacriter fructum apprehendit, voluens in mente sua & reuoluens & intuens diligenter ac perspicaciter qualem ex ardore dilecti sui, imò ex ipso dilecto fuerit fructum consecuta, sensitque infallibiliter quantum amoris ei debeat, quantum ad omnia pericula sustinenda meritò debeat confortari gustato spiritu suauissimo quem ex arbore tam dilecta suscepit. Optat ergo sibi sæpius ad memoriam reuocari hos flores, & hunc fructum: quia & illis fulciri, ne cadat: & his stipari, ne aliquo modo moueatur, exorat: sciens nimirum quid virium habeant & illorum odor & huius sapor. Quod autem addit, Quia amore langueo, quid est, nisi quòd sponsa desiderio supernæ patriæ accensa, dilationem diuturnam non patitur? Vnde in eodem, Filiæ Hierusalem nūciate dilecto quia amore langueo. Quis est amor iste tam validus, & languorem inducens? Nunquid non est amor de quo scriptum est: Fortis est vt mors dilectio? Qualis est ista fortitudo, quæ infirmitatem inducit? Respondeant illi qui in libro experientiæ huius quæstionis solutionem perlegerunt. Experientiæ dixi. Et quare non sapientiæ, quæ à sapore dicta est? Qui ergo in libro sapientiæ legerūt, id est, qui saporem internum experti sunt, dicant & doceant nos quis sit iste amor, qui cū sit fortis vt mors: facit amantes languere vsque ad mortem: quia in morte huius corporis & non ante sanantur. Possent quidem medio tempore dum in vita hac mortali siue in hac morte vitali degunt, huius dilecti ac desiderabilia

rabilia

tabilis floribus & fructibus consolari, at non satiari, donec veniat dies quem cum propheta desiderant dicentes, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et in alio loco, Adimplebis me iucunditate cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem. De qua dextera alias legitur: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et vide quam bene ista auctoritas cum superioribus concordat: vt læua quidem dilecti appelletur recordatio illius charitatis (qua nulla maior est) qua posuit animam suam pro amicis suis: dextera verò, beata Dei visio, quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia diuinæ maiestatis. Merito sane illa Dei & deifica visio, illa diuinæ præsentiæ inæstimabilis dilectio, in dextera deputatur, de qua delectabiliter canitur: Delectationes in dextera tua vsque in finem. Meritò nihilo minus in læua memorialis illa & semper memoranda dilectio collocatur: vt donec transeat iniquitas super eam, sponsa requiescat & recumbat. Meritò ergo læua sponsi sub capite sponsæ, super quam videlicet caput suum inclinata sustentet, id est, mentis suæ intentione incuruetur, ne inclinetur ad carnalia & secularia desideria, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Idem ergo per flores & fructum nostræ vitis, & per læuam ipsius sponsi figuratur: languoris autem sanatio per dexteram eius. Per hos ergo flores & fructum vitis nostræ petunt se fulciri, nec aliena dilectione gloriantur se sustentari, qui spem & fiduciam suam non in rebus caducis posuerunt: sed illa tantùm anima, quæ modo pro amore & desiderio dilecti corporalibus & mundanis curis languet, imò & moritur, cui & dicitur: Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? De deserto quippe huius mundi ascendit, quę cor suũ cum corde dilecti in ea charitate connexuit, quærens ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Vnde deliciis virtutũ affluit, tanquam vnguẽto delibuta diuersorum aromatum, quæ de dilecti paradiso collegit, sequens eum qui pro ea passus suum ipsi reliquit exemplum. Vnde & bene dicitur, Innixa super dilectum suum, non super hominẽ: quia maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnẽ brachium suũ: nec super aliquas res terrenas, quę omnia reputauit quasi stercora, vt Christũ lucrifaceret. Talis ergo anima, quę nunc floribus & fructu vitis veræ sponsi sui fulcitur, quæ modo præ amore illius languet vsque ad mortem, dicens cum Iob, Desperaui, nequaquam iam vltra viuam: talis inquam anima, dulcissima sponsi dextera ineffabiliter amplexari, & fructu æternæ iucũditatis satiari merebitur, languore non solùm sanato, sed & aucto. Sanabitur enim languor intolerabilis desiderij in perfruitione iucundissima dilecti desiderati, non tamen auferetur, imò augebitur idem desiderium: sed tunc nõ erit languor, sed depulsio fastidij, cum desiderans plenissime satiabitur desiderato, & satiatus discet in satietate desiderare mutua & interminabili & inexplicabili generatione, desiderio generante satietatem, & satietate desiderium pariẽte. Sed iam reuertamur ad vuam. Est tertium granum in botro redemptionis nostræ dominica resurrectio: quę quantum habuit habeatque dulcedinis, quis explicet? Ponat aliquis tamẽ si quis potest, in cor-

de suo magnitudinem ineffabilem illius beatissimæ & tristissimæ passionis: videat quanto desperationis mœrore illa dilectorum passi Iesu corda percussa fuerunt, videat illatum fidelium mulierum lamentationes quæ dulcissimum Iesum ad passionis locum eontem cum sibi crucem baiularet, & cum dulcissimam animam expiraret, non deseruerunt. Videat præcipuè illam tunc spectantem muliierculam, nunc vero mundi dominam, matrem domini, cuius animam acutus doloris gladius pertransiuit. Videat totius mundi machinam fabricatori suo compatientem tetra caligine innolutam. Videat inquam hæc, & tantæ turbationi serenitatem tertiæ diei, & insperatam lætitiam lætissimæ resurrectionis annectat, recogitetque propensius cum quanta exultatione susceperint dominum à mortuis resurgentem, quem cum ingenti tristitia viderant morientem. Vide cum quanta iucunditate recompensauerit in resurrectione discipulis suis tristitiam illam quam in sanctissima extremæ comestionis suæ cœna conceperant, quando eis dixit, Non bibam amodo de hac generatione vitis, donec bibam illam vobiscum nouã. Ecce iam nunc resurrexit in gloria vitis veræ: comeditque & bibit cum eisdem discipulis cum gaudio maximo proculdubio, séque dubitantibus aliquibus videndum pariter & tangendum exhibuit. Nec putet quisquam quòd resurrexerit ad gaudiũ solis discipulis, imò & resurrexit nobis, & toti mundo, beatificans omnes, qui quamuis non videant, credunt tamen ipsum passum fuisse propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationẽ nostram, quibus docemur, quoniam si socij fuerimus passionis, erimus & resurrectionis: vt non dubitemus mortalia corpora nostra resurrectionis gloria sublimanda, cum caput nostrum morte turpissima condemnatum resurrexisse credamus. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Primitiæ enim dormientium Christus: deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: qui & ad exemplum Christi resurgentis ad gloriã, vltra non morituri resurgent. Est & ascensio granum in botro redemptionis per passionem factæ, dulce quidem granũ, plurimum in se continens dulcedinis, faciens gaudium cœlis & terris. Quis enim dubitet gaudium magnum factum discipulis, cum eum vt hominem viderent cælestia penetrantem? Stabant animis simul & cordibus in cælum erectis, animi sui gaudium non capientes: sed in voce iubilationis eunti domino gratulantes. Exultauit proculdubio & cęlum, omnes videlicet angelorũ chori purpurato suo domino nostræ carnis trabea occurrentes, & summa cum laude summum suscipiẽtes victorem. Quòd si in vnius iusti siue martyris animę aduentu omnis angelorum exultat chorus, quantum putas in singulari sui imperatoris aduentu omnium ordinum spiritus exultasse? Humano igitur intellectu ad huius laudis & gaudij magnitudinẽ succumbente, gaudeamus & nos dulcedinem huius grani recolendam admirando, diligendo sugamus, exultantes in spiritu sancto pro eo quòd carnis nostræ portio in dulcissimo domino in summo trinitatis throno excellentissimè sit collocata, intendentes animos nostros quantũ possumus post ipsum & in ipsum, ipsi in humilitatis spiritu supplicantes, quatinus nos post se trahere dignetur,

vt in

vt in odore vnguentorum ipsius currentes, in illa cellaria, in illam supremam apothecam aromatum, in illa interiora sancta sanctorum mereamur introduci, quò ipse Christus caput nostrum præcessit. Quintum botri nostri granum missio spiritus sancti est. Quis vinum iucundissimum huius grani valeat explicare? Vinum inquam, & si magis placet, mustum. Hoc enim accepto ab Apostolis, & aliis qui cum eis erant, expectantibus, Spiritu sancto inebriati sunt: eructauerunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei. Antè timore absconditi, nunc excurrerunt foras: non iã timuerunt aquam populi frementis, charitatis igne succensi. Tunc pro certo experientes verum esse quod scriptum est: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non obruerunt illam. Irruerunt enim in eos flumina potestatum, fluxerunt aquæ populosæ multitudinis: flauerunt venti ac procellæ comminationum verborum, & ignis charitatis non est extinctus, imò etiam auctus est. Ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati. Est autem auctus ignis charitatis, pluribus per eorum prædicationem accensis, & eadem qua ipsi ardebant iucunditate succensis. Sed quid aiebant Iudæi omnium bonorum increduli? Musto, inquiunt, pleni sunt. Mentientes & ignorantes verum dixerunt. Musto quippe illo nobilissimo charitatis Dei, imò charitate Dei repleti erant, inflammante ad amorem, & confortante ipsos contra timorem. Vnde sicut mustum non patitur se contineri à vase, nisi foramen habeat vnde prorumpat: sic ab istorum corde per ora eorum se mustum Spiritus sancti manifestauit loquentia magnalia Dei, cum mirabili eloquentia. Non enim impedit, sed expedit linguam haustus musti huius, vt illud poëticum verum inueniatur:

Horatius. *Fœcundi calices, quem non fecere disertum?*

Fœcundus verò calix Domini, & præclarus inebriauerat eos: quia sicut ait Apostolus, charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum. Sed videntur verbis nostris verba Petri contraria, qui haustu noui musti audax factus, iam non solùm non timuit verba mulieris cuiusquam, vt antè: sed nec verba principum. Hic ergo obiiciens se in medium dixit discipulos ebrios non esse, cum tamen ebrij essent, sed spiritu ebrij, nõ ebrij vino. Sed audiamus verba ipsius optime distincta. Non enim, inquit, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt. Nõ enim musto terreno ebrij sunt, vt vos putatis, sed cælesti spiritu. Hauriamus igitur, & nos charissimi de vino iucundissimo grani huius. Quod si vel in quo hauriamus, scilicet vas intellectus non habemus, curramus cum plena fiducia ad singularem nostrum ac prouidum conditorem, cuius figmentum sumus, oremúsque vt vas formet in anima nostra huius dulcissimi musti capax: vt nostro consolatore spiritu gratiæ septiformis accepto, multiformes tentatoris aduersarij nostri laqueos euadamus, & pedes affectuum nostrorũ in compedes sapientiæ iniiciamus, vt cum ipsa sapientia colligati vinculis charitatis indesinenter, & indefesse curramus post illã, donec ad saporis ipsius plenitudinem attingamus, vbi iam non per speculum & in ænigmate: sed facie ad faciem Regem nostrum in decore videamus, & sicut sumus cogniti cognoscamus. Hic enim aduertẽdum puto, quòd vitis nostræ fructus comeditur & bibitur. Masticatur enim vua, bibitur vero vinum, quod in vua continetur, & in vtroque vsu iucunditas est: sed in vino & iucunditas, & vtilitas prolixior est, quod ad botri huius de quo locuti sumus fruitionem mihi pertinere videtur. In præsenti enim vita hunc botrum masticamus, cum suauitatem, iucunditatem, & vtilitatem nostræ redemptionis dentibus intellectus nostri discutimus: cum resurrectionis potentiam, ascensionis gloriam, & aduentus Spiritus sancti vtilitatem in cordis nostri consideratione versamus tãquam vuas in ore, fitque de his nonnunquam aliqua lætitia cordi nostro: erit autem plena postquã cessauerit tempus, id est, mutabilitas temporum, quando hæc iam non comedemus, sed bibemus, inæstimabilem de his perpetuam lætitiam consecuti. In comedendo enim aliquis labor est, quod vero bibitur, sine labore recipitur: vnde per comestionem delectatio quæcunque, vel qualiscũque, vel quantacunque sine corpore non percipitur: sed semper aggrauat animam. Per potum vero sine labore acceptum, illius loci & temporis gaudia significantur, vbi & quando iam non erit luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam hæc omnia transierunt. Et ipse ab æterno stabilis, qui pro nobis ne velut vmbra transiremus, transiẽs factus fuit, ministrabit nobis. Ibi enim tunc iam non cum labore, & timore, & impedimento corporis mortis huius comedemus, sed cum magna iucunditate bibemus vinum redemptionis nostræ, & secundum naturam nobile vinum, quod quanto plus biberimus, licet saturemur, tanto tamẽ plus sitiemus admirantes, & laudantes sine termino, & sine intermissione bonitatem admirabilem redemptoris nostri, quam in fructum redemptionis nostræ circa nos voluit exhibere. Et vide si non ista differentia cibi, & potus nobis in verbis spõsi in cantico amoris commendatur, cùm ait: Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi. Præmonet enim comedere, quod vtique ad præsentem vitam pertinet, in qua, sicut diximus, contemplatio labori actionis admixta est. In futura vero vita, quæ omni actione caret, gaudio tanquam poculo perfruemur. Bibemus enim, & inebriabimur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur, iam nos tunc esse Regis & sponsi nostri charissimos liquidò cognoscentes, cũ aqua omnis laboris & actionis terrenæ in vinum diuinæ contemplationis commutabitur, implebunturque omnes hydriæ vsque ad summum. Omnes enim implebuntur in bonis domus Domini: cùm ille desiderabiles nuptiæ sponsi, id est, Christi, & sponsæ, id est, vniuersalis Ecclesiæ, celebrabuntur. Bibetúrque in summa lætitia cordis omnium clamantium Domino, & dicentium: Tu bonum vinum seruasti vsque adhuc. Nos autem dicimus hanc lætitiam per cibum significari, cùm scriptum sit: Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Licet expositio præcedentis auctoritatis etiam in hac possit locum obtinere. Si vero asserat aliquis indignum fore, vt tanta vitis tantum laborata, & laborans vnum tantùm botrum produxerit, potest si vult ea, quæ nos grana appellamus, botros appellare, & singulis aliquam granorum multitudinem adiungere. Veruntamen non irrationabiliter in præsenti botros vi

tros vitis annumeratos inueniemus, si omnes Ecclesias, omnia monasteria, omnes congregationes quæ in vniuersa Ecclesia sunt, volumus intueri. Hos enim botros quis produxit, nisi vitis nostra? Nam & Christus & Ecclesia vitis vna sunt: sicut vnũ corpus singulę congregationes, singuli botri, grana vero singularitatẽ exprimunt personarum, & non inconuenienter, vt mihi videtur. Nam per exteriorem folliculum grani siue vuæ corpus exprimitur, per nucleos ossa, per liquorem anima figuratur, vel sanguis qui est sedes animæ. In morte hominis anima à corpore tanquam vinum de acino exprimitur: & si dignum fuerit, in regale defertur cellarium paradisi cælestis, vt gaudium fiat Regi cælesti, & conuiuis suis beatis qui ad nuptias agni vocari sunt, & peruenerũt. Bibit enim & ipse sponsus vinum proprium de vite sua & vinea sua, Ecclesia scilicet, cuius & ipse caput est. Bibet & ipse sanguinem vuarum meracissimum, scilicet animas Sanctorum expressas, & separatas ab acinis in torculari crucis, in labore & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis, & aliis exercitiis spiritualibus. Bibet has, id est, sibi delectabiliter incorporabit faciẽs, vt vnus spiritus secum effecti, cum ipso & in ipso à cunctis de cætero laboribus requiescant. Timeant & caueant sibi illa putrida grana, fratres falsos peruersos Christianos dico, qui in se vinum non continent, sed venenum; qui in torculari crucis premi nolunt, & in labore hominum non sunt. Caueant inquam, dum tempus est, ne porcis, id est, diabolis deuorandi projiciãtur: quia in cellaria regia nõ nisi per torcular crucis iter est. Restabat nobis dicere de secundis floribus vitis nostræ, & de fructibus illorum secundum quod scriptum est: Et refloruit caro mea, quod de resurrectione dici nullus est qui ambigat; cuius fructus erit gloria resurrectionis secundæ. Sed nos magis legentem volentes scientem relinquere, quàm fastidientem: hîc huic sermoni terminum imponimus, parati emẽdare, demere, & mutare sicubi contra fidem, & contra sacras Scripturas aliquid diximus, in omnibus gratias humiliter agentes ei, qui gratuita gratia sua nos edocuit, qui aperit os mutorum, & linguas infantiũ disertas facit, nomini cuius nouum principium opusculi huius finémque consecramus optimo & dulcissimo Iesu, Amen.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex comment. in Ioan.

EGo sum vitis vera, &c. Iste locus euangelicus, fratres, vbi se dicit dominus vitem, & discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput ecclesiæ, nosque membra eius, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis, & palmites. Propter quod cum esset Deus, cuius naturæ non sumus factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possimus. Quid est ergo; *Ego sum vitis vera?* nunquid vt adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cum dicit, *Ego sum vitis vera*, ab illa se vtique discernit, cui dicitur; Quomodo cõuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est vt faceret vuam, fecit autem spinas? *Ego sum*, inquit, *vitis vera, Et pater meus agricola est, &c.* Nunquid vnum sunt agricola, & vitis? Secundum hoc ergo vitis Christus, secundum quod ait, pater maior me est. Secundum id autem quod ait; Ego, & pater vnum sumus, & ipse agricola est. Nec talis, quales sunt, qui extrinsecus operando exhibent ministerium, sed talis, vt det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et vtique Deus est Christus, quia Deus erat verbum: vnde ipse & pater vnum sunt: & si verbum caro factum est quod non erat, manet quod erat. Denique cum de patre tanquam de agricola dixisset quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget, vt plus afferant fructum: continuò etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens, *Iam vos*, inquit, *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Ecce & ipse mundator est palmitum quod est agricolæ non vitis officium: qui etiam palmites operarios suos fecit. Nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adiumentum: sed non de suo: quia sine me, inquit nihil potestis facere. Mundi scilicet, atque mundandi. Neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent: & tamen omnem palmitem, qui fert fructum, purgat agricola, vt fructum plus afferat. Fert fructum, quia mundus est: atque vt plus afferat, purgatur adhuc. Quis est enim in hac vita sic mundus, vt non sit magis, magisque mundandus, vbi si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet vtique mundos, hoc est, fructuosos, vt tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Quare non ait; Mundi estis propter baptismum, quo abluti estis, sed ait; *Propter verbum, quod locutus sum vobis?* nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam de hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit; Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mũdus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prędicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde & in Actibus Apostolorum legitur; Fide mundans corda eorum: & in epistola sua beatus Petrus; Sic & vos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prędicamus: quo sine dubio, vt mundare possit, consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis,

Hier. 2. Esai. 5.

1. Cor. 3.

Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

cum patre agricola, dilexit ecclesiã,& semetipsum
Ephes. 5. tradidit pro ea. Lege Apostolum,& vide quid adiungat; Vt eam sanctificaret, inquit, mũdans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo,& labili tribueretur elemẽto, nisi adderetur, in verbo. *Manete, inquit, in me, & ego in vobis.* Nõ quomodo illi in ipso, sic ipse in illis: vtrũque enim prodest, non ipsi, sed illis. Ita sunt quippe in vite palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiant vnde viuant. Ita vero vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentẽ in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrunque, non Christo, nam præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice nõ potest viuere. Denique adiungit & dicit; *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c.* Magna gratiæ commendatio, fratres mei. Corda illustrauit humilium, ora obstruit superborum. Siue ergo parum siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest: quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola, vt plus afferat: tamẽnisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. *Si quis in me, inquit, non manserit, mittetur foras sicut palmes, &c.* Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora, si in vite non manserint quanto gloriosiora, si manserint. Deni-
Ezech. 15. que sicut de his etiã per Ezechielem prophetam dominus dicit, præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum è duobus palmiti congruit, aut viti, aut ignis: si in vite non est, in igne erit. Vt ergo in igne non sit, in vite sit. *Si manseritis in me, inquit, & verba mea, &c.* Manẽdo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manẽdo in saluatore, nisi quod non alienum est à salute? Aliud quippe volumus quia sumus in Christo, & aliud volumus, quia sumus adhuc in hoc seculo. De mansione namque huius seculi nobis aliquando subrepit vt hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus: sed absit, vt fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quãdo petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, eum verba eius in nobis manent, quodcunque voluerimus petimus, & fiet nobis: quia si petimus, & nõ fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba eius, quæ manẽt in nobis, sed quod habet cupiditas, & infirmitas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent verba eius, nam vtique ad verba eius pertinet oratio illa, quam docuit, vbi dicimus; Pater
Matth. 6. noster, qui es in cælis, ab huius orationis verbis & sensibus nõ recedamus in petitionibus nostris: & quicquid petimus, fiet nobis. Tunc enim dicenda sunt verba eius in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. In his verba Christi non manent, qui tangunt quodammodo, non cohærent: & ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium: & q̃nia sic insunt in eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, vt iudicentur ex eis.

EVSEBII EPISCOPI

Emisseni in superius Euang. Homil.

Ego sum vitis vera, &c. Ecce vitis vocatur Christus, & vitis vera. Sed quarè vitis, & quarè vera? Vitis enim vocatur, quia vinum fert. Omnia enim hæc euãgeliorum verba vinum sunt, & non qualecunque sed optimum vinum, non de alia, nisi de hac vite vindemiatum & expressum. Inde est enim, quòd in suæ prædicationis initio, aquas Dominus conuertit in vinum: qua ientis noua vi- Ioan. 4.
tis nouum vinum funderet, quo illas nuptias & architriclinum inebriaret. Dicitur enim & vitis vera, fortasse ad illius vitis distinctionem, quæ pro vuis labruscas, & pro vino dedit acetum. Huius vinum dulce sempérque suaue: huius verba semper vera & nullius falsitatis admistione corrupta. Dicat ergo: *Ego sum vitis vera, & pater, meus* Esa. 5.
agricola est. Sed quid facit iste agricola? Vis audire quid? *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, &c.* Quot sunt Christiani, tot sunt & palmites huius vitis. Alij quidem boni, alij autem mali. Et boni quidem fructiferi, mali autem infructuosi. Tolluntur infructuosi & incenduntur, fructiferi verò purgantur, & gladio spiritus amputantur, vt fructum plus afferant. Gladius spiri- Ephes. 5.
tus, est verbum Dei, & iste sermo sancti euangelij, de quo subditur: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Audis igitur, quòd sermo Dei gladius est & ferramentum, quo ab omni noxia superfluitate isti & mundati & purgati sunt. Primi enim palmites huius vitis, fuerunt apostoli, quibus modò Dominus ait: *Manete in me, & ego in vobis.* Et quarè maneaor, reddit causam. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c.* Dominus exponit, qualiter eius verba intelligere debeamus. Siccatur enim palmes, si à vite separetur, quoniam humorem totámque vitam habet in vite. Iam & Christianus, si à Christo separetur, moritur: quia separatur à vita. *Qui manet in me, & ego in eo, hic affert fructum multum.* Ille, inquit, affert Ioan 14.
fructum multũ, qui manet in me, & quasi membrum adhæret mihi, & in quo ego maneo: qui sapientia sum & veritas & vita. Ideò enim Apostoli tantum fructum de suæ prædicationis semine attulerunt, quia ab eius fide & dilectione nullatenus separari potuerũt. Insuper & Dominus ipse in eis erat, qui eorum semini incrementum dabat. Nam, vt Apostolus ait: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat 1. Cor. 3.
Deus. Vnde & subditur: *Quia sine me nihil potestis facere, &c.* Qui enim in Christi fide non manet, de Ecclesia & sanctorum collegio foras eiicitur, arescit & moritur, à malignis spiritibus rapitur, in ignem æternum & inextinguibilem mittitur, & ibi sine fine cruciatur & ardet. *Si manseritis in me, &c.* Beati igitur, qui manent in Christo, & in quibus manent verba Christi. Illi autem manent in Christo, qui neque amore neque timore, qui neque minis neque blanditiis, qui ab eius dilectione, ab eius fide & amplexibus, nulla ratione separari valent. Taliter quidẽ Apostolus in Chri- Rom. 8.
sto manebat, qui de seipso scribẽs, ait: Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque tribulatio, vel angustia, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit me separare

à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Manent autē in eis verba Christi, qui eius præcepta mente tenent, corde credunt, & nunquā eorum obliviscuntur. Præceptum namque Domini est. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete, qui potest animā & corpus perdere in gehennam. Præceptum Domini est: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me. Præceptum Domini est: Si quis venit ad me, & nō odit patrem suum, & matrem, & vxorē, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Hæc igitur & similia sunt illa verba, de quibus modò Dominus ait: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Magna promissio est, magnum & incomparabile donum. Qui manent in Christo, & in quibus manēt verba Christi, petant quod volunt, & fiet eis. Si enim voluerint malè, & malè petierint, iam nec ipsi manent in Christo, nec in ipsis manent verba Christi. Recordentur igitur verborum Christi, immò non recordentur, sed firmiter teneāt, semperque in memoria habeant, & sic petant, sicut verba Christi petere docent. Quærant igitur primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur eis. Petant in fide nihil hæsitantes, & ea petant, quæ ad salutem pertinent, & quæ Dei dispositioni, & verbis euangelicis non sint contraria. Sed hæc specialiter dicuntur Apostolis, quorum sanctas petitiones semper & vbiq; dominus exaudiuit. Rogauit enim Apostolus dominum, & ter rogauit, séque benè à Domino exauditum intellexit, postquàm se contra seipsum petisse cognouit. Exauditur enim homo, si fiat, quod vult, factum est autem quod Apostolus voluit: quia postquàm suam petitionem contra seipsum esse cognouit, iam exaudiri noluit. Vnde & ait: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Nam neque hic simpliciter dicitur, Quodcunque petetis, sed, Quodcūque volueritis, petetis & fiet vobis. *In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, &c.* In hoc, inquit, & propter hoc, me reuelante & docente, pater meus manifestatus & clarificatus est vobis, vt vos quoque vbique prædicando & clarificando, fructum plurimum afferatis, & multas gentes ad eum conuertatis, efficiamini mei discipuli, me imitando nō solùm vita & doctrina, verumetiam in miraculorum operatione. Verè enim illi discipuli sunt, qui magistrum per omnia imitantur. Vnde & Dominus alibi ait: Qui credunt in me, opera quæ ego facio, & ipsi faciēt: & horum quidem non solum minora, verumetiam quæ maiora sunt, facient. Sic enim se habet ordo & intelligentia. Sequitur: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea, &c.* Multum enim debet diligere, qui multùm diligitur. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, &c.* In illis est gaudium Christi qui tale gaudium habent, quale habet Christus, siue de quorum conuersatione sancta gaudet Christus. Plenum igitur gaudium habent, siquidem in tali gaudio mœror & tristitia esse non potest.

Matth.10. Matth.16. Luc.14. Matth.6. 2.Cor.12. Ibid.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioru Euang. expositio.

EGo sum vitis vera, & pater meus agricola est, &c. Quoniam sępius de passione locutus, illorum animos concussit, & intellexit eos formidare tanquam breui capiendos, & præ multo timore neque dictis attendentes, fingit se illos in locum occultum abducturos, in quo non sint capiendi. Et exurgit sane à loco, in quo erat, vt, perturbationibus animarum eorū sedatis, traderet eis dogmata magis mystica. Abducit autem eos, vt posthac docebimus, in hortum, quem Iudas sciebat. Atque vt apparet, secessus erat negocium, res autem ipsa expositio voluntaria in talem locum secedentis quem Iudas sciebat. Quid igitur mysticum illis tradit? *Ego sum*, inquit, *vitis*, hoc est radix, *vos autem palmites*, at *pater meus agricola est.* Circa quod autem occupatus est pater; nunquid circa radices? non, inquit, sed circa palmites. *Omnem enim palmitem*, inquit, *non afferentem fructum, tollit eum*, hoc est, omnem hominem qui per fidem factus est pars radicis, & vnitus Domino, & incorporatus ei, oportet & fructum afferre, hoc est, vitam habere virtutibus præditā. Quòd si quidem solam, ac nudam confessionem fidei quis habeat, & non per obseruationem mandatorum fructum ferat, mortuus palmes fit. Fides enim absque operibus mortua est. Omnis igitur fidelis in Christo quidem esse videtur, quatenus credit. *Omnis enim palmes*, inquit, *qui est in me*, si non attulerit fructū, tollit eum pater, hoc est, ponit extra communionem cum filio: eum autem qui fructificat, purgat. Hic autem discimus, quòd & si valde virtute quis præditus sit, indiget tamen vt à Deo curetur. Nam quod infructuosum, neque in vite poterit esse: quod autem fructum fert, fertilius facit pater. Considera autem, quòd propter afflictiones discipulorum hæc dicantur esse quasi putationes, vt vocant, rusticæ: nam ostendit eis dominus, quòd per afflictiones fertiliores erunt, sicut & per putationem palmites. Tentationes enim eos fortiores declarabant. Dein ne dicant, de quibus hæc dicis? *Vos*, inquit, *estis mundi propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Vnde superius dicebat purgare patrem, nūc iterum se inducit curam agentem. Vna enim operatio patris, & filij. Ego, inquit, vos purgabo per meam doctrinam, debetis itaque, quod vestrum est, indicare: ideo & subdit: *Manete in me, &c.* Ego quidem, inquit, vos purgaui per sermonem meū, & doctrinam, & nihil, quod ego facere debui, prętermissum est. Oportet autem nunc vt incipiantur & ea, quæ à vobis sunt. *Manete* enim, inquit, *in me.* Nam, ne præ timore separentur ab eo, remissas ipsorum animas constringit, & sibi iungit, & meliorem nunc eis spem dat. Quæcunque petieritis, si manseritis in me, accipietis: ab exemplo vitis clare nobis qualitatem, & vitam eorum commendans, quæ dantur à se his qui sibi placent. Nā sicut ille manens in vite, fructum facit, eò quòd ab illa viuendi operationem accipit: ita & vos, si manseritis in me per obseruationem mandatorū, maiorem fructum afferetis. Qui autem nō manet, aridus fit, hoc est, abijcit quod à fide habuit. Si quod spirituale beneficium accipiebat, priuatur eo, & nudatur auxilio, & vita, quæ ab eo datur. Et quid

Non sola fides saluat. Iacob.2. *Nemo quantumuis plene virtutibus praeditus non indiget gratia Dei, contra Pelagianos.* *Nostra industria diuinam gratiam adiuuare debet.*

quid tandem; *In ignem mittitur, & ardet*, hoc autem loco & consolationem eis non paruam dat, ostendens quod ij, qui insidiantur sibi, vt Iudas, comburantur, ipsi autem qui mãserint in eo, fructum afferent. Nam absque succo, & viuificatione, quæ inde procedit, non poterant quicquam facere. *Si manseritis in me, &c.* hoc loco interpretatur nobis Dominus, quid sit, quod dixit, *Si manseritis in me*, hoc est si mandata mea custodieritis: hoc enim significat, *verba mea manserint in vobis*. Vult enim vt sibi per opera adhæreatur. Nam, quicunque Deo placere cupiens viuit, voluntate sua manet in me, quum vnitur illi per dilectionem, & seruationem mandatorum, adhæretque spiritu: sicut contra, qui à mandatorum obseruatione absistit, sponte a Domino alienatur.

EVTHYMII ZIGABONI

superiorũ Euang. expositio.

EGo sum vitis vera. Id est eximia, incorruptibilis, spiritualis: siquidem hæc frequenter significat nomen ἀληθινή. Aliter quoque dicitur Vitis vera: quia pro fructu profert veritatem. Seipsum itaque vitem nominat, vtpote præbentem dulcedinem, ac humani cordis lætitiam, ipsam videlicet prędicationem, quam etiam scriptura vinum appellat, & tanquam radicem discipulorum: palmites verò discipulos, quasi ex ipso germinantes, sermone doctrinæ, & per eum nutritos ad fructificationem maturorum botrorum, siue virtutum, vt & ipsi similiter præbeant vinum doctrinæ. *Et pater meus agricola est.* Curator, non tamen radicis, sed palmitum. Vere hæc vitis eximia est, in qua de solis palmitibus curam habere oportet: patri autem curam eorum attribuit tanquam Deo, ostendens, quòd iis, qui fructificant, auxilio est, eósque punit, qui fructum non ferunt. *Omnem in me palmitem non ferentem fructum tollit.* Omnem palmitem, qui ex me germinauit, mihique per fidem vnitus est, nec fructum affert, excidit tanquam inutilem, ac dignum igne. Omnis itaque Christianus, qui infructuosus est, à Christo excisus est, quanquam per fidem illi coniunctus esse videatur, & æterno igni reseruatus est. *Et omnem, qui fert fructum, purgat, vt fructum adferat copiosiorem.* Purgat eum per tẽtationes, permittens vt in eum inducantur, illæ namque, quod damnum adfert, expoliunt, ac omne robur, maioremque virtutũ fertilitatem accersunt. Ne autem aliquos ex ipsis infructuosos esse suspicentur, atque de seipsis iterum turbentur, huiusmodi præuenit tumultum, dicens; *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Purgati meo, quo vos docui, sermone. Vides quòd, licet vitis sit, est tamen etiam agricola: est enim hęc agricultura communis patri, ac filio, veluti sane & alia. Ne autem præ nimia formidine exciderent à fide, ac habitu, quo erga se affecti erant, laxatam iam animam astringit, sibique conglutinat, dicẽs; *Manete in me, & ego in vobis.* Manete in me, firmiter mihi conglutinati per fidem indubitatam, habitumque indissolubilem, & ego manebo in vobis, potentia vobiscum permanens, vosque amplectens, aut continens vos sicut vitis palmites, ac fructiferos reddens. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c.* Neque vos fructificare potestis, si a mei coniunctione distrahamini. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Explanat parabolam. Et considera quomodo dixerit. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Nam frequenter manet quis coniunctus in Christo per fidem, non manet autem Christus in eo, auersans illum tanquam indigne se gerentem: hic fert quidem fructum, at modicum: vnum, aut alterum opus bonum obiter perficiens. Videmus autem & in vineis huiusmodi palmites, qui, dum illis non gaudent vineæ, miserabiles quosdam ferunt racemulos. *Quia sine me nihil potestis facere.* Tãquam germina, quæ virtute à radice procedente, non fruuntur. Quum autem superius dixerit, Non potestis ferre fructum, nisi in me manseritis, nunc etiam periculum dicit eius, qui in se non mãserit. *Nisi quis in me manserit, eycietur foras sicut palmes.* Tanquam sarmentum inutile. *Et exarescet.* Et perdet, quem habebat ex radice gratiæ humorem. *Et colligent eos.* Et congregabunt angeli huiusmodi sarmenta in die iudicij. *Et in ignem conycient.* Gehennę. *Et ardebunt.* Inflammabuntur, non tamen cõburentur. Nõ manẽtes autem in se, dicit non eos solũ, qui ab illo sunt amputati, aut abscissi, sed & illos, qui nõ firmiter cũ eo copulantur. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, &c.* Nihil enim indignũ petet, qui in Dei pręceptis versatur. Cõsidera verò hoc esse Christum in discipulis manere, verba eius in illis manere siue seruari, aut opere perfici.

Christianus … solùm fide, sine operibus bonis, … tur.

Videt fieri posse vt quis sit Deo coniunctus per fidẽ & disiunctus ratione charitatis.



IN COMMVNI VNIVS MARTYRIS.



S. IOANNIS CHRYSOSTOMI *Episcopi Constant. in superiori festo Sermo. Est vero pars maxima Sermonis eiusdem Chrysostomi de Pentecoste.*

PERAGRARVNT à Domino missi Apostoli orbem terrarum, & infirmũ eum inuenientes, ad sanitatem reduxerunt: & in ruina positum, ad stabilitatem renouauerunt: non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Et erant nudi quidem sæculo, sed induti Christo: pauperes, sed diuites: pecunia indigentes; sed regnum cælorum possidentes: non humana solatia
Matth.28. habentes, habentes autem Dominum suum. Ego, inquit, vobiscũ sum omnibus diebus, vsq; ad cõsummationem sæculi. Peragrarunt vniuersum orbem terrarum, oues simul cum lupis. Quis vidit?
Matth.10. Quis audiuit? Dicit: Mittam vos vt oues in medio luporum. Quis vnquam pastor oues mittit in medio luporum? sed magis si viderit lupos, congregat oues. At verò Christus cõtraria fecit. Oues ad lupos direxit, & vulneratæ à bestiis non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem sunt conuersi. Et vt ne dicerent illi, Oues sumus, & mittis nos in escam luporum, timorem illorum vno sermone abstulit. Non dixit; Ite: nec enim eorum virtute mittebat eos: sed, Ecce, inquit, ego mitto vos. Infirmi quidem vos, sed qui mittit, potens est. Quis es tu? Ego sum, qui cælum extendi, qui terram fundaui, qui mare infrenaui, qui mortem dissolui, qui chirographum quod contra vos erat, cruci affixi, qui veterem legem immutaui, qui vos ad pristinam patriam reuocaui, qui fortia dissoluo, & dissoluta consorto. Quid mari fortius? Sed parua arena intolerabilem illius impetum retundit & continet. Ecce (inquit) ego mitto vos, qui mortis & vitæ habeo potestatem, qui de cælo descendi. Ecce ego mitto vos, quasi oues in medio luporum. Tanquàm muros quidam bestiæ fiebant ouibus, vt nec fuga conseruarent salutem circumuallati vndique. O virtus mittentis in medio luporum oues. In circuitu lupi, & mutati sunt lupi, & facti sunt oues. Nec enim natura, sed voluntate lupi erant. Ecce ego mitto vos. Quid ergo nobis præcipis? Estote prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbæ. Serpens & si millies vulneretur, caput autem suum saluet, totus est sanus. Sic & tu, si pecuniam aduersarius tollere vult, libens cede. Et si omnes facultates auferre conatur, dimitte. Et si ipsam temporalem vitam tuam extorquere cupit, ne resistas. Tantummodo fidei tuæ simplicitatem custodi. Illa illæsa manente, vniuersa ingruentia mala facillima erunt. Nudus existi de Eccles.
ventre matris tuæ, nudus & ibis. Sed forsitan in exilium mitteris. Tu dicito: Domini est terra & Psal.23.
plenitudo eius. Sed forsitan mors occupabit. Non est timenda, quia transitus est. Tantummodò fidem serua, thesaurum indeficientem, diuitias sempiternas. Horum quæ dico, beati martyres testes sunt, qui fidem non perdiderunt, & post excessum de corpore fortiores sunt viuis. Propterea, inquit, homo factus sum, propterea carnem indui, vt orbem vniuersum saluarẽ. Multùm enim Deo chara est Ecclesia, non muris circundata, sed fide circunsepta. Propter Ecclesiam nanque extensum est cælum, diffusum est mare, distentus est aër, terra fundata est, paradisus plan- Exod.14.
tatus, & mirabilia multa facta sunt. Pelagus scindebatur, & iterum consuebatur. Petra findeba- Exod.
tur, & iterum iungebatur. Manna pluebat de cælo, & tanquàm pruinosa apponebatur mẽsa. Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiã apostoli. Et quid plura dicam? Propter Ecclesiam vnigenitus filius Dei, homo factus est, sicut dicit Rom.
Paulus: Qui proprio filio suo non pepercit, vt Ecclesiæ mederetur, sanguinem filij fudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam: & ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius. Non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme autem amittat. Non tenetur temporum qualitate, sed spiritus eam sancti gubernat gratia. Et ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur. Quanti enim ab initio impugnauerunt Ecclesiam, cùm fidei semina iacerentur, & arma contra eam commota sunt? Sed quãto magis impugnabatur, tanto clarior reddebatur. Sed nunc quidem propter Dei gratiam, & reges, & duces & milites, ac vniuersus orbis fide repletus est. Nam in principio, & (vt ita dicam) in cunabulis Ecclesiæ, reges fuere impij, duces insani, populus seditioni deditus. Edicta iudicum vbique dabantur, aræ incendebantur dæmonibus, fumus & odor pessimus ipsum maculabat aërem: Terra coinquinabatur sanguine, dæmones debacchabantur, diabolus dominabatur: Pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrẽ. Natura quidem scindebatur, sed pietas non diuidebatur. Vbi sunt nunc, qui audebant Ecclesiæ contraire? Quando nouella erat, in nullo potuit lædi: & nunc quando vsque ad cælum peruenit, æstimas eam posse superari? Et tunc quidem cùm vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc quando terra & mare & orbis terrarum,

tarum,& inhabitabiles regiones, & ciuitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? Sed non poteris. Christus enim Matth.16. propter eam passus est, portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Faciliùs cælum exterminari potest, & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. Quis est, qui hæc dicit? Ipse Christus lo- Matth.24. quitur: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Bene: Verbum enim Dei ipso cælo validius est, quia cælum opus verbi est. Gen.1. Dixit quippe Deus: Fiat cælum, & verbum in opus apparuit. Currebant naturæ & nemo impediebat, quia naturæ Dominus imperabat, qui facere & immutare potest. Ego eam ædificani, qui cælum statui. Sed propter cælum nō fudi sanguinem, propter cælum crucifixus nō sum, nec propter cælum cæleste corpus accepi. Et quid dicam cæli? Angelorum corpus non assumpsi, vt discas quoniam cælo & angelis & omni creatura honorabilior Ecclesia est. Ideo cælum & terra transibunt, verba autē mea nō præteribunt. Assit gentilis, assit Iudæus: Si hæc inania sunt verba, redarguant. Si autem veritas est quæ dicta sunt, adorēt virtutem Dei. Dicit Christus: Cælū & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Faciliùs est cælum præterire, & terram deuorari, quam verba mea excidere. Quæ autem sint verba, adducamus in medium, videamus ne fortè intercidetint. Non dubitans dico, sed hæreticos obcludo. Matth.16. Quæ ergo sunt verba? Cælum & terra transibunt, verba autem mea nō præteribunt. Qui sermones? Quę verba? Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non pręualebunt aduersus eam. Super hanc petram, non dixit, super Petrum. Non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus filius Dei viui. Petram vocauit Ecclesiam suscipientem fluctus, & non titubātem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super petram? Hoc est, super confessionem Petri, super sermones pietatis. Sed fortitan interrogabis, vtrùm hęc ędificatio suscipiat lapides aut ligna, aut ferrum? Non inquit: Nec enim est sensibilis ædificatio. Quòd si talis esset, dissolueretur tempore. Confessionem autem pietatis, neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies. Paries effoditur, & thesaurus non aufertur. Caro scinditur, & fides non rumpitur. Talis quippe est martyrum virtus. Etenim super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Attendite diligentiùs verbo: Portas inferi, pericula vocat quę mortem pariunt. Quid ergo? In inferno intrauit quisque, quando periclitatur? Etiam. Sicut enim portæ introitus ciuitatum sunt, sic pericula introitus mortis sunt. Et cur, inquit, non prohibet tentationes? Vt ostendat virtutem eius. Si nemo eam impugnare posset, dicere poterant: Quoniā si impugnaretur, vtique vinceretur. Proptereà permitto eam impugnari, vt non imbecillitas impugnantium, sed fides victoriæ imputetur. Et portæ inferi, non dixit, non appropiabunt ei, sed non præualebunt aduersus eam. Quid ergo? Impugnabitur quidem, non tamen vinci poterit. Tempestates suscipit Ecclesia, sed nō demergitur. Iacula in eam mittuntur, sed non perforatur. Machinamenta præparantur, sed turbis non eliditur. Et quid dico Ecclesiam? Vnum sermonem locutus est piscator, & sicut turris immobilis perseuerat. Tu es (inquit) Christus filius Dei Matth.16. viui. Quanti tyranni verbum hoc delere conatī sunt, sed non potuerunt? Supra petram enim fundatum erat. Considera tyrannos, reges, diademata, gladios acutos, bestiarum dentes mortem minantes, caminos, sartagines, ferreas manus & vncos, & omnia machinamenta parata. Et pharetram quidem suam euacuauit diabolus, sed nihil læsit Ecclesiam, portæ enim inferi non præualebunt aduersus eam. Testatur res ipsa, testatur eorum quæ fiunt astipulatio: Quanti impugnarunt & nemo præualuit? Et impugnatores quidem taciturnitati & obliuioni sunt dati, Ecclesia autem quotidie virtutibus augmētatur. Vbi nunc Claudius? vbi Augustus? vbi Nero? vbi Tiberius? Nomina sunt nuda, eorum autem nemo, nec vlla eorum mentio. Et quia Ecclesiam impugnarunt, ideo & memoriam perdiderunt: Ecclesia autem clarior resplendet. Vbicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, vsque ad vltimos terrarum fines, inuenies, In principio erat verbum, Ioan.1. & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum & vniuersa religione plena. Ante hoc enim vniuersa erant impietate repleta. Nunc autem non solùm ciuitates religione florent & fide Christi, sed etiā eremus in nomine domini gloriatur. Anteà namque & reginæ in conuiuiis virorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus; nunc Marc.6. verò vix famula dignatur hoc facere. Antiquitus gentis Persarum filij parentibus sociabantur connubio, & soror fratri iungebatur impunè: nunc verò virginitatem appetunt. Ante hoc autem erat quædam gens, quę humanis vescebatur carnibus: nunc ieiuniis reficiunt animam suam. Massagetæ & Berbuces miseros putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectutem venerint iugulatos deuorant, rectiùs esse dicentes, vt à se potius quam à vermibus consumantur. Nunc vero post passionem Christi & resurrectionem eius, abstinentia & castitate deuote militant Christo, & prope omnes gentes paratæ sunt pro nomine Domini fundere sanguinem suum. Ante hoc impij & persecutores erant reges, nunc verò ad cælum proferunt pietatem, & ingredientes limina ecclesiæ, deponunt coronam, & crucem Christi in suis depingunt frontibus. Foris arma, hic mysteria. Foris scuta, hic sacra mentorum celebratio. Theodosius pater, & filius Theodosij, religione ac pietate insignes. Ideoque pro his omnibus gratias agamus Domino per Christum Iesum Dominum nostrū, cui est gloria & potestas cum spiritu sancto, per immortalia secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponensis in eodem festo, Homilia.*

TRiumphalis beati Martyris N. dies hodie Ser.44.de Sanct. nobis anniuersaria celebritate recurrit, cuius glorificationi sicut congaudet ecclesia, sic eius proponit sequenda vestigia, Si enim compatimur, & cōglorificabimur. In cuius glorioso agone duo Rom.8.

nobis præcipue consideranda sunt, indurata videlicet tortoris sæuicia, & martyris inuicta patientia. Sæuicia tortoris, vt eam detestemur, Patientia
Psal.36. martyris, vt eam imitemur. Audi Psalmistam aduersus maliciam increpantem, Noli æmulari in malignantibus, quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Quod autem aduersus malignan-
Heb.10. tes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem, Patientia vobis necessaria est, vt reportetis promissiones. Coronata itaque est beati martyris patientia, mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malicia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui tolerauit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit, & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia,
Rom.8. tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante apostolo biberat alte retinebat, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc, & leue nostræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cælis, huius promissionis amore à terrenis suspensus, &
Psal.72. prægustata supernæ suauitatis dulcedine ineffabiliter affectus: dicebat cum Psalmista, Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Cõtemplabatur enim quãtum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ ciuitatis gaudia, & ea enarrare nõ sufficiẽs, admirando clamabat, Quid mihi est in cęlo? Quasi diceret, Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo,
Philip.3. quæ nobis à conturbatione hominum remotis in abscondito faciei suę, Iesus Christus dominus noster reformauit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Huius perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat suppliciũ: & si millies posset mori, non putabat se hanc digne posse aliqua ratione promereri. Patienter enim permittunt ægroti se à medicis secari, vri, & variis amaritudinum confectionibus anxiari, vt temporali tandem restituantur sanitati: Quantomagis vir beatus longanimiter tolerauit omnem acerbitatem tormẽtorum temporalium, vt coronaretur in mi-
Psal.102. sericordia, & miserationibus, & in bonis satiaretur desiderium suum? In torculari itaque conculcari voluit, vt tanquam vua matura in vinum deficeret, & vinum malorum granatorum dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ ebriatæ sciunt viriliter conculcare, & ad æterna irretortis oculis anhelare. Qui ergo in tyrocinio suo mundanas contempsit diuitias, qui corporales etiam refrænauit illecebras, qui in prouectu militiæ suæ multas est perpessus iniurias, in perfectione sacrificij nil sibi reseruans, seipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem preciosum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectionis sibi prius ab in-
Eccl.31. uitatore suo videat oppositum. Cuius mors quantumcunque videatur in conspectu reproborum despicabilis, in oculis tamen eius est preciosa, qui in sanctis suis est mirabilis. Ipse enim primo vocauit militem suum, ipse iustificauit, ipse magnificauit, ipse dedit ei pugnare, ipse dedit & vincere. Longe est dissimilis hæc militia mundanę militię,
in qua victores existimantur, qui, quod male desi- Prou.2.
derant, assequuntur, qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. In Christiano ergo agone manifesta est pœna, occulta victoria, secundũ quod ex persona martyrum clamat Psalmista, Deus, tu repulisti nos, & non exibis in exer-
citibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatio- Psal.59.
ne, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, tanquam si dicerent, Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est. Foris despecti, intus
dilecti. Hinc est, quod ecclesia in pressuris posita Ioan.16.
infirmiora membra sua confortat, dicens, In mundo pressuram habebitis, sed nolite timere, pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quo modo
vicit mundum? Factus est obediens patri vsque ad Philip.2.
mortem. Quid autem de morte? Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Quo modo vicit Christus, vincere appetat Christianus, vt vbi est Christus, esse mereatur & Christianus: audi Christianæ mi-
litiæ persecutor ipsum Christum pro militibus Ioan.1
suis sic orantem. Volo, pater, vt, vbi ego sum, illic sit & minister meus.

PETRI CHRYSOLOGI
Episcopi Rauenens. in eodem festo, Serm. 1.

Meritò Sãctus iste N. martyr, quia iuxta man- Serm.128
datum Dei sui hic perdidit animam suam, eam inuenit in vitam sempiternam. Beatus quĩ ita cursum consummauit, fidem seruauit, vt verè primus à credentibus suo reperiretur in loco, Nec eum quisquam confessoris vocabulo minorem
credat esse, quam martyrem, quem Dei nutu quo- 1.Cor.1
tidianum, & multiplicem reuersum conspicit ad agonem. Audi Paulum dicentem, Quotidiè morior. Semel mori parum est eum, qui potest regi suo gloriosam sępe de hostibus referre victoriam. Non tam mors quam fides & deuotio martyrem facit: & sicut virtutis est in acie, in conflictu, pro re amore succumbere, ita perfectæ virtutis est diu agere & consummare certamina. Non ideo persecutus est martyrem: quia non intulit mortem, sed probauit martyrem: quia nõ eluenit fidẽ, iniecit tela quæ potuit, & omnia armorum suorũ genera callidus exegit inimicus: nec tamen fortissimi doctoris mouere mentem potuit, aut temerare constantiã. Summũ est fratres pro domino pręsentem vitam si necesse sit contemnere, sed gloriosum est etiam cum vita mundum sub temnere & conculcare cum principe. Festinabat Christus
ad martyrẽ, martyr suum festinabat ad regem. Be- Psal.18.
ne diximus festinabat, iuxta illud prophetę, Exurge in occursum mihi, & vide. Sed vt propugnatorẽ suum sibi ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit, vt vincenti iustitiæ reseruaret coronã, & sibi belli tempore prœliatoris sui præsentiam condonaret. Fundebat sæpe confessus sanguinem suum, suisque vulneribus fide mentis suæ testabatur auctorem. Cælum suscipiens, carnem despiciebat & terram. Vicit tamen, tenuit, & à suo desiderio retardari martyrem tenera adhuc Ecclesiæ impetrauit infantia. Infantiam dico fratres, quæ totum semper obtinet, quæ plus lachrymis, quam virium ratione contendit. Neque enim tantum vultus & sudor fortium, quantum pos-
sunt

funt lachrymæ paruulorum: quia ibi corpora, hic corda franguntur: ibi mentis iudicia vix mouentur, hic tota pietas inclinata descendit. Et quid plura fratres? Egit, egit ecclesia sancta mater, vt nusquam a suo separaretur antistite. Ecce viuit, ecce vt bonus pastor suo medius assistit in grege: nec vnquam separatur spiritu, qui corpore præcessit ad tempus, præcessit dico habitu: cæterum ipsa inter nos corporis sui habitatione quiescit. Extinctus est diabolus, persecutor occubuit: ecce regnat & viuit, qui pro rege suo desiderauit occidi, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia sæculorum sæcula.

EIVSDEM DE EODEM *Sermo 2.*

Eus. ser. 129. QVoniam hodie Deo in natali sancti N. Martyris cōuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit, & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum: ideo exultate nos conuenit & lætari. Natalem ergo Sanctorum cùm auditis charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas: de mundanis risibus ad coronam & gloriam. Tales natales dignè martyrum celebrantur. Cùm ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare, charissime, quod in solis prandiis, & profusioribus epulis natales martyrum celebrentur: sed imitandum tibi proponitur quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo charissime alacritatem populi circumstantis. In hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum Sanctus N. iussu tyranni feriretur: turbæ erant malorum, expectantium chori, nunc multitudo fidelium ad collætandum deuota confluxit: tunc turba fæuientium, nunc exultantium: tunc desperatorū, nunc sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua lætitia celebrantur, vt quod semel actum est, per omne æuum in memoria maneat deuotorum. Gesta res est charissime, ne te diceres ignorare, celebrantur annua ne dicas, oblitus sum. Ad hæc ergo imitanda vos animate charissimi, hāc magnanimitatis gratiam concupiscite: hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci. Omnes enim cælestia cupientes terrenorum bonorum laqueis irretiri non possunt:

Philip. 3. quia conuersationem suam in cælestibus statuerunt. Sicut ait Sanctus Apostolus: Nostra autem conuersatio in cælis. Dirigatur ergo cordis nostri desiderium ad habitationem cælestem, vbi quum dispersus fuerit pauperibus thesaurus vester, illic erit & cor vestrum. Thesaurus bonorū omnium Christus est, qui vos cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto donis cælestibus, & nunc, & in æternum cumulare & replere dignetur.

IN NATALI VNIVS *martyris Sermo, ex Homiliario Alcuini.*

QVia beati martyris natalis hodie illuxit dies, quem vobiscum fratres charissimi, nos voluit Dominus celebrare, aliquid donante illo de martyrum gloria & patientia differamus. Gloria quidem mundana ab his contempta est, & ideò patientia probata est. Nam gloria eorum abscondita latebat in cælis, quia patientia eorum exercebatur in terris. Qui nō exhorret eorum patientiam, peruenit ad gloriam. Miseria putatur pati dura & aspera in carne, quia tenera molestum est. Nisi esset omnibus molestum, non esset martyribus gloriosum. Multis ergo lascius & anaris martyres sancti insanire visi sunt, quando pro Christi nomine tanta patiebantur. Etenim vt eum negarent, vrgebantur. Alij ergo virgis & flagellis diutissimè sunt verberati, alij fustibus & plumbatis cæsi, alij membratim laniati, alij gladio occisi, alij excoriati, pice plumboque liquato perfusi, alij ardore prunatum excruciati, & alij flammis exusti, alij quidem in mare mersi, & alij bestiis depnati, alij carcerum suut horrore & fame necati. Quot enim genera pœnarum & mortium hostis excogitare poterat, tot martyribus sine vlla miseratione infligebat. Sed ipsi licet in aperto horrida paterentur, in occulto tamen ineffabiliter coronabantur. Multi quidem gloriam terrenam quæsierunt, multi viri fortes pro patria sanguinem fundendum esse duxerūt, nec fundere dubitauerunt, quò gloriam post mortem etiam apud posteros haberent: Sed quæ illorū gloria martyribus comparatur? Quis potuit inuenire Imperator, quod potuit inuenire piscator? Imperatorum, cōsulum & victorum fortium, qui orbem armis domuerunt & subiugauerunt, sepulchra sunt Romæ. Ad cuius sepulchrum intrare dignatus est Imperator? Et tamen diademate deposito, ad sepulchrum suum orantem suscepit eum piscator. Ecce si terrena gloria fuerat concupiscenda martyribus, nec ipsi fraudati sunt, quia honorem tantùm inter angelos quæsierunt. Videmus eorum glorias in terris, & stupemus: quid pateremur, si in cælis videremus? Quantus nos stupor admirationis apprehenderet, si videremus martyres inter angelos glorantes, quorum natalitia videmus populos celebrantes? Sed nos volumus gaudere cum sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres inquantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Sic & Apostolus prædicat, dicens: Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum. Et dominus in euange- 2. Cor. 1. lio: Si mundus, inquit, vos odit, scitote quia me Ioan. 15. priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium mundi non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis: Et quis est, qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ego respōdeo, quia non solùm martyres, sed etiā ipsum dominum eum ipsius adiutorio, si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum dominum generi humano clamantem, & dicentem: Discite à Matth. 11. me, quia mitis sum & humilis corde. Audi & beatum Petrum apostolum admonentem: Christus, 1. Petr. 2. inquit, pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Similiter Paulus Ephes. 5. apostolus clamat: Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. Quid ad hæc respondebimus fratres, vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat, vt virtutes quas fecit Deus, debeas imitari, iusta potest esse excusatio tua: quia virtutes & mirabilia facere, non omnibus datum

 est:

est: iuste & castè viuere, & charitatem cum omnibus custodire, cum Dei adiutorio promptum est. Nam & ipse dominus noster Iesus Christus non dixit: Discite à me mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare. Sed quid ait? Quia mitis sum & humilis corde. Et iterùm: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solē suum oriri facit super bonos & malos. Et licet sint alia multa, in quibus Deū debeamus & beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, vt mites simus & humiles corde & inimicos nostros toto corde & totis viribus diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus vnquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: Non possum ieiunare, non possum vigilare, non possum res meas omnes pauperibus dare & ecclesiis. Nunquid potest dicere, Nō possum diligere? Sed dicit aliquis: Tanta mala inimicus meus mihi fecit, vt eum nulla ratione possim diligere. Attendis quid fecerit tibi homo, & non attendis quid tu feceris Deo? Si conscientiam tuam diligēter discutis & inquiris, sine vlla compēsatione maiora tu peccata commisisti in Deum, quàm in te commiserit homo. Et qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, qui non vis dimittere parū? Vos autem fratres, quia quotidiè dicitis Deo in oratione, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: dimittite, & dimittetur vobis. Ipsa enim veritas clamat terribiliter, & dicit: Si vos non dimiseritis hominibus peccata eorum nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Imitemur ergo sanctos martyres in fide, in humilitate, in mansuetudine, in patientia, in longanimitate, in dilectione, & sic poterimus ipsos martyres apud Dominum habere intercessores: ita vt peccata nostra deleantur, & præmia nobis æterna conferantur, præstante Domino nostro, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Matth. 13. — Matth. 5.

IN COMMVNI PLVRIMORVM MARTYRVM TEMPORE PASCHALI.

Euang. Ioan. 15. Ego sum vitis, & vos palmites, &c.

Euangelij huius contextus explicatus est in communi vnius martyris tempore paschali, vsque ad hunc locum: In hoc clarificatus est pater meus, &c. *eo te remitto.*



a Per prædicationem & passionem sicut ego. ¶ Vt ait apostolus: Ipsius opus sumus creati in Christo.
IN hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum [a] afferatis,
b Ecce vnde plurimus fructus ex dilectione: sed vnde dilectio? quia prius nos dilexit.
& efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, & ego [b] dilexi
c Et ideo perseuerate. d Quomodo in ea manebimus. Diligite me, & vos dignos diligi efficite.
vos. [c] Manete in dilectione mea. Si [d] præcepta mea seruaueritis,
e Et per hoc ostendor diligi à patre ego homo.
manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & [e] maneo in dilectione.
f Vt gaudeam de vobis, quod est cùm gratiam præstat.
Hæc loquutus sum vobis, [f] vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



IN *hoc cla.* Qui manet in me fructum multum fert; quod est ex gratia Dei. & ita est gloria eius, non hominis: & hoc est. In hoc. *Vt fru. plu.* Sicut non æqualitatem ostendit nostræ naturæ & suæ, sed gratiam qua mediator est: nam pater diligit nos, sed in filio. *Effici.* Quomodo? Si me dilexeritis. Ex qua dilectione? ex præceptorum obseruatione? Si me dilexeritis sicut dilexit me pater, non quantum, Non enim notatur æqualitas, sed similitudo dans eis ęternam ęternitatem. *Si pręcepta mea.* Non dicit, quod pro seruatis præceptis sint dilectores. Nemo enim seruat qui non diligit: sed quod nemo diligit, nisi qui seruat. Ostendit ergo non vnde generentur, sed vnde monstrentur dilectores. Vel in dilectione mea, qua diligo vos, id est, manente gratia mea, & inde scietur vos manere in ea, si pręcepta seruabitis. Nisi ergo prius seruent pręcepta omnia, non possunt seruare præcepta, nisi eos diligat, &c. *Vt gaudium.* Gaudium Dei de nobis qui præsciuit & prædestinauit semper est plenum: in nobis incipit ex fide, crescit imo & perficietur in resurrectione.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

IN *hoc clarificatus est pater meus vt fructum plurimum afferatis,&c.* Chry. Ostendit supra dominus quoniam qui eis insidiabantur ardebunt, non manentes in Christo, deinde ostendens quoniam ipsi inexpugnabiles erunt, ita, scilicet vt multum fructificent ait: *In hoc clari.est pa.meus,&c.* Quasi dicat, Si ad gloriam patris pertinet quod vos fructificetis, non contemnet gloriam suam, qui autem fructum facit, ille est discipulus Christi: vnde subdit. *Et eff.mei.disci.* Theo. Fructus autem apostolorum sunt gentes quæ per eorum doctrinam astrictæ sunt fidei, nec non ad Dei tedactæ sunt gloriam. Aug. Siue enim clarificatus siue glorificatus dicatur, ea vno verbo græco vtrumque translatum est. Doxa ergo græce dicitur, latine gloria est, quod ideo commemorādum putaui, ne hoc nostræ gloriæ tribuamus tanquam ex nobisipsis habeamus: eius est enim hæc gratiæ, & ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria. A quo enim faciemus fructum nisi ab illo cuius misericordia præuenit nos: vnde subditur: *Sicut dil me pater,&c.* Ecce vnde sunt nobis opera bona: nam vnde nobis essent nisi quia fides per dilectionem operatur: vnde antem diligeremus, nisi prius diligeremur? Quòd autē ait: *Sicut di.me pa.& ego dil.vos.* Non æqualitatem naturæ ostendit nostræ & suæ, sicut est patris & ipsius, sed gratiam qua mediator est Dei & hominum, homo Christus Iesus. Mediator quippe monstratur: cùm dicit: Pater di.me, & ego di.vos. Nam pater vtrique diligit & nos, sed in ipso. Chry. Si igitur pater amat nos, confidite, si patris est gloria, fructificate. Deinde vt non pigros eos faciat, subdit: *Manete in dilect.mea.* Qualiter autem hoc erit, ostendit subdens: *Si præcepta mea seruaue.&c.* Aug. Quis ambigat quòd dilectio præcedat obseruantiam præceptorum: vnde enim præcepta seruet, non habet qui non diligit: quòd ergo hic ait, ostendit non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, vt nemo se fallat dicendo quòd eū diligat si eius præcepta non seruat, quanuis quòd dicit manere in dile. mea: non apparet quam dicerit dilectionem, verum qua eum diligamus, an qua ipse nos diligit, sed ea verbo superiore dignoscitur. Dicerat quippe: *Ego dilexi vos*, & continuò subiecit: *Mane.in dilect.mea.* Illa ergo qua dilexit eos. Quid est ergo: Manete in dile.mea, nisi manete in gratia mea? Et quid est: *Si præcepta mea seruaueritis, mane.in dile.mea?* nisi ex hoc scietis quòd in dilectione mea qua vos diligo maneatis, si mea præcepta seruatis? Non ergo vt nos diligat, prius præcepta eius seruamus: sed nisi nos diligat, præcepta eius seruare non possumus: hæc est gratia quæ humilibus patet, superbos latet. Sed quid illud est quod adiungit: *Sicut & ego præcepta pa.mei. seruaui.& ma.in eius dil.* vtique eam hic dilectionē patris intelligi voluit, qua eum diligit pater. Sed nunquid & hæc gratia intelligenda est, qua pater diligit filium: sicut gratia est qua nos diligit filius, cùm simus nos filij gratia, non natura: vnigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est? Ita sane, nam dicendo: *Sicut dilexit me pa.& ego dil.vos*, gratiam mediatoris ostendit, mediator autem Dei & hominū non inquantum Deus, sed inquantum homo est Christus. Igitur hoc rectè possumus dicere, quòd cum ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad personam tamē filij Dei per gratiam pertinet, qua nulla est maior, nulla prorsus æqualis. Neque enim illam susceptionem vlla hominis merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita eius cuncta ceperunt. Aleu. Quæ autem præcepta dixerit, exponit Apostolus, dicēs, Christus factus est obediens patri vsque ad mortē, mortē autem crucis. Chry. Deinde quia futura passio & tristia verba interruptura erant eorū lætitiam, subiungit: *Hæc locutus sum vobis vt gaudium,&c.* Quasi dicat, Et si incidat tristitia, hanc auferam, vt ad finem veniat gaudium. Aug. Quod est autem gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? Et quod est gaudium nostrum quod dicit implendū, nisi eius habere consortium? Gaudium autem iam ipse perfectum de nobis habebat, quando nos præsciendo & prædestinando gaudebat, sed illud gaudium in nobis non erat, quia nec nos in quibus esse posset, eramus, cœpit autem esse in nobis quando vocauit nos. Et hoc gaudium nostrum meritò dicimus quo nos beati futuri sumus, quod inchoatur in fide renascentium, implebitur autem in præmio resurgentium.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil. 1.

IN *hoc clarificatus est pater meus, vt plurimum fructum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Hinc sermoni suo authoritatem facit: nam, si ad patris gloriam fructus faciendus est, non eam contemnes: & efficiemini mei discipuli. Vides, quomodo qui fructum affert, ille discipulus est? Sed quid signat; *In hoc clarificatus est pater?* hoc est, lætatur cùm in me manetis, & fructum fertis. *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Hic iam magis secundum hominem loquitur: tanquam enim ad homines dictum vim propriam habet. Nam qui mori voluit, qui seruos, inimicos, hostes, tanto honore dignatus est, & in cælum adduxit: quomodo dilectionis mensuram ostendit? Si ergo vos diligo, confidite, si patris gloria est fructum facere, nihil mali suspicamini. Inde ne negligentes faceret, vide quomodo eos rursus excitat; *Manete in dilectione mea*: hoc in vestra est potestate. Quomodo autem hoc erit? *Si præcepta mea seruaueritis, sicut & ego præcepta patris mei seruaui.* Rursum humano more loquitur: neque enim legislatorem legi subditum esse oportet. Et quod semper dico, hoc in loco propter auditorum suspicionem locutus est, & in tuto eos esse, & inimicos eorum perditum iri asserit: præterea, quòd quæcunque habeat, à filio habent: quódque, si puram vitam exhibuerint, nemo eos poterit superare. Considera autem quanta eos authoritate alloquatur. Non enim dixit, manete in dilectione patris: sed *mea.* Inde ne dicerent; Quando nos omnibus inimicos reddidisti, tunc nos dimittis, tunc discedis: hoc negat, sed ita eis, modò velint, conglutinari dicit, vt palmes viti, rursusque in fiducia hac pigriores redderentur, non duraturum bonum dixit, si id negligerent: Et ne, si ad seipsum omnia referret, promptiores ad casum redderet, inquit; In

Ex Hom. in Ioan.

In hoc clarificatus est pater. Semper enim & suam, & patris in eo dilectionem ostendit. Non ergo Iudæorum res gloria patris erat, sed quæ ipsi erãt accepturi. Inde ne dicerent; Patrias traditiones relinquimus,& tunc omnium nudi deserimur. In me inquit, respicite, diligit me pater,& tamé hęc mihi subeunda proponuntur. Non igitur ego vos quia non diligam, in præsentia relinquo: nam, si ego morior, nec tamen propterea non amari à patre coniecturam facio, neque vos perturbari oportet. Si in dilectione mea manebitis, nihil vobis horum nocere poterit. Magnum namque,& insuperabile quiddam dilectio est, quę nõ nudis verbis, sed re ostendenda est. Ipse inimicos reconciliauit, nos in amore persistemus: ipse incepit, nos saltem prosequamur: ipse non sui commodi gratia (nullius enim eget) nos saltem ad nostram vtilitatem diligamus: ipse inimicos, nos saltem amicos amore prosequamur: & è contrario facimus. Quotidie enim blasphematur propter nos Deus, propter rapinas, propter cupiditates: & fortasse quispiam vestrum dicet; Quotidie de cupiditate disputas: vtinam & singulis noctibus liceret, vtinam in foro prosequi,& ad mensam: vtinam mulieres, amici, filij, serui, agricolæ, vicini, & ipsum pauimentum,& parietes semper hac voce clamare possent, vt vel sic hoc pacto acquiesceremus. Vniuersum enim orbem hic morbus, & omnium animos comprehendit, Magna pecuniarum vis. A Christo redempti sumus,& auro seruimus: alterius asserimus dominatum, cuius præcepto dicto citius paremus,& eius gratia, genus, amicitiam, leges, omnia denique ignoramus. Nemo cælum contemplatur, nemo de futuro cogitat; sed veniet tempus, quum hi sermones nihil proficient. In inferno, inquit, quis confitebitur tibi? Desiderabile aurum, & delicias præbet, & honorabiles facit, non tamen eodem modo ex- *Psal. 6.* lum. Diuitem enim multi & vitant, & odio habent: qui autem virtutem complectitur, eum & honorant, & reuerentur. Sed ridiculus est pauper, etiam si virtute præditus sit, non apud homines, sed carentes ratione. Neque enim, si asini in nos irrudant, & inclangant graculi, sapientes autem laudent, horum dimisso consensu, stultorum clamores nos moueant. Sunt enim graculis haud absimiles, & asinis peiores, qui præsentia admirantur. Nam, si terrenus rex te lædet, nihil multitudinis sermonibus moueberis, & si omnes irrideant. Cùm autem omnium dominus te laudat, de cantharidum, & culicum laudibus cogitas? Quousque in cœno versabimur? Quousque stultos, & gulæ deditos spectatores habebimus? Qui lusores, ebrios, ventri viuentes, probare possunt; virtutem autem,& vitium ne in somnia quidem imaginentur. Si quis te accuset, quòd ducendarum cloacarum ignarus sis, nihil molestè ferres, sed rideres, qui tibi ignoratam artem proponeret: at, si vis virtuti operam dare, eius ignaros tibi laudatores proponis? Ideo nunquam eam assequimur. Non enim peritis, sed ignaris res nostras committimus: ille autem non secundum artis rationem, sed secundum ignorantiam suam probant. Quare vos hortor, contemnamus multitudinem, imò nec laudes desideremus, neque pecunias, neque opes, neque malum paupertatem existimemus: quippe quæ & continentiæ, & fortitudinis & omnis sapientiæ magistra est.

Nam & Lazarus in paupertate coronatus est, & Iacob solo pane contentus erat, & Ioseph vltimã passus est egestatem, non tamen seruus, sed dominus fuit, & propterea eum magis admiramur, & non tantis eum laudibus prosequimur, quòd frumentum distribuit, vt cùm carcerem habitauit: non cùm corona, quàm cùm catena circundabatur: non cùm in solio sedebat, quàm cùm insidiis periclitabatur. His omnibus, & horum certaminum præmiis consideratis, nolimus diuitias, honores, delitias, potestates, sed paupertatem, catenas, vincula propter virtutem suscepta admirari. Finis nanque illorum tumultu plenus est, & perturbationis, & hac vita finiuntur: horum autem fructus cælum est,& cælorum bona, quę nulla auris audiuit, quæ vtinam omnes consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cũ quo patri gloria, simul & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen. *Luc. 16. Gen. 28. Ibidem 37. 39. & sequen tibus.*

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

HÆc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, &c. Omnia bona tũc mercedem habent, cùm debitum finem consequuntur. Quòd si interim quis deciderit, naufragium incurrit: quemadmodum nauis innumeros vehens, nisi ad portum appellat, sed in medio pelago submergatur, non modò nihil ei longa proficit nauigatio, sed tantò maiorem facit iacturam, quantò maiores labores subit: ita quæ in medio certamine corruunt animæ, grauiori casu concutiuntur. Ideo Paulus gloriam, & honorem, & pacem eos sequi ait, qui per bonorum tolerantiam currunt, quod nunc Christus Apostolos admonet. Cùm enim, eò quòd ipsos approbasset, gauisi, inde propter passionem & verborum molestiam tristitiam concepturi essent, post debitam doctrinam,& consolationem, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur*: hoc est, ne discedatis a me, néve à cursu desistatis. Gauisi estis in me,& quidem vehementer: sed incidit tristitia, hanc eximam, vt ad finem vsque lætitia perduret, ostendens in præsentibus non mœrorem, sed lętitiam capiendam. Vos ego perturbatos vidi, non contempsi, non dixi, cur non perseueratis in fortitudine? sed vos consolatus sum, & hanc dilectionem meam volo perpetuò seruetis. Audistis de regno, gauisi estis, vt impleatur lætitia vestra, hæc locutus sum vobis, hoc est, præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. *Ex hom. in Ioan.* *Rom. 2.*

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponen. in superius Euang. Homilia 1.

MAgis magisque saluator gratiam, qua saluamur discipulis loquendo commendans: *In hoc, inquit, glorificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli*, siue glorificatus siue clarificatus dicatur, ex vno Gręco verbo vtrunque trãslatum est, quod est *δοξάζειν*. Doxa enim, quæ Græcè dicitur, Latinè gloria est. Quod ideo commemorandum existimaui, quia *Tract. 82 Ioan.*

dicit

Rom.4. dicit Apoſtolus, Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non ad Deum. Hæc eſt ad Deum gloria qua glorificatur non homo, ſed Deus, ſi non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatur, vt ex Deo illi ſit quod etiam bene operatur, quoniam palmes, ſicut iam ſuperius dixi, nō poteſt ferre fructum à ſemetipſo: ſi enim in hoc glorificatus eſt Deus pater vt fructum plurimum afferamus, & efficiamur Chriſti diſcipuli, non hoc gloriæ noſtræ tribuamus tanquàm hoc ex nobiſipſis habeamus: eius eſt enim hæc gratia, & ideo in hoc non noſtra, ſed eius eſt gloria: vnde & alibi *Matth.5.* cum dixiſſet; Sic luceat lumē veſtrum coram hominibus, vt videāt opera veſtra bona, ne à ſemetipſis putarent eſſe bona opera ſua: mox addidit, Et glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. In hoc enim glorificatur pater, vt fructū plurimum afferamus, & efficiamur Chriſti diſcipuli. A quo efficimur, niſi ab illo, cuius miſericordia præuenit *Ephes.2.* nos? Ipſius enim figmētum ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. *Sicut dilexit me pater*, inquit, *& ego dilexi vos; manete in dilectione mea.* Ecce *Galat.5.* vnde ſunt nobis opera bona: nam vnde nobis eſſent, niſi quia fides per dilectionem operatur? Vnde autē diligeremus, niſi prius diligeremur? Apertiſſimè hoc in Epiſtola ſua idem iſte Euangeliſta *1.Ioan.4.* dixit, Nos diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos: quod autem ait, Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos: non æqualitatem naturæ oſtendit noſtræ, & ſuæ, ſicut eſt patris, & ipſius, ſed gratiam, qua mediator Dei, & hominum eſt homo Chriſtus Ieſus: mediator quippe monſtra- *1.Tim.2.* tur cum dicit; *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos:* nam pater vtique diligit & nos, ſed in ipſo, quia in hoc glorificatur pater, vt fructum afferamus in vite, hoc eſt in filio, & efficiamur eius diſcipuli. *Manete*, inquit, *in dilectione mea*: quomodo manebimus? Audi quid ſequitur: *Si præcepta mea*, inquit, *ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Dilectio facit præcepta ſeruare, an præcepta ſeruata faciūt dilectionē? Sed quis ambigat, quòd dilectio præcedit? Vnde enim præcepta ſeruet nō habet, qui nō diligit, quod ergo ait, *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*: oſtendit non vnde dilectio generetur, ſed vnde monſtretur, tanquam diceret, Nolite vos putare manere in dilectione mea, ſi nō ſeruaueritis præcepta mea: ſi enim ſeruaueritis, manebitis, hoc eſt, hinc apparebit quòd in dilectione mea manebitis, ſi præcepta mea ſeruaueritis. Nemo ſe fallat dicendo quòd eū diligat, ſi eius præcepta non ſeruat: nam intantum eum diligimus: inquātum eius præcepta ſeruamus, in quantum autē minus ſeruamus, minus diligimus: quāuis quod ait, *Manete in dilectione mea*, non apparet quam dixerit dilectionem, vtrùm qua eum diligimus, an qua ipſe diligit nos: ſed ex verbo ſuperiore dignoſcitur: dixerat quippe, *& ego dilexi vos*: cui verbo continuo ſubiunxit, *manete in dilectione mea*, illa ergo qua dilexit eos. Quid eſt ergo, *manete in dilectione mea*, niſi manere in gratia mea? Et quid eſt, *ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*: niſi, ex hoc ſcietis, quod in dilectione mea, qua vos diligo manebitis, ſi præcepta mea ſeruabitis? Non ergo vt nos diligat, prius eius præcepta ſeruamus: ſed niſi nos diligat, præcepta eius ſeruare non poſſumus. Hæc eſt gratia, quæ humilibus patet, ſuperbos latet: ſed quid illud eſt quod adiungit, *Sicut & ego patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione?* Vtique etiam hic hanc dilectionem patris intelligi voluit, qua eum diligit pater: ita quippe dixerat, *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*: atque his verbis illa ſubiunxit, *manete in dilectione mea*, illa procul dubio, qua dilexi vos. Ergo quod ait etiam de patre, *maneo in eius dilectione*, illa ſcilicet accipienda eſt, qua dilexit eum pater. Sed nūquid & hic gratia intelligenda eſt, qua pater diligit filium, ſicut etiam gratia eſt, qua nos diligit filius, cum ſimus nos filij gratia, non natura: vnigenitus autē natura, non gratia? An hoc etiam in ipſo filio ad hominem referendum eſt? ita ſane: nam dicendo, *ſicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*, *1.Tim.2.* gratiam mediatoris oſtēdit: Mediator autem Dei, & hominum, non inquantum Deus, ſed inquantum homo eſt Chriſtus Ieſus. Et profecto ſecundum id quod homo eſt, de illo legitur: Et Ieſus proficiebat ſapiētia, & ætate, & gratia apud Deū, *Luc 2.* & homines. Secundum hoc igitur recte poſſumus dicere, quòd cum ad naturam Dei non pertineat natura humana, ad perſonam tamen vnigeniti filij Dei per gratiam pertinet humana natura, & tantam gratiam, vt nulla ſit maior, nulla prorſus æqualis: neque enim illam ſuſceptionem hominis vlla merita præceſſerunt, ſed ab illa ſuſceptione merita eius cuncta cœperunt. Manet ergo filius in dilectione, qua eum dilexit pater, & ideo ſeruat præcepta eius: quid eſt enim & ille homo, niſi quòd Deus ſuſceptor eſt eius? Deus enim erat verbum, vnigenitus gignēti coæternus, ſed vt mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam ver- *Ioan.1.* bum caro factum eſt, & habitauit in nobis.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

AVdiſtis, chariſſimi, dominum dicentem diſcipulis ſuis: *Hæc locutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.* *Ex Tract.83. in Ioan.* Quod eſt gaudium Chriſti in nobis, niſi quod dignatur gaudere de nobis? Et quod eſt gaudium noſtrum quod dicit implendum, niſi eius habere conſor- *Ioan 13.* tium? Propter quod Petro dixerat, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Gaudium ergo eius in nobis, gratia eſt quam præſtitit nobis, & ipſe eſt gaudium noſtrum. Sed de hac ille etiam ex æternitate gaudebat, quando nos elegit ante *Ephes.5.* conſtitutionem mundi. Nec recte poſſumus dicere, quòd gaudium eius plenum nō erat, non enim Deus imperfecte aliquando gaudebat, ſed illud eius gaudium in nobis non erat, quia nec nos in quibus eſſe poſſet iā eramus, nec quando eſſe cœpimus, cum illo eſſe cœpimus. In ipſo autem ſemper erat, qui nos ſuos futuros certiſſima ſuæ præſcientiæ veritate gaudebat. Proinde gaudium iam ipſe perfectum de nobis habebat quādo nos præſciendo & prædeſtinando gaudebat: neque enim vllus in illo eius gaudio metus eſſe poterat, ne forte non fieret quod ſe facturum eſſe præſciebat: ſed neque cum id facere cœpit quod ſe facturum eſſe præſciuit, gaudiū eius quo beatus eſt creuit: alioqui beatior factus eſt, quia nos fecit. Abſit hoc, fratres, Dei beatitudo quia nec minor fuerat ſine nobis, nec ſit maior ex nobis. Gaudium igitur eius de ſalute noſtra, quod in illo ſemper fuit, cum præſciuit, & prædeſtinauit nos, cœpit eſſe in nobis, quando vocauit nos, & hoc gaudium merito

rito nostrum dicimus, quo & nos beati futuri sumus: sed hoc gaudium nostrum cresci, & proficit, & ad suam perfectionem perseuerando pertendit: ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium. Ecce vnde dictum existimo, *hęc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrū impleatur.* Io vobis sit meum, impleatur vestrum: semper enim erat meum plenum, & antequam vocaremini, cum vocandi a me præsciremini: sed fit & in vobis, cum hoc efficimini quod præsciui de vobis: impleatur autem vestrum, quia beati eritis, quod nondum estis, sicut creati estis, qui non fuistis.

S. CYRILLI EPISCOPI *Alexand. superioris Euang. expositio.*

IN *hoc clarificatus est pater meus, &c.* Clarificatum patrem suum esse dicit: quoniā ineffabilis eius bonitas, atque misericordia nota omnibus, coro- Ioan. 3. nam quasi gloriæ illi attulit. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit: in quem qui crediderit, non pereat, sed habeat vi- Ioan. 7. tam æternam. Vita igitur omnium patris opus est; quod per Christum est factum. Propterea dicebat ad patrem; Ego te clarificaui: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciā. Ipse namque salutem nobis ex patre attulit, non vt minister, sed vt sapientia, & virtus patris, absque qua nihil omnino Psal. 67. fieri potest. Omnia enim per ipsum sunt, vnde nostræ quoque salutis dispensationem, vt virtuti, & sapientiæ patris filio tradi, summopere Dauid orans, dicit ad patrem; manda, Deus, virtuti tuæ: confirma, Deus, hoc, quod operatus es in nobis. Psal. 71. Et rursus, Deus, iudiciū tuū regi da. Solius enim eius opus est, qui cum patre regnat, vt vniuersam hominis naturam reformare ad pristinum possit. Clarificatus igitur pater est, proprio filio pro redemptione hominum dato, quē voluit hominem fieri, nō vt quicquam boni sibi acquirat, qui semper perfectissimus est, sed vt homines plurimum ferant fructum, & Christi efficiantur discipuli. Nam, nisi filius Dei homo factus esset; nunquam nos vt palmites illi quasi viti hęrentes, participatione spiritus fructum ederemus; quē plurimum, Hebr. 7. cōparatione legalis fructus, appellat. Nihil enim lex perfecit, vt ait Paulus. Idcirco ad discipulos, imo vero ad omnes fideles dicebat; Amen amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus- Matth. 5. quam scribarum, & Pharisæorum; non intrabitis in regnum cælorum: Et rursus; scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, Matth. 13. qui profert de thesauro suo noua, & vetera. Qui enim euangelicam colit doctrinā, dupliciter spiritualibus pollet diuitiis, noua & vetera proponens, & vmbram legis ad euangelicā vitam transformans. Nam, quæ figuris lex significabat, hæc Christus aperte in veritate docuit: propterea di- Matth. 5. cebat; non veni soluere legem, sed adimplere. Et rursus iota vnum, aut vnus apex non transibit à lege, donec omnia fiant. Plurimus ergo fructus in spiritu, & veritate euangelij virtus est: qua effectum est, vt amici Christi fiant discipuli. Nam & priscis per prophetas loquebatur; & erūt, dicens, omnes docibiles Dei. Non enim alius quasi me- Ioan. 6. diator vt Moses inter Deum, & Iudæos, sed ipse Christus nos docuit. Quare Dei docibiles sumus: Quippe non essemus discipuli eius, nec fructum, & hunc plurimum ederemus, nisi pater per misericordiam suā esset clarificatus, qui voluit filium Rom. 8. suum propter nos hominē fieri, tradiditque eum pro nobis, id est, placuit ei, vt Christus pro nobis moreretur. *Sicut dilexit me pater, &c.* Attētiore animo hæc profunda inspicere oportet; breuiter enim totius fere incarnationis ratio aperitur. Diligi enim se à patre asserit; nec minus nos à seipso, sed eodē modo diligi affirmat. Et subiecit, oportere nos in dilectione sua manere, causamque attulit, quare ipse iure à patre diligatur; quia mandata eius seruauit, vt nos quoque, si volumus in dilectione eius manere, mandata eius diligenter seruemus. Summarim igitur iste sensus est. Sed, ne simpliciores turbare possit, latius nobis exponēdus est. Dominus igitur noster Iesus Christus exemplo se nobis proposuit. Non enim fuit paupertatem nostram aspernatus, vt nobiscum conuersatus inauditæ vitæ se nobis ducem præberet. Vbi ergo, aut quæ patris mandata seruauit, & quomodo diligi se ab illo dicit, quærendum vide- Philip. 2. tur. Adsit igitur Paulus, & dicat de ipso; Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualē Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit seipsum, factus obediens vsque ad mortē. Propterea Deus ipsum exaltauit: & donauit ei nomen supra om- Philip. 2. ne nomen. Audisti, quia, cum verus Deus filius sit, humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem. Nam, cum saluare humanū genus Deus pater voluerit, neque id creatura posset aliqua efficere; ipse, qui voluntatem patris opportune nouit, filius huiusmodi dispensationem suscepit, sicque obsecutus genitori est, vt mortem etiam turpissimam subierit: propterea, inquit, Deus eum exaltauit. Habes in obedientia ista voluntaria, paterni consummationem consilij, quod mandati loco traditum sibi filius dicit. Nam, etsi vt verbum patris profunda Dei scrutetur, imo vero ipse sit sapientia, & verbum patris, omnia tamen, quæ patri videntur, peragit, & mandata vt homo appellat. Exaltatus autem à Deo dicitur, quamuis 1. Cor. 2. consubstantialis ei sit, & dominus gloriæ à scripturis nuncupetur; quia in serui forma factus, id est, homo secundum nos, rediit rursus cum ca[rn]e, vt vna cum patre etiam homo factus conglorificetur: à quo diligi nō incipit tunc primum, quando voluntariam subiectionē aut suscepit, aut perfecit. Sed, quemadmodum, quamuis exaltatus semper est, & gloriæ plenus secundum naturam, exaltari tamen, & glorificari dicitur factus homo, qui naturaliter gloriæ inops est, sic, quamuis semper diligatur vt filius, diligi tamē etiam cum carne scribitur: qui propterea homo factus est, vt genus hominum, quod propter præuaricationis crimen Deus oderat, ad dilectionem ipsius reduceret. Idcirco origo, ianua, & via omnium bonorum generi nostro fuit. Nonne igitur iure seipsum diligi dicit; quia mandata patris seruauit: Num tibi durus mysterij sermo visus est, & huius dispensationis profunditas? Sed æqua sunt omnia intelli- 1. Tim. 4. gentibus, & rectà iis, qui habent cognitionem, vt scribitur. *Manete*, inquit, *in dilectione mea*, id est, omni studio, cura, opera, sic à me diligi conari debetis, vt ego à patre diligor. Sic autem diligemini,

quando

quando mea mādata seruabitis, veluti & ego patris mandata seruaui. Non erit inutilis vobis hic labor: exaltauit me pater, & dedit mihi nomen Philip.2. super omne nomen. Ego vero vos, qui estis homines, Deos, & filios Dei, regni mei participes, conformes corporis gloriæ meæ per gratiam spiritus efficiam. Sed hæc quidem futura sunt. Quantum vero ad præsentē pertinet vitam, nōnne magnum honorem meo nomine consecuti estis, cum dæmonibus increparetis, cum omnem morbum, & omnem debilitatem curaretis, cum vobis pollicitus Ioan.14. sim dicens; qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse quoque faciet, & maiora horum faciet? Hæc discipulis paucioribus verbis dicta intelligimus, vbique autem dogmata veritatis sequentes: ad vtilitatem legentium cuncta perscribimus diligentérque cauemus, ne cuiquam scandalum Psal.118. faciamus. Scribitur enim in psalmis; pax multa diligentibus legem tuam: & nō est illis scandalum. *Hæc locutus sum vobis, &c.* Vitis, & palmitum, qui abscinduntur, & in ignem mittuntur exemplo non paruam discipulis immisit formidinem. Solent enim, qui mala fore audiunt, præsertim si authoritate dicentis commoti, non aliter futurum credunt, non mediocriter conturbari. Et, quemadmodum, qui procellosum nauigaturus est pelagus, quamuis tempestate nulla exagitetur, horrescit tamen cogitans; non aliter arbitror discipulos Christi tunc fuisse affectos. Quas ob res qui omnia nouit, à mærore ad lætitiam reuocat. Non enim, inquit, ô discipuli, vt metu exagitemini, hæc mihi dicta sunt; sed vt gaudium meum habeatis. Consideratius igitur videamus, quid est, quod his verbis Christus significauit. Duplex igitur esse mihi sensus videtur, aut enim nihil curiosius hic locus affert; sed hoc plane dicit, vt gaudium in me habeatis, & sic ipsi quoque gaudeatis, supernæ beatitudinis, atque gloriæ magnitudinem intelligentes. Alius est, in quo altius quiddam latet, quod enodare non recusabimus. Quid igitur illud est, aut quid significat; *vt gaudium meum in vobis sit?* Homo factus vnigenitus Dei filius absque peccato, omnia sustinuit, quæ Iudæorum excogitare peruicacia potuit; nec vnquam sputis dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, vllo mærore affectus fuit, sed decenti semper ipse gaudio plenus (quoniam voluntatem patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat) illa opprobria delitias sibi esse putabat. Exultauit Matth.11. enim spiritu, instante iam cruciatu, & dixit: Confiteor tibi, pater, Domine cæli, & terræ: quia occultasti hæc à sapientibus, & prudentibus, & re- Ioan.4. uelasti ea paruulis. Vides, quia gaudet spiritu, cum dementes olim homines ad sapientiam reuocentur, & gratias hac de re patri agit. Eodem modo, cum labore cōfectus super Iacob puteum sederet, Samaritanorum salute lætatus, vel necessaria corporis alimenta contempsit. Nam, cum rogaretur à discipulis, vt manducaret, meus cibus est, inquit, vt patris mei voluntatem faciam, & opus eius perficiam. Quis ergo dubitabit, delicias illi fuisse salutem hominum? hanc enim voluntatem patris appellat: *Hæc*, inquit, *vobis locutus sum, vt gaudium meum in vobis sit.* Id est, vt illis solummodo lætari rebus velitis, quibus ego gaudeo. Sic enim fortes ad certamina eritis, & spe saluandorum hominum pericula libenter subibitis, non parum gaudentes: quoniam voluntas patris (qui vult omnes ad cognitionem veritatis venire) pro 1.Tim.2. virili parte vestra perficiatur. Hanc ergo ei ego lætitiam; hanc etiam, si vos habebitis, sincero, ac integro afficiemini gaudio. Verum etiā solidámque lætitiam, illam tantummodo, quæ in Deo est, appellamus: qua etiam Iesus gauisus est. Hæc verò mundana vmbra solummodo est, more somnij deuulans. Sic solidum etiam odium, verúmque nuncupamus, quod iuste, ac recte aduersus veritatis hostes habetur; sicut beatus ille David Psal.138. aduersus eos, qui gloriæ diuinæ resistebant ait, perfecto odio oderam illos. Dilectionem similiter perfectam nominamus, qua non terrenis, ac nulla se dignis, sed Deo propter Deum afficimur.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri superioris Euang. expositio.

IN *hoc*, inquit, *glorificatus est pater meus, &c.* Δόξα Ex comment. in Ioan. enim quę Gręce dicitur, Latine gloria est. Quod ideo commemorandum existimaui, quia dicit Apostolus: Si Abraham ex operibus iustificatus Rom.4. est, habet gloriam, sed non apud Deum. Hæc est ad Deum gloria (qua glorificatur non homo, sed Deus) si non ex operibus, sed ex fide iustificatur, vt ex Deo illi sit etiam quod bene operatur: quoniam palmes non possit ferre fructum à semetipso. Si ergo in hoc glorificatus est Deus pater, vt fructum plurimū afferamus, & efficiamur Christi discipuli: non hoc nostræ gloriæ tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus. Eius est enim hæc gratia: & ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria. Vnde & alibi, cùm dixisset: Sic luceat lu- Matth.5. men vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona; ne à semetipsis putarent esse bona opera sua, mox addidit: Et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. In hoc enim glorificatur pater, vt fructum plurimum afferamus, & efficiamur Christi discipuli. A quo efficiamur, nisi ab illo, cuius misericordia prævenit nos? Ipsius enim Psal.58. sumus figmentum, creati in Christo Iesu in ope- Ephes.2. ribus bonis. Quod autē ait: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Nō æqualitatem naturæ ostēdit nostræ & suæ, sicut est patris, & ipsius: sed gratia, qua mediator est Dei, & hominum homo Christus Iesus. Mediator quippe monstratur, cū dicit: *Diligit me pater, & ego vos.* Nam pater vtique diligit & nos, sed in ipso; quia in hoc glorificatur pater, vt fructum afferamus in vite, hoc est in filio; & efficiamur eius discipuli. *Manete*, inquit, *in dilectione mea.* Quomodo manebimus? Audi quid sequitur: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Ostendit non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tāquam diceret: Nolite vos putare manere in dilectione mea, si non seruatis præcepta mea. Si enim seruaueritis, manebitis; hoc est, hinc apparebit, quòd in dilectione mea manebitis, si mea præcepta seruabitis: vt nemo se fallat dicendo, quòd eum diligat, si eius præcepta non seruat. Nam inquantum eum diligimus, inquantum eius præcepta seruamus. Inquantum autem minus seruamus, minus diligimus. Quamuis quod ait: *Manete in dilectione mea.* Non apparet quam dixerit dilectionē, vtrum qua eum diligimus, an qua ipse nos diligit, sed ex verbo

superiore dignoscitur. Dixerat quippe: *Et ego dilexi vos.* Cui verbo continuo subiunxit: *Manete in dilectione mea.* Illa ergo, qua dilexit eos. Quid est ergo: *Manete in dilectione mea,* nisi, manete in gratia mea? Et quid est: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea;* nisi, hoc scietis, quòd in dilectione mea, qua vos diligo, manebitis, si mea præcepta seruabitis? Non ergo vt nos diligat, prius eius præcepta seruamus: sed nisi nos diligat, præcepta eius seruare non possumus. Hæc est gratia, quæ humilibus patet, superbos latet. Sed quid illud est, quod adiungitur: *Sicut & ego præcepta patris mei seruaui, &c.* Vtique etiam hic hanc dilectionem patris intelligi voluit, qua eum diligit pater: Ita quippe dixerat: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Atque his verbis illa subiunxit: *Manete in dilectione mea:* illa proculdubio, qua dilexi vos. Ergo quod ait etiam de patre: *Maneo in eius dilectione,* illa scilicet accipienda est, qua dilexit eum pater. Sed nunquid & hic gratia intelligenda est, qua pater diligit filium, sicut gratia est, qua nos diligit filius, cum simus non filij gratia, non natura: vnigenitus autem natura, non gratia? An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est? Ita sanè, nam dicendo: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos:* gratiam mediatoris ostendit. Mediator autem Dei, & hominum, non inquantum Deus, sed inquantum homo est Christus Iesus. Et profectò secundum id quod homo est, de illo legitur: Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Secundum hoc igitur rectè possumus dicere, quòd cùm ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad personam tamen vnigeniti filij Dei per gratiam pertinet humana natura, & tantam gratiam, vt nulla sit maior, nulla prorsus æqualis. Neq; enim illam susceptionem hominis vlla merita præcesserunt: sed ab illa susceptione merita eius cuncta cœperunt. Manet ergo filius in dilectione, qua eum dilexit pater, & ideo seruauit præcepta eius. Quid est enim & ille homo, nisi quod Deus susceptor est eius? Deus enim erat verbum, vnigenitus genitori coæternus. Sed vt mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Quod est gaudium Christi in nobis, nisi quo dignatur gaudere de nobis? Et quod est gaudium nostrum, quod dicit implendum, nisi eius habere consortium? propter quod beato Petro dixerat: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Gaudium ergo eius in nobis, gratia est, quam præstitit nobis, ipsa est vt gaudiũ nostrum: sed de hac ille etiã ex æternitate gaudebat, quando nos elegit ante mundi constitutionem. Nec Ephes.1. rectè possumus dicere, quòd gaudium eius plenum non erat. Non enim Deus imperfectè aliquando gaudebat: sed illud eius gaudium in nobis non erat, quia nec nos, in quibus esse posset, iam eramus: nec quando esse cœpimus, cum illo esse cœpimus. In ipso autem semper erat, qui nos suos futuros certissima suæ præscientiæ veritate gaudebat. Gaudium igitur eius de salute nostra, quod in illo semper fuit cum præsciuit, & prædestinauit nos, cœpit esse in nobis, quando vocauit nos. Et hoc gaudium meritò nostrum dicimus, quo & nos beati futuri sumus. Sed hoc gaudium nostrum crescit, & proficit, & ad suam perfectionem perseuerando pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium. Ecce vnde dictum existimo: *Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, &c.* In vobis sit meum, impleatur vestrum. Semper enim erat meum plenum, & antequam vocaremini, cum vocandi à me præsciremini. Sed fit & in vobis, cum hoc efficiemini, quod præsciui de vobis. Impleatur autem vestrum: quia beati eritis, quod nondum estis, sicut creati estis, qui non fuistis.

Eusebij Emisseni expositionem vide in Euangelio immediato præcedenti.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

IN hoc autem glorificatur pater meus, si vos fructum multum attuleritis. Gloria enim Dei, & patris, approbatio discipulorum filij eius: Nam, fulgente luce Apostolorum coram hominibus, glorificabatur pater cælestis. Fructus enim apostolorum sunt gentes, quæ per doctrinam illum ad fidem sunt adductæ, factæque ad gloriam Dei. Si igitur glorificatur pater, dum vos fructum affertis, vtique suam gloriam non negliget: sed operabitur vobiscum, vt plus fructum afferatis, quo magis glorificetur. *In hoc* enim, inquit, *glorificatus est pater meus, vt fructum multum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Vides quomodo ille est fructum afferens, qui vere est discipulus: & pater in isto glorificatur, hoc est, gaudet, & gloriã suam hoc ea istimat. *Sicut dilexit me pater ita, &c.* Exhortatur eos, vt bene confidant: dicit enim, *dilexi vos.* Sic autem dilexi vos, sicut me pater diligit. Hoc autem humanius dixit; *Manete* igitur *in dilectione mea.* Illius enim vos estis domini. Non enim, quia audiuistis, quod dilexerim vos, cõtemnetis: sed dabitis operam, vt maneatis in dilectione mea. Deinde docet eos, quomodo poterint manere: si mandata sua seruarint. Nam (vt sæpe dictum est) ille est, qui diligit Deum, qui mandata eius seruat. Per omnia autem hæc ostendit, quod tunc securi erũt, quum vitam puram egerint. *Sicut ego mandata patris mei seruaui, & maneo in dilectione eius:* & hoc temperans se audientium infirmitati dicit. Non enim, qui omnium est legislator, mandatis obnoxius, & sine paternis mandatis viuere non potest suam vitam: hoc enim cogitare fuerit absurdissimum. Dicit autem hoc, multum eos consolari volens. Quia enim dicebat eis; Diligo vos, & habituri erant postea cum afflictionibus certamen, vt ne offendantur, quasi dilectio nihil illis prodesset: Ne turbemini, inquit: quia, etsi me diligat quidem pater, permittit tamen, vt patiar pro mundo. Sicut igitur non minuitur dilectio patris, propterea quòd ego patiar: ita neque vos minus diligemini ab eo, etiamsi in varias incideritis afflictiones. *Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis maneat, &c.* Hæc (inquit) locutus sum vobis, vt non imminuam gaudium vestrum. Nam gaudebãt quidem, quum essent simul cum eo, quum miracula faceret, & glorificaretur: & ipsi quoque dæmonia ejicientes gaudebant, sicut & ipse inquit; Non gaudete, quòd dæmonia ejicitis. Quoniam autem Luc.10. & affectio incidebat, & mœror gaudium ipsorum

rum mutilabat,inquit,Hæc solatoria verba locutus sum vobis,vt semper, & vsque ad finem gaudium vestrum integrum maneat, plenúmque sit, ac perfectum.Non enim mœrore digna sunt præsentia, sed gaudio,licet crux,licet confusio, licet ignominia accedat.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang.expositio.

IN hoc glorificatus est pater meus, vt fructum plurimum,&c. Glorificatus est,hoc est, glorificabitur, vt adferatis, id est, si attuleritis. Multa siquidem sunt apud scripturam huiusmodi idiomata.*Et efficiamini mei discipuli*.Perfecti efficiamini.Obseruandum igitur,quòd is,qui fructum adfert copiosum, hic perfectus efficitur Christi discipulus. Glorificari autem dixit patrem & gaudere in copiosa fructificatione,& perfecto discipulatu ipsius: adhortans eos ad hanc rem tanquam ad id, quod domino gratum est. *Sicut dilexit me pater,& ego dilexi vos*. Eo modo, quo me dilexit pater,tanquam videlicet facientem voluntatem meam. Particulæ, Sicut,quemadmodū,& similes cū de patre,filio ac spiritu sancto dicuntur, æqualitatem significant, cum vero de Deo & hominibus, similitudinem designant, verum similitudo non vbique per omnia quadrat. *Manete in dilectione mea*. Rursum astringit illos ad se.*Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea,&c.* Et quomodo moreris, velut homo carens auxilio: quia vult hoc pater, & ego pro hominum salute: quia hanc quoque rem duco gloriam. Sicut ergo dilectus à patre, tamen pro vobis morior: sic & vos ita à me dilecti, moriemini tamen pro me. Nam huiusmodi mors iuxta beneplacitum est,non ex odio aut imbecillitate.*Hæc loquutus sum vobis,vt gaudium meum in vobis maneat*. Hæc consolatoria verba loquutus sum vobis, qui ob meam discruciamini mortem: vt gaudium, quod erat propter me, quo de me gaudebatis,donec aduenirēt hæc tristia,non corrumpatur sed in vobis maneat,quum certiores facti sitis, quòd non relinquam vos orphanos, sed iterum veniam ad vos.*Et gaudium vestrum compleatur*. Et vt gaudium vestrum,quod de me est, compleatur, sicut ab exordio eius expectabatis, sperantes semper mecum conuersari.



IN COMM. MARTYRVM

TEMPORE PASCHALI.

Euang. Ioan. 16. In illo tempore:dixit Iesus discipulis suis, Amen amen dico vobis, quia plorabitis,&c.

Vide Domin. III. post Pascha vsque ad finem.

I. EVANG. IN COMMVNI

PLVRIMORVM MARTYRVM

EXTRA TEMPVS PASCHALE.



LVC. 21.

[a] Ante excidium. [b] Quæ ad hostes. [c] Quæ ad ciues. [d] Constat hæc omnia contigisse tempore Iudaicæ seditionis ante vltimam prouinciæ euersionem. [e] Hæc maxima causa fuit Iudæis,quod post occisionem domini,noluit etiam eius præcones & confessores impia crudelitate vexabant.



IN illo tempore:dixit Iesus discipulis suis, cū [a] audieritis [b] prælia & [c] seditiones, nolite terreri.Oportet enim primum hæc fieri,sed nondum statim finis.Tunc dicebat illis:Surget [d] gens cōtra gentem,& regnum aduersus regnum,& terræmotus magni erunt per loca,& pestilentiæ,& fames,terroresque de cælo,& signa magna erunt.Sed ante hæc omnia [e] injicient vobis manus suas,& persequentur, tradentes in synagogas & custodias,trahentes ad reges,& præsides propter nomen meum. Contin-

f Nolite terreri, vos ad certamen accedilis, sed ego prælior, vos verba editis, sed ego sum qui loquor.

get autem vobis in testimonium, f Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterũt resistere & contradicere omns aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

GLOSSA ORDINARIA
in supertus Euang.



RAELIA *& sedi.* Hæc à passione domini in Iudæa abundauerunt, quibus ne territi apostoli Hierusalem & Iudæam deserant amnonẽtur, quia nnn statim finis, sed post quadragesimumsecundũ annum. *Tunc dicebat illis:* Horum, alia è cælo, alia è terra, alia ab clemẽtis: alia ab hominibus. *Surget gens:* Ecce pertorbario hominum, terræ motus: Ecce respectus iræ desnper, pestilentiæ: Inæqualitas corporũ, fames: Ecce sterilitas terrę, tertores de cęlis. Ecce inæqualitas aeris. Qui ergo in omntbus deliquerunt, in omnibus feriuntur. Mysticè. Regnum aduersus regnum, & pestilentia eorum quorũ sermo, vt cancer serpit: & fames audiendi verbũ Dei: commotio terræ, à vera fide separatio in hæreticis intelligi debet, qui contra se inuicem dimicantes, ecclesiæ victoriam faciunt. *Et sig. ma. erunt.* Hæc etiam eo tempore impleta, apud Iosephum inuenitur, qui narrat stellã gladio similem per annum supra Hierosolymam pependisse, & currus equitésque armatos. 40. diebus in aere debellasse, & vitulam inter manus immolantium agnam peperisse. Quo autem merito hæc contigerint, subinfertur: *Sed ante hęc omnia, &c. Continget autem vobis in testimonium.* Eorum qui vel persequuntur, vel viuendo non mutantur. Mors enim iustorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium damnationis, vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt, vt viuant. Quia verò tot terroribus auditis turbari poterant, consolationem supponit: *Ponite ergo in cordibus vestris, &c. A parentibus & fratribus, &c.* Maius tormentum, cum aliquis ab illis patitur, de quibus præsumebat, quia cum damno corporis mala cruciãt amissæ charitatis. Et quia dura sunt quæ prædicuntur de afflictione mortis, subditur consolatio de gaudio resurrectionis. *Et capillus de capite.* Quasi dicat. Cur timetis ne pereat, quod incisum dolet, quandoquidem nec illud potest perire in vobis, quod incisum non dolet? Caro enim incisa dolet, capillus non dolet. *Et capillus.* Non solum ossa vestra, id est, fortia gesta, vel dicta remunerabuntur, sed etiam capilli, id est, cogitationes, quæ de corde quasi de cerebro exeunt, apud iustũ iudicem iusta mercede donabũtur. Vnde propheta: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. *In patientia vestra.* Patientia radix & custos est omnium virtutum: In hac ergo animas, quæ corpus possident, possidemus, cum ipsas animas ad patiendum ratione regimus. Vera autem patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti: contra eum qui mala irrogat, nullo dolore moueri.

Iosephus de bello Iud. lib. 7. c. 17.

Psal. 75.

CATENA AVREA
in idem Euang.

CVm *autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri, &c.* Greg. in ho. Perituri mundi præcurrentia mala denuntiat dominus, vt eo minus perturbent venientia quo fuerint præscita. Minus enim iacula feriunt quæ præuidentur: vnde dicit: *Cum autem audieritis prælia, &c.* Bella ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet exterius interiúsque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti. Amb. Verborum autem cælestiũ nulli magis, quam nos testes sumus, quos mundi finis inuenit, quanta prælia, & quas opiniones accepimus præliorũ? Greg. in ho. Sed his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungitur: *Oportet hæc primum fieri, &c.* Vltima enim tribulatio multis tribulationibus præuenitur, quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nuntiare: vnde sequitur, *Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem, &c.* Quia necesse est vt alia ex cælo, alia ex terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur: hic ergo signatur perturbatio hominum. Sequitur: *Et terræmotus magni erunt per loca.* Ecce respectus iræ desuper. Chry. Terræmotus enim quandoque iræ signum est: nam & quando crucifixus est Dominus, mota est terra: quandoque vero prouisionis indicium, sicut orantibus apostolis commotus est locus in quo erant congregati. Sequitur: *Et pestilentiæ.* Greg. in ho. Ecce inæqualitas corporum. *Et fames.* Ecce sterilitas terræ. *Terroré sque de cęlo, & signa magna erunt.* Ecce inæqualitas aeris, quod ad eas tempestates referendum est, quæ nequaquam ordinem temporum seruant: quæ enim ordinate veniunt, signum non sunt. Omnia enim quæ ad vsum vitæ accipimus, ad vsum conuertimus culpæ. Sed cuncta quæ ad vsum prauitatis inleximus, ad vsum nobis vertũtur vltionis. Ambro. Occasum ergo seculi præcedũt quædam ęgritudines mundi, scilicet fames, pestilentia, & persecutio. Theo. Quidam autem hæc non solum in consummatione futura, sed & tempore captionis Hierusalem fuisse impleta voluerunt. Authore nãque pacis perẽpto, meritò in eis seditiones & bella locum habuerunt. Ex bellis autem pestis & fames consequitur, hæc quidem aere cadaueribus infecto, illa incultis manentibus agris. Sed & Iosephus intolerabiles ærũnas euenisse recitat propter famem, & tempore Claudij Cæsaris fames inualuit, vt in actibus legitur, & plurima terribilia contigerunt captionem Hierusalem indicantia, vt Iosephus narrat. Chrysostomus, Dicit autem quod non statim finis ciuitatis eueniet, vt scilicet Hierosolyma capiatur, sed post prælia multa. Beda, Admonentur etiam apostoli ne terreantur his

præ

præcurrentibus, ne Hierosolymam Iudæámque deserant. Potest autem regnum contra regnum, & pestilentiæ eorum quorum sermo serpit vt cancer, & fames audiendi verbi Dei & cõmotio vniuersæ terræ, & à vera fide separatio etiam in hæreticis intelligi, qui contra se inuicem dimicantes, ecclesiæ victoriam faciunt. Ambrosius, Sunt autem & alia bella quæ vir sustinet Christianus, diuersarum quoque prælia cupiditatum studiorúmque conflictus, Multò etiam grauiores sunt domestici hostes quam extranei. *Sed ante hæc omnia inycient vobis manus suas, &c.* Greg. in ho. Quia cuncta quæ prædicta sunt, non de iniustitia ferientis sunt, sed de merito mundi patientis, facta prauorum hominum prænuntiátur, cùm dicitur: *Sed ante hæc omnia inycient vo. &c.* Ac si dicat, Prius corda hominum post elementa turbabuntur, vt cùm rerum ordo confunditur, ea qua tribulatione veniat demonstretur. Nam quamuis finis mũdi ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamen quosque inueniens, quia digne ruinis illorum opprimantur, innotescit. Cyril. Vel hoc dicit, quia priusquam à Romanis Hierusalem caperetur, passi persecutiones à Iudæis discipuli incarcerati sunt, & præsentati principibus. Missus est Paulus Romam ad Cæsarem, astitítque Festo & Agrippæ. Sequitur. *Continget autem vobis in testimonium.* Græcus, In martyrium, id est, in martyrij gloriam. Greg. in ho. Vel in testimoniũ videlicet eorũ, quia vos persequendo mortes inferunt, aut viuendo non imitantur: vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt vt viuant, sed auditis tot terroribus turbari poterant auditorum corda, vnde ad eorum consolationem subdit: *Ponite ergo in cordibus vestris nõ præmeditari quemadmodum respondeatis.* Theo. Quia enim idiotæ erant & imperiti: hoc eis Dominus dicit, ne conturbarentur reddituri sapientibus rationem, & causam subdit: *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersary vestri,* Quasi dicat. Statim à me sortiemini facundiam & sapientiam, vt nec omnes aduersarij vestri si in vnũ conuenerint, resistere valeant vobis, nec in sapientia, id est, vita theorematum, nec in eloquentia & sermonis lepore. Sæpe enim multi sapientiam quidé habent in mente, sed cùm sint prouocabiles ad turbationem, totum cõfundunt cùm tempus fuerit proponendi: non autem tales fuerunt apostoli, sed vtrinque gratiosi fuernot. Greg. Ac si Dominus suis dicat: nolite terreri, vos ad certamen accedetis, ego prælior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Amb. Alibi autem Christus in discipulis, alibi pater, alibi spiritus loquitur patris: non discordant, ista, sed congruunt: quod vnus loquitur, tres loquuntur, quia vox est vna trinitatis. Theo. His autem dictis, & propulso imperitiæ timore, subdit & aliud quiddam necessariũ quod eorum amicos poterat commonere ne subitò irruens eos turbaret. Sequitur autem: *Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis, & morte afficient ex vobis.* Greg. in ho. Plus in nobis ea tormenta sæuiunt quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciant amissæ charitatis. Greg. Nisse. Consideremus autem statum qui tunc temporis erat omnibus suspectus, adinuicem diuidebantur cognationes, inuicé disgregatæ per cultus, & filius gentilis proditor fiebat parétum fidelium, & in filium qui credideret pater in infidelitate obstinatus accusator fiebat. Omnis ætas erat exposita persequentibus fidem, nec mulieribus succurrebat naturalis sexus fragilitas. Theo. His autem dictis & de odio subiungit, quod ab omnibus patientur. Sequitur enim: *Et eritis odio omnibus hominibus, &c.* Greg. in ho. Sed quia dura sunt, quæ prædicantur de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur: *Et capillus de capite vestro non peribit.* Quasi dicat, martyribus suis. Cur timetis ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet? Beda, Vel aliter; Capillus de capite discipulorum Domini non peribit, quia non solum fortia facta vel dicta sanctorum, sed & tenuissima cogitatio digna mercede donabitur. Greg. 5. mor. Qui autem patientiam in aduersis tenet, inde contra aduersa omnia fortis efficitur: vnde sibi & seipsum vincendo dominatur: vnde sequitur: *In patiẽtia vestra poss. ani. vestras.* Quid enim est animas possidere, nisi perfecte in omnibus viuere, cunctísque mẽtis motibus quasi ex arce virtutis dominari? Greg. in ho. Per patientiam igitur animas nostras possidemus, quia dum nobismetipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Idcirco autem possessio animæ in virtute patientię ponitur, quia radix omnium custósque virtutum patientię est. Patientia verò est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrigat nullo dolore morderi.

S. AMBROSII EPISC.

Mediolan. superioris Euang. expositio.

CVm *autem audieritis prælia, &c.* Interrogatus Dominus, quando templi futura destructio, & quod signum esset aduentus eius, de signis docet, de tempore non putat intimandum. Sed Matthæus interrogationem tertiam addidit, vt & templi tempora destruendi, & signum aduentus, & consummatio sæculi à discipulis quæreretur. *Matth. 24.* Lucas satis putauit de consummatione sæculi cognitum, si de aduentu Domini disceretur: verborum autem cælestium nulli magis quam nós testes sumus, quos mundi finis inuenit. Quanta enim prælia, & quas opiniones accepimus præliorum? Huni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos, & Sarmatas insurrexerunt. Nos quoque in Illyrico exules patria, Gothorum exilia fecerunt, & nondum est finis. Quæ omnium fames, lues pariter boum, atque hominum, cæteríque pecoris, vt etiam nos, qui bellum nõ pertulimus, debellatis tamen pares fecerit pestilentia. Ergo, quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quędam ægritudines mundi. Aegritudo mundi est fames, ægritudo mundi est pestilentia, ægritudo mundi est persecutio. Sunt autem & alia bella, quæ vir sustinet Christianus: Diuersarum quoque prælia cupiditatum, studiorúmque conflictus, multóque grauiores domestici hostes quam extranei. Nunc auaritia stimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat, nunc ambitio mouet, nunc terrere tentant spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cęlestibus. Itaque quasi quibusdam vrgetur præliis, & quibusdam terræmotibus qua-

utor mubilis animi mutantis affectus. Sed fortior
Pſal.26. dicit: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat in me prǣlium, in hoc ego ſperabo. Stat in acie ferens hoſti obuium pectus: etiam ſi quis Golias exurgat immitis, atque prǣcelſus, timentibus tamen cǣteris, exurgit humilis quaſi Dauid Regis abiiciẽs arma terreni, ſumens fidei tela leuiora, & triplici ſparto iaculum puræ confeſſionis intorquens, perſecutoris vulnerat impudentiam, contemptor minarum, negligens poteſtatum: etiam idoneus: in quo Chriſtus loquatur. Alibi Chriſtus, alibi pater, alibi ſpiritus loquitur patris. Non diſcordant iſta, ſed congruunt. Quod vnus loquitur, tres loquuntur: quia vox vna eſt trinitatis. Huic victuri, qui ſuo Goliam gladio peremerit, dum mortem pro Chriſto excipit, fugatis allophyllis, occurrunt iu-
1.Reg.18. uenculæ, illæ ſcilicet ſicut aquilæ dicentes: Percuſſit Saul in milibus, Dauid in decem milibus. Quod indicio eſt, victores ſeculi principibus anteferri. Denique mortuis Regibus in perpetuum,
Reges ſiũt ſupplices martyribus patroni. Martyres regno cǣleſtis gratię honore ſuccedunt. Et illi fiunt ſupplices, hi patroni. Eſt & alius Golię gladius, aliud diaboli telum, ſermo ſcilicet hǣreticorum: quem vir pſallere ſciens arripit, vt aduerſarium vincat, audiens hic bella, non patiens, nec alicuius vento doctrinæ mobilis, inquietus, neſciens famen verbi, & ſcripturæ cæleſtis vbertate ſatiatus, qui vanis hǣreticorum vocibus perſonantem laceſſere non reformidet. Tunc qui eſt infirmus, expectet, ne præiudicium cǣteris faciat congreſſu impari. Veniat Dauid, cui Chriſtus os
Iudic.6. aperiat, ad eloquenda myſteria: Veniat ille Nazaræus, cuius capillus non cadat, vel nihil habens ſuperfluum, quod cadere poſſit, vel nihil de ſuperioribus virtutibus amiſſurus, integer ſobrietate, fortis in pace, qui ſenſus omnes vſque in finem, & verba cuſtodiat: Prædicetur Euangelium, vt ſæculum deſtruatur. Sicut enim præceſſit in orbem terræ Euangelij prędicatio, cui iã & Gothi, & Armenij crediderunt: & ideo mũdi finem videmus: ita & à viro ſpiritali Euangeliũ prędicatur, quando omnes ſapientiæ proceſſus, & omnes formas virtutis exequitur: pſallenti mente, & ſpiritu no-
1.Cor.15. uiſſimam deſtruẽs mortem. Tunc enim finis, cum tradiderit in eo Chriſtus regnum Deo, & patri, fueritque iſte ſubiectus ei, qui ſibi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Et prædicabitur Euangelium per omnes ciuitates Iudææ. No-
Pſal.75. tus eſt enim in Iudæa Deus. Tunc enim ciuitates ædificantur Iudęæ, quando virtutum fundamenta ponuntur.

S. EPHRAEM ECCLE-
ſiæ Ediſſenæ Diaconi, de laudibus ſanctorum Mart. Sermo.

Ambroſio Camaldulenſi interpretẽ.

INſipiens, imperitus, rudis pictor, & horridus, pulcherrimam ſpectatoribus proponere imaginem cupit, eámque lucentem, ac ſplendidam cunctis oſtendere, id eſt, ſanctorum Martyrum pugnam. Sed cùm dignis ea imagine coloribus careat, nec adſit manus, quæ in ea effigie lineamenta perfecta inſignire valeat, quo pacto prǣſumet iners, atq; rudis excedentem virium ſuarum modum, imaginem vel ornare coloribus, vel ſpectantibus ad intuendum proponere? Quoniam igitur ſuam ignorat inertiam, neque ſuæ humilitatis oblitus eſt huiuſmodi opifex, in oratione proſternitur deprecans Dominum omnium Regem Chriſtum, vt qui Martyribus ſuis inter certamina donauit vires, atque inter preſſuras tolerantiam contulit, vt varias aſtuti inimici artes, & calidum ingenium vincerent, coronamque immortalem & immarceſcibilẽ raperẽt, ipſe Deus bonus, pius, ſanctus, rudi artifici, & imperito, ſapientiam, intelligentiam, ac virtutem præſtet, quibus imaginem pulcherrimam, atque digniſſimam poſſit erigere, ſanctorúmq; Martyrum glorioſa certamina, ſpectanda omnibus poſthac generationibus, atque admiranda proponere, vt poſteri addiſcant præclarã patientiam, eximiámque conſtantiam ſanctorum bellatorum. Fuerunt enim profectò nobiliſſimi, & conſtantiſſimi propoſiti, nimiúmque laudabiles. Nam cùm perſecutionis ſæuiſſimę feruor Chriſtiani gregis ſtrages plurimas daret, omnéſque timidi, ac fide imbecilles certare renuerent, Chriſtúmque Dei filium confiteri pœnarum metu detrectarent, fortiſſimi iſti milites Chriſti inſtaurarunt aciem, & cõſerto bello ſummis viribus fuderunt hoſtem, victoriaq; potiti ſunt. Accincti enim lumbos ſuos fide integra, atque perfecta, interriti Chriſtum Dominum ingentique conſtantia confitebantur. Qui verò formidine, ac pauore ſuperati, terga hoſti dederunt, cæleſti regno ſeipſos abdicarunt. Miſeri profectò, atque miſerabiles, quos tepor, atque ſocordia tanta gloria fecit indignos. Stabant igitur certaminis tempore fortiſſimi bellatores Dei, tormẽta omnia ſumma animi alacritate tolerantes pro nomine vnigeniti filij Dei, ac Saluatoris noſtri Chriſti. Quàm verò ſtrenui, quantáque laude fortitudinis prædití fuere, qui ſubiecta oculis horrenda ſupplicia contra ſe parata, non modò nihil timuerunt, verùm maiori quoque cõſtantia pugnantes, cuncta tolerando ſuperarunt? Cernebant ardẽtem rogum, ignitas ſartagines, olláſque feruentes, quæ feruore nimio guttas picis, & adipis longius iaculabantur. Aſpiciebant item ferratas, & aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate verſari. Intuebantur ferreas vngues, lamináſque candentes, fuſtes, vectes, aculeos, terebra, compedes, atque cathenas, omnémque prorſus artem, quam inimicus veritatis aduerſus confeſſores Domini Saluatoris inuenit. Omnia enim pœnarum genera in conſpectum martyribus hoſtis callidus dedit, vt in formidinẽ verteret ſanctos, & aſpectu ipſo, ac terrore pœnarum, lingua non amplius confiteri Dominum Ieſum metu impedita præſumeret. Quid autem fideliſſimi, promptiſſimique bellatores Chriſti inter huiuſmodi ante oculos expoſita horrenda, inauditáque ſupplicia? Promptiores effecti maiore fiducia, atque conſtantia indubitanter, & intrepidè ante tribunalia iudicum, ac præfectorum Chriſtum Dominum confitebantur. Non ſtridens flamma, non ignitæ ſartagines, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminæ, non vngnium dentes, non cætera id genus tormenta, non compedes, non cathenarum pondus immenſum, non tyrannorum minæ, non principum fremitus, non ars tota diaboli, miniſtrorúmque eius exterruit fortiſſimos milites Chriſti, non impulit abnegare pietatem, non à charitate Dei, & Saluatoris abduxit: ſed

præcincti

præcincti fide, conculcarunt machinas omnes inimici, neque illos omnino formido tentauit. Vidisti seruorum fidelium robur? Vidisti gloriam pugilum Christi, atque constantiam? Vidisti alacritatem ingentem cęleste regnum tota fide quærentium, Christúmque Regem suum omni affectu ambientium? Vidisti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidisti charitatem flagrantem in beatissimis pectoribus martyrum, pro qua terrena cuncta spreuerunt, vt Deum suum tenerent, quem dilexerunt? Vidisti affectum Christi, quomodo à terra sublimat exaltari cupientes? Vidisti exultantem paradisum amplecti, ac fouere sui quosdam auidos milites Christi in æterna luce, ac pace gaudentes? Accede, mi frater charissime, pertracta, considera martyrum gloriosos triumphos. Aspice oculis cordis cælestiũ pugilum eximiam fidem, inuiolabilémque pietatis affectum. Non valuit vis immensa pœnarum iustorum animos flectere, tam intrepidæ charitatis ardorem, nec mors ipsa quiuit extinguere. Cęsi magno enim gaudio flagrorum ictus, vt summas delicias, suscipiebant, serenáque, ac ridenti facie gratias Deo referebant: quia meruerant pro ipsius nomine pati. Quibus ego vos laudibus prædicem, ô perfecti milites Christi? Aut quomodo appellẽ vos, inclyti, atque beatissimi viri? Quis vestræ fidei laudes explicare sufficiat? Obstupuit nempe Oratorum facundia, Philosophorumque sapientia, dum cernerent mirabilia in Christi famulis fieri. Iudicibus, ac Tyrannis verba defecerunt, sanctorum Martyrum constantiam, & alacritatem, immensamque athletarum Christi tolerantiam aspicientibus. Nam dum lictorum manus eorum membra torquerent, visceráque nudarent, non mœrentes aspexere, non tristes, nec solùm inter cruciatus gemitum non edentes, verùm læunte facie gaudia interna testantes. Quippe illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obsequi potius, quàm sæuire videbantur. Nos autem, fratres, quam, obsecro, apud Deum in die iudicij excusationem habituri sumus, qui sine persecutionis atrocitate, & cruciatibus variis, charitatem Dei, vitámq; nostram ita negligimus, ac tanto corporis somno demersi sumus? Martyres ecce vexari, afflicti, tentari, exquisitisque tormentis cruciari, Deum ex toto corde, totáque mente dilexerunt. Nullis tentationibus, nullis, grauissimis licet, acerrimisque suppliciis flecti potuit tanta constãtia. Nullis persequentium terroribus diuinæ charitatis ardor in sacris pectoribus quiuit obtundi. Nos verò in requie, atque deliciis benignissimum Deum, ac Dominum nostrum diligere volumus. Quid igitur acturi, quid dicturi sumus in die illa terribili, cùm beatissimi martyres prope solium gloriæ magna cum gloria, & confidentia astantes, ostendent cicatrices vulnerum, atrociúmque pœnarum in suis corporibus lucẽtes, fulgoremque Solis sua claritate vincentes? Nos quidnam ibi, fratres, ostẽsuri sumus? Quas virtutes pręferemus? Num charitatem Dei? Num inuiolabilem fidem? Num terrenorum omnium nuditatem? An fortè tranquillitatem? An quietem? Num eleemosynas? Num miserationis affectum? An mansuetudinem? An orationes mundas? An compunctionem salutarem? An vigilias? An lachrymas? Beatus sanè, felíxque est, quem illic ista comitantur. Nam erit profectò tunc martyrum socius, neque à cœlesti, & pleno luminis thalamo abiicietur, sed eandem habebit confidentiam coram Christo Domino, & Angelis eius, his operibus fretus, gloriamque nihilo martyribus inferiorem. Precamur, beatissimi martyres, qui pro Domino Saluatore, proq; illius charitate sponte, & impigrè tormenta subiistis, atque ideò familiarius Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris, & peccatoribus, & negligentiæ squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quæ corda nostra radio sanctæ charitatis illustret, vt ipsum toto corde diligere possimus. Vos nempe verè beati, atque gloriosi estis, quos Angeli, & homines pari consensu beatos prædicant. Nam pressuræ tempore, cùm pœnarum dolor augeretur, vos ante mẽtis oculos paradisum habebatis, vobiscum ista reputantes: Multiplicentur hic supplicia corporis, vt illic in paradiso voluptatis propagetur, & requies. Cúmque in altum se attollerent fluctuum montes, & moles vndarum per supplicia passionum, beatitudo vobis à Deo repromissa iugiter versabatur ante oculos, perfectè credentibus nõ posse mentiri Deum, qui ista promiserat. Quoniam igitur futura illa, & sempiterna bona iugiter intuebamini, certi vos eis sine fine fruituros, idcircò beatissimi, si eis, nullúsque non potuit vestra constantia. Læta, & exultans futurorum expectatio, fortes vos, ac robustissimos fecit. Itaque horis singulis noua vobis admoueri acriora supplicia cupiebatis, neque satiari pœnis poteratis. Vidit vos truculentus arbiter securos, fidentes, intrepidos in agone persistere, nullámque pœnarum acerbitatem, nullos verberum ictus, nullas carnificum manus omnino formidare, fractásque suæ nequitiæ vires obstupuit, ac doluit. Vbi verò cruciatus omnes, ô fortissimi athletæ Dei, immensa virtute vicistis, arbitrabatur insanus Iudex perferri metum robur vestræ constantiæ in formidinem posse conuertere, negatorésque Christum putauit, quem toto animi affectu concupistis, qui quæ in cordibus vestris, vt in purissimo, gratissimóque domicilio inhabitabat. Ignorabat amens, fore, vt ipsius gladius, qui immensos sanguinis riuos, strictus in sanctorum iugulum, funderet, sibi in primis pararet necem, vt ipsis pij cruoris vndis suffocaretur infelix. Aiebat autem militibus suis victus, atque confusus: Timeo, ac trepido vehementer hunc sanguinem, qui de cæsorum pro Iesu Nazareni nomine ceruicibus manat. Se inuicem hortantur ad mortem pro ipsius confessione subeundam. Terret me tantus ipsorum cruoris effusio, neque ad momentum, ante tantum discipulorum Christi consensum, tãtámque concordiam fidei consistere possum. Pœnitet me iam facti mei, mallémque aduersus eos non cõcitasse principum animos. Ecce enim illorũ sanguis me vndique exagitat. En sanguinis odor meas exoluit vires, ac nequeo penitus illuc intẽdere aciem, vbi Discipulorum Iesu ossa inhumata iacent. Hæc sunt, ô fortissimi milites Christi, insignia vestræ victoriæ. Ista, ô athletæ probatissimi perfectique diuini prælij bellatores, vestræ fidei, ac fortitudinis præmia. Istæ vestræ victoriæ, hæc gloriatio vestra. Mors vestra perennem vobis peperit vitam. Conspexere sapientes stragem vestram, ac in stuporem conuersa est illorum sa-

Vide quomodo etiam veteres patres inuocabãt sanctos, & vt apud Dominũ pro se intercederent supplicabant.

Nota valere illa opera ad coronam quæ etiam fiũt æterna beatitudinis respectu.

pientia, attonitique ad alterutrum dicebant: Verè magnus est Christianorum Deus, in quē illius discipuli ita crediderunt, vt ab eius fide nullis suppliciis amoueri possint. Sæpe autem & tortores ipsi, beatorum tanta permoti constantia, Christum venerabiliter adorauerunt, factique sunt in timore Dei, ac fide perfecti, tolerantia maximè martyrum, & exhortationibus, quibus sæ mutuò in ipso ardore certaminis ad passiones tolerandas animabant, prouocati. Vidistis, fratres, diuini consensus eminentiam? Vidistis, dilectissimi, charitatem Dei, membra sua inter labores, passionésque roborantem? Nam sancti illi se inuicem in ipso certaminis feruore ad perferendos pro fide Christi cruciatus hortabantur, pusillanimesque consolabantur, vt ipsi quoque illorum serui vnà cum dominis in sancto certamine martyrij corona donarentur. Nos contra mali, atque peruersi, inuicem inuidemus, inuicem comedimus, inuicem mordemus ob immanitatem nequitiæ nostræ. Agè igitur sanctorum martyrum esto discipulus. Si te illis in disciplinam tradas, erunt tibi præceptores optimi, disces quæ ab illis nulla ratione passionibus cedere, disces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentémque miserationis affectum, ac futurorum desiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei, & fide perfecta vicerunt. Vince igitur & tu semper ardentes noxiæ concupiscentiæ flammas. Varius illi cruciatus tolerandos superarūt, spe, quæ est in Christo, subnixi. Tu quoque turpes omnes passiones, pudicitia, & cogitatione pietatis admota, superare contende. Vicerunt illi tyrannos per modestiam, & longanimitatem. Vince tu quoque iracundiæ tyrannidem eisdem armis instructus. Illi apertè martyres fuere. Tu in occulto martyr esto perfectus. Illi palàm consummauere certamen, vt in die retributionis tu cum ipsis coroneris, atque in cælesti regno illorum gloriæ socius inueniaris, atque vnà sempiterno gaudio fruaris. Nunc igitur, beatissimi viri, ô gloriosissimi martyres Dei, me miserum vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum. Vt pincerna inutilis, ac rudis vobis effectus sum, ô sanctissimi martyres. De vino vestri certaminis inclyti, filiis, ac fratribus fidei vestræ poculum tradidi. De præclara mensa vestræ victoriæ omnigenis instructa epulis, patres, ac fratres, propinquósque vestros quotidie mensam vestram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam ecce psallunt, Deúmque cum exultatione glorificant, qui virtutis vestræ sacratissima capita cælestibus coronis honorauit, summóque cum gaudio circunstant certaminis vestri reliquias, benedici cupientes, ac secum referre sancta animæ, corporisque remedia. Omnes ergo benedicite, vt boni discipuli benignissimi Domini, & Saluatoris nostri. Ego item imbecillis, accepto vestris meritis, ac precibus robore, cecini tota deuotione animi ante sanctas reliquias vestras hymnum vestræ laudis, & gloriæ. * Pro me igitur misero ante thronum maiestatis assistite, vt vestris precibus saluari merear, ac vobiscum æterna beatitudine perfrui, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui est cum Patre, & Spiritu sancto honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Ecce quomodo sancti pro nobis orant.

Aduerte verba hæc, Pro me misero ante thronum maiestatis assistite, vt vestris precibus saluari merear, ac vobiscum æterna beatitudine perfrui.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponen. in eodem festo, Homil.

Serm. 13. de 17. Hom.

ADmonent nos eloquia diuina, quæ lecta sunt timendo non timere, & non timendo timere. Aduertistis, quum sanctum Euangelium legeretur dominum Deum nostrum antequam pro nobis moreretur firmos nos esse voluisse, sed admonendo ne timeremus, & admonendo, vt timeremus, ait enim, Nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere. Ecce vbi monuit ne timeremus, videte vbi monuerit vt timeremus. Sed eum, inquit, timete, qui potestatem habet corpus, & animam occidere in gehennam, ergo timeamus vt non timeamus. Timor videtur ad ignauiam pertinere. Timor infirmorum videtur esse non fortium. Sed videte, quid ait scriptura, Timor domini spes fortitudinis. Timeamus ne timeamus: hoc est, prudenter timeamus, ne inaniter timeamus, martyres sancti, propter quorum solennitatem hæc ex Euangelio recitatum est timendo non timuerunt, quia Deum timendo homines contempserunt. Quid enim ab hominibus homini metuendum est? Et quid est vnde alterum terreat homo hominem? Terret, & dicit: occido te, & non timet ne, quum minatur, prius moriatur. Occido, inquit, Quis dicit? Cui dicit? Duos audio, vnum terrentē, alterum metuentem: quorum duorum vnus est potens, alter infirmus, sed ambo mortales. Quid se ergo extendit in honore inflatior potestas, in carne æqualis infirmitas? Securus minetur mortem qui non timet mortem, si vero vnde terret, timet, attendat se & ei, cui minatur cōparet se, inueniat in eo cui minatur parem conditionē & à domino simul cum illo petat miserationem. Homo est enim & homini minatur creatura creaturæ: sed vna inflata sub creatore, altera fugiens ad creatorem. Dicat ergo fortissimus martyr stans homo ante hominem, non timeo, quia timeo, tu quod minaris si ille nolit non facis. Quod autem ille minatur, vt faciat à nullo impeditur, deinde tu quod minaris & si permitteris quid facis? Vsque ad carnem sæuis, anima tuta est. Non occides: quod non vides, visibilis visibilem terres. Habemus ambo inuisibilem creatorem quem simul timere debeamus, qui hominem ipsum ex visibili & inuisibili creauit: visibilem de terra fecit, inuisibilem flatu suo animauit. Substantia ergo inuisibilis, hoc est, anima quæ iacentē terram erexit de terra, non timet quum percutis terram: potes ferire habitaculum, nunquid habitatorem? Fugit percusso vinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. Quid ergo minaris qui animæ nihil facere potes? Per meritum eius cui facere nihil potes, resurget cui facere aliquid potes: per meritum enim animæ resurget & caro & habitatori reddetur iam non ruitura, sed mansura: ecce verba martyris dico, ecce propter ipsam carnem meam timeo comminantem, caro mea subiacet potestati, sed etiam capilli capitis mei numerati sunt creatori. Quid timeo, ne carnem perdam, qui nec capillum perdo? Quomodo non attendit carnem meam, cui sic nota sunt vilia mea? Ipsum corpus, quod percuti, & occidi potest, ad tempus eius erit, mortale erit. Sed cui hoc? Cui reddetur corpus ad vitam æternam etiam occisum, peremptum, dissipatum, cui reddetur?

Matth. 10.

Prouer. 14.

Matth. 10.

detur? Ei, qui non timuit ponere animam suam, quum non timet, ne occidatur caro sua. Etenim, fratres, anima immortalis perhibetur, & est immortalis secundum quendam modum suum, quia est quędam vita, quæ potest præsentia sua carnem viuificare. Per animam quippe caro viuit, hæc vita mori non potest, & ideo anima immortalis est. Quare ergo dixi, secundum suum modum: Quoniam est quædam immortalitas vera, immortalitas quæ est omnimoda incommutabilitas, de qua dicit Apostolus loquens de Deo: Qui solus habet immortalitatẽ & lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest, cui est honor, & gloria in secula seculorum: amen. Si ergo Deus solus habet immortalitatem, certe anima mortalis est. Ecce quare dixi immortalem esse animam secũdum modum suum. Nam potest & mori: intelligat charitas vestra, & nulla quæstio remanebit. Audeo dicere, anima potest mori, potest occidi, certe immortalis est. Ecce audeo dicere, & immortalis est, & occidi potest: & ideo dixi, quoniã est quædã immortalitas, hoc est omnimoda incommutabilitas, quam solus Deus habet: de quo dictũ est, Qui solus habet immortalitatem. Nã, si anima non potest occidi, quomodo dixit ipse dominus, quum terreret nos, eum timete qui potestatem habet & corpus & animã occidere in gehennam? Adhuc confirmaui non solui quæstionem. Probaui quia potest anima occidi. Contradicit Euangelio nō potest, nisi ab anima impia. Ecce mihi occurrit & hic & venit in mentem quod dicam. Contradici non potest vitæ nisi ab anima mortua. Euãgelium vita est, impietas, & infidelitas mors animę est. Ecce potest mori, & immortalis est. Quomodo ergo immortalis est? Quia semper aliqua vita est, quæ in illa nunquam extinguitur. Quomodo moritur? Nō vt non sit vita sed amittendo vitam. Etenim anima & vita est alicui rei, & habet etiã ipsa vitam suam. Ordinem attende creaturarum. Vita corporis anima est. Vita animæ Deus est. Sicut adest vita corpori, id est anima ne moriatur corpus: sic debet adesse vita animę hoc est Deus ne moriatur anima. Corpus quomodo moritur? Anima deserente. Anima, inquam, deserente moritur corpus, & iacet cadauer paulo ante appetibile, modo aspernabile. Insunt membra, oculi, aures: sed hæ fenestræ sunt domus, habitator abscessit. Qui plangit mortuum ad fenestras habitaculi, frustra clamat. Non est intus, qui audiat. Quanta dicit plangentis affectus, quanta enumerat, quãta commemorat, & quanta, vt ita dixerim, doloris insania quasi cum sentiente loquitur, quum loquatur cũ absente. Enumerat mores, enumerat indicia beneuolentię circa se. Tu es, qui mihi illud dedisti. Illud & illud præstitisti, tu es, qui sic, & sic me dilexisti. Si attendas, si intelligas, si insaniam doloris premas, qui te dilexit abscessit: frustra te domus patitur pulsatorem, in qua non potes inuenire mãsorem. Redeamus ad causam, quam paulo ante dicebam. Mortuum est corpus. Quare? Quia discessit vita eius, hoc est anima. Viuit corpus, & impius est. Infidelis est, ad credendum durus, ad corrigendos mores ferreus. Viuente corpore, mortua est anima, per quam corpus viuit. Tanta enim res est anima, vt idonea sit vitam præstare corpori etiam mortuę. Tanta, inquam, res est anima tam excellens creatura, vt idonea sit etiam mortua est nem viui-

ficare. Nam ipsa anima impij, anima infidelis, anima peruersi, duri, mortua est: & tamen per ipsam mortuã viuit corpus. Ideo ibi est. Monet ad operandum manus, ad ambulandum pedes, ad videndum intendit obtutum, ad audiendum auribus inclinatur, sapores diiudicat, dolores refugit, appetit voluptates. Omnia hęc corporis viuentis indicia, sed ex animæ præsentia. Interrogo, Corpus an viuat. Respondet mihi: Vides ambulantem, vides operantem, audis loquentem, cernis appetentem, & fugientem, & non intelligis corpus viuere? Per hæc opera animæ intus constitutæ intelligo corpus viuere. Et interrogo ipsam animam, an viuat. Habet & ipsa opera sua, per quæ ostendat vitam suam. Pedes ambulant, intelligo corpus viuere, sed animæ præsentia. Quæro vtrum viuat anima. Pedes isti ambulant. Ecce de vno motu. De vita interrogo corpus & animam. Ambulant pedes, intelligo corpus viuere. Sed quò ambulant? Ad adulterium, inquit, Ergo mortua est anima. Sic enim veracissima scriptura dixit, Mortua est vidua quæ in deliciis viuit. Quum multum intersit inter delicias & adulterium, quomodo potest anima, quæ in deliciis mortua dicitur, in adulterio viuere? Mortua est. Sed nec sic quidem agens mortua est. Loquentem audio. Viuit corpus. Non enim lingua in ore moueretur, & perçuteret quibusque locis articulares sonos, nisi intus habitator esset, & quasi ad hoc organum musicus qui lingua illa vteretur. Prorsus intelligo. Hoc modo corpus loquitur: corpus viuit. Sed interrogo vtrũ & anima viuat. Ecce loquitur corpus, viuit. Quid loquitur? Quomodo dicebam de pedibus, ambulat. Ecce viuit corpus. Quò ambulant? Et quærebam vt intelligerem vtrum & anima viueret. Sic etiam quum audio loquẽtem, intelligo quia corpus viuit. Quæro quid loquatur, vtrum & anima viuat? Mendacium loquitur. Si mẽdacium loquitur, ergo mortua est. Vnde hoc probamus, Ipsam veritatem interrogemus, quæ ait, Os quod mentitur occidit animam. Quæro, quare mortua est anima? Quod paulo ante dicebam, quæro quare mortuum est corpus. Quia discessit vita eius anima. Quare mortua est anima? Quia deseruit eam vita eius, Deus. Breuiter ergo his cognitis scitote certúmque tenete corpus mortuum esse sine anima: Animam mortuam esse sine Deo. Omnis homo sine Deo, mortuam habet animam. Plangis mortuum, magis plange impium, plange infidelem, Scriptum est, Luctus mortui septem dies, fatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum. An vero non in te sunt viscera Christianæ miserationis, vt plangas corpus, à quo discessit anima. Et nō plangas animam, à qua recessit Deus. Hoc tenens martyr, respondeat comminatori. Quid me cogis? Vt negem Christum. Ergo vt negem veritatem, Si noluero, quid facis? Percutis corpus meum, vt recedat inde anima mea. Sed ipsa anima mea his bęc ad se corpus. Non est imprudens, nō est insipiens. Tu vis ferire corpus meum, vis vt quum timeo ne ferias corpus meum, & recedat inde anima mea, ego feriam animam meam & recedat inde Deus meus? Nō ergo timeas martyr gladium percussoris, linguam tuam time, ne tu percutias & occidas non carnem sed animam. Animam time ne moriatur in gehenna ignis. Inde ergo dominus. Qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis. Quomodo, quando mittetur in ge

Margin notes: 1.Tim.6. — Matth.5. — 1.Tim.5. — Sapien.1. — Eccl.22. — Matth.10.

in gehennam impius ardebit. Ibi corpus, Ibi anima. Mors corporis sempiterna poena. Mors animę, Dei absentia. Vis nosse quæ sit mors animæ? Intellige prophetam dicentem, Tollatur impius vt *Esai. 3.* non videat claritatem domini. Timeat ergo anima mortem suam, & non timeat mortem corporis sui. Quia si timuerit mortem suam, & vixerit in Deo suo, non eum offendendo & à se repellendo, merebitur in fine recipere corpus suum, non ad poenam æternā sicut impij, sed ad vitam æternam sicut iusti. Illam mortem timentes, & illam vitam martyres diligentes promissa Dei expectātes minas persecutorum cōtemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt, & nobis celebranda ista solennia reliquerunt.

EIVSDEM IN EODEM *Homilia.*

Serm. 43. de san̄ct. PSalmus, qui cantatur domino, videtur sanctis martyribus cōuenire. Sed si mēbra Christi sumus, sicut esse debemus, ad omnes nos pertinere *Psal. 125.* intelligamus. Qui sœminant in lachrymis in gaudio metent, Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Quò eunt, & vnde venientes? Quid seminantes in lachrymis? Quæ sunt semina, qui manipuli? Euntes in mortem, venientes à morte. Euntes nascendo, venientes resurgendo. Seminantes opera bona, merentes mercedem æternam. Semina ergo sunt nostra *2. Cor. 9.* quicquid boni fecerimus, Manipuli nostri quod in fine recipiemus. Si ergo bona semina bona sunt opera, quare seminantur cum lachrymis, cum hilarem datorem diligat Deus? Hic primum videte, charissimi, quo modo maximè ad beatos martyres verba ista pertineant. Nulli enim tantum impenderunt, quàm illi, qui seipsos impenderunt, si- *2. Cor. 12.* cut dicit Apostolus Paulus, Et ipse impendar pro animabus vestris. Impenderūt enim seipsos, confitendo Christum, & implendo in eius adiutorio, *Eccl. 31.* quod dictum est, Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet præparare. Quæ est magna mensa, nisi vnde accipimus corpus Christi, & sanguinem? Quid est scito, quoniam talia oportet te præparare, nisi quod beatus Ioannes *1. Ioan. 3.* exponit. Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere? Ecce quantum impenderunt. Sed nunquid sancti martyres perierunt, quando securitatem à domino etiam de capillo acceperunt? Perit manus, vbi non perit pilus? Perit caput, vbi non perit capillus? Vbi non perit palpebra, perit oculus? Hac ergo accepta magna securitate, impenderunt seipsos. Operibus ergo bonis seminemus, *2. Cor. 9.* cum tempus est, dicente Apostolo, Qui parce seminat, parce & metet. Infatigabiles, inquit, cum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei: & iterum, *Galat. 6.* Bonum, inquit, facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Qui defecerit in semine, non gaudebit in messe. Quare ergo in lachrymis, cum omnia opera bona habere debeant hilaritatem? Et quidem de martyribus dici potest, quia cum lachrymis seminauerunt. Fortiter enim certauerunt, & in magnis tribulationibus fuerunt. Nam, vt eorum lachrymas Christus consolaretur

transtulit eos in se, & transfigurauit eos & dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Verun- *Matth. 26.* tamen, fratres mei, videtur mihi, quod caput nostrum infirmioribus suis membris compassum est, ne de se forte membra desperantia infirma, sicut est humana fragilitas, morte propinquante perturbarentur, & dicerent non se ad dominum pertinere, nam si pertinerent gauderent: prius ergo Christus sub persona martyrum dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Quis hoc dicit? Quæ potestas? quæ infirmitas? Audite quæ dicit, Pote- *Ioan. 10.* statem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam, Hæc potestas tristis erat, quando faciebat quod nō faceret, nisi voluisset, Potestate enim fecit non conditione, quia ipse voluit, non quia Iudæus potuit. Transfigurauit ergo in se infirma membra corporis sui: & forte de illis dictum est, Qui se- *Psal. 125.* minant in lachrymis, in gaudio metent: id est, de infirmioribus. Non enim in lachrymis seminabat ille ipsius Christi magnus præco, qui dicebat, Ego enim iam immolor, & tempus meæ resolutionis *2. Tim. 4.* instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero mihi superest corona iusticiæ, corona de manipulis. Superest, inquit, mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi dominus in illum diem iustus iudex: quasi diceret. Reddet mihi messem, cui meipsum impendo sementem. Hæc verba quantum intelligimus, fratres, exultantis sunt, non plorātis. Nunquid quando ista dicebat, in lachrymis erat? Ad infirmos ergo referamus hæc verba: vt nec ipsi desperent, qui in lachrymis seminauerunt: quia etsi seminauerunt in lachrymis, transiet dolor, & gemitus, transit tristitia cum fine, & venit lætitia sine fine. Veruntamen audistis, fratres charissimi, quo modo mihi videtur ad omnes pertinere quod dictum est, Qui seminant in lachrymis, in gaudio metēt. *Psal. 125.* Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, tollentes manipulos suos. Audite si adiuuante domino, explicare potuero quemadmodum ad omnes pertineat, Euntes ibant, & flebant. Ex quo nascimur imus. Quis enim stat? Quis non ex quo viam intrauit, cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat. Mors finis est. In die iam veniendum est, sed cum exultatione. Quis enim non hic plorat in via ista mala, quando ipse infans inde incipit? Vtique infans quando nascitur, de angustiis vteri in huius mundi latitudinē funditur, de tenebris procedit ad lucem, & tamen de tenebris veniens ad lucem plorare potest, ridere non potest. Est enim vita ista, vt quando gaudetur, hic, time ne fallat, quando hic ploratur, roga vt euadas, & transit tribulatio: & venit tribulatio: & rident homines & plorant homines, & quod rident homines plorandum est. Sed plorat alius damnum suum, plorat alius pressuram suam, quia in carcere est cōstitutus. Plorat alius, quod amiserit mortuum aliquem amicorū suorū: Ille hinc, ille hinc. Iustus vnde? Primo de his omnibus, Iustus enim plorat veraciter plorantes steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes, quia & qui plorant de rebus vanis inaniter plangunt: & qui rident de rebus vanis: malo suo rident. Ille vbique plorat, plus ergo ipse plorat. Sed venient cum exultatione por

ne portantes manipulos suos. Vides ergo hominem iustum, cum facit opus bonum, hilarem esse? Ita planè hilarescit, Hilarem enim datorem diligit Deus. *2.Cor.9.* Quando enim plorat? Quando bona opera sua orando commendat. Orationes sanctorum voluit commendare Psalmus, orationes peregrinantium, orationes in hac via laborantium, orationes amantium, orationes gementium, orationes æternæ patriæ suspirantium, donec ea visa satientur, qui nunc in mœrore sunt constituti. Etenim, fratres mei, quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Deo. *2.Cor.5.* Nun desiderat patriam peregrinatio sine lachryma. Si desideras quod nó habes, funde lachrymas: nam vnde dicturus es Deo, *Psal.55. & 41.* Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo? Vnde dicturus es Deo, Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte? Vnde? Dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus. Quis iustus non habuit istas lachrymas? Qui non habuit, peregrinum se esse non doluit. Qua fronte ad patriam venit, qui non absens suspirauit? Nónne nobis quotidie dicitur, Vbi est Deus tuus? Discite fratres mei, discite de paucis esse. Bene viuite, ambulate viam Dei & videte quia auditis, vbi est Deus tuus? Fœlices eritis, cū hoc audieritis, infœlices si dixeritis: Quādo enim defendimus fidē Christianam, & respondetur nobis, Ecce prędicatur vbiq; nomē Christi, quare abūdant mala, quid aliud dicitur nisi vbi est Deus tuus? Qui audit gemit, quia qui dicit perit. Sūt lachrymę piorū, sunt lachrymę sanctorū quas indicant orationes eorum. Bene operatur, & hilaris est, & plorat vt bene operetur, plorat quia bene operatus est. Plorando exigit bonum opus, plorando commendat bonum opus, quod fecit. Crebræ ergo sunt lachrymæ iustorum, sed in ista via. Nunquid in patria? Quare non in patria? Quia venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos. *Psal.125.* Fœlicitas venit, nunquid lachryma redit? Porrò autem illi qui hic inaniter plorant, inaniter rident, cupiditatibus suis dissipati quando fraudantur, gemunt, quādo fraudāt, exultant. Plorant ipsi in via ista, plorant & ipsi, sed non in exultatione portantes manipulos suos. Quid colligūt qui nihil seminauerunt? imò colligunt, sed quod seminauerunt, quia spinas seminauerunt, ignem colligunt, & eunt non de fletu ad risum sicut sancti. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient in exultatione. Illi à fletu ad fletum, à fletu cum risu ad fletum sine risu. *Matth.22.* Quid enim illis fiet? Quò eunt, quando resurrexerint? Quid nisi quod Dominus dixit, Ligate illis manus, & pedes, & projicite illos in tenebras exteriores? Agè quid postea? Tenebræ erunt, & dolor non erit? Forte palpabūt, sed nun dolebunt? Non videbunt, non cruciabuntur? Absit. Non solum tenebræ erunt, non eis sola tollitur species qua gaudebant, sed datur etiam quod in æternum gemant. Ne contemnetes enim tenebras, ô quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua mala facta, & propter lasciua adulteria, nó solum tenebras non horrere, sed quęrere, qui soles plus gaudere, quando lucerna extinguitur, non tales tenebras habebis, vbi gaudeas, vbi læteris, vbi te voluptatibus carnis oblectes, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quo *Matth.22.* modo erunt? Ibi erit fletus, & stridor dentiū. Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Nec qui torquet fatigatur, nec qui torquetur moritur. Erūt ergo æternæ lachrymæ illis qui sic vixerunt, æterna gaudia sanctorum, quando venientes venient in exultatione portantes manipulos suos: dicēt enim *Psal.125* tempore messis Domino suo, Domine, adiuuante te, fecimus, quod iussisti: redde quod promisisti nobis in æternum.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil.*

Ser.46.de Sanct. NOn martyrium sola effusio sanguinis cōsummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Peruenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque iniuria sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat carnem afflixisse, libidiné superasse, auariciæ restitisse, de mūdo triumphasse, pars magna martyrij est. Si vero, fratres dilectissimi, ad consortium martyrum, vel sacerdotum volumus peruenire, de imitatione martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, vt pro nobis dignentur Domino supplicare. *Martyres pro nobis Deo supplicant.* Si enim tormenta quæ sancti martyres pertulerunt sufferre non possumus, vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus. Et quia non desunt quotidiana peccata, non desint etiam quotidiana remedia. Nemo se credat aliquā fœlicitatem, aut aliquod verum gaudium in hoc seculo possidere. Beatitudo hic parari potest, possideri non potest. Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo se circumueniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scio, fratres, quòd omnis homo gaudere desiderat, sed non toti ibi quęrunt gaudium, vbi oportet inquiri. *Ioan.16.* Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec est, nec esse poterit: sic enim ipse Dominus in Euangelio suos discipulus admonuit dicens, In mundo pressuram habebitis: & iterum, Mundus gaudebit, vos autem tristes eritis, sed tristicia vestra conuertetur in gaudium. Ac sic in hac vita cum labore, & dolore, quod bonum est, auxiliante Domino faciamus, vt in futuro seculo bonorum fructus colligere cum gaudio, & exultatione possimus: secundum illud, Qui *Psal.125.* seminant in lachrymis, in gaudio metent. In hunc itaque, fratres charissimi, mundum per peccatum *Gen.3.* primi hominis de beata paradisi sede proiecti, & quasi in exilium missi sumus, ac sic in hoc seculo *2.Cor.5.* patriam nó habemus: sic & Apostolus dicit, Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, Non ergo requiramus gaudium in hoc mundo, quia, sicut supra dictum est, verum gaudium comparari hic potest, possideri non potest. Non quæras in via, quod tibi seruatur in patria. Et quia contra diabolum Christo duce quotidie tibi pugnare necesse est, præmium nō requiras in prælio, quod tibi seruatur in regno. Non quęras in pugna, quod tibi seruatur in futuro, cum fuerit perfecta victoria: magis illud attende quod Apostolus dicit, *2.Tim.3.* Omnes, qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patiuntur: & iterum, Per multas tribu- *Act.14.* lationes oportet nos intrare in regnum Dei. Ita ergo agere debemus, vt ad principalem patriam redire fœliciter mereamur: vbi nos parētes nostri patriarchæ, prophetæ, & Apostoli suscipere vel videre desiderant, vbi etiam conciues nostri angeli, & ciuitas illa cælestis Hierusalem, & rex ciuitatis ipsius Christus expansis nos brachiis charitatis

taris expectant, vt ad ipsos prostrato diabolo, pleni bonis operibus fœliciter redeamus. Scitis enim, fratres, quia omnes negociatores, & quicumque alia agentes interim in via sunt soliciti, vt in patria possint esse securi: & tunc habent veram lætitiam, quando cum magno lucro peruenire merentur ad patriam: Ita & nos, dilectissimi fratres, tunc animum nostrum præparemus ad gaudium, quando peruenire merebimur ad Christum. Interim modo gaudeamus in spe, verum gaudium postea habituri in re. Quod peius est, multi sunt, qui peruerso ordine de voluptate, & deliciis, & luxuria seculi huius gaudere se credunt, sed quod in gaudio videntur serere, necesse illis erit cum luctu, & lachrymis recipere, quia non mentitur ille, qui in Euangelio dixit, Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Sic fecit & ille infœlix diues, qui purpura induebatur, & bysso. Gaudium quidem habuit in mundo, sed flammas inuenire meruit in inferno. Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, tristitiam habuit in via, sed verum gaudium recepit in patria. Nos vero, fratres charissimi, quantum possumus, Dei misericordiam deprecemur, vt nobis ita amorem vitæ æternæ inspirare dignetur, vt plus patriam velimus amare quàm viam, & amplius de futuro quàm de præsenti seculo cogitemus: & sic semper in exilio mundi huius agere studeamus, vt ad futurum iudicium cum libera, & secura conscientia ornati bonis operibus peruenire possimus, præstante Domino nostro Iesu Christo cui est honor, & gloria cum patre, & spiritu sancto in sæcula seculorum, Amen.

Luc. 6.
Luc 16.

EIVSDEM DE EODEM
festo, Homil.

Serm. 47. de Sanct. Attribuitur Sermo hic Leoni Papæ.

Martyribus intercedentibus, expectamus à domino consequi temporalia beneficia.

QVotiescunque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum sanctis, & tribulationem mũdi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos martyres inquãtum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire: sic & Paulus apostolus prædicat, dicens, Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum: & dominus in Euangelio, Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis, Et quis est, qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo, quia non solum martyres, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius adiutorio, si volumus, possumus imitari: audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Audi & Petrum apostolum admonentem, Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius: Similiter Paulus apostolus clamat, Imitatores Dei estote sicut filij charissimi. Quid ad hæc respondebimus, fratres, vel quam excusationem habere poterimus? * Non tibi aliquis dicat, vt virtutes, quas fecit Deus, debeamus imitari. Iusta potest esse excusatio tua, quia virtutes, & mirabilia facere non omnibus datum est: iustè, & castè viuere, & charitatem cum omnibus custodire, cum Dei adiutorio * promptum est: nam ipse Dominus non dixit, Discite à me mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare, non hoc dixit: sed quid ait? Quia mitis sum, & humilis corde: & iterum, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, sicut & pater vester cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & iterũ, Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est. Et licet sint alia multa, in quibus debemus Deum, & beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, vt mites simus, & humiles corde, & inimicos nostros totis viribus diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus vnquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum ieiunare, non possum vigilare, nunquid potest dicere, non possum amare? Potest dicere, non possum res meas totas pauperibus dare, & in monasterio Deo seruire: Nunquid potest dicere, non possum diligere? Si dixeris quia non possis à vino, vel à carnibus abstinere, credimus tibi: si autem dixeris, quod non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus. Et quia nulla nobis remanet excusatio, dũ non de cellario, sed de corde proferamus istam eleemosynam, iubemur implere, vt per viam vitæ ad æternam mereamur patriam peruenire. Non solum amicos, sed etiam inimicos diligamus: his enim duobus præceptis, id est, diliges Deum, & diliges proximum, quasi duobus spiritalibus pedibus si per viam veræ charitatis voluerimus currere, ad æternam patriam possumus fœliciter peruenire. Istis pedibus currebat apostolus Paulus, quando dicebat, Ego autem sic curro, non quasi in incertum. Qui ergo dilexerit inimicos suos, illud in eo impletum erit, quod dominus dixit, Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Elige modo, quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, nõ solum amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. Si vero inimicos amare nolueris, propicium Deum habere non poteris: quia scriptum est, Qui odit fratrem suum, homicida est: Et iterum, Qui non diligit, manet in morte: Et iterum, Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius: Et iterum alibi scriptum est, Itinera impiorum qui iniuriam retinent malefacti in mortem. Nunquid hæc verba mea sunt, fratres mei? De scripturis sanctis, & canonicis proferuntur. Vt ergo nec homicidæ simus, nec in tenebris remaneamus, studeamus nõ solum amicos, sed etiam inimicos diligere, vt pium & misericordem Dominum possimus secũdum cautionis suæ vinculum libera conscientia conuenire: ipse enim dixit, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis peccata vestra: si non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis debita vestra. Diligenter attẽdite, fratres, & scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam non indulgeamus, peccatum incurrimus: quando

2. Cor. 1. Ioan 15. Matth. 11. 1. Pet. 2. Eph. 5.

** Sic habent vetera exemplaria. Nam potest his aliquis dicat, vt virtutes quas fecit Deus debeamus imitari, ista potest esse excusatio tua, quia &c.*
** aliàs omnibus promptũ est.*
Matth. 11. & 5.
In lib. 50. Homiliarum Homilia sexta.
Matth. 22.
1. Cor. 9.
1. Ioan. 3. & 2.
Matth. 6.

quando autem aliqui in Deum peccauerint, si sine discretione grãdi indulgere voluerimus, participes nos eorum peccati efficimur. Dicit ergo dominus, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & pater vester cælestis peccata vestra. *Matth. 6.* Rogo vos, fratres, quid delicatius, quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit, qualiter in die iudicij iudicemur. Nõ dixit, vade in Orientẽ, & quære iustitiam, nauiga vsque ad Occidentẽ, *Luca 6.* vt accipias indulgentiam, Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi: indulge, & indulgetur tibi: da, & dabitur tibi, nihil à te extra te quærit. Ad teipsum, & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis longe opus habes inquirere, peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicis tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, vt eum nulla possim ratione diligere. Attẽdis quid tibi fecerit homo, & nõ attendis quid tu feceris Deo? Si conscientiam tuam diligenter discutis, & inquiris, sine vlla compensatione maiora tu peccata commisisti in Deum, quam in te commiserit homo. Et qua fronte vis vt tibi Deus dignetur dimittere multum, qui non vis dimittere paruum? Si hæc quæ supra diximus spiritalia medicamenta sicut Deo propiciante consuestis libenter accipitis, & in ærario sanctæ conscientiæ vestræ reconditum diligentissimè custodiris, auxiliante domino, venena diaboli non timebitis & per odium, vel iracundiam aut nũquam nobis animarum vulnera ingerentur: aut si forte surrepserint, per charitatem cito ad pristinam salutem reuocantur.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil.*

Sermo 48. de Sanct. OMnium quidem bonorum fidelium Christianorum, maximè tamẽ gloriosorum martyrum vox est, *Rom. 8.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Psal. 2.* Fremebat mundus aduersus eos, populi meditabantur inania, principes conueniebant in vnũ, excogitabãt nouos cruciatus, & pœnas incredibiles inueniebat ingeniosa crudelitas: Obruebantur opprobriis falsis, arguebantur criminibus, custodiis intolerabilibus includebantur, vngulis arctabantur, ferro perimebantur, bestiis subigebantur, ignibus cremabantur, & dicebant, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Totus mundus contra vos, & dicitis, quis contra nos: Respõdent tibi, Et quis est totus mundus, quando pro eo morimur, per quem factus est mundus? Dicant dicant, audiamus audiamus, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sæuire possunt, maledicere possunt, calumniari possunt, falsis opprobriis agitare possunt, & vt breuiter dicam, postremo possunt non solum corpus perimere, sed etiam dilaniare, & quid facient? Ecce enim Deus auxiliator mihi *Psal. 53.* est, & dominus susceptor est animæ meæ. Mundus interfector corporis mei, dominus susceptor est animæ meæ. Et quid mihi obest, si sit mundus interfector corporis mei, cum dominus adiutor est animæ meæ? Quando autem dominus est susceptor animæ meæ, erit restitutor & corporis mei. Quid mihi deerit si membra mea dilaceret inimicus, quãdo capillos meos Deus dinumerat? Exhortans martyres suos Christus, ne ab inimicis persecutoribus formidarent, Capilli, inquit, vestri numerati sunt. Quid ergo timebo damna *Matth. 10.* membrorum, quando securitatem accipio de numero capillorum? Ergo dicamus ex fide, dicamus in spe, dicamus flagrantissima charitate, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ecce contra te est rex, si Deus pro nobis, quis contra nos? Ecce contra te est populus, si Deus pro nobis, quis contra nos? Vnde probas, ô beate, & gloriose martyr, vnde mihi probas quod dicis, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Manifestũ est enim, quia si Deus *Roma. 8.* pro nobis, quis contra nos, sed proba quia Deus pro nobis. Non ergo probo, quia filio proprio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Hoc quod sequitur cum Apostolus legeretur audistis: cum enim dixisset, Si Deus pro nobis, quis contra nos: tanquam ei diceretur, proba quia Deus pro nobis: continuo attulit grande documentum, continuo introduxit martyrem martyrum, testem testium, illum scilicet, cui pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: hinc probauit Apostolus vere se dixisse, Si Deus *Roma. 8.* pro nobis, quis contra nos, quando filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam & cum illo omnia nobis donauit? Quando enim illo nobis omnia donauit, & ipsum nobis donauit. Terret te fremitus mundi, cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatum esse gaudeamus, & nullos Christi inimicos in hoc seculo timeamus. Quia enim nobis donatus sit videte, In principio erat *Ioan. 1.* verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ipse est Christus, ipse vnigenitus filius Dei, ipse est gignenti coæternus. Omnia per ipsum facta sunt. Quo modo nobis donata non sunt, quæ per ipsum facta sunt, quando nobis donatus est ipse per quem facta sunt omnia? Et vt sciatis, quia ipse verbum caro factum est, & habitauit in nobis, desidera expetendo datam tibi vitam Christi, & donec perueniat tene pignus mortem Christi. Promittens enim nobis victurum se esse nobiscum, non potuit nobis maius pignus dare quam mori pro nobis. Mala, inquit, vestra pertuli, bona mea non reddam? Promisit cautionem, fecit pignus. Dedit Euangelium, & tu dubitas credere? Promisit, cum hic inter homines ambularet, cautionem fecit, cum Euãgelium scriberet: Ad pignus ipsius quotidie dicis, Amen. *Alludit ad sumptionem Eucharistiæ.* Pignus quod accepisti, quotidie erogatur tibi. Noli de spe desperare, qui viuis ex pignore, præstante domino nostro Iesu Christo, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil.*

Serm. 49. de Sanct. CErtamine vniuersorum martyrum fulciri, atque eorum victoria, quorum natalis victricis gloriæ celebratur, quo robusta fides sit ad agonem, & passionis congressus, roborari debemus, certò sciẽtes, quòd in omnibus Christus patitur, & quòd ad regnum cælorum statim cum exultatione corporis transferuntur, & cum genrex horreant in ægritudine mortem, hi in ipsa morte consequantur perpetuam hæreditatem: Per passionem vero translationem magis credunt esse

quàm finem. Hæc est arcana sapientia, quæ in electis tuis, domine, non persuasione colligitur, sed de tuis martyribus, & de fonte diuino virtutes oriuntur, quibus viuere Christus est, & mori *Philip. 1.* lucrum, triumphantes in Christo sua morte peccata luctantes, quanquam qui in illo patitur, omnino non moritur. Confessionis enim mors non est, sed hæreditas vitæ, Martyrium est igitur indulgentia criminum, virtutum caput, occasio iustitiæ, dominicæ passionis imitatio, O fœlicissimi martyres, renunciantes seculo maluerunt meliora nouissima quàm prima. Quorum denique consummatio iustum initium facit, Diuino tuo nutu omnipotens Deus, gloriosissimi martyres Christi testes esse meruerunt. Victoriam quoque meditati, confessi sunt Christum in flagellis, in carceribus, in ergastulis, in solitudine. Instotum enim eunctes, semper debet esse confessio. O inclytæ beatorum animæ, & gloriosa victoria martyrum, inter quos deuotissimæ fœminæ simul seculum, sexúmque vicerunt, prælianies cum diabolo, fortiores vitis torquentibus extiterũt, quæ carnifici gratias agentes etatis sæuienti. Ab omnibus enim fidem expectat Deus omnipotens magis quàm mortẽ, sed diabolus qui confitẽtes odit, coronas præstat inuitus. Facit martyres, quos occidit, & cum Dei seruos vincere contendit, contemnitur ipse, dum sæuit. Liberalitas ergo tua, Deus, hactenus nobis martyria proposuit, vt aduersarius, quo Adam elisus est, à filiis Adæ constanter elidi monstraretur. Voluisti enim hominem non tantum de diaboli potestate eruere per fidem, sed inculcatorem eius interficere per virtutem, vt qui gaudeamus Christi sanguine mortui, facilius liberati ducẽtes martyria in Christo, postea triũphemus coronati, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *festo, Homil.*

Sermo 50. de Sanct. QVoniam dies sanctorum Martyrum est, vnde potius aliquid delectet nos dicere, nisi de gloria ipsorum? Adiuuet nos Dominus Martyrum, audiuimus paulo ante beatum Apostolum prædicantẽ: *Rom. 8.* Quis nos separabit à charitate Christi? Ista vox est martyrum: Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, *Psal. 43.* an gladius? Sicut scriptum est: Propter te mortificamur tota die, deputati sumus, vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Hæc est vox martyrũ, omnia tolerare, & de se nihil præsumere, illum diligere, qui *1. Cor. 1.* glorificatur in suis. Vt qui gloriatur, in Domino glorietur: nouerant & illud, quod nos cantaui- *Psal. 31.* mus paulo ante: Lætamini in Domino, & exultate iusti in Deo. Si iusti in Domino lætantur, iniusti vero non nouerunt lætari nisi in seculo. Sed ipsæ sunt primæ acies debellandæ, primo vincendæ sunt delectationes, & postea dolores. Quomodo potest superare mundum sæuientem, qui non potest superare blandiẽtem? Blanditur hic mundus, pollicendo honores, diuitias, voluptates. Minatur hic mundus, intendendo dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur? Habent delectationem suam diuitiæ, Quis nesciat? Sed plus habet delectari iustitia, delectari diuitiis cum iustitia. Vbi autem talis articulus tentationis inciderit, vt duo hæc veniant in tentationẽ, diuitiæ, & iustitia, & non possis habere vtrunque æquale, sed, si dimiseris manum ad iustitiam, pereant diuitiæ, si dimiseris manũ ad diuitias necesse est, vt amittas iustitiam, modo elige, modo pugna, modo videamus si non sine causa cantasti: Lætamini *Vbi supra.* in Domino & exultate iusti: modo videamus, si non sine causa audisti. Quis nos separabit à cha- *Rom. 8.* ritate Christi? Equidem prætermisit omnia, quibus blanditur mundus, & te voluit commemorare, cui blanditur mundus. Quare? Quia certamina martyrum prænunciabat, illa vtique certamina, vbi vicerunt persecutionem, famem, sitim, egestatem, ignominiã, ad extremum timorem mortis hostem nouissimum. Sed videte, fratres, totum ars Christi facit. Admonet Apostolus, vt præferamus charitatem Dei mundo. Quantas angustias patiuntur, qui volunt rapere res alienas? An persecutio, ait, & ipsa non frangit? Auaritia terretur, auarus rapit, ac timet pœnam, æstuat in rapinam. Multi enim famem patiuntur dum acquirunt, & faciunt lucra, quibus præcipimus ieiunare, & excusant se stomacho. Vacet illis tota die solidos numerare, & ieiuni dormiunt. An nuditas, ait: Quid dicam de nuditate? Quotidie negociatores de naufragio, nudi euadunt, & iterum nauigant ad periculum. Vnde quotidie periclitantur homines, nisi propter diuitias acquirendas? Nec gladius prohibet. Capitale crimen est falsitas, & tamen cumulatur hæreditas. Si ergo hoc meretur temporalis cupiditas, quare nõ meretur Christi hæreditas? Auarus dicit in corde suo, qui forte non audet lingua sua: Quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Possũt & auari dicere auro: Propter te occidimur tota die. Optime ergo dicunt sancti martyres in Psalmo: Iudica me, Deus, & discerne causam *Psal. 43. & 42.* meam de gente non sancta. Discerne, inquit, tribulationem meam, tribulantur & auari. Discerne angustias meas, patiuntur angustias & auari. Discerne persecutiones meas, patiuntur & auari. Discerne famem meam, pro auro acquirendo esuriunt & auari. Discerne nuditatem meam, pro auro dispoliantur & auari. Discerne mortem meam, pro auro moriuntur & auari. Quid est, discerne causam meam? Propter te mortificamur tota die. Ille propter aurum, nos propter te. Similes pęnæ, sed discreta causa. Vbi ergo discreta est causa, certa est victoria. Si ergo causam intuemur, solẽnitates martyrum amamus. Amamus in eis non passiones, sed causas passionum. Nam, si amaremus passiones, multos inuenturi sumus, qui peiora patiuntur in causis malis. Sed, si causam attendamus, crucem Christi attendite. Ibi erat Christus, vbi & latrones: Similis pęna, sed dissimilis causa. *Luc. 23.* Vnus latro credidit, alius blasphemauit. Dominus tanquam de tribunali inter ambos iudicauit. Illum, qui blasphemauit, in tartarum damnauit, alium in paradiso secum constituit. Quare hoc? Quia etsi æqualis pœna, sed impar erat causa. Eligite ergo martyrum causas, si vultis peruenire ad martyrum palmas. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

EIVSDEM

EIVSDEM IN SVPERIVS *Euang. Homilia.*

Serm. 14. lib. 50. Hom. DOminus noster Iesus Christus testibus, id est, martyribus suis pro humana fragilitate solicitis, ne forte cum confitendo atque moriendo perirent, magnam securitatem dedit, dicens, *Capillus de capite vestro non peribit.* Times ergo, ne pereas, cuius capillus nō peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Nō perit capillus qui cum tondetur, non sentis, & perit anima, per quam sentis? Sanè multa dura eos passuros esse prædixit, vt prædicendo faceret patariotes, dicenténtque illi, Paratum cor

Psal. 56. meum. Quid est, paratum cor meum, nisi parata voluntas mea? Paratam ergo habent martyres voluntatem in martyrio, sed præparatur voluntas à domino. Illis autem in malis duris, atque asperis futuris commemorans adiecit, *In vestra patientia*

Luc. 21. *possidebitis animas vestras.* In vestra patiētia, inquit, Non enim esset patientia tua, si non ibi esset & voluntas tua. In vestra patientia, sed vnde vestra? Nostrum est quodā nobis habetur, nostrum est & quod nobis donatur. Quomodo enim aliquid donas, nisi vt eius sit cui donas? Aperta est enim illa confessio. Nónne Deo subiicietur anima mea, ab ipso enim est patientia mea? Dicit nobis ipse, in

Psal. 61. vestra patientia, Dicamus illi & nos, Patiētia mea ab ipso est. Tuum fecit donando, noli ingratus esse, tibi assignando. Nonne in oratione dominica dicimus & nostrum est, quod à Deo est? Quoti-

Matth. 6. die dicimus, Panem nostrum quotidianum. Iam dixisti, nostrum, & dicis, da nobis. Ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante, fit nostrum: si illo dante, fit nostrum, nobis superbientibus fit alienum. Dicis nostrum, & dicis, da nobis. Quid ergo tibi assiguas, quod nō tibi ipse dedisti? Quid enim habes

1. Cor. 4. quod non accepisti? Dicis nostrum & da nobis, Agnosce largitorem, cęterę te accipere, vt libenter ille dignetur dare. Quid si nō egeres qui mendicas & superbus es? An nō mendicas qui panem petis? Panis noster æternus Christus in patris

Ioan. 6. Psal. 103. æqualitate, Panis noster quotidianus, Christus in carne, æternus fine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est panis, qui de cælo descendit. Fortes sunt martyres, firmi sunt martyres, sed panis confirmat cor hominis. Nunc ergo audiamus

2. Tim. 4. Paulum Apostolum dicentem, cum passioni suæ appropinquaret, de corona sibi parata pręsumentem, Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, De cætero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus index. Nō solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt manifestationem eius. Reddet, inquit, mihi dominus coronam iustus in-

De gratia & lib. ar. ca. 17. dex, Debet ergo, Quid reddet? Reddet ergo iustus iudex. Non enimospecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certaui, opus est. Cursum consummaui, opus est. Fidem seruaui, opus est. Superest mihi corona iustitiæ, merces est, sed in mercede tu nihil agis, in

Opera bona sunt & à Deo, & à nobis. opere non solus agis. Corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante. Cum autem Paulus Apostolus, prius Saulus, crudelissi-

Act. 9. mos esset, & immanissimus persecutor, nihil omnino boni merebatur, immo merebatur plurimū malum. Merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subito eum mala faceret, & mala mereretur, vna cęlesti voce prosternitur. Persecutor deiicitur, prædicator erigitur. Audi cum hoc ipsum confitentem, Qui prius fui blasphemus, & persecutor, 1. Tim. 1.

& iniuriosus, sed misericordiam consecutus sum. Nunquid ibi dixit, Reddet mihi iustus iudex? Mi- 1. Tim. 4.

sericordiam, inquit, consecutus sum, mala merebar, bona accepi. Non secundum peccata nostra Psal. 102.

fecit nobis. Misericordiam consecutus sum. Debita mihi nō sunt reddita. Si enim debita redderentur, supplicium redderetur. Non inquit, accepi, quod debebatur: Misericordiam consecutus sum. Non secundum peccata nostra fecit nobis. Quantum distat Oriens ab occasu, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quantū distat Oriens ab Occidēte, auertere ab Occidēte, cōuertere ad Orientem. Occidunt ibi peccata, oritur inde iustitia. In Occidente veros, in Oriente nouus. In Occidente Saulus, in Oriente Paulus. Vnde hoc Saulo, vnde hoc crudeli, vnde hoc persecutori, vnde hoc nō pastori? Ipse enim est lupus rapax, de tribu Benia- Genes. 49.

min. Ipse dicit, Dictum autem erat in prophetia, Beniamin lupus rapax, mane rapit prædam, & ad vesperam diuidit escas. Prius consumpsit, posterius pascit. Rapiebat prorsus, rapiebat. Legite rapiebat, legite librum actuum Apostolorum. Literas à pōtificibus accipiebat, vt quoscunque inueniret sectātes viam Christi, vinctos adduceret puniendos. Ibat, fręmebat, cędes, & sanguinem anhelabat. Ecce rapit, sed adhuc mane est: Vanitas sub sole est. Fit ei vespera, quando cæcitate percutitur. Ecce vnus homo Saulus, & Paulus, persecutor in Occidente, prædicator in Oriente. Oculi eius ad huius mundi vanitatem clauduntur, alij interiores illuminantur. Vas paulo ante perditionis, diuisiones escarum eius quotidie recitantur. Vide quemadmodū diuidat escas. Nouit quid cui congruat. Diuidit, non passim, nō confuse erogat. Diuidit, hoc est, distribuit, distinguit, nō passim confusé que dispensat, loquitur sapientiam inter perfectos, Quibusdam vero non valentibus capere solidum cibum, diuidens dicit, Lac vobis potum 1. Cor. 3.

dedi. Ecce hoc facit qui paulo ante faciebat: 1. Cor. 3.

Quid? Nolo recordari: Immo recordor hominis nequitiam, vt approbē Dei misericordiam. Aquo patiebatur Christus, patitur pro Christo. Fit vero Paulus ex Saulo. Qui spargebat colligit, qui oppugnabat defendit. Vnde hoc Saulo? Quid dicamus? Ipsum audiamus. Quæritis, inquit, vnde hoc mihi? Misericordiam consecutus sum. Non est, in- 1. Thes. 1.

quit, mihi hoc à me, misericordiam consecutus Psal. 115.

sum. Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Retribuit enim, sed non mala pro malis. Retribuit planè, sed non mala pro malis. Retribuit bona pro malis: Quid ergo ego retribuam? Calicem salutaris accipiā. Certe retribuebas. Aliter adhuc accipis, Ad hoc accepi. Sed modo planè propinquante passione, retribuam bona pro bonis, non bona pro malis. Prius ergo dominus debebat mala pro malis, noluit autem retribuere mala pro malis, & retribuit bona pro malis. Retribuendo bona pro malis, inuenit quomodo retribueret bona pro bonis. Ecce enim in Paolo prius Saulo nihil boni inuenit. Cum in illo nihil boni inuenisset, mala dimisit, bona retribuit. Cum ergo, inquis, bona retribuit, præuenit se, dando bona, quibus retribueret bona. Ecce retribuit mercedem his bonis, operibus bonis. Bonum

2.Tim. 4. certamen certanti, cursum consummanti, fidem seruanti, retribuit bona. Sed quibus bonis? Quæ ipse dedit. An non ipse dedit, vt bonum certamen certares? Si non ipse dedit, quid est, quod alio loco
1.Cor. 15. dicis, Plus illis omnibus laboraui? Nō autem ego, sed gratia Dei mecum. Ecce iterum dicis, Cursum consummaui. Nō & ipse dedit, vt cursum consummares? Si non ipse dedit vt cursum consummares: quid est quod alio loco dicis, Non volentis, neque
Rom. 9. currentis, sed miserētis est Dei? Fidem seruaui. Seruasti? Agnosco, & probo. Fateor seruasti. Sed nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat,
Psal. 126. qui custodit eam. Ab illo ergo, ipso adiuuante, ipsóque donāte, & bonū agonem certasti, & cursum consummasti, & fidem seruasti. Da veniam, Apostole, propria tua non noui nisi mala. Da veniam, Apostole, Dicimus, quia tu docuisti, Audio confitentem, non inuenio ingratum. Prorsus tua à te tibi parata non nouimus nisi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Hanc fidem, & veram pietatem, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, quisquis sic accipiat, vt nouerit dantem, aut quisquis datori non sit ingratus: medico non superbiat, vel insanus adhuc vel non à se sanus. Hanc, inquam, fidem suam, atque pietatem nullæ argumentationes euellant de cordibus vestris. Seruate quod ac-
1.Cor. 4. cepistis. Quid enim habetis, quod non accepistis? Hoc est Deo confiteri, dicere quod ait Apostolus, Nos autem nō spiritum huius mundi accepimus: Spiritus huius mundi facit superbos, spiritus huius mūdi faciat inflatos, spiritus huius mūdi facit vt putet se quisque aliquid esse, cum nihil sit. Sed quid ait Apostolus contra spiritum huius mundi inflatum, superbum, tumidum, elatum, nō
1.Cor. 2. solidum? Quid ait? Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Vnde probas? vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.
Ioan. 15. Audiamus ergo dominum dicentem, Sine me ni-
Ioan. 19. hil potestis facere. Et illud, Nemo habet quicquā,
Ioan 6. nisi ei datum fuerit desuper. Et nemo venit ad me,
Ioan. 15. nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et illud, Ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Et illud quod Ia-
Iaco 1. cobus Apostolus protestatur, dicens, Omne datum bonum, & omne donum perfectū desursum est, descendens à patre luminum. Et quod Apostolus Paulus ad reprimendam præsumptionem illorum, qui de libero arbitrio gloriantur, clamat, & dicit, Quid habes, quod non accepisti? Si autem
1.Cor 4. accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et il-
Ephes. 2. lud, Gratia salui facti sumus per fidem, & hoc non
Philip. 1. ex vobis. Dei enim donum est, vt ne quis extolla-
Vbi supra. tur. Et illud, Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini. Et illud, Deus, qui cœpit in vobis opus bonum perficiet. Hæc ergo & his similia diligenter ac fideliter cogitantes, non acquiescamus eis qui liberum arbitrium in superbiam extollentes, præcipitare magis quàm eleuare conantur. Sed
Philip. 2. humiliter consideremus illud quod Apostolus dicit, Deus qui operatur in vobis & velle, & perficere. Gratias agamus domino, ac saluatori nostro, qui nos nullis præcedentibus meritis vulneratos curauit, & inimicos reconciliauit, & de captiuitate redemit, de tenebris ad lucem reduxit, de morte ad vitam reuocauit: & humiliter confitentes fragilitatem nostram illius misericordiam deprecemur, vt quia nos secundum Psalmistam, miseri- Psal. 58. cordia sua præuenit, dignetur in nobis non solum custodire, sed etiam augere munera, vel beneficia sua, quæ ipse dignatus est dare: Qui cum patre, & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

S. MAXIMI EPISCOPI *Taurinensis, in eodem festo, Homilia.*

SVfficere nobis deberent ad profectum salutis nostræ martyrum exempla sanctorum, qui propter adipiscendam cælestem coronam, omnibus se mandatis dominicis subdiderunt, & ita cunctis deuinxerunt se legibus saluatoris, vt propter anteactam vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam peruenire. Non enim illo in tempore tantum perfecerunt præceptum Domini, quo confessionis suppliciū pertulerunt, sed necesse est illos prius secūdum Euangelium vixisse Christi, vt Christi passionibus potirētur. Necesse est enim, vt initia bona fuerint, quorum finis est optimus subsequutus. Et martyres eos non solum fuisse, cum passi sunt, sed etiam martyres Christi fuisse, cum viuerent. Martyr enim Latine testis dicitur, ac quotiescunq; bonis actibus mādatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus. Vnde & crux Domini non illa tantum dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed & illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur saluator dicere: Qui vult post Luc. 9. me venire, tollat crucem suam, & sequatur me. Nunquid enim omnes martyres, qui sequuti sunt Dominum, crucifixi sunt? Nunquid omnes virgines, qui iuxta Apocalypsim sequuntur agnum Apoc. 14. Dei crucifixi sunt, vt sequantur? Nunquid Paulus Apostolus crucifixus fuerat, quum dicit, mihi Gal. 6. autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Hoc autem dicit, vt intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutísque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, crux est, atque martyrium. Sed hoc est, quod in nobis difficile reperitur, vt omnes actus nostri secūdum Euangelium dirigantur, atque ideo quotiescunque voluptatibus voluimur, crucem saluatoris amittimus. Christus enim est castitas, pax, veritas, mansuetudo. Quomodo ergo potest castitati testimonium perhibere corruptus? Aut quomodo potest pacem prædicare, cuius animus semper in lite est? Quo pacto etiam veritatem aut mansuetudinem qualiter seruabit inconstās? Quomodo, inquam, possumus ad martyrij gloriam perueni- Matth. 10. re, quum dicat Dominus, nolite possidere aurum? Nos etiā auri talenta recondimus. Nolite, inquit, possidere aurum. Hoc aurum habentibus dicit. Vnde si habentibus aurum possidere prohibet, non habentium cupiditatem quę pœna condemnat? Et si qui propria retinent amittere iubentur, illi, qui aliena diripiunt, quàm grauiter feriuntur? Sunt enim plerique, fratres, qui cum humili loco geniti fuerint, & nullas à parētibus diuitias consequuti sint, tanta auaritiæ cupiditate iactantur, vt pu

vt putent se sine causa natos, nisi aurum quoquo
Sap.15. pacto possederint. Existimantes enim (sicut ait Propheta) vitam hominum compositam ad lucrum, non dubitant vnde videlicet ex malo acquirere, atque ita huiusmodi homines dum lucrum auri quærunt, damnum salutis inueniunt. Requiramus, fratres, quotusquisque est, qui hoc non sit imbutus? Pauci admodum sapientes ab hac pestilentia se defendunt. Si negociatorem cogites, propter auaritiam primus in culpa est. Si militiam tantum respicias, cupiditas est illi tota causa militiæ. Si officia singula perscruteris, inuenies homines non honestate adduci ad obsequium, sed præda veluti ad negotium prouocari. Omnes igitur penè lucris, ac negotiis student, & cum primo surgunt diluculo, non cogitant nisi vt aliquid vndecunque percipiant. Quòd si aut honestas coniuicerit, aut retuderit iudicantis autoritas, aut res alienas diripiant, damnum se fecisse queruntur. Sine causa, inquiunt, militamus, siue causa laboramus, hodie domum referre nihil potui, iniquitas iudicis male me facere non permisit. Cunctos igitur pene homines agitat auaritia, nullum de his quietum esse permittit. Hi enim, qui nihil habent, cupiditate torquentur: illi, qui diuitias possidét, sollicitudine cruciantur. Nec ipsis enim bene est, qui recondito auro incubant, imò ipsis est grauius. Semper enim sunt anxij, mœsti, solliciti, ne hoc seruus auferat, ne fur effodiat, atque ideo retrudentes illud tenebris, ita abscondunt, vt omnium subterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad vsum, ne apertio latebrarum fit causa prodendi. Seruant autem illud, & non vtuntur. Seruant, inquam. Custodes ergo dixerim istos esse non Dominos, & alienum attendere diligenter, non proprium conuenienter expendere. Quid ergo, fratres, putatis habere aurum, esse diuitias? Ego dixerim maiores esse diuitias, aurum non habere, pretiosior enim meus eius, quæ aurum despicit, quàm quæ aurum requirit. Maiores plane sunt diuitiæ, non habere aurum, sed aurum non habentibus eminere. Qui enim propriis abundat bonis, sæculi thesauros non requirit. Bona enim sunt propria, honestas, sobrietas, misericordia, castitas, quę bona omnia auro magis sunt preciosa, vt sciatis: quia his ita vilibra sunt metalla auri, talenta emi possunt, argenti vasa comparari possunt, honestas sola emi non potest. Honestas enim non emitur, sed acquiritur: quia non constat precio, sed virtute. Tu igitur, qui aurum possides, si placet, bona inuicem conferamus. Tu, cum peregre proficisceris, thesauri tui necessario domi remanent, quibus longè à te posit is semper trepidus, semper incertus es, quum domum redieris, non habeas, quod habebas. Ita dum semper amissionem eorum metuis, apud conscientiam tuam nudus, & pauper es. Ego autem quocunque iero, meæ diuitiæ me sequuntur, nec separari à me possunt bona, quoniam non terreno specu, sed thesauro pectoris retinentur. Tu, quum recedis è sæculo relinquendo, tuas diuitias perdidisti, ego autem, cum mihi de
Luc.16. hoc mundo migrate contingit, diuitias meas mecum ad paradisum veho. Tuas diuitias post mortem, exemplo illius purpurati diuitis, ignis, & tenebræ subsequentur, meas diuitias exemplo Lazari sinus Abrahæ, & beatitudo suscipiet.

S. FVLGENTII EPISC.

Ruspensis de eodem, Sermo.

DElectat videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum delectabilibus, liber attendere campos Ecclesiæ martyrum, micantes plantas de vno, cruore per agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones martyrum, iuxta cursus aquarum, rigati fontibus lachrymarum. Nam sic modo beatus Dauid martyrum purpurata germina, & ante messores gaudiorum tanquam manceps secantia messoria cithara decantabat: Qui seminant, inquit, in lachrymis, in gaudio metent. Vbi seminant in lachrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus Saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluuia cruoris & aquæ seminata est tolerantiæ confessorum. De ipso ligno virentis crucis iuxta fontem sanguinis plátata virginitas floruit castitatis: inde plantata martyrum tolerantia cœpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde martyres tolerant, nisi per dominicam crucem? Vnde martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit paßiões improperia Iudæorum? Vnde martyres carcerum, custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium Principis Caiphæ, & nocturnum crudelis prætorij carcerem non dedignatus est sustinere? Sed dicebat: Traditus sum, & non egrediebar. Vnde martyres de cathenis, & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri, & alligari passus est à Iudæis: quia catheuas mortis dirupit à mortuis iam sepultus, qui dixit eis, qui in vinculis sunt exite, & qui in tenebris sunt, vt videant lumẽ, & qui dixit Lazaro post quatriduum iã sepulto, prodi foras. Traditus non egrediebatur foras: quia liber erat intus & foris. Inde martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas præbuit ad alapas impiorum. Inde non nocuit martyres infusa aceti, vel sinapis acerrima violentia: quia acetum & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione à pincernis impiis, quibus rupit pettam & fluxerunt aquæ, & potauit eos sicut in Abysso multa. Vnde martyres nudati sustinuerũt, flagellari non fleuerunt, nisi quia Dominus nudatus est, & flagellatus, atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Vnde eculeis appositi cum vngulis sulcarentur, apporiari dulcissimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus, nisi quia crucem Christus Dominus ascendit, inimicos non accusauit, pro suis iniuria nõ defleuit, sed inimicis veniam postulauit, pio cantico psallens in ligno: Pater ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt. Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina martyrum pullulare in campo matris Ecclesiæ, vt dicit Dauid: Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, & flebant, & non stabant, sed flentes ibant, & ad æternam patriam tendebant. Ciuitas prolongabat, & illi flebant, vbi desiderabant. Sic peruenerunt quomodo reuerterunt; Non flentes, sed gaudentes: non adhue seminantes, sed manipulos suos læta ceruice portantes veniant non opertis capitibus palho velaminis propter cauma, sed lua super capita eorum &

& lætitia pretiosa. Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos, quos iuxta crucem Domini seminauerant, & de eius resurrectione fœlicius messuerunt: & ei in nubibus occurrerunt offerentes ei germina sua acceptuti sempiterna. O germina, quæ non vrit flamma, quia iuxta flumen sunt vitreum in Hierusalem, & perpetuo virescunt flore immortalitatis æternæ. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro iustitia flammis arderi, quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, & florebunt sicut lilium in medio angelorum.

S. GREGORII PAPAE *in superius Euang. Homil.*

Est Hom. 35. in Euang. QVia longius ab vrbe digressi sumus, ne ad reuertendum nos tardior hora præpediat, necesse est vt expositioné sancti euangelij breuior sermo transcurrat. Dominus ac redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denunciat, vt eo minus perturbent venientia, quo fuerint præscita. Minus enim iacula feriunt, quæ præuidêtur. En nos tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce etenim dicit: *Cùm audieritis prælia, &c.* Pensanda sunt verba redemptoris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exteriùs passuros esse denunciat, Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet interius exteriúsque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti. Sed his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungit: *Surget gens contra gentem, &c.* Vel (sicut in quibusdam codicibus inuenitur) terroréſque de cælo, & tempestates. Atque pòst subditur: *Et signa magna erunt.* Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequuntur. Et ideò post bella & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nunciare. Sed cùm tot signa perturbationis dicta sint, oportet vt eorum considerationem breuiter per singula perstringamus: quia necesse est vt alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim: Surget gens contra gentem: ecce perturbatio hominum. Erunt terræmotus magni per loca: ecce respectus iræ desuper. Erunt pestilentiæ: ecce inæqualitas corporum. Erit fames: ecce sterilitas terræ. Terroréſque de cælo & tempestates: ecce inæqualitas aeris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante cósummationem omnia perturbantur, & qui in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Sap. 5. Omnia nanque quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ. Sed cuncta quę ad vsum prauitatis inflexímus, ad vsum nobis vertuntur vltionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis, ad vsum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ: salutem corporum redegimus in vsum vitiorum. Vbertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad peruersitaté intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aeris, ad amorem nobis seruire coegimus terrenæ delectationis. Iure igitur restat, vt simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris malè subacta seruiebant: vt quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. Notandum verò quod dicitur, Terroréſque de cælo & tempestates. Cùm tempestates hyemales venire ex ordine temporum soleant, cur hoc loco tempestates venire in perditionis signo prędicuntur, nisi quòd eas tempestates dominus venire denũtiat, quæ nequaquam ordinem temporum seruant? Quæ enim ordinatè veniũt, signa non sunt. Sed tempestates in signum sunt, quę ipsa quoque temporum statuta confundunt. Quod nos quoque nuper experti sumus, qui æstiuum tempus omne cóuersum in pluuiis hyemalibus vidimus. Quia autem cuncta hæc non de iniustitia ferientis sunt, sed de merito mundi patientis, facta prauorum hominum præmittuntur, cùm dicitur: *Sed ante hæc omnia inycient vobis manus suas, &c.* Ac si apertè dicat: Prius corda hominum, & pòst elementa turbantur: vt cùm rerum ordo confunditur, ex qua iam retributione veniat demóstretur. Nam quamuis finis mũdi, ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamen quosque inueniens, quia digné ruinis illius opprimãtur, innotescit. Et subditur: *Ducentes ad reges & prętsides propter nomen meum, &c.* In testimonium videlicet quorum, nisi eorum qui aut persequendo mortes inferunt, aut videndo non imitantur? Mors quippe iustorum, bonis in adiutorium est, malis in testimonium: vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt vt viuant. Sed auditis tot terroribus turbari poterât infirmorum corda: atque ideo consolatio adiungitur, cùm protinus subinfertur: *Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis, &c.* Ac si apertè membris suis infirmantibus dicat; Nolite terreri, nolite pertimescere: vos ad certamen acceditis, sed ego prælior. Vos verba æditis, sed ego sum qui loquor. Sequitur: *Trademini autem à parentibus, &c.* Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur. Plus verò in nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur de quorum mentibus præsumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciãt amissę charitatis. Hinc est enim, Psal. 40 quod de Iuda traditore suo per Psalmistam dominus dicit: Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et rursùm: Homo pacis meæ, Psal. 54. in quo speraui, qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem. Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat: Transgressionem eius tanto grauius pertuli, quanto hanc ab eo qui meus esse videbatur, sensi. Omnes ergo electi, quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur, & ipsos quoque aduersarios in sua morte sentiunt, de quorum vita præsumebant: vt tanto eius crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit ex alienæ damno charitatis. Sed quia dura sunt, quæ prædicuntur de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur: *Capillus de capite vestro non peribit.* Scimus fratres,

tres, quia caro incisa dolet, capillus incisus non dolet. Ait ergo martyribus suis: Capillus de capite vestro non peribit: videlicet aperte dicens: Cur timetis ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet? Sequitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Idcircò possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium custósque virtutum, patientia est. Per patientiam verò possidemus animas nostras: quia dum nobisipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patiẽtia verò est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eũ quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nã qui sic proximi mala portat, vt tamẽ tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quęrat, patientiam non exhibet, sed

1. Cor. 13. ostendit. Scriptum quippe est: Charitas patiẽs est, benigna est. Patiẽs nanque est, vt aliena mala toleret. Benigna verò est, vt ipsos etiam quos portat, amet. Hinc nanque per semetipsam veritas dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Virtus itaque est coram hominibus, aduersarios tolerare: sed coram Deo, diligere: quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante oculos eius in altari boni operis flãma charitatis incendit. Sciendum verò, quòd plerunque ideò patiẽtes videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui idcircò malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubiò (vt diximus) patiens nõ est: quia patientia non in ostẽsione inquiritur, sed in corde. Per impatientiæ autem vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur.

Prou. 19. Scriptum nanque est: Doctrina viri per patiẽtiam noscitur. Tanto ergo quisque minùs ostẽditur doctus, quanto conuincitur minus patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare. Quanto enim culmine virtus patientiæ polleat, rursùm Salomon indicat, dicens: Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo,

Prou. 16. expugnatore vrbium. Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extrà sunt, quę vincũtur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur: & semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitatis tolerantia sternit. Sciendum verò est, quòd plerunque euenire patiẽtibus solet, vt eo quidem tempore, quo aduersa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur, & sic patientiam exhibeant, vt custodire etiam cordis innocẽtiam curent. Sed cùm post paululum hæc ipsa quæ pertulerint, ad memoriam reuocant, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta vltionis inquirunt, & mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. Callidus nanque aduersarius bellum contra duos mouet, vnum videlicet inflammans, vt contumelias prior inferat: alterum verò prouocans, vt contumelias læsus reddat. Sed quia iam eius victor extitit, quem ad proferendas contumelias commouit, contra eum acriùs dolet, quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. Vnde fit, vt tota se virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertulisse considerat. Quem quia commouere in ipsa iniuriarum iaculatione non potuit, ab aperto certamine interim recedens, in secreta cogitatione deceptionis tempus inquirit: & qui in publico bello perdidit, ad exhibendas occultè insidias exardescit. Quietis nanque iam tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum: vel iniuriarum iacula ad memoriam reducit: cuncta quoque quę sibi illata sunt, vehementer exaggerans, fuisse intolerabilia ostendit, & quiescentis animum tanto furore conturbat, vt plerunque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse etiam post victoriam captiuus erubescat, séque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur, quęrat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt, sed per negligentiam postmodùm intra vrbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his quos irruens grauis languor à vita non subtrahit, sed leniter veniens recidiua febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam seruat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & hęc eadem retractans, pertulisse se talia exultat: ne bonũ patientię quietis tempore pereat, quod in perturbationibus custoditur. Sed quia natalem martyris hodierna die colimus, fratres mei, nequaquam nos à virtute eius patientiæ existimare extraneos debemus. Si enim adiuuante nos Domino virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace ecclesię viuimus, & tamen martyrij palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrij genera, vnum in mente, aliud in mente simul & actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo ferro persequentium trucidemur. Mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sint martyrij genera, vnum in occulto opere, aliud in publico, testatur veritas, quæ Zebedæi filios requirit, dicens: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui cùm Matth. 20.

protinùs respondereut, Possumus: illicò Dominus respondit, dicens: Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? De quo aliò dicit: Pater, si fieri potest, Matth. 26.

transeat à me calix iste. Et Zebedæi filij, id est, Iacobus & Ioannes, non vterque per martyrium occubuit, & tamen quòd vterque calicem biberet, audiuit. Ioannes namque nequaquam per martyrium vitam finiuit: sed tamen martyr extitit, quia passionem quam non suscepit in corpore seruauit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. Non abs re arbitror, fratres charissimi, si vnum vobis exemplum seruandę patientię ad ędificationem loquar. Fuit quidam diebus nostris Stephanus nomine, pater monasterij iuxta Reatinæ vrbis mœnia constituti, vir valde sanctus, patientiæ virtute singularis. Et supersunt multi, qui illum nouerunt, eiúsque vel vitam vel obitum narrant. Erat autem huius lingua rustica, sed docta vita. Hic pro amore cælestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mũdo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo vehementer excreuerat, ita vt eum sibi amicum crederet qui sibi molestię aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia ei damnum fuisset illatũ, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud, quàm adiutores æstimabat. Hunc cùm dies mortis eius egredi de corpore vrgeret,

geret, conuenerunt multi, vt tam sanctę animę de hoc mundo recedenti, suas animas commendarent. Cúmque circa lectum illius hi qui conuenerant, omnes assisterent, alij corporeis oculis ingredientes angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt. Alij omninò nihil viderunt, sed omnes qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, vt nullus egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset. Et hi ergo qui viderant, & hi qui omnino nihil viderant, vno omnes timore perculsi & territi fugerunt, nullúsque illic assistere illo moriente potuit. Pensate ergo fratres, omnipotens Deus qualiter terreat, quando districtus iudex venturus est, si sic assistentes terruit, quando gratus remuneraturus venit. Aut qualiter timeri potest cùm videri poterit, si sic mētes præsentium strauit, & quando videri non potuit? Ecce fratres charissimi, seruata illa & in ecclesiastica pace patientia, ad quantum hunc retributionis culmen euexit. Quid huic suus conditor Iesus dedit, de quo nobis tātam gloriam in die exitus eius & foris innotuit? Quibus hunc credamus, nisi sanctis martyribus sociatum, quem attestantibus corporeis quoque oculis, à beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit, & tamen coronam patientiæ quam in mente tenuit, in egressione percepit. Probamus quotidie verum esse, quod ante nos dictum est, quia sancta ecclesia, electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello rosas. Sciendum præterea est, quòd tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namque sunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna & contumelias: ab antiquo aduersario, tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus his tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mēs circunspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti, ne contra flagella opificis, ad excessum prorumpat murmurationis. Perfectè enim aduersarius vincitur, quando mens nostra & inter tentamenta eius ad delectationem atque consensum non trahitur, & inter contumelias proximi custoditur ab odio, & inter flagella Dei compescitur à murmuratione. Nec hæc agentes, retribui nobis præsentia bona requiramus. Nam pro labore patientię, bona speranda sunt sequentis vitę: vt tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis iam labor funditùs cessat. Vnde & per Psalmistam dicitur: Non in finem obliuio erit pauperis, patiētia pauperum non peribit in finem. Quasi enim perisse patientia pauperum cernitur, cùm nil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed patientia pauperum in finem non peribit: quia tunc eius gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Seruate ergo fratres in mente patientiam, eámque cùm res exigit, exercete in operatione. Nullum vestrum ad odium proximi contumeliosa verba commoueant, nulla periturarum rerum damna perturbent. Si enim fixa mente mansura damna pertimescitis, damna rerum trāseuntium grauia non putatis. Si æternæ retributionis gloriam concupiscitis, de temporali iniuria non doletis. Tolerate ergo aduersarios vestros, sed vt fratres diligite quos toleratis. Æterna præmia pro damnis temporalibus quærite. Nec quisquam vestrum suis se viribus hanc implere posse confidat, sed obtinete precibus, vt ipse hanc qui imperat, præstet. Et scimus quia petētes libenter exaudit, quando hoc petitur largiri quod iubet. Cùm continuò pulsatur in prece, concite opitulatur in tētatione Iesus Christus dominus noster qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Terror futuri iudicij.

Ecclesia rosa & lilia.

Quid agendum in martyrijs.

In tentationibus.

In flagellis.

Psal 9.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex commen. in Luc.

C*Vm autem audieritis prælia & seditiones, &c.* Prælia, ad hostes pertinent. Seditiones, ad ciues. Quæ vtraque à tempore dominicæ passionis in populo Iudæorum, qui sibi pro Saluatore seditiosum latronem elegit, satis, supérque constat abundasse. Sed his præcurrentibus, apostoli ne terreantur, ne Hierosolyma, Iudæámque deserant, ammonentur. Quia videlicet non statim finis, qui in quadragesimum potius differendus sit annum, id est, desolatio patriæ supremúmque vrbis, ac templi sequatur excidium. *Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem, &c.* Constat hæc ante finem desolationis templi, hoc est, tempore Iudaicæ seditionis ad litteram contigisse. Potest autem regnum contra regnum, & pestilentia eorum quorum sermo serpit vt cancer, & fames audiēdi Verbum Dei, & commotio vniuersæ terræ, & à vera fide separatio, etiam in hæreticis intelligi, qui contra se inuicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt. *Terroresque de cælo, & signa magna erūt.* Et hæc tempore eodem completa, quisquis Iosephi historiam legerit inueniet. Nam & stella gladio similis, vt perhibet, per annum totum supra Hierosolyma pendens, infausto trepidos ciues portento terrebat. Et currus iridem, equitésque armati, per aëra discurrere, ac morem bellātium imitari per dies quadraginta sunt visi. Sed & vitula sacrificiis admota, inter immolātium manus enixa est agnam. Quo autem hæc meritò contigerint, protinus subinfertur cum dicitur; *Sed ante hęc omnia, iniicient vobis manus, &c.* Hæc quippe Iudaicæ genti vel sola, vel maxima causa exitij fuerat, quia post domini saluatoris occisionem, nominis quoque eius præcones simul, & confessores impia crudelitate vexauit. *Continget autem vobis in testimonium.* Testimonium videlicet, quorum, nisi eorum, qui aut persequēdo mortem inferunt, aut videndo non imitantur? Mors quippe iustorum bonis in adiutorium est, malis in testimonium, vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiūt, vt viuant. Sed, auditis tot terroribus, turbari poterant infirmorum corda, atque ideo consolatio adiungitur, cum protinus subinfertur; *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, &c.* Ac si aperte membris suis infirmantibus dicat; Nolite terreri, nolite pertimescere. Vos ad certamen acceditis, sed ego prœlior. Vos verba editis, sed ego sum, qui loquor. *Tradimini autem à parentibus, &c.* Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur: plus vero in nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mētibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis. Sed, quia dura sunt, quæ prædicuntur,

de

de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur; *Et capillus de capite vestro non peribit.* Scimus, quia caro incisa dolet, capillus non dolet incisus. Ait ergo martyribus suis; *Capillus de capite vestro non peribit.* Videlicet aperte dicens; Cur timetis, ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet? Aliter. Capillus de capite discipulorum domini non peribit, quia non solum fortia quæque gesta, vel dicta sanctorum, de quibus dicitur; Dominus custodit omnia ossa eorum, sed & volatilis (vt ita dicā) ac tenuissima cogitationum fidelium superficies, quæ de occulta cordis radice quasi de cerebro cæsaries exit, apud iustum iudicem conseruata digna mercede donabitur. Vnde recte propheta vt bonorum etiam cogitatuum merita domino quā sint accepta demonstret. Et reliquiæ (inquit) cogitationum diem festum agēt tibi. Vnde etiam Nazareni in lege temporeconsecrationis comam nutrire iubētur, & nouacula super caput Samuel non ascendisse perhibetur. At contra mulier captiua vt viro Israelitæ nubere queat, mundatus à lepra vt Ecclesiæ communicare mereatur, omnes sui corporis pilos præcipiuntur eradere. Quia videlicet omnis sapientium cogitatio, quæ bona, placens, & perfecta est, saluatur in perpetuum, & apud dominum est merces eius. Stultorum verò, prauotúmque, quasi Dei aspectibus indigna radix, operum cogitatio pœnitendo debet exeidi. *Et in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Idcirco possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custósque virtutum, patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, quia, dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus, sic enim conditi mirabiliter sumus, vt ratio animam, & anima possideat corpus. Ius verò animæ à corporis possessione repellitur, si non prius anima à ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam dominus esse monstrauit, qui in ipsa nos possidere nometipsos docuit. Patientia autem vera est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore moueri. Nam qui sic proximi mala portat, vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit.

INCERTI CVIVSDAM
sub nomine Eusebij Episcopi Emissen in superius Euang. Homil.

Matth.24. VEnerat Dominus in Hierusalem, & cùm egrederetur de templo, accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Hæc autem sub Tito & Vespasiano completa sunt, quando non solùm templum, verumetiam tota ciuitas funditus destructa est. Tūc enim multis millibus Iudæorum interfectis, cæteri in captiuitatem ducti sunt. Sedente autem Ibidem. eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi? Ipsa interrogatio eorum docet, quid Christi discipuli intellexerint. Audientes enim templi destructionem, seculi consummationem subitò & post modicum fore putabant. Quòd verò toties in montem Oliueti Dominus ascendebat, nos pacem & misericordiam diligere docebat. ἔλαιος enim Græcè, Latinè misericordia dicitur. Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat: Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum, & multos seducent. Hoc enim Symonem magum fecisse legimus, hoc & Antichristum facturum esse legimus. Ipse enim, vt Apostolus ait, se exaltabit supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus. *Cùm autem audieritis prælia & seditiones, &c.* A Christi namque natiuitate, ex quo angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quanto tempore princeps pacis Dominus noster in hoc mundo conuersatus est, magna vbique gentium pax & concordia fuit. Quo recedente, paulatim prælia fieri, seditiones moueri, & bellorum rumores vndique audiri cœperunt. Sed non erant hæc signa finis, seculique consummationis. Multò enim maiora illa erunt, magisque terribilia, quæ mundi finem præcedent, de quibus subditur: *Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, &c.* Omnia enim hæc iam præcesserunt, sed ad comparationem illorum quę futura sunt, tam parua fuerunt, vt illa cum venerint, pro signo habeantur, & iam mundum stare, & diutius durare non posse, manifestè denūcient. Vt enim in sequentibus dicitur, erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet. Quia enim tunc nascetur perditionis filius, bella, lites & contentiones & omnia mala vbique fieri oportebit. Velnti enim pax præcessit Christū, ita discordia præcedet Antichristum. *Tradent enim vos, in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, &c.* Hæc autem prophetia quia iam completa est, expositione non indiget. Ipsa enim eius adimpletio, expositio fuit. *Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.* Quid enim respondereut, si tantùm per seipsos respondetent piscatores & idiotæ? quid responderent rustici & illiterati? Ipsi enim sunt, de quibus Apostolus ait: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt perdat sapientia: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Non multùm igitur erat præmeditādum eis, quia illius erat, qui loquebatur in eis. Vnde etiam & subditur: *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, &c.* Sed quare non os sine sapientia? Quare non sapientiam sine ore? Sed simul vtrunque, os & sapientiam se daturum esse promittit. Nocet enim multoties os sine sapientia. Inutilis est aliquando sapientia sine ore. Vnde scriptum est: Sapientia occulta & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque? Hæretici autem os sine sapientia habuerūt, ideóque sibi & aliis plurimum nocuerunt. Non sit igitur os sine sapientia, neque sapientia sine ore: Qui intelligit, loquatur: qui non intelligit, melius est vt taceat, quàm vt nociua & fidei non cōuenientia loquatur. Propter hoc enim ad tabernaculum construendum, aurum simul & argentum, & æs Dominus offerri præcepit. In auro nanque sapientia, in argento eloquij puritas, in æte verò lóquendi facundia intelligitur. Sine his autem Dei tabernaculum ædificari non potest.

2.Thess.2. Luc.21. Luc.2. Matth.24. Ibidem. Matth.10. Luc.21. 1.Cor.1. Eccl.20. Exod.25.

Et

3 reg.11. Et de auro quidem scriptum est, quia desiderabi-
Psal.11. lis thesaurus requiescit in ore sapientis. De argeoto verò, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. De ære autem: Si linguis
1.Cor.13. hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Os enim & sapientiam acceperat ille, qui dicebat: Sapientiam loquimur
1.Cor.2. inter perfectos. Os autem sine sapientia habuit Arrius, qui tot homines sua loquacitate in errorem induxit. Quia igitur os & sapientiam habuerunt sancti, idcircò eis resistere, eisque contradicere non poterant omnes aduersarij Christi. Legimus enim pharisæos & sapientes à rusticis & illiteratis, insuper & ab ipsis mulieribus sæpè loquendo fuisse superatos. Scio autem quia mouebitur aliquis, quia multa in hoc volumine vel addita, vel mutata reperiuntur, quæ in illo, de quo excerpta sunt, non inueniûtur. Sed aliter hic & aliter ibi loquendum fuit: quia aliter pro po-
Matth.10. pulo, aliterque scholasticis loqui oportet. *Tradet autem fratrem frater in mortem, & pater filium, &c.*
Luc.21. Considerate modò, quanta crudelitate tyranni cæterique homines iniqui in eos sæuiant, quibus ipsi quoque parentes & propinqui non parcunt. Quòd autem dicit, quia capillus de capite vestro non peribit: in eo loco expositum est in quo dicitur: Quia capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *Inpatientia vestra possidebitis animas vestras.* Magna virtus est patientia, sine qua perditur, & per anima possidetur.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

CÆterùm, cum audieritis bella, & seditiones, &c. Nunc de consummatione seculi loquitur, & præmunit discipulos, ne se falsis prophetis ante suum aduentû venturis subdant. Erût autê bella, & seditiones: nã, quû sublata fuerit omnis charitas, meritò locum habent bella, & seditiones: post bella vero fames, & pestilentiæ: & pestilitas quidem, corrupto ab occisis aere, fames autem ex agris non cultis. Quidam pestilentiam, & famem non tantum in consummatione seculi, sed etiam in captiuitatis temporibus fore intellexerunt.
Ioseph. Etenim Iosephus miras tunc calamitates fuisse
Act.11. dicit propter famem, & meminit etiam Lucas in Actis. Facta est fames sub Claudio Cæsare. Porro & terrienlamenta multa fuerunt tempore captiuitatis Hierusalem, vt Iosephus restatur. Omnino tamen hæc sequentia (de seditionibus, bellis, & fame, ac cæteris loquor) possunt tam de captiuitate Hierusalem, quàm consummatione seculi intelligi. *Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur, &c.* Ante hæc omnia, hoc est, ea, quæ fient ante consummationem, vel etiam captiuitatem. Nam (vt dixit) coniungit sermonibus de consummatione, sermones de captiuitate. Inijcient enim, inquit, in vos meos discipulos, manus. Et ante captam Hierusalem persequutionem passi sunt apostoli à Hierosolymitanis, Deo hoc ita dispensante, vt, quum milites mundum concurrerent, & grauiter affligerent Iudæos; apostoli interim totum mundum prædicatione implerent. Dncti sunt igitur apostoli ad reges, & præsides, sicut Paulus ad Festum, ad Agrippam, ad Cæ- Act.25.26.
sarem, & factum est eis hoc in gloriam testimonij. 28.
Quia autem priuati, & imperiti erant, ne turbarentur reddituri rationem apud viros sapientes: nihil, inquit, de hac re vobis curæ sit. Accipietis enim tunc à me eloquentiam & sapientiam, ita vt, etiam si omnes aduersarij vestri ad vnum vsque vobis obstiterint, non poterunt vobis resistere, neque per sapientiam, hoc est, sensuum vim, neque per eloquentiam, & linguæ certitudinem. Sæpe enim quis habet sapientiam in rationibus, & mentibus. Qui enim facile in aduersis non turbatur, confundit omnia, quum dicendum est ad populum. Apostoli autê, dico, io vtroque gratiam consequuti sunt. Vnde obstupuerût sacerdotes de Petro & Ioanne ob immensam sapientiam, dum Act.4.
comprehenderent eos quæ prius carebant. Paulo vero dicit Festus, insanis, Paule, multæ te literæ ad Act.26.
insaniam redigunt. Et quum excussisset timorem, quem ex imperitia habebant, subdit & aliud necessarium, & validum ad concutiendas animas. *Trademini ab amicis, & cognatis.* Prædicit igitur & do hoc vt ne, cum hoc subito contingat, turbentur. Grauiter enim hoc animam cruciat, sicut & Dauid dicit, quod si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu autem homo vnanimis, &c. Et iterum qui comedit panes meos mecum, sup- Psal.40.
plantauit super me calcaneum. Quum dixisset, Psal.54.
quod odio habendi, & quod occidêdi essent quidam ex his, subdit maximã côsolationem: *Capillus de capite vestro non peribit.* Saluabimini enim, inquit, & neque minimum quiddam in vobis corrumpetur, etiamsi videatur multis corrumpi: tantum ferre oportet. Per patientiam etenim possidebitis animam vestram. Nam inimicus inuadit, ceu hostia, in captiuitatem ductuus animas vestras, & tentat per afflictiones rapere: sed vos date pro pecunia patientiam, & possidebitis animam vestram hac compensatione, & nihil vobis damni erit. Attende autem quod dicit. *Occisi sunt ex vobis.* Intelliges enim rarius quiddam, quia nô integros vos occident: sed cum ex duobus sitis, anima, & corpore, non vtrunque morte afficient, sed vnum ex vobis occident: animas autem vestras possidebitis per patiêtiam: id quod & alibi dicit, Ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem vestram occidere non poterunt.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

COntinget autem vobis in testimonium. In protestationem, in redargutionem eorum, qui non crediderunt, ne dicere possint in die iudicij, quod prædicationem non audierint. Aut, *continget vobis*, quæ ab illis inferentur in martyrij gloriam. (Nam Græci dicunt, Contingent vobis εἰς μαρτύριον, id est in martyriû, aut in testimonium.) *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam.* Os appellat verba: sapientiam verò intelligentiam verborum. *Et capillus de capite vestro non peresat.* Et vere multi fidelium in ignem iniecti, ne capillos quidem perdiderunt. Manifestum ergo est, quòd, si cuius Dan.3.
pars aliqua corporis amputata sit, hoc diuina permissione sustinuit: siquidem interdum propriam ostendebat potentiam, quandoque autem carni permit

permittebat, vt iuxta naturam pateretur. Quum ergo dixerit; *Et capillus de capite vestro non pereat*, significauit, quòd omnipotens esset, quodque illis auxiliaretur, ac alacritatem immitteret. *Per patientiam vestram possidete animas vestras.* Possidete, siue seruate, quòd si animas, omnino & corpora. Scriptum est apud Mathæum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matth. 24.*

II. EVANG. IN COMMVNI PLVRIMORVM MARTYRVM EXTRA TEMPVS PASCHALE.

LVC. 6.



IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius: & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima, & Tyri & Sydonis qui venerant vt audirẽt eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati [a] pauperes, quia vestrũ est regnum Dei. Beati qui nunc [b] esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc [c] fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cũ vos oderint [d] homines, & cũ [e] separauerint vos, & [f] exprobrauerint, & [g] eiecerint nomen vestrum, tanquam malum [h] propter filium [i] hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim [k] merces vestra multa est in cælo.

a Hi à peccato abstinentes seculum calcant, illecebrosa non quærunt.
b Iustitiam.
c De præsenti miseria, de dilatione bonorum.
d Corde.
e Pellendo de synagogis.
f Nomen crucifixi
g Quantum ad Iudæos & gentiles, nomen Christianum sæpe à memoria abrasum, & creditum est ab hominibus.
h Nulla alia causa.
i Cuius nomen vestrum facitis cognomen.
k Multa patientibus in terris, multa merces erit in cælis.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



DESCENDENS *Iesus, &c.* Electurus apostolos dominus in montana subiit, turbas docturus ad campestria redit: quia non nisi in humili turbæ Christum videre sufficiũt, & raro inuenitur quod vel turba dominum ad altiora sequatur, vel quispiam debilis in monte curetur: sed extincta febre libidinum & succensa luce scientiæ, pedetentim quisque subiit culmen virtutum. *Maritima.* Non à proximo mari Galileæ, quia hoc non miraculi loco ponunt, sed à mari magno cognominatur. In quo etiam Tyrus & Sydon comprehendi poterãt, Sed quia sunt ciuitates Gentium, consultè nominatim ponuntur, vt quanta sit virtus Christi intimetur, quæ etiam exteras ciuitates excitat. *Vt audirent.* Si dicamus duos esse sermones, ascendit in montem, & habuit ibi discipulos: & post descendit & fecit istum ad turbam. Si dicimus vnũ fuisse, ita intelligendum est, quod ascendit in montem, & post aliquantulum descendit, & ibi fecit sermonem, vbi erat planicies; *Eum tangere.* Tangit Christum qui fideliter credit in eum, Tãgitur à Christo qui firmatur in illo. Qui sic tangit & tangitur, spiritus ipsius virtute sanatur. *Et ipse eleuatis ocu. in discipulos, &c.* Et si generaliter omnibus loquitur, specialiter in discipulos oculos leuat vt qui intenta cordis aure verbum Dei percipiunt, latius saporis intimi lumen accipiant, quibus os in monte sedens aperit, vt magna proferret in coa stans in campo oculos dirigit, vt audita patenter intelligant. *Beati pauperes.* Qui nundum consummatæ virtutis arcem conscendere possunt: generalis interim perfectionis sunt beatitudine perfouendi, vt paulatim ad meliora progressi, dum domino in planicie stante libenter, auscultant, ad hunc quandoque in monte sedentem sublimiter ascendant. Nam quorum cordibus adhuc edomandis insistit, his quasi stans affatur. Quos longo studio exercitatos & iam dociles inuenit, his quasi quietus residens mystica intimat. Quod apud Matthæum plenarie per octo beatitudines dicitur in sermone perfectionis ad apostolos in summo montis, hoc apud Lucam temperantius per quatuor cardinales virtutes comprehenditur *Matth. 5.*

in

in leuiore sermone ad turbas in imo. Dicit ergo: *Beati pau.* Ecce temperantia, quæ etiam facit cordis mundiciam. *Beati qui nunc esuritis.* qui compatiuntur aliis & miserentur, & tribuunt sua: non quærentes aliena. Ecce iusticia: quæ etiam facit misericordiam. *Beati qui nunc fletis.* Ecce prudentia, quæ attendit quam misera hæc terrena: quam beata cœlestia: quæ etiam pacem facit. *Beati eritis cum vos ode.* Ecce fortitudo quæ facit etiam mansuetudinem: Fortis est qui vincit iram, & alios motus animi. Connexæ virtutes: vt qui vnam habeat plures habere videatur, sed eius quæ fuerit vberior, & vberius præmium. Hospitalitas & humilitas & sanctitas Abrahæ commendantur: sed quia fide præstitit, fide præ cæteris meruit principatum. *Qui nunc.* Qui esurit esurienti compatitur: compatiendo largitur, largiendo fit iustus, æqualem se inferioribus præstat, dolum excludit: veritatem requirit. *Qui nunc.* Qui propter diuitias hæreditatis Christi, propter panem vitæ æternæ: propter spem cælestium gaudiorum: fletus: esuriem: paupertatémque desiderat beatus est: multo beatior, qui has virtutes inter aduersa seruare non trepidat. *Gaudete & exultate.* Inter odia credentium, inter probra linguarum, inter manus persequentium, lætiori corde versamini: intuitu supernæ mercedis.

CATENA AVREA
in idem Euang.

DEscendens Iesus, &c. Cyril. Celebrata ordinatione apostolorum, pluribus congregatis & de regione Iudæorum, necnon à maritima Tyri & Sidonis, qui erant idololatræ: cóstituit eos totius orbis doctores, vtpote qui euocarent Iudæos à legis seruitute, cultores autem dæmonum ab errore gentili ad veritatis cognitionem. vnde dicitur: *Et ascen.&c.* Bed. Non à proximo mari Galilææ maritimam dicit: quia huc non miraculi loco poneretur, sed à mari magno cognominatur, in quo etiam Tyrus & Sidon comprehendi poterant, de quibus sequitur: *Et Tyri & Sidonis.* Quæ quia ciuitates gentium sunt, consultè nominatim ponuntur, vt quanta sit fama virtúsque saluatoris intimetur, quæ externas quoque ad sanitatem & doctrinámque capessendá ciuitates accersierat: vnde sequitur, *Qui venerant vt audirent eum.* Theo. Hoc est, ad animarum medelam: *vt sanarentur à languoribus suis*, hoc est ad medelam eorum corporum. Cyril. Postquam autem sacerdos publicauit apostolus, plurima & ardua fecit miracula: vt qui conuenerant Iudæi & gentiles scirent eos decoratos esse à Christo dignitate apostolatus, & quòd ipse non erat sicut vnus aliorum hominum, magis autem Deus, vt verbum incarnatum. vnde sequitur: *Et om. tur. quę. &c.* Neque enim alienam virtutem accipiebat Christus: sed cú naturaliter esset Deus, propriam virtutem super infirmos emittens, sanabat omnes. Ambr. Aduerte autem omnia diligenter, quomodo & cum apostolis ascendat ac descendat ad turbas, quomodo eum turba sequitur ad excelsa: denique vbi descendit, inuenit infirmos: in excelsis enim infirmi esse non possunt. Bed. Rarò hoc quoque vspiam vel turbas dominum ad altiora sequi, vel quempiam debilem in

montes in monte curati: sed extincta febre libidinum, accensáque scientiæ luce pedetentim quoquam ad culmeo subite virtutum. Turba autem quæ dominum tangere potuit, spiritus illius virtute sanatur, vt supra leprosus domino tangente mundatur. Tactus ergo Saluatoris, opus est salutis: quem tangere, est fideliter in eum credere: à quo tangi, est eius munere sanari. *Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, &c.* Cyr. Post apostolorum ordinationem ad euangelicæ vitæ nouitatem saluator suos discipulos rectificauit. Amb. Diuinitatis autem promptuaria oracula incipit esse sublimior, etsi in humili stabat, tamen oculos eleuauit. vn'e dicitur: *Et ipse eleuatis oculis.* Quid est leuare oculos nisi interius lumen aperire? Bed. Et quamuis generaliter omnibus loquatur, specialius tamen oculos in discipulos leuat. Sequitur enim: *In discipulos suos:* vt his qui verbum intenta cordis aure percipiunt, latius saporis intimi lumé aperiat. Ambr. Quatuor autem tantum beatitudines Lucas posuit, octo verò Matthæus: sed in istis octo, illæ sunt quatuor: & in istis quatuor, illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales, ille in primis octo mysticum ordinem reserauit. Sicut enim spei nostræ octaua perfectio est, ita octaua summa virtutum est. Primam autem beatitudinem paupertatis vterque euágelista posuit: ordine enim prima est, & parens quædam virtutum, quia qui cótempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum regni cęlestis adipisci, qui mundi cupiditatem post se emergendi non habet facultaté. vnde sequitur: *Dicebat, Beati pauperes.* Cyril. In euangelio quidé quod est secundú Matthæum beatos fieri dixit pauperes spiritu: vt intelligamus esse pauperem spiritu, habentem intellectum modestum & quodammodo remissum. vnde dicit Saluator: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hic autem beatos asserit pauperes non addito, spiritu: pauperes appellans diuitias contemnentes: decebat enim vt cum pronuntiaturi essent salutiferi euangelij dogma, mentem non gererent cupidam, sed promptum affectum haberent erga maiora. Cyril. Non autem omnis quem paupertas premit beatus est, sed qui Christi præceptum mundanis prætulerit opibus: plures enim pauperes sunt in substantia, auarissimi tamen secundum affectum: quos non saluat paupertas, sed affectus damnat. Nihil enim inuoluntariorum beatificabile est, eo quòd omnis virtus libero designatur arbitrio. Beatus ergo pauper quasi Christi discipulus, qui pro nobis paupertatem sustinuit. Nam ipse dominus quodlibet opus impleuit quod ad beatitudinem dicit, se præbens exemplar discentibus. Eos. Sed cùm cęleste regnum in multis gradibus bonorum cóſideretur: Primus gradus scandentium est eorum, qui diuino intuitu colút paupertatem: tales animé fecit eos qui primò facti sunt eius discipuli. Ob hoc in eorum persona dicit: *Quia vestrum est regnum Dei:* quasi demonstrariuè hoc proferens ad præsentes, ad quos etiam oculos eleauit. Cyril. Postquam igitur mádauit paupertatem colere: ea quæ consequuntur, inopiam coronat honoribus. Contingit autem paupertatem colentes, necessariorú incurrere defectum & vix acquirere victum, idcirco non finit discipulos pusillanimes super hoc fieri, dicens: *Beati qui nunc esuritis.* Cyril. Id est beati qui castigatis corpus vestrum,

Liberi arbitrij necessarius concursus in virtutibus.

ftrum, & feruituti fubiicitis, quia in fame & fiti verbo operam datis, quia cæleftium tunc gaudiorum habebitis vbertate perfrui. Greg. Nife. Alius autem, ficut fecundum fenfibilem efcam diuerfificatur participantiũ appetitus ad comeftibilium fpecies: fic & in cibo animæ, ab his quidem opinabile, ab his autem appetitur quod naturaliter eft bonum: Vnde hic fecundum Matthæum beatificantur, qui iuftitiam loco cibi & potus reputant, non inquam particularem fed vniuerfalem virtutem: quam qui efiunt, beatificandum dicit. Bed. Apertiffimè nos inftruens nunquam nos fatis iuftos æftimare debere: fed quotidianum iuftitiæ femper amare profectum, ad cuius perfectam faturitatem nõ in hoc feculo fed in futuro poffumus peruenire, Pfalmifta oftendit, dicens: Satiabor cum manifeftabitur gloria tua. vnde fequitur, *Quia faturabimini.* Greg. Nif. Auidis enim iuftitiæ defideratorum copiam fpondet. Nihil enim eorum quæ fecundum voluptatem in vita quæruntur, fatiat inquirentes. Solum autem virtutis ftudium fubfequitur præmium quod indeficiens gaudium inferit animæ. Cyrill. Cõfequitur autem inopiam nõ folum defectus rerum ad delectationes facientium, fed etiam depreffus vultus propter mœftitiam. vnde fequitur, *Beati qui nunc fletis.* Beatificat flentes non eos qui fimpliciter ab oculis lachrymas emittunt, commune enim eft hoc tam fidelibus quàm infidelibus, fi quid triftium accidat. Magis autem illos beatos afferit, qui lenem vitam & implicitam carnalibus voluptatibus deditam vitam refutantes delicias, & penè lachrymantes propter odium mundanorum. Chr. Magnum quid verò fecundum Deum triftitia eft: & impetrat ei pœnitentiam in falutem. vnde Paulus, cum non haberet fuos defectus flere, pro alienis lugebat: talis luctus eft alacritatis materia. vnde fequitur: *Quia ridebitis.* Etenim fi nihil profumus his pro quibus flemus, tamẽ proficimus nobifmetipfis. Nam qui fic aliena deflet, multò magis non præteribit inflebiliter fua delicta. Magis autem nec facilè labetur in fcelus: non diffoluamur in hac breui vita, ne fufpiremus in infinita. Non quæramus delicias, à quibus manat luctus & dolor nimius, fed triftemur triftitia, quæ germinat veniam. Eft etiam dominum fæpius reperire lugentem: ridentem nequaquam. Bafi. Promittit autem flentibus rifum, non quidem emiffum per mandibulas fonum, fed meram & impermixtam cuilibet triftitiæ alacritatem. Bed. Qui ergo propter diuitias hæreditatis Chrifti, propter panem vitæ æternæ, propter fpem cæleftium gaudiorum: fletus, efuriem, paupertatémque pati defiderat, beatus eft. Multò autem beatior qui has virtutes inter aduerfa feruare non trepidat. vnde fequitur: *Beati eritis cum vos oderint homines.* Licet enim homines odiant corde nephãdo, dilectum cor Chrifto lædere nequeunt. Sequitur: *Et cum fep. vos.* Separant, & à fynagoga expellant, Chriftus inuenit & cõfirmat. Sequitur, *Et exprobrauerint.* Exprobrẽt nomen crucifixi, ipfe commortuos fibi correfufcitat, & confedere facit in cæleftibus. Sequitur: *Et eii.no. veftrum tanquam malum,* vbi nomen chriftianorum fignificat quòd à gentilibus Iudæífque fæpiffimè quantum ad ipfos memoriæ abrafum, & ab hominibus eft abiectum, nulla exiftente caufa odij, nifi propter filiũ hominis, qui fcilicet credentes nomen Chrifti, fuum cognomen facere voluerũt. Docet ergo eos ab hominibus infectandos, fed vltra homines effe habeandos. vnde fequitur: *Gaud. in il. die & exul. ec. &c.* Chr. Multum & paucum menfuratur dignitate proferentis. Quæramus igitur quis multam promifit mercedem: fiquidem propheta vel apoftolus velut homo paucum effe multum exiftimauit, nunc autem dominus qui poffidet perennes thefauros, opes, quæ quemlibet intellectum tranfcendunt, multam pollicitus eft mercedem. Bafil. Rurfus magnum, aliquando abfolutã habet intentionem: ficut magnum eft cælum, & magna eft terra: aliquãdo verò ad aliquid habet relationem, vt magnus equus & bos in comparatione fimiliũ: fic arbitror multam fore mercedem repofitam patiẽtibus opprobria propter Chriftum, non tanquam comparatam ad ea quæ penes nos funt, fed in fe multam exiftentem, & tanquam à Deo donatam. Dama. Illa etiam quæ menfurari vel numerari poffunt, terminare iogerũtur: quod autem ea quadam excellentia omnem tranfcendit menfuram & numerum, indeterminatè dicitur magnum & multum, puta quando dicimus multam effe Dei mifericordiam. Ambro. In hoc ergo quod dicit, *Beati pauperes*, habes temperantiam quæ te à peccato abftinet, feculum calcat, illecebrofa non quærit. *Beati qui efuritis*: habes iuftitiã, qui enim efurit, efurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit iuftus, quia iuftitia eius manet in æternum. *Beati qui nunc fletis*: habes prudentiam cuius eft flere quotidiana, & ea quæ æterna funt quærere. *Beati eritis cum vos oderint homines*: habes fortitudinem, fed eam quæ non odium merecur ea crimine, fed perfecutionem patitur ex fide. Sic enim ad paffionis peruenitur coronam, fi gratiam hominum negligas, diuinam fequaris, ergo temperantia cordis habet munditiam, iuftitia mifericordiam, pacem prudentia, manfuetudinem fortitudo. Conucxæ fibi funt & concatenatæ virtutes: vt qui vnam habet, plures habere videatur: & fanctis vna competit virtus, fed eius quæ fuerit vberior, vberius eft præmium. Quãta hofpitalitas in Abrahamiquanta humilitas? fed quia fide præftitit, fidei præ cæteris meruit principatũ. Ergo vnicuique plura præmia, quia plurima incentiua virtutum: fed quo in aliquo merito copiofius, hoc etiam in præmio redundantius.

S. AMBROSII EPISC.

Mediolan. fuperioris Euang. expofitio.

Defcẽdens (inquit) *Iefus, &c.* Aduerte omnia diligenter, quomodo & cum apoftolis afcendat, & defcendat ad turbas. Quomodo enim turba nifi in humili Chriftum videret? Non fequitur ad excelfa: non afcendit ad fublimia. Denique vbi defcendit, inuenit infirmos. In excelfis enim infirmi effe non poffunt. Sic enim Matthæus docet, in inferioribus debiles fanatus effe. Prius enim vnufquifque fanatus eft, vt paulatim virtutibus præcedentibus afcendere poffet ad montem. Et ideo vnũquemque in inferioribus fanat, hoc eft, à libidine reuocat, iniuriam cæcitatis auertit, fed vulnera noftra defcendit, vt vfu quodam, & copia fuæ naturæ comparticipes nos faciat effe regni cæleftis. Et fanabat h s quidem, fed in inferioribus *Ex lib. 5. com. in Luc.*

 telin

relinquebat. *Et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius.* Euangelizaturus enim & benedictionum de thesauro diuinitatis prompturus oracula incipit esse sublimior. Hic autem & si in humili stabat, tamen oculos eleuauit. Sic etiam cùm Lazarum suscitaret, infremuit spiritu, sic etiam caput leuauit cum mulieri adulteræ peccata donaret. Quid est enim leuare oculos: nisi interius lumen aperire? Ibidem. Deniq; sanctus Matthæus. *Aperuit*, inquit, *os suum.* Thesauros scilicet sapientiæ & scientiæ Dei: reclusis aditis templi sui ora reserauit. Ergo & tu aperi os tuum, sed prius vt aperiatur implora. Si enim Paulus in adapertione oris sui implorat auxilium: multo magis implorare te conuenit. Ostendit enim tibi clauem scientiæ: qua os aperire tuum debeas, dicente propheta: Aperi os tuum verbo Dei. Verbum Dei clauis tui oris est: clauis scientiæ oris tui clauis est, qua laxatis silentij catenis, imperitiæ claustra reserantur. *Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei, &c.* Quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas dominicas posuit. Octo vero sanctus Matthæus: Sed in istis octo illæ quatuor sunt: & in quatuor istis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales: ille in illis octo mysticum numerum reserauit. Pro octaua enim multi scribuntur psalmi, & mandatū accipis, octo illis partē dare fortasse benedictionibus. Sicut enim spei nostræ octaua perfectio est: ita octaua summa virtutum est. Sed prius quæ sunt ampliora videamus. Beati, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Primam benedictionem hanc vterque euangelista posuit: Ordine enim prima est, parens quædam generatioque virtutum: quia, qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna, nec potest quisquam meritū regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem. Secunda benedictio. Beati inquit mites. Tertia; Beati qui lugent. Quarta; Beati qui esuriūt & sitiunt iustitiam. Quinta, Beati misericordes. Sexta, Beati mundo corde. Septima; Beati pacifici. Et bene septima; quoniā eo die ab omnibus mundi operibus requieuit Deus. Dies enim quietis, & pacis est. Octaua; Beati qui persecutionem patiūtur propter iustitiam. Veni, domine Iesu, doce nos ordinem beatitudinum tuarum. Neque enim sine ordine dixisti primo beatos pauperes spiritu, secūdo beatos mites, tertio beatos qui lugēt. Etiam si cognosco aliquid, tamen ex parte cognosco. Si enim Paulus ex parte cognouit; quātum ego possum cognoscere, qui Paulo quantū vita, tantum etiam verbo inferior sum. Vita enim verbum exigit, & acquirit: Sermo autem sine vita non est sermo Dei. Quanto me sapientior Paulus? Ille gloriatur in periculis, ego glorior in successibus. Ille gloriatur, quia reuelationibus non extollitur, ego, si quæ reuelationes mihi contingerent, gloriarer. Sed tamen potest Deus de lapidibus homines suscitare, & verbum proferre de clausis, vocē elicere de mutis. Quia si asinæ oculos aperuit, vt videret angelum; potens est & nobis quoque aperire oculos, vt possimus Dei videre mysteriū. Beati, inquit, pauperes: nō omnes beati pauperes. Paupertas enim media est; possunt & boni esse, & mali pauperes. Nisi forte ille intelligendus pauper Prou.19. beatus, quem propheta describit dicēs; Quia melior iustus pauper, quam diues mendax. Beatus pauper, qui clamauit, & dominus exaudiuit eum.

Pauper à crimine, pauper à vitiis, pauper in quo mūdi princeps nihil inuenit. Pauper illius æmulus pauperis, qui, cū diues esset, propter nos pauper factus est. Vnde plene Matthæus aperuit dicens; Beati pauperes spiritu. Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ. Prima ergo ista benedictio est, cū deposuero omne peccatum, & exuero omnem maliciam, & simplicitate cōtentus fuero, inops malorum, superest vt mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere secularibus: nisi fuero mitis, atque mansuetus? Nam, qui sequitur viam rectam, sequitur vtique illum, qui ait; Discite à me, quia mitis sum, & Matth.11. humilis corde. Depone igitur, quæ improba sunt, egero vitiis secundum bonam paupertatem; mitigā affectum tuum, vt non irascaris, aut certe irati ne peccaueris, iuxta quod scriptum est; Irascimini, & nolite peccare. Psal.4. Præclarum est enim motum temperare consilio; nec minoris virtutis docetur cohibere iracundiam, indignationem compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Cum hæc feceris, memento quia peccator es, & lugeto peccata tua, lugeto delicta. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia trinitas est, quæ peccata condonat. Ablue igitur te lachrymis tuis, laua fletibus, si tuipse te fleueris, alius te non flebit. Nam, si Saul defleſſet peccata sua, Samuel eum non fleuisset. Habet vnusquisque, quos fleat, mortuos suos, Mortui sumus, quando peccamus: quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui exit ex ore: exit enim de sepulchro malo. Sepulchrum autem patens est guttur eorum. Psal.5. Ideo dicit apostolus; Imitatores mei estote: vult 1.Cor.4. nos delictorum meminisse nostrorum. Paulus nō habebat, quod lugeret, ex quo in Christum credidit: & tamen priora defleuit dicens, Quia non 1.Cor.15. sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiā Dei. Ille igitur peccator ante fidē, nos vero adhuc peccamus post fidem. Qui peccator, est defleat se, & arguat se, vt fiat iustus: Iustus enim accusator est sui. Ordinē igitur persequamur: quia Prou.19. scriptum est; Ordinate in me charitatem. Deposui Cant.2. peccatum: temperaui mores: delicta defleui: esurire incipio, & esurire iusticiam. Æger enim cum in graui morbo est, non esurit, quia ægritudinis dolor excludit famem. Sed quæ est ista fames iustitiæ? Qui sunt isti panes, quos esurit iustus? Ne forte panes illi, de quibus dictum est; Iuuenis fui, & Psal.36. senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Qui esurit, vtique virium quærit augmentum. Quod autem maius virtutis incrementum, quam norma iustitiæ? Post has, Beati, inquit, misericordes. Iustitiam enim sequitur misericordia. Vnde dictū est; Dispersit, dedit pau- Psal.111. peribus, iustitia eius manet in æternum. Sed etiam qui misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur. Nam, si iactantiam quærat, nullus est fructus. Emunda igitur interiora mentis tuæ, &, si diligenter pectoris tui secreta mundaueris, compare iis, qui impugnantur: & intellige quanti hominum, quanti fratrum tuorum auxilium tuum quærant. Sed, nisi tu prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones, contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, vt, cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda

mun

mundare, niſi tuum mundaueris ante? Profuiſti igitur aliis: tuliſti auxilium pluribus, feſtina, contende ad finem. Multi cum eſſent exitus vitę, vnus Domino competebat. Nam, quod natum erat ſecundum carnem, oportebat ſecundum carnem mori. Elegit paſſionem, vt moreretur pro nobis: & tu dic de omnibus, quæ retribuit tibi Dominus, Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo, hoc eſt, paſſionem. Vnde etiam illis, qui ad dexteram, vel ſiniſtram ſedere cupiebant, ait, Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum? Víque ad finem te ducit: vſque ad martyrium proſequitur: & conſtituit beatitudinum palmam. Vide igitur ordinem. Oportet te pauperem fieri ſpiritu. Humilitas enim ſpiritu diuitiæ virtutum ſunt. Niſi pauper fueris, mitis eſſe non poteris. Qui mitis eſt, poteſt lugere pręſentia. Qui inferiora luget, poteſt deſiderare meliora. Qui ſuperiora quærit, inferiora deuitat, vt & ipſe à ſuperioribus adiuuetur. Qui miſeretur, cor ſuum mundat. Quid eſt enim mundare animum, niſi ſordem mentis abluere? Eleemoſyna enim à morte liberat. Patiētia vero perfectio eſt charitatis. Qui autem patitur perſecutionem in vltimo certamine conſtitutus, probatur aduerſis: vt, cum legitime certauerit, coronetur. Hos quidem gradus volūt eſſe virtutum: per quos ab vltimis ad ſuperiora poſſimus aſcendere: denique ſicut incrementa virtutū, ita etiam ſunt incrementa præmiorum. Plus eſt enim Dei eſſe filium, quam poſſidere terram, & conſolationem mereri. Sed quia & primum præmium regnum cęlorum eſt, & vltimum pręmium regnum cælorum eſt, nunquid æquale præmium incipientibus, atque perfectis eſt? Ne forte myſtice docemur: quia eſt primum regnum cęlorum illud apoſtolicum; Diſſolui, & eſſe cum Chriſto? Habes primum regnum, quando ſancti rapiuntur in nubibus obuiā Chriſto in aera. Multi enim dormientium ſurgent, iſti in vitam æternam, illi in opprobrium. Primum ergo regnum cælorum ſanctis propoſitum eſt in abſolutione corporis. Secundum regnum cęlorum eſt, poſt reſurrectionem eſſe cum Chriſto. Cum fueris in regno cælorum, tunc proceſſus eſt manſionum: & ſi vnum regnum diuerſa tamen merita ſunt in regno cælorum. Poſt reſurrectionem terram tuam incipies poſſidere abſolutus à morte. Ille enim, cui dicitur; Terra es, & in terram ibis, non poſſidet terram ſuam. Non enim poteſt eſſe poſſeſſor, qui non capit fructum. Abſolutus igitur per dominicā crucem, ſi tamen intra iugum domini fueris inuentus, conſolationem in ipſa poſſeſſione reperies, conſolationem ſequitur delectatio, delectationem diuina miſeratio. Quem autem miſeratur Dominus, & vocat: qui vocatur, videt vocantem: qui Deum viderit, in ius diuinæ generationis aſſumitur: tunc demum quaſi Dei filius cæleſtis regni diuitiis delectatur. Ille igitur incipit, hic repletur. Nam & intra hoc ſeculum multi ſub imperio Romano ſunt, ſed maiorem imperij gratiam, qui propiores imperatori ſunt, conſequuntur. Nunc dicamus, quemadmodum in quatuor benedictionibus ſanctus Lucas benedictiones ſit octo amplexus. Et quidem ſcimus virtutes eſſe quatuor cardinales, temperantiam, iuſtitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper eſt ſpiritu, auarus non eſt. Qui flet, non ſuperbit, ſed mitis eſt, & pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui iuſtus eſt, non negat, quod ſcit omnibus ad vſum communiter datum. Qui miſeretur, largitur de ſuo. Qui ſuum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo ſuo inſtruit. Connexæ igitur ſibi ſunt concatenatæque virtutes, vt, qui vnam habeat plures habere videatur: & ſanctis vna competit virtus: ſed, eius quæ fuerit vberior, vberius eſt præmium. Quanta hoſpitalitas in Abrahā! quāta humilitas! quanta ſanctitas vt fratris filiū ab hoſte ſeruaret: & quanta abſtinētia, vt nihil de pręda quęreret! Sed, quia fide pręſtitit, fidei prę cęteris meruit principatum. Ergo vnicuique plura præmia, quia plura incentiua virtutum. Sed quod in aliquo merito copioſius, hoc etiam in præmio redundantius. *Beati* igitur *pauperes ſpiritu*. Habes temperantiam, quæ à peccato abſtinet, ſeculum calcat, illecebroſa non quærit. Beati *qui eſuriunt, & ſitiunt*. Qui enim eſurit, eſurienti compatitur, compatiendo largitur, largiēdo fit iuſtus: quia iuſtitia eius manet in æternum. Vnde & in Matthæo ſitim, & famem intelligimus ſpiritalem, qua cibus iuſtitiæ deſideratur, aut potus: quia virtus quaſi materia quædam virtutum eſt: vt iuſtus æqualem ſe inferioribus præſtet, dolum excludat, veritatem requirat. Beati *qui nunc fletis: quia ridebitis*. Habes prudentiam, cuius eſt flere occidua, & ea, quæ æterna ſunt, quærere, lugere ſecularia, quæ ſeipſa compugnent, Deum pacis inquirere, qui ſtulta mundi elegit, vt cōfundat ſapientes, & qui ea, quæ non ſunt, deſtruat, vt, quæ ſunt, poſſit adipiſci. *Beati eritis, cum vos oderint homines.* Habes fortitudinem, ſed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, ſed perſecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad paſſionis peruenitur coronam, ſi gratiam hominum negligas, diuinam ſequaris. Denique, vt ſcias conſummationem eſſe fortitudinis paſſionem, *ſecundum hæc*, inquit, *faciebant prophetis patres eorum*: quia prophetas Iudæi vſque ad mortē corporis perſecuti ſunt. Eſt etiam fortitudinis, iram vincere, indignationemque cohibere: ac per hoc fortitudo animum, corpuſque confirmat. Nec perturbari ſinit timore aliquo vel dolore: quibus velut prauis interpretibus plerumque percellimur. Ergo temperantiam cordis habet, animique mundiciam; iuſtitia miſericordiam; pacem prudentia; manſuetudinem fortitudo.

Pſal. 115. Matth. 20. Tobie 4. Phil. 1. 1. Theſſal. 4. Daniel 12. In cælo diuerſi gradus præmiorū pro ratione graduū meritorum. Gen. 3. Vberioris virtutis vberius præmium. 1. Cor. 1.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri ſuperioris Euang. expoſitio.

DEſcendens *Ieſus de monte ſtetit in loco, &c.* Electurus Apoſtolos Dominus in montana ſubiit, turbas vero docturus ad campeſtria rediit, quia non niſi in humili Chriſtum turbæ videre ſufficiunt. Nam hæc eſt norma quā ſecutus Apoſtolus ait: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Quaſi paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed ne nūc quidem poteſtis. Apoſtoli autem ipſi ſecundum Matthæum quaſi perfectiores, & in mōte & aperto ſaluatoris ore docti eſſe narrantur. Vbi ſi quis diligentius vtrunque velit Euangeliſtam perſcrutari, poteſt intelligi, cùm in monte duodecim Diſcipulos elegit è pluribus, quos & Apoſtolos nominauit, quod Matthæus prætermiſit, tūc illum habuiſſe ſermonem,

Ex lib. 2. comment. in Luc.

quem Matthæus interposuit, & Lucas tacuit, hoc est in monte. Ac deinde cùm descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet, & vtrunque sermonem eodem modo esse conclusum. *Ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima, &c.* Maritimam multitudinem non a proximo mari Galilææ (neq; enim hoc miraculi loco poneret) sed à mari magno reor esse cognominatam, in qua etiam Tyrus & Sidon comprehendi poterant. Verùm quia Gentium ciuitates sunt, Iudæis quidem sorte datæ, sed non ab eis possessæ, eo quòd hostes exterminare nequiuerint, consultè nominatim ponuntur, vt quāta sit fama virtútque Saluatoris intimetur, quę exteras etiam ad sanitatem doctrināmque capessendam ciuitates accersat. Vbi notandum quia Dominus, & si venientibus ad se Gentilibus misertus sit, vnde & puerum Centurionis & Chananææ filiam approbata petentium fide curauit, non tamen eorum ciuitates intrasse reperitur, ne videlicet occasionem querelæ Iudæia calumniātibus suggereret, sed perfectam potius salutem gētium passionis & resurrectionis suæ tēpori reseruaret. Quo imminente tempore gentilibus eum videre quærentibus ait: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multū fructum adfert. *Et omnis turba quærebat eum tangere, &c.* Et supra leprosus Domino tangente mundatur, & hic omnis turba quæ eum tangere potuit spiritus illius virtute sanatur. Tactus ergo Saluatoris, opus est salutis. Quem tangere, est fideliter in eum credere. A quo tangi, est eius munere firmari. Sed vnusquisque in suo sensu abundat. Turbæ quæ de longè ad audiendum confluunt, descēdentes in campum Domini excitantur attactu. Discipuli qui in minoribus iam sunt instituti, in montis cacumine ad maiora prouehuntur. Ex quibus etiam eliguntur, qui eum transfiguratum secretò in monte speculentur. Vnus præ omnibus quasi sublimioris sapiētiæ fonte inebriandus, magistri recumbit in pectore. Ratióque vspiam vel turbas Dominum ad altiora sequi, vel quempiam debilem inuenies in monte curari, sed extincta febre libidinum, accensáque scientiæ luce, pedetentim quémque ad culmen subire virtutum. Nam & in veteri Testamento Moses solus cum Iosue montem Dei ascendens, ad regendum vulgus in campo donec redirent, Aaron ordinauit & Hur. Aaron quippe qui interpretatur mons fortitudinis, singularem dominicæ incarnationis excellentiam, Hur vero qui ignis dicitur, donum Sancti spiritus insinuat. Quia plures in Ecclesia paruuli, & si comitari magistros ad penetralia summæ diuinitatis arcana nequeunt, dominicæ tamen incarnationis sacramentis redimi, & Spiritus sancti possunt ardore signari. *Et ipse eleuatis oculis in Discipulos suos, dicebat, &c.* Et si generaliter omnib⁹ loquitur, specialius tamē oculos saluator in Discipulos leuat, vt his, qui verbum intenta cordis aure percipiūt, latius sapōris intimi lumen aperiat. Cui simile est, quod Matthæus ait: Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius, & aperiens os suum, docebat eos dicēs: Beati pauperes spiritu. Nam quibus os in monte sedens aperit, vt magna sublimiter audiant, in eos oculos stans in campo dirigit, vt audita patēter intelligant. Beati itaque pauperes. Non vtiq; omnes, sed illi tantummodo, qui omne

Ioan 12.

præsentis sęculi tamet si altum videatur pro nihilo eulmeo ducunt. Qui merito regni cælestis perhibentur munere digni: quia delectationis humanę probantur cupiditate nudati. Qualem se Rex Dauid pauperem sustinuisse declarans ait: Ego vero egenus, & pauper sum. Et alibi non modo terrestria, sed & ipsa pro Domino supercælestia patui pendens, dicénsque: Quid enim mihi restat in cælo, & à te quid volui super terram? mox vbi spei suæ fixisset anchoram, subdendo manifestat: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Alioquin nonnulli miserrima conditione paupertatis, & hic sæculi gaudiis ob inopiam rerum, & ibi regno Dei ob meritorum nequitiam carent. *Beati qui nunc esuritis, &c.* Quid esurire beati, quid sitire debeat, Matthæus exponit, videlicet iustitiam, apertissime nos instruens nunquam nos satis iustos æstimare debere, sed quotidianum iustitiæ semper amare, immo ardere profectum. Cuius perfectam saturitatem non in hoc sæculo, sed in futuro posse prouenire supernorū desiderio Psalmista flagrans ostendit, qui ait: Ego autem cum iustitia apparebo in cōspectu tuo, satiabor, dum manifestabitur gloria tua. Potest & simpliciter accipi: *Beati qui nunc esuritis*, qui castigatis corpus vestrum, & seruituti subiicitis, qui in fame, & siti verbo operam datis: quia cælestium tunc gaudiorum habebitis vbertate perfrui. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Nō temporalium damna commodorum, sed virtutum detrimenta spiritalium, qui flent, æterna beatitudine consolabuntur. Vbi non nostra solum, sed & proximi iubemur commissa deflere. Quem si vt nos diligimus, consequenter illius & profectu nos gratulari, & defectu necesse est tribulari, verum ad lachrymas vsque succendi. Sic enim Samuel, & Dauid, peccatum Saulis, & interitum lugēt. Sic peccatricem Dominus ipse fleuit super ciuitatem, & mœstis compassus sororibus, Lazarum, quem diuina erat maiestate resuscitaturus, humana prius miseratione deflebat. Mystice significās eos, qui peccati morte sopiuntur, vt reuiuiscere queant a proximis esse plangendos. Quod autem nunc flentes risuros esse promittit, nō pueriliter accipiendum, sed scripturæ more risus nomine mentis exultatio, & affectus quidam lætior intelligendus est esse designatus. Sicut Sarra, risum, inquit, mihi fecit Deus. Et in Iob dictum est: Os autem veracium replebitur risu. Per quę, vt dixi nomina, gaudium animæ figuratur interius. *Beati eritis cùm vos oderint homines, &c.* Qui propter diuitias hæreditatis Christi in sanctis, propter panem vitæ æternæ, propterque spem cęlestium gaudiorum, fletus esuriem, paupertatémque pati desiderat, beatus est. Multo autem beatior, qui has inter aduersa virtutes seruate non trepidat. Quia odiant licet homines corde nefando, dilectum cor Christo lædere nequeunt. Separent, & synagoga depellant, Christus inuenit, & confirmat. Exprobrent nomen crucifixi, ipse commortuos sibi conresuscitat, & consedere facit in cælestibus. *Et eiecerint nomen vestrum, &c.* Nomen vestrum, quod dicit, nomen Christianorum significat, quod à Gentilibus Iudæisque sæpissime quantum ad ipsos memoriæ abrasum, & ab hominibus est eiectum, nulla iam existente causa odij, nisi propter filium hominis: quia videlicet nomen Christi credentes

suum

suum voluerint facere cognomen. Atque ideo nominis summi persecutores, hominum non immerito nomine notantur. Beati, inquit, *eritis, cum vos oderint homines*, docens eos ab hominibus insectandos, sed vltra homines esse beandos. *Gaudete in illa die, & exultate, &c.* Non hoc à quolibet patiente, sed ab eo, qui supernæ tantum mercedis intuitu patitur, præceptum potest impleri, vt scilicet inter odia cordium, inter probra linguarum, inter ipsas persequentium manus, æquali, immo lætiori adhuc corde versetur. Non ad hoc nostri similes valent, sed eorum, qui ibant gaudentes à conspectu cōcilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Qui ergo multa in terris pro Christo sustinet aduersa, multa in cælis à Christo recipiet dona. Ceterùm quanta ab Helia verborum iacula falsi sustinuere Prophetæ, quos deridēs aiebat: Clamate voce maiore, Deus enim est Baal, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Quantam dedere stragem, qui octingenti simul, & quingenti sunt interempti? Verum quia Baal, & non Christus in causa erat, nec irrisi gaudebant, nec occisi palmam, sed pœnam meruere perennem.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberstatensis in superius Euang. Homilia.

NOn solùm per mysterium incarnationis de cælo in terram descendens Dominus Iesus Christus, humanæ infirmitati condescendere dignatus est, sed etiam in suis sanctis sermonibus ad humanam ignorantiam instruendam, ita doctrinam suam temperauit, vt non solùm perfecti, sed etiam minus perfecti cibum vitæ inuenire
Matth. 5. possent. Denique vt suprà Euāgelista retulit, cùm ascendisset in montem, secuti sunt eum Discipuli eius: vbi cùm perfectiora mandata quasi capere valentibus dedisset, nolens propter eos simpliciores turbas relinquere, iterùm descendens de
Sermo accommodandus captui auditorum. monte, stetit in loco campestri. In quo suo facto, ostendit in prædicatione iuxta capacitatem auditorum, temperandum esse sermonem doctorum. Mons enim in hoc loco perfectiorem significat doctrinam: loca verò campestria, humiliorem prædicationem atque communem. Qui enim ta-
Matth. 13. les sunt, vt cum Apostolis audire possint: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, sublimius instruendi sunt. Qui verò propter mentis infirmitatem ad altiorem non possunt ascendere doctrinam, minimis præceptis sunt erudiendi, vt qui idonei nequaquam existunt ad facienda bona, saltem nō sint procliues ad perpetranda mala. Quod alibi Dominus suo exemplo ostendit, quum cuidam quærenti, Magister, quid faciendo vitam
Matth. 19. Luc. 18. æternam possidebo? quasi in cōuallibus moranti respondit: Mandata nosti? Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, honora patrem & matrem. Sed illo respondente: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea: ostendit ei montem perfectioris doctrinæ, dicens: Adhuc vnum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cęlo, & veni sequere me. Sed quia hunc montem difficilè, qui sæculi diuitiis onerati sunt, ascendere possunt, subiunctum est illicò: Ille autem abiit tristis: quia multas habebat possessiones. Huius quoque exemplum Paulus Apostolus secutus, cum Discipulis mōtem ascenderat, quibus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. *1. Cor. 2.*
Quasi cum quibusdam in conuallibus morabatur, quando dicebat: Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: *1. Cor. 3.*
tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Non enim omnes omnia capiunt, neque omnes æqualiter instruūtur. Aliter quippe admonendi sunt superbi, aliter humiles: aliter casti, aliter adulteri: aliter ebriosi, aliter sobrij: aliter viri, aliter fœminæ: aliter coniugati, aliter virgines: aliter pij, aliter impij: aliter contemptores mundi, aliter amatores: aliter pacifici, aliter discordes: aliter sudantes, aliter aliena rapientes: vt & isti audiant de promissione æternæ vitæ quod ament, & illi de supplicio æterno quod timeant. Sæpè etenim quod vni morbo prodest, alteri nocet: & venenum cùm sit mors hominis, vita est serpentis: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Iuxta hoc ergo exemplū doctores suam prædicationem debent temperare, vt & perfecti inueniant quod semper discant, & infimi talia audiant, in quibus non refugiant. Quod suo nobis exemplo beatus Patriarcha Iacob ostendit: qui cùm oues auunculi sui Labā pasceret, & varia quæque pro mercede recepturus esset, tulit virgas populeas & amygdalinas, quas ex parte decorticauit, & ex parte cum corticibus reliquit: posuitque eas in canalibus tempore quo ducebantur ad aquandum oues, vt in earum aspectu cōciperent varios fœtus. Iacob enim pastor ouium, pastores significat animarum, quorum primò dictum est: Si diligis me, pasce oues meas. Aqua autem scri- *Ioan. 21.*
pturam sacram designat, iuxta illud Salomonis:
Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens re- *Prou. 18.*
dundans, fons sapientiæ. Virgæ autem variæ, sententiæ sunt scripturarum. Ducuntur ad aquādum oues, cùm ad audiendum verbum Dei conueniūt fideles. Cúmque ex eloquiis diuinis diuersæ sententiæ ad medium proferuntur, quasi virgæ in canalibus ponuntur. Quæ ex parte decorticandæ sunt, & ex parte cum corticibus relinquēdæ: quia (vt diximus) perfectiores allegorico sensu instruendi, simplices verò & minus intelligentes, iuxta veritatem historiæ sunt pascendi. Vnde & Dominus cùm Discipulos in monte docuit, & turbas in conuallibus curare voluit, ostendit vt illi qui ex doctrina verborum credere non poterant, saltem ex virtutibus miraculorum crederent. Quod (vt diximus) suo Dominus exemplo declarauit, quando *descendens de monte, stetit in loco campestri, & turba Discipulorum eius, &c.* Maritima enim hic magni maris loca intelligere debemus, maximè cùm de Tyro & Sydone, quæ in corde maris Sitæ sunt, adfuisse memoratur. In quo loco cognoscimus: quia virtutes eius non solùm ad Iudæorum Regnum, sed etiam ad vicinas, & exteras regiones peruenerant, quando omnes concurrebant, non solùm, vt audirent verbum Dei, sed vt *sanarentur à languoribus suis.* Vnde subditur: *Et omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Multi enim eum tangere cupiebant, à quo omnis virtus procedit, & qui est Dei virtus & Dei sapientia, in quo habitat omnis

plenitudo diuinitatis, corporaliter. Et ideo quia de illo omnis virtus exibat, omnes volebant eum *Luc. 5.* tangere. Nam & supra tangendo leprosum curauerat, & nunc omnis turba quærebat eum tangere, vt intelligamus quia tactus eius sanitas est. *Luc. 8.* Quod expertа est illa mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, & cùm tetigisset fimbriam vestimenti eius: statim sanata est ab infirmitate sua. Ad cuius tactum virtus de illo exibat in tantum, vt quasi nescius Dominus quæreret, Quis me tetigit? Et discipuli eius ad eũ. Rabbi, turbæ te comprimũt, & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit? Et ille, Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exisse. Spiritualiter verò Christum tangit, qui eum verum Deum credit, & recta fide confitetur. At verò pagani, Iudæi & hæretici Christum minimè tangunt, quia eum verum Deum credere contemnunt, & fide recta hunc confiteri nolunt. Vnde & Mariæ quæ Dominum surrexisse non credebat sed eum mortuum inter mortuos quærebat, volenti illum tangere *Ioan. 20.* dictum est: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Ac si diceretur: Quia manu fidei me tangere noluisti, manu corporis me tangere noli. Curatio verò dæmonum, non solùm per eius præsentiam fiebat, sed etiam per inuocationem ipsius nominis, in sui absentia, sicut discipuli quoque Domino gaudentes dicunt: Domine, in tuo nomine etiam dæmonia nobis subiiciuntur. Sequitur, *Et ipse eleuatis oculis in discipulos dicebat; Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei.* Et si generaliter dominus loquebatur, specialiter in discipulos oculos leuauit, quos maiori gratia digniores fecit. Eleuatio quippe oculorum Iesu Christi, amplioris misericordiæ munera significat. Et in discipulos oculos leuauit, quos specialibus virtutibus ditauit, iuxta quod alibi legimus. *Matth. 12.* Quia cùm dixisset ei quidam, ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes loqui tecum, ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Ecce mater mea & fratres mei. Quid autem eleuatis oculis, dicat, audiamus. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatũ, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem sumunt. Sicut denique ex vna radice arboris multi rami & folia prodeunt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat paupertatem, erit misericors per largitatem, & non tenax per auaritiam. Erit consequenter & mitis quia diuitias non quærit per iactantiam, quia paupertatem diligit cum humilitate. Erit enim pacificus, quia non erit occasio rixandi, vbi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia sicut illi qui diuitias diligunt, turbulenti sunt animo, ita qui spõtaneam paupertatem amant, soliciti sunt, quæ Dei sunt quomodo placeant Deo. Sed illud diligenter considerandum, quia illa paupertas laudabilis est, quæ aut habere non cupit, aut si fortè habet, propter Deum distribuẽda relinquit. Vnde Matthæus euangelista, vt hanc paupertatem ad beatitudinem pertinere ostenderet, cum additamento ait. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Alij enim sunt pauperes spiritu, & rebus, alij nec rebus nec spiritu, alij rebus & non spiritu: alij spiritu & non rebus. Rebus sunt pauperes & non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes & non rebus, sicut illi qui secundum Apostolum, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes sunt, quales fuerunt Abraam, Iacob, & *2. Cor. 6.* Dauid, qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu, dicens: Ego autem mendicus sum & pauper. Et iterum. Egenus *Psal. 39.* sum, & in laboribus à iuuentute mea. Nec re- *Psal. 87.* bus nec spiritu sunt pauperes, diuites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominus mente sunt turgidi. De quibus dicitur in Psalmo: *Psal. 72.* Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Rebus & spiritu sunt pauperes perfecti monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprij potestatem in suo arbitrio relinquunt, & ideò quanto hic propter Deum pauperiores, tantò in futuro vita sunt ditiores, iuxta promissionẽ Domini dicentis. Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem & matrem, fratres & sorores, vxorem & filios propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* *Matth. 19.* Quid esurire vel sitire debeant, qui ad beatitudinem peruenire desiderant, alius Euangelista manifestius declarat, dicens: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Iustitiam quippe esurire & sitire, est præcepta Dei libenter audire, & libentius opere implere. Tales enim saturabuntur, quando ad videndum Deum cuius hic mandata cum magna mentis esurie susceperunt perducentur, dicentes cum Psalmista: Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria *Psal. 16.* tua. Vnde Salomon ait. Diligite iustitiam qui iu- *Sap. 1.* dicatis terram. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Beati dicuntur flentes, non illi qui flent propter temporalium damna cõmodorum, propter amissionem charorum, sed qui flent propter remissionem peccatorum, vel pro expectatione regni cælorum, qui veraciter cum Psalmista dicere possunt: Deus *Psal. 55.* vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. Et iterum. Fuerunt mihi *Psal. 41.* lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus? Tales enim ridebunt, quando implebitur illud quod Dominus ait: Nunc quidem tristitiam habetis, iterum *Ioan. 16.* autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Risum autem hic non pueriliter accipere debemus: sed *Gen. 21.* mentis exultationem & gaudium. Vnde & Sara ex repromissione prolis læabunda ait. Risum mihi fecit Deus. De quo per beatum Iob dicitur. *Iob 8.* Et vos veracium implebitur risu. De quo etiam *Prou. 31.* risu in laudibus Ecclesiæ dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & ridebit in die nouissimo. Quia verò per humilitatis meritum peruenitur ad martyrij præmiũ, rectè post alias beatitudines subinfertur. *Beati eritis cum vos oderint homines, & cũ separauerint vos, &c.* Vbi ostenditur quia persecutio prauorum non est timenda, sed potius cum affuerit toleranda, quia sicut dixit Iacobus apostolus: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniã *Iacob. 1.* cum probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Verum subtilius discutiendum est, quia non nos ad nostram persecutionem prauos homines commouere debemus, sed potius cum iustitia & rectitudine quantum

tum possumus, cùm fuerint commoti, mitigare. Quod si quiescere noluerint, magis persecutionem tolerandam, quam iustitiam relinquendam. Quod alius euangelista manifestius declarat dicens: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5. Sustinent enim multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum inuasores. Nec tamen talis persecutio ad beatitudinem perducit, quæ propter iustitiam sustinetur. Vnde nos admonet beatus Petrus dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autem vt Christianus, non erubescat, sed glorificet Deū in isto nomine. 1. Pet. 4. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. 1. Pet. 3. Vnde recte Saluator concludit dicens: *Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Non enim dolendum est in persecutionibus, sed potius gaudendum, vt quanto hic quisque propter iustitiam duriùs affligitur, tāto dulciùs in cælo remunerabitur. Vnde Iacobus admonet dicens: omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ multo preciosior est auro, quod per ignem probatur. Iac. 1. Et alibi scriptū: vasa figuli probat fornax, & homines iustos tētatio tribulationis. Eccl. 27. Hinc & saluator cùm discipulos suos ad persecutionem tolerandam hortaretur sui exemplum posuit dicens: Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum seruauerunt & vestrum seruabunt. Ioan. 15. Et iterum: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Quapropter studeamus iuxta domini præceptum, vel exemplum, seculi huius cunctas aduersitates æquanimiter ferre, scientes, quia si electi sumus ab eo, non ad gaudia mundi, sed sicut ipse missus est à patre, quem pro humani generis redemptione incarnari constituit, ad passiones mittimur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum, terrena desideria quæ separant à Deo fugientes, vt cælestia mereamur consequi præmia.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioru Euang. expositio.

Descendens Iesus de monte, &c. Assumpsit ergo duodecim, descenditque cum, illis de monte, vt eos, qui ex vrbibus venerant sanet, & geminis beneficiis prosequatur, in anima scilicet ac corpore. Audi enim quid dicat; *Venerunt vt audirent eum*, quod ad animæ curam pertinebat: *& sanarentur a morbis suis*, hoc de corporibus dicit. *Etenim virtus ab illo egrediebatur, & sanabat omnes.* Nam prophetæ, & alij sancti non habebant virtutem a se egredientem. Non enim fuerunt fontes virtutum. At dominus habuit virtutem a se egredientem, quandoquidem ipse fons virtutum. Et ita prophetæ, ac sancti virtutem suam superne acceperunt. *Et attollens oculos, &c.* Postquàm ordinauit discipulos, per beatitudines & doctrinas in ordinem magis spiritualem inducit ac componit. Nam ad illos se vertens, sermonem facit. Et primū beatos dicit pauperes, siue humiles intelligere volueris, siue à pecuniæ cupiditate alienos. Et omnes beatitudines simpliciter frugalitatem nos docent ac humilitatem, & contemptum, ac opprobria ferenda.

EVTHYMII ZIGABONI superioru Euang. expositio.

Qvumque descendisset Iesus, stetit in loco campestri, &c. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Vistus ab illo egrediebatur diuina, sanans illos, qui vel tetigissent ipsum. Matth. 5 *Et ipse eleuatis oculis suis in discipulos suos, &c.* Alię sunt hæ beatitudines ab iis, quæ supra scriptæ sunt in euangelio iuxta Matthæum. Illas siquidem dixit, vbi in mōtem cōscendisset, ac resedisset: has vero, quum descendisset, stetissétque in loco campestri. Et ibi quidē pauperes spiritu, siue animo humiles beatos dixit: hic autem simpliciter pauperes, eos videlicet, qui diuitiarum amore non teneantur, eos, qui voluntariè pauperes sunt. *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Similiter quoque esurientes, ac sitiētes iustitiam beatificauit, siue iustitiam vehementer appetentes: hic autem simpliciter esurientes, eos videlicet, qui voluntariā esuriunt paupertate, gratóque sustinent animo, qui æternis saturabūtur delitiis. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Qui flent non vtcunque, sed vel pro suis peccatis, vel pro aliorum afflictionibus, &, vt vno absolutam verbo, qui secundum Deum flent. Hi autem in futuro ridebunt seculo, hoc est, spiritualiter gaudebunt, gaudij enim signum est risus. *Beati eritis, quū vos oderint homines, &c.* Quum prædicta vobis fecerint, non propter aliquod malum, quod in vobis sit, sed propter me, & quia vos mei estis. *Gaudete in illo die, &c.* Gaudete spiritualiter.

Si copiosiorem huius Euangelij expositionem desideras, require quartum Euang. in Communi plurimorum Mart. quod supra, in festo Omnium sanctorum explicatum est.

III. EVANG. IN COMMVNI
PLVRIMORVM MARTYRVM
EXTRA TEMPVS PASCHALE.



MATTH. 24.

a Id est, frudiferam ecclesiæ celsitudinem.



N illo tempore: Sedente Iesu super montem [a] Oliueti, accesserunt
b Marcus ait Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas.
ad eum [b] discipuli eius secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc
erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Et
c Ne quis persuadeat quasi hæc omnia mox sint futura. d Antichristi pro Christo: quorum primus Simon magus, cui omnes in Samaria auscultabant, dicentes, Hæc virtus Dei magna est. e Ante horum completionem.
respondens Iesus, dixit eis: [c] Videte, ne quis vos seducat. [d] Multi enim [e] venient
f Hic tentatio. g Ante excidium.
in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos [f] seducent. [g] Audituri
h Quæ ad hostes. i Expectationes vel rumores. ¶ In Luca, seditiones. Quæ ad ciues. k Iudæam deseratis. Quantum ad prælia.
enim estis [h] prælia & [i] opiniones præliorũ: videte ne [k] turbemini. Oportet enim
l Constat hæc omnia contigisse tempore Iudaicæ seditionis ante vltimam prouinciæ euersionem. m Audituri estis præ & opi. &c. Consur. enim gens.
[l] hæc fieri: sed nondum est finis, [m] Consurget enim gens contra gentem, & re-
n Hæ sunt partes præliorum.
gnum in regnum, & erunt [n] pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca. Hæc
o Futurorum. p Malefici. q Exercendos.
autem omnia initia sunt [o] dolorum. Tunc [p] tradent [q] vos in tribulationem,
r Per apostolos omnium credentium persona signatur. s In fine mundi similes apostolis tribulationibus sunt probandi. t Propter assertionem veritatis.
& occident vos, & [r] eritis [s] odio omnibus gentibus propter [t] nomen meum. Et
v Discedent à fide timore, vel partentis: vel immanitate tormentorum. x Gladio domini ab inuicem separante eos, quod in principio prædicationis factum est, maxime tempore antichristi est futurum. y Frater infidelis fratrem fidelem.
tunc [v] scandalizabuntur multi, & inuicem [x] tradent, & [y] odio habebunt inui-
z Vt miraculis seducant. Hoc tempore Iudaicæ vastitatis, plene tempore antichristi.
cem. Et multi pseudoprophetæ [z] surgent, & seducent multos: & quoniam
a Vnde apostolus: Erunt homines amantes se. b Infidelitas. c Pro tribulatione, quæ ante tribulationem videbatur calere, vel calebat vtcunque in pace. d In fide & charitate. Quocunque tempore incipiat.
[a] abundabit [b] iniquitas, [c] refrigescet charitas multorum. Qui autem [d] perse-
e Præsentis vitæ.
uerauerit vsque in finem, [e] hic saluus erit.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



I e no. Quia dixit omnia destruenda, tempus & signa destructionis quærunt. Tria quærunt, quo tempore destruenda Hierusalem sit? quo venturus Christus? quo consummatio seculi ventura sit? *Videte.* Cum hæc fient, ne putemus instare diem domini, cuius signum perspicuè ponitur in sequentibus. Præmunit, ne turbetur, vel deficiant per deceptionem, vt per Simonem magum, vel per tribulationem & persecutionem vt per Neronem. Nota hæc venientia ante excidium Hierusalem: similia sunt eadẽ fere his quæ fient in consummatione seculi: & loquitur ita de vno quasi de alio. *Multi.* Imminente Hierusalem excidio multi fuerunt principes qui se dicerẽt esse Christos, & tempus libertatis prope esse. Multi in ecclesia temporibus apostolorum, qui præter alia falsa dicerent instare diem domini. *Audituri.* Hæc in Iudæa à passione domini abundauerũt: quibus ne territi apostoli, Hierusalem & Iudæam deserant admonentur: quia nõ statim finis, sed post quadraginta duos annos. *Consurget enim gens, &c.* Myst. Regnum surget in regnum & pestilentia eorum, quorum sermo vt cancer serpit. Et fames, verbi Dei commotio terræ, & à fide separatio. Vltima enim tribulatio multis præuenitur, & per crebra mala indicantur mala perpetua. Et ideo post bella & seditiones non statim finis, quia multa mala debent præcurrere, vt nuncient mala sine fine. Eorum autem alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus. *Surget gens.* Ecce perturbatio hominum. *Terræmotus*: Ecce respectus iræ desuper. *Pestilentia:* Ecce

Ecce inæqualitas corporum. *Fames*: Ecce sterilitas terræ. Terrores de cælo & tempestates, secundum Lucam; Ecce inæqualitas aeris. Omnia ergo consummanda conturbantur, vt qui in omnibus deliquimus in omnibus feriamur, vnde: Pugnabit pro eo orbis terræ contra insensatos. *Hæc au.* Hæc autem omnia sunt initia, non consummatio: quasi præconia Antichristi, vel excidij vrbis. Hęc parum ad euersionem Iudæorum partim ad diem iudicij pertinēt: quia ita apostoli interrogauerāt de vtroque. *Tunc tra.* Quo merito hęc Iudæis eueniāt, subdit, quia post occisionem Christi, nominis & fidei eius præcones persequuti sunt. *Et mul. pseu.* Quidam hoc ad euersionem Iudæorum referunt. Sed tunc inter eos, quia nullus erat fidelis, ad quē fieret exhortatio: melius hoc accipitur de hæreticis, quorum primus Simon magus fuit. Extremus maior omnibus, Antichristus est, Diligenter intuendum est, quod signorum ad excidium vrbis, quod ad diem domini referatur. Respondit enim dominus, quæ ex illo tempore erant secutura, siue de excidio Hierusalem, siue de aduentu suo.

CATENA AVREA
in idem Euang.

SEdente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, &c. Remi. Perseuerans dominus in itinere, peruenit ad montem Oliueti, & quibusdam discipulis in via ostendentibus & laudantibus ædificationem templi, ipse palam prædixerat omnia esse destruenda, idcirco cum peruenisset ad montem Oliueti, accesserunt ad eum interrogātes. vnde dicitur, *Sedente autem eo super montem Oliueti.* Chry. Propter hoc autem secretò accesserunt, quia de magnis erant interrogaturi. Etenim cupiebant discere diem aduentus eius, quia vehementer desiderabant gloriam eius videre. Hiero. Et interrogant tria. Primo, quo tempore Hierusalē destruenda sit, dicentes: *Dic nobis quando hæc erunt?* Secundo, quo tempore Christus venturus sit. vnde dicunt: *Et quod signum aduentus tui?* Tertio, quo tempore consummatio seculi sit futura. vnde dicunt, *Et consummationis seculi.* Chry. Lucas autem ait vnam esse interrogationem quæ est de Hierosolyma, quasi æstimantibus discipulis tunc futurum esse Christi aduentum & finem mundi, quando Hierosolyma destrueretur. Marcus autem ait non omnes eos de consummatione Hierosolymæ, sed Petrum, Iacobum, Ioannem, & Andream, quasi liberius & securius Christo loquentes. Orig. Puto autem montem Oliueti mysterium esse ecclesiæ, quæ ex gentibus est. Remi. Mons autem Oliueti nō habet infructuosas arbores, sed Oliueta quibus lumen nutritur ad fugandas tenebras, & quibus fessis requies, infirmis salus præstatur. Sedens autem dominus supra montem Oliueti contra templum, de ruina ipsius & excidio Iudaicæ gentis disputat, vt etiam ipso situ corporis monstret, quia quietus manens in ecclesia impiorū superbiam condemnat. Orige. Agricola enim residens in monte Oliueti, verbum Dei est in ecclesia cōfirmatum, Christus scilicet qui semper oleastri ramos inserit in bonam oliuam patrum. Qui autem habent fiduciam ante Christū, discere volunt signum aduentus Christi & consummationis seculi. Est autem duplex aduentus verbi in anima. Primus quidem, stulta prædicatio de Christo: quan do prædicamus Christum natum & crucifixum. Secundus autem aduentus est viris perfectis, de quibus dicitur, Sapientiam loquimur inter perfectos, & huic secundo aduentui adiungitur consummatio seculi in viro perfecto, cui mundus crucifixus est. Hila. Et quia tria à discipulis quęsita sunt, distinctis & temporibus & intelligētiæ significationibus separantur. Respondetur ergo primo de ciuitatis occasu, & ante confirmatur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus possit obrepere. vnde sequitur: *Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus.* Chry. Neque enim de Hierosolymæ destructione, neque de secundo aduentu respondit statim: sed de malis, quibus statim obuiandum erat. Hiero. Vnus autem eorum de quibus loquitur, fuit Simon magus, quem in Actibus apostolorum legimus, qui se magnam dicebat esse virtutem, hic quoque inter cætera in suis voluminibus scripta dimitteus, Ego sum sermo Dei, ego omnipotens, ego omnia Dei. Sed & Ioānes apostolus in epistola sua loquitur: Audistis quia Antichristus venturus est: nunc autem Antichristi multi sunt. Ego reor omnes hæresiarchas Antichristos esse, & sub nomine Christi ea docere quæ contraria sunt Christo, nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cum dominus dixerit: *Et multos seducent.* Orig. Multi autem sunt qui seducuntur, quia larga est porta quę ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionē Antichristorum, qui dicunt, Ego sum Christus, quod nunquam legitur Christus dixisse. Sufficiebant enim ad credendum quòd ipse est Christus opera Dei, & sermo quem docebat, & virtus ipsius. Omnis etiam sermo qui profitetur expositionem scripturarum, secundum fidem earum & non habet veritatem, Antichristus est. Veritas enim Christus est, & simulata veritas Antichristus. Sed & omnes virtutes inuenimus esse Christum, & omnes simulatas virtutes Antichristum: quoniam omnes species boni quascunque habet Christus in se in veritate ad ędificationem hominum, omnes eas habet diabolus in specie ad seductiones sanctorum. Opus ergo est nobis Deo auxiliatore, ne quis nos seducat vel sermo vel virtus. Malum enim, inuenire aliquem secundum mores vitæ errantem: multo autem peius arbitror esse, non secundum verissimam regulam scripturarum sentire. *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum, &c.* Aug. ad Hesychium, Interrogantibus discipulis ea Dominus respondit, quæ iam ex illo tempore fuerant secutura: siue de excidio Hierusalem, vnde orta est ipsius interrogationis occasio: siue de aduentu suo per ecclesiam, in qua vsque ad finem venire non cessat: in suis enim veniens agnoscitur, dum ejus quotidie membra nascuntur: siue de ipso fine, in quo apparebit viuos iudicaturus & mortuos. Cùm itaque signa dicat quæ ad ista tria pertineant, quod eorum trium signorum ad aliquid horum referēdum sit, diligenter considerandum est: ne fortè quod pertinet ad vnum, referendum putemus ad alterum. Chry. Hic autem loquitur de prælijs, quæ Hierosolymis erant futura, cum dicit, *Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum.* Orig. Qui audit ipsas voces, quæ fiunt in pręlijs audit pręlia, qui autem de

de prælijs longè geſta audit, opiniones vel rumores audit præliorum. Chry. in ho. Quia vero per hoc turbari etiam diſcipuli poterant, ideo ſubdit. *Videte ne turbemini.* Deinde quia æſtimabant poſt illud bellum quo Hieruſalem deſtrueretur, ſtatim finem mundi eſſe venturum, eos in vera opinione ſtabilit dicens, *Oportet enim hæc fieri, ſed nondum ſtatim eſt finis* Hiero. id eſt, non putemus diem inſtare iudicij, ſed in tẽpus aliud reſeruari, cuius ſignum perſpicuè in conſequentibus ponitur. *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.* Raba. Vel admonentur apoſtoli ne his aduenientibus terreantur, vt Hieroſolymam Iudæámque deſerant: quia non ſtatim finis, ſed in quadrageſimum annum deſolatio prouinciæ, vltimúmque vrbis & templi ſequetur excidium: de quibus ſubditur, *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.* Conſtat autem hîc acerbiſſimos dolores, quibus omnis vaſtata eſt prouincia ad literam contigiſſe. Chry. in ho. Deinde vt oſtendat quoniam & ipſe præliabitur contra Iudæos non ſolùm bella prænuntiat, ſed & plagas diuinitus illatas: vnde ſubdit, *Et erunt peſtilẽtię, & fames, & terræmotus per loca.* Raba. Notandum quod in hoc quod dicit, *Conſurget gens in gentem,* oſtenditur perturbatio hominũ. *Erunt peſtilentiæ*, ecce inæqualitas corporum: *erit fames*, ecce ſterilitas terræ: *terræmotus per loca*, ecce reſpectus iræ deſuper. Chry. in ho. Et non ſimpliciter hæc ficut ſecundum conſuetudinem antea in omnibus exiſtentem, ſed ex ira quæ erit deſuper. Et propter hoc non ſimpliciter dixit ea eſſe ventura, neque repente, ſed cum quadam ſignificatione: vnde ſubdit: *Hæc autem omnia ſunt initia dolorum*, id eſt, Iudaicorum malorum. Orig. Vel aliter, Sicut ægrotant corpora ante mortem, ſic neceſſe eſt ante corruptionem mundi, vt quaſi languens terra frequentius terræmotibus conquaſſetur. Aër enim vim mortiferam concipiens, peſtilẽs fiat, & vitalis virtus terræ deficiens, ſuffocet fructus. Conſequens autem eſt vt propter inopiam ciborum, in auaritiam & bella homines excitentur, ſed quia inſurrectiones, & lites interdum fiũt propter auaritiam, interdum autem propter concupiſcentias principatus, & gloriam vanam, adhuc profundiorem dabit aliquis cauſam eorum quæ ante finem mundi ſunt ventura. Sicut enim aduentus Chriſti in pluribus gentibus diuina virtute fecit pacem: ſic conſequens eſt vt propter abundãtiam iniquitatis refrigeſcerit charitas multorum, & ideo dereliquerit illos Deus & Chriſtus eius, iterum fieri prælia dum non prohibentur à ſanctitate operationes ſeminatrices bellorum: ſed aduerſariæ virtutes, dum non vetantur à ſanctis, & à Chriſto, abſque prohibitione operabũtur in cordibus hominum, vt excitent gentem aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum. Si autem (ſicut quibuſdam placet) & fames, & peſtilentiæ ab angelis ſatanæ fiunt, hi etiam tunc inualeſcent ab aduerſis virtutibus, quando non fuerint ſales terræ, & lux mundi Chriſti diſcipuli, deſtruentes quæ ex dæmonum malitia ſeminantur. Et aliquando quidem in Iſrael fames, & peſtilentiæ fiebant propter peccata, quas orationes ſanctorum ſoluebant. Bene autem per loca, nõ enim inſimul vult Deus perdere humanum genus, ſed iudicans per partes, dat pœnitentiæ locum. Si autem incipientibus huiuſmodi malis non fuerit facta correptio, proficient ad peius: vnde ſequitur, *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*, generalium ſcilicet in vniuerſo mundo, & eorum, qui ſecuturi ſunt aduerſus impios, vt in doloribus acutiſſimis crucientur. Hiero. Myſticè autem videtur regnum contra regnum conſurgere, & peſtilentia eorum, quorum ſermo ſerpit vt cancer, & fames audiendi verbum Dei, & commotio vniuerſæ terræ, & à vera fide ſeparatio in hæreticis magis intelligi, qui contra ſe inuicem dimicantes, eccleſiæ victoriam faciunt. Orig. Oportet autem hæc fieri antequam videamus perfectionem ſapiẽtiæ, quæ eſt in Chriſto, ſed non ſtatim erit finis quem quærimus: pacificus enim finis longe eſt ab hominibus iſtis. Hier. Quod autem dixit, *Hæc omnia initia ſunt dolorum*, melius transfertur parturitionum: vt quaſi conceptus quidam aduentus Antichriſti non partus intelligatur. *Tunc tradent vos in tribulationem, &c.* Raba. Quo merito Hieroſolymis ac prouinciæ Iudæorum vniuerſæ tot irroganda fuerint aduerſa, dominus manifeſtat, ſubdens, *Tunc tradent vos, &c.* Chry. in ho. Vel aliter, Quia diſcipuli audientes ea quæ de Hieroſolyma prædicabantur, ſic diſpoſiti erant vt extra turbationem eſſent, quaſi de alia pœna audientes, ſibi vero proſpera ſuperuentura ſperabant, quæ aduenire valde deſiderabant: propter hoc eis grauia prænuntiat, in ſolicitudinem eos ſtatuens: & prius quidem iuſſerat eos vigilare contra deceptiones ſeductorum, nunc autem tyrannorum violentiam eis prædicit, dicens, *Tunc tra. vos in tri. & occi. vos.* Opportune enim eorũ mala interpoſuit mitigationem habentia à communibus malis, nec ſolùm ita eos conſolatus eſt, ſed oſtendendo tribulationis cauſam, adiũgens quòd propter nomen eius hæc eſſent paſſuri: vnde ſequitur, *Et eri. odi. om. homi. pro. no. meum.* Orig. Sed quomodo etiam in vltimis partibus terræ commorantibus gẽtibus odio habetur populus Chriſti? niſi forte & hic aliquis dicat propter exaggerationem poſitũ omnibus pro multis: ſed hoc quod dicit, *Tunc tradent vos*, habet quæſtionem. Nam & priuſquam hæc fierent, traditi ſunt chriſtiani in tribulationes. Sed aliquis reſpondebit: quia tunc maxime tradentur Chriſtiani in tribulationes quemẽdmodum vnquam. Amant enim qui in calamitatibus ſunt, cauſas earum diſcutientes inuenire aliquid quod loquantur. Conſequens ergo eſt vt quaſi derelinquentibus hominibus deorum culturam propter multitudinem Chriſtianorum dicant fieri bella, fames, & peſtilentias: ſed & terræmotus cauſam, dicerent chriſtianos, propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt eccleſiæ. Chry. in ho. Poſtquam autem iam duplex prælium poſuit, ſcilicet quod eſt à ſeductoribus, & quod eſt ab inimicis, conſequenter tertium prælium ponit, quod eſt à falſis fratribus: vnde ſubdit, *Et tunc ſcandalizabuntur, &c.* Vide autem & Paulum hæc plorantem & dicentem, Foris pugnæ, intus timores. Et alibi, Pericula in falſis fratribus. De quibus alibi dicit, Tales ſunt pſeudoapoſtoli, operarij ſubdoli: vnde & hic ſubditur. *Et multi pſeudoprophetę, &c.* Rem. Imminente enim captiuitate Hieruſalẽ, multi inſurrexerunt chriſtianos ſe eſſe dicentes, & multos ſeduxerunt: quos Paulus nominat falſos fratres, Ioannes vero Antichriſtos. Hila. Vt Nicolaus vnus ex ſeptem diaconibus fuit, qui multos mentita veritate peruertit. Chryſo. in ho. Deinde quod his difficilius eſt oſtendit, quia tales pſeudoprophetæ nullam mitigationem à charita-

te ac

te acceperit: vnde sequitur: *Et quoniã abundabit, &c.* Remi. id est, vera dilectio erga Deũ & proximum. Nam quanto magis ab vnoquoque iniquitas suscipitur, tanto magis in corde ipsius ardor charitatis extinguitur. Hier. Considerandum autem quod non negauit omnium futuram esse charitatem, sed multorum. Nam in apostolis & eorum similibus permansura est charitas, de qua Paulus dicit, Quis nos separabit à charitate Christi? propter quod & hic subditur, *Qui autem perseue. vsque in fi. hic sal. erit.* Remi. Vsque in finem dicit, vsque ad terminum vitæ suæ. Qui enim vsque ad terminum vitæ suæ, in confessione nominis Christi perseuerauerit, & in charitate, saluus factus est.

ORIGENIS PRESBYTERI de eodem Euang. Homilia I.

Ex Hom. 27. in Mat.

SEdente autem ipso super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto dicentes, Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Egressus est templo Iesus postquam dixit de eo, venit in montem Oliueti, & ibi sedebat cum discipulis suis. Puto autem mysterium esse montem Oliueti ecclesiæ, quæ ex gentibus est, in qua sunt plantatæ oliuę, quarum singulæ possunt dicere, Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Forsitan autem & in hoc oliuarum monte radices sunt bonæ oliuæ. Rami autem inserti sunt oleastri in loco ramorum, qui ex infidelitate præcisi sunt. Agricola autem in monte residens Oliueti, verbum est Dei in ecclesia confirmatum Christus, qui semper oleastri ramos inserit in bonam oliuam patrum, Moysis, & cæterorum prophetarum: vt accipientes pinguedinem à sanctis: Prophetis per hoc quòd sensum eorum caute intelligunt, & suscipiunt, & Christum qui prophetatur ab illis, offerant fructum abundantem, & pinguiorem prioribus, videlicet oliuis, propter maledictionem quæ erat in lege decussis, vt non possint esse in vsu. Post hoc considerandum est illud: quòd accedentium discipulorum ad Iesum, quidam quidem secrete accedũt ad eum, maiorem in hoc ipso habentes fiduciam apud ipsum quasi domestici eius, sicut cum interrogarent eum de solutione parabolarum: quidam autem non secrete, sed in commune eum interrogabant. Obserua adhuc differentiam istorum, quòd interdum quidem Pharisæi accedunt, siue tentantes, siue quolibet modo interrogantes: interdum autem alij discere cupientes, tamen nunquam secrete accedunt ex multitudine. Et forsitan vsque nunc qui præcipuam susceperunt vitam, & propter hoc habent fiduciam ante Christum, aliquid amplius habentes quam illi qui ex fide communi accedunt ad Iesum, dicũt ad eum, *Dic nobis, quando erunt hæc?* Quæ: Quod ait, Non stabit hic lapis super lapidem qui non destruatur. Et non solum hoc discere volunt, sed etiam signum aduentus Christi, & consummationis seculi: & duo petunt ab eo: signũ aduentus ipsius, & consummationis seculi. Est ergo in multis quidem creditus aduentus filij Dei, & consummationis seculi, præcipue tamẽ in eis qui elegantiorem vitam sectantur. Est & aliter videre duplicem Christi aduentum, id est, aduentum verbi in animam. Primum quidem rudes, & tunc incipientes cognoscere Christum, quoniam non possunt videre luciditatem pulchritudinis, dicunt, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, sed species eius inhonesta. Species autem inhonesta verbi, stulta prædicatio est de Christo, quando prædicamus Christum natum & crucifixum. Secundus autem aduentus Christi, in viris perfectis: de quibus dicit dispensator verbi ipsius, Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Hi autem perfecti amatores facti sunt pulchritudinis eius, & rogant verbum vt accingat se rationabilem gladium suum, & circumponat eum super mysterium natiuitatis carnalis, quæ appellata est mysterialiter femur. Huiusmodi enim discipuli laudant pulchritudinem, & decus verbi: & huic secundo aduentui, iuncta est consummatio seculi in viro ad perfectionem venienti, & dicenti, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si enim mundus crucifixus est iustis: quibus mundus crucifixus est, facta est eis etiam consummatio mundi. Necessariò ergo qui habent fiduciam accedendi secrete ad Christum, si volunt discere signum aduentus Christi, & consummationis seculi: præbeant se dignos videre secundum aduentũ ipsius, & secundum quod tradidimus seculi consummationem. Et respondens Iesus dixit eis. Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quòd ego sum Christus, & multos seducent. Qui simpliciter intelligunt, arbitrantur quòd hoc solum hæc verba significant: quòd multi erant venturi Christos se asserentes, habentes in se etiam quasdam virtutes mirandas, & verba, quibus prouocent multos ad credendum, qui dignos seductione se præbuerint. Ioannes autem in epistola sua dicit, Et sicut audistis, quòd Antichristus veniet, nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus quoniã nouissima hora est. Docet his verbis omne verbum, quod à veritate extraneum est, & asserit se verbum esse: sic enim possibile est intelligere quod ait, Et nunc Antichristi multi facti sunt, cum vnum sit quod est verbum. Sicut autem manifestabat historia lectionum, nõ multi fuerunt homines in tempore Apostolorum, qui Christos se esse dixerunt: nisi forte Dositheus Samareus, vnde & Dositheani dicuntur: & Simõ, de quo referunt Actus Apostolorum: qui se virtutem esse Dei magnam pronunciabat. Præter hos neque ante, neque postmodũ fuerunt, quantum ad scientiam meam. Sed omnis sermo, qui profitetur expositionem scripturarum, & fidem earum, non autem habet veritatem, iuste Antichristus esse intelligendus est, veniens in nomine Christi, & dicens quòd ego sum Christus, mentiens, & minime potens ostendere veritatis formam in se. Et quoniam eis qui discutiunt verba scripturæ vt inueniant sensum eius, frequenter occurrunt quidam intellectus quasi veri, cum nõ sint veri, aliquando autem traduntur, & ab aliis verisimilibus colorati sermonibus, vt non facile inueniatur qui verus est sensus, priusquam aduersus mendaces existimationes inuentus fuerit verior sensus, & firmior: propterea puto quòd Christus ad interrogationem discipulorum suorum dicentium, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?

ita

ita respondit. *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent.* Vere enim qui implet illud mandatum, quod ait, Estote prudentes nummularij, & illud quod ait, Omnia probate, quod bonum est, tenete, ab omni specie mala abstinete vos: multos videbit seduci à multis intellectibus, & verbis profitentibus esse se Christum Dei verbum: Et vtinam soli qui extra ecclesiam sunt, seducerentur: facile erat cauere seductionem. Nunc autem ipsi, qui profitentur se ecclesiasticos esse, de necessarijs quibusque capitulis falluntur, & seducuntur: sicut ipsa dissensio eorum testimonium est, quoniam & qui intus sunt seducuntur. Sed consequenter quemadmodum solet esse in errantibus per vias has corporales differentia erroris: & quidam quidem etiam contra ipsam publicam viam, quæ quæritur, vadunt errantes: alij autem modicum aliquid de semita recta declinant, vt sint reuocabiles: & multæ sunt errantium differentiæ: hoc modo videmus etiam eos qui à veritate aberrant. Et Marciones quidem, & Basilides, & Valentiniani, & Appelliani, & Ophitæ, multum à proposita errant via, qui omnino contraria sapiunt veritati. Quidam autem de publicis quidem, & manifestis capitulis non dissentiunt: vtputa de vno Deo, qui legem, & euangelium dedit, aut de Christo Iesu primogenito vniuersæ creaturæ, qui in fine seculi secundum prædicationes Prophetarum venit in mundum, & suscepit in se veram humanę carnis naturam, vt etiam natiuitatem subiret ex virgine, & mortem crucis suscepit, & surrexit à mortuis, & deificauit quam susceperat humanam naturam. Adhuc autem & de spiritu sancto, quòd ipse ille fuit in Patriarchis & Prophetis, qui postea in Apostolis datus est, & de resurrectione mortuorum sicut Euangelium docet certissime credunt, & omnia quæcunque seruantur in ecclesiis. De alijs autem non paucis, tamen modicis, noua proponunt dogmata, & ipsi vtique sunt ex illis, qui seducuntur à falsis intellectibus, & verbis venientibus in nomine Christi, qui est verbum, & veritas. Et malum quidem est, inuenire aliquem secundum mores vitæ errantem: multò autem peius arbitror esse in dogmatibus aberrare, & non secundum verissimam regulā scripturarum sentire. Quoniam sicut in peccatis mortalibus, puniēdi sumus amplius propter dogmata falsa peccantes. Si enim sufficeret conuersatio morum bonorum hominibus ad salutem: quomodo apud gentes philosophi, aut apud hæreticos multi cōtinenter viuentes nequaquam saluantur, quasi obscurante, & sordidante conuersationem eorum dogmatibus falsitate? Arbitror autem quòd generalem munditiam, quæ est non solum in actibus, sed etiam in scientia, volens ostendere sermo in Psalmo vigesimotertio dicit, Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & puro corde. In Prouerbiis autem, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidet mundum se esse à peccatis? Mundum ergo corde, & castum corde, non alium arbitror nisi esse eū, qui ab omni dogmate falso mundum, & castum possidet cor. Sic & innocentem manibus, & mundum à peccatis eum existimo esse, qui in actibus vitæ suæ irreprehēsibilis est. Sciendum est autem, quod quantum ad veritatem impossibile est esse aliquem innocentem manibus, & mundum à peccatis, vt non sit purus corde, & castus à dogmatibus falsis: sicut econtrario impossibile est mundum quidem & castum esse corde à dogmatibus falsis, vt non sit innocens manibus, & mūdus à peccatis. Hæc enim alterutrum se sequuntur, & non separantur ab inuicem, sermo mundus in anima, & vita irreprehensibilis. Abundātius autem de capitulo isto tractauimus, docentes nos ipsos secundum ea, quæ visa sunt nobis in loco, vt custodiamus nos ab omni errore falsorum dogmatum, siue de manifestis & principalibus capitulis, siue de his, quæ videntur minora, vt audiamus qui dicit: Non declinabis ad dexteram, aut sinistram, ab eo qui dicit: Ego sum via. Nec seducamur, sed vigilemus, ne quis nos fallat eorum, qui veniunt in nomine Christi, dicentes: Ego sum Christus, ego sum veritas, & sapientia, & lumen verum. Puto autem quod non solum est sermo Christus, est & sermo Antichristus: Veritas Christus, & simulata veritas Antichristus, sapientia Christus, & simulata sapientia Antichristus, fallens amatores sapientiæ Dei, & veritatis, quæ omnia pertinent ad fidei rationem. Sed etiam in his virtutibus, quibus conuersamur secundum Deum, inuenimus omnes veras virtutes esse Christum, & omnes simulatas virtutes Antichristum: Quoniam omnes species boni quascunque habet Christus in se in veritate ędificationē hominum: omnes eas habet in se diabolus in specie ad seductionem sanctorum. Si enim Christus iustitia est: sunt autem frequenter viæ viri, quæ videntur esse iustæ, nouissima autem earum respiciunt in profundum inferni. Quando ergo videtur iustitia, cùm non sit iustitia vera, ea talis iustitia Antichristus est, aduersus iustitiam Christum. Arbitror & castitatem esse Antichristum, quæ est apud hæreticos in errorem mittens homines, ne intelligant Ecclesiasticam castitatem Christum. Sic & misericordia est Antichristus contra misericordiam Christum, qui faciunt eleemosynas, sed non propter iustitiam Dei. Est & patientia Antichristus in eis, qui vidētur quidem pati pro Christianitate, & vsque ad effusionem sanguinis concertantes, videlicet ne videantur denegare Christianitatem: iniquitatem autem in excelsum in ipsa etiam effusione sanguinis sui loquuntur, & ponunt in cælo os suum. Est & virtus Antichristus seducēs ignorantes, quoniam multi dicturi sunt Christo in illa die, Domine, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Ad quos respondebit: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, nunquam vos noui. Si enim nunquam eos Christus cognouit, virtutes autem se fecisse gloriantur in nomine Christi, non erant virtutes illæ à Christo, qui non nouerat illos, sed ab eo, qui transfigurat se non solum in angelum lucis, sed etiam in ipsum Christum. Opus est ergo nobis Deo auxiliatore, & ipso Christo viuente in nobis, vt apertis oculis nostris, videamus ne quis nos seducat, vel sermo, vel virtus, vel ab intus, vel à foris, promittens se ęsse Christum cum sit inimicus eius cæterarúmque virtutum ipsius. Considera etiam illud, quod multi veniunt in nullo alio, nisi in nomine meo. Solum enim nomē Christi Antichristus suscipit, nec opera facit, nec verba veritatis docet, nec sapientiam eius ostendit in se. Et quemadmodum

secun

secundum quosdam Barabas dicebatur & Iesus, sed latro erat, nihil habens Iesu præter nomen: sic multos existimo Christos, sed nomine tantum. Nota autem quod nusquam inuenitur Dominus in scripturis hoc ipso sermone vtens, & dicens: Ego sum Christus, vt ne simile aliquid dicat multis venturis in nomine eius atque dicentibus, ego sum Christus. Sufficiebant enim ei ad credentium fidem, quod ipse est Christus: opera Dei, quæ solus poterat facere Christus, & sermo quem docebat, & virtus, super mille voces clamantes: Ego sum Christus. Sic autem nunquam manifeste dixit: Ego sum, sed per opera dixit, & per doctrinam pietatis, vt ipse dicat ad Petrum, quasi qui nunquam ab eo audisset, didicisset autē à patre, quod ipse erat Christus filius Dei viui: Beatus es Simon Bariona, quia non caro, & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Si enim ipse in corpore constitutus manifeste dixisset ad eum: Ego sum Christus: caro eum reuelasse videbatur, non tantum pater. Propterea sufficit ad seductionem Antichristorum hoc solum, quod dicunt: Ego sum Christus, quod nunquam Christus legitur dixisse: & multi sunt, qui seducuntur. Lata est enim porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Pauci autem, qui inueniunt eam viam, quæ ducit ad vitam.

EIVSDEM DE EODEM *festo, Homil. 2.*

Est Hom. 28. in Matth.

DVo proponit. Vnum quidem ita, *Audietis prælia*: alterum autem, *Auditiones præliorum.* Et primum quidem videamus secundum simplicem traditionem, secundum quod multi intelligunt, quid distant auditiones præliorum à præliis. Pone mihi prælia esse, vbi ciuitates super ciuitates insurgant, aut gentes gentibus, aut alter alterius rem tollat, vel fortior interficiat fortem. Quid ergo post prælia auditiones significent præliorum? Maximè quia non est dictum, videbitis prælia, & audietis de præliis: sed vtrinque posuit, *audietis*, id est, & prælia audietis, & præliorum auditiones audietis. Et ponamus audire quidem prælia esse, quando filij pacis à præliis custodiunt oculos suos mundos, vt non videant maligna: & quoniam non possunt aspicere super labores & dolores, audiunt de præliis qualis ciuitas pugnet aduersus qualem ciuitatem, aut qualis gens à quali expugnetur gente: quid autem erit extra hoc alterum audire prælia, & audire auditiones præliorum? Vide ergo si potes (quantum ad simplicitatem verbi dico) talem differentiam dare: non est idipsum longe prælium positum audire, quia prælium est: & iuxta prælium esse, & ipsas præliantiū voces audire. Habet ergo vtrunque suam significationem. Et forte qui quidem audit ipsas voces, quæ fiunt à præliis, audit prælia: qui autem de præliis longe gestis audit, auditiones audit præliorum, nec enim ipsa prælia audit. Cùm sint autem sermones ambigui, potest quis & ex diuerso dicere, quod qui longe quidem est, amplius audit de illis: qui autem est iuxta prælia, audit ipsorum præliorum auditiones. In vtroque ergo videtur esse aliquis differentiæ intellectus. Ascende nunc ad moralem intellectum, & spiritalem, si quo modo possis aliquem sensum de eminentia scientiæ Christi, & de subtilitate Euangelistarum inuenire dignum, vt non deponas Euangelisticæ sapientiæ dignitatem. Vide ergo si recordantes ea, quæ superius tradita sunt de eo, quod ait: *Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent*: possumus secundum eorum consequentiā etiam ista interpretari. Omnis igitur, qui perfectus est, & videt in animam suam gloriosum aduentum verbi, quod corrumpit, & consummat mūdum, & crucifigit eum viro iusto, vt mortiamur ei omnes res mundiales, & qui exercitatos habet sensus ad capiendum, necesse est, vt quærens & discutiens in multa incurrat dogmatum prælia: audiet etiam multos profitentes veritatem, & diuersas de ea traditiones: vt sicut bonus miles verbi, inuulnerabilis animo maneat ab omnibus profitentibus veritatem; non autem videntibus eam, neque manifestantibus, sed cōtraria veritatis quasi veritatem pronunciantibus, & dignus efficiatur suscipere in animam suam gloriosum Christi aduentum, secūdum quod est Deus verbum, quod fuit in principio apud Deum, quod solet venire ad eos, qui postquam cognouerint Christum secundum carnem, & susceperint verbum quod factum est caro, tantum ascendūt præ multis, vt possint capere non qualemcunque gloriam, sed gloriam quasi vnici à patre. Et sicut sicā in diuersis gloriis verbum Dei apparet secundum virtutem vniuscuiusque animæ videntis secundum quod se capacem anima vnaquæque præbuerit. Ei ergo, qui perfectus est, & ad consummationem seculi peruenit quantum ad se, tale apparet verbum, vt qui viderit ipsum dicat: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnici à patre, plenum gratia & veritate. Ergo si quis dignus habendus est, vt tale suscipiat verbum & videat: necesse habet ante huiusmodi visionem verbi audire in anima sua prælia: per alios autem, qui quasi veritatem afferunt quicquid illis fuerit visum, præliorum auditiones. Et bene Saluator proficiscentibus ad perfectum Discipulis postquam locutus est de præliis, superaddidit: *Videte*: & non dixit, audite: hortans eos solicitos esse, vt oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia, & auditiones præliorū singulorum quæ audiuntur, naturam, & vidētes eam non terreantur: quoniam talia intelligibilia prælia solent in diuersis suasionibus occurrere hominibus iustis, & conturbare, & commouere animas eorum ad dubitandum, ne forte vera sint, quæ verisimilia esse videntur, cum sint falsa, aut certe, vel ad credendum eis perfecte quasi veris. Quotquot ergo proficiscuntur ad perfectionem, quæ est in Christo, & ad conuersationem cælestis Ecclesiæ, cùm audierint prælia hæresum, quæ aduersus veram fidem, & aduersus seipsos inuicem præliātur: & audierint auditiones præliorum Philosophiæ, & vanæ seductionis secundum traditionem hominum, & secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, exercitantes seipsos in his, quæ dicuntur: quærunt & cogitant mādatum Christi dicētis, videte: & vident quidem quæ dicuntur: videntes autē cum verisimilitudine mendacia non seducuntur, sed spectant sine vulnere talium præliorum, gloriosum aduentum videre Christi, qui est verbum: maxime si audientes secundum Christi mandatum prælia, & auditiones præliorum nullam perturbationē animæ patian-

tur: sed sub pace Dei protecti, quę custodit corda & sensus dignorum, non fuerint territi. Si quis autem audiens prælia, & auditiones præliorum, secundum quod exposuimus, non fuerit solicitus ad videndum ea, quæ dicuntur in diuersis verisimilitudinibus: & quia nō fuit solicitus ad videndum, territus fuerit: non solum decipietur à multis venientibus in nomine Christi, & dicentibus ego sum Christus: verumetiam interficietur ab huiusmodi gladiis, insanabilia suscipiens vulnera. De quibus gladiis dictum est, Vulnerant gladij, quorum vulnera sapientium linguæ solēt sanare. Hi autem qui perturbantur, & quia nō sibi prospiciunt, in huiusmodi prælium cadunt: illi sunt, qui in valle Sion vulnerantur, & moriuntur, de quibus dicit scriptura, Vulnerati tui non vulnerati gladio, nec mortui tui mortui in bello. De quibus nunc tantum significare oportet nos: sed non cuiuscunque hominis est se præparare ad audiendum prælia, & auditiones præliorum, vt audiens videat, & non terreatur: sed viri perfecti in Christo, in carne quidem viuentis, non tamen secundum carnem militantis: cuius militię arma non sunt carnalia, sed fortia Deo, & valentia destruere munitiones, & cogitationes extollentium se aduersus scientiam Dei. Nam secundum Salomonem multas ciuitates munitas hæresum suasione verborum ascendit vir sapiens, & ascendens destruxit munitionem in qua impij confidebant, Paulus destruxit, qui paratus fuerat ad destructionem ciuitatum munitarū aduersantium veritati. Qui talis est, postquam audierit prælia, & auditiones præliorum, videns, & quasi sapiens ascendens super ciuitates munitas, & destruens munitiones in quibus impij confidebant, laudans Deum, & gratias agens Deo, & à quo didicit talia prælia præliari, & seruare mandatum quod ait: Sanctificate bellum, clamat & dicit: Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas in bellum, & digitos meos in prælium: misericordia mea & refugium meum. Et propter huiusmodi prælia dicitur de Dauid ab vxore Nabal: Prælia Domini Deus meus pugnabit. Puto autem & mysteria esse talium præliorum prælia, quæ in scripturis leguntur: mysteria etiam esse destructionis præliantium aduersus veritatis congregationem: maxime quæ leguntur in libro Iesu Naue, de destructionibus ciuitatum, & mysteria sunt omnium congregationum aduersariarum virtutum. Audientes ergo prælia, & auditiones talium præliorum, attendamus quod ait: *Videte ne terreamini*. Et debemus scire quod oportet hæc fieri expectanti aduentum verbi, vt audiat prælia, & auditiones præliorum: sed non statim vt audierit, mox erit finis. Propter quod finem oportet expectare omnem hominem, qui vult fieri saluus: quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Secundum Lucam autem, si audierimus prælia, & seditiones ne conturbemur. Prælia quidem, quę fiunt à scientia falsi nominis, & à sapientia principum huius mundi, Seditiones autem non consentientium sibi inuicem in conuentu Ecclesiæ. Diuersas enim sententias de variis negociis manifeste audimus: maxime qui volumus proficisci ad perfectionem, quę est in Christo. Non solū extra Ecclesiam prælia, verumetiam in Ecclesia intus seditiones. A quibus omnibus alieni fuerunt Apostolorum discipuli, quorum omnium sicut in Actibus Apostolorum est scriptum, erat cor vnum, & anima vna. Confirmati enim erant in eodem sensu, & in eadem sciētia. Tamen nos & si audierimus eiusmodi prælia, & seditiones huiusmodi non terreamur. Oportet enim primum, antequam videamus perfectionem sapientiæ, quæ est in Christo, hæc fieri: sed non statim erit finis, quem quærimus. Oportet enim nos stabiliri, & confirmari in pace, vt sine terrore simus, nec à seditionibus conturbemur, vt post hæc valeamus capere finem, qui non est in auditione præliorum, neque in ipsis seditionibus: pacificus enim finis longe est ab omnibus istis. *Exurget enim gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt fames, & pestilentię, & terræmotus per loca. Hęc enim omnia initia sunt dolorum.* Marcus eadem, addit autem & turbelas. Lucas similiter ipsa, addit autem: Terroresque de cælo & signa magna erunt, & hyemes. Primum simplicia loci, & corporalia exponamus. Sicut enim ægrotant corpora ante mortem eorum, qui vim nō extrinsecus patiuntur, & quemadmodum in omnibus per infirmitatem fit via ad separandam animam à corpore suo: sic talis, & tanta creatura mundi, cum corrumpi cœperit, quasi initium habens, & finem: quoniam quæ videntur temporalia sunt, & quia cælum, & terra transibunt, necesse est ante corruptionem vt langueat: vt terra quidem frequentius terræmotibus conquassetur: aer autem vim quandam morbiferam concipiens, pestilens fiat. Adhuc autem & vitalis virtus terræ repente deficiens suffocet fructus, & omnes naturas arborum deficiens generatrix earum virtus. His igitur accidentibus, consequens est, vt mobilis natura quasi totius mundi pars aliqua constituta compatiatur vniuersarum rerum mutationi, vt puta consueta escarum nutrimenta non resumens, veniat ad defectum & corrumpatur. Nam cæli peribunt: quoniam sicut vestimentum veterascent. Quicquid autem veterascit & senescit, prope interitū est. Consequens est vt & propter inopiā ciborum in auaritiam & bella homines excitentur aduersus eos, qui non tantam patiuntur inopiam, & vt ex comparatione aliorum, quæ in rebus necessariis sunt abundātium, fiant insurrectiones aliorum aduersus alios, & gens pugnet aduersus gentem, & regnum aduersus regnum. Possibile est autē, quum aliarum indigentia rerum etiam hominū bonum sensum habentium indigentiam fieri, vt per hæc tranquilla, & pacifica vita non inueniatur in multis, sed insurrectiones & lites, & perturbationes fiant, interdum quidem propter auaritiam, interdum autem propter concupiscentiam principatus, aliquando autem & propter gloriæ vanæ cupiditatem insanam, interdum autem & cupiditate vanæ gloriæ principum, qui non sunt contenti proprio regno: sed volunt suum quidem extendere principatum, & multas sibi subdere nationes. Adhuc autem profundiorē dabit aliquis causam eorum, quæ ante consummationem mundi sunt euentura: maxime autem de præliis. Quoniam sicut aduentus Christi in plurimis gentibus diuina virtute fecit pacem, secūdum quod dicit Propheta de illo, Orietur in diebus eius iustitia & abundātia pacis, donec extollatur luna: & sic pax multiplicata est mundi propter incrementa Ecclesiarum futura, vt ea pax salutis multorum fiat occasio, dum non coguntur exire ad bella, & pugnare

pro patriis sicut pridem fiebat: sic consequens est, vt, cum propter abundantiam iniquitatis refrigeuerit charitas multorum, & ideo dereliquerit eos Deus, & Christus eius, iterum fieri prælia: videlicet dum non prohibentur operationes seminatrices bellorum à sanctitate, sed magis adhuc nutriuntur propter malitiam hominum supercrescentem: vt omnium accidentium malorum causa esse dicantur, qui accesserunt quidem ad verbum, sed postea declinauerunt omnes, & simul inutiles facti sunt in mundialibus malis. Nã quandiu steterint sales terræ, ad quos dominus dixit, Vos estis sal terræ: & omnia constant salibus temperata. Postquam autem infatuati fuerint ipsi sales (vt secundum scripturam dicamus) & ea quæ saliebantur ab eis sicut insulsa infatuantur, corrumpuntur & fœtent & resoluuntur. Adhuc autem & quandiu steterit lux mundi: omnia diriguntur à clato lumine dispensata. Cum autem hoc ipsum lumen diminutum fuerit in animis hominum, dum propria & naturali esca non nutritur, tunc occupantibus omnia tenebris cum in tristitia facta fuerint omnia & calamitatibus, fiet quasi conuentus super omnia aduersariarum virtutum, dum non vetantur à sanctis & à Christo in eis, qui solebat eos vetare: sed quasi in tenebris sine aliqua prohibitione operabuntur in cordibus hominum, vt excitent gentem aduersus gentem, & regnum aduersus regnum. Si autem (quemadmodum & placet quibusdam) & fames, & pestilentiæ ab huiusmodi operationibus fiunt, & ab angelis Satanæ: similiter & fames, & pestilentiæ tunc inualescent ab aduersariis virtutibus, quãdo non fuerint sales terræ & lux mundi: Christi discipuli, qui sunt principes potestatis Dei, destruentes in hominibus prælia, quæ faciunt aduersariæ potestates, & omnia, quæ ex earum malitia seminantur. Et aliquando quidem in Israel fames, & pestilentiæ fiebant propter peccata, & siccitates, quas orationes sanctorum soluebant: Samuelis, Hieremiæ, cæterorúmque similium. Bene autem positum est, *Erunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca.* Nec enim semel vult Deus perdere humanum genus: sed iudicans per partes paulatim in eo dum fiunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca, dat pœnitentiæ locum iis, qui ex modicis castigationibus emendantur, & conuertuntur ad Deum. Et quemadmodum incipientibus infirmitatibus possibile est afferre medicinalia adiumenta, sic incipientibus fame, & pestilentiis, & terræmotibus per loca, possibile est quibusdam hominibus ad conuersationem, & fidem, & sapientiam sanctorum purgatoria dare. Si autem incipientibus huiusmodi malis non fuerit facta pia correctio: proficiẽt ad peius fames, & pestilentiæ, & terræmotus, cum locum habuerit abominatio desolationis, non contenta parte alia mundi: veniet enim vt etiam in loco sancto cõsistat. Tamen insurrectiones gentium super [illegible]es, & regnorum aduersus regna, & fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca exurgentes, initia esse dicuntur peiorum calamitatum, quas dominus appellauit dolores. Si ergo tales erunt primitiæ dolorum, qualia putas erunt incrementa dolorum? Qualis autem & finis erit generalium dolorum in vniuerso mundo, vt nõ iam per partes sed vniuersum exterminent mundum? Tamen arbitror, quæ sunt secutura aduersus impios fore tantummodo, vt in doloribus acutissimis, & diutinis crucientur, donec deponant quæ conceperunt, & formauerunt semina peccatorũ ab operationibus contrariis. Et Pharao quidem non bene facere cupiens, præcepit omne masculinum quodcunque fuerit natum Hebræis, vt proiiciatur in flumẽ. Deus autem bonus quasi vere bonus occidit semina malorum, quæ receperunt, vt per multos labores, & dolores ea deponant, quoniam conceperunt dolorem, & pepererũt iniquitatem. Et quid aliud decet Deum nisi vt occidat omnem iniquitatem, quam generant peccatores, quibus huiusmodi mortis dies melior est quam dies natiuitatis ipsius, secundum quod scriptum est, Melior dies mortis super diem natiuitatis? Sic & abortum meliorem eo quod nascitur, bene quis dicet, & dixi bonum super eum abortum. Nam abortus huiusmodi in vanitate venit, & in tenebris ambulat, & in tenebris nomen eius contegetur. Et hæc tractauimus abundantius consequentia aspicientes, secundum quod ait, *Hæc omnia, initia sunt dolorum.* Quoniam autem & moralem intellectum existimo esse etiam in isto loco, secundum ea, quæ dixi, consequenter & hic sunt dicenda: quoniam si quis gloriosam, & regalem formam verbi visurus est, & aduentum ipsius gloriosum, necesse est ei vt excitetur non solum audire prælia, & auditiones intelligibilium præliorum, vt vidẽs discat nequaquam terreri, sed etiã vt videat gentem mendacii alicuius, & motum verborum trahentium ad aliquam sectam insurgentem aduersus aliam alienam mendacii gentem: quoniam huiusmodi gentibus nunquam est pacificus finis. Quod frequenter videmus inter hæreticos fieri, & inter ecclesias malignantium surgere vnius hæresis gentem super gentem alterius hæresis. Sic & regnum alicuius verbi insurgit aduersus alterius verbi erratici regnum, quoniam Satanas, & omne mendacium aduersus seipsum diuiditur semper: propterea non potest stare. Ergo qui proficiscitur ad videndam gloriam Christi, & regnum, hoc est verbi perfectionem, & regnum quod regnat, & dominatur: ponens omnes aduersarios sermones sub pedibus suis, & in conculcationem pedum suorum: necesse est ei vt quærens veritatem, frequenter inopiam sensuum patiatur: quibus proprie anima nutritur ad requisitionem eorum, quæ sunt quærenda. Et sicut aliquãdo qui proficiscebantur ad terram promissionis, afflicti sunt: famen passi sunt carnalium ciborum, tantum vt cæleste accipiant manna: sic oportet inopia sensuum tentari eum frequenter, & nihil pati ex ea, qui perfectione verbi est nutriendus. Et quotidie hoc ipsum videmus in nobis, quando quærimus aliquem veritatis sensum in scripturis: priusquam inueniamus, quod quærimus, aliquam inopiam sensuũ patimur, donec soluitur in nobis eiusmodi inopia sensuũ à Deo: qui dat dignis escam in tempore opportuno ad manducandum, & vestimentum ad induendum. Oportet etiam eum, qui videt gloriosum aduentum, id est aduentum sapientiæ in animam suam, necesse est eum videre pestilentias morbidorum sermonum, & nihil pati ab eis. Pestiferi autem sermones sunt omnes qui ab hominibus pestiferis proferuntur, iniquitatem in excelsum loquentibus, & ponẽtibus in cęlo os suum in superbia & magna promissione: vtputa Marcionis sermones aduersus creatorem mundi, & impię blasphemiæ. quędam pestilentiæ sunt animarum,

corrumpentes hominum mẽtes, & facientes animas in errorum ſuſpicionibus ægrotare. Valentiniani etiam de maſculinis,& fœmininis ſeculis fabulæ, & de natiuitate creatoris mundi, quam ex falſa ſapientia confinxerunt, & quæcunque alia garrulant,quid aliud ſunt niſi peſtilentię? Baſilidis quoque ſermones detrahentes quidem eis,qui vſque ad mortem certant pro veritate,vt confiteantur coram hominibus Ieſum:indifferenter autem agere docentes ad denegandum, & ad ſacrificandum dijs alienis. Nõ minus peſtificant & corrumpunt audientes ſe, qui in iiſdem ſermonibus docent non eſſe alias peccatorum pœnas, niſi tranſcorporationes animarum poſt mortem. Nam, vt dimittam manifeſte falſum eſſe quod dicitur, adhuc autem tollunt ab hominibus ſalutarẽ timorem,& qui vel propter timorem futurarum pœnarum ſeruaturi ſe fuerant à multitudine peccatorum,nutriunt audaciam impietatis eorum. Multæ igitur fames,& peſtilentiæ erunt omnibus videre volẽtibus glorioſum Chriſti aduentum in anima ſua, ſed nihil eis nocebunt. Videbunt enim tantummodo eas, ſed nihil patientur ab eis. Patientur autem & motus eorum, quæ quærentur in plurimis locis ſcripturarum, veriſimilitudinem contrarietatis vel mendaciorum habentibus: ſed poſtmodum patientur nihil, nec motus auditionum falſarum auellet eos ab expectatione glorioſi,& diuini,& perfecti aduentus Ieſu Chriſti verbi. Et qui dicturus eſt, A timore tuo, domine, in vtero concepimus:& parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis, quem feciſti ſuper terram: aut ſecundum quod dictum eſt, Filij mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: neceſſe eſt enim in primis in omnibus iſtis doloribus fieri famis,& peſtilentiarum & motuum: quod ſuſtinens pariet quod concepit & formauit in ſe Chriſtum verbum,vt dicat in natiuitate eius, Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, & gloriam in excelſis Deo,& pacem ſuper terram. *Tunc tradent vos in tribulationes, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum,&c.* Et ſine expoſitione quidem,textus à ſeipſo eſt manifeſtus, quoniam frequenter traditi ſunt diſcipuli Chriſti in tribulationes, & propter verbum ſunt interfecti, & propter Chriſtum odio habiti gentibus. Si autem diſcutere quis velit,quod ait, *omnibus gentibus*: non ſatis inueniet certum, quòd omnibus etiam in vltimis partibus terrę commorantibus gentibus odio habetur populus Chriſti: niſi forte & hic aliquis dicat propter exaggerationem multarum poſitum omnibus,pro multis. Proponens autem tibi quod dicit, *Tunc tradent vos*, inuenies quæſtionem. Nec enim poſtquam inſurrexerunt gens contra gentem,& regnum aduerſus regnum,& poſt fames & peſtilentias per loca, tunc traditi ſunt in tribulationes, & occiſi ſunt, & odio habiti ab omnibus gentibus propter nomen Chriſti: nam & prius quam hęc fierẽt, traditi ſunt Chriſtiani in tribulationes,& dãtes teſtimonium veritati ſunt interfecti, & odio habiti ſunt gentibus cum quibus habitauerunt. Aduerſus hanc autem quæſtionem qui ſecundum verba vult intelligere, reſpondebit quòd tunc maximè tradentur Chriſtiani in tribulationes, quemadmodum nunquam tunc odio habẽdi ſunt maxime ab omnibus gentibus cohabitantibus ſibi ſicut nunquã, & omnia patientur pro nomine Chriſti: cum ſurrexerit gens contra gentem, & regnum aduerſus regnũ:& fient fames,& peſtilentiæ,& terræmotus per loca. Amant enim qui in calamitatibus ſunt, cauſas earum diſcutientes, inuenire aliquid quod loquantur. Cum hæc ergo contigerint mundo, conſequens eſt quaſi derelinquentibus hominibus deorum culturam, vt propter multitudinem Chriſtianorum dicant fieri bella, & fames,& peſtilentias. Frequenter enim famis cauſa Chriſtianos culpauerunt gentiles, & quicunque ſapiebant quæ gentium ſunt. Sed & peſtilentiarum cauſas ad Chriſti eccleſiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terræmotum factum in locis quibuſdam, & factas fuiſſe quaſdam ruinas ita vt qui erant impij extra fidem, cauſam terræmotus dicerent Chriſtianos: propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt eccleſiæ, & incenſæ ſunt: Non ſolum autem illi, ſed & qui videbantur prudentes,talia in publico dicerent,quòd propter Chriſtianos fiunt grauiſſimi terręmotus. Quod autem dicitur, *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Sic ſaluare quis poterit, quia nunquam quidem in vnum conſenſerunt omnes gẽtes aduerſus Chriſtianos. Cum autem contigerint quę Chriſtus prædixit, tunc quaſi ſuccendendi ſunt omnes à quibuſdam gentibus incipiẽtibus Chriſtianos culpare, vt tunc fiant perſecutiones iam non ex parte ſicut ante, ſed generaliter vbique aduerſus populum Dei. Tunc continget illud vt multi ſcandalizentur, qui videntur in fide conſiſtere,& ſe alterutrum tradent:& erit odium inter ipſos etiam qui videntur fideles. Tũc pſeudoprophetæ multi inſurgent, multitudinem inſenſatorum fallentes: tunc & refrigeſcente charitate,non ſolum apud infideles, ſed etiam in ipſis fidelibus, & feruor charitatis ex multis iniquitatibus refrigeſcet, ita vt pauci remaneant certantes pro veritate vſque ad finem, qui & ſaluandi ſunt ſoli. Et in hoc ſtatu conſtitutis rebus, Euangelium,quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo: multi enim non ſolum barbararum, ſed etiam noſtrarum gentium, vſque nunc non audierunt Chriſtianitatis verbum: tunc autem prædicabitur,vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem: & nemo derelinquatur qui non audiuit, & tunc erit ſeculi finis. Si autem hæc ita ſe habent,iam nõ ignorabimus de eo quod dicit, *Tunc tradent vos*: nec falſum ſuſpicabimur quod ait, *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meũ*, dicentes veritatem huius verbi,nondum eſſe impletam, quandiu non eſt factum, quod ait, *Tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent.* Nondum enim multi proditores de eccleſia facti ſunt, & nondum multi falſi prophetæ exierunt multos fallentes: ſic & nondum odio habiti ſunt ab omnibus gentibus, etiam in vltimis partibus terræ habitantibus, propter nomen Chriſti: ſic & nondum eſt prædicatum Euangelium regni in toto orbe. Non enim fertur prædicatum eſſe Euangelium apud omnes Æthiopas, maximè apud eos qui ſunt vltra flumen: ſed nec apud Seres, nec apud orientem audierunt Chriſtianitatis ſermonem. Quid autem dicamus de Britannis,aut Germanis, qui ſunt circa oceanum, vel apud Barbaros,Dacos,& Sarmatas,& Scythas, quorum plurimi nondum audierunt Euangelij verbum, audituri ſunt autem in ipſa ſeculi conſummatione. Aſpice enim quod ait, *Et prædicabitur hoc euangelium*

lium regni in toto orbe in testimonium omnibus gentibus,& tunc erit finis. Si autem vult quis temere dicere prædicatum esse iam Euangelium regni in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, cōsequenter dicere poterit & quod ait, Tunc erit finis, iam finem venisse: Quod dicere, temeritatis est magnæ, & hominis non intelligētis quæ Paulus ad Thessalonicenses Epistola secunda scribit, dicēs, Ne quis vos seducat vllo modo quasi instet dies domini: quoniam nisi venerit primum discessio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, & cætera, non erit domini dies. Hæc secundum simplicem expofuimus traditionem. Si autem debemus secundum quod moraliter supra stadidimus, & hic intelligere moralem tractatum talia exponemus, quoniam qui visurus est secundum verbi Dei aduentum illum gloriosum in animam suam, necesse est vt secūdum mensuram profectus sui ad verbi perfectionem insidias à contrariis operationibus patiatur, quasi magnus athleta & traditus in tribulationes derelinquatur. Multæ enim tribulationes iustorum: & quanto quis iustior voluerit fieri, tanto magis quasi angustam & tribulatam cum affectu ambulans viam in tribulationes incurrit, & tribulatus occiditur mundo: & quanto ad manifestiorem proficiscitur visionem verbi, tanto amplius tribulatur. Quanto perfectius inuenitur Christus in eo, tanto ab omnibus odientibus Christum magis odietur: tamen non tantum à gentibus omnibus secundum carnem quantum à gentibus spiritaliū nequitiarum. Ipsa enim implantata manifestatio proprietatum Christi in eo, propter quas & dicitur Christianus, facit eum ab omnibus habentibus spiritum mundi odiri ad perfectionem adhuc Christi amplius & amplius contendentem. Sed & in dissensionibus & quæstionibus pauci erunt intenti, veritatem plenius attingentes. Plures autem scandalizabuntur, & cadent ab ea, proditores & accusatores effecti in alterutrū propter dissensionem dogmatū veritatis, quam nos omnes apprehendere possunt: quę causa fiet, vt odiāt se inuicem. Et cum huiusmodi quæstiones in plures venerint, multi quidem erunt non sanū tradentes de futuris sermonem, & quomodo non oportet interpretantes prophetas, quos pseudoprophetas quis dicere non peccabit, seducentes multos. Valde autem pauci erunt veritatem inuestigantes. Falsæ autem doctrinæ à proposito veritatis fontem quidem soluent, eos autem qui prurientes sunt aure, multiplicabunt, ad delectamentum eorum loquentes iniquitatem legi contrariam, & tantum nocebunt verba docentium multorum contraria, vt etiam feruentem dilectionem, quæ prius fuerat in simplicitate fidei, refrigescere faciant existimatione comparationis diuinorum mysteriorum & veritatis. Sed qui potuerit videns omnia hæc manere in primo apostolicæ traditionis, & ecclesiasticæ inductionis proposito, ipse saluabitur, & sic prædicatum euangelium in animas omnium erit in testimoniū omnibus gentibus, id est, omnibus cogitationibus incredulis omnium animarum.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris Euang. expositio.*

ET cum secessisset in montem, adeuntes eum secreto discipuli, interrogant, quando hęc fierent, quódve signum aduentus sui, & consummationis sæculi noscerer. Respondet igitur primum de ciuitatis occasu: & confirmantur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim erant etiam eorum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Vt igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. Venit enim Samaritanus Simon Zabolicis instructus & operibus & dictis: pluresque factorū miraculis deprauauit. Et quia hoc in Apostolorum tempora conueniret, ait: *Non est finis.* Sed ne tunc quidem cum gentes aduersus se mutuo & regna concurrent, & fames ac terræmotus erunt: quia in his non vniuersitatis huius dissolutio est, sed dolorum initia, malis omnibus exinde capturis. Confirmat igitur eos ad tolerantiam passionum: fugæ, verberationis, interitus, & publici in eos odij, propter nomen eius. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, & tantis insurgentibus malis scandalizabūtur, & vsque in mutuum odium excitabuntur. Et falsi prophetæ erunt (vt Nicolaus vnus ex septem diaconibus fuit) multosque ementita veritate peruertent: & abundante nequitia caritas frigescet. Sed vsque in finem perseuerantibus salus reseruata est: ac tum per omnes orbis partes viris apostolicis dispersis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cùm vniuersis fuerit cognitio sacramenti cælestis innecta, tum Hierusalem occasus & finis incumbet: vt prædicationis fidem & infidelium pœna & metus ciuitatis euersæ consequatur. Hæc igitur in eam vt fuerant prædicta perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremptis apostolis, fame, bello, captiuitate, consumpta est. Ac cum fuit digna non esse, cum eiectis prędicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.

S. HIERONYMI PRESbyteri *eiusdem Euang. expositio.*

SEdit in monte Oliueti. Vbi verum lumen scientiæ nascebatur: & accedūt ad eum discipuli secreto, qui mysteria, & futurorum reuelationem nosse cupiebāt, & interrogāt tria: quo tempore Hierusalem destruēda sit: quo venturus Christus: quo consummatio seculi futura sit. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent.* Quorum vnus est Simon Samaritanus: quem in actibus apostolorum legimus: qui se magnam dicebat esse Dei virtutem: hæc quoque & cætera in suis voluminibus scripta dimittens: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotēs, & ego omnia Dei. Sed & Ioannes apostolus in epistola sua loquitur: audistis quia antichristus venturus est: nunc autem antichristi multi sunt. Ego reor omnes hæresiarchas, antichristos esse: & sub nomine Christi ea docere, quę contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cum dominus dixerit: *Et multos seducent: audituri enim estis prælia & opiniones*

prœliorum, videte ne turbemini. Oportet enim hęc fieri: sed nondum est finis. Cum hęc igitur sic vt viderimus, non putemus diem instare iudicij, sed in tempus aliud reseruari: cuius signum perspicue in consequentibus ponitur. *Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca. Hęc autem omnia initia sunt dolorum.* Non ambigo, hæc quidem iuxta literam futura quæ scripta sunt, sed mihi videtur regnum contra regnum: & pestilentia eorum, quorum sermo serpit vt cancer, & fames audiendi verbum Dei, & commotio vniuersæ terræ, & à vera fide separatio in hæreticis magis intelligi: qui contra se inuicem dimicantes, ecclesię victoriam faciunt. Quod autē dixit: Hæc antē omnia initia sunt dolorum: melius trāsfertur parturitionum: vt quasi conceptus quidam aduentus antichristi, non partus intelligitur. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Per apostolos omnium credentium persona signatur: non quo eos tempore apostoli in corpore reperiendi sint. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum?* Non omnium negauit fidem, sed multorum, Multi enim vocati, pauci vero electi. Nam in apostolis, & similibus eorum permansura est charitas, de qua scriptum est, aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Et ipse Paulus: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames? & reliqua.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil. 1.

Ex Hom. 76. in Matth. *Accesserunt discipuli secreto, &c.* Idcirco seorsum accesserunt, quia de magnis & occultioribus rebus interrogaturi erant. Quia enim futuram illam gloriam videre cupiebant, quam innumerabilia sibi allaturam bona credebant, ideo diem aduentus discere festinabant. Duo igitur interrogant: vnum, *quando hæc erunt*, templi huius scilicet
Luc. 21. euersio, alterum, *quod aduentus tui signum est.* Lucas vero vnum, de Hierosolymis videlicet interrogasse ipsos exponit: putabant enim tunc statim ad-
Marc. 13. uentum eius futurum. Marcus autem non omnes de Hierosolymorum euersione sed Petrum, & Ioannem, qui maiorem apud eum fiduciam habebant interrogasse ait. Quid igitur ipse? *Videte, ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, &c.* Nam, quoniam de Hierosolymæ supplicijs audientes, quasi omnes periculi inexpertes futuri, de secundis solummodo cogitabant, quę se citò consequuturos arbitrabantur: idcirco rursus difficiliora eis prædicit, suspensos faciēs & dupliciter ad vigilandum exhortans, ne adulatione seducentium circumueniantur, néve periculorum vi opprimantur: duplex enim bellum futurum asserit, alterum à seductoribus, alterum ab hostibus: sed illud multo grauius, atque periculosius, quod in confusione, atque turbatione rerum hominibus timore perterritis, incumbet. Magna enim tunc profectò tempestas Iudæam turbabat. Romana vi superante, multis vrbibus expugnatis, & armis vniuersa regione referta, qua de causa multa facillimè credebantur. Nam bella nunc non ea, quæ in alijs partibus orbis gesta fuerunt, nulla enim illorum cura erat, sed ea, quæ aduersus Hierusalem Romani susceperunt, prænunciat. Præterea nihil noui diceret, si orbi euentura enarraret: fuerunt enim etiam antea & bella, & tumultus, sed aduersus Iudæos procul ventura bella prædicit. Iam enim Romanorum potentia solicitus eos faciebat: ac, quoniam turbatrix ipsos erat, hæc omnia prædicuntur: vt ostendat deinde se quoque ipsum in Iudæos insurrecturum, non pugnas solum, verumetiam illata diuinitus vulnera, pestem, annonæ inopiam, ac denique terræmotus prædicit, quæ non vt aliàs quadam naturali rerum connexione, sed superiore ira futura confirmat. Præterea nec simpliciter, nec repente, sed cum signis hæc asserit ventura, causam quoque harum cladium posuit, ne propter credentes hoc euenisse Iudæi contendant. In superioribus enim dicebat, posteaquam effusi, effundendique à manibus eorum sanguinis mentionem fecit: Amen dico vobis, quia venient hæc omnia in generationem hanc. Deinde ne tanta malorum vi prædicationem impediri crederent, subiunxit; *Videte ne terreamini: oportet enim hęc omnia fieri.* Fient, inquit, omnia, quæ predixi, & tentationum impetus non dirumpet rem meam, ita turbatio, atque tumultus omnis oracula mea turbare non poterit. Quia verò Iudæis dixit, Non videbitis me, donec dicatis, benedictus, qui venit in nomine domini: vnde discipuli putabant vna cum Hierosolymorum euersione consumptionē omnium futuram, hanc eorum opinionem emendans, adiecit; Sed nondum est finis. Quia autem sic existimabant, ab ipsa illorum interrogatione manifestum est. Quid enim quæsierunt? *Quando hęc erunt:* hoc est, quando Hierusalem euertetur: *& quod est signum tui aduentus & consummationis seculi?* Ipse autem non ad interrogationem hanc statim respondit, sed illa prius posuit, quę prius dicenda erant. Nam nec de Hierosolymis, neque de secundo suo aduentu ilicò, sed de his malis, quę iam in ianuis erant, verba fecit: ideo solicitos eos facit dicens; *Cauete, ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicētes; Ego sum Christus.* Sic posteaquam ad istarum rerum auditū suscitauit: Cauete nanque, inquit, ne decipiamini: postcaquam solicitos, curiososque reddidit, & ad vigilandum paratiores, seductorum, & pseudochristorum facta mentione, tunc demum Hierosolymorum exponit afflictiones, à pręteritis semper futura ita confirmans, vt vel rudiores ad credenda hęc facile induci queant. Bella verò, & bellorum auditum, primos impetus appellat: & ne post illa bella consumptionem omnium futuram putarent, pręmuniens, vt diximus, intulit; *Sed nondum est finis, surget enim,* ait, *gens aduersus gentem, &c.* Afflictionū originem intelligit: hęc autem omnia dolorum principium sunt, eorum videlicet, quę illis acceident. *Tunc tradent vos in tribulationes, & interficient vos.* Opportunè pericula discipulorum inseruit, vt à cōmunibus eos consolaretur: nec tamen id ei suffecit, sed adiecit; *Propter nomen meū. Eritis enim,* ait, *odio omnibus propter nomen meum. Tunc scandalizabuntur multi, &c.* Maius id malum est, siquidē intestina quoque bella ipsis imminent. Multi enim falsi fratres facti, eos turbabant. Vides bellum triplex futurum? Vnum ab hostibus, alterum à seductoribus, tertium à falsis fratribus. Audi nunc Paulum 2. Cor. 7.
de his plangentem, atque dicentem; De foris pu- 2. Cor.

gnę, intus timores, & pericula in falsis fratribus. Et rursus, Tales enim falsi apostoli sunt, dolosi operarij, in apostolos Christi se transformantes. Affert inde, quod multò cæteris grauius erat, nec ab ipsa quidem charitate vllum eos solamen habituros. Deinde ostendens, generoso, excelsoque animo nihil hęc officere posse, nolite timere, aut turbari, ait. Nam si tolerantiam, vt decet, habebitis, non superabunt vos hęc mala.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homil. 2.

Homil. 48. in Matth. imperf. *SEdente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hęc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?* Id est, quando hæc erunt, vt non stet in templo lapis super lapidem, sicut dicis? Et addunt interrogationibus suis & alterû, scilicet vt significet eis etiam seculi finem, cuius Christus non fecerat mentionem. Sed illud primum interrogant ex se, & propter se, hoc autem secûdum ex nobis, & propter nos. Nam neque nos templi illius diruptionem aspeximus, neque illi seculi finê, ideo illis expediebat audire signa diruptionis illius, nobis autem expedit consummationis agnoscere signa. Omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interroget, vbi est mansio: mercenarius frequenter computat, quando annus completur: agricola semper têpus messis expectat: negociator die, ac nocte thecæ suæ discutit rationem: mulier prægnans semper de decimo mense cogitat. Sic & serui Dei libenter de consummatione seculi requirunt. Scriptum est enim: Vbi erit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Matth. 6.* Ecce si solidorum aliquam quantitatem habeas in arca repositam, quotiescunque veniens de platea, domum tuam ingrederis, ante omnia illum locum oculi tui respiciunt, vbi solidos habes: sic & sancti illum locum respiciût, vbi repositam habent coronam. Nam vtile est tempus consummationis cognoscere: quia & homo in itinere constitutus, quanto magis appropinquauerit mansioni, tanto amplius incipit festinare. Nam in longa via etiam veloces homines pigriter ambulant, quando autem via fuerit breuiata, etiam pigri velociter ambulant. Hac ratione & Paulus exhortans dicit: Nunc enim propior est nostra salus, *Rom. 13.* quam quû credidimus. Quia appropinquata spes excitat magnanimitatis virtutem. Ideo quanto magis laudabiles sunt sancti, qui ante Christum fuerunt, & tanto nos vituperabiles, qui post Christû sumus, & adhuc de seculo recedere nolumus. Illi quidem sciebant finem esse futurum, quando autem nesciebant. Nos autem domino demonstrante, quotidie seculum finiri videmus, & tanquam mali serui, iá albescit aurora, & adhuc dormimus. Nam peccatores homines nunquam putant seculi finem esse futurum. Et quid mirum, si quod audiunt non credunt, quum nec illud credunt, quod quotidie vident? Nam quotidie manibus suis efferunt mortuos, & mortales se esse non putant. *Et respondens dixit eis: Videte, ne quis vos seducat.* In primis hoc æstimo prætermitti non oportere, vt consideremus quid interrogant Apostoli, & sic melius intelligemus quid Christus respondit, interrogant enim hæc duo Apostoli: Quod signum erit destructionis Hierusalem? & quod signum consummationis mundi? In consummatione enim gentis Iudææ Hierusalem destructa est, quæ tamê videbatur esse Hierusalem, non autem vera erat. In consummatione autem mundi, ecclesia aut desolata, aut desolanda est, adhuc tamen illa, quæ videbatur ecclesia, non autem quæ vera erat, aut est. Dominus autem non separatim dixit, quæ signa pertineant ad destructionem Hierusalem, & quæ ad consummationem mundi, videlicet vt eadem signa pertinere videantur & ad manifestationê destructionis Hierusalem, & ad manifestationem consummationis mundi: quia non quasi historiam per ordinem exposuit eis, quomodo res erant agendæ, sed prophetico more prædixit eis, quæ res erant agendæ. Prophetia autem semper per mysterium dicitur, & per mysterium intelligitur. Quid igitur? Hæc signa de fame, de bellis, & de terræmotu, si ad plenum spiritualiter voluerimus intelligere, non possunt pertinere ad manifestationem destructionis Hierusalem: quia tunc spiritualiter gens contra gentem non surrexit, id est hæresis contra hæresim. Nam tempore apostolorum tantûmodo seminatæ sunt hęreses, tempore autem regis Christiani germinauerunt: nostris autem temporibus maturauerunt, & præualuerunt. Tunc enim fames non erat spiritualis, sed magna vbertas, de qua propheta dicebat: Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam. *Psal. 64.* Item si voluerimus hæc signa tantum corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi. Nam & bella hæc corporalia semper fuerunt, & semper erunt. Et fames, aut terræmotus carnales semper fuerunt. Non potest autem esse in signum alicuius rei futuræ, quod semper fuit in vsu: sed quod nouum fit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Hierusalem illa corporalis, quæ iam expugnata est in figura: est autem altera Hierusalem spiritualis, scilicet ecclesia Christi, quæ in finem mundi etiam tentanda est, & adhuc têtatur: sic & signa illa, quę Dominus dicit, & spiritualiter intelligenda sunt, & carnaliter: vt carnaliter intellecta significent destructionem illius Hierusalem, spiritualiter autem intellecta, significent tentationem ecclesię in consummatione futura. Ergo ad vtrumque tempus porrige mentem, qui audis, & ad illud, quod fuit, antequam Hierusalem caperetur, & ad illud, quod fict, antequam tentetur ecclesia Christi. *Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Hoc & apostolus dixit his, qui fuerunt antequam caperetur Hierusalem, quia prius venturi fuerant pseudochristi. Etenim hoc erat signum primum destructionis Hierusalem: quod vere factum est. Venerunt enim Dositheus, & Simô, & Cleonius, & Varisuas in nomine Christi, & alij multi, quos Apostolus in Epistolis suis tangit. Hoc & patribus nostris dixerunt, qui fuerunt prius, antequam tentaretur ecclesia, quæ ventura fuerant hæresum multa verba mêdacia, dicentia: Ego sum verbum Dei Christus. Et hoc signum fuit expugnationis ecclesiæ, quod & factû est. Vere enim prius quàm ex tempore Theodosij, præuaricantibus multis, *Nam Theodosius, Arrianos maximè coercuit.* expugnaretur ecclesia, multa dogmata præcessêrût ex tempore Constantini, dicentia, hoc est verbum Dei per quæ signa intelligere potuerunt periclitaturam ecclesiam Christi, si prophetia Chri-

sti ante exitum intelligi potuisset. *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus.* Venient in nomine sponsi: vt sponsæ castitas tentata probetur. Nam sicut omnis mulier, quandiu non admonetur à malis hominibus, non bene cognoscitur, vtrum sit casta: si vero admonita, conscientiam, vel fidem viro seruauerit, tunc merito casta laudatur: sic ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eã, siue de illis pseudochristis, qui præcesserunt, antequam tentaretur ecclesia, hoc conuenit dicere. Quoniam, sicut quum domus incendio comprehenditur, omnes latrones consurgunt, quærentes vnusquisque quod rapiãt: sic quando casus specialiter tunc Iudæorum, aut generaliter, aut modicum Christianorũ fieri cœperit, omnes dæmones spirituales latrones insurrecturi, super suos ministros quærentes vnusquisque, quem perdant. Non audistis prophetam dicentem, quomodo in nocte omnes bestiæ circueunt militantes, hoc modo? Posuit tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, &c. Sic & dæmones spirituales bestiæ, quandiu lux iustitiæ est super terram, in cubilibus suis latẽt, id est, in cordibus impiorũ, & non se ostendunt: quum autem tenebras impietatis aspexerint dominari, tunc dæmones procedunt, aut ministri eorum de latibulis suis, quærentes, quem valeant deuorare. Ideo videte, ne quis vos seducat. Homo circa mortem phantasias videt, sic & mundus in exitu suo multos patietur errores. Hoc puto, quod ad omnes Christianos dicebat, siue tunc, siue modo, præcipue tamen ad sacerdotes, videte ne quis vos seducat: Vos estis luminaria, verbum vitæ cõtinentes, quasi candelabra lucentia, facile vobis extinctis ecclesia à latronibus prædam patietur in tenebris. Quomodo autem stet ædificatio domus, si columnæ ceciderint? Et ne putes, quia corporaliter iubet eos aspicere, quum dicit videte, sed spiritualiter mente considerare. Mente autem potest considerare, qui per bonam cõuersationem mentem habet illuminatam. Qui ergo bene conuersatur, lucidam habet mẽtem, & intelligit qui sunt doctores: qui autem peccat, sensus eius quum sit tenebrosus, nõ intelligit qui sunt serui Dei, & qui ministri diaboli. Sicut enim qui corporaliter oculos habet acutos, de longè prospicit veniẽtem, an amicus eius est, an aduersarius: qui autem oculos habet infirmos, quamuis intenderit, non cognoscit an amicus sit, an inimicus: Sic qui mentem à peccatis possidet mundam, de longè considerat, homo Dei est ille, qui venit, aut homo diaboli: in nomine Christi venit aut in spiritu Christi? Aut putamus quòd semper venturi fuerant noui Christi? Absit. Quod ergo dicebat: Multi venient in nomine meo ad tempus Apostolorum pertinet. Tũc enim sciẽs diabolus, quia adhuc nouus erat Christus in mundo, quia veritas Euangelij eius adhuc erat ignota, quia Apostoli eius multis incerti multos introducebant Christos in mundũ, vt homines volentes venire ad Christum, per similitudinem nominis eius errantes, transeant ad diabolũ, & volẽtes ab eo exire impingant in eum. Quemadmodum si rex in bello victus, atque fugatus ab alio rege, indueret indumentum regis illius victoris, & in parte sua erigat simile signum signo regis illius, vt ille populus victoris schema sui regis aspiciẽs, & signum partis ipsius, dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus aduersarij sui: sic & diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad diabolum vadãt. Postquam verò notitia Christi in toto mundo præualuit, & veritas Euangelij eius facta est manifesta, mandata discipulorum eius implicare iam non poterat, sed submittere Christos. Neque aliquid agit etiam si submittat, quoniam omnibus manifestus est Christus, & Euangelium eius, & Apostoli eius, sed alio modo submittit Christos, vt verba diuersorũ hæreticorum introducta, vnũquodque eorum dicat, quia ego sum Christus vnigenitum verbum Dei. *Audietis prælia, & opiniones præliorum.* Tunc quidem corporaliter ea dicebat prælia audienda, quæ cõtra Iudæam præparabat imperator Romanus. Nam sicut solet fieri in præparatione belli, dum eliguntur principes, dum deputatur & congregatur exercitus, auditio occurrit maximè ad eos, aduersus quos præparatur. Sed postquam ingressus est exercitus Iudæam, sicut exponit Iosephus, non statim ad Hierusalem applicauit, sed ad ciuitates singulas regionis illius, & diuersa prius gesta sunt bella, & plurimæ ciuitates captæ, & sic nouissimè Hierusalem obsedit exercitus. Ideo mandabat apostolis. *Videte ne turbemini*, sed opus prædicationis vestræ implete. Illius Hierusalem corporalis typum gerit Hierusalem spiritualis ecclesia. Nam nisi templũ illud destructum fuisset, obseruantia legis non facilè fuerat compescenda. Ideo autem destructum est, vt etiam si velint Iudæi postmodum legem seruare, non possint, aut de pascha, aut de sacrificiis, aut de cæteris festiuitatibus. Ceciderunt ergo corporalia, & figuralia, vt surgerent spiritualia, & vera mysteria. Postea autem spiritualiter hæresum annunciabat forte certamina, quæ impiorum princeps Antichristus contra Christianos fuerat operaturus in fide. Nam excitans diabolus errorum scandala, non statim oppressit ecclesiam, sed prius per varia loca schismata excitauit: vtputa audiebatur quomodo in illa ciuitate Photinus hoc prædicet. Item in illa alia ciuitate Acoluthus presbyter hoc sapere cœpit. Sic audiebantur à Christianis schismata, & opiniones schismatum, donec omnium hæresum dua vna eligeretur peruersio omnibus. Sed in illis non opus erat Christianis turbari, quia oportebat fieri illa. Quod autem oportebat, 1. Cor. 11. docet Apostolus, dicens: Oportet inter vos hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Et sicut in illis tunc auditionibus præliorum non fuit finis gentis Iudææ, sed postea & Hierusalem debellata est: & Iudæi quidem in gladio perierunt, quidam à bestiis, quidam in seruitute venditi sunt: quidam per singulas gentes dispersi sunt: sic in illis auditionibus schismatum, tempore patrum nostrorũ non est factus finis, sed postmodum ecclesia debellata est, multis ad præuaricationem aut seductis, aut coactis, modo iam restat vt fiat finis. Bene ergo ait. *Vos nolite turbari.* Siue enim tunc in auditione corporalium præliorum, siue modo in auditione spiritualium præliorum, nostri inturbabiles manent, quia ea quæ fiunt in mundo, non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum: & quæ fiunt carnaliter, non possunt nocere eis, qui sunt extra carnem: nec mendacia lædunt eum, in quo habitat spiritus sanctus: sed mundus mundialibus nocet, & mendaces seducunt mendacia.

Quem

Quemadmodum si quis in campo quodam tabernaculo circundatus sit, si aliqua surrexerit tempestas ventorum, sonum quidem tempestas audit, vexationes syluarum videt, ipse autem flatum non sentit: sic qui intra iustitiam sedet inclusus, quando mundus concutitur, rumores turbationum audit, secularium miserias aspicit, ipsum autem concussio mundi non mouet. *Insurget enim gens super gentem, & regnum super regnum.* In tempore illo omnes gentes, & omnia regna, quæ videbantur esse sub imperio Romanorum, super gentẽ Iudæã sunt congregatæ. Et omnia penè regna super regnũ ipsorũ. Nec enim poterat aliquis parcere eis, quibus deus irascebatur. Spiritualiter autẽ ita insurgit hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum. Sicut enim tũc insurgens gens super gentem, & regnum super regnum, signum erat destructionis Hierusalem: sic postea insurgens hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum, signum fuit expugnationis ecclesiæ. Et verè quod dicit: *Insurget gens super gentem, & regnum super regnum*, plus conuenit, vt spiritualiter intelligamus nunc de hæresibus, quàm corporaliter tunc de gentibus. Tunc enim non gens super gentem insurrexerunt, nec regnum aduersus regnum, quum penè omnes illæ gentes, & regna super vnam excitatæ sunt gentem Iudæam. Tunc enim gens super gẽtem, & regnum aduersus regnum insurgere rectè dicitur, quando inuicem sibi gentes non sunt subiectæ, sed aduersantur. Nunc autẽ hæresis super hæresim insurrexit, & episcopatus super episcopatum. Nam omnis hæresis impia aduersus eas hæreses videtur insurgere, quæ non sapiunt similiter: v. g. impia hęresis Photini, non solum Christi ecclesię aduersatur, sed omnibus hæresibus aliter sapientibus, atque ita de illis. Ideo dicit: *Insurget gens super gentem, & regnum super regnum.* Magis autem omnis hæresis super ecclesiam veritatis. Quoniam sicut tunc omnes gentes, quamuis non essent eiusdem generis, aut eiusdem moris, tamen non sibi aduersabãtur, sed vnam debellabant Iudæam: sic diuersæ hæreses, quamuis non sint eiusdem prauitatis, tamen non sibi aduersantur, sed vnam debellant ecclesiam veritatis. Et quid? putas ideo diabolum multas hæreses induxisse, vt inuicem se mendacia eius expugnẽt? Absit. Sed multiformes causas erroris induxit, vt multis modis Christi circũueniatur ecclesia, vt pars pereat per illam sapientiam, pars per istam. Sicut qui multas etiam venationes prætendit, cogitans quia necesse est aut in hæc, aut in illa retia venatio cadat. *Et erunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca.* Quales pestilentiæ, & quales fames, & terræmotus præcesserunt Iudęam, antequam Hierusalem caperetur, cognoscere potest, qui Iosephum legit. Spiritualiter autem ita priusquã expoliaretur Ecclesia, sine dubio præcesserunt in populo Christiano fames spiritualis verbi, pestilentię diuersorum carnalium vitiorum, terræmotus spirituales turbationum populi Christiani. Nec enim nata fuissent tam multa schismata in populo Christiano, nisi fuisset in eis fames verbi. Pestilentiæ, id est, morbi carnalium passionum, nisi fuissent in eis commotiones turbationum, sicut significat dominus in illa parabola, quam de seminandis zizaniis ab homine malo proposuit, dicens: Quum dormirent autem homines, id est, quum negligerent in peccatis, venit inimicus homo, & seminauit zizania. Qui autem saturati sunt pane verbi diuini, qui sani sunt à pestilentia passionum carnalium, qui stabiles sunt in fide, & iustitia, apud eos schismata non inueniuntur dogmatum. Omnia autem hæc initia sunt parturitionis, id est, pseudochristi venientes, & auditiones præliorum & insurgens gens super gentem, & fames, & pestilentiæ, & terræmotus. Sicut hæc omnia corporaliter intellecta, initia fuerunt malorum Iudæis, incrementum autem desolatio fuit Hierusalem: sic spiritualiter hæc intellecta, initia fuerunt Christianis, incrementum autem oppressio fuit ecclesiæ. Sicut ergo certamina hæresium initia fuerunt parturitionis, quomodo nõ intelligimus, quia ex quo hæreses natæ sunt, & discessio facta est multorum, ex eo consummatio cœpit? *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum.* Æstimo quod hic iam deficit expositio corporalis, vt de tempore illo dicamus, quo Hierusalem capta est à Romanis, Ex eo quod dicit: *Tunc tradent in tribulationem*, quoniam Apostoli, & cæteri Christiani tunc cœperunt pati persecutionem, quando illa omnia cœperunt præparari contra Hierusalem, & non potius ab initio, ex quo Christus ascendit, sicut Actus Apostolorum testantur. Planè igitur spiritualiter intelligere conuenit, quia quãdo hæc omnia cœperunt fieri contra ecclesiam Christi, id est, quando cœperunt esse dogmata falsa, quasi pseudochristi: quando cœperunt auditiones fieri, quando cœpit insurgere hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum: quando facta est fames verbi in populo Christiano, quando comprehenderunt eos pestilentiæ vitiorum multorum, quando facti sunt eis terręmotus turbationum de rebus diuinis, tunc traditi sunt patres nostri in multas tribulationes persecutionum in toto mundo, & occisi sunt: & quidã odio habiti sunt omnibus Gentibus, id est, omnibus hęresibus. Nam si hoc, sicut dixit, non conuenit de tempore Apostolorũ, quando erant adhuc multę Gentes, non cognoscentes Deũ, sed de isto tempore dicitur, quando hæreses factæ sunt, consequenter hę Gentes, quibus odio facti sunt patres nostri, hæreses sunt intelligendę: quia quando ecclesia cœpit periclitari, nescio si erat in circuitu aliqua Gens, quæ non cognosceret Deũ, cui odio esset. Qua autem ratione Gentes hęreses appellentur, attende. Sic enim aliquando destructa torre, filij Noë dispersi sunt, & in tot partes diuisi, & super singulas quasque Gentes præpositi sunt principes secundũ propositum ipsorũ, angeli maligni: sola autem gens Iudæa in portione facta est Dei, sicut in Deuteronomij cãtico scriptum est: Quũ diuideret, inquit, excelsus Gentes, quando dispersit filios Adam, statuit fines Gentium secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio domini populus ipsius Iacob. Nunquam enim diceret, quia gens Iudæorum facta est portio domini, nisi omnes Gentes extra portionem factæ fuissent. Postquam ergo venit filius Dei in mundum, quod nulla secunda nec sperare potuerunt, nec promereri, ne tali misericordia gens aliqua fraudaretur, vocatæ sunt omnes gentes ad fidem, mixti boni, & mali. Boni, vt saluarentur: mali, vt inexcusabiles fiant. Quando ergo ecclesia ex mixtis voluntatibus erat repleta, sicut retia, quæ

dicun

Matth.13.

Gen.11.

Deut.32.
Matth.13.

Matth. 13. dicuntur in Euãgelio, repleta de piscibus mixtis, necesse erat, vt purgaretur ecclesia, vt boni quidem pisces mitterentur in vasis, mali autem proiicerentur foras. Ideo concessa est diabolo erroris seminandi licentia, & sic dispersæ sunt per plurimas hæreses, vnusquisque secundum propositum suum, remansit autem vna fides tantummodo apud Deum. Ideo ergo dicunt Euangelistæ, hæreses gentes esse: quoniam sicut tunc, quum omnes homines essent vna gens, & lingua, diuisi sunt per plurimas gentes, ita & modo quum esset totus populus Christianus, vna ecclesia, & vna fides diuisi sunt per multas hæreses. Et sicut tunc omnes gentes factæ sunt sub principatu principum malignorum, vna autem gens sub principatu Michaelis: sic & modo omnes hæreses factæ sunt sub dæmonum principatu, vna autem sub principatu Christi remansit, de qua dicit propter ecclesiam: Vna est columba mea, perfecta mea. *Et tunc* (Cant. 2.) *scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.* Etiam ex his verbis ostẽditur, quomodo hæc non dicuntur de temporibus Apostolorum, quandiu Hierusalem fuerat capiẽda: quoniam tunc pauci scandalizabantur, pauci Christiani inuicem se tradebant, quia nec odiebant in- (Act. 4.) uicem, sed erat omnium credentium cor vnum, & anima vna: sed de nostris dicit, in quibus plures scandalizati sunt, & scandalizantur à fide, quam confirmentur in fide. Nunc alterutrum & tradiderunt, & tradunt quomodo & odiunt se alterutrum, ita vt nec in duobus synceram inuenias charitatem, non dicam in multis. *Et multi pseudoprophetæ exurgent, & seducent multos.* Prophetæ dicuntur non solum qui de Christo annunciauerunt, nec qui omnino futura loquuntur, sed doctores dicuntur prophetæ. Ergo pseudoprophetas pseudodoctores appellat heresũ diuersarum, aut illos quos modo videmus diuersis argumentis religionis speciem prætendentes. Alij enim se dicunt neque manducare, neque dormire, neque algere, neque æstuare, sed semper pendere in aere. Alij autem vestiri ciliciis, aut circundati catenis, socia sibi dæmonia commouẽtes, & quia gratiam Dei non habent, patrocinia dæmonum commendant. Sed & hæc talia rursum sunt, etsi insensatos fallunt, per hæc tamen non seducent sapientes. Alij autem sunt, qui vehementer seducunt: quoniam etsi mendacitet, tamen Christum prædicant, fidem annunctant: quoniam sic ecclesias habent, sic ordines clericorum, sic fideles, sic lectiones legunt diuinas: eadem dare videntur baptismata, eadem sacramenta corporis, & sanguinis Christi. Similiter Apostolos, & martyres colunt. Per hæc ergo valde tenebrescere faciunt mentes, non solum mediocrium hominum, sed etiam prudentum. Quem ex parte non moueat Antichristus faciens opera Christi, & ante Christianos officia vniuersa explens Christianorum? nisi forte illum, qui considerat, quod Apostolus (2. Cor. 11.) ait: Quum enim ipse satanas transfigurat se in angelum lucis, quid magnum est, si & ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera eorum, non secundum schemata Christianitatis eorum? *Multos*, inquit, *seducent*, non omnes. quia non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum. Si autem seducentium esset virtus, omnes seducerentur: nunc autem ex eo quod non omnes seducuntur, apparet quia seductorum negligentia est, non seducentium virtus. Nam sicut veritas allicit fideles ad se, & amicos veritatis: sic & mẽdacium infideles rapit ad se, & amicos mendacij, non veritatis. Et veritas quidem interdum aut infideles trahit ad se, aut inexcusabiles facit eos. Mendacium autem nullomodo potest flectere ad se fideles: quoniam veritas habet in se & rationem manifestam, & firmam virtutem: mendacium autem nec rationem habet manifestam, nec virtutem aliquam. Deinde quia veritas & in sensu fidelium donatur, mendacium autem in sensu fidelium nihil habet. *Qui autem perseuerauerit in finem hic saluus erit.* Miror quomodo de Deo hæretici hæc intelligant, aut enim legentes hæc, quomodo ausi sunt perscrutationes facere, aut perscrutationes facientes quomodo hæc legere non erubescunt? Quibus dicitur; *Qui perseuerauerit vsque in finem?* Nunquid persequentibus seductis Christianis, nunquid seductoribus prophetis? Non. Sicut enim non sanis, sed infirmis apponitur medicina, sic & consolatio non periculum facientibus, sed periclitantibus datur. *Et prędicabitur hoc euangelium in vniuerso orbe.* Marcus manifestius addidit. Primum, inquit, prædicabitur Euangelium. Quando autem illa bella corporalia mouebantur contra Hierusalem, adhuc initiabatur euangelium, Nondum prædicatum erat in toto orbe. Ante hæreses autem consummatũ est euangelium. Nam vsque ad tempus Christiani regis, prędicantibus quibusdam, aut de gente in gentem notitia Christi currente peruenit ad omnes. Vis scire, quia tunc completa est notitia Christi? considera quia ex ea hæresum bella cæperunt, vt fieret electio meliorum. Nam quandiu vocatio est, non potest esse electio: & quandiu electio est, non potest facilis esse vocatio: Nam sicut impedimentum est vocationis electio, sic electioni vocatio.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

ET cùm sederet in monte Oliuarum contra templum, &c. Quia laudantibus quibusdam ædificationes templi Dominus palam responderat hæc esse omnia destruenda, discipuli secreto tempus, & signa prædictæ destructionis interrogant. Sedet autem Dominus in monte Oliuarum contra templum, cùm de ruina templi, & excidio Gentis disputat, vt etiam ipso corporis situ verbis quæ loquitur congruat, mysticè designans quia quietus manens in sanctis superborum detestatur amentiam. Quis enim non videat quod mons Oliueti fructiferam designet sanctæ Ecclesiæ celsitudinem, quam Dominus semper inhabitare delectatur? Quia videlicet mons ille non infructuosas habere arbores, & syluam sterilem, sed oliuas gignere solebat, quibus ad repellendas noctium vmbras lumen alitur, soluuntur infirmitates, & requies lassis tribuitur. Quæ cuncta spiritaliter in Ecclesia fieri probat ipsa cùm dicit: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini sperabo in misericordia Dei mei. *Et respondens Iesus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat, &c.* Multi imminẽte Hierosolymorum excidio Principes extitere qui se esse Christos dicerent, tempúsque

De tempo... ex lib. ... mentar. in Marcum.

púsque libertatis iam iámque appropinquare referrent. Multi in Ecclesia ipsis etiam temporibus Apostolorum hęresiarchæ prodiere, qui inter alia plurima veritati contraria diem Domini prędicarent instare. Quos Apostolus in epistola ad Thessalonicenses damnat. Multi in nomine Christi venere Antichristi, quorum primus est Simon Magus: cui sicut in Actibus Apostolorum legimus, auscultabant omnes qui in Samaria erant à minimo vsque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna; eo quòd multo tempore magicis artibus suis dementasset eos. *Cùm audieritis autem bella, & opiniones bellorum ne timueritis.* Bella ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Quæ vtraque à tempore dominicæ passionis in populo Iudæorum, qui sibi pro Saluatore Christo seditiosum latronem elegit, satis superque constat abundasse. Sed his aduentantibus Apostoli ne terreantur, ne Hierosolymã Iudæámque deserant admonentur: quia videlicet non statim finis, quæ in quadragesimũ potius differenda sit annum, id est, desolatio prouinciæ vltimúmque vrbis ac templi sequatur excidium. *Exurget autem gens contra gentem, &c.* In Euangelio Lucæ ita scriptum est. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ & fames. Constat autem hæc ante vltimos acerbissimósque dolores, quibus est omnis vastata imo erasa prouincia, hoc est tempore Iudaicę seditionis ad literam contigisse. Potest vero regnum super regnum, & pestilentia eorum, quorum sermo serpit vt cancer, & fames audiendi verbum Dei, & commotio vniuersę terræ, & à vera fide separatio, in hæreticis magis intelligi, qui contra se inuicem dimicantes, Ecclesiæ victoriã faciunt. Quod autem meritò Hierosolymis ac prouinciæ Iudæorum vniuersæ tot eroganda fuerint aduersa, Dominus subdendo manifestat, cùm dicit: *Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, &c.* Ea quippe Iudaicæ genti, vel sola, vel maxima causa erat exitij: quia post occisioné Domini Saluatoris, nominis quoque ac fidei eius præcones simul, & confessores impia crudelitate vexabat. *Et in omnes Gentes primum oportet prędicari Euangelium Dei.* Hoc ita fuisse completum Ecclesiasticæ testantur historiæ, in quibus refertur quod Apostoli omnes multo ante excidium Iudææ prouincię ad prędicandũ Euangelium toto fuerint orbe dispersi, excepto Iacobo Zebedæi, & Iacobo fratre Domini, qui prius in Iudæa pro verbo Euangelij sanguinem fuderant. Quoniam ergo nouerat Dominus corda Discipulorum de excidio ac perditione suæ gentis esse contristanda, hoc eos solatio alleuat, vt nossent sibi etiam Iudæis abiectis socios non deesse gaudij regnique cælestis: imo plures multo quam de Iudęa perirent, ex omnibus toto orbe nationibus esse colligendos. *Et cùm duxerint vos tradentes nolite pręcogitare quid loquamini, &c.* Cùm propter Christum ducimur ad iudices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre. Cæterùm ipse Christus qui in nobis habitat, loquitur, & Spiritus sancti in respondẽdo gratia ministratur.

Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.

Hoc in persecutionibus crebro fieri vidimus, nec vllus est inter eos fidus affectus quorum diuersa fides est.

***

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

SEdente autem eo super montem Oliueti accesserũt ad eum discipuli eius secreto, &c. Quia secretiora erant interrogaturi mysteria, rectè accesserunt, & corpore & mente: ne quis infidelium audiret, & Iudæis nunciaret, & esset occasio occidendi eum; qui pro minoribus dictis Esaiam & Hieremiam Prophetas, occiderunt. Primitus eum non intellexerunt, quod dixerat: relinquetur domus vestra deserta, non fuerunt ausi interrogare, quo animo dixerit, sed ostenderunt ei lapides & structuram, volentes ei præbere occasionem dicendi, quod ante dixerat. Cùm verò ipse manifestius eadem replicauit: iam audent interrogare secretiora aduentus sui, & finis seculi. *Dic nobis quando hęc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi.* In quibus & de aduentu suo & de cõsummatione seculi scire volunt. Et dominus in subsequentibus de istis omnibus respondit: & dixit eis. *Videte ne quis vos seducat.* Pius dominus in principio ipsos castigat, vt se custodiant, ne seducantur, ab aliquo pseudopropheta. *Multi venient in nomine meo dicentes ego sum Christus: & multos seducent,* è quibus fuit vnus Symon qui dixit, quod ipse esset Christus: etiam in cõspectu Neronis: reliquit etiã scriptũ in suis libris ita; Ego sum Dei sermo: ego sum speciosus: ego sum paraclitus: ego omnipotens: ego omnia Dei. *Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum: videte ne turbemini.* Multa prælia audierũt, & inter Romanos & inter alias gentes: *& opiniones,* Id est famas præliorum. Præcepit tamen, ne turbentur: sed teneant fortitudinem animi inter aduersa, & prospera, qui nõ haberent vnde dolerent, seu quid perderent: qui omnia habebant relicta pro Deo: iuxta illius Philosophi consilium. Qui cum de Athenarum schola Romam venisset nauigio: negotiatores, cum quibus venerat naufragium passi in mari, amiserunt substantias suas. Ille vero qui nihil habebat præter simplex indumentum, nõ habuit quod perderet extra se. Cumque negociatores Romã venissent, ille venit corã imperatore, & probato rex quòd sapiens esset, dedit multa prædia & honores. Cũque negociatores post multos dies mutuatis pretiis, vnde redirent in patriam, dicebant ad eum, quid vellet mandare parẽtibus, & amicis, ait. Dicite eis, quando iter arripiunt, portẽt thesaurum, quod mare & fures non possint auferre, sicut ego feci, qui nihil perdidi: & modo ditior sum quam illi, cum quibus veni: qui diuites exierunt, & pauperes redeũt. *Oportet enim hæc primum fieri: sed nondum est finis.* Qui legit verba, quæ Orosius de bellis collegit per historias, expauescere poterit pro tantis tribulationibus. Ob hoc muniebat dominus suos, ne turbarẽtur, & ne putarent instare finem mundi. *Surget gens in gentem, & regnum aduersus regnum.* Et Iudæi hoc fecerunt tempore Pilati: & Romani etiam ipso die, quo Beatus Petrus introiuit Romam, erant inter se parati in bello: sed ob reuerentiam sancti Petri nullus potuit compari suo nocere: quia obriguerũt eorum brachia: & sani domum redierunt. Ignorauerũt tamen ob cuius meritum saluati essent. *Et pestilentiæ, & fames.* Pestilentia est infirmitas in populo, quæ cum vnum apprehenderit, celeriter ad plures transit: sicut

Narratio hæc nullum certũ habet authorem.

sicut factum legimus in tempore sancti Gregorij, & tempore Dauid: quando dicitur angelus percussisse populũ, qui diabolus intelligitur. Fit vero ipsa pestis frequenter & in Palæstina, & in Italia. Vnde & bene sanctus Gregorius dicit. Pestilentias sine cessatione patimur. Fames multæ tunc fuerunt, sed vna fuit per totum orbem decimo anno Claudij imperatoris: de qua in actibus apostolorum legitur. Terræmotus innumeri illic, & fiebant & fiunt. Aliquando autem & fiunt Dei iussu pro aliquo signo, sicut quando apostoli orauerunt, & terræmotus factus est: vt ostẽderet dominus, quia terreret incredulos, & defenderet pios. Aliquando fiunt ex euentu, quod ventus inueniens aditum ingrediens sub terra: & quia violentus est, quærit aditum exeundi: & tali modo submouet terrã. *Hæc autẽ omnia initia sunt dolorum.* Hæc omnia in Palæstina fuisse legimus, ante subuersam prouinciam. Hæc initia dolorum fuerunt: quia acerbiora post venere tormenta. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Et de Apostolis: & de Apostolorũ successoribus intelligendum: quoniam quando prouincia Palæstina deleta est, perpauci viuebant de apostolis. Nullus autem ex illis exierat in Iudæam, Christiani tamen erant in Iudæa: etiam infra ciuitatem multi fuerunt, nõ tamen legimus, quod ibi mortui fuerint: quia Romani non prohibuerunt vllum exire: nisi illi ipsi, qui intra ciuitatem erant. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Gaudẽdum odiũ, quod pro Deo suscipiunt. Ex qua autem re ipsæ tribulationes venient, ostendit ut: cum post occisionem domini, etiam discipulorum prædicitur futura. *Et tunc scandalizabuntur multi.* Siue sument scandalum contra proximos, qui Christiani fiant: siue irascentur Iudæi, cum viderint omnes gentes in Christum credere: quia Iudæis scandalum est, Deum incarnatum audire. Et inuicem tradent: & odio habebunt inuicem pagani Christianos. *Et multi pseudoprophetæ surgent.* Pseudo Græcum est, & Latine dicitur falsus, vt Theodas, & Iudas Galilæus, qui eduxerunt populum post se, dicentes se esse prophetas: sed & ipsi perierũt, & quotquot eis consenserunt. *Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Ad Antichristi tempora iste versiculus pertinet, quando refrigescet dilectio Christianorum & multi dimittent Christianitatem, & conuertentur ad ipsius voluntatem. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem.* Subauditur in fide & dilectione Dei. *Hic saluus erit.* Hic pronomẽ est in isto loco. Ille enim saluus in alia vita erit, qui in fide permanserit.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

S*Edente autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes, Dic nobis, quando hęc erunt, &c.* Secreto accedunt, vt de magnis rebus interrogaturi, De duobus enim rogant, & quando hæc erũt nempe destructio tẽpli expugnatioque Hierusalem: & quod signum ipsius aduentus. *Multi enim venient in nomine meo dicentes, &c.* Multi, inquit, venient prædicantes se esse Christos. Nam Dositheus Samaritanus dicebat se prophetam à Moyse prædictum, & Simon magnam virtutem
Act 5. Dei se nominabat. *Audituri estis bella, & rumores bellorum, &c.* Bella dicit Romanorum in Hierosolymis. Non solum autem bella dicit futura, sed & fames & pestes: quandoquidem ita Dei in Iudęos sæuiet. Bella enim dixerit hominum incursiones, famem autem & pestem nunquam aliunde prouenire quàm à Deo. Deinde ne putẽt quod priusquam prædicauerint, consummetur mundus, dicit, *Ne turbemini.* Nõdum enim consummatio, neque cũ subuersione Hierusalem erit generalis consummatio. Gentem vero contra gentem, & regnũ contra regnum exurrectura dicit propter imminentia Iudæis mala: quæ initia sunt dolorum. Sicut enim parturiens dolet, & sic parit, ita & præsens seculum post confusiones, & bella parit. *Tunc tradent vos in afflictionem, & occident vos, &c.* Prædicit euentura mala, animans discipulos per hoc, quod prædicit. Nã inexpectata terrere, & turbare consueuerunt. Præmitigat igitur timorem, prædicendo futura grauia odia, inimicitias, offensiones, pseudoprophetas, qui præcursores sunt Antichristi, seducẽtes multos, ita vt in omni iniquitate obstiuentur. Quia autem multiplicabitur iniquitas per imposturas Antichristi, exasperabuntur, & efferierunt homines, ita vt neque cum familiarissimis vllum seruent charitatis vinculum, sed mutuum se tradant. Qui autem perseuerauerit, & fortiter tulerit, neque cesserit iis, quæ inferuntur tunc, saluus erit, & comprobabitur strenuus miles.

EVTHYMII ZIGABONI superioru Euang. expositio.

S*Edente autem eo in monte oliuarum accesserunt ad eum discipuli seorsim dicentes.* Mateus autem nomina quoque dixit eorum, qui interrogauerunt: Petrus, inquit, & Iacobus, Ioãnes, & Andreas. Omnes siquidem accesserunt vt discerent: hi autem quatuor interrogauerũt: vtpote maiorem habentes fiduciam. Interrogant autem non tantum de templi vastatione discere cupientes, quantum de tempore secundi aduentus eius: ideo etiam seorsim accesserunt, ne Iudæis hoc manifestum fieret. Sed Matthæus duo hæc eos interrogasse dicit, puta; *Quando hęc erunt?* quæ videlicet de templi euersione dixisti: Et, *Quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?* Marcus vero vnicã fuisse dicit interrogationẽ, de templo solum. Ait enim, Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum quando hæc omnia consummanda sunt? Similiter autem scripsit & Lucas. Quid ergo dicẽdum est? Quod vna quidem fuit interrogatio, sicut scripserunt Marcus, & Lucas: intentio autem discipulorum erat, vt de his duobus certiores fierent: puta de euersione templi, & de secundo Christi aduentu: existimantes autem, quod simul hæc duo contingerent, fecerunt vnam de vtroque interrogationem. Verum Matthæus intentionem eorũ manifestans, illam in duas diuisit. *Et respondens Iesus dixit eis. Videte, &c.* Nihil ad has interrogationes respondit, sed primum illa dicit eis, quæ primum eos scire oportebat: quæ videlicet futurum erat, vt ante illa occurrerent. Lucas antẽ dicit; Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum: &c.; Tempus instat. Ne igitur sequamini illos. Venient, inquit, nomine meo vtentes ad deceptionem eorum, qui illis credituri sunt, & dicen

dicentes, quisque videlicet eorum, Ego sum, nempe Christus. Et, Tempus instat, puta mei secundi aduentus. Ne ergo sequamini eos, siue aliquem illorum. Marcus autem dicit; Et multos seducent. Fuerunt autem huiusmodi seductores, Simon, & Menander Samaritani, & alij. *Futurum est autem vt audiatis bella, &c.* Bella dicit, quæ mota sunt contra Hierosolymas: rumores autem bellorum, qui contra alias Iudæorũ ciuitates, quos factos fuisse scribit Iosephus, antequam caperetur Hierusalem. Siquidem erexit se natio Iudæorum, nec tributum exoluebat. Romani vero non ferẽtes iniuriam, expeditionem in illos parauerunt. *Videte ne turbemini, &c.* Ne terreamini, inquit, quasi prædicatio sub seditione, & turbatione diminuenda sit. Siquidem ventura sunt hæc omnia, quæ de his bellis dixi, sic tamen vt nihil illi noceant. Aut ne terreamini, quasi iam instet finis siue perditio templi, ac ciuitatis. Oportet enim hæc omnia fieri, sed nondum est finis siue perditio eorum. Nam postmodum capta sunt Hierosolyma. Dicit autẽ Chrysostomus, quod discipuli, quum in præcedentibus de extrema Iudæorum vltione audissent, tãquam ad alienam calamitatem, quæ nihil eos tangeret, negligenter se ad eam habebant, & sola ea tunc somniabant bona, quæ absque tumultu in secundo Christi aduentu ventura erant: propter quę etiam interrogationem produxerant. Christus vero rursum illis laboriosa pronunciat, constituens eos certaminum præfectos: & duplicem ob causam vigilare iubet, tũ ne à seductoribus fallantur, tum ne à bellorum rumore turbentur. Duplex siquidem ait instare bellum, & à seductoribus, & à Romanis, multámque ac variam commotionem, & interius, & exterius. *Exurget enim gens in gentem, &c.* Gentes sociæ Romanorum in gentes Iudæis fœderatas: & regna auxiliaria Romanis, in regna auxiliaria Iudæis: & propterea fortia erunt horum bella. *Et erũt pestilentię, &c.* Hoc est singulis Iudęorum locis. Apud Lucam ponitur; Terrorésque, & signa è cælo magna erũt, vt cognoscant Iudæi ea, quę fient, diuinę esse iræ: & intelligant quod propter Saluatoris interemptionem hæc patiantur. *Omnia autem hęc initium erunt dolorum.* Principium malorum, & primordia calamitatum, quæ Iudæis imminent. *Tunc tradent vos in afflictionẽ. Tunc.* Quando? Ante defectionem: nam in illud tempus sermonem traduxit, quod & Lucas significauit dicens; Ante hęc omnia iniicient manus suas in vos, & persequentur, tradentes in synagogas, & carceres, tractos ad reges, ac præsides propter nomen meum. Plurimas enim calamitates post Saluatoris assumptionem Iudęi induxerunt Apostolis: interdum quidem synagogæ principibus tradentes, vt punirentur, Interdum vero ad reges trahentes, veluti ad Herodem, & Agrippam, ac similes. Præterea ad præsides, ac ciuitatum præfectos, & consulis, aut principis munere fungẽtes, quemadmodum liber apostolicarum actionum testatur. *Et occident vos.* Hoc solis eis dicit, qui per Iudæorum improbitatem, ac versutiam occidendi erant: puta Stephanos, Iacobus frater Ioannis, & si quis alius. *Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum.* A parentibus, a cognatis, ab amicis, à contribulibus, à familiaribus, ab hospitibus, à principibus, à subditis, & vt semel dicã, ab omnibus, qui alieni sunt à prædicatione. Vbi autem tristia prædixit, consolationem deinceps subiunxit, dicens, Propter me: Nam id significat; *Propter nomen meum.* Et vere magna discipulis erat consolatio pati propter ipsum. *Et tunc offendiculum patientur multi.* Erunt inuicem suspecti propter fidei diuersitatem, siue, non credentes apud eos, qui credent. *Et alius alium inuicem tradent, &c.* Marcus autem manifestius dixit, quod tradent frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Verisimile est itaque omnia facta esse, & si liber Actorum particulariter de omnibus non disserat. Lucas vero etiam dicit; Trademini autem à parentibus, & cognatis, amicis, ac fratribus, & morte afficient quosdam ex vobis. Prædixit enim & hoc Christus discipulis, quod omnium est miserrimum, videlicet quod etiam à familiarissimis impugnandi erant: vt præscientes parati essent ad tolerantiam: & ita periculum facilius sustinerẽt. *Et multi pseudoprophetæ surgẽt, &c.* Superius de iis dixit, qui se Christos esse fingunt, nunc autem de his dicit, qui se prophetare simulabãt. Tunc enim multi tales fuerunt, quum adhuc initia essent prædicationis. *Et quoniam abundabit iniquitas, &c.* Et hoc miserrimum est, quod neque ab amicorum dilectione consolationem habituri sint. Quidam autem ἀγάπην nominari dixerunt hospitalitatem: alij vero compassionem. Vide quot pericula eis prædixerit, ad omnia exacuens, & ad magnanimitatem roborans, ac confortationibus adamantinos reddens.

Eusebius ecclesiastica historia lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 26. [illegible] de bel. Iud. libris.

IIII. EVANG. IN COMMVNI PLVRIMORVM MARTYRVM EXTRA TEMPVS PASCHALE.

Euang. Matth. 5. Videns Iesus turbas, &c.

Explicatum est supra in festo omnium Sanctorum.

S. BERNARDI ABBATIS *Clarævallensis, in superius Euang. Sermo.*

Ex Serm. de cõuersione ad clericos c. 10. Matth. 5.



AVDIAT ergo anima quæcunque eiusmodi est, vocem diuinam, & audiat cum stupore & admiratione dicentem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorũ.* Quis spiritu pauperior eo qui in toto spiritu suo non inuenit requiem, nõ inuenit vbi caput reclinet? Hoc quoque consilium pietatis, vt qui sibi displicet, placeat Deo: & qui propriã domum odit, domum vtique plenã spurcitiæ & infelicitatis, inuitetur ad domum gloriæ, domum non manu factam æternam in cælis. Nec mirum si ad huius dignationis magnitudinem expauescit, si difficile credit huic auditui, si vehementi stupore admiratur, & ait: Ergone beatum hominem miseria facit? Cæterum quisquis einsmodi es, non diffidas, non miseria sed misericordia facit beatum, sed huius propria sedes miseria est, vt humiliatio in humilitatem transeat, necessitas in virtutem. Pluuiam voluntariam (inquit) segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu vero perfecisti eam. Vrilis prorsus infirmitas, quæ medici manũ requirit: & salubriter à se deficit, quam perficiet Deus. Psal. 67.

EIVSDEM IN IDEM *Euang. Beati mites, &c. Sermo.*

Ex cap. 11. præfati Sermo. Matth. 5.

SEd quia non est via ad regnum Dei sine primitiis regni, nec sperare potest cæleste regnum cui nec super propria membra adhuc regnare donatur, sequitur vox dicens: *Beati mites: quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Ac si euidentius dicat: Mitiga efferos voluntatis motus, & crudelem bestiam mãsuefacere cura: ligatus es, soluere studeas quod rumpere omnino non possis. Eua tua vita est. Vim facere, aut eatenus eam offendere nullo modo præualebis. Nec mora, respirans homo inter hæc verba, atque id quoque facilius reputans, licet verecundus, accedit & delinire satagit viperam inflammatam. Arguit vitæ carnalis illecebras, & consolationes secularis nugacitatis accusat tanquã exiguas & indignas, sed & breuissimas quoque & perniciosissimas omnibus amatoribus suis.

EIVSDEM IN IDEM *Euang. Beati qui lugent, &c. Serm.*

VTinam autem qui einsmodi est, declinet impietatem, & terribile illud profundũ caueat, de quo scriptum est: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. Fortissima siquidem potione curatur: & periclitabitur facilè, nisi multa solicitudine studeat medici obtemperare consiliis, obseruare præcepta. Vehemens est tentatio, & proxima desperationi, nisi totum colligat, & ad miserandũ animæ suæ, quam adeo miseram & miserabilem videt, conuertat affectum, & audiat vocem dicentem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Lugeat abundanter: quia lugendi tempus aduenit: & ad sorbendas iuges lachrymas sitis sufficiunt. Lugeat, sed non sine pietatis affectu, & obtentu cõsolationis. Consideret nullam sibi inueniri requiem in seipso, sed omnia plena miseriæ & desolationis. Cõsideret non esse bonum in carne sua, sed in seculo nequam nihil nisi vanitatem & afflictionem spiritus contineri. Cõsideret, inquam, nec intus, nec subtus nec circa se sibi occurrere consolationem: vt vel tandem aliquando discat quærẽdam sursum, & desursum esse sperãdam. Lugeat interim plangens dolorem suum: exitus aquatũ deducat oculus eius, & palpebra non quiescat. Nimirum purgatur lachrymis oculus ante caligans, & acuitur visus vt intendere possit in serenissimi luminis claritatem. Ex hoc sanè suspiciat per foramen, prospiciat per cancellos, prædulcem radium prosequatur obtutu, & magorum sedulus imitator, lumen lumine quærat. Inueniet enim locum tabernaculi admirabilis, vbi panem angelorum manducet homo: inueniet paradisum voluptatis plantatum à domino: inueniet hortum floridũ & amœnissimum: inueniet refrigerij sedem, & dicet: O si audiat vocem meam misera illa voluntas, vt ingrediens videat bona, & visitet locum istum! Hic nimirum inueniet requiem ampliorem, & me quoque eo minus inquietabit, quominus inquietabitur ipsa. Neque enim mentitur qui dixit: Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris. In huius fide promissionis exacerbata blãdius alloquatur, & simulata quadam hilaritate & spiritu mansuetudinis eam cõueniens dicat: Cesset penitus indignatio tua: non ego sum qui te offendere possim: tuum est co. pu., tuus & ego ... on est quod timeas, non est quod verearis. Nec

Ex Serm. ... præfatis cap. 19. ... Prouer. 18.

Matth. 5.

Matth. 11.

Nec mirum si forte amarius adhuc reddiderit illa responsum, vt dicat quia multæ cogitationes ad insaniam nos adduxerũt, sustineat interim æquanimiter ac dissimulet omnino quod agitur, donec inter loquendum inducens alia pro aliis, opportune aliquando inferat dicens: Inueni hodie hortum pulcherrimum, & amœnissimum locum: bonum esset illic nos esse: nã & tibi nocet in hoc lecto ægritudinis, in hoc doloris strato versari, in hoc cubili tuo graui corde compungi. Aderit dominus quærenti se, animæ sperãti in se, aderit vocis supplicibus, & verbis eius efficaciã ministrabit. Excitabitur desiderium voluntatis, vt nõ modò videre locũ, sed & introire paulatim, & mansionem inibi facere concupiscat. Nec verò locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum vtique spiritualium iucunda decoràque plantatio. Hortus conclusus, vbi fons signatus in quatuor capita deriuatur, & ex vna sapientię vena virtus quadripertita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant: & cum flores apparẽt, etiam vox turturis auditur. Illic nardus sponsæ fragrãtissimum præstat odorẽ, & cætera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de cantico cunctis preciosior lignis siluarum, cuius & vmbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi eius. Ibi continentiæ nitor, & syncerae veritatis intuitus oculos cordis irradiat: auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox consolatoris interni. Ibi quibusdã spei naribus influit iucundissimus odor agri pleni cui dominus benedixit. Ibi auidissime prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, vnctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona feliciter requiescit. Quæ quidem non inter vitę æternę præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est ecclesiæ promissionem, hoc enim centuplum est quod in hoc seculo seculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud nostro speraueris eloquio commendandum: solus spiritus est qui reuelat: sine causa paginam consulis, experientiam magis requite. Sapientia est cuius precium nescit homo: de occultis trahitur, nec in terra suauiter viuentium inuenitur ista suauitas. Nimirum suauitas
Psal. 33. domini est: nisi gustaueris, non videbis. Gustate, inquit, & videte quoniam suauis est dominus. Manna absconditum est, nomẽ nouum est, quod nemo scit nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed vnctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit. Sanctum est, margaritę sunt, nec faciet ipse quod prohibet, qui cœpit facere & docere. Neque enim canes aut porcos iam reputat, quos prioribus abrenunciantes facinoribus atque fla-
1 Cor. 6. gitiis etiam cõsolatur per apostolum, dicens: Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis: tantùm caueat ne reuertatur canis ad vomitum, nec sus lota ad volutabrum luti.

* * *

EIVSDEM IN ILLAM

præcedentis Euang. partem, Serm.

IN huius ergo ostio paradisi diuini susurrij vox auditur, & sacratissimũ secretissimúmque con- *Ex cap. 22. Serm supra dicto.*
silium quod absconditũ est à sapientibus & prudentibus, paruulis reuelatur. Cuius sanè vocis auditum non sola iam ratio capit, sed gratanter
cum communicat & voluntati: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Altissimum planè consilium, & inæstimabile sacramentum. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, qui de cælo nobis a regalibus sedibus venit. Facta est valida fames in terra, & omnes iam non egere cœpimus, sed ad extremam iam venimus egestatem. Denique & comparati sumus iumentis insipiẽtibus, & similes facti sumus illis: etiam porcorum siliquas insatiabiliter esurimus. Qui pecuniam diligit, non satiatur: qui luxuriam diligit, non satiatur: qui gloriam quærit, non satiatur. Denique qui mundum amat, nunquam satiatur. Noui ego homines satiatos hoc mundo, & ad eius omnem memoriam nauseantes. Noui satiatos pecunia, & satiatos honoribus, satiatos voluptatibus & curiositatibus huius mundi, nec mediocriter, sed vsque ad fastidium satiatos. Et facile est cuique nostrum hanc sacietatem per Dei gratiam obtinere: neque enim parit hanc copia, sed contemptus. Sic fatui filij Adam porcorum vorando siliquas, non esurientes animas, sed esuriem ipsam pascitis animarum. Sola nimirum hoc edulio inedia vestra nutritur, sola fames alitur cibo innaturali. Et dico plenius exempli gratia, vnum sumens è multis quæ humana vanitas concupiscit. Non prius satiabuntur corda hominum auro, quàm auro corpora satientur. Nec indignetur auarus, & de ambitiosis & luxuriosis, etiam & de facinorosis eadem sententia est. Si quis mihi forte non credit, experientiæ credat vel propriæ, vel multorum. Quis in vobis est fratres, qui satiari cupiat, & desiderium suum optet impleri? Incipiat esurire iustitiam, & non poterit non satiari. Panes illos desideret qui in domo patris abundant, & inueniet sese continuo siliquas fastidire porcorũ. Gustum iustitiæ vel exiguum studeat experiri, vt eo ipso desideret amplius, & amplius mereatur, sicut scri-
pium est: Qui edit me, adhuc esuriet: qui bibit *Eccl. 24.*
me, adhuc sitiet. Hoc enim cognatum magis spiritui, & naturalius desiderium vehementius occupat cor humanum, cæteráque viriliter desideria pellit. Sic nimirum fortem armatum fortior superat, sic clauus clauo solet extrudi. Beati ergo qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nondum quidem ipsa qua non satiabitur homo & viuet, sed cæteris vniuersis quæ prius insatiabiliter fuerunt concupita: vt ex hoc sibi voluntas ad seruiendum prioribus concupiscentiis corpus vendicare desistens, rationi prorsus exponat, magis autem vrgeat ipsa seruire iustitiæ in sanctificationem, non minore zelo quàm prius exhibuisset seruire iniquitati ad iniquitatem.

* * *

EIVSDEM IN CONtextum, *Beati miſericordes, &c.* *Sermo.*

Ex eodẽ Sermo cap. 24. Matth. 5. IAm verò ſupplicanti pro ea, congrue reſpondetur: *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Miſerere ergo animæ tuæ, qui Deum tibi vis misereri. Laua per ſingulas noctes lectum tuum, lachrymis tuis ſtratum tuum rigare memento. Si compateris tibiipſi, ſi laboras in gemitu pœnitentiæ, (primus hic gradus miſericordiæ eſt) miſericordiam vtique conſequeris. Quòd ſi forte magnus & multus peccator es, ac magnam quæris miſericordiam, ac multitudinem miſerationum, tu quoque miſericordiam tuam magnificare & multiplicare labora, recõciliatus eſto tibi ipſi: nam & tibi grauis factus eras, quòd poſitus eſſes cõtrarius Deo. Et hac ſanè in domo propria reformata pace eandem neceſſe eſt prius erga proximos dilatari, vt nouiſſime oſculetur te & ipſe oſculo oris ſui, & quemadmodum ſcriptum eſt, recõciliatus, pacem habeas ad Deum. *Rom. 5.* Dimitte his qui in te peccauerunt, & dimittetur tibi quod ipſe peccaſti, dum ſecura conſcientia oraueris patrẽ, & dixeris: *Matth. 6.* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si forte quempiam defraudaueris, redde vel ſimplum, quod ſupereſt da pauperibus, & miſericordiam præſtans miſericordiam cõſequeris. *Eſai. 1.* Si fuerint peccata tua ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Vt non conſuodaris ſuper cunctis adinuentionibus tuis quibus præuaricatus es, in quibus nunc erubeſcis, fac eleemoſynã, ſi non potes de terrena ſubſtantia, de voluntate bona: & omnia munda erunt: non modò illuminata ratio, & correcta voluntas, ſed ipſa quoque memoria munda erit: vt ex hoc iam voceris ad dominum, & audias vocem dicentis: Beati mundo corde.

EX CAP. 25. IN ILLVD *Beati mundo corde, &c. Ser. eiuſdem.*

Matth. 5. BEati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Magna promiſſio fratres mei & totis deſideriis affectanda. Hæc enim viſio, confirmatio eſt: ſicut *1. Ioan. 3.* Ioannes apoſtolus ait: Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt. Hæc viſio vita æterna eſt, ſicut ipſa in *Ioan. 17.* euangelio veritas ait: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Odibilis macula, quæ beatam nobis adimit viſionem, & execrabilis negligentia qua diſſimulamus interim illius oculi mundationẽ. Vt enim corporeus nobis viſus aut humore interiori, aut exterioris iniectione pulueris impeditur: ſic & intuitus ſpiritualis interdũ quidem propriæ carnis illecebra, interdum curioſitate ſeculari & ambitione turbatur. Quod quidẽ nõ minus nos experientia propria quam diuina pagina *Sap. 9.* docet, vbi legitur ſcriptum: Corpus quod corrũpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. In vtroque tamen ſolũ quod hebetat & confundit obtutum, peccatum eſt: nec aliud inter oculum & lucem, inter Deum & hominem ſeparare videtur. Quandiu enim in hoc corpore ſumus, peregrinamur à Domino. Non vtique corporis eſt culpa, huius ſcilicet quod gerimus corpus mortis: magis autem quod corpus peccati ſit caro, in qua bonum non eſt, ſed potius lex peccati. Interdum tamen corporeus oculus non adhuc feſtuca manente, ſed iam ſublata vel exufflata aliquandiu caligare videtur: quod quidẽ & ipſum in interiori oculo qui in ſpiritu ambulat, ſæpius experitur. Neque enim vbi ferrum extraxeris, continuo vulnus redditum eſt ſanitati, ſed tunc primum neceſſe eſt adhibere fomenta, & operam dare curationi. Nemo ergo ſentinam ejiciens, mũdatum ſeſe protinus arbitretur, quinimo nouerit ſe multis purificationibus egere. Nec modo lauandũ aqua, ſed & purgãdum & examinandum igni, vt dicat: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxit nos in refrigeriũ. *Pſal. 65. Matth. 5.* Beati ergo mundo corde, quoniam ipſi Deum videbũt. Nunc quidem per ſpeculũ in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, vbi nimirum faciei noſtræ fuerit conſummata mundities, vt ſibi eam exhibeat glorioſam non habentem maculam neque rugam.

EIVSDEN SVPER ILlud, *Beati pacifici, &c. Sermo.*

Ibidem. Ex cap 26. Sermonis eiuſdem. VBi opportune illico ſubinfertur, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Eſt enim homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quantum in ſe eſt, nemini vult nocere. Eſt alius patiens, qui non reddens mala pro malis, etiam potens eſt ſuſtinere nocentem. Eſt & pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet & prodeſſe nocenti. Primus quidem paruulus eſt, & facile ſcandalizatur: nec facile qui huiuſmodi eſt, in hoc ſeculo nequam & pleno ſcandalis poterit obtinere ſalutem. Secundus (vt ſcriptum eſt) in patientia ſua poſſidet animam ſuam. Nam tertius quidem non modo ſuam poſſidet, ſed & multorum animas lucrifacit. Primus quantum in ipſo eſt pacem habet. Secundus pacem tenet. Tertius pacem facit. Merito proinde beatificatur nomine filij, quod opus filij impleuerit, vt poſt ſuam non ingratus reconciliationem, etiam alios reconciliet patri ſuo. Siquidem qui bene miniſtrauerit, bonum gradum ſibi acquirit, nec in domo patris gradus melior credendus eſt eſſe quã filij. Si enim filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: vt quemadmodum dicit: *Rom. 8. Ioan. 12.* Vbi ipſe eſt, ibi ſit & miniſter ſuus. Fatigauimus vos prolixitate ſermonis, & detinuimus vltra quam oporteret. Ex hoc iam finem loquacitati noſtræ, quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Memẽtote tamen apoſtoli, quem aliquando verbum prædicationis vſque in mediam noctẽ legitis protraxiſſe. Vtinam adhuc (vt ipſius verbis vtar) ſuſtineatis modicum quid inſipientiæ meæ. *2. Cor. 11.* Æmulor enim vos Dei æmulatione.

* * *

EIVSDEM IN IDEM

Sermo.

De septem donis Spiritus sancti & maior parsone personis. PRima gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, iuxta
illud psalmistæ: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Et alio loco: Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum nanque est: Timor
Prouer. 8. domini odit malum. Et item: Time Deū, & recede
Iob 1. à malo. Et de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia prima gratiarum,
quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia causa est & mater omnium delictorum, sic timor domini radix est & custos om-
Eccl. 27. nium bonorum: vnde scriptum est: Si non in timore domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si huius gra-
Prouer. 23. tiæ amiserit præsidium. Vnde Salomon ait: In timore domini esto quotidie, quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.
Philip. 2. Hinc & Apostolus: Cum metu & tremore vestrā salutem operamini. Et quid plura? Connexa sunt timor & religio, nec manere potest alterum abs-
Act. 10. que altero. Vnde Cornelius vir religiosus ac ti-
Luc. 2. mens Deum, & Simeon iustus & timoratus. Vn-
Eccle. 12. de Salomon: Deum, inquit, time, & mandata eius obserua. Hunc verò sic habere debemus, quo-
Iob 31. modo asserit se habuisse Iob beatissimus. Semper quasi tumentes super se fluctus Deum timuit. Per hunc timorem Dei vniuersa deserimus, mundo abrenunciamus, nósque ipsos, sicut dominus ait, abnegamus nobis. Si quis vult post me venire,
Luc 9. abneget semetipsum. Iste ergo diuinus timor qui eum quem perfectè imbuit, paupertati subijcit, & à malo diuidit, ita est primus in ordine gratiarum, sicut paupertas in serie beatitudinū: de qua dominus in cæterarum fundamento virtutum
Matt. 5. eam ponens ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Secundum charissima est spiritus pietatis, illi secundæ quæ in euangelio ponitur beatitudini simile, de qua Dominus sic
Matt. 5. ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* De
Esa. 61. Num. 12. talibus Dominus in Esaia ait: Spiritus domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me. Moyses quoque mitissimus erat super omnes homines qui morabantur in terra. De talibus Iob
Iob 5. dicit: Dominus ponit humiles in sublime: & mœrentes erigit sospitate. Vnde & illud de Domino
Psal. 33. dicitur: Humiles spiritu saluabit. Econtra de su-
Iacob. 4. Prouer. 16. perbis dicitur: Dominus superbis resistit. Ante ruinam exaltatur cor. Superbia de supernis ad ima præcipitat, humilitas de imis ad superna eleuat, Angelus enim in cælo superbiens, ad tartara corruit: homo in terra se humilians, ad cælos ascendit. Tanto verò quisque debet esse humilior,
Eccl. 3. quanto est sublimior. Vnde scriptum est: Quanto
Matt. 20. magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Hinc ipse dominus ad discipu-
Luc. 17. Matt. 11. los ait: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Item cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Itē ipse dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sine hac humilitatis virtute, reliquæ virtutes nequeunt prodesse. Vnde beatus Gregorius ait; Qui virtutes sine humilitate congregat, est quasi qui in ventum puluerem portat. Sicut enim puluis venti validi flatu dispergitur, sic omne bonum sine humilitate inanis vento gloriæ rapitur. Multo enā melius est peccatorem esse humilem,
quàm iustum arrogantem. Quod à domino euidenter ostenditur, vbi publicanus & pharisæus Luc. 18.
in exemplum adducuntur, sicut quidam sapiens ait: Melior est in malis factis humilis confessio,
quàm in bonis factis superba gloriatio. Tertium Eccle. 1.
donum est spiritus scientiæ, de quo Salomon ait: Qui addit scientiam, addit & dolorem. Vera nanque scientia est scire nos mortales & caducos & fragiles esse, & in hoc exilio, & in hoc ergastulo, in hac peregrinatione, in hac valle lachrymarum dolendum & lugendum esse. Vnde dicitur in tertia beatitudine, huic tertio dono congruenti:
Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Item: Væ Matt. 5.
vobis qui nunc ridetis: quia plorabitis. Hinc Sa- Luc. 6.
lomon ait: Risus dolori miscebitur, & extrema Prouer. 14.
gaudij luctus occupat. Quarta gratia est spiritus
fortitudinis, quartæ in euangelio beatitudini si- Matt. 5.
milis, de qua dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Qui enim iustitiā esurit & sitit, contra quælibet aduersa fortis insuperabilis & imperterritus existit. Vnde Salomon
ait: Iustus vt leo confidit, & absque terrore erit. Prouer. 28.
Item: Non contristabitur iustus quicquid ei acci- Prou. 12.
derit. Hoc spiritu erant prędit omnes de quibus Hebr. 11.
loquitur apostolus: Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis & in cauernis terrę.
Hęc & apostolus ipse, qui ait: Quis nos separabit Roman. 8.
à charitate Christi? tribulatio, &c. Iste spiritus omnem alienam malitiam sustinet, & aduersus hostiles insidias instruit & munit. Vnde sponsus
in sponsę pręconio ait: Pulchra es amica mea, Cant. 6.
suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quintum donum est consilij spiritus, qui alius facit compati & misereri, illi competens, de qua dicitur, quintę beatitudini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hinc & Salomon ait: Qui pronus est ad Matt. 5.
misericordiam, benedicetur. Hanc principaliter Prou. 22.
tripharium exercemus, vel quando sex eius quę in euangelio leguntur opera implemus, vel quādo delinquentes corrigere & ad bonum reducere studemus, vel quando iniurias nobis illatas facilè indulgemus. Iste secundus clementię modus, siue consilij spiritus, Deum fecit semetipsum exinanire, formam serui accipere, scilicet vt sic posset ouem errantem corrigere, & ad proprium oui-
le reducere. Vnde apostolus ait: Semetipsum de- Gala. 1.
dit pro peccatis nostris, vt nos eriperet de præ-
senti seculo nequam. Huic consulendi modo sic 2. Ti. 4.
oportet insistere, vt iniungitur ab apostolo monente: Insta opportunè, importunè. Est & alius cōsulendi modus, scilicet discretionis virtus, qua veras à palliatis atq; simulatis virtutibus discernimus, qua etiam ipsum Satanam hypocrisis au-
ctorem dignoscimus. Ipse enim Satanas (vt ait 2. Cor. 11.
apostolus) transfigurat se in angelum lucis: & iuxta beati Cypriani dictum, ministros iniustitiæ subornat, noctem afferētes pro die, interitum pro salute. Ista quidem cæterarum virtutum magistra

ac domina, omnes alias proinde temperat, ac supernè gubernat, & oe vltra vel citra euagentur liceniet, imperialiter ac discrete conseruat. Vnde Bœthius: Virtutes medium tenent. Si vel vitia vel infra quàm oportuerit fiat, à virtute discedirur. Sexta gratia est spiritus intelligentiæ, illi sextæ
Matt. 5. beatitudini congruus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nisi enim mentis totius diligenter purificatus fuerit, mystica ac diuina liqui-
Sapient. 1. dè intelligere neqoit. Nam scriptum est: Spiritus sanctos disciplinæ effugiet fictum, & anferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Vnde
Prou. 15. Salomon: Abominatio domini, cogitationes malæ. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Qui ergo vult sincetum ac lucidum intellectum habere, prauatum cogitationum phantasias ac nebulas studeat effugare, & omni diligentia & cautela
Prou. 4. cor sernare. Vnde Salomon: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ea ipsa vita procedit. Septimum donum est spiritus sapientiç quidam internus sapor, ac suauissimus gustus. Vnde psalmi- Psal. 33.
sta: Gustate & videte quoniam suauis est domi- Psal. 45.
nus. Et item: Vac[ate] & videte. Et tertium, Accedi- Psal. 33.
te ad eum, & illuminamini. Hoc diuinæ sapientiæ interno gustu superna prælibamus, videlicet contemplantes quàm amœnum sit angelicis cœtibus interesse, vbi nil poterit quod displiceat esse, nil quod placeat abesse. Ista septima gratia illi
veræ beatitudini congruit, de qua ait Dominus: Matt. 5.
Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Qui enim mentem pacificam & serenam habent, de super-
nis dulcios sapiunt, & subtilius vidét. Nam quis- Prou. 19.
quis patientior, eo probatur esse sapientior. Vnde Psal. 118.
Salomon: Doctrina viri, per patientiam dignoscitur. De talibus alibi dicitur: Pax multa diligentibos legem tuam, & non est illis scãdalum. Hæ septé gratiæ sunt septé mulieres virũ vnum apprehendétes, septem spiritus super floré requiescentes, septé in candelabro lucernç fulgentes, septem in lapide oculi, septem spiritus ante thronum Dei.



V· EVANG· IN COMMVNI
PLVRIMORVM MARTYRVM
EXTRA TEMPVS PASCHALE.



MATTH. 11.



a Gratias ago in te exulto. b Mi. c Non pater.
IN illo tempore: respondens Iesus, dixit: [a] Cõfiteor tibi, [b] pater [c] do-
d Sacramentum mei aduentus. e S[uperbis] & [ele]natis, qui sibi sapere videntur.
mine cæli, & terræ, quia abscõdisti [d] hæc [e] à sapientibus, & pruden-
f Et hoc per me. g Humilibus spiritu. h Vt humilis redeat, qui superbiendo recessit.
tibus, & [f] reuelasti ea [g] paruulis. Ita pater, quoniam sic [h] fuit placi-
i Coomnipotens. k Consubstantialis Patri. l Ho[c] naturæ.
tum ante te. Omnia [i] mihi tradita sunt à [k] patre meo. Et nemo nouit [l] filium,
m Non quod solus. n Hoc naturæ. o Hoc gratiæ.
nisi pater: neque [m] patrem quis nouit, nisi [n] filius, & cui filius [o] voluerit reue-
p Et quum per me habetis accessum ad patrem. q Credendo, obediendo. r Quasi victi. s Peccatis, vel iugo legis. t Interius non tantum exonerabo.
lare. [p] Venite ad [q] me omnes, qui [r] laboratis [s] & onerati estis, & ego [t] reficiam
v In decombinatos. x Quia nullum lædo moribus. y Quia nullum despicio.
vos. Tollite iugum meum super [v] vos, & discite à me, quia [x] mitis sum, & [y] hu-
z Mente. a Non ficte scilicet b Hic spe, & postea re. c Euangelium.
milis [z] corde, [a] & inuenietis [b] requiem animabus vestris: [c] Iugum enim meum
d Non detractantibus, sed dilatato corde currentibus. e Disciplina.
[d] suaue est, & [e] onus meum leue.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



RESPONDENS *&c.* Respondens tacitæ obiectioni, quasi quæreretur, quæ ratio quòd Iudaicus populus Dei cultor, Dei filium in carne veniẽtem tam obstinatus reiecit, quem gentilitas tam prona recepit? *Domine &c.* Qui facis cælos, & relinquis in terrenitate quos vis, vel ad literam. *Paruulis.* Sapientibus & prudentibus, non apponit insipientes & hebetes; sed paruulos, vt probet se tumorem damnare, non acumen. *Ita pater.* Blandientis affectu loquitur vt inceptum in apostolis beneficium compleatur. Hic exemplum humilitatis accipimus, ne temere discutere præsumamus superna consilia de vocatione horum, & repulsione aliorum, cum enim vtrumque attulisset, non mox rationẽ reddidit, sed sic Deo placitum dixit, ostẽdens

deus quia iniustum esse non potest, quod iusto placet. In omnibus ergo, quæ exterius disponuntur, apertè causa rationis est, occultæ iustitia voluntatis. *Quoniam sic, &c.* ne quir iterum quærat, cur humiles eligat, sapientes reprobet. *Omnia mi. &c.* Tradentem patrem & accipientem filium mysticè intellige. Alioquin si iuxta fragilitatem nostram accipis, cum cœperit habere, qui accepit, incipiet nõ habere qui dedit: per omnia, coomnipotentem nota *per tradita*, filium, cui per naturam omnia per vnius substantię iure sunt propria, non data per gratiam. Tradita autem omnia, non cælum & terra, & cætera, quæ fecit: sed hi, qui per filium accessum habent ad patrem, & ante rebelles, dominum postea sentire cęperunt. Tradita ante nõ alia sunt, quam quæ in filio soli nota sunt patri. Nota vero filio soli esse quæ patri sunt, atque ita in hoc mutuę cognitionis secreto intelligitur, non aliud in filio quam quod in patre agnoscibile sit extitisse. *Et nemo no. fi. &c.* seipsum reuelare. *Et nemo nouit patrem nisi filius*, & cui patrem volnit reuelare. Ad vtrũque enim illud subditum refertur. Verbo enim suo pater se declarat. Et verbum seipsum declarat, quia mentis nostræ lumen est. *Nisi filius, & cui filius voluerit.* Mutua cognitio, quæ est ęqualitate naturę. Illa autem tantilla quę in nobis est, dignatione reuelantis est. *Tollite iugum, &c.* Iugum Christi, euangelium est, quod Iudæos, & gentes in vna fide cõiungit. *Tollite super vos.* Id est, in honore habete: non subitur, vt cõtemnatis. Qui laboratis, difficultate legis, & onerati peccatis, scilicet reficiam si iugum tollitis, id est, præcepta mea. Et quid iugo eius suauius, quid onere leuius? probabilem fieri, abstinere à malo, bonum velle, amare omnes, ęterna sequi, pręsentibus non capi, nolle alij facere, quod pati non vis. *Di. à me*: docẽte verbo, & exẽplo, vt sitis humiles mentibus, mites moribus. Humiles, vt neminem contemnant. Mites vt nullum lędãt. Corde, vt idem extra in opere sit & in corde, ne lateat serpens in specie columbæ. *Iugum enim meum.* Quomodo euangelium lege leuius est, cum ibi opera, hic & concupiscentia damnatur? Sed in lege multa iubentur, quę apostolus impleri non posse dicit: hic voluntas quęritur quę in arbitrio nostro est, & quę sola sufficere potest & pręmium habere. Item quomodo iugum Christi suaue, cum supra dicitur: Arta via est, quę ducit ad vitam? Sed angusta, quia non nisi angusto initio incipitur: processu verò temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur. *Om. me.* quia illud momentaneum nostrę tribulationis ęternum pondus glorię operatur in cęlis.

CATENA AVREA
in idem Euang.

RESpondens Iesus, dixit: *Confiteor tibi pater Domine cęli & terræ, quia abscondisti hęc à sapiẽtibus, &c.* Chrysostomus. Quia sciebat Dominus multos de superiori quæstione dubitaturos, scilicet quod Iudæi Christum non receperunt, quem gentilitas tam prona suscepit, respondet hic cogitationibus eorum. Et ideo dicit: *Respondens Iesus dicit: Confiteor tibi pater, &c.* Glossa. Id est, qui facis cęlos, & cęlmquis in serenitate quos vis. Vel ad literam. Augustinus de verbo Domini. Si Christus dixit confiteor, à quo longè est omne peccatum, confessio non solius peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris. Confitemur ergo siue laudãtes Deum, siue accusantes nosmetipsos. Dixit ergo, *confiteor tibi*, id est, laudo te, non accuso me. Hieronymus. Audiant ergo qui Saluatorem non natum, sed creatum calumniantur, quod patrem suum vocet cęli & terrę Dominum. Si enim & ipse creatura est, & creatura conditorem suum patrem appellare potest: stultum fuit non & sui, & cęli & terræ Dominum, vel patrem similiter appellare. Gratias autem agit quod Apostolis adueniat sui aperit sacramenta, quæ ignorauerunt Scribæ & Pharisæi: qui sibi sapientes videntur, & in conspectu suo prudentes. Et ideo sequitur: *Quia abscondisti, &c.* Augustinus de verbo Domini. Nomine sapientum & prudẽtum superbos intelligi posse, ipse exposuit, cùm ait: Reuelasti ea paruulis. Quid enim est paruulis nisi humilibus? Gregorius 27. Moralium. Quòd enim non subiunxit: Reuelasti ea stultis, sed paruulis: tumorem se damnasse innuit, non acumen. Chrysostomus. Vel dicens sapientes, non veram sapientiam dicit, sed eã quam videbantur Scribæ & Pharisæi ab eloquentia habere. Propter hoc neque dixit: Reuelasti ea stultis, sed, *paruulis*, id est, informibus, aut rusticis: in quo erudit nos per omnia ab elatione erui, humilitatem autem zelare. Hilarius. Cęlestium ergo verborum arcana atque virtutes sapientibus abscõduntur, & paruulis reuelantur: paruulis malitia, non sensu: sapientibus verò stultitiæ suæ pręsumptione, non prudentię causa. Chrysostomus. Reuelatum autem esse his, dignum est lętitia: occultari autem his non lętitia, sed lachrymis dignum est. Non ergo propter hoc lętatur, sed quoniam quæ sapientes non cognouerunt, cognouerunt hi. Hilarius. Facti autem huius æquitatem, Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat: vt qui indignantur paruuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant. Et ideo subditur: *Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Gregorius 25. Moral. Quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione pręsumamus: ostendens quòd iniustum esse non potest quod placuit iusto. Hieronymus. In his etiam verbis blandientis affectu loquitur ad patrem, vt cœptum in Apostolis compleatur beneficium. Chrysostomus. Hęc autem quæ Dominus Discipulis dixit studiosiores eos fecerunt: quia enim consequens erat eos de se magna sapere, qui dæmones abigebant, ideo hinc eos reprimit: reuelatio enim erat quod eis factum est, non illorum studium. Ideóque scribæ sapientes & prudẽtes æstimantes se esse, exciderunt propter proprium tumorem. Vnde si propter hoc ab eis abscondita sunt Dei mysteria, timete dicit & vos, & manete paruuli: hoc enim fecit vos reuelatione potiri. Sicut autem cum Paulus dicat: Tradidit illos Deus in reprobum sensum: non hoc dicit inducens Deum hoc agentem, sed illos qui causam tribuerunt, ita & hic; *Abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus.* Et propter quid abscondita sunt ab illis? audi Paulum dicentem: quoniam quęrentes propriam iustitiam statuere, Dei iustitiæ non subiecti. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Chrysostomus. Quia dixerat: *Confiteor tibi pater*, quoniam *abscondisti hęc à sapientibus*, vt non

vt non æstimes, quoniam ita gratias agit patri, sicut si ipse sit hac virtute priuatus, consequenter adiungit: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Cùm autem audieris, quoniam tradita sunt, nihil humanum suspiceris, vt enim non duos Deos ingenitos esse existimes, hanc ponit dictionem: Simul enim cum genitus est, omnium dominator fuit. Hieronymus. Alioquin si iuxta nostram fragilitatem sentire volumus, cùm cœperit habere quod accepit, incipiet non habere quod dedit. Vel tradita sibi omnia, non cęlum & terra & elementa intelligenda sunt, & cętera quæ ipse fecit, & condidit: sed hi, qui per filiũ accessum habent ad patrem. Hilar. vel hoc dicit, ne quod in illo minus quam quod in Deo est æstimaretur. Augu. contra Maxim. Nam si minus habet in potestate aliquid quã pater, non sunt eius omnia quæ habet pater: gignendo enim dedit pater potentiam filio; sicut omnia quæ habet in substantia sua gignendo, dedit ei quem genuit de substantia sua. Hilarius. Deinde in mutua cognitione patris & filij, dat intelligere non aliud in filio, quàm quod in patre extitisse. Sequitur enim: *Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius.* Chrysostomus. Et eo enim quòd solus patrem nouit, latenter ostendit eiusdem se esse substantiæ, acsi diceret: Quid mirum est si omnium sum dominator, cùm aliquid aliud maius habeam, scilicet scire patrem, & eiusdem esse substantiæ? Hilar. Eandem enim vtriusque in mutua cognitione docet esse substantiam, cùm qui filium cognosceret, patrem quoque cogniturus esset in filio: quia omnia ei à patre sunt tradita. Chrysostomus. Cùm autem dicat: *Neque patrem aliquis cognoscit nisi filius:* non hoc ait, quoniam cum omnes omnino ignorent, sed quoniam cognitione, qua ipse eum nouit, nullus eum scit, quod de filio dicendum est. Neque etiam de ignoto quodam Deo dixit, sicut Marcion ait. Augustinus 1. de Trinitate. Denique propter substantię inseparabilitatem sufficienter aliquãdo nominatur, vel solus pater, vel solus filius. Nec inde separatur vtriusque spiritus, qui propriè spiritus dicitur veritatis. Hieronymus. Erubescat ergo Eunomius hæreticus tantam sibi notitiam patris & filij, quantam alterutrum inter se habent vendicans, quod si inde contendit, & suam consolatur insaniam, quia sequitur: Et cui voluerit filius reuelare. Aliud est naturæ æqualitate nosse quod noueris, aliud reuelantis dignatione. Augustinus 7. de Ciuitate Dei. Reuelatur autem pater per filium, id est, per verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus temporale & transitorium, & seipsum ostendit, & illud de quo loquimur: quantò magis verbum Dei, per quod facta sunt omnia? quod ita ostendit patrem, sicut est pater: quia & ipsum ita est, & hoc est quod pater. Augustinus de quæstione Euang. Cùm autem diceret: *Nemo nouit filium nisi pater,* non dixit, & cui voluerit pater filium reuelare, sed cùm diceret: *Nemo nouit patrem nisi filius,* addidit: *Et cui voluerit filius reuelare,* quod non ita intelligendum est, quasi filius à nullo possit agnosci, nisi à patre solo: pater autem non solùm à filio, sed etiam ab eis quibus reuelauerit filius. Sic enim potius dictum est, vt intelligamus patrem & ipsum filium per filium reuelari: quia ipse est menti nostræ lumen, vt quod postea intulit: *Et cui voluerit filius reuelare,* non tantum patrem, sed etiam filium accipiamus: ad totum enim quod dixit illatum est, verbo enim suo se pater declarat. Verbum autem non solùm id quod per verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat. Chrysostomus. Si ergo patrem reuelat. Sed hoc quidem, vt manifestum dimisit, illud autem posuit: quia scilicet poterat esse dubium, per hoc etiam instruit, quod adeò concordat patri, quod non est possibile aliquem venire ad patrem nisi per filium: hoc enim maximè scandalizabat quod videbatur Deo cõtrarius. Et ideo per omnia hoc destruere studuit. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.* Chrysostomus. Per ea quæ dicta sunt in desideriũ sui Discipulos constituerat, ostendens ineffabilem suam virtutem, nunc autem eos ad se vocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Augu. de verbo Domi. Quare enim omnes laboramus? nisi quia sumus homines mortales, lutea vasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias. Sed si angustentur vasa carnis, dilatantur spatia charitatis, ad quid ergo dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, nisi vt non laboretis? Hilarius. Legis etiam difficultatibus laborantes, & peccatis seculi oneratos ad se vocat. Hieronymus. Grauia enim esse onera peccati & Zacharias Propheta testatur, iniquitatem dicens sedere super talentum plumbi. Et Psalmista compleuit: Iniquitates meæ aggrauatæ sunt super me. Gregorius 30. Moral. Asperum etiam iugum & durum seruitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus: appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim cõtra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pauore amissionis premunt. Chrysostomus. Non enim dicit: Venite ille & ille, sed omnes qui in solicitudinibus, qui in tristitiis, quã in peccatis estis: non vt expetam noxas, sed vt soluam peccata. Venite, non quoniam indigeo vestra gloria, sed quia volo vestram salutem, vnde dicit: *Et ego reficiam vos,* non dixit, saluabo solum, sed quod multò amplius erat, *reficiam vos,* id est, in omni quiete cõstituam. Raba. Non solũ exonerabo, sed interna refectione saturabo. Rem. Venite dicit non pedibus, sed moribus: non corpore, sed fide. Iste nanque est spiritualis accessus, quo quis Deo appropinquat. Et ideo sequitur: *Tollite iugum meũ super vos.* Rab. Iugum Christi est Euangelium Christi, quod Iudæos & Gentes in vnitate coniungit & sociat. Hoc autem super nos iubemur sumere, id est, in honore habere, ne fortè subtus ponentes, id est, illud prauè contemnentes lutulentis pedibus vitiorum conculcemus; vnde subditur: *discite à me.* Augustinus de verbo Domini. Non mundum fabricare, non in ipso mundo miracula facere, sed quia mitis sum, & humilis corde. Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis, & quantò quisque vult superimponere maius ædificium, tantò altius fodiat fundamentum: quo autem peruenturum est cacumen nostri ædificij? vsque ad conspectum Dei. Raba. Discendum ergo nobis est à Saluatore nostro, vt simus mites moribus, & humiles mentibus: neminem lædamus, neminem contemnamus: & virtutes quas foris ostendimus in opere, intus teneamus in corde. Chrysostomus. Et ideo incipiens diuinas leges ab

humili

humilitate incipit, & maximum præmium ponit, dicens: *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Hoc maximum est præmium, non enim alteri efficeris vtilis solùm, sed teipsum requiescere facis: & ante futuram hanc tibi dat retributionem, in futuro autem perpetua gaudebis requie. Chrysostomus. Et ne formidarent, quia dixerat, onus & iugum, subdit: *Iugum enim meum, &c.* Hilarius. Iugi autem suauis, & leuis oneris blandimenta proponit, vt credentibus eius boni scientiam præstet, quod ipse solus nouit in patre. Gregorius 4. Moralium. Quid graue mentis nostræ ceruicibus imponit, qui vitare omne desiderium quod perturbat, præcipit: qui declinare laboriosa mūdi huius itinera monet? Hilar. Et quid ipso suauius, quid onere leuius? probatior fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri quod sibi perpeti sit molestum. Raba. Sed quomodo iugum Christi suaue, cùm suprà dicatur: Arcta est via, quæ ducit ad vitam? Sed quod angusto initio incipitur, processu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur. Augustinus de verbo Domini. Item qui iugum Domini intrepida ceruice subierunt tam difficilia pericula patiuntur, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur. Sed profectò adest Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorē renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali in affluētia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquantò diuturniores vlceris, acriorum dolorum precio redimantur. Quibus tempestatibus, vel pœnis importuni sunt mercatores, vt diuitias perituras acquirant? Sed qui has nō amant, eadem quidem patiuntur, qui verò amant eadem quidem, sed non grauia patiuntur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor: quantò ergo faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit? Hieronymus. Quomodo etiam leuius est lege, Euangelium: cùm in lege homicidium & adulterium, in Euangelio ira concupiscentiáque puniatur? In lege enim multa præcepta sunt, quæ Apostolus nō posse compleri, plenissimè docet. In lege opera requiruntur, in Euangelio voluntas quæritur, quæ etsi effectum non habuerit, tamen præmium nō amittit. Euangelium ea præcipit, quæ possumus, ne scilicet concupiscamus, hoc in nostro arbitrio est: lex cum voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in persecutione aliquam virginem prostituram: hæc apud Euangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur: in lege, quasi corrupta repudiatur.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris* Euang. *expositio.*

Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis, &c. Dignè superioribus dictis confessio talis adiungitur. Nam tametsi optabilis fuerit salus Israel, tamen non extra gaudium Domino erat prædicata olim fides gētium. Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur. Paruulis malitia, non sensu: sapientibus verò stultitiæ suæ præsumptione, non prudentię causis. Factique huius æquitatem Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat: vt qui dedignantur paruuli in Deum fieri, stulti deinceps in sapiētia sua fiant. Ac ne quid in illo minus quàm quod in Deo est æstimaretur, omnia sibi à patre ait tradita esse, solique se patri cognitum, patrémque soli sibi notum, vel cui ipse reuelare voluisset: reuelaturus ei, à quo vt reuelare velit oretur. Qua reuelatione eandem vtriusque in mutua cognitione esse substantiam docet, cum qui filium cognosceret, patrem quoque cogniturus esset in filio: quia omnia ei à patre sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quàm quæ in filio soli nata sunt patri: nota verò filio soli esse, quæ patris sunt: atque ita in hoc mutuæ cognitionis secreto intelligitur, non aliud in filio quàm quod in patre ignorabile sit extitisse. Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos ad se aduocat: demptiúmque se laborem onúsq; promittit, si modo eius iugum tollant, mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eúmque sacramento crucis adeant: quia corde humilis & mitis sit, & in his animabus suis requiem inueniant. Iugi suauis & leuis oneris blandimēta proponens, vt credentibus eius boni scientiam præstet, quod solus ipse nouit in patre. Et quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? Probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

S. HIERONYMI PRESbyteri *eiusdem Euang. expositio.*

Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi pater, &c. Confessio non semper pœnitentiam, sed & gratiarum actionem significat: vt in psalmis sæpissime legimus. Audiant qui saluatorem non natum, sed creatum calumniantur: quod patrem suum vocet cæli & terræ dominum. Si enim & ipse creatura est: & creatura conditorem suum patrem appellare potest: stultum fuit non & sui & cæli ac terræ dominum vel patrem similiter appellare. *Quia abscondisti hæc à, &c.* Gratias agit & exultat in patre quod Apostolis sui aduentus aperuerit sacramenta, quæ ignorauerint scribæ & pharisæi, qui sibi sapientes videntur, & in conspectu suo prudentes. Iustificata est sapientia à filiis suis. *Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te.* Blandientis affectu loquitur ad patrem: vt cœptum in Apostolis beneficium compleatur. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Et tradentem patrem & accipientem filium mysticè intellige. Alioquin si iuxta fragilitatē nostram sentire volumus: eum cœperit habere qui accipit, incipiet non habere qui dederit. Tradita autem sibi omnia, non cælum & terra & elementa intelligenda sunt: & cętera quę ipse fecit & condidit: sed hi qui per filium accessum habent ad patrem, & ante rebelles Deum postea sentire cœperunt. *Et nemo nouit filium nisi pater: neque, &c.* Erubescat Ennomius tan-

tantam sibi notitiam patris & filij quantam alterutrum inter se habeant is scitans. Quod si inde contendit & suam insaniam consolatur: quia sequitur: Et cui voluerit filius reuelare. Aliud est naturæ æqualitate nosse quod noueris: aliud reuelantis dignatione. *Venite ad me omnes, &c.* Grauia onera esse peccati, & Zacharias propheta testatur, dicens iniquitatem sedere super talentum plumbi. Et psalmista complorat: Iniquitates meæ aggrauatæ sunt super me. Vel certe eos qui grauissimo legis iugo premebantur ad euangelij inuitat gratiam. *Iugum enim m. &c.* Quomodo leuius lege euangelium: cum in lege homicidium, in euangelio ira damnetur? Qua ratione euangelij gratia facilior: cum in lege adulterium: in euangelio concupiscentia puniatur? In lege multa præcepta sunt, quæ apostolus non posse compleri, plenissime docet. In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, viuet in eis. In euangelio volútas quęritur: quę etiam, si effectum non habuerit tamen pręmium non amittit: Euangelium ea pręcipit quę possumus: ne scilicet concupiscamus: hoc in arbitrio nostro est. Lex enim voluntatem non punit: punit effectum, ne adulterium facias. Finge in persecutione aliquam virginem prostitutá. Hęc apud euangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur: in lege quasi corrupta repudiatur.

Zach. 5. Psal. 37. A. ier. 15.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.

Homil. 39. in Matth.

R*Espondens Iesus dixit: Confitebor tibi pater Domine cæli, &c.* Perpendis quot, quibúsque modis ad fidem ipsos inducit? Primú pręcipuis Ioannis laudibus: nam cùm eum magnum, atque mirabilem, & plus quàm Prophetam ostenderet, ad prębendam illi fidem impellebat, qui apertissime ipsum esse Christum attestabatur. Deinde, quia dixit, regnum cęlorú vim patitur: hoc enim non hortantis magis ad fidem, quàm impellentis esse videtur. Tertiò, quoniá omnium prophetarum prędicationem adimpletam iam esse, docebat, quo significabat seipsum esse, qué illi pręd ixerunt venturum. Quartò, quoniam omnia iam facta esse monstrauit, quę ab ipso fieri oportebat, quod similitudine puerorum ante oculos posuit. Quintò, exprobrando, ac miserando incredulos, & terrore, ac minis reuocando. Sextò, quoniam gratias modò pro credentibus agit. Quod enim hic, confiteor dixit: idem valet quod gratias ago. Gratias, inquit, tibi ago, quoniam à prudentibus, & sapientibus hæc celasti. An igitur perditione illorum gaudere ipsum dicemus, & quoniam illi hæc non didicere? Minime. Sed hæc est via salutis optima, vt qui respuunt, quæ dicuntur, & nolunt suscipere, nullo pacto cogantur, vt quoniam vocanti non obtemperarunt, nec meliores hic facti sunt, sed spreuerunt, atque contempserunt salutem, quoniam electi sunt, resipiscere cogantur: sic certè diligentiores etiam fient, qui crediderút, quibus quoniam reuelata mysteria sunt, lætari, atque gaudere dignum est. Quoniam, quod ab illis occulta sunt, non gaudere, sed lachrymarum fontes emittere dignissimum: quod profectò facit lachrymás, atque commiserans ciuitatem. Nó ergo, quia sapientes nó cognouerunt, gaudet; sed quia paruuli perceperunt, lætatur. Ita & Paulus dicit: Gratias ago Deo meo, quoniam fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde, in quam traditi estis formam doctrinæ. Non ergo itaque Paulus propterea gaudet, quia erant serui peccati; sed quia, quum essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt. Prudentes autem hic scribas, & pharisęos appellat, quibus alacriores reddit discipulos, quum intelligant illa se piscatores esse consecutos, à quibus illi summi vt videbantur, viri exciderunt. Cùm autem sapientes, dixerit: non illam veram laudabilem sapientiam intelligit, sed hanc quæ seculari doctrina præstatur: idcirco etiam non dixit, stultis reuelasti, sed paruulis: quasi non formatis adhuc, sed simplicibus. Ita ostendit non indignè illos, sed iure his rebus fuisse priuatos, ac per omnia nos docet flatum superbiæ omnino esse fugiédum, ac simplicitaté admirandam. Quod Paulus amplioribus verbis scribit, dicens: Si quis in vobis videtur in hoc seculo sapiés esse, is fiat stultus, vt sapiens efficiatur. Sic enim gratia Dei monstratur. Cur verò gratias agit patri, cum ipse illud fecerit? Sicut orat, & intercedit pro nobis ad Deum ex magna erga nos charitate, sic etiam & hoc ex charitatis feruore peragit, & simul ostendit non à seipso solùm, verumetiam à patre illos excidisse. Vt enim suum est, gratias agere, atque gaudere, quòd paruuli recepti sunt: sic patris est, ne precibus flexus, sed sponte sua commotus id fecisse videatur. Sic enim, inquit, facta est acceptio coram te: id est, sic tibi patri omnium placuit. Sed cur tandem, inquies, occultata ab illis sunt? audi Paulum dicentem; Quoniá quęrentes propriam iustitiam statuere, iustitiæ Dei subiecti non fuerant. Perpende igitur qualiter affici discipuli debebant, cùm audirent, quia sapientes non nouerunt, quæ ipsi cognouerunt: & cognouerunt paruuli permanétes, cognouerunt ipsius Dei reuelatione. Lucas autem dicit, ea hora, quando septuaginta redierunt, de dæmonibus nunciantes, tunc gaudentem ista dixisse, quę iam diligentiores, quam moderatiores ipsos faciebát. Erat enim moderante doctrina certè illis opus, ne magnum quid de se crederent, atque inflarentur, quoniam dæmonia eis obtemperarét. Reuelatio enim magnarum sibi rerum non studio, nec merito suo concessa fuit: quapropter scribæ, ac Pharisæi, qui se sua opera sapientes esse arbitrabantur, elati timore ceciderút. Quare, si arrogantia illis offuit: formidate vos, inquit, vt paruulorum statum conseruetis, nón ignorantes id illud esse, quod vobis hæc reuelari effecit, cuius contrarium illos hac reuelatione priuauit. Non enim quando dicitur, *occultasti hac à sapientibus*, rem totam Deo attribuit: sed sicut cú Paulus dicit; Quia tradidit eos in reprobú sensum, & excæcauit intelligentias ipsorum. Non operatum hæc Deum fuisse asserit, sed illos, qui causam præbuerunt: sic etiam hic dictum est, *reuelasti. Deinde, quoniam prædixit: *Confitebor tibi pater, quia occultasti ab illis, & reuelasti paruulis*: ne putes hac reuelandi potestate ipsum esse priuatum, ac ideo gratias agere. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Adiecit hæc ad eos, qui lætabantur, quoniam dęmones sibi parerent. Quid ita gaudetis frustra, inquit? mea omnia sunt, mihi à patre meo tradita. Quum autem audis, *tradita*: nihil humano more factum suspiceris,

Rom. 6. 1. Cor. 3. Rom. 10. Luc. 10. * Videtur legendum occultasti.

ris, quæ dictio, ne duos ingenitos arbitrari quis possit, posita est. Filius autem dominus omnium nascitur, quod alibi multis in locis significat. Maius quiddam deinde adducit, vt mentem tuam ad sublimius erigat. *Et nemo nouit filium, nisi pater; neque patrem quis nouit, nisi filius.* Et videtur quidem id multis, qui hæc altius non examinant, separatum, atque alienum à superioribus esse: quod certè plurimum illis conuenit, atque cohæret. Nam quoniam dixit: *Tradita sunt mihi omnia*: quid miramini, intulit, si omnium ego sum dominus, qui & aliud quid multò maius possideo, patrem nouerim, quod eiusdem cum eo substantiæ sim? Id enim occultius significator, solū se nosse patrem dicit, idipsum (inquam) significatur, quando dicitur; *Nullus cognoscit patrem, nisi filius*. Tu autem diligenter perspice quando hæc dixit, quando videlicet, quanta esset potentia ipsius, operibus cognouerunt, quando non solùm ab ipso signa vidissent fieri, sed ipsi quoque in nomine ipsius miracula perpetrarunt: deinde quoniam, *& reuelasti ea paruulis*, dixit, ostendit etiam ipsum fecisse. *Nemo enim*, inquit, *cognouit patrem, nisi filius. Et cui voluerit filius reuelare.* Non inquit, cuicunque iniunctum sit, nec cuicunque iussum sit, sed cuicunque velit reuelare. Quòd si patrem reuelat, & seipsum videlicet, quod tāquam manifestum, & tanquam consequens reliquit, quod & alibi facit, vt quando dicit; Nemo potest venire ad patrem, nisi per me. (Ioan. 14.) Hinc etiam monstratur vnius esse voluntatis cum patre. Ita enim, inquit, procul absum, ne pugnare Deo patri videar, aut illi aliquo modo reluctari, vt nemo ad ipsum aliter quàm per me possit accedere. Nam, quoniā multi turbabantur, antitheum appellantes: propterea tam signis, quàm doctrina hanc eorum opinionem destruit. Quum autem dicit à nemine patrem, nisi à filio cognosci; non dicit ab omnibus Deum ignorari, sed non cognosci ea cognitione ab alio, qua ipse cognoscit: quod pariter de filio quoque dicendum est. Non enim de ignoto quodam Deo, cuius nulla vnquam habita sit cognitio, hæc dicit, vt quod Marcio asserit: sed exquisitam, perfectamque cognitionem hic intelligit. Nam nos quidem nec filium perfectè cognoscimus, quod Paulus scribit dicens; (1.Cor. 13.) Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Quum igitur per ea, quæ dicta sunt, confirmasset ipsos, atque in desiderium sui attraxisset, omnipotentia ipsius aliqualiter monstrata, tunc ad se vocat, dicens; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non hic aut ille, sed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me, nō vt pœnas luatis, verùm vt dolores, peccataq; vestra resoluantur: venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus est mihi, sed quia salutem vestram maximè sitio. Ego, inquit, requiem vobis tribuam: non dixit saluos faciam, sed, quod maius est, in omni quiete constituam. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, &c.* Nolite igitur onus pertimescere, suauitatis enim eximiæ plenum. Quomodo autem in superioribus dicebat angustam esse ianuam, & arduā tribulationibus viam? quando videlicet desidia, quando ignauia dissolutus es. Nam, quando, quæ dicta sunt, perfeceris, leue tunc erit onus: quapropter magnitudine retributionis etiam nunc leue appellatur. Quomodo autem, inquies, quæ dicta sunt, perficiam animo? Si humilitate syncera, si mansuetudine vera, si moderatione integra te cōmunies. Humilitas quippe virtus est, & sublimioris philosophiæ mater est, atque origo: Propterea etiam, quum nobis diuina traderet instituta, ab humilitate initium fecit. Et hinc in loco ab eo iterum exorsus, magnam pollicetur mercedem. Non enim aliis, inquit, solum accommodus, atque vtilis fueris, sed tibiipsi itmain, stabilemque requiem comprætabis. Inuenietis enim animabus vestris requiem, inquit. Sic antequam futura veniant, hic quoque retribuit, & victoriæ præmium præbet, non solùm (vt dictum est) verumetiam quia seipsum exemplum nobis posuit, vt acceptior doctrina hæc sua, & gratior esset. Quid enim dubitas, inquit, ne minor, atque despectior propter humilitatem videaris? In me igitur respice, meáque omnia hæc præcepta non ab alio, sed à memetipso discas: ita enim & luce clarius patebit tibi quàm maximum bonum humilitas sit. Considera quomodo his omnibus vt humilitatem præcipuè colant, ipsis persuadet. Primò in iis, quæ ipse peregit. *Discite*, inquit, *à me, quoniam mitis sum.* Deinde magnitudine retributionis: *Inuenietis enim requiem animabus vestris.* Præterea iis, quæ ipse gratis affert: Ego enim, inquit, requiem vobis comprætabo: ad hæc, quia facilem rem, atque suauem esse approbauit. *Suaue namque iugum est*, inquit, *& onus meū leue.* Sic & Paulus persuadet, dicens; Quod enim momentaneum, & (2.Cor. 4.) leue tribulationis nostræ est per supcrabundantiam æternæ pondus gloriæ operatur. Sed quomodo, inquies, leue hoc onus est, quum dicatur; (Luc. 14.) Nisi quis odio habuerit patrem, ac matrem: &, nisi quis tollat crucem suam, & sequatur me, non est me dignus: & nisi quis omnibus rebus suis renunciauerit, non potest esse meus discipulus: quū iubeat ipsam quoque animam esse tradendam, (Rom. 8.) quomodo, inquam, leue est? doceat te Paulus, dicens, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et quoniam non sunt condignæ passiones præsentia huius temporis ad reuelandam in nobis gloriam: Doceant te illi, qui à synagogis Iudæorum post mille flagella, ac verbera summo gaudio affecti redibant, quia videlicet digni sunt inuenti, qui pro Christi nomine vexarentur. Quòd si adhuc iugum, ac onus audiendo, formidas nimium, atque perhorrescis, non naturæ rerum huiusmodi timorem, sed ignauiæ totum attribuas. Nam, si accinctus, & præparatus eris, & nulla desidia effœminatus, cuncta tibi facilia, leuissimaque videbuntur. Quapropter etiam Christus, vt quanta cura vigilandum esset certiores non redderet, nō siluit onera, nec suauia tacuit: sed vtrunque complexus, & iugum dixit, & suaue appellauit: onus apposuit, & leue adiecit: & ne aut tanquam laboriosa nimium fugeres, aut tanquam nimium facilia contēptu prosequereris. Quòd si post hęc omnia vehementer ardua, difficilisque tibi virtus videtur, veniat in mentem tibi, quantò difficilior vitiositas est: quod ipse occultius significat, quū, antequam de iugo suo aliquid dixerit; *Venite ad me omnes*, exclamauerit, *qui laboratis, & onerati estis.* Hinc enim ostendere voluit, quantum laborem, quantum grauamen intolerabile, peccatum hominibus afferat: idcirco non, *qui laboratis*, solummodo

Psal. 37. modo ait. sed etiam, *qui onerati estis*: quod Psalmista significauit apertius, & naturam ipsius peccati descripsit, dicens; Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Zacharias quoque similiter plumbi talentum esse ait. Zach. 5. Id etiam rerum experientia facilè intelligimus. Nullo enim pondere grauius premitur anima, nihil tam vehementer mentis restringit oculos, nihil magis deiicit, atque prosternit, quàm malè actę vitæ, ac peccatorum conscientia, & recordatio: nihil econtrà sublimiorem, atque altiorem mentem hominis reddit, sicut iustitiæ, atque virtutis possessio. Quid enim intolerabilius esse videtur, quàm nihil penitus possidere? Quid difficilius, quàm si vapules, non solum vices non reddere, verumetiam alteram vertere maxillam? Quid grauius, quàm mortem violentam obire? Sed tamen hæc omnia, si rectè perpetiamur, leuia, & facilia, & honestæ voluptatis efficacia constituuntur. Sed nulla turbatione moueamini. Inquirere namque singula diligenter, ac exactè tractare animus est, &, si ita vultis, quod primum dictum est, quódque multis difficillimum esse videtur, iam perscrutemur. Vtrum igitur graue, atque molestum est, vnius habere ventris curam, an de mille solicitum esse? vnico vestimento indui, nec plura desiderare, an plura, & preciosa possidentem, die, ac noctu cruciari de conseruatione ipsorum, atque custodia metuentem, & sola memoria dolétem, ne forte tineis corrodantur, ne seruus furto auferat? verumtamen, quantumcunque dixero, nunquam tantum oratione assequatur, quanta vos periculo rerum cognoscitis. Quare optarem aliquem eorum, qui ad summum philosophiæ apicem peruenerunt, nobis adesse, vt facile aspiceres, quanta res ista voluptate potiatur: propterea nemo eorum vnquam, qui paupertatem amplectūtur, diuitias optat. Sed ne diuites quidem, inquies, paupertatem eligerét, vt à multarum rerum curis persoluatétur. Et quid istud est? Mentis enim ipsorum, ac ægroti animi, non iucunditatis rerum hoc signum est. Nec alios huius rei testes citare volumus, quā vosipsos, qui quotidie curis pressi, acerbam hanc vitam vobis putatis: non autem illi sic, sed gaudentes semper, sed exultātes semper, nō minus paupertate, quam reges diademate gloriantur. Maxillam autem vertere multò facilius vapulanti, quàm repercutere, si attenditis. Hinc enim bella, & dissidia originem trahūt, inde bellorum omnium, atque inimicitiarum causę soluuntur. Et altero quidem modo maiorem flammam suscitasti, altero autem vtriusque incendium extinxisti. Quod vero nullo incendio laborare suauius est, quam igne peruri, nullus vnquam, si de corporibus dicitur, dubitabit. Quanto autem animus corpori præstat, tāto & incendium eius periculosius est, & suauitas certe iucundior. Præterea quid leuius, atque facilius, in luctamine concertare, aut corona donari: currere in stadium, vel brauium iam obtinuisse: fluctibus agitari, aut in portu deuehi? quare mori etiam melius, quam viuere cēseo. A procellis enim, atque periculis per mortem liberamur, vita vero & laborum cumulos exaggerat, & plurimorū peccatorum reos facit, & insidiis quotidie implicat, quibus efficitur, vt mori melius, quā viuere mihi videatur. Quòd si mihi nō credis, ab ijs audias, qui vultus martyrū in tēpore certaminis conspexerunt. Quando flagellis cæsi, vncis ferreis laniati, in sartagine immissi lætabantur, gaudebant, & ceu in rosario constituti gestiebant. Quare Paulus quoque hinc abiturus, & violenta morte obiturus, Gaudeo, inquit, Philip. 1. & congaudeo vobis omnibus, & vos pariter gaudete, & mihi congaudete. Vides quanto conatu vniuersum orbem terrarum ad cognitionem gaudij conuocat? ita in magnam beatitudinem hinc abire putabat, ita mortem illam terribilem, atque violentam desiderandam existimabat. Verū quod suaue leuéque sit virtutis iugū, multis aliis etiam posset comprobari, sed nos ad vltimum iam veniamus, & molesta onera peccati consideremus, ac ex omnibus maxime auaritiam in mediū educamus, qua turpissima multi peccata dolosè cauponantur, recoponantúrque. Quid igitur modestius hac re vnquam inuenitur? quot dolores, quæ magnæ curæ, quot rerum offensiones, quanta pericula, insidiæ, pugnæ, huiusmodi homines quotidie aggrediuntur? quę turbationes, quę tumultus eos exagitant? Nam, quemadmodum siue fluctibus mare nūquam conspicitur, sic animos eorum absque solicitudine, terrore, turbatione nunquam reperies, sed, antequam priora componant, alia innascuntur, & ad hæc rursus alia, atq; alia subingressa, ingentem cumulum montium instar erexerūt. Sed iracundi animum, atque contumeliosi forte velles videre, quo quidem cruciatu quid peius? quid intestinis vlceribus asperius? quid fornace, qua vruntur quotidie, & flamma, qua semper incendūtur, ardentius? At vero vita eorum, qui corporum formas admirantur, & pulchritudine aliorum tabescunt, quid miserius? quid hac delectione animi formidolosius? quia vitam gementes, atque trementes isti mihi viuere videntur. Quid porrò turbulētius superbia, & ceruicibus? aut quid immoie hoc animi furiosius? *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Omnis enim bonorum fons, atque origo innocentia est. Non ergo pertimescas onus, nec ab eo iugo resilias, quo te Christus ab omnibus istis vendicat, sed omni alacritate animi iugū hoc subeas, & tunc quam suaue sit, facile cognosces. Nec enim terer ceruicem tuam, sed ornatus gratia imponitur, & vt discas ordine ad regiam viam procedere, & præcipitia vtrinque vitare, ac facile per angustam viam lætus incedere. Quoniam ergo tot, tantáque bona hoc iugum præbet, quoniam tanta securitate vallatum est, quoniā tanto gaudio replet, omni cura, studio operaque ipsum trahamus, vt & hic requiē animarū inueniamus, & futura beatitudine potiamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, Amē.

AVTHORIS IMPERfecti in Matth. eiusdem Euang. expositio.

RESpondens Iesus, dixit: Confiteor tibi, domine pater cæli, & terræ quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c. Homil. 28. in Matth. Postquā improperauit ciuitatibus, magis autē ciuibus, quòd toties seminati sunt in doctrina, & nunquam germinauerūt in fide, qui virtutes, & miracula Christi non quasi ædificamenta spiritualia, sed quasi delectamenta carnalia susceperunt: respondēs ait, quasi ad seorsum discipulorum secundum Lucam Luc. 10. exponentium: *Confiteor tibi, Domine pater cæli, & terræ,*

terra. Considerandum est, quoniam Lucas sic introducit hunc sensum: In illa hora exultauit in spiritu Iesus, & dixit: Confiteor tibi pater. Iste autem sic dixit: *Respondens Iesus dixit*. Sicut ex diuersis itineribus venientes ad vnam mansionem contendunt: sic & Euangelistæ ex diuersis occasionibus loquentes in vnum sensum ingrediuntur. Ille ergo sic introducit. Postquam reuersi sunt discipuli gratias agentes, & dicentes: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis obediunt. Videns gratias discipulorum Christus, quomodo in consummatione commissi mysterij fuerint fideles, quomodo in gratiarum actionibus erant deuoti, quasi congaudens discipulis suis exultauit, & dixit: Confiteor tibi pater. Iste autem postquam implacabiles animos Iudæorum, & duras mentes ostendit, quos tot miracula ad fidem flectere non potuerunt, respondit excitatus discipulorum suorum suasu, illorum bonas imprecationes suscipiens, ad quorum nuntium bonum respondit. Alterum, duritia compulsus Iudæorum. Ergo ille gratias agit, quia illuminati sunt rustici, & simplices homines, qui totum, quicquid fecerint boni, imputant authori. Iste autem gratias agit, non solum quia illuminati sunt paruuli, sed quia excæcati sunt literati, & sapientes Iudæorum, & qui omnem gratiam Dei imputant sibi. *Confiteor tibi, domine pater cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Quantum ad propositum quidem Christi in hoc loco loquentis, talis est intellectus verborum istorum. Postquam improperauit incredulis ciuitatibus, occasionem accipiens ab incredulitate earum, iustam dispositionem Dei introducit in medium, & gratias agens, dicit: Quia placuit enim Deo Iudæos quidem repellere, qui prius sapientibus dabantur in eloquiis Dei, quum essent insipientes. Sapientia quidem est, non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei viuere. Et recipere Gentes, quia paruuli erant in scientia Dei & paruuli per ignorantiam non per contumaciam. Tu autem ad quascunque volueris personas potes dilatare tractatum, quoniam & ab omnibus sapientibus, qui secundum sensum carnis sunt sapientes, & non secundum spiritum cordis abscondit Deus semper mysterium veritatis, & paruulis illud reuelat, qui paruuli malicia sunt. Qui sunt sapientes? Antiqui philosophi, & oratores, qui naturali sapientia literarum exercitatione exacuminati, de Dei natura quærere contendebant, non Deum inuenire desiderantes, sed altissima disserere cupientes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse confessi sunt, nisi quia Deus incognoscibilis est. Et vt quid ergo tantum laborasti, si ignorans es, postquam requisisti, quemadmodum fueras, antequam quæreres. Sicut enim qui innauigabilem Oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est, vt per eandem viam reuertatur, vnde ingressus est, sic & illi ab ignorantia cœperunt, & in ignorantia finierunt. O homo sapiens, magis autem insipiens, Deus inuisibilis est, & quis eum potest videre, nisi ipse se videat? Serua ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita vt inhabitet Deus in te, & videas Deum. Magis autem non tu vides, sed Deus, qui est in te, ipse videt te. Deus incomprehensibilis est. Quis enim potest comprehendere eum, nisi ipse se comprehendat? Serua ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita, vt Deus habitet in te, & quotidie magis ac magis inuenies Deum. Non ergo tu Deum, sed Deus inuenit te. Qui sunt paruuli? Christiani, qui nihil possunt amplius æstimare de Christo, nisi quod vident in eo, & nihil amplius credere possunt, nisi quod audiunt in libris de ipso. Talis est enim natura infantium, quum viderint rem aliquam, animus eorum simplex nihil potest amplius considerare de ea, quam quod oculi eorum vident, & quod audierint ab aliquo nihil amplius in sermonibus exponentis intelligunt, neque possunt discutere rem auditam, sed quicquid audierint credunt. Si bonum, toto corde lætantur: si malum, sine consolatione tristantur. Si videmus Christum in cruce pendentem, non possumus intelligere ex nobis, quia homo purus est ille, qui pendet. Nam recessisse maiestatem Dei de corpore nec vidimus, nec audiuimus. Sed forte dicis, Quomodo ergo clamabat in cruce, Deus Deus meus, quare me dereliquisti, si non esset corpus derelictum? Et non audisti quomodo ad latronem dicebat: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso? Homo purus qui se derelictum dolebat, sicut tu dicis, quomodo ad paradisum ducatum præstabat? Clamabat ergo filius ad patrem, vt se ex infirmitate corporis pati probaret hominibus, non vt corpus à diuinitate derelictum ostenderet. Item qui sunt sapientes, à quibus mysterium Christi absconditum est? Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, qui congregati in templo dicebant. Quousque animam nostram tollis? Dic nobis palam, si tu es Christus. Quibus respondit: Et dixi vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testificantur de me. Et tulerunt lapides, vt lapidarent eum, dicentes: Propter bonum opus non lapidamus te, sed propter blasphemiam; quia tu quum sis homo, facis teipsum Deum. Qui sunt paruuli quibus est reuelatus? Quos dominus interrogat, dicens: Vos autem quem me esse dicitis? Respondentes dixerunt, Tu es Christus filius Dei viui. Si ergo quod Iudæi quotidie meditantes legem Dei inuenire non potuerunt, piscatores & rustici inuenerunt, quotidie tractantes retia in manibus suis. *Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te*. Non dicit qua ratione sic ei placuit, sed tantum gratias agit patri, quia sic ei placuit. Ita & tu nunquam discutias consilia Dei in operibus eius, quid fecit, aut qua ratione sic fecit; sed quomodocunque sic voluit rem suam ordinare, gratias agens sufficiat tibi ad testimonium ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione, & sine iustitia nihil facit. Non enim ad discussionem suam, sed ad honorem suum creauit te. Nec iudicem te esse voluit actuum suorum, sed seruum præceptorum suorum. Boni enim domini est omnia prouidere, quæ ad vtilitatem pertinent serui. Boni autem serui est fideliter operari, & non discutere domini sui actus. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*. A quo illi tradita sunt, si vnus est pater, & filius? Aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia patri suo erat æqualis? Nam significatio traditionis, tam vnitatis rationem, quam æqualitatis excludit. Nam nec qui accipit vnus est cum dante, nec qui traditum acceperit, æqualis est ei qui tradit. Tradita sunt ei secundum quod minoratus est paulominus ab angelis. Nam secundum illud, quod non rapinam arbitratus est, esse se æqualem

Ioan. 10.

Deo, cum eo Deus vnus & æqualis est, qui tradidit omnia. *Omnia mihi tradita sunt, cælestia, terrestria, & infernalia.* Cælestia quidem, vt iam nunquam
Esa.14. sint rebellantia, nec dicat aliquis eorum, Ponam sedem meam in nube, & ero similis altissimo. Terrestria, vt relinquentes idola, & peccata, credant
Phil.2. in me, & obaudiant meis mandatis. Infernalia: vt vocentur ad vitam, vt in nomine meo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Cælestia, vt sint in adiutorio terrestribus. Terrestria autem, vt fiant imitatores cælestium. Infernalia, vt iam non expugnatione hominum proficiat, sed ad probationem sanctorum. Et vide, non dixit omnes homines mihi traditi sunt, vt tantummodo de hominibus credituris, sed etiam & de rebus omnibus, quæ ad gloriam eius fuerant conuertendæ, quum essent aduersæ, diabolo subuertente. Verum omnia ei tradita sunt, cælum, & terra, sol, luna, stellæ, aer, & ignis, aquæ, flumina, infernus, & mors, vt iam nemo hæc omnia Deos esse, aut ingenita esse, suggerente diabolo arbitretur, sed omnes Christi esse opera sancto spiritu docente, cognoscant, & fateantur. Non ergo tradita sunt, vt modò Christi secundum naturam fiant, quæ semper eius fuerant, sed vt modò eius esse credantur, & modò ad eius gloriam conuertantur, sicut & homini semper extitit Deus, sed vsque tunc cognitus non erat. Nunc autem traditi sunt ei absolutè, vt cognoscant eum suum facto-
Ioan.17. rem Deum, sicut scriptum est: Sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti mihi, dem eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum, & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Mihi tradita est vita, & mors, vt nec vita ad peccatum sit hominum, nec mors ad pœnam: sed vt qui viuunt, lucrum iustitiæ bene viuentes faciant, & qui mortui fuerint, melius viuant, mecum regnantes in cælo. Mihi traditæ sunt diuitiæ, & paupertas. Vsque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat. Diuitiæ autem inflabant, nocendi virtutem præstabant. Nunc autem mihi traditæ sunt, vt, paupertas, dum magnanimiter sustinetur, ad gloriam Dei proficiat: & diuitiæ dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant: mihi traditi sunt serui, & reges, vt non seruili suo seruitio erubescant, sed in me domino glorientur: & reges non in sua potentia extollantur, sed mihi genua curuent. *Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Ita intelligendum est, nemo ex se potest cognoscere quemquam illorum, nisi patrem filius reuelauerit, & filium pater. Nam de patris quidem persona Christus ipse dixit, nemo scit patrem, nisi filius reuelauerit. De filij autem persona ideo non dixit, nisi pater reuelauerit, quia iam superius dixerat: Confiteor tibi, pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, scilicet hæc eadem, quæ dispensata sunt in aduentu meo de me. Nam & ad
Matth.16. Petrum confitentem se, dixit: Non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus. Et Esaias dixit: Ego dominus sanctus vester, qui ostendi Israel regem vestrum. Aut certè ita, secundum plenitudinem patris: Patrem nemo cognoscit, nisi filius. Et secundum plenitudinẽ filij: Filium nemo cognoscit, nisi pater: quia incomprehensibilem naturam comprehendere non potest comprehensibilis creatura. Quoniam etsi de patre filius reuelet, aut de filio pater, tamen reuelat non quantum sunt, sed quantum ille cui reuelatur potest capere. Aut certè sic datur intelligi ex his quæ præcedunt, quoniam dicit, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo,* &c. ex his, quæ sequuntur, quoniam dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Postquod secun-
dum hoc nemo cognoscit filium, secundum quod Phil.2.
ei omnia tradita sunt, vt omne genu in nomine eius flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus est in gloria Dei patris. Quæ omnia futura erant, tunc adhuc nemo sciebat. Et secundum hoc nemo cognoscit patrem: eo quod statuit in filio suo omnibus dare salutem. Vnde
Apostolus dicebat: Mysterij temporibus æternis Rom.16.
taciti, manifestati autẽ nunc, &c. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Qui sunt qui laborant? Qui legis iustitiam operantur. Et qui sunt qui onerati sunt? Ipsi Iudæi, quibus post idololatriam vituli talia legis mandata imposuit Moyses, in quibus nunquam se explicarent. De quibus &
Petrus ait: Quid tentatis Deum, & vultis impo- Act.15.
nere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri potuimus portare? Sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri. Ideo sic dicit: *Qui laboratis,* id est, qui contenditis iusti esse, & non potestis: quia præceptum legis, dum expleri non potest, semper conscientiam facit obnoxiam. Et apud Iudæos quidem erat lex leuis & iusta, id est, decalogus quem ante idololatriam acceperunt, sed sine gratia inueniebatur. Sine gratiæ enim auxilio omnis iustitia hominibus grauis est. Quia lex præceptum est nudum, gratia autem virtus est Dei. Lex in libro cõscribitur, gratia autem in corde plantatur, Ideo lex insufferibile pondus est,
gratia autem delectatio cordis est, dicente domi- Eccl.24.
no per Salomonem: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me: spiritus meus super mel dulcis. Ergo lex non solum ideo grauis est, quia grauia præcipit obseruationis mandata: sed & quia præcepit fieri, & faciendi non præstat auxilium. Nec ideo solum gratia leuis est, quia leuia ponit mandata: sed quod fieri præcipit, & ipsa in nobis faciendi operatur virtutem. Ecce enim lex præcipit:
Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum Leuit.19.
tuum: gratia autem iubet, Diligite inimicos vestros. Nonne grauius est gratiæ mandatum, quam legis? Et tamen facilius est nobis per gratiam, hæc impossibilia adimplere, quam Iudæis per legem illa possibilia: quia in gratia Dei totum possumus,
sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: Omnia Phil.4.
possum in eo, qui me confortat. Adhuc autem dico: Et si impleuerit quis omnem iustitiam legis, viuit quidem in ea, non tamen iustificatus est.
Vnde adolescenti Dominus sic respondit, dicens: Hæc fac, & viues. Non dixit, & iustus eris: quo- Luc.10.
niam lex abstinentiam mandat malorum, vt puta, non occides, &c. Non iustitiæ opus iniungit, sicut gratia, vt non irascaris sine causa, non cõcupisceas. Qui autem abstinet se à malis, innocens quidem est, iustus autem non est, nisi & iustitiæ opus impleuerit. Non quidem morietur, tamen nec gloriam habebit. Propterea dicebat Apostolus: Qui erat filius Abrahæ, qui conuersatus fuerat in lege sine reprehensione. Nos, inquit, Iudæi, & non de Gentibus peccatores, scientes quia in lege nemo iustifi

iustificatur, credimus Iesum Christum, vt ex fide Christi iustificemur. Omnis autem, qui contendit iustitiam facere, & nō iustificatur, laborat in opere: quia fructu laboris sui non fruitur, qui autem & contendit, & iustificatur, non laborat, sed delectatur in opere suo: quia operis sui fruitur fructu. Deinde quis nescit, quia minor est institia legis, quàm gratiæ? Vtputa, non occides, non adulterabis: hoc facilius est, quàm non irasci, aut non concupiscere. Ab hoc enim multi se abstinent, etiam qui non timent Deum. Ab ira autem, vel concupiscentia vix etiam spirituales viri, tamen difficilior, & onerosior inuenitur lex: quia opera quærit, non volūtatem. Iustitiam autem gratiæ licet maior sit, tamen facilior inuenitur, quia voluntatem, non opera quærit. Vtputa si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, & euentu occiderit, sicut fieri solet, quātum ad gratiam innocens est, quia voluntatem, non opus requirit: quantum autem ad legem reus est, quia opera quærit. Item si in persecutione prostituta fuerit virgo, in lege quasi non virgo iam repellitur, quia opus aspicit, non voluntatem. In gratia autem quasi virgo suscipitur, quia nō opera quærit, sed voluntatem. Vides quia * iniusta est lex, & onerosa? Ideo homines de sub pondere Iudaicæ legis hortatur Christus exire, & ad delectabilem gratiam peruenire, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Id est, repausabo. Et vide quomodo dicit, *qui laboratis.* Quis est, qui laborat? Qui festinat adimplere iustitiam, & non præualet. Qui autem non vult facere iustitiam, ille non laborat sub pondere legis. Vtputa, si ante te videris aliquem ponderis fascem, si quidem contendisti eum tollere super te, & non potes, laboras: si autem nec tentas, nullum sentis laborem de pondere. Ergo non illos vocabat Christus ad se, qui omnino non concupiscebant facere iustitiam, sed qui festinabant, & qui laborabant, & præualere nō poterāt. Adhuc etiam sermonibus istis, etiam Christianos peccatorum pondere prægrauatos, ad requiem pœnitentiæ vocat: Putas quòd peccatores istius mundi non laborant? Verè enim maiores labores & sollicitudines habent, quàm serui Dei, dicente Propheta: Contritio, & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Item ex persona peccatorum pœnitentiam agentium dicit Salomon: Ergo errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & sol non ortus est nobis: lassati sumus in iniquitatis via, & perditionis, ambulauimus solitudines desertas, difficiles autem vias Domini ignorauimus: Quid nobis profuit superbia nostra, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra. Ergo laborant multum, & conteruntur in seculo, sed laborem nō sentiunt. Spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt iugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic & qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat, & decipit, ne discedant à malo impij vsque ad mortem suam. Ideo dicit Christus: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Nam etsi corpore non grauantur peccatores, nec laborant, animæ tamen eorum grauatæ sunt, & laborant. Dicente Propheta de onere peccatorum: Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et iterum Zacharias iniquitatem super talētum plumbi sedere conscribit. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* O gratissimum pondus, quod magis confortat portantes! Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires: pōdus autem Christi magis adiuuat baiulantem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiæ dati sumus, sed gratia magis ad nostrum. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Suscipite iugum meum, & à me discite, id est, ex ipso iugo meo, quia suaue est, & ex ipso onere meo, quia leue est: experimentum accipite, quia mitis sum, & humilis corde. Consequenter & Propheta dicit de Christo: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Inexpertis enim grauis est institia Christi, expertis autem suauis est. Ergo lex immitis fuit, quia quicquid mandauit, in ira sua mandauit post idolum fabricatum, nō vt saluet, sed vt puniat eos secundum duritiam cordis eorum. Christus autem mitis est: quoniam quicquid mandat, propter misericordiam suam mandat, non vt puniat, sed vt saluet. Item lex superba est. Vetat enim omnem hominē accedere ad sancta, præter pontificem. Item mulieribus menstruatis, vel virum in fluxu seminis, vetat intrare in tēplum. Luscum vel leprosum, vel aliquo membro debilem, vetat sacerdotio fungi. Vides quomodo superba est lex? Christus autem humilis, qui nihil aliud quærit, nisi fidem integram, & conscientiam mundam. *Et inuenietis,* inquit, *requiem animabus vestris.* Non dixit, inuenietis requiem, & tacuit: sed addidit, *animabus vestris,* quoniam mandata Christi in hoc seculo animarum requies sunt, non corporum: quoniam etsi laborant, & tristantur in corpore, animæ eorum requiescant, & gaudent in spiritu, & in spe. Ideo alibi dicit: Hæc autem locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationes.

Margin: * i. verbum nimis durum. — Psal. 13. — Sap. 5. — Psal. 37. — Zach. 5. — Psal. 33.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponen. in superius Euang. Homil. 1.

MIrum quibusdam videtur, fratres charissimi, cùm audiunt Dominum dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, &c.* Et considerant eos qui iugum ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur, cum & Apostolus dicat: Omnes, qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patiētur. Ait ergo aliquis: Quomodo iugum leue est, & sarcina leuis, quandoquidem illud iugum & sarcinā ferre, nihil est aliud, quàm pie viuere in Christo? Et quomodo dicitur: *Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,* ac non potius dicatur: Venite qui vacatis, vt laboretis? Nam & vacantes inuenit quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leni, & sarcina leui audiamus Apostolum dicere: In omnibus cōmendantes nosmetipsos tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, &c.

Margin: Ser. 9. de verb. Domin. — Matth. 11. — 2. Tim. 3. — Matth. 20. — 2. Cor. 6.

2.Cor.11. Et alio loco in eadem Epistola: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, Et cætera quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari nisi Spiritu sancto iuuante non possunt. Omnia ergo illa quæ commemorauit aspera, & grauia, frequentius, & abundantius sustinebat, sed profecto aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in 2.Cor.4. affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quam suaue iugum Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, & omnia illa quę superius enumerata dura, & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine vlla sollicitudine perfrui æterna fęlicitate iustorum. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris acriorum dolorum precio redimantur, in languida & incerta vocationis breuissimæ atque vltimæ vitæ. Immanissimus bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sæuitiæ cæli, & maris im- portuni sunt mercatores*, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt periculis, & tēpestatibus plenas. Quos æstus, quæ frigora, quę pericula, ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores, quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessarias. Quanquam & si aper, ceruúsve capiatur, magis suaue sit venantis animo, quia captus est, quàm comedentis palato, quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis vigiliarum, & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discēdam sapientiam, sed propter opes, honoré́sque vanitatis, vt numeros, & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui vero amant, eadem quidē, sed non grauia pati videntur: Omnia enim sæua, & immania, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor. Quāto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinē charitas facit, quod ad miseriam quantū potuit cupiditas fecit. Quā facile toleratur quælibet aduersitas tēporalis, vt æterna pęna vitetur, æterna requies cōparetur. Non immerito ille vas electionis cū ingēti lætitia dixit: Non sunt Rom.8. condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde illud iugum suaue est, & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus di- Psal.16. ligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis* mitescunt amantibus. Propter quod ita diuinæ pietatis dispęnsatione actum est, vt interior homo qui reno- 2.Cor 4. natur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuera graue iugum, sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitate, simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps qui missus est foras interiori gaudio leue fieret. Nihil enim tam facile bonæ voluntati est, quàm ipsa sibi, & hęc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæuiat iste mundus, verissime angeli nato in carne Domino clamauerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax Luc.2. hominibus bonæ voluntatis: quia qui natus erat suaue iugum est, & sarcina leuis. Et sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari 1.Cor.10. supra quod possimus ferre, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possumus sustinere.

* al. horribilis & tremendæ sæuitiæ cæli & maris impleti sunt mercatores, &c.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 2.

Sermo 10. de ver. Dom. AVdiuimus in Euangelio Dominum exhilaratum spiritu dixisse Deo patri: *Confiteor tibi, Domine pater cęli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quia sic placitum est ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo agnoscit filium nisi pater, neque patrem quis agnoscit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* In clamando laboramus, in audiendo laboratis. Audiamus ergo eum qui sequitur, & dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spacia charitatis. Quid ergo dicit: *Venite omnes qui laboratis*, nisi vt non laboretis? Denique promissio eius in promptu est, quoniam laborantes vocauit: Quærent forte qua mercede vocati sunt. *Ecce ego vos*, inquit, *reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me*, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, sed: *Quoniam mitis sum, & humilis corde.* Magnus esse vis, a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam cōstruere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, & disponit superimponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit: Qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur? Quò peruenturum est cacumen ædificij? Cito dico, vsque ad conspectum Dei. Videtis quā excelsum est, quanta res est cōspicere Deum. Qui desiderat, & quod dico, & quod audit, intelligit: Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident, sed eos vident, qui oculos habent, & non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viuentis & videntis, vt illum Deum videre concupiscamus, de quo dicit scriptura: Qui plantauit aurem, nónne audiet? Qui Psal.93. finxit oculum, nónne considerat? Non ergo audit qui fecit tibi vnde audias? Et non videt qui creauit vnde videas? Bene autem proloquitur in ipso Psalmo, & dicit: Intelligite ergo qui insipientes estis

tes estis in populo, & stulti aliquãdo sapite. Multi enim propterea mala faciunt, dum putant, quod non videantur a Deo, & difficile est quidem, vt eum credant videre non posse, sed putant nolle. Pauci inueniuntur tantæ impietatis, vt impleatur
Psal. 13. & 52. in eis quod scriptum est: Dixit stultus in corde suo, non est Deus. Insania ista paucorum est: Sicut enim magna pietas paucorum est, ita & magna impietas nihilominus paucorum est. Hoc autem quod dico, turba dicit: Ecce modo inde cogitat Deus, vt sciat quid faciam in domo mea, & curat Deus quid velim agere in lecto
Psal. 93. meo? Quis dicit? Intelligite qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Tu homo cum iis, qui laboras, si omnia domus tuæ noueris, & perueniant ad te omnia verba, omnia facta seruorum tuorum, putas & Deum sic laborare, vt attendat ad te, qui non laborauit, vt crearet te? Oculum in te non intendit suum qui fecit tuum? Non eras, & creauit te vt esses. Non te curat cum
Rom. 4. iam sis, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint? Non ergo tibi hoc promittas, velis nolis, videt te, & ab eius oculis non est vbi abscondas te. Si
Psal. 138. enim cælum ascenderis, ibi est. si descenderis in infernum, adest: Laboras, nolens recedere a factis malis, & volens non videri à Deo. Magnus labor. Facere vis mala quotidie, suspiraris te non videri,
Psal. 93. audi scripturam dicentem: Qui plantauit aurem, nonne audiet? Qui finxit oculum, nõne considerat? vbi mala facta tua abscondis ab oculis Dei? Si vis recedere ab ipsis, multum laboras. Audi dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis. Non finis laborem fugiendo. Ab illo eligis fugere, non ad illum. Inueni quò, & fuge. Si autem propterea non potes ab illo fugere, quia vbique præsens est, de proximo fuge ad Deum: quia præsens est vbi stas, Fuge. Ecce fugiendo excessisti cælos, ibi est.
Hier. 23. Descendisti ad inferos, ibi est: quascunque terrarum solitudines elegeris, ibi est qui dixit: Cælum & terram ego impleo. Ergo si cælum & terram ipse implet, & quò fugere possis ab illo non est, noli laborare. Fuge ad præsentem, ne sentias venientem. Præsume te visurum bene viuendo, a quo videris & male viuendo. Male enim viuendo videri potes, videre non potes. Bene autem viuendo & videris & vides. Quanto enim te familiarius videbit qui coronat dignum, qui misericorditer vidit, vt vocaret indignum. Nathanael ait Domino quem nondum sciebat: Vnde me
Ioan. 1. nosti? Ait ei Dominus: Cùm esses sub arbore fici, vidi te. Videt te Christus in vmbra tua, non te videbit in luce sua? Quid est enim, cùm esses sub arbore fici vidi te? Quid sibi hoc vult? Quid si-
Gen. 3. gnificat? Recordare originale peccatum Adæ, in quo omnes morimur. Quando primo peccauit, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecit. Significans in illis foliis pruritum libidinis, quo peccando peruenit. Inde nascimur, sic nascimur, in carne
Rom. 8. peccati nascimur, quam sola sanat similitudo carnis peccati. Ideo misit Deus filium suũ in similitudine carnis peccati. Inde venit, sed sic nõ venit. Non enim cũ virgo libidine, sed fide concepit. Venit in virginem, qui erat ante virginem. Quam creauit elegit, quam eligeret, creauit. Attulit virgini fœcunditatem, non abstulit integritatem. Qui ergo sine pruritu foliorum ficus venit ad te, cum esses sub arbore fici, vidit te. Para, & videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. Sed quia magnũ fastigium est, de fundamento cogita. Quod, inquis, fundamentum? Disce ab illo, quoniam mitis est & humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 3.

SAnctum Euangelium cum legeretur, fratres, audiuimus dominum Iesum exultasse in spiritu, & dixisse, *Confiteor tibi, pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus & reuelasti ea paruulis.* Hucusque interim verba domini. Si digne, si diligenter, si quod primum est pie consideremus, inuenimus primitus, non semper cum in scripturis legimus confessionem, *Serm. 48. de temp.* debere nos intelligere vocem peccatoris. Maximè autem hoc dicendum fuit, & huc admonenda charitas vestra, quia mox vt hoc verbum sonuit vox lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito, scilicet, quod dominus *Supra de verbis domini, sermo 8. & 9.* ait, *Confiteor tibi pater.* In hoc ipso quod sonuit *confiteor*, pectora tutudistis. Tundere autem pectus *Pectus tundere, mos olim erat.* quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatũ? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, *Confiteor tibi pater? Confiteor,* audistis, quia confitetur non attendistis. Nunc ergo aduertite, Si *confiteor* Christus dixit, à quo longè est omne peccatum, non solius est confiteri peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo siue laudantes Deum, siue accusantes nosmetipsos. Pia est vtraque confessio, siue cum te reprehendis, qui non es sine peccato, siue cum illum laudas, qui non potest habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim iam confiteris in accusatione peccati, in accusatione tui ipsius? Quare confiteris? Quia ex mortuo factus es viuus. Scriptura quippe ait, A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit à mortuo confessio, qui confitetur, viuit: & si peccatum confitetur, vtique a morte reuixit. Si pec- *Eccles. 17.* cati confessor reuixit à morte, quis illum suscitauit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille solus se potuit suscitare, qui mortua carne nõ mortuus est. Etenim hoc suscitauit quod mortuum fuit. Ille suscitabat, qui viuebat in se. In carne autẽ suscitando mortuus fuerat. Non enim pater filium solus suscitauit, de quo dictum est ab Apostolo, Propter quod Deus eum exaltauit: sed *Philip. 2.* etiam dominus semet ipsum, id est, corpus suum suscitauit. Vnde dicit, Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Mortuus est autem pecca- *Ioan. 2.* tor, maxime ille, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus Lazarus. Parũ enim erat quia mortuus etiam sepultus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, scilicet, terrenarum cupiditatum mole premitur, ita, vt in illo iam factum sit, sicut in quodam Psalmo mirabiliter di- *Psal. 13. & 52.* citur, Dixit stultus in corde suo, non est Deus: sit talis, de quali dictum est, A mortuo velut qui non *4 sen. dis. 22 cap. 1.* sit, perit confessio. Quis eum suscitauit, nisi qui *Ioan. 11.* remoto lapide, clamauit dicens, Lazare prodi foras. Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodire? Qui confitetur, foras prodit: foras autem prodire non posset, nisi viueret, viuere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Di-

cii ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si iam cõfesso: voce dominica resuscitatus prodit? Quid prod est Ecclesia confiteri, cui dominus ait, Quę soluentis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Iam viuebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit ecclesia, cui dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt: nisi quod dominus ait continuo ad discipulos, Soluite illum, & sinite abire? Siue ergo nos accusemus, siue Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, a quo gratia gratis datur cuicunque datur. Bis ergo Deum laudemus, si piè nos accusemus, Deumque laudamus. Quando Deum laudamus tanquam eum qui sine peccato est prędicamus: quando autem nosmetipsos accusamus, ei per quem resurreximus gloriam damus: hoc si fecerimus nullam occasionem inueniet inimicus qua nos circumueniat ante iudicem. Cum enim tuipse fueris accusator, & dominus liberator, quid erit ille, nisi calumniator? Meritò ille hinc sibi torclam prouidit aduersus inimicos nõ conspicuos, carnem, & sanguinem miseranda potius quàm cauenda, sed aduersus illos inimicos, contra quos Apostolus nos hortatur vt armemur, Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, id est, aduersus homines, quos videtis sæuire in nos. Vasa sunt, alius vtitur. Organa sunt, alius tangit. Immisit se, inquit, diabolus in cor Iudæ, vt traderet dominum. Ait aliquis, Quid ergo ego feci? Audi Apostolum, Neque detis locum diabolo. Tu malæ voluntati locum dedisti, intrauit, possedit, vtitur: si locum non dares, non possideret. Ergo nos admonens ait, Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates: posset quisque putare, aduersus reges terræ, aduersus potentes seculi. Quare? Ipsi non caro, & sanguis? Semel dictum est, Non aduersus carnem, & sanguinem. Auertere ab omni homine, qui ergo restant inimici? Aduersus principes, & potestates spiritalis nequitiæ, rectores mundi: quasi plus dedit diabolo, & angelis eius. Plus dedit, quos rectores mundi appellauit. Sed ne male intelligas, exponit quid sit mundus, cuius sunt illi rectores. Rectores mũdi tenebrarum harum. Quid est mundus tenebrarum harum, quibus est rector? Dilectoribus suis, & infidelibus plenus est mũdus, hos appellat Apostolus tenebras. Harum rectores diabolus, & angeli eius. Hæ tenebræ nõ naturales sunt, non incommutabiles sunt. Mutantur & lux efficiuntur, credunt, & credendo illuminantur. Quod cum in eis factum fuerit, audient, Fuistis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Nam quando tenebræ, in te, non in domino. Iterum quando lux, non in te, sed in domino. Quid enim habes, quod non accepisti? Quia ergo sunt inuisibiles inimici, inuisibiliter sunt expugnandi. Quippe hostem visibilem vincis feriendo, inuisibilem vincis credẽdo, Visibilis est hostis homo, visibile est & ferire inuisibilis est hostis diabolus, inuisibile est & credere. Ergo est pugna inuisibilis aduersus inuisibiles inimicos. Ab his enim inimicis quomodo fit tutum dicit quidam? Hoc enim cœperã dicere, & necesse habebã de istis inimicis aliquanto eum mota tractare. Iã ergo cognitis inimicis, videamus tutelã. Laudans inuocabo dominũ, & ab inimicis meis saluus ero. Habes quid agas, Laudás inuoca, sed dominũ laudás inuoca. Si enim te laudaueris, ab inimicis tuis saluus non eris. Laudans inuoca dominum, & ab inimicis tuis saluus eris. Quia qood ait ipse dominus, Sacrificiũ laudis honorificabit me, & ibi via est vbi ostendam tibi salutare meum. Vbi via? In sacrificio laudis. Noli pedem extra hanc viam mittere, in via esto. Noli à via recedere, à laude domini, nec vnguem, nedum pedem. Si enim volueris ab hac vita deuiare, & pro domino te laudare, non eris saluus ab inimicis, quia de ipsis dictum est, Iuxta semitam scandala posuerunt mihi. Quicquid ergo putaueris boni habere te abs te, deuiasti à laude Dei. Quid iam miraris, si te seducit inimicus, quando tuipsius seductor es? Audi Apostolum, Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit. Dominum ergo attende confitentem, *Confiteor tibi pater domine cæli & terræ. Confiteor tibi*, laudo te. Laudo te, non accuso me. Quantum autem pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia singularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille, qui Christus est, si tollas gratiam, & tantam gratiam, qua vnum oportebat esse Christum, & ipsum esse quem nouimus? Tolle istam gratiam, quid est Christus, nisi homo? Quid nisi quod tu? Suscepit animam, suscepit & corpus, suscepit plenum hominem, coaptatam sibi vnam facit dominus cum seruo personam. Quanta est ista gratia? Christus in cęlo, Christus in terra, Christus simul in cælo, & in terra, nec duo Christi, sed idẽ Christus in cælo & in terra, Christus apud patrem, Christus in vtero virginis, Christus in cruce, Christus apud inferos subueniens quibusdam, Eo autem ipso die Christus in paradiso cum latrone confiteute. Et ibi quid latro meruit nisi quia illam viam tenuit, vbi ostendit salutare suũ, à qua tibi pes non exeat? In eo enim quòd se accusauit, Deum laudauit, & vitam suam beatam fecit. Præsumpsit quidem de domino, & ait illi, Domine memento mei, dum veneris in regnum tuũ. Considerabat enim facinora sua, & pro magno habebat si ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuo eum ille diceret, Memento mei, sed quando? Cum veneris in regnum tuum, Amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit, quod miseria distulit. Audi ergo dominum confitentem, *Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ*. Quid confitetur? In quo te laudo. Hæc enim confessio, vt dixi laudem habet, *Quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Quod est hoc, fratres? A contrario sensu intellige. *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus & prudentibus*: & non dixit, reuelasti ea stultis & imprudentibus: sed dixit, *Abscondisti à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus* irridendis, arrogantibus, falsò grandibus, verè autem tumentibus opposuit, nõ sapientes, non prudentes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? Humiles. Ergo *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*. Nomine sapientium & prudentiũ superbos intelligi posse ipse ea posuit, cum ait, *Reuelasti ea paruulis*. Ergo abscondisti nõ paruulis? Quid est non paruulis? Non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbis? Hæc via domini aut non erat, aut latebat vt reuelaretur nobis. Vnde dominus exultauit, nisi quia reuelatum est paruulis? Debemus esse paruuli, nam si voluerimus esse

esse magni quasi sapientes, & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? Sapientes & prudentes, dicentes se sapientes, stulti facti sunt. *Rom.1.* Habes remedium à contrario: si dicendo te sapientem, stultus factus es, dic te stultum & sapiens eris. Sed dic, dic, sed intus dic, quia est vt dicis. Si dicis nolo coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere. Prorsus quod ad teipsum pertinet, quod ad tua tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique de illis sic ait, *Ibidem.* Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Antequam hoc diceret, quid rursum? Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dic quia tu tibi lumen non es. Vt multum oculus es, lumē non es. Quid prodest patens ac sanus oculus si lumen desit? Ergo dic à te tibi lumen non esse, & clama quod dictum est. *Psal.17.* Tu illuminabis lucernam meam, domine, lumine tuo, domine, illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil nisi tenebræ: tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans nisi in te. *Ioan.1.* Sic Ioannes amicus sponsi Christi, putabatur lumen. Non erat ille lumen, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Quòd autem erat lumen, erat lumen verum. Quid est verum? Quod illuminat omnem hominem. Si verum lumen est quod illuminat omnem hominem: ergo audi & Ioannem rectè dicentem, rectè confitentem. Nos autem de plenitudine eius accepimus. Vide si aliud dixit, quàm, tu illuminabis lucernam meam, domine. Deoque iam illuminatus testimonium perhibebat. Propter cæcos lucerna diei testimonium perhibebat. Vide quoniam lucerna est. *Ioan.5.* Vos, inquit, misistis ad Ioānem, & voluistis exultare ad horam in lumine eius. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ille lucerna, hoc est, res illuminata, accensa vt luceret, quæ accendi potest & extingui. Sed vt non extinguatur, ventum superbiæ non patiatur. *Math.11.* Ergo *confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus*, lumen se putantibus & tenebræ erant. Et pro eo quòd tenebræ erant, & lumen se putabant, nec illuminare potuerunt: illi autem qui tenebræ erant, & tenebras se esse confitebantur, paruuli erant, & non magni: humiles erant, & non superbi. Rectè ergo dicebant, *Psal.17.* Tu illuminabis lucernam meam, domine. Se agnoscebant, dominum laudabant, à via salutari non recedebant. Laudantes dominum inuocabant, & ab inimicis suis salui erant. Postremo aperit cæleste mysterium, quod si placuerit Deo vt paruulis magis quàm prudentibus istius mundi gratiam suā reuelaret. Quod Apostolus Paulus stylo pleniore diggessit dicens, *1.Cor.1.* Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam, quoniam Dei sapientiam non cognouit hic mundus per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. *Math.11.* Ait ergo. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Cælestium enim verborum arcana, atque virtutes, sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur. Paruulis malitia non sensu: sapientibus verò stultitiæ præsumptione, non prudentiæ causis. Factique huius æquitatem dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat, vt qui dedignantur paruuli in Deum fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant. Vides quàm terribilis in consiliis dominus. Disce veræ humilitatis exempla, nec temere discutias supernæ dispensationis consilia. Cum enim intulisset vtrunque, scilicet quòd aliis aduentus sui sacramenta reuelauerit, ab aliis verò abscōnderit, non mox rationē reddidit, sed sic Deo placitum dixit, hoc ostendens manifeste, quia iniustum esse non potest, quod placuit iusto. Ac ne quid in illo minus quam quod in Deo est æstimaretur, statim subdidit, omnia mihi tradita sunt à patre meo. Pulcherrimus connectitur de fide locus, quando omnia sibi tradita dicit à patre suo. Cum omnia legis, omnipotentem agnoscis non decolorem, non degenerem patris. Cum tradita legis, filium confiteris, cui per naturam omnia vnius substantiæ iure sunt propria, non dono collata per gratiam. Tradita autem sibi dicit omnia, non cælum & terram vel cætera quæ ipse condidit ac fecit elementa, sed hoc, qui per filium accessum habent ad patrem & ante rebelles, Deum postea per fidem sentire cœperunt. Vnde & alio loco dicit, Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet: &, *Ioan.6.* *Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Cum diceret, *Nemo nouit filium nisi pater:* non dixit, & cui voluerit pater reuelare, quemadmodum cum dixerit, *Math.11* *Nemo nouit patrem nisi filius*: addidit, *Et cui voluerit filius reuelare.* Quod non ita intelligendū est, quasi a nullo possit cognosci nisi a solo patre: pater autem non solum à filio, sed etiam ab eis quibus reuelauerit filius. Sic enim potius dictum est, vt intelligamus & patrem, & ipsum filium, per filium reuelari, quia ipse est mentis nostræ lumen, vt quod postea intulit, *& cui voluerit filius reuelare,* non patrem tantum, sed etiam filium accipias: ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo se pater declarat. Verbum enim non solum id quod per verbum declaratur, sed etiā seipsum declarat. Vt scias autem quia sicut filius patrem quibus vult reuelat ipsum, audi dicentem ipsum dominum Iesum cū laudaret Petrum quod cum filium Dei esse cōfessus sit, *Math.16.* Beatus es Simon bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Audiamus ergo eum qui sequitur & dicit, *Math.11.* *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Mirum quibusdam videtur, fratres charissimi, cum audiunt dominum dicentem. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum meum suaue est, & onus meum leue,* & non considerant eos qui iugū ipsum intrepida ceruice subierūt, & illam sarcinā mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non a laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur, cum Apostolus dicat, *2.Tim.3.* Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patiētur. Ait ergo aliquis, Quomodo iugum eius suaue est & sarcina leuis, quādoquidem illud iugum & sarcinam ferre, nihil est aliud quàm piè viuere in Christo? Et quomodo dicitur, *Math.11.* *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos:* *Math.20.* & non potius dicitur, Venite qui vacatis vt laboretis? Nam & vacantes inuenit quos conduxit in vineam vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leui & sarcina leui audiamus Apostolum dicentem, *2.Cor.6.* In omnibus commēdantes nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiētia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis,

2.Cor.11. & cætera. Et alio loco in eadem Epistola, A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: & cætera pericula quæ enumerari quidem possunt, sed tolerari nisi spiritu sancto iuuante non possunt. Omnia ergo illa, quæ commemorauit aspera & grauia, frequentius, & abundantius sustinebat, sed profecto aderat ei spiritus sanctus, qui in
2.Cor.4. exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret, aspera, & grauia omnia releuaret. Ecce quàm suaue iugũ Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, vt omnia illa, quæ superius enumerata dura, & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationẽ diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis quanto precio temporalium emenda sit futura
Vita futura magno pretio temporaliũ emenda est. vita, non pati labores æternos impiorum, & sine vlla sollicitudine perfrui æterna felicitate iustorum. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris acrioris dolorum pretio redimantur, in languida & incerta vacationis breuissimæ atque vltima vita. Immanissimis bellis miles atteritus, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili, & tremendæ sæuitiæ cæli, & maris importuni sunt mercatores, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus quàm quibus acquisiti sunt periculis, & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venantes? quem laborẽ esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi, & potus angustias vt bestiam capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessariç: quanquam & si aper, ceruúsque capiatur, magis suaue sit venantis animo, quia captus est, quã comedẽtis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam scholis vigiliarum, & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes, honoréſque vanitatis, vt numeros, & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur: qui verò amãt, eadem quidem, sed non grauia pati videntur. Omnia enim sçua, & immania, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit. Quàm facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit,
Rom.8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde iugum illud suaue est & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen om-
Psal.16. nibus diligentibus. Dicit Psalmista. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdẽ ipsis mitescunt amantibus: propter quod ita diuinæ pietatis dispensatione actum est, vt interior homo, qui re-
2.Cor.4. nouatur de die in diem non adhuc sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuera graue iugum, sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitatem simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset, ille princeps qui missus est foras, interiore gaudio leue fieret. Nihil enim tam facile est bonæ voluntati quàm
Ioan.12. ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæuiat iste mundus, verissimè angeli nato in carne domino clamauerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia Luc.2.
qui natus erat, suaue iugum eius est, & sarcina le- Matth.11.
uis, sicut dicit Apostolus. Fidelis Deus, qui non si- 1.Cor.10.
nit tentari nos super id, quod possumus ferre, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possimus sustinere. Conuersi ad dominum Deum patrem omnipotentem puro corde, & inquantum potest paruitas nostra, maximas, atq; veras gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinẽ eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoque à nostris actibus, & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spiritales cogitationes cõcedat, & ad beatitudinem suam perducat, per Iesum Christum dominum nostrum filium suum, qui cùm eo viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHMARI eiusdem Euang. expositio.

IN *illo tempore respondens Iesus.* In illo tẽpore quod dicit ad hoc respicit quod dixerat. Tũc cœpit Iesus exprobrare, quia in illa exprobratione illarum ciuitatum, perfidia Iudæorum prætenditur, qua Christum erant repulsuri: in prælatione gentium ciuitatum, gentes credituræ designantur. Et inde est illa confessio quod nunc est glorificaturus patrem. Quod dicit respondens, subauditur ad patrem. *Confiteor tibi domine pater cæli, & terra.* Confessionum genera duo sunt: vnum, qua peccator confitetur peccata sua: alia confessio, quæ ad laudem & gratiarũ actionem pertinet: quam in hoc euangelio frequenter legimus Dominum Christum ad patrem fecisse: de qua nunc sequitur. *Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Sapientibus Scribis & Pharisæis dicit, non quod ipsi vere essent sapientes: sed quia sibi videbantur esse sapientes: & prudentes. *Et reuelasti ea paruulis.* Id est humilibus, Apostolis videlicet meis. Fecerũt autem philosophi differentiam inter sapientiam, & prudentiam dicentes, sapientiam esse diuinarum cognitionem, prudentiam autem diuinarum humanarumque agnitionem. Potest etiam sapientum & prudentũ nomine gens Iudæorum intelligi: quæ sibi sapiens esse visa est, propter legem & prophetarum doctrinam, quam accepit: sed quia male eam interpretata est & intellexit: propter ea incertam & occultam Dei sapientiam in ea intelligere nõ potuit. Gentiles vero humiles appellãtur & paruuli: quia agnoscentes ignorantiam suam, Domini prædicationẽ statim vt audiere suscepere. *Ita pater, quia sic fuit placitum ante te.* Subauditur gratias ago. Ista cõfessio Græce exomologesis dicitur, cuius nominis duplex significatio est: quia vt pertinet ad confessionem

nem peccatorum, quo delicta nostra confitemur Domino, non quasi ignaro, cui nihil occultum: sed confessio fit erroris professio, vt fit finis peccati, quod in conspectu eius detestamur. Alia autem confessio est, quæ ad laudem, & gratiarum actionem pertinet in hoc loco. *Confiteor tibi pater cæli, & terræ. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Secundum eam formam, qua homo factus est, hæc loquitur, de electis scilicet, qui credituri sunt in eũ: Et inde dicit *omnia*, subauditur electa. Nã secũdum diuinitatem tunc tradita sunt, quando de patre genitus est. Si quid quæstionis in hoc verbo videtur habere: melius silere puto quam cursim nunc exponere, donec latiorẽ expositionem opportunum tempus inueniat: quia sicut canones præcipiunt, obscuræ quæstiones in populis reticendæ sunt: *Et nemo nouit filium nisi pater neque patrem quis nouit, nisi filius.* Ista notitia secundum diuinitatis naturã intelligitur, quia pater, & filius vnus Deus: & quia filius de patre processerit: vel quia æternus pater, æternus filius, æternus & spiritussanctus: & quia semper inenarrabilis illa scẽtia humanis sermonibus est: quod & propheta dicit. Generationẽ eius quis enarrabit? Quod autẽ sequitur, *& cui voluerit filius reuelare*: manifeste credimus, quod neq; docentis hominis exterius est virtus, nisi ipsius domini interius incrementũ daotis. Nam in alio loco in hoc eodem euangelio legimus. Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, Ex quibus verbis vnam operationem patris, & filij, & spiritussãcti intelligimus: & firma fide credimus. Quia nisi tangente spiritussancto, quo vnus est Deus, qui vnus est: neque credere quis potest, neque intelligere quis diuinitatem potest. Et cum reuelat pater: reuelat filius: reuelat spiritussanctus. Quia vna est operatio indiuiduæ trinitatis. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Hoc in loco & gentes ad pœnitentiam vocat: & omnes qui sub pondere peccatorum graui iugo tenebantur oppressi. Iudæi qui zelum Dei habebant, suam quærebant iustitiam: Deo non erant subiecti: gentes vero ignorantes creatorem, & colentes creaturam pro creatore sub onere dæmonum seruiebant: facti lapides & ligna, quos colebant, secundum Psalmistam qui dicit. Similes illis fiant, qui faciũt ea, & omnes qui confidunt in eis. Sequitur. *Et ego reficiam vos.* Videlicet auferendo peccata à vobis per baptismum requiescere faciam. Grauem autem esse sarcinam peccatorum Psalmista ostendit, qui ait. Quomodo iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Tollite iugum meum super vos*: Hoc est sponte venite & credite in me, & submittite colla vestra sub iugo meo leui: quia vsque modo grauata sunt colla vestra, & attrita sunt sub iugo legis. Vnde postea Petrus causabatur dicens. Vt quid vultis imponere iugum super ceruices nostras: quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus aliquando? Non enim inuitus aliquis credere potest, nisi voluntarius: propterea tollite iugum meum super vos: quia iugum credulitas est, qua quisque Deum elegit credere, & sequi. *Et discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Ipsum est iugum quod super nos tollere debemus, & collum submittere, vt mites simus & humiles corde. Mites & mansueti cum omnibus bonis: quia & ipsa simplicitas est quam in columbæ specie imitari iubemur. Quia quantum ex nobis est, pacem debemus habere cum omnibus hominibus. Quæ sunt virtutes, quas dominus discẽdas esse præmonuit. Nõ dixit, discite à me mortuos suscitare, dæmones effugare, super mare siccis pedibus ambulare: sed hoc quod possumus imitari, scilicet vt mites simus & humiles corde. In alio etiam loco dicit. In hoc cognoscẽt omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Ista sunt tria signa per quæ Christi discipuli dignoscuntur. Qui ista tria non habere deprehenditur, non esse Christi discipulus conuincitur, quãuis nomine tenus dicatur Christianus. Non est de his de quibus sequitur. *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Non promittit temporalia sed spiritualia: quia quæ videntur, corruptibilia sunt, & cito transeũt: quæ autem post mortem iustis dantur, æterna, & immarcescibilia sunt. *Iugum enim meum suaue est: & onus meum leue.* Quomodo potest esse hoc, quod Dominus dicit, iugũ suum esse leuius quam iugum legis fuit? Sed si subtiliter perpendimus, inueniemus leuiora esse præcepta euangelij quam legis. In lege enim multa præcepta sunt, quæ apostoli testantur non posse compleri: quia in lege opera requiruntur: quæ qui fecerit, viuet in eis. In euangelio voluntas quæritur, quæ si etiam effectum non habuerit, præmium tamen non amittit: & ea nobis præcipiuntur, quæ possumus obseruare: videlicet ne cõcupiscamus. In veteri lege si opus affuerit, & voluntas defuerit, punitur qui fecerit: in euangelio ex voluntate quilibet iudicatur. Verbi gratia: si mulier oppressa fuerit, & contaminata per vim: quamuis voluntas defuerit, in veteri lege propter opus punitur. In euangelio autem quia voluntas defuit: & violentiam perpessa est, apud Deum virgo iudicatur.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberstatensis in superius Euang. Homilia.*

RESpondens Iesus, dixit: *Confiteor tibi pater Domine cæli, &c.* In fronte huius lectionis euangelicæ quæstio suboritur, cùm nec superius, nec inferius describatur quod aliquis cum interrogasset. Legimus enim in alijs locis, quod interrogatus est à discipulis, & respondit. Interrogauerunt eũ scribæ & pharisæi, & respondit. Hic datur intelligi, quia nihil tale repetitur, sed tantummodo absolute dicit: Respondit Iesus. Concordia Lucæ euãgelistæ faciẽda est, qui hoc aptiùs manifestat, cùm dicit. Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam: in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus, & dedit eis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit, & vt sanarentur infirmi, & cæteras virtutes facerẽt. Quod idem Lucas in sequentibus testatur cùm dicit. Qui cumes fecerunt sicut constituit eis Iesus, & faciebant multa miracula, & inter cætera, dæmonia eijciebant, vnde reuersi cùm gaudio ad Dominum dixerũt: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo, & ait illis Iesus. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, verumtamen nolite in hoc gaudere quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt

in

in cælis: inde subinfert & dicit. In ipsa hora exultauit Iesus spiritusancto, & dixit. *Confiteor tibi domine.* hoc est quod dicit Iesus. Sciendum est enim quia in vno homine duo homines sunt, interior, & exterior. Solet enim interior exteriori respondere, & exterior interiori. Sicut legimus de Nabuchodonosor qui dum deambularet in aula regni sui in Babylonia, tumēs superbia respondit. Nonne hæc est Babylon illa quam ego ędificaui in robore, & in brachio fortitudinis meæ? Sed Dominus non taliter respondit sicut Nabuchodonosor: sed respondit humanitas diuinitati, imo filius ad patrem. Videbat enim simulachra dæmoniorum destrui, principem mundi eijci foras & suum numerum crescere, & ideo exultauit & dixit; Confiteor. Tribus enim modis cōfessio dicitur. Est confessio in fide, est confessio in peccatis, est & confessio in laude. In fide sicut confitetur vniuersalis ecclesia cùm dicit: Credo in Deum. Est confessio
Iaco. 5. in peccatis de qua Apostolus dicit: Confitemini alterutrum peccata vestra. Est & in laude de qua
Psal. 11. propheta dicit, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Sed Dominus, nec in fide, nec in peccatis dicitur confiteri, sed tantummodo in laude. Vel certe dicitur confiteri eo quod sanctis hoc dicit facere. Confiteor tibi Domine. Ad hæc surgentes hæretici dixerunt: quòd Dominus Iesus Christus non fuisset verus filius Dei per proprietatem naturæ dicentes: quia si fuisset filius Dei verus, nunquam eum Dominum appellasset: non considerantes illud, quoniam ipse per humanitatem minor est pa-
Ioan. 14. tre, sicut ipse ait: Pater maior me est, in diuinitate namque æqualis est patri velut ipse dicit. Ego & pater vnum sumus. Secundum enim humanitatem, Dominum appellat. Vnde & pater ad Deum per prophetā dicitur: Noli timere serue meus. Et
Luc. 1. beata Maria se ancillam illius appellat & dicit: Ecce ancilla Domini. *Pater cæli & terrę.* & rectè eum patrem appellat, quia ipse ascendens in cælum dixit. Ascendo ad patrem meum. Quidam per hyberbaton hoc volunt intelligere, id ęst, per transitionem verborum dicentes. Confiteor tibi pater. Deinde subinferunt & dicunt: Domine cæli, & terræ, vt sit sensus, quod si ipsius sit pater, & Dominus cæli & terræ. Quamquam ita possit intelligi, tamen secundum præfatum sensum accipiendum, quia ipse ęqualis patri per diuinitatem. Pater cęli, id est, angelorum, terrę non hominum. Aliter autem pater cęli, id est sanctarū animarum. Vnde scriptum: Cęli enar-
Psal. 18. rant gloriam Dei, & opera manuum eius, annunciat firmamentum; terrę non hominū, qui adhuc in terrenis sunt implicati, necdum possunt contemplari cælestia per oculum mentis, nec valent dicere cum Apostolo; Nostra autem conuersatio in cęlis est. Et rectè pater cęli & terrę appellatur, quia ipse cūcta creauit ex nihilo, visibilia & inuisibilia, sicut scriptū est: In principio creauit Deus
Gen. 1.
Matth. 6. cęlum & terram. Et alibi: Qui manet in ęternum creauit omnia simul, Vnde & nos quotidie in oratione dicimus; Pater noster. Et ipse Dominus alibi ait: Vnus est enim pater vester. *Quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus.* Vbi perquirere debemus, quid absconderit Dominus à sapientibus & prudentibus, nunquid abscondita est humanitas à scribis & pharisęis, cùm Symeon dicat; Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Et in

alio loco scriptum sit. Et videbit eum omnis oculus? Non vtique humanitatem, sed diuinitatem eis abscondit, quia scribę & pharisęi diuinitatem in humanitate latitantem non cognoscebant. Quia si cognouissent, nunquam Dominum glorię crucifixissent. Nam sapientes & prudentes sancti *Matth. 23.*
apostoli fuerunt. De quibus Dominus Iudęis ait: *Matth. 10.*
Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas: & iterum Apostolis: Estote ergo prudentes sicut serpētes. Et Petrus apostolus. Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Sed nunquid istis diuinitas abscondita fuit? Non. Sed illis de quibus per prophetam Dominus dicit. Vę qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et iterum. Sapientes sunt, vt faciunt mala. Et apostolus. Quia non potuit mundus per sapientiā credere Deum, placuit Deo per stultitiam saluos facere credentes. Quoniam stul- *1. Cor. 1.*
ta mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & cætera. *Et reuelasti ea paruulis.* Qui sunt isti paruuli? nimirum sancti apostoli. Habes enim in euangelio: Quia aduocās Iesus paruulū statuit eum in *Matth. 18.*
medio, & dixit. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, &c. Et iterum. Sinite paruulos venire ad me. Paruulos autem non propter modicitatem corporis, vel propter insipientiam dicit, sed propter innocentiam. Vnde Apostolus discipulis ait: Nolite pueri effici sensibus. Reuelauit Dominus filium suum sanctis apostolis, sicut Thomæ, qui dixit: Dominus meus, & Deus meus. *Ioan. 20.*
Et sicut Petro ait; Caro & sanguis non reuelauit *Matth. 16.*
tibi. Regnum enim Dei possidebunt beati oculi iustorum. Quibus dominus se & patrem reuelare dignatus est. *Ita pater, quia sic fuit placitum ante te.* Sic enim placitū fuit Deo patri, vt filium suum vnigenitum mitteret pro salute generis humani. Siue etiam vt sapientibus & prudentibus huius seculi absconderet filium suum, & paruulis reuelaret. Vel certe in præsentia Dei patris fuit ante omnia secula, quos eligeret de mundo, mittens filium suum in mundum. Quia sicut Apostolus *Rom. 8.*
dicit; Quos præsciuit, hos & prædestinauit, quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo;* In Christo semper duas naturas, & duas operationes intelligere debemus, diuinam scilicet, & humanam: secundum diuinam æqualis est patri, & omnia habet cum patre, sicut ipse dicit ad patrem; Pater, omnia mea tua sunt. Secundum vero humanam: quæ minor est patre, omnia ei subiecta sunt à patre. Vnde pater ad eum ait: Pete à me, & dabo tibi. Et in hoc loco. Omnia mi- *Psal. 2.*
hi tradita sunt à patre meo. Et in Psalmo. Omnia *Psal. 8.*
subiecisti sub pedibus eius. Vnde & ipse dominus post resurrectionem suam gratulabundus ait discipulis. Data est mihi omnis potestas, &c. Habet *Matth. 28.*
enim pater: quod non habet filius, habet filius, quod nō habet pater, habet spiritussanctus, quod habet pater & filius. Pater habet æternitatem sine natiuitate. Filius habet æternitatem cum natiuitate: Spiritus verò sanctus à patre filioque procedit. Ergo pater ingenitus. Filius genitus. Spiritussanctus nec genitus sed à patre & à filio procedit. *Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.* Valde perquirere debemus, cur dicit nemo nouit filium, &c. Cum apostolus dicat. Cum autem placuerit ei qui me segregauit, &c. & Ioannes vidisse

eum

eum testatur indutum podere ad mamillam uiur. Et non solum in nouo testaméto, verumetiam & in veteri inueniuntur sancti, qui se eum vidisse testati sunt. Sicut Abrahá qui tres vidit, & vnum adorauit. Nam & Moyses loquebatur cum illo facie ad faciem: Et sicut Iacob qui dixit; Vidi facie ad faciem. Et Isaias, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum: & Ioánes Apostolus dicit, Quod vidimus, quod audiuimus, & hic dicit. *Nemo nouit filium nisi pater.* Si nemo nouit filium nisi pater, ergo sancti frustra credunt illuc ascendere vbi Christus est. Sed ista quæstio facile soluitur, si hoc cõsideremus quod superius diximus in Christo duas naturas esse, diuinam & humanã. Sciendum nanque est quia ille coæternus est, & coæqualis patri. Nullus enim nouit nec nosse potest, Ioanne dicente: Deum nemo vidit vnquam. Quomodo enim Deũ, lumen de lumine, omnipotentem de omnipotente, nemo nouit, neque scire potest, Sicut propheta dicit. Generationem illius
Rom.11. quis enarrabit? hoc Apostolus considerans ait; O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c. Ad Moysen enim Dominus dicit; Non enim videbit me homo & viuet. Vel etiam quomodo in vtero beatæ Mariæ virginis nullus nouit. Angelus enim ad beatam Mariam ait; Spiritus sanctus superueniet in te. Vnde Ioannes dicit, Post me ve-
Luc.2. nit propheta: Brachium Domini cui reuelabo. Ergo pater nouit filium, quem coæternum & consubstantialem sibi genuit. Et cui voluerit filius reuelare, in hoc cõceditur consolatio sanctis, cum dicitur, *Et cui voluerit filius reuelare.* quia quamuis modo non videant sancti corporaliter, tamen restat tempus quando videbunt. Vnde Ioannes dicit; Filioli nunc filij Dei sumus. Cui vult & quantum vult, se & patrem ostendit. *Venite ad me omnes.*
Psal.33. Quatuor vocationes in sacro eloquio reperimus,
Psal.94. duas in veteri testaméto, duas & in nouo. Prima in veteri testamento. Venite filij audite me. Secúda, venite adoremus. Prima in nouo testamento, ista
Matth.25. quæ in præsenti recitatur cum dicitur. Venite ad me omnes. Secunda: venite benedicti patris mei & reliqua. Sicut enim Synagoga admonebat filios suos, vt venirent atque timorem Dei discernerent dicens. Venite filij audite me & cætera. Postea vero hortabatur adorare inquiẽs: Venite adoremus. Ita etiam sancta Ecclesia hortatur cum ait: Venite ad me omnes. Quod enim Synagoga dicebat, Venite filij audite me, hoc ecclesia dicit. Venite ad me omnes. Et quod illi dicebant. Venite adoremus. Ita & Christus dicturus erat sanctis. Venite benedicti patris mei. Tres vocationes iam impletæ sunt, & adimplentur quotidiè. Restat quarta quæ in die iudicij adimplebitur, quam qui audire meruerint sine fine gaudebunt. *Qui laboratis & onerati estis.* Laborabat enim plebs gentilium in culturis dæmoniorum, & in delubris idolorum siue etiam in desiderijs carnis, de quibus scriptum est. Telas araneæ texuerunt. Et Apostolus dicit. Scitis quoniam cum gentes essetis ad simulachra muta & reliqua. *Et ego reficiam vos.* Quid promisit? Refectionem non solum in cibo carnali, sed & in spiritali. De qua refectione in Apocalypsi scriptum est: Beati qui ad cęnam nuptiarum agni vocati sunt. Quam sancti accipientes dicent. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, &c. De hac refectione Dominus mulieri Samaritanæ ait. Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Tollite iugum meum super vos.* Nunquam potest homo sine iugo esse, aut Christi, aut diaboli. Dudum autem Iudaica plebs iugum legis sustinebat. De quo iugo Petrus Apostolus ait. Quid vultis imponere iugum super nos? &c. Quia ait dominus
postea. Onera grauia & importabilia imponunt in humeros hominum. Plebs autem gentium iugum diaboli portabat, videlicet sarcinam peccatorum in dorso. De hoc nanque superius dictum est. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Notandum autem, quia non onus diaboli suum iugum dixit. Iugum enim Christi eius doctrinam intelligere possumus, quam omnes sancti, qui eam consequi voluerunt portabũt. Sicut ipse dixit. Qui vult venire post me, &c. Matth.16.
Notandum autem, quia homines qui alios ad se venire faciunt, & eos erudire cupiunt, dicunt eis. Discite a nobis. Ita & dominus suam doctrinam nos erudire cupit, cum dicit. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Non dixit virtutes facere, infirmos sanare, mortuos suscitare, & cætera talia. Iam enim supra dederat illis potestatem ad hoc faciendum. Hic nihil tale reperitur, sed tantum dixit. *Discite à me.* Quid nisi humilitatem? Et notandum est, quia se mitem dixit esse. Iam enim mitis Matth.5
terram promiserat, dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et ne graue videretur quod dominus precipiebat facere, ipse superius exemplis monstrabat. Et rectè dicitur, *humilis corde,* quia semetipsum humiliauit, sicut ait Apostolus. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam ar- Phil.2.
bitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, & cætera. Multi videntur humiles exterius, sed interius tumidi sunt, econtra exterius tumidi, sed interius humiles sunt. Bona autem conscientia quæ talem fert fructum, quæ semper intus seruat humilitatem. *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Et alibi dicit. Nolite timere eos qui oc- Matth.10
cidunt corpus animam autem non possunt occidere. Sancti post tribulationem requiem percepturi sunt. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Iugum ipsius suaue est, quare suaue, aut quare leue? Quia quod docuit, ipse prius impleuit. Sicut Lucas dicit: Quia cepit Iesus facere & Act.1.
docere. Præcepit nobis humiles esse: ipse prius in semetipso humanitatem exhibuit, nullam rem iussit quam ipse non demonstraret. Solent etiam nonnulli magistri grauia & importabilia discipulis iniungere, quod ipsi facere nõ valent. Loquuntur ore, & opere destruunt, ideo discipulis grauia videntur: sed dominus talia non fecit, iugum eius leue est. Sancti nanque quicquid in hoc sæculo patiuntur leue sustinent, quod iugum perfidi Iudæi portare noluerunt, dicentes: Dirumpamus Psal.2.
vincula eorum. Ergo nec sciétiam patris, nec filij, nec spiritussancti portare voluerũt dicẽtes. Scientiam viarum tuarum nolumus.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Confiteor tibi pater, &c. Quod dicit, hunc sensum habet. *Confiteor,* hoc est, gratias ago tibi, quòd Iudæi, qui sibi videntur esse sapientes, & periti in scripturis, non crediderunt; imperiti autem, & paruuli crediderunt, & cognouerunt mysteria.

stetia. Occultauit autem mysteria Deus ab iis, qui videntur esse sapientes: non vt inuidens, vel vt ambhot impetitiæ, sed ideo, quod non erant digni, propter hoc quod videbantur esse sapientes. Nam, qui videtur sibi sapiens, & confidit in sapientia sua, neque Deum inuocat. Vnde Deus postea non vocat eum, neque inuat, neque renelat. Et aliter, Deus propter magnam misericordiã suam non reuelat eis plura mysteria, vt ne magis puniantur, vtpote aspernantes ea, quæ didicerũt. *Etiam, pater, sic fuit bene placitum ante te.* Manifestat hoc loco benignitatem patris, quòd non ab alio prouocatus reuelat paruulis, sed sic placuit ab initio. Complacitum enim voluntas est, & beneplacitum. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Dixit supra, quod absconderit pater. Ne igitur suspiceris, quòd ipse quidem nihil faciat, omnia autem patris sint, dicit, *Omnia mihi tradita sunt*, & vna potestas mea, & illius. Quum autem audis, *tradita sunt:* ne suspiceris, quòd tanquam seruo, & inferiori tradita fuerint, sed tanquam filio. Nam secundum hoc quod natus est à patre, omnia tradita sunt ei. Nisi enim natus esset ab eo, & eiusdem esset substantiæ, non fuissent ei tradita. Non à domino, inquis, sed à patre meo: vt exempli gratia, si nascatur pulchet puer à pulchro patre, & dicat; Data est mihi pulchritudo à patre meo. *Et nullus cognoscit filium nisi pater, &c.* Maius dicit: Nulli sit mitum, me omnium esse dominum, quum scilicet & aliud maius possim, nempe scire patrem, ac sic ipsum cognoscere, vt & aliis eum possim reuelare. Considera autem, quòd superiùs dixerit patrem reuelasse mysteria paruulis: hic autem filius patrem reuelauerit. Vides igitur vnam virtutem patris, & filij: siquidem & pater reuelat, ac filius. *Venite omnes ad me, &c.* Omnes vocat, non solum Iudæos, sed Gentiles. Per laborantes intellige Iudæos, vt facientes traditiones legis, & in operatione mandatorum legis fatigatos. Per oneratos autem, Gentiles onere peccatorum oppressos. Hos igitur quiescere facit Christus. Credere enim, & confiteri, & baptizari, quis labor? Quomodo autem non & quies? quandoquidem & hic nihil solicitum esse oportet de iis, quæ ante baptismum facta sunt, & alibi quies te suscepturа est. *Tollite iugum meum super vos, &c.* Iugum Christi humilitas, & mititas. Qui igitur se humiliauerit omni homini, requiem inuenit, imperturbatus manens: sicut vanæ gloriæ cupidus, & arrogans semper in curis est, nolens quoquam minor haberi, sed cogitans quomodo magis glorificetur, & quomodo vincat inimicos. Iugum igitur Christi (humilitatem dico) leue est. Facilius est enim humili naturæ nostræ humiliari, quàm sublimari. Dicuntur item & omnia mandata Christi iugum leue, quoniam propter futuram retributionem lenia, tametsi ad breue tempus grauia videantur.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

R*Espondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, &c.* ἀνθομολογοῦμαι vocabulum (quod nos communiter responsionem vertimus) varia significat: Mitto nunc separationem, ac digestionem secundum medicos, & quæ ad hoc sit, terminationem. Interdum quidem principij locum habet, vt, quum dicitur; *Respondens Iesus dixit; Confiteor tibi, pater, domine cæli, & terræ*, de quo nunc est sermo: nulla enim præcessit interrogatio. Quandoque vero ad interrogationem redditur, vt est illud; Respondẽs Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui: præcessit enim interrogatio. Interdum quoque sermonis cõtinuationem significat, vt, quũ Chananea dixisset; Vtique, domine; nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt à mensa dominorum suorum: consequenter statim subiungitur; Tunc respondens Iesus dixit illi, O mulier, magna est fides tua: Fiat tibi, sicut vis. Ad hæc quoque significat exhortationem siue deprecationem: vt, quum dicitur, Respondens autem Petrus dixit ei; Edissere nobis parabolam hanc. Quandoque autem abundat, vt quum dicitur; Respondens autem Petrus dixit illi; Et si omnes offendantur per te, ego tamen nunquam offendar. Siquidem Marcus prætermisit, Respondens, & dixit: Petrus autem ait illi, &c. Interdum vero significat etiam interrogationem: vt quum dicitur; Respondit eis Iesus; Num ego vos duodecim elegi? *Confiteor* autem dicit nunc gratiarum actionem. Sapientes vero, & prudentes, eos, qui tales populo videbantur, puta Scribas, & Pharisæos. Paruulos vero, Apostolos, propter simplicitatem, & innocẽtiam, ac synceritatem. *Gratias tibi ago*, inquit, *quod abscõderis fidei mysteria, à sapientibus & prudentibus, illa cognoscere nolentibus: & reuelaris ea paruulis.* Læto animo ipsa suscipientibus. Gratias autem agens patri, demonstrauit se filium eius esse, ab illo missum. Egit ergo gratias credentium nomine, significans quem erga homines haberet amorem. Hãc autem gratiarum actionem Deo obtulit etiam pro septuaginta, quos emiserat, quando ad eum reuersi sunt, sicut dixit Lucas. *Vtique pater quia sic fuit bona voluntas apud te.* Vtique gratias tibi ago, pater, *quia ita fuit bona voluntas*, siue *beneplacitum coram te*, hoc est, quia ita bene placuit tibi, vt hæc repelleres ab iis, qui ea repellunt tanquam indignis, reuelares autem ea iis, qui ad illa accedunt tanquam dignis: idq́ue iustum est. Ne tamen patri gratias agens, videatur hominibus minus illo potens, & à natura paterna alienus dixit, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Omnia videlicet, quæ patris sunt. Siquidem etiam alibi dicit; Omnia, quæ pater habet, mea sunt. Quòd si omnia ei tradita sunt, omnium vtique dominus est: si vero omnium dominus est, æqualis certe est patri. Id autem; *Tradita sunt*, prout Deum decet, intellige: non quòd primum ea non habens, postmodum acceperit: nihil enim illum præcessit, ne ipse quidem pater, sed simul pater, & simul filius, simulque omnium dominus. Verum consueuit dispensatorie hæc sæpius dicere, patrem honorans. Hanc ergo in similibus habeto solutionem. *Et nemo cognoscit filium nisi pater, &c.* Cognitionem dicit non vulgatem, sed inata naturã ipsorum. Quod enim sint pater, & filius, cognoscimus omnes credentes. Quis autem sit pater iuxta naturam, & quis filius, nemo cognoscit. Dicit enim Lucas; Nemo cognoscit quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater, nisi filius. Hoc ergo dixit Christus, manifestius docens æqualitatem ad patrem. Nam, si soli omnium æqualem habent de se inuicem cognitionem, æquales vtique sunt. *Et cuicunque voluerit filius reuelare.* Etiam hoc æqualitatem indicat. Si enim

Infra.13. Infra.15. Infra.15. Infra.16. Mar.14. Ioan.6. Luc.10. Luc.10.

enim reuelat pater, vt supra dictum est, reuelat & filius: æquales certe sunt. Reuelabit autem naturam patris iis, qui digni fuerint in futuro seculo. Quòd si patris naturam reuelabit, vtique & suam & spiritus sancti. Vna enim, & eadem est trium. Dicendo vero, *Nemo cognoscit*, creaturas significauit: spiritum sanctum autem, vtpote increatum, non comprehendit. Et quam ob causam de hoc etiam manifestius non est loquutus? Quia nondum tempus erat, vt de eo doceret, Primùm siquidem oportebat filij cognitionem mentibus discipulorum insinuari: deinde etiam illis ea reuelari, quæ sunt spiritus sancti. *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Qui laboratis in opere peccati, & eius pódere onerati estis. Vides quomodo ostenderit peccatum, & laborem, & pondus habere? Nam laborem habet priusquam perficiatur: habet pondus, postquam perfectum est. Potest autem & alio modo dici; Qui laboratis ad vana, & horum curis onerati estis. *Et ego refocillabo vos*, siue liberabo tali labore, talique pondere. *Tollite iugum meum super vos.* Iugum nominauit euangelica præcepta sua, quod in iugi modum superponantur accedentibus ad ea: & ipsos colligēt, ad se inuicem, & ad aurigam Christum. *Et discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde.* Mititatem hic dicit modestiam: pars siquidem modestiæ est mititas. Ideo: postquam dixit: Quod mitis sit, interpretatur quod dixit: & vide quid addat: Neque enim dixit, humilis tantum, sed *humilis corde*. hoc est, humilis animo & electione. Humilitas namque ab infortunio procedens, infructuosa est, vtpote leuis, & inuoluntaria: Præterea humilitatem eis attulit, quam omnis radicem virtutis. Seipsum item in exemplum constituit, vt facilius sermo susciperetur. *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Humilitas enim cordis, quæcunque patitur, verbo solum pati videtur, neque turbatur. Quidam vero Requiem, eam, quæ æterna est, interpretantur. *Iugum enim meum suaue est, &c.* Iugum quoque vocauit onus: sed iugum quidem propter dictam causam: onus autem, eo quòd graue sit inexercitatis. Vide ergo quomodo & iugū dixerit, & suaue vocauerit: onus quoque dixerit, & leue appellauerit: vt neque despicias, quasi facilia: neque fugias, tanquam laboriosa.

VI. EVANG. IN COMMVNI
PLVRIMORVM MARTYRVM
EXTRA TEMPVS PASCHALE.



LVC. 11.



IN illo tempore: dicebat Iesus turbis Iudæorum; Væ vobis qui
a Ambitiose ornando & seruando.
[a] ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam quidem ipsi eos occiderunt: vos
b Ambitiose ornando. c Ab æterno disposuit. d Matth. Ecce ego mitto ad vos.
autem [b] ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia [c] Dei dixit: [d] Mittam
e Qui prius prophetas, post apostolos misit. f V. Iacobum. g V. nec recepti ab eis iuste ad Gentes migrent.
ad illos [e] prophetas & apostolos, & ex illis [f] occident, & [g] persequentur, vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mun-
h Id est maiorum.
di, à [h] generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui
i Occisus à vestra generatione.
[i] periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



VÆ vo. Non arguuntur quòd exornāt monumenta prophetarum, sed quia interfectores prophetarum imitātur, ædificando sepulchra, accusant paterna facinora. Sed persequendo Christum & Apostolos imitantur scelera patrum, & sententiam damnationis quam in patres proferebant, in seipsos retorquent. *Profecto.* Propter vulgi fauorem captandum ædificatis, quasi exhorreatis scelera eorum: sed ipso opere ostenditis, quòd perfidiæ eorum consentitis: quia hoc bonum non bene facitis sed pro vana gloria. *Vos au.* Propterea quia estis imitatores illorum, vt impleatis quod patribus defuit, scilicet vt me & meos persequamini quem illi persecuti sunt in prophetis. *Prophetas.* Mentiuntur hæretici, qui alium veteris,

alium noui testamenti dicunt institutorem. *A gener.* Omnes mali, vna generatio sunt, vna ciuitas, vnum corpus diaboli, sicut omnes boni vna generatio, & vnum corpus sunt dicti. *Vsque ad san. Za.* Cur vsque ad hunc, cum post hunc multi occisi ante natale Christi, & nato Christo mox pueri ab hac generatione sunt perempti? Sed quia Abel pastor ouium fuit, necatúsque in agro. Zacharias sacerdos necatus in atrio templi, duos ordines martyrum signant, laicos, & eos qui altaris officio mancipantur. *Quipe.* Duo erant altaria in templo. Vnum, incensi interius. Alterum, holocaustorum exterius: inter quod templum Zacharias est occisus. Vel, *inter al. & ędem.* hoc est inter consensum populi & sacerdotum: quorum alij per templum alij per altare significantur.

Genes. 4. 2. Par. 24. Exod. 30.

CATENA AVREA
in idem Euang.

VÆ *vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, & patres vestri occiderunt illos.* Amb. Bonus est hic locus aduersus superstitionem vanissimã Iudęorum, quia ædificãdo sepulchra prophetarum, patrum suorum facta damnabant: æmulando autem paterna scelera in seipsos sententiam retorquebant: non enim ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur: vnde subdit, *Profecto testificamini quod consentitis, &c.* Bed. Simulabant quidem se ob fauorem vulgi capiandum, patrum suorum horrere perfidiam, memorias prophetarum qui ab eis occisi sunt, magnifice ornando: sed ipso ore testificantur quantum paternæ nequitiæ consentiant, iniuriis agendo Dominum à prophetis pręnuntiatum. vnde subditur, *Propterea & sapientia Dei dixit. Mittam ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident & persequetur.* Amb. Dei sapiẽtia Christus est. Deniq; in Matthæo habes. Ecce ergo mitto ad vos prophetas & sapientes. Beda, Si autem eadem sapientia Dei prophetas apostolosque misit, cessent hæretici Christo ex virgine principium dare, omittãt alium legis, & prophetarum, alium noui testamenti Deum prædicare: quamuis etiam sæpe apostolica scriptura prophetas non eos solum qui futuram Christi incarnationem, sed eos, qui futura cælestis regni gaudia prædicunt, appellet. Sed nequaquam hos crediderim apostolis in catalogi ordine præferendos. Atha. Siue autem occidant, mors occisorum altius contra eos clamabit: siue persequantur, memorialia suæ iniquitatis emittunt. Fuga enim persecutionem passorum in magnum redundat persequentium crimen: nemo enim pium & mansuetum fugit, sed potius austerum & moribus imbutum iniquis. Et ideo sequitur, *Vt inquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista.* Bed. Quæritur quomodo sanguis omniũ prophetarum atque iustorum ab vna Iudæorum generatione requiratur: cùm multi sanctorum, siue ante incarnationem, siue post ab aliis nationibus sunt interempti? Sed moris est scripturarum duas sępe generationes hominum bonorum malorúmque computare. Cyril. Et si ergo dicat demonstratiue a generatione ista, non exprimit solùm tunc astantes & audientes, sed quemlibet homicidam: astruitur enim simili simile. Chry. Cæterùm si dicat Iudæos grauiora passuros: hoc non immerito fit, eo quòd & peiora omnibus ausi sunt, & nullo præteritorum castigati fuerunt: sed cùm vidissent alios peccasse, & punitos fuisse, non fuerunt meliores effecti, sed similia commiserunt: non autem ita quod pro commissis aliorũ alij luant pœnam. The. Ostendit autem dominus Iudæos esse hæredes malitiæ Cain, ea eo quod subdit, *A sanguine Abel vs. ad san. Zachar. &c.* Abel siquidem à Cain occisus est: Zachariam autem quem occiderunt inter altare & ædem, quidam dicũt esse antiquum Zachariam filium Ioiadæ sacerdotis. Beda, Quare igitur à sanguine Abel, qui primus martyriũ passus est, mirum non est, sed quare vsque ad sanguinem Zachariæ, quærendum est: cùm & multi post eum vsque ad natiuitatẽ Christi, & ipso mox nato innocentes perempti sint: nisi forte quia Abel pastor ouium, Zacharias sacerdos fuit: & hic in campo, ille in atrio templi necatus est, vtriusque gradus martyres & laici, scilicet & altaris officio mancipati sub eorum intimantur vocabulo? Greg. Nis. Quidam autem dicunt quod Zacharias pater Ioannis spiritu prophetiæ conijciens mysterium virginitatis intactæ Dei genitricis, nequaquam sequestrauit illã à loco templi virginibus deputato, volens ostendere quòd in potestate conditoris omnium erat nouum ortum ostendere, qui enixè vigorem cælibatus non auferret. Erat autem hic locus medius inter altare & ædem, in qua erat altare æneum situm vbi propter hoc eum occiderunt. Aiunt etiam cùm audirent regem mundi venturum, dispensatione metu subiectionis aggrediuntur eum, qui attestabatur ortum ipsius, mactantes sacerdotem in templo. Græc. Alij autem aliam causam dicunt esse interitus Zachariæ, cùm enim occiderentur infantes, magnus Ioannes cum coætaneis suis occidendus erat, sed Helizabeth eripiens filium de medio cædis petiit eremum: vnde cum satellites Herodis Helizabet & puerũ non inuenirent, conuertunt iram in Zachariam, occidentes ipsum ministrantem in templo.

S. AMBROSII EPISC.
Mediolan. superioris Euang. expositio.

VÆ *vobis, qui ędificatis, &c.* Bonus etiam locus aduersus superstitionem vanissimam Iudæorum, qui, ædificando sepulchra prophetarum, patrum suorum facta damnabant; Æmulando autem paterna scelera, in seipso sententiam retorquebant. Etenim prophetiorum ędificatione tumulorum sceleris eos, qui occiderunt, arguebant, & similium æmulatione factorum se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes. Non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis ęstimatur. Neque enim possunt hæreditariæ iniquitatis absolui, quia Dei filium crucifigendo, quod grauius est, paternis cumulum sceleribus addiderũt. Et ideo bene alibi addidit; Implete mensuram patrum vestrorum. Quia nihil est vltra Dei iniuriã, grauius peccare quod possint. Propterea mitti ad illos sapientia apostolos & prophetas. Quæ est sapientia nisi Christus; Denique in Matthæo habes; Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes. Arguuntur adhuc sub nomine Iudæorum, & futuro supplicio statuuntur obnoxij, quia, cum doctrinam sibi diuinę cognitionis vsurpent, & alios impediant, nec ipsi, quod profitentur, agnoscant.

Matth. 23.

Ibid.

TITI

TITI BOSTRENSIS

Episcopi eiusdem Euang. expositio.

Greg. Nyssen. de Zacharia, qui inter arā & ædē perges scribitur, sententia: sed apud veteres Latinos parū recepta.

A *Sanguine Abel vsque ad sanguinem Zacharię, qui perijt inter altare & ędem.* Gregorius Nyssenus Zachariam, qui hoc loco inter aram & ędem trucidatus asseritur, Ioannis Baptistæ patrem fuisse autumat. Cædis autē causam idem Gregorius duplicem allegat. Alteram quòd sacratissimam Deiparam Mariam, post immaculatum partum à loco, qui secundùm legis præscriptum intra altare & ædem virginibus in templo assignatus erat, non semouerat: Alterum quòd illum ipsum, qui diuina dispensatione secundùm humanam naturam vere ex illa in lucem prodierat, totius creaturæ Regem esse prædicauerat. Iudæi itaque, cùm regium nomen exosum haberent, ac, ne principi cuipiam obnoxij fierent, timerent, Zachariam sacerdotem inter altare & ædem peremerunt.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri superioris Euang. expositio.

Ex comment. in Lucam.

VÆ *vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, &c.* Non monumenta Prophetarum ornare, sed interfectores Prophetarum imitari, sceleris est. Iudæi ergo Prophetarum monumenta ædificando, patrum suorum facta, qui eos occiderunt, arguebant, sed paterna facinora æmulando, dum Christum, Apostolósque illius insequuntur, in seipsos sententiam retorquebant, eadem videlicet ipsi, quæ in parentibus damnabant, agentes. *Profectò testificamini, quòd consentitis, &c.* Simulabant quidem se ob fauorem vulgi captandum, patrum suorum horrere perfidiam, memorias Prophetarum, qui ab eis occisi sunt, magnifice ornando, sed ipso opere testificantur, quantum paternæ nequitiæ consentiant, Dominum, qui ab eisdem Prophetis est pręnunciatus, iniuriis agendo. Vbi se pariter, & filios homicidarum, & ad suæ damnationis augmentum scientes peccare declarant. Vnde rectè subiungitur: *Propterea & sapientia Dei dixit, &c.* Sapientiam Dei, seipsum dicit, ipse est enim Dei virtus, & Dei sapientia, sicut Apostolus docet. Denique in Matthæo ita habes: Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas. Si autem eadem sapientia Dei Prophetas, quæ Apostolus misit, cessent hæretici Christo ex virgine principiū dare, omittant alium legis, & Prophetarum, alium noui Testamenti Deum prædicare, quanuis sæpe etiam Apostolica scriptura Prophetas non eos solum, qui futuram Christi incarnationem, sed & eos, qui ventura cælestis regni gaudia prędicent, appellat. Prophetæ, inquit, duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicēt. Sed nequaquam hos crediderim Apostolis in catalogi ordine præferendos. *Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, &c.* Quęritur quomodo sanguis omnium Prophetarum, atque iustorum ab vna Iudæorum generatione requiratur, cum & multi Sanctorum sine ante incarnationem, seu post mortem, resurrectionémque Saluatoris, ab aliis sint nationibus interempti, & ipse Dominus Iudæis licet adclamantibus, à Romano tamen præside, Romanísque sit militibus crucifixus. Sed moris est scripturarum, duas sæpe generationes hominum, bonorum scilicet, malorúmque computare, hoc est, eorum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, & eorum, quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. Et alibi: Serpentes generatio viperarum. *A sanguine Abel vsque ad sanguinem Zacharię, &c.* Quare à sanguine Abel, qui primus martyrium passus est mirum non est, sed quare vsque ad sanguinem Zachariæ, quęrendum est, cum & multi post eum vsque ad natiuitatem Christi, & ipso mox nato, innocētes in Bethleem pueri sint ab hac generatione perempti, nisi forte quia Abel pastor ouium, Zacharias sacerdos fuit, & hic in campo, ille in atrio templi necatus est, vtriusque gradus martyres, & laici scilicet, & altaris officio mācipati, sub eorum voluit intimare vocabulo.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens.

superioru Euang. expositio.

VÆ *vobis, qui ędificatis monumenta, &c.* Declarat quoque Dominus Iudæus nepotes esse, ac hæredes malitiæ Cain, eò quod dicit quòd omnis sanguis effusus ab Abel vsque ad Zachariam, à natione illa expetetur. Etenim vos Prophetas, qui erant fratres vestri, occidistis, sicut ille Abel. Vnde quidam non absurde numerauerunt Cain inter eos, qui Prophetas occiderunt, à quo vindictæ exquisitæ sunt septem, supplicio scilicet leniore: Lamech autem inter eos, qui occiderunt Christum. Et ideo septuagies septem vltiones dederūt, dispersi in captiuitatem, à qua non redibunt. Quis autem fuit Zacharias quem occiderūt inter templum & altare? Alij quidem dicunt fuisse Zachariam filium Ioiadæ, quem lapidarunt, vt discimus ex libro Regum. Alij verò patrem præcursoris, eò quòd ille ordinauerat Dei genitricem cum virginibus etiam postquam peperisset Christum, & constituerat eam in loco, quo illæ stant. Hic enim locus est inter templum, & altare, quod est extra æreum, & propterea occiderunt eum. Nam quia expectabant Christum quendam Regem suum futurum, nolebant autem Regem ferre, ideo occiderunt Sanctum, qui asseruerat virginem peperisse, & Christum natum esse regnaturum super eos, quod aduersabantur, absque enim Rege volebant esse.

Gen. 4.

2. Par. 24.

EVTHYMII ZIGABONI

superioru Euang. expositio.

PRopterea etiam *Dei sapientia dixit, &c.* Sapientiam dicit suam, aut etiam seipsum vocat sapientiam Dei. Nunc autē more prophetiæ vtens, prædicit, quod futurum est.

In festo S. Stephani prothomartyris, suprà Tom. 1. inuenies authorum quamplurium allegationem, qui proderunt pro intellectu Euangelij præcedentis: eò te remitto Lector.

VII. EVANG. IN COMMVNI PLVRIMORVM MARTYRVM
EXTRA TEMPVS PASCHALE.

L V C. 10.



IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, Qui vos audit, me audit, & qui vos [a] spernit, [b] me spernit. Qui autem me spernit, spernit [c] eum qui me misit. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: domine, etiam dæmonia subjiciuntur [d] nobis in nomine tuo. Et ait illis: [e] Videbam sathanam sicut [f] fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra [g] serpentes & [h] scorpiones & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur. Gaudete autem, quòd [i] nomina vestra [k] scripta sunt in cælis.

[a] Non faciendo misericordiam vni de fratribus minimis, nec mihi facit. [b] Nolens credere in filium Dei. [c] Quia ego & pater vnum sumus. [d] Quod in lege non fuit. [e] Tunc quando constituit præsens eram. [f] Ita præcipitem de supernis ad ima lapsum. ¶ Vel sicut fulgor, quia deiectus adhuc transformat se in angelum lucis. [g] Qui dente aperte lædunt. [h] Qui cauda clam insidiantur. [i] Quæ mundo vilescunt. [k] Per humilitatem fidei vestræ.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



ET ne aliquis putaret illis tantum ciuitatibus vel personis quæ dominum in carne non receperunt conuenire hæc verba, addit: *Qui vos audit, me audit.* In audiendo vel spernendo euangelij prędicationem quisque sciat se non viles personas, sed ipsum Saluatorem spernere vel audire: quia in discipulo magister auditur: & in filio pater honoratur. *Domine etiam.* Bene confitentur deferentes honorem nomini Christi. Sed quia infirma adhuc fide, gaudent in virtutibus, & de signorum operatione efferuntur, exemplo terrentur, & ad humilitatem reuocantur. Quia si diabolus propter superbiam de cælo est præcipitatus, multo magis isti de terra editi si superbierint humiliabuntur. *Supra serpentes.* Serpentes, sunt mali homines vel diaboli, qui inchoandis virtutibus venena prauæ persuasionis obiiciunt. Scorpiones, qui consummandas virtutes ad finem vitiare contendunt. *Et super omnem virtutem,* Omnes immundos spiritus potestis eiicere de obsessis corporibus. Vel ad literam. Sicut vipera non nocuit manui Pauli, & haustum venenum non nocuit Ioanni. vnde & ipse domi-
Act.28. Mar 16. nus: Et si m.quid.bib.non.e.noc. *Nolite gaudere, quia spiritus vob. &c.* Malos spiritus eiicere & alias virtutes facere, aliquando non est meritum illius qui illa operatur, sed inuocatio nominis Christi hoc agit ad c[...] demnationem eorum qui inuocant, vel ad v[...]tatem eorum qui vident & audiunt: vbi licet homines despiciant signa facientes, Deum tamen honorant, ad cuius inuocationem miracula fiunt. Prohibet gaudere de humiliatione diaboli, qui propter superbiam cecidit, sed gaudeant de sua sublimatione: vt vnde illi ceciderunt subleuati, isti ascendant humiliati. *Gaudete autem.* Si quis cælestia siue terrestria opera gesserit, per hæc quasi literis adnotatus, apud Dei memoriam æternaliter est affixus.

CATENA AVREA
in idem Euang.

QVi *vos audit, &c.* Cyril. Per quod docet, quicquid per sanctos apostolos dicit, acceptandum esse: quia qui illos audit, Christum audit. Ineuitabilis ergo pœna hæreticis imminet, quia apostolorum negligunt verba, sequitur enim, *Et qui vos sper. &c.* Bed. Vt scilicet in audiendo quisque vel spernendo euangelij prædicationem, non viles quasque personas, sed dominum saluatorem, imò ipsum patrem spernere se vel audire disceret, nam sequitur, *Qui autem me spernit, &c.* Quia in discipulo magister auditur, & in filio pater honoratur. Augu. de verb. do. Si autem sermo Dei ad vos quoque peruenit, & in eo loco vos constituit: videte ne spernatis nos, ne ad illũ perueniat, quod nobis feceritis. Bed. Potest & ita intelligi: *Qui vos spernit, me spernit.* id est, qui non facit misericordiam vni de fratribus meis minimis, nec mihi facit. Qui autem me spernit nolens credere filium Dei, spernit eum qui me misit, quia ego & pater vnum sumus. Titus. Simul autem in hoc discipulos consolatur, quasi dicat: Non dicatis, cur imus passuri contumelias? accommodare linguam, ego præbeo gratiam, in me vestra redũ-

dat

dat contumelia. *Reuersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia, &c.* Cyril. Supra dictum est quòd dominus misit discipulos gratia spiritus sancti insignitos, & facti prædicationis ministri potestatem super immundos spiritus acceperunt: nunc autem reuersi confitentur honorantis eos potentiam, vnde dicitur: *Reuersi sunt au. 72. &c.* Videbantur quidem gaudere magis quòd facti sunt miraculorum authores quam quòd facti erant prædicationis ministri. Erat autem melius eos gaudere in illis quos ceperant sicut vocatis per ipsum dicit Paulus: Gaudium meum & corona mea. Greg. 24. mor. Mirè autem dominus vt in discipulorũ cordibus elationem premeret, indicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit: vt in authore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. vnde sequitur: *Vid. sat. sicut, &c.* Bas. Dicitur satanas, eo quòd aduersatur bono, hoc enim significat nomen hebraicum: sed diabolus dicitur eo quòd cooperatur nobis in malo, & accusator sit. Natura eius est incorporea, locus æreus. Beda, Non autem dicit: Modò video, sed prius videbam quando corruit. Quod autem ait: *Sicut fulgur*, vel præcipitem, de supernis ad ima lapsum significat: vel quia deiectus adhuc transfigurat se in angelũ lucis. Tit. Se autem dicit vidisse tanquam iudicem, qui nouit incorporeorum passiones, vel dicit: Sicut fulgur, quia natura fulgidus erat vt fulgur, sed factus est tenebrosus propter affectum, quia quod Deus fecit bonum, hoc ipse in se alterauit in malum. Bas. Supernæ enim virtutes non sunt naturaliter sanctæ, sed secundum analogiam diuini amoris mensuram sanctificationis sortiuntur. Et sicut ferrum positum in igne non desinit esse ferrum, vehementi tamen flammæ vnione tam effectu quam aspectu in ignem pertransit: sic & almę virtutes ex participatione eius quod est naturaliter sacrum, insitam habẽt sanctificationem, neque enim cecidisset satanas si natura fuisset insusceptibilis mali. Cyr. Vel ali. *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* id est, ab vltima virtute in extremam fragilitatem. Nam ante saluatoris aduentum subegerat sibi orbem, & ab omnibus colebatur, sed cum vnigenitum verbum Dei de cęlo descendit, corruit tanquam fulgur, quia conculcatur ab adorantibus Christum, vnde sequitur: *Et ec. de. vo. &c.* Tit. Serpentes quidem aliquando figuraliter in deserto mordebant Iudęos, & necabant eos, eo quòd infideles erãt, venit autem qui serpentes illos perimeret æneus serpẽs crucifixus vt si quis credens in eum prospexerit, liberetur à morsibus & saluetur. Chry. Deinde ne putaremus hoc dici de bestiis, subiunxit: & supra omnem virtutem inimici. Bed. Hoc est omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus eiiciendi, & quantum ad ipsos subdit: *Et nihil vobis nocebit.* Quamuis & ad literam possit accipi. Paulus enim à vipera inuasus nihil mali patitur, & Ioannes hausto veneno non læditur. Hoc autem inter serpentes qui dente: & scorpiones qui cauda nocent, distare arbitror, quòd serpentes apertè sęuientes, scorpiones clanculo insidiãtes, vel homines, vel dæmones significent, vel serpentes qui inchoandis virtutibus venena prauę persuasionis obiiciunt, scorpiones qui consummatas virtutes ad finem vitiare intendunt. Theo. Vel serpentes sunt qui visibiliter nocent, velut fornicationis & homicidij dæmon: quam verò inuisibiliter nocẽt scorpiones vocant sicut in vitiis spiritualibus. Gre. Nis. Voluptas etiam serpens dicitur in scriptura, cuius natura est, quòd si caput eius muri structuram attigerit, totum sequens corpus ad se trahit: sic natura necessarium concessit homini domicilium, sed per hanc necessitatem aggrediens voluptas animum, ad immoderatum quendam ornatum peruenit, ad hoc subsequentem auaritiam trahi, quam impudicitia sequitur, id est, vltimum membrum & cauda bestialitatis. Sed quemadmodum non est per caudam serpentem rettahi, sic non est incipiendũ ab vltimis ad euellendum voluptates: nisi quis priorem aditum obtulerit malitiæ. Atha. Deludunt autem nunc per Christi virtutem pueri voluptatem, quæ quondam seducebant grandæuos: & virgines perseuerant conculcantes serpentinæ voluptatis fallacias. Sed & quidam ipsum aculeum scorpionis, id est, diaboli conculcantes, scilicet, mortem, non timuerunt interitum, verbi gratia martyres facti: plerique verò postpositis terrenis libero gressu conuersantur in cælis, principem aëris non timentes. Tit. Sed quia lætitia qua eos lætos videbat inanem gloriã sapiebat. gaudebãt enim quòd quasi sublimes effecti terribiles hominibus & dæmonibus erant, ideo dominus subiungit: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, &c.* Beda, De subiectione spirituum cum caro sint gaudere prohibentur: quia spiritus eiicere sicut & virtutes alias facere interdum nõ est eius meriti, qui operatur: sed inuocatio nominis Christi hoc agit ad condemnationem eorum qui inuocant, vel ad vtilitatem eorum qui vident & audiunt. Cyril. Sed cur domine nõ sinis lætari in honoribus à te collatis cum scriptum sit: In nomine tuo exultabunt tota die? Sed dominus eos ad maius gaudium erigit. vnde subdit: *Gau. au. quia, &c.* Beda, Quasi dicat, Non oportet vos de dæmonum humiliatione, sed de vestra sublimatione gaudere. Salubriter autem intelligendum est, quòd siue cælestia, siue terrestria quis opera gesserit: per hoc quasi literis annotatus apud Dei memoriam sit æternaliter affixus. Theo. Scripta sunt enim nomina sanctorum in libro vitæ non encausto, sed memoria Dei & gratia. Et diabolus quidem desuper cadit, homines verò inferius existentes superius ascribuntur in cælis. Basil. Quidam autem sunt qui scribuntur quidem non in vita, sed secundum Hieremiam in terra: vt secundum hoc intelligatur duplex quædam descriptio: horum quidem ad vitam, illorum ad perfectionem. Quòd autem dicitur, Deleantur de libro viuentium, intelligitur de his qui digni putabantur in libro Dei conscribi. Et secundum hoc fieri dicitur scripturæ mutatio quando à virtute delabimur in peccatum, vel econtrà.

TITI BOSTRENSIS
Episcopi eiusdem Euang expositio.

R*Euersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio.* Paulo ante septuagintaduos, ablegasse exposuerat, nunc verò eosdem cum gaudio rediisse commemorat. Gaudij autem causa erat: quia ad illorum inuocationem diuina miracula consequebantur,

bantur, dicebant enim: Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Hoc autem aiebant quia impensius gaudebant, quòd signorum effectores euaserant, quàm quòd diuinæ prædicationis ministerium acceperant, Apostolicæque gratiæ communione digni habiti fuerant. *Videbam Sathanam, veluti fulgur de cælo cadentem.* Hæc Christi Domini oratio huc tendit: si dæmonum antesignanus & princeps è cælo decidit, serui illius in posterum efficere quid poterunt? Dicit verò, se illum ruentem vidisse: siquidem alius, quàm iudex ille, qui sub aspectum non venit, eum videre omnino nequit. *Tanquam fulgur.* Hoc addit: quia licet diabolus prauo voluntatis proposito, effectus sit obscurus & tenebrosus, secundum naturam tamen quandoq; illustris, & clarus extitit. Quod enim Deus condidit, hoc venustum & pulchrum erat: id autem, in quod draco ille infernalis seipsum transformauit, hoc malum & turpe est. Cùm res ergo ita habeat, inquit, & ego is sim, qui eam vobis potestatem contuli, nemo vestrum seipsum admiretur, nemo se efferat, aut magni faciat. Secundum beatum Cyrillum, potest hic locus aliter quoque exponi, nempe vt sit sensus: Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem, hoc est, è sublimi in terram; à gloria, ad ignominiam; à summa fortitudine, ad summam infirmitatem deiectum. Nam ante Christi Dei & Saluatoris nostri aduentum, toto passim terrarum orbe rerum potiebatur; colebatúrq; ab omnibus propemodum Gentibus & nationibus. Vbique extabant delubra in illius honorem erecta, vbique aræ, vbiq; sacrificia. Posteaquam autē vnigenitum Dei verbum è cælo descendit, ruit ille vt fulgur. Nam qui paulo ante eos omnes cultores habebat, quos malis artibus in errorem pertraxerat, is illorum pedibus nunc subiicitur, qui supplices olim, prostratique illum adorauerant. *Et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones.* Hæc idem illud, quod modò dicebatur, confirmant. Quod enim de serpentibus & scorpionibus hoc loco scribitur, hoc totum ad diabolum & dæmones, qui vna cum illo à Christi Dei nostri seruis, à quo tantam illi potestatem acceperunt, calcantur, referendum est. *Nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur.* Quasi dicat: cauete ne aliqua hinc inanis gloria in animos vestros irrepat: Nam si quid hoc est, aliorum est; eorum nimirum: qui sanitatis beneficium hinc cōsequuntur. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Scripta sunt autem, nō per calamum & atramentum: sed per Dei Opt. Max. memoriam, eiusdémque Dei gratiam & gloriam.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponen. in superius Euang. Homilia.*

Sermo 14. de ver. Domini.

DOminus noster Iesus Christus quod Discipulis suis loquebatur illo tempore scribebatur, & nobis audiendum parabatur. Audiuimus ergo verba eius. Quid enim nobis prodesset si videretur, & non audiretur? Nec modo aliquid obest: quia non videtur, & tamen auditur. Dicit ergo, *Qui vos spernit, me spernit.* Si solis Apostolis dixit: *Qui vos spernit, me spernit:* spernite nos. Si autem sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos,

Luc. 10. Episcopi Apostolis successores.

& in eorum loco constituit nos, videte ne spernatis nos, ne ad illum perueniat iniuria, quam nobis feceritis. Si enim nos non timetis, illum timete, qui dixit: *Qui vos spernit, me spernit.* Quid autem nos loquimur vobis, qui sperni nolumus à vobis, nisi vt de vestris bonis moribus gaudeamus? Periculorū nostrorū sint solatia, vestra bona opera. Viuite bene, ne moriamini male. Nec in his verbis, quæ dixi: Viuite bene, ne moriamini male, attendatis eos, qui forte male vixerunt, & in lectulis suis mortui sunt, & acta est pompa funeris eorum, & positi sunt in pretiosis sarcophagis, in sepulchris pulcherrime, & operosissime fabricatis. Et quia forte dicit sibi vnusquisque vestrum, sic vellem mori, putaris me rem vanam dicere voluisse, quoniam dixi velle me, vt bene viuatis, ne male moriamini? Contra forte occurrit aliquis, qui & bene vixit, & secūdum opinionem hominum male est mortuus. Forte à ruina est mortuus, à naufragio mortuus est, à bestiis mortuus est. Et dicit vnusquisque carnalis in corde suo: Quid est bene viuere? Ecce ille sic vixit, & sic est mortuus. Redite ergo ad cor, & si fideles estis inuenietis ibi Christum. Ipse vobis loquitur ibi: Ego enim clamo, ille vero in silentio plus docet. Ego loquor per sonum sermonis: ille intus loquitur per timorem cogitationis. Ergo ipse asserat in corde vestro verbum meum, quoniam dicere ausus sum, bene viuite, ne male moriamini. Ecce quomodo fides est in cordibus vestris, & ibi est Christus, & ipse habet docere quod ego cupio personare. Recordamini in Euangelio diuitem illum, & pauperem illum. Diuitem indutum purpura, & bysso, & quotidianis epulis saginatum, pauperem vero illum iacentem ante ianuam diuitis esurientem, & de mensa eius micas requirentem vlceribus plenum, à canibus linctum. Recordamini ergo: Vnde recordamini, nisi quia Christus ibi est in cordibus vestris? Dicite mihi quod ipsum intus interrogaueritis, & responderit vobis. Sequitur enim & dicit: Contigit mori inopem illum, & auferri ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in infernum. Cùm autem in tormentis esset, leuauit oculos, & vidit Lazarum requiescentem in sinu Abrahæ. Tunc clamauit dicens: Pater Abraham, miserere mei, mitte Lazarū, vt intingat digitum suum in aqua, vt stillet in linguam meam: quia crucior in hac flamma. Superius temporis, mendicans inferni. Pauper enim ille perueniebat ad micam, ille vero non perueniebat ad guttam. De duobus ergo istis dicite mihi, quis est bene mortuus, & quis est male mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaueritis, falsa vobis respondent. Multum enim splendida sunt, & secculariter fucata, quæ illi diuiti morienti exhiberi potuerunt. Quæ potuerunt agmina plangentium esse seruorum, & ancillarum, quæ pompa clientum, qui splendor funeris, quod pretium sepulturæ? Credo eum aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, fratres, bene istum mortuum, an male mortuum? Si oculos interrogatis, optime mortuus est; si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessime mortuus est. Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas? Verum ergo dixit, viuite bene ne male

Luc. 16.

moria

moriamini, ne quomodo diues ille moriamini. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. Econtra attendite illum pauperem, sed nolite oculis: nam errabitis. Fides attēdat, cor videat. Constituite illum ante oculos vestros iacentem in terra vlcerosum, venientes canes lingentes vlcera eius. Sed cum talem illum reuocatis ante oculos vestros, continuo expuitis, faciem auertitis, nares obturatis. Cordis oculis videte. Mortuus est, & ablatus est ab angelis in sinū Abrahæ. Familia diuitis videbatur plangens, angeli non videbantur gaudentes. Quid ergo respondit diuiti Abraham? Memento, fili, quia percepisti bona in via tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti. Accepisti bona, sed transierunt dies, & totum perdidisti, & torquendus in inferis remansisti. Opportunum ergo est, fratres, vt hæc vobis dicantur: Attendite pauperes, siue iacētes, siue ambulantes. Attendite pauperes, facite bona opera. Qui soletis facite, & qui non soletis facite. Crescat numerus bene operantium, quoniam & crescit fidelium numerus. Quod facitis, quantum bonum sit, nondū videtis; quia rusticanus quando seminat segetem non videt, sed terræ credit. Tu Deo quare non credis? Veniet messis nostra. Puto quia modo laborantes agimus, laborantes operamur, recepturi sicut scriptum est: Euntes ibant, & flebant iactantes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. *Psal. 125.*

BEDAE VENERABILIS *presbyteri in superius Euang. expositio.*

Ex comment. in Luc. QVi vos audit me audit, &c. Vt in audiendo quisque, vel spernendo euangelij prædicatore, non viles quasque personas, sed dominum saluatorem, immo ipsum patrem spernere se, vel audire disceret. Nam sequitur; *Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Quia proculdubio in discipulo magister auditur, & in filio pater honoratur. Potest & ita intelligi; *Qui vos spernit, me spernit.* Qui non facit misericordiam vni de fratribus meis minimis, nec mihi facit, quia & ipse pro his formam serui, & pauperis habitum suscepi. Qui autem me spernit, nolens credere Deum, & filium Dei conculcans, spernit eum, qui me misit, quia ego, & pater vnum sumus. *Reuersi sunt autem septuaginta duo, &c.* Bene quidem confessi sunt, deferentes honorem nomini Christi, sed quia infirma adhuc fide gaudebant in virtutibus, vide quid audiunt; *Et ait illis. Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Nō modo video, sed prius videbam quando corruit. Quod autem ait. *Sicut fulgur*, vel præcipitem de supernis ad ima lapsum significat, vel quia deiectus, adhuc transfigurat se in angelum lucis. Quia ergo discipulos de signorum operatione vidit elatus, exemplo eos terret, atque ad humanitatem reuocat eius, qui primus superbiēdo cecidit, vt qui hunc ob superbiam de cælo recordarentur eiectum, multo magis se de terra editos, si superbierint, humiliandos agnoscant. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, &c.* Hoc est, omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus ejiciendi. Quamuis & ad literam rectissime possit accipi. Siquidem & Paulus à vipera inuasus, nihil aduersi patitur. Et Ioannes, vt historia tradit, hausto veneno, nō læditur. Hoc sane inter serpētes, qui dente, & scorpiones, qui cauda nocent, distare arbitror, quòd serpentes aperte sæuiētes, scorpiones clanculo insidiantes, vel homines, vel dæmones significēt. Serpentes, qui inchoandis virtutibus venena prauæ persuasionis objiciunt. Scorpiones, qui cōsummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, &c.* De subiectione spirituum, cum caro sint, gaudere prohibentur, quia spiritus eiicere, sicut & virtutes alias facere, interdum non est eius meriti, qui operatur, sed inuocatio nominis Christi hoc agit, ad cōdemnationem eorum, qui inuocāt, vel ob vtilitatem eorum, qui vident, & audiunt, cōceditur, vt, licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiant tanta miracula. Nam & in actibus Apostolorum filij Sceuæ videbantur eiicere dæmones, & Iudas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. *Gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Si Satanas (inquit) per superbiam cælis sedem cum socijs amisit, non oportet vos de illorum humiliatione, sed de vestra sublimatione gaudere, quatenus vnde illi ruere sublenari, vos humiles ascendatis. Non autem puerili-ter sapiendum, quasi Deus ad remedium obliuionis bonos in cælis, malos scribat in terris: dicente Hieremia; Vniuersi, qui derelinquunt te, confundantur, recedentes in terra scribantur. Sed salubriter intelligendum, quod siue cælestia seu terrestria quis opera gesserit, per hæc quasi literis adnotatus apud Dei memoriam sit æternaliter adfixus.

EVSEBII EMISSENI *Episcopi in superius Euang. Hom.*

QVi vos audit, &c. Hoc antē ideò Dominus & saluator noster dicere videtur, quòd neque ipsum, neq; discipulos eius Samaritani suscipere voluerunt. Sic enim superiùs ait Euāgelista: quia *Luc. 9.* factum est, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Hierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes, intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Factum est, inquit, cum iam dies assumptionis eius complerentur, & tempus eius passionis, resurrectionis & ascensionis siue assumptionis propinquaret, firmauit Dominus vt iret Hierusalem, sicut in eius vultu & facie manifestè apparebat. Facilè enim in vultu voluntas discitur. Et misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, & non receperunt eum. Quare? Quia facies eius euntis erat in Hierusalem. *Ioan. 4.* Non enim, vt alibi dicitur, coutuntur Iudæi Samaritanis. Ideoque Samaritani Iesum recipere noluerunt, quia se in Hierusalem ire velle ostendebat: Iam quasi inimicum eum deputantes, sicut qui eorum diligeret inimicos. Vsque hodiè nanque omnes iniqui ideò Iesum & eius nuncios, eiusque Euangelium non recipiunt, quia in Hierusalem eos, ad pacem, ad misericordiam & pietatem tendere & festinare cognoscunt. Hierusalem

nanque visio pacis interpretatur. Cum audissent autem hoc discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus, increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluas facere. Et abierunt in aliud castellum: nesciebant enim cuius spiritus essent, qui se tantopere vindicare cupiebant. Si enim se spiritus pietatis, patientiæ & mansuetudinis seruos & discipulos esse nouissent, nequaquam aliqua sui spiritus commotione, tot homines irati occidere [Luc. 10.] voluissent. Hoc enim postea probatum est, cum pro inimicis & persecutoribus orarent. Et ait illis Iesus: *Qui vos audit, me audit, &c.* Quod tale est, ac si diceret: Non vos tantum, sed & me spreuerunt Samaritani. Hæc itaque verba discipulis suis eorumque successoribus, episcopis scilicet & sacerdotibus, locutus est Dominus. Quicunque igitur es, qui episcopos & sacerdotes audire contemnis, & eorum verbis & exhortationibus acquiescere despicis, saltem Dominum ipsorum non paruipendas, & eum audire non fastidias. Despicis sacerdotem audire, sed non mirum: quia pauper est, quia imbellis & humilis est, quia vilis & despica- [2. Cor. 13.] bilis est, quia de pauperibus natus est. Audi vel Dominum in eo loquentem, per eum te admonentem, & ad vitam reducentem. Apostolus enim dicit: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Sic igitur in episcopis & sacerdotibus Christus loquitur, atque in eis ab aliis honoratur, & ab aliis reprobatur. Sustinet modò, nec facile vindicat iniurias suas. Sed audi eum dicen- [Esai. 42.] tem: Tacui, Nunquid semper tacebo? Dicit Psal- [Psal. 82.] mista: Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui te oderunt, extulerunt caput. Noli itaque spernere discipulos & nuncios Christi, immò noli Deum ipsum spernere in discipulis suis. Nisi enim in discipulis suis sperneretur, nequaquam dixisset: *Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Hoc Iudæi audiant, & audientes timeant, & timentes pœniteant, vt sic placare valeant, quem offendere non timuerunt. Ipsi enim non solum spreuerunt, verum etiam crucifixerunt Christum Dominum. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine* [Luc. 10.] *tuo.* Hos enim, vt superiùs dicitur, miserat Dominus binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò ipse erat venturus. Quid autem isti significent, & quare sic ante eum Dominus miserit, cur etiam binos eos ire iusserit, iam alibi exposuimus. Nunc autem reuersi, Domino omnia scienti, cum gaudio referebant ea, quæ nec ipsi, sed ipse in illis fuerat operatus. Gaudebant enim de nomine Christi, cuius virtutem experti erant: gaudebant & de gratia immensa sibi à Domino attributa: quoniam non solùm infirmitates curabant, verùm etiam dæmonibus imperabant, & sibi subditos esse videbant, quibus mundi huius principes, reges, omnesque homines iniquos subditos esse sciebant. Dicebant ergo: Domine non solum languores, & infirmitates, non solum homines iniqui, sed & ipsi dæmones subiiciuntur nobis in nomine tuo, quibus subiecta sunt omnia, quæ longe sunt à consortio tuo. *Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem, &c.* Cælum enim Ecclesia, vel sanctorum animæ intelliguntur. Videbat igitur Dominus satanam de cælo cadentem, videbat diabolum Ecclesiam vel sanctorum habitacula fugientem: & hoc quod discipuli ei narrabant, iam se præuidisse & cognouisse firmabat. Vnde & alibi ait: Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. [Ioan. 12.] Nisi enim hoc præuidisset, quare in mundum venisset, & quare carnem suscepisset? Ad hæc enim Dominus in mundum venit, vt diabolum fugaret, & de illius impia potestate animas hominum liberaret. Quod igitur nunc fieri incipiebat, antequam fieret, præuidebat, & hoc ipsum fieri disponebat. Videmus itaque & nos vsque hodiè satanam sicut fulgur de cælo cadentem, & cum magno furore & indignatione sanctam Ecclesiam relinquentem. Quoties enim flagitiosus aliquis ad pœnitentiam redit, toties satanas de cælo cadit. Multi enim adulteri, periuri, & homicidæ sunt in Ecclesia, quæ regnum cælorum vocatur: qui statim vt conuertuntur, à diabolo relinquuntur, & non velociùs de cælo cadit fulgur, quam de illorum mentibus cadit diabolus. Cadit autem & nunc de cælo satanas, quando aliquis hæreticus ab Ecclesia separatur, qui prius in ea per doctrinam magno fulgore splendere videbatur. Talis enim erat Simon magus, quem beatus Petrus Apostolus pro suis iniquitatibus priùs de Ecclesia eiecit, posteà euolare nitentem, de aëre præcipitauit. Hinc est autem, quod in Apocalypsi Ioannes Apostolus ait: Quia ange- [Apoc. 8.] lus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur Absynthium. Toties enim, vt modò diximus, de cælo stella cadit, quoties aliquis ab Ecclesia per hæresim separatur. Sed quanto sapientior & astutior est, tanto maiorem flammam ferre videtur. Et quamuis totus de cælo cadat, tamen non vbique cadit. Cadit autem in tertiam partem fluminum. Duo nanque flumina, duo sunt testamenta. Fontes autem tot sunt, quot & doctorum libri. In his autem nemo cadit, quoniam nulla hæresis in eis est. Tertium autem flumen in quo hæretici cadunt, ipsum est, quod ipsi faciunt: faciunt enim, quoniam eorum error & doctrina in prædictis fluminibus non inuenitur. Multa enim flumina, & multa librorum volumina fecerunt hæretici. Et meritò hæc stella Absynthium vocatur, quoniam ad illius herbæ similitudinem, quæ hoc nomine censetur, felle omnique amaritudine plena est. De qua qui gustauerit, morte morietur. Fuge igitur has aquas Christiane, noli eas bibere. Nota sunt flumina, nota sunt fontes aquarum, salientium in vitam æternam: de quibus si biberis, non sities vltrà. Sequitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Serpentes & scorpiones non solùm maligni spiritus, verùm & tyranni, omnesque Ecclesiæ persecutores, intelligi possunt, quoniam & venenosi sunt, & nunquam recta incedunt via. Virtus autem inimici quid meliùs intelligi potest, quàm Nero & Simon magus, Diocletianus, & Maximianus, & ipse Antichristus perditionis filius? Est prætereà virtus inimici, superbia, auaritia omnisque luxuria, à quibus multi vincuntur, & diabolo subiiciuntur. Vnde & Iob, cùm de eo [Iob. 40.]

loqueretur,

loquebatur, ait: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Hæc autem Christi discipulis non nocebant, Domino eos protegente, & vbique defendente. Non nocebant vtique, quia repugnauerunt, eisque non assenserunt. Sequitur: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Multi enim sunt, quibus dæmonia subiiciuntur: quos nō gaudium quidem, sed luctus & mœror expectat. Quibusdam enim in iudicio dicentibus, Domine, nónne
Matth. 7 in tuo nomine prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus, dicturus est Dominus: Ite operarij iniquitatis: amen dico vobis, nescio vos. Non ergo gaudeant Christi discipuli, quia dæmonia subiiciuntur eis: gaudeant autem, quia nomina eorum scripta sunt in cælis. Illud enim gaudium vanum & temporale est: hoc autem vtile & æternum. Illud ad vanam gloriam respicit, hoc ad gloriam spectat æternam. Et illud quidem simul habere possunt & mali & boni, hoc autem non habebunt nisi boni.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangelij expositio.

QVi vos audit, &c. Vt ne dicant, qui mittuntur ad prædicationem, quo mittis nos, si ciuitates quædam non sunt nos suscepturæ? dicit; Ne sitis animo tristi: qui spernit vos, me spernit, & patrem meum: & ita iniuria non vestra est, sed in Deum transit. Consolatio igitur sit vobis, quòd hæc Dei sit iniuria. Sicut contra, ne gloriemini, vel sapite sublime quod quidem vos audiant. Nō enim vestrum est opus, sed meum & gratia. *Reuersi autem sunt septuaginta cum gaudio, &c.* Prius dixit, quòd miserit septuaginta, nunc autem dicit, quòd reuersi sint gaudentes, quòd non solū alios morbos fugarint, sed, quod maius malum erat, effugarint etiam dæmones. Vide autem quomodo non superbiunt. Dicunt enim, quòd in nomine tuo subiiciuntur nobis dæmonia, tua gratia, non nostra virtute. Dicit autem illis dominus; Ne miremini, si dæmones vobis subiiciantur. Princeps enim ipsorum olim de cælo decidit, & nullam fortitudinem habet. Nam, licet hoc homines non viderint, ego tamen inuisibilium spectator vidi. Decidit autem sicut fulgur, quia lux erat, & archangelus, & lucifer, ac in tenebras decidit. Si igitur de cælo ille decidit, serui eius, dæmonia dico, quid non patientur? Quidam autem sic intelligunt, *de cælo*, hoc est de gloria. Nam, quia dixerant ei septuaginta, quod dæmonia sibi subiiciantur, dicit: hoc & ego sciebam. *Videbam enim satanam de cælo*, id est, de gloria sua, & de honore, quem habebat, cadentem. Ante Christum enim vt Deus colebatur, nunc autem de cælo decidit, hoc est, de gloria sua, ne colatur vt Deus, neque habeatur perinde, ac si in cælo habitet. Ecce igitur do vobis potestatem conculcandi virtutem illorum. Serpentes, & scorpij, dæmonum sunt cateruæ, quæ de sursum trahuntur. Et qui manifeste percutiunt, serpentes; qui vero occultius, scorpij, vt dæmon libidinis, & inuidiæ est serpens, in manifestaria cum mala cōpellit, at qui propter morbos persuadet hominem lauactis, vnguentis, & alijs effœminantibus vti, scorpius vocatur, non manifestum habens aculeum, sed clam carnem offendens, vrēn magnum casum inijciat. Gratia autem domino, qui dedit potestatem calcādi super illos. Cæterum docens eos ne superbiant, dicit; *Verumtamen in hoc non gaudete, quod dæmonia vobis subijciuntur* (alij enim sunt, qui ex hoc beneficia capiunt, nempe, qui sanitatem consequuntur) *sed magis quod nomina vestra scripta sunt in cælis*: non atramento, sed memoria Dei, & gratia. Et diabolus decidit è cælo, homines autem, qui infra sunt, scribuntur supra. Verum itaque gaudium, nomina vestra in cælis scribi, & esse in memoria Dei.

Nō quòd bonis, & alijs eiusmodi valetudinis gratia moderate vti non liceat, sed ne ad voluptatem sub prætextu valetudinis abutamur est.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

QVi vos audit, me audit, & qui reijcit vos, &c. Reiectionem hanc vocat incredulitatem, & auersionem. Ne enim mœrore afficiantur, quum spernuntur, dicit; Vestra iniuria per vos in me recurrit, qui misi vos: per me autem, in patrem meum, qui misit me. *Reuersi sunt ergo septuaginta cum gaudio, &c.* Gaudebant, quòd digni haberentur & miracula edere, & dæmonia sibi subiicere. *Dixit autem illis; Videbam satanam, &c.* Causam significauit subiectionis dæmoniorum, quia cecidit princeps eorum, qui fortes illos reddebat, ac confortabat, & iam facile deuincūtur: Siquidem ante saluatoris incarnationem in sublime ferebatur, & tyrannidem agebat, ac potens erat: quum autem Deus in terra per carnem diuersaretur, cecidit, non à cælo: olim enim inde ceciderat, nec amplius eo ascēdit, sed à dicta celsitudine, tyrannide, ac potētia. Dicit ergo; *Videbam satanam*, postquam videlicet humanitatem assumpsi, cadētem vt fulgur, quod de cælo cadit. Quidā autem Cælum intelligunt hoc loco aërem, in quo versari gaudet satanas. Nam & aër cælum dicitur; Volucres, inquit, cæli. Psal. 8. Vsus est autem fulguris exemplo, ostendens vehementiam, ac velocitatem casus illius. *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones.* Serpentes, ac scorpiones intelligibiles, qui animas mordent, ac deuorant. Ita autem dæmones appellauit, non solum propter insidias, veneni iaculationem, ac infectionem, sed & propter debilitatē, ac ignauiam. Verum, quòd de dæmonibus loquatur, manifestat id, quod subditur, *Et super omnem virtutem inimici.* Videlicet intelligibilis draconis. Quū ergo vidisset eos gaudentes de subiectione dæmoniorum, dat quidem continuam aduersus illa potestatem, quam prius ad tempus acceperant, quum mitterentur: sed adhortatur, ne de hac gaudeant, quia non ex certamine eis prouenit, sed ex dono, propter eos, qui adiuuandi erant. Potest autem virtus inimici dici, non solum ipsi dæmones, sed & multiformes eorum tentationes. Quidam vero & feras, quæ homines perdunt, virtutem illius dicūt, quòd etiam his aduersus nos vtatur. *Et nihil vobis nocebit.* Nec dæmon, nec tentatio, nec fera venenata. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, &c.* Non enim vestrum est opus, sed mea gratia. In hoc ergo ne gaudeatis, ne tanquam de egregio facinore gaudentes, in elationem eleuemini. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Quia propter fidē vestram in ciues conscripti estis in æterna ciuitate, non attamen

attramento, sed memoria; neque vt homines scribunt, sed sicut Deus scribere nouit. Dicit enim de iustis Dauid; Et in libro tuo omnes scribentur.
Psal 138. Siquidem subiicere dæmonia, propter aliorum vtilitatem vobis datum est: quòd autem nomina vestra scripta sunt in cęlis, propter salutē vestram: ideo furtiuum quidem illud gaudium tumorem causare nouit; hoc vero gratiarum actionem potius: & illud quidem cauendum tanquam superfluum, hoc autem proponendum est tanquam necessarium.

VIII. EVANG. IN COMMVNI PLVRIMORVM MARTYRVM EXTRA TEMPVS PASCHALE.

LVC. 11.

a A simulatione.



IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis; Attendite à [a] fermento Pharisæorum, quod est hypochrisis. Nihil enim opertum est

b Nequitia discooperietur, & vestra intentio soli Deo modo cognita ab omnibus scietur.

quod non [b] reueletur, neque absconditum quod non sciatur.

c In mysterio. d Aperte.

Quoniam quæ in [c] tenebris dixistis, in [d] lumine dicentur: &

e Priuatim. f Publicè.

quod in [e] aure loquuti estis in cubiculis, prædicabitur in [f] tectis. Dico autem

g Qui nihil terrenum cupitis. h Propter multitudinem vel ferocitatem eorum. i Non possunt efficere, quin animam Deus reddat corpori, quia & ipsum corpus resuscitet.

vobis [g] amicis meis: ne [h] terreamini ab his qui occidunt corpus, & [i] post hoc

k Ei seruite in timore.

non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. [k] Timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem [l] mittere in gehennam.

l Mittenda in æterna supplicia.

m Nolite timere mortem corporis, qui mori non potestis sine nutu Dei: quod in minoribus liquet.

Ita dico vobis, [m] hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt dipondio: &

n Sed sunt omnia sub prouidentia Dei, quanto magis vos ad imaginem Dei facti. o Vt de massa corporis taceam, nam & minimæ particulæ Dei prouidentia conseruantur.

[n] vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? [o] Sed & capilli capitis vestri

p Omnem curam in eum proiicite, apud quem capillus non peribit. q Maioris precij, quia rationales: quia æterni.

omnes numerati sunt. Nolite ergo [p] timere: multis passeribus [q] pluris estis vos.

r Ore fit confessio ad salutem.

Dico autem vobis: Omnis quicunque [r] confessus fuerit me coram hominibus,

s Venite benedicti patris mei.

& filius hominis [s] confitebitur eum coram angelis Dei.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



NEQVE *absconditi.* Ideo ne æmulemini simulatores, quia profectò veniet tēpus in die iudicij, in quo & vestra virtus & illorum hypocrisis omnibus reuelabitur: vnde sequitur: *Quoni. quæ in te. dix.* Non solum in futuro omnia patebūt, sed etiam in præsenti tempore in tota ecclesia per orbē terræ publice prædicabūtur, quæ in tenebris, id est, in vmbra pressurarum & carcerum lueuti estis, quando actus vestri legentur in excelsis *Quo. q. in te.* Amb. Quod in tenebris, id est in timore dixistis, dicetur in lumine, id est, in fiducia veritatis accepto spiritusancto. Et quod in aure, id est, secretò locuti, super tecta, id est calcato carnis domicilio prædicabitur. *Dico autem vo.* Amb. Cum gemina sit causa perfidię, quę vel ex insolita malicia, vel ex accidēti metu nascitur, ne quis Deum quem corde cognoscit metu negare cogatur, dicit mortem corporis non esse timendam. Pręclare antē & fidem acuendo intexuit, & ipsi fidei virtutū fundamenta subiecit. Nam sicut fortitudinis incentiuum est fides, ita fidei fundamentum est fortitudo. *Ostendam au. vob.* quia duo sunt genera persecutorum, vnum aperte persequentiū, alterum fraudulenter blandien

diceurium. Sicut supra contra hypocrisim, ita hic armat contra carnifices. Totus hic locus ad subeundam pro confessione Domini passionem vel contemptu mortis, vel spe præmij, vel mansuros in denunciatione supplicij instruit. *Nonne quinque.* Amb. Quinque passeres, quinque corporis sensus Matth. 10. vel duo secundum Matt. corpus & anima: quibus dedit natura gratiam ad æterna subuolandi, quia etiam caro si cōsentiat legi Dei in naturā spiritualem transit. Sed dum & in occultis & fœtidis locis scilicet cibum quærunt, delictorum laqueis capti, ad supernorum operū fructus reuolare nequeunt, sed dipondio, id est vili terrenæ cupiditatis precio venundantur sub peccato, ita vt etiam anima malorum escis grauata, inclinetur in corporis naturam. Sed si Deus etiam infidelibus hominibus vel in oriundo sole & terræ fœcūditate prospexerit, & misericordiæ munus impertit, nō dubiū fidelium contemplationem apud illum udituram. *Vene. di.* Dipondius est pondus ex duobus assibus compositum. Quod autem in numeris est vnum, hoc in ponderibus as: quod duo, hoc dipondius est. *Et vnus ex.* Simplicitatis affectum inspirauerat, virtutem mentis erexerat, sola fides nutabat, hanc de 1. Cor. 9. vilioribus roborat. Quomodo dicit Apostolus: Nunquid de bobus cura est Deo? Sed aliud est cura, aliud est scientia. *Sed & ca.* Non actu computationis, sed facultate cognitionis, à similitudine pecuniæ quæ numeratur vt seruetur. Vbi magna prouidentia Dei, quod nec parua nec ociosa dicta eū lateant. *Omnes quicunque.* Ne quis tempore persecutionis sufficere sibi putaret fidem cordis, di- Gal. 5. cit: *Omnis quicunque confessus fue.* Confitetur quia Iesum ea charitate quę per dilectionem operatur, negat qui præceptis nō obedit. *Filius hominis.* Confitetur filius apud patrem illum, qui per filium habet accessum ad patrem. Negatur à filio apud patrem, cui non manifestatur in diuinitatis potentia filius & pater. Et ne putetur vna conditio omnium & eorum qui studio & eorum qui infirmitate vel ignorantia negant, subdit: *Et omnis qui dicit verbum in fi. ho. con. coram angelis.* quia dixerat aperta & abscondita esse reuelanda: hanc reuelationem non in vili conciliabulo, sed in conspectu angelorum dicit agendam.

CATENA AVREA
in idem Euang.

M*Vltis autem turbis concurrentibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos, Attendite à fermento pharisęorum, &c.* Theo. Pharisęi quidem conabantur Iesum capere in sermone, vt populos ab eo abducerent, hoc autem in contrarium vertitur. Magis enim adibāt populi per millenarios congregati adeo cupientes hærere Christo, vt se inuicem comprimerēt: tam validum quid est veritas, & dolus imbecillis vbique. vnde dicitur. *Multis autem tur. circun. ita vt se in. con. cœ. di. ad di. su. Attēdite, &c.* Cyril. Quia enim cauillatores erāt, ob hoc Christus ab eis sibi cauere admonebat discipulos. Greg. Naz. Est autem quādo fermentum laudatur tanquam efficiēs panem vitalem. Est autem quando vituperatur, significans vetustam & acidam malitiam. The. Vocat igitur fermentum hypocrisim tanquam alterantem & corrumpentem intentiones hominum, quibus se ingesserit, Nihil enim sic alterat mores vt hypocrisis. Bed. Nam sicut modicum fermentū totam farinę massam corrumpit, sic simulatio animum tota virtutum synceritate & veritate fraudabit. Amb. Pulcherrimum autem locum tenēdæ simplicitatis & æmulandę fidei saluator intexuit, ne Iudaicę more perfidiæ alia promamus in affectu, alia voce simulemus, cum vltimo tempore occulta cogitationum accusantium, aut etiam defendentium secreta nostræ mentis aperitura videātur: vnde subditur, *Nihil autem, &c.* Orig. Aut ergo de illo tempore hoc dicit, quādo iudicabit Deus occulta hominum: aut id dicit, quia quantumcunque conetur aliquis occultare bona aliorum infamiis, bonum naturaliter latere nō potest. Chry. Quasi dicat, discipulis, quamuis nunc quidam vocent vos seductores & magos, deteget omnia tempus, & arguet eorum calumniam, & vestram declarabit virtutem. vnde quæcunque vobis in paruo angulo Palæstinæ locutus sum, hæc audacter & fronte detecta & qualibet sublata formidine toti orbi prædicate. Et ideo subdit: *Quoniam quę in ten. &c.* Bed. Vel hoc dicit: quia quæ inter tenebras quondam pressuratum carcerúmque vmbras locuti vel passi sunt apostoli, nunc clarificata per orbem, in ecclesia lectis eorum actibus publice prædicātur. Sane quod dicit, *Prędicabitur in tectis.* iuxta morem prouinciæ Palæstinæ loquitur, vbi solent in tectis residere: non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate faciūt ęqualia: ergo dicit, *Prędicabitur in tectis,* id est, cunctis audientibus palā dicetur. The. Vel hoc proponitur pharisęis. Quasi dicat. O pharisęi, quę in tenebris, id est, quòd in opacis cordibus vestris tentare me conamini, in lumine dicetur. Ego enim sum lux, & in me luce notū fiet, quicquid vestra machinatur caligo, & quod in aure locuti estis, & in cubiculis, id est, quicquid mutuis susurriis vestris auribus instillastis, *prædicabitur in tectis*, id est, ita mihi fuit audibile, ac si in tectis prædicatum fuisset. Hic etiā intelligere potes quòd lux sit euangeliū, tecta vero altę apostolorū animę. Quotquot vero cōciliati sunt pharisæi, diuulgata sunt postmodum & audita in euangelij luce: stante magno præcone spiritu sancto super apostolorum animas. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c.* Cyril. Quoniam gemina est causa perfidiæ, quæ aut ex insolita malitia aut ex accidenti metu nascitur: ne quis metu territus Deum quem corde cognoscit negare cogatur, pulchrè addit: *Dico au. vo. ami. meis & n. te.* Cyril. Non quibuscunque enim simpliciter hic sermo conuenire videtur: sed his qui Deum ex tota diligūnt mente, quibus conuenit dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? qui autem nō tales sunt, labiles sunt, & ad prosiliendum parati: porro Dominus dicit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Quomodo autem non est inconuenientissimum Christo non rependere, quod ab eo recepimus? Amb. Mortem etiam docet esse nō terribilem, quam locupletiore fœnore sit immortalitas redemptura. Cyril. Est ergo aduertendū quod laboribus parantur coronæ, & honores, quibus mortales vsque ad tempus suam itā extendūt: sitque illis nostræ persecutionis finis corporalis interitus. vnde subdit: *Et post hoc, &c.* Bed. Ergo superuacua furiunt insania, quia mortua martyrum membra

feris

feris auibúsque discerpenda proiiciunt, cum nequaquam omnipotentiæ Dei qui eos resuscitando viuificet resistere possint. Chry. Considera qualiter dominus discipulos omnibus superiores constituit, ipsam mortem cunctis terribilem hortans contémnere. Simul autem & documenta immortalitatis animæ ostendit eis, cum subdit: *Ostendam au. vob. &c.* Ambr. Mors enim naturæ finis nó pœnæ est, & ideo mortem supplicij corporalis esse defectum, pœnam verò animæ esse perpetuam, Deúmque solum esse metuendum: cuius potestati non naturæ præscribat, sed eidem natura subiacere, concludit: *Ita dico hunc timete.* Theo. Hinc nota quòd peccatoribus quidem mors ad supplicium fertur, & hîc cruciatus ipsis per interitum, & consequenter in gehennam detrusis. Sed si sermonem discusseris quiddam aliud intelliges, non enim dicit, Qui mittit in gehennam, sed qui potestatem habet mittere. Non enim quicunque cum peccato moriuntur, statim detruduntur in pœnam, sed fit interdum remissio oblationum & orationum causa, quæ pro defunctis dátur. Amb. Inspirauerat ergo dominus simplicitatis affectú, virtutem mentis creauerat, fides sola nutabat. Bene eam de rebus vilioribus roborauit, subdens: *Nonne quinque passeres vę. dipon. & vnus ex il. non est in obli. co. Deo?* quasi dicat, si Deus obliuioné passerum non habet, hominum quomodo habere potest? Bed. Dipondius genus est ponderis leuissimi ex duobus assibus compositi. Glo. Quod autem ex numeris est vnum, hoc in ponderibus assis: quod duo, hoc dipondius. Ambr. Fortasse autem dicet aliquis: quomodo Apost. dixit, Nónne de bobus cura est Deo, cùm bos passere preciosior sit? sed aliud cura est, aliud scientia. Orig. Ad literam. Igitur acumen diuinæ prouisionis, qui procedit vsque ad minima, per hoc significatur. Mysticè autem quinque passeres, spiritales sensus iustè significant, qui excelsa & supra homines sentiunt Deum intuentes, vocem audiétes diuinam, gustantes panem vitæ, olfacientes odorem vnguentorum Christi, palpantes viuum verbum. Qui dipondio væneuntes, id est vilipensi ab eis qui ea quæ sunt spiritus stultitiam iudicant, non dantur in obliuione coram Deo. Dicitur autem Deus aliquorum immemor fieri propter eorum facinora. Theo. Vel hi quinque sensus duobus assibus vendútur, nouo scilicet & ver. test. & ideo non dantur obliuioni à Deo, quorum enim sensus traduntur verbo vitæ, vt sint apti ad spiritua le pabulum, horum semper memor est dominus. Ambr. Vel aliter: Passer bonus est cui volandi natura suppeditat: volandi enim nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit, quę malorum messis grauat animam, atque in naturam corporeæ molis inclinat. Quinque igitur corporis sensus si terrenarum sordium cibum quærant, ad superiorum operum fructus reuolare non possunt. Est ergo malus passer qui volandi vsum terrenæ vitio labis aboleuerit, quales sunt isti passeres, qui dipondio venæunt luxuriæ, scilicet precio singularis. Aduersarius enim tanquam captiua mancipia vilioris precio æstimationis adducit. At dominus tanquam speciosa seruitia quæ ad imaginem sui fecit, idoneos sui operis æstimat, & magno precio nos redemit. Cyril. Est igitur sibi curæ diligenter nosse sanctorum vitam. vnde subditur: *Sed & capil. &c.* Per quod significat quod omnia quæ ad eos spectant diligentissimè nouit, diligentiá cuius curæ adhibitæ numeratio manifestat. Amb. Denique numerus capillorum non in actu computationis, sed facilitate cognitionis accipitur: bene tamen numerati dicuntur, quia ea, quæ volumus seruare, numeramus. Cyril. Mysticè autem caput quidem hominis est intellectus, capilli verò cogitationes, quæ patent Deo. The. Vel caput vniuscuiusque fidelium intelliges aptam Christo conuersationem, crines autem eius mortificatiua corporis opera: quæ numerantur à Deo, & digna sunt prouisione diuina. Amb. Si igitur tanta Dei est maiestas, vt vnus ex passeribus aut nostrorum numerus capillorum præter scientiam Dei non sit, quàm indignum est æstimare quòd fidelium corda dominus aut ignoret aut spernat qui viliora cognoscat? vnde conuenienter concludit: *Nolite er. timere, &c.* Be. Non plures estis legendum est, quod ad comparationem numeri pertinet, sed pluris estis, hoc est apud Deum maioris dignitatis. Athan. Quæro autem ab Arrianis, si quasi dedignaretur Deus alia facere, solum filium fecit, cætera verò filio subrogauit, quomodo prouisione vtitur vsque ad tam modica, capillum & passerem? Quorum enim prouisione fungitur, horum creator est suo verbo. *Dico autem vobis, omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, &c.* Bed. Supra dictum est opera quęlibet & verba abscondita esse reuelanda. Nunc autem concludit hanc reuelationem non in vili quolibet conciliabulo, sed in conspectu supernæ ciuitatis æterníque regis ac iudicis agendam, dicens: Dicó autem vobis, &c. Amb. Præclarè etiam fidem acuendo intexuit, & fidei ipsi virtutum fundamenta subiecit. Nam vt fortitudinis incentiuum est fides, ita fidei fundamentum est fortitudo. Chr. Nó est ergo dominus contentus intrinseca fide, sed exteriorem confessionem expostulat, vrgens nos ad fiduciam & maiorem affectum. Et quia hoc omnibus vtile est, communiter loquitur, dicens. *Omnis quicunque, &c.* Cyril. Ait autem Paulus: Si confitearis ore tuo dominú Iesum, & credas in corde tuo quòd Deus eú à mortuis suscitauit, saluus eris. Totum Christi mysterium in his interpretatur, decet enim prius ortú à Deo patre verbum, id est vnigenitum ex ipsius substantia fateri dominum omnium, non tanquam ab extrinseco, & furtiuum sortitum dominium, sed existentem reuera & naturaliter dominum, sicut & pater. Consequéter oportet fateri, quòd Deus hunc à mortuis suscitauit, ipsum, scilicet factum hominem & passum in carne pro nobis, sic enim resurrexit à mortuis. Quisquis ergo sic cófitebitur Christum coram hominibus, videlicet vt Deum & dominum, Christus eum confitebitur coram angelis Dei, tunc temporis cum descendet cum sanctis angelis in gloria patris sui in seculi cósummatione. Euse. Quid autem erit gloriosius quam ipsum vnigenitum Dei verbum attestari pro nobis in diuino iudicio, ac ipso refectu remunerationem testimonij promere iudicium in animam eius cui testimonium perhibetur? non enim manens extra eùm cui testimonium reddet, sed habitans in eo, & implens eum lumine suo testimonium dabit.

* * *

S. AMBROSII EPISCOPI *Mediolanenſ. ſuperioris Euang. expoſitio.*

ATtendite à fermento, &c. Pulcherrimum locũ tenendæ ſimplicitatis, & æmulandæ fidei ſaluator intexuit; ne Iudaicæ perfidiæ more alia premamus affectu, alia voce ſimulemus: cum vltimo tempore occulta cogitationum accuſantiũ, aut etiam defendentium, ſecretum noſtræ mentis apertura videantur. Quæ enim maiorem ſimplicitatis illecebra, quam vt vnuſquiſque cognoſcat latebram fraudis eſſe non poſſe? Sed, quoniã gemina eſt cauſa perfidiæ: quia aut ex inolita malitia, aut ex accidenti metu naſcitur: ne quis metu terrenæ poteſtatis, Deum, quem corde cognoſcit, negare cogatur. Pulchre addidit, animæ tantum formidabile eſſe ſupplicium; pœnam corporis nõ eſſe metuendam. Mors enim naturæ finis, non pœnæ eſt. Et ideo mortem ſupplicij corporalis eſſe defectum: pœnam verò animæ eſſe perpetuam eóque Deum ſolum eſſe metuẽdũ, cuius poteſtati non natura præſcribat, ſed eadem natura ſubiaceat: Mortem verò non eſſe terribilem, quam locupletiore fænore ſit immortalitas redemptura. Inſpirauerat dominus ſimplicitatis affectum; virtutem mentis erexerat: fides ſola nutabat: bene eam de vilioribus roborauit. Nam, ſi Deus obliuionem paſſerum non habet, hominum habere quis putet? Quis ſi tãta eſt Dei etiam æterna maieſtas, vt vnus ex paſſeribus, aut noſtrorum numerus capillorum præter ſcientiam Dei non ſit, quam indignum eſt æſtimare, quòd fidelium corda dominus aut ignoret, aut ſpernat, qui viliora cognoſcat? Fortaſſe dicat aliquis; Quomodo apo-

1.Cor.9. ſtolus dixit; Nunquid de bubus cura eſt Deo, cũ vtique bos paſſere precioſior ſit? Sed aliud eſt cura, aliud ſcientia. Denique numerus capillorum non in actu computationis, ſed in facilitate cognitionis accipitur. Non enim ſollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam, ſed cui cognita ſunt omnia, quaſi numerata ſunt omnia. Bene tamen numerati dicuntur: quia illa, quæ volumus ſeruare, numeramus. Poſſumus tamen hic diſcutere aliquod intelligentiæ ſpiritalis arcanum, præſertim cum hoc videatur abſurdum, vt homines non potius hominibus quam paſſeribus comparentur. Videntur enim quinque iſti paſſeres quinque eſſe corporis ſenſus, tactus, odoratus, guſtus, viſus, auditus; qui modo paſſerum ſi terrenarum ſordium ſimentur illuuiem, atque ex incultis locis, & fætidis cibum quærant, delictorum ſuorum laqueis occupati, ad ſuperiorum operum fructus, quibus epulantur animi, reuolare non poſſunt. Eſt enim lenocinantis quidam laqueus voluptatis, qui noſtrorum veſtigiis animorum quædam vincula ſubnectat; vt, ſi igneum vigorem, puritatémque naturæ, terrenæ materiæ ſenſus hebetauerit, luxuriæ precio ſecularis addictum, ſub quadam vitiorum auctione conſtituat. Sunt etiam quædam noſtrorum nundinæ delictorum. Itaque variarum capti illecebris voluptatum, aut venundamur ſub peccato, aut redimimur à peccato. Christus nos redimit, aduerſarius vendit. Ille auctionatur ad mortem; hic redi-

Matth.10. mit ad ſalutem. Vnde bene Matthæus duos paſſeres poſuit, corpus animámque ſignificans, quoniam etiam quoq;, ſi conſentiens Dei legi, & exutus ſe lege peccati, in naturam animæ ſenſuum puritate tranſierit, alis ad cælum ſpiritalibus eleuatur. Itaque docemur, quis volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abſtulit, quæ malorũ eſcis grauat animam, atque in naturam corporeæ molis inclinat. Meritóque poſuit: quia nemo illorum cadit ſine voluntate Dei. Quod enim cadit, vergit in terram, & quod volat, faſtigio immortalitatis euehitur. Ne cui autẽ dubium eſſet, quod Matthæus dixit, Lucas euidenter abſoluit, quia voluntas Dei cognitio Dei. Non enim quiſquam voluntate Dei cadit, ſed, qui delictorum ſuorum mole ruerit, Deum latere nõ poterit. Nam & Iob ex Dei volũtate tentatur. Dedit tibi aduerſarium ſed propoſuit premium. Nec excuſes fragilitatem qui habes imaginem, accepiſti munitionem: vnde & hoc proficit ad ſalutem, vt ſine promiſſione Dei diabolum nocere nõ poſſe cognoſcas, ne potentiam diaboli magis timeas: quam diuinitatis offenſam. Iam illud non dubium eſt, animę paſſerem comparari cum legeris: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Et alibi,

Quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in mõtem ſicut paſſer. Ipſum quoque hominem legimus comparati paſſeri: quia ſcriptum eſt, Ego autem quaſi paſſer vniens in ædificio, ſcilicet ex duobus paſſeribus in vnum paſſerem, hoc eſt, ſpiritalis ſubſtantiæ ſubtilitatem cõcordans, vtriuſque alæ compage formatus. Ergo paſſer bonus eſt, cui volandi natura ſuppeditat. Eſt etiam malus paſſer, qui volandi vſum terrenæ vitio labis aboleuerit: Quales ſunt iſti paſſeres, qui dipondio veneunt. Alibi aſſe veneunt, alibi dipõdio. Quanta vilitas delictorum. Mors enim vilis, ſed precioſa virtus. Etenim aduerſarius tanquam captiua mancipia vilioris precio æſtimationis addicit. At vero dominus tanquam ſpecioſa ſeruitia, quæ ad imaginem & ſimilitudinem ſui fecit, idoneus ſui operis æſtimator magno precio nos redemit: ſicut ſanctus apoſtolus dixit, Empti enim eſtis precio magno. Et bene magno, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine: quia pro nobis mortuus eſt Chriſtus qui precioſo nos ſanguine liberauit, ſicut etiam ſanctus Petrus in epiſtola commemorat ſua ſcribens ad nos, Quis non corruptibilibus argento, & auro, inquit, redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati, & immaculati Chriſti Ieſu. Et bene precioſo, quia immaculati corporis ſanguis eſt, quia ſanguis eſt vnici filij Dei, qui non ſolum de maledicto legis, ſed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit. In ſumma igitur hic ſenſus eſt, Si dominus vilibus auibus & infidelibus hominibus, vel in oriundo ſole, vel in terrena fœcunditate proſpexit, ſi miſericordiæ ſuæ omnibus munus impertit, haud eſſe dubitandum, contemplationem apud illum fidelium valituram eſſe meritorum: Præclare autem & fidem acuendo intexuit, & fidei ipſi virtutum fundamenta ſubiecit. Nam vt fortitudinis incentiuum eſt fides, ita fidei firmamentum eſt fortitudo.

***

Deus nullo pacto peccati auctor.

Pſal.123. *Pſal.10.* *Pſal.101.* *1.Cor.6.* *1.Pet.1.*

PETRI CHRYSOLOGI
Episcopi Rauenens. in superius Euang. de Hypocrisi, Sermo.

Ex Ser. 172. ATtendite vobis à fermento Pharisæorum. Quia in fermento nō est molea magnitudinis, sed tumoris, & conspersio tali specie inflata est, non ditata, quantum enim efferbuerit feruentius, tantum * fratris massa turgescit, & totam formam * lege, fertus. leuitatis implet, & tumoris. Congrue ergo à Domino dictum est, *Attendite vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Quid est hypocrisis, nisi species arte composita, quæ aliud in re agit, aliud promit in vultu? Hæc penes Pharisæos per scien- 1.Cor.8. tiam tumescebat, Apostolo sic dicente, Scientia inflat. Illos nanque sciētia inflabat ad superbiam, non instruebat ad vitam: & corrumpebat ad malitiam, non ad prudentiam promouebat. Erat in eorum facie hypocrisis, erat in eorum mente inuidiæ hydrops, erat in pectore fitienlosus fons: erat ardens vnda, quæ suis magis, ac magis inflammabatur fluentis, vt bibentis non extingueret sitim, sed augeret incendium. Sic, sic, hypocrisi 1.Cor.5. ministrante, sui semper inuidia propinat: Ab hoc nos morbo subtrahit Apostolus, cùm nos non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis sanctum Pascha domini celebrare compellit. Veritas nescit tumorem, simplicitas hypocrisim prorsus ignorat. In azymis synceritatis, & veritatis. Hæc sunt cordis azyma, hæc cælesti dulcedine confecta, hæc gratiæ saporata pinguedine, hæc sancti spiritus igne decocta, hæc nos manducātes agnum Dei, agnum, qui tollit peccatum mundi, ad nostrum Pascha solenniter immolamus: quibus Christus ad lætitiam totam, totam est natus, & immutatus ad gloriam.

Quære in festo S. Athanasij Sermonem 101. eiusdem Chrysologi, super contextum Euangelij huius; Noliti timere eos, qui occidunt corpus, &c.

BEDAE VENERABILIS
Presbyteri, in superius Euang. *expositio.*

Ex comm. in Lucam. ATtendite à fermento, &c. Ad hoc fermentum pertinent omnia, quę recumbens apud Pharisæū superius disputauerat. De quo & Apostolus præcipit: Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis. Nam, sicut modicum fermentum totam farinæ, cui iniicitur, massam corrumpit, vniuersamque mox conspersionem suo sapore commaculat, sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum synceritate, & veritate fraudabit. *Nihil autem opertum est, quod non reueletur, &c.* Et quomodo in præsenti sæculo multorum diu latet hypocrisis? Ergo de futuro tempore intelligendum, quando iudicabit Deus occulta hominum. Nam, sicut vnus amicorum beati Iob verissime dixit: Laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. In fide, inquit, perdetur, qui in principio florere videbatur. Est ergo sensus: Attēdite ne æmulemini simulatores, quia veniet profecto tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reueletur hypocrisis. Verum quod sequitur: *Quoniam quæ in tenebris dixistis, &c.* Non solum in futuro, quando cuncta cordium abscondita proferentur ad lucem, sed & in præsenti tempore potest cōgruenter accipi. Quoniam quæ inter tenebras quondam pressurarum, carcerúmque vmbras, vel locuti, vel passi sunt Apostoli, nunc clarificata per orbem Ecclesia, lectis eorum actibus, publice prædicantur. Sane quod ait: *Prædicabitur in tectis,* iuxta morem Prouinciæ Palæstinæ loquitur, vbi solent in tectis residere. Non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate faciunt æqualia. Vnde lex præcepit, vt, qui nouam domum ædificaret, murum tecti poneret in gyro, ne funderetur ibi sanguis innoxius labente aliquo, & in præceps ruente. Et in templi constructione legimus: Texit quoque domum laquearibus cedrinis, & ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis. Ergo *prædicabitur in tectis,* cunctis audientibus palam dicetur: *Dico autem vobis amicis meis, &c.* Si persecutores Sanctorum occisia corporibus non habent amplius quid contra illos agant, ergo superuacua furiunt insania, qui mortua martyrum membra feris, auibúsque discerpenda proiiciunt, vel in auras extenuari, vel in vndas solui, vel per flammas in cinerem faciunt redigi, cum nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando viuificet, obsistere possint. *Timete eum, qui, postquam occiderit, &c.* Quia duo sunt genera persecutorum, vnum palam sæuientium, alterum ficte, fraudulentérque blandientium, contra vtrumque nos munire, atq; instituere volens Saluator, & supra ab hypocrisi Pharisæorum attendere, & hic à carnificum cæde præcipit non timere, quia videlicet post mortem, nec horum crudelitas, nec illorum valeat simulatio durare. Domino potius, qui semper videat placendum; Dominum, qui semper punire, vel liberare queat, esse timendum. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, &c.* Si minutissima, inquit, animalia, & quæ quolibet per acta feruntur volatilia Deus obliuisci non potest: vos, qui ad imaginem facti estis creatoris, non deberis terreri ab eis, qui occidunt corpus, quia qui irrationabilia gubernat, rationabilia curare non desinit. Dipondius, quo quinque passeres veneunt, id est, venduntur, genus est pōderis leuissimi ex duobus assibus compositi. Quærit fortasse aliquis, quomodo dicat Apostolus: Nunquid de bobus cura est Deo? cum vtique bos passere preciosior existat. Sed aliud cura, aliud vero est scientia. Denique numerus capillorum, de quo consequenter ait: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Non in actu computationis, sed in facultate cognitionis accipitur. Non enim sollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam, sed cui cognita sunt omnia quasi numerata sunt omnia. Bene tamē numerata dicuntur: quia quę volumus seruare, numeramus. Vbi immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, quod nil nostrum Deum lateat, & parua etiam, otiosaque dicta eius scientiam non fugiant. Diridens intelligentiam Ecclesiasticam in hoc loco, qui

carnis

carnis resurrectionem negant, quasi nos ipsam terrenam materiem, quæ discedente anima, fit cadauer, ita resurrectione reparandam dicamus, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerum species, formásque vertuntur, quanuis ad corpus redeant, vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit. Aliuquin, si capillis capitis redit, quod tam crebra tunsura detraxit, si vnguibus, quod totius dempsit exsectio, immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informositas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuę redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerit, resumeret, ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet, nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillus redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. *Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis.* Non, plures estis, legendum, quod ad comparationem numeri pertinet, sed, *pluris estis.* Hoc est maioris apud Deum meriti, dignitatis, & æstimationis, quā innumera passerum, vel corpora, vel genera computamini. *Dico autem vobis, omnis quicunque confessus fuerit, &c.* Respicit ad superiora, vbi dictum est, operta quælibet, & abscondita esse reuelanda, concludens hanc reuelationem non in vili quolibet conciliabulo, sed in conspectu supernæ ciuitatis, æternique Regis, ac iudicis agendam.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

COepit dicere ad discipulos suos, *Primum cauete vobisipsis à fermento pharisæorum, &c.* Iesus itaq; visa fraude pharisæorū, & quod fictam quidem interrogantium gererent, re autem vera illaqueare conarentur: dixit discipulis suis de simulatione pharisæorum, arguens omnino illus, & denudans corda illorum simulatione plena. Fermentum autem vocat hypocrisin, & simulationē, quòd acerba sit, & plena veteris malitię, & transformet, corrumpátque secum hominum mentes, quibus admixta fuerit. Nihil enim sic mores alterat, vt hypocrisis. Qui igitur Christum discunt, hypocrisin fugiunt: Christus enim, quum sit veritas, mendacio aduersatur. Porro omnis hypocrisis mēdacio plena est, & aliud quidem est, & aliud fingit. Pharisæi itaque (inquit) latere se putāt per hypocrisin, bonos mores sibi effingentes. Atqui nihil occultum est, quod non reuelabitur. Omnia enim & verba, & cogitationes nudæ ante iudicium in supremo illo die apparebūt: quin & in præsenti vita multa eorum, quæ occultātur, manifestari solent. Quæcunq; igitur in tenebris dixistis, & in promptuariis, & occultè locuti estis, prædicabuntur in lumine, & in tectis. Et hæc quidem videtur ad discipulos dicere, sed ad pharisæos dirigit, insidias illorum insinuans: & quasi hoc eis manifestat, quamuis ad discipulos videatur loqui. Quoniam, ô pharisæi, quæcunque in domo, hoc est, in tenebrosis vestris cordibus cogitatis, tentantes me illaqueare, in luce audientur, & cognoscentur. Ego enim sum lux, & non potestis à me occultari, sed in meo lumine omnia tenebrarum vestrarum cōsilia internoscuntur. Et quod inter vos in aures consultatis, ita celebrabitur, vt super tecta summa prædicetur. Poteris autem illa etiam sic intelligere, quòd lux sit Euangelium, & domus sublimis, Apostolorum summæ animæ, quæcunque autem pharisæi consultarunt, prædicata sunt postea, & audita in lumine Euangelij, stante super apostolicas animas magno prædicatore spiritu. *Dico autem vobis amicis meis, Ne terreamini, &c.* Postquam dominus hypocrisin pharisæorum accusauit, & discipulos suos ab illa deterruit, & interim pharisæus iterum perstrinxit per hoc quod dixit; *Quod dixistis in tenebris, audietur in lumine*: nunc ad amicos suos perfectiora loquitur. Vbi enim spinas excussit, iam & bonum semen seminat. *Dico autem vobis amicis meis.* Ea enim, quæ prius dixerat, non ad ipsos, sed ad pharisæos dicta fuerant. Vobis igitur dico amicis meis. Non enim omnibus sermo ille congruit, sed iis, qui ex toto corde diligunt, & dicere possunt: Quis nos separabit à dilectione Christi? Talibus enim admonitio illa cōuenit. Ne *timeatis*, inquit, *ab iis, qui occidunt corpus: nihil enim amplius nocere poterunt*: tametsi paruum damnum ab illis eueniat, qui corpori nocent, quod alioqui passurum esset, etiam illis non lædentibus. Ille autem dignus, qui timeatur, qui nō solū corpus punit, sed & animam immortalem. possessionem immortalibus subijcit pœnis, iisque ardentibus. Itaque in spiritualē certamē vngit, & præparat amicos suus Christus, testésque suos facit, ac humano metu exuit. Homines enim (inquit) iram suam vltra corruptibile hoc corpus extendere nequeunt: finisque insidiarum illorū contra nos, carnis mors est. Deo autem puniente, non carnis solum damnum est, sed & misera anima cum suppliciis vadit. Scito antē hoc loco, quòd peccatoribus mors ad supplicium infertur, & in hac vita puniuntur, quū occiduntur, & in alia, dum in gehennam conijciuntur. Perscrutans autem verbum, etiam aliud quiddam simul intelliges. Vides enim, quòd non dixit, Metuatis eum, qui, postquam occiderit, mittit in gehennā: sed *habentem potestatē mittendi.* Non enim semper, qui moriuntur peccatores mittūtur in gehennam, sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, & distributiones, quę fiunt pro defunctis, quę non parum conducunt etiam iis, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Non omnino igitur, postquam occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Ne igitur cessemus per eleemosynas, & intercessiones propitium reddere eū, qui potestatem habet mittendi, nō semper autem potestate hac vtentem, sed & valentem remittere quiddam: quoniam multi putant morientes pro veritate, à Deo derelictos. Ne huc existimetis vos, inquit: non enim moriuntur quasi à me derelicti. Si enim nullus ex passerculis, qui venduntur, in obliuione est: multo maioris igitur vestra mors erit, qui amici mei estis. Quasi ergo non prouideam vobis. Equidem tantam vestri curam gero, vt & omnia vestra subtiliter perspecta sint, &

Rom. 8.

Hic notādū, defunctorum animas posse viuorum suffragijs adiuuari: Sed illud caute legendum. Deū scilicet habere quidem potestatem mortuos in peccatis cōijciendi in gehennam, sed nō semper cōijcere: nam per ecclesiastica dogmata certū est mortuos in grauibus pecca-

tem æternũ perire. *Exod 38. Num.26.32.*

numerati capilli vestri. Quamuis igitur vos in tentationem cadere permittam, suppeditabo tamen vbertim sufferendi vires. Sæpe autem, si quem infirmiorem video non permitto illum in tentatione incidere. Nam qui sum curator, & omnia bene scio, & oomerata babeo etiam minutissima: distribuo vnicuique, quod suæ mensuræ congruit. Porrò, si obseruaueris, in scriptura inuenies numerantem omnia, quæ ad mensuram virilis ætatis perueniunt, dignáque diuina enumeratione. Per caput autem vniuscuiusque Christi fidelium, intelligenda vita Christo grata: per capillos vero eius, particularia opera, & quibus corpus mortificatur, quæ numerantur apud Deum, & supputantur. Talia enim nostra opera diuinam visitationem merentur.

Opera nostra penalia diui nã visitationi merentur.

Iam quidam intelligunt per quinque passerculos, quinq; sensus, qui duobus minutis assibus venũdantur, hoc est, nouo, & veteri testamento, & non sunt in obliuione apud Deum. Quorum enim sensus recte componuntur, & sobrij sunt, & rationi subduntur, ita vt non sint inutiles, sed valde vtiles io spiritualem cibum: hi non sunt in obliuione apud dominum. *Dico autem vobis, omnis quicumque confessus fuerit in me coram hominibus, &c.* Nunc autem præmium martyrij adijcit. Postquam enim dixit, *ne timeatis ab ijs, qui occidunt corpus:* & adiecit, quod capilli vestri numerati sint: vis etiam mercedem? audi: *Quisquis confitebitur in me, confitebitur coram Deo. In me* (dicit) *confitebitur*, hoc est, meo adiutorio adiutus, & mea virtute. *Confitebor igitur & ego in illo*, hoc est, sub ipso cooperans. Opus enim habemus & nos Deo duce, sine quo nihil possumus: & Deus quoque opus habet nobis. Si enim non inuenerit io nobis opera digna, neque vos assumet: alioqui personarum acceptor esset. Confiteamur igitur & nos in illo, hoc est, in eius cooperatione: & ipse in nobis, hoc est, intra nos cooperans. Si enim non dederimus ei occasionem, non confitebitur pro nobis.

Vides, hũc deflorem recte sentire de diuina gratia qua nobis ad bona opera facienda est necessaria: non tamẽ sola sufficit, sed & ea nostra cooperatione indiget.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Cauete vobis ipsis à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Quia etiam nunc per hypocrisim interrogabant, apparenter quidem discere quærentes, occulte vero insidiantes, discipulos suos omnino monit, vt caueant sibi ab hypocrisi illorum, ne imprudenter in eam incidant. De hoc autem fermento etiam illis præcepit apud Matthæum. *Nihil enim opertum est, quod non reuelabitur: nec occultum, &c.* *Matth 16.* Etiam hæc de hypocrisi dixit eorum, docens quòd arguetur in die vniuersalis iudicij. Et quia tunc omnia cognoscentur, & opera, & sermones, ac cogitatus, superflua nunc est, & inutilis hypocrisis. *Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine audientur, &c.* Factus quidem est ad discipulos sermo, verum & hic potius de illis dictus est, quod quæcunque apud sese cogitarent, vel etiam inter se mutuo clam communicarent, omnia tunc à Deo publicabuntur, qui cuncta cognouit. Lumen enim, & tecta publicationem nominauit. *Quoniam*, id est propterea, quia nihil occultum erit. Hęc etiam apud Matthæum tractauit, quanquam secundum alium intellectum. *Matth.10.* *Dico autem vobis amicis meis, &c.* O immensitatem humilitatis, ac dilectionis! Amicos vocat seruos, scilicet, quod se ament ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Quod autem dicit, *Ne terreamini ab ijs, qui occidunt corpus, &c.* Dixit etiam prædicto loco euangelij secundum Matthæum. Varijs enim opportunitatibus, ac temporibus, Apostolos de eisdem frequenter admonebat: volens hæc animabus eorum infigi tenacius. *Nonne quinque passeres væneunt paruis assibus duobus, &c.* Similiter & hæc dixit eodem loco. Attamen ibi duos paruolo asse, siue assario vænire dixit: hic autem quinque passeres paruis assibus duobus. Et verisimile est tunc aliter vænijsse, nunc vero aliter. *Dico autem vobis; Omnis quicunque in me confessus fuerit, &c.* Pari modo & hæc consequenter dixit eodem loco, sed ibi dixit, Coram patre meo, qui est io cælis: hic autem, *Coram angelis Dei*, Est autem indifferens. Nam patri eius, & ipsi sanctóque spiritui, tempore iudicij assistent simul & angeli.

Tractatur materia huius Euangelij, in festo S. Athanasij, item in 3. & 4. Euang. de vno martyre supra, quò erit recurrendum.

I. EVANG.

I. EVANG. IN COMMVNI
CONFESSORVM PONTIFICVM.

MATTH. 25.

N illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Homo
a Dedit dona hominibus naturalia & gratuita.
quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & a tradidit illis
b Exteriorum scientiam quinque sensibus acquisitam. c Intellectum & operationem.
bona sua. Et vni dedit quinque b talenta, alij autem c duo, alij verò
d Intellectum. e Non pro largitate vel parcitate, alij plus, alij minus, sed pro viribus accipientium.
d vnum, e vnicuique secundum propriam virtutem: & profectus est statim.
f Promouit. g Scientiam exteriorum & mystica non penetrat. h Dum se à visibilium voluptate custodit, ab his etiam alios amonendo compescit.
f Abiit autem qui quinque g talenta acceperat, & h operatus est in eis, & lucra-
i Intellectum & operationem. k Prædicando, & recta operando, tales instruit qui itidem florent scientia & opere.
tus est alia quinque. Similiter qui i duo acceperat, k lucratus alia duo. Qui au-
l Intellectum. m Per se, sed non rediens per se. n Terrenis actibus se applicauit, nec lucrum spirituale quæsiuit.
tem l vnum acceperat, m abiens fodit in n terram, & abscōdit pecuniam domini
o Quod est ab ascensione domini vsque ad secundum aduentum. p Ad iudicandum.
sui. o Post multum verò temporis p venit dominus seruorum illorum, & posuit
q Præparans se ad reddendam rationem.
rationem cum eis. q Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quin-
r Non sua quærens, sed quæ Iesu Christi.
que superlucratus sum. Ait illi dominus eius. r Euge serue bone & fidelis quia
s Gaudens dominus in gaudium intrare iubet.
super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: s intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: domine duo talenta tra-
t Non sua quærens, sed quæ Iesu Christi.
didisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus eius: t Euge serue bo-
v Accipe quod oculus non vidit nec auris audiuit.
ne, & fidelis: quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: v intra in gaudium domini tui.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

EREGRE *proficis. vocauit.* Locus carnis terra est: ergo Christus carnem nostram ad peregrina duxit, quando cælum ascendit. *Et profectus est statim.* non locum mutans, sed liberam eis potestatem operandi permittēs. *Operatus est in eis.* A visibilibus se custodiendo, alios pro posse exhortando, vt de visibilibus ad inuisibilia trāseant. Vel vtrique sexui prædicando, & de bonis moribus informando, geminauit accepta talenta. *Posuit ra.* Cœpit singulorum actus discutere accusante conscientia vnumquemque vel excusante. *Ecce alia quinque,* quotquot ab errore conuertit, tot domino obtulit, testimonium sibi dante conscientia, quòd per gratiam sibi datam non tantum sibi profuit, sed etiam quos potuit lucrifecit. *Super pauca.* Pauca sunt bona præsentis vitæ: quamuis multa videantur, quia non sine alicuius molestiæ admixtione sunt. Multa autem bona æterna, quę sunt sine omni corruptionis molestia. *Intra in gaudium domini tui.* Ampiatus choris angelorum sic intus lætare de munere, vt iam non sit quòd exterius doleas de corruptione. *Qui duo talenta acceperat.* Iste viribus suis quidquid in lege Dei didicerat, in euangelio duplicauit: Siue conscientiam & opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

CATENA AVREA
in idem Euang.

GLo. In præcedenti parabola demonstrata est eorum condemnatio, qui oleum sibi sufficienter non præparauerant, siue per oleum nitor operum, siue gaudium conscientiæ, siue eleemosyna quæ est per pecuniam, intelligatur. Hæc autem parabola inducitur contra eos qui non solum pecuniis, sed nec verbo, nec alio modo prodesse proximis volunt, sed omnia occultant. vnde dicit, *sicut enim homo, &c.* Greg. Homo autem iste

qui peregrè proficiscitur, redemptor noster est, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in cælũ. Carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrinandum ducitur, cum per redemptorẽ nostrum in cælo collocatur. Orige. Secundũ enim diuinitatis suæ naturam non peregrinatur, sed secundum dispensationem corporis quod suscepit. Qui enim dicit discipulis suis: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, vnigenitus Dei est, qui non est corporeo habitu circunclusus: hoc autem dicentes non soluimus Iesum, sed vnicuique substantiæ proprietatem eius saluamus. Possumus & talia dicere, quòd peregrinatur dominus per fidem ambulantibus, & non per speciem: si autem peregrinantes à corpore cum domino fuerimus, tunc & ipse erit nobiscum. Simul etiam considera, quòd nõ videtur sedditio sermonis ita conscripta, sicut homo pesegrinãs, ita ego aut filius hominis, quoniam ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo, non sicut filius Dei. Hier. Vocatis autem apostolis doctrinam eis euangeliorum tradidit, non quasi pro largitate & parcitate alteri plus & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus. quomodo & Apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit. vnde sequitur, *Et vni dedit quinque talenta, alij autem, &c.* Chry. In quinque, & duobus, & vno talento, diuersas gratias intelligimus, quæ vnicuique traditæ sunt. Orig. Si quando enim videris eorum qui acceperunt à Christo dispensationem eloquiorum Dei, alios quidem habere amplius, alios autem minus: & vt ita dicam, neque in dimidio intelligentes rerum negotia comparatione meliorum, alios aut adhuc minus habere videbis differentias eorum, qui eloquia domini susceperũt à Christo: quoniam alia fuit virtus eorum quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alia quibus vnum, & alter alterius non capiebat mensuram: & qui accepit talentum vnum, accepit quidem datum non contemptibile. Multum est enim & vnum talentum talis domini: tamen tres sunt proprij serui, sicut tria genera eorum qui fructum faciunt: & quinque quidem accepit talenta, qui omnia sensibilia scripturarum potest adducere sed sensus diuiniores: duo autem, qui est corporalem doctrinam edoctus, duo enim videtur carnalis numerus esse: sed adhuc minus potenti vnum talentum paterfamilias dedit. Greg. Vel aliter. Quinque talentis, dona quinque sensuum, id est, exteriorum scientia exprimitur: duobus verò, intellectus & operatio designatur: vnius autem talenti nomine, intellectus tantum designatur. Sequitur, *Et profectus est statim.* Glo. Non locum mutans, sed liberam eis operandi potestatem permittens, & suo arbitrio relinquens. Sequitur. *Abiit autem qui quin. ta. &c.* Hiero. Acceptis enim terrenis sensibus, cælestiũ sibi notitiam duplicauit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex breuibus sempiterna. Grego. Sunt etiam nonnulli, qui & si interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernæ patriæ docent recta quæ possunt de ipsis exterioribus quos acceperunt dúmque se à carnis petulantia, à terrenarum rerum ambitu atque à visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. Orig. Vel qui habent sensus exercitatos conuersati salubriter, & ad maiorem scientiam seipsos erigentes, & studiosè docẽtes, lucrati sunt alia quinque, quia nemo facilè addit amẽtum accipit virtutis alterius, nisi eius quam habet, & quanta ipsa scit, tanta alterum docet, & non amplius. Hila. Vel seruus ille qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentiũ est: ex qua profectus meritũ ipsius rectè impleta euangelicæ fidei operatione duplicauit. Sequitur; *Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Greg. Sunt enim nõnulli qui dũ intelligendo & operãdo aliis prędicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant, quia dum vtrique sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talẽta geminantur. Orige. *Vel lucrati sunt alia duo.* id est, corporalem æditionẽ & aliam paulò sublimiorem. Hil. Vel ille seruus, cui duo talenta commissa sunt, gentium populus est, fide atque cõfessione & filij iustificatus & patris, dominum nostrum Iesum Christum Deum atque hominem ex spiritu & carne confessus est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed vt populus Iudæorum omne sacramentum quod in quinq; talẽtis, id est, in lege cognouerat, idipsum fide euangelij duplicauit: ita ex incremento duorum talentorum intellectum atque operationem promeruit. Sequitur, *Qui autẽ vnum acce. abiens, &c.* Greg. Talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare. Orige. Vel aliter, Si quando videris aliquem, qui virtutem habet docendi & animabus proficiendi, & hanc virtutẽ occultat: quamuis habeat quandam religionem conuersationis, non dubites dicere talem esse qui accepit vnum talentum, & abscondit ipsum in terra. Hils. Vel iste seruus qui vnum talentum accepit, & in terra recõdidit, & populus est in lege persistens, qui propter inuidiam saluandarum gentium in terra acceptum talentum abscondit: In terra enim talentum abscõdere, est nouæ prædicationis gloriam sub obtrectatione corporeæ passionis occultare. Sequitur; *Post mul. ve. tempo. &c.* In ratione autem ponenda iudicij examen est. Orig. Et obserua in hoc loco, quoniam non serui ad dominum vadunt vt iudicentur, sed dominus venit ad eos, cum tempus fuerit impletum, de quo dicit, *Post multum verò temporis.* id est, postquã dimisit aptos ad negotiandum animarum salutem: & ideò forsitan non facilè inuenitur quis ex eis qui apti fuerint ad huiusmodi opus, vt cito transeant de hac vita, sicut est manifestũ ex eo quòd & apostoli senuerunt. Ex quibus dicit ad Petrum, Cùm senueris, extendes manum tuam, de Paulo autem dictum est ad Philemonem, Nunc autem vt Paulus senex. Chry. in ho. Vide & dominum vbique non confestim expetentem rationem vt discas eius longanimitatem. Mihi autem videtur quòd resurrectionem occultè insinuans hoc dixit. Hiero. Ideo ergo dicit, *Post multum temporis,* quia grande tempus est inter ascensionem saluatoris, & secũdum eius aduentum. Grego. Hæc autem lectio huius euangelij considerare nos admonet, ne qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernuntur, ab authore mundi grauius iudicentur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo humilior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Orige. Fiducia autem fecit eum qui quinque talenta acceperat audire,

vt ad

vt ad dominum prius accederet. Sequitur enim, *Et ecce, qui quin. tal. &c.* Grego. Seruus ergo qui geminata talenta retulit, laudatur à domino, atque ad æternam remunerationem perducitur, vnde subditur, *Ait illi dominus, Euge.* Raba. *Euge.* interiectio est lætantis, per quod gaudium suum dominus insinuat, qui bene laborantem seruū ad gaudium æternum inuitat, de quo Propheta ait, Lætificabis nos in gaudio cum vultu tuo. Chrysost. in ho. *Serue bone*, qui de bono loquitur quod est ad proximum. *Et fidelis*, quia nihil eorū quæ sunt domini sibi appropriauit. Hier. Dicit autem, *Super pauca fuisti fidelis*, quia omnia quæ in præsenti habemus, licet magna videantur & plurima, tamen comparatione futurorum parua, & pauca sunt. Greg. Sed tunc fidelis seruus supra multa constituitur, quando deuicta omnis corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa cęlesti sede gloriatur. Tunc etiam ad domini sui gaudiū perfectè intromittitur, quando in ęterna illa patria assumptus atque angelorum cętibus admixtus, sic interius gaudet de munere, vt non sit quod exterius doleat iam de corruptione. Hieronymus, Quid autem potest maius dari fideli seruo quàm esse cum domino & videre gaudium domini sui? Chrys. In ho. Per hoc enim verbum omnem beatitudinem ostendit. Aug. 1. de tri. Hoc enim erit plenum gaudium nostrum, quo amplius non est frui Deo trinitate, ad cuius imaginē facti sumus. Hier. Vtrique autem seruo & qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, idem patrisfamilias sermo blanditur. Vtrunque etiam simili recipit gaudio, non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem. vnde sequitur, *Accessit autem & qui duo talent. acce.* Orige. Quod autem dixit, vel in eo qui quinque talenta acceperat, vel in isto qui duo accedens, intellige accessum transitum de hoc mundo ad illum: & vide quoniam eadem dicta sunt ambobus, ne fortè & qui minorem habuit virtutem, & totam illam quam habuit, secundum quod oportebat, exercuit, nihil minus habiturus sit apud Deum, quàm ille qui fuerit in maiori virtute. Hoc enim solum quæritur vt quicquid habuerit homo ex Deo, toto eo vtatur ad gloriam Dei.

ORIGENIS PRESBYTERI de eodem Euang. Homil.

Est Hom. 33. in Matth. ET primum quidem videamus quare peregrinanti homini assimilatur Dominus noster, qui vnus est Dominus noster, de quo ait Apostolus: Nobis autem vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, si tamen ab eo tantummodo dominemur, & neque mammona Dominum habeamus, neque aliquem dominorum eorum, quos multos esse significans ipse Apostolus dicit: Sicut enim sunt dij multi, & Domini multi. Ergo primum quæramus de peregrinatione ipsius, maxime quia peregrinationi eius videtur esse contrariū quod ipse de discipulis suis promittit, dicens: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item illud: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et quod Baptista dicit de eo, vbiq; eum esse demonstrans, ita, In medio autem vestrum stat quem vos nescitis, ipse est qui post me venit. Propterea dicet aliquis, si in medio etiam nescientium se stat: si vbicunque duo, vel tres coogregati fuerint in nomine eius inter eos habetur: si per omnes dies vitæ discipulorum cum eis est vsque ad consummationem seculi, quomodo In ista parabola proponitur peregrinans? Tractantes autem assumere debemus, & illud quod Paulus ait de se: Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu, eum qui talis est tradere satanę in interitum carnis, vt spiritus eius saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Si enim virtus Iesu congregatur cum his, qui congregantur in nomine eius, nō peregrinatur à suis, sed semper præsto est eis. Quod si semper omnibus suis est præsens, quomodo introducunt eum parabolæ eius peregrinantem? Vide si possumus soluere hoc modo quod quæritur. Qui enim dicit discipulis suis: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Et item: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, & ego sum in medio eorum, & cætera. Et, Qui in medio etiam nescientium se consistit, vnigenitus Dei est Deus verbum, & sapientia, & iustitia, & veritas, qui non est corporeo ambitu circunclusus. Secundum hanc diuinitatis suæ naturam non peregrinatur, sed peregrinatur secundum dispensationem corporis quod suscepit. Secundum quod & turbatus est, & tristis factus est, dicens: Nunc anima mea turbatur. Et iterum: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hæc autem dicentes non soluimus suscepti corporis hominem, cum sit scriptum apud Ioannem: Omnis spiritus qui soluit Iesum non est ex Deo, sed vnicuique substantiæ proprietatem seruamus. Si enim omnis homo fidelis qui coniungitur Domino vnus spiritus est, quanto magis homo ille quem secundum dispensationem carnis Christus suscepit, non est soluendus ab eo, nec alter est dicendus ab eo? Et vide quomodo ait, sicut homo peregre futurus: quoniam non erat homo, sed sicut homo, & quasi homo peregrinabitur, qui erat vbique secundum diuinitatis naturam. Simul considera, quoniam non videtur redditio sermonis ita conscripta: Sicut homo peregrinans sic & Iesus: aut ita, sic & filius hominis: quoniam ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo. Nec enim est homo, qui est vbicunque duo vel tres in nomine eius fuerint congregati. Neque homo nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nec congregatis vbique fidelibus homo est præsens, sed virtus diuina, quę erat in Iesu. Possumus etiā talia dicere de hoc loco. Nihil cōtrarium est enim ipsum Iesum secundum quendam quidem intellectum esse vbique: secundum alium autem peregrinari. Si enim nos dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem: in omnibus qui sunt in corpore, & peregrinantur à Domino, peregrinatur ab eis & Dominus per fidem ambulantibus, non per speciem. Si autem peregrinantes à corpore cum Domino fuerimus, & ipse tunc erit nobiscum, & pro eo quod per fidem ambulauimus, vt & per speciem postea ambulemus. Speciem autem dicimus verbi, & sapientiæ, & veritatis, & iustitiæ, & pacis, & omnium quicquid est vnigenitus Deus. Speciem autem verbi,

& speciem sapientiæ intelliges, cum intellexeris quod ait Apostolus: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatum enim Christum intelligens in aliquo, videbis consequenter secũdum formationem huiusmodi etiam speciem Christi. Iste ergo qui quasi homo peregre est profectus, vocauit seruos suos, & tradidit eis probatam pecuniam suam in eloquiis castis. Quoniam eloquia eius, eloquia sunt casta, argentum igneum probabile, purgatum septies. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum. Vnicuique autem, &c. Ergo siquando videris eorum qui acceperunt à Christo dispensationem eloquiorum Dei: alios quidem habere amplius, & diuinius, & abundantius, alios autem minus, & vt ita dicam, neque in dimidio intelligentes rerum negocia, comparatione eorum qui multo sunt meliores: alios autem adhuc minus habere, videbis differentias eorum qui eloquia Dei susceperunt à Christo: quoniam alia fuit virtus eorum quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alias quibus vnum, & alter alterius non capiebat mensuram. Et qui accipit talentum vnum, accepit quidem datum nõ contemptibile: multum est enim, & vnum talentum talis Domini. Tamen tres sunt proprij serui eius qui peregre profectus est quasi homo, sicut & tria genera sunt eorum qui fructum faciunt. Quorum quidam quidem faciunt centum, quidam autem sexaginta, quidam vero triginta. Sed ibi etiam ille qui triginta fecit saluatur: hic autem sermo arguit eum qui vnum acceperat talentum, & abscondit in terram. Et quæro qui quinque acceperat talenta, si possunt intelligi perfectiores, qui diuiniorem & sublimiorem acceperunt sensum scripturæ, qui duo autem acceperunt, super literam quidem, paulo autem superius ascenderunt, & non ad magnitudinem illam ascendere potuerunt: tertij autem, qui nihil super literam, quam acceperunt in primis. Est ergo & de numeris omnino in his, quæ loquimur dignus sermo tali nostro Domino Saluatore. Dico autẽ de quinque, & duobus, & vno. Nos autem modici, & talia minus explicare potentes existimamus, ne forte qui omnia quidem sensibilia scripturarum possunt deducere ad sensus diuiniores quos Salomon diuinos appellat, & quos dicit Hieremias sensus cordis, & qui ad Hebræos dicũtur a Paulo sensus exercitati ad discretionẽ boni quoque, & hi qui extra quinq; talenta, alia quinq; sunt lucrati operantes in eis: & per doctrinam exercitantes seipsos, & ad maiorem scientiam erigentes. Conuersati enim salutariter & studiose docentes, operati sunt, & lucrati sunt alia quinque: quia nemo facile additamentum accepit virtutis alterius, nisi eius quam habet: vtputa sapiens in sapientia crescit, fidelis in fide. Aut ita. Alia acquisiuit quinque: quoniam vnusquisque quod ipse scit hoc docet alterũ, & quanta ipse scit tanta alterum docet, non amplius. Propterea quicquid habuerit quis in se, hoc alterum docendo acquirit, in altero faciens eum habere quod habet ipse. Propterea quinque habuit, & non amplius acquisisse dicitur, nisi quinque, quæ habuit. Et qui duo, non amplius, nisi duo quæ habuit. Si autem debemus & de duobus talentis dicere: & de illis dicimus, quod qui non permanserunt in litera, sed quærentes ascendere sensu suo super eam, non autem potentes peruenire super ordinem prædictorum duorum. hi sunt, qui ab eo qui cognoscebat virtutem eorum, acceperunt talenta duo, corporalem doctrinam edocti. Duo enim videtur carnalis numerus esse: & super hæc lucrati sunt duo, id est, corporalem editionem, & aliam paulo eis sublimiorem. Erat autem aliquis seruorum minorem colligens sibi virtutem, propter quam quasi minus potenti vnum talentum paterfamilias dedit, quod accipiens seruus habẽs aliquam terram fodit, & in altitudines imposuit eius cum debuisset sursum, & in mensas id mittere. Quoniam autem proprij serui tres referuntur illius patrisfamilias esse, quæro si possunt postquam crediderunt, & serui facti sunt eius, quasi potẽtes negociari, posteaquam acceperunt à patrefamilias pecuniam eius: vt quidã quidem operatus sit & lucratus, alius autem lucratus, alius vero præ timore non satis fidelis, Domini sui infodit, & abscondit pecuniam. Et apparet in ipsa defensione per quam loquitur, quod timuit quidem Dominum habens Dei timorem, sicut alter zelum Dei: non autem secundum scientiam timens, abscondit talentum suum in terra. Tales sunt autem, qui neque mouent, neque discutiunt quæ dicuntur, neque seipsos ad prodificandas animas tradunt: sed latere volunt quæ acceperunt, & crediti sunt. Siquando ergo videris aliquem, qui virtutem quidem aliquam acquisiuit, & habet dicendi, & animas quarumcũque prodificantem: & hanc virtutem occultat, vt tantummodo tradat verbum nudum, quod creditus est, & accepit, & depositum ei à Domino suo, & viuit in obscuro multis ignotus etiã magna peccata habentibus, & non se profert in bono quod à Deo accepit: quamuis habeat quandam religionem conuersationis non vituperabilem multis, non dubites dicere eum talem esse, qui vnum talentum accepit, & abscondit id in terra. Si autem propter illud, quod scriptum est, cum talem mitti in tenebras exteriores, displicet tibi, quod dicitur: si propterea quod nõ docuit quis, iudicatur quasi qui data sibi virtute ad prodificationem animarum non est vsus: recordare Apostolicum dictum quod ait: Væ enim mihi est, si non euangelizauero. Non enim censet se propter aliam quancunque conuersationem suam vituperabilem: sed propter hoc solum, si non prædicauerit euangelium, væh sibi cõfitetur futurum. Manifeste enim apparet, quòd ille sperauit audire, serue male, & piger, & cætera, nisi euangelizasset: quamuis alia vitæ eius recta fuissent. Hæc enim & his similia debent in mẽte habere maxime, qui mittunt manum suam, id est actum ad aratrum docendi doctrinam Christi, vt cognoscentes quibus est Væh: non propter aliud nisi quia non docent repositum, non conuertãtur retro, postquam semel miserint manum suam ad aratrum arantes animas hominum, vt post hoc & semina suscipiant verbi. Iste autem, qui sicut homo peregre profectus vocauit seruos suos, & tradidit eis bona sua, post multum temporis venit, postquam dimisit aptos ad negociandum animarum salutem: & ideo forsitan nõ facile inuenitur quis ex eis, qui apti fuerint ad huiusmodi opus, vt cito transeat de hac vita: sicut est manifestum ex eo quòd & Apostoli senuerunt, ex quibus dominus dicit ad Petrum, Cum senueris extendes manum tuam, & cætera. De Paulo autem dictum est ad Philemonem.

Nunc

Nunc autem, vt Paulus senex, cum esset adolescentulus, quando Stephanus pro Christi testimonio lapidabatur, & ipse vestimenta seruabat interficientium eum. Hoc autem diximus propterea quod dicit, Post multum temporis venit dominus seruorũ illorum. Et obserua in hoc loco, quòd non ad dominum vadunt, vt iudicentur, & digna actibus suis recipiant: sed dominus venit ad eos cum fuerit impletum, quod dictum est, quoniam venit tempus. Veniens autem ponet rationem cum eis de omnibus quæcunque egerunt, compensans lucra bonorum operum, & dispendia peccatorum, vt ponens rationem & diligenter vniuersa discutiẽs, vno quoque sicut oportet vtatur. Debemus ergo quasi qui peccando damnum fecerimus: bona autem operátes lucremur, sic omni custodia corda nostra seruare: vt, cum venerit dominus noster, & posuerit rationem nobiscum, non inueniamur nec pro ocioso sermone damnum fecisse. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, &c.* Ita accessit primus quasi qui habuit fiduciam, eo quòd operatus fuerat & lucratus. Nam fiducia ipsa fecit eum audere, vt ad dominum primus accederet, & audacter faceret sermonem, dicens, *Domine, quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque talenta lucratus sum super ea.* At dominus dixit vocem omnibus nobis optabilem, cum posuerit rationem etiam nobiscum dominus noster, dicens: *Euge serue bone & fidelis*: contrariam ei voci quam dixit ad tertium, *serue male, & piger.* Quis nõ optet exhortationem accipiens ex ista scriptura, vt audiat à domino suo, fidelis? Quod simile esse existimo ei quod dictum est de Abraham, quoniam credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, sicut & ei qui audiuit à domino suo, *serue fidelis.* Sine dubio fides eius ad iustitiam reputata est ei, vt reputata est ad iustitiã fides ipsius, qui in modico fuit fidelis. Modica autem sunt omnia vitæ istius, vt omne resurrectionis mysterium ei credatur vt administratio supernorum bonorum. Videamus autem & quo ingreditur seruus iste bonus & fidelis, qui in modico vitæ istius fuit fidelis. *Intra* (inquit) *in gaudium domini tui.* Omnia enim ibi delectabilia, & omnia gaudia, quãdo qui hic flent, ibi ridebũt: & qui laudabiliter lugent, consolationem accipient dignam. Quod autem dicit vel in eo qui quinque talẽta acceperat, vel in isto qui duo, accedẽs, intellige mihi accessum, & transitum de hoc mundo ad illum: & vide quòd non aliam vocem dominus protulit ad secundum, nisi quam protulit ad priorem, dicens, *Euge serue bone & fidelis, super modica fidelis fuisti, super magna te constituam.* Quæro quoniam eadẽ dicta sunt ambobus, ne forte & qui minorem habuit virtutem, & totam illam, quam secundum quod oportebat exercuit: nihil minus habiturus sit apud Deum, quàm ille, qui fuit in maiore virtute: vt impleatur in eis, quod dictum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Tale aliquid ostenditur & circa mandatum dilectionis ad Deum, vel ad proximum dicens ita, Diliges dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Sine dubio enim cum ex toto corde suo quis dilexerit Deum, & ex tota anima sua, & ex tota virtute sua, talem dilectionis habet mercedem qualem ille, qui maius habuit cor: vel qui eminentiorem habet animam, vel qui maiorem accepit virtutẽ. Hoc enim solum quæritur, vt quicquid habuerit homo ex eo, toto eo vtatur ad gloriam Dei.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum superioris Euang. expositio.*

Sicut enim homo peregre, &c. Diuisio pecuniæ inæqualis est, sed non ad diuidentem referenda diuersitas est. Ait enim vnumquemque secũdum virtutem suam accepisse. Ergo, Inquantum quis capax esset, accepit: & extra moderãtis arbitrium est, quod erat in iure sumentis. Patremfamilias seipsum esse significat. Peregrinationis tempus pœnitentiæ spatium est: quo in cælis à dextris Dei assidens, potestatem vniuerso generi humano fidei atque operationis euangelicæ permisit. Igitur vnusquisque secundum fidei suæ mensuram, talentum, id est, euangelij prædicationem, à prædicante suscepit. Hæc enim incorrupta substantia est, hoc Christi patrimonium æternis hæredibus reseruatum. Sed seruus ille qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium est: ex qua profectus, meritum ipsius rectè probéque perfunctus, euangelicæ fidei operatione duplicauit. In ratione autem ponenda iudicij examen est: quo cælestis verbi vsus, & reditus dispensati talenti postulatur. Igitur cui erant quinque commissa, Domino reuerso, de quinque decem obtulit: talis scilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Moysi, præceptorum obedientiam per gratiam euangelicæ iustificationis expleuerit. Igitur iubetur in gaudiũ Domini introire, id est, in honorem gloriæ Christi recipitur. Ille verò seruus, cui duo talẽta commissa sunt, gentium populus est, fide atque confessione & filij iustificatus & patris: Dominum nostrum Iesum Christum Deum atque hominem & spiritu & carne confessus. Nam & corde fides, & ore cõfessio est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed vt prior ille omne sacramẽtum in quinque talentis, id est, in lege cognouerat, idque ipsum fide euangelij duplicauerat: ita iste incremento duum talentorum, atque operatione promeruit, ratione ac reditu dissimili. Par tamen à Domino munus amborum est, vt gentium fidem exæquatam credentium ex lege scientiæ nosceremus: nam cum laudatione eadem iubetur in gaudium Domini introire. Est autem duplicatio sumptæ pecuniæ, operationem fidei addidisse: & quæ opinione crediderant, rebus factísque gessisse.

S HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. Homilia.

Sicut enim homo, &c. Homo iste paterfamilias, haud dubiũ quin Christus sit: qui ad patrem post resurrectionem victor ascendens, vocatis apostolis, doctrinam euangelicam tradidit: non pro largitate & parcitate alteri plus, & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus: quomodo & Apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit. Denique & illum qui de quinque talentis, decem fecerat: 1.Cor.3.

& qui

& qui de duobus quatuor, simili recepit gaudio: non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem. In quinque & duobus & vno talento: vel diuersas gratias intelligamus: quæ vnicuique traditæ sunt. Vel in primo, omnes sensus examinatos: In secundo, intelligentiam & opera: In tertio, rationē, qua homines à bestiis separamur. *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.* Acceptis terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicauit, ex creaturis intelligens creatorem: ex corporalibus incorporalia: ex visibilibus inuisibilia: ex breuibus æterna. *Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Et iste pro viribus quicquid in lege didicerat, in euangelio duplicauit: Siue scientiam & opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* Nequam seruus terrenis operibus & seculi voluptate, Dei præcepta neglexit & polluit: quanquàm in alio euangelista scriptum sit, quod in sudario ligauerit: id est, doctrinam patrisfamilias mollitie & de-

Luc 19. licate viuendo eneruarit. *Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, &c.* Grande tempus est inter ascensionem saluatoris, & secundum eius aduentum. Si autem apostoli reddituri sunt rationem, & sub metu iudicis surrecturi, quid nos oportet facere? *Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Vtique seruo (vt ante iā dixi) & qui de quinque talētis, decem fecerat: & qui de duobus, quatuor: idem patrisfamilias sermo blanditur. Et notandum quod omnia quæ in præsenti habemus, licet magna videantur & plurima: tamen comparatione futurorum, parua & pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium domini tui: & suscipe quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid autem potest maius dari fideli seruo, quàm esse cum domino, & videre gaudium domini sui.

S. IOANNIS CHRYSO-
stomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.

Ex Hom 79. in Matth. SI apud Lucam aliter talentorum narratur parabola, nos aliam hanc, aliam illam esse putamus. Videmus enim ab vno fonte diuersos in illa fructus confluxisse: ibi enim alius quinque, alius decem attulit: quapropter nec eadem præmia consequuti sunt: hic vero econtrario, quapropter & par eis corona redditur. Nam qui Duo accepit, alia duo lucratus est: & qui quinque similiter. Ibi vero, quia & ex eadem sorte, alter plura, alter pauciora conquisiuit, non iniuria varia retributione fruuntur. Perspice autem vbique non confestim, sed, longo tempore interiecto, exigentem. Sic enim etiam, vinea agricolis data peregrinatus est, & tunc, credito dato, recessit, vt longanimitatem eius facile cognoscamus. Quamuis mihi videatur resurrectio quoque huiusmodi verbis significari. Hoc autem in loco nec agricola, nec vinea, sed omnes operarij sunt. Non enim ad principes, neque ad Iudæos solum, sed ad omnes hæc disserit. Offerentes igitur & sua nonnulli & ea, quæ domini erant, grate fatentur. Nam alius quidem dicit; *Domine, quinque talenta mihi tradidisti.* Alius duo ostendens ab ipso operationis occasiones recepisse, & gratiam habere, & totum ipsi reputare: quid igitur dominus? *Euge serue bone, & fidelis.* Hoc enim bonum est, quod proximum respicit. *Quia in paucis fuisti fidelis, in multis te constituam, intra in gaudium domini tui.* Vniuersam hoc verbo muniltat beatitudinem. Non autem & ille sic, sed quomodo? *Noui quoniam durus es, homo, metens, &c.* Quid igitur dominus? *Oportebat te committere argētum meum nummularijs.* Id est, oportuit te dixisse, admonuisse, consuluisse: sed non obtemperant, ais: nihil hoc quippe ad te pertinet, quid hac re mitius, atque humanius? homines sane non ita facere solent, sed ipsum, qui pecuniam credidit, exactionis etiam officiū facere volunt, ipse verò non ita. *Sed te oportebat*, inquit, *creditum facere, exactionem autem mihi relinquere, qui cum vsuris creditum ipsius exegissem.* Audiens sanè vsuram, splendorem operum intelligat, Te igitur oportuit, quod facilius est, facere & difficiliora mihi relinquere: verum, quoniam non fecisti; *Accipite vos*, ait, *ab ipso talentum, &c.* Quidnam hoc significat? Qui doctrinæ gratiam ad vtilitatem aliorum accipit, nec vtitur ea, gratiam quoque ipsam omnino perdit: qui autem studiose, ac sedulo vtitur his, maiorem gratiam impetrabit: quemadmodū ille, vel quod accepit, amiserat. Verum nō ad hęc vsque damnum otiosi procedit, sed intolerabilis cruciatus, & sententia terribilis sequitur. *Proiicite nanque*, inquit, *inutilem seruum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vides quomodo non solum rapaces, & qui aliena inuadūt, nec soli malefactores, verum etiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio? Audiamus igitur hæc verba, &, donec tempus patitur, nostram amplectamur salutem. Accipiamus in lampadibus oleum, amplificemus talentum. Si enim in pigritia, & otio viuimus, nullus nostri etiam flentium ibi commiserebitur. Nam & qui sordidas vestes habet: quanuis seipsum condemnasset, nihil tamen profecit. Et qui talentum accepisset, etsi depositū reddidit, condemnatus est tamen: virgines quoque deprecatæ sunt, & clamarunt, sed nihil inde consequutæ sunt. Quæ omnia cogitantes, pecunia, studio, autoritate, quibuscunque possumus, proximos adiuuemus. Talenta enim hic pro eo, quod vnusquisque facere potest, accipimus, siue autoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat, quum vnum talentum habeam, nihil possum efficere: potes profectò ex ea vna re sola cōprobari. Nōn es pauperior illa vidua; nō es Petro, atque Ioāne rusticior: qui, quamuis rudes simul, atque illiterati fuerunt, quoniam magno studio communem vtilitatem complexi fuerant, cælorum principes facti sunt. Quippe Luc. 11 nulla res Deo gratior est, quàm vt vniuersam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione, atque oratione nos Deus decorauit, mentem, & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nosipsos, & proximos tuteamur. Non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verumetiam ad docendum, & admonendum perutilis est: qua in re si ea diligenter vtemur, dominum: sin vero in contrariis, diabolum imitabimur. Nam & Petrus quando qui

doquidem Christum cõfitebatur quasi ea dicens, quæ patris sunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat, atque repellebat, quasi ea, quæ diaboli sunt, sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscuntur. Nec enim, quum dixero, *Act.9.* surge, & ambula: neque, quum dixero, Thabita surge: tunc solùm Christi verba loquor, verumetiam multo magis, si contumeliis agitatus, benedixero, si oppressus iniuria, pro opprimentibus orabo. Et in superioribus quidem dixisse memini, manum esse linguã nostram, quę pedes Dei attingat: nũc vero maius quiddam adiicio, quia lingua nostra lingua est Christi. Christi linguã imitamur, si diligentiã adhibemus, vt illa loquamur, quæ ille pręcipit. Quæ verò sunt illa? Humilitatis certè, benignitatisque plenissima verba. Sic ille contu- *Ioan.8.* meliantibus respondebat dicens; Ego dęmonium non habeo: & rursus, Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguæ illi lingua tua simillima est: hæc nõ *Hier.15.* ego, sed ipse Deus cõfirmat. Qui educit honorabilem, inquit, ex indigno, is quasi os meũ erit. Quũ igitur tua lingua sit Christi, & os tuum patris fiat, & sancti spiritus templum sis, quis honor, quod decus maius hoc excogitari poterit? Non, si ex auro tibi os conficeretur, non si gemmis construeretur ita pręfulgeret, vt tunc hoc humilitatis ornatu resplẽderet. Quid enim optabilius ore, quod maledicẽdi studiũ penitus ignorat, & benedicẽdi solũ cognouit? Quod si benedicere maledicẽti aspernaris, saltẽ taceas, hoc interim facito: postea ratione, ac via vlteriora petẽs, ad illud quoque peruenies, & huiusmodi os habebis, quale prædiximus: nec putes nimium dictum esse. Misericors enim dominus est, & eius hoc donũ bonitati tribuitur. Nõ ergo audaciæ attribuas, si te Christi os habere quispiam dixerit. Audaciæ quippe os diabolum imitatur, linguã habet nequissimo dęmoni simillimam: quod quam maximum sit malum, tecum ipse cogita, præsertim quum horum mysteriorum particeps factus sis, & ipsa carne domi- *Nos ipsa carne domini cõmunicamus.* ni communicaueris. Hæc tecum voluens, imitare Christum pro viribus, vt nullo tibi modo resistere, imò verò nec aspicere possit diabolus. Non enim ignorat quęnam sint Christi signa, bene cognouit arma, quibus victus, fugatúsque est. Quæ autem ea sunt? Humilitas profectò animi, & mansuetudo. Nam, quando in monte aggredientem superauit, atque prostrauit, quando non cognoscebatur, quia Christus esset, mansuetudinis humilitatisque verbis eum confudit: pariter ergo tu quoque facies, & si hominem in diabolum versum aggredi te videris, illo pacto vincito. Data est tibi diuinitus potestas, imitari Christum pro viribus, & similem illi fieri: noli expauescere hoc audiens: timendum enim tibi potius est, si similis illi fieri negligas. Loquaris igitur vt ille, & eris *Nõ hoc dicit, ad gratia diuina exclusionem, sed quod hic non sola gratia totum efficiat: sicut ibi.* talis, quantum ad hoc, qualis ipse fuit, prout humanę vires patiuntur: huius rei gratia maior est, qui ita loquitur, quam qui futura prędicit: hoc enim totum ex dono est, illud etiam ex labore, atque sudore tuo procedit. Fac vt ex animo tuo os tuum ita confirmetur, vt os Christi esse videatur. Potest Christus hoc facere, si tu volueris: nouit hanc artem, si desidia, & corpore non corrumparis. Sed quomodo formatur, atque depingitur huiusmodi os, inquies? Quippe non est opus coloribus, nec vlla materia indigemus: sola enim virtute, & humilitate, ac mansuetudine huiusmodi os maximè conformatur. Verum, ne quando diaboli os nobis extruamus, non erit ab re considerare, quomodo etiam illud conditur: quomodo igitur conditur? Maledictione profectò, contumeliis, contradictione, periurio: diaboli enim linguam habet, qui vt diabolus loquitur. Quę igitur venia nobis dabitur, imò verò, quę supplicia non pendemus, quando linguam nostram, qua dominicã degustauimus carnẽ, diaboli spõte linguã efficimus? Nõ faciamus (oro) sed omni studio, atque cura conemur, vt Dominum lingua nostra discat imitari: quod si faciemus, non dubito, quin ante tribunal Christi magna cum fiducia stabimus. Vbi, nisi quis in hac vita humiliter loquĩ didicerit, non intelligetur tunc à Christo. Quemadmodũ enim si Romanus fortè fuerit iudex non percipiet rationes tuas, nisi Latinè loquaris: sic etiam Christus non audit, neque attendit, nisi lingua sua vtaris. Discamus igitur ita loqui vt rex noster, & ea lingua verba proferre, qua ipse vtitur. Imitemur diligenter illam linguam in omnibus. In luctum incidisti, caue ne magnitudine doloris *Ioan.11.* os tuum euertatur, habes Christum, quem imiteris: nam & ipse Lazarũ fleuit. Timor incubuit tibi non paruus, loquaris rursum sicut Christus. Nam & ipse propter te dispensationis ratione in formidinem incidit: dicas etiam tu, Veruntamen non, vt ego volo, sed vt tu. Lachrymas effundis, moderate id facito, vt Christus. Insidiis circumuentus es, & mœror te occupauit, Christum imitare, qui & insidias passus est, & contristatus di- *Mar.14.* xit; Tristis est anima mea vsque ad mortem. Omnium tibi rerum exempla præbuit, vt terminos conserues, & constitutas regulas non transgrediaris, hoc modo poteris os possidere ori dominico simillimum: hoc modo in terris gradiens, cælestem linguam habebis, datas tibi in mœrore normas, datas in ira, datas in lucta, datas in solicitudine diligenter conseruans. O quot nostrûm Christi faciem videre desiderant? ecce non videre solùm eam, sed ipsi Christo similes fieri, si voluerimus, licet. Non procrastinemus ergo, non libentius prophetarum ora quàm humillimum hominem osculator. Multi enim dicent ei, nonne in nomine tuo prophetauimus? & respondebit eis, Nescio vos. Moysi autem os, qui hu- *Num.12. Exod.33.* milis valde, & mitis erat (omnes quippe homines mãsuetudine ille animi excessit) sic diligebat, sic osculabatur, vt præsens præsenti, facie ad faciẽ quasi amicus ad amicum loqueretur. Non præcipis nunc dæmonibus sed præcipies tunc igni gehennæ, si habebis ori dominico simile. Abyssi igni præcipies ac dices, tace, ac obmutesce: ac ita cum magna fiducia in cęlos ascendes, & ęterna beatitudine perfrueris: quod vtinam omnibus contingat, gratiâ, & misericordia domini nostri Iesu Christi, Amen.

AVTHORIS IMPERFECTI in Matt. eiusdem Euang. expositio.

In hom. 53. in Matth.

SIcut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, &c. Homo peregre profectus Christus est, post victoriam passionis ad patrem iturus. Voluntate misericordiæ homo, non necessitate naturæ. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim cælestia ascensurus, & ad patrem suum iturus vnde descenderat, peregre se iturum dicit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terris, quum magis peregre esset in mundo, sicut ipse testatur, dicens: Incola enim ego sum in terra apud te. *Psal. 38. & 118.* Quando enim venit in mundum Iesus, adhuc peregrinus erat, neminem habens sui nominis confessorem: postquam autem venit, & discipulos acquisiuit, iam paterfamiliàs erat: & ideo proficiscens de mundo, peregre proficiscebatur. Vis autem scire quãtum diligat fideles suos? considera quid passus est pro eis. Si enim magis quàm gloriam suam illos amauit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si maiore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terris, quàm dilectione gloriæ, quam habebat in cælis? *Et tradidit illis bona sua.* Non inuidens alij plus dedit, alij minus, sed considerans diuersitatem fidei eorum. Quis autem inuidus est, aut parcus, omnibus parcus, & inuidus? Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? Considera quomodo penè æqualiter remunerauit eum qui minus obtulit, & eum qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, vtique non tantum in danda gratia, quantum in reddenda mercede esset æqualis ambobus. Manifestum est, quod in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem vniuscuiusque considerauit, ne supra virtutem opus iniungens, ipse occasio offensionis existeret, & non esset reus qui peccauit, si supra virtutem pondus imposuisset. Volens ergo dominus socios non habere in regno cælesti, opera nobis diuersarum iustitiarum commisit: non quia non habeat potestatem & sine operibus nos glorificare: sed ideo opus præmisit, quia sicut opera sine præmiis vacua sunt, sic præmia sine operibus, sunt ingrata.

Catholica sententia, quomodo opera sint necessaria ad salutem.

Statim autẽ abijt, qui quinque talenta acceperat, & acquisiuit alia quinque. De talẽto agnitionis Christi acquisiuit vnam iustitiam bene viuendo. De presbyterio autem ipso acquisiuit iustitiam, solicitè præsidẽdo ecclesię. De verbo acquisiuit iustitiam, verbum veritatis syncerìter prædicando. De baptismo lucratus est secundum Christi regulam baptizando, & dignos filios cum iudicio ecclesiæ acquirendo. De sacrificio acquisiuit iustitiam, tam mundum, & immaculatum sacrificium populo offerendo, & pro peccatis populi exorando. *Similiter & ille, qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo.* Id est, duas iustitias, vnam bene viuendo, quam acquisiuit à fide Christi: alteram syncerìter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. *Qui autem vnum accepit, abiens fodit in terram.* Primùm videamus, vt quid, neque ille qui duo talenta habuit, abscondisse talenta sua proponitur, quum multi diacones inueniantur inutiles: neque ille, qui accepit quinque, quum multi doctores inueniantur inutiles: sed ille tanquam qui vnum accepit, id est, populus? Attende, Deus secundum præscientiam suam licet sciat, qui iusti futuri sint, & qui iniusti, tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum bonis quidem ad salutem, malis autem ad præiudicium, vt inexcusabiles fiant. Diaconibus autem & doctoribus secundum prouidentiam suam, illis videtur Deus iniungere ministerium diaconatus, aut presbyteratus qui sunt iusti: qui autem inueniuntur iniusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur, qui à Deo ordinatus est, & qui ab hominibus. Qui enim ministerium suum bene consummauerit, apparet quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummauerit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam Sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifestè in libro octauo canonum apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est diaconus, aut sacerdos. Ergo in sacerdotibus quidem, & diaconibus non est inuentus vt perdat talenta, qui secundum præscientiam ordinatur à Deo. In popularibus autẽ euenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, à Deo accepit fidei gratiam. Secundum hæc ergo quæ diximus, si presbyter, aut diaconus peccator inuentus fuerit, quoniã quantum ad pręscientiam Dei, sicut iam diximus nõ ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter, aut diaconus, quasi laicus inuenitur inter eos, qui vnum talentum fidei acceperunt. Ac per hoc nemo ordinatus à Deo peccat, nisi qui vnum talentum accepit à Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus à Deo præstatur, gratia autem clericatus non omnibus, sed dignis: quia in illa, causa salutis est, in ista autem dispensatio mysterij. Nam & paterfamilias annonam quidem omnibus seruis præstat, negocia autem sua nõ omnibus committit.

Contra [illegible] Donatistas, & Wicleffistas [illegible].

Abscondit autem talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi contemnit vitam spiritualem, & in terrenis actibus, & deliciis conuersans obruit illud in carne sua, & solicitudinibus mundi quasi spinis suffocat fidei suæ bonum & non facit fructum. Hoc est enim talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Sciendum est autem, quod ille, qui fodit gratiam suam in terram, non peccare proponit, sed iustitiam non facere. Qui enim peccat, non abscondere videtur gratiam, sed corrumpere. Si ergo in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter viuendo fructum iustitiæ non fecerunt: putas in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei suæ peccando perdiderunt? Iste qui fodit talentum suum, similis est virginibus fatuis, quæ habẽtes lampades oleũ non habebant: tam enim illæ, quàm istæ putauerunt sibi ad salutem hoc solum quod credebant in Christum, posse sufficere. Nam verè talentum non perdidit, id est, domini sui tamen reus est damni. Non enim propter hoc solum vnusquisq; sit Christianus, vt sit Christianus seruans talentum fidei suæ, sed vt operetur iustitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiens semen, tempore seminationis non seminauerit, damnum facit domino suo, & si non perdiderit semen, est tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere si opportuno tempore seminasset. Sic qui accipit fidem Christi, & in hoc seculo seminationis non fuerit operatus iustitiam, & si fidem suam

Non sufficit ad salutem sola fides.

suam non perdiderit, tamen totum videtur peccasse, quantum potuit iustitiam facere, si non neglexisset. *Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum.* Primum videamus quare interno dominus ascendit in cælum post modicum iterum reuersurus, & semper cum sanctis futurus. Vt videlicet absente eo, fideles gloriam sibi & vitam æternam acquirant per fidem & opera. Præsente enim Christo nec tentari fideles poterant, nec probari si essent veri fideles, quoniam si sit præsens, non creditur, sed videtur: quum autem absens fuerit, non videtur, sed creditur, dum timetur. Christo igitur præsente, & si tentationem aliquam sustinerent propter eum, aut iustitiam facerent, opus eorum non videbatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec poterant sibi mercedem fidei per iustitiam acquirere, nisi ascendisset ab eis. Nam seruus fidelis domino absente, probatur: præsente autem domino quicquid fecerit, nō est laus serui, sed domini. Vides ergo quomodo propter suam vtilitatem Christus ascendit, sed propter nostram. Tempus autem differt largum, vt longior detur hominibus iustitiæ faciendæ licentia. *Et accedens qui quinque talenta acceperat dixit: domine, quinque talenta tradidisti mihi.* Vide bonus seruus non quasi glorians in opere suo, nō primum lucri talentorum memoriam facit, sed primum memorat, quæ accepit, postea quæ inuenit: vt ostendat non studij sui, aut laboris esse quod acquisiuit, sed beneficiorum domini sui, quibus acquisiuit. Tanquam si dicat: domine, ego quantum ad meum studium & laborem, nec modicam quidem iustitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: Sed plus omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. *Ait ei dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Pauca sunt admodum. Si quis de magna massa tritici modicam dederit drachmam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni cælestis modicis nobis per spiritum sanctum arrha præstatur. Propter quod dicebat Apostolus: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: quum autem venerit, quod perfectum est, destruentur ea, quæ ex parte sunt. Non dixit, Intra ad gaudium domini tui: sed, *in gaudium domini tui*, vt possessor sit gaudij, non tantum spectator. Et iam non quasi minister domini in gaudio eius, sed particeps gaudiorum. Sicut & alibi ipse dicebat: Pater, volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum, vt videant gloriam meam, quam mihi dedisti. Quid ergo dignum facimus in hoc seculo, vt participes domini nostri in regnis cælestibus fieri mereamur? Ideo iustè dicit Apostolus: Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Accedens autem & qui duo talenta acceperat ait, domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo.* Et si minor in opere, non minor in voluntate. Videns autem dominus, quia seruo illi non voluntas operandi minor fuit, sed virtus fidei: nam & ille voluit similiter amplius operari, sed magnis defectiis eius non sufficit modica fides. Ideo iustus iudex, & si non similia lucra suscepit ab illo quēadmodum ab isto, tamen sic beneuolentia istum suscepit, quemadmodum & illum: quia Christus nō magis operum remunerator est: quàm voluntatum. Nec putet ergo diaconus, ex eo quod diaconus est, beatior erit, quàm laicus studiosus. Nō enim dignitas apud Deum honorabitur, sed voluntas. Nec diacono se beatiorem debet putare presbyter, ex eo quod presbyter est, quàm se si fuerit bonus diaconus: quoniam gradus ministerij ex Deo est, perfecta autem voluntas ex nobis. Propterea non sumus iudicandi, quia non fecimus quod in parte nostra non est: sed ex eo sumus iudicandi, quod in nobis est posse, si volumus.

Vita æterna acquiritur per fidē, & opera. — *1.Cor.15.* — *1.Cor.13.* — *Ioan.17.* — *Rom.8.* — *Liberi arbitrij Potestas.*

S. MAXIMI EPISCOPI *Taurinensis, in eodem Homil.*

Est hom. 1. in Natali S. Eusebij Episcopi Vercellensis.

AD sancti, ac beatissimi istius patris nostri, cuius hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid, decerpsisse est: siquidem virtutum eius gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat scriptura: Gloria patris est filius sapiens, quantę huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia, & deuotione lætatur: In Christo enim Iesu per euangelium ipse nos genuit. Quicquid igitur in hac sancta plebe potest esse virtutis, & gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo omniū riuulorum puritas emanauit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium ciuium in Deum prouocauit affectum, quia pontificis administratione fulgebat, plures è discipulis reliquit sui sacerdotij successores. Bene & cōgrue in hac die quam nobis beati patris nostri huius ad paradisum transitus exhilabilē reddit, præsentis psalmi versiculum decantauimus: In memoria æterna erit iustus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transit angelorum. Dicit sermo diuinus: Ne laudes hominem in vita sua. Tanquam si diceret. Lauda post vitam, magnifica post consummationem. Duplici enim ex causa vtilius est hominum magis memoriæ laudem dare quàm vitæ, vt illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio nocet, nec laudatū tentet elatio. Lauda ergo post periculū prædica securum: lauda non nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenit ad portum: Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem viuens tuto possit, ac sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere, quod doleat, & de futuro videt sibi superesse, quod timeat? Qui vero in hoc corpusculo positi debeant sibi quicquā vendicare de meritis, quos iterum dæmonum infestatio velut latronum obsidet multitudo, quibus per omnes vias supplantatores innisi animarum laqueos tendunt, innumerabilium motibus expauescendos? Nauigantibus enim nobis per hoc mare magnum, & spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla, & magna, id est, diuersa genera inimicorum, qui secundum nostrarum virium quātitatem compensato nobiscum agone luctantur. In huius mundi itaque pelago valde nobis pertimescendum est, ne nauem nostram aut procella tempestatis abripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat. Aduersus hæc ergo multiforma sæculi mala, castigatis, ac castis actibus resistamus. Beati

Prou.10. & 15. — *1.Cor.4.* — *Psal.111.* — *Eccles.11.* — *Psal.103.*

autem patris merita iam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla iam in statione composuit, & plenam cælestibus diuitiis, & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit. Qui contra omnes aduersarios scutum timoris Dei, tam diu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam perueniret. Quid enim fuit totius vitæ illius cursus, nisi vnius cum vigili hoste conflictus? Quantis hic cæcis à via veritatis errantibus, & de firma iam in profundum rependentibus amissum reddidit visum, & illum, quo Christus videretur, reparauit intuitum. Quantorum auribus surdis, & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cælestium mandatorum, preciosum infudit auditum, vt vocanti Deo ad misericordiam responderet per obedientiam? Quantos intrinsecus vulneratos angelici oris arte, & orationum ab infirmitate curauit? Quantos per longam incuriam peccati labe resolutos, & quadam lepræ contagione perfusos, castigationibus, exhortationibus expiando, Deo in se operante mundauit? Quantorum animas viuentes in corpore iam defunctas, & delictorum mole obrutas, ac sepultas, ad emendationem tanquam ad lucem, vocando Deo, resuscitauit, vt domini sui admirandus imitator iam mortuas Deo econtrario mortificet vitali morte peccato? Tunc in alia parte ea, quæ aperuerat salubritate claudebat, ne eis res aliena concupiscibilis appareret, ne interiori homini maculam exterior culpa transmitteret, ne ad cor tenebræ per vias lucis intrarent, ne in vnoquoque prophetica illa interminatio compleretur. Mors (inquit) intrabit per fenestras vestras.

Hierem. 9. Ministeria enim aurium, & oculorum, fenestræ esse probantur animarum. Quando enim aperimus auditum mala & iniqua loquentibus, ac damnabiliter obtrectantibus, & quæ Deo sunt contraria, suadentibus, mors intrat per fenestras nostras, horror mortiferæ noctis irrumpit, per quas sol iustitiæ intrare debuerat. Quando istæ peccati fenestræ apertæ sunt, ianua salutis, & vitæ, ac portæ paradisi clausæ sunt. Has iste vir beatus fenestras, multis seris diuini timoris obstruxit. De quorum cordibus, quos inhonesta iniquitas, & impietas possidebat, fugauit luxuriam, deiecit iram, & extinxit inuidiam, & velut de antiqua domo barbaris hospitibus perturbatis, reuocando illuc fidem, castitatem, iustitiam, misericordiam, habitatores pacificos intromisit, per quos in domicilium

Ioan. 11. mentis caput horum bonorum Christus intraret: & appositis pœnitentiæ medicamentis velut quatriduanum fœtentem, increpationum fremitu suscitabat, & emendatione suscepta de mediis mortis faucibus erutos, temporia resurrectione vitæ restituebat? Hæc itaque, atq; huiusmodi plura gerens, quæ proferre per nos, atque expedire, vt dignum est, non potest sermo pauperculus, melius vobis ea vester dicet affectus. Summæ enim alacritatis instantia fuit cultor, & custos animarum, cupiditates resecans, iras comprimens, malitiam extirpans. His etiam magis vir iste temporibus necessarius fuit, quibus tanta iniquitas temporis quotidie (deficiente iustitia) viribus conualescit. Et quidem ille in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuersatus est, & quasi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens semper de sinistra transmisit ad dexteram, & in cælo reposuit sudores suos. Nam & si hic opera eius videntur, illuc operum merita transierunt: illius ergo in quantum possumus vestigiis insistamus, quibus per illam nimis arctam viam ad cæli ampla festinans, qua eum sequeremur, ostendit. Notæ pro merita.

S. FVLGENTII EPISC.

Ruspensis de eodem, Sermo.

DOminicus sermo, quem debemus omnes non solum studiose, verumetiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens vbique temperiem, vt necouibus desint pabula, nec pastoribus alimenta: quædam specialiter solis præcipit nobis, quædam verò generaliter & nobis & vobis. Nobis nanque (id est seruis, quos pater ille familias, rerum omnium dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, vt populo eius verbum gratiæ ministremus) specialiter iniungitur sanctæ prædicationis officium: generaliter vero & nobis & vobis salutaris indicitur obedientia mandatorū. In quibus denuo mandatis, tanquam ditissimis ferculis, sic cælestium deliciarum copia spiritalis exuberat: vt in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat: abundet etiam, quod paruulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia: & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus, spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur vniuersis, quos dominus saluare dignatur. Ibi est quod omni ætati cōgruat: ibi quod omni professioni conueniat. Ibi audimus præcepta quæ faciamus: Ibi cognoscimus præmia quæ speremus. Ibi est iussio, quæ nos per literam doceat & instruat ad scientiam: ibi promissio, quæ per gratiam trahat, & perducat ad gloriam. Seruorū igitur, quos populo suo præposuit dominus, specialiter volens officium demonstrare, ait, quod ex Euangelio modo audiuimus: quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus inuenerit ita facientem. Quis est iste dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait, Vos me vocatis magister & domine, & bene dicitis: sum etenim. Quæ est etiam huius domini familia? Nimirum illa est, quam ipse dominus de manu inimici redemit, & suo domino mancipauit. Hæc familia est sancta Ecclesia Catholica, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptā se pretioso sui domini sanguine gloriatur. Filius enim hominis, sicut ipse ait, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam redemptionem pro multis. Ipse est enim pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Gratiæ ergo boni pastoris ipsa est familia redemptoris: dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostēdit Apostolos, qui de se suisque sociis loquēs ait, sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Ne quis autem vestrum solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectóque spiritalis mili

Luc. 12. Matth. 24. Ioan. 13.

Matth. 20.

Ioan. 10.

1. Cor. 4.

lis militiæ officio, seruus piger infideliter imprudentérque dormitet: ipse Beatus Apostolus, Tit.1. Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Serui autem patrisfamilias sumus, dispensatores domini sumus, mensuram tritici, quã vobis erogemus, accepimus. Quæ vero sit ista mensura tritici, si quæramus, ipsam quoque nobis beatus Paulus Apostolus ostendit Rom.12. dicens: Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quam ergo mẽsuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat: vt agnoscamus non aliud esse spiritale triticũ, quam Christianæ fidei venerabile sacramentum. Huius tritici mensurã vobis in nomine domini damus: quoties illuminati dono gratiæ spiritalis, secundum regulam veræ fidei disputamus. Et eandem tritici mensuram per dominicos dispẽsatores accipitis, cũ quotidie per Dei famulos verbum veritatis, auditis. De ipsa nunc ergo tritici mensura loquamur: ex ipsa, sicut Deus diuidit, vniuersi pascamur, inde alimenta bonæ vitæ sumamus vt ad æternæ vitæ prçmia peruenire possimus: in illum credentes, in illum sperantes, illum præ omnibus & in omnibus diligentes, qui se ipsum nobis & alimentum præstat, ne deficiamus in via & præmium seruat, vt gaudeamus in patria. Christus est enim alimentum nostrũ: Christus erit præmium nostrum. Christus est cibus & consolatio currentium viatorum: ipse est satietas & exultatio quiescentium beatorum. Ad ipsam itaque tritici mensuram pertinet, quod dominus ait, vendite, quæ Luc.12. possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Magnum bonum est, fratres mei, valde congruum, valde commodum, & maxime Christianis appetendum: vt vnusquisque deficere non delectetur in peius, sed omnes proficere studeamus in melius. Arbores sumus, fratres, in agro dominico constitutæ: Deus autem noster est agricola. Ille nos cõpluit, ille colit, ipse fœcunditatẽ donat, ipse fructificandi gratiam subministrat. Pluuia Dei est sermo sanctæ prædicationis, cultura Dei est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos compluit, adiutorio colit. Dum compluit, aufert à nobis ignorantiæ siccitatem: dum colit, bene viuendi condonat vbertatem. Dum pluit, terram nostri cordis irrigat: dum vero colit, de ipsa terra spinas & tribulos mundanæ cupiditatis extirpat. Debemus itaque fœcundari cœlestibus pluuiis, debemus congrua fructificatione manibus superni respondere cultoris. Et si non possunt omnes arbores æqualea fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere. Multum metuenda est nobis fratres illa sententia comminantis qua di- Matth.3. citur: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Quod si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Luc.2. Aut quid recipiet qui alienũ tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui nõ facit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam? Timeamus ergo fratres, timeamus actus nostros. Obediens Christo vendat quæ possidet, & eleemosynam det: vt de terra cor ad cælum leuet, vt auaritiam calcet, vt ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet: vt nõ sit solicitus quæ sunt mundi, sed quæ sunt Dei, vt mundum sibi crucifixum habeat, séque mũdo crucifixum exhibeat, vt sit omnino pauper in sæculo, & diues in Christo. Quis ignoret boni huius magnitudinẽ? Videmus autem, non omnibus vendendarum 1.Cor.7. suarum rerum inesse virtutẽ. Vnusquisque enim proprium donum haber ex Deo: alius quidem sic, alius autem sic. Ecce hoc tam magnum bonum pauci implere possunt, multi non possunt. Nunquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi, quicunque in bono nondum possunt esse perfecti? Nunquid propterea Christianus debet vitio rapacitatis insistere, quia forte nondum potest omnes res suas pauperibus erogare? Aut ideo debet aliena concupiscere, quia propria nec dum potest omnino contemnere? Absit hoc fratres ab omnibus Christianis, 1.Cor.6. auertat hoc Deus à fidelibus suis. Apostolus enim veraciter dicit: quia neque auari neque rapaces regnum Dei possidebunt: Manifestum est autem, quia omnes qui à regno Dei alienabũtur, in æternum ignem cũ diabolo eiusque angelis damnabuntur. Proinde dilectissimi, si nõ omnes possunt implere quod dominus ait, Vendite quæ possidetis, illud tamẽ quod adiecit, dicens, date eleemo- Luc.12. synam, omnibus est possibile: si adsit bona voluntas omnibus facile: si non adsit dira cupiditas, omnibus salubre: si ferueat charitas, cũctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna fœlicitas. Qui ergo tantam virtutem accipit à domino, vt omnia quæ in mundo sunt, cælestis regni amore cõtemnat: quæ habet vẽdat, & egenis expendat. Qui vero tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, inquantum habet, eleemosynam faciat. Tantum operetur bona volũtas, quantum suppetit facultas. Perfectus possideat primũ virtutis locum, imperfectus saltem veniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit ille laudabiliter largus: sit illę sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum pijssimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum domino iudicaturus sedeat: Sit iste talis qui ad dexteram iudicandus assistat. Sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo iure possideat: sit iste talis, quem ille recipiat. Admonet enim nos dominus, dicẽs: Luc.16. facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Hoc ergo fratres necessarium est omnibus nobis, vt in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo prçsentium delectatione futura contẽnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia peruersus aspiciat, nemo spiritalibus corporalia præferat, nemo terrã cælestib' anteponat. Thesaurũ nostrũ, fratres, in cælis ponamus: Vt etiam cor nostrum in cælis habere possimus. Necesse est enim vt quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo veritas ait: Vbi Matth.6. enim Thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Vt ergo in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse vbi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid amas? attẽde quid cogitas. Ita fiet, vt thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum iudicio tuæ cogitationis intel-

ligas. Ostendēs autem dominus, quomodo in cælis thesaurizare possimus, ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Si istum; Domini sermonem secundum literam velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus inuenire. Quid enim proficit ad animæ salutē si aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis & lucernis ardentibus quærenda est intelligentia spiritalis: quæ scilicet sit diuino præcepto condigna, quæ nostræ saluti congrua reperiatur & commoda. Neque enim frustra quodam loco ipse dominus ait: Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. In lumbis itaque concupiscētia carnalis ostenditur, in lucernis vero fides & charitas Christiana monstratur. Iubens igitur dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio pręcipit refrenari: Imperans autem vt lucernas ardentes habeamus, hoc vtique iubet, vt & lumine verę fidei splendeamus, & sanctæ charitatis operibus feruentamus. Iubens vt sint lumbi nostri præcincti, mandat vt mala desideria atque opera fugiamus: Iubens vt sint lucernæ nostræ ardentes, monet, vt bona diligamus atque faciamus. Ista quæ de euangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Vtrumque enim testamentum Deus instituit, vnus dominus dedit: & si sunt vtriusque testamenti diuersa pro tēporibus sacramenta, concordat tamen in vtroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur, vt nō peccemus: & iubetur, vt bonis operibus insistamus. Præcipit itaque dominus per beatum David dicens: Declina à malo, & fac bonum. Per Esaiam quoque omnes his admonet verbis, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruerse agere, discite benefacere. Hoc ergo nunc dominus per seipsum præcipit, quod nobis per sanctos etiā patriarchas prophetasque mandauit. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcincti, nisi quiescite agere peruersè? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi discite benefacere? Præcinguntur enim fidelium lumbi: dum lasciuiæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur & rapina, dum proximi læsio deuitatur, dum superbia vincitur, dum inuidia superatur. Ardent vero lucernæ fidelium: dum rectæ fidei regulam seruant, dum in sinu matris ecclesiæ lōganimiter perseuerant, dum terrena cōtemnunt, & cælestia concupiscunt, dum sollicitè pacem custodiunt, dum se inuicem purè diligunt, dum mutuo se honore pręueniunt, dum mansuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis, non hominibus, sed Deo placere contendunt. Omnis ergo Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem: Ardentem habeat lucernam, vt custodiat castitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt aliquid alienum nec rapiat nec furetur: Ardentem habeat lucernam, vt de suo misericorditer operetur. Præcinctos habeat lumbos vt minorem non opprimat: Ardentem habeat lucernam, vt oppresso velamine iustitiæ dūtaxat defensionis auxilium impēdat. Præcinctos habeat lumbos, vt habenti non auferat cibum: Ardentem habeat lucernam, vt esurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, vt non spoliet vestitum: Ardentem habeat lucernam, vt vestiat nudum. Præcinctos habeat lumbos, vt domum nullius inuadat: Ardētem habeat lucernam, vt peregrinos Christi libenter excipiat. Pręcinctos habeat lumbos, vt fugiat elationem: Ardentem habeat lucernam vt seruet humilitatem. Pręcinctos habeat lumbos, vt expellat à se inuidiam & liuorem: Ardentem habeat lucernam vt puram cunctis exhibeat charitatem. Præcinctos habeat lūbos, vt non exhibeat membra sua iniquitatis peccato. Ardentē habeat lucernam, vt exhibeat membra sua arma iustitiæ Deo. Hęc est, fratres, Catholicę fidei vera sanaque doctrina: hæc est mensura tritici, de qua domini redemptoris est pascenda familia. Ex hac vobis, quantum Dominus tribuit, damus: ipsumque dominum iugiter exoramus, vt & nos & vos in timore gratiæ suo pascere dignetur auxilio. Auferat à nobis damnationē prauæ cupiditatis, donet omnibus profectū & perseuerantiam charitatis: lumbos nostros ipse præcingat: lucernas nostras ipse ardere faciat, ardētesque custodiat: vt nec refrigescat nostra charitas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas. Sed dominus ac redemptor noster omnibus gratiam tribuat, vniuersis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat. Nobis donet vt quod ab illo audimus rectè intelligamus & sicut oportet faciamus: vobisque faciēdum sermone sufficienti, & congruo pędicemus. Vobis quoque donet, vt quod ab illo per seruos eius auditis, & corde intelligatis, & opere faciatis. Hoc ergo diuina misericordia operetur in omnibus nobis, vt nos, quos voluit esse dispensatores, fideles faciat & prudentes: Vos quoque faciat obedientes & humiles vt mensuram tritici dominici, quam vobis damus, communē vobiscum salubriter atque vtiliter habeamus.

Luc. 12. | Ioan 6. | Psal. 11. | Esa. 1.

S. GREGORII PAPAE
in superius Euang. Homil.

HOmo *quidam peregrè, &c.* Lectio Sancti Euangelij, fratres charissimi, solicitè considerare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab authore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad seruiendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddēda ratione. Ecce homo qui peregre proficiscitur, seruos vocat, eisque ad negocium talenta partitur: post multum vero temporis positurus rationem reuertitur: bene operātes pro apportato lucro remunerat, seruum vero à bono opere torpentem damnat. Quis itaque homo est qui peregre proficiscitur, nisi redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat, abijt in cælum? Carnis enim locus propriè terra est, quæ quasi ad peregrinādum ducitur, dum per redemptorem nostrum in cælo collocatur. Sed homo iste peregre proficiscens, seruis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritalia dona concessit. *Et vni quidem dedit quinque talenta, alij autem duo: alij vero commisit vnum.* Quinque etenim sunt sensus corporis, videlicet, Visus, auditus, gustus, odoratus & tactus. Quinque igitur talentis donum quinque sensuum, id est, exteriorū scientia exprimitur: duobus vero intellectus & operatio designatur: vnius autem talenti nomine, intellectus tantummodo

Est Homil. 9. in Euang.

modo designatur. *Sed is qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est*: quia sunt nonnulli, qui & si interna ac mystica penetrare nesciût, pro intentione tamen supernæ patriæ, docent recta quos possût de ipsis exterioribus quæ acceperût, dumque se à carnis petulâtia, à terrenarum rerum ambitu atque à visibiliû voluptate custodiût, ab his etiam alios admonendo compescunt. Et sunt nonnulli, qui quasi duobus talentis ditati, intellectû atque operationem percipiunt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur: cumque intelligendo & operando alijs prædicant, quasi duplicatum de negocio lucrum reportant. Bene autem alia duo, vel alia quinque in lucrum venisse referuntur, quia dum vtrique sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. *Sed is qui vnum talentum acceperat, abiens fodit in terram, &c.* Talentum in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis rebus implicare, lucrû spiritale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare. Sunt namque nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamen sola quæ carnis sunt, sapiunt: de quibus per prophetam dicitur: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autê facere nescierunt. Sed Dominus qui talenta seruis côtulit, rationem positurus redit: quia is qui nunc pie spiritalia dona tribuit, districtè in iudicio merita exquiret: quid quisque acceperit, côsiderat, & quod lucrû de acceptis reportet, pêsat. Seruus qui geminata talenta retulit, à Domino laudatur, atque ad æternam remunerationem intromittitur, eum ei voce dominica dicitur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.* Pauca quippe sunt bona omnia præsentis vitæ, quamlibet multa esse videantur. Sed tunc fidelis super multa constituitur, quando deuicta omni corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa cælesti sede gloriatur. Tunc ad Domini sui gaudium perfectè intromittitur, quando in æterna illa patria assumptus, atque angelorum cœtibus admixtus, sic interiùs gaudet de munere, vt non sit iam quod exteriùs doleat de corruptione. Seruus autem qui operari de talêto noluit, ad Dominum cum verbis excusationis redit, dicens: *Domine, scio quod homo durus es: metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: & timens abij & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est.* Notandum quod inutilis seruus durum Dominum vocat, cui tamen ad lucrum deseruire dissimulat, & timuisse se dicit, in lucrum talentum expendere, qui hoc solùm timere debuerat, ne hoc sine lucro ad Dominum reportaret. Sunt enim plerique intra sanctam ecclesiam, quorum iste seruus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen iacere in sui torporis ignauia non pertimescût. Cûmque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, & remanere in suis iniquitatibus non formidant. Quorum bene Petrus adhuc in infirmitate positus speciem tenet, cùm viso miraculo piscium, dixit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Immò si te peccatorem consideras, oportet vt à te Dominum non repellas. Sed qui idcirco melioris habitus vias & rectoris vitæ apprehendere accem nolunt, quia infirmos se esse conspiciunt, quasi & peccatores se fatentur, & Dominum repellunt, eumque quem in se sanctificare debuerant, fugiunt, & velut in perturbatione consilium non habent, dum moriuntur, & vitam timent. Vnde & huic seruo protinùs respondetur: *Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te dare pecuniam meam nummulariis, & ego veniens, recepissem vtique quod meum est, cum vsura.* Ex verbis suis seruus piger constringitur, cùm Dominus dicit: Meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi. Ac si aperte dicat: Si iuxta tuam sententiam, & illud exigo quod ad erogandum non dedi, quanto magis a te exigo, quod ad erogâdum dedi. Oportuerat ergo te dare pecuniam meam nummulariis, & ego veniens vtique recepissem quod meum est, cum vsura. Pecuniam verò nummulariis dare, est eis scientiam prædicationis impendere, qui hanc valeant & dictis & operibus exercere. Sed sicut nostrum periculum aspicimus, si dominicam pecuniam teneamus, ita vestrum, fratres charissimi, sollicitè pensare: quia cum vsura à vobis exigitur, quod audistis. In vsura quippe pecuniæ etiã non data recipitur. Cûm enim hoc redditur, quod acceptum fuerat, etiam id quod super impenditur, quod acceptum non est. Pensate ergo, fratres charissimi, quia de accepta hac verbi pecunia vsuras soluetis, & curate, vt ex eo quod audistis, etiam alia studeatis intelligere, quæ non audistis, quatenus alia ex aliis colligentes, etiam illa discatis ex vobismetipsis agere, quæ needum ex prædicatoris ore didicistis. Pigrum verò seruum qua sententia feriat, audiamus: *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Opportunum valdè videbatur, vt quum à malo seruo vnum talentum tolliter ei potius, qui duo, quàm qui quinque talenta acceperat, daretur. Illi enim dare debuit, qui minus, quàm qui plus habuit. Sed sicut superius diximus, per quinque talenta, quinque videlicet sensus, id est, exteriorum scientia designatur: per duo autem, intellectus & operatio exprimitur. Plus ergo habuit qui duo, quàm qui quinque talenta acceperat: quia qui per quinque talentâ exteriorum administrationem meruit, ab intellectu internorum adhuc vacuus fuit. Vnum ergo talentum, per quod intellectum significari diximus, illi dari debuit, qui benè exteriora quæ acceperat, ministrauit. Quod quotidie in sancta Ecclesia agi cernimus: quia plerique dum benè ministrant exteriora quæ accipiût, per adiunctam gratiam ad intellectum quoque mysticum perducuntur: vt etiam de interna intelligêtia polleant, qui exteriora fideliter administrant. Generalis etiam mox sententia subditur, qua dicitur: *Omni enim habenti dabitur, &c.* Habenti namque dabitur, & abundabit: quia quisquis charitatem habet, etiam dona alia percipit. Quisquis charitatem non habet, etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit. Vnde necesse est, fratres mei, vt per omne quod agitis, erga charitatis custodiam vigiletis. Charitas autem vera est, & amicum diligere in Deo, & inimicum diligere propter Deum. Quam quisquis non habet, omne bonum amittit quod habet, talento quod acceperat, priuatur, & iuxta dominicam sententiam, in tenebras exteriores mittitur. Per pœnam quippè in exteriores cadit, qui per culpam suam spontè in interiores tenebras cecidit. Illic coactus patitur tenebras vltionis, qui hic libenter sustinuit tenebras voluptatis. Sciendum verò est, quòd nullus piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non

Hier. 4.

Luc. 5.

Matth. 25.

non est vnde rationē ponere cogat. Talenti enim numine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam: prædicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit: erogationem talenti debet ea rebus. Alius nec intelligentiam internorum, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptione reputabitur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse locum familiaritatis apud diuitē meruit: talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens igitur intellectum, curet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem qua regitur, magnopere studeat, vt vsum atque vtilitatem illius eum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si eùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab vnoquoque nostrum venturus iudex exigit, quantum dedit. Vt ergo de talēti sui rationibus redeunte Domino quisque securus sit, cum timore penset quotidiè quod accepit. Ecce nanque iam iuxta est, vt ille qui peregre profectus est, redeat. Quasi peregre quippe abiit, qui de hac terra, in qua natus est, longè discessit. Sed profectò reuertitur, vt de talētis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis donis quæ contulit, nos districtius iudicat. Consideremus igitur quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim seruus eùm iam iudex culpas examinat, talentum de terra leuat: quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desideriis, vel operibus subtrahunt, quando iam per animaduersionem iudicis ad æternum supplicium trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, vt eùm iam iudex ad feriendum imminet, lucrum nos, quod fecimus, excuset.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

Sicut homo, qui peregrè proficiscens, &c. Quia dominus citò erat transiturus de seculo corporaliter, & discipuli de die iudicij interrogauerūt; ipse autem noluerat certum tempus ostendere. Quantum timenda & præcauenda esset ipsa dies multis parabolis propositis ostendit. Dixit superius de vigilanti & prudēti seruo; atque de negligenti: iterū generaliter de omni ecclesia sua, quæ Deum se adorare profitetur sub specie decem virginum. Nunc iterum principaliter de Apostolis & doctoribus: & cum illis de omnibus hominibus. Homo iste, dominus noster Iesus Christus: qui pro nobis sua gratuita pietate, homo fieri dignatus est, cum Deus esset. *Peregrè proficiscens,* Peregrè, id est longe venit, à nomine quod est peregeri, inde & peregrinus, id est pergēs longius, proficiscens à verbo proficiscor quod est deponens verbum, venit participium ipse dominus Christus peregrè profectus est, quando in cælū ascendit, quia licet in cælo diuinitas fuerit, tamen homo ille, quem de sancta Maria assumpsit, in cælo antea non fuit. *Vocauit seruos suos,* Apostulos, ad quos hæc loquebatur: tradidit illi doctrinā euangelicam. *Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum.* Nam omnes apostuli æqualiter docti recesserunt à domino: sed alij plus, alij minus. Minus enim erat sapiens Thomas, qui dixit; Domine, nescimus quò vadis, quàm Petrus; item minus Philippus, cui dictū est, tanto tempore vobiscum sum, & nō cognouistis me, Philippe, quàm Iuannes qui dixit, In principio erat verbum. Ideo in quinque talentis diuersas gratias intelligere debemus: vel in quinque talentis, donum quinque sensuum, id est exteriorum scientia, exprimitur: videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus: quia satis, abundéque honoratur, qui in his quinque sensibus vigere permittitur. In duobus talētis intellectus & operatio designatur. In vno talento intellectus tātummodo designatur. Credimus tamen: quia apostoli electi & quinque & duo talenta habuerint, & adhuc in ecclesia Christi multi habent similiter. *Vnicuique secundum propriam virtutem.* Non pro largitate aut parcitate, alteri plus & alteri minus tribuens: sed pro accipientium viribus. Quia & in eremo quamuis septuaginta duo seniores eodem spiritu fuerint repleti quo & Moyses: non tamen sic profuse vt Moyses. *Et profectus est statim.* Quia tandiu cōuersatus est cum discipulis quousque vidit eos non indigere præsentia corporalis instructionis, & post recessit ab eis corporaliter: quos tamen spiritaliter nunquam deseruit. *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat: lucratus est alia duo.* De apostolis non dubitandum: quòd talenta quæ à Deo acceperunt, iuxta Dei voluntatem duplicauerint. Vnde & sequax eorum Paulus, habens & quinque & duo talenta dicebat. Væ mihi est: si non euangelizauero: quia dispensatio mihi credita est. Item de exterioribus talentis. Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Et item. Omnia ostendi vobis: quia sic oportet laborare, & suscipere infirmos. Ille exteriora talenta duplicat, qui de terrenis officiis vitam æternam sibi comparat. De vnoquoque homine ista intelligere possumus, maxime tamen de his, qui locum apustolorū in ecclesia tenēt, prædicatoribus videlicet diuini verbi. Potest quoque in duobus talentis: intellectus & charitas intelligi: quia operatio in hominis arbitrio est dimissa. Si enim operationē ibi intellexerimus, poterit fortiri vt dicat quis: ideo non posse operari bonum, quia non accepe rit talentū operationis. Scimus autem quia Deus hominē in libero arbitrio habet dimissum, vtrum velit facere mandata Dei, an non. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* Pecuniam in terra abscondere, est acceptum ingeniū in terrenis actibus implicare. Lucrum spiritale non quærere: cor à terrenis desideriis nunquam leuare. Vnum talentum Iudas intelligentiæ accepit: quia similiter eruditus fuit à domino vt cæteri: sed in terreno auaritiæ lucro euncta cōuertit, qui loculos magistri habens quæ poterit, furatus est, quousque & dominum vendidit. Videat se vnusquisque: quia nullus est qui omnes sensus corporis sanos habeat: qui possit

quæri,

quæri, non accepisse aut accipere potuisse talentum. Potuit enim quia sanitate vigebat discere, qua viueret: & sibi, & aliis prodesse: Nam nullus se poterit excusare de ignorantia, quia non licet ignorare: quia repleta est terra domini scientia: immo de pigritia condemnabitur: & detectione talenti. Alius euãgelista debet: quod talentum in sudario ligauerit. Ille doctrinam patrisfamiliæ in sudario ligat, qui donum intelligentię in luxuriis, aut commessationibus, aut ebrietatibus, vel aliis huius seculi voluptatibus conuertit. *Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Generalis examinatio omniũ hominum operum in die iudicij erit. Sed & quotidie agitur: dum electi & reprobi de hoc seculo rapiuntur. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens.* Nõ verbis docet, sed opera perfectã monstrabuntur: quia in illa die vniuscuiusque opus manifestũ erit. Etiam in hoc seculo hoc fit, cum quis quinque sensus corporis in bono opere implicat, & alios suo exemplo instruit & Deus eam intentionem rectam perspicit. Largitus ei scientiam etiam ampliorem: quam ei qui naturali ingenio pollebat. *Ait illi dominus eius. Euge serue bone, & fidelis. Euge,* Græcum nomen est: & dicitur Latine bene: subauditur, gaude bone serue. Seruus, non super conditione dicitur timoris, sed etiam dilectionis. De illo alio loco dominus dixit. Iam non dicam vos seruos. De isto & hic, *serue bone.* Et in alio loco. Dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. De isto ergo quod ad dilectionem pertinet dicitur seruo, non timoris sed amoris Deo placendi. *Fidelis.* Quia Dei dona & custodiuit in se: & in aliis amplіauit. *Super pauca fuisti fidelis. Super pauca,* super terrena: quia quamlibet in hoc seculo terrenę res cælestibus comparatæ, pauca & vilia sunt. *Intra in gaudium domini tui.* Suscipe, quæ oculus non vidit: nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit. *Accessit autem & qui duo talenta acceperat.* Si hic operationẽ pro talentis accipimus, dicent multi non accepi à domino talentum vt possim operari, quæ intelligo: & propterea non possum perficere opera Dei. Sed scimus, quia omnes homines liberum habemus arbitrium vt operemur aut opera Dei, aut opera diaboli. *Liberum arbitriũ hominis.* Propterea melius est intelligere intellectum atque charitatem. *Ait illi dominus eius. Euge serue bone.* Vterque seruus simile gaudium recepit: & qui de quinque decem, & qui de duobus quatuor fecit non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem: quia Deus intentionem in vnoquoque homine considerat: vt dixit ipse de vidua, quæ duo minuta in gazophylatium misit: inquit. Dico vobis: quia vidua plus omnibus diuitibus misit. Quid autem maius dari potest fideli seruo, quã esse cum Deo, & videre gaudium domini sui?

HAYMONIS EPISCOPI *Halberstatensis in superius Euang. Homilia.*

IN similitudinibus, quas ad ignorantiam nostram instruendam Dominus proposuit, solicitè considerandum est: quia sic quædam ad nostram proponuntur admonitionem, vt specialiter ad ipsum Dei, & hominum pertineant mediatorem. Quod in huius lectionis serie comprobatur, cùm dicitur: *Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* Homo enim iste per similitudinem Dominus Iesus Christus accipiendus est, qui cùm sit Deus antè secula, homo factus est in fine seculorum, de quo scriptum est: *Psal. 86.* Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Iste autem homo peregre profectus est, quando carnem, quam ex hominibus assumpsit, ascendendo in cælum eleuauit. Ex eo enim tempore, quo primo homini dictum est: *Gen. 3.* Terra es, & in terram ibis, locus propriè carnis terra est. Sed iste homo peregre profectus est: quia caro quam assumpsit, non corruptionem vidit, sed post resurrectionem in cælos ascendit. Huius hominis serui, homines sunt, quos ad seruiendum sibi, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem homini seruire, summa libertas est: ab eius seruitute recedere, turpissima seruitus est. Huius se seruum gloriabatur Paulus Apostolus cùm dicebat: Paulus seruus Christi Iesu. *Rom. 1.* Et iterum: Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis. *2. Tim. 1.* Et Psalmista: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. *Psal. 115.* Et iterum: Seruus tuus sum ego. *Psal. 118.* Bona autem huius hominis, spiritualia dona sunt, id est, virtutes animæ, quæ de eius bonitate sunt natæ, & illius largitate nobis collatæ: qualis est, charitas, pax, sapientia, humilitas, castitas, sobrietas, & his similia. Ergo peregre profecturus, vocatis seruis tradidit bona sua: quia spiritualibus spiritualia dona concessit. Et quia eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundum dantis distributionem, alius plus, alius minus proficit, rectè dicitur: *Et vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, &c.* Sicut talentum apud antiquos variis modis librabatur, ita dona Spiritussancti diuersa sunt iuxta accipientium merita, non in se, sed in illis qui ea accipiunt. Nam ab vno Domino diuersa dona seruis dantur, iuxta illud quod ait Apostolus: *1. Cor. 12. Varia Dei dona.* Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autẽ omnia operatur vnus, atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult. In quinque ergo talentis, quinque sensus corporis designantur, per quos exterior homo regitur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus, & tactus: in duobus autẽ, intellectus & operatio designatur. Et vnius talenti nomine intellectus solummodo exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quàm cui quinque talenta commissa sunt: quia sunt nonnulli, qui per exteriores sensus bona quæ possunt operantur, & tamen in intellectu spirituali minus proficiunt. Sunt verò & aliqui, qui & extrinsecus magna agunt, & interius maiora intelligunt. Sunt etiam aliqui, qui vnum tantum talentum accipiunt: quia bona quidem intelligunt, sed operari minimè student, de quibus scriptum est: *Iere 4.* Sapientes sunt, vt faciant mala, benè autem facere nescierunt. Quòd autem studiosè multiplicandis bonis operibus insistere debeamus, manifestatur cùm subditur: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, &c.* Iam superius per quinque talenta, quinque corporis sensus: & per duo intellectum, & operationem diximus designari.

gnari. Quinque ergo talenta geminare, est per exteriores sensus deuotissimè Deo seruire, tribuendo esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, in carcere positum requirendo, infirmum visitando, mortuum sepeliendo, aliáque pietatis opera implendo. Quasi enim talenta multiplicando geminantur, quando nonnulli tardiores in sensu, per consuetudinem boni operis in intellectu spirituali proficiunt. Duo quoque talenta geminant; qui benè viuendo, & benè docendo Ecclesiam Dei multiplicare non negligunt, illud
2.Tim.2. attendentes, quod ad Timotheum scribitur: Doctrinam quam accepisti à me, fidelibus commẽda hominibus, qui idonei sint & alios docere. Taliter accepta talenta seruis spiritualibus geminare
Rom.12. suadebat Apostolus, cùm dicebat: Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam, secundum rationem fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, &c.* Quasi enim vnum talentum in terra abscondit, qui ingenium quod à Deo accepit, in terrenis actibus occupat, seséque totum in mundi amore obligat. Sed veniet tempus, quando spirituales de acquisito lucro gaudeant, & mundi amatores pro suis cupiditatibus erubescant, vnde & subditur: *Post multum verò temporis venit Dominus seruorũ illorum, &c.* Post multum tempus Dominus redire dicitur: quia longum spatium est inter Domini ascensionem, & secundum eius aduentum. Tunc enim ratio cum seruis ponetur, quando districtè à nobis exiget dona, quæ misericorditer nobis tribuit: quando astabimus ante tribunal Christi, vt
Rom.14. Apostolus ait, rationem pro his, quæ gessimus, reddituri. Felix autem, qui in illa hora discussionis talis inuẽtus fuerit, qualis iste memoratur, de quo subditur: *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur, qui per quinque sensus corporeos quos suprà diximus, bona quę potest, operatur. Sunt enim nonnulli in Ecclesia, qui cùm tardiores videantur ingenio, tamen dum per exterius ministerium fideliter Deo seruiunt, eius munere ad spiritualem intellectum perducuntur, intantùm vt etiam aliquando in ecclesiasticum magisterium eligantur. Qualem autem mercedem sit recepturus, manifestatur, cũ subditur: *Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis &c.* Pauca enim sunt omnia præsentis vitæ ad comparationem futurorum bonorum, quãuis magna esse videantur. Qui ergo super pauca fidelis fuit, super multa constituitur: quia is qui terrenam substantiam benè dispensauit, pro rebus transitoriis perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipso iu-
Matth.25. dice: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratum est à cõstitutione mũdi. *Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talẽta tradidisti mihi, &c.* Similiter alia duo lucratur talenta, qui à domino duo acceperat, quãdo is qui intellectum & operationem habet, non solùm benè viuendo, sed etiam benè docendo plurimos ad amorem Dei vocat. Notandum autem, quòd & is qui de quinque talentis decem, & is qui de duobus quatuor reportauit, æquali voce collaudatur, cùm vterque à domino dicitur: *Euge serue bone & fidelis*, quod est, benè gaude. Et qualiter seruus cum domino gaudeat, declaratur, cùm subinfertur: *Quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam.* Cui rectè dicitur: *Intra in gaudium Domini tui:* quia enim tantis, & pro tãtis mercedem accipiet, quantos benè viuendo, benè docendo lucratus est. In quibus verbis intelligimus, quia illi maiorem mercedem sunt à Domino in æterna vita recepturi, qui benè viuendo (vt diximus) & benè docendo, ad aliorum eruditionem vel doctrinam spiritualiter inuigilant. Quod alibi Dominus apertius declarat, cùm dicentibus Apostolis: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Respondit: Quis putas est fidelis Luc.12.
seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Qui enim super omnia bona constituuntur, duplicem mercedem accipiet, non solum quia sanctè vixit, sed etiam quia dignè docuit. Vnde Daniel cùm de resurrectione mortuorum loqueretur, vt ostenderet magistros spirituales super omnia bona constituendos, ait: Qui autem docti Dan.12.
fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quam desiderabilem vocem, & ineffabile gaudium audire desiderans beatissimus pater noster, cuius hodiè festiuitatem celebramus, talentum sibi creditum benè docendo & benè viuendo studuit erogare, vt geminatum illud Domino reportaret, non tantùm monendo pios, sed etiam comprimendo reprobos. Et ideò quia iuxta scripturæ vocem, gaudium Prouerb. 10.
patris est filius sapiens, tanta huius excrescunt merita gaudiorum, quanta incremẽta proficiunt spiritalium filiorũ. Vnde necesse est, vt vnusquisque nostrum, fratres charissimi, huius beatissimi patris nostri vestigia sequentes, talentum quod à Deo accepimus, non in terra abscondamus, sed cum magno desiderio erogare studeamus, vt geminatũ Domino referamus. Et quia alius artem legendi, alius cantandi, alius prædicandi, alius pingendi, alius ea quæ ad ornatum ecclesiæ pertinent, fabricandi talẽtum accepit, aliis hoc quod didicit, studeat erogare. Nõ solùm in ecclesiasticis ministeriis, sed etiã sunt tales in hoc populo, qui diuersas artes habẽt quibus victitant, alij cæmentarij, alij lignarij, alij fabri, alij sectores: & vniuscuiusque ars qua pascitur, pro talenti commendatione reputabitur: & si in hoc quod scit, alios instruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem huiusmodi talentum quod accepit, erogare debeat, Dominus ostendit cum ait: Gratis accepistis, gratis date. Vnde necesse est, fratres dilectissimi, vniuscuiusque nostrum vt cum summa diligen- Matth.10.
tia vigilantes cogitet, quatenus talentum quod accepit, duplicatum Domino repræsentet. Si autem suæ talentum vtilitatis prodesse aliis nõ vult, timeat increpationem, quam is qui talentum vnum in terra abscondit, à Domino audiuit: *Serue male & piger quare nõ dedisti pecuniam meam nummulariis, &c.* Et implebitur, quod sequitur: *Tollite ab eo talentum, & date illi, qui habet decem talenta.* quia quæcunque sine charitate operatus est, bona in

conspectu

conspectu Dei non sunt, quamuis bona coram hominibus videantur. Tanto enim quisque ampliorem gloriam cum Domino possidebit, quanto largius talentum acceptum pro eius amore erogauerit: quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit, &c.

EVSEBII EMISSENI

Episcopi in superius Euang. Hom.

H*Omo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos, &c.* Homo iste, dominus & saluator noster intelligitur, qui de hoc mundo ad patrem rediens (hoc est enim peregrè proficisci) priùs fidelibus suis bona sua largitus est. *Et vni dedit quinque talenta, alij verò duo, alij verò vnum, &c.* Quinque enim talenta, quinque sunt corporis sensus. Duo verò intellectus & operatio. Vnum autem intellectus tãtum. Hæc autem & si naturaliter ab initio hominibus data sunt, ea tamen fidelibus suis iterum dominus dedit, & quodammodo innouauit, dum magis interius quàm exterius habenda monstrauit. Habet enim & anima visum & auditum, gustum & odoratum & tactum. Et quidem multo digniores illis qui in corpore sunt. Sensus enim corporis cum animalibus communes habemus. *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, &c.* Hæc autem in sequentibus exponemus. *Post multum verò temporis, venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum illis.* Post multum verò temporis venit, quia multum temporis est inter primum & secundum aduentum Christi. Tunc enim cùm seruis suis rationem dominus ponet, quia vt apostolus ait, Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisque rationẽ de his quę gessit, siue bona, siue mala fuerint. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, &c.* Visum mihi dedisti; operatus sum in eo, & multos illuminaui. Quæ vidi, ostendi: quæ intellexi, docui, non celaui, non abscondi ea quæ tu meis oculis reuelare dignatus fuisti. Habeo igitur hoc talentum multiplicatum. Dedisti mihi & auditum, in hoc quoque operatus sum, & multis aliis aures aperui, tuorúmque secretorum verba eos audire & intelligere docui. Hoc enim talentum
Luc. 8. dominus requirebat cum diceret; Qui habet aures audiendi audiat. Itémque vobis datũ est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Gustum quoque mihi dedisti, quò tuę dul-
Psal. 114. cedinis saporem intelligens dico: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo. Et in hoc quidem operatus sum, aliósque mecum ad degustandum inuitaui dicens: gustate & videte quàm suauis est dominus, beatus vir qui sperat in eo. Sed quid dicam de odoratu, quo fideles tuos instruxi, qua ratione discernere valeant inter catholicam doctrinam & fœtentem hæreticam prauitatem. Hoc enim serui tui illecti te sequuntur, dicentes: Trahe nos post te, & curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. Pro hoc & sancta ecclesia de naso laudatur vbi dicitur: Nasus tuus sicut turris libani quæ respicit contra Damascum. At verò & in tactu operatus sum, & non minus in eo quàm in aliis talentis lucratus sum. Tactus animæ fides est, hoc enim Deus tenetur & tangitur. Quanto enim vnusquisque fidelior est, tanto familiarius & propiùs Deũ tangit. Alij enim ipsum, alij eius vestimenti fimbrias tangunt. Hoc autem talentum duplicamus, quando fidem nostram aliis prædicamus. Sed audiamus quid huic Dominus respondeat, qui ei quinq; talenta duplicata obtulit. *Euge bone serue, &c.* Euge namque vox gaudentis est. Sed nota quòd pauca dominus reputat, quæ in hoc mundo meliora habemus. Quæ in re illius regni diuitias inęstimabiles esse ostẽdit, de quibus apostolus ait: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Parua igitur sunt hæc talenta illis diuitiis comparata: siquidem eas quales sunt per hæc neque videre, neque audire, neque ad plenum cogitare possumus. Quis enim illud cogitare potest? Quis illud cogitare valeat, quod in cor hominis non ascendit. Intra in gaudium Domini tui. De hoc enim gaudio psalmista
ait, Beati qui habitant in domo tua Domine, in se- Psal. 83.
culum seculi laudabunt te. Itemque: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hæc autem de quinque talentis dicta sunt, nunc verò de duobus audiamus, per quæ intellectum & operationem significari diximus. Quæ nimirum & si numero sint pauciora, precio tamen & significatione non sunt inferiora. Qui enim bene intelligit, & quæ intelligit operatur, nihil in visu & auditu, nihil in gustu & odoratu & tactu minùs habet. In his enim duobus illa quinque plenissime continentur: quæ quidem sibi mutuo coniuncta sunt, & sine altero alterum non valet. Inutilia enim sunt & intellectus sine operatione, & operatio sine intellectu. Vnde bene dicitur: Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi. *Accessit igitur qui duo talenta acceperat, &c.* Intellectum & operationem mihi dedisti. Tu enim das intelligentiam intelligentibus, tu & bonam voluntatem, & bene operandi affectum tribuis. Vnde apostolus, Neque volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei. Nam neque volentis est voluntas, neque cur-
rentis est cursus, sed miserentis est Dei, qui prius Rom. 7.
bene agendi voluntatem, deinde bene currendi tribuit facultatem. Duo igitur talenta mihi dedisti, ecce duo superlucratus sum. Quoniam quid intelligant, & qualiter intelligentes operari debeant, alios docere piger non fui. Huic itaque Dominus respondens & congaudens non minora bona largitur, quam illi alij modo superius largitus fuerat. Beati isti serui qui Domino suo talenta duplicata reddiderunt: beati in quorum manibus Domini sui pecunia non est minorata: beati qui animi splendorem, quem intus habebant, alios quoque illuminando foras ostendebant. Inde est enim quod arcam de lignis Sethim fieri iussit, & intus & extra de auro purissimo deaurari præcepit. Arca enim & tota Ecclesia, & vnusquisque fidelis intelligi possit, in quibus cælestis sapientiæ thesauri reconditi sunt. Intus enim & extra deauratus est, qui sapientia, qua interius est illuminatus, foris quoque alios illuminare nõ cessat. Qui enim sibi datam sapientiã celant, illi intus & nõ foris deaurati sunt. Cùm enim apostolus dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos, tunc & intus & foris se daturũ esse significat. Hoc enim significabat illa lamina aurea, quam põtifex ex Dei

præce

præcepto in fronte ferebat. Inde est etiam qood mensam propositionis & candelabrum aureum, non intra velom, sed potius extrà, dominus poni iussit, quatenus ab omnibus viderentur, & nulli illuc accedere volenti celari potuissent. Si enim cibos spirituales & fidei lumen dominus celari voluisset, nequaquam extra velum, sed potius intra mensam & candelabrum poni præcepisset. Nunc autem & iam de illo videamus, qui abiens fudit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Per quem scilicet eos intelligimus, quibus ingenium & intellectum dominus dedit, quem ipsi in terreno & carneo corde suffodientes & abscondentes, neque in sua, neque in aliorum salute eum expendunt. Tales autem multos vidimus, qui si voluissent, multis prodesse potuissent. Et isti quidem digne satis amisso intellectu, quo male vsi fuerāt, dum se excusare poterant; iudicis iram contra se prouocant dicentes, *Domine, scio quod homo durus es, metes vbi non seminasti, &c.* Si enim intellectum habuissent, & sensum non amisissent, nequaquam durum & iniustum vocarēt, cuius beneuolentiam captabant. Talis igitur excusatio quam sit vana & inutilis, omnisque ingenij & rationis expers ipse dominus ostendit, dicens: *Serue male & piger sciebas, quia meto vbi non semino, &c.* Ac si diceret, Non fuit cōueniens vt meam pecuniam nummulariis committeres, cùm me tam fortē esse cognoueras, vt non solum mea, verumetiam aliena mihi vēdicare valeam? Qua in re nullam te excusationem habere manifestum est. Hęc autem pecunia verba vitę æternę sunt. Númularij vero quibus ea committitur, si tamen in ea negotiantes, ociosam esse non patiuntur. Hanc autem cum vsura dominus recipit, quia multi fideles cum fructu boni operis eam acquirunt. Nusquam est autem vbi dominus non seminauerit, nusquam est vbi suæ gratiæ sementem non sparserit, quia propter hoc quod in omnem terram exiuit sonus apostolorum, omnibus hominibus rationem & intellectum, memoriam & ingenium largitus est. Constat igitur būe malum suum aduersus eum esse mentitum. De quo dominus subinferens ait. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet quinque talenta.* Per quod intelligere possumus solos bonos eam beatitudinem possidere, quam simul cum eis & mali possedissent, si in bonitate permansissent. Talentum enim, id est, talenti retributionem & meritum soli boni habebunt. Vnde & subditur: *Omni enim habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, ab eo auferetur.* Quicūque enim hæc talenta duplicata habuerit, ei talētorum meritum dabitur, & omnium diuitiarum plenitudine abundabit. Ei autem qui talentum non habuerit duplicatum sed ociosum, & sine fructu illud esse permisit, & iam id quidem videtur habere, auferetur ab eo: quoniam sine ratione & intellectu stultus & insipiens apparebit. *Et tunc inutilis seruus eijcietur in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.*

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. superioris Euangelij expositio.*

SIcut enim homo quidam peregre proficiscens, &c. Quum dixisset supra, quòd nesciatur dies, quādo venturus sit dominus, apponit & parabolam hanc, ostendens, quòd repentè venturus sit. Sicut enim homo peregre proficiscens, ita & dominus imperauit seruis, & hæc atque ista commisit. Peregre autem proficisci dicitur, qui propter nos factus est homo Christus, vel secundum quod ascendit in cælos, vel secūdum quod longanimis est, & non statim exigit opus, sed expectat. Serui autem illius, quibus concrediti sunt ministerij sermones, vt episcopus, sacerdotes, diacoons, & spiritualia dona accipientes: illi quidem plura, hi vero minora, vnusquisque secūdum propriam facultatem, hoc est secundum mensuram fidei, & purificationis. In vas enim, qood ego datorus sum Deo, in illud mittet donum suum: si paruum dedero, paruum dabit & ipse donum: si magnum magnum ipse quoque dabit. Statim autem qui quinque talenta acceperat, abiit, & operatus est. Vide sedulitatem illius, quomodo nihil neglexit, sed statim operatus est, duplicans quod acceperat. Qui enim non solum sibi soli prodest, sine prudentiam habeat, siue diuitias, siue potentiam, & authoritatem apud reges, siue quamcunque aliam vel artem, vel facultatem, sed & aliis vult prodesse, is duplicat, quod sibi datum est. Qui autem talentum fodit in terram, is est, qui suæ tantum vtilitatis curam habet, & non aliorum, qui & condemnatur. Et si bona mentis, & studiosum hominem videris, qui ingenio suo ad negociationes, dolos, & terrena opera abutitur: de illo dicas quod defoderit talentum suum sub terra, hoc est, in terrena opera. Post multum autem temporis venit dominus, qui dederat argentum, vel eloquia sua. Argentum enim igne probatum, eloquia Dei: vel simpliciter omne donum, quod clarum & insignem facit hominem, argentum dictū est. Et cōuocat illos, vt rationem ab iis, qui talenta acceperant, audiat. *Et accedens is qui quinque talenta acceperat, &c.* Ambo hi, qui in concreditis operatī sunt, laudantur à domino eodem modo. Euge, serue bone, & fidelis, vterque audit. Per bonum autem hic omnino intelligimus misericordem, & liberalem, qui suam bonitatem proximis impartit. Qui autem super pauca fideles apparent, super multa constituuntur, nam licet hic dona consequamur, ea tamen cum futuris non sunt conferenda. Gaudium autem domini, incessabilis lætitia, quam habet Deus gaudens in operibus suis, sicut Dauid dicit. Tali igitur gaudio gaudent sancti in operibus suis lætantes: sicut & contrà peccatores dolent in operibus propriis: & sancti gaudent, quod tam diuitem habeant dominum. Vide autem quòd & is, qui quinque, & is qui duo talenta acceperat, eadem bona consequitur. Quando enim quis etiam pauca acceperit, & datum sibi donum, licet paruum sit, bene dispensarit, æqualem honorem adeptorus est cum eo, qui magna habuit, & fecit. Vnusquisque enim vt acceperit, ita & excelsus videbitur, si bene egerit. Porro serui grati ita se habent.

Non hæc preparationem efficiunt, quia illa sint Dei dona, quidquidem & à Deo nostra voluntas preparatur non sine tamen nostra cooperatione: idem quoque dicendum de dono complexationis.

Psal. 11.

Psal. 103.

Hoc intelligitur, si æqualis sit bona voluntas, atque adeo ratio merendi.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang. expositio.*

SIcut homo, qui peregre proficiscitur, &c. Etiam hæc parabola similis est ei, quæ superius de fideli, ac prudente seruo posita est: verum alio modo figurata est: & de iis differit, qui à Deo gratias acceperunt

periuut docendi (nam has nũc talenta vocat propter honorem illatum) & vel per earum vsum lucrum attulerunt, vel defodiendo nihil lucri fecerunt. Dicit ergo, quòd vocauit seruos suos, filius videlicet hominis, vt pote homo, qui peregre profecturus erat: & vni quidem dedit quinque talenta, siue multa: Nam varia sunt doctrinę dona, quę 1.Cor.12. Paulus enumerauit: alij autē duo: hoc est, pauca, alij vero vnum solum. Hi autem esse possunt episcopi, & praeceptores ecclesiarum. Deinde addit & causam inaequalitatis in diuisione, quod scilicet fuerit secundum cuiusque facultatem, & idoneitatem. *Et profectus est statim*. Hoc est, & reliquit eos, vt operarentur. Sicut enim de vinea dixit, quòd locauit eam agricolis, & peregre profectus est: ita dicit & nunc, vt eius discas longanimitatē, quomodo non continuo repetat. Quidam autem dicunt peregrinationem esse saluatoris in caelum assumptionem. *Similiter & qui duo, lucratus est & ipse altera duo.* † Duplicant ea, quae sibi concredita sunt omnes, qui proficiscuntur ad salutem discipulorum, facientes eos rursus praeceptores aliorum.

† † *Qui bene operatur, & recte docet, duplicat concredita sibi talenta.*

Qui vero vnum acceperat, egressus fodit in terram, &c. Terram ipsum mox intellige: in seipso enim tenuit, quod ad operationem datum erat, sic vt nec sibi, nec alijs vtilis fieret. *Post multum vero tempus venit dominus seruorum illorum, & ponit rationem cum eis.* Venit iuxta secundum aduentum: ideo etiam dixit, post multum tempus. *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce altera quinque talenta lucratus sum per ea.* Lucrum sunt, qui per illius diligentiam acquisiti sunt, vt dictum est de fructificante Deo. *Euge, serue bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Multis gratiis dignum faciam: multa bona tibi tradam. *Intra in gaudium domini tui.* Requiem, & beatitudinem, per nomen gaudij significauit. *Euge, serue bone, & fidelis super pauca fuisti fidelis, &c.* Quamquam diuersae fuerunt gratiae, aequalis tamen est honor: quia & aequale in illis studium. Siquidem vterque accepta duplicauit. Vel etiam aliter dici potest, quòd aequaliter quidem laudantur, & aequaliter introducuntur, sed diuersimode remunerantur iuxta proportionem lucrorum, quae ab eis facta sunt. *Nota inaequalitatē praemiorum caelestiū iuxta inaequalitatem meritorum.*

II. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM PONTIFICVM.

MATTH. 24.

IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, [a] Vigilate, quia nescitis qua hora dominus [b] vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret [c] paterfamilias, qua hora [d] fur venturus esset, [e] vigilaret vtique, & non sineret perfodi [f] domum suam. Ideo & vos estote [g] parati: quia nescitis qua hora filius hominis vēturus est. [h] Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem [i] constituit [k] dominus super [l] familiam suam, vt [m] det illis [n] cibum in tempore. Beatus ille seruus, quem cū venerit [o] dominus eius, inuenerit sic [p] facientem. Amen dico vobis: quoniam super [q] omnia [r] bona sua constituet eum,

a Ecce quo tendant quae dixit. ¶ Solliciti estote. Haec enim est causa, cur nescire voluerit illum aduentum fui.
b Probat quòd debent vigilare & sobrij esse.
c Spiritus
d Deus in morte.
e In illa hora quae sibi esset suspecta.
f Id est, corpus.
g Sine macula & ruga.
h Difficultatem ostendit, per quis, non impossibilitatem virtutis.
i Bene eroganda pecuniam domini sui.
k Christus.
¶ Discernens capacitatem singulorum.
l Ecclesiam.
m Pro capacitate audientium.
n Sermonis diuini, vel exempli sui.
o Christus.
p Cibum ministrantem.
q Pro tempore & caeteris supra dicta.
r Non vi soli, sed vt prae caeteris habeant aeterna praemia. Tum pro vita sua: Tum pro gregis custodia.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

SI *sciret, &c.* Nesciente patrefamilias, fur domum perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors carnis habitaculum irrumpit, & ad supplicium trahit. Furi autem resisteret si vigilaret: quia aduentum iudicis occultè venienti praecauans occurreret poenitendo. *Quis putas est fidelis seruus.* Tribus similitudinibus fulguris, furis, & submersionis pentapolis, terrorem iudicij introduxit communiter ad omnes, vt vigilarent, & parati essent. Nunc specialiter ad praelatos loquitur qui humiles, prudentes, non appetentes bonum propter lucrum tēporale, sed verbo & exemplo & opere debent pascere oues. *Quis putas.*

tas. quasi dicat. Admonendi estis, nam quam rarus est, Domino propter Dominum seruiés, oues Christi nó ad lucrum, sed amore Christi pascens. *Prudens.* In futuro sibi prouidens. *Quem constituit.* Quam rarus qui sit vocatus à Deo tanquam Aaron, & non magis se ingesserit, & qui non magis se pascat quam oues. *Beatus ille.* Aeterna autem beatitudine glorificandus est, qui Domino veniente ad iudicium repertus fuerit fideliter annonam verbi ministrans, & in cura gregis vigilans. Rarus inuenitur fidelis vel prudens: sed qui talis inuenitur beatus est. *Super.* Id est, super omnia cælestis regni gaudia, cæteros, id est, bonos auditores faciet discumbere, & transiens ministrabit eis.

CATENA AVREA
in idem Euang.

V*igilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, &c.* Hilarius. Perspicuè ostendit Dominus quia suprà dixit: De die autem illa nemo nouit, nisi pater solus: quia scilicet non expediebat Apostolis scire, vt pendulæ expectationis incerti, semper credant eum esse venturum, quem ignorant, quando vêturus sit. Et ideo quasi ex superioribus concludens, dicit: *Vigilate ergo, quia nescitis, &c.* Et non dixit: Quia nescimus, sed, *nescitis*, scilicet, vt ostendat se diem iudicij non ignorare. Chrysostomus in hom. Vult autem eos semper in solicitudine esse, propter hoc dicit: Vigilate. Gregor. Vigilat qui ad aspectum veri luminis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando quod credit. Vigilat, qui à se torporis, & negligentiæ tenebras repellit. Origen. Dicit autem qui simplicior est, quoniam de secundo aduentu in quo venturus fuerat, hunc dicebat sermonem: alius autem, quòd intelligibilem & futurum in sensum discipulorum verbi dicebat aduentum: quia nondũ erat in sensu eorum, quemadmodum erat futurus. August. de Hesych. Non solùm autem illis dixit, vigilate, quibus tunc audientibus loquebatur: sed etiam illis qui fuerunt post illos annos, & ad nosipsos, & qui erunt post nos vsque ad nouissimum eius aduentum: quia ad omnes pertinet quodammodo: tunc enim vnicuique veniet dies ille, cùm venerit eius dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illa die: ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inueniat Domini aduentus. Imparatum enim inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ vltima dies. Orig. Vani autem sunt omnes, siue qui consummationem mundi scire se profitentur quando erit, siue qui vitæ propriæ finem scire se gloriantur, quem nemo cognoscere potest, nisi Spiritu sancto illuminatus. Hieronym. Præmisso autem patrisfamiliâs exemplo cur reticeat cõsummationis diem, manifestius docet cùm subdit: *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs, &c.* Orig. Paterfamiliâs domus, est sensus hominis: domus autem eius, est anima: fur autem diabolus. Est autem omnis sermo contrarius, qui non per naturalem introitum intrat ad animam negligentis, sed quasi qui foderit domum, primum destruens quædam naturalis ædificia animæ, id est, naturales intellectus, & per ipsam dirutionem ingressus, spoliat animam. Aliquoties inuenit quis furem in ipsa perfossione, & comprehendens eum percussorem sermonem immittens, interficit ipsum. Non autem in die fur venit, quando illuminata est à sole iustitię anima hominis studiosi, sed in nocte, id est, in tempore adhuc malitię permanentis: in qua cũ fuerit aliquis, possibile est, & si non habuerit virtutem solis, quòd tamen illustretur ex aliquo splendore verbi, quod est lucerna, adhuc quidem manens in malitia, sed tamen habens propositum meliorum & vigilantium, ne perfodiatur hoc eius propositum, vel in tempore tentationum, vel in quarumcunque calamitatũ maximè fur solet venire, volens perfodere animæ domum. Gregorius. Vel nesciente patrefamiliâs fur domum perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormierit, improuisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit, & eum quem Dominum domus dormientem inuenerit, necat: quia dum ventura damna spiritus minimè præuidet, hunc mors ad supplicium nesciẽtem rapit, furi autem resisteret, si vigilaret: quia aduentum iudicis qui occultè animas rapit, præcauens ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam verò vltimam idcirco Dominus voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere minimè possumus, ad illam sine intermissione præparemur, propter quod sequitur: Idcóque estote parati, quia nescitis, &c. Chrysostomus in homil. Hinc videtur confundere eos, qui non tantum studium faciunt animæ suæ, quantum student circa pecunias, qui furem expectant. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, &c.* Hilar. Quamuis Dominus suprà in communi nos ad indefessam vigilantiæ curam fuerit adhortatus, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopus in expectatione, aduentúque suo solicitudinem mandat. Hunc enim seruum fidelem, atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque vtilitates populi sibi commissi curantem, vnde dicit: *Quis putas est fidelis seruus, &c.* Chrysostomus in homil. Quod autem dicit: *Quis putas*, non est ignorantis: inuenitur enim & pater interrogãdo loquens, vt cùm dicit: Adam, vbi es? Remig. Nec enim signat hęc interrogatio impossibilitatem perficiendæ virtutis, sed difficultatem. Glos. Rarus enim est fidelis seruus Domino propter Dominum seruiens, oues Christi non ad lucrum, sed pro amore Christi pascens: prudens qui subditorum capacitatem, vitam & mores discutiat, quem constituat Dominus, qui scilicet sit vocatus à Deo, & non se iniecerit. Chrysostom. in hom. Duo autem expetit ab huiusmodi seruo, scilicet prudentiam, & fidem. Fidelem enim eum dicit, quoniam nihil quod Domini sui est, sibi proprium fecit, nihil etiam de rebus sui Domini vanè, & inaniter consumpsit. Prudentem autem eum vocat, quoniam cognouit id ad quod oportet dispensare, quæ data sunt. Orig. Vel qui in fide proficit, & si nondum in ea perfectus est, communiter fidelis vocatur: & qui naturalem habet mẽtis velocitatem, dicitur prudens. Si quis autem consideret, inueniet fideles multos, & studium fidei exercentes: non autem & prudentes, quoniam quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Et iterum videbit alios veloces quidem esse & prudentes, modicæ autem fidei. Conuenire autem in vnum fidelem atque prudentem rarissimum est. Vt autem in tempore det cibum,

necessa

necessariam habet quis prudentiam: vt autem non adimat cibos indigentium, opus est fide, quoniam & secundum simplicem intellectum opus habemus, vt fideles simus ad dispensandum Ecclesiæ redditus, & non deuoremus, quæ sunt viduarum: vt memores simus pauperum, & ne occasionem accipientes ex eo quod scriptum est: Dominus constituit his, qui Euangelium prædicant, de Euangelio viuere: nec amplius quæramus quam cibum simplicem, & necessaria vestimenta, & vt nec amplius teneamus nobis quam his, qui necessitatem patiuntur. Prudentes autem, vt prudenter intelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigētes, & vniuscuiusque dignitatem quomodo educatus est, & quantum necessarium habet. Multa enim sapientia opus est ei, qui bene vult dispensare Ecclesiasticos redditus. Sit etiam fidelis seruus & prudens, vt non effundat rationabilem & spiritualem cibum quibus non oportet, volens ostendere se esse prudentem, scilicet qui magis necessarium habent verbum, quàm mores eorum ædificet, & vitam componat, quàm quod illuminet scientiæ lucem: aut vt ne eis qui possunt acutiua audire, pigeat exponere altiora, ne exponentes vilia contemnantur ab his, qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem secularis sapientiæ acuti. Chrysost. in ho. Adaptatur etiam & ad principes seculares hæc parabola: Vnumquenque enim his, quæ habet ad communem vtilitatem vti oportet, non ad nocumentum conseruorum, neque ad perditionem suiipsius, siue habeat sapientiam, siue principatum, siue aliud quodcunque. Rab. Dominus autem, Christus est, familia autem supra quam constituit, est Ecclesia Catholica. Difficile est ergo inuenire in vno, & vt prudens sit & fidelis, non autem impossibile: nec enim beatificaret eum qui non potest esse, cùm subdit: *Beatus ille seruus quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem.* Hila. Id est, præcepto Domini sui obedientem, vt doctrinæ opportunitate verbum vitæ æternitatis cibum alendæ familiæ dispenset. Remig. Notandum autem, quod sicut magna distantia est meritorum inter bonos prædicatores, & bonos auditores, ita magna distantia est præmiorum. Bonos enim auditores si vigilantes inuenerit, faciet discumbere, vt Lucas dicit: Bonos autem prædicatores super omnia bona sua constituet, vnde sequitur: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Origen. Vt scilicet contegnet cum Christo, cui omnia sua tradidit pater, sicut boni patris filius super omnem patris substātiam constitutus, participat huiusmodi dignitatem, & gloriam fidelibus, & prudentibus dispensatoribus suis, vt sint & ipsi super omnem creaturam. Raba. Non vt soli, sed vt præ cæteris æterna præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia. Hierony. Vel super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur: quia nihil est vltra quod melius sit.

ORIGENIS PRESBYteri in eodem Euang. Homil.

Ex homil. 31. in Matth.

NOn dantes somnum oculis animæ nostræ, neque dormitationem palpebris, vt expectemus, vel nostrum, vel seculi finem, siue vt de hac vita egrediatur, siue vt nobis consumetur hic mundus. Quæret autem aliquis quomodo præsens iuxta discipulos Dominus constitutus, ita loquitur quasi nō præsens, sed venturus ad eos dicens: *Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester veniet.* Et dicet quidē qui simplicior est, quoniam de secundo aduentu in quo venturus fuerat hunc dicebat sermonem. Alius autem intelligibilem & futurum in sensum discipulorum verbi dicebat aduentum: quia nondum erat in sensu eorum, quemadmodum erat futurus: quoniam sicut per hunc locum demonstrat, in vigilantibus operatur diem aduentus sui in animam eorum qui illuminantur à lumine vero, venientis ad animas ipsorum. *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua custodia fur venit, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Quomodo non sineret? Sine dubio per vigilātiam suam. *Ideo & vos estote parati: quia qua custodia non speratis, filius hominis venturus est.* Sed Matthæus quidem indefinite: Marcus autem etiam tempora diei tanquam futis venientis definiit dicens: Vigilate ergo, quia nescitis quādo Dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cātu, an mane. Paterfamilias autem domus, est sensus hominis: Domus autem eius anima. Fur verò qui patrefamilias dormiente subito venit, & perfodit domum: puto quod diabolus est, aut omnis sermo contrarius, secundum quod Euangelista Ioannes nos docet hoc modo, dicens: Amen amen dico vobis, qui non intrat per ianuam in cortem ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro. Sicut ergo qui per ianuam intrat in cortem ouium pastor est ouiū, cui ostiarius aperit: qui autem non intrat per ianuam, sed ascendit aliunde, fur est, & latro: sic Dominus domus fiducialiter per ianuam quando vult ingreditur in eam, remunerans vigilantem. Fur autem quasi fur, non per naturalem introitum intrat in domum ad animam negligētis, sed quasi qui iam foderit eam, primum destruens quædam naturalia ædificia animæ eius, & naturales intellectus in eo qui non vigilauit, quos ædificauerat Deus verbum. Et per ipsam diruptionem ingressus fur, diripit eam, exarmans sensum, quando & sepeliēs non vigilantem patremfamilias, spolia eius distribuet. Aliquoties autem inuenit quis furem in ipsa perfossione, & comprehendens eum quasi arma sua habens percutit furem, & percussorem sermonem immutans interficit eum, quādo & interficiens homicida non existimatur, absque omni dilatione interficiens eum. Si autem non apud se, sed apud eum, qui occulta omnia manifesta facit: comprehenderit quis eum qui furatus fuerat bona eius, & intellexerit eum, & redarguerit eum, id est, interfecerit eum: nullam veniam habet mortuo, atque manifestato fure: & ipse enim morietur. Et vide ne forte tale aliquid significet lex Moysi, dicens: Si autem in ipsa perfossione inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit: nō est ei homicidium. Quod si ortus fuerit sol super eum, reus est: morietur pro eo. Qui enim prius quam faciat malum cognoscit malum, & confringit in seipso: ipse est, qui comprehendit, & interficit in eo dum perfoderetur ab eo. Qui autem postquam fecerit malum quamuis redarguerit eum, extra se malum comprehendisse, & extra domum suam interfecisse videtur: nihil ei prodest, reus enim factus est mortis. Nam om-

nem hominem postquam peccauerit reuersum in se, sensus diuinus, qui est in nobis illuminat quasi lux, vt intelligamus quod gessimus malum ad præiudicium nostrum, non ad salutem: tamen in textu hoc Euangelij in quo loquimur, non in die fur venit quando illuminata est à sole iustitiæ anima hominis studiosi, sed in nocte, & in tempore adhuc malitiæ permanentis. In qua cum fuerit aliquis, possibile est, & si non habuerit virtutem solis, tamen vt illustretur ex aliquo splẽdore modico verbi, quod est lucerna adhuc quidem manens in malia: iam tamen habens propositum meliorum, & vigilantiam, vt ne perfodiatur propositum eius ad meliora respiciẽs. Nam, sicut legimus apud Pastorem, vasa plena non cito quis gustat: nec enim mutantur facile. Semiplena autem quia facile creduntur mutari, frequenter gustantur. Et vide si potes ad talem trahere intellectũ illud quod alibi scribitur, Sint autem lumbi vestri succincti, & lucernæ ardẽtes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur, Quoniam qui nõdum est in lumine, & in die virtutum, præbet autem se iam doctrinæ illuminanti animam suam, secundum quod possibile est in primis succinctus est, & auertens seipsum ab effusione malitiæ: vtitur nondum quidem quasi diei lumine elato virtutis, sed lucerna, qua possibile est illuminari etiã qui in malitia est. Hic ergo cuius sic lucerna accensa est, expectãs est dominum suum Deum verbum, vt reuertens veniat ad eum, qui interim habuit in seipso lucernam, & illuminauit totã mentem ipsius, videlicet quasi sol. Et vnusquisque secundum suum profectum incendit lucernam aut minus, aut amplius a lumine scientiæ, & oleum per meditationem infundit, & in ipsa vigilans aduersus peccatricis opera, spectans per abstinẽtiam huiusmodi, & meditationem dominum suscipere in seipsum. Ei tamen qui abundantius proficit, & posteriora quidem obliuiscitur, id est, malitiam, modicum autem eius adhuc habet in se, iam ad virtutem propinquat, conuenienter dicitur, Nox promouit, dies autem appropinquauit, Signãdum est autem quoniam dixit, Dies autem instat. Instat enim perfectis, & nullum habentibus in se vestigium noctis: appropinquat autem proficienti ad melius, & quæ diei sunt meditanti, & sicut in die honestatem suscipiẽti: & prope est iam iste, qui talis est, vt dicat, Non sumus noctis, neque tenebrarum. Quoniam autem semel venimus in hunc locum, debemus & de custodiis diuersis reddere rationem. Alius quidem reprehenditur vigilans statim in vespere ipso, & cõtinuat vigilias vsque ad mediam noctem, adhuc autem vsque ad gallicantum, & adhuc vsque ad mane. Qui enim mox vt cœperit malitiam, id est, mox vt cœperit infans plenum proferre sermonem (ex eo enim incipit esse in malitia, quod est in nocte) si statim tradiderit se vt fiat & auditor legis, & factor, si quidem permanserit vsque ad finem in ipso proposito, vigilauit à vespere, & cõtinuauit vsque ad mediam noctem, & non dedit somnum oculis suis, neque vsque ad gallicantum, neque vsque ad mane, inter beatos seruos huiusmodi vir computatur. Qui autem ... uetit inuentus post tempus sermonis impleri partem aliquam noctis transigere in comessationibus, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis: cœperit autem postea vigilare: & iste spem bonã habebit si permanserit vsque ad mane, incipiens à media nocte vigilare, id est à virilitate! Si autem perfectus in tempore ætatis corporis sui, audiens diuinam doctrinam susceperit inde lucernam, quasi volens viuere secundum Dei præceptum: & iste habens lucernam à gallicantu, & vigilans, & permanens vsque ad mane, non perdit bonæ seruitutis mercedem in tempore modico. Si possibile autẽ est & statim circa ipsam consummationem noctis (id est postquam pene totum tẽpus vitæ suæ consumpserit malitia) vt credens accendat sibi lucernam, & vigilet vel residuo tẽpore: & si venerit Dominus domus cum gratia sua, quibusdã quidẽ à vespere cõmorabitur vsque ad mane, aliis autẽ à media nocte, illuminãs eos in reliquum: aliis vero à gallicãtu minus conuersans cũ eis: Sed neque mane accendẽtes lucernam, & vigilantes propter expectationem domini derelinquet: sed etiam istos inueniens minime dormientes, neque cubilibus, & impudicitiis attendẽtes, honorabit eos honore, quo dignos eos esse cognouerit, Et fur ergo custodia quadam, & hora noctis aduentat, & perfodit domum eius, quem non inuenerit vigilantem, neque habentem lucernam accensam. Et quibusdam quidem superuenit vespere, aliis autem media nocte, quibusdam autem & gallicantu: sunt autem & quibus mane. Et dominus custodia quadam & hora noctis venit: & forsitan dominus illic venit cui fur veniens nihil facere potuit: videlicet non permissus perfodere domum vigilantis, & lucernam accensam habentis. Ad eum autem, qui domum habet perfossam: non venit dominus, maxime si didicerit aliquis quod dictum est, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum: contemnens ea, quæ dicta sunt, dederit somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem. Ad manifestandum autem sensum loci istius qui nobis incurrit: tali vtamur exemplo. In tempore tentationum, vel qualiumcunque calamitatum maxime fur solet venire, volens perfodere animæ domum: sed veniente fure, qui accidentia sustinet, & propter Dei dilectionem omnia suffert: nihil passus ab eo confestim ad se venientem videbit dominum. Qui autem à fure in tempore calamitatis suæ perfodi passus fuerit domum, quasi indignus aduentu ad se domini sui, non erit dignus aspicere eum. Quis enim fidelis seruus & prudens quem constituit dominus eius super domũ suam, vt det cibos in tempore? Quod ad Apostolos, cæterósque episcopos, & doctores parabola ista pertineat, manifestum est: maxime ex eo quod apud Lucam Petrus interrogat, dicens, Ad nos parabolam istam dicis, an ad omnes? Sed tamen cum sint multi dispensatores, difficile est inuenire & fidelem, & prudentem. Propter quod ait Apostolus, Ita nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Peccat autem in Deum quicunque episcopus, qui non quasi cõseruis seruus ministrat, sed quasi dominus. Frequenter autem & quasi amarus, dominus dominans per vim, similis constitutus Ægyptiis qui affligebant vitam filiorum Israël, cum vi. Ergo memores esse debent verborũ Christi dicentis, Vos vocatis me magistrum, & dominum, & bene dicitis, Sum etenim. Si ergo ego

laui

Liber extat sub titulo reuelationũ Hermetis.

laui pedes vestros, & vos debetis alterutrum lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt sicut ego feci, sic faciatis. Et illud, Principes gentium dominantur earum, & maiores eorum potestatẽ exercent in eis. Inter vos autem non sic erit: sed qui vult inter vos esse primus, erit nouissimus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Audire autem oportet & Paulum dicentem, Cum possimus oneri esse, vt Christi Apostoli, facti sumus paruuli in medio vestrum: quemadmodum si nutrix foueat natos suos, sic desiderantes cupimus participari vobiscum non solum euangelium, sed etiam animas nostras. Et non oportet percutere conseruos, sed corripere inquietos: consolari pusillanimes, sustinere infirmos, & patientes esse ad omnes: quoniam seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes: cum modestia docentem eos, qui resistunt. Quasi recedens autem ipse à mala inductione conseruorum Paulus culpat eos, qui non erãt tales, qui superbis quidem erant subiecti, contemnebant autem mansuetos: hoc modo dicens, Sustineris si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, quasi nos infirmi fuerimus. Considera autem in istis quomodo eoꝝ, qui in seruitutem redigunt, & in faciem cędunt propter quod amarius principentur, reprehendetit ipse dicens se abstinere ab eis: non quia infirmus erat, quòd minus faceret ea, sed vt faciat ipsa quæ docet. Docet autem cum modestia docere eos qui resistunt. Propter quod & definiens quales debeant esse episcopi, sic dicit, Non litigiosi, non percussores: sed mansueti, ornati, & quæcunque iuret fideles & sapientes seruos inueniuntur, & dispensatores quos constituit dominus super familiam suam, sicut dicit Lucas. Ex his autem cognoscere est, quòd non solum qui fideles sunt, & sapientes, illos constituit dominus super domum suam, sed etiam malos seruos dicentes in cordibus suis, semper moram facit dominus meus venire: propterea percutiunt conseruos, manducant, & bibunt cũ ebriis, vel ebriosis, & inebriantur. Siquando ergo arbitrantur se esse in magno fastigio, qui præsunt ecclesijs Christi, propterea quòd constituit eos dominus super familiã suam; cognoscant quòd non hoc eos saluat, quòd constituti sunt à domino super familiã eius: sed illud vt dent in tempore cibos, & vt abstineãt se à percussionibus, & à comessationibus, & potationibus cum ebriosis. Si autem non se abstinuerint ab huiusmodi, & magnum sapuerint, propterea quòd constituit eos dominus super familiam suã, sciant, quòd veniet dominus eorum in die, qua non putant, & hora, qua nesciunt: & diuidet eos, & partem eorum cum hypocritis & infidelibus ponet: & cum fuerint inter hypocritas, & infideles positi nihil eis prodent quòd constituti à domino sunt super familiam eius. Vt autem timeamus illud quod ait, diuidet eum: conueoit recordari ea, quæ à Daniele sunt dicta contra presbyteros malos, Quoniam angelus domini habens gladium scindet te medium. Scindens autem diuidet. Ausi sumus vti in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes, quòd in Hebræo positum nõ est, sed quoniam in ecclesijs tenetur. Alterius autem temporis est requirere de huiusmodi. Attende autem etiam illud quod ait, Fidelis seruus, & prudens beneuolentet audiens verbum, & acquiescens voluntati Christi ea dicentis, & consentientis Matthæi. Diligenter ergo est audiendum de fideli seruo atque prudenti, qui in fide proficit. Aut si nondum in ea perfectus est qui communiter & ipse fidelis vocatur, & qui naturalem habet mentis velocitatem, & dicitur prudens. Et villicus ergo iniquitatis prudenter facit, non quidẽ faciens secundum prudentiam ex virtutibus, sed quia velox erat ingenio. Et filij seculi huius prudentiores sunt quam filij lucis in generatione sua. Non quia secundum prudentiam vnam ex virtutibus sunt prudentes, aut quia filij lucis secũdum aliud aliquid sunt eis minores in sapientia, aut in acumine naturali mẽtis sunt inferiores. Scit enim & prudentiam vnam esse ex virtutibus sermo diuinus, sicut in Prouerbiis docet dicens, Dic sapientiam sororem tuam esse, notam autem fac tibi prudentiam, vt custodiat te à muliere aliena. Nunc autem communiter audire debemus quod ait, *quis est seruus fidelis & prudens*: quasi quidã quidem secundum communiter intellectam fidem sint fideles, non autem sint prudentes, neque veloces ingenio: & iterum alij quidem sint veloces, & secundum quod hic significatur prudentes non autem omnino & fideles. Si quis autem considerat multitudinem volentium esse se Christianos, inueniet quidem fideles multos, & studium fidei exercentes, non autem & prudentes vt sint filij huius seculi prudentiores eis in generatione sua: scientes quoniam quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Et videbit iterũ alios, qui credidisse putantur, veloces quidem esse, & sapientes, modicæ autem fidei: & si non infideles, tamen minus fideles, quoniam stulta mundi quæ Deus elegit contemnunt. Conuenire autem in vnum fidelem, atque prudentem, vt secũdum vtrunque det conseruis suis cibum in tempore, valde rarissimum est. Vt enim in tempore det cibum, necessariam habet quis prudentiam: vt autem non adimat cibos in tempore indigentium, opus est fide. Non autem est importunum monere propter peccata, quæ in hominibus, qui videntur credere Christo, & in dispensatoribus ecclesiarum plerũque fieri solent: quoniam & secundum simplicem intellectum multi opus habemus vt fideles simus pariter & prudẽtes ad dispensandos ecclesiæ redditus: fideles quidem vt non deuoremus quæ sunt viduarum, & vt memores simus pauperum, & occasionem accipientes ex eo quod scriptum est, Dominus constituit his qui euangelium prædicant de euangelio viuere, amplius quæramus cibo simplici, & necessariis vestimentis: vt ne amplius teneamus nobis quam demus esurientibus fratribus, & sitientibus atq; nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis. Prudentes autem vt vnicuique secundum dignitatem vniuscuiusque subministremus, recordantes quod dictum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Non enim simpliciter de rebus ecclesiasticis dare oportet, vt vnum hoc obseruemus, vt ne quæ pauperũ sunt, deuoremus, aut furtum faciamus de eis: sed vt prudenter intelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigẽtes: & vniuscuiusque dignitatem quomodo aduocatus est, quãtum necessarium habet, vel propter quam causam indiget.

Non ergo similiter est agendum in eis, qui ab infantia duriter sunt educati, & strictè, & in eis qui large, & deliciosè nutriti sunt, & postea ceciderunt. Nec eadem sunt ministranda viris, & mulieribus: aut multum senibus, & iuuenibus: aut iuuenibus quidem, & debilibus, propter quod non possunt sibi acquirere escas, & eis, qui vel ex parte possunt sibi succurrere. Requirendum est autem & si multos habeant natos non negligentes, sed omnia facientes, & non sibi sufficienter occurrentes. Et ne plura dicamus, multa sapientia opus est, qui vult bene dispensare ecclesiasticos redditus: vt etiam in istis fidelis, & prudens dispensator inuentus, beatus efficiatur. Forsitam autem & propter multitudinem christianorum, qui non satis circa requisitionem verbi habentur & tales sunt ad principatum subleuati: magis necessariū habemus audire quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore: vt non effundant rationabilem, & spiritalem cibum eōseruis quibuscunque simpliciter: & quibus non oportet, volentes se ostendere esse prudentes, & magis necessarium habentibus verbū, quod mores eorum ædificet, & vitam componat, quam quod producit ad sapientiam, & illuminat scientiæ luce eos, quorum mens potest sufferre huiusmodi lucis splendorem: aut vt oe eis, qui possunt acutius audire, pigeat exponere altiora: vt ne exponentes vilia ab ingeniosioribus contemnantur, qui naturaliter sunt ingeniosi: aut per exercitationem forsitan secularis sapientiæ habentur acuti. Difficile est ergo vtrunque in vno, vt & prudens sit & fidelis: non autem & impossibile: nec enim beatificat eum, qui non potest esse, dicens, *Beatus seruus ille, quem dominus veniens inuenerit facientem sic. Amen dico vobis, quòd super omnia bona sua constituet eum.* Magna promissio fidelibus, & prudentibus dispensatoribus prædicatur, & eum eis quibus ait, Esto potestatem habens super quinq; ciuitates: aut esto potestatem habens super decē ciuitates. Nam super omnia bona patrisfamilias fieri: quid aliud manifestat nisi hæredes Dei, & cohæredes Christi, & contegnātes cum Christo? Cui omnia sua tradidit pater, sicut ipse dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: & quemadmodum boni patris filius super omnem patris substantiam constitutus participat huiusmodi dignitatem & gloriam fidelibus, & prudentibus dispensatoribus suis, vt fiat & ipsi super omnem creaturam, & potestatem, vt sint cum Christo. Et vide interpretationem eius, quod dicit, *Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum.* Intellige mihi quasi in exemplum accipiens aliquem regem omne regnū sub se habentem: cum quo sunt gentes multæ, & ciuitates & loca diuersa. Itaque diuidat ipse satrapis, & cæteris principibus, qui aliquid præclare gesserunt, plenitudinem regni sui: & omnes quidem constituet super omne regnum suum: non autem singulos super omnia: sed vnumquemque eorum super aliquam partē regni sui: vt puta huoc quidem super decē ciuitates, alium super quinque. Et sic omnes erunt super omnia bona, ipse autem solus teneat omnia quasi solus omnium rex. Et tale est quod dicit, *Super omnia bona sua constituet eum.* Sicut autem audiuimus de beatitudine danda seruis fidelibus, & prudentibus: sic audiamus & de tormentis malorum seruorum. Dicit enim malus seruus in corde suo, præsentem voluptatem præponens bonis futuris, & contemnens dominum suum, dicit, Moram facit dominus meus venire, Mentiens autem hoc dicit volens manducare & bibere cū ebriosis, & semper somniat: quòd post multum temporis venturus est dominus suus: & quasi domino moras faciente percutit conseruos sufferentes, & in seruitutem redigit eos, & in faciem eos cædit. Et percutiens manducat, & bibit cum ebriosis, occasione obsequij ecclesiastici: & non esurientes suscipit, sed epulatur cum ebriosis, & multis huiusmodi quibus ecclesiastica cura commissa est: quibus veniet dominus faciēs consummationem eorum in die qua nesciunt, & hora, qua non putant, & diuidet eos, qui non timuerunt eum, qui potens est animam, & corpus perdere in gehennam. Diuidit autem eum, quando spiritus quidem eius reuertitur ad Deum, qui dedit eum: anima autem cum corpore suo vadit in gehennam, iustus autem nō diuiditur: sed anima eius vadit cum spiritu ad regna cælestia. Propter quod scriptum est, Benedicite, spiritus, & animæ iustorum domino. Eorum autem, qui diuiduntur & deponunt spiritum reuertentem ad eum, qui dederat eum, & non habent post modum in se partem aliquam quæ erat ex Deo: relinquitur eis pars eorum quæ erat ipsorum, id est, anima quæ cum corpore suo punietur à domino veniente, cum infidelibus & hypocritis in tormentis. Vide ergo differentiam seruorum, quos dominus constituit super domum suam: quoniā quidam quidem quasi fideles, & prudentes dispensatores, qui dederunt conseruis cibum in tempore, super omnia bona patrisfamilias constituuntur: quos autem contraria eis egerunt, extra quod ceciderunt de gloria tanta, adhuc diuiduntur, & pars eorum cum hypocritis & infidelibus ponetur. Ibi erit fletus eis, qui male in hoc mundo ridentes fuerūt dicente scriptura, Væh qui nunc ridetis, quoniam flebitis, & plangetis. Consequenter autem propter requiem & resolutionem, qua requieuerunt & resoluti sunt, rationabiliter erit eis dentiū stridor. Quod hoc forsitan significat, quòd qui puniuntur cogitantes fore finem doloris, & propter hoc volentes viriliter eos sufferre, compulsi tormentis insufferibilibus, dentibus strident. Illis videlicet dentibus quibus manducauerunt acerbitatem malitiæ, & propterea patiuntur dentium dignum stridorem.

Doctrina de spiritu hominis distincto ab anima nō communiter recipitur.

S. HILARII EPISCOPI
Pictauorum superioris Euang. expositio.

Atque vt ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine vtilis silentij ratione esse sciremus: vigilare nos propter aduentum furis admonuit, & orationum assiduitate debentes omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Furem enim esse ostendit zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia peruiligem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: vt ea incuriosis nobis & somno deditis, consiliorū suorum atque illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos conuenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspēsæ expectationis exagitet. *Quisnam*

nam est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam? &c. Quanquam incómune nos ad indefensam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, episcopis in expectatione aduentuque suo sollicitudinem mãdat. Hunc enim seruum fidelem atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque vtilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, deprauata conuertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendę familię dispendat, atque hęc agens, hisq́ne immorans deprehendatur: gloriam à domino tanquam dispensator fidelis & villicus vtilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit vltra quod melius sit.

S HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. Homilia.

VIgilate ergo: quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit, &c. Perspicue ostendit, quare supra dixerit: De die autem illa & hora nemo scit: neque filius hominis, neque angeli, nisi pater solus: quòd non expediat scire Apostolis: vt pendulæ expectationis incerto, semper eum credãt esse venturum, quem ignorant quando venturus sit. Et non dixit: quia nescimus qua hora venturus sit dominus, sed nescitis. Præmissóque patrisfamilias exemplo, cur reticeat consummationis diem, manifestius docet dicens. *Ideo & vos estote parati, &c.* Plenius inculcat & replicat: quare de die consummationis & hora, nec angelos cælorum scire prædixerit, sed solum patrem: quod non expediat scire Apostolis: & exemplum patrisfamilias, hoc est, sui & fidelium seruorũ, id est apostolorum ad cohortationem sollicitæ mentis interserit, vt spe præmiorum ministrent conseruis in tempore suo cibaria doctrinarum.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euang. Homil.

In Hom. 78. in Matth. DEinde ne rursus interrogent, continuò subiunxit: Vigilate igitur, quia nescitis qua hora dominus vester venit, non dixit se nescire, sed quia ipsi nesciunt. Ita tamen eos ad ipsam penè horam deduxit, atque statuit, & curiosiores reddere cupiens, ab interrogando auocauit: vigilate dicens, nescitis, &c. vt ostenderet hac se de causa dicere noluisse. *Illud autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, &c.* Propterea igitur hæc dicit ipsis, vt vigilent, vt iugiter parati sint, quia qua nõ existimant hora, venturus est. Solicitos igitur facit & curiosos, ne vnquam virtuté negligant. Tale quid autem est, quod dicitur; Si præscirent homines, quando morituri sunt, diligentiam suam circa illam horam ostenderent. Ne igitur in illo solummodo tempore, sed continuè diligentes sint, nec generalem, nec singularẽ horam prædicit, vt semper expectando semper vigilent: hac enim ratione terminum vitæ non occuluit. Deinde liquido, adeò vt nunquam liquidius, dominum seipsum appellauit. Hæc autem etiam ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur, maiorem enim diligentiam habent, furem expectantes, quàm vos salutis animæ, vigilant enim tunc, ne aliquid sibi surripiatur. Vos verò, quamuis certè sciatis venturum dominum, non perseueratis tamen neque ita vigilatis, vt possitis non imparati ex hac vita discedere, quapropter eũ pernicie dormientium dies ille venturus est. Nam, quemadmodum non læderetur ille furto, si furem sciret vẽturum: sic & vos quoniam scitis dominum venturum, paratiores esse deberis. Cæterùm quoniam iudicij mentionem fecit, ad doctores etiam vertit orationem, de pœna, & meritis disserens, & primò bonis collatis, ad peccatores exitum facit, commodissimè orationem concludens; *Quis ergo*, inquit, *fidelis seruus & prudens, quem constituet dominus, &c.* Dic, quæso, nũ & hoc ignorantis est? Nam, si, quoniam nec filium scire dictum est, ignorare ipsum affirmas: quid modò dices, cùm dubitando dicere videatur, quis igitur fidelis seruus? An & hoc ipsum ignorare confinges? Nequaquam: nullus enim nisi mente captus id diceret: atqui causam de illo dicere possumus, de hoc verò nullam. Quid porrò quando interrogando dicit; Petre, diligis me: neque illud sciebat? aut quando quærit, vbi posuistis eum? Ego vero etiam patrem ita loquentem inuenio. Ipse enim est qui dicit; Adam, vbi es? Et, clamor Sodomotũ multiplicatus est in me, descendens igitur video, si secũdum clamorem venientem opera fiant: si autem non ita, vt cognoscam. Et alibi; Si fortè audierint, si fortè intellexerint. Et in euangelio; Verebuntur fortasse filium meum: quæ omnia verba quamuis ignorationem significent, non ignorans tamen, sed vt eum decet, dispẽsans ita dicebat. De Adam ergo illo modo quæsiuit, vt in * excusationem peccati eum induceret. De Sodomis autem ita loquutus est, vt nos erudiret, nihil antea esse determinandum, quàm ad rem ipsam certius perueniremus. Per prophetam autem ambiguè loqui videtur, ne prædictio inobedientiam necessario facere videretur. In Euãgelio verò ostendere voluit, quia reuereri filium debuissent. Hoc autem in loco, ne rursus curiosius perscrutentur, & adhuc vt, quod tacitum est, pluris ostendat. Expende autem qualem hæc verba ignorantiam significare possunt, siquidem à te constitutum per familiam tuam ignorare non potes. Præterea beatificat quidem eum; Beatus enim, inquit, seruus ille: quis verò sit, silentio tradidit: quis enim est, ait quomodo constituet dominus super familiam suam, quem inuenerit sic facientem? hæc non de pecuniis solummodo, verumetiam de verbis, de virtute, de omni dispensatione singulo homini cunecessa, dicta sunt. Hæc parabola vel ad gerentes, gubernantesq́ue rem publicam accommodari potest. Docet enim vnumquémque ad communem vtilitatem omnia conferre, quæ sua sunt, siue sapientiam, siue principatum, siue quicquid aliud, non ad detrimentum conseruorum, nec ad perditionem suam. Quapropter vtrunque ab eo flagitat, prudentiam scilicet, atque fidem. Delicta enim ab amentia originem habent. Fidelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus domini sibi attribuit, nec incassum quicquam expendit. Prudentem autem, quia dispensare nouerit: opportunè siquidem vtraque te nobis opus est, ne scilicet, quæ

Ioan. 21.
Ioan. 11.
Gen. 3.
Ezech. 2.
Luc. 20.
* In satisfactionem.

quæ domini sunt, ad proprios vsus rapiamus, & vt opportunè omnia dispensemus. Nam, si alterum horum absit, eius absentia alterum omnino claudicat. Si enim fidelis ita sit, vt non furetur: disperdat autem non necessario cōsumens impendio, non paruum id crimen est. Si verò è contrario rectè dispenset, sibi verò accumulet, ingens rursus hæc culpa. Audiamus etiam, qui pecuniosi sumus. Non enim doctoribus hæc solùm, sed diuitibus etiam dicit, cùm vtrisque dominus diuitias suas crediderit, maximas quidem doctoribus, sed locupletibus etiam non paruas. Si ergo docentes maiores diuitias seminent, atque dispergant; vos autem nullam in minoribus liberalitatem ostendatis: cur liberalitatem, & non gratitudinem dixi? non enim vestra, sed aliena tribuitis: quænam vobis futura est excusatio? Sed interim, antequam de punitione dicatur, approbati præmia serui qualia sint, audiamus. *Amen dico vobis, in omnibus suis constituet eum.* Quid hoc honore maius? quæ oratio hanc dignitatem, hanc beatitudinem assequi poterit, cùm cælorum conditor, cui omnia seruiunt, hominem in omnibus suis constituturus est? Præterea & prudentem eum appellauit, quia nouit magna pro paruis perdenda non esse: quia moderatè vitam hic peragens, cælos consecutus est.

AVTHORIS IMPERFECTI in Matth. eiusdem Euang. expositio.

Ex Hom. 51. in Matth. VIgilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit, &c. Qua enim ratione homini absconditus est dies mortis ipsius? Videlicet, vt semper benefaciat, semper mortem suam spectans. eadē ratione & ab omnibus hominibus absconditus est dies aduentus Christi, videlicet, vt non vna generatio saluetur, sciens aduentum ipsius, sed omnes dum in singulis quibusque generationibus Christi aduentus speratur. Ideo & interro- *Act. 1.* gantibus se discipulis suis: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Paterfamilias est vnusquisque secundum animam in domo patris sui: fur autem diabolus est, domus autem nostra corpora: ianuæ sunt, os, & aures: fenestræ autem, oculi. Sicut ergo per ianuas & fenestras citò ingreditur latro, & spoliat patremfamilias: sic per os & aures, & oculos hominis, facilè inuenit diabolus occasionem ad animam, & facit eam captiuam: sicut & in Hieremia tale aliquid scriptum *Hier. 9.* est, Quia mors intrauit per fenestras nostras. Si vis *Psal. 38.* ergo esse securus, pone seram ianuæ tuæ, id est, legem diuini timoris ori tuo, vt dicas cum propheta: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam *Eccl. 18.* *Psal. 126.* in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Item sapiētia docet: Obstrue aures tuas spinis, ne audias verba maligna. Sed quoniam fragiles sunt nostræ seræ, nisi Deus illas seruauerit, quia nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Rogemus Deum pariter cum propheta: *Psal. 140.* Pone, domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ: Pone seras super fenestras oculorum tuorum, vt dicas cum castissimo Iob: Posuisti *Iob. 31.* testamentum oculis meis vt non sentirem in vir- *Iob. 24.* ginem. Item, si cōcupiui agrum proximi mei, ego seminem, & alij metant. Item quia fragiles sunt seræ fenestrarum nostrarum, dominum inuocemus cum propheta, dicentes: Inclina cor meum *Psal. 118.* in testimonia tua, & nō in auaritiam. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Quid ergo? nescit anima quando per istos introitus fur ingreditur super eam? Verè nescit. Et quidem quando ducitur ad peccatum, scit: quando autem ingreditur, nescit. Ideo vigilare debet, & claudere omnes istos introitus. Os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus piis, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cœlestibus. Nō enim sufficit, vt non loquatur, vel audiat, vel videat, vel cogitet mala. Qui enim hæc agit clausit introitus suos, & impleuit, & oppilauit malis aduersus bona, vt ne locum habeat introeundi bonus spiritus: qui autem mala quidem deponit ab eis, bona autem non suscipit, ille dicitur apertos habere introitus. Pro- *Matth. 12.* pterea vacantes eos inueniens inimicus, intrat ad animam. Propter quod opus est vt iusti introitus non solum vacent à malis, sed etiam vt sint clausi, & pleni, & oppilati bonis aduersus mala, vt malus non inueniat locum introeundi. Vnde & sapienter Petrus dicit apud Clementem, quomodo de- *Habetur in libris recognitionum.* bet quis incessanter quæ Dei sunt cogitare, & loqui, quoniam si mens fuerit in his occupata, malus non inuenit locum ad mentem. Consequen- *Psal. 1.* ter propheta non dixit tantum: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed addidit, Sed in lege domini volūtas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Et Pau- *Ephes. 6.* lus quum diceret, Non est vobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: Non dixit tantum, deponite mala: sed suscipite omnem armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, id est, omnia opera bona facite. Sicut enim vas, quandiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum: si autem vacuum fuerit, recipit omne, quod mittitur. Sic homo quandiu occupatus est malis, non recipit bonum: & si occupatus fuerit bonis, repellit malum: si autem nec isto, nec illo se occupauerit: id est, si neque bonis neque malis intenderit, omnis spiritus intrat in eum. Intrans autem non statim ducit eum ad peccatum, sed primum delectat eum in malis, & sensum desideriis carnalibus alligat, & postea ducit ad peccatum, quando iam & si intelligit malum esse, quod facit, non potest resistere contra malum. Si ergo te negligente domum corporis hoc modo seruare, ingressus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit vestimenta iustitiarum, quibus te tenerum in baptismo induit Deus: si furatus fuerit aurum intellectus tui, si diuinorum eloquiorum argentum, quod forsitan cum multo fabricasti labore: si linteamina gratiarum, quę tibi dedit Deus, quum te adoptaret in filium, cæteráque diuitias spirituales tollēs te dormiente, feceritque te mendicum, & nudum, sicut ser- *Gen. 3.* pens Adam: Quid facies? Quomodo nudos ante conspectum domini tui accedes? Et ille quidem nudatus abscōdit se inter ligna paradisi, tu autem sub qua scissura petrarum te abscōdes à facie domini, quum venerit confringere terram? Et Adam quidem

quidem à Deo quæsitus est, & inuentus, tu autem abiiciens, & peribis. Quia ille ignorans serpentis versutiam, per simplicitatem nudatus est suam: tu autem sciens, tot scripturis admonitus, per negligentiam factus es nudus. Propter quod ille quidem mortalitate vestitus est ad tempus, tu autem in æternum ipse tradendus es morti, maximè si te comprehenderit finis, priusquam tibi per pœnitentiam altera texas vestimenta.

Sententia catholica de gratia & operibus, cõtra Lutheranos.

Nam prima gratis præstatur à Deo: secunda autem vix, & cum nimio reparatur labore, & luctu, quomodo hæc parabola est. Veniamus itaque ad ipsam parabolæ causam. Omnis homo, si sciret quando dies domini venturus est super eum sicut fur (sed insperatè veniens sicut fur) præueniret, & non sineret perfodi domum suam. Non dico quia repelleret à se furem, sed faceret iustitiam, vt, veniente sententia Dei, non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi iam præparatus ad exitum. Quando animæ peccatrices delectantur in corpore, & tanquam in suo proprio domicilio gaudent, veniens cum sententia Dei angelus mortis perfodit corpus, & animam violenter diuellit ab eo: animæ autem iustæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exilio sunt, in eas veniente sententia non perfodiuntur, sed vocantur gaudentes. *Quis enim fidelis seruus & prudens, quẽ constituit dominus eius super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Quum de vigilante & non vigilante super domum suam dominus loqueretur, sciens quoniam plerunque sacerdotes mali populum obdormire faciunt in peccatis: boni autem excitant à negligentiæ somno, & faciunt vigilare in operibus bonis: quasi assidua tuba doctrinæ suæ excitans ad bona opera animas auditorum, consequenter de bonis, & iustis sacerdotibus introducit sermonem, dicens: *Quis est fidelis seruus, & prudens?* Si enim paterfamilias super possessionem suam villicum ponit, vt non cum singulis colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exigat rationem. Si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio fuerit fœda, vnusquisque pro suo delicto reus efficitur, villicus autem pro omnium delictis. Et si bene redditum suum reddiderint, vnusquisque quidem pro sua fide laudatur, villicus autem pro fide omnium remuneratur: sic & Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, vt actuum eorum ipsi discutiant rationem. Ideóque peccante populo, vnusquisque quidem pro suo peccato punitur, sacerdos autem pro peccatis omnium. Et bene agente populo, vnusquisque quidem pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium. *Quis est seruus fidelis & prudens?* Rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem, vt quis fidelis inueniatur, & prudens. Ecce si quæras fideles, id est, Deum timentes, & ipsos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facilè inuenis. Item si prudẽtes quæras inuenies multos: fidelis autem & prudens difficile inuenitur. Quomodo qui fideles sunt, id est Deum timentes, difficilè sunt & prudentes: & qui prudentes inueniuntur, difficilè sunt & Deum timentes. Quanto ergo rarior inuenitur fidelis, & prudens, tanto qui inuentus fuerit, beatior est: Prudentem autem dico, non sciẽtem, & doctum, sensatum, & mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, & secundum quod potest rationabiliter omnia agere. Plerique autem sunt habentes scientiam multam, sed nec se sapienter regunt, nec scientiam suam sapienter dispensant. Et omnis quidem prudens potest & scientiam habere ex parte, non autem & omnis sciens sapientiam potest habere: quoniam sapientia vniuscuiusque in actu probatur, scientia autẽ in sermone. Fidelis quidem quæritur propter Deum. Vt timeat Deum: prudens autem propter homines, vt populum Dei sapienter gubernet. Quoniam ergo Deo non tantum prudentia hominis, quantum conscientia placet: hominibus autem non tãtum conscientia quantum sapientia prodest: Si fuerit tantum quis fidelis, laicum quidem facit: sacerdotem autem non facit, nisi fuerit fidelis, & prudẽs. Ergo fidelis quæritur vt faciat priusquam dicat: prudens autem postquam fecerit dicat, & dicat intelligens cui qualis doctrina conueniat, & quando. Item fidelis quæritur, vt memor sit pauperum, sicut Paulus, prudens autem, vt intelligat cui & quomodo debeat dispensare.

Galat. 2.
1. Tim. 3.

Et hoc est quod dicit, date cibus in tempore & spiritales, & corporales, Spirituales quidem animabus, corporales autem corporibus. Quoniam autẽ in ecclesia non solum sunt pauperes in corporalibus rebus, sed etiam in spiritualibus multo pauperiores: *vt det cibos in tempore*, id est in tempore opportuno. Quid est in tempore opportuno? quasi est aliquod tempus, quãdo non est opportunum docere, quum dicat Salomon: Doctrina, & flagella in omni tempore. Sed puto hoc intelligendum tempus opportunũ doctrinæ, quomodo dicit & propheta: Tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis adiuui te.

Eccl. 22.
Esa. 45.

Quando misericordia Dei nõ est acceptabilis? Sed præcipue tunc est acceptabilis, quando necessitatis, & angustiæ tempus est. Sicut & semper pluuia bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum semper suauis est, multo tamẽ suauior in tempore luctus: sic doctrina, & consolatio sacerdotis semper opportuna est, maxime autem in tempore persecutionis. Sciens ergo Christus sanctos suos sine tentatione nunquam futuros, ideo dicit, in tempore opportuno: quia qui semper ægrotat, semper illi ars medici opportuna videtur. Nã sicut nauis tunc præcipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur: quãdo autem prosperata est, ipsa se dirigit. Et miles tunc præcipue necessariam habet annonam de rege, quando bellum, & periculum instat: quando autem pax est, vndecumque possunt se milites sustentare. Sic ecclesiæ præcipue in tempore persecutionis doctrinam sacerdotis necessariam habẽt, quasi spirituales milites spiritualem annonam: quando autem securitas est, vnicuique naturalis sufficit intellectus. Nam in persecutionibus, quando naturalis ille intellectus deficit in timore carnali, necessarius est sermo doctoris, vt, quod deficit in timore periculi, reparetur per exhortationem doctrinæ. Sicut autem tubicina commisso bello, pugnantem exercitum circuit, & bellicus cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem: sic & sacerdos persecutione imminente, exponens in populo fortissimorum martyrum gloriosa pericula, & inenarrabiles regni cælestis coronas vincentibus præparatas, Christianum populum ad virtutem patientiæ vehementer accẽdit. Aut ita: *In tempore opportuno*, vt in persecutione magis instanter de veritate fidei doceamus, quam de iustitia conuersationis: in pace autem magis assiduè de iusti-

tia conuersationis, quàm de veritate fidei. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quàm conuersationis. In pace autem plus necessaria est doctrina cõuersationis, quam fidei. Quoniam in persecutionibus, nõ propter conuersationem suam bonam, aut malam veniunt Christiani in periculum, sed propter fidei confessionem: in pace autem non propter fidem suam veram periclitantur Christiani, sed propter conuersationem: quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur, in pace autẽ iustitia. *Beatus ille seruus, quem, cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem.* Quomodo? Sicut superius diximus in fide, in sapientia, in tempore opportuno. In fide, vt credamus sic esse, sicut docemus. Ille autem credendo docet, qui facit quod docet: qui autem non facit bonum, non credit bono. Qui non credit in bono, non docet in fide: qui autem cum fide non prædicat, non solum non est beatus ille seruus, sed multum infelix: quia alios quidem docet, se autem negligit: Sic prudenter, quia non semper omnia, neque omnibus omnia sunt dicẽda. Frequenter illa quæ alios ædificant, alios destruunt. Sicut infantibus esca mutatur secundum ætatem, sic in populo secundum virtutem doctrina temperatur, præmonente Apostolo. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. In tempore, ne importune oblata doctrina non prosit, sed noceat, sicut esca cruciat aut extra tempus accepta. *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua cõstituet eum.* Omnium quidem bonorum magna est gratia: inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eã immaculate custodiat. Nam, si super omnia opera sua preciosiores existimat Deus animas hominum, quãto magis credibile est, vt super omnia bona sua constituat eum, qui connexit Deo lucrum animarum? Non solum autem omnibus bonis suis meliorem iudicat hominem, sed etiam suiipsius impassibilitati præposuit salutem humanam. Ideo magnus est qui bene regit hęreditatem eius, quam proprio sanguine acquisiuit.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

Vigilate ergo. Vigilare est, bona opera exercere. Quæ si fecerit, etiam si corpore dormiat: ipsa pro eo vigilabunt & orabunt. Vigilat qui exercet operando, quod credit. Vnde Paulus. Euigilate iusti, nolite peccare. *Quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit.* Notandum, quod non dicit nescimus sed, *nescitis*, Pro hac enim causa noluit apostolis patefacere, vt semper incerti credant eum omni die affuturum: & tales se præparent vt digni sint ad suscipiendum eum. Idcirco enim dominus vltimam nobis horam voluit esse incognitam: vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Habemus enim ex traditione malorum, quod in pascha paulo ante mediam noctem, sicut percussor per domos Ægypti transiit percutiendo, sic debeat venire, sicut scriptum est. Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus, domine, de cælis à regalibus sedibus venit. Sic denique nobis scriptum reliquere, quod octauo calendas Aprilis fuit modus factus, Dominus cõceptus est, & passus, & simili modo erit destructus. Et statuerunt vt in ipsa nocte nullus ante medium noctis dormiret, sed vigilaret in Dei laudibus secundum istam domini admonitionem. Et tunc celebratur octauo calendas Aprilis pascha. Postea institutum est in Nicena synodo: vt expectemus post æquinoctium vernale diem dominicum, & in decem & nouem annis non euenit sic pascha, nisi vna vice: & tali modo occultus erit nobis ipse dies. Quanto ergo nobis incertus, tanto magis parati esse debemus omni tempore. Etenim vnicuique nostrum venit dominus, cum dies nostri finis appropinquat. Pulsat, cum per ægritudinis molestiam, mortem vicinam esse denunciat, Cui vigilantes confestim aperimus: si exercentes semper bona opera, cum amore suscipimus. Aperire enim Iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat: & videre eum, quem se contempsisse iudicem formidat. Ad excutiendam autem mẽtis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem adducuntur: vt animus noster ad vigilandum excitetur. Dicit enim. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique: & non sineret perfodi domum suam.* Fur enim domum perfodit, cũ diabolus habitaculum animæ infirmat, vt habitator discedat. Omnes enim infirmitates hominum, & peccatum à diabolo infliguntur: vt fecerunt in Iob & filiis eius Thobia, Paulo: Deo tamen permittente: & angelo bono præsidente, ne diabolus iuxta malignam suam voluntatem peragat. Vnde & dominus ad ipsum de Iob dixit, cum corpus ei dimisit. Verumtamen animam illius serua. Duobus enim modis intelligitur hoc ipsum domini dictum: vt neque in animam eius, aliquam læsionem faceret, & ad mentem, aut aliud mali: neque habitaculum animæ ita dissiparet, vt anima stare nõ posset. Nam mors quomodo potest fur intelligi, quæ substantia caret? Nihil denique est aliud, nisi absentia vitæ: sicut tenebræ non sunt aliud nisi absentia lucis. Paterfamilias homo vocatur: quia principari debet super membra sua, quemadmodum paterfamilias in domo. *Nõ sinit perfodi domum suam.* Cum sentiens & cum gaudens ob diem exitus, lætus egreditur: & corpus obdormiscit: vt de Iosue & Stephano scriptum est, quod obdormierunt in Domino. *Ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.* Nesciente patrefamilias, fur domũ perfodit, dum à bonis operibus ociosus est. Quilibet missus Dei veniens habitaculum nostræ carnis dissipat, & habitatorem egredi cum pellit: quia cum ventura damna spiritus non præuidet, hunc mors ad supplicium rapit. Furi vero resisteret, si per bona opera vigilaret, ne impœnitens periret. *Quisputas est fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.* Modo Dominus ipsos suos discipulos, & per eos magistros ecclesiæ admonet: vt & ipsi vigilent & cæteris verbum diuinum annuntient, per quod vigilare & obseruare illam horam sciant. Illi ipsi tamen tunc erunt prudentes, & fideles, si in tempore sciant dare conseruis dapes verbi. Hoc est vt tempore congruo non abscondant, neque profunda & alta ignaris turbis ingerant: sed exemplo Domini perfectioribus secretio

cretiora, vulgaribus ordei pabulum ministrent. *Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit sic facientem.* Beatus dicitur bene auctus. Felix & beatus erit, qui primo seipsum verbo diuino repleuerit vt ipsi primo faciat: postmodum aliis ore, & opere verbi pabulum suggerat: quia sic de eodem domino scriptum est. Quæ cœpit Iesus facere, & docere. Ante fecit, postea docuit. Et ipse supra de doctoribus ait. Qui autem fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorũ. *Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum.* Magna distantia est inter bonos factores, & prædicatores. Bonos enim auditores si vigilantes inuenerit, faciet discumbere: hoc est quiescere in vita æterna. Et transiens ministrabit, quę præparata sunt diligentibus Deum. Bonis autem prædicatoribus si prudenter dispēsauerint vt ipsi satientur, & aliis sufficienter ministrauerint: supra omnia bona sua constituet, id est supra omnia cęlestis regni gaudia: non vt ipsi soli habeant: sed abundantius cæteris cum sanctis, & æternaliter perfruantur.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberstatensis in superius Euang. Homilia.

Vigilate quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Perspicuè ostēdit quare superius dixerat: De die autem illa nemo scit, videlicet quia non expedit eam scire fidelibus, vt pendula expectatione semper credant esse venturum, quem ignorant quando venturus sit, ideo, inquit, quia ignoratis quando dominus venturus sit ad iudicium *vigilate.* Id est, in bonis operibus perseuerate. *Vt cùm venerit dominus vester, paratos vos inueniat.* Ille vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat qui fidem quam tenet in corde, exercet in opere. *Hoc autem scitote, &c.* Paterfamilias iste, noster est animus, Dormiente igitur Patrefamilias, fur domum perfodit, quia torpente anima negligentia, mors improuisa domū corporis nostri irrepit, atque animam ad supplicia trahit. Furi resisteret si vigilaret, quia aduentum iudicis qui occultè animam rapit præcauens, & pœnitēdo occurreret, ne impœnitens periret. *Ideo & vos estote parati. &c.* Quis in hoc loco, non significat impossibilitatem sed potius difficultatem perficiendæ virtutis. Per hunc fidelem seruum omnis ordo doctorum vel prælatorum Ecclesiæ signatur, quibus Dominus, id est, Christus de seipso dicit: Vos vocatis me Magister & domine: & benè dicitis, sum etenim. Super familiam suam constituit, vt eis congruo tempore cibum diuinæ scientiæ fideliter ministraret. Hi primum fuerunt Apostoli, deinde successores eorum viri apostolici, quos Christus Ecclesiæ suæ præfecit. Attendendum est quod dicit: Fidelis & prudens, fidelis scilicet in dispensando fideliter & deuote verbum prædicationis. Prudens verò in discernendo quibus & quando vel qualiter prædicare debeat. De his vnus erat Paulus Apost. qui dicebat: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Alius Euang. dicit: Vt det illis in tempore tritici mensuram: Quia iuxta capacitatem auditorū, eum mēsura tribuēdus est sermo doctorum. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem, &c.* Super omnia cælestis regni gaudia, non vtique vt illi soli dominum teneant, sed vt ipsi cæteris sanctis abundantiùs æterna possessione perfruātur. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Si autem dixerit malus seruus in corde suo.* Sicut per bonos seruos omnis Orthodoxorum numerus accipitur, sic in hoc loco per malū seruum, mali doctores seu sacerdotes intelliguntur. Qui non solum ea quæ verbis docent, operibus destruunt, sed & conseruos suos in Ecclesia despiciunt, atque opprimunt, & malis exemplis conscientiam illorum percutiunt, atque in luxuria atque voluptatibus corda sua enutriunt. Huic ergo, id est, contra hunc veniet Dominus die qua ignorat, id est, ex improuiso & cum de salute sua non cogitat. Et diuidet eum à consortio, id est, à consortio electorum separabit, partem illius cum hypocritis ponet, id est, cum illis, qui superius operantes in agro relicti sunt. Et bene tales hypocritas vocat, id est, simulatores, quia sub religioso habitu sanctitatem mentiuntur simulantes se esse quod non sunt.

Ioan. 13.

Dan. 12.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

Vigilate igitur, quia nescitis qua hora dominus vester venturus est, &c. Vigilare iubet, & præparari, hoc est habere virtutis opera quasi in thesauro quodam reposita, vt quum venerit dominus repetens id, quod vult, possimus dare. Vide autem quomodo non dixerit, nescio qua hora fur venturus sit: sed, *nescitis.* Furem autem mūdi consummationem nominat, & vniuscuiusque mortem. Porro insinuat hoc loco nocte aduentum suum futurum. Sicut igitur fur clam venit, ita & meus aduentus, vt negligentes non sitis, sed sobrij, & vigilantes. Nam, si sciremus quando futura esset mors nostra, illo solo die daremus operā, quomodo placeremus Deo: nunc autem quum ignoramus, sobrij simus semper ad virtutum opera. *Quisnam est fidelis seruus, & prudens, &c.* Dubitat, an futurus sit fidelis quis, & prudens, vt ostendat quòd rarus talis sit, & inuētu difficilis. Duo enim exiguntur ab omni dispensatore, fides, & prudentia. Nam, si quidē fidelis sit, & nihil furetur, prudens autem non sit, sed in vanum disperdat opes: vel si prudēs fuerit, & furetur, nihil proderit. Igitur qui tunc inuentus fuerit fidelis, & prudens, ille & multo plura cōsequetur, regnum dico cælorum. Nam omniū, quæ sunt Dei, hæredes erunt sancti. Fidelis autem seruus, & prudens omnis etiam est, qui in tempore dedit cibum discipulis: sicut Paulus nunc quidem lacte potans, nunc autem sapienter loquens, fidelisque minister, qui prius blasphemus: & prudens, vt non ignorans cogitationes inimici. Sed & omnis, qui à Deo acceperit vel opes, vel potentiam, vel principatum, debet fideliter, & prudenter ministrare ea, tanquàm rationem redditurus.

1. Ti. 1.

1. Cor. 2.

EVTHYMII ZIGABONI *superiorus Euang. expositio.*

Marc. 13. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora, &c. Marcus autẽ scripsit; Vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit: secundi videlicet aduentus eius. Per vigiliam autem siue vigilantiam, intellige non solam somni temperantiam: verum etiam omnimodam attentionem, & custodiam. Dicit
Luc. 21. enim & Lucas; Attendite vobisipsis, ne quando grauẽtur corda vestra crapula, & ebrietate, ac curis huius vitæ, & repentinus superueniat vobis dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem vniuersæ terræ. Tanquam laqueus sanè propter nõ apparentiam, & impræmeditationẽ. Facies autem terræ est superficies, & apparitio illius. Sedẽtes vero, sunt viuentes, aut in mũdo degentes. Deinde dicit etiam de oratione. Vigilate omni tempore precantes, vt digni habeamini effugere omnia hæc, quę ventura sunt, à seductoribus videlicet, & quæcunque alia erunt pericula. *Illud autem scitote, quòd si sciret paterfamilias qua vigilia, &c.* Vigilia siue custodia dicitur quarta pars noctis. Parabolice autem nũc dicit, quòd, si sciret homo, quo tempore finis vitæ suæ futurus esset, vtique circa illud tempus vigilasset, & nequaquam periisset. Sed propterea & communem omnium finem, & eum, qui cuique proprius est, fecit Deus vt ignorarent, ne ad illud solum tempus vigilarent, omni reliquo male viuentes: sed vt, quũ incertus sit finis, semper illum expectent, semper sint ad certamen parati. *Ideo & vos estote parati: quia qua hora, &c.* Ideo. Quare? Quia tempus ignoratis. In vniuersali siquidẽ fine mundi manifestum est, quod dominus veniet. De proprio autem fine dicunt quidam, quòd, vnoquoque Christiano moriente, adest dominus cum sanctis angelis: quando etiam rationem reddit anima. Quidam vero aduentum proprium illius, dicunt impetum eius, quo iubet, vt anima separetur. Quia autem in futuri iudicij memoriam incidit, ad præceptores conuertit sermonem, & dicit; *Quisnam est fidelis seruus & prudens, quem præfecit dominus suus famulitio suo, &c.* Famulitium dicit ipsos famulos, ac Dei seruos: Cibum autem, rationalem doctrinam. *Beatus seruus ille, quem, quum venerit dominus eius, inueniet sic facientem. Sic,* sicut iussit. *Amen dico vobis, quòd super omnia bona sua constituet eum.* † In magnum honorem constituet eum, vt bonis suis dignum ducat illum. Tu vero huiusmodi ne vlterius curiose scruteris. Parabolica namque ita tractanda sunt, quasi significantia solum ea, quæ necessaria sunt. Vide autem, quòd duo hæc habere oporteat eum, qui præpositus est: puta fidem, ne retineat ea, quæ sunt conseruorum, aut inutiliter cõsumat: & prudentiam, vt decenter ea diuidat, quæ sibi tradita sunt, & cum iudicio tam in qualitate, quàm in quantitate. Conuenit autem hic sermo non iis tantum, qui diuites sunt in sermone, sed & iis, qui pecuniis, ac possessionibus diuites sunt. †Omnes enim constituit Deus dispensatores eorum quæ possident, volens vt omnes fideliter, ac prudẽter cuncta diuidant. Præterea illis quoque aptatur hic sermo, qui principatum quemcunque acceperũt: oportet enim & ipsos non iuxta propriam beneuolentiam aut inimicitiam administrare (quod fraudis est, & infidelitatis) neque stulte, & imprudenter.

†*Iustissimè sanè tanquam prudentem ac studiosum, id autem non de solis pecuniis, ac possessionibus dictum est, sed & de sermone erga mentem, omnique dispensatione, quam quisque nactus est, dominũ constituens vnumquemque erga eos, qui ipsorum indigent liberalitate. Studeamus itaque cum omni gaudio, ac promptitudine ea, quę acquisiuimus, spargere in pauperes.*



III. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM PONTIFICVM.

L V C. 11.



a De seipso hoc dicit. b Fidem.
N illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, [a] Nemo [b] lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candela-
c Id est totius tuæ operationis.
brum, vt qui ingrediuntur lumen videant. [c] Lucerna corporis tui
d Id est mentis intentio. e Intentio f Pura & recta. g Et si coram hominibus aliquid imperfectionis habere videaris.
est [d] oculus tuus. Si [e] oculus tuus fuerit [f] simplex, [g] totum corpus tuum luci-
h Si peruersa intentio præcesserit, prauum opus sequetur: & si aliquando iustum videatur.
dum erit. [h] Si autem nequam fuerit etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide
i Ipsa intentio quæ animæ lumen est viciorum tenebris fuscetur. k Si bonum bona intentione facis, non habeas in tua conscientia aliquam partem malæ cogitationis.
ergo, ne [i] lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo [k] corpus tuum totum lucidum

cidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris [1] illuminabit te.

[1] Et hic & in futuro, gratia lucis donaberis.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*



NEMO qui in figura reginæ, & Niniuitarum Eccleſiam prætulit ſynagogæ, nunc hortatur nos, vt fidem noſtram potius ad Eccleſiam transferamus. Quaſi dicat, Quamuis dixerim nullum ſignum nequam generationi dandum, niſi Ionæ ſignum, tamen fidelibus meis non occultabo lucis meæ claritatem, ſed teſtam humanæ naturæ flamme meæ diuinitatis implebo, id eſt, fide mea illuminabo. Et hanc fidem non ponam, ſed vmbra veteris legis, ſed in claritate noui Teſtamenti. Neque ſub menſura ipſius legis, & intra terminos Iudææ Gentis cohibebo: ſed conſtituam ſuper Eccleſiam, in qua ſeptiformis gratia ſpiritus relucet. In cuius rei ſignum ſolet in frontibus credentium ſignum fidei affigi, vt qui Eccleſiam voluerit ingredi, lumẽ veritatis palam queat intueri. Hinc condemnantur Iudæi, qui ſigna exterius quærendo, apertam lucis ianuam nolunt ingredi credendo. *Vide ergo ne.* Poſt inſtitutionem rectæ fidei etiam de bonis operibus, & bona intentione inſtruit, vt non tantum opera, ſed etiam cogitationes, & cordis intentiones mundentur: Quaſi dicat, Ego lucernam fidei in veſtris ſenſibus accendo, & in Eccleſiam pono. Vos autem quãtum ex vobis eſt, lucernas veſtras accendite, id eſt, intentiones cordis veſtri mundate, vt ex intentione munda placeant etiam opera. Hæc contra hypocriſim Phariſæorum ſub dolo ſigna quærentium ſpecialiter dicta, nos iuxta moralem ſenſum generaliter inſtruunt.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

NEmo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, &c.* Cyril. Dicebant Iudæi Dominum exercere miracula non propter fidem, ſed propter applauſus videntium. Reprobat igitur præſentem calumniam, inducens exemplum lucernæ, cùm dicit: *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, &c.* Beda: De ſeipſo Dominus hic loquitur, oſtendens etſi ſuprà dixerit, nullum generationi nequam niſi ſignum Ionæ dandum: nequaquam tamen lucis ſuæ claritatẽ fidelibus occultandam. Ipſe quidem lucernam accendit, qui teſtam humanæ naturæ flamma ſuæ diuinitatis impleuit, quam profectò lucernã, nec credentibus abſcondere, nec modio ſupponere, hoc eſt ſub menſura legis includere, vel intra vnius Iudææ Gentis terminos voluit cohibere. Sed ſupra candelabrum poſuit, id eſt, Eccleſiam: quia in noſtris frontibus ſignum ſuæ incarnationis affixit, vt qui Eccleſiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Denique præcipit ne opera tantummodo, ſed cogitationes & ipſas cordis intentiones mundare, & caſtigare meminerint. Nam ſequitur: *Lucerna corporis tui.* Ambroſ. Vel lucerna fides eſt: iuxta quod ſcriptum eſt: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Verbum enim Dei fides noſtra eſt. Lucerna autem lucere non poteſt, niſi aliunde lumen acceperit, vnde & virtus noſtræ mentis, & ſenſus accenditur, vt magna, quæ perierat poſſit reperiri. Nemo ergo fidem ſub lege conſtituat: lex enim intra menſuram eſt, vltra menſuram gratia, lex obumbrat, gratia clarificat. Theoph. Vel aliter: Quia Iudæi videntes miracula accuſabant ex eorum mẽtis malitia, propter hoc dicit Dominus quod accipiens lucernam à Deo, intellectum ſcilicet, æmulatione obſcurati miracula, & beneficia non cognoſcebant: ſed ad hoc intellectum a Deo ſuſcepimus, vt ſupra candelabrum poneremur, vt etiã alij qui ingrediuntur, lumen videant. Sapiens quidem iam ingreſſus eſt, qui verò addiſcit, adhuc ambulat, quaſi Phariſæis dicat: Oportet vos vti intellectu ad miraculorum notitiam, & aliis declarare, quoniam quæ videtis ſunt opera non Beelzebub, ſed filij Dei. Vnde ſecundum hunc intellectum ſubdit: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Orig. Oculum quippe appellat propriè intellectũ noſtrum, totam autem animam quamuis non corpoream hîc tropologicè vocat corpus, illuſtratur enim ab intellectu anima tota. Theoph. Sicut autem corporis oculus ſi lucidus fuerit, corpus lucidum erit: ſi verò tenebroſus, & corpus ſimiliter tenebroſum, ſic comparatur intellectus ad animam, vnde ſubditur: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Origen. Intellectus enim à ſuo principio in ſolo ſimplicitatis ſtudio eſt, nullam continente duplicitatem, & dolum, & diuiſionem in ſe. Chryſoſto. Si ergo intellectum corrupimus qui poteſt ſoluere paſſiones, totam læſimus animam, patimúrque diram caliginem, peruerſione excæcati intellectus, vnde ſubdit: *Vide ergo ne lumen, &c.* Non ſenſibiles dicit tenebras, ſed intrinſecam habentes originem, & quas nobiſcum paſſim deferimus, extincto nobis oculo animæ, de cuius luminis virtute ſubdit, dicens: *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, &c.* Origen. Id eſt, ſi corpus tuum ſenſibile factum eſt luminoſum illuſtrato corpore à lucerna, adeo vt non amplius in te ſit membrum tenebroſum, multò magis te non peccante, intantum fiet lucidum totum tuum corpus ſpirituale, vt comparetur ſplendores eius illuſtranti lucernæ, dum lux quæ erat in corpore, quæ conſueuerat eſſe caligo, dirigitur quocunque præceperit intellectus. Greg. Nazian. Vel aliter, Eccleſiæ lucerna & oculus eſt prælatus. Neceſſe eſt ergo, vt ſicut oculo puro verum habente corpus dirigitur, impuro verò exiſtente deuiat: ſic & in prælato qualitercunque ſe habeat, oportet pariter naufragium pati Eccleſiam, vel ſaluari. Gregor. 28. Moral. Vel aliter, Appellatione corporis vnaquæque actio intelligitur, quæ intentionem ſuam quaſi intuentium oculorum ſequitur, vnde dicitur: Lucerna itaque corporis eſt oculus: quia per bonæ intentionis radium, merita illuſtrantur actionis. *Si ergo oculus tuus ſimplex fuerit,*

ris, totum corpus tuum lucidum erit. Quia si rectè intendimus per simplicitatem cognitionis bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Qua cum peruersa intentione quid vel recte agitur, & si splendere coram hominibus cernitur, tamen apud examen interni iudicis obscuratur, vnde & rectè subditur: *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Quia si hoc quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt, quæ mala esse, & cum agimus non ignoramus? Beda. Cùm autem subdit: *Si ergo corpus tuum, &c.* Totum corpus nostrum omnia opera nostra dicit. Si igitur bonum bona intentione patraueris, non habes in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis: & si contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri, tu tamen pro tuo simplici corde, & hîc gratia & in futuro lucis gloria donaberis. Quod significat subdens: *Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hæc contra hypocrisim Pharisæorum sub dolo signa quærentium specialiter dicta sunt.

S. AMBROSII EPISCOPI *Mediolanens. superioris Euang. expositio.*

NEmo *lucernam accendit, &c.* Quia in superioribus Ecclesiam synagogæ prætulit, hortatur nos, vt fidem potius nostram ad Ecclesiam transferamus. Lucerna enim fides est iuxta quod scriptum
Psal. 118. est, lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine. Verbum enim Dei fides nostra est. Verbum Dei
Ioan. 1. lux est, lucerna fides. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna enim lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit. Hæc est lucerna, quæ accenditur, virtus scilicet nostræ mentis, & sensus, vt drachma
Luc. 15. illa possit, quæ perierat, reperiri: Nemo ergo fidem sub lege cõstituat: lex enim intra mensuram est, vltra mensuram gratia, lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis relucet gratia, quam princeps ille sacerdotum supernæ fulgore diuinitatis illuminat, ne eam legis vmbra restinguat. Denique lu-
Exod. 27. & 30. cerna illa, quam matutinis, vespertinísque temporibus ritu veteri Iudæorum princeps sacerdotum solebat accendere, velut sub modio sita legis euanuit, & ciuitas illa Hierusalem, quæ in terris est, quæ occidit Prophetas, quasi in conualle fletus posita delitescit. Illa autem Hierusalem, quæ in cælo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata mõte, hoc est, in Christo, ecclesia nõ potest tenebris, & ruinis huius mundi abscondi: sed fulgens candore solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat.

BEDAE VENERABILIS *Presbyteri, in superius Euang. expositio.*

Ex commen. in Lucam. NEmo *lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio.* De seipso Dominus hæc loquitur, ostendens & si supra dixerit nullum generationi nequam, nisi signum Ionæ dandum, nequaquam tamen lucis suæ claritatem fidelibus occultandam. Ipse quippe lucernam accendit, qui testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit. Quam profectò lucernam, nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est, sub mẽsura legis includere, vel vltra vnius Iudææ Gentis terminos voluit cohibere. *Sed supra candelabrum*, inquit, *vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Candelabrum Ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit: quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis adfixit, vt qui Ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Qua sententia Iudæorum quoque proceres condemnat, qui signa quærentes exterius, apertam lucis ianuam noluerint intrare credendo. Denique præcipit, ne opera tantummodo, sed & cogitationes, & ipsas etiam cordis intentiones mundare, & castigare meminerint. Nam sequitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Corpus quippe dicit opera, quæ palam cunctis apparent, oculum vero ipsam mentis intentionem, qua operatur, & de cuius merito eadem opera lucis, an tenebrarum sint opera, discernuntur, sicut ipse consequenter exposuit dicens: *Si oculus tuus fuerit simplex, &c.* Si, inquit, pura rectáque intentione, quæ potes, agere bona studueris, lucis profectò sunt opera, quæ facis, etiam si coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur. Quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Si autem peruersa est intentio, quæ præcedit, prauum est omne opus, quod sequitur, quamuis rectum esse videatur. *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Hoc est, ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, sedula discretione perpende. Iuxta quod alibi præcipitur: Omni custodia serua tuum cor, quoniam ex ipso vita procedit. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, &c.* Totum corpus nostrum omnia nostra opera dicit: quia & Apostolus membra nostra nuncupat quædam opera, quæ improbat, & mortificanda præcipit dicens: Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & cætera talia. Si igitur ipse bonum bona intentione patraueris, non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis, etiam si contigerit aliquem proximorũ tua bona actione noceri, verbi gratia, aut de pecunia, quam à te indigens, & petens acceperat, facere, vel pati aliquid mali, aut de verbo exhortationis, quo errantem corrigere volebas, forte perniciosius errare, tu tamen pro tuo simplici, & lucido corde & hic, & in futuro lucis gratia donaberis. Hæc contra hypocrisim Pharisæorum subdole signa quærentium specialiter dicta, nos iuxta sensum moralem generaliter instituant.

THEOPHYLACTI EPIscopi *Bulg. superioris Euang. expositio.*

NEmo *accendit lucernam, &c.* Quoniam inuidi Iudæi miracula videntes, ea calumniabantur ob mentis malitiam, eius gratia dominus hæc dicit, Quasi lucernam, hoc est, noscendi Dei beneficium, quo videmus veluti si nobis datum esset;

ſet lumen, homines abſcondunt mẽtis iudicium, & præ inuidia obtenebrati, miracula,& beneficia non vident, quamuis in hoc accepertmus mentem vt ſuper candelabrum ponamus, vt etiam alij lumen videant. Videtur autem mihi hoc dicere, ô Phariſæe, habes ſcientiam, hoc eſt, lucernam, oportet te ſcientia illa vti, vt per eam agnoſcas miracula, & alis quoque oſtendere, & monſtrare poſſint quod opera filij Dei, & non Beelzebub, vt ij, qui ingrediuntur, hoc eſt, nouitij, & qui inſtruuntur lumen videant. Nam, qui ſapiens etiam ingreſſus eſt: qui autem diſcit, adhuc ingreditur. At, Phariſæi, vos hoc facere non vultis, ſed oculum mentis veſtræ, qui ſimplex erat, feciſtis obliquũ, & obſcurum. Etenim, ſicut oculus corporis ſi quid habet, hoc & corpus habere facit, ſiquidem lucem habet ac lucidus fuerit, erit & corpus in luce: ſin tenebroſus fuerit, erit & illud in tenebris: ſimili modo eundem affectum habet anima, quem habet mens. Et ſi inuenerit oculum, quem accepit à Deo, & lucem obtenebrari vel ab inuidia, vel ab auaritia, vel, vt in ſumma dicam, carnalitate, obtenebratur & ipſa.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

NEmo, poſtquam lucernam accendit, in abſcondito ponit illam. Abſconditum dicit occultum domicilium. *Vide ergo, lumen, &c.* Obſerua, ne mens, animæ tuæ feneſtra, affectionibus obtenebretur. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, &c.* Ab exemplo eius, quod circa corpus accidit, facit vt de anima intelligamus, cuius illi maior cura eſt. Sicut enim in corpore, ita & in anima: ſi hæc tota lucida fuerit, non habens quicquam affectione tenebroſum, neque irrationale, neque iraſcibile, neque concupiſcibile, erit lucida tota, ſicut quando lucerna fulgore ſuo illuminat te, hoc eſt, ſplendidiſſima, ac lucidiſſima.



IIII. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM PONTIFICVM.



MARC. 13.



N illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Videte, [a] vigilate & orate: Neſcitis enim quando [b] tempus ſit. Sicut [c] homo qui peregrè profectus reliquit [d] domũ ſuam, & dedit ſeruis ſuis [e] poteſtatem cuiuſque operis, & [f] ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo, neſcitis enim quando dominus domus veniat, ſero, an [g] media nocte, an gallicantu, an mane: ne, cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. [h] Quod autem vobis dico, [i] omnibus dico vigilate.

a Hier. Vigilia opus eſt mentis ante mortem corporis.
b Iudicij.
c Hier. Corpus Chriſti in cælum delatum relinquens domum, id eſt, eccleſiam.
d Locus carnis proprie terra eſt.
e Hieron. Octo talenta ſecundum Matthæum, decem mnas ſecundum Lucam.
f Qui ducitur domum cæli.
g Quando occiſa ſunt primogenita Ægypti.
h Hier. Hoc fine concludit ſermonem, vt commune omnium præceptum nouiſſimi per primos audiant.
i Generale bonum non ſingulare.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

Ezech. 3. T *ianitori præcepit, &c.* Hierony. ei. ſcilicet qui prædicat. Cui dicitur: Si non annũtiaueris iniquo iniquitatem ſuã, ſanguinem eius de manu tua requiram. *Vigilate ergo.* Præmiſſo patrisfamilias exemplo cur conſummationis diem reticeat, dicit. *Vigilate erg.* Qui dormit: non corpora, ſed phãtaſias videt, cum euigilat nihil habet de his quæ viderat. Sic ſunt quos mundi amor rapit in vita, deſerit poſt vitam. *Quod autem vobis.* Non ſolum rectores eccleſiæ ſed & omnes vigilare præcipimur, ianuas cordium cuſtodientes, ne antiqui hoſtis mala ſuggeſtio ſubintret, ne nos dominus dormientes inueniat, vnde Paulus: Vigilate iuſti, & nolite peccare. 1. Cor. 15.

CATENA AVREA
in idem Euang.

VIdete, vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. Hier. Vigilia enim opus eſt mẽtis ante mortem corporis. Theo. Docet autem vigilate & orate, duo hæc. Multi namque vigilamus, ſed no-

ctes ducentes in prauitates: ad hoc autem consequenter similitudinem induxit dicens: *Sicut homo qui peregre, &c.* Beda, Homo qui peregre profectus reliquit domum suam Christus est, qui ad patrem post resurrectionem victor ascendens, ecclesiam corporaliter reliquit, quam tamen nunquam diuinæ potentiæ præsidio destituit. Gre. in ho. Carnis etenim locus propriè terra est: quæ velut ad peregrinandum ducta est, cum per redemptorem nostrum est in cælis collocata. *Dedit autem seruis suis potestatem cuiusque operis.* Quia fidelibus suis concessa sancti spiritus gratia, facultatem tribuit bonis operibus seruiendi. *Ianitori quoque præcepit vt vigilaret.* Quia ordini pastorum commissæ sibi ecclesiæ curam iubet impendere. Non solum autem rectores ecclesiæ, sed omnes vigilare præcipimur ianuas cordium custodientes, ne antiqui hostis mala suggestio subintret, ne nos dormientes dominus inueniat: vnde ex hac similitudine concludens subdit: *Vigil. er. quia nesc. &c.* Hie. Nam qui dormit, nō corpora vera sed phantasmata intendit: & vacuus vigilat de his quæ viderat, sic nimirum sunt qui quos mundi amor rapit in vita, deserunt post vitam quod somniabant pro certo. The. Vide autem quia non dixit, Nescio quando tempus erit, sed, *nescitis.* Propter hoc enim hoc occultauit, quia nobis expediebat: nam sic nunc ignorantes finem non curamus, quid faceremus si finem sciremus? malitias namque nostras differremus vsque ad vltimum. Attendamus etiam dictiones: sero namq; finis existit, cùm quis moritur senectute: media nocte, cum quis moritur in medio iuuentutis: gallicantu verò cùm ratio completur in nobis. Cùm enim incipit puer secundum rationem viuere, tunc gallus in eo vociferatur, excitans à somno sensualitatis: mane autē puerilis est ætas. Oportet enim omnes istos finem præscire: nam & puero cauendum ne imbaptizatus pertranseat. Hie. Hoc autem fine concludit sermonem: vt commune omnium præceptum nouissimi per primos audiant. vnde subdit: *Quod autem vo. di. om. di. vigilate.* Augu. ad Hesych. Non solùm enim illis dixit quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerant post illos ante nos & nosipsos, & qui erunt post nos vsque ad nouissimum eius aduentum. Nunquid autem omnes inuenturus est dies ille in hac vita, aut quisquam dicturus est quod ad defunctos etiam pertineat quod ait. *Vigilate, ne cùm ven. rep. inue. vos dormientes.* Cur itaq; omnibus dicit quòd ad eos solos pertineat qui tunc erunt, nisi quia ad omnes pertinet quomodo dixi? Tunc enim vnicuique veniet dies ille cùm venerit eius dies, vt talia hinc exeat, qualia est iudicandus illo die, ac per hoc vigilare debet omnis christianus, ne imparatum eum inueniat domini aduentus. Imparatum autem inueniet dies ille, quem imparatum inueniet suæ vitæ huius vltimus dies.

ANONYMI IN MARcum sub nomine S. Hieron. presbyt. in idem Euang. Homil.

*V*Igilate *&* orate, *nescitis enim quando tempus sit.* Vigilia opus est mentis ante mortem corporis. Homo peregre proficiscens, corpus est Christi in cælum eleuatum: relinquens domum suam, quæ est ecclesia. Dans seruis suis potestatē vniuscuiusque operis, id est, octo talenta iuxta Matthæum: vel decem mnas, iuxta Lucam. Et ianitori præcepit vt vigilet: id est, ei qui prædicat, cui dicitur: Si non annūciaueris Iniquo iniquitatem suam sanguinem suum de manu tua requiram. Vigilate ergo, & reliqua. Sero an media nocte, quando sicut occisa Ægyptiorum primogenita: ne inueniat vos dormientes. Nam qui dormit, nō corpora vera, sed phantasmata intendit: & vacuus vigilat de his quæ viderat. Sic nimirum sunt quos mūdi amor rapit in vita: deserit post vitam quod somniabant pro certo. Sequitur: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Hoc fine concludit sermonē, vt commune omnium præceptum nouissimi per primos audiant.

Matth. 25.
Luc. 19.
Ezech. 3.

VICTORIS ANTIOcheni eiusdem Euang. expositio.

*V*Idete, vigilate, *&* orate: *nescitis enim quando tempus sit.* Per hæc enim discretè causam aperit, quare diē illum indicare recusauerit. Nam si hoc rerum statim, quo communi lege omnes præfinitū vitæ diem incertum habent, multi passim compertuntur, qui vsque ad supremam vitæ horam Baptismum differre non verentur: quid non fecissent, si consummationis tempus exploratè compertum habuissent? Quamobrem tanquam, qui diei illius ignari sitis, *Videte, & vigilate,* ait Dominus. Non dixit autem: Non noui ego, sed, *Vos nescitis.* Voluit per hæc autē nos admonere, vt semper simus parati, & ad iter accincti. *Nescitis enim, quando Dominus domus veniet, sero, an media nocte, an gallicantu, an manè.* Per dominum domus seipsum non obscurè designat Saluator. Quod ad hunc autem locum attinet, excitat ignauos & desides ad studium & vigilantiam; monétque, vt quātam curam & diligentiam circa pecuniæ custodiam adhibent, qui ne furto subduceantur, probabili ratione ducti formidāt; tantùm illi, & nos omnes circa salutem nostram adhibeamus. *Sicut homo, qui peregrè, &c.* Propter carnis œconomiam, hominem seipsum vocat. Per peregrinationem autem suum ad cælum reditum adumbrat. Per opus verò seruis iniunctum, accuratam præceptorum obseruationem insinuat, quæ quidem obseruatio per ianitorem patefiat.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.

*V*Idete, *&* vigilate, *&* orate: *nescitis enim, quando tempus sit.* Non dixit, nescimus: sed *nescitis.* Videmur hucusque vim facere scripturæ, & sensum non exponere. Post resurrectionem interrogant Apostoli dominum saluatorem, Domine, quando restituturus es regnum Israel? O Apostoli, audistis ante resurrectionem, de die illo, & hora nescio, & quod nescio, iterum interrogatis? Sed Apostoli non credunt saluatori, quod nesciat. Sed videte mysterium; Qui ante passionem nescit, post resurrectionem nouit? Deniq; quid dicit ad Apostolos post resurrectionem interrogatus de temporibus, quādo restituturus es regnum Israel? Nō

Ex Hom. 14. in Marcum. Non videtur Chrysostom. sed potius Latini alicuius.

est

est vestrum, inquit, scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Non dicit hic, nescitis: sed nõ est vestrum scire, non vobis prodest scire diem iudicij. Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus veniat. Multa sunt, quæ dicantur, hoc autem de euangelio diximus, ne cui scandalum resideat in animo, quod ignoraret aliquid, in quem crediturus esset.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri in superius Euang. expositio.

In comment. in Marcum. Videte, vigilate, & orate. *Nescitis enim quando tempus sit, &c.* Perspicue ostendit dominus, quare dixerit; De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi pater, quia non expediat scire apostolis, vt pendulæ expectationis* incerti semper eum credant esse venturũ quem ignorant, quando venturus sit. Et non dixit, quia nescimus, qua hora dominus venturus sit, sed, *nescitis*. Præmissoque patrisfamilias exemplo, cur reticeat consummationis diem manifestius docet, dicens, *Vigilate ergo. Nescitis enim, quando dominus, &c.* Homo autẽ, qui peregre profectus reliquit domum suam, haud dubium quin Christus sit, qui ad patrem post resurrectionem victor ascendens ecclesiam corporaliter reliquit: quam tamen nunquam diuinæ præsidio præsentiæ destituit, manens in illa omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Carnis etenim locus proprie terra est, quæ velut ad peregrina ducta est cum per redemptorem nostrum est in cælo collocata. Dedit autem seruis suis potestatem cuiusque operis: quia fidelibus suis concessa sancti spiritus gratia, facultatem tribuit bonis operibus seruiẽdi. Ianitori quoque præcepit, vt vigilaret: quia ordini pastorum ac rectorum spiritalium, commissæ sibi ecclesiæ curam solerti obseruantia iubet impendere. *Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.* Non Apostoli tantum, & successores eorum rectores nimirum ecclesiæ, sed & omnes vigilare præcipimur. Vniuersi ianuas cordium nostrorum, ne hostis antiquus, mala suggerendo, irrumpat, instãter seruare iubemur. Ne nos dormientes dominus veniens inueniat, sedulo singuli præcauere debemus. Vnusquisque enim pro se reddet rationem Deo. Vigilat autem, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando, quod credit. Vigilat, qui à se torporis, & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit, Euigilate iusti, & nolite peccare. Hinc rursus ait, Hora est iam nos de somno surgere.

* incerti.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangelij expositio.

Cauete, vigilate, & orate, &c. Verũ vtiliter abscondit Deus consummationem vitæ, siue omnium in communi, siue vniuscuiusque in singulari, vt, dum incertus est finis, semper soliciti simus, ac anxij, expectantes illum, & timentes ne imparatis superueniat. Consideremus autem verba. Tarde quidem tunc adest finis, quãdo quis in bona senecta moritur. Media autem nocte, quum mediam ætatẽ peregeris. In gallicinio autem, quando in nobis ratio completa fuit. Gallus enim ratio est, quæ nos à somno excitat, & stuporem repellit. Quum igitur puer incipit iuxta rationem viuere, & sapere, tunc gallus ei canit. Ante gallicinium autem omnino puerilis ætas est. Omnes igitur finem in memoria habere oportet: etiamsi quis puer sit, prouidendum, ne forte non baptizatus moriatur. Omnibus autem hæc præcipit dominus, & iis, qui in mundo viuunt, & iis qui secesserant. Debemus igitur vigilare, & orare. Vtraque hæc necessaria sunt. Multi enim vigilant, sed noctem male absumunt. Vide autẽ quomodo non dixerit, Nescio enim quando tempus est, sed, *nescitis*. Occultauit enim nostram ob vtilitatem. Nam, si nunc, quum est finis mundi incertus, mutuis odiis insanimus, quid non faceremus scientes finem? In extremam sane malitiam insumeremus vitam, deinde vltimo die summa cum iactura pœnitentiam ageremus.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

Sicut homo qui peregre agẽs reliquit domũ suam, &c. De Christo, ac Christianis sumptum est hoc exemplum. Est autem defectiuum: deficit enim, Est. Dicit ergo, quòd est sicut homo, qui peregre agit: hominem quidem seipsum innuens, quemadmodum in multis dictum est parabolis. Peregrinationem verò, in cælos assumptionẽ. Domum autem suam, præsentem mundum. Seruos quoq; suos, dicit Christianos. Cuiúsque autem opus, est custodia mandatorum, & operatio virtutum. Ianitor vero, mens vniuscuiusq;, quæ ianuis animæ præest, hoc est, sensibus, per quos intellectualis fur ingredi solet. *Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus, &c.* Serum quidem dicitur ætas senum: medium noctis, eorum qui in media sunt ætate constituti: gallicinium vero, eorum qui iam sapere incipiunt: quum prudentia in modum galli gallinacei excitat eos ab insensibilitate. Mane autem, ætas est puerorum. *Quæ autem vobis dico, omnibus dico.* Omnibus Christianis, qui futuri sunt vsque ad mundi consummationem. Hinc moti quidam dicunt, prædictas ætates iis aptari Christianis, qui tunc reperientur, sub illis enim fiet secundus aduentus. *Vigilate.* Hoc rursum addidit, tanquam id, quod futurum erat, protestatus.

***

IN COMMVNI DOCTORVM.

MATTH. 5.

a Dat causam quare non debent deficere. b Secundum intellectum, & scientiam.



N illo tẽpore:dixit Iesus discipulis suis, [a] Vos estis [b] sal terræ:Quòd

c Aliorum fortitudo. d Id est, si doctor errauerit. ¶ In tribulatione defecerit. ¶ Id est, per quos infirmus populus confirmabitur. ȝ Sal infatuatum, id est, tribulationi cedentes.

si [c] sal euanuerit, in [d] quo salietur? Ad [e] nihilum valet vltrà, nisi vt

f Ab officio docendi, vel ecclesia. g Dum vita eius contemnitur, quæ ad nihilum valet. h Irridentes ab hominibus carnalibus. i Percipientes in Christo lucem veritatis. k Per quos omnes illuminantur à tenebris ignorantiæ. l Nomine mundi vel vniuersi qui sunt de mundo electi accipiuntur.

mittatur [f] foras, & [g] conculcetur ab [h] hominibus. [i] Vos estis [k] lux [l] mundi.

m Quasi dicat, aspicite quo positi estis. o Soliditas apostolicæ doctrinæ. o Celati. Non licet clam esse bonos. p Christum vel ecclesiam. Ipse more manifestat eam. q Alia similitudo.

[m] Non potest [n] ciuitas [o] abscondi supra [p] montem posita, [q] neque accendunt

r Timoris vel commodo vitæ præsentis. s Id est, vitæ integritatem.

lucernam, & ponunt eam sub [r] modio, sed super [s] candelabrum: vt luceat om-

t Ecclesiæ vel mundo. v Vt dico, non sub modio posita, sed super candelabrum. x Vere docet, qui facit quod docet, aliter condemnat seipsum.

nibus qui in [t] domo sunt. [v] Sic luceat lux vestra [x] coram hominibus, vt videant

y In vobis. z Non vos. a Cuius opus est quod cæli faciunt. b Qui vos facit cælestes.

opera vestra bona, & [y] glorificent [z] patrem [a] vestrum, qui in [b] cælis est. Nolite

c Christus est legis & prophetarum virtus per quem omnia implentur.

putare, quoniam veni soluere [c] legem aut prophetas. Non veni soluere, sed

d Impius qui figuras cessare docet, postquam res facta est. e Antequam. f Quia non omnia iam sed sensim fient. g Id est, donec elementa mutentur de hac mutabili forma in immutabilitatem. h Non remanebit quin impleatur in capite vel in corpore.

[d] adimplere. Amen quippe dico vobis, [e] donec [f] transeat [g] cælũ & terra, [h] iota

i Quin. k Quia omnia fient, ergo.

vnum, aut apex vnus, non præteribit à lege, [i] donec omnia fiant. [k] Qui ergo

l Vel non agendo, vel non credendo vt Pharisæi. m Minima sunt quæ inchoant homines. o Id est, sicut soluit. o Despectissimus est in ecclesia sanctorum.

[l] soluerit vnum de mandatis istis [m] minimis, & docuerit [n] sic homines, [o] mini-

p Ab illis qui sunt in regno cælorum. q Sic. r Licet in præsenti abiectus, econtra licet ille hic prælatus tamen vilis.

mus [p] vocabitur in regno cælorum: qui autem [q] fecerit & docuerit, hic [r] magnus vocabitur in regno cælorum.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Os *estis sal ter.* Hîc iam ostẽditur apostolicum officium, scilicet quod sunt sal terræ, & lux mundi. Hoc specialiter ad apostolos, qui prædictis virtutibus, paupertate, scilicet & aliis debent ornari, vt sint sal optimum condientes alios doctrina, & vitę suę exemplo. Sal, salus à corruptione: vnde propheta, posui te in lucem gentium, vt sis salus mea
Esa. 42. vsque ad extre. terræ. Vbi corruptio culpæ desiccatur sale sapientiæ vermes non demoliuntur. *Vos estis sal. ter.* quia terra, id est, humana natura per eos conditur verbi sapientia. Sal facit sterilem terram. Vnde: ira victorum destructas vrbes sale seminabat, ne quod in eis germen oriretur. Ita apostoli destructo regno peccati, germẽ vitiorũ cõpescebant. Sal cibos condit, carnes siccat: prædicatio vero à vermibus & à putredine vitiorum illæsam seruat suo creatori humanam naturam. Vt nõ est cibus sapidus nisi sale conditus: ita sermo non est vtilis sine documento apostolicæ doctrinæ. Vnde in Leuitico: In omni sacrificio sal offer, id est, in Leuit. 2.
omni quod dicis vel facis, apostolicam sapiẽtiam habe. Ex aqua & igne sal conficitur, ita isti ex aqua spiritussancti & igne tribulationis. Vel per aquam baptismi: & ignem Charitatis in saporem sapientiæ sunt nati. *Quod si sal.* id est, si vos per quos alij condiendi sunt, aduersis vel prosperis cesseritis: per quos à vobis error auferetur, cum vos Deus tollere aliis elegerit? Ad nihilũ valet: quia (vt alius Luc. 14.
euangelista ait) nec terræ vtilis est quam suo iniectu germinare prohibet nec sterquilinio quod nõ fœcundare sinit: Sic qui retro vadit, nec ipse fructum ferre, nec alios valet excolere: sed ab ecclesia eijcitur, & in hæc verba ridetur. Hîc homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. *Si sal.* Luc 14.
euanuerit, id est, si timore vel cupidine doctor saporem sapientiæ omiserit, per quem fatuitas eius emẽdabitur? Hoc solis apostolis conuenit: Quod

sequ

sequitur omnibus magistris. *Ad nihilum valet vltra,&c.* In fine de omnibus cócludit sic: *Nisi abundauerit iusti.&c. Et conculcetur ab hominibus.* Sanctus & verus minister Christi & si à malis rideint, conculcari non potest, quia mente fixus in cælo manet. *Vos estis lux mũdi.* Prius sal quam lux quia prius vita quam doctrina. vita ducit ad scientiam veritatis. Qui Deum timet, scientia nó caret. *Lux mundi.* Alia causa est quare non debent deficere: quia illuminati à Christo verbo & exemplo: quoenunque illati mundanis lucem fidei & scientiæ debét ministrare. Et sicut (quia sunt) sal debét corruptionem pellere: sic & tenebras (quia lux sunt) fugare. Lux tenebras soluit, & postea illustrat: sic apostoli depulsis vitiis deducunt ad lumen fidei & cognitionis. *Lux mundi.* Hæc est eadem gratia qua mundi corde fiút, quorum corda mũdantur fide & intellectu. Sic quod sal vocantur pacificis congruit: quia sine sapientia non tenetur cõdimentum pacis: hæc summa & præcipua specialiter apostolis deputantur: vt eos cætera assequutos plene cognoscat. Vnde sequitur. *Nõ potest ciuitas abscondi su.&c.* quia apostoli fundamenta sunt, aptè ciuitas dicuntur. *Supra montem.* lucus montem iustitiæ innuit, qui excelsus est, qui propalamini oe vos abscondatis. Non est enim facultas subterfugiendi vel clam aliquid faciẽdi, ideo subditus misericorditer intus consilio regite, & extra contra aduersarios pro iustitia pugnãdo defendite: quod pertinet ad spiritum consilij & fortitudinis. *Neque accendunt lucernam.* Domesticis exemplis docet, ne celent lucem verbi sibi commissam. Non accendunt, id est, non ideo data est doctrina prędicationis, vt celent eam & subijciant seruituti corporis, dum aliqua timent. Sed corpus suum ministerio Dei subjiciát, vt per vocem & cætera corporis officia lux excellentior cæteris appareat. Vnde dicitur: Castigo corpus meum, &c. Vel Christus lucernam accendit, dum testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit: quam nec credentibus abscondit, nec modiu, id est, mensura legis, vel terminis vnius gentis inclusit. Sed super candelabrum, id est, ecclesiam fidem suæ incarnationis affixit, vbi omnes possint intueri, qui in domo, id est, ecclesia sunt vel mundo. Vnde subdit: *Sic luceat,&c. Candelabrum.* Sicut lucerna, Christus. Candelabrum, crux est super quam erat leuãdus. Candelabrum ecclesia, quæ verbum vitæ præsentis baiulat. *Sic luceat.* Et hæc omnia ita agite, vt non finem boni operis in laudibus hominum constituatis. *Vt videant,&c.* Opera requiro, vt videantur, & sic doctrina cõfirmetur: & hoc non ad gloriam vestram. *Nolite putare.* Postquam hortatus est eos omnia pati pro veritate, & non celare, & gloriam Dei facere, incipit docere quod docturi sint. Quasi diceret, quid est quod vetas abscondi, pro quo iubes omnia pati? an est aliquid contra legem? Inquit: *Non veni soluere legem: sed adim.* vel faciendo quod dicit, vel supplendo, quod deerat, & imperfectum erat. *Nolite putare.* Hactenus docuit, vt sale condiant animas ad incorruptionis sanitatem, vt illuminent ad veritatis intelligentiam: vt acquisitos ab hostibus defendant, defensos ad amorem diuinitatis accendant. Nũc vt cęlestis orator (quia puterãt ęstimare quod vetera pręcepta vellet abolere) ante interrogata præscius occurrit, dicens. *Nolite putare.* Soluit qui spiritualiter facere vetat. Adimplet Christus dum præmissis ad inchoationem vitæ agendæ superaddit plura ad perfectionem moralium præceptorum, & quę figuris tegebantur & futura significabant, in se perficit & in ecclesia: sine quo figuræ essent vacuæ & sine effectu. Quasi dicat, ideo non debetis percontari de veteribus præceptis & mirari de nouis, nec passionibus terreri. Christus legem impleuit, quia exteriores legis figuras soluẽs impleuit veritatem interiorem. *Iota.* Hic ostenditur, quod quæ minima putantur in lege, sacramẽtis spiritualibus plena sunt, & omnia recapitulantur in euãgelio. *Iota,* minor est cæteris literis. Apex est literæ aliqua summa particula, significat minimũ præceptum, vel minimam præcepti particulam. Apte autem ponit iota Græcum, non ioth Hebræum, quia iota decem significat, id est, decalogum, cuius apex est euãgelij perfectio. Iota apud Gręcos decima litera, decem significat: per quã decem præcepta agendę vitæ accipimus: Quorum Christus nullum soluit, sed præcepit plenius adimpleri, nec apicem, id est, nec minima significantium. *Omnia fiant.* Spiritualiter impleantur vel imperfecta perficiantur, & significantia, impletione consumentur. *Qui ergo soluerit.* Minima sunt crux Christi & passio, quã qui erubescit, minimus est, qui cõfitetur, magnus. Vel Pharisæos notat, qui mandata Dei dimiserunt pro suis traditionibus, quę nihil valent dum vel minimum quod in lege est, prætereunt. Moraliter autem soluit qui non implet, sed tenet sicut infirmis data sunt. Vel qui non intelligit spiritualiter. Soluere, est non agere, quod recte intelligit, vel non intelligere quod deprauat, aut minuere integritatẽ superadditionis Christi. *Minimus vocabi.&c.* In regno cælorum minimus vocabitur, qui erit in eo indignus, in quo nullus minimus sed omnes magni. *Qui autem fecerit.* Qui non soluerit, & sic docet, non minimus, non tamen magnus: sed si facit, quod docet: soli enim factores legis iusti sunt apud Deum.

Luc.14. 1.Cor.9. Infr.15. Rom.2.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Chrys. in ho. Quia excelsa præcepta discipulis dederat vt non dicerent, qualiter poterimus ea seruare, eos laudibus mitigat, dicens: Vos estis sal terræ. In quo monstrat quod necessario hæc iniungit: non enim pro vestra vita aut pro vna gente, sed pro vniuerso mundo vos mitto: & si alios mordentes, mala audiaris, gaudete: hoc enim est opus salis, mollia mordicare: quare aliorum maledictio nihil vobis nocet, sed est testis vestræ virtutis. Hila. Est autem hic proprietas quęrenda doctorum, quam & apostolorum officium, & ipsius salis natura monstrabit: hoc igitur in omnem vsum humani generis, effectum, incorruptionẽ corporibus quibus fuerat aspersum, impartit, & ad omnem sensum conditi saporis aptissimum est. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut salitores, meritò sal terræ nuncupari: quia per virtutem doctrinæ quasi salientes æternitati corpora seruant. Remi. Sal etiam per aquam & ardorem solis & per flatum venti in naturam alteram commutatur: sic & apostolici viri per aquam ba-

prisini & ardorem dilectionis & flatum spiritus sancti in spiritalem regenerationem commutati sunt. Sapientia etiam cælestis per apostolos prædicata exsiccat humores carnalium operum, aufert fœtorem & putredinem malę conuersationis & vermem libidinosæ cogitationis, & illum de quo dicit propheta: Vermis eorum non moritur. Remi. Sunt apostoli sal terræ, id est hominum terrenorū, qui amando terram, terra vocantur. Hiero. Vel apostoli sal terræ appellantur, quia per illos vniuersum hominum conditur genus. Chrys. super Matth. Doctor enim cum fuerit omnibus prædictis virtutibus ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur, videndo eum & audiendo. Remi. Et sciendum quod nullum sacrificium offerebatur Deo in veteri testamento, nisi prius condiretur sale: quia nullus potest laudabile sacrificium Deo offerre absque sapore cælestis sapientiæ. Hila. Verum quia conuersioni homo subiacet, ideo apostolos sal terræ nuncupatos monet in traditæ sibi potestatis virtute persistere, cū subdit: *Quòd si sal euanuerit, in quo salietur?* Hiero, id est, si doctor errauerit, quo alio doctore emēdabitur? Aug. Et si vos per quos condiēdi sunt populi, metu persecutionū tēporalium amiseritis regna cælorum, qui erunt homines per quos vobis error auferatur? Alia litera habet: *Si sal infatuatū fuerit*, ostendēs fatuos esse iudicādos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Hila. Si autem doctores infatuati nil saliant, & ipsi, sensu accepti saporis amisso, viuificare non possunt corrupta, redduntur inutiles: vnde sequitur: *Ad nihilum valet vltra, nisi vt mit. foras, & concul. ab hominibus.* Hiero. Exemplū de agricultura scriptum est: Sal enim vt in condimentum ciborum & ad siccandas carnes necessarium est, ita alium vsum nō habet. Certè legimus in scripturis vrbes quasdam ita victorum sale seminatas, vt germen nullum in ipsis oriretur. Glo. Postquam ergo illi qui capita sunt aliorū defecerint, nulli vsui apti sunt: nisi ad hoc vt mittantur foras ab officio docendi. Hila. Vel etiam de ecclesiæ promptuariis proiecti pedibus incedentium conterantur. Aug. Non autem calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo, infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior: inferior autem non est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen in cælo fixus est. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, &c.* Chrys. super Mat. Sicut doctores propter bonam conuersationem sunt sal, quo populus conditur, ita propter verbum doctrinæ sunt lux, qua ignorantes illuminantur, prius autem est bene viuere, quam bene docere: & ideo postquam apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem, dicens: vos estis lux mundi. Vel quia sal in eo statu tenet rem, ne ad deterius mutetur: lux autem ad melius perducit illustrando, propter quod apostoli dicti sunt prius sal propter Iudæos, & propter populum Christianum à quibus Deus cognoscitur, quos seruant in Dei scientia, lux autem propter gentes, quas ad scientiæ lumen perducunt. August. Oportet autem hic mundum non cælum & terram, sed homines qui sunt in mundo, intelligi, vel qui diligunt mundum, quibus illuminādis apostoli missi sunt. Hilar. Natura enim luminis est vt lucem, quocunque circumferatur, emittat, illatúmque ædibus tenebras interimat, luce domināte. Igitur mūdus extra cognitionem Dei positus obscuritatis tenebatur ignorantiæ tenebris, cui per apostolos scientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret, & de paruis eorum corpusculis quocunque incesserint, lux tenebris ministratur. Remi. Sicut autem sol dirigit radios suos, ita & dominus qui est sol iustitiæ, direxit apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras. Chrys. in ho. Intellige autem quàm magna eis promittit, vt qui in regione propria cogniti non erant, ad fines orbis terrarum eorum veniret fama, nec persecutiones quas prædixerat eos potuerunt occultare, sed propter hoc magis præclari reddantur. Hiero. Ne autem apostoli abscondantur ob metum, sed tota libertate se prodant, docet eos fiduciam prædicandi, cum consequenter dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Chrysost. in hom. Per hoc etiam eos docet esse solicitos de propria vita, quasi in oculis omnium positos, sicut ciuitas quę est supra montem posita, vel lucerna supra candelabrum lucens. Chryso. super Matth. Hæc ciuitas ecclesia sanctorum est, de qua dicitur: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Ciues eius sunt omnes fideles, de quibus Apostolus: Vos estis ciues sanctorum. Hæc ergo ciuitas posita est supra montem Christum, de quo Daniel: Lapis abscisus sine manibus factus est mons magnus. August. Vel posita est supra montem, id est, supra magnam iustitiam, quam significat mons in quo disputat dominus. Chrys. super Matth. Non potest ergo ciuitas abscondi posita supra montem, etiam si ipsa voluerit. Mons enim qui eam portat, facit eam omnibus manifestam: sic & apostoli & sacerdotes qui fundati sunt in Christo non possunt esse absconditi, etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat. Hila. Vel ciuitatem carnem quam assumpserat, nuncupat, quia in ea per naturam suscepti corporis, quædam humani generis congregatio continetur, & nos per consortium carnis suæ sumus habitatio ciuitatis. Abscondi ergò non potest, quia in altitudine positus celsitudinis Dei admiratione operum suorum offertur omnibus contemplandus. Chrys. super Matt. Quare autem sanctos suos Christus manifestet, & non sinat eos esse absconditos per alteram comparationem ostendit, cum subdit: Neque accen. lucer. & po. eam sub mo. sed supra candelabrum. Chrys. in ho. Vel per hoc quod dicit: Non potest ciuitas abscondi, demonstrauit suam virtutem. In hoc autem quod subdit: Neque accen. lucer. eos induxit ad liberam prædicationem, ac si diceret: Ego quidem lucernam accendi, vestri autem erit studij eam manere ardentem, non solum propter vos, sed propter alios qui illuminabuntur, & propter gloriam Dei. Chrys. super Matt. Lucerna est verbum diuinum, de quo dictum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Accendentes lucernam sunt pater & filius & spiritus sanctus. Aug. Quid autem putamus dictum esse: *Et ponunt eam sub modio?* vt occultatio tantum lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret: Nemo accendit lucernam & occultat eam. an etiam aliquid modius significat? vt hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, per prædicationem veritatis. Sub modio ergo lucernā ponit quisquis

lucem

lucem doctrinæ bonæ commodis temporalibus obscurat & tegit. Et bene modius dicitur res corporalis, siue propter retributionem mensuræ, quia ea quisque recipit quæ gessit in corpore: siue quia temporalia bona quę corpore peraguntur circa dierum mensuram quam significat modius, inchoantur & transeunt: æterna verò & spiritualia nullo tali fine coercentur. Super candelabrum autem lucernam ponit, qui corpus suum ministerio verbi subdicit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis: per ipsam enim corporis seruitutem excelsior lucet doctrina, dum per vocem & cæteros corporis motus bonis operibus insinuatur discentibus. Chry. super Matth. Vel modij sunt homines mundales: quoniam sicut modij desuper quidé vacui sunt, subtus autem pleni: sic omnes mundi amatores in rebus spiritualibus insensati sunt, in terrenis autem sapientes: & ideo quasi modius verbum Dei tenet absconditum, quãdo propter aliquam causam terrenam verbum Dei non est ausus palam proloqui, nec fidei veritatem. Candelabrum est ecclesia, quæ baiulat verbum vitæ, & omnis ecclesiasticus vir. Hila. Vel synagogam domino modio comparauit, quæ susceptos fructus intra se tantum receptãs certum modium diuersæ obseruantiæ continebat. Amb. super Lucam. Et ideo nemo fidem suam intra mẽsuram legis includat, sed ad ecclesiam conferat, in qua septiformis spiritus reluceat gratia. Beda in homi. Vel ipse Christus accendit lucernam, qui testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit, quam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra vnius gentis terminos noluit cohibere. Candelabrum ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit: quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis affixit. Hila. Vel lucerna Christi ponitur in candelabrum, id est, in ligno per passionem suspensa, quę lumen æternum est in ecclesia habitantibus præbitura. Et ideo dicit: *Vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Augu. Si quis enim domum vult accipere ecclesiam, non est absurdum. Vel domus est ipse mundus, propter id quod superius ait: Vos estis lux mundi. Hila. Tali etiam lumine monet fulgere apostolos, vt ex admiratione operis eorũ, Deo laus partiatur. vnde sequitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Chry. super Matth. Id est sic illuminate docẽtes, vt non vestra tantum audiant verba, sed vt opera videãt: vt quos illuminaueritis per verbum quasi lux, condiatis per exemplũ quasi sale. Per illos autem doctores qui docent & faciunt, magnificatur Deus: nam disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur. Et ideo sequitur: *Et glo. pa. ve. qui in cęlis est.* Augu. Si tantummodo diceret: *Vt videant opera vestra bona*, finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritę, sed addidit: *Et glorifi. pa. vestrum qui in cælis est*, vt hoc ipsum quòd homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem cõstituat, sed referat ad laudem Dei: & propterea placeat hominibus, vt in illo glorificetur Deus. Hila. Non quòd ab hominibus oporteat gloriam quærere, sed vt dissimulantibus nobis opus nostrum his inter quos viuimus, in honorem Dei eluceat. *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas, &c.* Glo. Postquam hortatus est audientes vt se præpararent ad omnia sustinenda pro iustitia, & non absconderent quod accepturi erant, sed ea beneuolentia discerent, vt cæteros docerent, incipit eos informare quid doceant, tanquam si quærerent: Quid est hoc quod non vis abscondi, pro quo iubes omnia tolerari? nunquid aliquid dicturus es extra ea quæ in lege sunt scripta? Ideo inquit: *Nolite enim putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas.* Chry. super Matt. Quod propter duas causas dicit: Primùm vt discipulos suos his verbis ad suum prouocaret exemplum: vt sicut ipse omnem legem adimplebat, sic & illi studerent implere. Deinde futurum erat vt calumniarentur eum Iudæi, quasi legem soluentem: priusquam incurrat calumniam, calumniæ satisfacit. Remi. Ne autem putaretur sic venisse, vt simpliciter legẽ prædicaret, sicut prophetæ fecerant, duo dixit: negat se venisse soluere, & affirmat venisse se implere, & ideo addit: Non enim veni legem soluere, sed adimplere. Aug. In hac autem sententia duplex est sensus. Nam adimplere legem aut est addẽdo aliquid quod minus habet, aut faciendo quod habet. Chr. in ho. Impleuit igitur Christus prophetas, complendo omnia quæ per eos de ipso fuerant dicta: legem autem, primò quidé nihil transgrediendo legalium: secundò, iustificando per fidem, quod lex per literã facere non valebat. Aug. contra Faustum. Demum etiam quia sub gratia positis in hac mortali vita difficile erat adimplere quod in lege scriptum est: Non concupisces. Ille per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus impetrat nobis indulgentiam, etiam hinc adimplens legem, vt quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionẽ curetur, cuius capitis membra effecti sumus. Puto etiam sic esse accipiendum quod dicitur: *Non veni legem soluere, sed adimplere*: his videlicet additamentis, quæ vel ad positionẽ pertinent antiquarum sententiarum, vel ad conuersationem in eis. Aperuit enim dominus etiam iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Maluit etiam nos dominus non iurantes non recedere à vero, quàm verum iurantes appropinquare periurio. Sed cur, ô Manichæi, legem non accipitis & prophetas, cum Christus ad eos se non venisse soluere dixit, sed adimplere? Ad hoc respondet Faustus hæreticus: Quis hoc testatur dixisse Iesum? Matthæus. Quomodo ergo Ioannes non id testatur, qui fuit in monte: Mattheus hoc scripsit, qui posquam Iesus descendit de monte, secutus est eum? Ad hoc Augustinus respondet: Si nemo de Christo vera dixit, nisi qui vidit cum vel audiuit: hodie de eo vera dicit nullus. Cur ergo ex ore Ioannis non potuit vera Matthæus audire de Christo, si ex lib. Ioannis possumus vera loqui de eo nos tanto tempore post nati? Hinc enim non solum Matthæi, sed etiam Lucę ac Marci euangelium & nõ impari auctoritate receptum est. Huc accedit, quia & ipse dominus potuit narrare Matthæo quod egerat, antequam eum vocasset. Apertè autem dicite non vos credere euangelio: nam quæ in euangelio, non nisi quod vultis, creditis, vobis potius quàm euangelio creditis. Item Faustus: Probemus & Matthæum hoc non scripsisse, sed alium (nescio quem) suo nomine? Quid enim dicit; Cum transisset Iesus, vidit sedentem hominem ad telonium Matthæum nomine? Et quis ergo scribens de seipso dicat: vidit hominem, &

non vidit me? Ad quod Augustinus: Ita Matthæus de se, tanquam de alio scripsit, sicut & Ioannes fecit, dicens: Conuersus Petrus vidit alium discipulum quem diligebat Iesus. Manifestũ est enim hunc morem fuisse scriptorum, cum gesta narrarent. Item Faustus: Quid quòd etiam ea ipso sermone, quòd præcepit non putare quia venerit legem soluere, magis intelligi datur quia soluerer: neque enim nihil tale eo faciente, Iudęi suspicari hoc possent. Ad quod Augustinus: Hoc quidem valde infirmũ est, non enim negamus Iudæis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem esse legis & prophetarum. Item Faustus: Quid quòd etiam lex & prophetæ nec adimpletione gaudẽt, cum in Deuteronomio dicatur: Hæc præcepta quæ mãdo tibi obseruabis, nec addas quicquam eis, nec minuas. Ad quod Augustinus: Non intelligit Faustus quid sit legem implere, cum hoc de verborum adiectione putat accipiendum. Plenitudo enim legis charitas est, quam dominus dedit, mittendo fidelibus spiritum sanctum. Impletur ergo lex, vel cũ fiunt quæ ibi præcepta sunt, vel cùm exhibentur quæ prophetata sunt. Item Faustus: Quòd nouum testamentum Iesum cõdidisse fatemur, quid aliud à destructione fatemur veteris testamenti? Ad quod Augustinus: In veteri testamento figuræ erant futurorum, quas in rebus per Christum præsentatis auferri oportebat, vt eo ipso lex & prophetiæ implerẽtur, in quibus scriptum est: daturum Deum nouum testamentum. Item Faustus: Hoc igitur dixit Christus, aut aliud significans dixit, aut, quod absit, mentiens dixit, aut omnino nõ dixit: sed Iesum quidem mẽtitum fuisse nullus dicat: se per hoc aliter dictum est, aut nec omnino dictum est: me quidem iam aduersus capituli huius necessitudinem Manichæa fides reddit hic tutum, quæ principio mihi non cunctis quæ ea salutoris nomine leguntur scripta, passim credere persuasit. Esse enim multa zizania quæ in cõtagium boni seminis, scripturis penè omnibus noctiuagus quidem seminator insparsit. Ad quod Augustinus: Manichæus docuit impiam peruersitatem, vt ex euangelio quod hæresim tuam non impedit hoc accipias: quod autem impedit, non accipias. Nos autem docuit Apostolus piam prouisionem, vt quisquis nobis annuntiauerit præter id quod accepimus, anathema sit. Dominus autẽ exposuit quid sint zizania, non aliqua falsa veris scripturis immissa sicut tu interpretaris, sed homines filios maligni. Itẽ Faustus: Cũ te Iudæus interpellabat, cur legis & prophetarũ præcepta nõ serues, quæ Christus dixit, non se venisse soluere, sed adimplere: cogeris aut vanæ superstitioni succumbere, aut capitulum profiteri falsum, aut te Christi negare discipulum. Ad quod Augustinus: Nullas ex hoc capitulo catholici patiuntur angustias: quasi legis & prophetarum præcepta nõ seruent: quia charitatem Dei & proximi habent, in quibus præceptis pendet lex & prophetæ. Et quæcunque ibi rebus gestis vel sacramentorum celebrationibus, vel locutionum modis figuratè prophetata sunt, in Christo & Ecclesia compleri cognoscunt. Vnde nec vanæ superstitioni succumbimus, nec istud euangelij capitulum falsum esse dicimus, nec Christi discipulos nos negamus. Qui ergo dicit: Si Christus legem & prophetas non soluisset, illa sacramenta legis & prophetarum in Christianorum celebrationibus permanerẽt. Potest dicere: si Christus legem & prophetas non soluisset, adhuc promitteretur nasciturus, passurus, resurrecturus: cum ideo magis hoc non soluerit, sed adimpleuerit: quia iam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quodammodo personabant. Sed annuntiatur, quòd natus sit, passus sit, resurrexit: quod hæc sacramenta quę à Christianis aguntur, iam personant. Patet ergo quãto errore delirant, qui putent signis sacramentisque mutatis etiam res ipsas esse diuersas: quas ritus propheticus pronuntiauit promissas: & euangelicus demonstrat impletas. Item Faustus: Quærendũ est si hoc Christus dixit, cur dixerit? vtrúmne compalpandi Iudæorũ furoris causa, qui sancta sua ab eo conculcari videntes, nec audiendum quidem eum existimabant: aut vt nos, qui eis credebamus ex gentibus, instrueret legis subire iugum. Si autem hæc non ei fuit causa dicẽdi, illa debet esse quam dixi, nec hoc ipsum mentitus est. Sunt enim tria genera legum: vnum Hebræorum, quod peccati ac mortis Paulus appellat: aliud gentium, quod naturale vocat, dicens: Gentes autem naturaliter quæ legis sunt, faciunt: tertiũ est veritatis, de qua dixit lex, spiritus vitę, &c. Item prophetę alij sunt Iudæorum, de quibus notum est: alij gentium, de quibus Paulus dicit: dixit quidam proprius eorum propheta: alij veritatis, de quibus Christus dicit: Mitto ad vos sapiẽtes & prophetas. Et quidem si obseruationes Hebraicas adimpletionis gratia protulisset, dubium non erat, quin de Iudæorum lege & prophetis dixisset. Vbi verò sola recenset antiquiora præcepta, id est non occides, non mœchaberis, quæ olim promulgata fuerant per Enoch & Seth, & cæteros iustos, cui non videtur hoc eũ dixisse de veritatis lege & prophetis. Vbi verò Iudæorum quædam visus est nominasse, penitus eradicauit, præcipiendo contraria, vt est illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ad quod Augustinus: Manifestum est quam legem & quos prophetas Christus non venerit soluere, sed implere. Ipsa enim est lex quæ per Moysen data est, non autem sicut Faustus opinatur, quædam dominus adimpleuit, quæ ab antiquis iustis iam dicta erãt ante legem Moysi, sicut Non occides. Quædam verò soluit, quæ propria videbantur legis Hebræorum: nos enim dicimus, & hæc pro tempore bene fuisse instituta, & nunc à Christo non soluta, sed adimpleta, vt patebit per singula. Hoc etiam non intelligebant, qui in ea peruersitate mãserunt, vt gentes cogerent iudaizare, hæretici, scilicet qui Nazaræi dicuntur. Chr. super Matth. Quoniam verò omnia quę ab initio mundi vsque ad finem erãt futura, mysticè erant prophetata in lege, ne videatur aliquid eorũ quæ fiunt Deus non antea cognouisse, propterea dicit: Non potest fieri vt transeat cęlum & terra, donec omnia quæ in lege prophetata sunt, rebus ipsis fuerint adimpleta, & hoc est quod dicit: *Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Remi. Amen Hebræus sermo est, & Latinè dicitur verè, fideliter, siue fiat. Duabus autem de causis hoc sermone vtitur dominus, siue propter duritiam illorum qui tardi erant ad credendum, siue propter credentes, vt profundius attẽderent ea quæ sequuntur. Hila. Per hoc autem quod ait:

Donec transeat cælum & terra, cęlum quidem & terram maxima elementa nō arbitramur esse absoluenda. Remi. Permanebunt enim essentialiter, sed transibunt per renouationem. Aug. Per hoc autem quòd ait: *Iota vnum aut vnus apex non transibit à lege*, nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis, quæ per literas singulas demonstrata est, inter quas literas Iota minor est cæteris, quia vno ductu fit. Apex etiam est ipsius aliqua in summo particula, quibus verbis ostendit in lege ad effectum & minima quęque perduci. Raba. Apertè quoque Græcum Iota & nō Iod Hebræum posuit: quia Iota in numero decem significat, & decalogum legis enumerat, cuius quidem apex & perfectio est euangelium. Chr. super Matth. Si autem ingenuus homo vel in vili mendacio inuētus fuerit, erubescit: & vir sapiens verbum quod dixit, non relinquit in vacuum, quomodo verba diuina sine exitu vacua poterāt permanere? vnde concludit: *Qui ergo solue. vnum de mandatis istis mini. & doce. sic homi. mini. voc. in regno cælorum.* Puto autem quòd ipse dominus manifeste hoc respondit, quæ sunt minima mandata, monstrans dicendo: *Si quis soluerit vnum de mandatis istis minimis*, id est quæ modò dicturus sum. Chry. in ho. Non enim pro veteribus legibus hoc dixit, sed pro his quæ ipse erat præceptutus, quæ quidem minima vocat, licet magna sunt. Sicut enim multoties de se humilia locutus est: ita & de suis præceptis humiliter loquitur. Vel aliter. Chr. super Mat. Mādata Moysi in actu facilia sunt: Nō occides, non adulterabis. Ipsa enim criminis magnitudo volūtatē fac ēdi repercutit, & ideo in remuneratione modica sunt, in peccato autē magna. Mandata autem Christi, id est, non irascaris, non concupiscas, in actu difficilia sunt: & ideo in remuneratione magna, in peccato autem minima. Minima igitur dicit ista Christi mandata, non irascaris, non concupiscas, ergo illi qui leuia peccata committunt, minimi sunt in regno Dei, id est, qui renatus fuerit, & grande peccatum non fecerit, à pœna quidem securus est, scilicet damnationis æternæ, non tamen est in gloria, scilicet quam consequuntur illi, qui etiam hæc minima implent. August. Vel econtra illa, quæ præcepta sunt in lege, dicuntur minima: quæ autem Christus dicturus est, sunt maxima. Mandata autem minima, significantur per vnum iota, & vnum apicem. *Qui ergo soluerit & docuerit sic*, id est, secundum quod soluit, *minimus vocabitur in regno cælorum.* Et fortasse ideo non erit, quia ibi nisi magni esse non possunt. Glos. Soluere autem, est non agere quod rectè quis intelligit, vel non intelligere quæ deprauauit, aut minuere integritatem superadditionis Christi. Chrysostom. in hom. Vel cum audieris minimum in regno cælorum, nihil aliud suspicare, quàm supplicium & gehennam. Regnum enim consueuit dicere non solum regni vtilitatem, sed tempus resurrectionis & aduentum Christi terribilem. Gregor. in hom. Vel per regnum cælorum Ecclesia intelligēda est, in qua doctor qui soluit mandatum, minimus vocatur: quia cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Hilar. Vel minima dicit Domini passionem & crucem, quæ si quis tanquam erubescenda non confitebitur, erit minimus, id est, nouissimus ac penè nullus. Confitenti verò magnæ in cælo vocationis gloriam pollicetur, vnde sequitur: *Qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Hieron. Sugillat in hoc Pharisæos, qui contemptis mandatis Dei statuebant proprias traditiones, quòd non eis prosit doctrina in populo, si vel paruum quod in lege est destruant. Possumus autē & aliter intelligere quòd magistri eruditio, etiam si paruo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu maximo: nec prosit docere iustitiam, quam minima culpa destruit beatitudoque perfecta sit, quæ sermone doceris, opere complere. Augnst. Vel aliter: Qui soluerit illa minima, scilicet pręcepta legis, & sic docuerit, minimus vocabitur. Qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non iam magnus habendus est, sed tamen non tam minimus, quàm ille qui soluit: vt autem sit magnus, facere debet & docere, quæ Christus docet.

S. HILARII EPISCOPI Pictauorum in superioris Euang. expositio.

VOs estis sal terræ. Quod si sal infatuatus fuerit, ad nihilum valet vlterius. Sal, vt arbitror, terræ nullum est. Quomodo ergo Apostolos sal terræ noncupauit? Sed proprietas est quærenda dictorum, quam & Apostolorum officium, & ipsius salis natura monstrabit. Sal est in se vno continēs aquæ & ignis elementum, & hoc ex duobus est vnum. Hic igitur in omnem vsum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit: & ad omnem sensum cōditi saporis aptissimus est. Apostoli autem sunt rerum cælestium pędicatores, & æternitatis velut satores: immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. Atq; superius Ioannes testis est sacramenti aquæ ignísque perfecti, dum ait: Ipse vos baptizabit spiritu & igni. Merito igitur sal terræ nuncupati sunt, per doctrinæ virtutem saliendi modo æternitati corpora reseruantes: sed natura salis semper eadem est, nec immutari vnquam potest. Verum quia conuersioni homo subiacet, & solus beatus, qui vsque ad finem in omnibus Dei operibus permanserit, ideo eos sal terræ nuncupatos monet in traditæ sibi potestatis virtute persistere: ne infatuati nihil saliant, & ipsi sensu accepti saporis amisso viuificare corrupta non possint, & proiecti de Ecclesiæ promptuariis, cum his quos salierint, pedibus incedentium proterantur. *Vos estis lux mundi, &c.* Natura luminis est, vt lucem quocunque circunferatur emittat, illatúmque ædibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus obscurabatur ignorantiæ tenebris: cui per Apostolos scientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret, & de paruis eorum corpusculis quacunque incesserint, lux tenebris ministratur. *Non potest ciuitas abscondi super montem ædificata, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, & reliqua.* Ciuitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat: quia vt ciuitas ex varietate ac multitudine consistit cohabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis, quædam vniuersi generis humani congregatio continetur. Atque ita & ille ex nostra in se congregatione fit ciuitas, & nos per consortium carnis suæ sumus ciuitatis habitatio.

Abscondi

Abſcondi ergo iam non poteſt: quia in altitudine poſitus celſitudinis Dei, admiratione operum ſuorum, & contemplandus, & intelligendus omnibus effertur. Sed nec lucerna accenditur, recondęda ſub modio. Quis enim fructus eſt, clauſi impenſam luminis continere? Verum ſynagogam dignè Dominus modio comparat, quæ ſuſceptos fructus intra ſe tantum receptás, certum modum dimenſæ obſeruantiæ continebat. Nunc tametſi fructu omni adueniente ſe vacuauit, non tamen potens luminis occulendi: atque ideo iam lucerna Chriſti non recondenda ſub modio eſt, neque operimento occultandą ſynagogæ: ſed in ligni paſſione ſuſpenſa, lumen æternum eſt in Eccleſia habitantibus præbitura. Pari etiam ſulgere Apoſtolos monet lumine, vt admiratione operis eorum Deo laus impertiatur, non quòd ab hominibus oporteat gloriam quærere: quia omnia in honorem Dei ſunt agenda, ſed vt diſſimulantibus licet nobis, opus noſtrum his, inter quos viuimus, eluceat. *Nolite putare quoniam veni diſſoluere legem, aut Prophetas: non veni diſſoluere, ſed adimplere.* Virtus & poteſtas verborum cæleſtium, magna in ſe momenta cõplexa ſunt. Lex enim operum poſita eſt, & omnium in fidem eorũ, quæ in Chriſto erant reuelanda, concluſit: cuius & doctrina & paſſio grande, & profundum eſt paternæ voluntatis arbitrium. Lex autem ſub velamento verborum ſpiritualium natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & corporalitatem, & paſſionem, & reſurrectionem loquuta eſt, atque id ita iam ante tempora ſecularia in ætatis noſtræ tempus eſſe diſpoſitum, frequens & Prophetica & Apoſtolica autoritas eſt. Igitur poſt ieiunium dierum quadragiota, ſatanas tantis ſuſpicionibus anxius, vſque ad tentandi erupit audaciam: ingens in Ieſu pertimeſcens cæleſtis molitionis arcanũ. Ieſus enim Domino noſtro nomen ex corpore eſt. Itaque & corporalitas eius, & paſſio voluntas Dei, & ſalus ſeculi eſt, & vltra humani ſermonis eloquium eſt, Deum ex Deo, filium ex patris ſubſtantia, atque intra patris ſubſtantiam cõſiſtentem, primum in hominem corporatum, dehinc morti huminiæ conditione ſubiectum, poſtremo poſt triduum in vitam ex morte redeuntem, conſociatam ſpiritus & ſubſtantiæ ſuæ, æternitati materiem ad cælum aſſumpti corporis retuliſſe. Ne igitur aliud exiſtimaremus in operibus ſuis eſſe, quàm cõtineretur in lege: non ſoluere ſe legem profeſſus eſt, ſed adimplere, cælum quidem & terram, maxima vt arbitramur, elementa eſſe ſoluenda: cæterum ne minimum quidem poſſe eſſe de mandatis legis infectum. In ipſo enim lex & prophetia omnis impletur ſub paſſione & iamiam ſpiritu traditurus, magni huius in ſe certus arcani, poto aceto conſummata omnia eſt profeſſus. Fidem enim geſtorum omnia iam Prophetarum dicta ſumebant. Itaque ne minima quidem mandatorum Dei, niſi cum piaculo Dei conſtituit eſſe ſoluenda: futuros minimos, id eſt, nouiſſimos, ac penè nullos denuncians, minima ſoluentes. Nulla autem his minora poſſunt eſſe, quæ minima ſunt. Minimum autem eſt omnium, Domini paſſio & crucis mors: quam ſi quis tanquam erubeſcendam non confitebitur, erit minimus. Confitenti verò magnæ in cælo vocationis gloriam Dominus eſſe confitetur.

CHROMATII EPISCOpi Aquilegienſis in ſuperius Euang. Sermo.

VOs eſtis ſal terræ, &c. Dominus Apoſtolos ſuos ſal terræ cognominat. Et videamus, quid ſub huius vocabuli comparatione de Apoſtolis ſuis Dominus velit intelligi. Quod vt plenius poſſimus aduertere, primum ſollicite requirẽdum eſt, quid hoc ſal ſit, & cuius terræ, & in quam deinde rem, vtilitatémq; proficiat. Iam etiam ſalis ipſius naturam, vſumque tractare debemus, vt, his cognitis, dominici dicti virtutẽ ſpiritali intelligentia facilius adſequamur. Natura igitur ſalis per aquam, per calorem ſolis, per flatum venti cõſtat, & ex eo quod fuit, in aliam ſpeciem generatur. Sic & Apoſtoli, atque omnes credentes per aquam baptiſmi, per fidem Chriſti, qui in comparatione ſol iuſtitiæ dictus eſt, & per inſpirationem Sancti ſpiritus Deo renati, ex terrena in cęleſtem natiuitatem tranſierunt. Vnde non immerito Sancti Apoſtoli ſal terræ à Domino nuncupantur. Et cuius terræ, promptum eſt noſcere, id eſt, terræ corporis Chriſti, quam dudum inſipientem ac ſenſu vanitatis inſulſam, Euangelicæ prędicationis ſapientia ſalierunt. Ipſi enim ſal terræ noſtræ facti ſunt: quia per ipſos, & per verbum ſapientiæ accepimus, & per cæleſtem natiuitatem, in ſpiritalem ſumus demutati naturã. Sicut igitur ſal hoc, id eſt, ſal terrę indiſcrete omnibus opus eſt, id eſt, Regibus, ac potentibus, diuitibus, & pauperibus, ſeruis, ac dominis, ſic cęleſtis ſapientiæ verbum, quod per Apoſtolos prædicatum eſt, neceſſarium eſt cunctis ad vitam. Omnes enim, ſecundum Apoſtolum, egent gratia Dei: Quia, ſicut præſentem hanc vitam non ſine ſalis vſu habemus, ita quoque illam vitam æternam ſine dono ſapientię diuinæ adipiſci non poſſumus. Sed, quia de natura, vel gratia ſalis ſecundum intelligentiam ſpiritualem iam ſuperius dictum eſt, nunc quoque de ipſa ſalis virtute tractemus. *Vos*, ergo, loquit, *eſtis ſal terræ.* Itaque ſicuti ſales cum operantur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fœtores auferunt, ſordes expurgant, vermes non ſinunt generari, ita & cæleſtis gratia, ac fides, quæ per Apoſtolos data eſt, ſimili exemplo in nobis operatur: aufert enim carnalis concupiſcentiæ corruptelam, peccatorum ſordes expurgat, odorem malæ conuerſationis excludit, vermes delictorum, nec ſinet generari, id eſt, de corpore libidinoſas, & mortiferas voluptates exurgere, conſeruans corpora noſtra etiam ab illo immortali verme, qui indefeſſa pœna peccatores excruciat, de quo ſcriptum eſt; Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et ſicuti ſales à foris quidem apponuntur, intrinſecus verò operantur per virtutem naturæ ſuæ, ita & cęleſtia gratia exteriora hominis, atque interiora perpenetrat, & totum hominem integrum à peccato, incorruptúmque conſeruat. Hos autem Deo dignos eſſe, qui ſale cæleſtis ſapientiæ condiuntur, etiam dudum pręcedente figura legis oſtenſum eſt: Quia omne ſacrificium offerendum Deo ſale ſaliebatur, quod idipſum Euãgeliſta commemorauit dicendo: Omne ſacrificium ſale ſalietur, oſtendẽs eum hominem dignum vere ſacrificium Deo fieri, qui cęleſtis ſapientiæ virtute eſſet infuſus.

Rom. 3.

Eſa. 66.

sus. Vnde non immerito cum per Ezechielem Prophetam Dominus Ierusalem, imò potius sy-
Ezech.16. nagogam increparet, inter cætera ait: Aqua non es lota, neque sale salsa, pronuntians quia neque gratiam baptismi salutaris ad abluenda peccata sua acceptura erat, neque fidem cęlestis sapientiæ susceptura. Si quis itaque hoc cælesti sale vsus fuerit, condietur, qui autem noluerit, infatuabitur, non immerito & Apostolus sermonem nostrum semper gratiæ sale conditum esse debere commonuit. Adhuc huius salis gratiam, ac virtutem etiam in libris Regnorum inuenimus ostensam, cùm in Hierico essent aquæ malignæ, quæ steriles faciebant, petitus est Sanctus Helisæus
4.Reg.2. Propheta, vt iisdem aquis remedium salutare præberet: tunc Sanctus Helisæus cęlestis mysterij non ignarus, dixit afferri sibi vas fictile, & mitti in eo salem, & venit, & misit salem ad exitus aquarum, & sic sanata sterilis natura aquarum, in fœcunditatem mutata est: quod in sacramentum futurę veritatis gestum manifesta ratione cognoscimus. Nam aquis Gẽtes significari, euidenter Apocalypsis retulit dicendo; Aquæ, quas vidisti, populi, & Gentes, & turbæ, & nationes sunt, quæ aliter sanari, vel remedium salutare accipere non poterant, nisi sal in vas fictile mitteretur, id est, Dei sapientia humanum corpus acciperet. Quæ postquam ad exitus aquarum, id est, ad exitum mortis humanæ salutis nostræ causa peruenit, tunc omnium credẽtium natura, quæ à fructu seminis sterilis erat, in fidei, ac iustitiæ fœcunditatem mutata est. Vnde non immerito Dominus Apostolos suos sal terræ appellat, quos diuina ex se, & cælesti sapientia repleuit. Sic autem eos sal terræ testatus est, sicut & lucem mundi. Nam, cum ipse lucem mundi esse se professus sit, tamẽ etiam discipulos suos hoc nomine voluit nuncupare, non auferens sibi, quod suum est, sed largiens: quia lumẽ verum, & ęternum, quod suum est, sine aliquo detrimento propriæ naturæ largitur. Scimus sane & nonnullos sales de terra generari, sed & hæc similitudo congruit Apostolorum personæ, quia quamuis nati de terra humani corporis viderẽtur, aliud tamẽ per fidem Christi esse iam cœperant, vt non iam terra, sed sal terræ haberentur, quia de carnalibus facti sunt spirituales, idonei fide, qui possent condire insulsa corda credẽtium. *Vos ergo*, inquit, *estis sal terræ, si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur? ad nihil valet, nisi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus.* Infatuari autẽ eos ostẽdit, qui, cũ semel per fidem, & sapientiam cælestem eruditi, fideles, ac stabiles debeant permanere, relicta fide, & sapientia diuina, aut in hæresim ruunt, aut ad stultitiam Gentilium redeunt, & idcirco ait; *Si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Quia infatuari fraude diaboli huiusmodi homines, amissa fidei gratia, euanescunt. Qui cum potuissent etiam alios non credentes, adhuc à fide alienos diuinæ prędicationis verbo condire, etiam sibi inutiles extiterũt. Deniq; Iudas Iscariothes de huiusmodi salibus fuerat, sed, posteaquã diuinam sapientiam reprobauit, & de Apostolo apostata factus est, nõ solum aliis prodesse non potuit, sed & sibi miser, & inutilis factus est, & ideo addidit Dominus dicens; *Ad nihilum valet, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus*: quia huiusmodi iam non fideles, ac domestici, sed proiecti ab ecclesia, vt extranei, & fidei hostes habendi sunt. Vnde & Iudas de domestico fidei, inimicus factus est veritatis. Proiecti itaque huiusmodi extra ecclesiam, necesse est vt diuersis vitiis carnis, & variis voluptatibus seculi conculcentur, & hoc est, quod ait; *Ad nihilum valet, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quid sit autẽ cõculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro suo retulit, cum de muliere meretrice loqueretur; Mulier, inquit, fornicaria, quasi stercus in via ab hominibus prętereũtibus conculcatur. Quia igitur conditi iam sale apostolico sumus, in tali, ac tanto condimento gratię spiritalis permanere debemus, vt ipsi quoque sal terrę nuncupari à Christo Domino nostro mereamur, qui est benedictus in secula, Amen. Deinde ait; *Vos estis lux mundi, &c.* Sal terrę Dominus discipulos suos appellauit, quia infatuata à diabolo corda humani generis per cęlestem sapientiam condierunt. Nunc quoque lumen mundi eos nuncupat, quia à se ipso, qui verum, & ęternum lumen est illuminati, ipsi quoque lumen facti sunt tenebrarum: Nam, quia ipse sol iustitiæ est non immerito etiam discipulos suos lumen mundi cognominat, quia per ipsos, quasi per quosdam micantes radios, vniuerso orbi cognitionis suæ lumen infudit: fugauerunt enim à cordibus hominum tenebras erroris, luce veritatis ostensa. Per ipsos namque illuminari etiam nos ex tenebris lumẽ sumus effecti, dicente Apostolo; Eratis enim aliquando
tenebrę, nũc autem lux in Domino, sicut filij lucis Ephe.4.
ambulate. Et iterum, Non estis filij noctis, neque 1.Thes.5.
tenebrarum, sed estis filij luminis, & filij Dei. Merito & sanctus Ioannes in Epistola sua testatus est
dicẽs; Deus lux est, & qui manet in Deo in lumi- 1.Ioan.1.
ne est, sicut & ipse est in lumine. Vnde quia de tenebris erroris liberatos nos esse gaudemus, semper quasi filij lucis in lumine ambulare debemus. Et addidit; *Non potest*, inquit, *ciuitas abscondi, supra montem posita.* Ciuitatem hic ecclesiam significat. Et iterum; Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et iterum; Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei, Deus fundauit eam in æternum. Et, vt manifeste se de hac ciuitate loqui spiritus sanctus ostẽderet, etiam montis ipsius fecit mentionem dicendo; In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. De qua per Esaiam Dominus loquitur dicens: Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem, & fundamenta tua. Sapphyrum, & propugnacula tua Iaspidem, & portas tuas lapide Crystallo, & circuitum lapides electos, & omnes filios tuos docibiles Dei. Et multa similia, quæ prætermisimus, ne tædium legentibus faceremus: maxime cum hæc, quæ dicta sunt, ad probationem ciuitatis huius satis, abundéque sufficiant: Ciuitatem ergo super montem, ecclesiam positam ostendit, supra fidem Domini, ac saluatoris nostri in cælesti gloria constitutam, quæ actu spiritali omnem humilitatem terrenæ infirmitatis excedens, vniuerso mundo conspicua facta est, & gloriosa, quæ iam non per annuntiationem legis obumbratur, sed per Euangelicam doctrinam aperta prædicatione conspicitur. Et addidit; *Neque enim accendunt lucernam, &c.* Videamus itaque & huius dicti dominici rationem. Scimus lucernam ad hoc accendi, non vt modio, aut aliquo operimento tegatur; quod si fiat, vsus eius nulli rei proderit. Sed ideo accenditur in candelabro, vt in edito loco posita, cæcitatem obscuræ noctis abijciat, & lucis suæ vsum in domo cõ-

stit utis

stitutis impertiat. Quod ideo Dominus commemorat, quo sciremus, & nos idcirco gratia fidei accensos, ac luce spiritus illuminatos, vt & ipsi per opera fidei, atque iustitiæ velut lucerna spiritaliter luceremus, & eos, qui in tenebris erroris sunt positi, ignorantiæ nocte depulsa, veritatis ipsius
Phil. 2. lumine lustraremus. Vnde Apostolus ait; Inter quos lucetis sicut luminaria in hoc mundo, verba vitæ continentes. Quod si non faciamus, videbimur tã necessarij luminis vtilitatem ad damnum tam nostrum, quam aliorum, infidelitate nostra velut quodam velamine obtegere, & obumbrare.
Matth. 25. Quapropter & illum, qui talentum ad lucrum cœlestis negotiationis acceptum, abscondere magis voluit, quam ad mensam nummularijs dare, debitam pœnam incurrisse scimus, & legimus. Et idcirco lucerna illa spiritalis, quæ ad vsum salutis nostræ accensa est, semper lucere debet in nobis: Habemus enim lucernam cælestis mãdati, & gra-
Psal. 118. tiæ spiritalis, de qua Dauid retulit; Mandatũ tuum lucerna pedibus meis, & lux semitis meis: De qua
Prou. 6. & Solomon ait; Quoniam lucerna est præceptum
Soph. 1. legis. De qua per Sophoniam quoque prophetam Dominus testatur; Et scrutabor Hierusalem cum lucerna. In hac enim lucerna inextinguibile legis, ac gratiæ suæ lumen ostendit, quod non aliquo cæcæ mentis velamine operiendum est, vel obscurandum, vt Iudæi, vel hæretici faciunt, qui perspicuam lucem prædicationis diuinæ prauis interpretationibus obtegere, & occultare nituntur, pro fide perfidiam prædicando, & lumen veritatis erroris tenebris obnubilando. Vnde lucerna hæc legis, ac fidei non occultanda nobis est, sed ad salutem multorum semper in ecclesia, velut in cãdelabro cõstituenda, vt veritatis ipsius luce & nos fruamur, & omnes credentes illuminentur. Ad cuius luminis cõtemplationem etiam per Esaiã nos sanctus spiritus adhortatur, dicen-
Esa. 2. do; Venite ambulemus in luce Domini. Dimisit
1. Pet. 2. enim populum suum domus Israel. De qua luce & beatus Petrus in epistola sua testatus est dicẽs: Qui eripuit vos de tenebris, & vocauit vos in admirabilem lucem. Vnde & Zacharias propheta, vt spiritalis huius luminis, & cælestis candelabri, quod in figura ecclesiæ ostensum est, manifestaret, inter cætera pro merito prophetiæ mysteria, quæ ei monstrata sunt, etiam candelabrũ aureum cum lampadibus suis se vidisse testatus est. Nam & in tabernaculo testimonij ad futuræ veritatis exemplum candelabrum cum lucernis indefesso lumine populo lucebat. Cuius rei ratio Iudæis quidem occulta est, sicuti & omnia sacramenta legis, sed nobis iam manifesta. Scimus enim in candelabro illo typum veti, & æterni luminis ostensum, id est, spiritus sancti, qui per multiformem gratiam om-
Zach. 4. ne ecclesiæ corpus semper illuminat. Vnde & Dominus in Euangelio inter cætera discipulos suos, vt lucernas in manibus ardentes habeant, adhortatur dicendo; Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Quod vtique Dominum præcepisse non corporali sensu, sed ratione spiritali intelligendum est. Nam, quia in lucerna mandatum Dei, siue lumen legis significatur, ideirco lucernam in manibus portare iubemur, vt illuminati gratia spiritus sancti, operibus iustitiæ, ac fi-
Prou. 4. dei luceamus, secundum quod Solomon retulit; Viæ iustorum similiter vt lux fulgebunt, præcedũt enim, & illuminant, donec decurrat dies. Merito

ergo, cum in præsenti loco Dominus lucernę mẽtionem fecisset dicendo; *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt*, addidit dicens; *Sic luceat lux vestra hominibus, &c.* Magnificatur enim Deus in nobis apud incredulos, & infideles, si secundum præcepta diuina viuamus, si bonis operibus luceamus. Vnde & sanctus Apostolus ait; Magnificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Cor. 6.
Et beatus Petrus similiter commonet, vt, cum detrectauerint de vobis, opera iustitię magnificent Deum nostrum. Potest autem & aliter intelligi, 1. Pet. 2.
quia multiplex intelligentia spiritalis est, vt in lucerna ipsum dominum significari noscamus, propter assumpti corporis humilitatem. Hic quidem secundum gloriam diuinitatis sol iustitię nuncupatur, sed secundum assumpti corporis sacramentum etiam lucerna ostenditur, quia cum Deus esset glorię, & maiestatis ęternę humilis in hoc mundo tanquam lucerna extitit: quia lucerna per noctem lucere consueuit. Idcirco itaque in hoc mundo humilis tanquam lucerna apparuit, vt tenebras erroris de cordibus nostris, & ignorantię noctem depelleret, qui in hoc mũdo velut in nocte positi degimus. Huiusmodi ergo lucerna, id est, incarnatio Christi ostensa à lege, ac prophetis, iam non obscura prędicatione legis tanquam modio tegitur, nec infidelitate scribarum ac pharisęorum, velut quodam vase perfidię operitur: sed in cruce velut in candelabro constitutus, omnem ecclesię domum illuminat. Secundum mysterium itaque incarnationis lucerna est, secundum gloriam vero diuinitatis sol iustitię est. Denique in ipso crucis candelabro, tanquam sol resplenduit, cum per Apostolorum prędicationem, quasi per quosdam radios, vniuerso orbi clarissimum sue cognitionis lumen inuexit Dominus, & saluator noster, qui est benedictus in secula. Deinde ait; *Nolite putare, quia veni soluere legẽ, &c.* Nõ ad dissoluendam legem, vel prophetas filius Dei venit, qui author est legis, & Prophetarum, quia ipse Moysi ad tradẽdam legem populo dedit, & Prophetis ad prędicationem futurorum sancto spiritu mandauit. *Non ergo, inquit, veni soluere legem, aut Prophetas, sed adimplere.* Impleuit autem legem, & Prophetas hoc modo, dum ea, quæ scripta erant in lege, & Prophetis, ipse consummat. Vnde, cum acetum in cruce oblatum sibi bibisset, ait; Adimpletum est, vt euidenter ostenderet, omnia, quæ de se in lege, ac Prophetis scripta erãt, etiam vsque ad aceti potum esse completa. Adimplet legem omni modo, dum mysteriũ paschæ, vel agni olim in figura monstratum, passionis suæ sacramento cõpleuit. Vnde ait apostolus; Nam & pascha no- 1. Cor. 5.
strum immolatus est Christus. Adimplet legem, dum sacrificia legis, omniáque exempla in se prefigurata, accipiẽdo corpus, veritatis ratione compleuit. Vel certe adimplet legem, dum pręcepta legis, quę deerat Euãgelicę granę suę supplemento confirmat. Quam autem legem venit adimplere, in sequenti demonstrat dicendo; *Donec cælum, ac terra transeant, &c.* Quàm vera igitur, ac diuina sit prędicatio legis, ex hoc ipso cognoscimus, de qua ne iota quidem, vel vnum apicem posse cadere Dominus manifestat. Quamquam in hoc iota, vel apice legis etiam sacramẽtum crucis possit intelligi, quia iota, & apex quandam in se imaginem crucis ostendũt, quę à lege ac Prophetis prędicata

dicata nulla ratione poterat preterire. Deinde ait; *Qui soluerit*, inquiens, *vnum de mandatis istis minimis, &c.* Cum mandata minima soluere impium sit, multo magis magna, & maxima. Vnde per Salomonem idipsum spiritus sanctus cõtestatur dicens; Qui modica spernit, paulatim decidet. Et idcirco nihil est de præceptis diuinis soluendum, nihil mutilandum, sed totum fideli, ac deuota mente seruandum, atque docendum, ne cœlestis regni gloria amittatur: quia, quę iudicio infidelium, vel hominum seculi minima putantur, & parua, hęc apud Deum non sunt parua, sed necessaria. Qui autem docuerit, & fecerit, hũc magnum futurum Dominus ostẽdit in regno cælorum. Quapropter non solum verbis operandum est, sed & factis, nec vt doceas tantum, sed vt, quod docueris, facias. Et audiamus ipsum Dominum, huiusmodi doctores, qui dicunt, & non faciũt, in Euangelio increpantem; Væ, inquit, vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia oneratis homines oneribus, quæ portari non possunt, ipsi autem non tangitis digito vestro sarcinas ipsas. Vnde & Apostolus ait; Non, inquit, auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Si hoc etiam de audientibus dicit, quid de doctoribus intelligendum est? Inde & Salomõ ait; Noli esse citatus in lingua tua, ac remissus in operibus tuis. Et ideo oportet eum, qui docet, exemplum ex se præbere puræ fidei, & honestatem conuersationis suæ, vt Apostolus Timotheo scribit; Forma, inquit, esto fidelium. Et iterum; Exemplum teipsum præbens operum bonorum, in iustitia, in castitate, in sobrietate, per doctrinam sanam. Vnde & ipse filius Dei, qui magister, & dominus legis est, ad exemplum nostrum, cuncta, quę docuit voluit rebus ipsis implere.

Eccl. 19. Matth. 23. Rom. 2. Eccl. 4. 1. Tim. 4. Tit. 2.

S HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. Homilia.

VOs estis sal terræ. Sal appellantur apostoli, quia per illos vniuersum hominum conditur genus. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur?* Si doctor errauerit, à quo alio doctore emendabitur? *Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Exemplum de agricultura sumptum est. Sal etenim sicut in ciborum condimentum & ad siccandas carnes necessarium est: ita alium vsum non habet. Certe legimus in scripturis, vrbes quasdam ita victorum sale seminatas, vt nullum in ipsis germen oriretur. Caueant ergo doctores & episcopi, & videant: Potentes potenter tormenta sustinere: nihilque esse remedij: sed maiorum ruinam ad tartarum ducere. *Vos estis lux mundi: non potest ciuitas, &c.* Docet fiduciam prædicandi, ne apostoli abscondantur ob metum & sint similes lucernæ sub modio: sed tota libertate se prodant: vt quod audierunt in cubiculis, prædicent in tectis. *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Siue quod de se per alios prophetata compleuerit: siue quod ea quæ ante propter infirmitatem audientium rudia & imperfecta fuerant, sua prædicatione compleuerit: iram tollens & vicem talionis excludẽs: & occultam in mente concupiscentiam. *Donec transeat cælum & terra.* Promittuntur nobis cęli noui & terra noua, quæ facturus est dominus Deus. Si ergo noua creanda sunt, consequenter vetera transitura. Quod autem sequitur. *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Ex figura literæ ostenditur, quod etiam quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sint, & omnia recapitulentur in euangelio. Cuius ergo eruditionis est, cuiúsque doctrinę etiã diuersa sacrificia, & quę superstitiosa vidẽtur in victimis quotidie demõstrare, complere: *Qui ergo soluerit vnum de mãdatis istis, &c.* Hoc capitulũ cum superiori hæret testimonio, in quo dixerat: Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Sugillat ergo phariseos, qui contemptis mandatis Dei: statuebant proprias traditiones: quod non eis prosit doctrina in populis: si vel paruum quod in lege præceptum est destruant. Possumus autem & aliter intelligere, quod magistri eruditio, etiam si paruo peccato obnoxius sit, deducat eum de gradu maximo: nec prosit docere iustitiam, quam minima culpa destruit. Et beatitudo perfecta fit: quæ sermone docueris, opere complere.

Iud. 9. Sap. 6.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euang. Homil. 1.

POst quam igitur, prout oportuit, ad virtutum studia cohortatus est, rursus eos laudum admixtione permulcet. Quia enim erant præcepta sublimia: multoque quam in veteri lege maiora: ne trepidarent, néve turbarentur ac dicerent, & quemadmodum hæc implere poterimus? attende quid dixerit; *Vos estis sal terræ.* Per quod ostendit quam necessarie ista præcipiat. Non enim pro vestra, inquit, salute tantummodo, sed pro vniuerso prorsus orbe hæc vobis doctrina committitur. Non ad duas quippe vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam vos mitto gentem, sicut etiam prophetas, sed ad omnẽ terram prorsus, ac mare, totumque mundum, & hunc variis criminibus oppressum. Dicendo enim; *Vos estis sal terræ.* Ostendit omnium hominum infatuatam esse naturam, conculcatamque peccatis, & idcirco illas ab eis maxime virtutes requirit, quæ cunctis necessariæ, atque vtiles sunt futuræ. Quum enim mansuetus aliquis, ac modestus, quum misericors fuerit & iustus, non in semetipso tãtummodo hæc recte facta concludet, verum in aliorum quoque vtilitatem bonos his faciet emanare fontes. Sed qui mundo corde est, atque pacificus, & qui persecutionem pro veritate perpetitur, nihilominus in commune commodum vitæ suæ statuit exemplũ. Ne igitur opinemini ad modica vos ducendos esse certamina, neque pro exiguis rebus vobis hunc insonare sermonem, *vos estis sal terræ.* Quid igitur? Ipsine putrefacti medicati sunt? Nequaquam: nec enim possibile est, vt ea, quæ corrupta sunt, salis perfricatione reparentur. Non hoc fecerunt ergo, sed ante renouata sibique tradita, atque ab illa iam putredine liberata, perfricabãt sale, inque hac nouitate seruabant, quam à domino vtique susceperant. Liberare quippe à putredine peccatorum, Christi profecto virtutis est, vt autem non ad illa iterum reuertantur, apustolorũ curæ est, ac laboris. Vides quemadmodum paulatim etiam prophetis eos meliores

Ex homil. 15. in Matth.

Et hoc quoq; est diuina gratia, sed & humani labor maximum prodest.

liores esse patefecerit? Non enim illos filios veteris testamenti, neque mediocres ponit magistros, sed seueros quosdam, atque terribiles. Hoc est enim omnino mirabile, quia non adulantes, neque palpantes, sed è diuerso salis instar vrētes, fere omnibus se iam desiderabiles reddiderunt. Nolite ergo, inquit, mirari, si alios omittens vos potissimum doceo, atque ad pericula tanta succingo. Considerate quippe quātis vrbibus, quantisque populis vos sim missurus magistros. Propterea non vos tantummodo volo esse sapientes, sed vt tales faciatis & cæteros. Huiusmodi autem magistros in quibus certe tantorum periclitatur salus, maxima decet pollere prudentia, tantasque illis virtutum adesse diuitias, vt aliis quoque vtilitatem ædificationis impertiant. Nisi, inquit, fueritis omnino tales: ne vobis quidem ipsis sufficere profectò poteritis. Nolite igitur de difficultate conqueri, quasi qui doctrinam meam molestam esse dicatis. Infatuatis enim, conculcatisque populis, per vos ad sapiētiam redire possibile est: Si verò id etiam patiamini vos ipsi, vobiscum perdetis & reliquos. Itaque quāto etiā maiorum vobis rerum cura cōmittitur, tanto potiore indigetis & studio, Propter quod inquit; *Si autem sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Alij enim, etiam si sæpe delinquāt, possunt tamen ad veniam peruenire: si verò hoc magister ipse patiatur, omni satisfactione priuabitur, & supplicia extrema persoluet. Ne enim audientes, quum exprobrauerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, in medium prodire formident, dicit: quoniam nisi ad ista fueritis parati, frustra etiam proditis in publicum. Non enim vos oportet maledicta hominum timere, sed laudes: quas si audire cupiatis tunc verè infatuandi estis, atque calcandi: si verò perseuerabitis vosmetipsos vndique castigantes, & deinde audieritis mala, gaudete. Hoc enim est opus salis, laxa quæque vrere, atque restringere. Itaque iam necessaria subsequitur maledictio, nihil vobis prorsus incommodans, imò etiam testimonium vestræ perhibens firmitatis. Si verò illa timentes, fortitudinem vobis vtilem deseratis, multò sæuiora patiemini, & malè scilicet audientes, & contempti à cunctis, atque despecti: hoc namque est ab omnibus conculcari. Deinde ad aliud eos sublimius ducit exemplum, *Vos estis lux mundi.* Iterum mundi, non vnius profectò gentis, nec viginti vrbium, sed totius orbis lumen tunc perhibentur: & lumen intelligibile: ipsóque sole fulgentius, sicut etiam sal hoc loco intelligitur spiritale. Prius autem sal posuit, deinde lumen, vt discat quantum sit verborum vrentium beneficium, quantúmque commodum honestæ, rectæque doctrinæ. Hæc siquidem stringit animos, nec quoquam diffluere permittit, facitque attentius ad lumen virtutis aspicere, ad quam velut apprehensa manu pertrahit audientes. *Non potest ciuitas abscondi super montem posita neque, &c.* Rursus eos per ista ad bene viuendi diligentiam cohortatur, ostendens vt studeant esse soliciti, quasi ante omnium scilicet oculos constituti, & in medio orbis terrarum certātes theatro. Nolite, inquit, aspicere, quia in isto nunc residemus loco, & in exigua sumus parte certaminis. Sic enim eritis manifesti cunctis, quemadmodum ciuitas in montis vertice collocata, vel sicut lucerna in domo super candelabrum relucens. Vbi nūc sunt Christi virtutis increduli? Audiant ista, & prophetiæ potentiam post experimenta mirantes, maiestatē domini adorando venerentur. Perpende enim qualia polliceatur eis, qui in sua quoque regione habebantur incogniti, quod videlicet terra omni, maríque celebrandi sint, & ad terminos vsque mundi, fama docente, venturi: imò non fama, sed manifesto beneficiorum, atque admirandæ operationis effectu. Non enim illos fama portans fecit vbique notissimos, sed ipsa vtique documēta virtutum. Sicut enim quidam volucres effecti, ipso etiam Sole pernicius omnem perlustrauere terram, spargentes vbique lumina veritatis. Hic autem videtur mihi illos ad constantiam cohortari, dicendo enim; *Non potest ciuitas abscondi super montem posita*, Suam declarat profectò virtutem. Sicut impossibile, inquit, est super montem positam abscondere ciuitatem, ita etiam prædicationem latere, atque reticeri. Quia enim prædixerat persequutiones, & maledicta, & insidias, pericula've: ne putarent quòd hæc eos possint in silentiū coarctare, confirmans eos, ait; Quia non modo non tacebunt, sed etiam vniuersum prorsus illustrabunt orbem, & ob hoc quoque clari efficientur, ac nobiles. Et hic quidem propriæ ostendit insigne virtutis, in consequentibus verò ab illis constantiam flagitat, dicens; *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, &c.* Ego quidem, inquit, lumen accendi: vt verò perseueret ardens, vestri profectò sit studij, non propter me, vósque ipsos modò, verumetiam propter illos qui eadem luce potientur, vobísque ducentibus, viam veritatis inuenient. Non enim poterunt maledictionibus vestrum obumbrare fulgorem, si tamen vos omni cum diligentia vixeritis, atque ita prorsus quasi qui vniuersum orbem vestri faciatis imitatione conuerti. Dignam igitur tanta gratia exhibete vitam, vt, sicut illa cunctis mox regionibus prædicanda est, ita illi etiam conuersatio vestra conueniat. Deinde aliud quoque lucrū cum hominum salute subiungit. Sanè quod sit prorsus idoneum illos præstare solicitos, atq; ad omne virtutis bonum concitare. Non solùm, inquit, corrigitis orbem rectè, sanctéque viuēdo, verumetiam glorificari Deum ex vestra conuersatione facitis. Quemadmodum, si contraria gesseritis, & homines perdetis profectò, & Dei nomen blasphemiis offendetis. Et quemadmodum, inquit, per vos glorificabitur Deus, si vos homines maledictorum fuerint contumeliis consequuti: sed vtique non omnes. Nam illi quoque ipsi, qui hoc publicè faciunt inuidentes, apud conscientiam tamen suam admirabuntur vos, atque suspicient: sicut è regione vitiosos quosque palàm quidem adulatorio sermone demulcent, sed eosdem in secreto mentis accusant. Quid igitur ad ostentationem nos viuere, atque ad gloriæ amorem iubes? Absit, non dico istud omnino: neque enim dixi, vt rectè facta vestra in medium studeatis afferre, nec vt illa monstretis, admonui: sed dixi, *luceat lux vestra*, hoc est, plurima in vobis sit virtus ac maximè ingens illius accendatur ignis, & ineffabile omnino lumen effulgeat. Quando autem tam magna virtus fuerit, & clara, latere non poterit, etiamsi mille illam contegere velit modis ille, qui possidet. Irreprehensibilem igitur etiam homi

Non intelligit magistrū per pœnitentiam non posse reparari sed eū maiore cū difficultate veniā consequuturum.

Non excludi tamen gratiā domini, sed id tantum dicit, humanum studiū magis requiri in retinenda, quam in perdēda virtute.

hominibus præstare vitam, vt nullum in vobis verum colorem accusationis inueniant. Sequitur illud, vt, etiamsi innumeri accusare cupiant, nullus vnquam infuscare vos possit. Bene autem ait, *lumen*. Nihil est, quod sic hominem faciat insignē, atque conspicuum, etiamsi magno ambitu optet latere, vt splendor iste virtutis. Sicut enim ipso Sole circundatus, ita vtique clarus refulget, nec in terram solummodo rutilatus propriæ virtutis emittit, sed supra ipsum etiam cælū proprio fulgore radiabit. Hinc itaque illos vberius consolatur. Et si inquit, maledicta in vos audientes doletis, sed habetis plurimos, quos ad amorem, atque admirationem Dei, vestro adducatis exemplo. Ac, ne dicatur & videatur omnium generaliter maledictorum commendare patientiam, admoueo, ne hoc quidem positum sentiatis inordinatè, atque confusè, sed prouidè, & omnino distinctè. Siquidem de illis hîc loquitur profectò maledictis, quæ falsò, & propter Deum objici solent. Iam verò demonstrat, quia non modò maledicta huiusmodi patiēter ferre, verumetiam prædicari, atque laudari plurimum afferat lucri ad Dei gloriam recurrentis, pérque hoc ipsum melioribus spebus eos attollit. Non enim, inquit, tantùm valebit obtrectatio malignorum, vt alios quoque tenebris obducat, quò minus vestrum queant lumen aspicere. Nam, quum sal infatuatur, quum lumen extinguitur, tunc vos tantummodo, meritóque calcabunt: non quum recta facientes subiacetis opprobriis. Tunc enim multi erunt omnino mirantes: non vtique vos tantum sed per vos etiam patrem vestrum. Nec dixit Deū sed patrem: conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam, hoc iam nomine largiendo. Itaque, quū similitudinem illis proprij honoris impertiens,
Matth. 5. paulò ante dixisset, Nolite mœrere, quum cœperitis audire maledicta: sufficit enim vobis, quòd propter nomen meum illa auditis. Hic iam Deum eorum appellat patrem, vt honoris similitudinē vbique demonstret. Considera quantum istiusmodi sit commodum, quantum etiam discrimen,
1. Cor. 10. si per nos noster dominus blasphemetur. Sine offensione igitur simus & Iudæis, & gentibus, & ecclesiæ Dei, vitam nostram clariorem Sole præstantes. Et, si maledicere quis velit, non ipsum malè audire doleamus, sed si meritò istud audiamus. Si enim vitiis sordeamus, etiam si nobis nullus obtrectet, erimus omnibus miseriores. Si verò virtutibus splendere curemus, vel, si totus mundus contra nos maledictis voluerit personare, erimus omnium beatissimi, atque ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem: & qui nō contumelias malignorum, sed vitæ nostræ voluerint cōsiderare virtutem. Omni quidem tuba documenta sunt operum clariora, vitáque munda, ipsa est luce fulgentior. Nec obscurari poterit, etiamsi innumeri fuerint obloquentes. Si enim habuerimus illa omnia, quæ paulò ante præmissa sunt, nec solummodo mansueti, ac misericordes, mundóque corde fuerimus, atque pacifici: sed si etiam cùm maledicimur, nō referamus iniuriam, quinimò etiam gaudeamus non inferiùs omnino, quàm per ipsa signa spectatores nostros ad veritatem trahemus, veniéntque ad nos omnes libenter. Sed etiamsi ferus, etiamsi dæmon aliquis, aut quicunque tandem. Si verò nōnulli virtutis suæ conscij, nihilominus te contumeliis insequantur, nequaquam inde turberis, nec considetes, quia publice in te iaculentur futurnas: sed ipsam illorum interroga conscientiam, & videbis applaudentes tibi, téque mirantes, ac virtutum tuarum laudes numerantes. Cōsidera igitur quemadmodum rex aliquando Babylonius tres illos in fornace pueros prædicaret, & certe hostis erat, atque apertus inimicus: sed, quia viriliter eos stare perspexit, prædicat, & coronat. Propter aliud certè omnino nihil, nisi quia illo vtique contempto, Dei legibus seruiebant. Diabolus enim, quum nihil se viderit effecisse, discedit, metuens iam profectò, ne maiorum nobis fiat occasio coronarum. Quum verò ille discesserit, quamuis scelestus sit aliquis, ac tota prorsus mente corruptus, incipiet tamen introspicere virtutem, illa iam, qua offendebatur, nube submota. Quod & si homines bona tua videre dissimulent, maiorem certè apud Deum admirationē, laudemque reperies. Noli igitur dolere, atque concidere. Nam & apostoli ipsi aliis quidem erāt odor mortis, aliis autē odor vitæ. Si enim te nullam tu culpandi occasionē ministres, omni prorsus crimine liberaris, imò magis ac magis beatus efficeris. Resplende igitur fulgore vitæ, & maledicos omnino contemne. Non potest enim accidere, omnino nō potest, vt, qui virtutem diligenter exequitur, nūquam plurimos acquirat inimicos. Sed nihil hoc ad eum, qui virtute lætatur, quandoquidem clarius illorum occasione resplendeat. Hæc igitur scientes illud curemus vnum diligenter, scilicet nostram dispensare vitam. Sic enim etiam illos, qui nunc in vmbra mortis sedent, ad vitam perducemus futuram. Tanta quippe istius luminis virtus est, vt nō solùm hic fulgeat, verumetiam illuc possit ducere, modò sequātur. Quum enim viderint præsentia nos cuncta contemnere, & ad futura esse præmia præparatos, supra omnino nostrum omnem sermonem ipsis erunt operibus credituri. Quis enim tantæ vecordiæ est, qui videns hominem paulò antè diuitiis, ac deliciis irretitum: repente verò exutum his omnibus, & quendam volucrem factū, ad famem iam, ac paupertem & omnem prorsus laborem, ad pericula etiam, pugnásque, ac sanguinē, atque interfectionem sui, postremò ad omnia, quæ videntur metuenda, succinctum, non manifestum documentum accipiet futurorū? Si verò nosmetipsos præsentibus implicemus, sempérque citerius relabamur, quemadmodum credere poterunt, nos ad profectionem alterius mansionis vrgeri? Qua verò etiam poterimus satisfactione purgari, cū non tantum apud nos valuerit Dei reuerentia, quantum apud sapientes Gentilium humana gloria? Siquidem eorum se aliqui & pecuniis exuere, & audacter ad contemptum mortis pararunt, vt se hominibus ostentarēt, propter quod eorum spes inanes fuerunt: quænam ergo nos ratio liberabit, si, tanto nobis præmiorum honore proposito, tantáque aperta nobis ad philosophandum via, ne illis quidem similia fecerimus, sed nos pariter perdiderimus, & cæteros? Non enim ita incommodat Ethnicus iniquitatem faciens, quemadmodum quum illam Christianus operatur: & satis vtique consequenter. Illorum enim gloria corruptibilis, ac fluxa est: nostra verò per Dei gratiā, ex aduersis quoq; præcipua esse, & illustris agnoscitur. Idcirco quando etiam nobis maximè es-

probrare voluerint, suáque in nos maledicta auge se, istud adiungunt; O Christiane (quod profecto non dicerent, nisi magnam de ipso dogmate existimationem tenerent) non audisti quanta præcepit Christus, & qualia? Quando igitur vnum ex illis mādatis poteris implere, cum, relinquens omnia, vsuras colligendo circumeas, & fœnori fœnus adiungas? Et nunc quidem negotiationes instituens, emas seruorum cateruas, diuersorum animalium greges, argentea vasa conficias, nunc agros merceris, ac domos, atque vtinam id solum. Quum verò vanissimis huiusmodi studiis iniquitatem sociam iūgas, quum finitimorū terras tuis copules, inuadas domos, pauperes conteras, augeas famem; quomodo potes ipsum saltem ecclesiæ introire vestibulum? Sed nonnunquam fortè pauperum misereris. Noui hoc quidem, sed ibi quoque etiam multa est ægritudo, aut enim cum fastu id superbiæ facis, aut ad gloriæ vanitatem, vel lucrum, ne de bonis quidem operibus mercedem consequaris. Quo quid infœlicius credatur esse, quum in portus tranquillitate naufragium pateris etiam? Ne igitur istud eueniat, quum boni quippiam feceris, noli à me gratiam flagitare, vt Deum certè habeas debitorem. Accipit enim ille fœnus, à quibus non putatur accipere. Habes igitur locupletissimum debitorem, cur illum relinquens, me exigis hominem pauperem prorsus, ac tenuem? Nunquid enim indignatur hic debitor, cùm fœnus exigitur? Num aut verax in soluendo non est, aut soluere spontè dissimulat? Nō cernis eius nullo explicabiles sermone thesauros? Non liberalitatem illam inenarrabilem donatoris? Ipsum igitur tene, ipsúmque exige, hac enim exactione iactatur. Nam, si ab alio exigi viderit, quæ ipse debet, suam reputabit iniuriam. Nec tibi vltra iam reddet; quinimo te sibi vltionis faciet debitorem. Vnde me iudicas, inquit, ingratum, cuius verò mihi es idoneus conscius paupertatis? Quia scilicet, me prætermisso, ad alium importunus accedis: alterum fœneratus es, & alterius exactor efficeris. Nam, etsi homo accepit, quod dedisti, Deus tamen vt tribueres imperauit. Se igitur principalem debitorem tuum, séque vult esse vadem, præbens tibi occasiones innumeras exigendi. Noli igitur tantas relinquendo diuitias, tantámque facultatem, & copiam largiendi, à me, vt accipias, postulare, qui nihil omnino possideo. Cuius enim rei gratia mihi te ostendis, cùm misericordiam pauperibus impendis? Num ego tibi vt tribueres imperaui? Nūquid à me, vt retribuerem audisti? vt à me consequeret mercedem videris exigere. Ipse dixit; Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Deo igitur fœneratus es, ipsum reposce, sed non tibi in præsenti cuncta restituet. Verùm hoc quoque tuo cōmodo facit. Est quippe talis hic debitor, non qui (vt alij) festinet ipsum tantummodo fœnus exoluere, sed agit omnia vt & vsura currat, & creditum ipsum maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro thesaurum reseruet. Hæc igitur scientes, misericordiæ operibus liberaliter affluamus, plurimúmque amorem ostendamus in pauperes, eósque non pecuniis solum, verumetiam cæteris operibus adiuuemus. Etsi viderimus publicè, vt fit, cædi aliquem, aut iniuriam sustinere, etiamsi pecunia pro eo est danda, præstemus, etsi tem verbis possumus terminare,

Prouer. 19.

ne pigeat. Est enim pro sermonibus merces, imò pro ipsis quoque gemitibus condolentis. Et ideo beatus Iob; Flebam ego, inquit, super omnem infirmum, & ingemui, cum viderem homines in necessitatibus. Si verò certa merces est etiam gemituum, atque lachrymarum: quando & verbum, & studium, aliáque plurima conuenerint, considera quanta sit retributio conferenda? Nam ipsi quoque, cum inimici essemus, Dei vnigenitus nos ei reconciliauit, in medium se inferens, & opponens, qui & plagas pro nobis suscepit, & mortē. Studeamus igitur nos etiam eos, qui affliguntur, de malis innumeris liberare. Non quemadmodum nunc certè facimus, qui, quum videmus in se aliquos concurrisse, alternisque iniuriis cædi, atque discindi, quasi data opera subsistimus, confusione aliorum, ac dolore gaudentes, & colligimus diabolicum quoddam theatrum: quo quid crudelius possit ostendi? Vides mutuis se contumeliis denudantes, atque alterna cæde mulctantes, scindentes vestes, ora fœdantes, & quietum adstare te pateris? Num leo est, num alia fera aliqua, num coluber? Certè homo est, tibi per cuncta communicans: frater est, membrum est: noli peccare, sed dissolue pugnantes. Non ex eis voluptatem capias, sed eorum corrigas voluntatem. Impudentum enim, & otiosorum est, in talium rerum gaudere discrimine: immemorum hoc, inquam, est, atque irrationalium prorsus asinorum. Cernis homines mutua cæde turpari, & non hāc esse tuam turpitudinem ducis, & non medius insilis, nec diabolicam illam dispergis cateruam, atque hominum pericula dissoluis? Et iubes tu, inquit, vt me huiusmodi manibus inseram, plagisque ipse cōficiar? Primò quidē non patieris istud; etsi acciderit, incipiet tibi hoc opus pars quędam esse martyrij, siquidem propter Deum ista perpeteris. Si verò plagas accipere cunctaris, considera, quoniam dominus propter te nec crucē quidem sustinere cunctatus est. Nam illi quidem velut ebrij tenebras de tyrānide patiuntur furoris, quo solo illi tunc vtuntur duce: indigent autem sano aliquo, cuius adiuuentur auxilio, & ille, qui facit iniuriam, & iste, qui patitur. Hic quidem, vt liberetur afflictus; ille autem, vt cesset affligere: accede igitur, & manum porrige sobrius temulento. Est enim furoris ebrietas, & multo illa, quæ contingit ex vini ebrietate, deterior. Non vides sæpe nautas cùm aliquod cernunt incidere naufragiū, continuò vela tendentes, maxima intētione properare, vt eiusdē artis homines de periculo tempestatis, eripiant? Si verò artis socij tātùm opitulandi studiū sui similibus ostendunt, quantò magis fidei participes hæc omnia implere cōueniet? Nam hîc quoque naufragium est, illóque, quod diximus, perniciosius profectò naufragio. Aut enim vim patiens blasphemauit, & cunctis, quæ habebat, bonis repentè vacuatus est, aut peierauit tyrannide furoris oppressus, & nihilominus incidit in gehennam: aut plagam inferens commisit homicidium, pérque id naufragium vitæ ipse sustinuit. Perge igitur, malúmque compesce, mersos extrahe, ioq; ipsos maris fluctus fida mente descende. Quúmque theatrum illud dissipatis diabolicū, singulos admone separatim: restingue flammam, fluctúsque comprime, & compone. Si verò maior ignis, & fornax fuerit ardentior, ne tunc quidem timeas, habes enim multos iuuantes,

Iob 3.

tes,manúmque tibi continuò porrigéres. Si modò initium rei ipse præstiteris, habes supra omnia opitulantem tibi pacis Deum, flammámque illam primum ipso cooperante discuties. Plurimi etiam alij subsequentur, & illorum quoque rectè factorum merces ad te profectò peruenier. Quid aliquãdo Iudæis præcepit Deus? Iudæis, inquam, adhuc rudibus, humique reptantibus. Si videris, inquit, iumentum inimici tui cecidisse in via: ne pertranseas, sed accurre, & iumentum, quod cecidit, subleua cum eo. Multò inquam, hic facilius est rixãtes homines separare, atque eos in pacem rursus adducere. Si verò inimicorũ asinum, quantò magis animas oportet erigere? Præcipue cum ista multo sit ruina deterior, per quam scilicet, nõ in foueam, sed in gehennę collabuntur incendiũ, nequaquam irarum suarum onera sustinentes. Tu verò videns fratrẽ tanto furoris fasce depressum, & diabolum prope adstantem, ignémque protinus accendentem, transcurris immisericorditer, atque omnino crudeliter: quod absque periculo nec in bruto animante committitur. Samaritanus quidem ille, quum vulneratum videret ignotum, nihilque ad eum penitus pertinentem: & adstitit, & iumento proprio superposuit, & adduxit ad stabulum, medicúmque cõduxit. Et argentum aliud quidem continuò dedit, aliud verò promisit. Tu verò, quum fratrem tuum in latronem videas incidisse, sed in ipsas dæmonum turmas, in obsidionem furoris: non in solicitudine, sed in medio ciuitatis, nec pecuniam impẽsurus, nec conducturus animal, nec proximum longo itineris ducturus, sola etiam proferre verba dissimulas, & absque vlla omnino misericordia, imò etiam cum crudelitate præcipua contemnis, ac præteris? Quomodo speras, inuocãs Deum te habiturum esse placatũ? Iam verò ad vosipsos meus sermo euertitur, qui publicè quoque ista committitis. Ad te, inquã, qui vim affers, & iniquitatem facis: dic mihi, plagas tu incutis, & calcibus cædis, & mordes: susne syluester effectus es, & asinus agrestis, & canis rabidus? Non pudet, non erubescis in feram ex homine conuersus, & propriæ nobilitatis oblitus? Etsi enim pauper sis, sed certè liber: etsi opifex, sed nihilominus Christianus. Propter hoc ipsum ergo, quòd pauper es, magis necessariam habes quietem. Diuitum est enim litigare, non pauperum: eorum vtique hoc opus est, quos variæ aduersum se materiæ incitant iurgiorum. Tu verò, quum diuitiarum non habeas voluptatem, mala tamẽ diuitiarum requiris, congregans tibimetipsi inimicitias, atque certamina. Angis fratrem, atque suffocas, & publicè spectantibus cunctis, elidis, ac saucias, nec existimas maiore teipsum confusione fœdari, qui ferarum impetus furibundus imitaris. Quinimò etiam ipsi deterior effectus es. Illis quidẽ sunt cuncta communia. Nãm & pariter congregantur, & iter vna carpunt, & societate sua gaudent: nobis verò omnino nihil commune est, sed sursum, ac deursum rixa, atque contentio, maledicta, inimicitiæ, & vsque ad commissum cædis iniuriæ. Itaque nec cælum quidem reueremur ipsum, ad quod certè communiter omnes vocamur: nec terram, quæ nobis itidem in cõmune donata est: neque ipsam postremò naturam. Ita prorsus omnia simul fœdera charitatis, iracundiæ furor, & amor pecuniæ dissipauit. Non vidisti illum, qui mille erat debitor talentorum, quia eorum remissionem consequutus, conseruum proprium ob centum denarios etiam suffocabat, in mala certè vltima decidisse, atque immortali traditũ esse supplicio? Num reueteris, exemplum non metuis, ne talia ipse patiaris? Etenim nos quoque & plurima domino debemus, & maxima, sed tamen magnanimiter expectat: neque imminet exigendo, sicut nos studemus facere cõseruis: neque stringit, neque suffocat, & certè si vel minimã eorum partem à nobis in præsenti vellet exigere, olim sine dubio periissemus. Hæc igitur scientes, dilectissimi, humiliemur, & debitoribus nostris etiam gratias agamus. Fiunt enim, si philosophari volumus, maximæ, non solùm indulgentiæ, verumetiam mercedis occasio: pauca siquidem damus, plurima recepturi. Quid ergo exigis violenter à paupere? oportebat enim, etiã si ille vellet exoluere, te tamen potius remittere non habenti, vt à Deo non modò totum, sed etiam multiplicatum illud acciperes. Nunc verò cuncta à contrario facis, & viuis omnino opibus violentiæ, idque contendis, ne quid ex tuis tibi debitis remittatur: & proximum quidẽ videris opprimere, cùm temetipsum proprio mucrone transfodias, & gehẽnæ tibi augeas ipse supplicia. Quòd si hic paululum philosopheris, causam tibi tuã redderes leuiorem. Nam & Deus, non vult propterea à virtute liberalitatis incipere, vt occasionẽ inueniat, per quam nobis plura restituat. Quantoscúmque habes igitur debitores pecuniarum, atque culparum, cunctos liberos abire permittens, à Deo istius magnanimitatis reposce mercedem. Quandiu enim illos exigere perseueras, non habebis dominum debitorem: si verò illos dimiseris, tunc tenere poteris Deum, atque ab eo huius philosophię vicem cum cumulo maximę liberalitatis exigere. Si enim homo fortè præteriens, & abs te debitorem constricta gula teneri vidẽs, rogáusque, vt illum quidem dimittas, abs se verò debitum reposcas: haud studeat esse ingratus tibi, quum, quod tu dimiseris, ille in se receperit vniuersum: quid Deum credimus, non multipliciter, non infinities redditurũ, si quid amore, & præcepto huius, obnoxiis nobis condonemus, nil neque paruum, neque magnum ab illis reposcamus, liberos abire sinamus? Ne igitur temporalem hanc aspicias voluptatem, quam de exactione capimus debitorum: sed damnum illud, quod sustinebimus in futuro, in illis certè nosmetipsos, quæ sunt æterna, lædentes. Cuncta igitur auaritiæ, atque malitiæ impedimenta superantes, & pecunias debitoribus nostris, & peccata donemus: vt causam nobis nostram æquiorem paremus: quódque neglexim̃us per aliam explicare virtutem, hoc ex condonatione admissæ in nos malitiæ consequentes, æternorum gaudio potiamur bonorum, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Sed exigere debitum, præsertim à debitore, qui est soluendo, prohibitum à Christo non videtur: nam hæc declamatorie dicuntur.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

Ex Hom 16. in Matth.

NOlite putare, quia veni soluere legẽ, aut prophetas. Quis enim id fuerat suspicatus? quisue studio istud obiecerat, vt contrà necessario videatur occurrere? Neque enim ex dictis eius istiusmodi suspi

suspicio nascebatur. Nam iubens esse mites, modestos, ac misericordes, & corde mũdo, & pro iustitia decertare, nihil vtique tale mõstrabat: sed totum huiusmodi, quod huic potius suspicioni esset aduersum. Cur igitur hoc dixit? Non ociosè omnino, nec vacuè: sed, quia veteribus præceptis multo erat maiora positurus, dicens; Audisti, quia dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis, etiam ab iracundia tẽperare, & diuina quadam conuersatione, atque cælesti iter celebrare viuendi. Quia ergo ista erat dicturus, ne ipsa nouitas audientium corda turbaret, atque aduersus domini præcepta quasi quandam cogitationum seditionem moueret, hac vtitur præmunitione. Etsi enim legem illi nec cogitationibus, nec operibus implerent, quippe quam quotidiana præuaricatione dissoluerent: ipsas tamen literas immobili volebant authoritate permanere, nihilque aliud illis adiungi, imo addentes quidem illis, supra antiqua præcepta, principes suos æquo animo sustinebant. Verum non quum in melius sed quum in deterius eorum additamenta proficerent. Siquidem honorem parentibus debitum, præcepta addendo, soluerent, aliáque ex lege plurima importunis his additionum suarum redundantiis subruerunt. Quia igitur Christus, nec de sacerdotali veniebat tribu: &, quæ erat dicturus, cumulus erat quidam non imminuẽs, sed augens profectò virtutem: sciens, quòd eos possent hæc vtraque turbare, priusquam admirabiles illas leges discipulis inscribat, necessariò præmonendo, hoc, quod eorum mentibus obrepere poterat, excludit. Quid verò istud erat obrepens, ac sermoni resultans docentis? Opinabantur illum ista dicendo, legitima antiqua dissoluere. Contra hanc ergo nunc illis suspicionem medetur, & non hic tantummodo istud, sed alibi quoque rursus inculcat. Quia enim illum quasi de obseruantia sabbati aduersarium Dei esse credebant, suspiciones eorum curans, hic quoque satisfactionem adhibet: alibi alias quidem, sed omnino dignas, vt

Ioan. 5. quum dicit; Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Alias verò multa cum descensione plenas: vt, cùm ouis sabbato perditæ adducit exẽplum, & ostendit propter mutæ animantia salutem sabbatum esse violatum: Circũcisionis quoque similiter meminit, idipsum profectò faciens propter quod etiam humilioribus vtitur sępe verbis, vt suspicionem, qua contrarius Deo putatur, tollat. Propterea qui innumeros sermone solo mortuos suscitauit, quum de sepulchro Lazarum vocaturus esset, orationem antè pręmisit. Deinde, ne hoc illum minorem patre monstraret, vt hanc quoque suspicioné curaret, adiecit: Sed hæc propter turbã, quæ circunstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Itaque nec omnia sic facit, quasi ipse habeat potestatem, vt infirmitatis scilicet eorum hac moderatione medeatur, nec cũcta rursus operatur orando, ne aliquibus in posterum malignæ suspicionis argumentum relinquat. Non igitur quasi infirmus agit aliquid, aut quasi quæ ipse nõ possit: sed excelsa humilibus, & rursus excelsis humilia permiscet. Verum ne hoc quidem absque ratione aliqua facit, sed cum sibi prorsus congruente sapientia. Quum enim maiora iure propriæ potestatis operetur, in minoribus tamen ad cælum respicit. Nam peccata dimittens, & occulta animorum reuelans, & paradisum referans, & dæmones fugans, & leprosos expurgans, & pelagus frenans, & plurimos etiam mortuos suscitans, solo vtebatur imperio: quando verò id, quod his erat minus, panes multos fecit ex paucis, tunc respexit ad cælum, ostendens non se hoc de infirmitate fecisse. Qui enim maiora fecerat potestate, quemadmodum oratione in minoribus indigeret? Sed, vt paulò antè præmisi, faciat istud, vt ora obstruat impudentium. Id igitur etiam in dictis eius quoties eum humilia loqui audieris, intellige. Nam & verborum eius, & operum talium variæ causæ reperiuntur, & plurimæ, vt, cum docet ne à Deo puretur esse alienus; vt, cum ad humilitatem suum instituit exemplum: vt, quum à quo sit factus, interrogat, vt, quum dicit, Iudęos cuncta simul audire nõ posse; vt, quum discipulos docet, ne de illo interim aliquid magnum loquãtur. Propter hoc cum multa de se humilia ipse dixerit, excelsa aliis magis dicenda dimisit. Nam ipse quidem quum ad Iudæos loqueretur, aiebat, Antequam Abraham fieret, ego sum: verum discipulus eius haud ita; In principio, inquit, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Rursum quia cælum, & terram, & mare, & visibilia omnia, atque inuisibilia ipse condiderat, nusquam omnino patefecit. Discipulus vero cum libertate maxima, nihilque subtrahens, & semel, & secundo, & frequenter hoc loquitur scribens; Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Et quid miraris, si alij de illo plura dixerint, quam de se ipso memorauit: quando plurima, quæ rebus ostendit, verbis tamen non ad liquidum voluerit iudicare? Quia enim hominem ipse fecerit, docuit in cæco, cui oculos, quos nunquam habuerat, creauit. Quando verò de prima illa hominis formatione disseruit, non dixit, ego feci; sed qui fecit, inquit, masculum & fœminam fecit eos. Rursus, quia mundum, & quæ in eo sunt, ipse formauerit, & ex piscibus, & ex vino, & ex panibus, & ex tranquillitate mari reddita, & ex sole, quem crucifixus tenebris obduxit, pérque illa multa monstrauit, verbis tamen nunquam manifeste istud expressit. Discipuli vero & id sæpe memorauerunt, & Ioannes videlicet, & Petrus, & Paulus. Si enim illi certe nocte, ac die illum & audientes loquentem, & videntes signa facientem, & quibus seorsum inquirentibus de quæstionibus multa soluebat; si illi, inquam, quibus tantam vtique virtutem dedit, vt etiam mortuos suscitarent, quósque ad tantum perfectionis culmen euexit, vt propter eum cuncta contemnerent, post insignem illam philosophiam, ac virtutem, omnia, tamen portare non poterant, antequam illos ad audiendum spiritus sanctus præpararet, quemadmodum Iudaicus populus exors omnino sapientiæ, tantæque virtutis extraneos, & vel ad audiendum Christi verbum, vel opera cernenda casu quodam aliquando deductus, non eum alienum esse à Deo omnino credidisset, nisi tantam ille condescensionem per cũcta seruasset? Idcirco enim etiam, quum sabbatum solueret, non principalem legem, quod illud solueret, induxit: sed excusationes quoque plurimas, variásque composuit. Si vero vnum mandatum resoluens, tanta vtitur dispensatione verborum, ne vtique volueret audientes, quanto magis cùm legi integræ integram adderet

ret legem, grandi satisfactionis opus habuit præparatu gradique cura, ne auditorum animos vulneraret? Propterea igitur non vbique manifeste de sua inuenitur docere deitate. Si enim hoc, quòd legi aliquid adiecit, ita eorum corda turbauit, multo magis, si se Deum dixisset. Idcirco ergo & alibi plurima infra propriam loquitur dignitatem, & hic progrediens ad legis augmenta, diligenti præoccupatione est vsus. Non enim semel dixit, quia non solueret legem, sed etiam secunda idipsum satisfactione repetiuit, maiúsque aliud rursus adiecit. Quum enim dixisset; *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas*: intulit; *Non veni soluere legem, sed implere.* Hoc enim non solùm Iudæorum impudentissima illa, sed etiam hæreticorum valet ora frenare, qui veterem legem ex diabolo esse confingunt. Si enim ad dissoluendam tyrannidem illius Christus aduenit, cur legem eius adeò non soluit, vt & impleat? Neque enim contentus dixisse, non soluo: quod vel solum certè sufficeret: addit, impleo. Hoc autem dicere, non modo non est aduersarij legis, verumetiam conseruatoris eius, atque fautoris. Et qui eam non dissoluit, inquis? Quomodo etiam implesse vel legem dicitur, vel prophetas? Prophetas quidem, quia ea, quæ de ipso dixerant, operibus cuncta firmauit. Propter quod per singula Euangelista dicebat, vt impleretur, quod dictum est per Prophetam. Et quando natus est Dominus, & quando in eum paruuli admirabilem illum hymnum canebant, & quum super asinam sedit, & in aliis omnino multis ea, quæ de illo prophetæ aliquando prædixerant, euidenter impleuit, quę omnia nisi venisset ipse, impleta proculdubio non fuissent. Legem vero non vno tantùm, sed altero, & tertio impleuit modo. Vno quidem, quia nihil ex legitimis ipse transgressus est. Nam de omni à se lege completa, audi quid dixerit: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Iudæis
Ioan.8. quoque dicebat: Quis ex vobis arguet me de pec-
Ioan.14. cato? Rursus verò discipulis: Venit, inquit, princeps mundi huius, & in me inuenit nihil. Olim autem etiam prędixerat Propheta: quia peccatum
Esa.53. non fecit. Vno igitur isto legem impleuit modo. Alio verò, quia per nos quoque id ipsum facit. Hoc est quippe mirabile, quia non solum legem impleuit ipse, sed idem istud nobis quoque facere
Rom.10. donauit, quod Paulus significando dicebat: Quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et peccatum illum damnasse dixit in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Et rursus: Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus. Quia enim studebat lex hominem facere iustum, atque ad hoc inueniebatur infirma: veniens Christus, & per fidem certissimum modum iustificationis inducens, voluntatem legis impleuit. Quod enim illa non potuit, hoc per fidem ipse confecit, propterea quoque dixit: Non veni soluere legem, sed adimplere. Si verò aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modum impletæ ab eo legis inueniet. Quem verò istum? Ipsa vtique præcepta, quæ erat daturus. Non enim interitus priorum, sed augmétum potius, & complementum erant ea, quæ dicebantur à Christo: illius quippe sententiæ, qua dicitur: Non occides: non interemptio, sed adimpletio magis, atque munitio est, dicere, non irascaris: omniúmque similiter cæterorum. Propter quod, cùm iam femina quędam eius suspicionem præmisisset, nunc, cùm palam ex veterum, nouorúmque pręceptorum collatione, orationísque habitu aduersarius suspectus futurus videretur, occupatione vtitur necessario, velut per ænigma illa inter se comparando. Siquidem dicere: Beati pauperes spiritu: tale est, quale etiam dicere: nolite irasci. Et beati mundo corde: simile huic est, quod ait, ad concupiscendum mulierem non videndam. Et nolite thesaurizare thesauros super terram: & hoc concinit, quod ait: Beati misericordes. Et lugere, & persecutiones pati, & opprobria sustinere, profectò tale est, quale etiam per angustam viam perseueranter incedere. Et esurire, ac sitire iustitiam nihil aliud est, quam quod etiam post in conse-
quentibus loquitur; Quęcunque vultis vt faciant Matt.7.
vobis homines, hæc etiam vos facite illis. Et cùm pacificum appellaret beatum, illud penè dicebat, vt relinqueret ante altare munus, & ad reconciliationem læsi à se fratris accurreret, atque aduersario celeriter consentiret. Sed ibi quidem prœmia iis, qui virtutem perficerent, ordinauit: hic verò non facientibus supplicia comminatur. Propter quod ibi quidem dixit: quia mansueti hæreditabunt terram, hic vero, quòd, qui fratrem fatuum vocet, reus efficitur gehennæ. Et ibi quidem, quoniam mundo corde videbunt Deum, hic verò, quòd verus adulter sit, qui fœminam aspiciat intemperatè. Et ibi pacificos filios appellant Dei, hic verò discordes aliundè deterret: ne fortè tradat te, inquit, aduersarius iudici. Sic & lugentes, persecutionem ferentes, superius vocat beatos: in consequentibus verò iis, qui non ea ingrediuntur via, perditionem minatur. In qua vtique illa sunt, qui latam viam, spatiosamque frequentant. Sed & quod dicitur: Non potestis Deo seruire, & mammonæ: huic videlicet æquale, quod ait: Beati misericordes: &, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Verùm quod paulò antè memoraui: quia hęc ipsa lucidius erat profectò dicturus, nec lucidius modò, verumetiam cumulatius, plurima scilicet alia illis quàm dixerat, additurus. Non iam enim vsitatum misericordem requirit, sed etiam tunica te exui iubet ad tegendam alterius nuditatem. Neque simpliciter mitem, sed illum, qui alteram quoq; maxillam prębeat ferire cupienti, per quæ omnem obiectionem, quę nasci videbatur, extinguit. Neque hoc semel: sed iterum, iterúmque congeminat. Quum enim dixisset, nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, intulit: *Non veni soluere legem, sed implere. Amen amen dico vobis, donec transeat cælum, &c.* Quod verò dicit, eiusmodi est; Impossibile est legis decreta non perfici. Nam minimum quoque eius oportet impleri, quod certè ipse fecit, omni illam diligentia, curáque seruando. Hic iam illud nobis profectò significat, quoniam totius mundi figura mutanda sit. Nec verò idipsum simpliciter posuit, sed vt auditorem doceret, atque ostéderet perfectiorem se introducere disciplinam. Siquidem transfiguranda cuncta omnino creatura, & hominum genus ad alteram patriam sit vocandum, atque ad sublimioris vitæ gloriam pręparandum. *Quicunque soluerit vnum de mãdatis istis minimis, &c.* Postquam enim suspicione se vindicauit maligna, & volentium contradicere ora clausit, tunc iam consequenter & terret, atque in honorem constituendæ

à se legis pœnam præuaricãtibus maximam comminatur. Quod enim non de veteri hoc lege dictum est, sed de illa quam ipse erat positurus ex his disce, quæ continuò subsequuntur; *Dico enim vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, &c.* Si verò de veteri hoc lege dixisset, quemadmodum diceret, nisi abundauerit. Ea enim facere, quæ Pharisæi, Scribæque faciebant, nondum rationem abundantis iustitię habebat. Sed quod erat hoc abundans? scilicet nec irasci, & adulterium, nec videndi obscænitate committere. Qua igitur gratia vocauit minima mandata, cùm tam magna certè sint, atque sublimia? Quia enim conditurus erat ipse legem, sicut semetipsum humiliat, interdum & mediocria de seipso loquitur: ita nunc etiam de pręceptis suis, nos scilicet per hęc quoque docens, mediocritatem vbique seruare, & inuidiam nouæ legis attenuans, vtitur quippe sermone, qui diuersis intellectibus possit aptari. Cùm verò audis minimum in regno cęlorum, nihil aliud intelligas, quàm in tẽpore regni, atque supplicij. Solet etiam cęlorum appellare regnum, non solum ipsa gaudia pręmiorum, sed etiam resurrectionis tempus, & pręsentiam illam terribilem. Cęterùm quęnam esset hęc ratio, vt ille quidem, qui fratrem fatuum vocasset, vnúmque mandatum soluisset, iret in gehennam: hic verò, qui & mandatum solueret, & non solueret solùm, sed ad ipsum alius etiam induceret, esset tamẽ vel minimus in regno? Non igitur hoc dixit, sed quia resurrectionis tempore huiusmodi præuaricatur erit minimus, & abiectus. At verò omnium minimos post iudicium incidet in gehennam. Deindè quasi verò Deus futuram multorum desidiam pręuidebat: quia videlicet opinaturi erant exaggerationis illa esse pręcepta, & aduersus Euangelium ratiocinaturi, atque dicturi, Ergò ne, qui fratrem tantummodo fatuum vocauerit, punietur, & qui incautè fœminam viderit, inter adulteros deputandus erit? Igitur contemptum legis antea tollens, vtrisque pęnam est maximam comminatus, & præuaricatoribus scilicet, & iis, qui ad pręuaricationem alios cohortantur. Scientes igitur comminationis istius magnitudinem, neque transgrediamur ipsi legem, neque eos, qui illã seruare cupiunt, remoremur. *Qui autem fecerit,* inquit, *& sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Non enim sibi ipsi tantum vnusquisque vtilis esse debet, sed etiam cęteris. Neque enim æqua merces est eius, qui solummodo seipsum regit, & illius, qui etiam alios acquirit. Sicut enim docere absque operibus condemnat docentem.
Rom. 2. Qui, inquit, doces alium, teipsum non doces? ita facere quidem, nec tamen aliis faciẽda suggerere, non parum de illa plena mercede decerpit. Oportet igitur in vtroque esse perfectum. Cúmque primum se aliquis ipse correxit, tunc eundem etiam erga cæteros congruit fieri diligentem. Idcirco etiam ipse prius posuit facere quã docere, ostendens quòd sic aliquis bene accedere valeat ad docendum. Nec talis omnino aliquando audiet. Me-
Luc. 4. dice, cura teipsum. Qui enim, quum seipsum docere nequiuerit, alios emendare conatur, irrisioni est expositus plurimorum: imò ne docere quidem seipsum valebit, cùm scilicet verbis eius clariores hominum voces reclament. Si verò fuerit ex vtroque perfectus, magnus vocabitur in regno cælorum.

AVTHORIS IMPERfecti in Matth. eiusdem Euang. expositio.

Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? &c. Quasi interrogantibus Apostolis, ad quos sit omnia ista locutus, vtrum generaliter ad populum, aut ad ipsos: volens ostendere quoniam ad ipsos præcipuè hæc loquebatur, addit: *vos estis sal terræ.* Hoc quod dicit, *vos estis sal terræ,* ad illud respicit, quod superius dixit: quia doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, vt auaritiam libera voce castiget. Debet esse semper suspirans, & lugens, siue sua, siue aliena delicta, vt confundat eos, qui nec peccare dubitant priusquam peccent: nec postquam peccauerunt, tristantur: quia peccauerunt. Ideo suspiret, & plangat, vt per hoc ostendat: quia grauis, & periculosus est mundus iste fidelibus. Debet esuriens, & sitiens esse iustitiam, vt pigros circa opera bona, vel lectionem*, fiducialiter verbo Dei, aut increpationis flagello valeat excitare, magis exemplo suo, quàm voce. Debet esse mansuetus, vt magis indulgendo, quàm vindicando regat ecclesiam, vt magis ametur, quàm timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus, vt sibi quidem graue pondus iustitiæ ponat, aliis autem leue. Debet esse mundo corde, vt non solum non se immisceat circa negotia secularia, sed nec cogitet de mũdo. Sicut enim oculus, quanto mundior fuerit, tanto longius videt: sic & anima, quanto longior fuerit à sollicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. Cuius autem cordis oculus mundum aspicit, illius mens non potest Deum videre. Sic autem pacificus, vt tota Ecclesia eius, quasi vna sit anima. Vbi autem concordia nõ est, nec oratio illic exauditur, nec oblatio suscipitur: quia nec ibi est Deus, vbi discordia dominatur. Debet autem & paratus ad passionem esse, non vana desideria martyrij habens, sed constantiam fidei martyribus dignam. Nam quantum ad sapientes, & milites, non ille paratus dicitur ad bellum qui concupiscit exire, sed qui potẽs est exire. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur, magis vidẽdo eum, quàm audiẽdo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autẽ audire. *Vos estis lux mundi.* Dum consideramus quod opus est salis, quod lucis, admonet nos, vt quęramus ob quã causam Apostoli sali sunt comparati, ob quam autẽ causam luci. Salis opus est, rem in eo statu tenere, in quo inuenerit eam vt ad deterius eam mutari non sinat, ad melius autem perducere non potest. Vtputa tenet carnem ne putrescat, putridam autem non potest tenere incorruptam. Lucis autem opus est, ipsas soluere tenebras, & ea quæ fuerunt in tenebris, illustrare: sic & apostoli cętetique doctores, sal quidem sunt populi Christiani iam cognoscentis Deum, seruantes eum in ipsa agnitione Dei & sanctitate, id est, terræ cultæ, quæ iam verbo crucis, quasi vomeri, aratróque subiecta est. Lux autem sunt Gentium, perducentes eas ad scientiæ lumen, vel cæterorum qui fortè in ecclesia ceciderunt in tenebris peccatorum. Item bona conuersatio sacerdotis sine verbo, tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem

Homil. 10. Matth.

* Vel lectionem fidei, vel.

autem ignorantem ad sciētiam veritatis non potest. Item verbum quidem ignorantem adducere ad scientiam veritatis, & sine conuersatione bona potest: tenere autem in fide, vel sanctitate absque bona conuersatione non potest, magis autē & scandalizat: sicut in sequentibus ostendemus. Ergo propter bonam conuersationem suam sacerdotes sunt sal, quoniam bona conuersatio sacerdotum conditura populi est. Propter verbum autem doctrinæ lux, quoniam verbum ignorantiæ lumen est. Prius autem vocauit eos sal, postea autem lux, aut quia prioris loci est seruare, quod habes, secundum autem vocare quos non habes. Aut quia prius est bene viuere, secundo autem bene docere. Nam per bonam conuersationem ascenditur sine dubio ad scientiam, à scientia autem nescio si ad bonam conuersationem omni modo veniatur. Propterea scientes quidem, sine timore Dei multos videmus: timentes autem Deum sine sciētia nullos videmus. Aut quia propter Iudæos priores dicti sunt sal, non adducentes eos ad scientiam Dei, sed condientes ipsos in ipsa scientia. Lux autem propter Gentes, in secundo loco vocatas. Ideo & per comparationem congrua introducens addidit, dicens: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quamuis enim ipsa voluerit esse velata,* mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic & apostoli, & sacerdotes qui fundati sunt in Christo monte excelso, non possunt esse absconditi: & si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos, qui baiulat eos. Quæ est hæc ciuitas? Ecclesia est sanctorum, de qua dicit propheta: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Ciues autem eius sunt omnes fideles de quibus dicit Apostolus: Vos estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Turres illius sunt prophetę, de quibus dictum est: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Sicut enim de turribus iacula contra omnes hostes iactantur: sic de propheticis libris, contra vanas Gentilium fabulas, & cōtra insanas hæreticorum disputationes salutaria veritatis proponūtur exempla. Portæ autem eius sunt apostoli, de quibus dictum est: Diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Quia per illas totus populus intrat ad fidem. Muri autem illius sunt sacerdotes, cæterique doctores, de quibus dicit propheta ad hāc Hierusalem spiritualem: Et alienigenæ ædificabunt muros tuos. Quoniam ex Gentibus vocati, facti sunt sacerdotes & gubernatores ecclesiæ. Sicut enim muri omnem gentilium hæreticorum imperum ipsi suscipiunt, qui tanquam arietibus quibusdam, sic assiduis persecutionibus feriunt cletum, id est, murum ecclesiæ. Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba peruersæ * cogitationis eorum, de impia cordis pharetra procedentia, doctores quasi lapides viui suscipiunt, & fidei virtute constringunt.* Hæc ergo ciuitas est super mōtem, id est, apostoli, prophetæ, cæterique doctores ædificati in Christo. Mons enim Christus est, de quo ait Daniel: Ecce lapis excisus est sine manibus, & factus est mons magnus, & occupauit totam terram. Nunc per alteram comparationem vult ostendere, quare sanctos suos ipse Christus manifestat, & non sinit esse eos absconsos, id est, *quia nec qui accendunt lucernam, ideo eam accendunt, vt ponant sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.*

* Celata.

Psal.86.

* Confessionis.

*Constringūt.

Dan.2.

Qui sunt accensores lucernæ? Pater, & filius. Quæ est illa lucerna? Verbum diuinum, de quo dictum est: Lucerna pedibus meis verbū tuum, *Vt luceat,* id est, appareat, & illuminet qui sunt vel in domo ecclesiæ, vel in domo omnium mūdorum. Quod est candelabrum? Ecclesia quæ baiulat verbum vitæ, consequenter dicit Paulus: inter quos lucetis, sicut luminaria in seculo, verbum vitę continentes. Consequenter & omnis ecclesiasticus vir, habens verbum Dei, dicitur candelabrum. Modi autem sunt homines mundiales, vacui à Deo, & ab omnibus quæ sunt Dei. Dicuntur autem modij, quoniam sicut modij desuper quidem vacui sunt, desubtus autem pleni. Sic omnes mūdi amatores, & carnis, in spiritualibus quidem & diuinis, quæ superiora rectè dicuntur, vacui sunt, & insensati: in inferioribus autem, id est, in mundialibus, & terrenis aliquatenus pleni videntur & sapientes. Propterea, sicut in modio si volueris aliquid reponere, necesse est vt cadat deorsum ad inferiora eius, & tenebrosa: sic homini carnali, & mundiali, & vacuo: si dixeris aliquid, quod est Dei, non illud tenet in superiore parte mentis suę aut cordis, nec portat illud in ore, sed confestim cadet de mente eius, & corde deorsum in terrena, & tenebrosa, vt nec illi prosit, nec aliis. Si autem & aliqua tentatio facta fuerit, propter verbum veritatis, statim reuertatur in terrā, & aspiciens terram quasi modius, verbum Dei sub se tenet absconditum. Reuersus est enim, & aspiciens terram, & abscondens verbum sub se, quando propter aliquam causam terrenam non est ausus palam proloqui fidei veritatem, aut iniurias * carnales timens, aut mortem, aut damna, aut cætera quæ obstruunt homines carnales, vt verbum, quod crediderunt liberè non audeant profiteri. Nunc autem sciens, quoniam ille est laudabilis doctor, qui facit quod docet, addidit & dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Id est, sic illuminate, docete, non vt verba vestra tātummodo audiant homines, sed vt opera vestra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbum quasi lux, cōdiatis per exempla operum vestrorum, quasi sales. Quoniam qui docet, & facit, quod docet, verè ille docet: qui autem non facit, quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, & non docere: quàm docere, & non facere. Quoniam qui facit, & si tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem docet, & non facit, non solum neminem corrigit: sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moueatur ad peccādum, quum viderit ipsos doctores pietatis peccantes? Ergo per illos quidem doctores, qui docent, & faciunt, magnificatur Deus: per eos autem, qui docent, & nō faciūt, blasphematur. Vtputa, si bene doceant sacerdotes, & melius viuant, videntes Gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet seruos. Verè enim eorum Deus, verus est Deus. Nisi enim ipse esset iustus, nunquam populum suum circa iustitiam sic teneret. Nam disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur. Non sicut nostri philosophi, qui magna loquuntur, & nec modica faciunt. Si autem bene doceant, & malè conuersentur, videntes dicunt: Qualis est Deus eorum, qui talia agunt? Nunquid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum? Patres nostri,

Psal.118.

Philip.2.

* inuidias

noſtri, ſicut illi exiſtimant, idola colẽtes, omnem iuſtitiam ſeruauerunt, iſti autẽ glorioſos loquuntur ſermones, & ignominioſa opera faciũt. Vides quomodo Deus per malos Chriſtianos blaſphematur? Nec poteſt dominus bonam opinionem habere, qui malam familiam habet. Vnde dictum eſt ad populum Dei: Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes. *Nolite putare, quia veni ſoluere legem, aut prophetas*, Propter duas cauſas dicit non ſe veniſſe, vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret. Primùm, vt diſcipulos ſuos, quos omnibus bonis operibus adornatos eſſe debere ſupra docuerat, his verbis ad ſuum prouocaret exemplũ: vt quemadmodum ipſe omnem legem implebat, ſic & illi etiam minima legis feſtinarent implere. Deinde quia futurum erat, vt Iudæi calumniarentur eum in ſabbatis operantẽ, & lepram tangentem, quaſi ſoluentem legem, ideo priuſquam incurrat in calumniam, calumniatoribus ſatisfacit, dicens: *Nolite putare quia veni ſoluere legem, aut prophetas, non veni ſoluere ſed adimplere.* Lex & Prophetæ duo hæc agunt. Et de Chriſto baptizant, & legem viuendi conſtituunt: quæ vtraq; Chriſtus impleuit. De ſe quidem ſic, quando natus eſt, & vocatus eſt Emanuel: quando circunciſus eſt, quando præſentatus eſt in templum, & oblatum eſt pro illo ſacrificium, ſcilicet duo turtures, aut duæ columbæ: quando in Ægyptum fugit legem adimpleuit: Quando in Nazareth cõuerſatus eſt, quando cum aſino in templum ingreſſus eſt: quãdo à pueris laudatus eſt, quando crucifixus eſt inter iniquos, quando felle, & aceto potatus eſt, quando in manibus patris ſui ſpiritum commendauit, quando veſtimenta ſua diuidenda reliquit, quando deſcendit ad inferos, & viſitauit omnes dormientes, quando aſcendit in ſtrepitu, quando ſedit ad dexteram patris, quando adhuc venturus eſt vocans terram à ſolis ortu vſque ad occaſum, quando ſederit in valle Ioſaphat, & iudicauerit omnes gentes, adimples prophetias. Quia niſi hæc facta fuiſſent, mendaces erant prophetæ: nunc autem omnes impleti ſunt, & adhuc implebuntur, quum ſtellæ ceciderint, quum ſol tenebratus fuerit, quum luna ſanguineo colore mutata fuerit, quum cælum plicatum fuerit ſicut liber. Secundum autem modum viuendi, legem impleuit duobus modis. Primùm exteriores quidem legis figuras ſoluens, interiores autem veritates eius adimplens. Vtputa in lege præcepit omne opus ſeruile in ſabbato quemquam facere non debere, præterquam quod fit omni animæ, ſcilicet quod eſt neceſſarium vitæ humanæ: hoc figurale eſt, quia ſic Deus in ſabbato ceſſat ab opere. Spiritualiter ſecundum euangelicam veritatem, opus ſeruile peccatum

Ioan 8. eſt. Quoniam omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Omne autem opus bonum non ſeruile, ſed liberale, & pro animæ fit libertate, licet videatur ipſum opus in prima facie corporale. Vides ergo quia Chriſtus ſabbatis operans adimpleuit legem, non ſoluit: manifeſtauit, non occultauit? Item in lege fuerat ſcriptum, lepram

Leuit. 13. tangere non oportere, Hoc figuratum eſt. Lepra enim intelligitur peccatum. Chriſtus ergo tangẽs lepram non ſoluit legem, ſed impleuit. Mundans enim leproſum, iuſtitiam operatus eſt, non peccatum. Et per hoc iuſtitiam tetigit, non peccatum, quod eſt vera lepra. Nam, ille, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, certum eſt, quia nũquam tangit lepram, id eſt, peccatum. Merito ergo dicit, *donec omnia fiant. Amen dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quoniam quæ ab initio mundi vſque ad finem erant futura, eorum myſteria ſunt prophetata in lege, vt ne videatur aliquid eorum, quæ fiunt, Deus antea non cognouiſſe: propterea dicit, non poteſt fieri vt tranſeat cælum, vel terra, donec omnia, quæ in lege prophetata ſunt, rebus ipſis fuerint adimpleta. Ingenuus homo, ſi vel in vili mendacio inuentus fuerit, erubeſcit: & quomodo Deus, quod promiſit in lege, non faciat, aut aliter faciat? Vir ſapiens, quod dixerit verbum ſuum, non relinquit vacuum, & quomodo verba diuina ſine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, ſi quod docet alium, ipſe non fecerit: quomodo Chriſtus, quod locutus eſt in prophetis non impleuit in opere? Deinde impleuit legẽ in minimis iſtis. *Si quis ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Sed primum videamus quæ ſunt iſta minima mandata. Et alij quidem aliter interpretari ſunt, alij autem aliter. Puto autem ipſe dominus manifeſte oſtendit, quæ ſunt dicens demonſtratoriè. *Si quis ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis*, id eſt, quæ modo dicturus ſum. Nam talis eſt mos loquendi in ſcripturis, quæ poſt modicum dicturi ſunt, quaſi iam dicta demonſtrantur. Sicut eſt ibi, audite hæc omnes gentes. Quæ, hæc, niſi quæ in ſequentibus verſiculis erat dicturus? Mandata igitur Moyſi in actu facilia ſunt. Non occides, non adulterabis: & ideo in remuneratione modica, in peccato autem magna. Mandata autem Chriſti, id eſt, neque iraſcaris, neque concupiſcas, ipſo actu difficilia ſunt: & ideo in remuneratione magna ſunt, in peccato autem minima. Quomodo autem abſtinere ab homicidio, aut adulterio facile eſt patet. Ipſa enim criminis magnitudo voluntatem faciendi repercutit, & ideo non habet laudem, qui abſtinet ſe ab illis, quia non eſt labor abſtinere ſe ab illis. Nam omne malum, quanto grauius crimen eſt, tanto leuius videtur ad non faciendum, & grauius facit peccatum, ſi fuerit factum. Non iraſci autem difficile eſt in actu, quia dum leuis culpa putatur, non facilè ſeruatur à multis. Et multum laborioſum eſt, poſſe non iraſci, quia naturaliter in hominibus iracundia eſt plantata: & ideo in remuneratione magna ſunt: quia difficile eſt, & laborioſum abſtinere ab eis. Propterea & ſi iratus fuerit homo, aut concupierit, eſt quidem peccatum, quia malum eſt: non tamen eſt graue peccatum, quia difficile eſt abſtinere ab eis. Ergo minima mandata iſta dicit Chriſti mandata. Non iraſcaris, non concupiſcas. Quæ in obſeruando quidem magna ſunt, in peccando autem minima videntur, quantum ad homines negligentes. Ergo illi, qui leuia peccata committũt, minimi ſunt in regno Dei: id eſt, qui iratus fuerit, & iratus grande peccatum non fecerit in actu, à pœna quidem ſecutus eſt, non tamen eſt in gloria: quia & ſi nihil tale commiſit, tamen quia ſecutus eſt iram ſuam, & non illam repreſſit in corde ſuo, peccauit. Vnde iubet nos propheta, ſi irati fuerimus, vt compuncti in cordibus noſtris iracundiam reprimamus: ſciens quoniam ſi per iracundiam vel leuiter peccauerimus, peccatores ſumus,

Vel hic patet non eſſe hunc Chryſoſtomianũ doctrinam, cum ſit contraria eis quæ continentur in altero opere in Mat.

Esaiæ 52.

mus. Item qui concupiſcit, & ſi non fecerit, peccauit. Quare? Quia vel omnino voluit. Qui ergo doctus eſt, ſi ab omnibus abſtinuerit, magnus eſt: ſi autem vel leuia hæc peccauerit, nihil illi prodeſt ſacerdotalis dignitas eius, ſed proiectus à primo eccleſiaſtico choro, fit inter eos, qui nec in pœna ſunt, quia non fecerunt graue peccatū: non tamen ſunt in gloria, quia peccati rugam aut maculam ſuſceperunt.

Caute, nā videtur cum Pelagio tria loca conſtituere, ſcilicet gehēna, regnū cælorū, & ſalutis.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipponen. in ſuperius Euang. Homilia.

Ex libr. 1. de Ser. domini in monte *1. Cor. 15.* RECtiſſime itaque ſequitur, *Vos eſtis ſal terræ*, Oſtendens fatuos eſſe iudicandos, qui temporalium bonorum vel copiam ſectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri. Itaque, *ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur*; id eſt, ſi vos, per quos condiendi ſunt quodam modo populi, metu perſecutionum temporalium amiſeritis regna cælorum: qui erunt homines per quos à vobis error auferatur, cū vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? *Ergo ad nihilum valet ſal infatuatum, niſi vt mittatur foras, & calcetur ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur perſecutionem, ſed qui perſecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non poteſt niſi inferior, ſed inferior non eſt, qui quamuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cælo eſt. *Vos eſtis lumen mundi.* Quo modo dixit ſuperius, *ſal terræ*: ſic nunc dicit, *lumen mundi.* Nam neque ſuperius iſta terra accipienda eſt, quam pedibus corporeis calcamus: ſed homines qui in terra habitant vel etiam peccatores, quorum condiendis, & extinguendis putoribus Apoſtolicum ſalem dominus miſit. Et hic mundum non cælum, & terram, ſed homines, qui ſunt in mundo, vel diligunt mundum oportet intelligi, quibus illuminandis Apoſtoli miſſi ſunt. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita*: id eſt, fundata ſuper inſignem magnámque iuſtitiam, quam ſignificat etiā ipſe mōs in quo diſputat Dominus. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio.* Quid putamus, ita eſſe dictum *ſub modio*, vt occultatio tantum lucernæ accipienda ſit, tanquam ſi diceret, Nemo accendit lucernam, & occultat illam, An aliquid etiā modius ſignificat, vt hoc ſit ponere lucernam ſub modio, ſuperiora facere corporis cōmoda, quam prædicationem veritatis: vt ideo quiſque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus moleſtiæ patiatur? Et bene modius dicitur, Siue propter retributionem menſuræ qua quiſque recipiet quæ geſſit in
2. Cor. 5. *Matth. 7.* corpore: vt illic, inquit Apoſtolus recipiet vnuſquiſque quę geſſit in corpore: & tanquam de hoc modio corporis alio loco dicitur, In qua menſura mēſi fueritis, in ea remetietur vobis. Siue quoniā temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum menſura & inchoātur, & tranſeunt, quam
Ioan. 3. fortaſſe ſignificat modius, Æterna vero & ſpiritalia nullo tali fine coarctentur. Non enim ad menſurā dat Deus ſpiritū. Sub modio ergo lucernam ponit, quiſquis lucem bonæ doctrinæ commodis tēporalibus obſcurat, & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus ſuum miniſterio Dei ſubiicit, vt ſuperior ſit prædicatio veritatis, & inferior ſeruitus corporis: per ipſam tamen corporis ſeruitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id eſt, per vocē, & linguam, & cæteros corporis motus in bonis operibus inſinuatur etiam diſcentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam cum dicit Apoſtolus, Non ſic pugno tanquam aerem cædens, ſed caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubiicio, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar. Quod vero ait. *1. Cor. 19.* *Vt luceat omnibus qui in domo ſunt*: Domum puto dictam habitationem hominum, id eſt, ipſum mundum propter id quod ſuperius ait. *Vos eſtis lumen mundi.* Aut ſi domum quiſque vult accipere Eccleſiam, nec hoc eſt abſurdum. *Sic luceat*, inquit, *lumen veſtrum coram hominibus, vt videant bona facta veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Si tantummodo diceret, ſic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant bona facta veſtra: finem conſtituiſſe videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, & qui ambiunt ad honores & captant inaniſſimam gloriam. Contra quos dicitur, Si adhuc hominibus placerē, Chriſti ſeruus non eſſem. Et per prophetam. Qui ho- *Galat. 1.* minibus placent confuſi ſunt, quia Deus nihil fecit illos. Et iterum, Deus confringit oſſa eorum, *Pſal. 52.* qui hominibus placent. Et rurſum Apoſtolus, *Galat. 6.* Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Et ipſe iterum, Probet autem ſe homo, & tunc in ſemetipſo habebit gloriam, & non in altero. Non ergo tantum dixit, vt videant bona opera veſtra: ſed addidit, *& glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*: vt hoc ipſum quòd homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem conſtituat vt hominibus placeat, ſed referat hoc ad laudē Dei, & propterea placeat hominibus vt in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, vt non hominem, ſed Deum honorent, Sicut in ipſo homine quem portabat, dominus oſtendit, vbi admiratæ ſunt turbæ paralytico ſanato virtutes eius, ſicut in Euangelio ſcriptum eſt, Timuerunt, & glorifica- *Matth. 9.* uerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Cuius imitator Apoſtolus Paulus dicit, Tantum autem audientes erant, quoniam qui aliquando nos perſequebatur, nunc euangelizat *Galat. 1.* fidem, quā aliquādo vaſtabat, & in me glorificabant Deum. Poſteaquam ergo cohortatus eſt audientes, vt ſe præpararent ad omnia ſuſtinenda pro veritate atque iuſtitia, & non abſconderent bonum, quod accepturi erant, ſed ea beneuolentia diſcerent vt cæteros docerent, non ad laudem ſuam, ſed ad gloriam Dei bona ſua opera referentes: incipit eos iam informare & docere quid doceant, tanquam ſi quærerent dicentes, Ecce volumus omnia ſuſtinere pro tuo nomine, & doctrinam tuam nō abſcondere, ſed quid eſt hoc ipſum quod vetas abſcondi, & pro quo iubes omnia tolerari? Nunquid aliud dicturus es contra ea quæ in lege ſcripta ſunt? Non, inquit, *Nolite enim putare, quoniam veni ſoluere legem aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* In hac enim ſententia ſenſus duplex eſt, ſecundum vtrunque tractandum eſt. Nam qui dicit, non veni ſoluere legem, ſed adimplere: aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet. * illud ergo prius conſide- ** al. iubet.* remus, quod primo poſuit. Nam qui addidit quod minus habet, non vtique ſoluit quod inuenit, ſed magis perficiendo confirmat: & ideo ſequitur, & dicit,

1. Reg. 19. (right margin, beside first line of right column)

dicit, *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* (1. Retr. c. 19.) Dum enim fiunt etiam illa, quæ adduntur ad perfectionem, multò magis fiūt illa, quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quòd autem ait, *iota vnum, aut vnus apex non transibit a lege*, nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis, quando per litteras singulas demonstrata est: inter quas literas iota minor est cæteris, quia vno ductu fit: apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostēdit in lege ad effectum etiam minima quæque perduci. *Deinde subiecit. Qui enim soluerit vnum de mādatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* (1. Retra. c. 19.) Mandata ergo minima significantur per vnum iota, & vnum apicem. *Qui ergo soluerit, & docuerit sic*, id est, secundum id quod soluit, non secundum id quod inuenit, & legit, *minimus vocabitur in regno cælorū*, & fortasse ideo nō erit in regno cælorum, vbi nisi magni esse nō possunt. *Qui autem fecerit & docuerit sic*: hoc est, qui nō soluerit: & docuerit sic secundū id, quod nō soluit: *magnus vocabitur in regno cælorum.* Qui ergo magnus vocabitur in regno cælorum, sequitur vt etiam sit in regno cælorum, quò magni admittuntur: ad hoc enim pertinet quod sequitur. Dico enim vobis, quia nisi abūdauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum: id est, nisi non solum illa minima legis præcepta impleueritis quæ inchoant hominem, sed etiam ista, quæ à me adduntur, qui non veni soluere legem, sed adimplere, non intrabitis in regnum cælorum. Sed dicis mihi; Si de illis mandatis minimis cum superius loqueretur dixit, minimum vocari in regno cælorum, quisquis vnum eorum soluerit, & secundum suam solutionem docuerit, magnum autem vocari quisquis ea fecerit, & sic docuerit, & ex eo iam in regno cælorum futurum esse, quia magnus est: quid opus est addi præceptis legis minimis, si iam in regno cælorum potest esse, quia magnus est, quisquis ea fecerit & sic docuerit? Quapropter sic est accipiēda illa sententia: *qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cælorum*: id est, non secundum illa minima, sed secundum ea, quæ ego dicturus sum. Quæ sunt autem ista? Vt abundet iusticia, inquit, vestra super Scribarum, & Pharisæorum: quia nisi abundauerit iusticia, non intrabitis in regnum cælorum. Ergo qui soluerit illa minima, & sic docuerit, minimus vocabitur: qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non iam magnus habendus* est, & idoneus regno cælorum, sed tamen non tam minimus quàm ille, qui soluit. Vt autē sit magnus; atq; illi regno aptus, facere debet, & docere, sicut Christus nunc docet: id est, vt abundet iusticia eius super Scribarum, & Pharisæorum. Iusticia Pharisæorum est, vt non occidant: iusticia eorum, qui intraturi sunt in regnum cælorum vt non irascantur sine causa. Minimum est ergo non occidere, & qui illud soluerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleuerit, vt non occidat, non continuo magnus erit, & idoneus regno cælorum: sed tamen ascendit aliquem gradum, perficiet autē, si nec irascatur sine causa. Quod sic perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet, vt non irascamur, non soluit legem, ne occidamus, sed implet potius, vt & foris, dum non occidimus, & in corde, dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

* vocandus.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

SOlet multos mouere, fratres charissimi, quòd dominus noster Iesus Christus in sermone (Ser. 2. de ver. domini Matt. Homil.) euāgelico, cum prius dixisset, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*: (Matth. 5.) postea dixit, Attendite ne iustitiam vestrā faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. (Matth. 6.) Turbatur enim mēs parum intelligentis, & præcepto vtrique obaudire cupientis, & per diuersa, & aduersa distenditur. (Ibidem.) Tam nemo enim potest quāuis vni domino obtemperare repugnantia iubenti, quàm nemo potest etiam duobus dominis seruire: quod eodem sermone saluator ipse testatus est. Quid ergo faciet animus nutans, cum se obtemperare nō posse existimat, & non obtēperare formidat? Si enim bona opera sua in luce posuerit hominibus intuenda, vt faciat quod præceptum est, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*: reum se teneri arbitrabitur, quia contra præceptum fecit, vbi dicitur, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Rursúmque si hoc timens & cauens, ea quæ bene facit absconderit, non se putabit seruire imperanti, & dicenti, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra.* Qui autem recte intelligit, vtrunque implet & seruiet vniuersissimo domino, qui seruum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant imperaret. Audite enim Paulum seruum Christi Iesu vocatum Apostolum, segregatum in Euangelium (Rom. 1.) Dei, vtrunque & facientem & dicentem, Videte quemadmodum luceat lumen eius coram hominibus, vt videant bona opera eius. Commendamus, (2. Cor. 4.) inquit, nosmetipsos ad omnem cōscientiam (2. Cor. 8.) hominum in conspectu Dei: & iterum, Prouidemus (1. Cor. 10.) enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus: & iterum, Placet omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. Videte rursus quàm attentiat ne faciat iustitiam suam coram hominibus vt videatur ab eis: Opus (Galat. 6.) autem suum probet, inquit, vnusquisque, & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero: & iterum, Nam gloria nostra hæc est, testimonium (2. Cor. 1.) conscientiæ nostræ: & illud quo nihil manifestius, (Galat. 1.) Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi seruus non essem. Sed ne quisquam eorum qui de præceptis quasi repugnātibus ipsius domini moueatur, multo magis Apostolo eius ingerat quæstionem & dicat, Quomodo tu dicis, Placere omnibus per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo: & tu idem dicis, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem? adsit ipse dominus, qui etiam in suo seruo & Apostolo loquebatur, & aperiat nobis voluntatem suam, & tribuat obediendi facultatem. Ipsa quippe verba euangelica secum portant expositiones suas, nec intercludunt ora esurientium, quia pascunt con-cordia* pulsantium. (* al. ab ostia.) Intentio quippe cordis humani quò dirigatur, & quò spectet intuēdum est. Si enim qui vult videri ab hominibus bona opera sua,

ra sua, gloriam & vtilitatem suam ponit ante homines, & hanc in conspectu hominum quærit, nihil eorum quæ de hac re dominus præcepit implebit, quia & attendit facere iustitiam suam coram hominibus, vt videretur ab eis, & nó sic eluxit lumen eius coram hominibus, vt ad hoc viderent bona opera eius, vt glorificarent patrem qui in cælis est. Se quippe voluit glorificare, nó Deú, & suam quæsiuit vtilitatem, non dilexit domini voluntatem, de quibus dicit Apostolus, Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Itaque non illic sentétia terminata est, vbi ait, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra*: sed continuo subiunxit cur faciendum sit, *Vt glorificent patrem*, inquit, *vestrum qui in cælis est*: vt homo cum bene faciés videtur ab hominibus intentionem boni facti habeat in conscientia sua, intentionem vero innotescendi non habeat nisi in laudibus Dei, propter eorum, quibus innotescit vtilitatem: quibus hoc prodest vt Deus placeat qui hoc præstitit homini, atque ita non desperent etiam sibi si voluerint hoc posse præstari: itaque aliam sententiam, vbi ait, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: non alibi terminauit, quàm vbi dixit, Vt videamini ab eis: nec addidit, *Et glorificent patrem vestrum qui in cælis est*, sed potius addidit, Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Hinc enim ostendit eos qui tales sunt, quales suos fideles esse non vult, in eo ipso mercedem quærere, quod videntur ab hominibus, ibi constituere bonum suum, ibi oblectare vanitatem cordis sui, ibi exinaniri & inflari, ibi tumescere & contabescere. Cur enim non sufficit, vt diceret, Attendite ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus: sed addidit, Vt videamini ab eis: nisi quia sunt quidam qui sic faciunt iustitiam suam coram hominibus, non vt videantur ab eis, sed vt ipsa opera videantur, & glorificetur pater qui in cælis est, qui eam iustificatis impiis donare dignatus est? Qui tales sunt, nec suam iustitiam deputát, sed eius ex cuius fide viuunt: vnde & Apostolus dicit, Vt Christum lucrifaciam & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ per fidem Christi quæ est ex Deo iustitiam ex fide: & in alio loco, Vt nos simus iustitia Dei in illo: vnde & Iudæos ita reprehendit, Ignorantes, inquit, Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Quisquis ergo ita vult videri ab hominibus opera sua, vt ille glorificetur à quo ea quæ in illo videntur accepit, & sic ad imitandum bonum idem ipsi qui vident pietate fidei prouocentur, vere lumen eius lucet coram hominibus: quia lux de illo lumine charitatis radiatur, non superbiæ fumus euomitur: & in eo ipso cauet ne iustitiam suam faciat coram hominibus vt videatur ab eis, quia nec suam deputat illam iustitiam, nec ideo facit vt ipse videatur, sed vt intelligatur quia laudatur in homine iustificato, vt faciat & in laudáte quod laudatur in altero, id est, vt laudantem faciat esse laudabilem. Attendite & Apostolú cum dixisset, Placete omnibus per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo, quomodo non ibi remansit quasi ibi constituerit finem intentionis suæ vt placeret hominibus: alioquin falsum dixisset, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem: sed statim subiunxit quare hominibus placeret, Non quærens, inquit, quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant. Ita & non placebat hominibus propter suam vtilitatem, ne Christi seruus non esset, & placebat hominibus propter illorum salutem, vt Christi esset dispensator idoneus: quia & illi coram Deo conscientia sufficiebat, & de illo coram hominibus quod imitarentur elucebat.

Philip. 2. Matth. 5. Matth. 6. Philip. 3. 2. Cor. 5. Rom. 10. 1. Cor. 10.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 3.

CVm nobis pro officio competat dicere, vobis autem conueniat pro deuotione audire, quid tam necessarium, támque pertinens poterit vtrisque contingere quàm vt quod religiose dicitur & deuote auditur, obsequiis competentibus teneatur? Nam si religiosa non tacere lucrum est, tacere dispendium, quanto itaque potiora lucra potuerint prouenire, cum operationis effectu monstratur quicquid magisteriis cælestibus & discitur & tenetur: Par etenim causa & docentem & audientem constringit, vt vtriusque professió sanctorum testificatione signetur. Et quamuis dissimile sit doctoris discétisque officium, tamen vtriusque debet sanctarum legum obsequium: vt iungantur factis qui separantur officiis, copulentur opere qui diuersi sunt nomine, & quos vocabula abinuicem separant, eos obseruantia præceptorum fideliter, ac deuote coniungat. Quare sic fit vt vtriusque diuersus sit actus, sed obseruantiæ par sit necessarius in vtrisque effectus, vt factorú in ambobus conspiret assensus, quibus diuersus est in vocabulis sonus. In doctore enim molesta est causa, (dicere) nec facere, præcipere nec obseruare: in discéte vero audire velle quod nolit implere, aures auditui accómodare, & ab opere voluntatem auertere. Cæterum qui facit quod docet, & qui quicquid imperat, complet, maximus in cælestibus sententia domini declaratur. At vero qui quod dicit negligit, & qui quod audit contemnit, saluris reus existit, qui obseruanda contempsit, & pericula non vitauit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non seruat, & horret vitam qui peccata morti debita desperata morte frequentat. Vt enim per obseruantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur: dicente domino, Si vis vitam inuenire, *serua mandatum. Ita enim perfectus doctor liber est à discéte quem docuit, & discipulus contemptor inexcusatus erit, qui facienda didicit & contempsit. Nam & doctor econtrario grauius affligitur, & obsequentis discipuli exemplo plectitur, qui facienda aliis tradidit, quæ ipse non fecit: vt nec à discipulis quos docuit potuisset edisceere, vt quibus doctrinæ tradidit magisterium, ab iisdem factorum imitaretur exemplum. Neque enim perfectio in legum est notitia constituta, cum sit scriptum, Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Neque enim, inquam, is religiosus & sanctus est, qui nouit legem cessantibus factis, cum expediat facere magis quàm docere, quia molestum est docere & nó facere. Vos amici mei estis, inquit, si feceritis ea, quæ mando vobis. O magna bonitas Dei: Cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote serui domino, fa-

Sermo 3. de verb. domini in Matth. Matth. 5. 1. Reg. 18. Matth. 19. * aliàs vis in vitam venire. Rom. 2. Ioan. 15.

muli Deo, subiecti potesti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt a nobis obsequia debitæ seruitutis extorqueat: vt quos nolle seruire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus inuitare, & quorum volũtates à se compescit alienas, eorum mentes præmiorũ liberalitatibus constituat suas. Nam vnde frequẽter aut inuitat præmio, aut terret supplicio, nisi vt benignitatis consilio à se formato homini cõsulat, redempto prouideat, vt qui non terretur supplicio, inuitetur præmio: & quẽ metus à factis reuocare nõ possit, promissionum benignitas prosit? Cupit enim etiam nolentibus subuenire, desiderat misereri peccanti, qui si peccauerit, dignos fructus exhibeat pœnitentiæ. Inuitus enim in reos vindicat, si rei indulgentiam miserantis non contemnant. Amat enim corrigi peccatores, qui in vitam non in mortem à principio constituit homines. Ipse enim sibi infert interitum, qui medentis domini contemnit consi-
Malac. 3. lium, Reuertimini, inquit, ad me, & reuertar ad
Ezech. 18. vos: & iterum, Nolo mortem morientis, tantum reuertatur & viuat. Non vult dominus in quenquam dominari mortem, non vult in pœnam deduci hominem, quem in vita constituit. Cæterum homo ipse se dignum efficit morte, qui non paruerit legi. Odit vitam, qui diuinam contempserit disciplinam. Nam cum dominus vellet homini demonstrare, quæ obseruanti vitam contemnenti afferunt mortem, inuitauit præmio, terruit supplicio. Ita enim de contemptu vita non poterit prouenire, vt de obseruantia mors euenire nõ poterit, vt iam homo quod voluerit, mereatur, & eo quod meruerit iudicetur, & hoc totum in potestate hominis consistit, qui sibi ex qualitate vitæ meritum quod haberet, inuenit. Quare his sollicite perpensis, id est, vnde salus & vnde periculum enascatur, salutis commodum diligenti obseruantia teneamus, & periculorum incommoda de legis contemptu & prouidi caueamus, & contemnentes prospera, & repellẽtes aduersa in conspectu domini inueniamur ab ipso cum omnibus sanctis in æterna secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

Vos estis sal terræ. Sal dictum est, eo quod igne exiliat. Sunt autem multa genera salis. Est tamen naturalis res necessaria ad omnem escam: pulmentis enim saporem dat: excitat auiditatem & appetitum in omnibus cibis. Ex eo quippe omnis victus, declaratio, & summa hilaritas. Omnes pecudes si semel gustauerint, delectantur eo: corpora astringit & siccat: defuncta etiam à putrescendi labe vindicat, vt durent. Omnis ista natura spiritaliter cõuenit doctoribus. Faciunt enim doctoribus auiditatem spiritalis cibi: scripturarum, quæ ante viles nobis erant: eorum reseratione delectabiles nobis fiunt: appetitur ab omnibus animalibus: quia & doctrina Apostolorum suscipitur ab omnibus Gentibus. Restringit corpora, sicut fit per doctrinam, vel luxuriosi casti fiunt: fugat muscas, id est, diabolos, & ideo iure dixit illis Dominus: *Vos estis sal terræ*, id est, habitantibus in terra. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur?* Si doctor errauerit, à quo doctore emendabitur? *Ad nihil vltra valet, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sicut sal in omnibus agris noceuum est: quia sterilis efficitur omnis terra ab eo. Vnde & in subuersis ciuitatibus hoc legimus aspersum, ne quis ibi postea vellet manere, quod Abimelech fecisse legimus, & Helium Adrianum de Hierusalem. Hac similitudine si doctor ad hæresim conuersus fuerit, eiicitur de Ecclesia, & habetur contemptui ab omnibus, ita vt nec aue ei dicatur: sed ab omnibus execretur, sicut Paulus dicit: Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. *Vos estis lux mundi.* Estis lux participando lucem illam, de qua scriptum est: Erat lux vera quę illuminat omnem hominem. Sicut enim per lucem omnia noxia fugantur: fures videlicet, & nocturæ bestię, ac phantasmata dæmonum: similiter & per prædicationem Apostolorum, omnia nocina animarum detecta sunt, & reiecta: & illuminata corda credentium. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Ciuitatem Ecclesiam dicit ædificatam super Dominum, quam debēt Apostoli innotescere cunctis Gentibus, vt congregentur ad eam: si non corpore, eo de omnes electi eius, vt dicatur Catholica, id est, vniuersalis. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum.* Id est, doctrinam Euangelicam, excelsam io prædicatoribus, vt innotescat omnibus perfecte, qui in Ecclesia sunt. Nec debent eam ponere sub modio, id est, timore aliquo, vel metu alicuius absCondere: sed vt videant opera vestra bona, ad ædificationem, & profectum animarum suarum. *Et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*, non vos quærentes laudari, sed Deum cuius donum est, si quid in vobis boni est. *Nolite putare quod veni soluere legem, aut Prophetas.* Putare dicit æstimare, soluere, & dissoluere, siue adnihilare. *Non veni soluere, sed adimplere.* Id est, vbi bene non intelligebatur venite solnere, sicut est de dimittenda muliere. Vbi perfectio deerat, volo addere: sicut est de homicidio: quia & iram volo primitus resecare. Nam sicut beatus Augustinus dicit: Omnia quæcunq; in veritate præcepta sunt antiquis, absque figuralibus præceptis, & ea quæ legislator secundum duriciam cordis eorum eis concessit, nobis tenenda sunt, vt ex hoc loco hoc affirmat. *Amen dico vobis*, id est, verum dico vobis, *donec transeat cælum & terra iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Ac si dicat: Vsque quo cælum & terra transeat etiam ea, quæ per iota & apicem significantur in lege, non præteribunt, sed perficientur à meis electis. Iota autem & Hebræum est, & Græcum: Hebraice dicitur iod: Græce iota, Latine i. Apex autem titulus dicitur, qui in aliquibus literis, apud antiquos super quibusdam literis ponebatur, siue causa differentię, siue vt ostenderetur geminandam esse literam, verbi gratia, populus, quando Gentem significat, non ponebatur, quando verò arbutem significabat, tunc ponebatur apex desuper, vt admoneret lectorem ab vsitato intellectu recedendum, & longam esse syllabam. Geminationis quoque causa ponebatur vt in alleluia: quia duo l, ibi esse debent, scribebatúrque vnum l, & apex desuper, ex inde intelligebatur geminandam esse literam, Iuia: quoque similiter super i, vt ostenderet geminandum esse illud i. Ostendit ergo Dominus

minus tales differentias nō prætereundas in scriptura diuina: quia si negligerentur, sensus quoque vna interiret. Alio intellectu i, iota, id est, χ, apud Græcos decem significat sine apice, cum apice decē milia. Exinde cōlicere possumus, quod decem verba legis, nisi à nobis spiritaliter custodiantur, decem milia talenta à nobis exigenda: secundum illam parabolam Domini de seruo, qui oblatus est Regi decem milium talentorum: secundum Latinos i, vnum significat, apex desuper mille demonstrat. Ex quo credere possumus, mille quadrantium, & vnius nos debitores fore, & non exituros, donec illum vnum reddamus: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ac si patenter dicat: Omnis doctor, qui soluerit, id est, dissoluerit & spreuerit vnum de mandatis istis minimis siue non fecerit: *minimus vocabitur in regno cælorum.* Id est, in præsenti Ecclesia: quia cui⁹ vita despicitur, restat, vt eius prædicatio condemnetur. *Qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Quia dignum est, vt qui verbo & exemplo ædificant Ecclesiam, in honore habeantur, sicut & Paulus dicit: Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo.

EVSEBII EPISCOPI
Emisseni in superius Euang. Homil.

Dixit Iesus Discipulis suis: *Vos estis sal terræ, &c.* Hæc autem verba & alia multa tunc Discipulis suis in monte Dominus loquutus est, quādo octo beatitudines prædicauit. *Vos*, inquit, *estis sal terræ.* Vos estis hominum condimentum, vestro exemplo instrui, vestra sapientia doceri, vestra humilitate & patientia componi cæteri debent. *Quòd si sal euanuerit*, si prædicator vires amiserit, si Episcopus luxuriæ & vanitati se dederit, *In quo salietur? Ad nihilū valet vltra, nisi vt mittatur foras, & cōculcetur ab hominibus.* Tale enim sal quia infatuatum est, foras mittitur: quoniam falsus prædicator cuiusque doctrina, quę vana sine sapore & inutilis est, ab Ecclesia pellitur. Conculcatur autem ab hominibus: quia dignus est, vt ab omnibus despecti habeatur. *Vos estis lux mundi.* Quod enim sol & luna præstant corpori, hoc Apostoli & doctores præstant animæ. Illi illuminant oculos mentis. Sunt igitur lux mundi: quia maiorem & meliorem mundi partem illuminant. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Sic enim sunt Apostoli & Episcopi supra Ecclesiam, sicuti ciuitas supra montem. Non possunt abscondi, altius sedent, omnium oculi ad eos respiciunt. Qui si pulchri fuerint, & sui ordinis decorem & honestatem tenuerint, venerantur ab omnibus, mirantur & laudantur ab omnibus. *Neque accendunt lucernam, &c.* Ad hoc lucerna accenditur vt luceat, ad hoc Episcopus ordinatur, vt ceteros illuminet. Lucerna enim Episcopus est, lumen gratia Spiritus sancti, siue Euangelica prædicatio, candelabrum Ecclesia. Qui ergo super Ecclesiæ candelabrum positus est, videat ne gratia Spiritus sancti, qua illuminatus est, sub modio ponat: videat ne talentū sibi traditum terræ suffodiat. Scriptum est enim: Sapientia occulta, & thesaurus absconditur, quæ vtilitas in vtrisque: Inde & qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Vnde Apostolus ait: Si non euangelizauero, væ mihi erit. Vnde Ezechieli Dominus dicit: Fili hominis speculatorem posui te domus Israel. Si ergo non annuntiatis iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requiram. Hinc etiam mensam propositionis & candelabrum aureum, non intra, sed extra velum Dominus poni iussit, quatenus ab omnibus viderentur, & nulli absconderentur, qui vel fidei splendore illuminari, vel cibis spiritualibus satiari desiderant. Hoc autem significabant & tintinabula aurea, quæ inter mala punica posita erant in veste pontificis, vt sonus audiretur semper, & quando ingrediebatur sanctuarium, & quando egrediebatur de sanctuario, & nō moreretur. Siue enim ingrediatur sanctuarium, siue egrediatur de sanctuario, hoc agere debet: quia quandiu in Ecclesia est, quādiu circa se populum cernit, populus sanctuarium est, semper ædificationis verba eorum auribus sonare, & instillare conuenit. Non quidem si Episcopus fecerit, non morietur. Non autem sermone tantum, sed & Episcopus opere lucere debet. Vnde & subditur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, &c.* Lux, inquit, estis, & sermone & opere lucere debetis. Magis enim operādo quàm loquendo proficitis: quia maior est splendor operis, quàm sermonis. Vnde non ait, vt audientes vestrum bonum sermonem glorificēt patrem vestrum. Sed quid ait? Vt videntes vestra bona opera glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Nolite putare quoniam veni soluere legem, &c.* Venerat enim Dominus non tantùm ad soluendum, & exponendum hoc quod lex, & Prophetæ iubebant, verùm & ad agendum. Venerat præterea Dominus non ad hoc tantùm, vt legem & Prophetas solueret & exponeret, sed vt ea quæ minus habebant adimpleret. Multis enim modis, nisi ipse venisset, lex & Prophetæ adimpleri non poterant. Prædixerant eius natiuitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & virtutes, quas in homine operatus est, quæ nequaquam adimpleri possent, nisi ipse venisset. Multum igitur minus habebant lex & Prophetæ, spiritualem videlicet intelligentiam, quæ nisi per Christum adimpleri non poterant. Hoc enim Ioannes Apostolus & Euangelista testatur, qui cùm multum fleret, eo quòd nemo inueniri posset, qui librum septem sigillis signatum aperiret, dictum est ei ne fleret: quia ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & soluere septē signacula eius. *Amen amen dico vobis, donec transeat cælum, &c.* Quomodo enim non fiant, quæ ipse Dominus ventura esse prædixerat? Alioqui mentiretur, qui mentiri non potest. Iota autem & apex, quæ in literis minima sunt, quamlibet legis & Prophetarum patrussimam sententiam significant. Sequitur: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, &c.* Non veni, inquit, legem soluere & exponere, sed ea quæ lex præcepit agere, veni & adimplere. Quare hoc? Vis audire quare? Quia qui scripturas solùmodo soluit & exponit, & non facit, quæ scripturæ præcipiunt, minimus vocabitur in regno cælorum. In quo regno cælorum? Dicitur enim non solùm patria cælestis, verum & Ecclesia regnum cælorum. Sed quomodo ibi minimus vocabitur, qui neque magnus, neque minimus erit ibi? De Eccle

Ecclesia igitur hoc intelligatur, quę multis in locis regnum cælorum vocatur. In qua sancti apostoli, martyres, & confessores, magni valde venerantur & habentur, qui legis mandata & fecerũt & docuerunt. Cæteri verò qui minimi sunt quid attinet dicere, cùm neque in memoria apud homines habeantur, neque in cælis inter sanctos connumerentur. Et quidem multos tales in Ecclesia videmus, plerósque fuisse non dubitamus, qui benè certè prædicare sciunt, benè autem facere nesciunt. Isti igitur non immeritò minimi vocantur & sunt in regno cælorum, quoniam & si ab aliis magni videantur, ab illis tamen despiciuntur, in quibus cælorum Dominus regnat, & habitat. Sed videamus quid significet: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis.* De quibus istis, nisi de iis qui in lege continentur, quam se non soluere, sed & facere prædixerat. Quomodo autẽ aliquod mandatum minimũ esse intelligere possumus, quòd qui non facit vocatur minimus, & qui facit vocatur magnus? Tale enim mandatum non minimum, sed maximum esse videtur. Et ego quidem his verbis significari puto, quod omnia legis mandata non facientibus minima sunt, facientibus autem maxima: quoniam illos minimos, istos verò maximos faciunt. Sunt præterea minima in minimis, & magna in magnis, & illi ea habent pro minimo, & isti ea habent, pro maximo. Potest autem & sic intelligi quod dicitur: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ac si diceretur: Qui legis ac prophetarum mandata etiam quæ minima esse putantur, solnerit, & non custodierit, & vel sermone, vel prauo exemplo idipsum facere docuerit alios, minimus & vocabitur & habebitur. Vnde non ait minimus erit, sed minimus vocabitur in regno cælorũ: quia quamuis ibi non sit, ab his tamen quæ ibi sunt, minimus & vocari & haberi potest. Quæ sint autem legis & prophetarum minima mandata, non facile patet, quamuis ea quæ maxima sunt, domino reuelante sciamus. Sic enim ipse ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mẽte tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Maxima igitur hæc duo sunt, & illa decem quæ digito Dei in tabulis lapideis scripta sunt. Ad horum itaq; comparationem, alia omnia vel minora, vel minima intelligi possunt. Quæ qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Quæ sequũtur non sunt de cõtextu Euangelij secundum sectionẽ missalis Romana.

Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. Hanc autẽ similitudinem ad quid attulit Dominus nõ clarè apparet, nisi fortasse quia discipulis loquebatur, quibus in huius sermonis exordio dixerat: Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Vt per hoc videlicet intelligãt quales in Ecclesiæ corpore episcopi & doctores esse debeant. Et tale est ac si diceret: Si oculus est lucerna corporis, ita & vos estis lucerna Ecclesiæ. Qui si simplex & sine macula fuerit, totum corpus lucidum erit. Si verò nequam & sine lumine fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Nam neque manus quo extendantur, neque pedes quo ambulent, neque cætera membra cognoscent ad quam partem se dirigere debeant. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sint, & illud in se lumine careat, neque seipsum illuminare valeat, sine quo cætera membra lumen non habent, considera modo ipsæ tenebræ quantæ erunt? Tantæ vtique quanta & membra. Sicut enim vnius lumine omnia illuminantur, ita vnius tenebris omnia excęcantur. Necesse igitur est vt ecclesiæ oculus, necesse est vt sacerdos & episcopus simplex sit, sine macula sit, sine errore sit, quatenus de eius vita, de eius doctrina, de eius moribus & sancta conuersatione omnia membra illuminentur. Si verò, quod absit, nequam fuerit, si hæreticus fuerit, si fornicator & adulter fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Nõ dixit totum corpus nequam erit, sed totum corpus tenebrosum erit, quoniam non omnes eius nequitiam imitantur, quamuis eius tenebris omnes inuoluantur. Omnes enim inuoluuntur tenebris, quando extincta est in eis lucerna luminis. Non enim ex tenebris oritur lumen, neque ex mendacio nascitur veritas. Si ergo totius corporis lumen vertatur in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc autem & de anima intelligi potest, cuius oculus est intentio & intellectus. Quæ intentio si bona fuerit, omnis eius operatio lucida erit. Vnde & quidam sapiens ait: Non magnopere considerandum est quid aliquis agat, sed qua intẽtione hoc faciat. Vnde & modo superius Dominus dixit: Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes. Isti autem quia stulta & vana intentione hoc faciunt, dicit Dominus, quia receperunt mercedem suam. Similiter autem & illi qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, nullam aliam mercedem habebunt. At verò illis qui bona intentione hoc agunt, præcepit Dominus vt opera sua coram hominibus faciant. Sic, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Sola igitur intentio facit, vt opera nostra, vel bona, vel mala, Domino appareant. Homo videt in faciem, Deus autem intuetur corda. Vnde & ipse ait: Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Iudicatis quæ nescitis, condemnatis multoties quæ ignoratis. Aliter vobis, & aliter mihi videtur, cognoscite prius intentionem, & sic iudicate. Potest enim vnum fieri & simile opus, vt non vna intentione fiat. Palàm enim eleemosynas dare, bona & non bona intentione fieri potest. Si enim ideo das vt bonum exemplum aliis tribuas, vt ab hominibus videaris, non est bona intentio. Si verò ideò das, vt bonum exemplum aliis tribuas, & Deus inde glorificetur, bona intentio est. Sic igitur in omnibus sola intentio quætenda est, quæ si bona fuerit, totum corpus virtutũ, totáque massa operationum lucida erit.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulgariens. superioris Euang. expositio.

VOs estis sal terræ. Prophetæ ad vnam gentem missi sunt, vos autem totius terræ sal estis, mordentes, & cõdientes doctrina, & reprehensionibus dissolutos, vt non pariant vermes perpetuos: propterea ne abiiciatis mordacitatem reprehensionum, etiam si persecutionem patiamini, & vobis exprobrent. Ideo dicit. *Quod si sal infatuatus*

tuatus fuerit, in quo salietur? Hoc est, corrigetur. *Tunc igitur foras proijcietur.* A dignitate doctorum. *Et conculcabitur.* Id est, despicietur. *Vos estis lux mundi.* Prius sal, & tunc lux, Quis enim reprehendit, quæ occulte fiunt, ille lux est. Omne enim, quod manifestat, lux est, non gentem autem vnam illustrauerunt illi, sed mundum. *Non potest ciuitas occultari, quæ supra montem sita est.* Docet eos, vt durent in certamine, & diligentem vitæ suæ rationem habeant, vt ii, in quos omnes spectant. Ne igitur putetis, inquit, quod in angulo latituri sitis, sed spectabiles eritis, & ideo videte quomodo citra maculam agatis vitam, vt ne & aliis offendiculo sitis. *Neque accendunt lucernam, &c.* Ego quidem accendi lumen, nunc vestri officij erit, ne gratia extinguatur, ita vt & aliis luceat fulgor vitæ vestræ. Inquit enim; *Sic luceat lux vestra.* Non dixit, vos ostentetis virtutem, hoc enim non esset bonum, sed illa sola luceat, vt & inimici vestri admirentur & glorificent, non vos, sed patrem vestrum. Et si ita operamur virtutem, in gloriam Dei oportet eam operari, non in nostram. *Non veni vt destruam, sed vt adimpleam.* Quoniam ipse nouas leges introducturus erat, vt ne putetur, quòd Deo aduersarius sit, dixit, prius occurrens prauæ quorundam suspicioni, quod nó destruat, sed magis adimpleat legem. Quomodo autem adimpleuit? Primum quidem, quia perfecit omnia quæ de eo prædixerunt prophetæ. Ideo & Euangelista subinde dicit, Vt impleatur, quod dictũ est de eo per prophetas. Deinde & omnia mandata legis impleuit. Peccatum enim non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius. Quin & alia ratione adimpleuit legẽ, hoc est denuo impleuit: quæcunque enim illa adumbrauit, ea hic perfecte depinxit. Illa dixit, Ne occidas: hic vero dixit, Ne temere irascaris. Sicut & pictor nõ corrũpit lineamenta prima, sed magis illustrat & adimplet. *Amen dico vobis.* Amen affirmatiua particula est pro etiam, Nam dico vobis. *Donec prætereat cælum & terra.* Ostendit hic quod mũdus præterit, & transfiguratur: dicit igitur, quod quandiu subsistit vniuersum, neque minima litera è lege transibit. Alij autem iota, & apicem decem legis præcepta dicunt, alij autem crucem. Iota est rectum lignum, & apex transuersum: quo sensu dicit quod ea quę de cruce dicta sunt implebuntur. *Quisquis igitur soluerit vnum ex mandatis his minimis.* Minima mandata dicit, quæ ipse traditurus erat, nõ legalia. Nominat autẽ ea minima propter humilitatem: vt & te instruat modeste docẽdo loqui. Minimus autem vocabitur in regno, hoc est in resurrectione, vltimus, & abiectus in gehennam: Non enim in regnum cælorum ingredietur, apage, sed regnum resurrectionem intellige. *Quisquis autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Primum ponit, fecerit: postea docuerit, quomodo enim alium induam in viã, qua nunquam transiui; Cæterum, si fecero, & non docuero, non habebo tantam mercedem: sæpe etiam & condemnationem, si quãdo propter inuidiam, & negligentiam non docuero.

Inf. eodem Quomodo adimpleat legẽ. Esaiæ. 53.

EVTHYMII ZIGABONI
superioru Euang. expositio.

† VOs estis sal† terræ. Terram hic homines appellauit, quasi è terra formatos. Est autem tantum, ac si diceret: Homines in peccatis putrefacti sunt: corrupti ab humore affectionum. Vos igitur à me electi ad curandam hanc totius mũdi putredinem, estis sal rerum, accepta virtute ad constringendum ipsos, & coarctandum, præterea ad occidendum vermes inuisibiles hoc est, vt per bonam famam, rationales affectus à graui peccatorum odore liberetis.

† *Prophetæ ad vnam gentem missi sunt, vos autem sal estis vniuersi orbis, per doctrinam arguendo, ac stringendo dissolutos, ne æternos producant vermes. Non ergo mordacitatem reprehensionis abijciatis; sed & opprobria, ac persecutiones sustinete. Ideo subdit; Si autem sal infatuatus fuerit, in quo salietur? Ad nihil amplius valet, nisi vt foras proijciatur, & ab hominibus conculcetur. Si enim is, qui docet, infatuatus fuerit, hoc est, nõ arguit, ac stringit, sed emollitus est, in quo salietur, id est, corrigetur. Ex eo tempore igitur foras proijcitur à magistri dignitate, & conculcatur, hoc est, despicitur.*

Quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Salis fatuitas, est debilitas mordacitatis ipsius. Dicit ergo; videte quale ministerium vobis committendum est: & cõtendite, ne laxemini persecutionibus, opprobriis, ac maledictis, vt prædictum est, neque vtilem mordacitatem respuatis. *Si enim sal infatuatus fuerit, quo salietur?* hoc est, si vos molles effecti fueritis, aut vtilem mordacitatẽ neglexeritis, quo alio sale saliemini, siue condiemini, sicut habet Marcus? Vos enim sal electus estis, nec alius reliquus est, Quanto igitur pię cæteris ad huiusmodi ministerium electi estis, tanto amplius cauere debetis, ne ob propriam mollitiem, ac inutilitatẽ, & putrefactorũ perditionem, vt dictum est, accusari possitis. *Ad nihil valet vltra, &c.* Ad nihil amplius vtilis est sal infatuatus, nisi vt extra dominicam aulam proijciatur, *& conculcetur*, hoc est, despiciatur ab hominibus. *Vos estis lux mundi.* Mũdum rursus dixit homines in mundo habitantes: quibus erroris caligine obscuratis, vos, inquit, electi estis, vt lux eorum sitis, vtque oculos animarum ipsorum luce doctrinæ, ac scientiæ illumineris, & ad semitas rectas diuini cultus deducatis. Ideo nempe ministerium saliendi, ac illuminandi eis commissum erat. Primum enim oportet à putredine liberari, deinde erudiri. *Non potest ciuitas abscondi super montem posita.* Per hanc, sequentemque parabolam ad vitæ perfectionem, ac munitionẽ ipsos inducit, & certaminum præfectos esse iubet, tanquam sub omnium oculis in posterum ponendos, & in medio huius mũdi theatro certantes. *Non potest*, inquit, *ciuitas abscondi super mõtem posita.* Neque vos occultari potestis in doctrinæ altitudine collocati. Reliquum est igitur, vt soliciti sitis, quomodo gubernetis, & aliis oculos in vos figẽtibus, optimum sitis exemplar vitæ, ac doctrinæ. *Neque accendũt lucernam, &c.* Restat igitur, vt neque ego vos eo fine diuina scientia accenderim, vt absconderem: sed ecce pono vos super cãdelabrum, hoc est, super excelsum doctrinæ locum, vt omnes, qui in domo sunt, illuminetis. *Sic luceat † lux vestra coram hominibus, &c.* † Luceat sane dicit, non iubet vt in spectaculum virtus ponatur, sed vt ipsa opere cõpleatur, quę per se lucere solet: ac seipsam vnguenti more propalare: ideo luceat puritas vitæ, ac sermonis vestri coram hominibus, non ob studium hominibus placendi, sed vt videant vestra opera bona, quæ operibus, ac sermonibus imitentur, & præterea *vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est,*

Marc. 9.

hoc est, Deum, à quo per fidem adoptati estis: filij quidem eius, fratres autem mei effecti, laudant enim ipsum, vt qui huiusmodi politiam ordinauerit. Ipse tamen Christus hanc cóstituit, sed propria opera solet patri frequéter attribuere vt in sequentibus erit inuenire: patré videlicet honorans, & similiter demóstrans, quòd vnum sint sicut natura, ita & voluntate.

† † *Vobis, inquit, bona opera facientibus, luceat ab eis lux vestra: quæ, nullo etiam publicáte, per seipsam triumphare solet, à bonis operibus prosiliens.*

† *Ne putetis quod venerim ad † soluendum legem, &c.* Quia maiora præcepta conditurus erat iis, quæ erant in veteri testamento, dicens; Audistis, quod dictum est antiquis; Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio; Ego autem dico vobis; Omnis qui temere irascitur fratri suo, reus erit iudicio, &c. & diuinæ cuiusdam cælestisque politiæ viam incidere volebat: ne qui propter nouitatem suspicarentur, quòd noua condens, vetera auferebat, cúmque contrarium illis esse putarent: primum huic medetur suspicioni. Sed videamus, quomodo legem compleuerit, ac prophetas. Prophetas quidem compleuit: omnibus, quæ de ipso scripserunt prophetæ, opere completis. Nam ob id quoque frequenter addiderunt euangelistæ; vt compleretur, quod dictum est per prophetam. Legem autem vno quidem modo compleuit, nihil transgrediendo eorum, quæ lex iusserat. Dixerat enim prius ad Ioannem; Sic decet nos complere omnem iustitiam. Alio autem modo: addens ipsi, quæ prætermissa erant: quod etiam hinc magis cógruum est intelligere. Quum enim lex peccatorum fines prohibeat, Christus principia quoque vetuit. Siquidem cædes fructus est peccati, radix autem eius est ira: nisi vero quis radicem abstulerit, quandoque tádem fructum producet. Patet igitur mancum fuisse præceptum, quod solum occidere vetabat. Hoc autem Christus compleuit, præcipiens non irasci, quod & in aliis præceptis procedendo, licebit inuenire. Et quare vetus lex erat imperfecta? Quia Hebræi duræ ceruicis erant, nec ferebant graue iugum: illos itaque velut infantes lacte potauit, nobis autem tanquam viris, solidum apposuit cibum. Quomodo vero alibi dixit Christus, Iugum meum suaue est, & onus meum leue? Quia leue facit hoc laborum remuneratio, ac præmiorum magnitudo. Lex enim se seruantibus bona terræ promittebat; Christus autem bona cœlestia.

Infra eodem.

Matth.3.

Exod.21. Leuit.24.

Matth.11. Deut.28. Esa.1.

† † *Non soluit, sed compleuit potius legem veterem: neque enim euágelio contraria erat, sed potius via ad ipsum, ac præco præuius, & vmbra, typúsque: veniente autem euangelio, completa est, ac cessauit, sicut nox, appetéte die, sicut vmbra, additis coloribus. Oportebat enim pædagogum præceptori concedere. Alio quoque modo Christus legem compleuit, seruatis ipsius præceptis, finémque imposuit: quia, abstracta imperfectione, perfecit. Vnde contraria non sunt euangelica præcepta iis, quæ lex iussit, sed consona lex enim initium erat: euangelium vero perfectio.*

Amen quippe dico vobis, &c. Dictio *Amen*, aduerbium est confirmatiuum, idem significans, quod vere. Intellectus autem eorum, quæ ordine dicuntur, hic est: Quádiu mundus permanserit: hoc enim iudicat dicendo; *donec transeat cælum, & terra* nequaquam prætermittetur imperfectissimú, aut leuissimum legis præceptum donec omnia legalia facta, sicut opere completa sint à me. Per iota si quidem, aut apicem, quod abiectissimum est, significauit: Hæc enim, in literis leuissima sunt, tanquam quę cęteris facilius describi possunt. Est autem iota linea recta, apex vero linea obliqua. Modus quoque confirmationis est dicere, donec transeat cælum, & terra, hoc non permittam: dixit autem hoc Christus, confirmans, quòd legem non corrigeret, táquam non potens, quæ illa iusserat opere complere; Nam vsque ad morté ipsam compleuit. *Quicunque ergo soluerit vnum de mandatis istis * minimis, &c.* Postquá seipsum praua suspicione liberauit, deinceps exterret, minasque ponit maximas pro futura legislatione sua. Quicunque, inquit, vnum horum præceptorum spreuerit, quæ ego stabiliturus sum; non solum ipse spreuerit sed & aliis exemplo tale quid faciendi, fuerit. Minima vero hæc præcepta vocauit partim quidem modestiæ causa; partim vero ne extollerentur, qui ea seruarent, simul quoque docens nos propria attenuare, quamuis magna sint, & excelsa. Talis ergo minimus vocabitur, hoc est omnium postremus, vilissimus, abiectissimus. Quod tantundem valet, ac si diceret: In supplicium proijcietur. Regnú autem cælorum hoc in loco, secundum suum dicit aduentum, in quo rex omnium apparebit: *Qui autem fecerit, & docuerit, &c.* Vide quemadmodum dixerit oportere primum facere, & postea docere: Nec solum facere, sed etiam docere. Quemadmodum enim reprehensibile est; docere, & non facere; ita rursum imperfectum est facere, & non docere. perfecta auté virtus est, vt nó soli sibi quispiá vtilis sit, sed & aliis. Tu vero nequaquam recte docebis, quę opere non complesti, nec facile aliis persuadebis, vt faciant quod ipse non fecisti. Audies enim Medice cura teipsum.

De minimis, vt non dicam de maioribus.

I. EVANG.



I. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM NON PONTIFICVM.



LVC. 12.



N illo tempore : dixit Iesus discipulis suis, Sint lumbi vestri præcin-
a Contra noctem huius vitæ. b Sitis.
cti : & [a] lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos [b] similes homi-
nibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis,
c Properando ad iudicium. d Per ægritudinem mortem propinquam designando. e Læti eum suscipiendo.
vt cum [c] venerit & [d] pulsauerit, confestim [e] aperiant ei. Beati serui illi quos cum
f Vere beati quia. g Præparans se ad retributionem.
venerit dominus, inuenerit vigilantes. [f] Amen dico vobis, quòd [g] præcinget se,
h In æterna beatitudine refouet. Nostrum recumbere, est in regno quiescere. i Adolescentia.
& faciet illos [h] discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in [i] secun-
k Senectute. Id est non in vna sola, sed in quacunque ætate possumus promereri. l Saltem tunc.
da vigilia, & si in [k] tertia vigilia venerit, & [l] ita inuenerit, beati sunt serui illi: Hoc
m Per simile probat, quod debent vigilare. n Illa hora, quæ sibi suspecta esset.
autem [m] scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, [n] vigila-
o Ergo post similitudinem supponit exhortationem. p Sine macula & ruga.
ret vtique & non sineret perfodi domum suam. [o] Et vos estote [p] parati, quia
qua hora non putatis, filius hominis veniet.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



INT *lu. &c. & lu.* Deo nõ placet vnum sine altero, cũ quis vel bona agit nondum refrænata luxuria, vel castè viuit non exercens se per bona opera. Et vt ab amore temporalium possitis remoueri, & bona quę agitis, simplici intentione æternorum agatis, cingite lumbos, id est, motus carnalium desideriorum refrænate: & habete lucernas ardentes, vt in operatione vestra solo Dei amore ardeatis & aliis exemplum præbeatis. *Expectan.* Sine vitatia mala siue faciitis bona, nihil mundamini: sed solum aduentum redemptoris expecteris. *Quando re.* Ad nuptias dominus iuit, cũ post resurrectionem nouus homo angelorum multitudinem sibi copulauit. A quibus reuertitur, cum nobis per iudicium manifestatur. Vnde & bene de expectantibus subdit. *Vt cum ve. confestim apc.* Non vult aperire iudici pulsanti, qui timens videre iratum quem contempsit, de corpore exire metuit. Aperit qui iudicem lętus & securus sustinet, & de propinqua morte gaudet. vnde subditur : *Beati ser. il. quos cum ve. vigilãtes.* Vigilat qui oculos apertos in vero lumine tenet, vt tenebras negligentiæ euitet, qui etiam quod credidit operatur, qui sollicitus est in cura gregis sibi commissi. Quid verò vigilantibus debeatur, subdit. *Amen di. vo. Transiens.* Transiens ministrat cum de iudicio ad regnum rediens, sua claritate fideles satiabit. Vel post iudicium transibit, eum à cognitione humanitatis quæ in iudicio videbitur, ad cognitionem diuinitatis post iudicium suus illuminabit. *Et si ve.* Vigilias vocat à similitudine excubantium. In nocte huius mundi semper debemus esse contra hostem solliciti, & expectare lucem venturam, id est, aduentum iudicis. Prima ergo vigilia custodia pueritiæ est, secunda iuuentutis, tertia senectutis. Si quis verò in pueritia vigilare neglexerit, non tamen desperet, sed etiam in iuuentute, vel saltem tandem in senectute resipiscat, quia pius iudex moras nostras patienter expectat. Qui ad excutiendam mentis desidiam exteriorum damnorũ similitudinem induceit, vt per hoc animus ad custodiam sui suscitetur. Vnde: *Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias.* Nesciente patrefamilias fur domum perfodit, quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors carnis habitaculum irrumpit, & ad supplicia trahit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia aduentum iudicis occultè venientem præcauens, pœnitendo occurreret. *Qua hora non putatis filius hominis veniet.* Vltimam horam semper ignorari voluit dominus vt semper sit suspecta, & ad eam semper præparetur.

CATENA AVREA in idem Euang.

Sint lumbi,&c. Theoph. Postquam suum discipulum modestum statuit dominus, spolians eum qualibet vitecura & eleuatione, iam tunc ad ministrandum inducit, dicens: *Sint lum. ve. præcincti.* Id est semper procliues ad exequenda opera domini nostri. *Et lu. arden.* id est, non ducatis vitam in tenebris, sed adsit vobis lux rationis, ostendens vobis agenda & fugienda. Est enim hic mundus nox, cincti verò lumbos sunt qui practicam exequuntur: nam talis est ministrantium habitus: quibus oportet adesse & lucernas ardentes, id est, discretionis donū vt valeat dignoscere practicus, non solū quid oporteat agere, sed & quomodo, alioquin in præcipitio superbiæ homines ruunt. Notandum autem quod primò iubet lumbos præcingi: secundò lucernas ardere: nam primò quidem est operatio, deinde speculatio quæ est illustratio mentis. Igitur studeamus exercere virtutes, vt duas lucernas habeamus ardētes, scilicet conceptum mentis ingiter in anima emicantem quo nos illustramur; & doctrinam qua cæteros illuminamus: Maxi. Vel lucernas accensas docet habere per orationem & contemplationem & spiritalem dilectionem. Cyrill. Vel subcingi significat agilitatem & promptitudinem ad sustinenda mala intuitu diuini amoris. Lucernæ accensio significat, vt non patiamur aliquos in tenebris ignorantiæ viuere. Greg. in hom. Vel ali. Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus, viris enim luxuria in lumbis est, & fœminis in vmbiculo: à principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare, additur: *Et lu. ar. in ma. ve.* Lucernas, quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Aug. de quæ. euan. Vel docet & lumbos præcingere, propter continentiam ab amore rerum secularium: & lucernas ardentes habere, vt hoc ipsum vero fine & recta intentione fiat. Greg. in ho. Sed si vtrumque borum agitur, restat vt quisquis ille est, totam spem suam in redemptoris sui aduentu constituat: vnde subditur: *Et vos simi. ho, &c.* Ad nuptias quippe dominus abiit, quia ascendens in cælum, supernam sibi multitudinem angelorum nouus homo copulauit. Theo. Quotidie etiam in cælis desponsat sanctorum animas, quas ei Paulus vel alius similis offert virginem castam. Redit autem à nuptiis celebratis in cælis, forsan quidem vniuersaliter in consummatione totius, quando veniet de cælo in gloria patris, forsan etiam singulis horis astans inopinatè particulari vniuscuiusque consummationi. Cyril. Cōsidera etiam quod à nuptiis quasi à solennitate venit, in qua semper existit diuinitas: nihil enim potest incorruptibili naturæ inferre tristitiam. Greg. Ni. Vel aliter consummatis nuptiis, & desponsata sibi ecclesia, & admissa ea in thalamum secretorum pręstolabantur angeli reditum regis ad naturalem beatitudinem, quibus similem fieri decet nostram vitam, vt sicut illi sine malitia conuersantes parati fuerunt dominicum regressum recipere, & nos vigilantes ad obedientiam promptos nos faciamus eum aduenerit pulsans. Sequitur enim, *Vt cum venerit, &c.* Greg. in ho. Venit quippe cum ad iudicium properat, pulsat verò cum iam per ęgritudinis molestiam esse mortem vnicam designat: cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus, Aperire enim iudici pulsanti non vult qui exire de corpore trepidat: & eum quem contempsisse se meminit, videre iudicem formidat. Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti cōfestim aperuit, quia cum tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit, vnde subditur. *Be. ser. il. &c.* Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, qui seruat operando quod credit, qui à se torporis & negligentiæ tenebras repellit. Greg. Nis. Propter hanc igitur vigiliam obseruandam supra dominos monuit, vt sint lumbi præcincti, & lucernæ ardentes: lumen enim oppositum oculis pellit somnolētiam oculorum. Lumbi etiam cingulo perstricti reddūt corpus insusceptibile somni. Nam qui præcinctus est castitate, & pura conscientia illustratus perseuerat in somnia. Cyril. Cū igitur dominus veniens suos insomnes inuenerit & præcinctos, cor illuminatum habentes, tunc eos promulgauit beatos. Sequitur: *Amen di vo.* Et quo percipimus quòd similia nobis retribuet, dum succinctus se præcinget. Orig. Erit enim præcinctus iustitia circa lūbos suos secundū Esaiam. Greg. Per quam præcingit se, iam retributionem se præparat. Theoph. Vel præcinget se in eo quòd non totam vbertatem bonorum largitur, sed hāc cohibet secundum certam mensuram. Quis enim Deum capere potest quantus est? vnde Seraphim mihi velati dicuntur propter excellentiam diuini splendoris. Sequitur: *Et faciet il. discum. &c.* Sicut enim discumbens totum corpus facit pausare, sic in futuro aduentu sancti totaliter requiescent: hic enim non habuerunt requiem corporis, illic verò simul cū animabus spiritalia corpora incorruptionem sortita, plena gaudebunt quiete. Cyril. Faciet igitur illos discumbere quasi fessos refocillans, apponens spiritales delicias, & statuens dapibus donorum suorum mensam. Diony. in epist. ad Tit. Discubitum enim opinantur quietem à multis laboribus, & vitam sine læsione, & conuersationem diuinā in lumine & regione viuentiū vniuerso sancto affectu adimpletam, & copiosam donationem omnium donorum secundum quam lætitia adimplentur: hæc est enim quod Iesus faciet eos recumbere dans eis perpetuam quietem, & distribuens eis bonorum multitudinem: vnde sequitur: *Et transmini. illis.* Theo. Quasi vicem æqualem eis reddens, vt sicut ipsi ministrauerunt ei, ita & ipse eis ministret. Greg. in ho. *Transiens* vero dictum est, cum de iudicio ad regnum redit, vel dominus nobis post iudicium transit: qui ab humanitatis forma to diuinitatis suæ contemplationem nos eleuat. Cyril. Nouit autem dominus lubricum fragilitatis humanæ ad peccādum, sed quoniam bonus est desperare non sinit, sed magis miseretur, & dat nobis pœnitentiam in salutis antidotum: & ideo subditur: *Et si ve. in secun. vig. &c.* Diuidunt enim excubantes in mœnis ciuitatum, & hostium seruantes aggressus, noctem in tres aut quatuor vigilias. Gregor. in ho. Prima ergo vigilia primæuum tempus est vitæ nostræ, id est, pueritia: secunda adolescentia vel iuuentus: tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima

prima vigilia noluit, custodiat vel secundam. Et qui in secunda noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat: vt qui conuerti in pueritia neglexit, saltem in tempore iuuentutis vel in senectute resipiscat. Cyril. De prima tamen vigilia mentionem non facit, quia pueritia non punitur à Deo, sed veniam meretur. Secunda verò & tertia ætas debet obedientiam Deo, & vitam honestam ducere ad voluntatem ipsius. Græ. Vel ad primam vigiliam pertinent diligentius viuentes quasi primum gradum sortiti: ac secundam vero mediæ conuersationis mensuram tenentes: ad tertiam verò qui sunt infra hos: & idem de quarta putandum est, & si contingat de quinta. Diuersæ enim sunt conuersationum mensuræ, & bonus remunerator meritor vnicuique quod dignum est. Theo. Vel quia vigiliæ sunt horæ noctis prouocantes soporem hominibus, intelligas etiam in vita nostra esse quasdam horas quæ faciunt nos beatos, si insomnes reperti fuerimus. Rapuit tibi aliquis facultates, defuncti sunt tibi filij, accusatus es: sed si in his temporibus non feceris contra Dei mandata quicquam: vigilantem te inueniet in secunda & tertia vigilia, id est, in tempore malo perniciosum somnum animabus lenus inferentem. Gre. in ho. Ad excutiendum verò nostræ mentis desidiam etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducuntur: nam subditur: *Hoc autem sci. &c.* Theo. Quidã hunc furem intelligunt esse diabolum, domum animam, patremfamilias hominem: non tamen videtur hæc acceptio consonare sequentibus: aduentus enim domini comparatur huic furi tanquam ex inopinato proueniens, secundum illud apostoli: Dies domini sicut fur, ita in nocte veniet: vnde & hic subditur: *Et vos esto. para. quia, &c.* Gre. in ho. Vel aliter: Nesciente patrefamilias fur domum perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit: furi autem resisteret si vigilaret, quia aduentus iudicis qui occultè animam capit, præcauens ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam verò vltimam dominus idcirco nobis voluit esse incognitam, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.

S. AMBROSII EPISC. *Mediolan. superioris Euang. expositio.*

B*Eati serui illi, &c.* In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Saluatoris aduentum, ne dum aliquis remittit & negligit, de die in diem opera sua differens, iudicij futuri die, vel propria morte præuentus, meritum suæ commendationis amittat. Et illa quidem in omnes præcepti generalis forma: verum series sequentis exempli dispēsatoribus, hoc est sacerdotibus videtur esse proposita, qnosciant sibi grauem in futurum esse pœnam subeundam, si sæcularibus intenti delicijs, familiam Domini, plebémque commissam sibi gubernare neglexerint. Sed quia exiguus est profectus, & parua meritorum gratia, supplicij metu ab errore reuocari, maiórque prærogatiua charitatis & amoris: eo Dominus ad promerendam sui gratiam, studia nostra acuit, & acquisendæ cupiditatem diuinitatis inflammat.

TITI BOSTRENSIS *Episcopi eiusdem Euang. expositio.*

S*Int lumbi vestri præcincti.* Quod de lumborum cinctu hic dicitur, id ad corporis lumbos, quasi eos præcingere iubeamur, referendum non est: sed ad alium sensum: vult enim animo prompto, & ad quoduis bonum, & laude dignum opus obeundum paratos nos esse. *Et lucernæ ardentes.* Lucernæ hoc loco mentis vigilātiam, spiritalémque animi iucunditatem, & lætitiam denotant. Vult enim vt in virtutum studium impigrè incumbamus; externúmque & internum sermonem, hoc est, tam eum, qui latet in mente, quàm eum rursum, qui prodit ex ore, nunquam non splendentem habeamus: petque vtrumque ex æquo lucem fundamus. Siquidem, vt hic nos intus, ita ille foris illustrat alios. Sit itaque doctrinæ nostræ lucerna animata, quam actio deinde studiosa irriget, & nutriat, ne quando obscura & tenebrosa euadat. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Cæleste tegnum nuptias vocat: eò quòd nihil prorsus abiectum, aut mœstum apud diuinam illam immortalémque naturam locum habeat. *Vt cùm venerit, & pulsauerit, &c.* Hoc est, cùm in secundo aduētu repente, & inexpectatè, & quasi intempesta nocte irruens foribus astiterit (per hæc námque incertus illius aduentus significatur) confestim aperiant ei. *Beati sunt serui illi.* Illi, inquit, serui, quos pater ille familiâs; siue in secunda, siue in tertia noctis vigilia aduenerit, inuenerit vigilantes, hoc est, paratos, omnique virtutum generi intentos, sunt verè beati. *Præcinget se, & ministrabit illis.* Hoc est, pro meritorum ratione soluet præmia. Nam etsi mensam variis donorum & gratiarum ferculis magnificè instructam, omnibus promiscuè appositurus sit; attamen pro exhaustorum laborum quātitate, singulis alias & alias spiritales delicias apponet. *Etsi venerint in secūda vigilia.* Primæ stationis vigiles, eos existimare licet, qui, quòd cæteris accuratiorem vitæ rationem tenuissent, bonorúmque operum studio præ aliis excelluissent, primi ordinis mercedem consecuti sunt. Secundæ verò eos, qui infra primorū gradum constiterunt. Tertiæ autem, qui his adhuc obscurius vixerunt. Sunt qui primam, secundam, & tertiam vigiliam, ad diuersas ætatum qualitates referant. Et primam quidem adscribunt pueris infra pubertatis annos adhuc constitutis; secundam iuuenibus adhuc adolescentibus; tertiam adultæ firmatæque ætatis viris.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponen. in superius Euang. Homil. 1.*

DOminus noster Iesus Christus, & venit ad homines & abscessit ab hominibus, & venturus est ad homines. Et tamen hic erat quando venit, nec recessit quando abscessit, & ad eos vēturus est quibus dixit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Secundum formam serui quam suscepit pro nobis quodam tempore natus est, occisus est & resur-

Est ser. 39. de verbis domini in Ioan.

Matth 28.

resurrexit,& iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Secundum diuinitatem autem quę æqualis est patri, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est,& mūdus ipsum non cognouit. De hoc auditis modo Euangelium,quid monuerit nos vel admonuerit, cautos nos faciens,& volens esse expeditos & paratos ad expectandum nouissima, vt post nouissima quæ sunt in hoc seculo metuenda, succedat requies quæ non habet finem,beati qui participes facti fuerint. Erunt autem tunc securi,qui modo non sunt securi,& iterum tunc timebunt,qui modo timere nolunt. Ad hanc expectationem & propter hanc spem Christiani facti sumus. Nonne spes nostra non est de hoc seculo? Non amemus seculum. Ab amore seculi huius vocati sumus, vt aliud seculū speremus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus, ab omnibus illicitis concupiscentiis,hoc est,lumbos accinctos habere debemus,& feruere & lucere in operibus bonis, hoc est,lucernas ardentes in manibus habere. Dixit enim ipse Dominus discipulis suis alio loco Euangelij,Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et vt ostenderet vnde dicebat,subiecit & ait. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant bona facta vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Lumbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes.* Quid est lumbos accinctos? Declina à malo. Quid est lucere? Quid est lucernas ardētes habere? Hoc est,Et fac bonū. Quid est quod adiunxit & ait; *Et vos similes estote hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis*, nisi quod in illo Psalmo sequitur, Inquire pacem & persequere eam? Hæc tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præmij æterni commemorata sunt in actibus Apostolorum, vbi scriptum est; Quia docebat eos Paulus de continentia, de iusticia & spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet. *Sint lumbi vestri accincti.* Ad iustitiam pertinet. *Et lucernæ ardentes.* Ad expectationem Domini pertinet, Quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo,hæc est continentia, hi sunt lumbi accincti. Et fac bonum, hæc est iustitia,hę sunt lucernæ ardentes. Quęre pacem & sequere eam:hæc est expectatio futuri seculi. Ergo similes estote hominibus expectantibus dominū suum, quando veniat à nuptiis. Habentes autem ista præcepta & promissa,quid quærimus in terra dies bonos,vbi eos inuenire non possumus? Scio enim quia eos quæritis quando aut ęgrotatis,aut in tribulationibus estis,quæ abundant in hoc seculo,quoniam quando ęstas vergit ad finem,& senex plenus est querelis & nullis gaudiis, inter omnes tribulationes quibus cōteritur genus humanum non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam quam hic habere non possunt: quia & longa hominis vita tanta breuitate constringitur ad vniuersi seculi illius latitudinē, quasi si vna gutta ad vniuersum mare comparetur. Quid ergo est vita hominis, etiam illa quæ longa dicitur? Longam vitam dicunt quæ in seculo isto breuis est, & sicut dixi, abundant gemitus vsque ad decrepitam senectutem. Hoc totum modicum & breue est, & tamen quo modo quæritur ab hominibus,quanta diligentia,quāto labore, quanta cura, quanta vigilantia, quanto opere quærunt homines vt diu hic viuant & senescant? Ipsum autem diu viuere, quid est aliud nisi ad finem currere? Habuisti hesternum diem, habere vis & crastinum diem. Sed cum dies iste transierit & crastinus, minus illum habes. Ideo optas vt lucescat dies, vt appropinquet tibi quò tu non vis peruenire. Exhibes aliquam solennitatem amicis tuis,audis ibi à bene optantibus,dicitur tibi,multos annos viuas, & veniat quod illi dixerunt. Quid? Vt veniant anni & anni, & non vis vt veniat finis annorum. Studia tua contraria sunt. Ambulare vis,& peruenire non vis. Verumtamen, vt dixi, si tanta cura inest hominibus, vt quotidianis magnis perpetuisque laboribus capiant vt tardius moriantur, quanta cura agēdum est,vt nunquam moriantur? Inde nemo vult cogitare. Quotidie quæruntur in isto seculo dies boni vbi non inueniuntur, & nemo vult sic viuere vt illuc perueniat vbi inueniuntur. Ideo eadem scriptura admonet & dicit, Quis est homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos? Sic interrogauit scriptura, vt sciret quid illi responderent, sciens quòd omnes homines vitam quærerent & dies bonos. Pro desiderio ipsorum interrogauit, tanquam sibi de omnium corde responderetur. Ego volo. Sic dixit, Quis est homo qui vult vitā,& diligit dies videre bonos? Quemadmodum etiam ista hora qua vobis loquor,cùm audistis me dixisse, Quis est homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos: omnes respondistis in corde vestro, Ego. Nam & ego qui vobiscum loquor,vitam volo & dies bonos. Quod quæritis vos, hoc quæro & ego. Quomodo si aurum nobis omnibus esset necessarium, & ego ad aurum vos vobiscum peruenire volēs,& esset alicubi in agro vestro in loco vestræ potestatis subdito, & viderem vos quærētes aurum,& dicerem vobis, quid quæritis respondetetis mihi aurum: & ego vobis dicerem, aurum quæritis, & ego aurum quæro: quod quæritis & ego quæro, sed non quæritis vbi possumus inuenire. Ergo audite me, vbi possimus inuenire: vobis non tollo, locū vobis ostendo, immo sequamur omnes eum qui nouit vbi sit quod quærimus. Sic & nunc, quia desideratis vitam & dies bonos: non possumus vobis dicere, nolite desiderare vitam & dies bonos: sed illud dicimus, nolite hîc quærere in hoc seculo vitam & dies bonos, vbi boni esse non possunt. Nōnne vita ipsa morti similis est? Dies autem ipsi properantes transeunt, quia hodiernus dies hesternum exclusit. Crastinus ideo nascitur, vt excludat hodiernum. Ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare? Desiderium ergo vestrum quod vitam vultis & dies bonos non solùm non reprimo, sed etiam vehementius accendo. Prorsus quærite vitam, quærite dies bonos sed vbi possunt inueniri, ibi quęrantur. Vultis enim audire mecum consilium eius qui nouit vbi sint dies boni, & vbi sit vita? Audite non à me, sed mecū simul, Ait enim nobis quidam, Venite filij audite me, & concurramus & stemus, & aures erigamus, & corde intelligamus patrem qui ait, Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Et quam rem vult docere, & cui rei vtilis est timor Domini. Sequitur, Quis est homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos? Respondemus omnes, Nos volumus. Quid sequitur audiamus, Cohibe linguam tuā à malo, & labia tua ne loquatur dolum. Modo dic, Ego. Iamdudū quando dicebam, Quis est homo

Marginal notes: Rom. 6. — Ioan. 1. — Christiani quare facti sumus. — Matth. 5. — Vbi suprà. — Lumbi accincti. — Lucernæ ardentes. — Luc. 12. — Actor. 24. — Luc. 12. — Viuere diu quid? — Psal. 33.

homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? omnes respondebamus, Ego. Heia respõdeat mihi aliquis, Ego. Ergo cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, Dic modo, Ego. Ergo dies bonos & vitam vis, cohibere linguam tuã non vis à malo, & labia tua ne loquantur dolum? Ad mercedem alacer, ad opus piger, & cum nõ operanti non redditur merces, vtinam in domo tua, vel operãti mercedem reddas. Nam scio quia non operanti non reddis. Quare? Quia nihil operãti nihil debes. Et Deus proposuit mercedem. Quam mercedem? Vitam & dies bonos quos omnes desideramus, ad quos dies omnes conamur venire. Promissam mercedem daturus est. Quam mercedem? Vitam & dies bonos. Et qui sunt dies boni? Vita sine fine, requies sine labore. Magnam mercedem proposuit. In tanta proposita mercede, videamus quid iussit. Iam enim mercede tantæ pollicitationis & amore mercedis accensi, paremus iussioni eius vires nostras, latera, lacertos. Quasi iussurus est aliqua grandia nos portare, forte aliquid fodere, forte aliquam machinam erigere? Non iussit tibi rem laboriosam, sed membrum quod inter omnia membra cito moues ipsum tibi præcepit, Cohibe linguã tuam à malo. Non est labor erigere fabricam, & labor est tenere linguam? Cohibe linguam tuam à malo. Noli loqui mẽdacium, noli loqui criminationes, noli loqui calũnias, noli loqui falsa testimonia, noli loqui blasphemias. Cohibe linguã tuam à malo. Vide quomodo irasceris, si quis de te male loquatur. Quomodo irasceris alteri quando de te male loquitur, sic irascere tibi, quando de altero male loqueris. Labia tua non loquantur dolum. Quod est intus in corde tuo, hoc dicatur foris. Non aliud pectus regat, & aliud lingua proferat. Declina à malo & fac bonum. Nam quo modo dicturus sum ei, Vesti nudũ, qui adhuc spoliare vult vestitum? Nam qui premit ciuem suum, quo modo habet suscipere peregrinum? Ergo per ordinẽ prius declina à malo & fac bonum: prius accinge lumbos tuos, & tunc lucernam accende. Et cum hoc feceris, secutus es pacta vitam & dies bonos: quære pacem & sequere eam. & tunc bona fronte dices domino, Feci quod iussisti, redde quod promisisti.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauenens. in superius Euang. de seruo vigili, Serm. 1.

Ex Serm. 22. *Sint lumbi vestri præcincti, &c.* Ibi præcingenda est virtus, vbi voluptas est comprimenda. Nescit vincere vitia corporis, virtutis cingulum qui deponit. Cincti ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxam carnis detrundemus ignauiam: & regis nostri expectatione peruigiles, insomnem, somnum sæculi nesciamus. Non dormiunt, inquit, nisi cùm malè fecerint. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Beati, in quorum manibus bonorum operum lucent lucernæ.

Prou. 4. Sic enim luceat lux vestra coram hominibus, vt

Matth. 5. videant bona vestra opera, & magnificẽt patrem vestrum, qui est in cælis. Et, vt lucerna ante oculos, opus bonum in mentibus sic refulget. Non portanti tãtum lucerna lucet, sed multis, & opus bonum dum facto in vno lucet, multos illustrat exemplo. Lucerna repellit noctium obscura, opus bonum malitiæ fugat tenebras. Accendamus lucernam bonis operibus in manibus nostris, si volumus coram domino, & hominibus nos lucere. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Quia semper nuptiis amicæ sunt faces: luminum testimonio celebratur castitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita qui præsumit, sic multiplici coruscat in lumine, licita qui requirit. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quãdo veniat à nuptiis.* Homines sunt, qui more debito seruitutis indefessis excubiis aduentum sui domini præstolantur: qui verò sic ventri seruiunt, vt diuinam nesciant seruitutem, & de carnis voluptate soliciti solicitudinem occursus dominici perdiderunt, homines non vocãdi sunt, sed iumenta. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Ex quo ad desponsandum suam Ecclesiam Christus aduenit, thalamus ornatur sponsæ, & ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis velis, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis: & ad alta cæli pudicitiæ templum, fastigium virginitatis attollitur: nec desunt Psalmorum citharæ, Prophetica organa, Apostolorum voces, totæque symphoniæ cælestium nuptiarum. Satis seruus somni est, qui tali, & tanto clamore non ad cælestis regis nuptias suscitatur. *Vt, cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Veniens pulsat; corda bene conscius aperit, malè conscius claudit: iusta mens patescit ad præmium: iniusta, quia non meruit, se præcludit. Vigilemus ergo, dilectissimi, vt beatitudinem, quæ sequitur, consequamur. *Beati serui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes.* Sufficiant beatitudinis hæc promissa. Sed, quia Christus ipsius beatitudinis eloquitur claritatem, differamus hodie, vt plenius audiamus, quid suis filiis promiserit talis pater.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

Semper, & ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat: quia re vera plus vigilare, plus viuere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, vt corpus reparet, non resoluat; & vires renouet, non eneruet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est, quòd rex in procinctu peruigil, callidi hostis præcauet, & euitat insidias: tunc in castris miles superuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit inuios, & vestigio furtiuo ad lucrosi portus votiuam peruenit mansionem. Hinc pastor adiungit noctes diebus, & totũ sibi tempus denegat dormiẽdi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio. Sic viator solers per auras noctis æstus solis præuenit: actúmque diem prouidentius deputat mansioni. Hoc Propheta sciens non die solo, sed & nocte tota clamabat ad dominum; Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte Psal. 87. Luc. 6.

coram

eoram te. Quid plura? Ipse dominus pernoctat in oratione Dei: vt autè nos oratione liberet, quàm redimat passione. Et, si pro seruis dominus vigilar; meritò pro seipsis seruos vigilare sic iubet. Luc. 12. *Præcincti*, inquit, *sint lumbi vestri, &c.* Nouus ordo vigiliarum, nouus habitus imperatur. *Sint lumbi vestri præcincti.* Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu serui vigiles admonentur, sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantum, siue quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. *Sint lumbi vestri præcincti.* Cingulum quidem est propriè indicium seruitutis; quòd & discinctus expeditos reddat, & faciat obsequentes. Sed dixisse suffecerat, estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat? cur tanta iubentis reuerentia lumborū facit magnopere mentionem? Quæris, quare? quia in lumbis est tota corporis causa, es lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros reddit, efficit segniores. Hinc est ergo, quòd principaliter dominus lumbos nostros astringi iubet baltheo castitatis; & totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis: vt, carne succincta, ad domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. Hæc tamen audiens, homo, scire debes, quia non retardat ab occursu Dei caro: quia ipsius occursus, * officij ipsius est inseparabilis comes; si tu eius compones sarcinas; si reueles onera eius, si pendula, & sinuosa inuolucra eius tu prouidus viator astringas. Quid plura? Erit tibi salubre cōtubernium, si tu eius desis, & resolutus non fueris institutor: quemadmodum autē debeas æquare sarcinas eius, eius pondera iniusta moderari, Col. 3. Apostolus edocet, sic dicendo; Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorū seruitus. Constringenda est ergo caro continentiæ cingulo; ne effusa viribus, ac toto peccatorum grauata pondere, supernis, & cælestibus insistere non possit incessibus. Bene ergo dominus adiecit; *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quia semper ad innocentiæ testimonium lucernę nocturno portantur in tempore: &, sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus: sociæ semper boni operis sunt lucernæ. Sed in manibus sanctorum ipsa bona opera sunt lucer-Matth. 5. næ, dicente Domino; Sic luceat lux vestra eoram hominibus, vt videant vestra bona opera, & magnificent patrem vestrum, qui in cælis est. Et verè portant lucernas suas; verè fomentis operum, veræ misericordiæ vnguento inflammant lampades suas, qui, cum loco, proposito, studio latitāt, opere, virtute, meritis coruscant, ac splendēt toto orbe terrarum. Et, quia expectationis suæ dominus satis tristes, satis ansios nouerat mores; ne quis superaretur tædio, ne quis lassesceret tarditate, ne quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseuerantibus beatitudinem cælestem, cæleste promittit obsequium. *Beati, inquit, serui illi, quos, cum venerit dominus, inuenerit vigilantes.* Et ne ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adiecit; *Amen dico vobis, quia præcinget se, &c.*

* forte ipsius: eij. quod est, omnia Dei operi non ad creatorem adduceret.

Præcinget se Deus, & faciet seruos discumbere, & ministrabit eis. En narratio inaudita rerum, en terribilis corruptio dominationis, en pauenda conuersio seruitutis: quia parumper seruus astitit in domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem breui fatigatione portauit: cui vt talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas. *Præcinget se, &c.* Discumbēti homini Deus astat, & astat in cælestibus, epulanti seruo seruit dominus, & seruit accinctus; pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, & facit in patris iam gloria constitutus. Homo calumniaris; * est * adhuc quod detulerit patri, qui tibi in terra lauando pedes, extremū repræsentauit obsequium, & repromittit in cælestibus nouissimam seruitutem? Crede, hæretice, & tu illi stude reddere talionem. Ille tibi in cælestibus parat conuiuium, se ministro; & tu illi in terra non desinis continuas ingerere, & generare blasphemias: faciet & ille transitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione ad fidelium suorum pia transiet, & mirabit obsequia: ad te de misericordi patre seuerissimum transibit in iudicem. *Et transiens ministrabit illis.* Confitentibus, expectātibus ministrabit epulas; ministrabit & tibi, sed dignam de tua negatione sententiam. *Et si venerit in secunda vigilia, &c.* Si in secunda, & tertia vigilia venerit; vigilias mundus plures, tres tantum vigilias nouit expectatio Trinitatis: quare tamen à secunda cœpit, & tacuit primam? Quia prima iam vigilia in ortu dominicæ natiuitatis excesserat. Probāt hoc pastores, qui, dum supra gregem suum vigilant, gregis ipsum pastorem in præsepio inuenire, videre, tenere merentur & antbotem, sed quæ sit secunda, & tertia vigilia requiramus. Sicut vtrique prima vigilia est sui ortus in carne, ita secunda est vigilia, qua nostra redit, & resuscitatur in carne. Denique, vt ad resurgentem veniat, annnus excitatur, & enigilat mundus. Tertia vigilia est illa, qua expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu: vt, sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi iam perpetuam resurgamus ad vitam.

S. GREGORII PAPAE *in idem Euang. Homil.*

Sancti euangelij, fratres charissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed ne aliquibus ipsa *Est homil. 13. in Euang.* eius planities alta fortasse videatur, eam sub breuitate transcurrimus: quatenùs eius expositio ita nescientibus fiat cognita, vt tamen scientibus nō sit onerosa. Quia viris luxuria in lumbis sit, fœminis in vmbilico, testatur Dominus, qui de diabolo ad beatum Iob loquitur, dicens: Virtus eius in lūbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ven- *Iob. 40.* tris eius. A principali igitur sexu, lumborum nomine luxuria designatur, cùm dominus dicit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Lūbos enim præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala nō agere, nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare, protinùs additur: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla mōstramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glo- *Matth. 5.* rificent

rificent patrem vestrum qui in cælis est. Duo autem sunt quæ iubentur, & lumbos præcingere, & lucernas tenere: vt & mūditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro, vnū sine altero nequaquam placere potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquid sine castitate. Sed & si vtrúque agitur, restat vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se à vitiis pro mūdi huius honestate contineat. Qui etsi quædam bona aliquando pro honestate inchoat, in ea tamen intentione nō debet permanere: nec per bona opera præsentis mundi gloriam quærere, sed totā spem in redemptoris sui aduentu constituat. Vnde & protinùs subditur: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Ad nuptias quippe Dominus abiit, quia resurgens à mortuis, ascendens in cęlum, supernam sibi angelorū multitudinem nouus homo copulauit: Qui tunc reuertitur, cùm nobis iam per iudicium manifestatur. Bene autem de seruis expectantibus subditur: *Vt cùm venerit & pulsauerit confestim aperiant ei.* Venit quippe, cùm ad iudicium properat. Pulsat verò, cùm iam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet: & cùm tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Vnde & protinùs subditur: *Beati sunt serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Vigilat, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando quod credit. Vigilat, qui à se torporis & negligētiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iusti, & nolite peccare. Hinc rursus dicit: Hora est iā nos de somno surgere. Sed veniens Dominus, quid vigilantibus seruis exhibeat, audiamus: *Amen dico vobis, quòd præcinget se, &c.* Præcinget se, id est, ad retributionem præparat. Et faciet illos discumbere, id est, in æterna quiete refoueri. Discumbere quippe nostrū, in regno quiescere est. Vnde rursus Dominus dicit: Venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob. Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire verò dictum est, cum de iudicio ad regnum redit. Vel certè nobis Dominus post iudicium transit, quia ab humanitatis forma, in diuinitatis suæ contemplationē nos eleuat. Et transire eius, est in claritatis suæ speculationē nos ducere, cùm eum quē in humanitate in iudicio cernimus, etiam in diuinitate post iudiciū videmus. Ad iudicium quippe veniens, in forma serui omnibus apparet, quia scriptū est: Videbunt in quem transfixerūt. Sed cùm reprobi in supplicium corruunt, iusti ad claritatis eius gloriam petrahuntur, sicut scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Sed quid si serui in prima vigilia negligentes existūt? Prima quippe vigilia, primę ętatis custodia est. Sed neque sic desperandum est, & à bono opere cessandum. Nam longanimitatis suę

2.Cor 15. Rom. 13. Matth. 8. Ioan. 19. Esai. 26.

patientiam insinuans Dominus, subdit: *Et si venerit in secunda vigilia & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit beati sunt serui illi.* Prima quippe vigilia, primæuum tempus est, id est, pueritia. Secunda, adolescentia vel iuuentus, quæ auctoritate sacri eloquij vnum sunt, dicente Salomone: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Tertia autem, senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam: vt qui conuerti à prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui in secūda vigilia vigilare noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat: vt qui in iuuētute ad vias vitę nō vigilat, saltem in senectute resipiscat. Pensate fratres charissimi, quia conclusit pietas Dei duritiam nostram. Non est iam, quid homo excusationis inueniat. Deus despicitur & expectat, contemni se videt & reuocat, iniuriam de contemptu suo suscipit, & tamen quādoque reuertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exercet, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Hinc Psalmista ait: Deus iudex iustus, fortis & longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmisit iustum: vt quem vides peccata delinquētium diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districtè iudicare. Hinc per quendam sapientem dicitur: Altissimus enim est patiens redditor. Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur & reddit. Nam quos diù vt conuertantur tolerat, non conuersos durius damnat. Ad excutiendam verò mentis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducuntur, vt per hæc animus ad sui custodiam suscitetur. Nam dicitur: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, &c.* Ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, qua dicitur: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nesciente etenim patrefamilias, fur domum perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniens, carnis nostræ habitaculum irrumpit, & eū quem Dominum domus inuenerit dormientem, necat: quia cùm ventura damna spiritus minime præuidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia aduentum iudicis qui occultè animam rapit, præcauens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitēs periret. Horam verò vltimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Proinde fratres mei, in conditione mortalitatis vestræ mentis oculos figite, venienti vos iudici per fletus quotidie & lamēta præparate. Et cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalia vitæ prouidentia incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggrauet. Quantislibet enim auri & argenti molibus circundetur, quibuslibet preciosis vestibus induatur, caro quid est aliud quàm caro? Nolite ergo attendere quid habetis, sed considerate quid estis. Vultis audire quid estis? Propheta indicat, dicens: Vere fœnum est populus: si enim fœ-

Rom. 2. Psal. 7. Eccl. 5. Esa. 40.

num populus non est, vbi sunt illi, qui ea quæ hodie colimus, nobiscum transacto anno beati Felicis natalitia celebrauerunt? O quanta & qualia de præsentis vitæ prouisione cogitabant: sed surripiente mortis articulo, repente in his quæ præuidere nolebant, inuenti sunt, & cuncta simul temporalia congregata, quæ quasi stabiliter tenere videbantur, amiserunt. Si ergo transacta multitudo generis humani per natiuitatem viruit in carne, per mortem aruit in puluere, videlicet fœnũ fuit. Quia igitur momentis suis horæ fugiunt, agite fratres charissimi, vt in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat:
Eccl.9. Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erũt apud inferos, quò tu properas. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit, vincitur, si priusquam veniat, semper timeatur.

BEDAE VENERABILIS
Presbyteri, in superius Euang. expositio.

Ex Comment. in Lucam. S*Int lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & reliqua.* Quia multos ostenderat, vel in torum seculu subditos, vel secularis intuitu commodi Domino seruientes, pulchre, breuiterque suos docet, & lumbos pręcingere propter cõtinentiam ab amore rerum secularium, & lucernas ardentes habere, vt hoc ipsum vero fine, & recta intentione faciant. Aliter lumbos pręcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Lucernas autem ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Redemptori etenim nostro vnum sine altero placere nequaquam potest, si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is, qui castitate pręeminet, necdum se per bona opera exercet. Sed & si vtrunque agitur, restat, vt quisquis ille est spe ad supernam patriam tendat, nequaquam se à vitiis pro mundi huius honestate contineat, sed totam spem in redemptoris sui aduentu constituat. Vnde & protinus subdit: *Et vos similes hominibus expectantibus, &c.* Ad nuptias quippe Dominus abiit: quia resurgẽs à mortuis ascendens in cęlum, supernam sibi angelorum multitudinem nouus homo copulauit. Qui tunc reuertitur, cum nobis iam per iudicium manifestatur. Bene autem de seruis expectãtibus subditur: *Vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Venit quippe cum ad iudicium properat: pulsat vero, cũ iam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hũc cũ amore suscipimus. Aperire etenim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confestim aperit: quia lętus iudicem sustinet, & cum tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Vnde & protinus subditur: *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, &c.* Vigilat, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando, quod credidit. Vigilat, qui à se torporis, & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iusti, & nolite peccare. Hinc rursus ait: Hora est iam nos de somno surgere. Sed veniẽs Dominus quid vigilantibus seruis exhibeat, audiamus. *Amen dico vobis, quod præcinget se, &c.* Pręcingit se, id est, ad retributionem pręparat: facit illos discumbere, id est, in æterna quiete refoueri. Discumbere quippe nostrum, in regno quiescere est. Vnde rursum Dominus dicit. Venient, & recumbent cũ Abraham, & Isaac, & Iacob. Transiens autem Dominus ministrat: quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transit vero, dictum est de iudicio ad regnum redit. Vel certe Dominus nobis post iudicium transit: quia ab humanitatis forma in diuinitatis suæ contemplatione nos eleuat. Et transire eius est in claritatis suæ speculationẽ nos ducere, cum eum, quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in diuinitate post iudicium videmus. *Et si venerit in secunda vigilia, &c.* Prima vigilia primæuum tempus est, id est, pueritia. Secunda adolescentia, vel iuuẽtus. Quæ auctoritate sacri eloquij vnum sunt dicentis: Lętare, iuuenis, in adolescentia tua. Tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat, vel secundam, vt qui conuerti à prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui vigilare in secũda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat, vt qui & in iuuentute ad vias vitæ non euigilat, saltem in senectute resipiscat. Ad excutiendam vero mentis nostræ desidiam etiam exteriora damna per similitudinem deducuntur, vt per hęc animus ad sui custodiam suscitetur. Nam dicitur: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret, &c.* Ex qua pręmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur cùm dicitur: *Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nesciente enim patrefamilias fur domum perfodit, quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniens carnis nostræ habitaculũ irrumpit, & eum, quem Dominum domus, inuenerit dormientem, necat: quia cum ventura damna spiritus minime præuidet, hũc mors ad suppliciũ nescientẽ rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret, quia aduentum iudicis, qui occulte animam rapit, pręcauens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam vero vltimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt, dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberstatensis in superius Euang. Homil. 1.

S*Int lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c.* Inter cęteras virtutes, quas dominus noster Iesus Christus discipulis tradidit, & per discipulos nobis maximã & præcipuã castitatem ostendit. Nam cùm superius ad spontaneam paupertatem amandam nos incitasset, dicens: Fa- Luc.12. cite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cęlis, quo fur non appropiat, nec tinea corrumpit: continuo de seruanda castitate adiecit, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti.* Quod enim luxuria viris in lumbis sit, & fœminis in

in vmbilico, Dominus testatur, cum de diabolo *Iob. 40.* loquitur ad beatũ Iob: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius. Lumborum ergo nomine his luxuria designatur, cùm dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti.* Lumbos enim præcingimus, cùm ardorem libidinis amore castitatis refrænamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Ioánes Baptista, de quo scriptum est. *Marc. 1.* Quia erat vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lũbos eius: nec erat de immundis, qui propter fluxum seminis ejiciebantur extra castra: sed castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu cor- *4. Reg. 1.* poris demõstrabat. Sic & Elias zonam circa lumbos habebat. Qui enim non propter amorem filiorum iunguntur, sed propter libidinem explendam, lumbos præcinctos non habent: sed potiùs de illis sunt, qui propter immunditiam extra castra ejiciuntur, comparati iumentis insipientibus. *1. Cor. 6.* Qui vero tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, nequaquam lumbos habet præcinctos: quoniam, sicut vere ait apostolus Paulus, *Heb. 12.* sine pace & castimonia nemo videbit Deũ. Quantum enim incorruptio carnis Deo placeat, ipse per prophetam testatur, dicens: Hæc dicit Dominus *Esa. 54.* eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, tenuerintque fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum nominatum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum quod non peribit. Et in Apocalypsi *Apo. 14.* de talibus dicitur: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Quod cùm omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit, specialiter tamen ministris ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur: quando in veteri lege carnes agni, qui in figura corporis & sanguinis dominici immolatus est, non priùs comedere permissi sunt, quàm renes accinctos haberent, Domi- *Exod. 12.* no dicẽte: Sic ergo comedetis illum, renes vestros accingetis, calceamẽta habebitis in pedibus. Item: *Leui. 21.* Et dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron, & ad filios eius: Homo de semine vestro, in quo fuerit macula, nõ accedat ad altare. Si gibbus fuerit, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel iugem scabiem, si cęcus fuerit vel claudus, si fracto pede, vel torto naso, si fuerit ponderosus vel herniosus. Qui enim sacra mysteria manibus tractare, & aliis ministrare debent, dignum est, vt ab omni immunda pollutione sint alieni: vt scilicet & mente sint casti, & corpore pudici. Quod in opere Dauid discimus, qui cùm venisset ad Achimelech sacerdotẽ, non priùs panes sanctificatos accipere potuit, quàm se suósque mundos à mulieribus testaretur: non vtique solum ab alienis, neque à concubinis, sed etiam à propriis vxoribus. Ait enim: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum munda. Quapropter cõsideret vnusquisque conscientiam suam, & si se incontinentem senserit in corpore, abstineat se à sacra communione, ne forte ad iudiciũ accipiat, quod fidelibus datum est ad remedium, timens illud, quod *1. Cor. 11.* terribiliter clamat Apostolus, dicens: Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Vel certe aliter lumbos præcingimus, cùm omnia impedimenta mundi postponimus, vt in via mandatorum Dei gressum mẽtis firmiter figere valeamus. Qui enim discinctus est, ipsis suis vestimentis impeditur, ne libere ambulet. Qui vero præcinctus est quaquauersùs liber discurrere potest. Præcingitur ad prælium miles, & circa renes gladium portat, quo aduersarium suum perimat. Et tu ergo qui cupis esse miles Dei, præcinge lumbos tuos, id est, omnia fluxa & impedimenta mundi postpone, vt pugnare valeas, non aduersùs carnem & sanguinem, sed *Ephes. 6.* aduersùs mũdi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: vt impleatur in te, quod idem Apostolus subiungit: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatio- *Iob. 38.* ne euangelij pacis. Taliter miles castrorum lumbus præcinxerat, quãdo audiuit: Accinge sicut vir lumbos tuos. Vnde & in laude ecclesiæ dicitur: *Prou. 31.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Quisquis autem talis est, alius ad exemplum imitationis proponendus est, quia sicut ait dominus, Nemo accendit lucernam, & po- *Luc. 8. & 11.* nit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Vnde postquam dixit: Sint lumbi vestri præcincti, adiunxit: Et lucernæ ardentes. Quid per lucernas, nisi opera designantur? Lucernas ardẽtes habere, est bona opera aliis ad imitandum ostendere, iuxta illud, quod Dominus alibi ait: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Considerandum autem illud est, quod duo sunt quæ præcipiuntur, lumbos scilicet præcingere, & lucernas ardentes habere: quia nec castitas prodest sine bono opere, nec bonum opus aliquid valet sine castitate. Primùm enim præcipitur lumbos restringere, & post lucernas tenere: quia ille ad aliorum exemplum promouendus est, in cuius pectore salutaria desideria vigent, & cuius mentem carnalis voluptas non occupat. Quod in lege præfiguratum est, *Num. 8.* cùm per Moysem præcipitur, vt Leuitæ vsque ad quinquagesimum annum ministrent: post annum autem quinquagesimum custodes vasorum fiant, legitimum tempus attendentes, siue ad regendum, siue ad officium prædicationis suscipiendũ. Sed quæritur, quare pręcipiat lucernas tenere, cùm alibi dicat: Tu autẽ cùm oraueris, intra in cu- *Matth. 6.* biculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bonum opus ad exemplum aliorum ostendere, qui iam perfecti sunt vt ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem, qui imperfecti sunt, aut quos fauor humanus extollit, præcipitur: Tu autẽ cùm oraueris, intra in cubiculum tuum: & cùm facis eleemosynã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Et quia iuxta Ioannis vocẽ, Si cor nostrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die iudicij: quicunque lumbos habent præcinctos & lucernas ardentes, aduentum Domini non tam timere debent, quàm diligere. Vnde & subdi- *1. Ioan. 3.* tur: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, &c.* Ad nuptias quippe Dominus noster abiit, quando ascendens in cælum, multitudinem angelorum nouus homo sibi sociauit. Tunc autem reuertetur ad seruos suos, quando per iudicium manifestari cœperit. Siue certe aliter Domi-

nus nobis quotidiè venit cùm conſcientias noſtras per ſuam gratiam viſitat, & cor noſtrum ſuo amore inflammat. Pulſat verò, quando per ægritudinis moleſtiam, vicinam mortem denunciat. Cui ille ſtatim aperit, qui lætus de corpore exit, & eius ſpeciem, quem ſemper deſiderauit, videre concupiſcit. Pulſanti iudici aperire timet, qui eius præceptis ſe minimè obtēperaſſe cognoſcit, & videre eum exiens de corpore trepidat, quem contempſiſſe ſe meminit, & quaſi videre iudicem metuit, cuius iuſſis ſe obtemperaſſe non recognoſcit. Sicut enim iudicis aduētum in ciuitate eius iuſti diligunt, fures & latrones timent: ita & aduētum domini illi timent, qui eius præceptis minimè ſe obtemperaſſe ſciunt. Soli autem illi diligunt, qui rectè ſe viuere recolunt, quod illorum eſt facere, qui vitam ſuam, quantùm humana fragilitas patitur, inculpabilem cuſtodiūt, & cor ſuum de terreno amore in cæleſtis patriæ gaudio ponunt. Talis erat Paulus apoſtolus, qui de bonis actibus ſecutus, dicebat: Ego autem iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Bonum certamē certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię. Et iterùm, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo enim melius. Et rurſùs: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Taliter pulſanti iudici beatus Martinus aperire paratus erat, quando inter ægritudinis moleſtiam conſtitutus, diſcipulorum fletibus commotus, dicebat: Grauis eſt domine pugna laboris, qua hucuſque certaui: ſed ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo propter eos ſubire laborem. fiat voluntas tua. Talibus qualis remuneratio præparata ſit, dominus manifeſtat, cùm ſubdit: *Beati ſerui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Vigilare enim, eſt in bono opere vnumquemque ſolicitum eſſe. Ille verò benè vigilat qui rectè credit & rectè viuit. Vigilat, qui ad aſpectum veri luminis apertos tenet oculos mentis. Vel certè vigilat, qui torporem & negligentiam à ſe excutit, & diuinis mandatis ardenti animo inhæret. Taliter Paulus apoſtolus vigilare monebat, quibus dicebat: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Et iterùm: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et rurſùs: Vigilate & orate, & ſtate in fide. Adhuc etiam ipſius remunerationis qualitas inſinuatur, cùm ſubditur: *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, &c.* Præcingi verò Dei, eſt ad retributionem ſe præparare. Noſtrum autem diſcumbere, eſt in æterna beatitudine quieſcere, iuxta quod ipſe alibi ait: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Tranſire verò dicitur, cùm poſt iudicium ad regnum properat. Vel certè dominus tranſiens nobis miniſtrabit, cùm de forma humanitatis vſque ad contemplandam claritatem diuinitatis nos perducet. Omnibus enim in iudicio in forma humanitatis apparebit, iuſtis ſcilicet & iniuſtis, ſicut ſcriptum eſt: Et videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri. Sed reprobis iuſto iudicio damnatis, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei: ſolis electis reſſiet, quos de viſione humanitatis vſque ad contemplandam claritatem diuinitatis ſublimabit; vt qui modò intuentur tantùm hominem, tūc faciem mereantur videre Deum, qualiter pater in filio, & filius maneat in patre. Sed quia omnibus præſentis vitæ terminus incertus eſt, rectè ſubiungitur: *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, &c.* Antiqui enim noctem in quatuor vigilias diuidebant, ita vt vnaquæque vigilia trinas haberet horas. Varietates namque horarum, diuerſitatem ſignificant humanæ vocationis. Prima enim vigilia, primæuum eſt tempus noſtræ ætatis, id eſt, pueritia. Secunda vigilia, adoleſcentia, vel iuuentus, quæ penè idem ſunt, Salomone dicente: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Tertia vigilia, eſt ſenectus. Cùm verò Dominus nonnullos in pueritia benè operantes ab hac vita vocat, quaſi ad ſeruos vigilantes in prima vigilia venit. Cùm verò alios in adoleſcentia vel iuuētute ab hac vita ducit, quaſi in ſecunda vigilia venit. Siquis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, ſaltem in ſecunda vigilet: id eſt, ſi quis in pueritia à bono opere torpuit, ſaltem in adoleſcentia vel iuuentute ſomnum torporis à ſe excutiat, & dum virtus corporis viget, in bono opere ſe exerceat. Si quis autem tam negligens & deſidioſus fuerit iuuentus, vt nec in prima, nec in ſecunda vigilia vigilauerit, ſaltem in tertia, id eſt, in ſenectute iam reſipiſcat, & tunc vigilare non timeat, cùm parum vigilaturus eſt. Neque enim ſerò conuerſos diuina pietas deſpicit, qui per prophetam ait: Viuo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et iterùm: Peccator quacunque die conuerſus fuerit & ingemuerit, ſaluus erit. Sed quia ſolet antiquus hoſtis in hac parte tepidos decipere Chriſtianos, vt quibus ſuadet culpam, longam promittat & vitā, adhuc Dominus admonendo, ſimilitudinem incerti finis ſubdit, dicens: *Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, &c.* Iuxta literam ita eſt, quia paterfamilias theſaurum recōditum habens in domo, ſi furis aduentum ſciret, vigilias inſtrueret, cuſtodias adhiberet, infirmiora loca muniret, & ne ſua domus aliqua fraude perfodi poſſet, ſolicitus pręcaueret. Spiritualiter autem paterfamilias iſte, noſter eſt animus, qui tunc malè ſecurus dormit, quando diem mortis obliuiſcens, à bono opere torpet, & breuiſſimum tempus vitę pręſentis, quaſi longum ſibi promittit. Furis autem aduentus, mors eſt, quæ improuiſa ſubitò dum non ſperatur veniens, theſaurum animæ noſtræ ad pœnas rapit. Huius ergo furis aduentum vt præcauere poſſimus, neceſſe eſt vt diem mortis ſemper ante oculos habeamus. Multum enim nos aduerſus peccatum iuuat, ſi finis vitæ à memoria non recedat, monente ſcriptura: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in ęternum non peccabis. Vnde & Dominus admonendo ſubiungit, dicens: *Et vos eſtote parati, &c.* Si autem terminum vitæ noſtræ ſciremus, aliud tempus fortaſſe voluptati, & aliud tempus pœnitentiæ deputaremus. Cùm verò omnibus incerta ſit hora mortis, non debet eſſe conſcientia ſecura à bono opere; quia Dominus omnipotens, qui neminem vult perire, ſed omnes ad cognitionem veritatis venire, ideò voluit nos latere vltimum diem, vt dum ignoratur vnus, obſeruētur omnes. Quod autem ait, Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet: ſi ad diem iudicij referamus, manifeſtum eſt quia incertus eſt omnibus & incognitus, ſicut ipſe dicit in euangelio: De die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque filius hominis, niſi pater ſolus. Et iterùm: Sicut fuit in diebus Noe, ſic erat aduentus filij hominis. Et

rurſùm

Margin notes (left column): 2.Tim.4. — Phil.1. — Galat.2. — 1.Cor.15. — Rom.13. — 1.Cor.16. — Matth.8. — Eſa.40. — Luc.3. — Eſai.26.

Margin notes (right column): Eccl.11. — Ezech.33. — Ezech.18. — Eccl.7. — 1.Tim.2. — Marc.13. — Matth.24.

rursùm: Sicut fulgur egreditur ab oriente, & penetrat in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Et post suam resurrectionem quærentibus discipulis ait: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Hinc Petrus Apostolus dicit: Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum & corporũ, quotidiè fit in singulis animabus. Dum enim non putamus, filius hominis venit, quando subita morte præuenti, ipsum habemus terminum peccandi, quem & viuendi. Et dum mala non deserimus, sed à malis deserimur, seram agimus pœnitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem, ne subitò veniat ira eius, & in tépore vindictę disperdat te.

Act.1. 2.Pet.3. Eccl.5.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

S*int lumbi vestri præcincti, &c.* Luxuria virorum in lumbis est, mulierum verò in vmbilico ventris. Quod manifestat Dominus, cùm loquitur ad B. Iob de diabolo, dicens: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Quando verò diabolus virum decipit per libidinem in lumbis dicitur habere virtutem, & quando mulierem decipit per libidinem, in vmbilico dicitur habere virtutem. *Sint lumbi vestri præcincti*, id est, antè cincti. Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam, per continentiam vel abstinentiam coarctamus, vel refrænamus. Lucernas in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus, iuxta quod Dominus alibi dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Cur præcepit Dominus lumbos restringere, & lucernas in manibus tenere? Quia vnum sine altero nequaquam Deo placere potest. Si enim bona opera habueris, & tamẽ luxuriosus sis, tua bona opera non multum placent Deo. Si autem castitaté seruaueris, & bonis operibus nõ insudaueris, castitas tua non multum tibi proderit. Econtra si vtrumque habueris in vtroque placebis. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis.* Ad nuptias quippe Dominus abiit cum resurgens à mortuis nouus homo factus est immortalis, & ascendendo in cælum supernam angelorum multitudinem sibi copulauit. A nuptiis autem reuertetur cùm præsens per iudicium manifestabitur quando eum omnis oculus videbit, iuxta quod scriptum est. Et videbit omnis caro salutare Dei, & plangent se super eũ omnes Gentes terræ, *vt cum venerit & pulsauerit confestim aperiant ei.* Quotidiè venit Dominus: quia quotidie appropinquat dies iudicij. Quotidie venit, quia quotidie se venturum denunciat dicens: Iam venio, iam venio, pulsat verò cùm per ægritudinem mortem esse vicinam corporis designat. Cui confestim aperimus, si eius aduentum cum lætitia excipimus. Sed nos non ita agimus, cum dies mortis adpropinquat exire de corpore formidamus: quia pro peccatis nostris ab eo puniri timemus. Qui verò perfectus est in fide, & opere sicut Beatus Antonius, in cuius exitu mortis angeli stabãt ad caput & pedes, ridentes cum viro sancto. Ille talis aduẽtum filij Dei cum gaudio suscepit: quia se remunerandũ ab eo credidit. *Beati serui illi quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.* Et secundum literã possumus intelligere hæc. Quia beati serui illi, maximè qui Deo sunt dicati, sicut monachi & Canonici, qui vigilant in laudibus Dei omnipotentis, in nocturnalibus officiis, videlicet beatum officium canunt. Et secundum spiritualem intelligentiam, ille vigilat, qui bona desiderabiliter prouidet, & mala solerter cauet. Vigilat qui ad aspectum veri luminis oculos mentis apertos tenet, vbique præsentiam Dei cogitat esse, & quantum potest se immunem à peccatis custodit. Deo iuuante vigilat, qui seruat operando quod credit. Habe fidem, habeto bonam operationem, tunc vigilas. *Beati ergo sunt serui illi quos cùm venerit Dominus* in die mortis, vel in die iudicij *inuenerit vigilantes*, id est, præcepta sua seruantes. *Amen dico vobis, quòd præcinget se, &c.* Præcingere est linteum ante se ponere, sicut fecit Dominus quando lauit pedes discipulorum. Præcingit se Dominus cùm ad retributionem se præparat, vt reddat bonis bona, & malis mala. Facit illos discumbere, id est, electos in æterna beatitudine requiescere: *Et transiens ministrabit illis.* Transit Dominus, cùm de iudicio redit ad regnum.

Matth.5.

EVSEBII EMISSENI
Episcopi in superius Euang. Hom.

S*int lumbi, &c.* Quod enim dominus lumbos nos præcingere præcipit, castitatis gloriam & obseruantiam commendat. In lumbis enim luxuria dominatur: vnde & de diabolo dicitur virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. De Ecclesia quoque dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Itemque: Syndonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Inde est quod sacerdotes in lege balteos & femoralia habere iubentur, sine quibus ad altare non accedãt, neque tabernaculum ingrediantur. His igitur & similibus comprobatur, quantùm Deo placeat obseruantia castitatis. Sequitur: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ardent enim lucernę nostræ, si benè circunquáque fulgeant, aliósque illuminent & doctrina & opera nostra. Vnde & Dominus ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificẽt patrem vestrum, qui in cælis est. Illorum enim lucernæ extinctæ sunt, qui neque doctrina, neque operatione alios illuminant. Debemus autem similes esse hominibus Dominum suum expectantibus, quando à nuptiis reuertatur, ne nos imparatos & dormientes inueniat. Dominus enim noster tunc ad nuptias reuertetur, quando sponsam suam matrem nostram, sanctam videlicet Ecclesiam, omni corruptione liberam, castis complexibus in æternæ felicitatis thalamum introducet. Venit autem & nunc ad nuptias per singulos dies, quãdo sanctorum animas, quæ & ipsæ illius sponsæ sunt, ad se vocat, & secũ in æternæ beatitudinis cubiculum collocat. Quotidiè igitur Saluator noster nuptias facit: quotidiè ad se venientibus sanctorum animabus delicias summi boni, & ineffabilis dulcedinis epulas ministrat. Sine ergo per ablationum

Iob.40. Prouer.31. Leuit.16. Matth.5.

dicatur à nuptiis, siue per accusatiuũ ad nuptias, non est inconueniens: quoniam & in cælo & in terra nuptiæ fiunt. De nuptiis itaque ad nuptias Dominus venit, quia & hic & ibi sponsam habet. Hæc est autem illa sponsa, de qua scriptum est: Cant.5. Vna est columba mea, sponsa mea, immaculata mea. De his autẽ nuptiis alibi quoque Dominus Matth.22. ait: Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Ad has autẽ nuptias priùs Iudæi inuitati sunt: sed quia non fuerant digni, gentes Dominus vocare præcepit. In his patriarchæ & prophetæ, in his Apostoli & doctores, magnas & ineffabiles epulas ministrant. De his autem nuptiis totus ille liber scriptus est, qui Canticum Canticorum vocatur. In his ipse Dominus Matth.20. sponsus est & minister, qui ait: Non veni ministrari, sed ministrare. Vnde etiam subditur: *Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, &c.* Ibi est & Dauid cum Psalterio & cithara, & schola cantorum ibi recumbit, & reficitur omnis ordo sanctorum. Beati igitur serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. De his enim vigiliis Apostolus ait; 1.Cor.15. Vigilate iusti, & nolite peccare. Itémque: 1.Cor.16. Vigilate & orate, & state in fide: viriliter agite & confortamini in Domino: omnia vestra in charitate fiãt. Qui enim sic vigilauerint, beati erunt. Hos faciet Dominus secum discumbere, & per hos transiens, ministrabit eis. Vnde & Luc.22. discipulos consolans, ait: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. In eo verò, quod ait: Quia præcinget se: & quia transiens ministrabit illis: quo affectu, quo amore, quibus charitatis visceribus eos suscipiat, & in gloriam illis præparatam inducat, manifestissimè ostendit. Non enim hoc ad literam intelligi debet, sed in exteriori apparatu, cordis intentio declaratur. *Et si venerit in secunda vigilia, &c.* Tres vigiliæ, tria tempora sunt, ante legem, sub lege, & sub gratia. Quoniam autem in prima vigilia, neque per legem, neque per prophetas mundum Dominus visitauit, ideò nihil hic de prima vigilia dicitur. In secunda autem vigilia non solùm per leges & prophetas, verùm etiam per seipsum mundum visitare dignatus est. Vnde Apo- Hebr.1. stolus ait: Multifariè & multis modis olim Deus patribus loquens in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Tertia autem vigilia hæc est, in qua non solùm venire, verumetiam Matth.28. se semper adesse testatur, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Sequitur; *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, &c.* Quia igitur nescit, quia dormiens negligit, sæpè domus perfoditur, & quicquid in ea melius est, fit rapina latronũ. Vos autem estote parati, estote soliciti: & quia illã vnam horam nescitis, omnibus horis vigilate: ne in illa hora ignaui & dormientes inueniamini. Et hoc est, quod ait: *Ideò & vos estote parati, &c.* His enim verbis intelligere possumus, quædam specialiùs ad discipulos, quædam generaliùs ad omnes Do- Matth.6. minum dixisse. Qualia sunt: Nolite cogitare de Luc.12. crastino: & nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini: & multa alia. *Dixit autem Dominus: Quis putas fidelis est dispensator, &c.* Constat igitur, quòd non solis Apostolis, sed & cæteris Ecclesiæ ministris & dispensatoribus, episcopis & sacerdotibus ista dicuntur. Hos enim constituit dominus supra familiam suam: hos constituit supra Ecclesiam & domum suam, vt eam regerent, eam docerent, ei necessaria ministrarent, & tritici mẽsuram pro tempore darent. Hoc enim triticum, doctrina euangelica intelligitur, quam nõ solùm ad mensuram, sed & suo tempore dare oportet. Non enim omne tempus aptum est doctrinę: nec æqualiter omnibus, nec omnia omnibus prædicare conuenit. Fidelis igitur dispensator & prudens diligentissimè considerare debet, quando, & quid, & quantum vnicuique tribuat. Vnde in lege quibusdam sacrificiis soli sacerdotibus, quibusdam & aliis vesci licitũ erat. Locos quoque & tempora constituta erant, in quibus ea offerre licebat. Beatus igitur ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Vnde autem beatus sit, audiamus: *Verè dico vobis, quia supra omnia quæ possidet, constituet eum.* Supra omnia quidem vnusquisque constituitur, quia omnia ei obediunt, eiúsque omnia faciunt voluntatem. Tanta enim ibi concordia erit, vt vnusquisque quasi maior veneretur ab omnibus, & quasi minor veneretur omnes. Non est igitur inconueniens, vt vnusquisque ibi supra omnia constituatur.

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Sint lumbi vestri, &c. Dominus postquam discipulum suum absque superfluis fecit, & nudauit ab omni solicitudine & cupiditate temporalium, & ita planè leuem reddidit, nunc & ministrum suum facit. Eum enim, qui minister esse voluerit, leuem, & expeditum esse oportet: ideo dicit; *Sint lumbi vestri præcincti*, hoc est omnibus modis parati estote ad opera domini vestri. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris*, hoc est, ne in tenebris, & absque iudicio versemini, sed sit vobis lumen verbi, quod monstrabit vobis, quæ facienda, & quæ non facienda. Est igitur sic nullus nox. Porrò succincti lumbi sunt qui actiuam vitam agunt. Huiusmodi enim habitibus vtuntur operarij, quibus & ardentibus candelis opus est. Opus enim habet vita actiua etiã iudicij dono, vt is, qui actiuam vitam agit, non solum sciat, quid oporteat facere, sed & quomodo. Multi enim bonum quidem fecerunt, sed non benè, & tales quidem succincti fuerunt lumbis, & opera quidem fecerunt, sed non benè: nec habuerunt ardentes lucernas in manibus, hoc est, non habuerunt rectum iudicium, sed vel in fastum inciderunt, vel in aliud arrogantiæ præcipitium. Consideres autem & hoc, quod primum lumbi vestri succincti sint, deinde lucernæ ardeant. Primum enim operatio, & deinde contemplatio, quæ mentis est illustratio. Lucerna enim est mens nostra, quæ cum habet lumen Dei in lege fulgens, tum dicitur ardere. Demus igitur operam, vt virtute simus præditi duas habentes lucernas ardentes, & sermonem internum in affectibus, & quem pronunciamus: & internum quidem, vt per omnia animari illustret: eum autem, quem proferimus, vt in lingua refulgeat lucidus. Et internus nos illuminet: doctorum autem sermo, & qui pronunciatur, alios. Et nos similes simus hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Quis autem

autem hic dominus alius quàm Christus Iesus? qui humanam quidem assumpsit naturam, & sicut spõsam copulauit sibi, & nuptias fecit, in carnem vnam ei se adiungendo: immo non vnas fecit nuptias, sed multas. Quotidie enim nuptiæ fiunt in cælo sanctarum animarum, quas ei commendat Paulus, vel si quis similis Paulo virginem 2.Cor.11. castam. Redit autem ex cælestibus nuptiis, fortassis in vniuersali consummatione mundi, quando de cælis veniet in gloriam patris. Fortassis autem & in vniuscuiusque propria morte inexpectatus aduenit. Beatus igitur ille, quẽ inuenerit succinctis lumbis, hoc est, verum Christianum philosophum agentem, & ad ministerium Dei præparatum, & habentem lucernam rationis, & iudicij: & non solum facientem quod bonum, sed bene etiam: accipientémque & cõtemplationis lucernam. Bene enim, & recte operando acquirimus etiam contemplationis lucernam: immo duas lucernas, & vnam, quæ est in corde, & alteram, quę in sermone. Eiusmodi ministri etiam dominus minister erit. *Præcingetur enim*, inquit, *& recumbere illos faciet, & præteriens ministrabit illis.* Præcingitur secundum quòd non omnium bonorum effusionem nobis suppeditat, sed sibi reseruat illã. Quia Esai.6. enim potest capere, quantus sit Deus? & manifestum est ex Seraphim, qui se obtegunt propter excellentiam diuini luminis. Porrò recumbere facit bonos seruos: totos enim per omnia quiescere facit. Nam, sicut, qui recumbit, toto corpore quiescit: Ita in secundo aduentu omnes sancti per omnia quiescent. Etenim in hac vita quietem corporis non inueniũt. Alibi autem cum animabus spiritualia, & diuina eorum corpora incorruptionem hæreditabunt, & omni quiete fruen- 1.Cor.15. tur, & erit Deus omnia in omnibus illis. Ministrat vero dignis, par eis retribuens: & sicut ipsi ei ministrauerunt, ita etiam ipse eis vicissim ministrat, & dapsilẽ eis mensam præstat, exhibẽs spiritualiũ donorũ lauticias. At per secũdã, & tertiã vigiliam intelligas varia vitæ nostræ tempora: vt exempli gratia aliquid dicam; Quemadmodũ qui in secundam, aut tertiam vigiliam vigilat, vigilantissimus esse videtur (istis enim horis homines maximo, & primo somno tenetur) sic obsecro etiã intelligas in diuersis vitæ nostræ statibus esse horas, quæ beatos nos faciant, si vigilantes inuenti fuerimus. Rapuit quis diuitias tuas, mortui sunt tibi filij, calumniam passus es: si in huiusmodi temporibus non fueris lapsus, sed vigilans inuentus à Deo; & Domino, & nihil aliud præter mandata Domini feceris: vtique vigilantem te in secunda, & tertia vigilia inuenerit, hoc est, in periculoso, & graui tempore, quod mortiferum somnum, 2.Petri.3. & casum dissolutis animabus præbet. Opus itaque fuerit vigilantia. Patrifamilias enim assimilatur, qui, si vigilauerit, nihil ex rebus eius auferre poterunt fures: sin autem somniculosus fuerit, ablatis omnibus fur euadit. Per furem quidam hoc loco intelligunt diabolum; sicut & per domum animam: & patremfamilias hominem: sed non apparet expositio satis accommoda textui. Furi enim hoc loco dominicus aduentus comparatur, eò quod repente, & inopinatè veniet: sicut & apostolorum quidam dicit, dies enim domini quasi fur in nocte. Et hoc loco vide quomodo interpretatur dominus quis sit fur. Nam dicit, *Et vos igitur vigilate, quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet.* Dicunt quidam, quòd per primam vigiliam intelligãtur ij, qui aliis sunt diligentiores: per secũdam vero, qui aliquantum profecerunt: per tertiam autẽ, qui etiam illis sunt inferiores. At alij diuersas ætates exposuerunt, & primam, qua adolescentes sumus: secundam, qua viri: tertiã, qua senes. Beatus igitur quisquis quacunque ætate inuentus fuerit vigilans, nec in operando bonum negligenter se gerens.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

Sint lumbi vestri præcincti, &c. Quum præcinctos esse iubet, practicam, siue operatiuam proponit virtutem: quum vero lucernas accendi præcipit, contemplatiuã. Solent enim, qui aliquid operantur, lumbos habere præcinctos: & qui casti, modesti, ac sobrij degunt, lucernas incendere: illi quidem, vt expedite operentur: hi vero, vt in luce permaneant. Aliter quoque per lumborum præcinctionem ad concupiscibilis alligationem adhortatur: nam in lumbis concupiscibile situm est: per lucernarum vero accensionem, splendorem interioris, ac eloquentis sermonis statuit. Oportet enim vt hic semper illuminet, tum nos, tum eos, qui à nobis docentur. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, &c.* Per similitudinẽ significauit, vt ad occursum suum præparentur, in omnibus bene dispositi, & expectantes eum, qui rursum è cælo venturus est. Propter hoc enim descensum suum, quo, longo expectatus tempore, veniet, reuersionem nominauit: nuptias vero superũam lætitiam, & exultationem. *Vt, quum venerit, & pulsauerit, &c.* Hoc est, vt cognoscentes eius aduentum, prompte, & cum gaudio occurrant, nullius sibi mali conscij. Præter hæc autem nihil est curiose scrutandum de parabola: *Beati serui illi, quos, &c.* Vigilantes item, eò quod in vigilantia moriantur: quum enim animæ virtus sit vigilantia, simul cum ea permanet. Quidam vero ex hoc reditu, & aduentu, ac pulsatione intellexerunt, quod Christus aduenit ad mortem iustorum: nec horum tantum, verum etiam peccatorum: & hoc ex eo confirmant, quod dixerit Deus diuiti; Stulte, hac nocte animam tuam repetam à te. Alij vero hunc accipiunt intellectum, vt dicant Christi aduentum esse sermonem eius, qui tunc iustos accersit ad gaudium, peccatores autem ad mœrorem. *Amen dico vobis, quod præcinget se, &c. Præcinget se*, iustitia retributionis: *& faciet illos discumbere*, ad requiem sempiternam, tanquam eos, qui propter ipsum laborauerunt: *ac ministrabit illis*, distributionem dignarum retributionum. *Et si venerit in secunda vigilia, &c.* Quia nocti præsens vita assimilatur propter confusam et caliginem, ac errorem à dæmonibus, & affectibus: merito in diuersas vigilias, seu custodias ipsam diuidit. Veteres enim, qui nocte vigilabãt, in tres excubias ipsam diuidebant: quidã vero in quatuor. Et primã quidem dicit statum eorũ, qui ad virtutem sunt perfectiores, secundam mediocrium, tertiam postremorum: qui omnes si ita inuenti fuerint, sicut ante dixit, videlicet parati mortis tempore, beati erunt, vtpote vitæ beatæ pariter participes. *Hoc autem scitote, quod, si sciuisset paterfamilias, &c.* Apud Matthæum dicit; Illud autem scitote, quòd, si scisset paterfamilias, qua vigilia fur venturus erat, vigilasset vtique, &c. Matth.28.



II. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM NON PONTIFICVM.



LVC. 12.



IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, Nolite timere pusillus grex: quia complacuit [a] patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & [b] date eleemosynam. Facite vobis [c] sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in [d] cælis [e] quo fur non appropiat, neque tinea [f] corrũpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrũ erit.

[a] Qui etiam propter regnum adiecit temporalia.
[b] Operando eleemosynas.
[c] Repositiones quarum merces durat in æternum.
[d] In spiritualibus, & æternis.
[e] Quia ibi aduersus electos Dei nulla fraus diaboli præualebit.
[f] Quia diuitiæ sanctorum futuræ incorruptibiles sunt.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



NOLITE *timere.* Regnum quærite, & de regno ne diffidatis: quia pater cõplacita bonitate dabit vobis regnum, non vestris meritis. *Pusillus.* Vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionem, per quam humilitatem crescit Ecclesia, per quam peruenitur ad regnum. *Vendite.* Non tantum non timeatis ne propter regnum militantibus vitæ necessaria desint, sed etiam possessa vendite propter eleemosynam, quæ est via ad regnum dum per eam peccata redimuntur. Non tantum cibos vestros communicate pauperibus, sed etiam vendite vestras possessiones, vt omnibus vestris semel pro Domino spretis, postea labore manuum vestrarum operemini, vnde viuatis, vel eleemosynam faciatis. *Date eleemosynam.* Qui pro cęlo omnia mundana spernit. Vendat quæ habet, & distribuat: Qui non est tantæ virtutis, de his quæ habet eleemosynam det. Non prohibetur, vt nihil pecuniæ ad vsus necessarios à sanctis reseruetur, cum ipse Dominus loculos habuisse legatur, sed ne Deo propter ista seruiatur, & ne timore inopiæ iustitia deseratur. *Non deficientem.* Temporalia, vel ex sua fragilitate deficiunt, vel si quid solidum superest, vt lapides preciosi, à furibus possunt tolli. Sed data pro Christo æternum fructum conferũt in cęlis. *Quo fur.* Fures sunt hęretici & dæmones, qui ad hoc intenti sunt, vt spiritualibus nos spolient. Tinea quæ latenter vestes rodit, inuida est, quæ studium vel fructum bonum lacerat, & compactionem vnitatis dissipat. *Vbi enim thesaurus.* Vniuersaliter & de pecunia, & de omnibus voluptatibus. Gulosi thesaurus, est venter, vbi habet cor, sic & de aliis. Nam si in terra, cor est deorsum. Si in cęlestibus, est in Christo fixum. Necesse est enim, vt quo pręcesserit dilectionis thesaurus, illuc & cogitationis sequatur affectus. Mysticè. Si thesaurus boni operis causa temporalis commodi congeratur facilè corruit: quia si exterius fit ad fauorem hominum, diabolus rapit, vnde: Receperunt mercedem suam. Si intus fit ad inanem gloriam, tinea scindit: cum in se confidentem, & sibi placentem fragilitas humanæ conditionis deserit.

CATENA AVREA *in idem Euang.*

NOlite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro, &c.* Glos. Postquam Dominus temporalium curam à cordibus discipulorum remouit, hic excludit ab eis timorẽ, ex quo superflua cura procedit, dicens: *Nolite timere, &c.* Theo. Pusillum gregem Dominus vocat volentes discipulos eius fieri, vel quia in hoc seculo sancti parui videntur causa voluntariæ paupertatis, vel quia superantur à multitudine angelorum, qui incomparabiliter pręcellunt quæ nostra sunt. Bed. Pusillum etiam Dominus gregem electorũ nominat, vel ad comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionẽ. Cyri. Quare autem timere non debent ostendit, subdens: *Quia complacuit patri vestro, &c.* Quasi dicat. Eum qui tam preciosa largitur, qualiter pigebit erga vos clementiam exercere? quamuis enim hic grex paruus sit, & natura, & numero, & gloria, bonitas tamen patris concessit, & huic pusillo gregi cęlestium spirituum sortem, scilicet regnum cęlorum: ergo vt possideatis regnum cælorũ opes terrenas contemnite, vnde subditur: *Vendite quæ possidetis, &c.* Bed. quasi dicat. Nolite timere ne propter regnum Dei militãtibus huius vitę necessaria desint; quin etiam possessa propter eleemosynã vendite, quod tunc dignè fit, quando qui semel pro Domino suo omnibus spretis, nihilominus post hoc labore manuum operatur, vnde & victum transigere, & eleemosynam dare queat. Chrysost. Non enim est

pecca

peccatum quod eleemosyna nequeat abolere, anidorum est enilibet conuenienos vulneti, sed & eleemosyna non solum in pecuniis fit, sed & in rebus, dum aliquis alium protegit, dum mediens medetur, dum sapiens consulit. Gregor. Nazian. Vereor autem ne putes pietatis tibi necessitatem non esse, sed arbitrium. Opinabar & ipse hoc, sed terrent me hædi ad sinistram statuti, non quia rapuerunt, sed quia Christum in egentibus non placuerunt. Chrysost. Nam sine eleemosyna impossibile est regnum videre. Sicut enim fons si aquas in se contineuerit viciatur, sic & diuites cùm omnia penes se teneant. Basil. Sed quæret aliquis, quid considerantem oportet vendere quæ possidentur? nunquid tanquam eis naturaliter noxiis, vel propter tentationem accidentem animabus ex eis? Ad hoc dicẽdum est, primò quidem quod singulum eorum quæ sunt, si per seipsum malum existeret, non esset creatura Dei: omnis enim creatura Dei bona. Consequenter autem quia mandatum dominicum non docuit abiicere tanquam mala quæ possidentur, sed dispensare, dicens: Et date eleemosynam. Cyril. Molestum autem fortè est hoc mandatum diuitibus, sanam tamen mentem habentibus non est inutile: thesaurizant enim regnum sibi cæleste, vnde sequitur: *Facite vobis sacculos, &c.* Bed. Eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat, vbi non hoc præceptum esse putandum est, vt nihil pecuniæ reseruetur à sanctis, vel suis, vel pauperum vsibus, cum & ipse Dominus cui angeli ministrabant, loculos habuisse negatur à fidelibus oblata conseruans: sed ne Deo propter ista seruiatur, & ob inopiæ timorem iustitia deseratur. Greg. Nis. Præcepit autem sensibiles & terrenas opes sursum cẽdere, quo vitium corruptina non attingit, vnde subdit: *Thesaurum non deficientem, &c.* Theo. Hic tinea demolitur, non autem in cælis: deinde quia tinea quædam non demolitur, addit de fure. Aurum enim non demolitur tinea, sed fur tollit. Bed. Sine igitur hoc simpliciter accipiendum est, quod pecunia seruata deficiat, data autem proximo perẽnem fructum conferat in cælis: seu ita quod thesaurus boni operis si commodi terrestris occasione condatur, facile corruptus intereat: at si cælesti solum intentione congeratur, non exterius hominum fauore quasi à fure qui deforis rapit, nõ intus inani gloria quasi à tinea, quæ interius scindit valet maculari. Glos. Vel fures sunt hæretici & dæmones, qui ad hoc intenti sunt, vt spiritualibus nos spolient. Tinea quæ vestes rodit, inuidia est quæ studium bonum lacerat, & compassionem vnitatis dissipat. Theo. Porrò quia non omnia furto tolluntur, addit potiorem rationem, & nullam prorsus patientem instantiam, dicens: *Vbi enim thesaurus, &c.* quasi dicat. Esto quod nec tinea demoliatur, nec fur tollat: hoc ipsum quod est habere cor affixum thesauro sepulto, & diuinum opus, scilicet animam terræ immergere, quomodo est dignum supplicium? Euse. Nam quilibet homo naturaliter dependet ab eo erga quod studet illuc totum animum applicat, vbi totum commodum possidere putauit. Vnde si quis in rebus præsentis vitæ habet totam mentem, & intentionem, quam cor nominauit, in terrenis versatur. Si verò mentem applicauerit ad cælestia, ibi mentem habebit, vt videatur solo corpore cum hominibus conuersari, animo verò iam sit aggressus mansiones cælestes. Bed. Hoc antẽ non solùm de pecunia, sed de cunctis passionibus sentiẽdum est: luxuriosi epulæ sunt thesauri, lasciui ludicra, amatoris libido.

TITI BOSTRENSIS
Episcopi eiusdem Euang. expositio.

NOlite timere pusillus grex. Hoc est, noli diffidere, aut spem abiicere. Vocat autem sanctos gregem pusillum: nam qui in voluntaria paupertate, facultatúmque, quas obtinebant, abdicatione, ætatẽ transigunt, ij parui plerunque in mundo fiunt. Aut ideo certè gregem pusillum appellat: quia totum genus humanum, ne dum soli sancti, cum immensa illa angelorum multitudine collatum, perexiguus grex est. Est enim illorum multitudo incredibilis, hominum numerum infinitis penè partibus excedens. Cùm enim in parabola, de centum ouibus maius gaudium in cælo esse asseritur, supra vna oue, quæ errauerat, reperta, quam supra nonaginta nouem, quæ non errauerant, vniuersum hominum cœtum, qui in terris versatur, ita ad innumeras illas cælestium spirituum cohortes, sese habere indicatur, sicut se habet vnum ad centum. *Quia complacuit patri, dare vobis regnum.* Quasi dicat, esto grex vester adeo pusillus sit, nihilominus benignitas Dei, quæ & omnem rationem superat, illi ipsi quoque cælestium spirituum, qui tanto interuallo excedunt, fortem hoc est cælestis regni hæreditatem impartiti dignatur. Cùm ille ergo tanta, támque illustria largiatur, quomodo fieri potest, vt è rebus ad eadem hanc vitam necessariis, nobis, quantum sat est, prospicere omittat, maximè verò si illud facere non detrectauerimus, quòd mox, consequitur, videlicet: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c.*

PETRI CHRYSOLOGI
Episcopi Rauenens. in superius Euang. De terrenorum cura despicienda, Sermo 1.

PRæmia statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur; ac pro magnitudine certaminis, præmij proponit magnitudo. Hinc est, quòd discipulis suis Christus regnum ponit in præmio, vt in certamine non cedant periculis, non timori: pericula despicit, qui tendit ad regnũ: victoriæ cupidus nescit timere. *Nolite timere,* inquit, *pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Grex pusillus mundo, magnus Deo; pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad omnium innocẽtiam, & mansuetudinem Christianam: pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo: pusillus grex nascẽtis Ecclesiæ hic designat infantiam, quam venire ad regni sui infulas incrementis cælestibus mox promittit. *Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Adiecit quid faciendum sit regnaturis. *Vendite quæ possidetis,* non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur: deiectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum: Ex Serm. 12.

regnum: iacens animus plebeius nummulũ theſauris regalibus anteponit: pauper ſenſus paruis incubans, perdit magna: & inhians temporalibus deſerit ſempiterna. *Vendite*, inquit, *quæ poſſidetis, &c.* Homo, tali monitu Chriſtus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit, non perire; perpetuari, non vacuari ſacculos imperauit; iuſſit te transferre, non perdere. *Theſaurum non deficientem in cælo, &c.* Plus conſilio patris agit, quàm iure dominantis: inter inſidias latronum, & tinearum morſus, quare tua recondas, obiurgat: peruigiles noctes, dies anxios, ſollicita tempora, ne tibi ipſe facias commoneris. Auri cuſtos, ſeruator argenti, ſecuritatem non habet; neſcit quietem: & cui deeſt ſecuritas, quies perit: pœna diues eſt, ille non ſenſu. *Theſaurum non deficientem in cælo.* Hoc eſt dicere, vbi ego ſum, ibi ponite: date mihi: ego ſeruo. Homo, da patri, crede Deo: quia & hæredi pater, & Deus homini creditum non negabit: tenere tua non poteſt, quia ſua dedit. An humanis indiget, qui diuina largitur? an eſt noſtrorum cupidus, qui nos ſuorum fecit hæredes? certè quibus regnũ contulit, quid negabit? O homo, ſi hic permanſurus es, quæ tua ſunt, hic repone: ſi illuc iturus es, hic, quæ tua ſunt, cur delinquis? Qui relinquenda ſeruat, alienorum cuſtos eſt, non ſuorum. Si in hac vita, qua peregrini ſumus, * viuimus, & modicum temporalem eſſe pauperem dolet triſtem, inhonorum eſſe: quale eſt in perpetua patria inter æternos ciues, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium ſuſtinere: & tunc addici pœnis, quando alij promouentur ad regnum? quando pauper ducitur ad conſeſſum Dei, & diues trahitur ad conſortium punitorum? Heu quàm lamentandæ vices, quando deſperati penes homines poſſidebunt ſpem diuinam; & humanis bonis præditi, bonis cæleſtibus fraudabuntur. Et hoc facit theſaurus, qui cor hominis, aut per eleemoſynam leuat ad cælum, aut per auaritiam demergit in terrã. Et ideo dixit: *Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Homo, mitte, & præmitte theſaurum tuum in cælos, ne cæleſtem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelſis cæli. Melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri, aurum, quàm in ſepulchro auri anima demergatur. Exutos ergo totos diuitiarum curis, & iam per omnia expeditos, militare ſibi in ſæculo iubet, quos regnare donauit in cælo.

* Ita legendũ videtur, & modicum viuimus temporali eſſe pauperem dolet, triſtes inhonorum eſſe.

Non quòd anima ſit creata in cælo, ſed quia eſt cognata cæleſtibus ſubſtantiis.

EIVSDEM DE EODEM
Sermo 2.

Serm. 13.

AVdiſtis hodie, quemadmodum dominus paſtorali iubilo clangorem tubæ cæleſtis adiunxit, vt diu inclinatas ouium mentes ad diuina tolleret, cæleſte protinus promoueret ad regnum. *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex, &c.* Acquiſiuit humilitas, ſuperbia quod amiſit: & grex puſillus ac mitis, toruas, & varias edomuit propria manſuetudine feritates, puſillus grex vicit, ac fregit tot genera beſtiarum, quot diuerſitates ſubdidit iugo Chriſti nationum. Grex puſillus, ac miris diu cõtentus occidi, diu deuorari paſſus eſt, donec gentilis ſæuitia ſanguine ſatiata, vel carnibus, Euangelici pabuli ſuauitatem, & diuini fontis fluenta deguſtans, totum contagium ſæculi euitaret, & paſtum: atque in hominem rediret ex beſtia, qui ex homine fuerat dilapſus in beſtiam. Hoc geſſiſſe ante Prophetas, hoc Apoſtolos impleſſe, hoc pertuliſſe martyres conſtat; atteſtante illo, qui dicit; Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Pſal. 43. Vt verò iſte grex noui ordinis aggrederetur prælium, vbi viuit ille, qui fuerit occiſus, qui occubuerit, vincit, inuenit animam, qui amittit, imitatus eſt ſuum regem, illam ouẽ illum ſecutus eſt agnum, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, non aperuit os ſuum: tacet, qui volens patitur, clamat, qui laniatur inuitus. Eſaia 53. Nec poteſt de morte conqueri, qui mortem dignatus; non coactus aſſumit. Poteſtatis inſigne eſt, cùm pro multis volens quis moritur, nolens cùm moritur, eſt neceſſitatis extremæ: quia venit de contemptu mortis alterum, alterum de conditione naturæ. Chriſtus ergo ſicut ouis, & volens, & tacens tondetur: vt tegat illam, quam Adam primus intulit nuditatem: velut agnus occiditur, vt peccatum totius mundi immolatus, abſoluat: ponit pro ouibus animam ſuam, vt impleat & pietatem paſtoris, & curam. Tibi ergo rex, tibi ſacerdos, tibi paſtor, tibi ſacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum factus eſt, qui fecerat totum. Et qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur, propter te varias monſtratur in formas, qui manet vnica ſuæ maieſtatis in forma. Et quid plura? dat ſe tibi Deus homo, vt ferre potes, quia, vt eſt, tu nõ potes ſuſtinere. Sed audiamus iam, quid puſillo gregi talis promiſerit paſtor. *Nolite timere*, inquit, *puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* O bonitas effuſa! O inaudita pietas! O ineffabilis affectio! in ſocietate cæſus paſtor oues aſſumit, atque ad conſortiũ dominationis ſeruos dominus aſciſcit, ad participatum regni rex gregem populi totius admittit: ſic, ſic dat, cui deficere cenſus, cui regnum minui, vacuari poteſtas non poteſt largiendo. Prouidenter autem cœpit dominus dicendo, *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro, dare vobis regnum.* Promiſſionem regni ſine timore ſeruilis ſtatus audire non ſufficit, quia, qui libertate vix dignus eſt, capere non valet inſulas principatus. Dominus ergo ſeruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promiſſi regni proſternat auditus. Regnum velle ſeruum, crimen eſt: adire periculum, temeritas nõ timere. Sed hoc ad Chriſtum quantum eſt? aut quam mirum, quòd dat ſeruis regnum, quòd ſibi ſeruos facit in dominatione conſortes, qui ſeruorum pedes lauat, vt extrema ſeruis ſeruiat ſeruitute? Veniant huc, veniant, qui diſcutiũt poteſtatem eius, & tunc de eius æquitate contendant, cùm potuerint tantam capere loqui, æſtimate pietatem: nec iam calumnientur, ſi ſe in noſtro corpore patre minorem dicat, qui non dicto, ſed & facto, cùm pedes lauat ſeruorum, ſe ſubdidit, & ſubiecit pedibus ſeruulorum. Homo, iam tibi parce, quia, vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexatus eſt pedes. Sed ad cœpta redeamus: *Nolite timere, puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Ecce qui dat, dare loquitur patrem, nunquid largitatem ſuam denegat, ſic dicendo? Abſit, non poteſtatem minuit, ſed pandit affectũ, ſic dicendo: Non diſtantiã facit, ſed patris, ſuámque

que

que volũtatem monstrat, firmat vnitatem. Quod autem dicit, *complacuit*: & non dixit, placuit, munus edocet Trinitatis: quia, quod erga nos filio placuit, hoc complacuit Trinitati. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Post tantam ergo dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abiecta, & vilia peculia seruitutis iubet abiicere regnaturum. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynã.* Plebeium cultum regia non admittit potestas, augustus honor non nisi diademate consertur, & purpura. Abiicere ergo debet habitum seruitutis, qui
Matth. 22. se regem credit diuinitus consecratum. Hinc est, quòd rex superbus illum, qui cum indigna veste maiestatis eius ausus est intrare conuiuium, ligari, præcipitari, detrudi in tenebras iussit exteriores: quia deformitas inuitati ad inuitantis redundat iniuriam. Peculia quoque pristinæ libertatis, iam diuinis, iam regiis ditatus opibus qui reseruat, captiuus miseria se nescit esse felicem. Est consuetudinis, est animi felicis, vt adscitus ad regnum, quod sui proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus, liberaliter prorogare: ne sit mendi-
** forte, auctus est.* cus animo, qui censu * functus, & honore. Tali ergo prouidentia dominus, consilio tali, vilia, & caduca iubet vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cælesti regno omnia, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed, si vis
** forte, metalli vel aliquid simile.* seruare tantum precia prædiorum, & * sæculorum fortè conditate delectari, fac tibi sacculos quales ille præcepit, qui iam cupiditatis tuæ custos est, & prouisor. Denique, vt vidit quòd duritet dicit. Vendite, quæ possidetis: mox adiecit. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: thesaurum non deficientem in cælis.* Iterum contristatus es: quia, quod habes, in cælis congeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui seruo credis: & magis Deo, quam homini commenda. Sed, si times, ne quid inde præsumat, ne quid dispergat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos: vt tali custode dormias tu securus: quia, vbi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui & honore ditauit, & gloria.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 3.

Serm. 25. HOdie dominus euangelici gregis pusilla, & tenera primordia quam blanda exhortatione sit consolatus audistis. *Nolite timere,* inquit, *pusille grex, quia complacuit patri vestro dare vobis re-*
Luc. 12. *gnum.* Aufert spes anxias, dubios tollit euentus, omnemque propellit, & excludit timorẽ, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. *Quoniam complacuit patri vestro, dare vobis regnum.* Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet, qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deiicit, ad egena deponit. Sed scire conuenit, pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste pater, quotidie te
Matth. 6. confitente cognoscis, cum clamas; Pater noster, qui es in cælis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine peruidisti: ex nihilo fecit cælum, terram solidauit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti authoritate conclusit. Verum, si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Esse in cælo, mi- *Matth. 19.*
rum est; in cælo viuere, est maiestatis. Iam regnare in cælo, quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis, & tamen, homo, quod æstimare non potes, percepisti, Apostolo sic dicente; Quod oculus *1. Cor. 2.*
non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et quod te mereri dubitas, habere te, & possidere iam congeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui possidet cælum? Quid illi cum humanis, qui indeptus est iam diuina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. Sed videamus, quod dat pater tantus consilium regnaturis. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Si victuros vos, si regnaturos, si vos iam diuites esse creditis in supernis, vbi futuri, quo migraturi, vbi regnaturi, estis: vos illa, quæ vestra sunt, iam præcedant: opes miseras misericordia commutate; quæ humana sunt, in diuina conuertite. Et, ne cui forsitan deesset euectio ad portanda illa, quæ dimittitis, angariatus est pauper: ferunt pauperes onera nostra, & volentes ferunt: quia tali non deprimuntur pondere, sed leuantur. *Facite vobis sacculos, qui non veterascũt.* Videtis, quia pater istis ditare volt filios, non nudare. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Nouo modo, imò cælesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit, acquirit. Quam cupit pecuniam perdurare, perpetuate sacculos diuitiarum, condita permanere, qui dicit, *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt?* Ecce docet auaritiam, qui cœperat suadere contemptum. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucrifacias, facis eum, quod desiderat, non, quod oportet, audire; sacculos imperas; æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari, vt auarus, dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis quibuscunque paruulis sic agis. Nãque & nos interdum nostris paruulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiorum; fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Dixisti, *Facite vobis sacculos, &c.* Sacculus cur paratur? Quid ibi claustra, vbi ipsa custos est innocẽtia: ibi quid signaculum, vbi fraudis suspicio non habetur? Si & in cælo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit auaris: & ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari, vt, qui te non sequitur ad cęlum, sequatur saltem sacculos suos. Auare, fac tibi sacculos, & fac, iubente Deo: quia votis tuis annuit diuina maiestas. Sed fac tibi sacculos erogando, quia, quicquid pauper acceperit, pater cælestis suscipit. Et vbi recondit? in cælo. Et, ne fortè perdidisse te *Nam olim ex*
doleas vel vsuram, centuplum in cælesti fœnore *fœneratoribus pecu-*
recipies, quicquid in cælum paupere transmiseris *niæ centesima*
perferente. Vsura mundi centum ad vnum, Deus *vsura singulis*
vnum accipit ad centum: & tamen homines cum *mensibus exigebatur.*

Deo

Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione soliciti. Quare? Nónne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dicis, esto quòd debeat, quo exigente, restituet? seipso, quia non potest ille mentiri: idem ipse est & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo, Crede humo Deo, quod tibi Deus dedit; maiora reddere vult, cùm vult debere largitor.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri superioris Euang. expositio.*

Ex comm. in Luc.

NOlite timere pusillus grex, &c. Pusillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborũ, vel potius ob humilitatis deuotionem nominat. Quia videlicet ecclesiã suam quantalibet numerositate iam dilatatam tamen vsque ad finem mundi humilitate vult crescere, & ad promissum regnũ humilitate peruenire. Ideoque eius labores blandè cõsolatus, quàm regnum Dei tantum quærere præcipit, eidem regnum à patre dandum complacita benignitate promittit. *Vendite quæ possidetis, &c.* Nolite (inquit) timere, ne propter regnum Dei militantibus huius vitæ necessaria desint, quin etiam possessa, propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro domino, suis omnibus spretis, nihilominus post hæc labore manuum, vnde & victum trãsigere, & eleemosynam dare queat, operatur. Vnde gloriatur Apostolus dicens, Argẽtum, aut aurum, aut vestem nullius concupiui: ipsi scitis, quoniam ad ea, quę mihi opus erant, & iis, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat. Vbi non hoc præceptum esse putandum est, vt nil pecuniæ reseruetur à sanctis, vel suis, scilicet, vel pauperum vsibus suggerendæ, cum & ipse Dominus, cui ministrabant angeli, tamen ad informandã ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata cõseruans, & suorum necessitatibus aliisque indigẽtibus tribuens, sed, ne Deo propter ista seruiatur, & ob inopię timorem iustitia deseratur. *Thesaurum non deficientem in cælis, &c.* Siue simpliciter recipiendum, quod pecunia seruata deficiat, vel videlicet à fure thesauris erepta, vel in thesauris ipsa sui fragilitate fœdata, data autẽ pro Christo perẽnem misericordiæ fructum conferat in cælis, seu certe ita intelligẽdum, quod thesaurus boni operis si commodi terrestris occasione condatur, facile corruptus intereat, at si cælesti solum intentione congeratur, non exterius hominum fauore, non intus inanis gloriæ valeat labe maculari. Fur enim deforis rapit, tinea scindit interius. Fur abstulit diuitias eorum, de quibus Dominus ait; Receperunt mercedem suam. Tinea corrumpit vestes eorum, quos Psalmista redarguens ait; Quoniam Deus dissipat ossa hominum sibi placẽtium. Ossa enim virtutum robur appellat. *Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Hoc non solum de pecunia, sed & de cunctis * passionibus sentiendum est. Gulosis, Deus venter est. Ibi ergo

* possessionibus.

habet cor, vbi & thesaurum. Luxuriosi thesauri epulæ sunt, lasciui ludicra amatoris libido. Hinc seruit vnusquisque, à quo vincitur.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgariensis superioris Euangelij expositio.*

NOli timere pusille grex, &c. Dominus nominat discipulos, & doctrinam suam suscipientes, pusillum gregem: vel quod pauci sunt in mundo, qui sponte paupertatem illam obeant; vel quod, si ad angelos conferantur, numero incomparabiliter inferiores sint, quia multo plures sunt angeli, Et manifestum est ex parabola, quam dixit dominus, quod gaudeat pastor plus super vna oue inuenta, quæ perierat, quam super nonagintanouem, quę non errauerunt. Quo loco monstratur, quod, sicut vnum se habet ad nonagintanouem, ita humana natura ad angelicam. *Ne timeas* igitur, dicit, *ô pusille grex*, hoc est, ne sis incredulus, gerit enim tui curam, ac prouidentiam Deus, etiam si tu solicitus non sis. Quare? quia bonum visum est, & placet patri vt det nobis regnum. Qui igitur nobis regnum dat, multo magis terrena concedet. Ne igitur sis incredulus, quod si diuitiarum solicitudinem abieceris, non sis habiturus aliquem, qui tibi prouideat, sed vende ea, quæ habes, & da eleemosynam, & fac tibi thesaurum indeficientem. At hæc persuadet nobis rationibus, quibus contradicere non possumus. In hac enim vita, inquit, tinea corrumpit, in cælis autem non sic. Non ergo insipientis esset colligere thesauros in loco, in quo corrumpuntur? Postea quia aurum à tinea non corrumpitur, dixit, *& quo fur non accedit.* Tinea quidem non corrumpit aurum, sed fur diripit. Denique, quia non omnia furto pereunt, adjicit rationem maiorem, & contradictione superiorem. *Vbi enim est thesaurus vester,* inquit, *illic & cor vestrum erit.* Esto enim, inquit, quod neque tinea corrũpat, neque fur accedat: istne ipsum tamen habere cor addictum thesauro corruptibili, & animam, quę diuina possessio est, injicere terræ, per se quanto supplicio fuerit dignum? immo quomodo in summo? si quis animaduertat. Vbi enim thesaurus tuus, illic & cor tuum: si in terra ille, & in terra hoc: sin autem in cælo ille, sursum est & hoc. Quis igitur non sursum esse, & non sub terra, mallet? Quis non diligeret potius esse angelus, quàm talpa semper in subterraneis latebris agens? Luc. 15.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang. expositio.*

NE timueris, pusille grex. Postquam à corporali solicitudine abduxit, iubet non timere indigentiam corporalis necessitatis, pusillum gregem vocans congregationem fidelium, collatam ad magnitudinem angelicæ multitudinis. In parabola siquidem, angelos, nonagintanouem oues appellauit, fideles vero, vnam. Vel etiam ad magnitudinem multitudinis infideliũ. Aut propter voluntariam deiectionem huiusmodi gregis. Deinde causam etiam addit, cur timere non oporteat. *Quia complacitum est patri vestro, dare vobis regnum.*

Quod

Quod si adeò magná, ac pręcellentem fruitionem tribuit, dabit vtique & necessaria, vitæque sufficientia. *Vendite possessiones vestras, &c.* Hoc præceptum ad eos, qui habent dirigitur. *Facite vobisipsis* *sacculos qui non veterascunt, &c.* θησαυρὸν est ipse thesaurus. *Non veterascens*, idem est, quod non deficiens: secunda itaque particula interpretatiua est primæ.

III. EVANG. IN COMMVNI CONFESSORVM NON PONTIFICVM.

LVC. 19.



IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & [a] reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas. Et ait ad illos: Negociamini dum venio. [b] Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est, vt [c] rediret accepto regno, & iussit vocari seruos quibus dedit pecuniam, vt [d] sciret quãtum quisque [e] negociatus esset. Venit autem primus dicens: Domine: mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge bone serue: quia in modico fuisti [f] fidelis eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit dicens: domine: mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu [g] esto super quinque ciuitates. Et [h] alter venit dicens; domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario, Timui enim te: quia homo [i] austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue [k] nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum: tollens quod non posui, & metens quod non seminaui. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem [l] illud? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine: habet decem mnas. Dico autem vobis: quia omni [m] habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem [n] qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

a Quando in fine seculi omnis Israel saluus erit.
b Id est, Iudæi (ex quibus Christus secundum carnem) non solùm præsentem vsque ad mortem crucis oderant, sed & post resurrectionem eius miserunt persequutionem apostolis, & prædicationem regni cælestis spreuerunt.
c Hoc erit quando ille qui humilis apparuit, in manifestissima claritate iudicaturus adueniet.
d Id est, scire faceret: Tunc enim omnium opera & cogitationes omnibus palam ostendentur.
e Vt simul de radicantibus & negociatis iudicet.
f Non sua quærens.
g Id est, ex earum animarum quas imbuisti, fide & conuersatione, magnus sublimisque esto: vt non tantùm de tuis, sed etiam de auditorum profectibus honoreris.
h Tertius seruus, sunt illi qui post collectos Iudæos & Gentes negligenter viuunt sommisso prædicationis officio.
i Quam ardua est via quæ ducit ad vitam: & quia quanto gradus altior, tanto casus grauior.
k Quia piger ad exercendum officium, superbus ad accusandum domini iudicium.
l Merita discutiens.
m Vtenti eo quod habet.
n Qui non vtitur.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



NOBILIS *abijt.* Hic est nobilis, cui cæcus clamabat. Miserere mei fili David: & cui turbæ clamabant: O sanna filio David benedictus, qui venit in nomine domini rex Israel: qui constitutus est à patre rex, cui datæ sunt gentes in hæreditatem. *Longinquam.* Excæcatus Iudæa relinquens, transit ad illuminandas gentes, quæ longè (quia à finibus terrę) clamant ad dominum: vel quia longè à peccatoribus salus. Deus qui vbique pręsens, longè ab his qui idola colunt: sed & ipsi prope facti sunt in sanguine. *Vocatis autem decem,* Vocat de-

Matth. 10. Ioan. 12. Psal. 118.

cem seruos, dum eligit discipulos litera decalogi imbutos. Dat decem mnas, dum post resurrectionem surgit, & aperit sensum, vt spiritualiter intelligant legis dicta. Mna.x.drachmas appendit: Et ornata scripturæ sermo, quia vitæ cælestis perfectionem suggerit, quasi centenarij numeri pondere fulget. *Negociamini.* Verba legis mystica interpretatione discussa, populis offerte: & ab eis confessionem fidei, motúmque probitatem recipite. *Et factum est.* Quotidiè Christus accepto regno à patre redit quia peregrinantis in terra ecclesiæ, semper statum conspicit. Huic seruo pecuniam negociaturo commodat, in altero modum consummati operis examinat. Hunc prudenter laborantem ampliori gratia donat, illum luxuriosa sectantem, etiam quod dederat priuat. In iudicio verò multi qui ad docendum idonei videbantur, ob negligétiam suam inter indoctos reputabuntur. Quidam simplicioris obseruationis deuotionem inter apostolicos summa præmia percipient.

Matth.10. Qui enim recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. *Venit au.* Primus seruus, ordo doctorum in circuncisione missus: qui vnã mnam negotiaturus accepit: quia vnum Deum, vnam fidem, vnum baptisma missus est prædicare. Sed decem acquirit dum populum sub lege constitutum, docẽdo sibimet associat. *In modi. fuis fid.*

1.Cor.13. Modicum est, quidquid in præsenti percipimus donorum ad comparationem futurorum. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. *Decem ciui.* Decem ciuitates sunt animæ, per legis verba ad gratiam euangelij peruenientes, quibus tunc glorificandus præponitur, qui eis pecuniam verbi digne Deo commendauerit.

1.Tes.2. vnde Apostolus: Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante dominum Iesum? *Et al. ve.* Bonus ordo: Vocaturus gentes, & Iudæos missurus interfici, qui noluerunt super se Christum regnare, hanc præmisit comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Iudæorum vnde melior possit fieri, vt quid exigeretur ab eo qui nihil recepit? Ex vna mna quinque facit, qui moralia habet propter quinque sensus. *Et alter, &c. fe. quin.* Qui ad præputium missus est, cui dominus mnam, vnã eandémque fidem quæ circuncisioni credita est, ad prædicandum commisit. Quæ quinque mnas facit quia gentes quinque sensibus corporis mancipatas, ad gratiam fidei euangelicæ conuertit. *In sudario.* In sudario pecuniam reponit, qui ad prædicandum idoneus officium prædicandi vel suscipere renuit, vel susceptũ non bene gerit sed percepta dona sub ocio tẽporis abscondit fœcum, dicens: Sufficit mihi: vt de me rationem reddam, cur aliis prædicem, vel de alia cogar reddere rationem? cum etiam apud Deum, illi sunt inexcusabiles quibus lex data non est, neque audito euangelio dormierunt, quia per creaturam poterant creatorem cognoscere. *Metis*

Rom.1. *quod.* Metit enim Deus vbi non seminauit, id est, etiam eos impietatis reos tenet, quibus legis verbum vel euangelij non ministrauit. Timens ergo periculum iudicij, requiescam ab administra-

Matth.27 tione verbi. Misticè. Metis vbi non se. præcidis falce iudicij eos quibus legem non commisisti. Et congregas vbi non sparsisti. Congregas in regno tuo bonos, etiam de gentibus: Et de eorum comparatione qui naturalem legẽ seruant, damnas eos qui negligunt etiam scripturam. Mysticè. Per duos seruos, fideles vtriusque populi doctores. Per seruũ nequam, malos catholicos. Per decem & quinque, mnas, credentes populi. Per inimicos, qui verbum Dei vel nunquam audire, vel malè interpretãdo corrumpere malunt. Per messionem ruris non seminati, quos verbum Dei nec audire contigit. His quinque personis genus hominum in die iudicij discutiendum signatur. *Sciebas, quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metes quod non seminaui.* Quòd putauerat pro excusatione dixisse, vertitur in culpam. Si me ita durum & crudelem noueras, quare ista cogitatio nõ incussit tibi timorem, vt scires me mea diligẽtius quæsiturum. *Pecuniam,* id est, euangelicam prædicationem, paratisque fidelium cordibus non intimasti. Meam non tuam. Vnde apostolus: Si quis 1.Pet.4.
loquitur, quasi sermones Dei. *Cum vsu.* Qui verbi pecuniam à doctore emit credendo, necesse est, vt cum vsuris soluat operando. Vel, de accepto verbi fœnore vsuras soluit, qui ex eo quod audit, etiã alia studet intelligere. *Auferte.* Collatam gratiam amittit, qui prædicando aliis communicare neglexit. Augetur verò illi, qui in ea laborauit. Sicut 1.Reg.16.
regium chrisma quod superbiendo Saul amisit, Dauid obediendo promeruit. Spiritus enim domini qui à Saul recessit, directus est à die illa & deinceps in Dauid. *Et abundabit.* Misti. Cum omnis Israel: saluus erit, tunc plenitudo spiritualis gratiæ quam modo torpenter exercemus, doctoribus illius temporis abundanter conferetur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

EVseb. Æstimabant quidam in primo saluatoris aduentu regnum eius venire, & hoc putabant mox tunc fieri cùm ascensurus erat Hierosolymam, adeo obstupefecerant eos miracula diuina quæ fecerat. Et ideo instruit eos non prius se recipere regnum à patre, quam ab hominibus iret ad patrem. Et ideo dicitur: *Hæc illis audientibus adijciens dixit parabolam, eò quòd esset prope, &c.* Theop. Sed dominus ostẽdit eis quòd vana quædam æstimarent, nõ est enim sensibile regnum Dei. Ostendit etiam quòd quasi Deus nouit cogitationes eorum, proponens eis subsequentem parabolam. vnde sequitur: *Dixit ergo, Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti.* Cyril. Describit autem sensus huius parabolæ mysteria Christi à primo vsque ad vltimum. Homo enim factus est Deus verbum existẽs, & quãuis seruus factus sit, est tamen nobilis secundum ineffabilem ortum à patre. Basil. Non solùm secundum deitatem dominus nobilis est, sed etiam secundum genus humanum, ex semine Dauid secundum carnem exortus. Abijt autem in regionem longinquam, non tam locali distãtia separatam quam rerum conditione. Ipse enim Deus prope est vnicuique nostrum, cum nostra bona opera nos ei astringunt, & distat quoties nos inhærendo perditioni elongamur ab eo. Ad hanc igitur terrenam regionẽ accessit longinquam à Deo, vt gentium regnum acciperet, secundum istud: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Aug. de quæst. euan. Vel regio longinqua, ecclesia gentium est, vsque ad fines terræ: abijt enim vt plenitudo gentium intraret, reuerteretur

vt om

vt omnis Iſrael ſaluus fiat. Euſeb. Vel per hoc quòd profectus eſt ad regionem longinquam, aſcẽſum proprium à terra in cælos deſignat. Cum verò ſubdit: *Accipere ſibi regnum & redire*, ſecũdam ſui apparitionem glorioſam & regiam oſtendit. Et primò quidem hominem ſe vocat propter natiuitatem in carne, deinde nobilem: nondum autem ſe regem appellat, quia nondum in prima apparitione regia fungebatur maieſtate. Sed & bene dicitur obtinere ſibi regnum. Nam dante ſibi patre illud obtinuit, ſecũdum illud Danielis; Ecce filius hominis veniebat in nubibus, & datum eſt ei regnum. Cyril. Aſcendens enim ad cælos ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, aſcendens autem diſpenſauit credẽtibus in eum diuinorum chariſmatum differentiam: ſicut ſeruis committuntur dominicæ facultates, vt aliquid lucrantes famulatus ſui ferant præconia. vnde ſequitur: *Voca. autem decem ſer. ſu. de. il. de. mnas*. Conſueuit ſacta ſcript. in ſignum perfectionis vti numero denario, quem ſi quis numerando excedere velit, ab vnitate iterum inchoabit, quaſi denario perducto ad metam: & ideo in diſpenſatione talentorum eum qui metam attigit diuini officij, decem ait mnas recepiſſe. Aug. de quæſt. Vel per decẽ mnas legem ſignificat propter decalogum, decem autem ſeruos hos quibus ſub illa poſitis gratia prædicata eſt. Sic enim intelligendum eſt eis datas mnas ad vſum, cum intellexerunt legem remoto velamine ad euangelium pertinere. Beda, Mna nanque quam Græci minam vocant, centum drachmis appenditur. Et omnis ſcripturę ſermo, quia vitæ cæleſtis perfectionem ſuggerit, quaſi numeri centenarij pondere fulgeſcit. Euſeb. Significat ergo per eos qui mnas recipiunt ſuos diſcipulos, quibus mnas exhibens ſingulas parem cunctis diſpenſationem committens, negotiari iuſſit: Sequitur: *Et ait ad il. nego. dum venio*. Nullum autem aliud negotium erat niſi dogma regni ſui intentis mortalibus prædicatum per ſuos diſcipolos. Idem autem eſt omnium documentum, eadémque fides, vnum baptiſma, & ob hoc mna vna ſingulis datur. Cyril. Multa autem eſt horum differentia ad illos qui inficiati ſunt regnum Dei. De quibus ſubditur: *Ciues autẽ eius, &c.* Hoc eſt quod Chriſtus improperauit Iudæis, dicens. Nunc verò viderunt & oderunt me & patrem meum, tenuerunt autem regnum eius, dicentes Pilato: Non habemus regem niſi Cæſarẽ. Euſeb. Per hoc enim quod dicit, *Ciues eius*. Iudæos ſignificat, ortos ex eadem progenie ſecundum carnem, & quoniam ritu legis eũ illis pariter vtebatur. Aug. de quæſt. euang. *Miſerunt autem legationem poſt eum*, quia etiá poſt reſurrectionem eius immiſerunt perſecutiones Apoſtolis, & prędicationem euágelij reſpuerunt. Euſeb. Poſtquam autem ſaluator hæc docuit pertinentia ad primum eius aduentũ, conſequenter glorioſum & regium eius reditum oſtendit, dicens: *Et fa. eſt vt redi. &c.* Chry. Duo regna Dei nouit ſacra ſcript. alterum quidem ex creatione, ſecundum quod eſt rex omnis creationis iure: alterum autem ex approbatione, ſecundum quod iuſtis dominatur, propria ſponte eis ſubiectis, & hoc regnum hic dicitur accepiſſe. Aug. de quæſt. euan. Redit etiam accepto regno, quia in manifeſtiſſima claritate venturus eſt qui eis humilis apparuit, cùm diceret: Regnum meum non eſt de hoc mundò. Cyri. Redeunte autem Chriſto ſummo regno merebuntur præconia, & delectabuntur verbi miniſtri in ſupremis honoribus, quia multiplicauerunt talentum pluribus acquiſitis: vnde ſubditur: *Venit autẽ primus dicens, Domine mna tua decem mnas acquiſiuit*. Beda, Primus ſeruus ordo doctorum eſt in circuncißione miſſorũ, qui vnam mnam negotiaturus accepit, quia vnam fidem prędicare iuſſus eſt. Sed hęc mna decem mnas acquiſiuit, quia populum ſub lege cõſtitutum ſibimet docendo ſociauit. Sequitur: *Et ait il. Euge ſer. bo. &c.* In modico ſeruus eſt fidelis: quia nõ adulterat verbum Dei. Quicquid enim in pręſenti percipimus donorum, in comparatione futurorum paucum eſt. Græcus, Sed quia mercedẽ propriorum bonorum accipit, decem dicitur ciuitatibus præeſſe, de his promiſſis quidam infirmè coniectantes exiſtimant ſe præturis & præfecturis donari in terrena Hieruſalẽ reparata lapidibus precioſis, ſi honeſtè in Chriſto fuerũt conuerſati, ambitum poteſtatis & prælationis ab anima minimè deponẽtes. Ambr. Sed ciuitates decem, ſunt animæ, quibus iure præponitur, quia pecuniam domini & eloquia caſta probata ſicut argentum mentibus hominum fœnerauerit. Nam ſicut Hieruſalem dicitur ædificata vt ciuitas, ita ſunt animæ pacificæ. Et ſicut angeli pręſunt, ita hi qui vitam meruerunt angelorum. Sequitur: *Et al. ve. di. Do. mna tua fec. quin. mnas*. Beda, Seruus ille cæteris eſt eorum qui præputio euangelizare miſſi ſunt, cuius mna id eſt, euangelica fides, quinque mnas fecit, quia gentes corporis ſenſibus antea mancipatas ad fidei euangelicæ gratiam conuertit. Sequitur: *& huic ait, Et tu eſto ſupra quinque ciuitates*, hoc eſt, ex earum quas imbueras animarum fide & conuerſatione ſublimis fulgeas. Amb. Vel aliter fortaſſe: Iſte qui quinque mnas acquiſiuit, moralia habet, quia quinque ſunt corporis ſenſus. Ille qui decem, duplicata, id eſt myſtica legis, & moralia probitatis. Poſſumus & hîc decẽ mnas decem verba intelligere, id eſt, legis doctrinam, quinque mnas magiſteria diſciplinæ, ſed legiſperitum in omnibus volo eſſe perfectũ. Bene autem, quia de Iudæis dicit, duo ſoli multiplicatam pecuniam detulerunt, non vtique æris, ſed diſputationis vſuris. Chry. Alia eſt enim pecunia fœnoris, alia doctrinæ cæleſtis vſura. In terrenis enim opibus non euenit vnum fieri diuitem, niſi alter depauperetur: ſed in ſpiritualibus non euenit quenquam ditari, niſi faciat & alium locupletem. In corporeis enim participatio minuit, ſed in ſpiritualibus auget. Aug. de q. euan. Vel aliter: Quòd vnus eorum qui bene vſi ſunt, x. acquiſiuit, & alter v. ſignificat eos eſſe acquiſitos in gregem domini à quibus iã lex per gratiã intellecta eſt, ſiue propter x. legis pręcepta, ſiue quia ille per quẽ lex lata eſt quinque libros cõſcripſit, ad hoc pertinẽt x. & v. ciuitates quibus eos præponit, multiplicationẽ, ſcilicet intelligentię, in ipſa veritate quæ de vnoquoque pręcepto, vel de vnoquolibet libro pullulat, & ad vnum reducta quaſi ciuitatem facit viuentium rationum æternarum. Eſt enim ciuitas non quorumlibet animantium, ſed rationabilium multitudo legis vnius ſocietate deuincta, quod ergo ſerui reddentes rationem ex eo quod acceperant laudantur qui lucrati ſunt, ſignificat eos bonam reddere rationem qui bene vſi ſunt, quod acceperunt ad augendas diuitias Domini per eos qui credunt in eum: Quod qui facere no-

luur, in illo ſignati ſunt qui mnam ſuam in ſudario ſeruauit. De quo ſequitur: *Et ter.ve.di. Do.&c.* Sunt enim homines hac ſibi peruerſitate blandientes, vt dicant: Sufficit vt de ſe vnuſquiſque rationem reddat, quid opus eſt aliis prædicare & miniſtrare? vt etiam rationem de ipſis quiſque reddere cogatur, cum apud Dominum etiam illi ſint inexcuſabiles, quibus lex data non eſt, neque etiam qui audito Euangelio non obedierunt: quia per creaturam poterant cognoſcere creatorem, vnde ſequitur: *Timui enim te, quia, &c.* Hoc eſt enim quaſi metere vbi non ſeminauit, id eſt, eos impietatis reos tenere, quibus verbum, aut legis, aut Euangelij miniſtratum non eſt. Hoc autem veluti iudicij periculum diuitantes pigro labore à verbi miniſtratione cõquieſcunt: & hoc eſt quaſi ſudario ligare quod acceperunt. Theo. Sudario enim mortuorum facies velatur. Merito ergo hic piger dicitur. Nam in ſudario innoluiſſe: quia eam mortificans, occiſam dimittens, non tractauit nec auxit. Bed. Vel pecuniam in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub otio lenti corporis abſcondere. Quod autem putauerat ſeſe per excuſationem dixiſſe, in culpam propriam vertitur, vnde ſequitur: *Dicit ei, De ore tuo te iu. ſer.ne.* Seruus nequam vocatur, quaſi piger ad exercendum negotium, & ſuperbus ad accuſandum Domini iudicium. *Sciebas quod ego auſterus homo ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminaui: quare non dediſti pecuniam meam ad menſam?* Quaſi dicat. Si durum me eſſe noueras & aliena ſectari, quare non tibi hæc cogitatio incuſſit timorem, vt ſcires me mea diligentius quæſiturum? Pecunia autem vel argentum prædicatio Euangelij eſt, & ſermo diuinus: quia eloquia Domini eloquia caſta, argẽtum igne examinatum, qui ſermo Domini dari debuit ad menſam, hoc eſt promptis paratiſque cordibus intimari. Auguſt. de quæſt. Euang. Vel menſa ad quam danda erat pecunia profeſſionem ipſam religionis accipimus, quæ tanquam publicè proponitur ad vſum neceſſarium ſaluti. Chryſoſtom. In ſenſibilibus autem diuitiis debitores ſoltus obſeruationis obnoxij ſunt: quantum enim recipiunt, tãtum eos reddere neceſſe eſt, & nihil plus ab eis quæritur. In diuinis autem eloquiis non ſolum ad cuſtodiam obligamur, ſed etiam multiplicare monemur, vnde ſequitur: *Et ego ven. cum vſu. vtique exegiſſem illam.* Bed. Qui enim verbi pecuniam à doctore percipit credendo, neceſſe eſt vt eam cum vſuris ſoluat operando, vel vt ex eo quod audiuit etiam alia ſtudeat intelligere, quæ necdum ex prædicatoris ore didicit. Cyril. Doctorum enim eſt inſerere auditoribus ſalutarem, & proficuum ſermonem, opus autem diuinæ virtutis eſt attrahere obedientes ad audientiam, & fertilem eorum reddere intellectum. Non eſt autem hic ſeruus laudatus, neque honorem promeruit, ſed potius, tanquam iners eſt condemnatus, vnde ſequitur: *Et aſtan. di. au. ab eo mnam, & da.il. qui x. mnas habet.* Auguſt. de quæſt. Euang. Per quod ſignificatur & illum poſſe amittere munus Dei qui habent, non habet, id eſt, eo non vtitur, & eo augere, qui habens habet, id eſt, bene vtitur. Bed. Myſticè autem hoc vt reor indicat intrante plenitudine Gentium omnem Iſrael ſaluum futurum, & tunc abundantiam gratiæ ſpiritualis doctoribus eſſe conſeruandam. Chryſoſt. Ideo autem dicit aſtantibus: *Auferte ei mnam*, quia non eſt prudentis animi punire, ſed alio quodam, ſcilicet miniſtro eget puniẽdum officio iudicis. Nam & Deus non ipſemet pœnas irrogat, ſed mediantibus angelis. Aug. De aliis ſeruis ſiletur qui quaſi prodigi debitores, quæ acceperãt perdiderunt. In duobus ſeruis illis qui lucrati ſunt, pauci ſignati ſunt, qui per duas vices ad cultores vineæ ſunt deſtinati, in reliquis omnes Iudæi. Sequitur: *Et di. ei: Domine habet decem mnas.* Et ne hoc iniuſtum videretur, ſubditur: *Di. au. vo. quia om. ha. da.* Theo. Quia cum decem auxerit decuplando, palã eſt quod & plura decuplans pluris lucrifiet occaſio Domino. A deſide verò & otioſo qui non ſatagit augere quod acceperat, ipſum quoque quod poſſidet, auferetur, vnde ſequitur: *Ab eo autem qui non habet, & quod habet au. ab eo.* Nec vacet cenſus dominicus, cum poſſet dari aliis, & multiplicari. Hæc autem nõ ſolùm ad ſermonẽ & doctrinã referenda ſunt, ſed etiam ad morales virtutes: quoniam & in his dat nobis Deus ſua chariſmata, hunc dotans ieiunio, illum oratione, alium manſuetudine vel humilitate, quibus ſi inuigilauerimus, multiplicabimus ea, ſi verò tepeamus extinguemus. Deinde ſi aduerſariis ſubdit: *Verum ini. me. &c.* Aug. de quæſt. Euan. Per quod deſignat impietatem Iudæorum: quia ad eum noluerunt conuerti. Theoph. Quos tradidit morti mittens eos in ignem exteriorem, ſed & in hoc mundo mactati ſunt flebiliter ab exercitu Romanorum. Chryſoſtom. Hæc contra Martioniſtas competunt, nam & Chriſtus dicit: *Adducite hoſtes meos, & occidite coram me*, cùm tamen illi bonum dicant Chriſtum, Deum verò veteris Teſtamenti malum. Patet autem quod pater & filius eadem facit: nam pater ad vineam deſtinat exercitum, filius autem hoſtes coram ſe trucidari facit. Hæc autem quæ in Luca deſcribitur parabola, alia eſt ab ea quæ in Matth. narratur de talẽtis. Nam hìc quidem ex vno capitali accepto, varij fuere prouentus: quia ex vna mna accepta hic quinque talenta, ille obtulit decem. Sed apud Matth. contrarium, nam qui duo accepit, duo ſuperaddidit, & qui quinque tantundem: vnde & præmiis donantur imparibus.

S. AMBROSII EPISCOPI Mediolanenſ. ſuperioris Euang. expoſitio.

HOmo quidam nobilis, &c. Bonus ordo, vt vocaturus Gentes, & Iudæos iuſſurus interfici, qui noluerunt regnare ſupra ſe Chriſtum, hanc præmittere comparationem, ne diceretur; nihil dederat populo Iudæorum, vnde poterat melior fieri, aut quid ab eo, qui nihil recipit, exigitur? Non mediocris iſta eſt mna, quam ſupra mulier Euangelica: quia non inuenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inuentam. Denique ex vna decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortaſſe iſte moralia habet, quia quinque ſunt corporis ſenſus, ille decem duplicia, id
eſt, myſtica legis, & moralia probitatis. Vnde Matth.25.
Matthæus quinque talenta, & duo talenta ponit. In quinque talentis, vt ſint moralia, in duobus vtrumque myſticum, & morale: ita quo in numero inferius, re vberius. Et hic poſſumus decem mnas, decem verba intelligere, id eſt, legis doctrinam, quinque mnas magiſteria diſciplinæ. Sed legiſperi

gisperitum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem, quia de Iudæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt, non vtique æris, sed dispensationis vsuris. Alia est enim pecunia fœnebris, alia doctrinæ cælestis vsura. Denique Dominus, cùm dicit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Non nostræ, sed suæ pecuniæ quærit vsuram. Vnus in terra se abscondisse dicit, quod rationem, quæ ad imaginem & similitudinem Dei data est nobis, studio voluptatis obruit, & tanquam in fouea carnis abscondit. De aliis siletur, qui quasi prodigi debitores, quæ acceperāt, prodiderunt. In duobus illis pauci sunt, qui per duas vices ad cultores vineæ destinati sunt, in reliquis omnes Iudæi. Quam comparationem Matthæus etiam nobis voluit aptare, quod similiter vt diues, qui pecuniam suam non impertit pauperibus, ita etiam qui doctrinæ suæ gratiam non diuidit imperitis, docere eum possit, haud mediocris reus est culpæ. De quo quoniam in libris de fide scriptis diximus, transcurrere melius fuit. Ciuitates autem decē esse quæ possunt, nisi forte animæ, quibus iure præponitur, qui pecuniam Domini, & illa eloquia casta probata sicut argentum, mentibus hominum fœnerauerit? Nam, sicut Hierusalem dicitur ædificata sicut ciuitas, ita sunt animæ pacificæ. Et, sicut angeli præsunt, ita & ij, qui vitam meruerint angelorum.

(Marginal notes: Matth. 25. — Lib. 5. de fide cap. 1. — Psal. 121.)

TITI BOSTRENSIS
Episcopi eiusdem Euang. expositio.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. Parabolæ hîc propositæ scopus est, vniuersam diuini verbi œconomiam, nostri causa susceptam, perfectámque, totámque eiusdem virtutem & energiam, hoc est, omnia, quæ circa hoc verbi mysterium à principio, vsq; ad finem acciderunt, breuiter nobis ob oculos ponere. Etenim Deus verbum factus est homo, eáque de causa sortitus est nomen serui. At verò secundū inexplicabilem generationem, quam habet ex patre, erat, manétque semper ingenuus & illustris. Post absolutum portò œconomiæ secundum carnem mysterium, concessit ad gloriam, quam naturaliter alioquin insitā habebat, & peregrè quodammodò ad longinquam regionem profectus est; siquidem cælum est regio à terra seiuncta. Ascendit autem, vt sumeret sibi regnum. (A quo sensu, inquis, ille, qui vnà cum patre omnibus imperat ascendit ad patrem, suscepturus ab eo regnum? Ad carnis œconomiam sunt hæc referenda: pater námque non aliter filio dat regnum, quàm incarnato, vel homini facto.) Ad cælos autem euectus, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: sessurúsque dum pedibus illius substernantur omnes inimici eius. *Ciues autem eius oderant eum, &c.* Ecquinam sunt ciues illi, qui oderūt eum? haud alij vtique, quàm Iudæis; de his enim ait: Viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. Sed neque passi sunt quoque, illum super se regnare. Quare regno palam illi abrogato, ad Pilatum aiebant: Non habemus Regem, nisi Cæsarem, cùm tamen Propheta Zacharias iam olim disertè ad illos clamaret: Exulta satis filia Syon, iubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi Saluator, & ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ. Tum Esaias quoque: Ecce, ait, in iustitia regnabit Rex & Principes in iudicio præerunt. Sed & Dauid quoque Propheta de Christo ita scribit: Ego autem constitutus sum Rex ab eo. *Vocatis autem decem seruis, dedit illis decem mnas.* Cuiusmodi fuère serui, quibus accersitis distribuit decem mnas? Seruorum nomine hoc loco designantur, qui magnos in virtutibus progressus habent: quibus proinde, vt rectè ad omnem virtutem informare, seséque & alios probè gubernare sciunt, solida esca conuenit. Hi enim sunt, qui, dum populum fidei suæ concreditum, ritè studioséque instituunt, talentis sibi traditis incrementū adjiciunt, sortémque, quę Sanctos decet, adipiscūtur. Quare etiam à nobili viro illo, hoc est, Christo Deo, & Domino nostro, post acceptum regnum, in aduentu secundo redeunte, summis laudibus euehentur, summóque honore potientur: siquidem sortem denariam, & quinariam, quam acceperāt, duplam hoc ipso dependētes, quòd multos Christo lucrati fuerant, decem, aut quinque ciuitatibus præficientur, hoc est, præerunt rursum non iis tantùm, quibus antè, sed multis præterea aliis. At seruos verò ignauia superatos, ignominia & probrum excipient. Etenim qui mnam suam sudario inuolutam abdiderat, eiusmodi sententiam audiuit: *Serue nequam sciebas, quia ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminaui, &c.* Cur gratiam, quæ meo beneficio tibi obuenerat (hanc enim mna significat) non dedisti trapezitis, hoc est, cur illis eam ad opus non tradidisti, qui talento tuo probè vti sciuissent? *Et ego veniens, exegissem meum cum vsuris?* Munus namque doctorum & pastorū proprium est, vtilem & salutarem doctrinā auditoribus seminare, auditorum verò, delecta semina non solū integrè conseruare: sed omnem quoq; virtutem adjicere. Et propter ignarus seruus gratia, quam acceperat, exuitur, qui verò meliorem viam ingressi fuerant, diuinæ gratiæ augmentum consequuntur; & quod eo maius est, læti æternis bonis perfruuntur.

(Marginal notes: Ioan. 15. — Ioan. 20. — Zach. 9. — Esa. 32. — Psal. 2.)

S. BERNARDI ABBATIS
Clarauallensis, in superius Euang. Sermo.

Negociamini dùm venio. Verbum patris, vnigenitus Dei, sol iustitiæ, summus ille negociator, de vltimis cælorum finibus nostræ redemptionis precium apportauit. Fidelis ista negociatio, & omni acceptione dignissima, in qua rex, filius regis efficitur negociatio, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus est iustus. O quā indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, quàm vilis negociatio, vbi filius Dei pro seruo traditur, pro creatura creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur. Tua sunt hæc Christe opera, qui de lumine cæli ad tenebras inferni, à dextera maiestatis ad miseriam humanitatis, à gloria patris ad mortem crucis descendisti, infernum illustrando, hominem redimendo, superādo mortem, & mortis auctorem. Vnus es, & secundum non habes: quem ad nos redimendum propria

benignitas inuitauit, misericordia traxit, veritas qua te venturum promiseras compulit, puritas vteri virginalis suscepit, salua virginitatis integritate potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, charitas verbis & miraculis manifestauit. Absint procul negociatores terræ Theman, recedant filij Agar, qui exquisierunt prudentiam: elongentur à me gigantes à seculo nominati, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, (Matth. 11.) neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, sed dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Abscondisti enim hæc Domine sapientibus & prudentibus, gigantibus & nominatis, (Prouerb. 31.) qui magni facti sunt videlicet in oculis suis, & reuelasti ea paruulis & humilibus tuis. Libenter amplector negociationem tuam, quia negocium meum est. Hæc mercimonia cum summa suauitate ruminat anima mea. Non solùm autem ruminat, sed & reuocat ruminationem tuam: quia & intelligit quæ diligit, & commendat memoriæ quæ elegit. In his negociationibus præcipis esse animam meam, vt fiat nauis institoris de longe portans panem suum. Negociabor donec venias, (Psal. 58.) venienti lętus occurram, & vtinam audiam: Euge serue bone. Tui sunt cæli, & tua est terra, in regionibus tuis negociabor igitur securus, te solùm habens in itinere ducem, in periculis protectoré, consortem in tribulatione. Regiones tuæ quinq; sunt, quas perambulant ad negociandum institores tui, vbi te quærunt dilecti tui, & inueniunt electi tui. Prima regio est regio dissimilitudinis. Nobilis illa creatura in regione similitudinis fabricata, quia ad imaginem Dei facta, cùm in honore esset, non intellexit, de similitudine ad dissimilitudinem descendit. Magna prorsus dissimilitudo, de paradiso ad infernum, & de angelo ad iumentum, de Deo ad diabolum. Execranda conuersio, gloriam in miseriam, vitam in pugnam perpetua captiuitate cóuertere. Maledicta descésio, de diuitiis ad paupertatem, de libertate ad seruitutem, & de requie ad laborem descendere. Miseri nos, & miserabiliter nati: quibus datú est nasci in mœrore, viuere in labore, in dolore mori: de peccatore peccatores, de debitore debitores, de corrupto corrupti, de subacto subacti, geniti & generâtes sumus gens peccatrix, populus grauis iniquitate, semen pessimum, filij scelerati; addentes præuaricationem. Ecce quasi non simus, (Esa. 40.) sic sumus coram eo, quasi nihilum & inane reputati, putantes nos aliquid esse, cum nihil simus. Vulnerati sumus ingredientes mundum, conuersando in mundo, exeundo de mundo, à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas in nobis. Nouerat hæc ille sublimis propheta, qui statum humanæ miseriæ deplorans, in hæc verba prorupit: Graue iugum est super filios Adæ à die exitus (Eccl. 40.) de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omniú. In hac dissimilitudinis regione quid negociabimur Domine Deus? Aspicio genus humanum ab ortu solis vsque ad occasum huius múdi nundinas perambulare, alios diuitias quærere, alios honoribus inhiare, alios fauoralis auræ suauitate raptari. Sed quid de diuitiis? Nónne cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Thesaurizas, & (Psal. 38.) ignoras cui congregabis ea. Vide quantum laborem pro perituris diuitiis assumpsisti. Transis maria, & alium tibi orbem aperis nauigando, secundum sapientem tribus digitis distans à morte: patriam fugis, relinquis parentes, diuelleris ab vxore, filios nescis, & omnium necessitudinum oblitus, quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas. Filij hominum vsquequo graui corde? (Psal. 4.) vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendaciú? Quæ est ista dementia filij Adam, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigiliis multis, in ieiuniis crebris, in mortibus frequenter? Ecce quales diuitiæ. Sed quid de honoribus? In sublimi loco positus es, ducem te constituerunt. Vide si non à Deo iudicandus es, ab hominibus spectandus, ab omnibus lacerandus. Si miles es, excubas ante limina principis, vt principatum acquiras: & ferrato vestitus amictu, propior es vulneri, quàm honori, morti quàm vitæ, periculò quàm præmio. Si de sorte domini, nónne episcopus Romanum pontificem, archidiaconus vel diaconus episcopum pertimescit? Vide etiam virum excusseris manus tuas ab omni munere, ne cum Simone audias, Non est tibi pars neque sors in sermone isto, quia (Act. 8.) voluisti donum spiritus sancti pecunia possidere. Nihil ad nos de rectoribus Ecclesiæ iudicare: videant ipsi amici sponsi, cùm de sponsa cœperit exigere rationem, qui iudicat orbem terræ in æquitate. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest, Ecce quales honores. Quid autem de gloria? Gloria tibi vnde scetide puluis, (Psal. 113.) limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, sed nomini Domini da gloriam. Illi permitte gloriam suam, qui gloriosus est in sanctis suis. Illum lauda, quem laudant angeli in cælis. Núquid & ipsa inanis gloria, quæ nihil aliud est quàm aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine inuidia? Respice quos antecedis, & cogita quia omnibus inuidiæ semina præbuisti. Omnes ergo aduersum te toruis luminibus inflammantur, tua felicitate torquentur, tua vruntur gloria. Ecce vnde gloriosus, inde odiosus: vnde sublimis, inde humilis: inde solicitus, vnde securus. Vides ergo quá vanè conturbatur omnis homo. Hæc sunt merci- (Psal. 38.) monia quæ inueniútur in regione dissimilitudinis. Prudens ergo negociator qui videt in diuitiis laboré, in honoribus pœná, inuidiá in gloria, facit sarcinam suam mundi contemptum, & fugit. Secunda regio est paradisus claustralis. Verè claustrum est paradisus, regio vallo disciplinæ munita, in qua preciosarum est mercium fœcunda fertilitas. Gloriosa res, homines vnius moris habitare (Psal. 132.) in domo: bonum & iucundum habitare fratres in vnum. Videas illum peccata sua deflentem, alium in Dei laudibus exultantem: húc hominibus ministrantem, illum alios erudientem: hunc orantem, illum legentem: hunc miserentem, illum peccata punientem: hunc charitate flagrantem, illum humilitate pollenté: hunc in prosperis humilem, illú in aduersitate sublimem: hunc in actiua laborantem, illum in contemplatiua quiescétem: & poteris dicere: Castra Dei sunt hæc. Quàm (Gen. 28.) terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Quid tibi ergo fidelis anima in his nundinis est consectandum? Perambula virtutes cohabitantium in domo Domini virtutum, & fac inde sarcinam tuam, formam viuendi. Quæ prius habitabas in regione vmbræ mortis,

tis, transi ad regionem vitæ & veritatis. Tertia regio est regio expiationis. *Tria loca animarum separatarum.* Tria sunt loca quæ mortuorum animæ pro diuersis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, cælum. In inferno impij, in purgatorio purgandi, in cælo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt: quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris. Qui in cęlo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohęredes in gloria, similes in ęternitate iucunda. Quia igitur primi redimi non possunt, tertij redemptione non indigent, restat vt ad medios transeamus per compassionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem. *Exod. 3.* Vadam in istam regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, nó ad occisionem, sed ad purgationem: non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: vt iam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si forte videat Dominus & iudicet vt laboré conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiusmodi officiis potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. Percurre ergo quæcunque es fidelis anima regionem expiationis, & vide quid in ea fiat, & in nundinis istis fac sarcinam tuam affectú compatiendi. Quarta regio est regio gehennalis. O regio dura & grauis, regio extimescenda, regio fugienda: terra obliuionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus terribilis, in quo ignis ardens, vbi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, inundatio vinculorum, horribiles dæmonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea. *Esa. 14.* Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebatis? *Ezec. 28.* Omnis lapis preciosus operimentum tuum, *Esa. 14.* modo subter te sternitur tinea, & operimentum tuú vermis. O Deus quanta distantia inter operimentum preciosi lapidis, & operimentum vermis: inter delicias paradisi, & tineam corrodentem inferni? Scio quia *Matth. 25.* paratus est ille ignis diabolo, & angelis eius, & hominibus similibus eius: vbi sine fine finientur, sine morte morientur, torquebuntur sine cessatione. Viuens igitur in infernum descende, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines & vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem, & dilige legem Domini, & iam formidolosis nundinis fac sarcinam tuam odium peccati. Quinta regio est paradisus supercælestis. O beata regio supernarum virtutum, vbi beata trinitas à beatis facie ad faciem videtur, vbi illa sublimia *Esa. 6.* agmina sublimi pennarum applausu, Sanctus, *Psal. 35.* sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, clamare non cessant. Locus est voluptatis, vbi torrente voluptatis potantur iusti. Locus splendoris, vbi iusti fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, vbi lætitia sempiterna super capita corú. Locus abundantiæ, vbi nihil deest vidantibus eum. Locus suauitatis, vbi apparet Dominus suauis vniuersis. Locus pacis, vbi in pace factus est locus eius. Locus admirationis, vbi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, vbi satiabimur cùm apparuerit gloria eius. Locus visionis, vbi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena diuitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, vbi sapientia sine ignorantia, memoria sine obliuione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splédebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est, talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, vbi rerú vniuersitas mirabiliter ordinata dabit creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus angelorum, sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Psal. 83.* Cùm ergo mente perceperis iam preciosas núdinas, mercimonia tam præclara, construe sarcinam tuam amorem Dei. Vidisti regiones, animaduertisti nundinas, sarcinam construxisti, & beatus es. Negociare ergo dú veniat Dominus Deus tuus, vt ei dicere possis: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum: & audire merearis: Intra in gaudium Domini tui sponsi ecclesiæ, qui est benedictus in secula. Amen. *Matth. 25.*

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex comm. in Luc.

DIxit ergo. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquá, &c.* Homo nobilis ille est, cui cęcus supra clamabat; Fili Dauid, miserere mei. Et venienti Hierosolymam concinebant, Osanna filius Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel. Longinqua regio, ecclesia est ex gentibus. De qua eidem homini nobili, qui loquitur; Ego autem constitutus sum Rex ab eo, dicitur à patre; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quæ videlicet hæreditas, ac possessio, bifaria ratione regio longinqua vocatur, Vel quia à finibus terræ clamat ad Dominum, vel quia longe est à peccatoribus salus. Et cum Deus vbique sit præsens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus abest. Sed qui erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi. *Vocatis autem decem seruis suis, &c.* Denarius numerus ad legem pertinet, propter decalogum. Vocat itaque paterfamilias decem seruos, quia eligit discipulos per literam legis imbutos. Dat illis decem minas, quia legis dicta spiritualiter intelligéda reuelat. Post passionem quippe, resurrectionémque suam, aperuit illis sensum, vt intelligerét scripturas. Mina namque, quam Gręci mnam vocant, cétum drachmis appenditur. Et omnis scripturæ sermo quia vitæ cælestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarij pódere fulgescit. *Et ait illis. Negotiamini dum venio.* Verba (inquit) legis, ac prophetarum mystica interpretatione discussa populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morúmque probitatem

recipite. Iuxta quod Pſalmiſta ſuis auditoribus præcipit dicens, Sumite pſalmum, & date tympanum. Hoc eſt, laudem prædicationis in cordis intentione percipite, & deuotionem operis, in carnis caſtigatione redhibete. Tympanum quippe, eſt pellis in ligno extenta. Pellis vero in ligno extenta, caro eſt [illegible], ad exemplum dominicæ crucis afflicta. *Ciues autem eius oderant illum, &c.* Ciues, impios Iudæos dicit. De quibus alibi proteſtatur; Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum, Qui non ſolum præſentem vſque ad mortem crucis oderãt, ſed etiam poſt reſurrectionem eius miſerunt perſecutionem Apoſtolis, & prædicationem regni cæleſtis ſpreuerũt. *Et factum eſt vt rediret accepto regno.* Significat tempus, quando in manifeſtiſſima & eminentiſſima claritate venturus eſt, qui eis humilis apparuit cum diceret: Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Et iuſſit vocari ſeruos quibus dedit pecuniam, &c.* Vt ſciret, inquit, non quod eum quid lateat, cui veriſſime dictum eſt; Domine, tu omnia ſcis. Sed ſciret dicit, ſcire omnes faceret. Tunc enim omnium opera, & cogitationes, palam omnibus oſtenduntur. Quomodo in Deuteronomio; Tentat (inquit) vos Dominus Deus veſter, vt ſciat, ſi diligitis eum, hoc eſt, ſciri faciat. Nemo ſane arbitretur eos ſolummodo, quibus gratia prædicandi data eſt, non autem & eos, quibus prædicatum eſt, ad iudicium tunc eſſe vocandos. Ipſi ſunt enim pecunia, quam boni ſerui adquiſiere mercando. Quinetiam ſciat eos quoque, quibus nũquam eſt prædicatum, ibidem adeſſe damnandos, de quibus infra dicemus. *Venit autem primus dicens. Domine mina tua decem minas adquiſiuit.* Primus ſeruus, ordo doctorum eſt in circuncisionem miſſorum, qui vnam minam negotiaturus accepit, quia vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptiſma, vnum Deum prædicare iuſſus eſt. Sed hæc eadem mina, decem minas adquiſiuit, quia populum ſub lege conſtitutum, ſibimet docendo ſociauit. *Et ait illi, Euge bone ſerue, &c.* In modico ſeruus eſt fidelis, qui non adulterat verbũ Dei, ſed ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquitur. Quicquid enim in præſenti percipimus donorum, in comparatione futurorum perpaucum eſt & modicum, quia ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Ciuitates autem decem ſunt animæ per legis verbum ad gratiam euangelij venientes. Quibus tunc iure glorificandus ille præponitur, qui eis pecuniam verbi, digne Deo commodauerit. Vnde quidã negotiator egregius, ciuitates, quibus præerat, hoc eſt animas, quas regẽdas acceperat, alloquens; Quæ eſt, ait, noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ; nonne vos ante Dominum Ieſum? *Et alter venit dicens. Domine, mina tua, &c.* Seruus iſte cœtus eſt eorum, qui præputio euangelizare miſſi ſunt, cui Dominus ad prædicandum eunti, vnam minam, hoc eſt, vnam, eandémque fidem, quæ & circumciſioni credita eſt, præſtiterat, ſed hęc quinque minas fecit, quia gentes corporis ſenſibus antea mancipatas, ad fidei Euangelicæ gratiam conuertit. *Et huic ait. Et tu eſto ſupra quinque ciuitates.* Hoc eſt, ex earum, quas imbueras animarum fide, & cõuerſione, magnus, ſublimíſque fulgeto. De quibus myſticè dicit Iſaias; In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaam. Quinque enim ciuitates in terra Ægypti, quinque ſunt corporis ſenſus, quibus in hoc mũdo vtimur, videlicet viſus, auditus, guſtus, olfactus, & tactus. Et qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, qui auertit aures ſuas, ne audiat pauperem, qui inebriatur vino, in quo & luxuria, qui coronare ſe gaudet roſis, antequã marceſcant, cuius ſanguine plenæ manus, & dextera eſt repleta muneribus, huius quinque ciuitates loquuntur lingua Ægypti, id eſt, vniuerſi ſenſus faciunt opera tenebrarum. Ægyptus enim tenebras ſonat. At qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum, qui guſtat, & videt quàm ſuauis eſt Dominus, qui caſtigat corpus ſuum, & ſeruituti ſubjicit, qui poteſt dicere cum Apoſtolo; Chriſti bonus odor ſumus Deo, huius ciuitates loquuntur lingua mutata, quod interpretatur Chanaam. Et qui eas à tenebris docendo commutauerat, rectè quinque ciuitatibus præfici memoratur, quia non de ſuis tantùm, ſed & de auditorum ſuorum, quos ad lucem vocauit profectibus honoratur. *Et alter venit dicẽs. Domine, ecce mina tua, &c.* Seruus qui negotiati iuſſus acceptam Domini pecuniam in ſudario repoſuit, oſtendit eos, qui ad prædicãdum idonei, prædicationis officium, iubente Domino per eccleſiam, vel ſaltem ſuſcipere, vel ſuſceptum digne gerere detrectant. Pecuniam quippe in ſudario ligare eſt, percepta dona ſub otio lenti torporis abſcondere. Sunt enim homines, hac ſibi peruerſitate blandientes, vt dicãt, ſufficit, vt de ſe vnuſquiſque rationem reddat. Quid opus eſt aliis prædicare, vt etiam de ipſis rationem reddere quiſque cogatur, cum apud Dominum etiam illi ſint inexcuſabiles, quibus lex data non eſt, neque, audito Euangelio, dormierunt, quia per creaturam poterant creatorem cognoſcere? Hoc eſt enim quaſi metere vbi non ſeminauit, id eſt, etiam eos impietatis reos tenere, quibus verbum legis, aut Euangelij non miniſtratum eſt. Hoc autem veluti periculum iudicij deuitantes, pigro languore à verbi miniſtratione conquieſcunt. & hoc eſt quaſi in ſudario ligare, quod acceperunt. *Dicit ei. De ore tuo te iudico, ſerue nequam.* Seruus nequã vocatur, quia & piger, ac * deſidens eſt ad exercendũ negotium, * deſes.
& procax, ac ſuperbus ad accuſandũ Domini iudiciũ. *Sciebas quod ego auſterus homo ſum, &c.* Quod putauerat ſe pro excuſatione dixiſſe, in culpam propriam vertitur. Si (inquit) durum & crudelem eſſe me noueras, & aliena ſectari, ibique metere, vbi non ſeuerim, quare non tibi iſtiuſmodi cogitatio incuſſit timorem, vt ſcires me mea diligẽtius quęſiturum, & dares pecuniam meam, ſiue argentum ad menſam? Vtrumque enim ἀργύριον Græcus ſermo ſignificat. Eloquia Domini (inquit) eloquia caſta, argentum igne examinatum. Pecunia ergo, & argentum prędicatio Euangelij eſt, & ſermo diuinus, qui dari debuit ad menſam, hoc eſt, promptis, patríſque fidelium cordibus intimari. Ad quam videlicet menſam, id eſt, mentem auditorum, non alia quam dominica eſt deferẽda pecunia, vt omnis ſermo docentis ſcripturæ ſenſum ſequatur. Nam quod hic Dominus non quamlibet pecuniam, ſed ſuam dicit nummulariis eſſe fœnerandam, exponit Apoſtolus dicens; Si quis loquitur quaſi ſermones Dei. *Et ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illud?* Qui verbi pecuniam à doctore percipit, emitque credendo, neceſſe eſt eam cum vſuris ſoluat operando, vt, quod auditu didicit,

cit, exsequatur & actu. In vsura quippe pecunia etiam non data recipitur. Vel certe de accepto verbi fœnore vsuras soluit, qui ex eo, quod audit, etiam alia studet intelligere, quæ needum ex prædicatoris ore didicit. *Et ad flantibus dicit: Auferte ab illo minam, &c.* Rectè amittit collatam gratiam, quam prædicando aliis communicare neglexit, vt ei augeatur, qui inde laborauit. Iuxta quod angelo Ephesi ecclesiæ dicitur: Et mouebo candelabrū tuum de loco suo, nisi pœnitētiam egeris. Et, cum regium chrisma quod superbiendo Saul amisit, Dauid obediēdo promeruit; Spiritus (inquit) Domini discessit à Saul, & directus est in Dauid à die illa, & deinceps. Quod vero ablata à nequam seruo mina ei, qui decem minas habebat dari iussa est, mysticè, vt reor, indicat, intrante plenitudine gentium, omnem Israel saluum futurum, & tunc abundantiam gratiæ spiritalis, quam modo nos tepenter exercemus, illius populi doctoribus esse conferendam. *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, &c.* Hæc ad superiora sententia respicit, docens & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est, non vtitur, & in eo augeri, qui habens habet, hoc est, bene vtitur. Quæ gratiarū mutatio quoniam in hac vita geri solet, notandum quod illud Domini redeuntis examen etiam nunc ex parte celebratum, sed tunc est vniuersaliter implendū. Quotidiè nanque accepto à patre regno redit, quia peregrinantis in terra Ecclesiæ semper statum cōspicit. Quotidiè in tanto fidelium seruorum numero huic pecuniam negotiaturo commodat, in altero modum consummati operis examinat, hunc fideliter prudentérque laborātem amplioris gratiæ munere donat, illum desidiæ, molles, & marcida luxu otia sectantem, eo, quod dederat, priuat. Verùm, vniuersali manifestato iudicio, quod dictu quoque terribile est, multi, qui ad docendū videbantur idonei, ob negligentiæ suæ noxam inter indoctos reputabūtur. At alij simpliciores fratres, & elementorum penitus ignari, ob conuersationis tamen eximiæ deuotionem inter apostolicos doctores præmia summa percipient. Qui enim recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.

EVSEBII EPISCOPI
Emisseni in superius Euang. Homil.

Homo quidam nobilis abijt in regionē longinquam, accipere sibi regnū. Homo iste nobilis ipse est, qui hæc loquitur, Saluator noster: qui non solùm secundùm diuinitatem, qua & angelorum & hominum creator & Dominus est: verumetiam secundùm humanitatem ex nobili genere ortus est. De tribu namque Iuda & de progenie Dauid natus est Dominus: quæ inter alias tribus nobilior, regnum tenuit & principatum. *Hic autem abijt in regionem longinquam*, quando cælos ascendens ad patrem rediit. Vnde ipse ait: Exiui à patre & veni

Ioan.16. in mundum: Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Hæc autem regio longinqua est, quia cum multo labore illuc peruenitur. Per multas

Act.14. enim tribulationes, ait Apostolus, Oportet nos intrare in regnum cælorum. Ab hac autem vnusquisque tanto longiùs est, quanto inter cæteros iniquior est. Ad hanc igitur Dominus redit *accipere sibi regnum & reuerti.* Tunc enim sibi Dominus regnum accepit, quando eius humanitas super cælos exaltata est, cique à patre d[...]ctū est: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum Psal.109. pedum tuorum. Restat igitur vt reuertatur, & ad iudicium rediēs, cum seruis suis rationem ponat. Priùs enim quàm illuc ascenderet, *vocatis decē seruis suis, dedit illis decem minas*, quæ alius euangelista talenta vocat. Decem sunt serui, decem sunt & talenta. Nolli dicere pauci sunt, consideta priùs quid Matth.25. decem significent. Hoc enim numero nullus alius maior est: quia omnes numeri in hoc solo continentur. Decem igitur aliquando multos, aliquando significant omnes. Vocauit igitur decem idem Dominus seruos suos, & dedit illis decem minas, id est, omnia talenta sua, quod alibi dicitur, Et dedit illis bona sua: *Et ait ad illos. Negociamini dum venio.* Bonus negociator beatus Paulus, qui omni- Matth.25. 1.Cor.9. bus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Quotidiè nanque in Ecclesia nundinæ fiunt, quotidie Dei thesaurus in Ecclesia venditur. Thesaurus Prou.11. enim desiderabilis requiescit in ore sapientis. Dei autē negociatores omnes sunt serui, & nihil aliud nisi seruos emunt. Nihil enim aliud de mundi diuitiis, nisi solos seruos eorum Dominus concupiscit. Vnde & de templo eos eiecit, qui male negociantes, illicita ibi vendebant & emebant. Hoc au- Matth.21. tem de seruis dictum est, nunc de ciuibus audiamus. *Ciues autem eius oderant illum, &c.* Isti ciues Iudæi sunt, qui super se omniū regem & Dominum Christum Iesum regnare noluerūt, dicentes: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et isti quidem hāc Ioan.19. pranam legationem post eum mittūt: quia ex quo ab eis recessit, in hac mala voluntate perseuerant. Quæ voluntas, quia Christus eam cognoscit & audit, quasi quædam legatio in illius semper auribus sonat. *Et factum est vt rediret accepto regno, &c.* Hoc autem erit in iudicio, quando boni & mali omnes astabūt ante tribunal Christi, vt vnusquisque pro se rationem reddat. *Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit.* Tunc enim vnum talentum decem acquirit, quando aliqua gratia nobis à Deo concessa, in multas virtutes crescit: aut multos peccatores ad fidē & iustitiam conuertit. *Et ait illi: Euge serue bone, &c.* Et hoc quidem alius euangelista manifestiùs posuit, dicens: Supra te multa cōstituam: intra in gaudium Matth.25. Domini tui. Itémque: Beatus seruus ille, quē cùm Luc.12. venerit Dominus, inuenerit vigilantem: Amen dico vobis, super omnia [...] quæ possidet, constituet eū. Hoc est igit[ur] supra decem ciuitates potestatem ei date, quod est super omnia quæ possi- Decem ciuitates mysticè. det, eum constituere. Dixi enim per decem minas, omnes significari. Et supra omnia quidem quæ Dominus possidet, vnusquisque constituitur, quia omnia ei obediūt, eiúsque voluntatem omnia faciūt. Tāta enim ibi concordia erit, vt vnusquisque quasi maior veneretur ab omnibus, & quasi minor venerentur omnes. *Et alius venit, dicens: Domine, mina tua fecit quinque minas.* Iste quoq; in talēto sibi credito operatus est, sed nō tātùm quātùm ille, de quo modo diximus, in eo lucratus est. Nam & si omnes laborent bene, non æqualiter tamen omnes laborant. Vnde Apostolus: Ego, inquit, plùs 1.Cor.15. omnibus laboraui: non autem ego, sed & gratia Dei mecum. Qua in re in talento, & in gratia sibi data,

est, in secundo eius aduentu, quando apparebit rex cum angelis in gloria patris veniens, & omne genu flectetur ei: tunc sane ad rationem adiget eos, qui dona acceperunt: & inuenietur vnus quidem multis profuisse, & decuplicasse donum: alius autem profuisse quidem & ipse, sed paucioribus profuisse: alius autem nemini profuisse, sed ignauiter transmisisse negociationis tempus. Proinde qui decuplicauit, quod acceperat, super decem ciuitates constituetur, hoc est, multiplices retributiones accipit: & alius deinceps iuxta suam recipit proportionem. Qui autem nihil lucratus fuit, condemnatur. Videamus autem & quid dicat; *Domine, ecce mina tua, accipe eam.* Ioan. 11. *habui enim istam in sudario recōditam.* Dominus mortuus sudario inuolutus fuit, & Lazari facies in sepulchro sudario obuoluta fuit. merito igitur ignauus ille in sudario inquit reconditum fuisse donum. Mortuum enim illud fecerat, & inefficax, non euoluens, neque lucrum faciens. Timebam enim te, quia tollis, quod nō posuisti. Talia multi prætexunt. Nolentes enim vllis prodesse, dicunt, quòd, vbi nō seminauerit Deus bonam indolem, & aptitudinē, illic ne requirat messem. Me non fecit industrium, & ad doctrinam idoneum, & quid à me exigitur, vt inde fructum faciam? Idcirco dominus dicit, Tu doce, & depone pecuniam tuam apud mensarios, hoc est, apud omnes homines, qui propositi sunt, vt percipiāt vtilitatem, Omnis enim homo mensarius à Deo ordinatus est, vt in huius mundi officina magna negocietur. *Et ego veniens exegissem illud*, hoc est, repetiissem, *cum vsura.* Oportet igitur & nos, quod nostrum est facere: alios autem dominus iudicat, si noluerint vtilitatem inde percipere. Tollitur igitur donum, & datur bono negociatori. Nam, licèt is habeat, propter istudipsum tamen magis debet plura accipere. *Habenti enim dabitur*, hoc est, ei, qui ex negociatione boni multa lucratus fuerit, illi dabitur & amplius: nam, si parua in decupla fecit crescere, manifestum quod & plura decuplicabit, maioris lucri author domino futurus. A negligente autem, & ignauo, & cui non est studium, vt crescat, & augeatur, quod acceperat, & istudipsum tolletur, vt ne res dominica frustra vacet, quæ dari potest alteri, & multiplicari. Hoc non solum de sermone, & doctrina exponimus, sed & de moralibus virtutibus. Nam & in his dona nobis dedit Deus, vtpote vni donum ieiunij, alij vero eleemosynæ, alij autem mansuetudinis, alij autem humilitatis. Et si quidem sobrij fuerimus, & vigilantes, multiplicabimus hæc: sin autem negligentes, & voluntate mortui erimus, ac postea arguemus Deum, vt consueuimus dicere; Et quid faciam? Si qui fuerit sanctus, vult Deus vt sit sanctus: me non vult, & non sum. &, Ille Petrus fuit, & ille Paulus fuit. Stulte homo, mina illa Paulum te fecit, & Petrū. Operare autem iuxta virtutem, & affer aliquid ei, qui dedit, etiam si non quārum Paulus, & Petrus. Tu autem, quum eadem acceperis, quæ Petrus, & Paulus: nam & ille minam, & tu minam: postea non motus omnino ad operationem boni, arguis Deum? Propter hoc indigni inuenti donis illis, spoliabimur.

Etiā morales virtutes sunt Dei dona, sed hæc multiplicantur, nostra industria Deo cooperante, & præeunte.

Nota hinc, quid sint vana verba ex usitata, prætexentiū sua ignauia Dei prædestinationē, quasi ex Deo sit noster nullus, aut exiguus profectus.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

D*Ixit ergo, Homo quidam præclaro genere natus, profectus est in regionem longinquam.* Seipsum significat, hominē quidem, vt qui humanitatem assumpsit: præclarum verò genere, vtpote filium Dei. Profectus est autem in regionem longinquā, post resurrectionem ex mortuis, ascendens ab eis in cælum †: siquidem tanquam iam facta dicit ea, quæ futura sunt.

† *Nam regio longinqua alia præter terram est cælum.*

Vt acciperet sibi regnum. Quod vt homo accepit, de quo dixit Dauid; Dominus regnauit. Et rursus; Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Psal. 92. Psal. 109. *Ac reuerteretur.* In secundo aduentu suo. *Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem minas.* Numerus in hoc loco denarius, multitudinis dūtaxat manifestatiuus est, tam de seruis, quàm de minis. Mina autem genus erat argentei nummi. Seruos ergo dicit omnes fidelium præceptores: minas vero spiritualia dona. *Negotiemini donec veniam.* Negotiemini per dona salutem hominum. *Ciues autem eius oderant eum.* Cognati eius Iudæi. *Nolumus hunc regnare super nos.* Nam & prius dixerunt ad Pilatum; Non habemus regem nisi Cæsarem: & postmodum orabant ad Deum, & patrem, vt extingueretur etiam eius memoria. Ioan. 19. Hier. 11. *Et cōtigit vt ipse rediret, accepto regno.* De secūdo aduentu est hic sermo, quando reuertetur cum potestate, & magna gloria, sedebitque super sedem gloriæ suæ. *Iussitque vocari ad se seruos illos, &c.* Nam tunc rationem ponens reddet vnicuique, iuxta opera sua. *Domine mina tua decem minas acquisiuit.* Per denarium numerū etiam hic multitudinem, siue magnitudinem lucri significauit. *Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis.* Bene precantis est, vel laudantis, contrarium Væ. Bene tibi sit, quia in vna mina diligens fuisti. *Habeto potestatem super decem ciuitates.* Per potestatem super decem ciuitates, variam beneficij magnitudinem, ac honorem demonstrauit. *Tu quoque esto super quinque ciuitates.* Conformiter ad mensuram lucri cuiusque mensuratur & honor, ac beneficium. *Domine, ecce mina tua, quam habui repositam in sudario.* Sudarium anagogicè otium, ac segnitiem, & inutilitatē hoc in loco demonstrat. *Timebam enim te, quòd homo austerus sis, tollis quod non posuisti, &c.* Putabat enim, quòd sola negotiantium diligentia absq; Dei auxilio totum efficeret: &, quum esset austerus, repeteret ab aliis lucra, in quæ ipse nihil contulisset. Hanc autem responsionem figurauit parabola, volens ostēdere, quòd tales nihil rationabile possint respondere, sed quæcunque responderint contra seipsos conuertantur: Nam audi, quæ sequuntur; *Ex ore tuo iudico te, serue male.* Ex verbis tuis. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? Ad mensarios.* Hi dici possunt, qui norunt diiudicare bonum à malo. Ait ergo; Quum talem me cognosceres, quāquam talis non essem, quare nō potius exposuisti datum tibi donum meum ad mensarios: oportebat enim, quod in te erat, facere, reliquum vero mihi relinquere: effecisses interim id, quod erat facilius; quod autem difficilius, mihi permisisse, dico sane repetitionem. *Et ego veniens cum vsura vtique exegissem illam.* Repetiisse.

tiissem. Mutuum ergo est doctrina: vsura vero huiusmodi mutui, virtutes sunt, quæ ex doctrina oriuntur. Lucrum autem qualemcunque nominauit vsuram, communi vsus consuetudine. *Et astantibus dixit*. Ministrantibus videlicet angelis. *Tollite ab ea minam, & date illi, qui decem minas habet*. Tollite ab eo gratiam docendi, & date illam ad accessionem honoris ei, qui decem minas habet. *Domine, habet decem minas*. Habet sufficientem honorem. *Dico vobis, quod omni habenti dabitur, & abundabit*. Qui astabant dixerunt, Habet sufficientem honorem. Ipse vero ait; Omni studium, ac diligentiam habenti, dabitur honor etiam abundantior, quàm illi conuenit. *Ab eo autem, qui non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo*. Ab eo, qui studium non habet, ac diligentiam, vt dictum est, etiam id, quod habet, gratia videlicet docendi auferetur, tanquam ab illo, qui ea non vtitur. Sed quare de solis tribus seruis dixit, relictis cæteris? Quia ex his facile est etiam de aliis coniectare: quotquot enim negotiati sunt, conformes ad lucrū susceperunt honores: quotquot verò ociosa, ac inutilia seruauerunt dona, similia cum prædicto passi sunt. apud Matthæum quum similem Matth. 25. dixisset parabolam, in fine addidit; Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.

IIII. EVANG. IN COMMVNI
CONFESSORVM NON PONTIFICVM PRO ABBATIBVS.

MATTH. 19.



N illo tempore: dixit Simon Petrus ad Iesum, Ecce nos reliquimus
a Id est, voluntatem habendi. b Id est, etiam. c Quod est perfectio. d Præmij.
[a] omnia, [b] & [c] sequuti sumus te: [d] quid ergo erit nobis? Iesus autem
e Non qui reliquistis tantum, quod & Socrates fecit. f Quando mortui resurgent incorrupti.
dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui [e] sequuti estis me in [f] regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos
g Quia vobis credentibus credere noluerunt. h Non tantum vos. i Omnes affectus charitati supposuerit.
super sedes duodecim [g] iudicantes duodecim tribus Israel. [h] Et omnis qui [i] reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

IN *regeneratione*. Duæ sunt regenerationes: prima ex aqua & spiritusancto, secunda in resurrectione. Ita duæ adoptiones & duæ resurrectiones. *Filius hominis*. Id est, cum serui forma, quæ iudicata est, iudiciariam exercuerit potestatem, eritis & vos mecum iudices. *Super sedes duodecim*. Per duodecim sedes, vniuersitas iudicantium. Per duodecim tribus, vniuersitas iudicandorum intelligitur. Qui reliquerunt omnia, & sequuti sunt Inf. 25. dominum, hi iudices erunt, qui licita habentes rectè vsi sunt: Iudicabuntur, quibus dicetur: Venite benedicti patris mei: Esuriui enim: & dedistis mihi manducare. Duo enim sunt ordines bonorum. *Centuplum*. Id est, qui carnalia pro domino dimiserit, spiritualia accipiet, quæ cōparatione, & merito sui ita erunt, quasi paruo numero centenarius comparetur. Marcus ait, Cen- Marc. 10. ties tantum nunc in tempore hoc cum persequutionibus fratres, & sorores, & in futuro vitam æternam, id est, in hac vita persequutionibus plena gaudium regni degustant, & omnium electorum sincera dilectione fruuntur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

TVnc respondens Petrus, dixit ei: Ecce, nos reliquimus omnia, &c.* Orig. Audierat Petrus verbum domini dicentis, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes. Deinde considerauit adolescentem cum tristitia abeuntem, & difficultatem diuitum ingrediendi in regnum cælorum, ideo quasi qui facilem rem consummauerat fiducialiter quærit. Etsi enim minima cum fratre reliquit, sed nō minima æstimata sunt apud Deū, considerantem quoniam ex tanta plenitudine dile

dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiamsi multas habuissent possessiones, omnia reliquissent. Et puto quòd magis Petrus cõfidens de affectu suo quàm de ipsa quantitate rerũ relictarum, fiducialiter interrogauit: vnde dicitur, *Tunc respondens Petrus, dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia.* Chry. in ho. Qualia omnia, ô beate Petre? arundinem, rete, nauigium. Omnia quidem hæc dicit, non propter munificentiam, sed vt per interrogationem hanc inopem inducat plebem: quia enim dominus dixerat, Si vis perfectus esse, &c. ne dicat aliquis inopum: Quid igitur si non habuero, non possum esse perfectus? Interrogat Petrus, vt tu inops discas, quoniam in nullo hinc diminutus es. Qui enim claues regni cælorum acceperat: pro his quæ ibi sunt iam confidit: & pro orbe terrarum vniuersa interrogat. Intuere autem & qualiter respondet diligenter, sicut Christus inquisiuit, etenim Christus duo à diuite expetiit, dare pauperibus quæ habebat, & sequi se propter hoc ipse addit, *Et secuti sumus te.* Orig. Potest dici secundum omnia quæ pater reuelauit Petro esse filium suum, secuti sumus te, iustitiã, sanctificationẽ & huiusmodi. Propter hoc quasi victor athleta interrogat quæ sint præmia certaminis. Hiero. Quia ergo non sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est: *Et secuti sumus te.* fecimus quidem quod iussisti, quid ergo erit nobis præmij? & hoc est quod dicitur, *Quid ergo erit, &c.* Sequitur, *Iesus autem di. il. Amen dico vo. quòd, &c.* Hiero. Non dixit, Qui reliquistis omnia. Hoc enim & Socrates philosophus fecit, & multi alij diuitias contempserunt. Sed, *qui secuti estis me*, quod propriè apostolorum est, atque credentium. Hilar. Secuti sunt quidem discipuli Christum in regeneratione, id est in lauacro baptismi, in fidei sanctificatione: hæc enim illa regeneratio est, quam Apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit. Hierony. Vel aliter debet construi, *Vos qui secuti estis me, sedebitis in regeneratione*, id est, quãdo mortui ex corruptione resurgent incorrupti, sedebitis & vos in solijs iudicantium condemnantes xij. tribus Israël, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. August. xx. de ciuita. Dei. Sic enim caro vestra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum anima nostra regenerabitur per fidem. Chry. super Mat. Futurum enim erat vt in die iudicij responderent Iudæi, Domine, non te cognouimus filium Dei in corpore constituti: quis hominum videre poterat thesaurũ in terra absconditum, solem nube celatum? Respondebunt ergo discipuli, Et nos homines sumus rustici & obscuri in plebe, vos sacerdotes & scribæ: sed in nobis bona voluntas facta est, quasi lucerna rusticitatis nostræ: in vobis autẽ malitia facta est quasi caligo scientiæ vestræ. Chry. in ho. Propter autẽ hoc nõ dixit: Et gentes: & orbem terrarum: sed tribus Israel, quia in eisdem erant educati & legibus & consuetudinibus apostoli & Iudæi. Cum ergo dixerint Iudæi, quoniam propter hoc nõ potuimus credere Christo, quia lex prohibuit: discipuli in medium inducentur qui eandem susceperunt legem. Sed dicet aliquis, Quid magnum promisit eis, si id quod Niniuitæ habent & regina Austri, hoc & ipsi habebunt? Maxima quidem alia præmia ante & post eis promittit: sed & hîc occultè insinuat aliquid plus illis. De illis enim simpliciter dixit, quòd surgent & condemnabunt generationem hanc: de his autem, *Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos.* Manifestum est ergo quòd conregnabunt & communicabunt in gloria illa: honorem enim & gloriam ineffabilem significauit per thronos. Qualiter autem hæc promissio completa est: nunquid enim & Iudas sedebit? nequaquam. Lex enim à domino posita est per Hieremiam prophetam, loquar super gentem & regnum vt ædificem, & plantem illud: sed si fecerit malum in cõspectu meo, pœnitebo & ego de bonis quæ locutus sum vt facerem eis. quasi dicat, Si indignos seipsos promissione faciant, non adhuc faciam, quod promisi. Indignum autem seipsum principatu Iudas ostendit: & propter hoc tunc loquens discipulis, non simpliciter eis promisit: neque enim dixit, Vos sedebitis: sed adiunxit, *Qui secuti estis me*, vt & hinc Iudam excludat, & eos qui postea futuri erant, attraheret. non enim ad illos solos dictum est: neque ad Iudam iam indignum effectũ. Hila. Sequela ergo Christi Apostolos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel, id est, duodecim patriarcharum gloriam copulauit. Aug. xx. de ciui. Dei. Ex hoc enim loco discimus cum suis discipulis iudicaturum Iesum: vnde & alibi Iudæis dicit: Ideo iudices vestri erunt: nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum ipso iudicaturos putare debemus. Denario quippe numero vniuersa quædam significata est iudicantium multitudo, propter duas partes numeri septenarij, quo significatur plerũque vniuersitas, quæ duæ partes, id est, sit tres & quatuor, altera per alterã multiplicatæ, duodecim faciunt. alioquin quoniam in locũ Iudę traditoris, Apostolum Matthiam legimus ordinatum. Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laborauit, vbi ad iudicandum sedeat nõ habebit: qui profectò cum alijs sanctis ad numerum iudicum se pertinere demonstrat: cum dicit, Nescitis quia Angelos iudicabimus? Aug. in lib. de pœnitentia. In hoc ergo numero iudicantium omnes intelliguntur, qui propter euangelium sua omnia dimiserunt, & secuti sunt dominum. Greg. x. Mora. Quisquis enim stimulo diuini amoris excitatus, hîc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit: vt simul tunc iudex cum iudice veniat: qui nunc consideratione iudicij sese spontanea paupertate castigat. Aug. xx. de ciui. Dei. De ipsis quoque iudicandis in hoc numero duodenario similis causa est: non enim quia dictum est, Iudicantes duodecim tribus Israel, tribus Leui quæ xiij. est ab eis iudicanda non erit: aut solum illum populum, non etiam gentes cæteras iudicabunt. Chry. super Matth. Vel per hoc quòd dicit, *In regeneratione*, præmittit Christus tempus Christianitatis futurum post ascẽsionem suam: quia scilicet homines regenerantur per baptismum: & illud est tempus quando Christus sedet in sede maiestatis suæ. Et vide quia non de tẽpore futuri iudicij dicit, sed de vocatione gentium vniuersarum: non enim dixit, *Cum venerit filius hominis sedens super sedem maiestatis suæ*: sed in regeneratione, cum sederit in sede maiestatis suę. Quod ex tunc fuit, ex quo gentes credere cœperunt in Christum, secundum illud psalmi. Regnabit dominus super gẽtes: Deus sedet super sedem sanctam suam. Et extunc apostoli sederunt super duodecim thronos, id est, in omnibus christianis:

omnis enim christianus qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri, & sic de aliis Apostolis: sedet ergo Apostoli in his thronis, id est, in duodecim partes distinctis secundum differentias animarum, & diuersitates cordium: quas solus Deus cognoscit. Sicut enim Iudæorum populus in duodecim tribus fuit diuisus, sic & vniuersus populus Christianus diuiditur in duodecim tribus, vt quædam animæ sint de tribu Ruben, & sic de aliis propter diuersas virtutes. Non enim omnes gratiæ in omnibus æqualiter sunt, sed vnus præcedit in ista, alius in illa. Et sic Apostoli iudicabunt duodecim tribus Israel, id est omnes Iudæos, per hoc quòd verbum Apostolorũ est à gentibus receptum. Omnes autem christiani, sunt quidem duodecim sedes apostolorum: sed vna sedes Christi. Christi enim omnes virtutes sunt, quasi vna sedes: quia in omni virtute æqualiter ipse solus perfectus est: vnusquisque etiam apostolorum in aliquo bono speciali fit perfectior, vt Petrus in fide: & ideo Petrus requiescit in fide, Ioannes in innocentia, & sic de aliis, & quòd de retributione Apostolis in hoc mundo danda Christus loquatur, demonstrat quod sequitur, *Et omnis qui reliquerit do. &c.* Si enim in huc seculo centuplum recipiunt: sine dubio & apostolorum etiam in hoc seculo merces futura promittebatur. Chry. in ho. Vel discipulis promittit futura, quia excelsiores erant iam & nihil præsentium quærebant, aliis autem quæ sunt hic repromittit. Orig. Vel aliter, Si quis reliquerit omnia & secutus fuerit Christum, quæ promissa sunt Petro, & ipse recipiet. Si autem nõ omnia reliquit, sed quædam quæ specialiter referuntur: hic multiplicia recipiet: & vitam possidebit æternam. Hier. Ex occasione autem huius sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, Tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam. quòd si in cæteris digna sit promissio, in vxoribus appareat turpitudo, vt qui vnam pro domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus igitur iste est, Qui carnalia pro saluatore dimiserit, spiritualia recipiet: quæ comparatione & merito sui; quasi paruo numero centenarius numerus comparetur. Orig. Sed in hoc seculo quia pro fratribus carnalibus multos inueniet fratres secundum fidem: sic & parentes omnes episcopos & presbyteros & filios omnes ætatem filiorum habentes. Sunt autem & angeli fratres & sorores omnes, quæ exhibuerunt se Christo virgines castas, tam istæ quæ nunc habentur in terris, quàm illæ quæ iam viuũt in cælis. Agros autem & domos multiplices, intellige in requie paradisi & ciuitate Dei: super hæc autem omnia possidebunt vitam æternam. Aug. xx. de ciui. Dei, hoc etiam quod hic dicitur, *Centuplum accipiet*, exponens quodammodo Apostolus, ait: quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Centum enim pro ipsa vniuersitate ponuntur aliquando. Hier. Quod autem dicit, *Et omnis qui reli.* congruit illi sententiæ qua dixerat, Veni separare hominem à patre suo. Qui enim propter fidẽ Christi ad prædicationem euangelij omnes affectus cõtempserint atque diuitias, & seculi voluptates, isti centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. Chry. in ho. Cum autem dicit, *Qui reli. vxorem*, nõ hoc ait vt simpliciter nuptiæ diuellãtur, sed vt omnibus præferamus fidei pietatem. Videtur autem mihi & persecutionis tempus occultè insinuare: quia enim multi futuri erant, filios ad impietatem trahentes, cum hoc acciderit, neque pro patribus, neque pro viris habeantur. Raba. Verum quia multi virtutum studia non eadem, qua incipiunt, intentione pietatis consummant: sed vel tepescunt, vel accelerare labuntur. sequitur: *Multi autem erunt pri. &c.* Orige. Per hoc exhortatur eos qui nuper accedunt ad verbum diuinum: vt festinent ad perfectum ascendere præ multis, qui videntur senuisse in fide. Potest etiam hic sensus destruere eos qui gloriãtur eo quòd christianis parẽtibus sunt enutriti in ipsa christianitate, neque pusillanimes fiant, quòd christianitatis dogmata nouissimè receperunt. Habet etiam alium intellectum, vt sint primi Israelitæ, qui facti sunt nouissimi, propter infidelitatem: gentes autem nouissimæ, primi. Cautè autem dicit, *Multi*: nõ enim omnes primi, erũt nouissimi: nec omnes nouissimi, primi. Adhuc autem multi hominum qui natura nouissimi sunt, efficiuntur per vitam angelicam quibusdã angelis superiores: & quidam angeli qui fuerunt primi, sunt nouissimi propter culpam. Remi. Potest etiam specialiter referri ad tristitiam diuitis, qui primus, videbatur legis præcepta implendo: sed quia terrenam substantiam prætulit Deo, nouissimus factus est. Sancti verò Apostoli nouissimi videbantur, sed relinquendo omnia per humilitatis gratiam, facti sunt primi. Sunt etiam plurimi qui post studia bonorum operum à bonis operibus deficiunt, & cum fuerint primi, fiunt nouissimi.

ORIGENIS PRESBYTERI de eodem Euang. Homil.

HOc poterit quis simpliciter interpretari, & moraliter. Qui ergo simpliciter vult intelligere, talia dicet. Sicut enim in datis non ipsum datum, sed affectum dantis aspiciens Deus iustificat, & melius suscipit parua dantem cum magno affectu, quam magna ex affectu modico: sicut manifestum est ex his, quæ scribuntur propter data diuitum magna, & duo minuta viduæ: sic & in his, qui propter Dei dilectionem dimittunt quæ possident, vt inseparabiliter Christum sequantur, omnia secundum verbum eius agentes: non magis acceptabilis erit, qui plura reliquerit eo, qui parua dimiserit. Ergo & si minima, & contemptibilia Petrus cum fratre suo reliquit, quando audientes, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum, statim relictis retibus, secuti sunt eum: sed non minima sunt æstimata apud Deum considerantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiam si multas habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquissent, nec ab eis vllo modo retenti fuissent, aut impediti ab impetu dilectionis huiusmodi. Et puto quod magis confidens Petrus de affectu suo, quam de ipsa quantitate rerum relictarum, fiducialiter dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Consequens est autem sentire, quoniam nõ solum retia, sed etiam domum, & vxorem forte reliquit, & filios, & possessiones quasdam, & si paruas. Magnum ergo aliquid demonstratur de Petro, & de fratre ipsius, quoniam audientes, Venite post me, & faciam *Est Homil. 9. in Matth.*

vos

vos piscatores hominum, nihil cogitantes statim relictis retibus, secuti sunt eum: nec sunt imitati eum qui dixit, Sed primum permitte mihi ire, & renunciare eis, qui sunt in domo: nec simile aliquid fecerunt ei, qui dixit, Permitte mihi primum vt sepeliam patrem meum. Et diligenter attende, quoniam honestissime percussi Christi præcepto, & promissionibus eius, & credentes quoniam modicam capturam piscium relinquentes, homines piscaturi fuerant ad salutem: statim relictis retibus, & quasi obliti suorum omnium, secuti sunt eum, vt digni efficiantur hac interrogatione, quam fecit dicens, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Obserua simul & hoc, quoniam occasio interrogationis huiusmodi ex illo facta est Petro, quod verbum Christi audiuit dicentis, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in in cœlis, & veni, sequere me. Deinde quia considerauit adolescentem cum tristitia abeuntem, quoniam præposuit multas possessiones habere in terris, quam esse perfectus in Deo, considerans quoque & difficultatem diuitum ingrediendi in regnum cælorum, ideo quasi qui ipse non facilem rem consummauerit, in eo quod vniuersa reliquit, & sequutus est Iesum, dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Propterea Petro fiducialiter ista dicendi, respondit promissionem istam maximam Christus, vt sit vnus de iudicibus illis. Quoniam autem verbi simplicitas non est satis idonea auditorem ingenij eminentioris placare, honestatem sensus in moralibus expositionibus considerantem, etiam hunc locum ita tradamus, quomodo hoc ipsum quod ait, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Retia cõtemptibilia reliquisse, vel pauperem domum, & vitam in paupertate doloribus plenã, non adeo magnum est, neque dignum tali discipulo, cui non caro, & sanguis reuelauerat esse Iesum Christum filium Dei viui, sed pater cælestis, cui etiã fuerat dictum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei. Ergo ne forte ea, quæ tradita sunt superius de verbis Christi dicentis, Vade & vende omnia, quę possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me, vtilia, & vera sunt in pręsenti. Petrus enim omnia reliquit, in quibus erat peccator. Propter quæ & dixerat, Exi a me, Domine, quoniam homo peccator sum. Et magna laus erat eius confidentis vt de cætero non peccaret, qui dixit, *Ecce nos reliquimus omnia,* & non solum mala reliquimus, sed *& te sequuti sumus.* Quod autem dicit, *& secuti sumus te,* potest dici secundum omnia quæ pater reuelauit Petro esse filium suum, secuti sumus te iustitiam, secundum quod iustitia es: secuti sumus te sanctificationem, secũdum quod sanctificatio es, & sapientia, & pax, & veritas, & via ducens ad Deum, & vita vera. Propter quod quasi victor athleta post luctamen Agonothetam interrogat, quæ sint pręmia certaminis huiusmodi, quæ adhuc nesciebat. *Quid vtique erit nobis?* Et nos si volumus percipere, quæ sunt Petro promissa, similiter omnia relinquamus, vt de cætero nulla teneamur malitia, neque aliquibus operibus eius, sed verbum Dei sequamur, vt dicatur & nobis, & omnibus sequẽtibus eum, quæ in sequentibus dicit, *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis super sedem maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Quod & ipsum & simplicem habet interpretationem exhortantem relinquere bona seculi propter Christum, & spiritalem, & altiorem. Qui ergo secundum literam vult intelligere, talia dicet, Non omnes dicit sequi Christum sermo, sed eos, qui tunc fuerunt Apostoli, & qui similiter eis secuti fuerant eum, secutos se appellauit. Posteriores autem manifestauit per illud, quod dixit, *Et omnis qui reliquerit fratres, aut sorores, & cætera.* Qui ergo secuti sunt Christum non quædam, sed omnia relinquentes, sedebunt super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Et hanc potestatem accipient in resurrectione mortuorum. Ipsa est enim generatio, & noua quædam natiuitas constituta, quando & cælum nouum, & terra noua creatur his, qui seipsos renouauerunt, & nouum traditur testamentum, & calix ipsius. Illius autem regenerationis præmium est, quod apud Paulum vocatur lauacrum regenerationis, & illius nouitatis mysterium est hæc renouatio spiritus. Et forsitan quidem secundum hanc natiuitatem nemo est mundus à sorde, & si vnius diei sit vita eius, propter natiuitatis nostræ carnalis mysterium, secundum quod ait Dauid ex persona omnium nascentium ex carne, & sanguine, Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Secundum regenerationem autem baptismatis, omnis quidem est mundus à sorde, qui renatus fuerit ex aqua, & spiritu, vt audacter autem dicam, mundus est per speculum in ænigmate. Secundum tertiam autem regenerationem, quando sederit filius hominis in sede gloriæ suæ, omnis, qui in illam regenerationem venerit, quæ est in Christo, mundissimus erit à sorde, & facie in faciem videbit, & ipse per lauacrum regenerationis veniens ad ipsam regenerationem. Si autem vis intelligere illud lauacrum, intellige quomodo Ioannes in áqua baptizans in pœnitentia, dicit de saluatore, Quoniam ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & in igne. In ista ergo regeneratione baptismatis consepulti sumus Christo, secundum Apostolum, per baptismum. In illius autem regeneratione baptismatis, quod erit in spiritu, & in igne, conformes efficiemur corpori gloriæ Christi sedentis in sede glorię suę, & ipsi sedentes super duodecim thronos, si tamen relinquentes omnia secũdum vtramque interpretationem superius factam magis autem iuxta secundam, secuti sumus Christum. Tunc autem cum filius hominis sederit in sede gloriæ suæ, implebitur prophetia, quæ dicit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et tunc oportet eum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos suos sub pedibus suis, donec nouissima inimica mors destruatur. Qua destructa, iam non erit mors ante faciem saluatorum, sed sola credita vita. Morte enim constituta ante faciem hominum, non creditur vita ab his, qui tenentur à morte, destructa vero morte, ab omnibus vita credetur. Tale aliquid positum est in lege ita, Posui ante faciem tuam vitam, & mortem. Item, Erit vita vestra suspensa ante oculos vestros, & non credideris vitæ vestræ. Sedebit autem filius hominis super sedem gloriæ suæ, cum nullus contemptibilis, & in glo-

rius fuerit in regno eius. Omnes enim tunc, qui gloriam ab hominibus non acceperunt, nec fecerunt aliquid, vt ab hominibus glorificarentur, sed gloriam solam, quæ ex Deo est, quæsierunt, segregabuntur ab eo, qui sederit super sedem gloriæ suę. Tunc implebitur oratio Christi, quam orauit, & dixit, Pater glorifica me ea gloria, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. Si autem potes intelligere verbum restitutũ postquam factus fuerat caro, & omnia, quæcunque factus est, secundum quod vnusquisque necessarium fieri habuit eum sibi vt omnes lucretur, & postea restitutum, vt fiat qualis fuit in principio apud Deum, Deus enim erat verbũ in gloria sua, quasi verbum videbis eum sedentem super sedem gloriæ suæ, quando non aliũ ab eo intellexeris filium hominis, qui secundum corpus homo existimabatur. Tunc autem, cum hæc in restitutione saluatoris fuerint facta, & qui reliquerunt omnia, & secuti sunt eum, sedebunt quasi conformes facti corporis, & sedis gloriæ eius super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Omnis enim vita iustorũ iudicabit tribus Israel, quæ non crediderunt, & iudicabunt Apostoli, & qui Apostolorum imitati sunt vitam, & iudicabunt generosos quidem propter quod sunt Israel, non autem egerunt digna genere suo. Forsitan autem quod dicit Apostolus, In vobis iudicabitur mundus, dicitur ad eos, qui venerunt ex gentibus, Quod autem dicit, *Sedebitis & vos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Dicitur ad Apostolos, & ad eos, qui Apostolicam imitati sunt vitam iudicaturos Israel, qui generosiores toto mundo habentur. Si quis ergo reliquerit omnia, & secutus fuerit Iesum, quæ Petro promissa sunt & ipse recipiet. Si autem non omnia reliquit, sed quędam, quæ specialiter inferius referuntur, hic multiplicia recipiet, & vitam ęternam possidebit, secundum quod ait, *Omnis qui reliquerit fratres, aut sorores, aut parentes, aut filios, aut agrum, aut domum propter nomen meum. centuplum accipiet, & in futuro vitam æternam possidebit.* Et hoc quidem quoniam habet non contemptibilem rationem, & secundum simplicem traditionem, exhortatoriam, ad contemnendam omnem carnalem cognationem, & omnem substantiam mundialem, omnis homo fatetur, quòd multi credentium Christo odio habiti sunt à parentibus suis, & elegerunt eos, & omnem substantiam spernere, vt vitam æternam possiderent, credentes quòd omnis, qui reliquerit fratres secundum carnem, & sorores corporis, & parentes carnales, aut filios carnis, & in terra maledicta agros, & domos in ea, & reliquerit propter aliud nihil nisi propter nomen Christi, multiplicia recipiet, & si oportet sic nominare, inæstimabiliter multiplicia spiritalia magis quàm carnalia. Et adhuc supra quòd multiplicia recipit, non in vita hac temporali, sed in illa vita æterna factus recipiet ea. Et multiplices quidem fratres, & sorores exponere facile est. Nã & in hoc seculo pro fratribus carnalibus, quos propter infidelitatem reliquit, multos inuenit fratres secundum fidem. Sic & parentes omnes irreprehensibiles episcopos, & presbyteros sine crimine constitutos inuenit quis patres, pro eo quòd reliquit infideles parentes. Similiter & filios omnes ætatem habentes. Quomodo autem intelligatur multiplices agros, vel domos quę reliquerit, inuenite, nõ similiter tradere possumus. Sunt ergo sicut existimo, & Angelis fratres, & sorores omnes, qui eis hibuerunt se Christo castas virgines, tam istæ, quæ adhuc in terris habentur, quàm illæ, quæ iam viuunt in cælis. Patentes autem quales dicti sunt Abrahæ. Tu ibis ad patres tuos in pace, nutritus in senecta bona. Si autem facti fuerint aliquando secundum illos patres isti aliorum patres multiplices recipiunt etiam natos. Agros autem, & domos multiplices intellige mihi in requie paradisi, & ciuitate Dei, de qua dicta sunt gloriosa, in cuius gradibus dignoscetur Deus, cum susceperit eam, vt dicatur ad eos, qui illic possident domos, Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. De qua dicitur, Distribuite gradus eius. Super hæc autem omnia vitam æternam possidebit.

S. HILARII EPISCOPI Pictauorum superioris Euang. expositio.

Rursum illi dictis Domini hæc reddunt: reliquisse se omnia, & cum ipso esse. Quibus Dominus, cùm sederit in maiestatis suæ sede, sessuros super sedes duodecim, ac totidem tribus Israel iudicaturos spopõdit: omnibusque qui vniuersa reliquerint propter nomen eius, fructum centupli præmij reseruatum. Multos autem ex nouissimis primos futuros, & ex primis futuros nouissimos. Multa sunt quæ non sinunt nos simplici intellectu dicta Euangelica suscipere. Interpositis enim nonnullis rebus, quæ ex natura humani sensus sibi contraria sunt rationem quærere cælestis intelligentiæ admonemur. Apostoli dicunt, & sequi se Christum, & se omnia reliquisse. Quomodo igitur fiunt tristes, & quomodo metuunt dicentes saluum esse neminẽ posse. Nãque & ab aliis fieri poterat, si quid fecissent ipsi. Deinde cũ fecissent quase metus vel vnde susceptus est? Additur etiã in responsione Domini, hæc apud homines impossibilia, possibilia apud Deum. Nunquid apud hominem impossibilia erant, quæ & Apostoli fecisse se gloriantur, & fecisse eos Dominus agnoscit: & deinceps plures vsque ad martyrij beatitudinem essent omnia relicturi? At nunquid est Deo quo egere possit: relictumque sit aliquid quod iactura rerum quas habeat sit sequẽdum, vt soli ipsi hoc facere possibile sit? Omnis itaque hic sermo est spiritualis. Apostoli enim spiritualiter audientes, neminem ex lege posse saluari, cum ipsi etiamnum in lege essent (Nam vehemens eos amor legis fauorque detinuit) hi igitur, nondum pœnitus Euangelici mysterij veritate comperta, metuunt neminẽ saluum esse posse sine lege: quia omnem salutem etiamnum in lege constituunt. Sed Dominus breui absolutaque ratione, eorundem & ignorantiam & metum soluit, dicens: *Hoc quidem impossibile est apud homines, possibile autem apud Deum.* Quid enim Iudæo tam sine effectu videtur: quàm vt ab homine magis salutem expetat, quàm ex lege? quàm vt in crucis scandalo legis fiat, & testamẽtum, & adoptio, & hæreditas negligatur? Quid autem Dei virtuti tam possibile est, quam vt per fidem saluet? vt per eam regeneret? vt per crucem vincat? vt per Euangelia adoptet? vt per resurrectionem

ctionem ex morte viuificet? Quibus auditis Apostoli cito credunt, seseque omnia reliquisse profitentur. Sed hanc eorum obedientiam cito Dominus remuneratur: omnē difficultatem superioris quæstionis absoluens, cum dicit. *Vos qui secuti me estis, in regeneratione iudicabitis duodecim tribus Israel.* Secuti in regeneratione sunt lauacro baptismi, in fidei sanctificatione, in adoptione hæreditatis, in resurrectione ex mortuis. Hęc enim illa regeneratio est, quam Apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit, quæ eos super duodecim thronos in iudicandis duodecim tribubus Israel, in duodecim patriarcharum gloria copulauit. Cæteris quoque contemptu seculi se sequentibus, centesimi fructus copiam pollicetur. Hic centesimus fructus est, qui in centesima oue cum cælesti lętitia expletur. Hic cētesimus fructus est, quem perfectæ terræ vbertas consequetur. Qui ecclesię honor iam in Sat. cognomento est destinatus: & iactura legis, ac fide Euangelica promerendus est. Atque ita ex nouissimis primos efficiendos, quia nouissimi efficiantur ex primis.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang. Homilia.

T*Vnc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Grādis fiducia: Petrus piscator erat: diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat: & tamen loquitur confidenter, reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere: iungit quod perfectum est: & secuti sumus te. Fecimus quod iussisti: quid igitur nobis dabis præmij? *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis: quod vos qui secuti, &c.* Non dixit, qui reliquistis omnia: hoc enim & Socrates fecit philosophus: & multi alij diuitias contempserunt, sed qui secuti estis me, quod proprie Apostolorum est atque credentium. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę: quādo & mortui de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis & vos in solijs iudicantium: condemnantes duodecim tribus Israel: quia vobis credentibus illi credere noluerunt. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, &c.* Locus iste cum illa sententia congruit in qua saluator loquitur: Non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem à patre suo, & matrem à filia, & nurum à socru: & inimici hominis domestici eius. Qui ergo propter fidem Christi & prædicationem euangelij omnes affectus cōtempserint, atque diuitias & seculi voluptates: isti centuplum recipient & vitam æternam possidebunt. Ex occasione huius sententiæ, quidam introducūt mille annos post resurrectionem, dicentes tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus & vitam æternam esse reddendam: non intelligentes quod si in cæteris digna sit repromissio, in vxoribus appareat turpitudo: vt qui vnam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro saluatore dimiserit, spiritualia recipiet: quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero centenarius numerus comparetur. Vnde dicit & Apostolus: qui vnam tantum domum & vnius prouinciæ paruos agros dimiserat. Quasi nihil habentes & omnia possidentes.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. in superius Euang. Homil. 1.

T*Vnc respondens Petrus: dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia &c.* Quænam sunt hæc omnia, quę te dicis, beatissime Petre, reliquisse? Arundinem vilissimam, retia, vniuersúmque piscatorum artificium, hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitione quadam, aut inani gloria, verùm vt pauperum plebem hac interrogatione introducam. Nam, quoniam à Domino dictum est; Si vis perfectus esse, vende, quæ habes, & distribue pauperibus, & habebis in cælo thesaurum: ne quis pauperum opinetur, non posse ad perfectionem se peruenire, quum non habeat, quæ pauperibus offerat: quærit Petrus, vt tu discas, nihil te minus propter inopiam habiturum: quærit inquam, Petrus, ne, si id à se perciperes, præsertim quum adhuc spiritus gratia non abundaret, ambiguitate perplexus iaceres, sed vt ab ipso eius magistro prolata sententia, firma spe roboreris. Nam, quemadmodum etiam nos pro alijs disputamus, sic Apostolus quoque ad vniuersorum commodum non dubitauit interrogare. A superioribus enim patet, nihil de seipso ambiguisse: qui enim ipsorum cælorum claues susceperit, quantò magis de cæteris, quæ in cælo sunt, confideret? Tu autem illud diligenter expēde, quàm exquisitè duo illa, quę Christus à diuite petiit, vt scilicet pauperibus substantiam distribueret suam, & Christum sequeretur, breuiter complexus est, dicens; *Reliquimus omnia, & sequuti sumus te*: ambo enim hæc facta iam erāt, & eo quòd omnia reliquerunt, sequi facilius potuerunt, & quoniam reliquerūt, confidere, atque gaudere ipsos admonebat, Quid igitur Christus respondet? *Amen dico vobis, quia vos qui sequuti estis me, &c.* An igitur & Iudas sedebit? Minime. Quomodo igitur in duodecim sedibus sedebunt, quomodo pollicitatio hæc adimplebitur? Attende quomodo, & qua ratione lex est à Deo per Hieremiam promulgata, in qua hæc continentur, Terminum loquar super gētem & super regnum, vt auferam, & perdam: &, si conuerterit gens illa à malis suis, me quoque pœnitebit à malis, quæ cogitaui eis facere. Et terminum loquar super gentem, & regnum, vt restaurem, & plantem: &, si nequitiam fecerint in conspectu meo, & non audient vocem meam, me quoque pœnitebit eorum bonorum, quæ facturum esse ipsis loquutus sum. Pariter enim, inquit, tam in bonis, quàm in malis id facere soleo. Si enim restauraturum me dixero, nō faciam scilicet, si quis indignum se hac pollicitatione præbuerit quod primò confestim homini accidit. Tremor enim vester, & timor, ait, erit super feras: quod econtrariò fieri videmus, quia videlicet indignum se homo tali præbuit principatu: sic etiam Iudas. Nam, ne punitionum terrore in desperationem nonnulli compulsi, duriores ad virtutem fiant, aut bonorum pollicitationibus in desidiam delabantur, vtraque ista per Hieremiam corrigit, dicens; Et, si minatus fuero, non diffidas: potes enim pœnitentiam agere, & sententiam meam, sicut Niniuitæ, conuertere: & si aliquod bonum promittam, propter promissionem non decidas. Non enim proderit tibi pollicitatio mea, si vitio te indignum feceris, imo verò

Ex Hom. 65. in Matth.

Hier. 18.

Iona 3.

maioris cauſa erit supplicij: nam ego dignis, & in eo, quod digni ſunt, perſeuerantibus, polliceor: propterea diſcipulos alloquens non ſimpliciter pollicetur. Non enim, *ſedebitis & vos*, ſolummodo dixit: ſed adiecit; *Qui me ſequuti eſtis*: vt & Iudam eijciat, & poſteriores attrahat. Nõ enim dictum ad illos eſt ſolos, neque ad Iudam, qui ſe indignũ eſfecit. Ita diſcipulis quidem magna pollicetur, dicẽs; *Super duodecim ſedes ſedebitis*. Sublimiores enim iam facti nihil è caducis rebus petebant. Cæteris autem hæc etiam præſentia pollicetur, dicens; *Quicunque dimiſerit fratres, aut ſorores, &c.* Certè, ne quis illud audiens, diſcipulis, vt maxima in futuro præmia conſequantur, datum ſolummodo credat; ea propter latiùs orationem produxit, & ad vniuerſum orbem pollicitationem extendit, ita vt à præſentibus futura confirmet. Sic & diſcipulis, quum imperfectiores à primis cunabulis adhuc eſſent, quę ad hanc vitã pertinent, offerebat. Nam quando à mari, & à piſcãdi artificio remouit, nullam cæleſtium fecit ſedium mentionem, ſed huius vitę præſtantiam commemorabat, dicens; Hominum vos faciam piſcatores: poſtquam verò ſublimiores fecit de cæleſtibus diſſerit. Quid autem eſt, quod dicit, *Iudicantes duodecim tribus Iſrael?* Nihil aliud profectò quàm condemnãtes: non enim in ſolio iudicandi ſedebunt, ſed quemadmodum reginam Auſtri, & Niniuitas condemnaturos generationem illam aſſeruit, ſimili quodammodo diſcipuli non gentes, non vniuerſum orbem, ſed tribus Iſrael cõdemnabunt. Nã, quoniam eiſdem & legibus, & inſtitutis viuendi tam Iudæi, quàm Apoſtoli educati fuerũt, quum Iudæi dicturi ſint; Idcirco ſe credere Chriſto nõ potuiſſe, quia mandata legis ſeruare iubebantur, diſcipulis in medium productis, à quibus & lex ſuſcipiebatur, & fides Chriſto adhibita eſt, omnes Iudæos cõdemnabit: propterea enim dicebat; Iudices veſtri futuri ſunt. Sed quid præcipui pollicetur ipſis, inquies? Si, quod Niniuitæ, & regina habebunt, id etiam diſcipuli poſſidebunt. Multa quoque alia in ſuperioribus iſtis obtulit, & in ſequẽtibus pollicetur, quamuis aliquid occultius in hoc etiam ſignificatur, maiora iſtos illis habituros: de illis enim ſimpliciter dicitur, quia viri Niniuitæ reſurgent, & condemnabunt hanc generationem: regina quoque Auſtri ſimiliter: de iſtis verò non ita ſimpliciter: ſed; *Quando filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebit, tunc & vos ſedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Vnde ſignificatur, quia tam regni, quàm glorię participes futuri ſunt. Si enim ſuſtinemus, inquit, ſimul quoque conregnabimus. Et ecce non conceſſum quidem eſſe ſedes ſignificauit, quum ipſe ſolus in ſolio iudicaturus ſedebit, ſed honorem, atque gloriam ineffabilem vocabulo ſedium ſignanter expreſſit. Verùm iſta diſcipulis dicta ſunt, cæteris autem vniuerſis æternam ibi vitam, & cẽtuplum hic pollicetur: &, ſi reliquis, multò magis Apoſtolis, quibus promiſſa contigiſſe in hoc ſeculo non ignoramus: qui, quum arundinem, & viliſſima retia reliquerint, omnia fidelium, qui prædicatione ſua crediderunt, imò verò eos quoque ipſos credentes in poteſtate habuerunt. Nam vel mori pro ipſis centies voluiſſent, vt Paulus teſtatur, dicens; Si poſſetis, etiam oculos veſtros mihi dediſſetis. Quum autem dicit; *Quicunque reliquerit vxorem*: non ſimpliciter præcipit dirimenda eſſe matrimonia, ſed, ſicut in ſuperioribus dicebat; Qui perdit animam ſuam inueniet ipſam: non vt noſmetipſos interimamus, neque vt animam noſtram violenter à corpore diſiungamus, ſed vt religionis pietatem cæteris omnibus anteferamus: ita de vxore quoque, ac fratribus intelligendum eſt. Mihi autem perſequutiones hic occultius ſignificare videtur: multi enim à parentibus filij, multi mariti ab vxoribus ad impietatem trahebantur: quę quum facere conarentur, ait, nec vxoris loco, nec parentis habeantur, quod & Paulus conſulebat, dicens; Si verò infidelis ſeparetur.

2.Tim.2.

Galat.4.

AVTHORIS IMPERFECTI IN *Matth.* eiuſdem Euang. *expoſitio.*

ECce ſubitò excitatur Petrus vnus de populo diuite, & ex perſona diſſicilè credentium Iudæorum, & clamabat quaſi teſtis potentiæ Dei factus: & confirmans Chriſti promiſſionem, & dicit. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Quoniam autem & ipſe Petrus, & omnes Apoſtoli, & cæteri credentium Iudæorum contra poſſibilitatem humanam per Dei potentiam crediderũt in Chriſtum, ipſe teſtatur dicens ad Petrum: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Sermo iſte conuenit ad omnes, vt ſingulis quibuſcunque dicatur: quoniam beatus es tu, quia non reuelauit caro, & ſanguis tibi, ſed pater meus, qui in cęlis eſt. *Ieſus autem dixit eis: Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Futurum autem erat, vt in die iudicij reſponderent Iudæi: domine, non recognouimus filium Dei in corpore conſtitutum. Quis enim hominum videre poterat theſaurũ in terra abſconditum, ſolem in nube celatum? Quis ſuſpicabatur ſtellam matutinam naſci ſuper terram? Quis putabat mulierem, quæ clauſit paradiſum, vt nemo intraret in eum, vt ipſa fieret prima porta paradiſi, vt per illam lux prodiret, per quam tenebræ intrauerunt? Ergo in iniuriam tuam non nos impulit contumacia cordis, ſed decepit conſideratio carnis. Vos reſpondebitis eis: Et nos homines fuimus ſicut & vos ſimilem habentes animam, eandémque carnis naturam, & in vno viximus mundo, eiſdem factionibus mundialiũ ſpirituum periclitantes, ipſis protectionibus Dei adiuti: in hoc etiam vos meliores fuiſtis nobis, quoniam nos fuimus homines peccatores, & ruſtici, & obſcuri in plebe, vos autem ſacerdotes, & ſcribæ, & principes populi. Nos illum cognoſcere potuimus homines peccatores & ruſtici, & vos cũ cognoſcere non potuiſtis ſacerdotes & ſcribæ, qui habebatis ſcripturas præ oculis veſtris quaſi lampades & ſemitas? Nos antequam mirabilia eius videremus, intelleximus eum: vos autem vel poſt teſtimonia cunctarũ virtutum intelligere nõ poteratis? Quomodo poterat fieri, vt penè tota gens ignoraret, quem duodecim cognouerunt? Eſto, quia non ei credidiſtis, neſcientes eum filium Dei, qua cauſa interfeciſtis eum, nullam culpam inuenientes in eum? Sed in nobis bona voluntas facta eſt quaſi lucerna ruſticitatis noſtræ, in vobis autẽ mali

Ex hom. 15. in Matth.

Matth. 16.

Matth. 19.

Sap. 5.

malitia facta est quasi caligo scientiæ vestræ? Adhuc autem audeo & subtiliorem introducere sensum, & sententiam alterius sapientis viri referre. Exponit eam sic: Quoniam sicut Iudæorum populus in duodecim tribubus fuit diuisus: sic & vniuersus populus Christianus diuisus est in duodecim tribus, secundum quasdam proprietates animorum & diuersitates cordium, quas solus Deus discernere & cognoscere potest: vt quædam animæ sint quasi de tribu Ruben, quædam autem de tribu Simeon, vel Leui, vel Iuda. Puto enim quia omnes sancti, quinque virgines prudentes esse dicuntur, quamuis sint innumerabiles, propter quinque sensus spiritales: & omnes peccatores, quinque virgines fatuæ, quamuis innumerabiles sint, propter quinque sensus carnales. Et sicut omnes ecclesiæ Christi septem ecclesiæ dicuntur propter septem spiritus, quãuis sint multæ. Omnes enim, quibus præ cæteris virtutibus abũdantior est sapiẽtiæ virtus, vna habetur ecclesia. Item in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est intellectus: altera dicitur ecclesia, & sic per singulos spiritus tractans inuenies septem ecclesias. Similiter & propter gratias duodecim, quas in persona duodecim virginum exponit angelus in pastore: si tamen placet illa scriptura omnibus Christianis, inueniuntur duodecim esse tribus, vtputa omnes animæ, in quibus præ cæteris virtutibus præcellit virtus veritatis, vna est tribus. Nec enim omnes gratiæ æqualiter in omnibus sunt, sed vnus quidem amplius præcellit in ista, alter vero in illa. Omnes autem Christiani in quibus habitat Christus, sedes sunt Christi. Quod ergo ait: *In regeneratione quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, & vos sedebitis super duodecim thronos*: promittit eis tempus Christianitatis futurum post ascensionem suam, quando omnes suscipient verbum Apostolorum in se sicut verbum Christi: Istud est enim tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptismum facti sunt ex filiis hominum filij Dei. Illud est tempus, quando Christus sedet in sede maiestatis suę, sicut testatur propheta de gentium fide futura: Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Nos putabamus, quia de die iudicij hoc dicit. Quicunque enim Christum credendo in se suscipiunt, sedes sunt maiestatis eius. Et vide quia non de tempore futuri iudicij dicit, sed de vocatione gẽtium vniuersarum. Non enim dixit, Quum venerit filius hominis, sedetis super sedem maiestatis suę: sed ita, *quum sederit in sede maiestatis suæ*: In sede autem maiestatis suę, ex eo cœpit sedere, ex quo gentes credere cœperũt in eum. Ex quo ergo Christus sedit super sedem maiestatis suæ, ex eo & apostoli sederunt super duodecim thronos: id est, in omnibus Christianis secundum diuersitates animorũ, quas supra tetigimus. Omnis enim Christianus qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri, & Petrus sedit in eo, sic & omnium Apostolorũ throni sunt, qui omnium apostolorum doctrinam susceperunt & tenent in se. Hanc interpretationem de diuersis tribubus populi Christiani, & de sessuris apostolorum in sedibus commendat Propheta dicens: Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum: Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel: quia illic sederunt in iudicio sedes. Si ergo Hierusalem, quæ ædificatur, ecclesia est, sine dubio & qui ascenderũt illuc tribus, Christianorũ sunt tribus, & sedes qui sedebũt illic, Apostoli sunt: Apostoli enim sedes Dei sunt. Nec modica gloria est apostolorum, vt sermones eorum sedeãt in hominibus fidelibus, sicut Christi sermones: & in sermonibus eorum vita omnium consistat, sicut in sermonibus Christi. Sic ergo sedentes Apostoli in thronis Christianis, in duodecim partes disiuncti secundum differentias animarum, iudicant duodecim tribus Israel, id est omnes Iudæos. Quando enim per verbum apostolorũ, quod est in nos iudicare videtur Iudæos: quando autem verba Apostolorum indicant Iudæos, & ipsi Apostoli iudicare eos videntur. Sed videndum est, si omnes Christiani & Apostolorum sunt sedes, & Christi: quare omnes Christiani in persona quidem Christi quasi vna sedes dicuntur. Nec enim dixit. Quum sederit filius hominis super sedes suas: sed, *super sedem suam*. In persona autem Apostolorum, duodecim throni esse dicuntur omnis populus Christianus. Vide si habet rationem ista solutio, quoniam omnes apostoli omnia quidem bona habuerunt. Non autem omnia ad perfectum, sed vnusquisque eorum in aliquo bono priuato perfectior fuit quàm alter: vtputa Petrus in fide perfectior quam cæteri. Ioannes autem in innocentia simplicior quam cæteri: & sic solus potest discernere Christus, qui animarum differentiam nouit. Ideo Petrus requiescit in fide, Ioannes requiescit in innocentia: & vniuscuiusque Apostoli virtus illa est, in qua perfectior cæteris fuit. Christi autem omnes virtutes quasi vna est sedes, quia in omni virtute ille ęqualiter solus perfectus est. Nam quoniam de retributione in hoc mundo Apostolis danda loquitur Christus, illud est testimoniũ quod sequitur hoc modo dicens *Et omnis qui reliquerit hoc & hoc, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Id est, non solum vos, sed & omnes qui secuti fuerint me, sicut vos. Si ergo omnes in hoc seculo centuplum accipient, recipient sine dubio & Apostoli etiam in hoc seculo, quibus merces futura promittebatur. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, &c.* Quoniam Petro interrogante ex persona Apostolorum, cæterorúmque fidelium Iudæorum, quasi priori omnium Christus ita promisit, non soli Petro, sed Apostolis omnibus, ne forte postmodum legentes homines hæc Christi promissa, æstiment tantum Apostolis, vel Iudæis promissa, vtiliter superadit dicens: *Et omnis, qui reliquerit*, id est siue Iudæus, siue Gentilis. Et in aliis quidem Euangelistis secundum aliud expofuimus intellectum. Hic autem secundum quod adulescentem illum proposuimus in mysterio Iudaici populi esse, & ipsũ Petrum interrogantem in mysterio credentium populorum, interpretatio huius loci conuenit talis, vt de Gentibus relinquentibus omnia, quæ Gentilium sunt, & ad fidem Christi conuenientibus omnia ista trahamus. Et omnis non solùm Iudæus, sed etiam Gentilis, qui reliquerit patrem suum diabolum, & matrem suam ignorantiam, per quam assiduè diabolus ea semine interdicti erroris generat filios, aut fratres, aut sorores, videlicet eiusdem erroris socios sociásque, Aut si reliquerit ille, qui fuit sacerdos idololatriam ipsam coniugem suam, per quam quotidie generabat filios & filias, & ipsos pariter cum matre eorum relinquens. Aut si alicuius professionis magister relinquens

Habetur hic liber inter Apocryphos.

Psal. 46.

Psal. 121.

Scripsit & in aliis euangelistas.

linquens ipſam profeſſionem, quaſi agturo ſructiferum credat in Chriſtum: aut dignitatem ſecularem, quaſi domum optimè ſe adumbrátem deſpiciat propter fidem. Sed & ſecundum traditionem ſimplicem conuenit intellectus: vt quum quis intellexerit quocunque modo, filium Dei eſſe Chriſtum, non propter affectus parentum ſuorum, aut fratrum, aut filiorum, aut poſſeſſionum relinquat Chriſtum, manens in perfidia ſua priori, ſed propter fidem Chriſti diſpliceant omnia illa, & ſequatur Chriſtum, cẽtuplum accipiet. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia centuplum in hoc ſeculo quomodo recipere poteſt? Hæc autem difficultas contigit, quia in hoc ſeculo recepturos dicit aliter Euangeliſta, alioquin in illo ſeculo non eſt difficile. Ergo ſecundum ſanam doctrinam ita nos conuenit intelligere quod dicit. *Centuplum accipiet*, nõ vt ipſam rem, quam dimittit, centuplum accipiat. Nec enim poſſibile eſt, quod patrem, aut matrem relinquens centum patres, aut matres recipiat: ſed ita tãtam gloriam, tantam gratiam, tam mirificam beatitudinem conſequetur, vt centuplum valeat illi, quàm res fuit, quam dimiſit. Ecce qui reliquerit patrem, & elegerit patrem Deum, imò ei plus quàm centuplum conſtat recepiſſe, quam pater carnalis, vt illi obſequatur diebus, ac noctibus, illius faciat voluntatem, illius expectet hæreditatem: qui poſtquam ſubſtãtiam ſuam tradiderit ſuis, nunquam moritur, ſed nec relinquet filios ſuos orphanos: ſed & filij quaſi perfecti viri poſſident diuitias eius: & pater ſemper illos ſcrutatur, ſic protegit quaſi infantes. Qui matrem relinquit, vt diligat magis matrẽ eccleſiam, nónne ei plus eſt centuplum, quàm mater carnalis: Illa enim carnem eius peperit corporalem, hęc autẽ animã eius regenerauit æternã. Qualis caro, talis & mater carnalis. Quũ enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis eius, & ſoluitur generationis affectus. Ex illa enim nec ille filius: nec illa illi mater: quia anima nec generat, nec generatur, & nullũ cognoſcit patrẽ, niſi eum cuius voluntate creata eſt, nullã cognoſcit matrẽ, niſi eccleſiã, quæ illam generauit in fide, quæ dedit ei mandata diuina ex duobus teſtamentis, quaſi eſcam ſalutarem dulciſſimi lactis, ex duabus mamillis, quæ illi de aqua, & ſpiritu texuit tunicam immortalem, quæ ad perfectum ſanctitatis adduxit, vt digna fieret patris ſui ſubſtantiam poſſidere. Qui reliquerit fratrem, vt habeat Chriſtum, nónne melior eſt ei quàm centum fratres, qui fratribus ſuis non inuidet, qui ſuper hæreditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectus, qui nõ ſolum omnia ſua, ſed etiam ſeipſum dare paratus eſt: qui quum omnia dederit, nihil ei minuitur. Nam humana ſubſtantia ſemper pauper eſt, & quantumuis homo habuerit, nihil ſe putat habere. Illa autem ſubſtantia ſola vera eſt, quæ omne deſiderium ſatiat, & adhuc ſuperabundat. Qui relinquit ſorores, ſtatim eum ſuſcipiunt gratiæ Dei, quaſi chariſſimæ ſorores. Non enim vlla ſoror ſic dulciter complectitur fratrem ſuum, quomodo gratię Dei complectuntur animam ſanctam: nam quoties gratiæ Dei in ſenſibus noſtris hærent, & delectant nos, quoties animas noſtras complectuntur, quaſi oſculari videntur. Si filios dimiſerit, prouidet illi Deus filios ſpirituales quos doceat, quos erudiat, quibus dicat Apoſtolica voce: Nam in Chriſto Ieſu per

1.Cor.4.

Euangelium ego vos genui, qui patris mortem non expectant. Nam filij carnales, ſi modicum pater eorum fuerit ſenex tædiantur de vita ipſius, deſiderant eum mori: & ſi citò mortuus non fuerit, contemnunt eum quaſi delirum. Filij autem ſpirituales quanto perfectiores fuerint in fide, tanto amplius diligunt doctorem ſuum. Si dimittit ſubſtãtiam, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, à quibuſdam autem & timetur. Nam ipſe Deus, cui ſe tradidit, dat ei gratiam coram omnibus. Nónne melius eſt ei hoc, quàm vniuerſa terra? Aut quæ ſubſtantia præſtat homini tantam gloriam ſuper terram, quanta eſt opinio ſanctitatis? Adhuc pro ſubſtantia terrena datur ei ſubſtãtia ſpiritualis, quàm iunior filius & laſciuus accepit à patre ſuo, & conſumpſit viuendo luxurioſe, id eſt, ſapientiam, ſcientiam, cæteráſque virtutes innumerabiles, quas conſequuntur, qui relictis facultatibus mundialibus, ſe tradiderunt Deo. *Multi enim erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Prima enim ſynagoga vocata fuerat ad ſalutem, ſed illa infidelitatis vitio ægrotante, in domo patris ſui, id eſt legis, eccleſia ſurgens de infirmitate peccatorum ſuorum occurrit ad Chriſtum, vincens fide languorem, & ſic tranſmiſſam gratiam ſynagogę pręripuit. Synagoga autem videns eccleſiam non ſolùm ab infirmitate ſua ſanatam, ſed etiam accepto Spiritu ſancto filiã Dei factam, acceſſit, & ipſa ad Chriſtum, magis zelo vrgente quàm fide, ſicut dicit Apoſtolus: ſed eorum delicta ſalus Gentibus vt illos ęmulentur, Sic ſynagoga quæ primo loco vocata eſt ſecundo credidit. Eccleſia quæ ſecundo vocabatur, ſalutis primitias obtinuit apud Deum.

Luca 15.

S. BERNARDI ABBATIS

Claraeuallenſ. de verbis Euang. ſuperioris, Sermo.

Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Fidelis Sermo, & dignum omni acceptione colloquium Simonis Petri & Ieſu. Familiaris ſiquidem & amica ſaluti obedientia eſt, ſed obedientia firma & ſtabilis, quæ fundata eſt ſuper petram. Melior eſt enim obedientia quàm victimę: & acquieſcere nolle, vt peccatum hariolandi eſt. Vnde & vitæ quoque ipſe ſaluator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere. Poſtremò & ipſum nomen Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen, & in quo flectitur omne genu, Apoſtolo teſte, obedientiæ remuneratio eſt. Libet proinde ſacratiſſimo huic intereſſe colloquio, & intima cordis aure percipere quæ dicuntur. Arbitror enim verba lectionis huius ea eſſe de quibus ad immortalẽ ſponſum à finibus terræ clamat eccleſia: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Hæc nempe ſunt verba quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & volũtariam perſuaſere hominibus paupertatem. Hæc ſunt quæ monachis clauſtra replent, deſerta anachoretis. Hæc, inquam, ſunt verba quæ Ægyptum ſpoliant, & optima quæque eius vaſa diripiunt. Hic ſermo viuus & efficax, conuertens animas felici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli. Dixit enim Simon Petrus ad Ieſum: *Ecce nos reliquimus omnia.* Bene, optime, & non

Matth.19. 1.Reg.15. Philip.2. Pſal.16. Exod.12.

non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit, & concupiscentia eius, & relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Psal. 18.* Nimirũ quia exultauit vt gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poteras oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam & simul cum eo donantur omnia, & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim, non tantùm possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Plus enim concupiscentia mundi quàm substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa diuitiarum præcipua est, quòd aut vix aut nunquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem & glutinosa nimis nõ modo exterior, verumetiam interior substantia nostra videtur, & facilè cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret. Age ergo qui relinquere vniuersa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. Imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eũ qui exinaniuit propter te semetipsum, pone grauissimam sarcinam, pone asinariam molam, ternenam molem, pone illa quinque non hominum plane iuga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioquin sequi sponsum, & venire ad nuptias spirituales quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate nõ poteris, sed & si nouissime veneris & pulsaueris, minime profectò aperietur tibi, sed respondebitur de intus, quòd non sit de bobus & asinis cæterisque iumentis in spiritibus cura Deo. *1. Cor. 9.* An vero comparatũ iumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi iuga emerit iumentorum, nisi quòd eo sane ipsis quoque iumentis cõuincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quòd iuga necessitatis earũ propria ipse subeat voluntate? Quod enim illis natura est, huic culpa: dum tanquam vnũ ex his quæ ratione carent, sine ratione degens & ipse, sub corporeis similiter sensibus incuruatur. Sed quid eum iuga subiisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. *1. Timo. 5.* Dignus est operarius mercede sua: nã vt mercedem pro opere tribuat, inauditum. Denique loquitur super hoc verbo dominus per prophetam, sub typo mulieris fornicariæ scelera arguens Israelis: *Ezech. 16.* Omnibus, inquit, meretricibus dãtur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & donabas eis vt intrarent ad te vndique ad fornicãdum, factúmque est in te contra cõsuetudinẽ mulierũ in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio. In eo enim quòd dedisti mercedes, & non accepisti, factum est in te contrarium. Plane & in eo qui iuga emit, contrarium fieri manifestum est. Quid enim iuga emit, & iuga boum, cui iugum suaue gratis offertur? Nam iugum Christi, iugũ hominis est, siquidem & Christus homo. Nec modo gratis tribuitur, sed & copiosa his qui tulerint illud, remuneratio est, vt à nemine non dico emi, sed gratis sustineri queat. Quid ergo miser pro iugo boum distrahis animam tuam, qui iugum Christi suscipiens, emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Nam sine iugo interim esse non potes, homo nimirum qui natus es ad laborem. *Iob 5.* Sed graue iugum super omnes filios Adam, vtique *Eccl. 40.* qui sequuntur eum. *Matth. 11.* Nam super eos qui Christum sequuntur, leue est & suaue. Postremò vt cætera sileam, cum sine iugo esse non possint, quale hoc ipsum est eligere potius quinque quàm vnum? Quis enim potest seruire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus? *Thre. 3.* Siquidem oculus meus deprædatur animã meam. An non sæpe aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odoratus & tactus diuersa imperant, interdum forsitã & aduersa, dum vterque communem sibi gestit præripere seruum, & trahit sua quemque voluptas. Vides excusationem hominis qui propterea Christum non sequitur, propterea se excusat à nuptiis, quòd iuga boum emerit quinque. *Luc. 14.* Quid si eorum laborem & dolorem consideres, si numeres iuga, qui variis seruiunt vitiis morum, magis quàm corporum sensibus? Erit profectò inuenire iam homines qui multo magis in labore hominum non sunt, sed lõge amplius aliena ab homine flagella sustineãt. Erit inuenire ementes non modo quinque, sed plusquam quinquagintaquinque non plane iumentorum iuga, sed dæmonum. Contẽdunt ambitio & elatio cordis: altera nidum, altera foueam parat. Volare altera iubet, repere mouet altera, cum neutrum profectò sit hominis. Quis enim es tu, ait hæc, quis vero ille vel ille est, aut quæ domus patris eorum, vt eis in aliquo cedas, vt reuerearis eos, vt aliquatenus eis blandiaris? At bonus sermo bonum inuenit locum, ait ambitio, & interdum quoque qui prodesse non potest, potest obesse: vnde dissimula: primum viuum bonum pone, donec veniat hora tua. Auaritia quoque & appetitus laudis sibi inuicẽ aduersantur, & quod hæc congregat, hic dispergit. Nec minus contraria sunt quæ simulatio & pusillanimitas suggerunt impudentiæ, impatientiæque clamoribus, & vtraque labor & dolor, & afflictio spiritus. Hęc autem omnia, similiáque ac dissimilia mala, ex vna radice pullularunt, propriç scilicet voluntatis. Huius enim sanguisugæ duç sunt insatiabiles filię, clamantes, affer, affer. *Prou. 30.* *Eccl. 1.* Siquidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur, vt scriptum est, Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti. Hæc enim omnia trahit ad se. Pone hãc, & iugum tam importabile quàm multiplex abiecisti. Non est enim Dominus crudelis ad illam, non est tyrannus tam impius & inhumanus sic vrgens seruulum, & non parcens. Fatigatum magis instigat, subditum premit durius. Inquietum malũ, quod spiritui semper incubans, inexcogitabilia meditatur. O custos hominum, *Iob. 7.* quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Nullum mihi onus importabilius, nulla grauior sarcina est. Factus sum mihi *Zach. 5.* talentum plumbi, & resedit iniquitas super illud. Sed audiam vocem solatij, audiam quid loquatur magni consilij angelus. Venite, inquit, ad me *Matth. 11.* qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiẽm animabus vestris. Verùm hæc alias. Inuenient forte in nouissimis locum sibi. Interim sane felices liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur dominum expediti. Arctissimum enim nos foramen expectat. Si quem sequimur, consequi volumus, per angustam contendamus ingredi portam necesse est. Quid tu camele gibbum, quid tu pecuniosè proditoris loculos tollis? Nõ sic impie,

non

non sic ingredieris. Foramen acus, huiusmodi sarcinas non admittit. Excusant aliqui fortasse dicentes, Abraham, Isaac, & Iacob, cæterique sancti nunquid nō terrenas diuitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt, neque enim sumus nos patribus meliores. Si culpabilis esset possessio diuitiarum, nunquam illi in diuitiis tantam à domino gratiam obtinuissent: aut tantam gratiam consecuti, diuitias nihilo minus possedissent. Quid respondebimus nouis imitatoribus sanctorum veterum? Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit, & hic ritus patrum, quibus non modo meliores non sumus, sed ne digni quidem soluere corrigiam calceamentorum eorum. Sed hæc, inquiunt, statum vltra non habent, vbi reuelata est veritas transiere. Quid si ipsas quoque sanctorum diuitias tempo-
1. Cor. 10. tales, vmbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique quid ni terrenas palam diuitias possiderent sancti & perfecti viri, cum sola adhuc terrena palam promitterentur à Deo? Sicut enim sacrificiis illis, sic & diuitiis, carnalibus adhuc populis dispensatio diuina morem gerebat, nimirum vt tanquam paruuli paulatim à gentilium secederent ritu, eadem quæ gentes dæmoniis, Domino immolantes, eadémque & illi, sed à Domino, non à dæmoniis expectantes. Vbi sanè cælestis promissio sonuit, spiritualia iam necesse est spiritualibus comparari, & mutari sacrificium spe mutata. Nouerant hæc quicunque vel eo tempore fuere perfecti, sed ex charitate populo cohærebant, vt in manifesto quidem & agere eadem, & eadem quærere viderentur. An forte violenta videtur extortio quod de vmbra dicimus & significatione? Olim alter super hæc scripserat in hunc modum: Nullus mihi opponat aurum templi Iudæorum. Tunc enim hoc fuit, quādo sanguis immolabatur, quod totum figura fuit. Aurum ergo repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum: aut si aurum placet, placeant & Iudæi. Postremò non multos legisse me recolo aut non afflictos grauiter, aut nō grauiter in ipsa seculi huius prosperitate tentatos, forte & periclitatos. Nimirum longe aliud est in luto aquarum multarum diuisi fundo maris iter carpere, terrena licite possidendo: aliud ipsam quoque nouis gressibus vndam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur, Petro nouum iter & noui typus itineris seruabatur. Antiquorū sane patrum diebus, donec in terris videretur & cōuersaretur inter homines dominus maiestatis, non erat euangelicæ forma perfectionis, sed spiritum domini solo interim spiritu sequebantur. At
Ioan. 1. vbi verbum caro factum est, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam cor-
Gen. 32. poraliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non vlterius cum patriarcha Iacob altero fœmore claudicemus. Vbi enim audiuimus quia dictū
Luc. 14. fit antiquis: Nisi quis renūciauerit omnibus quæ
Ibid. 18. possidet, nō potest meus esse discipulus? Et item. Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me? Neque id dicimus tanquam saluari quis vel hoc tempore nequeat si secus egerit, sed vt gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium nō vsurpet. Habent euangelia & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. Nolite thesauri- Matth. 6.
sare vobis thesauros in terra, hæc perfectio est. Si- Luc. 9.
quidem filius hominis vbi caput reclinaret non Act. 3.
habebat. Petro & Ioanni nec argentū nec aurum erat. Paulus victu simplici vestitúque contentus, hæc ipsa labore manuū acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. Quid dicitur populo? Facite vobis amicos Luc. 16.
de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Verba domini sunt, & quod loquitur, tale est. Firma equidem 1. Tim. 6.
stat immobilísque sentētia, eos qui volunt in hoc seculo diuites fieri, incidere in tentationem laqueúmque diaboli: sed quia misereor super turbam, & ipsum quoque camelum (quod homo nō potest) per foramen acus traducere possum. Cauete saltem à verbo aspero, qui laqueum venantium minime declinatis. Vestite nudum, egenum alite, visitate infirmum, ne forte audire contingat sermonem durum, asperum verbum, auditionem malam: Ite maledicti in ignem æternum, qui pa- Matth. 25.
ratus est diabolo & angelis eius. Facite vobis ami- Luc. 16.
cos de mammona iniquitatis. Ac si manifestius Luc. 6.
dicat: Væ vobis diuites, qui habetis consolationē vestram. Attamen vnum iam superesse videtur: Communicate eam pauperibus, quorum est regnum Dei, vt cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula sua: & cōsolationem suam, quam modo pendentes expectant, dùm vestram ipsi præcipitis, misericorditer communicent desolatis. Mensuram Ibidem.
enim bonam & coagitatam supereffluentem da- Esa. 28.
bunt in sinus eorū: nec erit illud pallium breue, quod duos operire non possit, aut stratum coangustatum, vnde decidat alter. Hinc est quòd dotatas & ditatas videmus Ecclesias à potentibus & diuitibus huius seculi, qui in operibus bonis diuites, iuxta Euangelij admonitionem amicos sibi Luc. 16.
facere studuerūt de mammona iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula recipiantur. Quidni sperarent ab his recipi qui claues videntur habere? Sed heu, data est ipsa prouidentia eorum in occasionem carnis, & qui sibi pariter atque aliis in cælo tabernacula æterna parare debuerant, in terra coniugūt domum ad domum, & agrum copulant agro. Quis rapuit ab ore Apostolorum temporis huius verbum gratiæ, fiduciæ verbum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Ecce Matth. 19.
enim vt populus, sic sacerdos. Similiter volunt in Esa. 24.
hoc seculo fieri diuites, similiter imò abundantius suam hic præripiunt consolationem. Similiter amicis egent & ipsi vt in aliena saltem tabernacula suscipiantur, vtpote propria non habentes. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum Matth. 5.
est regnum cælorum. Cæterum hominibus qui perfectionis obtinent locum, dignitate pollent, auctoritate præeminent, funguntur officio, an inter hæc infirmitatis & imperfectionis quā vsque adeo diffitentur, liceat saltem sperare remedium, ipsi hinc quoque sint iudices. Nam quòd minime deceat, manifestum est, nobis sane liceat vel audire dicentem. Si sal infatuatum fuerit, in quo salie- Ibidem.
tur? Ad nihilum valet vltrà nisi vt mittatur foras, & conculcetur. Sed & presbytero cui forsitan derogare timebunt, quoniam sanctus est, vti liceat solita spiritus libertate, nulli blandiri, palpare neminem,

minem, sed nudè nudam promere veritatem. Clericus, inquit, qui partem habet in terra, non habebit partem in cælo. Itémque clericus si quippiã habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus, verbi gratia si aurum, si argẽtum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis dominus pars eius fieri non dignatur. *Psal. 72.* Videtur & sanctus Dauid cauterio graui inurere quosdam, ipsi videsint quos hæc parabola tangat. In labore, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabũtur: ideo tenuit eos superbia: Habẽt enim singula quæque genera hominũ laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed aduertere est prudentiam aliquorum, & mirari quemadmodum nouo inter hæc artificio discernentes, & abinuicem sequestrantes ea, totum quod delectat eligunt & amplectuntur: quod molestum est, fugiunt & declinant. Cum militibus nempè superbiæ fastus amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæque frequentant, aliqui forte & dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atque gloriam vestium à mulierculis mutuantur. Cauté omnino loricæ pondus, & insomnes in castris noctes, incertáque discrimina præliorum, muliebrem quoque verecundiam & disciplinam, aut si quid aliud sexus ille laboris habere cernitur, declinantes. Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, & qui inter hæc torpent otio, accedente fructuum tempore innouari sibi horrea iubent, & promptuaria eorum plena, *Deu. 32.* vtinam non præ illis, vtinam vel cum illis: viuunt tritico, bibunt vuæ sanguinem meracissimum: parum est, impinguantur & dilatantur adipe frumenti. Herbarum viribus peregrinum mutuantur vina saporem, & additur oleum camino. Sed cõsidera & negotiatores. Circumeunt mare & aridam, in labore corporis, & periculo vitæ perituras sibi diuitias congregantes. Dura sunt hęc: caueant prudentes nostri: dulces interea capiant somnos, ne dicam in stratis lasciuiãt suis. Erit tamẽ inuenire in die festo graues vasis aureis & argenteis ministrorum dextras, refertas variis opibus manticas, perticas oneratas, & in scriniis sam multiplices loculos, vt si mensas adhibueris, nummularios putes. Quid fabros aut cœmentarios cæterósque eiusmodi operarios necesse est numerare? Victum sibi multo labore quærunt, illi madent delitiis, copiis affluunt otiosi. An non meritò tales Poëta subsannet,

Horatius lib. 1. epist. 3.

Ne cum forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus?

Magis autem magnus ille propheta & plus quàm propheta terribiliter increpat dicens, *Luc. 3.* Genimina viperarum, quis demõstrauit vobis fugere à ventura ira? Vbi enim sunt pœnitentiæ fructus? Cum cœperint resurgere homines vnusquisque in ordine suo, vbi putas generatio ista locabitur? Si ad milites fortè diuerterint, exsufflabunt eos, quòd minimè secum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ, sic negotiatores, & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, vtpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi vt quos omnis ordo repellit pariter & accusat: eum sortiantur locum vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat? An forte ad electionem clerici audeant aspirare? Magnus enim verè eorum locus in regno Dei, & bonum sibi, sed qui benè ministrauerint, gradum acquirunt. Cæterum suus & ipsis nec modicus labor esse videtur, & dicebat qui plus omnibus laborauit, Qui non laborat, non manducet. *2. Thes. 3.* Et Petro dictum est, Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. *Ioan. 21.* Idémque tertiò repetitum. Tertiò dictum pasce, nec mulge seu tonde vel semel additũ est. Speret ergo discipuli locum, gradum ministri, qui dominicum pascere gregem satagit, quàm tõdere: pascere verò tripliciter, exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Et pascere ad mandatum Christi, vt nemo sibi hunc sumat honorẽ, sed qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron. Per eum nempe si quis introierit, saluabitur, & inueniet pascua. Si vero ascenderit aliũde, plane fur est & latro. Atque vtinam vel quæratur iam inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Nemo tamen indignetur nobis, aut moleste accipiat quæ dicuntur. Si sanctus est, & minimè sibi conscius horum, congratulamur ei: doleat & ipse nobiscum in pluribus hæc inueniri. Nec enim reuelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, vt abominatio maior appareat: *Ezech. 12.* nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum, quamuis & hęc in multis etiam & multipliciter regnet, qui putatis auctori, impuro corde & corpore ministrantes, nõ verentur stare angelũ Domini, qui secet medios & disperdat, *Dan. 13.* sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine saluatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, prôh dolor, meretricias attrectarunt, sic altaria circuire, sic frequentare Psalmos, cum & eiusmodi laus execrabilis, & oratio fit in peccatum. *Psal. 108.* Sed nec eorum sacrilegia recẽsemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendũt sacramenta, iustitiam produnt, quorum guttur necdum traxit ad laqueum, necdum præfocauit fauces verbũ blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? *Matth. 26.* Videmus hæc omnia, sed quodammodo non videntes, quippe quibus nec flagellum est, nec ille comedens zelus. Manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescant. Postremò & nos in clero fuimus, liceat vel nostra scrutari. Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus. *1. Cor. 1.* Consideremus & nos an vocati venerimus, & vocati à Deo, cuius nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua sanè iuxta eundem Apostolum, quos prædestinauit, hos & vocauit. *Rom. 8.* Si quis vocauerit nos in honorẽ cleri, conuenire velim conscientias singulorum, vt secundum præceptum domini ad cor Hierusalem loquar. *Esai. 40.* Huic enim paruulo adhuc, aut forsitan necdum nato, ecclesiastica iam beneficia prouida sane parentum solicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi vel illi tradamus episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui forte seruiuimus, vt diseret de bonis Domini, nec in tot liberos nostra diuidatur hæreditas. Illum præpositus aut decanus vt sibi succederet, plusquam materno educauit affectu, in delitiis enutriens, & delictis. Ille dignus archidiaconatu, vtpote filius principis, magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est episcopata progenies. Alius vndique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseráque sibi suf-

fragia

fragia mendicare non erubescit, manibus & pe-
dibus repens, si quomodo tandem aliquando sese
ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona
Domini, quę sola ex omnibus hodie inueniuntur
exposita. Nimirum peregrè profectus est, sed in
plenilunio forte, vt sua districtè reperat, rediturus.
Quis ea intētione gradus ecclesiasticos & mini-
steria sanctuarij quęrit, imò quęritur (quæri nem-
pè, quàm quærere ipse debuerat) vt sine curis se-
culi, in sanctimonia cordis & corporis illuminan-
dus accedat ad Dominum, & suā pariter ac pro-
ximorum operetur salutem orationis studio de-
ditus, & verbo prædicationis? Nam si eos eo quę-
rit aut tenet animo, eóque intuitu, vt huius vitæ
habeat necessaria, euangelizat vt manducet, &
peruerso nimis ordine, cælestibus terrena merca-
tur. Quàm certè digniùs ampliúsque cōsentaneū
rationi, vt pro carnali victu carnalia magis opera
& negocia exerceret, nec fieret inuersor rerum,
aut inhonoraret ministerium spirituale? Sed mo-
dico est natura contenta, nec multi sola in his ne-
cessaria quærunt, quippe minori facilè satis obti-
nenda periculo. Honorati incedere volunt, place-
re student hominibus, delectari & superbire, &
huic seculo per omnia conformari. Audi querelas
Domini, quid super hac tanta hominum temeri-
te loquatur patiens redditor, pœnitentiam cu-
Osea 8. piens, quàm vindictam. Ipsi, inquit, regnauerunt,
& non ex me: principes extiterunt, & ego non vo-
caui eos. Vniuersos siquidem in ordinibus eccle-
siasticis cæterísque ad sanctuarium pertinentibus
honorem quærentes proprium, aut diuitias, seu
corporis voluptatem, postremò quę sua sunt, non
quæ Iesu Christi, manifestè prorsus & indubitan-
1.Tim 6. ter, nō ea quæ Deus est charitas, sed aliena à Deo,
& quæ omnium radix malorum, cupiditas intro-
ducit. Quid istud temeritatis, imò quid insaniæ
est? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehē-
nę metus, & terribilis expectatio illa iudicij? Spō-
sa nec cubiculū nec cellā ingredi nisi rege intro-
ducente præsumit, tu irreuerenter irruis nec vo-
Cant.1. catus, nec introductus? Trahe me post te, ait illa,
in odorē vnguentorū tuorū curremus. Nunc autē
trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis
lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem: quo-
1.Tim 6. rum certa est damnatio. Verum etsi irreprehensi-
bilis videatur ingressus, & intentio casta: nihílne
vltra timendum est? Timendum quidem, & maxi-
me. Neque enim quicunque spiritu cœperint,
Gal.3. etiam spiritu consumantur, sed carne nonnulli.
Denique & Saul princeps constitutus à Domi-
1.Reg.9. no, & Iudas non ab alio electus in Apostolum
Ioan.6. memoratur. Nonne ego, inquit, vos duodecim
elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Vtinam in
duodecim vnus hodie Petrus, vnus qui relique-
rit omnia, vnus qui loculis careat inueniatur.
Vnus, inquit, ex vobis diabolus est. A duobus vti-
que solis diabolus dicitur, & Iudas non locu-
lum, sed loculos habet. Vtinam saperes miser &
intelligeres cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ
pariter cumulari: vtinam nouissima prouidens
animaduerteres facilè per foramen acus transitu-
ros non diuitiarum cumulos, sed delictorum. Ni-
hil enim intulimus in hunc mundum: haud du-
bium quia nec auferre quid possumus. Sane ar-
gentum & aurum non nihil est: sibi vtrunque
retinet mundus. Inexorabilem constituit ianito-
rem: foramen angustum est: nihil ex omnibus
asportare licebit. Nam peccatum quoniam nihil
est, nulla potest foraminis angustia retineri. So-
lum hoc te sequitur quocunque ieris: quacunque
intraueris, pellem hanc non depones. Quæ au-
tem parasti insipiens, cuius erunt? Væ, væ, in do- Luc.12.
mo Dei horrendum videmus. Quidni idololatras
ministrantes? Mentior si non idolorum seruitus Col.3.
auaritia est, si non quibusdam etiam venter suus Philip.3.
factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cę-
teris colit, id sibi Deum constituisse probatur.
Quantos sanè vidimus qui diligunt munera, se-
quuntur retributionem? Quantos qui Christo
Domino non seruiunt, sed suo ventri? Quis putas Matth.24.
est fidelis seruus & prudens, quem constituit Do-
minus super familiam suam, vt det illis escam in
tempore? Quæris fortè quam escam? Meus, inquit, Ioan.4.
cibus est, vt faciā volūtatem patris mei. Nimirum Psal.29.
vita in voluntate eius, qua quidem nec pasci ipse,
nec alios pascere poterit, nisi fidelis sit & prudēs,
vt eam & intelligat & diligat, diligat autem forti-
ter, diligat & feruenter. Quando enim excusare
ignorantia possit hominem, qui se magistrum in-
fantium, doctorem insipientium profitetur? Igno-
rans vtique ignorabitur, imo & multos ignorare 1.Cor.14.
faciet & ignorari. Quid enim periculi sit vbi non
inuenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam,
vicarius nescit Domini volūtatem: Ecclesia quo-
tidiè multipliciter & miserabiliter experitur. Est
enim vt sanctissima, sic & sacratissima res volun-
tas Dei, & occultum omnino consilium, de quo
& apostolus gloriatur, puto, inquiens, quòd &
ego consilium Dei habeam. Vnde & ipsa veritas: 1.Cor.7.
Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus ho-
minis qui est in ipso. Sic & quę Dei sunt, nemo no- 1.Cor.2.
uit, nisi spiritus Dei qui in ipso est. Vtilis proinde
lectio, vtilis eruditio est, sed multo magis vnctio
necessaria, quippe quæ sola docet de omnibus.
Vnde autem scire videbitur quæ sit voluntas Dei 1.Ioan.2.
bona, & beneplacens, & perfecta qui nec pulsare Rom.12.
nec quærere, nec petere consueuit, qui donec alie-
narum curam susciperet animarum, nunquā suæ
gessisse curā, sed in vano eā visus est accepisse? At-
que vtinam vel tunc curaret suā, vt meam quoque
posteà curaturum sperare liceret: & de suo prius
oculo festucam ejiceret, vt de meo videret ejicere Matth.7.
trabem. Nam de his quidē qui & vbi fortè intelli-
gunt domini voluntatē, negligunt tamē, & quan-
tum prçualent aduersantur ei qui dederūt manus
morti, & cū inferno inière fœdus, vt odientes bo-
num, adhęrētes malo, parati sint gratis consentire
peccato, fouere malitiā, fauere iniquitati, quoniā
odibiles Deo, & mundo execrabiles esse constat,
melius est silere quàm loqui. Sanè nemo repente
fit turpissimus, & vix aliquis in hūc affectum ne-
quitiæ, nisi praua consuetudine pertransiuit. Sunt
enim infirmi & tepidi amatores iustitiæ, quibus
aut vigor aut feruor deest, aut forassis vterque,
cùm vterque sit summopere necessarius, inter
prospera quippe & aduersa versanti. Etenim vi-
goris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribu-
lationi, sed pro iustitia persecutionem viriliter su-
stinere: sic feruori videtur attribuendum, nullis ca-
pi voluptatibus, nullis illecebris eneruari. Quæ
quidem tum omni populo, tū maximè & specia-
liter ducibus populi sunt necessaria, ne fortè in
perniciem omnium errare contingat. Quid enim
refert qua occasione viam deserant veritatis, se-
ducantur inuiti, sequantur spōtanei, compellan-
tur

tur inuiti, seu attrahātur illecti? quid interest, dū-
modo eant in perditionem? Sic enim Euę pruden-
tia, Adæ temperantia, Cain omnino iustitia: Petro
defuit fortitudo. Quam quidem virtutis quadri-
fariæ perfectionem & cathedram sanctitatis om-
nimodo exigit ministeriū hoc de quo loquimur:
vt hac dote carens, frustra sibi tanquam per Chri-
stum introierit blādiatur. Siquidem dicitur igno-
Matth. 15. rantí, Si cæcus cæco ducatum præstet: nónne am-
Hier. 2. bo in foueam cadunt? Et item. Sacerdotes non di-
xerunt, vbi est dominus? & tenentes legem nescie-
runt me. Ipsi prophetę & pastores abierunt in ter-
Ioan. 10. ram quam ignorauerunt. Dicitur & iniquo: Fur
Psal. 51. non venit nisi vt mactet & perdat. Et illud: Dile-
Ioan. 10. xisti malitiam super benignitatem. Dicitur pusil-
lanimi: Mercenarius & qui non est pastor, videt
lupum veniētem, & fugit. Dicitur ei qui post con-
cupiscentias suas vadit: Mors est posita secus in-
Phil. 2. troitum delectationis. Dicitur item: Omnes quæ
sua sunt quærūt, non quæ Iesu Christi. Verùm hoc
hactenus. Iam qui per Christum sibi in sortem
ministerij huius introisse videtur, de cætero quē-
admodum ei seruiat, quemadmodum ministret,
quemadmodum pascat tripliciter, vt prædiximus,
gregem domini, solicita secum examinatione di-
scutiat. Indignus enim lacte & lana conuincitur,
si non pascit oues. Si non vigilat in custodia gre-
gis: iudicium sibi manducat & vestit. Væ, væ tibi
clerice: mors in olla. Mors in ollis carnium: mors
4. Reg. 4. in huiusmodi deliciis est. Nō modo quia secus in-
Osea 4. troitum delectationis posita esse cognoscitur, sed
ob id maximè quia populi cōstat esse peccata quę
comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te
reputas? Cantando (vt aiunt) tibi prouenire vi-
dentur: sed bonum erat magis fodere, aut etiam
mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si
propria tibi minus sufficere viderentur. Solicitus
erto tanquam redditurus rationem pro eis, gemi-
tus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus.
alioquin tibi ea noueris imputanda, quæ modo
inter delicias comedis & paruipendis, & dissimu-
Psal. 65. las tanquam nihil attinentia tibi. O iudiciorum
Dei abyssus multa. O terribilis Deus in consiliis
super filios hominum. Frustra tunc incipient mi-
Luc. 23. seri dicere mōtibus: Cadite super nos, & collibus,
operite nos. Venient venient ante tribunal Chri-
sti: audietur populorum querela grauis, accusatio
dura, quorum vixēre stipendiis, nec diluēre pec-
cata: quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti me-
diatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? quid
diuitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mer-
caris tam graue iudicium, tam duræ temetipsum
obligas rationi? Vniuersa siquidem vsque ad qua-
drantem nouissimum exigeris. Sed esto studiosè
quis & fructuosè laboret: dignus planè est opera-
rius mercede sua: vt qui altario seruit, de altario
viuat. Viuat, inquam, de altario, vt iuxta eundem
1. Tim. 5. Apostolum alimenta & quibus tegatur habens,
1. Cor. 9. his contentus sit. Tertium ei hoc periculum est.
1. Tim. 6. De altario, inquit, viuat: non superbiat, non luxu-
rietur, denique non ditetur, nec contra sancti eu-
iusdam plane dignam omni acceptione senten-
tiam, ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis ec-
clesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata
rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vani-
tate aut superfluitate dispergat, non extollat de
facultatibus ecclesiæ consanguineos suos, aut ne-
ptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res paupe-
rum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen
esse dignoscitur. Sanè patrimonia pauperum, fa-
cultates ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate
surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores,
non vtique domini vel possessores, vltra victum
accipiunt & vestitum. Nec enim ordinauit Deus
bis qui euangelio seruiunt, de euangelio quærere
aut habere delicias vel ornatum, sed viuere (ait
Paulus) ex eo: vt videlicet sint contenti alimenta 1. Cor. 9.
corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiua li-
bidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur,
accipere. Sane qui non fideliter introiuit, neque
per Christum, quid ni infideliter agat & contra
Christum? Manifestam sine dubio faciet arborem
fructus, radicem palmes, opus intētionem. Faciet
ad quod venit, vt mactet vtique & disperdat.
Quando vtique altario seruiat qui eiusmodi est,
seruiat autem in spiritu & veritate? Tales nimi-
rū pater adoratores quærit. Alioquin ministratio Ioan. 4.
mortis est in iudicium & condemnationem. Aut
quando poterit necessariis esse contentus, qui eo
animo introiuit vt stipendia cleri in vsus volupta-
tis curiositatis & vanitatis congreget, seruet, ex-
pendat? Triplex ergo funiculus qui difficile rum- Eccl. 4.
pitur, hominem miserum in perniciem trahit,
qui impuré intrat, indignè ministrat, sed & ipso
fructu abutitur temporali. Quid enim si in hoc Psal. 36.
mundo floret & prosperatur in via sua? Arescet
velociter, citò decidet flos fœni, & vapor ad mo-
dicum parens. Patitur virgæ, quoniam inueni- Psal. 35.
tur iniquitas eius ad odium vtique, non ad iram. Psal. 22.
Virga, inquit, tua & baculus tuus ipsa me conso-
lata sunt. Habet enim virgam, sed habet etiam
baculum. Et hæc consolatio est, quòd is qui virga
cæditur, baculo sustentetur. Aut certe portat pa-
stor virgam & baculum, illam ouibus, illum lu-
po, omnia autem propter electos. Siquidem & vir-
ga eos consolatur à stimulis conscientiæ, dùm
hoc modo sentiunt sibi peccata dimitti: dicente
Domino: Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniqui- Esa. 43.
tates tuas. Et baculus iuuat ad tolerantiam virgæ,
dum illius comparatione fit leuior. Econtra verò
dicitur induratis: Frons mulieris meretricis facta Hier. 3.
est tibi, erubescere noluisti. Et addit: Recessit ze- Ezech. 16.
lus meus à te, vltra non irascar tibi. Quem enim Hebr. 12.
diligit, arguit, & flagellat omnem filium quem Psal. 72.
recipit. Liquet proinde eos qui in labore homi-
num non sunt, & cum filiis non flagellantur, nec
diligi a Deo nec recipi. An tu forte quos in mun-
do florere conspicis, ab auctore mundi diligi pu- Iac. 4.
tas? Audi quid super hæc scriptura loquatur: Om-
nis qui voluerit amicus esse huius mūdi, inimicus
Dei constituitur. Et alio loco: Charissimi, nolite 1. Ioan. 2.
diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.
Si quis diligit mundum, non est charitas patris
in eo. Verba sunt apostolorum. Primum quidem
verbum Iacobi: secundum eius discipuli quem
diligebat Iesus, qui & ipsius ignorare non pos-
set animum. Sed vis nosce quis sit qui diligat
mundum? Neque enim creaturas Dei iuberis
odisse, sed quæ à Deo non sunt, ea diligere prohi-
beris. Quæ verò sint hæc, Ioannes ipse loquatur
adjiciens: Nolite, ait, diligere mundum, neque ea Ibidem.
quæ in mundo sunt. Omnia enim quæ in mundo
sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia
oculorum, & ambitio seculi: quę non sunt, inquit,
ex patre, sed ex mundo. Viderit hîc quisque cuius
sit spiritus, quid diligat, quid cupiat, quid sectetur.

Ecce enim speculum veritatis: tantùm ne quis cunsiderato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis fuerit obliuiscatur. Ambitio, curiositas & voluptas, non ex patre sunt, sed ex mundo. Aut certè quia multi codices habent non ambitionem seculi, sed superbiam vitæ: concupiscentiam carnis vniuersam accipe corporalium sensuum delectationem, qua quidem ne ipsa curiositas caret. Ac deinceps concupiscentiam oculorum, quæcunque ad humanum diem (quem propheta minime concupiuit) & secularem gloriam & extrinsecam pertinent vanitatem. *Hier.17.* Porro in superbia vitæ elationem cordis intellige. Hæc enim tria qui diligit, mundum diligit, & Dei constitutus est inimicus. Suscipiat autem qui eiusmodi est, reconciliatoris officium, non mediatoris, qui etiam proditoris scelere inimicitias cumulauit: vt merito iam non vt hostis, sed vt traditor iudicetur, vt Iudas vtique, nō vt Saulus. Nam impudētia & frontositas cùm obduruerit vt non paueat, nō horreat, non contremiscat: ea iam demum desperatio est. Quid enim? Horum sibi conscius homo, tāquam qui iustitiam fecerit, diuino sese vultui sistere non veretur, tāquam domesticus intrat & exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego dolosè agit: sed in cōspectu Dei, vt inueniatur *Psal.35.* iniquitas eius ad odiū. Odibilis planè Deo frontosa temeritas, & impudentia execranda. Propter *Psal.9.* quid enim irritauit impius Deū, exacerbauit Dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quærat? Num propter fornicationes, incestus, aut sacrilegia? Nihil horum propheta memorat, sed quòd in corde suo dixerit, nō requiret. *Ibidem.* Sermo, cordis affectio est. Corde enim dicere, non requiret, est non expauescere exquisitorum. Hæc impietas, cui secundū multitudinem iræ suæ non miseretur Deus, nec quærit, nec arguit, nec flagellat, nec vlciscitur in adinuentiones eorum, sicut de Moyse & Aaron & Samuele legimus quibus nimirum propitius fuit. Sed expressè & signanter *Esa.26.* cuius sit hæc impietas, audiamus: Misereamur impio, ait Dominus velut in concilio angelorum & congregatione deliberans. Nec eos latuit crudeliorem omni indignatione misericordiam indicem meditari, qua non discat homo iustitiam fa- *Psal.9.* cere, sed obdormiscens miser & dicens: Oblitus *Iob.21.* est Deus, auertit faciem suam: dies suos ducat in *1.Thes.5.* bonis: in puncto ad inferos descensurus: & cùm dixerit pax & securitas, tunc subitaneus ei superueniat interitus, nec effugiat. Et non discet, inquiūt, facere iustitiam. In terra sanctorum iniqua gessit. Ait Dominus, ac si diceret: Nolo discat iustitiam facere, inuenta est iniquitas eius ad odium. An adhuc quærendum est, quis iste sit impius? In terra, inquit, sanctorum iniqua gessit, in Ecclesiasticis possessionibus, quæ sanctorum fuerant vsibus assignatæ: in domo Dei, quam sanctitudo decet: de qua Paulus discipulum studiosè solicitans; *1.Tim.3.* Vt scias, inquit, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamētum veritatis. In cælo quippe tāquam in cælo gerens iniqua, quid nisi de ministerio indicetur? Cæleste tenet officium, angelus Domini exercituum factus est, tanquam angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inuēta quippe in angelis prauitas & districtiùs iudicetur necesse est, & inexorabiliùs quàm humana. Age ergo, quoniā iudiciū *Sap.6.* graue his qui præsunt, & potentes potenter tormenta patiētur: ascendat superbia tua semper, se- *Psal.73.* quere regem tuum. Omne sublime videant oculi tui. Festina multiplicare præbendas, inde ad archidiaconatus euola, demum aspira ad episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus: quoniam sic itur ad astra. Quò progrederis miser? An vt ab altiori gradu sit casus grauior? Neque enim sic pau- *Psal.72.* latim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter satanas subitò deiiceris. In labore hominum non sunt, inquit, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, peccatum diaboli: quo ceciderunt qui operantur iniquitatem. Hæc est quæ non recipit disciplinam. Curari renuit, medelam non sustinet. Vlcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari. Huius & ipse indignationem vereor super his, & graue iudiciū. Quidni timeam morsus ferialem insaniam, & animarū phrenesim non ignorans? Sed Domini sunt verba quæ replico, & eadem ipsi quoque legunt & intelligūt pariter, legem quippe scientes. In terra, inquit, san- *Esa.26.* ctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Durus est hic sermo, & comminatio valde terribilis, non videbit gloriam Domini. Quid igitur cętera vidisse pręstat? Hiccine totus misericordiæ finis? Hanc ego misericordiam nolo, procul fiat miseratio tam crudelis, ne veniat in eorū consortium anima mea. Quis enim vobis miseri demonstrauit fugere à ventura ira? Quid præsentem tantopere fugitis iram, flagellum timetis, declinatis virgam? Et quidem in hac die vestra, quę ad pacē vobis, sed si cognouisseris & vos. Mutatia, non *Luc.19.* effugitis pœnitentiam. Nam malum impunitum esse non potest. Non punitur hîc propria voluntate, punietur alibi sine fine. Misera sanè & extremę plena dementię cōmutatio, humanū declinare laborē & paratū diaboli strīdorē eligere sempiternū. Animaduertite siquidem & videte, non hominibus, sed diabolo & angelis eius ignem illum esse paratum. Ille enim hostis & lupus, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Illi securis & malleus, nobis flagellum & virga debetur. Illius iniquitas inuenta ad odium, suum habeat carcerem, vbi nulla redemptio, vnde nemini liceat respirare. Mihi sanè & labore tolerabilior carcer, & tempore breuior assignatur: vbi cùm iratus fuerit Dominus, misericordiæ recordetur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Denique tempus mihi constituit. Mihi dicit donec, illi parat æternum. In *Gen.3.* sudore, inquit, vultus tui comedes panem tuum, donec in terrā de qua sumptus es, reuertaris. Pessimus ille angelus de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus. Propterea non habet donec, sed ignis ei paratur æternus. Minime igitur expedit vt in sapientia huius seculi, auctoris seculi non vereamur frustrari iudiciū, & deludere velle sententiam, declinando videlicet laborem hominum & sudorem, ac si nullo modo nos contingere videatur quod Adæ dictum est, aut non in eo sententiam laboris excepimus, in quo sine exceptione peccauimus omnes: aut non communis culpæ nihilominus esse debeat pœna communis. Fortè enim aliqui dicant: Quid peccamus? Bona est omnis creatura Dei, nostra licitè possidemus, nostris viuimus facultatibus, à rapinis & latrociniis abstinentes. Enimuero non pacetis in cruce coruos. Ego sanè diuitem illum cuius saluator meminit in Euangelio, in nullo horum audio accusari.

Indue

Luc.16. Induebatur purpura & bysso, quotidiè epulaba-
tur splendide. Si crudelitatis arguitur quòd sob-
stantiam mundi habens, & videns fratrem suum
egere, clauserit viscera sua ab eo, quando hęc diui-
ti deest? Quantos videtis & ipsi Lazaros esurien-
tes, nudos, ægrotos, & plus de iumentis vestris, plus
de eorum phaleris, quam de istorum miseriis co-
gitaris? Sed ad tremendum Abrahæ iudicium ve-
niamus. Non enim Abrahæ, sed Dei sententia est.
Ibidem. Memento, inquit, fili, quòd recepisti bona in vita
tua, & Lazarus similiter mala. Verùm vtrumque
est, nō potest omnino negari. Fer sententiam, quia
paucis expressa totius summa negotij est. Ille bo-
Ibidem. na, & ista mala recepit. Quid modo? Nunc autem,
inquit, hic consolatur, tu vero cruciaris. Expergis-
cimini ebrij, & flete. Terribilis enim Deus in iudi-
ciis super filios hominum. Hæccine cruciatuum
causa tota, quod in hoc seculo bona recepit? Ipsa
planè. Neque enim adhoc nos de paradiso volu-
ptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, vt al-
terum sibi hîc paradisum adinuentio humana pa-
raret. Homo ad laborem natus, si laborem refugit
non facit ad quod natus est, ad quod venit in mū-
dum. Quid respōdebit ei qui misit eū, qui instituit
vt laboraret? Memento, ait, quòd recepisti bona in
vita tua, & Lazarus similiter mala: nūc autem hic
cōsolatur, tu verò cruciaris. Quid dicemus ad hęc?
Si talis finis, & tale iudicium, vt extrema gaudij
luctus occupet: nunquid non præferēda sunt in hoc
seculo mala bonis? Quippe nec illa vera bona, nec
ista vera mala esse manifestū est. Vera potius sen-
Eccl.7. tentia Salomonis: Melius est ire ad domū luctus,
quàm ad domum conuiuij. Cæterùm si sic cru-
ciandi sunt qui in vita sua bona receperint, & ha-
bentibus cōsolationem præsentem, væ repositum
est sempiternum, cùm in superioribus inuenti sint
aliqui de sapientia carnis scientes in omnibus &
per omnia reprobare malum, & eligere bonum,
quisnam eorum poterit esse finis, si secūdum mul-
titudinem consolationum suarum dolores appre-
henderint animas miserorum? Consequens enim
videtur, vt bona omnia, & omnem seculi huius re-
cipientes consolationem, nihilominus vniuersum
væ & vniuersi maneāt cruciatus. An verò & illud
æquè ex eadem Abrahæ sententia conijciendum
videtur, eos qui contrario ducti spiritu, vitæ præ-
sentis omnia bona respuunt, & eligunt mala, om-
nia quoque bona domini, & omnem habituros
consolationem? Fortè enim hoc erat quod Petrus
audire voluit, cum tanta fiducia Dominum tantā-
que libertate conuenit; *Ecce, inquit, nos reliquimus*
Matth.19. *omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Nota ad-
modum quæstio est, quemadmodum Petrus cùm
nil fere ex omnibus habuisse sciatur, tam fiducia-
liter glorietur sese omnia reliquisse. Vnde sancto-
rum quispiam; Multū, inquit, deseruit, qui volun-
tatē habendi dereliquit. Et post pauca: A sequen-
tibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus
desiderari potuerunt. Fidelis sermo, sed forsitan
clausus & ipse est. Nunquid enim volūtas haben-
di tam multa complectitur, vt reliquisse illam, sit
omnia deseruisse? Quis hominum omnia deside-
rare possit, nedum piscator ille, ille pauper & modi-
cus? Sed quid cuique sufficere possit, diligentiùs
vestigato, & facile est inuenire omnia desideran-
tem. Neque enim ponere est concupiscentiæ mo-
dū, donec videatur impleta, donec adepta sit qui-
bus valeat esse contenta. Cæterùm nec amator
pecuniæ dicet aliquando, sufficit, nec libidinosus
satiabitur voluptate. Sic & crudelis quisque sem-
per sanguinem sitit, & ambitiosus aut cupidus
laudis humanæ adeptis dignitatum titulis seu fa-
uoribus, nullum exinde capit omninò reme-
dium, sed desiderio æstuat ampliori. Minus autem
inuenit requiem, qui sibi placere cupit, & suis, id
est quibusdam fatuis de semetipso testimonijs
gloriatur, dicens: Manus mea excelsa: putans se-
se aliquid esse, cùm nihil sit. Vidi ego aliquando
quinque viros, quidni phreneticos arbitrer?
Primus siquidem buccis tumentibus marinam
masticabat arenam. Secundus sulphureo astans
lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimúmque
gestiebat haurire vaporem. Porro tertius fornaci
incubans vehementer accensæ, micantes scintil-
las hiantibus excipere faucibus satagebat. Quar-
tus supra pinnaculum templi residens, leuioris
auræ spiritum aperto attrahebat ore: & si quo mi-
nus influere videretur, flabello sibi ventum ipse
ciebat, ac si totum speraret aerē deglutire. Quin-
tus seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque
ridendus, & maximè. Proprias enim carnes incre-
dibili quodam studio sugere laborabat: nunc ma-
nus, nunc brachium, nunc alias partes applicans
ori. Miseratus homines, causámque insaniæ sci-
scitatus à singulis, vnam omnibus esse reperio, va
lidissimam vtique famem. Tum verò macilentis-
simas eorum facies contēplatus, recordabar pro-
phetæ gementis miserabiliter & dicentis: Aruit Psal.101.
cor meum: quia oblitus sum comedere panem
meum. Quid hæc vobis, inquio, prosunt? Non
sunt naturales cibi, magis famem hæc prouocant
quàm extinguunt. Panis namque animæ iustitia
est, & soli beati qui esuriunt illum: quoniam ipsi
saturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta Matth.5.
anima rationalis, cæteris omnibus occupari po-
test, repleri omnino non potest. Capacem Dei,
quicquid Deo minus est, non implebit. Inde est
quòd naturali quidem desiderio summum quiuis
probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo
requiem habituros. Cæterum errant miseri non Psal.11.
inuenientes viam: & vt scriptum est, ambulant
impij in circuitu, dùm minora quæq; bona quæ-
rentes, illud semper desiderāt, quod sibi vicinius
necdum videntur adepti. Atque vtinam si fieri
posset, cætera omnia obtinuisset vnus, eodémque
proculdubio & ipsum quod sibi solum deesse vi-
deret summum vtique bonum desiderio quæsi-
turus, quo cętera quoque semper expetit non ad-
epta. Sed innumera sunt hæc, & à cæteris quoque
pariter requiruntur. Quod valet quisquo trahit in
partem, nec aliquando potest hic circuitus per-
agrari. Vis peruenire? Incipe transire. Alioquin
proripiens noisset in desiderio terrenorum, & à
summo bono eò longiùs inueneris, quo te am-
pliùs dederis caducis rebus & transitorijs appe-
tendis. In circuitu siquidē ambulas: & quod pro-
pè erat in corde & in ore tuo: si corde crederes, &
ore confitereris: terga vertens declinas, & elon-
garis ab eo. Hinc est quod vociferatur dicens:
Conuertimini filij hominum. Et item: Reuertere, Psal.84.
reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt in- Cant.6.
tueamur te. An fructuosa siquidem via est, & in-
ambulabilis: facilúsque peruenies spiritis omni-
bus, quàm adeptis. *Ecce nos reliquimus omnia, & se-*
cuti sumus te: quid ergo erit nobis? Dignū plane apo-
stolica fide & deuotione verbum. Iam reliquisti

omnia, iam Dominum Petre secutus es: & nunc
demum quid sis accepturus interrogas? Vere Si-
mon, vere obediens in auditione auris, sine pacti
Matth. 4. conuentione. Ad vnius enim iussionis vocem Pe-
trus & Andreas relictis omnibus secuti sunt re-
demptorem. Quod si homini carnali stultitia for-
1. Cor. 1. tè videtur, audiat: Quod stultum est Dei, sapien-
tius est hominibus: & quoniam placuit Deo per
stultitiam prædicationis saluare credentes: quip-
pe cùm mundus eum in sapiétia, minimè cogno-
uisset. Quantos enim mundi sapientia maledicta
supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritú,
quem voluerat Dominus vehementer accendi?
Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera,
diligentius intuere. Magnum est quod proponis,
& opus habés multa deliberatione. Experire quid
possis, amicos consule, ne post factum pœnitere
contingat. Hæc sapientia mundi terrena, anima-
lis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ ma-
ter tepiditatis, quę solet Deo vomitum prouoca-
re. Caue tibi ait. Vt quid enim? Cùm à Deo ver-
bum esse non dubites, quid opus est deliberatio-
ne? Vocat magni consilij angelus, quid aliena cô-
silia pręstolaris? Quis enim fidelior, quísve sapien-
tior illo? Deduc me Domine, & deducar, fortior
esto & inualesce. Noui ego quænã sint quæ opor-
tet fieri citò. Ab ore potes gehennæ eripior: & in-
ducias petá, & retardabor, & cûctabor ea re si for
tè interim fiat aliquid? Abscondi igné in sinu meo
& cautio iam latere, iam nudatis visceribus, iã fa-
me desinente, diu mihi & deliberandû est an ex-
pergiscar, an excutiá, an abijciam illum? Magnum
omnino est quod offertur, sed eo vtique libentiùs
& festinantius suscipiendum & obuiis arripien-
dum manibus cum feruore & hilaritate. Probet
autem seipsum, qui de propria virtute præsumit.
Mich. 7. Nam diuina quidem omnino probata est. Ami-
cos cósulat, qui nó legit: Inimici hominis dome-
stici eius. Quid frequentat Euangelium, qui Euan-
gelio non obedit? At in eo sanè legimus promit-
tenti cuidam sequi Dominum, sed defunctû priùs
patrem sepelire volenti, responsum ab eo, vt sine-
Matth. 8. ret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque
tãtùm suis qui in domo erant, valedicere cupien-
Luca 9. Matth. 8. ti, Nemo, inquit, mittens manum ad aratrum, &
respiciens retro, aptus est regno Dei. Sed quid au-
dierat primus? Magister, ait, volo te sequi quocun-
que ieris. Cui respondit Dominus: Vulpes, inquit,
foueas habent, & volucres cœli nidum: filius au-
tem hominis non habet vbi caput reclinet. Pru-
dentiam carnis in fouea vulpis, in nido volucris
arguens cordis elationem. Est enim interdum vi-
dere nonnullos qui relictis omnibus abrenuntia-
re seculo disponétes, cùm rectè offerre velint, no-
lunt diuidere rectè, calliditate humana totos sese
diuino committere nutui formidantes, sed reser-
uantes nescio quid fermenti, vt totam massam cor-
rumpat: quod in multis frequenter expertum est.
1. Cor. 5. Alius sine duce & præceptore spirituale studium
apprehendere facilè cogitans, ambulat in magnis
& mirabilibus super se, vt vulgò dicitur, saliens
antequam videat, casurus antequam debeat. Pe-
trus cogitatum suum iactans in Domino, & om-
nem solicitudinem suam in eum projiciens, cer-
tus quòd illi foret cura de eo, reliquit omnia, secu-
tus est Dominum ne interrogans quidem de præ-
mio, donec ex periculo diuitum quod saluator
prosequebatur, sumeret occasionem percontan-

di, Quid ergo erit nobis? *Ait illi Iesus: Amen dico
vobis.* Verbum confirmationis præmittunt: ma- Matth.
gnum noueris esse quod sequitur: *Amen dico vobis,
quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit
filius hominis, &c.* Quid est quod dicit, in regenera-
tione: aut quæ est hæc noua regeneratio? Neque Ioan. 3.
enim iam ignoramus quoniam oportet hominem
nasci denuo, nô ex sanguinibus, neque ex volun-
tate viri, sed ex aqua & spiritu sancto. Cæterùm
cùm nullatenus ad eam regenerationem valeat
hæc promissio pertinere, forte & altera regenera-
tione opus esse videtur: nec solùm denuo, sed &
tertiò hominem nasci necesse est. Infelix ego ho-
mo, & miserabilis casus meus, cui non vna suffi-
cit, cui duplex est necessaria regeneratio. Nimi-
rum ex corpore & anima constitutus, cecidi totus
simul, simul totus omnino resurgere non possum.
An verò dignum non est, vt ea quæ videtur po-
tior priorque portio, reparetur? At ipsam sanè
animam esse nemo sanæ mentis ignorat. Prior
ergo reficiatur, quæ prior corruit: præsertim quòd
ab eius culpa alterius pœna prodierit, & ipsius
corruptio corporeæ quoque fuerit causa corru-
ptionis. Hinc est quòd animabus primùm salua-
tor aduenit, tollere vtique peccata mundi, non
molestias carnis. Quod sanè manifestiùs docuit in
seipso, pœnis omnibus corpus exponens, animam
autem immunem prorsus custodiens à peccato.
Non sic hodie filij hominum non sic, sed animæ
curam negligunt, curam autem carnis perficiunt
in omni desiderio. Neque enim peccare metuunt,
sed puniri: nec virtuti cordis opera datur, sed vale-
tudini corporis, imò etiam voluptati. De schola
Hippocratis & Epicuri didicerunt hæc. Neque
enim suis Christus discipulis horum quippiam Matth. 11.
tradit: sed discite, inquit, à me quia mitis sum, & Psal. 4.
humilis corde. Filij hominû vsquequo graui cor-
de, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis menda-
cium? Tempus hoc animabus non corporibus
est assignatum, dies salutis vtique non volupta-
tis. Omnia tempus habent, animabus nûc operam
dare necesse est. Nam in carne qui seminat, solam Eccl. 3.
exinde metet corruptionem. At nemo, inquiunt, Gala. 6.
carnem suam odio habuit. Verum est: sed zelum Ephe. 5.
habens absque scientia, dùm prodesse festinas,
inueniris obesse. Cùm enim iudicium carnis ex
anima pendeat, carni nihil potest vtiliùs quàm
salus animæ prouideri: vt videlicet in tempore
sit respectus illius, & socia passionis, felicitatis
quoque consortium mereatur. Vnde Apostolus, Philip. 3.
inquit: Saluatorem expectamus Dominum no-
strum Iesum Christû, qui reformabit corpus hu-
militatis nostræ configuratum corpori claritatis
suæ. Requiesce in hac spe caro misera, qui propter
animam venit, pro te quoq; véturus est, qui refor-
mauit illá, tui quoq; nó obliuiscetur in finem. Re-
generetur interim anima, & tanquam præscita &
prædestinata à Domino, conformis fiat imagi-
ni filij eius in mansuetudine cordis, & humili-
tate. Ipsius enim merito te quoque noueris ali-
quando regenerandam, & conformandam corpo-
ri eius in gloria & claritate. *In regeneratione, inquit,
cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis
& vos, &c.* Consequimini, ait, quem sequimini: vt
cùm ipse sederit, & vos pariter sedeatis. Quando
enim ille resedit in mûdo, quando substitit, quan- Psal. 18.
do reclinauit caput: Exultauit ad currédam viam, Act. 10.
benefaciendo pertransiit, quippe nec nidum nec
foueam

foueam neclocum habens in diuersorio, donec opere tandem quod susceperat consumato, sedendi præceptum mereretur accipere, & diceret Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Insipiens tu qui præsidere eligis quàm cōsedere, quærens sustinere diuerticula. Ille ministrare venit, non ministrari: tu supra magistrum, & Domino maior, imò nec discipulus, profectò nec seruus, recumbere iam festinas. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus: ille salit in montibus, transilit colles. Clamat ad eum anima mea: Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Alioquin quando eum remorando, tepescendo, pausando consequi speras? Exultauit ad currendam viam. Hilarem sine dubio diligit secutorem. Necdū ad brauium peruenisti, necdum apprehendisti mœtam. Grandis adhuc restat via: noli sistere gradū, noli in medio itinere residere. In sudore, inquit, vultus tui comedes panem tuū, donec in terram de qua sumptus es, reuertaris. Extunc sanè tempus erit requiei, nimirum quando iam spiritus ipse dicet, vt requiescas à laboribus tuis. Necdum tamen erit consummata pax, necdū perfecta quies, denique needum sessio plena. *In regeneratione, inquit, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos.* Fœlix regeneratio. Quando enim renascar ad sessionem, miser homo natus ad laborem? O si vnquam sedero totus, cuius modo ne minima quidem portio sedet, in quo nihil tranquillū, nihil quietum, sedatum nihil, nihil vnquam in eodem permanēs statu. *Sedebitis & vos.* O sessio. Quis mihi tribuat vt dignis exprimam verbis quod de sessione hac, cordis affectione concipio? Imò quis tribuat mihi sessionis huius imperturbata frui requie quam desidero, quam cupio, quam requiro? Ecce enim dixi, nihil in me sedet, sed cūcta in motu sunt, omnia nutant, fluctuāt vniuersa. Postremò vbi cōcupiscit adhuc caro aduersus spiritū, spiritus à duersus carnem, quidnam hominis sedere videtur? Nec sola iam concupiscentia pacem impedit, turbat sessionem, vetat esse sedatum: sed duplex quoque secūdum corpus miserum hominem contritio vexat: præsentis videlicet sensus doloris, & mortis metus futuræ. Nimirum cùm & passibile sit, & mortale: duplex nihilo minus animam agitare solicitudo videtur: spei vtique, & timoris. Inter hæc nempè fluctuat iugiter, donec peccati corpus inhabitat, ascendēs vsque ad cælos, & iterum vsque ad abyssos descendens: tabescens in malis, & ad bona nihilominus inardescens. Erit autem cùm luteū hoc egrediens domicilium, à timore quidem penitùs liberabitur, sed necdum ab expectatione. Extunc enim iam non erit timor in finibus nostris, sed in spe singulariter constituti psallemus singuli mente & spiritu quod prælibauerat quodammodo qui dicebat: Conuertere anima mea in requiem tuā quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Cæterum de expectatione idem ipse sic ait: Me expectant iusti donec retribuas mihi. Nec modo numerum fratrum vt compleatur, sed & ipsum corpus vt sua regeneratione restituatur, expectant. Imò verò & expetunt eum desiderio, sub altare Dei vociferantes ad ipsum. At qui audire meruit, potuit & testificari. Nam corpus quidem illo in tempore sedere quis dicat, dùm effluit, & in saniem puluerémque redigitur? *In regeneratione, inquit, sedebitis & vos.* Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spirituale. Seminatur in ignominia, surget in gloria. Vbi iam tunc mors victoria tua? Siquidē & tu inimica nouissima destruētis. Corpus enim resurrectionis iam nō moritur, mors illi vltra nō dominabitur. Sed & dolor & gemitus omnis abscedet, quoniā absterget Deus omnem lachrymā ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor: sed neque vllus dolor: quoniam priora transierunt. Felices lachrymæ, quas benigna manus cōditoris absterget: & beati oculi qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt, quàm eleuari in superbia, quàm omne sublime videre, quàm auaritiæ & petulantiæ famulari. Sedebit igitur corpus immortalitatis & impassibilitatis gemina quadam felicitate dotatum, liberum ab omni necessitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune ab omni cōcupiscentia, plenum gloria, configuratum denique claritati corporis Christi. Sedebit & anima sicut nihil metuēs, sic nec cupiens vltra, nimirum plena beatitudine, & secura plenitudine fruens, nullos iam cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incommutabilitati prorsus immersa, & sic adhærens Deo, vt vnus iam spiritus sit facta cum eo. Sed quando hæc, aut quibus hæc erunt? *Vos, inquit, qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos.* Iam quidem sedet filius hominis in sede maiestatis: siquidem ascendens in cælum sedet à dextris Dei. Sed eùm sedere dictum est, hoc est cùm apparuerit sedēs, sicut Apostolus ait: Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. An magis audebimus dicere & ipsum adhuc stare quodammodo, vtpote cuius necdum sedes consumata videtur, necdum pedibus eius scabello supposito, quòd à patre promissum est? Non quòd illi plenitudini quippiam desit, sed quòd membra caput expectet. Audeat hoc testari, qui meruit intueri. Ecce, ait, Stephanus, video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Paulus quoque sic scribit: Christus assistens pontifex futurorum bonorum, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Cæterum in regeneratione corporum sedebit in sede maiestatis, qui pro animarum regeneratione stetit in ignominioso supplicio crucis, interrogatus conuiciis pariter & tormentis, nec modo durissima morte, sed & turpissima condemnatus. Quoniam enim obediens patri factus est vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter hoc exaltauit illum, & donauit illi nomē quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Hæc autem dixerim fratres, vt nouetitis quænam sint duo latera scalæ quæ volentibus sequi Dominum proponuntur ascendenda, quæ bases eorum, quæ capita, quíve gradus, quorum summitati Deus innixus est. Oportet siquidem nos Domare carnem, calcare mundum, vt voluptatem corporis declinantes, caueamus nihilominus seculi vanitatem. Hæ nimirum abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Domino Deo nostro. Et totum quod à via vitæ & disciplinæ deterret filios huius seculi, totum quod exercet interim seruos Dei, in his duobus est, quæ sub vno versu propheta commendat, Vide, inquiens, humi

Psal.109. Cant.1. Psal.18. Gen.3. Psal.114. Psal.141. Apoc.6. Col.3. Act.7. Heb.9. Philip.2. Exod.8. Psal.34.

humilitatem meam, & laborem meum. Hæc ergo sunt latera scalæ, vilitas, & asperitas: quibus deinceps internæ virtutis & gratiæ gradus firmiter inseruntur. Est enim videre homines mundanam gloriam contemnentes, fauorem calcantes populi, non desiderantes humanum diem, sed nõ adeò fortes in tolerantia molestiæ corporalis, non adeò rejicientes mollia, non adeò carnis illecebras superantes. Quid istos dixerim nisi latus alterum nõ tenere? Porro vni tantùm lateri innitentis periculosus nimis ascensus, & proximus est ruinæ. Quod si periclitatur qui circa carnẽ videtur plusquam oporteat infirmari; licet mũdi respuat gloriam, nec contumeliis moueatur: profectò longè horribilius est periculum, & multò magis inexcusabile, si quis fortè licet castigans viriliter corpus, & non parcens eius afflictioni, inueniatur tamen minus resistẽs gloriæ desiderio, minus patiens iniuriarum, minus puritatis & solidæ humilitatis habens, minus immunis à seculi vanitate. Quid enim tibi infelix homo cum his nugis & calamitatibus, cum hoc fastu & vanitate ista, quæ nec animæ nec corpori prodest? Quid irritaris, quid inflammaris ad verbi flatum, quod nec carnem vulnerat, nec inquinat mentem? Nihil sic alienum à natura tua, nihil tam contrariũ rationi. Neque enim sic dicere possum, quid tibi cum cibis & vestibus, aut frigore vel esurie quid moueris? cùm vnita personaliter anima non huic mundo, sed corpori, longè minus carnem possit odisse quàm mundum, quippe quæ huic multum debeat, illi nihil. Quod quidem dixerim non vt voluptas proinde excusetur, sed vt vanitas & impuritas ante omnia fugiatur. Sane vbi sic stabilieris & firmaueris in corde tuo, asperitatem corporalis abstinentię & laboris amplecti, & omni vilitate & extremitate esse contentus, bona sunt latera, securus iam insere gradus exercitij spiritualis, vt totum quod mundo & carni subtrahis, studio pietatis impendas: oblitus quæ retro sunt, & extentus in anteriora, vt ascensionibus dispositis, de virtute proficias in virtutem, vt videre Deum deorum in Sion merearis. Et primum quidem per desertũ proprij cordis, & conuallem plorationis ascendes, ascendes vt virgula fumi, dehinc iam in serenis quidẽ elapsus ascendes etiam de deserto deliciis affluens, innixus super dilectum, ductus de claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu, illo vtique qui scrutatur etiam alta Dei. Nec paucos in his gradus inuenies gratiæ multiformis. Verum hæc spiritualia sunt, & spiritualibus vtique cõparanda. Nunc vero ad incipiendos potius sermo dirigatur, cuius tota intentio est reuocare ad cor præuaricatores. Cæterum habent proficientes editum olim de duodecim gradibus humilitatis, ex sermonis occasione libellum, quos videlicet gradus ille iustorum omnium spiritu plenus in regula sua tradidit vere per omnia Benedictus. Ille enim spiritualem nobis erexit scalam, cuius vtique summitas cælos tangit, quod in eius glorioso transitu euidenti legimus miraculo commendatum, beato papa Gregorio sic scribente: Inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus fratribus, vni longius posito, alteri autem in cella commorãti, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata palliis & innumeris corusca lampadibus via recta, orientis tramite ab eius cella in cęlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus adsistens, cuius esset via quam cernerent, inquisiuit. Illi vero se nescire professi sunt. Quibus ille ait: Hæc est via qua dilectus Domini cælum Benedictus ascendit. Quæ est enim via ab eius cella progrediens, nisi ordo quem idem vir beatus instituit, & forma vitæ quæ ab eo sumpsit exordium? Qua nimirum via Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere quàm vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcunque student inhærere vestigiis, ipsum præceptorem prænomque sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, quin omnino sacer sit modus conuersationis, & diuina magis inspiratione atque consilio, quam humana prudentia vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem verè Benedictus obtinuit. Sed hæc hactenus, ne quis fortè (quod lõgè sit semper à cordibus nostris) detrahere nos potius eis qui sibi varios, prout cuique visum est, religiosè viuendi formauêre modos, quam alios consolari, & animare voluisse causetur. Eam tamen quam videmus in Ecclesiis hodie formam cleri (ne informem dixerim vitam) à quo sanctorum habuerint, quis vnquam vel in nouo, vel in veteri testamẽto sic vixerit, sic viuere docuerit homines, vtinam ipsi sese interrogent singuli, nec conscientias super hæc conuenire proprias dissimulent. Quantos enim videmus sectatores viarum quæ videntur quidem hominibus bonæ, sed in profundum finis earũ inferni descendit? Quantos ascensores scalæ non cuius summitas cælos tangit, sed quæ illi omnino contraria est, habens latera concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, gradus vero superbiam vitæ: quæ ex mundo sunt, non ex patre? At eius sanè quam vobis commendare volumus scalæ gradus & latera ex patre vtique sunt, non ex mundo, cui nimirum innixus apparuit. Sobriè, ait Apostolus, & piè & iustè viuamus in hoc seculo. Sobrietas voluptatem carnis impugnat, iustitia seculi vanitatem, dum videlicet cuique reddens quod suum est, & adulantem deplorat, & compatitur irascẽti. Denique & ipse saluator dum Baptistæ manibus celsum illum verticem inclinaret. Sic, inquit, decet nos implere omnẽ iustitiã: solam nimirum humilitatem iustitiã reputãs. Exhibeatur ergo sobrietas nobis, iustitia proximo, pietas Deo. Pietas enim cultus Dei est. Sanè vt voluptas & vanitas elationẽ cordis fouere noscuntur, sic sobrietas & iustitia pietatem, vt inter hæc latera de fide in fidem spe mediante proficiens, supereminentiam aliquando teneat charitatis. Innituntur hæc latera basibus quas supposuit artifex sapientia, duobus forsitan lignis crucis. Vbi enim ille mulctatur morte, cruce turpatur: quis suorum delicias seu gloriam sustinere queat, nedum audeat quærere? Flagellatus Christus & sputis illitus, baiulat sibi crucem, & ludibrio factus irrisoria veste, arundineo sceptro, corona spinea, foditur clauis, annumeratur sceleratis, in ligno extenditur, & iam mortuus vulneratur: & hęc intuens qui dicitur Christianus proprius nihilominus voluptatibus indulgere, & flo-

tere

Marginal notes: Phil.3. (beside "trahis, studio pietatis impendas"); Psal.83. (beside "conuallem plorationis"); Cant.8. (beside "per dilectum"); Prou.14. (beside "Quantos enim videmus"); Tit.2. (beside "Sobriè, ait Apostolus"); Matth.3. (beside "lum verticem inclinaret").

tere velle in seculo nullatenus erubescit? Cæterum si omnis qui se dicit in Christo manere, *1.Ioan.2.* debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: multo magis qui pro eo manere se dicit, qui pro eo legatione fungitur, qui ei ministrat, si eum non sequitur, inexcusabilis est. Sanè nisi abnegauerit semet- *Matth.16.* ipsum, & tulerit crucem suam, sequi eum omnino non potest. Quid verò crucem tollere est, nisi laborem amplecti & humilitatem? Sicut scriptum *Psal.83.* est: Elegi abiectus esse in domo Dei. Sed fortasse minus adhuc firmiter stabilita hæc videantur, si tantùm fuerint subnixa basibus, non etiam desuper cohærentia capitullis. Hinc est quòd minimè suis contéctus exemplis saluator etiam præmia repromittit, vt quem fortè non prouocat imitatio præcedentis, trahat vel desiderium retributionis: & si quis voluptuosus est, illum sitiat torrentem voluptatis: si gloriæ cupidus, aspiret ad illam celsitudinem iudiciariæ potestatis. *Sedebitis, ait, & vos* *Matth.19.* *super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Ac si dicat, Pro confusione vestra duplici & rubo- *Esa.61.* re pars vestra laudabitur. Propterea enim in terra sua duplicia possidebũt, & lætitia sempiterna erit in Christo. In exilio vobis afflictio duplex, humilitatis vtique, & laboris. Sed consolamini, & nolite deficere, quoniam in terra vestra, terra vtique viuentium, duplex vos nihilominus remuneratio manet, sublimitatis & delectationis. In sedibus enim quies imperturbata est, in iudicio dignitatis eminentia commendatur. Quis verò secularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione vilescat? Non vnius siquidem ciuitatis aut populi seu regionis vnius, sed vniuersitatis iudices habent præsidere cum Christo. Nec solùm homines, sed & ipsos angelos iudicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignantes & exsufflantes, improperium Christi vniuersis præferunt titulis di- *Luc.12.* gnitatum. Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Diffinitum est cõsilium, quod non euacuabitur, propositum immutabile perseuerat, denique iurauit *Psal.109.* dominus, & non pœnitebit eum. *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes.* Quid gloriosius? Iudicent nunc & præiudicent superbiæ filij, cum rege suo sedeant, qui sibi latera aquilonis elegit. Exaltentur & leuentur sicut cedri Libani. Trãsibimus, & ecce non erunt. Opprimant nunc quos possunt, blasphemẽt, congregent maledicta, veniant super nos opprobria exprobrantium Christo, quoniam merces nostra copiosa est in cælis. Glóriamque ab inuicem habeant, vtique vanam & mendacem: quoniam vani filij hominum, mendaces filij hominum. Gloriam enim quæ à solo Deo est nolunt, veram vtique & manẽtem: quoniam ipse est veritas, & ipsa est qui est. Infelix prorsus ambitio, quæ ambire magna non nouit, quærens de modico crescere, & de maximo minui. Amant enim cathedras primas, quæ velut grossi ficuum velociter sunt casuræ, Sunt enim grossi primæ quædam ficus prorsus inutiles, solam habentes speciem ficuum, non saporem, nec tam fructus, quam futurorum quædam præsagia fructuum: quas & decidere necesse est, vt eis aliæ humano vsui & esui aptę succedant. *Cant.2.* Vnde sponsa in cantico canticorum. Hyems transiit, imber abiit & recessit. Et post pauca: Ficus, inquit, protulit grossos suos: quod videlicet persecutione cessante, inclyta facta sit Ecclesia, posita in superbiam seculorum. Quam sanè sublimitatem & excellentiam dignitatum congruè satis grossos vocat, vt futura in his moneat quàm præsentia cogitare. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna. Caueant igitur qui primas cathedras amant, ne contingat carere secundis: & qui primos nunc recubitus eligunt, incipiant cum rubore locum tenere nouissimum. *Sedebitis, inquit, super sedes duodecim, iudicantes duode-* *Psal.121.* *cim tribus Israel.* Hę iã ficus erũt, non vtique grossi. Has nimirũ sedes præuiderat qui de superna ciuitate dicebat: Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domũ Dauid. Illic planè, nõ hic. Quómodo enim sedẽt quas hic videmus sedes, quę toties nutant, toties titubant, toties subuertũtur? Nimirum ergo grossi ficuũ sunt, quos tenuis aura deijcit & disperdit. Cæterũ quid sibi vult quòd duodecim tribus Israel iudicaturos fore promittit, in quibus etiã mundus ipse cognoscitur iudicãdus? An quia notus tantum adhuc in Iudæa Deus, vniuersitatem fidelium appellatione duodecim tribuum voluit designari, & quasi solas meminit iudicandas, propter illud: Qui non credit, iam iudicatus *Ioan.3.* est? Hæc enim est perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoque saluandis præeminere auctoritate iudiciariæ potestatis, vt iuxta illud psalmi, Sedeant supra domum Dauid. Quid istud miseriæ est, quòd ad verbum tantæ promissionis negligentia humana dormitat? Popule meus, ait Dominus, quid tibi *Esa.5.* debui facere, & non feci? Quid causæ est quòd inimico meo vestróque libet seruire quàm mihi? Neque enim ille creauit vos, sed nec pascit quidem, aut tempora vestra ipse disponit. Si parua hæc videntur ingrata: non ille, sed ego redemi vos. Sed quo precio? Non vtique corruptibilibus auro & argento, non sole vel luna, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos cruore redemi. Cæterum si neque tam multiplici iure debitũ à vobis elicere est famulatum, omissis his omnibus mecum saltem ex diurno denario conuenite. Nihil vobis ille nocuerit, nihil ipse vidcas profuisse: et obtemperare qui plura vobis & potiora pollicentur, apud quem certior copiosiórque remuneratio est: vt illud quoque benignissima miseratione dissimulem, quod bonorum vestrorum non egens, vobis tantummodo velim esse cõsulium, ne præsentia suscipere detrectens, quæ nunc tibi ero dona gratiæ, futuris gloriæ muneribus eadem coronanda promittens. Quid ád hæc conscientia humana respondet? Cum improperari cœperint hæc in die iudicij, quomodo miseri sustinebunt? Quid excusationis poterunt habere de peccato? Nunquid tunc dicere incipient. Modo, ecce modo, sine paululum: Sic enim nunc dissimulant infœlices, & modo & modo non habet modum: & sine paululum, in longum vadit. Bonus est, inquiunt, Deus, qui in proximo iuuat. Magna quidem diuina promissio, sed longa valdè dilatio, & molesta expectatio est. Terrenas deserere sortes, & necdũ obtinere cęlestem, afflictio intolerabilis, & inconsolabilis dolor. Quid accelerare necesse est vt miseria prolongetur? Misera prorsus & seductoria cogitatio. Noua siquidẽ hæc querela est, nec prolixiorem vitam filij hominis hactenus causabuntur. Breues dies hominis sunt, donec conscientia

ſtimulantur, de pœnitentia & conuerſione vel intus à ſpiritu, vel foris commoneantur ab homine. Extunc ſanè bonum concipitur tædium longioris vitæ, differendæ mortis oritur fiducia noua. Sed eſto, multa tibi annorum curricula reſtant, adoleſcens es vſque ad ſenectutem victurus & ſenium: quid neceſſe habes amittere tempora tanta, perdere tãta lucra? Nihil precioſius tempore, ſed heu nihil hodie vilius æſtimatur. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat: nemo ſibi nõ rediitura momenta periſſe cauſatur. An putas ô homo biennij tantùm aut triennij opus ab omnipotente poſſe recompenſari? Sic abbreuiata eſt manus domini, vt centum annorum non poſſit remunerare laborem? Sede, computa quid diebus ſingulis acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum fore, & ſicut non capillum de corpore, ſic nec momentum de tempore periturum. Quid illud ſapientis conſilium ingeram: Ne tardes conuerti ad dominum? Neſcis quid ſuperuentura pariat dies. Quid inſaniam cauſer de futuro tam temerariè præſumẽtis, quaſi vero tempora & momenta pater in tua, & non magis in ſua poſuerit poteſtate vel voluntate? Poſtremò quid de incerto fine, & quid de certa breuitate laboris, retributionis æternitate loquar? Nouit dominus figmentum noſtrum, conſulit, puſillanimitati noſtræ, humanæ obuiat cogitationi, anxietatem abigit, præuenit trepidationem. Sequitur enim: *Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Quid vltra dicetis filij hominum, quando & in hoc medio tanta vobis promiſſa ſunt, vt dormiatis inter medios cleros, de quibus paulo ante cauſabamini: & exeuntes à ſorte terrena amplior ſtatim excipiat conſolatio, qua nõ modo patienter, ſed etiam gratulantes expectetis ſortem ſanctorum in regeneratione promiſſam? Siquidem & expectatio iuſtorum lætitia eſt. *Centuplum*, inquit, *accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Habetis filij Adam promiſſionem vitæ eius quæ nunc eſt, pariter & futuræ, vt obſtruatur omne os loquẽtium iniqua, & confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. An non ſuperuacuè penitus agit iniqua, qui non modo fructuoſiùs, ſed etiam iucundiùs, non modo ſalubriùs, ſed etiam ſuauius Deo poterat ſeruire quàm mundo? Et attende quod Petro quidem dominus tãtùm de futuro reſpondit. Neque enim ſuper his quæ experiebatur præſentialiter, hæſitare poterat, aut opus habebat interrogare. Denique non quid nobis eſt dixit, ſed quid erit. An verò quis dubitat inſtantis eſſe temporis centupli promiſſionem? Manifeſtè id quidem ipſa verborum cõſequentia probat, vbi centuplum accepturi, & poſſeſſuri dicimur vitam æternam. Cæterum ne quis omnino impudenti remaneat obſtinationi locus, mitto vos ad euangelium ſecundum Marcum, vbi promiſſio eadem deſcripta manifeſtiùs inuenitur. Ait enim Dominus: Nemo eſt qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, aut domum propter me, & propter euangelium, qui nõ accipiat centies tantum nunc in tempore hoc. Atque vt vehemẽtiùs admiretur carnalis anima non percipiens quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſtultitiam reputans, addit ſignanter, cum perſecutionibus. Fortè enim cum audiſſet in tempore hoc centuplũ promitti, coniectabatur etiam de temporalibus exhiberi: ſed præcipiat hunc intellectum nomen additum perſecutionis. Quid enim terrenæ eſt conſolationis, quod non facilè terrena perſecutio tollat? Quid terrenum inter perſecutiones ſancti martyres acceperunt, quando & ipſa quoque beatorum corporum terra data eſt in manus hominum impiorum? Vtcunque tamen vndecunque centuplum ſiue acceptum: dummodo ſit centuplum, dùm valeat centupliciter, centupliciter placeat, conſoletur, delectet, ametur: quid inſaniæ eſt quòd cunctantur homines relinquere ſimpla pro centuplis? Vbi eſt cupidus, vbi eſt ambitioſus, vbi conquiſitor huius ſeculi? Quid ad fidele negotium & nundinas quæſtuoſiſſimas auaritia intepuit & obdormiuit humana? Cui id Iudæo negares ô homo, qui in vanum accepiſti nomen domini noſtri Ieſu Chriſti? cui ſacrilego dare quicquid habes, pro centuplo cunctareris? Sed execrabilis tibi eſt manus domini, vt nullam ab eo cõmutationem recipere, non ei in ratione dati vel accepti communicare penitùs acquieſcas. An fortè non ex odio, ſed ex incredulitate, ex crudelitate detrectas? Nã id mihi fateor credibiliùs eſt. Nemo enim perire magis optaret minimæ cuiuſpiam conſolationis obtentu, quàm in maxima exultatione ſaluari. Sed non eſt omnium fides, nec eorum quidem qui nomine tenus ſunt fideles. Poteram ſanè multorum vobis exempla proponere, multos producere teſtes qui id profectò ſic credidêre, ſic ſentiunt, ſic audierunt, ſic experiũtur. Abundat huiuſmodi teſtimoniis, huiuſmodi carbonibus deſolatoriis, omnis natio regionis, & omnis lingua, vbicunque ſanctorum congregatio eſt. Sed quando humanis credat experimentis, qui veritati nõ credidit promittenti? Illud ego vehementiùs arbitror admirandum, quòd fideles magis in maximo quàm in modico videamini. Non enim difficile eſt ei dare centuplum in præſenti, qui daturus eſt vitam æternam in futuro. Qui daturus eſt quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, nõ modo centuplum dare poteſt? Sed quomodo, inquit, poſſunt hæc fieri? Qua ratione accipit centuplum, qui nihil ſibi relinquit ex omnibus? Nempè hoc eſt quod paulo ante cõmemoraui: Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem. Mira nouitas, ſed eius qui noua omnia facit. Iugum tollens inuenit requiem, relinquens omnia centuplum habet. Nouerat hoc & ille nimirum homo ſecundum cor Dei, qui ei loquebatur in Pſalmo: Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? An non fictus in præcepto labor, onus leue, ſuaue iugum, crux inũcta? Huius enim rei ſacramentum eſt quòd in dedicatiõne eccleſiarũ depictas in pariete cruces oleo ſancto pontifex linit. Sic & olim quidem Abrahæ dictum eſt: Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offeres mihi eum in holocauſtum. labor fictus eſt in præcepto. Oblatus ſiquidem Iſaac ſanctificatus eſt, nõ mactatus. Et tu igitur ſi vocẽ Domini audieris intus in animo, & dicatur tibi vt offeras Iſaac, tuũ quodcunque eſt gaudiũ immoles Deo (interpretatur enim Iſaac gaudiũ ſeu riſus) fideliter & conſtanter obedire ne timeas. Nimirum etſi rem grandem tibi dicit propheta, facere debes, & obtemperandum ei per omnia, etiam ſi oportuerit ipſum Iſaac iugulari. Nunc autem quicquid afflictio propria iudicet,

Eccl.5. Matth.19. Mar.10. Ibidem. Pſal.93. Geneſ.22.

dicet, securus esto: non Isaac, sed aries morietur, non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cuius vtique corona vepribus hæret, & sine punctionibus anxietatis esse non potest. Tentat enim te dominus Deus tuus, nec mactabitur Isaac vt optaris, viuens viuet, sed eleuatus est vtique super ligna, vt in sublime gaudeas, nec in carne propria, sed in cruce domini gloriens, per quẽ nimirum crucifixus & ipse es, sed crucifixus mundo: nam ei viuis.

2.Cor.6. Hæc nimirum conuersatio perfectorum, hæc sanctorum vita, hæc gratia spiritualis. Denique tanquam tristes, inquiũt, semper autem gaudentes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes:

Psal.30. tanquam morientes, & ecce viuimus. Qui videbant me foras, fugerunt à me, dicit & filia regis, ea vtique cuius gloria omnis ab intus est. Vnde & clamitat in Cantico canticorum, adolescentulas reuocans, quas exteriori sua incompositione deterritas videt:

Cant.1. Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quòd fusca sum, quia decolorauit me sol: ac si manifestè spiritualis quispiam dicat teneras & infirmas mẽtes exhortans: Quid laboriosa quæque & humilia conuersationis nostræ tam sedulè numeratis? Saga cilicina sunt, & pelles arietum rubricatæ, quibus interior ille splendor & interna tegitur gloria, vt illæsa à pulueris & imbriũ iniuria conseruetur. Nolite me considerare quòd fusca sum, nolite pauere, nolite mirari. Neque enim tristitiæ aut necessitatis est exterior iste neglectus & nigredo forinseca, sed occulti splendoris, & exultationis internæ. Decolorauit, inquit, me sol, lux interior exterioris impatiens. Nimirum ignis est, & inania folia non admittit. Alioquin aut exuri folia, aut certè si præualuerint, ignem extingui necesse est. Quod quidem omnino cauendum Apostolus docet,

1.Thes.5. *Luc.12.* Spiritum, inquiens, nolite extinguere. Magis autem id Christus prohibet, volens eum vehementer accendi. Igitur sponsa quidem nigra, sed formosa: Apostoli tanquam tristes, semper autem gaudentes: ipsi Christo, si Iudaicis consideretur oculis, non erat species neque decor. Econtra sanè alios

Matth.23. dealbatis veritas comparat monumentis, foris quippe splendidos & nitentes, intus sordidos & fœtentes. Ambulant enim in stolis, & primas (vt dictum est) cathedras amant, gloriosi, honorati, & magni in oculis hominum: intus autẽ vbi Deus videt, pleni auaritia, inuidia, ambitione, superbia, luxuria fortassè nonnulli. Quando enim talibus detur preciosum illud continentiæ munus, nisi fortè ad iudicium & condemnationem, ne quando paueant, & resipiscant, & conuertantur à studiis suis, sed obdormiscant in peccatis, & deterius pereant ex ipsa sua irreuerentia & securitate? Sanè vt exercitij spiritualis & curæ cordis indicium euidens est contemptus exteriorum, sic eorundem solicitudo certũ nihilominus signum mentis incultæ. Scriptum quippe est: In desideriis est omnis ociosus. Et item; De stercoribus boum lapidabitur piger.

Eccl.22. Væ væ misero: dùm stercoratur, putatur ornari. Bos erat Paulus triturans in area Domini, & suum vtique agnoscens possessorem: vnde & dicebat:

Philip.3. Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Hæc amplexatur stercora etiam si quondam nutritus fuerit in croceis. His lapidatur stercoribus piger, qui Christum lucrifacere negligens, corde vacuo & deserto foras cogitur euagari. Siquidem famis necessitate Iacob patriarcha descendere legitur in Ægyptum, & prodigus ille

Genes.46. *Luc.15.* filius seruire porcis, esurire siliquas egestate coactus est. Sed quid dicit scriptura? Habenti dabitur, & abundabit: non habenti autẽ, & hoc ipsum quod videtur habere, auferetur ab eo.

Matth.13. Arescet fœnum, & decidet flos: ipsæ quoque fenestræ claudentur, vt nihil vltrà terrenæ valeant consolationis haurire. Denique arguam te (ait Dominus) &

Psal.49. statuam contra faciem tuam. Quid illud confusionis erit, quid miseriæ, quid doloris, quãdo dissipatis solitis & dispersis, vniuersa nudabitur turpitudo, reuelabitur ignominia, sanies apparebit, quando iam immortalis factus interius ille conscientiæ vermis, tota malignitate corroder, sed nõ consumet animã infelicem, nec erit omnino dissimulationis locus, aut spes vlla cõsolationis? Quid enim causæ est quòd ne modo quidem conscientiæ stimulos sustinere aliquatenus possunt, sed auertunt oculos cordis, & ad consolationes miseras conuertuntur, aut certè dissimulationibus aliquibus decipiunt semetipsos, & mentitur iniquitas sibi, nisi quòd intolerabilis ille est cruciatus (licet adhuc blandiatur spes, & extenuet omnino dolorem) dùm sibiipsis pro libitu tempora metiuntur, & omne quod agunt, facile diluendum, deserendúmque quod appetunt, temeraria præsumptione promittunt? Sed & ipsa consuetudine & incuria stupidi & infensati corde, ferè nihil sentiunt, quæ quidem omnia longiùs abeunt, vbi fiet quod scriptum est; Arguã te, & statuam contra faciem tuam.

Ibidem. Quanto enim sibi vicinior, & naturali necessitudine charior anima carne sua est, tanto acriùs doleat necesse est, & molestiùs ferat propriam quàm corpoream læsionem, vbi à stupore isto & insensibilitate fuerit excitata, sicut econtra bona propria, & delicias spirituales, internámque animi voluptatem vbi contigerit experiri, eo vtiq; delectabiliùs amplectatur, iucundiúsque fruatur oportet, quo propiùs & expressiùs eam sanguinet, nec exteriùs mendicantur. Nemo quippe eo modo iumenti sui, quo corporis sui refectione poterit delectari. Placet quidem & illa, sed longè aliter ista sapit, aliterque sentitur. Quod si iumentum animæ, corpus esse fateris, eadem vtique ratio tibi obseruanda est & in ipsis. Noli ergo errare, noli seduci, vt non magis in spiritualibus spiritum credas quàm in corporalibus oblectari. Vel humanam cõsule rationem, si fides in te penitùs obdormiuit.

Genes.40. *Luc.23.* Tres in carcere quondam fuisse legimus, tres in cruce. Ioseph siquidẽ cum pincerna & pistore regis carcerali custodia mancipatus, Christus verus Ioseph cum sceleratis duobus vtique reputatus est. Et illi quidem in carcere vidêre somnia, & audiêre interpretationem: isti in cruce verba locuti sunt, & vnus accepit promissionem. Priorum siquidem alter propinabat regi, & audiuit: Restitueris in gradũ pristinum. Alter pascebat aues, & responsum mortis accepit. Ipsi quippe sunt porci quos pauit ille prodigus adolescẽs.

Luc.15. Sputci siquidem & elati meritò porcorũ & auium nomine designantur. Porro eorum qui crucifixi sunt cum saluatore, alteri vtique confitenti dictum est: Hodie mecum eris

Luc.23. in paradiso, alteri quidem blasphemãti, non quidem à Domino (neque enim tunc ille iudicabat quenquam) sed à socio responsum est: Neque tu

times Deum, qui in eadem damnatione es? Quid ergo putamus, quid duobus illis quorum alteri dictum est, testituetis post tres dies, alteri, hodie mecũ eris in paradiso: præter ipsam sanè dilationem interim potuit esse molestum? Quid verò illum putat delectare cui dictum est, truncato capite post triduum suspenderis, auium esca futurus? Sane in hoc potius sumus omnes, & nemo nisi in carcere, siue in cruce interim nemo. Quippe vbi nec innocens inuenitur immunis, * quando peccator requiem spectat? Cæterum si quis volens sustinet dicens, nos quidem iustè: mercedem habebit, finantem iniuriis & blasphemans, & negans Deum factis, duplex ei contritio est. Si quis testimonium habet saluus, etiam & caro eius requiescit in spe, & prophetæ satiunla pulmentum condit atque dulcorat, vt in olla iam non mors, sed vita sit. Denique nemo sanæ mentis ampliorem esse in vitiis credat quàm in virtutibus delectationem, præsertim cum sit Deus virtutum, totius veræ iucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo. Neque enim carni seu mundo aut maligno principi, sed Christo vtique seruire, regnare est. Audi hominem de propria vtique experientia perhibentem fidele testimonium veritati: In via, inquit, testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via? Sic & Apostolus non in spe solùm, sed etiam in tribulatione docuit gloriari. Ille quidem sic ait; Amicus huius seculi, auctoris seculi inimicus. Ille quidem sic, ego forte non ita. Delicatus sum, homo peccator sum, nec subsistere in tãto labore sine gratia multa, nec ipsam gratiam valeo promereri: quasi verò gratia non sit gratia, sed operum merces, quasi non omnes peccauerint, aut non omnes egeant gratia Dei. Æstimas ò homo, quia personarum acceptio sit apud Deum, & nõ omnes omnia relinquentes tam copiose consoletur? Noli esse incredulus, acquiesce vel veritati, de cuius testimonio nulli licet dubitare fideli. *Et omnis*, inquit, *qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet*. Neminẽ Christus excipit. Miseri igitur qui dicunt, præter nos qui excludunt semetipsus & excipiunt à beneficio generali. Nimirum indignos se iudicant multo magis vitæ æternæ, qui nec ipsum quidem centuplum sperant. Sed quia Deus verax est qui promittit, homo vtique mẽdax est qui diffidit. *Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, &c.* Facilè ego poteram cõtradictionem sustinere linguarum, si id loqueret ex meipso, Siquidem nõ percipit carnalis homo quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia illi videntur. Nunc autem ipse id loquitur, cuius verba etiã cælo & terra transeuntibus non transibunt. Sed audiui (ait homo qui perditionis sumit occasionem, & vt vulgò dicitur, festucam quærit vnde sibi eruat oculum) audiui, inquit, de illo & illo qui reliquerant omnia, & ad vomitum suum sunt reuersi: quomodo illi acceperant centuplum? Exurge domine, iudica causam tuam, & istorum nempe calumniam, & murmur ipsorum qui fortè omnia relinquere visi sunt, & minimè tamen centuplum acceperunt, non contra nos, sed contra te est, qui dixisti: *Omnis qui reliquerit patrem, &c. centuplum accipiet*. Quid tamen dicimus? An ex collegio discipulorum reprobari quis potest nisi loculos

* Legendum forte quomodo.
4.Reg.4.
Psal.118.
Rom.5.
1.Cor.2.
Luc.12.
Matth.19.

habens? Sunt enim loculi non modo pecuniæ, sed propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias suas & studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur: nec dubium quin inueniat angulum & diuersorium reclinatoriúmque, non quidem filij hominis, sed aut foueam vulpis, aut volucris nidum. Magis autem perfectus, obsecro, relinquat omnia, & solum sequatur Christum, iactans cogitatum suum in Deo, enutriẽdus ab eo, & centuplũ sine dubio percepturus. Neque enim potest solui scriptura, quæ tam certa veritate subnixa, omnibus id sine exceptione promittit. Nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Sunt enim qui sibi retineant aliquid, dominicæ vocis obliti, qui non suã venit facere voluntatem, & in ipsis quoque sanctorum collegiis proprio aut desiderio aut fortasse consilio importunius adhærentes, sciolos sese faciunt, de se sibi aliquid retinentes, quos penitùs abnegasse, & diuinæ prouidentiæ, ac obedientiæ patrum, consiliis quoque spiritualium virorum debuerant commisisse. Sunt enim qui propinquis retineant & amicis, quod abjiciunt à seipsis, pro eorum prosperitate præsens, inani protsus & seculari sollicitudine æstuantes. Crudeles planè, qui nequaquam proximos diligant tanquam se. crudeles, inquam, vel in se, vel in suos: imò quod verius est, in vtrosque. Nemo ergo cùm se videt non omnia reliquisse, centuplum nõn accepisse miretur. Preciosa siquidem diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Infelix in Esau, qui dixisti: Num vnam tantùm benedictionem habes pater? Quantò melius erat dicere cum propheta: Vnam petij à domino, hanc requiram? Indignus enim benedictione cælesti conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud sibi (cfagitum partus, si fortè eam non obtinere contingat. Maior est iniquitas mea (ait fratricida primus) quàm vt veniam merear. Quid ergo? Renuat cõsolari anima tua, si veniam non meretur. Hoc solũ deplora, hoc solum plange. Aliud ne cogites quidem. Sed nunc, inquit Cain, omnis qui inuenerit, occidet me. Graue scilicet damnum, grandis iactura si perimatur corpus, quandoquidẽ anima periit. Sed occidendum sese causabatur infelix, tanquam pro magno beneficio habiturus si prohiberetur occidi. Quod & factum est. Consolationẽ miseram obtinuit quam quærebat, & oblitus est consolationis maximæ, pro qua multo studiosiùs supplicare & remedium quærere oportebat. An non idem & de Saule legisti? Vbi enim periitit in sententia Samuel sanctus; Nunc, inquit, honora me vel coram populo. Ad quid tibi hæc honoratio miser? Hæccine erat tota illa supplicatio, Peccaui, ora dominum pro me? Merito sanè nõ pepercit, qui intuebatur cor. Falsa non poterat supplicatione moueri. Vix adhuc dixerat Dauid, peccaui, & responsum illi est, Dominus transtulit peccatum tuum à te. Sic nimirum, sic vsque hodie dilectissimi, cuius ad alias consolationes mens inhiat, & penitùs in caducis & transitoriis non recipit consolari, ipse sibi profectò cælestis subtrahit gratiam consolationis. Quam si digna deuotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret, sine dubio petens acciperet, quærens inueniret, pulsanti aperiretur. Alioquin si fortè (quod absit) pudendum illum apostasiæ saltum præsumpserit, certum

1.Cor.5.
Genes.27.
Psal.26.
Genes.4.
Ibidem.
1.Reg.15.
2.Reg.12.

certum omnino sit testimonium veritatis accipientibus, aut nunquam eum omnia reliquisse, aut ipsum quoque posteà deseruisse centuplum quod acceperit. [Galat. 3.] Nonnulli siquidem cum spiritu cœperint, heu carne posteà consumantur. Quod si insanum est centuplum nolle recipere, velle relinquere plus quàm insanum iurè censetur. An verò plangendus tibi videtur qui abstractus & illectus à concupiscentia sua, sponte id deserit, libens abjicit, voluntariè derelinquit, & qui nutriebatur in croceis, amplexatur stercora? Non est vnde causetur qui eiusmodi est, tanquam in eo videatur irritum verbum Domini, aut euacuata promissio. Dùm enim reliquit omnia, habuit sine dubio repromissam centupli benedictionem. Sine causa contendit: nō ei magis quàm Christo credimus, nec omnino acquiescimus mēdacem eum facere qui promisit. *Centuplum*, inquit, *accipiet, & vitam æternam possidebit.* Illud enim in via, hæc in patria est. Imò hæc patria, illud via. Illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consumatio est. Sic nimirum & operariis huius seculi solet cibus in opere, merces in fide dari. sic militātibus & stipendia ministrantur pro necessitate laboris, & nouissimè donatiuū maius erogatur pro quantitate laboris. Sic & filiis Israel donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit: & ab ecclesia post quęsitum regni cęlestis aduentum, quotidianus panis petitur in oratione quam ipse saluator instituit. Habes hanc duplicem promissionem & in propheta euidenter expressam, [Sap. 10.] vbi ait; Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deducet illos in via mirabili. Ipsa est enim via testimoniorum domini, in qua propheta alius [Psal. 118.] sicut in omnibus diuitiis delectatum se esse testatur. Vt quid ergo in incredulitate moriemini filij hominum? At fortè adhuc secularis ad hæc quispiam dicat: Ostende mihi centuplum quod promittis, & libēns vniuersa relinquo. Vt quid ostendam? Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An potiùs homini ostendenti, quàm veritati crederes promittenti? Deficis scrutans scrutinio. Nisi crediderís, non intelliges. Manna absconditum est, [Apoc. 2.] quod in Apocalypsi Ioannis victori promittitur. Nouum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Videtur enim fortè nonnullis præsentem sanctorum cōmunionem facultatum pariter & voluntatum hoc loco centupli nomine designari. Et magna quidem hæc ipsa consolatio, sed non adcò generalis, vt possit vniuersaliter omnibus conuenire. Quantos enim sanctorum aut volūtariè eam deseruisse, vt anachoretas, aut violentia persecutionis; vt martyres exilio relegatos, humana consolatione nouimus caruisse? Datum optimum est centuplum hoc, desursum descendit a patre luminum. An non denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omniū, qui impletur spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quòd lōgè plus quàm centuplum est visitatio paracleti spiritus, & præsentia Christi. [Psal. 30.] Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscōdisti timentibus te, perfecisti eis: qui sperant in te. Vides quomodo memoriam abundantiæ suauitatis huius eructet anima sancta, quomodo exprimere gestiens; verba multiplicet? Quàm magna, inquit, multitudo. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non vtique esca vel potus, sed iustitia & pax & gaudiū in spiritu sancto. Gaudium sanè non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit Christus vehementer accendi. [Luc. 12.] Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax quam suis reliquit Christus, quando dedit & suam. [Sap. 3.] Siquidem donum & pax est electis Dei, pax vtique præsentis, & donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed & huic quicquid sub sole placet, quicquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia deuotionis, & vnctio docens de omnibus, quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit. [Apoc. 2.] Vtinam hic filiorum hominum concupiscentia vigilet, vtinam vel curiositas excitetur, vt dicāt in cordibus suis, non videtur hoc verbum adinuentionis humanæ, cui sic consonant vno ore testimonia scripturarum. Quod si ita est, sine dubio vehementer erramus. Probare libet an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, experiri quid sit hoc centuplum, quale gaudium in spiritu sancto. Cras profectò respondebit [Gen. 30.] ei iustitia sua, qui id studiosè quæsierit. Cōfestim vt gustauerit, videbit quàm suauis est Dominus, quoniam bonus non modo tenenti, sed & quærenti se, animæ speranti in se. Alioquin venite & [Thre. 3.] arguite me, dicit Dominus; *Si non omnis qui reliquerit patrem & matrem, aut domum aut agrum propter nomen meum, centuplum acceperit.* Nunc in hoc tempore, parum est, & *vitam æternam possidebit.* Verum si in præsentis commendatione centupli sermo deficit, & ex abūdantia cordis angustia oris obstruitur, quidni ad promissionē æternæ vitæ defectum propriū ipsa etiā cogitatio fateatur? Si id quod ex parte est, non valeat eloqui nec expertus, quid inexpertus de perfectione balbutire conetur? Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti dilīgētibus te. Pax enim est quæ exuperat omnem sensum, pax super pacem, indeficiēs exultatio, torrens voluptatis diuinæ, flumen lætitiæ, gaudium plenū. Cogita quicquid vis, quicquid potes exopta, excedit cogitatum omnem, desiderium omne exuperat illa felicitas, ęternitas illa, beatitudo illa. Ad quā nos sua miseratione perducat præueniens in benedictione dulcedinis, & indeficienter interim tribuens promissam cētupli gratiam, ad solatium vtique & remediū laboris huius, ne deficiamus in via, vt de exhibitione præsentiū munerum firma sit expectatio futurorum, qui venit vt vitam habeamus, & abundantius habeamus, Iesus Christus dominus noster.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in superius Euang. Homil.

AVdiens à Domino Petrus, quia diues difficile [Tom. 7. Hom.] intraret in regnū cælorum, sciēnsque secum suis condiscipulis ad integrū mundi fallentis spreuisse delitias, voluit agnoscere, quid vel ipsi, vel cęteri mundi contemptores pro maiore mentis virtute maioris præmij sperare deberent. Et respondens

dens Domino ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Vbi solerter intuendum, quòd non solum se omnia reliquisse, sed & Dominum sequi gloriatur: quia stultum profectò est iuxta Platonem, & Diogenem, & quosdam alios philosophos, vitæ quidē huius diuitias calcare, & non hęc pro ęterna adipiscēda vita, sed pro inani agere mortalium laude captanda, stultum præsentes labores vltro absque spe futuræ subire quietis, & pacis. Perfectus autem ille est, qui abiens vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus, ac veniens sequitur Christum. Habebit enim thesaurum nō deficientem in cælis. Vnde bene interrogante Petro, dixit talibus Iesus: *Amē dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicātes duodecim tribus Israel.* In hac quippe vita pro eius nomine laborantes, in alia præmium sperare docuit, id est, in regeneratione, cum videlicet in vitam immortalem fuerimus resurgendo regenerati, qui in vitam caducam mortaliter eramus geniti. Et iusta prorsus retributio, vt qui hîc pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo iudices glorificati singulariter cum eo humanæ conuersationis assideant, & quia sequendis eius vestigiis nulla ratione poterant auelli. Nemo autem putet duodecim tantum Apostolos, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, tunc esse iudicaturos, sicut nec duodecim solę sunt tribus Israel iudicandæ. Alioquin tribus Leui, quę tertia decima est, inindicata recedit. Et Paulus, qui tertiusdecimus est Apostolus, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, iudicandi sorte priuabitur, cum ipse dicat: Nescitis

1.Cor.6. quoniam angelos iudicabimus, quāto magis secularia? Sciendum nanque est, omnis qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum. Quia enim duodenario sæpe numero solet in scripturis vniuersitas designari, per duodecim sedes Apostolorum omnium numerositas iudicantium, & per duodecim tribus Israel vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt ostēditur. Vnde notandum, quod duo sunt ordines electorum in iudicio futuri: vnus iudicantium cum domino, de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & secuti sunt illum: Alius iudicatorum à domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen, quæ habebant, quotidianas dare eleemosynas Christi pauperibus curabant. Vnde & audituri sunt in iudicio: Venite

Matth.25. benedicti patris mei, possidete pręparatum vobis

Matth.19. regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, & cætera, quorū & in superioribus huius lectionis dominus meminit, cum principe quodam interroganti, quid boni faciendo vitā possideret æternam, si vis, inquit, ad vitam ingredi, ser-

Exod.20. ua mādata. Non homicidium facies, non furtum, non falsum testimonium dices, vel honora patrē, & matrem, & diliges proximū tuū sicut teipsum. Ergo, qui mandata domini seruat, ad vitam ingreditur æternam: qui autem non solum mandata seruat, verumetiam consilium domini, quod pro contemnendis diuitiis mundi à luxibus tribuit, sequitur, non tantum vitam ipse percipiet, sed etiam de vita aliorum cum domino iudicabit, at-

Consiliorū & mandatorum discrimen, consiliorū seruator amplius præmiū percipiet, quam si sola mandata seruasset.

que ita fit, vt in iudicio, vt diximus, duo sint ordines bonorum. Sed & reproborum duos ibi futuros ordines, domino narrante, comperimus, vnū eorū, qui fidei Christianæ mysteriis initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus in iudicio testatur: Discedite à me maledicti in ignem æter- *Matth.25.*
num, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, & cætera: Alterum eorum qui fidem, & mysteria Christi vel nūquam suscepēre, vel susceptam per apostasiam deseruēre, de quibus dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Qui quoniam nec ver- *Ioan.3.*
bo tenus Christum colere voluerunt, nec verba saltem eius, quibus coarguantur in iudicio merentur audire, sed ad hoc tantum veniūt in iudicium, vt cum eis, qui iudicantur peccatoribus, in damnationem mittantur æternam. Verum his cū timore, & pauore debitè paulisper commemoratis, ad lætissima potius domini, & saluatoris nostri promissa conuertamus auditum. Videamus, quæ tantæ gratiæ pietatis, non æternæ tantummodo vitæ præmia suis sequacibus, sed & pręsentis munera pollicetur carmina. *Et omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, cētuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Qui enim terrenis affectibus, siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quo plus in eius amorem profecerit, eo plures inueniet qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantiis, eius nimirum professionibus, vitæque consortes, qui se pro Christo pauperem factum in suis domibus, agrísque recipere, & maiorem prorsus quam vxor, parens, frater, aut filius carnalis deuotione charitatis refouere delectentur. Centuplum nanque quod ait, non numerum amantium in Christo & seruientium pro Christo fidelibus, sed vniuersitatē, perfectionémque, qua per charitatem inuicem seruiunt, ostenditur. Cuius rei & in nobis ipsis, fratres charissimi, sæpe exemplum sumpsimus, cum alicubi pro rerum necessitate digredierēs cuncta nobis monasteriorum habitacula quasi propria patere cognouimus, cunctos in nostrum obsequium syncerissima deuotione pronos aspeximus, & maxime in beatæ memoriæ patre nostro beato Benedicto, cuius hodie venerandā assumptionis diem debita solēnnitate recolimus, totum lectionis huius tenorem videmus perfectissimè compleri. Derelictis enim omnibus, secutus est Christum, quando spretis eis, quæ in monasterio regali acquisierat, vel acquirere valebat, cū esset nobilis natu, ad beatorum Apostolorum limina peregrinaturus aduolauit: vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, & ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam viuēdi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius ecclesiæ caput eminet eximium. Ibi ergo eruditus in Christo, illis in partibus attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis, ibidem totū vitæ suæ erat exactarus, si non apostolica domini papæ prohiberet autoritas, qui eum propter ducendum Britanniam sanctæ recordationis archiepiscopum Theodorum, patriam redire pręcepit. Nec longo post tempore etiā reges seculi cognito virtutum eius studio, locum eis construendi monasterij, non ab aliqua minorum personarū obiatum,

Intelligit non de eius ordinis patriarcha, sed de alio eiusdem.

Roma totius ecclesiæ caput eminet eximium.

rum, sed de suis propriis donatum dare curabant. Quem ille acceptum mox perfectissimè iuxta regularem disciplinam interius, exteriúsque constituit, non pro suo captu decreta nobis statuens, sed antiquorũ statuta certissima monasteriorum, quæ peregre didicerat, sibi, suísque obseruanda proponens. Nec cuilibet vestrum, fratres, graue debet videri, si nota loquamur, sed delectabile potius æstimare, quia vera loquimur, quando patris nostri spiritalia gesta narramus, cui manifesto miraculo dominus, quod fidelibus suis promisit, adimpleuit: quia omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Reliquit quippe cognatos, quando patriam deseruit: accepit vero centuplum, quia non solum à cunctis in hac terra pro virtutum industria merita veneratione habitus est, sed & in Gallia, atque Italia, Roma quoq;, ac maris insulis, ab omnibus, qui eũ nosse potuerunt, dilectus, adeò vt ipse papa apostolicus ad profectum monasterij huius, quod illum nuper fundasse gaudebat, Ioannem illi abbatem, atque archicantorem Romanæ ecclesiæ, sicut charitas vestra bene meminit, Britanniam à Roma deducendum præstaret, per quem idem monasterium morem canendi, ac ministrandi canonicum iuxta ritum sanctæ Romanæ, atque apostolicæ ecclesiæ perciperet. Reliquit domos, & agros, quos habuerat pro Christo, de quo agrum semper virẽtis paradisi, & domum non manufactam, sed æternam in cælis accipere sperabat. Reliquit vxorem, & filios, non quidem vxorem acceptam, & filios ex carne natos, sed vxorem prorsus accipere, ex qua filios habere posset, castitatis amore contempsit, malens ad illa centum quadraginta quatuor milia electorum pertinere, qui cantant canticum nouum ante sedem Dei, & agni, quod nemo potest dicere nisi illi: Hi enim sunt, qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati, & sequuntur agnum, quocunque abierit. Et accepit centuplum, quando non in his solummodo, sed & in trãs marinis cum partibus plurimi in domos suas recipere viantem, suorum fructibus agrorum reficere desiderabant, quando patronorum per plures illi, quando viri Deo deuoti pro animi constantis excellentia, non minori quam coniugibus aut parentibus propriis dilectionis instantia seruiebant: accepit cẽtuplum domus & agros, quando hæc in quibus monasteria cõstrueret, adeptus est. Vxorem nanque dimittere pro Christo, & in hoc centuplum accipere est, quia animarum centuplum maius esset tunc meritum charitatis inter continentes propter fructum spiritus, quam inter lasciuientes quondam propter desiderium carnis filios, quos carnaliter habere despexit, centuplum accipere meruit spiritales. Centenarius quippe numerus, vt sæpe dictum est, perfectionem figuratè significat, Nos nanque sumus filij eius, quos in hanc monachiæ domum pius prouisor induxit, nos sumus filij eius, si iter virtutum eius imitando tenemus, si non à semita regulari, quam docuit, torpendo deflectimus. Meminimus nanque, fratres, qui illum nosse potuimus, dicere crebro auditu quos post obitum illius in nostræ fraternitatis consortium pietas superna congregauit, quia quamdiu sospes erat corpore, pro gloria sanctæ Dei ecclesiæ, & maxime pro huius monasterij pace, honore, & quiete semper laborare perstabat, toties mare transiit, nunquam, vt est consuetudinis quibusdam, vacuus, & inutilis rediit, sed nunc librorum copiam sanctorum, nunc reliquiarum beatorum martyrum Christi munus venerabile detulit, nunc architectos ecclesiæ fabricandæ, nunc vitrifactores ad fenestras eius decorandas, ac muniendas, nunc cantandi, & in ecclesia per totum annum ministrandi secum magistros adduxit, nunc epistulam priuilegij a domino papa missam, qua nostra libertas ab omni extrinseca incursione vitaretur, adportauit, nũc picturas sanctarum historiarum, quæ non ad ornatum solummodo ecclesiæ, verumetiam ad instructionem intuentium proponerentur aduexit, videlicet vt, qui literarum lectione non possent opera domini, & saluatoris nostri, per ipsarum contuitum discerent imaginum: Qui in his, & in huiusmodi rebus ideo tam plura labore studuit, ne nobis sic laborandi remaneret necessitas: ideo toties transmarina loca adiit, vt nos omnibus scientiæ salutaris dapibus abundantes intra monasterij claustra quiescere, & cum secura libertate Christo seruire queamus. Qui etiam cum corporis infirmitate corriperetur, premeretúrque acerbius, semper interim debitas gratiarum actiones de monasteriorum, quas didicerat, docuerátque regulis seruandis, semper de ecclesiasticis obseruationibus, quas per omnes ciuitates, & maxime Romæ viderat, semper de locis sanctis, quæ se lustrasse iuuenem meminit, loqui, & iterare delectabile habebat. Sic longis virtutum studiis exercitatus, longo insuper animo semper infirmitatis martyrio excoctus, post centupla gratiæ præsentia munera ad vitam transiuit æternam. Vnde necesse est, fratres charissimi, vt tanquam boni filij, & tanto parente digni, exempla, ac præcepta illius in omnibus seruare curemus, neque vlla nos à vestigiis tanti ductoris sequendis animæ, vel carnis illecebra reuocet: quatenus & ipsi, qui carnales affectus, substantiámque reliquimus terrenam qui vxores ducere, ac filios carnaliter procreare angelicæ conuersationis amore fastidiuimus, augente spiritalium virtutum merito, & in præsenti centuplum accipere de societate sanctorum, & in seculo venturo vitam possidere mereamur æternam, præstante gratia redemptoris nostri, qui viuit, & regnat cum patre in vnitate spiritussancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Regularis disciplina.

Apoc. 14.

Reliquiæ sanctorũ martyrum cum honore delatæ.

Priuilegia exemptionis olim etiam à Papa impetrabantur

Imaginũ vsus & olim in ecclesia.

Horarum canonicarũ ritus à Romana ecclesia desumptus.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem *Euang. expositio.*

TVnc respondens *Petrus dixit. Ecce nos reliquimus omnia.* Cum audisset Petrus perfectionem à domino iuueni propositam, & laudatam, voluit scire quæ esset merces studentibus eam, dixitque ad dominum. *Ecce nos reliquimus omnia.* Quomodo dicit, *omnia,* cum non habuit nisi rete, & nauim: & ipsa quando necessarium fuit repetiit? Nam inuenimus eum piscatum fuisse post resurrectionem. Sed omnia intelligenda sunt, quæ concupisci poterant: quia etiam voluntatem habendi reliquerunt. Et si voluisset aliquis rex eis dare multa prędia, & honores, non essent accepturi. *Reliquimus omnia, & secuti sumus* te. Hoc est, si reliquimus vt tu

tu habes derelicta: qui non vis quicquam in hoc seculo possidere. Secuti sumus te nó tantum gressibus corporis: sed & imitatione actionis. Simili modo debent relinquere omnes monachi, & canonici, sicut & apostoli. A quo enim debent episcopi & presbyteri, ac diaconi exemplum accipere, nisi à quo & gradus accipiunt? Sicut enim in veteri lege sacerdotes exemplum Moysi & Aaron, qui primi sacerdotes fuerunt, tenuerūt: sic in nouo omnes apostolici, & episcopi ac presbyteri, & reliqui ordines debent exemplum capere à Christo & ab apostolis. Vnde & Paulus dicit. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nam & monachi quamuis aliquid plus videantur facere quam in euangelio scriptum est: tamē eandem normam & ipsi tenere debent. Et si aliquid eis plus præceptum est: ad nihil aliud præceptum est, nisi vt domini regula possit custodiri. Etenim si pręceptum est nobis post completam nó loqui: pro nulla alia re pręceptum est, ne refectis cibo colloquentibus simul aliqua lis exurgeret: & nimium vigilātibus, congrua hora ad Dei laudes surgere nequirent. Si præceptum est nobis à carne absque necessitate carnis abstinere: ideo factum est, vt possit castitas custodiri. Nam in necessitate non est prohibitum. Credimus tamē pro certo, quòd in cibo, & potu eandem regulam tenuit dominus, quam & in cæteris causis: tantummodo ad sustentandum corpus. Nec tamen nobis prohibetur pro necessitate corporea sicut & Paulus dicit. Carnis curam ne feceritis, in desideriis dicit: non in necessitatibus, quia quod necessarium est corpori propter subsidium, nec Deus prohibet, nec alius quilibet doctor. Non enim beatus Benedictus alterius imitator fuit; nec plusquam dominus facere voluit: quia sufficit discipulo vt sit sicut magister eius: & erit tunc perfectus. Nam & qui vocantur monachi: quia sub regula degunt, regulares dicuntur: & hoc est canonici Græco nomine. Omnes tamen habent Christum in exemplum, & apostolos eius, quos imitari debent. Laici autem habent Nicodemum, Gamaliel, Ioseph: & si potentiores sunt, possunt in scripturis diuinis inuenire quem imitentur: & in potentia seculari, & in mansuetudine, & humilitate Christi. Ecce proponam vobis diuitem & pauperem Dei: ab ipso capite exemplū. & facite sicut ipse fecit. Videamus Iob quomodo iustus fuerit, qui legem literæ nunquam audierat: & tamen potentiam seculi tenebat: & euangelij documenta postea multo tempore prolata, opere custodiebat. Audiamus verba ipsius, quæ inuitus protulit: sed tamen non ex cenodoxia. Ait ergo. Videbant me iuuenes & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Ecce potestas & honor regalis: videamus illata paupertatem à domino postea permulgatam. Auris audiens beatificabat me, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor: benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco: & pes claudo, pater eram pauperum. Conterebam molas iniqui: & de dentibus illius auferebam prædam. Ecce, quod Deus dicit. Esuriui, & dedistis mihi manducare: & reliqua misericordiæ opera. Adhuc videamus excellentiam & humilitatem. Sequitur, Cumque sederem quasi rex, circum stante exercitu. Ecce excellentia. Eram tamen mœrentium consolator. Item, Si contempsi iudicium subire cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarēt aduersum me, si negaui quod volebam pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Si animam agricolarū meorum afflixi: quia ab initio creuit mecum miseratio, & de vētre matris meę, egressa est mecū. Ecce quod Dominus dicit, Beati misericordes, & reliqua, vultis scire. Qualis fuit erga subditos? ait, si leuaui manū meā super pupillū, etiam cum viderem me in porta superiori: foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit: vultis cognoscere quam castus? ait, Pepegi fœdus cum oculis meis: ne cogitarem de virgine, est item, si deceptum est cor meum super mulierem, scortum sit alterius vxor mea. Ecce potentia & diuitiæ in vno homine: Qui nolunt per omnia potentias dimittere, teneant eas sicut iste, qui ditior fuit quolibet rege nostro: & tamen absque lege Moysi & euangelij extitit. Inueniat qui vult talem diuitem in vtroque adhibere si prolixitatem libri nó vererer, ostenderem, qualem custodiam erga filios, quem vigorem super mulierē habuit, & quam fortis in prosperis, & in aduersis, quem nec prospera extulerunt, nec aduersa deiecerunt: licet diabolus totis viribus adiuncto familiari vasculo fœmina ipsius, bella aduersus eum mouerit. sequitur. *Iesus autem dixit illis. Amē dico vobis quod vos qui secuti estis me.* Nó dicit, qui reliquistis omnia: quia hoc multi pagani fecerūt, & philosophi, & socrates, & Chrisodemus: qui venditis patrimoniis, gēmas pretiosissimas emerant, & ipsas ob fauorem vulgi confringebant, etiam Diocletianus totum imperium mundi sponte dimisit sed de hoc dicit, quod perfectius erat, quòd *secuti estis me* imitando. *In regeneratione*, id est, in renouatione. quia sicut renouatur anima per fidem, sic renouabuntur corpora nostra in die iudicij per incorruptionem. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis sua.* Sedere iudicantis est; hoc est cum venerit ad iudicium. In sede, in aere, vbi iudicium fiet maiestatis, id est, erroris, *Sedebitis super sedes duodecim.* Per duodenarium numerum, omnis perfectus sanctorum numerus exprimitur, qui iudicabunt iniquos comparatione sui, quare illi cum similiter carnei, fuerint, & à Deo creati, nó custodierūt mandata Dei sicut isti, & propterea, condemnabunt eos dignos esse gehennæ, qui noluerint similia illis agere. *Iudicantes duodecim tribus Israel.* Sicut per duodecim apostolos, omnis electorum numerus exprimitur, ita per duodecim tribus, omnes gentes, & Iudæi intelliguntur, propter duodenarium numerum qui perfectus, & apud paganos, & consecratus in diuinis scripturis inuenitur. *Et omnis, qui reliquit domum, vel fratres, aut sorores, vel patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, id est, qui propter Deum terrena reliquit, spiritualia bona recipiet, quę comparatione, & merito suo ita erūt, tāquam si cētenarius numerus paruo compararetur numero: siue voluerimus de hoc dicere, quod in alio loco scribitur, cētuplum accipiet in hoc seculo. Possumus considerare quantam gloriam beatus Petrus accepit in hoc seculo: qui poterat postquam ad Dominum venit, viuos verbo occidere, viuificare mortuos, erigere claudos, etiam, vt canitur, cælum

Apostolicos vocat Romanæ vrbis episcopos.

cælū claudere, & aperire. Quanti boni est ad comparationem quod ante tenebat? Nū quæ magnum regnum habet, de villis & seruis per omnem mundum cogitát? & ipsi & omnes sancti propter amorem Dei.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberstatensis in superius Euang. Homil. 1.*

DIxit Simon Petrus ad Iesum: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Superiùs dixit Dominus de diuitibus huius seculi, quam difficilè intrabunt in regnum cælorum: Faciliùs est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnū Dei. Quibus auditis apostoli mirabantur valde, dicentes: & quis poterit saluus fieri? Quid pertinet hoc quod discipuli dixerunt: & quis poterit saluus fieri? At illud quod Dominus dixerat, quàm difficilè intrabūt diuites in regnum cælorum: cùm plures sunt in præsenti seculo pauperes, qui possunt saluari quàm sint diuites, & ipsi apostoli pauperes erant? Sed sciendū est, quia apostoli rectè intellexerunt verba Domini de diuitibus. Intellexerunt enim quòd non solum appellaret Dominus diuites qui diuitias habēt & amant, verumetiam illos qui licet non habeant, semper tamen desyderant habere, quorum infinitus est numerus. Dominus dicit alibi: Qui viderit mulie- Matth. 5. rem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Si ille qui adhuc nō tetigit mulierem, propter concupiscentiā tamen quasi adulter in conspectu Dei habetur, ergo & ille qui cùm non habeat diuitias, in desyderio tamen illarum semper anhelat quasi diues apud Deum reputatur. Tunc audiens à Domino quod dixerat, quòd difficilè intrabunt diuites in regnum cælorum, respondit beatus Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia.* Ac si diceret: Fecimus quod iussisti, tu dixisti, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurū in cęlo. Hoc præceptum adimplentes reliquimus omnia. Si consyderemus censum, beatus Petrus parum reliquit, id est, rete & nauim, sed multum reliquit, qui ipsam voluntatem habendi deseruit, cuncta enim & quæ habere poterat ac desyderare, pro Christi amore postposuit. Grandis fiducia, dicit B. Hieronymus; Petrus piscator erat, diues non fuerat, manu & arte cibū quærebat, & tamen fiducialiter dicit: Ecce nos reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantummodo sua relinquere, nisi & sequatur Christum, iungit quod perfectum est. *Et sequuti sumus te.* id est, imitati sumus paupertatem tuam, pauperes effecti sumus, sicut tu pauper es. Pauper erat Dominus, quia neque hoc habebat vbi caput suum reclinaret, iuxta quod ipse Luc. 9. dicit alibi: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Et tantæ paupertatis fuerunt parentes eius B. Ioseph & B. Maria, vt in oblatione illius non potuissent inuenire agnum quem offerrent pro eo, sicut B. Lucas euangelista dicit. obtulerūt pro eo par turturum aut duos pullos columbarum. Ipse etiam humilem locum elegit, vbi nasceretur, id est, Bethleem. *Quid ergo erit nobis?* id est, quid dabis nobis præmij? quia sequuti sumus te. *Iesus autem dixit illis. Amen dico vobis.* id est, verum dico vobis. *Quòd vos qui sequuti estis me.* Non dixit vos qui reliquistis omnia, quia multi reliquerunt sua, sicut fecit Diogenes philosophus, qui omnes diuitias suas ob amorem philosophiæ proiecit in mare, vt liberiùs posset philosophiæ inseruire. Sed iste talis non est sequutus Christum, quia non fecit hoc pro amore eius, sed pro laude humana. *In regeneratione*, id est, in resurrectione iustorum, cùm sancti Dei fuerint regenerati de morte ad vitam. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.* id est, in sede claritatis suæ, quia maiestas aliquando pro claritate ponitur, aliquando pro dignitate. Vel in sede maiestatis suæ, hoc est in nube, quia in nube Dominus ascendit in cælum, & in nube reuertetur ad iudicium, sicut angeli dixerunt ad apostolos in die ascensionis suæ: Viri Galilæi quid statis Act. 1. aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet in eadem carne, vel in eadem nube, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Per sedes designatur iudiciaria potestas, quia iudices in malis quando debēt iudicia proferre contra reos, non dant illa iudicia stando, sed sedendo. Et non est intelligēdum, quòd ita sedeant apostoli iuxta Dominum ad iudicandum, sicut iudices iuxta comitem, vel iuxta principem aliquem, sed stabunt & iudicabunt non voce, sed comparatione. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes.* Duodecim apostoli fuerunt. Vnus periit scilicet Iudas, & alter in loco eius ordinatus est, id est Matthias. Sed isti duodecim apostoli, duodecim sedes habebunt in die iudicij. Quam sedem habiturus est paulus, in cuius festiuitate hoc euangelium legitur, qui dicit: Nescitis quoniam angelos iudicamus, id est, sacerdotes, quantò magis secularia? Certè aut sedebit primus in ordine apostolorum: quia plus omnibus laborauit: aut secūdus. Sciendum est quia in duodenario numero omnes viri perfecti comprehenduntur, imitatores apostolorum ab initio mundi vsque ad nouissimum electū. Duodenarius numerus ex ternario & quaternario constat, siue enim dicatur ter quaterni, seu quaterni ter, duodecim faciunt. Per ternarium numerum designatur fides sanctæ Trinitatis, per quaternarium quatuor mundi partes, oriens, occidens, septentrio & meridies. Et ideo per duodenarium numerum, qui quasi prælatiuus, id est, excellens semper, designantur omnes sancti, qui inter quatuor mundi climata nati, sanctæ Trinitatis fidem seruauerunt: & perfectionem apostolorum imitati sunt, relinquētes omnia pro Christi amore: sicut fecerunt sancti patriarchæ, vt B. Abraham, qui audiens à Domino: Exi de terra tua & de cognatione tua, & reliquit omnia quæ habebat, & sequutus est Dominum. Sicut fecerūt sancti martyres, confessores, virgines, necnón & Heremitæ. Sicut per duodenarium numerum apostolorum designantur omnes perfecti, sicut diximus. Et sicut per septem milia virorum, de quibus dicitur à Domino Heliæ: Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerūt genua ante Baal, designantur multa milia: Et sicut per quinque fratres illius di- Luc. 16. uitis, qui torquebatur apud inferos, intelligitur innumera multitudo Iudæorum quotidiè propter incredulitatem pereuntium. Et sicut in quin- Matth. 25. que virginibus prudentibus designantur omnes animæ sanctæ: ita & per duodecim tribus Israel, designantur omnes gentes iudicantes duodecim tribus Israel. Certè & tribus Leui, quæ tertia de-

cima est, iudicabitur. Tribus Israel iudicabũt sancti apostoli, quia illis credentibus, illæ tribus credere noluerunt. Tunc dicit perfidis Iudæis. O vos miseri Iudæi, isti discipuli mei, qui similiter Iudęi fuerunt vt vos, crediderũt in me, & vos ergo quia non credidistis in me, ite in ignem ęternum. Quatuor ordines erunt in die iudicij: duo ordines bonorũ, & duo malorum. Vnus ordo erit bonorum perfectorum sicut sancti apostoli, qui iudicabunt & non iudicabuntur. Qua ratione iudicandus est Petrus in die iudicij: qui in præsenti seculo est dãnatus? Crucifixus est Petr. Paul. est decollatus, quomodo iudicabuntur tunc isti? Non voce sed comparatione melioris facti. Verbi gratia. Sedens comes cum illo, adducuntur ante eum rei, homicidæ, latrones, & cæteris criminalibus peccatis grauati, pręcipit comes iudicibus vt iudicent, qua pœna debeat puniri. Dicit vnus ex iudicibus. Certè tali pœna est dignus, capite debet plecti. Tacẽt cæteri iudices. Quare? vt suo silentio comprobent eum verum iudicium protulisse. Dicit illis comes: Cur tacetis? Quid inde vobis videtur? Respõdent illi: Legem dixit. Similiter in die iudicij cum Dominus dixerit electis: Venite benedicti patris mei, (Matth. 25.) dicẽt apostoli & cęteri perfecti in corde suo: Certè iusto iudicio facit Deus, quia bonos remunerat. Et cùm dixit reprobis: Ite in ignem æternum, iusto iudicio facit Deus: quia malos punit: Secundus ordo bonorum erit, qui non venerunt ad perfectionem apostolorum, sicut sunt boni coniugati, qui proprias vxores habent in præsenti seculo iustè viuunt, & de facultatibus pauperibus eleemosynas erogant: isti iudicabuntur & regnabunt. (Ibidem.) Quomodo iudicabũtur? Dicet illis Dominus: Venite benedicti patris mei, quia esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, &c. Tunc hi ibunt in vitam æternam. Iudicatio illorum nulla erit, nisi separatio à malis, translatio in vitam æternam. Duo etiam ordines erunt, vnus credẽtium & alter incredulorum, quorum distan- (Psal. 1.) tiam faciens Psalmista dicit: Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Impios appellauit Paganos, Turcas, Sclauos, Sarracenos qui pietatem, hoc est fidem Dei omnipotentis non habuerunt. Peccatores appellauit, qui fidẽ Dei acceperũt in baptismo, & postmodum ipsam fidem malis operibus destruxerũt. (Matth. 25.) Istis dicet Dominus: Ite maledicti in ignem æternum, quia mea præcepta non estis sequuti. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Hæc erit iudicatio illorum. Et ibunt hi in ignem æternum. Illi autem qui notitiam Dei non habuerunt, sicut (Rom. 2.) sunt Turcę, non erunt digni alloquutione Dei, sed sicut sine lege peccauerũt, ita & sine lege peribũt. (Ioan. 3.) De talibus dicit Dominus: Qui nõ credit iam iudicatus est, id est, condemnatus, quia non credit in vnigenitum filium Dei. Iam iudicati sunt infideles, id est, damnati, ideò non iudicabuntur, sed ibunt cum illis in pœnas perpetuas qui Christiani fuerunt, sed opera christianitatis non fecerunt. *Et omnis qui reliquerit domum, &c.* Malè quidam hũc locum intellexerunt dicentes, quòd omnis qui reliquerit in præsenti seculo vnam vxorem, aut domum, aut agrum, cẽtuplum habiturus sit in futuro per mille annos, sicut adhuc credunt Iudęi. Sed istorum assertio non est vera, quia Dominus dicit: in resurrectione enim neque nubẽt, neq; nubentur, sederunt sicut angeli Dei in cælo. Erunt quidem ibi genitalia membra & virorum & mulierum, sed non erit volũtas coeundi. Si enim (quod falsum est) illic recepisset homo cẽtum vxores, qui hîc vnã pro Domino reliquerit, & si in cęteris rebus esset pulchritudo, in vxoribus tamẽ esset turpitudo. Sed nos aliter debemus intelligere. *Omnis qui reliquerit domũ.* Multi sunt qui reliquerũt seculum sicut fecit B. Gregorius, Aug. Martin. & multi alij postponũt seculum ob amorem Dei, & secreta monasteriorum adeunt, Isti tales solent relinquere vnum agrum aut vnum mansum, & recipiunt centum in congregatione Monachorum. Relinquunt vnum patrem, & inueniunt centum patres spirituales. Relinquunt vnum filiũ aut fratrem, & inueniunt centum fratres qui eis glutino charitatis adhærent. Hoc secundum literam. Secundum verò spiritualem intelligẽtiam omnis qui reliquerit temporalia pro amore nominis Christi, centuplum accipiet, id est, perfectionem mentis à Domino cõsequetur in præsenti, vt ea quæ semel deseruit, vlteriùs repetere nolit. Et post hanc perfectionem mentis vitam æternam apud Dominum obtinebit. Quanta distantia est inter centenarium & quemlibet paruum, aut quinarium, aut ternarium, aut binarium, tanta distantia est inter spiritualia bona quæ hîc percipiunt electi, & carnalia quæ hîc dereliquerunt. Qui ergo ex toto corde temporalia & carnalia reliquerit pro Christo, & in pręsenti recipiet spiritualia bona, virtutes, fidẽ, spem, charitatem, & in futuro vitam æternã possidebit, id est, Deum omnipotẽtem habebis, qui est vita æterna, iuxta quod ipse dicit: Hæc est vita ęterna, &c. Ille talis veraciter potest dicere; Dominus pars hæreditatis meæ. (Psal. 15.)

EVSEBII EMISSENI
Episcopi in superius Euang. Hom.

Ecce nos reliquimus omnia, &c. Narrauit superius Euangelista, iuuenem quendam accessisse ad Iesum, & dixisse ei: Magister bone, quid faciam vt habeam vitam ęternam? Cui Dominus ait: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non occides, (Matth. 19.) non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices: honora patrem & matrem, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi adolescens: Omnia hęc custodiui à iuuẽtute mea, quid adhuc mihi deest? Et Dominus ad eum: Si vis (inquit) perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cęlo, & veni sequere me. Ille autem tristis (Rom. 13.) abiit, quia multas habebat possessiones. Si enim, vt Apostolus ait, plenitudo legis est dilectio: aut iste benè non intellexit, Diliges proximum tuum sicut teipsum: aut si intellexit, non benè respondit, dicens: Hæc omnia custodiui à iuuẽtute mea. Quid enim ei deesse potest, qui totam legem custodiuit? Putabat igitur iste, sicut videtur, proximum suum se bene diligere, quia eum non occidebat, quia bona sua ei non auferebat, aliásque iniurias ei non faciebat. Ideóque qualiter hoc intelligere debeat, Dominus subinferens, ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Hæc est vera mensura (Vera perfectionis forma.) perfectionis. Ille implet legem, qui ista custodit: nec in Dei dilectione peccat, qui Christum sequitur:

tur: nec in dilectione proximi, qui indigentibus omnia largitur. Non desperet tamen, cui ad hanc perfectionem venire non datur. Multi enim saluantur, qui neque omnia linquunt, neque omnia pauperibus tribuũt: ad culmen tamen perfectionis non perueniunt. Zachæus enim non omnia, sed dimidium bonorũ suorum se daturum pro-
Luc. 19. misit, dicens: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Confestim autem audire meruit quod esset filius Abrahæ. Sequitur autem: Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones. Ecce qualis erat adolescens, ostendit. Bonus erat, quia aliis non nocebat. Sed non erat bonus, quia aliis non subueniebat: nec sua largiri, nec aliena rapere nouerat. Loquebatur cum Deo, qui veras diuitias ei ostendebat. Magis tamen in terrena possessione, quàm in cælestis thesauri promissione spem habebat. De talibus ait Aposto-
1. Tim. 6. lus: Præcipe diuitibus huius seculi, non sperare in incerto diuitiarum. Aliud est enim diuitem esse, aliud in diuitiis spem habere. Qui enim in diuitiis spem suam ponunt, valde difficile saluari pos-
Matth. 19. sunt. Vnde & Dominus subinferens, ait, Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnũ cælorum. Et iterum dico vobis, faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Priùs difficile, deinde impossibile dixit. Impossibile est enim, vt diuites in diuitiis spem habentes, intrent in regnum cælorum. De illis enim hoc intelligitur, sic enim
Marc. 10. Marcus narrat. Filioli, quàm difficile est confiden-
Camelus mysticè. tes in pecuniis, regnum Dei introire. Sed quid per camelum, cui vnicum & singulare officium est onera portare, nisi eos intelligamus, qui pec-
Psal. 37. catorum pondere prægrauentur? quibus se Psalmista connumerans, ait: Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: sicut onus graue
Psal. 51. grauatæ sunt super me. De diuitibus autem quid dicit? Ecce homo qui non posuit Deum adiutorẽ sibi, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Facilius igitur est camelum, id est, aliquem valdè peccatorem transire per foramen acus, id est, per arctam & angustam viam, quàm huiusmodi diuitem intrare in regnum cælorum: quoniam ille faciliùs à peccatis, quàm iste à diuitiarum spe separari potest. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Hoc enim discipuli non dixissent, si de quo diuite Dominus loquebatur intellexissent. Aspiciẽs autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autẽ omnia sunt possibilia. Quod enim ait, Apud homines, hoc est, secundùm humanum intellectum, non secundum spiritualem & diuinum. Non est enim impossibile Deo qualemcúnque diuitem ad suæ voluntatis viam conuertere: quamuis valdè difficilè sit, vt pauper esse velit, qui semper diues fuerat. Si igitur ad literam intelligatur, sicut homines intelligunt, impossibile est vt per foramen acus transeat camelus. Si verò spiritualiter, sicut modò exposuimus, & sicut Dominus ipse intelligebat, impossibile non est per arctam & angustam viam peccatorem intrare in regnum cælorum. *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Ille, inquit, diues, de quo superius loquutus es, neque omnia dimittere, neque sequi te voluit. Cui etiam quid responderis, audiuimus: de nobis autem quid dicis, qui & omnia reliquimus & te secuti sumus? Omnia enim Petrus reliquerat, quia non solum ea reliquerat quæ habebat, sed & ea quæ habere poterat, vt vlterius in hoc mundo nihil proprium possideret, nihilque possidere desideraret. Vnde Ioannes Apostolus admonet, dicens: Nolite dili- *1. Ioan. 2.*
gere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Et maius quidem est habendi voluntatem, quàm ipsum habere, derelinquere. *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, &c.* Duo Petrus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit. Non enim dixit, Vos qui reliquistis omnia: sed dixit, Vos qui secuti estis me. Omnia relinquit, qui perfectè sequitur Iesum. Sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia vtraque in vnum conueniebantur. Vos, inquit, qui secuti estis me, qui mecum per eandem viam inceditis, qui ad cælestia festinatis, qui terrena cuncta despicitis, qui iustitiam & veritatem, pacem & misericordiã diligitis, vos sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Sedebunt vtique Apostoli super sedes duodecim, sedebunt & alij super suas, qui eorum exemplo vixerunt, & Christum Dominum secuti sunt. Plures enim ibi sunt sedes quàm duodecim, plures iudices ibi erunt. Non solùm enim episcopi & sacerdotes ibi iudicabunt, verumetiam, vt superius dicitur, regina Austri & Niniuitæ resurgent in *Matth. 12.*
iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Sed quæ sunt istæ sedes, super quas isti iudices sedebunt? Istæ sedes, singulæ Ecclesiæ sunt. Vnde & episcopi ecclesias quibus præsunt, sedes suas vocare cõsueuerunt. Sedebit igitur vnusquis- *Ecclesiæ sunt sedes.*
que in populo, quẽ rexit & cui prędicauit, & maior & sublimior apparebit. Sedebit autem & Dominus in sede maiestatis suæ, quoniam excelsus super omnes gentes Dominus, cunctis & ange- *Psal. 112.*
lis & hominibus pręsidebit. Iudicabit igitur Dominus, iudicabunt & Apostoli, iudicabunt insuper episcopi & sacerdotes. Omnes præterea ibi iudicabunt, quorum exemplo cæteri damnabuntur. *Et omnis qui reliquerit domum, &c.* Alij autem euangelistæ dicunt, centuplum accipiet, & post hanc vitam, vitam æternam. Quibus & Marcus *Marc. 10.*
addit, Cum persecutionibus. Centuplum enim cum persecutionibus in hac vita suscipiũt sancti: quia quicunque Deum diligunt, eiúsque volun- *Luc. 18.*
tatem faciũt, sanctorum fratres & sorores, patres & matres, amici & propinqui fiunt. Sic enim de seipso Dominus ait: Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse mihi frater, soror, & mater est. Fratres autẽ & sorores, patres & matres, vxores & filij dicuntur, non natura, sed officio & affectione. Quos enim multùm diligimus, his nominibus vocare solemus.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgariensis superioris Euangelij expositio.

T*Vnc respondens Petrus dixit illi, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid igitur erit nobis?* Tametsi videatur Petrus non dimisisse magna aliqua, vtpote pauper, sed disce, quòd reipsa multum etiã ipse reliquerit. Etenim & paruarũ rerum

magna teoemot affectione, sed & omnes voluptates Petrus reliquit, & eum patentibus amoré carnis. Illę enim affectiones non solum cótra diuites, sed & contra pauperes militant. Quid igitur dominos? *Respondens dixit illis, &c.* Nom sedebunt? Minimè, sed excellentem honorem per sedem indicauit. Nom & Iudas sedebit? Noo: dicit enim, Qui sequuti me fuerint, hoc est, qui vsque ad finem. Vel aliter, sępe Deus pollicetur bona quibusdam dignis: quando autem exciderint, & indigni fuerint facti, aufert ea. Similiter facit in aspe ris, sępe minatur, & non inducit, conuersis oobis. Per regenerationem autem, resurrectionem intellige. *Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, &c.* Ne quis suspicetur, quod dictum est, solis congruere discipulis: dilatat promissionem ad omnes, qui similia faciunt. Habebunt enim pro carnalibus cognatis familiaritatem, & fraternitatem cum Deo, pro agris paradisum, & pro lapideis ædibus supernam Hierosalem, pro matre presbyteram Ecclesiæ, pro patre presbyteros: pro vxore omnes fideles mulieres: Num nuptiis? absit sed spirituali affectione, & misericorde erga se cura. Non iubet autem Christus separari simpliciter à familiaribus, sed quando ad pietatem obsistunt. Sic etiam corpus, & animam iubet contemnere, non vt quis seipsum occidat. Vide autem quod bonus Deus non solum hæc dat, sed & vitam apponit ęternam. Cura igitur, vt & tu vendas facultates tuas, & des pauperibus. Facultates auté suot iracundo furor, adulterio adulterandi cupiditas, vindictæ auido vindicandi cupido. Vende igitur hæc & da pauperibus dæmonibus, & omni bono priuatis: conuerte affectiones tuas in affectionum authores: & tunc habebis thesaurũ, hoc est Christum in cælo tuo, hoc est, in summa mente te tua. Cælum habet in seipso, qui factus est cælestis.

Hæc erat vxor episcopi enim, qui vxoratus erat ante ordines sacros, hac abstinens à viro thoro, multi ribus præponebatur.

Luc. 9.
Ioan. 12.

EVTHYMII ZIGABONI

superioru Euang. expositio.

TVnc respondens *Petrus dixit ei; Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Quæ omnia, beate Petre? An arundinem, rete, naulm, artémque piscatoriam? Vtique, inquit, quæ, & quanta habebam: mea siquidem volũtas integra fuit. Quum ergo dixisset Saluator adolescenti; Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus habebísque thesaurum in cælo: timuit Petrus sibi, ac condiscipulis: quasi ipsi minus fecissent, quia non vendiderant, quæ habebant, nec dederant pauperibus: ideo etiam ait; Ecce nos nó vendidimus, nec pauperibus dedimus, sed simpliciter omnia, quæ habebamus, *reliquimus, & sequuti sumus te:* quid ergo erit nobis retributionis? *Iesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quod vos, &c.* Regenerationé dicit nunc à mortuis resurrectionem, quasi iteratam viuificationem. Quid ergo, sedebunt tunc Apostoli & iudicabunt? Nequaquam: solus enim Christus sedebit, & solus ipse iudicabit. Sed per duodecim sedes innuit stutionem, siue requiem, ac præcellentiam duodecim discipulorum, & regni sui communicationem. Iudicantes autem dicit, hoc est condemnantes. Ait ergo; Fruemini tunc sic requiescetis, & pręcelletis, ac conregnabitis mihi, condemnantes Israelitas: non quòd ipsi iudicaturi siot, sed sicut dicebat Niniuitas, ac reginá Austri condemnaturos generationem illam: ita & hos nunc condemnaturos ait duodecim tribus

Suprà 12.

Israel. Ideo enim non dicit Gétes aut Orbem, sed solos Israelitas suos contribules, suos cognatos. Condemnabunt enim eos non quasi iudicatores, sed quia is, qui iudicabit, à fide horum sit condemnaturus illos. Siquidem, quum eisdem moribus, ac legibus & hi, & illi sint enutriti: hi tamen crediderunt, illi vero credere noluerunt. Quid ergo, Iudas ne etiam sedem habebit, & condemnabit? Nequaquam: communis enim facta est promissio ad duodecim discipulos, at per hanc Iudas in illo cæteris deterior habetur: ipse vero animæ prauitate seipsum hac priuauit. Est enim Dei lex à Hieremia promulgata ad Iudæos, quæ dicit; Si conuersa fuerit gens illa ab iniquitatibus suis, pœnitebit & me malorum, quæ cogitaueram facere illis. Deinde ait; Et, si fecerit malũ coram me, vt non audiat vocem meam, pœnitebit & me de bonis, quæ decreueram facere illis. Quid ergo ait ista lex? Si comminatus fuero, vt faciam tibi malum, & tu corrigaris; solues meam sententiam: &, si promisero tibi bona, & ignauiter egeris, solues meam promissionem: tua enim causa factus es ea indignus. Pœnitentiam ergo in Deo intelligimus propositi mutationem, cuius nos omnino causa sumus. Scire autem oportet, quòd discipulis connumerat eos, qui postmodum in chorum duodecim discipulorum subingressuri sunt, vt pote eandem fidem, idémque ministerium suscepturi. *Et omnis, qui reliquerit domum aut fratres, &c.* Vobis quidem duodecim contingent, quæ dixi, cæteris vero credentibus erunt hæc, & ista. Matthæus itaque dixit; *Propter nomen meum,* id est, propter me. Marcus autem addidit; Et propter euangelium, hoc est, propter prædicationem. Lucas vero ait; Propter regnum Dei, vt scilicet illud cóseqquatur. Quemadmodum autem, quando dicebat; Qui perdiderit animã suam mea causa, inueniet eam: non hoc dicebat, vt nosipsos interimamus; sed vt ipsi etiam animæ nostræ, fidem, quæ in ipsum est, præponamus. Ita & núc dicens; *Qui reliquerit vxorem:* non hoc dixit, vt nuptias penitus diuidat, sed vt ipsi quoque coniugi præponamus & ipsum, & euágelium, & regnum Dei. Hoc autem & in omni alia cognatione, & familiaritate dicendum est. Marcus præterea, & Lucas manifestius de his recitantes, centuplam retributionem hoc tempore rependi dicunt, in hoc videlicet sęculo, vitam autem æternam vẽturo siue futuro. Centupla vero, hoc est, varie multiplicata, aut multo plura, sicut dixit Lucas. Sed quomodo varie multiplicatam accipiet quis hanc retributionem in præsenti seculo? Quomodo? Sicut acceperunt Apostoli, & martyres, cæterique omnes iusti. Vide enim, quòd omnium fidelium domus sibi habebant apertas: fratres etiam, & sorores parauerunt omnes sanctos, & sanctas: patres verò omnes ipsos colentes, ipsorúmque curam habentes, ac erga ipsos compassionis affectu tactos: nam hęc sunt propria patris: matres quoque omnes pari modo se habentes: vxores vero omnes ministrantes, subseruientes, ac curantes eos: hæc siquidé vxoris sunt opera: filios, præterea omnes discipulos. Ad hæc omnes fidelium agros in sua potestate habebant: quodque omniũ est maximè admirabile, omnia hæc habebãt cum persequutionibus, prout addidit Marcus, hoc est à fidei inimicis persequutioné sustinẽtes. Potest etiã esse multiplicatio, gratia sanitatũ, aut prophetia, aut aliud quippiam simile.

Hier. 18.

Marc. 10.
Luc. 18.

I. EVANG. IN COMMVNI VIRGINVM.

MATTH. 25.

Hæc parabola tam ad ſubiectos quam ad prælatos refertur. ¶ Aliud de eodem exemplum.



IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis [a] parabolam hanc. Si-
b Eccleſia permixta omnibus tam religioſè quam ſuperſtitioſè continentibus.
mile eſt [b] regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes
c Opera quæ ſecundum continentiam ſunt. d Concordauerunt voluntati ſponſi & matris eccleſiæ.
[c] lampades ſuas [d] exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinque
e Quia veritati ſeruiunt pro laudibus hominum. f Quia veritati ſeruiunt pro æternis, ſcilicet præmiis.
autem ex eis erant [e] fatuæ, & quinque [f] prudentes. Sed quinque
g Accepta oſtenſione bonorum operum h Gloriam intra conſcientiam, vel, oleum eſt lætitia mentis quam habet qui totus Deo placet.
fatuæ acceptis [g] lampadibus, non ſumpſerunt [h] oleum ſecum. Prudentes verò
i Nitorem gloriæ. k Id eſt, in conſcientiis ſuis l Oſtenſione bonorum operum. m Iudicium differente extremum
acceperunt [i] oleum in [k] vaſis ſuis cum [l] lampadibus. Moram autem [m] faciente
n Ante mortem languoribus. o Electi & reprobi. p Somno mortis. q Secretis omnibus. r In inſperato. s In voce archangeli, & in tuba Dei.
ſponſo, [n] dormitauerunt [o] omnes, & [p] dormierũt. [q] Media autem [r] nocte [s] cla-
t Ad ſociandam ſibi perpetuò virginem. v Occurrite ei in aera. x A ſomno mortis. y Boni & mali
mor factus eſt, ecce ſponſus [t] venit, exite [v] obuiam ei. Tunc [x] ſurrexerũt [y] om-
z Continentes. a Numerauerunt ſecum opera ſua, pro quibus remunerationem expectant. b Sua fiducia deceptæ intus vacuæ dicunt, proximis.
nes [z] virgines illæ, & [a] ornauerunt lampades ſuas. [b] Fatuæ autem ſapientibus
c Teſtimonium laudum dicendo de operibus noſtris quod vidiſtis. d Opera noſtra quæ hominibus clara videbantur.
dixerunt: [c] Date nobis de oleo veſtro, quia [d] lampades noſtræ extinguuntur.
e Non de auaritia ſed timore, quia in illo die teſtimonium cuiuſque vix ſufficiet ſibi nedum ſibi & proximo. f Increpando.
[e] Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non [f] ſufficiat nobis, & vobis
g Ite, id eſt, modo videamus quid vos adiuuent qui vobis laudes vendere conſueuerant. h Venamini laudes veſtro more Non dant conſilium, ſed ex obliquo commemorant crimen earum.
[g] ite potius ad vendentes, & [h] emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſpon-
i Quibus conſcientia dabat bonum teſtimonium. k Vbi munda anima verbo Dei copulatur l Aditus regni cæleſtis, quia precibus poſtea nullis patebit aditus poſt iudicium.
ſus, & quæ [i] paratæ erant, intrauerunt cum eo ad [k] nuptias: & clauſa eſt [l] ianua.
m Dolore repulſionis compulſæ appellationem ingeminant dominationis.
Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: [m] Domine domine aperi
n Ideo vos deſero, quia per vitæ meritum non recognoſco.
nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, [n] neſcio vos. Vigilate itaque,
o Ecce quo parabola tendit.
quia [o] neſcitis diem neque horam.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*



DE c. & x. *virg.* Virgines ſunt omnes qui ſe à luxu ſeculi cõtinent. *Et ſponſæ, &c.* Omnes ſimiliter ſunt ſponſa, quę modo deſponſata eſt, virgo à corruptione ſeculi. Nubet, cum mortalis immortali cõiungetur. *Quinque.* Quia quinque partita eſt continentia in carnalibus illecebris, videlicet vt in quinque ſenſus contineant ſe à voluptatibus. *Moram, &c.* Quia non eſt parum temporis inter primum & ſecundum aduentum Chriſti. *Dormitauerunt, &c.* quia poſtea ſuſcitandi. *Media autem nocte clamor.* Id eſt, nullo ſciẽte, vel ſperante. Vnde: Dies domini ſicut fur in nocte veniet. *Date nobis de oleo, &c.* quorum facta, aliena fulciuntur laude, eadem ſubtracta, deficiunt, & de conſuetudine id ſemper inquirunt, vnde gaudere animus ſolet. Itaque hominum, qui corda non vident, teſtimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inſpector eſt. *Extinguuntur.* Id eſt, aduentu iudicis intus obſcurãtur: & à Deo non habent mercedem: quia receperunt laudem. *Ne for.* quia quiſque pro ſe rationẽ reddet, nec alieno teſtimonio iuuatur quis apud Deum, cui ſecreta patent, & vix ſibi quiſque ſufficit, vt ei perhibeat teſtimonium conſcientia ſua. *Ne forte.* vnuſquiſque pro ſuis operibus mercedem ſuſcipiet, nec poſſunt in die iudicij aliorum virtutes, aliorum vitia ſubleuare. *Ad venden.* Vendentes ſunt adulatores, qui dant lau-

 dem,

dem, & accipiunt aliquam mercedem: *Dum autem.* inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solita gaudia requirentibus, cum interna non nouerunt, venit ille, qui iudicat. *Et clausa est.* Post iudicium magna est eius seueritas, cuius est ante ineffabilis misericordia. *Nouissimè vc.* per veram pœnitentiam, per infructuosas lachrymas pulsant foris relictæ. Non dicitur quòd emerunt oleum: quia nullo iam remanente gaudio de alienis laudibus, in angustiis redeunt ad implorationem Dei. *Vigila.* Videlicet vt testimonium bonæ conscientiæ nobis præpararemus, nec cum fatuis virginibus foris remaneamus. *Nescitis diem neque horam.* Non solum diem iudicij: sed diē mortis cuiusque, vel horam in qua qui paratus inuenitur, & tunc paratus inuenietur. Et quia paratos nos inuenire desyderat, subjicit aliam de eadem re parabolam.

CATENA AVREA
in idem Euang.

T*Vnc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, &c.* Chrys. In superiori parabola dominus pœnam ostendit eius qui percutiebat & inebriebatur, & bona domini sui dispergebat. In hac autem parabola punitionem inducit etiam ei, qui vtilitatem non affert, neque copiosè hæc quibus indiget sibi præparabat. Habebant enim fatuæ virgines oleum, sed non copiosè: vnde dicitur: *Tunc simile erit regnum cæl. decem virg.* Hila. Ideo autem dicit: *Tunc*, quia de magno die domini de quo suprà agebatur, omnis hic sermo est. Chrysost. Regnum autem cælorum præsentis temporis ecclesia dicitur, sicut & ibi: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Hiero. Similitudinem autem decem virginum fatuarum atque prudentium quidem simpliciter interpretantur in virginibus, quarum aliæ, iuxta Apostolum, & corpore & mente sunt virgines: aliæ virginitatem tantum corporum reseruantes, vel cætera opera non habent, vel parentum custodia reseruatæ nihilominus mente nupserunt. Sed mihi videtur ex superioribus esse alius sensus qui dicitur, & non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus hanc comparationem pertinere. Greg. in hom. In quinque enim corporis sensibus vnusquisque subsistit geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta ecclesia decem virginibus similis denuntiatur, vbi mali cum bonis, reprobi cum electis admixti sunt, rectè simile virginibus prudentibus & fatuis perhibetur. Chrys. in hom. Ideo autem ponit parabolam hanc in virginum persona, vt ostendat quòd licet virginitas magnū quid sit: tamē si ab operibus misericordiæ sit deserta, cum adulteris foras ejicietur. Ori. Vel sensus omnium qui receperunt verbum Dei, virgines sunt. Tale enim est verbum Dei, vt de sua munditia accommodet omnes, qui per suam doctrinam recesserunt ab idolorum cultura: accesserunt autem per Christum ad Dei culturam: vnde sequitur: *Quæ accipientes lampades suas, exierunt, &c.* Accipiunt enim lampades suas id est, organa sua naturalia, & egrediuntur de mundo & erroribus, & veniunt obuiam saluatori, qui semper paratus est venire, vt ingrediatur simul cum dignis ad beatā sponsam ecclesiam. Hil. Vel sponsus atque sponsa dominus noster est in corpore Deus, nanque spiritui caro sponsa est: lampades autem quas acceperunt, animarum splendentium lumē est, quę sacramento baptismi splenduerunt. Augu. de ver. do. Vel lampades quæ manibus gestantur, opera sunt. dictum est enim, Luceant opera vestra coram hominibus. Grego. Qui autem rectè credunt, & iustè viuunt, assimilantur quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem Iesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque virginibus fatuis: vnde subditur: *Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes.* Hiero. Sunt enim quinque sensus qui festinant ad cælestia & superna desiderant. De visu autem & auditu & tactu specialiter dictum est. Quod vidimus, quod audiuimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ palpauerunt. De gustu. Gustate & videte quoniam suauis est dominus. De odoratu: In odore vnguentorum tuorum currimus. Alij autem sunt quinque sensus terrenis fœcibus inhiantes. Aug. de ver. do. Vel per quinque virgines significatur quinquepartita continentia à carnis illecebris: continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, aurium, olfaciendi, gustandi, & tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur interiori gaudio conscientię: partim coram hominibus tantum, vt gloria humana capiatur: quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ: vtræque tamē virgines, quia vtráque continētia est, quamuis diuerso fomite gaudeat. Orig. Sicut autem sequuntur seipsas inuicem virtutes, & qui vnam habuerit, omnes habeat: sic & sensus omnes alterutrum se subsequūtur, propterea necesse est, vt aut omnes quinque sint sensus prudentes, aut omnes fatui. Hilar. Vel absolutè in quinque prudentibus & quinque fatuis, fidelium atque infidelium est constituta diuisio. Greg. Notandum verò est quòd omnes lampades habent, sed non omnes oleum habent. Sequitur enim, *Sed quinque fatuæ acce. lamp. &c.* Hila. Oleum, boni operis fructus est: vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Hieron. Oleum ergo habent virgines, quæ iuxta fidem operibus adornantur: non habent oleum quæ videntur simili quidem fidē confiteri, sed virtutum opera negligunt. Aug. de ver. do. Vel per oleum ipsam lætitiam significari arbitror, secundum illud, Vnxit te Deus tuus oleo exultationis. Qui ergo nō propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum: gaudium enim non habet dum continenter viuunt, nisi in laudibus hominum. *Prudentes verò acce. oleum cum lampadibus.* Id est, lętitiam bonorum operum. In vasis suis, id est, in corde atque conscientia posuerunt, sicut Apostolus monet: Probet, inquit, seipsum homo, & tunc gloriam habebit in seipso, & non in altero. Chrys. in hom. Vel oleum hic vocat charitatem & eleemosynam, & quodcunque circa indigentes auxilium. Lampadea autem vocat virginitatis charismata, propter hoc quòd stultas eas vocat, quoniā maiorem sustinentes laborem, propter minorem omnia perdiderunt: maiori enim labore vincitur carnis cupido, quàm pecuniarum. Origen. Vel oleum est verbum doctrinæ, quo vasa animarum implētur.

Nihil

Nihil enim ſic cõfortat, ſicut moralis ſermo, qui oleum luminis appellatur. Prudentes ergo acceperunt huiuſmodi oleum, quod ſatis ſit eis, etiam tardante eam, & morante verbo venire ad conſumationem eorum. Fatuæ autem acceperunt lampades, in primis quidem accenſas, ſed tantum oleum non acceperunt, vt eis ſufficeret vſque ad finem, negligentes circa ſuſceptionem doctrinæ, quæ confortat fidem, & bonorum actuum lumen illuminat: vnde ſequitur, *Moram autem fa. ſpon. &c.* Auguſt. de ver. do. Ea vtroque enim genere hominum moriuntur hoc interuallo temporis, donec ſub aduentu domini fiat reſurrectio mortuorum. Gregor. Dormire etenim mori eſt. Ante ſomnum verò dormitare, eſt ante mortem à ſalute langueſcere, quia per pondus ægritudinis, peruenitur ad ſomnum mortis. Hieron. *Vel dormitauerunt*, id eſt, mortuæ ſunt. Conſequenter autem dicitur, *Dormierunt*, quia poſtea ſuſcitandæ ſunt. Per hoc autem quòd dicit, *Moram autem faci. ſpon.* oſtẽdit quòd non parum temporis inter priorem & ſecundum Domini aduẽtum prætergreditur. Orig. Vel ſponſo tardante, & non citò veniente verbo ad conſumationem vitæ, patiuntur aliquid ſenſus dormientes, & quaſi in nocte mundi agentes: & dormierunt, vt puta remiſſius agẽtes à ſenſu illo vitali: non tamen lampades perdiderunt, neque deſperauerunt de cõſeruatione olei illæ prudentes. vnde ſequitur, *Media autem nocte clamor factus eſt, &c.* Hie. Traditio Iudæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægypti, quando paſcha celebratum eſt, & exterminator venit: & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecratæ ſunt. vnde reor & traditionem apoſtolicam permãſiſſe, vt die vigiliarum paſchæ ante noctis dimidium populum dimittere non liceat expectantes Chriſti aduentum poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta feſtum cuncti agant diem. vnde Pſal. dicebat, Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Aug. de ver. do. *Vel media nocte.* id eſt, nullo ſciente aut ſperante, Hier. Subitò ergo quaſi intempeſta nocte, & ſecuris omnibus, quando grauiſſimus ſopor eſt per angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinum Chriſti reſonabit aduentus: quod ſignificatur cum dicitur: *Ecce ſponſ. venit, exite obuiam me.* Hila. Tuba enim excitãte, ſponſo tantum obuiam proceditur. Erũt enim iam ambo vnum, id eſt, caro & Deus, quia in gloriam ſpiritualem humilitas carnis trãsformata erat. Aug. de ver. do. vel quod dicit ſponſo itũm obuiam venire virgines, ſic intelligẽdum puto, vt ex ipſis virginibus conſtet ea quæ dicitur ſponſa, tanquam ſi omnibus chriſtianis in eccleſia concurrentibus filij ad matrem currere dicãtur, cùm ex ipſis filiis congregatis conſtet ea quæ dicitur mater. Nunc enim deſponſata eſt eccleſia, & virgo eſt ad nuptias perducenda, illo tempore quo vniuerſa mortalitate in ea prætereunte, immortali coniũctione habeatur. Orig. Vel, *media nocte*, id eſt, in altitudine remiſſionis, factus eſt clamor omnes ſuſcitare volentium, ſicut exiſtimo angelorum, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, intus clamantes in ſenſibus omnium dormientium. *Ecce. ſponſ. ve. exite obuiam ei*: & ſuggeſtionem quidem hanc omnes audierunt, & ſurrexerunt, non autem omnes decenter impoſuerunt lampadibus ſuis ornatum, vnde ſequitur, *Tunc ſurre. omnes, &c.* Ornantur autem lampades ſenſuum euangelicis vſibus atque erectis. Qui autem malè vtuntur ſenſibus, ornamentum nullũ habent in ſenſibus. Greg. Vel tunc quidem omnes virgines ſurgunt, quia & electi & reprobi à ſomno ſuæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia ſua ſecum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant. Aug. de ver. do. Aptauerunt enim lampades ſuas, id eſt, rationes reddendas operum ſuorum. Hila. Vel lampadarum aſſumptio animarum eſt reditus in corpora, earumque lux eſt conſcientia boni operis elucẽs, quæ vaſculis corporũ continetur. Orig. Sed lampades fatuarum virginũ extinguuntur, quia earum opera, quæ clara hominibus foris apparuerant, in aduentu iudicis intus obſcurantur. vnde ſequitur: *Fatuæ autem ſapientibus dixerũt, Date nobis de oleo, &c.* Quid eſt autem quòd tunc à prudentibus oleum petunt, niſi quòd in aduentu iudicis cùm ſe intus vacuas inuenerint, teſtimonium foris quærunt? ac ſi à ſua fiducia deceptæ, proximis dicant, Quia nos quaſi ſine opere repelli conſpicitis, dicite de noſtris operibus quod vidiſtis. Auguſt. de verb. do. De conſuetudine enim id ſemper inquirit, vnde gaudere animus ſolet. Itaque hominum qui corda non vident, teſtimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inſpector eſt, ſed quorum aliena facta laude fulciuntur eadem ſubtracta deficiunt, vndè & earum lampades extinguũtur: vel virgines quæ lampades ſuas queruntur extingui, oſtenduntur eas ex parte lucere: & tamen nõ habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animum virginalem, & amator eſt pudicitiæ, non debet mediocriter eſſe cõtentus his, quę citò exareſcunt, & orto chaſmate, areſcunt, ſed perfectas virtutes ſequatur, vt lumen habeat ſempiternum. Chry. in ho. Vel aliter: Non ſolùm veræ virgines ſtultæ erant, quoniam hinc receſſerunt miſericordia carentes, ſed quia æſtimabant ibi ſe accepturas vbi importunè quæſierunt. Quamuis autem illis virginibus prudentibus nihil miſericordius ſit, quæ propter miſericordiam maximè fuerunt approbatæ, non tamẽ ſtultæ virgines ſua petitione potitæ ſunt. Sequitur: *Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè, &c.* Hinc autem diſcimus quòd nullus noſtrûm adire poterit, niſi operibus, cum quibus inuenti erimus. Hiero. Non enim hoc virgines prudẽtes de auaritia, ſed de timore reſpondent. vnde quiſque pro ſuis operibus mercedem accipiet, neque poſſunt in die iudicij aliorum virtutes, aliorum vitia ſubleuare. Dant autem prudentes conſilium, vt non debeant ſine oleo lampadarum ſpõſo occurrere. Et hoc eſt quod ſequitur: *Ite potius ad vendentes & emite vobis.* Hila. Vendentes hi ſunt qui miſericordia fideliũ indigentes, reddunt ea ſe petita commercia indigentiæ, ſua ſatietate boni operis noſtri conſcientiam venundantes. Hęc eſt enim indefeſſi luminis copioſa materia, quæ miſericordiæ fructibus emenda eſt & recondenda. Chryſ. in ho. Vides ergo quanta nobis ſit à pauperibus negociatio. pauperes autem non ſunt ibi, ſed hic. ideóque hîc oleum congregare oportet, vt illic vtile ſit cùm tempus nos vocet. Hiero. Venditur etiam hoc oleum & multo emitur precio, ac difficili labore conquiritur, quod non ſolùm in eleemoſynis, ſed in cunctis virtutibus & conſiliis intelligimus magiſtrorum. Orig. Vel aliter: Et ſi fatuæ erant, tamen hoc

intellige

Habetur in Clem. & c. lib. de conſtitut. Apoſtol.

intelligebant, quoniam cum lumine debebant obuiam ire sponso, omnes lampades sensuum habentes illuminatas: videbant autem & illud quoniam ex eo quòd minus habebant oleum rationabile, iam propinquantibus tenebris lampades earum fuerant obscurandæ. Sed sapientes transmittunt fatuas ad olei venditores, videntes quoniam non tantùm oleum, idest, verbum doctrinæ congregauerant, vt sufficeret ipsis ad vitam, & illos docerent. vnde dicunt: Ite potius ad vendentes, idest, ad doctores, & emite vobis, idest, ab eis accipite: & precium est perseuerantia & amor discendi, & diligentia, & labor cupientium discere. Augu. de ver. do. Vel non sunt putandæ dedisse consilium, sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim adulatores oleum, qui siue falsa siue ignorata laudando, animas in errores mittunt: & eis vana gaudia, tanquam fatuis conciliando aliquam de his mercedem commodi temporalis accipiunt. Dicitur ergo: *Ite ad venden. & emite vo.* idest, videamus nunc quid vos adiuuent, qui vobis laudes vendere consueuerunt. Dicunt autem: *Ne fortè non suf. no. & vo.* Quia alieno testimonio nō iuuatur quisquam apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix quisquam sibi sufficit, cui testimonium perhibeat conscientia sua. Hiero. Verùm quia iam emendi tempus excesserat, & adueniente iudicij die, locus non erat pœnitentiæ, non noua patrare opera, sed præteritorum rationem coguntur exoluere. vnde sequitur: *Dum autem irent emere, ve. spons. &c.* Hila. Nuptiæ autem immortalitatis assumptio est: & inter corruptionem atque incorruptionem ex noua societate coniunctio. Chrysost. hu. Per hoc autem quod dicit, *Dum irent emere*, ostēdit quia & si misericordes efficiamur post mortem, nihil hinc lucrabimur ad effugiēdum, sicut nec diuiti profuit quòd factus est misericors & sollicitus circa eos qui sibi attinebant. Orige. Vel dicit: *Dum irent emere.* Est enim inuenire quosdam qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid vtile discere: in ipso autem exitu vitæ suæ, dum disponunt discere, comprehenduntur à morte. Aug. de ver. do. Vel aliter: *Euntibus illis emere*, idest inclinantibus se in ea quę foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille qui iudicat. *Et quæ paratæ erant*, idest, quibus coram Deo conscientia testimonium perhibebat. *Intra. cum eo ad nup.* idest, vbi munda anima, puro ac perfecto Dei verbo fœcunda copulatur. Hiero. Post iudicij autem diem bonorum operum & iustitiæ occasio non relinquitur. vnde sequitur: *Et clausa est ianua.* Aug. de ver. do. Receptis enim illis qui sunt in angelicam vitam communicati, clauditur aditus ad regna cælorum. non enim post iudiciū patet precum ac meritorum locus. Hilar. Et tamē cùm iam pœnitentiæ nullum est tempus, fatuæ occurrunt, aperiri sibi aditum rogant. vnde sequitur: *Nouis. autem veniunt, &c.* Hiero. Egregia in domino appellatione cōfessio iudicium fidei est. Sed quid prodest voce inuocare quem operibus neges? Greg. Dolore autem repulsionis compulsæ appellationem ingeminant dominationis, inuocando patrem, cuius in vita sua misericordiam contempserunt. Aug. de ver. do. Non autem dictum est quòd emarunt oleum, & ideo intelligendæ sunt nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis & magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei: sed magna eius est seueritas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia prærogata est. Propter quod sequitur: *At ille respondens, sit, Amen dico vobis, nescio vos.* Ex illa, scilicet regula, quia non habet ars Dei, idest eius sapientia, vt intrent in gaudium eius, qui non coram Deo, sed vt placerent hominibus, conati sunt aliquid secundum præcepta eius operari. Hiero. Nouit enim dominus eos qui sunt eius: & qui ignorat, ignorabitur, & licet virgines sint, vel corporis puritate, vel veræ fidei confessione: tamen quia oleum non habent, ignorantur à sponso. Ex hoc autem quod infert: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, intelligit vniuersa quę dicta sunt esse præmissa, vt quia ignoramus iudicij diem, sollicitè nobis lumen bonorum operum præparemus. Augu. de ver. do. Non autem solùm illius futuri temporis quo venturus est sponsus, sed suæ quisque dormitionis diem & horam nescit: ad quam quisquis paratus est, etiam paratus inuenitur cùm illa vox sonuerit, qua omnes euigilaturi sunt. Aug. ad Hesych. Non defuerunt autem qui docere voluerunt quas quinque, & quinque virgines ad hunc eius aduentum, qui nunc fit per ecclesiam, pertinere: sed hæc non sunt temerè pollicenda, ne aliquid occurrat quod validè contradicat.

ORIGENIS PRESBYTERI de eodem Euang. Homil.

IN omnibus qui didicerunt verbum Dei: regnū cælorum assimilatur virginibus decē. Et si quidem in eis sunt qui rectè & credunt, & viuunt, & ideo iustè assimilantur quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem in Iesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque assimilantur virginibus fatuis. Non irrationabiliter dicimus sensus omnium, qui didicerunt diuina, quomodocunque verbum Domini receperūt, siue occasione, siue veritate, quod virgines sunt virginificatæ per verbum Dei, cui crediderunt, aut credere volunt. Tale est enim verbum Dei, vt de sua munditia accommodet omne, qui per suam doctrinam recesserunt quidem ab idolorum cultura, vel cultura elementorum creationis Dei: accesserunt autem per Iesum Christum ad Dei culturam, quamuis nō fuerunt subsecuta opera pietatis, neque ad beatitudinem præparauerint semetipsos. Sicut autem secūdum verbum veritatis sequuntur seipsas alterutrum virtutes, quæ sunt substantia Christus, ita vt qui vnam habuerit, omnes habeat: & qui vnam minus habuerit, nec vnam habeat: Christus enim à seipso irrecessibilis est: sic & sensus omnes alterutrum se subsequuntur: & vbicunque minus fuerit vnus de sensibus secundum rectam verbi doctrinam, ibi omnino & omnes sensus quasi fraudati à verbo sapientiæ infatuantur. Sensus autem dico & eos, qui & communiter intelliguntur, visio, auditio, odoratio, gustatio, palpatio: & eos qui in Prouerbiis appellantur diuini, hoc modo dicentibus: Sensum diuinum inuenies. Iterum autem quoniam verbum Dei causa est vt rectus fiat sensuum vsus, & non est possibile eum cum sit in sensibus, vt in quibusdam quidem sensibus operetur, & diligenter tribuat quę prudentiæ sunt

Est Hom. 33. in Matth.

Fides sine operibus non iuuat.

sunt, in aliis autem negligat: ideo si vnum de sensibus fecerit sapientem, vt virgo constituatur, necesse est vt & in aliis sensibus sapientiam suam effundat. Propterea non est videre de quinque sensibus in aliquo, quosdam quidẽ fatuos, quosdam autem prudentes: sed necesse est, vt aut omnes quinque sint prudẽtes, aut omnes fatui. Omnes isti sensus lampades suas accipiunt, id est organa sua naturalia, siue secundum verbum Dei vti volentes, siue & contra voluntatem Dei: tamen accipiunt eas quando recipiũt sponsum esse ecclesiæ verbum Dei, & filium Dei: & egrediuntur de mũdo, & de erroribus deorum multorum, & veniunt obuiam saluatori, qui semper paratus est venire ad virgines eas, vt simul ingrediantur cum dignis eorum ad beatam spõsam ecclesiam. Sed quamdiu post verbum receptum lucet lumẽ fidelium coram hominibus, vt vidẽtes opera eorum bona glorificent patrem eorum, qui in cælis est, hæ & prudentes sunt, & accipientes oleũ nutrimentum luminis sui quod semper infunditur actibus bonis, id est, verbum doctrinæ, & vasa animarum suarum ab hoc verbo implentes à doctoribus, & traditoribus, qui illud venundãt, quod satis sit eis etiam tardante exitu, & remorante verbo veniente ad consumationem eorum, vt consumatæ, & extra mundum factæ festiuent illuc. Quamuis autem non fuit cura post inchoationem christianitatis tãtam accipere verbi doctrinam, quanta sufficeret eis durare vsque ad finem: negligentes circa susceptionem doctrinæ quæ confortat fidem, & bonorum actuum lumen illuminat. (Quid autem sic confortat sicut moralis sermo, quod oleum luminis appellatur?) Hæ fatuæ sunt, & acceperunt lampades in primis quidem accensas, sed ad tantum iter obuiam exeundi sponso oleum non acceperunt. *Moram autem sponso faciente, dormitauerunt omnes virgines, & dormiebant.* Ita sponso tardãte, & non cito veniente verbo ad consumationem vitæ eorum, hinc patiuntur aliquid quasi sensus, & quasi in nocte mundi agentes, & dormitantes. Dormierunt quidem, vt puta remissius egerunt à sensu vitali: non tamen & lampades perdiderunt, neque desperauerunt de conseruatione olei illæ prudentes. *Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exurgite obuiam ei, &c. Media autem nocte*, id est, in altitudine remissionis, & in medio tempore iam trãsacti luminis vespertini, & adhuc sperati diurni, factus est clamor omnes suscitare volentium sicut existimo angelorum, qui omnes sunt ministratorij spiritus, qui mittuntur ad ministerium propter possessuros salutem: qui & soliciti fuerunt eos, qui sunt sensibiles excitare obuiam spõso, & dicunt intus clamãtes in sensibus omnium dormientium, *Ecce sponsus venit, surgite obuiam ei.* Et suggestionem quidem oportere obuiam ire spõso verbo, & ecclesiæ immaculatæ, omnes quidem audierunt, & surrexerũt: non autem omnes decentem imposuerũt lampadibus suis ornatum, sed quæ audierunt prudentiam eas ornauerunt. Ita non in tempore opportuno, fatuæ dixerunt prudentibus, *Date nobis de oleo vestro*, quasi quæ non sibi congregauerant ante prudentiam: vt intelligant quod non omnium habentium oleum, est etiam date ex eo volentibus aliis: sed eorum tantummodo qui ad hoc ipsum positi sunt vt venũdent, & tribuant, & accipiant precium olei venundati: cuius precium est perseuerantia, & instantia, & amor discendi, & diligentia & labor cupientium discere. *Date nobis de oleo vestro, quoniam lampades nostræ extinguuntur.* Nam & si fatuæ erant, tamen hoc intelligebant, quoniam cum lumine debebant obuiam ire sponso omnes lampades sensuum illuminatas habentes. Videbant autem & illud, quòd ex eo quòd minus habebãt oleum rationabile, iam propinquantibus tenebris, lampades earum fuerant obscurandæ. Sed sapientes transmittunt fatuas ad olei venditores videntes quòd non tantum oleum, id est, verbum doctrinæ congregauerant, vt sufficeret & ipsis ad vitam, & illas docerent ornare lampades suas. Et si cõsyderaueris aliquem aliquando, qui congregauit quidem doctrinam verbi quod sibi sufficiat ad bene viuendum, non tamen vt etiam doctor fieri possit: videbis hunc talem respõdentem volentibus ab eo discere quæ sunt Dei, & dicentem, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Sufficiẽter enim mihi ad bene viuendum habeo doctrinam, non tamen vt & vobis possim accommodare doctrinam. Et respondebunt volentibus à se discere, *Ite magis ad venditores, & emite vobis.* Id est, ad doctores, & ab eis accipite. Et fatuæ non quando oportebat euntes ad doctrinam sibi emendam, perdũt tempus introeundi cum sponso ad nuptias. Et est videre eos qui talia patiuntur: qui quando debuerunt quidem discere neglexerunt discere aliquid vtile ex eis à quibus discere debuerunt. In ipso autem exitu vitæ suæ dum disponunt discere, cõprehenduntur à morte: & propterea non ingrediuntur cum verbo ad sponsam ecclesiã, nec cum Christo ad eos qui simul in requie sunt futuri, & in beatitudine regnaturi. Clauditur autem postea ostium adhuc fatuis virginibus oleũ accepturis. quæ & sine causa postea venient dicentes, *Domine, domine, aperi nobis.* Itaque respondens sponsus dicit, *Nescio vos.* Itaque quoniam parabola omnibus audientibus dicebatur: subiungit ad discipulos suos, dicens *Vigilate ergo quia nescitis diem & horam.* Ornantes autem lampades sensuum euangelicis vsibus, atque rectis, vt sit quidem oculorum ornamentum rectus vsus videndi, vt oculi videant quidem admirandum factorem, claudantur autem vt ne videant iniquitatem. Auditus autem est ornamentum quando quis auditionem quidem non suscipit vanam, sed obturat aures suas vt non audiant iudicium sanguinis. Audit autem Iesum dicentem ad se, Adaperire, vt tantum ad verbi salutaria & necessaria præbeantur, Sic & de ornamento gustus quis dicere potest, & de odorationis & palpationis, secundum ea quæ dicta sunt. Quoniam qui male vtuntur sensibus suis, eorum nullum est ornamentum, aut in oculis, aut in auribus, aut in reliquis sensibus. Obseruandum est autem, quod scriptum est quidem, fatuas transmissas ad oleum comparandum, non tamen referuntur emisse aut accepisse: sed hoc in silentio prætermisso, postea dictũ, quòd post hoc veniunt & reliquæ virgines dicentes, *Domine, domine, aperi nobis.* Cum potuisset dicere, postea venerunt accepto oleo, vel comparato, conuenienter siluit, vt ne habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampades suas diceret, Nescio quæ estis. Nec enim scribitur, quòd ornantes lampades suas venerunt. Tamen finis verbi est iste, vt in omni tempore præparemus nos ad exitum,

tum, vt non demus ſomnum oculis noſtris, neque palpebris noſtris dormitationem: quia neſcimus diem & horam exitus noſtri.

S. HILARII EPISCOPI
Pictauorum ſuperioris Euang. expoſitio.

T*Vnc ſimilabitur regnum cælorum decem virginibus, & reliqua.* Ex dictis ſuperioribus, ratio quoque huius ſermonis intelligi poteſt. De die enim magno Domini omnis eſt ſermo, quo occulta humanarum cogitationum diuini cognitione prodentur: & vera expectati Dei fides non ambiguæ ſpei meritum cõſequetur. Abſolutè enim in quinque prudẽtibus, & in quinque fatuis fidelium atque infidelium eſt conſtituta diuiſio: quo exemplo, Moyſes decem verba duabus tabulis conſcripta acceperat. Neceſſe enim erat, omnia ea in vtráque conſcribi. Et duplex pagina inter proprietatem dexteræ & ſiniſtræ, diuiſionem ſub vno licet teſtamento bonorũ malorúmque ſignabat. Sponſus atque ſponſa, Dominus noſter eſt in corpore Deus. Nam vt ſpiritus carni, ita ſpiritui caro ſponſa eſt. Denique tuba excitãte, ſponſo obuiam tantum proditur. Erunt enim iam ambo vnum, quia in gloriam ſpiritualem humilitas carnis exceſſerat. Primo autem progreſſu vitæ huius officiis occurrere in reſurrectionem, quæ eſt à mortuis, præparamur. Lampades igitur animarum ſplendentium lumen eſt, quæ ſacramento baptiſmi ſplenduerunt. Oleum, boni operis eſt fructus. Vaſa humana ſunt corpora: intra quorum viſcera theſaurus bonæ conſcientiæ, recondendus eſt. Vendentes ſunt hi, qui miſericordia fidelium indigentes, reddunt ex ſe petita commercia: indigentiæ ſuæ ſcilicet ſatietate boni operis noſtri conſcientiam emẽtes. Hæc enim indefeſſi luminis copioſa materies eſt, quæ miſericordiæ fructibus & emenda eſt, & recondenda. Nuptiæ immortalitatis aſſumptio eſt: & inter corruptionem atque incorruptionem ex noua ſocietate coniunctio. Mora ſponſi, pœnitentiæ tempus eſt. Expectantium ſomnus, credentium quies eſt: & in pœnitentiæ tempore mors temporaria vniuerſorum. Nocte media clamor, cunctis ignorantibus, tubæ vox eſt, Domini præcedentis aduentum: & vniuerſos vt obuiam ſponſo exeant excitantis. Lampadum aſſumptio, animarum eſt reditus in corpora: earúmque lux conſcientia boni operis elucens, quæ vaſculis corporum cõtinetur. Prudentes virgines hæ ſunt, quę opportunum in corporibus operãdi tempus amplexæ, in primum ſe occurſum aduentus dominici præparauerint. Fatuæ autem, quæ diſſolutæ ac negligentes, præſentium tantum ſolicitudinem habuerint: & immemores promiſſorum Dei, in nullam ſe ſpem reſurrectionis extẽderint. Et quia prodire obuiam fatuæ extinctis lampadibus non poſſunt: deprecantur eas quæ prudentes erant, vt oleum mutuent. Quibus reſponderunt non poſſe ſe dare, quia non ſit fortè quod omnibus ſatis ſit: alienis ſcilicet operibus ac meritis neminem adiuuãdum quia vnicuique lãpadi ſuæ emere oleum ſit neceſſe. Quas hortantur vt redeant ad emendum: ſi vel ſero præceptis Dei obſequendo, cum lampadum luce ſponſi dignæ efficiantur occurſu. Quibus morantibus ſponſus ingreſſus eſt, atque vnà cum eo in nuptias, ſapientes (quæ comparato lampadum lumine opperiebantur) introeunt: id eſt, in cæleſtem gloriam, ſub ipſo ſtatim aduentu dominicæ claritatis incedunt. Et quia iam pœnitentiæ nullum eſt tempus: fatuæ accurrunt, aperiri ſibi aditum rogãt. Quibus reſpondetur à ſponſo, quia neſcio vos. Non enim in officio aduenientis affuerant, neque ad vocem tubæ excitãtis occurrerant, neque introeuntium comitatui adhæſerant: ſed morantes & indignæ, introeundi ad nuptias tempus amiſerant.

S. HIERONYMI PRE-
ſbyteri in idem Euang. expoſitio.

T*Vnc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades, &c.* Hãc parabolam, id eſt, ſimilitudinem decem virginum fatuarum atque prudẽtium, quidam ſimpliciter in virginibus interpretãtur: quarum aliæ iuxta Apoſtolum, & corpore & mente ſunt virgines: Aliæ virginitatem tantum corporum reſeruantes: vel cætera opera non habẽt propoſito ſuo ſimilia: vel parentum cuſtodia reſeruatæ, nihilominus mente nupſerunt. Sed mihi videtur ex ſuperioribus alius ſenſus eſſe qui dicitur: & non ad virginalia corpora, ſed ad omne hominum genus comparatio pertinere. Sicut enim duo in agro, & duæ molentes, duos ſignificant populos, Chriſtianorum & Iudęorum, ſiue ſanctorum & peccatorum: qui in eccleſia conſtituti, videntur quidem & ipſi arare & molere: ſed cuncta in hypocriſi faciunt: ſic & nunc decem virgines omnes homines complectuntur: qui videntur Deo credere, & applaudunt ſibi in ſcripturis ſanctis, tam eccleſiaſticos quam Iudæos atque hæreticos. Qui idcirco omnes virgines appellantur: quia gloriantur in vnius Dei notitia & mens eorum idololatriæ turbine non conſtupratur. Oleum habent virgines, quæ iuxta fidem & operibus adornantur. Non habent oleum, quæ videntur ſimili quidem fide Dominum confiteri, ſed virtutum opera negligunt. Poſſumus quinque virgines ſapientes & ſtultas quinque ſenſus interpretari: quorum alij feſtinant ad cæleſtia, & ſuperna deſiderant: alij terrenis fecibus inhiantes, fomenta non habent veritatis, quibus ſua corda illuminẽt. De viſu & auditu & tactu ſpiritualiter dictũ eſt: Quod vidimus, quod audiuimus, quod oculis noſtris perſpeximus: & manus noſtrę palpauêre. De guſtu: guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt dominus. De odoratu, in odorem vnguentorum tuorum currimus. Et Chriſti bonus odor ſumus. *Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Nõ enim parum temporis inter priorem, & ſecundum aduentum domini prætergreditur. *Omnes dormitauerunt*, ideſt, mortuæ ſunt: quia ſanctorum mors, ſomnus appellatur. Conſequenter autem dicitur dormierunt, quia poſtea ſuſcitandæ ſunt. *Media autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Subito enim quaſi intempeſta nocte & ſecuris omnibus, quando grauiſſimus ſopor eſt, per angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinum Chriſti reſonabit aduentus. Dicamus aliquid quod forſitan lectori vtile ſit. Traditio Iudęorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægypti temporis, quando Paſcha celebratum

bratum est,& exterminator venit,& dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt: vnde reor & traditionem apostolicam permansisse, vt in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Vnde,& Psalmista dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ & ornauerunt lampades suas.* Omnes virgines surrexerunt & ornauerunt vnaquæque lampades suas, idest sensus, in quibus oleum scientiæ recipiebant: vt alerent opera virtutum, quæ ante verum Iudicem refulgerent. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quæ lampades suas queruntur extingui, ostendunt eas ea parte lucere: & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua: si quis igitur habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ non debet mediocribus esse contentus, quæ citò exolescunt, & exorto chasmate arescunt. Sed perfectas virtutes sequatur vt lumen habeat sempiternum. *Responderunt prudentes dicentes: ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Hoc non de auaritia, sed de timore respondent. Vnusquisque enim pro operibus suis mercedem recipiet: neque possunt in die Iudicij aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. Et quomodo tempore Babiloniæ captiuitatis, Hieremias peccatores iuuare non potuit, & dicitur ad eum: Ne oraueris pro populo isto: sic formidolosa erit illa dies, cum vnusquisque pro semetipso solicitus erit. *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Venditur hoc oleum, & multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur: quod in eleemosynis cunctisque virtutibus, & consiliis intelligimus magistrorum. *Dum autem irent emere, venit sponsus.* Dant quidem quasi prudentes consilium, quod non debeant sine oleo lampadarum sponso occurrere: verum quia iam emendi tempus excesserat, & adueniente Iudicij die, locus nō erat pœnitentiæ: Psalmista dicente: in inferno autem quis confitebitur tibi: non noua opera patrare: sed præteritorum coguntur rationem exoluere. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Post iudicij diem, bonorū operum, & iustitiæ occasio non relinquitur. *Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines dicentes; Domine, Domine, aperi nobis.* Egregia quidem in domini appellatione confessio, idemque repetitum, indicium fidei est. Sed quid prodest voce inuocare quem operibus neges? *At ille respondens ait: amen dico vobis, nescio vos.* Nouit dominus eos qui eius sunt: & qui ignorat ignorabitur: nescit Dominus operarios iniquitatis, & licet virgines sint & secundum duplicem intelligentiam de corporis puritate, & de confessione veræ glorientur fidei: tamen quia oleum non habent scientiæ, sufficit eis pro pœna quod ignorantur à sponso. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Prudentem semper admoneo lectorem vt non superstitiosis acquiescat interpretationibus, & quæ scommaticè pro fingentium dicuntur arbitrio: sed consideret priora, media, & sequentia: & nectat sibi vniuersa, quæ scripta sunt. Ex hoc ergo, quod infert: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*, intelliguntur vniuersa quæ dixit, idest, de duobus, qui in agro sunt, & de duabus molentibus, & de patre familias, qui seruo suo credidit substantiam, & de decem virginibus: ideo parabolas esse prætermissas, vt, quia ignoramus omnes iudicij diem, sollicitè nobis lumen bonorum operum præparemus, ne, dum ignoramus, iudex veniat.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constant. n. in superius Euang. Homil.

TVnc simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c. Parabolæ istæ Ex Hom. 79. in Matth. priori de infideli, & ingrato seruo, qui rem Domini dispertiit, simillimæ sunt. Quatuor enim sunt, omnes diuerso itinere nos eodem conducentes. Omnes enim ad eleemosynam capessendam conciternui, & vt, quibuscūque modis possumus, cum nō sit possibile aliter saluari, proximis vtilitati esse studeamus. Sed in superioribus de omni vtilitate, quam proximo conferre possumus, in parabola verò de virginibus, de illa præcipuè, quæ pecuniis fit eleemosyna, loquitur, multóque vehementius, quàm in superiori parabola; Nam ibi cædentem proximos, temulentum, & rem Domini dissipantem, atque perdentem atrociter punit: hic verò eū, qui emolumento aliis non est, nec accumulatè indigentibus ministrat: vsæ nāque fuerunt eleemosyna, sed, quia copiosè nō fecerāt, torquentur. Cuius autem rei gratia non simpliciter qualemcunque personam posuit, sed virginibus hanc parabolam accommodauit. De sublimitate virginitatis iam dixit eunuchos esse nonnullos, qui se propter regnum cælorum castrarunt: &, qui capere potest, capiat. Nec ignorat vulgò magnam de virginibus existimationem fieri, quippe res natura sublimis est: quod inde patet, quia nec apud veteres à priscis illis, sanctisque viris culta fuit & post gratiam nulla legis necessitate iubetur. Nō enim imperauit, sed voluntati fidelium commisit: vnde Paulus quoque ait. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: & laudo quidem eum, qui vult, neque præceptum id facio. Quoniam igitur & magna res erat, & maioris apud multos existimationis, & ne quis, ea re peracta, quasi nullo indigens negligentior in aliis sit, hanc parabolam posuit, vt ostēdat, quia, si cætera vniuersa virginitas habuerit, & caruerit eleemosynæ fructibus, cum fornicationibus, & inhumanis ejicitur, cum quibus immisericors cōstituitur. Nō est autē corporis, & pecuniæ par cupiditas, sed acrior multò, atque vehementior corporum est. Quantò igitur imbecilliori reluctamur, tantò minus, si vincimur, venia digni sumus. Ideirco & fatuas appellauit, quoniam, difficilioribus superatis, faciliora perdiderūt. Lampades autem hic ipsius virginitatis nominat donum, & mundiriam sanctitatis, oleum verò benignitatem, eleemosynam, patrocinium indigentium. *Sponso autem tardante, conuenerunt omnes, & dormiebāt.* Nō paruum temporis rursus spatium esse ostendit, opinionem discipulorum reprimēs, qui confestim regnum eius futurum sperabant: quapropter crebrò ab huiusmodi eos spe remouet. Ad hoc somnum quendam, esse mortem denotat. *Dormiebat enim*, inquit: *Ad mediam autem noctē, clamor factus est.* Aut parabola, quoniam dormiebant, dixit commoratur: aut rursus in nocte futuram resurrectionem ostendere voluit. Clamo-

Vel de iis loquitur, qui facultates habent, vel de misericordia affectu, vel de clamatoriè dictum, est intelligendum.

1. Cor. 7.

1. Thess. 4.

rem etiam Paulus commemorat, in iussione, in voce archangeli, in vltima tuba descendet de cælo. Quid porrò tubæ volunt, & quid clamore illo dicere? *Sponsus venit apparatis ergo lampadibus, fatuæ dicunt ad prudentes; Date nobis de oleo vestro.* Rursus fatuas appellauit, vt nihil amentius esse ostendat, quam pecuniam in hac vita colligere, & nudos nos proficisci, vbi maxime benignitate indigemus, vbi misericordia nobis opus est. Preterea sperantes ibi se oleum inuenturas, intempestiue quæsierunt: quanquam autem nihil humanius illis virginibus fuerit, quæ hac re pręcipuè fulserunt, non totum petebant. *Date* enim *nobis ex oleo vestro*, inquiunt: & necessitatem ostendebant. *Extinguuntur enim lampades nostræ*: sed tamē repulsæ sunt, nec humanitas earum, à quibus petebatur, nec petitionis facilitas, nec petētium necessitas, vt impetrarēt, effecit. Quid igitur hinc docemur? Quia videlicet nullus nos, qui opera perdiderimus, defendere ibi poterit, non quia nollet, sed quia non potest: videmus enim prudentes ad impossibilitatem

Luc. 16. confugere: quod & Abraham ille denotauit, dicēs; Magnus inter nos, atque vos hiatus existit, adeò vt nec volentes pertransire, traiicere possint. *Ite autem ad vendentes, ac emite.* Qui porrò vendūt? Qui pauperie premuntur. Vbi verò isti reperiuntur? In hac solummodo vita: hîc ergo, non ibi quærendi sunt. Vides quàm magnas ab inopibus merces negotiemur, si hos tollas, magnā nostræ salutis spem euertisti. Hîc igitur oleum colligendum est, vt ibi, cùm tempus fuerit, paratū nobis adsit. Non enim illud tempus, sed hoc congregationis est. Noli ergo in delitiis, luxu, inanique gloria frustra consumere, quæ habes, cùm multo tibi olei ibi opus futurum est. His illæ auditis, recesserunt, sed nihil vtilitatis consecutæ sunt. Ita ipsa parabolæ contextu ostēdit, quia etiamsi misericordes illic fuerimus, non euademus tamen: nihil enim profuisse istis misericordiæ illius volūtatem videmus, quia non hic, sed ibi venditores olei quęrebant: nec diuiti profuit adeò misericordem ibi fuisse, vt etiam de absentibus suis solicitaretur: & qui, dum viueret, iacentem in porta pauperem præteribat: quos inde videre non poterat, à gehenna eripere festinat, rogátque nonnullos ad illos mitti omnium

Luc. 16. earum nuntios rerum: verùm vt ille, sic etiam istæ nihil cōsecutę sunt. *Posteaquā enim ad emendum profectę sunt, venit spōsus, &c.* Ita post ingētes illos labores, post incredibiles sudores, & acerrimas pugnas, post trophæa, quæ de naturæ rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore, & lāpadibus earum extinctis, tristá aspicientes recedunt. Nihil sanè tenebrosius est, quàm virginitas olei carens: vnde sic vulgò multi immisericordes tenebrosos solēt appellare. Quid igitur ex virginitate lucratæ sunt, quæ nec sponsum quidem viderunt, nec saltem ad pulsandum vsque peruenerunt, sed terribile illud verbum audiuere; *Abite, nescio vos?* Quòd cùm ipse dixerit, nihil aliud quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur: imò verò etiam, gehenna, istud verbum grauius est: hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Crebrò id repetit, vt ignorantiam exitus ab hac vita vtilem esse ostendat. Vbi sunt ergo, qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitát, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos? Audiant hæc verba, & emendent se: multi enim abeundi tempus expectantes, ita repentè rapti sunt, vt nec iniūgere suis quicquam potuerint. Sed hæc quidem parabola eius eleemosynæ gratia, quæ cùm pecunia conficitur, dicta est: quæ verò sequitur, generaliter omnes respicit, qui nec pecunia: nec verbo, nec autoritate, nec quouis alio modo proximis conferūt, sed omnia retinent. Cur autem hæc parabola regnum, illa sponsum adducit? Vt videas quantum virginibus Christus afficitur iis, quæ sua pauperibus erogāt: hæc enim & vera virginitas est. Nam & Paulus huic rei hāc descriptionem attribuit, dicēs; Innupta solicita est de iis quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & 1. Cor. 7.
spiritu. Hæc admonemus, ait.

AVTHORIS IMPERFECTI eiusdem Euangelij expositio.

TVnc simile est regnum cælorum decem virginibus, *Et reliqua.* Notandum quòd priorem quidem Hom. 52. in Matth. parabolam de doctoribus dicit, hāc autem de popularibus: tamē & si spiritualem intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. *Tunc simile erit*, quum diebus suis completis, solutus fuerit mundus, quum venerit iudex omnium occultorum. Modo autem interim omnes homines nobis inuicem mentimur. Alij fingunt se iustos, quum sint iniqui: alij humiliant se vt peccatores, quum sint sancti, alij autem turpes actus suos vsque ad mortem abscondunt, amplius homines erubescentes, quàm Deum timentes, & semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui autem Deum timet, homines non erubescit. Nec enim peior potest esse timor terrenus, quàm pœna cælestis. Quibus si- 1. Cor. 7.
mile erit? *Decem virginibus.* Quidam putant hîc virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, vt sint sanctæ, & corpore, & spiritu. Et sapiens quidem virgo est, quæ & corpore, & animo virgo est, vt neque habeat virum, neq; habere desideret. Quid enim, si aut parentes eius propter votum suum in virginitate eam tenuerunt, quum ipsa tamen post votum nubere voluerit? Quid si pro aliqua occasione quæsita non est talis? Hæc si non est Virginitatis votum apud veteres. nupta, voluntatem tamen nubēdi habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta: quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate. Quamuis frequenter occasionis necessitatis carnalis Deus præstet hominibus misericordiam spiritualem, si tamen postea voluntas necessitati consentiat: non solùm autem vt non concupiscat, sed etiam abstineat se ab omni re mala, vt neque faciat, neque loquatur, neque cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornicatur, quando eum viro coniungitur: anima autem, quando diaboli voluptatibus sociatur. Quæ hæc non seruat, fatua est ipsa virgo. Et verè fatua est, quæ per solam virginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce quemadmodum quum manducas, & bibis, non anima manducat, sed corpus, res enim incorporalis corporali cibo non pascitur: sic quum vir mulieri aut mulier viro coniungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propterea frequenter fit, vt nupta (si alias nō peccet) melior sit, quàm illa, quę virgo est, & alias peccat. Quoniam si illa non peccat quæ nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est. Quæ autem alias peccat, &

virgo est, corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia diximus per concupiscentiam animas fornicari, sciẽdum est, quòd aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere passionis est, velle autem arbitrij. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si ergo cõcupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem & gloriosiorem facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spiritualem eius narrationem. Decem virgines omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus, & quinque spiritualibus. Omnium enim hominum duæ sunt partes. Aut enim peccatores sunt, aut iusti. Peccatores qui secundum carnales ambulant sensus: iusti, qui secundum spiritales. Ergo & omne genus peccatorum in quinque diuiditur, & omne genus iustorum in quinque secundũ numerum sensuum, non secundum numerum hominum. Has autem virgines diuidendas profert Christus, quando & iusti ab iniustis, & sancti à peruersis per verbum suum diuidendi sunt, vt quinque quidem ponantur ad dexteram iusti iudicis, hoc est sapientes: quinque autem ad sinistram, id est, fatuæ. Secundum autem mysteriũ & Moses in duabus tabulis legem suscepit decem verborũ, quinque quidem mandata in tabula vna, quinque autem in tabula altera: Sicut ergo tabulæ testamenti illius in vno quidem hærebant, tamen non poterat fieri vt ambæ fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat vt vna quidem cum quinque esset ad dexteram, altera autem cum quinque aliis esset ad sinistram: sic omnes Christiani in vna tenentur vocatione. Non est autem possibile, vt omnes ad dexteram fiant sedentis, sed necesse est, vt iusti quidem fiant

* Aliquid hic deesse videtur. ad dexteram,* id est, insipientes. Quidam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, & ad hæreticos, & ad Iudæos, præterquam ad Gentiles: quoniam illi idolorum cultura corrupti sunt, & virgines dici non possunt. Verè autem nec ad Iudæos pertinet, nec ad hæreticos: quia non possunt Iudæi dici virgines, qui proiecto, & crucifixo sponso, adulterum super se diabolum susceperunt. Neque hæretici virgines dici possunt, qui & ipsi adulterino sensu corrupti sunt, & virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Sed ad Christianum tantummodo populum per-

2.Cor.11. tinet, de quibus scriptum est: Statui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic corrũpantur sensus vestri à castitate, quæ est in Christo Iesu. Fatuæ autem virgines sunt, quæ fidem quidem Christi integram habẽt, opera autem iustitiæ non habent. Iudæi verò, & hæretici, neque fidem habent, neque opera possunt habere. Sed & si operum oleum habeant, nihil eis prodest: quia lampades fidei non habent, quas accendant. *Tunc simile erit.* Bene tunc, quia interim nõ apparet quæ prudentes sint, quæ fatuæ, quousque tunc multæ fatuæ fient prudentes, & multæ, quæ videntur prudentes, fatuæ efficientur. *Quæ acceperunt lampades suas.* Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum, in qua est, sic fides, illuminat animam cuius est. Accenditur autem hæc lampas igne diuini verbi. Verbum enim Dei ignis est, si-

Luc.12. cut dicit dominus: Ignem veni mittere in ter-

Rom.10. ram. Item dicente Apostolo: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum, per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctrinam. Aut sicut alius putat, verbum Dei, quod accepimus accedẽtes ad Christũ, lucerna est secũdum quod scriptũ est: Lucerna pedibus Psal.118.

meis verbum tuum. Oleum autem doctrina sacerdotum, aut cæterarum scripturarum. Quoniam sicut lucerna (nisi ei subministraueris oleum) extinguetur: sic verbum fidei nostræ quod credentes accipimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis: aut meditationibus scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus misericordiæ. Quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, & vigorem accendunt. *Et venerunt obuiam sponso, & sponsæ.* Bene ait, *venerunt*, quando ex illa die, qua homo credit Christo: quasi de seipso egressus, & de mundo ire videtur obuiam Christo, quia quotidie Christi expectat aduentum. Sicut enim qui obuiam vadit alicui, in via stat, & expectat eum quandiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet viuere in hoc seculo, quasi peregrinus: & non in suis, sed in transitu positus. Propterea & Iudæi exituri de Ægypto, Exod.12.

expediti, & præcincti agnum iussi sunt manducare, & ad exeundum parati: ostendẽtes nobis quomodo, quicunque nostri agni Eucharistiam manducant, ita debẽt semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. Nec mireris, quia dixit, *venerunt obuiam sponso, & sponsæ*, quum Ecclesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus quũ sit inter nos, tamen venturus dicitur, quum apparuerit in gloria: sic & in Ecclesia quamuis sit inter nos, tamen ventura dicitur, quum apparuerit in gloria sua. Propterea dicit Apostolus: Mortui Col.3.

enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: quum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Fatuæ autem accipientes lampades suas, non sumpserunt oleum secum.* Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur: & nisi oleum ei subministraueris, extinguitur: sic & fides non ex operibus accenditur, sed ex verbo Dei: sicut ait Apostolus, tamẽ per bona opera nutritur: & nisi subministraueris ei opera bona, deficit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quod peccatores non credũt Deo, siue quum de gloria sanctorum quis eis loquatur, siue de pœna peccatorum. Et dum non credunt futurum esse, quod dicitur, neque de bono futuro delectã-

Fides sola non sufficit ad salutem. rut, neque de malo terrentur. Verè fatui sunt omnes homines, qui solum existimant sibi posse

Iacob.2. sufficere ad salutem, quia credunt in Christum, & Christiani dicuntur, & non festinant semetipsos bonis operibus commendare: nec audiunt Iacobum dicentem, Quia fides sine operibus mortua est. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes virgines, & dormierunt.* Hoc significat sermo, quia tardante consummatione, non solum peccatores, sed etiam iusti, & spirituales ad negligentiam sunt reuoluendi. Et relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt aliquatenus transituri, vt & illud impleatur quod propheta dicebat: Saluum Psal.11.

me fac, domine, quoniã defecit sanctus quoniam diminuti sunt fideles à filiis hominum. Et hoc est,

Matth. 14. Luc. 18. quod Christus dicebat: putas, quum venerit filius hominis, inueniet fidem supra terram? Nam vigilare est iustitiam facere: dormire autem negligere est eã, sicut dicit: Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora veniet dominus. Et verè non tardat, sed quantum ad nostram inconstantiam tardare videtur. Nam, si consideremus ex quo Christus in cælum ascendit, & quantum viuebant homines ante diluuium, & prope tãtum spacium est, quanto tempore erat vita vniuscuiusque eorũ. Si quis autem oculos habet apertos, intelligit quia mysterium huius verbi in nobis impletum est. Omne enim studium spirituale relinquimus, & ad carnalia delectamenta transimus. Quem enim inuenies modo, non dicam laicum, sed aut presbyterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat seculi bona, credens consummationem esse propinquam? Vnusquisque enim dicit in corde suo, infidelitatis spiritu præualente: Ecce ex quo Christus fuit in terris, semper dicitur, consummatio veniet, & ecce nondum venit. Ne fortè non præparandi causa, sed terrendi, ista scripturæ loquuntur. Qui autem non verè credit consummationem esse propinquam, non ex verbis, quæ dicit, aut audit, sed ex operibus, quæ agit, cognoscitur. Qui enim verè credit consummationem esse propinquam, nihil curat de mundo, nec in posterum aliquid seruat, quia nec peregre éxiturus aliquid secum portat in via, nisi fortè panem, quem necessarium habet in via. *Media nocte clamor factus est.* Quasi clamor præcurrentium & prætubantium angelorum: Qui clamor? *Ecce sponsus venit, exite obuiã ei.* Vnde putas iubet exire, de domibus, de ciuitatibus? Non, nec enim est ratio: sed vt exeant de mundo, exeant de iniqua carnis natura. Ex eo
1. Cor. 15. quod Apostolus ait, in nouissima tuba mortuos suscitandos, datur nobis occasio æstimandi clamorem illum esse, de quo dominus dicit: *Et cla-*
Apo. 14. *mor factus est.* Æstimemus clamorem esse tubarũ præcedentium, quas Ioannes in reuelatione sua exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quę fiunt ab eis. Qui ergo intelligit illa signa clamantia seculi finem ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis auris audit, sed animæ intellectus. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.* Hoc est, quum clamor factus fuerit non solùm iusti, sed etiam peccatores de somno negligentiæ surgent. Tunc incipient timere, & festinare, tunc credent, quia verè finiendus est mundus. Nam quemadmodum securitas etiam diligentes homines negligentes facit: sic timor præsentis periculi etiam negligentes homines exhibet diligentes, sed nihil eis proderit diligentia illa, quàm generat timor, non fides. Tunc intelligent quia nihil est, quod vixerunt in mundo. Tunc incipient sapere, quãdo nihil eis proderit sapuisse. *Et composuerunt lampades suas.* Id est, tunc incipient omnes aspicere, & discutere fidem suam: tunc considerabunt singuli opera sua, qui bene fecerunt, qui malè, & interrogabunt conscientias suas. Quemadmodum enim superueniente sponso, festinat se sponsa cõponere, ne fortè ea aliqua parte displiceat sponso, ita singuli semetipsos iudicabunt apud se. Hoc est enim præparare fides suas. Quod si semper nos ita iudicaremus, quemadmodum tunc iudicaturi sumus, nunquam peccaremus in Deum. Sicut ergo virgo deformis, & debilis sine causa se componit, sic & tunc peccatores sine causa se præparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspicere exercitum, & considerare arma illorum, iubet mitti tubam, vt fiant admoniti. Tunc omnes milites festinant arma sua aspicere, vbi sit gladius eius, vbi lorica sit posita, vbi iaceat scutum. Et qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus & lætus currit ad inspectionem: & qui tempore securitatis gladium suum ærugine dimiserit, aut loricam sordescere, scutum frangi, aut rumpi, quum audierit tubam, & ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, detergere loricam, ligare, aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam, quia vrgens necessitas non permittit longi temporis opus implere. Sic & domino absẽte, malus seruus non aspicit opera sua, quid facit, quid non facit, aut quomodo credit: nec cogitat, quia venturus est dominus eius, & opera perspecturus, & fidem: sed quum viderit eum venientem de longè, tunc aspicit opera sua, tunc incipit festinare: sed nihil ei proderit festinatio eius: quia multorũ dierum negligentia non potest vna hora expleri. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Extinguitur lampas hominis, quando fides eius deficit, ac desperat. Sicut enim qui bene sibi conscius est, fiducialiter, & magnanimiter agit quemadmodũ liquida infuso oleo addat lumen lucernæ: sic & ille consideratione operum bonorum suorũ semetipsum confortat, & fidei suæ addit audaciam. Qui autem sibi malè conscius est, semper pusillanimis, ac timidus est. Et quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernæ, sic & ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, & infidelitati suæ adhuc diffidentiam addit. Ideo ergo timentes peccatores ad sanctos dicturi sunt: *Date nobis de oleo vestro.* Hoc est, vos sancti, qui habetis opera larga iustitię sufficientia vobis, non solum ad euadendam pœnam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum, id est, intercedite pro nobis peccatoribus ad dominum, quia iustitia vestra sufficiens est & vos glorificare, & nos excusare. *Merita sanctorum apud Deum pro se, & pro aliis.* *Responderunt autem prudentes dicentes: Ne forte nec nobis nec vobis sufficiat.* Ostendit in his verbis, quod ita futurum est terribile iudiciũ illud, vt nulla innocentia sibi confidat. Et verè quis est homo natus de muliere, qui credit iustum se esse inueniendum in conspectu illius? de quo beatissimus Iob dicit: Stellæ in cõspectu eius non sunt mundæ, & cælum sine crimine non est. *Iob 25.* Si ergo impeccabilis natura stellarum, & cæli, quantum ad iustitiam Dei inuenitur esse peccatrix, quomodo ante eum homo appareat iustus, cuius & sine voluntate peccandi natura ipsa peccatum est? Dicente Apostolo, Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago. Et iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. *Intellige de maxima pronitate ad peccatum, ne impingas in improbum dogma Manichæorum Lutheri.* Tantus ergo timor tunc erit omnium, etiam sanctorum, vt nemo speret se iustum inueniẽdum, sed adhuc timeat, ne forte reus existat. Quis enim potest ad perfectum diiudicare conscientiam suam, & cognoscere cor suum, quum scriptum sit: Quia de omni verbo ocioso reddituri sumus rationem?

Quo

Matth. 22. Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedent sancti, quum timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiæ iudicium non suscipit, sic & tempus iudicij misericordiam non recipit. Ideo in primo aduentu, quum tempus esset misericordiæ, dicentibus Apostolis super inhumanitatem ciuitatis alicuius: Vis dicamus, vt descendat ignis de *Luc. 9.* cælo? Respōdit Iesus: Nescitis cuius spiritus estis. Non enim veni iudicare mundum, sed saluare: Ostendens quia, quum venerit in secundo aduentu, iudicij tempus similiter locum misericordiæ non habebit. Vbi autem misericordia locum non *Rom. 8.* habet, nec intercessio valet. Aut hæc ideo dicit, quoniam indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si ergo maior erit gloria, quæ præparata est sanctis à Deo, quàm quod vnusquisque sanctorum meretur: quomodo sufficiat & aliis ad salutem vniuscuiusque opus eorum, quum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam iusto iudicio consequendam? *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Venditores operum bonorum vel doctrinæ sacerdotes sunt, qui præcepta iustitiæ in populo dant quasi precium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per pœnitentiam soluunt, precio confessionis *Confessio facta sacerdotibus, & absolutio ab eis impartita.* eorum placati. Aut certè hoc precium doctrinæ accipiunt, quando si docentes eos audierit populus. Populus quidem per obediētiam suam mercatus est sibi salutem, sacerdotes autem, qui docuerunt, & laborauerunt circa eos, recipiunt à Deo doctrinæ suæ labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, vt eant ad sacerdotes, & fideliter audiant eos, & quum audierint, faciant, & habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. *Abeuntibus autem eis, ecce venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, & clausa est ianua.* Ostēditur nobis per hæc verba, quòd illo in tempore inter angustias diuersorum terrorum, videntes se peccatores anxiabuntur, & current huc & illuc ad sacerdotes doctrinā & pœnitentiam sibi quærentes, alij autem interrogantes quid eos oporteat facere. Sed festinante iudicio, & necessitatibus aliis super alias venientibus, quum non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ iustitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim & in quotidiano vsu videmus fieri. Quotidie enim sacerdotes clamant in Ecclesia: Qui peccauit, pœnitentiam agat: qui non peccauit, permaneat in Deo, neque seducant vos honores, & diuitiæ temporales, quia tempus vestrum prope est: & si consummatio vestra tardauerit, mors vestra non tardat, & nemo credit, nemo obaudit: quum autem venerit super illos mors, festinant & anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando iam pœnitentiæ locus non est. Itaque *Cōfessio olim à morituris fiebat.* dum exponunt peccata sua, dum accipiunt pœnitētiæ tempus, & præcepta iustitiæ, capiunt animam eorum, & vadunt vacui, magis autem ligati iusto iudicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi, volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si viuere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditores olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, vt eant ad pauperes, si patitur eas tempus, vt facientes eis bona iustitiæ, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei id est, misericordiæ merces acquiritur. Illæ autem dum vadunt volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possint cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repentè, & nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, quum tempus bene agēdi concluditur. *Nouissimè autem venerunt & reliquæ virgines, dicentes: domine, domine aperi nobis.* Nihil prodest, ex necessitate repetita confessio eius, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio, & modica sufficit Deo, ex necessitate autem neque magna. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos, qui estis.* Signa spiritus mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum spiritum habet, bona opera facere non potest: sic qui spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea, est fugere malum, & sequi bonum: vos autem è contrà, fugistis bonum, & operati estis malum. Nō potestis meorum militum præmia accipere, qui Tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponen. in superius Euang. Homil. 1.

INter parabolas à domino dictas, solet quærentes multum mouere ista, quę de decem virginibus *Serm. 23. de verb. domini.* posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem, sed quomodo partibus eius omnibus conueniat expositio, id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura, ex earum genere, quæ apocryphæ nominantur, quòd non sit contra catholicā fidem, sed huic *De quæstio. Euang. lib. 1. cap. 43.* loco nihil mihi minus congruere visum est, consideranti omnes huius similitudinis partes. De qua tamen expositione temere nihil audeo iudicare, ne forte non eius inconuenientia mihi angustiam fecerit, * sed mea tarditas in eam conue- ** alias, ist.* nientiam non venerit. Quid autem mihi videatur non absurde de hoc loco accipi, quantum potero breuiter & diligenter exponam. Interrogatus igitur dominus noster à discipulis de consummatione seculi: inter multa quę est locutus, hoc quoque dixit, *Tunc simile æstimabitur regnum cælorum decem virginibus, quæ acceperunt lampades suas, &c.* *Matth. 25.* Decem vtique virginum quod quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum, & malorum discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis, exclusisq; commune est? Deinde, quid sibi vult numerus in vtráque parte quinarius? Quicquid autem significet oleum, mirum videtur quod sapientes petentibus non communicant: cum inuidere fas nō sit eas, quæ ita perfectæ sunt, vt ab ipso sponso recipiantur, quo nomine nullo dubitante dominus Iesus Christus significatur: & misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent, præscribente illa sententia eiusdem domini dicentis, *Luc. 6.* Omni petenti te tribue. Quid est autem quod possit dando non sufficere vtrisque? Hæc maximè augent quæstionis difficultatem: quanquam & cætera diligenter considerata, vt omnia in vnam rationem concurrant, nihilque in vnam partem

dicatur quo impediatur alia, magna cautio est adhibenda. Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinque partitam continentiam a carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur interiore gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantum vt gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ, vtræque tamē virgines, quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeat. Lampades autem sunt quia manibus portantur

Matth. 5. opera quæ secundum istam continentiam fiunt. Dictum est autem, Luceant opera vestra coram hominibus. Omnes vero acceperunt lampades suas, & venerunt obuiam sponso. Intelligendum est ergo Christi nomine censeri, de quibus agitur: Non enim possunt qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obuiam. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis non sumpserunt oleum secum. Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent dum continenter viuunt, nisi in laudibus hominum. Nō ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror. Propterea, in-

Psal. 44. quit, vnxit te, Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum. Prudētes autem acceperunt oleum secum in vasis cum lampadibus suis, idest, lætitiam operum bonorum in

Galat. 6. corde atque conscientia posuerunt. Sic & Apostolus monet, Probet se, inquit, homo, & tunc in semetipso habebit gloriā, & nō in altero. *Tardante ergo sponso dormierunt omnes*, quia ex vtroque genere continentium hominum, siue eorum qui coram Deo exultant, siue eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu domini fiat resurrectio mortuorum. *Media autem nocte*, idest, nullo sentiente, aut sperante: quippe cum ipse dominus

Matth. 24. dicat, De die autē illa & hora nemo scit: Et Apostolus dicat, Dies domini sicut fur ita in nocte ve-

1. Thess. 5. niet: ex quo significat penitus latere cum veniet: *Clamor factus est, ecce sponsus venit, surgite obuiam ei.* In ictu oculi, nouissima tuba, omnes resurgemus.

1. Cor. 15. Ergo *surrexerunt omnes illæ virgines, & aptauerunt lampades suas*, idest rationes reddendas operum suorum. Oportet enim nos exhiberi ante tribu-

2. Cor. 5. nal Christi, vt illic recipiat vnusquisque quod gessit in corpore, siue bonum siue malum. *Et dixerunt stultæ ad sapientes, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quorum enim facta alienis laude fulciuntur, eadem subtracta deficiūt, & de consuetudine id semper inquirit, vnde animus gaudere solet. Itaque hominum qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Sed quid responderunt sapientes? *Ne forte non sufficiat nobis.* Vnusquisque enim pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quicquam adiuuatur apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix sibi quisque sufficit, vt ei testimonium perhibeat conscientia sua. Quis enim gloriabitur mundū se habere cor? In-

Prouer. 20. de est quod Apostolus dicit, Mihi minimum est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die, sed ne-

1. Cor. 4. que meipsum iudico; Quapropter cū de se quisque aut omnino, aut via possit verā proferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cum sciat nemo quid agatur in homine, nisi spiritus

hominis. *Ite magis ad vendentes, & emite vobis.* Non 1. Cor. 2. consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim oleū adulatores, qui siue falsa, siue ignorata laudando, in errores animas mittūt, & eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando, aliquam de his mercedem, siue ciborum, siue pecuniæ, siue honoris, siue alicuius commodi temporalis accipiunt, non intelligētibus quod dictum est, Qui vos fœ- Esai. 3. lices dicunt, in errorem vos mittunt. Melius est Eccl. 7. Psal. 140. autem obiurgari à iusto, quàm à peccatore laudari. Emendauit me iustus, inquit, in misericordia & arguit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Ite ergo ad vendentes magis, & emite vobis*: idest, videamus nunc quid vos adiuuant, qui vobis laudes vendere consueuerunt, & vos in errorem inducere, vt non coram Deo sed ab hominibus gloriam quæreretis. *Euntibus autem illis emere, venit sponsus*: idest, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille qui iudicat. *Et quæ paratæ erant*, idest, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, *intrauerunt cum eo ad nuptias*: idest, vbi munda anima sempiterno Dei verbo fœcūdata copulatur. *Clausa est ianua*: idest receptis illis qui sunt in angelicam vitam immutandi. Omnes enim resur- 1. Cor. 15. gemus, inquit, sed nō omnes immutabimur: clausus est aditus ad regnum cælorum. Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. *Nouissime autem veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine domine aperi nobis.* Non dictum est quòd emerint oleum, & ideo intelligendæ sunt nullo iam remanente de alienis laudibus & magnis afflictationibus redire ad implorationem Dei. Sed magna est eius seueritas post iudicium, cuius ante iudicium, ineffabilis misericordia prærogata est. Itaque respondens ait, *Amen dico vobis, nescio vos.* Ex illa scilicet regula quam non habet ars Dei, hoc est, sapientia Dei, vt intrent in gaudium eius qui non coram Deo, sed vt placerent hominibus, visi sunt aliquid secundum præcepta eius operari. Atque ita concludit, *Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam.* non modo illius vltimi temporis, quia venturus est sponsus: sed suæ quisque dormitionis diem, & horam nescit. Qui si quis autem paratus est vsque ad somnum, id est vsque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus inuenietur etiam cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes euigilaturi sumus. Quod vero sponso dixit obuiam venire virgines, sic intelligendum puto, vt ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponsa, tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus filij ad matrem concurrere dicantur, cum ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater. Nunc enim desponsata est Ecclesia, & virgo est ad nuptias deducenda, idest, cum se contineat à corruptione seculari. Illo autem tempore nubit, quo vniuersa mortalitate prætereunte immortali coniunctione fœtatur. Despōsaui vos, inquit, vni viro virginem 2. Cor. 11. castam exhibere Christo. Vos, inquit, virginem, à plurali ad singularem concludens: ideo & virgines dici possunt & virgo. Cur autem quinque, vt mihi videtur expositum est. Sed videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: &

nunc

nunc ex parte, tunc autem ex toto. Ipſum autem in ænigmate, & ex parte nũc in ſcripturis aliquid cernere, quod tamen ſit ſecundum catholicam fidem, ex illo pignore contigit quod accepit virgo. Eccleſia humili aduentu ſponſi ſui, quæ illo vltimo aduentu cum veniet in claritate nuptura eſt, cum iam facie ad faciem cõtuebitur. Dedit enim

2. Cor. 1. nobis pignus ſpiritum, ſicut dixit Apoſtolus: & ideo iſta expoſitio nihil certum intuetur niſi vt ſecundum fidem ſit, neque aliis præiudicat quæ nihilominus ſecundum fidem eſſe potuerint.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 2.

Serm. 33. de verb. domini.

HEſterno die qui affuiſtis, promiſſionem noſtram tenetis, quæ hodie non ſolis vobis, ſed pluribus etiam qui conuenerunt, domino adiuuante, reddenda eſt. Quæ ſint decẽ virgines, quarum ſunt quinque prudentes, quinque ſtultæ, nõ facilè indagari poteſt. Veruntamen ſecundum ea, quæ continet ipſa lectio, quam charitati veſtræ etiam hodie volui recitare, quantum mihi dominus intellectum donare dignatur, non mihi videtur iſta parabola, vel ſimilitudo ad eas ſolas pertinere propria & excellentiori ſanctitate virgines quæ in Eccleſia nominantur, quas etiam vſitatiori vocabulo ſanctimoniales appellare conſueuimus: ſed niſi fallor hæc ſimilitudo ad vniuerſam Eccleſiam pertinet. Quamuis & ſi illas ſolas intelligeremus, quæ ſanctimoniales vocantur,

Vides olim numeroſam fuiſſe multitudinẽ virginitatem profitentium.

nunquid decem ſunt? Abſit, vt tanta virginum multitudo ad tam exiguum numerum reuocetur. Fortè autem dicat aliquis, Quid ſi multę ſunt nomine, & iam paucæ ſunt in veritate, vt vix decem inueniãtur? Non ita eſt. Nam ſi ſolas decem intelligi vellet bonas, non ibi oſtenderet quinque fatuas. Si enim multæ ſunt virgines quæ vocantur, quare contra quinque oſtia domus magnæ clauduntur? Intelligamus ergo, chariſſimi, ad omnes nos, id eſt, ad vniuerſam omnino Eccleſiam iſtam pertinere parabolam, non ad ſolos præpoſitos, de quibus heſterno die locuti ſumus: nec ad ſolas plebes, ſed prorſus ad omnes. Quare ergo quinque? Quinque iſtæ & quinque virgines, omnes omnino ſunt animæ Chriſtianorum. Sed vt dicamus vobis quod Deo inſpirante ſentimus, non qualeſcunque animæ, ſed tales animę, quæ habẽt catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Eccleſia Dei: & tamen ex ipſis quinque ſunt prudentes, & quinque fatuæ. Quare ergo appellatæ ſunt quinque, & quare virgines prius videamus, & deinde cætera conſideremus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero cẽſetur, quia quinque ſenſibus vtitur. Nihil eſt enim quod ſentimus in corpore niſi ianua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut guſtãdo, aut tãgendo. Qui ergo ſe abſtinet ab illicito viſu, abſtinet ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito guſtatu, ab illicito tactu, propter ipſam integritatem, virginis nomen accipit. Sed ſi bonum eſt abſtinere ab illicitis ſentiendi motibus, & ideo vnaquæque anima Chriſtiana virginis nomen accipit, quare quinque admittuntur, quinque autem repelluntur? Et virgines ſunt & repelluntur. Parum eſt, quia virgines ſunt, & lampades habent, virgines propter abſtinentiam ab illicitis ſenſibus, lampades habent propter opera bona. De quibus operibus dominus dicit, Luceãt

Matth. 5. opera veſtra coram hominibus, vt videant bona facta veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in

Luc. 12. cælis eſt. Item diſcipulis dicit, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardẽtes. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Nõ ſolet dici virginitas vtique in coniugatis, tamen etiam ibi eſt fidei virginitas quæ exhibet pudicitiam coniugalem. Nam vt nouerit ſanctitas veſtra, non importunè ſecundum animam & ſecundum integritatem fidei, qua etiam ab illicitis abſtinetur, & bona opera fiunt, vnumquenque vel vnamquanque animam virginem dici, tota Eccleſia quæ conſtat ex virginibus, & pueris, & maritatis fœminis, & vxoratis viris vno nomine virgo eſt appellata. Vnde hoc probamus? Apoſtolum audi dicentem, non ſolis ſanctimonialibus, ſed vniuerſæ prorſus Eccleſiæ, Deſponſaui vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Et quia huius virginitatis corruptor diabolus cauendus eſt, continuò ipſe Apoſtolus

2. Cor 11. cum dixiſſet, Deſponſaui vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: adiunxit & ait, Timeo autem, ne, ſicut ſerpens Euam ſeduxit in verſutia ſua, ſic & veſtri ſenſus corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto. In corpore virginitatem pauci habent, in corde omnes habere debent. Si ergo ab illicitis abſtinentia bona eſt, vnde virginitas nomen accepit, & opera bona laudabilia ſunt, quæ ſignificantur lampadibus, quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Si & virgo eſt, & lampades fert, & tamen non admittitur, vbi ſe videt qui nec virginitatem ab illicitis ſeruat, nec opera bona volens habere, in tenebris ambulat? De iſtis ergo, fratres mei, de illis potius diſputemus. Qui non vult videre quod malum eſt, qui non vult audire quod malum eſt, ab illicitis ſacrificiorum nidoribus auertit odoratum, ab illicitis ſacrificiorum cibis auertit guſtatum, fugit complexum alienæ, frangit panem æſurienti, hoſpitem inducit in domum, veſtit nudum, concordat litigioſum, viſitat ægrotum, ſepelit mortuum: ecce

Sepelire mortuũ inter opera miſericordiæ commemoratur.

virgo, ecce habet lampades. Quid quærimus amplius? Adhuc quæro. Quid adhuc quæris, inquis? Adhuc quæro, intentum me fecit Euangelium ſanctum. Etiam ipſas virgines & ipſas ferentes lampades, alias dixit prudentes, alias ſtultas. Vnde intuemur, vnde diſcernimus? De oleo. Aliquid magnum ſignificat oleum, valde magnum. Putas

1. Cor. 12. non charitas eſt? Quærendo dicimus, non ſententiam præcipitamus, Vnde mihi videatur oleum charitas ſignificari, dicam vobis. Apoſtolus dicit, Adhuc ſupereminentiorem vobis viam demonſtro. Supereminentiorem viam quam demõſtrat?

1. Cor 13. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Ipſa eſt ſupereminens via id eſt, charitas, quæ meritò oleo ſignificatur. Omnibus enim humoribus oleum ſupereminet. Mitte aquã, & ſuperinſunde oleum, oleum ſupereminet. Mitte oleum, ſuperinfunde aquam, oleum ſupereminet. Si ordinem ſeruaueris vincit, ſi ordinem mutaueris vincit, Charitas nunquam cadit. Quid ergo, fratres? Iam diſceptemus de quinque virginibus prudẽtibus, & quin-

Vbi ſuprà.

que fatuis. Voluerunt obuiam ire ſponſo. Quid eſt ire obuiam ſponſo? Corde ire, expectare eius ad-

uentum, sed ille tardabat. Dum tardat ille, *dormierunt omnes*. [Matth. 24.] Quid est, *omnes*? Et fatuæ, & sapientes, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Putamus bonus est somnus iste? Quid est somnus iste? Ne forte tardante sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescet charitas multorum? Siccine intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet, dico quare, quia sunt ibi prudentes, & vtique quando dixit dominus, Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: subiecit & ait, Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. [Matth. 12. & 24.] Vbi vultis esse istas prudentes? Nónne in his quæ perseuerarunt vsque in finem? Nón ob aliud prorsus admitterentur intrò, nisi quia perseuerauerunt vsque in finem. Non ergo eis obrepsit frigus charitatis, non in eis refriguit charitas, sed feruet vsque in finem. Quia feruet vsque in finem, ideo sponsi ianuæ patuerũt, ideo eis dictum est vt intrarent, sicut illi optimo seruo, Intra in gaudium domini tui. Quid est ergo, *dormitauerunt omnes*? [Matth. 25. 1. Thess. 4.] Est alius somnus quem nemo euadit. Non recordamini Apostolum dicentem, De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres: id est, de his qui mortui sunt? Quare enim dormientes vocantur, nisi quia suo die resuscitantur? Ergo dormiunt omnes. Putas, quia prudens est, ideo non habet mori? Fatua sit virgo, prudẽs sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur. Aliquando autem sibi dicunt homines, Ecce iam dies iudicij venit, tanta mala fiunt, tantę tribulationes crebrescunt: ecce omnia quæ prophetæ dixerunt, penè completa sunt, iam dies iudicij instat. Qui hoc dicunt, & fideliter dicunt, tanquam obuiam eunt sponso cogitationibus talibus. Sed ecce bellum super bellum, tribulatio super tribulationem, terræmotus super terræmotum, fames super famem, gens super gentem, & nondum venit sponsus. Cum ergo expectatur vt veniat, dormiunt omnes qui dicunt, Ecce venit dies iudicij, ecce hic nos inuenit. Cum dicit, dormit, ergo obseruet ad somnum suum, & perseueret in charitate vsque ad somnum suum, expectante illum inueniat somnus. [Psal. 40.] Puto enim quia dormit. Nunquid qui dormit non adjiciet vt resurgat? Dormierunt ergo omnes, & de illis prudentibus, & de illis fatuis dictum est, dormierũt. [4 sen dist. 43. media nocte.] *Ecce media nocte clamor factus est.* Quid est media nocte? Quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem posuit pro ignoratione, ne aliquis quasi computet sibi & dicat, Ecce ab Adam tot anni transierunt, & ecce complentur sex millia annorum: & continuo quomodo quidam tractatores computauerunt, continuo veniet dies iudicij: & veniunt & transeunt computationes, & adhuc remoratur sponsi aduentus, & dormiunt virgines quæ obuiam ierant. Ecce dum non speratur, dum dicitur sex millia annorum expectabantur, & ecce transierunt, vnde scimus iam quando veniet? [Act. 1.] media nocte veniet. Quid est media nocte veniet. Dum nescis veniet? Quare dum nescis veniet. Ipsum dominum audi, Non est vestrum, scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. [1 Thess. 5.] Dies domini, ait Apostolus, tanquam fur in nocte ita veniet. Ecce vigila nocte ne furẽ patiaris. Nam somnus mortis velis nolis veniet. Sed cum factus fuerit clamor media nocte: quis iste clamor, nisi de quo Apostolus dicit. [1 Cor. 15. 4 sen. dist. 43. cap 2.] In ictu oculi, in nouissima tuba? Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Denique clamore facto media nocte quo clamabitur, *ecce sponsus venit*, quid sequitur? *Surrexerunt omnes.* Quid est, *surrexerunt omnes*? [Ioan. 5.] Veniet hora, dixit ipse dominus, quando omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent. Ergo ad nouissimam tubam surgent omnes. *Prudentes autem illæ tulerunt oleum secum in vasis suis, stultæ vero illæ non tulerunt oleum secum.* Quid est, *non tulerunt oleum secum in vasis suis*? Vnde dicit Apostolus, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. [2. Cor. 1.] Ibi oleum, magnum oleum, De dono Dei est hoc oleum, Denique homines oleum mittere intrò possunt olivam creare non possunt. Ecce habeo oleum: nunquid tu creasti oleum? De Dei domo est. Habes oleum, porta tecum. Quid est porta tecum? Intus habe, ibi place Deo. Etenim ecce istæ virgines stultæ, quæ non portauerunt oleum secum, abstinentia sua, qua virgines appellantur, & bonis operibus suis quando lampades ferre videntur, hominibus volunt placere, & ideo omnia ista laudabilia faciunt, oleum secum non portant. Tu ergo tecũ porta, intus porta. Vbi videt Deus, ibi porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Si ideo abstines ab illicitis, & facis bona opera vt ab hominibus lauderis, non est intus oleum. Denique cum cœperint homines, non deficiunt lampades. Intendat itaque charitas vestra, Antequam dormirent illæ virgines, non est dictum, quia extinguebantur lampades illarum. Sapientium lampades ardebãt de oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiore gloria, de intima charitate, Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quare tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominum. Postea vero quam surrexerũt, id est, in resurrectione à mortuis, cœperunt aptare lampades suas, id est, parare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat, nemo est tunc qui non de se cogitet. Non ergo erant qui oleum venderent, cœperunt deficere lampades, & conuerterunt se fatuæ ad quinque prudentes. *Date nobis*, inquiunt, *de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Hoc quærebant quod consueuerant, id est, alieno lucere, ad alienas laudes ambulare. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* At illæ, *Ne forte*, inquiunt, *non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Non consulentium, sed irridẽtium est ista responsio. Quare irridentium? Quia sapientes erant, quia sapientia erat in illis. Non enim sapientes de suo erant, sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est in quodam libro, quæ dicit contemptoribus suis, cum venirent ad mala, quæ illis minata est, Et ego vestræ perditioni superridebo. [Prou. 1.] Quid mirum est, quia sapientes irrident fatuas? Quid est irridere? *Ite ad vendentes & emite vobis*, quæ non solebatis bene viuere, nisi quia vos homines laudabant, quia vobis oleum vendebant. Quid est oleum vendebant? Laudes vendebant. Qui vendunt laudes nisi adulatores? Quanto magis non acquiescereris adulatoribus, & intus oleum portaretis, & propter bonam conscientiam omnia bona opera faceretis: tunc diceretis, Emendabit me iustus in misericordia & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. [Psal. 140.] Melius, inquit, emendet me iustus, arguet me iustus,

iustus, colaphizet me; iustus, corriget me iustus, quam impinguet caput meum oleum peccatoris. Quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta adulatoris? *Ite ergo ad vendentes, & emite vobis*, hoc facere cõsueuistis. Nos autem non vobis damus. Quare? *Ne forte non sufficiat nobis & vobis*. Quid est, *non sufficiat*? Non desperatione dictũ est, sed sobria & pia humilitate. Quãuis enim bonus habeat bonam conscientiam, vnde scit, quemadmodum iudicet ille qui neminem fallit? Habet bonam conscientiam, non illi titillant crimina in corde concepta: sed propter quotidiana quædam vitæ humanæ peccata, licet bona conscientia sit, tamen dicit Deo, Dimitte nobis debita nostra; quia fecit quod sequitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Fregit panem esurienti ex corde, vestiuit nudum ex corde, de oleo interiore fecit opera bona, & tamen in illo iudicio trepidat ipsa bona conscientia. Vide quid est, *Date nobis oleum*: audierũt, *Ite potius ad vendentes*: quia laudibus humanis viuere consueuistis, vobiscum oleum non portatis: non autem nos damus, *ne forte non sufficiat nobis, & vobis*. Vix enim de nobis iudicamus, quanto minus de vobis possumus iudicare? Quid est vix de nobis possumus iudicare? Quia cũ rex iustus sederit in throno, quis gloriatur castum se cor habere? Forte tu nõ inuenis aliquid in conscientia tua, & inuenit ille qui melius videt, cuius acies diuina penetrat altiora. Videt forte aliquid, inueniet forte aliquid. Quanto melius illi dicis, Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo? Etiam quanto melius dicis, Dimitte nobis debita nostra? Quia & dicitur tibi propter illas faces, propter illas lampades, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Quid ergo? Et illæ non illud fecerunt? Non fecerũt ante illum. Sed quomodo fecerunt: Quomodo prohibet Dominus qui dixit, Cauete iustitiam vestram facere coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin non habebitis mercedẽ apud patrem qui in cęlis est. Et nolite similes esse hypocritis, quando oratis, Amant enim stare in plateis, & orare vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedẽ suam. Emerunt oleum, precium dederunt. Emerũt, non sunt fraudati laudibus humanis. Quæsierunt laudes humanas, & habuerũt. Istæ laudes humanæ in die iudicij non eos adiuuant. Illæ autem quomodo fecerunt? Luceant opera vestra coram hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est, Non ait vos. Non enim de tuo habes oleum. Iacta te, & dic habeo, sed non habeo. Quid enim habes quod non accepisti? Ergo illæ si fecerunt, illæ sic. Non est autem mirandum, cum eunt emere, cùm quærunt à quibus laudentur, & non inueniunt, cum quærunt à quibus consolentur, & non inueniunt, aperta est ianua, venit sponsus, & sponsa. Tunc glorificata est cum Christo ecclesia, vt singula membra ad totum se colligant. *Et intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausum est ostium.* Et illæ fatuæ postea venerunt, sed nunquid oleum emerunt, à quibus emerent aut inuenerunt? Ideo ianuas clausas inuenerunt: pulsare cœperunt, sed sero. Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est, Pulsate & aperietur vobis. Sed modo, quando tempus est misericordiæ, non quando tempus est iudicij. Non enim possunt confundi ista tempora, cum misericordiam & iudicium Domino suo cãtet ecclesia. Tempus est misericordiæ, age pœnitentiam. Tempore iudicij illam habes agere? Eris in virginibus illis, cõtra quas clausum est ostium. Domine domine aperi nobis. Nunquid non pœnitentiam egerunt, quæ secum oleum non portauerunt? Et quid illis profuit sera pœnitẽtia, quando eas irridebat vera sapientia? Clausum est ergo ostium. Et quid illis dictum est? *Non noui vos*. Non illas nouit, qui omnia nouit? Quid ergo est, *Non noui vos*? Improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum, & nescit vitia, & iudicat vitia. Nescit faciendo, iudicat arguendo. Sic ergo non noui vos, ierunt, intrauerũt quinque prudentes. Quã multi estis, fratres mei, in nomine Christi, sint in vobis quinque prudentes, sed nolite quinque homines. Sint in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarij numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus veniet. Media nocte veniet, vigilate. Sic clausit Euangelium, *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*. Si ergo dormituri sumus, quomodo vigilamus? Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila, & quando corpore dormieris, veniet tempus vt surgas. Cum autem surrexeris, præpara lampades, Tunc nõ extinguantur, tũc in interiore conscientię oleo vegetentur: tunc sponsus ille in corporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum vbi nunquam dormias, vbi nunquam possit tua lampas extingui. Hodie vero laboramus, & lampades nostræ inter ventos seculi huius tentationesque fluctuant: sed ardeat in robore flamma nostra, vt ventus tentationis augeat ignem potius quam extinguat.

Matth. 5. *Prou. 20.* *Psal. 142.* *Matth 6.* *Matth 25.* *Matth. 6.* *Matth. 5.* *Matth. 7.* *1. Cor. 4.* *Psal. 100.*

S. GREGORII PAPAE *in idem Euang. Homil.*

SImile est regnum cælorum decem virg. &c. Sæpe vos fratres charissimi, admoneo, praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quę agitis, cum magna cautela timeatis: ne per hoc quod à vobis rectum geritur, fauor & gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede vacuetur. Ecce enim redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam nõ omnes sunt receptæ: quia earum quædam dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt. Sed priùs quærendum nobis est, quid sit regnum cælorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes & fatuæ dicantur. Dum enim cælorũ regnum cõstat quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? sed sciendum nobis est, quòd sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur: de quo alio in loco Dominus dicit: Mittet *Matth. 13.* filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt quæ colligantur. Et vnde rursùm dicitur: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis *Matth. 5.* minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autẽ fecerit & docuerit,

euerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Mandatum quippe soluit & docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod viuendo non implet. Sed ad regnum æternæ beatitudinis peruenire nõ valet, qui non vult opere implere quod docet. Quomodò ergo in eo minimus vocabitur, qui ad hoc nullo modo intrare permittitur? Quid itaque per hanc sententiam, nisi præsens Ecclesia regnum cęlorum dicitur? In qua doctor qui mandatum soluerit minimus vocatur: quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. In quinque autem sensibus corporis vnusquisq; subsistit. Geminatus autem quinarius, denarium perficit. Et quia ex vtróque sexu, fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denunciatur. In qua quia mali cũ bonis, & reprobi cum electis commixti sunt, rectè similis virginibus prudentibus & fatuis esse perhibetur. Sunt nanque plerique continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur: carnem macerãt, & toto desiderio ad supernam patriam anhelant: æterna præmia expetũt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirùm gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt: doctrinæ inseruiunt, indigentibus multa largiuntur. Sed fatuæ profectò sunt virgines, quia solam laudis transitoriæ retributionem quærunt. Vnde & aptè subditur: *Quinque fatuæ acceptis lampadibus, &c.* Per oleum quippe nitor gloriæ designatur. Vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quæ nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra (2.Cor.1.) hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt. Notandum verò, quòd omnes lampades habent, sed oleum omnes non habent: quia plerunque bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt. Sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de his quæ foris egerint, intùs gloriam requirunt. Vnde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. (Psal.44.) *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Quia dum venire iudex ad extremum iudicium differt, electi & reprobi in mortis somno sopiũtur. Dormire etenim, mori est: ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere: quia per pondus ægritudinis, peruenitur ad somnum mortis. *Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiã ei.* De aduentu sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij surrepit, vt præuideri non valeat quando (1.Thess.5.) non venit. Vnde scriptum est: Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Tunc omnes virgines surgunt, quia electi & reprobi à somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secũ opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectãt. Sed lampades fatuarum virginum extinguuntur, quia earum opera quæ clara hominibus foris apparuerant, in aduentu iudicis intùs obscurantur, & à Deo retributionem non inueniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt. Quid est autem, quòd tunc à prudentibus oleum petũt, nisi quòd in aduentu iudicis, cùm se intus vacuas inuenerint, testimonium foris quærunt? Ac si à sua fiducia deceptæ, proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quod vidistis. Sed prudentes virgines respondent, dicentes: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* In illo enim die (quod tamen de quibusdam in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor) sibimetipsi testimonium vniuscuiusque vix sufficit: quantò minùs & sibi & proximo? Vnde & protinùs per increpationem subdunt: *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Venditores quippe olei, adulatores sunt. Qui enim accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. De quo profectò oleo Psalmista dicit: (Psal.140.) Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Principale etenim nostrum, caput est. Appellatione autem capitis, ea quæ principatur corpori mens vocatur. Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem fauor adulantis. *Sed dum irent emere, venit sponsus:* quia cùm vitę suæ testimonium à proximis quærunt, iudex venit, qui non solùm operũ, sed & cordium testis est. *Quæ autem paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* O si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habeat quod dicitur, Venit sponsus: quid dulcedinis, Intrauerunt cum eo ad nuptias: quid amaritudinis, & clausa est ianua. Venit quippe ille, qui in aduentu suo elementa concutit, in cuius conspectu cælum & terra cõtremiscit. Vnde etiam per prophetam dicitur: Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed etiam cælum. (Agg.2.) Ad cuius examen omne humanum genus deducitur, cui ad vindictam malorum, remunerationémque bonorum, angeli archangeli, throni, principatus & dominationes obsequuntur. Pensate, fratres charissimi, ante cõspectum tanti iudicis qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remedium non erit: quæ illa confusio, cui reatu suo exigente, continget in conuẽtu omnium angelorum hominúmque erubescere: qui pauor, eum quem & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre: Quem diem benè Propheta intuens, ait: Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Pensate fratres charissimi, extremi diem iudicij super corda reproborũ qua asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de eius merentur visione gaudere, de cuius conspectu videns & elementa omnia contremiscere? cum eo simul ad nuptias intrare, qui & in sponsi nuptiis gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa: quia in illo æterni regni thalamo visioni nostrę Deus coniungitur, quę scilicet visio nunquàm iam in perpetuum ab amoris sui amplexibus euellitur? Tunc regni ianua lugentibus clauditur, quę modò quotidiè pœnitentibus aperitur. Erit nanque & tunc pœnitẽtia sed fructuosa iam non erit: quia nequaquàm tunc veniam inueniet, qui modò aptum veniæ tempus perdit. Hinc etenim Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc propheta ait: Quærite Dominum dum

inueniri

inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Vnde & eaſdem fatuas virgines inuocantes Dominus non audit, quia interclusa regni ianua, is qui nunc per exauditionem propè eſſe poterat, propè iam non erit. Nam ſubditur: *Nouiſſimè veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine Domine aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* Ibi iam à Domino non poteſt meteri quod petit, qui hic noluit audire quod iuſſit: quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, fruſtra ante regni ianuam cum precibus venit. Hinc eſt enim quod per Salomonem Dominus dicit: Vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cùm vobis id quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me. Ecce aperi clamant, & repulſionis ſuæ dolore compulſæ, appellationem dominantis ingeminant, dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis.* Preces offerunt, ſed neſciuntur: quia tùc velut incognitos Dominus deſerit, quos modò ſuos per vitæ meritum non agnoſcit. Vbi aptè quoque generalis ad diſcipulos exhortatio ſubinfertur, cùm dicitur: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Quia poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſeculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere. Ecce hunc ipſum diem, in quo loquimur, ad inducias conuerſionis accepimus, & tamé mala quæ fecimus, flere recuſamus. Non ſolùm commiſſa non plangimus, ſed etiam quæ defleantur, augemus. At ſi nos aliqua ægritudo corripiat, ſi ſigna ægritudinis vicinam mortem denuntient, inducias viuendi quærimus, vt peccata noſtra defleamus, & eas cum magno æſtu deſiderij petimus, quas acceptas modò pro nihilo habemus. Rem fratres chariſſimi refero, quam ſi intentè vult audire charitas veſtra, ex conſideratione illius vehementer inſtruitur. Quidam vir nobilis in Valeria prouincia nomine Chryſaorius fuit, quem lingua ruſtica populus Chryſerium vocabat: vir valdè idoneus, ſed tantùm plenus vitiis, quantùm rebus: ſuperbia tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accenſus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuiſſet, ſicuti à religioſo quodam, qui nunc ſupereſt, propinquo illius didici, corporis langnore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, ea hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferna clauſtra ſe raperent. Cœpit tremere, pallеſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiúmq; ſuum nomine Maximum, quem ipſe iam monachus monachum vidi, nimiis & turbatis clamoribus vocare, dicens, Maxime curre, Maxime curre: nunquàm tibi aliquid mali feci, in fide tua me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugẽs & perſtrepens familia conuenit. Eos autem quos ille inſiſtentes ſibi grauiter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant, ſed eorum præſentiam in confuſione & pallore ac tremore illius qui trahebatur, videbãt. Pauore autem tetræ eorum imaginis, huc illúcque vertebatur in lectulo. Iacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderãt. Cùmque conſtrictus nimis, relaxari ſe iam poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare dicens: Inducias vel vſque manè, inducias vel vſque manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis euulſus eſt. De quo nimirum conſtat, quia pro nobis iſta, non pro ſe viderit: vt eius viſio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros ſpiritus ante mortem vidiſſe, & inducias petiſſe, quid profuit, qui eaſdem inducias quas petiit non accepit? Nos ergo fratres chariſſimi, nũc ſolicitè iſta cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agẽdum viuere, cùm iam compellimur de corpore exire. Mementote quid veritas dicat: Orate, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato. Per legis quippe mandatum, ambulare longiùs in ſabbato non licet. Hyems quoque ad ambulandum impedimentum eſt, quia greſſus ambulantiũ torpor frigoris aſtringit. Ait ergo: Orate, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato. Ac ſi dicat: Videte ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando iam non licet ambulare. Illud ergo tempus quo fugere non licet, nunc debet cogitari dum licet. Illa hora eſt exitus noſtri ſemper intuenda, iſta redemptoris noſtri admonitio ante mentis oculos ſemper ponenda, quia ait: Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.

Marginal notes: Prou. 1. — Matth 24.

S. BERNARDI ABBATIS *Clareuallenſis in ſuperius Euang. Sermo.*

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, &c. Sponſus Chriſtus eſt ad cuius vocem qui amicus eſt, ſtat & audit, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Huic nos deſpõdit Apoſtolus, qui ait: Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, timeo autem quòd non poſſit hoc facere quod ſpopondit, id eſt, animam noſtram exhibere Chriſto virginem, & virginem caſtam. Caſtam addit, quia ſunt quædam virgines corpore, quæ cogitatione fornicaria deuirginãtur, & ſuauc olentem virginitatis florem, libidinoſę affectionis pudore contaminant. Et hæ quidem fatuis quinque virginibus deſignantur, quas non rectæ intentionis affectus infatuat. Virgo Chriſtus eſt, & virginis filius, & virginem coniugem vult habere. Tu ſi habes angelicam (plus dico vobis) Chriſti matriſque ſuæ gratiam, hilareſce, tripudia, & in amplexus Chriſti feſtinabunda geſtiens illud amatorium clama ſuſpirans: Oſculetur me oſculo oris ſui. Sponſa ergo es Ieſu Chriſti, ſed hoc tuum nomen diligenter attende. Sponſæ vel ſponſi nomen ab eo quod eſt ſpondere, grammatici deriuant. Dicuntur autem ſponſus & ſponſa, quia ſe ſibi alterutrum ſpondent, vt nec ille nec illa alteri nubat. Porro inter diem deſponſationis huius interponitur aliquando breue ſpatium, aliquando & productum, & tamen definita ac denominata eſt dies qua debeant conuenire: quod quidem ſapientes

Marginal notes: Matth. 25. — Sermo iſte attribuitur D. Bernardo, ſed non ſapit meclar Bernardinum. — 2. Cor. 11. — Cant. 1.

pienter atque vtiliter statutum est, vt interim mutuus amor augeatur & crescat, & impatiens desiderii cupitæ copulæ quo amplius differtur, ignescat: & quia iuxta Salustium, cupienti animæ nihil satis festinatur, diem dictarum nuptiarum properantius esse desiderent. Sic Iacob pro Rachel septennium à die desponsationis labore desudat, cubat sub dio, gelu alget, solibus vritur, nec tamen ab tam diuturni laboris amator vehemens cedit iniuriæ. Quorsum autem ista? Vt & tu si iam sponsa Christi es, ardeas amore, æstues desiderio, anheles suspiriis, dum tardat dies copulæ concupitæ. Ait quidam, Palleat omnis amans, vt pallor & macies sint amatoris signa certissima. Quid tibi cum lautioribus epulis? Quid tibi cum vino? Non est hoc monachorum. Epulentur splendidè ciues Babylonis. Si te viderit ob amorem suum sponsus marcescere, si pallescere, si calescere impatienti desiderio: accelerabit copulæ diem, offeret oscula, iunget amplexus. O lætam diem nuptiarum. O felicem sponsam tali coniugio. Carpe oscula ô beata sponsa, iunge amplexus, canta: Ecce quod concupiui, iam video: quod amaui, iam teneo: ipsi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota deuotione dilexi. *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, quas rex cælorum sibi cum lampadibus luminosis occurrerint, in illum cælestem thalamum, intra asyllum cubiculi introducet. Sed quid facimus, quia quinque sunt fatuæ, & quinque prudentes: Puto autem quòd & plures & prudentium numerum longè superet multiplicitas fatuarum. Cæterum *omnes acceptis lampadibus exierunt obuiam sponso & sponsæ*. Exierunt. Vnde exierunt? Planè de substantia & seculari conuersione, iuxta illud: Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. Audit & Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Loth quoque de Sodomis caite præcipitur, & retrospicere prohibetur, ne pariter cum Sodomitis ardentibus inuoluatur incendiis. Sed quid dixit ad angelum? Est ciuitas hic iuxta, ad quam possum cōfugere, parua: & saluabor in ea. Nunquid non modicum est: & viuet anima mea? Ciuitas parua & iuxta, id est non longè à seculo in qua Loth ardente Sodoma saluatur, monasterium est. Nunquid non modica est respectu illius mundi latitudinem occupans, populosa valdè & malitiosa, cupiditatis & libidinis flagrans incēdio? Exiuimus inde, & ad paruā ciuitatem quæ iuxta est confugimus, ardentem eum ciuibus suis, Sodomam relinquentes. Saluabor (inquit) in ea. Planè saluabimur in ciuitatula ista, si non respexerimus retro, si flammantis Sodomę (quę iuxta instè ardet) non nos apprehenderint, non nos incenderint fauillæ cadentes. De hac Sodoma exierunt virgines *obuiam sponso & sponsæ*. longè enim est à virginibus flamma Sodomorum. Exierunt autem cum lampadibus, lumbos habentes præcinctos, & lucernas in manibus ardentes: vt & castitatis cingulum astringatur in corpore, & ad vtilitatem proximi, & gloriam patris, lux exempli clareat in operatione. Sic Gedeon in lagunculis lampades occultans, sed in hora certaminis fractis vasculis demonstrans, repentina luce hostes terruit, & vertit in fugam. Terrentur enim principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante lucem tenebræ non possunt. *Prudentes enim virgines acceperunt, oleum in vasis suis cum lampadibus*. Vide prudentiam virginum istarum: sciebant noctem fore productam, & nescientes qua hora noctis sponsus veniret, non contentæ oleo lampadum, etiam in vasis oleum sumunt: vt si fortè illud quod erat in lampadibus, adnihilaretur & deficeret, de eo quod in vasis reposuerāt, ad custodiam luminis lampades impleret. Oleum in lampade, est opus bonum in manifestatione: sed dum videtur à proximis claritas operis, dùm mirantur & laudant, extollitur plerumque & adsurgit elatus animus operantis: & dùm in se & non in Domino gloriatur, lumen lampadis adnullatur, & carens fomento congruo lampas quæ coram hominibus clarè lucet, coram Domino tenebratur. Prudentes verò virgines præter oleum quod in lampadibus habēt, oleum aliud in vasis reponunt: quis nimirum sanctę animæ dùm sponsi sui pra stolantur aduentum, dùm toto desiderio ei clamant quotidie, adueniat regnum tuum: præter illa opera quæ proximis lucent ad Dei gloriam & videntur, aliqua in occulto, vbi solus pater videt, opera faciunt, vt si fortè illa quæ conspicua & clara sunt, flatus laudis humanæ extinxerit, oleum occultæ conscientiæ suffragetur. Hæc est gloria filiæ regis ab intus, dùm plus de oleo quod in vasis conscientiæ diligescit, quàm de eo quod lucet de foris gloriatur, periisse æstimat omne quod cernitur, nec id dignum iudicat remuneratione quod fauores hominū prosequuntur. Latenter igitur quæ præualet operatur, petit secretum, orationibus pulsat cęlum, fundit lachrymas testes amoris, & cum dilecto illo suo suspirio gemitúque fabulatur. Hæc est gloria, sed abintus, sed inuisa, filiæ regis & amicæ. Hoc oleum fatuę virgines non habent: quia nisi ad nitorem vanæ gloriæ & fauorem hominum bona non operantur. Hoc oleum in quo prudētes confidunt, in abditis conscientiarum vasculis reponunt. *Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes & dormierunt*. Dormiunt virgines bonæ in domino, & in Christi pectore dulce reclinatorium habentes, manè illud vltimum præstolantur. Manè (inquit) astabo tibi & videbo. O quàm iucundo interim sopore sopiuntur, quarum caro in spe requiescit, & in spe spiritus hilarescit. Libet inter hæc meminisse quod sanctus Germanus pontifex Altissiodorensis Romam petens, cum Eduam deuenisset, ad tumulum sancti Cassiani diuertit: quē proprio vocans nomine, quid (inquit) agis frater charissime? Et ille de tumulo, dulciter (inquit) in pace requiesco, & aduentum redemptoris expecto. Ecce prudentium virginum somnus, quibus cœlitus dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Non autem hoc fatuis virginibus dicitur, neo talis interim sopor earum. Neque enim à laboribus requiescunt, quarum caro videt corruptionē, vt ingrediatur putredo in ossibus earum, & subter eas scateat. Et hoc quidem caro. Anima verò sepulta in inferno quomodo dormit conturbata, quæ in tormentis posita aret siti, nec speret gratiā refrigerij, & resurrectionis diem & aduentum iudicis malè sibi conscia perhorrescit? *Dormitauerunt igitur omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*. O clamorem prudentibus virginibus omni modulatione, omnibus modulis dulciorem: Ecce sponsus venit. Putas vox ista est filij Dei, quā cùm venerit beata illa hora, omnes qui in monumentis sunt audient, & qui audierint viuent? Domine Iesu

Marginal references (left column): Gen. 29. — Esa. 52. — Gen. 12. — Gen. 19. — Ibidem. — Iudi. 7.

Marginal references (right column): Matth. 6. — Psal. 44. — Ibidem. — Psal. 5. — Psal. 15. — Apoc. 14. — Ioan. 5.

Psal. 50. su Christe, fili Dei viui, da in illa hora auditui meo gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Non timeam tunc, quæso, domine ab auditione mala, quam audituri sunt quibus dicturus *Matth. 25.* es; Ite maledicti in ignem æternum. Erit fortassis vox ista illius tubantis archangeli, in cuius voce & in nouissima tuba dominus descendet de cælo. Canet enim tuba, ad cuius clangorem (vt Hieronymi verbis vtar) totus timebit mundus. Fragor igitur tubæ illius dùm tubabit angelus, dùm expergiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, qui illo tenentur ergastulo, audient tunc, qui nunc audiunt *Vide Aug. lib. 18. de ciuita. Dei, cap. 23.* & facere nolunt: *Exite obuiam ei.* Magnus quidem clamor: quoniam vt Sibylla dicit, quando tuba sonitum tristem dimittet ab alto orbe, quando & dominus cælum aduocabit desursum, & terram, discernere volens populum suum ante se, & prudentes virgines ab infatuatis separare: aduocabit cælum desursum, vt virtutes illæ cælorum de suis sedibus moueantur, & omnes angeli cum eo ad *Psal. 49.* iudicandum congregentur. Psalmista: Aduocabit cælum desursum, id est spiritus animásque iusto- *Apoc. 6.* rum, quibus ante dictum fuerat, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum eorum. Tūc cælesti illa habitatione relicta, sanctæ illæ animæ suis corporibus redditæ, tanto tutius, quāto incorruptius gaudebūt. *Ezec. 37.* Tunc in momēto, in ictu oculi, iuxta Ezechielem, in campo pleno ossibus mortuorum ossa ad ossa, *1. Cor. 15.* & nerui ad neruos, & iuncturæ ad iūcturas denuo colligētur, quia surget corpus spirituale quod seminatum est animale: & resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Tunc in articulo, in diluculo diei illius veniente sponso, clamor magnus omnes excitabit dormientes, & clamabit virtute magna & efficacissima: *Exite obuiam ei.* Exite dormientes, & in occursum iudicis festinate. Tunc plangent se omnes tribus terræ. Tunc dicent montibus, cadite *Luc. 23.* super nos: & collibus, operite nos. Exite de tumulis quos conscientiæ memoria non accusat, & videte iudicem benè vobis conscij & boni meriti gaudentes. Reprobos autem non tam voluntas quàm potestas iudicis exhibebit, nec tam de mo- ** exibunt.* numentis * exient, quàm trahentur. Meritò dies *Sopho. 1.* illa, dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, dies tene- *August. vbi suprà.* brarum & caliginis prædicatur, in qua Iudicij signum, tellus sudore madescet: in qua, Decidet è *Psal 96.* cælis ignísque & sulphuris amnis, Tartareúmque chaos monstrabit terra dehiscens. Ignis enim ante Dominum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius, quos tunc instar Sodomitarum inueniet nudos & inrectos. Sic enim resurgentes ignis & sulphuris imber inundans igniet & comburet. Erit tunc omnino miserabile visu quòd incorruptibile & incremabile corpus ardebit, nec interibit: comburetur, nec minuetur. Capillus *Luc. 21.* enim de capite non peribit: quia nil corporis, quod incorruptelam induerit, vel incidi poterit, vel aduri. Aspice Salamandram super ignitas & *Aug. lib. 21. de ciuitate Dei, capit. 4. & 5.* ardentes prunas illæso corpore gradientem. Porrò asbestus lapis talis fertur esse naturæ, vt semel accensus inextinguibiliter ardeat, igne lapidi inhærente, nec tamen consumente. Tali verò modo, vt opinor, ignis ille sulphureus inflammabit ini- *Dan. 3.* micos Domini. Iustos verò sicut Babylonios trés pueros nō tangent omnino, nec contristabit, nec molestiæ quicquam inferet, cum reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Rogo, quid inter hæc erit *Prou. 2.* miseris peccatoribus, qui nunc lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis? Quid inquam animi tunc habebunt, ardentibus elementis, terra dehiscente & hiatu terribili chaos demonstrante tartareum, consurgentibus mortuis, & iudice illo cui pater omne iudiciū dedit, cum omnibus angelis cælitùs adueniēte? Miserum me, dùm hæc cogito & scribo, cor timore palpitat, hument oculi, & tribularer nimium si nescirem misericordias Domini. Verùm ad propositum reuertamur. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.* id est, conscientias cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Arguam te (inquit) & statuam te contra faciem *Psal. 49.* tuam. Posuimus nos peccata nostra post dorsum nostrum dùm hic viueremus, & tanquam de actibus nostris nulla esset ante tribunal Christi faciēda discussio, per neglīgētiam peccata multa obliuioni tradidimus. Sed quid ait? Statuam te contra faciem tuam, id est, totam vitam tuam, quicquid cogitatu actúque peccasti, ante tuæ faciem mentis adducam: quæ cum omnia simul videris, dicam: Hæc fecisti, & tacui. Sic fieri arbitror horam illam, tale iudicium fieri, veritate (quæ Christus est) in cordibus singulorum indicante. Heu quanta tunc in mentem venient, quæ nunc vel nulla putantes, inconfessa atque impurgata relinquimus. Quod metuens pius ac prudens rex Ezechias; Recogitabo tibi (inquit) omnes annos *Esa. 38.* meos in amaritudine animæ meæ. Recogitabo, id est, iterum cogitabo, ne aliquid fortè oblitus sim, neque aliquid iniudicatum & indiscussum remaneat. Ornant ergo lampades prudentes virgines oleo quod in vasis reposuerant: sed fatuarum virginum lampades extinguuntur: & quia tenebrarum opera fecerant, in tenebris remanserunt. *Date nobis* (inquiūt) *de oleo vestro.* Stulta pe- *1. Pet. 4.* titio. Vix iustus saluabitur, & vix etiam sanctis iustitiæ suæ oleum sufficit ad salutem, quāto minus & sibi & proximis? Noë, Daniel, & Iob nec filium *Ezech. 18.* liberabunt, sed sicut anima quæ peccauerit, ipsa morietur: sic anima quæ iustitiam fecerit, sola saluabitur. *Responderunt prudentes dicentes, ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Tardatum est: iam enim nequaquam iustitiæ oleum venundatur. Iam prophetæ & apostoli, aliique doctores, qui hoc distrahere & habere venale solebant, à tali mercimonio quiescūt, nec iam vlterius dicunt: Sumite psalmum, & date *Psal 80.* tympanum. Quid plura? quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Virgines ad nuptias intrant quas introducet rex in cubiculum suum: quia earum speciem concupiuit. Ibi de cælesti cella vinaria promitur & propinatur vinum nouum, quod pariter bibet & monstrabit filius hominis. *Et clausa est ianua.* Quæ ianua? Illa quæ nunc patet venientibus ab Oriente & Occidente, vt *Ioan 6.* recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Illa quæ ait: Eum qui venerit ad me, non eiiciam foras. Ecce quomodo patet nūc, quæ tunc in æternum claudetur. Veniunt homicidæ, & admittuntur: veniunt publicani & meretrices, & recipiuntur: veniunt Sodomitæ, molles, adulteri, fures, & quicunque huiusmodi, & patens eis ianua non negatur. Multus enim est ad *Iod. 1.*

ignoscendum, prestabilis super malitia quelicunque & quantecunque. Tunc autem quid dicit? *Clausa est ianua.* Ianua pietetis & misericordię Christi, quę nunc lachrymis, gemitibus, suspitiis & precibus pœnitentium facilè patet, clausa est. Nullius pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus amplius admittetur. Clausa est illa ianua, quę Aaron post idololatriam recēpit: quæ Dauid post adulterium, post homicidium admisit: quę Petrum post trinam negationem non solùm non repulit, sed claues suas ei obserandas tradidit. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam:* quia vigilantibus & orantibus, non dormientibus & pigritantibus regnum cęlorum pręstatur, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiusdem Euang. expositio.

NVnc generaliter de omni ecclesia, & auditoribus eiusdem verbi diuini parabolam ponit. More tamen prophetali, quo & apostoli, omnésq; illi auditores fuerunt eruditi. Habebant enim in vsu illas animas dici virgines, quæ Deum alienum non adorauerunt: sponsum vniuscuiusque animæ Deum, sponsam animam Deum colentium. Quia sicut mulier omnia, quæ facit, cum voluntate viri debet facere, & omnia ad opus ipsius & ad laudem eius, siue ad profectum eius dare quicquid dat: & non debet alium æstimare sapientiorem, speciosiorem, fortiorem quam virum suum. Sic anima vniuscuiusque colentis Deum, quicquid facit cum Dei volūtate, & in nomine Domini debet facere. Non debet amare, neque patrē, neque matrem, gemmas, aurum, argentum, prædia, vel aliquam creaturam sub cælo plus quam Deum. Tunc autem amat Deum, si facit quæ ipse præcepit. Si autem iustitiam deserit pro aliqua re, tunc amat plus illam rem, quam Deum: & ibi fornicatur anima eius. Hoc modo debet esse virgo omnis ecclesia Christi, videlicet omnes christiani. De talibus virginibus dicit Dominus. *Simile est regnum cælorum:* hoc est præsens ecclesia quæ frequenter appellatur regnum cælorum. Rectè per denarium numerum omne genus humanum exprimitur: quia denarius numerus perfectus, & absolutus est: & vltra ipsum nullus numerus nisi de ipso multiplicatus. Et in hac parabola nullus est, qui hic non designetur. In quinque autem sensibus corporis vnusquisque subsistit homo. Geminatus autem quinarius, denariū perficit. Et quia ex vtróque sexu fidelium multitudo colligitur: sancta ecclesia similis decem virginibus dicitur. Virgo enim nomen est communis generis: & eodem modo dicitur virgo sancta Maria, & virgo sanctus Ioannes. *Quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Lampades autem corpore intelliguntur. Tunc exierunt obuiam sponso & sponsæ, quando per baptismum introierunt ecclesiā eius. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Illæ sunt fatuæ secundum Deum, quæ mundū, aut ea quæ in mundo sunt, plus diligūt quam Deum. Et tunc fornicatur anima alicuius erga Deum, quando aliquod precium ei plus placet quam Dei, id est retributio vitæ æternæ pro factis suis. *Sed quinque fatuę acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.* Quia nō habuēre opera, quæ Deo essent accepta: siue quia malè fecerunt, seu si quid boni fecerunt pro humana laude fecerunt. *Prudentes vere acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Quia egerunt pro solo Dei amore & retributionis æternæ. Vasa, corda sunt electorum. *Moram autem faciente sponso.* Hæc mora adhuc agitur: quia adhuc non venit iuditium. *Dormitauerunt omnes.* Infirmati sunt. *Et dormierunt.* Mortui sunt. Hoc quotidie fit de fidelibus & infidelibus: sed generaliter in die iudicij fit. *Media autem nocte clamor factus est.* Quia sicut diximus, media nocte finem mundi credimus fore, & insperatè. Clamor factus est angelorum cum tubis hominum, fulgurum & tonitruorum. *Ecce sponsus venit.* Veniet manifestius & non silebit. *Exite obuiam ei.* Aduocauit cælum de sursum, & terram deorsum: hoc est & qui in cælo sunt & in terra. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.* Quia boni & mali resurgent cum corporibus. *Ornauerunt lampades suas.* Habuerunt corpora resuscitata. *Fatuæ autem sapientibus dixerūt. Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Hoc est, adiuuate nos apud Deum. *Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Non dicunt hoc pro auaritia: sed pro timore, quia vix poterunt sua opera vnumquemque liberare. Vnusquisque enim pro operibus suis recipiet mercedem: neque poterunt in illa die aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. Sicut enim tēpore captiuitatis Babylonicę Hieremias & Ezechiel, Abbacuc, Daniel, Ananias, Azarias, & Misahel, non potuerunt alios liberare: sic & sancti in illa die non poterunt adiuuare alios, nisi quos bona sua opera adiuuerint. Cum operibus eorum bonis poterunt adiuuare preces sanctorum. *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Non consilium dederunt, sed crimen exprobrauerunt. Ac si dicant. Ite ad adulatores, pro quorum vanis laudationibus opera vestra exercuistis. Venditores namque olei, adulatores intelliguntur. Qui enim alicuius opus pro aliquo dono laudat, quasi oleum vendit. De quo Psalmista. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Dum autem irent emere, venit sponsus.* Quia cum non potuerunt esse cum Domino & electis, erunt cum diabolis quos sequuti fuerunt. *Venit sponsus.* Peragetur iudicium. *Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Illi qui habuerūt perfecta opera, recepti sunt: vt sint cum Deo & angelis suis: hoc est in illa cælesti beatitudine. *Et clausa est ianua.* Aditus misericordiæ interclusus. Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. Tunc erit clausa ianua, omnibus malis exclusis, quæ modo quotidie omnibus ex corde pœnitentibus aperitur. Quod similiter beatus Beda in quodam rithmico versiculo ingemiscit dicens. Nulla erit suspitio salutis, vel remedij, ianua clausa thalami, completis sponsi nuptiis. *Nouissime veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine, Domine, aperi nobis.* Frustra tunc clamabunt qui illum hic clamantem per sua euangelia & suos prędicatores audire noluerunt. Ingeminant, *Domine, Domine,* sed frustra: quia pœnitentiæ tempus tunc erit: quia pœnitentia dicitur quasi punientia. Puniendi tempus erit, sed spes veniæ iam vltra non erit: quia nequaquam tunc, veniam inueniet, qui modo non vult pœnitentiam agere: vt Dauid dicit: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Magna erit seueritas post iudicium, quia ante iudicium

Bonorum operum merita.

dicium ineffabilem misericordiam prerogauit. *At ille respondens ait. Amen dico vobis, nescio vos.* Nescio vos, subauditur per operationem meos fuisse. Nescire enim Dei, reprobare est. Væ superbis: quibus Deus ista dicturus est. *Vigilate itaque: quia nescitis diem, neque horam.* Quia multoties ipse per se clamauit in hoc seculo, vigilare & audire dedignati sunt: clamabunt tunc multipliciter, & non exaudientur. De quo ve præfatus. Beda in iam dicto rithmo prosequitur dicens. O quam infelix anima priuata hoc conuiuio: quæ vltra in memoriam non tenebitur Domini. Semper enim debemus vltimum diem metuere, quem nunquam possumus præuidere. Quem Dauid metuens dicebat. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum vt sciam quid desit mihi. Quia si quis iter pergere debet, vult accipere viæ sumptus sufficiéter. Vt sciam quid desit mihi. Timebat ne extingueretur lampas eius: idcirco dicebat, vt sciam quid desit mihi. Preparemus incessanter sumptus in via, ne in illa die excludamur clausa ianua.

EVSEBII EPISCOPI
Emisseni in superius Euang. expositio.

Matth. 25. *SImile est regnum cælorum, &c.* Dixerat superius Dominus & saluator: De die autem illa, nemo scit, nisi pater solus. Ideoque estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est. Beatus autem ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem, posteà verò dixit: *Tunc simile est regnum cælorum decem virginibus.* Sed quare tunc? Nunquid & modò simile non est? Simile quidem est & modò, sed hæc similitudo nondum manifestè apparet. Tunc igitur simile est, quando hæc similitudo manifesta est. Nondum enim apparet, quæ virgines fatuæ sint, & quæ prudentes. Multæ enim exteriùs videntur esse prudentes, quæ interius fatuæ sunt. Quicunque enim opera sua faciunt, vt videãtur ab hominibus: fatui quidem sunt, & si prudentes esse videantur. Magna enim fatuitas est ieiunare, vigilare, carnem suam affligere & macerare, & per hoc nullam aliã mer-
Matth. 6. cedem, nisi vanam gloriam expectare. De talibus enim Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt
Ibidem. mercedem suam. Itemque: Lucerna corporis tui est oculus tuus: qui si tenebrosus fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Inde enim virgines dicuntur omnes, quia boni videantur ab hominibus. Sunt igitur in actione virgines, in intentione corrupti: quia oculum tenebrosum habent, & bona quæ agunt, non casta & syncera intentione faciunt. Sed quarè hæ virgines decem dicuntur? Hic enim numerus omnes significat, quia omnes in se numeros continet. Quod ergo ait: *Simile est regnum cælorum decem virginibus:* tale est, ac si diceret: Similis est sancta Ecclesia cunctis virginibus. Et mox ipsam similitudinem exponit, dicens: *Quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & spõsæ.* Quia enim quotidie morti appropinquamus, quotidiè sponso & sponsæ, id est, Christo & Ecclesiæ obuiam pergimus. Hæc enim via simul cum vita finitur. Lampades autem accipimus, si bona opera nobiscum feramus. Quod
Matth. 5. enim bona opera lampades dicantur, ipse Dominus ostendit, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes bona opera vestra, glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. *Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes.* Quod quidem alios in Ecclesiis vanos & fatuos, alios verò prudentes & iustos esse significat. Quamuis & in ipso numero aliquid intelligi potest. Quinque enim sunt corporis sensus, quibus aut prudentes, aut fatui, omnes homines fiunt, in quibus & ipsa eorũ fatuitas manifestissime declaratur. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.* Talis autẽ fuit Dina filia Liæ, talesque significabat: quæ dum Iacob moraretur iuxta vrbem Genes. 34.
Salem, egressa est sicut fatua & stulta, vt videret mulieres regionis illius: quam Sichẽ filius Emor princeps illius terræ rapuit, & dormiuit cum ea. Quid enim per Dinam filiam Liæ nisi simplices quosque, fatuos & carnales intelligimus, qui ad matris similitudinem, lippitudinem in oculis habentes, & lampades extinctas secum ferentes, facillimè decipi possunt? Quid verò per Sichem, qui humerus interpretatur, nisi hæretici intelliguntur, qui quasi viri fortes quoscunque decipere possunt, in suum gregem ferre conantur? Benè autem Sichem filius Emor esse dicitur, quoniam Emor asinus interpretatur. Hic igitur humerus & hic asinus multos ferũt in perditionem æternam. Benè autem hæretici asini, & filij asini dicũtur, quia sanum & rationabilem intellectum non habent, magisque in magna & clamosa voce, quàm in aliqua ratione confidunt. Egreditur autem Dina ad videndum mulieres regionis illius, quando simplices & fatui viri ab Ecclesia separantur, quos hæreticorum & philosophorum dogmata audire delectat. Mox igitur capiuntur & decipiuntur, & in hæreticorum gregem transferuntur. Vnde fit, vt anima Deo desponsata, scortum diaboli esse incipiat. Talis igitur fuit dina, tales & virgines fatuæ, quæ per eas significantur. Sed non talis filia Iephte, quæ sicut virgo prudentissima duobus mẽsibus virginitatem suam fleuisse narratur. Nota est historia: Iephte enim contra hostes pugna- Iud. 11.
turus, cùm hostium exercitum cõspexisset, votum vouit Domino, quia si ei de inimicis victoriam daret, quicquid ei domum redeunti primùm occurreret, ei immolaret. Commisit igitur & vicit, eique domum reuertẽti, filia eius vnica cum choris & tympanis prima occurrit. Cui ipse ait: Heu filia mi, decepisti me & decepta es. Aperui enim labia mea domino, & aliter esse non poterit. Ad quem ipsa: Si, inquit, labia tua domino aperuisti, fac in me sicut promisisti. Sed vnum est quod postulo, vt me permittas flere virginitatem meam duobus mensibus, cum sodalibus meis. Sed quid per Iephte, nisi viro fideles, & catholicos intelligimus? Isti quidem contra suos pugnãt inimicos, quãdo vitia & malignos spiritus, carnis voluptates & concupiscentias superant. Quid verò per vnicam eius filiam, nisi animá designatur, quæ quidem de tali victoria plus omnibus gratulatur? Hæc autem melior est, & ad Dei imaginem & similitudinem facta est, digna vtique quæ Deo offeratur. Plãgit itaque virginitatem suam, quia multùm dolet quòd plus non laborauit, quòd non maiorem fructum domino obtulit, & quòd plures boni operis filios non genuerit. Virginitas enim hoc in loco pro sterilitate ponitur, quoniam quæ virgo est, sterilẽ quoque esse necesse est. Sic-

tiles enim in opprobrium erant in Israel. Considera igitur, quàm prudens virgo ista fuerit, quæ non de morte, sed de sterilitate potiùs lamentatur. Iephte quoque prudentia laudabilis est, qui ne votum frangeret, filiam interfecit. Qui enim amat animam suam, perdet eam. De voto autem
Psal.75. Psalmista ait: Vouete, & reddite domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Dedimus itaque formam atque exemplum, quæ virginea fatuæ sint, & quæ prudentes. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, &c.* Quasi enim sine oleo sunt fatuarum lampades: quia & si ad tempus earum opera lucere videantur, simul tamen cum eis extinguuntur, quoniam post hanc vitam nullum lumen eis ministrant. At verò prudentium lampades, quoniã syncero pietatis & misericordiæ oleo nutriuntur, tunc clariùs lucent, quando de his tenebris ad vitam transferuntur. Ideoque
1.Cor.4. Apostolus ait: Nolite itaque ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Tunc enim quæ lampades habent oleum, & quæ non habent, omnibus reuelabitur. Tunc fiet
Prou.31. sermo, qui scriptus est de Ecclesia: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Moratur enim sponsus & venire retardat, donec ad iudicium Dominus veniat. Tanta igitur est hæc mora, quantum est & huius seculi spatium. Interceã autem omnes dormitant & dormiunt, quia per multos languores, tandem somno mortis oculos claudunt. Quasi enim ante somnum dormitare, est ante mortem languescere & ægrotare. *Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit: exite obuiam ei.* De hoc
1.Cor.15. enim clamore Apostolus ait: Clanget enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Hic autem clamor
1.Thess.5. media nocte fiet, quia cunctis ignorantibus dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. In nocte enim fit, quod in tenebris ignorantiæ fit. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades*
1.Cor.15. *suas.* Vt autem Apostolus ait, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Lampades autem ornãt, dum opera sua secum retractant & dignæ responsionis verba inuenire interius cogitant. Quæ postquam fatuæ inuenire non possunt, mendicare incipiunt, & de suo testimonio diffidentes, aliorum pro se testimonia flagitant. Et hoc quidem ait: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Oleum fatuæ quærunt, quoniam misericordia indigent. Et tale est, acsi dicerent: Quia opera nostra lucere desinunt, illuminate eas vos testimonio vestro. *Responderunt sapientes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, &c.* Non vobis, inquiunt, oleum quætatis, neque nos mentiri admoneatis: ite potius ad venditores, ite ad adulatores, qui vili precio laudis & fauoris omnia bona vestra vobis surripuerunt: quoniam ideo cuncta agebatis, vt videremini ab eis. Nos enim de nobisipsis nondùm ad plenum securæ sumus, nedum de vobis testimonium demus. Vnde beatus Petrus Apostolus
1.Pet.4. lus ait: Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? *Dum autem irent emere, venit sponsus, &c.* Dum emere, inquiunt, irẽt, id est, dum ad ea quæ in hoc seculo egerant, mente redirent, dum opera sua qua intentione ea fecissent, secum tractarent, dum se pro eis laudis mercedem iam suscepisse recogitarent, venit spõsus. Emere enim tunc nihil aliud erit, nisi emptionis & venditionis modum cogitare. *Nouissime autem veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis, At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Deus enim qui omnia scit, fatuas virgines se nescire dicit, quoniam earum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Nescire namque Dei, reprobare est. *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.*

THEOPHYLACTI EPIscopi Bulg. super totu Euang. expositio.

T*unc assimilabitur regnum cælorum decem virginibus, &c.* Sub persona virginum proponit parabolam de Eleemosyna: vt, quoniam magnum opus est virginitas ne quis illud vnum curans, alia negligat, sed discat quòd absque eleemosyna etiam virgines cum scortis eijcientur. Meritò autem qui compassione caret, & misericordia, eijcitur, etiam si virgo sit. Scortum enim ab affectione tyrannica expugnatur, & naturali, immisericors autem à diuitijs. Quãto igitur infirmus, cui obluctandum, tanto minori venia dignus est, qui expugnatur ab auaritiæ morbo. Et stultus quidem est, qui vincit naturalia incendium, & vincitur, à patuarum pecuniarũ cupiditate, ac morbo. Dormitatio est mors. Mora autem sponsi dicitur, quia non statim secundus aduentus fit. *Porro medio noctis clamor factus est, Ecce sponsus venit, &c.* Media nocte dicit clamorem fieri, vt ostendat, quod sic inexpectatus veniat dominus, quasi media nocte omnes dormiamus profundo somno, actum clamore venit, tuba enim sonabit in secũdo aduentu. Lampades autem animæ nostræ, & vnius cuiusque mens, lampas est: quæ tunc accenditur, quãdo habet oleum virtutum, & misericordiarum: fatuæ autem virgines ideo, quòd tunc requirant oleum, quonm non sit negociandi tempus. Porro prudentes dicunt, *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis.* Virtus enim proximi mei vix sufficiet illi ad defensionem, tantum abest, vt & mihi. Ex suis enim quique operibus iustificabuntur, non proximorum. Sed fatuæ ad vendentes abeunt hoc est ad pauperes. Cæterum quod dico, hunc sensum habet: Pœnitudine ducuntur fatuę, eo quòd eleemosynam non fecerint, & nunc primum sciunt, quòd à pauperibus nos oportear oleum emisse. Hoc igitur est, quod ait abire ad vendentes, vt emerent oleum: hoc est, mente abirent ad pauperes, & secum cogitarent quale bonum sit eleemosyna: sed clausa est eis ianua. Post vitam enim istam non est tempus pœnitendi, & operandi. Proinde dominus dicit illis, *Nescio vos.* Misericors & miserator dominus nescit immisericordes. Quomodo enim dissimiles, & alienos à se nosset. Scito insuper omnem animam à Deo habere illustrationem, & lampadem, & omnes surgere in occursum domini. Omnes enim desiderant occurrere, & coniungi Deo, sed Deo dante lampadem, & illustrationem, prudentes quidem benè operando oleum immittunt, fatuæ autem sinunt lampadem sine oleo. Excluduntur igitur non habentes bona opera, propter quæ accenditur in illis lumen, nisi enim bona opera faciamus, extinguitur Dei lumen in nobis.

EVTHY

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

TVnc simile fiet regnum cælorum decem virginibus. Regnum cælorum suo more nunc vocat ea, quæ tunc circa regnum cælorum contingent. Virgines autem seruantes virginitatem, siue viri sint, siue fœminæ. Scire ergo oportet, quòd in præcedente parabola generalius de omnium vtilitate docuit, quam conseruis debent: in hac autem de ea sola particularius differit, quæ est in pecuniis, & possessionibus. Virgines autem huic parabolæ supponit, non vtcunque: sed quia magnum quippiam esse virginitatem docuit, quum dixit; Sunt (Supra 19.) eunuchi, qui seipsos castrauerũt propter regnum cælorum. Vere etenim magnum est, ideo neque † sub legis necessitate constitutum est †, sed in propria hominum voluntate permissum est: Qui potest inquit, capere capiat. Nunc vult ostendere, quòd neque præclarum hoc facinus sine eleemosyna possessum proderit.

† † *Siquidem laudat id exequentem: non autem cogit nolentem.*

Quæ acceptis lampadibus suis exierunt in occursum sponso. Virginea lampas est mundicia, quæ à virginitate procedit. Sponsus verò Christus vtpote amans, & qui amatur. Exierunt autem in occursum eius: expectatione occursus eius. *Quinque autem ex eis erant prudentes, & quinque fatuæ † &c.* Oleum vocat eleemosynæ virtutem. Has ergo merito stultas vocauit, quia, quum acrem, ac vehementem corporis amorem deuicissent, maiorémque sustinuissent laborem: tenacitate deuictæ sunt. Illud enim bellum multò violentius est, magísque tyrannicum. Rursum vero sapientes nuncupauit cæteras, vtpote non passas, quod stultæ passæ sunt.

† † *Dicit ergo, quòd virgo etiam si in cæteris bene se habeat, sit tamen eleemosynæ bonis destituta, vnà cum scortis eiicitur, & meritò. Vnde virginitatem dicit vitæ puritatem: oleum autem vocat humanitatem, eleemosynam auxilium egenis præstitum.*

† † *Aliter Theologus quædam prædictorum verborum sumit in adhortatione ad baptismum: verum & hæc, & illa pulchrè dici possunt.*

Tardante vero sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Tardante propter cunctationem secundi aduentus. Dormitatio autem in hoc loco pro refrigescentia accipienda est: somnus vero pro morte. *Media autem nocte clamor factus est, &c.* Medium noctis dixit, vel rursum improuisum, & inexpectatum demonstrans: vel significans, quòd in nocte fiet resurrectio mortuorum. Eum verò, qui hic clamor dicitur, Paulus iussum, ac vocem ar- (1.Thess.5.) changeli dixit, *Exite* autem, videlicet è monumentis. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, &c.* Omnes quidem surrexerunt: quæ vero ornauerunt lampades suas erant prudentes. Ornauerunt autem olei ornamento. *Fatuæ autem prudentibus dixerunt, Date nobis, &c.* Et hoc stultitiæ fuit, spectasse se ibi oleum ad ornatum accepturas, quod tũc ab aliis possideretur. Extinguuntur autem, obscuratæ tenebris inclementiæ. Solent enim multi tenebrosos quoque vocare inclementes. *Responderunt verò prudentes dicentes, Nequaquam, &c.* Et hoc prudentiæ fuit. Docet autem sermo, quòd nullus à propria virtute alterum tũc iuuare poterit. Vix enim sibiipsi ad salutem sufficiet, eo quòd in multis delinquat etiam is, qui plurimum virtuti deditus est. Vide autem quomodo prudentes etiam ibi eleemosynam demonstrent: volentes quidem fatuis tradere, sed non potentes. Hoc enim responsio illarum significat. *Ite potius ad vendentes & emite vobisipsis.* Quum ob rationabilem causam tradere non possent: tamen præ humanitate consulunt. Vendentes quidem sunt pauperes: verum tunc non venduntur. *Euntibus autem illis, vt emerent, venit sponsus.* Tentauerunt quidem abire, sed non potuerunt. Ostendit autem & hic sermo, quod tunc vanus erit ad virtutem conatus. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, &c.* Nuptiæ sunt communicatio regni cælorum, & conuersatio cum Christo. *Postea verò veniunt & reliquæ virgines, &c.* Putant enim, quòd tanquam virgines intrabunt. *At ille respondens ait, Amen dico vobis, non noui vos.* Non cognosco, inquit, vos, extinctis videlicet lampadibus vestris. Cognitionem autem nunc eam intellige, quæ à familiaritate procedit. Nullus enim immisericors familiaris est misericordi Christo. Heu post tantos labores, post tanta certamina, post tanta trophæa, quæ ille aduersus insanientem naturam erexerant, repudiatæ sunt propter eleemosynam. Vbi ergo quis immisericors virginitatem etiam non habuerit, qua tunc condemnatione dignus non erit? Non est autem curiosè scrutandum, quare decem sint virgines, & quæ sint vasa earum quæve sit ianua nuptiarum, cæteráque ipsius parabolæ similia, vt alias quoque frequenter præceptum est. Verum (Infra eodem.) infra scriptum est, quòd primum abeunt peccatores in supplicium æternum: deinde iusti in vitam æternam: in præsenti vero loco contrarium apparet, quum ingressis primum prudentibus virginibus, postmodum reprobatæ sint fatuæ. Ne suspiceris cõtrarietatem inesse capitibus: illud siquidem exactè tractat de ordine: hoc autem aliud habet intentum. quod videlicet neque virginitas saluabit, non habens sibi etiam cõiunctam eleemosynam, & quod vnius virtus alij tunc nõ proderit: quódque tũc motus ad virtutem vanus erit. Item, quòd licet plurimum deprecentur, qui condemnati sunt, nequaquam flectunt iudicem. Cætera vero omnia nullo delectu composita sunt, vt probabilis fiat parabola. Nam neque dixit, quòd ablegatæ sunt in supplicium, eo quòd nunc huiusmodi non exactæ disquirat. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, &c.* Frequẽter id subinfert, ostendens quòd maxima sit vtilitas, vt in hoc attendatur, propter finalis diei, & horæ incertitudinem.

II. EVANG. IN COMMVNI VIRGINVM ET NON VIRGINVM.



MATTH. 13.



N illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile
a Conuersatio iustorum. b Thesaurus, cæleste desiderium est. c Ager, est cælestis studij disciplina.
est a regnum cælorum b thesauro abscondito in c agro, quem qui
d Qui impetrata gratia Dei. e Deprædari desiderat qui thesaurum publicè portat in via. f Incipit iam, cum incipit diligere. g Omnibus terrenis renunciat.
d inuenit homo, e abscondit, & præ gaudio illius f vadit, & g vendit
h Per contemptum terrenorum venit ad studium æternorum.
vniuersa quæ habet, & h emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum
i Qui cum sit pauper multis laboribus negociatur. k Bonos homines cum quibus viuat, vel bona præcepta, vel bonos intellectus.
homini i negociatori quærenti bonas k margaritas: Inuenta autem vna precio-
l Cælestis vitæ dulcedo, pro qua omnia vilescunt. m Renunciat omnibus suis & sibiipsi. ¶ Alias comparauit. n Terret timore pœnæ quos præmij amore inuitauit.
sa l margarita, abiit & m vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. n Iterum si-
o In mundum. p Quæ ad veniam vocat omnis generis homines.
mile est regnum cælorum sagenæ missæ in o mare, & ex omni p genere piscium
q Vniuersaliter. r In fine seculi. s Quia tunc verum iudicium secernendorum patebit.
congreganti. Quam cum q impleta esset, educentes, & r secus littus s sedentes,
t In æterna tabernacula. v In infernum.
elegerunt bonos in t vasa, malos autem v foras miserunt. Sic erit in consumma-
x Ad opus sibi iniunctum. y Apertè dicit de tormentis malorum, ne quis se excuset per ignorantiam.
tione sæculi: x Exibunt angeli & separabunt y malos de medio iustorum, & mit-
z Hæc ad apostolos qui sunt futuri magistri, quos non vult audire tantum vt populum.
tent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. z Intellexistis hæc
a Intelligentibus dignum testimonium reddit: dicens eos similes esse sibi.
omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: a Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum
b Nouum testamentum præponit dignitate.
similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo b noua & vetera.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



HESAVRO. Thesaurus, potest accipi verbum Dei, qui in carne Christi absconditur. Vel scriptura in qua reposita est noticia Saluatoris. Vel, duo testamenta in ecclesia, pro quorũ intelligentia omnibus renunciatur vt in ocio discantur. Terrenis regnum cælorum similatur, vt per cognita surgat ad incognita animus, & diligat. *Abscondit præ gaudio illius.* Vt seruetur à malignis spiritibus & laudibus hominum. Sic fit opus in publico, vt intentio maneat occulta. *Negociatori.* Beatitudinem qua exuti sumus culpa primi hominis, debemus omnes intelligendo rectè, & operando bene negociari *Bonas margaritas.* Bonę margaritę, lex & prophetæ. Vna preciosa, scientia saluatoris, pro qua homo, vt Paulus, omnibus mysterijs legis & obseruationibus renunciauit. *Inuenta autem,* id est Christo, qui præest omnibus hominibus, vel spirituali præcepto dilectionis. Vel intellecto verbo, quod erat apud Deum penetrata carnis pulchritudine. Vel cælestis vitæ dulcedine, pro qua omnia vilescũt. *Sagena mis.* Impletur Hieremię vaticiniũ, Ecce ego mitto ad vos piscatores multos. Postquã audierunt Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes: Sequimini me, faciam vos piscatores hominum: contexuerunt sibi sagenam ex veteri, & nouo Testamento, & in mare seculi miserunt, quæ vsque hodie trahitur, & in fluctibus tunditur: capiens quidquid incidit bonos, & malos, quos ad litus trahit, id est ad finem mundi, vt tunc fiat diuisio. Vnde sequitur: *Sic erit in consummatione secu. &c.* Sagenæ comparatur ecclesia vel prædicatio euangelica, quæ à fluctibus seculi ad cælum trahit. *Et secus litus.* Litus, finis seculi, in quo boni ad cælum, mali ad tenebras mittentur: in præsenti enim erant permixti. *Ideo omnis scr.* Quia intelligitis mysteria, quæ vobis reuelo: ideo faciam vos prædicatores, & eritis mihi similes, qui de thesauro scientiæ meæ, noua & vetera profero, vt vos similiter faciatis. *Qui profert de thesau. suo.* Vetus erat pro culpa

Hier. 16.
Supr. 4.

culpa ad infernum descédere: Nouum est per aduentum Christi, vt conuersus in regno viuat, hoc ergo in conclusione ponit quod præmisit. Prius enim de regni similitudine thesaurum & bonam margaritam protulit, post de malorú combustione narrauit: tūc cōclu deos subiungit: *Ideo om. scri.* Ac si apertè dicat. Ille in sancta ecclesia doctus est prædicator, qui noua sit proferre de suauitate regni & vetusta de terrore supplicij, vt pœnæ terreant, quos præmia nō inuitant. Apostoli sunt scribæ & notarij Christi, verba eius signantes in tabulis cordis, & pollent opibus patrisfamilias, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum noua & vetera, quia quidquid in euangelio prædicatur legis & prophetarum vocibus comprobant.

CATENA AVREA
in idem Euang.

S*Imile est regnum calorum thesauro abscōdito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, &c.* Chrys. Parabolæ quas suprà dominus posuerat de fermento & sinapi, ad virtutem euangelicæ prædicationis referuntur, quoniam superabit orbem terrarum: tunc autem vt pretiositatem & magnificentiam eiusdem ostenderet, proponit parabolam de thesauro & margarita, dicēs: *Simile est regnum calorum thes. abscon. in agro.* Prædicatio enim euangelij occultata est in mundo: & si non vendideris omnia, non emes eam: & cum gaudio hoc oportet facere. vnde sequitur: *Quem qui inuenit homo abscondit.* Hila. Hic quidem thesaurus gratis inuenitur. Euangeliorum enim prædicatio in abscondito est. Sed vtendi & possidēdi huiusmodi thesauri cum agro potestas non potest esse sine pretio, quia cælestes diuitiæ non sine damno seculi possidentur. Hier. Quòd autem abscondit, non de inuidia facit, sed more seruantis & nolentis prodere: abscondit in corde, quem pristinis prætulit facultatibus. Greg. in ho. Vel aliter: Thesaurus in agro absconditus, est cæleste desiderium. Ager verò in quo thesaurus abscōditur, est disciplina studij cælestis: quem scilicet thesaurum eum inuenit homo abscondit, scilicet vt seruet, quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodiri non sufficit ei, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit: in præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriá pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi, obsident. Deprædari ergo desiderant, qui thesaurum publicè portant in via. Hoc autem dico, non vt proximi nostri opera nostra non videant, sed vt per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Cælorum autem regnum idcirco terrenis rebus simile dicitur: vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita, vt per hoc quod scit notum diligere, discat ignotum amare. Sequitur: *Et præ gaudio, &c.* Agrum profectò vēditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat. Hieron. Vel thesaurus iste in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus: aut sanctæ scripturæ, in quibus reposita est notitia saluatoris. August. de quæst. euang. Hunc autem thesaurum dicit in agro abscōditum, scilicet duo testamenta in ecclesia: quæ cum quis ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere, & vadit & vendit omnia sua & emit illum, id est, contemptu temporalium comparat sibi otium, vt sit diues cognitione Dei. *Iterum simile est regnum calorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Chryso. Euangelica prædicatio non solùm lucrum multiplex præbet vt thesaurus, sed & pretiosa est vt margarita. Vnde post parabolá de thesauro, ponit parabolam de margarita, dicens: *Iterum simile est reg. calo. &c.* In prædicatione enim duo oportet adesse, scilicet ab huius vitæ negocijs separari, & vigilantem esse: quod negociatio designat. vna autem est veritas & non partita, & propter hoc vna margarita dicitur inuenta. Et sicut qui margaritam habet, ipse quidem nouit quòd diues est, alijs verò non est cognitus, multoties eam manu detinens propter eius paruitatem: ita est in prædicatione euangelij, qui enim eam detinent, sciunt se diuites esse: infideles autem hunc thesaurum nescientes, diuitias nostras ignorant. Hieron. Bonæ autem margaritæ possunt intelligi lex & prophetæ. Audi ergo Marchion & Manichæe, quòd bonæ margaritæ sunt lex & prophetæ. Vna ergo pretiosissima margarita est scientia saluatoris, & sacramentum passionis & resurrectionis illius: quod cùm inuenerit homo negotiator similis Pauli Apostoli, omnia legis prophetarúmque mysteria & obseruationes pristinas in quibus inculpatè vixerat, quasi purgamenta contemnit, vt Christum lucrifaceret. nō quòd inuentio bonæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum: sed quòd comparatione eius, omnis alia gemma sit vilior. Gl. Vel per margaritam pretiosam intelligitur cælestis vitę dulcedo, quam inuentam omnia vendés emit: quia qui cælestis vitæ dulcedinem, inquantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit: ea quæ in terris amauerat, libenter cūcta derelinquit. deforme cōspicit on quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosę margaritę claritas fulget in mēte. Aug. de quæst. euang. Vel homo enim quærat bonas margaritas, inuenit vnam pretiosam, quia quærens homines bonos cum quibus vtiliter viuat, inuenit vnum sine peccato, Iesum Christum, aut præcepta quęrens quibus seruatis cum hominibus rectè cōuerfetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apostolus omnia contineri: aut bonos intellectus quærens, inuenit illud verbum quo cuncta cōtinentur, in principio erat verbum: quod est lucidum cādore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & vndique sibi simile pulchritudine veritatis, quo Deus penetrata pulchritudine intelligēdus est. Quodlibet verò illorū triū sit, vel si aliud occurrere potuerit, quod margaritæ vnius pretiosæ nomine significetur, pretiū eius est nosipsi, qui ad eam possidendā non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidemus. Venditis enim rebus nostris, nullum aliud pretium maius accipimus quàm nosipsos: quia talibus implicati, nostri non eramus: vt rursus nos pro illa margarita demus, non quia tātum valet, sed quia plus dare non possumus. *Iterum simile est regnum calorum sagenæ missæ in mare, &c.* Chry. Postquam per prædictas parabolas euangelicā prædicationē commendauerat, vt non confidamus in prædicatione solum, neque quidem nobis æstimemus sufficere

ad falntem : aliam parabolã terribilem fubdit,dicens: *Iterum fimile,&c.* Hieto. Impleto enim Hieremiæ vaticinio dicentis : Ecce ego mittam ad vos pifcatores multos,poftquam autem audierũt Petrus & Andreas,Iacobus & Ioãnes,fequimini me, faciam vos fiati pifcatotes hominnm , contexuerunt fibi ex veteri & nouo teftamento fagenam euaogclicorũ dogmarum:& miferunt eam in mare huius feculi, quæ vfque hodie in mediis fluctibus tenditur , capiens de falfis & amaris gurgitibus quicquid incideric, id.eft, bonos homines & malos,& hoc eft quod fnbdit: *Et ex omni,&c.* Grego. Vel aliter: Sancta ecclefia fagenæ comparatur, quia & pifcatotibus eft cõmiffa , & per eam quifqoe ad æterunm regonm à prçfentis feculi fluctibus trahitur,ne æternæ mortis profundo mergatut:quæ ea omni genere pifcium eongregat,quia ad peccatotum veniam fapientes & fatuos , liberos & feruos , diuites & pauperet , fortes & infirmos vocat. Quę fagena, fcilicet tunc vniuerfaliter impletur,cum in fine fuo humani genetis fumma concluditur. vnde fequitur : *Quam cum imple. &c.* Sicut enim mare feculum,ita feculi finem fignificat littos maris:in quo fcilicet fine,boni pifces in vafis eliguntur , mali projiciuntur foras : quia & electus quifque in tabetnacula ætetna recipitur, & in çterni regni luce perdita,ad exteriores tenebras teprobi protrahuntur. Nunc enim malos bonófque communiter quafi permixtos pifces fidei fagena continet,fed littus indicat,fagena ecclefię quid trahebat. Hiet. Dum enim fagena extraheror ad littus,tunc verum fecernendotum pifcium iudicium demonftrabitur. Chry. Quid autem diftat hæc parabola, à parabola zizaniorum? Etenim illic hi quidem faluantur,hi autem pereunt,ficut & hîc:fed illic quidem,propter prauorum dogmatũ hærefim. In anteriori autem parabula de femine, quia non attendebant quæ dicebantur,hîc autem propter vitæ nequitiam : propter quam quanuis & pifcatione capti, id eft cognitione Dei fruẽtes, non poffunt faluari. Ne autem audiens quoniam malos foras miferunt , æftimes hanc pœnam non effe periculofam,per expofitionem eius grauitatẽ oftendit, dicens: *Sic erit in confum. fecu. exibunt angeli, &c.* Quanuis alibi dicat quòd ipfe fegregabit eos , ficut feparat paftor oues : hîc angelos hoc facere dicit,ficut & in parabola zizaniorũ. Grego. in ho. Timendum eft autem hoc potius,quam exponendum:aperta enim voce tormenta peccantium dicta funt , ne quis ad ignorantiæ fuæ excufationem recurreret , fi quid de æterno fupplicio obfcurè diceretur. Rab. Cùm enim venerit finis mundi,tunc verum fecernendorum pifcium iudicium demonftrabitur : & quafi in quodam quietiffimo portu , boni mittentur in vafa cæleftium manfionum , malos autem torrendos & exiccandos gehennę flamma fufcipiet. *Intellexiftis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.* * *Ait illis: Ideo omnis fcriba doctus in regnum cælorum,fimilis eft homini patri familias, qui profert de thefauro fuo noua & vetera.* Chr. Recedentibus turbis , dominus difcipulis in parabolis loquitur,ex quibus fapientiores funt facti,ita quòd intelligunt quæ dicuntur. Quocirca dicit eis: Intellexiftis hæc omnia? dicunt ei : Etiam. Hier. Ad apoftolos enim propriè fermo eft , quos non vult audire tantùm vt populum, fed etiam intelligere vt magiftros futuros. Chryfoft. Deinde quia intellexerunt,rurfus eos laudat. vnde fequitur: *Ait illis: Ideo omnis fcri.&c.* Aug. 20. de ciui. Dei. Non dixit: Vetera & noua. quod vtique dixiffet , nifi maluiffet meritorum ordinem feruare quã temporum. Manichæi etiam dum fola Dei promiffa noua tenere fe arbitrantur,remanent in vetuftate carnis, & nouitatem inducunt erroris. Auguft. de quæft. euang. Vtrùm autem ifta conclufione exponere voluit, quum dixerit thefaurum in agro abfconditum (quoniam fanctæ fcripturæ intelliguntur, quę nomine duorum teftamentorum,noui & veteris concluduntur) an oftendere voluit eum doctum habendum in ecclefia, qui etiam fcripturas veteres parabolis explicatas intellexerit , ab iftis nouis accipiens regulas,quia & ifta dominus per parabolas enunciauit : vt fi ipfe , in quo illa complentur & manifeftãtur , per parabolas adhuc loquitur,donec paffio eius velum difcindat, vt nihil fit occultum , quod non reueletur , multò magis illa,quæ tam longè de illo fcripta funt , parabolis operta effe nouerimus: quæ cùm Iudæi ad literam acciperent,noluerunt effe docti in regno cælorum. Chry. Sed fi per nouum & vetus , quod dicitur, vtrunque teftamentum accipimus, Abraham doctum fuiffe denegamus : qui noui & veteris teftamenti , etfi facta nouit , minimè verba nuntiauit. Moyfen quoque docto patrifamilias comparare non poffumus,quia etfi teftamentum edocuit vetus,noui tamen dicta nõ protulit. Sed in eo quod hîc dicitur,intelligi valet quia non de his qui fuerant , fed de his qui effe in ecclefia poterant , loquebatur:qui tunc noua & vetera proferũt , cum vtriufque teftamenti prædicamenta vocibus & moribus loquuntur. Hila. Difcipulis enim eft loquutus , quos fcribas propter fciẽtiam nuncupat, eo quod intellexerint ea quæ ille noua & vetera, id eft in euãgeliis & in lege protulerit,quæ funt & eiufdem patrisfamiliâs,& vnius vtraque thefauri, ipfos etiam fub patrisfamiliâs nomine,fibi comparat , eo quòd doctrinam de fpiritus fancti thefauro fuo nouorum ac veterum funt adepti. Hier. Vel apoftoli inftructi,fcribæ dicuntur,quafi notarij faluatoris,qui verba illius , & præcepta fignabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cæleftium facramẽtis , & pollebant opibus patrisfamiliæ,ejicientes de thefauro doctrinarum fuarum noua & vetera: vt , quicquid in euangelio prædicabant,legis & prophetarum vocibus comprobarent. Vnde & fpõfa dicit in Cantico cantico. Noua cum veteribus,dilecte mi,referuaui tibi. Greg. Vel aliter : Vetus eft,vt pro culpa humanũ genus in æterna pœna intereat, & nouum,vt conuerfus in regnum viuat. Prius autem de regni fimilitudine thefaurum inuentum , ac margaritam bonam protulit,poftmodum inferni pœnas de malorum combuftione narrauit,atque in conclufione fubiungit: *Ideo doctus fcriba.&c.* Acfi dicat: Ille in fancta ecclefia doctus prędicator eft,qui & noua fcit proferre de fuauitate regni , & vetufta dicere de terrore fupplicij: vt vel pœnæ terreant,quos præmia non inuitant.

*Domine.

S. HYLARII EPISCOpi Pictauienfis in idem Euang. expofitio.

S*Imile eft regnum cælorum. Thefauro,&c.* Per fimilitudinem thefauri in agro, fpes noftrę opes intra

intra se positas ostendit, quia Deus in homine sit repertus, in cuius precium omnes seculi vendendæ sunt facultates, vt vestitu, cibo, potúque indigentium, æternas cælestis thesauri diuitias comparemus. Sed contuendum est, inuentum thesaurum & absconsum fuisse, cùm vtique qui inuenit, & secreto & tempora quo abscondit auferre potuisset, & auferens emendi necessitate caruisset. Sed vt rei, ita & dicti fuerit ratio explicanda. ideo enim absconsus est thesaurus, quia & agrum emi oportebat. Thesaurus enim in agro, vt diximus, Christus intelligitur in carne, quem inuenisse est gratum: Euangeliorum enim prædicatio in absoluto est. Sed vtendi & possidendi huius thesauri, cùm agro potestas non potest esse sine precio: quia cælestes diuitiæ non sine damno seculi possidentur. Et de margarita par ratio est. Sed ad negociatorem iam diu in lege versantem proficiens hic sermo est: qui longo ac diutino labore ad margaritæ scientiam peruenerit & ea quæ sub onere legis adeptus sit, derelinquat. Diu enim est negociatus, & margaritam aliquando qualem optabat, inueniet: cui & vnius huius desiderati lapidis precium, reliqui laboris iactura est comparandum. *Iterum simile est regnum cælorum reti misso in mare, &c.* Merito prædicationem suam reti comparauit, quæ in seculum veniens sine seculi damno, habitantes intra seculum congregauit: modo retis, quod mare penetrans ita agit de profundo, vt per omne elementi illius corpus euadens, clausos intra ambitum suum extrahat, nósque ex seculo in lumẽ veri solis educat: in bonorum electione & malorum abiectione futuri iudicij examen ostendens.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

SImile est regnum cælorum thesauro abscõdito in agro: quem qui inuenit homo abscondit, &c. Crebris parabolarum obscuritatibus retardati, cómmaticam interpretationem excedimus: vt propè de alio interpretationis genere ad aliud transisse videamur.

Col. 2. Thesaurus iste in quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi: aut Deus verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus: aut sanctæ scripturæ, in quibus reposita est notitia saluatoris: quem cum quis in eis inuenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, vt illum possit habere quem reperit. Quod autem sequitur. Quem cum inuenerit homo, abscondit: idcirco dicitur, non quòd hoc de inuidia faciat, sed quòd timore seruantis & nolentis perdere, abscondat in corde suo: quem pristinis prætulit facultatibus. *Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori, &c.* Aliis verbis id ipsum quòd supra dicitur. Bonæ margaritæ quas quærit institor, lex & prophetæ sunt. Audi Marcion: audi Manichæe, Bonæ margaritæ sunt lex & prophetæ, & notitia veteris instrumenti. Vnum autem est preciosissimum margaritum, scientia saluatoris & sacramentum passionis illius, & resurrectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negociator, similis Pauli apostoli, omnia legis prophetarúmque mysteria & obseruationes pristinas in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit & quisquilias, vt Christum lucrifaciat. Nõ quod inuentio nouæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum, sed quod comparatione eius omnis alia gemma vilior sit. *Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, &c.* Impletur Hieremiæ vaticinio dicentis: Ecce ego mittam ad vos piscatores multos: postquam audierunt Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes filij Zebedæi: Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum: contexuerunt sibi ex veteri & nouo testamento sagenam euangelicorum dogmatum: & miserunt eam in mare huius seculi: quæ vsque hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de salsis & amaris gurgitibus quicquid inciderit: id est, & bonos homines & malos, & optimos pisces & pessimos. Cum autem venerit consummatio & finis mundi: vt ipse infra manifestius disserit: tunc sagena extrahetur ad litus: tunc verum secernendorum piscium signum demonstrabitur: & quasi in quodam quietissimo portu, boni mittentur in vasa cælestium mansionum: malos autem torrendos & exiccandos gehennæ flamma suscipiet. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.* Ad apostolos proprie sermo est: & illis dicitur: Intellexistis hæc omnia? Quos non vult audire tantum vt populum, sed intelligere vt magistros futuros. *Ideo omnis scriba doctus, &c.* Instructi erant apostoli, scribæ & notarij saluatoris, qui verba illius & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus regnorum cælestium sacramentis, & pollebant opibus patrisfamiliæ, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum noua & vetera: vt quicquid in euangelio prædicabant, legis & prophetarum vocibus comprobarent. Vnde & sponsa dicit in Cantico canticorum: Noua & vetera fratruelis meus seruaui tibi. Hiere. 16. Cant. 7.

S. IOANNIS CHRYSOstomi Episcopi Constantin. in superius Euang. Hom.

Ex Hom. 48. in Matth.

SImile est regnũ cælorũ thesauro, &c. Sicut granum *sinapis*, & fermentum, sic duæ parabolæ istæ thesauri, atque margaritæ parum inter se differũt: illud enim ambabus his denotatur: quoniã oporteat prædicationem Euangelij omnibus cæteris anteponere. Et illis quidem fermenti dico, atque *sinapis*, magna Euangelij virtus ostẽdebatur, quæ omnino totum orbem terrarum erat superatura: hæ vero posteriores summi esse pretij significant, sicut enim seu *sinapis* extenditur, atque propagatur & seu fermentum superat, sic quasi margarita preciosissimum est. Nec illud solum discimus quia cætera abjicienda sunt omnia, & sola prædicatio Euangelij retinenda, verumetiam magno id esse cum gaudio faciẽdum. Sanè qui renunciationem bonorum facit, is nullam iacturam, sed quæstuosissimam facit mercaturam. Perpendis quomodo in mundo abdita, atque celata prædicatio est, & in prædicatione summa fœlicitas recondita? nisi ergo cunctas res tuas venundabis, non emes: nisi curiosè quæras, non inuenies. Duo hæc quippe nobis ad salutem necessaria sunt, secularium rerũ contemptus, & iugis vigilantia. *Quærebat* enim, inquit, *bonas margaritas: & quum inuenisset vnã preciosissimam, vendidit quæcunque habebat, ac emit.* Vna quippe veritas est, nec in multas scinditur partes, ac veluti qui margaritam habet, nouit se diuitem esse,

Non diuitiarum realẽ abrenunciationẽ necessariã ad salutem intelligit, sed earũ contemptum.

esse, etiam si ignotũ nonnunquam illud sit: quum paruo in loculo margarita recondatur: Sic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, totóque animo illam amplectuntur, opulentos sese non ignorant, quamuis infideles thesauri vim non cognoscentes, fidelium opes contemnant. Deinde, ne confidamus plurimum, quoniam Euangelium suscepimus: neque opinemur sufficere solum nobis fidem ad salutem. Horroris plenam affert parabolam, Quænam est illa? *Simile est*, inquit, *regnum cælorum sagenæ missæ in mare, &c.* Sed quid interest hæc ab illa, quæ de zizaniis est? eodem enim modo etiam ibi alij saluantur, alij perduntur. Verùm ibi hæresi, atque prauis dogmatibus, & qui ante illam parabolam sunt: quoniam prædicationi non adhæserunt: isti verò malè viuendo pereunt, & ceteris sunt inferiores: quoniam veritatem quidem cognouerunt, & in verriculum piscatorum inciderunt, & tamen malè viuendo periere. Et certè alibi ait; Quia ipse segregabit eos, vt pastor oues segregat: hic vero & in parabola de zizaniis angelos istud facturos dixit. *Sic enim*, inquit, *erit in consummatione seculi, &c.* Quid igitur hoc est? Nonnunquam condescendens ipsis crassiùs, vt ita dixerim, nonnunquam, vt res petit, sublimiùs loquitur. Hanc autem parabolam non interrogat, sed spõtè, atque à seipso ex parte interpretatur, & formidinem magis amplificat. Nam ne, quum aduertis putrida foras eiecta esse, nullum aut paruum eiectionis periculum credas, interpretando subiunxit: quia in fornacem immittent. Et stridore dentium, doloris magnitudinem expressit. Animaduertis quot perditionis viæ? Vides quòd alij vepribus, alij veneno, alij lapidibus, alij zizaniis conteruntur, alij in sagena pereunt? Non igitur iniuria dictum est, latam esse viam illam, quæ in perditionem adducit, ac multos esse, qui per eam ingrediuntur: hæc enim quum dixisset, & ad horrorem terminasset sermonem, atque immoratus amplificasset, adiecit? *Intellexistis hæc omnia? dicunt ei, Vtique, Domine.* Deinde, quoniam intellexerunt, laudat, dicens; *Propterea omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Ideo alibi ait; Mittã vobis sapientes, & scribas. Vides quomodo vetus testamentum non eijcit: sed laudibus effert, & thesaurum appellat. Quare qui diuinarum scripturarum imperiti sunt, non erunt hi certè patresfamiliàs, qui, quum nec à seipsis habeat, quærere indignum putant, sed negligenter viuendo inedia depereunt. Non autem hi solùm, verumetiam hæretici expertes sunt huius beatificationis, quia non possunt emittere noua, & vetera: nam, quũ vetera nõ teneãt, noua etiam credere nõ possunt: sicut econtrà, qui noua non habent, hi veteribus penitus carẽt. Hæc enim inter se magno iuncta, & connexa vinculo sunt. Audiamus igitur, audiamus, quicunque scripturarum lectionem negligimus, quantum damnum, quantam inopiam patimur. Quando enim bona viuẽdi opera faciemus, qui etiam præcepta, & instituta ipsa, quibus viuendum est, ignoramus? Et opulenti quidem, qui cupiditate pecuniarum insaniũt, assiduè vestes suas, ne tineis corrodantur, excutiunt: tu verò, quum obliuio omnibus tineis peior, ac maior pestis animam tuam deuoret, non accedes ad libros, non excuties tineas, non ordinabis animam tuam, non aspicies continuè imaginem virtutis, nec membra eius, & caput cõsiderabis? habet enim certè caput, & mẽbra omni muliere formosa multò venustiora, ac pulchriora. Quod igitur caput virtutis est? humilitas certè: quapropter ab ipsa incipit Christus, dicens; Beati pauperes spiritu. Hoc caput, & si nec cæsariem, nec crines habeat sic tamen pulchrum est, vt Deum ad seipsum attrahat. Ad quem enim inspiciam, ait, nisi ad mitem, & quietum, & humilem, & trementem sermones meos? Et, oculi mei super mites terræ: &, propè Dominus est tribulatis corde. Hoc caput pro crinibus, atque comis hostias offert Deo gratissimas, hoc aureum certè altare est, hæc ara spiritalis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: hæc sapientiæ mater est: qui hoc habet, is membra etiam cõsequetur. Perspexisti caput, quod nunquam vidisti, vide nunc etiam faciem, ac primũ attende qualis color eius sit, quàm rubicundus, quàm floridus, quàm gratiosus, & disce vnde constat. Vnde igitur constat? ab erubescentia certè, atque pudore, propterea quidam dicebat; ante verecundum gratia procedit. Hæc, & alia quoque membra magnam vim formositatis effundunt: nec, si mille commisceas colores, talem speciem conficies. Quòd si oculos quoque velis aspicere, considera modestiam, quãto decore, quanta diligentia depingantur: vnde non solùm speciosissimi, verumetiam tam acri acumine pollent, vt vel Dominũ ipsum aspiciant. Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Huic capiti os est sapientia, & intellectus, & spiritalium cantuum perpetua vox. Cor autem magna scripturarum peritia, veri dogmatis conseruatio, misericordia, & benignitas. Et quemadmodum non est possibile animal sine capite viuere, sic sine hoc capite salus haberi non potest: hinc enim omnia bona originem trahũt. Pedes, ac manus habet, quibus recta opera ostendat: animata est pietatis, & rectæ fidei anima: pectus aureum, ac adamãte robustius ipsi est fortitudo, per quam efficitur, ne vnquam pectus hoc queat infringi. Spiritus autem, qui animalium corda, & cerebrum continet, charitas est. Vis re ipsa tibi hanc imaginem ostẽdamus? Hunc ipsum Euangelistam considera, cuius & si conscriptam vniuersam nõ habeamus vitam, possumus etiam ex paucis corruscãtem effigiẽ eius videre. Quanta enim humilitate, quantáque contritione rutilaret, inde cognosces, quia vel posteaquam præest Euangelio, publicanum seipsum nominat. Misericordiam verò eius inde percipies, quia cũctis exutus, Iesum sequebatur. Syncetam fidem de dogmatibus percipies. Prudentiam, & charitatem ab Euangelij compositione facilè intelliges. Vide quantam peritiam, quantamque vniuersi orbis curam gerebat. Perspicuè fortitudinẽ eius cognoscimus, quia cum gaudio à conspectu concilij: bonorum autem operum ostẽtationem, quia in sublimi sede omnino sessurus est. Imitemur ergo omnes eius virtutes, ac maximè omnium humilitatem, & misericordiam, sine quibus salutẽ consequi non possumus: vt quinq; illæ virgines, & Pharisæus post illas ostẽdunt: quippe absque virginitate multi beatitudine illa potientur, quam nemo absque misericordia consequetur. Vna enim res ex necessariis, quibus salus ipsa continetur, misericordia est. Quare meritò in corde virtutis ipsam collocauimus, & cor ipsum esse censemus: quod quidem cor nisi ceteris omnibus

spiritum

[Margin notes, left column: *Fides sola non sufficit ad salutem.* — *Matth. 23.*]

[Margin notes, right column: *Esa. 66.* — *Psal. 33.* — *Psal. 50.* — *Eccles. 32.* — *Matth. 10.* — *Luc. 18.*]

ſpiritum præbeat, velociter extinguitur. Nam quemadmodum ſons ſi aquarum flumina in ſeipſo quaſi ſtagnum quoddam retineat, facilè putreſcit: eodem certè modo diuites, quum in ſeipſis opes ſuas detineant marceſcunt: idcirco trito prouerbio fertur? Multa diuitiarum putredo apud hominem eſt, nec dicitur magna copia, ingens theſaurus: putredo enim profectò eſt, non poſſidentium, ſed opus ipſarum. Nam reconditæ veſtes corrumpuntur, aurum ærugine decoloratur, frumenta mareeſcunt. Quid plura? Cor poſſidentis hæc, atque conſeruâtis maioribus indicatoris, quàm ærugine decoloratur, atque tabeſcit. Nam, ſi animum auari nudum abſque corpore cogitatione perſpexeris, inuenies ſicut veſtem mille tineis corroſam: ſic vtiq, à curis perforatū, à peccatis putrefactum, & habendi ſolicitudine tabeſcentem. Non talis profectò animus inopia eſt. Inopis dico, vltrò, ac ſpontè ſua: ſed fulget ille quidem vt aurum, ſplendet ſicut gemma, floret quaſi roſa: nulla tinea ibi eſt, nullus fur, nulla cura ſecularis, ſed viuit angelica vita. Vis huius animi pulchritudinem aſpicere? vis paupertatis opes quantæ ſint, diſcere? Non imperat hæc vitia, ſed imperat dæmonibus: non aſſiſtit regi, ſed aſſiſtit Deo: non hominis, ſed angelorum commilito eſt. Non habet duos, tres, vel viginti loculos rerum plenus, ſed ſic abundat, vt vniuerſum mundum paruipendat, & theſaurum habet in cælo. Non indiget mancipiis, ſed habet loco ſeruorum paſſiones, habet ſeruos appetitus, qui regibus dominantur, vt nec reſpirare audeant: regnum porrò, atq; aurū, & omnia huius generis hæc, de quibus dicimus, paupertas, quaſi pueriles ludos, trochos dico, pilas, turbones, aſpernatur, atque contempnit. Habet enim ornamenta & inſtrumenta ludorum, quæ videre, atque ſentire nequeunt opulēti. Quid igitur hoc paupere melius excogitari poteſit? Hic in cælo tanquam in pauimento ambulat. Quod ſi tale pauimentum domus eius eſt, cogita per teipſum qualiter tectum ſit. Sed non habet, inquies, equos, neque vehicula. Certè nec harum rerum opus eſt ei, qui nubibus vectatur, & cum Ieſu conuerſatur. Hoc igitur tam viri, quàm mulieres diligenter intelligentes, diuitiarum copiam inconſumptibilium inquiramus, vt & regnó Dei perfruamur, gratiâ, & miſericordiâ domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

PETRI CHRYSOLOGI

Epiſcopi Rauenenſ. in ſuperius Euang. De parabolis inuenta margarita, & ſagena miſſæ in mare, Sermo.

Serm. 47. CHriſtus Deus noſter, quòd cælum, terram, mare, & in eis magnas, multas, varias condiderit creaturas, miranda potentiæ ſuę documenta monſtrauit: quòd verò humana ſuſcipit, agit hominem, intrat tempora, tranſit ętates, docet verbo, virtute curat, ſimilitudines loquitur, proponit exempla, affectus noſtri in ſe pondus aperit, tanneſſe ſibi dilectionis humanę pandit ineffabilem charitatem. Hinc eſt, quòd cęleſtia terrenis commendat exemplis: de pręſentibus ſapere dat futura: inuiſibilia viſibilibus inſinuat argumentis: probant hoc ſimilitudines, quas nobis hodie Euangelicus clamat auditus. *Simile eſt regnum cælorum homini negociatori quærenti, &c.* Neminem, qui hoc audit, nomen negociatoris offendat: hic negotiatorem loquitur, qui dat miſericordiam, non qui dat *fœnoris ſemper vſuram, prouidéntem ornamenta virtutum, non irritamenta vitiorum: grauitatem morum, non lapidum pondera perferentem: honeſtatis, non luxus monilia portātem: geſtantem non voluptatis pompam, ſed inſignia diſciplinę. Iſte ergo negociator has cordis, & corporis margaritas, proponit, non humano commercio, ſed diuino exercens; non ad pręſens cūmodum, ſed vt futurum mercetur; non ad terrenam gloriam, ſed cæleſtem: quatenus cælorum regnum poſſit virtutum præmio comparare, & innumeris bonis vnam redimere perpetuæ vitę margaritam. Adiecit autem ſimilitudinem Dominus dicens, *Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, &c.* Similitudo hęc prodit, cur in apoſtolatum piſcatores elegerit Chriſtus, & captores piſcium fecerit hominum piſcatores, vt diuini iudicij typus arte piſcatoria monſtraretur. Piſces congregat captura confuſus, ſed in vaſa diſcretio dat electos: ſic vocatio Chriſtiana iuſtos, & iniuſtos, malos, bonóſque congregat, ſed bonos, malóſque electio diuina diſcernit. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare.* Ad huius ſęculi mare tumens pompa, elatum vertice, vndoſum ſectis, inſcitia fluctuans, clamoſum litibus, fremēs ira, ſenum perfidia, peccatis naufragum, impietate demerſum, miſit piſcatores ſuos Chriſtus, hoc eſt, Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, probatos arte, cum dicit; Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Miſit ergo piſcatores ſuos, retia portātes, preceptis legalibus, & Euangelicis innodata, monitis circuncincta, virtutum donis & gratia dilatata, Euangelico ſinu congregātia ſine fine capturam. Hoc tempus modo, hoc agitur, fratres: per gentes, per populos Chriſti retia nunc trahuntur, & ducunt confuſas toto orbe credituras ſine diſcretione perſonas. Sed, quia ſęculi vicinus eſt finis, & ad iudicij littus capturę noſtrę retia iam propinquant, piſces, hoc eſt, homines, qui profundo ſęculi diſcurſu feriato, ac libero vagabantur, ſiccitate litoris, hoc eſt, finis propinquitate turbari, tota ſe rerum diſpenſatione collidunt; videntes impias gentes triumphis ſuccedentibus ampliari, anguſtiari captiuos toto orbe populos Chriſtianos; impios proſperis gaudere ſucceſſibus, pios malorum continuata ſucceſſione calcari; ſubdi dominos ſeruituti, dominari dominis ſeruos; rebelles filios in parentes, ſenes iuuenibus eſſe contemptui; omnémque naturę ſtatum, & vitę ordinem deperijſſe. Sed hęc, cum ita ſint, fortes nō turbant, imò infirmos turbant: fortes turbare non poſſunt, quia ſumunt vires de ſimilitudine, fortitudinem de figura. Eiecti de profundo piſces parum quidem in littore ſui confuſione voluuntur, ſed citata diſcretio, dum malos abiicit, eligit bonos: facit bonos, non turbat, breuis iſta, & citò tranſitura confuſio. Iſta diſcretio ſuperna, quę dat malos pœnis, bonos rapit ad honorem, impios deducit ad tartarum, pios tranſmittit ad regnum, patres, ſenes, iuſtos, electos, omnes de contumelia exigua perpetua gloria conſolatur; probat hoc autem comparatio ipſa, cùm dicitur, *In conſummatione ſæculi exibunt angeli Dei, & ſegregabunt malos de medio iuſtorum. In*

conſum

* *forte fœnoris ſuam pecuniam.*

Matth. 4.

consummatione sæculi, qui consummationem sæculi credit, qui de sæculi minoratione causatur, qui confidit mansura succedere, habere quid quærit transitura? Fratres, mundus de fine principium sumit: sic innouatur, non deficit creatura: sæculum deficit non creatori, sed crimini: neque iustis, sed peccatoribus finiuntur elementa. *In consummatione sæculi exibunt angeli*, Parere iustis, nec quisquam dubitet sanctis angelos esse paratos, quibus obsequium suum promittit & Christus, Luc.12. Christi vox est, Præcingam me, & ministrabo vobis. *Segregabunt malos de medio iustorum.* Portate, iusti, portate, imò inducias, iusti, date, breuis ista mixtura longa separatione pensabitur. *Separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminū ignis.* Ecce qui ejiciunt vicinos, qui expellunt hospites, qualem sibi eligunt mansionem: ecce qui sibi hic delicias pauperis fame, pœnis præparant alienis, ibi ignem sibi quantum de exigua voluptate succendunt. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Quam malè stridet ibi, qui hic malè ridet: & qui nūc malis pauperum gaudet, de bonis pauperum tunc lugebit, quia potuit cum paupere gaudere, sed noluit: vos autem fideles gaudete in domino semper.

S. GREGORII PAPAE
in idem Euang. Homil.

Est hom. 11. in Euang. tom. 2. CÆlorum regnum, fratres charissimi, idcirco terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit: quatenus exemplo visibilium, se ad inuisibilia rapiat, & per ea quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat: vt per hoc quod scit notum diligere, discat & incognita amare. Ecce enim *cælorum regnum thesauro abscondito in agro*, comparatur, *quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Qua in re hoc quoque notandum est, quod inuentus thesaurus absconditur vt seruetur: quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodiri non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus non abscōdit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus: Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Hoc autem dico, non vt proximi opera nostra bona non videant, cum scriptum sit: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est: sed vt per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum. Thesaurus autem cæleste est desiderium: ager vero in quo thesaurus absconditur, disciplina studij cælestis. Quem profectò agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuncians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat: vt nihil iam quod caro blāditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat spiritus perhorrescat. Rursum cæleste regnum negociatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quærit, sed vnam pretiosam inuenit, quam videlicet inuentam, omnia vendens emit: quia qui cælestis vitæ dulcedinem inquantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, cōgregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. De cuius dilectione rectè per Salomonē dicitur: Fortis est vt mors Cant.8. dilectio, quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quem perfectè absorbuerit ad terrena foris desideria velut insensibilē reddit. Nec enim sancta hæc cuius hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcauit. Ante armatos reges & præsides inuicta stetit, feriente robustior, iudicante sublimior. Quid inter hæc nos barbati & debiles dicimus, qui ire ad regna cælestia puellas per ferrum videmus? Quos ita superat, superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui si adipisci regna cælorum per bella persecutionum non possumus, hoc ipsum nobis turpe sit quod Deum nolumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrum hoc tempore dicit Deus, Pro me morere: sed illicita tātummodo in te desideria occide. Qui ergo in pace subigere carnis desideria nolumus, quando in bello pro Domino ipsam carnem daremus? *Rursus, simile esse regnum cælorum sagenæ in mare missæ dicitur, ex omni genere piscium congreganti*, quæ impleta ad littus educitur, & in vasis boni pisces eliguntur, mali autem projiciuntur foras. Sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternū regnum à præsentis seculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profundo mergatur. Quæ ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Vnde per Psalmistam Deo dicitur: Ad te omnis carō veniet. Psal.64. Quę sagena scilicet Ecclesia tunc vniuersaliter repletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur. Quam educunt, & secus littus sedent: quia sicut mare seculum, ita seculi finem significat littus maris. In quo boni pisces in vasis eliguntur, mali autem projiciuntur foras: Maris littus, seculi finem significat. quia & electi quique in tabernacula ęterna recipiuntur, & interni regni luce perdita ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur. Nunc enim bonos malósque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena nos continet, sed littus indicat sanctę Ecclesię sagena quid trahebat. Et quidem pisces qui capti fuerint, mutari non possunt: nos autem mali capimur: sed in bonitate permutamur. Cogitemus igitur in captione, ne diuidamur in littore. Ecce quàm grata est nobis hodierna solennitas, ita vt se non modicum addicat, si cui ex hoc conuentu nostro deesse contingat. Quid ergo in die illo acturus est, qui à conspectu iudicis rapitur, ab electorum societate separatur, qui tenebrescit à lumine, cruciatur æterna combustione? [illegible] Vnde & hanc eandem comparationem dominus sub breuitate aperit, cùm subiungit: *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos*

de

de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Hoc iam fratres charissimi timendum est potius quàm exponendum. Aperta etenim voce tormenta peccantium dicta sunt, ne quis ad ignorantiæ suæ excusationem recurreret, si quid de æterno supplicio obscurè diceretur. Vnde & subditur: *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Vtique domine.* Atque in conclusione subiungit: *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera.* Si per nouum & vetus quod dicitur, vtrunque testamentum accipimus, Abraham doctum fuisse denegamus, qui noui & veteris testamenti etsi facta nouit, minimè verba nunciauit. Moysen quoque docto patrifamilias comparare non possumus, qui etsi testamentum vetus edocuit, noui tamen dicta non protulit. Dum ergo ab hoc intellectu excludimur, ad alium vocamur. Sed in eo quod veritas dicit: Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias: intelligi valet quia non de his qui fuerant, sed de his qui esse in Ecclesia poterant loquebatur. Qui tunc noua & vetera proferunt, cùm vtriusque testamēti prædicamēta vocibus & moribus loquūtur. Quod tamen intelligi & aliter potest. Vetustum quippe humani generis fuit, ad inferni claustra descendere, pro peccatis suis supplicia æterna tolerare. Cui per mediatoris aduentum, nouum aliquid accessit, vt si hic rectè studeat viuere, cælorum regna valeat penetrare. Et homo in terra editus, à corruptibili vita moriatur, in cælo collocādus. Et vetus itaque est, vt pro culpa humanum genus in æterna pœna intereat: & nouum, vt conuersus in regno viuat. Quod ergo in conclusione locutionis suæ dominus subdidit, hoc est vtique quod præmisit. Prius enim de regni similitudine, thesaurum inuētum, ac bonam margaritam protulit, postmodū verò inferni pœnas de malorum combustione narrauit, atque in conclusione subiunxit: *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera.* Ac si apertè diceretur: Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est, qui & noua scit proferre de suauitate regni, & vetusta dicere de terrore supplicij: vt vel pœnæ terreant, quos præmia non inuitant. Audiat de regno quod amet, audiat de supplicio vnusquisque quod timeat: vt torpentem animum & terræ vehementer inhærentem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minet. Ecce enim de gehennæ expressione dicitur: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Sed quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta, hic fratres charissimi vanam lætitiam fugite, si illic flere formidatis. Nemo etenim potest & hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Temporalis itaque lætitiæ fluxa restringite, carnis voluptates edomate. Quicquid animo ex præsenti seculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat. Quicquid in mente puetiliter hilarescit, hoc disciplinæ iuuenilis censura coerceat: vt dum sponte temporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis: præstante domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari superioris Euang. expositio.

Simile est regnum cælorum, &c. Regnum cælorum quatuor modis dicitur in hoc Euangelio, scilicet, dominus noster Iesus Christus, vita æterna, præsens Ecclesia, & latitudo diuinarum scripturarum: & pro diuersis locis diuersè accipitur. Hic in hac parabola præsens ecclesia regnum cælorum intelligitur: Ager autem latitudo diuinarum scripturarum, in quo agro inuenitur Thesaurus, id est, dominus noster Iesus Christus: quia per scripturas nobis annunciatus est à prophetis, & apostolis. Quem qui inuenit, debet omnia postponere, & vitia in amore eius computare, vt illum possit ante omnia, & super omnia diligere. Quem qui inuenit, abscondit in pectoris sui absconso, nō in auaritiæ studio: ibi amor seruare volentis exprimitur. *Et præ gaudio illius.* Magnum gaudium esse potest, inuenire se, & scire illum, per quem de inferno liberari possit, & vita beata perfrui. *Vendit vniuersa, quæ habuit, & emit agrum illum.* Quia in vniuersis suis actionibus, & possessionibus Dei voluntaté debet sequi. Talis negotiator fuit Zachæus, qui cum esset in sycomoro, & videret thesaurum, quem emere posset, suscepit eum in domum suā, & dixit; pro hoc thesauro si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo & reliquum do pauperibus. *Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas.* Et ecclesia hoc in loco intelligitur regnum, in qua ecclesia omnes Christiani negociatores tales esse debent, vt quærant margaritas bonas: optimas intelligentias in lege, & prophetis. Cum autem inuenerint optimam margaritā dominum Christum: omnes voluptates huius seculi contemnant, vt Christum lucri faciant. Talis negociator fuit ille eunuchus, qui venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum: & quærens in libro Esaiæ margaritas. Venit Philippus, & ostendit ei ipsam margaritam: & misit eam in pectore: & super omnia, quæ habebat, dilexit. Talis Nicodemus, & Ioseph, qui petiit capsulam, vbi ipsa margarita fuerat, à Pilato: quia iā habebat & ipse eandem margaritam, & omnes apostoli huius negociatores fuerunt. *Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.* Omnia hic per allegoriam dicuntur: & est species allegoriæ parabolæ rerum genere dissimilium quia & thesaurus & margarita comparatione Dei vilia sunt: & sagena spirituali sagenæ inferior. Regnum cælorum ecclesia: vt supra. Per sagenam, prædicationem domini. Missa in mare, in isto seculo: quia vt in mari piscis piscem persequitur, & deuorat, ita & in hoc seculo homo hominem persequitur, & aut occidit, aut aufert ab eo, quod potest. Est aliquando serenū, aliquando turbatum: & in seculo aliquādo pax, aliquando persecutiones. *Ex omni genere piscium congreganti.* Quia ex omnibus gentibus conuertuntur ad Deum. Dominus quando ista dicebat, sagenam in mare mittebat, & duodecim piscatores quomodo piscarent, docebat. Cæpit sagena domini, & discipulorum eius multos, & adhuc hodie mittitur: capit bonos, & malos. *Et cum venient.* Id est terminum vniuscuiusque: veniunt angeli, bonos pisces mittunt in piscinam in vitam æternam: malos autem in ignem æternum, vt amplius non deuorent

bonos pisces, neque faciant filios similes sibi: sed ardeant, quia comederunt bonos pisces. Talis piscis fuit Iulianus: qui rupta sagena, exiit foras, & quia multos domini pisces comedit, & persecutus est: separatus à bonis, adhuc cognitur, vindictas exsoluens pro eis. *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Quamuis in fine mūdi de pluribus fiet, quotidie tamen fit ista separatio: & mali Christiani & pagani separantur à bonis: & mittuntur in caminum ignis. Littus terminus seculi. Fornax ignis, qui non extinguetur. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam.* Aduerbium, *etiam*, affirmantis: hoc est fecimus. Apostolos solos interrogat perfectus magister, quia & ipsos magistros ecclesiæ erudiebat, & sicut sagenam de multis maculis, sic de multis exemplis scripturarum prædicationem ordinate docebat. Vnde & sequitur. *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias.* Ideo, subauditur volo, vt intelligatis quæ dico: vt sitis similes mei, qui sum paterfamilias, & vos mei scribæ: vt sicut ego proferā noua ex meo, & vetera de veteribus libris: ita & vos cum cœperitis prædicare. Scriba autem à scribendo dicitur, is videlicet, qui se in scripturis exercet.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberstatensis in idem Euang. Homilia.*

Virtus & sapientia Dei, dominus Iesus Christus non solùm ad suscipiendam humanam naturā hominibus cōpati dignatus est, sed etiam humanæ ignorantiæ condescendens, suis sanctis sermonibus, rerum temporalium similitudines frequenter adhibuit, vt ex collatione rerum visibilium, ad inuisibilium amorem animos audientium incitaret. Vnde cùm cælestem gloriam studiosè amandam doceret, illarum rerum similitudinem adhibuit, quas homines plurimum diligere solent, dicens: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c.* Vbi thesauri nomine spiritualiter cælestis patriæ amorem intelligere debemus, vbi sunt diuitiæ quæ non deficiunt, thesaurus qui nunquàm marcescit: vbi nos Dominus thesaurizare admonet, iuxta quod alibi loquitur, Matth. 6. dicens: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur: &, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Qui profectò thesaurus tanto magis cumulatur, quanto magis temporalis thesaurus atque facultas studiosiùs pro Deo expenditur. Vnde de eo, qui thesaurum inuenit, dicitur: *Et præ gaudio illius vadit, &c.* Ager in quo thesaurus absconditus inuenitur, nos sumus, si tamen in nobis cæleste manet desiderium. Quem ille vēditis omnibus comparat, qui corpus suum per cælestis patriæ disciplinam affligit in ieiuniis, in vigiliis & orationibus. Sed & ille agrum cum thesauro inuento datis omnibus emit, qui crucifigens membra sua cum vitiis & concupiscentiis, Christum sequitur, & quodammodò spirituali venundatione seipsum immutat, declināndo à malo, & faciēdo bonum. Hunc enim thesaurum ab- [Matth. 19.] sconditum in agrō, cuidam Dominus emere persuadebat, cùm dicebat: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cælo: & veni, & sequere me. Illud autem notandum, quòd thesaurus inuentus absconditur vt seruetur: quatenùs intelligamus, quàm studiosè in bono opere vanam gloriam cauere debeamus. Sic est enim præsens vita, quasi via: latrones autem iuxta viam, immūdi sunt spiritus, qui illis maximè inuident, quos cum spirituali thesauro ad cælestem patriam tendere cognoscunt, sicut per prophetam de eorum capite dicitur: Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Psal. 9. Illorum ergo diuitias isti latrones rapiunt, qui per inanem iactantiam bona sua opera coram hominibus denudant. Vnde necesse est, vt cùm opus bonum exteriùs agimus, intentionem Deo placendi semper in occulto teneamus, iuxta quod ipse nos admonet, dicens: Cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. Matth. 6. Et iterùm: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum: & clauso ostio, ora patrem tuum: Ibidem. & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ad accendendam autem mentem in amorem cælestis desiderij, alia similitudo datur, cùm subinfertur: *Iterùm simile est regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas, &c.* Vbi preciosæ margaritæ nomine, dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligitur, quæ preciosior est cunctis preciosis rebus, & suauior omnibus delectationibus. Negotiatores autem spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cælestem gloriam mercari iubemur. Notandum autem quòd ait, Vendidit omnia quæ habuit, & emit eam: quia ille preciosam margaritam vnam, id est, cælestem patriam datis omnibus emit, qui non solùm terrenis facultatibus, sed etiam propriis renunciat voluntatibus. Qui verò sua pauperibus tribuit, & adhuc propriis voluntatibus seruit, preciosam margaritam nondum emit: quia quod charius Deo poterat offerre, retinuit. Non enim Deus nostra, sed nos quærit, qui terrenā substantiam non nisi propter lucrum animarū dare præcepit. Quia ergo negociatori bonas margaritas quærenti, bonisque margaritis sumus comparati, debemus seruare in opere, quod accepimus in nomine. Et sicut terrenos negociatores non maris pericula ab officio negociandi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hyemis frigus, non [illegible]is calor retinet, tātùm vt terrenum lucrum acquirere possint: ita & nos qui spirituales sumus negociatores, ab amore cælestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduersitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, vt preciosam margaritam amantes, cum Apostolo dicere valeamus: Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Rom. 8. Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Imitemur & aliud negociatorū opus. Habent enim hoc proprium hi, qui negociandi operibus insistunt, vt si in vno negocio damnum incurrerint, studiosiùs negociandi operibus insistant: quousque quod in vna re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo & nos, si aliquo casu in damnum animæ inciderimus, studiosiùs incœpto

cœpto bono operi insistamus, vt quod per negligentiam amisimus, per bonum opus recuperemus: quatenùs ad preciosæ margaritæ lucrũ peruenire possimus, & vocem Domini audire mereamur, [*Matth. 25.*] dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Hæc autem margarita tã cara est, vt nullis terrenis diuitiis possit comparari: tam vilis, vt sola bona voluntate possit acquiri. Hanc margaritam preciosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit: qui cùm huius margaritæ largitorem in domo sua suscepisset, [*Luc. 19.*] præ nimio gaudio dixit: Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cui aliquid tuli, in quadruplum restituo. Hanc quoque margaritam vidua illa duobus æris minutis in gazophilacio iactatis comparauit. Cuius precium ipse testis conscientiæ, Dominus scilicet, collaudauit [*Marc. 12.*] dicens. Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserũt in gazophilaciũ. Omnes enim ex eo quod abundauit illis, miserũt: hæc verò de penuria sua quod habuit, misit totũ victum suum. Huius margaritæ pulchritudinem, beatissima N. cuius hodiè festiuam colimus celebritatem, multis diuitiis datis comparauit, quãdo pro eius amore regni potentiam derelinquens, & thorum regalis matrimonij spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Vnde sine dubio quia regis terreni coniugium contempsit, sponsa effecta est regis cælestis: & quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cælo. Et quia salutationes & officia refugit regalium ministrorum, ministrat nunc Christo, coniuncta cætibus angelorum. Et ideò dignum est, vt qui temporalem reginam honore debito veneramur, hac Deo acceptam reginam deuotis precibus supplicemus, vt quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, suis nos meritis & orationibus in præsenti vita iucundos efficiat, & in futura acceptos reddat. *Iterum simile est regnum cælorum sagenę missę in mare, &c.* Pulchrè sagenæ assimilatur Ecclesia, quia & piscatori est commissa, & intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piscatorũ est, cum sagena de profundis gurgitibus pisces ad litus trahere: sic quotidie Ecclesia per doctrinam prædicatorum, de turbulentis & amaris gurgitibus mundi, mentes hominum ad veram lucem trahere studet. Et quoniam quãdiù in præsenti vita ecclesia cum bonis colligit & malos, rectè de eadem sagena subditur: *Quam, cum impleta esset, educentes, &c.* Vbi cùm boni & mali nominantur, præsentis temporis ecclesia designatur. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cælo: mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia, quæ in medio consistit, vtriusque [*Psal. 39.*] partis ciues recipit, sicut per Psalmistam dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vbi considerandum est, quia supra numerum electorum modò in ecclesiam multi reprobi intrare possunt, sed in regnum cælorum non possunt. Vnde & benè dicitur: *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* In quibus verbis manifestè discretio electorum & reproborum, in fine seculi futura esse ostẽditur. Sicut enim mare seculum, sic litus maris, finem significat seculi. In littore enim sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt: quia in fine seculi electi assumentur ad gloriam, & reprobi separabuntur ad pœnam, iuxta quod alibi Dominus ait in Euangelio: In illa nocte erunt duo in lecto [*Luc. 17.*] vno: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Vnde & exponens Dominus similitudinem, adiunxit: *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, &c.* Hoc est quod Dominus alibi in Euangelio dicit: Mittet filius [*Matth. 13.*] hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Et item de zizaniis, quę [*Ibidem.*] inimicus homo superseminauit tritico, interrogatus ait: Sinite vtráque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburẽdum: triticum autem congregate in horreum meum. Idipsum est, quod alibi dicitur à Domino: [*Matth. 25.*] Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, &c. In eo autem quod subiungitur: *Ibi erit fletus & stridor dentium*, manifestè qualitas pœnarũ describitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lachrymis solent, dentes vehementi frigore stridescere. Cùm verò ait, Ibi erit fletus & stridor dentium, ostendit, quia reprobi in gehenna, & frigus intolerabile, & calorem inęstimabilẽ sustinebunt, iuxta illud, quod per beatum Iob dicitur: Ad calorem [*Iob. 24.*] nimium transibit ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius: obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermes. Finita autem similitudine, de eius intellectu Saluator discipulos requirit, ostendens suis magistris, vt alios possint erudire, aliquando interrogare debere. Ait enim: *Intellexistis hæc omnia?* Illísque dicentibus, *Etiam*, de profectu illorum gloriabatur, dicẽs: *Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, &c.* Quod specialiter ad apostolos pertinere, ex eo manifestum est, quòd homini patrisfamilias comparantur, proferẽti de thesauro suo noua & vetera. Si enim per noua & vetera, vetus & nouum testamentum accipimus. Abraham & Moysen, cæterósque patres, qui ante Domini aduentum fuerunt, noua cum veteribus non protulisse cognoscimus: quia & si noua narrauerunt, Domini tamen incarnationem nouam corporalibus oculis non viderunt, sicut ipse discipulis suis ait: Multi reges & prophetæ [*Luc. 10.*] voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderũt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Apostoli autem noua & vetera spiritaliter intellexerunt, & noua corporalibus oculis viderũt: quibus ipse ait: Mãdatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. [*Ioan. 13.*] Siue aliter: Vetera ad pœnam, noua pertinent ad gloriam. Vetustum enim erat homini post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid nouum per redemptoris aduentum contigit, quando benè operantibus gloria est repromissa. Cùm ergo Dominus discipulos collaudat, dicens: *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, &c.* Ostendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione seruandum, vt vetera proferant de terrore supplicij, & noua de promissione præmij. Quod & in huius lectionis serie suo exemplo Dominus ostendit, cùm in prioribus similitudinibus incitauit ad præmium, & in sequentibus comminatur supplicium: ostendens, vt dictum est, doctoribus, quia sic benè operantibus debent promittere gloriam, vt non cessent peccantibus comminari pœnam. Quod etiam in lege figuratè ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit, dicens: Non accipies loco pignoris superiorem & inferiorem

 molam,

molam, quia apposuit tibi animam suam. Superior enim & inferior mola, spes & timor accipitur. Quasi enim à debitore pignus accipimus, cùm cõfessionem peccatoris recipimus. Cui si pœnitenti spem non repromittimus, veniam negamus, superiorem molam tollimus. Si autem peccanti securitatem damus, inferiorẽ abstrahimus. Sed vtrunque obseruandum est, vt sic pœnitentibus promittamus veniam, quatenùs in peccato perseuerantibus comminemur pœnam: vt quos non prouocãt ad benè agendum præmia promissa, saltem denunciata terreant supplicia.

EVSEBII EMISSENI
Episcopi in superius Euang. *Hom.*

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c. Regnum cælorum hoc in loco celestem patriam dicit: quæ merito thesauro in agro abscondito comparatur, quoniam eius diuitiæ nondum omnibus manifestè apparent. Inuenitur tamen, etsi non ad plenum: quoniam sanctorum prædicatione, qualis quantúsve sit, magna ex parte declaratur. Hunc autem thesaurum ipso domino prædicante, sancti apostoli inuenerunt, & præ gaudio illius venditis omnibus, eum emerunt. *Matth. 19.* Si vis, inquit Dominus, perfectus esse, vade, vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Sic igitur ager *Thesaurum abscondere.* iste cũ thesauro suo perfectissimè diuiditur. Hunc autem thesaurum ille abscõdit, qui cognito qualis sit, corde retinet, mente diligit, eiúsque nullo modo obliuiscitur. Illud enim abscõdimus, quod charum habemus, & amittere timemus. *Iterùm simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas, &c.* Hæc autem similitudo, cum ea quę superius dicta est penè idem significat: pręter hoc, quòd regnum cælorum, non cęlestis patria, sicut ibi sed sancta Ecclesia intelligitur. *Negociator Ecclesia.* Quod verò ibi thesaurus dicitur, hic margarita vocatur. Simile igitur est regnum cęlorum, id est, sancta Ecclesia, homini negotiatori: quoniam sicut ille vnius margaritę desiderio omnia vendidit, & emit eam: ita & ista pro amore cęlestis patrię & ęternæ felicitatis, non solum ea quæ habuit, vendidit, verùm & seipsam seruituti subiugauit, vt emere & possidere valeat. Callidus enim negociator est, qui ea his quæ diù possidere non potest, tale aliquid emit, quod nunquam amittere timeat, & in quo vniuersa possideat. *Negociator Christus. Ephes. 5.* Possumus autem per hunc negociatorem Dominum nostrum & saluatorem intelligere, qui inuenta vna preciosa margarita, per quam sanctam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam intelligimus, omnia quę habuit vendidit, id est, seipsum vendi & occidi permisit, *1. Cor. 6.* & emit eam. Sic enim Apostolus ait: Empti enim estis precio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, &c.* Meritò enim regnum cælorum, *Ecclesia sagena.* id est sancta Ecclesia, sagenæ similis dicitur, quia & piscatoribus commissa est, & in aqua baptismatis quotidiè innumerabiles pisces concludit & capit, de quibus ipse Dominus suis discipulis ait: Venite post me, & faciam vos fieri pisca- *Matth. 4.* tores hominum. Hanc autem sagenam tunc in mare Dominus misit, quando eisdem discipulis *Matth. 28.* præcepit, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Mare enim vocatur mundus iste, de quo Psalmista: *Psal. 103.* Hoc mare magnum, inquit, & spatiosum: illic reptilia, quorum non est numerus. Congregauit autem hæc sagena ex omni genere piscium, quando sancta ecclesia ad fidem vocauit, & in sinu suo collegit ex omni genere hominum. Ibi enim simul Iudæi, & Græci, Latini & Barbari, diuites & pauperes, sapientes & insipiẽtes, frumentum & zizania, granũ & palea, iusti simul & peccatores. Nondum autem impleta est, adhuc pisces ingrediuntur, adhuc homines baptizantur: implebitur verò, quando plenitudo gentium in ea introierit. Tunc igitur eam educentes, & secus litus sedentes, bonos pisces eligent, malos autem foras projicient. Littus namque maris, finis est seculi. Hoc autem ipse Dominus exponens ait: *Sic erit in consummatione seculi: Exibunt angeli, &c.* *Esa. 66.* Caminus iste, infernus est, in quo neque vermis moritur, neque ignis extinguitur. In fletu verò, & stridore dentium, nimietatem & pœnarum intolerantiam significat. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam, ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, &c.* Ac si diceret: Illis in parabolis locutus sum, & non intellexerunt: vobis autem parabolas ipsas exposui, & intellexistis. Et illis quidem quia veteres sunt, protuli vetera: vobis autem quia noui estis, noua & vetera. Illis prophetarum consuetudine, vobis doctoris & magistri more locutus sum. Sic igitur loquimini, sic docete, hãc loquendi regulam tenete. Aliter enim in regno cęlorum, aliter in conuentu scribarum & pharisæorum, aliter in ecclesia, aliter in synagoga loqui oportet. Omnis scriba doctus in regno cęlorum: omnis ecclesiæ doctor & prædicator, si sapiens est, si doctus est, similis est homini patrisfamiliàs, qui profert de thesauro suo de diuitiis pectoris sui, noua & vetera. Synagogæ scribæ, quia docti non sunt, proferunt vetera. Ecclesiæ verò scribæ, quia docti sunt, & noua proferunt, & vetera. Illi solam literam, isti & literam sequuntur & spiritum. *Matth. 13.* Istis denique datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserunt ne videant & conuertãtur, & sanem eos. Hæc enim vetera sunt, & de libro Esaiæ prophetæ assumpta. *Esa. 6.* Cætera autem noua sunt, quæ in similitudinibus locutus est Dominus, ab eo loco, in quo ista ait. Sic igitur Ecclesię doctores secundùm magistri consuetudinem proferre debent de thesauro suo noua & vetera, Ideò enim binos discipulos ante se Dominus *Luc. 10.* mittebat: ideò & duo Cherubin se vicissim respi- *Exod. 5.* ciebant: ideò abyssus inuocat abyssum, id est, no- *Psal. 41.* uum vetus, & vetus nouum inuocat testamẽtum. Abyssus enim vtrunque testamẽtum dicitur, propter altam sapientiæ & scientiæ profunditatem. Inde est etiam, quod Psalmista Ecclesiæ doctori- *Psal. 67.* bus loquitur, dicens: Si dormiatis inter medios cleros, eritis pennæ columbæ deargentatæ. Duo nanque cleri, duo sunt testamenta: columba verò, Ecclesia est. Quæ ideò deargentata dicitur, quia cunctis virtutibus & præcipuè veritate decorata est. Inter hos autem duos cleros, Ecclesiæ doctores & magistri dormiunt, si in vtriusque testamẽti scientia & doctrina, quasi in somno & quiete delectãtur, & nunc noua veteribus, nunc vetera no-

nis

uis confirmant. Hoc enim faciendo fiunt pennæ columbæ, quia tam sapienti & rationabili prædicatione sanctam Ecclesiam volare docent, & secum ad cælestia transferunt. Propter hoc enim de sanctis dicitur, quia assument pennas vt aquilę, volabunt & non deficient. Propter hoc & tabernaculū maxima ex parte opere plumario factum est, vt omnes alas suscipiamus, & volare discamus. Sequitur: Et posteriora dorsi eius sequantur vos in specie auri. Prima nanque ecclesię pars, apostoli fuerunt, & quicunque eorum in tempore crediderunt. Posteriores verò nos sumus, & quicunque vsque ad seculi consummationem credituri sunt. Posteriores itaque sequuntur primos, & cælestis sapientiæ splendore nitentes, & eadem via post eos, eisdémque virtutum alis ad cælestia conuolabunt. Hoc autem ideò fiet: quia sapientes Ecclesiæ scribæ, qui eos docent & prædicant, inter medios cleros dormientes, de thesauro suo proferunt noua & vetera. Hoc enim ipse Dominus faciebat, hoc & discipulos suos facere docuit. Et ideò quidem omnis scriba doctus in regno cælorum, similis esse debet patrifamilias homini, id est, Domino nostro Iesu Christo, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Esa. 40.

Psal. 67.

THEOPHYLACTI EPI-
scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

I*Terum simile est regnum cælorum thesauro in agro abscondito, &c.* Ager, mundus: thesaurus, prædicatio, & sciētia Christi. Occultus est autem in mundo. Sapientiam enim, inquit Paulus, prædicamus absconditam. Quærens autem scientiam Dei, inuenit eam: & omnia, quæ habet, siue gentilia dogmata, siue malos mores, siue diuitias, abjicit statim, & emit agrum, id est mūdum. Nam, qui scientiam habet Christi, possessionem propriam habet mundum, & elementa ei seruiunt, & imperat illis, sicut & Iesus, & Moyses. *Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori, &c.* Mare est præsens vita. Negociatores, qui per hanc ambulant, & quęrunt scientiam quandam inuenire. Multę enim margaritæ, multorum sapientum opiniones. Vna autem preciosa, vna est veritas quæ scilicet Christus est. Igitur sicut de margarita traditur, quòd in cōcha nascatur, quæ se aperit tempore fulgoris, & dein iterum claudit: concipitur itaque tum ex fulgore, & rore, própterea que candida est: sic & Christus in virgine conceptus est, & superno fulgore, spiritus sancti scilicet. Et sicut sępe margaritam tenens in manu, ipse scit, quantas habeat diuitias, alij autem ignorant: ita & prædicatio in obscuris, & perfectis abscondita est. Docet igitur vt, datis omnibus margaritam hāc possideamus. *Iterum simile est regnum cælorum sagenæ, &c.* Terribilis est hæc parabola, ostendit enim, quòd licet credamus, non habeamus autem vitam bonam in ignem projiciemur. Sagena quidem est doctrina piscatorum apostolorum, quæ ex miraculis, & testimoniis prophetarum connexa est. Quæ enim docebant apostoli firmabant miraculis, & prophetarum vocibus. Hæc igitur sagena ex omni genere congregauit, Barbaros, Gręcos, Iudęos meretrices, publicanos, latrones. Quando autem impleta fuerit, & consummabitur mundus, tunc, qui in sagena fuerint, discernentur. Nam, licet crediderimus, inuenti autem fuerimus mali, abjiciemur. Qui autem non tales, in vasa mittentur, æterna tabernacula dico. Omne autem opus, siue bonum, siue malum, cibus dicitur esse animæ. Habet enim anima spirituales dentes. Tunc autem anima stridebit illis, hoc est operatiuas suas virtutes conteret, eò quòd hæc fecerit. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi. Etiam, domine.* Vidisti quomodo parabolæ attentiores eos fecerint? Ecce igitur qui aliàs insipientes, & imperiti, intelligunt ea, quæ obliquè dicta. Vnde laudans eos saluatos, dicit, *Omnis scriba, &c.* Scribas enim vocat eos, vt doctos in lege: & licet docti essent in lege, non manserunt tamen in lege, sed docti sunt ad regnum, hoc est Christi scientiam, & possunt proferre ea, quæ ex nouo, & quæ ex veteri. Paterfamilias igitur diues. In ipso enim thesauri sunt scientiæ, qui noua docens, ex veteri subiungebat testimonia, exēpli gratia dicebat, pro ocioso sermone reddes rationem, hoc enim nouum: deinde addidit testimonium, Ex sermonibus enim iustificaberis, & condemnaberis, hoc vetus. In hoc similes apostoli, qualis Paulus dicens; Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

1. Cor. 2.

Fidelis bonis operibus destitutus, cōdemnabitur.

Matth. 12.
Prou. 18.
1. Cor. 4.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euang. expositio.

R*Vrsum simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c.* Quare, turbis nō præsentibus, in parabolis adhuc loquebatur discipulis? Quia sciebat iam illos per ea, quæ dicta sunt, sapientiores effectos, ita vt possent intelligere. Ideo etiam post finem parabolarum ait eis; Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: Etiam domine. Sicut autem in duabus suprapositis parabolis de sinapi, & de fermento, regnum cęlorum dicebat fidei sermonem: ita quoque in ista. Comparat autē ipsum thesauro propter spiritus sancti diuitias, quę in illo sunt. Ager autem est mundus, vt prædictum est. Scito ergo in mundo absconditam esse fidem: in fide vero diuitias spiritus. Et cætera quidem parabolę, prout dicta sunt, relinque. Considera autem quo modo is, qui hunc ditantem thesaurum reperit, siue cognouit illum, studiosè conatur (nam hoc indicat, quod dicitur, *Abit*) & cum gaudio cunctas quæ habet, distrahit, vt hunc solum lucrifaciat. Et intellige, quòd omnes doceat huiusmodi parabola, non solum ne contristentur, abiectis, siue erogatis omnibus, quæ possident pro fide, sed etiam, vt cum gaudio hoc faciant: & hanc abiectionem, siue amissionem, lucrum ducāt maximum: quodque is, qui aut illa non respuit, aut non cum gaudio respuit, nō potest fidei lucrifacere thesaurum. In omnibus autem, quæ habet, intelliguntur quę in opere, ac sermone, & in mēte sunt peccata: quæ omnia similiter vēdere oportet, hoc est, relinquere. *Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, &c.* Regnum cælorum proptie intelligimus desiderium regni cælorum, & hominem quidem illud appellauit, eo quod in homine operatur. Negotiatorem vero, quia propriam negotiatur salutem. Vide enim, quòd, vbi inuenit vnā preciosam margaritam, † sermonem videlicet fidei: qui vnus est propter vnam fidei veritatem, & quia nullus alius est huiusmodi: τίμιος autem, id est, preciosus, quia multi precij, & quia multis honorabilis, qui videlicet illum cognouerunt: *Abit*, quod †

diligentiam, ac festinationem manifestat: & relinquit omnia, quibus antea fruebatur: eúmque solum adipiscitur. Hæ autem duæ parabolæ in multis inuicem sunt similes: & breuiter in hoc solo differũt, quòd illa fidei sermonem thesaurum vocabat, hæc autem margaritam: sicut & duarum præcedẽtium parabolarum, vna quidem granum sinapis illum appellabat, altera verò fermentum. Et, sicut per duas illas significauit incrementum, vímque fidei, ita rursum per has duas, illius significauit diuitias, & excellentiam. Crescit siquidem quasi granum sinapis: vim habet vt fermentum: ditat veluti thesaurus: eximia est tanquam margarita preciosissima. Reliqua verò, quę in parabola habentur, non sunt nobis magnoperè curanda. Ne autem de sola fide præsumamus, aut sufficere eam ad salutem credamus, addit & aliam parabolam, qua discimus, quòd non omnes, qui credunt, salui fiunt, sed multi eorum pereunt: Ait enim;

Arrogans & temeraria est præsumptio de sola fide.

† *Margarita etiam dominus appellatus est, quia diuinitatis profunditate vnitus, & solis piscatoribus, suísque discipulis cognitus est.*

Rursum, simile est regnum cælorum verriculo iacto in mare, &c. Regnum cælorum iterum vocat fidei sermonem: mare verò mundum propter amaritudinem, vndásque tẽtationum. Omnimoda autem piscium genera sunt, variæ multitudines inhabitantium in eo hominum, virorũ, mulierum, puerorum, senum, cœlibum, coniugatorum, aliorúmque similium: aut etiam differentiæ variæ gentium. *Quod quum impletũ fuisset, &c.* hoc est, quando omnes crediderant: quidam voluntarij, quidam autem nõ voluntarij. Litus verò intelligit locum, in quo iudicaturus est dominus: colligẽtes autem angelos. Porrò bona, quæ capta sunt, iustos significant; praua autem malos: vasa verò, ea quæ solis iustis in hæreditatem sunt reposita. Reliqua autẽ huius parabolæ similiter nõ sunt magnoperè curãda. *Sic erit in consummatione seculi.* Sic, sicut dictum est. *Exibunt angeli, &c.* Atqui alibi ait, quòd ipse separabit eos à se inuicem. Quid ergo dicendum est? Quod ipse quidem separabit eos suo iussu: angeli verò separabunt eos operatione, præceptum domini tanquam ministri exequentes. Est autem separare, diuidere. Quia verò in fine parabolæ dixit, quòd praua foras abiecerunt: ne quis suspicetur sine periculo esse eiusmodi eiectionem: interpretatur dicens, quod etiam *Mittent eos in caminum ignis, &c. Dicit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia?* Quę videlicet in parabolis necessaria sunt: Atqui sciebat tanquam Deus, quòd ea intellexerant. Reliquum est ergo, vt hoc more humano interrogauerit. *Dicunt ei: Etiam, domine, &c.* Quum illi fassi essent se intelligere parabolam, subinfert, quos doceat, omnes legitimè ab ipso edoctos, intelligentia ditescere. Omnis, inquit, scriba siue sapiẽs edoctus à rege cęlorum, qui est Christus, intelligentia diues est: edoctus, inquam, ab eo, priusquam scilicet fallatur: & similis factus est homini patrisfamilias, id est, diuiti, qui depromit, quando vult, de thesauro suo nouas, veterésque res aureas. Intelligitur autem per noua, intellectus noui testamenti: per vetera autem, veteris. Quod verò dicit; *Propterea*, non est nunc causę redditiuum, sed confirmatiuum, id est, verè.

Infra 25.

FINIS QVARTI TOMI.

INDEX





INDEX RERVM, EXEMPLORVM, ET HISTORIARVM,

QVÆ IN QVARTO BIBLIOTHECÆ *volumine dispertiuntur, patentissimus.*



In quo prior numerus paginam, secundus verò columnam demonstrat.

Anima

Arbor

B.

Chari

Christiano

D.

Doctrinæ

E.

F.

G.

H.

Hepar

I.

Iacob

Inuidia

L.

M.

Morum

N.

O.

P.

Petitio

Q.

R.

Regia

S.

Solis

T.

V.

X.

Z.

FINIS.

